
NAZIONALE
8
53 G
16
ROMA
CENTRALE V. E. II



IOANNIS LORINI SOCIETATIS IESV,

IN ACTVS APOSTOLORVM COMMENTARIA:

Recognita, correcta, restituta, locupletata.

Quibus duo INDICES *accesserunt; alter S. Scripturæ locorum illustrium; alter, rerum, & cuiuscunque generis verborum, sententiarumq́; ac phraseωn diuersarum, quæ in hoc opere vel continentur vel explicantur.*

Cum priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis & Christianissimi Francorum Regis.



LVGDVNI

APVD HORATIVM CARDON

1609

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO, D. CLAVDIO DE BELLIEVRE, ARCHIEPISCOPO, ET COMITI LVGDVNENSI, Galliarum Primati.

Domino suo Colendissimo Horatius Cardon S. D.

VOD *potissimùm grata mens auebat (Primas Amplissime) vt eius tibi gaudij communione officioso ex voto gratularer, qua conciues mei Lugdunenses omnes tuæ fidei, expectatissimo cœli fauore crediti gestiunt: illud amplissima, & cui vix parem sors aspirasset, occasione me consecutum non possum non lætari. Vbi enim primùm splendoris fulgidum illud Tui nobis Jubar affulsit, veluti omnium nostrûm mentes quasi* θυρεπανοίκτης, *iucundissimæ lucis radiis occupasti; sic se tibi quisque, non tanquam orienti (erat enim piè grata non occidentis sed recedentis recordatio) at alternanti soli deuouit concupitissimæ tuæ huius* ἐκλάμψεως *aspectu (* sic *etenim* fratres Helenæ lucida sydera *sibi inuicem succedunt) vt deinceps nil non prosperum tam publicis quàm priuatis profiteretur negotiis. Qua spe succensus animus, qui tibi iampridem, tuisq; magno meo bono obsequiose deuinctissimus, ea se lege obligatum voluit, vt quemadmodum in Herculis sacrificiis cæterorum Deorum silere iubebat nomina pietas, publicari nefas: sic in domesticis aris tibi mens lætans litatura, te solum, quem & vrbi & sibi* ἀλεξίκακον *sperat, recordetur, requirat, colat. Quod faustum ergo fælixque sit (Præsul Illustrissime) Lorinum tua luce in lucem munitum educo; &, licèt sibi satis splendentem, influxu tamen tuo fulgidiorem, pudendæ noctis tenebras euasurum; quinimò immortalitati, tum nostri, tum posterorum sæculorum calculo consecrandum, meæ in te obseruantiæ primitias, vt spero, non ingratas, & officiosissimæ, si placet, officiosissimum mentis pignus do, dico, dedico.* Αθλα τῆς ἀρετῆς μέγιστα: *nec enim Lethæis patitur mergi vadis, quos alumnos habuit, &c. (vt vtrumque ex Thucydide connectam)* οὐχ ἐν τῷ ἀχρείῳ τῆς ἡλικίας τὸ κερδαίνειν, ὥσπέρ τινες φασὶ, μᾶλλον τέρπει ἀλλὰ τὸ τιμᾶσθαι. *Sic enim Virtutis Honorisque idem templum, communes aræ, paria sacrificia. At compensatiora doctrinæ lautia aut manere, aut commendare hos Commenta-*

rios non poterant, quàm quæ à tua dignitate mutuaturi sunt, dum per Doctorum manus peruagantes, à Zoilorum calumniis, Aristarchorum cauillationibus, & ineptissimorum Palæmonum dente, tam suæ πολυπαιδείας quàm tuæ tutelæ honore immunes futuri sunt. Imò doctum, & æuo dignum opus, sæculique nostri & gloriam & decus: opus, inquam, χαρίτων τρόφιμον, quod verè γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι βαθείας, quicumque alio numine, nomine, & omine fultum, decoratum, & fœlix, auras aspicere iussisset, culpam non poterat aufugere. Cui enim dignius secretioris & sacratioris scientiæ mysteria enodata poterant commendari, quàm tibi, quem in iis versatissimum suspicere, & mirari: at non licet æquare? Aut quo iure, alieno auxilio sarta tectáque essent, quæ fulta per se satis, æterna tamen stabilimenta nonnisi à te possunt expectare? Cui denique hæc venenorum quotidie erumpentium & corrumpentium antidotus, & ἀλεξιφάρμακον, quo tetri mali dometur eluatúrque lues, & furentes nostri Alastores, & Palamnæi tandem resipiscant, nisi suo Mithridati veniebat concredendum? Etenim quod de pisce, qui Plutarcho Anthias est, referunt, qui eo loci vbi degit, omnem veneni suspicionem tollit: Id de te & vtilius & veriùs. qui tanquam Ibis Ægyptiis Sacerdotibus, cuius aquæ haustus sit salutaris, maximo rei Lugdunensis bono, bonorúmque omnium acclamatione, tuorúmque subsidio indicas: vt videlicet id non à te expectet, sed habeat Respublica nostra, quo fruitur Atlante illo Gallico, Regisque sui clarissimo Nestore, Parente, inquam, tuo, patriæ ipsius confessione clarissimo, & quotquot erunt, futurorum sæculorum commendatione & memoria celebrando: ἀνδρῶν enim ἐπιφανῶν πᾶσα γῆ τάφος· καὶ οὐ στηλῶν μόνον ἐν τῇ οἰκείᾳ σημαίνει ἐπιγραφὴ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ μὴ προσηκούσῃ ἄγραφος μνήμη παρ' ἑκάστῳ τῆς γνώμης μᾶλλον ἢ τοῦ ἔργου ἐνδιαιτᾶται. Sed quid hæc de domesticis laudibus balbutio? Placet magis illud Ægyptiorum sacrificantium mysterium, Deos suos inarticulata voce colentium, vt plurima cupientes sese facultate destitui significarent, quorum ego imitator satiùs duco in his Eumolpidam me præstare. Euge ergo (Primas amplissime) has lucubrationes pias, doctas, expetitas, pius, doctus, gratans suscipe, tuere, foue: &, quæ humanitate iampridem, dum patrocinium tuum implorarent, exceptæ, illâ ipsâ vberiorique (si tamen exspectari potest) iterum secundóque, nouo & ampliori ornatu, doctissimisque appendicibus & additamentis ditatas, accedentes amplectere. Fuit in his, quo animum testarer, erit in quo beneuolentiam annuas. Commodè fuerunt ad manum, vt manus tuas implorarent: clientelæ subsidio foueantur, quæso. Quanta potui, imò quanta volui, addo quanta percupi poterant, offero. Si suscipis me, Lorinúmque ipsum, in Christianæ Reipublicæ vtilitatem huiusmodi laboribus insudantem, & tale quid, tersum nimirum, politum, doctum, vt moris est, meditantem suscipis. Sed non diffido: ipsa me inuitat humanitas tua, & audent Commentarij sibi polliceri. Vale. Viue (Præsul Amplissime:) téque tamdiu huic Vrbi cœli conseruent, quamdiu boni omnes precantur, implorant, peroptant. Ex Bibliothechio nostro, 5. Cal. Octobres, anno MDCIX.

Typo

Typographus Lectori.

QVANTVM huic editioni nostræ accesserit,& si meliùs ex ipsa lectione probabit Lector; monere tamen hoc loco visum est, quid hîc præstitum. Ac in Scriptoris quidem dignitate & operis commendatione, Lectorem tenere, argumenti series autorísque doctrina & grauitas,in tantum iam probata, non sinent: (nempe laudem suam satis inuenit apud legentes elaborata Scriptoris doctrina)hoc solùm dicã,assumpta velut facie altera,& iam in nitidiore coma ac cultiore veste refulgentem exire hanc secundam editionem:quam vel opus nouum credas.Inquo tam sunt accuratè omnia, támque attenta correctione recognita, tam multa aptè restituta, & locorum variorum locupletatione auctiora facta,vt nunc editio hæc longè alteram superet. Ita,quàm amanter excepta prior illa est,Lector, quum primam lucem ei typus noster dedit: tam dulces omnium amplexus hæc expectat.Sed in eo maneo quod habet pagina nostra agendum,vt quâ fide,quâ circumspectione,aucta,restituta & locupletata sit hęc recens editio,probet:quanquam id vel ex leuissima oculorum in opus iniectione, vel prima operis inspectione dignosci queat. Quare si maiorem sibi quàm dicenti fidem habere vult Lector, Λάβε μ' ἐς χέρας, Inquit hoc opus exquisitum, & dictis fidem reperies. Vale lector candide, & nos ama.

IOANNES LORINVS
Theophilo.

LVCAM sequor Lucæ Interpres. Non melior Commentario patronus quàm libro. hoc Saluianus exemplo, librum inscripsit Timotheo. Diuini studium amorísque, honorísque, vel esse Scriptori propositum debet, vel anagnostæ. In Euangelica plures historia versati sunt, nõ ita multi in Apostolica. Quod verso diu tractoq; siue in schola, siue in templo, complecti haud licet breui. Non tritam satis ineunti viam nefas ire per compendia. Dispendium sit quoque compendiosum esse, vbi licuit * aduersariis, cùm intelligerent quot contra illos hinc tela suppeterent, adeò prolixis esse. Facem prætulit Baronius: prodiere Stapletoni Antidota, & Salmeronis Tractatus, dum hoc molior. Actum egisse non vereor me quis ne existimet. At fatebor per quos profecero, malens, quàm deprehendi in furto, mutuum reddere *. Quanquam dictum verissimè,

* Nullum est iam dictum, quod non dictum sit priùs;
Quare æquum est vos cognoscere, atque ignoscere
Quæ Veteres factitarunt si faciunt Noui.

Quæsiui quid scriberem magis quàm quemadmodum: solicitam nolui orationem & politam: remissiùs volui, vt loquerer securiùs; plus habere fiduciæ quàm curæ studui *. Opto demum Θεόφιλος εἶναι ἢ Τιμόθεος: hoc ipsum quod es ô Theophile. Produisset hic multò antè Commentarius, ni maris periisset iniuria, & aliunde incuria obuenisset. Vale.

:aluino, arlora- & aliis.

inius pasia-

erétius unu-

ieneca t.115.

LITTERÆ ADMODVM R[DI] IN CHRISTO Patris P. CLAVDII AQVAVIVA Societatis IESV, Præpositi Generalis; quibus P. IOANNI LORINO licentia imprimendi sua in Actus Apostolorum Commentaria conceditur.

CVM opus hoc Commentariorum in Actus Apostolorum à P. Joanne Lorino, nostræ Societatis Theologo, compositum, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus vt typis mandetur, si iis, ad quos pertinebit, ita videbitur. Jn quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ. XI. Februarij MDCIV.

CLAVDIVS AQVAVIVA, Societatis IESV Præpositus Generalis.

NOS Antonius Emanuel Chalomus, Consiliarius Regius in præfectura Lugdunensi, Primitialis Iudex, ac Ill[mi], & R[mi] D. Claudij de Bellieure, Archiepiscopi, Comitis Lugdunensis, Galliarum Primatis, Vicarius Generalis: facultatem concedimus typis mandandi *Joannis Lorini Societatis* IESV, *in Actus Apostolorum Commentaria,* à Theologis recognita & approbata. Lugduni XXV. Iunij, MDCV.

CHALOM.

SVMMA PRIVILEGII REGIS, & Superiorum Societatis IESV.

CHRISTOPHORVS Balthasar Prouincialis Collegiorum Societatis Jesu, in prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Rege Christianissimo Henrico III. die 10. mensis Maij, anni 1583. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque illorum permissione imprimant: permittit Horatio Cardonio Lugdunensi Bibliopolæ, vt Joannis Lorini, eiusdem Societatis, opus, cui titulus est: Ioannis Lorini Commentaria in Actus Apostolorum: *ad* X. *proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni, die* IX. *Iunij anno* MDCV.

C. BALTHASAR Prouincialis.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII REGIS.

AVCTORITATE Regiâ ſancitum eſt, ne quis *Opera Ioannis Lorini Societatis IESV in Actus Apoſtolorum, & alios Sacræ Scripturæ locos,* imprimat, aut alibi impreſſa in hoc Regno diuendat per decennium, præter Horatium Cardon, Bibliopolam & Typographum Lugdunenſem, aut eos quibus ipſe id iuris conceſſerit: hócque omnibus perinde clarum, notum, indictum habeatur, ac ſi Regij Diplomatis ſententia operis initio præfigatur, finíve poſtponatur. Qui ſecus faxit, librorum confiſcatione, & pœnis Regio Diplomate declaratis mulctabitur. Datum Pariſiis vigeſima ſexta Iunij, MDCIV.

De conſilij ſententia

Signatum,

DV FOS.

IOAN



IOANNIS LORINI E SOCIETATE IESV, IN ACTVS APOSTOLORVM,



PRÆFATIO.

De libri titulo. CAP. I.



LIBRORVM tituli cùm alia, tum ipsum persæpe designant argumentum. Hic ergo titulus in limine præmonstrat Apostolicam historiam, quæque ab Apostolis acta & gesta sunt, quibus nominibus duobus placuit posteà Martyrum præsertim passionis, & mortis narrationem inscribi; quæ priùs diligenter à notariis excepta ac digesta, publicè ac solenniter in Ecclesia recitarentur [a], vt nunc solet Martyrologium.

Acta Martyrum unde dicta.

a Baron. de Martyrolog. cap. 2.

Cur hic liber nõ sit inscriptus, Acta Spiritus sancti.

Potuit imponi nomen ACTA SPIRITVS SANCTI, propter copiam donorum, & primitias eius hîc expressas: at non oportuit; nisi etiam CHRISTI ACTA, non EVANGELIA, nominare libros suos Euangelistæ debuerunt. Id quidem Oecumenius [b] affirmauit de vtrisque, sed, vt existimo, laudandi magis tam egregium opus animo, quàm quòd ita censeret.

b in Acta.

Acta an Actus vtrùm dicendũ.

Vtrùm Acta, vel Actus melius, nõ moror: nunc hoc, nũc illud vsurpatur à Patribus, aliisque Scriptoribus. Secundum hæsit in Bibliis emendatioribus, eóque vtitur Ecclesia in Diuinis Officiis. Budæus etiam in Comment. linguæ Græcæ mauult Actus, quàm Acta.

Cur non Acta Pauli hic liber inscribatur.

Tametsi verò pars operis maxima in Apostolo vno Paulo versatur, vt Pauli, non Apostolorũ nomine insigniri debuisse videatur, vt innuit Chrysostomus [c], atque Hieronymus [d], satius tamen fuit generaliter comprehendi in titulo Apostolos; de quibus tam multa quoque, tam illustria, tam vtilia produntur.

c libr. cont. Gent. seu de S. Babyla.
d in epist. ad Gal.

Cur acta, non dicta nominetur.

Quamuis item in hoc opere contineantur vigintiduæ conciones Apostolorum; hæ tamen etiã ad actionem referuntur: & Actorum nomẽ comprehendit, quicquid docetur & præscribitur, perinde ac Annalium vox. Vnde Poëta [e]:

e Iuuen. Saty. 2.

— *cupient & in acta referri.*

Actuarij qui sint.

Inde dicti actuarij, descriptores ac recitatores actorum vel priuatorum, vel publicorum: quos etiam scribas & notarios appellamus. Vocabantur etiam libri actorum, in quibus liberorum scribebantur susceptorum professiones. Testis Iuuenalis [f]:

f Saty. 9. lege quoque Bris. lib. 1. Select. ex iur. antiq. c. 5.

Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes

A *Argumenta viri foribus suspende coronas:*
Iam pater es. —

Hoc autem libro quid aliud nisi continentur in Domino [illegible];

Monet inscriptio, vt lector, auditórve actionem intendat, Christianiq; magis officium reputet in agendo positum, quam in dicendo, vel docendo, cuius oppositum exprobrat Gentiliũ Philosophis melior Philosophus martyrque Iustinus [g]. Sic olim tyroni scutum perpolitum tradebatur admonito, in eo præclara vt facinora insculperet, aut cum illo sibi moriendum sciret generosè [h]. Arias Montanus rationem tituli dat, quia liber contineat veluti practicam Sanctorum missorum, ad ostendendam mũdo Euangelij CHRISTI virtutem, & efficiẽtiam. Modestiam profectò præ se fert simplicitas tituli, ac sine magnifico epitheto vllo nomen expressum Apostolorum. Syrus interpres præfixit hunc titulum: *Liber Actuum, hoc autem est, historia Apostolorum beatorum, quam collegit Sanctus Dominus meus Lucas Euangelista.* Retinet verò Græcam vocem paulùm eam immutando, פרכסיס *Peracsis*, quasi πράξεις. Petrus Damianus [i] numero singulari vocat librum Actus Apostolici.

Christiani officium in agendo non dicendo positum.

g [illegible] 2. cont. [illegible]

h Plut. in apoph. Lacon.

i Sermo. de S. Eleutadio.

An sit Canonicus liber. CAP. II.

QVOD in Euangeliis, id in Actis quoque contigit Apostolorum, vt plura supponerentur, quàm quæ agnosceret Ecclesia, vt iis ipsis, quorum rata esset apud Ecclesiam, abrogaretur auctoritas. Primum illud de multitudine Apostolicorum actorum constat ex censura Papæ [a] Gelasij de Apocryphis actis Petri, Andreæ, Ioannis, Philippi, Thomæ, Barnabæ, Stephani, Theclæ, & Pauli, necnon ex his, quæ aut de illis ipsis, aut prætereà de aliis tradũt Athanasius [b], Epiphanius [c], Cyrillus Ierosolymitanus [d], Tertullianus [e], Philaster [f], Hieronymus [g], Augustinus [h], Orosius [i], Innocentius I. [k] Eusebius [l], qui partim amore Pauli confictos, partim errorum stabiliendorum gratiã, id genus libros editos affirmant. Diligenter omnes recenset ac refellit Cardinalis Baronius, eos prætereà, qui sub aliis nominibus vitas, passiones, itineraria, circuitus, seu periodos, ascensus, memorias, iudicia, apocalypses siue reuelationes Apostolorum continent. Nec parum

Acta Apostolorum cur plura ab Hæreticis ficta.

a dist. 15. cap. Sãcta Romana Ecclesia.
b in Synopsi.
c Hæres. 30. & 47.

Libri Apocryphi.

d Catech. 4.
e libr. de Baptismo. ca. 17.
f cap. 89. vel 41.
g de scripto. Eccl. in Luc.
h de fide cõt Man. ca. 18. & 22. cont. Faustum. c. 79. contra Adimantum. c. 17.
i ep. ad August.
k epistol. 3. ad Exuperium.
l 3. histo. ca. 3. & 19 & 25.

a suspecta

A suspecta Apostolorum historia, quæ nostra memoria prodiit auctore Abdia. Optima illa in his Augustini[a] cautio, si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia, quæ ab illorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas vsque ad nostra, & deinceps tempora perseuerat. [b] & in auctoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti, & docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent.

a 1. con. Aduersa. leg. & Proph. c. 20.

b idem 22. cont. Faustū. cap. 79.

Iam verò extra Canonem librorum sacrorum librum hunc posuisse Hæreticos, testis est Tertullianus [c], Eusebius [d], Philaster [e], Augustinus [f], Nicephorus [g]. Verùm odio id plerique faciebant B Ecclesiæ, cuius in hoc libro incunabula visuntur, aut arrogantia, & vsurpatione SPIRITVS sancti pro suæ sectæ Auctore, & communicatione eiusdem SPIRITVS facta sectatoribus illius per ipsum, quem SPIRITVM sanctum tam in Apostolos abundè effusum, hæc [h] historia disertè narrat. *Possumus*, inquit Tertullianus[i], *& his e Acta Apostolorum repudiantibus dicere, prius est vti ostendatis, quis est iste Paulus, & quid ante Apostolum, & quomodo Apostolus, quatenus & alias ad quæstiones plurimùm eo vtuntur. Neque enim si ipse se Apostolum de persecutore profitetur, sufficit vnicuique examinate credenti, quando nec* DOMINVS *ipse de se testimonium dixerit.* In hunc modum Tertullianus argumentatur, argumento, vt dicunt, ad hominem, aduersùs C Marcionistas, qui cùm potissimùm vterétur Pauli testimoniis, Acta tamen non recipiebant Apostolorum, ex quibus tamen firmum de Pauli Apostolatu, nec vsquàm aliunde, petitur testimonium.

Liber hic à quibus Apocryphus iudicatus.
c lib. de præscript. Hæret. c. 22. 23. 51. & 5. cōt. Mar. c. 1.
d 4. Hist. c. 27.
e c. 36. vel 61.
f lib. de vtil. cred. c. 1. 2. de ser. in monte. c. 20. vel 18.
g lib. 4. c. 4.
h c. 2.
i sup. c. 21. libri de præscr.
Liber hic est verè Canonicus.

Augustinus[k] Manichæos magnæ stultitiæ coarguit, quòd cùm tanta liber iste habeat similia his, quæ ipsi de diuinis Scripturis accipiunt, & credunt, non hunc etiam credant, & accipiant: & alibi[l] expresè nominat *Canonicum librum*, aitque se *si credas Euangelio, & huic libro credere debere, quoniam vtramque Scripturam similiter sibi Catholica commendet auctoritas.*

k lib. de vtilita. cred. c. 3.

l Sermon 91. de Diuer. & Tract. 6. in Io. & ep. 251. 19. cō. Faust. c. 31. & lib. 32. c. 15. & li. cont. ep. Manichæi. c. 5. 15. de Trin. c. 19.

Valet etiam ea ratio, & omnium esse instar debet, qua eundem Augustinum tantum illum Apo- D stolicorum Actorum numerum reiecisse vidimus, si pro his vnis vrgeatur, nimirum grauissima Ecclesiæ[m] hæc agnoscentis, & approbantis tanquam pro Canonicis, & verè sacris auctoritas, præter vnanimem Patrum consensum.

Ecclesiæ auctoritas in recipiendis libris sacris valet plurimùm.
m in Concil. Trid. Sess. 4. vbi ad marginem alia testimonia citantur.

Idem verò Augustinus, tractans de libris quibusdam sub nominibus sanctorum Auctorum, quorum in Canonica Scriptura mentio fit, & quærens cur non item illi pro talibus habeantur, habet præclaram istam, & nostro opportunam proposito sententiam: [n] *Cuius rei, fateor, causa me latet, nisi quòd ego existimo, etiam ipsos, quibus ea, quæ in auctoritate religionis esse deberent, sanctus vtique* SPIRITVS *reuelabat, alia sicut homines* E *historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione diuina scribere potuisse: atque hæc ita fuisse distincta, vt illa tanquam ipsis, ista verò tanquam* DEO *per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda: ac sic illa pertinerent ad vbertatem cognitionis, hæc ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur Canon: præter quem si qua iam etiam sub nomine verorum Prophetarum scripta proferuntur, nec ad ipsam copiam scientiæ valent, quoniam vtrùm eorum sint, quorum esse dicuntur, incertum est; & ob hoc eis non adhibetur fides, maximè his, in quibus etiam contra fidem librorum Canonicorum quædam leguntur, propter quod ea prorsus illorum non esse apparet.* Lege Franciscum Turrianum[o] nostrum, & Sixtum Senensem[p], & Iacobum Pamelium.[q]

Cur alij libri sacri, alij non, quamuis ab eodē auctore scripti.
n libr. 18. de Ciuit. Dei. c. 38.

o libr. 1. pro Cano. Apost. c. 11.
p in Bibliot. San. lib. 6.
q in lib. 5. Tertul. cot. Marc. n. 21. & in lib. de Præscr. n. 195. & 322.

De Auctore libri. CAP. III.

NON alium Actorum librum recipit Ecclesia, quàm quem Lucas composuit: etsi non Auctor libro, vt sit sacer, sed liber pro sacro approbatus Auctori auctoritatem conciliat, cùm, quod isti etiam[a] libro accidit, probati Auctoris nomine non probandus interdum liber cohonestetur.

Auctor huius libri indubitatò est S. Lucas.
a Tertull. in lib. de Baptismo. & Hiero. in Luca.

De Luca, qui cum Lucio, de quo Apostolus scribens ad Romanos[b], à nonnullis apud Orige- B nem[c] perperàm confunditur, multa, & varia traduntur: patria Antiochenum, medicum professione, quod Paulus[d] testatur, & pingendi peritum, vt meminit Nicephorus[e], & Damascenus, siue alius Stephani iunioris vitæ scriptor, nominatim faciens mentionem de imagine CHRISTI; scriptorem Euangelij, & Actorum, sodalem Pauli, & in peregrinatione comitem vsque in Vrbem, qua de re idem Apostolus testimonium edidit[f], fatentur omnes: dubia sunt hæc, An de LXXII. Discipulis, & Cleophæ in Emmaus proficiscentis socius[g]; Quæ loca, quas prouincias Christiana fide imbuerit; Paulóne Romam reuersus in supremo discrimine affuerit; Vtrùm ipsemet cœlebs, & an- C nis grauis vitam martyrio finierit; Euangelicam, Apostolicámq; historiam Paulo auctore & recognitore an scripserit, aut etiam CHRISTI patente præcipuas illi res suggerente, & quasi dictante de Incarnationis mysteriis[h]; Tandem de suaui ac salubri liquore ex eius corpore scaturiente, déque mirifica diuersa in loca eiusdem corporis translatione. Habes apud Card. Baronium[i] quos consulas, & quos tam acre tanti viri secutus iudicium, in his sequi tutò possis.

De D. Luca quid veteres scribant.
b c. vlt. v. 21.
c in epist. ad Rom.
d Col. 4. 14.
e libr. 2. c. 43. lib. 6. c. 16. lib. 15. c. 14. & Metaphra. in vita.
f 2. Cor. 8. 19.
g Luc. 24. v. 13.
h indicat Bernardus serm. 4. super, *Missus est.* & E mis. hom. Assumpt. & Lytan. Luc. 2. Maior in Lucam.
i in Notis. & Tom. 1. Annal.

Nec oberit, quæ Maldonatus noster strictim sed elegantia non minore, quàm sapientia, retulit in commentarios[k], ad ferendam, firmandamve de his sententiã, vidisse. Legendus præterea Card. D Toletus in Lucam, cum Barradio in Harmonia. Chrysostomus monet, idcirco Lucam separatim Euangelium, & Acta scripsisse, *quamuis vnus idémque Theophilus esset, cui inscribebat, vt distinctio perspicuitatem afferret, breuitas tædium eximeret, varietas voluptate afficeret.*

Qui auctores de D. Luca scripserint.
k in Euangelia.
Cur D. Lucas separatim Euangelium & Acta scripserit.

De lingua ac stylo. CAP. IV.

HIERONYMVS[a] Lucam Græci sermonis peritum vocat, simul qua lingua, quo scripserit stylo significãs: quæ etiam aliorum, qui Græcè bene norunt, de Luca sententia est. Nemo Græco idiomate dubitat Lucam scri- E psisse, etsi quòd Marcus eodem scripserit, nonnulli existimant, quidam Latino, nec de Matthæo omnes constanter loquuntur. Nam quòd Latinis vetustioribus Luca bos esset (etsi potiùs elephantem significat, vt scribit Varro[b]) nihil obstat (causam nominis dat Plinius[c]) nec etiam quòd Lucas boue Ezechielis[d], & Ioannis in Apocalypsi[e] mystico designetur; alioqui Latinus scriptor esset homo Antiochenus, quod sanè non est impossibile, sed sine idonea ratione diceretur: & nominum tota cognatio ac similitudo plerumque leuis, & fallax deprehenditur.

D. Lucas sermonis Græci peritus hunc librū Græce scripsit.
a de scripto. Eccl. & epist. 145. & in c. 6. Isa.
b lib. de ling. Lat.
c lib. 8. c. 6.
d c. 1. 10.
e c. 4. v. 7.

Auget vulgatæ opinionis veritatem, quòd Ioseph ex Iudæo Christianus, ac eximio propterea

Comitis

Digitized by Google

Comitis honore ab Imperatore Cōstantino exornatus[a], librum istum inuenisse narratur in Iudæorum ad Tyberiadem gazophylacio redditum Hebraicè de Græco, CHRISTI anno 327. vel 370. fieri tamen facilè potuit, vt scriptor alioqui Græcus propter Hebrææ gentis, & Hebrææ consuetudinem scripturæ, cuius etiam testimonia quædam recitat, idiotismos sibi Hebræos nonnullos affricuerit, qui lectorem propterea & interpretem non huius ignarum linguæ requirant. Nam proselytum Lucam multi, vt meminit Hieronymus[b], negant Hebraicum calluisse sermonem. Denique verum est, quod ait Ambrosius[c], hunc à Luca librum stylo historico scriptum, quem stylum videtur eò magis acuisse, & gratiùs exornasse, quòd suismet de rebus, atque periculis scripsit, obitis cum Paulo, pro hominū ferè aliorum more, quem notauit Macrobius[d], *qui pericula, vt ait ille, præterita, vel ærumnas penitus absolutas cùm euaserunt, vt referant gratissimè prouocantur.*

Acta Apostolorum ex Græco in Hebraeū trāslata multa sunt. a Baro. in Annal. Tom. 1. ex Epiphan. hær. 30.

b in quæstio. Heb. ad Gen. c.17.
c epist. 82. ad Eccl. Vercellen.
Liber hic cur eleganti stylo scriptus.
d lib. 7. c. 2.

De argumento libri. CAP. V.

Actuum Apostolorum liber quid contineat.

ECCLESIÆ post CHRISTI in cœlum ascensum incunabula, primósque progressus in ea factos per Apostolos, præsertim Paulum, ad quartum vsque Neronis annum, vel etiam ineuntem quintum hæc Historia continet; de qua in Luca Hieronymus[a] ad hunc modum: *Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo Πράξεις Ἀποστόλων prænotatur, cuius historia vsque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id est, vsque ad quartum Neronis annum, ex quo intelligimus in eadem vrbe librum esse compositum.* Sic ille.

a de scripto. Eccles.

Vbi scriptus sit hic liber.

Tametsi de loco, vbi volumen scriptum est, secus aliis videatur, existimantibus Lucam in ipsa peregrinatione cum Paulo, de quò multò plura quàm de aliis prodidit, quotidiè ceu commentarios eorū, quæ subinde contingerent, aut sicut diaria, vt Iulius quondam Cæsar fecit, exscripsisse. Quod vt demus, opus tamen Romæ, quò Paulum Lucas consecutus est, absolutum esse probabiliter sentire possumus. Et fama est, in conducto Pauli loco, quæ dicitur Diaconia S. MARIÆ in via Lata, idque inscriptum legi in marmore eiusdem.

Quot annorum historiam contineat.

Octo & viginti capitibus, quibus constat hic liber, totidem annorum post CHRISTI ad PATREM abitum, periodus texitur, atque duabus præcipuis in partibus Auctor exequitur, quódnam discipuli CHRISTO in Ierusalem primùm, Iudæa, & Samaria testimonium ediderint, deinde vsque ad vltimum terræ, vt ipsemet præceperat[b], hoc est etiam apud Gentiles. Hic annorum numerus iniri facilè potest. Nam CHRISTVS, qui anno Tiberij decimoquinto baptizatus est[c], eiusdē Imperatoris decimooctauo mortem obiit: inde circiter post annum Paulus conuersus est. Tiberius imperauit ex eo tēpore aliis quinque annis: omnes enim anni eius fuêre viginti tres; successerunt anni quatuor Caij Caligulæ; quatuordecim, Claudij; Neronis, qui post Claudiū tenuit Imperium, anno secundo peruenit Paulus Romam, ibique biennium mansit in suo conducto, vt finem Actibus imponens scripsit Lucas: hi omnes sunt à CHRISTI ascēsione seu morte 28. à Pauli conuersione 27. qui vsque ad 14. Neronis cum Petro nouem adhuc annos, aut paulò plus vixit.

b Act. 1.8.

c Luc. 3.1. Quomodo colligatur, hanc historiam esse annorum 28.

Multa sunt tamen non de aliis Apostolis solùm, vt de prouinciarum sortitione inter ipsos facta, & de Petro prætermissa, vt de sede Antiochena, & Romana, verùm etiam de Paulo. Nihil hic enim, ad Paulū quod attinet, de eius post conuersionem in Arabiam profectione ac reditu Damascum; & post triennium de aduentu in Ierusalem, quæ Paulus ipse Galatis[d] scribens commemorat: nihil de persecutionibus Thessalonicensibus[e], aut hæ vno duntaxat verbo [f]attinguntur: nihil de tot flagellis & virgis, déque tam multis naufragiis, ac incommodis aliis, quæ gloriosè recensentur in epistola ad Corinthios secunda[g]: nihil de pugna ad bestias[h]: nihil de Thecla, cuius etsi acta sub eiusdem, & Pauli nomine cum titulo Lucæ pseudographus presbyter Asianus, vt antè[i] meminimus, euulgauit, antiquorum tamen, Græcorum præcipuè[k], Patrum magnis præconiis fama celebratur, vt inter fœminas Pauli discipulas, prima, & primogenita, vt inter huius ordinis martyres protomartyr, vt quia suppar erat Apostolis, apostolica.

Apostolorum res gestæ multæ sunt in hoc libro prætermissæ.

d in epist. ad Gal. c. 2.
e in 1. epi. ad Thes. c. 2. & 3.
f Act. 17. 11.

g c. 11. 23. 24.
h 1. Cor. 15. 32.

i cap. 2.
De D. Thecla veteres quid senserint.
k Sunt apud Baron. (in Notis 23. Sept. & Annal. Tomo 1.) & Pamelium in li. Tertull. de Bapt. nu. 119. & Ioan. Molanū etiā in Martyrologio.

Quocirca meliùs Hieronymus in commentariis epistolæ ad Galatas[l] concedit in præteritis hîc nonnulla relicta (quod & Chrysostomus[m] etiam obseruat, atq; Nicephorus[n]) quàm cùm ideò Theclæ cum Paulo gesta in dubium[o] reuocat, quòd ea Lucas prætermiserit. Alioqui vacillabit Euangelistarum fides non omnia describentium, vt ratiocinari Nicephorus[p] videtur. Valet id potiùs ad conciliādam Auctori nostro fidem, qui quæ Paulum attingebant, & quibus comes ipse eius interfuerat, diligenter, ac distinctè, cetera strictim, & leuiter persequi voluit, vt Irenæus[q] subnotat; nec aliter accipiendus Hieronymus[r], dum indiuiduum Pauli peregrinationis comitē facit, profectò nō antequàm Troade [s]illum conuenit. *Et verò hæc de tam multis pauca*, inquit Chrysostomus, *sufficiunt ad eum finem, quem sibi Lucas præscripsit*, & est à nobis indicatus hoc capite in principio: eratque illis Ecclesiæ initiis maior Apostolicas virtutes in cordibus auditorum insculpendi cura, labórque, quàm multa scribendi aut otium, aut voluntas.

l cap. 2.
m Hom. 1. in Acta.
n 2. Histo. c. 25.
o de scripto. Eccles.
p Ibidem.

q Lib. 3. c. 14.
r de scripto. Eccles.
s Act. 16. 11.

Ex quo illud etiam commodum in Ecclesiā redundauit, vt cùm adeò parci, breuésq; primi illi in scribendo Patres fuerint, præter sacrosanctam Scripturarum, Traditionum item venerandam necessariò auctoritatem agnosceret, nobísque proponeret.

Cur Patres antiqui tam parci in scribendo fuerint.

Neque verò non omninò placet, quod est subtiliter à nescio quo animaduersum, tres Scripturā totam in partes cōmodè tribui, vetus Testamentum, Euangelia, Acta, vt singulis TRINITATIS Personis singulæ attribuantur, quemadmodum PATRI assignatur rerum creatio, & prouidentia; FILIO redemptio; SPIRITVI sancto sanctificatio atque Ecclesiæ gubernatio: quod visus est innuere is, qui Acta SPIRITVS sancti titulum libro nomē indere nos posse dixit[t], & Euangeliis Acta CHRISTI, addere ipse potuit, vt PATRIS Acta, vetus Testamentum vocaretur.

Scriptura diuisa in tres partes, ex tribus diuinarum S. Trinitatis personarū.

t vt notauimus c. 1.

Dici quoq; potest, Euangelia de capite CHRISTO potissimùm agere, vt homine, rege, sacerdote, DEO; epistolas Apostolicas, Apocalypsim, Actus, de membris, siue de Ecclesia. In Apocalypsi futura Ecclesiæ tempora, variíque status describuntur. In epistolis instruitur Ecclesia neophyta aduersùs occurrentes casus, nouis præceptis, sicut veterem synagogam Prophetæ instituerunt, præter legem ac Pentateuchum: in Actibus ipsa Ecclesiæ incunabula ponuntur, & nascentis exordia.

Scripta omnia noui Testamenti quid tradant.

Ac primis quidem octo capitibus exponitur progres

Breuis summa libri Actorum.

progressus,& confirmatio Ecclesiæ in Ierusalem, deinceps ab octauo capite ad decimumsextum persecutio, & augmentum in Iudæa, & Samaria: inde ad finem vsque inter Gentes præsertim. Cœptum est ab Ierusalem, & Iudæa, ac Samaria,vbi erat prophetia, & lingua Hebræa:itum est deinde in Græciam, vbi sapientia, & lingua Græca:tandem Romam peruentum, vbi potentia, & lingua Latina: quam triplicem linguam titulus CRVCIS CHRISTI habuit.[a]

In tribus linguis prædicatum liber hic continet.
a Ioan.19.20.

De dignitate, & vtilitate libri.

CAP. VI.

MERITO queritur Chrysostomus,adeò ignotum nonnullis hunc librum, vt nec quis auctor eius, nec omninò sciret, an existeret:eáque de causa tantũ e aperire thesaurum,cõmentando velle dixit,*non vilem minùs ac pretiosum, quàm Euangeliorum, cùm egregiis documentis morum, & vitæ exemplis abundet; comprehendat* CHRISTI *promissorum complementum,præsertim de* SPIRITV *sancto,& de mirificis operibus tum numero,tum qualitate,ipsa etiam eius opera* [b] *superantibus,illustriùs manifestet mysteria,quæ pertinent ad diuinitatem* SPIRITVS *sancti,atque ad* CHRISTI *Resurrectionem,& Ascensionem:quæ postrema duo primarius libri sunt scopus*,opinione eiusdem Chrysostomi[c], hierarchiæ,& conciliorum ex eo forma colligatur:conciliorum inde vsus, & Sacramẽtorum frequentia petatur: fortitudinis ac patientiæ in toleranda morte pro CHRISTO,& tribulationibus ferendis insignia ibi exempla tradantur:Ecclesiæ persecutorum multiplices modi technæque detegantur:postremò, cùm,vt scripsit Hieronymus[d], *non nuda hæc historia, vel Ecclesiæ duntaxat nascentis in ea texatur infantia, sed medici scriptoris verba omnia languentis animæ sint medicina,cuius quotiescunque liber legitur in Ecclesiis, toties eius medicina non cessat.*

D. Chrysostomus queritur quòd liber hic nonnullis planè esset ignotus.
b idem Chrysost. in lib. cõtra Gentiles. *Quæ maximè ex hoc libro disci possunt.*
c Homil. 1. in Acta.
d ep. 103 & in ep. ad Phile. sub finem.

Quocirca mirum videri non debet, si celebris idolorum antistes Domna, præter Iosephum comitem, de quo dixi capite quarto, vt est in Ecclesiasticis [e] historiis, istius lectione libri errores sic abiecerit, vt Fidem complexa,exempla quæ legerat, Christianè quoque viuendo, & pro Christiana religione constantissimè moriendo, ad viuum in se ipsa expresserit. Hieronymus Lætæ præcepta dans pro filiola Paula, iubet vt Apostolorum Acta, & epistolas tota cordis imbibat voluntate. Atque sanè,vt hoc [f] repetamus ex Chrysostomo,*reliquæ Scripturæ lectio frequentanda,sed huius in primis,& Euangeliorum, quæ cum doctrinæ vtilitate, historiæ suauitatem coniunctam habent*: &, si pia quæuis historia cum fructu, & voluptate [g] vsurpatur,ac nefas est Maiorum ignorare memoriam, quis non videt quàm sit turpe & reprehensione dignum, Apostolorum, qui sunt Patres,& fundatores Ecclesiæ, ac primi conditores generis Christiani,res gestas contemnere, nescire,non intelligere?

Domna idolorũ antistes quomodo sit facta Christiana.
e Sur. 26. Decemb.
f Homil. 9. in ep. ad Colos. & conc. 3. de Lazaro.
g Exẽplo sunt quas Aug. refert in Confess. lib. 8. c. 6. & ipsamet ibi. Ioan. Colũb. Ignatius noster, & alij.

Constantinus inter alia, quibus Petri sepulcrum exornauit,quatuor candelabra ingentis magnitudinis & pretij confecit, in quibus Apostolicorum actuum historiæ insculptæ apparebant.[h]

Constãtini quale fuerit vnũ in Apostolorũ memoriam donarium.
h in Act. Syl. uest. to. 1. Cõc.

Ex collocatione, seu dispositione Canonicorum librorum inter se cuiuspiam libri nobilitas dignitásque, si necessaria, aut verisimili saltem ratione colligeretur,argumentari proculdubiò liceret,hunc inter noui Testamenti libros post Euangelia,secundum esse. Quãquàm nonnulli eum codices Bibliorum infra omnes epistolas reiiciunt, in quo nec temporis ordo seruari potuit, cùm librum hunc suum Lucas anteà fortassis inchoatum,Romæ absoluerit,vnde Paulus à Luca relictus,aliquot epistolas dedit.

Nobilitas huius libri vnde colligi possit.

In Ecclesiastico officio lectio eius recitatur post octauam Paschæ, quoniam Resurrectionis CHRISTI crebra, & clara testimonia habet, vt auctores de Ritibus Ecclesiasticis notant; necnon Augustinus [i], Chrysostomus [k], & Gelasius. [l] Immò, vt superiùs diximus [m], hic quasi scopus eius esse videtur.

In Ecclesiastico officio cur de eo libro post Pascha legatur.
i Serm. 91. de Tẽpo. Tracta. 6. in Ioan. & prolog. in epi. 1. Ioan. & tracta. 2. in eand.
k Hom. 33. in Genesim. & Hom. qua hoc ipsum tractat argumẽtum, apud Turrianũ 5. pro epis. Pont. c. 11.
l d. 15. c. sancta Romana.
m in hoc ipso cap.

Illa à me laus, quæ maxima omnium iudicari debet, non exaggeratur, quam libro non Lucas tantùm vita,& doctrina cõspicuus,sed libri inspirator dictatórque SPIRITVS sanctus communicat;hæc enim non propria,sed communis laus est cum omni sacra Scriptura: certè quidem, si ne in plurimis, profanus etiam, scribendo historiam, fallatur auctor,vt placet Augustino [n],sancti SPIRITVS ductum, auxiliúmque desiderat: & si sacratiores apud Ægyptios sacris tantùm hominibus scribere licebat historias, apúdque Iudæos Pontificibus,& Prophetis,vt proditum est à Iosepho[o];& Pontifices id item sibi Romani,quemadmodum Vopiscus scribit [p], reseruabant: si hæc, inquam, vera sunt, apparet de hac quid historia statui,& affirmari debeat,quam constet *Apostolicum virum*(quo nomine Tertullianus [q] Lucam vocat)Spiritu nimirum Apostolico composuisse.

Spiritus sanctus huius libri Auctor primarius.
n epist. 111.
o 1. cõt. Apionem.
p in Tacito.
q 4. cõt. Marcionem.

Ad extremum, non dubitem huic sacræ historiæ,quam de omni historia Tullius [r] laudem pronunciat, accommodare; testem esse temporum, primæ ac priscæ Ecclesiæ; lucem veritatis, diuinæ ac reuelatæ; vitam memoriæ,vt Patrum apud nos viuant, vigeántque monita,beneficia, exempla;magistram vitæ,ex virtute iuxta magistrorum nostrorum institutionem,& impressa vestigia gerendæ;nunciam vetustatis,quæ venerationem habet,& maiestatis plenam auctoritatem.

Historia laus huic libro accõmodatur.
r 2. de Orat.

Huc etiam facit Nazianzeni [s] de historiæ vtilitate sententia, cùm præclarum ait esse, mentem eius cognitione instructam ac refertam habere. Esse enim historiam conglobatam quandam, & coaceruatam sapientiam, hominúmq; multorum mentem in vnum collectam. Sunt & apud Basilium [t] non vno loco de Sanctorum præsertim historiis, vt alios prætermitam, præclaræ & solidæ laudes, præsenti instituto percommodæ, aptissiméque conuenientes.

s ep. ad Nicobulum.
t orat. 1. de ieiunio orat. in S. Gordium. orat. in 40. Martyres, &c.



IOANNIS LORINI E SOCIETATE IESV, IN ACTVS APOSTOLORVM COMMENTARIA.

SVMMA I. CAPITIS.

Hoc caput tribus præsertim constat. Nectit hoc opus Lucas cum Euangelio ab se edito, retexens CHRISTI *Ascensionis historiam: Apostolorum Catalogum recenset: describit Mathiæ aggregationem ad Apostolicum Collegium.*

CAPVT I.

1 PRIMVM quidem sermonem
feci de omnibus, ô Theo-
phile, quæ cœpit IESVS fa-
cere, & docere
2 Vsque in diem, qua præcipiens Apo-
stolis per SPIRITVM sanctum, quos ele-
git, assumptus est:
3 Quibus & præbuit seipsum viuum
post passionem suam in multis argumen-
tis, per dies quadraginta apparens eis, &
loquens de regno DEI.
4 Et conuescens, præcepit eis ab Ieroso-
lymis ne discederent, sed expectarent
promissionem PATRIS, quam audistis (in-
quit) per os meum:
5 Quia Ioannes quidem baptizauit aqua,
vos autem baptizabimini SPIRITV sancto
non post multos hos dies.
6 Igitur qui conuenerãt, interrogabant
eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc
restitues regnum Israël?
7 Dixit autem eis: Non est vestrum nos-
se tempora vel momenta, quæ PATER po-
suit in sua potestate:
8 Sed accipietis virtutem superuenien-
tis SPIRITVS sancti in vos, & eritis mihi
testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, &
Samaria, & vsque ad vltimum terræ.
9 Et cùm hæc dixisset, videntibus illis,
eleuatus est: & nubes suscepit eum ab ocu-
lis eorum.
10 Cúmque intuerentur in cœlum eun-
tem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta
A illos in vestibus albis,
11 Qui & dixerũt: Viri Galilæi, quid sta-
tis aspicientes in cœlum? hic IESVS, qui as-
sumptus est à vobis in cœlum, sic veniet
quemadmodum vidistis eum euntem in
cœlum.
12 Tunc reuersi sunt Ierosolymã à mon-
te qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusa-
lem, sabbati habens iter.
13 Et cùm introissent in cœnaculum,
ascenderunt vbi manebant Petrus, &
Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus, &
B Thomas, Bartholomæus, & Matthæus,
Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iu-
das Iacobi.
14 Hi omnes erant perseuerantes vnani-
miter in oratione cum mulieribus, & MA-
RIA matre IESV, & fratribus eius.
15 In diebus illis exurgens Petrus in me-
dio fratrum dixit (erat autem turba homi-
num simul, ferè centum viginti.)
16 Viri fratres, oportet impleri Scriptu-
ram, quam prædixit SPIRITVS sanctus per
os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui
C comprehenderunt IESVM:
17 Qui connumeratus erat in nobis, &
sortitus est sortem ministerij huius.
18 Et hic quidem possedit agrum de
mercede iniquitatis, & suspensus cre-
puit medius: & diffusa sunt omnia visce-
ra eius.
19 Et notum factum est omnibus habi-
tantibus Ierusalem, ita vt appellaretur
ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc
est, ager sanguinis.

20 Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui habitet in ea: & Episcopatum eius accipiat alter.
21 Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus IESVS,
22 Incipiens à Baptismate Ioannis vsque in diem, qua assumptus est à nobis, testem Resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.
23 Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus: & Mathiam.
24 Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus vnum
25 Accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum.
26 Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.

Versus 1.] Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit IESVS facere, & docere.

PRIMVM.] Nomen est, non aduerbium, vt notat Beda, [a] & indicat masculinus articulus τὸν πρῶτον.

Quidem.] Μὲν quæ particula solet habere sibi respondentem δὲ; non tamen semper id obseruatur tam apud Latinos, quàm Græcos, etiam peritos scriptores: quamuis Hieronymus [b] ad Algasiam, hoc in Paulo notauerit, id est, istud illarum particularum: quod Donatus Hieronymi præceptor vocat ἀνακόλουθον, i. inconsequens, táquàm imperitiam Grammaticæ. Aristoteles respiciens, opinor, ad frequentem vtriusque particulæ in oratione oppositionem [c], præcipit vt seruetur, & collocatio earum ita fiat, vt non longo interuallo distent, ne memoriam turbent.

Verùm Demetrius Phalereus [d] auctor est à coniunctione μὲν, *quidem*, effici orationem sublimem, & magnificam, nec opus esse, vt ei altera δὲ, *autem, verò*, &c. respódeat. Ita loquitur Isocrates non raro, vt ad Demonicum, Πρῶτον μὲν εὐσέβει τὰ πρὸς τοὺς θεούς: & Dionysius Halicarnassæus multa eiusmodi in Oratoribus notat, & laudat [e], quæ speciem solœcismi habeãt, sed non sint: denique non tantùm Paulus [f], sed etiam noster Lucas, quem linguæ Græcæ eruditissimum Hieronymus vocat [g], eodem modo vtitur alibi particula μὲν [h], etsi Latinus interpres non expresserit. Lege Salmeronem [i], & auctorem Thesauri linguæ Græcæ [k], qui tunc monet vertendum *certè, sanè*, &c. vel omninò illius interpretationem omittendam, vt omisit hoc loco Syrus. Hinc Augustinus [l] infert, eundem Lucam esse auctorem libri huius & Euangelij, potiùs quàm ex nomine Theophili, qui

a in Retract. in Acta.
Μὲν, & δὲ particulæ se inuicē consequentes.
b q.10. epist. 151.
c lib. 3. Rheto. c. 5.
Non necesse est vt harum particularum altera alteram consequatur.
d libr. Peri hermē. c. de cōposit. orat.
e lib. de Propriet. Thuc.
f 2. Cor. 11. 5. Rom. 1. 8. c. 10. 1. Col. 2. 18. & alibi idē, atq; alij.
g ep. 145. & in c. 6. Esa.
h Act. 19. 4.
i Tom. 1. prolego. 16.
k Tomo 2.
l 4. de consens. Euang. cap. 8.

A vtrobique ponitur, quoniam possent duo eodem nomine vocari.

Sermonem.] Syrus, *librum*, λόγον. Cùm agitur de oratione, perinde est sermo, an verbum dicatur: cùm de secunda persona TRINITATIS, præstat dici VERBVM, quod posuit Interpres noster Ioannis 1. [m] & sæpè aliàs, tum ipse, tum alij. Nouantes si non nouant, renouant, etiam obsoleta exsuscitant, pro verbo sermonem vsurpantes, & qui sic vsurpauerint, nonnullorum Patrum testimonia colligentes.

Videtur magis quid intimum significari verbo, quòd non tam à verberando aërem videlicet, vt quidam apud Augustinum [n] tenent, quàm, vt
B ipse putat [o], à vero, & veritate ducitur. Sermo innuit potiùs aliquid foris iactatum, & satum, quasi à sero, & ferè est inter plures, auctore Seruio.

Sermonem feci.] Syriacè, *librum scripsi.* Sic M. T. [p] λόγον οἰκονομικὸν Xenophontis librum œconomicum interpretatus est. Vt verò minùs Latinè facere dicatur sermonem, qui loquitur, at rectè qui scribit. Quanquàm putidum est in retam seria seriò verba expendere, ac elegantiã requirere. Modestiam notat in eo Chrysostomus, quòd *sermonem* Lucas dixit, non *Euangelium*. Sed hunc titulum quamuis Euangelia omnia præfixum gerant, tamen non Euangelistæ ipsi apposuerunt, sed Ecclesia, vt indicat Tertullianus [q] Marcionem repre-
C hendens, quia Lucæ Euangelio, quod solum recipiebat, eum non apponeret; vt doctè probat noster [r] Maldonatus. Magis fauet, quod Paulus suum [s] vocans Euangelium, id quod à Luca scriptum est, intellexisse putatur, ipsúmque significare Lucæ Euangelium voluisse, cùm dixit [t]: *Cuius laus est in Euangelio*, tametsi non desunt [u], qui secus vtrumque interpretentur.

Prudenter fecit Lucas, nectens hunc priori Euangelij sui libro, ne quis eum sibi vendicaret, vtq; libentiùs reciperetur ac legeretur, tum ob Euangelistæ auctoritatem, tũ propter consequentium rerum ordinem. Videtur [x] quibusdã in Apocalypsi [y] Ioannes prima & secunda de causa Euan-
D gelium indicasse, quod scripserat: sed alij [z] posterius Euangelium putant, colligúntq; ex aliis eiusdem verbis [a], ac fortasse quidem probabilius.

De omnibus.] Non omninò scripsit omnia, quæ *si scribantur per singula, nec ipse mundus capere posset eos qui scribendi sunt, libros* [b]; sed summa ac præcipua omnium capita: vel *omnia* quæ SPIRITVS sanctus scribenda suggesserat, alia enim alij Euangelistæ scripserunt: vel *omnia* quæ sufficerẽt Euangelicæ prædicationi, & captui auditorũ, quomodo & *omnia* CHRISTVS *quæcũq; audiuerat a* PATRE, *nota fecisse Apostolis*, verè dixit [c]; & tamen multa superesse, quæ non possent in præsentia portare [d] asserit, & Paulus [e] *se non subterfugisse quo minùs an-*
E *nunciaret Ephesiis omne consilium* DEI affirmat. *De omnibus fecit sermonem*, ait Augustinus [f], *eligendo de omnibus vnde faceret sermonem, quæ elegit apta, & congrua, sufficere officio dispensationis suæ.*

Miraculorum iniri numerum non posse, facilè colligitur ex Matthæo [g], Marcóq; [h], præter Ioannis citata verba: sententias quoque alias, quas ex Euangelistis nemo retulit, inuenies non modò in hoc ipso libro [i], verùm etiam apud Clementem Romanum [k] in Cóstitutionibus Apostolicis, Clementem Alexandrinum in Stromatis [l], Hieronymum in epistolam ad Ephesios [m], & contra Pelagianos [n], & alios nonnullos. Quamuis ex apocryphis interdum.

S. Trinitatis persona Verbũ dici debet, non sermo.
m vers. 1.
Sermo & Verbũ quomodo differant.
n lib de principiis dialec. c. 6.
o 15. de Trinit. c. 11.
p 3. de offic.
Vt faciũt Erasmus, Beza, &c.
Euangelium ab Ecclesia nomen est libris Euangelistarum inditum.
q lib. 4. cõtra Marcio. c. 2.
r in tit. Euan. Matth.
s Rom. 2. 16. c. 16. 25. 2. Tim. 2. 8.
t 2. Cor. 8. 18.
u Baron. to. 1. Annal.
x Salmeroni to. 12. tract. 6.
y c. 1. 2.
z Baron. to. 1. Annal. Viegas præfat. in Apoc.
a c. 10. 11.
Euangelistæ non omnia scripserũt, quæ à Christo gesta sunt.
b Ioan. vlt. 25.
c Ioan. 15. 15.
d infrà 16. 12.
e Act. 20. 27.
f 4. de cons. Euang. c. 8.
Multa & quidem Christus & gessit & fecit, quæ scripta non sunt.
g c. 8. 16. & 9. 35. & 14. 35. 36.
h c. 6. 2. 13. 55. 56.
i c. 20. 35.
k lib. 4. c. 3. & lib. 2. c. 40.
l lib. 4.
m in cap. 5.
n lib. 3. circa princ.

Theophilus quid significet.

Theophile.] Sub initium Euangelij, quod eidem nuncupatū est, optimus nuncupatur, quod nomen quoniam Græcè DEI amicum, aut DEO charum, seu pium, ac religiosum significat, vt etiam apparet ex historia, quam Theophilān, hoc est, piorum, Theodoretus cognominat, opinio quorundam fuit [a], non certo alicui viro, sed omnibus piis scripsisse Lucam Euangelium, & Acta.

a Orig. hom. 1. in Lucam. Ibidem Ambros. & Beda. Epiph. hæres. 51.

Theophili nomē cur fuerit alicui viro addictum.

Videri etiam posset, cognomen hoc fuisse hominis alicuius, ob insignem pietatem clari, sicut ab eximia rerum diuinarum scientia, *Theologus* dicebatur Ioannes Apostolus, Ignatius *Theophorus*, ob singularem DEI amorem, simili de causa *Christifer* Timotheus, aliique aliter cognominati reperiuntur. Huc propēdet Titus Bostrenus [b]. Vtraque sententia verisimilitudinem nonnullam habet, moralem præsertim, ne ambitiosè opera nostra dedicemus, imitati Saluianum, qui Lucam ipse imitatum se profitetur in inscribendo suo Timotheo ad Ecclesiam Catholicam, vt solet nunc non nemo dedicare candido, aut pio lectori. *Positus*, inquit ille [c] (rationem ficti nominis reddens) *in hoc ambiguæ opinionis incerto* (suúmne nomen in opere apponeret) *optimum fore credidit* (de se in tertia persona rectè loquitur) *vt beati Euangelistæ sacratissimum sequeretur exemplum, qui in vtroque diuini operis exordio* THEOPHILI *nomen inscribens, cùm ad hominem scripsisse videatur, ad amorem* DEI *scripsit* (existimat videlicet Θεόφιλον idem esse quod Θεοφιλίαν) *hoc scilicet dignissimum esse indicans, vt ad ipsum affectum* DEI *scripta dirigeret, à quo ad scribendum impulsus esset. Hoc ergo etiam scriptor hic, de quo loquimur, vsus est argumento, atque consilio: conscius enim sibi, sic se omnia in scriptis suis pro* DEI *honore fecisse, qua ratione ille Theophili, hac etiam hic Timothei nomine inscripsit. Nam sicut Theophili vocabulo amor, sic Timothei honor Diuinitatis exprimitur. Itaque cùm legis Timotheum ad Ecclesiam scripsisse, hoc intelligere debes, pro honore* DEI *ad Ecclesiam scriptum esse: immò potius ipsum honorem* DEI *scripta misisse: quia rectè ipse scripsisse dicitur, per quem factum est, vt scriberetur. Hac causa igitur in titulum libellorum Timothei nomen inscriptum est; congruum siquidem scriptor ille existimauit, vt cùm in honorem* DEI *librum scriberet, ipsi* DIVINITATIS *honori titulum consecraret.*

b Luc. 1.

c ep. ad Salonium.

Saluianus cur sub Timothei nomine libris scripserit.

Timothei & Theophili nomina quid significent.

Hactenus Saluianus, cuius tamen ex verbis noua elici ratio, seu sententia de titulo videtur, vt non tam ad hominem DEI amantem, quàm ad amatum ipsum DEVM, DEíve amorem liber ipse dirigatur: quemadmodum primæ duæ hoc etiam docent moraliter, si nos Theophili, id est, pij fuerimus, & nobis hæc esse scripta opera Euangelij, Actorúmque existimemus.

Theophilus nomen proprium.

Ceterùm Theophili nomen hîc esse proprium non ambigo, non tam quòd in Euangelio Lucas ei dicat [d]: *vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem*, potuit námque huiusmodi oratione quiuis etiam fidelis comprehendi: sed quoniam epitheto vtitur κρατίστε, hoc est, *optimi*, quod certum, notum, magnúmque virum designat; vt cùm idem Præsidibus posteà non semel tribuitur [e], etiam à Paulo [f], tanquàm index nobilitatis, & amplissimæ dignitatis, non laus personæ; vt contrà, Magistratum nondum adepti, & candidati, boni tantùm viri, vt est apud Senecam [g], non optimi, vel optimates vocabantur. Quanquàm varios Magistratus appellat Augustinus [h] bonos vel viros vel homines. Opinio hæc est Chrysostomi, & Oecumenij, hoc loco, Euthymij, atque Theophylacti in Euangelium Lucæ [i], & Augustini in opere de consensu Euangelistarum [k].

d ...1.4.

...optimi Magistratibus ad...

e ... 23. 26. & 26.25.

f ... 1 ep. 3.

g ... 54. & 59.

h ... 8. & 259. 4.

i ... 1.

k lib. 4. c. 8.

Theophilus quis fuerit.

Oecumenius existimat Theophilū istum Præsidem prouinciæ alicuius, aut Præfectum fuisse: Theophylactus [l], & Euthymius [m] Senatorij Ordinis, vel Principem, Nicephorus [n] asserit Episcopum in Ecclesia Antiochena sextum: eiusdem nominis Cæsareæ Palæstinæ item Episcopum, Clemens [o] Romanus memorat in Constitutionibus.

l Luc. 1.
m Ibidem.
n 5. Hist. c. 25.

o lib. 7. c. 47.

Auctoris de eo sententia.

Si vt in re incerta, & obscura coniectare licet, magis me optimi mouet epithetum, vt laica dignitate insignem, quàm Ecclesiastica fuisse putem, nec bene, vel necessariò argumentatur Lyranus [p] huius, quàm illius conditionis personæ magis dedicari sacrum opus conuenire: & Episcopum oportere vitæ bonitate excellere. Sanè quidem apocryphus, non pseudographus tamen semper, in Recognitionibus Clemens [q] meminit Antiocheni nobilis Theophili à Petro conuersi, domum verò suam in Ecclesiam conuertentis, vbi cathedram Petrus collocauerit.

p in c. 1. Luc.

q lib. 10. c. vlt.

Lucas Theophilū cōuertit eumque scriptis confirmat.

Fieri quoq; potuit, quod Theophylactus tradit [r], vt ciuē suū Lucas priùs à se voce verbóque institutum, Euangelicæ, & Apostolicæ scriptione historiæ voluerit magis magísque cōfirmare. Immò Lucas non aliam reddit consilij sui causam: vt proinde non alia nobis quærenda, aut proferenda sit sententia, quàm quæ affertur à Chrysostomo [s], vt ad hominem priuatum ea scripserit, quæ maximè omnibus cómunia esse debebant, quia audierat CHRISTVM dicentem [t]: *Non est voluntas ante* PATREM *vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis*: vel quàm aliorum, vt Theophili viri principis nomine prodiens opus hoc duplex, plus gratiæ, inuidiæ, periculíque minus haberet. Et quis minùs habere auctoritatis suspicetur, quas ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses, Paulus scripsit epistolas, quàm ad Timotheum, Titum, Philemonem? Quis minùs Ioannis Catholicam, hoc est, vniuersalem, quàm particulares ad Caium, & Electam?

r Luc. 1.

s Hom. 1. in Acta.

t Mat. 18. 14.

Idem est & ad quē scripsit Euāgelium D. Lucas, & Acta.

Augustinus [u] incertum putat, an iste Theophilus idem sit, cui Lucas Euangelium, & Acta nuncupauerit. Atqui res certa videtur, cùm in principio huius libri Actorum, mentio fiat Euangelij, quod priùs illi fuerat inscriptum, & hoc Chrysostomus, Oecumenius, & alij tenent.

u li. 4. de consen. Euāg. c. 8.

Morales sensus ex nomine Theophili quot colligendi.

Morale est quod ait Origenes [x], eundem esse Θεόφιλον, & κράτιστον, DEI amicū seu pium, & fortissimum, ac optimum, iuxta id Psalmi [y]: *Et non erat in tribubus eorum infirmus*: morale, ne quis insolescat de titulo, qui præ se ferat probitatem, quam nobilitas, aut Magistratus exigit, quem gerit: morale, ne quamuis hæc probitas desit, negetur debitus titulus. Morale, vt prædicator Christianus & doctor, non auditorum numero, sed vel vnius fructu suos metiri labores consuescat, CHRISTI etiam exemplo, qui cum muliercula tam prolixè, támque seriò etiam de altissimis mysteriis sermonem solus instituit [z]. Morale, vt gaudeamus *quia nomina nostra scripta sunt in cælis* [a], & non *quæramus vocare nomina nostra in terris nostris* [b], vbi huius Theophili nomen scitur, quis fuerit, nescitur. Sed hos mysticos sensus attingimus tantùm, literalem præcipuè consectamur.

x in Lucam.
y Ps. 104. 37.

z Ioan. 4. 8. & seq.
a Luc. 10. 20.
b Ps. 48. 12.

Cur non fuerit cognomento optimi decoratus.

Porrò cur Lucas Theophilum hîc sine optimi titulo nominet, causam esse non improbabilem quidam putant, quòd vel Magistratu, Christianus factus, abdicauerat sese: vel melior, suíque iam despicientior euaserat, quàm cùm Euangelium illi

A inſcriberetur:morale & hoc modeſtiæ Chriſtianæ documentum. Lege Sebaſtianum Barradium ex ordine noſtro in concordia Euangelica [a], quæ prodiit poſtquàm hæc elucubraſſemus.

a lib.7.c.1.

Cœpit.]Simplex ſenſus eſt de principio operum ac doctrina iam inde ab ipſa Incarnatione CHRISTI,vt IESVS, id eſt,homo erat:etenim quatenus DEVS, dudum antè cœperat, quippe cum PATRE, necnó cum SPIRITV ſancto creator mundi fuit,vt exponit Caietanus [b]: *neque Moſes aliúſve*, inquit idem,*eo modo,vt principium capitque recta ac beata vita facere aut docere cœperat.*

Chriſti operum initium vnde ſumendum.

b hoc loco.

Myſticum eſt quòd cœpiſſe dicatur is, qui vſque modò etiam operatur [c]. PATER *meus*, inquit, *vſque modò operatur, & ego operor*: aut qui pridem dum viueret,operabatur per ſeipſum, iam in ſuis, & per ſuos; aut qui ſolus perfectè fecit, docuitque,ſolus ac primus poſt alios facere, ac docere cœpiſſe cenſeatur.

Chriſtus à principio operans operari nunquam ceſſat.

c Ioan.5.17.

B Arias Montanus actiones operáque CHRISTI ante mortem, & reſurrectionem, quamuis in ſe perfecta, tamen incœptiones docet fuiſſe, quantùm ad vſum & fructum, qui reſeruabatur poſt aduentum SPIRITVS ſancti:& hoc ipſum eſt ab eodem Luca initio Euangelij indicatum illis duobus verbis:*Ordinare narrationem,quæ in nobis completæ ſunt rerum.* Placet acumen expoſitionis; ſed literalis non eſt.

Opera Chriſti ante reſurrectionem fuere incœptiones.

C IESVS.] Celebre ac diuinum nomen,dequo diligenter diſſerui in Eſaiam [d]. Proprio nomine cùm SALVATOREM appellare volunt Euangeliſtæ, IESVM appellant. CHRISTVS verò denotat potiùs officium, vt etiam dixi exponens hiſtoriam Samaritanæ [e].

Ieſu nomē quid propriè ſignificet, & Chriſtus quale ſit.

d cap.1.

e Ioan.4.

Facere,& docere.]Etiam pati,patiendo enim mirabilia operatus eſt, ſalutem ipſam opus maximum, ſtragem inimicæ mortis, & capitaliſſimi Dæmonis,denique portenta illa omnia,quæ commemorantur ab Euangeliſtis: patiendo quoque fecit & operatus eſt excellentiſſimarum virtutum illuſtriſſima opera: ipſum pati, facere fuit, *quia* [f] *animam ſuam ipſe poſuit, & oblatus eſt, quia ipſe voluit* [g]. Sapienter,& acutè Petrus Bleſenſis [h] dixit, CHRISTVM in vita operatum actionem paſſiuam, in morte paſſionem actiuam. Nihil docuit CHRISTVS, quod non item fecerit, & faciendo etiam docuit, & omnis eius actio noſtra fuit inſtructio.

Chriſtus patiendo eſt operatus.

f Ioan.10.17.18.
g Eſa.53.7.
h Serm.18.

D Sed ſi docere & facere, propriè, diſtinctéque accipias, multò plus fecit, & prius, quàm docuit, hoc vix triennium faciens,nec niſi iam trigenarius docere incipiens,vel etiam vt volunt,qui à baptiſmo annum expectaſſe docent, agens trigeſimum primum annum.

Chriſtus prius & plus fecit quàm docuit.

Hiſtrionis,aut hypocritæ,non veri morum doctoris eſt,docere ac dicere ſolùm,non facere: nec exemplo præcepta præire, vel ſaltem ſequi. *Imitatores mei eſtote*, inquit Apoſtolus [i], *ſicut & ego* E CHRISTI;& alibi, *Sicut habetis formam noſtram* [k]. Phariſæorum, & Scribarum eſt dicere, & non facere [l]. *Fiducialiter ſequor te Domine, quocumque, & ſecurè incedo viam mandatorum tuorum, ſciens quòd per eam præceſſeris*;inquit Bernardus [m]. Idipſum vrget Ignatius [n], & egregiè Gregorius [o] in Ezechielem:& alio loco [p] docet hoc eſſe,quod de CHRISTO dicitur [q], *docuiſſe tanquam poteſtatem habentem*, quo etiam modo illud intellexit Theophylactus [r],Bernardus [ſ] rurſum, *dare voci vocem virtutis, & ita alios docere,vt etiam teipſum doceas* [t]. Adde geſtare non rationale duntaxat, verùm etiam ſuper-

Hiſtrionis eſt docere & non facere.

i 1.Cor.11.1.
k Phil.3.17.
l Matth.23.3.
m Serm.1.de omnib. Sanctis: quē etiā vide epi. 201. & Serm. de S. Bened.
n epiſt.14.
o hom.14.
p 21 Moral.c. 7.& 8.
q Matt.7.29.
r in Matth.
ſ epi. 201. & ser.59.in Cāt.
t Pſal.67.34. & Rom. 2.21.

A humerale. Percommoda huic propoſito ſententia eſt apud Caſſianum [u]. Vigilius quoque Papa iiſdem verbis quæ tractamus, hortatur in epiſtola Aurelianum Arelatenſem Epiſcopum Vicarium ſuum. Plura in hanc ſententiam habet idem Gregorius [x], & Leo [y], Nazianzenus [z], Lactantius [a], Nilus [b], Clemens [c], Seneca [d]. Huius tritum illud,ſed propoſito valdè accommodatum: *Longum ad virtutem per præcepta, breue & efficax per exempla iter eſt.*

u Collat.14. cap.9.

Doctores non verbo tantùm ſed & exemplo doceant.

x 2. par. Paſtoral. c. 3. & homil. 17. in Euangelia. & in 1. Reg. c. 5.
y Serm. de S. Lauren.
z in ſent.Tetraſ.in 4.
a 4.Inſtit.
b in aſcetico.
c 2. Cōſt.c.6.
d ep.108.

Perſimile eſt quod ait Leo [e]: *Facilis ad exhortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum; validiora ſunt tamen exempla, quàm verba,& plenius eſt opere docere, quàm voce.*

e Serm. de S. Lauren.

B Teſtis eſt quoque Chryſoſtomus [f], quòd Gentiles non ita ſignis adducuntur, vt vita, quam nihil aliud,vt dilectio commendat.Qui enim miracula faciunt, nonnunquàm deceptores ab illis appellantur:vitæ puritas non niſi bonum arguit,&c. *Nihil adeo Gentiles arguit, vt virtus, nihil adeo perturbat,vt malitia.* Denique qui ſecus faxit,docens non faciens, rectè Nazianzenus [g] trahere vna manu, alia affirmat impellere [h]. Ipſemet de Baſilio tradit,nihil præcepiſſe ſuis, quod non faceret prior: idémque de Malachia Epiſcopo Bernardus [i]. Hoc eſt eſſe ducem conſilio, militem exemplo, quod de Traiano Pacatus affirmauit [k]: ſeu quod de Mithridate Velleius,conſilijs ducem,militem manu: item quod ab Homero dictum crebrò vſurpabat

f hom 17.in c.3.Ioan.

Gentiles qua ratione ad fidem adducuntur.

g Tetraſt. ſent.4.
h oratio.in S. Baſilium.
i in vita.
k in Panegyr.

C Alexander,eas habere partes, quæ conueniunt eidem βασιλεῖ τ' ἀγαθῷ, κρατερῷ τ' αἰχμητῇ, regique bono,fortíque militi. Faciunt aliqui, non docent: alij non faciunt, ſed docent: nonnulli neutrum, quidam vtrumque. *Qui fecerit, & docuerit*, inquit CHRISTVS [l], *hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Primorum eſt ſancta ruſticitas:ſecundi ſunt iniqui,tertij inutiles. Hic ipſe locus ab Ignatio [m] quoque & Clemente [n] iuxta traditam apologiam citatur.ſed fateor ſimplicem ſenſum eſſe initio allatum,quo pacto Marcus [o] etiam refert,quòd *conuenientes ad* CHRISTVM *Apoſtoli renunciauerunt ei omnia,quæ egerant & docuerant*,intelligentes, opinor, per, *egerant*, de ſignis & miraculis, de quibus

l Matt.5.19.
m epiſt.14.ad Epheſ.
n 1.Cōſt.c.6.
o c.6.30.

D ante meminerat [p]. Qui facere recta omitterent, tantùm dicerent,Diogenes [q] aſſerebat citharæ ſimiles,quæ optimè ſonaret, audiret nihil: *Et non te pudet*, idem dixit ſtolido aptanti pſalterium, *ſonos aptare ligno, cùm ad vitam mores non componas*? Hoc laborantem vitio Pertinacem Capitolinus χρηστολόγον cognominatum ſcribit,quòd bene loqueretur,malè faceret. Hoc ſibi fortàn apud Paulum [r] hæreticorum χρηστολογίας volunt.

p ibid 11.
q Laërt.lib.6.
r Rom.16.18.

Verſus 2.] Vſque in diem, qua præcipiens Apoſtolis per SPIRITVM ſanctum,quos elegit,aſſumptus eſt.

E VSQVE *in diem.*] Idacius [ſ] contra Varimadum legit:*In die, qua Apoſtolos elegit per* SPIRITVM *ſanctum prædicare Euangelium.* Oecumenius hinc probat FILII Deitatem,quòd præceperit per SPIRITVM ſanctum ſibi connaturalem. Poteſt τὸ *præcipiens*,quod eſt Græcum participium Aoriſtum ἐντειλάμενος, id eſt, *cùm præcepiſſet*, referri ad SPIRITVM ſanctum,cuius nempe ductu & inſtinctu præcepta dederit CHRISTVS Apoſtolis, *ſpiritualia, non humana*, inquit Chryſoſtomus;vel referri etiam poteſt,*per* SPIRITVM *ſanctum*, ad electionem Apoſtolorum, quos vt deſignaret,ac deligeret, idē CHRISTVS priùs oraſſe

ſ lib.3.

Chriſti Deitas probatur.

legitur,

a Luc.6.12. b Ioan.20.22. *Spiritui sanĉto redemptionis nostræ opus attribuitur.*

legitur [a], & post Resurrectionem iis [b] insufflasse SPIRITVM sanctum: vel ad hæc etiam posteriora verba, *assumptus est*, vt SPIRITVI sancto vniuersum opus redemptionis nostræ ab Incarnatione vsque ad Ascensionem CHRISTI peculiari quadam ratione attribuatur: ac nominatim prædicatio Euangelij, vt est apud Esaiam [c]. Paulus [d] verò scribit, quòd CHRISTVS per SPIRITVM sanctum semetipsum obtulit immaculatum DEO. Syrus ita vertit: *Vsque ad diem illum, quo sublatus est, postquàm mandata dedisset Apostolis illis, quos elegit, per SPIRITVM sanctitatis.*

c Esa.61.1. d Heb.9.14.

Præcipiens.] Omnia quidem alia, sed illud in primis post Resurrectionem, priusquàm abiret in cœlum [e]: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium, &c.* & vt *sederent* [f] *in ciuitate, quoadusque induerentur virtute ex alto*: quæ duo singularem planè demonstrant CHRISTI amorem erga Apostolos, & mundum totum.

e Mat. vlt.15. f Luc.vlt.49.

De ætate CHRISTI posset hìc quæstio institui: sed ad eos remitto, qui accuratè illam pertractarunt, Pererium in Danielem [g], Baronium [h] in Annalibus, Suarez [i], Toletum [k]. Probabiliores sententiæ sunt de triginta duobus annis & tribus mensibus, vel de triginta tribus expletis, & tribus mensibus.

g lib.11. h Tom.1. i Tom.2. de Incar. Disp 40. k Ioan.8. annot.28.

Apostoli nomen quid significet.

Apostolis.] Nota est significatio vocis Græcæ, vt missos, siue nuncios significet, non tanquàm nùcios, aut tabellarios, sed sicut legatos, proptereà enim non solùm nunciandi, id est, Euangelij prædicandi, sed etiam baptizandi, peccata remittendi, aliáque multa faciendi potestatem acceperunt, quod proprium legatorum est.

Nomen Apostoli multis communicatum. l Luc.10.1. m lib.2.c.37. n 4.cont.Marcio. o in vita eius. p cap.2.epist. ad Philip.25. q Beda vocat Gregorium ipsum. r in ca.1.epist. ad Gal. & ep. 42. ad Damasum.

Quanquàm spectata solùm vi nominis, septuaginta quoque duo Discipuli, qui missi dicuntur à CHRISTO [l], Apostoli aliquando nominantur apud veteres auctores Irenæum [m], ac Tertullianum [n]: immò & quicumque primi Euangelium aliquam in regionem intulerunt, vel restituerunt, vt Bonifacius [o] Germanorum præsertim Frisonum, Seuerinus Noricorum, Martialis Aquitanorum, Augustinus Monachus à Gregorio missus Anglorum [p]: immò & qui in Euangelio laborauerunt, vt à Paulo Epaphroditus Philippensium [q], aliíque aliorum. Possunt & antiqui Testamenti Prophetæ, ac Ioannes Baptista hoc nomine appellari, vt Hieronymus obseruat [r].

Apostoli propriè qui sint. f de Præscr.c. 20.

Sed absolutè Apostoli nomen de paucorum illorum collegio intelligitur, quos, vt ait idē Tertullianus [f], CHRISTVS *lateri suo adlegit*, quasi dicas *legatos à latere*, ita vt cæteri potiùs sint summi Pontificis CHRISTI (qui quòd à PATRE missus est, dicitur etiam Apostolus [t]) ceu nuncij minoris auctoritatis, non legati. Ipsa nominis Apostoli notio explicatur Ioannis 13. [u] *Non est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior est eo, qui misit illum.*

t Hebr.3.1. u vers.16.

Apostoli in iure quid significent. x Tom.4. Tract.82.

Cùm in iudiciis petit quis Apostolos appellando, putat Salmero [x] noster intelligere literas dimissionis, quibus mittatur ad iudicem, ad quem appellauit. De hac re proprius extat in iure ciuili titulus. Sed hæc appellatio cùm sit tantùm in iudiciis Ecclesiasticis, videtur profectò esse ad supremum Tribunal, quod Romæ collocatum est, vbi Apostoli κατ' ἐξοχὴν Petrus, & Paulus resederunt, & Petri successor CHRISTIque Vicarius Romanus Pontifex nunc residet. Scio Magistratum apud Græcos rei nauticæ huius nominis fuisse, & apud Iudæos ita appellatos, qui Pontificem consilio iuuantes, mitterentur ab eo ad Synagogas inspiciendum, & mores componendum, atquè corrigendum, vt meminit Epiphanius [y], & Theodosianus codex [z]. Sed hæc pridem obseruata sunt ab aliis [a].

y Hæresi 30. z lib.14. a à Baron. Tom.1. Anna. Vide etiā Isidorum lib. 2. offic.c.5. Turrecrem. 1. de Eccl. cap. 18. Iansen.ca. 19. Concor. Adamum. Rom.1. b cap.4.13.

Addi potest non inelegans Philonis Carpathij, & Gregorij Nysseni expositio illius loci de Apostolis, qui est in libro Canticorum [b]: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum*, Græcè, ἀποστολαί, *emissiones*, inquiunt, *propter rubedinem sanguinis* (quo, vt Ecclesia canit, *plantauerunt Ecclesiam*) *& multitudinem fidelium instar granorum, quos ad Ecclesiam adiunxerunt.*

Consentit item Græcus ille magistratus cum Apostolis nostris, nauibus gubernandis, tametsi piscando deditis, cùm etiam Ecclesiæ typus, Noëtica arca [c] fuerit, & nauis passim dicatur Ecclesia, ipséque locus, in quem ad sacra conuenitur, nauis in morem construatur, vt Clemens Romanus [d] notauit, & Anacletus [e], & rationes affert Turrecremata [f].

c 1.Pet.3.20. d epist.1. & 2. Const.c.57.61. e epist.1. f 1.de Eccl.ca. 13.

Per SPIRITVM sanctum.] Præter allatas superiùs expositiones, hanc affert Glossa, id est, *Propter SPIRITVM sanctum*, *Quia*, inquit, CHRISTVS *non præciperet, videlicet, vt ego interpretor, manere in Ierusalem, nisi SPIRITVS sanctus venturus esset.*

Christus fuit Apostolis per Spiritum sanctum præceperit.

Morale est, quod ait Chrysostomus, *vt CHRISTI humilitatem denotet, nihil vel præcipere, vel facere, nisi per SPIRITVM sanctum*: adde ipsius sanctitatem, obedientiam, spiritum lenitatis, legem ac doctrinam prorsus spiritualem. Prætereà, vt auctoritatem Apostolorum, qui SPIRITV sancto docente, & impellente prædicarent, suáque munia obirent, re ipsa legati non tantùm CHRISTI, sed etiam SPIRITVS sancti, & totius S. TRINITATIS. Quemadmodum enim CHRISTVS ipse à SPIRITV Domini missum se dicit [g], nimirum vt homo erat, siue à SPIRITV communi, & essentiali, siue à notionali, & personali, ita de se Paulus, & de collegis Apostolis affirmat [h]: *Pro CHRISTO legatione fungimur, tanquam DEO exhortante per nos*, hoc est, SPIRITV sancto, qui est Παράκλητος, exhortator, siue consolator.

Apostoli totius S. Trinitatis legati. g Esa. 61.1. h 2.Cor.5.20.

Postremò, morale est, vt tanquā fratres CHRISTI & filij DEI, SPIRITV DEI agamur [i], quiduis eligentes, vel præcipientes, vel ad quemcumque dignitatis, & honoris gradum assumpti.

i Rom.8. 14.

Eligendi verbū non restringendum.

Quos elegit.] Eligendi verbum simpliciter hìc accipiendum est, non restringendum ad prædestinationis electionem. Caietanus tamen ita exponit: *Quos elegit Apostolos per SPIRITVM sanctum fore, ad differentiam*, inquit, *Iudæ, qui ex parte quidem CHRISTI est electus per SPIRITVM sanctum*, iuxta illud [k]: *Nónne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Sed omnibus Apostolis commune est quod CHRISTVS dixit [l], *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, & quod de CHRISTO Marcus [m]: *Ascendens in montem, vocauit ad se, quos voluit ipse, & venerunt ad eum: & fecit, vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare* [n].

k Ioan.6.70. l Ioan.15. 16. m Mar.3.13. n cap.3.13.

Electio Apost. per Spiritū sanctum cur facta dicatur. *Amor in Patre & Filio produxit Spiritū sanctum.*

Et quidem aptè hæc electio per SPIRITVM sanctum facta dicitur, quia gratis, & ex amore, qui etiam AMOR in PATRE, ac FILIO SPIRITVS sancti personam tertiam S. TRINITATIS actiua, vt dicunt, processione, ab vtraque distinctam produxit. Verisimile ergo est, Iudam tunc iustum fuisse: de qua re posteà.

Assumptus est.] In cœlum, vel à nube, *quæ suscepit eum* [o] *ab oculis hominum*, vel à virtute diuina, siue DEI, vt mediatæ causæ, siue communicatæ, quæ est dos agilitatis; vel etiam ab ANGELIS officij, & hono

o infra ver. 9.

Inter Ascensionē & Assumptionē. quo sit distinctio.

A honoris causa. Quocirca distinctio Ascensionis, & Assumptionis, vt illa dici de CHRISTO propriè tantùm possit, sic accipienda, quatenus simul est CHRISTVS DEVS, & homo, & eidem etiam homini, prout caput est, virtus quoque creata magis per se debita & connaturalis datur, hæc de aliis, ac de B. Virgine. Alioqui & quiuis beatus per agilitatis dotem ascendere progredíque quò volet, poterit: & idem assumendi verbum de CHRISTO vsurpatum iterum reperitur in isto capite [a], & apud Marcum [b]. Augustinus [c] legit, *Vsque in diem, quo Apostolos elegit per* SPIRITVM *sanctum, mandans iussit prædicare Euangelium*: vel, *In die qua Apostolos elegit per* SPIRITVM *sanctum, & præcepit prædicare Euangelium.* B Affinis porrò videtur Bernardi [d] distinctio inter Resurrectionem, & suscitationem, vt hæc sit aliorum potiùs, illa CHRISTI.

a vers. 9.
b c. vlt. 19.
c lib. cōt. ep Fundam. c. 9.
d Sermo. 1. de Pasch.

Synonyma quidem possunt esse, *assumi* (de quo item Paulus [e]) *ferri* [f], *eleuari* [g], *ascendere* [h]: tamen primo verbo indicari quoque potest, vi deitatis, ac diuini doni, humanitatem sursum assumptam, aut ad consessum PATRIS assumptum CHRISTVM: secundo non seorsim, more nostro, mota membra, sed totum simul CHRISTI corpus, perinde ac si ferretur ab alio: tertio, illorum comparatione quibuscum erat, sublimiorem, aut velut innixum Deitati euasisse: vltimo, propria, quia simul DEVS erat, C virtute, atque gradientem in multitudine virtutis suæ [i]. sic is, qui homo in Incarnatione fuit, in Passione vitulus, in Resurrectione leo, aquilam se in Ascensione exhibuit.

e 1. Tim. 3. 16.
f Luc. vlt. 51.
g Act. 1. 9.
h in Symbolo, & Ephes. 4. 8.
i Esa. 63. 1.

Versus 3.] Quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno DEI.

QVIBVS *& præbuit seipsum viuum post passionem suam.*] Seipsum resuscitauit, & resuscitatum præsentem exhibuit; vnde intelligitur, prius illud verbum, *assumptus*, non imminuere virtutem D ipsius, quoniam plus est excitare seipsum à morte, quàm ascendere in cœlum, vt obseruat Chrysostomus. Emphaticum verò est pronomen, *seipsum*, *vt exprimatur ille ipse viuus existere, qui paulò antè tam dira morte affectus erat*, inquit Oecumenius: quod magis adhuc demonstrat Græcum παρέστησε, id est, *statuit, ac repræsentauit*, quasi mors absentia quædam duntaxat fuerit.

Maius est excitare seipsum quàm ascendere in cælum.

Disputat S. Thomas [k] aliique Theologi [l], quæ sit efficiés causa CHRISTI Resurrectionis. Tanti operis, quod est omninò supernaturale, DEVM [m] ipsum, & CHRISTVM [n] quatenus est DEVS, esse causam, sæpenumerò testantur sacræ Scripturæ, & E Patres docent, præsertim Athanasius [o], *corpus*, inquiés, *mortalis naturæ per* VERBVM *quod in* CHRISTO *erat, supra naturam resurrexisse*: & Leo [p] ita scribit: DEITAS, *quæ ab vtraque substantia* (animæ & corporis mortui CHRISTI) *non recessit, quod potestate dimisit, potestate coniunxit.* & Augustinus [q]: *Mortem*, inquit, *metuitis huic formæ serui? non turbetur cor vestrum, suscitabit illam forma* DEI.

k 3. part. q. 53. a. 4.
l in S. Thomam, præsertim Disp. 41. sect. 2. noster Suarez: & 3. Sent. d. 21. & 22. & in 4. distinct. 42.
Resurrectio Christi opus fuit & Dei, & ipsius Christi.
m Rom. 8. 11. 1. Corin. 15. 4. Act. 2. 24.
n Ioan. 2. 19. c. 7. 17. 18.
o ep. ad Epictetum.
p Sermo. 1. de Resurrect.
q Tract. 67. In Ioan.

Si de instrumentali concursu agamus, cùm duo spectentur in Resurrectione, corporis dispositio, quam Philosophi appellant organizationem, & animæ cum corpore disposito vnio, & coniunctio; pertinere ad CHRISTI dignitatem videtur, vt eius anima proprium corpus per potestatem A quandam miraculorum sibi propter VERBI præsentiam in modum habitus relictam, disponeret: corporis autem pars partem, vel etiam eædem se ipsas: sed vnionem inter se, tam corpus, quàm anima efficeret, quæ aperta S. Thomæ [r] sententia est: quamuis de causa instrumentali distinctè non loquitur.

Quid operatum sit Christi resurrectioni instrumentaliter.
r 3. p. q. 53. a. 4. ad 3.

Idipsum verò multi affirmant de huiusmodi efficientia per CHRISTI humanitatē, tum particulari eorum quos suscitauit, tum generali futuræ resurrectionis. Ex quo argumentum à pari, immò etiam à minori pro ipsiusmet Resurrectione trahi potest. Nam eiusdem, sicut diuinitatem suiipsius suscitatio comprobat aduersùs Arianos, vt B Idacius [s] ratiocinatur, ita humanitatem, contra Eutychen, & Nestorium colligit Gelasius [t] ex apparitionibus CHRISTI à morte rediuiui per totos quadraginta dies.

Christi humanitas in generali resurrectione operabitur.
s cont. Varimadum.
t libr. contra illos.

Quod ad Angelos pertinet, eorum quidem opera, vt in aliis operibus mirificis, ita in Resurrectione generali interueniet [u], non decuit tamen locum habere in CHRISTI Resurrectione, quia nec Patrum id quisquam dicit, nec factum esset, nisi vel aperto, vel penetrato sepulchro, non modò per spirituales substantias, quod naturaliter possunt, verùm etiam per corporeas, quæ pertinebant ad integritatem corporis CHRISTI, vt inuicem aptarentur. Alensis [x] negat cooperatio- C nem instrumentalem ANGELORVM in conceptione CHRISTI, quia similiter non decuerit.

Angeli in Resurrectione generali interuenient, sed non in Christi Resurrectione.
u Matth. 24. 31. & alibi.
x 4. part. q. 124. m. 1. a. 2. ad argum.

Morale est, vt se CHRISTVS in Resurrectione viuum præbuisse dicatur, quia prior mortalis vita tot obnoxia quasi mortibus, quot calamitatibus, mors potiùs erat, quàm vita, ipsáque moriendi necessitas, mortis meretur nomen. Hinc minæ illæ DEI [y]: *In quacumque die comederis, morte morieris*, hoc est, mortalis eris; & contrà eò respexisse videtur Paulus, cùm dixit [z]: *Viuificabit mortalia corpora vestra*, nempe quæ in viuentibus mortalem vitam, iam mortua videntur; nec enim nisi mortuorum resurrectio est.

Vita hæc mors potiùs dicenda quàm vita.
y Gen. 2. 17.
z Rom. 8. 11.

Post passionem suam.] Media fuit sepultura tri- D duana, atque Resurrectio: & illa quidem passio quædam censeri potuit clauso eius in tumulo corpore, *qui erat inter mortuos liber* [a], & cōstituta etiam interim anima veluti in inferni libero carcere. Attamen passionem suam videlicet non fictam, sed veram in vero corpore, non coactam, sed spontaneam dixit, qua simpliciter significat cruciatus, & mortem, vt morti vitam, lætitiam dolori opponeret.

a Psl. 87. 6.

In multis argumentis.] Id est, per multa argumenta confirmans, nimirum Resurrectionē suam. Apud Augustinum, [b] *in multis argumentis dierum.* Crebra est præpositionis, *in*, pro *per*, significatio, E vt huius libri capite 4. [c] & c. 17. [d] & in Pauli epistolis sæpissimè. Alia exempla colligit noster Emmanuel Sa in phrasibus Scripturæ, ordine alphabetico.

b lib. cont. ep Fundam. c. 9.
In, pro per, sæpe in Scriptura ponitur.
c vers. 9.
d vers. 11.

Argumenta, Græcè, τεκμήρια, sunt certa, vera, euidentia, vt etiam notat S. Thomas, [e] & Aristoteles [f], qui vocat σημεῖα ἀναγκαῖα, καὶ ἄλυτα, & Quintilianus [g], & Medici indicationem infallibilem; quamuis & quælibet signa indicia, documenta, ea quoque voce possunt significari. Fuerunt verò hæc inquam argumenta & signa plagarum CHRISTI, & tractati palpatíque corporis eius, manducationis etiam, atque ex Scripturæ testimoniis collectæ ratiocinationis, cum ANGELORVM quoque testimonio, at non ex naturalibus

e 3. p. q. 55. a. in corp.
f 1. Rhetor. c. 2.
g lib. 5. c. 9.
Quibus argumentis Christus Resurrectionem suā cōfirmarit.

prin

Digitized by Google

principiis, vt S. Thomas [a] admonet, vbi causam assignat adeò confirmari à CHRISTO mysterij, tum eius difficultatem, de qua aliàs, tum Discipulorum ipsorum in credẽdo tarditatem. Non conuincerent sanè hæc, neque *multa alia signa facta in* [b] *conspectu Discipulorum* [c] peruicacis animi hominem post Resurrectionem, sed ad fidem eliciendam satis per se inducebant simplicem & candidum, vtpote credibilitatis, licèt non rei in seipsa, quicquid de hac re Lyranus [d] dicat, euidentiam reddentia.

Eadem effigies argumentum fuit naturæ humanæ externæ: plagæ demonstrabant identitatem mortui, ac suscitati corporis: vegetantis animæ facultas comestione ostendebatur: aspectu, & colloquio, sentientis: rationalis tum sermone, tum Scripturarum expositione: DEVM prodidit paratus in littore, & ex improuiso ignis, piscis, & panis, atque tot piscium, & tantorum conclusio [e]: dum clausis ad Discipulos intrauit portis [f], aut eorum ex oculis euanuit, immortalis gloriam corporis manifestauit. Quæ argumenta non obsunt merito fidei: etsi maior eius illa est, & est hoc nomine beatior, qui tot vt credat, non requirit [g], *Beati* (hoc est, Beatiores) *qui non viderunt, & crediderunt*.

At rationem solam naturalem sequi ducẽ velle, omninò est non credere, cùm fides definiatur [h], *substantia rerum sperandarum* (id est, obscurarum, *quia* [i] *quod videt quis, non sperat.*) *argumentum non apparentium*, vt etiam docent Ambrosius [k] & Gregorius [l].

Mitto sigillatim ac distinctè recensere CHRISTI apparitiones, illarúmque ordinem, quod faciunt accuratè inter alios Maldonatus [m] in Matthæum, & Suarez [n] in tertiam partem. Non dubito præter eas, quæ vel ab Euangelistis commemorantur, vel ab Apostolo, plures alias fuisse.

De Matre affirmant apertè Ambrosius [o], Sedulius [p], Anselmus [q], Rupertus [r], Bonauentura [s]: indicant verò Nyssenus [t], & Nazianzenus [u], non est autem verisimile, eam cum aliis mulieribus ad sepulcrum perrexisse. Si quis illud neget, eum B. [x] noster pater IGNATIVS meritò asseuerat sine intellectu esse. Addi posse videtur martyr Ignatius, quasi id ipsemet ad Polycarpum, & ad Smyrnenses scribens significet, & de eodem Hieronymus [y]: tamen neque verba ipsius apud Eusebiũ [z] de visibili apparitione loquuntur; neque si id importât, de tempore post Resurrectionem; nisi fortè iuxta eos, qui non CHRISTI, sed Ioannis Apostoli discipulum fuisse volunt.

Per dies quadraginta apparens eis.] Non totis diebus continenter, sed per hos aliquando, *quippe nõ versans cũ hominibus, vt ante mortẽ*, inquit Chrysostomus: *quo etiam*, vt cum eodem ait Oecumenius, & ante hos Iustinus [a], *suorum magis desiderium acueret*; & illud ad stabiliendam Resurrectionis veritatem satis erat, qua item de causa eis, id est, Apostolis [b], *testibus praeordinatis à DEO*, præcipuè apparuit, non in Ierusalem duntaxat, sed & in Galilæa, idque sæpius tanquàm in patria, & vbi plures alios Discipulos collegerat præter Apostolos, vt idem annotauit Chrysostomus, & Hieronymus [c], & Bernardus [d], aliíque, quibus mystica quoque illa ratio placet de CHRISTI, eiusque fidei veluti transmigratione, iuxta etymon Galilææ, à Iudæis ad Gentes.

Cur exactè quadraginta dies impleuerit, omissis huius numeri mysteriis, quæ alio loco [e] attuli, disputátque Petrus Bongus opere proprio argumentum hoc totum, commodissima mihi causa videtur, vt tot horarum absentiam (de quo horarum numero Augustinus [f]) dierum totidẽ præsentia [g] compẽsaret, amorémque erga nos suum tamdiu hîc nobiscum iam immortalis hærens [h], Patrésque limbo extractos hoc adhuc quasi carcere detinens declararet, & se tametsi absentem corpore, vsque tamen ad consummationem seculi, hoc est, durationis mundi, quam quadragenarius numerus designat [i], futurum nobiscum testificaretur.

Post dies quadraginta CHRISTVS legi satisfaciens in templo puer est præsentatus [k]: per quadraginta à Baptismo ieiunauit in deserto [l], & tentatus est: per quadraginta suscitatus reditum ad Patrem distulit.

Triplex hæc natiuitas est secundùm carnem, secundùm sanctificationem quantùm ad externa signa (CHRISTVS enim nunquàm non sanctus) secundùm consummatam etiam in corpore perfectionem, quæ dicitur quoque regeneratio [m]. Primis diebus, fuit cum hominibus; secundis, cum bestiis terræ; tertiis, cum solis Discipulis. Primi dies respondent incipientibus, secundi proficientibus, tertij perfectis. Finitis primis, in tẽplo præsentatus est; secundis, per Angelos ministrantes pastus est; tertiis, super omnes cœlos, & ordines Angelorum eleuatus est. Nec lex ad templum, nec SPIRITVS ad prædicationem, nec ipsamet ad cœlum statim Resurrectio admittit.

Moralia sunt hæc; sed ita spontè, ac vltrò se offerentia, vt prætermitti sine vitio non possint, cuiusmodi & illud, vt CHRISTI causa spiritualium etiam interdum commodorum nonnullum detrimentum patiamur, vt laboris, ac doloris pro ipso tolerati nos non pigeat, certos *quòd* [n] *secundùm multitudinem dolorum in corde nostro, consolationes eius lætificabunt animam nostram* [o]: *in paucis vexati, in multis benè disponemur* [p]: *ad punctum in modico dereliĉti, in miserationibus magnis congregabimur*: tandè [q]: *Id quod est in præsenti momentaneum, & leue tribulationis nostræ; supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis*: vt meminerimus hoc tempore, quo peregrinamur à Domino, agere nos dies quadraginta purgationis, & probationis, & cuiusdam etiam, sed non perfectæ, consolationis, hanc enim fore in sexta hebdomada dierum, adiecto quinquagesimo, qui est iubilæi, & iubili.

Vbinam CHRISTVS, ceterique Patres per hos dies quadraginta versarentur, curiosum est, & penitus incertum, vt meliùs S. Thomas [r] in Summa respondet, quàm cùm in [s] Sententias, licèt absque asseueratione, docuit, in Paradiso terrestri: quod tamen etiam placuisse video Iustino, seu potiùs Iustini nomen mentito Auctori [t], in Quæstionibus, Irenæo [u], Nicephoro [x], Bonauẽturæ [y]: nã & Paradisum ipsum Diluuij aquis destructum quidam contendunt, qua de re præsertim [z] Pererius, qui affirmat, & Bellarminus [a], qui negat: vterque non sine auctoritate atque ratione legendi sunt. Et cùm in cruce latroni CHRISTVS dixit [b]: *Hodiè mecum eris in Paradiso*: certum est de terrestri non intellexisse, sed de beatitudine, quam ipsi DEVS in limbo clarè vidẽndum se exhibens, communicauit. Porrò cùm legis apud Ignatium [c] per quadraginta perpetuos dies comedisse, bibisseque cum Discipulis CHRISTVM, intellige, vt priùs dixi, quòd subinde per eos dies id faceret, non autem quotidiè. Fulbertus [d] rectè rem declarat,

Margin notes (left):
a 3. p. q. 55. a. 5.
b Ioan. 20. 30.
c vt exponit Chrysostom. Leont. Emiss. Theophyl. Lat. Euthy. Rupert. quamuis Cyril. Aug. Beda de aliis etiã ante mortem.
Signa Christi resurrectionis sufficientia ad fidem inducendam.
d hoc loco.
e Ioann. 21. 9. 10. 11.
f Ioan. 20. 19. 26.
g Ioan. 20. 29.
h Heb. 11. 1.
i Rom. 8. 24.
k 1. de Fide. cap. 5.
l hom. 26. in Euang.
m in cap. vlt. Matth.
n tom. 3. disp. 49.
Christi post Resurrectionem matri facta apparitio.
o 2. de virginibus.
p lib. 5. carminum.
q de excellẽt. B. Virginis. ca. 6.
r 7. de diuinis offic. c. 25.
s in Meditatio. cap. 87.
t orat. 3. de Resurrect.
u orat. 41. & in Tragœd. de Christo patiẽte.
x in exercit. spirit.
y de Script. Eccl.
z lib. 3. Hist. c. 30. vel 36.
Christus per 40. dies non continuò versatur cum Apostolis.
a quæst. 44. ad Orthod.
b Act. 10. 41.
c epist. ad Hedib. quæst. 7.
d sermo. 1. de Pascha.
e in Euang. de ieiu. & tent. Christi.

Margin notes (right):
f 4. de Trin. c. 6.
g Gloss.
h Chryso. ser. 85. & Bonauent. in Med. ca. 97.
i Beda.
k Luc. 2. 22.
l Matth. 4. 1. & seq. Marc. 1. 13. Luc. 4. 1.
Christi triplex natiuitas.
m Mat. 19. 28.
Expositio moralis dierum 40.
n Psa. 93. 19.
o Sap. 3. 6.
p Esa. 54. 7.
q 2. Cor. 4. 17.
Christus vbi illis 40. diebus fuerit, nescitur.
r 3. par. q. 58. a. 3. ad 2.
s 3. dist. 22. q. 2. a. 2. q. 3. ad 3.
t quæst. 75. 76. 85.
u lib. 5. cap. 5.
x 1. Hist. c. 31.
y in Medit. ca. 91. & 98.
Paradisus terrestris an aquis diluuij destructus.
z Tom. 1. in Gen lib. 3. q. 5. & lib. 7. q. vlt. Tom. 3.
a Tom. 3. li. de grat. primi hominis. c. 14.
b Luc. 23. 43.
c epist. 10.
d epist. 2. in Bibl. Pat.

clarat, dicens complacitis, id est, certis horis, apparuisse per istos dies. Quanquàm nec arbitror singulis diebus. Confirmat verò ille idem receptum in Gallia & alibi vsum, vt nouus non sacrificet sacerdos primis quadraginta diebus, sed sacratum ab Episcopo duntaxat capiat, sumatque quotidiè panem. Ibi vtitur prætereà figura gustati manna in deserto annis quadraginta.

Quid regni Dei nomine intelligendum.

Et loquens de regno DEI.] De prædicatione & doctrina Euangelica, de statu ac propagatione Ecclesiæ, de futura beatitudine (de hac maximè magisque clarè, quàm dum viueret mortalis) de gratia, Sacramentis, aliisque mediis ad illam perueniēdi: hæc enim omnia regni DEI nomine possunt intelligi, & de his omnibus facilè credi potest egisse CHRISTVM [a], *aperiendo Discipulis sensum, vt intelligerent Scripturas*; exponendo etiam auctoritatem summi Pastoris, & hierarchiam totam Ecclesiasticam, & formas ritúsque Sacramentorum, ac in primis sacrificij Missæ cultum, & inuocationem Sanctorum, festos dies, præcepta Ecclesiæ, vt de ieiunio Quadragesimæ, &c. cū enim hæc, & his similia semper in Ecclesia fuerint obseruata, non aliunde profecta videntur quàm à CHRISTO, qui, quod attinet ad particularia, quæ dicuntur Ecclesiæ præcepta, illa condendi non solùm potestatem, sed aliquam, saltem confusè, rationem tradiderit.

a Luc. vlt. 45.

Christus tradidit Discipulis Ecclesiæ præcepta.

Deus quomodo in hoc mundo regnet.

Regnat DEVS latè in mundo toto, peculiariter in Iustis, magis in Beatis; tum verò maximè, quando subiugatis inimicis, & omni periculo, ac miseria sublata [b], *tradet* CHRISTVS PATRI *regnum, eritque omnia in omnibus*. Hoc regnum DEI & cœlorum Ioannes [c], à cuius diebus ipsum vim patitur, primis prædicationis verbis primus euangelizauit [d], deinde CHRISTVS [e], quasi qui, vt Verbum voci suæ verba illa inspirasset: *Appropinquauit regnum cœlorum*, idem vt Discipuli annunciarent, iussit [f], quod etiam apud Lucam vocatur [g] regnum DEI, & ipsius aduentum, vt peteremus, docuit. [h]

b 1. Cor. 15. 24.
c Matt. 11. 12.
d Matth. 3. 2.
e Matt. 4. 17.
f Matt. 10. 7.
g Matt. 10. 9.
h Matt. 6. 10.

Beati quomodo regnent.

Nec regnat solùm DEVS in Iustis, aut Beatis, sed hi quoque tanquàm regia potestate insignes, regnum possident gratiæ, vel gloriæ, debellatis tyrannis, Dæmone, Mundo, Carne. Rursum DEI regnum, de quo loquimur, gratię videlicet & gloriæ, extendit se vsque ad intimas cogitationes, & voluntates nostras: in solos volentes exercetur: præmia, ac pœnas æternas proponit.

Quæ ad regnum Dei requirantur.

Ad id necessaria est pœnitentia [i]: vera ac solida iustitia, non ficta & Pharisaica [k]: regeneratio baptismalis [l]: humilitas & mansuetudo instar paruulorum [m]: multarum perpessio tribulationum [n]: studium, & concupiscentia sapientiæ [o]. *Caro & sanguis hoc regnum non possidebunt* [p]: *non iniqui, fornicarij, aliisque peccatis implicati* [q]: *diues difficilè in id intrabit* [r]: *a violentis diripitur* [s], *qui nempe sibi vim ipsis inferentes, & vitia expugnantes membrorum, prius*, vt Ambrosius [t] loquitur, *regnant in seipsis, vt regnum possint diripere Saluatoris* *: exponitur paupertatis, mansuetudinis, aliasque beatitudines Euangelicas consectantibus.

i Matt. 3. & 4. sup.
k Matt. 5. 20.
l Ioan. 3. 5.
m Matt. 18. 3.
n Act. 14. 21.
o Sap. 6. 21.
p 1. Cor. 15. 50.
q 1. Cor. 6. 9.
r Matt. 19. 23.
s Matt. 11. 12. & seq.
t Serm. 15.
* Matt. 5. 2. & seq.

Versus 4.] Et conuescens præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem PATRIS, quam audistis, inquit, per os meum.

ET *conuescens*.] Græcum συναλιζόμενος, quod etiam legunt Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius, quasi dicas, in sale communicans, κοινωνῶν ἁλῶν, καὶ κοινωνῶν τραπέζης, ait Theophylactus, iuxta id Esdræ [u]: *Memores salis, quod in palatio comedimus*: & est prouerbium: *Sal, & mensam ne prætereas* [x]: & vulgò dicitur, *edendos esse multos modios salis, ad confirmandam amicitiam* [y]. Lege Iacobum Lopes Stunicam, in defensione translationis noui Testamenti contra Erasmum, & Franciscum Lucam Brugensem, in notationibus sacrorum Bibliorum. Syrus vertit, *comedens panem*.

u 1. Esd. 4. 14.
Sal ad confirmandam amicitiam adhibendum.
x in Adagiis.
y Arist. 8. Ethico. & 7. ad Eudemum. Cic. de ami. Plut. περὶ φιλαδελφίας.

Et verò rectè ab Interprete redditū est, quamuis aliquando significare possit *commorans*, aut *congregans*, vt Erasmus, & Caietanus hoc loco malūt. Sed in ea significatione frequētiùs ponitur συναυλιζόμενος, quod etiam haberi in quibusdam codicibus, Auctor Græci Thesauri notat, itaq; legisse refert Epiphanium. Legunt autem constanter Latini omnes, *conuescens*, tum Hieronymus, quem statim citabo. Nos sequi Latinam editionem ab Apostolica probatam sede debemus, quamuis aliter Gręci legerint, vt præter Epiphanium, quem dixi, refert de Cyrillo Stunica, cùm idem doceret esse συναλιζόμενος, quod συναθροιζόμενος καὶ συνὼν αὐτοῖς, i. *congregans, & simul cum eis existens*. Legit Augustinus [z], *conuersatus est*.

Christus in vltima & prima apparitione cum Discipulis manducauit.

z lib. cont. ep. Fund. c. 9.

Sermo videtur esse, aut de prima, aut de vltima apparitione: in vtraq; enim conuescens præcepit, sed de vltima Lucas expressè scripsit [a], in Euangelio præcepisse CHRISTVM in ea idipsum, quod mox hoc in loco subditur, ita vt proximè ante Ascensionem iam ex Galilæa reuersus cum suis conuiuatus sit, vt Hieronymo [b] placet, Augustino [c] in Ioannem, Lyrano [d] in Marcum, aliisq; quos sequitur Iansenius in Concordia [e].

a c. vlt. 42.
b ep. 150. q. 7. ad Hedib.
c Tract. pen.
d c. vlt.
e c. 150.

De Christi comestione post Resurrectionem.

Comestio CHRISTI vera fuit, *non egestate*, inquit Augustinus [f], *sed potestate*, quæ potestas omnibus post Resurrectionem corporibus communis erit, vt idem docet [g], quod & in Lucam notant Euthymius, & Græcus auctor in Catena S. Thomæ, Hieronymus [h] & Beda, & nos in disputatione de Beatitudine ostendimus. Non est tamen argumentum, etiamsi non vero assumpto corpore humano Angeli quoque comederint [i]: agebat enim non cum hominibus arguris, sed humano more, ac simplici, sicut etiam apud Marcum [k] de suscitatæ puellæ iussit dari manducare.

f Serm. 147. de Temp.
g lib. 13. de Ciuit. Dei. c. 22.
h in præf. ad lib. 3. Esa.
i Gen. 18. 9. & cap. 19. 3. & Tob. 12. 19.
k c. 5. 43.

De Angelorum comestione quid sentiendum.

De Angelorum comestione præter Ambros. in Lucam [l], & Damascenum [m], Augustinus in opere de Ciuitate DEI [n], & scholastici Theologi in secundum Sententiarum [o], & nos in primam partem S. Thomæ, disputatione de Angelis, atque Serrarius noster in Tobiam [p], Emissenus etiam in homil. de Dedicatione, atque Iustinus martyr Dialogo cum Tryphone. Summa est, ab Angelis in assumpto corpore cibum exteriùs sumptum, & contritum fuisse; CHRISTVM prætereà, primam, quam vocant, in ore digestionem, ad nutriendum aptam, etiam cum gustatione inchoasse; posteriorem tamen in ventriculo digestionem, nedum nutritionem, secutam non esse, cibo illo in subtiliorem substantiam, ac veluti in auram euanescente, quicquid [q] Durandus velit, conuersum cibum in substantiam CHRISTI. *Alter enim*, inquit Beda [r], post Augustinum [s], *aquam absorbet terra sitiens, alter solis radius candens; illa indigentia, iste potentia.*

l in c. vlt.
m 4. de Fide. c. 9.
n lib. 13. c. 42. & ep. 49. q. 1. & 3. de Mirabil. Script. c. 12.
o distin. 8. & Soto 4. d. 44. Alij in 1. part. S. Thom. q. 51. a. 3.
p c. 12. q. 15.
Christus quomodo post Resurrectionem comederit.
q 3. d. 2. q. 6. ad 2.
r In Lucam.
s ep. 49. q. 1.

Quid ex comestione Christum ... colligi potest.

Morale est, quòd salutem nostram CHRISTVS operatus est non amanter solùm, sed & lætanter: nato illo concinunt Angeli [t]: ad mortem iturus procedit triumphans [u], & conuiuatur [x]: suscitatus non semel, ac iamiam quoque ascensurus in cœlum,

t Luc. 2. 13. 14.
u Matt. 21. 1.
x Matt. 26. 1.

cœlum, idem facit [a]. Magdalenam excipit in conuiuio [b]: Samaritanam cibum suum esse affirmat [c]: parabolas nuptialis conuiuij, & epulo excepti prodigi [d] vsurpat: cibum Eucharisticum instituit [e], pollicetur in cœlo mensam, vbi ipsomet ministrante edant beati, ac bibant [f]. Tale antidotum esse debuit aduersùs lethiferum pomum [g].

[a] hoc loco. [b] Luc. 7. 37. & seq. [c] Ioan. 4. 14. [d] Luc. 15. 23. [e] Luc. 22. 17. & seq. [f] Ibid. 29. 30. [g] Gen. 3. 6.

Discipulos cur antequàm in publicum prodirent, Christus à Spiritu sancto confirmari voluerit.

Præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem PATRIS.] *Noluit* CHRISTVS *Discipulos ante* SPIRITVS *sancti aduentum tanquàm inermes, & sicut absque auriga equos prodire in publicum*, inquit Chrysostomus: confirmat, adhuc verentes inter crucifixores magistri versari: immò vult apud illos ipsos edi signa, & promulgari legem nouam, vt iniuriam beneficio compenset, & exemplo illi ipsi alios attrahant: *caueri ne si tam citò inde digressi essent*, inquit Oecumenius, *resurrectionis* CHRISTI *veritas fieret suspecta*; ibique oportuit Crucis trophæa erigi, vbi ad ignominiam CHRISTO posita fuerant. Denique Esaiæ [h] vaticinatio implenda erat: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Incole Ierosolymam Christiane, si vis gratiam: religiose, si propriæ vocationis donum, hoc est, Ecclesiam, & ordinem religiosum ne deseras.

[h] c. 2. 3.

De nomine Ierusalem, & etymologia eius varia.

Ierosolymis.] Dicitur quoque in numero singulari *Ierosolyma*, & *Ierusalem*, vbique sine aspiratione in principio. Est enim profectò deriuatio falsa si hanc vocem deducas vel ab ἱερὸν & Σολομῶν, quasi dicas, sacrum, seu templum, aut regia Salomonis, cuius meminit Eusebius [i] Cæsariensis: vel etiam ab eodem ἱερὸν, & Salem, nomine vno ex antiquis eiusdem loci, quòd Melchisedec rex ibi fanum adiûxerit, vt est apud Iosephum [k], & fauet Hegesippus [l]: vel, vt ipse idem Iosephus [m] alio loco tradit, quia Dauid ita nomen composuerit, propter murum, quo vrbem cinxit, qui etiam dicitur ἱερὸν.

[i] 9. de Præparat. Euan. c. 4. [k] 7. de bel. Iu. c. 18. [l] c. 3. lib. 7. de excid. [m] libr. 7. Antiq. c. 3.

In Hebraicis nominibus Græca non permiscenda.

Ineptum est in nominibus Hebraicis, vt Eucherius [n] rectè monet, agens de Sara, & Hieronymus, quē mox citabimus, de hoc ipso nomine, peregrinas alias voces, vt Græcas, permiscere. Ineptius, si quis ne partem quidem Hebraicam relinquat, sed totam contendat vocem Græcam esse: quod meritò in Apione Iosephus [o] reprehendit, qui præ impotentia detractionis primùm ἱερόσυλα, ob expilata, ac incensa templa ab Hebræis in Iudæa, seu Chananæa, tum probri vitandi causa Ἱεροσόλυμα, vocata affirmabat, ipsosque Hierosolymos. Nihilominùs reprehensione dignus Iosephus ipse, dum τὸ ἱερὸν Hebræam vocē facit, quo in genere alij eiusdem lapsus non pauci reperiuntur.

[n] li. 2. in Genes. c. 25. [o] lib. 1. contra illum.

Quæ vera sit nominis Ierusalem etymologia.

Huius ergo nominis Ierusalem, quod totum ex Hebræo conflatum Hieronymus [p] docet, necnon Ierosolymæ, aut Ierosolymorum, in quarum vocum formam affiniorem Græcis Latinisque vox illa deducta est, alia quærenda etymologia. Si olim, antequàm vrbem Iebusæi occuparent, *Salem* appellabatur, & posteà *Iebus*, quam tametsi Patrum antiquorum Hippolyti, Irenæi, & Eusebij Cæsariensis, & alterius Emisseni, Apollinarij atque Eustathij sententiam, Hieronymus [q] non approbat, dicens eandem esse cum Salem iuxta Scythopolim, de qua Ioannis 3. [r] facile fuit compositè vocare Iebusalem, & cum quadam corruptela Ierusalem. Concedit [s] Andreas Masius à vulgo inditum aliquando loco nomen Iebus: attamen incolarum, non loci nomen proprium fuisse. Putat verò ipse Iebusæos nomen id imposuisse à ירא iare, id est, *timuit*, & à proprio nomine priore Salem (sequitur enim antiquiorum citatam opinionem) quasi dicas, ירו שלם *Ieru Salem* (quod tamen scribi debet, יראו vbi eò quòd Aleph quiescat, legimus *ieru*) hoc est, *timete Salem*, nempe vt nomine ipso perterrefacerent, & exemplo expugnatæ metropolis.

[p] ep. 126. [q] suprà epi. 126. [r] vers. 17. [s] in c. 10. Iosue.

Alter rursus Masius deriuat à ירה & שלם *Iereh Salem*, id est, *videbit* (nimirum Dominus) *Salem*: *Abraham enim*, inquit ipse, *locum, vbi filium sacrificauit, & ei pro Domino, Angelus apparuit* (is fertur vrbis tertius collis Moriah) *appellauit* יהוה יראה, ADONAI *iereh*, id est, DOMINVS *videbit* [t]. *Ita vt coaluerit deinde nomen integrū* Ierusalem. Communis, & valdè trita notatio Ierusalem est, vt sit pacis visio, à ראה & שלם *raah & Salom*: tunc autem ex priore verbo sola prima litera nomen ingredietur; quod si non obstat, sequamur licet adeò vnanimem, in re præsertim haud magni momenti, consensum. Nolo cetera persequi vrbis eiusdem nomina, quæ Tostatus disticho [u] comprehensa recitat.

[t] Gen. 22. 14.

Solyma, Luza, Bethel, Ierosolyma, Iebus, Elia,
Vrbs sacra, Ierusalem dicitur, atque Salem.

Siquidem non omnium exactè reddi ratio potest, ac non omnia fortasse verè in eundem locum conueniunt, vt Hieronymus [x] harum rerum diligens vestigator significat.

[u] Matth. 4. q. 32. *Nomina ciuitatis Ierusalē plurima.* [x] epist. 126. & de locis ac nominibus Hebrai.

Ierusalem Sedec etiā dicta.

Addit sæpe citatus Masius *Sedec* etiam fuisse vocatam, indéque qui in ea regnabant, vocitatos nomine Melchisedec, aut Adonisedech. De Salem contra Hieronymum, quòd huic vrbi conueniat, probat Ribera. [y]

[y] in c. 7. ep. ad Hebr.

Ierosolymitani non sunt Solymi Homerici.

Admonendus est lector, vt si *Solyma* in numero multitudinis, vel *Solymam* inuenerit apud bonos scriptores pro ciuitate Ierusalem, meminerit, à vetere *Salem* nomen deriuatum, quod in Psalmo LXXV. [z] paraphrasis Chaldaica, vbi Hebraicè est, שלם *Salem* (*Factus est in pace locus eius*) vertit *Ierusalem*, caueátque originem eius ad Solymos referre, quos Homerus celebrat, cuius opinionis Tacitus [a] mentionem facit, & Iosephus [b], & eam sequitur Stephanus [c] Byzantius; sunt enim illi in Tauri montis excelsis verticibus Asiani populi circa Lyciam, vsque ad Pissidiam, qui vocabantur olim Milyes, Plinio [d] teste; quos tamen Herodotus [e] eosdem facit cum Lyciis.

[z] vers. 3. [a] lib. 5. & 21. [b] 7. Antiq. c. 3. & 1. contra Apionem. [c] lib. de vrbibus. [d] libr. 5. c. 27. & 30. [e] lib. 1.

Ierusalem qualis & quanta ciuitas.

Nec vacat etiam agere de vrbis descriptione, & amplitudine. Consule Ioannem [f] Driedonem, & Pererium [g], præter alios qui describunt loca sancta. Plinius [h] quidem omnium Orientis vrbium longè clarissimam vocat, nempe ex quo angustum per se oppidum Dauid amplificauit, & muniuit, caputque imperij constituit, & Salomon deinde potissimum, aliique nonnulli post illum reges, magna accessione exornarunt. Vt necesse sit Strabonem [i] falli, cùm huius Mosem conditorem affirmat: dudum namque mortuus [k] is est, priusquàm populus, quem ductabat, ingrederetur terram Chanaan. Incidi, postquàm hæc commentatus sum, in nostrum Salmeronem [l], qui in Prolegomenis describit ciuitatem, & disserit de nominibus ipsius, & sanè lætatus sum in plerisque cum tanto viro, qui vnus in decem ordinis nostri primis fundatoribus fuit, & pro summo Pontifice Theologus in Tridentino Concilio affuit, concordasse. Illud apud alium ante illum non repereram, vt Ierusalem sonet *Salem, alta*, adiecta nominum propriorum formatrice litera י *iod*, à *Ru* & *Salem, ad differentiam*, inquit, *alterius Salem, quæ est in Sichimis.* Quo minus

[f] 3. de Reg. & dogm. Script. tract. 2. c. 4. [g] lib. 2. in c. 3. Danielis. [h] lib. 5. c. 14. [i] lib. 16. [k] Deut. pen. & vlt. [l] Tom. 1. proleg. 42.

Salmeronis nominis Ierusalem explicatio.

A credam facit, quod רום *Rum*, siue רום *Rom*, non *Ru*, *altum* significat: & de duplici Salem non ita passim peritiores consentiunt.

Hebræi quomodo pronuncient Ierusalem.

Adiice, si placet, ne quid circa nomen non attigerimus, Hebræos in numero duali sed detracto י *Iod*, efferre ירושלם *Ierusalaim*, siue quoniam typus erat Ecclesiæ CHRISTI tum militantis, tum triumphantis; siue potiùs, quia reuerà constructa erat duplici præsertim imminente colle, ita vt gemina videretur; siue quòd diuisa esset in partem superiorem in monte Sion, & Moriah, & inferiorem. Chaldæi dicunt Ierusalem, & interpretes LXX. Ἱερουσαλὴμ: Latini, verso η in e, Ierusalem. Sidonius [a] Apollinaris nomen Ierusalem pro cœlo, Ierosolymæ sumit pro vrbe terrena, sed qua de causa, non video; nisi fortè quòd illud nomen propiùs accedens ad originem suam Hebræam, etymologiā visionis pacis clariùs retinet.

a lib.8.ep.13.

B *Promissionem* PATRIS.] Oecumenius notat hîc esse eclipsim, vt sit sensus, vt expectarent promissionem à PATRE, quam CHRISTVS fecerat de SPIRITV sancto.

Spiritus sanctus promissio Patris vel promissus à Patre dici potest.

Potest nihilominùs etiam dici SPIRITVS sanctus promissio PATRIS, vel promissus à PATRE, tum quia sæpe eum PATER promisit in Scripturis, vt docent Theophylactus, & Euthymius in Lucam [b], nempe apud Esaiam [c], Ezechielem [d], Ioëlem [e], quem citat Petrus sequenti capite [f], & Paulus [g]: *vt pollicitationem*, inquit, SPIRITVS *accipiamus per fidem*: tum quia est Spiritus PATRIS (qui PATER est origo prima Personarum, licèt à FILIO quoque SPIRITVS sanctus, vt ab origine procedat) & cum CHRISTVS [h] promiserat, CHRISTVS, inquam, qui priùs crebrò promissus iam erat datus, & missus à PATRE, ita vt PATER qui FILIVM miserat, alium expectaretur vt mitteret Paracletum à CHRISTO Filio quatenus homo erat, postulatum ac impetratum. Hæc est noui Testamenti promissio, à DEO vt PATER est, ac benignus: antiqui verò Testamenti promissio fuit de temporalibus ab eodem DEO, vt Dominus. Habet & Diabolus promissionem suam, sed mendacem ac fallacem. [i]

b c.vlt.
c c.44.3.
d 36. 24. 25. 26.
e c.2.28.
f vers.17.
g Gal.3.14.
h Ioan. 14. & 15. & 16.

Spiritus sanctus est promissio noui Testamenti.

i Luc.4.6.

C D *Quam audistis, inquit, per os meum.*] Græcè, & Syriacè, *per me*, seu *ex me*, nec habent verbum, *inquit*. Audiuerant iis in locis, quæ ex Ioanne citata sunt, & Lucæ vltimo [k], vbi CHRISTVS ait: *Et ego mitto vobis promissum* PATRIS *mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto.* Et tamen iam dixerat [l]: *Accipite* SPIRITVM *sanctum*, sed quamuis reuerà sanctificantem, nondum tamen alios adeò perficientem & abundantem, &, vt ita dicam, visibilem, hoc est, in visibili forma. Quæ longè melior loci illius expositio est, quàm si quis dicat solùm ibi promissum SPIRITVM sanctum, & dispositos Apostolos externa ea & figurata duntaxat insufflatione ad ipsum suo tempore percipiendum, ita vt, *accipite*, pro, *accipietis*, sit positum.

k ver.48. 49

Spiritus sanctus bis datus est Apostolis, & cur.

l Ioan.20.22.

E *Error Theodori Mopsuesteni redarguitur.*

m Act. 1.c.12. vel coll.4.

Refellit diligenter Maldonatus hunc Theodori Mopsuesteni errorem, auctoritate V. Synodi Constantinopolitanæ [m], & edicti Iustiniani Imperatoris: & negari præterea non potest, Spiritum in Apostolis sanctum fuisse prius etiam, quàm insufflando eum CHRISTVS illis daret, cùm iam, vel CHRISTO [n] teste, mundi essent, si Augustino [o] ita ratiocinanti credimus, atque Bedæ hoc loco, & aliis Patribus apud Maldonatum, qui meritò dubitat, quia & Iudas

n Ioan.13.10.
o libr. de ciuit. immæ.c 9. & epist.108.

A baptizatus immundus erat; & CHRISTVS mundos affirmat propter sermonem, quem locutus eis fuerat [p]: verùm per insufflationem similiter copiosior quàm anteà datus est, addita potestate remittendi peccata, quæ pridem promissa [q] fuerat, tanquàm effectu primario, hoc est, per se tunc magis intento, sed à gratiæ sanctificantis accessione non separato, vt etiam indicat Marius Victorinus [r].

p Ioan. 13.10. *Spiritus sanctus per insufflationē copiosior datus.*

q Matt. 18 18.

r 4. contra Arium. *Cur potestas remittendi peccata post Resurrectionem statim data.*

B Et quāuis ea potestate ante Ascensionē CHRISTI vsuri non erant, dare tamen cum SPIRITV sancto voluit, vt se etiam, non solùm PATREM, dare SPIRITVM sanctum declararet, ex se quoque procedentem, vt flatus [s] indicauit: vel quia potestas remittendi peccata proprio ipsius, non PATRIS solius nomine danda fuit, quia illam potestatem morte obita ad multorum exhaurienda peccata [t], comparauerat, & vt Ecclesiæ caput quibus volebat membris, impertiri poterat. Legendi Interpretes Ioannis, & alio loco Augustinus [u], & Hieronymus. [x]

s Ioan.20.22. *Spiritus s. à se procedit.*

t Heb 9.28.

u in Gen. ad lit.c.5.& 4.de Trin.c.20.
x ad Hedib. q.9.

Versus 5.] Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini SPIRITV sancto non post multos hos dies.

C REPREHENDIT Augustinus [y] legentes, *baptizabitis*, aut *incipietis baptizare*, conuinci enim facillimè ex Græcis codicibus: nil autem referre dicit, siue legamus, *baptizabimini*, siue *incipietis baptizari*. Cùm SPIRITVM sanctum dandum posteà Ioannis baptismo opponat, posset aliquis suspicari, nondum CHRISTI baptismo Apostolos baptizatos fuisse. Id non adeò probabile est: quod Euthymius [z] tamen, aliique sentire videntur, vt Emissenus [a], & qui dicunt baptismum CHRISTI institutum post Resurrectionem, vt Rupertus [b], Chrysostomus [c], S. Thomas [d], Tertullianus [e], Cyprianus [f], Hieronymus [g], Bernardus [h], Fulgentius [i], Alensis [k], cùm constet, D viuente adhuc CHRISTO, aliis illos baptismum contulisse, eúmque non Ioannis, sed CHRISTI, quicquid Chrysostomus [l] dicat in Ioannem, à quo Augustinus, quem mox proferemus, recedit, & de baptismo altercatio discipulorum Ioannis satis persuadet. Vnde licèt contraria sententia grauiore censura notanda non sit, vt Canus [m] docet, est tamen hæc probabilior. Lege Enriquez. [n]

y epist.108. *Apostoli ante Christi mortem baptizati fuerunt.*

z in Ioan.c.3. & Theophyl. ibidem, atque Chrys. homil. 14. in Acta.
a Ioan 15. in Dom. inf. oct. Ascens.
b Ioan.3.
c hom. 28. in Ioan & hom 16. in epist. ad Rom.
d 3.p.q.73.ar 5.ad 4.
e de Bapt. c 11.
f ep.73.
g contr. Lucif.
h ep.77.
i li. de Incar. c.11.
k 4.p.q.12.m. 3.a.11.
l hom.30.
m lib.3.de locis Theol.c.5 ad 2.
Petrus à Christo baptizatus.
n libr. 2. de Bapt.c.5.
o lib.5.Hypotypos. apud Ioan. Moschi in Prato spirit.c.176
p Tract.15. in Ioan. & epist. 108.
q lib.9. ep.31.
r c.4.2.
s orat. in sancta lumina.
t 8. Constit. c 51.
u Matth.3.
x 3.p.q.38.a.6. ad 3.
y in Matt.
z in Harmo fol.145.
B. Virgo à Christo baptizata.
a de laud. B. Virg. c.51.
b c.quādo.de conte.d.4.

Euodius etiam primus post Petrum Episcopus Antiochenus, in epistola, cui titulum fecit, τὸ φῶς, id est, *Lux*, affirmat, à CHRISTO Petrum, ab hoc Andream fratrem, & filios Zebedæi: ab istis Apostolos ceteros: LXXII. Discipulos à Petro, & Ioanne Apostolo baptizatos fuisse: E Clemens [o] Alexandrinus idem ferè tradit. Augustinus [p], pòstque illum Gregorius [q], indefinitè omnes Discipulos baptizasse CHRISTVM verisimile existimat.

Nec obstat Ioannes, cùm ait [r], IESVM *non baptizasse*: communiter enim & vulgò id per se ipsum non faciebat, sed per Discipulos, atque inter ab ipso baptizatos ne Ioannem quidem baptizatorem ipsius excludit Nazianzenus [s], aliique: & idem innuit Clemens Romanus [t], Chromatius, & Hieronymus [u], S. Thomas [x] citans Auctorem imperfecti [y], Beauxamis [z]. De Beata Virgine nominatum meminit iam citatus Euthymius, Albertus [a], Turrecremata [b], Lin-

danus,

danus [a], Canisius [b], Nicephorus [c] ex Euodio, Bellarminus [d], & alij.

An autem Ioannis quoque baptismum CHRISTI Discipuli susceperint, minùs curandum est scire. Beda in Commentariis negare videtur: sed indicat hic locus partem affirmantem, eamque sequitur hoc loco Euthymius, & Tertullianus [e]. Quòd si asserimus ante discipulatum CHRISTI suscepisse Ioannis baptismum, illum dicere possumus tanquàm præparatorium, ac veluti [f] isagogicum, & introductorium præludium, vt scribit Iustinus [g], & Basilius [h], seu procemium, & Catechismum ad CHRISTVM, sicut dicit Rabanus [i], & Hieronymus [k], quem cognoscerent, atque crederent, & à quo priùs per pœnitentiam dispositi, peccatorum veniam impetrarent, & quid Sacramentale disponens ad CHRISTI baptismum longè efficaciorem, vt probat S. Thomas [l], nedum aut parem, aut etiam inferiorem, quod vtrumque Hæreticos dicere non puduit contra tam apertum Ioannis ipsius testimonium [m] de suo infra baptismum CHRISTI, quod suismet Discipulis rem hanc contentiosè tractantibus edidit, necnon & populo Ioanné existimanti esse Messiam [n]: atque contra manifestam etiã Pauli sententiam [o]: qua de re multi Patres, præsertim Augustinus in tam multis Operibus contra Donatistas, ac Theologi [p]: & S. Thomas [q], & Suarez [r]: & qui nostri téporis controuersias cum Hæreticis disputant, maximè Bellarminus [f], & Canisius [t], vel Commentarios scribunt in Matthæum, præsertim Maldonatus, aut in Ioannem, potissimùm Toletus.

a 4. Panopl. c.21.
b 1. Mari. c.9.
c 2. hist. c.3.
d li. 1. de Pōtif. c.23.
Apostoli an Ioānis baptismum acceperint.
e li. de Bapt. c.12.
f Cyrill. 2. in Ioan. c.17.
g q.17.
h oratio. de exh. ad Bap.
i 2. de inst. Cler. c.26.
k Marc. 1. Luc. 3. 3. Ioan. 1. 31. Act. 19. 4.
l 3. p. q. 38. art. 1.
Ioannis baptismus longè inferior Christi baptismate.
m Matth. 3. 11. & Ioan. 3. 27. & seq.
n Luc. 3. 15. & seq. & Ioan. 19. 25.
o Act. 19. 5.
p in 4. d. 2.
q in 3. p. q. 39. & 66.
r To. 2. Disp. 25. & Tom. 3. Disp. de bapt.
f 1. de bapt. c. 19.
t li. de S. Ioan. Bapt. c. 7.

Itaque supersedebimus etiam quærere, num Ioannis baptismus fuerit Sacramentum, vtrùm certa verborum forma datus, an ad veterem, aut Euangelicam legem pertineret, & si quæ sunt similes quæstiones à scholis potiùs petendæ Theologorum. Maneat, Ioannis baptismum in aqua datum duntaxat, inefficacem fuisse, licèt non prorsus inutilem: qué nunc idcirco CHRISTVS opponit SPIRITVI sancto, vt alludat ad ipsummet Ioannem, qui suum in aqua, nimirum sola, baptismum esse quando dixit, simul addidit CHRISTI baptismũ fore in SPIRITV sancto, & igni [u], & baptismi CHRISTI Sacramentum intelligens, & SPIRITVM sanctum dandum in Pentecoste sub externa ignis forma, vt annotauit Cyrillus Alexandrinus [x], Damascenus de Fide Orthodoxa [y], Chrysostomus, Euthymius, & Lyra, Hieronymus [z] etiam, & Beda, [a] etsi de baptismo punitionis per ignem sub tempus iudicij, vel gehennæ, vel purgatorij, vel cuiusuis hoc in mundo tribulationis alij intelligant, de quibus dicendi modis Toletus disserit. [b]

u Matt. 3. 11.
x lib. de recta fide ad Reg.
y lib. 4. c. 10.
z in Matt. 3.
a in Luc. c. 3.
b in Luc. c. 3. anno. 36.

Vterque baptismus quibus in rebus conueniat vel differat, idem Toletus [c] in Lucam optimè colligit. Vterque fuit in aqua, prædictus vterque, CHRISTI quidem, ab Ezechiele [d], Ioannis verò à Dauide [e], vt placet Basilio, Hieronymo, Augustino: vterque supra legem, quod de Ioannis baptismo asserit Iustinus [f]. Vtrumque instituit DEVS, quod de suo asserit Ioannes in Euangelio [g], nec Iudæi sunt ausi negare de cœlo esse [h].

Baptismus Christi & Ioannis in quo conueniant.
c in c. 3. Luc. anno. 35.
d Ezech. 11. 15.
e Psal. 28. 3.
f q. 37. ad Gét.
g Ioan. 1. 33.
h Matth. 21. 26. 27.

Differunt, quia baptismus Ioannis imperfectus erat, & tantum in aqua. *Siquidem etiam Ioannes homo solùm erat*, inquit Nazianzenus [i], *ac proinde non remittebat peccata*, vt ait Hieronymus [k], idque ex Actis [l] colligit Tertullianus [m], & Augustinus [n]. Præterea non erat vniuersalis baptismus Ioannis, ac ne quidem pro infantibus Iu-

In quo differãt.
i orat. in sancta lumina.
k contra Luciferia.
l Act. 19. 4.
m lib. de Baptismo.
n lib. 5. de Baptis. con. Donatist. c. 0.

A dæorum, & incertum, an pro fœminis: neque enim erat necessarius: immò qui cum susciperent, egebant baptismo CHRISTI [o], vt idem Hieronymus aduertit, atque Augustinus. Denique cessauit ille, isto promulgato. Porrò ex citatis initio Patribus quidam id voluerunt solùm, non esse promulgatam de baptismo CHRISTI legem ante Resurrectionem ipsius, etsi iam institutus esset, & daretur ab Apostolis, quod expressè habet S. Thomas [p].

o Act. 19. 4.
p 3. part in q. 67. a. 2. ad 1. ex Ioan. 4. 2.

Ioannes.] Nemini non cognita nominis tam triti, & adeò à fidelibus vsurpati supra alia omnia Sanctorum nomina, significatio gratiæ, & miseri-
B cordiæ DEI. DEVS ipse sapientissimus huius nominis impositor huius nominis voluit nos ex nomine cognoscere Ioannem senibus, sterilibusque, sed iustis & piis natum parentibus, promissionis & gratiæ magis filium esse, quàm carnis, gratiam in vtero, & gratiæ vsum habuisse, per os ibi matris prophetasse: præcursorem ac præconẽ viam CHRISTO præparantem, & Euangelio gratiæ fuisse: innocentissimam in deserto vitam vsque ad miraculum, & opinionem quòd MESSIAS esset, vixisse: denique non Prophetam modò, & Eliam spiritu, sed missum, siue Apostolum, virginem, Anachoretam, doctorem, martyrem, nulli inter natos mulierum secundum.

De nomine Ioānis.
Ioannis Baptistæ encomia.

C Sed enim decipitur impius Mahometus, asserens ante CHRISTI præcursorem Ioannis nomen neminem gestasse: extant námque huius nominis alij in libris Esdræ [q], & Machabæorum [r], cui simile est nomen Iohanan in quarto Regũ [f], ac duobus Paralipomenon [t], & Esdræ [u], & apud Ieremiam [x], necnon & nomen mulieris Ioanna apud Lucam [y].

Alij ante D. Ioannē sunt hoc nomine dicti.
q lib. 1. c. 8. 41. c. 9. 29.
r libr. 1. c. 2. 1. 2. c. 8. 17. & 9. 36. 38. c. 13. 54. cap. 16. 1. 9. 19. 21. 23. libr. 2. c. 4. 11. c. 11. 17.
f c. 25. 23.
t libr. 1. c. 3. 15. 24. c. 6. 9. 10. libr. 2. c. 17. 15. c. 21. 1. c. 28. 12.
u lib. 1. c. 8. 12. lib. 2. c. 6. 18.
x c. 40. & 41. & 43. Ixpe.
y c. 8. 3. 24. 10.

Vos autem baptizabimini SPIRITV sancto.] Non est hic Sacramentalis baptismus, qui aqua necessariò constat, quamuis non sola; hoc enim, vt dixi, iam baptizati erant: tamen baptizandi verbum ponitur ad SPIRITVS copiam, qui communicandus erat, denotandam, quasi eo perfundendi essent, ac veluti in illum immergendi. *Mo-*
D *destè dicit CHRISTVS, baptizabimini, & non, baptizabo*, cùm de ipso Ioannes dixisset [z]: *Ipse vos baptizabit*, inquit Oecumenius. Simul ostendit maiores Ioanne fore Apostolos, *nimirum officio, quippe SPIRITV baptizandos, vt SPIRITV quoque baptizent*, inquit Chrysostomus. Rabanus monet, quosdam codices habere: *Vos autem vngemini SPIRITV sancto*, vt refert Lyranus, & ex Beda Glossa ordinaria, Euthymius in Matthæum [a], *& igni*. Augustinus [b] sic recitat: *Vos autem SPIRITV sancto incipietis baptizari, quem & accepturi estis, non post multos istos dies, vsque ad Pentecosten.* Hilarius: [c] *SPIRITV sancto tingemini, quem & accepturi estis, vel accipietis, non post multos hos dies.*

Baptismus hic alius à sacramento baptismi.
z Matt. 3. 11.
a in c. 3.
b lib. cont. ep. Funda. c. 9. & ep. 108.
c 8. de Trinit.

E Venit modò in mentem solers ac pium Ducis Sebastiani Catholici ad Gensericum Gothorum regem sollicitantem eadem se vt cum illo religione obligaret responsum, quo vis accepti SPIRITVS sancti, & baptismi eleganter declaratur. Panem postulat: *quemadmodum hic*, inquit, *panis, vt ad tantum honorem ascenderet, aqua & ignis beneficio consecutus est: sic ego aqua sanctis baptismatis, & igne SPIRITVS sancti ad decus hominis Christiani perueni. Quòd si effeceris, vt panis hic contritus, iterumque mollitus, atque recoctus melior euadat, tum ipse faciam quod hortaris.* Narrat id ipsissimis ferè verbis Sigonius [d]. Marius Victorinus [e], & Didymus [f], Ambrosius [g], & alij argumentantur,

Sebastiani Ducis Catholici preclarum dictum.
d li. 12. de Occid. Imp. pag. 303.
e 4. contra Arrium.
f lib. de SPIRITV sancto.
g 1. de SPIRITV sancto. c. 1.

Spiritus sanctus Deus est.
a q.65. ad Antiochum.

SPIRITVM sanctum esse Deum, quia solius DEI est tribuere effectum sanctificationis. Athanasius [a] contrà negat sermonem hîc esse de persona, seu de vi ac dono miraculorum.

Non post multos hos dies.] Suspensos tenet expectatione inter spem, metumque: non multi dies spem augent, si propriè accipiantur: sed metum, quia coram DEO longiores more nostro moræ perbreues æstimantur. Gratiâ vigilantem exigit, beneficium id non æstimanti gratum non est. *Si videris me, cùm abripiar à te, sic erit tibi,* inquit discipulo Elias [b]. Paulus triduum cæcus mansit [c]: CHRISTVS [d] quos curabat, ab illis priùs fidem requirebat: ita etiam purpuræ tinctores aliis anteà coloribus illam præparant, ne flos eius dilutior, & euanidior fiat.

Gratia Dei vigilantem exigit.
b 4. Reg. 2. 10.
c Act. 9. 9.
d Matth. 8. 13. 9. 28. 15. 28. Mar. 5. 26. 0. 21. 24. & alibi sæpe.
Præparatio animi ad gratiam necessaria.

Redimus post acceptam gratiam faciles ad vomitum, & SPIRITVI gratiæ contumeliam facimus deteriores facti, quoniam nulla anticipatio præparati animi, aut leuis admodùm antecessit. Hæc accommodatè ad mores carptim ex Chrysostomo, cuius postrema sententia sic accipienda, quoniam parum gratiæ diuinæ respondemus. Promittitur [e] SPIRITVS *bonus petentibus, & desiderantibus*: CHRISTVS ipse noluit prædicare ante illapsum SPIRITVS sancti in ipsum in specie columbæ [f]: denique decem, qui ab Ascensione CHRISTI intercesserunt dies, continent mysterium perfecti numeri, non minùs quàm hebdomadæ septem cum die quinquagesimo, qui Pentecosten componunt, de qua aliàs.

e Luc. 11. 13.
f Ioan. 1. 32.

Spiritus sancti aduentus nō est tamdiu dilatus, vt quidam putant.
g Aug. de hær. c. 26. & 46.
h de agon. Christ. c. 28.

Quàm stolidi, qui SPIRITVM sanctum à CHRISTO promissum non venisse dixerunt, priusquàm in Paulum Apostolum: vel in Montanum, Priscillā, & Maximillam: vel in Manichæū [g], vel in Mahometum! Euidens argumentum est ex decem diebus, quod etiam facit August. [h] vocans ita sentientes, aut tam cæcos, vt Scripturas manifestas non intelligant, aut tam negligentes salutis suæ, vt omninò non legant.

Versus 6.] Igitur qui conuenerant, interrogabant eum dicentes: DOMINE, si in tempore hoc restitues regnum Israël?

IGITVR *qui conuenerant, &c.*] *Hinc incipit, post cōtinuatum hactenus præsentem cum Euāgelio librum, persequi quæ ibi omiserat de* CHRISTI *Ascensione,* inquit Caietanus. Et particula

Cur Apostoli de regno Israel hic interrogent.
i Matth. 20. 20. & seq.

Igitur] illatiua significat Discipulos (quod mirū simul videri potest) non minùs quàm cùm de passione sua loquente CHRISTO, primas pro liberis sedes mater illa [i] postulauit, cùm CHRISTVS egisset de regno DEI (quod satis id significauit esse spirituale, & in promisso SPIRITVS sancti dono consistere) occasionē tamen accepisse interrogandi de regno temporali. Hoc multò probabilius, vt etiam Oecumenius sentit, quàm vt cum Chrysostomo de Iudicij die, & consummatione seculi intelligatur; quid enim his cum restitutione regni Israël? Fieri potest, quoniam & alios Patres video sequi Chrysostomum, vt Hieronymum [k], Cyprianum [l], Theophilum [m] Alexandrinum, Augustinum [n] (cùm Beda hoc loco, Iustinus [o], Irenæus [p], passimque) de temporali regno intelligant vt quamuis Discipuli non aliud, quàm de restitutione, seu, vt duo illi peregrini loquebantur [q], *de redemptione Israël*, interrogauerint, tamen CHRISTVS respondendo, etiam ad futurum seculum respexerit, quo tandem cognoscerent regnum ipsius non esse de hoc mundo [r], neque hîc quærendum.

k Matth. 24.
l lib. 3. testimonio. c. 89.
m in Allegor. in Matthæū.
n epist. 78.
o q. 112.
p lib. 5. c. 34.
q Luc. 24. 21.
r Ioan. 18. 36.

Excusantur Discipuli quod hic de regno Israël interrogarint.
s Mat. 20. 22.
t Matt. 24. 35.
u Luc. 24. 25.
x Luc. 17. 20.
y oratio cont. idola.
z 2. de Spirit. san. c. 8.

Tolerari potuit vtcunque hic in rudibus adhuc Discipulis error apud Iudæos carnales vigens, qui DEI promissa carnaliter interpretabantur; quos tamen CHRISTVS non semel coarguit, dicens [s]: *Nescitis quid petatis: de die* [t] *illa, & hora nemo scit. O stulti & tardi corde ad credendum* [u]. *Non veniet regnum* DEI *cum obseruatione: sed regnum* DEI *intra vos est* [x], hoc est, *Ego ipse*, vt exponit Athanasius [y], *vel* SPIRITVS *sanctus*, vt Paschasius [z].

De errore Chiliastarum.
a A. C. 373. in conc. Roma. Baron. to. 4 Annal.

Sed minùs ferendus Chiliastarum, seu Millenariorum errórne dicam, an hæresis, cùm Apollinarem hoc nomine Papa Damasus damnauerit [a], ante quem præter hæreticum Cherintum, Papias, Irenæus, Iustinus, Tertullianus, Nepos, Lactantius, Sulpitius (quamuis fuerit hic aliquantò recentior) aliique minùs, vt existimo, pertinaciter, idem sibi de generali post mille annos resurrectione, & temporali quodam regno persuaserant; quò aliquando Augustinus etiam propendit, vt ipse de se fatetur, cùm eum errorem refellit in opere de Ciuitate DEI [b]: de aliis meminit Eusebius [c], & Hieronymus [d]: & noster Ribera exponens Apocalypsis xx. caput; vnde illi potissimùm ita existimandi ansam sumpserant, præter veteris Testamenti, quibus æquè ad illum suum errorem Iudæi vtuntur, testimonia, & fortasse in hunc sensum, tum posteriores Patres, tum præcipuè Discipuli CHRISTI interpretabantur orationis Dominicæ petitionem [e] de aduentu regni, & verba illa CHRISTI [f]: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm bibam illud vobiscum nouum in regno* PATRIS *mei.*

b lib. 20. c. 7.
c 3. Histo. cap. 28. & 31 & li. 7 c. 19. vel 21.
Chiliastæ vnde erroris occasionē sumpserant.
d Matth. 19. & de Script. Eccle. & in c. 36. Ezech.
e Matt. 6. 10.
f Matth. 26. 29.

Refelluntur Chiliastæ.
g de hæres. verbo, *Beatitudo.* hær. 2.
h Apoc. 20. 5.

Ceterùm vt vno verbo rem non difficilē concludamus, de qua videndus est ex hæreseologis præsertim Alphonsus Castro [g], non erit generalis nisi vnica resurrectio, quam Ioannes [h] de corporibus loquens, quorū propriè resurrectio est, vocare solet secundam: animarum autem primam, cùm ex peccati morte in gratiæ vitam reuertuntur; quæ mors similiter duplex ab eodem [i] distinguitur.

i Apocal. 20. 14.
De regno Iudæorum in S. Scriptura relata quomodo sentiendum.
k Esa. 11. c. & 15. & 35. & 40. & 49. & 60. Iere. 25. Ezech. 36. Ioel. 3. Amos 9. Agg. 2. & alibi.

Quæ in sacris literis [k] prædicuntur de instauratione Ierusalem, de summa pace, de affluenti rerum omnium copia, de honoribus, & potestate, de redigēdis in ditionem Gentilibus, moraliter omnia, vel allegoricè, & spiritualiter omninò intelligenda esse demonstrāt, qui aduersùs Iudæos scribunt, Porchetus, Finus, Galatinus, Leo Castro in Esaiam, aliique permulti: & vel hæc vna conuincit ratio Iudæos, tam longa ipsorum, & dura captiuitas, cuius ab iis reddi causa alia non potest, quàm FILII DEI, & MESSIÆ nefaria cædes, cùm grauiora, hoc excepto, peccata alia tam graui anteà pœna nunquàm luerint.

Tullij Crispoldi somnia de Iudæorum in fine mundi statu.

Miratus sum, cùm legi apud Tullium Crispoldum, pium ceterôqui virum, in manuscriptis notationibus ad hunc locum, quę sunt in bibliotheca nostra Mediolanēsis domus professæ S. Fidelis, futurum olim, quando fuerit impletum tempus nationum, vt restituatur ciuitas Ierusalem: vt ibi regnent de domo Dauid Iudæi, atque de tribu Leui Sacerdotes sacrificaturi Christiana sacrificia, simul etiā legalia, quamuis in illorū duntaxat quandam ceu effigiem, & repræsentationem, vt nunc

Christiani quidam agnum in Paschate degustant: præterea vt sit Elias (fortasse proprius tunc illorum Apostolus) existentibus quoque tamen CHRISTI Apostolis, & CHRISTO ipso, saltem aliquando comparente, & inter illos versante. Anilia sunt hæc, & Iudæorum fabulis valdè affinia.

Iudæis in fine mundi quomodo regnum restituendum.

Illud certum est, restituendum regnum Israëli ac Iudæis sub mundi finem, hoc sensu, vt ad CHRISTI spirituale regnum aggregati, transferantur demùm in cœleste. Siquidem disertè id reperimus apud Ioannem [a], Paulum [b], Esaiam [c], Oseam [d], Danielem [e], Malachiam [f]: & multi Patres affirmant, maximè Gregorius [g], Oecumenius [h], Theophylactus [i]. Lege Riberam in Prophetas minores, & in Apocalypsim, & Suarez [k], & eos, quos dixi, qui scribunt contra Iudæos. Neque tamen non etiam aliqui eo tempore Antichristi partes sectabuntur: Quemadmodum, etiam si *pater ille familiâs negauerit* [l], *quòd ex inuitatis vllus gustaret cœnam*, & [m] *rex interfici voluerit eos, qui noluerant ipsum regnare super se*, non sequitur, eos à regno excludendos, siquidem in priore parabola alij quoque vocati leguntur, vt eorũ exemplo etiam illi resipiscerent, similes filio [n], qui dixit patri, *se nolle in vineam ire, & iuit tamen*: in posteriore non interficiuntur, qui priùs quàm rex cum regno reuerterit, videlicet ad iudicium, recesserint à malitia sua.

a Apoc. 7. 4.
b Rom. 11. 25. & seq.
c c. 59. 20.
d c. 3.
e c. 12. 1.
f c. 4. 5.
g hom. 12. in Ezech.
h Rom. 11.
i Ibidem.
k 3. p. q. 59.
l Luc. 14. 24.
m Luc. 19. 27.
n Matth. 21. 28. & seq.

Si quæras, an peccauerint Discipuli existimantes regnum CHRISTI temporale futurum? Respondebo cum [o] Salmerone, eos non peccasse, quia CHRISTVS, qui ablaturus venerat peccata, nunquàm ab eis hanc opinionem remouerat: immò & ante, & post Resurrectionem multis eam sententiis confirmare, & augere visus erat, nolens tam citò, & tam violentè à temporalibus abstrahere, & quasi ablactare, æterna ac spiritualia adeò ægrè, & difficilè capientes, donec SPIRITVS sanctus veritatem suggereret, & corda ad temporalium despicientiam, amorémque æternorum corroboraret: verendum autem erat, ne, si cælum consensurus, rem apertè declarasset, dilaberentur, & à doctrina CHRISTI deficerent, quoniam SPIRITVS sancti aduentus diem non definierat, neque sciebant, an qui ascenderat, post certum tempus descenderet, & regnaret, vt ipsi cogitabant. Naturalis est amor patriæ, vtque illi bene consultum velis, & de calamitate ipsius angaris, testis Ieremias [p], Elias [q], Daniel [r], Dauid [s], Machabæi [t] deplorantes miseram conditionem gentis suæ, & propterea tædio viuendi affecti. Hoc ipsum Possidius [u] de Augustino scribit, sed & CHRISTVS ipse fleuit super ciuitatem [x]. Hieronymus [y] beatos prædicat Nepotianum, & Anastasium Papam, quòd Vrbis, ac penè orbis excidium non vidissent. Quid mirum si rudes adhuc Discipulos amor instigaret patriæ, & patrij regni?

o Tom. 4. Tract. 17.
Apostoli cur non peccarunt, hæc sciscitantes.

p Thre. 1. & 5.
q 3. Reg. 19. 4.
r c. 9. 23.
s Psal. 50. 20. Psal. 78. 1.
t lib. 1. Mach. 2. 7.
u in vita, c. 28.
x Luc. 19. 41.
y ep. 3. & 10.

Nõ est quòd prætexamus nos terrenis intentis desideriis.

Nos verò, vt moraliter agamus, quid prætexamus, non habemus, cùm inferiorum rerum harum in nobis amor tam altè infixus hæret, vt proposito licèt SPIRITVS sancti, & spiritualibus ac æternis donis, ad illarum potiùs desiderium, cogitationemque animo, & voluntate toti rapiamur, tanquàm [z] *statuentes oculos declinare in terram, & nostro ad illam ventre* [a] *conglutinato. Animalis* [b] *quippe homo non percipit ea, quæ sunt* SPIRITVS DEI, *neque hunc* [c] *mundus potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.*

z Psal. 16. 11.
a Psal. 43. 25.
b 1. Cor. 2. 14.
c Ioan. 14. 17.

A *Qui conuenerant, interrogabant eum.*] *Simul coëunt ad interrogandum* (videlicet non Apostoli soli, sed plures alij, vt posteà dicemus) inquit Chrysostomus, *vt pudore quodam ac reuerentia multitudinis, quod scire desiderant, extorqueant.* Innuit quoque factam in loco ipso Ascensionis interrogationem (quo in sensu intelligendus [d] Athanasius dicens) *Cùm iam actu ascenderet.* Affirmant id autem Carthusianus, & Caietanus, eò quòd mox dato responso, subditur [e]: *Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est.* Potuit id tamen totũ in cœnaculo contigisse, vnde statim à cœna ad locũ Ascẽsionis discessum sit.

Vbi & quando facta sit hæc interrogatio.
d 4. contra Arrianos.
e versu 9.

DOMINE.] *Honorificè compellant, vt responsum facilius eliciant,* inquit Chrysostomus.

B Obseruatum est, quòd CHRISTVS ante passionem solebat à suis vocari sæpiùs magister quàm Dominus: creuit enim post Resurrectionem reuerentia erga illum. Item, quòd CHRISTVS ipse PATREM potiùs DEVM, quàm Dominum; se potiùs Dominum, quàm DEVM vocare solet, exempla sunt apud Matthæum [f], Marcum [g], & Lucam [*]: & ita etiam videtur hac voce vti Apostolus in epistola ad Ephesios [h]. Augustus, teste Suetonio [i], Domini appellationẽ, vt maledictum, & opprobrium, semper exhorruit. Tiberius apud Tacitum [k], & Suetonium eundem [l], denunciauit ita appellanti, ne se ampliùs contumeliæ causa nominaret: & de Alexandro Seuero Lampridius C idem prodidit, & alij de Adriano: primúsque Domitianus id nomen vsurpauit ac Dei, vt est apud Suetonium [m], Aurelium Victorem [n], Xiphilinum [o], Eusebium [p], & Martialem [q], & Statium [r]: timeri, quàm amari malens, fecerat id ante ipsum Caligula, vt prodit Victor [s], vt è contrario illi alij, non tam ob reuerentiam DEI, quàm quòd videri vellent pij magis, quàm potentes, nomen id detrectarunt.

f c. 21. 3.
g c. 5. 19. cap. 11. 3.
* c. 19. 31.
h c. 4. 5. 6.
i cap. 53.
k lib 2. Anna.
l cap. 27.
Domini nomen Imperatores Romani exhorruerunt.
m cap. 13.
n in vita.
o in vita.
p in Chron.
q lib. 5. Epigr.
r lib. 4.
s in vita.

Posteà hoc nomen familiare & vsitatum fuit etiam inter Christianos. Hieronymus Eustochium [t], propter virginitatem, quæ eam sponsam Domini effecerat, Dominam suam meritò se vocare scribit; & solet sacerdotibus, & Prælatis D Ecclesiæ tribui in titulum honoris, non in dominatus exercitium cum fastu, & imperio, quod cauet CHRISTVS [u], & Petrus [x], & notat Augustinus [y], & Bernardus [z], & Gregorius [a], qui loquitur etiam de Regibus, ac Imperatoribus Christianis. *Ipsi Gentiles*, vt ait Seneca [b], *omnem tum dominis inuidiam, tum seruis contumeliam detraxerunt, dominum patremfamiliæ appellando*, quod etiam ab Augustino egregiè obseruatum est [c].

Domini nomen Christiani familiare, vt sit intelligendum.
t ep. 22.
u Luc. 22. 25.
x 1. Pet. 5. 3.
y 19. de Ciuit. Dei. c. 14.
z 2. de consid. cap. 6.
a libr. 11. epi. 36.
b ep. 47.
c libr. 19. de ciuit. c. 10.

Non est verum, Plinium secundum in epistolis suis ad Traianum primum vsurpasse hoc nomen, vtitur enim prior eo Martialis [d], & auctor est Seneca [e], occurrentes cùm eorum nomina ignorãtur, vel non occurrũt ipsa, salutari dominos.

d libr. 5. epig. 58. vel 58. li. 6. epig. 60.
e lib. 1. ep. 3.

E Inter Christianos vsitatior phrasis, qui didicerunt *honore se inuicem præuenire* [f], & laudata est à Petro [g] Sara, *quòd virum suum Dominum* [h] *appellaret*: & Augustinus [i] non dubitat Madaurenses in idolorum superstitione perseuerantes, vocare dominos prædicabiles.

Domini nomen Christianis frequens.
f Rom. 12. 11.
g 1. ep. 3. 6.
h Gen. 18. 12.
i ep. 42.

At deinde domni, & domnæ nomen, vt DEO domini, cuius templa dicuntur dominica, relinqueretur præcipui honoris causa, vsurpatum monet Durantus [k], quod in Breuiarij lectionibus, cùm præmittitur: *Iube Domne benedicere*, & in Litaniis, cùm oramus: *Vt Domnum Apostolicum, &c.* obseruamus, ac ita etiam loquitur Gregorius [l], & in multorum instrumentorum perantiquis

Domni & domnæ nomen cur vsur are captũ.
k 5. Rational. c. 2.
l libr. 1. epi. 6. libr. 7. ep. 127.

membranis reperitur. Per compendium pariter Græci dicunt, κυρδς, κυρά, κύρις, & in compositione, κυεμάρτης, κυεμοσίῳ, &c. Antiquiores Latini simili breuitate famul, facul, difficul, debil, & alia huiusmodi efferebant.

Domina B. Virgo dicta.

a 20. Aug. b lib. 3. de Canonicis. c. 1. 2. & 3. c in Tacitum 2. Annal. d in 4. Æne. & 6. e li. 24 c. 17. f lib. 21. c. 6. g in 5. legum connubial. h Formul. pagi. 744. i ad c. 53. Suet. in Aug. k in Mart. l 8. horar. subcef. c. 4. m 1. de Fide. cap. 1.

B. Virgini peculiariter dabant nomen Dominæ Hungari, festum Assumptionis eius, diem Dominæ appellantes, vt est in vita S. Stephani [a] regis. Lege Ioannem [b] Molanum. Hoc videtur illud *Don*, quod sibi Hispani nobiles, & quidam etiam Religiosi ordines vendicant. Lege Lipsium [c], Peltanum [d], Rhodiginum [e], Turnebum [f], qui parentes à filiis, coniuges inuicem, & fratres etiam, omnes fœminas indiscriminatim amatas ab amantibus tali nomine vocatos: item lege Tiraquellum [g], Brissonium [h], Leuinum Torrentium [i], Matthæum Raderum nostrum [k], & Lælium [l] Bisciolam, quem, dum secundam apparatem editionem, legi cum voluntate. Ambrosius [m] vocem hanc, *Dominus*, docet aliquando potestatis, aliquando magnificentiæ, & honoris esse. In DEO vtrumque coniunctum est: in hominibus quidam honoris tantùm causa sic vocantur. Hoc ostendit Theodoretus [n] exemplo Rebeccæ [o], quæ seruum Abraham appellat dominum: Magdalenæ [p], quæ hortulanum. Discipuli hoc loco, & aliàs etiam tribuentes id nomen CHRISTO, respectum habuisse credendi sunt ad vtrumque titulum: quidam alij ad secundum duntaxat, vt regulus [q], & paralyticus stans ad Probaticam piscinam [r]: nondum enim diuinitatem CHRISTI cognoscebant.

Nomen Domini & potestatis est, & magnificentiæ. n orat. 10. in Daniel. o Gen. 24. 18. p Ioan. 20. 15. q Ioan. 4. 49. r Ioan. 5. 7.

Si.] Vim interrogantis habet, quemadmodum & hoc eodem libro [s], & in Euangelio Lucæ [t], & apud Ioel [u], Matthæum [x], Ioannem [*], Amos [y], & alia plura apud Emmanuelem Sà in Indice, & Salmeronem [z], & apud alios etiam profanos Græcos, & Latinos scriptores, vt non sit Hebræorum, sicut Gagneio placet, idiotismus. Concedam potiùs Hebræo idiotismo, si positum hìc quoque optatiuè pro vtinam, vt è contrario LXX. Interpretes εἰ, *si*, pro לו *lu*, Hebraicè, *vtinam*, dicunt, in lib. Iosue [a], & Iob [b]: quamuis & Lucianus auctor Græcus nonnunquam ita loquatur: verùm non secundo, sed primo modo accipi in isto loco, indicat responsio quæ subiicitur. Terentius [c] vsus est *si*, pro, *an*: *Visam, si domi est*, & Cicero [d]: *Dicito si pascuntur anes*. Auctor Græci Thesauri citat ex Græcis Plutarchum, Xenophontem, Lucianum, ex Latinis Horatium, dicens, id se in aliis obseruasse. Quòd, *si*, sit optantis, probat Peltanus [e] ex Virgilio, Persio, Horatio. Lege Horatium Tursellinum [f], & Godescalcum Steuuechium [g].

s c. 5. 8. c. 7. 1. c. 17. 1. c. 19. 2. t c. 22. 49. u c. 1. 2. x 12. 10. & c. 19. 3. * 14. 23. & 17. 6. y 6. 3. z Tom. 1. Prolego. 16. a Iosue 7. 7. b Iob. 6. 2. & c. 16. 4. c in Heaut. d 2. de Diui. e 6. Æneid. f lib. de part. Lat. Orat. c. 68. g de part. linguæ Latinæ.

Restitues.] Græcè in tempore præsenti, ἀποκαθιστάνεις, quod etiam denotant proximè antecedentia verba, *in tempore hoc*, putabant enim instare tempus, certè optabant. Aliquantò diuersam sequitur Augustinus [h] versionem, *Si hoc in tempore repræsentaberis, & quando regnum Israel: vel, præsentabis, aut, præsentaberis.*

h lib. cōt. ep. Fund. c. 9. & tractat. 25. in Ioan. & tract. 10. in ep. Ioan.

Israel.] Græcè, τῷ Ἰσραὴλ, in Datiuo: & ponitur pro toto regno integræ Iudææ, sicut in Canticis B. Virginis, Zachariæ, & Simeonis, & sæpe etiam in veteri Testamento, vt in libris præsertim Regum, & Prophetarum, pro parte constante ex decem tribubus, regnoque distincto ab eo quod dicebatur regnum Iuda, quale nimirum erat ante diuisionem factam mortuo Salomone [i]. Primus hoc Iacob cognomen diuinitùs accepit, simul expressa eiusdem notione [k]: *Nequaquam*, inquit illi Angelus, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra* DEVM *fortis fuisti; quantò magis contra homines præualebis?* Eodem Oseas [l] procul dubiò allusit, dicens: *In vtero supplantauit fratrem suum*, quasi dicat, ideò vocatum Iacob, *& in fortitudine sua directus est cum Angelo*, quasi dicat, propterea impositum ei nomen Israël, est enim idem, directum esse cum Angelo, atque præualere, & prosperos ac felices successus habere, vt est in Prouerbiis [m].

i 3. Reg. 12. k Gen. 32. 28. l c. 12. 3 4. m Prou. c. 16. 3. c. 28. 13.

Itaque non est Israël vir, aut mens videns DEVM, vt tam multi tamen antiqui Auctores, non recentiores duntaxat, Hebraici alioqui sermonis non ignari, passim docuerunt, Philo [n], Origenes [o], Eusebius [p], Chrysostomus [q], Basilius [r], Nazianzenus [s], Olympiodorus [t], Augustinus [u], Gregorius [x]. Clemens [y] autem Alexandrinus interpretatur vi perspiciendi præditum; Hieronymus [z] ipse assignauit aliquando eandem etymologiam, sed non cohæret, vt dixi. Nam octo literis scribere oporteret, אישראהאל, & legendum, *Israhael*, cùm quinque solùm habeat, ישראל & legatur, *Israël*.

n libr. de Abraham & de temulen. & de Præmiis. o homil 2. in Num. & prol. in Cant & 10. 32. in Matt. *De nomine Israël, quæ sit vera eius significatio.* p lib. de nom. Hebr. apud Hieronymū. q hom. 14. in Ioan & hom. 58. in Gen. r in c. 1. Esa. s ora. 2. Theo. t in c. 1. Eccl. u epi. 120. 16. de ciu. c. 39. & alibi. x libr. 3. in 1. Reg. c. 7. libr. 4. in c. 9. y li. 1 Strom. z in c. 1. & 2. Esa. in cap. 12. Ose. de nom. Heb. ex Exo.

Solet verò nominum propriorum seruilis י *iod* formatrix esse, & cùm ex ראה *raah*, quod est *vidit*, in hoc quinque literali nomine sit vnica litera ר, sequens enim א cum ל componit, אל *el* vnum de nominibus DEI, & שרה *scharah* significat *præualuit, seu fortis fuit, aut dominatus est*, vnde etiam Sara vxor Abrahæ dicta est, hoc est, Domina, sequitur non aliam esse posse etymologiam, quàm quæ ab Angelo ipso, & ab Osea Propheta, vt dixi, allata est. Quo argumento commotus Hieronymus, & ex proprio, non ex alieno, vt aliquando solet, cùm præsertim festinat, sensu loquens in Traditionibus in Genesim, sic loquitur: *Quamuis grandis auctoritatis sint, & eloquentiæ, & ipsorum vmbra nos opprimant, qui Israël virum, siue mentem videntem* DEVM *transtulerunt, nos magis Scripturæ, & Angeli, vel* DEI, *qui ipsum Israël vocauit, auctoritate ducimur, quàm cuiuslibet eloquentia secularis.* Sic ille; quem & nos huiusmodi auctoritate vtentem sequi malumus, necnon cùm ait, idem esse ac Princeps cum DEO: quod placet Pagnino [a], & Pererio [b]: quam cùm etiam [c] alibi aliorum proponens interpretationem, εὐθύτατον ΘΕΟΥ, exponit, id est, *Rectissimum* DEI: nec meruit Iosephus reprehensionem Hieronymi [d], cùm ait in [e] Antiquitatibus Iudaicis: *Iussitque illum post hæc vocari Israëlem, quod Hebrais, Angelo reluctantem significat*; siquidem *reluctantem* dicit, id est, non cedentem, resistentem, præualentem. Est in [f] Iustino martyre, quod partim reprehendamus, partim approbemus. Vera est quam affert significatio, id est, Homo vincens virtutem, אל *el* enim, Fortem sonat; sed falsum est, aut in Israël esse nomen viri, quod est, איש *isch*, quia scribi debuisset Hebraicè cum א in principio; aut, quod ipse putat, *Isra* significare virum: præterquàm quod nihil in nomine superesset, quo significaretur vincens [g].

a libr. de interprete. nom. Hebræo. b in Gen. cap. 32. Disp. 5. *Iosephus male a D. Hieron. not.* c Ef. 44. Ioel. 3. Malac. 1. & Osee etiā 12. & in Tradit. Heb. d in Tradit. Heb. e lib. 1. c. 18. f in Dial. cū Tryphone.

Caietani interpretatio vt sit idem, quod, DEVS *dominabitur*, quasi, ישרה *ischre* futuro, & אל *el* aptè conuenit cum dictionibus, ex quibus vna ista componitur, sed verbis Angeli citatis magis ea, quam initio attulimus, & rationi formandorum nominum propriorum, vt litera י *iod* præfigatur. Ignosce, Lector, si his te tractādis spinis detinemus, ex illis namque leguntur suaues rosæ,

g Gen. 32. *Caietani expositio falsa.*

& yis

& vis Hebraicis vocibus magna insidet, maximè verò quas DEVS ipse composuit,& imposuit.

Versus 7.] Dixit autem eis, Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ PATER posuit in sua potestate.

REPELLIT *curiosam quæstionem, graui, quamuis benigniore, quàm cùm de consummatione seculi ante mortem interrogaretur* [a], *responso*, vt Chrysostomo placet: abditam enim, & soli reseruatam DEO huiusmodi euentorum cognitionem esse, quæ pendent ex libera vel DEI ipsius, vel etiam hominum voluntate.

a Matth. 24. 3.

Non est vestrum.] Legit Augustinus [b], *nemo potest cognoscere tempus, quod* PATER *posuit, &c.* Non dicit, *nostrum*. Iam tandem pro DEO, aut certè magis à suis cognitus, qui olim de die iudicij nec se, de se, sub nomine FILII loquens, scire affirmauit [c], *sed solum* PATREM. *In Euangeliis*, inquit Basilius [d], *se ipsum adnumerauit ignorantibus, propter multorum, vt dixi, infirmitatem: in Actis verò Apostolorum, tanquàm perfectis seorsum disserens, per sui exceptionem dixit: Non est vestrum scire*, &c. Idem obseruauit Athanasius [e], Hieronymus [f], & Ambrosius [g], qui præterea ex præsenti Apostolorum colligit interrogatione, illos credidisse in CHRISTO futurorum scientiam fuisse.

Christus post Resurrectionem se magis Deū patefecit, quā ante.
b lib. cont. ep. Funda. cap. 9.
c Mat. 24. 36. & Mar. 13. 32.
d epist. 141.
e orat. 4. cōt. Arian.
f in Mat. c. 24.
g lib. 5. de Fide. cap. 7.

C Ibi tamen difficultatem facit, quòd CHRISTO neque vt homo erat, vel beatus, vel etiam scientia infusa præditus, negari eiusmodi notitia non potest, nedum vt DEVS est. Hæresis est, ignorantiam CHRISTO tribuere, nec talis illum defectus decebat, qui nihil quoque prodesset, ac obesset quodammodò potiùs operi redemptionis nostræ perfecto. Non sunt nunc refellendi Agnoitæ. Legatur inter alios Gregorius [h]. Quid ergo est cur eam ipsi sibi FILIO deneget, vni concedat PATRI? hoc enim modo cùm loquitur, non sinit nos respondere nesciisse, vt hominem ante Resurrectionem, aut nondum scientia experimentali, aut, vt quod sciebat, aliis innotesceret: PATREM affirmat id solum scire, eo sensu, quo ipsius, & non
D suum dare, & parare dixit sedes ad dexteram, aut ad sinistram in regno [i] DEI, nempe per eā, quam scholæ Theologorum in TRINITATIS Personis attributorum certam accommodationē agnoscunt; vt PATRIS verbi gratia sit potentia, & conditarum rerum prouidentia, ac prædestinatio, ac proinde etiam scientia. Hæc optimè à Maldonato nostro exponuntur in vtrumque Matthæi locum.

h lib. 8. epist. epist. 42.
Christus qua ratione se diem iudicij nescire dixerit.
i Mat. 20. 23.

Illud subtile, & verum est, CHRISTVM quatenus hominem, ignorasse, si dictio illa, quatenus, non speciem, sed causam significet: sciuit enim humana natura, sed non quia humana: cùm nec
E Angeli, quantumuis perfectissimi, & amicissimi DEO, sciuerint, sciántve iudicij diem [k]: sed planior & accommodatior præcedens intelligentia, magísque eidem Auctori meritò probata.

Christus quatenus homo nesciuerit diem iudicij. hoc in quo sensu sit verum.
k Mat. 24. 36.

Tempora, vel momenta.] Momenta respondent Græco nomini καιρὸς, quod significat rei gerendæ opportunitates, & quos Basilius [l] explicat *articulos temporum*: non quoscumque, illos etiam qui ex luminaribus in firmamento collocatis perspici queunt, *vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos*, sed de quibus hic subditur [n]. Augustinus voces Græcas huius loci negat Latinè satis exprimi potuisse, cùm habeant χρόνος, & καιρὸς inter se non negligendam differentiam, atque verti debuisse, vt initio diximus, καιρὸς, opportunitates: nec enim Apostolos de tam exiguo tempore (quod momenta significant) scire voluisse. Syrus reddit, *tempus*, & *tempora*, eodémque pacto Cyprianus [o]. Obseruatio huius distinctionis confert ad intelligentiam plurium Scripturæ locorum, vt rectè monet, & ostendit Salmeró [p]. Parcat Augustinus, momenta enim etiam Cicero dicit [q] opportuna tempora, & occasiones rei gerendæ. Καιρὸν Deum Gentilitas coluit seu Occasionem, qua de re consule commentarios nostros in Ecclesiasten [r].

l epist. 241.
καιρὸς quid significet.
m Gen. 1. 14.
n epist. 78.
o 1. testim. ca. 89.
p Tom. 1. Proleg. 14. in Formula 24.
q ad Treb. ep. 88. siue lib. 6. famil. & alibi
r cap. 3.

Quæ PATER *posuit in sua potestate.*] Nō in creatarū quoque causarum potestate, in quibus Phy-
B siologus, aut Astronomus effecta multa sine vel errore, vel periculo deprehendit: tam bonus hoc modo vates, quàm bonus coniector: DEVS verò, vt cetera gubernet, hominem certè in primis, cuius animi sensa solus & voluntates penetrat, de quibus, ac multò maximè de diuinis, qui diuinant, aut iudicia faciunt, profectò absque iudicio, hostésque DIVINITATIS iudicandi sunt, sed & fatuos arbitramur non solùm impios, qui Fatum vel fando vsurpant, & hinc argumentantur contra priores Cyprianus [s], & nos de vtrisque in Philosophicis, ac Theologicis nostris copiosè disputauimus. Legēdus etiam Pererius in opere de Principiis rerum naturalium, & in alio de Magia, Franciscus Suarez, & Henricus Henriquez, cùm tra-
C ctant, quæ pertinent ad iudicij extremi diem, de quo argumento propriè etiam scripsit Federicus Lumnius [t], Claudius Espenſęus [u], Ioseph Acosta [x], & Salmeron [y].

Contra Astrologos iudiciarios.
Fatui sunt qui fatum vel fando vsurpant.
s lib. de singulari. Clerico. cap. 20.

Non committam, quin Patres à calumnia vindicem, qui antiquiore, medióque seculo, nec obscuri, nec pauci instare iudicij diem autumauerunt: non enim planè leuibus ducti sunt circumstantiis, atque indiciis, potissimùm quando diriores ingruebant calamitates, & ipsa periclitari religio, & Ecclesia labare videbatur. Nihil tamen exactè de certo tempore definientes, ne nullus, eo lapso, deinceps Domini expectaretur aduentus, vt Augustinus [z] monet.

t lib. 2. c. 10. quem præcipue lege.
Patres, qui indicij diem instare dixerunt, defenduntur.
u in digress. 12. in 2. epist. ad Tim.
x in lib. 1. de nouiss. temp. quem præcipue lege.
y Tom. 4. Tra. 41.
z epist. 80.

D *Omnium autem de hac re calculantium digitos*, inquit Augustinus [a], *resoluit, & quiescere facit ille, qui dicit, Non est vestrum nosse*, &c. *qui ex eo etiam, quod hoc loco χρόνους καὶ καιρούς, Lucas ponit, hoc est, temporum spatia, quæ voluminibus transeunt, & opportunitates, & non diem, vel horam, infert indefinitum, non incertum modò, ac non adeò breuem videri mundi durationis terminum.* Colligit hinc idem argumentum Cyprianus [b] de iudicij improuiso tempore.

a 18. de ciuit. c. 53. & 54. & in Psal. 89. & epist. 78.
Mundi finis nulla ratione sciri potest.
b 3. test. c. 89.

Sed volupe est, quod Iustiniani Imperatoris tempore, vt scribunt Procopius [c], & Leonardus [d] Aretinus de bello Gothorum, cùm circumferretur mundum cum prole sua periturum, propter nescio quod Sibyllinum oraculum, dux quidam
E Mundus nomine in Italiæ, ad quam à Gothis liberandam cum exercitu missus erat, faucibus infeliciter pugnans, & cum prole cæsus (Mauritio nomen erat) magno omnium risu simul oraculum declarauit, simul arrectum iudicij velut impendentis timore Mundum liberauit. Ergo non est nostrum, *non est etiam*, vt Sapiens admonet [e], *necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis nostris, in pluribus operibus* DEI *esse curiosum, in superuacuis rebus scrutari multipliciter, altiora se quærere, & fortiora scrutari, cùm plurima supra sensum hominum ostensa sint nobis: sed quæ præcepit nobis* DEVS, *hæc cogitanda semper. De temporibus, & momentis fratres*, inquit Apostolus [f], *non indigemus, vt scribamus vobis, quippe*

c lib. 1.
d lib. 1.
Mundus Gothorum tempore quomodo perijt.
e Eccl. 3. 22. 23. 24.
f 1. Thess. 5.

qui semper spiritualibus munimentis , inquit Ambrosius [a] , *esse debeat armatus,vt virtus* CHRISTI *in vnoquoque prætendat.*

a 5.de Fide. cap.8.

Socrates reprehendit eos qui scire futura curiose volunt.

b li. de dictis, & factis Socra.

c 14.de Præp. cap.4.

Quid?quod Socrates sapientiæ apud profanos simulacrum,hanc,vt Xenophon [b] , & Eusebius [c] tradunt,pronunciauit sententiam,*cognitionem futurarum rerum,quæ in potestate* DEI *sunt,non esse hominibus procurandam:neque enim posse homines eas res cognoscere,nec* DEO *gratum esse , si quæ ille occultauit , ea mortales velint nimis studiosè , curioseq; rimari.*

d epist. 80.

Non ea quæ Apostolis ignorauit,& Ecclesia non tradiderit scire potest.

Quis nostrûm , inquit Augustinus [d] , *docere audeat,vel se scire præsumat, quod* DEVS *ille magister, nec eos Discipulos docuit,iquibus præsentibus interrogatus est præsens,nec illi tunc sancti,magnique Doctores Ecclesiam docere potuerunt?*

Mortis propriæ scienda cura ne gigenda.

e lib.4.c.56. f ibid. c.16.& homil. 38. in Euang. g cap.12. h epist.7.

Comprimenda aliorum eodem modo anxia de morte cura,quæ tametsi paucis antè denunciata legitur , vt Cassio Narniensi Episcopo apud Gregorium [e] in Dialogis,Æmilianæ,ac Tarsillæ [f], & Ruperto,qui id de seipso scriptum reliquit in Matthæum [g] , & aliis , etiam peccatoribus,vt de Prætextato Hieronymus [h] narrat:ipsa tamen eius incertitudo sollicitiores per se propriæ salutis reddit,vt Patres, & pij alij Scriptores tradunt , quos affert Lumnius disputans de iudicio [i]. Appositè Ambrosius [k]:*Namque adulter*,inquit, *nisi quotidianam pœnam metuat , non potest adulterandi cupiditatem desinere, nec latro obsessorum saltuum secreta deserere,nisi sciat sibi momētis omnibus imminere supplicium:* atque omninò & iustus esset remissior , & peccator securior. Hoc verò est præcinctis lumbis, gestatisque in manibus lucernis vigilando præstolari Domini aduentum,ne improuidos, incautósque reperiens, pœnis acerbè mactet.

i libr.2.ca.10. k 5.de Fide.c. 7.

Mortis incertitudo vtile est plurimum,

l est 112.

Iustinus martyr inQuæstionibus ad Orthodoxos vnam soluit [l] , quomodo CHRISTVS nunc respondeat reiiciendo , non refutando suspicionem de regno terreno. Vrgeo,& inculco tam salubre,& necessarium non mihi minùs , quàm Lectori meo documentum , quod ab Interpretibus diligenter notatum video, & ab aliis quos citaui, atque etiam ab Hilario [m] , ne plus vel interpretando coner, & à me qui me legit,requirat,quàm sciendi sobrietas patiatur. Leo certè Papa X.in concilio Lateranensi [n] cauit seuerè, ne quis tempus præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem iudicij prædicare vel asserere præsumat,cùm Veritas dicat,*non est vestrum nosse*,&c. ipsósque,qui hactenus similia asserere ausi sunt,mentitos , ac eorum causa reliquorum etiam rectè prædicantium auctoritati non modicum detractum fuisse constet.Extendit quoque præceptum ad alios.

m 9.de Trin. *Non est ab interprete requirendum, quod sciri non potest.*

n sess.11.bulla 1.

Deus Pater nūc notionaliter, nūc essentialiter dicitur.

PATER.] Notionaliter pro prima persona: aliquando enim etiā dicitur essentialiter de DEO, vt , ex multorum sententia , in Præfatione orationis Dominicæ : dicitur namque DEVS *Pater noster*,quia creauit,& cōseruat : & redemit etiam non quidem patiendo,quod FILIVS fecit,sed agendo;denique per gratiam regenerando,& hæreditatem æternæ beatitudinis præparando. Nescio quàm sit verum,hoc de DEO nomen in vetere Testamento non dici,sed Domini.Tertullianus id tradit,& Augustinus [o] : quia illi serui, nos filij, teste Apostolo [p].Sed Malachias [q] inducit DEVM ita loquentem : *Si pater ego sum , vbi est honor meus?* & in Deuteronomio [r] exprobrat Moses: *Nunquid non ipse est pater tuus , qui possedit te,& fecit , & creauit te?* Veruntamen hoc modo nomen PATRIS DEO non conuenit nisi in tempore,vt docet Tertullianus [f],*quia non potuit esse pater*,inquit,*ante filium*, Angelum scilicet,vel hominem, quibus conuenit filiatio adoptionis (dicitur tamen etiam ratione creationis Adā filius DEI à Luca in Euangelio [t]) sicut nec iudex ante delictum , nec dominus , nisi ex quo esse cœperunt , in quos potestas domini ageret. Lege S. Thomam [u]. Minùs propriè hoc modo dicitur pater, quàm de prima persona verè vitaliter generante;minimè verò respectu naturæ inanimatæ, vt cùm [x] vocatur *pluuiæ pater*. Profani scriptores non rarò Iouem omnium patrem rerum nominant , & scribit Arrianus [y] , Bythinos consueuisse montium conscendendo cacumina Iouem Pappam salutare : quem Scythæ quoque cognominabant [z],Herodoto teste,Pappæum.Denique omnis paternitas ex DEO nominatur in cælis & in terra [a]:sicut enim solus bonus dicitur, ait Hieronymus [b] , ita & solus PATER,quia creator est omnium , & vniuersorum causa substantiæ, præstat cæteris, vt patres esse dicantur. Ipsi Hebræi primum mensem, qui est nouarum frugū [c], vocant *Abib*,quasi אב *ab*,id est,patrem. Rursum Gentiles , vt prodit Clemens [d] Alexandrinus & Augustinus [e], DEVM voce composita μητρoπάτορα , quasi patrimatrem rerum cunctarum appellauerunt.Patris nomen denotat opificis potentiam, matris,scientiam , vt placet Philoni [f],meliùs fortassè amorem atque bonitatem.

o 2.de Serm. Dom. in monte. p Rom.8.15. q cap.1.6. r cap.32.6.

f contra Hermoge.

t cap.3.38.

u 1.par.qu.33. a.2. & 3.

x Iob.38.28.

y de pōto Euxino.

z in Melpomene.

a Eph.3.17. b in epist. ad Ephes.

c Exod.13.4. c.23.15.

d 5.Strom. e 7. de ciuit. cap.9.

f lib.de repu.

Versus 8.]Sed accipietis virtutem superuenientis SPIRITVS sancti in vos,& eritis mihi testes in Ierusalem,& in omni Iudæa , & Samaria , & vsque ad vltimum terræ.

QVos negato ad quæstionem responso quodammodò deiecerat, erigit atque exhilarat promissione illa SPIRITVS sancti , de qua priùs dictum est , & tanquàm peritus discipulos magister , resecatis inutilibus ad vtilium cognitionem prouocat , simulque tacitè laudat à testimonio, quod ipsi de illo constanter edituri sint,toto orbe regnum hac ratione Israëli restituturi , spirituale magis,quàm carnale ; spirituali Israëli potiùs quā carnali.Quo in negotio nihil dubitent , aut pertimescant,roborandi,& quasi *armis induendi*,vt Lucas [g] loquitur in Euangelio , *virtute ex alto* ; ita vt nihil necesse sit domi se trepidi contineant , Iudæósve persecutores reformident, qui mox in ipsa regia Iudæorum, deincepsque in prouincia tota , & in Samaria , & inter omnes longè, latéque diffusas nationes, Euangelij sint verbum disseminaturi,magna,& efficaci virtute.

Apostolis Christi ore laudantur & roborantur.

g Luc.vlt.49.

Virtutem.] Solet SPIRITVS sanctus sicut digitus [h],ex Ambrosio [i],Hieronymo [k],& Augustino [l],sic etiam virtus DEI eādem similitudine vocari,vt cùm Angelus dicit B.Virgini [m]:*Virtus Altissimi obumbrabit tibi*,vt placet Ambrosio [n];& cùm Apostolis CHRISTVS [o] , *Quoadusque induamini virtute ex alto:* & sæpe copulantur in sacris literis virtus,& SPIRITVS, vt hoc in libro [p] : & passim in epistolis [q] B.Pauli : quibus locis significat virtus vires ac robur ad aliquid tum faciendum,tum patiendum, & ad opera præstanda non moralium virtutum duntaxat , verùm etiam miraculorum; vnde fit , vt in eādem Scriptura virtutes dicantur non rarò tum miracula,tum etiā exercitus.Exempla vide in Indice alphabetico nostri Emmanuelis Sà. Huius vim virtutis expressit CHRISTVS

h Luc.11.20. i ibidem. k Matth.12. l 2.q.Euan.c. 17. m Luc.1.35. n li.de iis qui initian.c.3. o Luc.24.49. p Act.10.38. Luc.4.14.

Virtus Dei quid sit.

q Rom.1.4.c. 15.13. 1.Cor.2. 4. Ephes.3.16. 1.Thess.1.5.

apud

a c.10.19.20. *Diuinitas Spiritus sancti.*

apud Matthæum [a].

Superuenientis.] Ἐπελθόντος, ἀόριστον participium est, significans cõmunicandam dictam virtutem, postquã SPIRITVS sanctus superuenerit. Chrysostomus vim facit in eo, quòd dicatur non missus, sed *superueniens* SPIRITVS sanctus, quasi ita diuinitas eius denotetur. Sed missum SPIRITVM sanctum etiam à CHRISTO ipso, seu mittẽdum, non semel legimus, præsertim in Euangelio Ioannis: & scitum est apud Theologos, missionem dici de personis, quæ originem habent, hoc est, de FILIO, & de SPIRITV sancto. B. Bernardinus [b] hunc, vt ita dicam, superuentum exponit superabundantiam & copiam: cui expositioni fauent quæ suprà diximus [c] de promisso SPIRITV, qui antè tamen datus esset: & qui eodem quoque sensu illud in verbis Angeli [d], quibus B. Virginem salutauit, accipiunt: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Simplicior sensus est pro simplici vel aduentu, vel de cœlo descensu [e]. Athanasius tamen priorem indicans sensum, comparat cum Apostolis B. Virginem in eo, quòd in vtrosque dicatur SPIRITVS sanctus superuenisse, ostendítque longè in illam magis. Legitur apud Augustinum [f], *Accipietis virtutem* SPIRITVS *sancti superuenientem in vos:* apud Ambrosium [g], *Accipietis virtutem, venientem* SPIRITVM *sanctum in vos:* apud Hilarium [h], *Accipietis virtutem, superueniente* SPIRITV *sancto in vos:* apud Marium Victorinum [i], eodem modo.

b Serm. 1. de Spiritu sãcto. art. 1. c. 2.
c vers. 4.
d Luc. 1. 35.
e Ser. de Deipara.
f libr. cont. epist. Funda. c. 9.
g 1. de SPIRITV sancto. c. 7.
h 8. de Trinit.
i 3. cõt. Arriũ.

Cur Spiritus sancti nomen tertiæ personæ tribuatur.

k lib. 5. cont. Eunom.
l 5. de Trin. c. 11. & lib. 15. ca. 19
m 1. par. q. 36. art. 1.

SPIRITVS *sancti.*] Quamuis TRINITATIS personæ omnes vocari possint hoc nomine, tamen ex vsu Ecclesiæ, & Patrum soli tertiæ accommodatur, propter causas à Basilio [k] allatas, & Augustino [l], & ab aliis, lege S. Thomam [m]: nempe, vt persona hæc à duabus aliis procedit, ita decuit nomen SPIRITVS commune illis habere. Et cùm habitum impellentem significet primaria sua significatione; denotatur per amorem, qui est impulsus quidam, processisse. Sanctus verò nominatur, quoniam sanctitas congruit iis, quæ in DEVM ordinantur: atqui amor est, qui omnia in DEVM refert, & voluntatem pro sede principali virtutes habent.

n Apolog. 2. *Spiritus sancti nomen à quibus Filio tribuatur.*
o Luc. 1. 35.

Solum Iustinum [n] reperio, qui de VERBO siue Filio intelligat nomen SPIRITVS sancti in verbis Angeli [o]: SPIRITVS *sanctus superueniet in te*, sed repugnat illi non tantùm aliorum Patrum auctoritas, verùm etiã professio Fidei: qua credimus, & dicimus CHRISTVM *conceptum de* SPIRITV *sancto*, propter dictam superuentionem SPIRITVS sancti, & non de seipso. Ambrosius in Lucam [p] citat quosdam dicentes, in ea sententia CHRISTI, qua loquitur de blasphemia in SPIRITVM sanctũ, intelligi de illa, quæ fit in CHRISTVM prout est DEVS, quoniam sic possit dici SPIRITVS sanctus. Sed iterum de hac re inferiùs capite secundo [q].

p in ca. 12.
q vers. 4.
r c. vlt. 48.
s vers. 22.
t c. 10. v. 39.
u c. 15. 26. 27.

Eritis mihi testes.] Sic Lucas in Euangelio [r]: *Vos autem testes estis horum:* & in eodem isto capite ad hoc ipsum subrogatur pro Iuda Apostolus [s] alius: & infrà [t] Petrus Centurionem Cornelium alloquens, se, & collegas, *hoc ferre testimonium* profitetur. Rursum CHRISTVS apud Ioannem [u]: *Cùm autem venerit* PARACLETVS, *quem ego mittam vobis à* PATRE SPIRITVM *veritatis, qui à* PATRE *procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Vbi simul testimonij ab Apostolis reddendi causâ SPIRITVS sanctus redditur, communicaturi eis videlicet, quam diximus virtutem: &, vt alibi

A

CHRISTVS [x] dicit, *os, & sapientiam,* immò in ipsismet locuturi.

x Luc. 21. 15.

Testimonium de sua Resurrectione Christus Apostolos ferre voluit.
Apostolus quid sit.

Testimoniũ verò exigere CHRISTVS in primis de sua Resurrectione videtur, vt ex citatis præsentis libri, & Euangelij Lucæ locis colligitur, atque hæc quasi Apostoli quædam definitio censeri potest, testem esse CHRISTI Resurrectionis. Nam Paulus [y] *honorificans ministerium, & Apostolatum suum,* nihilque minus fuisse ab iis, qui supra modum essent Apostoli, ostendens [z], *Non sum liber,* inquit [a] *? nõ sum Apostolus? nónne* CHRISTVM IESVM *Dominum nostrum vidi?* CHRISTVS ipse non aliud petentibus dare signum voluit quàm Resurrectionis, sub symbolo templi post triduum

y Rom. 11. 13.
z 2. Cor. 12. 11.
a 1. Cor. 9. 1.

B

excitandi [b], sub Ionæ figura, qui prodiit incolumis ex ventre ceti eodem exacto spatio [c]: quod posterius signum bis dedit.

b Ioan. 2. 20.
c Matth. 12. 39. c. 16. 4.

Cur Apostoli Spiritum sanctũ prius receperint, quàm Christo testimonium darent.

Rectè præcedit SPIRITVS sancti virtus Apostolorũ testimonium: non enim idoneus testis est, quem non vitæ commendat probitas, ac potissimùm veracitas (propterea aliquoties promittens SPIRITVM sanctũ CHRISTVS, appellat SPIRITVM veritatis [d]) & qui quæ testificatur, probare non possit efficacibus argumentis. Vt idcirco iure suo in capite quarto [e] huius operis Apostoli orantes, vt cum omni fiducia loquerentur verbum DEI, simul petierint vt *extenderet manum* DEVS *ad sanitates, & signa, & prodigia.* Quàm Chri-

d Ioan. 14. 17. c. 5. 26. c. 16. 13.
e vers. 29. 30.

C

stiana fides idoneos habeat testes, ita vt eorum sint testimonia credibilia nimis, demonstrat præ cæteris Eusebius [f], maximè propter numerum, & veracitatem (simplices enim plerique ac rudes & de CHRISTO probrosa quæque fideliter narrant) propter vitæ sanctitatem, maximúmque mundi contemptum, ac tolerantiam: propter doctrinam consentientem legi Mosis, & naturali, & damnantem vitia omnia, atque superstitionem: propter tot tantáque miracula & docendi adeò facilem benignámque rationem, qua toti persuaserunt mundo.

Apostoli maximè idonei ad veritatem testificandam.
f libris de demonstratione Euangelica.

Testificandi de Christo munus ad multos pertinet.
g epist. 80.

Hoc porrò testificandi ac prædicandi munus non vnis tantùm Apostolis commendatur, sed, vt

D

Augustinus [g] notat, etiam successoribus eorum: quod exercuit quoque ante illos præcursor Ioannes [h]. Et tamen CHRISTVS [i] negat se ab homine, siue Ioanne, siue ab alio quocunque testimonium accipere, quasi eo egeat, & [k] maius nõ habeat: habet enim PATRIS [l], habet Scripturarum [m], habet operum [n]. *Sed hæc dico,* inquit [o] producens Ioannis testimonium, *vt vos salui sitis,* id est, non egens Ioanne, eius allego testimonium, cui creditis vos, vt salui sitis. Quamuis enim (vt eo loco Leontius, ac Theophylactus docent) DEVS cùm sit, & ipse per se edendis miraculis, quis sit, declarare possit, ideoque non indigeat testimonio cuiusquam; vsus tamen est Ioannis testimonio, ad-

h Ioa. 1. 7. 8. 32. 34.
Christus nullius egens testimonio, plurimorum testimonio cur vsus.
i Ioan. 5. 34.
k Ioan. 5. 39.
l Ioan. 8. 16. 18.
m Ioan. 5. 30.
n Ioan. 5. 36.
o Ioan. 5. 34.

E

de & Apostolorum, aliorúmve hominum, siue DEI per homines exhibito, non propter se, sed propter nos, accommodatè videlicet ad mores, & captum nostrum. Sic etiam cùm vox de cœlo intonuisset [p]: *Et clarificaui, & iterum clarificabo,* dixit: *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.* Sed & PATREM CHRISTVS orans, eique gratias agens [q], dicit: *Ego autem sciebam quia semper me audis: sed propter populum, qui circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti.* Qua ratione ab omni creatura, omnique hominum conditione DEVS & CHRISTVS habere testimonium voluerit, ostendit per inductionem Petrus Damianus [r].

p Ioan. 12. 29. 30.
q Ioan. 11. 42.
r ser. de Epiphan.

Possumus nos Christiani, & verò debemus

Christiani omnes Christo testimonium dare debent.
a 1. Thess. 1. 8. b 1. Pet. 2. 12. c 2. Cor. 2. 16. d Cant. 1. 4.

quæcumque se offerat occasio, dictis factisque testimonium perhibere CHRISTO, atque veritati, *vt à nobis* [a] *diffametur sermo Domini, & qui nos ex bonis operibus considerabunt, glorificent* DEVM [b]; & [c] *vita odore complete, currant* [d] *& ipsi in odorem vnguentorum nostrorum*, immò DEI.

Cur prædicatio ab Ierusalem capta sit.
e c. vlt. 47.

In Ierusalem.] Sic Lucas in Euangelio [e]; *Oportebat*, &c. *& prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma*, nempe vbi maxima trepidatio Discipulorum, ob recentem memoriam crucifixi CHRISTI; vbi maximum crucis scandalum, vbi tenax veteris legis custodia: inde etiam, iuxta crebrum Esaiæ [f] vaticinium, noua lex prodire debebat, ibique iaciendus in fundamentum lapis angularis probatus, pretiosus [g], & in Psalmo, Dauid [h]: *Virgam*, inquit, *virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Siquidē summæ potentiæ fuit, & maximæ charitatis, ex qua Gentiles spem singularem conciperent, ante omnia ipsosmet crucifixores conuertere, *& ita dominari* CHRISTVM *in medio inimicorum suorum* [i]. Istum locum ita intellexit Iustinus [k], Prosper [l], & alij. Rursum in alio Psalmo [m] sub CHRISTI persona: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius*: tum verò ad illum PATER: *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

f cap. 2. 3. c. 28. 16. c. 40. 9. ca. 60. 1.
g 1. Pet. 2. 6. Esa. 28. 16. Rom. 9. 33.
h Psa. 109. 3.
i Psa. 109. 2.
k Apol 2.
l in Psa. 109.
m Psal. 2. 6. & 8.

Apostoli mandatum acceperunt non discedendi ab Ierusalem ante annos duodecim.
n 5. hist. c. 17. in fine.
o Baro. Tom. 1. Annal.
p 6. Strom. c. 2.

Apollonius certè, antiquus Theologus, testatur apud Eusebium [n], se traditione accepisse, Apostolis Dominū præcepisse, ne vsque ad duodecim annos à Ierosolymis discederent: quod aliqui [o] vt plurimùm ad adiacentia ciuitati loca extendunt, & de ordinaria atque longiore in iis locis mora, non de temporanea aliqua etiam remotiore excursione intelligunt. Clemens [p] Alexandrinus refert Petrum dixisse dictum Apostolis à Domino: *Si quis velit ex Israël duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in* DEVM, *remittentur ei peccata post duodecim annos.*

Iudæa quid hic significet.
q vers. 31.
r lib. de locis Heb. in Actis Apost.
s in Matth. ca. 2.
t Psa. 75. 1.
u Psa. 113. 2.

In omni Iudæa.] Quia distinguitur hoc loco à Samaria, & capite nono [q] etiam à Galilæa, alibique ab aliis in terra Promissionis regionibus, eius appellatione, vt notauit quoque Hieronymus [r], duæ tantùm tribus, quæ quondam Iudæ vocabantur, includuntur. Cōstat tamen à nobiliore hac parte, auctore etiam eôdem Hieronymo [s], totam terram Promissionis Iudæam appellatam: vt in his Psalmis [t]: *Notus in Iudæa* DEVS, *in Israël magnum nomen eius*: vbi Iudæa, & Israël idem significant; & [u], *Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israël potestas eius*, & aliis locis.

x lib. 11. Ant. cap. 5.
Iudæi quando Hebræi omnes dici cœperunt.
y in Apol. ca. 16.
z 21. Annal.
a lib. 1. cap. 5.
b lib. 4. c. 10.
c 15. de Ciuit. c 6
d lib. 36.
e ibidem.
f cap. 2.
g lib. 11. & 12.

Iosephus [x] tradit, ex quo redierunt Hebræi de Babylone, non hoc ampliùs nomine aut Israëlitarum, aut filiorum Israël nuncupatos esse, sed Iudæorum, quia primi de tribu Iuda inde venerunt: & quòd recentius sit hoc nomen, testis est etiam Tertullianus [y] (disputans cōtra Tacitum [z], quod etiam facit Orosius [a], similia comminiscentem de origine, nomine, religione Iudæorum) Lactantius [b], & Augustinus [c], qui cùm ait *à Iuda filio Iacob inditum nomen genti, & regioni*, quod ex profanis prætereà historicis [d] Iustinus tradit, non probo, si ipsummet Iudā nomen indidisse intelligant: multò minùs quod habet Lactantius [e], Iudam nescio quem ducem tunc, cùm in quadam Syriæ parte deserta populus habitaret. Sed neque quod Ambrosius, aut alius sub eius nomine in epistolam ad Romanos [f] docet, à Iuda Machabæo cœpisse nomen: siquidem ante hunc Iudæorum sub isto nomine Iosephus meminit in Antiquitatibus [g]: ipsemet verò Ambrosius in certo suo opere [h] de Sacramentis, docet nomen accepisse à pronepote Abrahæ Iuda. Certè non ante diuisas tribus decem à duabus, & in duo regna, extat vspiàm hoc Iudæorum nomen: quod idem Hieronymus [i] in Ionam obseruat; vbi tamen communiore nomine Ionas se non Iudæum, sed Hebræum vocat. Quale verò illud Plutarchi [k] de Iudæi, & Ierosolymi Typhonis filiis, qui è prælio reuersus, in asino septem dies fugerit; vnde etiam sabbati nomen. Ille idem Ambrosij nomen gerens auctor [l], à tribu Iuda, non à Iuda Machabæo, cognominatos Iudæos existimat, ex qua tribu CHRISTVS nasciturus erat, quasi id significatū fuerit in Iuda, quod erat futurum in CHRISTO. Epiphanius [m] consentit in denominatione à tribu Iuda; sed vult eam denominationem cœpisse in diebus Dauid. Lege interpretes Matthæi, & Salmeronem [n], & Leonicum Thomæum [o].

h lib. 4 c. 3.
Iudæi dicti non fuerunt Hebræi ante tribus diuisas.
i cap. 1.
k de Iside & Osiride.
l in c. 2. ep. ad Roman.
m lib. 1. in secta Epicur.
n To. 3. Tracta. 45.
o 3. de var. histo. c. 10.

Cur Christus voluit suos nuncios prius in Iudæa quàm in aliis regionibus versari.
p Matt. 15. 26.
q ibid. 27.
r Matth. 10. 5.
s Matth. vlt. 19.
t Act. 13. 46. 47. & ca. vlt. 28.
Ierosolymorum euersio quare dilata.

Eædem rationes sunt, cur priùs in Iudæa, quàm in aliis regionibus voluerit CHRISTVS suos testes versari: quæ, cur primùm in Ierusalem, nimirum quia *& ipsemet* [p] *oues domus Israël ante alias quæsitum venerat*, immò non alias propriè per seipsum, sed illas, quarum vt filiorum comparatione, alias *canes* appellabat [q], & qui dum viueret mortalis, cauit *ne sui* [r] *in viam Gentium abirent, aut ne in ciuitates introirent Samaritanorum.* Iam immortalis sic quidem [s] præcepit *docere omnes Gentes*, vt tamen Iudæos etiam per orbem dispersos ad suum priùs ouile adiungere studerent, vt Paulus palàm & fecit, & protestatus est [t]. Quam esse causam existimo, cur Ierosolymorum euersionem DEVS, atque extremam illam, quæ durat adhuc, totius illius nationis captiuitatem totos quadraginta post CHRISTI passionem annos distulerit, scilicet, vt Iudæorum complerentur iniquitates, interfectis per eos Apostolis nonnullis, multisque Christianis: vt interim multi quoque de Iudæorum numero veritatis lumen aspicerent, qui partim suo exemplo peruicaces Iudæos conuincerent, partim doctrina atque prædicatione Euangelij per orbem posteà dimissi, Gentes instituerent: vt Gentes ipsæ ad CHRISTVM deinde congregatæ, tam diræ in Iudæos vltionis ob impietatem in CHRISTVM admissam (qui ipsos nihilominùs tamdiu ad pœnitentiam expectasset) iustissimam causam intelligerent: vt per id tempus primi religionis nostræ duces vna manentes, firmiùs, certiusque ipsius dogmata, & ritus constabilirent: vt conquiescerent priùs varia inter Gentes bella, quæ magno esse solent impedimento, quò minùs seriò, & animo attento concipi doctrina, præsertim tam noua, tam difficilis, tam paradoxa carni, & sanguini possit; apud Iudæos verò pax vigebat, nondum rebelles Romanorum: vt denique, quod antè non semel dixi, iuxta etiam Gabrielis [u] de CHRISTO ad designatam matrem prædictionem, acciperet CHRISTVS *sedem Dauid patris sui, & regnaret in domo Iacob*, in qua lex, vt quidam [x] supputant, viguerat annis mille quingentis quadraginta quinque; religio verò populi cœpta peculiariter sub Abraham, ferè bis mille.

Commoda quæ nostræ religionis duces ex ad. latione sunt consecuti.
u Luc. 1. 32. 33.
x Salmeron tom. 12. tract. 7.

Et Samaria.] Iam enim cessabat illa prohibitio, vt dixi [y]: *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Est Samaria hoc loco nomen prouinciæ continentis tribum Ephraim, & dimidiam partem Manasse, à monte

y Matth. 10. 5. 6.
De Samaria, & Samaritanis.

Semer

a 3.Reg.16.vbi Abulen. q. 15. & in Iosue c. 10.& 19.
b Esa.7.9.
c lib.8.Antiq. cap.12.
d in chron.
e lib.8.c.12.& lib.13.c. 17. & lib.15. c.10.& lib. 1. de bel. Iud. cap.2.
f in cap.11.Iosue.
g 7.de demõstrat. Euang. cap.1.

Semer,seu à ciuitate Samaria in eo ædificata [a] regni Israël metropoli [b] (quæ priùs vocabatur Meron,vt ait Iosephus [c],vel Eltemas,vt Eusebius [d]) quam à se instauratam magnus Herodes Antipater Sebasten,hoc est,Augustam in Augusti honorem nominauit , vt idem ille scribit [e]. Lege Andream Masium [f]. Quare non potest Eusebio [g] concedi , nominis originem fuisse post captiuitatem Babylonicam, quòd eam in prouinciam missi milites sint ad custodiam. Ceterùm,quando abductæ sunt in Babylonem decem tribus, submisit Assyriæ rex tanquàm colonias Cuthæorum ex Perside ; hos idololatras , leones à DEO immissi cùm dilacerassent,remisit rex Sacerdotes Iudæos, qui religionem instaurarent,vt prodit Regum historia [h].

h lib.4.ca.17. 24.& seq.
Samaritani quo loco à Iudæis habiti.
i Hæresi 9.
k Dialog.contra Luciser.
l Ioan.8.48.
m Ioan.4.9.
n 1.Esd.4.1.& seq.

Verùm hi solo recepto ex sacris libris Pentateucho , retento etiam cultu falsorum deorum, variisque à Iudæo trãsfuga erroribus aliis deprauati,teste Epiphanio [i],atque Hieronymo [k],à Iudæis habebantur eo loco,quo apud nos Schismatici, & Hæretici , ita vt probrosum esset nomen Samaritani [l],& nefas esset Iudęis amicitias,vsúmve habere cum Samaritanis [m], & vel sola memoria Assyriorum, ex quibus hi oriundi erant, quòd Iudæos illi seruitute oppresserant,inuisos,exosósque redderet: & quia paternum incolẽtes solum, Ierosolymitani quoque templi impedire instaurationem conati sunt,ad quam eos Iudæi non admittebant [n]: & quoniam ij,qui inter Iudæos tutò viuere propter flagitia non poterant , confugiebant ad illos , & vt secunda , vel aduersa Iudæos fortuna afflabat,modò se Iudæos , modò profitebantur Assyrios. Legendus de horum institutis ac moribus inter ceteros Iosephus in Antiquitatibus Iudaicis [o],qui meminit [p] etiam templi eorum in monte Garizim,de quo item historia Machabæorum [q],& indicat Ioannes in Euangelio [r]; quamuis id ibi Augustinus [s] negare videatur. Addit Epiphanius [t] , adeò abstinuisse Samaritanos à commercio gentium ceterarum, vt si aliquẽ fortè attigissent, sese vrina proluerent.

o lib.9.10.11. 12.13.15.
p lib.11.c.7.& 8.
q 2.lib.c.6.2.
r Ioan.4.20. 21.
s Tract.15.
t Hæresi 9.
Samaritani cur primi instructi in religione Christiana quàm aliæ gentes.
Samaritani Christi doctrinam auidiùs arripuerunt, & retinuerunt quàm Hebræi.
u cap.4.
x Luc.10.30.
y Luc.17.18.

Quocirca cùm tales essent Samaritani , vt non loco tantùm atque habitatione Iudæis finitimi, siue etiam intimi,sed & religione ac moribus essent supra omnes gentes quàm simillimi , rectum ordinem CHRISTVS præscripsit , cùm voluit vt Apostoli post Iudæam,veritatis eam doctrina imbuerent.Sed contigit vt propiores Gentilibus secundùm religionem Samaritani , auidiùs quoque,vt deinde Gentiles,propositam veritatem arripuerint,& retinuerint quàm Iudæi,vt constabit ex capite octauo huius libri, & ex iis,quæ de muliere Samaritana,aliisque in CHRISTVM credentibus narrantur à Ioanne [u].In Parabola quoque [x] *Samaritani misericordiam facientis in eum , qui incidit in latrones:*item ex illo leproso [y], *qui è nouem mundatis vnus rediit, vt daret laudem* DEO.

An Christi Euãgelium ab Apostolis prædicatũ in toto orbe fuerit.
z Rom 10.18.
a Psal.18.5.
b Mat.24.14.

Et vsque ad vltimum terræ.] Videtur id de Apostolis ipsis intelligi posse , vt Euangelium per totum mundum mortalibus saltem tunc cognitum propagauerint. Sic enim Paulus [z] illum [a] Psalmi locũ intellexit : *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sic intelligenda videtur CHRISTI prædictio apud Matthæum [b]: *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus , & tunc veniet consummatio ;* consummatio scilicet ciuitatis Ierusalem,quæ accidit quadragesimo post Ascensionem CHRISTI anno.Confirmat hanc loci istius expo-

c Tom.4.Tra. 38.
d vers.15.
e cap.21.20.
f cap.13.9.10.

A sitionem Alphonsus Salmeron [c] , quoniam idem Matthæus ibidem [d] subdit de abominatione desolationis , & Lucas [e] eam desolationem appropinquaturam dicit, *quando circumdabitur ab exercitu Ierusalem* , quasi prædicatio Euangelij debeat vrbis illius casum antecedere. Marcus [f] quoque recitat dixisse CHRISTVM: *Ante reges,& præsides stabitis propter me , & in omnes gentes primum oportet prædicari Euangelium.Primum,*nempe ante cõsummationem Ierusalem,de qua CHRISTVS respondebat Apostolis.

Apostoli prædicaturi totum inter se orbẽ sunt partiti.
g Rom.15.19. & 20.
h ibid.24.28.
i cap.1.5.6.
k Mat.c.vlt. 20. Mar. vlti. 15.Luc.vlt.47.
l cap.vlt.20.

Accedit quòd Apostoli totum inter se orbem partiti sunt exituri ad prædicandum : vt vel vnus
B Paulus *ab* [g] *Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerit Euangelium* CHRISTI, *ibi prædicans, vbi non erat nominatus,seu ab aliis prædicatus* CHRISTVS , *desiderans & in Hispaniam* [h] *proficisci* , qui etiam præter citatum initio testimonium eius ex epistola ad Romanos , scribens Colossensibus [i], affirmat *verbum veritatis Euangelij non modò peruenisse ad ipsos,sed & in vniuerso mundo esse, & fructificare,& crescere.* Postremò CHRISTVS hoc loco, & Matthæi , Marci ac Lucæ vltimo capite [k] præcepit, vt *Apostoli euntes in mundum vniuersum docerent ac prædicarẽt omni creaturæ,seu omnibus gentibus.*Marcus verò ita factum scribens,ait [l]; *Illi autem profecti prædicauerunt vbique.* Fauet & illa coniectura, cur
C conueniens fuerit,vt omnibus Gentibus Euangelium prædicaretur ante excidium Ierosolymitanum,& extremam Iudæorum calamitatem;ne videretur inde auctoritatem,& incrementum sumpsisse,quòd non essent qui obniti, & contradicere possent Iudæi.

m lib 3.c.7.
n lib. 10.c.de ligni. sui destruct.tem.

Hanc opinionem de prædicatione per vniuersum orbem in tam breui spatio temporis,tuentur Hilarius , Anselmus , Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus , in Matthæum , hicque etiam in Marcum,Lyranus præterea ibidem,& Eusebius [m] in Historia Ecclesiastica,& Ambrosius in Lucã [n], & Didacus Stella, etsi ex his quidam de sua ætate videntur intelligi posse.

Christus non fuit in toto orb. ab Apostolis prædicatus.
o Tom. 2.de Incar.disp.50. sect.1.
p de nouiss. tempor. cap. 16.
q 1. de extre. iud.c.11.
r in Matth.
s de hac hom. ca.22. num.3.
t 3.de Rom. Pont. cap.4.
u in ca 10.ep. ad Rom. annot. 11.
x in c.10. epi. ad Rom disp. 4.

D Equidem contrariam sententiam amplector libentiùs,quam video pluribus hoc tempore probari,vt Suarez [o], Iosepho à Costa [p],Federico Lũnio [q], Maldonato [r] , Enriquez [s], Bellarmino [t], Toleto [u] , Pererio [x] , contendentibus vnum de præcipuis signis consummationis non vnius vrbis Ierusalem , vel vnius Iudæorum nationis, sed totius mundi esse prædicationem Euangelij in toto mundo,ita vt CHRISTVS ipse id satis significet, *admonens ne propter calamitates vrbis , & Iudæorum, quas prædicebat , suspicaretur quisquam finem mundi propterea instare :* quod simili occasione facere solitos nonnullos posteà Patres dixi versu præcedenti:priùs enim Euangelium toto terrarum orbe
E prædicari oportere, non ita tamen vt simul atque prædicatum fuerit,finiendus sit mundus,nec enim certum vllum huius rei habemus signum.

Patres qui Apostolos non prædicasse in orbe vniuerso dixerunt.
y cap. 10.ad Rom. & 1. 2. q. 106.ar.4 ad 4.
z in cap 24.
a hom.12.in Euang.
b epist.78.& 80.
c Mat.vlt.ver. vlt.

In hac eadem opinione est Origenes , & S. Thomas,quem etiam lege aliis in locis [y]. Auctor operis Imperfecti in Matthæum [z], Hieronymus, Beda,Gregorius [a], Augustinus [b] quoque differẽs cum Hesychio de fine mundi , testatur *multas suo tempore in Africa fuisse gentes , quæ Euangelium neque acceperant , neque audiuerant* : omnes verò illas siue prædictiones,siue præceptiones CHRISTI sic interpretatur, quomodo idem CHRISTVS [c] promisit *futurum se cum Apostolis vsque ad consummationem seculi,*hoc est,cum illis,quandiu hîc viuerẽt, & cum successoribus ipsorum,donec mundus iste

perdu

Quomodo Christus prædicari per vniuersum Apostolus præceperit.

perduraret, vt videlicet prædicent vbique nullo gentis vllius delectu, quoad vita superrerit, eandem posteris curam mandaturi, vt hi suppleant, quod ipsis per tempus implere non licuerit. Locum citatum Matthæi eo modo quem dixi, exponunt etiam Cyrillus Ierosolymitanus [a], Damascenus [b], & Theodoretus [c].

a Catec.15. b lib.4.c.28. c 2.Thess.2.

Explicatio locorum D. Pauli quo significante in toto orbe Euãgelium esse prædicatum.

Ad ea, quæ ex Apostolo sunt allata, obuia responsio est, vt per hyperbolen *in toto* dixerit *orbe prædicatum Euangelium*, quia in plerisque locis prædicatum erat, aut more prophetico id iam factum, quod futurũ erat, aut de peruagata fama intellexerit, aut iam etiam factum inter eos, quibuscum versabatur, qui sint idcirco inexcusabiles, aut Euãgelium virtute, vt dicunt, vbique fructificare & crescere, nondum actu; qua sermonis forma Romanis scribit Paulus [d], *fidem eorum annunciari in vniuerso mundo*, &, [e] *obedientiam eorum in omnem locum diuulgari*. Quin etiam Patres, qui in contraria sententia videntur, his modis exponi possunt.

d Rom.1.8. e cap.vlt.19.

Cetera argumenta vim non habent, quæ non ex his leui negotio labefactetur. Vt omittam ipse illud argumentari, quod de citerioribus Indis, ad Fidem primùm conuersis tempore Constantini Imperatoris, tradit Ruffinus [f], Socrates [g], & Theodoretus [h], & quod de aliis nonnullis prouinciis alij historici, & testatur de sua ætate Bernardus [i]: prætereà quòd patrum nostrorum memoria reperta sit quarta pars orbis multò ceteris maior, vbi nulla Euangelij notitia vnquàm fuerat.

f 1.Hist.cap.9. g 1.Hist.ca.15. h 1.Hist.ca.23. i 3.de consid.

k anno 1585. *Iaponij Reguli Romam venientes primitias suæ gentis Christo obtulerunt.*

Vidimus [k] Romæ, sedente Gregorio XIII. & Sixto V. Iaponios Regulos neophytæ apud illos Ecclesiæ quasi primitias, & vectigales Spiritus in se primitias nõ obscuris signis demonstrantes, quæ veteranis Christianis ruborem ingerere de veterascente in illis, & languente Spiritu possent, & lacrymas ex eorum oculis elicere, non magis lætitiæ indices de tam læta aliorum fruge, quàm mœstitiæ, ac doloris pro propriæ frugis, salutisque negligentia, & iactura.

B. Xauerius primus è nostris in India prædicator quam cum Iaponiis disputationem habuit. l libr.4.vitæ Xaue.cap.8.

In disputatione B. Xauerij nostri cum Iaponiis, qui de Societate primus in Indiam, in Iaponiam verò omninò primus lucem Euangelij intulit, narrat Tursellinus [l] etiam noster, questos cum illo Iapponios, quòd nec benignus, nec æquus DEVS videretur, qui omnium regionum, præterquàm Iaponiæ, memor, Iaponibus ante ipsius aduentum, nunquàm indicasset sese: & vicem liberûm, parentum, necessariorum, maiorúmque suorum acerbè defleuisse, quibus nulla spes, nulla via foret æternam ab eis miseriam depellendi; obortis verò etiam Xauerium lacrymis suasisse, vt ob hoc impensiùs ipsi, quibus oblata lux, salúsque esset, DEO gratias agerent. Quin id nosmet consilij non capimus, & antiquo beneficio nouis quotidiè meritis non respondemus? *Non* [m] *fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*. Sed modus sit Commentario, qui si prolixior, non inutilis erit ad variorum, & obscuriorum Scripturæ locorum de re adeò obscura ac dubia intelligentiam.

m Ps.147.vlt.

Ecclesia verè Catholica, & planè vniuersalis. n lib.de vnit. Eccl.cap.10.

Vnum illud ab Augustino [n] subtiliter annotatum contra Donatistas, & nos cõtra nostri temporis Hæreticos notare, & vrgere possumus, Catholicam esse Ecclesiam, hoc est, cùm aliis de causis, vt personarum, ac dogmatum, tum locorum amplitudine vniuersalem, non angustam, & angularem; non vnius regni, vel prouinciæ, vel etiam integræ partis mundi, quod de sua Donatistæ Africa iactabant, terminis definitam & cõclusam.

A

Versus 9.] Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Christi Ascensio hic describitur melius quàm alibi. o c.vlt.

DEINCEPS describitur Ascensio CHRISTI, additis nonnullis, quæ de ea omissa fuerant à Luca in Euãgelio [o], & ab aliis Euangelistis, item in suo nimirum, quòd ascendentem oculis Discipuli magistrum prosecuti sunt: & cùm eo iam ab illorum aspectu subducto, intenti nihilominùs cœlum contuerentur, ab ANGELIS iussi sunt abire, confirmantibus sic IESVM denuò venturum, quemadmodum vidissent eum euntem in cœlum.

B

Cùm hæc dixisset.] Quæ sunt scilicet hoc capite [p], & decimo [q], & apud Matthæum, Marcum, & Lucam extremis ipsorum Euangeliis. Locus, vbi hæc, quæ Lucas memorat, contigerint, non constat, an fuerit ipsemet, ex quo ascendit, mons nempe Oliuarum, cùm Marcus recitans sermonem habitum ad recumbentes, dicat: *Et Dominus quidem Iesus, postquàm locutus est eis, assumptus est in cœlum.* Lucas [r] verò vbi recitauit in Euangelio postrema verba CHRISTI, subdit: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam.* Et in isto capite [s] paulò pôst: *Tunc reuersi sunt Ierosolymam à monte qui vocatur Oliueti.*

p vers.4.& 5. q vers.42. r c.vlt.50. s vers.12.

C

Qua ratione Christus die Ascensionis in montem Oliueti peruenerit.

Existimo à Ierusalem finito prandio, quod veteres hora sexta, seu meridiana sumebant, vt alio loco [t] docui, suos non Apostolos tantùm, sed etiam Discipulos alios, seu [u] centum viginti, seu plusquàm quingentos [x], eduxisse per mediam ciuitatem, plena die, nullo vel obstrepente ex habitatoribus, sed diuino quodam stupore defixis, aut ne cernentibus quidem, vt placet S. Bernardino [y] (nisi malis alios illos præcessisse) in montem Oliuarum versùs Bethaniam in latere eius sitam, obita etiam in transitu Bethania, propter Magdalenam, & fratres ipsius.

t ad Euang. Dom.1. Quadrag. u infrà v.15. x 1.Cor.15.6. y Serm.1.att. 1.c.1.

Cur non ex Ierusalem, & cur ex monte in cœlum ascenderit.

D

Non est electa Ascensioni Ierusalem, ne nouam exciret turbam, & quia pauci idonei erant ad tantum mysterium, electus mons est, vt more humano CHRISTVS quantùm poterat terra gradiendo, & quasi gradibus ascendendo cœlum peteret; nec miraculo, quandiu seruire naturæ vis poterat, vteretur; mons Oliuarum, toties anteà, orationis præsertim causâ, à CHRISTO (*oleo lætitiæ inunctio* [z]) frequentatus; vbi & [a] agoniam passus sanguinem sudauit; & in quo, moriente Antichristo, Satan casurus est, vt Rabanus docet; quem citat Card. Vitriacus [b], & quò ad dicendam vltimam sententiam creditur reuersurus, adductis in subiectam [c] vallem Iosaphat iudicandis. Consentire Hieronymus [d] videtur, & Haymo [e], & Strabus [f], & Anselmus [g], & B. Thomas [h], & Comestor [i], & Pererius [k] (licèt Riberæ [l] hoc non placeat) qua de re etiam Viegas [m], & Maluenda [n].

z Psal. 44. 9. Heb.1.9. a Luc.22.44. b Sermo 1. de Ascens. c Ioël 3.2. vbi Ribera, & alij d in c.11.Dan. e in c.11. Eia. f ibid.& in 2. Thess.2. g in 2. Thess. 2. h ibid. i in hist.scholastic. ex 2. Thess.2. k li.14.in Daniel, l in cap.19.Apoc. m in c.13. Apocal.con.2. sect.14. n libr. 10. de Antich. c. 13.

E

De monte Oliueti prophetia. o c.67.14. p Zach.14.4.

De loco isto accipi volunt, quod est in Psalmo [o]: *Qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem*, quia ad partem Orientalem ciuitatis Ierusalem situs est, Cassiodorus, Glossa, Lyranus, & Genebrardus, necnon verba Zachariæ [p] dicentis; *Stabunt pedes eius supra montem Oliueti, qui est contra Ierusalem ad Orientem.*

q in q.14. *Mos orandi ad Orientem vnde ortum habuit.*

Athanasius [q] in libro Quæstionum ad Antiochum, dicit secundùm huius situs rationem, consuetudinem ad Christianos dilapsam, vt ad Orientem conuersi precarentur, cùm etiam Dauid se

dicat

dicat [a] *adoraturum in loco, vbi steterunt pedes eius*, hoc est, CHRISTI. Idem habet Damascenus [b], quanquàm adorationis ad Orientem, aliæ sunt causæ, de quibus aliàs. Leo V. Imperator cognomento Sapiens [c] ait locum fuisse montem Oliueti. Qui putant, apparitionem, quam CHRISTVS [d] promiserat in Galilæa Discipulis exhibendam, post Resurrectionem, ipso Ascẽsionis die contigisse, sibi persuadent, partem montis Oliueti dictam esse Galilæam, quòd Galilæi ad diem festum Ierosolymam conuenientes, ibi manere consueuissent. Id nescio quo pacto probare possint: & vt maximè probent, non est dubitandum, Galilææ nomine CHRISTVM propriè vsum. Lege Ioannem Hesselium Doctorem Louaniensem sanè doctum, in explicatione, siue historia Dominicæ Resurrectionis.

Videntibus illis.] Præter Apostolos etiam aliis quos dixi, necnon & Matre, piisque mulieribus, quarum cum fratribus infrà [e] mentio est, omnesque ex Ascensionis loco Ierusalem reuersi indicantur. S. Martialis [f] testatur se CHRISTVM vidisse, quando apparuit post Resurrectionem, & quando ascendit. sed incertum, sintne genuinæ illius epistolæ, quæ illius nomine circumferuntur. Pium est cogitare, ante discessum, amicis CHRISTVM, Matrem, Discipulos, osculis, amplexibus, verbis inter se vsos, patres etiam fortasse de limbo eductos, si qui cum corpore in cœlum CHRISTI comites commigrarunt, vt Arator [g] existimat, & S. Bernardinus [h], *illi* videlicet, *quos surrexisse Matthæus* [i] scribit *de monumentis*. Si quis tamen contendat non tam multos spectatores admissos, non repugnabo, sciens nec Resurrectionem, nisi paucis, manifestatam [k], *non omni populo, sed testibus præordinatis à* DEO, vt Petrus in concione dixit: cùm etiam hæc sit, auctore Dionysio [l], *diuinitus instituta lex, vt quæ à* DEO *reuelantur, superioribus priùs ac immediatè, & per eos ceteris reuelentur.*

Emphasim porrò habent verba ista, *videntibus illis*, nimirum cùm sensim CHRISTVS, ac paulatim, vt loquitur Augustinus [m], vt suorum pasceret oculos, ac animos recrearet, non tam ascenderet, quàm incederet: *Non subitò raptus*, inquit Bernardus [n], *non furtim sublatus, sed videntibus illis eleuatus est.* Non sicut Elias [o], qui vnum, non sicut Paulus [p], qui nullum. vix enim vel seipsum, vt ita dicam, testem habere potuit, ipso perhibente, *Nescio, DEVS scit*: sed vt omnipotens, qui quandò voluit, descendit, quando voluit ascendit, pro suo arbitrio arbitros & spectatores, locum, & tempus, diem, & horam expectans, *videntibus illis*, quos scilicet tanta visione dignabatur, *eleuatus est*.

Eleuatus est.] Non raptus, vt Elias [q]; non translatus, vt Enoch [r]; quia ex seipso leuatus: *non Angeli adminiculo, sed propria virtute subnixus*, inquit iam citatus Bernardus [f]. *Nec ascendit gradiens*, inquit Caietanus in Commentario, sed simul totus eleuatus, videlicet non tibias, crura, pedes, aut partem post partem mouens. Alij alienum, si non adiutorium, *certè comitatum, & obsequium*, vt Augustinus [t] loquitur, ANGELORVM *hoc loco significari* dicunt, sicut per verbum [u], *assumptus*, aut attributam PATRI Ascensionem, eo modo, quo ab eôdem dicitur CHRISTVS suscitatus. Hilarius Arelatensis [x] hinc probat eleuantis naturæ in CHRISTO eodem diuinitatem, & humanitatem eleuatæ.

Terminus huius eleuationis & Ascensionis realis, ac veræ (quod negant quidam apud Augustinum [y]) continuæ, atque successiuæ, etiam postquàm nubes CHRISTVM suscepit ab oculis spectatorum, quam Abulensis [z], & Durandus [a] inde affirmant momento absolutam sine medio, fuit vltimum cœlum, quod empyreum vocatur, *sedes Beatorum*, vt Paulus [b] apertè tradit, citans quoque locum Psalmi [c], *Ascendens in altum*, vel, vt Tertullianus [d] legit, *sublimitatem*, nõ autem orbis solis, vbi CHRISTVS corpus reliquerit quasi vaginam, vt idem Tertullianus ridens hanc amentiam, loquitur [e], & cum risu alij quoque explodunt, vt Nazianzenus [f], Theodoretus [g], Augustinus [h]. Et sanè ridiculè argumentabantur Hæretici illi Seleuciani, Hermiani, Passionistæ (de his Philastrius [i]) Hermogeniani, præsertim verò Manichæi, ex Psalmo [k]: *In sole posuit tabernaculum suum*, aut ex verbis CHRISTI [l], *Ego sum lux mundi*, proinde etiam solem ipsum adorantes, vt meminit Nazianzenus [m], Augustinus [n], & Leo [o].

Vnde natus mos in Vrbe videtur, hodieque vigens, ad basilicam S. Petri peruenientibus, vt antequàm ingrediantur, vultum ad solem conuertant, ac venerentur imaginem Saluatoris, Petrum naufragantem liberantis, quæ ibi posita est, ne soli ipsi adorationem exhibere videantur. Leo [p] certè, quia Priscillianistæ solem orientem adorabant, & Christiani etiam quidam, superatis basilicæ Beati Petri gradibus, conuerso corpore se deflectebant, significat se vehementer dolere, & cauet ne fiat, quòd sapiat paganitatis spiritum, tametsi fortè ab iis solus Creator, non creatura adoraretur. De momentaneo motu sine medio non disputo, certè breuissimo tempore opus fuit, etiam per medium. Cùm peregrè dispositis princeps equis proficiscitur, lentè intra ciuitatem incedit: egressus inde, cursum arripit. Et verò sunt, qui à terra ad octauam sphæram, spatium perfici negent posse, iustis etiam itineribus, nisi, minimùm, per octo annorum [q] millia.

Quamuis autem curiosissimum, ac superuacaneum esse Augustinus [r] dicat, eundemq; sequens Rupertus [s], quærere vbi, & quomodo CHRISTVS sit in cœlo: verisimilis tamen est B. Thomæ [t] sententia, in conuexa vltima cœli parte esse collocatum, siue sedẽtem facias, siue potiùs, quod gloriosum corpus magis decet, stantem.

Sessio enim eius ad dexterã PATRIS, quã [u] confitemur, & quam Marcus [x] in Euangelio ponit, solùm significat eximium honorem CHRISTO homini tributum in beatitudine, & potestate, & gubernatione, quæ ratione officij ipsi traditi seu executionis, maior quodãmodò, quam PATRIS ipsius esse videtur, vtpote qui omne iudicium, potestatemq; ei dedisse dicatur [y]: vel etiã denotat CHRISTI quietem, quasi post longum huius vitæ laborem, post pugnam, post passionem; significat etiam firmitatem, vt ait Basilius [z], non fixum vllũ locum, vt colligitur ex similibus aliis Scripturæ testimoniis, quibus eidem etiam ad iudicium venienti dextera [a] assignatur, & Angelis [b] anteponitur, docetque Augustinus [c], & Ambrosius [d], & egregiè declarant ex nostris Suarez, & Maldonatus, hic in Marcum, ille in tertiam partem S. Thomæ.

Magis illud curiosum, minusque scire necessarium, an in cœlum CHRISTVS vestitus ascenderit, ibique vestes gerat: & tamen eiusmodi quæstionem Augustinus [e] attigit, & in partem affirmantem propendere videtur, exemplo etiã vtens vestis Israëlitarũ, quæ per tot annos in eremo sine tritura esse potuit [f]. Verùm neque ille rẽ definit,

a Ps.131.7.
b lib.4.c.13.
c orat.in Asc.
d Matt 26.32. Marc.14.28.
Mons ex quo Christus ascẽdit non fuit in Galilæa.
Quinam Ascẽsioni Christi præsentes fuerint.
e versu 14.
f ep.ad Tolos. c.3. & epi. ad Burdeg.c.1.
g Carmine in Acta li.1.
h Sermo.1. de Asc.a.1.c.3.
i c.27.52.
k Act.10. 40. 41.
l c.14.Eccles. hier.
m Sermo.178. de Tempo.
Qua ratione Christus in cælum ascenderit.
n de gradib. humil.c.1.
o 4.Reg.2.11.
p 2.Cor.12.2. & 4.
q 4.Reg.2.11.
r Gen.5.22.
s de grad.humil.c.1.
Modus quo Christus in cælum ascendit.
t Serm.176.de tempor.
u vers.2.
x Hom. 2. de Ascens.
Terminus Ascensionis cælum [illegible].

y lib. de ago. Christ.c.25.
z Parado.5.c. 13.14.15.
a 3.dist 22. q. vlt.ad 2.
b Ephe.4.10.
c Ps.67.19.
d 5.cont.Marcio.c.8.
Christus non reliquit corpus suum in orbe solis.
e libr.de car. Chri.c.24.
f orat.51.
g lib.1 de Fabul.Hæret.
h de Hæres.c.59.
i libr. de Hæresib.
k Ps.18.5.
l Ioan.8.12.
m suprà ora. 51.
n Tract.34.in Ioan.
o Sermo.4.de Natiui.
Mos in Vrbe D. Petri basilicam adeuntibus.
p Sermo.7.de Natiuit.
q Alpharabius
Christus in cœlo vbi sit.
r lib. de Fide, & Symb.c.6.
s de offi.Diui.c.8.
t 3.p.q 58.a.3
Sessio Christi in cælo quid significet.
u in Symbolo.
x Mar.vlt.19.
y Ioan.5.22.
z lib. de Spir. sanct.c.6.
a Matth. 26. 64. Marc. 14. 62. Luc. 22. 69. Act.2. 34. c.5.30.31. Ro. 8.34.
b Ephes.1.20. 21. Hebr.1.13. & c.12.2.
c lib.de Fide, & Symb.c.7. & lib.de ago. Christi.c.26.
d [illegible]
e ep.146.
Christus omnino nudus in cælo degit.
f Deut.29.5.

A neque vllus in cœlo vſus indumentorum apparet, non ad ornatum, & pulchritudinem, non ad tegendam partium aliquarum turpitudinem, & vitium, non ad diſcernendos hominum varios dignitatis, ac poteſtatis gradus, multò minùs ad luxum, & libidinis incitamentum, quæ apud nos cauſæ reperiuntur, vt Clemens [a] Alexandrinus ac Baſilius docent [b].

a lib. 2. Pædago. c. 10.
b reg. 22. ex fuſis.
Beati omnes in cœlo ſine veſtibus degunt.

Atque idem de aliis Beatis omninò ſentiendum eſt, veſtes iis neceſſarias non fore, quidquid ſit, an iis ad arbitrium vti aliquando poſſint, ſicut & nonnullis ſenſuum etiam exteriorum ad honeſtam voluptatem operationibus, quamuis non neceſſariis, vt alio loco [c] diſſerui. Hoc præ aliis magis ex profeſſo tractant, & tenent Ioannes Raulinus [d], & Abulenſis [e]. B

c in 1. 2. Diſp. de bea.
d Serm. 48. ex Quadrag.
e Matth. 17. q. 43.
Chriſtus nõ omninò nudus cœlum petiit.

Sed in hoc non probo, quod item affirmat de CHRISTO, ante Aſcenſionem, & in ipſa Aſcẽſione nudum omninò fuiſſe: lumine tamen, quo amictus erat ſicut veſtimento, omnem ab intuentium oculis obſcœnitatem remouiſſe. Nam CHRISTVS adhuc agens inter mortales, licèt immortalis, ad mortalium ſe conditionem accommodabat, non oſtentans continuò claritatem ſuam, nec ſi quando id faciebat, ſine veſtimentis faciebat, quæ etiam transfiguratus dealbauit quidem lumine [f], at non depoſuit. Audet Federicus [g] Nauſea in purpura CHRISTVM aſcendiſſe affirmare, ſeu in rubro veſtimento, quaſi id Eſaias voluerit [h]: C *Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum?* At longè alius ſenſus.

f Matt. 17. 2.
g in Catechiſ. c. 36.
h Eſa. 63. 2.

Chriſti Aſcenſio Vbiquetarios iugulat.

Ad extremum, iugulat Vbiquetarios huius temporis hæreticos, qui vbiq; CHRISTVM eſſe, ſemperque fuiſſe aſſeuerant, hæc eius in cœlum, vbi profectò non erat, priuſquã aſcenderet, Aſcenſio. Nam ad figuram recurrere metaphoræ in re tam manifeſta, tam certa, hominum eſſe dicam, qui hominis præter figuram nihil habeant. Figurata quidem locutio eſt, cùm ad dexteram PATRIS ſedere dicitur, vt ipſimet antè conceſſimus: nec aliter enim dextera, quæ propriè in PATRE nulla eſt, intelligi potuit: ſed quis ferat ludibrium in Apoſtolorum aliorúmque oculis, quibus vi- D dentibus CHRISTVS eleuatus narratur? Quomodo verò Ioannis [i] locus intelligendus, quem Hæretici ad ſuum errorem detorquent: *Nemo aſcendit in cœlũ, niſi qui deſcẽdit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo;* conſule Interpretes, & qui cũ Hæreticis diſputant, & Ioannẽ [k] Ferdinandum noſtrum in Theſauro Scripturarum. Æmulatus poſteà Simon Magus volatum CHRISTI, vt quondam fabuloſus Icarus, decidit ad terram afflictus: quod alios quoque Magos feciſſe proditum eſt, vt apud Perſas anno CHRISTI 758. [l] Sed & Antichriſtũ nonnulli [m] tradunt hominum infinita ſpectãte turba, in montis Oliueti verticem aſcenſurum, ac ſimulaturum ſe in cœlum redire velle, vnde ad ho- E mines deſcenderat: extollentibus verò ipſum, ſpecie Angelorũ, dęmonibus, dumq; cuncti acclamabunt ei vt Deo, vocẽ de cœlo, tãquàm CHRISTI, exaudiẽdam, *Morere*, móxq; fulmine interiturum.

i c. 3. 13.
k verbo, *Aſcendere*, n. 16.
l Baro. Tom. 9. Annal.
m Comeſtor in hiſt. ſchol. ex 2. Theſſ. 2. Petet. lib. 14. in Dan.

Eleuatis manibus in cœlũ Chriſtus aſcendit.
n cap. vlt. 50. & 51.

Poſſet & ad præſentem, quam Lucas hîc ponit eleuationem, manuum quoque CHRISTI eleuatio referri, qua idem eundem vſum [n] ſcribit in Euangelio: *Et eleuatis manibus ſuis, benedixit eis: & factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum*, quaſi & antequàm recederet, manus eleuando benedixerit: & recedens etiam benedixerit, abieritque habitu, geſtúque manus eleuantis, & veluti euolantis.

A Quod benedixit, ac bene precatus eſt, Theophilus [o] (apud Ludolphum de vita CHRISTI, (Theophylactus eſt, pro quo apud pleroſque citatum lego Theophilum, credo quòd qui citarunt, compendio vſi ſcripſerunt Theoph. magis autem legentibus Theophili nomen obuium ac notum) Theophilus inquam, vel potiùs Theophylactus, putat in hac benedictione vim communicatam, quæ illos vſque ad SPIRITVS ſancti aduentum conſeruaret fecit vt pater, qui moriens, aut longè, non rediturus, abiens, filius benedicit, vt de Iſaac [p], & de Iacob [q] proditum eſt: vel vt legiſlator, ſeu princeps, quod à Moſe factum eſt [r]: *Extendit* IESVS *meus*, inquit Leo V. B Imperator [ſ], *manus, non iam transfixas* (manentibus tamen plagis) *neque vt maledictum reputetur is, qui ex maledicto me exſoluit; ſed vt per Diſcipulos rerum vniuerſitatem benedictione locupletet: vtq; Diaboli manum toto terrarum orbe exporrectam, irritam, & inefficacem reddat:* eleuat, & extendit manus, vt ſuprema monita in cordibus eorum conſignet, & benedictione ad eximium Euangelij prædicandi miniſterium incitet more patris tenerrimè, & ardentiſſimè amantis: qui ſi ad præſtantiora ſe recipiat, committit iis ea, quæ ipſe anteà adminiſtrare ſolebat.

o par. 2. c. 82.
p Gen. 27. 4.
q Gen. 48. 9. c. 49. 1. 2.
Eleuatio manuum cur à Chriſto facta.
r Deut. 33. 1.
ſ orat. de Aſc.

Eleuatio manuum ſignum orantis fuit, & benedictionem, quam Diſcipulis dabat, à PATRE C poſtulantis. Id etiam [t] Moſem feciſſe legimus, & Aaronem [u]: & de Gentilibus item conſtat, vel duce natura, quæ DEI ſedem, & veluti publicum templum cœlum eſſe docet. *Habitus orantium*, inquit Apuleius [x], *hic eſt, vt manibus extenſis ad cœlum precemur.*

Eleuatio manuum quale ſignum fuerit.
t Exo. 17. 11.
u Leu. 9. 22.
x li. de Mũdo.

Et Euſebius [y] recitat legem Conſtantini, de feriando die Dominico, qua imperauit, vt etiam Gentiles vota ſua nuncuparent expanſis in cœlum manibus, & animis ſurſum eleuatis. Hoc ipſo etiam habitu apud Romanos pietatis ſimulacrum fingebatur. De eodem Conſtantino ſcribit idem Euſebius [z], ſuam fingi imaginem voluiſſe, tanquàm precantis manibus expanſis, oculíſque in D cœlum eleuatis. Denique extant in Pſalmis [a], aliiſque Scripturæ [b] locis huius rei multa exempla. Memini huius ritus cauſas reddidiſſe, explicando caput primum Eſaiæ. Lege Iacobum Gretſerum noſtrum in opere de Cruce [c].

Conſtantini lex de Dominico feriando.
y lib. 4. de vita eius. c. 18.
z 3. de vita eius. c. 3.
a Pſ. 27. 2. Pſ. 87. 10. Pſ. 133. 2. Pſ. 140. 2. Pſ. 142. 6.
b Eſa. 1. 15.
c lib. 3. c. 17.
Eleuatis manibus oratur naturaliter.

Naturale, ac morale eſt, vt quis in repentino diſcrimine egens, manus extendat, quaſi cedens infortunio, & implorans auxilium: ſic videmur extenſione manuum manus dare, & ad nutum nos promptos profiteri ei, cui ſupplices manus extendimus. *Paratus eſt*, inquit Tertullianus [d], *ad omne ſupplicium ipſe habitus orantis Chriſtiani, &c.* quaſi dicat, *Orans, præſto ſum: necte, & plecte, ſi vis, aut certè miſerere.* Prudentius [e] ſanctos quoſdam Marty- E res decantat ad ſupplicia raptos ita orantes corpus conformaſſe, vt ſimul Crucifixi, pro quo pati parati eſſent, cultores ſe profiterentur. Huc etiam facit parœmialis locutio, qua digitum tollere, vel manum idem illud ſignificatur apud Perſium [f], Ambroſium [g], Hieronymum [h], Sidonium [i] Apollinarem, Lactantium [k].

d in Apol. c. 30.
e Hym. 6. peri Steph.
f Satyr. 5.
g de Elia c. 13.
h aduerſ. Luciſer.
i lib. 5. ep. 7. & carm. 23.
k lib. 3. c. 8.

Alia cauſa priori quodammodò oppoſita eſt, vt orans conſertis quaſi manibus pugnare, & luctari cum DEO videatur, ſicut Iacob [l], & Moſes [m], atque præ magna fiducia manu iam quod petit prehendere, vt eleganter de Bebiano viro conſulari in Carmine [n] de ipſo, cùm ſe iamiam morituro videndum DEVS exhiberet, deſcribitur. Præ-

Eleuatis manibus orantes cum Deo pugnant.
l Gen. 32. 24. & Oſee 12. 3. 4.
m Exod. 17. 11.
n Tom. 8 Biblioth. SS. Patrum.

tereà indicat ritus iste, nolle oratorem torpentem otio quod flagitat, impetrare, sed simul ad opus manus admouere. *Leuaui*, inquit ille [a], *manus meas ad mandata tua, quæ dilexi*: & alius [b] hortatur, *vt leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos, & vt manus* [c] *puras in omni loco*, seu *innocuas*, vt ait Tertullianus [d], *aut re ipsa etiam lotas tollamus*, iuxta morem antiquum Christianorum preces fundentium, quem indicat Constantinus Imperator in epistola ad Arium, quam recitat Baronius [e]. Egregiè Ephrem [f] oratione tanquàm arcu nos armatos dixit, *quoniam in ea manus extendimus, ac veluti sagittam in inimicum dirigimus.* Quocirca meritò de nobis querentem in Iudicio CHRISTVM martyr Hippolytus [g] introducit: *Manus vestras feci, vt ad preces & obsecrationes extenderetis eas; at vos ad rapinas, & cædes, & mutuas occisiones extendistis.* Vbi alludit ad Esaiam, in capite primo.[h]

Sed quæ sequitur causa, multis Patribus placet, potissimùm Minutio [i], Nysseno [k], Hieronymo [l], Tertulliano [m], Maximo [n] Taurinensi, vel Ambrosio, Cypriano [o], Iulio Firmico [p], Theodoreto [q], vt ritu hoc adorandi, merita protestemur crucifixi CHRISTI, eáque Patri vt efficacissimum ad impetrandum medium offeramus, qui inde quoque argumentantur contra Gentiles, & Iudæos. In ipso Missæ sacrificio Sacerdos maiore ex parte manibus orat expansis: *quæ expansio, siue extensio*, inquit Stephanus [r] Eduensis, *prætendit in cruce manuum* CHRISTI *extensionem.* Finem facio, si vnam causam addidero ex ipsius orationis ratione, naturáque petitam, vt sit mentis in DEVM eleuatio; hanc enim eleuati non solùm oculi, sed & manus significant. Aptis id Clemens Alexand. [s] verbis expressit: *Caput, & manus in cœlum extendimus, & pedes excitamus in vltima acclamatione orationis, promptitudine, & alacritate Spiritus assequentes essentiam, quæ apprehenditur intelligentia, & vnà cum verbo corpus à terra educere conantes erectam & eleuatam animam desiderio meliorum, cogimus in sancta progredi, magno animo corporis vinculum despicientes, &c.* Hoc videlicet etiam affirmare possumus, *orationem, seu* [t] *sacrificium altari* (quod ab altitudine nomen habet) *imponere*: hoc idem *dirigere ad* DEVM, *vt incensum* [u] *orationem*, exardescentem, & exhalatam igne deuotionis. Petrus Damianus [x] quadam epistola valdè commendat vsum orationis eleuatis manibus, itáque orantes Geruasium & Protasium ostensos Ambrosio scribit: simul disputans vt stando oretur, maximè in Ecclesia, reprehendénsque contrarium Galliarum abusum.

Ceterùm ex CHRISTI in cœlum abeuntis benedictione eleuatis manibus impertita, seu crucem in aëre pinxerit, vt Gretserus [y] noster suspicatur, seu non pinxerit, manasse in Ecclesia vsum Federicus Nausea [z], & Ludolphus [a] existimant, benedicendi crucem formando, ac nominatim finito sacro. Descriptionem quidem crucis in aëre ex Traditione Apostolica Basilius [b] agnoscit, & eius post sacrum vsum bene demonstrat Ioannes Stephanus Durantus [c]; sed ex ista CHRISTI ascendentis benedictione, ex antiquioribus, qui id confirmaret, legi Micrologum [d], cuius & illa opinio est, communicationis populi in sacro typum fuisse non semel celebratum cum Discipulis conuiuium à CHRISTO post Resurrectionem: dimissionis autem per, *Ite missa est*, verba ANGELORVM, qui disce-

a Psal. 118. 48.
b Thren. 3. 41.
c 1. Tim. 2. 8.
d supra.
e Tom. 3. Annal.
f Tom. 1. de Panopl. spir.
g orat. de cōsum. seculi.
h vers. 15.
Cur oramus manibus expansis.
i in Octa.
k in vita Mosis.
l Marc. 11. & de Mans. in 11.
m cont. Iudæos c. 10. di. de orat. c. 11. 1. cont. Marc. c. 18. & in Carmin. cont. eūdem lib. 3.
n Sermo. de Cruce inter ser. Ambr.
o de exhort. Mart. c. 8. & li. 2. cont. Iud. c. 21. & serm. de Pass. Dom.
p de error. profa. c. 22.
q quæst. 14. in Exodum.
r lib. de sacra. c. 10.
s li. 7. Strom.
t Psal. 140. 2.
u ibi. & Apoc. 8. 3. 4.
x 3. epistola. ep. 50.
Crucis formādæ dū datur benedictio, ritus vnde manarit.
y 3. de cruce. c. 16.
z in cathol. Catech. c. 36.
a par. 2. de vita Chri. c. 82.
b lib. de Spir. sanct. c. 27.
c lib. 2. de Ritib. Eccl. c. 57.
d de Eccl. obser. c. 20.

A dente Domino dixerunt, *Viri Galilæi*, &c. quo audito Discipuli adorantes Dominum, *reuersi sunt in Ierusalem cum gaudio magno, sicut*, inquit, *& populus relata* DEO *gratiarum actione, ad propria cum gaudio reuertitur.* Addit Amalarius [e] reuerti data benedictione ad Orientem, vt se commendet Domini Ascensioni. Denique *quando*, inquit, *familiarem affatum habemus cum seruis* DEI, *more religionis nostræ, antequàm separemur ab illis, in vltimo benedictionem petimus.* De benedictione Episcopali hinc petita tradit Nicolaus Episcopus Neapolis ex Germano Constantinopolitano, vt citat ex anonymo Græco Iosephus Stephanus [f], qui etiam de conformatione manus ac digitorum, cùm benedictionem solemnem format Episcopus.

B *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.*] Vera nubes fuit vel de nouo producta, vel Angelorum euocata, & compacta ministerio; non tamen, vt Abulensis [g] existimat, in modum throni excipiens à terra ipsa, ac gestans CHRISTVM: *ferebatur enim grauis nubes magis à* CHRISTO, *quàm illum ferret*, inquit Oecumenius. *Nec fessum*, inquit B. Bernardus [h], *inuit, aut pigrum impulit, aut cadentem sustinuit, neque enim manufacto vehiculo*, inquit Cyprianus [i], *aut auxiliaribus carpentis eguit*: denique suscepit ab oculis intuentium, non priùs interiecta, quàm cùm ascendens videri ampliùs non voluit, aut valuit. Augustinus [k] certè excelsam nominat.

C Adfuit autem nubes ac sereno quidem planè cœlo, tum ne CHRISTVS in auras videretur inani in corpore, non in vero atque solido euanuisse: tum ad augendam CHRISTI triumphantis maiestatem, vt obseruat S. Bernardinus [l]. In Scriptura enim hæc DEI maiestas cùm describitur, nubes etiam [m] adhibentur: & *Sancti* [n] *rapientur in nubibus obuiam* CHRISTO *in aëra.* Et, vt hoc loco notant Chrysostomus, & Beda, *cœli symbolum fuit, declarans quòd in ipso signo diuinæ potentiæ* CHRISTVS *ascenderet.* Cyrillus Alexandrinus in quadam epistola, quæ recitatur in Concilio Ephesino [o], prædictam ait hanc nubem, *quando vidit Daniel* [p] *quasi filium hominis venientem in nubibus cœli vsque ad Antiquum dierum, eique datum esse regnum, & honorem.* Idem sentit Lactantius [q].

D Quocirca non est probabilis Caietani in Commentario sententia, & Bartholomæi Medinæ [r], nubem nil aliud fuisse, quàm splendorem ex CHRISTI corpore, cùm iam cœlo propinquus esset, eiaculatum, cuius similitudinem perspicimus in ea cœli parte, quæ dicitur via lactea. *Cùm autem nubibus portatoriis ascendisse* CHRISTVM ait Augustinus [s], *ac preparatu in occursum esse impositum: commodè in dicto sensu intelligendus est*: placet verò, cùm ait, *nubem apparuisse, vt oblectaret aspicientium oculos amœnitas eius, & irroraret eos ascendentis de cœlo suauitas, ne sola desiderantium inanis remaneret anxietas*: & tamen alio loco [t] indicat *nube ipsa semper quasi euectum, quandiu visus est*: dicit enim *oculis Discipulos illum esse consecutos, donec vltro solutam nubem serena dies exciperet, & fulgore corusco vallatum humanis conspectibus occultaret.* Quæ verba fauent opinioni Caietani, nisi quòd etiam nubem agnoscunt.

E Credibile est obuiam CHRISTO exisse iustis comitato Patribus, ANGELOS omnes, vt Patres passim affirmant, præcipuè Cyprianus [u], Augustinus [x], Nyssenus [y], Epiphanius [z]. Hic etiam lugen-

e li. 3. de Eccl. offic. c. 36. & 37.
f lib. de oscul. pedi. Pōtif. c. 16.
Nubes quæ Christum tulit qualis.
g parad. 5. c. 8.
h de gradi. humilit. c. 1.
i Sermon. de Ascens.
k Sermo. 179. de Temp.
Cur nubes in cœlum vectus sit.
l Sermo. 1. de Ascens. art. 2. c. 3.
m Matth. 24. 30. & 26. 64. Luc. 21. 27. Daniel. 7. 13. Psal. 96. 2. & alibi. Ps. 103. 3. Eccle. 24. 7. Esa. 19. 1. 2. Para. 5. 13.
n 1. Thess. 4. 17.
Nubes quæ Christum excepit vbi prædicta.
o Tom. 2. append. 1. c. 6.
p c. 7. 13. 14.
q lib. 4. c. 21.
De nube quæ apparuit Christo ascendente, variæ sententiæ.
r in 3. p. q. 58. a. 4.
s Sermo. 180. de Temp.
t Sermo. 178. de Temp.
Angeli omnes Christo occurrenti obuiā venerunt.
u Sermon. de Ascens.
x Sermo. 178 de Temp.
y oratio. de Ascens.
z oratio. de Ascens.

tes Dæmonas introducit, quasi spem de CHRISTO iterum perdendo abiicientes, quam cùm edentem, bibentémque etiam post Resurrectionem vidissent, conceperant, quasi expurgato illis iam aëre, quem totum CHRISTVS permeauit (vt videor legisse apud nescio quem) & non tantùm, cùm CHRISTVS in aëre suspensus est. Exhibet nobis præterea CHRISTVM PATRI ouem humeris reportatam offerentem [a], vel instar aquilæ prædam exhibentem [b], vt ait Ambrosius [c], & Cyprianus [d], vicissim illi Patrem adgratulantem. Cypriani argumentum de ANGELORVM occursu est, *quoniam*, inquit, *descendenti coram pastoribus Bethleemitis, Angeli scilicet, decantauerunt in sublimi præconia* [e] *: modò ergo expressioribus conatibus, & intensioribus iubilis reuertenti ad PATREM, solemniora obsequia impenderunt, & festiuis obsequiis venerabantur hominem supra se sublimatum, &c.*

a Luc.15.5.
b Deut. 32.11.
c li. de Salom. c.3.
d vt supra.
e Luc.2.13.14.

Tum subdit, *nec linguis hominum, nec Angelorum, nec cuiusquam acumine ingenij desiniri posse, quæ PATRIS in reditu FILII hilaritas fuerit, perinde ac si vlla ad immutabile illud gaudium esse accessio potuerit.* Confirmatur Cypriani ratio, ex eo quòd PATER cùm [f] *introduxit primogenitum in orbem terræ, dixit, Et adorent eum omnes ANGELI DEI*: quantò ergo magis, cùm reduxit supra omnes orbes cœli? Illos videor audire vsurpantes illud Apocalypsis [g]: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, &c.* Et hoc vaticinatus Dauid videtur [h]: *Currus DEI decem millibus multiplex, millia lætantium*, &c. Hebraicè & Chaldaicè, *Ascensus Domini*, & Chaldaicè, *duo millia*, id est, *plurima*, Angelorum μυριοπλάσιος. Quamuis de ascensu DEI in arca per desertum exponi quoque possit. Lege Commentarium nostrum.

Æterni Patris Filium recipientis quale gaudium.
f Hebr.1.6. & Ps.96.8.
g Apoc.5. 12.
h Psal.67. 18.

Potest hic non minùs dies ὑπαπάντη, propter ANGELORVM, & Patrum cum CHRISTO occursum, & concursum dici, quàm propter [i] Simeonis, & Annæ in templum ad CHRISTVM & parentes eius in die Purificationis. Vnde factum notat Cardinalis [k] Vitriacus, vt hodiè solemnis ab Ecclesia processio non minùs quàm tunc celebretur. Ambrosius [l] nubem ait splendidam fuisse, vt eam, de qua vox PATRIS audita est in monte [m]: & videtur tandem velle, per eam intelligi PATREM ipsum, qui occursu quodam pietatis ascendentem gremio molliore complexus sit: & nubis nomine intelligi refrigerium, quo eius fouerit vulnera passionis, & obumbrauerit virtute diuinitatis: quemadmodum filios Israël ab Ægypto liberatos, nubis columna protexit [n], & semper quos post iniurias perducit ad requiem, protegit nubis vmbraculo.

Dies Ascensionis potest dici ὑπαπάντη.
i Luc.2.
k Serm.3. de Ascen.
l Sermon.60. editio.Rom. m Matt.17.1.
n Exod.13.21. & Ps.104.39. Psalm.77.14. 2.Esd.9.19.

Versus 10.] Cúmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis.

CVMQVE *intuerentur in cœlum euntem illum.*] Καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν πορευομένου αὐτοῦ. Id est, *Et vt intendentes erant in cœlum eunte illo*, seu, *cùm ille iret. Deficiebant oculi, & erant toto suspensi corpore*, inquit Ambrosius [o]. *Sed licèt visio humana deficeret, non fidei tamen deuotio.* Lege Honorij I. Pontificis carmen de Apostolis in CHRISTI Ascensione obstupescentibus [p], quamuis nondum inter Apostolos poni debuit Mathias. Multò magis in CHRISTVM magi-

Christũ in cælũ ascendenti Discipuli suspensi intuentur.
o sup. Sec.60.
p Tom. 2. Bibliot.Patrũ.

A strum abeuntem intentos oculos defigebant, quàm in suum Elisæus [q], sed gaudentes, paratique prosequi recedentem, ac minimè dubitantes, quin & ipsi post modicum conuersationis huius, *postquàm de torrente passionis in via hac bibissent, exaltato capite, & erecto, ad cœlestia Dominum sequerentur*, vt ait Cyprianus [r]; vel, vt ait Augustinus [s], *pectore pauidi, mente confusi, oculis trepidi CHRISTVM consequentes*: quod magis innuit sequens ipsis demissa consolatio. Leo [t] intentam solùm admirationem agnoscit, gaudium verò post ANGELORVM aduentum: necnon & Hilarius Arelatensis [u]. Leo non ille Pontifex, sed

q 4. Reg. 2. 10. 12.
r Sermon. de Ascens.
s Sermo.178. 179.180.
t Sermo.2. de Ascens.

B Imperator [x], ex professo confirmat, acrem in ipsis doloris sensum fuisse de perpetua absentia, qui adeò doluissent, cùm temporaneam illis per mortem denunciasset. Augustinus [y] rursum ait *ascendisse DEVM in iubilatione*, id est, *in admiratione gaudij ANGELORVM, quæ verbis non potest explicari, & quia gaudio verba non sufficiebant, restasse ipsum iubilare, quod nemo potuit explicare.* Bernardus [z] etiam ait, quòd illis plorantibus eleuatus est CHRISTVS in cœlum, ex quo Elisæus chorum Apostolicum in Ascensione CHRISTI anxiè suspirantem designat.

u Sermo.1. de Ascens.
x oratio. de Ascens.
y in Ps 46. *Christus quomodo in iubilatione ascendens.*
z Sermo.3. de Ascens.

C Significatur autem iam seu per ingentē splendorem, seu potiùs, vt antè dixi, per nubem abstracto ab oculis intuentium CHRISTO, aciem tamen illos toto conatu adhuc intendisse, vt in eos quadrarent verba Ezechiæ [a]: *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.* B. Iustinianus [b] putat suaui concentu Angelorum CHRISTVM assectantium delinitos, attonitosque, nec verbum quidem proferre potuisse. Augustinus [c] quoque in eadem CHRISTI Ascensione agnoscit cantum ANGELORVM.

Apostoli Christo ascendente quâ-liter affecti fuerint.
a Esa.38.14.
b Sermo. de Ascens.
c Serm.178. & 180. de Tēp.

Ecce.] Solet hæc particula rem nouam ac inopinatam denotare, atque mirabilem: nonnunquàm propinquum tempus, qua ratione eam vsurpat is, qui respondet, & paratum se præbet ad iussa præstanda, vt apud Esaiam [d]: *Primus ad Sion dicet, ecce adsum.* Athanasius [e] in verbis Angeli [f]: *Ecce*

Vox ecce, quid significet in Scripturis.

D *cōcipies, & paries*, ait significari, iamiam instare tempus. Frequens est DEI apud Prophetas dicendi forma: *Ecce ego ad te*, vel, *super te*, cùm magnum, certum, venturum supplicium comminatur [g]. Interdum *Ecce*, idem est, quod *sanè* [h], vel idem quod *sed.* [i]

d c.41.9.
e Ser. de Deipara.
f Luc.1.31.
g Ezech. 26. 1 c.28.22.cap. 29.1. Nahum 2.13.
h Gen.1.29.c. 6.17.
i Psal 13.6.

Ecce duo viri.] Vix est ex Patribus, vel Interpretibus, qui hos non affirmet ANGELOS virili habitu esse: siquidem & hoc ipso libro in capite decimosexto [k], qui dicitur *vir Macedo*, Angelus est, vt dicemus: & ab eodem Luca in Euangelio [l] *hi, qui mulieribus in CHRISTI*

Angeli sunt qui virili habitu visi sunt.
k vet.9.
l c.vlt.4.5.

E *suscitati monumento apparuerunt, viri dicuntur*: vnum autem Marcus [m], cuius meminit, iuuenem vocat, quod nomen est etiam apud Tobiam [n]: non tantùm qui Abraham [o], aut Lot [p] apparuerunt.

m c.vlt.5.
n Tob.5.5.
o Gen.18.2.
p Gen.19.5.

Itaque non vacat aliqua temeritate, quod cum Francisco Mairone Pelbartus [q] asserit de Enoch, & Elia, qui soli ex aliis Patribus CHRISTVM consecutis, hîc in sublunari mundo remanserant, & iudicij diem ad homines descendendo præuenturi creduntur, *viri dicuntur*, inquit Epiphanius [r], quo *animi robur Discipulorum confirment. Duo, quò veritati fidem faciant*; quod etiam Chrysostomus annotauit; *nil præterea referre*, dicens, *quòd nullus de his Propheta prædixerit.* Id enim cum Resurrectione ipsa coniunctum esse, adde cum

q Sermon. de Ascens. *Angeli virili habitu apparuerunt.*
r oratio. de Ascens.

Ascen

Cur duo tantùm visi sint.
a in serm.

Ascensione. Odo [a] Morimus tam paucos dicit venisse, quia ceteri, rege CHRISTO festiuiùs excipiendo distinebantur; eoque mox iidem duo reuerterunt ad eundem cùm nasceretur, descendisse cunctum exercitum ANGELORVM.

Binarius numerus non semper mala rei index.
b Luc. 24. 4.
c Gen. 19. 1.
d 2. Machab. 3. 26.
e vers. 6.

Petrus Bongus agens de mysteriis numerorum, notat binarium denotare in Scriptura rem malam: hic duos esse, quia reprehendunt: sicut ij, qui mulieres minùs credentes [b] CHRISTI Resurrectionem, totidem fuerunt: & illi, qui contra Sodomam venerunt [c], & qui contra Heliodorum [d]. Sed ratio valdè incerta, imò etiam falsa, cùm res multas binarius quoque secundas designet, vt docui in capite quarto Ecclesiastæ. [e] Quidam huius binarij rationem assignant, quòd certiores facerent de CHRISTI Resurrectione & Ascensione: de recepta in cœlo anima cum corpore, atque reditu cum iisdem ad iudicium. Nato CHRISTO, tota se militia cœlestis effudit [f], gratulabunda generi humano, cuius intererat scire natum esse regem Angelorum; à quibus decebat quoque sic humiliatum adorare: dum pateretur, vnus duntaxat [g] adfuit: erant enim tunc omnia mœstiora: in Resurrectione & Ascensione duo, præter illas quas dixi causas.

f Luc. 2. 13. Hebr. 1. 6.
g Luc. 22. 43.
h li. 1. de spirituum apparit.
i c. 4. cœl. Hie.

Qua forma Angeli apparuerint, lege Petrum [h] Tyræum. Non legi sub alia, quàm sub humana, & quidem virili forma, visum Angelū, ætate matura, sed sine barba, nunquàm tristem, licèt quandoque subiratum, vt DEI vindicem. *Habet virilem animum, ex quo perpetua* DEI *visione non deficit gaudio, nec senescit*, inquit Dionysius. [i] Adest potiùs, quàm inest nubi, igni, certis brutorum corporibus, cùm quidpiam operatur in iis, videlicet non assumens, v. g. corpus asinæ, quæ locuta proditur ariolo [k]. Cùm alienas refert personas, alia ratio, vt Sanctorum cuiuslibet sexus, ætatisque. Sola quando pinguntur affixis alis capita, monemur in ANGELO propriè membra, vt in homine, non quærere, illúmque totum intelligentem esse, & in intelligendo ac in cetera operatione promptum & celerem. Consule præterea Toletum [l]. Quomodo ANGELI corpora assumant vel moueant, dixi in scholis Theologicis. [m]

k Numer. 22. 28.
Angelorum picturæ & effigies quid denotent.
l in cap. 1. Lu. annot. 62.
m 1. pa. Disp. de Angelis.
n Sermo. 2. de Ascens.
Cur Angeli de Christo in iudicium venturo prophetarint.
o oratio. de Ascens.
p 4. Reg. 2. 12.
q c. 1. 51.

Leo [n] notat, *ad iudicandum mundum in ipsa carne venturum* CHRISTVM ANGELORVM *officia prædicasse, vt intelligeremus quantæ potestates sint adfuturæ cum iudicaturo, cui tantæ priùs ministrarunt etiam iudicando.* Chrysostomus [o], *Ne dolore tabescentes Discipuli, vestimenta scinderent, sicut Elisæus* [p]. Et videtur id quod apud Ioannem [q] CHRISTVS dixit, *Videbitis Angelos ascendentes & descendentes supra Filium hominis*, de Ascensione intelligere.

r Sermo. 1. de Ascens. art. 3. c. 1.
s Iud. 2. 1. & seq.

Astiterunt iuxta illos.] *Improuisò*, inquit Carthusianus in Commentario, *atque subitò, in terra ipsa, non in aëre, vt humaniter, intelligenter, aptè ad persuadendum agerent*, inquit S. Bernardinus [r]. Syrus vertit, *Inuenti sunt duo viri ipsis astantes.* Nō recordor alium Angelum cum tam multis simul locutum, præter eum, qui ad populum in loco flentium orationem habuit, fletum concitans. [s]

Angeli cur in amictu candido apparuerint.
t oratio. de Ascens.
u Hom. 49. in Euang.
x Luc. 2.
y Hom. 21. in Euang.
z Matt. vlt. 3. Mar. vltim. 5. Luc. vltim. 4. Ioan. 20. 12.

In vestibus albis.] Ἐν ἐσθῆτι λευκῇ, *in veste alba*, id est, vestiti vestem albam, sicut ἐν πορφύρᾳ dicitur, qui est amictus purpura, *quo auditorum mentes, & conscientias illustrent*, inquit Epiphanius [t]: adde etiā, *vt exhilararent*, quod Chrysostomus, & Beda hoc loco notant, Gregorius verò in homiliis [u], addens, CHRISTO *nascente non legi candidatos Angelos apparuisse, quia in natiuitate apparuit* [x] DEVS *humilis, in ascendente ostensus est homo sublimis.* Idem de Resurrectione dici potuit, quod & Gregorius [y] dixit, licèt non cum Natiuitate comparans Resurrectionem, in qua fulgurante vultu, & niueo vestimento Angelus apparens [z] describitur.

Angeli cognosci debuerunt, qui Ascensionis Christi mysteria reuelabant.
a libr. 12. in Ioan. c. 46.

Denotat etiam *color pulchritudinem puritatis eorum*, inquit Cyrillus Alexand. [a] Oportuit ipso vestitu ac specie Angelos cognosci esse Angelos, vt cœlesti diuinaque auctoritate Resurrectionis, & Ascensionis Domini fidem facerent, nec eos esse Angelos quisquam dubitaret: aliàs verò, in vetere præsertim Testamento, cùm necesse non esset vt Angeli esse cognoscerentur, quin potiùs interesset vt non cognoscerentur, communi hominum forma mittebantur.

Varius est in Scriptura Angelorum vestitus.
b lib. de sacr. picturis.

Varius eis vestitus in Scriptura tribuitur; vel peregrini, vel militis, vel alius; color non semper necessariò albus est: quod cùm Seuerus hæresiarcha existimaret, illum reprehendit Ioannes Gabalon Episcopus. *Ignorat enim*, inquit, *sanctis Potestatibus non esse curæ, quo vestitu vtantur.* Refert id Ioannes Molanus. [b]

Picturæ eorum ratio.
c Exo. 3. 5.
d Ios. 5. 15.
e c. 20. 2.
f Matt. 10. 10.
g Cœl. Hier. c. 5.
h Homil. 3. de incomp. Dei nat.
i lib. de pictu. Eccle.
k lib. de imaginib.
l lib. 1. de Spirit. app.
m Exo. 25. 20. c. 37. 9. 3. Reg. 6. & 8. sæpe. 1. Paralipo. 28. 18. & 2. cap. 3 & 5. sæpe Ezech. o 19. c. 11. 22.
n Esa. 6. 2.
o c. 9. 21.
p c. 6. 6.
q in c. 9. & 10. Ezechielis.
r lib. de Templo. c. 13.

Nudi aliquando pinguntur, quia quæ in hominibus nuditas verecundiam parit, in illis virtutis argumentum est, nempe sanctitatis, castitatis, innocentiæ, immortalitatis. Discalceati repræsentantur, etiam cùm vestiuntur, quia id DEI ministris familiare est, Mosi [c], Iosue [d], Esaiæ [e], Apostolis [f]: & innuit id solutionem à prauis affectibus, vt liberius sit iter spirituale. De alis meminit Dionysius [g], & Chrysostomus [h], docentque iis denotari exoneratos sarcina corporis, totos ferri in diuinorum contemplationem, & celeres exequi diuina imperia. Lege Ioannem Molanum [i], Brunum [k], Petrum Tyræum [l]. De alis Cherubin Scriptura meminit non rarò [m]: necnon de Seraphin [n]. Et Daniel [o] narrat, Angelum Gabrielem volasse ad se, sicut Esaias [p] de vno ex Seraphinis. Etsi verò de Cherubin aliqui dubitent, tamen Hieronymus [q], & Beda [r], & communior sententia affirmat, nomen esse cœlestium Spirituum.

De vsu coloris albi apud antiquos.
s Luc. 23. 11.
t c. 2. 2.
u lib. 2. c. 10.
x lib. de Resurrectione carnis.
y Surius 5. Nou.
z Athanas.
a Surius in Act. Clemen. Mart. Ancy.
b in vita eius.
c Serm. 50. de Diuers.
d 1. cōtra Pelagian.

De coloris albi vsu tam sacro, quàm profano, multa dixi exponens Esaiam, & Euangelium Dominicæ Transfigurationis. Summa est, lætitiæ signum semper fuisse, & vitæ, institutique liberioris; quamuis non dissoluti inter Christianos in quotidiano vestitu; ita tamen vt soli diuites, vt & apud Romanos qui Magistratum ambientes candidati nominabantur, nitidum, & candentem assumerent, qui ad ludibrium CHRISTO datus est [s], & à Iacobo Apostolo [t] Græcè vocatur λαμπρὰ, id est, illustris vestis; alij simpliciorem, paratúque facilem, vt docet Clemens Alexandrinus [u] in suo Pædagogo, addens, *vt animi candorem præ se ferrent*; Tertullianus [x] verò, *ingenuitatem ac libertatem.* Legimus Honophrium [y] alba veste monachale institutum professum: Antonium [z], vt Christianus haberi, & pati martyrium posset, albam similiter vestem (fortasse candentem, aut quia in Ægypto Christiani eo colore vterentur) induisse. Sophiam [a] quoque, vt de inuicti martyris Clementis Ancyrani morte lætitiæ signum ederet: Cyprianum [b] sub tunica lineam gestasse, quæ vulgò *Rochetto*, quod & de Clericis [c] Augustinus testatur: Hieronymus [d], de veste ministrorum altaris: deque Neophytis recèns baptizatis; vnde & Dominica in Albis denominatur, vetus traditio est, Tertulliani etiam modo citati testimonio confirmata. Quod etiam videre fuit Constantinopoli baptizato Theodo-

sio iuniore, ita vt existimaretur vniuersa multitudo esse niue completa, vt narrat Marcus Gazensis. Quid? quòd Tobias [a] stratas plateas triumphantis Ierusalem describit ex lapide candido? Daniel [b] Antiquum dierum videt cum vestimento candido sicut nix, & Angelum Iudas Machabæus [c]; Ieremias deflens [d] populi miseriam post prosperitatem: *Candidiores*, inquit, *Nazaræi eius niue*, &c. *denigrata est facies eorum super carbones*: in Apocalypsi [e] victoribus promittuntur *vestimenta alba*; & *interfectis propter verbum* DEI *dantur stolæ* [f] *albæ*, id est, gloria essentialis, *dealbatæ in sanguine Agni*: id est, in meritis CHRISTI: & *super equum album* [g] *sedet*, *habens arcum & coronam* CHRISTVS DEVS, *& homo* [h], *fidelis*, *& verax*, quem in bello alij sequuntur insidentes etiam equis albis. Iustificatus dicitur dealbari [i], vel is etiam qui magis iustificatur. [k]

Verùm, quod ad vestem sacram pertinet, quamuis Hieronymi interpres *tam intelligat de casulis, seu planetis, quàm de camisiis, constat tamen in omni Ecclesiastico apparatu vestium plures alios colores vsurpari, hoc est, etiam rubrum, violaceum, viridem, & nigrum; de quibus Gulielmus [l] Durandus in Rationali, & Claudius Minos in Emblemata [m] Alciati, & in vita Veronicæ Monialis Mediolanensis [n], CHRISTVS ipse his vicissim indutus, moralem singulorum rationem assignat. Præfertur omnibus albus, quo DEVM vno delectari, Persarum Magi asserebant, auctore Pierio [o], DEOque maximè decorum Cicero vocat [p]: & de Ægyptiis Sacerdotibus proditum est à Philostrato [q], Plinio [r], & Plutarcho [s], & S. Hieronymo [t]. Infimo loco in Sacris color niger habetur, tanquàm mœroris index, ac mortis, vt Cyprianus [u] per visum admonitum se scribit.

Sed Iosephus [x] Stephanus omnibus Clericis vsitatum olim docet nigrum fuisse, seu fuscum, aut fuluum. Certè de Sectatoribus vitæ arctioris colligitur ex Hieronymi [y] epistolis, & Regula, & ex Athanasij libro de Virginitate, & Augustino [z] in quadam epistola, & Concil. Niceno II. [a] cùm agit de S. Euphemia; huius etiam coloris fuisse fertur pallium, Religiosorum indumentum, de quo Tertullianus [b], Origenes apud Eusebium [c], Eusebius ipse [d], Hieronymus [e], Saluianus [f], & Acta [g] SS. Galactionis, & Epistemes. Attamen idem Hieronymus instituens Clericos in epistola ad Nepotianum, præcipit æquè pullas vt candidas vitet, & in Actis Cypriani extat, eum esse vsum birro, seu lacerna rubra, quæ vulgò dicitur, *la Mozetta*, & vnà cum aliis vestibus à Cardinalibus, qui Regulares non sunt, ex Innocentij IV. institutione geritur: etsi Gregorius XIV. Regularibus etiam concesserit vsum pilei rubri, de quo librum scripsit Scappius.

Quare censet Cardinalis Baronius [h] Clericorum omnium vestes olim castaneas, aut violaceas fuisse, quibus hoc etiam tempore vti videmus familiares Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ Seminariorum alumnos: irrepsisse autem colorem nigrum in Clerum occasione Monachismi à Clero ipso acceptati, & Episcoporum, qui ex Monachorum Collegiis creati sunt. Spectantur quoque veteres imagines monachorum in monasterio S. Gregorij Romæ, cum habitu coloris castanei, quo quidam argumento vtuntur, vt probent nec illos, nec ipsum S. Gregorium fuisse ex ordine B. Benedicti, cuius à colore etiam nominantur monachi nigri. Consule prætereà Sidonium [i], Petrum Cluniacens. [k] Cassiodorum [l].

a c.13.18. *Albi & candidi coloris quæ vsus in scriptura.* b c.7.9. c 2.Mach.11.8. d Thren.4.7.8. e c.3.5. f c.7.9.13.14. & c.6.11. g c.6.2. h c.19.11.14. i Psal.50.9. Esa.1.18. k Psal.67.15. Dan.11.35. *De veste alba in sacro apparatu.* * citato loco. l lib.3.c.18. m in 117. n lib.6.c.15. o in Hierog. p 2.de legib. q in Apologia sua. r lib.19.c.1. s opusc. de Isid.& Osir. t libr.13.in c.44.Ezech. u libro de mort. *Clericorum vestitus fuscus, aut fuluus fuit.* x li.de oscul. ped.Pontif.c.4. y ep.4.10.12.15. z ep.199. a Act.4. b lib. de Pallio. c 6.Hist.c.13. d 8.Hist.c.21. e ep.10.12. & 15. f lib.8.de Iudic. g Sur.5.Nouemb. *Clericis color castaneus vel violaceus est aut.* h Tom.4.Annal.pag.681. i lib.5.ep.7.

A

De Gentilibus non laboro, etsi non ignorem, albatos opinione Rosini [m], & Authoris antiquitatum conuiualium [n], processisse omnes Romanos: cuius contrarium innuunt Quintilianus [o], & Suetonius [p]: at de Sacerdote affirmat Virgilius [q] puram vestem vocans: de militibus albatis deducentibus Imperatorem triumphantem, Claudianus [r]: de accumbentibus in conuiuio, M. Tullius [s]: quò fortasse alluditur in parabola de veste nuptiali [t]. Omnis hac in re dãnandus cultus, quo nomine reprehensione dignus habitus est Sisinius Nouatianus Episcopus [u] in Historia Ecclesiastica, qui candidatus semper incedebat, & sibi suisq; τῶν καθαρῶν, hoc est, purorum nomen gloriosè vendicabat.

B

Mysticè sensu tropologico admonet nos [x] Sapiens, *omni tempore vt sint vestimenta nostra candida*, hoc est, candidi, & sinceri mores: & Sacerdotalem camisiam, quæ etiam alba à colore dicitur, Germanus [y] Constantinopolitanus, conuersationem interpretatur splendidam Sacerdotis, & diuinitatis splendorem: eodémque modo Stephanus [z] Eduensis; quòd nouum Sacerdotium candidatione virtutum sit ornatum. Sed vereor ne, quæ albi coloris natura est, oculos, animum, scribentis etiam manum ille disgregauerit, & digredi longiùs fecerit: lucis plurimum habet, quæ hîc fortasse simul collecta videri possit & nimia, & molesta: in alios autem obscuriores Scripturæ locos, quod optimi interpretis consilium esse debet, deriuata, & communicata, iucunda, & vtilis meritò

C

iudicetur. Qui plus lucis volet, Auctores laudaui, à quibus mutuetur; ad quos adiungo Ioannem Ferdinandum nostrum in Thesauro Scripturarum [a], & Lælium Bisciolam [b].

Versus 11.] Qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic IESVS, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

D

QVI *& dixerunt.*] *Non vterque, sed alter nomine vtriusque*, inquit Caietanus. Nil tamen obstat, quo minùs vterque, saltem vicissim locutus sit. Sed nil etiã est, quod cogat id affirmare, & similia alia exempla suppetunt, in quibus per Syllepsim, quod vnus fecit, totum genus fecisse dicitur. Sic Matthæus [c], & Marcus [d] in Domini Resurrectione recitare volentes quid Angeli mulieribus dixissent, vnius tantũ meminerunt: Lucas [e] verò, & Ioannes [f] plurium, vt indicarent Angelorum testimonio Resurrectionem probatam esse, conueniebatque vt saltem in ore duorum testium firmaretur huiusmodi verbum, & tamen Lucas plures Angelos loquentes cum mulieribus facit, Ioannes

E

vnum cum aliis Euangelistis: Matthæus [g] & Marcus [h] plures in Magdalenam indignatos, *quod vnguentum effusum sit*, scribunt, Ioannes, *vnum iudam* [i]: Matthæus [k] dixit, *Discipulos interrogasse, vnde emere possent panes, vt turbam quinque millium exsaturarent*: Ioannes [l], solum *Philippum id interrogasse*. Eodẽ modo Prophetas Apostolus *sectos* ait, *& ora leonum obturasse* [m], *cùm hoc* [n] *Daniel fecisse* solus legatur, *illud vnus* Esaias passus: *Latrones* CHRISTO *improperasse in Cruce*, Matthæus [o] scribit, & Marcus [p]: Lucas [q] vnum duntaxat. Etsi enim multi antiqui, magníque Auctores senserunt initio vtrumque, posteà vnum tantùm id fecisse: quod alter miraculis, & patientia, & mansuetudine

k lib.5.ep.16. l lib.4.ep.1. m lib.5.c.33. n li.2.fol.122. & seq. o 2.Instit.ca.13. p in Augu.c.44. q li.12.Æne. r in 4.Consul.Hono. s ora. in Vatin. t Matt.22.11. u Sozom.lib.18.c.1. & Niceph.lib.12.c.30. *Candida vestis mystica interpretatio.* x Eccl.9.8. y in Theor. rer.Eccl. z libr de Sacram.altar.c.10. a verbo, *Albus*. b li.10.hora. subcis.c.16. c Matth.vlt.2. d Marc.vlt.5. *Multa scripturæ exempla, in quibus per Syllepsim quod vnus fecit, multi fecisse dicuntur.* e Luc.vlt.4. f Ioan.20.12. & seq. g Matt.26.8. h Marc.14.4. i Ioan.12.4. k c.14.15. l Ioan.6.7. m Heb.11.33.37. n Dan.14.36. o c.27.44. p c.15.32. q Luc.23.39.

CHRISTI

CHRISTI conuersus, alterum etiam conuitiari per gentem reprehenderit; est tamen contraria sententia, nec paucionum, & probabilior, vt noster Maldonatus scitè demonstrat [a]. Denique B. Petrus in hoc libro capite quarto [b], locum Psalmi secundi, *Astiterunt reges terræ*, &c. de vno exponit Herode. Sic quibusdam [c] videtur à Matthæo [d] dictum sedisse CHRISTVM super asinam & pullum, cùm super hunc tamen tantùm sederit super quem nemo anteà alius, & de quo solo alij meminerunt Euangelistæ [e].

a in Matth.
b vers. 24. 25.
c Mal. in Mat. cap. 21. 5.
d Mat. 21. 5. 7. 14.
e Mat. 11. 2. 4. 7. Luc. 19. 30. 35. 36. Ioan. 12. 14.

Viri Galilæi.] Quòd viros Galilæos dicit genere masculino, non excludit mulieres, quas ibi nonnullas fuisse, verisimile esse dixi: vt neque cùm Psalmo primo [f] Regius vates canit: *Beatus vir*, &c. sed honoratioris sexus mentio habetur, eorúmque, quos, vt alios doceant, doceri maximè conueniebat.

f vers. 1.

B

Quòd dixit viros Galilæos, pro Galilæis, Græcismus est sæpe hoc libro vsurpatus, cùm dicuntur *viri Patres, vel Fratres, viri Iudæi, Israelitæ, Athenienses*: qua loquendi forma Demosthenes, aliique Græci Oratores, Auctorésque vtuntur. Quòd Galilæos nominat, velut dignitate præeminentes à loci vocabulo significat, inquit Chrysostomus: nec enim alioqui opus fuisse eos audire, cuius patriæ essent, cùm id nequaquàm ignorarent. Non intelligo cur id Chrysostomus dicat, cùm potiùs inter Iudæos Galilæi cótemptibiles haberentur [g], & per contemptum [h] CHRISTVS ipse, sicut Christiani posteà Galilæi sunt eodem modo nominati à Porphyrio, Luciano, Iuliano Apostata (qui edictum etiam de ea re tulit, teste Nazianzeno [i], & Chrysostomo [k]) & ab aliis, immò odio quoque habiti sunt, tanquàm factiosi, Galilæi, vt infrà [l] videbimus.

Viri Galilæi, pro Galilæi, Græcismus.
Galilæi nomen contemptum potiùs quàm honorem sonat.
g Ioan. 7. 52.
h Mat. 26. 69. Ioan. 7. 41.

C

Fortasse quemadmodum contemptibilia elegit DEVS, vt honore afficeret: & CHRISTVS qui à Iudæis [m], & à Dæmone [n], saltem aliquando, cum ludibrio Nazaræus appellabatur; sic honoris causâ nominatus est ab Angelo [o], & à Discipulis [p], piâve turba [q] interdum, & CHRISTVS ipse ita seipsum de cœlo Paulo apparens vocat [r]: sic intellexit hoc loco Chrysostomus honorificum titulum Galilæorum Discipulis ab Angelo impartitum.

i orat. 1. contr. Iulian.
k orat. contr. Gent.
l cap. 5. 17.
Nazaræi nomen Christo à Iudæis ignominiosè tributum Christus pro gloria vsurpauit.
m Mat. 26. 71. Mar. 10. 46. & 14. 67. Ioa. 18. 5. 7. & c. 19. 19. Act. 6. 14. & 24. 5.
n Mar. 1. 24. Luc. 4. 34.
o Mar. 16. 6.
Apostoli cur Galilæi dicuntur.
p Luc. 24. 19. Act. 2. 22. & 3. 6. cap. 4. 10.
q Mat. 20. 46. Luc. 18. 37.
r Act. 22. 8.
s Ser. 1. de Pas.

D

Allusio etiam videtur ad significatū nominis. Galilæi enim dicuntur quasi volubiles, & trásmigratores, & terminatores, quibus, quod mox subditur, minimè conueniat vno loco stantes, fixosque manere, sed mundum reuoluere, legem veterem terminare, & transmutare. Sic enim acutè Bernardus [s] eos negat ritè, rectéque solemnitatem celebrasse Paschalem, *qui in Galilæa nō viderint CHRISTVM suscitatum, quæ Transmigrationem significat*, hoc est, non in vitæ fuerint nouitatem translati, quemadmodum Pascha transitum denotat, non reditum. Quin etiam memores sint, quòd iussi sunt virtutem SPIRITVS sancti expectare in Ierusalem, vt inde transmigrent, CHRISTO testimonium edituri, per totum orbem. Primam Galilæorum etymologiam habet Nyssenus [t], loqués de Resurrectione Domini, secundam Gregorius [u] super Euangelia, tertiam Hieronymus [x] in Esaiā. Lege Toletum in Lucam [y].

E

t orat. 2. de Resurrect.
u Hom. 27.
x in cap. 9.
y in cap. 1. annot 42.
Galilææ in Palæstina duplex fuit.
z lib. 2. in Iul.

Porrò Galilææ duæ in Palæstina fuerunt, altera confinis Iudææ, altera Phœnicibus, vt Cyrillus [z] Alexandrinus describit, superiorem, & inferiorem Iosephus [a] vocat. Illa in tribu Nephthalim dicta

a 3 de bel. Iudai. cap. 2.

A

est Gentium, quòd magna ex parte à Gentibus habitaretur, datis in ea Hiram Tyriorum regi à Salomone viginti vrbibus [b]: hæc in tribu Zabulon circa Tiberiadem, & stagnum Genezareth, vt tradit Hieronymus [c], CHRISTI, & Discipulorum patria fuit, qui capite sequenti [d] Galilæi nominantur, à quibus Galilæis libentiùs CHRISTVS quā à Iudæis excipiebatur [e].

b 3. Reg. 9. 11.
c de loc. Heb.
d vers. 7.
e Ioan. 4. 45.

Ex hac gente maluit CHRISTVS Apostolos, Discipulósque deligere, non propter eam solam causam, quam paulò antè dixi, verùm etiam, *quoniam ingentis animi roborisq́, corporis erat, pugnax*, vt Iosephus [f] ait, *ab infantia, & formidinis expers*; quod vel Petri exemplo apparet [g], qui solus aduersùs cohortem militum intrepidè gladium exemit, ac principis Sacerdotum seruum vulnerauit, plura adhuc experturus, nisi multis à CHRISTO rationibus cohibitus esset. Decet autem Euágelij præcones non segnes ac desides, sed acres, ac alacres esse: DEVS que gratiæ suæ munera ad naturæ etiam ingenium, & propensionem nonnunquàm attemperat. Nec obstat quòd aliqui ex Apostolis fuerint de tribu Iuda, vt qui appellati sunt fratres Domini, aut de alia tribu: nam & CHRISTVS, licèt de tribu Iuda, & natus in terra Iuda, Nazarenus [h], atque Galilæus [i], quòd ibi habitauerit, appellatus est.

Cur ex Galilæorum gente Apostolos Christus delegerit.
f 3. de bel. Iudaic. cap. 2.
g Mat. 26. 51. 52. 53. 54. Luc. 22. 49. 50. 51. Marc. 14. 47. Ioan. 18. 10. 11.
h Mat. 2. 23. & alibi.
i Luc. 23. 6.

Quid statis aspicientes in cœlum?] Iam dixi, videri allusionem esse in verbo, *statis*, ad nomē Galilæorum. Castigant Angeli hac sententia suspensos in cœlum oculos spectatorum, *quasi*, inquit Chrysostomus, *CHRISTI reditum mox futurum expectarent*. Non mihi persuadeo id illos aut opinatos esse, aut expectauisse: sed cùm admirabundi starent diutiùs, simulque præ admiratione veluti consilij inopes essent quid agerent, optimum patrem-familiâs misisse qui renunciarent, vt ad opus abirét in vineam, non tota die otiosi starent, excolerent commendatam terram, si cœlum suo deinde tempore scandere velint: *mirarentur potiùs*, inquit Augustinus [k], *descendisse in has terras, & in infernum, quàm ascendisse, aut resurrexisse*. Nec sum tam audax, vt cum Simone [l] de Cassia horum audeam in aspiciendo conatum audacem dicere: malim amicè curiosum, seu curiosè amicum, vel gaudio, admiratione, mœstitia mixtum. Curiosum verò, non quasi quidpiam de cœlo sibi noui expectarent ostendi, vt voluit Renardus [m] Lutz, sed vt solet amicorum de amicis anxia suspensaque cura esse.

Apostoli ab Angelo castigati, cur.
k lib. 17. Hom. in 6. hom.
l libro 14. in Euangelia.
m in epist. de festo Ascen.

Statis aspicientes.] Quamuis dixerim, videri posse vim esse in verbo, *statis*, non tam pro situ corporis, quàm pro ea, quam dicimus, stabilitate, atque immobilitate, & Syrus vertit, *statis, & suspicitis*: tamen scio etiam sæpe stare idem esse quod adesse, seu esse, ita vt, *statis aspicientes*, idem sit quod, *aspicitis*, prout quoque legit in Officio Diuino Ecclesia (simul alio quoque loco interpretans *admiramini*) & Augustinus [n]. Exemplum est, cùm CHRISTVS ait [o]: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*, &c. Ioannes Baptista [p], *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis*: Euangelista [q], *Turba, quæ trans mare stabat*: & [r], *Stabant serui, & ministri ad prunas*, quos tamen Matthæus [s] sedisse scribit, & Marcus [t], & Lucas [u]: qui Lucas prætereà CHRISTI parentem, & fratres foris stantes [x] facit, dum eum quærerent, necnon etiam alij duo [y].

Stare idem est quod adesse & esse.
n Ser. 180. de Temp.
o Mat. 16. 28.
p Ioan. 1. 26.
q Ioan. 6. 22.
r Ioan. 18. 18.
s cap. 26. 58.
t cap. 14. 54.
u cap. 22. 56.
x cap. 8. 20.
y Marc. 3. 31. Mat. 12. 46.

Refert huius significationem verbi semel notauisse, ne aut semper stationem, situs illam differentiam designare putemus, aut quod voluit ali-

quando Hieronymus [a], nullum peccatorem stantem dici in Scriptura; aut cùm quis stare [b] orans dicitur, veram huiusmodi positionem, quasi mos fuerit Iudæorum stando orare, cùm potiùs genibus id flexis fecisse legamus CHRISTVM [c], Petrum [d], & Paulum [e] cum aliis, Salomonem [f], & Danielem [g]. Itaque credo venerabundos, nixos genibus stetisse nunc Discipulos, nimirum manentes, fixos, immobiles, quasi animo in cœlum raptos.

Hic IESVS.] *Quasi illi non scirent quia ipse esset* IESVS, inquit Augustinus [h], *quem paulò antè viderunt, quem contrectauerunt.* Ipsi ergo sciebant quòd ipse esset IESVS, sed admiratione ipsa præ gaudio iubilationis, tanquàm mente alienatis loquuntur Angeli. *Hic* IESVS. Emphaticum est pronomen demonstratiuum. Anastasius Synaita [i] legit, οὗτος, *hic*, non οὕτως, vt habemus, id est, *sic*, & esset emphasis, hic inquam, &c. nec quis propter eius absentiam sibi putet agendum licentiùs.

Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.] *Veniet in eadem gloria & maiestate, cum eadem anima, & corpore*, inquit Beda [k], Tertullianus [l], & Ignatius [m], & Leo [n]. *Veniet Iudex cum eisdem vulnerum, & plagarum in latere, manibus, pedibúsque impressis vestigiis*, inquit Cyprianus [o], Epiphanius [p], Augustinus [q]. *Veniet vobis non terribilis, qui profectus est desiderabilis: vobis in amore, impiis in tremore, cum nube, & signo Crucis apparente in cœlo*, inquit idem Augustinus [r], *qui deduxistis euntem, suscipietis redeuntem*, nempe tanquàm securi, & veluti assessores Iudicis: *Cum duplici hominum, Angelorúmque turma, qui ascendentem prosecuti sunt*, inquit Carthusianus, & Bernardus [s] in eundem Oliueti montem, vbi iudicium fiet, vt anteà diximus, quicquid in Ioëlem [t] dicat Arias Montanus, & Magister Sententiarum in quarto [u]. Contra quos Ioseph à Costa in opere de Quatuor nouissimis [x], exponens etiam ad hoc propositum Zachariæ locum cap. 14. *cum benedictione quam Beatis impertiet*, inquit Vitriacus [y], dicens [z], *Venite benedicti* PATRIS *mei. Ne vereamini fore vt à vobis digressus beneuolentiam minuat*, inquit Leo [a] Imperator. Colligit hinc Tertullianus [b] veram in carne resurrectionem nostram: Vigilius [c], veritatem naturæ humanæ CHRISTI.

Priusquàm hinc abeamus, quædam leuiter attingenda videntur de hoc mysterio Ascensionis. Primú est, meritò inter alia omnia, quæ ad CHRISTVM, & redemptionis nostrę œconomiam pertinent, maximum haberi posse; quod etiam affirmant Epiphanius [d], Bernardus [e], Bonauentura [f], Hilarius [g] verò Arelatensis negat minus esse, quàm mysterium Dominicæ natiuitatis. Origenes [h] comparat cum eo die, quo Pontifex Hebræorum intrabat in Sancta Sanctorum; *hodie enim intrasse ad* PATREM, *vt propitium eum nobis faceret, & exoraret pro credentibus in se.* Nominat Epiphanius caput, & fastigium inter festa Dominica hoc festum, atque ægrè ferens magnitudinem eius à multis ignorari, ostendit non Natiuitati solùm & Epiphaniæ, verùm etiam Resurrectioni, & Pentecoste præferendum, quoniam gaudium omni ex parte consummatum offert, CHRISTO videlicet, beatis Angelis, hominibusque, necnon in hac adhuc via peregrinantibus, sed diligentibus CHRISTVM, ideóque gaudentibus, *quia vadit ad* PATREM [i].

Ipsemet CHRISTVS *ingenti gaudio triumphans ouem humanæ naturæ nostræ*, inquit idem Epipha-

a Ezech. 2. & Ierem. 14.
b Matth. 6. 5. Mar. 1. 25. Luc. 18. 11.
Iudæi stantes nō orabant.
c Luc. 22. 41.
d Act. 9. 40.
e Act. 20. 36. & 21. 5.
f 3. Par. 5. 6. 13.
g cap. 6. 10.
Apostoli Iesum quomodo nō sciuerint.
h in Psal. 46.
i lib. 5. Alleg.
k hoc loco.
l lib. de car. Christ. ca. 24. & lib. de Resur. cap. 31.
m epist. 10. ad Smyr.
n Serm. 2. de Ascens.
o Ser. de Asc.
p Ser. de Asc.
q Ser. 179. de Temp. & 180. & tract. 36. in Ioan.
r epist. 80. & serm. 180. de Temp.
s Ser. de Asc.
t cap. 3. 9.
u dist. 43.
x lib. 4. c. 13.
y Serm. 1.
z Mat. 25. 34.
a orat. de Asc.
b lib. de resu. cap. 22.
c lib. 2. contr. Eutych.
Ascensionis Christi mysterium quale & quantum.
d orat. de Asc.
e Ser. de Asc.
f in med. c. 98.
g Homil. 1. de Ascens.
h Homil. 9. in cap. 16. Leuit.
i Ioan. 14. 28.
Christus ouem humanam naturæ ad Patrem retulit.

A

nius, *humeris impositam* PATRI *obtulit* [k]; *atque pro tali munere munus* SPIRITVS *sancti, quod reddat, impetrat.* Ita inter alios exponit Augustinus [l], & Gregorius [m], *vt qui accipit, vicissim det dona hominibus*, iuxta duplicem loci eiusdem lectionem: *Ascendens* [n] CHRISTVS *in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, vel, *accepit dona in hominibus. Noster hic Samson* [o] *ablatis portis, imperióque inferni, & mortis, ascendit in cacumen montis cœlestis*, inquit Augustinus [p]: noster Iacob [q] baculo Crucis apprehendit mundum, & cum duobus populis ad PATREM rediit triumphans, inquit idem [r], & Rupertus [s]: noster Sponsus, qui per Incarnationem descendit in

B

vterum Virginis, moriendo, ac in infernum descendendo cum Sanctis suis, miscuit myrrham cum aromatibus [t]: resurgendo comedit fauum cum melle [u]: bibit ascendendo vinum cum lacte [x], inquit Rupertus [y]: noster Dauid [z], Golia obtruncato, intrans ciuitatem cœlestem cum canticis excipitur, inquit apud Hieronymum [a] Auctor epistolæ de prima Circumcisione. Ille qui cùm natus fuit *admirabilis* [b], prædicans, *consiliarius*, DEVS in miraculis, *fortis* in passione, *pater futuri seculi* in Resurrectione; ascendens, *princeps pacis* fuit in perpetua beatitudine, inquit Bernardus [c]. *Noster Elias ascendit per turbinem in cœlum* [d], inquit Cyprianus [e], & Gregorius [f]. Noster Enoch,

C

qui ambulauerat cum DEO [g], *sublatus est à Domino, & non apparuit*, inquit Gregorius [h]. Illi PATER hodiè dixit: *Sede à dextris meis* [i], inquit Iustinus [k], Cyprianus [l], Chrysostomus [m]: eidem ANGELI *iubent aperiri portas principes* tanquàm *Regi virtutum* [n], *& gloriæ forti, ac potenti*, inquit Dionysius [o], Cyprianus [p], Iustinus [q], Augustinus [r]; dicunt etiam: *Quis est iste qui venit de Edom* [s], &c. inquit Dionysius [t], Iustinus [u], Augustinus [x]. *Hodiè ascendit, pandens iter ante suos* [y], &c. inquit Rupertus [z], S. Thomas, ac B. Vincentius [a]: hodiè infertur Arca in locum suum [b]; inquit Beda [c], & Glossa ordinaria [d]. Iacob nato Ioseph, dixit socero: *Dimitte me, vt reuertar in*

D

patriam meam, & in terram meam [e]: quò alludit officium Ascensionis: *Eleuata est magnificentia* DEI *super cœlos* [f], inquit Cassiodorus [g], Gregorius [h], Ecclesia in officio: *Gigas decursa via à summo cœlo recurrit ad summum eius* [i], inquit Iustinus [k], Irenæus [l], Gregorius [m]. *Posuit nubem ascensum suum* [n], inquit Prosper [o], & Ecclesia in Officio: *Ascendit super Cherubim*, inquit Prosper [p], Cyprianus [q], Eusebius [r]: tulit prædam vt Dauid ex Amalech [s], misitque dona senioribus Iuda, &c. inquit Gregorius [t] (quamuis ad præsens mysterium non applicet) sicut aquila prouocauit pullos suos ad volandum [u], inquit Ambrosius [x], & Maximus [y].

E

Huc spectant quæ B. Thomas [z] disputat de conuenientia Ascensionis, necnon Scholiastæ ipsius, potissimùm Suarez, atque sæpe citati Patres in Orationibus, seu Homiliis & Sermonibus de Ascensione, maximè S. Bernardinus, vel in commentariis ad Acta. Illa maximi momenti est, quòd Ascensio maximè confirmat nos in fide diuinitatis CHRISTI, & aliorum eiusdem mysteriorum. Propterea enim scandalizatis de EVCHARISTIA dixit CHRISTVS [a]: *Hoc vos scandalizat?* (scilicet quòd manducare deberent carnem, & bibere sanguinem eius) *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius?* Quasi dicat: Si hoc non creditis, nec il-

k Luc. 15. 5. & seq.
l 15. de Tri. c. 19.
m Hom. 29. in Euang.
n Psal. 67. 19. Eph. 4. 8.
o Iud. 16. 3.
p Sermo 107. de Temp.
q Gen. 32. 10.
r Serm. 180.
s 3. in Gen. c. 3. & 4.
t Cant. 5. 1.
u Ibid.
x Ibid.
y lib. 4. in c. 5. Cant.
z 1. Reg. 17. 49.
a Tom. 9.
b Esa. 9. 6.
c Serm. 10. ex paruis.
d 4. Reg. 2. 1. 11.
e Sermon. de Ascens.
f Hom. 29. in Euang.
g Gen. 5. 24.
h ibid.
i Ps. 109. 1.
k Apol. 2. & in Typh.
l in Symbo.
m hom. Quod Christus sit Deus.
n Psal. 23. 7.
o Cœl. hier. c. 7.
p 2. cont. Iud. c. 26.
q suprà.
r Sermo. 178. de Temp.
s Esa. 63. 1.
t suprà.
u in Tryphonem.
x Serm. 187. de Temp.
y Michæ. 2. 13.
z in Mich.
a in sermon. vtrisque.
b 3. Reg. 8. 1.
c ibid.
d ibid.
e Gen. 30. 25.
f Psal. 8. 2.
g ibid.
h hom. 29. in Euang.
i Psal. 18. 6. 7.
k in Trypho.
l lib. 4. c. 66.
m suprà.
n Psal. 103. 3.
o ibid.
p part. 3. de Prædest. c. 31.
q in Symb.
r 6. de Demóstra. c. 1.
s 1. Reg. 30. 18. 26.
t homil. 36. in Euang. & 5. Moral. c. 19.
u Deut. 32. 11.
x Serm. 61.
y Sermon. de Ascens.
De conuenientia Resurrectionis Christi.
z 3. p. q. 57. a. 1.
a Ioan. 6. 61. 62.

Iud. Et

lud. Et illud cùm videritis, confirmabimini in fide huius. Notauit hoc Albertus [a], alludens ad locum Psalmi [b]: *Mirabilis in altis Dominus: testimonia tua credibilia facta sunt nimis*: & posset quod subiicitur de sanctificantis missione SPIRITVS accommodatè intelligi, *Domum tuam Domine, decet sanctitudo*.

a in c.6.Ioan. b Psal.92.4.5.

Inter circumstantias Ascensionis nondum expositas, tempus est, quod cùm quadragesimum ab Ascensione die esse, ipsiusmet Auctoris nostri testimonio [c], manifestum fit, sequitur quinta feria CHRISTVM ascendisse, non Sabbato, quod tamen Chrysostomus voluit, neque Oecumenius illum citans, sibi displicere significauit. Ratio, quę mouit Chrysostomum, nil officit, videlicet quòd locus Ascensionis distasse dicatur ab Ierusalem itinere Sabbati; maius momentum afferret, si quis contenderet, dies quadraginta totos intercessisse, demptis extremis, & quo CHRISTVS resurrexit, & quo ascendit. Sed quia iis etiam diebus ipse Discipulis apparuit, & mentio illa Sabbati ad circumscribendum spatium itineris facta est, de quo posteà [d], ratam esse oportet cōmunem, & Ecclesiæ vsu confirmatam de feria quinta sententiam. Adde præterea Constitutionem Apostolicā apud Clementem [e], in qua numeratis quadraginta diebus à primo Dominico die, præcipitur, vt celebretur dies festus Assumptionis Domini, quo die, absoluta omni dispensatione, ascendit ad DEVM PATREM. Eodem nomine fallitur Epiphanius, quando, vt quidem nonnulli de ipso affirmant, loquens de ieiunio feriæ quartæ olim in Ecclesia seruari solito, eius causam reddit, quia illucescente feria illa, Dominus fuit assumptus. Cùm autem Tertullianus [f] ait ascendisse CHRISTVM in Pentecoste, intelligi debet de spatio inter Pascha, & festum Pentecostes.

c suprà vers.3.

Christus feria quinta in cælū ascendit.

d vers.12.

e 5.Constit.c. 8.vel 20.

f lib.de Bap. p.19.

Quo mense, & quoto mensis die, & quot agēs annos CHRISTVS ascenderit, pendet ex chronologia ætatis eius, & Passionis, & Resurrectionis. Placet 25. die Martij mortuum esse, resurrexisse 27. die 5. Maij ascendisse, agentem annum 34. hoc est, menses quinque supra 33. annos. Vix lætior est mensis, propter plantarum viriditatē, Solis splendorem, auium concentum, communem toti naturæ amœnitatem. Apud Athanasium [g] reperies in Syrmiana professione Fidei Arianorū 3. CHRISTVM post quinquaginta dies à Resurrectione assumptum esse in cœlum: quod communi sententiæ, & ipsius, & Apostolicæ huic nostræ historiæ repugnat.

...ristus quo die ...s resurre... & ascendit.

g lib.de Syn.

Mitto tropologicas, seu anagogicas quasdam de Ascensione in feria V. causas [h], quòd eo die missi hominum piscatores sint ad prædicandum, quo ex aquis pisces producti: CHRISTVS ceu magnarum alarum aquila euolauerit, quo volucres ex eisdem aquis extiterunt: quòd eodem die cœleste, quo mysticum epulum, celebrari decuerit: eodem euehi super omnes cœlos, & ordines ANGELORVM, quo se tanta Maiestas infra pedes abiecerat etiam vilissimi, & pessimi proditoris [i]: quòd ea summi rerum domini, regisque ritè dicari triumpho dies debuerit, quam nebuloni nescio cui, quem Iouem nominauit, impia superstitio consecrauerat.

...eria quinta ... ascensionis mysteriones. h Pelbartus 2. de Asc.

i ...13.5.

Hoc sanè constat, in gratam, ac religiosam Ascensionis CHRISTI memoriam, æquè olim in Ecclesia, atque Dominicam [k], feriam V. festiuam fuisse, nec magis ea die ieiunium prohibitum esse, quàm illa Melchiadis [l] Papæ decreto, propter

...ia quinta ... festi... & in ... k ...stan. in lib. 4. ...m.21. l ...t. 4.c.

A quam causam, vt & propter Sabbatum, quo etiam non ieiunabatur, Quadragesimam pluribus, quàm sex hebdomadis constitisse apud aliquos, dixi in Euangelium primum Quadragesimæ: etsi posteà, ne venerari nebulonem illum videremur, sublatam eius diei celebritatem, Augustinus [m] testatur: Durandus autem, quia iam multiplicatæ erant Sanctorum festiuitates; ac proinde ab Agapeto Papa processionem fieri eo die solitam (de qua etiam superiùs meminimus) necnon Rupertus [n], & Ludolphus [o], in Dominicum esse translatam.

m Ser.215.de Temp.

n li.9.de Diu. offi.cap.10. o 1.pat. de vita Christi. ca. 82.

B Possemus Rogationum Litanias, quæ in Ecclesia Occidentali triduo ante Ascensionem post vltimam Dominicam à Paschate feria 2. inchoantur, huc referre. Verùm de his consule scriptores de Diuinis officiis, & Baronium in Notis Martyrologij, ad 25. Aprilis: quæ res quoque facit pro celebritate festi Ascensionis.

Tropologias de loco petere potes ex dictis de prærogatiua Montis Oliueti. Hanc etiam Hieronymus, aut apud illum Auctor Commentarij in Marcum [p], breui complexus est. *In monte Oliueti CHRISTVS tenetur, & inde cœlos ascēdit, vt nos sciamus, quia inde ascendimus ad cœlos, vnde vigilamus, & oramus, & ligamur, nec repugnamus in terra.*

Tropologia sumpta ab Ascensionis loco.

p cap.14.

C Hora fuit pomeridiana, vel certè post prādium alia, si antequàm ascenderet cibum CHRISTVS cum Discipulis die eodem sumpsit, vt suprà [q] disputauimus. Rupertus [r] monet processionem in hoc festo fieri post tertiam, indicans circa sextam CHRISTVM ascendisse. Bonauentura [s], & Vitriacus [t] idem dicunt de sexta. Mairon, quem citat Pelbartus [u], affirmat fuisse nonam. Augustinus indicat tempus meridianum. Sic enim ait exponens versum illum Psalmi [x]: *Vespere, & mane, & meridie narrabo: Vespere Dominus in cruce, mane in Resurrectione, meridie in Ascensione: & enarrabo vespere patientiam morientis: annunciabo mane vitam resurgentis: orabo, vt exaudias meridie, sedens ad dexteram* PATRIS. Idem ferè habet Prosper in sententiis Augustini [y]. Sed & in multis locis vigere consuetudinem fertur, vt hora diei duodecima vsque ad primam post

Qua hora Christus in cœlum ascenderit. q vers.4. r li.9.de Diu. offic.c.10. s in medit.c. 98. t Ser.2. u Serm.2.

x Psa.54.18.

y in 203.

D meridiem vacetur orationi publicæ ac solemni in memoriam Dominicæ Ascensionis. Solet quoque cereus Paschalis, index versantis nobiscū CHRISTI post suam Resurrectionem, sub horam sextam extingui, & tolli.

Sed quòd hora nona ascenderit, satis probat, quòd eadem etiam hora CHRISTVS expirans ad inferos descendit, ibique latronem, & Patres suæ diuinitatis visione beatificauit. Accedit mystica [z] ratio, quoniam ea hora creditur eiectus Adam præuaricator de Paradiso, *cùm illum* DEVS *deambulans ad auram post meridiem* [a] *reprehenderit: & obseptus est custoditusque ab armato Cherub aditus Paradisi.*

z affertur à Pelbarto.

a Gen.3.8.

E Potest vtraque sententia conciliari, si dicas Ascensionem contigisse post horam sextam circa principium nonæ: prandium enim sumebatur hora sexta, post quod aliquid spatij necessariò intercurrit, antequàm ad montem perueniretur, & ibi data suis salute CHRISTVS ascenderet.

Christus secundum quosdam ascēdit hora nona.

Beda, cuius in vita legimus eū videndi CHRISTVM desiderio æstuantem, identidem Antiphonam intermortuis vocibus repetiisse iacentem ex eo morbo, qui illi postremus fuit, circa diem festum Ascensionis: *O Rex gloriæ Domine virtutum*; hic, inquā, venerabilis Pater, narrat in descriptione locorum [b], in die Ascensionis Dominicæ, per singulos annos, Missā peracta, validè flaminis pro-

In die Ascensionis in ipso eius dem quale intra cœlum fieri solitum.

b lib. de loc. Sanctis. ca. 7.

cellam

cellam desursum venire consueuisse, & omnes, qui in Ecclesia essent, in terram prosternere, tota ibi nocte ardere lucernas, vt non illustrari tantum, sed & ardere mons, & supposita loca viderentur. Non minorem admirationem asserũt, quæ idem [a] commemorat, atque Hieronymus [b], propter Dominici corporis meatum, summum templi cacumen, quod ibi magnificè constructum est, nullo modo contegi, & concamerari potuisse, sed transitum eius à terra ad cœlum vsque patuisse apertum. Cum his Optatus Mileuitanus [c], Paulinus [d], Seuerus Sulpitius [e], & ex recentioribus Burcardus [f], & alij certam, testatámque de impressis à CHRISTO ascendente vestigiis mentionem faciunt, ita vt is sacratus locus nunquàm tegi marmore, aut pauiri potuerit, semper excussis solo respuente, quæ manus adornandi studio apponeret: & cùm quotidiè terra, vbi etiam Titus Ierosolymam obsidens castra locauerat, à fidelibus hauriretur, damnum tamen arena non sentiret, sed eadem vestigiorum species perseuerarer.

Iam verò quòd Burcardus, & alij lapidem, qui Domini continebat vestigia, hostium religionis nostræ inuidia, inde sublatũ testantur, & in Orientali porta eius Ecclesiæ ab ipsis clausa collocatum, nescio quàm hoc esse verum possit de lapide, cùm mons, vnde CHRISTVS ascendit, lapide constratus non esset, & ceteri, quos citaui Patres, in terra, & arena tradant vestigia impressa. Minùs hoc nouũ, mirúmve videbitur de vestigiis CHRISTI, si verum est quod Gregorius [g] Turonensis à sapientibus, & qui locum ipsum inspexerunt, accepisse scribit; sulcos, quos rotæ curruũ Ægyptiorum Hebræos persequentium in mari Rubro fecerant, in mari permanere, & quantum acies oculorum videre potest, in profundo cerni: quos si modicùm commotio maris obtexerit, illo quiescente, rursus diuinitùs renouari vt fuerant. Videtur hoc ex Paulo [h] Orosio Turonensis mutuatus transcripsisse. Rem narrat de vxore Lot in statuam salis versa Tertullianus [k] longè mirabiliorẽ:

— & simul illic

In fragilem mutata salem, stetit ipsa sepulcrum,
Ipsáque imago sibi formam sine corpore seruans,
Durat adhuc, etenim nuda statione sub æthram,
Nec pluuiis dilapsa situ, nec diruta ventis,
Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio tam corpore, sexus
Munificos solito dispungere sanguine menses.

Testatur de sua Iosephus [l] antiquior ætate, & multò recentior Burcardus [m], nimirum statuam illam adhuc extitisse, & ad tempus vsque generalis resurrectionis duraturam, Thargum [n] dicit, & valdè indicat liber Sapientiæ [o].

Addam hìc in fine quam legi apud S. Bernardinum [p], aliósque [q] historiam de nobili milite, qui cùm piè obitis locis aliis sanctis, ad ipsa eadem vestigia CHRISTI, quæ modò dixi, peruenisset, indidem corpore, animoque deficiens, præ amoris suauitate, & CHRISTVM visendi desiderio, euolauit in cœlum, vnde CHRISTVS ascenderat; cumque corpus, vt fit, exenteratum esset, apparuerunt in corde insculpta verba: AMOR MEVS IESVS. Nos quandiu CHRISTI iussu [r] peregrinamur, *conuersationem habemus in cœlis* [s], *& vbi ipse est ad dexteram* [t] DEI *sedens, quæ sursum sunt quæramus, quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram* [u]. *Membra* CHRISTI *sumus, si ascendere volumus in cœlum* [x], *spe ascendamus, & corde sequamur; vitia, & passiones subdendo, & calcando, scalam de iis nobis faciamus* [y]: *sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna praelectos peritura non occupent* [z]. *Laborandum, & totis vtriusque hominis viribus luctandum est, vt nobilior portio inferiorem ad cœlorum secum excelsa extollat potiùs, quàm vt inferior superiorem ad inferni profunda demergat* [a]: *quia ad cœlum ascendisse Dominum audiuimus, hoc seruemus in meditatione quod credimus: & si adhuc hìc tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris.* Sed iam tempus est, vt reuertentes de monte Oliuarum, Discipulos ad montem Sion prosequamur. Nam CHRISTVS in cœlo quomodo sedeat ad PATRIS dexteram, superiùs [b] satis pro instituti ratione diximus: an verò vnquàm ad eos descenderit, vel descendere aliquando ante iudicij diem credendus sit, aptior ad disputandum locus erit in historia de B. Pauli [c] vocatione. Interim lege Suarez in Tertiam partem [d].

a Ibid.
b lib. de locis Heb.
c 6. cont. Par.
d epist. 11.
e lib. 2. Histo. Sac.
f par. 1. de Ter. sanc. cap. 7.
Vestigia pedum Christi ibi hæserunt numquam deleri potuerunt.
Lapis cum Christi vestigiis remotus, non arena.
g lib. 1. Histor. Franc. cap. 10.
h lib. 1. c. 10.
i Gen. 19. 26
k Carm. de Sodoma ca. 3.
De statua salis in quam versa est vxor Lot.
l 1. Ant. c. 11.
m 1. p. de Terra sanct. c. 7.
n Gen. 19.
o cap. 10. 7.
p Serm. 1. de Ascens.
q vt Pelbar. & Ludol.
Militis generosi mors gloriosissima.
r 2. Cor. 5. 6.
s Phil. 3. 20.
t Col. 3. 1. 2
u Aug. Serm. 94. de Tem.
x idẽ Ser. 176.
y Leo Sermo. 2. de Ascen.
z Hilar. Arelat. hom. 1. de Ascens.
a Gregor. homil. 29. in Euang.
b vers. 9.
c cap. 9.
d q. 58. Disp. 51. sect. 4.

Versus 12.] TVNC reuersi sunt Ierosolymam à monte qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, Sabbati habens iter.

ALTERA nunc pars sequitur istius capitis, in qua catalogus vndecim Apostolorum texitur post discessum CHRISTI, loco eodem cum eiusdem Genitrice, & fratribus, aliisque mulieribus orationi sedulò incumbentium, & sancti SPIRITVS aduentum piè, auidéque expectantium.

TVNC *reuersi sunt.*] Hìc repetenda quæ Lucas ponit [e] in Euangelio: *Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno. & erant semper in templo laudantes, & benedicentes* DEVM. De posteriore sententia dicemus versu sequenti.

Prior docet gauisos Discipulos, nempe & gloria ascendentis CHRISTI delectatos; & ANGELORVM responso confirmatos, & promissi SPIRITVS sancti expectatione animatos. *Gauisi* leguntur Discipuli *viso Domino suscitato* [f]: sed eo ablato, auctum gaudium est, non ablatum, nec vnquàm anteà gaudium magnum ipsis tribuitur, etsi Magis stellam reuisentibus. [g]

Non equidem dubito adoratos nunc à Discipulis non ANGELOS, sed CHRISTVM, siue adorationem factam intelligas dum ascenderet, siue postquàm ascendit, siue etiam vtroque tempore, siue denique non CHRISTVM tantùm, sed & vestigia ab eo relicta, vt sanctus Bernardinus [h] putat. Verùm non facilè concesserim (quod docet Maldonatus [i]) adhuc ab illis nunquàm esse adoratum, quòd nempe quamuis DEVM esse credebant, tamen quia solùm in eo videbant hominem, tanquàm cum homine versabantur: iam autem demùm cùm ferri in cœlum vident, coactos esse reipsà confiteri DEVM, quem antè sola fide confitebantur. Nam & sola fides de CHRISTI Deitate satis esse potuit ad eum adorandum in Discipulis, quæ alios tam multos perpulit ad hunc illi cultum exhibendum: vt Magos [k], leprosos [l], Principes [m] Synagogæ, nautas [n], Zebedæi [o] vxorem, Chananæam [p], Dæmones [q], cæcum [r] natum, hæmorrhoissam [s], pias mulieres [t] post Resurrectionem. Quid? quòd etiam post Resurrectionem Matthæus [u] apertè meminit ab vndecim adoratum

esse

e c. vlt. 52. 53.
Gaudium Apostolorum post Christi Ascensionem quale & quantum.
f Ioan. 20. 20.
g Matt. 2. 10.
Christus ab Apostolis adoratus.
h serm. 1. a. 3. c. 1.
Christus an ab Apostolis ante diem Ascensionis fuit adoratus.
i in Lucam.
k Matth. 2. 11.
l Matth. 8. 2.
m Matt. 9. 18. Marc. 5. 22. Luc. 8. 41.
n Matth. 14. 33.
o Matth. 20. 20.
p Matt. 15. 25. Mar. 7. 25.
q Mat. 8. 29. & c. 6. Luc. 8. 28.
r Ioann. 9. 38.
s Marc. 5. 33. Luc. 8. 47.
t Matt. 28. 9.
u Matt. 28. 17.

Digitized by Google

esse in Galilæa CHRISTVM, de Petro verò Lucas [a] narrat procidisse ad genua IESV adorabundum videlicet, vt ibi sententiæ auctor, quam modò refellimus, affirmat, & precabundum, cùm in laxatum CHRISTI iussu rete conclusisset piscium multitudinem copiosam. Denique tot ac tam illustria miracula non minùs reipsa cogebant Apostolos, vt DEVM esse faterentur CHRISTVM, quàm ipsa eius Ascensio, atque hæc etiam non ita cogebat, quin, vt de Thoma [b] Gregorius [c] notauit, nunc dici de aliis potuerit, quòd hominem viderunt, & DEVM crediderunt, ac adorauerunt: fortasse ille intellexit ab omnibus communiter, ac publicè CHRISTVM non esse adoratum.

[a cap. 5. 8.]
[b Ioan. 20. 29. c hom. 26. in Euang.]

A monte qui vocatur Oliueti.] Ludolphus [d] notat, in veteri editione haberi, *A monte trium luminum*, quia mons Oliueti de nocte, inquit, illuminabatur ex parte Occidentis igne templi, vbi erat ignis iugis in altari: manè à parte Orientis excipiebat radios Solis, antequàm hi illustrarent ciuitatem: habebat etiam copiam olei, quod est fomentum luminis. Glossa ordinaria Rabani idem docet de nomine montis trium luminum, & de causa nominis, non tamen quòd vetus editio in textu id nomen habuerit.

[*Mons Oliueti olim luminum dictus.*]
[d 2. par. de vita Christi. ca. 82.]

Sabbati habens iter.] Monui superiùs [e], nomen Sabbati non fauere opinioni Chrysostomi, quòd CHRISTVS die Sabbati ascenderit, cùm hîc solùm describatur quo spatio mons Oliueti distaret ab Ierusalem, nimirum quantum in Sabbato confici ab Hebræis posset: erat autem, vt ex Origene Oecumenius refert, vnius milliaris duûm millium cubitorum, vel duorum millium pedum, vt ex Rabinorum traditione, Hieronymus [f]: vel vt in hunc locum Beda, Glossa interlinearis, & Lyranus docent, idémque Beda [g] alibi duorum milliariorum, nempe Italicorum. Quod colligi quoque potest ex Ioanne [h], qui Bethaniam, quæ est à latere montis Oliueti, iuxta Ierosolymam fuisse scribit quasi stadiis quindecim, hoc est, mille octingentis septuaginta quinque passibus. Continet enim stadium centum vigintiquinque passus; remotior verò est Bethania, quàm mons ab Ierusalem; quippe, vt dixi, non ad radices eius sita, sed in latere.

[e vers. præce.]
[*Mons Oliueti quantum ab Ierosolymis distaret.*]
[f epist. 151. ad Algas. q. 10.]
[g lib. de loc. san. c. 7.]
[h cap. 11. 18.]

Maximè probabilis est traditio, quam recitat Hieronymus, quia mons Oliueti, teste Iosepho [i], adeò propinquus est vrbi Ierosolymæ, vt inter vtrumque parua vallis Cedron tantùm intersit, & vbi sexto stadio Titus contra vrbem castra posuit, quæ distantia longè minor est, quàm duorum, vel vnius etiam milliaris. Mille enim passus quinque mille pedes continent, & sex stadia conficiunt septingentos, & quinquaginta passus: quin & montis principium propiùs aberat, quàm vbi Romanorum castra locata sunt. Itaque bis mille pedes ex illa Hebræorum traditione paulò plus continent, quàm stadia tria, quæ Burcardus [k] quatuor esse affirmat, quibus mons abest: illud quoque vnum milliare Origenis, constans duobus millibus cubitorum, ter mille pedes conficit, quoniam cubitus pedem habet cum dimidio: magisque ad leucam Gallicam accedit, quàm ad Italicum milliare, quod breuius est. Opinionem de bis mille passibus probant quidem recentiores ex alia Iudæorum traditione in libro quem appellant Misnaioch; prior tamen præferenda, cùm, Hieronymo teste, ex illis verbis eam acceperint in Exodo [l]: *Maneat vnusquisque apud semetipsum, nec egrediatur de loco suo die septimo.*

[*Mons Oliueti vno milliari ab Ierosolymis non distat.*]
[i 6. Antiq. c. 3.]
[k supra citato loco.]
[l cap. 16. 29.]

A Abulensis in Matthæum [m], cùm ait CHRISTVM in Bethania hæsisse die Sabbati pridie quàm triumphans Ierusalem ingrederetur, quòd non liceret eo die iter facere, indicat profectò hanc sententiam. Siquidem Bethania longiùs quidem aberat, quàm montis pars aliqua, non tamen plusquàm vndecim stadiis, id est, non integris duobus milliaribus, vt dictum est. Lege eundem Abulensem super quartum Regum [n], vbi ait licuisse mille passus eundo, totidémque redeundo animi gratia, vel pia de causa cóficere, sed non ad expedienda negotia. Hoc etiam dicút Lyranus & Carthusianus. Syrus interpres hoc loco vertit, *qui est iuxta*
B *crepidinem Ierusalem, & distat ab ea circiter septem stadia.* Ceterùm dictæ traditionis origo, cur fas crederetur Sabbato breue illud spatium perficere, cùm lex alioqui omne prorsus iter vetare videretur [o], vt antè dixi, nasci potuit, sicut indicat Oecumenius, quoniam Iosue [p] per præcones cauit, vt Arca procedente, distarent ab ea castra duûm millium cubitorum interuallo; propterea debuit licuisse inde accedere ad ipsam ipso quoque Sabbato.

[m q. 59. in ca. 21. Matth.]
[n in 4. c. q. 32. *Quantum iter diebus Sabbati liceret conficere.*]
[o Exo. 16. 29.]
[p cap. 3. 3. 4.]

Glossa interlinearis hîc negat sciri qua auctoritate in mores inducta sit Sabbati per spatium assignatum ambulatio: hanc autem Lyranus magis ad recreationem fuisse, quàm ad laborem. Vnde etiam CHRISTVS cum Iudæis ex eorum con-
C suetudine, & opinione loquens [q]: *Orate*, inquit, *ne fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbato.* Illa quidem, quia frigore horrida, lutosa, & pluuiosa est; hoc autem, quia religione prohibebantur Iudæi vltra breue illud spatium procedere, etsi non omninò, vt superstitiosè ac ridiculè nonnullos ex ipsis existimasse, & obseruasse Origenes [r] testatur.

[*Vnde fallum sit vt Sabbato tantum itineris conficere liceret.*]
[q Mat. 24. 20.]
[r li. 2. de Princip. cap. 4.]

SABBATI.] De huius diei celebritate, & institutione non est præsentis loci ex professo disserere. Ea de illo dicemus, quæ subinde occasio suggeret, prout & paulò antè fecimus. Duo de nostris in hoc argumento benè versati sunt, Toletus [s], & Ribera [t]. Ex his nunc præter id, quod de Sabbati itinere diximus, nominis notationem no-
D tabimus: quæ non petenda est à Baccho, qui interdum dicitur Sabbos, vt Plutarchus [u] putauit, méntiens à Iudæis cultum esse; vox enim Hebræa est, non Græca: neque propter eandem causam à Sabbo, qui Ægyptiis inguinum dolor est, vt Apion [x] grammaticus Alexandrinus volebat, ex quo Hebræi laborantes, cùm Ægyptum egressi sunt, die septimo quieuerint: neque à שבע *schebah*, quod est *septem*, quasi dies septima, vt ex Christianis doctoribus Lactantius [y], & Theophilus [z]: sed à שבת *schabath*, id est, *quieuit*, quoniam eo die DEVS à creatione rerum quieuit, vt apertè Scriptura docet [a], & Iosephus [b], aliique, quamuis & Scriptu-
E ra [c] aliam causam reddit, vt exponit Moses Ægyptius [d]: quia liberati ab Ægyptia captiuitate, diem habuerunt, quo non à labore tantùm quiescere, sed feriari etiam in DEI cultum, & honorem possent. Eusebius Cæsariensis [e] cùm eandem à DEI quiete etymologiam attulisset, septimi diei singularem quandam excellentiam, præcipuámque religionem, & sanctificationem (à qua in Scriptura omnis alia festiuitas denominatur) vidisse quoque priscos Gentilium Theologos, Linum, Homerum, Hesiodum, demonstrat, productis in medium versibus eorum.

[s Ioa. 5. anno. 7. & ca. 7. annot. 2.]
[t 5. de Temp. cap. 1.]
[*Sabbatum vnde deriuetur, & primo non a Sabbosud. ß, Bacchus.*]
[u lib. 4. Sym. quæ. q. 5.]
[x Iose. libr. 2. cont. illum.]
[y libr. 7. c. 14.]
[z lib. 2. ad Autolycum.]
[*Sabbatum deriuatur ab Hebræo verbo quod significat quiescere.*]
[a Gen. 2. 2. Exo. 20. 9. 10. 11. cap. 31. 17. Deut. 5. 13. 14. Heb. 4. 4. 5.]
[b 1 Ant. c. 2.]
[c Deut. 5. 15.]
[d libr. direct. dubiorum. ca. 32.]
[e li. 13. de præ. Euang. cap. 7]

Bene probat Pererius [f], præceptum Sabbati non esse præscriptum in statu innocentiæ, aut in lege naturæ, secutus in ea re Bedam, ac Abulen-

[f li. 3. in Gen. *Sabbatum non fuit præscri. tum in statu innocentiæ.*]

sem

a in Tryph. b 1.Hist ca.4. c cont.Iud. d item contra Iud. e in Tertul. fin c.4.Iosue. g lib.11.de ar. Cath. verit.c. 5. 9.& 10. h 1.2.q.100.a. 5.quem etiam lege quodl. 2.art.4. i 4.de fide.ca. 24. k p.2.cap.15. l cap.1 4. m in cat.Iob. n in cap.3. o ibidem. p ibidem.

sem contra Catharinum, assertéque testimonium Iustini [a], Eusebij [b], Tertulliani [c], Cypriani [d]. Lege item Renatum Laurentium [e], Andream [f] Masium, Petrum Galatinum [g], & interpretes B.Thomæ in Summa [h], & Damascenum [i], & auctorem victoriæ contra Iudæos [k]. Etsi verò verba Iob [l], *non requirat eum* (diem quo conceptus erat, vel natus) DEVS *desuper*, exponere videantur Chrysostomus [m], B.Thomas [n], Lyranus [o], Beda [p], ne habeatur pro die festiuo, vnde confirmari posset opposita sententia: tamen melior sensus est, ne DEVS tatam habeat eam solemnitatem, quam talibus diebus homines quandoque decernunt, nec huiusmodi diem velut ab hominibus dicatum, requirat. Fortassis diem natalem Iob subditi eius lætitia celebrabant, quamuis id ipse non instituisset, sicut qui natales suos Pharao, Herodes. Indicat Origenes [q].

q ibidem. *Hebræi in fimeũ lapsi insania.* r 3.Geogra.

Ridiculum est, quod narrat Volaterranus [r] de Iudæo, qui delapsus in cloacam die Sabbati, noluit ob diei religionem eo die extrahi: sequenti verò cauit loci dominus, ne extraheretur, prætexens Dominicæ reuerentiam.

s ad Euop.

Antiquior alterius væsania recitatur à Synesio [s] oculato teste, qui mox vt Sol reliquit terram in Parasceue, clauo nauis relicto prostrauit se, seque cuiuis calcandum exhibuit, nec ad opus rediit, quamlibet adacto gladio minitarentur ei mortem, quàm sequentis diei dimidium noctis rediret.

Ieiunium, quod Iudæi celebrasse in Sabbato dicuntur, quale. t lib.16.

Et opinor, eadem nimia religione tenebantur illi Iudæi, quos Pompeium Strabo [t] scribit, captis Ierosolymis expugnasse, cùm diem ieiunij obseruasset, quo cessabant ab opere. Quæ cessatio, vt mihi quoque videtur, ab imperitis Gentilibus vocata est, ieiunium Sabbati, vt ab Augusto [u], Martiale [x], Iustino [y] historico, ita vt, quòd nil Sabbato pararent cibi Iudæi, omnique negotio abstinerent; ieiunare quoque Iudæos propriè putarent: quod nefas tamen eo illis die fuisse docet Moses Ægyptius [z], apertéque colligitur, nō solùm ex catalogo ieiuniorum Iudaicorum, quem refert Ribera [a], post Genebrardum, sed etiam ex historia Iudith [b].

u apud Suet. cap.76. x lib.4. Epig. in 4. y lib.36. z li.de cetim. lib.3. de tem. c.de Sabb. & de ieiun. a 5.de tem.c. 21. b cap.8.6.

c in Sueto.in Oct. cap.76.

Minùs probo vel ieiunium Sabbati dici vnum maximè solemne in anno, vt sensit Beroaldus [c], vel quodlibet, denominatione accepta dierum hebdomadæ à Sabbato. Concedo denominationem istam, quo modo vocatur vna, id est, prima Sabbati [d], & dicitur ieiunare quis bis in Sabbato [e], sed hoc non facit ad propositum.

d Ioan.20,1. Matth.28.1. e Luc.18.12.

Versus 13.] Et cùm introissent in cœnaculum, ascenderunt, vbi manebant Petrus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi.

ET *cùm introissent, in cœnaculum ascenderunt.*] Interpunctio poni debet post primum verbum, & suppleri nomen ciuitatis, quod in textu Græco non lego, quamuis Glossa ordinaria ibi esse affirmet. *Prius ascenderunt*, inquit Lyranus, *& posteà introierunt cœnaculum:* & est figuratiua locutio, sic vt cùm dicitur [f]:

f lib.2.Æn.

— *moriamur, & in media arma ruamus.*

Ita quoque Carthusianus, & alij Latini præter Gagneium, qui sensum, quē dixi, bene colligit ex tex-

A tu Græco, Καὶ ὅτε εἰσῆλθον, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον.

Cœnaculum.] Ὑπερῷον. Latina vox auctore Festo [g], & Varrone [h] significat vniuersam domus partem superiorem, postquàm ibi cœnitari cœptum est. Est porrò falsum discrimen, certè non perpetuum, quod affert Valla [i], cœnaculum esse locum ad cœnandum in loco superiore; cœnationem in inferiore. Vnde & in cap.20. [k] huius libri cecidisse narratur Eutychus adolescens de tertio cœnaculo: & Ezechiel [l], Historia Regum [m], & liber Paralipomenon [n], vocem eandem in hac significatione vsurpat, etiam pro superiore parte templi, aliáque passim exempla occurrent. Aliquando etiam locum conductum significat, habi-B tatúmque à tenuioribus, & inquilinis, iuxta illud Iuuenalis [o]:

— Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors, rarus venit in cœnacula miles.

Vnde cœnaculariam exercere dicebatur [p], qui de ædibus modicum quid sibi retinens, superiora domus inquilinis locabat. Mos ille vigebat apud Romanos: Græci verò contrà ad inferiora vestibula, & sub porticu hospites diuertere faciebant, altè ipsi habitabant in penetralibus. Eadem consuetudo Romanorum colligitur ex Plauto [q], Macrobio [r], & rursum ex Iure ciuili [s], & ex aliis Auctoribus apud Tiraquellum. [t]

C Suspicari possemus tale fuisse cœnaculum, cuius hîc mentio fuit, si idem fuit, in quo vltimam cœnam CHRISTVS celebrauit, vt habent Acta [u] Barnabæ; & si, quia dominum eius cœnaculi ipse CHRISTVS non nominauit, pauper fuit, & ignobilis, sicut hac ratione impulsus Ambrosius [x] existimauit: constat tamen fuisse grande stratum, ac paratum [y], quale pauper homo habere non potuit. Nicephorus [z], & Cedrenus [a] credunt fuisse cœnaculi dominum Ioannem Euangelistam: alij apud Theophylactum [b], Simonem leprosum; Euthymius [c], & Maldonatus [d], aut Iosephum Arimathiensem, aut Nicodemum, aliúmve ex occultis Discipulis nobilem & locupletem. [e] Alexander D auctor Actorum Barnabæ, Ioannem cognomento Marcum, Barnabæ cōsobrinum, in [f] cuius domum Petrus è carcere liberatus se recepit, atque ibidem ipso die Resurrectionis CHRISTVM apparuisse, illuc SPIRITVM sanctum in Pentecoste misisse, locumque in monte Sion Ecclesiam consecratum esse. Quod Hieronymus [g] quoq; confirmat, insuper eò illatā scribens colūnam, ad quam alligatus CHRISTVS flagellatus est; idemq; prodit Beda. [h]

Hæc de loci celebritate, & sanctitate haud grauatè admitto: quis eius anteà dominus fuerit, Euthymio: & Maldonato, quibus adde Iansenium [i], vel Alexandro, quàm aliis potiùs consentio. Nam Ioannes Apostolus vt fuerit propter nobilita-E tem, quod Hieronymus [k] ait, notus Pontifici, nec adeò tenuis, quin & mercenarios [l] piscatores haberet, & fortasse domum Ierosolymis, in quam CHRISTI Genitricem post illius Ascensionem receperit, non habuit certè adeò grandem, ornatam, stratam, paratam: neque si ipsa eius erat, debuit cum Petro mitti ad perquirendum, vbi Pascha parandum foret [m]. Iam Simon leprosus, apud quem etiam ante sex dies CHRISTVS cœnauerat [n], non Ierosolymæ, sed Bethaniæ habitabat; nisi diuinando dicas hominē religiosum, & locupletem, Lazari, ac sororū patrem, vt Nicephorus tradit, Pascha in Ierusalē celebrare voluisse, vel in conducta, vel in domo propria. Felix quicumq; ille fuerit, qui ex priuato ac profano in communē sa-

Cœnaculũ quid significet. g lib.3. h li.5.de ling. Lat. i 4.Eleg.c.12. k vers.9. l c.41.7. m lib.3.c.6.8. n lib.2.c.3.9. o Saty.10. p leg. si verò plures. ff. de his qui deie. q in Amphitryo. r lib.1.Sat.c.6. s l.1. si duo. §. sed si supra. ff. vti possid. t in Alex. ab Alex.lib.3. c. 14. *Cœnaculum in quo Christus Pascha celebrauit, & illud fuerit ne idem.* u Sur.tom.3. x Luc.22. y Mar.14.15. Luc.22.12. z 1. Hist.c.28. a in Annal. b Matt. 26. c ibid. d ibid. e Sur.tom.3. f Act.12.12. g ep.27. h lib. de loc. san.c.3. *Quis dominus eius cœnaculi fuerit.* i Concord.c. 129. k ep.16. l Mar.1.20. m Luc.22.8. n Matt.26.6. Marc.14.3.Io. 12.1.

crùm

crúmque vsum domum conuertit, vt suas deinceps viri illustres fecêre basilicas.

Quod verò CHRISTVS, qui præsepe natiuitati, asellum pompæ triumphali, morti crucem, tam nobilem elegerit celebrando Paschati locum, & instituendæ Eucharistiæ, docere nos voluit res sacras quàm decorè, & ornatè tractare ac percipere, nostra commoda, quàm modestè & humiliter curare debeamus.

Vbi manebant Petrus, &c.] Ponuntur hîc nomina vndecim Apostolorum, deerat enim collegio duodenarius, *vt intelligamus*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius, *eos resipuisse, qui à* CHRISTO *in eius passione defecerant: & vt quorum describebantur acta, eorum nomina tenerentur*, nec quisquam, sicut Hieronymus [a], Euthymius [b], Cyrillus [c], & Augustinus [d] annotarunt, per fraudem in Apostolorum numerum irreperet, ac se pro Apostolo, vt Manichæus, venditaret: vt Christiani generis primi fundatores, & parentes in nostra semper memoria viuerent & vigerent. Sic verò videmus nobiles ac principes ex nomine in Scriptura recensitos esse, præsertim in libro Numerorum [e]. Quæ etiam causa fuit, cur tam exactè illorum Euangelistæ catalogum confecerint [f].

Duodenarij variæ afferuntur causæ, totidem enim fuêre, per quos Iudaicus populus propagatus est, Patriarchæ, ita vt Testamentum vtrumque *hoc quasi dodecastylo* (sic loquitur Irenæus [g]) id est, duodecim columnarum numero, quos etiam Ioannes in Apocalypsi [h] per viginti quatuor seniores videtur intellexisse, vt ibi exponit Beda, & alij, & Arnobius [i], fundatum sit. Huius numeri figuras in vetere Testamento, aliasque congruentes rationes subtiliter, pieque scrutati sunt Iustinus [k], Tertullianus [l], Hieronymus [m], Theodoretus [n], Theophylactus [o], Augustinus [p], Sedulius [q], Emissenus [r], Rabanus [s], Gregorius [t], Ambrosius [u], Beda, [x] Macarius [y] Ægyptius, & alij, qui vel in Euangelia scribunt, vel Acta, vel etiam Apocalypsin [z], & ex recentioribus Alphonsus [a] Salmeron noster, qui simul discrimen affert in Paulo, & Barnaba ab aliis Apostolis: de quo nos aliàs: illas autem rationes, quas alibi sigillatim enucleauimus, vt nos commentarij finibus contineamus, modò contenti erimus indicasse, vnde quis petere possit.

Ludunt citati Auctores in duodecim fontibus [b] Elim: lapidibus [c] ab Iosue in Iordane electis: lapidibus [d] rationalis: lapidibus ex quibus altare confectum est [e]: lapidibus [f] in fundamenta Ierusalem coniectis: & totidem portis eius [g]: in duodecim virgis [h]: exploratoribus [i] Terræ promissionis: bobus [k] sustinentibus mare æneum: vitulis [l] ad sacrificium, aliisque animalibus eodem numero [m]: acetabulis [n]: panibus [o] propositionis: viris electis [p] ad portandam Arcam, quos Iosue elegit: adolescentibus [q] offerentibus hostias pacificas: Iudicibus [r], qui post Iosue iudicarunt populum, duodecim ducibus [s], qui in dedicatione templi Salomonis munera obtulerunt: tintinnabulis [t] in veste Pontificis: in duodecim fructibus [u], qui per menses singulos duodecim gignuntur: cophinis [x] fragmenta panum continentibus: Stellis [y] in corona sponsæ: cœlis duodecim [z]; tot enim peritiores nostri temporis Mathematici demonstrant: signis Zodiaci cum mensibus anni, & horis diei: in pueris [a] Dauid: in Leonibus [b] in throno Salomonis: in duodecim Patriarchis quos dixi [c], & tribubus [d] Israëliticis: in arithmetica perfectione [e] istius numeri compositi ex duplici senario, qui primus in aliis perfectissimus habetur; vt fructus, designant Apostoli beatitudinem accidentariam, quæ percipietur in eorum visione: orationis auxilium, vt Stellæ: vt signa Zodiaci, exemplum: doctrinam, vt fontes: miracula, vt lapides in rationali: baptismum, vt Patriarchæ: vt boues æneum mare sustinentes, pœnitentiam: cómunionem Eucharistiæ, vt panes propositionis: vt fundamenta, firmitatem diuinæ gratiæ aliorumque donorum: mortem toleratam pro nobis, vt lapides extracti de Iordane: nec difficile aliter alia commodo pioque sensu interpretari. Lege Blasium Viegã [f], vbi addit, *in corona mulieris, id est, Ecclesiæ, Stellas duodecim*, qui, dum demersum aquis hunc reparo commentarium, à me legitur, haud diu anteà editus.

PETRVS.] Græca vox est pro *Cepha*, aut *Cipho* Syriaca, siue Chaldaica, & Syrochaldaica, quod huic Apostolo nomen CHRISTVS iam inde à principio vocationis imposuit [g], vt placet Augustino [h], cùm dixit, *Tu vocaberis Cephas*, futuro vtens pro imperatiuo, vt cùm Abrahamo DEVS his verbis nomen mutauit: *Nec* [i] *vltra vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te*. Sicut verò ex Hebræo, כֵּף *Cheph*, id est, *petra*, quod reperies apud Ieremiam [k], & Iob [l], Chaldæi more suo addito א in fine, fecerunt כֵּיפָא *chepha*, ita Græcè dialecto Attica πέτρος, idem est quod πέτρα, quæ tamen genera, seu potiùs terminationes, meritò variatæ sunt apud Matthæum [m] ab interprete Græco, & Latino: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, cùm in textu Hebræo, aut Chaldaico, siue Syriaco, vel Syrochaldæo nullo discrimine idem nomen ponatur, quia vir non petra, sed Petrus nomine masculino vocandus fuit. Ædificij verò fundamentum per fœmininum meliùs, ac vsitatiùs exprimebatur, estque, vt dixi, πέτρος, pro πέτρα, Atticum, ac proinde etiam rarum.

Quare probabile non est, Petrũ à petra dictum esse, cùm Syriacè, qua lingua CHRISTVS locutus est, vtrumque nomine eodem significetur, & à petra deriuatiuè potiùs Petreus, quàm Petrus diceretur. Id à se [n] aliquando dictum probabiliter, Augustinus retractauit [o], alibique [p] apertè fassus est, quod res est.

Qui Cepham κεφαλὴν, hoc est, caput, sunt interpretati, vt Anacletus [q], Optatus [r] Mileuitanus, & alij, ad soni vocísque similitudinem alluserunt: vt & qui κορυφαῖον, aut κορυφὴν appellauerunt, in quibus Dionysius [s], seu etiam κορυφαῖον ἀκρότητα, summum capitis verticem. Huiusmodi allusione vsi sunt, qui Pascha, Hebræam sine dubio dictionem, παρὰ τὸ πάσχειν, à patiendo, & passione CHRISTI, denominarunt, Ambrosius [t], Nazianzenus [u], Augustinus [x], Beda [y]: qui IESVM παρὰ τὸ ἰάω, id est, *medeor*, quasi dicas, *medicum*, Epiphanius [z], Cyrillus [a] Ierosolymitanus. Similiter lusisse videbitur Philo [b], in verbo ἰᾶν, quod est θεραπεύειν, & nomine ἰαοῦ, à priore verbo ducto, cùm eosdem, qui Iessæi à IESV dicebantur, vocat θεραπευτὰς, à curandis animorum ægritudinibus, & qui CHRISTVM παρὰ τὸ χρίειν, καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεὸν, vt Iustinus [c], id est, *quod per illum omnia immxerit, & ornauerit* DEVS, dictum putant, vel quasi χρηστὸν, *Chrestum*, indeque Chrestianos, vt Tacitus [d], Plinius [e], Lucianus [f], refertque Paulus [g] Orosius, Lactantius [h], Tertullianus [i], Iustinus [k], qui vltimi duo

Christus cur locum celebrẽ ad Pascha celebrãdum elegerit.

Cur hîc Apostoli nominentur.
b Matt.10.
c ibid.
S. in Catena Tho. Matt. 10.
d l. 1. de Act. cũ Felic. c. 4.
e c. 1. & 2. & 7.
f Matt. c. 10. 2. 3. 4. Mar. 3. 16. 17. 18. 19. Luc. 6. 14. 15. 16.
g lib. 4. c. 18.
h c. 4. 4.
i Psal. 44.
k lib. de veri. Christi, & in Tryph.
l 4. cont. Mar. c. 3.
m Matth. 10. Ezech. 1. & alibi sæpe.
Apostoli cur duodecim fuerint.
n in Quæst. in c. 1. Iosue.
o Matth. 10.
p in Ps. 59. 86. & 103. & alibi.
q lib. 1. Carm.
r hom. de SS. Sim. & Iud.
s in Catena S. Thom. Matt. 10.
t 1. Moral. c. 8. 12. li. 18. c. 20. 21. hom. 17. in Euang.
u Serm. 24.
x Luc. c. 21.
y hom. 32.
z in c. 21.
a Tom. 4. in Acta 28.
b Exo. 15. 22. & Num. 33. 9.
c Iosue 4. 2.
d Exod. 28. 21. c. 39. 14.
Quibus similitudinibus depingatur duodenarius Apostolorũ numerus.
e Iosue 4. 3.
f Apoc. 21. 14.
g ibid. 12.
h Nume. 17. 2. 6.
i Num. 13. 1. & seq.
k 3. Reg. 7. 25. 44.
l Exod. 24. 5.
m Num. 7. 87.
n Num. 7. 84.
o Leuit. 24. 5.
p Iosue 4. 9. 10.
q Num. 7. 10. & seq.
r libro Iudicum.
s 3. Reg. 8. 5. & seq.
t Exod. 28. 33.
u Apoc. 22. 2.
x Mar. 14. 20.
y Apoc. 12. 1.
z Clauius in sphær. ex vit. edit.
a 2. Reg. 2. 15.
b 3. Reg. 10. 20.
c supra.
d Exod. 24.

e vt docent Arithmetici, & Pet. Ringus in op. de myst. num.
f in Apoc. c. 12. comment. 1. sect. 7.
g Ioan. 1. 42.
h 2. de cõsen. Euan. c. 17. & 53. lib. 4. c. 3.
i Gen. 17. 5.
Petra nomen idẽ est quod Petrus Hebraicè, Syriacè, & Græcè.
k c. 4. 29.
l c. 30. 6.
m c. 16. 18.
Petrus à petra non dicitur.
n Tracta. 7. & vlt. in Ioan. & ser. 13. de ver. Dom.
o 1. Retract. c. 21.
p Serm. 16. & 29. de San.
Cepham caput interpretati, vnde id acceperint.
q ep. 3.
r libro 2. in Parm.
s c. 3. de Diu. nom.
t lib. de myst. Pasch. c. 1.
u oratio. 2. de Pascha.
x Tracta. 7. in Ioan.
y Ioan. 13.
z hær. de Nazar.
a Catec. 10.
b lib. de vita contemp.
Iessæi à Iesu dicti, à Philone male curatores vocantur.
c Apol. 1.
d li. 15.
e ep. 109. ad Traian. & hic in ep. ad illũ.
f in Philop.
g lib. 7. c. 6.
h lib. 4. c. 7.
i in Apolog. c. 3.
k Apol. & or. ad Gent.

negant hoc nomẽ,si admittatur quasi à χρηστός,hoc est, *vtilis* (erat verò etiam Latinum,& Romanum nomen Chrestus) esse odio habendum. Lege [a] Pamelium,& Baronium [b], Turrianum [c], & Salmeronem [d], & Bellarminum [e] nostros.

a in Tertull. b Tom.1.Annal.c.3. c cõt.Magdebur.c.3. d Tom.4.tracta.17. e li.1.deRom. Pont.c.10.& 17.

Gentiles quidem ignorantia linguæ Hebrææ lapsi sunt, ac nonnulli etiam Patres: at non Epiphanius, non Cyrillus, non alij aliqui. Docui superiùs disputans de nomine Israël, perperàm facere, qui notationes ex vna in aliam linguã transmutent. Reprehendit id quoque Hermolaus [f] in Laurentio Valla, qui quod Plinius Peloponnesi promontorium Ichthyn, ipse Thucydidẽ vertens Piscem vocat. Legendi eodem de vitio de nostris Delrius [g], & Pineda [h], prætereà Antonius Nebriss. [i] & Iacobus Curtius in coniecturalibus Iuris. [k]

f in li.4.Plin.c.5. g in Medea Senec. act.5.p.925. h in cap. 42. Iob.v.1. i in Quinquages.c.49. k lib.2.c.38.

Petri primatus nomine ipso declaratus.

B

Omnes verò Petri principatũ ipso eius nomine expressum voluerunt proximum CHRISTO, qui & ipse appellatus est petra [l], quam causam prætereà nominatim assignant Tertullianus [m], Basilius [n],Hieronymus [o],Leo [p],Hippolytus [q] martyr, Theophylactus [r], Paulinus [s],&c. Et quidem solidissimam petram ac durissimam, sicut cautem & rupem, Syriacæ vocis vis importat, immò fertur tradidisse Iosephum in opere de bello Iudaico, (non eum qui Græcè, sed alium, qui scripsit Hebraicè filium Gorionis, de quo ille meminit [t]) fuisse scopulosum collem præaltum, haud longè ab Ierusalem,vnde cerni tota posset,qui diceretur Cipho, seu Cephas, etsi σκοπὸν Græcè vocatum etiam asserat.

l 1.Co.10.4.& aliàs sæpe. m 4.cõt.Ma.c.13. n Hom.29.de Pœn. o Matt.16. p Serm.2.& 3. Assumpt.suę. & ep.89. q orat.de cõsum.sec. r in c.22.Luc. s ep.4. t 2. de bello Iud.c.35.

C

Petrus cur semper primus nominetur.

Facit ad eundem Petri primatum non mediocriter, quòd eum Lucas in isto capite, sicut & in Euangelio, texens Apostolorum catalogum, vti etiam Matthæus & Marcus, primum ante omnes nominant, necnon & hi ipsi, aliique sacri Scriptores, etiamsi aliquos tantum ex aliis Apostolis nominent [u]. Id profectò neque propter vocationem, neque propter ætatem, neque propter insignia alia dona, neque omninò casu factum dici potest. Casus non est,quod perpetuò fit, & Matthæus nominatim primum vocat Petrum, alios absque obseruatione ordinis, vt apud Matthæum annotauit Albertus.

u Mat.17.1.c.5 17.ca 13.3.c.16.7. Marc.1.36.c.9.32 cap.22.8. Luc. 8.45.51.c.9.32.c.22.8 Ioan.20.3.c.vl.2.& Act.2.14.c.5.29.

D

Petrus non fuit nominatus primus ob ætatis prærogatiuam.

Insignia dona præter hunc primatum, Euangelistæ facilè scire non poterant,nec indicare ausi essent. Ætate maiorem Andream facit Epiphanius [x], & Hieronymus [y], licèt Beda & S.Thomas [z] velint iuniorem fuisse: vocatione priorem Ambrosius [a], *& tamen*, inquit, *primatum non accepit Andreas, sed Petrus*, immò Ioannes [b] in Euangelio.

x Hæresi 51. y de Scri. Eccles. z Ioan.1. a 2 Cor.12. b c.1.40.

Petrus cur ab Apostolo ante Iacobũ non sit nominatus.

E

Quòd si quis obiiciat, in epistola ad Galatas [c] inter Iacobum, & Ioannem medium poni Cepham, præterquàm quòd vnus hic locus tot aliis obesse non potest,atque etiam Ambrosius,Augustinus,Hieronymus,Chrysostomus legunt *Petrus, Iacobus, & Ioannes*, constàtque pluris à Paulo factum Petrum, quàm Iacobum, *cùm se Ierosolymam venisse videndi illum causa dicat* in eâdem epistola [d]: & in comparatione cum aliis proximum [e] CHRISTO faciat; retinendo eam lectionem, dicemus cum Anselmo,& S.Thoma,id fecisse Apostolum, quia Iacobus erat Episcopus Ierosolymorum, vbi tunc erant Apostoli, de quibus Paulus loquitur: aut cum aliis [f], non dignitatis, sed ætatis rationem habuisse, qua Iacobus Petrum antecedebat, fertur enim sex & nonaginta natus annos obiisse: aut certe nullum eo loco ordinem seruasse, quia

c c.2.9. d c.1.18. e 1. Cor.1.12. f vt Maldona. Matt.10.

A

se aliis æqualem probanti, non erat opportunum de cuiusquam prærogatiua loqui. Vnde etiam non dixit, quod verè dicere poterat, qui columnæ erant,sed [g] *,qui videbantur columnæ esse.*

g Gal.2.9.

Etsi verò dignitatis eodem modo nullum alibi ordinem seruatum, Chrysostomus [h] generaliter loquendo affirmare videtur, quoties plurium mentio fit,ac nonnulli etiam alij Catholici Interpretes; id tamen quàm sit parum probabile, satis profectò quæ huc vsque adduximus, demonstrant: tum illud quoque, quòd quemadmodum in Apostolo vltimo, qui proditor, & omnium indignissimus erat, vbique ordo seruatus est, vt vltimo, ita in Petro seruatus de industria sit, vt primo loco, qui reuerà dignitate primus erat, numeraretur. Non possumus rem tam grauem leui, quod dicunt, brachio tractare,sed refert hoc quasi fundamentum in bene fundando Petri primatu,hîc iecisse, & stabiliuisse, vt à Caluinistis, & Centuriatoribus concuti non possit, nedum labefactari.

h Hom 34. in Matth.

In Apostolorum censendis dignitatis ratio habita est.

Ioannes cur hoc loco post Petrum sit collocatus.

IOANNES.]Ponitur post Petrum secundus(sic habet quoque Syrus, quamuis Græcus textus Iacobum) quod aliàs ne Lucas [i] quidem fecit catalogum texens Apostolorum, aut alius ex Euangelistis [k], quia nunc fortasse ordinem seruauit, quo Apostoli sedebant, aut manebant in illo cœnaculo, prout indicare videntur verba illa præcedentia: *Et cùm introissent in cœnaculum, ascenderunt, vbi manebant Petrus, & Ioannes*,&c.

i Luc.6.14. k Matt. 10. 2. Marc.3.16.

Peculiaris inter Petrum & Ioannem intercessit beneuolentia.

Certè peculiaris intercedebat Ioanni cum Petro beneuolentia, & familiaritas, quæ cùm ante CHRISTI Ascensionem apparuit [l], tum etiam maximè post eam, vt præsens historia testatur [m], in qua simul indicatur, plurimi factos à reliquis Coapostolis, & Ioannem hunc Paulus cum Iacobo,minore videlicet,& Cepha,seu Petro,Ecclesiæ columnam præ ceteris visum esse affirmat [n]: constâtque propter singularem amorem,quo CHRISTVS eum prosecutus est [o]; & quoniam viuens diutissimè post alios Apostolos,ita vt etiam senior cognominaretur, *totas fundauit, rexitque*, vt loquitur Hieronymus, [p] *Asiæ Ecclesias*, habitum in summa veneratione, eaque de causa illi multos homonymos esse voluisse, vt scribit Dionysius Alexandrinus [q] (hoc sanè tempore nullum Christianis nomen vsitatius videlicet in lege gratiæ viuentibus)Ioannes enim gratiam DEI significat, & à diuinitate sermonis ac scientiæ vnum ex Apostolis, & ante alios quoscumque THEOLOGVM appellatum, vt ab Euodio [r], Dionysio [s] Areopagita, Origene [t],Athanasio [u],Epiphanio [x], Chrysostomo [y], Cyrillo [z] Ierosolymitano, Cyrillo Alexandrino [a], Damasceno [b], Anonymo scriptore libri de translatione sancti Iacobi Apostoli; qui vixit ante 600. annos, & editus extat in bibliotheca Floriacensi:denique passim à Græcis, Latinisque, vt refert Petrus [c] Damianus: tamen Theophylactus [d] in Marcum, Iacobum huius fratrem nominat quoque Theologum vocalissimum.

l Luc.22.8.Io.20.2.c.21.7.20. m Act.3.1.c.4.19.c.8.14. n Gal.2.9. o Ioan.13.23.c.19.26.c.20.2.c.21.7.20. p de Scriptor. Eccl.in Ioanne. q Euseb.7.histor.c.20.

Ioannes Theologi nomẽ adeptus est.

r Nicepho.2.hist.c.3. s ep.10.ad Io. t homil.2.in Diuers. u in Synopsi. x Hæresi 51. y proœm. in Ps.37. z Catech.2. a 1.de Trin. b 4. de Fide. c.16.& in hist. Barlaam, &c. c Sermo.1.de Ioan.Euan. d Mar.9.

Iacobus Ioannis frater quale.

IACOBVS.] Frater hic est Ioannis, & quidem maior, erat enim Ioannes, cùm vocatus est, vt ait Hieronymus [e], penè puer, soletque aliàs semper, cùm nominantur, prior poni Iacobus, quàm Ioannes. [f] Cur verò hic etiam Iacobus ponatur ante Andream, eandem rationem esse credo, quam dixi de Ioanne.Quanquàm & alio quodam [g] loco lego hoc ordine nominatos Apostolos, Petrum, Iacobum, Ioannem, Andream inter-

e 1. in Iouin. f Matth. 4.21. c. 10. 3. c. 17. 1. Marc. 1. 19. 29.& 3.16.& c. 5.37.c.9.2. c.10.35.41. c.13.3.cap 14.33 Luc.5. 10.& 6.14.cap 8.51 c.9.28.54. g Mar.13.3.

rogan

rogantes, signa destruendi templi, nimirum quoniam primi tres CHRISTO magis familiares erant, vt videre est in notatis locis ad marginem. Marcus [a] autè in catalogo omnium Apostolorum Iacobum ac Ioannem præposuit Andreæ, quia simul dicere volebat, quibus CHRISTVS nomina noua imposuisset: nempe his duobus BOANERGES, sicut Simoni nomen Petri: etsi illud non tam nomen eorum fuit, quàm cognomen, quo nunquàm aliàs, etiam posteà nominati reperiuntur, ad designandum eos prædicatione insigniores fore, vt ibi docent Chrysostomus, Beda, aliique Interpretes, & Anastasius [b] Nicenus, & tanquàm duos Petri, ceu ducis, signiferos, cum quo, tanquàm familiarissimi, ad res secretiores, maioresque semper adhibiti sunt à CHRISTO, vti, ad transfigurationem [c], suscitationem filiæ Archisynagogi [d], orationem [e] horti.

a c.3.16.17.
b q. in Script. q.55.
c Matth.17.3. Mat.9.2. Luc. 9.28.
d Marc.5.37. Luc.8.51.
e Matt.26.37. Marc.14.33.
Iacobus Minor Transfigurationi non interfuit.

Vnde memoria lapsum oportet Ambrosium in Lucam, cùm Iacobum, qui in Transfiguratione præsens fuit, dixit primum ex Apostolis conscendisse sacerdotale solium: idémque de Glossa interlineari statuendum est, quæ Ambrosij etiam verbis in Matthæum [f] vsa videtur, nec non de Augustino [g], & de Emisseno [h], cùm loquitur de Transfiguratione, vbi Carthusianus hunc errorem notauit. Miror autem Iansenium in sua Concordia [i], in dubium reuocare, an Iacobus hic noster ante minorem sederit Episcopus Ierosolymis, cùm nullum talis sessionis extet vestigium.

f Matth.17.
g in epistolad Gal.c.2.
h in Euang. de Transfig.
i c.67.
Iansenij dubium reiicitur.

Et minor à maiore ordinatus, hoc est designatus Episcopus Ierosolymitanus dicatur, vt videbimus. Non est contemnenda ratio, cur Iacobum, & Ioannem Tonitrui filios dicamus: quia ceu sacri duo fulmina belli zelum, quo pleni erant, demonstraturi erant aduersùs eos, qui CHRISTVM excipere [k] nollent, vt obseruauit Ambrosius in Lucam, & posteà contra Idololatras, ac Hæreticos, & Magos, Iacobus contra Philetum [l], & Hermogenem, Ioannes contra Apollonium Tyanæum, quem etiam Ioannem Tonitrui filium ab Euangelio, quod scripturus erat, appellatum, credit Epiphanius [m], & quo tempore scribebat, extitisse tonitrua scripsit non Procorus [n] tantùm, vel Dorotheus [o], quorum vacillat auctoritas, sed Metaphrastes [p] quoque, & alij denique quia distracti persecutionibus, passione & morte cum ingenti quodam fragore nubes Iacobus præsertim celebrem sui memoriam tanquàm lucem reliquerunt. Vtrumque Virginem fuisse Epiphanius [q] tradit: de Ioanne verò planè communis opinio est. Lege de vtroque Franciscum [r] Panigarolam, sed de Iacobo redibit sermo in cap. XII.

Iacobus & Ioannes quare Boanerges dicti.
k Luc.9.55.
l Abdi. & Petro & B. Ant. & in Breuia. Tol. atq; Ambro.
m Hære.73.
n in hist. Ioannis.
o in Synopsi.
p Sur. Tom. 6.27. Decēbr.
q Hæresi 51.
r 3. par. Ser. de Pass. Christi. Italicè scriptorum in 5.

ANDREAS.] Rectus ordo postulabat, vt post Petrum fratrem primus locaretur, vt à Matthæo, & Luca in Euangelio [f] factum est: qui rationem habuisse videntur, sicut & Marcus [t], (excepto eo, quod de interpositis filiis Zebedæi diximus) vocationis Apostolorum non omninò primæ; primus enim Andreas [u] accessit, nec illius, cùm ex multitudine Discipulorum duodecim selegit [x], quos & Apostolos nominauit, sed qua CHRISTVS eos ad se vocauit, vt secum perpetuò manerent, iam non amplius recessuri, quæ propriè vocatio dicitur. Nam Matthæus [y] hoc vltimo modo loquens vocationem narrat priùs Petri, & Andreæ, tum verò Iacobi, & Ioannis: quo eodem ordine in generali omnium catalogo eos reponit, & quinto loco [z] Philippum, qui etiam ex primis fuit ex eadé Petri, & Andreæ patria Beth-

f Matth.10.3. Luc.6.14.
t c.3.16. & seq.
Vocationis Apostolorum præcipuus ordo.
u Ioan.1.40.
x Luc.6.13.
y cap.4.18. & seq.
z c.10.2.3.

A saida [a]. Suam quoque vocationem Matthæus [b] recenset, quam post alias proximam fuisse verisimile est, etsi ipse se, quem antè Marcus [c], & Lucas [d], post Thomam modestiæ ac humilitatis causa constituat, vt placet Hieronymo, Chrysostomo, atque Euthymio in Matthæum: est verò probabile, in aliis Apostolis, quorum vocationis mentio non fit, eiusdem tamen vocationis rationem in iis ordine enumerandis habitam esse, vt inter alios sentit Abulensis [e], & noster Ribera [f].

a Ioan.1.44.
b c.9.9.
c c.3.18.
d c.6.14.
e Matt.10.q. 28. & 29.
f in Apoc.21. n.42.

Porrò Andreæ nomen quidam putant esse Hebræum, vel Syrum, vt Abulensis [g], Chrysostomus [h], & Glossa Interlin. alij [i] existimant esse B Græcum, & virilem fortémque significare, quasi dicas, ἀνδρεῖαν. Fauet huic opinioni, tum quòd non facile est ex alia lingua huius notionem nominis eruere: quamuis Emissenus [k] exponat significare *Respondentem*, Isidorus [l] *decorum*; tum quia Iuuencus [m] poëta in versu syllabam secundam producit, quasi innuat esse Græcam illam vocem, quam dixi.

Andreámque simul sinuosa volumina lini:

g Matt.10.q. 32.
h homil.3. in Matth.
i in Matth.
Andreas quale nomen sit, Hebræum an Græcum.
k de S. Andr. Apost.
l de vit. & mort. Sanct. c.72.
m li.1. Carm. de Euang. histor.

tum postremò, quoniá, ex quo Iudæi Græcorum, ac Romanorum subierunt imperium, eorundem etiam, vt mores, sic nomina vsurpauerunt, vt patet ex libris Machabæorum, atque in hoc libro ex nomine Stephani, Nicolai, Pauli, & aliorum, nec non in aliis historiis Iudæorum, immò ex nomine C Philippi Apostoli, vt dicemus. Aristeas in libro de LXX. Interpretibus à rege Ptolemæo missum commemorat Andream principem Somatophylacem pro versione sacræ Scripturæ. De celebri huius nominis medico meminère Galenus, Dioscorides, Plinius [n], Tertullianus. [o]

Iudæi vt Græcorum subierunt imperium, sic nomina eorum sunt mutuati.

Multa de hoc Apostolo prodita sunt non modò in literis Ecclesiæ Achaiæ maximè authenticis, quæ etiam agnoscit Augustinus [p], immò & Bernardus [q], Lanfrancus [r], Iuo Carnotensis [f], Remigius [t] Antisiodorensis, Petrus [u] Damianus, nec non historici Ecclesiastici, sed & apud alios quoque multos probatos Auctores.

n lib.22.c.23. lib.32.c.5.
o lib. de anima c.7.
p de ver. & fals. pœn. c.8.
q de S. Andr.
r contra Ber.
f de conuen. id est, no. & vet. Test.
t in Ps.21. & 40.
u 4. Ser. de S. Andr.

Cœlibem egit vitam, teste Sophronio [x], & quoniam à negotiis abstinebat, Ioannem Bapti-D stam tanquàm discipulus sectabatur, *& quidem inter omnes primus*, inquit Gaudentius [y] Brixiensis, sicut & prior ad CHRISTVM accessit monitus à Ioanne Magistro, ideoque inter Christianos quodammodò etiá primus, sicut inter Martyres protomartyr Stephanus, vt loquitur B. Thomas [z]: quæ sane Andreæ magna laus est; vt inter alios perpendit Chrysostomus [a], sicut & quòd fratrem mox ad CHRISTVM vocauerit; & tamen sibi & ætate, & vocatione posteriorem non ægrè tulerit esse prælatum: vt notat Petrus [b] Damianus: *quæ vna res curiosos valdè compescit*, inquit [c] Epiphanius, *considerantes scrutatorem cordium DEVM cuiusque vocationes nosse, & quem in primo loco, & gradu dignitatis collocare oporteat.*

D. Andreas qualis.
x orat. de SS. Petro & Paulo.
y Tractat. de Dedicat. Basi.
z Ioan.1.
a Ioan. 1. & orat. de S. Andrea.
b Serm.2.
c Hæresi 51.
Deus qui primus Andreá quàm Petrum vocauerit, huic tamen illū præposuit. Cur Andreas cum hoc addito frater Petri nominetur.

E Solent Euangelistæ [d] Andream nonnisi ferè cum addito proferre, *Petri nimirum fratrem*, cùm tamen eiusdem nominis, à quo ita distinguendus fuerit, nemo alius prætereà sit, qua de causa eam additionem, vel similem ad Simonem, Iacobum, & Iudam factam videmus: quia, opinor, Andreæ perhonorificum fuit tanti aut talis viri fratrem esse, aut CHRISTO virum tantum lucrifecisse. Tenuis est Bedæ [e] coniectura, minorem Petro natu Andream fuisse, quòd non Petrus illius, sed ille Petri dicatur frater.

d Matth.4.18. c.10.2. Marc.c. 1.16. Luc.c.6. 14. Ioan.1.40. c.6.8.
e Ioan.1.

Hîc tandem opportunè referre possumus, quod

Christus cur aliquot fratrũ paria ad se vocauerit.

ab Auctore operis imperfecti, Beda, & aliis in Matthæum animaduersum est, aliquot fratrum paria esse vocata à CHRISTO, scilicet Petri, & Andreæ, Iacobi, & Ioannis, atque Simonis, & Iudæ, cum Iacobo etiam minore, iuxta quorundam sententiam, vt intelligeretur, Ecclesiam charitate conflandam esse maiore quàm synagogam, in qua par vnum duntaxat Mosis, & Aaron cernitur. Ita vt meritò quod alicubi dixit Augustinus, *cognominari possit Philadelphia, hoc est, Fraternitatis amor,* de qua re aliàs.

Philippus primus omnium à Christo vocatus.

a Ioan.1.43.

b Matt. 4. 18. Marc. c. 1. 37. Luc.c.5.10.
c Matt. 4. 20. 21.22. Marc.1. 30. Luc. c. 5. 10.11.
d Matth. 9.9. Marc. 2. 14. Luc.5.27.

Philippi vocatio fuit similis aliorum vocationi.

PHILIPPVS.] Si vocationis ratio habeatur, videri posset primus CHRISTI discipulus Philippus, qui primus vocatus legitur, Andreas verò & Petrus priores quidem ad CHRISTVM venerunt, sed neque tunc vocati, neque tunc fixi cum eo discipuli permanentes. Certè CHRISTVS Philippo dixit [a]: *Sequere me,* non aliis autem verbis alij ab eodem vocati describuntur, hoc est, Petrus [b], & Andreas, Iacobus [c] & Ioannes, atque Matthæus [d]: & idcirco non minùs in Philippo efficacem CHRISTI vocantis vocem, nec minorem vocati Philippi obedientiam fuisse credendum est, siue de CHRISTO aliquid priùs inaudisset à Petro, & Andrea popularibus suis, aut etiã à Ioanne Baptista, quod sibi persuadent Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius in Ioannem, siuè nihil omninò accepisset.

e 3.Strõ.c.2.
f Matth.8.22. Luc.9.60.
g in Ioan.
h in Cat. S. Tho. in Ioan. c.1.
i Serm. de S. Phil.& Iac.
k 1. p. de vit. Christ.c.24.
l Serm.3.
m hęres. 51.in Catena.
n hær.51.

Quare abest longè à vero, quod arbitratur [e] Clemens Alexand. Philippum fuisse, cui dixerit CHRISTVS verba illa: *Dimitte [f] mortuos sepelire mortuos suos.* Emissenus [g] propter eam rationem, quam initio dixi, primatum Philippo tribuit in discipulatu. Alcuinus [h] existimat, Andreæ socium fuisse, & cum eo anteà visendi CHRISTVM causa venisse: etsi multò id plures de Ioanne affirmant; vt B. Vincentius [i], Ludolphus [k], Raulinus [l], Theophylactus & Euthymius, & Cyrillus Alexandrinus [m]: quidam, vt refert Epiphanius [n], de Iacobo. Ego verò nullum existimo fuisse ex Apostolis, multóque minùs Philippum, cuius tam distinctè vocatio narratur, nec si quis Apostolorum fuisset, Ioannes rem tam notabilem præteriisset. Solùm obstat, quod priùs in eam sententiam propendere visi sumus, vt in Apostolis ordine recensendis, vocationis rationem Euangelistæ habuerint: nec dum verò satis perpenderam hoc argumentum de Philippo, quod me certè non parum mouet. Nihil tamẽ de Petri primatu hinc detrahi, aut de cuiusquam dignitate, vel meritis imminui propterea potest, vt neque suauior quædam, & humanior CHRISTI cum quopiam familiaritas (in quo sensu nonnulli [o] interpretantur Ioannem à CHRISTO peculiariter dilectum) qualem ipsi cum Philippo fuisse docent aliquot Ioannis [p] testimonia, maiorẽ necessariò inferunt sanctitatem.

Maior Christi cum Ioanne familiaritas maiorem non infert sanctitatem.
o Tolet. in Io. anno.23.
p c.6.5.7.c.12. 21.c.14.8.9.

Illud non omittendum, primos, qui crucem tollentes, CHRISTVM secuti sunt, in cruce etiam crucifixo CHRISTO vitam rependisse, Petrum, Andream, Philippum. An huius Philippi filiæ illæ quatuor prophetantes fuerint videbimus posteà [q].

q in c. 21. lib. huius.
Philippi nomen Græcum est, non Hebræum.
r Ioan.1.
* Act.2.3.

Quod ad nomen ipsum attinet, mihi probabile est Græcum esse, non Hebræum, cuius etymon sit, *os lampadis*, quasi, vt Emissenus [r] ait, existimans, *hunc esse primum discipulum, oportuerit hac istius vocatione innuere ceteros, ad officium prædicationis, quo, ceu lampade, mundus* illuminetur, vocatos esse, vt etiam propterea in Pentecoste SPIRITVS sanctus [*] in igneis linguis immissus sit.

A Significat quidem פה *pe* os, & לפיד *lappid,* lampadem: verùm formatio nominis *Philippus*, quod Syrochaldaicũ *est Pilíphuas,* aut *Philiphuas,* difficile fit ex dictis vocabulis. Postremò, vt inter spirituales Ecclesiæ principes Philippus iuxta non improbabilem opinionem primus fuit, ita inter temporales primus Christianus Imperator, vt Ecclesiasticæ historiæ tradunt, alter item Philippus.

THOMAS.] Euangelistæ huic Bartholomæum præponunt, atque Matthæum, excepto Matthæo ipso, vt dicemus. Ecclesia in Canone Missæ & in Litaniis illum ponit post Iacobum, & Ioannem, habens rationem, vt quidam dicunt, ordinis, quem tenuerunt Apostoli in dicenda quinque, Symbolũ B conficientes, sententia: quod mihi valdè incertum est nec verum, si verum est quod paulò pòst dicam Resurrectionis CHRISTI ab eo articulum pronunciatum. Alium quendam ordinem, quo dispositi erant Apostoli, adiuncto etiam Paulo, vidisse se narrat B. Brigitta [s].

s in Reuelat. extraua. c.14.
De D. Thoma qui scripserint.

Quæ ad hunc Apostolum spectant, multa colligit Thomas Stapletonus in eo libro, quem inscripsit, TRES THOMÆ. De illo Ioannes ex Euangelistis crebriorem mentionem [t] facit, & Didymum quoque vocat Græco nomine, Hebræum interpretans, vt notant Theophylactus, & Euthymius [u], quem Latinè geminum dicemus, siue quòd simul cum fratre altero, vt ait Euthy- C mius, natus esset; siue quòd nomen id à Maioribus accepisset, quemadmodum qui apud Romanos *Spurij*, aut *Fusci*, aut *Agrippæ* vocati sunt, aut aliis huiusmodi nominibus, tametsi ipsi tales non sint, quales eos esse nomina significant, aut quales eorum. Maiores fuerunt, à quibus nomina acceperunt. Ergo ignorans linguam Hebræam Nonnus [x], Thomam binominẽ esse dixit, & Theodoretus [y], qui enim Hebraicè *Thomas* dicitur, Græca voce nominatur Didymus. Neque quod Isidorus tradit [z] exactè credo Thomam Latinè significare CHRISTI geminum, & similem Saluatori. Competit id potiùs Iacobo minori, de quo posteà.

t c.11.16.c.14. 5.c. 20. 24.c. 21.2.
u Ioan.20.
Cur sit vocatus Didymus.
x Paraphrastico carmin Euang. Ioan.
y quæst.36.in Num.
z de vita & mot. Sanc. c. 76.

Clemens [a] Romanus, cùm varia aliorum Apo- D stolorum decreta enumerat, hoc à Thoma sancitum scribit: *Vt Episcopus cùm Hypodiaconos initiat, manúsque imponit, certam orationem vsurpet, qua deprecetur vasa sacra vt dignè contractent:* nimirum aptè cadit in illum hæc constitutio, qui digitum intulerat in locum clauorum CHRISTI, & manum in latus eius, [b] tanquàm in vasa quædam sacra, & diuina, inquit Scholiastes Clementis Turrianus noster.

a 8.Cõst. c.21.
D. Thomas quale decretum ediderit.
b Ioan.20.27.

Notatu quoque dignum est, quòd Resurrectionis CHRISTI articulum in Symbolo Thomas dixit, siue forte id acciderit, siue ab aliis sibi permitti impetrauerit: vt post Augustinum [c] plures sentiunt, vt Sixtus Senensis [d], Claudius Viexmon- E tius [e], & alij Catechistæ, & Discipulus [f], ad Fidei firmitatem profitendam, quæ in eo priùs articulo nutauerat. Hoc si verum est, non ergo vera est, vt antè quoque monui, ratio illa de ordine seruato in nominandis Apostolis à Canone Missæ, & Litaniis. Vnde tandem cur adeò varietur ordo hic, suspicor DEI permissu factum, vt Petri quidem Primatus, qui semper primus ponitur, constaret, quia plurimi refert, parum autem, quomodo alij disponantur.

D. Thomas symbolo articulũ de resurrectione Christi dixit.
c Serm.115.de Tempore.
d Biblioth.
e in Cateche.
f Sermo.6.de S.Thoma.

BARTHOLOMÆVS.] Ante Thomam reponitur ab Euangelistis, vt dixi. Sunt qui Bartolomæum dici malunt, tanquàm *filium Ptolomæi*: sic de eo refert Abulensis [g], Albertus [h], Pelbartus [i],

Bartholomæus quo genere ortus.
g Matth. 10. q.11.
h Luc.6.
i Sermo.2.de hoc S.

S.Bri

S. Brigitta [a], *ex que regio Syrorum genere fuisse* (Isidorus [b] nomen ex Syria lingua esse asserit) meliùs dixissent, ex Ægyptiorum, quorum reges Ptolomæi nominabantur. Id etsi non omninò repugnat, potueruntque Maiores eius aliqua de causa descendisse in Palæstinam, & in tenuem statum peruenisse: ita vt tam grauem censuram qui id sentiunt non mereantur, vt errare dicendi sint, quod Abulensis censuit: tamen sine graui aut ratione, aut auctoritate non facilè affirmandum est. Multò minùs quod quidam somniarunt, vt scribit Ioannes Ecchius [c], cùm in cœna de proditore CHRISTVS meminisset, alios eâ de causa in Bartholomæi suspicionem venisse, quasi regnum affectaret, nec puduit eos id Damasceno appingere.

B Nomen Bartholomæi, vel potiùs cognomen, à Patre retinendum est, significās filium Tholmai [d], vel Tholomai [e] (quibus nominibus aliquos vocatos legimus in Scriptura, locis in margine notatis) sicut Bar-Iona [f], Bar-Timæus [g], &c. filium Ionæ, & Timæi. Inde coniici posse videtur, nomen proprium fuisse aliud, eundémque censendum cum Nathanaël, quod nouum nomen Nathanaël [h], CHRISTVS ipse fortasse primus imposuerit, sicut nomen Petri, Simoni Bar-ionæ, &c. suadet eandem sententiam, quoniam nonnisi Apostoli vocationis mentio facta fuisse videtur, cùm vocatio [i] trium aliorum Apostolorum, Andreæ, Petri, & Philippi narrata est, qui cum aliis etiam nuptiis

C interesset in Cana Galilææ, ad quas magister CHRISTVS fuerat inuitatus [k]: quoniam connumeratur veluti medius inter Apostolos, quibus CHRISTVS resuscitatus apparuit [l]: quoniam Euangelistæ in Catalogo Apostolorum Philippo Bartholomæum copulant, videlicet eò quòd ille Nathanaëlem vocauerat ad CHRISTVM, etsi non affinitate (fratres facit Glossa interlin. & Hugo, & Albertus, & Carthusianus [m], quod falsum videtur, cùm Philippus fuerit à Bethsaida [n], Nathanael à Cana [o]) forsitan artis similitudine, vel amicitia ei coniunctus erat. Simul aliquandiu prædicasse dicit quidam Ioseph [p], quoniam de tanto

D viro, & tam insigniter laudato à CHRISTO nemo sub nomine Nathanaëlis, præter id, quod de eo scripsit Ioannes, mentionem facit, nisi qui nescio vnde commentum mutuati, Vrsinum quoque nominant, vnus aut alter Petrus de Natalibus, & Georgius Vicelius: quia tam illustris de CHRISTO confessio digna videtur Apostolo, tantáque laus CHRISTI pronunciata de illo. Hanc opinionem tuentur mordicùs recentiores non pauci, vt Iansenius [q], Arias Montanus [r], & ex nostris Salmeron [s], & Ioannes Osorius [t], prætereà Ioannes Ferus [u], & eiusdem Auctorem aiunt ex paulò antiquioribus Rupertum [x]; quo adhuc antiquior poëta Hispanus Iuuencus [y] fauere videtur, cùm ait:

E *Antè etiam quàm te vocitarent verba Philippi*
Vidit, & elegit comitem te Spiritus alter.

Mihi non displiceret ista sententia, nisi contrariam pluribus placere viderem, Augustinum [z] auctorem grauissimum secutis; cuius me tamen magis auctoritas, quàm ratio mouet, qua vtitur, quòd Nathanael doctus esset, quid enim minùs doctrinæ Philippus ostendit, dicens: *Quem [a] scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus* IESVM *filium Ioseph, à Nazareth*, quàm quod ei Nathanaël respondit: *A Nazareth potest aliquid boni esse [b]?* Neque si vnus doctus, & doctor esset, non verum esset quod Paulus dixit [c]: *Non multi sapientes secun-*

a in Reuelat. extrauag. ca. 34.
b lib. de vita & morte Sanct. c. 77.
c Sermo. 2. de isto Sanct.
d Num. 13. 23. Iosu. 15. 14. Iudic. 1. 10. 2. Reg. 3. 3. 1. Paral. 3. 2.
e 2. Reg. 13. 37.
f Ioan. 1. 42. Matt. 16. 17.
g Mar. 10. 46.
Bartholomæus est idem cū Nathanaële.
h Ioan. 1.
i ibid.
k Ioan. 2. 1. 2.
l Ioan. vlt. 2.
m Ioan. 1.
n Ioan. 1. 44.
o Ioan. 21. 2.
p apud Metaphrasten in laud. S. Barth.
q in Cōcord. c. 17.
r Ioann. 1. & Mat. 10.
s Tomo 4. Tract. 11.
t Ser. de hoc Sancto.
u Ioan. 1.
x Ioan. 1.
y lib. 2. Carm. de Histor. Euang.
Non probatur illa sententia.
z Tracta. 7. in Ioan.
a Ioan. 1. 45.
b ibid. 46.
c 1. Cor. 1. 26.

A *dùm carnem*, cùm potiùs conueniret aliquem inter Apostolos talem admitti, ne viderentur sapientes omninò contemni: sicut & Paulus posteà cooptatus est, optimè [d] in lege institutus, & aggregatus Ecclesiæ Apollo [e] eloquens & potens in Scripturis, præter Mathiam, de quo inferiùs. Accedit quòd nusquàm Euangelistæ binominem esse monuerunt Bartholomæum, vt Matthæum, Thomam, Petrum, &c. Immò verò qui Vrsicinus, vel Vrsinus Bituricorum primus Episcopus fuit, hunc nonnulli, vt refert Espenæus [f], Nathanaëlem esse autumant, à Bartholomæo diuersum.

B Tandem quia potuit inter Apostolos illo initio aliquis alius, cùm etiam necdum quisquam re ipsa Apostolus esset, reperiri, & CHRISTVS post Resurrectionem, præter Apostolos, Discipulis apparuit [g], & cùm primùm venit Andreas ad CHRISTVM, condiscipulus eum comitatus, non fuit Nathanaël fortasse ex Apostolis. Nec aliud innuit Iuuencus (quem tamen miror Nathanaëlis & Philippi vocationem collocare post vocationem Matthæi, & Petri, ac Andreæ, atque Ioannis.) Rupertus autem probabiliùs putat Apostolum non fuisse. Et licèt Nathanaëlis de CHRISTO confessio digna sit Apostolatu: decuit non dari propter merita, atque etiam indignis minúsve dignis non denegari. Martha [h] quoque de

C CHRISTO confessionem non dissimilem edidit. Lege Baronium [i], Toletum [k], Maldonatum [l], Ioannem Ferdinandum [m], qui posteriorem sententiam istam sectantur.

Ridiculi mihi [n] videntur, qui nescio quæ fictitia proferunt, quibus ostendant meritò vocatum Bartholomæum, hoc est, filium suspendentis aquas; & opto testem producant, qui asserat occasione ipsius conuertisse CHRISTVM in vinum aquas [o], atque ita suspendisse: quod perinde est, ac si dicant ipsum in iis nuptiis sponsum fuisse, cùm id diuinare sit, & de Ioanne, aut Simone Cananæo alij existiment.

D Nihil præter nomen, & electionem huius Apostoli habetur in sacra Scriptura, si alius is est à Nathanaële: quæ res occasionem dedit opinioni, quæ recitata est, fuisse externum ex regia Syrorum stirpe, aut etiam regis eorum filium Ptolomæi, vt notauit Abulensis [p]. Alij de eo scriptores antiqui, & graues perhonorificè meminerunt. Non est instituti mei omnia colligere. Notatu dignum est, quod Areopagita [q] scripsit, *diuinissimum* eum appellans, dixisse, *Et multam Theologiam esse, & minimam, & Euangelium latum, & magnum, & iterum correptum. Et hoc*, inquit, *mihi videtur supernaturaliter intellexisse, hoc est, per reuelationem diuinam.* Origenes tam excellenti præditum virtute (vt quidam [r] testantur) dixisse fertur, *vt non possit asserere, quòd Petrus illum sanctitate præcelluerit.*

E De genere mortis variant Auctores. Lege Baronium [s]. Hippolytus tamen martyr [t] crucifixum tradit capite deorsum inuerso, idque Dorotheus [u] ad reuerentiam CHRISTI (quod etiam de Petro dicitur [x]) ipsum petiisse narrat. Si Nathanaël fuit, rectè, quod de Philippo, Andrea, & Petro dixi, CHRISTI inter primos sectator, eundem in oppetenda morte Crucis meruit imitari: crucem enim præter alia tormenta Bartholomæum quoque ferunt pertulisse. Postremò Eusebius [y], & Hieronymus Matthæi Euangelio vsum Bartholomæum prodiderunt. [z]

d Act. 22. 3. & Gal. 1. 14.
e Act. 18. 24.
Vrsicinus Episcopus Bituricensis, Nathanaël fuit à Bartholomæo diuersus.
f in 2. ad Tim. c. 4. Digress. 25.
g 1. Cor. 15.
h Ioan. 11. 27.
i Tom. 1. Annal.
k Ioan. 1. annot. 31.
l Ioan. 1.
m in Thesauro Script. verbo, *Bartholomæus*.
n Pelbar. ser. 2. & alij.
o vt Ruper. in cap. 1. Ioan. & Ofor in Ser. de S. Ioan.
p Matt. 10. q. 35.
q 1. Mysticæ Theolog.
D. Dionysius Areopagita quid de eo scripserit.
r Salmeron Tom. 4. Tracta. 18.
s in Not. Marty. 24. Aug.
t li. de duodecim Apost.
u in Synopsi. *Mors D. Bartholomæi qualis.*
x Lege Baro. Tom. 1. Anna. & in Notis.
y 5. Hist. c. 10.
z de viris illustrib. in Pātheno.

a c.3.18. b c.6.15. c c.10.3. d cap.10. e c.9.9.10. f c.2.14. g ca.5.27.28.29.

A

MATTHÆVS.] Marcus[a], & Lucas[b] in catalogo, post Bartholomæum ante Thomam, ipse[c] se post Thomam etiam collocat modestiæ ac humilitatis causa, si Hieronymo, Chrysostomo, & Euthymio in Matthæum[d] credimus: quod credere de tanto viro possumus, qui suam quoque conuersionem longè paucioribus, & humilioribus verbis perstrinxit[e], quàm Marcus[f], & Lucas[g]: at si humilitatis id studio fecisset, fortasse infra alios etiam se Apostolos abiecisset.

Matthæi conuersio maximè illustris.

h hom.31. in Matth. i apud Sur. k ad Q. Fratrem. l lib.1.ep.1. & 5 Ver. l lib.11.ep. Famil. ep.10.lib.1. epist.20.orat. pro Plancio orat. pro lege Manil. oratio de Prouinc. consul. & Verr.3. m li.31.c.2. n de Nobilitate.c.34.

Nulla illustrior vocatio quàm Matthæi, in qua cum DEI misericordia, quæ quodammodò magis apparuit in aliis humilioribus Apostolis, potentia valdè eluxit, sicut & in cõuersione Pauli, vt Chrysostomus[h] aduertit: quòd summum, ac primum inter Publicanos, vt Metaphrastes[i] ait, locum teneret, qui cùm aliis etiam Gentilibus infensissimi erant, teste M. Tullio[k] (ceteróqui ex equestri quoque ordine ad munus id, quod honestum habebatur, allecti, vt idem tradit[l], & Plinius[m], tametsi posteà vilissimis etiam mancipiis munus id delatum est, & vulgo infame habitum: de qua re Tiraquellus[n]) tum præcipuè Iudæis, apud quos vocabantur Gabbaim (vnde vulgare nomen Gabellæ) aut etiam Parisim (quasi dissipatores libertatis vectigali exigendo) verbo vnico ad se à telonij iniquo lucro, vt passim Patres de Matthæo affirmare non dubitant, reuocauerit, reduxerit, retraxerit, & velut ferrum de terra sustulerit, vt Gregor. ait[o], *ne desperarent diuites,* inquit Chrysologus[p]; *quos adeò difficile est intrare in regnum cœlorum*[q]. Ambrosius[r], & Christianus Druthmarus[s], *præfectum* nominant *vectigalibus nautarum.* Tertullianus[t] extendit ad vectigal pro transitu cœli, terræ, & maris, volens Matthæum fuisse Gentilem, quod est prorsus absurdum, & à Hieronymo bene confutatum in epistola ad Damasum[u], & Glossa[x] ordinaria. Angelus Caninius[y] principes publicanorum vult fuisse tantùm Romanos, alios inferiores potuisse esse de numero Iudæorum.

o lib.18. Mora.c.16. p Serm.28. & 30. q Mat.19.23.24. Marc.10.25. r in Luc. c.6. s in Mat.c.10. t lib. de Pudi. c.9. u ep.146. x Matt.9. y libr. de locis Heb.c.8.

z Matt.9. D. Matthæi cõuersione vnde de Porph.

Idem verò Hieronymus[z] efficaciam vocationis huius aduersùs Porphyrium, & Iulianũ Apostatam, propter fulgorem, & maiestatem diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie CHRISTI relucebat, qua ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu, præclara cõparatione demonstrat magnetis, & succini, quorum hæc vis est, vt annulos, & stipulas, & festucas sibi copulent.

Matthæus cur se Leui non nominauerit. a ibid. b c.2.13. c c.6.14.

Ad eam, quam diximus Matthæi modestiam, pertinere multi putant cum Hieronymo[a], vt se non Leui, nomine honorificentiore (designare quidam putant tribum, de qua esset) sicut illum Marcus[b], & Lucas[c], sed Matthæum appellaret. Id non video quàm sit verum, quia Matthæi nomen honorarius est, ac, vt eorum nonnullis videtur, illi post vocationem impositum, ab iisdémque Marco & Luca in catalogo Apostolorum positum: & Nazianzenus[d] è contrario dixit, quòd nomen Publicani sibi Matthæus imposuit, tanquàm aliquid, quod inter honoranda esset insigne, hoc est, redundans in laudem DEI.

d orat. 29. in Cypria.

Matthæus conuersus Christo & Apostolis conuiuium exhibuit. e 3. Reg.19.20.

Conuiuium amplum celebrauit, ad edendum lætitiæ de sua conuersione signum, & grati animi erga CHRISTVM indicium, & vt domesticis vale diceret, vt Elisæus[e] fecerat ab Elia vocatus (ille ab aratro, hic à fœnore, quod τόκον Græci vocant, quòd plus gignat quàm aratum & proseminatum sit) atque vt occasionem CHRISTO præberet plures alios doctrina imbuẽdi, vt inquit Euthymius[f], & Chrysologus[g], confirmantes exemplo Zachæi[h]; & vt rationes exercitij sui redderet.

f in Matt.9. g supra. h Luc 19.1. i Regul.8. ex fusis.

Quamuis Basilius[i], *quòd tam citò relictis omnibus secutus est* CHRISTVM, *contempsisse* notat *pericula, quæ sibi, suisq; ex imperfectis rationibus seu calculis prouenire poterant.* Quæ tanti Patris doctrina cum cautione intelligenda est, ne iustissimis Pontificum, vt Sixti V. decretis aduersetur, de non admittendis iis ad Religionem, qui rationibus reddendis sint obligati. Ex illa porrò celebratione conuiuij mos ille forsan piè apud nonnullos Religiosos inualuit, vt in alicuius è suis professione conuiuium celebrent, quod maleuolè reprehendit conuiuialium antiquitatum collector[k],

Conuiuia modo non nimis exquisita, vbi & quando fieri possunt. k lib.1.c.18.

B

sicut & religiosum epulum in sacerdotum initiationibus aliísve piis festiuitatibus, non veritus cum Gentilium saliaribus, auguralibus, & Pontificalibus cœnis conferre, quas nec arbitror alio nomine reprehendendas, nisi vel propter superstitionem, vel luxum: vt nec in Pontificis, atque sacerdotum apud Iudæos inauguratione, vel in sacrificiis aliud est reprehensione dignum, quàm immodicitas impensarum & luxus, si quis fortè in eis repertus est.

Matthæi nomen quid significet. l Matt.9.

Matthæi nomen Hebraicè, *Donatum* Latinè sonat: Leui *Appositum*, vt Beda, Emissenus[l], aliíque notant: ex DEI enim dono vocatus est à CHRISTO ad Discipulatum, Apostolatum, & dignitatem Euangelistæ, & erat ex tribu Leui, vt ex nomine Leui Druthmarus argumentatur.

C

Matthæus cum Mose cõparatus. m in Serm. de S. Matth.

Comparat Petrus Damianus[m] Matthæum cum sanctissimo quoque ex Sanctis noui Testamenti, & cum Mose, ex vetere Testamento, quòd primus vterque Scripturam sacram, ac veluti legem condiderit. Et sicut Moses primum librum, aut pro Mose alius, Genesim; ita Matthæus Euangelium inscripserit librum Genesis, siue generationis.

Matthæus ad telonium cur nõ redit, sicut Petrus ad piscationem. n hom.24. in Euang. o Ioan.21.3.

Negat Gregorius[n] Matthæum rediisse ad telonium, sicut alios Apostolos ad piscationem[o], quia victum per piscationem quærere sine peccato licet, teloniæ lucris pecunias augere, quod sine

D

peccato vix, aut nullo modo potest, non licet. Est id quidem: tamen sicut illi piscium piscatores ad hominum piscatum translati sunt; ita qui numos Cæsaris imagine insignitos in fiscum Cæsaris congregabat, iussus posteà est homines ad imaginem & similitudinem DEI factos, in fiscum DEI tanquàm pretiosum thesaurum recondere. Clemens[p] Alexandrinus solis herbis victitasse scribit. Huius Apostoli res gestas congesserunt Lipomanus, & Surius, & omnium accuratissimè in proprio quodam opere Archiepiscopus Salerni, vbi ille iacens, & sacri liquoris ex eo manantis gloria coruscus, religiosissimè colitur, M. Antonius Marsilius Columna.

p 2. Pædago. c.1.

E

q Præfat. in Euang.

De Euangelio quod scripsit, multa dici possent, quæ tu, Lector pie, & studiose, ex Interpretibus potes, maximè ex Maldonato[q], & si voles ex nostris Prolegomenis in Euangelia Dominicalia. Constans opinio est, primum ad scribendum se cõtulisse siue iussum ab aliis Apostolis volentibus etiam, vt ad exemplum aliorum primus id annunciaret, qui exemplo, & ipsa Publicani professione, ac nomine alios læserat, vt ait Epiphanius[r]; quam esse quidam causam subtiliter excogitarunt, cur ex Matthæi Euangelio plura, & sæpiùs in Ecclesia recitentur, sicut ex Pauli epistolis, & ex Psalmis Dauid, quòd hi pœnitentia sua, peccatores, quorum numerus maximus est, ad meliorem

r Hæresi 51. *Cur plura de Euãgelio Matthæi, quàm de aliis in Ecclesia recitentur.*

frugem

frugem prouocant: sic de Dauid & Paulo Rodulphus [a] Tungrensis obseruauit: siue, vt ait Chrysostomus [b], à Iudæis rogatum,& impulsum, quod Hebraicè scriptum; deinde Iacobus minor Græcè conuerterit, vt Athanasio [c] visum est (ita quidam quidem Athanasium intelligunt, cùm dicat solum id ab eo expositum, quod intelligi potest in concione ad populum) vel Ioannes, vt Theophylacto [d], etsi Augustinus [e] quis interpres fuerit,indicat esse incertum.

a de can.obserua. prop.8. b homil.1.in Matth. c in Synopsi. d in Mat.c.1. e 1.de consensu Euang.c.2. *De Euangelistis in vniuersum prædicatio.*

Non erit alienum, quoniam de Apostolis generatim priùs egimus,nunc etiã aliquid de Euangelistis in vniuersum dicamus, cùm ex Apostolis duos Euangelistas habeamus, & Auctor quoque huius libri hoc honore dignatus sit. Perspicuum est,per Euangelistam accipere nos Euangelij scriptorem, Ecclesiastica huius nominis vsurpatione, non autem,quam solam acceptionem in Scriptura inuenimus [f],prædicatorem Euangelij. Augustinus [g] tamen in hac significatione intelligit Paulum [h], cùm ait, DEVM dedisse *quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas,alios verò Euangelistas.*

Euangelista quid hoc loco significet. f Esa.41.29. Act.21.8.Eph.4.11.2.Tim.4.5. g epist 58. h Ephes.4.11.

De dignitate historiæ Euangelicæ, supra veterem Scripturam,cùm omnes sacrę literæ sint *Epistola quædam* DEI *è cælo missa*,vt dicebat Antonius [i],Chrysostomus [k], Augustinus [l],Gregorius [m]: eadem afferri possunt, quæ de noui supra vetus Testamentum excellentia.Nam *Euangelia* CHRISTI,*ipsum nobis repræsentant,quasi spirantem,docentem mira patrantem,dira patientem*, inquit Basilius [n], *finis sunt veterum scripturarum, nouarum fons, omnium*, inquit Origenes [o],*primitiæ,& quod lex, ac Prophetæ futurum prædixerunt*, inquit Augustinus [p],*hoc dicũt completum*: vt tametsi omnes Scripturæ vtriusque Testamenti sint diuinæ,quæ noui sunt Euangelia, præsertim diuini SPIRITVS,ceu canalis aureus, vel argenteus, quæ veteris tanquàm ferreus, aut plumbeus,vt & lex ipsa vetus,non immeritò censeri possit,atque venerandam magis quandam, vt Augustinus [q] scribit,auctoritatem habere,cui qui non credat, aliud quid Ignatius [r] negat esse creditum.

Dignitas Euangelij supra veterem Testamentum. i Ath.in vita. k hom.1.in 2.ad Thess. l in Psal.90. conc.2. m lib.4.epist.84. n hom.in princip.Ioan. o Tom.1.in Ioan. p Præf.in Ioa. q lib.1.de consen. Euang.c.1. r epist.ad Philad.

Sanè quidem multò pluris, quàm Homerum Alexander Macedo,quàm Liuium alij,quàm Ptolemęus veterem Scripturam sacram,æstimare debemus Euangelia, exemplo priscorum Christianorum, qui vt rem charissimam, & tãquàm amuletum de collo dependere volebant, & in sinu gestabant, sicut & in vetustissimis Andreæ Apostoli Actis habemus, & de Cæcilia produnt Acta ipsius, & de aliis Hieronymus [s], & Augustinus [t], & Auctor [u] operis imperfecti in Matthæum.Barnabam manu propria Euangelium Matthæi descripsisse, & in eiusdem defuncti pectore deuotionis causa collocatum esse, prodidit in Actis eius Alexander. Constantinus [x] Magnus auro ac gemmis codicem Euangeliorum dono misit ad Nicolaum item Magnum. Theodosius [y] quotidiè lectitabat, etiam noctis bonam partem, propria descriptum καλλιγράφως manu. Synodus [z] Generalis VIII. æqualem ei honorem,vt CHRISTI imagini decreuit.Ephesina,Chalcedonensis, Nicena,in medio statuebant, vt ad eam,tanquàm ad personam CHRISTI converterentur,ac si,inquit Cyrillus [*] Alexandrinus, CHRISTVS ipse diceret,*Iustum iudicium iudicate* [a].

Veteres quanti Euangeliorum codicem fecerint. s Matth.23. t Tract.7.in Ioan. u hom.43. x Acta Nicen. y Nicep.libr.14.cap.3. z Can.3. * in Apolog. a Ioan.7.24.

Solemne fuit per sacrosancta Euangelia iurare, librum eorum attrectando, vt est in iure [b] Canonico,& meminit Chrysostomus [c]: & vt in amicitiæ reconciliatione liber ille porrigeretur,vt scri-

Iurare per sancta Euangelia solemne. ...1.q.vlt.cap. ...ntimus.q.7. ...quoties 11. ...c.testamẽ... ...m.22. q.1.c. ...alius. q.5.c. ...llus.dis.63. ...tibi Domi... ...deiureiur. ...ego Episc. ...c Abulen. ...t.5. q.285. ... ...omil.12.in ...tth.

A bit Socrates [d]: vt sacro ritu in Ecclesia recitaretur, de quo scriptores Diuinorum Officiorum, præcipuè Ioannes Stephanus [e] Durantus, & Iuo in Tractatu de conuenientia veteris, & noui sacrificij:atque Augustinus [f] tanta reuerentia, cùm recitatur, audiendum, quanta CHRISTVM ipsum: quod fecisse legimus Antonium, Basilium, Franciscum,& alios. Scitum est,attactu Euangeliorum Barnabam [g] infirmos curasse, aliósque ab aliis eadem ratione curatos Augustinus [h] scribit (vnde putant quidam manasse consuetudinem, principium Euangelij Ioannis in fine Missæ recitandi) etsi idem traditum scio de libro Iosue, &
B Tobiæ à Gregorio Turonensi [i],qui meminit prçtereà eodem codice nescio quem euasisse naufragium. Ignem hoc libro restinctum narrat Nicephorus [k],& Gregorius Turonẽsis [l],sed & illæsum de igne extractum Zonaras [m]. Chrysostomus [n] affirmat,vbi liber is reperiatur, nec Dæmones ipsos ingredi audere. Denique,quanti eum fecerint etiam Gentiles Platonici Philosophi, auctorem profert [o] Augustinus Simplicianum, & ipsemet testatur [p], necnon Basilius [q].

d 7 Hist.c.13. e lib.2.de Rit. Eccl. c.41. f Tract.30.in Ioan. g Acta Barnabę, & Sex.Sẽ.6.Bibl.an.103. h Tract. 7.in Ioan. i c.22.de glor. confess. k lib.15.c.22. l de vita Patrum.cap.6. m in Basilio Maced. n homil.32.in Ioan. o lib.10.de ciuit.Dei.ca.29. p lib.7.conf.cap.9. q orat.in princip.Ioan.

Quocirca iure optimo Euangeliorum in primis lectionem commendat idem Basilius [r],Chrysostomus [s] quoque & Augustinus [t], quoniam ex veteris præsertim lectione Testamenti multi noxam *damnumve*,inquit rursum Basilius [u], *contraxe-*
C *runt*, immò propter excellentiam Euangelij omnem interdum sacram Scripturam Euangelij voce nominat [x]:& Augustinus [y] vno verbo Scripturis omnibus longè præfert scripturã Euangeliorum. Lege Abulensem præfatione in Matthæum.

r epi.ad Chil. & ex reg. fusis 95. 215. & 236. s homil.9.in epi.ad Col.& conc.3.de Lazaro. t lib de disc. Christ. *Liber Euangeliorum in primis legendus.* u epi.ad Chi. x hõ.9.in Hexameron. y de cõs.Euãgel.in princ.

Ceterùm cur cùm Euangelium plures planè decuerit scribere, vt plurium concordia fidem augeret, & quod vnus prætermisisset, alius sine damno suppleret, vt docent Patres [z], qui etiam admirabilem illum consensum diligentissimè demonstrant [a]: confecta quoque harmonia [b],siue concordia,aut Canonibus Euangelicis,aut monotessaro,aut vita CHRISTI,multæ verisimiles, &
D iucundæ rationes, quemadmodum in Apostolorum numero duodenario vidimus, assignantur: nos quod ibi fecimus,præcipuas seligemus.

z Chrys.hom.1.in Mat.Aug.1.de cõs. Euã. cap.2. & libr. 2.c.12.q.64 in Gen.epist.20. Theop. præf. in Marc.& in c.14.& in c.1. epist. ad Gal. Dric.3 de Eccle.dog.tract.2.c.3.Ioa.Arb. in Theol. verbo. *Euangelium.* a Hier.& Gre. Eze.1. Aug.in opere de hoc argumẽto, & tract. ex Mat. c.15 & ier.4. de Dom.Pat. & quæ. 64 in Gen. Cyr. Al 1.in Ioa c.35. Auct.oper.imper. hom. 28. in Matth.

Quatuor esse Euangelistas,antiquissimi Patres, propter totidem Mundi plagas,per quas deferendum esset Euangelium, annotarunt, Irenæus [c], Anastasius [d], Hieronymus [e], Augustinus [f]: quo modo finita Euangelij prædicatione,quatuor Angelos mittendos CHRISTVS [g] ait,*è quatuor ventis ad colligendam Electorum messem*, ex quatuor terræ partibus, in quas Euangelij semen iactum esse docet illa trita seminantis parabola apud Matthæum [h]: & [i] *totidem Angeli totidem cohibent ventos super totidem stantes angulos terræ*. Prætereà hoc ip-
E sum denotãt quatuor animalia [k],vt passim ab omnibus ferè intelligitur incredibili quadam consensione,maximè ab interpretibus Euangeliorum, vt Origene atque Ambrosio in Lucam, Hieronymo in Marcũ;Ezechielis, vt Hieronymo, & Gregorio, & ex recentioribus à Pinto, & Prado nostro;Apocalypsis,vt Ribera, & Viega item nostris qui alios citant: etsi non conueniunt, quod cui Euangelistæ ex animalibus hominis,bouis, leonis, & aquilæ assignandum sit, & vltra istos ab Irenæo [l],Augustino [m],Tertulliano [n], Beda [o], Hieronymo [p],Angelomo [q],Iuuenco [r],Eucherio [s],Se-

Cur quatuor Euangelistæ, &c. b Theop.Ant. apud Hier.ep. ad Alg. q.6. Tatian.& Am. Eus.apud eũdem epis.121 & apud Victorem Capua. præf. ad Har. Tat.item Th 3.de fab.Ano. quidam. Zac. Chrys. Simon de Cass. Ant. Conist. Gers. Ludol.in vita Christi.Beauxamis. Iansẽ. Salm. Barrad. c lib 3 cap.11. d quæst.65.in Scrip. e prol.in Mat. f 1.de cõsen. Euang.c.2. g Mat.24.31. h c.13.3.& seq. i Apoc 7. 1. k Eze.1.5.Apo. 4.6.& seq.

l lib.3.c.11. m 1 de cons.Euang.c.6 & 7.& tract.36.in Ioa.& in Psa.103.& q.102.in Exod. n 2. cont Mar.c.2. o in com Euan.& epist ad Accam. p in com.Euang.& in c.6.Zach. q in 3.Reg.cap.7. r lib.1.Cat. s quæst.1.in nouum Testam.

dulio [a], Anastasio Niceno [b], Anastasio Synaita [c], Gregorio [d], Theophilo Antiocheno [e], Cœlio Sedulio [f], Cyrillo Ierosolymitano [g], Dionysio [h], Mose Barcepha [i], Germano Constantinopolitano [k], Athanasio [l], Isidoro [m], & ex recentioribus à Michaële Medina [n], & Salmerone [o], immò ab Ecclesia ipsa tum recitante visionem Ezechielis in festo Euangelistarum, tum iis hæc animalia appingente, Matthæo hominem, leonem Marco, Lucæ bouem, aquilam Ioanni, quæ CHRISTI, de quo Euangelia præcipua quæque mysteria designant, humanam generationem, regnum, sacerdotium, deitatem, vel, vt Gregorius vult [p], CHRISTVM hominem pro nobis factum, occubuisse, resurrexisse, ascendisse.

Quid? quod hæc ipsa quatuor signa duodecim olim tribus gestasse in vexillis ferunt, leonem Iuda, Isachar, Zabulon: hominem Ruben, Simeon, Gad: bouē Ephraim, Manasse, Beniamin: aquilam, Aser, Dan, Nephthalim?

Egregiè verò admirabiliterque Ezechiel expressit Euangelistarum conspirantem diuinámque doctrinam. Nam describit non separata animalia, sed in vnum corpus, quatuor eorum facies coëuntes: vel certè separata quidem, verùm ita, vt quoduis omnes facies habeat, vna tamen singulariter in quoque emineat, & nomen particulare huius, aut illius animalis tribuat, *pennæ extentæ desuper* verba sunt in cœlum directa, & Deitatem indicantia, vt *facies* Humanitatem: vocat eadem, nomine *Cherubim* [q], propter copiam scientiæ: quæ Ioannes [r] ea de causa dicit, *oculis plena antè, & retrò. Omnia gradiebantur secundum impetum* SPIRITVS, qui omnia simul afflabat.

Sunt qui in Quaternario isto numero considerent Quatuor Paradisi flumina, vt Nyssenus [s], Tertullianus [t], Hieronymus [u], Augustinus [x], ex fonte eodem manantibus: Quatuor anulos, quibus Arca DEI gestabatur, vt Hieronymus: Quatuor rotas in quadriga Domini (S. Bernardinus [y] intelligit in curru Ezechielis quatuor Ecclesiæ Doctores, vnumquemque cum vnoquoque ex animalibus, hoc est, cum Euangelistis comparans) vel quatuor quadrigas quibus vehatur CHRISTVS per orbem: vt Hieronymus [z], Augustinus [a], Angelomus [b]: vel Quadrigas Aminadab, de quibus Cantica [c], vt Gregorius, Glossa, S. Thomas [d]. Quatuor genera rerum, quibus constat institutio nostra, præcepta ad iustitiam, mandata ad charitatem, testimonia ad fidem, exempla ad perfectionem; vel timorem, fidem, spem, charitatē, vel virtutes cardinales; vel dogmata, præcepta, minas, pollicitationes: verbum scriptum, signa, & ministrorum sanctitas, sanguisque: vt Hieronymus [e], & Irenæus [f], & Theophylactus [g].

Alij proferunt comparationem cum quatuor primis Apostolis, quos primos CHRISTVS vocauit [h], vt Hilarius [i]: vel quatuor initiis lintei, quod vidit Petrus [k]: aut Arca Noë quadrata, vt Druthmarus [l]: cum testimoniis illustrioribus à DEO datis, Arcus [m] cœlestis, Circumcisionis [n], legis veteris, & nouæ, vt Anastasius Nicenus: vel celebratioribus illis in lege hominibus, Aaron, Mose, Nadab, Abiud: vel Prophetis maioribus, vel principibus spiritibus, qui sunt apud Danielem [o]: cùm mensis quatuor de quadris lapidibus ad sacrificium, & holocaustum, de quibus Ezechiel [p], cum quatuor ventis, elementis seu literis nominis TETRAGRAMMATI: cum anni tempestatibus, vt Sedulius [q]: cū scala Iacob [r], quę quatuor habebat extremitates: cum eiusdem quatuor vxoribus [s]: cum vestibus CHRISTI quadrifariàm diuisis [t]: cum quatuor Scripturæ sensibus, historico, allegorico, tropologico, anagogico: vt Quatriduanus à morte naturali, culpæ, gehennæ, & ciuili liberetur, vt ait Hieronymus [u]: cum quatuor cornibus altaris Crucis CHRISTI: cum portantibus paralyticum [x]: cum quatuor mensibus, post quos messis venit [y]. Postremò inter numeros pares quaternarius primatum tenet: caret enim binarius medio: constatque principio tantùm, & fine. Et est Quaternarius denarij omnium perfectissimi causa, basis, & fons: siquidem procedendo ab vnitate vsque ad Quaternionem coniuncti deinceps numeri illum efficiunt: præcipua item est quadrata in figuris architecturæ, continétque trinam solidi corporis cum puncto dimensionem. Pythagoræi [z] per τετράκτυν, hoc est, Quaternionem, siue Quaternarium, iuramenti formulam statuebant. Aristoteles [a] virum perfectum Quadrato numero comparat: quippe primus numerus est pariter par, tanquàm æqui, iustique mensura, & ipsamet cœlestis Ierusalem posita dicitur in quadro [b]. Alia de Euangelistis, & Euangeliis, si quis requirit, citatos Auctores adeat, præcipuè Abulensem, Maldonatum, & Salmeronem, & Barradium [c], & Petrum Bongum. [d]

IACOBVS ALPHÆI.] In hoc, & sequentibus Apostolis idem ordo seruatus est ab Euangelistis. Euthymius [e] existimat fratrem Matthæi fuisse, quoniam & iste Alphæi dictus est, nimirum filius. Sed hoc Scriptura non tacuisset, sicut de aliis, & potuerunt duo idem nomen Alphæi habere.

Cùm verò mater ipsius dicitur *Maria Cleophæ*, vel idem pater Iacobi binominis fuit, vel Cleophas alter post Alphæum maritus, vel certè pater Mariæ matris Iacobi. Nota est phrasis Scripturæ, vt cuius quisque sit filius, per Genitiuum describatur; qua etiam formula [f] Poëta vsus est:

— Phœbi, Triuiaq; sacerdos,
Deiphobe Glauci, — nempe filia.

Marcus [g] nominat etiam minorem, siue propter vocationem, siue propter ætatem; quæ ratio posterior fortasse minùs probabilis est, cùm hic attigisse dicatur annos nonagintasex.

Paulus [h] *fratrem Domini*, id est, consobrinum, filiúmque Cleophæ fratris Ioseph sponsi B. Virginis, si idem est Cleophas, & Alphæus, aut sororis eiusdem DEI Matris, cuius sororis pater fuerit Cleophas, vir Alphæus, aut filius Ioseph ex alia vxore, quod etsi quidam Græci Patres, & pauci ex Latinis dixerint, non adeò placet, cùm existimemus Ioseph virginem fuisse, vt etiā posteà ostendemus agentes de fratribus CHRISTI, sicut & credibilius est, eandem Deiparam Matri suæ Annæ vnigenam fuisse. Athanasius [i] vocat filium Alphæi: quod nomen fratris Domini, cùm alios Iacobus fratres haberet, vnus obtinuit, quia cum CHRISTO à puero educatus (aliorum quoque fratrum natu maximus) vt sensit Epiphanius [k], tantam præterea in vultu & moribus similitudinem habebat, vt ab eo discerni non posset, quod etiam ait Ignatius [l], iique, qui proptereà signum datum volunt à proditore, ne satellites in capiendo CHRISTO fallerentur, eumque qui relicta sindone [m] profugit, Iacobum fuisse, vt idem Epiphanius [n], & Hieronymus [o], Magister Historiæ Scholasticæ, & si qui alij fuerunt apud Theophylactum [p], & Eliam [q] Cretensem. Hugo de sancto Victore [r] improbat opinionem,

quòd

Marginalia (left): a Cat. de Eus. b q. 65. in Scri. c 8. anag. cōt. in Hex. sub finem. d 31. Moral. c. 19. e 1. Alleg. in Euang. f 1 Pasc. c. vlt. *Ecclesia pictura quid innuat.* g Cat. 4. & 6. h Cœle. Hier. cap. 1. 2. 3. 15. & Eccl. hier. c. 4. i lib. de paradiso. par. 2. k in theoria rerum Eccl. l in Synopsi. m procem. li. noui Testam. n 2. de fide. c. 4. *Quatuor animalia signa fuerunt etiam duodecim tribuum.* o tom. 1 prol. 31. p lib. 31. Mor. c. 23. vel 19. *Explicatur visio Ezechielis de Euangelistis.* q cap. 10. 20. r Apoc. 4. 6. s orat. 2. de Pascha. t 2. cont. Mar. cap. 2. u Pro. in Mat. *Quatuor animalia cum quatuor Doctoribus comparata sunt.* x 13. de ciuit. Dei. cap. 21. y Ser. 66. z in c. 6 Zach. a 1. de cons. c. 7. b in 3. Reg. c. 7. c cap. 6. 11. d ibidem. e Præf. in Mat. f lib. 3. c. 11. g Præf. in Mat. h Matt. 4. & Ioan. 1. i in Matth. k Act. 10. 11 l in Matth. m Gen. 9. 12. n Gen. 17. 10. o cap. 10. 13. p cap. 40. 42. q in Carm. r Gen. 28. 12.

Marginalia (right): s Gen. 29. & 30. t Ioan. 19. 23. u prologo in Matth. x Mat. 9. Mar. 2. 3. y Ioan. 4. 35. *Numeri quaternarij præstantia.* z Macrob. 1. in somn. Scip. c. 6. Plut. 1. de plac. Philos. Lucian. li. de sal. ett. & lib. de auc. vit. a 1. Rhet. c. 11. b Apoc. 21. 16. c li. 1. cōcord. Euang. c. 21. d lib. de myster. numer. cum de Quaternatio. e in Matth. c. 10. *Iacobus nō fuit Matthæi frater.* *An sit filius Cleophæ.* f 6. Æneid. g Marc. c. 15. 40. *Quomodo sit dictus frater Dom.* h Gal. 1. 19. *S. Ioseph virgo fuit.* i in Synopsi. k Hæres. 78. *B. Iacobus Christo, quàm similimus.* l ep. 2. ad Ioannem. m Mar. 14. 51. n suprà dicto loco. o in Ps. 17. p Mat. 14. q in orat. 13 Nazian. cont. African. r in epist. ad Gal. 5.

Genealogia B. Annæ secundum quosdam.

quòd fuerit filius Ioseph, eo quòd hic fuit virgo, & putat quòd Cleophas frater Ioseph Annā matrem B. Virginis acceperit vxorem post mortem Ioachim, ex qua habuerit filiam Mariam, quæ nupsit Alphæo, & hic genuit Iacobum, Ioseph, Simonem, & Iudam: & mortuo Cleopha Salomas duxit eandem Annam, ex qua suscepit filiam, item nomine Mariam, matrem Iacobi, & Ioannis ex patre Zebedæo. Præterea quòd minor est dictus, non ætate, sed conuersione: *frater Domini*, vel quia filius materteræ, vel propter similitudinem sanctitatis, vel potiùs, quia nepos fuit patrui CHRISTI, hoc est, Cleophæ. Sed hæc denuò posteà expendentur, nec, vt dixi, placent vndequaque. Non fallit semper Physiognomia, & frequenter sequuntur mores corporis temperamentum, & sanguinis, totiusque corporis constitutionis, similitudo conciliatrix est amicitiæ: & DEVS in communicanda gratia corporis bene aptari, vt in CHRISTO, speciosoª præ filiis hominum, & eius matre, rationem quandoque habet; denique cùm ipsa CHRISTI corporis forma, Beatorum corpora beatificatura sit, auctore Cypriano [b], & Augustino [c], atque communi senteˉtia: nónne singularem quoque ex Iacobi aspectu voluptatem captura sunt? Etsi corporeæ pulchritudinis in CHRISTO causa fuit, *quoniam*, vt ait Hieronymus [d], *non tantùm ex Virgine, sed etiam opera* SPIRITVS *sancti formatus est*, licebit & quiddam in Iacobo, longè tamen infra CHRISTVM, seruata proportione admittere: præsertim si verum est quod scripsit Egesippus [e], & beatus Antoninus [f], & Epiphanius [g], in matris vtero sanctificatum esse: quæ præter Deiparam, Ioannem Baptistam [h], & Ieremiam [i], huius vnius propria gratia videtur, nisi quis cum [k] Gersone (qui id haberi dicit in officio Ierosolymitano de Ioseph composito) & Iacobo [l] de Valentia, sponso quoque B. Virginis communicandam censeat, vel cum aliis apud Antoninum [m] sanctis Nicolao Magno, & Dominico. De Iacob Patriarcha sentit Comestor in Historia [n] Scholastica, Carthusianus [o] fauet, & adstipulatorem quoque facit Augustinum pluribus locis, & ita credere videtur etiam Ambrosius [p] de eodem, sicut & de Ieremia, & de Ioanne: Ephrem de Mosetalij de Samsone. De his vide Sebastianum, Barradium nostrum, qui diu postquàm hæc commentaremur: vulgatus est. Is accuratè disputat de sanctificatis in vtero Ioanne & Ieremia [q], mihi verò nunc hæc examinare propositū non est.

Similitudo est conciliatrix amicitiæ.

a Psa. 44. 3.

Corporis Christi forma beatificatura est beatorū corpora.

b Ser. de Nat. c in Man. cap. 26.

d epi. 140. ad Princ. virg.

e Hier. de Scr. Eccl. f 3. par. tit. 31. c. 4. g hær. 29. h Luc. 1. 15. i Ier. 1. 5. k in 3. p. alph. 59. lite. a. seu in fer. de nat. Vir. conf. 2. l Super Mag. pag. 1107. col. 2. m 3. p. tit. 18. c. 3. § 6. n in Gen. cap. 66. o in cap. 25. & 26. Gen. p 4. de Fide. cap. 4.

q libr. 7. conc. Euang. c. 12.

Iacobus fuit etiam cognominatus Iustus.

r de Scr. Eccl. in Iacobo.

Hieronymus [r] scribit hunc Iacobum habuisse etiam cognomentum Iusti, vnde quidam argumentantur huius fratrem fuisse, qui inferiùs in isto [s] capite vocatur Ioseph cognominatus Iustus, idem profectò dicturi de IESV Iusto apud Paulum [t] atque de Tito etiam Iusto in præsenti libro Historiæ Apostolicæ [u]. Certè quicquid sit de nomine, de quo aliàs, iustitiam Iacobi testantur eximia encomia, quæ de eo citati Auctores Egesippus, Epiphanius, Hieronymus & viuo, & moriente prodiderunt citatis locis, & rursum alio loco Hieronymus [x], & præterea Eusebius [y], aliique historici Ecclesiastici, Chrysostomus [z], Antiochus [a] monachus, qui existimat Iusti cognomen à iustitia, & sanctitate singulari omnium illi suffragiis esse inditum: quod etiam docet Hieronymus [b]. Tradunt isti incredibilem Iacobi abstinentiam, orandi studium indefessum: summam opinionem Iudæorum de illo, & venerationem, ita vt innocentis interfectio, quod post Iosephum [c], qui

s vers. 23. t Col. 4. 11. u cap. 18. 7.

x Gal. 1. y lib. 2. c. 1. z homil. 5. in Matth. a hom. 72.

b in c. 1. ep. ad Gal.

c lib. 20. Anti. c. 8. vel 18.

A id indicat, scripsit etiam Hieronymus [d], Eusebius [e], Origenes [f], Isidorus [g], existimata fuerit causa excidij Ierosolymitani.

Primus sacrificio Christiano, saltem solemniter operatus est, vt indicat VI. Synodus [h], eiusque Diaconum Stephanū propriè fuisse scribit Ignatius [i], nempe Ierosolymis, vbi sedit Episcopus, vt passim omnes fatentur, & consentiunt in nomine, sed non in Apostolo, volentes Episcopum illum, qui & frater Domini, & Iustus dictus sit, tertium alium fuisse ab hoc, quem dicimus Apostolum, & à fratre Ioannis. Hanc sententiam ex recentioribus defendit noster Turrianus in Clementis libros Constitutionum [k], qui Clemens id

B tradit non semel [l], necnon Missa Æthiopica in quadam oratione per Apostolos, & alios Sanctos, Epiphanius [m], Hieronymus [n], Nicephorus [o], Cyrillus Ierosolymitanus [p], Dorotheus [q], & fauere videntur ij etiam qui Iacobum minorem, qui sine dubio Apostolus est, faciunt filium Alphæi: cum verò qui dicitur Domini frater, &c. filium, aut sponsi B. Virginis, aut Cleophæ. Sed neque ratio deest: tum quia Papa Anacletus [r] scribit, primum Ierosolymitanum Episcopum esse ordinatum Iacobum fratrem Domini à Petro, Iacobo, & Ioanne fratre, & tamen omnes Apostolos parem ab eodem CHRISTO potestatem accepisse, & ab eodem ordinatos esse, communis opinio est, quam

C habet idem Anacletus, & Cyrillus Alexand. [s] Cyrillus Ierosolymitanus [t], Ammonius [u] Alexandrinus, Simeon [x] Thessalonicensis, aliique apud Turrianum.

Nicolaus [y] item Papa I. ait habendas patriarchales Ecclesias, in quibus constet Apostolos sedisse, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, Ierosolymitanam tamen etiam esse in honore habendam, quasi velit Iacobum, qui in hac sedit, non fuisse Apostolum. Denique Paulus [z] videtur planè distinguere ab Apostolis, cū meminit CHRISTVM suscitatum illi apparuisse.

D Attamen quòd duo tantùm Iacobi fuerint, iidémque Apostoli, & qui Alphæi dicitur, ac minor idem sit, frater Domini, atque Iustus, primúsque Ierosolymorū Episcopus, longè communior est sententia, quam sequitur nominatim Eusebius [a] Cæsariensis cum [b] Clemente Alexandrino, Chrysostomus [c], Hieronymus [d], Isidorus [e]. Ratio id persuadet, quia Paulus [f] dicit, *se alium Apostolorum non vidisse, nisi Iacobum fratrem Domini*: eundémque cum Cepha, siue Petro, & Ioanne Ecclesiæ columnam nominat [g]. Distinctio minoris, ac maioris inter duos duntaxat est, vt Hieronymus ratiocinatur: Iacobus Episcopus Ierosolymitanus in Concilio Apostolico, apostolica auctoritate senteˉtiam dixit [h] epistola Canonica, seu Catholica ad Iudæos ex Ierusalē dispersos scripta,

E in titulo habet nomē Iacobi Apostoli, & vt à Iacobo Apostolo compositā, eā recēset Conciliū [i] Tridētinū, ideq; cōfirmat Eusebius [k], Hieronymus [l]: Epiphanius [m] de alio Iacobo præter duos Apostolos, fratrē Ioānis, & eū, qui fuit Episcopus Ierosolymitanus, nihil in Historiis reperimus: quod enim de Iacobo Alphæi vt Apostolo ab his diuerso Nicephorus [n] affert, fide caret: denique auctoritas Ecclesiæ magnum pondus habet, quæ Iacobi Minoris festum celebrat, illum asserens Apostolum fratrem Domini, Alphæi filium, fullonis fuste à Iudæis interemptum. Lege Abulensem [o], Toletum [p], Suarez [q], Bellarminum [r], Baronium [s].

Porrò quod ex Apostolo Paulo in contrarium

d libr. de Scri. Eccl. in Iacobo minore. e 2. hi. c. 22. f 1. cont. Celsum. g de vita & morte Sanct. c. 79.

Iacobus primus omnium solemniter Missam fecit.

h de conse. d. 1. c. Iac. i epi. ad Her.

Fuerintne Iacobus qui sedit Ierosolymis Episcopus Apostolus.

k lib. 6. c. 12. l 2. Const. c. 55. & lib. 6. ca. 12. & 14. & lib. 8. cap. 2. 13. 41. m Hæres. 76. n Esa. 17. & in c. 1. ad Galat. o 2 hi. c. 44. p Cat. 14. q in Synops.

r epist. 2.

Iacobus à quibus sit ordinatus Episcopus.

s in c. 2. Ioel. t Cath. 17. u Act. 2. x lib. de myst. Mis.

y epi. ad cons. Bulgar. c. 92.

Patriarchales Ecclesiæ quæ habendæ.

z 1. Cor. 15. 7

Duos tātum Iacobos fuisse, de quibus agit tātū genuina, ostenditur.

a 2. Hist. c. 1. b 6. Strom. c hom. 31. & 44. in Mat. & 47. in Ioan. d ad Heluid. e de vita San. c. 70. f Gal. 1. 19. g Gal. 2. P.

h Act. 15. 13. & seq.

i Sess. 4. k 2. Hist. c. 22. l de Scr. Eccl. & 2. cont. Pel. m epi. ad Ioa. Ierosol. n lib. 2. c. 40. o Mat. 10. qu. 33. & 38. & c. 13 quæst. 85. p Ioan. 2. annot. 18. q Tom. 2. de incar. Disp. 5. sect. 4. r lib. 1. de ver. Dei. c. 18. ad 1. & 2. s Tom. 1. Annal.

allatum

allatú est, nihil efficit, quia vt soli Iacobo CHRISTVS seorsim apparuit, quòd is in nocte cœnæ vouisset, vt ex Euangelio Hebræorum refert Hieronymus [a], non gustare cibum, donec videret CHRISTVM resuscitatum (quam historiam non admittit Augustinus [b], & S. Thomas [c] quantum ad votum, & tempus, ne cogamur dicere citissimè illi apparuisse CHRISTVM, cuius videtur Paulus oppositum innuere) ita etiam de apparitione facta separatim Petro mentio est apud eundem [d], & apud Lucam [e] in Euangelio. Cyrillus Ierosolymitanus in hoc eodem sensu loquitur. Hieronymus sententiam emendauit: Clementis libri Constitutionum non sunt vsquequaque indubitatæ auctoritatis. Quamuis & citati pro nobis esse possent loci, vbi etiam nec ex septuaginta Iacobum hunc Discipulis facit. Sed nec de Anacleti, & similium antiquorum Pontificum epistolis nullus est, qui cum nonnulla ratione ambigat. Et tamen ordinatio Iacobi per tres illos Apostolos accipi commodè potest, & verò etiam debet de speciali institutione, atque designatione Iacobi in Episcopum Ierosolymitanum, quod Chrysostomus [f] quoque notat, non verò de consecratione. Quod sanè valdè ad laudem Iacobi facit, vt quo nō alius aptior iudicaretur, qui genti Iudæorum, apud quos gratia propter sanctitatis opinionem valebat, cuique per eos intrare in Sancta Sanctorum licebat, præesset, & veluti frater fratri CHRISTO, ab iisdem crudeliter interfecto, semen suscitaret, quod Christianorum, non Iacobitarum nomen sortiretur; & cui filios matris Ecclesiæ, vt Hieronymus [g] loquitur, CHRISTVS ad PATREM vadens commendauerat. Præterquàm quòd Eusebius Cæsariensis [h], Dorotheus [i], & Clemens [k], ipse hunc à CHRISTO ipso immediatè ordinatum dicunt.

a de Scri. Ecc.
b 3. de cons. Euang. c. 25.
c in epist. 1. ad Cor. cap. 15.
Diluuntur ea quæ allata sunt contra istā sententiam.
d 1. Cor. 15. 6.
e cap. 24. 34.
Iacobus non fuit ordinatus, sed designatus Ierosolymorum Episcopus, & cur.
f hom. 87. in Ioan.
Iacobus frater Domini qua ratione ei semen suscitauerit.
g in c. 1. ep. ad Gal.
h Ec. 16. apud Tur.
i in Synopsi.
k epi. 1. ad Iacobum.
Ierosolymitana sedes cur aliis præferenda.

Postremò Nicolaus I. (aliorum enim Græcorum citata testimonia minùs curanda sunt) aut fauet, si Ierosolymitanæ Ecclesiæ honorem habet, quia Apostolica sit; aut non nocet, si Apostolicam Cathedram intelligit, in qua Petrus sedit, vel per seipsum, vel per alium nomine ipsius: aliam enim intelligit esse causam cur Ierosolymitana honorari debeat, tametsi non neget vllum ibi Apostolum præsedisse à Petro diuersum, quam etiam Iacobi Cathedram auctor est Eusebius [l] esse ad sua vsque Constantinique Imperatoris tempora perhonorificè conseruatam.

l 7. Hist. c. 14.

Suppeditat hoc, inquam, quod de Episcopatu Iacobi diximus, atque alia, quæ in hac componenda de pluribus Iacobis controuersia, de qua lege præsertim Baronium [m], & Suarez [n]. Vberem eiusdem laudum materiam, sicut *& quod Princeps Apostolorum ad eum misit, qui nunciaret se de carcere ab Angelo eductum* [o] *fuisse*; & quod mater eius peculiariter nominetur mater Iacobi [p], etiamsi alios filios haberet, & eorum quoque interdum dicatur mater; & Iudas Apostolus cognominetur Iacobi [q], & quòd Epistolam Catholicam scripsit (sic vocatur meliùs quàm Canonica, sunt enim & epistolæ Pauli Canonicæ, sed quoniam ad particulares, vel populos, vel personas, non Catholicæ, id est, vniuersales nominantur: qua de causa postremæ duæ Ioannis non propriè dicuntur Catholicæ) exactis omnium virtutum documentis insigniter confertam: quam ita idcirco Hæretici Lutherani oderunt & execrantur, vt etiam straminean nominent: Erasmus non redolentem Apostolicam grauitatem; Caietanus verò dubitat, minorisque auctoritatis esse affirmat. Contra quos noster Bellarminus [r], auctoritatem epistolæ confirmans, & octo argumentis respondens. Qua de re quoque in erudito eiusdem epistolæ commentario Feuardentius, necnon, quem, meum rescribens, anno superiore, dum ad prælum mittitur, absorptum mari commentarium, nunc primùm prodeuntem in hanc aliásque epistolas lego, Salmeron. At de Iacobo quidem nunc satis: de quo etiam mentio erit in cap. 12. & 15. Id tantùm addo, quod ex Clemente Alexandrino in sexto Hypotyposeon, Eusebius [f] refert, Petrum, & Iacobum Ioannis fratrem, ipsumque Ioannem, tametsi à CHRISTO summum dignitatis gradum essent adepti, non de gloria, & honore contendisse inter se, sed vno consensu Iacobum Iustum Ierosolymorum Episcopum designasse: in septimo autem libro ait idem Eusebius, eundem Clementem scripsisse quòd Iacobo Iusto, Ioanni, & Petro Dominus post Ascensionem suam, singularem quandam impertiit cognitionem, quam illi reliquis Apostolis tradiderunt, hi 70. Discipulis. Nescio Theodoretus [t] vnde acceperit, quod de Iacobo Alphæi scribit, priusquàm vocaretur à CHRISTO, fuisse peccatorem, sicut Matthæum.

m Tom. 1. Annal.
n 3. par. qu. 28. dis. 5. sect. 4.
o Act. 12. 17.
p Mar. 16. 1.
q Act. 1. 13. & in epi. Iud. v. 1.
Epistola D. Iacobi omniū virtutum documentis conferta.
r lib. 1. de ver. Dei c. 18.
f 2. Hist. c. 1.
t in Psal. 6[?].

SIMON ZELOTES.] Ita etiam eundem idem Lucas nominat in Euangelio [u], Matthæus [x] verò & Marcus [y] Cananæum, etsi hi duo numerant illum post Thaddæum. Eadem est significatio Græcæ vocis ζηλωτῦ, quæ Hebraicæ Canæi (meliùs enim sic diceretur, aut etiam Cannæi, vel Cannitæ, sicut Græcè καννίτης, quàm Cananæi) sine aspiratione, à קנא Cana, quod est *Zelare*, seu *æmulari*: itaque appellatus est, quòd ex Cana, oppido Galilææ, esset (quod alij vocantes Canan, inde Cananæum deriuant) simulque allusione facta ad nominis oppidi notionem, quòd zelo ferueret, vt tradit etiam Hieronymus [z], vt si quem fortem virum Valentiæ natum, & Valentinum gentili forma, & à fortitudine Valentem etiam, sed per allusionem ad nomen vrbis eius, appellares. Chananæa mulier, de qua Matthæus [a], cum aspiratione scribitur (Hebræa verò regionis כנען (*hanahan* dictio planè alia est) & Gentilis erat ex Cana maiore, in tribu Aser, inquit Maldonatus [b], iuxta fines Tyri, & Sidonis, non obstante, quòd Hebraicè leniter scribatur illa Cana, eò quòd facilè permutentur literæ: sed alia nostri Simonis erat Cana minor, in tribu Zabulon, dicebatúrque propriè Cana Galilææ, prior, quamuis etiam in Galilæa, quia vicina Sidoni, Sidoniorum. Vt vt sit, certè vtraque Cana scribitur Hebraicè per ק, *coph*, & Græcè per κ, hoc est, sine aspiratione: mulier Chananæa Græcè per χ, & Hebraicè per כ, *caph*, sicut & nomen Chananæorum, & Chanaan.

Simon Cananæus seu Canæus, cur sit dictus.
u c. 6. 15.
x c. 10. 4.
y c. 3. 18.
z epist. 53. ad Riparium, & Matth. 10.
De muliere Chananæa, vnde fuerit.
a c. 15. 22.
b in Matth.

Porro nemo ex Chananæis admittebatur ad Iudaismum [c], & Gabaonitæ oriundi ex Chananæis, serui erant Iudæorum [d]. Non erat ergo Simon hic Chananæus, hoc est, ex Chanaan, Lege Abulensem in Matthæum [e].

Vnum obiici potest, quod etiam Antonium [f] Nebrissensem perpulit, vt negaret debuisse verti Cananæum Zelotem, quoniam non videntur nominum propriorum significationes, & etymologiæ in alienam linguam conuertendæ, vt ipsi quoque pridem superius docuimus, differentes de Ierusalem, & Israël: *Quis enim*, inquit, *nisi ridiculè pro Platone, qui significat latus, & quia ipse Atheniensis fuit, est verò Athene Minerua, dicat latum Minerualem, Vigilantium pro Gregorio, Deo datum pro*

Simon Apostolus nō fuit Chananæus.
c Deut. 10. 16. 17.
d Iosue 9. 21. & seq.
e c. 10. q. 40.
f in Quinquage. c. 49.
An debuit Cananæus seu Cananus Zelotes Græcè verti.

Theodoro,

Theodoro pro Phrontisco Prudentium?

Miror cur non addiderit, pro Cepha Petrum, quem ita tamen ferè perpetuò Euangelistæ nominát. Cur non ei displicuerit, quòd Septuaginta, quos ea in re tam diligentes interpretes fuisse obseruat, quodam Psalmo [a] pro Salem proprio nomine, pacem posuerint. Quod nobis Antonius responsum dabit, reddemus nos illi, nec dubitabimus dicere, Lucam, qui per SPIRITVM sanctum scripsit, eiusdem SPIRITVS sancti instinctu zelum nobis huius Apostoli ea nominis ipsius interpretatione exprimere voluisse.

a Psal. 75.3.

Hieronymus [b] aliquando idem Zelotæ, seu Cananæi cognomen tribuit Thaddæo, siue Iudæ Apostolo: tamen Commentario in Matthæum [c], Simoni tantùm tribuit, sicut & alij à Simone distincto cognomen Thaddæi tribuunt, quod [d] aliàs eidem Simoni tribuitur, nimirum prioribus locis confundens nomina, & cum vtroque Simone Iudam, quemadmodũ & Sophronius apud ipsum [e], atque Isidorus [f], vocantes Simonem Cananæum, cognomento Iudam, qui fuerit frater Iacobi Episcopi, & in Episcopatu Ierosolymitano successor.

b in epist. ad Gal. 4. & lib. aduers. Hel.
c cap. 10.
d cont. Helu.
e de Scr. Eccl. in Simone.
f lib. de vit. & obi. Sanct. ca. 81.

Hinc factum est, vt Simonem hunc nostrum quidam etiam ab his Auctoribus confusum credant cum alio Simone Episcopo Ierosolymitano Iacobi successore, qui item vocatus sit Iudas. Dorotheus [g] autem, quamuis distinguat Simonem Cananæum à Simone Iuda Episcopo, tamen eundem putat Simonem istum cum Iacobo Alphæi, si credimus Scholiastæ Hieronymi [h], quod mihi tamen Dorotheum legẽti non videtur, quoniam, ipsomet Dorotheo teste, Simon Iudas Iacobo Iusto successit, quem ipsum esse Alphæi, superiùs demonstratum est. Et omninò ita est, duos fuisse Simones, Apostolum, & Episcopum, quicquid sit de Iudæ cognomine, illum qui ab Ecclesia celebratur 28. Octob. hunc qui 18. Febr. vt constat ex Martyrologio, & Menologio: illum passum, vt Abdias scripsit, & Hegesippus apud Eusebium [i], & alij in Sanir Chaldææ, seu in Perside, hunc Ierosolymis, non, vt Dorotheus ait, in Ostracina ciuitate Ægypti.

Simon Apostolus cum alio Simone Episcopo Ierosolymitano confunditur.
g in Synopsi.
h in Iud. vet. Simon.
i 3. Hist. c. 15. & 26.

Errandi occasio fuit Abulensi in Matthæum [k], (qui tamen nostram aliàs [l] sententiam tueri videtur) & aliis, quòd Simon, seu Simeon Episcopus, dictus quoque reperitur frater Domini (ex patre Cleopha, & matre Maria, quæ dicta est Cleophæ) non minùs quàm Iudas, ideóque vnus idémque habitus sit Simon & Iudas: & quia Simon Cananæus, seu Zelotes existimatus est idem esse cum Simone Cleophæ, propterea hi tres quasi vnus idémque computati sint, dictúsque sit Simeon Iudas Zelotes. Verùm satis huc vsque demonstratum videtur, & ante me à Baronio in Annalibus, & notis Martyrologij, diuersos esse Simonem & Iudam, atque à Simone Iacobi successore Iudam, ac proinde Simonem Cananæum à Simone, seu Simeone Cleophæ. Beda [m] quidem, qui eôdem fuerat errore lapsus, vt ex vtroque Simone conflaret vnum, sententiam retractauit.

k ca. 10 q. 40.
l cap. 13. q. 34.
m in retract. in Act.

Nicephorus [n], eúmque secutus Baronius [o], existimarunt, sponsum in Cana [p] Galilææ fuisse Simonem Cananæum. Aliqua ex loco coniectura est, ac fortassè maior, quàm quas afferunt, qui Ioãnem putant, apud Toletum & Maldonatum [q], at non satis idonea, vt præstet nostrã hac in re ignorantiam fateri, quàm certum quid sine magna vel ratione, vel graui auctoritate afferre.

Simõ Cananæus fuerit ne sponsus in Cana Galilææ.
n lib. 8. c. 30.
o Tom. 1. Annal.
p Ioan. 2. 1.
q in Ioan.

Ceterùm cùm Simon inter CHRISTI fratres

Fuit verè frater Domini.

A censeatur à Matthæo [r], & à Marco [s], negauit Abulensis in Matthæum [t] scribens, esse hunc Cananæum, *Quia tota*, inquit, *cognatio* CHRISTI *erat ex Nazareth*. Debile argumentum, siquidem Cana parum aberat à Nazareth, ibíque facile fuit vt affines & cognati CHRISTI essent, immò hac de causa Simõ Cananæus ibi creditur inuitatus cum CHRISTO ad nuptias. Hic ipse creditur in Symbolo articulum pronunciasse remissionis peccatorum: erat verò non zelotes duntaxat, sed, testibus Abdia, & Nicephoro, valdè misericors, & in condonando clemens.

r cap. 13. 55.
s cap. 6. 3.
t ca. 10. q. 40. & c. 13. q. 85.

IVDAS IACOBI.] Ita quoque Lucas in Euangelio [u] eum vocat, & Ioannes [x] Iudam, Marcus [y], B & Matthæus [z] Thaddæum, & ipsemet se etiam Iudam Iacobi fratrem initio epistolæ suæ; ita vt qui Iacobi filium arbitrati sunt, hallucinati sint: ponitur enim etiam alibi à Matthæo [a] frater Iacobi, Iudas cum Simone, & Ioseph, & Marcus [b] eodem modo loquitur.

Iudas Iacobi frater Apostolus fuit.
u cap. 6. 16.
x cap. 14. 22.
y cap. 3. 18.
z cap. 10. 3.
a cap. 13. 55.
b cap. 6. 3.

Addit Hieronymus [c] tertium nomen Lebbæi, iuxta textum Græcum, Λεββαῖος, ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, *Lebbæus, qui cognominatus est Thaddæus*. Et meminit Augustinus [d] triplicis huius nominis, & quidam codices Latini id habent.

Iudas etiã Lebbæus dictus est.
c in c. Mat. 10.
d 2. de cons. Euang. c. 20.

Significat Lebbæus corculum, siue leunculum, aut fortem, etsi Plinius [e] scribat, apud Romanos catos, & qui sapientia præstarent, corculos esse C appellatos, necnon alter Plinius [f]: de qua re Tiraquellus [g] in Alexandrum ab Alexandro.

Lebbæus quid significet.
e lib. 7. c. 31.
f lib. de viris illustr. c. 44.
g lib. 1 c. 9.

Sunt etiam qui tradant, quòd, qui apud Iudæos in suo nomine haberent quatuor literas nominis Dei יהוה alio nomine vocarentur יהודה *Iehudah*, Iudas: cui verò nomen esset Iudas, leo appellaretur, quòd Iudas ille Patriarcha dictus sit Leo [h]. Et qui יהויקים *Iehoiacim*, quod contractè dicitur *Ioacim*, Eli: atque ita volunt, in isto Iuda esse factũ, vt pro Iehuda diceretur Iuda, aut Thoda, siue Thaddæus. Thoda enim ferè idẽ significat; aut Lebbęus, quasi leoninus aut leo. Meminit huius Hebraicæ traditionis Iansenius [i] in Concordia Euangelica. Angelus [k] Caninius ait, Thadi Syriacè non à D confessione, alioqui debere esse Thodæus, sed à חד *thad*, voce Syriaca dici, quæ mammam vel papillam significat. Negat etiam dici Lebbæum à leone, qui dicitur Heb. לביא *labi*, sed à corde, quod dicitur לב *leb*, quoniam, inquit, Syriacè Leo non dicitur לביא *labi*, sed אריא *aria*, quasi verò huius Apostoli nomen non possit esse ex puro fonte Hebręo, sicut aliorum alia tam multa nomina. Auctor Commentariorum in Marcum apud Hieronymum, vult dici à corde, quasi cordis cultorem.

Literas nominis Dei qui habebat in suo, non illo nomine, sed alio dicebatur.
h Gen. 49. 9.
i cap. 39.
k in loc. nou. Test. c. 11.

Hunc à Simone diuersum esse, cùm de Simone ageremus, docuimus. Dubitatum verò est de duobus Thaddęis, vt de Simonibus: nam pręter istum E alter fertur ex LXX. Discipulis, qui ad Abagarum missus in Syria prædicauerit. In ea sentẽtia est Eusebius [l], Nicephorus [m], Græci in Menologio, vbi Iudam collocát ad XIII. Kal. Iulij, Thaddæum ad XII. Kal. Septemb. Simonem verò Zelotem Apostolum 10. Maij, & Simeonem Domini fratrem, siue consanguineum 27. April. & ex Latinis Beda [n], & Petrus [o] de Natalibus.

Duo fuerunt Christi discipuli Thaddæi dicti.
l 1 hist. c. 13.
m 2. hist. c. 40.
n Ret. in Act. 1.
o lib. 6. c. 100.

Alij tamen Latini post Hieronymum [p] contrarium sentiunt, neque Occidentalis Ecclesia plusquàm de vno Thaddæo, quem etiam nominat Iudam, commemorationem facit, & Petrus [q] de Natalibus alio loco hanc opinionem sequitur: necnon Beda [r] in primis Commentariis in Acta,

p Mat. 10.
Vnus tamen nõ duo fuerunt.
q lib. 9. c. 115.
r Act. 1.

vbi

A vbi cũ Hieronymo docet esse illũ ipsum, qui prędicauit regi Agabaro, quamuis in Retractat. moneat se in Historia Ecclesiastica reperisse, hunc, non Apostolum, sed Discipulum tantùm fuisse. Dorotheus [a] item vnicum facit, eúmque Apostolum. Fulgentius [b] arbitratus procul dubio, huic etiam Cananæi cognomen & Zelotæ fuisse Iudæ proditori, opponit acutè Iudam istum ludens in cognominibus, quòd proditor de CHRISTO paciscebatur, & commercium quærebat (Iscariotem à mercede dictum iuxta notionem vocis quidam putant, vt posteà videbimus) noster hic autem pro CHRISTO zelabatur.

a in Synopsi.
b Serm. 9.

B De hoc Apostolo nil aliud Scripturæ tradunt, quàm quòd post Cœnam extremam disserente CHRISTO cum Discipulis, interrogauit eum [c]: *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?* Reliqua ex Historiis Ecclesiasticis petenda sunt.

c Ioan. 14. 22.

De epistola S. Iuda.

Epistolam enim eius Catholicam, breuem quidem, sed vtilem, de suscepta fide viriliter tuenda, & de fugiendis seductoribus, quibus grande immineret supplicium, in qua Petri epistolam secũdam sententiis, verbísque æmulatur (vel forsitan potiùs vterque instinctus ab SPIRITV sancto eadem scripsit) Ecclesia vt Canonicam agnoscit, & aduersùs maledicos eandem vindicat Sixtus Senensis [d], & Bellarminus [e], Feuardentius [f], & Salmeron. Id quod maximè vrgeri solet contra illam, est, quoniam citat libros apocryphos Enoch, & ascensionis Mosis. C

d lib. 1. & 7. Biblioth.
e lib. 1. de verbo Dei c. 18.
f in com. eius.

Ob librum apocryphum quem Iudas citat, non desinit esse canonica eius epistola.

Verùm etiamsi librum Enoch canonicum esse Tertullianus [g] velit, & Beda [h], & Beda scribat vt talem tempore Iudæ habitum esse: tamen vt concedamus apocryphum esse, etiam in apocryphis potest aliquid veri esse, vt ait Hieronym [i]. & Augustinus [k]: quod qui profert, non totum propterea librum, ex quo id eruit, approbat. Vt neque quos Paulus [l] citat Aratum, Menandrum, Epimenidem apocryphos esse quisquam negabit, quemadmodum bene Hieronymus [m] argumentatur, Paulum ac Iudam hac in re comparans.

g li. de habitu mul.
h in epi. Iudę. *Apocryphi libri habent aliquid veri.*
i in c. 1. ad Ti.
k lib. 15 de ciuit. c. 23. & li. 18. c. 38.
l Act. 17. 28. 1. Cor. 15. 33. Tit. 1. 12.
m supra.
n 1. hist. c. 33.

D Illud non apocryphum modò, sed falsum etiam reor, quod Nicephorus [n] tradidit, quæ Maria Iacobi dicitur, huius vxorem fuisse.

S. Bernardus in quanta veneratione D. Iudam habuerit.

Non omittam in fine referre, qua pietate Apostolum Thaddæum S. Bernardus coluerit: eius enim reliquias ipso anno ad se Ierosolymis missas, quo mortuus est, voluit in capsula repositas intra tumulum pectori suo superponi, *eo vtique fidei, & deuotionis intuitu*, inquit [o] Auctor vitæ, *vt eidem Apostolo in die communis resurrectionis adhæreret.* De qua tribu Apostoli fuerint, incertum. Putant aliqui [p] de Iuda, Zabulon, & Nephthali, propter verba Psalmi [q]: *Principes Iuda, duces eorum, principes Zabulon, & principes Nephthali.* Lege quæ ibi diximus.

o lib. 5. c. 3.
p vt Aug. in Psal. 67.
q Psal. 67. 28.

E *Versus* 14.] **Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius.**

Triplex virtus in grege Christi commendatur.

COMMENDAT Lucas triplicem in hoc pusillo grege, destituto Pastoris solatio, sed minimè dubitante de eius erga eos sollicitudine virtutem, inquit Bernardus [r], *magnanimitatis, & longanimitatis in oratione, & vnanimitatis, seu concordiæ inter se, quæ fidem, spem atque charitatem designabant.*

r Serm. 5. de Ascens.

A Non exprimitur locus orationis, satis fortasse versu præcedente indicatus fuisse cœnaculum: ita vt quod idem Lucas in Euangelio extremo scribit, *quod erant semper in templo laudantes & benedicentes* DEVM: si non placet distinguere cum Vitriaco [s] de oratione in hoc per diem, in cœnaculo per noctem, accipi debeat, post Pentecosten versatos continenter in templo, prout his ferè verbis habetur in cap. sequenti [t] huius libri. Augustinus [u] tamen templum intellexit, in quo vnanimes ante Pẽtecosten collaudarent Dominum, *vt vna eos*, inquit, *inueniret corona ignea aduentantium gratiarum.* Idem Bernardus [x] prouocat nos hoc exemplo, atque etiam Elisæi [*] plangentis Eliæ absentiam, deprecantisque spiritum duplicem ad promerendam oratione, impetrandamve SPIRITVS sancti gratiam, *quam ille*, inquit, *etiam ante decimum diem, quandiu Apostolos expectare oportuit, liberaliter concedit.* B

Vbi orauerint Apostoli post Ascensionem.
s Sermo. 2. de Ascens.
t vers. 46.
u Ser 179. de Tempore.
x Sermo. 6. de Ascens.
*. 4. Reg. 2. 9.

Verisimile est quod quidam [y] addunt, vacatum etiam per hos dies ab illis ieiunio, idque propterea nonnullos piè imitari, appellantes ieiunium Apostolorum, vtpote iam ablato [z] Sponso, etiamsi lege Ecclesiastica ante Pentecosten ieiunium generaliter non indicatur, & ieiunium in vigilia ipsius non sit adeò antiquum. Lege Canonicum [a] ius. Placet quoque mihi, quod Proclus [b] Constantinopolitanus scriptum reliquit, per quotidianam diuinorum mysteriorum celebrationem SPIRITVM sanctum expectasse. C

Apostoli post Ascensionẽ vacarunt ieiunio.
y Vitriac. ser. 2. Rogat. & ser. 2. de Asc. Ludo. 2. p. de vit. Chri. c. 82.
z Matth. 9. 15. Marc. 2. 20. Luc. 5. 35.
a dist. 76. c. 1. & seq.
b in opus de Tradi. diui. Missæ.

Perseuerantes.] Προσκαρτεροῦντες. Denotat sedulum, & non intermissum studium: quo ipso verbo vtitur Apostolus, cùm ait: [c] *Orationi instantes:* quod intelligendum est, accommodatè, & opportunis temporibus, vt cùm semper fuisse in templo dicuntur à Luca in Euangelio [d] hi ipsi Discipuli, aut Anna [e], *inde non discessisse, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die:* aut *oratio ab Ecclesia* pro vinculis Petri *sine intermissione facta* [f]: aut *quòd oportet semper orare, & non deficere* [g]: quod etiam præcipere videtur idem Paulus Colossensibus [h], & Thessalonicensibus [i].

Orationi quomodo instandũ.
c Rom. 12. 12.
d c. vlt. ve. vlt.
e c. 2. 37.
f Act. 12. 5.
g Luc. 18. 1.
h c. 4. 2.
i 1. 5. 17.

D Vnde Euchitæ sui crassi erroris ansam sumpserunt, qui refelluntur ab hæreseologis. Ex his Augustinus [k], quem refert & sequitur Nicolaus I. in Responsione [l] ad Bulgaros, illum docet dici semper orare, & sine intermissione, qui certa orandi tempora nullo die intermittit; quod de horis maximè Canonicis intellexit Eligius [m], & Hieronymus [n] innuit, & Beda [o]: mitto expositionem de perpetuo charitatis desiderio; saltẽ in habitu, quæ est adhuc Augustini [p], & præterea Rabani [q], ac B. Thomæ [r]: quam proinde immeritò reiicere conatur Ioannes Medina [s], apud quem vide alias expositiones, atque apud Abulensem [t], & Castro [u], & Bellarminum [x], & quæ diximus ad caput primum Esaiæ, & interpretes citatorum testimoniorum. E Simplicior, & verior sensus videtur Chrysostomi [y], & Theophylacti [z], non quidem sine vlla intermissione noctes, diesq; orandum, quod omninò fieri non potest: neq; statutis horis, quod Ecclesiastici soli debent: sed ne cùm aliquid à DEO petimus, si consecuti non fuerimus, desperemus, & orationis curam abiiciamus, verùm instemus, pulsemus, iterúmq; iterúmq; idẽ petamus; donec saltem propter improbitatem, quam ἀναίδειαν, id est, impudentiam Lucas [a] vocat, impetremus: *Multùm enim valet deprecatio iusti assidua*, inquit Iacobus [b].

Refelluntur Euchitæ hæretici.
k hæres. 57.
l c. 61.
m homi. 11. in cœna Dom.
n epist. 22. ad Eustoch.
o Luc. 18.
p ep. 121. c. 9. & 10.
q 2. de Instit. cler. c. 1.
r 2. 2. q. 83. a. 14.
s Tracta. 6. de orat. q. 11.
t Matt. 6. q. 95.
u contra hær. verb. oratio.
x Tom. 3. lib. 1. de bon. op. c. 9.
y 1. Thess. 5.
Quomodo si semper orandũ.
z ibid.

Hoc fecerunt ipsos dies decem Discipuli, hortante sine dubio, & exemplum præmonstrante

a c. 11. 8.
b c. 5. 16.
Dei genitrix ad orandum Apostolos est adhortata.

Dei

DEI Genitrice, quam ad suorum Filius discedens solatium, præsertim dum aberat alter Paracletus, reliquerat.

Vnanimiter.] Quia communiter, & vnum quid petebant, videlicet aduentum SPIRITVS sancti, non singuli pro se, sed pro singulis & omnibus simul, sicut de tribus pueris testatur Daniel [a], *quòd quasi ex vno ore laudarēt* DEVM. Hoc voluit CHRISTVS, cùm nos omnes dicere docuit [b]: PATER *noster*: & omnia postulare in commune, & in numero multitudinis. vt ibi obseruant Chrysostomus, & alij, & qui Dominicam orationem propriè exposuerunt, Petrus Laodicenus, & Fortunatus Pictauiensis, & Chromatius, & Cyprianus, qui etiam appellat hanc orationem, *publicam, & communem*, quæ verba repetit Amalarius [c], & omnes colligunt, meliorem esse orationem generalem, quàm specialem: & Ambrosius [d] *non solùm, ait, illam esse vtiliorem aliis, sed etiam ipsi oranti: quia dum singuli orant pro omnibus, sequitur vt omnes orent pro singulis.* Vtitur Chromatius eleganti comparatione membrorum corporis, & partium domus inter se vnitarum, & Pauli [e] sententia, *vt inuicem onera portemus, & quod pro alterius alter crimine confidenter obtinet, qui pro se suggerere confunditur ex pudore, quia in suo facinore verecundia nil præsumit.* Denique *Bene*, inquit, *Dominus auctor pacis sic docuit orare* [f], *vt quicquid vnus peteret, omnibus videretur proficere.* Vide Chrysostomum [g] homilia quadam ad populum Antiochenum, & altera de incomprehensibili DEI natura [h], vbi affert exemplum Ecclesiæ orantis pro Petro vincto [i]; & Pauli poscētis communes has orationes, *vt pro ipso melius gratiæ* DEO *agerentur* [k]; & DEI monentis amicos Iob, vt eo apud ipsum deprecatore vterentur [l], & cuiusdam rei; quem recenti memoria populi intercessio liberauerat.

a c.3.51.
b Matth. 6. 9. Luc. 11. 2. *Postulare debemus omnia in commune.*
c lib. 3. Eccle. offi. c. 29.
d libr. 1. de Cain, & Abel. c. 9. *Oratio generalis magis est vtilis speciali ipsi oranti.*
e Gal. 6. 2.
f Matth. 6. 9. & seq.
g hom. 79.
h hom. 3.
i Act. 12. 5.
k 2. Cor. 1. 11.
l c. vlt. 8.

Pium institutum est orationis continuæ, quæ per vices quibusdam in locis indicitur singulis Ecclesiis, hinc fortasse habens exemplum, & ex oratione pro Petro vinculis detento [m], sicut quòd horas quadraginta teneat ex CHRISTI sepulturæ per id spatium duratione. Confirmari idem D potest ex his quæ de publicis vel orationibus, vel ieiuniis, vel eleemosynis passim reperiuntur apud Patres, præcipuè apud Leonem in Sermonibus; aut de consecratione, seu dedicatione templorum inter alias causas propter communem orationem. Lege S. Thomam [n].

Orationis continuæ & 40. horarum in quibusdā Ecclesiis, vnde est institutio.
m Act. 12. 5.
n in 2. 2. q. 84. a. 3.

In oratione.] Duplex nomen habet textus Græcus, προσευχῇ, καὶ τῇ δεήσει. Habent vim propriam hæ voces Græcæ: sed nos id non agimus, solétque confundi vtriusque significatio.

Cum mulieribus.] Quarum in Euangelio mentio est, & *quæ à Galilæa* [o] CHRISTVM *sequebantur, dum viueret, et ministrarēt*, vt notat Chrysostomus [p] hoc loco. *Consuetudinis Iudaicæ fuit*, inquit Hieronymus in Matthæum [q] (ex quo Strabus ac Beda in Lucam [r]) *nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua victum, atque vestitum præceptoribus ministrarent.* Vide etiam Augustinum in libro de opere Monachorum [s]. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abiecisse se memorat, dicit enim ipse [t]: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli faciunt?* Tertullianus [u] Esaiæ vaticinium impletum ait [x]: *Mulieres opulentæ surgite, & audite vocem meam filiæ confidentes, percipite auribus eloquium meum.*

o Matt. 27. 55. Marc. 15. 41. Luc. 8. 3.
Mulieres de suis facultatibus præceptores alere mos fuit apud Iudæos.
p hom. 3.
q c. 27.
r cap. 8.
s cap. 3.
t 1. Cor. 9. 5.
u l. cō. Mar.
x c. 32. 9.
...erroris more abusi sunt.

Abusi sunt postea more illo laudabiliter ab A Apostolis vsurpato Hæretici, Simon Magus, Nicolaus (si tamen hic hæreticus fuit, qua de re c. 6.) Marcion, Apelles, Montanus, Donatus, Arius, Elpidius, de quibus Hieronymus [y], & alij, quos enumerat Claudius [z] Espensæus, & colligit ex Historia Ecclesiastica, & Augustino, causam cur mulieres illæ CHRISTO ministrarent. Lucas [a] significat fuisse, quia curatæ ab ipso erant à spiritibus malignis, & infirmitatibus.

y ad Ctesiphon.
z in 2. ep. ad Tim. digress. 13.
a c. 8. 2.

An fuerint solùm corruptæ, an etiam virgines, nescimus. Nomen γυναικὸς, & mulieris, tribuitur interdum etiam virgini in sacra Scriptura [b], vt obseruat Origenes [c], & Isidorus Pelusiota [d], atque ipsimet Matri CHRISTI [e], vt Hieronymus [f]. B Notauit Tertullianus [g], Euam adhuc virginem dictam mulierem, necnon Epiphanius [h], & Augustinus [i]. Gaudentius autem Brixiensis [k] mulieris nomen de B. Virgine dici, quia mater erat; Virginis, quia sine viro: Epiphanius [l], vt occurreretur errori futuro, quòd Mater DEI Dea etiam esset. Et patet ex etymo nominis mulier: dicitur enim à mollitie; quia mollior. Et Iurisconsulti virginem viripotentem mulieris appellatione contineri volunt. Idem Tertullianus [m] dicit suo tempore vulgò dictas vxores, mulieres, quamuis non sit propria significatio.

Mulieres quæ sequebātur Christum an fuerint virgines.
b Gen. 2. 22. c. 3. 1. 2. 6. 13. 15. 16. Numer. 31. 17. 1. Corin. 7. 34.
c homil. 8. in Leuit.
d li. 3. ep. 176.
e Iere. 31. 22. Ioann. 2. 4. c. 19. 26. Gal. 4. 4.
f in cap. 4. ad Gal.
g de veland. virg. c. 4.
h hæresi 51.
i de fide cō. Manichæ. c. 22. 2. de cons. Euang. c. 29. Ser. 43. de ver. Dom.
k Tract. 9.
l hæres. 79.
m sup. c. 5.

E contrario virgo non semper significat incognitam viro, non solùm in Scriptura [n], sed etiā in C profanis Scriptoribus, vt Virgilio in Bucolicis [o]:

Ah virgo infelix tu nunc in montibus erras.

& Comico [p]:

—Virgo illacrymat.

Idem etiam Virgilius [q] Camillæ, quæ virgo erat, vocat *muliebria arma*. Quamuis propria significatio virginis sit pro integra, & incorrupta: vt in Genesi [r] dicitur Rebecca, pulcherrima virgo, & incognita viro. Comprobatur id etiam salso salacique Ciceronis de Popilia sua dicto apud Quintilianum [s]. Fieri potest, vt inter sectatrices mulieres nonnullæ virgines fuerint, præsertim ætate grandiores, vel certè viduæ, & ex maritatis, matres Discipulorū CHRISTI, vt apparet ex Euangelio, cùm de iis fit mentio. Lege Salmeronem [t] in Prolegomenis, & Iacobum Pontanum [u], qui idem docet de nomine Græco ἡ παρθένος, ex Euripide, & Terentio. Dicitur præterea quandoque virgo, quæ nullius est, & est soluta, siue virgo sit, siue non: sic videtur Chrysostomus [x] Iob [y] intellexisse, & Theophanes [z], cùm ille dixit pepigisse se fœdus cum oculis suis, vt ne cogitaret quidem de virgine: nam quæ virum non habuit, nisi aliunde aliud constet, solet æstimari virgo. Nihilominùs de voce עלמה *halmah*, qua vtitur Esaias [a], dubitari non debet, quin propriè virginem significet, & antecedentia atque consequentia sententiarum cogant sæpe ita sumere, non solùm illud E nomen, sed etiam בתולה *bethulah*, vt in Deuteronomio [b], & in libro Iudith [c]. Ineptè igitur hoc loco Caluinus conuertit Gallicè, *auec leurs femmes*, *cum vxoribus eorum*. Hunc nihilò castiùs discipulus Beza sequitur: & contendit vterque vxorum adhuc vsum Apostolos habuisse, quos constat omnia reliquisse, cùm sequuti sunt CHRISTVM [d].

n Ioel. 1. 8. Matth. 25. 1. 2. Cor. 11. 2.
o Eclog. 6. circa med.
p Teren. in Andria.
q 11. Æneid.
r c. 24. 16.
s 6. Instit. c. 4.
t Tom. 1. Prolegom. 14.
u Eclo. 6.
x ho. 2. de patientia Iob.
y c. 31. 1.
z epist. 2.
a cap. 7.
b c. 22. 14. 15.
c c. 11. 37. 38.
d Mat. 19. 27.

Et MARIA *matre* IESV.] Non hoc repugnat sententiæ Ioannis, qui de seipso testatur [e], quòd MARIAM sibi vt matrem commendatam *recepit* εἰς τὰ ἴδια, *in sua*, hoc est, curam, & domū; id enim posteà factum est, vt notat Chrysostomus [f], & Oecumenius, qui etiam indicant, ab ipsamet omnes eum in locum esse cōgregatos, atque interim,

e c. 19. 27.
f hom. 3.

Ioseph Mariæ sponsus tūc erat mortuus.
a hæres. 78.

dum Ioannes aderat, non fuisse conueniens, vt illa adhuc abesset. Addit Oecumenius, sponsum Ioseph abfuisse, quia pridem mortuus erat: quæ opinio Epiphanij [a] etiam, & plurium aliorum multò probabilior est, quàm quæ post Resurrectionem CHRISTI eum facit superstitem. Cuius opinionis assertor est Cyprianus [b], seu Auctor de operibus cardinalibus, atque Augustinus [c].

b Ser. de Pass.
c Serm. 81. de Tempo.
Maria vltimo loco à Luca nominari voluit.

Memini apud nescio quem legere, Lucam MARIÆ satisfaciendi studio, quæ id præ singulari modestia postulauerat, in vltimum illam locum infra omnes reiecisse. Obseruauit hanc eximiam in DEI Matre humilitatem eleganter iuxtà, ac piè Bernardus [d], cuius si vel apicem de tam deuota, & vtili sententia dempsero, Lectorem profectò magna voluptate, & commodo fraudauero.

d Ser. de ver. Apoc. 12. Signum magnū.

Si forte MARIA *(cum aliis post Ascensionem* CHRISTI *in cœnaculo adfuit) nominetur prima, quæ super omnes est, tā* FILII *prærogatiua, quàm suæ priuilegio sanctitatis, Petrus & Andreas* (ait Lucas in Actis) *Iacobus, & Ioannes* (non exactè recitat ordinem à Luca ibi positum) *& ceteri qui sequuntur: hi omnes perseuerabant vnanimiter cum mulieribus, &* MARIA *matre* IESV. *Itáne & mulierum sese vltimam exhibebat, vt nouissima omnium poneretur? Verè carnales adhuc Discipuli, quibus necdum* SPIRITVS *erat datus, quia* IESVS *necdum fuerat glorificatus* [e], *quando facta est inter illos contentio de primatu* [f], *cùm* MARIA *quantò maior erat, humiliaret se non modò de omnibus, sed & præ omnibus. Meritò facta est nouissima prima, quæ cùm prima esset omnium, sese nouissimam faciebat. Meritò facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super* ANGELOS *exaltata est, quæ & infra viduas, & pœnitentes, infra eam de qua eiecta fuerant septem dæmonia* [g] (adde fortasse alias curatas item à spiritibus malignis eôdem loco apud Lucam) *ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Obsecro vos, filioli, æmulamini hanc virtutem, si* MARIAM *diligitis, si contenditis ei placere. Æmulamini modestiam eius: nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximéque monachum nihil adeò decet.*

e Ioan. 7. 39.
Humilitas B. Virginis eximia & imitanda.
f Luc. 22. 24.
g Mar. 16. 9. & Luc. 8. 2.

Hæc omnia verè pius, verè humilis, verè Virginis cultor, & imitator Bernardus. Quid si diuino permissu mulieres, ac Mater ipsa DEI, quæ tanto interuallo superat omnes ordines virorum, & ANGELORVM, infrà posita est, quoniam sexus fœmineus vniuersus ab officio docendi, & à hierarchia planè exclusus est? Potuit & vt planè eximia persona vltimo reponi Maria loco, sicut quando iusserunt renunciari Angeli Petro post alios Discipulos, resurrexisse CHRISTVM [h]. Nec prorsus vltima ponitur, sed media inter mulieres, & fratres CHRISTI.

Maria infimo loco posita, ei quid mo ... ordinis ...
h Mar. 16. 7.

Maria Græcorū more & Latino proferendum.

MARIA.] Vtimur hac forma nominis iuxta formam nominum Latinorum, & Græcorum, vt & in plerisque aliis Hebræis, & peregrinis, imitati septuaginta Interpretes CHRISTO antiquiores annis trecentis, & Auctorem libri Ecclesiastici, qui etiam creditur Græcè conuertisse Sapientiam Iesu Sirach, & noui Testamenti scriptores Euangelistas, Paulum, atque alios, denique Iosephi [i] ac Philonis [k] de hac re annotationem, & vsum, immò & Sibyllæ Erythrææ [l]. Itaque non est audiendus Laurentius Valla [m], cùm exigit vt indeclinabiliter dicamus semper MARIAM, quia textus Græcus legit Μαριάμ; addere potuit & Syrum interpretem in nouo Testamento, nam licèt textus Græcus aliorum Euangelistarum, & Lucæ in capite 1. & 2. ita habeat: tamen in cap. 8. 10. & 24. eiusdem Lucæ, atque in præsenti loco, quem tractamus, reperitur cum casibus obliquis, & apud Matthæum capit. 1. & vltimo: & si Hebræa origo retinenda est, deberemus dicere מרים *Miriam* per duas syllabas.

i 1. Antiq. c. 7. lib. 2. c. 1. & 5. libr. 6. c. 9. & 10. lib. 9. c. 13.
k li. de peregrinat. Abraham. libr. de Cherub. & romphæa. lib. de ebriet.
l lib. 8. oracul.
m in c. 1. Mat.

Mariamne dicitur à Iosepho, quæ Hebræis est Miriam.
n 2. Antiq. c. 5. & li. 3. c. 4.

Iosephus Mariamnen vocare solet [n], quæ Hebræis est מרים *Miriam.* Est enim hoc nomen, non nouum, quamuis, vt de nomine IESV dicitur, vni Matri DEI maximè accommodatum & proprium, quod perfidi Iudæi (quemadmodum & nomen IESV) per contemptum corrumpunt, mutata prima litera מ *men*, in literam ה *he*, vocantes ישו בן הרים *Ieschu ben Hariam*, id est, *filium eius, quæ instar fumi vilis est.* Verùm *sicut deficit fumus, illi deficiant* [o], *& pereant à facie* DEI.

Impij Hebræi nomen Mariæ corrumpunt.
o Ps. 67. 3.

Inter eas, quæ MARIÆ nomen sortitæ sunt in antiqua lege, vnius tantùm Scriptura [p] meminit, sororis Aaron & Mosis, quam cùm aliis in rebus, tum in virginitate B. Virginis typum fuisse, possumus affirmare; virginem quidem fuisse Nyssenus [q] docuit, & Ambrosius [r], & Aponius [s], tametsi Hur ei virum assignat Iosephus [t], & Abulensis [u]. Principem illam omnium mulierum quæ apud Hebræos erant, & sapientia insignem, Clemens Alexandrinus appellat [x]. Ambrosius [y] similitudinem notat, quòd MARIA nostra summi Sacerdotis ac legislatoris CHRISTI soror est, immò mater: Augustinus [z], quòd tympanistria, idéq; habet Damascenus [a]: addi potest, quòd prophetissa, quo eā nomine vocant Basilius [b], & Hieronymus [c].

Maria soror Mosis typus Mariæ in virginitate fuit.
p Num. 12. 1.
q li. de Virg. c. 19.
r exhort. ad Virg.
s li. 6. in Can.
t 3. Antiq. c. 2. & 4.
u in c. 15. Exo. in fine.
x li. 4. Strom.
y in c. 2. Luc. & ep. 81.
z Serm. 17. de Natiuit.
a orat. de Ass.
b in c. 8. Esa.
c in c. 8. Esa.
Nominis Mariæ etymologia diuersa.

Idem Hieronymus libro de nominibus Hebraicis, quem ex Philone Latinum fecisse creditur, triplicem huius nominis etymologiam affert, vt sit MARIA, illuminatrix mea, seu illuminans eos, vel illuminant me isti, aut Smyrna maris, aut stella maris, ex quibus vltimam præfert, additque sermone Syro, MARIAM Dominam nuncupari. Idem dixit Beda [d] in Lucam de stella maris, iuxta Hebræos, & de Domina, iuxta Syros, sicut & Maran est Dominus noster (vnde Maranatha, Dominus venit.) Idem tradit Eucherius [e] de illuminata, de stella maris, & Syriacè de Domina. Prætereà dicitur exaltata aut doctrix populi, ac magistra, iuxta diuersas radices. Epiphanius [f] interpretatur non solùm Myrrham maris, sed etiam Dominam, & spem, quia spem peperit totius mundi: aut Illustratam, vtpote quæ à FILIO DEI sit illustrata, & cunctos toto orbe fideles TRINITATE illustrauerit: immò Magistram Magistrorū, ac Prophetarū Prophetissam Rupertus [g] nominat.

d in Luc. c. 1.
e 2. Instruct. c. 1.
f Ser. de laud. B. Virg.
g li. 1. de Glo. Fil. hom. & li. tan Cant.

Bernardus [h] Illuminatricem Euangelistarum, Ignatius [i] nostræ religionis Magistram, Athanasius [k] agnoscit significationem Dominæ, & Damascenus [l] Dominæ maris, quòd mare pro toto mundo sumitur: sed omnium elegantissimè Arnoldus Carnotensis [m], Chrysologus [n], & Eucherius [o]: Bernardus [p] stellæ maris, quia vt stella sine sui corruptione genuit Filium tanquàm radium, & toti mundo illuxit meritis atque exemplis. Petrus Damianus [q] eandem etymologiam affert, & Hieronymus [r]: Ambrosius [s] velle videtur Amaritudinem maris sorori tantùm Mosis conuenire; ipse verò exponit: DEVS *ex genere meo*: hæc expositio nullum fundamentum habet in lingua Hebræa, vel Syriaca, illa autem benè quadrat Matri CHRISTI, propter FILII passionem mari amariorem passæ dolorem, vt verius ac meliùs quàm Noëmi מרא *Mara* [t] dici potuerit; & *magis quàm Ierusalem,*

h Serm. 4. super. *Missus est.*
Mariæ nomini varia Sanctorum interpretationes.
i ep. 1.
k in Euāg. de S. Deipara.
l lib. 4. c. 15.
m Tractat. de laud. B. V.
n Serm. 146.
o 2. Instruct.
p Serm. 2. super. *Missus est.*
q Sermon. de Epipha.
r in Psa. 18.
s de institut. Virg. c. 5.
t Ruth 1. 20.

magna

magna [a] *velut mare fuisse contritio ipsius.*

Sanè quidem allatæ quinque notiones totidem sanctissimæ Virginis dignitates denotant, quot ipsum etiam Latinum nomen Maria (sicut nomen IESVS) literarum constat elementis: est enim illuminata fide, exaltata ad Maternitatem DEI: Mare myrrhæ, seu amarum, propter patientiam in Cruce FILII, quæ martyrem etiam, immò plusquàm martyrem, ipsam fecit, vt ait Hieronymus [b], Anselmus [c], & alij, Maris Domina, seu mundi, propter gaudium Resurrectionis, stella maris, propter Assumptionem, & orationem, qua nos ducit ad CHRISTVM.

Angelus Caninius [d] irridet interpretationem pro Mari salso, aut Stella maris: *quia dissyllabum Miriam, inquit, est simplex atque heemanthicum, ita vt prima litera Mem cum hinc sit heemanthica litera, alia tres thematica, ac proinde thema seu radix* רם *ram eminuit, & consequenter Miriam significet excelsam, sublimem, eminentem, videlicet, gratia:* debuit addere, radicem *esse* רם *ram*, vel רום *rum* & in nomine *Miriam* י *iod* esse pro ו *van*, quia sunt literæ permutabiles. Porrò non debuit contemnere alias etymologias traditas à Patribus: neque probare potest primam literam *mem* esse heemanthicam, & non de radice ipsa. Verum est, quòd myrrha dicitur מור *mor*, aut sine *holem* pleno מר *mor*. A מור *mor*, quod est amaruit, est nomen מר *mar*, amarus, & ים *iam*, est mare; atque ita si pro *patach* (quod fit nonnunquàm) ponatur *chirich*, מרים *Miriam*, vt Hebræi proferunt, erit amarum mare, Græci verò retinentes *patach*, dicunt Μαριὰμ indeclinabiliter per tres syllabas, quia apud illos iod siue iota non est consonans.

Piè etiam, licèt non adeò solidè, quidam primam nominis literam M, typum virginis designatam considerant sororem Mosis Mariam [e], vt antè diximus: secunda Abigail [f] humilitate, atq; prudẽtia placantem Dauid: tertia, Rebeccam [g], & Rachel [h] pulcherrimas: quarta, Iudith [i], quæ Holofernem obtruncauit, vt nostra serpentem [k]: vltima, Annam [l] matrem Samuelis, quæ precibus talem filium impetrauit, & Domino consecrauit, vt nostra CHRISTVM.

D Tandem hoc nomen, quod impositum diuinitùs, & parẽtibus reuelatum Hieronymus [m] tradit, Sibyllæ prædixerunt, Damasceno [n] teste: & antiqui Rabini ante CHRISTI aduentum ex quodam Esaiæ loco coniectarunt: ex quibus Haccados [o] etiam scripsit Messiæ Matrem absolutè dominã, ac nominatim Prophetarum tum dominam, tũ magistram fore. Lege Toletum [p] in Lucam, & Salmeronem [q], & Canisium [r], & Barradium [s], & Viegã [t] (hos longè pòst vidimus quàm hæc elucubrassemus) sed minùs verum videtur, quod ait Toletus, מר *mar* Syriacè significare Dominam, non enim *mar*, sed *mara*. Consule Lexicon Hebraicum, & Chaldaicum, seu Syrochaldaicum. Lõgiùs absunt à vero qui Mariam idem dicunt quod maria Latino vocabulo, quasi in illam sit aquarum congregatio, id est, gratiarum. Excusari potest allusio pia, qua vsi sunt Chrysologus [u], Albertus [x], Bonauentura [y], & alij, sic illud quoque interpretantes, quod scribit Ecclesiastes [z], *Omnia flumina intrant in mare.* Iduita [a] magnis laudibus celebrat hoc nomen, & Carthusianus [b] citans reuelationẽ B. Brigittæ.

Matre IESV.] Nusquàm apertè in nouo Testamento mater CHRISTI, vel DEI vocatur MARIA, sed semel tantùm salutata reperitur ab Elizabeth sub titulo [c] *Matris Domini*, nõdum tamen

a Thren. 3. 13.
Dignitates Virginis sanctissimæ eius nomine denotata.
b Ser. de Assumpt.
c libr. de excel. Virg. c. 3.
d libr. de loc. nou. Test. ca. 13.
Caniny de nomine Maria sententia.
Maria nomẽ à quibus sanctis faminis sumptum.
e Num. 12.
f 1. Reg. 25. 24.
g Gen. 24. 1.
h Gen. 29.
i Iudith 13.
k Gen. 3. 15.
l 1. Reg. 1. & 2.
m Sermo. de Nat. B. Virg.
n Ser. de iis, qui in fide hunc migrau.
Mare nomẽ ab Hebræis præsumptum.
o Galatinus lib. 7. c. 13.
p c. 1. ann. 61.
q To. 3. tract.
r lib. 1. de B. Virg. c. 1.
s 6. harm. Euang. c. 4.
t in c. 12. Apo. com 2. sect. 1. 2.
u Serm. 146.
x Tractat. su. C, *Altissus est.* 07.
y in speculo Virg. lect. 1. 1. 7.
z contẽp. Virg. c. 5.
a de laudib. Virg. c. vlt.
b *Dei & ... virgo*
c in Sermo. ...
Luc. 1. 43.

A mater, iuxta vulgarem loquendi modum, quia nondum edito fœtu; videlicet, vt argutè notauit Theophylactus [d], quoniam omnes aliæ vsque ad partum mulieres in abortus faciendi periculo versantur, non illa. Alia quoque mulier id agnouisse videtur, cùm *beatum ventrem, & vbera exclamando* [e] prædicauit, *quæ* CHRISTVM *portassent & aluissent.* Nam beatus venter non est, qui portat peccatorem, sancta ergo CHRISTI conceptio. Et si beata vbera lactantia CHRISTVM, igitur & natiuitas sancta: & dum laudatur mater, non pater, indicatur non habuisse patrem secundùm carnem: & quàndo laudatus est non CHRISTVS, sed mater, magis ille laudatur, qui talis esset, vt matrem efficeret beatam.

B Quanquàm fieri potest, vt more humano laudaret matrem, propter eum, qui talis iam natus, & adultus erat. Potest etiam per illationem idẽ deduci ex aliis locis Scripturæ, potissimùm cùm Gabriel dixit B. Virgini [f]: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur* FILIVS DEI. Et paulò antè [g]: *Filius Altissimi vocabitur*, ille nimirum, quem paries. Et quando Paulus scripsit [h]: *Misit* DEVS FILIVM *suum factum ex muliere*: & Esaias [i]: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, id est, nobiscum* DEVS. Et multò clariùs apud Matthæum, qui cùm dixisset [k], CHRISTI *autem generatio sic erat*, subdidit: *Cùm esset desponsata mater eius*, nimirum

C Christi, *Maria*, &c.

Sed passim nonnisi mater IESV nominatur, hoc est, eius qui vulgò haberetur simplex ac nudus homo: honoris tamen ac dignitatis causa solita est nominari MARIA IESV, scilicet ab iis qui IESVM optimè nossent, & diuinitatem in nomine ipso profiterentur, vt videre est apud Ignatium [l].

Valdè pauca de Matre CHRISTI traduntur in Scriptura: tũ quia ea sufficiebãt, quæ in illa respiciebant CHRISTVM: tum quia vnus titulus Matris CHRISTI, ac DEI instar est omnium laudum: tum quia testimonium eius mundo infideli suspectum esset: tum quia vt Adam prior formatus est ex informi & crassa terra [m], deinde Eua ex eius costa [n]: ita in primis prædicandus fuit CHRISTVS, & CHRISTI virtus cognoscenda in rudi veluti terra persecutionum atque martyrum.

D Posteà Beata Virgo tot Patrum encomiis est celebrata, tot illustrata miraculis, templis, festis, &c.

Cur eam CHRISTVS reliquerit, cùm ascendit in cœlum, aliàs attigi: de ætate probabiliores opiniones sunt, fuisse sexagintatrium, vel septuagintaduorum annorum: de qua re Auctores, & quæ ipse dixi serm. de Assumptione; tum vbi habitauerit, & quomodo vitam duxerit.

Et fratribus eius.] CHRISTI fratrum est etiam mentio in Euangeliis [o], non ratione solius naturæ, vel gentis, vel affectus, seu similitudinis in modo vitæ aut instituti, sed cognationis, quibus om-

E nibus modis fratres in Scripturis dici notat Hieronymus [p], Augustinus [q], Beda [r], & Epiphanius [s], vt alios modos omittamus, quos notauit Emmanuel Sà in Indice [t]. Heluidius credidit B. Virginem plures habuisse filios. Testis Hieronymus, & alij. Græci multi id affirmant de Ioseph ex alia vxore ante B. Virginem, Origenes [u], Hippolytus martyr [x], Nyssenus [y], Eusebius [z], Epiphanius [a], Theophylactus [b], Euthymius [c], Oecumenius [d], Nicephorus [e], Hegesippus [f], Chrysostomus [g], Abdias [h], Leontius [i], Cyrillus Alexandrinus [k] nonnulli quoque ex Latinis, Hilarius [l], Ambrosius [m]; fauet Augustinus [n], tenet quoque Platina [o], Caietanus [p],

Sed sic tollit & verbo alius.
d in Lucam.
Virgo mater cur ante partũ mater dicta sit.
e Luc. 11. 27.
f Luc. 1. 35.
g vers. 32.
h Gal. 4. 4.
i c. 7. 14.
k c. 1. 13.
l in epist. 1.
m Gen. 2. 7.
n ibid 21. 22.
o Matth. c 12. 46. 47. 48. 49. & c. 13. 55. Marc. 3. 31. 32. Luc. 8. 19. 20. Ioan. 2. 12. c. 7. 3. 5. 10.
p cont. Heluid.
q 16. de ciui. Dei. c. 19. lib. 22. cont. Faustũ. c. 35 tract. 10 & 28. in Ioan.
Virgo mater Iesu Maria dicta sit.
r li. 2. in Mar. c. suo 23 & li. 3. in Luc. ca. suo 30.
Cur de Maria tam pauca in Scriptura habeantur.
s hæresi 39.
t verbo, Frater.
u Matth. 13.
x apud Niceph. 2. hist. c. 3.
y oratio. 2. de Resurrect.
z 2. hist. c 1.
a hæresi 28. 51. & 78. & in Ancorato.
b Matt. 13. & 27. & Ioann. 19. & 1. Cor. 9. & Gal. 1.
c in Matt. 12. & Ioan. 7.
d Act. 1. & 2. & Gal. 1.
Christi fratres pluribus modis in Scriptura dici contingit.
e supra, & li. 1. c. 7. & 21. & li. 3. c. 10.
f de excid. Ierosol.
g orat de Annunc. apud Metaphr.
h de Simo & Iuda.
i in c. 7. Ioan.
k ibidem.
l can. 1. in Matt.
m in Gal 1. & de instit. Virg. c. 6.
n in c. 1. ep ad Gal.
o in Petro.
p in c. 1. ep. ad Gal.

Ioseph Mariæ sponsus tūc erat mortuus.
a hæres. 78.

A

dum Ioannes aderat, non fuisse conueniens, vt illa adhuc abesset. Addit Oecumenius, sponsum Ioseph abfuisse, quia pridem mortuus erat: quæ opinio Epiphanij [a] etiam, & plurium aliorum multò probabilior est, quàm quæ post Resurrectionem CHRISTI eum facit superstitem. Cuius opinionis assertor est Cyprianus [b], seu Auctor de operibus cardinalibus, atque Augustinus [c].

b Ser. de Pass.
c Serm. 81. de Tempo.
Maria vltimo loco à Luca nominari voluit.

Memini apud nescio quem legere, Lucam MARIÆ satisfaciendi studio, quæ id præ singulari modestia postulauerat, in vltimum illam locum infra omnes reiecisse. Obseruauit hanc eximiam in DEI Matre humilitatem eleganter iuxtà, ac piè Bernardus [d], cuius si vel apicem de tam deuota, & vtili sententia dempsero, Lectorem profectò magna voluptate, & commodo fraudauero.

d Ser. de ver. Apoc. 12. *Signum magnū.*

B

Si fortè MARIA (*cum aliis post Ascensionem* CHRISTI *in cœnaculo adfuit*) *nominetur prima, quæ super omnes est, tā* FILII *prærogatiua, quā in sua priuilegio sanctitatis, Petrus & Andreas* (ait Lucas in Actis) *Iacobus, & Ioannes* (non exactè recitat ordinem à Luca ibi positum) *& ceteri qui sequuntur: hi omnes perseuerabant vnanimiter cum mulieribus, &* MARIA *matre* IESV. *Itáne & mulierum sese vltimam exhibebat, vt nouissima omnium poneretur? Verè carnales adhuc Discipuli, quibus necdum* SPIRITVS *erat datus, quia* IESVS *necdum fuerat glorificatus* [e], *quando facta est inter illos contentio de primatu* [f], *cum* MARIA *quantò maior erat, humiliaret se non modò de omnibus, sed & præ omnibus. Meritò facta est nouissima prima, quæ cùm prima esset omnium, sese nouissimam faciebat. Meritò facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò denique super* ANGELOS *exaltata est, quæ & infra viduas, & pœnitentes, infra eam de qua eiecta fuerant septem dæmonia* [g] (adde fortasse alias curatas item à spiritibus malignis eôdem loco apud Lucam) *ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Obsecro vos, filioli, æmulamini hanc virtutem, si* MARIAM *diligitis, si contenditis ei placere. Æmulamini modestiam eius: nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximéque monachum nihil adeò decet.*

e Ioan. 7. 39.
Humilitas B. Virginis eximia & imitanda.
f Luc. 22. 24.

C

g Mat. 16. 9. & Luc. 8. 2.

D

Hæc omnia verè pius, verè humilis, verè Virginis cultor, & imitator Bernardus. Quid si diuino permissu mulieres, ac Mater ipsa DEI, quæ tanto interuallo superat omnes ordines virorum, & ANGELORVM, infrà posita est, quoniam sexus fœmineus vniuersus ab officio docendi, & à hierarchia planè exclusus est? Potuit & vt planè eximia persona vltimo reponi Maria loco, sicut quando iusserunt renunciari Angeli Petro post alios Discipulos, resurrexisse CHRISTVM [h]. Nec prorsus vltima ponitur, sed media inter mulieres, & fratres CHRISTI.

Maria infimo loco posita, et quid non ser sic ordinū incapax.
h Mat. 16. 7.

Maria Græcorū more & Latinorum proferendum.

E

MARIA.] Vtimur hac forma nominis iuxta formam nominum Latinorum, & Græcorum, vt & in plerisque aliis Hebræis, & peregrinis, imitati septuaginta Interpretes CHRISTO antiquiores annis trecentis, & Auctorem libri Ecclesiastici, qui etiam creditur Græcè conuertisse Sapientiam Iesu Sirach, & noui Testamenti scriptores Euangelistas, Paulum, atque alios, denique Iosephi [i] ac Philonis [k] de hac re annotationem, & vsum, immò & Sibyllæ Erythrææ [l]. Itaque non est audiendus Laurentius Valla [m], cùm exigit vt indeclinabiliter dicamus semper MARIAM, quia textus Græcus legit Μαριάμ; addere potuit & Syrum interpretem in nouo Testamento, nam licèt textus Græcus aliorum

i 1. Antiq. c. 7. lib. 2. c. 1. & 5. libr. 6. c. 9. & 10. lib. 9. c. 13.
k li. de peregrinat. Abraham. libr. de Cherub & romphęa. lib. de ebriet.
l lib. 8. oracul.
m in c. 1. Mat.

A

Euangelistarum, & Lucæ in capite 1. & 2. ita habeat: tamen in cap. 8. 10. & 24. eiusdem Lucæ, atque in præsenti loco, quem tractamus, reperitur cum casibus obliquis, & apud Matthæum capit. 1. & vltimo: & si Hebræa origo retinenda est, deberemus dicere מרים *Miriam* per duas syllabas.

Iosephus Mariamnen vocare solet [n], quæ Hebræis est מרים *Miriam.* Est enim hoc nomen, non nouum, quamuis, vt de nomine IESV dicitur, vni Matri DEI maximè accommodatum & proprium, quod perfidi Iudæi (quemadmodum & nomen IESV) per contemptum corrumpunt, mutata prima litera מ *men*, in literam ה *he*, vocantes ישו בן הרים *Ieschu ben Hariam*, id est, *filium eius, quæ instar fumi vilis est.* Verùm *sicut deficit fumus, illi deficiant* [o], *& pereant à facie* DEI.

Mariamne dicitur à Iosepho, quæ Hebræis est Miriam.
n 2. Antiq. c. 5. & li. 3. c. 4.
Impij Hebræi nomen Mariæ corrumpunt.

B

o Ps. 67. 3.

Inter eas, quæ MARIÆ nomen sortitæ sunt in antiqua lege, vnius tantùm Scriptura [p] meminit, sororis Aaron & Mosis, quam cùm aliis in rebus, tum in virginitate B. Virginis typum fuisse, possumus affirmare; virginem quidem fuisse Nyssenus [q] docuit, & Ambrosius [r], & Aponius [s], tametsi Hur ei virum assignat Iosephus [t], & Abulensis [u]. Principem illam omnium mulierum quæ apud Hebræos erant, & sapientia insignem, Clemens Alexandrinus appellat [x]. Ambrosius [y] similitudinem notat, quòd MARIA nostra summi Sacerdotis ac legislatoris CHRISTI soror est, immò mater: Augustinus [z], quòd tympanistria, idéq; habet Damascenus [a]: addi potest, quòd prophetissa, quo eā nomine vocant Basilius [b], & Hieronymus [c].

Maria soror Mosis typus Mariæ in virginitate fuit.
p Num. 12. 1.

C

q li. de Virg. c. 19.
r exhort. ad Virg.
s li. 6. in Cant.
t 3. Antiq. c. 2. & 4.
u in c. 15. Exo. in fine.
x li. 4. Strom.
y in c. 2. Luc. & ep. 81.
z Serm. 17. de Natiuit.
a orat. de Ass.
b in c. 8. Esa.
c in c. 8. Esa.
Nominis Mariæ etymologia diuersa.

Idem Hieronymus libro de nominibus Hebraicis, quem ex Philone Latinum fecisse creditur, triplicem huius nominis etymologiam affert, vt sit MARIA, illuminatrix mea, seu illuminans eos, vel illuminant me isti, aut Smyrna maris, aut stella maris, ex quibus vltimam præfert, additque sermone Syro, MARIAM Dominam nuncupari. Idem dixit Beda [d] in Lucam de stella maris, iuxta Hebræos, & de Domina, iuxta Syros, sicut & Maran est Dominus noster (vnde Maranatha, Dominus venit.) Idem tradit Eucherius [e] de illuminata, de stella maris, & Syriacè de Domina. Præterea dicitur exaltata aut doctrix populi, ac magistra, iuxta diuersas radices. Epiphanius [f] interpretatur non solùm Myrrham maris, sed etiam Dominam, & spem, quia spem peperit totius mundi: aut Illustratam, vtpote quæ à FILIO DEI sit illustrata, & cunctos toto orbe fideles TRINITATE illustrauerit: immò Magistram Magistrorū, ac Prophetarū Prophetissam Rupertus [g] nominat.

d in Luc. c. 1.

D

e 2. Instruct. c. 1.

f Ser. de laud. B. Virg.

Bernardus [h] Illuminatricem Euangelistarum, Ignatius [i] nostræ religionis Magistram, Athanasius [k] agnoscit significationem Dominæ, & Damascenus [l] Dominæ maris, quòd mare pro toto mundo sumitur: sed omnium elegantissimè Arnoldus Carnotensis [m], Chrysologus [n], & Eucherius [o]: Bernardus [p] stellæ maris, quia vt stella sine sui corruptione genuit Filium tanquàm radium, & toti mundo illuxit meritis atque exemplis. Petrus Damianus [q] eandem etymologiam affert, & Hieronymus [r]: Ambrosius [s] velle videtur Amaritudinem maris sorori tantùm Mosis conuenire; ipse verò exponit: DEVS *ex genere meo*: hæc expositio nullum fundamentum habet in lingua Hebræa, vel Syriaca, illa autem benè quadrat Matri CHRISTI, propter FILII passionem mari amariorem passæ dolorem, vt veriùs ac meliùs quàm Noëmi מרא *Mara* [t] dici potuerit; & *magis quam Ierusalem,*

g li. 1. de Glo. Fil. hom. & li. 1. in Cant.
h Serm. 4. super, *Missus est.*
Mariæ nominis varia Sanctorū interpretationes.
i ep. 1.
k in Euāg. de S. Deipara.
l lib. 4. c. 15.
m Tractat. de laud. B. V.
n Serm. 146.
o 2 Instruct.
p Serm. 2. super, *Missus est.*
q Sermon. de Epipha.
r in Psa. 18.
s de institut. Virg. c. 5.

E

t Ruth 1. 20.

magna

a Thren. 2. 13.
Dignitates Virginis sanctissimæ eius nomine denotata.

magna [a] *velut mare fuisse contritio ipsius.* A

Sanè quidem allatæ quinque notiones totidem sanctissimæ Virginis dignitates denotant, quot ipsum etiam Latinum nomen Maria (sicut nomen IESVS) literarum constat elementis: est enim illuminata fide, exaltata ad Maternitatem DEI: Mare myrrhæ, seu amarum, propter patientiam in Cruce FILII, quæ martyrem etiam, immò plusquàm martyrem, ipsam fecit, vt ait Hieronymus [b], Anselmus [c], & alij, Maris Domina, seu mundi, propter gaudium Resurrectionis, stella maris, propter Assumptionem, & orationem, qua nos ducit ad CHRISTVM.

b Ser. de Assumpt.
c libr. de excel. Virg. c.5.

d libr. de loc. nou. Test. ca. 13.
Caninij de nomine Mariæ sententia.

Angelus Caninius [d] irridet interpretationem pro Mari falso, aut Stella maris: *quia dissyllabum Miriam*, inquit, *est simplex atque heemanthicum, ita* B *vt prima litera Mem cum hiric sit heemanthica litera, alia tres thematica, ac proinde thema seu radix* רם *ram eminuit, & consequenter Miriam significet excelsam, sublimem, eminentem, videlicet, gratia:* debuit addere, radicem *esse* רם *ram*, vel רום *rum* & in nomine *Miriam* י *iod* esse pro ו *vau*, quia sunt literæ permutabiles. Porrò non debuit contemnere alias etymologias traditas à Patribus: neque probare potest primam literam *mem* esse heemanthicam, & non de radice ipsa. Verum est, quòd myrrha dicitur מור *mor*, aut sine *holem* pleno מר *mor*. A מור *mor*, quod est amaruit, est nomen מר *mar*, amarus, & ים *iam*, est mare; atque ita si pro *patach* (quod fit C nonnunquàm) ponatur *chirich*, מרים *Miriam*, vt Hebræi proferunt, erit amarum mare, Græci verò retinentes *patach*, dicunt Μαριὰμ indeclinabiliter per tres syllabas, quia apud illos iod siue iota non est consonans.

Maria nomẽ à quibus sanctis feminis sumptum.
e Num. 12.
f 1. Reg. 25. 14.
g Gen. 24. 1.
h Gen. 29.
i Iudith 13.
k Gen. 3. 15.
l 1. Reg. 1. & 2.

Piè etiam, licèt non adeò solidè, quidam prima nominis litera M, typum virginis designatam considerant sororem Mosis Mariam [e], vt antè diximus: secunda Abigail [f] humilitate, atq; prudẽtia placantem Dauid: tertia, Rebeccam [g], & Rachel [h] pulcherrimas: quarta, Iudith [i], quæ Holofernem obtruncauit, vt nostra serpentẽm [k]: vltima, Annam [l] matrem Samuelis, quæ precibus talem filium impetrauit, & Domino consecrauit, vt nostra CHRISTVM.

m Sermo. de Nat. B. Virg.
n Ser. de iis, qui in fide hunc migrau.
Mariæ nomẽ ab Hebræis præcognitum.
o Galatinus lib. 7. c. 11.
p c. 1. ann. 61.
q To. 3. tract. 4.
r libr. 1. de B. Virg. c. 1.
s 6. batm. Euang. c. 4.
t in c. 12. Apo. com 2. lect. 1. & 2.
u Serm. 146.
x Tractat. super, *Missus est.* c. 107.
y in speculo B. Virg. lect. 1. 2. c. 1. 7.
z in contẽp. de B. Virg. c. 5.
b 1. de laudib. B. Virg. c. vlt.
Mater Dei & sanctis virgo Mater in Scriptura vix dicitur Maria.
c Luc. 1. 43.

D Tandem hoc nomen, quod impositum diuinitùs, & parẽtibus reuelatum Hieronymus [m] tradit, Sibyllæ prædixerunt, Damasceno [n] teste: & antiqui Rabini ante CHRISTI aduentum ex quodam Esaiæ loco conіectarunt: ex quibus Haccados [o] etiam scripsit Messiæ Matrem absolutè dominã, ac nominatim Prophetarum tum dominam, tũ magistram fore. Lege Toletum [p] in Lucam, & Salmeronem [q], & Canisium [r], & Barradium [s], & Viegã [t] (hos longè pòst vidimus quàm hæc elucubrassemus) sed minùs verum videtur, quod ait Toletus, מר *mar* Syriacè significare Dominam, non enim *mar*, sed *mara*. Consule Lexicon Hebraicum, & Chaldaicum, seu Syrochaldaicum. Lõgiùs absunt E à vero qui Mariam idem dicunt quod maria Latino vocabulo, quasi in illam sit aquarum congregatio, id est, gratiarum. Excusari potest allusio pia, qua vsi sunt Chrysologus [u], Albertus [x], Bonauentura [y], & alij, sic illud quoque interpretantes, quod scribit Ecclesiastes [z], *Omnia flumina intrant in mare.* Iduita [a] magnis laudibus celebrat hoc nomen, & Carthusianus [b] citans reuelationẽ B. Brigittæ.

Matre IESV.] Nusquam apertè in nouo Testamento mater CHRISTI, vel DEI vocatur MARIA, sed semel tantùm salutata reperitur ab Elizabeth sub titulo [c] *Matris Domini*, nõdum tamen

Sed sic tollit & verbu alit.
d in Lucam.

Virgo mater cur ante partũ mater dicta sit.
e Luc. 11. 27.

A mater, iuxta vulgarem loquendi modum, quia nondum edito fœtu; videlicet, vt argutè notauit Theophylactus [d], quoniam omnes aliæ vsque ad partum mulieres in abortus faciendi periculo versantur, non illa. Alia quoque mulier id agnouisse videtur, cùm *beatum ventrem, & vbera exclamando* [e] prædicauit, *quæ* CHRISTVM *portassent & aluissent.* Nam beatus venter non est, qui portat peccatorem, sancta ergo CHRISTI conceptio. Et si beata vbera lactantia CHRISTVM, igitur & natiuitas sancta: & dum laudatur mater, non pater, indicatur non habuisse patrem secundùm carnem: & quando laudatus est non CHRISTVS, sed mater, B magis ille laudatur, qui talis esset, vt matrem efficeret beatam.

f Luc. 1. 35.
g vers. 32.
h Gal. 4. 4.
i c. 7. 18.
k c. 1. 13.
l in epist. 1.
m Gen. 2. 7.
n ibid 21. 22.
o Matth. c. 12. 46. 47. 48. 49. & c. 13. 55. Marc. 3. 31. 32. Luc. 8. 19. 20. Ioan. 2. 12. c. 7. 3. 5. 10.
p cont. Heluid.
q 16. de ciui. Dei. c. 19. lib. 22. cont. Faustũ. c. 35 tract. 10. & 28. in Ioan.
Virgo mater Iesu Maria dicta est.
r li. 2. in Mat. c. suo 23 & li. 3. in Luc. ca. suo 30.
Cur de Maria tam pauca in Scriptura habeantur.
s hæresi 39.
t verbo, *Frater.*
u Matth. 13.
x apud Niceph. 2. hist. c. 3.
y oratio. 2. de Resurrect.
z 2. hist. c. 1.
a hæresi 29. 51. & 78. & in Ancorato.
b Matt. 13. & 27. & Ioann. 19. & 1. Cor. 9. & Gal. 1.
c in Matt. 12. & Ioan. 7.
d Act. 1. & 2. & Gal. 1.
Christi fratres pluribus modis in Scriptura dici contingit.
e supra, & li. 1. c. 7. & 21. & li. 3. c. 10.
f de excid. Ierosol.
g orat. de Annunc. apud Metaphr.
h de Simo & Iuda.
i in c. 7. Ioan.
k ibidem.
l can. 1. in Matt.
m Gal. 1. & de instit. Virg. c. 6.
n in c. 1. ep. ad Gal.
o in Petro.
p in c. 1. ep. ad Gal.

Quanquàm fieri potest, vt more humano laudaret matrem, propter eum, qui talis iam natus, & adultus erat. Potest etiam per illationem idẽ deduci ex aliis locis Scripturæ, potissimùm cùm Gabriel dixit B. Virgini [f]: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur* FILIVS DEI. Et paulò antè [g]: *Filius Altissimi vocabitur*, ille nimirum, quem paries. Et quando Paulus scripsit [h]: *Misit* DEVS FILIVM *suum factum ex muliere*: & Esaias [i]: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, id est, nobiscum* DEVS. Et multò clariùs apud Matthæum, qui cùm dixisset [k], CHRISTI *autem generatio sic erat*, subdidit: *Cùm esset desponsata mater eius*, nimirum C Christi, *Maria*, &c.

Sed passim nonnisi mater IESV nominatur, hoc est, eius qui vulgò haberetur simplex ac nudus homo: honoris tamen ac dignitatis causa solita est nominari MARIA IESV, scilicet ab iis qui IESVM optimè nossent, & diuinitatem in nomine ipso profiterentur, vt videre est apud Ignatium [l].

Valdè pauca de Matre CHRISTI traduntur in Scriptura: tũ quia ea sufficiebãt, quæ in illa respiciebant CHRISTVM: tum quia vnus titulus Matris CHRISTI, ac DEI instar est omnium laudum: tum quia testimonium eius mundo infideli suspectum esset: tum quia vt Adam prior formatus est ex informi & crassa terra [m], deinde Eua ex eius costa [n]: ita in primis prædicandus fuit CHRI- D STVS, & CHRISTI virtus cognoscenda in rudi veluti terra persecutionum atque martyrum. Posteà Beata Virgo tot Patrum encomiis est celebrata, tot illustrata miraculis, templis, festis, &c.

Cur eam CHRISTVS reliquerit, cùm ascendit in cœlum, aliàs attigi: de ætate probabiliores opiniones sunt, fuisse sexagintatrium, vel septuagintaduorum annorum: de qua re Auctores, & quæ ipse dixi serm. de Assumptione; tum vbi habitauerit, & quomodo vitam duxerit.

Et fratribus eius.] CHRISTI fratrum est etiam mentio in Euangeliis [o], non ratione solius naturæ, vel gentis, vel affectus, seu similitudinis in modo vitæ aut instituti, sed cognationis, quibus omnibus modis fratres in Scripturis dici notat Hie- E ronymus [p], Augustinus [q], Beda [r], & Epiphanius [s], vt alios modos omittamus, quos notauit Emmanuel Sà in Indice [t]. Heluidius credidit B. Virginem plures habuisse filios. Testis Hieronymus, & alij. Græci multi id affirmant de Ioseph ex alia vxore ante B. Virginem, Origenes [u], Hippolytus martyr [x], Nyssenus [y], Eusebius [z], Epiphanius [a], Theophylactus [b], Euthymius [c], Oecumenius [d], Nicephorus [e], Hegesippus [f], Chrysostomus [g], Abdias [h], Leontius [i], Cyrillus Alexandrinus [k]: nõnulli quoque ex Latinis, Hilarius [l], Ambrosius [m]; fauet Augustinus [n], tenet quoque Platina [o], Caietanus [p],

Iacobus Faber[a], Beda Natalis[b], & quidã qui Annæ vitam scripserunt. Alij, fratres dici, quoniam erant filij sororum B. Virginis ex Anna, & tribus eiusdem viris, Ioachimo, Cleopha, Salome. Glossa ordinaria[c], Beda[d], Hugo de S. Victore[e], Glossa interlinearis[f], Eckius[g], Gerson[h], Petrus de Natalibus[i], B. Anton.[k] Ioannes Maior[l], Petrus Sutor[m], Ludolphus[n], Comestor[o], & Hieronymus[p]. Hinc illud celebre carmen:

Anna solet dici tres concepisse Marias,
Quas genuêre viri Ioachim, Cleophas, Salomásque,
Has duxêre viri Ioseph Alphæus, Zebedæus:
Prima parit CHRISTVM, *Iacobúmque secunda minorem,*
Atque Ioseph iustum peperit, & cum Simone Iudã,
Tertia maiorem Iacobum, volucrémque Ioannem.

Idem quoque refert Mantuanus in Fastis:

Anna puerperio fortunatissima sancto
Tres habuisse viros, & tres genuisse Marias
Dicitur.—

Gerson alios recitat versus:

Anna tribus nupsit, Ioachim, Cleophæ, Salomaq;,
Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias,
Quas duxêre Ioseph, Alphæus, Zebedæúsque,
Prima Iesum: Iacobum, Ioseph cum Simone Iudam
Altera dat: Iacobum dat tertia, dátque Ioannem.

Ex his opinionibus posteriores duæ vtcunque defendi possent, & certum est phrasi Scripturæ ita vsurpari nomen fratris.

Prima non tam opinio est, quàm nefanda hæresis, pugnans cum perpetua virginitate Matris CHRISTI: quæ cùm hoc tempore in dubiũ non reuocetur, nihil est quòd in ea hæresi confutanda immoremur. Legendus pręter Hieronymum contra Heluidium, S. Alphonsus in proprio opere de Virginitate Matris CHRISTI.

Vtramque verò illam aliam sententiam minùs probabilem existimo, quoniã & Annam vniuiram fuisse, & Ioseph integerrimũ Virginem mihi persuadeo. Primum aliis persuadere etiã debet, quòd MARIAM parentes iam prouectæ ætatis singulari quodam DEI dono, & miraculo ediderunt, vt Epiphanius[q], Damascenus[r], & Auctor libri de Natiuitate B. Virginis inter Hieronymi opera, testatur. Ambrosius[s] etiam vniuiram asseuerat, necnon Theophylactus, & Euthymius in Ioannem[t]. Decebat quoque tali ac tanta prole contentã esse Annam, vt legimus de fœminis, quibus partus est diuinitùs annunciatus & datus, Sara[u], Rebecca[x], matre Samsonis[y], matre Ioannis Baptistæ[z]. Secundæ etiam nuptiæ nec apud Gentiles, nec apud Iudæos laudabiles erant, vt dixi exponens historiam Samaritanæ[a]: sed potiùs laudantur hoc nomine Iudith[b], & Anna prophetissa[c].

Quòd si aliquando Mariam Cleophæ Matris Domini sororem legimus[d], eo sensu accipiẽdum est, quo & fratris nomen de cognato, & propinquo accipitur: vt nempe fuerit consobrina ex sorore, aut fratre patris Ioachim, vel matris Annæ, sicut Lot[e] Abrahæ, Iacob[f] Laban est appellatus frater, & Abraham[g] Saram vxorem sororis nomine nuncupauit. Hegesippus verò testis est apud[h] Eusebium, Cleopham fuisse germanum fratrem Ioseph viri Deiparæ, & patrem eorum, qui sunt dicti fratres Domini, hoc est, consobrini: etsi alij malunt patrem fuisse Mariæ, quæ ex Alphæo marito susceperit Iudam Thaddæum, Simonem Cananæum, Iosephum & Iacobum minorem. Lege Canisium[i], Suarez[k], Iansenium[l], Canum[m], Salmeronem[n], Toletum[o], Baronium[p], Maldonatum[q], Claudium Espensæum[r], Barradium[s].

Quod ad Ioseph Mariæ Virginis sponsum attinet, virginitatem quoque perpetuò eum coluisse, mihi certè non dubium est; quod sensit Hieronymus[t], Beda[u], Rupertus[x], Augustinus[y], Alcuinus[z], Hugo de S. Victore[a], B. Thomas[b], Gerson[c], Bernardus[d], Petrus Damianus[e] (qui vocat Ecclesiæ fidem, id est, vniuersalem, ac piam credulitatẽ) S. Bernardinus[f], Scholastici in quartum Sentẽtiarum[g]; Lippomanus[h], Theodoretus[i], alij recentiores Auctores citati, & Hieronymus Gratianus[k], & B. Brigitta[l], & Chrysologus[m]: longè probabilius est, & diuinæ prouidentiæ circa CHRISTI Matrem multò conuenientius, cùm propterea Ioanni virgini virginem (iam prouecta ætate) commendatam dicat non Ambrosius[n] tantùm, Hieronymus[o], & B. Brigitta[p], sed Epiphanius[q] quoque contrariæ assertor sententiæ: quo vtitur argumento S. Thomas[r]. Adde quòd, vt antè dixi, probabilius est, priorem mortuum Ioseph, quàm Deiparam, & quòd aliam ante illam vxorem habuerit, minùs probabile est.

Quo verò gradu attigerint CHRISTVM hi, qui fratres CHRISTI dicuntur, indicatum quidem est; nihil tamen affirmo, cùm sit incertum an reuerà consanguinei fuerint, an tantùm putati ex parte Ioseph, qui CHRISTI pater putatitius erat, vt sentire videtur Chrysostomus[s], & Augustinus[t], ita dicentes, Iacobum vocatum fratrem Domini, sicut Ioseph patrem eius.

Sed nescio cur inter fratres Domini Ioannem Chrysostomus numeret, cùm in Euangelio, nec vspiam alibi hoc nomine nuncupetur, etsi scio à quibusdam[u] illud opinantibus, dicentibúsque filium fuisse Salomæ consobrinæ B. Virginis, caussam reddi, quòd is cũ Iacobo fratre, & patre Zebedæo non in Nazareth versaretur, sed Bethsaida, vel Capharnaũ, vel non longè à lacu Genesareth, piscationi vacans cum Petro, & Andrea[x], ideoq; nõ erat vulgo nota à Nazaręis propinquitas ipsius cum CHRISTO, sicut filiorum Cleophæ, aut Alphæi, qui degebant in Nazareth. Verùm hæc mihi sunt incomperta, vt dixi, nec ea scire magni refert, dum maneat, cognationem, quæ fraternitas etiam dicitur, eorum, qui vocãtur fratres CHRISTI, neque ex pluribus Annæ liberis, siue ex eodem, siue ex diuersis maritis, neque ex eo quòd Ioseph plures filios etiam habuerit, nimirum ex alia vxore, quàm ex B. Virgine, prouenire, sed aut ex fratre aliquo Ioseph, aut aliunde.

Idem iudiciũ esse debet de sororibus CHRISTI, quæ generatim absque nomine in Euangelio[y] commemorantur. Epiphanius[z] verò, & Hippolytus martyr apud Nicephorum[a] eas distinctè recensent ac nominant. Chrysostomus[b] fratrum CHRISTI mentionem factam nunc dicit, vt intelligeremus hoc tẽpore credidisse in eum, quos aliàs incredulos fuisse scripserat Ioannes[c].

Quidã putant non esse nominatim expressos, vt apud DEVM sciremus, haud magnam duci affinitatis nominis rationem; nec id nos curare debere, *sed vt nomina nostra scripta sint in*[d] *cœlis*. Sunt & quibus probabile est, mihi certè non improbabile videtur, fratrum nomine intelligi omnes Discipulos, qui fortè Ierosolymis erant, illos nimirum, qui in isto capite inferiùs[e] numerum viginti supra centum confecisse narrantur. Apud alios quoque Latinos auctores, appellantur fratres aut sorores, qui sunt consobrini, siue fratrũ, sororúmve filij, vt apud Chrysologum[f], & Apollinarem[g].

Hinc

Margin notes (left):

a de quatuor Mariis.
b de quatuor Mariis.
c Galat. 1.
d Act. 1.
e q. 5. in epi. ad Gal.
f Act. 1.
g Serm. de S. Annæ.
h Ser. de nat. B. V. & in Ioseph.
i lib. 6. c. 139.
k 1. p. hist. tit. 4. §. 10.
l in cap. 10. Matth.
m lib. de trip. con. Annæ.
n de vita Christi 1. p. c. 5.
o in histor. schol. de hist. Euang. c. 47.
p in ep. Iac.

Maria perpetua virginitas est extra omnẽ controuersiam.

Maria mater Anna fuit vniuira, & Ioseph eius sponsus virgo.

q Hæresi 79.
r Ser. de natiu. B. Virg.
s lib. de viduis. c. 7.
t c. 19.
u Gen. 18. 10. & 21. 1.
x Gen. 25. 21.
y Iudic. 13. 13.
z Luc. 1. 7. & seq.
a Ioan. 4. 2. & seq.

Secundæ nuptiæ mulieribus non erant laudabiles.

b Iudith vlt. 26.
c Luc. 2. 36.

Maria Cleophæ cur soror Matris Christi sit dicta.

d Ioan. 19. 25.
e Gen. 13. 8.
f Gen. 29. 12.
g Gen. 12. 13.
h lib. 3. c. 11.
i li. 1. Marialis. c. 4.
k 3. part. q. 28. Disp. 5. sec. 4.
l Concor. ca. 143.
m li. 11. de locis. c. 5. ad 2.
n Tom. 4. p. 2. Tract. 11.
o Ioan. 2. an. 18. & in ca. 1. Luc. annot. 59.
p Tom. 1. Annal.

Margin notes (right):

q Matt. 12.
r 2. Timot. 4. digr. 26.

S. Ioseph probatur virgo, testibus omni exceptione maioribus.

s 6. harmo. Euang. c. vlt.
t aduer. Heluid. & Matt. 12.
u Mar. 6. ac Ioan. 2.
x Matth. 1. & li. 2. in Cant.
y Serm. 15. de Natiui. Dom.
z Ioan. 2.
a lib. de coniug. Mar. & q. 5. in epist. ad Gal.
b Gal. 1. lect. 5. & 3. p. q. 28. ar. vlt.
c Ser. de Natiuit. Mar. cõside. 3. & lib. de laudib. Ioseph.
d Serm. 2. super, Missus est.

Fratres Domini quo gradu vel affinitatis vel consanguinitatis Christũ attigerint.

e ep. 51. c. 4.
f to. 3. ser. de S. Ioseph.
g d. 30.
h in vita Ioseph.

Ioannes Apostolus Domini frater non fuit.

i in c. 1 ep. ad Gal.
k li. 4. de vita Ioseph. c. 2.
l li. 5. interro. 12. ad q. 2. & lib. 6. c. 59.
m Ser. 175.
n de institut. Virg. c. 7.
o 1. cõt. Iouin.
p 6. reuela. c. 119.
q hæresi 78.
r in c. 1. ep. ad Gal. lect. 5.
s Act. 1. & homil. 5. in Matth.
t in q. super Matt. q. vlt.
u vt à Salmerone suprà.
x Matt. 4. 18.

Sorores Christi quæ fuerint.

y Matt. 13. 56. Marc. 6. 3.
z in Ancorato.
a 2. Hist. c. 3.
b Homil. 3. in Acta.
c cap. 7. 5.

Cur hic de fratribus Christi mentio nominatim facta nõ sit.

d Luc. 10. 20.
e vers. 15.
f Ser. 49. sub finem.
g libr. 4. ep. 1. lib. 5. ep. 7.

Digitized by Google

Hinc inchoatur capitis pars tertia ad finem vſque, de Mathiæ in Iudæ proditoris locum ſubrogatione ad Apoſtolatũ, Petro auctore, per ſortes.

Verſus 15.] In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem turba hominum ſimul, ferè cẽtum viginti.)

Cur in Eccleſia quando legitur de Actibus, dicitur, In diebus illis, & quando Euangelium, In illo tempore.
a hoc loco.

IN *diebus illis.*] Ante Pentecoſten, ſcilicet cùm adhuc eſſent in cœnaculo: decuit enim nõ priùs mitti SPIRITVM ſanctum, vt myſticus duodenarius numerus Apoſtolorum quaſi dato ſigno ad opus dimitteretur. Hugo Cardinalis [a], *Hinc*, inquit, *habet Eccleſia conſuetudinem dicendi*, In diebus illis, *in principio Epiſtolarum de Actibus: in principio autem Euangelij*, In illo tempore: *ad ſignificandum, quòd ſcientia* CHRISTI, *& doctrina non fuit ei data ad menſuram, ſed fuit continua: ſed Apoſtolorum non ita, quia quod dico tempus, non importat diuiſionem, vel menſurationem: cùm verò dicitur*, In diebus illis, *dicitur diſtinctio, & menſuratio temporis.* Verba ſunt hæc citati Auctoris, qui cùm ante annos trecentos floruerit, intelligimus non eſſe recens, vt dicta illa verba lectioni Euangeliorum, & Epiſtolarum præfigantur.

b libr. 4. Rationalis, c. 16.

Huius rei cauſam Gulielmus Durandus [b] affert, complectens ſimul Epiſtolas quæ leguntur de Prophetis, & de Apocalypſi, eò quòd in iis libris hoc ſæpe ſcriptum eſt. Vnde quæ ab Hugone aſſignatur ratio, non eſt adæquata, potuítque Durandus addere lectiones ex aliis libris veteris Teſtamenti, vt videre eſt in Miſſali.

Cur omnis ante Euangelium in Miſſa lectio dicatur Epiſtola.
c lib. de Diui. offi. c. 38.
d 1. de Diuinis offi. c. 32.
e li. de rebus Eccl. c. 22.

Cur autem omnis huiuſmodi ante Euangelium in Miſſa lectio, Epiſtola dicatur, rationem reddit Ioannes [c] Belethus, & Rupertus [d], quòd tum ante Euangelium quodãmodò mittatur. Meliùs VValfridus Strabo [e], quia ſolius Pauli lectiones eo loco legebantur ante Damaſum Papam, cùm tamen etiam à tempore Apoſtolorum tã de veteri, quàm de nouo Teſtamento ſcripturas legi conſuetas in Miſſa, tradant Dionyſius [f], & Clemens [g], atque alij, quos citat Ioannes Stephanus Durantus [h]. Rationem dat Rupertus [i], cur ad lectionem ſedeamus Epiſtolæ, ſtemus ad Euangelij, & Auctor Gemmæ [k] animæ, licèt contrarium de Græcis, quod attinet ad Epiſtolam, teſtetur Micrologus [l].

f Eccleſ. Hierarc. c. 3.
g 2. Conſtit. c. 57.
h 2. de Ritib. Eccl. c. 18.
i ſuprà.
k de antiquo ritu Miſſarũ. c. 12.
l de myſticis obſeruat. c. 9.
Petri primatus hic apertè oſtenditur.
m ep. ad Michael. Conſtant. c. 16.

Exurgens Petrus in medio fratrum.] Non modò animi ardorem Petro peculiarem in geſtis, & dictis, verùm etiam eius ſupra alios primatum hæc verba ſignificant, vt Leo [m] IX. poſt Chryſoſtomum, & Oecumenium notant, cuius nempe ſit maiores Eccleſiæ cauſas proponere atque tractare, & viduatæ Apoſtolo vno proſpicere. Qua etiã in re declarauit nolle ſibi omnem vſurpare poteſtatem, ſed partiri cum aliis; quod eſt boni paſtoris, qualis Moſes, cùm quidam de Eldad & Medad prophetantibus indignarentur [n].

n Nu. 11. 27. & ſeq.

B. Virgo præſenſſe electioni Mathiæ aſſeritur.

Exurgens.] In primatu modeſtiam ſeruans, & reuerentiam condiſcipulis exhibens, vt placet Carthuſiano. B. Virginem affuiſſe idem exiſtimat (cui etiam Petrus aſſurrexerit) & Chryſoſtomus: fieri poteſt: in eo tamen negotio præſentia ipſius nec neceſſaria fuit, nec, vt exiſtimo, quidquã contulit, ad electionem videlicet, & ius ſuffragij, quod in ſexu fœmineo ex inſtitutione diuina omninò nullum eſt. Cui etiam docere fas non eſt [o].

o 1. Cor. 14. 34 & 1. Tim. 2. 12.
p Act. 13. 16.

Legimus quoque Paulum ſurgendo ſermonem in ſynagoga Antiochiæ Piſidiæ habuiſſe [p]: vbi Chryſoſtomus innuit hunc Iudæis cõcionantibus morem fuiſſe: Hugo Cardinalis, *legentibus, vt meliùs audirentur*, inquit Lyranus, *vt concioni ipſi honorem impertirentur*, inquit Carthuſianus. De ſilentio manu indicto agemus ibi: fortaſſe & Petrus ſibi hoc modo audientiam fecit.

De more docendi in ſynagoga.

q c. 4. 16.

De CHRISTO Lucas narrat in Euãgelio [q], quòd cùm intraſſet in ſynagogam, ſurrexit legere Eſaiam Prophetam, eóque plicato ac reddito, ſedit, vt doceret. Quo loco nonnulli obſeruant, morem fuiſſe Iudæis, vt in ſynagoga, & qui legeret ſacram Scripturam, & qui doceret, aut loqueretur, ſtaret: idque colligunt tum ex exemplo Pauli cõmemorato, tũ ex eiuſdem epiſtola priore ad Corinthios [r], cùm ait, *quòd ſi alij reuelatum fuerit ſedenti*, quaſi dicat, auditori, *prior taceat*, quaſi dicat, *qui ſtans loquebatur taceat.* Sic ibi Catharinus, qui miratur concionatorem ſedentem (notaui tamen ipſe olim auditam à ſtantibus concionẽ) quod innuit Sidonius Apollinaris [ſ], & Optatus [t] apertè docet cõtrarium nefas fuiſſe, citans Pſalmi [u] verba, *Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris*, &c. Meminit quoque huius ritus Auguſtinus [x], & Euſebius [y] teſtis eſt de Conſtantino, & nos alibi poſteà dicemus: at CHRISTVM dum quidem Prophetam legeret, reuerenter ſtetiſſe; cùm autem docere vellet, reſediſſe, vt ſuam oſtenderet ſupra ceteros Doctores auctoritatem.

r c. 14. 30.
ſ carm. 6.
t 1. cont. Parmen.
u Pſal. 49. 20.
x lib. 50. hom. hom. 26.
y 4. vitæ. c. 33.

Iudæi olim docendo ſed.bant.

Ceterùm alij contrarium colligunt, quòd nimirum ſedendo Iudæi paſſim docerent, quia id de CHRISTO docente ſcribit Matthæus [z], necnon Ioannes [a], non ſolùm in templo, verùm etiam in monte [b]: nec enim rem inſuetam ſibi arrogaſſet, neque commodè potuit in medio campo ſedere docens: immò & ſtantem clamantemq; docuiſſe in templo Ioannes [c] dicit; nempe vehementer, ac inſolita voce aliquid prolaturi ſtamus. Quãquàm Oratores mihi videntur apud Gentiles aut ſtantes dixiſſe, vt ex Cicerone [d] colligitur, *cùm præcipit vt Oratoris ſtatus ſit erectus & celſus, rarus inceſſus, nec ita longus, excurſio moderata, eaque rara*, aut antequàm dicerent, aſſurrexiſſe, quamuis fortaſſe poſteà reſiderent. Hinc Aiax apud Ouidium [e]:

z c. 26. 55.
a c. 8. 2.
b Matt. 5. 1.
c c. 7. 37.
d in Orator.
e libr. 13. Metamorpho.

Conſedêre duces, & vulgi ſtante caterua,
Surgit ad hos clypei dominus ſeptemplicis Aiax.

Et hoc non cuiuſuis Oratoris tantùm erat, ſed ſummi quoque Principis dum concionaretur. Sic enim deſcribit Homerus Agamẽnonẽ ἀναςάντα.

f Iudic. 20. 19. 2. Reg 14. 30. 31. Eſa. 31. 10. 1. Paral. 22. 16.

Surgere eſt promptè agere in ſcriptura.
g q. 119. in Exod.
h Exo. 32. 1.

Fieri quoque poteſt, vt ſurgendi verbo hîc, ſicut & [f] alibi, celeritas agendi, & animi alacritas, atque conſtantia denotetur ad proſpiciendum totius Eccleſiæ vtilitati. Maximè perſpicuus eſt vltimus ex citatis in margine locis, in quo Dauid poſt iniunctam Salomoni tẽpli fabricam, & oblata ad id neceſſaria; *Surge igitur*, inquit, *& fac, & erit Dominus tecum.* Auguſtinus [g] idem obſeruat, cùm populus [h] dixit Aaroni: *Surge, fac nobis deos*, & non quia ſedenti loqueretur. Dicitur etiam ἀναςῆναι, inquit Auctor Theſauri linguæ Græcæ, eo ſenſu, quo Latinè ab Oratoribus dicitur excitare in concionem, ſiue excire.

In medio.] Præ ſe fert hoc Petrum vices CHRISTI geſſiſſe, qui ſæpiùs narratur in medio Diſcipulorũ: licèt non adeò ſit exactè ſumendum medium, vt aliàs dicam: nota, tenere Paſtorem mediocritatem in omnibus, & omnibus æquum eſſe.

i libr. 1. ep. 4. eu 68.

FRATRVM.] Græcè, & Syriacè, *diſcipulorum*, Cyprianus [i] vertit, *diſcentium*. Sunt qui diſcipulos nunc dici putent omnes qui aderant, etiam Apoſtolos, non CHRISTI ſolùm, ſed Petri quoque

tanquàm vicarij CHRISTI: nec obstare nomen fratrũ huic primatui, sicut neque quando CHRISTVS vocat alios fratres suos [a]: nomen tamen fratrum est Discipulis, & fidelibus perfrequens, præsertim in primordiis Ecclesię, vt liquet ex epistolis Apostolorum, & ex hoc libro, & ex antiquioribus Patribus, Iustino [b], Clemente Alexandrino [c], Athenagora [d], Basilio [e], Tertulliano [f], Minutio [g], Lactantio [h], Hilario [i], Augustino [k]: ex Ecclesia Viennensi, atque Lugdunensi in epistolis [l] suis. Tertullianus ait, *Cœtum ipsum Christianorum vocatum esse nomine fraternitatis ob incredibilem amorem, vsque etiam ad Gentilium stuporem, qui non poterant, quin exclamarent:* VIDE VT INVICEM SE DILIGANT, ET VT PRO ALTERVTRO MORI SINT PARATI.

Fortasse nomen id fraternitatis iam erat in vsu tempore Apostolorum: reperitur enim sæpe apud Paulum [m], & Petrum [n] in epistolis: & CHRISTVS ipse ita Discipulos appellauit [o], & vnum vt omnes PATREM vocaremus in cœlis: seu colloquentes inter nos [p], seu DEVM orantes, præcepit [q]: & ipsi Discipuli ita etiam loquebantur [r], & de ipsis CHRISTVS. Addit idem Tertullianus, nos fratres dici *non iure tantùm naturæ, quo quiuis frater & proximus est, etiam hæreticus, etiam infidelis*, vt loquitur Augustinus [s], *etiam inimicus, vt* CHRISTVS [t], *sed quia Patrem vnum* DEVM *agnoscimus, vnum sanctitatis* SPIRITVM *bibimus, de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauescimus veritatis.* Eundem lege aliis locis [u].

Præter has causas Athenagoras, & Minutius spem afferunt, & quandam cognationem æternitatis. Clemens Alexandrinus, quia *vno sub principe, & magistro* DEO *degimus, cùm Plato,* inquit, *dixerit* [x], *omnes qui in vna ciuitate viuant, fratres esse.* Basilius [y], *Quoniam non modò spiritualis pater vnus est* DEVS, *sed terrenus quoque Adam, & mater tum Ecclesia, tum terra.* Eandem de productore omnium DEO causam Plato habet in Timæo, ex quo Eusebius [z]. *Denique,* inquit Lucretius [a]:

Cœlesti sumus omnes semine oriundi,
Omnibus ille idem pater est. —

De iisdem progenitoribus, simúlque de morum, alimentorum, totiúsque vitæ institutionis societate ex Theophrasto Porphyrius [b], de sanguinis communione, quæ & consanguinitas etiam dicta est [c], Ambrosius ex libro Genesis [d]. Sed arctius, sicut nobilius vinculum est spirituale, vt docet Chrysostomus [e], *virtutibus* dicens *progenitorum, ne confidamus, neque vitiis eorum trepidemus,* immò & CHRISTVS [f]: quo vinculo abusos Christianos ad flagitia obtendebant Gentiles; quibuscum disputant Tertullianus in Apologetico [g], Minutius in Octauio, Arnobius [h] contra Gentes, & Irenæus [i] aduersùs Hæreticos. Huc spectat quod dixi superiùs [k], voluisse CHRISTVM inter Apostolos esse aliquot fratrum paria. Non est proprium hoc epithetum Religiosorum (etsi hodiè apud eos maximè viget, & religiosos illos Hispani, qui non sunt clerici regulares, *Frayles*, Itali *Frati* vocant) sed commune omnium fidelium, vt monet Chrysostomus [l], quasi ab illis vsurpatum querens Lucianus [m] procacis ingenij vir, & linguæ dicacis testis est, *passim vsitatis inter Christianos huius nominis, quod iis,* inquit, *eorum legislator persuasisset fratres esse.*

Videtur fraternus amor omnis exemplar amoris, veræque amicitiæ esse, ipsi quoque filiorum quodammodò necessitudini præferendus, & con-

A iugum. Nam coniugum amor, vt sit maximus, ascititius est: parentum in filios adhuc maior, at non reciprocus propter inæqualitatem; æqualitas verò inter fratres existit, vt Frater dicatur, teste P. Nigidio apud Gellium [n], quasi *Ferè alter*, sicut ex Clemente Alexandrino [o], ἑταῖρος, quasi ἕτερος ἐγώ, & dicunt etiam Græci ὁμοδελφοὺς, qui sunt ex eodem vtero, & seipsum, teste Xenophōte [p], qui præclaram habet hac de re Cyri moribundi orationem ad filios, curare, qui fratri prouidet, censeatur, *quippe cùm fratribus sint communes,* vt ait Philosophus [q], *parentes, vterus, sanguis, ortus, educatio, domus, generis claritas, res familiaris, patrimonium, disciplina, mores.* Vnde in Canticis non contenti sponsus, & sponsa his nominibus, vt se suauiùs
B arctiúsque complectantur, fratris, & sororis nomine coëuntur, & Græci ἀδελφίζειν vsurpant pro eo, qui vocabulis adoptiuis alicui adblanditur, & de fido auxilio Plato [r], & Homerus [s] prouerbialem illam formulam:

Frater adesto viro.

Quintilianus [t] ait, *quòd nulla amicitia potest esse tam felix, quæ imitetur fraternitatem. Quis enim,* vt apud Sallustium dicit Micypsa, *amicior, quàm frater fratri?* & Hesiodus [u]:

Sed nec germano quisquam est æquandus amori.

Vnde apud Herodotũ [x] vxor Intaphernis optione facta à Dario, fratrem, aut maritum, aut filios
C morti adiudicatos eximendi, fratrem elegit. Antigone quoque apud Sophoclem, fratrem viro, ac filiis anteponit; his enim amissis, alios facilè comparari: fratrem, si parentes obierint, nunquàm tibi nasciturum. Meminit & huius sententiæ Aristoteles [y], ac de muliere Persica Plutarchus [z], Fratrem quàm liberos seruare maluisse, qui mos etiam hodiè apud Indos Occidentales viget, vt est in Annalib. Hispanorum. Auctor est Strabo [a] Arabas cæterôqui minùs humanos, voluisse præferri liberis fratres in adeundis hæreditatibus: meminit prætereà Cuiacius [b] de iure communi [c] prælatos parentibus.

Rara omninò, & planè singularis fratrum ami-
D citia, & concordia est, vt Sapiens dixit [d], & profanus Poëta [e]:

— *Fratrum quoque gratia rara est.*

Similem sententiam ante hunc reperies apud Euripidem in Iphigenia: & Virgilius [f]

Tu potes (inquit de Alecto furia) *vnanimes armare in prælia fratres.*

Vt propterea fratrum odia maxima esse soleant, vt quæ calidissima eadem euadunt frigidissima: *Et omnis res, quæ à sua specie degenerat, in multò deteriorem abit, quàm si eam natura ingenerasset: & concreto corpore fracto, vel abscisso glutinationem, concretionémque difficile est inuenire, solétque putris cicatrix remanere,* inquit Plutarchus, quemadmodum pri-
E mi ex hominibus fratres [g] docent; & vt alia exempla in sacra Scriptura omittam, Iacob [h] & Esau, Abimelech [i], & suorum fratrum, Absalon, & Ammon [k], Lysimachi, & Menelai [l]; & ex profanis, Atrei [m], & Thyestis, Amulij [n], & Numitoris, Etheoclis [o] & Polynicis. De conditoribus vrbis Romanæ canit ille [p], quòd

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Cuius odij plusquàm intestini aptā Aristoteles [q] causam assignat, quòd cùm quis ob naturæ coniunctionem alium amare tenetur, si se ab eo lædi, sperníve intelligat, irascitur impotenter. Hoc putat Rabanus [r], & alij pessimum crimen esse, quod de fratribus inuicem videlicet iurgantibus

a Mat. vlt. 10. Ioan. 20. 17. Hebr. 2. 11. 12. 17.
b in Apolog. 2.
c 2. Strom. & 5.
d oratio. pro Christia.
e orat. in Laicis.
f Apol. c. 39.
g in Octau.
Cœtus Christianorum fraternitatis nomine olim vocatus.
h lib. 5. Instit. cap. 6. 8. 10. 16. 23. lib. 6. c. 10.
i li. de ira. c. 14. in epitome. c. 3.
Nomen fraternitatis tempore Apostolorũ in vsu fuit.
i Can. 24. in Matth.
k lib. de vera relig. c. 46. li. de morib. eccle. c. 30. ep. 38. 1. de Ser. in monte. c. 43.
l apud Euseb. 5. Hist. c. 18. 19. li. 6. c. 5. li. eccl. 3. c. 41. & Niceph. li. 1. c. 3.
m Rom. 12. 10. 1 Thess. 4. 9. Heb. 13. 1.
n 1. Petr. 1. 22. c. 3. 17. c. 3. 8. c. 5. 9. 2. ep. c. 1. 7.
o Matt. 25. 40. c. 28. 10. Ioan. 20. 17.
p Mat. 23. 8.
q Matt. 6. 9.
r Mat. 18. 21.
s in libr. con. Donatist. lib. de gest. cum Emer. & ep. 42. &c.
t Mat. 5. 22. 23. 24. c. 18. 15. 21. 35.
u de coron. mil. ad Martyr. 3. cont. Marc. 2. ad vxor. de Monoga. de habitu mul. de cultu fœmin. de præscr. de veland. virg.
x in Menexe.
y hom 21.
z 13. de Præpara. Euan. c. 7.
a lib. 2.
b lib. 3. de abstinen.
c lib. de Noë. cap. 26. 2 de Abrahā. c. 6.
d c. 9. 5.
e Serm. virtu progen. ne cōfida. &c. to. 5.
f Matt. 12. 50. Mar. 3. 35. Luc. 8. 21.
g c. 39.
h lib. 2.
i lib. 1. c.
k vers. 13.
l hom. 80. in Matth. homi. 21. in epist ad Hebr.
m in Peregrino.
Fraternus amor omni alij præferendus.

n lib. 13. c. 10. Vide etiam Sex. Pomp. li. 6. & Nonium Marc.
o 2. Stroma.
p li. 8. de Cyripædia.
q 8. Ethic. ca. 11.
r 2. de Rep. & in Protagora.
s Iliad. φ.
t Declamat. 321.
u in Ergis.
x in Thalia.
y 1. Rhetor. c. 16.
z opusc. de amore frater.
a lib. 16.
b in Nouell. constit. 118.
c Cod. de success. l. vlti.
d Eccl. 25. 2.
e Ouid. 1. Metamorph.
f 12. Æneid.
De fratrũ amicitia rara querela.
Fratrum odia grauissima.
g Genes. 4. 8. Sap. 10. 3.
h Gen. 27. 1.
i Iud. 9.
k 2. Reg. 13.
l 2. Macha. 4. 29.
m Stat. 8. Thebaid.
n Liu. lib. 1.
o Stat. in Thebaid.
p Lucan. 1. li. Pharsal.
q 7. Polit. c. 7.
r in Genes.

Ioseph ad patrem detulit [a]: & patriarchā Ioseph, Ioseph [b] historicus animaduertit, tam multa de fratrum, qui in Ægyptum ad eum descenderant, mutui amoris capere experimenta voluisse: quibus etiam in gratiam admissis, & ad patrem remissis iniunxit [c], *ne trasceremur in via*; sicut pridem Abram [d] Lot obsecrauerat *ne iurgium inter illos esset, interve pastores vtriusque, eò quod fratres essent.* Vt mirandum nō sit, si tam dira comminetur DEVS violantibus ius fraternitatis in Amos [e], & CHRISTVS damnationis sententiam laturum se præmoneat aduersùs eos, qui fratribus ipsius, ac proinde etiam ipsorum benignè non fecerint [f]: immò peculiarem quoque his in inferno pœnam Virgilius attribuerit [g]:

Hic quibus inuisi fratres, dum vita manebat.

Luculentum est Dauid [h] de fratrum amore testimonium: dum *bonum esse* dicit, hoc est, vtilem, adde etiam honestum, *& iucundum*, siue delectabilem. Suauitatem eius comparat *cum suauissimo ac pretiosissimo vnguento, quo Aaron vnctus est* [i]: *vtilitatem cum rore fœcundante*: demùm ait; *vbi sit talis fratrum cōcordia, illhuc mittere* DEVM *benedictionem*, hoc est, omnium affluētiam bonorum, tum in hac videlicet, tum in vita futura.

Non pauca ex his inuenies apud Claudium Espensæum [k], & apud eo posteriorem Ioannem [l] de Pineda nostrum: profitemur enim ingenuè, per quos proficimus.

Lege etiam Plutarchum [m], qui hunc amorem à natura ipsa dictari docet, *cùm geminauit quædam pernecessaria membra, & dissimiles in manibus pedibúsve digitos maximè concordes fecit: & in eodem animali tot humores, & qualitates temperauit in vnam harmoniam: nec secus facere qui dissideat, aliumq; sibi externum pro eo amicum acquirat, quàm qui pro carneo qui detruncatus sit, ligneum sibi pedem affingat.*

Erat autem turba hominum simul ferè centum viginti.] Erant hi ex quingentis, quibus CHRISTVM suscitatum apparuisse Paulus [n] scribit, magis selecti, vt ait Oecumenius. Beda scrutatur in numero mysterium, quòd 120. ab vno vsque ad 15. paulatim surgentes efficiant numerum 15. graduum, qui ob legis vtriusque perfectionem in Psalterio continetur, & in quo vas electionis apud Petrum Ierosolymis [o] commoratur, & oportebat (hoc etiam notant Rabanus, & Hugo Cardinalis, necnon Gregorius, quem cap.2. citabo) vt Sacramentum, quod legislator Moses in annis exhibuit [p], hoc nouæ gratiæ prædicatores suo numero designarent. Sed ante hos habet eadem Hieronymus in Esaiam [q]. Et de huius numeri mysteriis agit quoque Clemens Alexandrinus [r], & Petrus Bongus in opere, quo vniuersè tractat hoc argumentum de numeris, affertque altitudinem templi 120. cubitorum, totidem auri talenta Salomoni data à regina [f] Saba: totidem annos, quos DEVS Noë præfixit pœnitentiæ, ante Diluuium [t]. Augustinus [u] obseruat in isto numero decuplatum esse numerum duodecim Apostolorum. Neminem verò turbæ vox turbet, quasi quid abiectum sonet vel turbatum. Idē est ὄχλος ac turba, quod cœtus, concio, multitudo, congregatio, Ecclesia, quā hîc nominat Syrus כנשא *chensa*. Nec omnes, vt equidē puto, erant viles personę, non adhuc etiam adeò perturbati, saltem Deipara.

Hominum.] ὀνομάτων, *Nominum*. Non credo vertisse priùs Interpretem, *nominum*, alium verò audaculum reposuisse, *hominum*: omnes enim codices Latini (præter paucos excusos, & manu-

a Gen.37.2. b 2.Ant.c.6. c Gen.45.24. d Gen.13.8. e cap.1.11. f Mat.25.40. g Æneid.6. h Psal.132. *Fraternus amor quàm bonus & suauis ex Dauide.* i Exod.30.23. Leuit.8.12. Eccles.45.18. k 2.Tim.2.digress.26. l in c.3.Iob.v.5. *Fraternus amor quomodo ab ipsa natura germanaris* [?]. m opusc.de fraterno amore. n 1.Cor.15.6. *De numero 120.* o Gal.1.18. p Deut.vlt.7. q li.17.in proœm. r lib.6.Strom. f 3.Reg.10.10. t Gen.6.3. u Tract.2.in epist.Ioan. *Turbæ nomen multitudinem honestam continet.*

A scriptos) & Biblia iussu Sixti V. emendata, & Patres ita legunt, atque sic etiam edidit Interpres Syrus, qui sic reddidit hunc locum; כנשא דנשא *chensha de nascha*, id est, *turba hominū*, qui vnà cum nostro Hebræorum consuetudinem non ignorantes, vt pro concretis nominibus ponant abstracta, modò actiuè, modò passiuè, sensum, quā verba reddere maluerunt perspicuitatis causa, rēque ipsam pro nomine expresserunt, sicut non rarò nomen DEI DEVM significat; quale est illud Deuteronomij [x], *Ipsum elegit Dominus* DEVS *tuus, vt stet, & ministret nomini Domini*; & illud Psalmi [y]: *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.*

B Et Ieremiæ [z]: *Ecce ego iuraui in nomine meo magno, ait Dominus*, & multis in locis aliis, ac eâdem ratione alterius rei nomen significat rem ipsam, vt exemplis docet noster Sà in Indice [a], suntque cuiuis obuia. Neque nomina pro hominibus, nisi fortasse pro debitoribus, apud Latinos auctores reperiuntur. Quare nil opus est annotatione Caietani, allusionem esse ad consuetudinem conciliorum, in quibus notari solent per nomina hi, quorum interest dare suffragium: vel aliorum, qui cùm exactus hominum numerus est exprimendus, singulorum nomina censeri solere dicunt, ac vertendum hîc arbitrantur, turba capitum. Quin & sic etiam locuti videntur profani Auctores, vt Tibullus [b]:

C —*Nec fidum fœmina nomen.*

& Horatius [c]:

—*Pater ô relictum*
Filia nomen.—

& Ouidius [d]:

Nam pater, & tellus iusto regnata parente
Prodita sunt facto nomina cara meo.

Extat in Apocalypsi [e] valdè similis loquendi formula: *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua*, &c. & rursum [f]: *Et occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia.*

Fortasse vis est in huiusmodi phrasibus, ad significādum homines excellentis nominis, seu dignos nominari, quos barbarus nominatos vocaret: quemadmodum dicuntur in Genesi [g] *gigantes viri famosi*, qui Hebraicè, אנשי השם *ansche haschem*, id

D est, *viri nominis*, Græcè οἱ ἄνθρωποι ὀνομαστοί, id est, *homines nominati*, vocitantur, quo nomine nonnullos alios appellat Ecclesiasticus [h], quam significationem Oecumenius hoc loco innuebat, vt retulimus. Etsi verò Aretas in priorem locum Apocalypsis alienum esse dicit à Græca phrasi, vt nomina ponantur, pro hominibus: tamen ibidem Beda causam affert, quòd nomina Sanctorum scripta sunt in cœlo: & CHRISTVS proprias oues vocat nominatim [i]. Ambrosius; *Quoniam*, inquit, *ad excellentiam Sanctorum pertinet, vt* DEVS *eos nominatim sciat* [k]: idémque docet Haymo, & alij. Quadrare possunt hæ in eum locum expositiones, sed non

E in posteriorem, in quo commemorantur terræmotu occisi septem millia nomina hominum. Lege notationem Lucæ Brugensis in hunc locum; Salmeron [l] verò noster lectus à me post notationem hanc meam, plura confert ad rem præsentem.

Quòd si erant centum illi, & viginti Discipuli, vel ex antiquioribus, vel ex melioribus; at non omnes sine dubio adhuc in ordinem hierarchicum adlecti, ac ne quidem eligendi ius habebant, aut si id etiam talibus plebeiis, & laicis concessum est, vel aliàs aliquando primis Ecclesiæ seculis factum est, in exemplum trahi non potest, quasi res

Nomē Dei Deū ipsum significat. x cap.18.5. y Psa.5.12. z cap.23.16. a verbo, *Nomen.* b in eleg. c 1 Car.Ode 27. d in epist.epi.10. e cap.3.4. f cap.11.13. *Quid significet quando pro homine ponitur.* g cap.6.4. h cap.39.2. i Ioan.10.3. k Exod.33.12. Ioan.10.3. l tom.12.trac.9. *Qui erant in eo numero tūc eligendi omnes non habebant.*

Solus Petrus eligere potuit Apostolum.

iuris diuini, cùm solus quoque Petrus, vt Chrysostomus hîc sentit, eligere potuerit, & quod Petri concessu nunc aliis communicatum est, idem postea sacris hominibus, ac multò magis popularibus propter congruentem aliquam causam per summos hierarchas Pontifices Romanos negatum esse cõstat, vt inter alios demonstrat Cardinalis Bellarminus [a] noster disputans de Clericis in primo Tomo controuersiarum.

a lib.1.c.7.

Laicis non incūbit Pastorū electio.

Nam iure diuino, tum naturali, tum etiam scripto, populi sunt oues: ouibus verò nullo modo conuenit vt pascant, & regant: & populares imperiti sunt; qua de causa, Valentinianus vt rem maiorem, quam quæ sibi conueniret, Mediolanensis Episcopi electionem refutauit, Theodoreto teste [b]: plerumque peiores, proindéque tales Episcopos electuri, quod de suo tempore [c] Chrysostomus queritur: seditiosi etiam ac turbulenti, & idcirco schismaticæ auctores electionis, vt de Piniani electione Augustinus [d] refert. Ruffinus [e] de Episcopi Mediolanensis, mortuo Auxentio Ariano, & de Damasi (cùm schismaticus ab aliis electus esset Vrsinus vel Vrsicinus Diaconus) cũ eodem [f] Hieronymus [g], & Ammianus [h] Marcellinus.

b 4.hist.c.6.
c lib.3.de Sac.
d epist.110.& 225.
e 11.hist.c.21.
f cap.10.
g in Chron.
h lib.27.

Populus in primis sæculis nominabat eligendos pastores.

Sed non concedo, quicquid sit de præsenti Mathiæ electione, delatam populo Apostolicis temporibus Pastorum electionem, cùm planè constet, hos ab Apostolis mitti solitos ad populos absentes, & infideles: & de posterioribus temporibus cautum sit in Cõciliis [i], & de Ecclesia Alexandrina à Marco vsque ad Dionysium, vt alia exempla prætermittam, testetur Hieronymus [k].

i in Laod.c.13. in Conc.Mar Pa.c.1. in Niceno 2. can 3. in Syn. 8. Gẽ. seu Const. 4. cap. 28. & in aliis, titul.de elect.
k epist. 85.

Populus de vita & moribus eligẽdorum consultus olim fuit.

Aliquando datum est populo, vt testimonium daret de vita, & moribus eligendi, quemadmodum contigit in electione Eleazari in vetere Testamento [l], vt magis cognitos probatósque magis quoque diligerent, vt Tertullianus [m] præsertim, Cyprianus [n], ac Leo [o] tradunt; cùm autem ius etiam suffragij vsurparet, vt de tempore Concilij Niceni auctor est Theodoretus [p] (tametsi requirat Concilium, agens de electione Episcoporum Ægypti, confirmationem Alexandrini) rem indignè tulit Chrysostomus, vt dixi, & propter allata incommoda penitus sublata est populo electio, & postulatio, solúmque permissum testimonium vitæ & morum, vt hodiéque conspicimus in ordinatione Episcoporum, & Presbyterorum. Vt tamen locum præsentem demum concludam, dico iterum cum Chrysostomo, si Ecclesiæ licuit Mathiam, & Barnabam eligere, vt ex eis vnum DEVS assumeret, id à Petro esse concessum: deinde non tam fuisse electionem, quàm postulationem, qua cupierunt eligi vnum in locum Iudæ: postremò non deduci ab vno exemplo rem aliquam esse de iure diuino, immò neque à duobus, vel tribus, si quis proferat Stephani, & aliorum Diaconorum electionem [q], vel Episcoporum auctore Paulo, & Barnaba factas per populum [r]: quę tamen suo loco exempla nec vera, nec ad rem esse docebimus.

l Num 20.27.
m in Apol.c. 39.
n lib.1.epi.4.
o epist.87.vel 89.
p 1.Hist.c.9.
q Act.6.5.
r Act.14.22.

Quare addatur particula, quasi

Ferè centum viginti.] ὡς, *sicut*, aut *quasi*, &c. si hæc particula ostendit non curasse Auctorem, vt adeò exactè iniret numerum, vt placet Caietano, ruit ea ratio de nominibus, cuius meminimus, & est Erasmi, posita esse ad exactum numerum denotandum. Alij obseruant SPIRITVM sanctum, qui per Scriptores sacros loquitur, demittere se in suggerendis numeris ad scribentium personã, addẽdo huiusmodi particulas *ferè, ferme, quasi, circiter*,

Numerum quare scriptores sacri exactum non posuerint.

quia numerorum cognitionem confusè tantùm acceperint. Ita sentire hoc loco videntur Lyranus, Hugo, & Carthusianus, & in caput IV. Ioannis Cyrillus [s], Theophylactus, Euthymius, notantes in sacro Scriptore summam curam veritatis, & cautionem in minimis adhibitam: exempla alia sunt non pauca in nouo [t] Testamento, vt omittam vetus. Patres hunc exactè numerum hîc agnoscunt, nonnullum quoque notantes in eo mysterium, vt antè diximus.

s lib.2.c.73.
t Luc.1.23.c. 22.59. Ioan.1. 39. c.4.6 c.6. 10 cap. 11.18. Mar.8.9.Luc. 8. 42. c.9.14. 28.cap.23.44. Act. 2. 41.c.5. 36. cap. 19. 7. Rom.4.19.

Versus 16.] Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit SPIRITVS sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt IESVM.

Orationis Petri summa.

PETRI oratio verbis breuis, grauis ac plena sententiis est, duplicem proponens causam, cur nouus eligẽdus Apostolus videatur, seu vnam duobus membris constantem, quòd Iudæ proditoris in Scriptura interitus prędictus, & alterius in eius locum substitutio, quem oporteat ex iis esse, qui ab initio baptismi, & prædicationis CHRISTI ad ipsius vsque reditum in cœlum dictis, gestísque à CHRISTO cùm interfuerit, idoneus testis cum aliis vndecim esse possit, illum adeò mysticum atq; diuinum implens numerũ duodecim.

Viri fratres, cur B. Petrus dixerit.
u vers.11.

Viri fratres.] Iam monui suprà [u], phrasim Græcam esse, dicere, *viri fratres*, pro, *fratres*, &c. Et fortasse cùm viros dicit, fœminarum sexum excludere intendit. Quòd autẽ omnium pater ita loquatur, modestiæ est, & charitatis: auctoritatis & potestatis, quòd Romani Pontifices, successores Petri, solos eos fratres, qui ipsis in cura pastorali sunt proximi, & peculiari modo collegas Episcopos, Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, ceteros etiam Cardinales, non Episcopos, atque Imperatores, Reges, &c. non fratres, sed filios vocant, & vocantur vicissim ab aliis nomine *Patris, Patrũ, & Patriarchæ totius orbis, & Archipontificis, seu Archiepiscopi vniuersalis Ecclesiæ, Principis Episcoporũ, Antistitis primarij vniuersalis Ecclesiæ, Episcopi Episcoporũ.*

Pontifex Rom. quibus nominibus vocat alios, & quibus vocatur.

Apostoli in suis epistolis non eodem semper modo loquuntur, sed quos alicubi fratres, alibi filios nominant. Paulus dum scribit Timotheo, ac Tito, filios nominat [x]: quando de ipsis vel cũ ipsis ad alios, appellat fratres [y]. Petrus appellat Marcum [z] filium. Ioannes in epistolis semper [a] filiolos, semel [b] fratres: Paulus semel filiolos [c], quisque prout suggerebat affectus, non habito dignitatis tanto respectu. In capite huius libri septimo [d], Stephanus alloquens principes sacerdotum, alióśque de Concilio, non solùm viros fratres, verùm etiam & patres honorificè nuncupauit; similique de causa Paulus locutus est in cap. 22. [e] habens rationem Gentilium quoque hominum.

Apostoli quo nomine alios vocauerint.

x 1.Tim.1.2. Tim. 1.2. c.2. 1 Tit.1.4.
y 1.Thess.3.2. Hebr.13.23.2. Cor.1.1. Col. 1. 1. ad Philem.1.1.
z 1.ep.5.13.
a 1.epist.2.12. 18.28.cap.3.7. 18. c. 4. 4.c.5. 21.
b ep.3 11.
c Gal.4.19.
d vers.2.
e vers.1.

Quandónam primùm cœperit Pontifex, seu Papa Romanus, cui peculiariter Papæ nomen attributum est ex decreto Gregorij VII. [f] tanquàm Patri patrum (tametsi non hæc istius notio nominis Græci) ea formula vti, quã dixi, nescio; id scio, sicut vni tantùm illi datus titulus est Patris patrum, ac postea Papæ (hoc illum solum Græcos appellare liquet ex Græcis scriptoribus, vt ex Niceta Choniata, aliísque) de quo nomine Baronius in Notis ad Martyrol. [g] ita ab eo alios nunquàm Papas appellatos, aut Patres, sed vel fratres, vel filios, iam dicta ratione. Damasus tamen in eadẽ epistola ad Orientales Episcopos, quæ est apud

f in Synodo Roma. anno Christ.1073.
g 10.Ianuar.

Theodo

A Theodoretum [a], Episcopos eosdem modò filios, modò fratres vocat.

Oportet impleri Scripturam.]Magni refert ad cõfirmádam mysteriorum nostrorum veritaté, quòd Scripturæ testimonio præuisa & prædicta sint: valétque eiusmodi argumentum maximè contra Iudæos: quo proinde vsum sæpe CHRISTVM videmus, & asseuerasse, quòd quæ scripta essent, vsque etiam ad minimum apicem impleri oporteret [b]. Et CHRISTI exemplo idem Euangelistas fecisse scimus [c], & alios sacros Scriptores, præsertim Paulum in epistolis ad Romanos & Hebræos, necnon Patres, ex quibus id exactissimè præstitit Eusebius in sua Præparatione, & Demonstratione Euangelica, Prosper in opere de
B Prædictionibus, & Promissionibus, Cyprianus in libris Testimoniorum contra Iudęos, & ex recentioribus noster Ioseph Acosta in iis, quibus titulum fecit, De CHRISTO reuelato. *Habemus*, inquit idem Petrus alio [d] loco, *firmiorem propheticum sermonem*, nimirum, quàm transfigurationem [e] ipsam CHRISTI, de qua ibi loquebatur.

Est enim Scriptura minùs exposita calumniæ, vt indicat Augustinus [f], cùm sicut audita cœlesti voce quidam ex Iudæis tonitruum esse interpretati sunt [g]: ita & de voce illa paterna, deque trásfiguratione tota struere calumniam potuissent. Tractant ad hoc idem propositum eundem Petri locum Ioannes Raulinus [h] in Sermonibus, &
C Ioannes Suarez in Matthæum [i]. Idem ab eôdem Petro in Concionibus huius libri inculcatum est, idem à Stephano, idem à Paulo, vt videbimus; idem in canticis suis fecit B. Virgo, idem Zacharias Ioannis pater. Possunt & hinc refelli veteres Hæretici, qui noui Testamenti DEVM diuersum dicebant à DEO veteris, cótra quos antiqui etiam præsertim Patres Irenæus, Tertullianus, &c. sæpe. Lege quæ c. sequenti de Prophetarum testimonio notantur [k].

Oportet.] Ἔδει, *oportebat*. Syriacè, *Æquum fuit*. Necessitas ea est, quam schola vocat suppositionis, secundum quam [l] *impossibile est mentiri Deum* inspiratorem diuinarum Scripturarum. Lege caput
D quartum libri huius [m].

Quam predixit SPIRITVS *sanctus per os Dauid.*] Magnum Petri de Psalmis Dauid testimonium: tale idem edidit de Prophetis in epistola secunda [n]; & pater Ioannis Baptistæ in Cantico [o]. Putat Oecumenius indicari Psalmum CVIII. ex quo etiam paulò pòst verba recitãtur. Alij XL. [p] quem ipsemet CHRISTVS de Iuda intellexit apud Ioannem [q], ad se accommodans, aut potiùs de se propriè dictum interpretans, quod Dauid [r] de Achitophel, aliísque rebellibus suis loquens in suamet persona quid Iudas contra se facturus esset, significauerat.

E *De Iuda.*] Hunc elegit CHRISTVS, quia nouerat velle Patrem, vt eum quamuis proditorem futurum, eligeret, hoc enim bonum erat, licèt proditio mala, quæ, vt talis, quemadmodum & alia mala, præuidentur, quia futura, non autem sunt, quia præuisa, quod rebus bonis conuenit, aut conuenire potest, vt nimirum præuideantur, ac prouideantur, quia sunt bonę, verbi gratia, cùm dicitur [s], *quod, vt impleretur Scriptura*, CHRISTVS *dixit, Sitio.*

Si quæras, cur elegit DEVS ad Apostolatum, quem proditorem præuidit, hoc idem quærere possis de Dæmonibus, de primis parentibus, de aliis: periculosa quæstio, si nimiùm vrgeas, vt piè ac doctè monent Hieronymus [t], & Cyrillus [u]

a 5. hist. c. 10. & Nicep. lib. 12. c. 17.
Magnū pendus est, cum aliquid Scripturæ auctoritate faciēdum proponitur.
b Mat. 5. 19. c. 11. 10. c. 13. 11. c. 15. 7. ca. 21. 16. 42. c. 24. 15. c. 26. 54. Mat. 14. 49. Luc. 24. 25. 44. Ioa. 17. 12. Mat. 7. 6. c. 9. 12. c. 12. 10. 11. c. 14. 27. Lu. 4. 10. c. 7. 27. c. 16. 17. c. 20. 17. Ioan. 5. 35. 45. 46. c. 7. 18. ca. 13. 18. c. 15. 25. c. 17. 12.
c Mat. 1. 22. 23. c. 2. 6. 15. 17. 23. c. 3. 3. ca. 4. 14. 15. 16. ca. 12. 17. 18. 19. 20. c. 13. 35. c. 21. 4. 5. c. 27. 35. Mat. 1. 2. 3. c. 15. 28. Luc. 3. 4. 5. Ioa. 2. 17. c. 12. 14. 15. 37. 38. 39. 40. 41. c. 19. 24. 28. 36. 37.
Scriptura non est ita exposita calūniæ vt alia testimonia.
d 2. ep. 1. 19.
e Mat. 17. 1.
f Serm. 29. de verb. Apost.
g Ioan. 12. 29.
h Serm. 41. ex Quadr.
i c. 17. tract. 3.
Idem est Deus veteris & noui Testamenti.
k vers. 16.
l Heb. 6. 18.
m vers. 12.
n cap. 1. 21.
o Luc. 1. 70.
p vers. 10.
q cap. 13. 18.
r 2. Reg. 17.
Christus cur Iudam proditorem elegerit.
Mala præuidentur quia futura, bona sunt, quia præuidentur.
s Ioan. 19. 28.
t 3. con. Pel.
u lib. 9. in Io. cap. 10.

A Alexand. hoc fixum sit, nullum à DEO conditum vt peccet, & malum faciat: nec Iudam electum, vt proderet: proprio id quemque vitio facere: optimum DEVM, & sapientissimum alieno malo ad bonum vti, vt nominatim admonet Ambrosius [x], comparans primos parentes cum Iuda. Idem verò alibi [y] *electum Iudam* docet, *vt sciremus, quanta sit veritas, quam nec aduersarius minister infirmat; quanta moralitas* (id est, benignitas Domini) *qui periclitari magis apud nos iudicium suum, quam affectum maluit: qui susceperat hominis fragilitatem, nec has partes recusare voluisse infirmitatis nostræ, vt nempe proderetur: denique vt disceremus patiētiam, si nempe a socio deseramur, a socio prodamur, nostrúmque de socio*
B *erret iudicium, pereat in eum beneficium, cùm* CHRISTVS *voluerit deseri, voluerit prodi, voluerit ab Apostolo suo tradi.* Augustinus [z] attigit alias causas duas; alteram, quam & nos attigimus, vt malo vteretur bene ad opus Passionis: alteram, vt Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum. Vide Leonem in Sermonibus de Passione [a].

Adde, quòd Iudas, cùm electus est, bonus fuerat, ac aliquanto etiam tempore pòst, quæ probabilis opinio est Cyrilli [b], Hieronymi [c], Tertulliani [d], Ambrosij [e], Chrysostomi [f], Basilij [g], Ammonij [h], Leontij [i], Olympiodori [k], Anastasij Sinaitæ [l], Leonis [m], Euthymij [n], qui id probat ex eo, quòd Iudas in prima pedum CHRISTI vnctione,
C quam exhibuit Magdalena, murmurasse non legitur, videlicet nondum auarus, aut malus; Anastasius Nicenus [o] dicit fecisse aliquando miracula: Olympiodorus [p] multos conuertisse: Cyrillus [q] Ierosolymitanus Dæmones eiecisse. Ambrosius [r] comparat cum [s] Saul, qui bonus electus est; & probat ex verbis Petri in hoc capite: *Sortitus est sortem ministerij huius:* & Tertullianus [t] ait bonum perseuerasse, vsque ad loculorum officium: quod ei tamen à CHRISTO commissum est, vel vt auarum eius animum sedaret, quod ait Hieronymus, necnon & Cyrillus, & Theophylactus, ac Euthymius in Ioannem, & Origenes [u]: vel quia minùs quàm alij, idoneus erat ad spiritualia, magis ad
D temporalia; *vel ne videretur*, inquit Ambrosius [x], *aut quasi inhonorus, aut quasi egenus Dominum prodidisse: & non quasi iniuria exasperatus, sed quasi præuaricatus gratiam, maiori esset offensa obnoxius, sicque Dominus iustificaretur in eo.* Vide Leonem [y] Sermone de Passione Domini. Epiphanij [z] quoque ratio est, vt esset inexcusabilis, qui cùm accepisset à Domino marsupium, propter auaritiam tamen tradidisset eum.

Scio, Augustinum existimari esse in contraria sententia multis locis, quæ citat Auctor Milleloquij ipsius [a]. Sed profectò nil aliud dicit, nisi quòd electus à CHRISTO fuerit, cùm præuidit malum esse futurum: quo in sensu Hieronymus [b] quoque loquitur, & si qui ex Patribus illud præsefe-
E runt, videntur ita intelligi posse, vt Clemens Romanus [c], qui ait quòd diu ante proditionem malus erat: & Gaudentius Brixien [d]. quòd cùm pro aliis Petrus respondit: *Tu es* CHRISTVS [e], &c. *Iudas quod corde non crediderat, ore confiteri non poterat.* Abulensis [f] apertè dissentit, & fortasse alij aliqui leuioris notæ, quos facilè prætereo, vt & nescio quæ portentosa crimina Iudæ ante vocationem, quæ tanquàm certa recitat pseudoAugustinus [g] ad suos Eremitas, multò prudentiùs vt dubia, B. Antoninus [h], & Magister Historiæ Scholasticæ.

Maius illud erroris portentum Caianorum, qui, vt refert B. Epiphanius [i], Augustinus [k], aliique

Nullus conditus est à Deo vt peccet.
x lib. de Para. cap. 8.
y lib. 5. in Luc. cap. 6.
Cur Iudam proditorem Deus elegerit.
z lib. 18. de ciuit. Dei. c. 49.
a Serm. 16. de Pass. Dom.
Iudas cum electus est, bonus fuit.
b li. 4. in Ioa. c. 10.
c 3. con. Pel. & 2. cont. Iouin.
d lib. de Anima. c. 4.
e in c. 9. epist. ad Rom.
f hom. 46. in Ioa. & hom. 3. de ieiun.
g epi. ad Chil.
h in Ioan. 6.
i ibidem.
k Eccl. o.
l Ser. de Sanc. com. tom. 1. Biblioth.
m Ser. prędict.
n Luc. 7.
o q. 22. in Scri.
p præt. in loco.
q Catech. 7.
r ante dicto testimonio.
s 1. Reg. 9. 10.
t vt supra
u homil. 4. in Cant.
x 1 Offic. c. 16.
y Serm. 16.
z hær. 38.
a verbo, IVDAS
Iudā elegit Christus, quē præuidit fore malum, sed non malum.
b in Mat. c. 7.
c lib. 5. Const. cap. 13.
d Tract. in die ordinat. suæ tom. 2. Bib. Pa.
e Mat. 16. 16.
f Mat. 20. q. 41.
g Serm. 28. ad Frat. in erem.
h 1 part. hist. tit. 6. c. 15.
Caiani hæretici Iudā ex æternus.
i hær. 38.
k de hær. c. 18. Tom. 6.

lam causam ieiunij feriæ quartæ Clemens [a] Romanus affert, suo item 2. Decretalium, & Gratianus ex Apollinario, aut Apollonio eandem assignat [b].

a lib. 5. Constit. c. 14.
b de Cõsec. dist. 3. c. ieiunia. & habetur apud Palladi. in vita Apollo. Abb.
Iudas quomodo nominetur dux eorum qui comprehenderunt Iesum.

Hoc loco vocat Petrus Iudam ducem eorum qui comprehenderunt IESVM, moderatè loquẽs, ac sine asperiore vllo vocabulo, immò & in alios quodammodò detorquens crimen, per quos ille ad hoc deuenit, vt obseruat Chrysostomus [c]: nec omittit tamen huiusmodi facinus, quo non mediocriter consternati fidelium animi erigendi erant, & recreandi. Verùm, vt dixi, strictim hîc tantùm narratur hoc crimen, facta mentione comprehensionis CHRISTI duce Iuda, quod solus etiam Lucas in Euangelio expressit his verbis [d]: *Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas, antecedebat eos.*

c hom. 3.
d c. 22. 47.

Versus 17.] Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius.

QVI *connumeratus erat in nobis.*] Vim facere videtur in numero duodenario mystico, & à CHRISTO instituto, vt notat Augustinus [e], & signo aliquo externo designare Coapostolos, qui fortasse separati ab aliis certo loco simul erãt.

e in Ps. 101.

Est vndenarius numerus imperfectus, ad res seculi pertinens, inquit Hieronymus [f], quoniam recedit ab vnitate, aut quia transgreditur denarium, transgressionem legis & peccatum designare potest, vt docet Augustinus [g], & de hac suppletione per nouum Apostolum Gregorius [h], & Beda hoc loco dici hæc putant & alibi de præuaricatione [i]. Lege de mysterio multiplici huius numeri Petrum Bongum [k], vbi citat ad idem propositum alia loca Hieronymi, Augustini, & Prosperi.

De vndenario numero mysteria quædam proferuntur.
f Zachar. 1. sub initium.
g 15. de ciuit. Dei c. 20.
h 22. Moral. c. 12. circa finem.
i in Ps. 129.
k lib. de mysteri. numero.

Idem Beda [l] eo numero designatum Antichristum dicit, nempe per vndecimum cornu, eoque numero notari præuaricationem eius, Gregorius notat, quod in vndecimo Psalmo dicitur: *Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus.*

Per vndecimum numerum Antichristus designatur.
l Apoc. 17.

Et sortitus est sortem ministerij huius.] Ambrosius [m] his verbis addit quasi interpretationem, *in signis & prodigiis faciendis.* Quòd verò prædicauerit, baptizauerit, dæmonia eiecerit, alia miracula fecerit, colligitur ex aliis Coapostolis, quibus parem à CHRISTO ad hæc potestatem accepit [n]: & cum iis gloriatus est, *quod sibi dæmonia* [o] *subiicerentur.* Patres quoque hactenus citati id satis innuunt, disertè verò affirmat Anastasius [p] Nicenus, Cyrillus [q] Ierosolymitanus, Olympiodorus [r], Augustinus [f], Isidorus Pelusiota [t], Nazianzenus [u]. Olympiodorus [x] verò addit *conuersos ab eo nonnullos, & quòd doctrinæ suæ verbis multos genuit filios.* Leo quoque ait [y], *quòd imperabat dæmonibus, & medebatur infirmis.*

Iudas miracula fecit, quæ cæteri Apostoli.
m in c. 9. ep. ad Rom.
n Matt. 10. 1. Ioan. 4. 2.
o Luc. 10. 17.
p q. 21. in Scriptur.
q Catteche. 7.
r Eccl. 6.
f li. 2. cont. lit. Petilia. c. 55.
t li. 1. ep. 44.
u in Christo patiente.
x supra ad locu.
y Serm. 16. de pass. Dom.
Iudas sicut alij Apostoli miracula est operatus.
Iudas quia miracula fecit, non ideo sanctus fuit.

Neque tamen inde colligitur argumentum pro Iudæ sanctitate, quod facit Ambrosius, dicẽs, *Quomodo igitur ministerium salutare sortiretur, nisi esset bonus? In sorte enim* DEI *indicium fuit, dignum fuisse illum tempore illo, quo electus est, sicut illi septuaginta duo, quos supra memoraui. Hinc est vnde & Iudas post mali totius admissum scelus, pœnitentia motus, laqueo vitam finiuit* [z]. Non est, inquam, hæc necessaria ratiocinatio: immò ex hoc, & similibus exemplis Anastasius [a] Nicenus contrarium argumentatur. Neque vis in nomine sortis huiusmodi est, vt Ambrosius velle videtur, & indicat quoque

z Matt. 27. 6.
a supra.

A Gregorius [b], quod mox demonstrabo.

Aliquando sanctum Iudam fuisse, non difficilè credo Hieronymo [c], Cyrillo Alexandrino [d], Tertulliano [e], & fortasse, vt hic ait, vsque ad loculorum officium.

b lib. 25. Moral. c. 7. vel 9. *Iudas aliquando fuit sanctus.*
c 3. contra Pelag.
d 4. in Ioan. c. 10.
e de Anima. c. 4.

Sortem.] κλῆρος, quod nomen Græcum, & verbum κληρόω inde deductum sæpe vsurpantur in nouo Testamento pro dono gratiæ iustificantis [f], sed propter adiuncta: alioqui indifferentem habent significationem ad alia in vtroque Testamẽto. Et quidem hoc loco pro solo ministerio Apostolatus propriè, ac per se accipi videtur, & pro gratia gratis data in hoc eodem libro [g], & pro supremo Mediatoris officio in epistola ad Hebræos [h]. Quibus omnibus rectè competit nomen sortis, quia ex DEI liberalitate, atque gratis conceduntur etiam CHRISTO, ratione naturæ humanæ, cui gratia summa fuit vnio hypostatica, ex qua consequuntur alia bona gratiæ. Vnde tamen ineptè quidam inferebant, vt Gagneius hoc loco obseruat, æquam Apostolis omnibus fuisse potestatem, quòd quisque partem sortitus dicatur.

κλῆρος quid significet in nouo testamento.
f Act. 8. 21. & 26. 18. Ephes. 1. 11. Coloss. 1. 12. 2. Pet. 1. 1.
g c. 8. 21.
B
h c. 3. 6.

Quia verò inter Ecclesiæ gradus clericalis dignior, & maioribus gratiæ donis cohonestatus est, nomen suum ἀπὸ τοῦ κλήρου, id est, à sorte obtinuit, & quasi præcipua hæreditate DEI (hæreditas sortis nomine vocatur, quia plerumque sorte diuiditur in plures, etsi tota ad vnum deueniat, non etiam electione, sed sorte accidit, nascuntur enim vt plurimùm, non fiunt hæredes) cui specialiter consecratus est, & procurando eius cultui, & religioni, & rebus sacris deputatus. *Clericus*, inquit Hieronymus [i], *interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim* κλῆρος *Græcè, sors Latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors*, id est, pars *est Clericorum.*

Clerici à clero, id est, sorte, dicti cur sint.
Hæreditas cur sors dicatur.
C
i epist. ad Nepot.

Nomen hoc egregiè contra Hæreticos tuetur Bellarminus [k] testimonio Tertulliani [l], Concilij Niceni I. [m] & Clementis [n] Romani, & totius Iuris Canonici, immò Ieremiæ [o] dicentis, iuxta lectionem Septuaginta: *Cleri eorum non proderunt eis*, vt exponit Origenes [p], Epiphanius [q], Hieronymus [r], Petrus ipse [f]: *Neque vt dominantes*, inquit, *in Cleris:* quem ibi locum Oecumenius, necnon iam citatus Hieronymus, propriè in hoc sensu exponunt, & non de Ecclesia vniuersa.

Clerici nomen sola ... ecclesiastici ...
k lib. 1. de Cler. c. 1.
l lib. de monog.
m can. 2. 3. 8. 17. 18. 19.
n in can. Apostol. 12. 15. 5.
D
o cap. 12. 13.
p homil. 7. in Ierem.
q epi. ad Ioa. Ierosol. ad init.
r in Ierem. 12.
f 1. epi. 5. 3.

Videtur altiùs esse repetendum nominis principium ex libro Numerorum [t], & Deuteronomij [u], vbi Dominus dicitur sors & pars Leuitarum, & Sacerdotum. Vnde qui cooptantur in Clero, dicunt illud Psalmi [x]: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei*, &c. Nam tanquam hæreditati terrenæ renunciantes, adiiciunt: *Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* In huius rei signum, & arctioris vitæ, figura spineæ coronæ, qua CHRISTVS coronatus est, in capite suo insigniuntur, vt ait Germanus Constantinopolitanus [y], Beda [z], aliíque qui scribunt de Diuinis Officiis, vt Albinus [a], & Rabanus [b], Isidorus [c] (indicat id tantùm) & Concil. Aquisgranense [d]. Augustinus [e] assignata notione ac ratione nominis eo modo quo diximus, facta etiam comparatione cum tribu Leui, inquit: *Nam & Cleros, & Clericos hinc appellatos puto, qui sunt in Ecclesiastici ministerij gradibus ordinati: quia Mathias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum* [f]. Idem dicit Isidorus [g], & B. Antoninus [h].

t cap. 18. 20.
u cap. 18. 1.
x Psa. 15. 5.
E
Corona sphærica figura in clericorum capite quid significet.
y in theo. rer. Eccles.
z 5. hist. Ang. cap. 22.
a cap. de tons. cleric.
b 1. de inst. cler. c. 3.
c 2. de offic. c. 4.
d Can. 1.
e in Psa. 67.
f Act. 1. 26.
g 2. Etym. c. 2.
h 1. p. hi. tit. 6. cap. 2.

Horum Patrum non sanè spernenda est aucto-

ritas:

ritas:nec tamen ex hoc loco,aut ex ſortitione Mathiæ, Cleri & Clerici vocem natam crediderim, & intra duodecim Apoſtolos etiã illo initio Eccleſiæ coarctatam; præſertim cùm iidem Patres aliíque citati antiquiorem originem agnoſcant, ſicut eam Ambroſius [a] repetere videtur à veteris Teſtamenti Leuitico,& Sacerdotali ordine. Vnde & Pythagoras, qui ex populo Iudæorũ genus duxiſſe credebatur, mandati occaſionem ſumpſerit, quo cauebat non tantùm vt diuinis myſteriis addicti,capillis poſitis ſacrificarent, verùm etiam ne Diſcipuli commmem atque vſitatam populo ingrederentur viam.

Cleri nomen antiquius quam vt hic originem habuiſſe vid. actor.

a epiſt. 6. vel 20. edit. Rom. *Pythagora præceptum explicatur.*

Hic eſt infimus in Eccleſia gradus Laicorum, quaſi dicas,populariũ,à nomine λαός, extra quem modò ſunt Religioſi, & Monachi quantùm ad immunitates & priuilegia ad Clerum aggregati, in quo tamen olim tempore Hieronymi,& longè antè, ac etiam poſteà non computabantur. Lege Ioannem Ferdinandum in Theſauro diuinarum Scripturarum [b], & Lælium Zecchium libr. de Republica Eccleſiaſtica [c].

Laici vnde dicti.

b verbo, *Clericus.*
c Trac. de Clericis.

Verſus 18.] Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpẽſus crepuit medius,& diffuſa ſunt omnia viſcera eius.

ET *hic quidem poſſedit.*] Quomodo poſſedit Iudas, qui pecuniam retulit, & laqueo mox ſe ſuſpendit [d]? Hanc obiectionem Gregorius [e] proponit,& ſoluit: *Neque enim*,inquit,*emptum pretio ſanguinis agrum figuli Iudas poſſidere potuit,qui relatis triginta argenteis, traditionis crimen crimino ſiori in ſe protinus morte mulctauit:ſed,poſſedit,dictum eſt, poſſidere fecit.* Sic ille, ac meliùs quidem, quàm vt poſſediſſe dicatur, quòd pecunia eius emptus ſit ager: vel quia ibi ſepultus,vt Rabano placuit;vel(quam expoſitionem meritò Gloſſa explodit) quoniam per agrum intelligatur infernus.

d Mat. 27. 5.
e 1. Mor. c. 9.
Quomodo Iudas agrum figuli poſſederit.

Agrum.]Figuli vocat Matthæus [f],ſeu quia alicuius figuli erat,ſeu quia ex eo terrã ad vaſa figuli effodiebant;ſeu quia teſtarũ fragmenta in eum iactabant (qualis in Vrbe mons teſtaceus, de quo mira prædicat Arias Montanus [g]) ita vt culturæ inutilis, ſolis mortuis ſepeliendis cõmodus eſſet.

f cap. 27. 7.
g c. 8. Ioſ. pag 217. & ſeq.

Ibi peregrinos ſepelierunt, qui patria in vrbe ſepulcra non habentes, difficilè ſepulturam reperiebant: etſi quidam Gentilibus aſſignatum eum agrum exiſtimant. Nam ciues,aut in publico loco, aut in ſuo quiſque fundo proprium habebant ſepulcrum, vbi omnes, qui eiuſdem erant familiæ, ſepelirentur;erátque grauis vel pœna,vel dolor,in patrum ſepulcris non ſepeliri, vt cõſtat ex libris Regum,& aliis Scripturæ locis [h]. Sed de ſepultura in cap. V. & VII.

Ager figuli in ſepulturam peregrinorum deputatus.

h 4. Reg. 9. 34. 2. Par. 21. 20. Hier. 22. 19. 1. Mach. 5. 10.

Myſtica ratio eſt, à Patribus notata, *vt pretium* SALVATORIS *non peccatoribus ſumptum præberet, nec ſacrilegis eſſet ad luſum, ſed vt mortuis prodeſſet.* Ita loquitur Maximus Taurinenſis [i] in homilia quadam de Iuda traditore, vbi & quædam de figulo. Idem ſermo ponitur inter ſermones Auguſtini de Tempore,vel Ambroſij [k].

Cur ex pretio ſanguinis Christi ager figuli ſit emptus.
i hom. 3.
k Ser. 128. Au. & inter Ser. Ambr. 51.

Illud etiam obſeruandum, qui extra vrbem ſepeliebant ſuos, vt aliàs dicemus,iuxta Platonis [l] legem, id feciſſe in agris ſterilibus, quique nulli vſui eſſent futuri:vt quæ ſine detrimento viuorum reciperet mortuos, ea potiſſimùm terra compleretur, ne mortui viuorum minuerent vtilitates. Cicero [m] etiam ſcribit Athenis iam vſque ab ipſo Cecrope, eum permanſiſſe morem, & ius, vt cum cadauer terra iniecta & obducta eſſet conditum, ea deinde fructibus obſereretur, vt ſinus & gremium quaſi matris tribueretur mortuo, ſolum autem frugibus expiatum viuis redderetur. Lege Pererium in Geneſim [n].

In agris quomodo mortui ſepeliebantur.
l 12. de legi.
m 2. de legib.
n Tom. 4. ca. 50. Diſp. 4.

Mercede.]Merces hæc fuit triginta [o] argenteorum;ſi Budæo [p] credimus,& Alciato [q],argenteum idem eſſe quod denariũ: & hic valet duas drachmas,hoc eſt,decem aſſes Gallicos, aut paulò plus. Summa mercedis erit circiter trium aureorum nummorum, æſtimationis trium librarum item Gallicarum. Maldonatus [r] exiſtimat, argenteos cum numerali nomine adiuncto ſiclos eſſe, hos verò ſingulos continere quatuor denarios Romanos,ſeu drachmas, ſeu ſtaterem, ita vt denarius & drachma valeat quinque ſolidos Gallicos, ſeu decem Mediolanenſes, ſiue regale Hiſpanicum, ideoque valorem viginti ſolidorum argenti Gallici, quadraginta autem Mediolanenſis:& idcirco pretium venditi CHRISTI eſſe decem nummorum aureorum ſolarium, qui ſinguli æquiualent tribus libris Gallicis, & ſex Mediolanenſibus. Magis probo hanc ſententiam, quàm præcedentem, & quàm illam [s], quæ contendit, hos argenteos trecentos fuiſſe denarios. Primi, & vltimi leui coniectura ducuntur, hi, quòd ſoleret Iudas decimam partem ſuffurari eorum, quæ mittebantur in loculos, & voluerit, quod ex trecentis denariis, quibus vnguentum æſtimauerat [t],furaturus erat, CHRISTVM vendendo recipere:illi,quoniam totum id pretium vnguenti quaſi perditum recuperare. Meliùs argumentarentur tertiæ ſententiæ defenſores, quia non potuit tam exiguo pretio ager emi in peregrinorum ſepulturam.

Argẽti,quibus Christus venditus eſt, quanti eſſent valor.
o Matt. 26. 15.
p 5. de Aſſe.
q lib. de ponderib. & menſur.
r Matt. 26. 15.
s quæ eſt Magiſtri hiſtor. Scholaſt. & aliorum.
t Mar. 14. 5.

Premitur quidem hoc argumento maximè prima ſententia; ſed reſpondemus, viliores tunc res fuiſſe. Ieremias [u] enim etiam agrum emit ſeptem ſtateribus (ſtater conſtat quatuor drachmis) & decem argenteis, hoc eſt, ſeptemdecim francis, ſeu libris Gallicis, triginta quatuor Mediolanenſibus, nimirum vix ſex aureis numis. Vide notationem noſtram in cap. quartum [x], vbi repugnare videtur, quod ibi ex Plinio referimus de magno pretio agrorum eius regionis. Tempore Ieremiæ ingruente captiuitate potuit eſſe vilitas agrorum,ſed non tempore CHRISTI; ſi quis diceret, non ſolis triginta argenteis agrum emptum eſſe, conuinci non poſſet:neque enim Scriptura hoc definit; etſi mercede iniquitatis poſſeſſum agrum dicat. Fieri etiam poteſt, vt non agrum totum, ſed partem emerint, quæ ſufficeret ſepulturæ. Denique argenteorum triginta valorem Baronius communi æſtimatione longè maiorem facit in appendice Tomi primi.

Quomodo tam paruo pretio ager emi potuit.
u Iere. 32. 9.
x verſ. vlt.

Cauendus vulgaris error, eodem pretio Patriarcham Ioſeph venditum eſſe [y]: viginti enim tantùm habent Hebræi codices, & Septuaginta (dicentes tamen aureos pro argenteis)& Ioſephus [z] (qui minas vocat)& noſtri emendati, idque Hieronymus [a] annotauit: fortaſſe ex Zacharia [b], qui de CHRISTO loquens expreſſit triginta argenteos,& de coëmpto quoq; agro meminit, vitium in locum Geneſis immigrauit. Lege Riberam noſtrum tum in Zachariæ citatum locum, tum in Amos [c], & Pererium [d], & quæ dicemus in cap. VII. & de Ioſeph Ambroſium [e].

Non eodẽ pretio quo Christus, Ioſeph venditus eſt.
y Gen. 37. 28.
z 2. Antiq. c. 3.
a Matt. 26. & q. in Geneſim.
b c. 11. 12. 13.
c c. 8. à nu. 11.
d Gen. 37. Diſput. 7.
e libr. de Ioſeph c. 3.

Scio

Scio quædam circumferri de his argenteis aliena,& ridicula,vt quòd ex auro Magorum confecti fuerint,etiamsi argentei nomen, monetæ ex quauis materia conuenire possit. Illud non improbo, quòd Iuuencus[a] docet illos(sed argenti vocat minas)ex Gazophylacio priùs elatos esse à sacerdotibus ad emendum CHRISTVM: quippe publici sumptus pro templi causa, aut religione fiebant ex sacris thesauris, cuiusmodi causam sacerdotes arbitrabantur,vt CHRISTVS occideretur, qui se DEI Filium profitebatur,

Inde sacerdotes(inquit)*pretium quod sanguinis esset*
Illicitum sanctis adytis iam condere templi,
Quod dare tum licitum, dum sanguis distraheretur,
Credebant.———

a 4. Histor. Euang.

Cur merces iniquitatis dicatur.

B *Iniquitatis.*]Non tantùm quia iniquè, & iniustè comparata est merces, ac proinde non vera merces, quæ interdum iustè datur, & accipitur, licèt non honesta de causa,verùm etiam,*quoniam*, vt ait Chrysostomus[b],*multæ sunt iniquitates,sed hæc nihil vnquàm factum est iniquius*, de qua cùm alij, tum præcipuè in sermonibus idem Chrysostomus, & Leo,& Nazianzenus in Tragœdia de CHRISTO patiente.

b homil. 3. in Acta.

Et suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.] Suspensio hæc ita exprimitur in textu Græco, πρηνὴς γενόμενος,*pronus factus*.Syrus interp. *Et cecidit in faciem suam humi.* An mortuus fuerit ante CHRISTI Resurrectionem, ambigit Augustinus[c],suntque qui affirment[d], cùm, quod non sperabat, CHRISTVM resurrexisse cognouisset. Theophylactus ait,cùm laqueo se suspendisset, vt Matthæus[e] scribit, arborem inclinatam fuisse,atque ita superuixisse,posteà hydrope mortuum,cùm medius crepuisset. Euthymius adhuc pendentem de laqueo,à prætereuntibus agnitum, & depositum vixisse aliquantisper secreto in loco;deinde ex eo loco præcipitem cecidisse, & inflatum crepuisse medium. Papias, vt hîc refert Oecumenius, & Magister Historiæ Scholasticæ, rupto laqueo superuixisse,ac posteà crepuisse curru compressum, cùm corpore inflatus progredi non posset, capite verò oculisque ita tumens esset,vt omninò lumen non videret,exque toto corpore sanies ac vermes scaturirent: & demùm ex mortui cadauere adeò tetrum odorem exhalasse, vt prædium, in quo decessit,nec habitari, nec nisi ab obturantibus manu nares præteriri potuerit.

Fuerit ne Iudas mortuus ante Christi Resurrectionem.
c in q. 94. ex q. noui Testa.
d Magist. hist. Schol. cap. 1. Sal. to. 1. Proleg. 12.
e c. 27. 5.
Iudæ mors qualis fuerit.

De Iudæ morte probabilior sententia.

Congruit magis cum Euangelio, vt mox post relatos argenteos cucurrerit ad laqueum, & ante CHRISTVM mortuus fuerit, seipsum præcipitem agẽdo,vt citiùs strangularetur, ac fortasse rupto laqueo præ vehementia motus, & præ tumentis corporis pondere ceciderit pronus (quod hoc loco denotat πρηνὴς) iam suffocatus in patibulo(quod verbum ἀπήγξατο, apud Matthæum.) Id etiam indicat Nazianzenus in CHRISTO PATIENTE,& Anastasius Sinaita[f]: etsi quoque nomen illud Græcum significare potest capite propendentem,& vultu in terram deiecto morientem,qualis est habitus laqueo morientium.Augustinus[g] *dies eius*(quod in Psalmo dicitur)*paucos factos* exponit, *quoniam ante passionem Domini scelere ipsius & morte consumpti sunt*.Hoc etiam tradit modò laudatus Nazianzenus.

f li. 6. in Hexam.
g in Ps. 108.
Dies Iudæ pauci quomodo facti.

De genere mortis causam reddit Arator[h], & Sedulius[i],& Bernardus[k],vt in aëre periret

—*cœlum, terrámque perosus.* Augustinus[l], *Quia vt laqueo respiratio, ita prohibetur desperatione* SPIRITVS *sanctus*.Beda[m], *vt guttur per quod vox*

h in Carm. super Acta.
i li. 5. Paschalis. c. 8.
Cur laqueo vitam finierit.
k Sermo. 8. in Psal. 90.
l libr. 50. ho. in 27.
m in hũc locum.

A *proditionis exierat, laquei nodus necaret.* Idem Sedulius: *vt perfidus & desertor patefaceret ex quanto culmine esset lapsus, nuper Discipulus, modò iam reus: nuper Apostolus, nunc Apostata nominatus. Effusio viscerum*, inquit Drogo[n] Cardinalis, *significat, quòd Iudas, sicut vter plenus cupiditate, aut vas contumeliæ minimè probatum in fornace à figulo, crepuit:* nempe viscera ceu araneæ, pecuniæ fuerunt (*laqueum Diaboli* vocat Apostolus[o]) & visceribus priuatus est, qui proditionem in iis concipiens, viscera pietatis exuerat. Non decuit per os, quo fraudulentè osculatus erat CHRISTVM, egredi maleuolam, ac perfidam animam: dignaque blasphemo pœna est, qualem & Arius passus est:

n Tractat. de Pass. Dom.
o 1. Tim. 6. 9.
Iudæ & Arij similis pœna, quia par flagitium.

B quem hac in re Nazianzenus[p] cum Iuda comparat,& Ambrosius[q], & Gaudentius Brixien.[r] & Epiphanius[s], & quidam Poëta, citatus à Baronio[t],ita canens:

—*ruit Arius aluo,*
Infelix plus mente cadens,lethúmque peremptus
Cum Iuda commune tulit,qui gutture pendens
Visceribus curuatus obit:nec pœna sequestrat
Quos par culpa ligat: qui MAIESTATIS *honori*
Vulnus ab ore parant:hic prodidit, ille diremit
Sacrilega de voce,&c.—

p oratio. in S. Athan.
q de Fide ad Grat. li. 1. c. 9.
r ad Paulum Diac. Tracta. 19.
s hær. 61. & 69.
t Tom. 3. Annal.

Non ineptè putãt quidam[u], ad auarissimum istum proditorem Ecclesiastici[x] auaritiam insectantis respexisse sententiam: *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam:hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua.* Ex arbore suspensum Iudam Theophylact. prodidit: eam ficum fuisse, Iuuencus[y] dixit, & Beda[z]: & illam idem scripsit suo etiam tempore superfuisse.

u Iansen. in Euang. Conc. c. 4.
x c. 10. 10.
y in 4. Euãg. hist.
z de locis sanctis. c. 4.

C Hîc exclamare licet cum Bernardo[a]:*Quomodo*[b] *cecidisti de cœlo Lucifer?* Nam & CHRISTVS Diabolum Iudam nominat[c],Euangelista,à Satana veluti obsessum[d],immundũ[e],& filium perditionis[f].

a Ser. de Pass.
b Esa. 14. 12.
c Ioan. 6. 70.
d Luc. 22. 3.
e Ioan. 13. 11.
f Ioan. 17. 12.

Illustre ac horribile exemplum est, & documentum,ne de gradu,aut sanctitate efferamur. Et Patres monent,præsertim Ambrosius[g],Hieronymus[h],Basilius[i], Gregorius[k],August.[l] & comparant cum Cain[m] (qui veniam desperauit) Hieronymus[n],& Drogo[o] Cardin.cũ Achitophel[p](hic seipsum suspendit) eandémque comparationem habet Rupertus[q],& Augustinus[r]; & cum Absalone,qui fratrẽ[s] Ammon proditione interemit,& suspensus capillo periit[t]: & cum Ioab, qui Amasam osculi prætextu percussit in latere[u]: Ambrosius[x] cum Doëg[y] Idumæo interfectore sacerdotum:Leo[z] cum libidinosis senibus,quos Daniel[a] vocauit *semen Chanaan,& non Iuda*.Eusebius[b] Cæsariensis *peccatum eius scriptum dicit stylo ferreo in vngue adamantino*.Ita accõmodans locum Ieremiæ[c].

g 1. Cor. 12. & li. 6. in Luc. & in Ps. 48.
h 2. cõtra Iouin. & in Mar. & in Ps. 108.
Iudæ exemplũ quàm horribile esse nobis debeat.
i ep. ad Chilonem.
k 25. Moral. c. 7.
l in Ps. 7.
m Gen. 4. 13. & 14.
n in Ps. 108.
o Tractat. de Pass.
p 2. Reg. 17. 23.
q Matth. 26. & in 2. Reg. c. 3. 5.
r in Psal. 7.
s 2. Reg. 13. 29.
t 2. Reg. c. 18. 14. 15.
u 2. Reg. 20. 10.

Antiochus Monachus[d] opponit desperationem Iudæ,ac pusillum,abiectúmque eius animum,Petri magnanimitati in recuperanda per lacrymas gratia,quam per negationis non mediocre peccatum amiserat. *Non potuit Iudas peiore manu perire: & quamuis sceleratum occiderit,non debuit tamen*, inquit Augustin.[e] Meritò tibi tua pœna est cõmissa,inquit Leo[f],quia in supplicium tuum nemo te sæuior potuit inueniri. Non agam nunc de damnanda suiipsius interfectione, redibit posteà forsitan occasio. Interim adi Petrum Gregorium[g]. Prudentius[h] auaritiam inducit suum de Iuda triumphum celebrantem:

— *Nónne triumpho*
Egimus Iscariothi:magnus qui Discipulorum
Et conuiua DEI *dum fallit fœdere mensæ*
Haudquaquàm ignarũ, dextrámq; paropside tingit,

x li. 6. in Lucam.
Petri & Iudæ dissimilis conditio.
y 1. Reg. 22. 19.
z Serm. 16. de Pass.
a cap. 13. 56
b libr. 10. de Demon.
c c. 17. 1.
d homil. 27. tom. 2. Bibl. Pat.
e 1. de ciuit. Dei. c. 17.
f Serm. 16. de Pass. Dom.
g 36. Syntag. c. 22.
h in Psychomach. in cõpar. auar. & miserat.

A

Incidit in nostrum, flammante cupidine, telum:
Infamem mercatur agrum de sanguine amici
Numinis, oblisô luiturus iugera collo.

Versus 19.] Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem: ita vt appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, Ager sanguinis.

a Salmeron Tom. 1. Prolego. 15.

ITA *vt appellaretur ager ille lingua eorum.*] Syra seu Syrochaldaica, qua tunc lingua Iudæi loquebantur, & qua opinantur nonnulli [a] Matthæũ scripsisse Euangelium, & Paulum epistolã ad Hebræos, vt nempe ab omnibus intelligerentur. Existimo verba hæc non esse Petri, vt credidit Hugo Cardinalis, & meminit Glossa ordinaria, sed, vt ea Glossa propendet, aut Lucæ, aut Interpretis.

B

Galilæi suos habuerunt proprios sonos.
b in Matt. 26.
c c. 12. 6.
d Matt. 26. 73.
e vers. 11.

Nam etsi Galilæi, & cuiusuis in Palæstina prouincia homines, vt notat Hieronymus [b], quod etiam alibi contingit, habeant suos saltem in proferendo proprios & vernaculos sonos, vt colligitur præterea ex libro Iudicũ [c], & ex eo quòd loquela Petrum manifestauit esse Galilæum [d], & in capite sequenti huius libri [e] ipsimet Iudæi dicunt se audiuisse *Apostolos loquentes lingua sua*, hoc est, Iudæa, seu Syrochaldaica, nimirum ita, vt non discerneres esse Galilæos, tamen non potuit differentia esse tanta, vt ab ipsomet Petro exprimenda fuerit, multò minùs nominis interpretatio.

C

f c. 27. 8.
g libr. 10. de Demõst. c. 4.
h Iansenius Concord. c. 140. Maldonat. Matt. 27.

Hacel-dama.] Idẽ nomen est apud Matthæum [f], vbi tamen Græcè non legitur, nec Syriacè, sed sola periphrasis, *ager sanguinis*, neque à Chrysostomo ibidem, aut ab Eusebio [g] Cæsariensi exponente dictum locum. Itaque suspicantur quidam [h] ex præsenti loco Actorum transtulisse aliquem id nomen in Matthæum.

Hoc est Ager sanguinis.] Hæc interpretatio, vt dixi, potest esse aut Lucæ, qui Græcè scripsit, aut Latini Interpretis; vt sępissimè in aliis locis vtriusque Testamenti.

Quomodo agro ... sit nomen impositum, ager sanguinis.

D

Diuino consilio factũ obseruant in Matthæum Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, vt quam cum pecunia impietatem suam obruere, & quasi sepelire voluerant, eâdem pecunia illã sempiterno monimento in omnem posteritatis memoriam transtulerint, toties renouandam, quoties agri nomen audiretur. *Nec minùs nescientes quid facerent, vel dicerent, nomen eiusmodi imposuerunt, quàm Caiphas* [i] *prophetans*, inquit hoc loco Chrysostomus, adde quàm Pilatus [k] titulum scribens. Sed existimat Chrysostomus, consentitque Oecumenius, causam imponendi nominis fuisse Iudam, qui impietatis suæ cognomen in agro ipso tulerit ab hostibus: simul eo nomine indicatum sanguinis supplicium, quod Iudæos ipsos manebat.

i Ioan. 11. 51.
k Ioan. 19. 22.

E

l hom. 16. circa finem.
m li. 1. de Genesi ad lit. c. 4.
n in c. 13. Genes.
o Esa. 62. initio ferè.
p Gen. 2. 17.
q Gen. 17. 5.
r Esa. 8. 3.
s Mar. 3. 17.
t Iosu. 7. 25. 26.
u Num. 13. 25.

Inter alias causas, propter quas nomina imponuntur, vna est euẽtus aliquis, vt annotauit Chrysostomus [l] in Genesim, Augustinus [m], Eucherius [n], & Hieronymus [o], vt patet in ligno scientiæ [p] boni, & mali, in Abraham ex Abram [q]; in nominibus CHRISTI [r], *Velociter accelera spolia detrahere, Festina prædari*: in nomine *Boanerges* [s], quod filiis Zebedæi tributum est: in valle Achor [t]: in Neheleschol [u], & aliis.

Versus 20.] Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea. Et Episcopatum eius accipiat alter.

A

David Auctor libri Psalmorum asseritur.

SCRIPTVM *est enim in libro Psalmorum.*] Cùm nullam priùs certam Dauidis sententiam Petrus Dauidem ipsum citans protulerit, videri potest id nunc exequi, ac proinde Auctorem Psalmorum Dauidem facere: afferuntur enim testimonia ex Psalmo 68. & 108. sicut nominatim etiã tanquàm Dauid in hoc eodem libro [u] ex Psal. 15. ex 131. [x] ex 109. [y] qui à CHRISTO quoque, vt Dauidis, citatus est in Euangelio [z] ex 2. [a] & in epistola ad Romanos [b] ex 31. & iterum ex 68. [c] in epistola ad Hebræos [d] ex 94. Omitto verò illa testimonia Psalmorum, in quibus non exprimitur nomen Dauid. Quocirca vincere debet plurium sententia, vt Theodoretus loquitur, & Ecclesiæ vsus, vt Cassiodorus, Dauidem omnium Psalmorum auctorem esse, quam etiam ante CHRISTI ætatem omnium sententiam fuisse testatur Iacobus de Valentia. Legendi præter istos suis in Psalmos præfationibus, Chrysostomus, Euthymius, Beda, & Glossa, Augustinus [e] quoque in libris de Ciuitate DEI: & Chrysostomus [f] alibi, quorum tamen sententiæ contradicit Hilarius, Hieronymus, Ambrosius, Lyranus, Eugubinus, recentiores quidam alij, & multi Rabbini, qui volunt auctores item habendos illos, quorum Psalmi in titulis nomina gerunt.

u c. 2. 25. 31.
x c. 2. 30.
y c. 2. 34.
z Matt. 22. 43. Marc. 12. 37. Luc. 20. 42.
a c. 4. 25.
b c. 4. 6.
c c. 11. 9.
d c. 4. 7.

B

e lib. 17. de ciuit. c. 14.
f ho. 1. in Ps. 50.

Contraria sententia refellitur.

Hæc ratio vel hinc refellitur, quia septuagesimus primus inscribitur Salomoni, cùm tamen in eius fine habeatur: *Completæ sunt orationes filij Isai.* E contrario in primo Paralipomenon [g] citantur 95. & 104. tanquàm Dauid, qui titulo carent: denique *nullus dicere valet*, inquit Chrysostomus, *vbi Dominus, vel Apostolus aliquis citans aliquem Psalmum, meminerit alterius quàm Dauidis, qui etiam Psalmistæ nomen obtinuit*: neque de iis Psalmis, qui habent titulum Mosis, aut Salomonis, &c. mentio vnquàm alibi fit, vt ait Euthymius, vbi alia eorundem scripta commemorantur.

C

g c. 16. 8. 23.

Tituli Psalmorũ non arguunt eos Dauidis nõ esse.

Neque mouere debent tituli: qui positi sunt vel propter mysteriũ, auctore Remigio: vel quia huiusmodi nominibus cõgrui quidã sensus indicantur, vt idem ait, necnõ Cassiodorus, & Beda [h]: vel quia hi, quorum nomina sunt in titulis, similẽ materiam tractarũt ei, quæ est in illis Psalmis, vt Moses, Zacharias, &c. vel quia curam habuerunt cantandi, aut pulsandi eos Psalmos, vt colligitur ex 2. Paralipomenon [i], & notauerũt Chrysostomus, Euthymius, Cassiodorus, Iacobus de Valentia.

h in Ps. 49.

D

i c. 7. 6.

Si quis etiã dicat, multos quidem Psalmos Dauidem ipsum composuisse; aliorũ verò argumentum nonnullis dictasse, vt ipsi componerent, non repugnabo. Hieronymus verò, cuius, in Scripturis præsertim, iudicium magni fieri debet, ex aliorum, vt sæpe solet, hoc est, Hebræorum sententia, locutus videtur: siquidem non rarò alibi Psalmos Dauidis citat, qui tamen præferunt aliorum titulum. Negare non possum, illud quoque tam crebrò tradi ab eodem [k], vt nesciam an à dicta sententia eximi possit: pro nostra verò, hoc est, communi, consule etiam Origenem in Psalmos, Augustinum, qui in proœmio Psalmorum dissentire videtur, in Psalmum nonum, & in lib. 17. de Ciuitate DEI [l], Theophylactum in Ioannem [m]. Lege Driedonem [n], & Salmeronem [o].

E

k ep. 134. 139. & Prolog. in Malachiam.
l li. 1. c. 14.
m c. 10.
n lib. 1. c. 1. de catalo. Script.
o Tom. 1. in Prolego. 18. can. 25.

Liber Psalmorum vnus est, nõ plures.

In libro Psalmorum.] Hilarius [p] cùm meminisset opinionis, quæ Psalmos diuidit in plures libros, Hieronymus [q] etiam ex his verbis, quæ noster quoque Lucas posuit in Euangelio [r], inferunt contrariam de vno tantùm libro, quæ est itẽ longè communior, quàm Hebræorum, teste Hiero-

p Prolog. in Psal.
q epist. 14. ad Marcellã ep. 134. & 139.
r c. 20. 42.

nymo,

nymo, necnon Ambrosij [a]. Qui sunt in alia sententia, vt videtur esse Epiphanius [b], & Ambrosius alio loco [c] ex Patribus, & inter recentiores Genebrardus [d], nituntur ista coniectura, teste Hieronymo [e], quòd quinquies in finibus Psalmorum ponitur à Septuaginta γένοιτο, γένοιτο, *Fiat, fiat*, seu, quod Hebraicè est, אמן אמן *Amen, amen*. Benè occurrit ille, quia interdum, aut in exordio expressit CHRISTVS, *Amen*, & Paulus in medio sententiæ; & Moses, Ieremias, & alij in mediis voluminibus, quæ non proinde multiplicantur. Adiicit pro confirmatione suæ sententiæ, ne numerus vigintiduorum librorũ Hebraicorum mysterium continens mutetur: & quoniam titulus ipse Hebraicus, ספר תהלים *Sepher Thehillim*, quod interpretatur, volumen hymnorum, Apostolicæ auctoritati congruens, non plures libros, sed vnum volumen ostendit.

a lib. 6. de Sacram. c. vlt. & præf. in Psal. 36.
b in epitome.
c in Ps. 40.
d in Psal. 1.
e ep. 134.

Non dissimulabo quod reperi apud Augustinum [f], qui sententiæ & rationis iam dictæ mẽtione facta, & contra hanc obiiciens, *quod qui dicitur quintus liber, non ita terminetur*, dicens quoque, *se scriptura canonica auctoritatem sequentem, vbi legitur* (hoc nimirum loco) *scriptum est enim in libro Psalmorum*, vnum librum Psalmorum nosse, subdit: *Et video quidem quomodo & hoc verum sit, & illud si verum est, huic vero non reluctemur. Fieri enim potest, vt aliqua consuetudine literarum Hebraïcarum vnus liber dicatur, qui constat ex pluribus: sicut ex Ecclesiis pluribus vna constat Ecclesia, & ex pluribus cælis vnum cælum, &c. & vna terra, ex multis terris, &c. Et qui ait: Scriptum est in libro Psalmorum, quanquam mos loquendi sic se habeat, vt vnum insinuare librum esse voluisse videatur, tamen responderi potest (in libro Psalmorum) esse dictum, in aliquo libro eorum quinque. Quod in vsu locutionis vsque adeò vel non est, vel raro est, vt etiam duodecim Prophetarum vnum librum esse adeò persuadeatur, quia similiter legitur* [g], *Sicut scriptum est in libro Prophetarum.*

Augustinus plures libros Psalmorum videtur agnoscere.
f Præfat. in Psal. 150.
Vnus liber dicitur apud Hebræos, qui constat ex pluribus.
g Act. 7. 42.

Et post aliqua, ait præterea intelligi posse de libro Psalmorum, quod est in trigesimonono, *In capite* [h] *libri scriptum est de me, hoc est, in principio Psalmi primi, etsi intelligant de Genesi, ita vt omnes Scriptura Canonica sint vnus liber.*

h vers. 9.
Omnes Scriptura Canonica sunt vnus liber.

Hæc omnia ex Augustino, qui præterea opinionis de quinque libris Psalmorum meminit in Psalmum CV. Possum idem confirmare, ex eo, quòd nonnunquàm citatur in numero singulari liber Mosis [i], quem constat esse Pentateuchum, hoc est, ex libris quinque compositum: eademque ratio est de libro [k] legis aut [l] fœderis, aut legis [m] Mosis, aut legis [n] D[illegible], aut Domini [o], aut libro Domini [p].

Augustini sententiam auctor confirmat.
i 1. Esdr. 6. 18. Dan. 9. 11.
k 4. Reg. 14. 6.
l 4. Reg. 23. 2.
m 2. Paral. 25. 4.
n 2. Esd. 8. 8.
o 2. Paral. 17. 9. & alibi.
p Esa. 34. 16.

Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea.] Sumitur hæc sententia ex Psalmo 68. [q] habetque inscriptionem Dauid, licèt noster Interpres ponat habitationem pro commoratione, quod parum refert, & citatur idem Psalmus ab Apostolo in epistola ad Romanos [r], de omnium Iudæorum quasi quadam solitudine, ac vastitate, & exilio extra Iudæam, & præsertim ciuitatem Ierosolymitanam: ad quæ CHRISTVS allusisse videtur apud Matthæũ dicens [s]: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, hoc est, *vel vrbs*, vt ait ibi Beda; *vel templum*, vt Hieronymus, Theophylactus, Euthymius; *vel synagoga*, vt Ambrosius in Psalmum nonagesimumquintum.

q vers. 26. vel 31.
Locus Psalmi 68. exponitur.
r c. 11. 10.
s c. 23. 38.

At verò in hoc loco Petrus citatum Psalmũ de Iuda exponit, vel de agro empto pretio proditionis. *Quid enim desertius esse possit*, inquit Chrysostomus, *sepulcro?* Itaque meritò debuit hoc nomine vocari ager: etenim qui pretium numerauit, etiãsi fuerant alij qui emerant, tamen is meritò pro domino habebatur magnæ desolationis, quæ etiam prooemium fuit Iudaicæ, cùm & ipsi Iudæi seipsos occiderint fame, multósque peremerint, & ciuitas versa sit in sepulcrum hospitum, ac militum, quippe cùm hi non permitterent illos sepeliri, vtpote sepultura indignos.

Commoratio deserta quænã sit.
Iudaica desolatio maxima.

Hanc expositionem confirmat Græcus textus, & Syra interpretatio, quæ legunt in numero singulari, *Fiat commoratio eius deserta*. Notat verò Leo [t] à Castro, data opera aliquando lectionem variam relictam esse ad plura mysteria significanda, idque accidisse circa præsentem locum. Augustinus [u] certè legit in numero singulari, & pro *commoratione, villam*. Fauet etiam illa narratio, quam retuli suprà [x], si vera est, eodem in agro illo sepultum Iudam, sed ob intolerabilem fœtorem, à nemine nec incoli nec pertransiri absque narium obstructione potuisse. Attamen interpretatur Glossa cum Beda de gehenna, in quam Iudas abiens, humanæ conuersationis habitationem deseruit, vel Apostolatus locum, qui donec pro Iuda Mathias assumptus est, desertus fuit. Lyranus pœnam Iudæorum intelligit, eo modo quem dixi per sequentia autem verba, ipsius Iudæ exclusi ab Apostolatu. Eligat Lector quem maluerit sensum, aut vtrunque coniungat: etsi Petrus [y] præfatus oportere impleri Scripturam, quam prædixit SPIRITVS sanctus per os Dauid de Iuda, de solo Iuda, aut propter solum Iudam, hoc testimonio vsus videtur.

t in Apol. lib. 5. p. 177.
u 1. de Actis cum Fel. c. 4.
x vers. 18.
y vers. 16.

Et Episcopatum eius accipiat alter.] Verba sunt Psalmi centesimioctaui [z], quæ nescio quis imperitus hîc simul citata reperiens, cum præcedentibus ex Psalmo sexagesimooctauo posuit, simul etiam cum illis eodem contextu in sui Psalterij Psalmo centesimooctauo, vt contigit in Psalmo XIII. cui additæ sunt aliquot sententiæ Esaiæ, & aliorum Auctorum, quas Paulus [a] Psalmum citans subiunxerat: vt Hieronymus [b] notauit.

z vers. 8.
In Psalmis quomodo aliena irrepserint.
a Rom. 3. 10.
b in Ps. 13. & in prooemi. ad c. 16. Esaiæ, & in c. 1. Matth.

Porrò Psalmum CVIII. passim de Iuda proditore Patres [c], Petrum, opinor, imitati, intelligunt; & quot argenteis CHRISTVM vendidit, tot in eo Psalmo maledictiones contineri nonnulli volunt: etsi id Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, Hieronymus dicant esse difficile, nisi per Iudam alij quoque Iudæi intelligantur. Rupertus maledictiones singulas distinctè numerat: nempe, vt super omnia animalia serpens [d], Diaboli instrumentum in decipiendis primis parentibus, maximè maledictus est à DEO; ita hunc, quo idem Diabolus ad omnium occidendum parentem instrumento vsus, plurimis, & grauissimis maledictionibus onerari, præsertim cùm noluerit (vti eo Psalmo dicitur) benedictionem, conueniens fuit, vt maledictio ei eueniret.

Psalmus 108. passim de Iuda intelligitur.
c in Psal. 108. vel in Euang. vel in sermo. de Passione Christi. vt Leo in [illegible]
d Gen. 3. 1. & seq.

Episcopatum.] Hebraicè, פקדה *pocedah*, quæ vox significat administrationem, inspectionem, præfecturam, & quasi visitandi, & inspiciendi officium. Septuaginta verò pro illa vsurpauerunt τὴν ἐπισκοπὴν, quæ significat inspectionem, quoniam etiam inter profanos non tantùm profanum habet vsum pro iis, quos Athenienses mittebant, vt ait Suidas [e], ad cognoscendum in vrbibus rerum statum, & corrigendum, qui quoque vsus colligitur ex Cicerone [f], & ex Iureconsultis [g], idémq; de Indis tradidit Arrianus [h], verùm etiam sacrum, pro sacrarum virginum custode, vt testatur Plutarchus [i], qui id item nomen tribuit [k]

Episcopus apud profanos quid significet.
e verb. Episcopus.
f lib. 7. ep. ad Att.
g l. munerũ. § Irenarchæ. ff. de muner. & honorib.
h lib. 8.
i in Numa.
k q. 11. ex Romanis.

A Termino Deo, tanquàm ἐπισκόπῳ, καὶ φύλακι φιλίας καὶ εἰρήνης, Episcopo atque custodi amicitiæ, & pacis: Numámque Virginum sacrarum Episcopum vocat. Lege Cœlium [a] Rhodiginum, & Auctorem Thesauri linguæ Græcæ. Multò vsitatius est in sacris literis, ac in nouo Testaméto, & Scriptoribus quibuscumque, qui de rebus Christianorum aliquid produnt, pro munere sacro vocabulum Episcopi, aut Episcopatus, & ita frequens, vt non vspiàm in alia significatione reperiatur. Nam Esdras [b] meminit Episcopi Leuitarum: Hebraicè, פקיד *pecid*, & in lib. 2. Par. [c] ופקיד כהן *vphcid chohen*, is, quem primus sacerdos constituerat, iuxta nostram editionem, dicitur, quem etiam 70. προστάτην τοῦ μεγάλου ἱερέως, id est, *præfectum magni* B *sacerdotis*, quasi quem inspectorem ad hos summus sacerdos delegerat. De Scriptoribus verò noui Testamenti res compertissima est. Solùm dubitari potest, An soli Hierarchæ Presbyteris superiores, & qui Apostolis succedere dicuntur à Hieronymo [d], & in Iure Canonico [e], singulique tantùm in vna diœcesi præesse possunt, Episcopi dicendi sint, an verò etiam Presbyteri Episcoporum nomine comprehendantur? Difficultatem facit, quòd in isto libro capite xx. [f] Paulus quos Epheso Miletum conuocauerat maiores natu, id est, Presbyteros, vocat Episcopos: quòd ad Philippenses [g] scribens cum Timotheo, dicit *se scribere omnibus Sanctis, qui ibi erant cum Episcopis* C *& Diaconibus*, quasi in Episcopis Presbyteros includat: quòd in prima ad Timotheum [h] postquàm præcepta quædam Episcopis dederat, trâsit ad Diaconos, Presbyteris omissis, quasi pro iisdem habens Presbyteros & Episcopos: quòd imperat Tito [i], *vt constituat per ciuitates Presbyteros, sicut disposuerat illi, oportere enim Episcopum irreprehensibilem esse*. Ad hæc magis expedita, atque etiam secura responsio est, aliis prætermissis, quas recitat noster Bellarminus [k], vt fateamur Apostolorum tempore nomina Episcopi, & Presbyteri communia fuisse omnibus sacerdotibus, tam maioribus, quos nunc Episcopos dicimus, quàm minoribus, quos Presbyteros appellamus: quo item D modo concedere possumus, nomine Diaconorum omnes inferiores ministros esse comprehensos. Id de nomine Episcopi concedit Chrysostomus [l], Theodoretus [m], Ambrosius [n], Hieronymus [o], & alij. Eadem ratio est de nomine seniorum in epistola prima Petri [p], & in 2. [q] ac 3. [r] Ioannis: immò & de nomine sacerdotis, quo Patres Latini sæpe vtuntur pro Episcopo.

Quicquid autem sit de nominibus, certum est distinctam semper fuisse, & maiorem Episcopatus dignitatem, ac potestatem, siue ordo etiam diuersus dicendus sit, siue non. Etsi enim aliquando consederint in Concilio cum Episcopis Presbyteri, & communi cum iis consilio Ecclesiam gu- E bernauerint; non tamen sine subordinatione: ac tandem ad vitanda schismata, remoti sunt ab eo consessu, desiitque nomen Episcopi iis tribui. Sed hæc accuratè citatus Bellarminus [s], Baronius [t] in Annalibus, Stapletonus [u] in Acta tractarunt. Et de nomine Episcopi Gabriel Cardinalis Paleottus [x], docens profanis quoque testimoniis munus per id significari, quod in inspiciendo, obseruando, inuigilando versatur: ac præter allata exempla, meminit à Plutarcho vocari θεοὺς χρηστῶν ἐπισκόπους καὶ πονηρῶν ἔργων: nonnullos à Sophocle τοὺς ταφῆς ἐπισκόπους, inspectores, ne quis defunctum inhumaret: à Cicerone nauem exploratoriam, phaselum episcopiû: à Plutarcho, aliisque rei pecuariæ, & totius rei familiaris Episcopos. Idem prætereà [y] obseruat in iure ciuili Episcopos, qui pani præessent, ac venalibus rebus aliis: ab eodem M. Tullio illum, ad quem in tota regione summa negotij deferatur.

a lib. 18. c. 3.
In nouo Testamento quid significet.
b 2. li. c. 11. 22.
c c. 34. 12.
An Episcopi in nouo Testamento presbyteros comprehendant.
d ep. 54. & 85.
e dist. 2. c. in nouo Testa. dist. 68. c. fin. dist. 93. c. dominus. & 12. q. 1. c. vrbes.
f vers. 17.
g cap. 1. 1.
h c 3. … 8.
i c. 1. 5. 7.
Apostolorum tempore vox Episcopi presbyteros continebat.
k li. 1. de cleri. c. 14. & 15.
l in epist. ad Philip.
m in 1. ad Timot. 3.
n in c. 4. epi. ad Ephes.
o in epist. ad Euagrium.
p c. 5. 1.
q vers. 1.
r vers. 1.
Episcopi dignitas maior quam presbyteri.
s lib. 1. de cleri. c 14 & 15.
t Tom. 2.
u c. 20. v. 28.
x in Archiepiscopali Bononiensi p. 1 c. 17.

Verùm, vt ad institutum redeamus, Episcopatus hoc loco pro Apostolatu ponitur, & Apostolis Episcopi successerunt, vt præter allata testimonia, docent quoque Anacletus [z] Papa, & Beda [a], quod multò probabilius est, quàm vel Apostolos Christo similes fuisse, Presbyteros Apostolis, Diaconos septuaginta duobus Discipulis, vt dixit [b] Ignatius, vel, vt hic idem [c], & Clemens [d] Romanus, Episcopos Dei Patris personam gerere, Presbyteros Christi, Diaconos Apostolorum.

Accipiat alter.] Aut cõparatione Iudæ, aut aliorum multorum de Discipulis, aut duorum, quibus sortes datæ sunt, inquit Glossa interlinearis, & Hugo. Sed primus sensus planior, & melior.

Mos est diuinæ prouidentiæ, vt cùm aliquis cadit, alter pro eo erigatur; vt in locum Angelorum qui ceciderunt, substituti sunt homines; in locum Iudæorum Gentiles; in locum Hæreticorum, & Schismaticorum nostri temporis, Nationes, quæ in India, in insula Iaponia, in nouo orbe veniunt ad Ecclesiam. Nam, [e] *Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ*, inquit Ioannes Baptista; & C Apostolus Ioannes in Apocalypsi [f]: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*. Vbi Rupertus in loci expositionem affert exemplum Iudæ; ibique prætereà consule Bedam, Haymonem, & Glossam; & Iob [g]: *Conteret*, inquit, *multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*, quem locum egregiè tractat Hieronymus, atque Gregorius [h].

Et cùm B. Franciscus mole regiminis premi se quiritaretur, turbaretúrque malis suorum exemplis, *anxio spiritu*, inquit Bonauentura [i], *misericordem Patrem precaretur pro filiis; responsum huiusmodi reportauit à Domino inter alia, Aliis recedentibus alios subrogabo, ita vt si nati non fuerint, faciam illos nasci.* Cùm ex quadraginta Martyrû numero vnus de- D fecisset, illicò alius subrogatus est [k]. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti*, inquit Sapiens [l]? *Itaque qui* [m] *se existimat stare, videat ne cadat*; & [n], *Noli altum sapere, sed time, ne & tu excidaris. Si ipse Iudas Apostolatum perdidit, custodiant se sacerdotes*, inquit Hieronymus [o], *& Episcopi, vt non & ipsi suum sacerdotium perdant*: si Apostolus cecidit, faciliùs Monachus potest cadere. *Iudæ vnius execranda prolapsio*, inquit Basilius [p] instituens Anachoretam, *nempe à melioris vitæ rudimentis ad exitum sortis deterrimæ satis superque esse debuerat ad communiendos, tuendósque Dei famulos in via instituta rectitudinis*. Facit verò ad periculum casus valdè, & impœnitentiæ, *quoniam Iudas*, vt ait Ephrem [q], E *cum Domino versans peccauit, & spreto Deo iustum tradidit.*

Versus 21.] Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus.

Oportet *ergo ex his viris, &c.*] Plures enim ex Discipulis Christi nô fuerant ab initio cum ipso, etsi conscij rerum ab eo gestarum: sic videlicet cùm primùm Christum Andreas [r] adiit, alter qui cum ipso erat, non legitur Christi Discipulus fuisse: vt hoc loco Chrysostomus obseruat.

y cap. 1.
Episcopatus pro Apostolatu hic sumitur.
z epist. 2.
a in c. 15. Lucæ.
b epistol. ad Smyrnen.
c ep. ad Trallianos. ac ep. ad Magnesia.
d 2. Const. c. 30.
Cum aliquis cadit, alius in eius locum substituitur.
e Mat. 3 9.
f c. 3. 11.
g c. 34. 24.
h 25. Moral. c. 9. & 10.
Exemplum B. Francisci, quo monstratur quomodo religio sit renouanda.
i in vita. c. 8.
k Basi. in ora de xl. Mar.
l Sap. 12. 12.
m 1. Cor. 10. 12.
n Roman. 11. 20.
o in Ps. 108.
p ep. ad Chilonem.
q Tom. 3. Ser. de confess. & reprehen. sui ipsius. longè post mediû.
r Ioan. 1. 40.

Congre

Congregati.] Id est, conuersati, τῶν συνελθόντων ἡμῖν, *qui conuenerunt nobiscum*, nimirum cùm sequeremur CHRISTVM. Syrus: *Qui fuerunt nobiscum per totum tempus*, &c.

Exire & intrare, & exitus ac introitus, quid significet in Scriptura.

In omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus IESVS.] Exire, & intrare, & introitus ac exitus, ingredi, & egredi, ingressus & egressus, phrasi Scripturæ significant totam seriem negotiorum, & vitæ vsum atque conuersationem, & vniuersa status, aut vocationis cuiusque munera. Exempla sunt in libro Numerorum [a], Deuteronomij [b], Regum [c], Psalmorum [d]. In primo loco ad Iosue dicitur hac phrasi de Phinees; *quòd ad verbum eius quisque præstabit officium suum*, sicut de pastore sequente oues, ait CHRISTVS [e]: *Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet*; id est, semper, & in omni negotio. In secundo dicit Moses, quòd non poterat vltrà muneri suo satisfacere. In tertio, quòd Dauid fungebatur officio suo coram populo. In quarto Salomon de seipso dicit, quòd erat muneris regij ignarus; pro quo orans Dominum in libro Paralipomenon [f]: *Da mihi*, inquit, *sapientiam, & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo.* In quinto, petit Dauid crediti ministerij secundùm DEVM successum, quem etiam DEVS in Deuteronomio [g] pollicetur his verbis: *Benedictus eris ingrediens, & egrediens*, siue in rebus externis, siue in domesticis, siue foris, siue domi, siue in bello, siue in pace, siue in principio negotiorum, siue in fine, siue pedem domo efferendo ad negotia, & manum admouendo, siue domum redeundo re confecta, & ad finem optatum perducta. E contrario minitatur DEVS legis præuaricatori [h]: *Maledictus eris ingrediens, & egrediens.*

a c. 27. 21.
b 31. 2.
c libr. 1. c. 18. 16. & libr. 3. c. 3. 7.
d Ps. 120. 8.
e Ioan. 10. 9.
f in 2. c. 1. 10.
g c. 28. 6.
h Deu. 28. 19.

Mos est Scripturæ vt cùm extrema ponit, media intelligat.

Est verò notandus alius Scripturæ mos, vt cùm extrema ponit, media etiam intelligat. Verbi gratia, in Psalm. CXXXVIII. [i] *Tu cognouisti sessionem meam, & Resurrectionem meam*, id est, siue sedeam, siue stem, siue quiduis aliud agam. In cap. 3. Iob [k]: *Paruus, & magnus ibi sunt, & seruus liber à domino suo*, id est, cuiusuis status homines.

i vers. 2.
k vers. 19.

Ingressus & introitus Christi quis.

Quod ad CHRISTVM verò attinet, intrauit, & exiuit, *in ingressu locorum, & exitu semper existens*, inquit Glossa interlinearis; quippe multis in locis prædicando *non habens vbi caput suum reclinaret* [l]. Vel, *intrauit*, incipiens à baptismo Ioannis; *exiuit*, in die qua assumptus est.

l Luc. 9. 58.

Versus 22.] Incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem, qua assumptus est à nobis, testem Resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.

INCIPIENS *à baptismate Ioannis.*] Nam quæ priùs facta fuerant, nemo, inquit Chrysostomus, nouerat edoctus, sed SPIRITV sancto reuelante, aut etiam B. Virgine manifestante, vt dixi in Præfatione. Videtur ergo Chrysostomus omnem de infantia SALVATORIS quæ circumfertur, historiam apocrypham, ac dubiæ fidei existimasse: quam ei quoque censuram Gelasius expressè tradit [m]. Hinc infert Pererius [n] noster nuptias in Cana Galilææ non esse factas, quod quidam senserunt, vno anno post baptismum CHRISTI, quoniam ait nunc Petrum cum aliis condiscipulis CHRISTO adhæsisse iam inde à baptismo Ioannis. Possent tamen assertores contrariæ opinionis, vt idem aduertit, respondere, quem dicit Petrus baptismum Ioannis, non fuisse baptismum, quem Ioannes CHRISTO adhuc contulisset, cùm nemo Discipulorum statim ac baptizatus est CHRISTVS, cum CHRISTO fuisse reperiatur: immò Petrus & Andreas longè post etiam prima vice ad CHRISTVM accessisse narrêtur [o]. Iuxta istam sententiam, quam alteri nec præfero, nec postpono, per baptismum Ioannis intelligendum esset totum tempus, quo baptizauit, nempe quoad coniectus est in vincula, quod tempus vno anno ampliùs fuisse constat.

m de infantia Saluatoris apocryphus. S. R. Ecc. 2. dist. 15.
n in Dan.

Baptismus Ioannis quomodo sit intelligendus.

o Ioan. 1. 40. 41.

Testem Resurrectionis.] Iã dixi [p], voluisse CHRISTVM inculcari potissimùm Resurrectionem, & hanc veluti Apostoli esse definitionem, vt sit testis Resurrectionis CHRISTI, & consequenter generalis omnium. *Non ait*, inquit Chrysostomus, *cæterorum testem, sed tantùm testem Resurrectionis: siquidem illi magis erat habenda fides, qui poterat dicere; qui edebat, qui bibebat, qui crucifixus est, idem ille resurrexit.* Itaque non oportebat esse testem neque priorum temporum, neque prodigiorum, quæ pòst gesta sunt. Nam quod quærebatur, id erat Resurrectio; siquidem alia erant manifesta. Attigit eandem rationem vtraque Glossa Lyrani, & interlinearis: *& quia*, inquit hæc, *de Resurrectione dixerat* CHRISTVS [q], *& eritis mihi testes.* Sed & Hilarius [r] docet Resurrectionis testimonium proprium esse Apostolorum.

p vers. 8.
Apostolus testis Resurrectionis.
q vers. 8.
r can. 16. in Matthæum.

Vnum ex istis.] Pronomen demonstratiuum denotat monstratos, & notatos à Petro manu, vel oculis aliquos certos: neque enim in tanta multitudine omnes poterant esse idonei testes, quales Petrus describebat, qui videlicet versati essent, & coràm spectassent cursum omnem prædicationis, & operum CHRISTI. Nam de fœminis, quæ ibi fortè erant, certum est, & iam quoque diximus [s], non esse ab eo designatas, & nomen virorum hoc eodem versu, Græcè ἀνδρῶν, idem significat, vt notauit Glossa interlin.

Petrus aliquos ex ea multitudine eligendos designauit.
s vers. 15.

Porrò hactenus conditiones Petrus eligendi proposuit, sicut posteà cùm de Diaconis agitur [t], omnes Apostoli. Et quidem vt talis sit vir, sexu, ætate, prudentia: vt ex istis, id est, fidelibus: vt item ex istis, hoc est, velut ex eadem patria vel diœcesi, præferendus enim ceteris paribus: vt ex iis qui erant cum ipsis congregati, videlicet per charitatem: vt qui cum ipsis versatus esset omni tempore, ne neophytus, ac tyro eligeretur. Hoc vltimum Nicolaus [u] Papa I. hinc videtur colligere. Nec obesse pauca & miraculosa debent exempla Ambrosij, Nectarij, &c. qui ex neophytis creati sunt Episcopi.

Conditiones eius qui in electione eligendus est.
t c. 6. 3.
u ep. 11.

Versus 23.] Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus: & Mathiam.

ET *statuerunt duos.*] *Non Petrus statuit*, inquit Chrysostomus, *sed omnes: sententiam verò ipse protulit de eligendo alio tanquàm de supernis profectam, iuxta Prophetiam recitator, non præceptor.* Lyranus notat electione, non sorte esse designatos duos magis notabiles in scientia, & factorum CHRISTI experientia.

Duo designati communi sententia.

Augustinus [x] legit in numero singulari, *statuit*, non periculoso sanè errore, vt Patrum aristarchus Beza censuit: habebat enim Petrus, & gerebat in hoc negotio excellentiorem auctoritatem, vt antè cum eodem Chrysostomo, & Oecumenio docuimus [y]: ita vt quod alij auctore Petro,

x li. 1. de Actis cum Fel. c. 4.
Petrus etiam designasse videtur.
y vers. 15.

eligendo, ac designando (quod hic statuere dicitur)fecerunt,ipse fecisse,atque statuisse cēseri possit,sicut in bello dux,quod ab exercitu gestum est.

Cur Petrus non elegerit sicut poterat Apostolū loco Iudæ.

Præterquàm quòd *ita voluit Petrus*, vt ait Chrysostomus, *simul eos qui eligebantur, reddere reuerendos, simul seipsum liberare ab inuidia, simultatéque, quæ poterat à ceteris oboriri, & gignere solet ingentia mala.*

Cur duo fuerunt designati.

Duos.] Non multos, ne maior fieret animorum perturbatio,né ve res in multos distraheretur: *non vnum, ne præferretur quisquam alteri, cùm frequenter qui apud homines in pretio est, sit apud* DEVM *inferior*, inquit Chrysostomus. *Exemplis æqualibus duos pares esse cognouerunt*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo, *quos ceteris præferendos esse non dubitauerunt: alterum verò præferre alteri, non hominum erat, sed* DEI. *Nemo debet sibi assumere honorem, sed vocari à* DEO *tanquàm Aaron* [a], & CHRISTVS ipse, quos enim vocat DEVS, facit idoneos ministros [b]. *Pro quo rogaris*, monet Bernardus [c] Eugenium, *sit suspectus, qui ipse rogat pro se, iam iudicatus est, nec interest, per se, an per alium quis roget, &c.* Tandem concludit: *Itaque non volentes, neque currentes assumito: sed cunctantes, sed renuentes: etiam coge illos, & compelle intrare.* Persimilis Gregorij [d] sententia, Cypriani [e] quoque, Leonis [f], Ephrem [g], Chrysostomi [h], aliorum.

a Heb. 5. 4.
b 2. Cor. 3. 6.
c de consid. lib. 4. c. 5.
d lib. 7. ep. in 110.
e li. 4. ep. 2.
f ep. 84.
g to. 1. ser. de sacerd.
h 4. de sacer.
i in Retract. in Acta.

Joseph, qui vocabatur Bar-sabas, qui cognominatus est Iustus; & Mathiam.] Vterque ex LXXII. Discipulis, vt placet Clementi Alexandrino apud Bedam [i]. Laus verò prioris ponitur, si vim faciamus in cognomine Iusti à Iustitia, vt intelligamus eum, qui humano iudicio præfertur, esse inferiorem apud DEVM: aut non propria ipsius culpa esse exclusum, aut si cognatus CHRISTI fuit, nil datum esse consanguinitati; etsi ceteris paribus id liceat, & habuit CHRISTVS in suo collegio alios consanguineos, qui etiam fratres dicti sunt; de quibus egimus. Mathiæ laus illa sufficit, quòd ceciderit sors super eum, alio tam bono, & iusto relicto. Hæc ferè ex Glossa.

Qui humano iudicio præfertur, infertur apud Deū. Cognati ceteris paribus sunt præferendi.

Ioseph Iacobi frater alius ab eo est, de quo hic agitur.

Joseph.] Qui CHRISTI cognatus erat, & Iacobi frater, non Ioseph, sed Ioses, Græcè dicitur [k], Ἰωσῆς, Syriacè, *Iausi*, seu, *Iosi*. Quocirca non est hic idem cum Barnaba, qui vocatur Ioseph hoc eodem libro [l] (etiam Syriacè, quamuis Græcè Ἰωσῆς) cuius tamen opinionis meminit Glossa interlinearis, & Lyranus, qui eam quoque optimè refellit in capite quarto, quia cognomina diuersa sunt, & qui dicitur Barnabas, Cyprius erat, & Leuites, hoc est, de tribu Leui: ille alius patre Alphæo, patria Galilæus, nec de tribu Leui.

k Matth. 27. 56. cap. 13. 55. Mar. 6. 3. c. 15. 40.
l c. 4. 36.

Non potui reperire, nec in Scriptura, nec apud alium Auctorem nomen Ioses, vel eius notionem. Et vt suspicari quis posset, Græcè facilè positum Ἰωσῆς pro Ἰωσὴφ, tamen Syriacè longè alia est ratio scribendi hæc nomina, & codices omnes perpetuò retinent eam distinctionem.

Ioseph Barsabas non est idem cum Barnaba.

Bar-sabas.] Syriacè, *Bar-schabbo*, quasi dicas, *Filius schabbo*; vt, *Bar-Iona, filius Jonæ*. Et sic de alijs. Qui confundunt cum Barnaba, nominum similitudine decepti videntur, atque in etymologia, quam dicunt esse vtriusque eandem, vt significet *filium consolationis* vel, *quietis*; *quod*, inquit Glossa interlinearis, *iuxta illam sententiam, per anticipationem nunc de hoc Ioseph dicitur, quia nominis causa in sequenti monstratur*, nempe in capite quarto [m], vbi dicuntur Apostoli nomen Barnabæ imposuisse. Alij tamen Barsabam interpretantur *Filium conuersionis*: Hieronymus [n], & alij, *Filium reuertentem*, vel, *quietis*, vel, *iuramenti*: Barnabam *filium Prophetæ*, aut, *venientis*, aut, *consolationis*. In capite XV. [o] mentio est cum Barnaba de Iuda, qui etiam cognominatus est Barsabas. Vnde colligi forsan posset, illum fratrem esse huius Iose, seu Ioseph, quod posterius nomen si huic fuit viro, Barsabæ cognomen distinctionis gratia est additum, sicut accidit in nomine Simonis, & Iacobi, & Iudæ.

m vers. 36.
n de nom. Hebr.
o vers. 22.

Iustus.] Dixi de hoc nomine superiùs *, quod cùm etiam Iacobo minori tributum sit, potuit & hæc ansa esse illis, qui istum Iacobi fratrem, & CHRISTI cognatum esse crediderunt.

* vers. 13.

Iusti nomē non bene interpretatur qui illud Hebræum putant.

Certè non possum, quin iterum indicem displicere mihi etymologiam Iusti tanquàm nominis Hebræi, quam Hieronymus libro de Nominibus Hebraicis, & Beda hoc loco, aliique assignant, vt sit idem quod *Parcens*, siue, *ipse alleuatus*. Glossa interlin. à Romanis ita vocatum dicit hunc Ioseph ob eximiam virtutem. Et quidem constat, Hebræos Græcósque sub Imperio Romano Romanas alias voces retinuisse, vt denarius, census, custodia, sicarius, semicinctia, sudaria, & plures, de quibus alibi meminimus. Adde, in vetere Testamento si non cognomine, saltem epitheto plures Simones dici Iustos, vt filium Oniæ, & filium Hillel, qui & CHRISTVM suscepit in vlnas [p]. Si credendum est Dorotheo [q], Episcopus fuit Eleutheropolis in Palæstina.

p Luc. 2. 28.
q in Synops.

Ioseph Barsabas martyrio fuit coronatus.

In Romano Martyrologio die vigesimo Iulij, sub nomine tamen Ioseph, *multam memoratur pro fide* CHRISTI *à Iudæis persecutionem sustinuisse, ac venenum sine læsione bibisse: atque in Iudæa victorioso fine quieuisse.* Hæc ex Papia sumpta sunt apud Eusebium [r]. Dionysius [s] disputans de pace, & tranquillitate diuina, citat sanctum Iustum, dicentem; *esse silentium, & ad omnem progressionem, quæ cognoscitur, vacuitatem motus.* Illum Interpretes Dionysij hunc ipsum affirmant, qui vocatur Ioseph & Barsabas.

r 3. Hist. c. 33.
s c. 11. de Diui. nom.

Mathiam.] Syrus scribit nomen absque geminatione & sine puncto daghes in ת thau מתיא *Mathija*; editio tamen alia inserit in ipso ת thau punctum daghes. Glossa interlinearis exponit significationem nominis, *Donatus*, vel, *Donum Dei*, *quasi omen in nomine fuerit*, vt ait Beda, *ab Apostolatu, qui ei collatus est*: additque aliam, DEI *paruum*, vtpote qui transcenderit merito parui illum, qui laude hominum erat iustus. Ludit eodem modo Arator [t], cuius Beda hemistichium tacito nomine ponit. Sed nos propter venustatem & moralem sententiam integros versus reponimus.

Mathiæ nominis etymologia.

t li. 1. in Acta.

Constituère duos Joseph cognomine Iustum,
Mathiámque DEI *paruum: quod nomen, vt aiunt,*
Hebræo sermone sonat, humilémque vocando
Comprobat. O quantùm distant humana supernis
Iudicijs, parui merito transcenditur ille
Laude hominum qui Iustus erat. —

Hieronymus etymon Mathiæ nullum dat, sed Mathiam ait Donatum significare. Fortasse respexit Ecclesia ad significationem, quæ ab Aratore allata est, & præterea ab Augustino in Sermone de S. Mathia, quem alij tribuunt Bedæ, cùm in festo Mathiæ id ex Euangelio [u] recitari voluit: *Confiteor tibi* PATER, *Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Qui duodecim illa fundamenta mysticæ, & gloriosæ Ierusalem, hoc est, duodecim lapides pretiosos [x] singulis Apostolis ac-

Cur in festo D. Mathiæ Euangelium. Confiteor tibi Pater, recitetur.
u Matt. 11. 25. Luc. 10. 21.
x Apoc. 21. 20. vbi noster Ribera post Ioachim Abbatem.

com

commodant, Amethystum Mathiæ assignant, quòd hic propter humilitatem, quam in nomine ipso parui gerebat, non potuerit superbia inebriari. Certè Clemens [a] Alexandrinus ait, quòd se præbuit dignum, vt fieret Apostolus, nósque quodammodò id assequi posse, vt adscribamur inter Apostolos. In Clementis Recognitionibus [b] est, Barnabam, qui & Mathias vocatus sit, in Iudæ proditoris locum subrogatum esse. Non fuit vnus idémque; & Barnabas longè pòst cum Saulo segregatus est [c]: nec vllum præterea scio, qui Mathiæ alterum nomen assignet, vt Barnabas etiam vocaretur.

a 6. Strom.
b lib. 1.
c Act. 13. 2.

A

Versus 24.] **Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus vnum.**

B

ET *orantes dixerunt*.] Verisimile est priùs quoque orasse, quàm duos illos eligerent, ac statuerent; & id indicat Arator [d]:

—tunc summa precantes
Constituêre duos.—

d lib. 1. in Act.

Crediderim etiam vnum nomine ceterorum (is fortasse Petrus fuit) orationem pronunciasse, aut certè Lucas recitat orationis sententiam, quam singuli apud se vno consensu taciti orauerunt. Eadem ratio videtur esse de ea oratione, quæ recitatur capite quarto [e], de qua ibi agemus.

Oratio ab vno omnium nomine facta.
e vers. 24. & seq.

Eget oratione electio, præsertim Pastorum, & Prælatorum, quam CHRISTVS ipse ad exemplum nostrum Apostolos electurus præmisit per totam noctem [f], &, si Ambrosio [g] credimus, *cum Apostolis orauit, quod aliàs semper solus fecisse legitur, quasi tanta res, tam communis, communem, & vnanimem postulet orationem.* Idem obseruatum videtur in electione septem Diaconorum [h], & in segregatione Pauli & Barnabæ [i]. *Post orationem elegit* CHRISTVS *Discipulos*, inquit Theophylactus [k], *vt doceat etiam nos quando quempiam in spirituale ministerium sumus electuri, cum precibus hoc faciamus, vt doctis à* DEO, *& ab illo petentibus reuelet, quis idoneus sit.* Cùm primùm Ecclesia vacauerit, decernit concilium Tridentinum [l], vt supplicationes ac preces publicè, priuatimque habeantur, atque à capitulo per ciuitatem & diœcesim indicantur, quibus Clerus populúsque bonum à DEO Pastorem valeat impetrare.

Electio Pastorũ oratione eget.
f Luc. 6. 12. 13.
g in hunc ipsum locum Euang. Lucæ.
h Act. 6. 6.
i Act. 13. 2.
k Luc. 6. 1.
l Seff. 24. ca. 1. de refor.

C

D

Qui corda nosti omnium.] Multis locis Scriptura hanc, tanquàm propriam DEO cognitionem [m] tribuit, ita vt significare videatur, naturali lumine arcanas cogitationes nostras, & voluntates cognosci non posse, ne ab Angelo quidem. Disputat hoc de Angelo S. Thomas [n] definiens, has prout sunt in intellectu & voluntate; per se DEVM dûtaxat posse cognoscere, quoniam voluntas rationalis creaturæ soli DEO subiacet, & ipse solus in eam operari potest, qui est principale eius obiectum, & vltimus finis, aut certè, iuxta Apostolum [o], *Quæ sunt hominis* (idem verò est de Angelo) *nemo nouit, nisi spiritus hominis qui in ipso est*, ita vt nisi velit manifestare, non possit alius cognoscere. Certè quidem, estò concederemus nil repugnare, quin cognitio talis naturaliter haberi possit, re ipsa tamen non haberi, DEO eam singulari sua prouidentia impediente, dubitari non potest, cùm tam clarè hoc Scriptura tradat, præsertim in 2. Paralipomenon [p]: *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum*; & in Ieremia [q]: *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego*

Deo cordium cognitio propria est.
m 1. Reg. 16. 7. 1. Para. 28. 9. 2. Paral. 6. 30. Psal. 7. 10. Psa. 43. 22. Iob. 16. 20. Ier. 11. 20. c. 17. 10. Rom. 8. 27. Apoc. 2. 23. 3. Reg. 8. 39. Psa. 43. 22. Iob. 16. 13. He. 4. 12. 1. Cor. 14. 24. & 25. Ecc. 7. 5. Ioa. 21. 17.
n 1. p. q. 57. ar. 4.
o 1. Cor. 2. 11.
Angelis cogitationes nostræ non sunt cognitæ.
p cap. 6. 30.
q cap. 17. 10.

E

Dominus scrutans corda, & probans renes. Sed & Patres (vt Scholasticos scholæ relinquam) id perspicuè sentiunt, Origenes [r], Athanasius [s], Chrysostomus [t], Cyrillus [u] Alexandrinus, Damascenus [x], Ambrosius [y], Hieronymus [z], Augustinus [a] (seu Auctor de Ecclesiasticis dogmatibus) Beda [b]. Immò verò tum hi Patres, tum etiam Scripturæ magis indicant esse etiam impossibilem naturæ viribus dictam cognitionem. Nam Patres CHRISTI deitatem ex ea cognitione probari affirmant, & Apostoli ipsi, cum CHRISTO colloquentes apud Ioannem [c], sic ratiocinari videntur, & esse id idoneum argumentum satis colligitur ex verbis Apostoli ad Corinthios [d]: *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit* DEVM, *pronuncians quòd verè* DEVS *in vobis sit.*

Patres tradunt hanc cognitionem Deo esse propriam.
r lib. 1. in Iob. circa med.
s q. 27. ad An.
t homil. 21. & 30. in matth.
u lib. 2. in Ioa. ca. 19. & 17. & lib. 3. c. 3.
x 2. de Fid. c. 3.
Christus ex cordium cognitione Deus probatur.
y Luc. 5. in id, *Quorum fidem vt vidit.* & 1. Cor. 2. in id, *Spiritus omnia scrutatur.* & orat. de obit. Theodosij.
z epist. 40. de duob. fil. & ex Mat. 9. *Quidā de Scribis dixerunt intra se.*
a c. 81. & trac. 32. in Ioa. ante med.
b 2. in Luc. c. 17.
c ca. 16. 29. 30.
d 1. epist. c. 14. 24. 25.
e cap. 10. 13.

Neque credibile est, si Angeli naturaliter hoc possunt, perpetuò impediri à DEO non tantùm malos, sed etiam bonos, quos tamen bonos ignorare id constat ex quadam inter ipsos altercatione apud Danielem [e]. Tametsi verò ratio, quam ex B. Thoma retulimus, omnium quæ afferri possunt, optima est: at non est eiusmodi, quæ nos, qui Angelici vim intellectus non penitus assequimur, planè conuincat. E contrario, quamuis negandum non sit, contineri hoc obiectum intra limites ordinis naturalis, negamus tamen esse obiectum naturale intellectus Angelici, sicut & quæ appellantur futura contingentia libera. Itaque auctoritate, præsertim hac in re, nitimur Scripturę, & Patrum: rationem autem si non ex principiis rei, at ex effectu petitam sufficientem habemus. Atque hæc quidem pro instituto sufficiant, plura in scholis nostris ad S. Thomam, vbi alij Interpretes, præcipuè Gabriel Vasques [f], & Theologi scholastici in secundum Sententiarum [g].

f disp. 209. & 210.
g dist. 7. 8. & 9. & Scot. in 4. d. 10.

Corda.] Græcè est nomen compositum καρδιογνῶστα, in vocandi casu, quasi dicas, cordicognitor. Nomen cordis sumitur in Scriptura pro voluntate [h]; pro mente [i]; pro interioribus omnibus corporis [k]. Vltima significatio non est ad rem: facile autem est & has reperire apud alios Auctores, qui inde formant illa nomina cordati, væcordis, excordis; & corculum vocatus est Nasica, propter sapientiam [l], & Iudas, qui & Thaddæus, nominatus est Lebbæus, vt dictũ est [m], quod nomen significat corculum.

Cor in Scriptura quid significet.
h 1. Reg. 13. 14. Act. 13. 22. & alibi.
i 3. Reg. 3. 9. Ier. 5. 21.
k Psal. 21. 15. Psa. 36. 15.
l Cic. Tusc. 1.
m vers. 14.

Nomine cordium hoc loco per Metonymiam, quæ in ipsis latent, intelliguntur cogitationes intellectus, & voluntatis affectiones. Rectè verò in limine orationis, ac primo loco profitentur Apostoli DEVM cognitorem cordium: meminerant enim iamiam commemoratum Iudæ casum, Petri quoque negationem, omnium in Magistri passione fugam. Vnde & Petrus imbecillitatis suæ memor interrogāti tertiùm CHRISTO sene diligeret, atque contristatus, quasi bis annuisset, quod re ipsa non erat, vel non futurum erat, vel quasi suspectum eum CHRISTVS haberet, dixit [n]: *Tu omnia nosti, tu scis quia amo te*: hoc est, ignorare non potes verum esse quod dico; quid ergo quasi mihi non credens, me tam sæpe interrogas?

Cur Apostoli Deum cordium cognitorem hic agnoscunt.
n Ioan. 21. 17.

Ostende, quem elegeris ex his duobus vnum.] Fecimus, quod nostrum erat, seligentes duos, idque tuo ipsius instinctu, vltima tibi è duobus debetur electio, vel id potiùs expectamus, vt quem iam destinaris, nobis prodas, & manifestes. Existimat

Cur Apostoli à Deo indicium postularunt.

A Chrysostomus, alterum ægrè laturũ fuisse, si præteriretur; ideóque numen implorandum Apostolos censuisse ad præcidendam omnem occasionem, & sortibus rem dirimi debuisse. Non illud ausim de duobus adeò sanctis viris suspicari.

Signum à Deo petere aliquãdo licet.

Licuisse aliquando petere, ac expectare à DEO signum citra periculum eius peccati, quod appellatur tentatio DEI, certũ est, feceruntque id rursum Apostoli in capite quarto [a], & docet Augustinus multis locis [b], Cassianus [c] quoque in collationibus, & patet prætereà exemplo Abram [d], Eliezer [e], Gedeon [f], Eliæ [g]: item confirmatur præcepto DEI, quo etiam præscripsit poculum zelotypiæ [h], deniq; variis historiis Ecclesiasticis apud Augustinũ [i], Gregorium Papã [k], & Turonensem [l]. B Verùm hac de re fusiùs egi declarans Euangelium de ieiunio & tentatione CHRISTI: legíque possunt Abulensis [m], & Pererius [n], & B. Thomas [o], & Interpretes in citatos Scripturæ locos, necnon in Lucam [p], cùm Ioannis pater de petito signo reprehenditur, & vbi eadem reprehensio est aliorum [q] Iudæorum, ac nominatim regis Herodis [r].

De purgatione vulgari.

Illi prætereà qui disserunt de purgatione vulgari, præsertim Canonistæ [s], cùm de duello, siue monomachia, ferro candente, aqua feruẽte, aut gelida, & aliis eiusmodi, quibus admiscentur exorcismi nõnunquàm, atque maleficia: item Iurisconsulti in Codice [t], denique Delrius [u] noster, quem post has elucubrationes legi: necnon Feuardentius [x]; C qui meminerunt adhuc de prouocatione diuini iudicij, de probatione per sumptionem Eucharistiæ, per iuramentum, per pondera, lancem, crucem, &c.

a vers. 30. b 16. de ciu. c. 19 li. de opere Monach. c. 27. 22. cont. Faustum. c. 35. & 10. Confessio. cap. 35. & tra. 2. in epist. Ioan. q. 5. in Genes. c Coll. 15. c. 2. & 3. d Gen. 15. 8. e Gen. 24. 14. & seq. f Iud. 6. 17. & seq. g 3. Reg. 18. 36. h Num. 5. 17. i epist. 137. k hom. 2. in Euang. l de glor. martyr. c. 39. & 53. m Matt. 4. q. 43. & in Num. c. 5. q. 24. n Gen. 15. v. 8. & ca. 24 dis. 5. o 2. 2. q. 97. ar. 2. p c. 1. 18. 19. 20. q Mat. 12. 39. ca. 16. 4. Luc. 11. 29. Ioan. 4. 48. 1. Cor. 1. 22. r Luc. 23. 8. s tit de purg. vulg. & 2. q. 5. ca. monomachiam. c. consuluisti. c. Mẽnã. & tit. ne clerici, &c. c. sententiam. t lib. 11. de gladiator. l. vnic. u 4. Dis. Mag. c. 4. q. 3. 4. 5. 6. x in Esth. c. 11. y vers. 17. z 1. de Act. cũ Felic. c. 4.

Versus 25.] Accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum.

ACCIPERE *locum.*] Κλῆρον, *sortem*, sicut Interpres verterat superiùs [y]. Et tamen ita etiam legit Augustinus [z]. Oecumenius, quod antè quoque notauimus, allusum dicit ad Leuitas, qui sorte eligebantur.

Apostolatus est ministerium.

D *Et Apostolatus.*] Iungitur cum diaconia, siue ministerio, tanquàm species quædam. Augustinus verò pro Apostolatu ponit annunciationem, Latinam vocem pro Græca. Ministerium significatur, quod est in Apostolatu siue missione ad Euangelium toto prædicandum orbe. Sic est διακονία generale nomen, vt videbimus etiam c. 6. [a]

a vers. 20.

Præuaricari quid sit.

De quo præuaricatus est Iudas.] Ἐξ ἧς παρέβη. Syrus, *à quo decessit*, Augustinus, *excessit*, id est, per præuaricationem excidit. Forense verbum est præuaricari, significans proditionem causæ per collusionem: conuenit in Iudam, qui veluti prodita causa sua, siue CHRISTI, aduersariorum causam iuuit. E Multa præuaricatus est Iudas, propria possedit, furatus est, prodidit Dominum, vendidit gratiæ fontem, desperauit, laqueo suffocauit seipsum. Gagneius putat præpositionem *de* esse pro *in*.

Vt abiret in locum suum.] Sibi destinatum, & conuenientem; *in laqueum*, inquit Oecumenius, *quo se dignum reddidit*, vel etiam in infernum, qui dicitur *paratus* [b] *Diabolo, & Angelis, ac sequacibus eius.* Bernardus [c] intelligens de laqueo, *Pulchrè omninò*, inquit, *Petrus Apostolus filium perditionis in locum suum abiisse testatus est, quod in aëre crepuerit medius, aëriarum collega potestatum, vtpote quem veri* DEI *& veri pariter hominis, qui de cælo venisset operaturus salutem in medio terræ, huius inquam proditorem, nec cælum reciperet, nec terra sustineret.*

b Mat. 25. 41. c Ser. 8. in Psa. 90.

Vt, quãdo causam & quando euentũ significat.

A Tunc verò particula, *vt*, sensum habet non causalem, sed consecutiuum, sicut alibi sæpe. Generaliter loquendo in his, quæ DEVS absolutè fieri voluit, aut præuidit, vt necessariò euenirent, denotat dictio, *vt*, causam, in iis, quæ solùm vt futura præuidit; non autem præuidit, aut voluit, vtpote quæ peccatum inuoluunt, indicat euẽtum. Posito quidem peccato prouidere potest DEVS per se pœnam, sed non peccatum ipsum: & Iudas abiit in infernum, quia per se debebatur præuaricationi ipsius: nec tamen ideò præuaricatus est, vt abiret, sed abiit, quia est præuaricatus.

Locus Iudæ quomodo sit infernus.

B Textus Græcus non habet particulam causalem, & ita sine illa locum hunc παρέβη πορευθῆναι, exponit Augustinus, *excessit ambulare*. Caietanus acutè suum dici locum notat, *quia hactenus occupauerat alienum, & ex propriis demeritis damnationis locum suum effecit.* Siquidem regnum ait CHRISTVS [d] *paratum iustis à constitutione mundi, ignem Diabolo*, nempe post peccatum ipsius, vt obseruatum est ab Origene, Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, & aliis in Matthæum [e].

d Matt. 25. 41. e cap. 25.

Mathias Iudæ locum occupauit.

Videtur Oecumenius aliam huius loci expositionem dare: vt alter eorum, quem elegeris, conditionem Apostolatus huius, in quo præuaricatus est Iudas, accipiat, abeatque in locum suum, sibique proprium, vtpote à te ordinatum; vel in lo- C cum ipsius Iudæ, quem immeritus occupabat, ac proinde suum, & non suum. Similis sententia est Ioannis [f] de quibusdam: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Id pridem CHRISTVS prædixerat de Iuda [g]: *Nónne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est?* Vbi Augustinus ait [h], *numerum duodenarium Iudam non comprehendere, sed Mathiam*, qui loco Iudæ sufficiendus erat. Quare apud Ioannem inquit CHRISTVS [i], *Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim*, excludere volens Iudam & ab Apostolatu, in quo quamuis reuerà electus esset, perseueraturus tamen non erat; & à gloria æternæ suæ beatitudinis, ad quam non erat peruenturus.

f 1. ep. 2. 19. g Ioan. 6. 71. h Tract. 27. in Ioan. i Ioann. c. 13. 18.

D *Versus* 26.] Et dederunt sortes eis: & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.

ET *dederunt sortes eis.*] Ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν, *sortes eorum.* Syrus sic habet, וארמיו פסא *Varemiu pesi*, id est, *Coniecerunt igitur sortes.* Pronomen αὐτῶν referri potest, vel ad dantes, vel ad eos, pro quibus dabantur. Nostra editio magis innuit posteriorem, cui etiam fauet quoddam quasi exemplum istius sortitionis in Leuitico [k], vbi agitur de duobus hircis, quorum vnus offerebatur Domi- E no, alter in solitudinem emittebatur, prout vnicuique sors obtigerat, his verbis: *Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonij, mittensque super vtrumque sortem, vnam Domino, & alteram capro emissario: cuius exierit sors Domino, offeret illum pro peccato: cuius autem in caprum emissarium, statuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces super eum, & emittat eum in solitudinem.* Vterque caper est Mathias & Barsabas, quorum postremus quasi Domino immolatur, cùm ad eius electionem non peruenerit: primus autem foras emittitur, cùm ad Apostolatum perueniens, ad solitudinem gẽtium destinatur. Primus Domino immolatur, quia cùm gradu Apostolatus careat,

k c. 16. 10.

exors

exors tanti ministerij quasi mortuus deputatur: postremus viuus relinquitur, quia cum Apostolis de CHRISTI Resurrectione testimonium dare iubetur.

Sortes quid fuerint.

Indicatur hinc fuisse duas sortes, hoc est, chartulas, aut alias quasi tesseras in vrnam, vel quid simile coniectas, quæ in electionibus extrahi solent; aut quibusuis deliberationibus, siue sint fabæ veteribus vsitatissimæ, albæ, & nigræ, siue literæ alphabeti, siue globuli, aut calculi ἀγρῶδες, vel πεφημμένοι: siue aurati, vel argentei apud Venetos: siue lanei apud Genuenses: dimissi in distinctas vrnæ eiusdem ceu fistulas: siue tesseræ, siue schedæ, siue lapilli: siue tabellæ: siue laminæ tenues: siue testaceæ, aut testulæ: quos varios modos recenset ex antiquis monumentis Petrus Gregorius in titulum de electione [a].

Sortes vbi coniiciebantur.

Meminit Cicero [b] sortium coniectarum in hydriam: Plautus [c] in situlam: Homerus [d] in galeam: putant aliqui κλῆρον dici, quasi κάλυρον, ἀπὸ τῶν ξύλων, id est, à lignis, quorum esset olim ad sortes vsus, inciso in iis symbolo, seu tessera: itémque Virgilius [e], hic etiam in vrnam [f], iis quoque vsos legimus Gentiles illos, quibuscum Ionas nauigans eiectus est in mare [g]: regem etiam Babylonis apud Ezechielem [h]: milites super vestem CHRISTI [i]: Aman hostem Hebræorũ [k]: de Ægyptiis constat, quos quisque coleret agros, viritim inter se sortibus diuisisse: Tacitus [l] scribit, quòd Romani Magistratus, legationes, ac præfecturas sortiebantur, ne ambitioni, aut inimicitiis locus foret. Lege Sigonium [m] ex Asconio.

Græci quomodo sortibus vtebantur.

Græci quoque colonias sortibus deducebant, vnde coloni dicebantur κληροῦχοι: & iudices in Areopago variis in vrnam coniectis literis sortiebantur, vt est apud Sigonium in Republica Atheniensium [n], ex Luciano, Demosthene, & Schol. Aristophanis. Legẽ Syracusis fuisse testis est Tullius [o], quæ Iouis sacerdotem in annos singulos capi sortitò iuberet; tametsi Dion [p] Halicarnass. contrariam legem recitat cauentem sorte, aut pretio deligi sacerdotem. De Dionysio Syracusano Plutarchus in Apophthegmatibus testis est, augurium cepisse monarchiæ ex litera M, quæ ipsi obtigerat. Verùm de Gentilibus plura Iunius Hornanus lib. Animaduersionum [q]. Apud Lacedæmonios athletæ sorte educebantur ad pugnandum, teste Luciano [r]: apud Romanos de loco, & ordine agminis duces sorte definiebantur, vt ait Liuius [f]. De sortitionibus athletarum Petrum [t] Fabrum consule, deque aliis ad cognoscenda crimina, pœnas infligendas, danda munera, &c. Legi Petrus Victorius [u] quoque potest; & Tiraquellus [x]. Phanum à Zelotis electum sorte vilissimum rusticum in Pontificem prodit Iosephus [y].

Sortium vsus peranti quus.

Quod attinet ad Hebræos, tradunt sacræ literæ hircum immolandum sorte electum, vt dictum est [z]: Aaron [a] aliis prælatum: deprehensos Achã [b] & Ionathan [*]: Saul [c] creatum regem: terram Promissionis inter Hebræos partitam [d]: obita sacerdotalia munera [e]: denique hoc loco subrogatum pro Iuda Mathiam. Produnt Hebræi, teste Iosepho [f] Stephano, suæ gentis consuetudinem fuisse, nil inchoare negotij grauioris, nisi sortitò caperet ex Bibliis consilium: hoc vsum modo Iosue circa rei pœnam, Samuelem in eligendo Saül, Apostolos dum Mathiam elegerunt. Similia narrantur in vita S. Huberti, & Danielis Stylitæ apud Surium. Tales vtcumque quas vocant sortes Virgilianas, quibus vsum Traianum prodit Spartianus, Lam-

a cap. 3. & in Synt. iuris. li. 34. c. 5.
b Act. 4. in Verrem.
c in Casina.
d Iliad. 8.
e Æneid. 5.
f Æneid. 6.
g Ionæ 1. 7.
h cap. 21. 19.
i Matth. 27. 35. Marc. 15. 24. Luc. 23. 34. Ioan. 19. 24.
k Esther 3. 7.
l lib. 10.
m lib. 2. de Iudic. cap. 12.
n lib. 3.
o Act. 4. in Verrem.
p 2. hist. Rom.
q lib. 2. cap. 5.
r in Hermot.
f lib. 2. 3. Dec. non multò post princ.
t lib. 1. Agonistic. cap. 24. & 25.
u 25. var. lect. cap. 15.
x de iure primig. q. 17. prima op. &c.
y 2. de bello Iud. c. 18.
z Leui. 16. 8. 9.
a Num. 17. 2. & seq.
b Iosu. 7. 16. & seq.
* 1. Reg. 14. 42.
c 1. Reg. 10. 20. & seq.
d Num. 26. 55. c. 34. 2. Deut. 1. 38. cap. 31. 7. Iosu. 1. 6. Psal. 77. 55.
e 1. Para. 24. 5. 7. & ca. 25. 8. 9. cap. 26. 13. 14. Luc. 1. 9.
f in 1. Mach. c. 3. vers. 48.

A pridius Alexandrũ Seuerũ. Tales prętereà Prænestinæ sortes, de quibus Cicero [g], atq; Suetonius [h], vel iactus fortuitus, de quo Lipsius [i]. Talis βελομαντία καὶ ῥαβδομαντία, sortitio per sagittas aut virgas, quibus quidpiam certi inscribebatur. Meminit de his Hieronymus [k], & Plautus [l].

Hanc Mathiæ per sortes electionem, videntur vt rem ex veteris Testamenti vsu factam, ac proinde minùs perfectam, nec post SPIRITVS sancti in Apostolos descensum deinceps vsurpatam, vt cùm electi sunt Diaconi, minimèque in sacrorum præsertim hominum electione vsurpandam vel imitandam, docere Hieronymus in Ionam [m],

B Chrysostomus, & Beda hoc loco, S. Thomas in Summa [n], Abulensis super Iosue [o], Augustinus, & Laurentius Iustinianus Sermone de S. Mathia. Et certum etiam est, vt sorte quis eligeretur in summum Pontificem, nunquàm priùs esse tentatum, quàm paulò ante Ierosolymorum excidium, vt Iosephus scripsit [p].

Non ausim tamen non valdè probare, quod approbatum video diuinitùs, & ab Apostolis institutum ob reuerentiam Apostolatus, maxima concordia, fusis ritè precibus, antegressa ex pluribus duorum designatione: & ab iis quidem Apostolis, quibus iam si non effusus, certè infusus, & communicatus fuerat SPIRITVS sanctus; sensus quoque apertus ad intelligendas Scripturas,

C tributa potestas remittendi peccata; quósque prætereà ignoraturos in re tali probabile non est, si quod peccatum, si quid minùs etiam perfectum inesset. Neque verò quicquid vetus lex vsurpauit, continuò aberrat à perfectione, minúsve rectè fit in noua.

Improbentur sanè sortes diuisoriæ, consultoriæ, diuinatoriæ, cùm quis actus humanos, vt ait S. Thomas [q], putat sortiri effectum suum secundùm dispositionem stellarum, aut Dæmonum ingestionem: hæc enim est superstitio; cùm quis euentum ex fortuna expectat: quod est vitium vanitatis: cùm etiamsi expectet à DEO, tamen abest necessitas, & est tentatio DEI: cùm non adhibe-

D tur reuerentia, cùm diuina oracula conuertuntur ad terrena negotia, tandem cùm quis sine delectu & peculiari DEI instinctu in electionibus Ecclesiasticis sorte vtitur.

Attamen sortium vniuersè vsus reprehendi non potest: vt Augustinus [r] tradit, Gregorius [f], & Origenes [t].

Et Augustinus exempla ponit, *Si inter DEI ministros sit disceptatio, quis eorum persecutionis tempore maneat, ne fuga fiat omnium, & qui eorum fugiant, ne morte eorum deseratur Ecclesia: si cui abũdaret aliquid, quod oporteret dari eis qui non haberent, nec duobus dari posset, neuter verò alium vel negligentia, vel vrgente necessitate superaret.* Gregorius affert in exemplum

E hanc Mathiæ electionem. Nec Theologi modò cum Canonistis [u], & Summistis [x], sed etiam Iurisconsulti [y] id concedunt pro dubiis dirimendis, quæ incidunt circa res eiusdem priuilegij, fauoris, legati, &c. Illicitæ verò sortes citatis in margine vetantur locis, necnon à Concilio Veneto [z], & ab Aurelianensi primo [a]; sic illud sortilegij genus, quod honesto vocabulo dicebatur, *sortes Sactorum*, & à Gelasio Papa [b] reiicitur liber, cui titulus, *Sortes Apostolorum.* Alioquin vsus aliquis honestus sortium permittitur à Sapiente, cùm scribit [c]: *Sortes mittuntur in sinu (vt nunc in vas) & a Domino temperantur.* Vtilitatẽ prætereà proponit [d]: *Contradictiones cõprimit sors, & inter potẽtes quoque diiudicat.*

g 2. de Diuin.
h in Tyb. cap. 61.
i 2. elect. c. 11.
k in c. 21. Eze. & in c. 4. Ose.
l in Casina.
Electio Mathiæ per sortes vnde sumpta.
m cap. 1.
n 2. 2. q. 95. ar. 8. & op. 25. de sortib.
o cap. 7. q. 41.
p li. 4. de bel. Iud. cap. 5.
Non est improbãda electio per sortes ab Apostolis facta.
Quæ sortes reprobentur.
q suprà citato in loco.
Sortibus quando vtendum.
r epist. 115. ca. 20. & ep. 180. in Psa. 30. concione 2. 1. de Doct. Christ. cap. 28.
f in cap. 14. 1. Reg.
t homil. 23. in Iosue.
u 26. q. 2. ca. 1. 2. 3. 4. q. 5. c. 7. 8. qu. 10. tit. de sor. tit. de ele. vbi Petrus Gregor.
Sortes illicitæ prohibentur.
x verbo, sors.
y ff. lib. 5. tit. 1. lib. 10. tit. 2. l. 5. lib. 33. & 14. & C lib. 6. tit. 44. l. 3. & Inst. libr. 2. tit. 20. 5. optionis.
z cap. 16.
Sapiens sortes comprobat.
a cap. 32.
b d. 15. c. san cta Rom.
c Prou. 16. 33.
d cap. 18. 18.

Scimus

Sancti viri sortibus vsi sunt.

Scimus item nonnullos sanctissimos viros DEI circa se voluntatem sacri codicis veluti fortuita apertione scrutatos esse, & inuenisse: aut ex alicuius sententiæ auditione rectè vel ominatos esse, vel mores instituisse. Huius rei varia exempla leges apud Athanasium [a], Sulpitium [b], Gregorium [c] Turonensem, Bonauenturam [d], Nicephorum [e] Gregoram, Albertum Crantzium [f], Auctorem [g] vitæ S. Ludouici: & de seipsis narrant Basilius [h], & Augustinus [i]. Verè omninò dixit ille, conuersa oratione ad DEVM [k]: *In manibus tuis sortes meæ*, siue, vt Heb. legitur, עתותי *hitthothai*, id est, *tempora mea*, hoc est, quæcumque mihi contingere possunt, pendent ex tua prouidentia, etiamsi casu quodam fieri videantur, vt id quod sorte alicui contingit. Lege Martinum [l] Delrium in Disquisitionum magicarum libris. Item vide Disputationes physicas de Fortuna, & Feuardentium in librum Esther [m].

a in Anton. b in vita S. Martini. c 2. hist. Fran. c. 37. lib. 4. ca. 16. & 20. d in vita S. Francisci. e lib. 8. f lib. 4. ca. 19. & 29. g apud Suriũ tom. 4. h epi. ad Eust. i 8. Conf. c. 12. k Psa. 30. 16. l lib. 4. c. 4. q. 7. sect. 1. & 4. & ca. 4. q. 1. & 2. vbi de contractu Loteriæ. m in cap. 3. Esther.

Sortiendi Sanctos in Societate mos.

Huc reuocare possumus pium ac laudabile institutum, quod Societas nostra renouauit, sortiendi singulis mensibus tutelarem Sanctum. Vsos Hispanos religiosa ista cæremonia, testis est Ribadeneyra in vita Borgiæ [n], & ab hoc in Societatem inuectum [o].

n lib. 1. cap. 1. o lib. 4. c. 4.

Antiquum iste mos ostenditur.

Meminit huius consuetudinis ante annos plus quàm quadringentos Bernardi æqualis, & ex eodem ordine Cæsarius [p] Heisterbachiensis, & quidem de sortitò extractis Apostolis: & id confirmat aduersùs illos, qui dubitabant, vel etiam id reprehendebant, hac Mathiæ electione, dicens, *existimare se inde manasse dictam consuetudinem: nec præiudicium fieri aliis, si vnus colatur impensiùs.*

p libr. 8. Mira. cap. 56.

Ad idem valet Elizabethæ Lantgrauij vxoris, fœminæ sanctissimæ exemplum [q]: cui pro voto ter consequenter obtigit Ioannes Euangelista extractus ex aliis: nec dubium est, à Sanctis Sanctos aliquos præcipuo amore, & honore cultos esse, vt à Basilio, ac Nysseno fratre Martyres quadraginta, vel Theodorum: Paulum à Chrysostomo: ab Augustino Stephanum: Andream à Gregorio, alios ab aliis.

q Sur. tom. 6.

Electio Mathiæ per sortes nõ præscribit legem Ecclesiasticam.

Porrò vt hunc locum concludamus, electio Mathiæ per sortes non præscribit legem Ecclesiasticis electionibus, quoniam priuilegium atque inspiratio DEI fuit, ne Mathias ceteris inferior censeretur, nisi à CHRISTO ipso eligeretur, & quoniam inter adeò pares sanctitate, & doctrina Barsabam ac Mathiam humano iudicio discerni non poterat, vter præferendus esset, vt præter citatos Hieronymum [r], ac Bedam [s], annotauit quoque Ambrosius [t] in Lucam, & contra Ioannem Vviclef, ac Ioannem Hus contendentes electionem Ecclesiæ Ministrorum fieri à solo DEO, Bellarminus disserens de Clericis [u].

r Ionæ 1. s in hoc cap. t cap. 1. u lib. 1. cap. 5.

Quomodo sors cecidisse dicatur.

Et cecidit sors super Mathiam.] Syrus, *sors ascendit ad Mathiam.* Glossa interlin. contrario sensu exponit, *quod descendit: cadere enim desursum dicitur*, inquit, *quia à DEO temperata est.* Qui sortes interpretati sunt superiùs calculos, schedasque conjectas, aut quid simile, cecidisse sortem intelligunt per extractionem eius notæ, quæ Mathiam designabat. Id videtur significare ascensus Syri interpretis, & confirmari potest ex eo, quod Lucas [x] in Euangelio scribit de Zacharia, *quod sorte exiit vt incensum poneret*, quasi exitus denotet extractionem ex vrna. Tamen verba Græca ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι, non aliud significant, quàm sorte obuenisse, quocumque tandem id modo euenerit; &, *exiit*, impersonaliter positum significat, accidit.

x cap. 1. 9.

Omninò diuinum iudicium intercessit, post humanum, quo duo selecti ac propositi fuerant, vt passim omnes fatentur, nominatim Origenes [y], & Augustinus [z].

y hom. 23. in Iosue. z in Psal. 30. concio. 2.

Sors quomodo à D. Dionysio accipiatur.

At verò Dionysius [a] ita loquitur de ista sorte: *De illa sorte diuina, quæ Mathiæ diuinitus obtigit, alij quidem alia sensère, meo iudicio, non rectè: aperiam autem & ipse quid sentiam. Videtur mihi Scriptura sortem appellasse diuinum quiddam, & præcipui muneris, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, quis esset diuina electione declaratus.* Hactenus ille, qui etiam ait, ob reuerentiam permisisse Apostolos non iudicio suo, sed DEO ipsi electionem.

a Eccl. hier. c. 5. par. 3.

Quomodo sortes Interpretes exposuerint.

Dionysij autem Interpretes Maximus, Pachymerius, & Carthusianus, atque beatus Antoninus [b] in summa Historiali, & noster Turrianus in Notationibus Clementis Romani [c], Dionysium explicant de signo diuino sensibili, quod fuerit vel radius, vt beato Antonino placet, vel aliquid aliud, vt columbæ, ANGELI apparentis, manifestæ reuelationis, vt conijcit Carthusianus. Putat ipse in aliis electionibus id contigisse, & Turrianus in diuisione Terræ promissionis, addítque quòd anteà sortes dedisse Apostoli dicuntur, sensum esse, vt certa quædam signa, quasi definirent, si tale super alterum ceciderit, intellecturos suo illum collegio, DEI voluntate aggregandum. Addit Turrianus hanc aliam probationem, quoniam si sortes ordinariæ fuissent, ordinem Scriptura seruasset, quem rei gestæ natura postulabat: nempe primo loco narrasset, quòd Apostoli statuerunt duos, deinde dederunt eis sortes, posteà orantes dixerunt: *Tu Domine*, &c. demùm statim ab oratione: *& cecidit sors super Mathiam.* Et tamen priùs mentio facta est de oratione, tum de sortibus datis; quasi Lucas voluerit significare nil aliud fuisse sortes, nisi cœleste signum antè assignatum atque prædictum ab Apostolis per SPIRITVM DEI: non secus ac famulus Abraham signum sibi ipsi constituit ad cognoscendam eam, quam delegisset DEVS filio domini sui vxorem [d].

b 3. par. tit. c. 2. c li. 8. Const. c. 5.

d Gen. 24. 12. & seq.

Episcopi signo mirabili ad Ecclesiæ regimen assumpti.

Probabiliter hæc omnia dicuntur; & scio non paucos mirabili aliquo portento ad pastoralem dignitatem vocatos esse, vt Papam Fabianum, Nicolaum Magnum, Ambrosium, Gregorium, Seuerum Rauennatem, aliósque eiusdem vrbis Episcopos, Remigium Remensem, &c. immò & Timotheum, teste Apostolo [e]. Et fauet Apostolicæ dignitati Dionysij sententia, eo modo quem diximus, intellecta. Vnum me, quo minùs libero, vt libenti animo in eam descendam impedit, quòd & sortium nomen aliud præ se ferat: & si indicem voluntatis diuinæ Apostoli postularunt, nec ita propriè dicerentur sortes dedisse, nec opus erat sortibus pluribus sine signis; sed sufficiebat vnum, ad alterum è duobus demonstrandum. Non ignoro sortium voce non rarò quoduis intelligi diuinum oraculum signúmve: nos quoque dici quidpiam sortiri, quod alterius deliberata liberalitate, immeritis, aut incogitantibus nobis conceditur. Alia prætereà ex parte difficile creditu est Lucam, si cœleste signum DEVS immisit, prætermissurum fuisse. Placet mihi Gagneij ingenuitas animi, fatentis nescire se modũ harum aut sortiũ, aut electionis, cùm & sola videantur inscripta nomina in vrnã missa; rogatusq; DEVS, vt eius priùs nomen exiret, quem aptiorem sciret, & suffragiis etiam duntaxat electum Mathiam, quoniam pro eo quod Interpres in sequentibus verbis reddit:

e 1. Tim. 1. 18. & c. 4. 14.

Refellitur Dionysij sententia.

Et annumeratus est cum vndecim Apostolis, Græcè est, συγκατεψηφίσθη, id est, suffragiis, & calculis omnium cooptatus est. Eodem quoque pacto Petrus de Iuda dixerat [a]: *Sortitum fuisse sortem ministerij huius, & Apostolatus.*

a sup. vers. 17.25.

B. Antoninus [b] dicit, communiorem esse opinionem, quòd sortes fuerint communes, quibus frequenter vtimur ad aliquid vel diuidendum, vel cognoscendum. Ambrosius [c] tropologicè obseruat sortem, qua Mathias electus est, significare spiritualem sortem, qua in Euangelio deputamur Domino, iuxta id Pauli ad Ephesios [d]: *In quo etiam & nos sorte vocati sumus*: cùm vetus fuerit terrena sortitio, terræ nimirum promissionis, *In vetere censu*, inquit, *seculi materialis, in hac personalis officij: ibi possessio curarum, hîc diuisio gratiarum. Illic possidemus arua plena laboris atque mæstitiæ, hîc possidemur à* CHRISTO. Augustinus quoque in Sermone alludit ad Græcam vocem, κλῆρος, *inde clericos dictos volens, qui sunt sors quædam ac peculiaris hæreditas* DEI: de qua re superiùs dixi.

b 2 p. hist. tit. 6. c. 2. & 15.
c in exhor. ad Virg. & epist. 17. edit. Rom.
d Ephes. 1. 11.

Et annumeratus est cum vndecim Apostolis.] Iam dixi, quam vim in verbo Græco συγκατεψηφίσθη, ponat Gagneius. Tamen præter primariam illam, maximéque propriam significationem, idem aliquando valet quod decernere, & eligere, quomodocumque id fiat, sicut & verbum χειροτονέω, vt in capite 10. [e] huius libri; *Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à* DEO: μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ ΘΕΟΥ. Nec tamen DEVS suffragiis elegit. Fieri quoque potest, vt post visum diuinum electi Mathię signum, suis etiam Apostoli communibus, apertísque suffragiis electionem approbarint, & gratulabundi Mathiam inter se considere fecerint.

συγκατεψηφίσθη, quid significet.
e vers. 40. & 41.

Esaias videtur prædixisse hanc electionem Mathiæ, cùm ait [f]: *Illuc congregati sunt milui alter ad alterū; requirite diligenter in libro Domini, vnum ex eis nō defuit.* Et iuxta Septuaginta: *Illuc ceruæ occurrerūt, viderunt facies suas ad inuicem, numero venerunt*, quæ verba Cyrillus refert ad Apostolos sæpe conuenientes in Ierusalem ad capienda consilia pro Ecclesiæ gubernatione: qui milui sunt, id est, venatores, & piscatores, agnoscentes tempus veris, id est, aduentus CHRISTI, rapinæ spiritualis auidissimi, & aliis auibus escam impertientes misericorditer: aut ceruæ sunt occidentes serpentes, quæ iis vescuntur superata pernicie veneni; & in collibus ac montibus cœli morantur. Iibis dicitur, *Requirite diligenter in libro Domini*, id est, *oportet impleri Scripturam de Iuda* (vt loquebatur Petrus) *vnum ex eis non defuit*, id est, non deerit de numero Apostolorum. Ita exponit etiam de Apostolis Hieronymus, licèt secundùm sensum mysticum; de Mathiæ verò electione Leo Castro. Athanasius [g] patremfamilias [h] egressum primo mane ad conducendum operarios, DEVM intelligit: vineam, mūdum: operarios, Apostolos: circa vndecimam horam venientes, Mathiam, qui cum reliquis vndecim Apostolis connumeratus est. Hîc tandem notandum, quòd Ioseph ille Barsabas Mathiæ veluti competitor, & cum illo designatus, non ægrè tulit diuino iudicio alterum prælatum, vt de Thebule, quem vocant etiam Thebutem, & Theobutum, Eusebius [i], citans Hegesippum, & de Valentino hæresiarcha prodit Tertullianus [k], Irenæus, & de aliis alij, quos vna hæc causa à fide præcipites egit, & Maiorum memoria, & ætate nostra.

Esaias Mathiæ electionem prædixit.
f cap. 14. 15. 16.
Isaiæ locus exponitur.
g quæst. 51.
h Matth. 20.
Ioseph non ægrè tulit sibi Mathiam fuisse prælatum.
i 4. hist. ca. 21.
k lib. cont. Valent. cap. 4.

Quæ ad hunc Apostolum pertinent, cùm de eo nihil prætereà extet in sacris, petenda sunt ex
A Ecclesiasticis Scriptoribus, hoc est, præter Dionysium iam citatum, ex Clemente Alexandrino [l], Origene [m], Dorotheo [n], Eusebio [o], Nicephoro [p], Hieronymo [q], Isidoro [r], Perionio [s]. Hieronymus, Nicephorus, Dorotheus tradunt prædicasse in vlteriori Æthiopia, Isidorus in Iudæa. Origenes, Eusebius, ac prætereà Gelasius [t], & denuò Hieronymus [u] meminerunt pseudoEuangelij nomine Mathiæ. Clemens Alexandrinus, & Eusebius traditionum eiusdem etiam apocrypharum. Epiphanius [*], & Nicolaus [x] Papa I. tradunt priùs fuisse de septuaginta duobus Discipulis.

l 2. Strom. 6. & 7.
m homil. 1. in Lucam.
n in Synopsi.
o 3. hist. ca. 23.
p 2. hist. c. 40.
q de Scriptor. Eccl.
r de vita, & obitu Sanct. cap. 81.
s in vitis Apost. t in c. S. R. dist. 15.
u Præfat. in Matth.
Mors B. Mathiæ.
* hæres. 20.
x epist. 2. ad Mich. Imper.
y 24. Febr.
Mathias fuit in lege doctissimus.

In Romano Martyrologio [y] martyrium passus dicitur: Vsuardus in suo, in Iudæa lapidatum
B narrat iussu summi sacerdotis, & capite truncatū. Hieronymus vult mortuum esse in Æthiopia.

B. Antoninus ait, *Mathiam fuisse in lege eruditissimum & Dominum quidem, dum viueret nobiscum, rudes ac illiteratos eligere voluisse, ne mundi conuersio tribueretur humanæ industriæ & sapientiæ: tamen ab Apostolis Mathiam doctum eligi, ad insinuandum posteris rectoribus Ecclesiarum, quod periti viri, non idiotæ, sunt ad clerum, & regimen animarum assumendi; sic enim & Paulum doctissimum vocatū de [z] cœlo ad Apostolatum.* Confirmat idem Auctor alio loco [a], quod retuli de morte, ex legenda Treuerensi, in qua tale de ipso elogium sit, *vt in lege* DOMINI *doctissimus nominetur, corpore mundus, animo prudens, in sol-*
C *uendis quæstionibus sacræ Scripturæ acutus, in consilio prouidus, in sermocinatione expeditus: multorum signorum patrator, quiq; extensis in cælum manibus spiritum* DEO *reddiderit: corpus verò Romam primum, deinde Treuiros esse translatum. Sed*, inquit B. Antoninus, *dicitur communiter requiescere in Ecclesia* S. MARIÆ *Maioris sub lapide porphyretico, cuius caput populo demonstratur.*

z Act. 9.
a sup. cap. 15.
Elogia D. Mathiæ.

Clemens [b] Alexand. recitat hoc apophthegma Mathiæ sanè egregium, vndecumque sit petitum: *Si electi vicinus peccauerit, peccauit electus. Nam si se ita gessisset, vt iubet verbum, seu ratio*, inquit Clemens, *eius vitam ita esset reueritus vicinus, vt non peccasset.* Aliud item refert alio loco [c], necnon ex eodem Clemente Eusebius [d]: *Cum carne confligendum est,*
D *eáque ad cohibendam libidinem abutendum, neque quicquam concedendum ad illius voluptatem: anima autem fidei, & cognitionis tanquàm nutrimentis augenda.* Item alibi [e], Mathiæ hanc exhortationem fuisse tradit, *admirari præsentia, eum enim esse primum gradum vlterioris cognitionis.* Hoc sibi vult vulgare illud, Propter admirari natum philosophari.

Mathiæ præclara pronuntiata.
b 7. Strom.
c 3. Strom.
d 3. hist. c. 23.
e 2 Strom.

In Canone Missæ ante consecrationem non ponitur Mathias cum aliis Apostolis, tum vt esset etiam aliquis Apostolus ex duodecim in secundo ordine, vbi dicitur: *Cum tuis Apostolis, & Martyribus*; tum quia non fuit Apostolus ante Passionem
E CHRISTI, neque legitur in ordine Apostolorum in Euangeliis: Pauli verò priuilegium est, vt semper coniungatur cum Petro. Stephanus autem Mathiæ præpositus est, propter ordinem non dignitatis, sed passionis, priùs enim passus est Stephanus; sicut propter eandem causam Ioannem, qui primus ponitur, putant [f] quidam esse Baptistam, martyrem videlicet, & aliquo etiam modo Apostolum.

In Canone Missæ curnam secunda parte fiat de eo mentio.
f Vvalfridus Strabo de Diui. offic. c. 22.

* *
*



CAPVT SECVNDVM.

SVMMARIVM.

Habet hoc caput partes præcipuas tres; Aduentum SPIRITVS *sancti cum effectu ipsius in Apostolis loquentibus vario genere linguarum, & auditoribus stupore propterea attonitis; Petri concionem, qua* CHRISTO *tria millia lucrifecit; Conuersorũ ad* CHRISTVM *vitam religiosam & mores.*

CAPVT II.

1 ET cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco:

2 Et factus est repentè de cœlo sonus, tanquàm aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes.

3 Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquã ignis, seditque supra singulos eorũ.

4 Et repleti sunt omnes SPIRITV sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout SPIRITVS sanctus dabat eloqui illis.

5 Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est.

6 Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes.

7 Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nónne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt?

8 Et quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?

9 Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam,

10 Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani,

11 Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes: audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia DEI.

12 Stupebant autem omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes: Quidnam vult hoc esse?

13 Alij autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.

14 Stans autem Petrus cum vndecim leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi,
A hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea.

15 Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia.

16 Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel:

17 Et erit in nouissimis diebus (dicit Dominus) effundam de SPIRITV meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.

B 18 Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de SPIRITV meo, & prophetabunt.

19 Et dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguiné, & ignem, & vaporem fumi.

20 Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus & manifestus.

21 Et erit: omnis, quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

C 22 Viri Israëlitæ, audite verba hæc: IESVM Nazarenum, virum approbatum à DEO in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit DEVS per illum in medio vestri, sicut & vos scitis:

23 Hunc definito consilio, & præscientia DEI traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis.

24 Quem DEVS suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.

25 Dauid enim dicit in eum: Prouidebam
D Dominum in cõspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear.

26 Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe:

27 Quoniam non derelinques animam meã in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

28 Notas mihi fecisti vias vitæ: & reple- A
bis me iucunditate cum facie tua.
29 Viri fratres, liceat audenter dicere ad
vos de Patriarcha Dauid quoniam defun-
ctus est, & sepultus: & sepulcrum eius est
apud nos vsque in hodiernum diem.
30 Propheta igitur cùm esset, & sciret
quia iureiurãdo iurasset illi DEVS de fru-
ctu lumbi eius sedere super sedem eius:
31 Prouidẽs locutus est de Resurrectione
CHRISTI, quia neque derelictus est in in-
ferno, neq; caro eius vidit corruptionem.
32 Hunc IESVM resuscitauit DEVS, cuius B
omnes nos testes sumus.
33 Dextera igitur DEI exaltatus, & pro-
missione SPIRITVS sancti accepta à PA-
TRE effudit hũc, quẽ vos videtis, & auditis.
34 Non enim Dauid ascendit in cœlum:
dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino
meo, sede à dextris meis,
35 Donec ponam inimicos tuos scabel-
lum pedum tuorum.
36 Certissimè sciat ergo omnis domus
Israël, quia & Dominum eum, & CHRI-
STVM fecit DEVS, hunc IESVM, quem vos C
crucifixistis.
37 His autem auditis, compuncti sunt cor-
de, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos
Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?
38 Petrus verò ad illos: Pœnitentiam (in-
quit) agite, & baptizetur vnusquisque ve-
strûm in nomine IESV CHRISTI, in remis-
sionem peccatorum vestrorum: & acci-
pietis donum SPIRITVS sancti.
39 Vobis enim est repromissio, & filiis ve-
stris, & omnibus, qui longè sunt, quoscum-
que aduocauerit Dominus DEVS noster. D
40 Aliis etiam verbis plurimis testificatus
est, & exhortabatur eos, dicens: Saluamini
à generatione ista praua.
41 Qui ergo receperunt sermonem eius,
baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa
animæ circiter tria millia.
42 Erant autem perseuerantes in doctri-
na Apostolorum, & communicatione fra-
ctionis panis, & orationibus.
43 Fiebat autem omni animæ timor, mul-
ta quoque prodigia, & signa per Aposto-
los in Ierusalem fiebant, & metus erat E
magnus in vniuersis.
44 Omnes etiam, qui credebant, erant pa-
riter, & habebant omnia communia.
45 Possessiones & substantias vendebant,
& diuidebant illa omnibus, prout cuique
opus erat.
46 Quotidiè quoque perdurantes vnani-
miter in templo, & frangentes circa do-
mos panem, sumebant cibum cum exul-
tatione, & simplicitate cordis,
47 Collaudantes DEVM, & habentes gra-
tiam ad omnẽ plebem. Dominus autẽ au-
gebat qui salui fierẽt quotidiè in idipsum.

Versus I.] ET cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.

ET *cùm cõplerentur dies.*] *Græcè,* Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν. Syrus sic legit, וכד אתמליו יומתא *vecad ethmaliu sommatha*, id est, *& cùm impleti essent dies.* Dies in plurali dicũtur, propter omnes quinquaginta: dies in singulari, propter quinquagesimum: *completi dies dicũtur*, quia aduenerat quinquagesimus, sicut Lucas in Euangelio [a] loquitur: *Postquàm consummati sunt dies octo, vt circũcideretur puer:* nempe ipso octauo die. Et infrà [b]: *Postquàm impleti sunt dies purgationis eius* (MARIÆ) *secũdùm legem Moysi*, nimirum ipso quadragesimo die: *cùm complerentur*, quia dies quinquagesimus agebatur, qui deerat ad numeri complementum. Nec refert, quòd quæ narrantur, contigerint ante horam diei tertiã, quo minùs dici possit dies completos esse, seu compleri, aut diem: non solùm quoniam dies computabatur à prima noctis hora; verùm etiam propter illã Scripturæ loquendi formulam, quæ in allatis quoque exemplis apparet. Sic autem refert hunc locũ Augustin. [c] *In illo tempore, quo suppletus est dies Pẽtecostes.*

Pentecostes.] Græca vox est πεντηκοστή, significans quinquagenarium numerum, & de diebus loquendo, aut totos quinquaginta dies, aut ipsum quinquagesimum diem, iuxta ea, quæ modò etiam dicta sunt. Celebris apud Hebræos festi nomen hoc est, quod etiam vocatur festum hebdomadarum, & datæ legis, & nouarum frugum.

In Ecclesia verò nomẽ remansit, festi tamẽ antiquissimi, de quo meminit Paulus [d], vt Epiphanius [e] exponit, ratio diuersa. Meminit præterea huius festi Christianorum Clemens [f] Romanus, Tertullianus [g], Origenes [h], Irenæus apud Iustinum [i], Hilarius [k], Theophilus [l] Alexandrinus, Eusebius [m] Cæsariensis, vocans omnium festiuitatum principem, & maximam (sic etiam Beda [n], & Hieronymus [o]) & in orationibus, siue sermonibus Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Maximus, Leo: Historia item Ecclesiastica [p], & Cyrillus [q] Ierosolymitanus, agens de splendenti cruce, quæ in die Pentecostes in aëre conspecta est. Augustinus [r] dicit, *festa Passionis Domini, Resurrectionis, Ascẽsionis, Pẽtecostes, & alia, quæ in tota Ecclesia celebrantur, sine dubio aut à generalibus Conciliis, aut ab Apostolis constituta:* certũ est verò ante omnia illa Concilia fuisse Irenæum, Tertullianum, Clementem, Origenem, ac multò magis Philonem, qui in libro de vita contẽplatiua non alios intellexisse videtur, quàm primos Christianos summa veneratione colẽtes Pentecosten.

Vt intolerabilis impudentia sit Magdeburgensium [s], qui ausi sunt primis illis seculis negare vllam aliam expressè, quàm de festo Paschatis memoriam legi.

Sed & ineptè nonnulli, quod Augustinus [t] testatur, existimarunt, ipso die Pentecostes ascendisse CHRISTVM in cœlum: ascendit enim, vt vidimus capite præcedenti, die quadragesimo, & decimo pòst die SPIRITVM sanctum misit, vt Leo [u] atque alij affirmant, ac proinde die quinquagesimo, *cùm*, prout paulò antè exposuimus,

Dies impleri quando dicantur.
a c. 2. 21.
b ibid. 22.
c lib. cont. ep. Fund. c. 9.
d Act. 20. 16. 1. Cor. 16. 8.
e Hæresi 75.
f lib. 5. Const. c. 21.
g lib. de corona milit. c. 3. & de idolola. c. 14.
h 8. cont. Celsum.
Pentecoste quid significet.
i q. 115.
k Præfat. in Psal.
l 1. Paschali.
m 4. de vita Constant. c. 64.
Festum Pentecostes in ecclesia antiquissimum & celeberrimum.
n homil. de vigil. Pẽtecost.
o ep. ad Marc. de erroribus Montani, & in cap. 4. ad Gal.
p Sozõ lib. 4. c. 4. Socra lib. 2. c. 24. Gelas. 1. de actis Synod Nicenæ. c. 6. Glyc. 4. p. Annal. Cedren. comp. hist. Metaphr. de Sanctis, in Maio. Niceph. lib. 9. c. 32. Alex. hist. de inuẽt. crucis. Iul. Poll. in hist. sacra.
Festa instituta ab Apostolis.
Magdeburgensiũ impudentia intolerabilis.
q ep. ad Constant. Imp.
r epist. 118. ad Ianu.
s Cent. 2. c. 6.
t Serm. 183. de Temp.
u Ser. 1. & 2. de Pent.
Christus misit Spiritum sanctum quinquagesimo die post resurrectionẽ, & decimo post Ascensionem.

complerentur, seu, completi essent dies Pentecostes.

Cur Spiritus sanctus missus est paulò post Ascensionem.

a lib. 1. episto. 500.

Isidorus Pelusiota [a] disertè docet id tempus notatum fuisse contra Montanum, qui longissimè pòst SPIRITVM sanctum missum esse somniabat, & cõtra CHRISTI verba promitentis illum non post multos dies ab Ascensione; & contra æquitatem, quæ exigebat, vt Apostolis tale præmium daretur, qui tot pericula obierant.

An in festo hebdomadarum Spiritus sanctus sit missus.

b 5. Const. ca. vlt.
c Ser. 154. de Temp.
d epist. 81. ad Diosc. c. 1.
e de off. c. 24.
f ibid.
g act. 8.

Festum datæ legis quãdo celebrabatur.

h Exod. 19. 1. 16.
i ep. 119. c. 16.

Obiicies, festum datæ legis, seu hebdomadarũ, quo anno CHRISTVS passus est, non potuisse incidere in diem Dominicum, in quo tamen venisse SPIRITVM sanctum, communis traditio est, de qua Clemens Romanus [b], Augustinus [c], Leo [d], Isidorus [e], Albinus [f], aliiq́;, qui disputant de Ecclesiasticis officiis, & VI. Synodus [g], quoniam festum datæ legis celebrabatur die tertio tertij mensis [h] *deductis diebus quinquaginta*, vt ait Augustinus [i], *ab ipso Paschate*, id est, à die decimaquarta primi mensis inclusiuè; fuit verò tunc dies Paschatis dies Iouis. Ergo complebatur quoque Pentecoste die eôdem videlicet triduo ante diem, quo celebratur à nobis. Prætereà festum hebdomadarũ computari incipiebat à secundo die Azymorum, vt docent Lyranus, Abulensis, & Caietanus in Leuiticum [k], & Iosephus in Antiquitatibus [l] Iudaicis. Cùm ergo tempore passionis CHRISTI dies primus Azymorum fuerit die Veneris, numerando ab illo die exclusiuè quinquaginta, complebitur Pentecoste die Sabbati.

k Leuit. 23. 10.
l lib. 3. c. 13.

Quo die lex data sit.

m supra.

C Responsio ad hanc difficultatem pendet ex die, quo lex data est. Nec enim constat quis fuerit, sed tantùm habetur in Exodo [m], venisse populum cum Mose in Sina mense tertio, deinde die tertio datam legem: nescitur verò quo die venerint, immò si velimus cum Augustino [n] fuisse tertiũ ipsius mensis, cuius primo populus venerit, non concurret festum datæ legis cum festo hebdomadarum, quia hoc festum est in die quinquagesimo à secundo die Azymorum, non à festo Paschatis: aut nullum erit festum datæ legis contra ipsummet Augustinum.

n ep. 119. c. 16. & q. 79. in Exod.

o li. 3. de cultu Sancto. c. 13.

p Num. 33. 3.

D Denique vt alia omittam, quæ affert Card. Bellarminus [o], si lex data est die quinquagesimo à Paschate, cùm tamen Scriptura mentionem faciat numeri computandi non à Paschate, sed ab egressione ex Ægypto, quæ fuit non decimoquarto die, in quo celebrabatur Pascha, sed decimoquinto [p]: & illo die est festum Pentecostes, & SPIRITVS sanctus venit in die Pentecostes, certè sequetur venisse SPIRITVM sanctum non die Dominico, sed Iouis. Rupertus & Abulensis in Exodum negant diẽ datæ legis, tametsi sit tertius tertij mensis, esse quinquagesimum, sed quadragesimumnonum. Rabbi Salomon, Lyranus, & Caietanus contendunt legẽ datã die sexto mensis tertij, qui fuit quinquagesimus à secundo die Azymorum inclusiuè, & concurrit cum festo hebdomadarum.

q c. 23. 15.

De festo hebdomadarum.

E Alteram difficultatem proponit Bellarminus circa locum Leuitici [q], de festo septem hebdomadarum, vbi præcipitur, *vt numerus ineatur ab altera die Sabbati inclusiuè quo primitiarum manipuli offerebantur, & sequenti post hebdomadas septem die*, id est, post quadragintanouem dies, *seu in quinquagesimo festum fiat*. Cùm igitur primus dies Azymorũ fuerit die Veneris tempore passionis CHRISTI, si ab illo die inclusiuè numerẽtur dies quinquaginta, Pentecoste complebitur die Sabbati.

Cur in die Dominico Pentecosten celebramus.

Id tenet in hunc locum Actorum Hugo Cardinalis, dicens, ne Iudaizemus, celebrari à nobis Pentecosten in die Dominico, & consentiunt

A Lyranus, Abulensis, Caietanus, Rabbini in Leuiticum, Iosephus etiam libro tertio [r] Antiquitatum, intelligentes per alteram diem Sabbati primam post festum Azymorum. Rupertus ac Isychius in Leuiticum [s] alteram diem Sabbati intelligunt primam, id est, Dominicam, quæ est immediatè post Sabbatum, diésque Pentecostes numerandos fuisse à prima Dominica, quæ occurreret post festum Paschæ.

r cap. 10.
s Leuit. 23.

Ex his duabus opinionibus posterior fauet quidem, sed caret fundamento: iuxta priorem peribit figura veteris Pentecostes, vt fuerit festum simul datæ legis, & hebdomadarum; nostra verò etiam festum datæ nouæ legis, & primitiarum
B SPIRITVS sancti.

Dies Pentecostes quomodo numerari solebat.

Itaque Bellarminus respondet, cœpisse quidem ordinariè numerari dies Pentecostes à secunda die Azymorum inclusiuè; tamen si ea esset Sabbatum, cœpisse à tertia, propter opera seruilia prohibita in die festo, necessaria verò pro eo die, à quo numerus dierum incipiebat, nempe metere manipulum frumenti, exiccare, mittere ad Sacerdotem.

Confirmat ex illis verbis, *Altera die Sabbati*, quæ generatim includunt festa immediatè forsan occurrentia post Pascha, siue vnum, siue plura, quasi dicat, prima die profana post festum Paschæ. Quia autem vt plurimùm non occurrebat
C festũ post Pascha, nisi primo die Azymorum, ideò Iosephum [t] scripsisse loquendo generaliter, *incipere Pentecosten Luna* XVI. cùm tamen anno passionis CHRISTI cœperit Luna XVII. quia Sabbatum fuit Luna XVI. numerando verò dies Pentecostes à Luna XVII. qui fuit dies Dominicus, sequi vt complerentur dicti dies etiam die Dominico.

t 3. Antiq. c. 10.

Eandem sententiam paucis verbis tradit Emmanuel Sà in Notationibus ad Leuiticum [u], & Acta [x], & Ribera libris de Templo [y], & Baronius in Annalibus [z], & Sigonius de Republica Hebræorum [a], etsi in quibusdam minoris momenti dissentiunt, vt Ribera, quòd numeratio facta sit
D exclusiuè à secundo die Azymorum, idque ex vi legis. Franciscus Suarez [b] credit venisse SPIRITVM sanctum post iam omninò completos dies Pentecostes, id est, proximè sequenti post festum.

u c. 23. 15.
x c. 2. 1.
y lib. 5. c. 9.
z Tom. 1.
a li. 3. c. 10.
b 3. par. q. 51. Disp. 46. sect. 1.

Opinio Auctoris de re proposita.

Equidẽ nil video obstare, quin dicamus, septem hebdomadas plenas numerandas fuisse, incipiendo à secunda die Azymorum exclusiuè: sic enim explebuntur quadragintanouem dies in Sabbato, & sequens erit Dominicus, cùm tempore passionis CHRISTI, secundus dies Azymorum fuerit Sabbatum.

c in Com. in Acta.

E Minimè probandum est quod Tullius Crispoldus [c] dixit, habuisse Pentecostes festum plures dies, verbi gratia septem; vt sensus Lucæ sit: *Cùm complerentur dies Pentecostes*, hoc est, cùm ageretur festum in aliquo ex illis diebus. Hoc ipsum de diebus septem sentit Magister Historiæ scholasticæ [d]. Nam præterquam quòd textus Græcus habet, ἡμέραν, id est, *diem*, in numero singulari, non constabat festum Pentecostes octaua, pluribúsve diebus, vt patet ex Scriptura, & docuit etiam Moses Ægyptius [e] in suo Directore dubiorum, vbi tamen, ob festi celebritatem in memoriam datæ legis, quod vnico die factum est, notat, *numeratos fuisse tot dies à die Paschæ vsque ad illum ipsum diem, sicut*, inquit, *qui expectat visionem amici quem diligit ex animo, numerat dies donec videat*

d in Hist. Actuũ c. 11.

Festum Pentecostes non habebat octauam.

e lib. 3. c. 44.

ipsum.

ipsum. Solebant nimirum Iudæi omnibus his diebus conuenire in Synagogas, & post solennem benedictionem dicere, *Hic est primus dies, aut secundus, aut tertius.*

Miror Chrysostomum, qui CHRISTVM ascendisse dixerat in die Sabbati, octauo autem, vel nono pôst die venisse SPIRITVM sanctum, potuisse agnoscere in nostra Pentecoste respondentem veteris vmbram: neque enim iuxta eum modum, qui reuerà est falsus, vt ostendimus capite præcedenti, respondent sibi dierum numeri.

Porrò similitudines in his vtriusque Testamenti festis, quas Patres obseruarunt, sunt istæ. Prima, quoniam eo die lex vtraque data est, vel certè in nouo datus est SPIRITVS sanctus, *vt de Sion*[a] *exiret noua Lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Sic docet Leo[b], & Augustinus[c], & Hieronymus[d], & Cyprianus[e], & Chrysostomus[f], & Isidorus[g], & alij. Circunstantiarum verò similitudo patebit ex expositione sequentis textus. Et hæc prætereà notatu digna, quòd CHRISTVS tantò antè pôst Resurrectionem *exprobrans Discipulis duritiam cordis*[h], præparauit eos ad legem molliorem & suauiorem. Prædixerat id Ezechiel[i]: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum: & SPIRITVM meum ponam in medio vestri, seu in tabulis non lapideis, sed carneis, non atramento, sed SPIRITV DEI viui* lex scripta fuit, vt dixit Paulus[k]. Secunda similitudo consistit in primitiis: nam tunc segetes metere incipiebant, aduentante autem SPIRITV sancto, tempus erat, vt Apostoli priùs iussi leuare oculos ad regiones iam albas ad messem[l], falcem in eam mitterent, ac frumenta in horreum Dominicum inferrent. Duo panes noui, duos populos denotant Gentium, & Iudæorum DEO per prædicationem virtute sancti SPIRITVS factam oblato. Indicat Hieronymus in epistolam ad Galatas[m], & Chrysostomus in præsentem locum Actorum. Tertia est ratione numeri quinquagenarij, qui valdè mysticus est, præsertim verò ad remissionem peccatorum spectat, quam significat Psalmus quinquagesimus, & annus Iubilæi. Psalmus enim primus quinquagesimus, vt eleganter obseruauit Ioannes Hesselius[n], continet conuersionem Dauid ab adulterio & homicidio,[o] cognitionem peccati, ac naturæ corruptæ, & veracis promissionis DEI, atque occultorum sapientiæ ipsius de genere humano per CHRISTVM saluando spem, atque inuocationem pro remissione peccatorum: emendationem à peccatis per aspersionem sanguinis CHRISTI: petitionem SPIRITVS sancti, qui cor immundum mutet, rectumque faciat, & in via DEI confirmet: exaltationem peccatoris ad hoc, vt etiam DEVM laudet, & alios iustitiam doceat: abrogationem veterum ceremoniarum: Prophetiam de ædificanda Ecclesia. Quæ omnia in Pentecoste facta, etsi non omninò perfecta sunt.

Psalmus secundus quinquagesimus, id est, centesimus, totus est de pia vita, & sanctis operibus, laude iudiciorum DEI, desiderio cœlestis patriæ. Psalmus centesimus quinquagesimus est de DEI laudibus, quæ in cœlo complebuntur.

Per SPIRITVM sanctum velut postliminio reuertimur, sicut in Iubilæo, ad libertatem, ac pristinam possessionem cœlestem. Centum & quinquaginta pisces capti pôst Resurrectionẽ CHRISTI, significant, auctore Augustino[p], beatam vitam ac immortalem, per viuificantem SPIRI-

Hebræorum solemnitatum fit initium eis.

Similitudines inter vtramque Pentecosten.

a Esa. 2. 3.
b Sermo. 1. de Pent.
c ep. 119. c. 16. & q. 70. in Exo. 2. de Trinit. c. 15. & q. 95. vtriusque Testa. itẽ lib. de Spir. & lit. c. 16.
d epistol. 127. mans. 12.
e Ser. de Spiritu sancto.
f Serm. 1. de eod.
g in Catena Exodi 19.
h Mar. vlt. 14.
i c. 36. 26. 27.
k 2. Cor. 3. 3.
l Ioan. 4. 35.
m cap. 4.

Psalmus 50. explicatur breuiter.

n in explic. Pass. & Resur.
o 2. Reg. 11. 12.

Psalmus 100. quid contineat.

Bona quæ Spiritus sanctus nobis conferat.

p epist. 119. c. 17.

TVM sanctum. Postremò, quemadmodũ CHRISTVS crucifigi voluit in solennitate Paschali, ita SPIRITVS sanctus mitti debuit in Pentecoste, *vt celebrior esset, atque vniuersalior vtriusque mysterij memoria, & fructus,* vt ait hoc loco Chrysostomus, *& à SPIRITV sancto CHRISTI homicidæ palam arguerentur,* inquit Oecumenius. Adijce, fuisse quorundam opinionem, vt refert Ammonius[q], quam sequitur Cyrillus Alexandrinus[r], & Ambrosius[s], ipso tantùm die Pentecostes accidisse in Probatica piscina curationem vnius ab omni infirmitate. De numeri quinquagenarij mysteriis Petrus Bongus in Opere, quo & de aliorum numerorum agit.

Erant omnes.] Non Apostoli tantùm, sed etiam alij, qui conficiebant numerum centum viginti, vt ait Augustinus[t], & Hieronymus[u], & Gregorius[x], qui exponit quoque numeri huius mysticam rationem eo modo, quo Beda posteà fecit: fortasse etiam fuerunt plures, necnon & mulieres: certè non abfuit B. Virgo, quam satis communis opinio habet, eo die cum aliis effectum recepisse Sacramenti Confirmationis absque visibili signo ipsius.

Nec refert, quòd SPIRITVS sanctus præsertim mitteretur ad vtilitatem Ecclesiæ per prædicationem, quam rem linguarum inter alia signa portendebant: quoniam nihilominùs ordinariè illo principio primæ Ecclesiæ SPIRITVS sanctus hoc eodem modo passim aliis communicabatur[y].

Cùm lex data est, vni Mosi licuit in montem ascendere, *iam omnibus,* inquit hoc loco Beda, *iam omni carni,* vt paulò pôst Ioelem citans docet Petrus, inquit Chrysostomus, & Oecumenius, qui exprimit centum viginti, necnon Augustinus[z] notans promissum SPIRITVM *sanctum duodecim Apostolis, datum verò numero decuplato.* Gregorius[a] idem dicit, considerans mysterium septenarij significantis temporalia, & octonarij æterna, per quos numeros quindecim componuntur, & si ab vno vsque ad quindecim numerando consurgimus, vsque ad centum viginti peruenimus.

De B. Virgine in particulari affirmat Albertus Magnus[b], & S. Antoninus[c], loquẽs etiam de aliis Discipulis vtriusque sexus. Recentiores nonnulli contendunt super solos XII. Apostolos SPIRITVM sanctum descendisse in eo signo, quod hic describitur, immò & solos astuisse, cùm CHRISTVS ascendit, & toto tempore inde vsque ad Pentecosten.

Repugnat hoc vltimum cõcioni habitæ à Petro ad centũ viginti: de Ascensione etiam contrarium demonstraui priore capite plures fuisse, vbi plures illos dixi fuisse Galilæos, & non Apostolos duntaxat, quod tamen vnum est de argumentis contrarium sentientium. Neque Mathiæ præmissa electio persuadet, solis Apostolis duodecim mittendum fuisse SPIRITVM sanctum, cùm aliam Petrus implendi huius causam tam apertè assignauerit. Fieri potest, vt soli duodecim Apostoli linguis loquerentur magnalia, ceteris vel tacentibus ob illorum reuerentiam, vel non loquentibus magnalia.

Quocirca Beza audiendus non est, dum Ecclesiam carpit, quòd B. Virginem in medio Discipulorum exprimat, descendente SPIRITV sancto, in imaginibus, & hymnis; Patres quoq; nonnulli, vt Hieronymus[d], solos Apostolos: aut cum his vnam duntaxat MARIAM repræsentant, tanquàm præcipuas personas, nõ tamẽ aliis exclusis. Cyprianus

Cur Spiritus sanctus missus sit in die Pentecostes.

q in Catena in Ioan. c. 5.
r in idem caput.
s li. de iis qui myster. initian. c. 4.

Non tantùm Apostoli, sed alij etiam Spiritum sanctũ receperunt.

t in li. 50. Homil. 23. & tracta 2. in epist. Ioan.
u ep. 103.
x 5. Moral. c. 7.

Etiamsi ad prædicandum non mitterentur.

y Act. 10. 46 & c. 19. 6.

Moses solus mõtem ascendit, sed Spiritus sanctus nunc omnibus datur.

z Ser. 116. de Tempore.
a 35. Moral. c. 7.

B. Virgo cũ Apostolis Spiritum sanctũ accepit.

b in Mariali c. 155.
c 1. p. Hist. tit. 6. c. 2. §. 1. & 4. p. sum. The. tit. 15. c. 19. §. 8.

Plures duodecim in eo sacro Collegio fuerunt.

Beza carpens carpitur.

d in epitaph. Paulæ.

Sermone de SPIRITV sancto expresse dicit, nō tantùm Apostolis, sed multitudini credētium datum SPIRITVM sanctum, vt quondam de Spiritu Mosis Septuagintaduobus, vt est in libro Numerorum [a]. Chrysostomus [b] mulieres affuisse dicit, queritúrque, quòd suo tempore in templo ligneis parietibus viri à mulieribus, propter corruptos mores, & pericula peccatorum, deberent separari. Locus Ioëlis, quem Petrus mox citabit, fauet, exprimitur námque in illo omnis caro, & filij, ac filiæ. Lege Theodoretum [c] probantem ex professo non excludi mulieres ab hoc munere, allato exemplo Deboræ, & sororis Mosis, & quia in CHRISTO IESV non est masculus aut fœmina. Hieronymus [d], & Augustinus [e] tradunt descendisse SPIRITVM sanctum super centū & viginti.

a Num. 11. 25.
b hom. 74. in Matth.
c q. 11. in Iud.
d in ep. Paulæ.
e tractat. 2. in ep. Ioan.

B *Pariter.*] ὁμοθυμαδὸν, *vnanimiter*, quomodo in capite præcedenti [f] vocem eandem vertit noster Interpres: quæ animorum vnio atque concordia optima dispositio est ad recipiendum SPIRITVM sanctum, vt ibi attigimus, & obseruat S. Bernardinus [g], & quidam voce Græca indicari putāt, quasi dato signo & ad condictam diem quinquagesimam, per reuelationem fortasse præcognitam in eundē locum, plures, qui foris versabantur, aliqua ex causa, conuenisse. Notat quoq; Auctor Sermonum [h] ad fratres in Eremo, dictam vnionem animorum, quæ non minùs eis necessaria est, vt à SPIRITV sancto viuificentur, quàm sit membrorum corporis nostri, vt ab anima. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum, &c.* [i] *quia illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in seculum. Non in Hermon*, inquit ibi Theodoretus, *sed in Sione, in quo vitalis ros sancti SPIRITVS in sacros Apostolos missus fuit, per quem omnes illi qui crediderunt, sempiternam gratiam accipiunt.*

f vers. 14.
Animorū vnio ad gratiā Spiritus sancti recipiendā necessaria.
g Serm. de 7. don. Spiritus sancti. a. 3. c. 1.
h in 2.
i Ps. 132. 1. 3.

C *In eodem loco.*] Ἐπὶ τὸ αὐτό, *in idipsum, & simul.* Locus verò idem ille erat, quem capite etiam priore diximus vocatum cœnaculum. Vbi Cyrillus [k] Ierosolymitanus erectam dicit Ecclesiam, loquens nominatim de misso illuc SPIRITV sancto, & consentiunt alij, qui scribūt de locis sanctis, prout ibidem notauimus. *In hac mirabili congruētia* (legis veteris ac nouæ datæ in die quinquagesimo) inquit Augustinus [l], *illud certè plurimùm distat, quòd ibi populus accedere ad locum, vbi lex dabatur, horrendo terrore prohibetur* [m]: *hic autem in eos superuenit SPIRITVS sanctus, qui eum promissum expectantes, in vnum fuerant congregati.*

k Catech. 16.
Mirabilis in magna congruentia differentia.
l lib. de Spi. & lit. c. 16.
m Exo. 19. 12.

D Loci circunstantiam considerant Patres, vt S. Bernardinus [n], quòd altus esset, & cibo sumendo destinatus, *videlicet quia SPIRITVS sanctus datur animis, qui se ex imis attollunt, & se rerum sublimiū contemplatione, vt cibo oblectant.* Notauit multò antè loci mysticam altitudinem Naziāzenus [o], iuxta sensum accommodatum verborum illorum Psalmi [*]: *Qui tegis aquis superiora eius. Et ideò carnem ipsiusmet CHRISTI*, inquit Beda [p], *oportuit priùs eleuari, quàm SPIRITVS sanctus descenderet.* Vacabant omnes orationi per eos dies, quibus expectabant SPIRITVM sanctum, vt dictum est capite præcedenti. Legit hunc locum totum Augustinus [q]: *Fuerunt omnes eâdem animatione simul in vnum.*

Quid significet loci circunstantia.
n suprà.
o orat. de Pētec.
* Ps. 103. 3.
p hoc loco.
q cont. epist. Fundam. c. 9.

E *Versus 2.*] Et factus est repentè de cœlo sonus, tanquàm aduenientis SPIRITVS vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes.

A *ET factus est.*] Oportuit tam insignem SPIRITVS sancti missionem visibilibus signis fieri, & nouam legem stabiliri, vt olim vetus sancita est; *& si post hæc signa maleuoli, ac maledici musto plenos dixerunt, quos SPIRITVS sanctus repleuerat: quid fuissent dicturi, si prorsus absq; signo SPIRITVM accepissent, & prædicassent*, inquit Chrysostomus?

Cur visibili signo Spiritus sanctus datus est.

Repentè.] *Quia sensibiliter*, inquit Oecumenius, quia SPIRITVS *vbi vult, spirat* [r]. *Et vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò vadat. Nescit enim tarda molimina SPIRITVS sancti gratia* [s], &, *sapientia omnibus mobilibus mobilior est* [t]: vt repentinus aduentus magis excitaret: vt intelligeretur SPIRITVS sancti gratiam dari ex improuiso, ac sine meritis, quales experimur subitas quasdam internas motiones, & inspirationes, neque vllam quodammodò præcessisse in Ecclesia Gentium, quas linguæ respiciebāt, dispositionem, vt à DEO congregarentur, sed, quod ait Esaias [u], *inuentum esse DEVM à non quærentibus se.* Hoc indicat Gregorius [x], docens *sic quandoque dici DEI verbum, vel SPIRITVM cadere, vel irruere.*

Cur repētè Spiritus sanctus sit missus.
r Ioan. 3. 8.
s Amb. in c. 1. Lucæ.
t Sap. 7. 24.
u c. 65. 1.
x 2. Moral. c. 21. aut 30.

B *De cœlo.*] De aëris parte superiore, ac ferè perinde, ac si de ipso cœlo; sonus enim ipse seipsum prodit, vnde, & ex quanta distantia sit. Indicabatur eo signo SPIRITVM *sanctum de cœlo mitti ab illo, qui eò ascenderat*, inquit Oecumenius, *necnon*, vt ait S. Bernardinus [y], *in cœlum euehere, atque cœlestes reddere, quos repleuerit.*

De cœlo quare sonus sit factus.
y Ser. 1. de 7. don. Spiritus sancti. ar. 1. c. 2.

C Frequens est, vt cœli, cœlorúmve nomine in Scripturis aër intelligatur, vt cùm dicuntur *volatilia* [z], *seu volucres cœli, arcus in nubibus cœli* [a], *ros cœli* [b], *cœlum dari desuper sicut ferrum* [c], hoc est, sine pluuia, vel *claudi cœlum* [d], *& de cœlo expectari pluuias*, aut *lapides magnos mitti* [e], id est, grandinem, *ignem de cœlo descendere* [f]: *Eliam ascendisse per turbinem in cœlū* [g]: *ianuas cœli apertas* [h], *& inde ceu pluuiā manna panem cœli missum: Dæmones* [i] *spiritualia nequitiæ in cœlestibus: aquas super cœlos esse* [k]: *cœlos* [l] *magno impetu transituros, & sicut fumū* [m] *colliquandos: stellas* [n] *casuras de cœlo*, hoc est, aëreas quasdā impressiones; & alia permulta his similia: notantque Patres vt rem notissimam: idémq; existimo de apertione cœlorum visa Stephano, vel CHRISTO, vt aliàs dicam.

Cœlum pro aëre frequēs in Scriptura.
z Gen. 1. 28.
a Gen. 9. 14.
b Gen. 27. 39.
c Leuit. 26. 19.
d Deut. 11. 17.
e Iosu. 10. 11.
f 4. Reg. 1. 10.
g 4. Reg. 2. 11.
h Ps. 77. 23.
i Eph. 6. 12.
k Ps. 148. 4.
l 2. Pet. 3. 10.
m Esa. 51. 6.
n Matth. 24. 29.

D *Sonus.*] Aurium obiectū est, & auditus, qui est [o] sensus disciplinæ, & fidei [p], & significat sonū prædicationis *exiturum in omnem terram* [q]: verbū etiam elemento coniunctum ad conficiendum Sacramentum: denique noua lex veteri respondere debebat, quæ non sine multiplici sono data est [r]. Augustinus [s] eleganter comparat legem cum lege, negatque in ista, quæ nunc lata est, timorē similē.

Sonus cur editus sit.
o Arist. 1. Metaphy. c. 1. lib. de sensu & sensib. c. 1.
p Rom. 10. 17.
q Psal. 18. 5.
r Exod. 19. 16.
s Sermo. 6. de verb. Apost. c. 6.

Tanquàm.] Et versu sequenti, *tanquàm ignis*, ne quis arbitretur, SPIRITVM sanctum corporeum esse, sed minimè inter corporea corporeū, & materialem, cùm minimè inter elementa talis sit aër, E siue ventus, & ignis. Indicant hanc causam Chrysostomus, & Oecumenius. Alia est Caietani, quoniam nec ventus verus, nec ignis verus fuit, sed solus realis sonus, & similitudo quædam ignis; quod ipsum probabiliter multi dicunt de columba, quæ super CHRISTVM in Baptismo [t] descendit, & de stella, quæ Magos ad illum [u] duxit, de qua re Interpretes, præsertim Maldonatus in Matthæum, & Toletus in Ioannem [x], Iansenius in Concordia [y], Salmeron [z], Suarez [a], & Ioannes [b] Ferdinandus.

Verus ventus non fuit in aduentu Spiritus sancti.
t Matth. 3. 16. Marc. 1. 10. Luc. 3. 22. Ioan. 1. 32.
u Matt. 2. 2. 7. 9. 10.
x c. 1. ann. 70.
y c. 9.
z Tomo 3. Tract. 39. & Tom. 4. 1. par. tract. 2.
a 3. par. q. 16. Disp. 14. Sect. 5. & q. 39. Disp. 27. sect. 3.
b in Thes. verbo, *Columba.*

Quicquid sit de aliis, de venti substantia, nihil incommodi esset concedere, veram fuisse, nec sonus aliter fit, quàm aëris percussu, cuius stridor ventus dici vtcunq; potest. Certè non sola imagi-

naria

naria res fuit, neque in hoc vento, neque in aliis quæ diximus, vt rectè docet Augustinus [a], hoc in primis premens, huiusmodi tametsi veras substantias, veraq; corpora, non esse in vnionem hypostaticam à SPIRITV sancto assumpta; quod Tertullianus [b] de Columba sensit: & de agone Christiano [c] indicauit aliquando ipsemet Augustinus (quē librum nescio Pamelius [d] cur neget esse Augustini, cùm suum ille agnoscat [e]) sicut nec à PATRE illud corpus, in quo vocē formasse dicitur siue in Baptismo [f], siue in Transfiguratione [g] FILII sui. Potiùs concedi posset ab Angelis concitatum eum sonum, & allatum esse ventum, non tamen eo assumptum modo, quo ventū illum, per quem domus Iob [h] diruta est. Græci, & Hieronymus [i] à dæmone assumptum volunt, licèt non per vnionem hypostaticam, sed postquàm cessauit, horum omnium vsus, ad quem adhibebantur, resoluta sunt.

Non est improbabile ventum verum fuisse. a 2. de Trin. c. 5. & ep. 102. *Vnio hypostatica nulla fuit, præterquam in Christo.* b lib. de carne Christi. c. 3. c c. 22. d in Tertul. e 2. Retract. c. 3. f Matt. 3. 17. g Matt. 17. 5. h Iob. 1. 19. i in cap. 13. Oseæ. *Corpora assumpta ab Angelis post vsum eorū sunt resoluta.*

A

B

Aduenientis spiritus vehementis.] ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας, *tanquam spirationis violentæ, cùm fertur*, seu *agitatur*. Spiritus enim ventum significat apud sacros profanosq; Auctores tam sæpe, vt exemplis supersedendum videatur. Ita existimant multi accipi à CHRISTO SPIRITVM, cùm ait: SPIRITVS [k] *vbi vult, spirat*, etsi intelligam alios malle intelligere de SPIRITV sancto, alios de anima nostra: Apollinarius quidem certè in Catena Græca citatus, ait *iam inde* CHRISTVM *alludere voluisse ad hanc missionem* SPIRITVS *sancti, de qua modò agimus.*

Spiritus pro vento sæpe sumitur. k Ioan. 3. 8.

C

Cyprianus [l] & Augustinus [m], alia versione vsi, legunt: *Et factus est subitò de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens.*

l 3. Testim. c. 31. m cont. epist. fund. c. 9.

Quadrat SPIRITVS nomen tertiæ personæ TRINITATIS, vt à spirando, & flando dicitur, quia processio eius est veluti expiratio quædā & reflatio, quasi ex intimo præcordiorum calore, & amore PATRIS atque FILII. Propterea CHRISTVM ipsum insufflando dedisse SPIRITVM sanctum post Resurrectionem [n], vt ostenderet sibi esse consubstantialem, & ex sua ipsius procedere substantia, quemadmodum & flatus ex intimo exspiratur corpore, docent Cyrillus, Leontius, Beda, Augustinus in Ioannem [o], & hic alibi [p], & Victorinus [q] contra Arium.

Spiritus nomen tertiæ Spiritui sancto, &c. n Ioan. 20. *Spiritus sanctus à Filio procedit.* o c. 20. p 4. de Trin. c. 13. de ci... c. 24. q lib. 1.

D

Significat prætereà hic flatus ac ventus ita SPIRITVM sanctum esse principium vitæ spiritualis, vt animam corporalis, quæ in prima creatione in corpus inspirata, & insufflata est. Nescio an qualiscumque illa nonnullorum paronomasia in Græco nomine ἄνεμος, id est, *ventus*, & Latino, *anima*, quasi sit anima veluti ventus, huic propositio conuenire possit. Illud arguit verisimilitudinem dictæ expositionis.

Spiritus sanctus anima vitæ.

E

Quidam etiam, quia flatus prouenit ex corpore flantis, & narratur DEVS [r] animam inspirasse in hominem à se creatum, autumarunt animam nostram esse ex substantia DEI, quod non Platonici duntaxat, quorum loquens more Cicero sæpe dicere solet, *animos humanos ex diuina natura esse libatos, haustos, tractos, decerptos*; & post eos nonnulli damnati hæretici, vt Apocaritæ, Brachitæ, Dicartitæ, Faustus Manichæus, Gnostici, Manichæi omnes, de quibus Prateolus in Elencho, & Castro contra hæreses, addens Audianos, Iesalitas, Tetraditas, Tascodrogitas, scilicet varias Manichæorum propagines, necnon Priscillianistas, verùm etiam Lactantius [s] quoque eloquentior, quàm solidè doctus sensisse visus est.

Animam non esse ex Dei flatu quo animauit. r Gen. 2. 7. s Instit.

Ezechieli [t] sanè iussit DEVS vaticinari, & dicere nomine ipsius: *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant.* Et cùm id fecisset, *ingressus est in ossa spiritus, & vixerunt*, nempe, vt Resurrectio, inquit ibi Hieronymus, *fiat insufflante spiritu, sicut creatio*, adde, vt recreatio spiritualis fit, sicut est creatio materialis.

Resurrectionem futuram prophetatur.

Ambrosius [u], & ante eum Basilius [x], vult ideò DEVM inspirasse dici, dum primum hominem conderet, & insufflando animam infudisse, vt ostenderet se non tantùm animam, qua viueret, sed simul dedisse gratiam, & SPIRITVM sanctum cum anima, & *diuinæ consortem hominem fecisse naturæ* [y], *quæ*, inquit Cyrillus Ierosolymitanus [z], *sufflatio cùm obscurata esset per peccata, noua opus fuit*; & Augustinus [a] *quod est in corpore nostro anima, id ait esse* SPIRITVM *sanctum in corpore* CHRISTI, *quod est Ecclesia* [b]: dicere potuit & in cuiusque anima. Philosophi quoque, vt Cyprianus [c] notat, id innuerunt per animam mundi, & Scriptura [d], per SPIRITVM *Domini, qui ferebatur super aquas*, quem Chaldæus Interpres ibi vocat SPIRITVM *misericordiarum & gratiæ.*

Cur Deus animam inspirauerit. u Serm. 10. in Ps. 118. x lib. de Spiritu sancto. c. 16. y 2. Pet. 1. 4. z Catechesi 17. a Ser. 186. de Temp. *Spiritus sanctus est in Ecclesia, quod est anima in corpore.* b Colo. 1. 24. & alibi. c Ser. de Spiritu sancto. d Gen. 1. 2. e q. 23. in Genesim.

Quid si quam de inspiratione DEI creantis Theodoretus [e] rationem dat, quòd cognosceretur tam facilem DEO esse creationem animæ rationalis, quàm facile homini est flatum ex ore suo mittere, ad eundem recreantem accommodemus, ad eiúsque gratiam, quæ, vt sit sanè donum pretiosissimum, tamen liberale, gratuitum, obuium, & expositum?

Gratia Dei donum quale sit.

Denotat quoque venti natura mobilis, & permeabilis, diuinam gratiam spirare vbi vult, & extrinsecùs pro arbitrio inspiratoris aduenire, esse quid spiritale, & immateriale. Ex ventorum omni natura, & qualitatibus atque commodis sumi potest præclara quædam, moribúsque aptissima de SPIRITV sancto consideratio. Consulendi verò Physiologi, præcipuè quæ strictim, sed eleganter sunt apud Senecam capite XVIII. quinti Quæstionum naturalium, digna planè quæ legantur. Vna inter alias vtilitas est pro frugibus. *Sicut verò non est possibile*, inquit [f] Auctor operis Imperfecti in Matthæum, *vt ex sola pluuia fructificet terra, nisi super eam flauerit ventus: sic non est possibile, vt sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit* SPIRITVS *sanctus in corde ipsius.* Lege Ioannem à S. Geminiano [g] in libro de exemplis, & similitudinibus, vbi duodecim ventos comparat cum duodecim fructibus SPIRITVS sancti, aliaque affert nō iniucunda; item Petrū Berchoriū in Dictionario [h].

Comparatio quædam venti cum Spiritu sancto. f Hom. 20. g lib. 1 c. 73. h verbo, Ventus. &c.

Flatus ille, ait Augustinus [i], *à carnali palea corda mundabat*; & tanquam *spiritus quondam ille ferebatur super aquas* [k], *ad renouandam faciem terræ*, inquit Magnus Leo [l]: *& spiritum malignum exsufflat, vt contingit in exorcizatis*, inquit Cyrillus [m] Ierosolymitanus: vehementiam huius SPIRITVS ait Nyssenus [n] significasse expulsionem aërearum ac diabolicarum potestatum. Dionysius [o] obseruat, ventum in Scriptura significare res Diuinas, quoniam à superis ad inferiora mouetur, viceque versa, &c.

i Serm. 186. de Temp. k Gen. 1. 2. l Ser. 1 de Pentec. m Catech. 16. n orat. de S. Steph. o cel. hierarc. c. 15.

Vehemētis.] βιαίας, *violentæ*, seu, *cum violentia*, vt videlicet sonum iam dictum ederet, vt excitaret, vt potentiam SPIRITVS sancti declararet, sicque animos Discipulorum corroboraret aduersùs persecutores, quos possit DEVS demergere in profundum, vt quondam Ægyptios [p] in mari rubro per validum ventum; conterere vt naues Tharsis [q]; dissipare, & iactare vt puluerem ac stipulam [r]. Ambrosius [s], *Eousque*, inquit, *virtutem esse* SPIRITVM *sanctum Euangelista significat*,

Vehementia spiritus quid significabat. p Exo. 14. 21. q Ps. 47. 8. r Psal. 34. & Psal. 17. 43. s lib. de Spir. sanct. c. 2.

vt & cùm vi magna cum sanctus Lucas descendisse memoraret, dicens: Et factus est subitò de cœlo sonus, tanquàm vi magna SPIRITVS *ferretur.* Sic verò legimus in Samsone [a], fortissimo homine, fuisse SPIRITVM Domini, & irruisse [b], quo strauit Philistæos: & Epiphanius [c] auctor est, ventorum impetu turrim Babel euersam à DEO, quã tamen Herodotus [d] consecratam Belo à Semiramide in templum esse inclusam, & ad suum vsque tempus per annos mille quadringentos scribit perdurasse.

a Iud. 13.25.
b Iud. 14. 6. 19. & c. 15. 14.
c 1. cont. hæres. non lõge à princip.
Turris Babel à Deo euersa.
d lib. 3.

Dixi priùs, sonum, qui auditus est, & fortasse etiam longè extra conuentum Discipulorum, Discipulis timorem non incussisse. Accipi id debet de timore, qui perturbaret, non qui reuerentiam, & amorem conciliaret. Quo in sensu agnosco vtriusque legis in modo, quo promulgata est, similitudinem, quam præter eos, quos pridem citauimus, obseruauit etiam Isidorus Pelusiota [e] (inde confirmans vtrumque Testamentum esse ab eodem DEO) & Athanasius [f], *vt cognoscerent,* inquit iste, *Discipuli maiestatem rei ex magnifica ratione adueniendi.*

Sonus qui auditus est non perturbauit Discipulos.
e lib. 1. epist. 494.
f lib. de commu. essen. Patris, &c.

Index Diuinæ Maiestatis est hæc vehementia, vt apud Ezechielem [g], & Esaiam [h], & alios, præsertim Ioannem in Apocalypsi. *Et audiebam sonum,* inquit Ezechiel, *alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis* DEI. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia,* inquit Psalmus [i]. CHRISTVS descendit *vt ros in vellus* [k], quando incarnatus est, sine strepitu videlicet, *neque* [l] *clamans, ita vt non audiretur vox eius foris, dum mortalis nobiscum degeret, neque tristis esset, aut turbulentus: at vbi euasit immortalis, & cœli incola, intonuit, & non tam rore, quàm imbre terram ipsam copiosè impleuit, non Iudæam solam velleribus victimarum intentam, sed gentes omnes toto terra dispersas,* vt ait sanctus Ambrosius [m].

Index Diuinæ Maiestatis est vehementia.
g c. 1. 24.
h c. 6. 4.
i 28. 4.
k Iudic. 6. 37.
l Esa. 42. 24.
Christus totam terram imbre impleuit.
m Prol. in lib. de SPIRITV sancto.

Possumus persistendo in roris comparatione, vel imbris, qui lanam sine sono, terram etiam cum strepitu imbuunt, eundem SPIRITVM sanctum, cum Gregorio [n], *lenem simul atque vehementem,* commodè interpretari, *vt lenis sit, quia notitiã suam quatenus cognosci vtcunque valeat, nostris sensibus temperat: vehemens, quia quantumlibet hanc tẽperet, aduentu tamen suo infirmitatis nostræ cæcitatem illuminando perturbat. Illustratione enim sua nos leniter tangit, sed inopiam nostram immaniter concutit.* Ita Gregorius.

Spiritus sanctus quomodo roris & imbris habeat similitudinem.
n 5. Moral. c. 27.

Vidit aliquando Elias [o], cùm transiret Dominus, *Spiritum grandem, & fortem, qui subuertebat montes, & conterebat petras, ante Dominum; sed non in Spiritu Dominus,* inquit Scriptura: *& post Spiritũ commotio; non in commotione Dominus: & post commotionem ignis; non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis.* Quem locum idem Gregorius exponit eodem loco ad eundem ferè modũ. *Sunt qui in ista vehementia notent ingenium, siue consuetudinẽ sancti, ac boni* SPIRITVS *esse, cùm primùm aduenit, terrore animum percellere;* quod vel exemplo Gabrielis confirmant salutantis MARIAM [p], cuius aduentum præcessisse putant lucem cubiculum replentem, atq; etiam Spiritum vehementẽ. Probabile id ducit Salmeron [q]. Cyrillus Ierosolymitanus [r] ait, *Spiritum vehementem ostendisse præsentiam illius, qui id concedit hominibus, vt vi rapiant regnum cœlorum.*

o 3. Reg. 19. 11. & 12.
Spiritus bonus adueniens terret, sed postea solatur.
p Luc. 1. 29.
q Tom. 3. Tr. 5.
r Catech. 17.

Ceruas tradunt tonitruo tremefactas eniti. Indicat Iob [s], & Psaltes [t], *Vox Domini præparantis ceruos;* Hebraicè sic legimus, יחולל אילות *iecholel aaloth,* id est, *obstetricatur ceruas.* Ergo percelluntur nũc Apostoli veluti voce tonitrui, paulò pòst timore depulso in publicum prodituri, ac parituri nunc tria millia [u], nunc quinque [x], nunc plura [y]. Desiccauit hic mysticè ventus aquas diluuij, marísque rubri, & reduxit aquas Ægyptios submergentes, & adduxit suaues coturnices.

Ceruæ quomodo pariant.
s c. 39. 4.
t Ps. 28. 9.
u Act. 2. 41.
x c. 4. 4.
y c. 21. 20.

In Pentecoste narrat Iosephus [z], cùm sacra Sacerdotes celebrarent in templo nocte, motum ac strepitum perceptum: tum subitam vocem, MIGREMVS HINC. Rectè nunc eâdem die diuiniora sacra celebrantibus bene ominosus SPIRITVS aduenit, & vis illabitur voces diuinas omnibus linguis proferendi, DEIque præsentiam benigniorem denunciandi.

z 7. de bell. Iudai. c. 12.

B *Et repleuit totam domum.*] Erat enim vehemens, vt dictum est, magnúmque fragorem edens: & mysticè significabat huiusmodi repletio copiam SPIRITVS sancti, vt ait Oecumenius.

Domum.] Non solum cœnaculum, cùm dicat totam; vel etiam cœnaculum solum, quia nomen domus aut synecdochicè illud significat, aut catachristicè omnem habitabilem locum, vt cùm Magi dicuntur *ingressi domum* [a], hoc est locum præsepis, & passer inuenisse sibi domum [b], & Herodij vocatur domus quædam [c]. Immò & vas capax liquoris, alteriúsve rei, domus vocatur; vt cùm dicuntur domus eburneæ [d], & domus animæ [e], aut spiramenti: huiusmodi phrasi Hebraica בתי נפש *batthei nephesch,* olfactoriolum, seu capsula plena odoribus, rebúsque suaue spirantibus: & quas mulieres texebant quasi domunculas luci [f], hæ erant cortinæ. Cyprianus [g], & Augustinus [h] sic legunt: *Et impleuit totum illum locum.*

Domus quid significet.
a Matt. 2. 11.
b Ps. 83. 4.
c Ps. 103. 7.
d Ps. 44. 9.
e Esa. 3. 20.
f 4. Reg. 23. 7.
g 3. Testimonio. c. 101.
h cont. epist. Fund. c. 9.

Vbi erant sedentes.] Non positionem situs significat, sed habitationem, vt versu sequenti de ipsomet SPIRITV sancto: *Seditque supra singulos eorum;* & in Euangelio Lucæ [i]: *Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto;* & alibi idem Euangelista [k]: *In vmbra mortis sedent;* & Dauid [l]: *Super flumina Babylonis illic sedimus,* & aliis in locis non rarò [m]. Aliquando videtur idem esse quod iacere, vt apud Esaiam [n], & Ieremiam [o], & Iob [p], & Esdram [q]. *Non horreo sessionem corporalem,* inquit Caietanus, *cum nihil indecens inducat:* & sanè nulla est horroris causa, cùm non referat quem situm quis SPIRITVM sanctum postulans teneat: tametsi negari non possit iuuari humilem ac deuotam orationem corporis humili & deuota collocatione, quæ adeò religiosè in publica præsertim atque solemni oratione seruatur. Orantibus autem Discipulis, quod & bis anteà monui, aduenisse SPIRITVM sanctum canit Ecclesia [r]:

Sedere quid significet.
i c. vlt. 49.
k Luc. 1. 79.
l Ps. 136. 1.
m Esa. 12. 16. Ier. 41. 17.
n c. 3. 26.
o cap. 13. 18. & Thren. 1. 2.
p c. 2. 14.
q lib. 2. c. 14.
Oratio humili corporis positione iuuatur.
r Hymno ad Matut. Pent.

Dum hora cunctis tertia
Repentè mundus intonat,
Orantibus Apostolis
DEVM *venisse nunciat.*

E & vulgò imagines nobis referunt illapsum SPIRITVS sancti in sedentes Discipulos. Quin etiam B. Bernardinus [s] eò spectasse Lucam notat, ne quis sonum illum prouenisse suspicaretur ex Discipulorum agitatione, & ne impediretur vllo, vel leui strepitu suauis, quem in eo sono fuisse existimat, & modulatus concentus. Verùm qui primo loco allatus est sensus, vt simplicior, sic verisimilior.

s Ser. de sept. don. Spiritus sancti. a. 3. c. 8.

Versus 3.] Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, seditque supra singulos eorum.

ET *apparuerunt illis dispertitæ linguæ.*] Græcè *διαμεριζόμεναι γλῶσσαι*, *visæ sunt diuisæ.* Sic Cyprianus [a], *& dispertitæ linguæ sectili forma, & dissecta.* Id quomodo fuerit, videntur declarare sequentia verba, *tanquàm ignis*, in genitiuo casu, *ὡσεὶ πυρός.* Est enim ignis nostras propter continuam flammæ agitationem, veluti dissectus, sicut & radij lucis. Et hoc sensu existimo gladium illum ad intercludendum Paradisi aditum, dictum esse flāmeum [b]. Solet enim ensis vibratus vehementissimè, quasi emissis scintillis splendescere. Certè Cyrillus Ierosolymitanus [c] non dubitat dicere, linguam pro illo gladio datam esse, vt hæc salutarem præstaret gratiam: cùm ille anteà prohiberet ingressum Paradisi.

a 3. Testim. c. 101.
b Gen. 3. 24. *Gladius cur flameus est dictus.*
c Catech. 17.

Pineda [d] noster existimat dispertitas linguas dici celeres, expeditas, volubiles, acutas, molles, subtiles, quæ proinde etiam vocari possint flammeæ. Probat suam sententiam, quoniam Hebræum verbum, חלק *Chalak*, quod significat *diuidere, & partiri*, ad mollia transfertur, quæ facilè diuiduntur, & per lubricitatem abeunt in diuersas partes, ideóque etiam dicitur de lubricis, quæ sunt instar mollium. Præter alia exēpla in aliis rebus, affert ea in quibus vulgatus reddit, *molliter*, aut *suauiter loqui* [e]. Vbi Hebræum verbum sonat *diuisionem, & partitionem*, & LXX. vtuntur verbo *διαμερίζειν*, quo Lucas hoc loco.

Lingua dispertitæ cur dicantur.
d Iob. 17. v. 5. num. 1.
e Prou. 2. 16. c. 5. 3. c. 7. 5. 21. c. 29. 5. Psa. 5. 10. Psa. 35. 3. Psal. 54. 22. Esa. 30. 10.
His dispertitæ linguæ non sunt suaues & molles.

Equidem idiotismi Hebræi notationem probo, quæ conuenit instituto nostro iuxta sensum, quem dixi, dispertitas vocari propter concitationem & volubilitatem, qualis in flamma cernitur: suauitas verò aut mollities non est ad rem.

Scitum est in Scriptura [f], tribui igni linguam, & figura pyramidalis in vtroque fauet, & quòd Iacobus ignem linguā nominat in epistola sua [g]. Fulciri potest notatio ista ex eo quòd priscæ Gentes [h] Mercurio præconi deorum linguam sacrabant, & in ipsis sacris eam præconi dissectam tradebant: quippe qui verba in ordinem redegisse, multis rebus nomina indidisse, literas adinuenisse crederetur.

f Esa. 5. 24.
g cap. 3. 6.
h Pierius lib. 31. Hieroglyp.

Gagneius reprehendit qui dissectas linguas interpretatur: *nec enim constat*, inquit, *an sectæ fuerint linguæ illæ; at constat dispertitas, ac distributas in eos fuisse qui aderant.* Qui reipsa, vt de serpentis lingua produnt, cuius imitari prudentiam CHRISTVS [i] præcepit; vel apparenter sectas linguas volunt, denotari dicunt donum linguarum, quod singuli acceperunt, aut ab eodem SPIRITV esse diuisiones gratiarum [k].

i Matt. 10. 16.
k 1. Cor. 12. 11.

Nescio lector Diodoro Siculo fidem an sit habiturus [l], narranti in quadam insula Oceani Meridiem versùs homines fuisse, qui diuisam haberent linguam, & in inferiore parte scissam, vt ab radice duplex esse videretur: imitatos verò auium diuersarum cantus: atque cum duobus hominibus perfectè simul tum respondendo, tum disputando loquutos, vna quidem parte linguæ vni, reliqua alteri. Dispertitas linguas Theodoretus interpretatur significari verbis Psalmi [m], *dum discernit cælestis reges*, &c.

l lib. 2. c. vlt.
m Psa. 67. 15.

Symbolum est lingua SPIRITVS sancti à Patris Verbo procedentis: *Quia*, inquit Gregorius [n], *habet cognationem maximam lingua cum verbo, & monetur lingua à verbo cordis ad formandum, & exprimendum sonum vocis*, inquit S. Bernardinus [*]. *Per linguam etiam*, inquit idem B. Gregorius, *cùm verbum materiale procedat, negare DEI Verbum non valet, qui iam sancti SPIRITVS linguam habet.*

Lingua cur Spiritus sancti sit symbolum.
n hom. 30. in Euang.
* Serm. de 7. don. Spiritus sancti. a. 1. c. 8.

A Neque tamen quòd lingua dispertita est, significat SPIRITVM sanctum esse corruptibilem, sicut *quia effundi dicitur*, inquit Dionysius Alexandrinus apud Turrianum [o], inde potiùs argumentans contra Paulum Samosatenum, non sumi in Eucharistia corruptibile corpus CHRISTI, aut sanguinem, quia sanguis effunditur, & corpus diuiditur, hoc est, species vini & panis. Occurrere videtur eidem obiectioni Cyprianus [p] exemplo spiritus Mosis, qui quasi diuisus dicitur in Septuaginta [q] duos, & Eliæ, qui dictus est duplex [r] ab Elisæo expetitus: & idem quoque monet Cyrillus Ierosolymitanus [f]. Partita illa etiam veluti B SPIRITVS sancti communicatio indicat plenitudinem eius esse in CHRISTO tanquàm in capite, ex quo deriuatio fiat in alios, vt ait S. Bernardinus [t].

Spiritus sanctus non est corruptibilis.
o li. de Euch. c. 10. & 11.
Corpus Christi in Eucharistia non est corruptibile.
p Ser. de Spiritu sancto.
q Num. 11. 16.
r 4. Reg. 2. 9.
f Catech. 17.
t suprà dicto Sermone.

Elias Cretensis in Commentario orationis VI. Nazianzeni, quæ est de SPIRITV sancto, diuisionem in linguis denotare dicit, quod dixi, ex Apostolo, *SPIRITVM sanctum diuidentem* [u] *singulis prout vult*, linguas ipsas, quòd Apostoli magnam cognationem haberent cum Euangelij sermone, tanquàm instrumenta à SPIRITV sancto pulsata, eúmque resonantia, iuxta id Psalmi [x]: *Lingua mea calamus scribæ*: item significare quod diximus cognationis vinculum inter FILIVM & SPIRITVM C sanctum, sicuti est inter linguam, & sermonem, ita vt etiam dicatur [y] SPIRITVS CHRISTI. Eandem rationem habet ipsemet Nazianzenus in alia oratione [z], & de lingua, & de partitione eius, vbi Nazianzeni quoque alius interpres Nicetas.

Diuisio in linguæ quid denotet.
u 1. Cor. 12. 11.
x Psa. 44. 2.
Cognationis vinculum inter Filium & Spiritum sanctum.
y Rom. 8. 9 & alibi.
z orat. 44. de Pentecoste.

Cyprianus [a] scribit, significari ea diuisione, quòd quisque accipiebat SPIRITVM sanctum ad multa.

a Ser. de Spiritu sancto.

Dum Ioannes erat in matris ventre, Zachariæ patris lingua ligata erat [b]: vbi ille natus est, *huic solutum est vinculum linguæ* [c]: ita Apostolis linguæ datæ sunt cùm CHRISTVS nouus homo exiit ex hoc quasi ventre mundi in cœlum. Et sicut cessatio legis veteris silentio illo significabatur, sermo- D ne verò quasi principium nouæ: ad eundem modum linguæ denotarunt promulgationem nouæ legis.

Tropologicè accipi possunt officia linguæ mādendi, gustandi, loquendi.

Tanquàm ignis.] In genitiuo casu, vt dictum est, *ὡσεὶ πυρός*, quasi dicat, *linguas ignis*, vel ad similitudinem ignis in colore, splendore, & motione. Placuit SPIRITVM sanctum nunc in ignis forma dari, propter purgationem nostram, & propter consubstantialitatē cū PATRE & FILIO, & quia DEVS vocari solet ignis [d], vt inquit Nazianzenus [e], & interpres Nicetas (præter Oecumenium hoc loco, qui etiam notat PATREM olim in igni- E to rubo apparuisse [f]) notat hunc esse ignē, quem se CHRISTVS *venisse in terram mittere, cupereque vt ardeat* [g], dixerat. Citat ad idem propositum hunc locum Gregorius [h], ac vtráque illam rationem ponit, & plures Patres similiter ignem illum à CHRISTO prædicatum esse SPIRITVM sanctum intellexerunt, præsertim Chrysostomus [i], Origenes [k], Marcus Eremita [l], Hieronymus [m], Ambrosius [n], Augustinus [o], Philastrius [p], Prosper [q], Beda [r], Bernardus [f], Nicetas [t] rursus atque Gregorius [u], & Athanasius [x].

b Luc. 1. 20.
c ibid. 64.
d Deut. 4. 24.
e suprà.
f Exod. 3. 2. & seq.
g Luc. 12. 49.
h Hom. 30. in Euãg. & hom. 2. & 5 & 8. in Ezech.
i homil. 6. in Matth.
k homil. 3. in Exo. & in Leuit. 4. & 1. in Psal. 30.
Cur Spiritus sanctus in ignis forma datus est.
Spiritus sanctus Patri Filióque consubstantialis.
l lib. de Bapt.
m Ezec. 9. & Mat. 3. & Iocl. 2. & Esa. 66.
n in Lucam.
o Ser. 108. de Temp. & 185.
p in hær. de labiis Eliæ carbone tactis.
q 1. p. de Præd. cap. 14.
r hom. de Purific.
f Ser. 2. de Purific.
t in orat. 2. de Pascha. Nazi.
u homil. 3. in Ezech.
x de com. eff. Patris. & c.

Ita prætereà multi accipiunt CHRISTI Baptismum in igni [y], vt aliàs diximus [z], & Cyrillus Ierosolymitanus [a] in penetrante vi ignis, vt sicut

y Mat. 3. 12.
z c. 1. vers. 5.
a Catech. 17.

A

ferrum totum efficit ignem feruens, & lucidum, ita SPIRITVS ſanctus cùm in animæ interiora ingreditur, comburat, deleátque ſpinas peccatorum, illã illuminet, eique gratiam præſtet, quam romphæa ignea intercluſerat [a].

a Gen.3.24.

Ignis forma declarat conuerſionē perſecutorum Eccleſiæ.

Importat prætereà ignis forma ſignificationem quandam aduerſùs perſecutores Eccleſiæ, & pro conuertendis, & aggregandis ad eam: conſumit enim, & conuertit. Indicat id Oecumenius. Chryſoſtomus verò [b] ait denotare excitamentum, & feruorem gratiæ, & peccatorum abſumptionem. Idem [c] rurſus vult igneis linguis deſignari velocitatem conceptionis animi in prædicatore, verbique prædicatione ſpinas concremari peccatorũ. *Sicut flatus*, inquit Auguſtinus [d], *à carnali palea corda mundabat, ita ignis ferrum veteris concupiſcentiæ conſumebat.* Idem habet Gregorius [e], & prætereà de incenſo amore DEI, & de zelo prædicatoris, & doctoris, *cuius*, inquit, *ſermo otioſus eſt, ſi præbere non valet incendium amoris. In dextera enim* DEI *ignea lex* [f]; *& Diſcipuli illi cor ardens* [g] *habere ſe dicebant, cùm loqueretur eis* CHRISTVS *in via.* Leo [h], *Vt verbum*, inquit, *Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectum, conſumendúmque peccatum, & efficacia illuminandi, & vis ineſſet vrendi*, nimirum ſpiritaliter, *noua lucis fulgura coruſcarunt, & micantium ſplendor linguarum.*

b homil.31.in Ioan.
c hom.de Pēt. tom.3.
d Ser.187.& 188.de Temp.
e homil.30.in Euang.& lib. 28.Moral.c.2.
f Deut.33.2.
g Luc.24.32.
h Ser.1.de Pētecoſt.

B

C

Tali ſigno vſus eſt DEVS non cum Moſe tantùm in rubo [i], vt dixi, verùm etiam ſuper ſacrificium Abel [k], vt placet interpreti Theodotioni, qui quod habemus, *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, vertit: *Et inflammauit Dominus ſuper Abel*: & Hieronymo [l], aliiſque: ſuper ſacrificium Abraham [m], Aaron [n], Gedeonis [o], Dauid [p], Salomonis [q], Eliæ [r], Nehemiæ [ſ] (quiddámque ſimile à dæmone DEI æmulo, ſuper profana ſacrificia factitatum Solinus [t] prodit) videlicet affirmare poſſumus ſummum Sacerdotem noſtrum ad PATRIS dexteram collocatum [u], vultuíque eius aſſiſtentem pro Eccleſia tota iuge ſacrificium ſemel in cruce cruentè peractum obtuliſſe, ipſámque ſimul Eccleſiã: PATREM verò igne immiſſo amorem ſuum teſtari voluiſſe: quámque gratè ſiue ſacrificium, ſiue pro quibus ſacrificatum erat, ſuſcepiſſet. Eſaias [x] prædicaturus, igne purificatur, Ieremias [y] eruditum ſe dicit *igne de excelſo in oſſa miſſo, ſéque* [z] *cùm minimè vellet, eo compulſum ad loquendum*: hoc eodem correptus SPIRITV peccator, audet docere [a] iniquos vias DEI. Occurrit modò illud quod eſt apud Homerum [b]:

i Exod.3.2.

Ignis de cœlo miſſus piorū ſacrificia cōſumēs Spiritus ſancti vmbra.

k Gen.4.4.
l in Tra.Heb in Gen.
m Gen.15.17
n Leui.9.24.
o Iud.6.21.
p 1.Par.21.26.
q 2.Paral.7.1.
r 3.Reg.18.38.
ſ 2.Mach.1.32.
t Polyh.c.11.
u Heb.7.

D

x Eſa. 6.6.& 7.
y Thren.1.13.
z Ier.c.20.9.
a Pſa.50.15.

—γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον. id eſt,

Linguas verò in ignem conijciebant. Nam veteres honori deorum linguas contribuebant, vt rem optimam: ſed eas amburendo, perperàm dictorum labes inuſtas expurgabant, inquit Rhodiginus [c].

b lege multa de hoc Gentilitiu ritu apud Euſtath. in 3. Odyſſ. longè poſt med.
c lib.13 c.5.
d cap.2.7.

Pro eo quod legimus in Geneſi [d], *Factus eſt homo in animam viuentem*, Chaldæus vertit, והוה אדם לרוח ממללא *vehauah Adam leruah memalela*, id eſt, *Et fuit homo in ſpiritum loquentem.* Recreari linguam oportuit per SPIRITVM ſanctum, quæ per peccatum lapſa erat.

E

Poſſum ignis qualitates myſticè transferre ad SPIRITVS ſancti dona & fructus, ſiue effectus: verùm in manibus ſunt, qui hæc perſequuntur, præter ſuprà citatum B. Bernardinum, Berchorius, & à S. Geminiano. Nil prohibet, quin hunc ignem SPIRITVS ſancti non fabuloſum è cœlo raptum à Prometheo, ſed verè diuinum à CHRISTO miſſum reuerſo in cœlum eſſe dicamus, cor eſſe cordis noſtri, & corporis, vt CHRISTVM caput, ac proinde illum ſurſum attollere cor calore ſuo, ſicut & propter natiuum præ ceteris animalibus in corde calorem cor homo erectum habet, auctore Ariſtotele [e], cetera animalia depreſſum.

e 3.de parti. animal.c.6.
f de cœle. hier.c.15.

Igni nihil ſit ſimilius reperitur.

Dionyſius [f] ſanctiſſimorum, qui de DEO locuti ſunt, virorum teſtimonio tradit, *inter viſibiles res Diuinæ proprietatis, ignem plurimas habere ſimilitudines, quoniam in omnibus eſt, & per omnia ſine vlla ſua admiſtione proficiſcitur, & ab omnibus prorſus excipitur: lucidiſſimus cùm ſit, in ſeipſo incognitus manet, niſi materia admoueatur; omnia vincit, & in ſe conuertit, & renouat; teneri, ac miſceri neſcit; ſemper mobilis, ac ſupera petens, &c. Quibus de cauſis diuinas*, inquit, *viri illi ſubſtantias ex igne maximè effinxerunt, vt illarum diuinam ſpeciem ad* DEI *imitationem tendere pro viribus indicarent.*

Ordo Angelorū nobiliſſimus Seraphim ab ardore dictus eſt.

g Hom.1.in Ezech.
h in Pſal.36. hom.1.
i c.1.7.13.
k in c.10.
l c.12.

Certè nobiliſſimus ANGELORVM ordo ab ardore & igne denominatus eſt, vt obſeruat Gregorius [g]; & prætereà cum Origene [h], ad idem propoſitum conſiderat animalia illa apud Ezechielem [i] *habere ſimilitudinem ignis, & ſcintillarum, & carbonum ardentium.* S. Thomas in Eſaiam [k], & in epiſtolam ad Hebræos [l], exponit de DEO proprietates ignis ſubtilitatem, lucem, calorem, leuitatem.

Gentiles plurimi ignē pro Deo coluerunt.

Gentiles non pauci ignem pro DEO coluerunt, quem cœlo lapſum iactabant, & perpetuum (quod Iudæis etiam iniunctum erat [m]) ſeruabãt. Id de Chaldæis exiſtimant, qui, quod Scriptura [n] dicit, Abram cum aliis *eductum de Vr Chaldæorum*, exponunt de igne, in quem Abram, & Aran, accuſante eos impio patre Thare apud Nemrod regem, coniectus fuerit, quòd more Chaldæorum noluerint ignem adorare: cuius Traditionis meminit Lyranus in Geneſim [o], & Hieronymus lib. de Traditionibus Hebraicis [p], & Rabbi Moyſes in ſuo Directorio [q], ex quodam libro perantiquo de Agricultura Ægyptiaca, & confirmari poteſt ex hiſtoria Eſdræ [r], vbi Leuitæ orantes inter alia dicunt: *Tu ipſe Domine* DEVS, *qui elegiſti Abram, & eduxiſti eum de igne Chaldæorum, & poſuiſti nomen eius Abraham* [ſ]. Tamen hîc ignis nomen, vel irrepſit ex margine in textum, tanquàm interpretatio nominis Vr, vel ponitur pro tribulatione, vt alibi in Scriptura: eſſe enim Vr vocabulum ciuitatis, & dictam traditionem ſibi non conſtare, demonſtrat Pererius noſter [t].

m Leui.6.12.
n Gene.11.31. & c.15.7.

Abram de Vr Chaldæorū quomodo ſit eductus.

o c.11.
p in Gen.
q lib.3.c.30.
r li.2.c.9.7.
ſ Gen.17.5.

Nobis autem ſufficit, quòd Chaldæi ignem coluerint. Et hoc ſatis indicant ritus illi impij traducendi filios per ignem, quaſi ita expiarentur ab illo, vt aliquo numine: de quibus ritibus libri [u] Regum, Paralipomenon [x], & Ezechiel [y].

t Tom. 2. in Gen. libr. 16 Diſp.13

Ritus impius traducendi filios per ignem vnde manarit.

u 4.Reg.16.3. c.17.17. & 21.6
x 2.Paral 28.3.
y c.16. 20.c. 20 31.

Hoc idem de aliis illum ſimiliter cœlo lapſum colentibus memorat Ammianus [z] Marcellinus, quem ſempiternis foculis cuſtodirent, cuiúſque portio exigua vt fauſta præiret Aſiaticis regibus. Prodit de Cappadocibus Strabo [a], apud eos Magos fuiſſe multos, quos Pyrethos vocabant, & Pyrethia ſepta ingentia, in quorum medio ara eſſet, in qua Magi & cinerem multum, & ignem inextinguibilem ſeruarent. Narrat is etiam de Pyræo, hoc eſt, igneo Athenarum propugnaculo, quod conditum erat in ſaxo vetuſto, ibique templum Mineruæ; & lucis inextinctæ lychnus, Virginúmque cuſtodum domus. Etſi Plutarchus [b] in Prytanæo ignem ſempiternũ cuſtoditum ſcribit à matrimonio ſolutis. De Ægyptiis refert Diodorus [c]: de Perſis idem Strabo [d], & Curtius [e], & Pauſanias [f], & Procopius [g]: de Romanis res compertiſſima eſt [h], à quibus ignis ille Veſta vocabatur,

Qui & quot populi ignē coluerint.

z lib.23.
a lib.15.
b in Numa & in Probl.c. 75.
c lib.1.
d ſuprà.
e lib.4.
f 1. Eliac.
g li.2.de bell. Perſic.
h Plutar.ſup. Virg. 4. Æneid. Ouid in Faſt. & alij plurimi.

quem

quem Vestales virgines curabant, & tuebantur. De Britannis Solinus [a], de aliis alij, quorum Tiraquellus illustrans Alexandrum ab Alexandro mentionem facit [b].

a cap.35.
b lib.12.c.12.

Sed antiquissima huius superstitionis origo à Chaldæis, vt dixi, manauit, de quorum Mysteriis Iamblichus disserens, *Sacerdos*, inquit, *ad ignem ascendit intelligibilem, quod tanquàm finis omni præsagio, sacrificióque debet esse propositum*.

Spiritus sancti illapsus per ignē indicatus.

Reperimus in Ecclesiasticis historiis, sancti SPIRITVS in aliquos aduentum ignis illapsu indicatum esse. Illustria exempla sunt in Anastasio [c] Presbytero, & in Episcopo [d] Formellense, dum vterque sacrificaret. Posset huc etiam referri visio SPIRITVS sancti exhibita Sergio patri sancti Romoaldi, vt est in huius vita [e]; & quòd Ephrem, teste Amphilochio, vidit in concionantis os Basilij igneam linguam intrare.

c in vita Basl.
d Baron.tom. 7.cum agit de Agapeto papa.
e cap.14.

Scitè Cyrillus Alexandrinus [f] respondet Iuliano, nō ideò nos abstinere à victimis, quòd ignis de cœlo non descendat super eas, sed quoniam vmbræ ac figuræ cessarunt, & in nostrum sacrificium descendit inuisibilis ignis, qui est SPIRITVS sanctus illustrans Ecclesiam. *Exorcismo tanquàm igne pellitur spiritus malignus, qui plerumque clamat*, ARDEO, inquit Augustinus [g].

f li.10.in Iul. *In nostrum sacrificium descendit Spiritus sanctus.*
g in Psa.65.

Spiritus sanctus sedit super Apostolos.

Seditque supra singulos eorum.] Syrus legit, ויתב vithebhu, id est, *sederūt*, linguæ videlicet. Si retineatur numerus singularis, aut de igne intelligendum erit, cui linguæ similes erant, aut de spiritu vehemente. Non de hoc loquitur sacer Scriptor, quoniam ventus non insidet, vel manet: & tota constructio violenta esset, & nimis remota. De igne autem loqui eum melius est, vt intelligamus, quoniam perinde est, ac si de linguis igneis, seu habentibus quandā similitudinem ignis loqueretur: vel verbum singulare non referetur ad linguas, sed ad rem significatam per illas, hoc est, ad SPIRITVM, vt Gagneius exponit. Cyprianus ait [h]: *Et visæ sunt illis linguæ diuisæ quasi ignis, qui & insedit in vnumquemque illorum. Sessio hæc*, inquit Nazianzenus [i], *regia in* SPIRITV *sancto dignitatis excellentiam designat, eiúsque super Sanctos requietem, quandoquidem* DEVS *quoque pro throno* CHERVBINOS *habet* [k]. Idipsum ibi interpres eius Nicetas obseruat, & Elias Cretensis exponens aliam eiusdem orationem [l], & Beda in hunc locum.

h in 3.Testim. cap.101.
i orat.44.de Pentecost.
k Psal.17.11. Psa 79.3.Eze. 10.3.& seq.
l ora.6.de Spiritu sancto.

In qua parte sederit Spiritus sāctus in forma linguarum.

Qua in parte corporis resederint linguæ igneę pro eo tempore, quo resederunt, quod sine dubio exiguum fuit, ex ipsa hac historia non constat. Tamen Patres affirmare videntur in capite, & est omninò verisimile: quamuis nonnulli indicant os siue labra, quasi se linguæ intra os linguámque insinuarent. *In specie linguarum ignearum*, inquit Cyrillus Ierosolymitanus [m], *sedit super illos, vt noua corona spiritales per linguas igneas imponantur capiti illorum*. Cæsarius [n] Nazianzeni frater comparans cum Ioanne Baptista Ioannem Apostolum, inter alia dicit: *Ille* (Ioannes Baptista) *diuinum & sacrosanctum* SPIRITVM *in specie columbæ* [o] *vidit tantùm super* VERBVM *in carne baptizatum ex cœlis volantem: hic autem* (Apostolus) *in specie linguæ ignis super suum ipsius proprium accepit caput vnà cum Condiscipulis in die Pentecostes*. Anastasius [p] Sinaita sessionem istam comparat cum eo, quod dicitur in Genesi, quòd [q] SPIRITVS *Domini ferebatur, seu incubabat super aquas, eas nempe cogens & vniens, quoniam aquæ populos Gentium præsignificabant; has verò linguæ insidentes super Apostolos destinatos ad prædicandum Gentibus*.

m Catech.17.
n Dialog.1.
o Matth.3.16. Ioa.1.32. Mar. 1.10. Luc.3.22.
p lib.3.in Hexam.
q Gen.1.2.

Ammonius [r] Alexandrinus sedisse linguas exposuit super capita, quoniam ordinabantur Apostoli orbis magistri; quæ ordinatio fit in capitibus: alludit nempe ad antiquissimum ritum, quo super capita eorum, qui ordinantur Episcopi, imponuntur Euangelia aperta, vt meminit Dionysius [s], Anacletus [t], Clemens [u], & alij, & habetur in Pontificali Romano.

r in Acta. *Apostoli per Spiritum sanctum ordinabantur orbis magistri.*
s cap.5.cœle. hierar.
t epist.1.
u 6.Const.c.2.

Ex sessione non colligitur stabilitas.

Non ducitur firmum argumentum ex sessione, etiamsi stabilitatem, firmamque SPIRITVS sancti mansionem cum Chrysostomo, & aliis interpretemur, pro confirmatione in gratia concessa Apostolis: de pluribus enim accipiendus est descensus hic SPIRITVS sancti, inter quos fortasse Nicolaus erat, qui à Diaconatu, & Fide defecit, iuxta nonnullorum sententiam. Potiùs id efficeret promissio CHRISTI [x]: *Ego rogabo* PATREM, *& alium Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum*, hoc est, perducendo etiam ad vitam æternam, vt Rupertus [y] exponit, & Toletus [z]; quamuis aliter alij. Et sanè non secus iisdem promisit fore [a], *vt vsque ad finem seculi cum ipsis esset*, hoc est, dum duraret mundus, præsideret toti Ecclesiæ. Quanquàm non dubitem Apostolos planè confirmatos esse in gratia. De ore duorū testium Enoch & Eliæ, cùm prædicabunt, exiet ignis [b], & deuorabit inimicos eorum. Sic primis his testibus contingere oportuit. Ambrosius [c] comparat cum igne illo sacro, quem absconderunt Hebræi, & cùm euasisset aqua, rediit in pristinam naturam [d].

x Ioan.14.16.
y ibidem.
z ibidem.
a Mat.vlt.20.
b Apoc.11.5.
c 3.offic.c.14.
d 2 Mach.1.

Cur Christus in specie columbæ non ignis Spiritum sanctum receperit.

Si quæras, cur super CHRISTVM SPIRITVS sanctus vt columba descenderit, non sub similitudine ignis, aut linguæ, Gregorius [e] respondet his verbis: *In columba super eum apparere debuit* SPIRITVS, *qui non veniebat, vt peccata iam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. Et contrà super Discipulos in igne debuit* SPIRITVS *sanctus demonstrari, vt hi qui erant simpliciter homines, atque ideò peccatores, eos contra semetipsos spiritalis feruor accenderet, & peccata, quibus* DEVS *per mansuetudinem parceret, ipsi in se per pœnitentiam punirent*. Non excludit tamen alios, qui SPIRITVM sanctum accipiunt, & columbinam simplicitatem ac puritatem cum ardore ęmulationis, quam indicat notari per serpentem, cuius prudentiam CHRISTVS [f] vult nos simul imitari. Est verò serpens igneæ, ac feruidæ naturæ, & partitam linguam quasi trilinguis habet.

e homil.30.in Euang.
f Mat.10.16.

Aliam causam innuit Cyrillus [g] Ierosolymitanus, vt columba designaret pueros, & innocentes, & pueros paruulos, qui nascuntur ex [h] SPIRITV sancto, & blandiore aquæ elemento: quasi ignis significet tribulationem, atque pœnitētiam, iam semel post regenerationis Sacramentum peccantibus necessariam. Denique in CHRISTVM non descendebat SPIRITVS sanctus, vt ascenderet, & veluti ab igne attraheretur, quia ipse DEVS erat, DEVS [i] *autem ignis consumens est*: non vt eū loqui doceret, quia *diffusa* [k] *erat gratia in labiis eius*; sed vt testimonium perhiberet de CHRISTO, cuius proprietas est, *mitem* [l] *esse & humilem*: simúlque id animal amoris symbolum, carmen semper amatorium immurmurans, amorē PATRIS (amor verò SPIRITVI sancto attribuitur) in CHRISTVM declarabat; necnon erga sponsam Ecclesiam [m], cuius in Baptismo personam CHRISTVS repræsentabat.

g Catech.17.
h Ioan.3.5.
i Deut.4.24.
k Psa.44.3.
l Mat.11.29. Esa.42.1.2.3.
m Cant.1.10.14.& c.5.2.

Quia tamen CHRISTVS repræsentat nos ipsos, non malè Robertus Olcot [n], vt igne splendorem

n lect.123.in lib.Sapien.

rem ſapientiæ,& potentiam contra perſecutores, & lingua eloquentiam;ita notauit patientiam columba deſignatam;vt Apoſtoli prædicarent Principibus per potentiam ; Philoſophis per ſapientiam;populis, qui eos non intelligebant, per donum linguarum ; & vincerent omnes tum dictis donis & virtutibus,tum in primis patientia.

a lect. 143. *Signum præſentiæ Spiritus ſancti quódnam ſit.*

Idem Auctor [a] ſignum præſentiæ SPIRITVS ſancti cognoſci ait, *Si iniurias dimittimus,quod denotat columba:ſi pœnitentiæ lacrymis irrigamur, quod nubes in Transfiguratione* [b] *:ſi deſiderium habemus rerum æternarum,quod ignis.* Arator [c], & poſt illum Beda atque alij dicunt columba ſignificari ſimplicitatem, & vnanimitatem : igne ſuccenſam fidem, & feruentem in docentium præſertim mente amorem , in ore ſermonem. Lege etiam Amalarium in lib. de Eccleſiaſticis officiis [d].

b Mat.17.5. c lib.1.in Act. d lib. 1.c.40.

Verſus 4.] Et repleti ſunt omnes SPIRITV ſancto,& cœperunt loqui variis linguis, prout SPIRITVS ſanctus dabat eloqui illis.

Apoſtoli non carebant Spiritu ſancto quando eum acceperunt. e Catech. 17. f Ser.3.de Pẽtecoſt. g epiſt.150.ad Hedib.q.9. h verſ.4.& 8. i Luc. vlt.49. k Pſal.67.12. l 1.Cor.12.9. m cap.2.28. n infrà 16.

ET *repleti ſunt omnes* SPIRITV *ſancto.*] Non carebant SPIRITV ſancto , vt notant Patres, præcipuè Cyrillus [e] Ieroſolymitanus, Leo [f],Hieronymus [g],& alij,& nos ipſi capite priore [h] , ſed maiore copia, & quantùm ad nouos quoſdam effectus eum acceperunt:quod exprimunt, vt indicat Hieronymus, illæ dicendi formulæ , *indui virtute* [i] ,&, *Baptizari* SPIRITV *ſancto , qui daret verbum euangelizantibus virtute multa* [k] , quæ dicitur [l] *operatio virtutum,& gratia ſanitatum* , &c. Et idem denotat effuſio promiſſa per Ioëlem [m], citata etiã à Petro [n]: & vox Baptiſmi denotabat futuram repletionem donorum , & ſtationem SPIRITVS ſancti ſuper Diſcipulos.

o cap.6.6.7. p ibid.4.

Eòdem ſpectat *purgatio labiorum per igneas , & diuiſas linguas , ad prædicandum,* Eſaiæ [o] inſtar purius Euangelium; item quòd non iam *ſuperliminare ſolùm commouetur* [p] , *domúſque repletur fumo* erroris,& tenebrarum,veríque ignorantia;ſed SPIRITV ſancto Eccleſia,vt SPIRITVS ſancti gratia, & feruore omnium credentium peccata purgentur, & igne SPIRITVS ſancti , quem Dominus miſſurum eſſe ſe dixerat [q],prædicatura CHRISTVM lingua ſanetur.

q Luc.12.49.

r Catech.17. *Cur Baptiſmi voce Spiritus ſancti aduentus declaratur.* ſ Ioan.7.39. t ibi.38.& Pſa. 147.18.

Videtur Hieronymus mutuatus hæc ex Cyrillo Ieroſolymitano,qui vim præſertim facit in voce Baptiſmi.*Vt enim is*,inquit [r] ,*qui mergitur in aqua, & baptizatur,vndique ab aquis circumdatur,ſic & illi à* SPIRITV *baptizati ſunt perfectè. Nondum erat* SPIRITVS *datus , quando non erat* CHRISTVS *glorificatus* [ſ]:tunc *flumina de ventre fluxerunt credentiũ,aquæ viuæ* [t], hoc eſt,copia donorũ ſpiritualium in intimo corde voluntatis , & rationis , & conſcientiæ, cùm ſcilicet CHRISTO per Aſcenſionem maximè glorificato, miſſus eſt in Pentecoſte SPIRITVS ſanctus. Sic Auguſtinus [u] *flumina* intellexit ; *etſi glorificationem Reſurrectionis dicat :* ſic Leo [x].Sed Aſcenſione maximè glorificatũ CHRISTVM interpretans , & quidem propiùs ad mentem CHRISTI , qui *ſi non abiret ipſe* , negauit PARACLETVM *venturũ* [y]. Minùs aptè qui de morte exponunt,licèt negandum non ſit,hanc quoque CHRISTI glorificationem fuiſſe.

u Tr.32.in Io. x Serm. 2.de Pentecoſt. y Ioan.16 7.

Spiritus ſancti infuſio , effuſio, & diffuſio quid ſint.

Richardus de S. Victore in præclaro Sermone, quem ſcripſit de miſſione SPIRITVS ſancti, accuratè tractat hanc materiam,& acutè diſtinguit ſancti SPIRITVS infuſionem , diffuſionem,effu-

A

ſionem. Prima eſt, etiamſi minùs influat liquor, quàm vas capere poſſit. Secunda, quando eò vſque profunditur, donec nulla eius pars vacua relinquatur.Tertia,quando quod infuſum eſt,ſuperfluit,ita vt aliis quoque proſit.

Plenus gratia & Spiritu ſancto quando quis dicatur.

Subdit præterea, SPIRITV ſancto, vel gratia plenum dici, qui talem tantámve accipit, ad qualem, quantámve habitudinis ſuæ capacitate idoneus eſt:ſicut vaſculum plenum dicimus,quando tantum capit, quantum capere poteſt, & plenus fons eſt, plenum flumen, pleni riuuli. Phraſi ergo Scripturæ , repleti SPIRITV ſancto dici videntur ij ſoli,quibus ita datur, vt redundet etiam foras in aliquo ſigno, vt Ioannes [z] Baptiſta etiam ab vtero matris,& beata Virgo [a], & mater Ioannis [b], & pater Zacharias [c]:ſeptem [d] Diaconi,Barnabas [e], & Petrus [f], & rurſus Diſcipuli [g],& Stephanus [h],& Paulus [i],ſiue Saulus;Diſcipuli [k] omnes Apoſtolorum.Neque tamen abſolutè loquendo, plus eſt eſſe plenum SPIRITV ſancto, quàm gratia:ſolum enim Stephanum [l],& MARIAM [m], & CHRISTVM [n] plenos gratia legimus, plures alios SPIRITV ſancto, non quòd SPIRITVS ſanctus, qui fons eſt , auctorque gratiæ, minor ſit gratia, ſed quoniam qui SPIRITV ſancto impleri dicuntur, non ipſo SPIRITV, ſed dono aliquo SPIRITVS, quod ſeſe foras prodat in ſigno aliquo mirabili, dicuntur impleri, tametſi etiam gratia ſimul iuſtificans dari intelligatur : qui verò gratia, ipſa præſertim iuſtificante, & aliis eius donis plenus eſt.

B

z Luc.1.15. a ibid.15. b ibid.41. c ibid.67. d Act.6.3.5. e 11.24. f 4.8. g 4.31. h 6.5. & c.7. 55. i c.9.17. & c. 13.9. k c.13.52. l c.6.8. m Luc.1.28. n Ioan. 1.14. *Plenum eſſe Spiritu ſancto, & plenum gratia, differunt.*

C

Hinc non ſequitur , Apoſtolos fuiſſe in gratia confirmatos.

Hinc colligimus primò, non ſatis poſſe ex iſta repletione , Apoſtolorum in gratia confirmationem (quod Carthuſianus tamen contendit) probari ; ſiquidem non reſtringitur ad ſolos Apoſtolos, ſed extenditur quoque ad alios, ex quibus, vt diximus, Nicolaus fuiſſe videtur, quem nonnulli reprobum putant.

Apoſtoli fuerũt in gratia confirmati. o lib.de bened.Patriarc. c.4. p Hom.17. *Sola Virgo immunis à peccato veniali iuxta fidem.* q Seſſ.6. can. 23. *Ioannes Baptiſta talis eſſe creditur* r lib de nat. & gra.c.36. ſ lib.de Spi. & lit.c.2.& ep.95. t lib.7.c.9. u opuſc.2.de CHRISTI prædeſt.

Quanquàm de ea confirmatione nullus dubitat, & apertè inter alios affirmat Ambroſius [o]. Et ſi quis negat ſecuros fuiſſe de gratia , vt Macarius [p] Ægyptius , intelligendus eſt de quadam iactura non gratiæ in ſe, ſed feruoris ipſius per peccata aliqua venialia, à quibus ſolam beatam Virginem certum eſt immunem fuiſſe,iuxta mentem Concilij Tridentini [q], & doctrinam Auguſtini [r] : quamuis de aliis neque Concilium neget, neque Auguſtinus [ſ] : immò de Ioanne quoque Baptiſta Galatinus oſtendit [t] , Catharinus [u] , & Driedo [x] ait poſſe defendi, Patreſque aliquando inſinuant, vt Gregorius [y] , & Beda [z] , & ſic credi communiter ait Abulenſis [a]. Certè diſſenſio Pauli cum Barnaba [b], & alia cum Petro [c], non videtur caruiſſe aliqua culpa veniali.

D

Non omnes æqualiter Spiritum ſanctum acceperunt. x li.de gra.& lib. arb.c.5.& 2. y 3. Moral.c. 4.vel 5. z ho. de decolla. Ioan. Bapt. a Matt.14.4 40. b Act.15.39.

Deinde colligimus non etiam ſequi, omnes, qui modò hanc SPIRITVS ſancti plenitudinem acceperunt, æqualiter accepiſſe, ſaltem ſi non de dono linguarum, aliiſve donis gratis datis agatur, quæ æqualia fuiſſe nihil vetat , ſed de gratia gratum faciente , ſiue iuſtificante, quæ concedi ſolet iuxta quantitatem , & qualitatem diſpoſitionum in vnoquoque , quam in beata Virgine fuiſſe maiorem omninò credo, & in nonnullis , etiam ex aliorum numero , quàm in aliis, veriſimile eſt.

E

Effectũ ſacramenti Confirmationis nunc ſunt conſecuti. c Gal.2.14.

Præterea, probabile eſt proprium ſacramenti Confirmationis effectum,qui ſolet per id ex opere operato concedi, ſaluo tamen augmento pro ratione operis operantis , & diſpoſitionis , communicatum nunc eſſe ſine viſibilibus ſignis, aut

materia

materia, aut forma eiusdem sacramenti; ita vt oleo & balsamo, seu chrismate ex his confecto respondeant linguę igneæ. Nam vt per ignem in Scriptura significatur sapientia illuminãs, & charitas feruens; sic per oleum & vnctionem. Vt propterea [a] CHRISTVM PATER *vnxisse dicatur* SPIRITV *sancto, & virtute*; & Ioannes Apostolus doceat [b], *quòd vnctio eius docet nos de omnibus*: simulque oleum illustrat, fouet, emollit, penetrat, corroborat. Et quemadmodum per linguam formatur vox, eóque modo prodit foras confessio Fidei; ita balsami odor dum diffunditur, eandem Fidei protestationem denotat. Congruit huic coniecturæ nomen virtutis, qua induendos CHRISTVS Discipulos promiserat [c], & qua ipsummet à PATRE vnctum, Petri verbis paulò antè retulimus.

a Act.10.38. *Christus quomodo sit vnctus à Patre per spiritum sanctum.*
b 1.epi.2.27.
c Luc.vlt.49.

Confirmationis nomen & effectus.

Confirmationis verò sacramentum ita nominatur à firmitate, & viribus, & quasi armis, quibus Christianum ceu militem ad spiritale bellum pro Fide instruit, & ad fortiter tolerandas pro eadem persecutiones. Hæc tradit Hilarius Arelatensis [d], qui ab aliis dicitur Eusebius Emissenus, tum de effectu sacramenti istius, tum quòd idem nunc per eum conferatur, quod tunc per SPIRITVS sancti in Discipulos illapsum: de effectu verò loquitur eodem modo Melchiades Papa [e]. Lege Bellarminum [f], & S. Thomam [g]. Verùm de hoc sacramento rursum in capite VIII.

d hom.de Pentecost.
e in epist. de consec. dist.5. c.Spiritus sanctus.
f tom.2.li.de sacram.Côfir. cap.1.
g 3.p.qu.72.a. 2.ad 1.

Nec verò error hic refellendus, cuius pridem antè mentionem fecimus, & meminit inter alios Augustinus [h], PARACLETVM, quem CHRISTVS promiserat, Paulo ante omnes primo datum, vel Montano cum Priscilla, vel Manichæo. Non item reor, nunc primùm Dæmonum principem ligatum in abysso [i], prout Rupertus tamen tradit [k], nisi hunc de manifestiore quodam vinculorum effectu interpretemur: credimus enim tum saltem in vincula coniectum, quãdo CHRISTVS confixus est in cruce.

h de agone christiano.ca. 28.
Dæmon quando in vincula coniectus sit.
i Apoc.20.2.
k li.10.in Ioa.

Christi diuinitas post aduentũ Spiritus sancti maximè claruit.

Apparuit nunc misso SPIRITV sancto, & deinceps CHRISTI diuinitas longè magis, quàm priùs per quæuis alia seu argumenta, seu miracula, nec licuit ita Iudæis aduentum illum SPIRITVS sancti in Pentecoste calumniari. Demõstrat hoc Laurentius Gulielmus Sauonensis ex ordine S. Francisci, tribus vltimis capitibus libri tertij de Triumpho Diuinitatis CHRISTI, cuius opus, vnà cum aliis similis argumenti, manuscripum legi in Bibliotheca Collegij nostri Romani.

Persona Spiritus sancti substantialiter communicata non est.

Postremò colligimus, plenitudinem istam SPIRITVS sancti non in eo consistere, quòd ipsamet persona SPIRITVS sancti substantialiter communicata sit: nec enim intelligitur, quæ alia esse possit substantiæ DEI communicatio substantialis, quæ creaturæ fiat, quàm in persona: constat verò solam FILII personam communicatam esse hypostaticè per Incarnationem; & cõmune Theologorum axioma est, opera omnia externa, quæ nempe extra DEVM sunt, communia esse tribus personis S. TRINITATIS.

Error Magistri sententiarũ. Spiritum sanctum esse charitatem.
l 1.dist.17.lit. B, & S.
m Rom 5.5.

Quare passim refelli solet Magister sententiarum [l], SPIRITVM sanctum esse, quo diligimus DEVM, & proximũ, ita vt ipsemet hos actus operetur immediatè, aliarum verò virtutum per virtutes. Nam, omissis aliis argumentis, Paulus ait [m], *Charitatem diffusam esse in cordibus nostris per* SPIRITVM *sanctum, qui datus est nobis*, virtutem charitatis distinguens à SPIRITV sancto; & ponit charitatem inter fructus SPIRITVS sancti [n]. Plura dixi in Disputatione de Charitate, & de Gra-

n Gal.5.22.

A tia: & lege Gregorium de Valentia [o], in secunda secundæ, & Bellarminum in controuersiis [p]: qui bene respondent ad testimonia Scripturæ, & Patrum, præsertim Augustini, DEVM dici charitatem [q], sed qua nos diligit, &c.

o Disp.3.q.1. puncto 1.
p li.1.de grat. & libe.arb.c. 1 & 2.
q 1. Ioa.4.16.

Videtur tamen idem Augustinus, & alij quidam agentes de SPIRITV sancto dato in Pentecoste (alia enim difficultas in quolibet tempore, & iusto locum habet) velle secundùm præsentiam, & essentiam, ac substantiam datum esse, priùs autem, vel posteà, solùm per dona. Etenim Nazianzenus [r] postquàm dixit SPIRITVM sanctum datum & ante Passionem, & post Resurrectionem, & tandem in Pentecoste, subdit:

Quinam Patres dicant Spiritum sanctum in substantia Apostolis datum.
r orat. 44.de Pentec.

B *Verùm obscurius primùm in eis efficax erat, secundo expressius, nunc verò plenius, vtpote qui non iam actu præsens sit, vt priùs, sed essentia, vt sic loquar, adsit, similq́; versetur.* Augustinus [s], *Affuit ergo*, inquit, *in hac die fidelibus suis non iam per gratiam visitationis, & operationis, sed per ipsam præsentiam maiestatis, atque in vasa non iam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit vnguenti.* Didymus [t] SPIRITVS sancti diuinitatem probat, quia eo Apostoli, aliique scribuntur fuisse impleti: *Nemo autem*, inquit, *siue in Scripturis, siue in consuetudine plenus creatura dicitur.*

s Serm.185.de Tempor.
t lib.1.de Spiritu sancto.

Hæc sunt loca Patrum, hique Patres, qui maiorem in hac re difficultatem facere videntur, alia enim eorundem testimonia, aliósque Patres prudens omitto, in quibus facilior est intelligentia.

C Eadem porrò solutio afferenda est, quæ ab interprete [u] Nazianzeni scitè sanè & accommodatè affertur. *Quòd autem dixit*, inquit, *Auctorem exponens (vt sic loquar) ad præmolliendum hanc vocem (essentialiter) dixit, vt minus propriè atque exactè prolatam, propter aptioris dictionis penuriam. Neque enim essentialiter cum* FILIO SPIRITVS *sanctus in Apostolis habitauit, verùm per Diuinam inhabitationem, igneásque linguas, atque afflatum illum, per quem nihil non poterant, sanctique* SPIRITVS *expletionem dicere quispiam posset, eum essentialiter cum ipsis esse, ac versari. Nam cùm* FILIVS *corpore sensibili atque conspicuo nobiscum consuetudinem habuisset* (eadem habet ipsemet Nazianzenus) *par erat, vt* SPIRITVS *quoque corporaliter appareret, quemadmodum etiam apparuit primùm in forma columbæ, nunc in forma linguarum ignearum.*

u Niceta.

Quid est essentialiter Spiritũ in Apostolis habitare.

D *Et cùm* CHRISTVS *ab iis, quæ humanitatis assumptæ conueniebant post Resurrectionem ad ea, quæ* DEO *conueniebant, reuersus esset, suaq́; gloria, quam ante susceptum salutis nostræ negotium habebat, restitutus esset, &c.* SPIRITVM *ad nos post* CHRISTVM *descendere oportebat.* Huc vsque Nicetas, qui cùm de reuersione CHRISTI eo modo loquitur, eget & ipse commoda interpretatione, de statu prorsus libero à conditione mortali, &c. Eodem modo paucis verbis respondere videtur Augustinus [x], cùm ait, *quòd ante Pentecosten, & Resurrectionem habebant Discipuli* SPIRITVM *sanctum occultè, non manifestè atque euidenter, seu in signo visibili*, propter quod signum quodam modo dici potest SPIRITVS sanctus datus essentialiter, & substantialiter; neque

x tract.74.in Ioan.

E proptereà tamen nõ reipsa tanquàm efficiẽs causa donorum præsens erat PATER, & FILIVS, sed per attributionem, sicut eorum efficientia, ita & ratione eorum, præsentia peculiaris fuit SPIRITVS sancti. Vnde alio loco idem Augustinus [y]: *Quis porrò*, inquit, *audeat opinari, nisi quisquis inseparabilitatem penitus* TRINITATIS *ignorat, quòd in aliquo habitare possit* PATER *&* FILIVS, *in quo non habitet* SPIRITVS *sanctus, aut in aliquo* SPIRITVS *sanctus, in quo non sit* PATER *&* FI-

y epist.57. *Pater & Filius in quo habitant, in eo Spiritus sanctus habitat.*

LIVS?

Solus Deus implet creaturas.

LIVS? Didymus denique seipsum optimè explicat, dicens *plenos nos dici non posse aliqua creatura, sed* DEO, *&* SPIRITV *sancto, quia hic solus est, qui implet vniuersas creaturas, & qui pleni sunt eo, eum consummatè acceperunt: implet autem non seipso formaliter, & substantialiter, sed dono quod producit.* Certè ante Pentecosten plena erat SPIRITV sancto Elizabeth, filius, ac vir eius: non ergo proprium est festo Pentecostes, vt propter plenitudinem SPIRITVS sancti, dicatur aduenisse substantialiter. Lege S. Thomam [a], qui hoc idem rectè docet, simul tamen contendens dari ipsam personam, sed non ita vt substantialiter vniatur. Gregorius [b] legit hunc locum quasi dicatur quòd SPIRITVS sanctus cecidit; casum verò interpretatur inopinatum aduentum; sicut & cùm verbum super quempiam Prophetam cadere dicitur.

a 1. part. quæst. 43 art. 3.
b 2. Mor. c. 21. vel 30.

SPIRITV *sancto.*] Occurrit hactenus non semel nomen hoc SPIRITVS sancti, de quo præter dicta superiùs [c], hæc accuratiùs notanda sunt. Quid nomen spiritus solitariè sumptum significet, notissimum est, & ex substantia pertenui, quāuis materiali, qualis est aër, & halitus, & ventus; quales etiam qui in animali dicuntur animales, aut vitales spiritus; translatum est ad significandum rem omninò immaterialem, & incorporeā. Idcirco argumentabatur CHRISTVS [d]: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet.* Ne me videlicet aut Angelum, aut animum esse arbitremini: intelligit enim genus per speciem, hoc est, omne corpus.

c cap. 1. 8.
Nomen spiritus quid significet.
d Luc. vlt. 39.

C Non rarò sumitur pro voluntate, & pro animo, seu mente, vt omittam iram, extasim, vim ad aliquid, gratiam seu donum spirituale, vel DEI reuelationem, & sensum, scientiámve, aut legem, ac statum spiritualem, & Diabolum; quarum acceptionum in Scripturis loca notat Emmanuel Sà in Indice; & multas huius vocis significationes Nazianzenus [e], quòd ab aliis anteà expositæ sint, omittere se profitetur: afferunt verò, præter Eliam Nazianzeni interpretem Didymus [f], Cyrillus [g] Ierosolymitanus, Basilius [h], & alij.

Spiritus pro voluntate & animo sumitur.
e oratio. 6. de Spir. sancto.
f li. 1. de Spir. sancto.
g Catech. 16.
h lib. 7 contr. Eunom.

D Cur verò tertiæ personæ TRINITATIS nomen SPIRITVS sancti, quod de PATRE & de FILIO propriè dici posset, tributum sit, Augustinus [i] causam reddit, vt ex nomine, quod vtrique illi conuenit, vtriusque communio significetur, quorum & donum dicitur. Consentit etiam Rupertus in Ioannem [k], & Alcuinus lib. de Trinitate [l]. S. Thomas [m] præter istam rationem, aliam etiam assignat, quoniam proprium est amoris, per quem SPIRITVS sanctus procedit, quòd moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum. Nomen autem spiritus in rebus corporeis impulsionem, & motionem significare videtur: sanctitas verò illis rebus attribuitur, quæ in DEVM ordinantur, & amoris est omnia in DEVM referre. E Ade quòd ad voluntatem, quæ est prima virtutum sedes, pertinet sanctitas: per voluntatem verò procedit SPIRITVS sanctus, & quod, vt Elias [n] ait, SPIRITVS sanctus sanctificet, & sanctitatis fons sit.

Cur nomen Spiritus sancti sit tertia Trinitatis persona proprium.
i 5. de Trin. c. 11. & 15. c. 19.
k cap. 4.
l lib. 1. c. 6.
m 1. p. q. 36. a. 1
n in Nazian.
Spiritus nomen [illegible] spiritum sanctum denotat.

Sunt qui volunt, nomen spiritus absolutè positum, & maximè cum articulo Græco τὸ πνεῦμα, significare semper in Scriptura SPIRITVM sanctū. Id videtur sētire Athanasius [o], Didymus [*], Hieronymus [p], Augustinus [q], qui tamen Augustinus loquitur de SPIRITV DEI, aut Domini, cum quo addito, SPIRITVM sumi semper pro tertia persona TRINITATIS, docet Basilius [r]. Hoc quidem

o lib. de Spir. sancto.
* lib. de Spir. sanct.
p Mich. 2.
q 1. ad Simp. quæst. 1.
Spiritus Dei vel Domini significat spiritum sanctum.
r hom. 2. Hex.

A concesserim; attamen spiritum absolutè poni aliquando reperio pro malo, & mendace [s].

s 3. Reg. 22. 21.

Interdum SPIRITVS sanctus non suppositum significare videtur, sed aliquod creatum donum, vt cùm Dauid [t] orans ait: SPIRITVM *sanctum tuum ne auferas à me*, etsi sensus quoque esse potest de tertia ipsa persona TRINITATIS, cui diuina in homines inspiratio, & afflatus per attributionem adscribitur.

Spiritus sanctus non suppositum, sed creatum donum quandoque significat.
t Ps. 50. 13.

B Quoties autem SPIRITVS sanctus pro supposito diuino accipitur, tertiam personam significat iuxta magis communem sententiam: à qua recedit Abulensis [u], docens, cùm CHRISTVS de SPIRITV sancto conceptus dicitur [x], intelligi totam TRINITATEM, seu substantialiter, non personaliter nomen intelligi. Immò addit, quandocumque fit mentio in Scriptura de SPIRITV sancto, nisi simul exprimantur aliæ personæ, aut aliqua illarum, iam dicto modo SPIRITVM sanctum nos intelligere debere. Agnoscit tamē contrariam opinionem esse, vt dixi, communem aliorum Doctorum tam antiquorum, quàm recentiorum, proptereáque illam reuerenter recitat, & exponit, vt sciamus, quomodo SPIRITVI sancto Incarnationis opus deputetur. Iustinus [y] quidem SPIRITVM *sanctum, quem superuenturum Gabriel in* MARIAM *pollicitus est* [z], interpretatur ipsummet FILIVM DEI, qui posteà quoque vocatus sit *virtus Altissimi obumbrans.* Verùm vt secundum, quod plures habet assertores, quos illius loci Interpretes, vt Maldonatus & Toletus, proferunt, concedatur, primū aduersatur cōmuni sententiæ.

Spiritus sanctus [illegible] substantialiter [illegible] S. Thomas [illegible] sumitur.
u Mat. 1. q. 41.
x Matt. 1. 18. Luc. 1. 35. & in Symbolo.
y Apolog. 2
z Luc. 1. 35.

Et cœperunt loqui variis linguis.] Potest hoc dici per Anticipationem, ita vt non in cœnaculo ipso loqui cœperint, erant enim omnes Galilæi, aut Iudæi. Potest quoque fieri, vt ibidē locuti sint, propter vim magnam SPIRITVS, & quoniam inter illos erant, qui plures linguas callebant, vt Barnabas Cyprius [a], Nicolaus Antiochenus [b]: & deniq; pro vario SPIRITVS sancti instinctu, hic vna sibi priùs ignota lingua loquebatur, & ab illo intelligebatur, qui vel anteà tenebat eandem, vel etiam ignorabat. Hæc posterior sententia verosimilior est, neque vidi, qui contradicat: & fauet quòd cœpisse dicuntur, quasi SPIRITVS sancti effectus ibi prodierit, & foras deinde eruperit.

Vbi Apostoli variis linguis loqui cœperint.
a Act. 4. 36.
b infra 6. 5.

Non potest se continere SPIRITV sancto plenus, quin diuina loquatur, & exclamet, vt videre fuit in Prophetis, in vtroque parente Ioannis [c], in sene Simeone [d].

Spiritu sancto plenus non potest continere, quin diuina loquatur.
c Luc. 1. 42. & 67.
d c. 2. 28.

Variis.] Ἑτέραις, *aliis, & diuersis, & externis.* Syriacè, בלשן לשן *beleschan leschan*, id est, *lingua & lingua.* Hebraismus est, quo nunc hac lingua, nunc illa Apostoli locuti perhibentur, & singulis linguarum generibus. Quo fit, vt donum linguarum in hoc fuerit, vt loqui possent distinctis linguis, non autem vt semel, ac simul vnius tantùm voces formando, à diuersarum linguarum hominibus intelligerentur: quanquàm ne id quidem negatum fuit, quando necessitas exigebat, vt fortasse quando Petrus conuertit modò tria [e], modò quinque millia [f].

In quo positum donum linguarum fuit.
e Act. 2. 41.
f infrà 4. 4.

Arnobius [g] de CHRISTO affirmat, cùm concionaretur, simul intellectum esse à diuersarum linguarum hominibus; sanctus verò Thomas [h] dono ipso linguarum, quod habebat, non esse vsum, quia solis Iudæis prædicabat.

Christus habuit linguarum donum.
g 1. contra Gentes.
h 2. 2. q. 176. art. 1. ad 2.

Vtrumque doni linguarum nunc dati modum concedit Glossa vtraque in hunc locum, & Beda; B. quoque Thomas in Summa, Nazianzenus so-

lum

lum primum modum admittit,necnon hoc loco Caietanus,quoniam censendum potiùs esset alioqui miraculum in audientibus,quàm in loquentibus,& loquẽtes existimati sunt ebrij, nempe quasi qui distinctis linguis loquerentur. Lege etiam Viguerium in Institutionibus [a]. Secundum modum sequitur Carthusianus, & satis indicat Cyprianus [b], Chrysostomus quoque & Oecumenius, præterea Basilius [c] Seleuciensis,& Arator [d].

Negat Chrysostomus sciisse Discipulos quid esset verbi gratia, Parthicè loqui, sed eos qui audiebant: & Oecumenius solam à Discipulis rem ac sententiam, quam loquebantur, cognitam esse, seu magnalia DEI. Vtitur Carthusianus exemplo manna [*], cuius erat non in seipso varius sapor, sed in gustantibus: ad quod manna quodammodò alludere voluisse videntur mirabundi auditores,cùm dixerunt inferiùs [e]: *Quidnam vult hoc esse?*

Conciliandæ sunt opiniones ad eum quem dixi modum:præsertim cùm qui vnam aliquam tradunt vno loco, alibi aliam etiam concedant, vt Chrysostomus, qui de distinctis linguis distinctè, & clarè docet [f]. Sed cùm præcipuus effectus doni linguarum,in distinctarum linguarum vsu versetur,hinc factum est, vt effectum istum Patres, vt plurimùm, solum expresserint, vt præter citatos, Ambrosius [g], Augustinus [h], Leo [i], Chrysologus [k], Gregorius [l], Cyrillus [m] Ierosolymitanus.

Comprobatur hoc ab Ambrosio ex Psalmo [n]: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*:à Nazianzeno ex testimonio Prophetæ [o], *Quoniam in alijs linguis, & in labiis aliis loquar populo huic*, quem Prophetam Chrysostomus Esaiam nominat: &, quod magis est, Paulus [p] tanquàm in lege scriptum profert, sumens ibi legem pro toto veteri Testamento, & intelligens Esaiam, in quo similia planè leguntur nunc in capite 28. [q] vbi Cyrillus ad hoc propositum exponit, & Chrysostomus in demonstratione quòd CHRISTVS sit DEVS. Lege Leonem Castro in Esaiam, qui citat præterea Tertullianum [r], adde Epiphanium in hæresi Marcionis [s], & Haymonem [t].

Accedit quod Paulus de seipso testatur: *Gratias ago DEO meo, quòd omnium vestrûm lingua loquor*: & quoties de dono linguarum meminit, id describit tanquàm facultatem diuersas linguas formandi [u]. Et ita etiam supponit hæc eadem nostra historia agens de eodem dono concesso Centurioni, & aliis [x], atque Ephesiis quibusdam [y]. CHRISTVS item,cùm inter signa, quæ eos qui crederent sequerentur, hoc posuit: *linguis loquentur nouis* [z].

Præcipua quidem causa collati huius initio doni fuit,propter prædicationem, sed simul etiam vt conuenientes in vnam Ecclesiam gentes inuicem se intelligerent,meliúsque consociarentur.

Quocirca nemo dubitet B. Virginem gratia hac gratis data donatã esse,quod affirmant disertè Albertus [a], & B. Antoninus [b], eliciturq; ex eorũ sententia,qui illam omnium,qui eius ætate viuebant, oraculum ac magistram nominant, ad quam vndique vel venerationis vel doctrinæ causa concurreretur. Ignatius [c] nostræ religionis magistram vocat:Rupertus [d] Apostolorum:Ambrosius [e] Ioannis: Bernardus [f] Euangelistarum.

Immò valdè probabile est, pridem antè in B. Virgine fuisse linguarum donum,eoque vsam esse tum excipiẽdo Magos [g], tum cùm in Ægypto peregrinata est [h]. Ita sentit Suarez [i], meritò Caietanum [k] reiiciens negantem habuisse B. Virginem vsum huius gratiæ. De Magdalena cum sodalibus idem existimo, quos historiæ produnt in Massiliense littus eiectos Euangelium prædicasse.

a c.9.§.1.v.8. b Ser.de Spir. sancto. c Sermo.de S. Innoc. Tom. 6. Surij. d li.1.in Acta. *Manna quomodo figuram doni linguarũ gesserit.* * Exod.16.14. Sap.16.20. e vers.12. f hom.35. in 1.Corin.13. & hom. Quòd Christus sit Deus.& hom. de Spiritu sancto. g Ser.62. h Tract.93.in Ioan. i Sermo.1.de Pent. k Serm.83. l hom.30. in Euang. m Catech.17. n Ps.18.4. o Esa.28. p 1. Cor. 14. q vers.11. r 5.cont.Mar. s Confutat. t in 1.Cor.14. *Probatur donũ linguarũ fuisse ... distinctarum linguarum.* u 1.Corin.12. x 10.c.11. y c.14.4.& 19. z c.16.17. ... *dono linguarum prædicauerunt Apostoli.* *Virgo dono linguarum ornata.* a ... par.sum. b ...c.19.§. ... c ... d in Cãt. ... e ... de institut. ... *Ante B. Virgo donum linguarum habuit.* g Mat.2. ... h ... i ... q.17. ...

A B C D E

Ceterùm tot linguarum impertita cognitio est, quot in orbe erant, non quot duntaxat Ierosolymis,vt innuit Glycas [l] ex auctoritate Chrysostomi. Pacianus [m] enumerans cẽtum viginti [n], respectum habuisse videtur ad congregatos in cœnaculo, quasi non singuli omnes, sed tantùm singulas acceperint. Non possumus exactè scire, quot in linguas [o] labium illud vnum linguaque vna ante turrim Babel quasi dissecta fuerit: Ecclesia ait in infra actionem Missæ de Pentecoste, *innumeras* fuisse, id est, multas numero indefinito. Ambrosius [p] *concessum affari loquelis omnium nationum, quæ igneæ essent; vt non esset dubium per diuinam inspirationem animis fidelium vtilem affectum, rationabilem sermonem ministrari, non minus in pace,quàm in tempore tribulationis, pro quo* CHRISTVS *promisit* [q].

Falsa verò est Philastri [r] opinio, quam, vt ille contrariam, damnat Alphonsus [s] à Castro,velut hæreticam; reuerà plura idiomata semper fuisse, quia tamen omnia omnes intelligerent tanquàm vnum habitum esse. Nam licèt vulgo duæ ac septuaginta censeantur ab Hebræis, & ex nostris ab Epiphanio [t], Hieronymo [u], Augustino [x], Prospero [y], Arnobio [z], & Clemente [*] Alexandrino,& Beda [a], Adone [b], & aliis:attamen idem Clemens [c] recitat Euphori, aliorúmque historicorum opinionem de septuagintaquinque linguis. Origenes [d] tam multas inducit, quàm erant gentes multæ, quibus Angeli præsides illa indiderunt, quarum gentium numerum definire perdifficile est: qua de re consule Pererium [e], atque etiam Cardanum [f], & antagonistam eius Scaligerum [g], Genebrardum in Chronologia, Petrum Bongum [h], qui eas distinctè numerat, sicut & Auctor [i] altercationis Ecclesiæ & synagogæ.

Gentiles ipsi nescio quid odorati ex vetere vel fama,vel Scriptura de confusis linguis hominum, insigni epitheto hominem μέροπα appellauerunt, hoc est, voce diuisum, vt Epiphanius [k], & Hesychius [l] annotauerunt. Etsi alij rationem nominis dant articulationem vocis [m], & proprium voci cuiusque hominis sonum. Nicolaus de Cusa [n] ait *adeò fuisse copiosam primam dicendi artem ex multis synonymis, vt omnes, quæ sunt posteà diuisæ linguæ, continerentur in ipsa, ipseque Adam, si quis iis loqueretur, omnes intelligeret, cùm omnia vocabula imposuerit, & multis peritia linguarum subitò concessa sit.* Hæc mihi cuncta dubia sunt: nec satis mihi persuadeo tam varias linguas in vna illa, qua loquebatur Adam & posteri ante diuisionem ipsarum, contentas aliter fuisse, quàm vt in matrice, atque confuso quodam modo: sed & incertum valdè, an Adam linguarum donum habuerit, quæ tunc non erant distinctæ. Nomina verò, quæ ipse indidit, proculdubiò eius duntaxat erant linguæ, qua loquebatur.

Constat tantam linguarum multitudinem & perturbationem superbiæ atque coniurationis hominum iustissimum à DEO supplicium immissum [o]. Decuit igitur ad confœderandos in vnam spiritualem quasi arcem Ecclesiæ populos, distinctarum cognitionem linguarum communicari, vt à compluribus Patribus obseruatum est,præsertim à Nazianzeno [p], Cyrillo [q] Ierosolymitano, Augustino [r], Cypriano [s], Gregorio [t], Aratore [u], Nysseno [x], Chrysostomo [y], Hieronymo [z].

k 3.par. q.27. art.5. *Apostoli receperunt tot linguarum donũ, quot in orbe erant.* l in Annal. m epistol. ad Sympron. n Act.1.15. o Gen.11.1.& c.10.5. p ep.31. q Matt.10. r de hæres.c. 106. s contra hæt. verbo, lingua. t in Panario. sub princ. u in c 26.Mat. & Psal.44. x 16. de ciui. c.3. y 2. de vocat. Gent.c.4. z in Ps.104. * 1.Strom. a libr. de sex ætatib. b in Chron. c supra. *Quot linguarũ genera fuerint, quãdo primum facta est linguarum diuisio.* d hom.11. in Numeros. e Tomo 2. in Gen.lib.16. Disput.10. *Homines cur μέροπες dicti.* f 12. de subtil. & 17. de variet.rerum. c.95. *Nicolaus de Cusa de prima lingua coi...a quid senserit.* g exercitat. 259. h lib. de myster. numer. cùm de 72. i cap.7. k in Pana. anaceph. l in Lexico. m Schol.Homil.Iliad.1. n in compẽdio.c.3. o Gen.11.6.7. 8. p orat.44. de Pent. q Catech. 17. *Linguarũ confusio cur facta.* r Ser. 187.de Temp. s Ser.de Spi. sancto. t hom. 30.in Euang. u li.1.in Acta. x orat.de S. Steph. y hom.35.in 1.ad Corint. z in cap.1.ad Ephes.

Alterius vitæ lingua qualis futura.
a c.3.9.
b in Sophoniam.
c hom.1. in Numeros.
d in 1.ad Cor. c.13.
e dist.31. & 32.
f dist.49.
* in Harm. cant. 3. modul.11. cōc.2.
g lib.12.c.4.
h in institu.
i lib.de laud. trium liliorū.

A Non est præsentis, sed futuræ vitæ *labium in omnibus vnum à* DEO *promissum* apud Sophoniā[a], quam linguam Hebræā interpretantur non Rabbini modò, teste Hieronymo[b], & Origene[c], & Haymone[d], verùm etiam Ioannes Maior[e], & Michaël Palatius[f] in tertium Sententiarum, Sotus in quartum, Georgius Venetus*, Bonauentura Bertramus in cōparatione linguæ Hebraicæ, & Aramicæ, Petrus[g] Galatinus, Ioannes[h] Viguerius, Vitualdus de Monte Regali[i], Ioannes de Selua[k], Petrus Bongus[l].

Linguarum diuersitas cur mãserit post Spiritus sancti missionem, & ad quid sit vtilis.
k Clemen. de Mag.
l de myst numer. tract. de vnitate.
m 2. de voca. Gen.c.4.
n Collat.4.c.12.
o 16. de ciu. Dei.c.4.

Quicquid de hoc sit (omnium autem linguarum Beati peritissimi erunt) interim placuit DEO diuersas linguas manere, etiam cùm SPIRITVM B sanctum misit, quia hæc ipsa diuersitas, quamuis peccati quædam pœna, vtilis tunc fuit humano generi, *vt habitando orbi terrarum* (sic Prosper[m] loquitur) *daret incolas malæ congregationis opportuna dispersio*, & modò etiam id commodi, si sapimus, reportamus, vt, quod Cassianus[n] sapienter notauit, *eiusmodi discordia fragilitatis nos nostræ commonefaciat, quam sæpe noxia quadam concordia nos facit ignorare, & meminerimus rectè damnatam superbiam*, qua factum est, *vt non intelligeretur*, inquit Augustinus[o], *homo iubens homini, qui noluit intelligere, vt obediret* DEO *iubenti.*

Commoda quæ linguarum diuersitatem consequuntur.

Maior quoque nascitur ex hominum inuicem se non intelligentium, ideoque diuersas orbis C partes incolentium, humani victus commoditas, & copia: vtque exoriente aut belli, aut pestis clade, morbique exitialis, non eodem omnes loco, quos ibi facilè vna lingua contineret, simul intereant: postremò, vt improborum societas, quam colloquia fouent, dissoluatur, iuxta votum illud Psalmographi[p]: *Præcipita Domine, diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.*

p Psal.54.10.

Qui voluit orbis imperare, curãt gentium quibus imperãt, linguã ediscere.
q Vale. Max. li.2.c.2. Aug. 19. de ciui. c. 7.
r lib.8.c.7.
s li.17.c.17.
t li.2.Enneade 8.
u in Agap.1.
x lib.10 variarum epi.4.
y in Theatro mundi, vol.4. li.1.pag.1088.
z Refert id Gulielm. Postellus.
a lib.17.c.17.
b prooe. in ep. ad Gal.
c 15. Etym.c.1.

Veruntamen propter allatam priùs causam, maximè decuit donum linguarum in primis illis Ecclesiæ cunabulis concedi. Romani rerum domini, vt priùs Græci, enixè curarunt, Latina vt lingua vbique propagaretur cum Imperio[q]; & Mi- D thridates, vt quos sub imperium suum coëgerat, obsequentiores sibi redderet, eorum studuit, hoc est, vigintiduarum prouinciarum lingua loqui nullo vsus interprete, vt proditum est à Valerio[r] Maximo, & Gellio[s]: eodémque nomine Cleopatram Plutarchus celebrat, & Amalasunthā Theodorici Ostrogothorum regis filiam Sabellicus[t], & Platina[u] (laudat illam præterea mirificè Cassiodorus[x]) aliósque alij[y]. Vt scitum illud videatur verúmque Turcarum ceteróqui illiteratissimorum prouerbium: *Quot qui linguas calleat, totidem illum viris æquiualere*[z]. Ennium tricordem Gellius[a] appellasse seipsum scribit, quòd linguam teneret Græcam, Oscam, Latinam. Varro nominabat Mas- E silienses trilingues, vt memorant Hieronymus[b], & Isidorus[c], quia Græcè, Latinè, Gallicè loquerentur. Galli hodiéque diuersas ediscunt libenter, facilèque linguas. Eorum igitur possidet quodammodò quis corda, quorum & linguam: atque, vt antè dixi, quorum debebat cor esse vnum, oportuit linguarum ornari dono. Incommoda varietatis linguarum ponit Augustinus in libr.[d] de Ciuitate DEI. Plinius autem, *Tanta*, inquit, *loquendi varietas efficit, vt externus alieno non sit hominis vice. Immò, vt quidam dixit, familiariùs quis cum cane, quàm cum peregrina lingua homine agit.*

d 19.c.7.

e Sermo.1.de Pent.
Vbi Deus magister est, citò discitur quod docetur.

Sed, *ô quàm velox est sermo sapientiæ*, inquit Leo[e], *& vbi* DEVS *magister est, quàm citò discitur, quod docetur? Non est adhibenda interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad vsum, non tempus ad studium, sed spirante vbi voluit*, SPIRITV *veritatis, propria singularum gentium voces factæ sunt in Ecclesiæ ore communes.* De hoc diuino munere præcessisse vaticinium Esaiæ[f] videtur, quo Paulus quoque vtitur[g]: *In loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populum istum.*

f c.28.11.
g 1. Cor. 14. 21.

Donū linguarum non necessarium.

Coacta iam congregatáque, ac bene coalita Ecclesia, & omnium loquente Gentium linguis, non est necessarium hoc donum tanquàm ordinarium, vt neque virtus miraculorum, seu signorum (inter quæ illud à Paulo[h] numeratur) quemadmodum etiam ab Augustino[i] animaduersum est. Irenæus[k] refert *audisse se multos in Ecclesia habentes prophetica charismata, & per* SPIRITVM *vniuersis linguis loquentes*, &c. quod ex eodem etiam recitat Eusebius[l]. Sed neque prædicatoribus nostris nunc in orbe nouo concedi id videmus, vel quia abundamus magis quàm primi religionis fundatores, copia interpretum Christianorum; vel quoniam expeditiorem habemus peregrinas illas linguas ediscendi rationem; vel quia firmatæ iam satis Ecclesiæ tot aliis in locis auctoritas, sicut aliorum miraculorum, ita doni huius præsidio non adeò indigeat. Lege Iosephum Acosta nostrum[m].

h 1. Cor. 14. 22.
i Ser. 186. & 188. de Tēp. & Tract. 32. in Ioan.
k lib.5.c.6. & li.2.c.57.
l lib.5.Hist.c.7.
Cur in nouo orbe dono linguarum prædicatores careant.

m 1. de procu. Ind. salute.c. 9. libr. 2. cap. 9. li.4.c.6.7.8. 9. lib.6.c.11.
Dono linguarū qui excelluerint in Indiis & alibi.
n lib.4.c.5.
o in vita.
p in vita c.18.
q in vita.

Quanquàm nec miracula omninò nulla ibi fiunt, & doni linguarum aliqui interdum effectus apparent, vt de hac re tota disserens demonstrat Thomas[n] Bozius in suis signis Ecclesię DEI, exemplo nostri Xauerij[o] in Iaponia, Aloysij[p] Bertrandi, & Martini Valentini in India Occidentali, & superioribus aliquot seculis B. Vincentij Ferrerij. Adde S. Bernardinū[q] in Concilio Florentino Latinè agentem à Græcis proprij duntaxat idiomatis gnaris intellectum. Adde S. Antonium Patauinum[r], quem pro expeditione Terræ sanctæ concionantem coram Pontifice, diuersæ simul nationes intellexerunt: adde Venerabilem Ephrem[f] Syrum, cui Basilius Græci sermonis peritiam temporis momēto impetrauit, cùm ille in huius concionantis ore igneam linguam conspexisset. Prima verò Græca verba quæ protulit, hæc fuerunt: Σῶσον, ἐλέησον, ἀνάστησον, καὶ διαφύλαξον ἡμᾶς τῇ χάριτι. *Salua, miserere, resuscita, & custodi nos tua gratia.* Adde Pacomium, qui vt consuleret monacho ex vrbe Roma consilij causâ venienti ad ipsum, impetrauit à DEO linguarum dona missa de cœlo ad eum epistola.

r in vita.
Basilius B. Ephrem cognitionem linguæ Græcæ impetrauit.
f Amphilochius in cōparatione huius vtriusq̄, quæ est Tom. 1. operum Ephrem.

Iuuenis pastoritius qua ratione linguarum notitiā sit adeptus.

Adde pastoritiū iuuenem natione Liburnū, qui cùm ex peste, quæ Romæ grassabatur, putaretur penè mortuus, statim ad se reuersus nunciauit domino se in cœlo intellexisse, quos, & quot pestis deletura esset ex ea domo: & vt fides dicenti haberetur, ostendit se linguas omnes didicisse: dictóque respondit euentus; ipse enim quidem post biduum extinctus est, secuti autem sunt illum, quos morituros significauerat[t].

t Fulgosus li. 1.c.6.
Linguarū studiū quibus scripta sunt sacra volumina maximi faciendū.
u Clemen. de Magistris.c.1.

Hinc porrò elicere possumus linguarū studiū, & scientia, quibus maximè conscripta sunt sacra volumina, quanti fieri debeat, quamq; meritò à Clemente Papa V. in Concilio Viennensi academiis Romanæ, Bononiēsi, Parisiensi, Oxoniensi, & Salmanticēsi cōmendata sit[u] institutio seu prælectio Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ, & Chaldaicæ linguæ. Qui profectò Clemens præfatus aliquantulū ibi, quantū ei desiderium communis omnium salutis inesset, & quãrùm ad hoc linguarū istarū esset necessaria cognitio, sic loquitur: *Ideoq; illius, cuius vicē in terris (licet immeritò) gerimus, imitantes exēplum, qui*

ituros per vniuersum mundum ad euangelizandum, Apostolos in omni linguarum genere, fore voluit eruditos, viris Catholicis notitiam linguarum habentibus, quibus vtuntur infideles, præcipuè abundare sanctam affectamus Ecclesiam, qui infideles ipsos sciant & valeant sacris institutis instruere, Christianorúmque Collegio, per doctrinam Christianæ fidei, ac susceptionem sacri baptismatis aggregare.

Huiusmodi linguarum peritia, quam quidam modò, vt quondam Iudæi, Iosepho teste in fine Antiquitatum, tanquàm profanam, & seruilem vituperant, Hieronymo celebritatem, Ecclesiæ magnam vtilitatem peperit. Augustinus[a] verò, quàm sit necessarium Græcam, & Hebræam scire, grauiter monet. Verùm de hoc argumento diligenter disputant Lindanus[b], & Salmeron[c], & Villauicentius[d], & Cano[e].

a 2. de Doct. Christ. c. 11.
b de opt. ge. interp. Scrip. lib. 3.
c Tom. 3. Prolego. 13.
d de studio Theolog. li. 1. c. vlt.
e 2. de locis Theol. c. 15.

Restat vna dubitatio: Quid interpretatio sermonum differret à dono linguarum, quídue interpretari & linguis loqui, & cur Apostoli vterentur interpretibus, vt Marco Petrus, vt testis est Papias apud Eusebium[f], & Irenæus[g], & Hieronymus[h], & Glaucia, vt scribit Clemens Alexandrinus[i], Paulus Tito, vt est apud Hieronymum[k], & quare idem Paulus vsum doni linguarum reprehendere videatur.

Donum linguarum quid ab interpretatione sermonum differat.
f 3. Hist. c. vlt.
g lib. 3. c. 1.
h de Script. Eccl. in Mar.
i 3. Strom.
k epist. 150. q. 11
Cur Apostolus linguis loqui vetet.
l 1. Cor. 14. 1. & seq.

Linguis[l] loqui passim (vt hoc postremum quæsitum breuiter expediamus) & extra necessitatem vetat Apostolus, *ne quod erat donum datum in signum infidelibus, vt crederent*, in scandalum ipsorum, propter vanam ita loquentium sine fructu ostentationem, verteretur. Si quis verò lingua illorum vteretur, agens de rebus diuinis apud quos concionabatur, prophetare dicebatur potiùs, quàm loqui linguis, hoc autem erat, cùm audientes loquentis sermonem non percipiebant: & loquens, mysteria etiam, ac sublimia proferebat, quæ inferiùs[m] in isto capite vocantur *magnalia* Dei.

m vers. 11.
Quid sit prophetare apud Apostolum, & quid loqui linguis.
Interpretatio sermonis quid sit.

Quòd si inter illos, quorum quis proprio loqueretur sermone, per donum Spiritvs sancti aliqui fortè reperirentur diuersarum nationum, & ignari illius linguæ, qua loquens vtebatur, pro his opus erat interprete ad leuandum doctori laborem, multóque magis tam pro iisdem quàm pro aliis, si res doctor sublimiores, & difficiliores proposuisset, vt notat Theodoretus[n], & vt epistolæ vno idiomate ad vnam datæ Ecclesiam, aliis communicari in alia versæ idiomata possent. Lege Baronium in Annalibus[o], & Petrum Steuartium in epistolam primam ad Corinthios[p].

n in c. 14. 1. ad Cor.
o Tom. 1.
p in c. 14.
Qualia essent quæ loquebantur Apostoli.

Prout Spiritvs *sanctus dabat eloqui illis.*] Græcè deest, sanctus; Syrus hæc sic habet, איכמא דרוחא *echma derucha*, id est, *Prout Spiritus ille*, nimirum qui paulò antè cum epitheto sanctus nominatus fuerat. Neque enim nudæ voces erant, & inanes, sed grauidæ sententiis, turgentes afflatu diuino, inflammatæ cœlesti igne, denique apophthegmata & oracula, vt loquitur Chrysostomus, & Oecumenius.

q Matt. 10. 19. 20.
Christus promisit se daturum Apostolis quod loquerentur.
Apostoli quo egerunt magis ad prædicationem.

Promiserat quidem Christvs[q] *dandum suis quid loquerentur, ita vt non esset præmeditandum, quoniam non ipsi, sed* Spiritvs Patris *locuturus esset in eis*: sed agebat de tempore persecutionis: nunc Discipulis subministratur illustratio Spiritvs sancti etiam pro simplici prædicatione, per peculiare priuilegium, tanquàm primis magistris Ecclesiæ, quíque per se rudes erant ac idiotæ, & prædicandi munus habebant à Christo iniunctum, nec habebant, postquàm Christvs ab eis discesserat, à quo doctore discerent: & tandem hac ratione, doctrinæ eorum fides maior habenda erat, tanquàm diuinæ magis, quàm humanæ.

At verò posteà reliquos prædicatores, doctorésque[r] *attendere oportet lectioni, exhortationi, & doctrinæ, ac instare in illis*: Scripturam discere, *vtilem ad docendum, arguendum, corripiendum in iustitia*[*]: *paratos*[s] *esse semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in ipsis est spe, & fide*: *Animam*[t] *præparare, vt Dominus linguam gubernet, quoniam non sit reuelatio cùm necessaria non est*, vt ait Chrysostomus[u].

Reliqui prædicatores studio & doctrina indigent.
r 1. Tim. 4. 16.
* 2. Tim. 3. 16.
s 1. Pet. 3. 15.
t Prou. 16. 1.

Porrò cùm dicitur Spiritvs sanctus loqui in aliquo, aut dare eloqui de rebus, ac sententiis, non de verbis ab ipsis prolatis (nisi cùm dictat sacram Scripturam) non de formandis vocibus, organísve mouendis, sicut Dæmon facit in arreptitiis, aut bonus Angelus in corporibus assumptis, aut etiam in asina Balaam[x], in qua tamen, vt in serpente[y] locutum Malum quidam volunt (de qua re tota Martinus Delrius[z]) intelligendus est. Nam Discipuli ipsi erant, qui loquebantur & tacebant, cùm volebant: & verbum internum concipiebant, idque, vt exprimerent, externa organa mouebant. Tamen, quemadmodum *Caiphas*[a] *non à semetipso locutus dicitur, sed prophetasse, cùm esset Pontifex anni illius*; sic quia Spiritvs sanctus dabat Discipulis, quid loquerentur, dicebatur ipse loqui, & non illi, cùm tamen illi loquerentur.

u hom. 34. in Matth.
Quomodo sanctus Spiritus loquatur in hominibus.
x Num. 22. 28.
y Gen. 3. 1. & seq.
z li. 2. Disqu. mag. disp. 28. q. 1.
a Ioan. 11. 51.

Differentia est, quòd Caiphas nesciebat quid diceret, Discipuli sciebant, sicut & communiter Prophetæ, cuius contrarium nesciens reuerà quid diceret, docuit Montanus (Priscilliano Bernardus de Luxtzemburgo[b] tribuit errorem eundem) putans eos in extasi, & cordis amentia ventura dixisse, nihil eorum quæ dicebant, intelligentes, quod refellit Hieronymus[c], & nos in nostris ad Esaiam Commentariis.

Inter Apostolos & Caipham loquentes differentia.
b in catalog. hæreticorũ.
c in c 1. Esa.

Rectè igitur de Spiritv Domini Sapiens[d] scripsit, quòd *replens orbem terrarum* per præsentiam, *& continens omnia* per potentiam, *scientiam habet vocis* per scientiam omnium, quæ dicuntur, & cuiuscumque linguæ, inquit Robertus Olcot[e], & etiam Glossa, & Bonauentura. Quæ scientia vocum, vt acutè explicat Richardus de S. Victore[f], comprehendit scientiam quoque rerum. *Semper enim*, inquit, *plenam cognitionem vocum comitatur scientia rerum, sed non semper cognitionem rerum comitatur etiam scientia vocum*: *& Adam*[g], *qui rebus nomina imposuit, priusquàm vocabula essent, rerum scientiam habuit.*

d Sap. 1. 7.
Spiritus sanctus quomodo scientiã habeat vocis.
e Lect. 6. in c. 1. Sap.
f Sermon. de Spiritu sancto.
Scientiam vocũ comitatur scientia rerum.
g Gen. 2. 19.

Similiter non omnis vox sermo est, sed latiùs illa patet; vt propterea ad amplitudinem scientiæ significandam, eam potiùs vocis esse Sapiens dixerit, quàm sermonis. Hanc fortasse plenitudinem scientiæ Discipulis communicatæ significarunt vocum, & sermonum linguæ de cœlo missæ formatrices.

Vox latiùs patet quàm sermo.

Non soli Prophetæ, & Scriptores sacri egent diuina inspiratione[h], sed laudatores Dei, quos, vt id faciant, illud in primis orare conuenit cum Ecclesia: *Domine*[i] *labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*, quæ verba in cuiusque orationis principio Hebræos præmittere, testis est liber eorum, qui dicitur Berachoth.

h Luc. 1. 55. 70. 2 Pet. 1. 21.
i Ps. 50. 17.

Porrò tametsi tantam Discipuli copiam nunc receperint Spiritvs sancti; tamen non ausim, quod Iacobus de Valentia[k] scribit super Ma-

Apostoli tunc non viderũt diuinam essentiã.
k pag. 1122. col. 1.

a 2.Cor.12.4.

B. Virgo diuinā vidit essentiam, si cui id concedendum est.

b in eius officio,ad Laudes.

gnificat, affirmare illos vidisse diuinam ESSENTIAM per modum transeuntis, & *audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui* [a], perinde posteà Paulum, nec aliter Ioannem mysterium S. TRINITATIS adeò perspicuè declaraturum fuisse: nam melior pars Theologorum de omnibus negat,in hac vita mortali DEI essentiā vidisse. Concedo tamen id, si cui concedatur, concedendum Deiparæ,quod eodem eam tempore,ac aliàs etiam antè fecisse idem Auctor concedit. At Ioannem Patres & Ecclesia [b] fluenta Euangelij, & arcana omnia de Dominici pectoris fonte potasse asserunt.

B

Versus 5.] **Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi, ex omni natione,quæ sub cœlo est.**

Habitantes Ierusalē quomodo intelligendi.

c Exod.23.17. Deut.34. 24. 2.Paral.8.13.

d Act.22.3.

e vers. 9. & seq.

f orat.44. de Pent.

ERANT *autem in Ierusalem habitantes Iudæi.*] Habitabant non tanquàm indigenæ, sed vt inquilini,siue qui ad sacrificium ter iuxta legem [c] ascendebant, siue qui ad tempus ibi studiorum causâ commorabantur,vt Paulus secus pedes Gamalielis [d], vt etiam patet ex diuersarum nationum Synagogis inferiùs in capite sexto [e]. Naziãzenus [f], quoniam participium Græcum κατοικοῦντες, indicat sedem, & habitationem firmam, quæ tot nationibus,quæ paulò pòst enumerantur, non conuenit, eius significationem mitigat, dicens (*si cui intellectus hic placet*) *neque enim*, inquit Nicetas interpres, *perpetuò habitabant, sed tum celebrandi Festi causa conuenerant.*

C

Chrysostomus velle videtur hos esse fixos habitatores,ait enim *patriam, domum, & cognatos reliquisse, atque hac ratione se, quod mox sequitur, religiosos ostendisse.* Glossa interlinearis *habitatores* exponit, quod nomen per modum habitus significat, sed prior sententia melior:& Chrysostomum Oecumenius in omnibus ferè sequens,intelligere videtur de pietate in ter obeundo, vt diximus, templo.Iudæi quandoque κατ' ἐξοχὴν, soli dicuntur Ierosolymitani [g]. Diuina prouidentia factum, vt confluerent ad vmbilicum orbis ex omni natione:& Ezechiel [h] verbis DEI refert positam in medio Gentium,& regiones in circuitu eius. Vbi Theodoretus obseruat causam esse,vt per Iudæos omnes homines beneficio DEVS afficeret.Sic dicitur operatus salutem DEVS in medio terræ [i],de quo loco alibi.

g Ioan. 11.19. c.12.9.

h c.5.5.

D

i Psal.73.12.

Religiosi quinā sint.

Viri religiosi.] Ἄνδρες εὐλαβεῖς. Syrus, דדחלין מן אלהא *dedachalin men eloha*, id est, *qui timebant à Deo*,vel,*Timentes Deum*.Lyranus:*In cultu diuino deuoti*.Glossa ordin. *Ad diem festum collecti*:quem sensum citati modò Patres sequuntur.Latina vox vsu Ecclesiastico certum in Ecclesia hominum statum designat, qui peculiari ratione in DEI cultu versantur, votis religati & reuincti. Sed significatio ista non est huius loci, verùm latior illa, cuius etymologia est,vel à reeligendo,vel à relegendo,id est,diligenter tractando, vel à religando, id est,arctiùs obligando.

E

Ex omni natione,quomodo intelligendū.

k lib.6.c.5.

l libr. cont. Flaccum. & lib.de leg. ad Caium.

m lib 14.Antiq.c.12.

Dispersio Iudæorum quando accidit.

Ex omni natione,quæ sub cœlo est.] Hyperbole est, sed non credo par illi, quæ est apud Plinium [k], qui citat Timosthenem conuenisse Coraxim vrbem Colchorum trecentas nationes, quæ dissimilibus linguis vterentur. Et tamen constat Iudæos toto dispersos orbe fuisse, quod Philo [l], & Iosephus [m] testantur.

Dispersio hæc, & captiuitas non est Ægyptiaca, vel Babylonica,quæ iam absolutæ erant;neque

A

n hoc loco.

o orat.44.de Pent.

Romana, quæ nondum aduenerat;sed Antiochena, sub Antiocho rege haud pridem ante hæc tempora facta, vt Beda [n] obseruat, & ante illum Nazianzenus [o]. Addit hic posterior Pater,ex hac, & ex illis omnibus, & quibusdam aliis exiliis factum esse, vt multi sedes diuersis in locis constituerint.Idem docet Lyranus.

Gentium nomē de Iudæis vsurpatur.

p c.3.8.

B

q Psal.105. Ezech.36.37. Act.vlt.25. Ioan.12.20.

Natione.] Ἔθνους, quod nomen aliquando reddit Interpres per nomen gentis; siquidem & iidem dicuntur Ethnici qui Gentiles.Attamen latiùs patet hoc loco,comprehẽdens etiam Iudæos. Sic putant nonnulli, de Iudæis vsurpari nonnunquàm Gentium nomen, vt apud Sophoniam [p]: *Quapropter expecta me, dicit Dominus,in die Resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam regna,& effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei.* Non enim hoc accidit Gentilibus,erga quos potiùs effusa est largissima misericordia, inquit noster Ribera, nempe circa tempus excidij Ierosolymitani, de quo ibi est sermo,sed Iudæis,qui ex variis prouinciis ac regnis conuenerant in Ierusalem, vt adorarent de more in die Paschæ. Eodem modo de Iudæis vsurpatur nomen Gentis aliis in locis [q], in quibus cùm Hebraicè libri scripti sunt, reperitur Hebraica vox, גוי *goi.* Natio Latinè,auctore Festo, de iis dicitur, qui non aliunde venerunt, nullámque à maioribus habuerunt nobilitatem,

C

sed eum locum, vbi nati sunt, incolunt. At latior hîc significatio.

Quanta multitudo Ierusalē in diebus festis conuenerit.

r 7. de bel. Iud.c.17.

Quanta porrò esset in Ierusalẽ præscriptis illis tribus solennibus festis multitudo Iudæorum vndequaque confluentium,inde potest colligi,quòd tempore obsidionis sub Tito circa tẽpus Paschæ auctor est Iosephus [r], fuisse ibi vicies centena, & septingenta millia eorum, qui puri essent, quibus liceret solùm vesci azymis. Oportuit verò ingentem fuisse numerum aliorum, qui necessitate naturæ,aut alia ex causa minus puri essent.

s vers.3.

Sub cœlo.] De hac loquendi formula dictum est c.1.Ecclesiast. [s]

D

Versus 6.] **Facta autem hac voce,conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes.**

Quomodo ad vocem multitudo conuenerit.

t 1.p Hist.tit. 6.c.2.§.1.

FACTA *autem hac voce.*] *Soni tantùm,instar venti vehemẽtis*, vt placet B.Antonino [t],qui velle videtur, sono illo excitam esse multitudinem, tumque Apostolos linguis locutos, ita vt per πρόληψιν, siue Anticipationem commemorata sit priùs ab Auctore locutio,& multitudo conuenerit versus cœnaculum ad sciscitandum causam dicti soni. Fauet Syrus ita vertens,וכד הוא בלא הו *vechad haua cala hau*, id est, *& quando factus esset sonus ille*,

E

u libr. 3. in Hex.

vel, *cúmque extitisset sonitus ille*:ita etiã sentire videtur Anastasius Synaita [u].Glossa interlin.& vocem Apostolorum,& sonum iam dictum intelligit,eodemque modo Lyranus,& alij.Caietanus verò de sola voce locutionis,vt proinde non posuerit Lucas sonum,sed vocem. Media sententia probabilior est. Nec obstat nomen vocis, sumitur enim non tantùm pro sono hominis articulato, & inarticulato cuiusque animalis,sed etiam rei inanimatæ: quomodo dum lex danda erat, *populus videbat voces* [x], *& audiebat*, hoc est, *sonitum tubæ, & tonitrus*,vt exponitur in Psalm.17.[y] & 1.Reg.12.[z] & Psal.76.[a] & frequentissima est eiusdẽ nominis vsurpatio in ista significatione,itaq; etiã locutus est

Vocis nomen quàm late pateat.

x Exo.20.18. Deut.4.11.& 36.

y vers.14.

z vers.17.

a vers.18.19.

CHRI

Digitized by Google

CHRISTVS de vento sub nomine Spiritus [a]: *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis.* Neque desunt in profanis Auctoribus exempla.

a Ioan. 3.8.

Conuenit multitudo.] Aut ad cœnaculũ, siue circa illud, aut in tẽplum, aliúmve publicũ locum, quo SPIRITV sancto pleni concionabundi, variisque linguis loquentes exierant, iuxta ea, quæ superiùs dicta sunt, & à Carthusiano quoque annotata.

Vsus concionãdi in publicis plateis, vnde coeperit.

Hinc forsan colligi possit vsus concionandi in publicis plateis, & campis, quem scimus habuisse S. Vincentium Ferrerium, & Bernardinum, Petrum Martyrem, & Antonium de Padua, & alios: immò concessum esse Prædicatoribus, ac Minoribus, constat ex iure Canonico [b]. De Carmelitanis etiam testis est Cardinalis [c], & Ioannes Andreas [d], & habetur in Priuilegiis Mendicantium [e], necnon in nostris.

b Clem. dudum. de sepult. & extr. inter cũctos. de priuil.

B

Concionandi locus proprius est templum, vt & orandi, non tamen ideò hoc alibi fieri est prohibendum.

Concedimus locum aptiorem esse templum, vt dicemus infrà [f]; tamen non sunt proinde reprehendendi, qui aliis in locis idem vsurpant: sic enim licèt locus orationis propriè sit Ecclesia, non idcirco malè Paulus fecit significans [g] *velle vt oremus in omni loco.* Certum verò etiam est, vtiliter in foro ipso DEI verbum inuitis obtrudi, qui eius audiendi causa nunquàm in templum intrant.

c in Clemen. dudum. §. ab olim. n. 1.
d Constit. de Regularib.
e verbo, Prædicatores, §. 8. & 10.

Probatur id ex Scriptura.

f c. 5. 20.
g 1. Tim. 2. 8.
h Ruth 4. 1. 11. 2. Reg. 15. 2. Iob. 31. 21. Ps. 126. 5. Zach. 8. 16.
i Amos 5. 10.
k Prou. 1. 21.
l Mat. 22. 9.

Denique non dubito, quin id Apostoli, CHRISTVSque ipse factitauerint vetere Prophetarum exemplo, non tantùm Iudicum iudicia in porta ciuitatis exercentium [h], de quibus Prophetis mentio est apud Amos [i]: & in Prouerbiis [k] dicitur *sapientia foris prædicare, & in plateis dare vocem suam, in capite turbarum clamitare, in foribus portarum vrbis proferre verba sua.* Id sibi etiam voluit CHRISTVS in parabola [l], in qua *missos dicit à patrefamilias seruos ad exitus viarum vocatum ad cœnam quoscumque.*

C

Quomodo multitudo conuenit ad vocem aduenientis Spiritus sancti.

Caietanus conuenisse multitudinem ait SPIRITV sancto potiùs impellente, quàm facta voce, *quia idem SPIRITVS, qui prouidit, vt tunc essent Iudæi, viri religiosi ex omni natione habitantes in Ierusalem, prouidit etiam vt conuenirent facta hac voce.* Equidem id mihi persuadeo, non ita tamen, vt perinde conuenerint in SPIRITV, sicut sancti illi veteri in templum Simeon, & Anna [m], sed ex quadam generaliore prouidentia DEI. Anastasius Synaita [n] *congregationem aquarum*, quam narrat liber Genesis [o], allegoricè interpretatur de ista multitudine, quæ à voce violẽta SPIRITVS coacta sit, & in vnam Ecclesiæ compagem vnita: vultque cõuentum factum esse in ipsammet domum, seu in cœnaculum, vbi erant Apostoli. Theodoretus [p] quoque multa hominum millia dicit conuenisse ad domunculam illam.

D

m Luc. 2. 27. 38.
n lib. 3. in Hexam.
o c. 1. 9.
p Dial. Impatib.

Et mente confusa est.] Καὶ συνεχύθη, *& confusa est.* Syrus legit, ואשתגשו *veschetteguesch, & conturbabantur,* seu *commotus est,* scilicet *populus.* Beda, & alij opponunt istam confusionem confusioni Babylonicæ, cùm linguæ distinctæ sunt [q], *& confusum est labium vniuersæ terræ, & vocatum est nomen loci Babel,* Græcè, σύγχυσις, id est, *confusio:* quidam timori, quo populus correptus est, quando lex data est [r]. *Sermo est,* inquit Caietanus, *de confusione non erubescentiæ, sed ignotæ nouitatis repentinæ.*

Qualis fuerit hæc multitudinis confusio.

E

q Gen. 11. 9.
r Exo. 20. 18.

Verbum Græcum συγχύσθαι, significare potest perturbari, animo deiici, commisceri inter se, & tumultuari. Chrysostomus, & Oecumenius admirationem, & turbationem interpretantur, & existimasse ipsos rem ad extrema peruenisse, ob facinus, quod ausi sunt in CHRISTVM, & attonitos

A

stetisse propter tam atrox homicidium.

Quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes.] Ὅτι ἤκουον εἷς ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ λαλούντων αὐτῶν. Nazianzenus [f] ita de hoc loco disserit: *Verùm hîc paulum consiste, atque addubita, quomodo distinguenda sit oratio. Textus enim nonnullam ambiguitatem habet puncto dirimendam. Vtrùm enim audiebant sua quisque dialecto, ita vt, verbi gratia, vox quidem vna resonaret, ceterùm multa audirentur, sic videlicet pulsato, ac perstrepente aëre, pluribúsque vocibus, vt magis perspicuè dicam, ex vna voce effectis, an potiùs in hoc verbo* (audiebant) *punctum statuendum est, atque hæc verba* (loquentes suis linguis) *cum his quæ sequuntur, iungenda sunt, vt sic legantur,* loquentes linguis propriis, scilicet *audientium, hoc est, externis, qui sensus mihi magis arridet. Nam si priorem modum sequamur, eorum potiùs, qui audiebant, quàm qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit: & iuxta posteriorem sensum, eorum, qui loquebantur, qui etiam temulentiæ insimulantur, haud dubiè, quia ipsi SPIRITVS afflatu noui miraculi aliquid circa voces designabant.* Hæc omnia sunt Nazianzeni. De reipsa, eiúsque sententia dixi superiùs: quod attinet ad suppunctionem, video vtrouis modo fiat, vtrumque cohærere sensum posse. Et iuxta quidem opinionem, quæ Nazianzeno placet, τὸ ἤκουον, referri debebit ad τὸ λαλούντων αὐτῶν τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ, *audierunt loquentes ipsos propria dialecto,* siue *lingua,* hoc est, Apostolos, qui loquebantur iis linguis, quæ propriæ erant audientium, iuxta eam, quam ipse refellit, τὸ λαλούντων αὐτῶν, per absolutos ablatiuos exponendum erit; *loquentibus ipsis,* hoc est, dum loquerentur ipsi, alij audiebant, perinde ac si illi propria audientibus lingua distinctè loquerentur. Itaque quamuis Nazianzeno adhæresco, ad id tamen, vt Caietanus putat, textus ipse non cogit, vt non etiam aliter sentientes, eius se patrocinio tueri possint. Ratio potiùs Nazianzeni, quam hîc & superiùs attulimus, persuadet, iterúmque contendo per se donum linguarum fuisse, vt distinctis idiomatibus vterentur, qui id habebant: licèt quandoque fieret, vt semel diuersarum nationum homines alloquens, & vna quidem tantùm lingua, intelligeretur ab ipsis haud secus, quàm si distinctè seorsimque variis locutus esset linguis. Esaias [t], quem Paulus citat [u], prædixisse videtur hoc linguarum donum: *Quoniam in aliis linguis, & in labiis aliis loquar populo huic, nec sic exaudient me, dicit Dominus:* quòd enim non exaudierint, docent quæ sequuntur. Dictum verò locum bene declarare, & confirmare sensum, in quo ab Apostolo citatus est, probat Leo à Castro auctoritate non modò Interpretũ Hieronymi, & Septuaginta, sed etiam expositione Chrysostomi [x], Tertulliani [y], Nazianzeni [z], Ambrosij [a], adde Epiphanium [b]. Sed hoc iam notaui priore versu.

f orat. 44. de Pent.
Nazianzenus dubitat an Apostoli vna lingua loquentes intelligerentur ab omnibus.

Accommodantur verba contextus ad vtrũque sensum.

t c. 28. 11.
u 1. Corin. 14. 21.

x orat. quòd Christus sit Deus.
y 5. contra Marcio. c. 8.
z orat. 44. de Pent.
a in 1. Cor. 14.
b in hæres. Marcio. consut. 13. & 14.

Versus 7.] Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes, Nónne, ecce, omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?

STVPEBANT *autem omnes, & mirabãtur.*] Græcè sic, ἐξίσταντο δὲ πάντες καὶ ἐθαύμαζον. Ex quibus primum verbum significat *extasim, & emotam mentem,* erat enim res hactenus inuisa, & inaudita. *Nihil admirandum,* inquit Cyrillus Ierosolymitanus [c], *si vos ignoratis, cùm & Nicodemus ignorabat SPIRITVS* [d] *aduentum, &c.* Glossa interlin.

Quid est hîc stupere & admirari.

c Catechef. 17.
d Ioan. 3. 4.

A

ſtuporem cordis interpretatur, admirationem faciei, ſeu habitus & geſtus externi.

Operũ Dei proprium, ſui admirationem cõciare. Quid ſit admiratio.

Proprium eſt operum DEI, vt admirationẽ ſui concitent, corũ ſcilicet, quorum cauſas rimari non poſſumus(eſt enim admiratio cùm effectus cogniti ignoratur cauſa) & naturæ ordinem egrediuntur : quæ etiam propriè miracula à mirando dicuntur. Si philoſophiæ naturali principium dedit admiratio, multò magis diuinæ, quæ, dum viuimus, ſola admiratio eſt, quoniam [a] *per fidem ambulamus*, quæ cauſæ viſionem & ſcientiam excludit. Sed nec in beatitudine quædam admiratio ceſſabit, propter DEI, quamuis viſi, incomprehenſibilitatem.

a 2.Cor.5.7.

In beatitudine non ceſſabit admiratio.

B

Mirantur magis, qui rem attentiùs contemplantur, vt montis altitudinem, qui propiùs eum intuentur. Hinc illa Philoſophi cuiuſdam ſententia præclara & vera; *Nulla rudibus magis ridicula videri quàm diuina : nulla rurſus ſapientibus admirabiliora, quàm eadem diuina exiſtimari.* Dauid certè cùm oculos in cœlos, lunam, ſtellas ſuſtuliſſet, exclamare coactus eſt : *Domine Dominus noſter* [b], *quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra?* & Habacuc [c]: *Conſideraui opera tua, & expaui, ſeu obſtupui*, ἐξέστην, iuxta LXX. nimirum *propter præcognita, noua, ac repentinæ ſalutis hominum ineffabilem admirationem*, vt ait Auguſtinus [d].

Rudibus diuina ridenda videntur, ſapiẽtibus admirabiliora.

b Pſal.8.2.10.

c c.3.1.

d li.18. de ciuit.Dei.c.32.

Dicentes.] Πρὸς ἀλλήλους, *ad inuicem, aliúſque ad alium*, habet Græcus contextus, & Syriaca editio,

C

חד לחד *chad lechad*, id eſt, *vnus ad vnum.*

Galilai maximè hebetes & rudes.

e verſ.11.

Galilei ſunt?] *Omnes*, aut *ferè omnes*, vt dictum eſt capite præcedenti [e]. Stuporem, & admirationem auget, quòd Galilæi, vt etiam notat Gloſſa interlinearis, hebetes eſſent, minúſque proinde idonei ad linguas diuerſas, à quibus rudior ipſorum lingua longè quoque differebat, ediſcendas, ac proferendas. Ex lingua Petrus agnitus eſt eſſe Galilæus [f], *vnaquæque enim prouincia, & regio*, inquit Hieronymus [g], *habet proprietates ſuas, & vernaculum loquendi ſonum vitare non poteſt* : vt patuit in Ephrateis non valentibus aliorum Hebræorum more שבלת *Schibboleth* pronunciare, ſed סבלת *Sibboleth*, quod multis fuit cauſa mortis [h]. Idem nunc

f Matt.26.73.
g in Matth.

h Iudic. 12.6.

D

obſeruare eſt in prouinciis Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, aliiſque.

Verſus 8.] Et quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?

ET *quomodo nos audiuimus.*] Syrus habet per participium, הנן שמעין *hanan ſchemahhin*, quaſi dicat, *nos audientes*, ſupple *ſumus*, & idem eſt quod, *nos audimus*, Græcè verò verbum eſt in præſenti ἀκούομεν : ſed parum refert, cùm tempus pro tempore non rarò ponatur.

E

Linguam noſtram.] Τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ἡμῶν. Nemo audit lingua, ſeu linguam. Itaque ſupplendum eſt, *loquentes*, nempe, *audiuimus eos loquentes lingua noſtra.*

Apoſtoli locuti ſunt linguis externis.

Qui ſenſus confirmat iam non ſemel dictam opinionem Nazianzeni de linguis. Quanquàm & qui aliter ſentiunt, ita exponerent, *Audiuimus lingua noſtra loquentes*, hoc eſt, cùm loquerentur, viſi ſunt loqui lingua noſtra, voxque ad aures ita peruenit, ac ſi diſtinctè linguam noſtram referret. Coactior tamen eſt huiuſmodi expoſitio, & priorem plurimùm iuuant verba, quæ ſunt in verſu vndecimo, & tum Caietanus hoc loco, & alij, tum B. Antoninus ex verbis iſtis illud idem argumentantur.

Verſus 9.] Parthi, & Medi, & Aelamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam.

PARTHI, *& Medi, & Ælamitæ.*] Auditorum ipſorum verbis proſequitur enumerare nonnullas nationes ex iis omnibus, quas ſub cœlo illuc conueniſſe dixerat*. Chryſoſtomus putat, has nominatim commemoratas, quæ Iudæis maximè aduerſabantur, erántque in ditionem eorum redigendæ : *Et cùm eſſent*, inquit, *id temporis Iudæi in captiuitate, conueniebat, vt illic multi adeſſent ex Gentibus, ſiue quòd iam ad Gentes Fidei quoque dogmata ſeminata fuerint* (videlicet ob celebritatem doctrinæ, miraculorum, mortis, & Reſurrectionis CHRISTI) *& hanc ob cauſam complures ex illis aderant, vt memorarent quæ audierant: certiſſimum teſtimonium à ciuibus, ab hoſpitibus, ab aduenis.* Oecumenius de nationibus aduerſariis Iudæorum conſentit cum Chryſoſtomo.

* verſ.5.
Cur hæ potiſſimum gentes ſerint commemoratæ.

Diuina prouidentia factum, vt tam multæ nationes Ieroſolymam conuenirent.

Ego verò vt id concedam, tamen diuinæ magis prouidentiæ, & prudentiæ Scriptoris tribuo, quàm ipſiſmet auditoribus, qui loquentes hîc inducuntur. Prætereà licèt non negem non Iudæos tantùm natos inter Gentiles, ſed hos quoque conueniſſe ad celeberrimum toto orbe templum (quod ab Herode inſtauratum longè præclarius fuiſſe oſtendit noſter Ribera [i], quàm quod Salomon extruxit, qua de re nolo nunc diſputare) vt ex his tam variis nationibus eò confluentibus Chryſoſtomus [k] probat, & conſtat etiam ex iis, quos Ioannes in Euangelio [l] commemorat, & ex Eunucho Candacis reginæ Æthiopum, vt multi putant, de quo in capite octauo huius libri [m], & ex Syrophœniſſa [n], Chananæa [o], & Centurione [p], & ex his quæ circa Heliodorum geſta narrantur, & ex regibus, qui munera eò mittebant [q] : & congruit myſterium congregandæ ex Iudæis, & Gentibus poſt datum SPIRITVM ſanctum Eccleſiæ: at veriſimilius videtur, iſtos qui nunc loquuntur, Iudæos fuiſſe, qui vſu & conſuetudine aliqua Apoſtolos, alióſque Diſcipulos noſſent eſſe Galilæos, & qui ſuperiùs [r] nominati ſunt *religioſi* : neque tanta familiaritas Gentilibus cum Iudæis intercedebat, vt quod paulò antè dictum eſt [ſ], ac paulò etiam pòſt dicitur [t], mirabundi inter ſe diſquirerent de ratione tanti miraculi : denique ex his ipſis fuiſſe videntur tria millia à Petro conuerſa [u], & idcirco, Gentiles inter eos erant (non pauci forſan ex illis conuerſi eſſent) quibus tamen & ægrè, & ſerò patuit in Eccleſiam aditus, vt videbimus [x]. Caietanus docet, eas duntaxat nationes recenſeri, quæ ſubſcripſerunt, ſeu teſtificatæ ſunt ſe Apoſtolos audiuiſſe propriis ipſorum linguis loquentes. Omninò pluribus, quàm quæ hîc nominantur, nationum linguis locutos Diſcipulos credendum eſt. Et Oecumenius exprimit: *Indi ac Scythæ linguam.* Caietani verò coniectura in re dubia dubiam fidem habet.

i in Agg.2.6.

k hom.27. in epiſt.ad Hebr.
l c.12.21.

m verſu 27.
n Matt.7.26.
o Matt.15.22.
p Matth.8.6.

q 2.Machab. c.3. & ſeq. Eſd.1. & ſeq. cap.

Qui conuenerint Ieroſolymã Iudæos tantùm fuerant.

r verſu 5.

ſ verſu 7.
t verſu 12.

u verſu 41.

x c. 10. & 11. & aliis.

Pluribus quàm quæ hîc enumerantur linguis Apoſtolis locuti ſunt.

Parthiæ deſcriptio.

Parthi.] Parthiæ incolæ, quæ Aſia Scythica nominatur, regio eſt inter Mediam ab Occaſu, Hyrcaniam ab Aquilone, Arianam vel Ariam ab Ortu, Carmaniæ deſerta habens à Meridie. Hieronymus in locis ex Actis Apoſtolorum, Parthos collocat inter flumen Indum, quod ab Oriente eſt, & inter flumen Tigrim, quod eſt ab Occaſu.

Parthi Romanorum hostes, & vnde originem duxerunt.

Romanorum hostes pertinacissimi fuerunt, Crassúmque ex insidiis cum exercitu ad internecionem ceciderunt. Arcu plurimùm valuerunt, quo vel fugientes hosti maximum detrimentum afferebant. Dicuntur à Scythis ad Medos profugisse, atque inde nomen accepisse, quia Parthi lingua Scythica exules dicuntur: auctórque est Iustinus [a], ab exulibus Scytharum, Parthorum Imperium esse deductum.

a lib. 2. & 41.

Media descriptio.

Medi.] Asiæ etiam regionis latissimæ habitatores, quæ regio mari Hyrcano à Septentrione terminatur: ab Occasu Armenia maiore & Assyria: habet verò Persidem à Meridie, Hyrcaniam, & Parthiam (quæ Caspiorum montibus ab ea excluditur) ab Ortu. Nomen ei inditum est à Medo Medeæ, & Ægæi filio, vt Strabo docet [b]: vel à Mado potiùs seu Madai filio Iaphet, vt Iosephus [c]. Distinguitur, auctore eodem Strabone, in maiorem, cuius caput sunt Ecbatana, alio nomine Rhages, seu Rhaga, vel Rhagæ in plurali tam in Scriptura, quã in Auctoribus profanis, vt probat noster Serarius [d], & minorem, quæ Atropatia ab Atropato duce dicta est. In Ecbatana decem tribus Iudæorum, capta Samaria, translatæ sunt. Pars quæ sub Caspiis portis in humili, & concauo iacet solo, feracissima est, campúmque habet latissimum, quem vocant Hippoboton ab equorum pastura, quorum quinquaginta millibus sufficit. Celebrãtur malus medica (de qua Solinus [e], Theophrastus [f], Plinius [g], Virgilius [h], Macrobius [i], quæ etiam dicitur citræa, cedria, aurea, Persica, Assyrica, Hesperia) liquor, & herba medica. Existimo Chrysostomum hoc loco Persarum nomine Medos, Parthósque intellexisse, necnon qui sequuntur, Ælamitas. Hieronymus in locis ex Actis Apostolorum: *Medi*, inquit, *à Madai* [k] *filio Iaphet appellati: sunt autem inter flumẽ Indum, & flumen Tigrim, regiones istæ à monte Caucaso vsque ad Mare Rubrum pertingentes, Aracusia, Parthia, Assyria, Persis, & Media, quas Scriptura sacra vniuersas sæpe Mediæ nomine vocat.*

b lib. 11.
c 1. Ant. c. 14.
d Tob. 1. in cõ.
e in polihist. cap. 49.
f 4. hist. plãt.
g lib. 12. cap. 3.
h 2. Georg.
i lib. 3. c. 15.
k Gen. 10. 22.

Elamitæ qui populi sint.

Ælamitæ.] Græcè sine diphthongo Ἐλαμῖται, Syrus, אַלְנָיֵא *alanaia*, quod Interpres reddidit, *Elanæ*, Tertullianus [l] ita etiam legit, hos cũ priorum duarum gentium populis proferens, vt comprobet iam tum tempore Apostolorum omnes in CHRISTVM gentes credidisse, vbi Pamelius idem de orthographia notãs, Elamitas ait esse Persas, sic nuncupatos ab Elam [m] filio Sem, teste Iosepho [n]. Confirmat etiam rectè tres dictas gentes ordine dispositas sic esse, quia vicinæ sunt, auctoritate Hieronymi, seu Sophronij [o], scribentis Thomam Apostolum prædicasse Euangelium CHRISTI Parthis, Medis, & Persis. In Paralipomenis [p] numeratur Ælam primus inter filios Sem: vbi tamen Græcè scribitur per diphthongum, & in libro Genesis [q]. Sed cùm sit in voce Hebræa litera ע *haijn*, quidam codices Latini hanc vocem Helam cum aspiratione scriptam habent. Abulensis [r] ab hoc Elam Elamitas versùs Orientem in Asia habitantes nominatos scribit, citátque Iosephum [s] dicentem, *Elam Elamitas, qui sunt Persarum principes, dereliquit.* Hieronymus in explicatione locorum ex Actis Apostolorum, Elamitas dicit esse principes Persidis ab Elam filio Sem appellatos. Verum est, quòd Elymum, & Elymæos nominat, solúmque dicit, quòd ab his Persæ originem traxerunt. Ita quoque loquuntur externi alij Scriptores, vocantes regionem Elymaidem.

l lib. cont. Iudæos. cap. 7.
m Gen. c. 10. 22.
n libr. 1. Ant. cap. 7.
o de vir. ill. in Thoma.
p lib. 1. c. 1. 17.
q cap. 10. 22.
r 2. Paral. 1. in text. post qu. 14.
s 1. Ant. cap. 7. vel 14.

Hæc ab Esaia [t] nominatur *Ælam*, quæ, vt Forerius eo loco docet, comprehendit Medos, Sogdianos, & Bactrianos. Contra illam prophetat Ieremias [u], quòd captiuos detineret Iudæos, & supra modum affligeret. Eiusdem nominis seu regio, seu ciuitas duplex fuit in prouinciis finitimis Persia, siue Susiana, & Media. Hieronymus [x] regionem, de qua hîc est sermo, collocat secus Babylonem.

t cap. 11. 11.

De Elamitis seu Elymæis qui scripserint.
u ca. 49. 34. & seq.
x in c. 5. Ier. & in c. 8. Daniel.

Et qui habitant.] Syrus, דְעָמְרִין *debhamerin*, id est, *qui sunt habitantes*, vel, *qui sumus habitantes*, quo modo verti potuit, ὁ οἱ κατοικοῦντες, vel, *habitatores*, nimirum ex nobis aliqui, quia introducuntur hi omnes de seipsis in prima persona loquentes. Sed sensus idem, scilicet, *qui ex nobis habitant.*

Mesopotamiam.] Syrus, בֵּיתנַהְרִים *bethnaharim*, id est, *inter fluuios*, hæc enim est etymologia nominis, quasi dicas, *Interammam*. Patet latissimè regio hæc vltra Syriam, inter Tigrim, & Euphratem media, aliósque amnes, quasi μέσ⊕ ἐν ποταμοῖς. Celebris est aduentu Abrahæ cum patre & familia, quando fugit de Vr Chaldæorum, ibíque mãsit in Haran, seu Charan, donec DEI iussu in Palæstina peregrinatus est [x]. Tigris est ad Orientem eius, Euphrates ad Occidentem, Babylonia ad Meridiem, Caucasus ad Septentrionem. Extenditur tamen, iuxta quosdam, Mesopotamia in Chaldæam quoque, & Persiam.

In Mesopotamia Abraham versatus est.
x Gen. c. 11. 31. 32. & c. 12. 1. & seq. & Act. 7. 2.

Itáque amplè Stephanus sumpsit inferiùs in hoc libro [y]. Cùm enim dixisset, Abrahæ versanti in Mesopotamia, DEVM apparuisse, ac præcepisse, vt inde exiret, nimirum *de terra sua, & cognatione sua*, addidit [z]: *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.* Tamen frequentiore vsu distinguitur Mesopotamia à Chaldæa. Sed iterum de hac re in capite VII. Lege Pererium Genesis 12. [a] à num. 11. & 24. & c. 24. à num. 41. Vocat quoque Plinius [b] hanc regionem nomine Seleuciæ.

y cap. 7. 2. 3.
z vers. 4.
a vers. 41.
b lib. 6. c. 26.

Iudææ descriptio.

Iudæam.] Pars Palestinæ est inter fluuium Euphratem, & mare Ægyptium, habens Moabitas ab Oriente, ab Occidente mare Ægyptium, à Meridie Cades-Barné, à Septentrione Ioppen. De hac aliquid dixi in capite præcedenti [c], & adeò nota est, vt plura dicere sit superuacaneum. Miratus sum pro Iudæa posuisse Augustinum [d], dum recitat hunc locum, Armeniam. Idipsum & Tertullianus [e] facit.

c vers. 8.
d lib. cont. ep. Fund. c. 9.
e cont. Iud. c. 7.

Cappadocia regio quæ sit.

Cappadociam.] Pontica regio est in capite Syriæ ad Septentrionem, paruam continens Armeniam, sed magnam tangens ab Ortu, Galatiam, & Pamphyliam ab Occasu, à Meridie Ciliciam, & Taurum montem, à Septentrione Euxinum fluuium. Eius regia priùs Mazaca, posteà Cæsarea à Claudio Tiberio dicta est, in qua sedit Basilius, & ipse Cappadox, sicut & Nazianzenus.

Cappadocia diuisio.
f orat. 30. in Basil.

Hic testatur [f] in duas prouincias, ac præfecturas, seu in Cappadociam primam, & secundam, atque in duas metropoles suo tempore diuisam esse, Cæsaream, & Tyana, id de metropolibus, & metropolitis grauiter ferente Basilio, cui Valens vt doloré inureret, eius diuisionis auctor fuit, addens & tertiam Musicyssum. Idem Nazianzenus [g] Cappadociam nominat venerandam, nec minùs iuuẽtutis altricem, quàm equorum generosorum procreatricem.

g suprà.

Cappadociã laudat & vituperat Isidorus Pelusiota.
h lib. 1. ep. 352. & 358. & 281. 481. 6. 7. 9. 490.

Eandem regionem modò laudat, modò etiam vituperat Isidorus Pelusiota [h] in epistolis, docens duplicem esse, optimam vnam, ex qua illi extiterint, qui vitæ suæ, ac præceptionum luce orbis terræ finibus præluxerunt, Basilium profectò intelligens, & Nazianzenum; alteram, prodigiosæ im-

A probitatis, & omni vitiorum genere inquinatam, Philistæis, è quibus orti Cappadoces ferũtur, atque Gabaonitis, ac Gigantum genti hac in re præferendam: & contendit Cappadocas lege prohibendos quemuis Magistratũ gerere potius, quam vel Carthaginenses, vel Aegyptios. Moses tamen in Deuteronomio [a] Heuæos scribit (qui sunt Philistæis finitimi) à Cappadocibus expulsos fuisse, & penitus deletos, eósque pro eis in regione illorum habitasse. Quare non tam ex Philistæis orti Cappadoces, quàm ipsi Philistæis originem dedisse videbuntur.

a cap. 2. 23.

Pontum.] *Regio est multarum gentium*, inquit Hieronymus [b], *iuxta mare Ponticum, quod Asiam, Europámque disterminat.* In ipsa Asia minori est Haly flumine clausa ad Occidentem, vt Straboni [c] placet, à Meridie Cappadocia, eáque præsertim parte, quæ complectitur minorẽ Armeniam, à Septentrione mari Euxino, ab Oriente insula Colchide. Ptolemæus [d] paulò aliter: alter enim Pontus dicitur Cappadociæ, alter nihil propemodùm differens à Bithynia in Asia minore ab Occasu, inquit, ore Ponti, siue maris, & Thracio Bosphoro: à Meridie regione, quæ propriè Asia dicitur: à Septentrione parte Euxini maris terminatur. Infamis veneficiis, & venefica Medea [e] (etsi hanc alij volũt Corinthiam) celebris verò Mithridate [f] rege maximo, cum quo diu Romani ægrè dimicarunt. Tulit quoque insigne in Ecclesia monstrum Marcionem: contra quem disputaturus Tertullianus [g], aggreditur à patriæ ipsius descriptione.

b de loc. Heb. ex Actis Apo.
B
c lib. 7.
d lib. 5. c. 6.
e Virg. Ecl. 8.
f Strab. lib. 7. *Marcion Ponticus haereticus insignis.*
C
g lib. 1. c. 1.

Pontus igitur, inquit, *qui Euxinus natura negatur, nomine illuditur. Ceterùm hospitalem Pontum, nec de situ æstimes, ita ab humanioribus fretis nostris, quasi quodam barbariæ suæ pudore secessit: gentes ferocissimæ inhabitant, si tamen habitatur in plaustro. Sedes incerta, vita cruda, libido promiscua, & plurimùm nuda, etiam cùm abscondunt, suspensis de iugo pharetris indicibus, ne temerè quis intercedat. Ita nec armis suis erubescunt: parentum cadauera cum pecudibus cæsa conuiuio conuorant. Qui non ita decesserint, vt escatiles fuerint, maledicta mors est. Nec fœminæ sexu mitigantur secundùm pudorem, vbera excludunt, pensum securibus faciunt, malunt militare, quàm nubere. Duritia de cœlo quoque: dies nunquàm patens: sol nunquàm liber: vnus aër, nebula: totus annus, hybernum: omne quod flauerit, Aquilo est, liquores ignibus redeunt, amnes glacie negantur, montes pruina exaggerantur. Omnia torpent: omnia rigent: nihil illic nisi feritas calet, illa scilicet, quæ fabulas scenis dedit de sacrificiis Taurorum, & amoribus Colchorum, & Crucibus Caucasorum. Sed nihil tam barbarum ac triste apud Pontum, quàm quod illic Marcion natus est. Scytha tetrior, Hamaxobio instabilior, Massageta inhumanior, Amazonia audacior, nubilo obscurior, hyeme frigidior, gelu fragilior, &c.* Lege Ouidium libris de Ponto, qui exilij sui locum elegiacè non meliùs depingit, quàm Tertullianus in hac Declamatione contra Ponticum Marcionem.

Descriptio Ponti ex Tertulliano planè mirabilis.
Fœminæ Ponticæ quales.
D
Marcion hæreticus qualis.
E

Est Ponti quoddam quasi priuilegium, quòd Petrus primam epistolam scribens, *electis aduenis dispersionis*, Pontum primo loco nominat, & cum Galatia ac Bithynia meminit quoque Cappadociæ, de qua diximus. & Asiæ, de qua mox dicemus. Vbi probabilis mihi videtur Maldonati obseruatio in Ioãnẽ [h], dispersionis nomine nõ intelligi Iudæos, sed Gentiles, in qua dispersione, hoc est, inter Gentiles, Iudæi illi essent, aut Christiani, ad quos Petrus, necnon etiam Iacobus, qui eodem nomine vtitur [i], epistolam scribebat καθολικὴν, seu ἐγκυκλιον, vniuersalem, scilicet, & circularem, & ad totum orbem, seu ad toto dispersos orbe, qui orbis comparatus cum Palæstina (in qua priùs Iudæi collecti erant, idque sibi laudi ducebant, quasi alij, vt errabundi, dispersi essent) phrasi Hebraica dispersio appellatur, iuxta id apud Ioannem [k]: *Nunquidnam dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes?*

Ponti priuilegium quale.
h cap. 7. 15. *Dispersionis nomine Gentiles significantur.*
i in epist. ca. 1.
A
k c. 7. 35.

Asiam.] Nomen est partis totius mundi habitabilis à veteribus cogniti, quæ pars in maiorem, minorémq; Asiam distinguitur. Hugo cum Glossa interlineari existimat hoc loco minorem intelligi, quæ modò maxima ex parte Turchia dicitur, & Natolia. Obstare potest, quoniam minor comprehendit Cappadociam, & Phrygiam, quæ separatim ac distinctè recensitæ sunt. Erit igitur potiùs ea, quæ vocatur Propontica, de qua vt à duabus illis diuersa, licèt non sub nomine Proponticæ, Ptolemæus agit [l].

Per Asiam quæ intelligenda.
B
l lib. 5. tab. 1. Asiæ. c. 1.

Versus 10.] Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani.

PHRYGIAM.] Est in Asia minore partim maior inter Galatiam, & Lydiam ad Pamphyliam vsque, Lyciam, & Cariam protensa: partim minor adiacens Troadi vsque ad Galatas, habensque à Meridie Mysiam maiorem, & à Septentrione Bithyniam. Hieronymus contermina̅m facit, loquens de tota, Galatiæ versùs Septentrionem, versùs Meridiem Lycaoniæ, Pisidiæ, Macedoniæ, versùs Orientem Cappadociæ. Alij malunt hos fines, quia valdè coëunt, non distinguere, vt Strabo [m]. Nobilissimum propugnaculum in minore Asia est Ilium. Hierapoli Philippus cum filiabus iacet [n].

Phrygia hoc describitur.
C
m lib. 12.
n Hiero. seu Sophron. de Scripto. Eccl.

Pamphyliam.] Est etiam in Asia minore, olim Mosopia, tota ferè montana à Tauro monte vsque ad mare, tangítque Ciliciam Trachæam ab Oriente, ab Occasu Phrygiam, & montem Climacem, à Septentrione Pisidiam. Ptolemæus [o] constituit eam inter Ciliciam, & Syriam, ita vt habeat ab Occasu Lyciam, & Asiæ minoris partem: à Septentrione Galatiam, & Cappadociam: à Meridie Mediterraneum mare, quod illic nominatur Pamphylium. Eius ciuitas est Perge, de qua in capite XIII. [p]

Pamphylia vbi sit.
D
o lib. 5. c. 5.
p vers. 13.

Ægyptum.] Notissima regio est Asiæ maioris proximè Africam. Præter alia quamplurima, quæ de ea passim reperiuntur, vocari solet Triquatra (quod nomen etiam est Siciliæ, significans idem quod Trinacria) & Delta, quòd ita se findat Nilus, vt figuram efficiat Δ, ac proinde insula quoque à quibusdam dicatur.

Ægyptus regio nobilissima omnium.

Vocatur etiam Hebraicè, משרים *Mesraim*, vel, *Mesrum*, vt ait Iosephus [q], seu, *Misraim*, aut, *Misrim*, à filio Cham [r] huius nominis: quin etiam nominatur חם *Cham* [s], propter Mesraim filium: etsi aliquando significet Æthiopiam, & Africam, propter Chus & Phut [t], filios eiusdem: ab Eusebio [u], & Stephano [x], Aeria.

E
Vnde Ægyptus Hebraicè dicta sit.
q 1. Antiq. c. 12.
r Gen. 10. 6.
s Ps. 77. 51. & Psal. 105. 22.
t Gen. 10. 6.
u in Chron.
x de vrbibus.

Tam multis incolis abundauit, vt præter id, quod Plinius [y], aliíque scribunt de multitudine oppidorum, testis sit Mela, viginti millia oppidorum Amasi regnante habuisse. Aegypti prærogatiua est, quòd infans CHRISTVS eò fugiens [z], suo illam aduentu nobilitarit, idoláque (vocat id immeritò, contra tot Auctorum fidem, fabulosum

Abundauit hominum multitudine.
y lib. 5. c. 9. & 5. 70.
z Matt. 2. 13.

Ianſenius [a]) deiecerit [b], & quòd arctior Chriſtianorum diſciplina ibi ſub Marco, diuque poſteà viguerit [c]. Romani eam prouinciam maximi faciebant, erátque apud eos nobiliſſima omnium Præfectura, quam Auguſtus veluti Romani imperij obſidem ſibi ſeruauerat, & Auguſtalē cognominauerat, nec quenquam Senatorum ad eā mitti ſanciuerat, ſed ex Equeſtri ordine aliquem virum optimum, tanquàm regem, qui nullas vnquàm principatus amore turbas cieret. Tradunt iſta Dio [d], & Tacitus [e], & Strabo [f], & Acta Eugeniæ martyris: & in Iure ciuili titulus eſt inter Digeſta, *De officio Præfecturæ Auguſtalis.* Lege Baronium in Notationibus Martyrologij [g], & in Annalibus [h]. Nunc impletum quod in Pſalmo [i] ſcribitur, Hilarius [k] docet, *Venient legati ex Ægypto.*

Partes Libyæ.] Libya ſumitur aliquando pro tota Africa, à vento Libe, qui inde flat, aut ἀπὸ τοῦ λείπειν καὶ ὕειν, quòd pluuia egeat ob nimiam ſiccitatem. Ea tamen portio, quæ ab Occaſu Ægypto adiacet iuxta Mareotidē, & Cyrenaicam regionem, vendicat ſibi peculiariter id nomen, & dici ſolet Libya Cyrenaica, vt notat Hieronymus [l], dicens hanc partem Ægypti in parte Africæ primam eſſe, & mari Libyco cognomen dediſſe.

Quæ eſt circa Cyrenem.] Inde Libya Cyrenaica, vt dictum eſt. Eſt etiam Cyrene vrbs præcipua eiuſdem Libyæ, contermina Africæ, & æmula quondam Carthaginis: *vocatúrque,* inquit Hieronymus, *regio ipſius Pentapolitana, eò quòd vrbibus quinque maximè fulgeat, Berenice, Arſione, Ptolemaide, Apollonia, ipſáque Cyrene.* Vulgus nunc appellat Barbariam.

Simon [m] ille angariatus pater Alexandri, & Ruffi, Diſcipulorum CHRISTI, Cyrenæus hinc ortus [n] creditur, quamuis alij [o] malunt à Cyrene vrbe in Cypro inſula; nonnulli [p] ab alia in regione Decapoleos in Syria, quæ regio Cyrene quoque dicta ſit. Sed hāc nego eſſe, multóque minùs Cypriam, de qua hîc Lucas meminit. De alia mentionem facit Amos [q], & Hiſtoria Regum [r], in quam rex Aſſyriorum abduxit populum Damaſci, videlicet vrbs erat in Media, quæ ditio fuit illius regis: ſcribítque Ioſephus [s], Damaſcenos tranſlatos eſſe in Mediam ſuperiorem, & Ptolemæus [t] ponit Curinam in Media, illa verò eadem videtur cum dicta Cyrene, quam Chaldæus vocat Curini.

Aduenæ Romani.] Ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι, *peregrinantes Romani.* Syrus ſic habet, ואלין דאתו מן רהומא *veilen dethu men rehumi,* id eſt, *& qui venerūt ex vrbe Roma.* Tertullianus [u], *Romani & incolæ,* aliquando enim idem eſt incola, qui peregrinus, vt apud Ciceronem [x], cùm ait: *Peregrini, atque incolæ officium eſt nihil præter ſuum negotium agere, nec eſſe in aliena republica curioſum.* Apud Auguſtinum [y], *qui aduenerant Romani.* Itaque Romani hoc loco intelliguntur, non qui peregrinam vitam Romę gerebant, vt Beda exponit, ſed qui Roma Ieroſolymam diuerterant, ſiue religionis gratia, ſiue ſtudiorum: erant námque non pauci Iudæi ciuitate donati, qui Romæ tamen nunquàm fuerant, vt Paulus [z]. Romani prætereà cognominabantur illi Iudæi, qui vel habitabant Romæ, ſiue ibi ius ciuitatis haberent, ſiue non. Nam Ioſephus [a] tradit, eos qui Antiochiam habitabant, nominatos Antiochenos, ſimiliter qui in Epheſo commorabantur, & alia Ionia, cum ciuibus exinde natis, eandem

a Concor.ca. 11.
b Sozom.5. hiſt.c.20.Nic. lib.10.c.31.Euſeb. 6.de Demonſt. ca.20. Athan.de incar.Ori.hom. 3.in Diuer.
c Philo lib.2. de leg.ad Caium. & hiſt. Eccl. & Hier. de viris illuſt.
Præfectura Ægypti dicta Auguſtalis.
d hiſt.Rom. lib.51.
e lib.17.& li. 12. & lib.2.
f lib.17.
g 20.Octob.
h tom.2.
i 67.32.
Libya vnde nomen habeat.
k ibid.
l de loc. ex Act.Apoſt.
Cyrene qualis regio.
Simon Cyrenæus ex hac eſt ortus.
m Mat.15.21.
n Gagneius hoc loco.
o Auctor Dictio.hiſt.
p Mald.Mat. 27.32.
q cap.1.5.
r 4.Reg.16.9.
ſ 9.Ant.ca.13.
t lib.6.c.2.
u lib.cont.Iudæos. cap.7.
Romani aduenæ qui fuerint.
x lib.1.de offi.
y cont.epiſt. Fund.cap.9.
z Act.16.37. & 22.25.
a 16.Ant.c.4.

A appellationem habuiſſe.

Nihil celebrius nomine Romano, de quo ſilere, quàm loqui præſtat. Romam quidem propter eximiam virtutem, *quaſi ſola eſſet, plerique Scriptorum,* inquit Hieronymus [b], *Vrbem appellare maluerunt. Et quidam Latino nomine in Græcum verſo, pro Valentia Romam dictam putant* [c], *ſiue propter Aſcanij filiam Æneæ neptem huius nominis, ſiue propter captiuam Itali filiam, ſiue propter Romulum, vitata tamen nominis diminutiui forma.* Idem Hieronymus [*]: *Roma,* inquit, *aut fortitudinis nomen eſt apud Græcos, aut ſublimitatis iuxta Hebræos.* Aliud nomen habebat, quod dicere arcanis cæremoniarum nefas erat, teſte Plinio [d], ita vt Valerius Soranus, quia

B id enunciauerat, pœnas luerit. Illud verò etiam eſt apud Macrobium [e], & Solinum [f], & Sempronium de Italiæ diuiſione, & de Sorano apud Plutarchum [g]. Vocatur prætereà caput orbis, princeps vrbium, ab Horatio [h]; arx omnium terrarum, & gentium, & lux orbis à Cicerone [i]; rerum pulcherrima à Virgilio [k], & maxima ab eodem [l]; vrbiū domina, atq; regina, à Martiali [m]; terrarū Dea, Gentiúmque, à Polemone Sophiſta apud Athenæum [n], & Grolanum [o]; orbis compendium, flos & ocellus Italiæ, ab Ariſtide [p]. Communem patriam appellant Cicero [q], & Modeſtinus [r]. Athenæus [ſ] verò totius habitatæ terræ compendium: vtpote quòd in illa omnes quodammodò commorentur ciuitates, Alexandria aurea, Antiochia

C pulchra, Nicomedia ornatiſſima, Athenæ ſplendidiſſimæ, &c. & vbi habitent quoque Cappadoces, Scythæ, Pontici, &c. Legendus quoque Ioſephus [t], & hiſtoria Machabæorum [u], Plinius [x], Rutilius [y], & Liuius [z]. Dicitur item Matrix [a] Eccleſiarum, ita vt idem ſit dicere Romanam Eccleſiam, ſeu fidem, atque Catholicam, apud Ambroſium [b], Victorem Vticenſem [c], Turonenſem [d], nec vllibi maior pietas, ait Hieronymus [e]; deníque ſedes eſt ſummi Pontificis ex diuina inſtitutione, & quidem immobilis, vt oſtendit Bellarminus [f]. Acutè Lactantius [g] ludens in Paronomaſia, *cùm caput illud orbis,* inquit, *occiderit, & ῥύμη,* id

D eſt, *vicus, eſſe cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt, quis dubitet veniſſe iam finem rebus humanis, orbíque terrarum?* A lupę ruma vnde lac ſuxerunt fratres Vrbis conditores, non nemo ſuſpicatur deductam Romam. Sed elogia Vrbis plura leges apud Lipſium [h] & Heraldum [i].

Verſus 11.] Iudæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes: audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia DEI.

IVDÆI *quoque & Proſelyti.*] Romani, qui nati erant cum Iudaiſmo, & ij, qui ex Gentilibus Iudæi facti erant: vel referendo ad omnes nationes

E hactenus numeratas, vt omnes religione eſſent Iudæi, qui Ieroſolymam conuenerant, ſiue ita nati, ſiue aſciti. Caietanus Iudæos intelligit ſolos de tribu Iuda, quibus propria quædam eſſet dialectus, & proferendi ratio: SPIRITVM verò ſanctum non idiomata ſolùm, ſed ſub eodem quoque vno idiomate accentus, modóſque proprios loquendi communicaſſe.

Per Proſelytos vel genericè quoſcumque accipit, qui legem Moſis, ſua relicta ſuperſtitione, amplexi ſint, vel eos, qui mox ſubiiciuntur, *Cretes & Arabes,* ita vt ex Proſelytis, qui meritò in vltimum locum ordine dignitatis conijciuntur, ſoli iſti fuerint. De Iudæis eadem eſt expoſitio Gloſ-

Roma vrbs cur dicta.
b de loc.ex Act. Apoſt.
c Plin. lib.3.c. 5. Solinus c.1.
* 2.cont.Iou.
d ſuprà.
e lib.3.cap.9.
f cap.1.
g libro quæſt. Rom.q.61.
h lib.4.ode 3. & 14.
i orat.poſt redit. in Senat. & in Catil.
k 2.Georgic.
l 7 Æneid.
m li.10.Epig. epig. 1.& lib. 12.in 8.
n lib.1.cap.15.
o in libr Hip. art.comm.1.
p orat.de laudib. Romæ.lege Magnū lib. 4.cap.5.
q orat. cont. Rullum.
r l. rem.ff.ad munic.
ſ lib.1.cap 15.
t 2.cōt.Apio.
u 1.Mach.8.1. & ſeq.
x lib.3 cap.5.
y lib.1.Itiner.
z lib.1.
a Cypr.epiſt. 45.
Roma eſt matrix eccleſiarum.
Romana Eccleſia idē eſt cum catholica.
b orat.de Sat. fratre.
c de perſecu. Vandal.
d de glo.Mar. cap.25. 1o.79.
e Præf.in lib. 2.epi. ad Gal & Apol.cont. Ruffin & epi. 16
f li.4.de Pōt. Rom.cap 4.
g lib.7.ca.25.
h de magnit Romæ.li.1 c.2.
i lib.1.epi.4. lib.10.ep.103.
Iudæi hoc loco qui eſſent.
Proſelyti quinam eſſent.

sæ interlinearis,& Lyrani, nempe pro tribu Iuda. Verùm prima, seu etiam secunda longè meliores sunt. Certè Iudæa cùm priùs numerata sit,in alia sunt significatione nunc intelligendi Iudæi. Mihi tamen quod Caietanus docet de dialectis, non displicet,cùm videam, ex enumeratis nationibus nonnullas communem Græcam linguam habuisse sola differentes dialecto.

a Euf.lib.1.c.7.Niceph.lib.1.cap.11.
b Mat.23.15.
c ibid.tom.9.
d eod.quæst.59.
Circuire mare & aridam quid sit.

Proselyti.] Προσήλυτοι,à verbo προσέρχομαι,aduenio. Hebræi Hebraicè vocabant גרים *gherim*, vt colligi quoque potest ex Ecclesiastica historia [a], vbi nomen est Gioræ. Christiani voce Græca, Neophytos, illos, inquam, qui ex Gentilium superstitione aut Iudæorum, ad Christianorum religionem veniunt. Magno studio Iudæi,vt CHRISTVS [b] illis exprobrat, terra, maríque curabant Proselytos facere inanis gloriæ, & lucri causa, quemadmodum eum locum Hieronymus [c] interpretatur. Abulensis [d] autem id refellit de reali, localíque circuitu, multis sanè non malis argumentis, ita vt *circuire mare, & aridam* is quoque dicatur,qui se loco non mouet,cùm in eo,vbi est,omnem ad id operam adhibet, quod intendit: qualis est forma illa Latinorum prouerbialis, *Omnem mouere lapidem*,& Græcorum, πάντα κάλων σείειν, id est,*mouere omnem funem.*

Qui facturus sit, vt pauci à Pharisæis, multi ab Apostolis sint conuersi.
e hom.23.in Matth.
f cap.12.5.
g cap.12.38.
h cap.19.15.
Proselytis nomen quando cæpit vsurpari.
i lib.1.c.22.2.lib.2.ca.2.17.cap.3.27.
k cap.1.7.
l cap.14.7.
m Leuit.7.& Exod.12.
n Psa.113.9.
o Psal.117.2.
p cap.13.16.

Malum vitæ exemplum,teste Chrysostomo [e], in causa erat, cur tam paucos Pharisæi traducerẽt ad verum cultum DEI. Contrà verò propter sanctitatem,credẽdum est ab Abraham,& Sara multos conuersos, de quibus in Genesi [f], & alios ab Hebræis in Ægypto, de quibus in Exodo [g], & nonnullos à Iob [h]. Nomen hoc Græcum Proselytorum vsurpari cœptum est in libris Paralipomenon [i], tum in libro Tobiæ [k],& Ezechielis [l],& aliis iam citatis locis. In lege autem Mosis [m] dicebantur qui tales erant, aduenæ & peregrini, quod significat vox dicta, גרים *gherim*. Vocabantur quoque nomine honestiore *Timentes* DEVM, vt ibi [n]: *Domus Israël sperauit in Domino*,&c. *Domus Aaron*,&c. *Qui timent Dominum sperauerunt in Domino*. Et alibi [o]: *Dicat nunc Israël*, &c. *Dicant nunc qui timent Dominum*. Sic præterea inferiùs hoc libro [p]: *Viri Israëlitæ, & qui timetis* DEVM.

Proselyti quales erant apud Hebræos.
q Mat.21.qu.90.& Exod.12.quæ.56.& Num.35.q.11.
r 1.Tim.3.6.
s Deut.15.3.
t in Psa.145.
Ecclesia gentium est Proselyta.
u Ephes.2.19.
x cõt.Iud.c.7.
y cont.epist.Fund.cap.9.
Creta qualis insula sit.

Tenebantur quidem Proselyti legem vniuersam custodire; tamen neque nomine filiorum Israël, neque priuilegiis fruebantur, vel ipsi,vel eorum posteri, vt demonstrat Abulensis [q], & in particulari non erant participes honorum, & regiminum Reipublicæ, sicut & idipsum in Neophytis nostris cautum est ab Apostolo [r]: non illis fauebat annus Iubilæi, aut lex recuperandæ libertatis,aut remissionis debitorum: poterant ab iis veri Israëlitæ vsuras exigere, vt idem Auctor sentit,ita intelligens quod de fœnerando ab aduena in Deuteronomio [s] habetur.

Sed acutè Augustinus [t]: *Omnis*,inquit, *Ecclesia Gentium Proselyta est, aduentitia enim est ad patres, non de carne eorum nata,sed imitando filia.* Verùm *iam nullus hospes est & aduena*, vt alludens Paulus ad προσηλύτους, & ad vocem Hebræam גרים *gherim*, loquitur [u],sed *ciues Sanctorum* omnes possunt esse, *& domestici* DEI, ac de familia ipsius regni Ecclesiæ,possunt vti pari immunitatis iure, priuilegiis, honoribus,bonis iisdem. Pro Proselytis Tertullianus [x], & Augustinus [y] incolas vertunt.

Cretes.] E Creta insula, quæ nunc Candia dicitur:maribus autem vndique clausa est, Carpathio ab Ortu, ab Occasu Ionio, Africano à Meridie,à Septentrione Ægæo; & iacens media inter Atticam Græciæ, & Cyrenaicam Africæ oram, centum quondam oppidis insignis fuit (ideò nominata ἑκατόμπολις, nisi centenarius numerus non exactè, sed pro magna multitudine sumendus indefinitè videatur,vt solet)famosáq; diuitiis,maximè æris; *ibi enim*,inquit Hieronymus [z], *prima huius metalli inuentio,& vtilitas fuit.* Celebratur quoque insulæ eiusdem optimum vinum, quod vocant Maluaticum: prima dicitur claruisse sagittis, remis,equestri exercitu,iure scripto. Legendi Geographi,& Plinius [a]. Datus est à Paulo Cretensibus Titus Episcopus [b],quem hortatur vt durè illos increpet propter prauos mores.

z de locis et Actis Aposto.
a lib.4.c.12.
b Tit.1.5.
Arabia triplex regio.
c de situ orbis.
Triplex est.
d c.16.1.
e lib.16.

Arabes.] Ab Arabia,quam perperàm vnus Dionysius [c] scribere solet Græcè per duplex ρ: hæc est triplex, prima Petræa (vocatur etiam Nabathæa) à Petra vrbe regia eius præcipua, quam Petram deserti (omnis Arabia sic appellatur à deserto,quod ערב *herab* Hebraicè appellatur,quamuis pleræque aliæ sint huius nominis significationes) Esaias vocat [d],& incipit à Pelusio ad Palæstinam, Iudææ, Ægyptoque confinis. Secunda est deserta, vel,vt Strabo [e] loquitur, Scenitis, à tabernaculis, in quibus gens illa vaga habitat. Habens ab Occasu Petræam, & sinum Persicum, à Meridie fælicem Arabiam, à Septentrione Euphratem. Tertia fælix, clauditur mari Rubro ab Occidente, à Meridie Palæstina. Illius est vrbs Saba thurifica. *Habet Arabia gentes multas*, inquit Hieronymus [f], *Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Saracenos, aliósque quamplurimos. Pecoris adeò fertilis*, vt ait Diodorus [g], *vt nationes plurimas vitam pastorum ducentes enutriat*: & de Camelorum vario genere, & maxima multitudine testis est idem Auctor [h], paténtque hæc omnia tum ex historia Iob [i], tum ex 1.Paralipomenon [k], tum ex Esaia [l], cùm ait ad Ierusalem: *Inundatio Camelorum operiet te*, &c.

f supra.
g 3.Bibl.c.7.
h c.12.
i c.1.1.
k c.5.21.
l c.60.6.
Arabia felix dicta Saba Syriæ.
m c.60.6.
n Psal.71.10.
o Iob.1.14.& 15.à nu.6.

Fælix Arabia videtur alio nomine dicta Saba Syriæ. Vnde & in Esaia [m],& in Psalmo [n] iungitur *Saba Arabia*, scribitúrque Hebraicè, per ש *Schim*,cùm verò est ס *Samech*,significat regionem Æthiopiæ,vel certè contrà,vt quidam volunt: de qua re Pineda noster [o],censens non adeò religiosè obseruandam illam differentiam, cùm dictæ literæ sint similis soni, & possint in eodem nomine, & re significanda permutari.

Arabes infames sunt latrociniis.
p c.1.15.
q lib.16.
r lib.6.c.28.
s lib.3.c.12.
t 15.Antiq.c.12.& 1.de bell.Iud.c.15.
u in c.3.Iere.

Infames sunt Arabes latrociniis, vt videre est apud Iob [p], vocantem eos *Sabæos*, & apud Strabonem [q], Plinium [r], Diodorum [s], Iosephum [t]. Hebræis Arabs latronem denotat, sicut mercatorem Chananæus, Chaldæus Mathematicum,teste Hieronymo [u], eo modo quo nunc Hispani campsorem nominant *Genoues*, quia valent hac arte Genuenses. De Fælice Plinius ait, *quodam naturæ artificio ad similitudinem Italiæ, & ad eius magnitudinem mari circumfusam esse, ac situ ipso suo Fælicem.* Ad Petræam spectant Moabitæ,& Ammonitæ,vt docet Hieronymus [x].

x c.15.Esa.& in c.25.Eze.
Ex Arabia Magos venisse probabilis opinio est.
y Matt.2.1.& seq.
z con.Tryp.
a lib.2.cont.Iudæ.& 3.cont.Marcio.
b Ser.de Stella & Magis.
c in comp.historio.Doct.
d Tom.1.Annal.
e 9.Hist.c.4.

Ex Arabia Magos ad CHRISTVM [y] venisse, probabilis opinio est, tum propter auctoritatem eorum, qui illam sequuntur, qui sunt Iustinus [z], Tertullianus [a], Cyprianus [b], Epiphanius [c], Baronius [d], tum propter munera,quæ illi attulerunt, quibus Arabia, quàm Persia, vel Chaldæa, vel India (hoc habent Annales Indici regni Calecutij) vel terra Euilath, vel Æthiopia, vel Mesopotamia, vel alia regio,ex iis, quæ sunt in opinione de patria Magorum, quas post alios examinat Barradius noster [e], magis abũdat,auro præsertim,

& thu

& thure; de thure quidem dictum est, & testis est Plinius de vtroque [a], & Esaias [b], & Ezechiel [c], & de auro iterum Psalmus [d]; tum propter vaticinium de stella [e], quod in Moab Arabiæ parte editum est.

Adiiciam Tertulliani [f] testimonium de honestate fœminarũ Arabum Ethnicarum, quas Christianis obiicit in exemplum cum exprobratione. *Iudicabunt nos*, inquit, *Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput tantùm, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentæ sint dimidia frui luce, quàm totam faciem prostituere.* Si regina Saba Arabs erat, vt censet Hieronymus [g], & alij, quod de illa CHRISTVS [h] dixit, de aliis dicere possumus, *quod surgent in iudicio* aduersùs Christianas impudicas, ac tam indecorè, atque inhonestè vultum, pectúsque denudantes.

Audiuimus eos.] Ἀκούομεν, in tempore præsenti, sicut & in versu octauo. Syrus interpres sicut ibi verterat in præsenti per participium, sic hîc etiam facit, ita dicens: חמן דממללין *thamen dammallelin. Ecce*, inquit, *audientes* supple *sumus nos*. Augustinus [i] legit, *audiebamus*, quasi ab ἠκούομεν. Non omnes hæ nationes recitatæ omnia verba protulerunt, sed vnaquæque, seu ex vnaquaque aliqui.

Loquentes nostris linguis.] Simplex, ac verus sensus, quòd dum Apostoli modò hac, modò illa loquebãtur lingua, hic, vel ille, cuius propria erat lingua, loquentes intelligebat. Lege versum octauum.

Magnalia DEI.] Μεγαλεῖα τοῦ ΘΕΟΥ. Syrus sic habet, תדמרתה דאלהא *thedmerathah daloha, miranda* DEI, seu, *mirabilia* DEI *facinora*. Non leuia, aut ludicra, aut temporalia loquuntur: non *de omissis panibus* [k], non *de primis sedibus* [l] *& principatu* [m], non *de regno temporali Israël* [n], non *sapiunt, loquuntúrve vt paruuli* [o], sed vt viri de admirandis atque magnificis operibus DEI, de mysteriis nostræ Redemptionis, in primis de Resurrectione CHRISTI, quam ille maximè prædicari iusserat, & propter cuius potissimùm testimonium duodecimus Apostolus Mathias suffectus fuerat [p]. *Loquitur linguis nouis, qui sermonem habet de rebus diuinis*, vt ait Gregorius [q]. Magnificabant quoque DEI erga se magnificentissimam liberalitatem in mittendo SPIRITV sancto, & dono linguarum: sicut B. Virgo DEO plena proruperat in has voces [r]: *Magnificat anima mea Dominum.* Hoc verbo vtuntur in Scriptura magnum in se DEI beneficium prædicantes, ac pro eo gratias agentes, vt Dauid [f]. Atque hic videtur maximè proprius sensus, iuxta quem inferiùs Cornelius cum familia [t] dicitur *locutus linguis, & magnificasse* DEVM, vbi est verbum μεγαλύνειν.

Loquela iam illos non manifestat, omnium nationum linguis loquentes, sed, vt de se dicebat Socrates [u], κοσμοπολίτας, id est, mundanos, non ampliùs Galilæos, sed res ipsæ ac sententiæ, de quibus loquuntur, facilè produnt cœlestes eos esse atque diuinos homines. *Loquere*, inquit idem Philosophus [x] adolescenti, *vt te videam.* Ex abundantia cordis verbum ructantis bonum ore loquente, flamma se copiosi ignis continere non valente, musto exhalante, & erumpente plenis ex vtribus, loquebantur Apostoli.

Versus 12.] Stupebant autem omnes, & mirabantur, ad inuicem dicẽtes: Quidnam vult hoc esse?

A

STVPEBANT *autem omnes.*] Nullum faciunt finem stupori & admirationi, quòd tam variæ linguæ, & tam grande prodigium, quò spectet, ignorant.

Mirabantur.] Hoc, & præcedens verbum habetur superiùs in versu septimo, sed pro hoc ibi erat Græcum ἐθαύμαζον, quod est propriè, *mirabãtur*, hîc verò διηπόρουν, id est, *dubitabant, hæsitabãt*: pro quo tamen Syrus ponit, ותהוין *vethauirin*, id est, *& obstupescentes*, supple *erant*, seu, *obstupescebant*, & pro priore, מתדמרין *methdamerin, admirantes erant*, seu, *admirabantur.* Habet quidem verbum Græcum διαπορεῖν, significationem quam dixi, sed significat etiam interrogare, seu inquirere cum dubitatione, atque admirari. Denotatur verbo isto collocutos inter se, & contulisse, & rem nouam iterum, iterúmque discussisse, vt ait Carthusianus.

Quidnam vult hoc esse?] Non minùs profectò mirandum hoc donũ linguarum, quàm manna, de quo olim Hebræi, מן־הוא *Man-hu?* id est, *Quid est hoc? ignorabant enim quid esset* [y]. Similitudo in his, tum quia DEI verbum animæ cibus est; tum quia, iuxta quorundam sententiam superiùs expositam, idem ab vnius ore prolatus sonus diuersos in hominum diuersarum linguarum auribus sonos reddebat. Et quemadmodum manna panis cœli vocatus est & Angelorum [z], propter saporis excellentiam [a], & quia veluti de cœlo, ac Angelicis factum manibus: ita linguæ istæ non tam hominum censeri poterant, quàm Angelorum, tum ob perfectam cognitionem earum, tum ob res diuinas, quas linguis præditi loquebantur.

Versus 13.] Alij autem irridentes dicebant, Quia musto pleni sunt isti.

NON erant hi religiosi, quos obstupuisse, ac miratos esse proximè vidimus, & versu septimo. Gentiles fuisse putat Hilarius in Hymno, qui recitatur ad Laudes festi Pentecostes:

Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pauent Gentilium,
Musto madere deputant,
Quos SPIRITVS *repleuerat.*

Fortasse per Gẽtiles intelligit Iudæos inter Gentiles dispersos, vt dictum est versu 5. Nam etsi fieri quoque potuit, vt etiam religione Gentiles idololatræ adessent, & irriderent, tamen sequens Petri oratio, in qua ebrietatis ab irrisoribus obiectæ calumniam purgat, vtens Ioëlis testimonio, conuincit Iudæos fuisse: cùm ipsi etiam fratres compellent Apostolos, & hi illos, & ipse rursum eosdem Petrus nomine Israëlitarum nominet: quid enim ad Gentiles de Prophetis? Et hæc quidem quoque communior opinio est, quam expressit matutinalis eiusdem festi à Gregorio compositus Hymnus:

Iudæa tunc incredula
Vesana toruo spiritu
Ructare musti crapulam
Alumnos CHRISTI *concrepat.*

Idem quoque tradit Cassianus [b]. Oecumenius appellat *viliores ac plebeios, & vulgares.* Basilius [c] *Pharisæos*: hoc magis credat, qui horum ingenium, morémque obtrectandi meminerit, atque peiorem in partem dicta, factáque CHRISTI, & Discipulorum eius interpretandi, & irridendi [d].

Grauis in corde iusti hominis sagitta, impij irrisio est, potens fortissimum quemque, nisi singulari DEI gratia sustentetur, de mentis statu, ac de

B C D E (margin section letters)

Marginal notes (left): a lib. 1. c. 11. li. 12. c. 17. lib. 37. b 60. 6. & 10. c cap. 27. 22. d Psal. 71. 15. e Num. 23. 7. & seq. *Arabum mulieres quàm honestate polleãt.* f lib. de velã. virgini. c. 17. — g Esa. 6. h Mat. 12. 42. — i cont. epist. fund. cap. 9. — *In quibus Apostoli locuti sint.* — k Mat. 16. 7. l Mat. 20. 21. m Luc. 22. 23. n Act. 1. 6. o 1. Cor. 13. 11. — p Act. 1. 22. — q homil. de cens. — r Luc. 1. 46. *Magnificare quid sit in Scriptura.* f Psal. 33. 4. & 69. & 104. 1. & 103. 1. & passim. t Act. 10. 46. *Mali non id tantum sed ... ex sis prodis.* u ... in So... x ... d.

Marginal notes (right): *Dubitare quid significet.* — y Exod. 16. 15. *Manna cum dono Spiritus sancti comparatio.* — z Psa. 77. 24. Sapi. 16. 20. a Sapi. 16. 20. — *Gentiles non fuerunt, qui Apostolos irriserunt.* — b 5. de inst. rẽ. cap. 3. c Ser. 1. de inst. Monac. *Pharisæos fuisse credibile est.* d Matth. 9. 11. 34. c. 12. 2. 14. 24. 38. ca. 15. 1. 12. c. 16. 1. c. 19. 3. ca. 22. 15. 34. 35. c. 27. 62. 63. Luc. 5. 21. c. 6. 7. c. 7. 30. 39. c. 11. 38. 53. c. 14. 1. c. 15. 2. ca. 16. 14. cap. 19. 39. Ioan. 1. 24. ca. 4. 1. c. 7. 32. 47. 48. cap. 8. 3. & seq. c. 9. 13. 15. 16. 40. c. 11. 47. 57. c. 12. 19. 42. cap. 18. 3. *Irrisio in iustũ inflicta grauis sagitta.*

statione

stationе ipsa dimouere. Propterea *Beatum illum* dixit Dauid, *qui non sederet in cathedra pestilentiæ* [a], *seu irrisorum*, iuxta Hebræum nomen in eo loco positum לצים *letsim*, & se precatus est *redimi à calumnis hominum, vt custodiret mandata* DEI [b].

a Psa.1.1.
b Psa.118.134.

Inter tormenta Iob grauissimè questus est de amicorum irrisione, & quasi patientiæ oblitus, illius tamen constantiam non perdens, prorupit in hæc verba [c]: *Qui deridetur ab amico suo sicut ego, inuocabit* DEVM, *& exaudiet eum; deridetur enim Iusti simplicitas.* Vbi Olympiodorus citatus in Catena: *Qui*, inquit, *corporis sunt illecebris deliniti, eorum, qui iustitia, & spiritui nauant operam, stultam arbitrantur esse conditionem; de quibus dictum est: Animalis* [d] *homo non percipit ea quæ sunt* SPIRITVS DEI. Michol [e] virum suum Dauid subsilientem atque saltantem coram Domino ante arcam fœderis Domini, despexit in corde suo [*], & quasi vnum de scurris nominauit: sed ei ob illud *non est natus filius vsque in diem mortis suæ* [f]. Fortasse in pœnam irrisionis, vt notat Ambrosius [g], *Ne*, inquit, *superbos crearet*. Bernardi verò de hac re sententia accommodata ad mores adeò elegans est, adeò pia & religiosa, vt religio sit eam prætermittere. *Ludam* [h] (inquit verba Dauid vsurpans) *& vilior fiam. Ludam scilicet, vt illudar. Bonus ludus, quo Michol irascitur, &* DEVS *delectatur. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus, inquam, ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus & despectio superbis* [i]. *Nam reuerà quid aliud secularibus quàm ludere videmur, cùm quod ipsi appetunt in hoc seculo, nos per contrarium fugimus, & quod ipsi fugiunt, nos appetimus? More scilicet ioculatorum & saltatorum, qui capite misso deorsum, pedibúsque sursum erectis, præter humanum vsum stant manibus, vel incedunt, & sic in se omnium oculos defigunt. Non est hic ludus puerilis, non est de theatro, qui fœmineis, fœdisque anfractibus prouocet libidinem, actus sordidos repræsentet: sed est ludus iucundus, honestus, grauis, spectabilis, qui cœlestium spectatorum delectare possit aspectus. Hoc casto & religioso ludo ludebat, qui dicebat: Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus* [k]. *Hoc ludo & nos interim ludamus, vt illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat qui potentes* [l] *deponit de sede, & exaltat humiles: qui nos lætificet, glorificet, & in æternum exaltet.* Hactenus Bernardi sententia.

c Iob.12.4.
d 1.Cor.2.14.
e 2.Reg.6.16.
* vers.20.
f vers.23.
g epi.30.edit. Romanæ.
h epi.87. *Ludus quem lusit Dauid qualis quantúsque fit.*
i Psal.122.4.
Religiosorum vita ludus est secularibus.
k 1.Cor.4.9.
l Luc.1.52.

Cùm Elisæi puer venisset ad Iehu, cum vt in regem vngeret, amici ipsius irridentes dixerunt [m]: *Quid venit insanus iste ad te?* CHRISTVM aduersarij eius Pharisæi, vt antè dixi, aliique deridebant, vt cùm puellam suscitaturus, negaret mortuam esse [n]: cùm prædicaret de liberalitate, & eleemosyna [o]: cùm iam in crucem sublatus esset [p]; quem tot modis milites illuserant. Paulus disputans de Resurrectione [q] seminiuerbius appellatus est, & nouorum Dæmoniorum annunciator, atque irrisus. Cùm Iudæi restaurarent ciuitatem, illusi sunt, ac subsannati [r]. Sicut Iob insultabant reges, ita parentes & cognati Tobiæ irridebant vitã eius [f]. Elisæum pueri irridentes, Caluum vocabant [t].

Irrisus est ab amicis Propheta.
m 4.Reg.9.11.
Christus fuit derisus ab aduersariis.
n Mat.9.24.
o Luc.16.14.
p Luc.23.35.
q Act.17.18.
r 2.Esd.2.19.
f Tob.2.15.
t 4.Reg.2.23.

Denique insitum & naturale Iudæorum generi videtur, irridere atque subsannare viros probos, nuncios DEI, paruipendere sermones eorum, illudere Prophetis, vt est in capite vltimo secundi Paralipomenon [u]. Possem hic exempla proferre eorum, qui pœnas luerunt ob irrisas res aut personas sacras. Illustrissimum est in pueris, quos dixi, irrisoribus Elisæi, & in eo qui S. Ludouicum Gallorum regem gestu & habitu corporis irrisit, retinens oris, & colli distorsionem, quam imitando cum irrisione expresserat.

Iudæorum proprium, irridere viros probos.
u vers.16.

Hac ipsa de re diximus nonnulla Ecclesiastis interpretantes proposito maximè conuenientem sententiam [x]: *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.* Non erat quidem patiendo pro nobis satur adhuc in cruce CHRISTVS dicens, *Sitio* [y]: tamen Ieremias [z] futurum prædixit, *vt saturaretur opprobriis*; quasi hæc, si quid aliud, satietatem ipsi afferre possent, & patiendi auferre voluntatem, nisi summo ac peculiari voluntatis gustu opprobria hæc ipsa excepisset. Hæc colligi possunt ferè omnia ex Ambrosio [a], licèt de Dauid loquatur.

x c.7.8. *Christus opprobriis satur fuit.*
y Ioan.19.28.
z Threnu.3.30.
a in Psal.118. 10.octo.

Musto pleni sunt isti.] Syrus sic interpretatus est, חלין מאריתא אשתין ורוין *thelin merutha eschthin verum*, id est, *Isti mustum vel merum biberunt, & inebriati sunt.* Augustinus [b], *musto onerati sunt.* Ironia, & irrisio fictis, falsisque constare solet: neque enim musti tempus erat (fortasse musti nomine vetus quoque, sed dulce per artem vinum factum intelligitur, quod Græci vocát ἀεγλεύκος) quo nomine Chrysostomus horum irrisorum væsaniam, & malitiam inauditam accusat, & quòd ferè omnes exteri, ac fortasse etiam illi ipsi, qui CHRISTVM crucifixerant, faterẽtur rei insolitæ diuinitatem: *Quamuis enim iidem qui irridebant*, inquit Oecumenius, *eam non esse ebrietatem probè intelligerent: veruntamen maleuolentia, inuidia, & eorum, quæ ab Apostolis dicebantur, odio cæcati de ea Apostolos irridebant.*

b cont.epist. Funda.c.9.
Mustum, quo pleni erant Discipuli, quid fuerit.

Rectè verò idem Oecumenius obseruat, musti potiùs mentionem factam, quoniam maximè inebriat propter lubricitatem, lentorémve dulcedinis magis penetrantem in cerebrum. Quæ etiam est opinio Alberti Magni apud Cœlium Rhodiginum in Antiquis lectionibus [c]: tametsi aliter sentiant apud eundẽ [d] Plutarchus [e], & Hippocrates [f], & Macrobius in Saturnalibus [g], & fauet in libro de ebrietate, apud Athenæum [h] Aristoteles, dicens *vinum modicè decoctum minus inebriare, quippe reddita vi eius per cocturam imbecilliore.* Vnum de vini incommodis est balbuties: ita vt qui bibat illud sicut equus aquam, Scythicè, hoc est, barbarè, vt Parmeno cecinit apud Athenæum [i], loquatur, & ne cappa quidem sciat. Contrarius interdum garrulitatis effectus sequitur, quam, teste Plutarcho [k], definiebant λόγον ἄπαιρον [illegible]. Aduersùs prius incommodum fertur Orpheus Mercurio non vino, sed lacte supplicauisse; quin & Romæ hac de causa vicum nomine Sobrium destinatum [l]. Hieronymus [m] allata comparatione CHRISTI in cruce nudi & irrisi cum Noë, docet Sanctos in ardore fidei quotidiè inebriari SPIRITV sancto: & v. g. qui heri colligebat aurum, hodiè proiicere, ac videri apud ignotos insanum: denique idcirco hîc dici Apostolos musto plenos. Eandem CHRISTO calumniam intenderant, appellantes eum *potatorem vini* [n].

Mustum magis inebriat quàm aliud vinum.
c lib.28.c.18.
d c.17.
e 1 Sympos.
f 3. Regim. acutor.
g lib.7.c.6.
h lib.10. *Ebrietate ſpecillus.*
i lib.5.
k opusc. de garrulit.
l Festus li.17.
m in Psal.16.
n Mat.11.19. Luc.7.34.

Mysticum est, vt quod per ludibrium dicitur, reipsa in Discipulos conueniat, qui non vino veteri, quod in nuptiis Ecclesiæ defecit [o], sed musto sunt gratiæ spiritalis repleti: *iam enim vinum nouum in vtres nouos venerat*, cùm Apostoli *non in vetustate literæ, sed in nouitate* SPIRITVS DEI *magnalia resonarent, introducti in cellam vinariam, & vino inebriati* Sapientiæ, & SPIRITVS sancti, quod Sapientia PATRIS CHRISTVS charissimis miscuerát. Húc sensum tradũt Cyrillus Ierosolymitanus [p], & Augustinus [q], Beda præterea & Glossa in húc locum,

o Ioan.2.3.
Quomodo Apostoli musto pleni fuerint.
p Catech.17.
q Serm.185.& 6 & 8.de Tẽpo.

item,

Qui spiritaliter ebrij censendi sint.

a 33. Mor. c. 5. b 1. contra Iouin. c Ser. 135. de Temp.

item Gregorius[a], Hieronymus[b], & alij. Augustinus verò, & Gregorius in musto feruorem SPIRITVS sancti significatum docent, atque huiusmodi ebrietatem, qua, inquit Augustinus[c], *multi pro desiderio salutis suæ parentes, & patriam suam fugiunt, & mortui huic mundo, alias animarum inquirunt parentes, & liberi sub iugo veniunt, & paulò antè elati atque sublimes, humilia affectant, superba fastidiunt, & cupiunt esse quod antè despexerant, & odisse incipiunt quod fuerant, præsentium hospites, futurorum appetitores, æternam illam patriam contempta temporalium falsitate suspirant, abstinentiam delicijs, vigilias dulcibus somnis, paupertatem diuitijs anteponunt: arduum contra vitia laborem iucundissimam computant voluptatem, dulcescunt eis vilia, & quæ prius fuerant pretiosa, vilescunt: diligunt inimicos suos, & benefaciunt his qui se oderunt: non conuiciantur indignantibus, non irritantur in opprobriis, non franguntur in iniurijs, prorsus horum nihil sentiunt propter feruorem* SPIRITVS *sancti, & propter æternam retributionem. Hoc spiritali mero calebant Martyres, quando abiicientes, & post se iactantes omnia mundi blandimenta, ibant ad passiones, obliuiscentes facultates, & affectiones, patrimonia, ac matrimonia sua, & vincentes armatam contra se paruulorum pignorum fletibus pietatem, vociferantes quidem parentes, puluerem mittentes in capita sua, & matres facies suas auulsis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia, tanquam ebrij, non videbant, nec cognoscebant suos, quia infuso præcordiis suis* SPIRITV *sancto, ad dolores, ad supplicia, tanquàm ad consolationes, & ad præmia festinabant.*

Martyres quomodo ebrij fuerint.

Sunt hæc omnia ex Augustino decerpta; quæ quòd spiritalem ebrietatem egregiè describunt, prætermitti non debuerunt. Fieri quoque potuit, vt, quod Carthusianus notat, *in ipso Discipulorum vultu splendor quidam, & lætitia reluceret cum rubore, qui malè affectis hominibus ac temerariis ansam dederit existimandi, dicendique illos ebrios esse*; sicut Cassium sanctissimum Namiensem Episcopum, vt est apud Gregorium[d], Totila rex despexit, *quòd faciem ipsius non ex conspersione, sed ex assidua potatione rubere crederet.* Hanc cum Ambrosio[*] precemur DEVM, vt

Apostolorũ facies rubore iucũda eis ebrias malè iudicantibus persuasit.

d 3. Dial. c. 6.

* in Hym. ad Laud. fer. 2.

Læti bibamus sobriam
Ebrietatem SPIRITVS.

Quo etiam ebrietatis epitheto vtitur Cyrillus[e] Ierosolymitanus, dicens *corporeæ cõtrariam esse, quòd non inducat cognitorum obliuionem* (nisi eo modo, quo Augustinum loquentem audiuimus) *sed etiam ignoratorum notitiam donet. Vinum autem ex ea vite expressum esse quæ ait*[f]: *Ego sum vitis, vos palmites.* Adde tandem SPIRITV sancto ebrium, DEI arcana pandere, hilarém esse, intrepidum, sui metus, & suorum oblitum, atque hominem quodammodò exuentem, suaui somno demersum, omnibus ludibrio cùm sit, omnes æquè ridere. Diluuio finito, allatóque in ore columbæ pacis[g] signo, tum demum vini vsus extitit, quo Noë iustum ebriatum risit de filiis[h] vnus: ad eundem modum post largissimas à SPIRITV sancto immissas aquas, Discipuli visi sunt ebrij, atque irrisi, quos reuerà non vinum inebriauerat, in quo est luxuria[i], sicut parum castæ fidei homines arbitrabantur: sed spirituale, diuinúmque, quod virgines germinare facit[k] sponsas CHRISTO castas[l]. Legi apud scholiasten Athonis Vercellensis Episcopi ad eiusdem opus manuscriptum, cui nomen politico, nominari alogia conuiuia, quòd nefas esset in conuiuiis loqui, nec ibi ratio haberet locum: sed nec ante vsum vini locutos in prandiis homines reperiri.

e Catechef. 17.
Ebrietas spiritualis & corporalis contraria.

f Ioan. 15. 5.

g Gen. 8. 11.

h Gen. 9. 21. 22.

i Eph. 5. 18.

k Zachar. 9. 17.
l 2. Cor. 11. 2.

A

Ceterùm, vt à mysteriis ad irrisores reuertamur, irrisione hi præter ea quæ diximus, digni sunt, manifestique, vt Glossa interlinearis loquitur, erroris arguendi, quòd mustum, seu vinũ non multarum locutionum, sed vnius linguæ eloquentiam facit: namque, vt Oseas[m] dicit, *Vinum, & ebrietas auferunt cor.* Vbi Hebraicè, תירוש *thirosch*, significat vinum nouum, siue mustum, qui autem vecors, idem loquax est, iuxta illud Horatij[n]:

Vinum non facit eloquentiã multarum linguarum.

m c. 4. 11.

n lib. 1. ep. 5.

Fœcundi calices quem non fecêre disertum?

& de Ennio idem[o]:

o lib. 1. ep. 19.

Ennius ipse pater nunquàm nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda.

B

Sed caue ne vino, aut atræ bili, quod videtur Aristoteli[p], aut morbo, aliique causæ naturali, quod aliis placet[q], tribuas effectum istũ loquendi variis linguis in eo qui sit idiota, & illarum prorsus ignarus, sicut faciunt Philosophi aliqui, minùs in rebus diuinis exercitati, vt Põponatius[r], Aponensis[f], Leuinus Lemnius[t], Sirenius[u], Iamblichus[x], Plutarchus[y], & alij, contra quos de nostris Delrius[z], & Tyræus[*], quod arte Dæmonum fieri potest: vnde quoque trahitur efficax argumentum ad probandum Dæmones esse, posito quòd in genere existant Angeli, siquidem & coguntur obsessi ab exorcistis, seu potiùs latentes in ipsis Dæmones, vt etiam inuiti loquantur: & locutio nonnisi à considerante, & sciente prodit. Alioqui verò possent eiusmodi effectus referri ad primam causam siue DEVM, quãuis non ita semper; cùm experiamur certis medicamentis, & musica curari arreptitios, propterea quòd non potest Dæmon torquere illos, nisi concitando prauos eorum humores: DEVS autem non eget hoc quasi instrumento, ac proinde nec medicina, alióve remedio possent effectus eius impediri.

Loqui variis linguis tribuẽdum, an morbo vel dæmoni.
p Sect. 30. Probl. q. 1.
q Erasm. hoc loco.
r de incãtat.
f in sect. 30. probl.
t 2. de mir. occult. natu. c. 2.
u 9. de fato.
Dæmones esse certissimum est ex obsessis ab ipsis.
x de mysteriis.
y de defectu orac.
z 4 Disquis. magi. c. 2. q. 6. sect. 1.
* de dæmon. p. 2. c. 24.

C

Ebrietatis persequi incommoda nil attinet. Exempla suppetunt perplurima, præcipuè in Alexandro[a] Magno, & in Noë[b] altero parente generis humani, in Lot[c], Amnon[d], Holopherne[e], Baltasar rege Babylonis[f], Benadab[g] rege Syriæ, & regibus trigintaduobus cum eo, Simone Machabæo[h]. Verè omninò Scytha Anacharsis[i] primum quidem poculum vini affirmauit esse sanitatis, voluptatis alterum, tertium contumeliæ, furoris quartum atque insaniæ: siquidem ebrietas, auctore Pythagora, breuis insania est. Lege Pintum in Dialogis[k], præter alios plurimos auctores, & alios locos Scripturæ.

Ebrietatis incommoda.

D

a Q. Cur. lib. 5.
b Gen. 9. 21
c Gen. 19. 32. & seq.
d 2. Reg. 13. 28.
e Iudith 13. 10. & c. 13. 4.
f Dan. 5. 2. 23. & 25.
g 3. Reg. 20. 16. & seq.
h 1. Machab. 16. 16.
i Laërt. lib. 1.
Vinum moderate sumptũ plurimum iuuat.
k dial. 4. c. 22. & 21.
l Eccl. 31. 32. 35. 36. 37.

Nam de vini moderato, & opportuno, ac proinde salubri, & iucundo vsu quid attinet dicere? Sapienter Sapiens sic de illo agit[l]: *Æqua vita hominibus vinum in sobrietate. Si bibas illud moderatè, eris sobrius, &c. Vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio. Exultatio animæ, & cordis vinum moderatè potatum. Sanitas est animæ, & corpori sobrius potus.* Sed & in libro Iudicum[m] dicitur, *quod lætificat vinum* DEVM *& homines.* Hi enim non effusè læti laudant illum, & vinum ad libamina sacrificiorum adhibebatur. Lege Franciscum Vallesium de sacra Philosophia[n]. Denique quod ad rem est, rectè Hieronymus explanans Paulum Ephesiis edicentem *ne inebriemini vino, in quo est luxuria*[o]; *sed impleamini* SPIRITV *sancto*, monet, quòd non possumus impleri simul vino, & SPIRITV sancto. *Est ebrietas culpa*, ait Ambrosius[p], *est gratia, & forte hæc natura, quæ gratiæ, quia ad imaginem & similitudinem* DEI *facti*, SPIRITV *sancto repleti esse debemus.*

E

m c. 9. 13.

n c. 27.

o c. 5. 18.

p de Elia & ieiu. c. 16.

Ficinus[q] ebrietatis meminit, quam vocat su-

q arg. dialo. 2. de iusto.
Ebrietas superhumana & cœlestis qua.

perlunarem, & cœlestem, excitatam nectaris potione, per quam animus extra se, & supra se positus, morborum mortalium obliuiscitur, & diuina suspicit, quorum splendore primùm caligat, sed illorum saporem gustans, calore nouo è priori habitu permutatur, vnde mox perspicuè cernit spiritualia, & illa dum salubriter gustat, summo cum fructu nutritur. Cyprianus [a] calicem Domini inebriantem, peroptimum siue præclarum, scilicet sanguinis eius, ait, *sic bibentes inebriare, vt sobrios faciat, vt mentes ad spiritalem sapientiam redigat, vt à sapore isto seculari ad intellectum* DEI *vnusquisque resipiscat: & quemadmodum vino isto communi mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur, ita epoto sanguine Domini & poculo salutari, expoliari memoriam veteris hominis, & fieri obliuionem conuersationis pristinæ secularis, & mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia resolui.* Sola me talis commemoratio ebrietatis sic ebriat, vt instituti oblitus plura, & alienis quidem verbis hic ponam. Non pœnitet esse sic ebriosum.

a epist. 63. vel lib. 2. ep. 3.

Ebrietas sanguinis Christi quid faciat.

Versus 14.] Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea.

HIc inchoatur pars capitis secunda, Petri concionem comprehendens, qua ebrietatis notam à se, & condiscipulis auertit: docétque Ioelis testimonio, vim doni SPIRITVS sancti, & aliis Scripturæ locis exponit CHRISTI Mortem, & Resurrectionem, & Ascensionem, & SPIRITVS sancti è cœlo missionem per CHRISTVM.

Stans autem Petrus.] Vide in capite præcedenti [b] quid sibi velit *Stans*, verùm positionem loci, vel quid aliud. Certè animi quoque firmitatem, & constantiam status hic significat in iis, qui fugiebant antè, & latebant: intrepidam Petri orationem coram tanta ex adeò diuersis conflata multitudine, cùm vel clarissimis tamen Oratoribus mens obstupescere, corpus contremiscere, vox non rarò soleat faucibus hærere. De loco etiam aliquid attigi in isto capite [c]. Chrysostomus [d] existimat domi habitam concionem, quasi eò conuenerit multitudo. Sed hæc ipsa multitudo suadet locum domo ampliorem fuisse, siue templum, siue alium.

b vers. 15.

Stare animi firmitatem & constantiam significat.

c vers. 5.

d hom. 5. in Acta.

Cum vndecim.] Erant enim præcipui inter Discipulos maximeque coniuncti & concordes, alij fortasse digressi se intermiscuerant multitudini, vel horum expressa mentio fit, quippe qui notissimi, & selectissimi essent, suoque testimonio Petri verba comprobarent. Vnde argumentari non licet in solos Apostolos descendisse SPIRITVM sanctum, sed in plures, vt docui versu primo. Vndecim cum Petro duodenarium constituunt numerum Apostolorum, & denotatur Apostolos omnes præsentes fuisse. Alioqui nonnunquàm in Euangelio [e], *Vndecim*, mortuo iam Iuda, collectiuè dicitur de Collegio Apostolorum, quamuis non omnes adsint. Sicut quidam dicuntur Magistratus *Triumuiri, Decemuiri, Quadraginta, Sexaginta*, &c. Denique hic loquendi modus denotat Primatum Petri, necnon quòd vnus respondet pro cunctis: & quòd primus tam disertè Scripturas explanat, vt obseruauit Leo IX. [f]

Apostoli soli cum Petro cur hic memorentur.

e Luc. vlt. 33. *Vndecim Apostoli, de Collegio Apostolorum dicitur.*

Primatus Petri hic ostenditur.

f ep. 1. ad Micha Imp. Constantinop. c. 16.

Leuauit vocem suam.] Vt exaudiretur à multitudine, & vt confidentiam & robur animi demonstraret: & vt quasi feruentis in præcordiis multi spiritale gaudium, & amorem tanquam rupto vtre ex ore efflaret, vt quàm procul auditores à salute & SPIRITV sancto remoti essent, ostenderet. Extulit vocem Elizabeth resalutans DEI Matrem [g], & alia mulier *beatificans ventrem, qui* CHRISTVM *portauerat, & vbera, quæ ipse suxerat* [h].

g Luc. 1. 42.

h Luc. 11. 27.

Clamor prætereà, rei tractandæ momentum arguit, vt cùm CHRISTVS quædam docens clamauit [i], & Ioannes Baptista [k], vocatus etiam *vox clamantis*. Gratum quoque de accepto SPIRITV sancto animum, vt cùm ex leprosis decem vnus ille Samaritanus CHRISTO gratias egit [l]: internum etiam dolorem, ex auditorum præsertim qui irridebant, perfidia, & malitia, vt cùm eiecta dæmonia clamabant [m]: timorem item, ne debitas pœnas luerent: vt cùm naufragantes Discipuli clamabant [n]. Denique *in virtute* SPIRITVS *sancti*, inquit Cyrillus [o] Ierosolymitanus, *voluntate* PATRIS & FILII, *stans Petrus cum vndecim, & eleuans vocem suam, secundùm illud* [p]: *Exalta in sonitu vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem, reti verborum animas circiter trium millium cepit* [q]. Sic decebat prædicationis principium respondere sono spiritus vehementis, qui totam domum repleuerat. Videtur quoque hic clamor similis victoriali hymno, siue vlulatui militari, qui & barritus dicitur [r], aut etiam iubilatio plena spei ac fiduciæ.

Quid sibi velit Petri in hoc sermone clamor.

i Luc. 8. 8. Ioan. 7. 28. c. 12. 44.

k Ioan. 1. ...

l Luc. 17. ...

m Matt. 8. 29. & alibi.

n Matth. 14. 26. 30.

o Catechesi 17.

p Esa. 40. 9.

q Act. 2. 41.

r Veget. lib. 3. c. 18. Ammia. lib. 16. & 26.

Locutus est eis.] *Non veritus ancillam*, vt Chrysostomus, & Oecumenius, aliiq; hoc loco notant, & Gregorius [s], & Augustinus [t], atque vt *os cæterorum pro omnibus loquens*, vt ait idem Chrysostomus, & Oecumenius: agnoscentes prætereà vim diuinam in idiota versante inter aduersarios, & irrisores. Talem *mutationem* [u] *dexteræ Excelsi* obseruare est in quibusdam aliis Ecclesiæ pastoribus, qui mox ferè vt eius gubernaculum attigerunt, abstracti à foro, & à ciuilibus caussis, diuinas res & Ecclesiasticas tanta dexteritate atque peritia tractarunt, ac si in iis à prima ætate instituti fuissent, vt Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, & his similes alij plerique.

s hom. 30. in Euang.

t Serm. ... de Temp.

u Psal. 76. 11.

Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi.] Quique indigenæ, quique inquilini, seu & ciues, & peregrini, sed omnes religione Iudæi, ita vt nũc Iudęi sint, qui in Iudæa nati: neque enim Gentiles spectare potest sequens oratio, vt antè dixi [x].

x versu praeced.

Quòd verò Petrus hos vocat fratres, vel patres, sicut priore capite [y], & Stephanus capite septimo [z], & Iudæi Paulum, & Barnabã capite XIII. [a] & ibidem [b] Paulus illos, & Iacobus condiscipulos cap. 15. [c] & rursum Paulus cap. 22. [d] & 23. [e] & 28. [f] nihil refert, quoniam non tantùm Petrus ita loquitur, vocans etiam hoc eodem capite viros Israëlitas [g], sed prætereà quoque [h] viros fratres; & Paulus capite 13. [i] viros Israëlitas, quos proximè antè vocauerat fratres, & quos capite 18. [k] appellat viros Iudæos.

Petrus cur viros suos ... fratres.

y vers. 16.

z vers. 2.

a vers. 15.

b vers. 26. 38.

c vers. 13.

d vers. 1.

e vers. 6.

f vers. 17.

g vers. 22.

h vers. 29.

i vers. 16.

k vers. 14.

Aurib⁹ percipite verba mea.] Hieronymus exponens caput primum Ioelis, plus ait esse *audire*, quàm *auribus percipere*, quando coniunguntur, vt ibi: & Genes. 4. [l] vt primum magis referatur ad cor, iuxta id [m]: *Qui habet aures audiendi audiat*. & Esaias [n]: *Audite cœli, & auribus percipe terra.* Ridet id Ruffinus in Ioelem, quoniam Psalmo quadragesimo octauo dicitur: *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem.* Sed non

Audire ... quàm aurib⁹ percipere.

l vers. 23.

m Matt. 11. 15.

n c. 1. 2.

est riden

est ridendus spiritualis hic sensus, quicquid sit de literali, & illum etiam Rupertus, Ioëlem eundem interpretans, secutus est, de illa phrasi, qua CHRISTVS sæpe vtitur: *Qui habet aures audiendi audiat*, id est, obediat, & docilis sit Matth. 11. [a] Reperitur quoque crebrò eadem phrasis in Apocalypsi [b]. Anatomici & Galenus [c] geminas in corde collocant aures, *eò quòd*, inquit Galenus, *sicut capiti, cordis adiacent vtrinque*. Apocalypsis postremum interpretem Viegam lege [d], quem ipse longè pòst legi, quàm ista sum commentatus.

a v. 15.
b Apoc. 2. & c. 3. *Cor habet geminas aures.*
c 6. de vsu part. c. 15.
d in c. 2. commen. 3. sect. 10.

Versus 15.] Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia.

NON *enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt.*] *Ebrietatis* grauem calumniam, & à pastore Ecclesiæ valdè alienam, quem oportet sobrium esse [e], non vinolentum [f], cùm quæ in aliis crimen est ebrietas, in sacerdote sit sacrilegium, vt ait Carthusianus [g], quique citatur à nonnullis Petrus Rauennas, eo quòd alter animam necet vino, alter Spiritum sanctitatis extinguat: & *Sacerdoti intraturo in tabernaculum nefas esset in lege vetere* [h] *vinum bibere, & quicquid inebriare posset*, vt obseruauit Hieronymus [i]: & valdè reprehendantur *manè consurgentes ad ebrietatem* [k]: *& principes, qui manè comedunt* [l]: hanc, inquam, adeò turpem iniuriam Petrus à se, & condiscipulis repellit, quorum fama publicæ vtilitati, illo præsertim principio, necessaria erat, sed placidè, & modestè, magis ignorantiæ velo eos honestans, inquit Chrysostomus, *quàm notans crimine conuitij*, qua, inquit Oecumenius, *ratione viam illis muniebat ad conuersionem, & pœnitentiam*. Et quidem certè Sapientis verissima sententia est, & quotidiano experimento testatissima, quòd [m] *Responsio mollis frangit iram, & lingua* [n] *mollis confringit duritiam*. Exemplum habemus in Anna [o], quam cùm Heli æstimans eam temulentam, ebriam, & vino madidam grauiter increpauit, illa, *Nequaquam*, respondit, *domine mi, nam mulier infœlix nimis ego sum*. Item in Abigail [p], quæ sapientissimo responso suo stultissimi viri sui stultissimum corrigens responsum, iratum Dauid sibi cōciliauit: sed illustrissimum est in CHRISTO, qui dæmoniacus appellatus, simpliciter respondit [q]: *Ego dæmonium non habeo*: & percussus: *Si* [r] *malè* inquit, *locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* denique [s], *cùm malediceretur, non maledicebat*. Sed eius præceptum erat [t], *vt benedicamus maledicentibus*; & Vicarij eius Petri, qui id ipsemet nunc obseruat [u], *vt non reddamus maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicamus; quia in hoc vocati sumus, vt benedictionem hæreditate possideamus*. Paulus quoque Festo insaniam obiicienti. *Non insanio*, inquit, *optime Feste, sed veritatis, & sobrietatis verba loquor* [x]: & quod exemplo demonstrauerat, præcepto confirmauit scribens Romanis [y], *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere*: denuò adhuc de seipso affirmat, in epistola priore ad Corinthios [z], *maledicimur, & benedicimus*. Prælato, Concionatori, Magistratui, publicæ personæ pro aliis necessaria bona fama, vt docent Augustinus [a], & Gregorius [b]. Hic verò dicit hoc esse docere cum potestate [c], & omni imperio [d].

Ebrietas ab Ecclesiæ pastore aliena.
e 1. Tim. 3. 2.
f 1. Tim. 3. 3. & Tit. 1. 7.
g de vita canon. ar. 7.
h Leuit. 10. 9.
i Distin. 35. c. vinolentum.
k Esa. 5. 11.
l Eccl. 10. 16.
m Prou. 15. 1.
n Prou. 25. 15. *Exemplarorum qui conuiciantibus molliter responderunt.*
o 1. Reg. 1. 13. 14. 15.
p 1. Reg. 25. 4.
q Ioan. 8. 49.
r Ioan. 18. 23.
s 1. Petr. 2.
t Luc. 6. 28. Rom. 12. 14.
u 1. Pet. 3. 9.
x Act. 26. 25.
y Roman. 12.
z 1. Cor. 4. 12.
a Dist. 64. & 50. de di...
b ... Moral. c.
c Matt. 7. 29.
d Tit. 2. 15.

Cum sit hora diei tertia.] Chrysostomus putat leuem esse excusationem, nec nisi leuiter excusare se Petrum voluisse, cum res ipsa per se satis loqueretur, & quæ mox dicturus erat, abundè possent

A calumniam refellere. Attamen quamuis hora illa tertia, quæ æstiuo tempore longior erat, vt dicam, mirum non esset, homines præsertim pauperes & piscatores, iam vinum gustasse, & fortasse etiam ebrios esse. Vnde Poëta [e] quidam ludens ait de bibace.

Apostoli nō poterant esse ebrij hora tertia.
e Martial. li. 1. epig. 29.

Hesterno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

Commoda censetur excusatio in iis, qui religiosi habebantur, quoniam non licebat Hebræis diebus festis ante horam sextam prandere, vt meminit Iosephus [f], & colligitur ex capite decimo huius libri [g]: necnon ex eo quod apud Suetonium [h] B Augustus Tiberio scribit, *ne Iudæum quidem tam diligenter Sabbatis ieiunium seruasse, quam seruasset eo die ipse, post horam, nimirum, primam noctis*. Alioqui licèt mos esset non Romanis tantùm prandere in meridie quotidiè (cui respondet hora sexta) teste Plutarcho [i], qui notat prandium dictum quasi παρ' ἔνδιον, quia ἔνδιον, significat meridianum tempus, & meridiari ἐνδιάζειν, verum etiam Hebræis, vt testantur non pauca Scripturæ loca [k]: de Christianis verò sui tēporis scribunt Cassianus [l], Gregorius [m], & B. Thomas [n]: etsi Gregorius [o] alibi auctor est, ad horam nonam apud Antiquos quotidiè prandium sumptum: quod probat quoq; conuiuialium Auctor antiquitatum [p], ex Athenæo [q], & ex Mureto C in variis lectionibus, & Mercuriali [r]. Lege Lambinum in Horatium [s], & Alexandrum ab Alexandro [t], & Rhodiginum [u], quibus adde Marsilium. Cagnatum familiæ nostræ Romanæ medicum [x]. Quamuis autem hæc ita sint, non erat tamen hic mos tam solemnis, vt non facilè præteriri posset, maximè à vulgaribus opificibus, & mercenariis. Antonium Cicero [y] reprehendens, ait, quòd *ab hora tertia bibebatur apud illum, ludebatur, vomebatur*, & Martialis [z] Cecilianū carpit, quòd hora quinta ad conuiuium accessisset. Dedecet nimirum honestas personas intempestiua comessatio, qua de re dixi Commentario in Ecclesiasten. [a] Nicolaus [b]. Papa I. consulētibus Bulgaris, si liceret absque ieiuniorum tempore quantumcunque valdè manè comedere, respondit, neminem Patrum noD strorum ante horam diei tertiam manducasse, nec sanctam Ecclesiam ante horam hanc traditionem sumendi cibum accepisse, &c. sed potiùs væ dictum iis qui manè comederent [c]: & præsens hoc exemplum in Apostolis habeamus, & aliis numero centum viginti.

Hebræis ante horam sextam non licebat prādere.
f in vita.
g vers. 10.
h in Augusto. c. 76.
i lib. 8. Sympos. q. 6.
k Gen. 43. 16. 1. Esdr. 8. 4. Daniel. 13. 7. Ioan 4. 6.
l Colla. 21. c. 23.
m 3. Dialo. c. 15.
n 2. 2. q. 147. a. 7.
o hom. 18. in Euang.
p lib. 1. Anti. conui. c. 15.
q lib. 6.
r lib. 4. c. 17. varia. lect.
Vulgares homines ante sextam solebant comedere.
s in Saty. 1. 6. & libr. 2. in 8. & lib. 1. ep. ad Villicum.
t lib. 5. c. 21.
u lib. 27. c. 24.
x lib. de continen. c. 14.
y Phil. 2.
z lib. 1. Epig. 61. vel 63.
a c 10. 16.
b ep. ad consult. Bulgar. c. 60.
c Eccl. 10. 16. Esa. 5. 11.

Porrò Romani iidemque atque Hebræi diem, noctémque æqualiter partiebantur in horas duodecim, seu, vt loquuntur Mathematici, temporales, & vsuales, & planetarias, videlicet, modò longiores, modò breuiores, pro varia Solis crescentis, decrescentísve tempestate. Vnde Plautus [d] æstiuam horam ponit pro longa; & Virgilius [e] tardos menses vocat, quibus sunt horæ diei, & operæ E longiores. *Nonne*, inquit CHRISTVS [f], *sunt duodecim horæ diei?* Et apud Matthæum [g] meminit *vndecimæ*, & Ioannes [h] *septimæ ac decimæ* [i]. Lege Plinium, & Ptolomæum [k]. Rursus, vt multi putant, tam nox, quàm dies habebat quatuor partes, & noctis quidem dicebantur vigiliæ, diei verò stationes, ternísque singulæ horis constabant, quæ numerari incipiebant ab ortu, & occasu Solis. Prima dicebatur totum spatium primarum trium horarum: tertia post alias tres vsque ad principium sextæ; deinceps sexta vsque ad nonā eodem modo, & nona inde vsque ad noctem. Hoc si est, vt sētit Baronius [l], Petri probabilior excusatio est,

Horæ Iudæorū & Romanorum inæquales.
d in Pseudolo.
e li. 1. Georg.
f Ioan. 11. 9.
g c. 20. 6.
h c. 4. 52.
i c. 1. 39.
Diei & noctis diuisio secundum antiquos.
k in magno Syntag. astrono. li. 4. c. 6. & lib. 5. c. 3.
l Tom. 1. Annal.

A minùs enim probabile eſt ebrios fuiſſe primis tribus horis diei, quàm ſi tertia nomen accipiat à tertia hora inchoata vſque ad ſextam. Alij videntur ſentire, ac dicere primum horarum ternarium nomen habuiſſe primæ horæ, ſecundũ tertiæ, tertium ſextæ, quartum nonæ, ſumpta ſcilicet denominatione ab ea hora in qua quilibet ternarius incipiebat, vt eſt apud Toletum [a]. Sed idem negat huiuſmodi diuiſionem diei in quatuor partes certo vllo fundamento niti, vel auctoritate: ſicut nititur noctis in totidem partes diuiſio. Cenſorinus [b] tamen huius diſtinctionis meminit. Quòd autem hæ quatuor partes, ſeu hæc horarum ſpatia dicantur etiam horæ, ſuaderi poteſt ex anni tempeſtatibus quatuor, quas Græci ὥρας appellant.

a Ioan.19. anno.8.
b de die natali.c.11.

B Non poteſt certè retineri ſemper hæc acceptio, ita vt non aliquando quæ dicitur hora tertia, vel ſexta, &c. præciſè vnam ſignificet numero talem, ſoliúſque vnius ſpatium horæ. Id liquet ex Matthæi [c] parabola de operariis miſſis in vineam, & ex aliis citatis locis, in quibus exprimitur ſeptima, & decima.

Hora non ſemper vnius horæ ſpatium ſignificat.
c cap.20.1.& ſeqq.

Colligitur autem ex Ioſepho [d] tubæ ſonitu certas horas ſignificari ſolitas. Apud Romanos autem id puerorum ſiue ſeruorum fuit, eorum ſpeciatim qui dicebantur accenſi [e]. *Horas quinque puer* (ait Martialis [f]) *nondum tibi nunciat*. Exempla ſunt aliis in Auctoribus alia, Suetonio [g], Plinio [h], Seneca [i], Sidonio Apollinare [k]. C Sed & perrarum eſt, ac haud ſcio an vnquàm vſitatum, vt quatuor diei partes, quæ ternas ſingulæ horas continent, dicantur hoc nomine horæ, præſertim cum iſta diſtinctione primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, abſque vllo alio addito, cùm neque ita vocentur noctis partes, ſed 1. 2. 3. 4. noctis vigilia. Videntur potiùs tanquàm celebriores orationis horæ vſurpari 1. 3. 6. 9. & interdum etiam apud Hebræos mentio eſt de hora matutinali; ita vt denominentur horæ orationis, ſiue templi, etſi oratio non reperiatur duraſſe per tres totas horas; quod nihilominùs Toletus contendit. Fateor tamen ſine dicta horarum vel orationis, vel quatuor partium diei acceptione difficilè D conciliari poſſe Euangeliſtas circa horam crucifixionis CHRISTI, & tenebras factas à ſexta ad nonam. Quidam ei cenſent difficultati occurrendum, vel admittendo mendum, vt pro ς, ſeu ſigma tau, nota numeri ſenarij, poſitum ſit γ gamma, denotans ternarium, vt meminit Hieronymus [l], & Theophylactus [m]: vel vt crucifixus dicatur hora tertia, quia ea hora à militibus vexatus eſt, & à Iudæis ad Crucem appetitus illis verbis: *Crucifige, crucifige*, atque à Pilato damnatus, vt exponit Auguſtinus [n] (qui aliam præterea expoſitionem addit, ſed minùs probat) & Euthymius in Marcum; ſed has expoſitiones meritò reiiciunt Ianſenius [o], Toletus [p], Maldonatus [q], & Baronius [r], qui de hac difficultate diſputant. E

Hora quomodo apud antiquos ſignificarentur.
d 5. de bello Iudaico. c. 9.
e Varro 5. de ling. Lat. Briſſon. 5. de formul.
f lib.8. epigr. 67.
g in Domitiano.c.16.
h lib.7.c. vlt. cùm de Cn. Bæbio.
i de breuit. vitæ.c.12.
k lib.2.ep.9.
Hora crucifixionis Chriſti tertia & ſexta quomodo fuerit.
l in Pſal.77.
m in Ioan. c. 19.
n 3. de conſ. Euang. c. 13. & 65 nou. & vet. Teſta. & in Pſal. 63. & Tract. 117. in Ioan.
o Concor. c. 142.
p Ioan.19.an. 7. & 8.
q in Matth. c. 27.45.
r Tom.1. Annal.

Quod verò attinet ad præſentem locum, non egemus allatis diſtinctionibus, ſed ſimpliciter tertiam horam intelligere poſſumus illam, quæ ordine & numero inter duodecim erat tertia; hoc enim denotat, quòd vocatur *hora diei*, alibi autem non ita, ſed vel abſolutè ſine addito, vt apud Euangeliſtas citatis locis, quæ loca ex adiunctis declaranda ſunt, ſicut & in hoc ipſo lib. cap. decimo [s], vel *hora orationis*, vt in capite tertio [t]. Et præterea iuxta illam diſtinctionem de quatuor partibus diei, quæ denominentur à principio, ita vt tertia protenderetur vſque ad eam, quæ numero ſexta A eſt, inchoando ab ea, quæ numerabatur ordine tertia, poſſet quis ſuſpicari parum abfuiſſe horam ſextam, & meridiem, ſicque nil magnum dixiſſet Petrus, ſe, & ſuos ebrios ea hora non eſſe.

s verſ.3.9.
t verſ.1.

Quidam [u] hinc inferunt non fuiſſe Iudæis in vſu ientacula: Apoſtolos verò apud Ioannem apparatum ipſis à CHRISTO ientaculum ſumpſiſſe [x], eò quòd totius præteritæ noctis laboribus exhauſti erant: & excipiendi ſunt pueri, ſenes, operarij, valetudinarij.

Ientare apud Hebræos mos non erat.
u Gulielm. Stukius lib.2. Antiq. conuiua. cap. 11.
x Ioan. 21. 12. & ſeq.

Ceterùm paſſim omnes colligunt ex iſto loco SPIRITVM ſanctum deſcendiſſe hora tertia, idque canit Eccleſia, vtens hymno Gregorij [y]:

B *Dum hora cunctis tertia*
Repentè mundus intonat.

y Hymnar. Mat. Petr.

Quæ hora commoda fuit, quia tunc erant omnes in foro, & incurioſi de prandio, *& claritas ipſa diei proderat ad perſpicuitatem miraculi*, inquit Chryſoſtomus, & Oecumenius: *quia hora erat orationi deſtinata*, inquit Beda: *quia per gratiam* SPIRITVS *ſancti Trinitatis myſterium mox prædicandum erat*, inquit idem Auctor: *quia lex tunc tertia*, hoc eſt, Euangelica poſt ſcriptam & naturalem *ſanciebatur*, inquit Hugo Cardinalis: *quia ſicut tertia olim die congregata fuerunt aquæ, ita per prædicationem iamiam congregandi erant populi multi*, inquit Anaſtaſius Synaita [z]: quia hora etiam tertia CHRISTVS C crucifixus fuerat, iuxta Marcum [a]. Non enim alia gratia illius, & alia SPIRITVS ſancti, ſed qui tunc crucifixus eſt & promiſit, impleuit quod promiſit, inquit Cyrillus Ieroſolymitanus [b]. Tandem ſolent homines hac hora ſatis ſomno refecti liberiore eſſe capite, ſtomachóque, nondum vel fame, vel calore, vel fatigatione preſſi, ac proinde ad audiendum alacriores & paratiores.

Quare hora tertia Spiritus ſanctus venerit.
z 1. in Hexameron.
a Marc.15.25.
b Catech. 17.

Baſilius [c] hinc etiam confirmat vſum horæ tertiæ canonicæ, & Tertullianus [d], & Cyprianus [e], & Hieronymus [f], & Iſidorus [g], & Rabanus [h] Maurus, & Rupertus [i], & Concilium [k] Aquiſgranenſe ſub Ludouico Pio. Hæc teſtimonia collegit Ioannes Stephanus Durantus [l], notans præterea horam D iſtam vocari in Iure [m] *ſacram*: fortaſſis quia ſacris Miſſarum ſolemniis dicata eſt; vt colligitur ex Athanaſio [n], aliiſque, qui diuerſas cauſas reddunt, quæ ſunt apud eundem Durantum: ſed illa ad rem facit, quæ affertur à Ruperto [o], quoniam SPIRITVS ſanctus hora tertia ſuper Apoſtolos aduenicns, viuificis eandem horam dedicauit myſteriis, qua homines ſobrij, & carnalibus cibis adhuc ieiuni primum quærere debent regnum DEI [p]. Lege etiam Gulielmum Durandum [q], & Ioannem [r] Belethum, & alios qui tractant de Diuinis, & Eccleſiaſticis Officiis. Dempta Natalis [s] Domini nocte (& aliquandiu etiam Reſurrectionis) cautum decretis eſt, celebrari Miſſam E ante horam diei tertiam: qua de re Iuo [t], Burcardus [u], Turonenſis [x], Martinus [y] Bracarenſis, Sidonius [z]. Intelligũnt nonnulli de ſolemni Miſſa, non de priuata. Legendi præſertim Suarez [a], & Azor [b]. Vocant Itali hanc horam, *auream*, cauſam non reperio: affirmare poſſumus propter aduentum SPIRITVS ſancti. Priuſquàm hinc abeo, væ illis denunciandum Eſaiæ [c] ſermone, qui conſurgunt manè ad ebrietatem. Sed & iis, qui noctem vertunt in diem ſtudio quodam ſe ab aliis ſeparandi, vel etiam temporum diſpoſitione, vt Seneca [d] loquitur. Dicas non immeritò principes tenebrarum [e].

Horam tertiam canonicam qui docuerint.
c Sermo.1.de Inſtit. Monacho. & regula 37. ex fuſis.
d lib. de ieiun. c. 10
e in orat. Do.
f Dan. 6.
g 1. offi. c. 19.
h 2. de inſtit. cler. c. 4.
i 1. de offic. c. 4.
k c. 126.
l li. 3. de Ritib. Eccl. c. 3.
m diſt. 44. c. vlt.
n lib. de virginit.
o li. 10. de offic. c. 18.
p Matt. 6.33.
q lib.5.c.6.
r in explic. Diu. offic. c. 29.
ſ de conſecr. diſt.1.c. nocte ſancta.
t 2. p. decret. c. 119.
u lib.2.c.56. lib.3.c.63.
x in vita P.C. de S. Nicetio.
y in excerptis c. 66.
z lib.5. ep.17.
a tom.3. in 3. p. diſput. 80. ſect. 4.
b lib. 10. Inſtit. moral. c. 25.
c c.5.11.
d epiſt.122.
e Ephes.6.12.

Verſus

Digitized by Google

Versus 16.] Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioël.

SED *hoc est quod dictum est.*] *Minimè nunc auditur nomen* CHRISTI, inquit Chrysostomus, & Oecumenius, *neque promissio* SPIRITVS *sancti, illius promissio dicitur, sed* PATRIS.

Sic enim loquens Petrus, & ea statim proponens, quæ à CHRISTO facta, & promissa fuerant, omnia subuertisset, neque auditores fidem adhibuissent: quod autem quærebatur, iam creditum esse oportebat.

Propheta nomen quid significet.

Prophetam.] Nota est significatio huius nominis Græci, etsi non semper significat eum duntaxat, qui futura diuinitùs edoctus prædicit, sed etiam sanctum, & doctorem populi, quia Prophetæ sancti esse & solebant, & habebantur, eorumque erat docere. De hac re plura in nostris Prolegomenis ad Esaiam, & Ribera in suis ad Prophetas minores. Inter hos Ioël numeratur, de quo mox.

Testimonium fidei nostræ sunt Prophetarū dicta.

a c.19.10.

b 6.Strom.

Porrò magnum argumentum fidei nostræ, quo libenter Apostoli vtuntur, maximè contra Iudæos, est impletio Prophetiarum, *Testimonium enim* IESV, inquit Ioannes in Apocalypsi[a], *est Spiritus Prophetiæ.* Testatur Clemens Alexandrinus[b], Petrum in suis prædicationibus professum esse, se Prophetias euoluisse, in iisque inuenisse CHRISTI aduentum, & mortem, & crucem, ac reliqua eius supplicia, & Resurrectionem, & Ascensionem, atque per ea DEO credidisse, denique nihil se sine Scriptura dicere. Vim tanti argumenti agnoscentes posteriores Patres, magna diligentia collegerunt Prophetarum præsertim testimonia ad fidei nostræ confirmanda mysteria, maximè verò Cyprianus & Prosper, ille libris ad Quirinum, hic in libro de Prædictionibus, & Promissionibus, & noster Ioseph Acosta libris de CHRISTO reuelato. Lactantius (qui in quarto Institutionum eleganter id exequitur) habet hanc præclaram sententiam: *Non idcirco à nobis* DEVS *creditus* CHRISTVS, *quia mirabilia fecit, sed quia in eo vidimus facta esse omnia, quæ nobis annunciata sunt vaticinio Prophetarum. Fecit mirabilia, magnum putassemus, vt & vos nunc putatis,* &c. *Agnoscamus itaque fructum Prophetiæ, & tantam partem Christianæ professionis ne negligamus.* Chrysostomus quoque hoc loco obseruat CHRISTVM huiusmodi in Iudæos telum sæpe intorsisse, eósque ita conuicisse. Petrus quoque ait[c]: *Habemus firmiorem propheticum sermonem*, quàm ipsammet illustrissimam CHRISTI Transfigurationem: de hac salute scribit prætereà[d] *exquisisse, atque scrutatos Prophetas esse*; qua de re rursum c.10.[e] dicemus.

Prophetia sunt maiorum virtū ...ad probandā ...dum... [marginal note partly illegible]

c 2.ep.1.19.

d 1.ep.1.10.

e verſ.43.

f in Proœmio.

Ioël.] Hieronymus[f] scribens in hunc Prophetam, docensque vtile videri etymologias Prophetarum singulorum & Græcè, & Latinè breuiter annotare, tradit quòd Ioël Græcè est ἀρχόμενος, id est, *incipiens*: & alibi[g], idem quod *Dominus* DEVS. Ait prætereà[h], Ioëlem prophetasse sub iisdem regibus, sub quibus Oseas, qui ante eum inter minores Prophetas positus est, & tempus suum indicauit. Idipsum monent Ruffinus[i], Theodoretus[k], Augustinus[l], Clemens Alexandrinus[m]. Hunc Epiphanius[n] natum dicit in agro Bethor de terra Ruben, ibidemque cum honore, & gloria humatum. Dorotheus[o] idem narrat, nisi quòd agrum nominat Bethomeron in Ruben: inde etiam illum commendat, quòd eius adeò illustri testimonio de mysterio CHRISTI Petrus vsus sit. Refertur inter Sanctos in Romano Martyrologio[p].

Ioële quid ... Hieronymus sentiat.

g Prolog. in Malac.

h in Oseæ, & Ioël. & Esa.

i Ioëlem.

k Prolog. in Proph.

l de ciu. ...

m Strom.

n de vita & ... Sanct.

o Synopsi.

p ...lij.

Versus 17.] Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de SPIRITV meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.

ET *erit in nouissimis diebus.*] Apud Prophetam in capite secundo[q], non est, *& erit in nouissimis diebus*, sed, *erit post hæc*, nempe, post ea, quæ antè proximè commemorauerat de CHRISTI aduentu, & doctrina, vocans illum *doctorem iustitiæ*, &c. Quasi dicat, postquàm ministerium suum compleuerit, paulò, inquam, pòst, cùm in cœlum ascenderit. Petrus ipse, non Lucas (vt de Luca Caietanus sentit) vsus est istis verbis: qui Caietanus, necnon Lyranus, & alij per nouissimos dies intelligunt, tempus noui Testamenti, & legis Euangelij, post quam nulla alia erit. sed de hoc mox dicam.

q verſ.28.

Nouissimis diebus.] Posterioribus, & consequentibus diebus, quibus nominibus, aut *nouissimi temporis*, aut *nouissimæ horæ*, describi solet tempus noui Testamenti, & legis gratiæ, vt obseruant Hieronymus[r], & Lyranus[s], & Rabbi[t] Dauid Kimchi. Ribera noster[u] cócedit id aliquando verũ esse, vt apud Esaiam[x], & Michæam[y], at negat id perpetuum esse, sed dictis nominibus, siue etiam *tempore extremo, fine dierum*, & similibus, intelligi debere tempus, quod id, de quo tunc agitur, consecuturum est, siue sit ante tempus MESSIÆ, siue post, siue sit ipsum tempus MESSIÆ, siue finis seculi: atque quódnam determinatè sit, ex rebus ipsis, & ex consequentibus, ac antecedentibus dignoscendum esse.

Nouissimi dies in Scriptura qui dicantur.

r Esa.2.

s in vtrumq; locum.

t Esa.2.

u Mich.4.

x c.2.2.

y c.4.1.

Nouissimi dies sunt consequentes, siue præcedant Euangelij tempora, siue sequantur.

Quocirca cùm Iacob vocans moriturus filios dixit[z]: *Congregamini, vt annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis*, non intellexit tempus Euangelij, tametsi de illo quoque prædixerit[a]: *Non auferetur sceptrum de Iuda*, sed simpliciter id, quod post se futurum erat, multa vaticinans multò ante CHRISTVM gesta, nonnulla longè post, vt bene demonstrat idem Auctor, & est omninò certum. Prætereà Apostoli dies nouissimos vocant ventura post se tempora, vt Paulus[b], SPIRITVS *autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide.* Et[c], *Hoc autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes*, &c. Hæc autem paulò pòst, ipsis adhuc viuentibus Apostolis, contigerunt. Et Augustinus[d] tempora ista Apostolorum affirmat dicta esse *dies nouissimos.* Petrus etiam scribit[e]: *Venient in nouissimis diebus in deceptione illusores*, quod Iudas, cuius vltima est epistola, iam impletum fuisse testatur[f].

z Gen.49.1.

a ver 10.

b 1.Tim.4.1.

c 2.Tim 3.1.

d ep 80.

e 2.ep.3.3.

f verſ.18.

Talis prorsus significatio reperitur *nouissimi* non pro vltimo, sed pro posteriore, in plerisque aliis Scripturæ locis[g] vtriusque Testamenti, ac sæpe Græcus textus ponit ὕστερον, id est, *posterius*, & in textu Hebræo est אחרית *acharith*, id est, *extremitas*, aut, si ita loqui licet, *posterioritas*, vel, אחר *achare*, id est, *posteà.*

g Geneſ.33.2. Esa.9.1. Dan. 2.28. Oseæ 3.5 Matt. 21.37. c.22.27. c.25.11. Marc. vlt.14.

Ex quo sequitur, apparitionem CHRISTI post Resurrectionem, cùm *nouissimè recumbentibus Discipulis apparuisse* dicitur à Marco[h], non propterea esse vltimam, quoniam apparuit posteà ad mare Tyberiadis[i], quam controuersiam Augustinus disputat[k], sed tantùm posteriorem

Apparitio Christi, de qua Marcus, non fuit vltima.

h Mar. vlt.14.

i Ioan. vlt.1.

k 3. de cósen. Euan.c.25.

a c.vlt.
b 2.cont.Pelag.
c verſ.4.

aliis anteà narratis, vt ſentit Maldonatus in Matthæum [a], & Hieronymus quodam loco [b] vertit, *poſteà*, etſi omninò poſtremam affirmat idem Auguſtinus & alij, atque ipſo die Aſcenſionis, vt dictum eſt capite præcedenti [c]. Quo etiã fit, firmum ex talibus loquendi formis & per ſe neceſſarium non trahi argumentum contra Iudæos ab iis, qui illos impugnant, vt à Iuliano [d] Epiſcopo Toletano, ab Adriano Fino [e], à Petro Galatino [f].

d lib.1. cont. Iudæos.
e 7.Flag.cõt. Iudæ.c.5.
f 5.cont.Iud. c.1.& 2.
g n.3. & ſeq.
h verbo, *Dies*. n.4 5.6.7.8.
i lib.2.c.4.

Pererius idem notat de ſignificatione nouiſſimi, explicans Benedictiones § XII. Patriarcharum. Lege Ioannem Ferdinandum in Theſauro [h], & Sebaſtianum Barradium in Concordia Euangelica [i].

B

Dicit DOMINVS.] Verba ſunt non Prophetæ, ſed nec etiam Lucæ, vt Caietanus exiſtimat, idem quoque ſentiens de præcedentibus, verùm Petri, *qui ea addidit*, inquit Hugo, *ad reuerentiam verbi* DEI (id quoque habet Gloſſa interlinearis) ſicut Prophetæ dicere ſolent, *Hæc dicit Dominus*, vt attentos faciant ad verbum DEI, quod ſequitur.

Cur Prophetæ, Verbum Domini, præfari ſoleant.
k Eſaias, Ieremias, Ezechiel, Oſeas, Ioel, Ionas, Michæas, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.
l Gal.1.1.& 2.Cor.13.3.

Quod ait Hugo de more Prophetarum, verum eſt, ex quibus quidam etiam præfari ſolent [k]: *Verbum Domini*, aut, *Onus verbi Domini*: qua ipſa ratione Paulus auctoritatem ſibi conciliat, loqui ſe proteſtans [l] *edoctum non ab hominibus, ſed à* CHRISTO, *&* DEO PATRE.

Ruffinus malè ſequit de hac ſententia.

C

Effundam de SPIRITV *meo.*] Ruffinus exponens Ioëlem, totúmque hûc Prophetæ locum de Ezechiæ temporibus intelligi contendens, vult Petrum non ſatis propriè illum vſurpaſſe, ſed id ſolùm de contextu propheticæ orationis, quod ſuo tempori congrueret aſſumpſiſſe: & audaces eos nominat, qui de ſolo tempore eum accipiant, quod Petrus indicauit. Audax profectò, & temeraria ſententia, tot doctiſſimis ſanctiſſimiſque viris repugnans, Hieronymo, ac Theodoreto in Commentariis in Prophetam, & Chryſoſtomo, ac Oecumenio in Acta, aliiſque in vtrumque librum, Iuſtino etiam [m] & Hilario [n]; immò & nonnullis Iudæis interpretantibus de MESSIA, vt Rabbi Dauid, & Rab. Ieſuã.

m in Dial. cont. Tryph.
n 8.de Trin.

Quid ſit hic effuſio, & baptizari Spiritu ſancto.
o q.9.ad Hedib.
p verſ.5.
q c.3.
r Tit.3.5.6.

D

Effundam.] Effuſio ſignificat *gratiæ largitatem*, inquit Hieronymus [o], *ſicut & verbum baptizandi, cùm promiſit* CHRISTVS *baptizandos Diſcipulos* SPIRITV *ſancto*, vt iam expoſitum eſt in capite præcedenti [p], id eſt, veluti immergendos, & inundandos, & replendos, vt etiã intellexit Chryſoſtomus, & Theophylactus in Matthæum [q], verba Ioannis Baptiſtæ. Eodem verbo vtitur Paulus [r], loquens de SPIRITV ſancto, qui communicatur in Baptiſmo. Denotat quoque effuſio aquam, quæ propter varios effectus ſymbolum eſt SPIRITVS ſancti, & gratiæ, vt docui alio loco in expoſitione Euangelij de Samaritana [ſ]. Ambroſius [t] lotionem pedum ante cœnam Euchariſticam, ſymbolum ait fuiſſe ſpiritualis aquæ, quæ miſſo ſancto SPIRITV in Apoſtolos erat effundenda, vt copioſiùs nimirum perfunderentur, cùm mundi vtique iam eſſent [u].

ſ Ioan.4.
t Prol.lib. de Spirit.ſancto.

E

u Ioan.13.10. & 15.3.
Spiritus ſancti diuinitas probatur.
x lib. de Spirit.ſancto, ferè in med.
y lib. eo. c.7.
z Rom.5.5.

Probant ex hoc verbo diuinitatem SPIRITVS ſancti Didymus [x], & Ambroſius [y], quia non dicitur effundi quod participabile eſt, *quo modo non diceret*, inquiunt, DEVS: *Effundam de Angelo meo, quia Angelus cùm ſit creatura, non eſt participabilis*. Fateor, non intelligo vim argumenti, ſiquidem charitas dicitur effundi ſeu diffundi [z], quæ certè creatura eſt, & SPIRITVS ſanctus non effunditur, niſi quantùm ad effectum

A

creatum: nec impropria eſſet locutio dicere, *effundere de gratia, de charitate, de donis*, &c. Cyrillus Ieroſolymitanus [a] in effuſione gratiam notauit, ſed prætereà CHRISTVM ipſum loqui apud Ioëlem putat, cui PATER *omnia dederit* [b], ac poteſtatem donandi SPIRITVM [c], *quem non ad menſuram acceperit*, cui voluerit. Melius ex his verbis colligitur, gratiam, ſimiliáque SPIRITVS ſancti dona nobis inhærere: licèt interdum cogamur figuratè magis eadem intelligere, vt cùm dicitur effundi cor [d], anima [e], ira [f], framea [g], deſpectio [h], preces [i], contemptio [k], & alia plura.

a Catech.17.
b Matth. 11. Ioann. 13. & alibi.
c Ioan.3.
Gratia nobis inhærens.
d Pſal.61.9.
e Pſal.41.5.
f Pſal.68.25
g Pſal.34.3.
h Iob.12.21.
i Pſal.101.in tit.
k Pſ. 106.40.

De SPIRITV *meo.*] Ita etiam Septuaginta apud Ioëlem, vbi Hebræus textus רוחי *ruchi* legit, & verſio noſtra habet, SPIRITVM *meum*. Sed eodem ſenſu. Gloſſa ordinaria, & Hugo particula *de* notari dicunt *dona diuerſa, non diminutionem ſubſtantiæ*. Ambroſius [l], *quòd capi non poſſit plenitudo* SPIRITVS *ſancti; ſed quantum ille pro arbitrio diuiſerit*: & tamen, vt priùs dixi, effuſio ſignificat magnam copiam, maiorem, quàm cùm fundi, aut infundi dicitur, vt præter Richardum [m] de ſancto Victore pridem citatum, Hugo [n] etiam de ſancto Victore (vterque canonicus Regularis ſancti Auguſtini, Lutetiæ floruit in monaſterio S. Victoris, vnde nomen traxit, Scotus alter, alter Saxo) obſeruat, additque *fuſum* SPIRITVM *in Paradiſo per inſufflationem: infuſum, cùm lex data eſt: nunc effuſum. Primo* SPIRITV *irrigatam arcam, ſecundo datum torrentem doctrinæ, tertio flumen gratiæ.* CHRISTVM *fudiſſe*, SPIRITVM *per doctrinam, & miracula: infudiſſe cùm ſuſcitatus inſufflauit in Apoſtolos* [o]*: effudiſſe, cùm de cœlo miſit* SPIRITVM *ſanctum: fuſum rurſum per ſapientiam contra ignorantiam: infuſum per virtutem contra concupiſcentiam; effuſum per benignitatem contra impœnitentiam. Ideò petere Dauid in Pſalmo* [p], *vt* DEVS *deleat iniquitatem, lauet, mundet fundendo, infundendo, effundendo.*

l 1. de Spir. ſancto.c.7.
m Sermo. de miſſ. Spir. ſancti.
n in Ioelem.
Quando Spiritus fuſus, infuſus & effuſus.
o Ioan.20.
p Pſal.50. 14.

Arias Montanus, & Hilaretus in Ioël [q] per effuſionem SPIRITVS intelligunt gratiam ſanctificantem, per verba ſequentia, gratiam, quæ dicitur gratis data ad aliorum vtilitatem. Porrò cùm Moſi à DEO dictum legimus [r], quòd *auferret de ſpiritu ſuo, & traderet ſeptuaginta ſenioribus*, quamuis Oleaſter concedi poſſe exiſtimet, aliquid de Moſe ablatum eſſe, magis tamen, & iure quidem, contrarium probat, exponens de ſpiritu proprio ad regendum ſine detrimento Moſis, ſed partito inter illos alios munere regiminis, quod totum Moſes priùs gerebat, vt ſolent plures ab eadem lumen candela ſine diſpendio mutuare. Ita ergo fortaſſe hoc loco particula *de* innuit communicationem gratiæ & donorum prouenientem de SPIRITV ſancto, tanquàm de PATRE luminum.

q Hom 14.
Gratia ſanctificans & gratis data hic das intelligantur.
r Num.11.15.
Quo ratione ſpiritus Moſis ſit in alios partitus.

Tandem ſanctæ TRINITATIS myſterium his verbis declaratur: qui enim effundit, PATER eſt (communior enim ſenſus eſt, quàm quem dixi eſſe [ſ] Cyrilli Ieroſolymitani de FILIO, quem ſentit ſolùm Euſebius per omnes Prophetas locutum) SPIRITVS qui effunditur, dicitur eſſe SPIRITVS ipſius, ac proinde conſubſtantialis, & quia idem SPIRITVS vocatur quoque aliàs SPIRITVS CHRISTI [t], ſequitur hunc vtrique eſſe conſubſtantialem.

S. Trinitatis myſterium his verbis ut declaretur.
ſ Catech.17.
t Rom.8.9.& alibi.

Super omnem carnem.] Omnis conditionis homines, omnis ætatis, omnis ſexus, vt multis locis in Scriptura [u]; & pro toto homine ſumitur, ſicut nonnunquàm animæ nomen. Vnde *auditoribus ſpem bonam Petrus iniicit*, inquit Chryſoſtomus, *& auertit inuidiam, dum* SPIRITVM *eundem*

Carne totus homo denotatur.
u Eſa.40.c.5.& c.66.23. Pſal.44.21.

omni

omnibus æquè promissum, expositúmque propheticis verbis dicit. Nimis ergo Dauid Kimchi restringit ad solum Israël. Explicat pluribus eo quem dixi modo, locum istum Fulgentius [a].

Aliquando caro ponitur pro homine carnali, aut pro homine vili, & infirmo [b]. Mysterium id maximæ dignationis DEI, quo homo factus est, Incarnatio maximè communi voce appellatur, & Ioannes [c] scripsit, quòd VERBVM *caro factum est*, vt illa ipsa dignatio exaggeraretur, opponendo summum infimo, & exprimeretur origo morbi nostri, quem magnus de cœlo medicus curare veniebat.

Vsi sunt ea voce Latina Cyprianus [d], Lactantius [e], Hieronymus [f], Augustinus [g], Leo [h], vt alios recentiores Patres, & Scholasticos omittam: & Græca *σάρκωσις* idem omninò significante, Græci item Cyrillus Alexandrinus [i], & Damascenus [k]: & in Concilio Niceno dicitur CHRISTVS *Incarnatus*: ei similis est *incorporatio* apud Tertullianum [l], Hilarium [m], & Isidorum [n].

Rationem dicti nominis Incarnationis, seu VERBI caro facti propter summam CHRISTI humilitatem affert Augustinus [o], quemadmodum Theophylactus [p], vel DEI singularem dignationem, vt Nazianzenus [q], vel amorem, vt Cyrillus Alexandrinus [r], vel viuificationem corruptæ carnis, vt B. Thomas [s], & eiusdem infirmæ naturæ reparationem, quasi dicas spiritualizationem.

Non inepta fortasse erit notatio, quòd Euangelium Hebræi [t] vocant בשורה *besorah*, vel mercedem, pro bono nuncio: & מבשר *mebascher*, Euangelistam [u], vel Euangelizantem [x], est autem בשר *bascher*, caro, & בשור *beschur*, incarnatio: lex enim Euangelica in Incarnatione VERBI fundata, tanquàm in lætissimo nuncio, mollia & facilia continet, & ex lapideis carnea reddit corda. Quod est apud Oseam [y]: *Væ eis, cùm recessero ab eis*, Græcè legitur, *οὐαὶ αὐτοῖς ἐστι, σάρξ μου ἐξ αὐτῶν*, *Væ eis est, caro mea ex eis.* Vnde colligit Hieronymus Incarnationem, quasi dicat DEVS, Væ Iudæis, ex eis carnem sumam, verumtamen posteà funditùs eos euertam.

Sunt qui existiment, hominem ante peccatum nunquàm esse dictum carnem, sed posteà in contemptum, quia per peccatum decesserat de sua dignitate. Nam quod Adam dixit [z]: *Caro de carne mea*, carnem ipsam Euæ propriè intellexit de sua ipsius carne sumptam; sicut *os de ossibus*. Primum verò legitur homo vocatus caro circa tempus diluuij [a]: *Corruperat enim*, inquit Scriptura, *omnis caro viam suam*, & DEVS [b], *Non permanebit*, inquit, *spiritus meus in homine, quia caro est.* Quia igitur incarnatus est FILIVS DEI ob remedium peccati, cuius in carne effectus maximè elucet, proptereà rectè dicitur *caro factus*; quod Paulus magis exprimens dixit [c], *quod* DEVS FILIVM *suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.*

Si quis cum Hilareto [d] significari affirmet hoc loco SPIRITVM sanctum non lapideis & duris, sed carnalibus, & mollibus cordibus communicandum esse: aut eundem SPIRITVM *ex lapideis carnea & tractabilia corda* [e] *reddere*: aut *cùm caro concupiscat aduersùs Spiritum* [f] non modò spiritum nostrum, hoc est, rationem, sed etiam dari hunc SPIRITVM sanctum, vt nos efficiat spirituales, *ac sapientes non quæ carnis sunt, sed quæ* SPIRITVS, *& quæ sursum* [g] *sunt*, neque *viuentes secundùm carnem, sed* SPIRITV *facta carnis mortificantes* [h]. Si cui hæc, inquam, arrident, spiritualem, ac tropologicum non incommodum sensum sectabitur, quem innuit Glossa interlinearis, & Hugo.

h Rom. 8. 13.

Et prophetabunt.] Ruffinus [i] hoc loco de dono tantùm linguarum intelligit, non de vero dono Prophetiæ. Quasi verò non hoc etiam donum cum aliis datum sit, quod etiam distinctè datum Ephesiis discipulis iussu Pauli, Baptismo CHRISTI baptizatis, narratur inferiùs [k], etsi ibi prophetare significare potest laudare DEVM: sed quia Prophetiæ maximi fiebant apud Iudæos, nomine Prophetiæ, Ioël & Petrus linguarum donum, & alia comprehenderunt.

Spiritus Prophetia datus est, nō linguarum tantùm donum.
i in Ioëlem.
k cap. 19. 6.

Sicut Prophetæ nomen plura significat, vt monui versu præcedente, ita & verbum prophetandi. Prophetare enim est Prophetæ officio fungi [l], quod se latiùs extēdit, quàm ad futura prædicendum, erátque proprium veteris Testamenti. Est etiam interpretari sacras Scripturas [m], vel sacra carmina cantu modulari, aut musico instrumēto [n].

Prophetare multas habet significationes.
l 1. Esdr. 5. 1.
m 1. Cor. 14. 6. & seq.
n 1. Reg. 10. 5. cap. 19. 20. & alibi.

Quod verò CHRISTVS *legem ac Prophetas vsque ad Ioannem perdurasse* dixit [o], sensus est, quòd eò vsque lex, ac vetus Testamentum viguit, quod his duabus vocibus quandoque quasi describitur: non autem quòd in lege Euāgelica nulli sint Prophetæ futura prædicentes, sed, vt hoc loco Glossa docet, & Hugo, *soli expositores iam Scripturarum Propheticarū, vel de aliis tantùm rebus, non de* CHRISTO *ipso vaticinantes.*

o Mat. 11. 13.

Nam prophetarunt in nouo Testamento, vt Scripturæ sacræ produnt, B. Virgo [p], Elizabeth [q], Anna [r], & filiæ [s] Philippi diaconi, Zacharias [t] Ioannis pater, & Simeon [u], vt Caipham [x] prætercam, Agabus etiam & alij [y], Paulus [z], & Petrus [a], & Ioannes in Apocalypsi. Historiæ quoque Ecclesiasticæ plenæ sunt, idque non de Apostolico tantùm, sed de suo etiam tempore Iustinus [b] citans hunc locum Ioëlis, & Theodoretus notauit in Ioëlem, quod & de nostro demonstrat Thomas Bozius in signis Ecclesiæ [c] DEI, & planè constat ex his, quæ scripta sunt de historia nostri seculi, certúmque est de CHRISTO ipso multa à prædictis prophetata esse, *& testimonium* IESV CHRISTI *etiam nunc est Spiritus Prophetiæ* [d]. Quanquàm post aduentum CHRISTI, qui scopus Prophetarum fuit, multò pauciores habemus Prophetas, qui vaticinationes canonicas ediderint.

Prophetæ in nouo Testamento multi fuerunt, & adhuc sunt.
p Luc. 1. 46. & seq.
q ibid. 41.
r Luc. 2. 38.
s Act. 21. 9.
t Luc. 1. 67. & seq.
u Luc. 2. 29. & seq.
x Ioan. 11. 51.
y Act. 21. 10. & seq.
z Act. 13. 1. 1. Cor. 14. nisi intelligas de interpretibus.
a Act. 10. 25. 29. & seqq. 1. Tim. 4. 1. 2. Tim. 3. 1. & c. 4. 6. 2. Pet. 3. 3.
b in Tryp.
c lib. 6. c. 2.
d Apoc. 19. 10.

Filij vestri, & filiæ vestræ.] Conciliant verba ista Iudæorum beneuolentiam, quibus, vt ait Chrysostomus, *se Petrus, & alios Condiscipulos numerat in filiis eorum: simúlque animat, & in modestia continet.* Quasi dicat, non hanc esse virtutem, laudémque ipsorum, cùm pertingat huiusmodi gratia vsque etiam ad puellos eorum. Simili videtur arte CHRISTVS vsus, cùm dixit disputans de eiectione Dæmonum [e]: *Et si ego eiicio Dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt?* hoc est, Apostoli, vt veteres Patres exponunt, Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius in Matthæum.

Cur Petrus filios Iudæorum prophetaturos dixerit.
e Mat. 12. 27.

Hinc non perperàm inferunt Lyranus, & Carthusianus, in fœminas æquè ac in viros in die Pentecostes SPIRITVM sanctum descēdisse: qua de re dixi versu primo. Inde inexcusabiles sunt Iudæi, *quia*, inquit Glossa interlinearis, *& filij & filiæ eorum prophetant, quod extendi potest ad Principes Ecclesiæ nostræ, & ad* CHRISTVM *ipsum, qui ex illis est secundùm carnem* [f], *& salus ex illis est* [g].

Fœminæ etiam prophetarunt, tam in veteri quàm in nouo Testamento.
f Rom. 9. 5.
g Ioan. 4. 22.

Vtriusque sexus prophetantium exempla in

nouo Testamento paulò antè protulimus, quemadmodum & in vetere præter viros memorantur ex fœminis Mosis soror [a], Debora [b], & Holda [c], &, si placet, etiam Esaiæ vxor dicta Prophetissa [d]. Sed longè maior ex vtrisque numerus in nouo Testamento, in quo SPIRITVS ipse sanctus effunditur, vt vidimus, largissiméque communicatur.

a Exod.15.20. & Num.12.2. b Iud. 4.4.& c.5.1.& seq. *In nouo Testamento numerus Prophetarũ maior, quàm in veteri.* c 4.Reg.22.14.15.& seq. d Esa.8.3.

Iuuenes vestri visiones videbunt.] *Priores ponuntur iuuenes, vt proximè antè filij, eo ordine*, inquit Chrysostomus, *quem seruauit Dauid* [e], *cùm dixit: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*: & Malachias [f]; *Conuertens corda patrum in filios*. Visionem quidem habuit Paulus adhuc Saulus [g], atque iam Paulus, & fortasse adhuc iuuenis, certè nondum senex: at quas Petrus [h], & Ioannes viderunt, iis iam senibus factæ videntur, quibus tanquàm prouectioribus excellentiorem Prophetiæ modum concessum esse verisimile videtur: etiamsi excipiendus sit raptus Pauli vsque ad tertium cœlum: *& tamen altior Prophetiæ gradus est*, auctore sancto Thoma [i], *videre visiones, quàm somnia somniare, quia maior est vis Prophetici luminis, quæ aliquem abstrahit, dum vigilans est, & occupatus circa sensibilia ad supernaturalia, quàm quæ abstractam animã dormientis à sensibilibus reperit.*

e Psa.44.17. f cap.4.6. g Act.9.12.c.16.9.c.18.9. 2.Cor.12.1. h Act.10.11.& seq.& c.18.9. i 2. 2 qu.174. art.3. *Maius est vi visiones videre quàm somnia somniare.*

Somnia quando præstant visione.

Ceterùm somnia sunt quid perfectius, quando in iis absque vlla visione imaginaria DEVS loquitur, ac futura manifestat, quàm cùm visio imaginaria obiicitur. Id S.Thomas [k] etiam docet. Et ratio est, *quoniam*, vt ipse ait, *plus est audire verba, quæ sunt signa maximè expressa intelligibilis veritatis, seu vigiles, seu dormias, quàm videre res significatiuas etiam veritatis.* Vnde si quis, inquit DEVS [l], *fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Quasi dicat: Aliis Prophetis dabo visiones: vel, si magis honorare eos voluero, loquar eis per somnia. Non dicit, per visionem in somno, videlicet opponens Prophetiæ per verba, expressionem visionis, tãquàm præstantiorẽ. Quòd si somnia visiones solùm habeant, quales obiiciuntur vigilantibus, tunc erit vigilantis, quàm somniantis altior Prophetia. Id voluit B. Thomas primis verbis, nec sibi, nec huic sententiæ repugnans, quem etiam lege in expositione posterioris epistolæ ad Corinthios [m] differentem de discrimine inter visionem, ac reuelationem. Iuxta priorem verò sensum intelligendus est Moses [n] Ægyptius tenens esse meliora somnia, quàm visiones.

k ibidem. l Num.12.6. m c.12.lect.1. n 2. Direct. dub.cap.4. *Visio distinguitur à Prophetia.*

Hîc porrò ponendum est visionis nomen certam Prophetiæ speciem significare, cùm aliquando cum omni Prophetia conuertatur, non secus ac Propheta cum vidente [o]: quia Propheta oculis mentis, luminéque diuinitùs communicato videt, quæ DEVS vult ei innotescere. Prætereà prout videre communiter dicitur de omni potentia cognoscente, posset cognitio, quæ est per somnia, visio dici, reperitúrque interdum, vt Ribera [p] obseruat in Esaia, Amos, & aliis.

o 1.Reg.9.9. p Oseæ 1.nu.4.& seq. *Visio quis modus sit Prophetiæ.*

Sed vt ex dictis patet, & ex doctrina S.Thomæ, dicitur specialis quidam modus Prophetiæ visio, quando fit vigilantibus: quod multifariàm contingere potest: sed necessarium tamen est, vt fiat semper per immutationem sensibilem signi materialis, aut locutionis, aut imaginis in phantasia, vt rectè docet Abulensis [q], verum ita, vt sola visio externa sine locutione non sufficiat, quoniam species visibiles non possunt significare aliquid nisi incomplexum, Prophetica verò cognitio est cum iudicio, atque de complexis. Qua de causa fieri potest, vt aliquando Prophetia communicetur per solam locutionem sine visione, seu manifestatione signi sensibilis: sæpe enim Prophetæ audiebant vocem Domini nihil videntes, vt vel ex puero Samuele constat [r].

q Num.12.q.1. r 1.Reg.3.4.& seq. *Visio fieri potest per species internas.*

Non est hæc Abulensis doctrina adeò vniuersè vera, vt non possit sufficere immutatio per species internas, absque locutione reali, neque interna, quæ conceditur, locutio, fieri aliter videtur, quàm per specierum repræsentationem, ex qua formari potest complexa, seu iudicatiua cognitio. Præterquã quod repræsentari potest, vt ipse concedit, similitudo loquentis cùm dormimus; & aliquando tunc etiam colloqui videmur. Historiæ Ecclesiasticæ antiquiores, & recẽtiores omni ferè seculo diuersas cõtinent visiones. Illustris illa est, quam Carpo factam vigilanti narrat Dionysius [s].

s ep.8.ad Demoph.

Seniores vestri somnia somniabunt.] Græcè habetur, ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται, id est, *insomnia insomniabunt.* Rabbi Samuel [t] Marrochianus, qui vixit ante quingentos annos, per seniores intellexit Prophetas, per iuuenes Apostolos: *Illi*, inquit, *somniauerunt fidem Gentium, quam consequuti sunt pueri, scilicet Apostoli, & viderunt.* Iam dixi Prophetiam per somnia esse perfectiorem, ideóq; tribui senioribus, hoc est, prouectioribus, & perfectioribus.

t lib. de aduentu Messiæ.c.19.

Est autem somnium Prophetia in eo, qui somnians quæ sunt euentura, ipse quid somniet, per DEI reuelationem intelligit. Neque enim Pharao, sed Ioseph [u], non Nabuchodonosor, sed Daniel [x] Propheta fuit, quoniam reges illi, quæ somniabant, non per seipsos, sed per horum interpretationem perceperunt. Cupiebant Hebræi à DEO hac ratione doceri, vt ex eodem Daniele [y] didicimus, & ex Saule [z], & ex aliis apud Esaiam [a], vt quidem Septuaginta periphrasticè exponunt, addentes hæc verba, *propter insomnia*, & ibi etiam Hieronymus atque Cyrillus. In nouo Testamento extant diuina somnia Sponsi B.Virginis [b], Magorũ [c], vxoris Pilati [d], vt putant Origenes, Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus ibidem, & Leo [e], & Pauli [f]. De vetere enim præter iam dicta, nota etiam sunt somnia & sopores Adam [g], & Abram [h], Abimelech [i], Iacob [k], Ioseph [l], incerti cuiusdam in libro Iudicum [m], Salomonis [n], Mardochæi [o], Iudæ Machabæi [p].

Prophetia per somnium quando sit. u Gen.40.& 41. x Dan.2.& 4. y Dan.2.11. z 1.Reg.28.6.15. a c.65.4. b Matt.1.20. c.2.13.19. c Matt.2.12. d Mat.27.19. e Serm.1.de Passion. f Act.16.9.c.23.11.c.27.23. g Gen.2.21. h Gen.15.12. i c.20.3. k 28.12. *Somnia somniorum quæ Christianis acciderint.* l Genes.37.5.& seq. m c.7.13. n 3.Reg.3.6. o Esther 11.6. p 2.Machab.15.11.

Diuinorum somniorum in nostris, præter tempora Apostolica, suppetũt multa exempla, ex quibus quædam colligit Martinus Delrius in Disquisitionibus Magicis [q]. Illustre est, quod sibi accidisse narrat Nazianzenus, differens de calamitatibus animæ suæ: apud quem etiam leges disputationem de coniectatione ex somniis [r], vbi, præter Pererium [s], alios quoque citat, refellitque vanam per illa diuinationem: qua de re, tanquàm duces consulendi SS.Thomas [t], & Antoninus [u].

q lib.4.c.1.q.2.sect.2. r c.1.q.6. s l.1.2.de Mag. t 2.2.q.95.a.6. u 2.par.tit.12.c.1.§.7.

Plurima esse vana dubitari nequit, & Scripturæ seriò monent [x]. Attamen non sunt omnia huiusmodi, neque contemni omnia debent, quod voluit Xenophanes Colophonius, & Epicuræi; vt è contrario cuncta curari non debent, vt censuêre Stoici, atque Protagoras, Artemidorus, & in libro de Insomniis Synesius, atque somniatores alij tractantes idem argumentum. Meliùs Latinæ, Græcæque principes Musæ Virgilius [y] ac Homerus [z] duas commenti sunt somniorum portas, Eburneam, per quam falsa, Corneã, per quam emittantur vera. De Eburnea Horatius [a], de Cornea Propertius [b]. Lege etiã Macrobium [c], Muretum [d], Turnebum [e], & Iacobum [f] Pontanum. Malè

Somnia plurima sunt vana. x Deut.13.3. c.18.10. Eccl.5.6. & Eccl.34.1.6.7. Leuit.19.26. y Æneid.6. z Iliad.1. a Ode 27.lib.3.Carm. b li.4.eleg.1. c li.1.in Somn.Scip.c.3. d li.3.Variar.lect.c.7. e lib.4.c.14. f in 6.Æneid.

Aristoteles nullum à DEO somnium immitti docet [a], cui non modò Scriptura aduersatur, & paulò antè allata exempla, sed Hippocrates [b] optimus medicus (perinde est DEVM ipsum intelligas, aut Angelum) addens quoque causas naturales: potuit & tertium membrum, seu auctorem Dæmonem, vt facit Gregorius [c]: & potestas malitiáque ipsius persuadet, cum testata experientia vel in vxore Pilati [d], cùm CHRISTVS ad huius tribunal sisteretur, vt multi Patres existimarunt [e].

a lib. de diu. per som. b lib. de insom. c lib. 8. Moral. cap. 11. & lib. 4. Dial. c. 48. d Matt. 27. 19. e Ignat. epi. 5. Beda in Mat. cap. 27. Mag. hist. Sch. c. 167.

Somnia quomodo cognoscenda sint.

Naturalia somnia diiudicabit gnarus Physicus: diuina, & diabolica doctus & pius spirituum discretor spiritualis pater. Optima cautio, si caueas, & contemnas somnium, vt à Diabolo immissum, quando DEVS ipse, si somnium immittit (id autem facit, quia tunc animus est magis dispositus, simúlque illustrior potentia DEI fit, cùm nos inter nos docere nequeamus, nisi vigilantes) simul plerumque hominem reddere certum solet, à se id immissum, & profectum esse: & qui ad somnia curiosiùs attendunt, eos illorum interpretatio in grauissimas calamitates persæpe cōiicit, vt Agamemnonem apud Homerum [f], Cyrum regem Persarum apud Sabellicū [g], Xerxem, apud Herodotum [h], Onomarchū, apud Diodorum Siculum [i], Antigonum & Pompeium apud Plutarchum [k], & illum, de quo Gregorius in Dialogis [l]. *Nisi ergo ab Altissimo fuerit emissa visitatio*, inquit Sapiens [m], *ne des insomniis cor tuum*, hoc est, somnia externa spernas, quæ non constet à DEO esse immissa.

f Iliad. lib. 2. g 4. Ennea. 2. h lib. 7. i lib. 16. k in Dem. & Pomp. l lib. 4. Dial. cap. 41. m Eccl. 34. 6.

Libri falsi de somniis.

Falsi & damnati sunt Abraham, & Salomonis nomine de hac re libri, & quæ Danielis item titulo somnialia scripta, vt Gratianus [n] notauit, circumferebantur. Verùm de somniis iterum aliquid in capite XVI. Lege etiam Petrum Tyræum in opere de spirituum apparitionibus, cùm disserit de imaginaria.

n 26. q. 7. cap. non obseruetis.

Tres status, incipientium, proficientium, & perfectorum, vbi designati.

Moraliter, Filij, ac Filiæ designant Incipientes; Iuuenes, Proficientes; Senes, Perfectos. Primi prophetant, indole sua indicantes bonæ spem frugis: secundi visiones vident, diuino lumine clariùs illustrati: tertii somnia somniant, propter animi tranquillitatem. Videtur Ioannes in epistola [o] triplicem hūc statum simili quadam ratione expressisse: *Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata, propter nomen eius. Scribo vobis, adolescentes, & iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum* DEI *manet in vobis. Scribo vobis, patres, quoniam cognouistis eum qui ab initio est.* Primis tribuit remissionem peccatorum: secundis victoriam in pugnæ: tertiis DEI notitiam. Sed hunc nos locum Commentario nostro in eam epistolam vberiùs tractauimus.

o 1. epist. 2. 12. 13. 14.

Versus 18.] Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de SPIRITV meo, & prophetabunt.

ET *quidē super seruos meos, & super ancillas meas.*] Ioelis textus Hebræus, & quidam codices Septuaginta non habent *meos*, & *meas*, ideóque Ruffinus, & alij multi volunt notari, quòd nemo, extremæ licèt conditionis, à munere SPIRITVS sancti excluditur. Sed nostra lectio tam hîc Græca & Latina, quàm apud Ioelem in verioribus codicibus, & apud Patres citantes Prophetam, pleniorem sensum habet, nempe, ne, quod dictum erat, *Effundam* SPIRITVM *meum super omnem carnem*, Iudæi putarent de se tantùm intelligi, sicut & nūc Rabbi Dauid Kimchi, & alij interpretātur de iis, qui seruos se Hebræorum exhibuerint.

Nemo à munere Spiritus sancti liber futurus.

Promittit enim etiam Gentes si ad ipsius venire seruitutem voluerint, tanti expertes muneris non futuras, vt factum narrat hic idem liber [p] non semel, itáque hunc locum explicat Rupertus in Ioelem, & indicat Lyranus hoc loco.

Etiam gentes si Deo seruierint Spiritus Dei erunt participes. p Act. 10. 44. 45. & 15. 7. 8. c. 19. 6.

Fateor tamen nomine *omnis carnis*, satis generaliter omnes etiam Gentiles inclusos esse: & si ex particulis, *meos*, & *meas*, argumentandum est, fauent potiùs Hebræis, qui erant populus DEI peculiaris, & seruitio eius peculiariter addictus: sed priorem illum sensum video à Cyrillo quoque Ierosolymitano [q] subindicari, cùm recitatis Prophetæ verbis, quę adhuc exposita sunt, subdit: SPIRITVS *sanctus non est acceptor personarum, non enim quærit status amplitudinem, sed animæ probitatem: neque diuites efferantur, neque pauperes animum deiiciant; tantummodo vnusquisque sese paret ad cœlestis gratiæ susceptionem.* Chrysostomus alium sensum innuit, vt pronomina *meos*, & *meas*, excludant crucifixores, in quos nondum SPIRITVS sanctus sit effusus.

Omnis carnis nomine Gentiles intelliguntur. q Catech. 17.

Seruos meos, & ancillas meas.] Hæc nomina præ se ferunt vilitatem conditionis, & ita Cyrillus modò citatus accipere videtur, quíque Gentiles intelligunt [r]. Arias Montanus ipsosmet Discipulos intelligit, sicut & modò laudatus Chrysostomus; *iam non ex timore seruos*, inquit Hugo cum Glossa interlineari.

r in Ioelem.

Dei serui nomē est honorificum.

Est sanè honorificum nomen serui DEI, quo DEVS charissimos ornat, & honorat, quemadmodum etiam apud homines, vt ait Ambrosius [s], dignitas est seruum esse potentis, Abraham [t], Mosem [u], Caleb [x], Iob [y], Dauid [z], & quo vicissim hi, hisve similes gloriantur, aut id ab aliis de ipsis honoris causa dicitur. Hoc est quasi epitheton Mosis, vt cognominetur seruus DEI [a]: hoc trium illustrissimorum Patriarcharum Abraham, Isaac, Iacob [b], hoc Iosue [c], hoc aliorum. Ita se nominat Abraham [d], fratres Ioseph [e], Moses [f], Samson [g], mater Samuelis [h], Samuel sic loqui doctus [i] ab Heli, Dauid cùm alibi, tum graui vtens epiphonemate, siue blandiendo, siue confitendo [k]: *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*, hoc est, non voluntate duntaxat, & adoptione, verùm etiam natura, quasique vernaculus. Tandem, vt alios prætercam, non censet PATER indignum FILIVM, qui serui formam induere [l] dignatus est, seruum appellare apud Esaiam [m], & Zachariam [n], & alios.

s in 1. Tim. 1. t Gen. 26. 24. Psal. 104. 6. u Num. 12. 7. & Iosue 1. 7. x Num. 14. 24. y ca. 1. 8. c. 42. 7. 8. z 2. Reg. 7. 5. 8. lib. 3. 14. 8. a 1. Exod. 14. 31. Deu. 34. 5. Iol. 1. 1. c. 11. 15. Iudith 4. 11. Ps. 104. 26. Baruch 1. 20. b Exod. 32. 13. Deut. 9. 27. 2. Mach. 1. 2. c cap. vlt. 29. d Gen. 19. 19. e Gen. 50. 17. f Exod. 4. 10. Num. 11. 11. Deut. 3. 24. g Iud. 15. 18. h 1. Reg. 1. 11. i 1. Reg. 3. 9. k Psa. 115. 16.

Christus an dici possit seruus. l Philip. 2. 7. m cap. 49. 3. 5. 6. & alibi. n cap. 3. 8.

Id CHRISTO nomen propriè non conuenit, si seruitutis vox, præter naturam, quæ in CHRISTO, prout est humana, est creata, atque subiecta, suppositum etiam, siue personam inuoluat cum negatione communicationis in bonis, & vilitatem legalem. Hac ratione Patres quidam, & Concilium Francofordiense negant de CHRISTO nomen serui, sicut & adoptiui filij.

Sed absolutè ac simpliciter nihil cogit nos negare, cùm confessione Pauli constet à CHRISTO serui formam acceptam: & B. Thomas [o] serui vocabulum nō exhorreat, & Paludanus [p], & alij non pauci; quatenus saltem natura humana CHRISTI eadem est cum ea, quæ in nobis est, qui serui sumus, & qua ipse obediuit PATRI. Quo etiā pacto Cyrillus Alexandrinus [q] iubet nos non offendi, cùm audimus à Prophetis CHRISTVM vocari seruum. Sic loquitur quoque Nazianzenus [r], Vigilius,

o 3. par. quæst. 20. art. 2. ad. 2. & 3. p 3. d. 12. q. 3. in 1. dicto 3. opin. q Anath. 4. r Apol. 1.

a 5. cont. Eut.
b 5. de fide. c. 6. & epist. 47.
c epist. 178.
d 11. de Trini.
e orat. 2. & 3. cont. Arian.
f disp. 2. cont. Eli.
g 3. part. disp. 44 tom 1.
h li. 1. de Christi c. 6. post 10. testim.
i annot 2.
Serui Dei in nouo Testamento quot & quani.

A gilius [a], Ambrosius [b], Augustinus [c], Hilarius [d], Athanasius [e], hisque plures. Legendi Theologi, maximè verò qui rem accuratiùs disputauerunt, de nostris Gabriel Vasquez [f], & Franciscus Suarez [g]. Non dubitant multi recentiores, vti appellatione serui pro CHRISTO, vt quem dixi Suarez, & præterea Card. Bellarminus [h], & his prior Iacobus Lopes Stunica, contra Erasmum [i], necnon Sanctius Carranza, & aliquanti alij.

k Luc. 1. 38. 48.
l infrà 29.

In nouo Testamento multos dicere possumus *Abdias*, seu seruos DEI, nomen id illud sonat, vel *Obadias*, quod idem est. Mater DEI tum etiam cùm salutatur mater DEI, *ancillam Domini* se nominat [k]. Vetulus Simeon quando vlnis amplexatur CHRISTVM [l]: B Apostoli Paulus, Iacobus, Petrus, Iudas, in epistolis suis.

Serui quomodo à Christo Apostoli dicti.
m Ioan. 15. 14.

Quod verò CHRISTVS [m] ait: *Iam non dicam vos seruos*: non est, quòd eos ipse vnquàm ita nominauerit, vt nec solet Princeps ciues, filios pater, magister discipulos, amici, & æquales alios, quibus sunt æquales ita nominare: licèt honoris causâ inferiores domini nomen tribuant superioribus, vel æquales inter se, ac etiam ignoti aliis, vt aliàs dixi ex Seneca. Sed neque CHRISTVS tam se vocauit Dominum, quàm approbauit, quòd se ita Discipuli vocarent [n], sicut & quòd Dauid [o] cum ita vocauerit in Psalmo [p], laudauit.

n Ioan. 13. 13.
o Mat. 22. 43.
p 109. 1.
Quomodo amici sunt, etsi non desinant esse serui.
q Ioan. 13. 16. & Mat 10. 24. Luc. 6. 40.

Verùm significare voluit plura se in posterum, quod amici faciunt, communicaturum. C Immò cùm dicat [q]; *Non est seruus maior domino suo*, satis demonstrat, se non ideò dixisse, quòd Discipulos posthac non appellaret seruos, quasi desinerent esse serui, aut inciperent esse amici: *Qui enim amicus* DEI *efficitur*, inquit Augustinus [r], *non solum seruus esse non desinit, sed melior etiam seruus, quo magis amicus, seque, quia commodior est magis obnoxium agnoscit, & seruum inutilem* [s], *cuius nempe non egeat bonis* [t], *qui ad amicitiam suam illum admittit.* Solùm ergo intendit id quod dixi, & quòd eos haberet non loco seruorum, sed amicorum.

r Tract. 85. in Ioan.
Amicus Dei quò quis magis, eò magis seruus.
s Luc. 17. 10.
t Psa. 15. 2.
Timor seruilis & filialis duo sunt.

Alioqui constat, vt est quidam timor seruilis conditionis, & spiritus seruitutis, ac status legis veteris, D de qua seruitute nonnulli CHRISTVM intelligunt, ita esse filialem, qui est proprius noui Testamenti, & legis gratiæ, & charitatis, quo timore qui præditus sit, huic in beatitudinis ingressu dicet CHRISTVS: *Euge serue bone, &c.* [u]

u Mat. 25. 21. 23.
Seruus Dei nomē creaturæ maximè proprium.

Præfefert id nomen in amore, seu amicitia, qui exactissimè cum DEO, propter inæqualitatem, esse nequit, creaturæ amantis subiectionem, & modestiam: in qua qui magis proficit, magis se etiam seruitutis nexu quodam deuinctum sentit, quóque maior est, hoc se humilians magis [x], seruum se maximè inutilem, sicut antè dixi, agnoscit [y], & DEI etiam seruorum seruum.

x Eccli. 3. 20.
y Luc. 17. 10.
Romani Pontifices, se seruos seruorum Dei nominant.
z epi. 2. ad Stephanum Episcopum.
a Gen. 9. 25.
Seruire Deo regnare est.

Quod quasi honorarium prænomen, post Damasum, E vt patet ex eius epistola ad Stephanum Episcopum [z], & Gregorium, ceteri Pontifices gerunt: vt signum verò extremæ seruitutis atque maledictionis impositum Chanaan filio Cham à patre [a] Noë, sed vt hominibus seruiret, non DEO.

b in cap. 1. ep. ad Timoth.

Sanè quidem verissimum est, quod *Seruire Deo regnare est*, quódque, vt Agatha sapienter, & fortiter Tyranno respondit, humilem obiectanti in tam nobili genere, & seruilem Christianorum vitam: *Multo præstantior est Christiana humilitas, & seruitus Regum opibus ac superbia.* Et quod, vt ait Ambrosius [b], dignitas est seruum esse potentis, multò verò magis omnipotentis DEI. Summa est serui DEI in mundum totum potestas, summum imperium in elementa [c], in Solem [d], ac cœlum, in Dæmones [e], quodammodò in DEVM ipsum, *Seruus meus es tu, Israël*, inquit DEVS, *quia in te glorialbor* [f].

c 4. Reg. 1. 10.
d Iosu. 10. 12 & seq. Eccl. 46. 5. Esa. 38. 8. 4. Reg. 20. 11.
e Luc. 10. 9.
f Esa. 49. 3.
Seruitus ciuilis inter Christianos esse potest.

Non est hîc locus disputandi contra Lutherum, aliósque, inter Christianos etiam locum esse seruituti ciuili, quæ ex peccato originali nata, & relicta est: neque de libertate spiritus, quæ opponitur seruituti carnis, & peccati, aut legis scriptæ. Paulus vno verbo nos docet, *liberatos nos à peccato, seruos factos esse iustitiæ* [g]; & *debere per charitatem spiritus seruire inuicem: non dando libertatem in occasionem carnis* [h], & Petrus [i], *Quasi liberi*, inquit, *& non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui* DEI. Lege Augustinum [k] in epist. ad Romanos. Inter prærogatiuas noui supra vetus Testamentum hæ duæ sunt, vt nouum sit filiorum, non seruorum, amoris non timoris; qua de re c. 15. recurret sermo, Lege Barradium nostrum [l].

g Rom. 6. 18.
h Gal. 5. 13.
i 1. Petr. 2. 16.
k cap. 72.
l in Harm. Euang. lib. 2. c. 7. & 8.

Et prophetabunt.] Repetit verba hæc Petrus, quæ Ioël semel dixisse contentus fuit, siue ad emphasim, siue vt intelligeremus, eos, qui ex Gentibus crederent, non tantùm accepturos fuisse SPIRITVM sanctum ad iustificationem, sed etiam donum linguarum, & Prophetiæ. Fieri potest, vt Propheta, & Petrus ad Gentes respectum habuerint, non puto tamen Petrum in concione de Gentibus intelligi voluisse, cùm earum nomen adhuc inuisum, & multò etiam pòst fuerit, vt constabit ex sequentibus capitibus.

Versus 19.] Et dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

m Tract. 30.
n in cap. 24. Matth.
o c. 13.
p c. 21.

E*T dabo prodigia in cælo sursum.*] Theodoretus, & Rupertus in Ioëlem, Chrysostomus, atque Oecumenius, & Glossa interlinearis, & Lyranus & Arias Montanus, & Ribera in hunc locum, Origenes [m] in Matthæum, & S. Thomas [n], Beda in Marcum [o], & Lucam [p] intelligunt de signis & prodigiis iudicij, vt postquam sermo fuit de doctrina CHRISTI, & aduentu SPIRITVS sancti, *continuo*, inquit Ribera in Ioëlem, *hæc signa ponens ostendat, nullam legem post hanc esse expectandam, ideóque ab omnibus qui salui esse velint, recipiendam*: quo ipso modo ratiocinatur Paulus scribés Hebræis [q].

q c. 9. 28. cap. 10. 26.
Hic locus potius ad iudicij diem, quam ad alia spectat.

Videtur hic accommodatior sensus, quàm quem Hieronymus post allatos alios affert de Passione CHRISTI: quomodo enim Propheta dixisset SPIRITVS sancti aduentum futurum esse ante hæc signa, cùm Passio, & Resurrectio præcesserint effusionem SPIRITVS sancti? Neque conuenit, vt dies Resurrectionis CHRISTI dicatur *dies magnus, & horribilis*. Quare tandem etiam fatetur Hieronymus hanc expositionem esse tropologicam, & hinc inde in disceptatione fluctuans, ad eam, quam dixi, inclinat.

Alia expositiones.
r Luc. 2. 13.
s Matt. 2. 1. & seqq.
t Mat. 27. 45.
u Act. 1. 10.

Post istam, maximè probabilis est ea, quæ à Chrysostomo quoque affertur, & ab Oecumenio de Ierosolymorū excidio, minùs quæ à Beda, & Carthusiano hoc loco, & ab Hilareto, & Hugone de S. Victore in Ioëlem, de primo aduentu CHRISTI, ita vt prodigia ac signa in cœlo fuerint nato CHRISTO [r] cantus Angelorum; stella Magorum [s]: & tēpore Passionis [t] eclipsis Solis, & dum CHRISTVS ascēdit, visio Angelorum [u]: in terra tot miracula viuente, & mortuo CHRISTO. Improbabilitatis causam cognoscet facilè, cui nostra expo-

sitio,

Digitized by Google

sitio probabitur,& ratio,qua nititur.

Apostoli dum citant Scripturam, sensum magis spectant, quam verba.

Prodigia in cœlo sursum,& signa in terra deorsum.] Ioel non posuit tria vocabula, *sursum, signa, deorsum*,obseruandum enim est,Euangelistas,& Apostolos, cùm citant Prophetarum , alteriusve Auctoris Testamenti veteris testimonia, sensum aliquando magis spectare, quàm verba, quæ vel addunt,vel etiam demunt.Notauit id Origenes[a], & Hieronymus [b], & Salmeron [c] noster in Prolegomenis suis.

a lib.5.in c.6. epi. ad Rom. & lib.8.in ca. 11.& lib.10.in ca.15. & tom. 9 in Ioan.
b epistol.101.
c Tom.1.pro. 9.can.27

Prodigium & signum quid sint.

Prodigia & signa.]Glossa ex Beda,*Prodigium est, quod porro dicit*, id est, quod significat aliquid, vel quod proditur oculis.*Signum,quo significatur aliud, illudque in magnis, & in cœlo,hoc in paruis, & in terris*, inquit Hugo Cardinalis. Augustinus [d], monstra,ostenta,portenta,prodigia distinguens,prodigij notionem iam dictam ponit , quod porrò dicat, id est, futura prædicat : quod ex Cicerone [e] mutuatus est : apud quem etiam reperio signi significationem eandem cum præcedentibus.

d lib.21.de ciuit. Dei.cap.8.
e lib.2.de Diuinat. & lib. 2. de Nat. deor.

Origenes in Ioannem τέρατα ait (sic prodigia Græci dicunt) esse,*quæ præter opinionem sunt,& humanam consuetudinem excedunt : σημεῖα*(his respondent signa apud Latinos) quæ aliquid significant.Ammonius [f]. prima, *cùm quid præter naturam fit*, vt suscitatio mortuorum, cæcorum curatio, & similia. Secunda , *quando non præter naturam* , vt ægros sanare. Hoc loco idem per vtraque significari videtur , saltem aliquid supernaturale : & quandoque signi nomen dicitur etiam, cùm res est de cœlo [g].

f in Cat.Græca in Ioan.
g Luc.11.16.

Prodigium in malam partem sumitur.

Latini Scriptores plerumque in malam partem prodigij nomen accipiunt, pro deorum minis,& ira,seu pro diris, pro ominibus, auguriisve sinistris. Vnde diuinationis apud profanos genus est, τῆς τερατοσκοπίας , quæ de variis atque insolitis in aëre,aut aliis elementis apparitionibus,ac sonis, vel effectibus iudicat , vt sunt acies in cœlo visæ, pluuia sanguinis,& similia,quibus pleni sunt libri Iulij Obsequêtis, & Lycosthenis,& Ioachimi Camerarij(qui duo malæ sectæ sunt auctores,nec legendi)Polydori Virgilij,& aliorum.

Signum apud Hebræos quid sit.

Constat apud Iudæos dici signa Hebraicè האות *haoth*, miracula, quia peti solebant, vt indicia virtutis DEI, cùm is pollicebatur aliquid valdè difficile,aut quando nouus Propheta existebat. Primi exempla sunt Abraham [h], dicens: *Vnde scire possum, quod possessurus sim eam?* (Terram promissionis.) Esaias [i] ad Achaz regem loquens : *Pete tibi signum à Domino* DEO *tuo*: & paulò pòst subiungit [k] : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum,Ecce virgo concipiet,&c.*Zacharias Ioannis pater [l],sic Angelum affatus:*Vnde hoc sciam?*Raro Latina vox miraculi,ac nunquàm potiùs reperitur in nouo Testamento. Notauit,quem citaui, Origenes [m], prodigia sine signis non reperiri, signa interdum absque prodigiis. CHRISTVS totus, & suo modo Apostoli ac Apostolici viri possunt nominari signa,prodigia,portenta,miracula.*Ecce ego*, ait apud Esaiam [n] CHRISTVS, *& pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum,& in portentum Israël: à Domino exercituum,qui habitat in monte Sion.* De hoc loco præter expositores Origenem , Cyrillum,Procopium, &c.legendus Clemens Alexandrinus [o], & Eusebius [p].

h Gen.15.8.
i cap.7.11.
k vers.14.
l Luc.1.18.
m tom.13.in Ioan.
n cap.8.18.
o Pæda.c.5.
p de demõ. cap.14.

Secundi exempla præbent Iudæi à CHRISTO sæpe poscentes signa[q]:quod ipse illis vicissim exprobrat [r], & Paulus [s], cùm ait,*quod Iudæi signa petunt , & Græci sapientiam quærunt.*Hoc item modo intelligi potest quod est in Psalmo [t] , *Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta , & nos non cognoscet amplius.*Id est,iam non videmus miracula,quæ veluti signa noui Prophetæ edebant , vt putarentur missi à DEO:non enim surgit ampliùs Propheta inter nos.

q Mat.12.38. ... 29.10.
r eisdem locis, ... 6.45.
s 1.Cor.1.22.
t Psal.73.9.

Sanguinem.] Non quem CHRISTVS prodigiosè misit [u] sudans in horto de toto corpore , vt exponit Hugo de S.Victore in Ioelem , & Glossa ordinaria hoc loco:non quem iam mortuus ex latere cum aqua [x] emisit,vt eadem Glossa, atque interlinearis,& Hugo Cardinalis,& Hieronymus in Ioelem, sed vel quem fusurus erat ex Iudæorum corporibus Romanus exercitus : vel potiùs Antichristus ex omnibus qui ei resistêt, vt Chrysostomus,Oecumenius,Lyranus,iuxta ea,quæ hoc versu præfati sumus:*Consurget enim gens in gentem*[y].Allegoricos verò sensus,aut tropologicos de hoc, & sequentibus , vide apud Hugonem Cardinalem, & alios.

u Luc.22.44
x Ioan.19.34
y Mat.24.7.

Ignem.]Fulgurum scilicet, & fulminum, *& stellarum*[z] *cadentium de cœlo,seu ignitarum exhalationum; non autem* SPIRITVS *sancti missi in Pentecoste* , vt Hieronymus exposuit , Hugo de S. Victore , & Cardinalis;non conflagrationis in excidio Ierosolymitano,vt Chrysostomus,& Oecumenius.

z ibid. 29.

Vaporem fumi.] Exhalationem excitandam ex rebus , quæ fulminum igne comburentur , non obscuriorem SPIRITVS sancti illustrationem in posteros Apostolorum , vel excæcationem Iudæorum,vel compunctionem, lacrymasve (quas fumus elicit) conuersorum , iuxta mentem citatorum Auctorum.

Versus 20.] **Sol conuertetur in tenebras,& Luna in sanguinem , antequàm veniat dies Domini magnus,& manifestus.**

SOL *conuertetur in tenebras.*]Hoc est,quod Matthæus[a] CHRISTVM prædixisse recitat:*Sol obscurabitur , & Luna non dabit lumen suum* , non est autem Eclipsis[b] Solis in passione CHRISTI,& in Luna rubedo,etsi Carthusianus naturaliter loquêdo nigram tunc videri debuisse affirmat:non Solis ac Lunæ prodigia tempore obsidionis Ierosolymitanæ,non conuersio Euangelij in hæresim , & Ecclesiæ quædam trucidatio in suis Martyribus. Lege caput XXXIV.Esaiæ.

a c.24.29.
b Mat.27.46.

Antequàm veniat dies Domini magnus,& manifestus.] Significant hæc verba,quæ hactenus dicta sunt, ad diem Iudicij pertinere,vt antè etiam notauimus. Post signa,quæ diem illum antegredientur,erit breuis temporis pax,& quies,ipseque dies inopinatus veniet, vt Euangelistæ docent [c]. Non omnia signa Iudicium præcessura hîc numerantur , sed præter Euangelistas apud alios Prophetas Esaiam [d] , Ezechielem [e], Habacuc [f] , & Ioelem alio vltra citatum loco [g], & apud Auctorem Sapientiæ [h] , & Ioannem in Apocalypsi [i]. Lege Interpretes S. Thomæ in Tertiam Partem [k], præsertim Suarez ibidem [l],& Gregorium de Valentia [m], & Ioseph Acosta libro de Temporibus nouissimis [n], Ioannem Fredericum Luminium de extremo iudicio DEI, & Henricum Enriquez , Tractatu de Fine hominis;prætereà illos, qui scripserunt in citata testimonia Scripturæ , præsertim Euangelistarum,& Apocalypsis,& Scholasticos in Quartum [o],Magistrum historię Scholasticæ[p], Augustinum oratione contra Iudæos,& Paganos,Richardum de S. Victore Tract. De plagis Mundi,

c Mat.24.38. Luc.c.21.34.
d cap.34.
e cap.38.
f cap.3.
g cap.3.
h cap.3.
i cap.5.
k q.59.art.6.
l disp.56.
m in 3.part.
n c.6.& alibi.
o dist.48.
p cap.141.

a 5.cont. Eut. b 5.de fide.c. 6.& epist.47. c epist.178. d 11.de Trini. e orat.2.& 3. cont. Arian. f disp.3.cont. Eli. g 3.part.disp. 44 tom 1. h li.1.de Christi c.6.post 10. testim. i annot 2.

Serui Dei in nouo Testamento qui & quanti.

gilius [a], Ambrosius [b], Augustinus [c], Hilarius [d], Athanasius [e], hisque plures. Legendi Theologi, maximè verò qui rem accuratiùs disputauerunt, de nostris Gabriel Vasquez [f], & Franciscus Suarez [g]. Non dubitant multi recentiores, vti appellatione serui pro CHRISTO, vt quem dixi Suarez, & prætereà Card. Bellarminus [h], & his prior Iacobus Lopes Stunica, contra Erasmum [i], necnon Sanctius Carranza, & aliquanti alij.

k Luc. 1. 38. 48. l infrà 29.

In nouo Testamento multos dicere possumus *Abdias*, seu seruos DEI, nomen id illud sonat, vel *Obadias*, quod idem est. Mater DEI tum etiam cùm salutatur mater DEI, *ancillam Domini* se nominat [k]. Vetulus Simeon quando vlnis amplexatur CHRISTVM [l]: Apostoli Paulus, Iacobus, Petrus, Iudas, in epistolis suis.

Serui quomodo à Christo Apostoli dicti. m Ioan.15.14.

Quod verò CHRISTVS [m] ait: *Iam non dicam vos seruos:* non est, quòd eos ipse vnquàm ita nominauerit, vt nec solet Princeps ciues, filios pater, magister discipulos, amici, & æquales alios, quibus sunt æquales ita nominare: licèt honoris causâ inferiores domini nomen tribuant superioribus, vel æquales inter se, ac etiam ignoti aliis, vt aliàs dixi ex Seneca. Sed neque CHRISTVS tam se vocauit Dominum, quàm approbauit, quòd se ita Discipuli vocarent [n], sicut & quòd Dauid [o] eum ita vocauerit in Psalmo [p], laudauit.

n Ioan.13.13. o Mat.22.43. p 109.1.

Quomodo amici sunt, etsi non desinant esse serui. q Ioan.13.16. & Mat.10.24. Luc. 6. 40.

Verùm significare voluit plura se in posterum, quod amici faciunt, communicaturum. Immò cùm dicat [q]; *Non est seruus maior domino suo*, satis demonstrat, se non ideò dixisse, quòd Discipulos posthac non appellaret seruos, quasi desinerent esse serui, aut inciperent esse amici: *Qui enim amicus* DEI *efficitur*, inquit Augustinus [r], *non solùm seruus esse non desinit, sed melior etiam seruus, quo magis amicus, séque, quia coniunctior est, magis obnoxium agnoscit, & seruum inutilem* [s], *cuius nempe non egeat bonis* [t], *qui ad amicitiam suam illum admittit.* Solùm ergo intendit id quod dixi, & quòd eos haberet non loco seruorum, sed amicorum.

r Tract. 85. in Ioan.

Amicus Dei quò quis magis est, eò magis seruus.

s Luc.17.10. t Psal.15.2.

Timor seruilis & filialis duo sunt.

Alioqui constat, vt est quidam timor seruilis conditionis, & spiritus seruitutis, ac status legis veteris, de qua seruitute nonnulli CHRISTVM intelligunt, ita esse filialem, qui est proprius noui Testamenti, & legis gratiæ, & charitatis, quo timore qui præditus sit, huic in beatitudinis ingressu dicet CHRISTVS: *Euge serue bone, &c.* [u]

u Mat.25.21. 23.

Serui Dei nomen creaturæ maximè proprium.

Præsefert id nomen in amore, seu amicitia, qui exactissimè cum DEO, propter inæqualitatem, esse nequit, creaturæ amantis subiectionem, & modestiam: in qua qui magis proficit, magis se etiam seruitutis nexu quodam deuinctum sentit, quóque maior est, hoc se humilians magis [x], seruum se maximè inutilem, sicut antè dixi, agnoscit [y], & DEI etiam seruorum seruum.

x Eccli.3.20. y Luc.17.10.

Romani Pontifices se seruos seruorum Dei nominant.

Quod quasi honorarium prænomen, post Damasum, vt patet ex eius epistola ad Stephanum Episcopum [z], & Gregorium, ceteri Pontifices gerunt: vt signum verò extremæ seruitutis atque maledictionis impositum Chanaan filio Cham à patre [a] Noë, sed vt hominibus seruiret, non DEO.

z epi.2.ad Stephanum Episcopum. a Gen.9.25.

Seruire Deo regnare est.

Sanè quidem verissimum est, quod *Seruire Deo regnare est*, quódque, vt Agatha sapienter, & fortiter Tyranno respondit, humilem obiectanti in tam nobili genere, & seruilem Christianorum vitam: *Multò præstantior est Christiana humilitas, & seruitus Regum opibus ac superbia.* Et quod, vt ait Ambrosius [b], dignitas est seruum esse potentis, multò verò magis omnipotentis DEI. Summa est serui DEI in mundum totum potestas, summum imperium in elementa [c], in Solem [d], ac cœlum, in Dæmones [e], quodammodò in DEVM ipsum, *Seruus meus es tu, Israël*, inquit DEVS, *quia in te glorabor* [f].

b in cap.1.ep. 2.ad Timoth.

c 4.Reg. 1.10. d Ios.10.12.& seq. Eccl. 46. 5. Esa. 38.8. 4. Reg.20.11. e Luc.10.9. f Esa.49.3.

Seruitus ciuilis inter Christianos esse potest.

Non est hîc locus disputandi contra Lutherum, aliósque, inter Christianos etiam locum esse seruituti ciuili, quæ ex peccato originali nata, & relicta est: neque de libertate spiritus, quæ opponitur seruituti carnis, & peccati, aut legis scriptæ. Paulus vno verbo nos docet, *liberatos nos à peccato, seruos factos esse iustitiæ* [g]; & *debere per charitatem spiritus seruire inuicem: non dando libertatem in occasionem carnis* [h], & Petrus [i], *Quasi liberi*, inquit, & *non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui* DEI. Lege Augustinum [k] in epist. ad Romanos. Inter prærogatiuas noui supra vetus Testamentum hæ duæ sunt, vt nouum sit filiorum, non seruorum, amoris non timoris; qua de re c. 15. recurret sermo, Lege Barradium nostrum [l].

g Rom.6. 20. h Gal.5.13. i 1.Petr.2.16. k cap.72. l in Harmo. Euang.lib.2. c.7.& 8.

Et prophetabunt.] Repetit verba hæc Petrus, quæ Ioël semel dixisse contentus fuit, siue ad emphasim, siue vt intelligeremus, eos, qui ex Gentibus crederent, non tantùm accepturos fuisse SPIRITVM sanctum ad iustificationem, sed etiam donum linguarum, & Prophetiæ. Fieri potest, vt Propheta, & Petrus ad Gentes respectum habuerint, non puto tamen Petrum in concione de Gentibus intelligi voluisse, cùm earum nomen adhuc inuisum, & multò etiam pòst fuerit, vt constabit ex sequentibus capitibus.

Versus 19.] Et dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vapores fumi.

ET *dabo prodigia in cælo sursum.*] Theodoretus, & Rupertus in Ioëlem, Chrysostomus, atque Oecumenius, & Glossa interlinearis, & Lyranus & Arias Montanus, & Ribera in hunc locum, Origenes [m] in Matthæum, & S.Thomas [n], Beda in Marcum [o], & Lucam [p] intelligunt de signis & prodigiis iudicij, vt postquàm sermo fuit de doctrina CHRISTI, & aduentu SPIRITVS sancti, *continuò*, inquit Ribera in Ioëlem, *hæc signa ponens ostendat, nullam legem post hanc esse expectandam, ideóque ab omnibus qui salui esse velint, recipiendam*: quo ipso modo ratiocinatur Paulus scribēs Hebræis [q].

m Tract.30. n in cap. 24. Matth. o c.13. p c.21.

Videtur hic accommodatior sensus, quàm quem Hieronymus post allatos alios affert de Passione CHRISTI: quomodo enim Propheta dixisset SPIRITVS sancti aduentum futurum esse ante hæc signa, cùm Passio, & Resurrectio præcesserint effusionem SPIRITVS sancti? Neque conuenit, vt dies Resurrectionis CHRISTI dicatur *dies magnus, & horribilis.* Quare tandem etiam fatetur Hieronymus hanc expositionem esse tropologicam, & hinc inde in disceptatione fluctuans, ad eam, quam dixi, inclinat.

q c.9.28.cap. 10.26. *Hic locus potius ad iudicij diem, quàm ad alia spectat.*

Alia expositiones.

Post istam, maximè probabilis est ea, quæ à Chrysostomo quoque affertur, & ab Oecumenio de Ierosolymorū excidio, minùs quæ à Beda, & Carthusiano hoc loco, & ab Hilareto, & Hugone de S.Victore in Ioëlem, de primo aduentu CHRISTI, ita vt prodigia ac signa in cœlo fuerint nato CHRISTO [r] cantus Angelorum; stella Magorum [s]; & tēpore Passionis [t] eclipsis Solis, & dum CHRISTVS ascēdit, visio Angelorum [u]; in terra tot miracula viuente, & mortuo CHRISTO. Improbabilitatis causam cognoscet facilè, cui nostra expositio,

r Luc.2.13. s Matt.2.1.& seqq. t Matt.27.45. u Act.1.10.

sitio probabitur, & ratio, qua nititur.

Apostoli cum citant Scripturam, sensum magis premunt, quam verba.

Prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum.] Ioel non posuit tria vocabula, *sursum, signa, deorsum*, obseruandum enim est, Euangelistas, & Apostolos, cùm citant Prophetarum, alteriúsve Auctoris Testamenti veteris testimonia, sensum aliquando magis spectare, quàm verba, quæ vel addunt, vel etiam demunt. Notauit id Origenes[a], & Hieronymus[b], & Salmeron[c] noster in Prolegomenis suis.

a lib.5. in c.6. epi. ad Rom. & lib.8. in ca. 11. & lib.10. in ca.15. & tom. 9. in Ioan.
b epistol.101.
c Tom.1. pro. 9. can.27

Prodigium & signũ quid sint.

Prodigia & signa.] Glossa ex Beda, *Prodigium est, quod porro dicit*, id est, quod significat aliquid, vel quod proditur oculis. *Signum, quo significatur aliud, illúdque in magnis, & in cœlo, hoc in paruis, & in terris*, inquit Hugo Cardinalis. Augustinus[d], monstra, ostenta, portenta, prodigia distinguens, prodigij notionem iam dictam ponit, quòd porrò dicat, id est, futura prædicat: quod ex Cicerone[e] mutuatus est: apud quem etiam reperio signi significationem eandem cum præcedentibus.

d 21. de ciuit. Dei. cap.8.
e lib.2. de Diuinat. & lib. 2. de Nat. deor.

Origenes in Ioannem τέρατα ait (sic prodigia Græci dicunt) esse, *quæ præter opinionem sunt, & humanam consuetudinem excedunt*: σημεῖα (his respondent signa apud Latinos) quæ aliquid significant. Ammonius[f], prima, *cùm quid præter naturam fit*, vt suscitatio mortuorum, cæcorum curatio, & similia. Secunda, *quando non præter naturam*, vt ægros sanare. Hoc loco idem per vtraque significari videtur, saltem aliquid supernaturale: & quandoque signi nomen dicitur etiam, cùm res est de cœlo[g].

f in Cat. Græca in Ioan.
g Luc.11.16.

Prodigium malam partem sumitur.

Latini Scriptores plerumque in malam partem prodigij nomen accipiunt, pro deorum minis, & ira, seu pro diris, pro ominibus, auguriísve sinistris. Vnde diuinationis apud profanos genus est, τῆς τερατοσκοπίας, quæ de variis atque insolitis in aëre, aut aliis elementis apparitionibus, ac sonis, vel effectibus iudicat, vt sunt acies in cœlo visæ, pluuia sanguinis, & similia, quibus pleni sunt libri Iulij Obsequētis, & Lycosthenis, & Ioachimi Camerarij (qui duo malæ sectæ sunt auctores, nec legendi) Polydori Virgilij, & aliorum.

Signum apud Hebræos quid sonat.

Constat apud Iudæos dici signa Hebraicè האות *haoth*, miracula, quia peti solebant, vt indicia virtutis DEI, cùm is pollicebatur aliquid valdè difficile, aut quando nouus Propheta existebat. Primi exempla sunt Abraham[h], dicens: *Vnde scire possum, quod possessurus sim eam?* (Terram promissionis.) Esaias[i] ad Achaz regem loquens: *Pete tibi signum à Domino* DEO *tuo*: & paulò pòst subiungit[k]: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, Ecce virgo concipiet, &c.* Zacharias Ioannis pater[l], sic Angelum affatus: *Vnde hoc sciam?* Raro Latina vox miraculi, ac nunquàm potiùs reperitur in nouo Testamento. Notauit, quem citaui, Origenes[m], prodigia sine signis non reperiri, signa interdum absque prodigiis. CHRISTVS totus, & suo modo Apostoli ac Apostolici viri possunt nominari signa, prodigia, portenta, miracula. *Ecce ego*, ait apud Esaiam[n] CHRISTVS, *& pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israël: à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.* De hoc loco præter expositores Origenem, Cyrillum, Procopium, &c. legendus Clemens Alexandrinus[o], & Eusebius[p].

h Gen.15.18.
i cap. 7.11.
k vers.14.
l Luc.1.18.
m tom.13. in Ioan.
n cap.8.18.
o 1. Pæda. c.5.
p 9. de demõstrat. cap.14.

Secundi exempla præbent Iudæi à CHRISTO sæpe poscentes signa[q]: quod ipse illis vicissim exprobrat[r], & Paulus[s], cùm ait, *quod Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt.* Hoc item modo intelligi potest quod est in Psalmo[t], *Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius.* Id est, iam non videmus miracula, quæ veluti signa noui Prophetæ edebant, vt putarentur missi à DEO: non enim surgit ampliùs Propheta inter nos.

q Mat.12.38. Luc.11.29. Io. 2.18.
r dictis locis, & Ioan.4.48.
s 1. Cor.1.22.
t Psa.73.9.

Sanguinem.] Non quem CHRISTVS prodigiosè misit[u] sudans in horto de toto corpore, vt exponit Hugo de S. Victore in Ioelem, & Glossa ordinaria hoc loco: non quem iam mortuus ex latere cum aqua[x] emisit, vt eadem Glossa, atque interlinearis, & Hugo Cardinalis, & Hieronymus in Ioelem, sed vel quem fusurus erat ex Iudæorum corporibus Romanus exercitus: vel potiùs Antichristus ex omnibus qui ei resistẽt, vt Chrysostomus, Oecumenius, Lyranus, iuxta ea, quæ hoc versu præfati sumus: *Consurget enim gens in gentem*[y]. Allegoricos verò sensus, aut tropologicos de hoc, & sequentibus, vide apud Hugonem Cardinalem, & alios.

u Luc.22.44
x Ioan.19.34
y Mat.24.7.

Ignem.] Fulgurum scilicet, & fulminum, *& stellarum*[z] *cadentium de cœlo, seu ignitarum exhalationum; non autem* SPIRITVS *sancti missi in Pentecoste*, vt Hieronymus exposuit, Hugo de S. Victore, & Cardinalis; non conflagrationis in excidio Ierosolymitano, vt Chrysostomus, & Oecumenius.

z ibid. 29.

Vaporem fumi.] Exhalationem excitandam ex rebus, quæ fulminum igne comburentur, non obscuriorem SPIRITVS sancti illustrationem in posteros Apostolorum, vel excæcationem Iudæorum, vel compunctionem, lacrymásve (quas fumus elicit) conuersorum, iuxta mentem citatorum Auctorum.

Versus 20.] Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus, & manifestus.

SOL *conuertetur in tenebras.*] Hoc est, quod Matthæus[a] CHRISTVM prædixisse recitat: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum*, non est autem Eclipsis[b] Solis in passione CHRISTI, & in Luna rubedo, etsi Carthusianus naturaliter loquẽdo nigram tunc videri debuisse affirmat: non Solis ac Lunæ prodigia tempore obsidionis Ierosolymitanæ, non conuersio Euangelij in hæresim, & Ecclesiæ quædam trucidatio in suis Martyribus. Lege caput XXXIV. Esaiæ.

a c.24.29.
b Mat.27.46.

Antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus.] Significant hæc verba, quæ hactenus dicta sunt, ad diem Iudicij pertinere, vt antè etiam notauimus. Post signa, quæ diem illum antegredientur, erit breuis temporis pax, & quies, ipséque dies inopinatus veniet, vt Euangelistæ docent[c]. Non omnia signa Iudicium præcessura hîc numerantur, sed præter Euangelistas apud alios Prophetas Esaiam[d], Ezechielem[e], Habacuc[f], & Ioelem alio vltra citatum loco[g], & apud Auctorem Sapientiæ[h], & Ioannem in Apocalypsi[i]. Lege Interpretes S. Thomæ in Tertiam Partem[k], præsertim Suarez ibidem[l], & Gregorium de Valentia[m], & Ioseph Acosta libro de Temporibus nouissimis[n], Ioannem Fredericum Lumnium de extremo iudicio DEI, & Henricum Enriquez, Tractatu de Fine hominis; prætereà illos, qui scripserunt in citata testimonia Scripturæ, præsertim Euangelistarum, & Apocalypsis, & Scholasticos in Quartum[o], Magistrum historię Scholasticæ[p], Augustinum oratione contra Iudæos, & Paganos, Richardum de S. Victore Tract. De plagis Mundi,

c Mat.24.38. Luc.c.21.34.
d cap.34.
e cap.38.
f cap.3.
g cap.3.
h cap.5.
i cap.6.
k q.59. art.6.
l disp.56.
m in 3. part.
n c.6. & alibi.
o dist.48.
p cap.142.

Hippoly

Hippolytum martyrem de Consummatione seculi, Hieronymum Magium de exustione Mundi, Abulensem in caput XXIIII. Matthæi [a], & Iansenium in Concordia [b].

a qu.154.158.161.
b cap.121

Signa Iudicij quæ futura sint.

Solent præcipuè numerari quindecim, quæ modò examinare non vacat. Illud certum esse debet, non mysticè, sed propriè accipi oportere, ita tamen, vt, hoc sensu posito, illum non respuamus, qui est Augustini ad Hesychium, Origenis in Matthæum [c], Ambrosij in Lucam [d].

c in cap. 24.
d in cap. 21.

Quid per has plagas mysticè intelligatur.

Non etiam negauerim vsitata Scripturæ phrasi, præcipuè Prophetarum, insignem quamlibet calamitatem describi per tenebras Solis ac Lunę, atque stellarum [e] (vulgóque etiam quem significare volunt malè fortunatum, dicere solent, nullam habere stellam, quæ ipsi luceat) per fremitum maris, tremorem terræ, & similia, non quòd ita re ipsa contingant. Notat Gregorius [f], per lucem, & diem significari prosperitatem, ac lætitiam; per tenebras tristitiam, & res aduersas.

e Esa. 13. 10. Ezech. 32. 7. 8. Ierem. 15. 9. Amos 8. 9.
f 5. Moral. c. 1.

Plagarum, quæ sunt præcessura Iudicij diem, signa.

Prætereà cùm insigniores illæ DEI de Ægyptiis, Babyloniis, aliísque Gentibus vltiones aliquando sumptæ, quædã quasi specimina fuerint extremi Iudicij, meritò per eas descriptæ sunt, quæ in extremo ipso Iudicio sunt euenturæ, cuius per eam occasionem nobis memoria refricetur.

Dies Domini est dies Iudicij.

Dies Domini.] Vocatur ita Iudicij dies, tum propter singularem quandam excellentiam, vt solent vocari Cedri DEI [g] exercitus, montes [h], &c. tum quia omnes dies, quos viuimus, nostri quodammodò sunt, dati vt in iis operemur pro arbitrio, iuxta id: *Et quidem in hac die tua* [i], vbi alloquitur Ierusalem Dominus: dies verò Iudicij totus erit DEI, quia non pendebit iam ampliùs nisi ex voluntate DEI; quasi dicat DEVS: *Cum* [k] *accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

g Psa. 79. 11.
h Psa. 35. 7.
i Luc. 19. 42.
k Psa. 74. 3.

Dies Domini quid.

Frequenter Scriptura per Antonomasiam vocat diem Iudicij, diem Domini, aut diem, quam DEVS elegit ad insignem aliquam vindictam, vt apud Esaiam [l], & Paulum [m], & Iob [n]. Item Scriptura diem alicuius nominat, quo quis, nemine impediente, lætatur, & facit quod vult [o]: sed interdum etiam, quo aliquid passurus est [p].

l cap. 2. 12.
m 1. Cor. 1. 13. & 2. Thes. 2. 3.
n cap. 24. 2.
o Iob. 7. 6. Ier. 17. 16. Oseæ 7.
p Psa. 36. 13.

Magnus.] Ita etiam eundem Iudicij diem vocat alibi idem Ioël [q], Sophonias [r], Malachias [s], Ieremias [t], Ioannes in Apocalypsi [u].

q cap. 1. 15. 6. 2. 11.

Dies cur magnus dicatur.

r cap. 1. 14.
s cap. 4. 5.
t cap. 30. 7.
u cap. 6. 17.

Magnus hic Iudicij dies dicitur, in quo magna peragenda sunt, & in æternum durabit, & aliorum dierum omnium rationes exigentur, etiam ipsius Iudicis CHRISTI magnitudo cognoscetur: & maximè lætus, ac festiuus erit iustis: quo vltimo modo dies magnus vsurpatur aliquando, vt in Osea [x] (vbi Hieronymus intelligit diem natiuitatis CHRISTI, sicut & de toto eiusdem primo aduentu explicans Ioëlem ipse, & quidam alij intellexerunt, vt antè dixi) & in Ioãnis Euãgelio [y], in Esaia [z] quoque iuxta lectionem Septuaginta, qui pro, *festiuitates*, legunt, ἡμέραν μεγάλην, id est, *diem magnum.*

x cap. 1. 4.
y cap. 19. 31.
z cap. 1. 13.

Dies magnus quis apud Romanos.

Apud Romanos, auctore Cornelio Tacito [a], dies magnus vocabatur, qui finẽ imponebat multis malis, & felicissimæ, ac beatissimæ victoriæ insignibus clarus erat, bello toto confecto nullis superstitibus eius reliquiis: *Transite*, inquit, *cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem:* diceret more Hebræorum annum, diemve iubileum. Lege Turnebum in Aduersariis [b]. Galli vocant nunc dies magnos, quibus iustitiæ ipsæ à submisso nouo Iudice iudicantur.

a in vit. Agricolæ.
b lib. 1. ca. 24.

Manifestus.] Apud Ioël vocat *horribilem*, Latinus interpres, ita exponens propriè vocabulum Hebræum הנורא *hannora*, & fauet nominis formatio, quæ fit à radice ירא *iare*, id est, *timuit*, cui consentit Chaldæus, qui vocat רחילא *rechila*, id est, *formidabilem*: tamen Septuaginta vertunt, ἐπιφανῆ, seu illustrem: & aliàs non semel idem Hebræum verbum iidem Septuaginta interpretãtur eôdem modo (aut per synonymam vocem τοῦ ἐνδόξου vel θαυμαστοῦ, vel etiam κραταιοῦ, quod tamen ad significationem terribilis magis accedit) necnon Hieronymus. Ratio verò etiam esse potest, quoniam quicquid timorem, vel admirationem incutit, vel reuerentiam, tali Hebræa voce appellatur, quæ autem in quouis genere magna sunt, huiusmodi effectum operantur. Sic solent quoque profani Scriptores enormes magnitudine res, nouasque & admirabiles appellare horribiles, aut horrendas.

Nomen Hebræi הנורא hannora, quid significet.

Iudicij dies maximè horribilis.

Porrò Iudicij dies clarissimus ac lucidissimus futurus est supra omnes alios dies, quæ lux horrori erit improbis, nec minùs iustis, quàm illis, dispari licèt modo, admirationi: ideóque meritò & aptè, tum horribilis, tum manifestus vocatur.

Non est ergo hic dies vel Natiuitatis, vel Resurrectionis CHRISTI, vel Pentecostes, vel excidij Ierosolymitani, prout aliquoties admonuimus, ac inter ceteros Theodoretus Commentario in Ioelem, de Iudicij die disertè exponit. Neque audiendus Erasmus, dum propter diuersam lectionem notat, Apostolos sensum bona fide reddere solitos, de verbis non esse sollicitos. Vt id enim sit verum, quod nos ipsi superiùs notauimus, ita verum est, vt sensus idem retineatur, quod nos quidem ostendimus, ille prætermisit.

Versus 21.] Et erit: Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Solenne Prophetis est læta tristibus subiungere.

ET erit: Omnis quicũque inuocauerit.] Lenit cum Propheta Petrus asperitatem Iudicij spe salutis omnibus expositæ: & solenne Prophetis est, læta tristibus subiungere. Quare perinde est ac si dicat: Non aliter effugi potest hoc terribile Iudicium, nisi CHRISTI complectendo fidem, & nomen ipsius inuocando, & hanc vim habet Hebræum verbum, ימלט *immallet*, id est, *euadet*, & *effugiet ex interitu*, vel, *eruet se à periculo imminente.* Vtitur loco eodem Paulus in epistola ad Romanos [c], sed clariùs ad CHRISTVM applicans; *quod nondum Petrus tempus tempestiuum iudicauit*, inquit Chrysostomus.

c c. 10. 13.

Quomodo sit Deus inuocandus vt saluti simus.

Inuocauerit.] *In veritate*, vt loquitur Psalmista [d], id est, cum fide viua: *Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt* [e]? cum affectione, inquit Chrysostomus, cum vita optima, cum fiducia congrua, & non dicendo duntaxat summis labris: *Domine, Domine* [f]. Postremò ita, vt digni sint euadere: *Vigilate itaque*, inquit CHRISTVS [g], *omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt* (circa Iudicij tempus) *& stare ante Filium hominis.* Nam alioqui de quibusdam dicit DEVS [h]: *Inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient.*

d Psa. 144. 18.
e Rom. 10. 14.
f Matth. 7. 21.
g Luc. 21. 36.
h Prou. 1. 28.

Non sunt isti similes iis, de quibus Paulus [i]: *Sanctificatis in* CHRISTO IESV, *vocatis Sanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri* IESV CHRISTI: neque Samueli, de quo Psalmus [k]: *Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius*; neque Enos, de quo in Genesi [l]: *Iste cœpit inuocare nomen Domini.*

i 1. Cor. 1. 2.
k Psal. 98. 6.
l Gen. 4. 26.

Inuocari Deũ, vel nomen eius ab aliquo, quid ...

Passiuè inuocari DEVM, nomenve eius ab ali-

quo, aut super aliquem, est habere nomen DEI, & esse quasi peculiarem DEI: sicut *super mulierem inuocari nomen viri* [a], est esse, & vocari vxorem eius, & alicuius super alios, est censeri de familia, & gente ipsius.

a Esa.4.1.

Nomen Domini.] Dicitur *nomen Domini* siue DEI, non hoc illudve tantùm, quo eum appellamus, sed nostra de eo existimatio, & quicquid ad ipsum quacumque ratione pertinet.

Nomen Dei, siue Domini, quam vim habeat.

Ponitur etiam pro potentia, & auxilio eius, vt cùm PATREM deprecans CHRISTVS pro suis, ait [b]: PATER *sancte, serua eos in nomine tuo*, quod nomen Sapiens propterea nominat *turrim fortissimam* [c], & idem quoque accepit pro gloria, seu fama dicens [d]: *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ*: & CHRISTVS protestatur PATRI, *se nomen ipsius manifestasse hominibus* [e].

b Ioan.17.11.
c Prou.18.10.
d Prou.22.1.
e Ioan.17.6.

Scio tamen Cyrillum Alexandrinum [f] nomen Domini, siue PATRIS intellexisse CHRISTVM ipsum, ita vt quòd petit *seruari suos in nomine* PATRIS, sit in ipsomet CHRISTO, qui nomen DEI gerit, & DEVS est, atque vocatur: Theodorum [g] Heracleotem DEVM ac Diuinitatem, quam postulet communicari Discipulis: Theodorum [h] Mopsuestiensem nomen, & affectum paternum, ita vt hunc optet Discipulis à PATRE. Quæ expositiones in hoc placent, quòd quid nomen Domini significare possit, nobis exprimunt.

Nomen Domini quid sit.
f lib.11.in Ioã. c.20.
g in cat.Græca.
h ibidem.

Nec displicet, si nomine Domini per accommodationem dicamus CHRISTVM ideò intelligi, quia nomen est quædam notio, & definitio rei; FILIVS verò est VERBVM & expressio propriæ essentiæ PATRIS, eiq; ex vi suæ generationis per expressionem intellectus consubstantialis.

Cur Filius sit nomen Domini.

Denique nomen Domini aliquando absolutè significat DEVM ipsum: vt cùm filius Israëlitidis, & Ægyptij dicitur blasphemasse nomen Domini [i]: dicitur item *omnipotens nomen* DEI [k], id est, DEVS, qui significatur per nomen: & quia per inuocationem nominis ipsius ingentia sæpe fiunt miracula: & quoniã esse omnipotentem, de DEO inter alia vt maximè proprium dicitur [l].

Nomen Domini ipse Deus.
i Leuit.24.11.
k Exod.15.3.
l Psal.18.15. & 88.10.

Sed, vt dicebam, significat nomen DEI omnes diuinas perfectiones, vt in eo Psalmo [m]: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum*, id est, sapientia, bonitas, potentia, aliaque attributa: & in Cantico B. Virginis [n]: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius*: id est, in mysterio Incarnationis, quod in me operatus est DEVS, effulsit non tantùm potentia, sed etiam bonitas, sapientia, misericordia, iustitia, &c.

m Psal.8.2.
n Luc.1.49.

Concludamus totum hunc Ioelis de Iudicio locum, diiudicantes nunc nosmetipsos, & omni prouisione animi nos ad id comparantes, atque iuxta CHRISTI memoratum consilium [o], *vigilantes, & omni tempore orantes.* Ad hoc enim institutas Ecclesiasticas Vigilias, nocturnásve preces tradunt Tertullianus, Hieronymus [p], & indicat Hilarius [q], in illa verba, *Media nocte surgebam*, & quòd ad iudicium CHRISTVS venturus media nocte sit, meminit Lactantius [r], & Isidorus [s], vt iudex expectaretur, quamuis nulla non hora expectandus sit. Quod, vt complura mittam Anachoretarum, aliorumque exempla, fertur Christianissimus Imperator Constantinus assiduè meditatus esse, & præliaturis etiam seriò proposuisse [t].

o Luc.21.36.
p in c.25.Matt.
q in Psal.118.
r lib.7.c.19.
s 6.Etymol.c.17.
t Euseb. 2. de vit.Const.

Versus 22.] **Viri Israëlitæ, audite verba hæc, Iesum Nazarenum, virũ approbatũ à DEO in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit DEVS per illum in medio vestri, sicut vos scitis.**

VIRI *Israëlitæ.*] Non aliena animaduersio nonnullorum est, vno Petrum testimonio contentum, plura coaceruare noluisse, ex Esaia [u], ex Ezechiele [x], ex Zacharia [y], & ex aliis, vt discant Concionatores magno delectu, & iudicio Scripturarum, vel aliorum Auctorum locos proferre.

Cur Petrus vnico Ioelis testimonio contentus fuerit.
u c.44.3.
x c.36.25.
y c.12.10.

Viri Israëlitæ.] Synonymo vtitur cum nomine Iudæorum, quod initio concionis vsurpauerat, tametsi Iudæi de his, qui sub rege Iuda, Israëlitæ, qui sub Israël, propriè dicantur, vt aliàs [z] notatum est. Hebræorum nomen generalius est, quo se Ionas cum Gentilibus agens nominauit [a], & Philistæi Ionathan & armigerum [b]. Nomen non modò Iudææ, priusquàm Dauid rex esset [c], sed & Iudæorum, ante Babylonicam captiuitatem, reperio [d].

Iudæi & Israëlitæ iidem.
z cap.1.8.
a c.1.9.
b 1.Reg.14.11.
c 2. Reg. 23.3.
d 4.Reg.16.6.

IESVM *Nazarenum, &c.*] Salubri timore priùs perculsos iam informat doctrina CHRISTI, tali vsus dispositione valdè necessaria, & sermonis lenitatem adhibens, & non inuidiosè statim CHRISTVM proponens, *priùs reprehensione euertens, vt posteà construat*, inquit Gregorius [e], hoc exemplo ipsos admonens Prælatos pastoralis officij.

Petrus cur non statim Christum prædicare cœperit.
e 3. part. Pastor.c.35.

Nazarenum.] *Statim patriam dicit, quæ sanè videbatur contemptibilior esse*, inquit Chrysostomus: & nihil iam magnum de illo prædicat, neque quod de aliquo Propheta alius quis diceret. Vel quoniam ita vulgò appellabatur, & cognominabatur à loco ipso, tanquam qui esset obscurior, vt rem exaggeret, ad hunc modum loquitur, quasi dicat, IESVM illum vulgarem contemptibilémque, &c. Eódem respexerunt fortasse Angeli resuscitatum nunciantes [f], & CHRISTVS ipse Saulum inclamans, & vocans [g].

Iesum Nazarenum cur Petrus Christum nominauerit.
f Mar.16.6.
g Act.22.8.

Quanquàm cognomen id tributum legimus non ab hominibus tantùm Iudæis [h], & à Pilato in titulo crucis [i], verùm etiã à Dæmone [k], & à Prophetis [l], & à Discipulis [m], & à Petro sæpiùs [n], atque à Paulo aliquando, & à Stephano [o].

Iesu Nazareni nomen Christo à quibus tributũ.
h Act. 6. 14. Marc. 10. 47. c.14. 67. Luc. 18.37. Ioan.18.5.
i Ioan.19.19.
k Mar 1.24. Luc.4.34.
l Matt.2.23.
m Luc.24.19.
n Act.3.6.5.4.10.
o Act.26.9.

Quòd autem Nazareni nomen contemptibile sit, patet ex eo, quòd Nathanaël cum admiratione dixit: *A Nazareth potest aliquid boni esse* [p]? Quomodo Prophetæ CHRISTVM nominauerint Nazaræum, lege Interpretes Matthæi, & Salmeronem Tomo tertio [q].

Nazareni nomẽ contemptibile.
p Ioan.1.46.
q Tract.45.

Constat deductum nomen esse à Nazareth sita in Galilæa, in sorte Nephthali, in confinio Iudæorum, & Gentium (ibi incarnatus est CHRISTVS, quoniam in eo benedicendæ erant omnes Gentes [r], atque omnes tribus terræ) septem leucis à mari Mediterraneo, duabus à monte Thabor, tribus à Naim, triginta vel vigintiseptem à Ierusalem distans.

Nazareth situs.
r Luc.1. Gen. 12. & 22.

Duplex nominis etymologia assignatur, pro flore, vel germine, vel tenera planta, vel virgulto, hoc enim est, נצר *noser*, aut etiam pro germinante, vel custodiente seu custodito, vel etiam pro vastante seu deuastatore. Præterea scribendo illud per ז *Zain*, & dicendo נזיר *nazir*, sumitur pro segregato, consecrato, religioso, sanctificato, & coronato.

Iuxta primam etymologiam CHRISTVS à Propheta nominatus est Nazaræus, si non ipsamet voce, significatis certè ipsius, nimirum ab Esaia, Ieremia, Zacharia, Malachia, & in Canticis.

a c.11.1. b c.53.2. c c.4.2. d Iere.23.5. c.33.15. Zach.8.12. Malach.4.2. e c.2.1. f c.9.24. g c.1.35.

Christi nomina quæ Nazaræo respondent.

h 7.20.

A Esaias vocat *florem* [a], & *virgultum* [b], & *germen* [c]: Prophetæ ceteri *germen* [d]: in Canticis [e] dicitur *flos campi*, quippe flos totius sanctitatis suauissimè fragrans, immò *Sanctus Sanctorum*, vt loquitur Daniel [f], & ipsamet sanctitas, quæ substantiuo nomine neutro *sanctum* dicitur à Luca [g]. Est quoque CHRISTVS & homo custoditus à DEO, & homines custodiens. DEVM custodem hominis voce Hebræa נוצר *notser* Iob [h] appellat, cùm ait: *Quid faciam tibi*, נצר האדם *notser haadam, ô custos hominum?* & in Psalmo, licèt idem verbum non habeatur, tamen æquiualens ponitur *: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.* ibi enim habetur שמר ישראל *schomer iischrael*, id est, *custodiens Israëlem.* Denique vastator est CHRISTVS, & ab Esaia [i] vocatur: *Accelera spolia detrahere, Festina prædari.* Iam verò iuxta posteriorem etymologiam constat, CHRISTVM sanctum esse, & in Samsone Nazaræo figuratum [k]. Et de eo Iacob Mosesque vaticinatus videtur [l], *Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.* Est enim princeps omnium Nazaræorum, eorum videlicet, qui DEO sanctificantur, & consecrantur.

* Ps.120.4.

i c.8.3.

k Iud.13.5.7. c.16.17.

l Gen.49.26. Deut.33.16.

Etiam B. Virgo in Nazareth nata etymologiã Nazaræna sortita est.

Sic verò B. Virgo meritò in Nazareth nata est, vtpote quæ custodita est per singulare priuilegiũ, & ab originali pecca præseruata, & à pudore conceptus, ab onere ventris, à corruptione, & dolore partus, à multiplicatione conceptuũ, ab incinera-C tione. Fuit quoque verè florida per virginitatem, & virtutes alias cumulatissimè. Postremò & ipsa quoque vastatrix fuit, *conterens serpentis caput* [m], &, vt Ecclesiæ verbis vtar, *cunctas hæreses interimens in vniuerso mundo.* Vide de hac etymologia respectu CHRISTI Eusebium in libris Demonstrationis Euãgelicæ eleganter sanè, & copiosè disserentẽ [n].

m Gen.3.15.

n lib.7.c.5.

o in c.11.Esa.

Ceterùm prima etymologia duntaxat conuenit nomini oppidi Nazareth, quod scribitur per צ *tsade*, non per ז *Zain* (vt Leo tamen Castro contendit [o]) sicut & nomen Nazareni in titulo Crucis, quem Romæ inspexi, & in Euangelio Syriaco, textuque Actorum eiusdem linguæ, & in scriptis veterum Hebræorum, quamuis neque Græci, ne-D que Latini literam illam צ *tsade*, aliter exprimere possint, quàm per z, vel s.

Nazareth nomẽ in vetere Testamẽto non habetur.

Etsi porrò nomen huius vrbis in veteri Testamento hoc modo non reperiatur; tamen ex eo quòd CHRISTVS cognominatus est נצרי *notseri*, coniectura est vocatam esse CHRISTI tempore נצרית *notserith*: nec desunt qui putent eandem esse cum *Asór*, vel *Enhasór*, quæ cum צ scribitur, in libro Iudicum & nonnulli codices legunt *Nasór*, vbi ponitur inter ciuitates fortis Nephthali, ibique id sentit Abulensis [q]. Hoc incertum valdè. Vide Andream Masium [r].

p Ios.19.36.

q 4. r in c.11.& 19. Iosue.

Nazaræi & Nazoræi apud Græcos differũt.

Cùm etiam Græci loquuntur de legalibus il-E lis Nazaræis, scribere solent, Ναζιραίους, quando de CHRISTO, Ναζωραῖος, Marcus verò Latinè scribens, Iudæos imitatus dixit Ναζαρηνόν. Epiphanius [s] vocat Nazoræos quosdam hæreticos.

s Hæresi 29.

Cur Matthæus eum vocandum Nazaræum dixerit.

t c.2.23.

Cùm Matthæus [t] secundùm prædictionem Prophetarum CHRISTVM dixit Nazaræum vocandum esse, respectum habuisse videtur ad contemptum, ne de familia Dauid per multum tempus haberetur, alioqui tum ab Herode, tum à Romanis armis etiam vrgendus, tum armis vicissim à populo pristinæ cupido libertatis defendendus. *Vidimus*, inquit Esaias [u], *eum despectum, nouissimum virorum, absconditum, vnde nec reputauimus eum.* Conuertere itaque Euãgelista voluit in honorem

u Esa.53.3.

A huius odium nominis, & vnde Iudæi CHRISTVM ridebant, inde verum probare Messiam, vt nil obesset patria Galilæa, locúsve educationis Nazareth, cùm tam honorifica esset allusio istius vocis ad eam, quæ florem significans, &c. honoris causa de Messia ab Esaia [x] vsurpata esset.

x c.11.1.

Galilæi Christiani à Iuliano vocati.

y Nazianzen. orat. 1. in Iulianum.

Cum eodem contemptu Iulianus Apostata, vt Galilæos, ita Nazaræos nos nominare solebat [y]: quemadmodum & CHRISTVM ipsum, fabrum etiam appellans.

Nazaræi quidã fuerunt hæretici.

z Hæresi 29.

a epist.89.ad August.

b in c.52.Esa.

Mitto Nazaræorum hæresim, seu Nazarenorum, de qua Epiphanius [z], aliique hæreseologi, & Hieronymus [a], qui addit [b], ab Hebræis ipsis Christianos ad sua vsque tempora ita vocitatos, solitis B illis maledicere ter in die in suis orationibus. Sed gloriemur nos in isto nomine, & floris huius odore, & decore delectemur, vt custodiamur à DEO, & simus ipsi consecrati, *bonus etiam odor aliis in omni loco, in iis qui salui fiunt, & in iis* [c] *qui pereunt:*

c 2. Cor.2.14. 15.

An Christus fuerit Nazaræatũ voto initiatus.

An CHRISTVS fuerit Nazaræorum voto initiatus, non hîc quærendum: & satis constat non fuisse, quamuis Nazaræus vocatus esset, non per צ *tsáde*, sed per ז *zain*, qua posteriore notatur litera legalium Nazaræorum nomen. Gestabat quidem cæsariem, super quam nouacula non ascendebat [d], at vinum bibebat, & ad mortuos ingrediebatur; quod illis Nazaræis vtrumque nefas erat. Absalonem nemo Nazaræum, opinor, dicebat, C cæsariem licèt gestaret; quotannis enim tundebat illam [e]. CHRISTVM quoque crinem interdum, ne prolixior esset, abscidisse, quidquid Nicephorus dixerit, non est improbabile. Si qui Patres Nazaræum vocant CHRISTVM, non legaliter loquuntur, sed mysticè, vt Eusebius [f], videlicet, quia *sanctus erat, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, vt Apostolus [g] loquitur.

d Niceph.lib. 1.c.4.

e 2. Reg.14. 26.

f 7.Demonst. Euangel. demonst.5.

g Heb.7.26.

Christũ à Deo missum veraciter probant Apostoli.

Virum approbatum à DEO in vobis.] Hic Ioanni Baptistæ, hic Apostolis aliis, hic nunc Petro scopus propositus est, monstrare à DEO missum esse CHRISTVM: & propterea Ioanni datum est columbæ signum [h]: CHRISTVS quoque sæpe professus est se à PATRE missum, vt cùm dixit [i]: *Ego* D *ex DEO processi, & veni, neque enim a meipso veni, sed ille me misit.* Conciliat Petrus hoc modo beneuolentiam, quasi DEO, & non statim ipsimet CHRISTO adscribat mirabilia opera, vt notant Chrysostomus, & Oecumenius.

h Ioan.1.33.

i Ioan.8.42.

Christus vir emphaticè.

Virum.] ἄνδρα. Emphaticè s positum videtur viri nomen pro forti, & virtutem, vt dicunt, masculam habente, perinde vt cùm Iob in principio Historiæ *vir* [k] nominatur, iuxta magis communem Interpretum consensum: vt cum exprobratione vtens Dauid, tanquàm rei, quæ viros dedeceat, ait [l]: *Filij hominum*, Hebraicè, בני איש *bene isch*, & secũdùm versionem Hieronymi, *viri inclyti, vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* vt cùm idem Dauid Abner Saul E regem suum oscitanter custodienti, dixit cum clamore, & indignatione [m]: *Nunquid non vir tu es, & quis alius similis tui in Israel?* Hinc vúlgatum illud: πολλοὶ μὲν ἄνθρωποι εἶεν, ὀλίγοι δ᾽ ἄνδρες, *Homines permulti erant, at viri perpauci* [n]. Et Cynicus vnum in media luce virum ad exiguum lucernæ lumen quæritabat, negabatque nisi apud Lacænas, quæ solæ viros parerent, inueniri [o]. Lamentabatur aliquando DEVS, *videns quia non est vir* [p].

k Iob.1.1.

l Psal.4.3.

m 1. Reg.26. 15.

n Herod. in Polym.

o Laert.li.6.

p Esa.59.16.

Hunc virum *mulier fortis* (quam etiam inuenire se posse Sapiens [q] quodammodò desperabat) *circundedit* [r], *& nobis dedit.*

q Prou.31.10.

r Iere.31.22.

Nam primus parens in Paradiso fortis cõditus

est &

est & vir, sed ab hoste valdè languidè & molliter subiugatus, vir non fuit in congressione cum Angelo apostata [a], qui fuit ex munere. At secundus Adam vir claruit in deserto, per victoriam [b], quem Ieremias [c], & Zacharias [d] virum nominant: & B. Petrus [e], & Cleophas [f], inquit Gregorius [g]. Hieronymus [h] verò è contrario euiratum illum Candacis eunuchum [i], non hominem, sed ex virtute, ac fidei robore virum appellatum notat; significationem istam viri noster Interpres expressit, cùm quod Hebr. est, חזקת והיית לאיש *chazactha vehaitha laisch. Confortare, & esto vir*, exponere voluit, *& esto fortis* [k], quam tamen dictionem omisit alibi, vbi vis eadem erat [l]: *Confortamini, & estote viri Philistiim, ne seruiatis Hebræis.*

Adam non fuit vir, sed ibrgſus. | a Gen. 3. 1. & seq. | b Matt. 4. 1. & seq. | c suprà. | d c. 6. 12. | e hoc loco. | f Luc. vlt. 19. | g lib. 7. 19. 1. Reg. c. 1. | h lib. 1. cont. Iouin. c. 2. | i Act. 8. 27. | k 1 Reg. 2. 2. | l 1 Reg. 4. 9.

Est & aliquando vir, nomen honoris, & dignitatis, homo humilioris conditionis, tum citatis locis ex Psalmo 4. & 1. Reg. 26. tum ex Prouerbiorum [m] & Esaiæ 2. [n] Hebræum nomen איש *isch*, deriuatum videtur à יש *iesch*, quod significat existentiam, quam vir habet ante fœminam, ac proinde honore, atq; dignitate prior est, illique propriè conuenit rempublicam gerere, & magistratum, in qua significatione pro magistratu aliquoties accipitur vir in Scriptura [o], & in hoc ipso nostro libro illis verbis Pauli, *indicaturus* [p] *est orbem in viro*, id est, Iudice supremo, *in quo statuit*, &c.

Vir nomen est honoris, homo vero miseriæ conditionis. | m vers. 4. | n vers. 9. | o Gen. 26. 7. c. 43. 11. | p c. 17. 31.

Quò fit, vt rectè obseruatum est à Pineda [q], cuius ferè est notatio hæc tota de viro, vt dum fœminæ quippiam tribuitur publici muneris, quódve ad virum potiùs pertineat, iungat Scriptura masculina verba nominibus fœmininis. Exempla sunt in Ruth [r], & in Abigail [s], possúntque contraria citari de verbis fœmininis connexis ad nomina masculina, quando viri fœmineum quid gerunt, vt cùm Dauid effusius plorabat [t].

Mulier publica dum mun. iii. ... masculis ... | q in Iob. c. 1. | r c. 4. 11. | s 1. Reg. 25. | t 2. Reg. 13. 37.

Alia duo nomina אדם *Adam*, & אנוש *Enosch*, infirmitatem conditionis humanæ denotant. Est enim אדם *Adam*, rubeus, argillosus, limosus, אנוש *Enosch*, miser, deploratus, æger, & desperatæ salutis.

Adam & Enosch humani quid significat.

Quamuis autem Lucas noster Græcè scripserit, versans tamen Scripturam Hebræam, & inter Hebræos, idiotismis Hebræis aspersit opus suum, & nomen Græcum ἀνὴρ, eandem ferè vim habet quam Hebræum איש *isch*. Quapropter non debet videri superuacanea, vel aliena hæc, tametsi longiuscula, annotatio.

Negari tamen non potest, viri interdum nomen sexum etiam muliebrem in Scriptura comprehendere, huncque sub illo tanquàm sub perfectiore contineri, quod notat Basilius in Psalmum primum, & Isidorus Pelusiota in epistolis [u], & alij, & ἀνδροφόνος, inquit Isidorus, id est, viricida dicitur, non solùm qui viro, sed etiam qui fœminæ necem attulit: ἀνδριὰς item, id est, statua, non tantùm viri, sed etiam mulieris simulacrum: & plurima exempla profert ex Scriptura: Possum quoque docere non paucis exemplis ab Interprete viros nominari gregales, viles, imbecilles: at suberit ferè tunc Hebræum nomen אנוש *enos*, de quo dixi, exempla sunt apud Iob [x].

Vir nomen interdum fœminas continet. | u epi. 12. libri 3. | x c. 12. 1. c. 37. 24. & alibi.

Approbatum.] Non hoc significat τὸ ἀποδεδειγμένον, est enim idem quod demonstratum, eò quòd ἀποδείκνυμαι, est indicari & demonstrari, sed ἀποδεδειγμένον, est id quod est receptum, & approbatum; quo posteriore modo legisse Interpres videtur: sed cùm ἀπόδειξις maxima probatio sit, non malè ἀποδεδειγμένος, probatus, seu approbatus, & veluti demonstratiuo argumento comprobatus, atque adeò ita confirmatus dicitur, vt conuictus sit intellectus. Syrus vertit, דמן אלהא אתחזי *demen elaha ethchezi*, id est, *Qui à* DEO *apparuit*, vel, *confectus est*, nam, *Quem* DEVS *commendat, ille probatus est* [y]. Tertullianus [z] legit, *destinatum*.

Quomodo Christus fuerit approbatus. | y 2. Cor. 10. 18. | z lib. de carne Christi. c. 15.

A

In vobis.] Εἰς ὑμᾶς. Syrus habet, לותכון *lenathchun*, id est, *apud vos*, seu, *erga vos*, &, *vestri causa*, &, *in vtilitatem vestram.* Nam pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo [a], & vix vllum miraculum fuit non vtile corporibus humanis: tale tamen non fuit ambulare super aquas, transfigurari, ficum arefacere, dæmonia in porcos ingressa (numero duûm millium, vt apud Hieronymum [b] tradit abbas Hilarion) in mare præcipitare.

a Actuum 10. 38. | Christus quomodo ab Hieron. approbatus. | b in Hilarione.

B

Postremò, *in vobis*, in vestris animis satis superque persuadens, nisi praua peruicaxque resisteret conscientia. Theodoretus [c] auctoritate Athanasij confirmat ex hoc loco veram humanitatem CHRISTI, legitque, *ostensum in vobis.*

c Dial. Inconfusus.

Virtutibus, prodigiis, & signis.] Prodigia, & signa quid sint, iam dictum est: & sicut quandoque synonyma sunt, ita & cum illis iunguntur virtutes, quæ Græcè dicuntur δυνάμεις, quæ vox non de moribus intelligitur, sed de vi operandi res difficiliores, aut de ipsismet mirificis operibus.

Virtutes quid significent.

Frequens est hæc in Scriptura significatio, præsertim in nouo Testamento [d]: necnon pro exercitu, maximè in vetere [e], ac nonnunquā in nouo [f].

d Matt. 7. 22. c. 11. 21. Marc. 6. 5. & c. 9. 39. Luc. 19. 37. 1. Cor. 12. 10. 1. Thessal. 1. 5. Hebr. 2. 4. Apoc. 3. 8. | e Iudith 3. 7. c. 14. 17. Ps. 23. 10. Ps. 32. 6. 16. Ps. 43. 10. Psal. 45. 7. Psal. 47. 9. Ps. 58. 6. Ps. 59. 12. Psal. 67. 13. Ps. 68. 7. Ps. 79. 5. Psal. 83. 9. Psal. 102. 21. Ps. 111. 17. Psal. 135. 15. Ps. 148. 2. 1. Mach. 1. 4. c. 3. 16. c. 6. 6. c. 9. 43. c. 13. 54. | f 2. Thess. 1. 7.

C

Dicuntur miracula virtutes, quòd iis faciendis DEI virtus, & potestas maximè ostendatur: & inter Angelos Virtutum ordo appellatur eorum, quorum est miraculis diuinis interuire præsertim, quæ in confirmationem fidei, & totius Ecclesiæ commune bonum cedunt: Potestates verò, quorum est cohibere, & coërcere Dæmones. Reperio etiam quandoque virtutem positam in peiorem partem pro robore ac fortitudine, cui dolor coniunctus est, vel quo id habens, alios afficit, vel quem ipse accersit sibi abutens illo. Sic est in Iob [g], vbi Hebræa vox און *on*, est Græca ὑπάρχοντα. Possent quoque virtutes, vt à prodigiis significque distinguuntur, denotare opera, quæ in modo agendi superant vires naturæ, vt febrem puncto temporis pellere: prodigia, quæ reipsa totam excedunt facultatem naturæ, vt mortuos suscitare: signa illa miracula, quæ simul fiunt ad aliquid significandum.

Quomodo virtutes à prodigiis & signis distinguantur. | g c. 18. 7.

D

Quæ fecit per illum DEVS.] Per illum vt hominem. Erat enim instrumentum Diuinitatis Humanitas coniunctum: quanquàm etiam vt DEVS operabatur CHRISTVS per seipsum, hoc est, velut causa principalis. *Pater meus*, inquit [h], *vsque modo operatur, & ego operor.* Sed vt DEVS etiam per PATREM, *Omnia enim per* VERBVM *à* PATRE *facta sunt* [i], quatenus esse, & virtus, ac potentia FILII est à PATRE: verùm prudenter Petrus adhuc loqui videtur de CHRISTO, vt de homine DEI virtute prædito.

Christus operatus est miracula per se. | h Ioan. 5. 17. | i Ioan. 1. 3.

E

In medio vestri, sicut & vos scitis.] Efficax ad hominem, vt vocant, argumentum, quòd res adeò sit aperta, & nota, negare vt aduersarij ipsi non possint. Tali argumento vsus est CHRISTVS persæpe [k], & Ioannes Baptista [l], & Nicodemus, cuius est hæc ratiocinatio [m]: *Rabbi, scimus, quia à* DEO *venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit* DEVS *cum eo.* Hoc videlicet est, quod Ioannes ait [n]: *Medius vestrûm stetit*, quod CHRISTVS, [o] *Quotidiè apud vos sedebam, docens in templo.* & [p], *Ego palàm locutus sum mundo,*

Christi miracula talia sunt, vt negari etiam ab aduersariis non possint. | k Ioan. 5. 20. 36. c. 9. 4. c. 10. 25. c. 7. 38. c. 14. 11. c. 15. 24. | l Ioan. 1. 26. | m Ioan. 3. 2. | n Ioan. 1. 26 | o Matt. 26. 55. | p Ioan. 18. 20.

A *ego semper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui me audierunt, quid locutus sim ipsis; ecce hi sciunt quæ dixerim ego.*

Miraculorum qualitas & copia declarant Christum esse verum Messiam.
a Mar. 1.32.33.34. cap. 6.56. Matth. 8.17.& 15.30.
b Ioan. 15.24.
c Ioan. 7.28.

Miraculorū à CHRISTO gestorum copia, & qualitas [a], vel ipso teste [b], reddidit Iudæos, saltem primarios, & peritiores, qui non credebant, inexcusabiles in eo quòd saltem nō crederent CHRISTVM esse verum Messiam, quidquid sit de DEO: quibus quoque clamans exprobrabat in templo [c]: *Et me scitis, & vnde sim scitis*, id est, scire debetis, aut scire possetis, si velletis. Minora miracula patrata sunt in Galilæa; in Iudæa, & Ierosolymis, vbi maior hominum celebritas, sed B & animorum erat in iisdem peruicacia, longè maiora, vt languidi ad probaticam, cæci nati, Lazari quatriduani.

Miracula Christi verè diuina, & nulli alij nisi Deo tribui possunt.
d 1. cōtra Celsum.

An verò miracula conuincerent, ac demonstratiuè concluderent, disputant Theologi. Vbi ante omnia ponendum est, non fuisse ficta, & præstigiosa, vt Gentiles apud Origenem [d] blasphemant: non enim cæci, leprosi, & similes, experti reipsa essent in se restitutam facultatem sensus, aut sanitatem, &c. Item constare debet, miracula illa supernaturali virtute, non per CHRISTI temperamentum, vel efficaciam imaginatiuæ, vel constellationem patrata esse, aut patrari potuisse, vt quidam etiam nostra ætate mali Philosophi, de quibus agunt Castro [e] & Michaël Medina [f], affirmare non dubitarunt: quomodo enim (quod qui optimè philosophātur, vt axioma tenent, fieri non posse) ad habitum à priuatione, naturæ viribus dari reditus potuit; quomodo CHRISTVS sine mora, & ad magnam distantiam adeò mira fecisset.

e de Hæres. verb. miraculum.
f de Fide. c. 7.

Dæmoni Christi miracula tribui non possunt.
g Matt. 12.24.
h 2. cont. Celsum.
i 21. de ciuit. Dei c. 6.

Denique non possunt Dæmoni tribui, vt Iudæi ipsimet CHRISTO obiiciebant [g], & posteà Gentiles, vt idem Origenes [h] refert, atq; Augustinus [i], nihil enim Dæmon supra vires naturalium causarum potest, quas cùm optimè norit, velocissimè, & occultissimè applicat, vt Augustinus docet. CHRISTVS verò multa fecit, quæ omnem naturæ efficacitatem superant, qualis est mortuorum suscitatio [k], cæci nati illuminatio [l], &c. & in D reliquis, quæ alioqui à Dæmone fieri fortasse possent, solo vsus est verbo, neque vllam applicationem virtutis naturalis, aut moram temporis adhibuit, quod hoc modo non potest Dæmon.

k Matt. 11.5.
l Ioan. 9.1. & seq.

Christi miracula eum verum Deum ostendunt.

Porrò quamuis per Prophetas quondam edita sint miracula, & quæ edidit CHRISTVS, edi etiā ab aliis, ipsis à DEO communicata virtute, potuerint; quæ proinde eos, qui ederēt, DEOS esse non sufficienter probarent: tamen cùm CHRISTVS illa ederet in confirmationem Diuinitatis, quam de seipso affirmabat, neque diuina virtus concurrat ad exhibendum mendacio testimonium, sequitur per miracula satis probatam, testatamque fuisse CHRISTI diuinitatem.

m Matt. 9.6.

Vnde CHRISTVS aliquando dixit [m]: *Vt sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Idem Lazari suscitationi orationem ad PATREM præmittens [n]: *Sed*, inquit, *propter populum, qui circumstat, dixi: vt credant, quia tu me misisti.*

n Ioan. 11.42.

Id cùm intelligerent Iudæi, negarunt vera miracula à CHRISTO fieri: sed opera Dæmonis, vt dixi: & Dæmon ipse probè tenens vim argumenti, vt cognosceret an is esset Filius DEI, postulabat ab eo miracula [o].

o Matt. 4.1. & seq.

Scripturæ, quæ Messiam miracula facturum prædixerunt, præsentibus miraculis à CHRISTO factis, certissimum præbent testimonium, quòd ipse esset verus Messias, vt ipsemet respondit missis à Ioanne discipulis [p]. Atque hoc etiam argumento idem confirmant Iustinus [q], Athanasius [r], Ambrosius [s], Lactantius [t], Origenes [u], & alij, mihique illi tametsi de turba, scitè ratiocinati videntur, & ad credendum CHRISTO optima ratione inducti, cùm dicerent [x], *Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?*

Scripturæ, quæ prædixerūt Messiam facturum miracula, dant Christo testimonium.
p Mat. 11.4. & seq.
q Dialog. con. Tryph.
r de Incarnat.
s in c. 7. Luc.
t 4. c. 15.
u 8. cont. Celsum.
x Ioan. 7.31.

Fateor in hominibus non posse esse exactam euidentiam de veritate miraculorum CHRISTI, qualem habere possunt Angeli tum boni, tum mali; tamen moraliter tanta fuit in Iudæis, B vt sine magna temeritate, & insigni malitia negare illa non potuerint, neque ea in quorum confirmationem fiebant. Etenim magna fuit talium operum multitudo, & ipsorum effectus perseuerantes, ac diuturni, nec vlla in iis fallacia, seu deceptio: & experientia manifestissima erat. Verbi gratia in paralytico triginta & octo annorum [y]; in cæco nato [z]; in Lazaro quatriduano, & fœtente [a], & similibus plerisque.

Homines nesciunt tam euidenter Christi miracula ac Angeli, illa tamen sine temeritate negare non possunt.
y Ioan. 5.5. & seq.
z 9.1. & seq.
a 11.44.

Quæ de Christi miraculis fidem facere possunt.

CHRISTI mores fuerunt inculpati, & vita ab omni honoris, & rerum temporalium amore alienissima: perpetua ad virtutis amorem, & verum DEI cultum adhortatio, & consequenter C à Dæmone auersio: nulla aduersariorum ipsorum, nisi leuiter aliquando, & impudenter blasphemantium, quòd opera Dæmonis vteretur, contradictio: hæc, inquam, omnia, & id genus alia non pauca, quantam maximam desiderare possumus, tum de veritate miraculorum CHRISTI certitudinem, atque euidentiam, gignunt: tum etiam quia omninò spectat ad diuinam prouidentiam non permittere, sub suo nomine aliquid falsum ita proponi, vt secundùm rectam rationem cogamur credere id esse dictum à DEO, & assentiri absque vlla dubitatione, securos planè de ea veritate, ad quam confirmandam sunt facta, nos debent reddere. Lege Toletum [b] in Ioannem, & Suarez in Tertia Parte [c], Bellarminum [d], Thomam Bozium [e].

b c. 1. anno. 1. c. 4. 27. c. 45. ann. 21. & 22.
c Tom. 1. disp. 31. sect. 2. tom. 3. disp. 3. sect. 3. & 4.
d li. 4. de Eccles. c. 14.
e in Notis Ecclesiæ.

D Vtamur itaque accommodatè ad propositum nostrum, nec vereamur verba recitare mulieris, quæ videns filium ab Elia suscitatum dixit [f]: *In isto cognoui, quòd vir DEI es tu, & quòd verbū DEI manet in ore tuo.* Audiamus etiam Paulum comminantem Hebræis [g]: *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante DEO signis, & portentis, & variis virtutibus, & SPIRITVS sancti distributionibus secundùm suam voluntatem.*

Confitendum nobis est verspondi esse Christi fidi ex tantis eius miraculis.
f 3. Reg. 17.24.
g c. 2.3.4.

Richardus de S. Victore vim tanti argumenti expendens, maxima fide, ac fiducia ita loqui- E tur [h]: *Vtinam attenderent Iudæi, vtinam animaduerterent Pagani, cum quanta conscientiæ securitate pro hac parte ad diuinum iudicium poterimus accedere: nónne cum omni fiducia DEO dicere poterimus: Domine, si error est, à te ipso decepti sumus? nam ista in nobis tantis signis, & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ nonnisi per te fieri possunt.* Adde & illud, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, ita vt proptereà, domum tuam deceat sanctitudo* [i].

h li. 1. de Trin. c. 2.
Errare nullus potest, Christi fidem sequendo.
i Ps. 92. vlt.

Versus 23.] Hunc definito consilio, & præscientia DEI traditum per manus iniquorum affligentes, interemistis.

HVNC

Petrus Iudaeos à crimine liberare satagit. a Gen.45.8.

A HVnc *definito consilio.*] *Tentat liberare eos à crimine, vt quondam fratres suos Ioseph* [a] *à quibus venditus fuerat*, inquit Chrysostomus. Simul etiam ostẽdens, vt ait Oecumenius, *quam* CHRISTVS *libenter ac liberè passionem subierit, & à* DEO *prædefinitu cooperatus sit.*

Deus peccati auctor non est, quamuis illud præsciat.

Non sequitur verò, vt perperàm Caluinus colligit, peccata esse à DEO non præsciente solùm, & ordinante ad finem bonum, sed actiuè quoque concurrente, ac vt fiant, decernente, p[r]omdéque absque libertate, & necessariò. Nam quamuis non præscita tantùm, sed etiam decreta fuerit CHRISTI passio; tamen peccatum Iudæ, & aliorum fuit præscitum duntaxat, quia hoc erat grauissimum scelus, illa maximum bonum, &, quæ DEI summa bonitas est, & consuetudo, bene vsus est tanto malo ad finem adeò bonum. Quomodo felix culpa [b] Adæ dicitur, quia talem meruit habere redemptorem, & DEVM diligentibus omnia cooperari in bonum [c] etiam peccata.

Mors Christi decreta à Deo, Iudæ peccatum tantum præscitum.

b Ecclesia in bened. cerei Pasch. c Rom.8.28.

Simili sententia idem Petrus vtitur in capite quarto [d]: & de hac re legendus Augustinus [e], & Leo [f], & Stapletonus in Antidotis huius loci. Vide etiam eundem Augustinum in libr. de Ciuitate [g], in Enchiridio [h], & lib. de Prædestinatione Sanctorum [i].

d vers.17. e lib. de gra. & libe.arb.c.21. f Serm.16. de Pass. g 22.c.1. h c.100. i c.7.

Hinc fit vt minùs verè, cùm nimis videntur piè loqui velle, quidam asserant, sic à DEO, & CHRISTO definitam ac volitam CHRISTI mortem, vt vel Mater ipsa CHRISTI, si deforet carnifex, CHRISTVM crucifixura esset. Parum dixi, minùs verè: falsum est, & vel cogitatu horrendum: est enim CHRISTI interfectio grauissimum scelus. Potuit tamen imperari Abrahæ proprij cædes nati, & is DEO rem fecit gratissimam, cùm consensit & conatus est [k]. Nec minùs etiam DEIPARA fecisset rectè, si DEO paruisset FILII interfectionem imperanti.

k Gen.22.

Quomodo Christus liberè mortem subiit, cùm Deus illam decreuerit.

Alia difficultas existit, Quomodo cum decreto illo diuino de Passione CHRISTI, cui infallibiliter obediuit, salua sit CHRISTI libertas, sine qua ipse non meruisset, & quam in sua Passione habuisse Scriptura testatur [l]. Ad soluendam autem istam maximam difficultatem, ille dicendi modus maximè placet, vt posita infinita præscientia diuini intellectus, qua penitus nouit, quid voluntas quæque creata operari possit, quidque operatura de facto sit, necnon quid esset operatura in omni euentu, ac opportunitate, si hoc, aut illo modo applicaretur, seu ad operandũ excitaretur, dicamus ita rexisse voluntatẽ CHRISTI DEVM, & excitasse circa præceptum, decretúmque de Passione, etiam quantùm ad particulares circunstantias eius (de præcepto Scriptura meminit [m]) vt infallibiliter cõsentiret, quamuis liberè, non ratione quidem præcepti, quod non poterat non implere, sed circunstantiarũ, nulla ex parte DEI, seu personæ diuinæ CHRISTI imposita necessitate ipsi voluntati humanæ CHRISTI, neque physica determinatione potentiæ eius.

l Esa.53.7. Ioan.10.17.18. m Ioan.10.18. Philip.2.8.

Gratia efficax cum libero arbitrio conciliatur.

Qui dicendi modus valet quoque in confirmatis in gratia, & in celebri illa controuersia de gratia præueniente, & efficaci: de qua re Suarez in Tertia Parte [n], & in Opusculis de ea controuersia compositis, & Bellarminus [o], qui hoc peculiare CHRISTI esse notant, quòd haberet intra se Diuinitatem ipsam, propter quam ipsi connaturale esset non posse peccare; cùm alij non habeant intra se, id est, in suo supposito, aliquid, vnde peccare non possint, quia Diuinitas, quæ illos regit, non pertinet ad ipsorum suppositum.

n Tom.1. Disput.39.sect.1. o Tom.4.li.5. de iustif.c.11. *Christus hoc habet ... à se peccare non posse.*

In Christo fuit indifferentia ad præceptum Dei seruandum.

Et tamen etiam dicitur fuisse vera indifferentia in humana CHRISTI voluntate ad obseruationem, & violationem præcepti cum dicta non peccandi necessitate, quoniam necessitas illa fuit extrinseca ipsi humanæ voluntati CHRISTI præcisè sumptæ: intrinseca autem, & naturalis CHRISTO, vt est homo subsistens.

ὁρίζω apud sacros Scriptores est definire esse. r c.5. de Diuin.nom.

Definito.] ὡρισμένῃ, participiũ hoc à verbo ὁρίζω, significat apud profanos Scriptores finitum, & declaratum, sed vsu Scripturæ, atque Ecclesiastico, siue, vt Dionysius [r] loquitur, Theologiæ, idẽ est, quod statutum, decretum, definitum, non autem declaratum, quod etiam pluribus aliis exem-
B plis demonstrat Adamus in ea verba epistolæ ad Romanos capite primo [q]: *Qui prædestinatus est*, vt ex hoc ipso præsenti loco, ex capite quarto [r], decimo [s], & decimoseptimo [t]; ex capite octauo [u] eiusdem epistolæ ad Romanos, ex primæ ad Corinthios secundo [x], ex Ephes. primo [y]: in quibus locis modò est simplex verbum ὁρίζειν, modò compositum προορίζειν, inter quæ tamen Origenes [z], aliíque [a] Scripturarum tractatores perpetuum frustrà discrimen statuunt, quasi προωρισμένον sit, siue προορισθὲν solùm quod nõdum est: ὡρισμένον, siue ὁρισθὲν, quod iam est. Neque si discrimen semper admittatur, præpositio πρὸ præcedens tẽpus necessariò significat, sed etiam ordinem di-
C gnitatis, vt prædestinari dicatur quod præ aliis destinatur, sicut & quod præeligitur, &c.

q vers.4. r vers.28. s vers.42. t vers.26. u vers.29.30. x vers.7. y vers.5. *ὁρίζειν & προορίζειν quomodo differant.* z in c.1.epist. ad Rom. a vt Hier. in c.1.epi. ad Eph.

Consilium quomodo in Deo sit, vel non. b c.12. c lib 2.c.22.

Consilio.] Non est in DEO propriè consiliũ, quatenus includit deliberationem, vt notauit Glossa in Iob [b], & Damascenus [c], qui DEO tribuit θέλησιν, non βούλησιν; sed prout dicit certum decretum, quod, qui deliberant, postquàm deliberarint, accipiunt, & quia hoc secretum esse solet, ponitur etiam pro secreto, vt in epistola ad Ephesios, & aliis locis, quæ recenset Pineda in Iob [d], quibus adde quod Paulus ait in hoc libro, capite vigesimo [e]: *Non enim subterfugi, quo minus annunciarẽ omne consilium* DEI *vobis.* Præterea, quod dicit DEVS
D apud Esaiam [f]: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Item quod apud eundem quidam irridentes [g], *Veniat consilium Sancti Israël.* Denique, aliis omissis, Lucæ 7. [h] *Pharisæi & Legisperiti consilium* DEI *spreuerunt.*

d c.15. vers.8. n.2.& 3. e vers.20. f c.46.10. g c.5.19. h vers.30.

Præscire in bonam partem sumitur.

Et præscientia DEI.] Præscire, præscitum esse, præscientia, non vt modò passim à Theologis in malam partem, sed in bonam quandoque sumuntur apud Scripturas, ita vt iidem dicantur præsciti, qui prædestinati [i], quo item pacto præcognitum Petrus [k] vocat CHRISTVM ante mundi constitutionem, & alios electos secundùm præscientiam DEI PATRIS [l].

i Rom.8.29. k 1.ep.1.20. l 1.epi.1.2.

Christus à quot quamuisque ad mortem sit traditus.

Traditum.] Ἔκδοτον, Syrus sic legit, דפרישׁ *dapperisch*, id est, *expositum*, vel, *qui segregatus erat.* Tradi-
E tus est CHRISTVS à Patre [m], à seipso [n], à Diabolo [o], à Iuda [p], à Iudæis [q], à Pilato militibus [r] vt crucifigeretur; vt notant in Matthæum Origenes [s], & S. Thomas. Sed à Patre, & à se, vt homines redimeret; à Diabolo, vt redemptionem impediret & traditores ad peccatum incitaret; à Iuda per auaritiam; à Iudæis per inuidiam [t]; à Pilato per timorem, ne Cæsaris nimis parum [u] amicus videretur.

m Rom.8.32. n Gal.2.20. Eph.5.25. o Ioan.13.2. p Matt.26.15. & 16. q Matth.27.2. Marc.15.1. Ioh 18.35. r Matt.27.26. s in c.26. t Matt.27.18. u Ioan.19.12. 16.

Per manum iniquorum.] Λαβόντες διὰ χειρῶν ἀνόμων, *accipientes traditum definito consilio, & præscientia* DEI, *per manus iniquas*, nempe vestras, alioqui inserendus fuisset articulus τῶν, quem etiam sensum magis expressit Syrus, *tradidistis, cùm ad*

hoc expositus esset, &c. hæc sic exprimens, באידי רשיעא *biidai raschihe*, id est, *in manus improborũ*, vel, *manibus sceleratis*. Attamen nostro Interpreti fauent Chrysostomus & Oecumenius, intelligentes Iudam, & milites: neque non eum patiuntur sensum textus Græcus, & Syra versio.

Peccatũ Iudæorum extenuatur.

Videtur extenuare peccatum Iudæorum, quasi hi non fuerint auctores, vt CHRISTVS traderetur Põtificibus à Iuda, & à Pontificibus Pilato, sed iam traditum, idque iuxta præscientiam, & consilium DEI, interfecerint. Quod ipsum iuuabat, ne ipsis adeò horrori esset CHRISTVS crucifixus. Videtur porrò proprium velut epithetum Gentilium, vt nominentur iniqui, & peccatores: sic eos notauit CHRISTVS, cùm iã aduentassent, vt ipsum caperent[a]: Paulus verò opponens Iudæis, *Nos*, inquit, *natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores*[b].

a Matt. 26. 45. b Gal. 2. 15.

B

Affigentes.] Alij codices Latini habent, *affigentes*, vt & textus Græcus προσπήξαντες: & Syrus interpres habet, וזקבתון *vazkabthun*, id est, *crucique affixistis*. Etsi verò absque dubio clauis confixus sit CHRISTVS, id tamen non conuincit hoc verbum προσπήξαντες; funibus enim etiam quidam affixi leguntur, sed aliunde probatur, vt ex fixura clauorum, quam commemorauit Thomas[c], & Thomæ CHRISTVS, & ex aliis, quæ coaceruat Gretserus noster[d]. Afflictio quoq; potest intelligi, vt præcedens interemptionem, quæ mox subsicitur, de variis illusionibus & tormentis.

Christus clauis in cruce confixus fuit. c Ioan. 20. 25. d lib. 1. de Cruce. c. 19.

C

Interemistis.] Quia ad mortem appetierunt importunis clamoribus apud Præsidem, quamuis causati *sibi non licere interficere quemquam*[e].

e Ioan. 18. 31.

Iudas quomodo peccarũt in Christi morte.

Non fuit solummodò peccatum in Iudæis interimere CHRISTVM, quòd id ex inuidia fecerint, quasi peccaturi non fuissent, si ex obedientia, hoc est, scientes eam esse DEI voluntatem, vt Glossa subindicat: neque enim excusarentur, nisi haberent expressum præceptum, sicut Abraham de immolando filio[f], vt rectè notat Hugo hoc loco. Quæ fuerit Iudæis potestas in causis capitalibus, agemus capite quarto.

f Gen. 22. 2.

Cur Christus fuit crucifixus.

D

Cur CHRISTVS crucifixus sit, hocque supplicij genus subierit, diligenter tractat Gretserus[g], cùm ordinaria pœna blasphemorum esset lapidatio, cuius criminis accusatus est[h]. Sed cùm ea accusatio non valdè procederet, intendentur seditionis crimen[i], cui lege Romanorum decreta erat crux, aut bestiæ[k], etsi nec ab institutis Iudæorum abhorreret, seditiosos crucifigere, quoniam crux erat in vsu apud illos, nec vlla scelera legislator ita mulctanda speciatim expresserat[l]; & quia Barrabæ debita crux seditionis, & homicidij, ac latrocinij nomine, in CHRISTVM translata est, crux verò talibus reis, etiam apud Iudæos, teste Philone[m], infligebatur, propterea CHRISTO saltem vt de seditione accusato, inflicta est, postulantibus à Præside Iudæis.

g li. 1. de Cruce. c. 18. & 19. h Ioan. 10. 33. Matt. 26. 65. i Luc. 23. 2. & seq. k Paul. Iusticons. lib. 5. tit. 22. l Deut. 21. m lib. de specialib. legib.

Magia Christo obiecta.

E

Adde, Magiam CHRISTO quoque fuisse obiectam, vt Pilatus scripsit ad Tiberium, referente Hegesippo[n]: cruce autem vindicari solitam legibus diuinis, & ipsius Tiberij voluntate, atque exemplo, vt scribit Dio[o], Tacitus[p], & Plinius[q].

n in anacephal. de excid. Ierosol. o 57. histor. Rom. p lib. 2. Annal. q lib. 30. c. 1.

Ex parte Christi cur crucem subiit.

Ex parte CHRISTI, causæ afferuntur à Patribus: vt medicina ligni[r] lignum esset: vt humilibus & infimis aptum remedium daretur, nec esset qui non posset tam humilem imitari: vt *maledictum suscipiens nos liberaret à maledicto*[s]: vt tanta ignominia maximam erga nos charitatem declararet, & fiduciam nobis in eum ingeneraret: vt mox suscitandum corpus tali supplicij genere minimè frangeretur: vt esset mors CHRISTI maximè nota, & exposita: vt vna manu Gentiles, via Iudæos attraheret: vt præcipitaret Diabolum ex aëre, & hunc purificaret: vt veteres Prophetiæ & figuræ implerentur. Patrum loca vide apud citatum Auctorem, & ea, quæ S. Thomas[t], & Suarez afferunt.

r Gen. 3. 6. s Galat. 3. 13. Deut. 21. 23. t 3. part. q. 46. art. 4.

Versus 24.] Quem DEVS suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri eum ab eo.

QVEM DEVS *suscitauit*.] Dixi capite primo[u], quomodo & CHRISTVS à DEO suscitatus sit, & ipse seipsum suscitauerit. Opportuna mentio nunc fit de Resurrectione, ne Iudæi suspicari possent, licèt DEVS anteà probasset signis CHRISTVM, tamen ob consequens aliquod peccatum, ipsum dereliquisse, turpiq; morti tradidisse. Hoc Iudæi dicentes[x], *Confidit in* DEO, *liberet eum nunc si vult*, insultando innuebant.

u vers. 3. x Matt. 27. 43.

Solutis doloribus inferni.] λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου. Syrus sic est interpretatus, ושרא חבליה דשיול *vaschera cheblaiha daschiul*, id est, *solutique funes inferorum*.

Christus quomodo sit à Deo suscitatus.

Primo loco tribuit Petrus hanc solutionem DEO, qui suscitauit CHRISTVM: quod tamen alij intelligunt de CHRISTO, non contrario sensu: quoniam DEVS id fecit per illum, hicque per gratiam DEI. Deinde pro *doloribus*, qui, iuxta vim vocis Græcæ, sunt propriè ij, quos parturientes experiuntur, Syrus posuit *funes*, innuens quasi funibus retentas mortui CHRISTI partes, animam in inferno, corpus in sepulcro.

Infernus in Scriptura varie capitur.

Capitur enim etiam interdum infernus in Scriptura pro sepulcro[y], & nonnunquàm pro ea inferorum loculi parte, quæ vocatur Limbus[z]. Præterea pro inferno Græcè est θάνατος, *mors*, quia mortuorum locus est. Quamuis ex Græcis Irenæus sequatur nostram lectionem[a]. Dicuntur verò *dolores inferni ij*, qui grauissimi, & lethiferi sunt. Nostra lectione vtitur quoque Polycarpus initio epistolæ suæ ad Philippenses, & Theophilus[b] Alexandrinus, Cyprianus sermone de Cœna Domini, & alio de Passione, & fauet Psalmus, qui mox citatur.

y Loca vide apud Emm. Sà in Indi. z Iob. 17. 16. a lib. 3. c. 12. b 1. Paschali.

Qua ratione dolores mortis seu inferni soluti Christo fuit.

Sed maior difficultas est, qua ratione soluti dicantur dolores mortis, seu inferni per CHRISTI Resurrectionem. Chrysostomus, & Oecumenius exponunt, *quia mors illum detinens doluit, ipse verò à periculo eius, quod*, inquit Chrysostomus, *periculum vocatur dolor mortis, liberatus est, sic resurgens tanquam iam non moriturus, nec vllum amplius dolorem mortis, aut conditionis mortalis experturus*. Glossa interlin. idem indicat, & præterea *mortuorum solutionem*, hoc est, *eorum qui cum* CHRISTO *surrexerunt*[c]: *vel certè liberationem animarum iustorum, quæ adhuc velut in vinculis detinebantur*: quò forsan allusit Syrus vtens nomine חבליה *cheblaiha*, id est, *funium*. Idem habet Glossa Bedæ citans textus Græci verba, *Soluens per ipsum mortis dolores*, quæ tamen nostri codices non habeant, *per ipsum*. Addit etiam de doloribus pœnarum, qui CHRISTVM attingere non poterant. Lyranus similiter vtrumque sensum ponit: hunc vltimum, & illum de Patribus limbi, qui etiam vterque placuit Augustino[d], & prior Ambrosio[e]. Sanctus Thomas[f] in Tertia Parte, ibidemque Caietanus, necnon in Commentario huius loci (fatetur

c Matt. 27. 52. d epist. 99. & 12. Gen. c. 33. e 3. de Fide. c. 1. f q. 52. art. 4.

Magister

a dist.18.

A Magister [a] in Tertio Sententiarum) docent pœnalitatem quandam animæ CHRISTI fuisse à corpore separari, & esse in inferno, corpori autem esse sine anima, & in sepulcro.

Christus post mortem nullos dolores expertus est.

Hic loquendi modus nó est omninò proprius, nec enim vllus in CHRISTO post mortem dolor fuit, sed illi erant necessarij effectus consequentes ex morte, & quædam, vt ita dicam, carentiæ perfectionum, quæ pro eo statu adesse non poterant, immò, illo posito, potiùs erat commodum, & honorificum corpori CHRISTI contineri sepulcro, animæ verò, quam oportuit aliquantisper separatam manere pro ratione diuinæ Sapientiæ, non potuit melior locus, cœlo excepto, quod nondum patebat, quàm Abrahæ sinus assignari.

B Vt tamen hoc ipsum fuit quædam pœnalitas, quam subiit CHRISTVS, breuíque liberatus est ab ea, dici quodam modo potest solutos esse à DEO dolores inferni, id est, sepulcri & limbi, vbi erat corpus, & anima CHRISTI.

Dolores inferni quomodo sint soluti.

Itaque soluit DEVS (non enim de CHRISTO, sed de DEO intelligendus locus, ὃν ὁ Θεὸς ἀνέστησε, λύσας, &c.) dolores inferni, quando suscitauit CHRISTVM, qui dolores passus est in passione, & morte, propter grauitatem lethiferos, & aptos deducere in infernum, vt infernus significet vel sepulcrum, vel receptaculum quodcumque animarum : aut dolores, qui quodammodò sentiebantur ab animabus iustorum limbo inclusorum, propter illum carcerem : aut rursum liberando CHRISTVM, ne vllos mortuus dolores experiretur, more aliorum, ita vt esset inter mortuos liber [b].

b Psal.87.5.

C *Dolores inferni dicuntur grauissimi.*

c Psal.17.6.
d ibid.

Certè Scripturæ exaggeratio est, vt dolores inferni appellentur ij qui sunt grauissimi [c], vt etiam dolores mortis: sicut exponunt Basilius, & Theodoretus [d].

Blasphemia Caluini in Christum arguitur.

Quocirca non fauet præsens Petri sententia Caluini blasphemiæ, quòd Damnatorum pœnas CHRISTVS perpessus sit. Soluit enim dolores inferni, non quibus tenebatur, sed ne teneretur; *Quo modo*, inquit Augustinus [e], *solui possunt laqueos venientium, vt non teneant, non quia tenuerunt.*

e epist.99.

D *Damnati à suis doloribus per Christum liberati non fuerunt.*

f lib.12 Gen. ad lit. ca.33.& epist.99.

Neque verò Damnatos credendum est à suis esse per CHRISTVM doloribus liberatos, vt innuit idem Augustinus [f], nisi fortè intelligat de Purgatorio, vnde omnes extractos esse, non nemo est qui affirmet, & vt contrarium verisimilius sit, solúmque bene dispositos exiisse, non est tamen temeraria sententia. Nam si homines damnatos liberauit, cur non Dæmones? hæresis verò est, omnes etiam Damnatos liberatos esse, vt referũt Philaster [g], & Augustinus [h], & Gregorius [i] hanc vt indubitatam veritatem docens, ac probans, citat quoque Philastrum, & quæ ille citat Scripturæ testimonia ex Psalmo [k] : *In inferno autem quis cõfitebitur tibi?* & ex Paulo [l], *Quotquot sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.*

Hæresis est, putare omnes Damnatos fuisse per Christum liberatos.

g lib. de Hær.
h de Hæres. 79.
i lib. 6. epist. 179.
k Psa.6.6.
l Rom.2.12.
m Ioan.12.32.

E Affert etiam Augustinum exponentem verba CHRISTI [m] ; *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, omnia videlicet electa, quia trahi ad DEVM post mortem non potuit, qui se à DEO malè viuendo separauit.* Beda [n] dicit esse de hac re fidem Catholicam, & alios Patres citat Pererius in Genesim [o]. Lege etiam Suarez in Tertia Parte [p], & Henricum Enriquez [q].

n in 1. epist. Pet.3.
o Tom. 2. lib. 9 disp.3.
p Tom. 2. q.52. art.5. & 6. & 7. & 8 disp. 43.
r ingratonis hic Societat.
q lib.9 de indulgen.c.8.

Hinc potiùs contra Caluinum confirmatur doctrina de Purgatorio : hoc enim sensu verum erit, quod Augustinus citatus dixit, *aliquorum dolores solutos esse* : neque enim illi erant ex Damnatis; qui verò limbo detinebantur, nullum propriè do-

A lorem sentiebãt, vt idem Augustinus docet, necnon Gregorius [r] : in quo sensu intelligi potest Epiphanius [s], & alij Patres, qui dicto modo de liberatione eorum, qui dolores in inferno sentiebant, loquũtur; tametsi id non de omnibus necessarium existimamus, sed de dispositis duntaxat, vt iam admonuimus.

r hom.22.in Euang.
s lib.1.de hæres.in vlt.

Acutè argumentatur Chrysostomus, *qui negotium fecit morti, multò magis iis, qui crucifixerunt, nocere poterit: sed nihil tale*, inquit, *dicit, quod potuerit vos occidere, sed simpliciter solùm insinuauit.*

B *Inferni.*] Iam dixi, hanc vocem, idémque est de inferis, sumi pro loco Damnatorum, omníque alio subterraneo, etiam qui dicitur Limbus: pro morte quoque, ac pro sepulcro, vt exemplis docet Emmanuel Sà [t], & nos in caput nonum Ecclesiastæ [u].

t in Indice.
u vers.10.

Vnde non videtur verum, quod Augustinus [x] tradit, has voces in Scriptura semper accipi in malam partem : ideóque qui dictus est *sinus Abrahæ*, non fuisse partem aliquam inferni; præsertim cùm apud Lucam in Euangelio [y], Abraham ipse dicat epuloni : *Magnum chaos firmatum est inter nos, & vos.*

x epist. 99. & lib.12. Gen. ad lit. cap.33.
y cap.16.26.

Limbus Patrum esse ostenditur.
z Gen.37.35.

C Nam cùm Iacob deflens filium Ioseph ait [z] : *Lugens descendam in infernum ad filium meum Ioseph*, ipso descendendi verbo locum inferiorem designauit, non Damnatorum, eorúmve qui purgarentur; in eo enim filium sanctissimum esse non putabat, nec in eum se iturum : non etiam sepulcrum, in quem qui credebatur à feris deuoratus, illatus non esset: igitur in locum quietis, & iucunditatis, de quo item, omissis aliis Scripturæ testimoniis, disertè loquitur Sapiens [a] : *Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Hieronymus explanans verba Oseæ [b] : *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne; infernus*, inquit, *est locus, in quo includuntur animæ siue in refrigerio, siue in pœnis*, pro qualitate scilicet meritorum.

a Eccl. 24.45.
b cap.13.vers. 14.

D Immò Augustinus [c] cùm scribit Adamum à CHRISTO descendente ad inferos ex iis eductum esse, idem profectò fateri videtur, siquidem cùm constet damnatum non esse, & ex Damnatis neminem liberatum, tam diu etiam in Purgatorio fuisse caret probabilitate. Cyrillus [d] Alexandrinus hunc locum veluti paraphrasticè recitans, explicat de doloribus grauissimis mortis. Verùm de hac expositione iam dictum est priùs. De descensu CHRISTI ad inferos, locum præsentem Patres exponunt, vt Augustinus [e], Fulgentius [f], & alij, sicut & sequentem Psalmi versum, *Non derelinquet animam meam in inferno*, vt videbimus.

c epist.99.
Limbus ab Augustino asseritur.
d in c.1. Esa.
e sup. & epist. 57.
f 3. ad Thras. ca.31. & 32. & lib.1.c.19.

E *Iuxta quod.*] Καθότι. Syrus habet, מטול *metul*, id est, *siquidem*, vel, *propterea quòd*, seu, *quoniam*, vulgò diceremus, *Come che*, Gallicè, *ainsi que*, & his similia.

Impossibile erat.] Vt non coactè mortem subiit, ita cogi non potuit, nec ab ea teneri, reuerà inter mortuos liber [g] : & quatenus DEVS, naturaliter immortalis, & vt homo nulli obnoxius peccato, cuius mors stipendium [h] ac proprius effectus; per peccatum enim mors intrauit in mundum [i] : postremò erat id impossibile, propter immutabilitatem voluntatis diuinæ, vel Prophetiæ, quæ sequitur.

g Psa.87.5.
h Rom. 6.23.
i Rom.5.12.

Non fuit differenda CHRISTI Resurrectio, quoniam nullum erat in ipso impedimentum, & decebat per capitis nostri Resurrectionem, nostræ spem erigi, quemadmodum cùm in-

Christi Resurrectio differenda non fuit.

mari totum caput enatat, scimus totum hominem saluum esse.

Versus 25.] DAVID enim dicit in eum: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.

DAVID *enim dicit in eum.*] Syrus, עלוהי *hhalauhi*, id est, *de eo.* Præpositio *in* cum accusatiuo, in bonam malámve partem accipitur, atque in priore sensu inscribuntur quædam laudatoriæ Orationes in nonnullos, vt Nazianzenus in Basilium, &c. Caietanus exponit, *in eum*, id est, *in persóna eius.* Id anteà dixerat Glossa interlin. & Hugo. Alij, *in eum*, velut amore transformatus, ac tāquàm alter ipse. Simplicior sensus est, vt sit *in*, pro *de*, sicut interdum eodé modo ponitur *ad*, quod exemplis sacris, & profanis illustrat Salmeron [a] in Prolegomenis. Alij subintelligunt intendens *in eum.* Lege Haymonem in epistolam ad Hebræos [b], in hæc verba; *& ad Angelos quidem dicit*, & Gellium [c], & indicem Emmanuelis Sà. Psalmus qui citatur, titulum *Dauid* habet, de CHRISTO verò intelligitur orante se impiorum osorem, vt conseruet, & studiosum piorum: gratias etiam agente, quòd sit à mortuis excitandus, & felicitate perpetua donandus, nimirum corporis & externa, nūquàm enim anima CHRISTI fuit non beata. Cùm igitur de CHRISTO agitur, Dauid in medium sæpe ac libentissimè profertur. Quoniam ipsius de semine MESSIAS erat, & hic ipse nonnunquàm Dauid nomine à Prophetis appellatur [d].

a Tom. 1. Proleg. 16.
b in cap. 1.
c lib. 2. cap. 7.
d Ezech. 34. 23. 24. c. 37. 25. Ierem. 23. 10. Oseæ 3. 5. & alibi.

Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.] Ex Psalmo decimoquinto [e] hæc sumpta sunt, Dominum iugiter mihi proponebam, & ob oculos habebam tanquàm scopum, siue adiutorem: vel (metonymicè) mandatum eius de Euangelio prædicando, & moriendo pro peccatis hominum, vel, inquit Glossa ordinaria, hoc, *quod peccatum non feci, nec dolus inuentus est in me* [f], *non homini, sed* DEO *adscribebam*: vel, *præsens sentiebam auxilium* DEI, inquit Glossa interlinearis: vel, iuxta Lyranum, *habebam continuè in anima ab instanti creationis claritatem Diuinæ visionis*, vel, vt Caietanus ait, *continuum meritum.*

e vers. 18.
f Esa. 53. 9.

Dei præsentia continua valde salutaris.

DEI continua præsentia valdè salutaris est ad omnem virtutem, vt præter Bedā hoc loco, cùm alij, tum præcipuè Basilius pluribus in locis docet, vt *ad tollendam euagationem mentis* [g]: *ad frenandam iram* [h]: *ad fouendam charitatem* [i]: *ad spernendas laudes humanas* [k]: *ad diligentiam excitandam* [l]: *ad incendendam orationem* [m]: *ad comprimendam omnem distractionem* [n]: *ad peccatum vitandum* [o]: & acriter coarguit, qui pluris hominis, quàm DEI præsentiam æstiment.

Ephrem verò ait [p], *continua* DEI *recordatione turpes animæ passiones recedere, instar maleficorum Prætore accedente.* Vrget eandem alibi [q] admonitionem ex Psalmo 93. [r] Præterea nos debere DEO sistere, perinde ac qui Principibus terrenis ministrant [s], & eorum qui DEI semper meminerunt mentem in cœlum euadere [t].

Boëtij etiam illa sententia est [u]: *Magna nobis indicta necessitas est rectè viuendi, qui omnia facimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis.* Cōstat de eodem Ephrem, & de alio nescio quo, ad meliorem frugem reuocasse impudicam fœminam proposita præsentiæ diuinæ memoria. Inspector est DEVS, auxiliator, vindex, iudex, remunerator, vltimus finis.

g Reg. 21. ex breuio.
h Reg. 29.
i Reg. 5. ex fusis.
k 34. ex breuior.
l 37. ex breu.
m 201. ex breuio. & lib. de constit. mon. c. 2.
n 202. & 306. ex breuio.
o lib. de Virginit.
p Tom. 2. Ser. de vitt. ca. 10.
q Tom. 2. parœne. 42.
r ver. 8. & seq.
s in doct. de prof. mon.
t Tom. 2. Ser. de 2. aduen. Dom.
u in fine, de consol. Phil.

Primo modo dicebat quidam Propheta [x]: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto*, & DEVS Abrahamo [y]: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Secundo modo, id quod in præsenti habetur Psalmo, & de quo mox dicemus, adaptari potest [z], *quoniam à dextris est mihi ne commouear*: vel id quod habetur in Cantico [a], *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Tertio modo dicebat Iob [b], *Tu quidem gressus meos dinumerasti.* Quarto modo [c], *respiciebat Moses in remunerationem.* Postremo [d], *quando non est* DEVS *in conspectu alicuius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, auferuntur iudicia* DEI *à facie ipsius*, vbi Hebraicè legimus, מרום משפתיך *marom mischpathecha*, id est, *altitudo sunt iudicia*, quod est, remota à conspectu ipsius.

x 3. Reg. 17. 1.
y Gen. 17. 1.
z Ps. 15. 8.
a cap. 8. 6.
b c. 14. 16.
c Heb. 11. 26.
d Ps. 9. 26.

Quoniam à dextris est mihi.] Vsu Scripturæ, à dextris esse, est assistere, & præstò esse ad ferendum auxilium [e], si de DEO, aut Angelo dicatur: de Diabolo verò in malum, & vt aduersetur, *dextera enim eius dextera iniquitatis* [f]. Simili phrasi dicitur *dextera Domini aliquem suscipere, protegere, apprehendere, exaltare* [g]. Sensus quoque est, vt à dextris sit DEVS ei, qui illum aliis rebus præfert: ipso enim locutionis vsu, inquit Gregorius [h], *pro dextro habere dicimur, quod pro magno pensamus, pro sinistro verò id, quod despicimus.*

e Ps. 108. 5. & 109. 6. Zach. 3. 1.
f Ps. 143. 11.
g Psal. 117. 16. Esa. 41. 10.
h 20. Moral. c. 10.

Itaque collocari ad dexteram, signum est honoris, vt patet ex Psalmo 44. [i] 109. [k] & 3. Reg. 2. [l] & Matth. 20. [m] & 25. [n] Simul etiam est protegentis, ac defendentis ab aduersariis, vt constat ex dictis: in quo casu qui præstantior est, ad dexteram alterius sit.

i vers. 10.
k vers. 6.
l vers. 19.
m vers. 21. 23.
n vers. 33.

Modus incedendi dexteram.

Notauit enim Antonius [o] Nebrissensis, olim in vsu fuisse, vt cùm duo incederent, senior, ac honoratior ad læuam esset, iunior latus ei dextrum clauderet, nonnihil præcedendo in signum obsequij; indeque dictos laterones, & per contractionem, latrones, Græcè hyperaspistæ, qui defensionis causa tegebant latus nobiliorum hominum. Præter argumentum huius Auctoris, ex profanis Auctoribus affert Bellarminus [p] aliud ex Eusebio [q] (vt ostendat, nihil præiudicare primatui Petri, quòd ad eius dexteram Paulus pingatur, qua de re copiosè Petrus Damianus [r] tanquàm de vetustis moribus recepta, vbi ludit in nomine Benjamin, quod significat filium dexteræ: & in raptu ad tertium cœlum, quod meretur nomen dextræ: in vocatione de cœlo; quòd inde edoctus, non ab homine: quòd ipsemet Petrus [s] miratus est sapientiam ipsius: quòd Petrus actiuam, Paulus designet contemplatiuam vitam: quòd cùm nulla ei sit designata cathedra, sicut aliis, videatur ius tenere Præsidentis, saluo ceterorum tamen iure: quòd plus omnibus laborauerit, & in Ecclesia fructificauerit) qui se in Palæstina testatur adolescentem Cōstantinum vidisse cum seniore Augusto, quando prouinciam obibant, ita insedisse, vt ad dexteram ipsius esset. Indicat Glossa interlin. hæc omnia vno verbo dicens, *quòd à dextris erat more custodis.* Lege Ioannem Fernandes in Thesauro [t]. Confirmantur hæc prætereà ex aliis testimoniis Scripturarum, quibus diuina protectio declaratur, dicendo eum illi quem protegit esse ad dextram: vt, *Dominus* [u] *à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges*: *Astitit* [x] *à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam*: *Dominus* [y] *protectio tua super manum dexteram tuam.* Cōtrà diabolus dum aduersatur statuitur quoque

o in annot. ad 50. Scrip. loc. c. 16.
p Tom. 1 lib. 1. de Roman. Pontif. c. 27.
q lib. 1. de vita Const.
r lib. 2. epist. ep. 16. ad Desiderium Abbatē & Card.
s 2. ep. 3. 15.
t verbo, Dextera.
u Ps. 109. 5.
x Ps. 108. 31.
y Ps. 120. 5.

ad dexteram

a Pſa. 108.6. Zach. 3.1.

ad dexteram, v. g. [a] *Et diabolus ſtet à dextris eius: Satan ſtabat à dextris eius.* Motions principium à dextra parte inchoat, ibique vires maiores, idcirco magis eam partem protegit auxiliator, aduerſarius infirmat. Itaque CHRISTVS idem ſedet ad PATRIS dexteram [b], & PATER eſt eidem ad dexteram [c], quoniam CHRISTVS potiora PATRIS habet bona, vt aliàs expoſuimus [d], & PATER CHRISTVM iuuat, illique fauet. Quin etiam vtrumque de hominibus aliis dici poteſt, vt DEO dextri, & dexter ſit ipſis DEVS, iuxta duplicem dictum ſenſum, ſeruata proportione.

b Pſa. 109.1. c Pſa. 109.5. *Cordibus fidei ad dexteram Patris, & viciſſim.* d cap. 1.

Ne commouear.] Ne maneam in morte, cruce, & aliis tormentis: propter ſpem etiam Reſurrectionis, de qua mox. Poſt Reſurrectionem enim omnia ſtant immobilia. Caietanus pergit intelligere de commotione per paſſionem aliquam, vel ſubreptionem ad aliquod peccatum. Nimis tropologicum eſt, *quòd ſtabat à dextris*, id eſt, proſperis, ne cõmoueretur animi elatione propter illa, iuxta id Pſalmi nonageſimi [e], etiam morali ſenſu: *Cadent decẽ millia à dextris tuis.* Iuxta Hebræum textum, כִּי מִימִינִי בַּל אֶמּוֹט *chi mimini bal emot,* ita reddi poteſt: *Quoniam à dextris eſt mihi, non commouebor.*

e verſ. 7.

Verſus 26.] Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

PROPTER *hoc lætatum eſt cor meum.*] Gaudium interius eſt de cuſtodia DEI ſtantis à dextris, & commotionem impedientis, necnon de Reſurrectione. Caietanus intelligit gaudium etiam Comprehenſoris, ſiue Beati.

Cor meum.] Cor ſignificat hoc loco partem rationalem, in qua eſt mens, & voluntas, tametſi gaudium propriè eſt partis appetentis. De aliis huius vocis notionibus, nempe pro nota materiali parte, & pro omnibus interioribus, ſeu viſceribus [f], aliàs dixi [g]: quo item modo dicitur in Scriptura cor terræ [h], vel maris [i], pro intima ac profundiſſima parte. Vrget hunc locum Auguſtinus [k] pro CHRISTI Reſurrectione.

Cordis variæ ſignificationes. f Pſa. 21.15. Pſ. 16.15. g cap. 224. h Matt. 12.40. i Pſal. 45.3. k lib. 17. de ciuit. Dei. c. 18.

Exultauit lingua mea.] Hebraicè in ipſo Pſalmo eſt, כְּבוֹדִי *chebodi*, id eſt, *gloria mea*, & ita habet hoc loco Actorum Syrus interpres, תשבוחתי *thaſchbuchethi*, quod idẽ valet, *eſt enim ſermo*, quo præcipuè dignitas hominis conſtat.

Apoſtoli verſione Septuaginta vſi.

Solent ferè Apoſtoli vti verſione Septuaginta, qui eo loco, vt & aliàs ſæpe, magis curant ſenſum, quàm verba. Linguâ verò gaudium ſe prodit, ſignificatque copiam eius verbum exultandi, Græcè ἀγαλλιᾶσθαι, quaſi ſubſultare, & ἄγαν ἄλλεσθαι, nimium ſaltare. Linguâ verbiſque ipſis exultationem de ſua Reſurrectione CHRISTVS declarauit, quoties de morte ſermonem fecit, tum verò etiam ſub mortem [l].

l Matt. 26.32. *Caro cur ſuquiescat.*

Caro mea.] Syrus habet, פגרי *pagri*, hoc eſt, *corpus meum*, corporis enim præcipua pars caro eſt, & quæ pro toto homine quandoque ſumitur, multò magis pro toto corpore.

Requieſcet.] Κατασκηνώσει, *commorabitur velut in ſcena, tentorio, tabernaculo*, videlicet *dum iacet in ſepulcro*, inquit Gloſſa interlinearis, & Lyranus, & Hugo.

Mors iuſti & ſomnus ſomnus quid diuerſa ratione.

Iuſti mors quies eſt ac ſomnus, quia is verè nũc laborat, & tranſit ad veram quietem. Alioqui etiam impij mors ſomnus dici poteſt, propter communem reſurrectionem, & vigentes in ani-

A ma ſeparata, vt in dormiente, quæ non otiatur, operationes. Hac de re plura in capite ſeptimo [m]. m verſ. 42.

In ſpe.] Reſurrectionis, glorificationis, & ſeſſionis ad dexteram PATRIS: vel confidenter, atque citra metum corruptionis: ſpes verò non eſt carnis, ſed animæ, totiuſue hominis.

Verſus 27.] Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

QVONIAM *non derelinques.*] Cauſſa altera gaudij non de carne tantùm iacente in ſepulcro, verùm etiam de anima exiſtente in limbo,
B quem ſignificat hîc inferni nomen, tametſi alias habens ſignificationes, vt diximus, pro ſepulcro, aut fouea, aut morte, loquendo, inquam, de Hebræo שאול *ſcheol*, aut aliis ſubterraneis locis, vt multi exiſtimant.

Vox שאול *ſcheol, quid ſignificet.* n in Pſa. 15. & 2. de TRINITATE.

Genebrardus [n] ex Thalmudicis quoque, & Rabbinis demonſtrat, vocem illam Hebræam ſignificare dũtaxat propriè infernum animarum. Stapletonus etiam in Antidotis in Acta negat aliam vnquàm habere ſignificationem, ſicut & vocem Græcam ᾅδης, quæ ſemper ponitur pro illa Hebræa, & Latina infernus. Equidem puto Hebræam, & Græcam dictionem ſumi nonnun-
C quàm pro morte, vt apud Oſeam [o]: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Sic enim ibi legimus, מיד שאול אפדם *miiad ſcheol ephdem*, pro eo quod *de manu mortis*, quia nempe ante CHRISTI Reſurrectionem vtrumque erat & mori, & deſcendere ad inferos: pro ſepulcro tamen nunquàm accipi videntur, quod eſt Hebraicè, קבר *caber*, Græcè, τάφος. Pagninus, Arias Montanus, Vatablus vertunt, *in ſepulcro.*

o cap. 13.14.

Quicquid ſit, non poteſt infernus hoc loco eſſe ſepulcrum: de hoc enim partim præcedentia verba, *caro mea requieſcet in ſpe*, partim ac multò clarius ſequentia loquuntur, *nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: neque anima ſepulcro includitur: denique in Symbolo proponuntur hæc vt di-
D ſtincta, *ſepultus eſt, &c. deſcendit ad inferos.*

שאול *ſcheol, ſepulcrum hic non ſignificat.*

Vellent Hæretici, qui abradunt articulum deſcenſionis CHRISTI ad inferos, per hos, aut per infernum intelligi ſepulcrum, & per animã corpus, ſiue cadauer, vt cùm dicitur: *Non derelinques animam meam in inferno*, ſenſus ſit, *corpus aut cadauer in ſepulcro.* De inferno probant ex multis locis Scripturæ [p], quæ tamen ſi bene conſiderentur, nihil efficiunt: & vt aliquid efficerent, non id certè, vt præſens locus de ſepulcro, vel de morte, ſiue interitu intelligatur, propter eas quas dixi rationes.

Hæreticorum de Chriſti deſcenſu ad inferos opinio.

p Gen. 37.35. c. 42.38. 1 Reg. 2.6. Iob. 7.9. c. 17.16. c. 21.13. Pſa. 29.4. Pſa. 30.18. Pſa 87. 4. Pſal. 93.17. Pſa. 113.17. Pſ. 114.3. Pſa. 140. 7. Prou. 1.12. c. 27.14. Eccl. 9. 10. Cant. 8.6. Eccli. 28. 25. c. 41.7. c. 51.7. Eſa. 28.15. c. 38. 10. Baruch 2. 17. Dan. 3.88. 2. Mach. 6.23. q verſ. 28.

De anima confirmant, quoniam nomen Hebræum נפש *nephes*, pro quo anima poni ſolet, ita
E vſurpari videtur in Leuitico: nam pro eo quod eſt in capite decimonono [q], *Pro mortuo non incidetis carnem veſtram*, textus Hebræus habet, ושרט לנפש לא תתנו בשרכם *veſcheret lanepheſch lo thitthenu beſcharchem*, *& inciſionem ob animam nõ facietis in carne veſtra*, & Onkelos: *læſionem ſuper mortuum non dabitis in carne veſtra.* Et capite 21. [r] *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium ſuorum*, Hebraicè, לנפש לא יטמא *lanepheſch lo ittamme*, *ob animam non contaminetur.*

r verſ. 1.

Beza in editione Pſalmorum anni 1556. vertit dicto modo verſum iſtum Pſalmi: & cùm hoc nomine reprehenſus eſſet ab Illyrico, & Caſtalione, in editione anni 1565. & 1589. repoſuit

Verſio Bezæ varia & multiplex arguit eius inſcientiam & inconſtantiam.

aliam

A aliam versionem, *Non derelinques animam meam apud inferos.* Volens tamen sepulcrum nos intelligere per inferos, & per animam personam seu vitam, quasi dicat, *Non derelinques me, vel vitam meam in sepulcro.* Caluinus exponens Acta dicit, *non derelinquere animam in inferno*, esse non permittere, vt interitu opprimatur. Ceterùm etiamsi possit loco corporis anima intelligi, non tamen hoc loco, tum ob ea, quæ adhuc dicta sunt; tum quia ᾅδης nunquàm significat sepulcrum: & constat quòd corpus CHRISTI non fuit in inferno: tum quia repugnat animam accipi pro cadauere, in quo est priuatio animæ, & vitæ, tum quia Hebraicè quidem dictio נפש *nephes*, potest etiam sine tropo significare tam animam, quàm animal, immo etiam corpus: ideóque ferè semper adiungitur ei adiectiuum *viuens* [a], quasi nimirum habeat significationem indifferentem, ad viuum, & non viuum: at ψυχὴ, & anima, non habent adeò generalem significationem, ponuntúrque in præsenti loco nostro.

Anima non potest hic significare corpus.

Anima apud Hebræos non est idē quod ψυχὴ Græcè, & anima Latinè.

a Gen. 1. 20. 24. c. 2. 7.

B Postremò locum istum de anima, & de inferno, exponit Beda hoc loco, & alij, Ambrosius [b] item, Augustinus [c], & Hieronymus [d], & Fulgentius [e]. Est quoque absurdum interpretari, non relinqui animam in inferno eo sensu, quòd ab interitu liberetur, cùm constet vi sua planè esse immortalem. Postremò remoueatur elegantiæ Caluinianæ, Brentianæ, ac vniuersæ Hæreticorum sic sentientium fæcis imperitia, nihil aliud esse *descendere in infernum, quàm perire, atque penitus extingui, funditus interire, pessum ire, ruere vel labi in profundum*: quoties illis formulis vtitur Scriptura, suos, quibus id notum scribit, pueros dedoceat Drusius [f], vel puer esse velit Ecclesiæ, vt quod ignorat, discat; nec quod obicit ipse sibi τίκτων ἄν, φράττε ὦ τεκτονικά. Non etiam articulum descensus CHRISTI ad inferos, æquè Catholicum vt reliquos, dubium reddat, vnius, quem pluris æquo facit, auctoritas Ruffini [g], negantis eum vel in Orientis Ecclesiis, vel in Romana fuisse; contrarium plus viginti Ruffino antiquiorum, ne dicam meliorum testimonio Patrum potest euinci, quos citat Feuardentius [h], lege quoque Bellarminum [i]. Quanquàm cùm subiungit, *vis tamen verbi eadem videtur esse in eo quod sepultus dicitur*, videtur mihi velle dicere, quia sepultus creditur, fieri, vt ad inferna quoque sit credendus descendisse, quia quisquis moritur, illuc descendebat secundùm animam. Profectò si CHRISTI anima non est relicta in inferno, id est, non interiit, quia, vt Caluinus ait, CHRISTVS diuinitate suffultus erat, ceterorum animas oportet extingui & esse mortales; quod est ἄθεον.

b Serm. 74. de Mart. 32. c epist. 99. & 57. q. 1. d in Psa. 15. & 16. c. 13. Oiex. e 3 ad Thras.

C

f lib. 4. obseruationum sacra. cap. 23.

Drusius negat vel reddit dubiū articulū descensus Christi ad inferos.

g in Symbol.

D

h lib. 2. appendicis contra Catechism. i lib. 4. de Christo. c. 6. & 7.

Caluinus ...

Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.] Eadem vis huius sententiæ videtur, & prioris iam expositæ: *Caro mea requiescet in spe*, nisi quòd ratio in hoc redditur sanctitas ipsiusmet carnis.

E Vtitur Paulus in hac eadem historia [k] ad idem propositum illa sententia. Sanctitas in carne erat, præsertim propter diuinam hypostasim, quæ inseparata remansit hinc in illa, hinc in anima, vt cùm quis exemptum gladium manu tenet, vaginam quoque lateri affixam habet, vel etiam in altera manu, & cùm arcus in medio frangitur, chorda vtrique parti adhæret.

k cap. 13. 35.

Diuinitas non fuit separata nec à carne, nec ab anima.

Non dabis.] *Non permittes*: verbum enim Hebræum נתן *nathan*, habet hanc significationem inter alias.

Sanctum tuum.] Τὸν ὅσιον in masculino genere.

A Ratio est, cur non corrupta fuerit CHRISTI caro, quia ipsa totusque ipse Sanctus erat, propter vnionem præsertim hypostaticam, vt Athanasius apud Theodoretum [l] explicat. B. Thomas [m] hinc quoque infert in Tertia Parte nō esse CHRISTI corpus putrefactum redactúmve in cineres; tum præterea, quoniam corruptio dedecebat CHRISTVM mortuum, sicut viuentem morbi, ne pati necessitate quadam naturæ, quàm libera voluntate potiùs videretur, neu quis dubitare etiam leuiter posset de eiusdem aut Deitate, aut Resurrectione, cùm alia ex parte, neque necessaria saluti nostræ, neque vtilis foret, iuxta id Psalmi [n]; *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?*

l libr. 3. Polymorph. m q. 51. a. 3.

Corpus Christi nō fuit corruptum nec redactum in cineres.

n Psal. 29. 10

B vt ibi Hieronymus, & Augustinus declarant. Denique *quorsum corrumperetur suscitandum post triduum corpus?* inquit Origenes [o]: qua de causa nec ossa in cruce [p] confringi permissa sunt.

o 2. con. Celsum. p Ioan. 19. 36.

Vnio, quam dixi, hypostatica, naturalem quodammodò efficiebat incorruptionem, hoc est, quasi debitam: quamuis propriè, ac physicè sola vnio illa non sufficeret, nisi adesset vis diuina efficienter operans, & præseruans, distincta etiam à dote impassibilitatis, consistensque in peculiari prouidentia DEI: vt satis innuit idem S. Thomas [q], & Scholastici in Tertium, Scotus potissimum, & Gabriel, necnon Henricus [r], quem Scotus in alium sensum malè detorquet. In dicto verò à nobis sensu intelligēda est Traditio Patrum,

Vnio nō sufficiebat nisi vis diuina ad id cooperaretur.

q Sup. ad 2. 1 dist. 21. r Quodli. 12. q. 12.

C cuius meminit Damascenus [t], & ille ipse asserit, atque Elias Cretensis [u], corpus CHRISTI fuisse corruptionis expers propter præsentiā VERBI. Lege Suarez in Tertia Parte [x]. Solet CHRISTI caro comparari cum imputribili arcæ ligno. Sic Cyrillus Alexandrinus [y] comparat, & alij.

t lib. 3. de Fide. c. 28. u in orat. 1. Nazianz. x To. 2. q. 51. a. 3. in com. & Tom. 1. q. 14. disp. 32. y de Incarn. c. 10. & lib. 4. in Ioan. c. 21.

Cauendus autem error existimantium, CHRISTVM non assumpsisse corpus passibile, quasi non deceret sanctitatem eius ex VERBI præsentia. De hac re idem Auctor. Argumentum optimum sumitur ex fine Redemptionis per labores, passionem, & mortem, atque ex plurimarum virtutum exemplo, quod nobis ea ratione præbēdum erat.

Christus assumpsit carnē passibilem.

D Dauid verò in Psalmo, quem tractamus, non loquitur de passione, vel morte humani corporis, sed de corruptione iam mortui per putrefactionem, quæ, vt dixi, CHRISTVM dedecuit, & in eo non fuit.

Proprium epithetum CHRISTI est, vt dicatur Sanctus (ita enim in Cantico Angelorum canimus, *Tu solus Sanctus*) & *Sanctus* DEI; quo modo etiam Dæmones ipsum appellarunt apud Marcum [z], & alij, *Filium* DEI [a]: Gabriel Angelus absolutè *Sanctum* [b], vbi tamen aduerbialiter sumi videtur pro Sanctè nimirum concepto. Hac ratione DEVS in Scriptura [c] simpliciter, & sine vlla adiectione vocatur קדוש *cadosch*, id est,

Epithetū Christi proprium est vt sit sanctus.

z c. 1. 24. a c. 3. 11. b Luc. 1. 35.

E *Sanctus*: & hymnus ille Trisagios, quem Triumphalem in suis liturgiis nominant Iacobus, & Basilius, decantatur sine cessatione à beatis Spiritibus [d], qui sunt etiam auditi tempore Theodosij iunioris, vt memorant Græcorum historiæ [e], & à quatuor animalibus Apocalypsis [f], & ex institutione Apostolica in Missa semper vsurpatur: de quo ritu accuratè, ac pereruditè Ioannes Stephanus Durantus [g].

c Esa. 1. 4. c. 11. 1. cap. 37. 23. c. 40. 25. Dan. 4. 10. 20. Abd. v. 17. & de CHRISTO. Habac. 3. 3.

d Esa. 6. 1. e Niceph. lib. 14. c. 46. Cedre. in Theod. Glycas pa. 4. Annal. f c. 4. 8. g li. 2. de Rit. Eccl. c. 31.

Nihil pretiosius, auctore Ambrosio [h], *nos inuenire perspicuum est, quo DEVM prædicare possimus, nisi vt Sanctum appellemus. Tam dulcis, & desiderabilis vox, etiamsi die, noctéque possit dici*, inquit Concilium Vasense sub Leone primo [i], *fastidium*

Sāctus vt Deus dicatur pretiosum est.

h 3. de SPIRIT. sancto. c. 18. i can. 45.

non

non poterit generare.

Sanctos esse debemus, vt Sanctus Deus.
a Leuit. 11. & 19. & 20.
Deus cur sit Sanctus.
b hom. 14. in ep. ad Eph.
c de Arca. sec. cap. 2.
d Pineda in Iob 6. v. 10.

Sed meminisse oportet vt Sancti simus, quoniam Sanctus est Dominus DEVS noster [a]: Quomodo enim potes dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus, inquit Chrysostomus [b], qui ore tuo ad vituperium abuteris? Arias Montanus [c] existimat causam, cur attribuatur DEO hoc epithetum, esse, vt significemus alienum esse à communi aliorum Deorum falsitate, atque separatum [d]. Alij quòd sit ab omni immunditiæ vitio, ac labe purus, incontaminatus, castus, separatus.

e c. 12. de Diuin. nom.
f 2. 2. q. 81. a. 8.

Fauet isti notioni non tantùm quòd sanctitatem Dionysius [e] ita describere videtur, & S. Thomas [f], & Græca vox ἅγιος, id importat, vt quidam volunt, quasi ἀ & τῆς γῆς; sed præterea quòd DEVS ipse seipsum inde commendat, cùm quid mandat & præcipit maximè Sacerdotibus, spectans ad eius cultum, & quandam quasi sanctitatem [g]. Magis id expressit Moses illis verbis [h]: DEVS iustus, & absque vlla iniquitate, peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus.

g in Leu. sæpe, & Esa. 65. 5. & alibi.
h Deut. 32. 4.

Christo vt Deo & homini conuenit esse sanctum.
i cap. 3. 3.

CHRISTO quidem vt DEO præcipuè conuenit Sanctum esse, attamen etiam vt homini (sic absolutè vocatur ab Habacuc [i]) propter inhabitantem SPIRITVM sanctum in eo, & operantem ipsam eius cóceptionem, & omnia deinceps opera ipsius.

Christiani cur vocentur sancti.

Christiani, quia DEO, & CHRISTO sacrati in Baptismo, & gratia abluti, & sanctificati, & ad sanctam vitam, moresque vocati, Sancti sæpiùs appellantur à Paulo in epistolis, & hac ipsa historia à Luca [k].

k cap. 9. 13. 32. 41. & 26. 10. 13.
Videre de omni sensu dicitur.
l vers. 56.
m vers. 51.
n vers. 49.
o Mat. 16. 28. Mar. 9. 1. Luc. 9. 27.

Videre.] Per experimentum sensus pati. Scitum enim est, sensum visus de omni alio sensu dici. Eadem phrasis est Lucæ 2. [l] Ioannis 8. [m] Psalmo 88. [n] Haud absimili modo Scriptura [o] dicit gustare mortem, quod Græcis magis familiare videtur, apud quos magis dicitur experiri, γεύεσθαι, quàm ὁρᾷν, seu videre, itáque libentiùs loquuntur Scriptores Ecclesiastici. Videre bona dicunt Hebræi, pro frui, vt in Psalmo [p]: Quis ostendet nobis bona? Heb. מי יראהנו טוב mi iarehenu tob, id est, Quis videre nos faciet bonum? &c. [q] Lætati sumus pro annis, quibus vidimus mala. Apud Ieremiam [r], Non videbit, cùm venerit, & non timebit (pro quo Hebræa vox, לא יראה lo ireeh, id est, non videbit) cùm venerit æstus. Et Thren. 3. [s] Ego vir videns paupertatem meam, id est, expertus. Non displicebit fortassis alicui, si mortis experientiam visus gustúsque sensu ideò dicamus describi, quòd mors inter alia epitheta, dici horrida, & amara solet, quodque cùm hi præsertim sensus deficiunt, mors imminet.

p Psa. 4. 7.
q Psa. 89. 15.
r cap. 17. 6.
s vers. 1.

Christi corpus vidit foueam, sed non corruptionem.

Corruptionem.] Id nó Græca modò vox διαφθορὰ, sed Hebræa quoque שחת schachath, significat, & Chal. שחיתא schaiutha. Qui autem foueam vertunt, pugnant cum euentu, siquidem CHRISTVS foueam vidit, siue sepulcrum, hæsitque triduum in eo. Non ignoro tamen dictam vocé Hebræam posse significare foueá, & sepulcrú: sed, vt dixi, non quadrat ea significatio huic loco. Legimus in Iob [t], Eruens animã eius à corruptione, vbi est שחת schachath, & θάνατος, quia mors sibi significatur subita, in quam quis ceu in foueam, paratis incidit insidiis. Et quia solet quod fouea vel sepulcro continetur corrumpi, propterea שחת schachath, pro ipsamet corruptione ponitur, & puteus interitus [u], באר שחת bear schachath, puteus foueæ, Græcè φρέαρ διαφθορᾶς. Vidit ergo CHRISTVS foueam, quia sepultus est, sed non corruptionem, quoniam non diu iacuit in ea.

t cap. 33. 18.
u Psa. 54. 24.

A

Christus sicut granum mortificatum, sed non corruptum.
x Ioan. 12. 24. 25.

Quo pacto, inquies, suam CHRISTVS mortem comparat cum grano frumenti terræ mandato, ibique mortuo [x] nec enim moritur, nisi per putrefactionem, & caloris vi resolutum, ac in aliam veluti substantiam conuersum. Respondeo, in eo sita comparatio est, vt sicut granum quando dicta ratione corrumpitur, tunc germinat, ac ferre fructum incipit, ita cœperit CHRISTVS redemptionis in omnes proferre fructum per passionem tanquàm granum mortificatum in infidelitate Iudæorum, vt loquitur Augustinus [y], multiplicatum in fide omnium populorum.

y Tract. 51. in Ioan.

B

Versus 28.] NOTAS mihi fecisti vias vitæ: replebis me iucunditate cum facie tua.

DE Resurrectione loquitur, & glorificatione corporis, & vita immortali, ad quam ante CHRISTVM nemo resurrexerat, nemo nouerat, hoc est, expertus fuerat.

Futurum pro præterito, & vicissim, Hebræis est frequens.

Notas mihi fecisti.] Hebraicè legitur, הודיעני thodiheni, id est, notas facies, & Chaldaicè, תהדע לי thehodahh li, docere me facies, in futuro, quod tamen futurum non rarò pro præterito pónitur, ac vice versa. Syrus tamen interpres habet sicut nos in præterito, גלית לי gelaeth li, Manifestasti mihi. Et quamuis aliquid in futurum prædicatur, pronunciatur tanquàm iam præteritum, propter prædictionis certitudinem.

C

Vias.] Hebraicè & Chaldaicè, siue Syriacè, viam, aut, semitam, in singulari.

Resurrectio est via ad vitã perfectam.

Resurrectio, & glorificatio corporis via est, qua progredimur ad vitam perfectam æternam, & beatam: via est tum animæ, tum corpori ad vitam immortalem ac impassibilem. Fortasse etiam viæ istæ, aut via indicat scandentem CHRISTVM in cœlum, quod vocatur Terra viuentium, & locus vitæ: superioribus enim satis indicata videbatur Resurrectio, atque immortalitas.

Via vitæ ante Christũ ignota.
z Serm. 74. de Martyri.

D

Ambrosius [z] ait, ignotam ante CHRISTVM viã vitæ, quod nullius adhuc resurgentis, nempe ad immortalitatem, fuerat temerata vestigio, post quam resurrexit, solo attritam esse plurimorum, qui scilicet, surrexerunt, & introierunt in sanctam ciuitatem [a]. Vbi indicat istos ad immortalitatem resurrexisse, siquidem alij ante istos, & CHRISTVM ipsum, resurrexerant, & à CHRISTO suscitati etiam fuerant.

a Mat. 27. 52. 53.

Sed & notas fecisse vias vitæ, cùm nos docuit fidem, misericordiam, iustitiam, castitatem, quoniam his peruenitur itineribus ad salutem. Eundem sensum Bernardus [b] sequitur, loquens de CHRISTO, & Petro, & Paulo. Allusio potest videri ad lignum vitæ, quod fuit Crux, per quam vita reparata est immortalis.

b Ser. 1. in festo SS. Apost. Petri, & Pauli.

E

Replebis me iucunditate cum facie tua.] Hieronymus vertit: Ostendes mihi plenitudinem lætitiarum ante vultum tuum, שבע שמחות את פניך schobahh schemachoth eth panecha, Chald. plenitudo lætitiarum ante faciem tuam, Hebraicè id est, saturitas lætitiarum cum faciebus tuis. Iucunditatem istam Glossa interlin. refert ad Ascensionem, Lyranus ad Resurrectionem, Caietanus ad visionem beatificam diuini vultus, cum dotibus corporis gloriosi. Nam quamuis ab instanti conceptionis CHRISTVS fuerit comprehensor quantùm ad superiorem animæ partem relatam ad VERBVM: tamen, inquit Carthusianus, quantùm ad inferiores animæ vires, immò & quantùm ad superiores comparatas ad ani-

Christus fuit viator & comprehensor.

ma

me essentiam, & quantùm ad carnem passibilem, fuit viator.

Cum, pro coram sumitur.

Cum facie.] Ex Hieronymo, & Hebræo, & Chaldæo *ante*, seu *corã*, vel *apud*, vel *præsente me faciei tuæ*, vel *per faciem tuam*. Significationis, *cum*, pro *ante*, seu *coram*, exemplum est in Deuteronomio [a]: *Perfectus eris, & absque macula cum Domino* DEO *tuo*: & in libro Genesis [b], cùm sermo est de Henoch, *Ambulauit cum* DEO: & in Historia Reg. [c] cùm de Salomone à mulieribus seducto agit: *Nec erat cor eius perfectum cum Domino* DEO *suo, sicut cor Dauid patris eius.* Actorum 14. [d] *Morati sunt tempus non modicum cum Discipulis*, id est, *per Discipulos*. In 2. Regum [e]: *Et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo*, id est, *apud ancillas*.

a cap. 18. 13.
b cap. 5. 22.
c 3. Reg. 11. 4.
d vers. 27.
e cap. 6. 22.

Facies Dei quid significet.

Facie.] DEO tribuitur facies eo modo, quo membra alia: & quia ex facie homo dignoscitur, significat visio faciei diuinæ, essentiæ DEI claram visionem. Eandem vim habet faciei significatio, pro conspectu, & præsentia [f], aut pro persona [g]. Ad rem quoque facere potest faciei significatio pro fauore [h]: sensus enim erit, iucunditatem omnem, aliáque beneficia proficisci ex fauore DEI. Nam CHRISTVS nunquàm non vidit faciem, hoc est, essentiam DEI. Quòd si & hanc velis hìc significari, sensus erit, replendum fuisse iucunditate in corpore per Resurrectionem, & Ascensionem, *cum facie* DEI, id est, vltra visionem essentiæ ipsius, qua caruit nunquàm.

f 2. Cor. 8. 24. Gal. 1. 22. c. 2. 11. Psal. 30. 21.
g Gen. 43. 5. Exo. 14. 14.
h Prou. 29. 26.

Versus 29.] **Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus est: & sepulcrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.**

VIRI *fratres*.] Vtitur Petrus nouo procemio, vt beneuolentiores reddat, quos superiùs tũ Iudæos, tum Israëlitas nominauerat. Vox fratrum, de qua egimus [i], arguit non egisse cum Gentilibus, videtur enim eam non ita generaliter accepisse, vt omnes homines comprehendat, sed vt gente, legéque coniunctos.

i cap. 1. ver. 16.

Liceat audenter dicere.] Ἐξὸν εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας. Syrus sic vertit, ספס למאמר עין בגלא *suppes lemimar hin bagla*, id est, *permutiur dicere cum manifestatione*, seu *manifestè*, vel *licet palàm dicere*: & potest sensus esse, *cum liceat*, &c. prout variæ particulæ suppleri possunt. Nostra versio maiorem modestiam præ se fert, quasi potestatem sibi fieri petat liberè, & confidenter loquendi. Innuit quoque Petrus rem sibi esse cum studiosis veritatis; qua ratione magis conciliat eos sibi. Disciplinæ porrò vigor quo pacto cum permixtione mansuetudinis debeat seruari, docet egregiè Gregorius [k]: ité qua ratione quærere propriam laudem Concionator minimè debeat [l].

k 11. Mor. c. 5. & lib. 23. c. 10.
l 22. Mor. c. 12. & lib. 26. c. 25.

De Patriarcha Dauid.] Hæc est causa petitæ veniæ, quoniam de tanto támque celebri viro humiliter quodámodò locuturus erat, eique CHRISTVM prælaturus. Magnum præiudicium facit veritati præiudicata sententia, præoccupatus erga vel doctrinam, vel personam animus.

Patriarcha quid significet.
Patriarcha nomen in veteri & nouo Testamento reperitur.

Patriarcha.] Significat hæc vox cognationis principem, vt his ipsis verbis 1. Paralipomenon [m], vbi de multis familiis est sermo, eodémque sensu videtur sumi apud Tobiam [n]. Hoc ipso libro Actorum [o] duodecim filij Iacob nominantur Patriarchæ, hoc est, capita duodecim tribuum: & in epistola ad Hebræos [p] tribuitur idem nomen Abrahæ: nec vspiàm alibi inuenitur in Scriptura.

m cap. 8. 28.
n cap. 6. 20.
o cap. 7. 8. 9.
p c. 7. 4.

In libro Paralipomenō vox Hebrea non vna est, sed dicuntur, ראשי אבות *Rasche aboth*, id est, *capita patrum*, Græcè, ἄρχοντες πατριῶν, *principes patriarum*, seu *familiarum*, seu *cognationum*: in libro Tobiæ sola versio Hieronymi habet id nomen. In nouo Testamento Græca vox & Latinitate donata extat, Syriaca verò est duplex, sicut illa Hebræa, ריש אבהתא *risch abachatha*, significās *caput cognationum*. Ecclesia in Litaniis vnum ex Ordinibus Sanctorum Patriarchas ponit.

Basilius quid per Patriarchas intelligat.
q Sermon. de Ascens.

Basilius [q] numerans etiam ordines Sanctorum, vnum hunc distinguit, & quidem vt diuersum quoque à Patribus, per quos Patres intelligit, opinor, primos illos generis humani satores, satósq; ab his & genitos, vt Adam, Abel, Henoch, Noë, quos videlicet idem [r] alio loco vocat cœtus primogenitorum. B. Virgo, & Ioannis pater in Canticis suis [s] nomine Patrum intellexisse videntur, quos vocamus Maiores nostros, hoc est, præcessores, quique in lege scripta extiterant, quique ante illam. Ita loquitur Paulus [t], cùm inter Iudæorum priuilegia id ponit, *quorum Patres*, inquit, Græcè additur, *&*, ante proximè sequentia, *ex quibus est* CHRISTVS, vt omittam plurima alia testimonia vtriusque Testamenti.

r in breuiore admonit.
s Luc. 1. 55. 72.
t Rom. 9. 5.

Patres Mosi antiquiores intelliguntur.

Aliquando tamen opponuntur Patres Mosi, & iis, qui sub lege scripta fuerunt, vt apud Ioannē [u]: *Propterea Moyses* [x] *dedit vobis Circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus* [y].

u c. 7. 22.
x Leuit. 12. 3.
y Gen. 17. 10.
z lib. 2.

Apud Ægyptios, teste Herodoto [z], qui principem in sacris tenebat locum non Patriarcha nominabatur, vt quidam voluit, sed ἀρχιερεύς. Nomen Patriarchæ extat quidem in epistola Adriani Imperatoris ad Seruianum cōsulem apud Vopiscum [a]. Sed non Ægyptium proprium sacerdotem esse indicat, sicut ait de CHRISTI Episcopis, & presbyteris, de Iudæorum archisynagogo, &c. verùm de foris venientem.

a in Saturnino.

Patriarchæ nomen in Ecclesia vsitatum.

In Ecclesia similis est vsus eiusdem vocis, indéque dictæ sunt sedes Patriarchales amplæ, & in multas inferiores Ecclesias latè patentis auctoritatis, de quibus aliàs. Lege interim Baronium [b], & Bellarminum [c]. Sed caue diligenter, quæ Lexici vtriusque iuris auctor perperam docet de prorsus pari auctoritate illorum; & quòd Iustiniano quoque tribuere videtur Imperatori Patriarchalis dignitatis institutionem Constantinopoli; & quòd omittit Antiochenum patriarchatum; & quòd Gratianū tractat, vt perfidiosissimum, præferens ei malæ falsæque fidei Hottomanum. Consarcinator quoque Græci Thesauri falsò titulum hunc in ambitionem prædatoriam reiicit. Verùm, vt dixi, alio posteà de hac re loco pluribus.

b Tom. 2. Annal.
c lib. 1. de Pōtifice. c. 24.
Error Lexici vtriusque iuris, & Auctoris Thesauri Græci.

Quoniam defunctus est, & sepultus est: & sepulcrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.] Prudenter sanè, & argutè Petrus ratiocinatur de CHRISTO, non de Dauid, citatum Psalmum intelligi oportere, quod etiam facit eodem hoc libro [d] Paulus exprimens ipsam corruptionem Dauid.

d c. 13. 36.

Dauid fuitne vnus ex iis qui cum Christo surrexerunt.

Argumentum necessariū est, & concludens de Dauid non intelligi, quòd non viderit corruptionem, non tamen quòd fuerit vnus ex iis, qui cum CHRISTO resurrexerunt [e], vel quòd non fuerit. Augustinus [f] docens hos ipsos non resurrexisse ad immortalitatem, inde probat, *quoniam Petrus non conuinceret, si corpus Dauid iam non erat in sepulcro, & quia quamuis ante in recenti sua morte resurrexisset, nec caro eius vidisset corruptionem, posset nihilominus illud*

e Matt. 27. 52.
f ep. 99.

monu

monumentum manere: durum autem videtur, vt Dauid non fuerit in illa Resurrectione iustorũ, si eis iam vita æterna donata est, cuius CHRISTVS *ex semine tam crebro, & tanta euidentia, tantáque honorificentia commendatur.*

Extraordinaria priuilegia nō conceduntur propter sanctitatē, sed propter Dei beneplacitum.

Sed quid opus est, vt Dauid vnus fuerit resurgentium? Non enim conceduntur extraordinaria priuilegia, quæ per se non faciunt ad maiorē sanctitatem, propter maiorem præcedentem sanctitatem, vel merita, sed iuxta beneplacitum diuinæ voluntatis, & speciales aliquas rationes, vt in proposito, his qui singulari virginitatis castitatísque dono floruerant, vel qui diutiùs in Limbo morati fuerant, vel è contrario, qui nuper obierant, ideóque poterãt esse testes magis noti, quod vltimum placet Epiphanio [a]. Indeque etiam verisimile fit de fœmineo sexu, qui minùs testificando idoneus est, nullam tunc resurrexisse: & prætereà si ad immortalitatem resurrexerunt, quia non decebat fœminã aliam primogenitã esse ex mortuis ante DEIPARAM, sicut fuit CHRISTVS inter viros.

Qui maximè cū Christo surrexerunt.

a in Ancorato.

Nulla fœmina cū Christo surrexit.

Dauidem resurrexisse cum Christo probabile est.

Deinde non potest ex verbis Petri colligi fuisse, cùm concionaretur, in sepulcro corpus Dauid, & qui contrariam sententiam tuentur de Resurrectione prædictorum ad immortalitatem, ex his ipsis verbis argumentantur, quia non corpus nominauit, sed sepulcrum, quasi hoc mansisse significet, non illud. Quod itē eodem modo ponderat Hieronymus, aut Sophronius, aut quicumque sit alius auctor sermonis de Assumptione B. Virginis apud Hieronymũ [b]. Deniq; mihi videtur Petrus solùm intellexisse Dauid corruptionē vidisse, quod ex sepulcro quidem solo non sequitur, sed tamen posito tã longo spatio tēporis, sepulcrum, in quod mortuus conditus fuerat, rē omninò certã reddit. Pineda [c] sine præiudicio contrariæ sententiæ probabilē ducit affirmantem, resurrexisse, & quidem ad vitã immortalem inter eos, de quibus Matthæus meminit [d], non Iob duntaxat, de quo ipse disputat, verùm etiam Adam, Noe, Isaac, Iacob, Mosem, Dauid, Ionam, Danielem, Ananiam, Azariam, Misaëlem. Non ausim de vllo particulatim definire, & Romę in Diaconia S. Adriani trium puerorum reliquiæ, teste quoque marmorea inscriptione, asseruantur, ac earum fertur pars Venetiis esse, Vercellis crus Danielis [e]. Fit quoque mentio translationis de Babylone Alexandriam in Actis Ioannis & Cyri.

b Tom. 9.

c in c. 19. Iob. à num. 19.

d c. 27. 52.
Qui resurrexerint ſ emeam quæſtionem.

e Baron. in Notis Marty.

Iam superiùs dixi, quicumque illi fuerint, qui resurrexerunt, indicasse Ambrosium ad immortalitatem resurrexisse. Et inter alias ratio hæc suadet, quoniã non decuit beatis iam animabus corpora corruptibilia iungi, ac veluti mortua viuis, vt corporibus corpora crudelis iungebat Mezentius, teste Virgilio [f], vt tabo, saniéque mortuorum viua corrumperentur.

Qui surrexerūt cum Christo, ad vitam æternam surrexerunt.

f lib. 8. Æne.

Sepulcrum eius.] Historia Regum [g] sepulcrũ hoc in ciuitate Dauid constituit. Fuit percelebre ob augustiora ædificia circa illud, & recōditos in eo thesauros, quos partim Ioannes Hircanus exhausit, dũ obsideretur ab Antiocho Pio, auferens tria millia auri talenta, hoc est, duos ferè milliones, vt vocant, vt totius populi vexationem redimeret; partim Herodes, magnam vim reperiens mundi pretiosi, & aureorum ornamentorum; nisi quòd, vbi peruenisset ad cōditoria Dauid, & Salomonis (ab hoc etiam denominatum est sepulcrũ) erumpente ex adytis flamma, duo milites sepulcri scrutatores consumpti sunt. Herodes verò, vt se expiaret, monumentum è candido marmore maxima impensa condidit. Auctor Iosephus [h].

Sepulcrum Dauid vbi fuit, & qui illud deprædati.
In sepulcro Dauid quæ monstra fuerint.
g 3. Reg. 2. 10.

h li. 7. Antiq. c. vlt. & li. 16. c. 11.
Quādo fuit desolatum.

Integrum perdurauit vsque ad vltimam cladem Iudæorum per Adrianum Imperatorem, quam cladem paulò antè, vt prodigium, præcessit ruina spontanea sepulcri, vt scribit Dio Cassius [i]. Non omni tamen ex parte, cùm scribat Hieronymus [k] se ad Dauid Mausolæũ precari solitum: quamuis indicare videatur id extra vrbem fuisse, fortasse quia post tot vastationes, & reædificationes extra vrbem relictum est.

i in Adriano.
k epiſto. 17. ad Marcellam.

Versus 30.] **Propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi DEVS de fructu lumbi eius sedere super sedem eius.**

PROPHETA *igitur cùm esset.*] Hæc alia laus Dauid facit ad conciliandos auditores, & ad augendam vim argumenti. Potest hinc suaderi eorum opinio, qui Psalmorum librũ inter eas Scripturæ partes reponunt, quæ sunt Prophetales: quam opinionem contra Hebręos, qui existimant ponendum inter historiales, teste Hieronymo in prologo galeato, tenent Cassiodorus, Rupertus, S. Thomas, & alij: de quã re disserit Ioannes Driedo [l], & Georgius Ederus [m]: & fauet Augustinus [n].

An liber Psalmorum censendus sit inter Propheticales.

l li. 1. de Cata. Scri. c. 4.
m in œcono. Bibl. à tab. 21. tum in 25.
n 2. de doct. Christ. c. 8.

Certum est, plurimas prædictiones in Psalmis esse: tametsi etiam non pauci etiam continent historias. Fauent prætereà dictæ sententiæ Patres, qui omnia, quæ in Psalmis habentur, ad CHRISTVM retulerunt, Tertullianus contra Praxeam [o], Hilarius, Hieronymus, Theodoretus in Procœmio Psalmorum, & Rupertus, idemque innuit Dionysius [p].

o c. 1.

p c. 3. Eccles. hierar.

Apud Lucam [q] distincti numerantur Psalmi à Mose & Prophetis. Sed ibi sequitur consuetudinem Hebræorũ, quorum est, vt dixi, illa Scripturæ diuisio in Legē, Prophetas, & Hagiographos, ita vt in istis sint Iob, Psalmi, Salomonis opera, libri Paralipomenon, Esdras, Esther, vt in prologo galeato Hieronymus tradit. Aliquando tamen totum Testamentum vetus in legem, ac Prophetas distinguitur sub nomine Prophetarum, Psalmis comprehensis, vt apud Matthæum [r].

q Luc. vlt. 44.

Diuisio sacrorū librorum secundum Hebræos.

r c. 5. 17. c. 7. 12. c. 22. 40.

Quia iureiurando iurasset [s] *illi* DEVS.] Iurat DEVS, vt nos certiores faciat de consilij, ac voluntatis suæ immobilitate: vt perspicuè colligitur ex doctrina Pauli in epistola ad Hebræos [t]: *In quo abundantiùs* (inquit inter alia) *volens* DEVS *ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum,* &c. Nam, vt Philo [u] argumentis occurrens, quibus videri posset non decere DEVM iurare, bene docet: *Coarguit hac ratione Scriptura infirmitatem nostram, conuictámque consolatur. Ostendit etiam* DEVM *sibi ipsi testificari, quia soli sibi est notus, sibi est, quicquid in pretio est, sibi cognatus, familiaris, amicus, virtus, felicitas, principium, finis, totum; ipse iudex, sententia, consilium, lex, actio, principatus.*

Cur & quomodo Deus iurat.
s Gen. 22. Ps. 131. 11.
t c. 6. 13 & sequen.

u li. de Abel, & Cain, & li. 2. de Allegor. legis.

Deus sibi ipsi testificatur.

Addit Philo prætereà, quòd nemo potest bene iurare per DEVM, sed impium esse, qui id faciat: quia nemo potest naturam DEI cognoscere: bene autem agi, si quis per nomen & verbum DEI, quo interpretante DEVS innotuit, iuret.

Hæc vltima sententia radix est Arrianismi, cui valdè fauet schola Platonicorum, de qua erat Philo. Distinguebant enim Platonici tres diuinas naturas perfectione inter se differentes, summam, quæ dicebatur etiam ab ipsis *ipsum ens,*

Platonicorum de tribus diuinis naturis opinio.

ac *Bonum*, *Mentem*, seu *Verbum* D E I, & *Animam Mundi*.

Iurare per Deũ, & per Dei nomen idem. Illud quoque falsum est, aliud esse iurare per D E V M, aliud per nomen D E I, siquidem pro DEO DEI nomen sæpissimè ponitur; quemadmodum & *sperare in nomine* D E I, vel *credere in nomen* DEI, &c. Immò & DEVS ipse nonnunquàm iurare dicitur in nomine suo, vt apud Ieremiam [a]: *Ecce ego iuraui*, inquit, *in nomine meo magno*, &c. Eandem causam vsurpati à D E O iuramenti tradunt alij, vt Hieronymus [b], & Damascenus [c], & Basilius [d].

a c.44.26.

b lib.5. in Esaiã, non longè ab initio.
c 1. de Fide. c. 14.
d in Ps.14.

Denique filius Israëlitidis blasphemauit nomen DEI, & maledixit ei [e], hoc est DEO. *Manifestum est enim*, inquit Augustinus [f], *nomen* DEI *esse intelligendum, cui maledixit, quod Hebræi fuisse tetragrammaton illud, & ineffabile.*

e Leuit.24.11.
f in locutionibus.

Cur Deus execratorio iuramento non sit vsus. Sunt qui notent, nuspiàm in Scriptura extare expressum iuramentum DEI execratorium, cuius rei non est ratio, quòd non habeat D E V S maiorem se: nec enim requirit tale iuramentum superiorem, sicque nullo etiam alio modo DEVS iuraret, sed quoniam impossibile est execrationem in DEVM cadere, verbi gratia, non sim D E V S, aut non habear fidelis, & verax, &c. Legendi de hac re Titelmanus [g], Forerius [h], Iansenius [i], Ribera [k], Pineda [l], Adam [m], Pererius [n]. Nonnunquàm, teste Basilio [o], iuramentum ponitur in Scriptura pro simplici, sed firmissimo promisso.

g in Psal. 94.
h in c.5. Esa.
i c.61. cõcord. Euang.
k Amos 8. n. 20.
l in Iob. c. 1, 11.
m in c. 1. ep. ad Hebr.
Iurare licet, sed cautè.
n in c.22. Gene. disſ.12.
o hom. in Ps. 14.

Iureiurando iurasset.] Grauissimè, sanctissimè, firmissimè. Vim enim habet geminatio illa. Exemplo D E I aliquando iurare licet, quamuis maxima cautione, propter periculum erroris, vt ait Augustinus [p].

p Serm.28. de verb. Apostol.

De fructu lumbi eius sedere super sedem eius.] Habetur hoc iuramentum in Psalmo 131. [q] necnon simile in Psalmo 88. [r] & sine iuramento talis promissio 2.Reg.7. [s] & 1.Paral.17. [t] vbi qui dicitur hic *fructus lumbi*, vocatur *fructus ventris*: quod etiã nomen hoc loco ponit Syrus interpres; sic dicẽs, דמן פארא דכרסך *demen pire decarsach*, id est, *de fructibus ventris tui*. Vtraque pars vicina, & subministratrix materiæ prolificæ.

Fructus ventris sunt liberi.
q vers 11.
r vers. 4.35.
s vers. 12. & seq.
t v. 11. & seq.

Fructus ventris, seu vteri, ac vuluæ, aut lumbi dicuntur omnes liberi tam fœminę, quàm mares, siue sit sermo de filiis mulieris, vt, *Benedictus fructus ventris tui* [u], vbi agitur de B. Virgine; siue de filiis viri, vt præter citatum Psalmum, & alium, in quo, tametsi metaphoricè, ipsemet DEVS ait: *Ex vtero ante luciferum genui te* [x], Gen. etiam 15. [y] *Non erit hic hæres tuus*, Eliezer scilicet, *sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.* Promiscuè pro vtriusve sexus liberis exemplum est apud Michæam [z], & in Threnis [a], & Psalmo 126. [b] Sed integram ex arboribus metaphoram Sapiens expressit [c]: *Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti*, id est, impiorum filij antequàm ad maturitatem perueniant, morientur. Vtitur quoque Esaias [d] eadem metaphora radicis, virgæ, ac floris, & Paulus [e] radicis, atque ramorum.

u Luc.1.42.
x Ps.109.3.
y vers.4.
z c.6.7.
a c.2.20.
b vers.3.
c Sap.4.5.
d c.11.1.
e c.11. epist. ad Rom.11.17.

Notat Caietanus in aliquibus codicibus Græcis ante *sedere*, &c. haberi ista verba, *quantùm ad carnem suscitaturum* CHRISTVM, verùm adiectitia esse. Nostri tamen codices omnes ea habent, quamuis desint in interpretatione Syriaca. Beda quoque lectionem illam Græcam obseruauit: *De fructu ventris eius suscitare* CHRISTVM, *& sedere super sedem eius.* Notat Hieronymus [*], honestè viri, mulierisque, genitalia immutatis appellata esse nominibus lumborum, aut femoris, & vmbilici.

* epi. ad Eusto.c.5.

A

Nomẽ ventris ὀσφύος, in præsentis loci editione Græca (cui Syriacum eiusdem significationis respondet כרסה *cherasa*) magis congruit citato testimonio ex Psalmo (*de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*) & intelligi potest tum de ventre M A R I Æ descendentis ex Dauid, tum de C H R I S T O secundùm carnem genito ex eodem ventre.

Reuelatum est Abrahæ de CHRISTO magis expressè [f], quòd esset futurus homo, Dauid, quòd rex [g], Iosepho sponso MARIÆ, quòd D E V S [h]: ipsi M A R I Æ, hæc tria simul, dum ei dictum est, *Ecce* [i] *concipies in vtero, & paries filium: regnabit in domo Iacob: quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius* DEI. *Reuelatio de Christo paulatim processit ad summum.*
f Gen. 22 11.
g Ps.131.sup.
h Matt. 1.20. 21.
i Luc.1.31.32. 35.

B

Porrò sedes Dauid, in qua sedit CHRISTVS, per se spiritualis est, quam Regis illius temporalis sedes adumbrauit, vt ait Bernardus [k], de qua etiam Esaias [l], & Amos [m], nec Iudææ tamen solius contenta finibus, verùm orbem comprehendens totum, & omne tempus. *Sedes Christi spiritualis.*
k ser. 4. sup. Missus est.
l c.9.7.
m c.9.11.

Postremò fructus nomen, quod vsurpauit etiam Elizabeth [n], denotat nobis, & ad vtilitatem nostram paruulum datum, natumque [o]: præterea veram in eo carnem eiusdem substantiæ cum arbore, hoc est, cum matre fuisse, & esse. Hoc sibi vult quoque apud Ieremiam [p] *germen Dauid iustum suscitandum.*
n Luc.1.42.
o Esa.9.6.
p c.23.5.

C

Versus 31.] **Prouidens locutus est de Resurrectione CHRISTI, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.**

PRouidens.] Id est, Præuidens, & prospiciens, quamuis & Latinè prouidens idem est, quod præuidens: sed cauenda æquiuocatio, ne quis intelligat actum prouidentiæ, quæ in hac materia non esset Dauid, sed DEI: Græcè habetur προϊδὼν, quod est, *præcognoscens*, Syriacè adhuc clariùs, וקדם חזא *vekadem chaze*, hoc est, *& antè vidit.*

D

De Resurrectione CHRISTI.] CHRISTVM intelligit, non designatam personã, sed MESSIAM, sicque pedetentim ad ipsammet IESV personam descendit.

Neque derelictus est in inferno.] Quantùm ad animam, vt loquitur citatus Psalmus, & textus Græcus hoc ipso loco, habens ὅτι οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου.

Neque caro eius vidit corruptionem.] *Hoc quidem Resurrectione videtur minus esse*, inquit Chrysostomus, *veruntamen idem est.* Nam licèt à corruptione diu præseruentur, etiam hoc tempore, Sanctorum nonnullorum corpora diuino miraculo, tamen supposito illo alio membro sententiæ Psalmi, *quòd anima non est derelicta in inferno*, qui tunc erat proprius locus ipsius, propterea tota illa sententia locutus Dauid censetur de Resurrectione C H R I S T I, cuius nimirum anima de inferno educta redierit ad suum corpus, præseruatum à corruptione. *Non videre corruptionem idem est quod resurgere.*

E

Non repugnat si dicatur hinc animam CHRISTI intelligi, extra infernum, hinc in sepulcro corpus incorruptum, & tamen Resurrectionem non fuisse, sicut plurimorum Iustorum ex Limbo liberatorum animæ extra ipsum erãt, corpora verò corrupta non resuscitata. Sed prædictio de non

corrum

corrumpendo corpore CHRISTI, quod nulli anteà contigerat, simul cum eductione animæ de Limbo, certum de Resurrectione argumentum facit.

Canon ex quo Prophetas intelligere possumus.

Docet nos Petrus certum Prophetas intelligendi canonem, vt quæ conuenire non possunt ipsis, ad eum, qui Prophetarum, totiusq; Scripturæ scopus est, CHRISTVM referamus, vel ad eius corpus, quod est Ecclesia. Nihil obstat tamen, quo minùs si quid sit quod alteri conueniat, dicatur etiam de CHRISTO, iuxta pleniorem sensum, vt illud [a]: *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium:* & [b], *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Nā primum, quod sine dubio conueniebat literaliter Salomoni, Paulus etiam de CHRISTO intellexit [c]: secundum Matthæus [d] de eodem, quod congruebat populo Hebræo. Caietanus [e] videtur posteriorem canonis negare partem: sed profectò sine causa. Tertium addam exemplum, *Os non comminuetis ex eo*, tum de agno [f], tum de CHRISTO [g] dictum. Quis neget autem vel Ioannis, vel Matthæi canonicum Euangelium, quia sic dicta citant loca, sicut propterea Caietanus [h] non id asserere dubitauit de epistola ad Hebræos? Verùm hæc aliàs, tum de epistola ista, tum an idem Scripturæ locus plures historicos capiat sensus: quæ posterior dubitatio parum ad rem præsentem facit.

a 2.Reg.7.14. b Osee 11.1. c Hebr.1.5. d c.2.15. e præf. in Ps. f Exo.12.46. g Ioan.19.36. h in epist. ad Hebr.

Sensus Scripturæ quando Christo accommodari possit.

Sufficit namq;, vt quod ad literam alteri conuenit gerenti typum CHRISTI, CHRISTO conueniat velut prototypo, per sensum allegoricum, qui sensus efficax est ad probandum, quando de eo constat vel per Scripturam, vel per Patrum, vel Ecclesiæ communem expositionem. Quanquàm, quod attinet ad hîc citatum Psalmum, nemo negat ne vt typo quidem cuiquam conuenire, sed soli CHRISTO. Lege Riberam in Oseam [i], & in præludiis ad omnes Prophetas [k].

i c.11.nu.2. & seq. k præl.1. nu. 11. & seq.

Versus 32.] Hunc IESVM resuscitauit DEVS, cuius omnes nos testes sumus.

HVNC IESVM.] Applicat Prophetiam personæ IESV cum emphasi, *hunc* vocans, id est, adeò notum, adeò à multis despectum, neque CHRISTVM, seu MESSIAM clarè vocat, contentus ea posuisse, ex quibus id illi nullo negotio colligerent.

Christus quomodo Deo in scriptura tribui[tur?]

Resuscitauit DEVS.] Cautè semper incedit, omnia tribuens DEO, neque adhuc aperiens CHRISTVM esse DEVM. Suscitauit DEVS CHRISTVM vt hominem, CHRISTVS seipsum vt DEVS, vt dixi capite præcedenti.

Cuius omnes nos testes sumus.] Dixi etiam capite superiore, hoc de Resurrectione CHRISTI testimonium à CHRISTO ipso cum primis Discipulis commendatum, & ab his diligenter, constanterque vsurpatum. O Petri liberam orationem & professionem de CHRISTO!

Versus 33.] Dextera igitur DEI exaltatus, & promissione SPIRITVS sancti accepta à PATRE, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.

Christus quomodo exaltatus.

DEXTERA *igitur* DEI *exaltatus.*] Exaltatus CHRISTVS per Ascensionē est, quæ DEO efficienti causæ, item vt Resurrectio tribuitur, eâdem ratione. Potest quoque hæc exaltatio complecti eam, quæ fuit à Limbo, & à sepulcro, non tantum quæ à terra ad cœlos, quamuis istam potissimum.

Dextera quid in Scriptura significet.

Dextera.] Manus instrumēta sunt operum, sed præcipuè dextera, tanquàm valētior. Idcirco Scripturæ vsu per dexteram intelligitur potentia, robur, ac virtus, vt in Psalmo [l]: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.* Quò spectat id quod dixi superiùs [m], de collocatione alicuius ad dexteram, vel sinistram alterius, ita vt cùm de re bellica agitur, vel de diuina protectione, semper DEVS constituatur ad dexteram hominis. Quia dextera fortior est, Græcis, Hebræisque, & aliis in vsu fuit, pacis ac amicitiæ in signum sibi dexteram porrigere. Exempla sacra sunt in historia Machabæorum [n], in epistola ad Galatas [o], & in Esaia [p]: profana apud Tacitum [q] agentē de amicis Germanici, qui moribundi illius tacta dextera iurauerunt se mortem vlturos: & Iustinum [r] scribentem de moribundo etiam Dario, qui porrectam dextram fidei pignus Alexandro esse voluit: denique Cicero [f] dexteras fidei testes vocat.

l Ps.117.16. m vers.25.

Dexteram dare signum est amicitiæ.

n li.1.c.13.45. o c.2.9. p c.44.21. q lib.1. r lib.11. f Philip.11.

Promissione SPIRITVS *sancti accepta à* PATRE.] De hac promissione capite præcedenti [t] egimus. Iam verò distinctè ponere videtur personas S.TRINITATIS.

t vers.4.

Patris nomē pro Deo in vetere Testamento rarum.

A PATRE.] Nomen PATRIS in vetere Testamento non reperitur absolutè positum ad significandum DEVM, tametsi dicatur interdum DEVS pater noster [u]: contrà verò nomen DEI in nouo solitariè positum, solet non tamen semper significare primam personam TRINITATIS, hoc est, PATREM. Si quis verba Psalmi [x]: *Pater meus es tu*, de CHRISTO intelligat inuocātē, PATRIS ibi nomen erit personale: ita verò intellexit Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus, Beda, Euthymius. Sic etiam in Ecclesiastico [y]: *Inuocaui Dominum Patrem Domini mei.*

u Esa. 63.16 Malach. 1. 6. Deut.32.6. x Psal.88.27. y c.51.14.

Nomen Patris magis propriè personaliter dicitur, quàm essentialiter in diuinis. Generatio quid sit.

Porrò S. Thomas in prima parte [z] docet, nomen PATRIS in diuinis per prius dici, id est, magis propriè, secundùm quòd sumitur personaliter: nam ratio patris in eo consistit, *vt sit principium generationis eius viuentis, à viuente cognitione prædito, secundum principium vitæ coniunctum, in ratione similitudinis, in eâdem natura, saltem specifica*, vt est apud eundem [a]. Quo fit vt PATER maximè dicatur prima persona sanctæ TRINITATIS, à qua est ducta generationis maximè propria ratio: DEVS verò totáve TRINITAS respectu creaturæ PATRIS nomen nonnisi figuratè habeat, & translatitiè, cùm non sint eiusdem naturæ specificæ. Iob [b] vocat DEVM *pluuiæ patrem*: sed certum est, multò minùs propriè, quàm respectu rei animatæ, & præsertim rationalis conditæ ad imaginem DEI [c], quæ est etiam expressior per gratiam, & gloriam in Iusto, ac Beato.

z q.33.a.3. a q.27.a.2.

Deus non est Pater ratione creaturæ nisi figuratè.

b c.38.28. c Gen 1.26. c. 9.6.

Deus quomodo sit Pater luminum.

Vocatur prætereà DEVS *pater luminum* [d], quod quidam quidem exponunt de tota S.TRINITATE, donisque gratiæ: sed Cyrillus [e] Ierosolymitanus de prima persona, quæ est fons & principium FILII geniti, & SPIRITVS sancti procedentis. DEVS, inquit ille, *multorum quidem abusiuè dictus est Pater, vnus vero & solus natura & veritate vnigeniti Filij Domini nostri* IESV CHRISTI: *non in tempore* PATER *esse incipiens, sed semper vnigeniti* PATER *existens*, &c. *Hac magis, quàm aliis dignitatibus venerandus; & non affectione pater factus, non ex coniunctione, non per ignorantiam, non deficiens, non diminutus, non alteratus: omne enim donum perfectum*, &c. Nec tamen propriè respectu SPIRITVS sancti vocatur PATER: & hoc non dicit Cyrillus. De hac eadē voce PATRIS, vt DEO tribuitur, aliarum respectu creaturarū, plura diximus in Ecclesiastē.

d Iacob. 1. 17. e Catech 7.

A *Effudit hunc.*] SPIRITVM sanctum. Beda ait in Græco esse, *hoc donum*. Id ego non reperio, quamuis ita Syrus vertat, ואשד מוהבתא הדא *vesched mauhabtha hada*, i. *& effudit donum hoc*, & quidam codices Latini sic habeant. Noster interpres respexit ad SPIRITVM sanctum: pronomen verò Græcum τῦτο potest aut demonstratiuè sumptum referri ad τὸ ΠΝΕΥ̃ΜΑ ἅγιον, vel absolutè significare *hoc*, id est, *hanc rem*, siue *hoc donum*.

Christus ostenditur verus Deus dans Spiritum sanctum.

Cùm autem ipsemet IESVS effudisse dicitur, ostenditur auctoritas, & diuinitas ipsius, prout aliquando se missurum promisit, non PATREM tantùm, vel à PATRE duntaxat impetraturum, vt capite præcedente[a] vidimus. *Quomodo ergo* DEVS *non est* CHRISTVS, inquit Augustinus [b], *qui dat* SPIRITVM *sanctum? Imò quantus* DEVS *est, qui dat* DEVM? Lege caput octauum [c], quomodo dicatur nomen doni de SPIRITV sancto. B

a vers. 5.

b 15. de Trini. c. 26.

c vers. 20.

Quem vos videtis, & auditis.] SPIRITVS sanctus non percipitur sensu: sensus tamen effectum eius sensibilem percipiens, in eius ita cognitionem inducitur, vt sentiri videatur. Quare non oportuit, mutata lectione vulgata, dicere, *hoc donum*, pro *hunc* SPIRITVM *sanctum*, etiamsi donum sensu perceptum sit in se, & non ipse SPIRITVS sanctus.

Videtis, & auditis.] Glossa interlinearis primum de mente, secundum exponit de sermone in variis linguis, aut de sono vehementi, qui auditus est, cùm descendit SPIRITVS sanctus. Lyranus visas linguas igneas, quasi nimirũ adhuc residentes putat, fauetque Glossa eadem interlinearis, & Hugo. Simplicior sententia est, vt de solo sermone vtrũque accipiamus, cùm valdè incertum sit, & fortè minimè verum, linguas igneas perdurasse. Et quidem visus pro omni sensu ponitur, & quodammodò posteà restringitur per auditum: vel etiam percipiebant motum, ac gestum variis linguis loquentium. C

Versus 34.] Non enim Dauid ascendit in cœlum: dicit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.

D NON *enim Dauid ascendit in cœlum.*] Pro eo tempore, quo Dauid loquebatur, ac multò etiam pòst, non verò, quo Petrus: iam enim cum CHRISTO ascenderat, aliisque iustis, saltem secundùm animã: de corpore paulò antè dictũ est.

d Matt. 22. 43.

Dixit autẽ ipse.] *In Spiritu*, inquit CHRISTVS[d], id est, cùm SPIRITV DEI plenus esset, qui nec falli, nec fallere, nec mentiri poterat. Huius ergo auctor Psalmi Dauid est, non Melchisedech, vt existimauit Rabbi Abraham: non Eliezer[e] seruus Abraham, aut aliquis ex iis, qui tempore Dauid Psalmos scribebant, vt Rabbi Aben-Ezra. Item Psalmus iste non de Abraham est, vt Iudæi hoc tempore autumant; neque de Dauid, vt Rabbi Dauid, & Rabbi Aben-Ezra: neque de Ezechia, vt Iudæos post CHRISTI tempora sensisse testatur Iustinus, agens cum Tryphone, & Tertullianus [f], sed de CHRISTO; alioqui cùm CHRISTVS ipse de seipso, & vt à Dauide compositum cum Iudæis obiecit [g], Scribæ, & Pharisæi posterioribus Iudæis doctiores, vtrumque reprehendissent. Neque etiam Paulus scribens Hebræis[h] toties inde pro CHRISTO argumentatus esset[i]. Lege Eugubinum in illum Psalmum, & Maldonatum ibidem, & in caput 22. Matthæi. E

Dauid est auctor Psalmi 109.

e Gen. 15.

Hic Psalmus nõ agit de alio quàm de Christo.

f 5. cont. Marcio. c. 9.

g Matt. 22. 43.

h Heb. 1. 13. c. 7. 21. c. 10. 11.

i Matt. 22. 43. & seq.

Iudæo cum Hebræo de hoc Psalmo concertatur.

Cùm nuper in itinere, quod Mediolano intendebam Romam, disputatio mihi cum Iudæo, qui A fortè comes accessit, fuisset; isque præsentẽ Psalmum, quo vrgebatur pro diuinitate Messiæ, quam negabat, contenderet non esse de Messia, neque etiam scriptum à Dauid, sed ab aliquo Dauid famulo, qui posset eum dominum appellare; ego verò præter alia, premerem hunc ipsum, de quo sermo est, *ante luciferum genitum, & sacerdotem secundum ordinem Melchisedech*: contra ille hoc vltimum maximè inficiaretur, iussi codicem proferret, si haberet: extraxit; locum indicatum à me legit, erubuit, vltrà disputare detrectauit: & videbatur sibi tamen non indoctus.

Dixit Dominus Domino meo.] Hoc loco conuicit CHRISTVS ipse aduersarios suos [k], eodemque vsus est Paulus[l]. Potest CHRISTVS etiam vt homo dici Dominus Dauid, quia CHRISTO, vt homini, conuenit dignitas excellentiæ siue capitis, & *data ei est omnis potestas in cœlo, & in terra* [m]. Tamen tam CHRISTVS, quàm Paulus intendisse videntur probare inde diuinitatem, & hic argumentatur, quoniam *nulli vnquàm Angelorum hoc dictum est*, vt notat Didymus [n]: CHRISTVS, quia filius Dauid non diceretur Dominus ipsius, nisi supra tantum regem aliquid in ipso excellentius esset. Certum est quoque, quòd radix atque causa meriti, per quod CHRISTVS acquisiuit excellentiam capitis, fuit gratia vnionis hypostaticæ. Magis probo sententiam Rabani, ac Lyrani, quàm Bedæ, Glossæ interlinearis, & Hugonis, vt, quod modò dicebam, locus hic de CHRISTI Deitate intelligatur; licèt si de Humanitate, consequenter etiam de illa accipi debeat, nempe assumpta, & vnita personę diuinæ, vt iidem Auctores alterius opinionis satis innuunt. Eusebius Cæsariensis[o] ex hoc loco probat diuinitatem CHRISTI.

Christus verus Dominus Dauidis.

k Matt. 22. 43. & seq.

l Heb. 1. 13.

m Matth. vlt. 18.

n li. 2. de SPIRITV sancto.

Caussa qua Christus acquisiuit capitis excellentiam, est vnio hypostatica.

o 1. Hist. c. 3. & lib. 11. Præp. Euan. c. 10. & lib. 4. demõst. Euang. c. 15. & lib. 5. c. 3.

Sede à dextris meis.] Quomodo dicatur CHRISTVS ad dexteram PATRIS sedere, dixi capite præcedenti [p]; si quidem de CHRISTO vt homine sit sermo, idem erit, ac esse beatum, vt Hieronymus[q] exposuit, & Augustinus[r], iuxta id epistolæ ad Ephesios [s]: *Consedere nos fecit in cœlestibus cum* CHRISTO, & Matth. 25. [t] *Oues quidem à dextris*, vel significabit dextera, vt ibi notaui, iudicatiuam ac regiam maiestatem. D

Sedere ad dexterã Patris quid sit.

p vers. 9.

q in cap. 1. ad Ephes.

r lib. de Fide. & Symb. c. 7. & li. de agon. Christ. c. 26.

s c. 2. 6.

t vers. 33.

Qui intelligunt de CHRISTO vt DEO, docent ea sessione designari æqualitatem cum PATRE, vt præter Eusebium citatum (qui tamen Arrianis fauit) Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius in epistolam ad Ephesios, & Heb. c. 1. præterea Athanasius [u], Cyrillus Ierosolymitanus[x], & Alexãdrinus[y], Basilius [z], Damascenus [a], Ambrosius [b], Leo [c]. Ex his tamen ipsis quidam dicunt, & Ruffinus [d] etiam, concessum esse Humanitati sedere ad dexterã, & thronum, & consortium gloriæ PATRIS, idémque docet Augustinus in Psalmum 109. quod verum est, non de Humanitate in se, sed in supposito diuino. Neque enim Humanitas in seipsa sedet ad dexteram PATRIS, sed est illius personæ, quę sedet ad dexteram PATRIS, quemadmodum per Incarnationem non habet humanitas vt sit DEVS, sed vt sit DEI. Honor verò ille, qui erat in humanitate à primo instanti conceptionis, magis innotuit post Ascensionem. E

u Ser. 2. cont. Arrian.

x Catech. 14.

y 12. Thesau. c. 7.

z li. de SPIRITV sanct. c. 6.

a 4. de Fide. c. 2.

b 2. de Fide. c. 4.

Humanitas quomodo ad dexteram Patris sedeat.

c Serm. 1. & 2. de Ascens.

d in Symbo.

Vnde non possunt Vbiquetarij firmum pro se argumentum sumere, vt probent vbique esse Humanitatem CHRISTI, quia vbique est dextera DEI, ad quam Humanitas dicitur collocata. Lege Bellarminũ [e]. Ruthenos accepi hodieq; in descri-

Vbiquetarij refelluntur.

e li. 3. de Christo. c. 15.

bendo

bendo crucem, seseque consignando, desinere in sinistra: quod rudi quadam opinione concipiebant, quia FILIVS esse dicitur in dextera PATRIS, in sinistra statuendum SPIRITVM sanctum. Sed Catechistæ rationem assignant cur in latere finiatur crux dextro, quia beneficio crucis translati sumus à sinistra parte damnationis, ad æternæ salutis dextram. Ceterùm Chrysostomus hoc loco metum incuti Iudæis ait à Petro, vt si IESVS sit dominus Dauid, multò magis illorum. Hoc sequentia verba magis præ se ferunt.

Versus 35.] Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

B DONEC *ponam inimicos tuos.*] Hæc verba, vt dixi, magnum metum Hebræis incutiunt, docentque regni CHRISTI potentiam, firmitatem, perpetuitatem. Et quia postquàm, vt Paulus [a] loquitur proferens hunc ipsum locum, *tradiderit* CHRISTVS *regnum* DEO *&* PATRI, *cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & mortem destruxerit per vniuersalem Resurrectionem*, erit æternum regnum CHRISTI, nec vllum de eo ampliùs dubium: idcirco expressit Psalmus, excludendo id, de quo poterat esse dubium, & periculum.

a 1. Cor. 15. 24. 25. 26.
Christi regnum æternū manet post Resurrectionem omnibus manifestum.

Donec.] Emphasim habet, quasi dicat, regna, etiam antequàm eos substernam tibi, etiam eo tempore quod tuo regno videtur maximè contrarium, etiam quando inimici tui videntur regnare, etiam antequàm eos substernam tibi, etiam inter medias persecutiones, ac turbas Satanæ, & ministrorum eius.

Talis vis huius dictionis est in Psalmo 122 [b]. *Oculi nostri ad Dominum* DEVM *nostrum, donec misereatur nostri*, id est, etiā donec misereatur, & antequàm misereatur, & tempore difficili. Et Matthæi vlt[c]. *Vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, id est, etiam vsque ad seculi consummationem, ante quam consummationem multa contraria possunt euenire. Itaque particula, *donec*, non significat semper præfixum terminum, sed indefinitè ponitur, vt præterea Matthæi 1. [d] *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum*, id est, peperit MARIA à sponso suo Ioseph non cognita: nec tamen sequitur, quòd post partum cognita fuerit.

b vers. 2.
Dictio donec quam vim habeat.
c vers. vlt.
d vers. 25.

Idem iudicium de similibus dictionibus fieri debet, *antequàm, priusquàm*, &c. quæ non semper significant affirmationem post tempus quod notatur, etiamsi negatio præcesserit, nec semper negationem, quamuis præcesserit affirmatio, vt notarunt Hieronymus [e], & Chrysostomus [f], & Gregorius [g], & Ambrosius [h], & Theodoretus [i], & Euthymius [k] citans Nazianzenum, & remittens se ad Commentarium in primum Matthæi, multisque exemplis demonstrant.

Similium vim dictionum similes habent.
e cont. Heluid.
f Matt. 1.
g 18. Moral. c. 32.
h in Inst. virginis c. 5.
i in Psal. 109.
k ibidem.

E Inter quæ, præter iam allata, hæc ad rem faciunt Matthæi 5. [l] *Donec transeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*, vbi non indicatur fore, vt posteà prætereat, & 2. Reg. 6. [m] *Michol, filiæ Saul, non est natus filius vsque in diem mortis suæ*, profectò nec post mortem peperit. 1. Tim. 4. [n] *Dum venio, attende lectioni*, non quia postquàm venerit, negligere debeat. Psalmo 111. [o] *Non commouebitur, donec despiciat inimicos suos*, non tamen despectis inimicis Iusti, tunc Iustus commouebitur. Psalmo 70. [p] *Ne derelinquas me, donec annunciem brachium tuum.* Id est, si me non derelinquas, annunciabo inuictam potentiam tuam. Sic igitur hoc loco, *Sede à dextris meis, donec ponam,*

l vers. 18.
m vers. 26.
n vers. 13.
o vers. 8.
p vers. 18.

A id est, cùm sederis, ponam; præter alium sensum iam allatum.

Scabellum pedum tuorum.] Extremam, turpissimam, coactam, violentam, acerbam, seruilem, ferream subiectionem indicat: infima enim, & abiectissima corporis pars, sunt pedes. Sic iubente Iosue [q] coram toto populo principes exercitus posuerunt pedes super colla quinque regum; cùm ille omnes confirmans ita polliceretur facturum Dominum cunctis hostibus, aduersùm quos dimicarent: sic Adonibesech, vt narrat Iudicum liber [r], iussit reges septuaginta sub mensa colligere ciborum suorum reliquias. Sic alij aliquando Tyranni, subiugatis regibus, vsi leguntur illorum dorso tanquàm suppedaneo scabello, ad equum conscendendum, vt Sapores Persarum rex Valeriano Imperatore [s], & Tāberlanes rex Tartarorum Baiazethe Turcarum Tyranno [t].

Subiectio infima est esse scabellū pedum.
q c. 10. 24. 25.
r c. 1. 7.
Tyranni vsi sunt regibus pro scabello.
s Trebell. in Valer. Aurel. Victor. & Eutrop.
t Hist. Turcica.

Augustinus hanc subiectionem sub pedibus CHRISTI ait esse, *vel adoptatorum, vel victorum, & locum sub illis pedibus esse, aut gratia aut pœna.* Potest hic sensus retineri, cui adhærere videtur Basilius [u], & Prosper [x], qui vtitur iisdem verbis Augustini, & Hieronymus explicans, *Dominare in medio inimicorum tuorum, dignare esse Dominus inimicorum tuorum*: tamen simplicior, & communior videtur de redactis sub violentam, vt initio dixi, seruitutem, fauetque Paulus in epistola prima ad C Corinthios [y]. Tertullianus [z] certè, vt omittam Iansenium, Genebrardum, Eugubinum, & alios recentiores, de malis, quos mali operarios nominat, intellexit: necnon amicis eos opponit, de quibus triumphet [a], & sæpe eandem expositionem innuit [b]. Ignatius quoque epistola ad Trallianos [c], Idacius Clarus contra Varimadum [d].

Quæ sit illa subiectio.
u in Psal. 109.
x ibid.
y c. 15. 25.
z lib. contra Hermo. c. 11.
a lib. de carne Chri. c. 15.
b li. de Resurrect. car. c. 22.
Inimici Christi quinam.
c ep. 5.
d lib. 3.

Theodoretus verò ait, *quòd inimici potissimùm sunt Diabolus, & huius ministri Dæmones, & qui diuinis præconiis resistunt Iudæi, & Græci*, hoc est, Gentiles. Euthymius exprimit *Gentiles, Iudæos, Hæreticos, Dæmones*: dicit tamen, *quòd quidam subiiciuntur inuiti, alij sponte.* Arnobius [e] idem confirmare videtur ex aliis verbis eiusdem Psalmi de dominio in D medio inimicorum, de confractis regibus & capitibus conquassatis.

e in Ps. 109.

Felix Magdalena [f] sub pedibus CHRISTI ex inimica amicissima, *& diligēs multùm* [g]. Infelix Diabolus, de quo Habacuc [h]: *Egredietur Diabolus ante pedes eius*; & Psaltes [i]; *Super aspidē, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Quibus etiam nominibus intelligi possunt alij inimici. Esaias [k] verò prædixit fore, vt *reges essent nutritij* CHRISTI *atque Ecclesiæ, & reginæ nutrices vultu in terram demisso adorantes, & puluerem pedum* CHRISTI *ac Vicarij eius lingentes.*

f Luc. 10. 39. & seq.
Qui pedibus Christi se subiecerunt, vel subiici recusarunt.
g Luc. 7. 47.
h c. 3. 5.
i Ps. 90. 13.
k c. 49. 23.

Denique, quod attinet ad Iudæos, nulla gens vilior, & conculcatior, & magis aliorum subiecta pedibus, atque seruituti.

Iudæorum gente nulla vilior.

Videtur hic antiquus ritus fuisse subiugandi, pedibus ceruicem terere, seu calcare, seu supponere. Vnde Psal. [l] *Omnia subiecisti sub pedibus eius*: & alio in loco [m], *Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.* In Deuteronomio [n] item legimus: *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina.* Rursum in Psalmo [o]: *Cōfringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.* In historia Regum [p] dicitur, *quòd Dauid non potuit ædificare domum Domino, donec daret Dominus hostes sub vestigio pedum eius.* In Iudith [q]: *Dominus conterat eos sub pedibus vestris.* In epistola ad Romanos [r]: DEVS *pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.*

Mos antiquus subiugandi hostes.
l Psal. 8. 7.
m Psal. 46. 3.
n c. 33. 3.
o Psal. 17. 39.
p lib. 3. c. 5. 3.
q c. 14. 5.
r c. vlt. 20.

Quomodo hic locus ab Apostolis variè exponatur.
a c.15.25.

Porrò quòd Petrus hæc verba Psalmi citans, exponit de PATRE subiecturo inimicos FILIO, qui est verborum primarius sensus, Paulus in epistola ad Corinthios prima [a] explicat de FILIO, qui PATRI subiiciat. Communis enim est operatio, & potentia eadem, vt Euthymius monet, & alij ex citatis.

Versus 36.] Certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominũ eum, & CHRISTVM fecit DEVS, hunc IESVM, quem vos crucifixistis.

Christus est verus Messias.

CERTISSIME *sciat ergo.*] Vrget, argumentationemque totam colligit, persuadens non alium expectandum esse MESSIAM temporaliter regnaturum, cùm IESVS ipse ab illis tam dirè tractatus, & crucifixus Dominus, & MESSIAS à DEO constitutus sit.

Certissimè.] Ἀσφαλῶς, tutò ac firmiter, & sine periculo errandi, & absque hæsitatione, quoniam Propheta hæc dixit. Syrus quasi affirmans habet, שריראית *schariraith*, id est, *verè & firmiter.* Propter certitudinem fides ipsa quandoque nominatur scientia, & qui credit, scire dicitur [b].

b Esa. 53. 11. Luc. 1. 77. & alibi.
Omnis pro totus.

Omnis domus.] Πᾶς οἶκος, pro tota, vel quauis domo, id est, singuli de domo, è contrario totum dicitur de omni, & quocumque. Ecclesiastæ vltimo: *Hoc est omnis homo*, id est, totus, & perfectus. Apud Scriptores profanos idem obseruare est, cùm alioqui omne ad numerum, totum ad quantitatem continuam propriè spectet.

Domus Israël.] Quàm variis appellationibus, amicis, & honorificis eos sibi deuincit! *viros Iudæos vocat, viros Israëlitas, viros fratres domum Israël*, tam sæpe in tam breui oratione, tanta cum varietate illos interpellans.

Domus pro familia.
c Ruth 4.11.

Domus.] Nota est huius vocis acceptio pro familia, & integra gente. Hoc modo dicuntur *Rachel, & Lia ædificasse domum Israël* [c], *quia genuerunt* ipsæ vna cum ancillis suis duodecim Patriarchas, tribuum duodecim capita. Idem nomen reperitur alibi passim: præterea nomẽ *domus Iacob* apud Esaiam legitur [d]; qui etiam meminit duarum domorum [e], id est, regni Iuda, & regni Israël, vt exponit Hieronymus [f], ita vt *decem tribus sint domus maior, duæ, minor*, vt loquitur Amos [g].

d c.2.5. & aliàs sæpe.
e c.8.14.
f ibid.
g c.6.11.

Immò & nomen domus absolutè positum reperitur pro Synagoga apud eundem Esaiam [h], iuxta id Matthæi [i], vt notat Ambrosius [k]: *Relinquetur vobis domus vestra deserta*, vbi tamen alij intelligunt vrbem Ierosolymitanam, alij templum, sicut & quod ait DEVS per Ieremiam [l]: *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam.*

h c.32.14.
i c.23.38.
k in Ps.95.
l c.12.7.

Christus & Deus & homo est.

Quia & Dominum eum, & CHRISTVM fecit DEVS, hunc IESVM.] Fecit DEVS, vt ille homo CHRISTVS esset, & DEVS: siue, vt in vnitatem suppositi conueniret humanitas cum eo ipso diuino supposito, à quo sustentatur: semper enim quidẽ persona diuina illius hominis DEVS fuit, at non semper ille homo. Sicque Humanitati illi data est dignitas CHRISTI, seu Messiæ, & dominium, ac potestas: quod nomen IESV satis significat, nomen videlicet impositum homini [m]. Quare nihil hîc habent Arriani, seu veteres, seu noui Transyluani contra Diuinitatem CHRISTI: hic enim secundùm duas naturas bis natus est, ab æterno, & in tempore. *Nec duos dicimus, DEVM seorsum & hominem*, videlicet in IESV, qui factus dicitur homo, *sed cogitatione ac mente consideramus*, inquit Basilius [n], *naturam consideramus; & de eo qui ex MARIA est secũdum carnem, Petrus loquitur.*

Persona diuina semper Deus fuit, sed non ille homo.
m Luc.1.31.
Christus est bis natus.
n 4. cõt. Eunom.

Quomodo Christus dici possit factus Deus.
o 9. Thesaur. 3.

Cyrillus Alexandrinus,[o] tractans quoque præsentem locum, docet CHRISTVM factum Dominum à PATRE ratione Humanitatis, quo modo etiam posset dici factus DEVS, quia id factum est per Incarnationẽ, vt ille homo IESVS sit DEVS, seu vt cum humanitate iungatur diuinitas, & sit eadem vtriusque persona, & vt sit Dominus ille idem qui homo: non per participationem & gratiam, sed per vnionem VERBI, & carnis.

Addit idem Cyrillus, *fecit* positum esse, pro *declarauit*; sicut ad Philip. 2. [p] *Dedit illi nomen quod est super omne nomen*, & Heb. 1. [q] *Tantò melior Angelis effectus*, pro *declaratus*, nimirum post Resurrectionem, & Ascensionem. Verbo faciendi in hac significatione vtitur Paulus [r]; *Nónne stultam*, inquit, *fecit DEVS sapientiam huius mundi?* Nihilominùs verbi faciendi proprietas humanitatis ratione, sicut dictum est, retineri potest, de qua paulò pòst audiemus Ambrosium.

p vers.9.
q vers.4.
r 1. Cor.1.20.

Verba Petri vltima Iudæos transfigunt.

Hunc IESVM, quem vos crucifixistis.] Transfigunt vltima hæc concionis verba auditores emphasi sua singulari, & libertate. *Bene hîc desinit*, inquit Chrysostomus, *concutiens illorum mentem. Quoniam enim ostendit, quantum sit hoc facinus, tunc tandem & ipsum aperuit, vt sic maius ostendatur, & metu illos corripiat. Non enim sic homines beneficiis adducuntur, vt timore castigantur.* Priùs dixerat [s], *Per manus iniquorum interemistis*, & aliis modis peccatum extenuauerat; nunc apertè illis obiicit interfectionem, & modum eius: maius enim peccatum eorum erat, quàm ipsorummet carnificum, & quàm ipsius Pilati, vt CHRISTVS dixit [t], & eum ita intellexit Cyrillus, Chrysostomus, Augustinus, Euthymius, aliique in Ioannem, & Basilius in Regulis Breuiorib.[u]

s vers.23.
Iudæorum peccatum maius, quàm carnificũ.
t Ioan.19.11.
u in Reg. 46.

Concionator D. Petrũ quomodo imitari debeat.

Habet Christianus Concionator quem concionando imitetur, docendi libertatem moderatione atque prudentia sic temperans, vt veritatis aculeos infigat, tamen non offendat: proferat in medium non fabulas, non res à se excogitatas, non fucatam orationem, sed *tanquàm scriba doctus de thesauro sacrarum Scripturarum, noua & vetera* [x] *testimonia*, quibus diuina mysteria confirmet, *populo annunciet scelera eorum* [y]: tandem illud contendat, omnes adducere ad CHRISTVM.

x Mat.13.52.
y Esa.58.1.

Christus qui crucifixus est, factus est.
z de Fide.c.7.

Porrò verbis istis Ambrosius [z] pugnat acriter aduersùs Arrianos, qui superiora illa vanè, vt ipse loquitur, iactare consuêrant. *Imperiti legant*, inquit, *totum, & intelligant, quem vos crucifixistis. Non diuinitas crucifixa, sed caro est. Hoc vtique fieri potuit, quòd potuit crucifigi: non ergo factura est DEI Filius, &c.* Rursus alibi [a]: *Non igitur mirandum est, quia & Dominũ eum, & CHRISTVM fecit DEVS. Fecit ergo IESVM, eum vtique qui ex tempore nomen accepit, &c.* Premit hoc loco Theodoretus [b] eos qui asserebãt humanitatem CHRISTI passam: Faustinus [c] Arrianis respondet abutentibus illo, necnon Gregorius [d] Bæticus: licèt vtriusque mihi eadem scripta videantur.

a de obitu Satyri fratris.
b dialog. Impatib.
c lib. contra Arrian. c.1.
d de Trinit.

Versus 37.] His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?

SEQVITVR pars capitis vltima de fructu percepto ex concione Petri, hoc est, de aliquot millibus Iudæorum aggregatis ad CHRISTVM, déque moribus, & pietate eorundem.

His

His autem auditis.] Fortasse quoque pluribus, quod expresè monet Auctor inferiùs *, neque enim existimandus est, ipse hîc aut in Euangelio, aliique Scriptores sacri, Liuij more, aut Thucydidis, aut aliorum Historicorum conciones componere, sed fideliter recitare, si non verbis ipsissimis, sensu certè eodem, ita vt etiam breuitati, ac veritati studentes, præcipua quæque duntaxat, ac magis necessaria scribenda duxerint. Quod sanè in Historicis, præsertim sacris, studium esse cumprimis deberet, qua laude Metaphrastes caret.

* vers. 40.

Sacri Auctores non fingunt conciones, sed fideliter dicta narrant.

Compuncti sunt corde.] Primus est hic effectus concionis Petri, cuius verba stimuli acuti [a], *& sagittæ potentis acutæ* [b], atque *penetrabiliora* [c] *omni gladio ancipiti, pertingendo vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus*, &c. Petrus ille ipse est, qui, vt ait Chrysostomus, *tanquam magistrum, & patrem erga crucifixores* CHRISTI, *erga irrisores suos, & Discipulorum se exhibet, & suspiciendam reuerentiam excitat.*

a Eccl. 12.11.
b Psa. 119.4.
c Heb. 4.12.

Itaque putat Chrysostomus, necnon Cyrillus Ierosolymitanus [d], *hos fuisse ex crucifixoribus*, id est, qui ad crucem CHRISTVM postulauerant. Carnifices enim fuisse videntur ex satellitibus ethnicis.

Hi fuerunt ex Christi crucifixoribus.
d Catech. 17.

Hîc in Ecclesiaste Christiano requirebat orationem Hieronymus, non quæ plausum excitaret, sed quæ lacrymas eliceret. *Et si prædicatoris*, dicebat, *non pungit sermo, sed oblectat, sapiens non est.* Confossum posteà videbimus hoc stimulo Saulum [e].

Ecclesiastes Christianus qualis esse debeat.

e Actum 9.

Compuncti.] Fortasse allusio est ad crucifixionem, de qua proximè antè, vt *qui pupugerant, puncti sint*, & ad verba Zachariæ [f], per sensum saltem accommodationis; *Aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent.*

f cap. 12.10.

Dolor animi de peccato commisso dicitur compunctio; vel quia aperitur cordis apostema, vel quia quodammodò vulneratur amore diuino cor ipsum; & DEVS, qui ait: *Vulnerasti cor meum*, &c. [g] & Dæmon dolore, atque inuidia sauciatur, quid si etiam compungitur, qui configitur cruci CHRISTI, & dolet peccasse, cùm recogitat CHRISTVM sua causa compunctum, & crucifixum?

Dolor de peccato commisso cur compunctio dicatur.
g Cant. 4.9.

At contrario spiritu ducuntur ij, quibus DEVS dedisse dicitur *spiritum compunctionis* [h], κατανύξεως, secundùm editionem Septuaginta, vel, vt vertit Theodotio, ἐκστάσεως, vel ἐκστάσεως, seu, vt dicit Aquila, καταφορᾶς, quasi deiectionis, id est, vt exponunt Origenes, Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius in epistolâ ad Romanos vel Esaiam, pertinaciam, quasi dicas, spiritum clauis perforatum, & affixum in malo, vt etiam notat Chrysostomus, & Suidas [i]. Tali spiritu agitabatur blasphemus ille, de quo in Leuitico [k], quòd blasphemauit nomen (scilicet DEI) vbi, iuxta vim verbi Hebræi נקב nachab, significatur, quod est quasi perforauit, & lacerauit, malleauit, vt ibi notat Oleaster, contrà verò rectè precabatur Dauid [l]: *Cantet tibi gloria mea, & non compungar*, id est, non me pœniteat, non cessem à tua laude, &c. Vnde non immeritò quarundam gentium municipali iure, blasphemis lingua perforatur.

Compunctio mala.
h Rom. 11.8. Esa. 29.10.

i verbo, κατανύξις.
k cap. 24.10.
Blasphemi sunt qui perforant Dei nomen.

l Psa. 29.13.

Lingua perforatur blasphemis.

Sed reuertendo ad propositum, nunc impleri cœpit, quod CHRISTVS prædixerat [m]: *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Id factum non per eum, quo de dixi, spiritum compunctionis, qui est spiritus malus, nec per spiritum vel zelotypiæ, seu inuidiæ, qua Iudæi posteà pulsabantur aduersùs Gentiles admissos in Ecclesiam, vel peruicaciæ in malo, quasi altè infixo clauo: quem Hieronymus interpretatur spiritum soporis, qui tenax est.

m Ioan. 8.28.

Spiritus compunctionis ...

Est hic proprius Iudæorum aliorum: sed isti, de quibus nunc sermo, conuertuntur ad cor, potantur, & *inebriantur vino compunctionis* [n].

n Psa. 59.5.

Tametsi in Psalmo significare videtur vinum soporiferum, stupore feriens, & in malam partem accipitur.

Spiritualis quædam bona ebrietas est, de qua diximus, qua ebrij modò sunt, qui priùs per conuitium CHRISTI Discipulos ebrios vocauerunt.

Spiritualis quædam est ebrietas.

Qua de re compuncti sint, non exprimitur. Lyranus ait de morte CHRISTI, nempe à se illata: verisimile est, & de præterita obstinatione, atque ingratitudine, aliisque peccatis.

Qua de causa illi sint compuncti.

Mysticè, non literaliter, Prophetia Ioëlis impletur superiùs exposita, de vapore fumi lacrymas excutientis, vt placet Bedæ: Hieronymus enim longè diuersum, & contrarium sensum etiam mysticum agnoscit. Venit in mentem Angelus is, qui concionando lacrymas multitudinis elicuit in libro Iudicum [o]. Siue is Angelus de cælo fuerit, siue homo quispiam, quia Scriptura dicit *ascendisse de Galgalis*, non descendisse de cœlo. Hebræi secundùm potiùs volunt, & Arias Montanus, Clarius, & alij Hebraizantes contra Catholicorum, vt Lyranus loquitur, opinionem, quam prorsus debemus amplecti: legendus Abulensis [p].

Mystica Ioëlis interpretatio.

o c. 2.1. & seq.

p ibid. q. 2. & 3.

Ad Petrum, & ad reliquos Apostolos.] Aliàs [q] notatum est, quoties Petri cum aliis Apostolis mentio fit, Petrum primo loco poni, tanquàm ducem. Idcirco nunc Iudæi ante omnes ad illum se conuertunt, quem etiam concionantem audiuerant: tum quoque ad reliquos Apostolos, qui se, vt ex versu decimoquarto liquet, inter Discipulos vt primarios præbebant, & vulgo magis noti erant.

q cap. 1.13.
Petrus inter Apostolos primo loco ponitur.

Quid faciemus, viri fratres?] Optima hæc animi dispositio, qualem posteà videbimus fuisse in Saulo [r], qualis fuit in turbis ad Ioannis Baptismum accedentibus [s]: *Confessi sunt*, inquit Chrysostomus, *se esse in extremis malis, & nullam salutis habere spem: non dixerunt, Quomodo seruabimur? aut, resipiscamus, sed permiserunt sese illis*, quemadmodum in naufragio constituti, vel morbo, conspecto gubernatore aut medico, omnia illi permittunt, & obediunt. Addit Glossa interlin. *sicut cæci ducibus se contradunt. Vbi nomen Athenarum*, inquit idem Chrysostomus, *vbi nunc Græciæ fastus, vbi Philosophorum deliramenta, &c. Reuerà hæc mutatio dexteræ Excelsi* [t].

Optima Iudæorum dispositio.

r cap. 9.7.
s Luc. 3.10.

t Psa. 76.11.

Qui interrogant, Quid faciemus? sine dubio conscientiam conuenerunt: Quid fecimus? *Attendi*, inquit Ieremias [u], *& auscultaui: nemo quod bonum est, loquitur: nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens, Quid feci?* Non ita Iob [x], qui dixit: *Peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum?* Quanquàm videtur innuere se peccato suo nihil DEO nocere posse, prout alio clariùs loco exprimit [y]: vel nihil esse, quod afferat ad excusandum se: vel non posse iudicium diuinum effugere, aut vt factum infectum sit. Possunt hæc proposito conuenire: sed simplicior sensus, vt quærant, quid ad expiandam culpam facere illos oporteat.

u cap. 8.6.

x cap. 7.20.

y cap. 35.6.

Viri fratres.] Quos impostores, & ebrios anteà vocarunt, nunc *fratres* vocât; nec se tamen tali appellatione illis exæquant, sed ad sui amorē, & curā illos attrahunt, & quoniā illi primū eos ita appellare dignati fuerant. Ex quo item intelligitur, quod pridem dixi [z], nō fuisse religione Gentiles.

Iudæi Apostolos fratres vocant, & cur.

z vers. 12.

Versus 38.] PETRVS verò ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine IESV CHRISTI, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum SPIRITVS sancti.

Pœnitentia initium prædicationis Christi & Apostolorum.
a Mat.3.2.c.4.17
b Luc.vlt 47.
c Mat.6.12
d Act.20.21.
e vers.47.

PETRVS *verò ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite.*] Exorsus est Ioannes Baptista, & CHRISTVS prædicationem à pœnitentia [a], iussitque hic ita etiam Discipulos exordiri [b], quod & ipsius exemplo priùs fecerant [c], & posteà Paulus [d]; de qua pœnitentia CHRISTVS Lucæ vltimo [e]: *Oportebat prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Paulus etiam in epistola ad Hebræos [f]: *Impossibile est enim* (id est, valdè difficile, aut etiam absolutè impossibile, loquendo de liberali remissione totius culpæ ac pœnæ, iuxta modum, quo conceditur in Baptismo, vt scribit B.Thomas [g], Chrysostomus, aliique in epistolam ad Hebræos, Iustinus [h], Athanasius [i], Ambrosius [k], Augustinus [l]) *eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, &c. & prolapsi sunt, &c. rursus renouari ad pœnitentiam.* & ibidem superiùs [m]: *Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fide in DEVM, quæ omnia*, inquit Augustinus [n], *pertinere ad initia neophytorum satis, aperteque Scriptura testatur.* Gregorius [o] vbi eodem modo hunc locum exposuisset, subdidit hâc vtilem admonitionem: *Qua ergo mente*, inquit, *qui transactas culpas flere negligunt, viuunt securi de venia, quando ipse summus Pastor Ecclesiæ huic etiam sacramento* (Baptismi) *addendam pœnitentiam credidit, quod peccata principaliter extinguit?* Quò fit, vt medium saluti necessarium pœnitentia sit, vt testantur sacræ literæ [p], & Augustinus [q] etiam de accedentibus ad sacramenta, qui habent vsum liberi arbitrij.

f cap.6.4 5.6.
g in epist.ad Heb.& 3. p.q. 84.art.10.
h quæst.96.ad Gent.
i de blasphe. in Spir. sanctum.
k 2.de pœnit. cap 2.
l de vera & falsa pœ c.3.
m vers.1.
n lib.de Fide, & op. c.11.to. 4.
o 3.part.Past. admo.31.
Pœnitentia etiã ante Baptismum necessaria.
p Ezec.18.30. c.33 11.Esa.45 22. cap. 46. 8. Ioel.4,12.Ecc. 2.22. Luc.13.3. Apoc. 2. 5. & alibi.
q hom.vlt.ex hom.50.

Cùm pœnitentia iniũgitur iam cõpunctis corde, iam verbis Petri fidem habentibus, iam spem veniæ obtinentibus, proptereàque quid facerent interrogantibus, & emendationis propositum, ac satisfaciendi desiderium ostendentibus, qui optimus est ordo iustificationis impij, sequitur peruersam esse Hæreticorum nostri temporis doctrinam, de vanitate operum bonorum, nullâve eorum præter fidem necessitate. Exegit enim etiam à similibus pœnitentiæ digna opera, fructúsve tum Ioannes Baptista [r], tum Paulus [s]: ac ille quidem sciscitantibus similiter quid facerent, quædam charitatis opera præscribens [t].

Pœnitentia necessitas tollit omnem de sola fide iustificante hæreticorum fiduciam.
r Mat.3.8.
s Act.26 20.
t Luc.3.10.11.

Cõfirmat veritatem istam ex Petri verbis quæ tractamus Augustinus [u], vocans præsumptionem dicere exigere Petrum solam pœnitentiam ab infidelitate, plúsque voluisse probat ex sequentibus verbis: *Saluamini igitur à generatione ista praua.*

u lib.de Fide, & oper.c.8.
Plus exigit Petrus hic quàm conuersionem ab infidelitate.

Ipsum nomen pœnitentiæ à pœna, quæ tum ad dolorem de peccatis præteritis referri potest, quæ contritio dicitur, tum ad mulctam, quæ indicitur pœnitentibus, & satisfactio nominatur, rem propositam demonstrat.

Propterea horrent pœnitentiæ nomen, vt pœnitentiam ipsam Hæretici, secuti Laurentium Vallam [x], & Erasmum [y], vsurpántque libentiùs resipiscentiam, vtpote etiam quæ magis exprimat Græcas voces τῆς μετανοίας (à qua hoc loco deductum verbum est μετανοήσατε) & τῆς μεταμελείας; ac volunt consistere solùm pœnitentiam, quæ requiritur à nobis, in mutatione, seu emendatione mentis, vel recognitione erroris.

Hæretici horrẽt nomen pœnitentiæ.
x annot.in c. 7.1. ad Cor.
y in ca.3.Mat. & 1.Cor.7.

A Immò Erasmus contendit Latinam vocem pœnitentiæ, & verbum pœnitere, meliùs deriuari *à ponè tenendo*, quasi nil aliud sit *pœnitere*, quàm posterius consilium tenere, & intelligere post factum: citat, ac refellit Cardinalis Bellarminus [z] Lutherum, Caluinum, ac Bezam, docetque non tam ex etymologia significationem vocum ducendam, quàm ex vsu Scripturæ, & bonorum Auctorum. Profectò *pœnitentiam agere in cilicio, & cinere* [a], *in fauilla & cinere* [b], *in prædicatione Ionæ* [c]: *super immunditia, & fornicatione, & impudicitia* [d]: *super peccato suo, dicendo, Quid feci* [e]? non est tantùm resipiscere.

Pœnitere vnde deriuetur, ex Erasmo.
z lib.1.de Pœnit.c.7.tom.3.
Pœnitere aliud est quàm resipiscere.
a Mat. 11. 21. Luc.10.13.
b Ioel. vlt. 6.
c Matt.12. 41. Luc.11.32.
d 2. Cor. 12. 21.
e Ierem.8.6.

B Sacros Auctores citare nil attinet, Tertullianum [f], Cyprianum [g], Augustinum [h], Pacianum [i], & alios, non esse tantùm resipiscere. Conuincat vel ethnicus malos Christianos; is erit Ausonius [k];

Sum Dea, quæ facti, non factiq́; exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor.

Tandem si à ponè tenere pœnitentia est, cur cum diphthongo scribitur? & vt resipiscentiam reddere possimus, pro Metanœa cum Lactantio [l]; at hic inquit resipiscere illum, quem errati piget, & seipsum castigat dementiæ, & confirmat ad rectiùs viuendum, quod longè aliud est, quàm illud Erasmi ponè tenere, & sola vitæ mutatio, quemadmodum alij putant, & pœnitendi verbo, si non pœnitentiæ nomine, vtuntur pro detestatione peccati, cum desiderio puniendi, Cicero [m], Ouidius [n], & Plinius iunior [o], & senior [p], & Seneca Philosophus, & alter Tragœdus [q]. Lege Bellarminum [r], & Henricum Enriquez [s], & Gregorium de Valentia [*], & Salmeronem [t], qui etiam citant alios.

f libr. de Pœnit.
g Serm. de lapsis.
h ep.108.
i in parænes. de pœnit.
k epigr. de occas. & pœnit.
l lib.6.c.24.

C Quæri possit quis qualísve dolor necessarius sit ad Baptismum accedenti? Non defuerunt, qui requirerent dolorem contritionis, saltem quem accedẽs habere se arbitretur [u], immò & quoties suscipiendum, vel administrandum est aliquod sacramentum [x]. Sed nimis rigidi sunt, satísque est, si etiam sciens accedas attritus ad sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ, iuxta communiorem sententiam [y], cuius potissima ratio est, quia Baptismus, & Pœnitentia instituta sunt per se ad conferendam gratiæ vitam iis, qui ea carẽt; Baptismúsque peculiariter dicitur *lauacrum* [z] *regenerationis, & renascentiæ* [a]. Non ergo malè facit, sed potius consentaneè ad naturam horum sacramentorum, qui illorum beneficio quærit vitam spiritualem, sciẽs se eam nondum habere. Denique colligitur ex doctrina Concilij Tridentini [b], & Soto [c], qui de Pœnitentiæ sacramento affirmat, negat de Baptismo. De distinctione Pœnitentiæ ante & post Baptismum, consule B.Thomam [d].

m Tusc. 4. agens de Alexand.Magno. & ad Atticũ.
n 1.de Ponto. prope finem.
o ep.130.
p 7. hist.c. 25. & lib.12.c.12.
Quæ pœnitentia ad Baptismum requiratur.
q Tragœ.1.
r supra, & li. 2.c.5.
s Sum.Theol. Lib.4.c.1.
* in 3 p.
t Tom.4.Tract.2.
u Nauarr. in Manua.cap.1. nu.38.
x Io. Medin. tractat. 7. de Pœnit.q.6.
y in 4.dist 14. & 17. S.Tho. q.79 a.3.ad 2. q.80.art.4. ad 2.
z Eph.5.26.
a Ioan.3.5.
b Sess.14 c.4. & sess.6.c.6.
c 4.dist.12.q. 1.a. 4. & dist. 17. q. 2. a.6. dist. 18.q 1.a. 2.dist.10. q.1. a.1.li.2.de natura, & gratia.c 15.
d 3. p. q.90.a. 4.

E *Et baptizetur vnusquisque vestrûm.*] Quod Chrysostomus, & Oecumenius notant dixisse Petrum, *Baptizetur vnusquisque vestrûm*, nondum verò vt crederent, quia hoc in Baptismate accipiebant, in bono sensu intelligendum est, cùm certum sit, à candidato Baptismi, siue catechumeno fidem exigi.

Fides necessaria est baptizandis.

Non legimus hîc quidem integrum Catechismum, sed existimare debemus non defuisse, & innuitur sequenti illa sententia: *Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur*, vt ibi videbimus ex Augustino, cuius etiam Catechismi typus fuit doctrina, qua CHRISTVS cæcum natum videtur imbuisse [e], antequàm visum ei concederet, & docuit [f] Discipulos, vt priusquàm

Baptizãdi prius sunt catechizandi.
e Ioan. 9.3.4.
f Mat.vlt 19.

baptiza

baptizarent, ipsi ea, quæ ad fidem pertinent, docerent.

Mysterium S. Trinitatis necessariò credendum.

Inter necessariò credenda, mysterium S. TRINITATIS est obscurè tantùm hîc indicatū, cùm CHRISTVS dictus est effudisse SPIRITVM sanctum à PATRE promissum: Diuinitas item FILII, & Incarnatio cum aliis mysteriis attinguntur hoc eodem loco: sed credibile est, distinctiorem horum explicationem propositam fuisse.

Sine fide explicita in Christum nemo saluatur.

Improbabilis prorsus est opinio, posse salutem cuipiam contingere sine fide explicita in CHRISTVM, quem inuincibiliter ignoret. Qui eam sequuntur sententiam, qua facilitate recurrunt ad prouidentiam DEI, vt reuelet illa quæ ipsi docent necessariò credenda, cùm quis destitutus est homine doctore, possunt profectò, ac debent eandem fateri de reuelando CHRISTO, cùm fidem in illum vt præcisè necessariam, Patres, & Concilia tam clarè ponant, & tradant. Præ ceteris hoc optimè demonstrat noster Iosephus Acosta [a]. S. Thomas [b] docet quidem ad quos non peruenit Euangelij prædicatio, vt si sint in syluis nutriti, excusationem habere de peccato infidelitatis, non tamen beneficium consequi, vt iustificentur ab aliis peccatis: si verò faciant quod in se est (videlicet non sine gratia excitante) DEVM, secundùm misericordiam suam, missurum eis prædicatorē fidei, sicut misit Cornelio Petrum [c], Paulum Macedonibus [d], addi potest vel per Angelum, vel internam reuelationem eis necessaria ad salutem tradìturum. Lege Concilium Tridentinum [e].

a 5. de proc. Indo. salu. c. 3. 4. 5.
b sec. 3 in cap. 10. ad Rom. & 12. q. 111. ar. 4. ad 3. & q. 14 de veri. a. 10. ad 1.
c Actuum 10. 5. & seq.
d Actuum 16. 9. 10.
e sess. 6. cap. 6.

Lucianus [f] meminit, Catechistas exposuisse mysterium TRINITATIS; & mos erat in literis formatis hos characteres imprimendi π, υ, α, π, significantes πατέρα, υἱὸν, ἅγιον ΠΝΕΥΜΑ, vel potiùs vltimo designabatur Πέτρος, tanquàm Ecclesiæ caput, vt testatur Atticus Episcopus ex Concilio Niceno, vt est ad finem Concilij Chalcedonensis, & refert Iuo [g], & Burcardus [h].

f in Philopat.
Trinitatis mysterium quomodo significatum.

Petrus primus inter Apostolos aditū regni cœlestis reserauit.

Tertullianus [i] certè hunc Petri primatum colligit ex eo, quòd primus in CHRISTI Baptismo reserauit aditum regni cœlestis. Idem notat ex Anacleto Papa Gratianus [k].

g 6. p. decreti. cap. 433.
h lib. 2. decreti. c. 229.

Baptismus non differendus.

Regni iste cœlestis reseratus aditus à Petro statim in prima concione, admonet, cauendam dilationem Baptismi (quod ad Pœnitentiam quoque trāsferri potest:) scripsit Nyssenus orationem contra eos, qui Baptismum differunt, eodémque modo in illos inuehitur Basilius [l], Nazianzenus [m], Chrysostomus [n], Damascenus [o], S. Thomas [p]. Si qui verò insignes viri diu distulerunt, vt Constantinus Magnus, Martinus, Ambrosius, speciales id faciendi causas habuerunt: alij verò, si qui fuerunt, vel ex ignorantia, vel ex nimia quadam reuerentia. Lege Suarez in Tertia Parte [q], & Enriquez [r].

i lib. de pudi. cap. 21.
k dist. 21. c. in nouo.
l oratio. 13. de exhort. ad Baptism.
m orat. in san. Lau.
n homil. 1. in Act. & 13. ad Hebræos.
o lib. 4. de Fide. c. 10.
p 3. p. q. 68. a. 3.
q Tom. 3. disp. 31. sect. 2.

Baptismus est necessarius.

Porrò Baptismus post prædicatum Euangelium necessarius est [s], cùm anteà sufficeret adultis Pœnitentia. Modò verò adultis non tam citò datur Baptismus, vt à Petro datus est, quia exploranda est baptizandorum voluntas, & instituendi sunt priùs, quod vtrumque satis erat Petro, ex SPIRITVS etiam sancti peculiari instinctu, exploratum.

r li. 2. de Bapt. cap. 4.
s Ioa. 3. 3. & 5.

Paruulis nō differendus baptismus vltra duodecimum diem.

Pro paruulis communis ferè canon est, vt non vltra duodecimū diem differatur eorum Baptismus, etsi quædam Ecclesiæ, vt Mediolanensis [t], cauent differri vltra nonum. Olim propter maiorem solennitatem assignata erant festa Paschæ, & Pentecostes pro Baptismo adultorum.

t in conc. 2. prouin. sub Caro. Card. Borromæo.

Cur in Ecclesia vsus sit sacramentorum sensibilium.

Porrò cur CHRISTVS voluerit esse in Ecclesia vsum Sacramentorum sensibilium, in promptu causa est: homo enim non anima sola, sed etiam corpore constans, ita manu ducitur ad intelligibilia: & qui circa sensibilia peccauit, huiusmodi curandus medicamentis fuit: denique versantur omnes actiones ipsius circa sensibilia. Differentia nostræ, & antiquæ legis sacramentorum nota est, quæ consistit inter alia, in efficacia, & facilitate. Sed hæc Theologi accuratiùs.

Baptismus in Christi nomine an sit idem cum eo qui confertur in nomine S. Trinitatis.

In nomine IESV CHRISTI.] Cùm CHRISTVS præscripserit, vt Baptismus conferatur in nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITVS sancti [u], Caietanus [x] contendit, vtramque formam re ipsa eandem esse, siue sensu, quæ etiam videtur opinio Magistri sententiarum [y], & Adriani [z], Glossæ [a] item cuiusdam, præterea Stephani Papæ apud Cyprianum [b], & Nicolai etiam Papæ [c], adhæc Ambrosij [d], Bedæ [e], Bernardi [f], Hugonis de S. Victore [g], citátque Sotus [h] Athanasiū, Chrysostomum, & Cyprianum, apud quos tamen nihil eiusmodi reperitur. Ratio Ambrosij est, quoniam qui CHRISTVM dicit, FILIVM intelligit, qui vnctus est; PATREM, à quo vnctus; SPIRITVM sanctum, quo vnctus. Hoc idem docet de CHRISTI nomine Irenæus [i], & Basilius [k], & in qualibet persona omnes tres continentur virtute quadam, vel, vt Theologi loquuntur, per circuminsessionem.

u Mat. vlt. 19.
x hic, & 3. p. q. 66. a. 6.
y 4. dist. 3.
z q. 2. de Bapt.
a c. a quodam. & c. Multi. de Cons. dist. 4. c. si quis puerum. de Bapt.
b epi. 73. ad Iubaianum.
c c. a quodam Iudæo.
d 1. de Spir. sancto. c. 3.
e Act. 10.
f epist. 340.
g 2. de Sacr. p. 6. cap. 2.
h in 4. dist. 3.
i li. 3. de Fide. cap. 20.
k lib. de Spir. sancto. ca. 12.

Forma Baptismi essentialis est in nominibus S. Trinitatis.

Ceterùm communior sententia est, essentialem CHRISTI Baptismi formam fuisse semper cum expressis, distinctísque nominibus trium personarum S. TRINITATIS, hoc est, PATRIS, FILII, SPIRITVS sancti. Ita vt, *in nomine*, idem sit, quod nominando, & non solùm in virtute, vel inuocatione, vel fide; & CHRISTVS illud exprimendo, non dederit duntaxat præceptum, verùm etiam necessarium & essentialem instituerit ritum. Ratio est, præter vnanimem consensum, & Ecclesiæ ipsius decretum per Pontifices, atque Concilia, quæ proferunt nostri Bellarminus [l], Suarez [m], Gregorius de Valentia [n], Enriquez [o], disputantes de Baptismo, & Turrianus in Clementem Romanū [p], quoniam explicita fides S. TRINITATIS necessaria est tanquàm primarij obiecti, ac fundamenti, ac principalis causæ tam Baptismi, quàm omnium mysteriorum nouæ legis. Vocatur autem passim Baptismus Sacramentum Fidei, & ianua Ecclesiæ. TRINITATIS verò mysterium nominat Hieronymus [q] regulam nostræ fidei; Basilius dogma Christianæ [r] religionis, quo distinguamur à Iudæis profitentibus vnicam in vna natura personam, & à Gentilibus, qui cum personis multis naturas quoque multas agnoscunt. Tale conficit argumentum Germanus [s] Constantinopolitanus, videlicet, velut ex comparatione minorum & maiorum.

l de Bapt. lib. 1. cap. 3.
m 3. p. Tom. 3. disp. 21.
n in 3. parte.
o 2 de Bapt. c. 10.
p lib. 6. Const. cap. 3.
q epi. ad Mar.
r 1. cont. Eun.
s epi. ad Tho. Episc. Claudiop. in 7. Synod. act. 4.

Tres personæ in Christi nomine non habentur.

Accedit quòd in nomine CHRISTI non satis distinctè intelliguntur personæ tres S. TRINITATIS, siquidem CHRISTVS vt DEVS seipsum vnxit vt hominem, sicque non satis apparet professio PATRIS vngentis. Vngi quoque SPIRITV sancto, est solùm per accommodationem quandam: reuerà enim vnctus etiam est CHRISTVS ipsomet VERBO, eiusque Diuinitate. Ad extremum, si quod nonnulli studio conciliandi tam discordes opiniones afferunt, verum esset, licuisse primis illis Ecclesiæ principiis ex peculiari priuilegio baptizari in nomine tantùm CHRISTI, vt eius nomen suauius, firmiúsque in fideliū

animis imprimeretur, ac insideret, vt habet S. Thomas [a], quid est quod Paulus obiicit Ephesiis [b] ad SPIRITVS sancti nomen mirantibus: *In quo ergo baptizati estis?* miratus videlicet & ipse est, quomodo baptizatos se dicerent, qui SPIRITVS sancti personam in forma Baptismi expresse poni solitam, ne auditione quidem accepissent.

a in 3.p.q.66. a.6. ad 1.
b Act.19.2.& seq.

In nomine Christi baptizari quomodo concedi possit.

Concedi potest, in nomine CHRISTI, & IESV CHRISTI, idem valere, quod in fidei virtute, auctoritate, siue Baptismo, quem ipse instituerit, quemadmodum in epistola ad Corinthios [c] dicimur *in vno* SPIRITV *baptizati*, id est, in virtute, atque sanctificatione SPIRITVS sancti, non quia solum in Baptismo nomen SPIRITVS sancti expressum inuocatumque sit, vt acutè obseruat Basilius [d]. Deinde verisimile est CHRISTI, aut IESV, aut IESV CHRISTI nomen aliquandiu appositum fuisse, addito item Domini nostri, sed non omisso nomine PATRIS & SPIRITVS sancti, propter illam causam superiùs indicatam, vt esset nomen amabilius, & honorabilius; qua ratione Abdias [e] refert Ioannem Apostolum aliquando baptizasse in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, PATRISque eius omnipotentis, & illuminatoris SPIRITVS sancti. Iuxta hæc, quę diximus, possunt exponi citatorum Patrum, & Pontificum testimonia. Bellarminus [f] concedit, Nicolaū Papam locutum esse probabiliter, quamuis falsò; nec tamen errasse, quia nondum res erat certa, neque omninò decisa adhuc à Zacharia, qui præcessit Nicolaum.

c epi.1.c.12.13.
d lib. de Spiritu sancto.
e lib. 5. hist. Apost.
f lib.4. de Rõ. Pont. cap.12.

Concludamus pro expositione præsentis loci, & similium, cum Cypriano [g] ita exponente, *Baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Domini* IESV CHRISTI. IESV CHRISTI, inquit, *mentionem facit Petrus, non quasi* PATER *omitteretur, sed vt* PATRI *quoque* FILIVS *adiungeretur. Denique vbicumque post Resurrectionem à Domino Apostoli ad Gentes mitterentur, in nomine* PATRIS *&* FILII *&* SPIRITVS *sancti baptizare Gentiles iubentur: quomodo ergo quidam dicunt baptizatum in nomine* IESV CHRISTI *remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse* CHRISTVS *Gentes baptizare iubeat in plena & adunata* TRINITATE? Sic ille. Atque eundem sensum iisdem verbis assignant Fulgentius [h] & Augustinus [i]. Cuius optima illa ratiocinatio, quòd sicut ex verbis Ioannis [k]: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, non potest colligi SPIRITVM sanctum excludi ab opere creationis; ita ex istis: *Baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI, non potest colligi, illos non fuisse baptizatos in nomine PATRIS, & SPIRITVS sancti, quia licèt in nomine IESV CHRISTI iussi sint baptizari, vna persona alias non excludit.

g epi.73. ad Iubaianum.
Apostoli non baptizarunt in nomine Christi.
h lib. de Incar. & gratia c.11. 13. cont. Max. cap.17.
i
k Ioan.1.3.
Qui baptizati sunt in nomine Christi, etiam in nomine Patris & Spiritus sancti sunt baptizati.

Adde quòd Petrus hîc alloquitur baptizandos, non baptizaturos, vt agnoscant, cui acceptam ferre debeant virtutem Baptismi, non vt his præscribat formam. In Græco etiam textu est, ἐπὶ τῷ ὀνόματι, habètque præpositio illa vim significandi causam, ac veluti fundamentum, cui aliquid innititur: apud Matthæum autem est, εἰς τὸ ὄνομα. Denique eodem tenore loquitur Paulus [l]: *Quicumque in* CHRISTO *baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus*. Nemo verò dixit, in forma Baptismi adiecta esse posteriora verba: vtraque ergo solùm significant efficaciam Baptismi prouenientem ex CHRISTO, & ex morte CHRISTI. Græcè ibi quoque legitur, ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν, & legit ita Tertullianus [m], *in* CHRISTVM, *& in mortem*, sicut sæpe [n], *in nomen* PATRIS *&* FILII, *&* SPIRITVS *sancti*. Hinc certè Cyrillus Alexandrinus [*] argumentatur, diuinitatem CHRISTI vnà cum eiusdem humanitate.

Baptismi virtutem, cui acceptā ferre debent baptizandi.
l Rom.6.3.
m lib. de carnis Resurrect.
n lib. de præscrip. & cont. Marcio. & cont. Praxea.
* li. de fide ad Theodosium.

In remissionem peccatorum.] Iustificatio, quasi duplici mutatione constat, expulsionis peccatorum, & infusionis gratiæ. De priore sunt hæc verba, sequentia de posteriore, vt Augustinus [o] docet.

o Tracta. 6. in ep. 1. Ioan.

Baptismus per se institutus est, vt signum efficax, & causa remissionis peccati originalis, & aliorum quoque, si quæ cum illo reperiantur: sicut etiam CHRISTVS de suo sanguine loquens dixit [p]: *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, nempe non vt sigillum, quo, vt Caluinus loquitur de Baptismo, remissionis peccatorum promissio confirmatur, sed vt vera efficiens causa remissionis.

Baptismus est signum efficax & causa remissionis peccatorum.
p Matt.26.28.

Perniciosus eiusdem Caluini, & crassus error est, Baptismum valere in remissionem omnium peccatorum, etiam illorum, qui post ipsum perpetrantur, vsque ad mortem, ita vt ad ea delenda, sola illius recordatio valeat. Hoc est penitus abolere vsum Sacramenti Pœnitentiæ, & Satisfactionis, qua post Baptismum commissa peccata expiantur, quo nihil absurdius: & omissis aliis, scimus à Simone Mago Petrum Pœnitentiam sacrilegij post Baptismum facti exegisse [q], & Paulum docuisse [r], lapsos post Baptismum, quos vocat ipse *illuminatos, non posse renouari ad Pœnitentiam*, id est, Baptismi beneficio rursum gaudere: & Ioannem in Apocalypsi [s] iussum narrare Episcopo Ephesino: *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.*

Baptismus non valet ad remissionem peccatorum futurorum.
q c.8.22.
r Heb.6.4.5.6.
s c.2.5.

Filius quoque prodigus [t] *typus est baptizatorum, qui in peccata grauia relabuntur*, vt ait Basilius [u]: ille verò per Pœnitentiam patri reconciliatur, non per fidem, aut memoriam prioris substātiæ, & gratiæ à patre acceptæ, quam viuendo luxuriosè dissipauerat. In hoc sensu Baptismus prodest pro remissione sequentium peccatorum, vt Augustinus scripsit [x], *quoniā pœnitētia, oratio, eleemosyna, & quoduis aliud remedium nōnisi baptizatis* (qui videlicet si possunt, baptizantur, aut volunt, si non possunt) *prosunt, vt in integrum restituantur, & per Baptismum ius datur ad omnia gratiæ beneficia participanda.*

t Luc.15.11. & seq.
Per Pœnitentiam expiantur peccata, quæ post Baptismum sunt commissa.
u homil. de Pœnit.
x 1. de Nuptiis, & concup. c.33.

Nescio an hæc causa impulerit Patres Concilij Constantinopolitani, vt in Symbolo eum articulum ponerent: *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum*, cùm præter illud alia non desint remedia peccatorum, præsertim Pœnitentiæ Sacramentum. Lyranus putat dici *remissionem peccatorum*, quia Baptismus culpam remittit, & pœnam, quæ pœna tanquàm effectus peccati, dici potest quadam ratione peccatum. Glossa interlin. ait, specialiter intelligi *de remissione crucifixionis* CHRISTI, de qua paulò antè mentio fuerat. Baptismi in remissione peccatorum vis supra Sacramenta alia maior est, quia per se institutum est ad remittendam maculam, & reatum totum.

Cur in Symbolo additum sit: Cōfiteor vnū Baptisma.

Et accipietis donum SPIRITVS *sancti*.] Vel intelligit gratiam iustificantem, quæ quodam modo præcedit, quodam modo sequitur remissionem peccatorum, de qua priùs, vt disputant Theologi; vel cùm per peccatorum remissionem intelligi potuerit gratia etiam iustificans, loquitur de dono illo externo linguarum, quod in primordiis Ecclesiæ communicari solebat post Baptismum per manuum impositionem: quāuis DEVS

Donum Spiritus sancti quod hic sit.

quando

quandoque præueniendo etiam Baptiſmum dederit, vt Cornelio, & ſociis [a].

a Act.10.44.

Verſus 39.] Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus, qui longè ſunt, quoſcumque aduocauerit Dominus DEVS noſter.

VOBIS *enim eſt repromiſſio.*] Occurrit diffidentiæ ipſorum de tanta conſequenda gratia, eò quòd tam grauiter peccaſſent: non enim falli poſſe diuinam promiſſionem factam in primis genti Iudæorum, iuxta Ioelis Prophetiam initio concionis huius productam, præter alias plures, quas vno verbo complexus eſt Paulus in epiſtola ad Romanos [b], dicens: *Quorum promiſſa.* Inde CHRISTVS profeſſus eſt, *ſe nonniſi ad oues domus Iſraël miſſum* [c]. Et idem Paulus in hoc libro [d], *Primum oportuiſſe illis loqui verbum* DEI: *ſed cùm ſe indignos eo præberent, ad Gentes conuertiſſe ſeipſum.*

Promiſſio de Chriſto genti Iudæorum promiſſa.
b cap. 9.4.
c Mat. 15.24.
d cap.13.46.

Et filiis veſtris.] Iuuantur filij fide meritiſque patrũ, vt contrà ſolent eorũ ipſis obeſſe peccata, non quòd præter originale transfundantur actualia, vt probabile duxit eſſe Auguſtinus [e], & Leo [f]; eſt autem reuerà improbabile, vt oſtendit Anſelmus [g], niſi id accipiamus de quadam habituali propenſione, quæ pendet ex conſtitutione corporis, quam vitiant etiam peccata, de praua educatione, de peruerſo exemplo, de demeritis apud DEVM, propter quæ DEVS quandoque filiis denegat auxilia maiora.

Peccata parentũ in filios quomodo tranſeant.
e Enchirid.c. 46 & 46.
f epiſt.86.
g de concep. Virg. cap.23.

Et omnibus, qui longè ſunt.] Poſſent quidem Iudæi intelligi loco remotiores, ac per orbem longè diſperſi, ſed videtur hæc deſcriptio Gentilium diſtantium non tantùm loco, ſed multò magis notitia DEI. Ita ſæpe Scriptura deſignat Gentiles, præſertim Eſaias [h], Zacharias [i], & Paulus [k], qui loquens Epheſiis ait: *Nunc autem in* CHRISTO IESV *vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine* CHRISTI. Promiſſio igitur facta eſt primùm ac præcipuè ſemini Abraham [l], ita tamen, vt in eodem benedicerentur omnes gentes terræ, & hæ ſubintrarent in locum ſeminis eius ſecundùm carnem, quod ſpreuit tam magnam promiſſionem.

Gentes ſunt illæ quæ à Chriſto remotæ ſunt.
h cap.11.10.c. 46.19.20.
i cap.6.15.
k Epheſ.2.13. Rom. 15.8.& ſeq.
l Gen.12.3.c. 15.1.& ſeq.c. 18.10.& ſeq. c.22.16.& ſeq. c.26.4.& ſeq.

Hanc nos, ſi ſapimus, non ſpernamus, ſed Paulum audiamus [m]: *Has ergo habentes promiſſiones, chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore* DEI. Caiphas ipſe, *cùm eſſet pontifex, prophetauit expedire, vt vnus moreretur homo pro populo, & non tota gens periret: nec*, inquit Ioannes, *pro gente tantùm*, hoc eſt, pro Iudæis, *ſed vt filios* DEI, *qui erant diſperſi* (inter Gentes) *congregaret in vnum* [n].

m 2.Cor.7.1.
n Ioan.11.50. 51.52.
Eccleſia vnde dicatur.

Quoſcumque aduocauerit Dominus DEVS *noſter.*] Eccleſia, proprium nomen noui Teſtamenti ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν, eſt euocatio, ſeu cœtus euocatorum, quia nemo adiungit ſe ad hunc populum per ſe propriòve inſtinctu, ſed vocante per gratiam præuenientem DEO, vt propterea toties Paulus nominet Chriſtianos κλητοὺς *vocatos*, in omnibus ferè epiſtolis.

Verſus 40.] Aliis etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos dicens: Saluamini à generatione iſta praua.

ALIIS *etiam verbis plurimis, &c.*] Hinc intelligitur, quod antè dixi, ampliorem fuiſſe Catecheſim, & ſolere Lucam in hoc opere, ac in Euangelio, alióſque Euangeliſtas in ſuis, ſummam concionum habitarum duntaxat recitare. De longiore Catecheſi colligit quoque Auguſtinus [o] ex hoc loco, idémque docet de Eunucho, quem baptizauit Philippus [p]: *Sed omnia*, inquit, *à ſcriptore propter longitudinem non recitantur.*

Longè plura dixerunt Apoſtoli prædicantes quàm quæ ſcripta ſunt.
o 4.lib.de Fide, & oper.c. 8.& 9.
p cap.8.26.& ſeq.

Et hoc eſt euangelizare CHRISTVM, quod Philippum feciſſe ſcribitur, non tantùm dicere quæ ſint credenda de CHRISTO, ſed etiam quæ obſeruanda ei, qui accedit ad compagem corporis CHRISTI, & non ſolùm quod ad fidem, verùm etiam quod ad mores fidelium pertinet, non prætermittere.

Euangelizare Chriſtum quid ſit.

Teſtificatus eſt.] Διεμαρτύρετο, quaſi teſtibus adhibitis inclamabat, & conteſtabatur, veritatem confirmans de CHRISTO potiſſimùm, & dogmata religionis, inculcans fortaſſe Scripturas, ita vt quod ſequitur, *exhortabatur*, magis ſpectet ad moralem inſtitutionem. Tamen Auguſtinus loco ſuprà citato [q] vtrumque refert ad illud: *Saluamini à generatione iſta praua.* Hoc ſi placet, poterit verbi teſtificandi ſignificatio eſſe, præcipere, & comminari: cui Petrus adiunxit etiam exhortationem.

q cap.8.

Frequenter dicuntur in Scriptura [r] præcepta DEI teſtimonia, quia illis DEVS teſtatum reliquit quid vellet, vel quoniam cum atteſtatione quadam præcipere ſolet, necnon cum larga promiſſione. Inde quoque teſtificari ſæpe idem eſt, quod præcipere, & admonere, vt videre eſt in Moſe & aliis [ſ]: vel proteſtari, & conteſtari: qua in ſignificatione vſurpatum puto aliis locis in hoc libro [t], & à Paulo in epiſtolis [u].

Præcepta Dei dicuntur teſtimonia.
r Exod.25.16. c.31.18.4.Reg. 11.12.Pſa.18.8. Pſa.24.10.Pſa. 77.5.56.Pſa.79 1.Pſa.98.7.Pſ. 118.2.Pſa.131. 12.Eccl.45.21. Ier. 44.23.& alibi.
ſ vt Deut.32. 46. Exod.19. 23. 4. Reg.17. 13.
t c.8.25.c.18.5. c.20.21.c.26. 22.
u Gal.5.3.Eph. 4.17.1. Theſſ. 2.12.c.4.6 2. Tim.2.14.c.4. 1.

Exhortabatur.] Παρεκάλει. Significat hoc verbum etiam conſolari, & deprecari, quibus etiam modis Latinus interpres aliquando reddit. Syrus vertit, ובעא הוא מנהון *vbehhe haua minnehun*, quod eſt, *& petens erat ab eis*, id eſt, *efflagitabat ab eis.*

Partes hæ ſunt Paſtoris, & Concionatoris docere, & hortari, ſeu conſolari, de quibus Paulus [x]: *Inſta opportunè, importunè, argue, obſecra*, παρακάλεσον, *increpa*, errantes, & ex ignorantia peccantes, tum eos qui ex infirmitate, tum eos qui ex malitia peccant. Quidni verò exhortetur, ac etiam deprecetur homo hominem, cùm DEVS ipſe id faciat? *Popule meus* [y], inquit DEVS, *quid feci tibi? aut quid moleſtus fui tibi? reſponde mihi.* Precandi quoque geſtus fuit [z] *expandere manus ad populum incredulum, & contradicentem.* Prætereà in Euangelio pater egreſſus ſeniorem filium rogat, vt fratri ſuo iuniori reconcilietur [a].

Partes Paſtoris & Concionatoris quæ ſint.
x 2.Tim.4.2.
y Michæ. 6.3.
Deus hominem deprecatur.
z Eſaiæ 65.2. Rom.10.21.
a Luc.15.28.

Hoc à DEO ipſo, & CHRISTO didicerunt Patres ſpirituales *habentes ſpiritum lenitatis* [b]: dicit enim idem Apoſtolus [c]: *Pro* CHRISTO *legatione fungimur, tanquàm* DEO *exhortante*, παρακαλοῦντος, *per nos, obſecramus pro* CHRISTO, *reconciliamini* DEO, vnde illa toties in Apoſtolicis literis obuia: *Obſecro vos* [d] *per miſericordiam* DEI, *exhortamur* [e] *ne in vacuum gratiam* DEI *recipiatis*: *Rogamus vos, & obſecramus in Domino* IESV [f]: *Rogamus vos per aduentum Domini noſtri* IESV CHRISTI, *& noſtræ congregationis in ipſum* [g]. *Seniores* [h] *qui in vobis ſunt obſecro, conſenior, & teſtis* CHRISTI *paſſionum.* Debent hæ Petro, Paulóque familiares loquendi formulæ, magis eorum placere ſucceſſoribus, quàm Phariſaicæ illæ: *Præcipiendo præcepimus vobis* [i].

b Gal.6.1.
Patres ſpirituales deprecantur ſubditos.
c 2.Cor.5.20.
d Rom.12.1.
e 2.Cor.6.1.
f 1.Theſſ.4.1.
g 2.Theſſ.2.1.
h 1.Pet.5.1.
i Act.5.28.

Saluamini à generatione iſta praua.] *Ipſa hæc ſum-*

Mortuorum opera his condemnantur, & qua sint illa.
a lib. de Fide & operib. c. 8.

ma est totius Petri concionis prolixioris, vt ait Augustinus [a]: estque in his verbis mortuorum operum condemnatio, quæ nequiter agunt huius sæculi dilectores; & commendatio vitæ bonæ, quam teneant, atque sectentur, qui se ab hoc prauo sæculo eripiunt. *Nam mundus hic totus in maligno positus est* [b], *& est hoc præsens sæculum nequam* [c]. Glossa interlinearis, & Lyranus, & Hugo exponunt de Iudæis, quos CHRISTVS ipse appellauit *generationem malam, & adulteram* [d], *infidelem, & peruersam* [e], *& nequam* [f]. Et Moses [g], *prauam, atque peruersam*. Dauid [h], *prauam, atque exasperantem*; & [i], *generationem, quæ non direxit cor suum, neque est creditus cum DEO spiritus eius*.

b 1 Ioan. 5. 18.
c Gal. 1. 4.
d Mat. 12. 39.
e c. 16. 4.
e Luc. 9. 41.
f Luc. 11. 29.
g Deut. 32. 5.
h Psa. 77. 8.
i ibid.

Vitanda malorū societas.
k 2. Cor. 6. 14. & seq.
l Esa. 52. 11.
m Exo. 23. 32. 33. cap. 34. 15. Deut. 7. 2.

Vitanda diligenter, tanquàm pestis, malorum societas, vt docet Paulus [k] auctoritate Esaiæ [l] dicentis, *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius*. Cauit idem sæpe DEVS [m], ne Iudæi id facerent: sed neglecto DEI præcepto *commisti sunt inter Gentes, ac didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum* [n]. *Beatum* dicit Dauid [o] *qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*. Id est, Qui tam procul discedit ab impiis, vt non modò non audiat consilia, vocésque eorum, sed ne tangat quidem, quæ pertinent ad illos, non sedem, in qua sederint, non viam, quam triuerint. *Nec memor ero*, inquit idē [p], *nominum eorum per labia mea*.

n Psa. 105. 35. 36.
o Psa. 1. 1.
p Psa 15. 4.

Dimisit Ioseph castissimus pallium in manu fœminæ turpissimæ [q], *quia*, vt ait Ambrosius [r], *contactus impurissimæ manus contagione pestilenti contaminatus esset*.

q Gen. 39. 12.
r de Ioseph c. 5.

Beneficium Dei insigne iustum de medio impiorum educere.
f 2. epi. 2. 7. 8.
t Sap. 4. 10.
u Iob. 1. 5.
x 1. Mor. c. 1.
y Tob. 1. 5. & seq.

Insigne beneficium DEI est, iustum de medio impiorum educere, quamuis exilio id faciat, vt de Lot Petrus obseruat [f], quamuis ipsa morte, vt scribit Sapiens de Henoch [t]. Rara laus Iob pietatem seruantis in terra impia Hus [u], vt notauit Gregorius [x], Tobiæ etiam, de quo proditum est [y], *quod in captiuitate positus viam veritatis nō deseruerit, & cum irent omnes ad vitulos aureos, hic solus fugiebat consortia omnium: & cum omnes ederent ex cibis Gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum*: mira item laus Danielis, ac sociorum abstinentium à cibis contaminatis [z]: & Noë, qui vocatur *Iustus, atque perfectus in generatione sua* [a], id est, sæculo suo corruptissimo, cum *omnis caro corruperat viam suam super terram* [*].

z Dan. 1. 8.
a Gen. 6. 9.
* ibid. 12.

Conuersionis initio fugienda sunt malorum consortia.
b Cant. 2. 2.
c Serm. 48. in Cant.
d Ezech. 2. 6.
e 2. Conf. c. 3. & 9.

Saluberrimum Petri consilium fuit dehortari à societate malorum ipso conuersionis initio, ea enim societate nihil periculosius est. *Sicut lilium*, ait Sponsus in Canticis [b], *inter spinas, sic amica mea inter filias. O candens lilium, ò tener, & delicate flos*, inquit Bernardus [c], *increduli, & subuersores sunt tecum* [d]. *Vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt: versari in his, & minimè lædi, diuinæ potentiæ est, & non virtutis tuæ*. Lege quæ se Augustinus [e] adolescens in se ferbuit expertum malæ huius societatis, & exemplorum malorum damna.

Abrenunciatio in Baptismo vnde originem habuit.
f in ca. 5. Mat.

Ab hac separatione à generatione praua, ad quam baptizandos hortatur Petrus, videri posset manasse ritus abrenunciationis solemnis Diabolo, ac pompis eius, quæ modò exigitur à baptizandis, intelligendo per pompas, mundum, quem totum mundum in maligno positum totum exprimit Hieronymus [f], loquens de ista abrenunciatione, de qua & Theologi disputantes de Baptismo, & Ioannes Stephanus Durantus de Ritib.

A Ecclesi. ex Patrum testimoniis.

Non agam hîc de cauterio excommunicationis, quo inurit Ecclesia, quos ab alus vult cuitari: neque proferam Ioannis exemplum, qui vbi Cerinthus lauit, lauari noluit, aut Polycarpi, qui Marcionem ne salute quidem dignatus est, aut aliorum, qui Hæreticorum consortia omni studio fugiebant. Narrat Nicephorus [h] Catholicorum Samosatensium aduersus Arrianum Eunomium pro Catholico submissum Episcopo Eusebio; & puerorum contra pessimum tyrannum Arrianæ factionis Lucium singulare exemplum. Noluit populus vllum cum hæretico Episcopo penitus vsum habere, ne calidarum quidem balnei aquarum pueri cùm lusoria pila per mulæ Lucij prætereuntis volueretur pedes, expiandam igni censuerunt.

g lib. 3. c. 19. Hæreticis quæ, rejiciendi sunt, de cum reis.
h lib. 11. c. 2.

B

Generatione.] γενεᾶς. Dixi Augustinum suprà allegato loco, hoc nomen pro sæculo, siue mundo interpretari, & ita sæpe accipitur apud Matthæum [i] dicentem: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*, id est, ætas, aut sæculum, & duratio tota, qua mundus durabit, & consequenter mundus ipse, seu genus totum humanum.

Generatio quid significet in scriptura.
i c. 24. 34.

In genere verò significat indefinitam durationem, sicut & Hebraicè דור *Dor*; aliquando certum ætatis gradum, & vitæ conditionem; qua ratione humana vita in plures ætates diuiditur: atque etiā Suidas [k], γενεά significare interuallum septem annorum: interdum significat res gestas, aut homines alicuius ætatis & sæculi, vt apud Esaiam: *Generationem eius quis enarrabit* [l]? id est, vt quidam exponunt [m], illius sæculi, & ætatis homines, qui talia in CHRISTVM ausi sunt. Alij pro natiuitate vel æterna, vel temporali, vel pro regeneratione Resurrectionis, aut pro rebus gestis eius, aut pro posteris, qui secuturi ipsum essent, sumunt. Et in Psalmo [n]: *Dominus in generatione iusta est*, id est, fauet ætati ac sæculo, in quo Sancti viuunt, vt interpretatur Genebrardus, & alij. Matth. 23. [o] vbi dicitur: *Venient hæc omnia super generationem istam*, id est, totum Iudæorum genus. Pro ætate ac vita sua sumpsit Ezechias [p], dicens: *Generatio mea ablata est*. Affines significationes sunt, vt generatio ponatur pro genitis [q]: pro posteris [r]: pro cognationibus [f]. Fateor tamen non vbique respondere id nomen γενεά: est enim aliquando συγγένεια, vel γένος, vel φυλή, & Hebraicè משפחה תולדה *Toledah, mispechah*. Hoc loco, vt prius dixi, probabilius est, sumi generationem pro gente Iudæorum.

C
k in verbo Generatio.
l Esa. 53. 8.
m Foreri. in Esaiam.
n Psa. 13. 6.
o vers. 36.
D
p Esa. 38. 12.
q Gene. 14. 1. Psal. 111. 2.
r Gen. 11. 10.
f Nume. 1. 2. 1. Par. 4. 2.

Versus 41.] Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.

E

QVI *ergo receperunt sermonem.*] Græcè additur, ἀσμένως, id est, vt vertit Syrus, עתידאית *hathidayth, promptè aut libenter*. Hinc infertur (etiamsi aduerbium demas) libertas arbitrij in repudianda fide, & gratia: sicut vis gratiæ, atque vocationis & gratiæ præuenientis continetur verbis illis versus 39. *Quoscumque aduocauerit Dominus DEVS noster*. Vterque vitandus scopulus, & omnia gratiæ tribuentium, libero arbitrio nihil, & omnia huic, illi nihil: media veritas Catholica est inter Pelagianos, & Lutheranos, aliósve no-

Liberum arbitrium hinc stabilitur.
Remedia Sacramentalis gratiae arbitrium.

stri

ſtri temporis Hæreticos: ex quibus primi pro voluntate contra gratiam, ſecundi pugnaciter agunt contra voluntatis libertatem pro gratia. Vtriuſque rei vim retinens Paulus ſcripſit [a]: *Gratia* DEI *ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit; ſed abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia* DEI *mecum.*

a 1. Cor. 15. 10.

Aduerbium illud, ἀφελότητι, importat ſuauitatem gratiæ, & alacritatem voluntatis: trahit enim gratia voluptate quadam ſua, vt quod priùs iniucundum, & amarum erat, dulciſſimum reddatur, & iucundiſſimum. Peccator duplicem dolorem ſuſcipit ex priuatione eorum, in quibus anteà oblectabatur, & ex ipſomet patrato peccato: decet ergo ſpirituali aliqua voluptate allici eum à DEO, & foueri.

Peccator conuerſus ſuauitate indiget.

B

Et appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.] Hæ ſunt primitiæ, quas offert Petrus DEO: multò gratiores, quàm quas Moſes cum populo eidem obtulit die quinquageſimo ab egreſſu ex Ægypto [b]. Hodiè primum præſtat Petrus, quod CHRISTVS promiſerat poſt piſcium multitudinem tantam retibus concluſam: *Ex hoc iam eris homines capiens* [c].

Primitiæ, quas CHRISTO Petrus obtulit, quantæ.
b Exod. 19. 5.
c Luc. 5. 6.

Tam multi vna die baptizati ſunt, *non à Petro ſolo, ſed ab aliis, tum Apoſtolis, tum Diſcipulis*, inquit Carthuſianus: idque & ſimplici vſurpata forma ſine cæremoniis, quas iidem poſteà Apoſtoli, eorúmve ſuppares, aut alij Pontifices inſtituerunt: & aquæ non immerſione (ſignificat illa conſepelitionem, & conſurrectionem cum CHRISTO, & ſi trina illa immerſio eſt, myſterium ſanctæ TRINITATIS indicat: ſi vna, vnitatem DEITATIS [d]) non effuſione, iuxta illud [e], *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*; ſed aſperſione, de qua intelligi poteſt quod eſt in Pſalmo [f]: *Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*: qua aſperſione facile eſt multos ſimul baptizari, & aqua attingi, cuius vel gutta etiam ſufficit, hodiéque in Germania ferunt [g], guttam duntaxat effundi; de quo aliqui dubitant, inter quos eſt Gregorius de Valentia [h], quia gutta aquæ non eſt aqua, per modum abluentis, ſi minutiſſima ſit, cuius contrarium aliis videtur, dummodò ſtilla aquæ ſit ſenſibilis, vt accidit in conſecratione panis & vini, ſub quauis quantitate ſenſibili, ita ſentit Enriquez [i]. Potuit itaque fieri, vt vnus eandem vnicam formam pronuncians, *Ego vos baptizo*, plures ſimul aqua aſpergeret. Hanc ſententiam tenet Gloſſa [k], notans ex Hugone Canoniſta ſatis eſſe, ſi fundatur aqua ſuper caput, vel maximam partem corporis; *immò*, inquit ex ſua opinione, *ſi ſuper pedem*, quæ opinio ſatis communis eſt, vt ait Enriquez [l]. In Sacramentario Gregorij locus eſt, qui innuit modum iſtum baptizandi per aſperſionem.

Non ſolum Apoſtoli, ſed & Diſcipuli baptizarunt.
C
Non fuit immerſio, nec effuſio, ſed aſperſio in hoc Baptiſmo facta.
d Leo ep. 4. c. 5. c. Duo tempora de conſecr. d. 4. cóc. Toletan. 4. c. 5. ex Greg. lib. 1. ep. 41.
e Ezech. 36. 25.
f Pſal. 50. 9.
g Victoria in ſum. de Sacr. §. 19.
D
h Tom. 4. diſp. 4. q. 1. de Bapt. punc. 2.
i 2. de Bapti. c. 21. §. 4.
Plures ſimul plures baptizari.
k c. Propoſuiſti, de conſecr. d. 4.
l ſup. §. 3.
E

Idem admittit S. Thomas [m] de pluribus his ſimul ab eodem baptizatis, & de quinque millibus virorum, quorum capite quarto [n] narratur Baptiſmus: de aſperſione item confirmatur, tum auctoritate Cypriani [o], *id probantis ex aqua purificationis, quæ etiam aſperſionis dicebatur* [p], erátque typus Baptiſmi, & Scholaſticorum in Quarto [q]: tum exemplo S. Laurentij, de quo Vualfridus [r], qui narratur inſtante martyrij ſui tempore aſperſione quendam baptizaſſe, teſtis vrceus, qui hodiéque honorificè cuſtoditur in templo S. Laurentij extra muros Vrbis; & CHRISTVM ipſum,

m 3. p. q. 66. a. 5. ad 4. & a. 7.
n verſ. 4.
Baptiſmus per aſperſionem probatur.
o lib. 4. ep. 7. vel 76.
p Num. 19. & 19.
q diſt. 3.
r lib. de Rebus Eccl. cap. 26.

A

qui Baptiſmo ſuo ſanctificauit materiam Baptiſmi à ſe inſtituendi, ita baptizatum eſſe, ſatis communis opinio eſt, picturis quoque expreſſa. Videri poteſt Paulus ad aſperſionem baptiſmalem alluſiſſe, cùm dixit in epiſtola ad Hebræos [f]: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda.* Sed forſitan alluſio potiùs eſt ad aſperſionem ſanguinis, & ablutionem per aquam expiationis in lege, ſeu luſtrationis; iam enim quibus ſcribebat Apoſtolus, baptizati erant, vt opus non eſſet eos iuberi accedere cum Baptiſmo.

f c. 10. 22.

Appoſitæ.] Poſitæ ad numerum, ſeu adiunctæ, & annumeratæ. Phraſis non infrequens, vt apponere ſit idem quod addere [t]. *Vt non apponat*, inquit Dauid, *magnificare ſe homo ſuper terram*; & rurſus [u]: *Filius iniquitatis non apponet nocere ei*, & alibi.

Apponere in Scriptura quid ſignificet.
t Pſal. 9. 39.
u Pſal. 88. 23.

Hinc dicitur apponi aliquis ad patres ſuos, quando moriens adiungitur ad populum iuſtorum in limbo, vt de Iſaac [x], & Iacob [y] tradit liber Geneſis: quæ tamen ſignificatio non videtur perpetua, quoniam de Iſmaële dicitur etiam in eodem libro [z], qui tamen fuit impius: & de multis Hebræorum regibus etiam impiis, cum patribus ſuis dormiuiſſe: immò & de rege Gentili Aſtyage dicitur apud Danielem [a], *quod appoſitus ſit.* Et ſimplicior ſenſus eſt pro aggregatione ad mortuos, quòd aliis modis dicit Scriptura congregari, & colligi [b], & dormire cum patribus, ingredi viam vniuerſæ carnis, vel terræ; ire ad patres, & pergere ad populos ſuos, vt notat Ribera [c], & Pererius [d]. Quocirca nimis anguſtè Comeſtor [e] populum intelligit, ad quem apponuntur mortui, ſocietatem Angelorum, quod tradit quoque Gloſſa interlinearis [f], & Abulenſis [g], & Auguſtinus [h]. Nam, inquit Lyranus [i], nondum ſocietas inibatur Angelorum. Nec ſufficit, quod addit ille, & Rupertus [k], & Caietanus [l], de omni iuſtorum in limbo multitudine: propter præcedentem cauſam de impiis. Minus placere Burgenſis [m] debet, ideò ante Abraham de nemine Scripturam illud tradidiſſe, quia prior nullus deſcenderit liber penitus à ſorde, quam non in purgatorio expiaret: hoc temerè ſanè dicitur de Noë adeò iuſto [n], ac de aliis nonnullis præcedentibus, vt de Abel, & forſitan de ſequentibus: neque hoc eſt apponi ad populum, ſicut diximus. Intolerabilior Philo [o], referri mortuos in aſtra. Conceſſerim potiùs innui formulis illis animarum immortalitatem, ſicut notauit Theodoretus [p], & Caietanus [q]. Verùm de hoc ſatis, prout occaſio tulit. Lege Theſaurum Ioannis Ferdinandi.

Apponi ad patres ſuos quid ſit.
x Gen. 35. 29.
y c. 49. 33.
z cap. 25. 17.
a cap. 13. 65.
b Nu. 20. 26.
c Oſeæ 4. n. 5.
d in c. 49. Gen. verſ. 33. & in c. 25. verſ. 9.
e hiſto. ſchol. gen. c. 114.
f ca. 25. & 49. Gen.
g in c. 25. Gen.
h q. 268. in Gen. & 2. cóc. Pelag. c. 10.
i in cap. 49. Gen.
k 9. in Gen. c. 40. lib. 6. cap. vlt.
l Gen. 25.
m in poſtill. addit ad poſtill. Lyrani.
n Gen. 6. 9.
o lib quis eorum diuiſit terras.
p q. 109. in Gen.
q in cap. 25. Gen.

Apponi quoque dicitur populo DEI, qui denuò ſuſcipit fidem, vt de Achior dicitur in libro Iudith [r], & de multitudine Antiochena, infrà in hoc ipſo libro [ſ]. Hic eſt ſenſus præſentis loci: & phraſi eâdem idem prædictum videtur à Ieremia [t]: *Et apponentur ad Dominum fœdere ſempiterno.*

Apponi populo Dei quid ſit.
r cap. 14. 6.
ſ cap. 11. 24.
t cap. 50. 5.

Animæ.] Homines, per ſynecdochen, vt antè vidimus de carne. Notat id Fulgentius [u]: *Nec enim*, inquit, *animæ baptizantur, ſed homines.*

u ad Thraſymun.

Circiter.] Vide cap. pri. verſu 15.

Tria millia.] Hic eſt fructus orationis CHRISTI in cruce [x] pro crucifixoribus, vt ait Auguſtinus [y], & Chryſoſtomus [z] (qui etiam idem dicit de aliis quinque millibus, & iis fidelibus, qui erant in Ieruſalem, de quibus in hoc libro [a] ad Paulum di-

x Luc. 23. 34.
y in Pſal. 93. verſ. 7. & Ser. 4. de Sanctis.
Fructus orationis Chriſti.
z orat. 2. & 3. in Paraſceue. apud Gretſerum, tom. 2. de cruce.
a cap. 21. 20.

a sermon. 16. de pass. Dom. & in serm. 11.
* Luc. 23.
Esaiæ prophetia impletur.
b 1. Hist. c. 4.
c ho. 6. in Ier.

A citur: *Vides, frater, quot millia sunt in Iudæis qui crediderunt?*) & Leo [a], & Bonauentura*.

Vel impletur admirabunda Esaiæ prædictio capite vltimo descripta, vt exposuit ibi Theodoretus, & Cyrillus, Eusebius [b] quoque, item Origenes [c]: *Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quia parturiuit, & peperit Sion filios suos?* Paulinus [d] illud Psalmi [e], *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum* (id est, iniquitates) *posteà accelerauerunt*, huc refert, quia ad Pœnitentiam festinantes, & cupientes à tanto expiari peccato crucifixionis CHRISTI, ad donum gratiæ cucurrerunt.

d epi. 58. inter epi. Aug.
e Psal. 15. 4.

B *In die illa.*] Pentecostes, inquit Lyranus: decuit talis ac tanta messis talem diem, quo frugum offerebantur primitiæ, vt dictum est [f], & notat Glossa ordinar. decuit talem Dominum, qui SPIRITV sancto suo *auxit incrementa frugum iustitiæ* [g]: tales messores, *qui rogauerant Dominum messis, mittere operarios in messem suam* [h], cùm *regiones iis ostensæ essent iam albæ ad messem* [i], vt tam *vberi fructu lætarentur, sicut lætantur messores* in messe [k]. *Quomodo non putas*, inquit Chrysostomus, *hoc non magis curasse Apostolos, quàm signa?*

Die Pentecostes cur tot millia hominum Christo se adiunxerint.
f vers. 1.
g 2. Cor. 9. 10.
h Mat. 9. 38.
i Ioan. 4. 35.
k Esa. 9. 3.

Sanè quidem respectu horum Iudæorum, ac aliorum etiam quinque millium, de quibus capite quarto [l], & similium, Apostoli non tam seminatores, quàm messores habendi videntur, quia Prophetæ, & CHRISTVS præsertim, seminauerant, & disposuerant Iudæos ad fidẽ; qui CHRISTVS propterea dicebat [m]: *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis*, &c. vt bene annotauit Irenæus [n], & Gregorius [o].

Apostoli fuerũt messores, Christus seminator.
l vers. 4.
m Ioan. 4. 35.
n libr. 4. c. 40.
o 9. Moral. c. 16.

At respectu Gentilium & messores fuêre Apostoli, & seminatores, quoniam nulla in iis erat fidei dispositio, sed errores, ac vitia, impietas, & superstitio. Idcirco Paulus, vt obseruat idemmet Irenæus [p], *se plus & abundantiùs laborasse* affirmabat [q]. Erat enim peculiariter missus ad Gentes.

Cur Paulus plus aliis laborauerit.
p supr. c. 41.
q 1. Cor. 15. 10.

D Quanquàm concedi etiam potest, quod Albertus ait [r], *Iudæorum quoque comparatione seminatores non tantùm messores fuisse Apostolos, non quidem iaciendo semen primum, sed superseminando, vt quod iam seminatum erat, excitaretur, inspissaretur, adunaretur: quod perierat, suppleretur, perinde*, inquit, *vt agricola iactum hyeme semen, cùm videt non conualescere, sub æstatem superseminat.*

Apostoli nõ sa[tores], sed superseminatores fuerunt.
r in c. 4. Ioan.

Rectè ergo, *in die illa*, id est, in Pentecoste, colligitur messis ista spiritualis, quæ prædicatione, sudore, & sanguine CHRISTI per ipsos tres annos coaluit, vt annis singulis mille respondeant.

E Ceterùm propter Baptismum hoc die Pentecostes impertitum manauit in Ecclesiam mos celebrandi solenniter Baptismi, non in Paschate solùm, verùm etiam præterea in Pentecoste, vt ex Leone Papa primo [s] notatum legimus in Decreto [t]. Obseruat id quoque Lyranus hoc loco. De duplici verò illo tempore ad Baptismum designato, Ioannes Stephanus Durantus [u].

Mos celebrandi Baptismi in Pentecoste, vnde manauit.
s ep. 4. c. 5.
t c. Propriè, de Cons. dist. 4.
u lib 1. de Ritib. Eccl. c. 19.

Anima.] Tritum est, animam poni pro toto homine, ac potiore quidem iure, quàm carnem, de qua diximus suprà [x], non quia quod Plato dixit [y], *homo sit tantum anima*, sed quia, princeps hominis pars est. Exempla huius acceptionis in Scriptura multa sunt, vt illud dictum Abrahæ à rege Sodomorum [z]: *Da mihi animas, cetera tolle tibi*; & iterum [a], *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuerunt septuaginta*; & in epistola ad Romanos [b]: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; & Petrus [c]; *In qua* (Arca Noë) *pauci*, id est, *octo animæ saluæ factæ sunt per aquam* [d]. Profani quoque Auctores interdum eodem modo vsurpant hoc nomen, vt Poëta [e]:

Anima pro toto homine sæpe sumitur.
x vers. 17.
y in Alcibi. 1.
z Gen. 14. 21.
a Gen. 46. 26.
b c. 13. 1.
c 1. ep. 3. 20.
d Gene. 6. & inde.
e Virg. 11. Æneid.

Nos animæ viles, infleta, inhumatáque turba.

Item [f]:

Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperêre suo, decorate supremis
Muneribus. —

f Ibidem, lõge ante.

Sed hoc posteriore loco videtur sumi pro cadauere anima; quod Nonius aliquando fieri obseruauit. Pro animato corpore sumpsit Lucretius [g]:

g lib. 4.

Nam certè ex viuo Centauri non fit imago,
Nulla fuit quoniam talis natura animai.

Lege Hieronymum Magium [h], qui profert quoque Chrysostomum [i], & Epiphanium [k]. Adde præterea Fulgentium [l], qui copiosè de ista carnis & animæ significatione pro toto homine disserit. De hoc autem loco tractans [m]: *Quisquis*, ait, *hîc animarum nomine significatos homines nititur denegare, ostendas necesse est, qualiter ab Apostolis sine corporibus animæ credantur sacramentum Baptismatis accepisse.*

h lib. 1. c. 11. Miscellan.
i hom. 45. in c. 24. Matth.
k in Ancorat.
l lib. de Incar. c. 9. & lib. 1. ad Thras. c. 17.
m ibidem ad Thras.

C Pium ac verum, animæ potiorem ducendam rationem, illam Baptismo potissimùm remediari: tamen etiam certum, non id attendi, quoties κατ᾽ συνεκδοχὴν, animæ vox ponitur.

Tria millia.] Præter sensum allegoricum superiùs indicatum, vt hæc tria millia tribus responderent annis, quibus CHRISTVS prædicauit, tandémque passus est, alium agnoscit Glossa ordinaria, interlinearis, & Lyrani, atque alij: sed ante hos Arator [n], qui alios præterea sensus subtiliter profert:

Mystica triũ milliũ ad fidem conuersorũ interpretatio.
n lib. 1. in Acta.

— *Nam trina potestas*
Colligit hanc prolem, numerum partita per æquum,
Perfectum est, quod mille sonat: sic denique seclis
Ponimus ætates, cùm tempora dicimus orbis,
Res perfecta semel ter iungitur, & facit agmen.
D *Mystica vis numeri gregis est pia forma nouelli.*

Mitto quæ de Ternarij perfectionibus ac mysteriis afferuntur, de quibus quædam sunt apud Salmeronem [o], & Petrum Bongum [p].

o tom. 1. prolego. in 20.
p lib. de myster. num.

Cur tanta nunc Discipulorum turba fiat, si quæras, non autem viuente CHRISTO, causam puto, vt sanguinis eius efficacitas appareat, qui se, *si exaltaretur, ad se tracturum omnia* prædixerat [q]: vt vis ac valor missi SPIRITVS sancti: vt præda prædam alliceret: & quia CHRISTO absente nulla iam suspicio affectati regni, quam adeò accuratè fugit, quæsitus in Regem à tot millibus hominum [r]. Denique *semen mortuum multum fructum affert* [s]. Et, *Si posuerit* CHRISTVS, inquit E Esaias [t], *pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.*

Cur plures nũc conuertantur, quàm viuente Christo.
q Ioan. 12. 32.
r Ioan. 6. 15.
s Ioan. 12. 24.
t cap. 53. 10.

Versus 42.] Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.

ERANT *autem perseuerantes.*] Commendantur neophyti hi à perseuerantia, verbi DEI frequentatione, & EVCHARISTIÆ, atque orationis, à concordia, & rerum abdicatione, à beneficentia, & cordis hilaritate, à laudatione DEI, & gratia sibi comparata apud populum.

Noui Discipuli donum Spiritus sancti acceperūt.

De dono SPIRITVS sancti accepto non hîc fit mentio, sed cùm accepturos Petrus promiserit, aliique ipso conuersionis initio solerent accipere [a], non est dubitandum, quin acceperint. Magnū argumentū veræ conuersionis est perseuerantia, quamuis non semper hæc cum illa coniuncta sit.

a Act. 8. 17. & 9. 17. & 10. 44. & 19. 6.

Perseuerantes.] Προσκαρτεροῦντες, *toleranter, ac patienter insistentes, atque assidui.* Idem participium Græcum est superius capite primo [b], *Erant perseuerantes vnanimiter in oratione.*

b vers. 14.

Cur primi Christiani feruentiores fuerint nobis.

Hæc patiens perseuerantia arguit maiorem feruorem illius temporis fidelium, quàm nostri: etsi feruoris eiusdem aliæ duæ causæ assignari possunt, gratiæ vberioris communicatio, quæ primi illius temporis quasi fructus suauiores reddebat: & prædicatorum dicendi vis efficacior, vitæ confirmata sanctitate, & signis miraculorum.

Feruor in initiis Ecclesiæ & religionum maior esse solet.

Nos autem, ait Apostolus [c], *debemus gratias agere* DEO *semper pro vobis, fratres dilecti à* DEO, *quòd elegerit vos* DEVS *primitias in salutem, in sanctificatione* SPIRITVS, *& fide veritatis.* Hoc obseruare est, & in neophyta nunc Indorum Ecclesia, & in primis ordinum religiosorum initiis. Exigit rei cuiusque nobilioris ac difficilioris institutio vim maiorem; & pro naturæ imbecillitate, ad quam suauiter se gratia attemperat, non eodem semper tenore, atque contentione virtutem persequimur, & nostro quoque contingit remissio talis peccato.

c 2. Thess. 2. 12.

Quatuor in quibus Christiani perseuerabāt, quid efficiāt.

Ceterùm numerantur deinceps quatuor, in quibus perseuerabant primi fideles, verbum DEI, EVCHARISTIA, oratio, eleemosyna. Primum illuminat intellectum, ac dirigit voluntatem. Secundum, quod alia quoque Sacramenta, præsertim Pœnitentiæ, comprehendit, potentiis executiuis vires subministrat contra infirmitatem, & procliuitatem in malum. Tertium impetrat priores duos effectus. Quartum satisfacit pro his, quæ in illis iisdem peccantur. Primum, est instrumentum quoddam vniuersale ad omnia: secundum perficit nos in ordine quodam peculiariter ad nos, confirmando vires nostras, &c. tertium respicit DEVM: quartum proximum.

Quatuor signa prædestinationis signa.

Sunt prætereà quatuor hæc illustria signa prædestinationis. Nam, *qui ex* DEO *est, verba* DEI *audit* [d]. Sacramenta conferunt ex opere operato gratiam, pignus gloriæ, ac semen. De oratione hoc sensu exponi potest quod ait Dauid [e]: *Benedictus* DEVS, *qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.* Eleemosyna solet index esse charitatis, & animi à terrenis abstracti: & sicut *iudicium fiet sine misericordia ei, qui non facit misericordiam* [f]: sic è contrario, cùm iudex facientibus eleemosynam dicturus sit [g]: *Venite benedicti*, &c.

d Ioan. 8. 47.
e Psal. 65. 19.
f Iac. 2. 13.
g Matt. 25. 34.

In doctrina Apostolorum.] Ex hoc est manifestum, inquit Chrysostomus, *quòd non vno, vel duobus diebus, sed multis docuerint, vtpote in aliam vitam illos transferentes.*

Doctrina Apostolorum quæ

Doctrina hæc comprehendit expositionem veteris Testamenti accommodatam ad mysteria nouæ legis: nondum enim noui Testamenti opus vllum scriptum erat, & traditionem eorum, quæ Apostoli à CHRISTO acceperant, & SPIRITV sancto suggerente didicerant.

h Rom. 10. 17.
i hom. 26. ex his 50. ho.
k hom. 13. in Exodum.
Doctrina & prædicatio verbi Dei pernecessaria.
Quanti verbi conceptus quanti ...

Pernecessaria res est doctrina, & prædicatio verbi DEI, tum ad ingenerandam fidem, *quæ est ex auditu* [h], tum ad eam conseruandam & augendam. Tanti facit Augustinus [i], & Origenes [k] contemptum illius, quanti si quis per incuriam, CHRISTI corpus de manibus (sumebatur id olim manibus communicantium) decidere permittat.

Perinde etiam est, ac si epistolas è cœlo missas cùm recitantur, cōtemneres: sic enim loquitur de diuina Scriptura, ac propterea de eiusdem interpretatione Antonius, vt est apud Athanasium [l], Chrysostomus [m], Gregorius [n], Augustinus [o]. Ambrosius [p] verò prætereà mentis cibū vocat, de quo illud accipiatur [q]: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore* DEI. & [r], *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*: ac proinde hoc quasi pane sustentatos Mosem [s], & Eliam [t] ipsos quadraginta dies, externo abstinuisse: neque voluisse CHRISTVM tot similiter dies sine cibo vacantem diuino & interno verbo de lapidibus panes facere, vt magis verbi studio, quàm voluptatis intendere nos salutari præcepto doceret. Hoc idem præter omnes ferè Interpretes dictæ historiæ tentationis CHRISTI, annotauit Cyprianus [u], Basilius [x], Paulinus [y], Leo [z].

l in vita.
m homil. 1. in 2. ad Thessa.
n lib. 4. epist. 84.
o in Psal. 90. con. 2.
p Serm. 35.
q Deuter. 8. 3. Matt. 4. 4.
r Ioan. 6. 63.
s Deut. 9. 9.
t 3. Reg. 19. 8.

Eòdem spectat comparatio cum Manna, qua vtitur Philo [a], Origenes [b], Epiphanius [c], Augustinus [d], & alij; & de semine, qua CHRISTVS ipse [e], quam analogiam vide apud Stapletonum [f], sicut cibi apud Carthusianum [g]. Cùm ageret CHRISTVS de hoc excipiēdo semine, clamauit: *Qui habet aures audiendi, audiat* [h]; quod non aliàs fecit, nisi grauissima de causa, adhuc viuens [i], & bis, dum esset in cruce [k], quamuis semel velint quidam eum in horto clamasse, quando passus est agoniam; & de eo clamore loqui Paulum in epistola ad Hebræos. Sed Matthæus semel ac iterum clamasse in cruce scribit.

u Serm. de ieiun. & tent.
Verbum Dei cōparatur cū Manna & semine.
x orat. 2. de ieiu.
y epist. 37.
z Sermo. 2. de Quadra.
a lib. 2. Alle.
b homil. 7. in Exo.
c Hære. 50.
d Serm. 91. de Temp.
e Mat. 13.
Christus quoties clamasse legatur.
f Promp. moral. Dom. Sexag. textu 3.
Fames Verbi Dei dirissimum & durissimum tormentum.
g in Luc. c. 3.
h Luc. 8. 8.
i Ioan. 7. 28. 37. & c. 11. 43. & 12. 44. Luc. 8. 54.
k Mat. 27. 46. & 50. Hebr. 5. 7.

Istam vt dirissimum, durissimúmque tormentum verbi DEI famem immissurum comminatur DEVS per Amos [l], quod est ita DEO proprium, & quasi reseruatum supplicium, vt id Ecclesia inferre vereatur, nolens quos sīs & sacramentis, & suffragiis priuat, atque reliqua omni communione etiam ciuili, per excommunicationem, diuini verbi perceptione priuare.

Lethale quidem est, vt in corpore, ita in animo ingestum hunc cibum non retinere, vt Gregorius [m] monet; attamen ingestus prodest, etiamsi gustus desit, etiamsi fastidiosè, & violentè inferatur, vt videre fuit in militibus missis ad capiendum CHRISTVM, qui reuersi responderunt, *nunquàm sic locutum esse hominem* [n]: & Augustinus de seipso cōfitetur, Ambrosium, cùm adhuc Manichæus frequens audiret magis vt explorator, atque etiam contemptor, quàm vt studiosus auditor [o], tandem vi prædicationis eius superatum manus dedisse. Simile quiddam est de Moneta quodam, qui inuitus pertractus est ad concionem, & ob eam causam ordini aggregatus Prædicatorum, sanctissimus euasit. Sic est in Chronicis S. Dominici [p].

Verbum Dei etiam violentè illatum prodest.
l c. 8. 11.
m hom. 15. in Euang.
n Ioan. 7. 46.
o 5. Confess. c. 13.
Moneta quidā vi ad concionem perductus euasit Prædicator.
p 1. par lib. 1. c. 17.

Ceterùm quòd fideles illi primi adeò perseuerarent in doctrina Apostolorum, docet nos quàm sit necessarium, vt traditioni Apostolicæ adhæreseamus, & libenter Ecclesiam, aliósque audiamus; priuato siue iudicio, siue spiritu nostro non ducamur, vt faciunt Hæretici, ex quibus exempli causa Lutherus impudenter dicebat, didicisse se ita confirmare cor suum, vt posset resistere mille Cyprianis, & Augustinis. Verùm de hoc iterum in capite nono [q], vbi Saulus iubetur adire Ananiam.

Traditioni Apostolicæ & Ecclesiæ doctrinæ inhærendum.
q vers. 9. & inde.

Indicat prætereà perseuerantia perpetuitatem doctrinæ Apostolicæ. Et cùm in singulari dicitur

Perseuerantia doctrinæ quid designet.

A doctrina, vnitatem eiusdẽ:& cùm Apostolorum, quòd conformis vitæ sanctissimæ eorum, & illorum, qui à DEO missi erant: quas omnes conditiones liquet deesse doctrinæ, vel potiùs doctrinis, quas Nouatores impurissimi seipsos ingerentes tradunt.

Quibus nominibus verbum Dei in Scriptura designatur.

Denotat perseuerantia quàm sit frequentandum verbum DEI, vtpote maximè necessarium vitæ spirituali, ac non minùs quidem quàm militi gladius, penna scriptori, aratrum agricolæ, malleus fabro, semen plantis, panis sustentationi corporis humani, aqua, ignis, aër, lumen huic mundo materiali: quæ omnia nomina in Scripturis reperiuntur verbo diuino attributa. Vnde quamuis Ecclesia interdum excommunicet, quæ pœna
B respondet illi pœnæ, qua interdicebatur quis apud Gentiles aqua, & igni; tamen non vult excommunicatum priuari auditione verbi DEI, vt iam prius diximus. Postremò hinc intelligitur egere nos doctrina & interpretatione Scripturarum, has non etiam adeò per se faciles esse, vt iactant Hæretici.

Scripturæ non sunt faciles.

Eucharistia nomine Syrus vtitur.

Et communicatione fractionis panis.] Καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. Syrus, ומשתותפין הוו בצלותא ובקצ׳א דאוכרסט׳א *vmeschthauthephin hauau batslutha vbaktsaia deucharistiia*, quod sic exponitur: *Et communicabant in oratione, & in fractione* EVCHARISTIÆ, vbi postponit Eucharistiam orationi. Sensus Syri interpretis pla-
C cet. Et notabile est, quòd nomine ipso Græco EVCHARISTIÆ vtitur. Caietanus secutus textũ Græcum, docet commẽdari tria illa millia hominum conuersorum primò, *de perseuerantia in doctrina Apostolorum*, de qua iam dictum est: *secundò, in communicatione rerum, & officiorum mutui obsequij: tertiò, in fractione panis, hoc est, in distributione cibi, quoniam communicatio redigebat propria in commune, fractio panis commune distribuebat in singulos: quartò, in orationibus.*

Caietani expositio reiicitur.

a vers. 44. & seq.

Repugnat isti expositioni, præter Syram interpretationem recitatam, quoniam paulò pòst [a] distinctè sermo est de illa, quam Caietanus secundo loco posuit, communicatione, atque distribu-
D tione, videturque in isto versu mentio fieri duntaxat de rebus & exercitiis spiritualibus: & vocatur perseuerantia in communicatione, quia fieret ab omnibus: erant autem ex iis proculdubiò nonnulli pauperes, qui eleemosynam largiri non poterant, neque laus esset quotidiè conuiuari. Denique nomen communicationis, & fractionis panis fauet magis, quàm obsit, vt videbimus. Glossa interlinearis, & Lyrani, Hugo etiam, & alij vtroque modo exponunt, *tum de pane sancto, tum de communi.* Sed mihi sola, quam dixi, expositio probatur, quæ est etiam communior: & præter Interpretes, Ionæ Aurelianensis [b], & B. Antonini [c], immò & Lutherus [d], atque Caluinus [e]
E fatentur. Varietas lectionis Græcæ, & Latinæ oritur aut ex varietate codicum Græcorum, ita vt noster Interpres iis vsus fuerit, qui ita, prout vertit, habebant: aut ex eo, quòd sensum magis respexerit, quàm reddere verbum è verbo. Sensus nostræ editionis est: *Erant perseuerantes in fructu fractionis, seu fracti panis, vel in participatione, &c.* Græci textus, *In fructu participando, & in fractione*: quasi diceret, tum in manducatione spirituali, tum in sacramentali, seu externa. Vel certè Græca editio innuit veterem consuetudinem vsurpandi eodem tempore Eucharistiam, ac deinde cœnam Dominicam, liberaliter largiendo vi-

Communicatio fractionis panis est frequens S. Eucharistiæ vsus.

b lib. 3. de Imag.
c 1.p.histo.tit. 6.c.2.§.1.
d ser. de Euchar.
e 4. Instit. c. 17.

A ctum egenis. Sed præstat acquiescere in priore responsione.

Neophytis post Baptismum concedebatur Eucharistia.

Hinc porrò colligitur primò consuetudo illa Ecclesiæ antiquissima dandi neophytis EVCHARISTIAM immediatè post Baptismum, de qua meminit Ambrosius [f], Cyrillus Ierosolymitanus [g], Tertullianus [h], Hieronymus [i], Augustinus [k], atque alij, & hodiè etiam viget apud Ecclesiam quidem Latinam in adultis, in paruulis quoque apud Græcam; de qua re etiam Scriptores de Ritibus Ecclesiæ, vt Albinus c. de Sabbato sancto.

f li. de iis, qui myster. initian. c. 7.
g in Catech mystag.
h 4. cont. Marci.
i con. Lucif.
Quotidie fideles olim communicabant.
k ep. 23. & l. Hypognost.

Deinde sequitur, vsum fuisse quondam frequentandæ quotidiè Eucharistiæ, non minùs quàm orationis, aut verbi diuini: quæ hîc tria
B tenore eodem coniunguntur. Superuacaneum est de hac re agere, atque de crebræ communionis vtilitate, cùm tam multi obuij sint, quos adire possis, citati à recentissimis Ioanne Stephano Duranto, Enriquez [l], & Suarez [m], & Christophoro [n] Madridio.

l lib. 8. Summæ. c. 51.
m Tom. 3. in 3. par. Disp. 63. sect. 4.
n tract. de hac re.

Diu perseuerasse consuetudinem hanc, arguunt orationes, quæ post communionem in Missa, quotidiè recitantur, quæ non de sacerdote tantùm, aut ministrante Clero, sed etiam de populo vniuerso, qui Missæ intererat, disertè meminerunt: hodiéq; ferunt Æthiopas sub Preste Ioanne, quotquot Missæ intersunt, quæ vnica quotidiè fit, communicare. Item eiusdem cõsuetudinis in-
C dicium est εὐλογία, seu panis benedictus: de quo idem Ioannes Stephanus Durantus [o].

o lib. 2. de Ritib. Eccl. c. 57.
S. Eucharistiæ frequentem vsum omnes Doctores probant.
p homil. 7. & 61. ad popul. Antiochenũ. hom. 28. in 1. Cor. & 12. ad Hebr. & orat. de S. Philogonio.
q 4. de Sacr. c. 5.
r Serm. 28. de verb. Dom.
s in ora. Dom.
t c. 8.
u c. 6.

De infrequentia suo iam tempore conquerebatur Chrysostomus [p]. Non est quòd quis dubitet præstare frequenter, quàm raro communicare, cùm & tam multi Patres, quos citant citati Auctores, id sentiant, vehementerque vrgeant, sic accipientes etiam, quod in oratione Dominica panis idem *supersubstantialis, quotidianúsque* dicitur; vt inter alios Ambrosius [q], Augustinus [r], Venantius affirmant [s], & Concilium Tridentinum ad id magnoperè hortetur sess. 13. [t] & 22. [u] hoc posteriore loco ita loquens: *Optaret sacrosancta Synodus,*
D *vt singulis Missis fideles astates non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam perceptione communicarent, quò ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior prouenirет.* Postremò id exigit cibi, panisque nomen, quod Eucharistiæ tribuitur, & quem retrahit negligentia, vel timor, incitat amor, ipsáq; frequentia meliùs disponimur ad magis reuerenter vsurpandum, & oblata in Sacramento magna gratia, ex opere operato, negligi non debet.

Dissensio inter Doctores de quotidiana communione usu.

x epist. 28. ad Lucin.

Veterem esse quæstionem, ac dissensionem de ista re, argumento est, quòd testatur Hieronymus [x] in eius consuetudinis approbationem, ab Hippolyto & aliis editos esse tractatus. Duo difficultatem facere possunt, quomodo iuncti matrimonio vsurparent quotidiè EVCHARISTIAM,
E cùm nefas sit sacerdotibus vti coniugio: & quo loco id facere passim omnes possent, cùm locorum sacrorum penuria laboraretur, primis præsertim Ecclesiæ seculis, certè copia tanta non suppeteret, quæ omnibus satis esset.

Coniuges quo die communicabant non miscebant corpora.

y 1. Cor. 7. 5.

Equidem quod ad primum attinet, existimo coniuges non vsurpasse EVCHARISTIAM, quo die corpora coniungerent, quoniam Paulus vel propter orationem, &, vt quidam codices habent, etiam propter ieiunium, eos abstinere cupiebat [y]; qua de re dixi enarrans Euangelium Dominicæ primæ Quadragesimæ. Quòd si qui id tamen faciebant, neque propterea damnandi tanquàm de peccato saltem mortali: at de

sacer

ſacerdote longè diuerſa ratio, qui non ſumit Euchariſtiam duntaxat, & tractat, ſed etiam conſecrat, & totus ad id munus conſecratus eſt. Sed meum non eſt, quibus permittitur vxores ducere, ac retinere, & vſum habere cum iiſdem, ſi hunc habeant eo, quem dixi modo, penitus condemnare. Conſtat abſtinuiſſe legis veteris ſacerdotes à coniugibus, dum ſacrificarent: & Hieronymus [a] conſcientiam eorum conuenit, grauitérque reprehendit, qui id facere non vererentur.

Sacerdotes coniugatos eſſe non conuenit.
a in Apolo. pro libr. con. Iouin.

Quod ad ſecundum attinet, teſtantur Patres licuiſſe olim fidelibus EVCHARISTIAM domum deferre. Tertullianus [b], Cyprianus [c], Hieronymus [d], Auguſtinus [e], Clemens [f] quoque Alexandrinus, & Baſilius [g], qui de Anachoretis cauſam reddit, cur in Eremum Euchariſtiam deportarent, quia Eccleſias frequentare non poterant (nulli verò inter eos eſſe Sacerdotes ſolebant, quippe alij erant monachi, alij Clerici, vt dictum eſt capite primo [h]) & alij addunt tempus perſecutionis, quo difficile erat coire in templum. Quæ cauſæ vbi ceſſauerunt, ac ne ſacrilegiis occaſio daretur, cautum eſt efferri EVCHARISTIAM extra templum, vt monet, atque decernit concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. [i] & ante illud Toletanum primum [k], & Cæſar-Auguſtanum [l], & Rothomagenſe [m].

Olim Chriſtiani Euchariſtiā domum deferebāt.
b li. 2. ad vxorem.
c li. de ſpecta. & ſer. de lapſis. & ep. 56.
d ſuprà citato loco.
e Ser. 252. de Temp.
f 1. Strom.
g ep. ad Cæſar. ior.
h verſ. vlt.
i ca. 20.
k c. 14.
l c. 3.
m c. 2.

Communication.] Κοινωνία. Vſitatior eſt Latina dictio, *Communionis*: quæ omnes voces exprimunt vnitatem cum CHRISTO, & inter nos, ſicut & nomen Græcum σύναξις (quod eſt apud Dionyſium [n], & alios) vt ex auctoritate Damaſceni [o] docet B. Thomas [p]. Eodem nomine κοινωνίας, & *communicationis*, vtitur Paulus [q]. Ex adiunctis reſtringitur ſignificatio ipſius; aliquādo enim, vt in Symbolo Apoſtolico, vbi credere nos profitemur *communionem Sanctorum*, idem eſt, quod communicatio, & participatio fidelium in bonis ſpiritualibus: interdum in Iure, præſertim Canonico [r], eſt obiectum, ſeu forma illa, qua fideles priuantur per excommunicationem (vnde illæ formulæ in canonibus Apoſtolorū, ἀπὸ κοινωνίας, vel ἀκοινώνητος ἔστω) ſed κατ' ἐξοχὴν ſumitur pro vſu iſtius Sacramenti EVCHARISTIÆ, propter iā dictam cauſam, quæ eſt etiam Auguſtini apud Bedam [s], referturque in Decreto [t]: Eadē eſt vis nominis συνάξεως, pro congregatione fidelium, vt interpretatur Chryſoſtomus [u], Baſilius quoque apud Damaſcenum [x].

Communionis vox quid ſonet.
n Eccle. hier. c. 3.
o li. 4. c. 14.
p 3. par. q. 73. a. 4.
q 1. Corin. 10. 16.
r vt in cauſa 11. q. 3.
s in c. 10. 1. ad Cor.
t c. Quia paſſus. de conſec. diſt. 2.
u homil. 9. ad pop. Antio.

Potiſſimùm enim congregātur hoc Sacramento, & in templum conueniebant ad vſum illius, vt Paulus ait in prima ad Corinthios [y], & Iuſtinus [z]. Tertullianus [a] quoque dicit *ſoluendam eſſe orationem corpore Domini accepto*. Hinc fluxit quoque, vt diceretur ab Ignatio [b] EVCHARISTIA *pax* CHRISTI, & Cypriano [c] *idem ſit dare pacem lapſis, quod admittere ad communionem*, & olim pacis, charitatiſque eſſet ſymbolum mittere EVCHARISTIAM ad Epiſcopos Romam venientes, vt auctor eſt Euſebius [d], ac Nicephorus [e]. Et inter Pontificios ritus vnus eſt, vt longè procedens Pontifex præmittat EVCHARISTIAM mediam inter ſe, crucemque: vt memini feciſſe Clementem VIII. profectum ad recipiendam Ferrariam anno 1598. & de Petro Luna quamuis Antipapa, qui nomen aſſumpſit Benedicti XIII. idem proditum eſt, cùm iter faceret [f]. Lege opus ſacrarum cæremoniarum [g], & Angelum Roccam tractatu de hoc ipſo ritu prælatæ ante Pontificem iter facientem Euchariſtiæ.

Fideles communioni maximè congregantur.
x li. 4. c. 14.
y c. 11. 18.
z Apol. 2.
a li. de orat. c. vlt.
b ep. 14.
c epiſt. 10. 29. 30. & in orat. Dom.
d 5. hiſt. c. 24.
e 4. hiſt. c. 39.
f hiſt. Pont.
g li. 1. ſect. 12. cap. 1.

Significabant communionem hanc, & coniunctionem, quæ à charitate nominabantur ἀγάπαι, conuiuia nimirum modeſta, & pia, quæ ab Apoſtolo indicantur nomine *Cœna Dominica* [h]. Athenæus [i] conuiuiorum apud Gentiles quæ vocarentur φιλίτια, ſiue φιλίτεια, item φιλίσια, vel φιλίτια, & ſcilicet inter amicos celebrabantur, mentionem facit: etſi alij φιλοίνια, à vino, nominant, vt exponit egregiè Maldonatus [k], & à Patribus crebrò commemorantur, quos idē citat, necnō Bellarminus [l], Enriquez [m], & alij. Idē ſibi vult oſculum exhibitū in Miſſa, de quo Ioannes Stephanus Durantus [n], & Thomas Bozius [o], ex antiquitatis teſtimoniis.

ἀγάπαι quæ olim fuerint.
h 1. Cor. 11. 18.
i lib. 5. c. 5.
k in cap. 26. Matth.
l 5. de Euch. c. 1. & 2. de Miſſa. c. 10.
m libr. de ſacrif. c. 10.

Quòd itē olim EVCHARISTIA aſſeruaretur in vaſe in colūbæ forma facto, quæ eſt ſymbolum charitatis, ſcribit idem Ioānes Stephanus Durantus [p]. Idem inter alias notiones EVCHARISTIÆ nomē importat. Mitto Gentiliū illud ſacrificium, nomine CHARISTIA, ſeu conuiuium ſacrum, in VIRIPLAGÆ deæ celebratum ſacello, ad reconciliandos coniuges inter ſe. De quo Valerius [q]. Ouidius [r] autem ita cecinit:

Proxima cognati dixêre CHARISTIA *chari.*

Euchariſtia olim aſſeruabatur.
n 2. de Ritib. Eccl. c. 54.
o li. 14 de Notis Eccl. c. 5.
CHARISTIA, Gentil. conuiuium ſacrū.
p li. 1. de Ritib. Eccl. c. 16.
q lib. 2. c. 1.
r 2. Faſtorum.

Coniurati item fœdus firmabant proprio guſtato ſanguine (vt conſtat ex Salluſtio [s], Liuio [t], Herodoto [u], cùm de Scythis agit, Solino [x], & Tertulliano [y]) quaſi ita ſignificantes quàm ſint pro fœdere parati ſanguinem, & vitam profundere. Sed omnium quotquot vnquàm extiterunt arctiſſimo nobis fœdere iunctus, & aduerſùs hoſtes noſtros potentiſſimus conſpirator CHRISTVS fuit, qui quem mox effuſurus ſanguinem erat, potandum nobis dedit, & corpus tradidit comedendum, quod traditoribus erat traditurus, præbibens ipſe, ac prægustans, ſuumque hoc vnum Sacramentum ſumens, & nullum prætereà ex ſuis aliud, vt rectè ex ipſiuſmet verbis Tertullianus [z] argumentari videtur [a]. *Deſiderio deſideraui*, aut, vt ipſe legit, *concupiſcentia concupiui, hoc Paſcha manducare vobiſcum*, & Emiſſenus [b] ex Paulo [c]: *Quia pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem*, qui tamen fortaſſe magis eſt ſenſus accommodationis, quàm per ſe intentus. Idem verò illud de CHRISTO prætereà ſentiunt Hieronymus [d], Chryſoſtomus [e], Heſychius [f], Gloſſa in Ruth [g], S. Thomas [h], & Scholaſtici [i]. Cœnam, quaſi κοινὴν, id eſt, communem, Græci dictam volunt: de ſacra Dionyſius [k] ſic ſcribit: ὡς ἑνοῦσαν καὶ κοινωνίαν πρὸς τὸ ἓν εἰσάγειν, *quod reducat ac reuocet vnitatem & communionem ad vnum, eſſentia vnum, ſed trinum perſonis.* De coniunctione verò inter nos ſic ille: ἡ δὲ θειοτάτη τοῦ ἑνὸς, καὶ ταυτοῦ, καὶ ἄρτου, καὶ ποτηρίου κοινὴ, καὶ εἰρηναία μετάδοσις ὁμοτροπίαν αὐτοῖς ἔνθεον ὡς ὁμοτρόφοις νομοθετεῖ, καὶ τοῦ θειοτάτου δείπνου, καὶ ἀρχισυμβόλου τῶν τελουμένων εἰς μνήμην ἱερὰν ἄγει. *Diuiniſſima, vnius eiuſdémque panis atque poculi communis pacificáque communicatio diuinam illis velut conuictoribus morum coniunctionem ſancit, & diuiniſſimi illius conuiuij tanquam primarij exemplaris, aut ſymboli in horum myſteriorum memoriam ſacram ducit.*

s in coniurat. Catil.
t lib. 1.
u lib. 4.
x c. 25.
y Apolog. c. 9.
Chriſtus amicorum omnium amiciſſimus.
z 4. cont. Marc. c. 40.
a Luc. c. 22. 5.
b homil. 5. de Paſch.
c Heb. 2. 14.
d c. Neque Moyſes. de conſec. diſt. 2.
e Hom. 83. in Matth.
Cœna quid ſignificet, & quid de S. Euchariſtia Dionyſius ſcribat.
f Leuit. 8.
g c. 3.
h 3. p. q. 87. ar. 1. ad 3.
i 4. diſt. 12.
k Eccl. hier. c. 3.

Porrò coniunctio cum DEO, & CHRISTO duplex per EVCHARISTIAM exiſtit, duplex itē inter nos. Nam quamuis quicunque percipit corpus CHRISTI, realem coniunctionem cum eius corpore habeat, tamen in eo qui dignè id facit, coniunctio hæc eſt per modum cuiuſdam amici complexus, indeque excitatur vt CHRISTVM amet, & affectu complectatur, quem habet corporaliter præſentem: atque poſt realem etiam

Coniunctio cum Chriſto in Euchariſtia quid ſit.

a Mat.19.6. b Hom. 88. in Matth. c li.4. in Ioan. c.17. d li. 8. de Euch.c.16. & 17. e li.1.ep.228. *Coniugum cōmunio aptatur conuenientissimi cū Christo, qua fit in Eucharistia.* f 3.par.q.79.a. 1. ad 3.& a. 6. ad 3.opusc.58. c. 21. & opusc. 59.c.16. g Rich. 4.d.9. a.1. q. 2. Gab. lec.85.in Can. Gers. lect. 9. super Magnificat. *His qui sumpserint Eucharistiā aliquid plus tribuitur quàm aliis.* h Catech. 4. mystag. i ho.4.in Mat. & 51.& 45. in Ioan. k li.4.c 14. l li.3.in Ioan. c.17. & lib.4. c.17. m orat. catechc.c.37. n Ser.de cœn. Dom. o Serm. 15. in Ps.118. p Ser.de cœna Dom. q Zacha.9. r in 6.& 10. *Eucharistia panis fractionis aut qui frangitur, nominatur.* s Tom.3.in 3. p. Disp. 64. sect.1.& 3. t de Euchar. u fol.78. x Esa. 58. 7. Thren 4.4. y lib.de salut. docum. c.5.& 31.li.50.homi. in 18.serm.de Temp. z Serm.62.de Tempo. a 1 Cor.10.16. b Mat. 26.26. Marc. 14. 22. Luc 22.19. c Luc. 9. 16. Marc. 6. 41. Mat.14.19. d c.vlt.16. e vers.42. f in epitaph. Paulæ. *Consilium Discipulis in Emaus Eucharistiā dedit.* g 3. de cōsen. Euāg. c.25. & tract.2 in ep. 15.& ep.59.& 99.& ser.140. h in Lucam. i ibidem. k hom. 9. ex var.Mat.locis. l Hom.17. *Thalmudici de fractione panis quid senserint.* m li.2.in Leu. n in Lucam. o ibid. p ibid. q Ioā 6.an.27. r Repe.10.c.1. s lib.8.de Euchar.c.44. t lib.4.de Euchar.c.29.

A præsentiam restat moralis quædam habitudo, prout censetur is, qui recipit, esse moraliter aliquid CHRISTI, & hic illius habere specialem curam, non tantùm quantùm ad animum, verùm etiam quantùm ad corpus, vt id sanctificet, & gloriæ particeps efficiat.

Exemplo esse possunt coniuges, qui dicuntur, *vna caro* [a], per actualem commixtionem. Hoc est, quod Chrysostomus [b] voluit, dicens, *nos per coniunctionem cum* CHRISTI *corpore fieri massam vnā*: & Cyrillus Alexandrinus [c]: *vt ceram igni liquefactā, vt candens ferrum*. Plures alios Patrum dicēdi modos lege, si placet, Lector studiose, apud Enriquez [d]. Denique Isidorus Pelusiota [e] docet, communionem vocari, propter coniunctionem cum DEO, B & quia regni participes reddit.

Vbi nō defuêre qui affirmarēt, his, qui CHRISTI corpus sumpserint, tribuendum in corpore peculiarem quasi ornatum in similitudinem aureolæ, cùm immortalitas ipsa corporis tanquàm proprius effectus EVCHARISTIÆ censeatur.

Illud verè dici potest, ex attactu tam sacræ carnis, nostræ carnis fomitem imminui. Ita enim S. Thomas [f] sentit, & alij Theologi [g], necnon ex Patribus, Cyrillus Ierosolymitanus [h], Chrysostomus [i], Damascenus [k], Cyrillus Alexādrinus [l], Nyssenus [m], Cyprianus [n], Ambrosius [o], Bernardus [p], Hieronymus [q], qui de hoc Sacramento exponit C verba Zachariæ, quibus dicitur, *quoddam vinum esse germinans virgines*: de qua re Claudius de Sainctes in Repetitionibus de EVCHARISTIA [r], & Suarez [s], concilij quoque Tridentini Catechismus [t], & Concilium Coloniense [u].

Fractionis.] Panis Eucharisticus nominatur Panis fractionis, vel Eucharistia dicitur fractio panis, seu Panis qui frangitur. Nam licèt frangere panem [x] sit eleemosynæ nomine panem dare, non diuiti, sed pauperi, non vni totum, ne alij fame pereant, vt Augustinus notat [y]; vel partem etiam panis, quem vnicum tanquàm pauper habes, pauperi distribuere, vt idem docet [z]; vel parcè, ac velut ex fragmentis viuere, vt hoc loco Chrysostomus & Oecumenius innui putant; vel mirabilem D sine manibus, aut cultro fractionem externi panis, vt in Euangelio Lucæ Caietanus explicat; tamen pro EVCHARISTIA sine dubio accipitur à Paulo [a], qui etiam testatur à CHRISTO fractum panem EVCHARISTIÆ, dum eam instituit, prout & Euangelistæ scripserunt [b]: quamuis quoque de eadem fractione meminerunt, cùm CHRISTVS panes multiplicauit [c].

De EVCHARISTIA item verba Lucæ in Euangelio [d], (*Cognouerunt eum in fractione panis* (qui Lucas priùs [e] scripserat CHRISTVM fregisse panem) intellexerunt Hieronymus [f], Augustinus [g], Beda [h], Strabus [i], Chrysostomus [k], Auctor operis imperfecti in Matthæum [l], Hesychius [m], Euthymius [n], & Theophylactus [o]; & id E accuratè probat Maldonatus [p]. Lege etiam Toletum [q], Claudium de Sainctes [r], Enriquez [s], Bellarminum [t].

Thalmudici tradunt, apud Iudæos ritum fuisse, vt in domestico conuiuio paterfamilias panem sumeret, benediceret, frangeret.

Sed quiddam peculiare notasse videntur Euangelistæ tam sæpe, & tam diligenter habita mentione fractionis panis per CHRISTVM factæ, minúsq; probabiliter loqui videntur, qui vtramvis de isto Lucæ loco interpretationem & de EVCHARISTIA, & de vsitato pane problematicè

u in Concor. Euan. c.144. *Quomodo fractionem olim sacramenti* [illegible]. x Syntag. 17. pagin.1 412. 494. 546.& seq. *Fractio Eucharistiæ* [illegible]. y Leo[illegible] c[illegible].52. *Eucharistia cur sub pane & vino instituta.* z 1.Cor.10. 17. *Communio sub altera tantum specie sufficit.* a c.17. b cap.32. *Communio clericalis & laica quæ sint.* *Nazaræi soli Christiani communicabant sub specie panis tantum.* c Numer.6.3. Iud.13 7. Act. 21.23.& seq. *Kemnitij in hūc locum falsa interpretatio.* d Apol. confess. August. de vtraque specie.

defendunt, vt Iansenius [u], magis inclinans ad vsitatum panem, & alij.

Indicat fractionis nomen consuetudinem antiquam partiendi Sacramentum pro astantibus, siue manu, siue potiùs cultro, quia panis azymus glutinosus ita faciliùs diuiditur. Talis fuit quoq; consuetudo apud Gentiles, vt essent sacrificij participes, & libarent vinum: de qua re Gregorius Giraldus [x], & patet etiam ex Genesi 14. vbi postquàm Melchisedec sacrificium panis & vini obtulit nomine Abrahæ, inuitauit illum, & milites eius ad participationem sacrificij.

A multo tempore non vsurpatur fractio, sed singuli panes, seu minores hostiæ consecrantur, ad vitandum periculum decidentium micarum; & quòd oporteat laicos, aliosque etiam ministros sacros, præter sacrificantem, minore contentos hostia esse, testis Osvvaldus Mulser, qui cùm maiorem posceret diuinitùs, grauem sustinuit suæ temeritatis pœnam, vt testatur Tilmannus Brindebachius [y] ex tabula ænea in templo pagi Seued prope Oenipontum pendente. Ecclesia Græca, & Æthiopica retinet veterem illam consuetudinem. Monet quoque nomen fractionis, CHRISTI corpus laceratum esse, ac veluti confractum pro nobis in passione, & cruce.

Panis.] Vulgaris, ac notissima causa & ratio est, cur EVCHARISTIÆ Sacramentum sub panis, vinique speciebus institutum sit, quia nempe humani cibi, victusque duo illa præcipuam rationem habent: & quoduis ex multis particulis inuicem permixtis existit. EVCHARISTIA verò animæ refectio est, & vnitatis, atque charitatis efficiens causa ac signum. *Quoniam vnus panis*, inquit Apostolus [z], *vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus.*

Hinc porrò, vbi de solo pane mentio est, colligimus EVCHARISTIÆ Sacramentum sufficienter consistere, & recipi sub vna tātùm specie, vt alia argumenta ad idem probandum omittamus, quæ afferuntur à citatis Auctoribus, qui distinguunt cum Iure canonico duplicem communionem, clericalem, & laicam; etsi reuerà distinctio non in specie vtraque, & vna esse videtur, quoniam vtraque species concedebatur, sed in destinato loco, ac separato pro Clericis, & pro laicis, vt hi communicarent extra chorū, in choro alij Clerici, præter Sacerdotem & Diaconum: hi ante altare, & omnes Clerici aliquo proprio ritu, & insigni, vt colligere licet ex Concilio Toletano VI. [a] Bracarensi I. [b] & aliis.

Auget vim præsentis rationis illa coniectura, quia hoc Ecclesiæ principio plurimi profectò Christiani, permittentibus id Apostolis, seruabant legalia, & ex his quidam erant Nazaræi vsque saltem ad certum tempus, qui non bibebant vinum, vt patet ex Scriptura [c]. Tales ergo non bibebant de calice, neque tamen abstinebāt à communione, cùm Lucas dicat, *omnes perseuerasse, vt in doctrina, & oratione, ita & in communicatione fractionis panis.* Nolim tamen vim adeò magnam hoc in argumento ponere, quoniam modicitas vini, nec nocet nunc celebrantibus, etiamsi vouerint abstinentiam eius.

Martinus Kemnitius (qui non negat præsentem locum à veteribus intellectum de EVCHARISTIA) contendit per fractionem panis, calicem etiam intelligi, per figurā intellectionis, qua ex parte significatur totum. Quod ex Melanchtone mutuatus videtur [d], idem prorsus docēte de

fractio

fractione panis, in qua CHRISTVS cognitus est à duobus Discipulis [a]: *Alioquin*, inquit Kemnitius, *sub vnica specie Apostoli consecrassent.*

Verùm nimis sunt isti intelligentes, & in figuris catachrestici. Vt enim historia duorum Discipulorum benedicti panis distributionem cum CHRISTI recessu ita coniungit, vt nullum relinquat locum benedicendo, distribuendóve calici; sic in præsenti narratione solam historicus memorat *fractionem panis*, non describens quid Apostoli, sed quid populi facerent.

Neque verò quemquam turbet panis nomen (idémque est de nomine vini) post consecrationem perseuerans tum hîc, tum apud Ioannem [b], tum in epistola prima ad Corinthios [c]. Nam quod fit ex aliquo, eius nomen conseruat, vt Eua vocatur os, & caro Adam [d], homo ex puluere formatus, puluis [e]: virgæ conuersæ in dracones [f] retinent virgarum nomen, & aqua versa in vinum, aquæ [g]: dicuntur etiam cæci videre, claudi ambulare, &c. [h] Publicani etiam & meretrices præcedere in regno cœlorum [i].

Præterea vocat Scriptura ordinariè res, vt exteriùs apparent, vt serpentem illum, qui æneus erat [k], boues quoque æneos [l], malogranata [m], &c. Adhæc vocatur EVCHARISTIA panis, phrasi Hebræa, qua omnis cibus nomine לחם *lechem*, id est, *panis*, intelligitur, vt tradit Augustinus [n], quia est cibus solidus, præcipuus, atque substantialis, qualis inter cibos corporales est panis triticeus.

Aliqui agnoscunt hoc loco vim articuli Græci, qui præponitur, ita vt designet eximium illum panem, nempe EVCHARISTIAM: neque enim inferiùs, vbi mentio est de fractione panis, quæ de vsitato intelligitur, ponitur articulus. Ego non soleo magnum hac in re momentum ponere, cùm obseruauerim non semper inesse vim in articulo, neque hunc semper poni, quoties poni posset.

Verumenimverò, tametsi de confessione nulla hîc mentio fiat, non credat quis minimè vsurpatam ante susceptionem EVCHARISTIÆ, vel ad venialia, vel maximè ad expiandum peccata mortalia, si quis horum conscientiam haberet. Nam probare *quisque seipsum debebat, ne manducaret indignè* [o]. Hanc inter alias Chrysostomus [p] assignat causam instituti Quadragesimalis ante Pascha ieiunij, vt disponantur fideles ad EVCHARISTIÆ dignam sumptionem.

Et orationibus.] Orationis quanta vtilitas, & necessitas sit, docent sacræ literæ, & innumerabilia Patrum testimonia.

Cauendus autem Euchitarum error, sine cessatione semper orandum esse. Nec enim perseuerantia fidelium in orationibus, excludebat auditionem doctrinæ Apostolorum, & communionem; in quibus omnibus perseuerasse dicuntur, quia quotidiè, aut sæpiùs in hebdomada, certo tamen, assignatóque singulis tempore, his rebus vacabant. Vide quæ diximus capite præcedenti [q] de eadem re, exponentes quo in sensu aliquando exigatur continua oratio. Adde quæ in eandem sententiam disputat Basilius [r], & Augustinus [s]. Bonauentura exponens CHRISTI sententiam in Euangelio Lucæ [t]: *Quoniam oportet semper orare, & non deficere, Intelligitur id*, inquit, *vel in ore per postulationem, vel in corde per desiderium, vel in opere per præparationem.*

Non displicet quorundam annotatio, positas orationes post auditionem verbi, & post EVCHARISTIÆ sumptionem, quia difficilius est orare, & quia ad illa oratio adhibenda est, siue vt disponat, siue vt comitetur, siue vt etiam subsequatur: postremò quia verbum excitat ad orandum, & EVCHARISTIA simul accendit, & vires suppeditat. Expressus quoque numerus est multitudinis, quoniam varia est oratio tum mentalis, tum vocalis, publica, & priuata, pro orante, & pro aliis, illa quę dicitur oratio, & prætereà obsecratio, postulatio, gratiarum actio [u], &c.

Versus 43.] **Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia, & signa per Apostolos in Ierusalem fiebant, & metus erat magnus in vniuersis.**

FIEBAT *autem omni animæ timor.*] Idem sibi volunt sequentia verba: *Et metus erat magnus in vniuersis*: quæ tamen desunt in textu Græco, & in Syro interprete. Chrysostomus putat hunc timorem accidisse etiam iis, qui non crediderant. Timor verò hic non in illis quoque videtur natus ex odio, sed ex magna opinione, & reuerentia: vt cùm turbæ sanato paralytico à CHRISTO timuisse narrantur, & glorificasse DEVM [x]: vt cùm populus Salomonem dicitur timuisse, quando sapientiam eius perspexit in illo iudicio inter duas meretrices [y]: vt *cùm factus est timor super vicinos parentum Ioannis propter mirabilia, quæ afferebantur de natiuitate ipsius* [z], id est, religio ac reuerentia quædam: vt cùm suscitato filio viduæ, *timor omnes accepit* [a]: id est, horror quidam in CHRISTO apparentis Diuinitatis, ob quem magnificabant DEVM. Denique huius acceptionis alia complura suppetunt exempla.

Timor oriebatur ex prædicatione Petri, vel prodigiis Apostolorum, vt ait Glossa interlin. & Lyranus: adde vultuum maiestatem, & effulgescẽtem sanctitatem, vt de aliis quoque Sanctis proditum est, quorum aspectus erat horrori etiam summis principibus, vt de Leone, Benedicto, & aliis ferunt historiæ. Vnde subditur [b], quòd *gratiam habebant ad omnem plebem.* Itaque non erat hic timor incussus, sed obiectus.

Neque enim Prælati timori esse velle debent subditis, nisi hi forsan in bestias degenerent, cùm, vt obseruat Gregorius [c], à DEO dictum sit, qui imperium homini dederat in cetera animalia [d]: *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ*, &c. [e] *Mirabilis mutatio dexteræ Excelsi* [f]; qui priùs timidi, ac trepidi erant, terrori sunt aliis & horrori: & quos ancillæ vocula terrefecit, terrorem ingerũt omnibus hominibus: *qui ebrij mustóque pleni* dicebãtur, hi ab illis ipsis, qui id dicebant, summo habẽtur in pretio. Possemus in exemplum afferre Iacob, cuius sanctitas horrorem quendam diuinum incutiebat Laban: Ioseph comparatum cum Pharaone, Dauid cum Saule, Daniel cum Nabuchodonosore, Ioannem Baptistam cum Herode. Congruit proposito id Psalmi [g]: *Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis homo*, & Petri sententia [h], *Considerantes in timore castam vestram conuersationem.* De hac re iterum in capite quinto [i].

Multa quoque prodigia & signa per Apostolos in Ierusalem fiebant.] Deest in textu Græco, *in Ierusalem*: & CHRISTVS doctrinam suam miraculis confirmauerat passim in Euangelio, & eorum operationem suis Discipulis promiserat [k]:

Marginalia (left): a Luc.24.31. — Confutatur Kemnit. — b cap.6.59. c c.10.& 11. Res facta ex quo facta est nomen retinet. d Gen.2.23. e Gen.3.19. f Exo.7.12. g Ioan.2.9. h Mat.11.5. i Mat.21.31. — Scriptura res nominat vt apparent. k Num.21.9. l 3.Reg.7.25. m Exo.39.23. — n quæst.14. in Exod. — Græcus articulus non semper vim habet. — Ante Eucharistiæ sumptionem adhibetur confessio peccatorum. — o 1.Cor.11.28. 29. p homil.1.de ieiun. post Pasc. — Orandum semper, non tamen sine intermissione. — q vers.14. — r hom.14. s ep.121.ac in Psa.37. t cap.18.1.

Marginalia (right): Cur post auditionem verbi & Eucharistiam fiat de oratione mentio. — u 1.Tim.2.1. — Timor quid sit hoc loco. — x Mat.9.8. — y 3.Reg.3.28. — z Luc.1.65. — a Luc.7.16. — Timor ille vnde oriebatur. — b vers. vlt. — Prælati timori esse non debent subditis. c 21.Mor.c.11. d Gen.1.28. — e Gen.9.2. f Psa.76.11. Apostoli aliàs timidi, nunc aliis terrori sunt. — g Psa.63.9. — h 1.epi.3.2. i vers.11. — Christus doctrinam suam miraculis confirmauit. k Mat. vlt.17. & seq.

haec modò promissio impletur, prout etiam Marcus impletam esse testatur.

Miraculorum necessitas.

Præter ea, quæ versu 22. de miraculis disseruimus, supponéda hîc eorum necessitas est, seu maxima vtilitas ad nouam fidem, vel extraordinariam missionem persuadendam. Patet id ex Mose in Exodo [a], quando missus à DEO ad populum, & ex nouo Testamento, cùm dixit CHRISTVS [b]: *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, Dæmones eiicite.*

a cap. 4.1. & seq.
b Mat. 10.7.8.

Miracula ab Hæreticis exigi possunt.

Quare meritò Tertullianus [c] exigit miracula ab Hæreticis, negans verum vllum ab ipsis fieri. Irenæus [d] quoque & Augustinus [e], qui ait, *miracula [f] fuisse necessaria, vt mundus crederet.*

c de præs. Hæret. c. 30.
d lib. 2. c. 56. & 57 & apud Euseb. 5. hist. c. 7.
e 13. cont. Faustum, c. 6.
f 22. de ciu. Dei. c. 8.
g c. cùm ex iniuncto. de Hæret.

B

Innocétius verò III. iis, *qui se inuisibiliter à DEO mitti ad prædicandum dicerent* [g], *potest*, inquit, *rationabiliter responderi, quòd cùm interna illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nudè tantùm asserere, quòd ipse sit missus à* DEO, *cùm hoc quilibet Hæreticus assereret: sed oportet quòd astruat illam inuisibilem missionem per operationem miraculi, vel Scripturæ testimonium speciale*, &c. Quod vltimum probat ex Ioanne Baptista proferente pro se Esaiam, ac de se, *Ego vox clamantis in deserto* [h]. Itaque Paulus agens de salute nobis per Discipulos CHRISTI annunciata, sic loquitur [i]: *Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante* DEO *signis, & portentis, & variis* SPIRITVS *sancti distributionibus secundùm suam voluntatem.* De seipso verò loquens, deque suo Apostolatu, ait [k]: *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patiẽtia, in signis, & prodigiis, & virtutibus.*

h Ioan. 1.23. Esa. 40.3.
i Heb. 2.3. 4.
C
k 2. Cor. 12.12.

Homines falsæ religionis nulla vnquàm miracula ediderunt.

Alienæ ac falsæ religionis homines nulla vnquàm vera miracula ediderunt. De Gentilibus ostendit Tertullianus [l], & Augustinus [m]: de Mahumeto Damascenus [n]: de falsis miraculis Hæreticorum tradunt Historiæ, vt de Simone Mago Hegesippus [o], de Manichæo Epiphanius [p], Cyrillus Ierosolymitanus [q] de Cyrola Arriano, & de altero Gregorius Turonensis [r], de Eunomiano quodam Cassianus [s], Nicephorus [t], de Polychronio Monothelita sexta Synodus [u], & de Donatistis Optatus [x], & de Timotheo Eutychiano Theodoretus lector [y], & de Arrianis Amphilochius [z], de quodam Iconomacho Paulus Diaconus [a].

l Apol. c. 22. & 23.
m 10. de Ciu. Dei. c. 16.
n li. de cantu. sub finem.
o 3. de exci. Ierosol. cap. 2.
p Hæresi. 66.
q Catech. 6.
r 2. hist. Franca. 3. & lib. de glo. Conf. ca. 12. & 13.
s coll. 15. c. 3.
t lib. 5. c. 14.
u Act. 15.
x 2. cõt. Parm.
y 1. collecta.
z in vita Basilij Magni.
a vlt. rerum Rom.

D

De nostri temporis Hæreticis æquè pseudola commemorantur miracula ab Auctoribus, qui res eorum prodiderunt. Lutherus frustrà tentauit curare energumenum, & suscitare submersum, vt testis est Staphylus, & de eo scribit Cochlæus in actis Lutheri [b], & Surius [c]. Caluinus fictè mortuum, reuerà mortuum fecit, vt scriptum reliquit Hieronymus Bolsecus in eius vita [d], & Lindanus in Dubitantio [e], Bartholomæus Faius [f], & Surius [g]. Vt in genere de Hæreticis loquitur Tertullianus [h]. Simile accidit cuidam Ministro in Poloniæ, & Hungariæ finibus anno 1558. vt testatur Fœlicianus Ninguarda [i], Lindanus in Dubitantio [k], Alanus Copus [l], & Franciscus Turrianus [m]. Hos, & his similes (quos posteà deprehendi coniectos à Tilmanno Brendebachio in septimum librum collationum sacrarum) comparare possumus cum Prophetis Baal, qui per istius inuocationem ignem de cœlo deducere voluerunt, nec tamen potuerunt, quod verus Propheta verum DEVM inuocans Elias fecit [n]. Meminit Augustinus [o] Hæreticorum, qui quòd miracula sua venditarent, Mirabilarij appellabantur.

b anni 1523.
c in commẽ.
d ca. 13.
e Dia. 1 cap. 1.
f in energ.
g in com. rerum nostri tẽporis.
h lib. de Præs. cap. 30.
i lib. cont. Annã Burgen.
k lib. 3. c. 1.
l Dial. 6. c. 29.
m lib. de Dogmat. chara.
E
n 3. Reg. 18. 23. & seq.
o tract. 13. in Ioan.

A

Nouatianus quomodo ... ...

Quòd si de Paulo Nouatiano vera est historia, quam Socrates eius hæresi infectus narrat [p], atque Sozomenus [q], quem Gregorius [r] asserit in Ecclesia non recipi propter multa mendacia, dicendum est, non fecisse miraculum in confirmationem sui erroris, cui DEVS testimonium non præbet, sed ad detegendam Iudæi imposturam, qui cùm semel ab Attico Episcopo Constantinopolitano baptizatus, denuò baptizari vellet, vt quæstum faceret, fontis baptismalis aqua euanuit.

p lib. 7. Hist. 17.
q lib. 1. Hist. 24.
r lib. 6. ep. 31.

In eodem sensu intelligere debemus, quæ vt à Simoniacis nonnullis facta miracula Petrus Damianus cõmemorat [s]. Possent sanè vera etiam miracula patrari ab impiis, vt Augustinus docet [t], & in Matthæum Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, immò & CHRISTVS admonet in Euangelio [u], & de Pseudochristis, & Pseudoprophetis [x], & Paulus [y] de Antichristo: non tamen, vt dixi, ad comprobandum aliquem errorem.

s ep. 18. c. ...
t libr. 83. q. 79. lib. de verit. Eccle. c. 16 Tractat. 13. in Ioan.
u Mat. 7.22.
x Mat. 24. 24.
y 2. Thess. 2. 9.

Hæretici nõ possunt subterfugere, cùm ab iis miracula exigimus.

Neque verò est quòd Caluinus [z], aliíve Hæretici subterfugiant, cùm ab iis miracula exigimus, doctrinam, quam proferunt, antiquã esse: est enim omninò neoterica, & longè diuersa ab ea, quæ traditur ab ordinariis Ecclesiæ pastoribus: aut se à DEO missos esse; huic enim obiectioni occurrit Innocentius III. vt vidimus: aut nec Ioannem Baptistam signum vllum fecisse [a]: multa enim in eo, ac magna facta sunt [b]: & non proponebat doctrinam nouam, eumque omnes reuerebantur vt Sanctum [c], & tantùm non vt Messiam [d]: neque ausi sunt Baptismum eius improbare [e].

z in præfat. Institut.

Ioannes Baptista multa signa fecit.

a Ioan. 10. 41.
b Luc. 1.
c Iose. 11. Antiq. c. 10.
d Ioan. 1. 19. & seq.
e Matt. 21. 25. & seq.

Teneant ergo nos cum Augustino [f] in Ecclesia vincula miraculorum, & audacter DEO dicamus cum Richardo de S. Victore [g], vt aliàs quoq; monui: *Si error est, quod credimus, à te decepti sumus; ista enim in nobis iis signis & prodigiis confirmata sunt, quæ nonnisi à te fieri potuerunt.*

f lib. de vtil. credẽn. c. 17. & li. cont. ep. Funda. c. 4.
g 1. de Trinit. c. 2.

Et metus magnus erat in vniuersis.] Iam dixi desiderari hæc in codicibus Græcis: reponunt tamen quidam ad marginem non solùm duas dictiones ἐν Ἱερουσαλὴμ: sed etiam istas, φόβος τε ἦν μέγας ἐπὶ πάντας αὐτούς. Accipiunt aliqui timorem priùs dictum de recipientibus CHRISTI fidem; hunc verò metum de reliquis. DEVS Hebræis terram ingressuris promissam pollicitus est [h], fore, *vt vel ad nomen eorum habitatores ipsius contremiscerent, ac dolerent in morem parturientium.* Nihil nunc mirum, si pio horrore corripiuntur, seu fideles noui, seu etiam infideles.

h Deut. 2. 2.

Versus 44.] Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.

ERANT *pariter.*] Syrus. הוין אכחדא *hauu acchechada*, id est, *erant vna*, seu *simul*, quod aliàs reddidit, *vnà commorabantur.* Caietanus extendit ad coniunctionem animorum, & conuersationis, non tantùm loci. Emmanuel Sà de loco eodem ita intelligit, vt nunc moris est Religiosis eundem inhabitare. Difficilè id mihi persuadeo, nisi fortè interdiu intelligamus, ferè quotidiè conuenisse: in tanta enim multitudine verisimile est fuisse coniugatos, & patresfamilias, & domesticis, publicisque negotiis implicitos.

Typus est hic quidam cœlestis Ierusalem *cuius participatio* [i] *est in idipsum*, ἐπὶ τὸ αὐτό. *Dissidentes*

i Psal. 121. 3.
Participatio in idipsum typo ... cœlestis Ierusalem.

autem

autem à cœtu Sanctorum , & ab Ecclesiæ corpore se separâtes, inquit Hilarius [a], *participationem huius sanctæ ciuitatis non habent*. Et in Psalmo: [b] *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum*, Græcè itidem est, ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quod de communitate, quæ paulò pòst hîc ponitur, exponit Clemens [c], Basilius [d], & Augustinus [e]. Verùm de ista tanta concordia plura in capite quarto [f].

[*] *Et habebant omnia communia.*] Hoc idem repetitur in capite quarto [g]. *Videntes spiritualia dona omnibus communia, voluerunt & temporalia communicare*, inquit Chrysostomus: *tunc vigebat calor fidei, atque imitatio* DEI *nullum arcentis à beneficiis suis*, inquit Cyprianus [h], qui etiam deplorat [i] marcorem fidei sui temporis, qui nec decimas darent, ac emerent potiùs, quàm venderent.

Tribuit Hieronymus [k] hanc tam insignem charitatem calenti adhuc CHRISTI cruori, & abiectionem pretiorum ad pedes Apostolorum, argumentum fuisse, pecunias esse calcandas: de qua re in capite quarto.

Videtur hinc manasse Religiosus Ordo, qui ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, id est, à communitate, κοινοβιτικοὶ, id est, *Cœnobitici* dicuntur, tametsi hoc loco nulla est expressa mentio de voto paupertatis, vt obseruat Caietanus, qui ex eo quod priùs dictum est, eos fuisse perseuerantes in doctrina Apostolorum, colligit huiusmodi communem viuēdi rationem profectam ex CHRISTI institutione. Persequitur Chrysostomus [l] diuitiarum impedimenta, & commoda communitatis, ex qua tantum charitatis, & concordiæ vinculum, ac philtrum consistat, & per quam amputentur duo illa omnium rixarum, litium, ac bellorum seminaria (MEVM, & TVVM:) dicit prætereà [m], hac ratione centuplum etiam in hoc tempore acquiri ab Apostolis.

Basilius [n] multis locis, atque Augustinus [o] hinc eruunt prima fundamenta monastici instituti, negantes aliter concordiam inter monachos rectè conseruari posse. Hieronymus [p] quoque, & Cassianus [q] agnoscunt in istis arctius illud vitæ genus, idem porrò Augustinus [r] notat, nullas Ecclesias Gentium hoc fecisse, quia non venerabantur vnum æternum DEVM. Tametsi alibi [f] monet, ne efferatur quis, cùm veteres Romani parsimoniæ adeò studiosi fuerint. Rursus [t] obseruat ex Gentilibus Christianos tanquàm rudiores, priúsque idololatras non adeò faciles fuisse ad se abdicandum rebus suis: item [u] dum CHRISTVS viueret ac prædicaret, & vnum diuitem ab ipso inuitatum vt sua daret pauperibus, abiisse tristem: nunc, misso SPIRITV sancto, tam multos tam libenter id fecisse.

Plato quidem perfectam Reipublicæ formam describens, huiusmodi omnium rerum communitatem induxit: sed ea nec possibilis erat, nec penitus honesta, si de vxoribus præsertim, & liberis etiam ageretur: de qua re Aristoteles in Politicis [x]. Quo nomine suspecta nonnullis est inter alias Clementis Romani epistola quinta, in qua Platonis quoque facta mentione generalem illam communitatem in ipsa natura fundatam, atque ex iniquitate sublatam, valdè commendat. Sed Turrianus noster in opere pro epistolis Pontificum [y], quod ibi de coniugibus habetur, negat esse Clementis, sed cuiuspiam patroni libidinis, instituti in Republica Platonis, aut alicuius Nicolaitæ, vt Mafæus Cameracenas dixit in Chronico [z] exclamans, ac indignans id Clementi tribui: immò nec in vetusto exemplari Bibliothecæ Vaticanæ reperiri: denique dixisse aliarum rerum communem vsum necessarium videri non simpliciter, sed his qui irreprehensibiliter militare DEO cupiant, & vitam Apostolorum, eorúmque Discipulorum imitari velint.

Egimus in Scholis nostris Theologicis [a] de dominio, & proprietate, ostendentes quomodo peccati originalis effectus sit, nec tamen ad salutem omnium rerum abdicatio requiratur; quod Hæretici quidam nomine Apostolici senserunt, Epiphanio [b], & Augustino [c] teste, qui etiam de Pelagianis idem tradit [d], & Hilarius ad illum scribens idem refert de nonnullis Christianis apud Syracusas [e], hodiéque in hac hæresi sunt Anabaptistæ.

Nazianzenus [f] meminit legis à Iuliano Apostata latæ, ne Christianis liceret se in iudicio defendere, quamuis bonis spoliarentur: cogendos enim esse obseruare Euangelium, quo præciperentur nihil possidere.

In Martyrologio Romano [g] Iulittæ martyris Cæsariensis in Cappadocia, de qua etiam Basilius egregium encomium scripsit, perhonorifica mentio est, illudque de ea narratur, quòd cū bona sua à quodā potente sibi erepta in iudicio repeteret, ille verò exciperet, vt Christianam non debere audiri: & à iudice illi propositū esset, vt si audiri vellet, idolis offerret, illa, cùm id constanter recusaret, in ignem iniecta, sed illæsa, spiritum DEO reddidit. Lege Castro cōtra Hæreses [h], Bellarminum in Controuersiis [i], Molinam Tomo 1. de Iustit. & iure [k], Driedonem de liberta. Christiana [l].

Scio quòd Platonem (de quo Ælianus narrat [m], noluisse Arcadibus, ac Thebanis leges dare, quia rerum inter se communionem respuebant) Marsilius Ficinus [n], & Christophorus [o] Iauellus in partem meliorem interpretantur, vt nempe sit locutus de lege charitatis, & amicitiæ, atque de vsu honesto in obsequiis, & muneribus vxorum, ac liberorum. S. Thomas [p] verò præcisè negat sensisse Platonem de communitate vxorum.

Viguit aliquandiu primorum horum Discipulorum communitas, de qua sub nomine Essenorum, vel Essæorum, scribit Philo [q] (quem Photius [r] Christianum factum affirmat, posteà ob iram, & tristitiam defecisse) Iosephus [f], & Plinius [t]. Lege quæ Turrianus [u] scribit de Canonicis Regularibus, quos existimat ex Cœnonicis, vocatos posteà Canonicos: de his iustum opus edidit Ioannes Molanus. Omninò hoc maximum argumentum est pro veritate fidei, potissimùm in Iudæis conuersis, qui adeò erant dediti externis bonis: & Antonium ad suorum perfectam abdicationem hoc exemplo valdè permotum testatur Athanasius [x].

Tritum quidem est prouerbium, Πάντα φίλων κοινά: *Omnia amicorum communia*, quod primo loco explicat Auctor Chiliadum, & Pythagoras primus eius inuentor celebratur, vel Socrates, atque huiusmodi etiam vitæ communis inter suos discipulos institutor, *tanquàm illud*, inquit Gellius [y], *fuerit antiquum consortium, quod in re, atque verbo Romano appellabatur* Κοινόβιον. Seneca [z] hunc explicat diligenter locum, & inde colligebat Diogenes sapientem virum diuitem esse; quia deorum sunt omnia, sapiens autem illorum amicus, quod ipsum alij de Socrate referunt.

At Christiana charitas transilit fines humanæ naturæ, seséque dilatat & porrigit etiam ad exteros absque discrimine omnibus hominibus bene-

faciens

a in Psa. 121.
b Psa. 132.1.
c epist. 5.
d c. 2.19. Ascet. const.
e in Psa. 132. & Ser. 32.
f vers. 32.
g eod. vers.
h Ser. de oper. & eleemosy.
i lib. de vnita. Ecclesiæ.
Cur Christianis omnia essent communia.
k epist. 1.
Ordo Cœnobitarū vnde nomen sumpserit.
l hom. 7. & 12. in Act. & hom. in illud Pauli, *Oportet hæreses esse.* 1. Corin. 19. & hom. 33. in Genes.
m hom. 33. ad populum Antioch.
Monasticus vitæ principium.
n Reg. 19. ex fus. & 32. vbi de meo, & tuo. & 34. ex breu. vers. 85. 91. 131. 134. 148. 187. 252. & ser. 2. de inst. monach. & proœm. ad lib. de morib. & cap. 19. Ascet. cōst.
o epist. 109. & Ser. 31. de Tē. & in Ps. 83 & 94.
p epist. 8. & de viris illust. in Marco.
q lib. 2. de Instit. c. 5. & col. 18. cap. 5.
r 3. de Doct. Christ. c. 6.
Platonis resp. forma damnatur.
f 5. de Ciu. ca. 18.
t de catec. rudib. cap. 31.
u in Psal. 94. lege etiam in Psa. 83.
x lib. 2. Polit.
Clementis epi. 5. ab illa labe qua ibi est aspersa, purgatur.
y lib. 5. cap. 2
z lib. 9.

a in 2. 2.
Dominium post originale peccatum induxtum est.
b Hæresi 61.
c Hæresi 40. Tom. 6. & lib. de gratia Chr. c. 11. & ep. 106.
d epist. 89. & 106.
e epist. 88.
Iulianus Apostata legem tulit, vt Christiani in iudicio se defendere non liceret.
f orat. 1. cont. Iulian.
Iulitta martyris egregium factum.
g 30. Iulij.
h verb. Apostoli Hæres. 2.
i Tom. 1. Con. 5. li. 5. c. 3. & 9.
k tract. 2. dil. 19.
Platonē qui excusent.
l lib. 2.
m 2. hist. var. cap. 42.
n in arg. dial. 5. de leg.
o in epitome dial. Plato.
p 4. de Regimine Princi pum. cap. 4.
Essæi fere essent communicatione rerum omnium seruabant.
q lib. de supplicibus.
r in Bibl.
f 2. de bel. Iudaico.
t lib. 5. c. 7.
u lib. 5 pro ep. Pontif. c. 2.
x in vita.
Amicorum omnia communia vbi maximè est celebratum.
y lib. 1. cap. 9.
z 7. de benefi. cap. 4. & 12.
Christiana charitas fines humanæ naturæ transilit.

faciens, hocque arctissimo vinculo etiam alienæ religionis homines attrahit, quod accidit Pacomio, & aliis. Quod etiam vt à nostra religione homines ad suam superstitionem Iulianus Apostata abstraheret, est æmulatus, vel potiùs ementitus [a]. Martialis [b] argutè ac lepidè iocatur in quendam Candidum identidem prouerbium illud in ore habentē, cùm nil impertiretur amicis:

a Nazian.orat. 1. in Iulian.
b lib. 2. Epig.

Candide Κοινὰ φίλων *sunt hæc tua candide πάντα,*
Quæ tu magniloquus nocte diéque sonas.

Sic verò tandem concludit Epigramma:

Ex opibus tantis veteri, fidóque sodali,
Das nihil, & dicis Candide, Κοινὰ φίλων.

Scitissimè dixit nescio quis *diuiti pauperem amicum esse non posse, quia si amicus foret, pauper non esset.* Athenienses Plutarchus [c] prodidit in execrationem fraternæ discordiæ inter Mineruam, Neptunumque, de mense Boëdromione diem vnū exemisse.

c 9. Sym. q. 6.

Versus 45.] Possessiones & substantias vendebāt, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

POSSESSIONES *& substantias vendebant.*] *Non dicitur*, inquit Caietanus, *quòd vendiderint domos, in quibus habitabant*, sed inter omnia eis communia etiam domus intelligendæ sunt communes. Glossa interlin. & Lyranus, & Hugo, exponūt agros, seu vineas, & pecora: Carthusianus bona immobilia, & mobilia. Obstat Caietano, quòd capite quarto [d], vbi eadē sentētia repetitur, dicitur: *Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant.*

d vers. 34.

Possessiones.] Syriacè legitur, כניגא *cheniana, possessio, & substantia,* Græcè κτήματα, *bona acquisita*, quod sanè nomen, præsertim cùm sine restrictione ponitur, latiùs accipiendum est, quàm Latinum *possessio*, cùm nonnunquàm noster Interpres vel pecora, vel armenta, seu iumenta, explicationis gratia, illud vertere cogatur, quòd ita debeat intelligi ex antecedentibus, aut consequentibus [e]. Est quidem vox Latina *possessio* primùm dicta de agris, & fundis, vt ait Festus, quasi à pedum sessione, vel positione: vel quòd quis potis sit sedem ibi collocare: posteà tamen de quibuscunque bonis mobilibus vsurpatum est. In hac significatione extat nomen possessionis etiam apud Ciceronem [f], & alios. Interpres noster in capite quinto [g] idem nomen Græcum exposuit per possessionem.

e vt Exod. 17, 18. & Num. 20, 19.
f pro Quintio.
g vers. 1.

Substantias.] ὑπάρξεις. Vtrumque tam Græcum, quàm Latinum vocabulum in vsu est apud bonos vtriusque linguæ Auctores. Dicuntur autem facultates substantia, vel substantiæ, numero multitudinis, quoniam sunt ceu materia firma ac solida, atque robur hominis. Vnde Sapiens ait [h]: *Substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus circundans eum.* Propterea qui pauper est, dicitur *exinanitus, exhaustus, euacuatus* [i].

Substantia nomē est vsitatum pro diuitiis.
h Prou. 18. 11.
i Eccl. 13. 8. & seq. Phil. 2. 7.

Apud Lucam in Euangelio [k] cùm filius adolescentior petit à patre portionem *substantiæ*, Græca vox est οὐσίας, cuius videlicet vis eadem est atque ὑπάρξεως, ad significandum facultates apud peritos Græci sermonis, qui eâdem significatione dicere solent τὰ ὄντα, καὶ τὰ ὑπάρχοντα, ac sæpiùs quidem pro bonis mobilibus, peculio, &c.

k cap. 15. 12.
οὐσία καὶ ὕπαρξις Græcè idē sunt.

Vendebant.] Afferebant etiam videlicet, vt capite quarto [l] habetur, pretia ad Apostolos, perfectè se abdicantes.

l vers. 35. 36.

Vigilantij error fuit notatus à Hieronymo [m],

m cont. Vigil.
Error Vigilantij qualis.

A satius esse bona sua retinere, ac paulatim ex eis pauperes iuuare, quàm simul illas erogare: quem quoque errorem coarguit Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus [n]: nam CHRISTVS adolescenti consilium dedit, vt *si velles perfectus esse, venderet omnia quæ habebat, & daret pauperibus* [o]. Idem docet Augustinus [p], præferens eos, qui omni dimissa substantia expeditiores CHRISTVM sunt secuti, iis, qui de sua substantia CHRISTO, ac Discipulis ministrabant. Idem Ambrosius [q], Diadochus [r], Cassianus [s], Gregorius [t]: Hieronymus [u] rursum sæpe id inculcat, & amicos hortatur, vt ad rem longè perfectiorem, & illam Hilarionis præclaram recitat sententiam [x]: *Nemo melius erogat,*

Error illius redarguitur.
n c. 71.
o Mat. 19. 21.
p lib. de bo. coniu. c. 21.
q 1. Offi. c. 11.
r lib. de Spir. perf. c. 61. & 65.
s collat. 21. c. 31.
t 32. Moral. c. 17.
u epist. 26. & 34.
x in vita.

B *quàm qui sibi nihil reseruat.* Eandem sententiam factumque meminit alios esse imitatos. Lege Platum [y] de bono status Religiosi, & Bellarminum in Controuersiis [z].

y li. 3. c. 26.
z Tom. 2. li. 2. de Monach. c. 28. & 46.

Singularis DEI prouidētia fuit, vt propter mox futuram persecutionem dispergendis suppeteret vtcumque ex distractis possessionibus, & substantiis, vnde viuerent, atque faciliùs ipsarum personarum damnum ferrent, iam abstracti ab externis bonis.

Prouidentia Dei in distributione bonorum sub stantiarum apparuit.

Optabile quidem esset iam Ecclesiasticos viros à procuratione bonorum externorum vacuos esse: sed frigescente charitate laicorum, atque vt suam Ecclesia dignitatem tueatur, & aliis quo-

Ecclesiastici in-opes esse non debent.

C que benignè faciat, expedit, vt bona stabilia habeat, nec ea, vt primi illi Discipuli, diuendat, quēadmodum egregiè ratiocinatur Chrysostomus [a], deplorans tamen miseram necessitatem Prælatorum Ecclesiæ, tractandi res, ac negotia secularia more procuratorum, dispensatorum, cauponum, publicanorum, quęstorum, villicorum. Non negat Chrysostomus licuisse tunc habere possessiones, & bona immobilia, sed melius pro eo tempore fuisse ea non habere. Quinetiam Hieronymus [b] à Iudæis tunc substantias, possessionesque credentium publicatas significat, videlicet, vt existimo, quia ipsi credentes publicationem præueniebant, & ex persecutione publicationis periculum.

a homi. 16. in Matth.
b in c. 2. Amos.

D Nam quòd Ecclesia priscis valdè temporibus illa habuerit, patet ex epistola Pij I. secunda, & ex alia Vrbani I. ex edictis quoque Imperatorum, quibus ablata reddi mandarunt, teste Eusebio [c], & ex plurimis aliis argumentis, quæ colligit Bellarminus [d].

Ecclesia ab antiquis temporibus diues fuit.
c 10. Hist. c. 5.
d Tom. 2. lib. de Cler. c. 2.

Hieronymus [e] refert Prætextatum Proconsulem Orientis, & posteà Vrbis præfectum, variisque Magistratibus auctum, dicere per iocum Damaso solitum, *Facite me Romanæ Vrbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Ammianus [f] exprobrat quoque opulentiam tantam, vt propterea Damasus & Vrsicinus omni contentione laterum

e ep. 61.
f lib. 27.

E iurgati sint pro Romano Episcopatu.

In Decreto [g], ex Melchiade Papa (si tamen is est auctor Canonis) habetur, *quòd futuram Ecclesiam in Gentibus Apostoli prauidebant, idcirco prædia in Iudæa minimè sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fouendos egentes. At vero cum inter tribulationes & aduersa mundi succresceret Ecclesia, eò vsque peruenit, vt non solùm Gentes, sed etiam Romani Principes, qui penè totius mundi monarchiam tenebant, ad fidem* CHRISTI *& sacramenta Baptismi concurrerent; vnde fictum est, vt fabricare Ecclesias, & prædia habere ipsi liceret.*

g 12. q. 1. c. futuram.
Cur Apostoli in Iudæa prædia vendiderint.

Decet prætereà Ecclesiasticos potiri facultatibus corporalibus, vt ostendatur, CHRISTVM, cui illi peculiariter famulentur, esse omnium

Cur conueniat personas Ecclesiasticas esse diuites, & habere temporalia dominium.

domi

dominum,etiam rerum temporalium,contra Manichæos,neque improbari à lege Euangelica, vel excludi diuites,& potẽtes: & vt seculares discant ab illis benignitatem, & liberalitatem erga subditos, & rectum vsum diuitiarum:vt è contrario ex abusu etiam in Ecclesiasticis discant alij abdicare se omni dominio,& CHRISTI paupertatem sequi: vt tandem consulatur imbecillitati eorum, qui non sunt capaces dictæ abdicationis.

Teneãtur Clerici si malè insumant bona Ecclesiastica,ad restitutionem, dubitatur.

a sess.22.ca.1. de Reformat.

An Clerici domini sint bonorum Ecclesiasticorum,ita vt si malè insumãt,restituere teneantur,disputauimus in Secunda Secundæ. In re dubia quisque sibi maximè consulat, memor Concilium Tridentinum [a] seuerè interdicere, *ne ex reditibus Ecclesiæ studeat quis consanguineos, & familiares augere;cum*,inquit, *Apostolorum Canones prohibeant,ne res Ecclesiasticas, quæ* DEI *sunt,consanguineis donent*.Iubet prætereà ibidem,*vt mensa, & victus sit frugalis,& supellex modesta.*

b vers.35.

c vers.34.

d vers.2.

Et diuidebant illa omnibus,prout cuique opus erat.] Sic in capite quarto [b], *Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat*. Vnde fiebat, quod ibidem paulò antè dicitur [c]: *Neque quisquam egens erat inter illos.* Videtur verò diuisio illa facta primùm per Apostolos, ad quorum pedes ponebant venditores pretia,vt colligitur ex capite sexto [d], vbi conquesti sunt Apostoli, *quòd compellerentur derelinquere verbum* DEI, *vt ministrarent mensis.*

Prælati religiosi rum curam necessitatibus debent prouidere.

e Reg. 19.ex fusis.

f Reg.34. ex fusis,& 19.breu.& 131.& 135.& 148. & 187. & 252.

g Ser.2.de Instit. Monach.

Hinc porrò Basilius [e] infert, *Prælatorum religionis curam esse vnicuique prospicere de victu, vestitu, aliisque necessariis pro cuiusque necessitate:& vt ij [f], quibus cura mandata est distribuendi res necessarias ad fratrum vsum,faciles se ad omnes,& clementes prebeãt, neque suspicionem alicui aliquam commoueant maioris alicuius erga aliquos beneuolentiæ, inclinationisue animi propensioris* [g]. Vtitur etiam exemplo membrorum corporis,*in quæ alimentum pro cuiusque qualitate, & quantitate diffunditur, & hominum statura corporis differentium; ac proinde longioribus ac breuioribus vestimentis egentium, & bene,maléve valentium: quibus delicatiores cibi, aut medicina conceduntur,vel non conceduntur.* Eadem est B.Augustini doctrina in Regula Monacharum [h]. Bernardus valdè expendit illud, *Prout cuique opus erat* [i], *Non quod pueriliter quis*, inquit, *gestire poterat, nil ibi otiosum erat, ac multo minus superbum:quod opus erat, hoc est, quantum ad indumenta, quod & nuditatem tegeret, & frigus repelleret.*

h epi.109.

i Apol.ad Guliel.Abb.longe post medium.

Versus 46.] Quotidiè quoque perseuerantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.

QVOTIDIE *quoque perseuerantes vnanimiter in templo.*] Frequentabant templum fideles illi primitiui, tum ad orandum,tum ad prædicãdum, vt ait Lyranus. Templum intelligi hîc potest pro porticu Salomonis,de qua capite 5. [k] & pro parte alia etiam,vbi orationi vacabatur. Locus templi orationi commodior est, & habendo sermoni de rebus diuinis,& ministrandis Sacramentis,faciendóque sacrificio, de qua re inter ceteros accuratè Bellarminus [l], & Ioannes Stephanus Durantus [m],& Stapletonus [n],& nos etiam in Notationibus ad Euangelium Dominicæ primæ Quadragesimæ, & Serm, de Dedicatione Saluatoris, & in Euãgeliũ de Samaritana [o],& inferiùs c.VII [p]

Templum quid hîc sit.

k vers.12.

Templum locus orationi & prædicationi faciendæ commodissimus.

l Tom.1.lib.3. de Eccl.triūp.

m de Rit.Ecc. cap.1 & seq.

n in Promptu. Cath. in Domin. 9. post Pent.

o Sess.4.

p vers.50.

Templi sacer vsus à Christo & Apostolis approbatus.

q vers.1.

Præsenti instituto satis videtur, quòd primi Discipuli suo exemplo religiosum templi vsum approbarunt,sicut & capite sequenti [q],vbi exprimitur religionis causa, cùm ad illud Petrus & Ioannes orationis caussa ascendisse, designato ad orationem tempore hora nona, narrantur, quod & CHRISTVS quoque fecerat, & docuerat [r], *ascendens etiam Ierosolymam,& ibi dies aliquot commorans, & templum frequentans,non sine publica oratione ad festum Encæniorum* [s], vt argumentatur Augustinus contra Adimantum Manichæum [t],& libris de doctrina Christiana [u].

r Mat.21.12.

s Ioan. 10.22. 23.

t cap.10.

u lib.3.cap.6.

Templū pro sacra æde raro à veteribus vsurpatum.

Id vnum de nomine monendum restat, templum pro ædibus sacris Christianorum, ab antiquioribus raro vsurpari, quemadmodum & vocem Sacerdotis, non quòd à principio Christianæ religionis non fuerint sacræ ædes,quæ σεμνεῖα etiam à Philone [x] dicta sunt, sed ob recentem memoriam Sacerdotij, templique tum Hebræorum, tum Gentilium, quæ sine mactatione victimæ nec erant,nec intelligebantur:etsi non nescio interdum reperiri vtrumque apud Hilarium [y], Ambrosium [z], Augustinum [a], Hieronymum [b], (qui aliàs [c] illud quod dixi, admonuerat) necnon apud Tertullianum [d],Optatum [e],Minutiũ [f], & ex Gentilibus apud Vopiscum [g]: quemadmodum & nomen τοῦ ἱεροῦ apud Eusebium [h], Basilium [i], Nyssenum [k],& alios Græcos auctores.

x lib.de vita supp.

y in Psa.126.

z 2. offic.c.21. & 28.

a 8. de ciu.ca. vlt.& Ser.252. & 255. de Tẽ.

b in ca.7.Ier.

c ep.ad Ripa.

d lib.de Idol. c.7.& c.11. & de exhor.cast. cap.12.

Templa vni Deo non Martyribus sacra.

e 6.con.Parm.

f in Octau.

g in Aurel.

h 3.de vita Cõsta.c.29.30.63.

i in Psa. 114.

k orat. in S. Theod.

Sed quia idem nomen templi importat etiam, vt inter Ecclesiastica,& Christiana admissum est, quendam respectum ad sacrificium, id verò vni DEO offertur, non solet ab antiquioribus dici de loco, qui Martyri, aliíve Sancto dicatur,aut si ab aliquo dicitur,vt ab iis,qui modò citati sunt, exponendus is est materialiter loqui de ipso loco, qui sit ædificatus ad ornandam memoriam Sancti, non verò ad sacrificium illi offerendum.

Similis quædam ratio est de altari, quod nomen ratione sacrificij lapidi, super quo fit sacrificium, imponitur: propter reliquias autem in eodem inclusas appellatur tumulus, aut sepulcrum, siue monumentum.Hinc Damascenus [l]: *Templa*, inquit, *erigimus* DEO *in nomine, seu honore Sanctorum*. Et Augustinus [m]: *Nos Martyribus nostris non templa, sicut dijs,sed memorias,sicut hominibus mortuis, quorum apud* DEVM *viuunt spiritus, fabricamus.*

l lib. 4. c.16.

Templa Deo sacrantur in honore Martyrum.

m 22.de ciuit. Dei.c.10.

Frangentes circa domos panem.] Κλῶντές τε κατ᾽ οἶκον τὸν ἄρτον. Vbi per domum Oecumenius intelligit templum,*in quo*, inquit,*cibus communis post* EVCHARISTIAM *sumeretur*. Et de tali cibo dici colligunt nonnulli ex eo quòd sine articulo legimus ἄρτον. Eadẽ est de cibo isto expositio Chrysostomi. Glossa interlinearis, & Hugo vtrumque panem ponunt,vel sanctum,vel corporalem. Sed non cohærent sibi, quòd templum pro orationis loco sancto accipiunt, domos pro loco communi ad victum. Caietanus, Carthusianus,& Lyranus intelligunt de pane vsuali, & de loco extra templum. Gagneius omninò de Eucharistia, necnon B. Antoninus [n], qui ait esse communem opinionem. Consentit quoque Cardinalis Baronius [o]. Fauet quoque Syrus interpres sic vertens,ובביתא קצין הוו פרסיתא *vbbebaetha katsin hauu perisetha*, id est,*& domi frangentes erant munus benedictum*, id est,sacram synaxim, inquit Boderianus in Lexico Syrochaldaico, & Biblia Regia quæ sic legunt:*Et domi frangebant munus benedictum.*

n 1.p. hist.tit. 6.cap.2.§.7.

o Tom.1.Anna.

In hoc sensu vocatur aliquando Missa priuata, quæ fit nimirum in loco priuato, licèt alia in significatione ea etiam dicitur, in qua solus cele-

Missa priuata quæ sit.

brans

brans communicat, aut quæ priuatim celebratur in profestis diebus sine publico populi concursu, aut quæ offertur simpliciter vel pro priuata necessitate, vel pro defunctis.

Quis sit cibus de quo hoc loco.

Existimo de EVCHARISTIA non esse sermonẽ, quoniam superiùs paulò antè de illa sermo habitus est [a], sed vel de victu, qui distribuebatur singulis, prout cuique opus erat, vel de conuiuio, quod ἀγαπὴν appellabant, & sumpta EVCHARISTIA celebrari solebat, & *Dominica cœna* à Paulo vocatur [b], quã diuites Christiani, CHRISTI imitatione, pauperibus exhibere solebant: CHRISTVS enim antequàm corpus, & sanguinem Discipulis daret, vltimam cum illis cœnam egit: & de ea cœna loquitur Apostolis, in qua aliqui inebriabantur, aliqui esuriebant. Sacramentorum verò perceptione quis credat quemquam inebriari solitum? item de illa, quam sibi pauperes parare non poterant: EVCHARISTIA autem nemo nõ poterat, ad quam panis buccella, & minimo vini haustu opus tantùm erat. Ita sentit Chrysostomus, aliique Græci in Commentariis; & idem ille alio loco [c] cùm dixisset consuetudinem celebrandæ agapes, ex hoc quod hîc narratur manasse, notat à Corinthiis deprauatam corrigi, ac renouari à Paulo. Cyprianus quoque, ac Bernardus in sermonibus de Cœna Domini concordant.

a vers. 41.
b 1. Cor. 11. 20. ἀγαπὴ, *seu cœna Dominica quæ fuerit.*
c hom. in id, *Oportet hæreses esse*, 1. Cor. 11. 19.

Memini legere apud nescio quem, solemne fuisse Gentilibus etiam à sacrificio epulum [d]: cõstátque Iudæis præceptum esse per septem dies in festo Paschæ, hebdomadarum, & Scenopegiæ [e], facere sacrum quoddam epulum. Hæc est, quam Agapen prisci Patres, Clemens Alexandrinus [f], Tertullianus [g] præsertim vocant, & Decretum [h] ex Gregorio, & Concilium Gangrense [i], & Laodicense [k].

d Auct. antiq. conu. & alij.
e Deut. 16. 1.
f 2. Pædag. c. 1.
g in Apolo. c. 39. & alibi.
h c. conniuia. dist. 44.
i ca. 11.
k c. 27.

Hinc vulgaris omnium gentium phrasis apud Christianos, opinor, fluxit, vt qui quempiam ad conuiuandũ inuitat, inuitare dicatur ad faciẽdam charitatẽ. Iudas Apostolus [l] meminit huius ipsius vocis, qua & eius abutebantur significato falsi quidam fratres. *Hi sunt*, inquit, ἐν ἀγάπαις ὑμῶν, id est, *in charitatibus vestris* (Interpres, *in epulis suis*) *maculæ*: lege etiam Cyprianum [m], Hieronymum [n], Clementem Romanum [o].

l vers. 12.
m lib. 3. cap. 3.
n ad Eustoch.
p 2. Cõst. c. 31.

Circa domos.] Syrus, sicut dixi anteà, legit, ובבותא *vbbaietha*, quod est, *in sua domo*, &, *intra ipsam domum*, textus Græcus, κατ' οἶκον, in numero singulari, vt propterea vnam singularem ac sacram domum Oecumenius, sicut notauimus, intellexerit. Si ita esset, esset vnde cõfirmaretur vsitata Germanis, & Italis loquendi formula, qua summum templum, seu cathedralem Ecclesiam absolutè domum vocant: de qua nonnihil attingit Ioannes Molanus [p]. In Scriptura [q], & aliis Auctoribus [r], extat nomen domus DEI pro Ecclesia. Sed absolutè positam vocem domus in ea significatione nusquàm reperi.

p lib. 3. de Canon. cap. 3.
q sæpe in Pent. Psa. ac Proph. & Mat. 21. 13. Mar. 11. 17. Lu. 19. 46. Ioan. 2. 16. 18.
r Ter. de idol. c. 7. & Synod. Gan. cap. 5.

Iuxta expositionem de domibus priuatis, quam probabiliorem diximus, idem valebit, κατ' οἶκον, atque κατ' οἴκους, hoc est, singularis pro numero plurali, ac si dicas vno verbo, domatim, vel domesticatim.

Prælati qui subditis necessaria præbent, præuenire eos debent.

Laudabile est, vt is, qui curam distribuendi habet aliis necessaria, quam vim habet frangendi verbum, materno consulat affectu his qui pro DEO, matrem, patrem, omnia reliquerunt, & eorum indigentias præueniat, non præueniatur ipse, prospiciat, non expectet, vt necessitatem patiens prior petat, quod aliquando animaduerti à Basilio, Bernardo, & Fulgentio diligenter Præpositis commendatum, ne anxia subditorum cura tacita sit, ac iusta illorum reprehensio.

Panem pro quocumque cibo, aquam pro omni potu sumitur.

Panem.] Perfrequens est, panem pro cibo quocumque intelligere, & iuxta adiuncta modò pro opiparo, modò pro vilissimo, vt cùm dicitur quis *quærere panem* [s], vel *se locare pro panibus* [t]. Id notant Hieronymus [u], & Augustinus [x], & Gregorius [y]. Sicut & de aqua pro omni potu. Exempli caussa in Genesi [z] ait DEVS: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, vbi tamen quoque dicit [a]: *Comedes herbas terræ*. In Exodo [b] promittit panes mox missurus manna: 1. Reg. 14. [c] mel vocatur panis. Denique vox Hebræa, לחם *lechem*, pro qua sæpiùs *panis* ponitur, vertitur etiam aliquando ab Interprete nostro per *escas, cibaria, conuiuium, carnes*, vt obseruatum est in Thesauro linguæ sanctæ, & verbum לחם *lacham*, est incidere tam ore & dentibus quidlibet, seu vesci, quàm gladio, siue pugnare. Denique hoc sibi vult in oratione Dominica, *Panis quotidianus*, & quod est apud Lucam in Euangelio [d]: *Beatus qui manducabit panem in regno* DEI. Sed & panis cùm aqua pro integro victu, & potu reperiuntur apud Esaiam [e], & in Exodo [f], & in Historia Regum [g]. Denotat hæc phrasis parsimoniam, & frugalitatem. *Initium enim* (vel *principatus* ἀρχὴ) *vitæ hominis, aqua & panis*, inquit Sapiens [h]: putantque nonnulli vsum vini, & carnium ante Diluuium non fuisse: de qua re Interpretes Genesis [i], præsertim Pererius [k], Ioannes Buteo lib. de Arca Noë, Soto de Iustitia & Iure [l], Victoria Relectione de Temperantia, S. Thomas in Summa [m], & in epistolam ad Romanos [n].

s Psal. 36. 25.
t 1. Reg. 2. 5.
u lib. 2. in Eze. cap. 4.
x q. 166. in Exod.
y 23. Moral. c. 16.
z Gen. 3. 19.
a vers. 18.
b cap. 16. 4. & seq.
c vers. 24.
d c. 14. 15.
e c. 3. 1. c. 33. 21.
f cap. 34. 28.
g 3. Reg. 13. 14. & lib. 4. c. 22. 23.
h Eccl. 29. 21. c. 39. 31.
i in c. 1. & 3. & 6. 9. & 6. & 13. vbi Abulens. q. 172. & seq.
k lib. 4. Disp. vlt. & lib. 14. disp. 2. & 13.
l li. 5. q. 1. a. 1.
m 1. 2. q. 96. a. 1. & 2. 2. q. 102. a. 6. ad 2.
n cap. 14.
o lib. 4. Pharsal.

Contra ciborum intemperantiam & ingluuiem.

Non possum quin proferam Poëtarum duorum grauem de nostri seculi intemperantia querimoniam, alterius Ethnici, alterius verò Christiani. Prior est Lucanus [o]:

—ô prodiga rerum
Luxuries, nunquam paruo contenta paratis,
Et quæsitorum terra, pelagóque ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ:
Discite quàm paruo liceat producere vitam,
Non auro, myrrhâque bibunt, sed gurgite puro
Vita redit, satis est populis fluuiúsque, Ceréśque.

Posterior est Boëtius [p]:

p 2. de consol. Philosoph. metro 5.

Felix nimiùm prior ætas
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande:
Bacchica munera nec norat
Liquido confundere melle.
Vtinam modò nostra redirent
In mores tempora priscos.

Chrysostomus hoc loco panis nomine designari putat ieiunium, & austeram vitam: *Simul enim*, inquit, *accipiebant alimentum, non delicias.*

Sumebant cibum.] Bene Caietanus explicat non esse hanc circumlocutionem comestionis, sed significari quòd ab alio accipiebant cibum sibi datum, facta nempe distributione per singulas domos familiarum conuersarum ad CHRISTVM.

Cum exultatione.] Ἐν ἀγαλλιάσει, *eximia lætitia*, quasi extra saltando præ gaudio interno. Id Salmeron [q] ait esse proprium ratione vtentium; exponens exultationem Ioannis in vtero matris [r].

q Tom. 3. Tr. 10.
r Luc. 1. 44.

Quod

De saltu Ioannis in vtero matris gestientis.

A

Quod vt de Ioanne concedam, hanc tamen ibi vim non habet verbum ἐσκίρτησε, significat enim propriè saltum animalium præ luxu, vt solent pulli equini, & vituli, & arietes saltare. Vnde ad fœtum, qui in vtero mouetur, Hippocrates [a], Dioscorides, & alij Græci medici transtulerunt, quod exultim dicere dicit Horatius loquendo de equa trima [b]. Denique ἀγαλλίασις, & *exultatio* gesticulationem magis sonant, quàm ipsum gaudium.

a lib. de natura fœtus.

b 1. Carm. Ode 11.

Cur hac exultatione Christiani post cibum exultatio sit facta.

Causa tanti gaudij erat moderatio, ac tenuitas victus, vt placet Chrysostomo, vel vt Glossæ interlineari, & Hugoni, ob honorem sui Magistri, nimirum CHRISTI, cuius fidem propagari videbant: adde fraternam charitatem, quæ gaudium gignit [c]: & in dando, ac miserendo hilaritatem [d].

B

c Gal. 5. 22.

d Rom. 12. 8.

Et simplicitate cordis.] *Sine superbia, & fastu Pharisaico*, inquit Oecumenius; siue de beneficentia, siue de parsimonia loquatur, ad quam etiam modestiam hortatur parcos, & frugales Augustinus [e], cùm hanc in similium virtutum vmbra Romani non habuerint; vel, vt Chrysostomus exponit, cum simplicitate idem est, atque absque fuco, & dolo.

e 5. de Ciuit. Dei c. 18.

Simplicitas & exultatio quorundam fuerit ex fine.

Vtramque & exultationem & simplicitatem de vtrisque intelligi arbitror, tum de dantibus, tum de accipientibus. *Hospitalitas enim, ac liberalitas* [f], vt dixi, *debent esse cum hilaritate, & simplicitate* [g], sed &, *sine murmuratione*. Et Paulus dum ait [h], *Episcopum debere esse hospitalem*, subdit, *& benignum*, vt obseruat Hieronymus [i]: *qua benignitas, & simplicitas quadam ex parte Martha hospitanti* CHRISTVM [k] *videtur defuisse*.

f Rom. 12. 8.

g 1. Pet. 4. 9.

h ad Tit. 1. 8.

C

i in epist. ad Tit.

k Luc. 10. 1. 40.

Simplicitas laudatur maximè.

l hoc loco.

Laudat mirificè Chrysostomus [l] simplicitatem, volens omnem ea vna virtutem contineri, docensque DEO semper maximè gratos simplices extitisse, atque CHRISTO, *qui tales elegerit, & libenter cum illis sermocinatus fuerit* [m]: *nec alios esse, qui ambulent confidenter, nisi qui ambulant simpliciter* [n], vt videre fuit in Ioseph, & Dauide: & vafrum, & malignum rectè dici πονηρὸν, ἀπὸ τὸ πονεῖν, à laborando: cùm & Scriptura malitiam vocare soleat laborem [o], videlicet ab effectu. Et verbum Hebraicum עמל *hhamal*, est laborare, מעל *mahhaal* verò per transpositionem vnius literæ, præuaricari, & peccare significat. Syrus interpres vertit, ובבריךותא דלבהון *vbabberirutha delebehun*, id est, *in puritate cordis eorum*, vel sui, vel etiam munditie cordis: siquidem quod Psal. 50. [p] legimus, *cor mundum*, Syrus habet, לב בךי *lab beri*, & quamuis non vbique semper eædem voces, siue Hebraicæ, siue Syræ, siue Græcæ reperiantur, vbi Latinus vtitur nominibus simplicitatis, aut simplicis, sunt tamen ferè omnes æquiualentes. Inter alia dicitur aliquando simplex [*] תם *tham* à verbo Hebræo תמם *thamam*, quo nomine is qui consummatus, perfectus, & omni ex parte absolutus est, designatur: ex quo factum est, vt hoc nomen Hebraicum תם *tham*, noster Interpres modò per simplicem [q], modò per innocentem [r], modò per perfectum [s], modò per plenum [t], modò per sanum [u], modò per integrum [x], modò per immaculatum reddiderit [y], ex quibus confici potest quædam quasi descriptio simplicitatis.

m Prou. 3. 32.

n Prou. 10. 9.

o Psal. 9. 28. 89. Psal. 54. 11. 55.

D

p vers. 12.

* Iob. 1. 1.

E

q ibid. c. 9. 21. Genes. 25. 27. & passim in Prou.

r Iob. 9. 20.

s Gen. 6. 9.

t Leuit. 23. 15.

u Esa. 1. 15. & Ezech. 15. 15.

x Leuit. 6. 5.

y Psal. 118. 1.

z Iob. 1. 1.

Cur Iob simplex dictus sit.

a 1. Moral. c. 2. & 3. & li. 2. c. 19.

b in Catena in Iob.

Et tamen, qui cur Iob simplex [z] appellatus sit, considerant, non eadem ratione simplicitatis virtutem intelligunt. Gregorius [a] accipit mansuetudinem, qualis in columbis cernitur. Chrysostomus [b] veritatem rationalis naturæ sine fuco: B. Thomas [c] oppositam dolositati virtutem, quòd nulli nocuerit: alij veritatem in dictis, & factis, vel puritatem rectæ intentionis, quem CHRISTVS nominat oculum simplicem [d].

c in Iob.

d Mat. 6. 22.

Simplex quis sit verè.

Omnium aptissima simplicis hominis acceptio videtur pro eo, qui veritatem habeat in verbis, & moribus expertem falsitatis, & simulationis, neque quicquam habeat in se veluti compositionis, & permixtionis, qua reddatur dispar ac dissimilis sibi ipsi, sed sit omninò sincerus, & ex animo, ac tota eius propensione loquatur, & operetur. Id egregiè expressit Salomon DEVM deprecans [e]: *Scio DEVS meus, quòd probes corda, & simplicitatem diligas: vnde & ego in simplicitate cordis mei letus obtuli vniuersa hac*, id est, *verè*. Item Petrus in prima epistola [f], *In fraternitatis amore simplici ex corde diligite attentius*. Videtur sæpe Scriptura simplex cor, & simplicitatem cordis opponere dolo, & malitiæ [g]. Lege Pinedam in Iob [h].

e 1. Paral. 29. 17.

f c. 1. 22.

Simplex qui dicatur.

g Gen. 20. 5. 6. 2. Reg. 15. 11. Iob 33. 2. 3. Re. 9. 4. 1. Paralip. 25. 17. Sap. 1. 1. Eph. 6. 5. Col. 3. 22.

h c. 1. ver. 1. à nu. 52.

Cuius mihi quoque ad rem obseruatio facere videtur, vt simplex dicatur *is, qui se in res externas, & vanas sollicitudines non effundit, quietus, & DEO vacans*: nemo enim hoc modo simplicior, quàm qui, quod de nostris fidelibus hic traditur, abdicat se omnibus rebus, & perseuerat in auditione verbi DEI, in oratione, & frequentia Sacramentorum, præsertim EVCHARISTIÆ. In eo sensu Iacob nominatur *vir simplex habitans in tabernaculis* [i], oppositus Esau fratri, qui fuit *vir venator, & oberrans in agris*.

i Gen. 25. 27.

Christiani habiti inertes & infructuosi.

k in Apolog. c. 42. ad 45.

l in Pertinace.

m l. 3. § fin. ff. de susp. tutor. termo.

n lib. 4. epist. in ep. 31.

o Prou 19. 1. c. 28. 6.

Quo nomine tanquàm simpliciorem vitam sectantes Christiani, habiti sunt inertes, & infructuosi, vt scribit Tertullianus [k]. Capitolinus quidem [l] simplicem pro bruto, tardo, hebete, vsurpat: necnon ius ciuile [m], & Gregorius [n] hoc vocatur nomine per contemptum, vt honorificaret ministerium suum, libera oratione respondit. Verùm, vt ait Sapiens [o], *Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quàm diues torquens labia sua, & insipiens, & in prauis itineribus*. Glossa interlinearis, *Simplices corde*, ait fuisse, *quia nihil interrogabant*, hoc est, non disceptabant, sed simpliciter credebant.

Simplicitas columbina à Christo traditur.

p Matth. 10. 16.

q Reg. 145. ex breuio.

Simplicitatem columbinam adeò commendatam à CHRISTO [p] cum mundo nequam, & maligno acturis, *ne vlli vel nocendi occasionem darent, vel ne se vindicarent*, vt ait Basilius [q], cum SPIRITV sancto, cuius columba symbolum est, Apostoli in hos fideles infuderunt. *Verè Israëlita Nathanaël dictus est* [r], quia *sine dolo & simulatione, & duplici corde*, vt ait Augustinus [s], seu absque duplici sinu cordis, vno, vbi videret veritatem, altero, vbi conciperet mendacium: *Labia enim dolosa sunt, qua in corde & corde loquuntur* [t]. Denique Iacob, qui idem Israël nominatur, vir simplex appellatus est.

r Ioan. 1. 47.

s Tractat. 7. in Ioan.

t Psal. 11. 3.

Simplicitas à quibus irrideatur.

u 8. Moral. c. 18.

x lib. 10. Moral. c. 27.

Sapientia huius mundi quae & qualis.

Gregorius [u] scribit, *apud hypocritarum sensum simplicitatem omnem in crimine esse, apertas enim mentes diiudicare, & puritatem cordis hebetudinem appellare*; describit autem egregiè, opponitque virtutem hanc vitio contrario [x], hoc modo: *Deridetur iusti simplicitas, huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, qua falsa sunt, vera ostendere, qua vera sunt, fallacia demonstrare. Hac nimirum prudentia vsu inuenitur, hac à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, ceteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subiecti & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hac eadem du-*

plicitas æquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis peruersitas vrbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere; irrogata ab aliis mala, multiplicius reddere: cùm vires suppetunt, nullis resistentibus cedere: cùm virtutis possibilitas deest, quicquid explere per malitiam non valet, hoc in pacifica bonitate simulare.

Sapientia Iustorum qualis.

At contrà, sapientia Iustorum est, nihil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire; vera, vti sunt, diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc Iustorum simplicitas deridetur, quia ab huius mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Sic

B

Gregorius, quem tot præter morem verbis retuli, quia non breuiùs, nedum meliùs, rem adeò necessariam exponere valui. Ab hac sancta simplicitate scribit Clemens Alexandrinus [a] nos toties in Scripturis nominari pueros, & infantes, vtpote qui nouerimus solum DEVM PATREM.

a 1. Pædag. c. 5.

Ambrosius laudans ab hac virtute fratrem Satyrum [b], definit esse *quandam morum temperantiam, mentisque sobrietatem*: illum verò tantum dicit habuisse simplicitatis, *vt conuersus in puerum simplicitate illius ætatis innoxiæ, perfectæ virtutis effigie, & quodam innocentium morum speculo reluceret.* Climacus [c] ait, *simplicitatem esse habitum animæ varietate carentem, totiúsque peruersæ intentionis ignarum, & qui nulla mala cogitatione moueatur.* Lege Antonium Melissam [d], qui plura Scripturarum ac Patrum hac de re testimonia profert; Maximum quoque Confessorem [e]. Nec verò alienam existimo simplicitatis illam notionem ab instituto, qua sumitur pro liberalitate, & eius alacritate. *Qui tribuit*, ait Apostolus [f], *in simplicitate*, ἐν ἁπλότητι: & diuitias vocat [g] simplicitatis largitatem: quam, Apostolum Chrysostomus [h] exponens, δαψιλίαν, copiam, affluentiam, &c. & Iacobus [i] ait DEVM dare omnibus sapientiam affluenter, ἁπλῶς. At insipientis, ac illiberalis, hacque simplicitate carentis, dicũtur oculi esse septemplices [k]. Multa de significatis simplicitatis notauit Ioseph Stephanus [l], atque de virtute ipsa.

b ora. de obitu eius.
c Gradu 24.
C
d Serm. 85. to. 5. Bibl. Patr.
e Serm. 66. to. 5. Bibl. Patr.
f Rom. 12. 8.
g 2. Cor. 8. 2.
h hom. 20. in 2. ad Cor.
i c. 1. 5.
k Eccl. 20. 14.
D
l in lib. 1. Machab. cap. 2. v. 37.

Versus 47.] Collaudantes DEVM, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salui fierent quotidiè in idipsum.

SYRVS aliter connectens, & præcedentis versiculi extrema verba coniungens ita vertit: nam post hæc quæ retulimus, *Et cum puritate cordis sui*, adiungit, משבחין הוו לאלהא כד יהיבין ברחמא קדם כלה עמא *meschabechin hauu lelaha cad iehichin berachama kedem chulleh hhamma*, id est, *laudantes erant* DEVM, *cùm traditi essent in fauorem intimum coram vniuerso populo*, vel, *laudabant* DEVM, *cùm inuenissent gratiam coram vniuerso populo.* Chrysostomus ipsammet simplicitatem ac puritatem cordis affirmat esse veram laudem DEI. Glossa interlin. laudem hanc interpretatur hymnum, qui finita mensa recitabatur, iuxta illud [m]: *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti.* Gratias ritè actas post sumptum cibum à fidelibus Christianis equidem non dubito, cùm id Iudæis DEVS iniunxerit [n]: *Cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino* DEO

E
m Matth. 26. 30.
Post cibum gratiæ Deo agendæ.
n Deut. 8. 10.

A

tuo pro terra optima, quam dedit tibi. Et huius laudabilis consuetudinis meminit Athanasius [o], Basilius [p], Chrysostomus [q], Hieronymus [r], Ambrosius [s], Martinus Bracarensis [t], Concilium Nannetense [u]. Tamen haud scio, quàm aptè vsus gratiarum actionis hinc deducatur, & non potiùs magis latè accipienda sit laudatio ista pro aliis beneficiis, vt notauit Lyranus.

o de Virgi.
p ep. ad Nazian. & orat. in S. Iulit.
q hom. 50. & 83. in Matt. & 57. ad popul. Antioch. & 79.
r ep. 22.
s 3. de Virginib.
t dist. 44. cap. Non liceat.
u c. 11. & 12. eadem dist. & capite.

Et habentes gratiam ad omnem plebem.] Syrus interpres quomodo hæc habeat iam dictum est, solùm addam, vocem רחמא *rachame*, qua vsum hîc Syrum diximus, fauorem esse intimum, & quodammodò visceralem, à Græcis φιλανθρωπίαν dictum, quo quis alium intimo affectu prosequitur, sicut explicatum est in Dictionario Syrochaldaico Bibliorum Regiorum. Sed Græci sic habent, Καὶ ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν. Glossa interlinearis, & Hugo, *ipsi plebi gratias agentes*, siue, *in conspectu plebis gratiam inuenientes.* Posterior sensus est Chrysostomi, & aliorum, neque alium pati posse arbitror phrasim Græcam. Hanc eandem habent Syriaca verba. *Merces hæc magna fuit*, inquit Chrysostomus, *vt essent valdè dilecti populo, & amabiles: quam dilectionem, & amorem conciliabat beneficentia eleemosynæ, & morum candor, atque simplicitas: quæ quidem prudentibus huius seculi habetur ignorantia, atque stoliditas*: propterea meritò promittitur simplicibus, & mundis corde visio DEI [x], & perspicacissima cognitio: & interim cum talibus in hac vita sermocinatio DEI [y] est, *suas cum iis delicias habentis* [z], *fictum verò abhorrentis*, & effugientis seu fugantis [a]. Augustinus mundos corde interpretatur simplices [b].

Christiani gratiam gentibus [illegible] sunt grati.
C
x Matt. 5. 8.
y Prou. 3. 3.
z Prou. 8. 31.
a Sap. 1. 5.
b 1. de Sermo. Dom. in monte.

Hæc mundities cùm foras etiam se prodit, excitat sui amorem incredibilem, nisi quis malitia occæcatus sit, & tabidus inuidia, sicut de Pharisæis, & Sacerdotibus legis veteris hîc obseruant Chrysostomus, & Oecumenius, cùm Lucas nominatim duntaxat plebem expressit. Videlicet à *vafris, & malignis deridetur Iusti simplicitas* [c]. Quomodo exprobrabant Pharisæi militibus ad comprehendendum CHRISTVM missis: *Nunquid & vos seducti estis* [d]? *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.* Sic aliàs etiam CHRISTVM de largitate prædicantem, cuius laus est simplicitas, Pharisæi versipelles auari deridebant [e].

Mundities cordis cum se prodit, sui amorem incredibilem excitat.
D
c Iob. 12. 4.
d Ioan. 7. 48. 49.
e Luc. 16. 14.

Ad simplicitatem spectat mititas, & mansuetudo, quæ Mosem reddidit dilectum DEO [f], & hominibus. Eadem viguit in primis illis Christianis, ac diu pòst etiam in aliis; ita vt hoc quasi magnete, & succino, Gentilium quoque quisquiliæ ac ferrea corda traherentur, vt de Luciani [g] martyris, & anachoretæ Abrahami inter alios singulari modestia, mansuetudine, patientia, proditum est [h], affirmantibus illis Gentilibus non posse non veram ac sanctam videri legem, quæ tales, ac tantos viros haberet sectatores.

Mansuetudo inter Christianos maxime viget.
f Num. 12. 3.
E
g in Actis.
h Apud Ephrem.

Hîc notanda tandem DEI prouidentia, vt nouellas illas plantas, donec altiùs infixæ essent, populari gratia veluti asperserit, & rigarit, vt quondam discessuris ab Ægypto Hebræis, dedit Dominus gratiam coram Ægyptiis [i], nec eos statim bellis obiecit; vt & faciliùs egrederentur, nec simul egressi reditum meditarentur. Solent plerumque neophyti fidei, aut arctioris instituti, cælesti

Singularis Dei prouidentia in primis Christianis apparuit.
i Exod. 11. 3. & 12. 36.
Neophyti quibus pascantur dulcium.

lesti lacte pasci, & diuinis deliciis, donec adolescant,& magis confirmentur.

Dominus autem augebat, qui salui fierent quotidiè in idipsum.] Domino præcipuè adscribenda est infidelium, & impiorum conuersio, tametsi non parum confert fidelium, ac piorum laudabilis conuersatio, charitas, & liberalitas, vt antè dixi; studium, & labor prædicatorum: *Neque enim* [a] *qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat* DEVS. Qui Religiosorum ordinum primordia legit, reperiet copiam spiritus, & regularis obseruantiæ in causa fuisse, cur & piorum benignitate, & plurium ad eos accessione augerentur,& vigerent. Ecclesiæ proles quædam Religiosus ordo est, iisdem quibus illa exoriens initiis,& incrementis excrescens.

a 1.Cor.3.7.

Religiosi Ecclesiæ proles.

Augebat.] Προσετίθει, *Apponebat, addebat*, ad eos scilicet, qui in Pentecoste crediderant: quod etiam indicat aduerbium *quotidiè*, vt notant Glossa interlinearis,& Hugo,& Lyranus.

Qui salui fiebant.] Qui viam salutis inibant, in qua si consisterent, salutem consequerentur; nec enim omnis, qui viam est ingressus, ad terminum peruenit si ab ea exorbitet.

Non salui fiunt quotquot salutis viam sunt ingressi.

In idipsum.] Hæc verba in codicibus Græcis nectuntur cum sequenti sententia, seu principio sequentis capitis. Præsenti verò huic sententiæ noster Interpres non adiecit duo verba, quæ textus Græcus habet, & versio Syra, τῇ Ἐκκλησίᾳ, id est, *Augebat qui salui fiebant, Ecclesiæ*, aut, *in Ecclesia*, vt vertit Syrus, בעדתא *behhidtha*, vel, *in cœtu*, supple fidelium. Glossa interlinearis, & Lyranus, & Hugo *in idipsum*, explicant de aggregatione vniuersorum in vnionem Apostolicæ regulæ.



CAPVT TERTIVM.

SVMMARIVM.

Duo potissimum continentur isto capite: Miraculum insigne claudi ex vtero annorum quadraginta sanati, aliis multis prætermissis, quæ ambitiosus aliquis scriptor colligeret, vt notat Oecumenius & Chrysostomus: & Petri alius ad populum sermo de CHRISTO *ex occasione miraculi, quod magnam admirationem concitauerat.*

1 PETRVS autem,& Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.
2 Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur:quem ponebãt
quotidiè ad portam templi, quæ dicitur
Speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.
3 Is cùm vidisset Petrum,& Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt
eleemosynam acciperet.
4 Intuens autem in eum Petrus cum
Ioanne,dixit:Respice in nos.
5 At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.
6 Petrus autem dixit: Argentum, & aurum non est mihi:quod autem habeo,hoc
tibi do:In nomine IESV CHRISTI Nazareni surge,& ambula.
7 Et apprehensa manu eius dextera,alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt
bases eius,& plantæ.
8 Et exiliens stetit,& ambulabat:& intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans DEVM.
9 Et vidit omnis populus eum ambulantem,& laudantem DEVM.
10 Cognoscebant autem illum, quòd ipse
erat,qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portã templi:& impleti sunt stupore & extasi in eo,quod contigerat illi.
11 Cùm teneret autem Petrum,& Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad
porticum,quæ appellatur Salomonis, stupentes.
12 Videns autem Petrus,respondit ad populum: Viri Israëlitæ, quid miramini in
hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra
virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?
13 DEVS Abraham,& DEVS Isaac,& DEVS
A Iacob,DEVS patrum nostrorum glorificauit Filium suum IESVM, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem
Pilati,iudicante illo dimitti.
14 Vos autem sanctũ, & iustum negastis,
& petistis virum homicidam donari vobis:
15 Auctorẽ verò vitæ interfecistis,quem
DEVS suscitauit à mortuis,cuius nos testes sumus.
16 Et in fide nominis eius, hunc, quem
vos vidistis, & nostis, confirmauit nomen
eius: & fides,quæ per eum est,dedit inte-
B gram sanitatem istam in conspectu omnium vestrùm.
17 Et nunc, fratres,scio quia per ignorantiam fecistis,sicut & principes vestri.
18 DEVS autem, quæ prænunciauit per
os omnium Prophetarum,pati CHRISTVM
suum,sic impleuit.
19 Pœnitemini igitur,& conuertimini, vt
deleantur peccata vestra:
20 Vt cùm venerint tempora refrigerij à
conspectu Domini,& miserit eũ, qui præ-
C dicatus est vobis,IESVM CHRISTVM,
21 Quem oportet quidem cœlũ suscipere
vsque in tempora restitutionis omnium,
quæ locutus est DEVS per os Sanctorum
suorum à seculo Prophetarum.
22 Moyses quidem dixit: Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus DEVS
vester de fratribus vestris, tanquàm me,
ipsum audietis iuxta omnia quæcunque
locutus fuerit vobis.
23 Erit autẽ: Omnis anima, quæ nõ audierit Prophetã illũ,exterminabitur de plebe.
D 24 Et omnes Prophetæ à Samuel,& deinceps,qui locuti sunt, annunciauerunt dies
istos.
25 Vos estis filij Prophetarũ,& testamenti,
quod disposuit DEVS ad patres nostros, dicens ad Abraham:Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.

26 Vobis primùm DEVS ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis: vt conuertat ſe vnuſquiſque à nequitia ſua.

Verſus 1.] Petrus autem & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam.

PETRVS *autẽ & Ioannes.*] Dixi in fine capitis præcedentis, inchoari caput hoc iuxta Græcum textum, ab illis verbis, quæ Latinus aliter connectens retulit ad vltimam ſententiam dicti capitis hoc modo: *In idipſum,* ſeu, *Simul Petrus, & Ioannes aſcendebant,* &c. quod eſt, vt Caietano placet, *eo ipſo tempore,* ſeu, *per idem tempus, quo hactenus narrata geſta ſunt:* vel, vt Hugoni, ad eundem finem, vt nempe Eccleſia augeretur, de cuius augmento immediatè mentio facta erat. Syrus non habet, *in idipſum,* ſed, והוא דכר *vehaua decad,* id eſt, *& factum eſt vt cum;* ex quo intelligitur, non eodem Pentecoſtes die id factum fuiſſe, ſed, ex Caietani expoſitione, fieri videtur, eodemmet Pentecoſtes die contigiſſe hoc miraculum. Et fauere poteſt ſpatium ab hora tertia, in qua concio à Petro habita eſt, vſque ad horam nonam, in qua aſcendit in templum: quæ verò in fine capitis præcedentis de quotidiana aliorum conuerſione, ac paulò antè de perſeuerantia in doctrina Apoſtolorum, communicatione fractionis panis, & orationibus commemorantur, per Anticipationem accipienda erunt.

Quo die factum ſit miraculum claudi ſanati.

Malim tamen diem diuerſum fuiſſe, quoniam id præ ſe fert ſimplicior Auctoris ſententia, & adeò paucis horis Petri concio, trium millium catechiſmus, ac Baptiſmus vix perfici potuiſſent, vt omittam priora condiſcipulorum de DEI magnalibus colloquia linguis diuerſis.

Miraculum hoc in ipſo Pent. coſtes die non eſt factum.

De Petri & Ioannis familiari amicitia dixi capite primo [a], eámque hoc loco Chryſoſtomus obſeruat. Obſeruauerim autẽ & illud ego, quàm aptè ſenes cum iunioribus coniunguntur, vt his illorum maturitas, & experientia prodeſſet: ſic enim etiam cum Philippo Andream familiariter egiſſe conſtat [b], ſiue ſponte id ſua Apoſtoli fecerint, ſiue hos ita CHRISTVS binos ante faciem ſuam mittens copularit, & non fratres inter ſe, cum Petro Andream, Philippum (ſi vera eſt opinio, quæ fratrem Bartholomæi, qui ſit idem cum Nathanaële, facit, de qua capite primo [c]) cum Bartholomæo, vt quanquàm tot fratrum paria charitatem referebant, eiuſdem tamen amplitudinem exprimeret fratrum non inuicem, ſed cum aliis conſociatio.

a verſ.13. *Senes cum iunioribus aptè coniunguntur.*
b Ioann. 6. 8. cap. 12.22.
c verſ.43.

Tertullianus [d] indicat non hos duos ſolos Apoſtolos, ſeu Diſcipulos aſcendiſſe tũc in templum, ſed Lucas exprimere ſolet, quando omnes conueniunt, omneſque Interpretes de ſolis his duobus ſupponere videntur.

d con. Pſychi. cap.3.

Exiſtimo etiam hanc conſuetudinem, vt Religioſi non ſine ſocio procedant, ſed plerumque bini, manaſſe ex Apoſtolorum exemplo tum hîc tum alibi, vt cùm iidem Petrus, ac Ioannes ad parandam cœnam miſſi ſunt à CHRISTO [e]: ad ſepulcrum CHRISTI perrexerunt [f]: eos alij miſerunt Samariam [g]. Sed & ex CHRISTI facto hoc ortum eſt, qui eos mittebat binos [h]. Eſt enim

Religioſi vt bini incedant, vnde prodierit.
e Luc.22.8.
f Ioan 20.3.
g Act.8.14.
h Matt. 6. 7. Luc.10.1.

A ſocio ſocius teſtis morum, cuſtos, adiutor. Myſticas alias cauſas leges apud Ambroſium [i], & Gregorium [k]. Colligitur iſta conſuetudo ex Baſilio [l], ex Dorotheo [m], ex Auguſtino [n].

Sanè quidem B. Thomas tanti id faciebat, vt Religioſum, qui ſolus procederet, vocaret Dæmonẽ ſolitarium, vt habetur in Chronicis S. Dominici [o]. Quid verò ei contigerit Bononiæ, conſtat ex vita ipſius, quando per vrbem comitabatur alium.

i in c.10. Luc.
k homil.17 in Euang.
l Ser.1. de inſtit. Mona.
D. Thomas quid de mona. in ſolitario dixerit.
m Serm. 20.
n in Regula.
o lib.3.c.17.

Denique amor inter Petrum, & Ioannem videtur fuiſſe propter CHRISTVM, vt maximè indicat, tum quòd in domum Pontificis Ioannes Petrum, cùm CHRISTVS ibi ligatus eſt, intrare fecit [p]: tum quòd ad ſepulcrum CHRISTI vterque iuit [q].

Amor inter iſtos fuit propter Chriſtum.
p Ioan. 18.16.
q Ioan. 20.3.

B *Aſcendebant in templum.*] Gradibus ſcandebatur in templum; alioqui non vbique aſcendendi verbum ſcanſionem ſignificat, ſed ſimplicem aliquando profectionem Hebræa, ac Syra phraſi, qua verbum עלה *hhalah,* Hebraicum, & Syriacum עלא *hhala,* ire vel venire ſignificant, vt in 3. Regum, cap. 18. [r] & alibi.

r verſ. 43.44. 45.

Ad horam orationis nonam.] Orationi congruit peculiaris locus, & hora. Locus eſt templum, de quo aliquid attigimus capite præcedenti [ſ], ſufficiátque in præſentia Chryſoſtomi [t] teſtimonium, qui in magno errore verſari eum affirmat, qui ſe dicat æquè bene orare extra templum, atque in

Templum locus eſt orationi dicatus.
ſ verſ. 46.
t hom. 4. cõ. Anomæos. & 79. ad pop.

C ipſo. Accedat Ignatij [u] adhortatio ad Magneſianos: *Omnes ad orandum in idem loci conuenite,* &c. *Omnes velut vnus quiſpiam in templum* DEI *concurrite.* Daniel apertis feneſtris in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat [x]; videlicet conuertens ſe versùs templum Ieroſolymitanum tam longè diſſitum. Fortaſſis, quoniam ſic Salomon orantes, dum vel ad bellum procederent, vel in captiuitate conſtituti eſſent, orauerat DEVM, vt exaudiret; orantes, inquam, contra viam ciuitatis quam elegerat DEVS, & contra domum, quam ædificauerat Salomon nomini eius [y]. Hora hîc nona deſignatur (& quidem cum energico articulo ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐνάτην) de qua, vt diei par-

u epiſt.6.
x Daniel. 6. 10.
y 3.Reg.8.44 48.

D titionem ingreditur, egimus eodem capite [z].

Vt autem nominatur orationis hora, commune id habet cum aliis ſtatis apud Hebræos ad orandum horis, ex quibus noſtræ, quas vocant Canonicas, natæ videntur, vt hoc ipſo loco ipſemet Caluinus monuit: de quo argumento Martinus Nauarrus, & Marcellus Francolinus propriè ſcripſerunt, Baronius quoque in Annalibus [*], Bellarminus in Controuerſiis [a], Ioannes Stephanus Durantus in libr. de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ [b], Alphõſus de Torres in Inſtitutione ſacerdotum [c], & Ioannes Azor in Inſtitutionibus moralibus [d], ſatis multa inſeruerunt, apud quos reperiet qui volet exactã de Horis Canonicis cognitionẽ.

z verſ.15. *Hora nona orationi dicata.*
Horæ Canonicæ à quibus traditæ.
* Tomo 1.
a Tom. 3. li. 1. de bon. oper. cap. 10.
b lib. 3. per 12. prima c.
c cap.6. §.1.
d lib 10.

E Neceſſariam nobis eſſe horam nonam ad orationem, ex hoc Apoſtolorum exemplo colligit Baſilius [e], & Hieronymus [f]: quemadmodum etiam ex Cornelij Caſſianus [g], ea hora potiſsimùm SALVATORIS expirationem in Cruce commemorari cum oratione pro inimicis [h], & ſalutẽ noſtram proprium mortis CHRISTI effectum, & eiuſdem deſcenſum ad inferos, & corporum diuerſorum mutationem, & commotionem docent Clemens Romanus [i], Cyprianus [k], Athanaſius [l], Baſilius [m], Caſsianus [n], Rabanus [o], Rupertus [p]: Amalarius [q] verò, & Gulielmus Durandus [r], tempus quo Nona celebratur, ſignificare fer-

e Reg. 37. ex fuſis.
f in c.6. Dan.
g li.3 de inſtit. renunc. c.3.
h Luc.23.
Cur hora nona orationi ſacra ſit.
i 8. Conſt. cap. 34.
k de oratio. Dom.
l de Virgi.
m Serm. 1. de inſtitut. monach.
n 3. de inſtit. renunc. c.3.
o 2. de inſtit. Cler. cap. 6.
p 1. de offi. c. 5.
q 4 de off. c. 6.
r 5. Ration. c. de Nona.

uorem studiorum, quem exercebat mens in altitudine virtutum, aliquantulùm tepefactum esse propter tentationes accidentes.

Ceterùm cùm Petrus, & Ioannes dicũtur orationis causa in templum ascendisse ad horam orationis nonam, intelligitur, quod capite præcedenti dicebatur de perseuerantia in orationibus, eam accipi debere quantùm ad statas quotidiè horas.

Pudeat nostræ nos in orando pigritiæ, cùm rex Dauid grauissimis ac plurimis distentus occupationibus, tamen septies [a] id in die faceret, vt notat Ambrosius [b], matutinis semper, & vespertinis sacrificiis intentus.

Obseruasse videtur Petrus horam tantùm, non dicens [c], *vado piscari*, quasi opportunum tempus, quo tempore ad sacrificium vespertinum concurrebat multitudo populi.

Quantus sit pudor nos non orare.
a Pſ. 118.164.
b lib. 7. in Luc. in id Luc. 11. versu 5. *Quis vestrûm habet amicum*, &c.
c Ioan. 21. 3.

Versus 2.] **Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur: quem ponebant quotidiè ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, vt peteret eleemosynam ab introëuntibus in templum.**

ET *quidam vir.*] *Erat istius claudi vulgo nomen ignotum*, inquit Oecumenius, *neque curæ fuit Apostolis, aut Lucæ, qui nec miracula ad gratiam faciebant, nec facta scribebant, id cognoscere.* Quanquàm satis notus erat & grauitate, & antiquitate morbi, & conditione loci, in quo stabat quotidiè.

Non semper nomen, *quidam*, cõtemptum personæ significat, vt neque *vir* laudem ac pretium personæ. Epulonem CHRISTVS vocat [d] hominem quendam, non vt spernat, sed vt nomini parcat. Potest id plurimis exemplis doceri, tum sacris, tum profanis, cùm vulgò tamen multi aliter sentiant. Non est spernendus Ananias, qui dicitur quidam [e], non Ioseph ab Arimathia [f], non Zacharias pater Ioannis [g], non Martha [h], quæ similiter cum hoc nomine nominatur.

Claudus ex vtero matris suæ.] Exaggerat hæc circunstantia magnitudinem miraculi, tum etiam quod capite sequenti habetur [i], *annorum enim erat ampliùs quadraginta homo, in quo factum erat signum istud sanitatis*; sic fuit illustrior curatio cæci nati [k], & hæc etiam, pro gloria DEI, non quòd forsan vel ipse, vel parentes peccassent, vt claudus nasceretur.

Baiulabatur.] *Vel portari solebat, vel tunc portabatur, quo tempore maximè ingrediuntur homines in templum*, inquit Chrysostomus. *Non solùm erat claudus, sed sic contractus*, inquit Lyranus, *quòd non poterat incedere.*

Cur ad CHRISTVM non sit adductus, aut post eius in cœlum Ascensionem, ad Apostolos, Chrysostomus, & Oecumenius rationem reddunt, quòd qui tẽplo assiderent, illis vel non crederent, vel inuiderent. Reseruabatur præsenti tẽpori primum hoc miraculum propter mysterium, de quo in fine illius. Athanasius [l] cùm narrat ex duobus, qui de solitudine ad Antonium veniebant, alterum siti periisse, ad alterum ab Antonio aquam missam esse, cur non etiam prioris sitis Antonio reuelata sit, causam ait referendam ad diuinum iudicium, atque voluntatem. Interim de hora nona, si cui accidet, meminerit eâdem [m] qua crucifixis cum CHRISTO crura confracta sunt, ipsius verò CHRISTI crura intacta & illæsa relicta

Quidam non semper contemptim dicitur.
d Luc. 16. 19.
e Actuum 9. 10. c. 22. 10.
f Matt. 27. 57.
g Luc. 1. 5.
h Luc. 10. 38.
i vers. 22.
k Ioan. 9. 1.
Cur à Christo curatus non sit.
l in vita S. Antonij.
Diuina voluntas causa vitæ & mortis.
m Ioann. 19. 32.

A sunt, consolidatas esse istius claudi nostri bases ac plantas in nomine CHRISTI, ac opera Vicarij eius.

Quem ponebant quotidiè ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, vt peteret eleemosynam ab introëuntibus in templum.] Mendicantium mentio est apud Marcum [n], Lucam [o], & Ioannem [p]. In Deuteronomio [q] verò mendicitas non prohibetur, sed Hebræis, si legem obseruent, promittitur rerum copia: quia tamen præuidebat DEVS non esse complendam istam conditionem, ibidem subdit [r]: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* Cui affinis est sententia CHRISTI [s]: *Semper enim pauperes habebitis vobiscum, & cùm volueritis, potestis illis benefacere.* Vnde

B sequitur, laudabilem esse eleemosynæ largitionem, de qua tam sæpe CHRISTVS [t], & frequentissimè vetus, nouumque Testamentum, ac Patres.

Ridiculi enim sunt Manichæi eleemosynam execrantes, quòd faueant mali principio, hoc est, carni, vt refert Athanasius [u], & Theodoretus [x]; item Messaliani, qui sibi vnis, tanquàm spiritu pauperibus, eleemosynas deposcebant, teste Damasceno [y], debilibus, morbosis, obæratis, iacturam, & damnum passis, &c. nullo modo permittebant.

De mendicitate voluntaria Religiosorum non est hîc dicendi locus. Lege Bellarminum [z]. De aliis, quos dura ad eam necessitas adegit, illud

C sæpe admonet Chrysostomus [a], ne nimiùm illos perscrutemur, neu nostra crudelitate cogamus, vt qui commouere misericordiam ordinaria illa sua egestate non queunt, extremam nescio quam siue necessitatem, siue ægritudinem simulent, vel *ne fortè*, inquit Augustinus [b], vrgens exemplũ Lot [c] Angelos excipientis, *cui humanitatem denegaueris, ipse sit* CHRISTVS. Egi eadem de re commentario in Ecclesiasten. [d] Probare quoque possum, Gentilibus curæ fuisse subleuare alienam miseriam. Lege Aristophanem in Pluto cum interpretibus, Appianum quoque [e], Suidam verbo, ἀδύνατοι.

Meritò tamen qui vocantur Mendicantes validi, & mendicant, vt otiosè viuant, legibus ciuili-

D bus coërcentur [f].

Sed pietas in pauperes inualidos morbosósque, & naturæ humanæ maximè conuenit, & à Christiana religione maximè semper vsurpata est, vt attigimus capite superiore [g], & liquet præterea ex orphanotrophiis, ptochotrophiis, siue ptochodochiis, vel ptochiis, brephotrophiis, gerontocomiis, nosocomiis, xenodochiis, pro orphanis, mendicantibus infantibus, senibus, infirmis, peregrinis constructis: de quibus piis locis, & receptaculis ius vtrumque meminit tum Ciuile [h], tum Canonicum [i]: & antè meminerat Iosephus [k] de xenodochio constructo ab Hircano Iudæorum Pontifice, necnon Hegesippus [l], & Isidorus [m].

E Cura huiusmodi Prælatis in primis cordi fuit, quippe Apostolus [n] vult Episcopum esse hospitalem, vt patet ex Martino Papa primo [o], ex Gregorio item primo [p], Concilio Aquisgranensi [q], Concilio Parisiensi [r], Concilio Nannetensi [s], Concilio Tridentino [t], Concilio Aruernensi [u], Concilio Matisconensi II. [x] Legendi præter citatos Patres, præsertim Nazianzenus [y], Hieronymus [z], Chrysostomus [a], & alij, quos citat Alphonsus de Torres in institutione sacerdotis, agens de hospitalitate.

Hoc genus pietatis impensiùs coluisse memorantur Gallicanus [b] Constantini gener, Pãmachius apud Hieronymum [c], & apud eundem Fabiola [d],

n c. 10. 46.
o cap. 16. 20. c. 18. 35.
p cap. 9. 8.
q c. 15. 4.
r vers. 11.
s Mat. 14. 7.
t Matth. 6. 2. Luc. 11. 41. c. 12. 33. & aliis
u ep. ad Solit.
Mendicitas Hebræis non prohibita.
x 1. de Fabu. Hæretic.
y lib. de hær. cap. 80.
z Tom. 1. l. 2. de mona. c. 45
a homil. 21. ad popu.
b li. cõt. quinque hæreses
c Gen. 19. 2.
d c. 7. & c. 11.
e l. 2. de bello ciuili.
Hæretici qui eleemosynam improbarunt.
f C. de mendic. validis. li. 11. titul. 25. l. vnica. & C. Theodos. tit. cod. l. 9.
g vers. 44.
Mendicantes non nimium perscrutandi, an veri indigeant.
h Authen. de Eccl. tit. § vlt. & Authent. § quidquid. de impens. quæ fieri oport. & C. de Ep. & Cler. l. omnia priuilegia.
i 22. q. 8. c. in qualibet.
k 13. Antiq. c. 16.
l 1. de excid. Ierosol. c. 1.
m li. 15. Orig. cap. 3.
n 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 8.
o ep. 16. & in actis eius.
Mendicantes validi in otiosos.
Pietas in infirmos vtrumque commendata.
p lib. 11. ep. 3. lib. 12. ep. 24.
q cap. 141.
r lib. 1. c. 14.
s apud Iuarẽ part. 6. c. 217. & 258.
t Sess. 25. c. 8. de reform.
u in cod. quinque libr. partial. li. 2. c. 103.
x cap. 11.
Xenodochium structum.
Prælatis pauperum cura incumbit.
y orat. de amore paupe.
z in c. 1. ep. ad Titum.
a ho. de eleemos. & hospitalit. hom. 41 in Gen. hom. in Matt. hom. 30. in epist. ad Rom. & aliis
b in actis SS. Ioã. & Pauli
c epist. 26.
Qui maxime apud veteres pietatem in pauperes coluerint.
d epist. 30.

a Proc. E. 1. & Authent. de Eccl. tit. §. vlt. & Authent. si quidquid. de impensis. & c.
b de quo in C. de Epis. & cler. l. omnia priuilegia.
c Euagri. de vit. Pat. cap. 5.
d li. 4. de Inst. cap. 7.

Samson presbyter [a], Zoticus [b], monachi in Oxyrincho ciuitate Thebaidis [c], fuitque omnibus ferè monachis valdè commendata hospitalitas; & pauperum benignitas, vt videre est apud Cassianum [d], & alios, huiúsque rei non obscura adhuc vestigia extant apud Benedictinos, Carthusianos, Cistercienses, & similes ordines, vt omittam ordinem illustrissimum Hospitalariorum, & recentiores duos, alterum in Hispania natum, alterum in Italia infirmis ministrantium.

e lib. 7. in Ezechiel.
f in vita.
g Ioan. 4. 1. p.
h de Prasc. ca. 20.
Eleemosyna tesserarum Catholicae communionis.
i in dial. Peregrinus.

Nec prætereundus tamen Hieronymus, scribens de suamet ipsius in Bethlehem hospitalitate [e]. Celebris quoque est in hac re fama Gregorij [f]. Sed finis esto, plura dixi in Euangelio de Samaritana [g].

Verè Tertullianus [h] dixit, cùm hanc appellauit *Catholicæ communionis contesserationem*: & notus est ille pseudochristianus Peregrinus (de quo etiam Lucianus [i] mentitus Christianum, vt Christianam beneficentiam experiretur.

Mendici Dei omnes sumus.
k Serm. 5. de verb. Dom. c. 6. & Ser. 41. c. 5. & Ser. 15. c. 2.

Meminerint quoque quamlibet opulenti, & diuites, vt ait Augustinus [k], *mendicos* DEI *nos esse, panem quotidianum à* DEO *mendicantes: ideóque vt agnoscat ille mendicos suos, agnoscere nos oportere & nostros.*

An sit permittendo mendici ad ianuam templi mendicare.
l in Captiuis.
m lib. 34.
n hom. 18. ad populū Anti.
o orat. 17. de paupe. amore.

A

Ad portam templi.] Problema censeri potest, satiúsne sit, mendicantes tēpli porta nō tantùm ingressu excludere, ne videlicet ibi mendicent, an saltem iis permittere, vt ad portā consistentes stipem corrogent. Conueniebant apud Romanos ad stipem extra portam trigeminam, hodiè sancti Pauli, vt est apud Plautum [l], & Plinium [m]. Indicat modò maiorem religionē stipis erogatio ante templum. Pars affirmans habet patronum præcipuè Chrysostomum, vbique in sermonibus partes pauperum studiosissimè defendentem [n]. Is docet, hos *propterea ante Ecclesias, & Martyrum monumenta pro foribus sedere, vt ex huiusmodi spectaculo discamus tumore deposito, & contrito corde ad orandum ingredi, & misericordia affici erga illos, misericordiam quæsituri à* DEO, *illósque honore afficere, quos* DEVS *sua regia vestibuli custodes esse voluit, simul significans non delectari se diuitiis.* Persimilis est Nazianzeni [o] sententia, qui præterea addit, *quòd eiusmodi hominum clamor petentium, internis templi cantibus ex aduerso respondet, atque è regione mysticarum vocum miserabilis luctus excitatur.* Eòdem spectare potest, quod antè retuli ex Augustino, vt cùm à nobis mendici petunt, ipsi nos DEI agnoscamus esse mendicos. Exigunt mendici ad portam templi tanquàm DEI publicani vectigal, non quod pendere cogaris in tanta quantitate, sed quod amore DEI spontè largiaris, docent te modum orandi, vt exponas DEO vulnera animæ, vt ex intimo cordis affectu, & importunè.

Mendicare per plateas & per Ecclesias qui non probant.

Atenimverò nonnullis minimè placet mendicantium per plateas itatio, aut ad portas Ecclesiarum commoratio, mallénque certo loco cunctos detineri, & piorum ibi eleemosynis ali, tum ad prohibendas huiusce hominum fæcis fraudes ac sordes, tum ne importunis, ac inconditis clamoribus orantes, diuinásve res celebrantes interturbent.

Concilium Turonense statuit vt quaeque ciuitas suos pauperes alere.
p cap. 5.
q Bulla 5.

Sanè quidem Concilij Turonici secundi decretum grauissimum extat [p], *vt vnaquæque ciuitas pauperes, & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundùm vires, vt tam vicini presbyteri, quàm ciues omnes suum pauperem pascant: quo fiat vt ipsi pauperes per ciuitates alias non vagentur.* Deinde Pius V. Pontificatus anno primo seuerè cauit [q], *ne paupe-*

Pauperes tempore Missarum per Ecclesias ire non debent.

res mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorúmque diuinorum officiorum ire permittantur, sed ad valuas Ecclesiarum stare iubeantur. Idem decreuit Concilium prouinciale primum Mediolanense sub Carolo Borromæo [r]: & ibidem [s] summoperè hortatur Concilium Principes, & Magistratus, reliquósque omnes CHRISTI fideles, vt mendicos verè ægrotos vnum in locum conducendos, ibique eleemosynis sustentandos studiosissimè curent. Romæ Sixtus V. pia ac munifica id opera procurauit, & extant quorundam Principum super hac re, & Rerumpublicarum leges, quas recitat Petrus Gregorius [t]: & vt de Paganis denuò fiat mentio, constat Aristophanis testimonio [u], ægrotis in æde Æsculapij assignatum locum; & Suetonius [x] narrat in insula Tyberina, vbi templum erat eidem dicatum deo, morbidos delatos & expositos, vt curarentur. Ibi nunc, non sine diuino consilio, visitur domus infirmorum, cui prȩest religiosa familia, quam Patrum memoria Ioannes de Dios religiosissimus vir instituit. Qui malunt per publicas vias mendicos itare, vel certè qui negant id non impediendum, vt non debet sanè, si non suppetat iis aliunde, confirmant illā parabolā, in qua [y] CHRISTVS inducit præcipientem cœnæ magnæ instructorem, *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*: præsertim verò aliā siue parabolā, siue historiā de Lazaro mendico, iacente ad ianuam Diuitis [z].

r c. de Eccl. & sacrorum cultu.
s c. de piorum loco. admin.
t lib. 15. Synt. c. 12. & lib. 39. cap. 6.
u in Pluto.
x in Claudio. cap. 25.
y Luc. 14. 21.
z Luc. 16. 20.

B

C

Quæ dicitur Speciosa.] Porta hæc videtur in porticu fuisse templi, quæ capite quinto [a] vocatur Salomonis, & Ioannis 10. [b] etsi hoc tempore templum erat non Salomonis, aut Zorobabel, sed Herodis. Quatuor verò porticus habebat hoc templum, Iosepho teste [c]: primam omninò exteriorem, in quam ingredi liceret omnibus etiam externis, menstruatis duntaxat mulieribus exceptis: secundam, quæ pateret Iudæis, eorúmque coniugibus, dummodò essent ab omni pollutione mundæ: tertiam pro solis Iudæorum masculis, sed mūdis, ac purificatis: quartam sacerdotum stolas gestantium sacerdotales; ita vt adyta soli adire possent principes sacerdotum propria quoque stola circumamicti.

a vers. 12.
b vers. 23.
Templum habebat quatuor porticus.
c 2. cont. Api. & 16. Ant. cap. 14.

D

Idem Auctor [d] porticum Salomonis primam facere videtur (quam interdum quoque vocat templum primum) eam graphicè describens, tātæ inter tam egregia ornamenta alia soliditatis ac firmitatis, vt mirum non sit, si post tot templo illatas clades, postque eiusdem etiam demolitionem ac restaurationem ab Herode factam, porticus adhuc illa remanserit cum suo etiam nomine integra. Mira item narrat de templi porticuum portis tum ipsemet Iosephus, tum Aristeas, in narratione de septuagintaduobus Interpretibus.

Porticus Salomonis quàm insignis fuerit.
d 6. de bello Iud. c. 6. & 20. Antiq. c. 8.

E

Ex his videtur Speciosæ nomen habuisse illa, qua ad primam porticum aditus patebat, dicta Corinthia, ex ære Corinthio, quod valdè superabat aurata, vel argento inclusa opera, & ab ea diuersa erat, quæ Maior dicebatur, qua intrabatur in porticum secundam. Lege Salmeronem [e], Baronium [f], & Riberam [g].

Quæ esset porta templi Speciosa.

Obstare videtur, quòd iam sanatus claudus intrauit cum Apostolis in templum [h], & quod in capite quinto secundi Regum legitur [i]: *Cæcus, & claudus non intrabunt in templum*: non ergo erat claudus ad portam secundæ porticus, sed primæ omninò extra templum. Sed occurrendum est

e Tom. 1. Prol. 42.
f Tom. 1. Annal.
g lib. 1. de tēplo c. 16. & c. 31. & seq.
h infra v. 8.
i vers. 8.

Porticus etiam templü dicebāt.

primò, sanatum claudum intrasse in templum, vt ita dicam, secundum, porticus enim quæque, siue atrium, habebat nomen templi, & prima, vt ex Iosepho dictum est, vocabatur primum templum, cuius comparatione multò magis reliquis congruebat nomen templi, vtpote quò Gentilibus intrare non licebat, vt etiam diximus, & colligitur ex huius libri capite 21.[a]

a vers. 28.

Cæcis & claudis interdictus non fuit tēpli aditus.

b 6. de bello Iud. cap. 6.

Deinde negandum est, in lege cæcis & claudis interdictum esse templi ingressum; cùm Iosephus auctor sit[b], cæcos ibi admissos etiam inter sacerdotes, si ex genere sacerdotali essent, quāuis absque amictu sacerdotum, neque minor de claudis videatur esse ratio, qui saltem nullo modo excluderentur à porticu Salomonis, quæ Ethnicis patebat. Certè in Leuitico[c] solùm huiusmodi mancis, imperfectisque hominibus sacerdotale exercitium prohibitum legimus. Prouerbium ergo illud: *Cæcus, & claudus non intrabunt in templum,* natum inde videtur, quòd Iebusæorum cæci, & claudi nolebant, vt Dauid ingrederetur arcem Ierusalem[d], & Iebusæi ad irridendum illum constituerāt eos super murum, vt ait Glossa interlin. & Lyranus: qui etiam refert opinionem, quòd essent imagines repræsentantes Isaac cæcum, & Iacob claudum, quibuscum fœdus inierat Abimelech, ex quibus Iebusæi descendebant: quod fœdus hi in ore earum imaginum descripserant de non nocendo posteris Abimelech. Vel putabant Iebusæi arcem adeò fortem esse, vt non egeret auxilio virorum fortium, sed claudi & cæci sufficerent, siue homines veri, siue lapidei.

c cap. 21. 18.

Prouerbium, Cęcus & claudus non intrabūt in tēplum, exponitur.

d ibid. v. 6. 7.

Vide Abulensem post quæstionem septimam in expositione textus, qui affert aliam expositionē aliorū, quòd Iebusæi improperarent Dauid eadē verba, quę Dauid eos irridēdo vsurpauerat, vocans *cæcos, & claudos,* id est, non potentes se defendere. Quidquid sit, verisimilior est expositio de hominibus, aut de statuis, sed non de Isaac, aut Iacob, sicut & Ezechiel[e] scribit Tyrios, vt hostes contemnerent, statuisse pygmæos super turres: non obstat, inquam, prouerbium, quoniam in arce illa ædificatum est templum, & ad ministrandum templo tales non admittebantur, vt dictum est, & notat idem Abulensis[f]. Vide etiam Angelomum[g].

e cap. 27. 11.

f qu. 7. 8. & 9.

g in 2. Reg. 5.

Ceterùm portam Speciosam ædificatam quidam credunt (nempe Ioannes Benedictus, & meminit Gagneius, & Salmeron) à Ioathan Oziæ filio, & quidem à terra suspensam altè, & nominatam portam Ioathan, eámque ipsam, quæ dicitur in Scriptura[h], *porta domus Domini sublimissima, siue excelsa.* Comestor[i] Speciosæ nomen ortum tradit ab ornamento, quod addidit Alexander Hircanus. Aliis videtur, quos referunt Gagneius, & Salmeron, in instauratione templi Herodem illam extruxisse, reliquis portis altiorem, ideóque populari nomine vocatam Speciosam. Imposuerat etiam Herodes portæ aquilam auream pulcherrimam, vt scribit Iosephus[k]. Vatablus vnam vult fuisse de portis atrij populi ad Orientem, quod atrium appellaretur quoque Basilica grandis[l]. Credo id quod initio dixi, & eam portam ab Herode factam, per quam intraretur in primam porticum dictam Salomonis. Nam hoc modo ab ingredientibus omnibus etiam Gentilibus eleemosynam claudo petere licebat: & hic paulò post illam narratur ab Apostolis incipientibus introire in templum petiisse, & sanus cum iisdem intrasse in templum: & ob celebritatem miraculi

h 4. Reg. 15. 35. 2. Paral. 27. 3.

i hist. Schol. c. 17.

k 15. Ant. cap. vlt. lib. 17. c. 8. lib. 1. de bello Iud. cap. 12.

l 4. Reg. 15. n. 29.

A concurrisse populum ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, in quam videlicet iam erant ingressi cum claudo sanato. Potuit Lucas portam nominando Speciosam, respectum habuisse ad *speciosum præ filiis hominum*, qui est simul ostium ouium.

Vt peteret eleemosynam ab introëuntibus in templū.] *Misericordes fore credidit, qui templum frequentarent,* inquit Glossa interlinearis, *videlicet cùm misericordiam ipsimet implorent: Iudicium verò sine misericordia ei fiet,* inquit Iacobus[m], *qui non facit misericordiam.*

m cap. 2. 13.

Eleemosyna vocatur benedictio.

n 2. Cor. 9. 5.

Rectè aliquando vocatur eleemosyna, *benedictio*[n], eò quòd cum benedictione, & fausta DEI B precatione offeratur. Idcirco templum oraturi ingredientes, ac DEO benedicturi benedictionem, atque eleemosynam largiri velle meritò existimantur, vt DEO quodammodò fœnerentur[o]. Subit nunc memoria de seruulo paralytico eleemosynam petente Romæ in porticu Clementis, de quo Gregorius[p].

o Prou. 19. 17.

p 4. Dial. c. 14. & homil. 15 in Euang.

Eleemosyna vnde sit nomen, & vnde ducatur.

Eleemosynam.] Dictio Græca est Latinitate donata, ac ferè tantùm in Scriptura vsurpata, & quidem pro eo munere, quod egenti ad subleuandam eius miseriam, ex liberalitate, & pietatis studio datur, ἀπὸ τοῦ ἐλέους, id est, misericordia, seu ab ἐλεέω id est, misereor.

Eleemosyna etiā dicitur, quæ fit à peccatoribus.

Et quanquam perfectam misericordiæ, & li- C beralitatis rationem eleemosyna non habet, nisi fiat propter DEVM, & ex charitatis imperio, quomodo definit eam S. Thomas[q], tamen propterea id nomen retinere potest, necnon moralis virtutis rationem sine charitate, & in peccatoribus, vt patet ex Scriptura Danielis[r], Matthæi[s], ac Lucæ[t], & ex Augustino[u], aliisque Patribus, qui simpliciter, & absolutè nominant eleemosynas, quas etiam peccatores faciunt.

q 2. 2. q. 32. a. 1.

r c. 4. 24.

s c. 6. 2. 4.

t c. 11. 41.

u Enchi. c. 71. & 76.

Eleemosyna de seipso minus propriè dicitur.

x ibid. c. 76.

Minùs propriè dicitur etiam eleemosyna, cùm quis suæ ipsius necessitati subuenit, prout idem Augustinus[x] docet his verbis: *Qui vult eleemosynam ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam sibi primò dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissiméque dictum est*[y]: *Miserere animæ tuæ placens* D DEO.

y Eccli. 30. 24.

Nomen eleemosyna duo significat.

z vers. 5.

a vers. 33.

b vers. 9.

c vers. 11.

Accipitur hoc loco, & paulò pòst[z], pro re ipsa, qua subuenitur alienæ necessitati, sicut & Lucæ 12.[a] aliàs verò, ac magis propriè pro actione, vt Tobiæ 12.[b] & Ecclesiastici 17.[c] & alibi. Reperitur nonnunquàm, licèt perrarò, apud Auctores profanos eleemosynæ vox in hac significatione, vt apud Spartianum de Caracalla agentem: *Non tenax*, inquit, *in largitionem, non lentus in eleemosynam.*

Versus 3.] Is cùm vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, E rogabat vt eleemosynam acciperet.

INCIPIENTES *introire.*] Μέλλοντας εἰσιέναι, *futuros introire*, quod vulgò diceremus: *Che stauano per entrare*; vel Gallicè, *estans pour entrer*. Syrus, דעאלין *debhaalin, introëuntes*, id est, *iamiam ingressuros.*

Rogabat vt eleemosynam acciperet.] *Vt vidit,* inquit Chrysostomus, *illos ingredientes, & miracula facientes talia, & pios ex ipso habitu iudicauit.*

Qua ratione impulsus claudus ab iis petiit Apostolis eleemosynam.

Nescio an ibi viderit miracula ab iis fieri, vidit fortasse non oculis corporis, sed mētis per cognitionem acceptam ab aliis. Illa alia ratio ex habitu, simúlque ex vultu, qui pietatem spirabant, valdè probabilis est: & debuit apud claudum valere, vt

a temn.

à tenuibus hominibus, prout idem ipse habitus demonstrabat, eleemosynam peteret. Et quidem compertum est, proniores ad benignè aliis faciendum mediocres esse, quàm opulentos: hi enim ex his quæ non sunt passi, aliis compati nesciunt, *neque dolent super contritione Ioseph* [a]: illi contrà ex se, & sua conditione alios æstimant: & miseris subueniunt, quos existimant posse aliquando in eos misericordiam exercere: & plerumque meliores sunt, qui minùs diuites. Crebrò autem in Scripturis iustitiæ sanctitatisque vocibus denotatur misericordia: quod testantur etiam Hebræa vocabula literarum transmutatione modica, nempe חסד *chesed*, id est, *sanctitas*, & צדק *tsedek*, id est, *iustitia*, in quibus istæ literæ ס *samech*, & צ *tsade*, ח *cheth*, & ק *coph*, licèt diuersæ, soni similitudine conueniunt.

Mediocres sunt propensiores ad eleemosynam quàm opulenti.
a Amos 6.6.

Versus 4.] Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos.

INTVENS *autem.*] Græcè legitur, Ἀτενίσας, *Intendens fixis & immobilibus oculis, & obtutu.* Oculis lenibus ac benignis, & commiserationis plenissimis.

Intueri aliquem, vel aspicere, seu respicere, & videre, sæpe in bonam partem accipit Scriptura; vt in Psalmo [b]: *Protector noster aspice* DEVS; & [c], *Respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam*; & alibi [d], DEVS, DEVS *meus, respice in me.* Hoc modo respexit DEVS Abel [e]: CHRISTVS Matthæum in telonio [f]: Simonem, & Andream [g]: Zachæum in sycomoro [h]: Petrum cùm negauit [i]: scio tamen etiam non rarò sumi in deteriorem partem, & pro punitione DEI, vt Habacuc 3. [k] Amos 9. [l] Exodi 14. [m] Psalmo 24. [n] & 103. [o] & alibi.

Respicere in bonam partem, & malã sumitur.
b Psa.83.10.
c Psa.79.15.
d Psa.21.2.
e Gen.4.4.
f Mat.9.9.
g Mat.4.18.
h Luc.19.5.
i Luc.22.61.
k vers.6.
l vers.4.
m vers.24.
n vers.16.
o vers.32.

Dixit.] *Petrus nimirum, tacet enim Ioannes vbique*, inquit Chrysostomus, *ille verò pro eo rationem reddit*, quippe dignitate, non ætate tantùm prior: qui etiam propterea Ioanni præponitur, dum hîc mentio de vtroq; fit, sicut & versu primo, & alibi.

Petrus Ioanne præsente loquitur, & Ioannes tacet.

Respice in nos.] *Quasi paupertatem habitu demonstrantes, se pauperes esse responderent*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo. Hoc meritò Lyranus improbat, quoniam ex his verbis claudus spem potiùs concipit, vt sequentia verba indicant. Idem significat Chrysostomus, notans eos, qui resiliunt, dum orant eos inopes. Verosimilior est coniectura Isidori Clarij [p], quòd Petrus præuenit, vt claudus attentè animaduerteret, quid esset faciendum: ne magnitudine posteà facti perterritus, obliuisceretur quo id pacto accidisset. *Sic Mosem*, inquit, DEVS *interrogat, quid esset quod manu teneret* [q], *nempe virgam, vt cùm conuersa posteà fuisset in colubrum, recordaretur principium rei.*

p in hunc locum.
Mendicans cur Apostolos respicere iubeatur.
q Exod.4.2.

Phrasi Scripturæ *respicere in aliquem*, seu *ad aliquem*, est spem in illo ponere, vt [r], *Respiciens erã ad adiutorium hominum, & non erat*; & [s], *Cùm respiceremus attenti ad gentem, quæ saluare nos non poterat*; & [t], *Respexistis ad amplius, & factum est minus*, id est, spem in messis tempus retulistis, & fraudati estis in messe vacui. In nouo etiam Testamento [u], *Respicite*, inquit CHRISTVS, *& leuate capita vestra*, id est, erigite animum, & bene sperate: qui enim desperabundi sunt, iis concidit vultus, vt Cain [x], & nec oculos in cœlum tollere audent. Addit Carthusianus, ideò ita locutum Petrum, vt & claudus, & alij intelligerent, à quo mox sanitas claudo danda erat, eâque ratione CHRISTO gloria, non Apostolis tribueretur.

Respicere in aliquem quid sit.
r Eccli.51.10.
s Thren.4.17.
t Aggæi 1.9.
u Luc.21.28.
x Gen.4.5.

Optima dispositio templum ingredientis, vt exaudiatur, exaudire pauperem deprecantem. Id anteà monui. Chrysostomus verò (vel si quis alius) sermone quodam de Martyribus (is est secundus in tomo 5.) eleganter hoc modo notauit: *Ascendunt Apostoli Dominum deprecaturi, sed preces claudi non poterant aspernari. Praeueniuntur precibus preces: rogantem claudum rogaturi antè audiunt, quàm precentur: nec permittit claudus orare illos, quos petit, nisi prius acciperet ipse, quod optauit, vt antè ab eis quod voluit impetraret, quàm ipsi à Domino, quod volebant expeterent.*

Templũ ingressuris optima dispositio.

Versus 5.] At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.

AT *ille intendebat in eos.*] ὁ δὲ, inquit Græcus cõtextus, ἐπεῖχεν αὐτοῖς. *Ille verò applicuit se, & animum illis adiecit*, seu, *animaduertit illos, totus se conuertit ad illos.* Syrus simpliciter vertit, חרבהון *charbehun*, id est, *intuitus est in eos.*

Sperans se aliquid accepturum ab eis.] Ergo verbis illis, *Respice in nos*, claudo spes data erat. Tropologicum est, quod de Iudæis sub persona istius Chrysostomus animaduertit, *illos claudicantes fuisse* [y], & quibus opus erat petere sanitatem, cùm tamen magis opes humi repentes quærerent, & propterea templo assiderent, vt ditescerent.

Iudæi claudicant, & lucra sunt intenti.
y Psa.17.46.

Sic hodiè nonnulli frequentant patres spirituales, non vt spiritualia colligant, sed temporalia, non propter IESVM, sed Lazarum [z]. Sapientior cæcus ille, quem cùm CHRISTVS interrogasset: *Quid tibi vis faciam?* respondit: *Domine, vt videam* [a].

Patres spirituales aliqui lucri gratia cõsectantur, non pietatis.
z Ioan.12.9.
a Luc.18.41.

Congruit proposito egregium B. Ignatij Patris nostri responsum ad eos, qui operam eius petebant ad Principum gratiam aucupandam [b], vel in eorum aulas intrandum: *Ego quidem præstantiorem Dominum nullum scio, quàm eum, quem mihi ipse delegit: ad hunc vos si applicare cupitis, libentissimè meum omne studium præstabo.* Antonius lepidè ventitantes ad se studio pietatis Ierosolymitanos, curiositatis, vel emolumenti temporalis gratia nominabat Ægyptios [c], quærebatque de discipulis, vtri essent illi qui se conuenire volebant, Ægyptiine essent, an Ierosolymitani, vt quid cum illis posset agere, cogitare meliùs posset.

Egregium B. P. N. Ignatij dictũ.
b Ribade.lib. 5.vitæ Igna.c. 11.
c Pal.in Laus

Versus 6.] Petrus autem dixit: Argentum, & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine IESV CHRISTI Nazareni surge, & ambula.

ARGENTVM, *& aurum non est mihi.*] Pecunia ex hoc præsertim duplici metallo constat, quamuis etiam ex ære. Augustinus [d] notat, *aurum, & argentum sine addito, quando ponuntur, vel copulantur, significare omne genus pecuniæ.* Exempla in Scriptura multa suppetunt [e].

Pecunia argenti & auri nomine signatur.
d q.117.in li. Iudic.

Cõmercia quidem priùs facta videntur, quàm pecuniæ solutio; tamen antiquior est signata pecunia, vel in argento, vel in auro, quàm prout à Plinio traditum est [f]. Nam ætate Abrahami, iam erat argentea moneta probata, transiensque per manus mercatorum [g]: vnde verisimile fit, sicut apud Romanos, de quibus Plinius, ita & apud eos qui vixerunt cum Abraham, argenteæ vsum pecuniæ, quàm aureæ antiquiorem fuisse. Negat

e Gen.13.2.2. Paral.1.15. Psal. 104.37. Eze.1. 19. Soph.1.18.
Pecunia signata est antiqua satis.
f lib.33.c.3.
g Gen.23.8.16.

Petrus

Pecuniam quomodo Petrus habere se neget.

Petrus pecuniam se modò habere, vel esse ad manum, inquit Glossa interlinearis. Chrysostomus, *Non dixit*, inquit, *non habeo hic, qualia nos dicimus: sed prorsus non habeo.* Collecta sine dubio pecunia erat ex possessionibus, & substantiis venditis, sed pecuniam custodiebat aliquis, Apostoli non gestabant, & quanquàm ex ea poterat Petrus claudo partem dare, tamen in præsentia non habebat, quod daret. Est quidē verum, præcepisse CHRISTVM [a] Apostolis, *ne possiderent aurum, vel argentum, vel pecuniam in zonis*: sed partim conueniebat id præceptum tempori, vt essent expeditiores, cùm etiam tunc nec pauperum, nec Ecclesiarum curam haberent; partim quia tunc *non vsura rerum pecuniariarum, sed prauus tantùm abusus, & sollicitudo iis interdicta erat*, vt ait Augustinus [b], & Hieronymus [c].

a Mat. 10. 9.
b 2. de cons. Euang. c. 5.
c 4. cont. Pel. & epi. 150. ad Hedib. qu. 1.
Apostolis licuit post Ascēsionem habere pecunias.

At post CHRISTI Ascensionem, vt se, & alios alerent, quorum curam haberent, licuit iis possidere aurum, & argentum, & alias res: vt constat ex capite præcedenti, & ex quarto, quinto, & sexto: nec deest exemplum in CHRISTO, quo adhuc superstite Iudas *loculos habebat, portans ea quæ mittebantur* [d], id est, offerebātur, *inde emens quæ opus erat, & egenis dandi officium habens* [e]: salua tamen paupertate in toto collegio Apostolico. Lege contra Ioannem Vviclef (negantem Clericis licere habere villas, possessiones, & affirmantem peccasse, tam eos, qui receperunt, quàm eos, qui donauerunt) Cardinalem Bellarminum [f].

d Ioan. 12. 6.
e Ioan. 13. 25.
f Tom. 1. lib. 1. de Cler. c. 26.

Hinc discimus, inquit Cyprianus [g], *à nobis remouere cupiditatem habendi, propterea enim abundasse Petrum bonis spiritualibus, ac tanta miraculorū potestate.* Hilarius [h], Chromatius [i], Ambrosius [k], Augustinus [l], & Chrysostomus [m], idem obseruant. Verum est, verbo præsentis temporis, & actiuo, significari nonnunquàm consuetudinem professionis: vt [n], *Virum non cognosco*, id est, nec soleo, nec possum, quia voui castitatem: eodémque modo videri posset intellexisse Petrum, *Argentum, & aurum non est mihi*, propter votum paupertatis. Tamen sensus simplicior est, quem dixi: si enim habuisset apud se, dedisset, quod paupertatis non repugnat voto.

g lib. de Habitu virg. c. 5. & lib. 3. ad Quir. cap. 61.
Cupiditas à nobis remouenda, si volumus gratia abundare.
h in Psa. 118. in illud, *Portio mea*. vers. 57.
i Ser. de octo Beatit. Matth. 5. 10.
k epist. 82. & Ser. 3. de Petro & Paulo.
l Serm. 16. de verb. Apost.
m hom. in id, *Iustum deduxit Dominus.* Sap. 4.
Amor paupertatis, & liberalitatis Ecclesiæ nota.
n Luc. 1. 34.

Inter insignes Ecclesiæ nostræ notas est amor paupertatis, & liberalitatis: de quibus Thomas Bozius in opere de Notis Ecclesiæ [o]. Nil est quod virum magis ostendat, quod enim Lydius lapis facit de auro, id facit aurum de homine, vt è doctorum Prouerbio dixit Plinius: vel iuxta alios, quod index est auro, id aurum est homini: de quo Prouerbio Auctor Adagiorum [p] ex Chilone, Antiphane, & Themistocle. *Beatus vir qui inuentus est sine macula, &*, inquit Sapiens, *qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris* [q]. *Quis est hic, & laudabimus eum?* Quidam [r] memorant, cùm B. Thomæ Aquinati, qui fortè ad Innocentium IV. venerat, dum coram Pontifice vis pecuniæ magna numeraretur, dixisset Pontifex: Vidésne, Thoma, Ecclesiam non amplius, sicut olim, quando primùm coaluit, dicere posse, Argentum, & aurum non est mihi? Doctorem Angelicum vrbanè, ac modestè respondisse: Nec potest modò, quod tunc, imperare claudo, vt surgat, & ambulet. Abutuntur hæretici his cōtra facultates Ecclesiæ sententiis: quasi verò vel semper sit opus miraculis, vel non maximè deceant opes Ecclesiæ maiestatem, tum propter alias causas, de quibus antè diximus.

o lib. 10. c. 11. & lib. 11. c. 10.
p Chil. 2. centur. 4.
q Eccli. 31. 8.
r Bap. Gillius Acad. Florēt. dial. 5.

Quando nouus Pontifex inibat possessionem Lateranensem, iuxta ritus veteres, primùm æream largiebatur pecuniam, vsurpans præsentem sententiam, ac denotans primam Ecclesiæ paupertatem: tum ex auro & argento, recitans illud ex Psalmo [s]: *Dispersit, dedit pauperibus*, atque designans posteriores opes, & earumdem pium vsum.

s Psal. 111. 9.

Ceterùm quando Cyprianus [t] videtur negare, posse fidem, ac virtutem possidere (veras nempe diuitias) qui se diuitem seculo malit esse, quàm CHRISTO, non sic eum accipias, quasi miraculorum gratis datum donum nequeat esse in peccatore, ac in auaro: sed exaggeratè loquitur, déque eo quod plerumque accidit.

t lib. de Discip. & hab. virg.

Quomodo gratia sanitatum sit in hominibus.

Quod autem habeo, hoc tibi do.] Nēpe per gratiam sanitatū tibi sanitatē confero. Non datur per modum qualitatis permanentis hoc donū, aut miraculorū, aut Prophetiæ, &c. Habitibus enim vtuntur, vt volunt, qui iis præditi sunt, non semper autem Propheta prophetat, &c. Sed præstò DEVS est plerumque gratiæ suæ auxilio ad operanda huiusmodi opera iis, qui talia dona habere censentur: *quod verò per amicos possumus*, inquit Lyranus, *quodammodò per nos ipsos possumus*: sanitatem autem illam poterat Petrus dare virtute Domini sui, & amici IESV CHRISTI.

Qui eleemosynā dare non potest pauperi, affectū tribuat.

Habet, qui vnde tribuat eleemosynam non habet, magnam in hac Petri sententia consolationem: nec, si non det id quod habet, vllam habet excusationem. Pecuniam si non habet, habet si vult, miserendi voluntatem, compatientem affectum, verba suauia, & consolationem exhibentia, pias ad DEVM pro paupere preces, atque suspiria.

Eleemosynas non facere, inquit Hieronymus [u], *crimen habentis est: ceterùm qui non habet vnde faciat eleemosynam, liber est, quantumcumque dare voluerit, tantum dedit, quia voto dedit. Tamen habent & Sancti vnde faciant eleemosynas. Dicit enim Petrus, Argentum, & aurum non habeo, quod autem habeo, hoc tibi do*, &c. Tum subiicit esse misericordiæ opus, quod eodem Psalmo subiicitur, *disponere sermones suos in iudicio*, id est, docere alios pro capacitate cuiusque: è contrario arguté reprehendit idem diuites auaros, & illiberales in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis [x]. *Argentum, & aurum non habeo; quod autem habeo, hoc tibi do, &c. At nunc multi*, inquit, *licet sermone taceant, opere loquuntur. Fidem, & misericordiam non habeo: quod autem habeo argentum, & aurum, hoc tibi non do.*

u in id Psalm. 111. vers. 5. Iucundus homo, &c.
x cap. 14.

Deus contentus est etiam minima eleemosyna.

Contentus est DEVS, si plus non potes, vt offeras pilos caprarum [y], vel duo minuta [z], vel calicem aquæ frigidæ [a]. Tobias senior iuniori præcipiebat [b]: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Nunquam vacua est manus ab opere, cum arca cordis repleta fuerit bona voluntate*, inquit Gregorius: & voluntas efficax, cum præstandi deest facultas, æquale meritum habet: vis enim omnis bonitatis ac meriti in opere, nascitur ex interna voluntate: vt aliàs ostendimus contra Scotum [c], nonnullam in externo diuersam bonitatem ponente ab ea, quæ est in interno. Postremò notat Basilius [d] in illis verbis: *Quod habeo, hoc tibi do*, DEI dona, vt gratis accepta sunt, ita gratis impertienda sine vitio iactantiæ, vel simoniæ, & auaritiæ: adde etiam libenter, & largiter: siquidem quæ gratis accipimus, quæque gratis damus, copiosè dare solemus.

y Exo. 35. 6. 23. 26.
z Luc 21. 2.
a Matt 10. 42.
b Tob. 4. 9.
Vis omnis meriti nascitur ex interna voluntate.
c in 1. 2.
d in Moral. Reg. 18. c. 1.

In nomi

In nomine IESV CHRISTI *Nazareni surge, & ambula.*]Et in virtutem CHRISTI, miraculum transfert, & ipsissimis verbis vtitur, quæ vsurpabat id genus homines curans [a]. Iam completur promissio CHRISTI, *Super ægros manus imponent, & bene habebunt* [b]. Augustinus [c] contra Manichæos argumentatur non esse carnem à malo principio, cùm in CHRISTI nomine sanetur.

IESV CHRISTI.] Omisso IESV nomine, de quo egi in capite primo Esaiæ, CHRISTVS, vt ait Tertullianus [d], *non est nomen*, nimirum proprium, sed *appellatio*, id est, nomen appellatiuum, seu nomen officij est, non naturæ, vel personæ. Sic ait quoque Lactantius [e], CHRISTVM *non proprium nomen esse, sed nuncupationem potestatis, & regni; sic enim Iudæos regem suum appellasse.* Augustinus [f] verò vnà cum citatis ait, IESV *nomen proprium esse: CHRISTI nomen esse Sacramenti, quomodo si dicatur Propheta, vel Sacerdos.*

Ab vnctione deriuatum est, siue olei Deitatis in Humanitate, vt placet Eusebio [g], Nicephoro [h], Damasceno [i], & apud istum Athanasio, Nazianzeno, & Cyrillo, præthereà Origeni [k], Theodoreto [l], Vigilio [m]: siue olei gratiæ creatæ, vt alij explicant: vel olei SPIRITVS sancti per exteriorem descensum, vt placet Basilio [n]. Propter oleum materiale, quo Reges [o], Sacerdotes [p], ac Prophetæ [q] in vetere Testamento inungebantur, sacrabanturque, alios homines hoc nomine appellatos legimus, etiam Cyrum regem [r]: CHRISTVS verò Rex [s], Sacerdos [t], & Propheta [u] fuit, vt notat Augustinus [x].

Quæ causa Nestorium impulit, vt B. Virginem χριστοτόκον libenter appellaret, quasi solius hominis matrem, non autem Θεοτόκον, vt testatur Damascenus [y] dicens, *sua ætate ad vitandum hunc errorem, non appellatam esse Christiparam.*

Et tamen CHRISTI nomen ἀνθρωπωνυμικόν, eodem auctore [z], & Augustino [a], eum significat, qui simul sit DEVS, & homo. Nec refert quòd vnctio CHRISTI sit spiritualis: hæc enim potior est, & ab ea quoque nonnullis id CHRISTI nomen tributum est, vt in Psalmo [b], *Nolite tangere Christos meos*, id est, vt exponunt Basilius, & Hieronymus, Patriarchas ante legem. Tertullianus [c] CHRISTI nostri appellationem ab vnctione spirituali impositam obseruat, & Irenæus [d] ab SPIRITV sancto, qui vnctio [e] dicitur, necnon Ambrosius [f], & Augustinus [g], & Dionysius Alexandrinus [h], & Fulgentius [i], & Anselmus [k], & Gregorius [l], & Hieronymus [m] dicens, aliis datam esse materialem, eáque eguisse, quia saucij erant vulnere peccatorum. Cyrillus Alexandrinus [n] vnctum scribit SPIRITV sancto, & PATRE, *quando Verbum caro factum est*: Nazianzenus [o] Diuinitatem vnctionis tenuisse locum. Vnctionem istam, præter eos quos dixi, Iacob [p] adumbrauit, auctore Augustino [q]: & Dauid potissimùm. Hic ter vnctus est à Samuele in Bethlehem [r]: à tribu Iuda sola [s]: ab omnibus tribubus [t]. Ad eundem ferè modum CHRISTVS in Nazareth conceptus, ab Apostolis receptus, ab omnibus nationibus admissus pro Rege est. Mitto etymologiam Iustini nominis ΧΡΙΣΤΟΥ, κατὰ τὸ κεχρίσθαι, ἢ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν ΘΕΟΝ, *quod per illum omnia ivnxerit, seu perfecerit, & ornauerit* DEVS. Aliam item quasi χρηστός, id est, *vtilis*, Latinè *Chrestos*, nomine etiam vsitato Romanis, vt videre est apud Tacitum [u], Suetonium [x], Lucianum [y], Plinium [z], & ex nostris apud Tertullianum [a], Lactantium [b], Paulum Orosium [c], qua etiam voce Hebræi quidam in Hebraica historia vtuntur: denique eam superstitionis plenam, quam Gnostici afferebant, & est apud Irenæum [d], non tam notationem, quàm literarum eo nomine contentarum arithmeticam supputationem.

a Matth. 9. 5. Marc. 2. 9. Luc. 5. 23. Ioan. 5. 8. 11. 12.
b Marc. vlt. 18.
c Serm. 26. de verb. Apost.
Christus, nomen est officij.
d lib. contra Prax. c. 28.
e lib. 4. c. 7.
f Tract. 118. in 1. epist. Ioan.
g 4. de Demõ. cap. 15.
h 1. Hist. c. 4.
i lib. 3. c. 3. & lib. 4. c. 6.
k 2. de Princ. cap. 6.
l in Psa. 44.
m 4. contra Eutychen.
n in Psa. 44.
o 1. Reg. 10. 1. & c. 16. 13. & alibi.
p Exod. 29. 7.
q 3. Reg. 19. 16.
r Esa. 45. 1.
s Psa. 2. 6.
Nestorius errorem, Christiparam nõ Deiparam B. Virginem dicens.
t Psa. 109. 4.
u Deut. 18. 15.
x in Psa. 149.
y lib. 3. cap. 12.
z ibidem.
a cont. Felici. cap. 2.
Christi nomen ἀνθρωπωνυμικόν Christi mixtio naturarum.
b Psa. 104. 15. 2. Reg. 1. & alibi.
c lib. de Bapt. cap. 7.
d lib. 3. c. 20.
e 1. Ioan. 2. 20. 27.
f 1. de Spiritu sancto. cap. 3.
g 15. de Trin. cap. 26. & 3. cont. Maxim. cap. 16.
h epi. ad Paul. Samos. apud Turr.
i lib. de Incar. cap. 10.
k in c. 1. ep. ad Hebr.
l lib. 9. epi. 61.
m in c. 16. Ezec.
n de fide ad Theo. & 4. in Ioan. c. 29.
o orat. 4. The.
p Gen. 28.
Dauid præcipuus vnctionis Christi typus.
q in Psa. 44.
r 1. Reg. 16.
s 2. Reg. 2.
t 2. Reg. 5.
Nomen Christi etymologia varia.
u lib. 15.
x in Claud. c. 25.
y in Philopa.
z epi. 109. ad Traianum.
a Apol. c. 3.

Non potuit quidem propriè ante Incarnationem de eo qui incarnatus est, nomen CHRISTI vsurpari, vt monuit Procopius [e], & Damascenus [f], qui testes etiam producit Athanasium, Nazianzenum, & Cyrillum Alexandrinum, indéque argumentatur contra opinionem Origenis, quòd animæ ante corpora extiterint: veruntamen Auctor Sermonis de Assumptione B. Virginis inter opera Hieronymi [g], aliter sentit, & legi ipse apud alios Patres in eo sensu hoc nomẽ: immò & Paulus ita loquitur, cùm ait [h]: *Neque tentemus* CHRISTVM, *sicut quidam eorum tentauerunt*, &c. quemadmodum & Iudas de nostro etiam IESV loquens [i]: IESVS *populum de terra Ægypti saluans.* Hæ verò loquendi formæ intelligendæ sunt non solùm ratione personæ diuinæ CHRISTI, sed etiam ob Incarnationem ita prædefinitam, ac si facta iam, & præterita esset, vt notat Damasceni Scholiastes Iudocus Clichtouæus.

Sed & quidam ad literam de CHRISTO nostro intelligunt id Psalmi 131. [k] *Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem* CHRISTI *tui*, vt Chrysostomus; & quod est Ecclesiastici 47. [l] iuxta quosdam codices, CHRISTVS *purgauit peccata ipsius*, vt Lyranus, quamuis ibi Græcè est, Κύριος, itáque legendum docet Iansenius, & legunt Biblia Sixti V. & tamen in epistola Iudæ citata retinent, IESVS, cùm textus Græcus habeat etiam Κύριος. Sed citato loco Iudæ peculiaris ratio est, propter Iosue, qui nomine réque IESVM nostrum repræsentauit, vt obseruant Iustinus [m], & Tertullianus [n], & alij, quin & alij duo probant inde, tum Deitatem CHRISTI, tum eundem esse auctorem vtriusque Testamenti, nempe Oecumenius, & Beda [o]. Cyrillus autem Alexandrinus [p], humanitatem simul & diuinitatem.

Iam verò notatu dignum & illud est, cur à Græcis CHRISTI nomen, non MESSIÆ ab Hebræis mutuati, IESV nomine Hebræo vtamur, copulantes nomini CHRISTI. Videlicet mysterium id latere possumus affirmare, quod Augustinus [q] deprehendit in his vocibus, quas Paulus coniungit [r], ABBA PATER, vt intelligamus eundem esse DEVM Iudæorum, & Græcorum, siue Gentilium omnium. Adhæc talis nominum horum coniunctio, IESVS CHRISTVS, vel contrà, CHRISTVS IESVS, videtur fieri data opera contra Iudæos, vt eum profiteamur esse CHRISTVM siue MESSIAM, qui vocatur IESVS. Vnde Ioannes in epistola sua prima [s]: *Qui credit quoniam* IESVS *est* CHRISTVS, *ex* DEO *natus est.* Et Matthæus capite primo [t]: *De qua natus est* IESVS, *qui vocatur* CHRISTVS. Tandem Ambrosius [u] his nominibus, IESVS CHRISTVS, significari docet, iam completum esse aduentum VERBI in carnem.

Admonent prætér hoc combinatæ voces Hæreticos, non esse aliũ IESVM, qui sit passus, alium CHRISTVM, qui miracula ediderit: cuius hæresis mentio est apud Irenæum [x], & Tertullianum [y], eíque pridé occurrisse videtur idem Ioannes dicẽs [z]: *Omnis spiritus qui soluit* IESVM, *ex* DEO *nõ est.*

Habent & Catholici expressiorem quandam Incarnationis, auditis nominibus his, notionem:

b lib. 4. c. 7.
c lib. 7. c. 6.
d lib. 1. c. 12.
Christus propriè non potuit dici ante Incarnationem.
e in c. 49. Esa.
f lib. 4. c. 6.
Aliqui tamen dixerunt.
g Tom. 9.
h 1. Cor. 10. 9.
i vers. 5.
Christi nomen etiam tributum à Scriptura Saluatori nostro ante Incarnationem.
k vers. 10.
l vers. 13.
m cont. Tryp.
n cont. Iud. c. 9. 3. contra Marcion. c. 16.
o in epi. Iud.
p de fide ad Theod.
Cur Græco & Hebræo nomine vtamur dicentes, Iesus Christus.
q lib. de Spir. & lit. c. 32. Ser. 13. de ver. Apost. c. 14. 3. de cons. Euang. c. 4. in epist. ad Gal. & in Psa. 18.
r Rom. 8. 15. Gal. 4. 6.
s cap. 5. 1.
t vers. 16.
u in c. 2. ep. ad Philipp.
Iesus nõ est alius quàm Christus, nec contra.
x lib. 3. c. 18.
y lib. de carne Christi c. 24.
z 1. epi. 4. 3.
Incarnatio duobus his vocibus designatur.

Téque

neque enim IESVS est, id est, SALVATOR, nisi DEVS vel CHRISTVS, id est, vnctus, nisi homo: *vnctio enim non fit nisi ratione Humanitatis*, inquit Hilarius [a], ita vt id innuere videatur IESVS ipse CHRISTVS, cùm ait [b]: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te DEVM verum, & quem misisti IESVM CHRISTVM*, quasi dicat, & FILIVM tuum, vt homo fieret, & Humanitatem vngeret, ipsam assumendo.

a lib. 11. de Trin.
b Ioan. 17. 3.

Obseruata sunt ex his nonnulla ante me à Toleto [c], qui addit, nonnunquàm priore loco poni CHRISTI nomen hoc modo [d]: CHRISTVS IESVS, aliàs è contrario, IESVS CHRISTVS, & prioris ordinis causam esse ordinem temporis, quia nomen CHRISTI potiùs pertinet ad legem, posterioris verò ordinem dignitatis: quoniam perfectius est Euangelium, & veritas, quàm lex, vmbra, & promissio. Non videtur valdè constans hæc ratio, cùm ipsemet fateatur IESVM magis sonare deitatem, quæ profectò dignitate, ac duratione prior est. Postremò, repetendum quod dixi capite primo [e], proprio nomine ab Euangelistis exprimi SALVATOREM nostrũ per IESVM: per CHRISTVM autem, eiusdem officium, quod & paulò antè Patrum confirmauimus testimonio.

Cur dicatur Christus Iesus, & aliquando Iesus Christus.
c Ioa. 1. anno. 75.
d Philipp. 2. 5. Gal. 5. 6.
e vers. 1.

Surge, & ambula.] Iisdem verbis vsum CHRISTVM, superiùs monui, quæ faciunt ad euidentem curationis probationem: nec enim simulata, vel imperfecta videri poterat, qua impotẽs membrorum claudus, ac fortasse etiam paralyticus surrexisset, & ambulasset. Euidentior probatio fuit, quòd deinde quoque exiliit.

Probatio, qua claudus is probatur curatus, euidens.

Consuetudo fuit CHRISTO, sicut à Chrysostomo, & Euthymio in Ioannem [f] obseruatum est, post facta à se miracula, quiddam facere, vnde miraculi veritas, ac magnitudo conspiceretur. Nam paralyticis, quos curauit, non surgere tantùm, & ambulare, imperauit [g], quod etiam, quamuis non omninò sani essent, facere potuissent, verùm etiam & in humeros grabatum tollere, ac portare, quod facere non potuissent, nisi non modò sani fuissent, sed etiam vegeti, atque robusti. Eodem modo CHRISTVS fragmenta iussit colligi, quando paucis panibus multa hominum millia saturauit [h]. Leproso curato dixit: *Vade, ostende te sacerdoti* [i]: suscitatæ puellæ voluit dari manducare [k]: aquam in vinum conuersam architriclino ferri voluit [l].

Christi consuetudo, qua vsus est ad suorum miraculorũ confirmationem.
f cap. 5.
g Matth. 9. 5. Mar. 2. 9. Luc. 5. 23. Ioan. 5. 8.
h Mat. 14. 20. & c. 15. 37.
i Mat. 8. 4. Luc. 5. 14.
k Mar. 5. 43.
l Ioan. 2. 8.

Consuetudinem istam CHRISTI nunc imitatus est Petrus. Sed inter alias vna hæc differentia est, quòd non propria auctoritate, vt ille, verùm in nomine, ac virtute CHRISTI miraculum edidit, quæ virtus ipsis etiã Petri verbis, vt & aliorum qui similiter miracula fecerunt, communicata est: alioqui nuda verba significant quidem quid velis; non possunt tamen præcipere, quæ nequeunt facere, vt rectè Gregorius [m] in simili casu notauit de DEO imperante surgere Ezechieli, qui reuerà per se non poterat.

Petrus propria auctoritate non fecit miraculũ, sicut Christus.
m hom. 9. in Ezech.

Versus 7.] Et apprehensa manu eius dextera alleuauit eum: & protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ.

ET *apprehensa.*] CHRISTVS etiam puellæ à se suscitatæ manum tenuit [n]: & oculos cæcorũ tetigit [o]: & Petrum naufragantem apprehendit manu extensa [p]: & leprosum sanans tetigit [q]: & manũ socrus Petri febricitãtis [r]: & auriculas ac linguam surdi, & muti [s]: & virtutes per manus

n Mat. 9. 25.
o Matth. 9. 29. Ioan. 9. 6.
p Mat. 14. 31.
q Mat. 8. 3.
r ibidem 15.
s Marc. 7. 33.

A eius efficiebatur [t]: & infirmos impositis manibus curabat [u]: promittens Discipulos eodem modo esse curaturos [x].

t Mat. 6. 2.
u Marc 6. 5. Luc. 4. 40. & c. 13. 13. 13. de muliere inclinata.

Vtebatur CHRISTVS contactu, vt ostenderet non solùm veritatem carnis, sed etiam carnem suam propter coniunctionem cum diuinitate vim salutiferam, & viuificam habere; aut se esse, non alium, qui curasset, cùm ipse, non alius, tetigisset. Possunt hæ suo modo rationes proposito adaptari, vt innuit Oecumenius: & præterea significare potest tactus dignationem, & facilitatem: item amputat suspicionem de immanente, ac inhærente virtute miraculorũ, siue in CHRISTO, siue in aliquo alio: nulla enim talis datur, vt

Cur Christus vsus tactu in miraculis faciendo.
x Mar. 16. 18.

B dixi versu præcedente, ita vt non qui tangeret æger, sed qui tangeretur, sanitatem consequeretur, vel quem vellet CHRISTVS tangentem sanari, vt hemorrhoïssam [y].

y Matt. 9. 20.

Et protinus.] *Nulla intercedit cunctatio*, inquit Glossa interlin. *ne putetur aliunde sanatio. Quanta velocitate res agatur, attendite*, inquit Augustinus [z]. *Vix aures debilis sermo intrauerat iubentis, & continuò vis sanitatis irrupit: & exclusa infirmitate, vsui membra redduntur. Testimonium velocis Resurrectionis est velocitas ex debilitate surgentis in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba* [a], &c. *Futura metire de factis: in quanto momento mortui excitentur debilibus à natura crede vestigiis.* Oecumenius quoque Resurre-

Resurrectionis velocitas, qua & quanta futura sit.
z Serm. 26 de verb. Apost.
a 1. Cor. 15. 52.

C ctionem notatam vult in eo, quod Petrus alleuauit claudum. *Hanc vocem per Spiritum*, inquit Basilius [b], *dicto ocyùs efficacia operis consecuta est. Et hoc miraculi argumentum, celeritas in operando.*

b hom. in Ps. 115.

Nec tamen perpetuum, quidam enim cæcus à CHRISTO curatus, primùm homines vidit ambulantes vt arbores [c], non discernens, quemadmodum qui procul hominem vident tanquàm molem, lineamenta non distinguunt. Causa fortassis fuit, quòd CHRISTVS suam potẽtiam moderatus est ad cæci fidẽ nondum perfectam, sicut Petrus cùm perfectè credebat, firmis in mari vestigiis incedebat; mergebatur, cùm dubitabat [d]: vel voluit, vt beneficium, quod accipiebat, dum

Christus aliquando miracula non fecit perfecte.
c Mar. 8. 24.
d Matt. 14. 30.

D sibi paulatim conferebatur, pluris faceret. Nescio an perfectam in claudo nostro fidem affirmare possimus, quia in eo nullam legimus.

Consolidatæ sunt bases eius, & plantæ.] *Ita enim enerues sunt in paralyticis*, inquit Glossa interl. ponens hunc talẽ fuisse. *Parum erat*, inquit Augustinus [e], *quòd dicebatur in vsum claudus redisse, vires cum sanitate restituuntur: non enim dicit, restitutæ sunt, sed consolidatæ sunt bases: tam abundantem recipiunt sanitatem, vt ferant laborem.*

e Serm. 26. de verb. Apost.

Bases Lyranus interpretatur crura, ac tibias, quibus innititur corporis pondus: plantas pedes vsque ad vltimam superficiem. Syrus priorem di-

E ctionem βάσεις vertit, רגלוהי raglauehi, id est, *pedes eius*, & posteriorem, nempe plantam, עקבוהי ikbebauehi, hoc est, *calcaneos*, seu *vestigium eius*, quam sanè etiam significationem apud profanos Auctores Græcos habet. Nõ memini Latinum legere vtentẽ hac voce in ista significatione, sed neq; in Scriptura alium locũ, in quo talis eius vsus reperiatur.

Quid esse causæ putemus, cur omninò primũ miraculum (si quod capite priore de aliis in genere dictum est per Πρόληψιν accipiamus) vel certè quod SPIRITVI sancto visum est, vt cõmendaretur posteritati tanquàm à Petro factum, fuerit claudi curatio? Ambrosius [f] respondet, quoniam *Petrus petra est super quã ædificatur Ecclesia* [g], *ideóque sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita*

Cur primũ Petri miraculum fuerit claudi sanatio.
f Serm. 68.
g Mat. 16. 18.

& in

& in homine membrorum fundamenta confirmat, & vt Christianus iam non trepidus, & imbecillis possit super petram Ecclesiæ, sed robustus, & fortis incedere. Nyssenus[a]: *Is*, inquit, *qui à natiuitate claudus fuerat, Speciosam portam templi rursus iis, qui salui fierent, aperuit, cui assidens suæ sanationis miraculo animas claudicantes ad fidem adduxerat.*

a orat. de S. Stephano.

Claudus significat Iudaicum populum.

b in hoc loco.

Beda[b] per claudum intelligit populum Israël, qui non solum à CHRISTI Incarnatione, sed etiã à tempore legis rebellis, quasi ex vtero matris, claudus fuit: *quod in Iacob cum Angelo luctante, & claudicante*, inquit, *figurabatur*[c]: *quia populus ille* CHRISTO *in passione præualens, in quibusdam per fidem benedictus, in aliis ex infidelitate est claudus.*

c Gen. 32. 24. & seq.

Porta Speciosa quæ.

d Ioan. 10. 9.

Porta verò Speciosa Dominus est, per quam qui intrat, saluatur[d]; *ad hanc portam Israël debilis, nec ire valens, legis, Prophetarumq; vocibus affertur, vt ab ingredientibus poscat auxilium fidei, & sapientiæ: quia vaticinia futurorum, quasi ad portam Ecclesiæ ponunt auditores: sed Petrus in templum perducit, cui per confessionem fortem, etiam cognomen petræ, & claues cœli sunt datæ.* Hucusque Beda, & ex eo Glossa ordinaria. Prior verò idem versibus elegantibus Arator expressit[e]:

e li. 1. in Acta Apost.

—*Sed & altera nobis*
Res aperit, quod causa gerit: gens nomen ab illo
Israel dicta tenet, qui bella reliquerat æger
Conatus certare DEO: *tulit ipse figuram*
Corporis antè grauem, quam post in vulnere mentis
Israel claudus habet, qui per sua crimina labens
Corde magis quàm carne fluit, spatiisque sub ipsis
Quadraginta annos, Ægypti fine remotus
Claudicat Ægyptum cupiens, idoláque, quærens,
Ponitur ad portam Speciosam debilis: vltrà
Non valet ire miser, nec limina tangere portæ:
Culpa negauit iter. Qui sunt qui pectore claudum
Israel ferre solent, portæq; adiungere certant,
Quæ Speciosa suo prodit de nomine IESVM?
Isaias, Daniel, similes quique ore Prophetæ
Obscuris manifesta canunt miracula CHRISTI,
Et porta qui nomen habet, sic admonet ipse,
Porta ego sum vobis[f], *qui per me intrare recusat,*
Fur erit: ille nocens, possunt portare Prophetæ,
Ad portam cernenda magis, quàm visa loquentes,
In templum non ferre queunt: hæc ianua Petro
Credita, qui CHRISTVM *confessus cognita monstrat,*
Non ventura sonat, vetus ò sine fine iacebis,
Ni Petrum iam claude roges.——

f Ioan. 10. 9.

Non potuerunt hæc Poëtæ Christiani carmina propter elegantiam & sententiam omitti.

Qui claudi sint moraliter.

Atque, vt allegoriæ Tropologiam connectamus, claudicant in vtramque partem, tum Hæretici, quædam credentes quæ sunt credenda, quædam non credentes, ac proinde, nihil vt oportet, credentes: tum peccatores alij, *qui factis negant, quæ credere profitentur*[g]. *Non intrabunt proculdubiò huiusmodi claudi in templum cœleste*[h], sed ij, qui dum viuerent, pedem scandalizantem absciderũt[i]. Tandem, vt cum allegoria finiam, completa videtur Prophetia Sophoniæ[k]: *Et saluabo claudicantem, & eam, quæ eiecta erat, congregabo*; & Michææ[l]: *In die illa saluabo claudicantem, & eam, quam eieceram colligam, & ponam claudicantem in reliquias.* Sed audiant Hebræi, nósque cum illis monentem Paulum[m]: *Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur*: id est, ne partim Mosem sectemini, partim CHRISTVM. Petamus vt dilatet DEVS sub nobis gressus nostros, & *non infirmentur vestigia nostra*[n], & *ponat pedes nostros quasi ceruorum*[o], *vt viam* DEI *mandatorum curramus*[p].

g Tit. 1. 16.
h 2. Reg. 5. 8.
i Matt. 18. 8.
k Sopho 3. 19.
l cap. 4. 9.
m Heb. 12. 13.
n Psal. 17. 37.
o ibid. 34.
p Ps. 118. 32.

Versus 8.] Et exiliens stetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans DEVM.

Claudus exiliẽs declarat sanationis magnitudinem.

ET *exiliens stetit, & ambulabat.*] *Exiliit, siue tentans, an esset sanus, siue nondum rectè sciens ambulare, siue lætitia exultans*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius. Valet id verò ad miraculi magnitudinem. *Saltus frequenter etiam sanis grauis est*, inquit Augustinus[q]: *non senserunt illi pedes pigra remedia, nec velut vnguenti modo lita vestigia reuocantur: ad momentum vis medicinæ irrumpentis ostenditur, signatúrque fuga infirmitatis exclusæ. Sic exilit qui sanatur à paupere.*

q Serm. 26. de verb. Apost.

Tunc impletum est Esaiæ vaticinium[r] (vt etiam notauit Basilius[s]) *Saliet sicut ceruus, claudus*: quod moraliter, & spiritualiter quoque curatis contingit, quorum *exultant ossa humiliata*[t]. Isto exemplo Basilius[u] Esaiæ illustrat locum.

r cap. 35. 6.
s ibidem.
t Psal. 50. 10.
u in c. 8. Esa.

Stetit.] Aut post saltus stetit, ac deinde ambulauit: aut idem est stetit, quod fuit, ita vt exiliens stetit, idem sit, quod exiliens fuit, seu exiliit.

Et intrauit cum illis in templum.] Vel in templum primum, vel in secundum, prout priùs dictum est, versu secundo. Sed meliùs in primum, quò posteà miraculi fama, multitudinem conciuit. Extra templum verò edi decuit miraculum, ne loci sanctitati posset adscribi.

Ambulans, & exiliens.] Priùs exiliebat, & ambulabat, nunc postquàm ambulauit, denuò exiliit, aut non se capiens præ gaudio, modò ambulat, modò exilit, *id verò ne putetur*, inquit Chrysostomus, *esse simulatio, & hypocrisis, quod anteà saltauerit.*

Deum quomodo claudus laudet.

Et laudans DEVM.] Profectò CHRISTVM, in cuius nomine iussus est surgere, & ambulare. Et inauditum erat, quemquam in alterius hominis nomine, siue virtute, aut inuocatione esse curatum. *Laudabat* DEVM, inquit Chrysostomus, *vt ora astantium obturaret: & suos quidem benefactores gratus comitatur, non tamen illos, sed* DEVM, *qui per illos ei benefecerat, admiratur.*

Beneficij memoria retinẽda est.

Beneficij memoria obseruanda est, & grati pro eo animi exhibenda significatio: hoc nescio quẽ[x] à Dæmonio liberatum facere iussit CHRISTVS, & de nouem leprosorum ingratitudine est indignatus[y]. Pascha, aliæque præcipuæ festiuitates in veteri Testamento, hæque quas celebramus in nouo, institutæ sunt ad diuinorum beneficiorum memoriam recolendam.

x Mar. 5. 19.
y Luc. 17. 18.

Omnes creaturæ clamant, Accipe, redde, caue.

Omnes creaturæ nostris conditæ vtilitatibus, tacitis quibusdam vocibus, vt quidam dixit, clamant, *Accipe, redde, caue*; accipe beneficium, redde gratitudinem, caue supplicium.

Gratitudinis in Deum summa habenda est ratio.

Multi nuncupati in periculo voti, extra periculum sunt immemores, vt illi, *qui cùm occideret eos* DEVS, *quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Et rememorati sunt, quia* DEVS *adiutor est eorum, & DEVS excelsus redemptor eorum est: & dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius*[z]. Tritum in Italia prouerbium est: PASSATO IL PERICOLO, GABBATO IL SANTO.

z Psal. 77. 34. 35. 36. 37.

Hinc infert Chrysostomus, claudũ credidisse: & hoc ipsum censendum esse miraculum, quòd

statim crediderit: *qui enim liberati sunt à diutinis morbis, vix,* inquit, *credunt, etiam cùm viderint.*

Versus 9.] Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem DEVM.

ET *vidit omnis populus.*] Locus templi, & tempus Pentecostes, hora etiam orationis nona magnam populi multitudinem exciuerant, ac proinde magna miraculo fides, ex tot testibus comprobatur, vt planè impudens futurus fuerit Lucas, si ea narraret, quæ tam multorum refragatione facta esse conuinci possent. Idem esto iudicium de omni historia Euangelica, in qua continentur, quæ in luce orbis gesta narrantur.

Miracula Christi & Apostolorū qui scripserunt, vera omninò narrarunt.

Versus 10.] Cognoscebant autem illum, quòd ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt stupore, & exstasi in eo, quod contigerat illi.

COGNOSCEBANT *autem illum, quòd ipse erat.*] *Recognoscebant quodammodò eum, qui ob miraculum ignotus videbatur: hoc enim verbo vtimur in his, quos vix agnoscimus,* inquit Chrysostomus, & Oecumenius. Verbum est, ἐπεγίνωσκον, cuius vis est, vt significet exploratè cognoscere, & deprehendere. Simile quiddam in cæco nato accidisse obseruat Oecumenius, quem vicini, & qui viderant eum priùs, dicebant: *Nónne hic est qui sedebat, & mendicabat*[a], &c. sicut & nunc cognoscebant claudum, quòd ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi.

a Ioan. 9. 8.

Impleti sunt stupore, & exstasi.] Θάμβους, καὶ ἐκστάσεως. Syrus vertit, *stuporem,* תמהא *thomeha,* id est, *admirationem,* & *exstasim,* רומרא *rumera,* id est, *stuporem,* seu, *mentis eleuationem,* quæ videlicet homines extra se veluti poneret.

Admiratio duplex.

Est admiratio quædam ex gaudio proficiscens, alia ex timore: *posterior est istorum, in quibus etiam nondum erat fides;* vt ait Glossa interlinearis. Vnde quod Matthæus[b], seu Interpres eius Græcus verbo Græco expressit ἐθαύμασαν, *admirati sunt* (quod Latinus reddit *timuerunt*) Lucas[c], ἔκστασις ἔλαβεν, id est, *stuporem cepit,* exposuit, ac vehementem timorem interpretatur. *Stupor,* inquit Caietanus, *magnitudinem admirationis significat, ecstasis effectum eius, hoc est, alienationem à seipso.*

b cap. 9. 7.
c cap. 5. 26.

Notat Beda, dici etiam exstasim pro inspiratione reuelationis: de qua quid sit, Augustinus[d], Epiphanius[e], & Hieronymus[f], qui cùm eam Prophetis negat, in sensu Montani loquitur, hoc est, eiusmodi alienationem mentis, vt nescirent, quid loquerentur: quod etiam refellit idem Epiphanius[g], necnon Basilius[h]. Ita nonnulli accipiunt excessum Dauid, pro quo Græcè est ἔκστασις, cùm ait[i]: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax,* sed Hebraicè nos habemus, אני אמרתי בחפזי כל האדם כוב *Ani amarthi bechaphezi col haadam chozeb;* vbi cùm cetera ad verbum nostra interpretatio exprimat, tamen בחפזי *bechaphezi,* Pagninus reddidit, *in festinatione mea,* & proinde significat, *in trepidatione mea*, cùm præceps fugerem plenus pauore, ac stupore, & perturbatione mentis, cernens mihi persecutionem vndique imminere; dixi tunc inquam, *omnis homo mendax,* & fallit, ac mentitur humanum auxilium, cùm persequatur me filius, & deserat à subditis, qui hoc mentiuntur quoque de me actum, & me à DEO ipso derelictum: & pulsauit animum trepidantem suspicio, etiam ne quæ sunt mihi Prophetæ prospera vaticinati, vera essent. Sed credidi tamen, & confirmaui meipsum in tot & tantis aduersis.

Exstasis quid sit.
d q. 10. in Genes.
e Hæresi 48.
f Procem. in Esaiam.
g ibidem.
h Procem. in Esaiam.
i Psal. 115. 2.

Nomine exstasis non vtitur noster Interpres, nisi hoc loco, & iterum in titulo Psalmi trigesimi, quod tamen non omnes legunt; & qui legunt, positum putãt propter versum 29. vbi est: *Ego autem dixi in excessu mentis meæ,* ἐν ἐκστάσει, *proiectus sum à facie oculorum tuorum,* vbi etiam sine dubio significat, pauorem ac metum ingentem. Psalterium Romanum habet, *in pauore,* propter quem sibi videbatur Dauid derelictus à DEO.

Exstasis nomen non est crebrum in interprete Latino.

In eo quod contigerat illi.] Ἐπὶ τῷ συμβεβηκότι αὐτῷ. Syrus ita, על מדם *hhal medam,* id est, *super ex eo,* vel, *super eo.* Creber huius præpositionis vsus in isto sensu, vt apud Matthæum[k]; *Putant quòd in multiloquio suo exaudiantur,* scilicet Ethnici: Actorum 7.[l] *Fugit autem Moses in verbo isto*[m]. Alia plura exempla colligit Emmanuel Sà[n].

k cap. 6. 7.
l vers. 29.
m Exod. 2. 14.
n in Indice.

Apud profanos Græcos auctores solet præpositio ἐπὶ, iuncta datiuo, causæ nota esse, vt ταῦτα ποιεῖν ἐπὶ τῷ κέρδει, *hæc facere lucri causa,* &c. Lege Thesaurum linguæ Græcæ.

Ἐπὶ quid significet apud Græcos.

Hîc exclamare libet cum Bernardo[o]: *Quomodo lux ista* (nominis effusi vt oleum[p]) *insplenduit, ac perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tanquàm fulgur egrediẽs claudi vnius corporales plantas solidauit & bases, multosq; spiritualiter cæcos illuminauit? Nunquid non ignẽ sparsit, cùm ait: In nomine* IESV CHRISTI *Nazareni surge, & ambula?*

Vis nominis IESV quanta.
o Serm. 15. in Cantica.
p Cant. 1.

Versus 11.] Cùm teneret autem Petrum, & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes.

CVM *teneret autem Petrum.*] Quidam codices habent, *viderent,* alij, *tenerent:* sed lectio nostra, quæ etiam est in emendatis Bibliis, fidem accepit à textu Græco, κρατοῦντος δὲ τοῦ ἰαθέντος χωλοῦ, & à Syra interpretatione, quæ sic habet, וכד אחיד הוא *vechad achid haua,* id est, *cùm tenens esset,* vel, *cùm teneret.* Iuxta duas illas lectiones sensus esset, quòd qui primi rem deprehenderunt, Apostolos, claudumq; vlteriùs progredientes, admirabundi, atque sciscitabundi stiterunt. At iuxta nostram, cui malè Gagneius primã præfert, Chrysostomus exponit, claudum propter beneuolentiam, & amicitiam ab Apostolis noluisse separari.

Claudus ab Apostolis cur nolebat, & propter quid.

Oecumenius ait, indicare voluisse omnibus propriæ salutis auctores: aut veritum, ne ab iis auulsus rediret in pristinam inualetudinem: præsertim cùm Petrus tangendo, & eleuando eum curasset. Placuit Caietano ratio secunda: mihi tertia displicet, quia non congruit tam hilariter DEVM laudanti, & exilienti, & iam, si credimus Chrysostomo, fidem habenti.

Maximã intercedere oportet necessitudinem, & amoris vinculum, erga spirituales nostros progenitores, qui nos in CHRISTO genuerunt, si tanta in claudo fuit propter sanitatem corporis, etsi eam etiam quà animi, consecutum putem. Hoc, si quis alius, obseruantiæ genus Cyprianus erga Cæcilium presbyterum, qui eum ad fidem Christianam perduxit, exactissimè obseruauit. *Nam illum,* inquit Pontius[q], *toto honore, atque omni obseruantia diligebat, obsequenti veneratione suspiciens, non iam vt amicum animæ* coæqualem,

Maxima beneuolentia patres spirituales sunt prosequendi.

Cyprianus quanto honore Cæcilium presbyterum, a quo fuit conuersus, sit prosecutus.
q in vita Cypriani.

coæqualem, sed tanquàm nouæ vitæ parentem. Nomen Cæcilij gestare voluit pro prænomine, perpetuum sui in magistrum amoris testimonium. Taceo nonnullos discipulos Pauli, quorum mentio est hoc eodem libro, & in epistolis ipsius, quorum alij auelli ab eo non patiebantur [a], alij oculos ipsos sibi pro eo libenter eruissent [b].

a Act.20.37.
b Gal.4.15.

Salomonis atrium quale fuerit.

Ad porticum, quæ appellatur Salomonis.] De hac dixi versu 2. Non iis credas, qui nominis rationem dant, quòd ea pars atrij templi esset, in quam se Salomon soleret orationis causa recipere, erat enim id atrium cómune Gentilibus, & ad adorandum, orandúmve: Salomon autem Iudæorum potiùs intrasset in atrium, quàm in illud ita commune. Ibi voluerunt lapidare CHRISTVM [c], qui nunc per suos bonum pro malo rependit; *attrahens ad limina sua, qui verus est, atque pacificus Salomon*, vt ait Beda. Concursus populi ad hanc porticum suadet, claudum intra eandem, postquàm in porta curatus esset, ingressum esse, prout etiam priùs dictum est.

c Ioan.10.31.

Versus 12.] Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc? aut nos quid intuemini? quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare?

VIDENS *autem Petrus.*] Hinc incipit pars secunda huius capitis, continens Petri concionem secundam; quam eleganter cum prima Chrysostomus comparat, inter alia asserens hanc vehementiorem esse, ac liberiorem.

Videns autem Petrus.] Populi scilicet concursum & stuporem.

Respondit ad populum.] Respondit aut tacitis interrogationibus concurrentis, ac stupentis populi, aut fortasse etiam expressis aliquorum de mirabili sanitate claudi. Phrasis Hebræa est, vt Hebræum verbum ענה *hhana*, quod est, *respondit*, & participium עונה *hhone*, id est, *respondens*, dicant, pro eo quod est, *exorditus est sermonem*, vel, *loqui incipiens*, vt in Matthæum obseruat Euthymius [d], cùm de CHRISTO Euangelista scribit, *Respondens* IESVS *dixit: Confiteor tibi*, PATER, &c. Multa exempla suppetunt in nouo Testamento, præter locum iam citatum [e]: necnon etiam in vetere [f]. Est quoque interdum forense verbum, seu iudiciale, idem valens quod testificari, seu protestari, & satisfacere [g]: & quod nostra editio habet in Exodo [h]: *Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium*, Hebraicè est, לא תענה ברעך עד שקר *lo thahhane berahhecha hhed scheker*, id est, *non respondebis in proximum testimonium falsum.* Potest hoc loco ita sumi, Petrus enim protestatur, & satisfacit. Nonnunquàm Interpres Hebræum idem verbum ענה *hhana*, in vetere Testamento, quod ferè semper verbo respondendi reddit, alio quoque præter illud exprimit, vt pronunciandi [i], loquendi [k], perstringendi [l].

d in cap. 11. 25. super id, Respondens tibi, Pater, &c.
e Mat.11.25.c. 14.28.c.17.4. c.22.1.c.26. 25.c.28.5.Mar. 11.14.c.12.35. Luc.13.14.c. 14.3.c.17.17. Ioann.2.18. Apoc.7.13.
f Iob.3.2.Daniel. 2.4.27. Zach.4.11.
g vt Iob 15. 22.Genes.30. 33.Esa.59.12. Oseæ 5.5.
h c.20.16.
i Iob.14.1.
k Iob.35.1.
l Dan.7.2.

Quid miramini in hoc.] Id est, *propter hoc*, vt dixi versu decimo.

Quasi nostra virtute, aut potestate.] Græcè, *δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ, virtute, aut pietate.* Emendata Biblia retinent, *potestate*, prout & Syrus habet, sic legẽs, או בשולטנן *o beschultana*, id est, *aut in imperio nostro* propriè, & proinde idem est cum potestate, quamuis alij codices Latini, tum impressi, tum manuscripti, quos legi, habeant, *pietate*, & ita legerint Glossa interlinearis, & Lyranus, & Hugo Cardinalis, & Carthusianus; qui etiam notant, virtutem, & pietatem necessarias esse saluti. Lyranus autem, ad faciendum aliquod bonum, requiri facultatem, & bonam voluntatem.

Miraculorum causa est pietas.

Est quidem plerumq; meritoria miraculorum causa pietas, & pietatem ac sanctitatem sæpe illa indicant: tamen neutrum perpetuum est, vt CHRISTVS ipse docuit [m]. Itaque si pietatem legimus, voluit Petrus & modestiæ causa, & CHRISTI amore, vt miraculum hoc non sibi, sed DEO & CHRISTO Iudæi deputarent. Nec diuersus est, si potestatem retineamus, sensus: facilis permutatio fuit, *δυνάμεως*, & *εὐσεβείας*. Alioqui constat, *τὴν δύναμιν*, non virtutem moralem, vt velle videtur Glossa interlin. sed facultatem, vt Lyranus, significare. Solent pij viri suas & virtutes morales, & mirabilia opera summo studio celare, ac in DEVM omnia transcribere.

m Matt.7.22.

Sancti omnes suas virtutes celare solent, & Deo omnia tribuunt.

Hoc egregiè de Petro, eiúsque exemplo, etiam de aliis Sanctis (ante hos insigne Ioannis Baptistæ exemplum [n], & post eosdem, Pauli & Barnabæ [o]) Gregorius Papa notauit [p]: *Signum quippe faciens*, inquit, *intuentium oculos, miraculi lumine perstrinxit, sed humilitatem custodiens, laudem Auctori reddidit. De omni verò bono quod faciunt, idcirco viri sancti semper laudem* CREATORI *reddunt, vt vera stabilitate persistant in ea virtute, quam accipiunt.*

n Ioan.1.20. & seq.
o Actuum 14. 13.& seq.
p homil.5.in Ezech. circa finem.

Propterea Gregorius Turonensis [q] appensas ad collum gestabat reliquias, vt quoties miraculum accidisset opera eius, non ipsi, sed Sanctorum tribueretur meritis. Similiter Eligius cæco sibi manus imponi postulante, manum ipsius apprehendens, eaq; signum illi crucis imprimens, quasi per se id formare nequiret, miraculum editum adscripsit eidem signo. Narratur id in vita eius [r], & alia nonnulla similia [s], atque de Sanctis aliis in eorundem historiis.

Gregorius Turonensis appensas ad collum gestabat reliquias.
q Surius To. 6.
r lib.1.c.29.
s 27. & 31.

Caluinus secutus lectionem Græcam, infert, nullam habendam rationem Sanctorum pro miraculis, & gratiis, quas vocant, impetrandis, sed planè perperam; agit enim Petrus de causa principali, & vnum intendebat CHRISTVM Iudæis inculcare, & imprimere, fidei tamen etiam in eum paulò post miraculum, tanquàm causæ nimirum instrumentali & meritoriæ tribuens; pietatem verò more, & intelligentia Iudæorum, vt legalis obseruantia erat, aut naturæ viribus fiebat, & in qua illi nimiùm confidebat, excludens. Nam quòd Sanctorum merita, & preces ad impetranda miracula gratiasque valeant, & innumerabiles historiæ, & Ecclesiæ praxis suis ad illos hac de causa orationibus, & Patres testantur, præcipuè Basilius [t], Chrysostomus [u], Theodoretus [x], Ambrosius [y], Augustinus [z]. Lege Stapletonum [a]. Gregorius [b] dixit aliquando, *deuota* DEO *mente viros adhærentes cùm necessitas exposcit exhibere signa, vel ex prece, vel ex potestate.* Intellige secundum de modo quo potestatem non quidem naturalem, sed communicatam diuinitùs manifestant, e prece non præmissa. DEVS *facit mirabilia solus* [c], *quoniam quæcunque faciunt Sancti, aliive, ipse in eis operatur, qui facit mirabilia solus*, inquit Augustinus [d].

Miracula Deo quidem vt primariæ causæ, & Sanctorum pietati, vt secundariæ, sunt tribuenda.

t Hom.de 40. Marty.
u Hom. de S. Iuuen.& Maxim.
x lib.8.affect. Græca.
y ep.8.& Ser. vlt.
z lib.de cura pro mort. ca. 16.& libr. 22. de Ciu. Dei. c.9.& 10.
a hoc loco in Antido.
b 2.Dial.c.30.
c Psal.71.18.
d in Psal.71.

Versus 13.] DEVS Abraham, & DEVS Isaac, & DEVS Iacob, DEVS patrum nostro-

rum glorificauit Filium suum Iesvm, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti.

Antiqui Hebræorum Patres ab Apostolis culti & honorati.

Devs *Abraham, & Devs Isaac, & Devs Iacob.*] Valdè conciliant hæc Petro amicitiam auditorum, quasi eosdem Patres, quos illi, veneretur, eandem cum illis religionem colat: qua etiam de causa in priore concione protulit in medium Dauid, & Ananias agens cum Saulo Catechumeno [a]: Devs, inquit, *Patrum nostrorum præordinauit te.*

a Act.22,14.

Porrò sæpe Devs, horũ trium Patrum Devs nominatur: ac primùm quidem cùm apparuit Mosi, dixit ei [b]: *Dominus* Devs *patrum nostrorum,* Devs *Abraham, & Devs Isaac, & Devs Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.* Nam hi tres Deo charissimi erant, ac familiarissimi, & ab eo habuerunt promissionem de semine ipsorum multiplicando, deque Messia inde gignendo, in quo benedicendæ essent omnes gentes, de peculiari protectione ac defensione Dei, & de terra Chanaan, quæ promissionis dicebatur, in quam tunc terram volebat introducere populum. Itaque Devs ipse quasi se precibus eorum sollicitatũ sentiret, vt promissa compleret, Devm se ipsorum affirmat, certiores Hebræos reddens se completurum. *Simul commonens per Mosem,* vt ait Didymus [c], *vt cauerent ne eos qui non sunt veri dij, sed pro veris apud Ægyptios haberentur, colerent, sed illum qui est, nimirum verus* Devs, *& quẽ eorum Patres impensè coluerunt.* Abraham quidem fuit Dei dilectus (sic loquitur Daniel [d]) quia ex media erutus idololatria, vt esset pater futuri seculi, cum amplissima promissione [e]: Isaac autem dicitur ab eodem *seruus,* propter singularem obedientiam [f]: Iacob demùm [g] *Sanctus* dicitur, eò quòd primus Deo decimas vouerit, &c. si Augustino credimus apud Carthusianũ, ex vtero sanctificatus est. Sunt qui in Abraham designatam dicant moralem Philosophiam, quia Deo morigerum se ac obsequentem exhibuit: Physicam in Isaac, quoniam puteos fodit, quasi scientiam absconditorum: in Iacob Metaphysicam, propter contemplationes, & visiones.

b Exo.3.6.15.
Deus Abrahã, Isaac & Iacob cur soleat dici.
c lib. de Spiritu sancto.
d cap.3.35.
e Gen.12. & 18.& 22.
f Gen.22.
g Gen.28.20.

Hebræi, dũ Deũ inuocant, his eũ nominibus compellant.

Vicissim Hebræi suis in precationibus Devm siue laudare, siue placare, siue exorare cupientes, Patrum eorũdem adhibent commemorationem, Deoque in memoriam reuocant cum illis promissa, & pacta inita. Hinc illud à Iacob pronunciatum [h], *Inuocetur super eos nomen meum: nomina quoque patrum meorum Abraham, & Isaac.*

h Gen.48.16.

Christus Deum Abrahã, Isaac, & Iacob nominauit, & ad quid.

Christvs ipse idem nomen libenter vsurpat [i], non auertens populum à Deo suo, vt contra Manichæorum calumniam Augustinus [k] notat. Eiusdem Augustini acuta alia animaduersio est [l], voluisse Devm à tribus illis Patribus veluti cognominari, quia sunt Ecclesiæ nostræ typus, in qua boni spiritualiter generant bonos: malos & bonos boni, mali malos & bonos, & boni malos: vt Ananias Paulum bonum bonus [m]: hi qui non sincerè annunciabant Euangelium [n] mali tum bonos, tum malos: Philippus Simonem Magum, bonus malum [o].

i Mat.8.11. c. 22.32.
k lib.16.cont. Faust.c.24.
In Ecclesia boni generant bonos & malos, & mali similiter.
l Tract. 11. & 12.in Ioan.
m Act. 9. 17. & seq.
n Phil.1.17.
o Act.8.13.

Quomodo Sara vxor Abraham libera & bona peperit Isaac bonum [p]: Agar mala, & ancilla Ismaël malum [q]: Rebecca vxor Isaac bona Iacob bonum, Esau malum [r]: Iacob denique habuit liberos, & ex liberis, & ex ancillis, atq; ex his etiam bonos & malos. Glossa ordinaria idem notat, Lyranus autem, quòd iste modus loquendi communis erat apud Iudæos in assertionibus veritatis, ideò Petrum illo vsum.

p Gen.21.2.
q Gen.16. 4. & seq.
r Gene.25.21. & seq.

Quomodo Christus ex hoc communis Resurrectionem probet.

Cur verò Christvs Resurrectionem confirmet ex hoc, quòd Devs se Devm Abraham, & Devm Isaac, & Devm Iacob, nominauerit, causa est, quoniam quamuis, verbi gratia, filij Zebedæi dicuntur patre Zebedæo iam mortuo liberi ipsius, superstites Iacobus & Ioannes, nec ex eo, quòd animæ supersint, necessariò sequitur Resurrectionem esse futuram; tamen significare vult Devs ita seipsum nominans, se esse qui fœdus percusserit cum illis Patribus, ac proinde se fœdus illud cum illis Patribus initum seruare velle, quasi ipsi adhuc viuentes (animæ enim eorum Patrum non interierant) Devm quotidiè sollicitent, vt ipsorum filios, siue posteros liberet ab Ægyptia captiuitate: cùm fœdera, quæ inter viuos feriri solent, viuis seruanda sint. Sufficiens argumentum contra Sadducæos, qui & Scripturam protulerant cum irrisione, quasi se Christvs expedire non posset, & æquè vtrumque negabant, animæ scilicet immortalitatem (quippe omnem de medio spiritum tollentes [s]) & Resurrectionem.

s Act.23.8.

Quæstiones de immortalitate animæ, & de Resurrectione connexæ erant.

Quibus duabus de rebus quæstiones adeò quoque apud Gentiles connexæ erant, vt haberentur pro vnica, vt patet ex argumentis, quibus Paulus Resurrectionem confirmat [t], & ex his, quæ de Iuda recitantur in Historia Machabæorum [u].

t 1.Cor.15. ferè toto.
u 2.Mac.12.43.44.

Beneficium Dei singulare, se vocari hominum Deum.

Ceterùm Dei singulare beneficium est, velle appellari hominum Devm. *Ait* Devs, inquit Bernardus [x], *Ego sum* Devs *Abraham,* &c. (*vnguentum effusum nomen* [y], *gentes, ad manum est salus, quod quicumque* [z] *inuocauerit, saluus erit. Angelorum* Devs, *etiam hominum* Devm *se nominat.*

x Serm.15.in Cantica.
y Cant.1.2.
z Ioel. 2. 32. Rom.10.13.

Petrus vocat Iesum Dei filium naturalem & consubstantialem.

Glorificauit Filivm *suum* Iesvm.] Iam apertè vocat Iesvm Filium Dei, *naturalem, & consubstantialem,* inquit Glossa interlinearis, *& non ampliùs Nazaræum,* inquit Chrysostomus, quod videtur nomen contemptus: fretus auctoritate miraculi in nomine Iesv patrati, & trium millium, ac aliorum deinceps multitudine qui fidem amplexi erant. Glorificationem intelligit Lyranus de Resurrectione Christi, & Sessione ad dexteram Patris. Glossa interlin. de sanitate claudi facta in nomine ipsius, necnon Chrysostomus. Vterque sensus commodus est. Edito miraculo dicebatur Christvs *ipse manifestare gloriam suam* [a], hoc est, diuinitatem: sic enim ista eo nomine significari solet [b].

a Ioan.2.11.
b Ioan.2.14. Matt.16.17.

Filium.] Παῖδα. Oecumenius putat esse humile nomen. Id si est, non filium significabit, sed puerum, seu famulum, cùm tamẽ nomen παῖδες, significare possit tum seruos, & ancillas, tum liberos, omnesque domesticos. Cuius rei obuia sunt & multa exempla. Certè probabilis est expositio Oecumenij, eique fauet verbum glorificandi.

Christus à Patre quomodo glorificatus.

Attamen intelligere possumus eum, qui est filius naturalis, glorificatum esse, prout gloria hæc eius Diuinitatis cum Humanitate coniunctæ, declarata est per miracula, doctrinam, &c. Quemadmodum quando Pater Christo Filio respondens dixit [c]: *Et clarificaui, & iterum clarificabo,* sensus esse potest de priore clarificatione,

c Ioan.12.28.

non

non tantùm quoad acceptā à PATRE consubstantialem ab æterno naturam, vt ferè Latini explicant, sed de omnibus quoque adhuc factis miraculis, vt Græci: de posteriore autem quantùm ad gloriam in morte ipsa, & post eam, &c.

Quem vos quidem tradidistis.] Priore concione *traditum* dixerat CHRISTVM DEI *definito consilio ac præscientia, & per manus iniquorum ab ipsis interemptum* [a]: agēs adhuc moderatiùs, quasi cum ebriis, & perturbatis, modò planiùs crimen obiecit, fretus duabus iis rebus, quas dixi, miraculi splendore, & multitudine conuersorum: adeò verò extimulat, vt ad pœnitentiam adducat.

a cap. 2.23.

Tradendi verbū quid importet.

Tradendi autem verbum, quod Græcè est παρεδώκατε, videtur hic importare proditoriam, ac, vt sic loquar, deceptoriam, fallacemque traditionē, qualis etiam Iudæ tribuitur, cùm vocatur traditor [b], & proditor [c], ὁ παραδιδοὺς, & προδότης. Sunt enim Iudæi, non Iudas tantùm, insidiis vsi, ac mendaciis contra IESVM.

b Mat. 14.44. c Luc. 6.16.

Et negastis ante faciē Pilati.] Negastis IESVM, ô Iudæi, dimitti debere, sed Barabbam postulastis, vt dimitteretur, vt mox subditur, aut negastis *habere vos Regem, nisi Cæsarem* [d]: idque coram Iudice Gentili, qui nec legis, nec gestorum CHRISTI conscius erat.

d Ioan. 19.15.

De Pontio Pilato.

Pilati.] Pōtius Pilatus Iudææ post Valeriū Gratum, Annium, seu Ancum Ruffum, M. Ambiuium, & Coponiū, quintus Iudææ Præses, eam Præfecturam annis decem administrauit Iudęis inuisus, ob illatas in Ierusalem Cæsaris imagines, vt ait Iosephus [e]: expensum sacrum thesaurum dictum קורבנא *Kurbana*, ad aquas à stadiis 300. conducendas: ob venditas sententias, ob factas rapinas, iniurias, clades, tormenta, cædes indemnatorum, sæuissimam crudelitatem, vt scripsit Philo [f].

Fuit Iudæis inuisus.

e 18. Antiq. c. 7. & 2. de bell. Iud. c. 8.

f de legat. ad Caium.

Lucas refert in Euangelio, quòd is miscuerit sanguinem Galilæorum [g] (hoc est, Samaritanorū, qui à vicinis Galilęis Galilæi dicuntur, aut quia seditiosum Iudam Galilæum sectabantur) cum sacrificiis: de qua historia copiosè, & diligenter Maldonatus [h]: quod factum CHRISTVS non videtur improbasse.

g cap. 13. 1.

h in Luc. super eod. cap.

Sententiam in Christum quasi inuitus tulit.

Sententiam in CHRISTVM dixit iniquam sanè, sed ferè inuitus, ita vt Patres illum quandoque excusare videantur, immò & CHRISTVS, aliorum comparatione, qui se illi tradiderant [i]: quippe qui potestate iusta quamuis iniustè vtetetur: alij verò illum ad tribunal ipsius tanquàm criminosum detulerant; quæ tamen ratio propriè non minuit peccatum Pilati, per se enim grauiùs peccat Iudex damnans innocentem, quàm qui Iudici tradit: sed auget Iudæorum peccatum CHRISTVS, propter eam causam, quam dixi, quoniam procurarunt occidi vt nocentem per eum, qui potestatem habebat. Nec profuit manus lauisse, vt Euangelium [k] testatur, vel iuxta Iudaicum [l] ritum, vel etiam aliarum Gentium, sicut Gretserus [m] refert, idque facie ad Orientem, vt quibusdam videtur, cum manibus eleuata, sicut de Gentilibus prodit Clemens Romanus [n]; insuper flagellauit suismet manibus CHRISTVM, si tamen Bedæ credendum est [o], sententiam in eum tulit, licèt contrarium velit Chrysostomus [p], & necauit CHRISTVM contra Romanorum leges non conuictum, vt idem Clemens loquitur [q], & non dilato in decem dierum spatium post sententiam supplicio, vt Tiberius decreuerat, quemadmodum de eo scribit Tacitus [r].

i Ioan. 19. 11.

k Matt. 27.24. l Deut. 21.6. Psal. 25.6. Psal. 57. 11. m 1. de Cruce. c. 14.

Pilatus quot & qualia peccata in Christū commiserit.

n 2. Const. c. 12. o libr. 4. in Marc. c. 44. p in 1. ad Cor. homil. vlt. q 5. Const. c. 13. r 1. Annal.

A Fertur quidem Pilatus Tiberio scripsisse de CHRISTO magna cum laude, atque cum excusatione latæ in eum sententiæ, vt etiam meminit Tertullianus [f], Orosius [t], Paulus Diaconus [u], Hegesippus [x], Eusebius [y]; Paulus Forosempronienses [z] diuersam ac posteriorem recitat epistolam ea quam Hegesippus, aliique de CHRISTO scripserunt. Extabant etiam acta Pilati, non fortassis apocrypha illa, quæ respuit Eusebius [a], Nicephorusque [b], sed alia, de quibus Iustinus [c], & Nicodemus [d].

Pilatus ad Tiberium scripsit pro suo excusatione.

f Apol. c. 21. t lib. 7. c. 4. u li. 7. Miscell. x in Anacep. y 2. Hist. c. 4. 2. z lib. 19. c. vlt. a 2. Hist. c. 4. 2. b 1. Hist. c. 9. & lib. 9. c. 4. c Apolog. ad Anton.

B Sed tamen non purgarunt contaminatum animum manus lotæ, *nec in aspersis digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur*, inquit Leo [e].

Manus lotæ non purgarunt impiū Pilati animum. d histor. Pass. Christi. e Serm. 8. de Pass.

Luit hoc summum scelus propria se perimens manu, vt citatus Paulus Diaconus tradit, & Eusebius [f], & Nicephorus [g], & alij: nam peiore nunquàm poterat occidi manu, vt pridem de Iuda dixi, & de Hercule Seneca cecinit [h], relegatus in proprium solum (quod ineptè Theophylactus [i] ait fuisse Pontum, quasi propterea sit cognominatus Pontius) à Caio, aut Viennam in Gallia, vt Cassiodorus [k], & Ado [l] putant, aut Lugdunum, vt Hieronymus [m], & B. Antoninus [n]. De lacu, qui dicitur Pilati ad Lucernam Heluetiorum, prodigiosa narrantur, si tamen vera, iis haud absimilia, C quæ de alio in Dalmatia Plinius scripsit [o]. Alia de Pilato parum certa narrantur, vt quòd eum in ius coram Tiberio Magdalena vocauerit, ob iniquā contra CHRISTVM sententiam. Sed & ridicula refert Gerson [p], quæ malim, si talibus delectaris, apud ipsummet legas. Plura de eodem Crinitus [q], Camperius [r], Petrus Messias [f], Baronius [t], Suidas [u], Nicephorus [x], Cedrenus [y], Laziardus [z]. Non Gallus, meo iudicio, fuit, vt quosdam velle monui; nec Ponticus. Pontios plures Romanos reperies in Onomastico historiæ Romanæ Ioannis Glandorpij. Nemo etiam in propria patria exulari, quamuis abfuerit inde diu, iubetur. Tradit etiam Gerson [a], Pilatum fuisse relegatum in Pontum, & Barbaris Ponti habitatoribus datum Præsidem, D à quorum subiugatione Pontij cognomentum retulerit.

Seipsum interemit. f 2. Hist. c. 7. g lib. 2. hist. c. 10. h in Hercule furente. i in c. 27. Mat.

k in Chronico. l in Chron. m Matth. 2. n 1. p. Hist. tit. 6. c. 10. §. 2. o lib. 2. c. 41.

p Sum. Theol. li. 1. art. 4. q libr. 10. c. 5. lib. 15. c. 3. r 2. Theol. Orphi. f 2. Variar. lect. c. 18.

Pilatus Gallus non fuit, nec Ponticus.

t tom. 1. Annal. u in Nerone. x 2. Hist c. 10. y Compend. hist. z Histor. vniuers. cap. 12.

Indicante illo dimitti.] Valdè hinc exaggeratur peccatum Iudæorum: nil enim Pilatus reliquisse intentatum videtur, vt innocentem CHRISTVM absolueret, & inter alia optionem dans pessimi prædonis & homicidæ, qua ratione & consultum erat honori Iudæorum, & CHRISTI innocentiæ. Hac in re, quam paulò antè exposui, comparandus mihi Pilatus cum Dario Persarum rege, qui Danielem [b] à Satrapis damnatum ad leones, omni ratione liberare contendit. Comparat Hieronymus [c] Pilati protestationem cum ea, quam E ediderunt nautæ, quando Ionam typum CHRISTI proiecturi erant in mare.

Christum vt dimitteret Pilatus quid non fecit. a loco supra citato.

b Daniel. 6. & vlt.

c in c. 1. Ionæ.

Versus 14.] Vos autem sanctum, & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis.

VOS *autem sanctum, & iustum.*] Complectuntur hæc duo summam totius perfectionis, vt & in Cantico patris Ioannis Baptistæ: *In sanctitate & iustitia coram ipso* [d], &c. Vbi Theophylactus, & Euthymius obseruant, quòd prima vox, id est, sanctitas, Decalogi partem primam respicit; secunda, videlicet iustitia, secundam: hoc est, prior

Iustus & sanctus omnē perfectionem continet.

d Luc. 1.75.

DEVM, posterior homines.

Sanctum.] Maximè proprium epithetũ CHRISTI, sæpe ipsi in Scripturis attributum[a], immò & à Dæmone ipso[b], necnon ab Angelo[c]: *Quod nascetur*, inquit, *ex te sanctum*, vbi tamen fortasse aduerbialiter sumitur pro, *sanctè*: & ab omnibus simul Apostolis[d].

a Psal. 4. 4. Ps. 15. 10. Dan. 9. 24. Habac. 1. 3. Apoc. 3. 7. b Marc. 7. 14. c Luc. 1. 35. d Act. 4. 30.

Sanctus Deus sæpe dicitur.

Sæpiùs de DEO ipso vsurpatum inuenies à Prophetis, & aliis. Et Seraphim decantant Trisagion hymnum[e]. Sed & CHRISTVS PATREM suum sanctum nominat[f], illum deprecans, inquit Rupertus[g], & Discipulis ab eo sanctificationem petens.

e Esa. 6. 3. f Ioan. 17. 11. g in Ioan.

Christus sanctus vt Deus.

Conuenit vni DEO, & CHRISTO, quatenus est DEVS, sanctitas essentialis, seu à se, infinita, principalis, siue causa omnis sanctitatis. Qua ratione quoque affirmamus solum DEVM esse immortalem, bonum, iustum, &c. & in Hymno Angelico cantamus: *Tu solus sanctus.*

Christus sanctus vt homo.

Quòd si consideremus CHRISTVM vt hominem, sanctus est, propter vnionem hypostaticam, præcisa etiam gratia inhærente, ita vt non possit non esse sanctus, vt meliores Theologi sentiunt, & in primis S. Thomas[h], & alij quos citat Suarez[i], & reliqui Theologi scholastici[k]: & eò magis, quòd vnio totam Humanitatem attingit, gratia solam animam per se, vt est rationalis.

h 3. par q. 7. a. 1. & q. 15. a. 1. & alibi. i Tom. 1. disp. 18. sect. 1. & disp. 33. sect. 1. & 2. k in 3. dist. 12.

Athanasius[l] appellat CHRISTVM per se sanctum, & Dominum sanctificationis, natura sua iustum & immutabilem ad bonum, hácque in re superasse primum hominem, & Angelos, sicque vnctum oleo lætitiæ præ consortibus suis[m]. Idem habet respondens Apollinari[n], & refert sexta Synodus[o], necnon Epiphanius[p], & Ambrosius[q], ideò neganti in CHRISTO animam & voluntatem humanam, ne fateri cogeretur capacem peccati, nihil esse quod id vereatur, quia per assumptionem hypostaticam reddita est impeccabilis, alioqui tribuendum esset ac refundendum in diuinitatem peccatum, si quod esset, inquit Epiphanius.

l orat. 2. contr. Arrian. m Ps. 44. 8. n lib. de Incarn. o Act. 8. p in Ancorato. q li. de Incar. Dom. sacram. cap. 7.

Gratia habitualis quid Christo conferat. Christus omninò impeccabilis.

Est prætereà sanctus, propter dictam gratiam habitualem, & quidem excellentissimam, vtpote quæ tribuat CHRISTO dignitatem capitis, & vt in alios influat non tantùm meritoriè (vt Theologi loquuntur) aut exemplariter, verùm etiam efficienter. Adhæc, quoniam eadem illa gratia quodammodò est infinita, quippe omnem cuiuscunque gratiæ vim, actionem, & modum continens: *Non enim ad mensuram dedit* DEVS *illi* SPIRITVM, *siue gratiam*[r], solusque simpliciter dici potest *plenus gratiæ*[s].

r Ioan. 3. 34. s Ioan. 1. 14.

Christus de non sancto non est factus sanctus.

Non est factus de non sancto sanctus, quasi vnquàm vel peccator, vel peccato incurrendo vllo modo obnoxius: siquidem non est filius Adæ per seminis propagationem, sed semper fuit sanctus, ac tantam ab initio sanctitatem, quantã nunc habuit, crescens duntaxat quantùm ad externam coram hominibus manifestationem. Conceptio ipsa de SPIRITV sancto fuit, & sancta: *Quod enim ex te nascetur sanctum*[t], ait Angelus B. Virgini, *vocabitur Filius* DEI: & corpus eius, *quia sanctum, non est violatum corruptione*[*].

t Luc. 1. 35. * Psal. 15. 10.

Quæcunque attingunt Christum, omnia sancta fiunt.

Postremò, totus DEO consecratus fuit, & quæ quoquomodo attingunt CHRISTVM, sancta nominantur, & *Sponsa eius Ecclesia*[u], vt etiam profitemur in Symbolo, siue Christiani sic sæpe appellati à Paulo, & à Petro[x], *Gens sancta*; quod exprimit quoque nomen Essæorum, quasi dicas, ὁσίους, inquit Chrysostomus[y], per quos Essæos, siue Essenos, Christianos intellexisse videtur Philo, teste Hieronymo[z], & Eusebius[a], & Epiphanius[b].

u Ephes. 5. 27. x 1. Pet. 2. 9. y Hom. 44. in Acta. z de Scrip. Eccl. in Phil. Marc. a 2. Hist. c. 16. & 16. b Hæres. 29.

Euangelium & doctrina sancta dicitur.

Dicitur item CHRISTI Euangelium, lex & doctrina sancta, vestimenta, ministri, &c.

Pontifex Vicarius dicitur sanctissimus.

Inter ministros autem primus, ac primarius CHRISTI ipsius Vicarius, personam eius in terris repræsentans, vocatur sanctissimus, & nomine abstracto sanctitas, quibuscumque tandem moribus sit. Nam Imperatores etiã ethnicos Valerianum, & Gallienum, Dionysius Alexãdrinus viros sanctissimos apud Eusebium[c] appellat: & Cicero[d] Poëtas ab Ennio *sanctos* vocatos scribit, quòd quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Auctor est etiam Plutarchus[e], Sacerdotum, aut vatum sodales honoris causa dictos esse ὁσίους, id est, sanctos: & simili de causa nostri Prophetæ vocantur Sancti infrà in hoc capite[f], & in Euangelio Lucæ[g]. Huc spectare possunt, quæ capite primo[h] diximus de epitheto optimi, quod Paulus dedit etiam impiis[i].

c li. 7. c. 10. d oratio pro Archia. e de oracul. defectu. f vers. 21. g cap. 1. 70. h vers. 1. i Act. 26. 1.

Iustum.] Eodem ferè modo argumentari licet de hoc, atq; de nomine præcedente: tribuitur videlicet & DEO, & CHRISTO, huicque vt DEVS est, & vt homo. De CHRISTO inquit Paulus[k], *vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide* IESV CHRISTI. CHRISTVS PATREM iustum cognominat[l], in ea oratione quam à Cœna habuit, cùm, vt Chrysostomus, Theodorus Mopsuestiensis, Theophylactus, & Euthymius simul omnes obseruant scribentes in Ioannem, veluti causam reddere vellet, cur non omnes, sed eos tantùm qui in se credidissent, in cœlo secum futuros esse dixisset, nempe id PATRIS iustitiam, & hominum diuersa merita postulare.

k Rom. 3. 26. l Ioan. 17. 25.

Christus à quibus dictus iustus.

Quod attinet ad CHRISTVM ipsum, crebrò vocatur Iustus in vetere Testamento[m]; & in nouo etiam ipsemet se ita vocat[n]; & illum Iudas proditor[o]; vxor Pilati[p]; & Pilatus[q]; Centurio iam extinctum in Cruce[r]; Ioannes sedentem ad dexteram PATRIS[s]; Ananias quoque loquens de eo cum Saulo[t]; & Stephanus in sua concione[u], vbi alia quoque à nobis dicuntur.

m Esa. 53. 11. Iere. 23. 5. c. 16. Amos 2. 6. Zach. 9. 9. n Mat. 10. 41. o cap. 27. 4. p ibid. 19. q ibid. 24. r Luc. 23. 47. s 1. Ioan. 2. 1. t Act. 22. 14. u Act. 7. 52. x vers. 13.

Tanta est iustitia CHRISTI, vt quæ in aliis iustis reperitur (quibusdam Iusti cognomen datum dixi capite primo[x], cùm de Iacobo minore egi) tametsi vera, intrinseca, & non imputatiua, vel externa, cũ illa comparata, censeri quodammodò possit *vt pannus menstruatæ*[y], & DEO cumulatissimè satisfecit pro nobis de rigore iustitiæ, eo perfectissimo modo qui esse potest.

y Esa. 64. 6.

Christus de rigore iustitiæ satisfecit.

De ea loquitur Dauid[z] sub nomine sacrificij, cùm ait: *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ*: propter infinitum valorem satisfactionis ex dignitate personæ satisfacientis, quæ diuina est, atque omninò infinita: quamuis absolutè potuerit non acceptari à DEO, nisi pactum ac promissio eiusdem DEI intercessisset, vt rectè probat noster Suarez[a].

z Psal. 50. 21. a in 3. p. to. 1. disp. 4. sect. & disput. sect. 1.

Negastis.] Irenæus[b] legit, *aggrauastis*. Sed τὸ ἠρνήσασθε significat, *negastis*, & ita omnes legunt, & Syrus etiam, qui dicit, כפרתון *chephartun*, à כפר *chephar*, quod est *denegare & inficiari*.

b lib. 3. c. 12.

Et petistis virum homicidam donari vobis.] Narratur hoc ab omnibus Euangelistis[c], prælatum Barabbam CHRISTO, cùm in Paschate optio esset ex reis vnum absoluendi, siue id priuilegium Romani Iudæis dederint, vt placet Origeni[d], siue antiquam consuetudinem illis aut ipsorum rogatu, aut sua liberalitate concesserint, quod ait Cyrillus Alexandrinus[e], vt populi sibi gratiam concilia

c Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18. 40. *Vnde mos ut Iudæis reus dimitteretur.* d Tract. 35. in Matth. e li. 12. in Ioan. cap. 13.

conciliarent; qui posterior dicendi modus verisimilior est, vt in memoriam liberati ex Ægypto populi vnum eo die vinctum liberare liceret.

Ionathas à populo liberatus, figuram fuisse huius liberationis.
a 1. Reg. 14. 45

Huius rei non origo, vt Origenem perperàm quidam intellexerunt, sed nonnullum vestigium fuit in Ionatha, quem populus liberauit [a]: quod ostendit consuetudinem illam, de qua Euangelistæ loquuntur, non fuisse alienam à Iudæorum moribus. Non placet coniectura Cyrilli referentis dictæ principium consuetudinis in id, quod libro Numerorum præcipitur [b] de liberando eo, qui cædem inuoluntariam cõmisisset, ita vt ne id præceptum contemni videretur, vnum de vinctis postulare solerent.

b cap. 35. 22. & seq.

Deus Christi filij sui iniuriam vindicauit in Iudæis.
c in Flaccum.

Porrò iustus vindex DEVS tantam FILIO illatã iniuriam quinque sexve pòst annis vindicasse videtur, cùm, vt Philo scribit [c], rex ipsorũ Agrippa ex vrbe rediens, ab Alexandrinis ludibrio exceptus est. Nam inter alia Carabam quendam stolidum (putatur verò insignis ille homicida, & latro id etiam nomen habuisse, non Barabbæ) cùm ibi adhuc rex esset, deluserunt, imponentes diadema papyraceum, circundantes illi stoream pro paludamento, dantes pro sceptro arundinem, adhibentes armatos perticis adolescentes, cùm ipsum alij salutarent nomine Marim, quod Syriacè Dominum significat (erat enim Agrippa Syrus, regnabatque in bona portione Syriæ) alij negotia cum eo tanquàm cum rege tractarent. Luerunt meritò Iudæi in rege suo hanc pœnam, acerbiorem posteà luituri in semetipsis.

Christum quomodo passum prosequi debeamus.
d Psa. 68. 10.
e Heb. 13. 13.
f Heb. 12. 2.

At nos memores humilitatis, confusionis, ac reuerentiæ [d] SALVATORIS, *portemus improperiũ eius* [e]: *& proposito nobis gaudio sustineamus crucẽ confusione contempta* [f]. Non pigeat postponi etiam infimis: CHRISTO auctori vitæ, ac ipsissimæ vitæ, *qui venit vt vitam habeamus, & abundantius habeamus* [g]: & [h], *non rapinam arbitratus est esse se æqualem* DEO; nulla ratione Diabolum præponamus, *qui fur est, & latro* [i], *& homicida ab initio* [k]: atque vt pro recuperata per CHRISTVM libertate, gratam nos conseruare memoriam demonstremus, fratrum nostrorum è vinculis liberationi, non animæ duntaxat, sed corporis quoque libenter ac sedulò studeamus [l]. Viuant in Ecclesia Iudæi, Gentilésque in spe & pace: vtrique CHRISTVM occiderunt; illi voluntate ac lingua, isti re ipsa manibúsque.

g Ioan. 10. 10.
h Phil. 2. 6.
i Ioan. 10. 1.
k Ioan. 8. 44.
l Prou. 24. 11. Psa. 81. 4.

Versus 15.] Auctorem verò vitæ interfecistis, quem DEVS suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus.

Christus vitæ auctor occisus dicitur.

AVCTOREM *verò vitæ interfecistis.*] Egregia antithesis, & apta exaggeratio: quomodo enim vel vitæ auctor mortis auctori, seu homicidæ postponi, aut vita occidi potuit? aut qua ratione, si potuit, quia nimirum permisit, & voluit, debuit?

Denotant etiam hæc verba, vt Chrysostomus, & Oecumenius animaduertunt, quòd CHRISTVS seipsum suscitauit. Sed posset intelligi auctor vitæ secundùm meritum, præsertim cùm de CHRISTO, vt de persona à DEO diuersa, scilicet à PATRE, vel certè secundùm naturæ diuersitatem, mox subdatur, *Quem* DEVS *suscitauit à mortuis.*

Christus resurrexit à mortuis, quomodo recte dicatur.

Quem DEVS *suscitauit à mortuis.*] Quomodo DEVS CHRISTVM suscitauerit, & CHRISTVS seipsum, dixi capite primo. Cur dicitur resurre-

A ctio à mortuis? Siquidem mortuo duntaxat vno, & suscitato, non diceretur is surrexisse à mortuis. Respondeo: resurrectio ante iudicium non est generalis, sed vnius, aut aliquorum, aliis relictis, & ideò non mortuorum, sed à mortuis.

Hugo Cardinalis in expositione sequentis capitis: *Melius*, inquit, *dicitur* CHRISTVM *resurrexisse à mortuis, quàm à morte, quia pro omnibus mortuus est, & per eum alij surrexerunt; sed quilibet alius debet resurgere à morte, non à mortuis.* Verumtamen frequentior est huiusmodi phrasis, & de Ioanne Baptista, cum Herodes resurrexisse arbitrans, illam vsurpauit [m].

Melius dicitur Christum resurrexisse à mortuis, quàm à morte.

m Mat. 14. 2.

B Valet idem, quod resurgere corpus de loco ac statu mortuorum, vel qui mortuis debetur, seu plures sint, seu pauciores, seu vnus, seu nullus anteà mortuus præter illum, qui postquàm mortuus est, resurgit, vt si Abel paulò pòst quam eum occidit frater, in vitam rediisset, is etiam à mortuis resurrexisse dici posset. Fulgentius [n] ex hoc loco argumentatur: *Quis quemlibet hominem vitæ auctorem diceret, nisi pro nobis* DEVM *hominem suscepisset?*

n 3. ad Thras.

Versus 16.] Et in fide nominis eius, quem vos vidistis, & nostis, confirmauit nomen eius: & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrûm.

C ET *in fide nominis eius, quem vos vidistis.*] Perplexa, atque obscura sententia est, euoluenda ac illustranda, prolato in medium textu Græco, καὶ ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, τοῦτον ὃν θεωρεῖτε, καὶ οἴδατε, ἐστερέωσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ, hoc est, *& in fide*, seu, *propter fidem, & inuocationẽ nominis* CHRISTI, *nomen inuocatum à nobis, seu virtus eiusdem, hunc quem vos videtis firmauit, & consolidauit.* Ergo verum est, quod Caluino respondimus, fidem nostram, & Sanctorum intercessionem concurrere ad impetranda, & edenda miracula. Id magis exprimunt sequentia verba.

D *Nomen eius.*] Inuocatio & virtus, vt dixi, non vocalis syllabarum prolatio, qua vtuntur Magi, & qua stulti Rabbini vsum CHRISTVM fabulantur, cùm ederet miracula, scilicet, eam quæ propria est, & perpaucis cognita nominis ἀῤῥήτου καὶ ἀνεκφωνήτου, quod vocant τετραγράμματον יהוה vis & potestas, qua falsò etiam existimant Prophetas miracula perpetrasse, vt quando percussis Eliæ pallio aquis, hæ non essent diuisæ, Elisæus dixit, *Vbi est* DEVS *Eliæ etiam nunc? percussitque aquas, & diuisæ sunt huc atque illuc, & transiit Elisæus* [o], hanc aquarum diuisionem putant esse factam latente quadam vi, quam habebant hæ voces. Sic nunc audito sacrosancto nomine IESV, gradiendi in

o 4. Reg. 2. 14.

E claudo impedimentum putant recessisse: sed quod dixi est verum, virtutem & inuocationem CHRISTI, qui hoc nomine inuocatur, hoc signum fecisse.

Et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrûm. Non claudi fides fuit, qui Apostolos respiciens, aliquid se sperabat eleemosynæ accepturum; sed Apostolorum ipsorum Petri, & Ioannis, tanquàm media, & instrumentalis caussa miraculi, ita vt principalis fuerit virtus ac potentia CHRISTI.

Virtus nominis Christi qua operatus est hãc sanitatem qua fit. Quæ fides operata est hoc miraculum.

Hæretici fidem triplicem agnoscunt, historicam, qua quæ à DEO dicuntur, credimus vera esse; miraculorum, qua nihil esse, quod à DEO fieri

Hæreticorum fides triplex.

non possit, cognoscimus; iustificantē, qua CHRISTI meritis peccata nobis remitti putamus. Primam respondere veritati DEI; secundam potentiæ; tertiam bonitati. Lyræ videlicet tangunt fides, vnam religionis fidem non attingunt.

Reiicitur hæc triplex hæreticorum fides.

Fides diuina propriè est, quæ DEI auctoritate in suo assensu nititur, ac proinde vniusmodi est quæcumque est, vocaturque fides Catholica, aut etiam dogmatica, qua voce vtuntur Chrysostomus [a], & Cyrillus Ierosolymitanus [b]. Verum est, quòd fides, qua impetrantur miracula, debet esse magna, vt etiã gignat fiduciam impetrandi quod petitur, iuxta id [c]: *O mulier, magna est fides tua*: & [d], *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* At quòd non differat à fide Catholica, qua credimus reuelatis à DEO, patet ex eodem iam citato loco, & ex Marci vltimo capite [e], & Lucæ 17. [f] & epistolæ ad Hebræos 11. [g] tandem ex hoc ipso testimonio, quod tractamus. Fieri etiam potest interdum, vt sola fides sit satis ad impetranda miracula, cùm nempe referuntur ad ipsam fidem confirmandam, non ad vitam eius illustrandam, qui miracula impetrat. Sic fortasse concedi potest illud CHRISTI [h]: *Crede tantùm, & salua erit*; & improbi quidam multas virtutes fecisse dicuntur [i], vt nuper quoque docuimus.

a hom. 29. in 1. ad Cor.
b Cate. 5. & 9.
c Mat. 15. 28.
d 1. Cor. 13. 2.
e vers. 17.
f vers. 6.
g vers. 11. & seq.
h Luc. 8. 50.
i Mat. 7. 22.

Porrò valdè adhuc incedit Petrus cautè, non enim exprimit fidem in CHRISTVM, sed *per eum*, id est, quæ est per eum reuelata, & prædicata. Nec omisit tamen, quod ad eiusdem dignitatem facit, cùm ait, *quòd nomen eius confirmauit*, &c. Notant hæc Oecumenius & Chrysostomus.

Integram sanitatem istam.] Τὴν ὁλοκληρίαν ταύτην, integritatem, quæ debilitati opponitur, ab integritate sortis, seu hæreditatis ducta significatione.

Quomodo claudus integrè curatus fuerit.

Integritas hæc sanitatis superiùs descripta est per consolidationem basium, & plantarum, per ambulationem, & exilitionem, siue quia surrexit, & ambulauit, & exiliit, quemadmodum iussus fuerat, vt ait Glossa ordinaria, sed Glossa interlin. & Hugo exponunt in corpore, & anima. Repugnat demonstratiuum pronomen *istam*, quod corporalem innuit omninò sanitatem.

Christus non omnes quos corpore, etiam animo curauit.
k Ioan. 18. 10.

Et quidem nec quos etiam CHRISTVS corpore, animo quoque semper curasse censendus est: Malchum enim illum seruum Pontificis, cui absciderat Petrus auriculam, sanatum legimus [k], iustificatum non existimamus, quia non fide sua, sed CHRISTI benignitate sanatus est: ceteri qui fide curati sunt, & à quibus exigebat illam CHRISTVS, tum in corpore, tum in animo sanati videntur. Itaque nihil hîc mouere debet nomen integræ sanitatis, quod de corporali intelligitur; quicquid sit de sanitate etiam spirituali.

Christus se totū sanasse hominē dicens, nō intelligitur sanasse animam.
l Ioan. 7. 23.
m Ioan. 5. 9.

Sicut neque literaliter aliud CHRISTVS voluit, cùm se totum hominem in Sabbato sanum fecisse respondit [l], quàm corpus paralytici, quia totum ægrum erat, & paralysi dissolutum [m]: etsi non ignorem, totius sanitatem à nonnullis illo modo accipi, hoc est, tum de anima, tum de corpore. Euthymius vtraque expositionem affert, posteriori fauent Chrysostomus, Augustinus, Beda, Rupertus.

Versus 17.] Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.

ET *nunc, fratres, scio.*] Temperat oleo vinum, reprehensionis acrimoniam excusationis lenitate, cùm sit etiam eius qui reprehenditur ingenium, quò reprehenditur magis, eò se magis excusare.

A

Quomodo scìs principes Iudæorum Christum per ignorantiam interfecisse.
n 1. Cor. 2. 8.

Dubitatio grauis est, quomodo dicantur Iudæi, præsertim verò principes, tum laici, tum Ecclesiastici, per ignorantiam CHRISTVM interfecisse: quod Paulus quoque docuit scribens ad Corinthios [n]: *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Chrysostomus ignorasse respondet, quòd vitæ auctorem interficerent, non autem quòd innocentem. Oecumenius de iam conuersis hoc loco sermonem esse, ceterùm non ignorasse Petrum, absolutè in Iudæis ignorantiam non fuisse: portam autem pœnitentiæ aliis aperire voluisse.

B

Falsa interpretationes reiiciuntur.
o q. 101. ad Orthod.
p Rom. 10. 2.
q 1. Cor. 9. 22.
r 1. Cor. 2.

Non recipio responsionem Iustini [o] tractantis verba Pauli [p]: *Testimonium perhibeo illis* (Iudæis) *quod æmulationem* DEI *habent, sed non secundum scientiam*, molliter hæc dici orationis demissione, & condescensu, quasi sit *factus infirmus infirmis, vt infirmos seruaret* [q]. Neque etiam placet quod ait Ambrosius [r], exponens epistolam primam ad Corinthios, per principes intelligi Dæmones, qui non sciuerant CHRISTVM esse DEVM. Sed neque probo de solis conuersis hîc loqui Petrum, inter quos nullus fortasse principum erat.

C

s Ioan. 8. 46.
t Matt. 27. 4.
u Matt. 27. 17. & seq.
Facile fuit Iudæis Christum agnoscere.
x ibid. 19.

Itaque potuerunt quidem Iudæi omnes, aut ferè omnes cognoscere IESVM esse iustum, atque innocentem, illo confidenter, & palàm omnes prouocante [s]: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et ipsomet id protestante proditore [t], & iudice [u].

Sed præterea his, qui inter Iudæos magis erant in Scripturis exercitati [x], & CHRISTI doctrinã audiebant, atque miracula videbant, facile fuit deprehendere, illum esse MESSIAM, & verò etiam credere. Nam huiusmodi obiectum sufficienter propositum erat, vt fide supernaturali crederetur, & satis quoque efficaciter mouebat, vt naturaliter credi posset.

D

y Tract. 19. in Matth.
z Hom. 40.
a in c. 21. Mat.
Iudæi fuerunt sufficienter instructi ad credendum Iesum fuisse Christum.
b li. 6. annot. 98.
c Ioan. 8. 59. & 10. 31. 33.
d Matt. 27. 65.
e Matt. 21. 38.
f Ioan. 12. 37. & seq.
g Ioan. 15. 22.
h in Matth. 5. vlt.
i in c. 23. Luc. & 2. 2. q. 47. a. 5.
k Luc. 23. 34.

Origenes [y], Auctor operis imperfecti in Matthæum [z], Beda [a], & Anselmus ibidem reipsa conuictos esse Iudæos sentire videtur ad credendum IESVM non modò MESSIAM, sed etiam DEVM. Et saltem de MESSIA inclinant Theophylactus, Euthymius, Lyranus, & Burgensis in Matthæum ibid. & Sixtus Senensis in Bibliotheca [b]. Suaderi verò potest, quoniam non semel tentarunt Iudæi IESVM interficere, quòd se DEVM faceret [c]: hácque præcipuam condemnationis causam ostenderunt [d]: dixerunt quoque, *Hic est hæres*, &c. [e] Præterea Ioannes illos obcæcatos, & obduratos affirmauit [f]: IESVS verò *negauit habere excusationem de peccato suo* [g], quo videlicet non credebant in ipsum. Negant vtrumque Abulensis [h], & Caietanus [i], & alij recentiores, quoniã CHRISTVS ipse in Cruce dixit [k]: *Nesciunt quid faciunt*, neq; Iudæi aliud regnum passim expectabant, quàm temporale, ne Apostolis quidem exceptis, qui perpetuum cum CHRISTO vsum habuerunt, vt docuimus capite primo. [l] CHRISTVS quoque dixit [m]: *Hæc omnia facient vobis, quia nesciunt eum qui misit me.* & posteà [n], *Hæc facient vobis, quia non nouerunt* PATREM, *neque me*.

E

l vers. 6.
m Ioan. 15. 21.
n infrà 16. 3.

Christus à suis intimis agnitus fuit Deus, & verus Messias.
o Matt. 16. 16. & seq.
p Ioan. 11. 27.

Ego vt aperiam quod sentio, puto quosdam ex intimis Discipulis fide diuina, & cui subesse falsum non posset, de IESV credidisse & MESSIAM, & DEVM fuisse, vt Petrum, cuius confessionem à PATRE reuelatam CHRISTVS dixit [o]: & Martham, quæ iisdem cũ Petro verbis CHRISTVM Filium DEI viui IESVM professa est [p].

Ex aliis

Quidam minùs de Christo senserunt.

A Ex aliis eius sectatoribus nonnulli fide duntaxat humana illum esse MESSIAM, & DEVM, sibi persuaserunt, saltem per aliquod tempus: quidam esse MESSIAM & FILIVM DEI non consubstantialem, sed propter excellentem quandam sanctitatem, quos in persona Philippi alloquebatur [a]: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me*: alij neutrum distinctè, sed tantùm quòd esset dignus fide, prudentérque facerent, qui ei crederent: denique Apostoli peruenerunt, saltem post Resurrectionem, ad distinctam de vtroque fidem: tunc enim ipsammet eius Resurrectionem & miracula alia euidentiùs considerabant; meminerant quoque mira quædam à se patrata non opera Dæmonum, sed inuocatione IESV, cuius item incomparabilem innocentiam, & sanctitatem optimè cognitam perspectámque habebant.

a Ioan. 14. 9.

Post Resurrectionem Christum à suis verum Deum esse agnitum.

De Christo quid senserint plebeij.

B Iam si de externis loquamur, hoc est, qui IESVM vt Discipuli non comitabantur, plebeij, vt docet S. Thomas [b], tanquàm Scripturarum imperitiores, nec satis quæ à CHRISTO dicerentur percipientes, aut vim miraculorum non cognoscentes, neutrum definitè credebant. Erat tamen rumor etiam inter illos, quòd IESVS esset MESSIAS, vt cōstat ex altercatione, quę est apud Ioannem [c]: & fieri potest, vt ex ea turba pars crederet fide humana, vel vehementi suspicione, pars dissentiret, siue Principum timore, & decreto, *vt qui confiteretur illum esse CHRISTVM, extra Synagogam fieret* [d], siue ex maleuolentia, siue ex inconsideratione, siue quòd nonnulla adhuc signa, quæ de MESSIA circūferebantur, non videbantur esse completa.

b 3. part. q. 47. art. 5.

c cap. 7. 26. & seq.

Qui fuerunt hi qui fide humana Christū Messiā esse crediderunt.

d Ioan. 9. 22. & c. 12. 42.

C Inter primos computare possumus concinentes Osanna [e], præter infantes instinctu diuino agitatos, vel vt ea solet ætas, aliorum cantionem imitatos. Posteriores rationes allatæ non omninò excusabant, quoniam, vt antè dixi, non deerant idonea argumenta, & si quid dubitationis oriretur, facilis erat ad CHRISTVM recursus, aut ad Discipulos ipsius. Minuit culpā ruditas, & ignoratio, minúsque impedimento fuit, vt ad pœnitentiam venirent. Ex quo numero Iustinus [f] existimat illos fuisse, qui facilè post CHRISTI mortem sunt conuersi, videlicet illas myriadas, quæ Petri concionibus assenserunt. Beda [g] quoque affirmat, imperrasse CHRISTVM postrema illa sua pro crucifixoribus oratione remissionem peccatorum iis, qui ex ignorantia peccauerunt, & non aliis.

e Mat. 21. 9.

Alij qui minùs dubitantes possunt excusari.

f quæ. 108. ad Orthod.

g in c. 23. Luc.

Principes Iudæorum non cognouerunt Christum filium Dei esse naturalem.

h loco il allato.

D Postremò quod attinet ad Principes Iudæorum, seu Sacerdotes, Scribas, & Pharisæos, qui semper IESVM sunt insectati, S. Thomæ valet sententia [h], non cognouisse esse filium naturalem DEI: MESSIAM enim futurū esse verum DEVM, planè paucorum erat intelligere, & mysterium Incarnationis ne suspicione quidem attingi poterat: IESVS verò perobscurè id prodebat, & cum DEO se æquare videbatur, tunc verò illi stomachari, & ad lapides [i] accurrere: denique non erat eius temporis, vt tam diserta, & explicata cognitio, fidésve exigeretur: satis erat ipsum habere pro Propheta sancto, & viro cum DEO coniunctissimo: reliqua, quæ ad MESSIAM pertinebant, ibi implicitè continebantur.

i Ioan. 10. 31. & seq.

An Christum esse Messiam, ...

E An esset MESSIAS, magis ancipites erant. Cùm aberant odij, iræ, inuidiæ, humani timoris, & cupiditatis perturbationes, equidem credo, certo illos, tametsi humano, assensu credidisse, propter vrgentes Prophetias, & manifesta signa; vbi verò fręna passionibus dabant, *sciebat enim Pilatus, quòd per inuidiam tradidissent eum* [k], facilè ab ea persuasione resiliebant, vt cum eodem S. Thoma [l] Euthymius [m] obseruauit. *Quomodo*, ait CHRISTVS [n], *vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo DEO est, non quæritis?* & Ioannes [o], *Cum autem*, inquit, *tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quē dixit* [p]: *Domine, quis credidit auditui nostro*, &c. Si qui in eadem sententia persistebant, non audebant palàm profiteri propter Pharisęos, vt è Synagoga non eiicerentur [q].

k Mat. 27. 18.

l 3. p. q. 47. ar. 5. & in cap. 21. Matth.

m in c. 23. Lucæ.

n Ioan. 5. 44.

o cap. 12. 3 & seq.

p Esa. 53. 1.

q Ioan. 12. 42.

Tempore passionis Dominicæ de Christo quæ fuerit Iudæorū opinio.

Sub tempus passionis Dominicæ valdè pauci priorem, si quam habuerant, de IESV opinionem retinuerunt: sed ira, odio, inuidia exardescentes in eum, mortem illi machinati sunt. Colligitur id tum ex iam citatis Ioannis verbis, quibus hæc etiam mox subduntur [r]: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam* DEI, tum ex ea interrogatione [s]: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es* CHRISTVS, *dic nobis palàm*; cui interrogationi subiecit IESVS responsionem [t]: *Loquor vobis, & non creditis*, &c. *Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis*: tum denique ex simili responsione, cùm iam vinctus interrogaretur à senioribus plebis, & Principibus Sacerdotum, & Scribis in Concilio ipsorum [u]: *Si tu es* CHRISTVS, *dic nobis. Si vobis dixero, non credetis mihi, neque dimittetis.*

r vers. 42.

s Ioan. 10. 24.

t vers. 25. 26.

u Luc. 22. 66. 67.

Principes populi non possunt excusari à scelere in Christū commisso.

Rectè igitur CHRISTVM in cruce orantem [x]: PATER, *dimitte illis, nō enim sciunt quid faciūt*, intelligimus comprehendisse etiam Principes Sacerdotum, seniores populi, Scribas & Pharisæos, denique omnes inimicos, qui quò doctiores, eò etiā inimiciores, quicquid secùs videantur sentire pridem citati Iustinus [y], & Beda [z], necnon B. Thomas [a], excusatos nimirum duntaxat à CHRISTO minores de populo, quod Caietanus quoque sentit exponens in verbis Petri hoc loco, *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri*, similitudinem esse in facto, non in modo, *quia*, inquit, *Principes non ex ignorantia fecerunt.*

x Luc. 23. 34.

y quæ. 108. ad Orthod.

z Luc. 23.

a 3. p. q. 47. ar. 6.

Principes nō crediderunt eū esse Messiam.

Sed vt tandem concludamus, quis credat eum ab iis occisum, qui pro MESSIA haberetur, à quo maxima beneficia sperabant, quęque summis votis expetebāt, & expectabāt? Etsi Paulus *ignorantiā suā ante vocationem profitetur* [b], tametsi *ad Gamalielis doctissimi viri pedes institutus esset* [c], propтereáq; *misericordiam se consecutum*, quæ tamen nonnullis videtur peccati potiùs exaggeratio, vt aliàs docui, existimandum est, eadem ignorantia præceptorem, & similes laborasse, nec in animum inducere potuisse, fore vt resurgeret, & gloriosus ascenderet, vt notat Iustinus [d].

b 1. Tim. 1. 13.

c Act. 22. 3.

d quæ. 108. & 140.

Concedo horum ignorantiam minùs excusabilem, & magis affectatam, atque ex malitia natam fuisse, quod Patres docent, præsertim Augustinus [e], Leo [f], Bernardus [g].

e Serm. 8. de verb. Apost.

f Serm. 15. de pass.

g epist. 77.

h Mat. 21. 38.

Quòd si obiicias verba illa [h], *Hic est hæres*, &c. quę denotare videntur scientes, ac volentes interfectores fuisse eius, qui ab iis habebatur MESSIAS, dicit verò ibi Hieronymus, quòd manifestè probat Dominus his verbis, Iudæorū Principes non per ignorantiam, sed per inuidiam DEI FILIVM crucifixisse.

In parabola non omnia verba propriè sunt sumēda.

Respondeo primò illud, quod est in omni parabola diligenter notandum, non esse omnia parabolæ verba necessariò applicanda, vel cum proprietate capienda, sed sæpe ad quandam ornatum seu apparatum orationis quædam conficta. Dein-

de po

de potuit esse sensus: *Hic est hæres*, id est, qui se hæredem facit, quamuis non sit, iuxta id Sapientiæ[a]: *Filium* DEI *se nominat: morte turpissima condemnemus eum.* vel, Hic est, qui apud populum tenet primum locum, & *post quem totus mundus abit*[b], *& in quem omnes credent*, vt in suo concilio Iudæi dixerunt.

[a cap. 2. 13. 20.] [b Ioan. 11. 48.]

[*In fide pius affectus volunt. aut requiritur.*] Sapienter Theologi piam ad credendum in voluntate affectionem requirũt, quæ intellectum captiuet in obsequium fidei[c]: hanc enim vel impedit, vel etiam destruit *amor inanis gloriæ*[d], *habendi cupiditas, & auaritia*[e], vitia alia, & immoderatæ passiones. [*Qui non credũt Resurrectionē.*] Hinc est, quòd Resurrectionem nō credunt, qui pessimè viuunt, nec Iudicij diem, qui licentiùs, vt ait Nyssenus[f]: neque pœnarum æternitatem, inquit Augustinus[g], qui suis perditis moribus polliceri volunt impunitatem: turpissimos item deos finxit sibi Gentilitas, vt suæ patronos turpitudinis haberet, vt inter ceteros scripsit Nazianzenus[h]. [*De iis qui propter vitia sua vel Christi fidem amplexati nō sunt, vel ab ea defecerunt.*] Plenæ sunt historiæ Ecclesiasticæ, & Patrum scripta contra Gentiles, aut Hæreticos huius generis exemplorum, tum in illis, quos à recipienda fide retardarunt, tum in istis, quos ad abiiciendam fidem, sua peccata, & perniciosa studia perpulerunt. De Nouatiani hæresiarchæ ambitione, Ambrosius[i] testis est; de Pauli Samosateni turpi amore fœminæ, Chrysostomus[k]; de impeditis per auaritiam ab amplectenda fide, Gregorius[l]: de aliorum vitiorum impedimentis apud Ethnicos, Athanasius[m], & alij.
C Denique Basilij[n] sententia illa verissima est, *quòd fides non per rationales methodos, nec per geometricas necessitates animum ad assensum trahit, sed per actionem virtutis* SPIRITVS *sancti.*

[c 2. Cor. 10. 5.] [d Ioan. 5. 44. c. 12. 43.] [e 1. Tim. 6. 10.] [f orat. 2. de Resurr.] [g 21. de Ciuit. Dei. c. 18.] [h orat. seu ep. ad Neme.] [i 1. de Pœnit. c. 15.] [k homil. 7. in Ioan.] [l 20. Mor. c. 13.] [m ora. contra idola.] [n hom. in Psa. 115.]

Versus 18.] DEVS autem, quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum, pati CHRISTVM suum, sic impleuit.

[*Excusantur Iudæi à Petro.*] DEVS *autem, quæ prænunciauit.*] Duplex præter superiorem latet in hoc versu excusatio: tum quòd CHRISTI interfectio diuino consilio ac prouidentia contigerit: tum quòd longè antè à Prophetis præuisa, & prædicta fuerit. Quanquàm non ad minuendum magis Iudæorum peccatum hæc spectant, quàm ad excitandam illis, augendámque spem ob singularem vtilitatem ex eo peccato secutã, quomodo fratres suos Ioseph erexit, grauis illius in eum sceleris memoria deiectos[o]. Similis sententia ab eodem Petro prolata est superiore capite[p], & in sequenti[q].

[o Gen. 50. 19. 20.] [p vers. 23.] [q vers. 25. & seq.]

Quæ prænunciauit.] Meliùs sic legitur, quàm, *qui prænunciauit*, vt quidam codices habent, sic enim est in textu Græco, ἃ προκατήγγειλε, id est, *quæ priùs edixerat.* Syrus sic legit, איך מדם דקדם *aich medem deikdam*, id est, *secundùm quod promulgauit*, vel, *sicut prænunciauerat.*

E *Per os omnium Prophetarum.*] Deest, *suorum*, vt multi codices legunt, Græcè, αὐτοῦ. Glossa interlinearis hoc pronomine excludi ait pseudoprophetas, de quibus DEVS per Ieremiam[r]: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* De iisdem dæmon ipse[s], *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* [*Prophetæ quinã hic intelligantur.*] Adde, hoc modo comprehendi eos etiam Prophetas, qui non scripserant: item significari Prophetas DEI organa fuisse. *Nec enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed* SPIRITV *sancto inspirati locuti sunt sancti* DEI *homines*[t].

[r c. 23. 21.] [s 3. Reg. 22. 22] [t 1. Pet. 1. 21.]

Cùm omnes Prophetas, neminem nominatim citans, testes producit, non solùm auctoritati pon-

A dus addit, sed offensionem Iudæorum vitat, vt placet Chrysostomo, & Oecumenio, quoniam nullum est Prophetarum testimonium, in quo de passione CHRISTI, & præscientia DEI circa illam agatur, in qua non item pœnæ pro tanto crimine à Iudæis luendæ subiungantur. [*Prophetæ de Christi morte prædicentes, & pœnam etiã pro ea subiungunt.*] Iterum Petrus de omnibus Propheris hoc repetit paulò pòst[u], & capite decimo[x], B. etiam Virgo[y], & pater Ioannis[z] in suis Cãticis. Dixi priore capite, quàm sit efficax aduersùs Iudæos ex Scripturis argumentum, quo & CHRISTVS, & Apostoli vtantur, & nonnulli Patres, quos commemoraui.

[u vers. 21.] [x vers. 41.] [y Luc. 1. 55.] [z ibid. 70.]

[*Petrus declarat se omnium Prophetarum caluisse notitiam.*] Dum verò Petrus audet per os, id est, consentientem omnium Prophetarum orationem, dice-
B re DEVM prænunciasse, denotat proculdubiò singularem sapientiam suam: nec enim id vniuersè de omnibus pronunciaret, nisi omnes legisset, & intellexisset, aut nisi certus esset, si minus licuerat legisse, sic Prophetas loquutos. Et quidem hic erat effectus missi SPIRITVS in Pentecoste, quamuis priùs quoque apertus Discipulis sensus erat à CHRISTO, vt intelligerent Scripturas, vt significat idem Lucas[a].

[a Luc. vlt. 45.]

CHRISTVM *suum.*] Abundat, *suum*, quod tamen Glossa interlinearis importare vult id, quod priùs dictum est[b]: CHRISTVM *fecit hunc* IESVM DEVS.

[b cap. 2. 36.]

Sic impleuit.] *Vt nihil deesset eorum, quæ patienda erant, tametsi alia superessent alterius generis*, inquit
C Chrysostomus, quod sibi quoque voluit illud[c]: *Consummatum est*; &[d], *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ?* Exactè implet œconomiam Redemptionis nostræ CHRISTVS, nostra verò pro CHRISTO, immò pro nobis ipsis opera non sunt plena[e], & si ponamur in statera, inueniemus minùs habentes[f]. De hac plenitudine dictum alibi.

[c Ioan. 19. 30.] [d Matt. 26. 54.] [e Apoc. 3. 2.] [f Dan. 5. 27.]

Versus 19.] Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.

D CONVERTIMINI.] ἐπιστρέψατε. Vim habet verbum hoc, & nomen conuersionis, quæ philosophicè loquendo est mutatio totius in totum, & absolutissimam iustificationem significat, quæ etiam eâdem de causa vocatur nonnunquàm creatio; & iustificatus, *noua creatura*[g]: tum vt significetur, gratiam produci in nobis ex nihilo, hoc est, sine meritis, sed gratis, & secundùm propositum diuinæ voluntatis. [*Iustificatio sine meritis.*]

[g Gal. vlt. 15.]

Vtuntur Hebræi verbo שוב *schub*, cui respondet dictum verbum Græcum ἐπιστρέφομαι, & Latinum, *conuerti*, aut, *reuerti*, & propriè est fugientem, aut errantem reuocare, vt per viam, qua ierat, redeat.

E Translatũ ad mores, prẹsertim ad pœnitentiam, significat, eum qui longè abierat à DEO, reuerti, remetiendo eandem viam, faciemque ad eum vertendo, per eandem viam ambulare, hoc est, peccata, per quæ recessit à DEO, mente retractare, quod est μετανοεῖν, de quo capite priore[h], & dolore magno, confessione, ac satisfactione delere. [*Quid sit conuerti aut reuerti ad Deum per pœnitentiã.*] Qui ergo in via stat, solúmve caput vertit, id est, nec dolet, nec satisfacit, sed solùm vitam priorem mutat, vt loquitur Lutherus, si tamen hoc sine illis esse potest, vt idem contendit, non censetur conuerti, aut reuerti. *O panis subcineritius, qui non reuersatur*[i], hoc est, *non agit pœnitentiam*, inquit Hieronymus[k], *sed*, inquit Gregorius[l], *partem mundiorem deorsum premit, nec excutit cinerem ter-*

[h vers. 38.] [i Osee. 7. 8. *Nõ sufficit mutare vitam, sed oportet satisfacere pro peccatis præteritis.*] [k ibid.] [l 11. Moral. cap. 7.]

renarum

renarum cogitationum. Eandem vim habent reuerti, ac reuersio ad Dominum, in Scripturis, ad idem exprimendum, vsitata vocabula [a].

a 4. Reg. 23. 25. Ier. 24. 7. & alibi.

Porrò adhortatio præsens ad pœnitentiam, & cõuersionem, arguit in nobis liberum arbitrium: sicut è contrario cũ dicitur DEVS nos conuertere, vel oratur vt conuertat, demonstratur vis atque necessitas gratiæ diuinæ, vt docet Augustinus [b]. Nec sufficit conuersio, quæ vitæ mutationem dicit, si absit pœnitentia, quæ dolorem importet. Non est pœnitentia sola vitæ nouitas, vt Lutherus sensit, sed requiritur dolor de præteritis peccatis, vt ostensum est capite priore [c].

Arbitrium liberum ostenditur, & gratia necessitas.

b lib. de grat. & lib. arb. c. 5.

c vers. 38.

Vt deleantur peccata vestra.] Et peccatum crucifixionis, in quo vno multa sunt, & alia quæcunque.

B

Meliùs hoc modo Chrysostomus, quàm Oecumenius, qui de crucifixionis peccato sermonem esse negare videtur, quia dictum est ex ignorantia factum esse. Verum est latiùs de peccatis, & non de vno illo Petrum loqui voluisse, vt ait Chrysostomus, *ne quis excusationis dictæ prætextu pœnitentiam desereret*, non quòd non in primis illud vnum vrgeret, & deleri maximè vellet. Ex quo intelligi potest, præsentem Petri concionem ad alios habitam esse, quàm ad eos quos priore concione ad pœnitentiam inuitatos conuersósque baptizauerat.

De quibus his peccatis Petrus loquatur.

Non delentur peccata adultorum sine aliqua pœnitentia, quam idcircò aliàs [d] dixi à Ioanne, & CHRISTO anteà prædicatam, & CHRISTVM, vt eam Apostoli prædicarent, primo loco iniunxisse: quod & Paulus quoque fecisse se testatur [e], prædicando tum Gentilibus, tum Iudæis pœnitentiam.

C

Peccata non delentur sine pœnitentia.

d cap. 2. 38.

e Act. 20. 21. Heb. 6. 1.

Vt deleantur.] Εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι, *ad obliterandum, expungendum, extinguendum.* Syrus similiter ita legit, איכנא דיתעטון חטהיכון *echanna dethabbetun chetachaiechun*, id est, *vt deleantur peccata vestra.* Syrochaldaicũ Dictionarium in verbo, חעה *thabhath*, sic explicat, *expunxit, deleuit.*

Non ergo in iustificatione peccata solùm leuiter raduntur, vel teguntur, vel non imputantur, reuerà autem manent. Efficax est gratia, ac multò quidem magis, quàm peccatum, siue originale, siue actuale: quæ cùm Hæretici velint reuerà inhærere, vt reuerà inhærent, & originale transfundi, & esse in cuiusque anima, non per imputationem eius, quod fecit Adam, quis dubitabit per Baptismum, hoc aliáque actualia, quæ simul sunt, & per pœnitentiam ea, quæ post Baptismum committantur, propriè deleri, ac penitus extingui?

D

Peccata per iustificationem non radentur, sed penitus tolluntur.

Gratia efficacior peccato.

Si quando verò dicuntur peccata à DEO tegi [f], & operiri [g], non imputari [h], sensus idem est: DEO enim non potest aliquid tegi, nisi penitus deleatur, omnia enim nuda sunt, & aperta oculis eius [i]: neque potest DEVS non imputare peccata, & habere hominem pro pio, nisi desinat esse impius, & reuerà sit pius, iustúsque per sibi inhærentem iustitiam. Quid? quòd in Scriptura ferè semper coniunguntur hæc duo, remittere, siue delere, & tegere peccata, vt videre est in citatis ad marginem locis ex Esaia, & Psalm. 84. & 31. In quinquagesimo [k] etiam dicitur: *Auerte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Deleui*, inquit DEVS, *vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua* [l].

E

Quomodo dicuntur peccata à Deo tegi, & non imputari.

f Psa. 31. 1.

g Psa. 84. 1. & 2. Esd. 4. 5.

h Ps. 31. 2.

i Heb. 4. 13.

k vers. 11.

l Esa. 44. 22.

Ducta præterea metaphora videtur ab eo qui debitum remittens, id de libro delet rationum suarum, vel si id recipiat: item à scriba, qui menda cultello abradit: vel à quocumque qui maculam penitus abstergit: vel à pictore, qui imaginem inducit, vt meliorem formet. Lege quam narrat Cęsarius [m] historiam de studioso Parisiensi, cuius descripta peccata vbi à confessario perlecta sunt, quòd ille præ dolore gemitúque pronunciare non posset, prorsus ex charta euanuerunt sine vestigio. De re ipsa consule Bellarminum [n], aliósque tractatores controuersiarum.

Quomodo peccata deleri dicantur.

m 1. mira. c. 10.

n Tom. 3. lib. 2. de iust. præcipue c. 9.

Versus 20.] **Vt cùm venerint tempora refrigerij à conspectu Domini, & miserit eum, qui prædicatus est vobis, IESVM CHRISTVM.**

VT *cùm venerint.*] Suspensa est sententia huius, & sequentis versus, viderurque desiderari, *salui fitis*, aut quid simile, vt notat Caietanus, Gagneius, & Sà. Quanquàm Irenæus [o] nihil aliud supplendo bene connectit orationem hoc modo: *Vt deleantur peccata vestra, & veniant vobis tempora refrigerij à facie Domini, & mittat præparatum vobis* IESVM CHRISTVM. Haud aliter Tertullianus [p]: *Pœniteat itaque vos, & resipiscite ad abolenda delicta vestra, vt tempora vobis superueniant refrigerij ex persona* DEI, *& mittat prædesignatum vobis* CHRISTVM. Consentit Syra interpretatio, quæ talis est, ויאתון לכון זבנא דניחתא *vaiithun lechun zabbena denichatha*, id est, *& eueniãt vobis tempora tranquillitatis*, &c. Græcè, ὅπως ἂν ἔλθωσι, quod quidã [q] exponunt, *vtcumque venerint*, quasi dicat, Procurate vt deleantur peccata vestra, vtcumque venerint, aut veniant tempora Iudicij: deletis enim peccatis, minimè solliciti esse debetis. Interpres Chrysostomi vertit, *si quo pacto.* Videtur sanè particula ἂν, eo quo hic ponitur loco, habere talem vsum, & non vt significet *cùm*, vt aduerbium temporale, nec memini legere in ea significatione. Beda ita exponit per continuationem, *Vt deleantur peccata vestra. Vt cùm venerint*, &c. *Tunc nimirum planè deleantur*, ita vt pro ὅπως, legatur ὅτι, id est, cùm, seu quando, vt nonnulli [r] obseruant.

o lib. 3. c. 12.

p lib. de resur. car. c. 23.

q Erasmus.

r Erasm. etiã citatus à Pamelio in Ter.

Ceterùm deinceps Petrus more optimi oratoris, præmij spe excitat, supplicij timorem proponit, in amorem inducit, vt ex contextu patebit. Primum est mercenariorum, secundum seruorum, tertium filiorum, vel Proficientium, Incipientium, Perfectorum.

Petrus præmij spem proponit, & amorẽ inducit.

Tempora refrigerij.] Καιροὶ ἀναψύξεως. Syrus habet, דניחתא *denichatha*, id est, *tranquillitatis*, vel, *quietis.* De vniuersali Resurrectione & Iudicio intelligunt ferè omnes, & *ostendunt hæc verba futurum*, inquit Oecumenius, *vt in multas miserias, & calamitates Iudæi incidant.* Idem quoque indicat significari dies, qui consecuti sunt vehementem Ierosolymorum expugnationem, & captiuitatem, qui dies *propter electos abbreuiati sunt, vt credentes inuenirent refrigerium* [s].

Tempore acerbissimo, tum verò tempore Iudicij, iusti *stant* [t] *non modò in magna constantia, verùm etiam gaudio, & exultatione, expectantes* [u] *beatam spem, & aduentum gloriæ magni* DEI, *& Saluatoris nostri* IESV CHRISTI.

s Mat. 24. 22.

Tempore Iudicij iusti quales futuri sint.

t Sap. 5. 1.

u Tit. 2. 13.

Respiciunt, & leuant capita sua, quia appropinquat redemptio eorum [x]. Ipsis in ea die exoritur [y] *Sol iustitiæ, & sanitas* [z]: *quæ dies impiis succensa est velut caminus* [a]: Thronus DEI, *qui dicitur esse Iris* [b], colore igneo terret impios, cœruleo exhilarat iustos,

x Luc. 21. 28.

y Sap. 5. 6.

z Esa. 58. 8.

a Malac. 4. 1.

b Apoc. 4. 3.

stos, vt ait Richardus de S. Victore [a].

a in c. 4. Apoc.

A conspectu Domini.] Ἀπὸ προσώπου τοῦ ΚΥΡΙΟΥ. Tertullianus [*], *à persona*. Nomen Græcum significat & conspectum, & personam. Glossa interlin. exponit, *A facie*. Lyranus, *Secundùm ordinationem Domini*. Meliùs Glossa: ita vt CHRISTI facies (vt ait Caietanus) futura sit bonis ratio summi refrigerij, immò, vt aliàs dixi [b], visio Humanitatis CHRISTI erit nobilissimum obiectum beatitudinis nostræ secundarium.

* lib. de resur. carn. c. 23.

b c. 1. 13. cùm de Iacobo Alphæi.

Qui prædicatus est.] Τὸν προκεχειρισμένον, *in promptu expositum*. Fauet huic lectioni Syrus interpres, qui habet, דמטיב הוא *damtaiab haua*, id est, *qui præparatus erat*, vel, *qui paratus erat*. Irenæus [c], *Præparatum*; Tertullianus [d], *Prædesignatum*. Legit, credo, Interpres προκεκηρυγμένον, sicut etiam reperi in duobus Græcis codicibus simile quid notatum priore capite [e].

c lib. 3. c. 12.
d de resurr. carn. c. 23.
e ad vers. 22. approbatum.

Versus 21.] Quem oportet quidem cœlum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est DEVS per os Sanctorum suorum à seculo Prophetarum.

QVEM *oportet quidem cœlum suscipere.*] *Amphibologia est*, inquit Caietanus, *vt* IESVS *cœlum suscipiat, vel cœlum* IESVM. Vtrumque verum est, quia vsque ad diem Iudicij, oportet vt cœlum tanquàm locus IESVM suscipiat sicut locatum, & vicissim, vt IESVS cœlum veluti apprehendat, & retineat tanquàm propriam Regiam. Prior sensus simplicior videtur, quia clarior esset, si diceremus: *Quem oportet in cœlum recipi*. Syrus habet, דלהולא לשמיא דיקבלון *dalehvale laschmaia dneckablun*, id est, *quem oportet cœlos suscipere*, vel, *in cœlo esse susceptum*, vel, *quem oportet cœlo capi*. Vbiquetarij mallent sensum esse: *Quem oportet cœlum accipere*, id est, vt accipiat non propriè locum illum, sed figuratè, nempe gloriam, regnum, & maiestatem DEI. Ita ratiocinatur Mathias Illyricus [f]: *Alioqui enim*, inquit, *si sermo esset de loco, dictum esset: Quem oportet cœlo recipi*. Lege Bellarminum [g].

Iesum cœlũ suscipere, & cœlum Iesus suscipit.

f lib. de Asc. Christi.
g Tom. 1. lib. 3. de Incar. ca. 12.

Oportet.] Δεῖ, pro *oportebat*. Ἔδει, inquit Oecumenius, sicut & idem Petrus in epistola ait, *Accipiens* [h] *enim à* DEO PATRE *honorem, & gloriam, voce delapsa* [i], &c. λαβὼν, pro ἔλαβεν, *accipiens*, pro *accepit*.

h 2. epi. 1. 17.
i Mat. 17. 5.

Cœlum suscipere.] δέξασθαι, *oportebat suscepisse*, quasi dicat, Hunc non videtis CHRISTVM, quia oportebat eum esse cœlo susceptum. Infert Oecumenius, inde CHRISTVM esse DEVM, vtpote qui eò redire debuerit tanquàm contubernalis PATRI, vnde ab illo huc missus fuerat. Non est absolutè necessarium argumentum, nisi alia supponantur, vt quòd ante illum quisquam in cœlo non fuerit, vel eò ascenderit ex hominibus, *quódque nemo ascendit in cœlum, nisi qui descẽdit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo* [k], per Incarnationem siquidem descendit, non relinquens cœlũ, vt DEVS, ascendit vt homo.

Christus Deus probatur.

k Ioan. 3. 13.

Vsque in tempora restitutionis omnium.] Hinc quidam colligunt, ex quo CHRISTVS ascendit in cœlum, nunquàm inde descendisse, sed cùm legitur, quandoque in his terris apparuisse, apparitiones, vel Angelorum opera eius personam gerentium factas esse, vel secundùm videntium imaginationem duntaxat, vel CHRISTO in pluribus se simul locis etiam circumscriptiuè constituendo. Paulo cùm vocatus ab eo est [l], ac aliàs fortasse realiter, in propria persona visum esse, demonstrabitur capite nono.

l Act. 9. 3. & seq.

Arnobius [m] asserit CHRISTVM se nonnunquàm modò præbere conspiciendum: *Vnus fuit*, inquit, *è nobis* CHRISTVS, *qui post mortem, & Resurrectionem se prompta in luce detexit: qui iustissimis viris etiamnum impollutis, ac diligentibus sese, non per varia insomnia, sed per puræ simplicitatis speciem apparet*.

m 1. cont. Gentes.

Ad hunc locum quod attinet, dicimus nil absurdi esse, affirmare CHRISTVM ad exiguum aliquod tempus de cœlo descendisse, vt in Assumptione Matris suæ: solùm enim ex hoc loco, & similibus sequitur, fixam nunc immortalis CHRISTI sedem in cœlo (qui est talium proprius locus) esse, neque illum venturum è cœlo publicè, coramque hominibus, vt versetur inter illos familiariter, vt somniauit Tullius Crispoldus refutatus à nobis capite primo [n], ante diem Iudicij. Eodem Augustinus intelligi debet sensu, cùm scribit [*], quòd CHRISTVS, qui iam ascẽderat in cœlum, non est venturus nisi in fine, vt iudicet de viuis & mortuis. Lege S. Thomam in 3. Parte [o], & ibi Suarez [p].

Non est absurdum dicere Christum ad aliquod tempus e cœlo descendisse.

n vers. 6.
* Tractat. in epist. Ioan.
o q. 57. art. 6. ad 3.
p Disp. 51. sect. 4.

Berengarius, teste Guitmundo [q], & eum imitati Sacramentarij abutuntur hoc loco contra realem præsentiã CHRISTI in EVCHARISTIA, quòd *qui in cœlo est vsque ad mundi consummationẽ, non sit quoque in* EVCHARISTIA. Respõsio in promptu est, non esse in terris ordinariè, nec in EVCHARISTIA in morem extensi in loco corporis, & iuxta eam externam habitudinem, quam in cœlo conseruat. Beza aliquando [r] vt huic errori ex hoc testimonio patrocinium quæreret, vertit priora illa verba, *quem oportet quidem cœlum suscipere*, hoc modo, *quem oportet cœlo capi, & contineri*, videlicet necessitate, ac veluti quodam carcere. Sed veritate compulsus, posteà [s] meliùs, etsi nihilò melior in sententia factus, ita reddidit: *Quem oportet quidem cœlo capi*, vel, *vt cœli capiant*. Caluinus autem in versione Gallica, *lequel il faut que le ciel contienne*. Lege Stapletonum hoc loco.

q lib. 1. contra illum.
Christus manet in cœlo, & tamen est in Eucharistia, & non desinit.
r in edit. anni 1565.
s in edit. anni 1588.

Restitutionis.] Ἀποκαταστάσεως. Irenæus [t] (si tamen Latinè scripsit, vt non nemo suspicatur) *dispositionis*, Tertullianus [u], *exhibitionis*. Syrus, *vsque ad complementum temporum illorum omnium*, &c. Vox Græca ἀποκατάστασις propriè significat restitutionem in propriam formam seu statum. Ea vtitur Nazianzenus [x] illo sensu, quo Auctor, nimirum pro fine seculorum. Ἔσται δὲ ὁ ΘΕΟΣ πάντα ἐν πᾶσιν ἐν καιρῷ τῆς ἀποκαταστάσεως, *erit autem* DEVS *omnia in omnibus in tempore restitutionis omnium. Tunc enim reddetur cuique secundùm opera sua* [y], *& liberabitur creatura à seruitute corruptionis* [z]: restituetur DEO honor, qui nunc videtur opprimi: *implebuntur ruinæ Angelorum* [a]: *reformabitur corpus nostrum* [b] *configuratum corpori claritatis suæ*: reddetur corpori anima: complebitur regnum DEI. Vocauit id paulò antè tempus refrigerij, καιρὸν ἀναψύξεως.

t lib. 3. c. 12.
u li. de resur. carn. c. 23.
x orat. 2. de filio.
y Rom. 2. 6. & alibi.
z cap. 8. 21.
a Psal. 109. 6.
b Philipp. 3.

Omnium.] Temporum, de quibus proximè præcedentibus verbis, *vsque ad tempora*, &c. vt sit sensus, *vsque ad tempora omnia restitutionis*, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. Hunc sensum Syrus secutus est, sic vertens, עד מאלמוליא דזבנא דכולהין *haad malemuleia dezabna deculleheu*, id est, *vsque ad complementum temporum illorum omnium*. Interpres noster alium sensum expressit, accipiens *omnium* absolutè pro rebus omnibus, præsertim verò hominibus.

Quæ.] Non ad immediatè præcedens *omnium* refertur, si id absolutè accipiatur, sed ad tempo-

ra. Syrus

ra. Syrus sic legit, אילין דמלל אלהא *ilen demallel elaha*, id est, *vsque ad complementum temporum illorum omnium, de quibus locutus est* DEVS.

Per os Sanctorum suorum à seculo Prophetarum.] Eodem modo locutum Ioannis patrem Lucas meminit in Euangelio [a].

a cap. 1. 70. *Prophetæ quomodo de Christo locuti sint.*

Locuti sunt de CHRISTO Prophetæ, tum exhortando ad legem seruandam, quæ ad CHRISTVM disponebat, & vt perfectè seruaretur, eius aduentu egebat [b]: tum factis ac rebus ipsis prænunciantes futura MESSIÆ mysteria [c]: tum apertè loquendo, & scribendo de illo.

b Rom. 8. 3. c Oseæ 6. 5. & c. 12. 10.

Sancti dicuntur Prophetæ, tametsi aliqui sint aliquando mali, & impij, vt Balaam [d], Caiphas [e], & ij, qui dicent in iudicio, *Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus* [f]? quia officio, & ministerio diuino mancipati, iuxta ea, quæ superiùs disseruimus [g]. CHRISTVS *illos ait vocatos deos, ad quos sermo* DEI *factus est* [h]: & Petrus Prophetas vocat *sanctos* DEI *homines* [i]: immò nomen Prophetæ tribuebatur olim viris sanctis, eò quòd soleret omnis Propheta esse sanctus. Sic legimus Abraham vocatum Prophetam [k]: *Nunc ergo*, inquit DEVS regi Abimelech, *redde viro suo vxorem, quia Propheta est, & orabit pro te, & viues*. Sic quoque turbæ CHRISTVM nominabant Prophetam [l], & cæcus natus [m]. Philo [n] expendens locum Genesis [o] de Abraham, scribit quòd priscis illis temporibus non solùm Abrahæ, verùm etiam omnibus insigniter piis in Scriptura tribuitur gratia Prophetiæ. *Etenim Propheta nihil*, inquit, *ex se proloquitur, sed omnia submonente alio, nempe* DEO: *malum autem virum non est fas esse interpretem diuini numinis*. Item dicit [p], *quod Propheta est interpres* DEI *dictantis intus oracula*. Quasi dicas, virum sanctum, DEI voluntatem, cui se conformat, nosse, & aliis exponere posse: quod Prophetiæ quoddam genus censeri potest. Lege Pererium [q]. Constat præterea bonum Scripturarum interpretem nominari Prophetam: vel qui mentium sit inspector, vt admonent Hieronymus [r], Augustinus [s], Ambrosius [t]. Immò & profani vates tam amplè sumunt, vt Homerus [u]:

Prophetæ dicuntur Sancti. d Num. 22. & seq. capitt. e Ioan. 11. 49. & seq. f Matth. 7. 22. g vers. 18. h Ioan. 10. 35. Psal. 81. 6. i 2. Petr. 1. 21. k Gen. 20. 7. l Luc. 7. 16. Ioan. 6. 14. & c. 7. 40. m Ioan. 9. 17. n li. de legit. rerû diu. hær. o Gen. 20. 7. *Prophetæ omnis vir sanctus dictus est.* *Propheta quid.* p libr. de præ. & pœnis. q in cap. 20. Gen. Dis. 2. r in c. 4. ep. ad Ephes. s epist. 58. t in cap. 12. & 14. 1. ad Cor. u Iliad. a.

Κάλχας Θεςορίδης οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριςος,
ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

& Virgilius [x]:

x 4. Georg.

— nouit namq; omnia vates
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

A seculo.] Quia omnes Prophetæ, qui ab initio conditi mundi fuerunt, de CHRISTO prophetauerunt, etiam Adam [y], teste Paulo [z], & de Enoch mentionem facit Iudas in epistola sua [a], & de ceteris in genere dixi superiùs [b], vel Hebraismus est, מעולם *mehholam*, id est, *à seculo, qui olim fuerunt*, quemadmodum in Genesi [c], *Isti sunt potentes à seculo, viri famosi*, id est, Gigantes illi antiqui adeò celebrati. Et in Psalmo 24. [d] *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt*, id est, antiquarum, prout etiam habetur in 88. Psalmo [e], *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine?*

Quomodo Prophetæ à seculo fuerint. y Gen. 2. 23. z Eph. 5. 31. a ver. 14. & 15. b vers. 18. c cap. 6. 4. d vers. 6. e vers. 50.

Versus 22.] Moyses quidem dixit: Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus DEVS vester de fratribus vestris, tanquàm me; ipsum audietis, iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis.

PROPHETAM *suscitabit.*] Hoc testimonium ex Deuteronomio [f], non Stephanus [g] tantùm, sed omnes passim de CHRISTO propriè intellexerunt. Et id ex professo probat Augustinus [h] contra Faustum Manichæum. Hoc idem innuit Philippus dicens [i]: *Quem scripsit Moyses in lege*, non enim aliud extat de venturo Propheta tam illustre in Pentateucho testimonium. Turba quoque vocans *verè Prophetam, qui venturus est in mundum* [k], vt obseruant Interpretes. Item Sacerdotes, & Leuitæ missa Pharisæorum legatione ad Ioannem, vt interrogarent eum [l], *Propheta es tu?* vt ibi docent Origenes [m], Chrysostomus [n], Cyrillus [o], & alij. Paulus etiam in epistola ad Hebræos [p], ita omninò intellexisse videtur. Eôdem CHRISTVS ipse allusit, cùm dixit: [q] *Neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis*. Et paulò pòst [r]: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit*. Sic quidem de loco illo Cyprianus [s] notauit.

f cap. 18. 15. g Act. 7. 37. *Propheta cuius in Euangelio Christus dicitur, a Iudæis ad eum de quo Moses scripsit.* h lib. 16. c. 15. i Ioan. 1. 45. k Ioan. 6. 14. & c. 7. 40. & Luc. 7. 16. l Ioan. 1. 71. m Tom. 7. in Ioan. n Hom. 15. in Ioan. o lib. 1. c. 24. in Ioan. p cap. 12. 18. & seq. q Ioan. 5. 37. r vers. 40. s 1. con. Iud. cap 18.

Hoc ipsum demonstrat articulus singularis ac pronomen demonstratiuum, ὃς τις ἂν μὴ ἀκούσῃ τοῦ Προφήτου ἐκείνου, designans profectò specialiter singularem personam. Illud quoque, *Tanquam me*, id est, datum nouo populo ducem, & principem, sicut ego fui veteri. Præterea quod subditur: *Ipsum audietis, iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis*, quæ ipsissima vox est PATRIS de eo in Transfiguratione [t].

Locus Mosis non alteri quàm Christo conuenit.

Hac de causa potissimùm comparuit ibi Moses, vt veluti exhiberet DEO, quod illi promiserat, cùm nomine populi retulit DEO libenter auditurum, quem misisset Prophetam similem Mosi, & non DEVM ipsum adeò terribilem.

t Matt. 17. 5. *Moses cur Transfigurationi affuerit.*

Voluit namque audiri quidem DEVS DEVM, sed humana vestitum carne, & Mosem huius esse rei testem: sine tonitruis, ac fulguribus, sed tamen cum faciei splendore, simili splendori solis, nube lucida, nonnullo timore Discipulorum in monte, vt quodammodò renouarentur, quæ contigerant olim, quando dictum pactum celebratum est. Indicant hoc Origenes [u], & Tertullianus [x], & Irenæus [y], & Iustinus [z], & Clemens Alexandrinus [a], & Augustinus [b], clariùs verò exponit Toletus [c]. Tandem quod vltimo loco habetur: *Erit autem: omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe*, de nullo alio, quàm de CHRISTO intelligi potest, qui etiam seipsum hoc nomine appellauit [d], dicens, *Non capit Prophetam perire extra Ierusalem.*

Deus voluit audiri Deum humana carne vestitum. u hom. 12. in Exod. x 4. contra Marcionem. cap. 22. y lib. 4. c. 12. z q. 101. ad Gent. a 1. pædag. c. 7. b 16. contra Faust. cap. 15. & 18. c in c. 9. Luc. annot. 64.

Non expressit quidem eo loco Moses Prophetam illum futurum DEVM, ob ruditatem populi: quin etiam significat DEVM per se populo non locuturum: tamen minimè negat illud, & docere voluit non locuturum eo quo priùs modo fuit locutus, veluti per ipsammet diuinitatem, quam signa prodigiaque indicabant, sed humano more, in natura scilicet humana, vocibus humanis, &c. Alioqui, si adeò exacta similitudo vrgetur, non excelleret Mosem Propheta ille, non nasceretur de Virgine, nô esset Redemptor: denique non eas haberet maiores, quàm Moses, perfectiones, quas Iudæi ipsi agnoscunt.

Moses non expressit Prophetam illum futurum Deum, sed non id negauit. d Luc. 13. 33.

Summa impudentia Caluinus [e] negat propriè de CHRISTO Mosis illud testimonium, solitus alia multa de CHRISTI mysteriis absque controuersia à Patribus intellecta in fauorem Iudæorum prorsus eludere, vt integro libro alter

Caluinus summa temeritate locum hunc propriè ad Christum spectare negat. e hoc loco & in Deut.

Æthiops Æthiopem lauans ostendit Ægidius Hunnius Vvittembergæ Theologus librum inscribens, *Caluinus Iudaizans.*

Nec sufficit Caluini ad Petri hoc vtentis testimonio auctoritatem euasio, vidisse quidem illum sic ad alios hoc elogium pertinere, vt tamen præcipuè ad CHRISTVM: Petrus enim disputans cum Iudæis agere debuit propriis, & vni CHRISTO accommodatis argumentis: quod & in prima concione fecisse [a] certum est, necnon posteà [b] in tertia. Eusebius [c] certè negat de alio, quàm de CHRISTO intelligi vllo modo posse, probatque diligenter ex varia inter vtrumque analogia, & comparatione, de qua & nos paulò pôst. Lege Stapletonum.

a cap. 2.
b cap. 4.
Hoc testimonium de nullo alio nisi de Christo potest intelligi.
c 3. de Demonst. Euan. cap. 2.

Moyses.] Celeberrimus homo est: nomen verò significat, *Assumptum ex aqua*, quod filia Pharaonis imposuisse dicitur [d], siue quòd Ægyptia vox, quam fortasse illa indidit, Hebraica ista exprimatur: siue quia obstetrix Hebræa iussu illius hoc ipsum Hebræum nomen imposuerit: siue quoniam illa etiam Hebraicæ linguæ perita esset.

Moysis quid significet.
d Exo. 2. 10.

Rabanus [e] in Exodum dicit מוש *mos*, Ægyptiacè esse *aquam*, הישׁ *is*, *saluatum*. Augustinus [f], à fluctibus vocatum, quòd Pharaonis necem, quam præparauerat in nomine, in fluctibus maris inuenerit. Hebraicè משה *masah*, significat *educere*, vnde illud in Psalmo [g], *Assumpsit me de aquis multis*, ימשני ממים רבים *iamscheni mimmaim rabbim.* In Exodo rationem nominis dat quæ imposuit, quia de aqua משיתהו *maschithehu*, id est, *eduxi eum.* Iosephus [h] idem habet quod Rabanus, nisi quòd nomen diuidit in *mo*, & *ises.* Philo [i] docet quòd *mos*, sit aqua. Rabbi Abraham Aben-Ezra dicit se legisse in libris Aegyptiorum, lingua Aegyptia nomen Mosis esse Munon, vel Monios, quod Hebraicè sonet Moses. Lege Pererium [k]. Iuxta Hebræam vocem scribendum esset משה *Moseh*, aut משם *Moses*: at verò Septuaginta scribunt, Μωϋσῆς, ideoque multi, etiam Latini, *Moyses.*

e in c. 2. Exo.
f Serm. 19. de Temp.
g Psal. 17. 17.
h li. 2. Antiq. cap. 5.
i li. 1. vitę Mosis.
k in c. 2. Exo. disp. 7.
Mosis vel Moysis dicendum.

Antonius Nebrissensis [l] scribit Latinos scriptores, vt Plinium [m], Iustinum [n], Iuuenalem [o], & ex sacris Auctoribus Iuuencum, Aratorem, Prudentium, semper Mosem, nunquàm Moysen dicere: Græcos indifferenter nunc hoc, nunc illo modo. Causam verò, quòd Moyses dicatur, esse, vel interiectionem literæ υ, vel potiùs, quòd Græci cum diphthongo ωυ (quæ à nonnullis distincta ab aliis asseritur) id nomen efferre cœperint: posteà illa resoluta sit in ωϋ, hoc est, in duas vocales: sicut è contrario in Ἐφραΐμ, & Ἰεσσαΐ, vocales solutas in diphthongum contraxerunt, Ἐφραίμ, & Ἰεσσαί.

l in Quinquag. c. 26.
m lib. 30.
n lib. 36.
o Saty. 14.

Addit alia nonnulla de varia inflexione huius nominis tum Græca, tum Latina, quæ tu apud illum legas. Porrò ex Latinis Ecclesiasticis auctoribus Moysem quoque pronunciant Lactantius [p], Cyprianus [q], Ambrosius [r], passim Augustinus, & aliis omissis Sedulius [s], qui sic etiam canit:

Quid quod & Eliam, & clarum virtute Moysen?

Vt mirum sit ab Antonio dictum apud Latinos auctores nusquàm Moyses, sed semper Moses legi, Clemens verò Alexandrinus [t], qui Aegyptiacè vult *Moy* esse aquam, ait vocatum priùs fuisse à parentibus in Circumcisione Ioachim, & in cœlo postquàm assumptus est, Melchi.

p li. 4. c. 5. & 9.
q de bono patientiæ.
r de fuga seculi. cap. 4. in hexam. cap. 2. &c.
s 1. Paschali.
t 1. Strom. c. 13.

Quidem.] μὲν γὰρ. *Moyses quidem enim*, vbi *quidem*, impletiuè ponitur, vt aliàs sæpe, quod capite primo [u] huius libri iam notatum est.

u vers. 1.

Dixit.] Deest, *ad patres*, πρὸς πατέρας.

Prophetam.] De nomine ipso priùs egi, dixique significare & virum insigniter sanctum, & prænunciatorem futurorum. Hoc præsertim modo accipi nunc videtur, priore non excluso. Nam etsi honorificentiora nomina habeat CHRISTVS, tamen ea CHRISTI, aut DEI nomina vsurpat Scriptura, quæ sunt rei, de qua agit, accommodatissima. Eo autem loco prohibetur superstitio diuinationis, cui homines curiosi libenter vacant, vt futura sciant, quod diuinitatis cuiusdam est: ideò videtur ibi Moses velle dicere:

Propheta hic prænunciator futurorum sumitur, & hoc nomine Christo adaptatur.

Tu futura præcognoscere cupis, tibi DEVS Prophetam dabit, à quo cognosces, quidquid tibi de futuris præscire vtile est, vt quòd animæ maneant post mortem, boni in æterna beatitudine, mali in suppliciis sempiternis, iusti, qui maculas plenè detersas non habent, in Purgatorio ad tempus, corpora resurrectura, Iudicium futurum, vt taceam de Antichristo, de excidio Ierosolymitano, de Euangelio vbique prædicando [x], ac simul de vnguento [y], quod super eum Magdalena effudit. Ioannes Baptista interrogatus [z] an esset Propheta, negauit, intelligens illum excellentem, & magnum, quem prædixerat Moses, vt notat Cyrillus Alexandrinus [a], idque apud Ioãnem denotare particulam demonstratiuam. Eadem est annotatio Origenis, Theophylacti, Chrysostomi, & Euthymij in commentariis, & Apollinarij in Catena Græca. Lege Maldonatum, & Toletum in Ioannem [b], & hunc etiam in Lucam [c].

Christus quę futura prædixerit.
x Mat. 26. 13.
y ibid. 7.
Ioannes in quo sensu se Prophetam negauit.
z Ioan. 1. 21.
a li. 1 in Ioan. cap. 24.
b annot. 40.
c annot. 32.

Suscitabit.] Ἀναστήσει. Videtur hoc verbum innuere gratiam & misericordiam, quasi talis ac tantus Propheta detur sine meritis nostris, ac veluti in re desperata, & mortua. An etiam eo verbo innuitur præter Incarnationem, mors atque Resurrectio?

Cur dicatur, suscitabit.

De fratribus vestris.] In Deuteronomio, *de gente tua, & fratribus tuis*: ex Iudæis enim CHRISTVS secundùm carnem [d], & salus ex Iudæis est [e].

Iudæorum ex gente Christus est natus.
d Rom. 9. 5.
e Ioan. 4. 22.

Laus est gentis, de suamet gente idoneos habere iudices, & principes, non accersere externos. Plutarchus [f] auctor est, appellationes externas, & peregrina instituere subsellia Græcos primò ob mutuam diffidentiam commentos esse, quasi ascititiam iustitiam, sicut rem necessariam aliã, quę apud ipsos non proueniret, desiderarent. Politicum problema est, præstétne electione an hæreditate principes esse. Pro priore est Plutarchi [g] ratio, venatorem, non bono natum cane, sed bonum canem, non generoso ortum equo, sed generosum equum quærere: vt proinde nec tam spectari debeat in Republica, quo patre sit natus princeps, quàm verùm bonus ipse sit, cui deferendus principatus. Fauet exemplum tamen in Sacerdotibus apud omnes propè nationes, tum apud Hebræos in Iudicibus, apud Romanos in Imperatoribus, & libera Republica in Consulibus: hoc tempore in Regibus Polonicis, in summis Magistratibus Reipubl. Venetæ, Genuensis, &c. Illud prætereà non parum ad idẽ facit, quòd S. Ludouicum narrat Ionuillæus [h], nõ esse passum, vt quos præficiebat prouinciis, in iis aut vxores ducerent, aut agros, fixásve domos, aut Ecclesiastica beneficia sibi suísve habere, vel procurare possent: sed inquilinos ibi, non incolas esse voluisse. Sed omnibus æstimatis magis tuta, sicut & longè communior (hoc est, vt Herodotus [i], ac Iustinus [k]

Principes de suamet gẽte habere laus est permaxima.
f opusc. de nat. in procemiem suis chartate.
g in Sylla.
h in vita.
i lib. 7.
k lib. 16.

produnt,

produnt, omnium penè Gentiũ) successionis hæreditariæ ratio, quàm electionis in ciuili Magistratu, quam quoque rationem probatam scimus exemplo atque auctoritate sacrarum literarum. *Fortes etiam creantur fortibus*, &c. soletq; res hæreditaria maiore studio conseruari, & propagari, quàm quæ quodammodò aduentitia duntaxat est, atque ascititia, nec tam possessa, quàm mutuo data. Legendi de hac quæstione Ægidius Romanus[a], Ioannes Maior[b], Buridanus[c], Sepulueda[d], Simanca[e] (qui alios citat, maximè Biesium[f]) Petrus Gregorius[g], Lipsius[h], Ioannes Lecirier[i], Ioannes Azor noster[k].

Tanquàm me.] *Non tantùm propter similitudinem naturæ humanæ, vt ait Chrysostomus, sed etiā propter connexionem aliquā inter illos aliarū rerum innumerabiliū.* Oecumenius recēset hæc, in quibus inter eos cōsistit similitudo. *Natus est* CHRISTVS *in Bethlehem*[l], *Moses in Ægypto*[m], hoc est, vt ego interpretor, vterque in alieno solo; & *Moses in fiscella*[n], CHRISTVS *in præsepio*[o] *collocatus est: vterque Israëlita secundùm carnem*[p]; *Moses ex genere Sacerdotali*[q], CHRISTVS *ex Dauid propter virginem*[r]; *contra Mosem Pharao*[f], *Herodes contra puerum*[t], *& rex vterque pueros alios occidit*[u]: *à matre seruatus est & hic*[x], *& ille*[y]: *Moses in fiscella expositus est ad flumen*, CHRISTVS *iuxta eundem fluuium in Lyco ciuitate Ægypti nutritus est; Moses à filia Pharaonis*, CHRISTVS *puer in ciuitate Ægypti de ditione Pharaonis.* Hactenus Oecumenius.

Eusebius[z] tractans hunc ipsum locum Deuteronomij, comparationem inducit prolixiorem, & elegantem, docens, nullum ex aliis Prophetis, qui post Mosem extiterint, cum Mose conferendum præter CHRISTVM, immò Mosi, tanquàm maiori, ceteros Prophetas detulisse, populúmque reprehendisse, quòd ab eo datam legem non seruaret, & ad nihil vltrà, nisi ad ea firmiter seruanda, quæ in lege posita sunt, hortatos esse.

Porrò Mosi CHRISTVM similem in his affirmat, *quòd ille Iudæos ab omni superstitione abstraxerit, ac in vera religione instituerit*; CHRISTVS *idola Gentium toto mundo euerterit, & legem piè iusteq; viuendi omnibus, nempe per Discipulos dederit: vt* CHRISTO *congruat, quod est in Psalmo*[a]: *Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes quoniam homines sunt. Deinde vterque prodigiis legem, doctrinamq; confirmauit: ille à captiuitate Ægypti, hic à Diaboli seruitute liberauit: promisit ille Terram sanctam, hic habitationem cœlestem. Præterea ieiunarunt ambo quadraginta dies: alimenta in deserto mirabiliter populis præbuerunt: per medium mare ingressi sunt sicco vestigio: compescuerunt procellas, & ventos in mari: faciem diuino splendore illuminatam habuerunt: leprosos sanarunt: Moses sororem,* CHRISTVS *plures alios. Adhæc vt Moses* DEI *digito scriptam esse legem affirmauit, ita* CHRISTVS *seipsum in digito* DEI *eijcere dæmonia, vt Moses imposuit nomen Iosue, vel Iesu filio Naue; sic Petri* CHRISTVS *Simoni: ille cōstituit septuaginta seniores, insupér ve duos; hic totidem Discipulos: duodecim ille exploratores terræ promissionis emisit; Apostolos hic item duodecim ad inspiciendas omnes gentes. Iam Moses cauet in lege homicidium, mœchiam, furtum, periurium,* CHRISTVS *iram, & aspectum impudicum, & omne iuramentum, vtiq; vt res etiam nostras indigentibus largiamur. Postremò ignoratur Mosis sepulcrum, & mors quodammodo ipsa; CHRISTI post reditum in vitam, mutationem in speciem quandam diuinam nemo scire potuit.* Sunt hæc omnia Eusebij.

Possumus addere similitudinem EVCHARI-

a 1. de Regim Princ. p. 2. c. 5.
b 2. d. 44. q. 4.
c in Polit. q. 22.
d 1. de Rege, & Regis officio.
e 3. Collect. de Rep. c. 5.
f de Repub.
g 7. de Rep. cap. 11.
Quomodo similitudines quæ inter Christum & Mosem intercesserunt.
h 2. monito Polit. c. 5. & 4.
i 2 de primogen. q. 14.
k Instit. c. 11.
l Luc. 2. 7.
m Exod. 2. 2.
n ibid. 3.
o Luc. 2. 7.
p Rom. 9. 5.
q Exod. 2. 1.
r Matth. 1. 16.
Psal. 109.
f Exo. 1. & 2. Nullus Propheta, præter Christum, Mosi comparandus.
t Matt. 2. & seq.
u Exod. 1. & 5. 15.
x ibid.
y Math. 2.
z 3. de Demonst. Euan. cap. 2.
Christus in quibus Mosi similis.
a Psal. 9. 21.
Eucharistia cum Manna.

A STIÆ cum Manna, & Agno: CHRISTI crucifixi cum exaltato serpente: putatitij patris CHRISTI cum Mose adoptato: eius qui Mosi dixit, *Quis te constituit principem, & iudicem super nos*[b]? cum verbis illis CHRISTI; *Quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos*[c]? Mosis non perducentis populum in terram promissionis, cum CHRISTO, qui noluit hic regnare temporaliter, sed tantùm spiritualiter: submersorum Ægyptiorum in mari, cum peccatis in Baptismo extinctis.

Verùm, vt Chrysostomus dixit, *innumera sunt, quibus* CHRISTO *cum Mose conuenit, & longiùs prouehendum esset singula otiosè colligere volenti*, vt monet Eusebius. Cuius est quoque illa notatio, nec-
B non Oecumenij, illud *tanquam* significare similitudinem, non æqualitatem, quod de huiusmodi æquiualentibus particulis verum est, & satis frequens: quomodo iubemur *diligere proximum sicut nos ipsos*[d]: & CHRISTVS PATREM rogat, *vt sint Discipuli vnum inter se, sicut ipse & PATER*[e].

Ipsum audietis, iuxta omnia, quæcumque locutus fuerit vobis.] De hoc enim Propheta dixit Mosi DEVS ibidem[f]: *Ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.*

Habuit CHRISTVS vt homo PATRIS seu Diuinitatis præceptum, ea loquendi, & faciendi,
C quæ ad salutem hominū faciebat, & loquebatur. Vnde ait[g]: *Qui misit me* PATER, *ipse mandatum mihi dedit, quid dicam, & quid loquar.* &[h], *Sicut mandatum dedit mihi* PATER, *sic facio.* &[i], *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego* PATRIS *mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Porrò in Deuteronomio habetur duntaxat, *ipsum audies*, tametsi sensus ceterorum verborum, quæ ibi ponuntur, inde colligi possit.

Versus 23.] **Erit autem: Omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.**

ERIT *autem.*] *Hic fac punctum*, inquit Caieta-
D nus, *quoniam completur sententia Hebræo more.* Hæc quoque verba non sunt in Deuteronomio. Illius verò phrasis exempla sunt in Esaia[k], Osee[l], Ioële[m], Nahum[n], Zacharia[o], & aliis. Nec tamen integram duobus illis verbis contineri sententiam facilè concedo, nisi per Aposiopesin, siue Reticentiam, quæ raro tamen subintelligenda videtur, sed sequentia dictis locis cum illis in vnam sententiam componenda.

Omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.] In Deuteronomio sic est: *Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existā*[p]. Quod etiam de se factūrum PATREM his verbis CHRISTVS est
E protestatus[q]: *Ego gloriam meam non quæro, inquit, est qui quærat, & iudicet.*

Exterminabitur de plebe.] ἐξολεθρευθήσεται ἐκ τῶ λαοῦ, *internecione delebitur ex suo populo, & funditùs peribit.* Syrus sic habet, תאבד נפשה מן עמה *thibabi napsch.ia men bhamma*, id est, *perdetur anima illa ex populo suo.* Similis phrasis est in Exodo[r], de illo, qui oleum compositum pro Sacerdote alteri daret: & in Numeris[f], de eo qui non obtulerit tempore suo phase. Vim eandem habet, *deleri de plebe, siue populo, siue populis*: quæ dicendi forma vsurpatur de Hebræo non circumciso[t], de non seruante alias leges cæremoniales[u]. Idem valet *perire*, vel *succidi de populo*, aut *cœtu Israël*, aut *de Israël*, aut *de medio populi*, aut *Ecclesiæ*, quod similiter pronunciatur eadem de causa[x].

b Exod. 2. 14.
c Luc. 12. 14.
Cum dicitur, tanquàm, similitudinē, non æqualitatē importat.
d Leui. 19. 14.
e Ioan. 17. 22.
f Deut. 18. 18
Christus verbo Patris præceptum habuit, & quale illud fit.
g Ioan. 12. 49.
h cap. 14. 31.
i cap. 15. 10.
k cap. 4. 1.
l cap. 1. 10.
m ca. 2. 18. 32.
n cap. 3. 7.
o c. 13. 1. & c. 14. 17.
p Deut. 18. 19.
q Ioan. 8. 50.
r cap. 30. 33.
f cap. 9. 13.
t Gen. 17. 14.
u Leuit. 29. 30.
x Exod. 12. 15. 19. ca. 30. 38. c. 31. 14. Leuit. 7. 20 c. 17. 4. c. 18. 29. c. 19. 8. Num. 15. 30. c. 19. 13. 20.

Succidi de populo, aut deleri, quæ pœna fuerit.

Videtur huiuſmodi pœna eſſe tantùm temporalis, nempe ſeparatio quædam à populo, ſeu per mortem corporalem, ſeu per quandam veluti excommunicationem, quæ etiam eſt mors ciuilis. Vox enim Hebræa כרת *carath*, pro qua eſt, *delere*, propriè ſignificat, *excindere*, ſeu *ſuccindere*, quo vltimo verbo vtitur Interpres in Leuitico [a]: nec probabile eſt, exempli cauſa, tangere cadauer, & ſe aqua non abluere, eſſe crimen dignum æterna morte: ex quo colligunt nonnulli, neque incircumciſi inter Iudæos pœnam æternam fuiſſe, ac proinde Circumciſionem non fuiſſe remedium peccati originalis, ſed tantùm certum ſignaculum peculiaris populi DEI, atq; fœderis inter DEVM, & Iudæos. Lege Bellarminum [b], Suarez [c], & Enriquez. Credo tamen (quidquid ſit de ea quæſtione, in qua contraria ſententia eſt communior & verior) Petrum intendiſſe grauiorem ac æternam pœnam, cuius illa alia typus eſſet. Gloſſa interlin. exponit de exterminatione à plebe ſpirituali, vel à ſorte Sanctorum, vel à DEO: præterea etiam de morte tẽporali: Lyranus, de ſocietate Sanctorum. Eodem modo Gloſſa ordi. ſiue de eiectione extra terminos beatitudinis. Reſpexit forſan ſimul Petrus ad excidium Ieroſolymorum, de quo liberati ſunt fideles, Pellam ſeſe, DEI monitu, recipientes.

a cap. 20. 3.

b Tom. 2. li. 2. de eff. Sacramen. ca. 13. & 14. 15. 16. 17.

c Tomo 3. in 3. par. cùm de Circunc.

Verſus 24.] Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos.

ET *omnes.*] Καὶ πάντες δὲ, *& omnes autem*, id eſt, *ſed & omnes*, vel δὲ pro δὴ hic ſumitur, vt vult Budæus aliquando ſumi, vt ſit, *Et omnes vtique.* Syrus omiſit, & ſic putauit abundare, vt aliquando ſolet.

A Samuel, & deinceps.] Etſi ante Samuelem plures alij præſertim ex Patriarchis prophetauerunt de CHRISTO tum factis, tum verbis, vt dixi ſuperiùs: videntur tamen magis à Samuele, ſub quo cœperunt eſſe reges [d], Prophetæ viguiſſe, atque clariùs, & diſtinctiùs de CHRISTO, & Eccleſia eſſe locuti. Vnde cùm de prima Samuelis vaticinatione fit ſermo, dicitur [e], *quòd ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis, neque erat viſio manifeſta*, id eſt, non erat Prophetia, vt exponit Hieronymus [f].

A Samuele Prophetæ maximè viguerunt.

d 1. Reg. 10.

e 1. Reg. 3. 1.

f lib. 5. in c. 13. Eſaiæ.

Omnes Prophetæ à Samuele cœperunt.

Omnes quidem Prophetæ, quorum extant Canonicæ Prophetiæ, fuerunt poſt Samuelem, partim ante captiuitatem Babylonicam, vt Eſaias, Oſeas, Ioël, Amos: partim circa ipſam, vt Ieremias, Ezechiel: partim in ipſa, vt Daniel, Habacuc (quamuis alij aliter de hoc ſentiant, qui hunc ſub Manaſſe prophetaſſe ſcribunt, & non eſſe eum, per quem DEVS ad Danielem [g] prandium miſit) partim poſt ipſam, vt Aggæus, Zacharias, Malachias: de horum, & aliorum tempore Auguſtinus [h], oſtendens ſimul quomodo de CHRISTO prophetauerint, & noſter Ribera Præludiis in Prophetas minores.

g Daniel. 14. 33.

h li. 18. de Ciuit. cap. 27. & ſeqq.

Annunciauerunt dies iſtos.] Tempora refrigerij, & CHRISTI vtrumque aduentum: ſæpe enim dictum eſt Prophetas vnum CHRISTVM ſonare, &, vt Rabbini loquuntur, locutos non eſſe niſi ſuper dies MESSIÆ. Adde Paulum Romanis teſtificantem [i], *Segregatum ſe in Euangelium* DEI, *quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis.* Graue admodùm, vt non ſemel monui, argumentum conficitur ex prædictionibus Prophetarum: quo tum Iudæos, tum Paganos etiam vehementer vrgent Patres. Lege præter eos, quos aliàs citaui, Gregorium [k] prætereà, & Auguſtinum [l]. Hic prouidentiam diuinam ſuſpicit, quòd Iudæos patiatur toto mundo diſpergi, ne quæ de codicibus ſanctis probantur conficta, poſſint Pagani ſuſpicari, ſi nos iis ſolis codicibus vteremur. Obſeruatum idem eſt à Hieronymo [m], & Theodoreto [n].

Prophetæ omnes vnum Chriſtum ſonant.

i Rom. 1. 2.

Argumentum ex prædictionibus Prophetarum eſt graue admodùm.

k homil. ... Ezech.

l 4. de Ciui. 34. & lib. ... c. 46. & in ... 58.

m in c. 16. ...

n orat. 10. de prouid.

Decuit tantò antè prædici myſteria Redemptionis noſtræ, propter dignitatem eorum, & vt confirmatior eſſet veritas eorundem, & vt ardentiùs libentiúſque reciperentur.

Myſteria Redemptionis noſtræ cur prædici debuerunt.

Verſus 25.] Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit DEVS ad patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.

VOs *eſtis filij Prophetarum.*] Iubet animum non deſpondere, quòd CHRISTVM crucifixerint: ratam enim eſſe oportere DEI per Prophetas promiſſionem de ipſorum ſalute, ſicut eorundem de CHRISTI morte vaticinatio vera deprehenſa fuit. Simul negat opus eſſe omnes ſigillatim Prophetas percenſere, quoniam ipſimet Prophetarum diſcipuli ſint, in iiſque verſati. Vtrumque innuit Chryſoſtomus; primum Oecumenius, Lyranus ſecundum.

Magnus ad virtutem ſtimulus eſt maiorum virtus, ne quis ab ea degeneret. Filij dicuntur, vel quia poſteri, vel quia diſcipuli, & ſectatores. Sic grauiter ſponſam iunior Tobias cohabitaturus cum ea ad trinoctem precem hortabatur ante coniugij vſum, illud in primis cauſatus, *Filij quippe Sanctorum ſumus* [o], *& non poſſumus ita coniungi ſicut Gentes, quæ ignorant* DEVM.

Magnus ad virtutem ſtimulus eſt maiorum virtus.

o Tob. 8. 5.

Hæc eſt vera, propriaque nobilitas, quam illuſtres virtutes pariunt, non opes, non potentia, non honores, vt ex noſtris demonſtrant Theophilus Alexandrinus [p], Lactãtius [q], & Hieronymus [r]. Eum titulum tuetur, qui virtutum hæres eſt, & imitator, *Semen impiorum perit* [ſ], cùm poſteros habet pios, vt exemplo Iob ex familia Eſau docet Ambroſius [t]. Nec debet quiſquam erubeſcere ſanguinem, vt Hieronymus dixit, quia *filiorum* DEI *non eſt generatio ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex* DEO [u], *& omnis paternitas* πατριὰ, id eſt, cognatio, & familia, *ex* PATRE *Domini noſtri* IESV CHRISTI *nominatur* [x], inquit Paulus, ne glorietur Iudæus de genere ſuo contra Gentiles.

Nobilitas vera, quo ſita.

p 3. Paſchali

q lib. 5. c. 16.

r ep. 14. c. 5.

ſ Pſal. 36. 28

t in Pſal. 36.

u Ioan. 1. 13

x Eph. 3. 14

In eadẽ *ciuitate* DEI *ſunt Rahab* [y], hoc eſt, Ægyptij, *alienigenæ*, hoc eſt, Philiſtæi, *Tyrus, & populus Aethiopum, & Sion dicet*, ſeu dicetur, *Homo, & homo natus eſt in ea*, hoc eſt, vir, & vir, id eſt, & multi, & omnes clari, *quos Dominus narrabit*, id eſt, numerabit ac recenſebit, *in Scripturis populorum, & principum. Nobilis cenſendus eſt, qui nihil habet de vita ruſticitate, ſed eſt ſuperna conuerſatione conſpicuus*, ait Gregorius [z]. *Vel nobilitas ex ſanguine profecta corruptibilis eſt; vera, quæ virtute* DEI *conſeruat imaginem*, vt ſcribit Nazianzenus [a], *& non caſu contingit, ſed electione voluntatis acquiritur*, vt habet alter Gregorius Nyſſenus [b].

In ciuitate Dei ſunt diuerſi ... quo nobiles omnes ſunt.

y Pſal. 86. ... ſeqq.

z in cap. 9. 1. Reg.

a oratio 11 & 21.

b oratio ... Thaumat.

E contrario degeneres nobilium filij, *Aethiopum filij* vocantur à DEO [c], *principes Sodomorum, & Gomorrhæ populus* [d], *Chananæi, Amorrhæi, Cethæi* [e]: & à Paulo [f], *non veri, ſed ſolo cognomine Iudæi.*

c Amos 9. 7.

d Eſa. 1. 10

e Ezech. 16. 3

f Rom. 2. 28. 29.

Ioannes Baptista gloriantes de genere Abrahæ reprehendit [a], necnon CHRISTVS [b], hicque iisdem exprobrauit, quòd essent [c] filij eorum, qui Prophetas occiderunt. Transferri non incommodè posset in istos illud ex Satyra [d]:

a Matth. 3. 9. b Ioan. 8.39. c Mat. 23.31.

d Iuuen. Saty. 8. in fine.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodò tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas,
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

Et testamenti.] Filij testamenti dicuntur, non tanquàm testamento patre geniti, sed vt hæredes illius testamenti, quod Prophetis datum est. Simili Hebræa phrasi appellantur בני מלכה *bene melacha*, i. *filij regni* [e], qui sunt in regno, seu quibus regnum promissum est, & sunt quodammodò in eius possessione, aut qui istud maximè complecti deberent. Hac ratione vocantur בני מות *bene maueth*, i. *filij mortis* [f], morti destinati, *filij sponsi* [g], qui celebrant nuptias, *filij sapientiæ* [h], qui maximè deberent esse sapientes. Itaque *filij testamenti* sunt, qui etiam nominantur *filij promissionis* [i], ἐπαγγελίας.

Testamenti filij cur dicantur.

e Mat. 8.12.

f 1. Reg. 20. 31. & 26. 16. 2. Reg. 12.5. g Matt. 9.15. h Luc. 7.35. i Roman. 9.8. Gal. 4.28.

Nomen Græcum hoc loco, quod etiam Syrus sic scribens, ודיתקא *vediathike*, retinendum censuit hîc, & alibi, vbicumque in textu Græco [k] (quamuis Aquila, Theodotio, & Symmachus συνθήκην vsurpent) videlicet propter peculiarem vim eius, est διαθήκη. Significat autem propriè dispositionem, & ad omne fœdus pertinet, cuius species vna est testatio vltimæ voluntatis: accommodatur verò plerumque ad testamentum, quo vltima voluntas declaratur, sicut & disponendi verbum apud nostrum Interpretem [*]: *Dispone domui tuæ, quia morieris*, Hebraicè testamentum, ברית *berith*, eadem significatione appellatur.

k Mat. 26. 28. Marc. 14. 24. Luc. 1. 22. cap. 22. 20. & seq.

De nomine διαθήκη, quod testamenti Latine redditur.

* Esa. 38. 1.

Nimis putidi Grammatici sunt, qui nouum & vetus fœdus, vel pactum, quàm nouum, & vetus Testamentum appellare malunt, vel qui instrumentum; quod nomen etsi boni Auctores vsurpant, testamentum tamen quoque non abhorrent, sed libentiùs etiam eo vtuntur, vt Tertullianus [l], Lactantius [m], Hieronymus [n], Augustinus [o], & alij, testaturque Tertullianus, vbi instrumentum dixit, magis vsui esse dicere testamentum, de qua voce, & vocis vsu Leo Castro [p], Budæus [q], Pererius [r], Ribera [s], Barradius item in Concordia Euangelica [t], & Salmeron [u]. Concedo confundi has voces pacti, & testamenti, vt etiam docent Hieronymus [x], Augustinus [y], & alij, quamuis pactum propriè includat conditiones vtrimque à contrahentibus seruandas, testamentum autem sine conditione fieri possit, per simplicem vltimam voluntatem testatoris legantis bona sua hæredibus.

Fœdus vel pactum dici non debet testamentum nouum & vetus.

l 4. cōtra Marcio. m lib. 4. c. 21. n Præf. in Euangelia. o epist. 16. & passim. p in Esa. c. 15. q in cōmen. ling Græcæ. r 1. 10. in Daniel. s in epist. ad Heb. c. 8. & 9. t lib. 1. cap. 1. u tom. 1. Prol. 31. x in c. 1. Ier. & c. 2. Malach. *Pactum & fœdus inter se confundantur, dissoluuntur.* y in Psal. z lib. quæst. Heb. in Gen. cap. 17. a in cap. 4. ad Gal.

Quod verò idem Hieronymus [z] alibi dicit, *vbicumque in Græco legitur testamentum, ibi esse fœdus*, siue *pactum*, in Hebræo; item [a], excusandum Paulum, quòd pro ברית *berith*, reddiderit, *testamentum*, cùm Aquila, Symmachus, & Theodotion verterint, *pactum*, nec videtur necessarium, nec omninò verum. Verùm non videtur excusatione Paulo opus esse, quin potiùs eo nomine laudandus est, sicut & alij Apostoli, ac Euangelistæ eâdem voce vtentes, & nunquàm pacti, aut fœderis, quod etiam Septuaginta fecerunt. Non etiam necessarium, quia pluris faciendi sunt quos diximus, SPIRITV sancto nempe afflati, & quos Ecclesia tota sequitur, quàm posteriores illi Interpretes, quos odio nostrarum, & rerum, & vocum id fecisse affirmare possumus.

Paulus pro fœdere vtens verbo testamenti defenditur.

Adde etiam Philonem [b], qui similiter pro ברית *berith*, ponit διαθήκην. Sed neque placet quod hoc loco Gagneius tradit, nomen istud in singulari magis pactum, & pollicitationem significare, in plurali autem testamentum: nescio enim an in tota Scriptura, quicquid sit de aliis Auctoribus, vel vnum proferre exemplum possit. *Amat Scriptura*, inquit Augustinus [c], *testamenti nomine pactum appellare. Non custodierunt testamentum* DEI [d], id est, pactum: *Testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ* [e]: *Disponamus testamentum cum Gentibus* [f], id est, fœdus paciscamur.

b lib. de Cain & Abel.

c lib. Locut. de Gen. num. 91. & 94. in Ps. 82 & 16. de Ciuit. c. 27. d Psal. 77. 10. e Psal. 82. 6. f 1. Machab. 1. 12.

Ratio porrò cur ita Scripturæ sacræ vocentur, vt id obiter dicā, est, quia præcipuæ res, quas continent, sunt fœdera, & conuentiones quædam, quas DEVS cum hominibus ex misericordia pepigit cum sanguine, & morte aliquorum, vt cum Noe de non ampliùs immittendo diluuio [g]: cum Abraham de MESSIA, imposita lege Circumcisionis [h]: cum Mose per sanguinem hircorum, & vitulorum [i]: denique cum toto genere humano, fuso CHRISTI sanguine [k]. Ambrosius [l] testamētum dici ait, quoniam sanguine dedicatum est, vetus in typo, nouum in veritate. Inde etiā est, quod cum hac voce ברית *berith*, solet coniūgi verbum, כרת *charath*, quod est ferire, vel percutere, quod & profani Auctores vsurpant, vt Virgilius [m]:

Cur Scripturæ sacræ dicantur testamentum.

g Gen. 9. 9. & seq. h infrà 17. 10. i Exo. 24. 5. 6. Heb. 9. 19. k Matt. 26. 28. Heb. 9. 25. l lib. de Cain, & Abel. c. 7.

m 8. Æneid.

Stabant, & cæsa feriebant fœdera porca.

Simile quid accidit quando DEVS pepigit cum Abraham [n], & idem ritus indicatur à Ieremia [o]: testis est quoque Cyrillus Alexandrinus [p], morem fuisse Chaldæorum, iuramenta stabilire transeundo per medias diuisiones: DEVM verò figuratum per ignem, qui medius transibat.

n Gene. 15. 9. & seq. o cap. 34. 18. p lib. 10. contra Iulianum.

Etymologia quoque nominis ברית *berith*, à verbo ברה *barah*, consentit, prout significat secare, scindere, occidere, comedere. Habet & significationem eligendi, ad quam respexisse videtur Lactantius [q], volens testamentum dici, quia fit voluntas, & electio testatoris.

Testamentum Hebraicè vnde deducatur.

q lib. 4. c. 20. circa finem.

Non est ferendus Bezæ fastus, quo affirmare non veretur, Paulum in epistolis ignorata propria vocis Hebrææ significatione, allusisse ad vocem Græcam διαθήκης, id est, testamenti: neque potest Erasmus excusari, & Caietanus, damnantes epistolam ad Hebræos, quòd eius Auctor imperitè voce testamenti pro pacto abutatur. Potuerunt eâdem de causa damnare epistolam ad Romanos [r], & ad Galatas [s], Ioannis item patrem in Cantico [t], Stephanum capite septimo huius libri, & CHRISTVM denique ipsum vocantem calicem sanguinis sui noui Testamenti [u]. Lege plura apud nostrum Salmeronem [x].

Beza, & Erasmus redarguuntur.

r Rom. 9. 4. c. 11. 27. s Gal. 3. 15. 17. t Luc. 1. 72. u Matt. 26. 28. x tom. 1. Prolego. 21.

Quod disposuit.] διέθετο. Paronomasia quædam est ad nomen διαθήκης.

Dicens ad Abraham.] Huic in primis promissio est facta, & testamentum quodammodò. Idcirco huius mentio præcipua fit in genealogia CHRISTI [y], in Cantico MARIÆ [z], & Zachariæ [a]; & Ioannes Baptista [b], atque CHRISTVS [c] frustrà de eo gloriantes Iudæos reprehenderunt: *hanc autem filiam Abrahæ*, inquit idem [d], & de Zachæo [e], *eò quòd ipse sit filius Abrahæ*, ac sæpe ab Apostolo in epistolis vocatur pater credentium: & iustarum ante CHRISTI Ascensionem animarum receptaculum appellabatur sinus Abrahæ [f]. Huic factæ sunt promissiones, quæ non vno loco in Genesi habentur post sacrificium Isaac filij [g], quicquid sentiat Ambrosius [h], & Burgensis [i], sed alibi eodem libro [k], vt cum Caietano demonstrat Pererius [l], ostendens eandem esse cum aliis eam quæ habetur capite 12. 3. & citatur à Paulo in epistola ad Galatas [m]. Huic, inquam, promissio

y Matth. 1. 1. z Luc. 1. 55. a ibid. 73. b Matt. 3. 9. c Ioan. 8. 39. d Luc. 13. 16. e cap. 19. 9.

f Luc. 16. 22.

g Gen. 22. h 1. de Abraham. c. 8. i addit. 3. in c. 22. Gen. k 15. 19. 28. l Genes. 22. Disp. 13. m cap. 3. 16.

A

sæpe facta peculiariter memoratur, quia illi primùm CHRISTVS promissus est, ac futurus erat omnium credentium pater.

a Gen.26.4.
b cap. 28. 14.
c Ps.131.11.
d Matt.8.11.
e li.4.de origine animæ. cap.15.
f 1.in Ioan. c. 52.
g in c.3. Matthæi.q.61.

Alioqui promissio quoque facta est Isaac [a], & Iacob[b], & Dauid[c], & aliis. Sed illis tribus Patriarchis potissimùm, quibuscum propterea promissus est Gentilibus ad fidem accedentibus in regno cœlorum recubitus [d]: ex tribus autem his Abrahæ præsertim, ob dictas causas facta est hæc promissio. Augustinus [e], & Cyrillus [f] fidem pro causa reddunt, Abulensis [g] promissionem DEI. *Abrahæ dictæ sunt promissiones*, inquit Paulus vbi suprà. Accedit quòd etsi Israëlitæ à Iacob, qui Israël cognominatur, & Iudæi à Iuda filio ipsius denominentur, tamen generaliori nomine dicuntur Hebræi, si non quasi Abrahæi, vt quidam autumant, certè ex eo quòd primus Abraham ita nominatus est post Euphratem transmissum, nẽpe עברי *hhibri*, id est, *Hebræus*, quasi dicas transitor, ac, vt Septuaginta Græcè dicunt, περάτης, & transfluuialis, sicut quosdã dicimus Transpadanos, Transalpinos, Transmarinos, &c. de qua re Ribera [h], & Pererius [i], qui denominationem deducit ab Heber, necnon Viegas [k]. Certè prima litera nominis Abrahã, est א *aleph*, in nomine Hebręus, est ע *hhain*, vnde Hebræus non potest dici quasi Abrahæus.

B

h Ionæ 1. nu. 41.& 44.
i Gen.14.nu. 29.30.31.
k in cap.2. Apoc.

Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.] Sunt hæc verba in Genesi notatis locis, præsertim capite 12.& 18.& 22.& 26.

C

l cap.3.8.
m cap 44. 21.
n Gal.3.16.

In semine tuo.] Capite 12. *in te*, & in epistola ad Galatas[l]; alibi, *in semine*; in Ecclesiastico [m]: *In carne eius stare fecit testamentum.* Notat verò Paulus [n], dictum esse *in semine, & non in seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est* CHRISTVS. Lege Pererium [o] doctè demonstrantem nomen Hebræum זרע *zerahh*, id est, *semen*, pro variis circunstantiis modò multos, modò vnum aliquem duntaxat significare: Paulum verò doctore Gamaliele sciuisse aliorum eius temporis doctorum interpretationem, ac sententiam fuisse, per semen in numero singulari CHRISTVM intelligi, cùm etiam præter CHRISTVM, nullus posterorum Abrahæ causa fuerit benedictionis omnium gentium. Porrò idem est, *in te*, quod, *in semine tuo*; solent enim quædam alicui promitti, quæ non in eo, cui promittuntur, sed in eius posteris implenda sunt: hi autem, quibus hæc promittuntur, principium ferè generis sunt, & capita, vt ostendit noster Ribera [p], post Chrysostomum [q], Euthymiumque [r], & patet ex multis quæ continentur in benedictionibus Patriarcharum [s].

o Genes.22. Disp.14.
Semen vnde Apostolus sciuerit Christum in singulari significare.

D

p Agg. 2. nu. 73
q Homil.8. in Matth
r in c.1.Matt.
s Gen.49.

In semine.] Id est, *per semen*: præpositio enim *in*, seu ב *beth*, more Hebræo, pro causa ponitur, aut prima, aut media, siue secunda: vt, *Benedixit nos in ipso*[t], *& elegit nos in ipso*, id est, *per ipsum*: &, *Gratificauit nos in dilecto Filio suo.* &, *Loquens patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in* FILIO [u], id est, per Patres, per Filium. Plura alia exempla suppetunt.

t Eph.1.3.
u Heb.1.1.

E

Benedicentur.] *Multiplicabuntur*, quasi dicat, *multiplex erit semen tuum*[x], id est, ex te sati, & nati: *semen tuum crescet in gentes* [y].

x Iob.5.25.
y Gen.4.1.

Crebra est significatio istius verbi, sicut & nominis benedictio. Videtur tamen non sola benedictio multiplicationis carnalis, verùm etiã spiritualis intelligenda: siquidem per CHRISTVM præcipuè, ac maximè propriè impleta est ista promissio. *In* CHRISTO *enim* PATER *benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus* [z]. Quod homo laudando, vel optando, seu bene precando benedicere dicitur, hoc DEVS, cuius dicere facere est, bene faciendo, & multiplicando, & bonis afficiendo, facere censetur, maximè verò cùm sunt spiritualia bona, vnde beati benedicti nominantur [a]. Quãdo verò diei septimæ benedixit DEVS [b], in qua nihil creauit, id fecit, quia voluit in ea benedici, & laudari à nobis. Sicut & nonnunquàm benedicendi verbum consecrationem denotat, & sanctificationem, vt panis Eucharistici [c], aut etiam calicis, qui & calix benedictionis cognominatur [d]. Lege Ioannis Ferdinandi Thesaurum [e].

Benedictio, & carnalem, & spiritualem multiplicationem comprehendit.
z Eph.1.3
Benedicere quid quando denotet.
a Mat.25.34
b Gen.2.3
c Matt.26.26
d 1.Cor.10.16.
e verbo, benedicere.

Omnes.] Non quia omnes, sed quia nulla nisi in eo semine benedicitur. Sicut & illud, inquit Beda [f], *Illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum*, vel quoniam omnes, quantùm est in CHRISTO, benedicuntur, & illuminantur. Vt si qui non benedicantur, causa sit, quia nolunt benedictionem [g]: si qui non illuminantur, quia *diligunt magis tenebras, quàm lucem* [h]. Ita etiam sæpe Augustinus disputans contra Pelagianos. *Quemadmodum*, inquit, *de aliquo doctore in ciuitate dicitur, quòd omnes docet, nempe quia quotquot docentur, ab eo docentur.*

f Ioan.1.9.
g Ps.108.18.
h Ioan.3.19.

Familiæ.] Πατριαὶ, quod Interpres aliàs vertit [i], *cognationes*, aliàs [k], *nationes*, aliàs [l], *gentes*, cùm est sermo de eâdem promissione. Sed pro, *cognationes*, Græcè est, φυλαὶ, *tribus*, pro, *nationes*, *& gentes*, ἔθνη. Aliquando Latinè ponitur patriarum vocabulum, vt in Psalmo: *Afferte Domino patriæ gentium* [m].

i Gen.12.3
k Gen.18.18.
l Gen.22.18. & c.26.4.
m Psal.95.7.

Nomen Latinum *familia*, propriè dicitur de liberis hominibus, quorum dux, ac princeps generis vocatur pater, & materfamiliæ, vt ait Festus [n], ita tamen vt etiam comprehendat eos omnes, qui in ministerio sunt, etsi liberi esse proponantur, per alienos bona fide nobis seruientes, vt scribit Vlpianus [o]. Cicero [p] familiam vocat, quæ constat ex seruis plurimis, & familiares olim dicebant seruos, *vt omnem*, inquit Macrobius [q], & Seneca [r], *dominis inuidiam, omnem seruis contumeliam detraherent.* Apud antiquissimos tamen *famelia* per e, dicebatur tantùm de seruis, ab Osca dictione *famel*, qua illi seruum appellabant, auctore eodem Festo [s]: Itali quoq; nunc dicunt *fameglio*: in Psal. 21. [t] vocantur eodem sensu *familiæ gentium*, quo nunc *familiæ terræ*. Vbi est quoque Græcum πατριαί.

Familia nomen quid significet.
n de verb. significa.
o ff. de verb. signif.l.195.
p oratio. pro Cæcin.
q 1. Saturnal. cap.11.
r lib.6.ep.47.
s suprà.
t vers.28.

Terræ.] Indicat hoc nomen latiùs patere hanc promissionem, quàm ad genus Iudæorũ, posteros Abrahæ, secundùm carnem. Etsi enim terra nonnunquàm accipiatur pro vno tantùm regno [u], ac pro vna etiam duntaxat vrbe [x], tamen postulant citata superiùs loca, præsertim ex Genesis c. 12. [y] vt latior sit terræ in ista promissione significatio, quia est absque restrictione.

Terra modò pro toto, modò pro parte sumitur.
u vt 3.Reg.5.12.
x Deut. 26. 14.
y vers.3.

Alioqui rectè obseruauit Hieronymus [z] esse idioma Scripturæ, vt terra, vel etiam omnis terra, significet eam, quæ est illius prouinciæ, de qua sermo instituitur. Illustrant promissionem istam adeò vniuersalem similes aliæ promissiones, seu prædictiones, vt, *Ipse erit expectatio gentium* [a]. *Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium: Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium* [b], *& benedicentur in ipso omnes tribus terræ: Omnes gentes magnificabunt eum* [c]: &, *Ipsum gentes deprecabuntur* [d]: &, *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ* [e]: &, *Veniet desideratus cunctis gentibus* [f]: denique, aliis omissis, gestans vlnis CHRISTVM puerum senex Simeon vaticinatus est fore *lumen ad reuelationem gentium* [g].

z in c.13. Esa.
Christi promissio spectat ad omnes gentes.
a Gen.49.10.
b Ps.21.28.29.
c Psal.71.17.
d Esa.11.10.
e infrà 49.6.
f Agg.2.8.
g Luc.2.32.

Versus

Versus 26.] Vobis primùm DEVS suscitans FILIVM suum, misit eum benedicentem vobis, vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua.

VOBIS *primùm* DEVS.] Sic superiori capite [a], *Vobis est repromissio, & filiis vestris*: deliniit enim semper Petrus auditores.

a vers. 19.

Primùm.] Πρῶτον, aduerbialiter, id est, *ante alios, tantùm abest, vt nolit* DEVS, inquit Chrysostomus, *promissionis participes vos esse*, quinetiam salutis aliorum vult vos esse quasi auctores, ac duces: de qua re citato loco.

Iudæi primū ad conuersionē inuitati.

Suscitans.] Ἀναστήσας, *cùm suscitarit*. Allusio est ad illud Mosis, quod superiùs expositum est [b]: *Prophetam suscitabit vobis* DEVS. De manifestatione in carne, déque Incarnatione propriè intelligitur, atque de tota œconomia CHRISTI in doctrina, miraculis & passione. Potest tamen etiam peculiariter accommodari ad suscitationem à mortuis, vt Chrysostomo, & Oecumenio placet.

b vers. 22.

FILIVM *suum.*] *Illum ipsum*, inquit Beda, *quem proximè antè vocauerat semen Abrahæ*, nimirum propter duplicem naturam, humanam, & diuinam. Obseruauerat id prior Fulgentius [c]. Videtur Lyranus intellexisse *suum*, cum relatione ad Abraham, vt sit idem quod *eius*. Exponit enim id esse dictum, quia inter Iudæos fuit natus, & conuersatus, verùm etsi, *suum*, in ea interdum significatione reperiatur, præsertim apud Auctores minùs elegantes, tamen codices Græci emendati habent cum spiritu asperiore αὑτοῦ. Scio tamen aliquando eundem vsum habere idem cum spiritu leni pronomen, ita vt aliunde colligenda sit occurrentis loci sententia. Certè prior expositio communis est, & instituto congruentior.

Christus Dei filius, & Abrahæ, propter naturā duplicem.

c 3. ad Thras. cap. 12.

Misit.] Non approbo, vt missio accipiatur per prædicationem Petri: sed de tota, quam dixi, œconomia Incarnationis. Nec verò Petrus, quia CHRISTVS iam ascenderat, non voluit potuítve dicto modo intelligere.

Benedicentem.] Iungit, similiter alludendo vaticinio Mosis, promissionem factam ad Abraham, quæ modò declarata est. Dixi etiam benedicendi verbo significari hoc loco ampla beneficia, maximè spiritualia, non prædicationem tantùm, vt velle videtur Glossa interlin. *Qui factus est pro nobis maledictus, & maledictum* [d], *benedictos nos fecit*, seu, *in hoc vocauit, vt hæreditatem benedictione possideamus* [e], audientes in iudicio [f], *Venite benedicti, & qui crucifixus est, suos crucifixores benedixit*, inquit Chrysostomus.

d Gal. 3. 13.

e 1. Pet. 3. 9.

f Mat. 25. 34.

Vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua.] Græcè, ἐν τῷ ἀποστρέφειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν, *in conuertendo se vnumquemque à nequitiis vestris*. Syrus autē sic legit, אן תתפנון ותהבון מן בישתכון *in thathpenun vathibubun men bischathechun*, id est, *si conuersi fueritis*, vel, *conuertamini, & egeritis pœnitentiam de flagitiis vestris*, vel, *à prauitatibus vestris*, vel, *Si conuersi fueritis, & egeritis pœnitentiam de flagitiis vestris*. Sà exponit, *ad hoc*, vel, *dummodò*. Vnde est duplex sensus; prior indicat hanc esse benedictionem, vt quis conuertatur, siue istum esse principalem eius effectum: posterior, hac lege velle CHRISTVM benedictionem, hoc est, beneficia largè impartiri, si resipiscamus. Vtrumque sensum recipit Chrysostomus; posteriorem verba citata Syræ interpretationis, & eum sequitur Oecumenius. Tertius affertur à Gagneio parum à primo differens, quem textus etiam Græcus ferre potest: *Misit eum benedicentem vobis, dum vnumquemque vestrùm à vestris nequitiis conuertit*.

Sed profectò Interpres noster, quem iniuriâ Gagneius reprehendit, omnium optimè assecutus videtur vim sententiæ, *Magna enim benedictio est*, inquit Chrysostomus, *conuerti ab iniquitatibus, & in beneficiis diuinis hoc meritò summum censeri debet*: neque enim remissio peccatorum fit absque gratia iustificante, quæ est semen gloriæ.

Magna benedictio est, conuerti ab iniquitate.

Iste omnis fructus, vt auferatur peccatum [g]. Καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ εὐλογία αὐτοῦ, ὅταν ἀφέλωμαι αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν: *Et hoc est benedictio eius, cùm abstulero eius peccatum*. Ioãnes quoque Apostolus ait [h], *quòd in hoc apparuit* FILIVS DEI, *vt dissoluat opera Diaboli*, ex quo est, *qui facit peccatum, quoniam ab initio Diabolus peccat*.

Fructus passionis Christi: remissio peccatorum.

g Esa. 27. 9.

h 1. epist. 3. 8.

Conuertat se.] *Pendet enim conuersio à libero arbitrio nostro*, inquit Glossa interlinearis, & Lyranus, *& qui fecit te sine te*, inquit Augustinus [i], *non iustificabit te sine te*.

Conuersio à libero arbitrio pendet.

i Serm. 15. de verb. Apost. c. 11.





CAPVT QVARTVM.

SVMMARIVM.

Habet hoc caput præcipuas partes tres, Petri, ac Ioannis incarcerationem (nimirum propter miraculi in claudo nouitatem, & quinque millium ad CHRISTVM *accessionem) liberámque pro fide, & constantem responsionem: Communem cum Condiscipulis post reditum ad illos, orationem, & orationis fructum,* SPIRITVS *sancti illapsum: Animorum, & rerum in Ecclesia tota Ierosolymitana coniunctionem, atque communicationem.*

1 LOQVENTIBVS autẽ illis ad populum, superuenerunt sacerdotes, & magistratus templi, & Sadducæi, A
2 Dolẽtes quòd docerent populum, & annunciarent in IESV Resurrectionem ex mortuis.
3 Et iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim iam vespera.
4 Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia.
5 Factum est autem in crastinum, vt congregarentur Principes eorum, & seniores, & Scribæ in Ierusalem,
6 Et Annas Princeps sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali.
7 Et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?
8 Tunc repletus SPIRITV sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & seniores audite:
9 Si nos hodiè diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est,
10 Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël, quia in nomine Domini nostri IESV CHRISTI Nazareni, quem vos crucifixistis, quem DEVS suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.
11 Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli:
12 Et nõ est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

13 Videntes autem Petri constantiam, & Ioannis, comperto quòd homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos quoniam cum IESV fuerant:
14 Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.
15 Iusserunt autem eos foras extra concilium secedere: & conferebant ad inuicem,
16 Dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem: manifestum est, & non possumus negare. B
17 Sed ne ampliùs diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltrà loquantur in nomine hoc vlli hominum.
18 Et vocantes eos, denunciauerunt ne omninò loquerentur, neque docerent in nomine IESV.
19 Petrus verò, & Ioannes respondentes, dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu DEI, vos potiùs audire quàm DEVM, iudicate: C
20 Non enim possumus quæ vidimus, & audiuimus, non loqui.
21 At illi comminantes dimiserunt eos: non inuenientes quomodo punirent eos propter populum, quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo quod acciderat.
22 Annorum enim erat ampliùs quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.
23 Dimissi autem venerunt ad suos: & annunciauerunt eis quanta ad eos Principes sacerdotum, & seniores dixissent. D
24 Qui cũ audissent, vnanimiter leuauerunt vocem ad DEVM, & dixerunt: Domi-

ne, tu

ne, tu es qui fecisti cœlum, & terram: mare, & omnia, quæ in eis sunt:

25 Qui SPIRITV sancto per os patris nostri Dauid, pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania?

26 Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnũ aduersùs Dominum, & aduersùs CHRISTVM eius?

27 Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersùs sanctum puerum tuum IESVM, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populis Israël,

28 Facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.

29 Et nunc Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum,

30 In eo quòd manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti filij tui IESV.

31 Et cùm orassent, motus est locus, in quo erant congregati: & repleti sunt omnes SPIRITV sancto, & loquebantur verbum DEI cum fiducia.

32 Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

33 Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis IESV CHRISTI Domini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis.

34 Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant,

35 Et ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.

36 Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum, Filius consolationis) Leuites, Cyprius genere,

37 Cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.

Versus 1.] Loquentibus autem illis ad populum, superuenerunt sacerdotes, & magistratus templi, & Sadducæi.

Ioannes ad populum sermonem habuit.



LOQVENTIBVS *autem illis ad populum.*] Solus superiore capite Petrus loquebatur [a], nunc ergo vel Ioanni tribuitur socio Petri, quod Petro conuenit, vel Ioannes quoque sermonem habuit ad partem populi, & quidem summa gratia, propter suauitatem morum, & maxima efficacia, *ceu tonitrui filius*, & zelo diuino plenus. Glossa interlin. vtrumque sensum ponit, necnon Hugo. Syrus indicat primum, apud quem sic legimus, וכד הלין ממללין הוו לעמא *vecad halen memallelin hauau lebhamma*, id est, *& cum illi loquentes essent ad populum*, vel, *cùmque illi hos sermones loquerentur ad populum*. Per Syllepsim, quod vni conuenit, de pluribus dicitur. Lege caput primum [b].

a vers. 12.

b vers. 15.

Superuenerunt.] Ἐπέστησαν. Syrus habet, קמו עליהון *kamu bhalaihun*, id est, *insurrexerunt in eos*. Simplicior, & crebrior est significatio Græci verbi, quam Interpres noster expressit. Indicat etiam repentinum ac improuisum aduentum, qualis esse solet Magistratuum ac satellitum ad reos capiendos.

Et magistratus templi.] ὁ στρατηγὸς. Syr. *Præfecti templo.* Beda scribit secundùm aliam translationem haberi, *prætor templi*. Chrysostomus interpretatur, *ducem militum templi*. Minùs propriè Carthusianus, aliíque, quibus fauere videtur Glossa ordin. *officiales templi*, aut aliorum ductores: hoc enim nihil ad nomen Græcum; illud nimis genericum est, non exprimens vim eius.

Magistratus templi quis esset.

Huius qui singulari numero hîc ponitur, licèt alios haberet inferiores ministros, *partes erant, non immediatè circa cultum diuinum*, inquit Caietanus, *sed impedire, ne quid in templo turbarum esset, vel indecens, vel profanum*, siue *laicum illum esse affirmes, siue potiùs de tribu Leui* (erat enim templi ministrorum de hac tribu numerus quidam infinitus) suspicari quis posset ex eo numero fuisse ministros (ὑπηρέται dicuntur Græcè) *missos à pontificibus, & Pharisæis ad comprehendendum* IESVM [c]: vel custodiam illam, de qua Pilatus [d]: *Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis*; quæ videtur Sigonij opinio [e], qui etiam docet ex præfectis militaribus apud Hebræos, quosdam fuisse, qui Græcè dicerentur προστάται, & στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ, id est, præsides templi, & præfecti exercitus eiusdem. Prætereà lictores ministros adhibitos ad comprehendendum reos iussu Principum tum sacerdotum, tum populi, milites verò ad vim, sicunde ingrueret, propulsandam. Existimat idem Auctor, eiusdem ordinis fuisse cohortem, quam proditor accepit, vt IESVM comprehenderet [f]. Nicephorus [g] custodiam CHRISTI sepulcro appositam militarem, & genere alienigenam nominat. Chrysostomus [h], & Augustinus in Ioannem [i], & Theophylactus in Lucam [k], aliíque passim affirmant fuisse Romanos.

c Ioan. 7. 44.

d Mat. 27. 65.

e lib. 7. de Rep. Heb. c. 13.

Diuersi gradus ministrorum templi.

f Ioan. 18. 3.

g 1. Hist. ca. 32.

h hom. 83. in Matth.

i tract. 118.

k in c. 22.

Equidem nullo modo existimo, custodiam, cuius Pilatus meminit, fuisse Iudæorum, qui templum custodirent; quoniam vni templo hi addicti erant, & sacerdotibus parebant, proindéque nihil causæ fuisset, cur aut à Pilato Iudæi custodes petiissent, aut suscitato CHRISTO pecunia corrupissent. Deinde verisimile est, templi custodes milites fuisse Iudæos, & quidem ex tribu Leui, cuius erant inferiores, quasi tribus sacerdotum vigintiquatuor, singulæ constantes plusquã quinque millibus, qui statis diebus ministrarent, vt testantur Iosephus [l], & Aristeas [m], ex quibus quotidiè septingenti cæderent victimas, præter aliorum ingentem multitudinem libamina offerentium. His ex eodem ordine præerant sacerdotes tanquàm duces, nec enim poterant tunc Iudæi Romanis seruientes militarem alium Magistratum exercere.

Custodia sepulcro qualis fuerit.

Custodes templi fuerunt Iudæi ex tribu Leui.

l 2. cont. Apionem.

m in lib. de 72. Interpret.

Confirmatur hæc sententia ex verbis Lucæ [n]:

n cap. 22. 4.

Et

Et abiit Iudas, & locutus est cum principibus sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis; vbi pro *magistratibus*, est στρατηγοῖς, & paulò pòst [a]: *Dixit autem* IESVS *ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, & magistratus templi*, στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ, vbi Theophylactus vocat *principes constructionum templi*: etsi etiam illam opinionem ponit de Præfectis, quos Romani populo constituerint, ne sinerent tumultus fieri. Euthymius præfectos militum, qui custodiebant templum, idque Sà in Notationibus sequitur. Fauet prætereà quod habetur in Historia Machabæorum [b]: *Et ædificauerunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, ne quando venirent, & conculcarent eum, sicut antea fecerunt: & collocauit illic exercitum, vt seruarent eum, &c.* Etsi enim posteà Romani occupauerunt mõtem illum, & Iudæam, tamen credibile est, permisisse Iudæis nonnullum numerum militum ex ipsorummet gente ad custodiendum templum.

a vers. 52.
b lib. 1. cap. 4. 60. 61.

Templariorum milit. & institutio.

His non planè dissimiles esse videntur illi, qui circa Domini annum 1130. Ierosolymis primùm instituti sunt Ierosolymitani equites, militesque Templarij, seu Fratres militiæ templi, qui iuxta templum in palatio regio, & paulò pòst in proprijs ædibus iuxta templum considentes, ac pallio deinde albo cum rubea cruce insignes fuerunt: quorum munus fuit itinera à latronum incursationibus tuta seruare, vt prodit Gulielmus Tyrius in Historia de Bello Sacro [c]. Extat ad eos egregius Bernardi Sermo, qui eodem seculo florebat, vt idem ipse eiusdem sermonis principio significat. Et in capite quinto docet ipsos habitasse in templo, hoc est, prope illud. Sed cùm aliquando Imperium Patriarchæ Ierosolymitani detrectarent, à quo & ordinis institutionem (vt cum Tyrio loquar) susceperant, atque DEI Ecclesijs valdè molesti essent, decimas eis, ac primitias subtrahentes, & ob ingentes diuitias regiis haud impares insolescentes, euasissent tandem infamium criminum rei, à Clemente Papa V. impulsore Rege Galliarum Philippo Pulchro, delecti sunt anno 1311. vt est auctor Volaterranus [d], Platina [e], Genebrardus [f], & alij.

c lib. 12. c. 7.

Eorundem destructio.

d li. 22. Anthr.
e in Clem. V.
f in Chron.

Sadducæi.] Syrus vocat, ודוקיא *Zadaukaie*. per literam ז *zain*: sed Epiphanius [g] docens sic dictos quasi iustos, quod etiam Hieronymus [h] ait, indicant nomen scribendum fuisse per צ *tsade*, à צדק *tsedech*, quod est iustitia: tametsi duæ illæ literæ modò per z, modò per s, exprimantur à Græcis, Latinísque. Primus eorum auctor, Epiphanio teste [i], fuit Sadoc. Ex Samaritanorum, qui Dositheum auctorem habuerant, radice natos scribit idem Hieronymus [k]. Vnde & cum Samaritanis solos ex sacris Scripturis Mosis libros recipiebãt: atque in aliis cõueniebant cum iisdem, nisi quòd Ierosolymis agerent, & ceterorum Iudæorum sacrificia vsurparent. A sacerdotis Sadoc, cuius gloriabantur denominatione, doctrina deficiebãt: & tum inter se moribus ferinis discrepabant, tũ erga exteros illiberales, & inhumani erant, eoque nomine inuisi, ingratique populo esse cœperunt.

Sadducæi unde dicti, & quis eorum auctor.
g Hæres. 14.
h in cap. 24. Matth.
i ibidem.
k lib. 1. cont. Lucifer.

Sadducæi quales fuerint.

Constabat horum secta ex paucis, sed ferè dignitate præcipuis, superbis, seditiosis, principum gratiæ captatoribus, vt non sit adeò mirandum, si quod citati tradunt, & Iosephus [l], apud quem sunt etiam quæ diximus, Lucas item hoc ipso libro [m], & Matthæus in Euangelio [n], negarent Resurrectionem esse, & Angelum, ac Spiritum, atque animæ humanæ immortalitatem: prætereà omne diuinæ deliberationis decretum, ita vt suo quisque sibi libero arbitrio felicitatis, ac infortunij causa esset: tales enim in errores incurrunt, qui diuitiis freti vitiis frenos laxant, & *pecuniæ cum cetera obediant* [o], ipsi vt voluptati obsequantur, pecuniam adhibent tanquàm, ancillam administrámque voluptatis.

l 18. Ant. ca. 2. & 2. de bell. Iud. c. 7.
m cap. 23. 8.
n c. 22. 23.
o Eccl. 10.

Aduersus istos cum Pharisæis, & Scribis, perpetuum CHRISTO [p] bellum fuit, & Ioanni Baptistæ [q], & Apostolis omnibus [r], & Paulo [s]. De iisdem Iosephus [t] aliis locis, & Rabbi Abraham, Aben-Ezra, & Abulensis [u].

p Matth. 16. 6. 11. 12.
q Matth.
r Act.
s Act.
t 13. Antiq. 9.
u Matth. 22. 116 & seq.

Versus 2.] Dolentes quòd docerent populum, & annunciarent in IESV Resurrectionem ex mortuis.

DOLENTES.] διαπονούμενοι, *adlaborantes*, seu, *animo anxij*. Syrus sic legit, כד מתחמתין הוו עליהון *cad methchamethin hauau hhalaihun*, id est, *cùm irascentes essent aduersus eos*, vel, *cùm excandescerent in eos*. Verbum Græcum importat dolorem cum labore, tædio, molestia, angore, indignatione. Sic Paulus capite 16. [x] dicitur dolens de spiritu Pythonis, διαπονηθείς.

x vers. 18.

In IESV *Resurrectionem ex mortuis.*] Quidam codices habent, *in* IESVM, sed Græco textui consentit nostra editio, ἐν τῷ Ἰησοῦ. & est *in*, pro *de*, quasi dicas, annunciarent IESVM resurrexisse. Iuxta aliam verò lectionem sensus est, de Resurrectione aliorum per IESVM. Et, vt nonnulli etiam legunt, *In nomine* IESV. Inter varios vsus præpositionis *in*, vnus est, quem dixi, vt ponatur pro *de*, vt Lucæ 2. [y] *Et reuersi sunt pastores glorificantes, & laudantes* DEVM *in omnibus quæ audierant, & viderant*: & in Psalmo [z], *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ*.

y vers. 20.
z Psal. 9. 3.

Alia exempla vide in Indice Sà. Non nego, phrasi quoque Hebræa poni præpositionem *in*, cum ablatiuo pro accusatiuo citra vllam præpositionem, quomodo dicunt [a], *æmulari in malignantibus*, id est, *malignantes*; *mirari in doctrina* [b], id est, *doctrinam*. Sed non congruit præsenti loco huiusmodi acceptio: nec enim annunciare IESVM Resurrectionem, congruus est aut sermo, aut sensus.

In, præpositio pro accusatiuo ponitur cũ ablatiuo.
a Psal. 36. 1.
b Mat. 6. 2.

Nolebant Sadducæi, præsertim negatores Resurrectionis, Resurrectionem annunciari: tametsi de vniuersali Resurrectione hactenus mentio facta non videtur, sed CHRISTI duntaxat; nisi obscurè indicatam dicas nomine *restitutionis omnium* [c]. Chrysostomus tamen hoc versu, & his verbis ait significari prædicatam Resurrectionem omnium.

c cap. 3. 21.

Versus 3.] Et iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim iam vespera.

ET *iniecerunt in eos manus.*] *Qui aliena proditione, & manu comprehenderunt* CHRISTVM, *iam in impietate crescentes*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius, *& audacia, ipsimet manus in Apostolos iniciunt*: quamuis publici magistratus opera vtuntur, & publicè comprehendunt, vel tanquàm vindices publicæ iniuriæ, vel vt metum alijs Condiscipulis, eorúmve studiosis incuterent, vel *quòd*, vt ait Chrysostomus, *seditionem vereremur multitudinis, quæ se nuper ad eos adiunxerat*.

Et posuerunt eos in custodiam.] Fortasse in priuatam: publica enim exprimitur capite sequenti [a]. Non videntur Iudæi hac adhuc in re abusi potestate, sed sic, si ad mortem processissent: nec enim eis *licebat interficere quemquam* [b], non tantùm *die festo*, vt restringit Toletus [c] cum Cyrillo [d], & Augustino [e], quibus adde Chrysostomum [f], sed omni tempore, est enim absoluta, & præcisa negatio: nec solùm Crucis supplicio, vt idem Chrysostomus, & Euthymius [g], quoniam in lege præscripta supplicia erant lapidatio, strangulatio, vstio, iugulatio: verùm etiam quocumque alio mortis supplicio, dixerat enim Pilatus [h]: *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum.* Atque hanc sententiam sequuntur Rupertus, Caietanus, & Toletus in Ioannem, & Maldonatus in Matthæum [i].

Quòd si CHRISTVM aliquoties occidere voluerunt [k], & adulteram lapidare [l]: & Stephanum reipsa lapidauerunt [m], aut permiserunt, aut dissimularunt Romani, cùm de legibus Imperialibus non ageretur: aut impotentis furoris id fuit, non legitimæ potestatis. Nam Ananus pontifex apud Agrippā regem accusatus, quòd Domini fratrem Iacobum, aliósque impietatis reos lapidandos tradidisset, de Pontificatu depositus est, vt est apud Iosephum [n].

Hinc est, quòd Paulus ante Gallionem Proconsulem reus actus est, quamuis recusarit iudicium in causa de religione [o]: & Herodes rex *occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio* [p], *Petrúmque apprehendit, videns id placere Iudæis*: & Pilatus optionem dedit, CHRISTVM dimittendi, vel Barabbam [q]. Itaque causas quidem grauiores ad propriam ipsorum religionem spectantes, ipsimet excutiebant: multóque magis in genere eodem leuiores: at pœnas capitales soli Romani decernebant, & exequebantur: minores etiam Iudæi.

Talis censeri potest flagellatio Apostolorum in capite sequenti [r], & in præsenti inclusio in custodiam, quam quoque dixi mihi videri priuatam fuisse, nimirum fortasse in vicina domo: fiebat id enim tantùm, vt hîc subditur, in crastinum, eò quòd iam vespera esset, nec res iudicio transigi per tempus posset. Non aberat longè turris Antonia, in quam inclusos Apostolos si quis asserat, non contendam. Potest id quod modò dicebam, permissum Iudæis causas ad ipsorum leges pertinentes iudicare, confirmari ex illis iudicibus, quos iisdem constitutos Daniel narrat [s] in captiuitate Babylonica.

Erat enim iam vespera.] Eo enim die circa horam nonam claudus curatus erat, posteáque concio à Petro habita.

Versus 4.] Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia.

MVLTI *autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt.*] Non propter verbum modò, sed etiam propter miraculū curati claudi. Chrysostomus, & Oecumenius tertiam causam assignant, videlicet inconcussum animum, & singularem fortitudinem Apostolorum, dum vincirentur.

Et factus est numerus virorum quinque millia.] ὡσεὶ, *quasi, seu circiter*: quod capite secundo [t] Interpres non omisit, cùm de tribus millibus sermo fuit. Ex quo intelligi potest, huiusmodi particulas

a vers. 18.
Iudæi vsum gladij tempore Romanorum non habuerunt.
b Ioan. 18. 31.
c Ioan. 18. annot. 14.
d li. 12. in Ioā. cap. 4.
e Tract. 114. in Ioan.
f homi. 82. in Ioan.
g in Ioan.
h Ioan. 18. 31.
i cap. 27. 2.
Quomodo Iudæi vel Christum, vel alios sua authoritate occidere voluerunt.
k Ioan. 10. 31. Luc. 4. 29.
l Ioan. 8. 3. & seq.
m Act. 7. 57.
n 20. Ant. c. 8.
o Act. 18. 12. & seq.
p Act. 12. 1. 2. 3.
q Mat. 27. 17. *De quibus causis Iudæi cognoscerent.*
r vers. 40.
s cap. 13.
t vers. 41.

A etiam in Scriptura ornatus tantùm causa poni, & non tantùm, quod sæpius fieri non negamus, ad expressionem exactioris veritatis, seu ne certò affirmari videatur, quod non sciatur exactè certum esse. Solet item Scriptura (habétque id communis loquendi modus.) numerum absolutum ponere, quamuis aliquid desit, præsertim in magnis supputationibus. Quæ causa est, cur Interpres interdum particulam minuentem omittat, quam alibi expressit. Lege caput primum [u].

Porrò quinque hæc millia, non cum tribus millibus capite secundo [x] commemoratis computanda sunt, vt quidam, teste Lyrano, & Hugone, putāt, in quibus videtur esse Arator [y], sed seorsim, ac distinctè, vt Lyranus sentit: Chrysostomus B etiam & Oecumenius dicunt, plures in ista concione Petri conuersos esse, quàm in prima; eadem est sententia Glossæ ordin. comparantis hæc cum quinque millibus in deserto [z] pastis à CHRISTO, vt illa mysticè Iudæos, hæc designent Gentiles, pro quibus vtrisque miserit DEVS FILIVM suum in plenitudine temporis, quā vespera vtrobique significat.

Oecumenius interpretatur indicasse CHRISTVM iubentem, vt Apostoli darent manducare quinque millibus [a], futuram hanc per Apostolos quinque millium conuersionem. Idem scribit Beda. Fauet prætereà Basilius [b], dum exaggerans vim C fidei nostræ miraculis confirmatæ, ait: *Ex eo namque stupendo miraculo, his qui viderant necessariè excepta est de diuina VNIGENITI natura fides.* Eadem est Hieronymi sententia in Esaiam [c], qui disertè scribit vna die credidisse tria millia, & altera quinque millia. Hoc ipsum innuit Irenæus [d], dicens *quod vna die baptizati sunt hominum tria millia, & quatuor, & quinque*, hoc est, non tantùm tria vno die, sed etiam alio die quatuor, imò & quinque. Sanctus Augustinus [e] verò apertè hæc distinguit, & Gregorius [f], & rursum Chrysostomus [g], qui subtiliter notat, quemadmodum ex septem panibus quatuor tantùm millia saturata sunt à CHRISTO, & sportæ septem relatæ [h], ex quinque autem panibus quin- D que millia, & cophini duodecim superfuerunt [i]: sic priùs omnibus Apostolis præsentibus conuersa solùm tria, duobus verò quinque millia. Hilarius [k] notauit eandem allegoriam in quinque panibus. *Idem numerus*, inquit, *edentium inuenitur, qui futurus erat crediturorum.* Nam, sicut libro Praxeon cōtinetur, ex Israëlitici populi infinitate, virorum quinque millia crediderunt. Fortassis autem in istis, sicut & in illis, non computabantur mulieres, quas non etiam ad porticum Salomonis admissas quidam putant, vbi prædicabāt tunc Apostoli; & Græcè hoc loco est, ἀνδρῶν, id est, *virorum*: licèt fatear sub hoc nomine & sexu masculino, E comprehendi quoque non rarò mulieres, vt & paulò pòst dicam. Distinctionem quoque quinque millium à tribus prioribus exprimit Petrus Damianus [l]. Tandem Lucas satis præ se fert, loqui se de eorum conuersione, qui Petrum in illa concione audierant.

Tam multos tam pauci conuertebant, quia hi adeò sancti, illi bene dispositi: nunc tam paucos tam multi vix conuertimus, vitio tum nostro, tum auditorum nostrorum. *Modicum fermentum Apostolorum, magnam farinæ massam conuertebat, quia*, inquit Chrysostomus [m], *non quantitate numeri, sed gratia SPIRITVS vim suam iusti tenent.*

Quæ hîc dici possent de Baptismo tot millium

Quasi particula cur scripturæ inseratur.
u vers. 15.
Quinque millia conuersorum ad fidem quomodo computanda.
x vers. 41.
y lib. 1. Car. in Acta Apost.
z Mat. 14. 21.
Quinque millia conuersorum vbi præfigurata.
a ibid. 16.
b hom. in Psa. 115.
c lib. 4. c. 40
d in c. 1. & 11
e Tract. 19. in Ioan.
f in lib. 1. Reg. cap. 1.
g hom. 1. & 33. in Mat.
h Mat. 15. 37.
i Mat. 14. 16.
k c. 14. in Mat.
l Ser. de Epi.
Cur tam pauci nunc à tot Prædicatoribus conuertuntur.
m hom. de virtu. & vitio.

vna

a vers. 42. *b Tract. 39. in Ioan.*

vna die,& an SPIRITVM sanctum in externo signo, donóve linguarum acceperint, pete ex capite secundo [a]. Carthusianus suspicatur, pluribus diebus baptizatos. Augustinus [b] ait accepisse SPIRITVM sanctum, tametsi non exprimat an cum linguarum dono.

c vers. 47.

Virorum.] In capite secundo [c] dicuntur appositæ animæ circiter tria millia, vbi Caietanus nomine illo animarum adeò generali comprehendi notat etiam mulieres,ac pueros. Hunc verò Carthusianus morem Scripturæ seruatum docet, quo mulieres puerique infra vigesimum annum non computantur: cùm tamen & ex his vtrisque credibile sit multos esse conuersos.

Qui conuersi tūc sunt, viri omnes fuerunt.

d Mat. 14. 21. c. 15. 38. *e hom. 1.*

Nomen ἀνδρῶν, sexus masculini est. Aliquando Scriptura numerando excipit nominatim mulieres, & pueros,vt in historia de paucorum panum inter tot hominum myriadas mirabili distributione [d]. Ioannes verò non excipit quidem,tamen viros nominat. Vbi Leontius, Cyrillus, & Ammonius in Græcorum Catena citati,obseruant id factum ab Euangelistis ea de causa, quam diximus, quemadmodum fecisse Mosem legimus, in libro præsertim Numerorum: vbi Origenes [e]. Idem quo minùs de tribus illis millibus existimemus, obstare non arbitror Caietani coniecturam,cùm quæ dicuntur animæ septuaginta in Ægyptum ingressæ cum Iacob,masculi sint, & non fœminæ, ac fortasse etiam viri,non pueri [f]. Si reuerà omnes masculini sexus erant, & quidem viri robustioris iam ætatis,voluit forsitan Lucas indicare potuisse Petrum Ioannémque tueri se istorum præsidio, noluisse vt patiendo ac benefaciendo magis persuaderent.

f Genes. 46. 26. 27. Act. 7. 14.

Versus 5.] Factum est autem in crastinum, vt congregarentur Principes eorum,& seniores,& Scribæ in Ierusalem.

Concilium Iudæorum quale fuerit.

FACTVM *est autem.*]Hoc,& sequenti versu describitur Concilium ex personis, quæ in id conueniebant, quod Græcè συνέδριον, & à Thalmudistis vocem Græcam mutuantibus, סנדרין *sanedrin*, dicitur. Compositum erat ex septuaginta duobus veluti Senatoribus, quos nominabant seniores, ex duodecim principibus populi pro numero tribuum, quibus seniorum etiam duodeni sigillatim respondebant; præterea ex vigintiquatuor principibus Sacerdotum, qui totidem præerant classibus eorum vltra summum Pōtificem, eósque qui summum Pontificatum aliquando gessissent, & de summi Pontificis voluntate, aut eius,qui seniorum caput erat,alios quoque Sacerdotes: denique ex Scribis,qui erant legis Doctores,ac Interpretes, quos etiã Prophetas Iosephus vocat. Sed singula discutiamus.

Qui fuerunt Principes Iudæorum.

Principes eorum.] Τοὺς ἄρχοντας. Hugo docet fuisse tres consiliarios totius populi. Gagneius, & hos,& qui subduntur seniores,ac Scribas,& templi magistratus. Vtrumque nimis angustè dicitur; secundum partim nimis angustè, partim etiam nimis amplè, aut potiùs impropriè, si vera sunt quæ de magistratibus templi superiùs [g] diximus. Ceterùm, quamuis principes & populi,& Sacerdotum essent,hoc tamen loco priores intelligendi videntur, quia paulò pòst subiicitur expressa mentio, cum Pontificibus totius generis Sacerdotalis. Alioqui nomen principum pro vtrisque ponitur capite præcedente [h], & in Euangelio Lucæ [i],& alibi.

g vers. 1. *h vers. 17.* *i cap. 24. 20.*

Principes Iudæorum non de cetu[illegible] censur

Non sunt extendendi nunc hi Principes ad quæcunque familiarum capita, licèt honoratiorum, neque ad quoslibet in populo doctissimos, vel nobilissimos, neque ad omnes, qui publicam gererent administrationem, neque qui essent de tribu Iuda, quibus de causis,aut omnibus,aut aliquibus Nicodemum principem [k] Iudæorum nominatũ Toleto placet, quas etiam significationes apud eundem Ioannem habere nomen idem principis non dubito aliis in locis [l].

k Ioan. [illegible]

Budæus [m] ἄρχοντας eosdem ferè facit cum iis qui θεσμοθέται nominantur, qui habebant sacrorum curam,& legum,aut qui præerant iudicibus, & iudiciorum moderatores erant. Quod Hugo paulò antè de tribus consiliariis dixit, respectum opinor habuit ad traditiones Thalmudicas, iuxta quas tria erant apud Hebræos tribunalia; primum Triumuirorum, de causis minutissimis; secundum vigintitrium,de maioribus,etiam capitalibus;tertium septuaginta & vnius, de maximis, maximeque publicis,vt pace,bello, falsoque Propheta,summo Sacerdote. Ac primo quidem tribunali nomen inditũ est Iudicij,secundo Synedrij, tertio magni Consessus. Excogitata distinctio ad explicandũ quid esset reum esse iudicio,& concilio,vt est apud Mattheũ [n]. Vbi Maldonatus noster bene eam confutat quantùm ad nomina, & causarum cognitionẽ,quoniam eo loco constet pertinuisse etiam ad iudicium capitales causas:dicitur enim homicida reus iudicij, vt necesse sit aut in primo tribunali huiusmodi causas esse tractatas; aut primum ac secundum eodem nomine iudicij משפט *Mischpat*, tertium συνέδριον, & Hebraicè mutuata à Græcis voce, סנדרין *sanedrin*, id est, *Consessum* appellatum. Vnde CHRISTVS postquàm nominasset Concilium, siue Synedrion, & Consessum, quasi id esset vltimum tribunal, Gehennam ignis nominauit.

ἄρχοντες & θεσμοθέται idem. *l infra [illegible] cap. [illegible] 42.* *m Comment. ling. Gr.* *Tria apud Hebræos tribunalia.* *n c. 5. 21. 22.*

Seniores.] Πρεσβυτέρους. Videntur hi esse illi septuaginta,seu septuaginta vnus vel duo,ex quibus constabat Synedrion, quósque olim iussu DEI Moses [o] elegerat tanquàm magistros populi, ad gubernationis onus cum illo sustinendum, tametsi ante hos aliorum quoque Seniorum in Exodo [p] mẽtio sit magnæ auctoritatis,quos in omnibus causis populus consuleret,sed sine iurisdictione.

Concilium [illegible] dam [illegible] [illegible] septuaginta habe[illegible] *o Num. 11. [illegible]* *p c. 3. 16. [illegible] 29.*

De istis crebrò Euangelia meminerunt, maximè cùm de CHRISTO damnando scribunt. Marcus distinctè summos Sacerdotes, & omne Concilium quæsisse tradit testimonium aduersùs IESVM [q], vbi est τὸ συνέδριον: & Lucas in Euangelio [r], seniores,principes Sacerdotum,& Scribas.

q cap. 14. 55. *r cap. 9. 22.*

Id porrò falsum est,quod affirmat Petrus Galatinus [s], Ioannes Annius [t], & Ioannes Lucidus [u], & pseudo-Philo Annij, cõflatum fuisse Senatum illum ex solis hominibus tribus Iuda. Nam cùm DEVS illum instituit,voluit eligi de senibus Israël; decuit quoque id ita fieri,vt pleniùs omnibus satisfieret, quod & Moses fecit, quando secutus consilium soceri,creauit iudices [x]; & cùm exploratum misit terram Promissionis [y]: denique ex omni tribu delectos 72. Interpretes Aristeas narrat [z], Iosephus [a], Eusebius [b], & alij:vt bene dissetens de isto Concilio ostendit Pererius [c].

s lib. 4 de Arca. fidei. *Hoc Concilium conflabatur [illegible] familia David.* *t in [illegible] temp. Phil.* *u de emẽdat. tempo.* *x Exod. 18. [illegible]* *y Num. 11. 14* *z in Histor. de 72. Interpret.* *a 12. Antiq. c. 2.* *b 8. de Præpa. cap. 1.* *c de bened. Patriarcha. n. 14. & seq.*

Nec magis veram puto Abulensis [d] opinionem, omnes generis Sacerdotalis fuisse:allatæ namque rationes contrarium euincunt eodem modo. Quod attinet ad numerum, idem Auctor [e] affirmat fuisse duntaxat septuaginta,quod sane omninò tradi videtur in libro Numerorum [illegible]

d Deut. 19. [illegible] 4. *e sup. & in [illegible] Num. & [illegible] 1. Par. 26. q. 21.* *Quot fuerint [illegible]* *[illegible] c. 11. 16. [illegible]*

denominatione facta à maiori parte, tot congregati dicantur, etiamsi abessent Eldad, & Medad, qui & ipsi descripti fuerant, & super eos requieuit SPIRITVS [a]: alij septuaginta duos, diuersos facientes à septuaginta congregatis, duos illos: quidam septuaginta vnum, adiungendo Pontificem. Prima tamen sententia præferenda est.

a ibid. 26.

Cur seniores sint dicti.

De nomine *seniorum* superest annotare, nõ tam ob ætatem, quæ cum experientia, & castigatis passionibus, mores habere grauiores, & auctoritatem maiorem solet, quàm ob ipsos grauiores mores vsurpari, vt Philosophus docet [b], & Sapiens [c], & Esaias [d]. Colligitur idem ex verbis Domini, quibus exponit Mosi quales eligat seniores: *Cõgrega* [e], inquit, *mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint*: ipsa verò ætas facilè se prodit, nec eget magna inquisitione: & esse senes populi significat, qui à populo habeantur pro senibus, sapientibus, & bonis, ita vt doctrina, sic & moribus esse possint, quod ibidem subditur, *populi magistri*. Hoc exactè perpendit Abulensis [f] post Gregorium [g]: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint, in quibus quid aliud significat*, inquit Gregorius, *quàm quòd senectus cordis requiritur, cum tales iubentur eligi, qui senes esse sciuntur? Si enim senectus in eis corporis quæreretur, à tantis sciri poterant, à quantis videri. Dum verò dicitur, quos tu nosti, quòd senes populi sunt, profectò liquet, quia senectus mentis, non corporis eligenda nunciatur*. Citat ibidem paulò antè locum Sapiẽtiæ [h], & notat quòd senes non eos Scriptura sacra vocare consueuit, qui sola quãtitate corporũ, sed morum grandæuitate maturi sunt. Idẽ circa verba illa libri Numerorũ priùs animaduerterat Philo [i].

b 1. Eth. c. 3. c cap. 4. 8. d cap. 3. 20. e Num. 11. 16.

Senes non ætate, sed moribus designantur.

f Num. 11. q. 19. g 19. Moral. c. 13. vel 11.

h cap. 4. 8.

Illud etiam rectè obseruatum ab Abulensi [k], senioris nomen, cùm absolutè ponitur, non includere comparationem ætatis, nec ætatem significare, alioqui oporteret esse decrepitos, qui minùs apti sunt ad Rempublicam gerendam, quod ne Plutarchus [l] quidem negaret, aut qui de Bono senectutis senex iam scripsit Gabriel Cardinalis Paleottus, & Cicero Dialogo de Senectute, sed potiùs esse nomen dignitatis.

i li. super illa verba, *Respuit Noe*. k ad primum ex citatis locis.

l opusc. quòd senib. ger. sit Resp.

Nomina gradũ vulgaria à senioribus deducta.

Vnde fortasse Hispanicè, *Señor*, Italicè, *Signore*, Gallicè, *Seigneur*, important quandam auctoritatem, prudentiam, venerationẽ, & aliquando etiam potestatem. Huic simile nomen apud nonnullas Gentes *anciani*, *maioris*, id est, antiqui, & ætate grandioris. Ioannes Mariana noster in Historia Hispanica [m] testis est, sic à Blicarẽse Concilio nominatum seniorem Agerensem, qui eius ditionis dominus erat Aspidius: sic sub Carolo Magno, posteaq; vsurpatam vocem variis in monumẽtis, & Conciliis. Ex his exempli loco potest esse Toletanũ V, capite XI. vbi Cinthila rex venisse narratur cum optimatibus, & senioribus populi sui. In concilio quoq; Meldensi [n] senioralе vsurpatur, vt sit idem cum vigore Regio. Philo certè huiusmodi esse nomẽ honoris scribit [o]; & de Abraham id primùm esse vsurpatum [p]; quamuis etiam post diluuium [q], omnes maiores eius, excepto Nachor, longè fuerint eo seniores, ob singularem sapientiam ipsius, & virtutem: vt contrà qui longam ætatem sine probitate viuant, longæuos pueros esse dicendos.

m lib. 5. c. 31.

n cap. 4. o libr. Quis rer. diui. sit hæres. p li. de Abraham. & libr. sup. verb. Resipuit Noe. q Gene. 11. 11. c. 14. 1. cap. 35.

Græci à Platone cur pueri dicti. r in Timæo. f in Gen.

Hoc pacto Plato [r] pueros vocauit Græcos, ob ignorationem antiquitatis. Eadem ferè sunt apud Origenem [f], qui præterea nulli peccatori senioris nomen tribui notat, siquidem perditi illi iudices, qui Susannam, quam deperibant, perdere volebant, *non seniores, sed senes, ac inueterati dierum malorum nominantur* [t].

t Dan. 13. 52.

Plutarchus [u] γέροντας non tantùm, aut non tam ἀπὸ τῆς γῆς, ob ariditatem, & quòd in terrã fluant, dictos putat, quàm ἀπὸ τοῦ γέρως, à veneratione, honore, obseruantia, quæ præmij loco ipsis exhibetur. Inde constat summum Lacedæmoniorum concilium γερουσίαν vocatum, vt & Senatum Romanorum. Et Dionysius Halicarnassæus [x] scribit, quòd τοὺς πρεσβυτέρους καὶ ἀρίστους, γέροντας εἰώθασιν οἱ παλαιοὶ καλεῖν, *seniores, & optimos, senes consueuerunt veteres vocare*.

γέροντες, seu senes, à Græcis vnde dicti. u 3. Sympos. q. 3.

x lib. 2.

Ex eâdem illa acceptione nominum senioris, & πρεσβύτερος, atque ex institutione septuagintaduorum seniorum in vetere Testamento, quamuis ea nomina communia sint, aliquando tam Apostolis, quàm ceteris inferioris ordinis Sacerdotibus, vt est apud Hieronymum [y] (qui [z] etiam senioris vocabulum ait esse dignitatis) natum videtur, vt nostri Sacerdotes ab Episcopis, qui succedũt Apostolis, distincti, ac tãquàm septuagintaduorum Discipulorũ successores, sicut hi septuagintaduobus senioribus veteris Testamẽti respõdent, & Apostoli Aaroni, ac filiis eius atque Leuitis, inde, inquam, natum est, vt seniores ac presbyteri nominentur. Sanè in capite XV. [a] præsentis libri, non semel distinguuntur seniores seu presbyteri ab Apostolis, & presbyteros pro Sacerdotibus minoribus intelligit Iacobus in epistola [b], volens *induci eos, vt orent, & vngant infirmos*.

Cur nostri Sacerdotes dicti sint presbyteri siue seniores.

y in c. 1. ad Ti. & ep. 85 & in c. 2. Agg. z epist. 4. ad Rusticum.

a vers. 2. 4. 6. 22. 23. Presbyteri sunt minores Sacerdotes. b cap. 5. 14.

Hos presbyteros Anacletus [c] non propter decrepitam ætatem (hãc Augustinus [d] propriè apud Græcos putat γῆρας dici, πρεσβεῖον, grauitatẽ, quæ post iuuentutem aduenit) sed propter sapientiam nominatos tradit. Sed hac de re iterum, & accuratiùs in capite vigesimo præsentis libri, quod attinet ad rem ipsam, id est, ad veram distinctionem Episcopi, & inferioris Sacerdotis, & in epistolam secundam Ioannis. Inde factum, vt nobis aliquid antiquum dicatur esse, necnon Græcè πρεσβύτερον, quod venerationem, & auctoritatem apud nos habet. Lege Baronium [e], & Bellarminum [f]. Reperio aliquando de Pontifice Romano vsurpatum nomen presbyteri, vt ab Irenæo apud Eusebiũ [g].

c c. finali. dist. 84. d in Psal. 70. concio. 2.

e Tom. 1. Annal. f Tom. 2. in controu. de Ordine.

Scribæ qui fuerint. g lib. 5. c. 25.

Scribæ.] Ij videntur apud Iudæos esse, quod sapientes apud Latinos, apud Græcos Philosophi, Magi apud Chaldæos, & sic de aliis apud alias gentes hominibus doctrina, sapientiaq; præcellentibus, quales apud nos Theologi. Nimirũ Scribæ dicebantur in lege, ac Scriptura periti ex qualibet tribu, vel statu essent, siue Leuitæ, aut Sacerdotes, siue Pharisæi, siue Principes, siue plebeij. Nam quidam Pharisæus commemoratur à Mattheo [h], apud quẽ Græcè vocatur νομικὸς. Lucas verò vtitur in Euãgelio [i] voce νομοδιδάσκαλος, pro qua Interpres ponit vocẽ Scribę, sicut & apud Mattheũ.

h cap. 22. 35. i cap. 5. 17.

Nomen Scribæ Latinè, & Græcè.

Præterea Græcum nomen γραμματεὺς, solet ferè semper respondere, necnon & Latinũ Scribæ, Hebræo סופר *sopher*, à verbo ספר *saphar*, quod significat numerare, vel ponderare, narrare, nunciare, exponere, aut à nomine ספר *sepher*, id est, litera vel liber, quasi dicas librarios, aut literatos; sic γραμματεῖς, ac aliquando γραμματικοὶ, & Latinitate donato vocabulo Grammatici primùm dicti sunt, qui literas nouerant, videlicet legere, & scribere; deinde qui auctores corrigebant, & interpretabantur, atque in omni quæstione de historia, fabula, & sensu auctorum iudicabant. Vnde & Apion, Philoponus, alij bene docti in superioribus quoq; scientiis Grãmatici sunt nominati. Quem

A Esaiæ Latinus interpres literatum ex Hebræo illo nomine סופר *sopher*, interpretatur[a], & ex Græco γραμματικῶν. Paulus[b] citans Esaiam vocat Scribam, Græcè γραμματέα.

Epiphanius[c] Scribarum officium fuisse tradit, legem populo proponere, ac exponere, & legere. Vnde lectores etiam nominati reperiuntur, vt Esdras[d]: id verò faciebant singulis hebdomadis in Sabbato, vt ex huius libri capite XIII.[e] & capite XV.[f] & capite XVII.[g] & capite XVIII.[h] colligitur, & ex Auctoris Euangelio[i], & ex Iosepho[k], atque Philone[l].

Solis quoque Scribis, vt doctis, licuit legem scribere, ne ab aliis deprauaretur. Nec desunt qui
B existiment publicos notarios fuisse, & instrumẽta publica confecisse, prout & vox ipsa Scribæ præ se fert. Quædam quoque iudicia exercuisse, intelligitur ex eo, quòd se CHRISTVS ab iis cõdemnandũ prędixit[m], & CHRISTO adulteram obtulerunt[n], atque ex secundo Paralipomenon[o]. Doctos, ac in legis intelligentia exercitatos fuisse, argumento est, quòd Discipuli exceperunt de Scribis dicentibus, *quòd Eliam oporteret primùm venire, antequam Filius hominis resurgeret, moreretur, & omninò veniret*[p]: & quòd CHRISTVS de iisdem dixit, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi*[q].

Quia verò præcipuè Sacerdotis est, in lege
C DEI versatum esse, *labia enim Sacerdotis custodient scientiam*, inquit Malachias[r], *& legem requirent ex ore eius*, ideò probabile est, magna ex parte Scribas ex genere sacerdotali fuisse, vt nunc apud nos nostros Theologos.

Falsum ergo est, quod quidam Hebræi, vt refert Pererius[s], dicunt, Scribas fuisse de tribu Simeonis, qui etiã sit dictus Semei, & Sammai, seu quia omnia hæc nomina haberet, seu librariorum vitio. Hieronymus testis est[t], referre Hebræos originem ipsorum in quendam dictum his pluribus nominibus, & in Hillel, qui præterea cum alio Akiba fuerint auctores Pharisæorum non multò ante CHRISTVM, hoc est, vt ait Iosephus[u], centesimo, & quadragesimotertio anno, tempore Io-
D nathæ fratris Iudæ Machabæi. Et tamen Zacharias[x], qui de Semei mentionem facit, eodem cum Sãmai ac Simeone, iuxta Hieronymum, CHRISTO antiquior est annis ferè quingentis.

Videntur Scribæ principium habuisse cum lege, vt colligi potest ex Leuitico[y], & Toletus ita sentit[z]: sed Dauid, vt reliquas partes Reipublicæ, ita & hanc in meliorem formam redegisse; quicquid sit de peculiari aliquo modo aut ritu, quem ab eo tempore, quo Sammai floruit, seruare cœperint. Vtebantur namque & ipsi, Epiphanio teste[a], & non Pharisæi soli, fimbriis, ac phylacteriis: vt proinde CHRISTVS æquè vtrisque ambitionem & hypocrisim non semel exprobrauerit[b],
E atq; fimbrias illas & phylacteria obiecerit[c]. Neque magis probabiliter loquuntur, qui affirmant omnes fuisse de tribu Issachar, eò quòd in primo Paralipomenon[d] legatur: *De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui nouerant singula tempora, ad præcipiendũ quid facere deberet Israël, principes ducentì, &c.* Nec enim ibi sermo est de eruditione legis, vt intellexit hoc loco Lyranus, & Abulensis in Genesim[e], sed de disciplina militari. Et quãuis eruditi essent in lege, non sequitur, aut in id semper studium incubuisse, aut nõ etiã ex aliis tribubus alios. Chrysostomus, Euthymius, & Leontius docent, quòd per omnes tribus erãt dispersi Scribæ, ac Pharisęi.

a c.33.18.
b 1. Cor.1. 20.
Quidnam fuerit Scribarum officium.
c Hæresi 15.
d 3. Esdr. 8. 9. 10. 21. c.9. 39. 42.50.
e vers. 14. 27. 42.44.
f vers.21.
g vers.2.
h vers.4.
Quibus legem scribere licebat.
i cap.4.16.
k 2. con. Apionem.
l de vita Mosis, & li. quod omnis probus est liber.
m Mat.20. 18.
n Ioan.8.3.
o c.26.11. cap. 14.13.
p Matth. 17. 10.
q Mat.23.2.
r cap.2.7.
Scribæ non fuerunt de tribu Simeonis.
s libr. de bened.n.37.
t in ca.8. Esa. & c. 12. Zachariæ. & ep. ad Algasiam. q.10.
u 13 Antiq.c. 9. & li.18. c.2.
x cap.12.13.
Scribæ cum lege orti sunt.
y c.10.9 10.11
z in cap. 18. Ioan annot 1.
a Hæres. 15.
b Matt.23. 13. 14. 15. 23. 25. 27.29.
c Mat.23.5.
d c.12.32.
e cap. 49. in id Issachar, *Asinus fortis.*

A Postremò notabilis est allegoria, cuius meminerunt Ambrosius, Ruffinus, Isidorus, & Rupertus, exponentes benedictiones Simeon, & Leui. Dicunt vidisse Iacob spiritu prophetico conciliũ Sacerdotum, & Scribarum execrabile de necando MESSIA, quorum proinde *maledictum furorem pronunciauit, quia pertinax futurus erat*, toties obsistente eis Pilato, & *duram indignationem*, quia *homicidam sibi donari petierunt*[f], *auctorem verò vitæ interfecerunt*[g]. Fauet allegoriæ opinio illa Hebræorum, de qua diximus, fuisse Scribas de tribu Simeon: Sacerdotes enim de tribu Leui fuisse constat. Hos quoque Scribas cum Pharisæis præsignificatos à Zacharia[h], quòd præter ceteros mortem
B CHRISTI promouerint, auctor est Hieronymus[i], necnon & Sacerdotes, nempe sub nomine familiarum domus Leui, & Simeon. Lege Riberam[k], & Maldonatum[l], & Toletum[m], & Sigonium[n], & Sixtum Senensem[o].

Vna superest obiectio, cui Abulensis bene satisfacit, cur cùm eosdem contingeret esse simul & Pharisæos, & Scribas, immò cuiusuis status, vt initio dictũ est, aliquando tamen, vt distincti ponuntur? Facilis responsio est, accidere etiã interdum, vt sint diuersi, & idcirco Lucam rectè scripsisse in Euangelio[p]: *Et cœperunt cogitare Scribæ*, quos paulò antè[q] appellauerat legisdoctores, *& Pharisæi*, quoniã aliqui erant Pharisæi, qui non erant Scri-
C bæ, & vice versa. *Et quia sæcius euenire potest, vt nempe in eandem personam incidat esse Pharisæũ, & Scribam*, ideò inquit idem Auctor[r], *fit nonnunquam, vt quem vnus Euangelista Pharisæum, alius Scribam appellet.* Exempli causa, Matthæus scribit[s], CHRISTVM quæstionem de MESSIA, cuius filius esset, Pharisæis congregatis proposuisse, Marcus[t] verò dixisse, *Quomodo dicunt Scribæ CHRISTVM filium esse Dauid?* Lucas[u], cum Scribis disceptasse.

In Ierusalem.] εἰς Ἱερουσαλήμ. Præpositio denotans motum ad locum, innuit accitos esse in ciuitatem quotquot potuerunt ex iis, qui non ita procul in suburbanis aberant, vt frequentius, atque celebrius esset concilium in re tanti momenti.

D Quanquàm præpositio *in*, cũ accusatiuo idem aliquando valet, quod cum ablatiuo; verbi gratia, in libro Ecclesiastici[x]: *Vt daret sapientiam in cor nostrum*, id est, in corde nostro; & in Euangelio Lucæ[y]: *Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in DEVM diues*, & alibi: sicut è contrario, eadẽ præpositio cum ablatiuo eandem interdum vim habet, atque cum accusatiuo. Lege Indicem Sã. Alij censent conuentum dici celebratum in Ierusalem, quia pridie concionem Petrus habuerat in monte Sion in arce Dauid, seu in templo. Quod mihi verius simpliciusque videbatur, initio dixi.

Versus 6.] Et Annas Princeps Sacerdotũ,
E & Caiphas, & Ioãnes, & Alexander, & quotquot erãt de genere Sacerdotali.

ET *Annas princeps Sacerdotum.*] Annam & Caipham vtrumque simul summum Sacerdotem fuisse, ac per vices ministrasse, docet Augustinus[z]. Communis opinio est etiam per vices, sed non eodem anno Pontificatum gessisse: idque quod Ioannes[a] de Caipha scribit, satis indicat, *quòd erat Pontifex anni illius.*

Nam quæ dignitas DEI iussu[b], in primogenitis Aaron esse debebat perpetua (quamuis verò trãslata sit ad familiam Ithamari post primos quinque successores Eleazari maioris natu fratris

f Matt.27.21.
g Act.3.14.
h cap.12.12.
i in Zach.
k 1. de Temp. cap.4.
l Matt.2.4.
m Ioan. 11. annot.1.
n 5. de Rep. Hebr.c.11.
Iidem erant & Scribæ, & Pharisæi, & tamen distinguuntur.
o Matt. 12.9. 232.
p cap.4.21.
q vers.17.
r Matt. 22.9. 221.
s Matt.22.41.
t cap.12.35.
u cap.20.41.
Præpositio in idem valet cum accusatiuo, & ablatiuo, & è contra.
x cap.45.F.
y cap.12.21.
z Tract.49. in Ioan.
a cap.11.41.
b Exo. 28.43. c.29.9.
Quomodo Pontificatus Hebræorum perpetuus, fuerit & illo tempore.

illius[a].

Google

illius [a], rediit tamen ad familiam Eleazari, mortuo Eli, in eáque durauit vsque ad reditum populi è captiuitate Babylonis) cœpit sub Antiocho Eupatore Syriæ rege esse temporalis. Is enim Onia deposito, plebeios ac viles subrogabat de genere quidem Aaron, sed non de familia, qui nec auctoritate, nec viribus, vt priùs, dum simul Rempublicam ciuiliter administrarent, ei possent resistere. Stetit deinde illa dignitas Sacerdotalis pontificia in Assamonæorum familia cum regia, quam primus gessit Iudas Machabæus filius Matathiæ, vt est in Historia Machabæorum [b], & apud Iosephum [c].

a 1. Paral. 6. 3.
b 1. Mach. c. 2.
c 12. Antiq.
Pontifices annui quando facti sint.

Sed Herodes Antiochi secutus exemplum, similiter pontifices substituit ex fæce populi. Tandem eò euasit auaritia Romanorum, & Iudæorum Regum, qui à Romanis fiebant, necnon ob ciuiles dissensiones, vt pontificatus annui essent, & vænales, vt Iosephus idem prodit [d].

d 12. Antiq.
Annas & Caiphas suo quilibet anno pontificatum [illegible].

Quòd igitur Annas, & Caiphas suo quilibet anno pontificatum administrarent, aut certè non simul ambo (dicuntur verò largitionibus illum à Romanis impetrasse) præter ea, quæ dixi, conuincit Lucas in Euangelio [e] narrans, quòd CHRISTVS *comprehensus ad domum principis Sacerdotum ductus est*; si verò duo fuissent, nomen exprimendum fuerat eius in cuius domum ductus est. Tamen qui semel officio Pontificis functi essent, Pontificis nomen, vt qui modò apud nos Episcopatui renunciant, Episcopi retinebant, vt videre est in historia Iosephi [f].

e cap. 22. 54.
f 2. de bel. Iud.
Pontifices post Herodem non fuere exactè annui.

Ex quo id item intelligimus, etiam post Herodem non fuisse Pontifices exactè annuos. Etenim Caiphas creatus est à Valerio Grato, vt scribit Iosephus [g], pontifex, anno Tiberij tertio; ille ipse, qui sedebat in passione CHRISTI, & nunc in persecutione Apostolorum, nec legitur successorem habuisse toto tempore, quo Grati successor Pilatus Iudææ præses fuit. Videlicet per septemdecim minimùm annos, nisi Ionatham filium Anani, teste Iosepho [h], qui tamen solet vocare Annam Pontificem etiam cùm Ionathas magistratu fungebatur, sicut Ananum Annæ filium cùm Iesus, & alios eodem modo. Vnde omnium verisimilliùs loquuntur, qui aiunt, non esse remotum à pontificatu Caipham, sed ex pacto condicto cum socero Anna, assentientibus Romanis, pontificatus munia obiisse, annis alternis: maximè verò improbabiliter Euthymius, Annam verè ac propriè fuisse pontificem affirmans, Caipham, quia gener erat eius, adiutorem duntaxat, quales Episcopis dari solent senio confectis.

g 18. Antiq. c. 4.
h 18. Antiq. cap. 6.

Sed & difficile est, quod Baronius de Anna sentit, fuisse non Pontificem, sed principem Synedrij, siue concilij, & consessus magni septuagintaduorum, de quo egimus: noster enim Lucas in Euangelio [i] non minus hunc, quàm Caipham appellat principem Sacerdotum, nec potest æquiuocationi locus esse in nomine quo vtitur ἀρχιερέων. Coniunguntur verò illi duo a Luca ibi, & à Ioanne [k], quamuis pontificatu defuncti alij essent, quoniam Annas primus ex proselytis pontificatum inierat, eratque Caiphæ socer, & ipsa antiquitate venerabilis, & filios omnes suos quinque pari pontificatus dignitate insignitos viderat.

i cap. 3. 2.
k c. 18. 13. 24.

Obiicit Philonem [l] Baronius, scribentem quòd Herodes deleto Synedrio, quia iudicio illum postularat, vt memorat Iosephus [m], suffecit Ananelum, siue Annam eidem concilio. Verùm, auctore eodem Baronio, non videtur Philo illius libri auctor, & inauditũ est, vt qui Põtificis officio non fungeretur, Synedrio præsideret summo iure: si ergo Annas præerat, vt Vicarius tantùm præerat, ac proinde non prior ante Caipham nominandus. Huius ordinis causam reddere videtur Hugo, Glossa interlin. Carthusianus, & Gagneius, quòd in Paschate proximè præcedente Caiphas perfunctus esset pontificatu, & Annas successisset; ideoque etiam hic distinctè dici, *Annas princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes*, &c. Lege Toletum [n], & Maldonatum [o], & Salmeronem [p].

l lib. de Tēp.
m 14. Antiq. [illegible]
n Ioan. 18. 31. & Luc. 3. an. no. 5.
Hi qui Christi mortem machinati sunt, malè perierũt omnes.
o Mat. 2. 4. c. 26. 57. & Luc. 3. 2.
p Tom. 3. tract. 2.

Nicephorus [q] vtrumque hunc Pontificem, vt & Pilatũ, Scribas, & Pharisæos meritas pro CHRISTI interfectione luisse pœnas testatur, indicatque sibi ipsis, vt Pilatum, manus consciuisse. De Anna videtur aliud colligi ex Iosepho, de Caipha verò id affirmat etiam Clemens Romanus [r], & eundem citans Anastasius Nicenus [s]. De eodem sic Prudentius [t]:

Impia blasphemi cecidit domus alta (aliàs, *ecce*) *Caiphæ,*
In qua pulsata est alapis facies sacra CHRISTI;
Hic peccatores manet exitus: obruta quorum
Vita ruinosis tumulis sine fine iacebit.

q 2 Hist. c. 30.
r 8. Cõst. c. 2.
s quæst. 18. in Script.
t in Enchirid.

Notabile est sisti ante Caipham Petrum, vt cuius in domo paucis antè diebus, seu hebdomadis CHRISTVM negauerat, coram eo, & aliis constanter illum confiteretur iam crucifixum.

Petrus sistitur ante Caipham, vt Christũ confiteatur.

Ioannes.] Hic Annæ vnus ex quinque filiis fuit, de quo Iosephus [u], & in administratione rerum Iudaicarum excelluit. Alio etiam nomine Ionathas dictus reperitur: & summus Pontifex fuit, vt & alij fratres.

u 2 de bello Iud. c. 25.

Alexander.] Alexander iste esse videtur, quem idem Iosephus [x] Iudæorum ditissimum, atque piissimum habitum scribit, & cognomen Lysimachi habuisse, cũ titulo Halabarchæ, quòd eum magistratũ gesserit Alexandriæ [y], hoc est, Præfecti salis, qui apud Ægyptios magistratus præcipui honoris erat. Quamuis non me latet alias esse de huius vocis notione significatisq; sentẽtias, & modò scribi sine aspiratione in principio, modò in extrema syllaba per κ non per χ. Illũ Caius Imperator in vincula coniecerat, sed Claudius successor liberauit, & in honore habuit. Fertur summũ quoque Pontificatum administrasse. Non cohæret hęc de isto opinio, neque de Ioanne, si vera est illa de alternis gesto Pontificatu ab Anna, & Caipha, nisi affirmemus paucis annis id licuisse duobus his Pontificibus Annæ, & Caiphæ. Lege Sigonium [z].

x 20. Antiq. c. 5.
Halabarches quis magistratus fuerit.
y 19. Antiq. c. 4.
z 6. de Rep. Heb. c. 7.

Quotquot erant de genere Sacerdotali.] Ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ, *ex genere summorum Sacerdotum*, vt vertit Syrus, qui sic habet, מן שרבהא דרבי כהנא *men scharbetha darbai Chahane*, id est, *ex genere principum*, vel, *summorum Sacerdotum.* Quare vel de iis loquitur, qui, vt dictum est, gesserant aliquando summum Sacerdotium, seu Pontificatum, vel de illis, qui quòd essent capita vigintiquatuor classium Sacerdotum, ראשי האבות ללוים *rasche haaboth laluim*, id est, *principes familiarum Leuiticarum*, dicebantur, quo modo Secuas vocatur princeps Sacerdotum in hoc ipso libro [a], & Esdras sæpe in libris ab ipso inscriptis: & in Euangelio mentio crebra fit de Principibus Sacerdotum [b], & in libris Paralipomenon [c], in quibus hæc distinctio classium auctore Dauid facta narratur: quod etiam Iosephus [d] confirmat, dicens plusquàm quinque millia in singulis fuisse. Ne verò personarum acceptator haberi posset, sortibus definiri voluit ordinem

a c. 19. 14.
b Mat. 2. 4. c. 16. 21. c. 20. 18. c. 21. 15. c. 2. 22. 46.
c lib. 1. c. 15. 6 vsque ad 12.
d 2. cont. Apionem.

inter ipſos, quæ prima, quæ ſecunda diceretur, &c. & ſimiliter munera obeunda ab vnoquoque circa miniſterium altaris, Id vltra citatos Scripturæ locos, præſertim Paralipomenon, & Eſdræ, ac Ioſephum, colligitur ex Euangelio Lucæ[a], vbi pater Ioannis dicitur de vice Abia, quæ octauum habebat locum[b]: quo nomine frequentiſſimè vtitur Scriptura: quandoque *turma*[c], Ioſephus autem, *claſſis*.

Vnde ſequitur minùs probabilem eſſe Bedæ, Strabi, Theophylacti & Leontij, & Euthymij in Lucam[d], Ambroſij quoque, & Auguſtini[e], & Antipatri[f], & Chryſoſtomi[g], & Auctoris Hiſtoriæ ſcholaſticæ[h], & Pauli Burgenſis[i], Hieronymi[k], Iſidori Clarij[l], Bernardi[m], Hugonis Cardinalis[n]: Sequitur, inquam, minùs probabilem eſſe horum Auctorum ſententiam, quòd Zacharias Ioannis pater fuerit ſummus Sacerdos: nec enim vices habebat ſummus Sacerdos, & quo tempore Ioannes conceptus eſt, pōtifex erat Ioazarus, teſte Ioſepho[o], Lege Toletum in Ioannem[p], & Lucam[q], & Maldonatum in Lucam[r], & Baronium in Annalibus[s], & Salmeronem[t], qui Lyranum ſequuntur, contendentem non ſummum, ſed vnum de multis Sacerdotem fuiſſe, hoc vel argumento, præter allata, quòd rem tam inſignem ad laudem Ioannis, quem maximè ornat à parentibus, Lucas non omiſiſſet: eadem quoque eſt opinio Abulenſis[u], Ioannis Arborei[x], Ianſenij[y], Carthuſiani[z], Ludolphi[a], Caietani[b], Thomæ Beauxamis[c], Suarez[d], & multorum aliorum, iamque longè communior, & receptior.

a cap. 1. 5.
b 1. Paral. 24. 10.
c 2. Paral. 29. 21.
d in c. 1 Luc.
e Tract. 49. in Ioan.
f oratio. de Ioan. Baptiſt.
g hom. 2. de incompr. Dei nat.
Zacharias D. Ioannis Baptiſtæ pater non fuit ſummus Sacerdos.
h c. 1. hiſto. Euang.
i in c. 1. Luc.
k epiſto. 4. ad Ruſticum.
l in Lucam.
m Sermon. de priu. Ioann. Bapt.
n in Lucam.
o li. 17. Antiq.
p in c. 18. annot. 1.
q in c. 1. anno. 13. & 36.
r in c. 1.
s Tom. 1.
t Tomo 2. Tract. 33.
u Leuit. 5. q. 19. Num. 8. q. 2. Deut. 18. q. 5. Exo. 30. q. 6.
x in Theol.
y Cōcord. c. 2.
z in Lucam.
a 1. de vita CHRISTI. c. 4.
b Luc. 1.
c in Harm. Euang.
d 3. p. Tom. 2. Diſp. 23. Sec. 2.

Verſus 7.] **Et ſtatuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?**

ET *ſtatuentes eos in medio, interrogabant.*] Iam ſciebant, & moleſtè ſe ferre oſtenderant prædicari ab iis Reſurrectionem; tamen in tali conſeſſu homines idiotas, & vinctos præ reuerentia, ac timore negaturos expectabant, inquit Chryſoſtomus, & Oecumenius, & nihil non facturos.

In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?] Pronomen demonſtratiuum indicat claudum, qui iam curatus erat, pridie etiam cum Apoſtolis in cuſtodia poſitum eſſe, & in concilio cum iiſdem productum, tanquàm magicæ artis participem, vt Lyranus quoque notat.

Claudus cum Apoſtolis fuit poſitus in cuſtodia.

Malitioſam interrogationem Oecumenius ait eſſe, volentium, vt Apoſtoli ſeipſos potiùs, quàm CHRISTI virtutem faterentur, dictæ ſanitatis cauſam fuiſſe. *Sed neque*, inquit, *nominare volunt claudi ſanitatem, ſeu qualitatem miraculi, contenti dixiſſe per contemptum, Feciſtis vos hoc?* In quo pronomine videtur contemptus ineſſe.

Malitioſa fuit Phariſæorũ interrogatio.

De nomine virtutis, quæ dicitur hoc loco δύναμις, id eſt, potentia, atque quid ſit, in nomine alicuius aliquid fieri, dixi aliàs[e].

e cap. 1. & 2.
Apoſtoli de Magia poſtulati.

Quod de opinione artis magicæ, aut maleficij ex Lyrano retuli, idemque obſeruat Carthuſianus, facit vt veniat in mentem, quòd CHRISTVS ipſe, & Chriſtiani hac infamia notati ſunt.

De CHRISTO id voluiſſe videntur, qui dixerunt eum[f] *eieciſſe dæmonia in principe Dæmoniorum*, dæmonium habuiſſe[g], ſeductorem fuiſſe, ac ſeduxiſſe turbas[h]; hanc vim enim habere poteſt verbum πλανᾶν, & nomen πλάνος, & pro ſeductore impoſtorem legendum putat Budæus[i]. Auguſtinus[k] ſcribit, CHRISTVM quidem à nonnullis Gentilibus ab huiuſmodi calumnia liberatum eſſe, Petrum tamen habitum maleficum, maluiſſeque nomen illius, quàm ſuum coli. *Verùm ſi Petrus*, inquit Auguſtinus, *maleficus fecit, vt CHRISTVM ſic diligeret mundus, quid fecit innocens CHRISTVS, vt eum ſic diligeret Petrus?*

f Matt. 12. 24.
g Ioan. 7. 20. c. 8. 48.
Chriſtus benedictus Magiæ nomine malè audit.
h Mat. 27. 63. & alibi. Ioan. 7. 12. & alibi.
i in Pande. 4. ff. de ædil. edict.
k 18. de ciui. Dei. c. 53.
Petrus habitus fuit maleficus, ſed contra iniuſta omnia Auguſtinus.

Chriſtianos paſſim cognominatos eſſe impoſtores, Hieronymus teſtis eſt[l]. In Actis Sebaſtiani obiectum narratur à Iudice, quòd CHRISTVS docuiſſet artem magicam, & idem Auguſtinus[m] refert, viguiſſe opinionem, tradidiſſe ſuis libros de ea conſcriptos, & Arnobius[n] id CHRISTO nomen tributum: denique nihil ſæpiùs, magiſque inculcatum aduersùs Chriſtianos, quibus proptereà quoque ſupplicium ignis, huius proprium criminis, decerni ſolebat[o].

Chriſtiani etiam impoſtores & malefici.
l epiſt. 10. ad Fur. & ep. 25 ad Marcellã.
m 1. de conſen. Euang. c. 8.
n 1. con. Gen.
o Paul. lib. 5. ſent. tit. 23.

Chryſoſtomus, & Oecumenius notãt, non eſſe prouocatum ad Pilatum, ſicut in cauſa CHRISTI, quoniam pudebat Iudæos ab eo ſententiam expoſcere contra Apoſtolos, quem meminiſſent adeò inuitum dixiſſe contra CHRISTVM, cuius etiam patronum magis, quàm iudicem ſeſe præbuerat. Illa quoque cauſa eſſe potuit, quoniam in præſentia non intendebant mortem Apoſtolis inferre, nondum fortaſſe ſatis ad id idoneam prætexere cauſam valentes.

Cur Apoſtoli ad Pilatum ducti non ſunt.

Verſus 8.] **Tunc repletus SPIRITV ſancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & ſeniores audite.**

TVNC *repletus* SPIRITV *ſancto.*] *Vel eo* SPIRITV, *quem in Pentecoſte receperat, repletus*, vt ait Gloſſa interlinearis, *cõuertensq́; in vſum, quod habebat in habitu*, inquit Hugo; *vel propter augmentum gratiæ*, inquit idem. Videtur & mihi ſermo eſſe de noua aliqua gratia, nec enim opus fuiſſet repetere, quod erat omninò certum, & iam dictum.

Conſiſtit verò gratia iſta in actuali quodam SPIRITVS ſancti auxilio per modum inſtinctus, ac impulſus, ad ſapienter, & fortiter reſpondendum, iuxta promiſſionem CHRISTI[p], quá modò cœptam impleri monet Chryſoſtomus. Fauet Syra interpretatio, reſoluens participium πλησθεὶς, in verbũ, אתמלי *ethmeli*, id eſt, *repletus eſt*, & Sà, *repletus*, inquit, *ad reſpondendum*. Eodem ſenſu aliàs in Scriptura dicitur *quis plenus* SPIRITV *ſancto feciſſe* quippiam, *aut locutus*, vt inferiùs Apoſtoli *locuti verbum cum fiducia*[q], vt *Stephanus vidiſſe cœlos apertos*[r], &c. vt CHRISTVS regreſſus à Iordane, & *actus à* SPIRITV *in deſertũ*[s]. Sic Elizabeth *repleta* SPIRITV *ſancto exclamauit*[t], & *Zacharias prophetauit*[u]. Sic Ioannes Baptiſta fortaſſis dicendus eſt *repletus* SPIRITV *ſancto ex vtero matris ſuæ*[x], quia *in eo exultauit*[y], quamuis iuſtificante ſimul habituali gratia donatus fuerit, & ſanctificatus.

Petrus noua gratia hanc orationem habuit.
p Matt. 10. 19. Marc. 13. 11. Luc. 12. 11. & 21. 14. 15.
q verſ. 31.
r Act. 7. 55.
s Luc. 4. 1.
t Luc. 1. 41.
u Luc. 1. 67.
x Luc. 1. 15.
y ibid. 44.

Porrò non eſt inconueniens, vt quis dicatur ſæpiùs ac multoties repleri SPIRITV ſancto, quia quoties datur, videtur dari iuxta plenitudinem diſpoſitionis, ita vt dilatato veluti magis ſubiecto, repletio noua fiat. Prætereà quoniam datur ad varios effectus, & pro ſingulis, ſufficit ſecundùm prouidẽtiam, & voluntatem DEI. Quo modo idem vas repletur aëre, aqua, cinere, &c. Hic SPIRITVS dedit magnam dicendi libertatem; *vbi enim* SPIRITVS *Domini, ibi libertas*[z].

Non eſt inconueniens vt quis ſæpius repleri Spiritu ſancto dicatur.
z 2. Cor. 3. 17.

Tertullianus[a] ait, præceſſiſſe in Balaam quoddam quaſi exemplũ dictæ promiſſionis CHRISTI

a 4. con. Mar. cap. 28.
Balaam exemplum quo ſpiritu ſancto loquutus ad loquendum vtiſſet.

de dicta

de dictatore sermonum SPIRITV sancto, quem quisque vsurpaturus esset ante principes. *Balaam enim* SPIRITV *implebatur*, inquit, *non ad quam venerat maledictionem, sed quam illi ipsa hora* SPIRITVS *suggerebat, benedictionem: pronunciabat, antè professus apud nuncios regis, mox etiam apud ipsum id se pronunciaturum, quod* DEVS *ori eius indidisset* [a].

a Num. 22. 18. 38. c. 23. 12. 26. c. 24. 13.

Petrus semper prodit primus, & pro aliis loquitur.

Dixit ad eos.] Iam aliquoties notatum est, semper prodire primum Petrum, & pro aliis loqui tanquàm eorum ducem.

Principes populi, & seniores audite.] Notanda primùm Petri modestia, quantumuis manifesta iniuria prouocati. Deinde, quòd neque Scribas, neque summos, mediósve Sacerdotes exprimit, quoniam non ad istos, sed ad principes, & seniores pertinebat vltima definitio, auditis tamen Scribis tanquàm doctoribus. De Concilio verò illo videntur quoq; fuisse ex Sacerdotibus Principes vigintiquatuor classium, aut saltè qui pontificatum gerebat, & ij qui gesserant. Hæc est causa, cur superiùs non legantur ad Concilium admissi Sadducæi, aut magistratus templi, quia vt tales non erant de Concilio.

Qui illi Concilio interfuerant.

Oecumenius existimat, bifariàm diuisos à Petro auditores, in eos qui minùs, & in illos, qui essent magis capaces dicendorum.

Audite.] Deest in textu Græco, id tamen legit Cyprianus [b], & Beda in Commentario notat Græcè ita lectum suo tempore. Interpres Syrus certè illud non omisit, cùm in eo legamus, שמעו *schemahhu*, id est, *audite*, cúmque is textum è Græco exprimat, videtur eo tempore, quo hæc editio est facta, illud verbum Græcum exemplar habuisse. Est quidem in Græco πρεσβύτεροι τοῦ Ἰσραήλ, *seniores Israel*, pro quo Syrus habet, וקשישי דבית יסריל *vekaschische debeth Israil*, id est, *& seniores domus Israel*. Certè ipsa Biblia emendata hoc verbum habent.

b lib. 1. con. Iud. c. 16.

Versus 9.] Si nos hodiè diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est.

Summa orationis D. Petri.

S*I nos hodiè diiudicamur.*] Summa huius Apologiæ est, optare se, vt manifestum fiat, quod ipsi occultum vellent: & quidem lætandum iis fuisse, in eo quod acciderat: esse enim testificationem salutis, quæ tamdiu à MESSIA expectata iam aduenerat, cùm illius virtute, quamuis ab eis crucifixi, claudo sanitas collata sit.

Si nos.] Interrogatio potest esse, inquit Glossa interlin. & Hugo. Tunc verò hoc versu concludetur sententia, nec à sequenti pendebit. De isto particulæ istius vsu dixi capite præcedenti [c].

c vers. 6. *Si, quomodo hic accipiatur.*

Potest tamen etiam commodè retinere vsum conditionalem, itáque iam Interpretes hoc lòco passim accipiunt, præter Lyranum, qui ait poni pro *quia*, & sic quoque constabit sensus, necnon accipiendo pro, *quandoquidem*, sicut apud Ioannem, *Si hoc facis, manifesta teipsum mundo* [d].

d Ioan. 7. 4.

Diiudicamur.] Ἀνακρινόμεθα, *examinamur, interrogamur*, seu, *quæstio de nobis habetur*. Syrus habet, מתחדינן *methhedininam*, id est, *iudicium, & æstimatio habetur*, vel, *in ius vocamur*. Glossa interl. *Ad iudices deducimur*. Lyranus, *Ad iudicium trahimur, vt malefactores*. Verbum Græcum est iudiciale, & sonat, vt dixi, examinari, interrogari, disceptari, discuti, & quæstionem haberi. Sic in capite xxv. [e] nomen ἀνακρίσεως, Interpres vertit, interrogationem, nempe iudicialem. Cyprianus [f] citans

e vers. 26.

f lib. 1. con. Iud. c. 16.

hoc caput quartum, vertit, *interrogamur*.

In benefacto.] Ἐπὶ εὐεργεσίᾳ, *propter beneficium*. Præpositionem Latinam, *in*, & Græcam, ἐπὶ, hanc habere significationem, docet multis exemplis Sà in Indice. Vnum sufficiat ex hoc eodem libro [g]: *Fugit Moyses in verbo isto*, id est, propter verbum istud, id nempe: *Quis te constituit principem, & iudicem super nos* [h]?

In, sicut & ἐπὶ, idē est quod propter.

g cap. 7. 29.

h Exo. 2. 15.

Hominis infirmi.] Carpit iudices, quòd inde damnare velint, vnde laudare potiùs debuerant, videlicet ob impertitam sanitatem, non potenti, aut nobili, aut diuiti, sed infirmo, vt notat Chrysostomus. Ita etiam CHRISTVS [i], *Multa bona opera ostendi vobis ex* PATRE *meo: propter quod eorum opus me lapidatis?*

i Ioan. 10. 32.

Solebant Iudæi ægreferre, quòd benefieret hominibus, vt videre est in paralytico ad Probaticam piscinam curato [k], in cæco nato illuminato [l], in habente manum aridam illi restitutam [m], in muliere inclinata erecta [n], quamuis prætextu obseruationis Sabbati, & religionis suam ipsi maleuolentiam obtegerent.

Iudæi ægrèferebant, quòd hominibus benefieret.

k Ioan. 7. 23.
l Ioan. 9. 16.
m Mat. 12. 10.
n Luc. 13. 14.

In quo iste saluus factus est.] Ἐν τίνι, *in quônam*. Syrus habet, דבמנא *dabbemana*, id est, *per quid, quomodo*, seu, *qua ratione*, aut, *cuius virtute, & nomine*, prout iudices interrogauerant. *Hæc est gratia*, inquit idem Petrus in epistola [o], *si propter* DEI *conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè*, & infrà [p]: *Si exprobramini in nomine* CHRISTI, *beati eritis*.

o 1. ep. 2. 19.

p cap. 4. 14.

Versus 10.] Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël, quia in nomine Domini nostri IESV CHRISTI Nazareni, quem vos crucifixistis, quem DEVS suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.

N OTVM *sit omnibus vobis, & omni plebi Israël.*] Tempus erat, vt iuxta præceptum CHRISTI [q], *quod in aure audierant, prædicarent super tecta, & quod acceperant in tenebris, dicerent in lumine*. Plebem adiungit, cui per eos, qui illi præerant, deceret communicari cognitionem veritatis, tantùm abest, vt impedire, & coërcere deberent præcones ipsius.

q Mat. 10. 27.

Cur plebem adiunxerit.

In nomine.] Oecumenius existimat significare hoc loco famam, atque celebrem opinionem, vt in Psalmo [r]: *Quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* Meliùs interpretamur de inuocatione, & de CHRISTO ipso nominato, vt aliàs diximus [s].

r Psal. 8. 2. 10.

s cap. 2. 21.

Domini nostri.] Desunt hæc in textu Græco, & Syro, & in nonnullis codicibus Latinis. Et fortasse nondum ita apertè Dominum communem vocasset Petrus, licèt iam in capite secundo [t] dixerat, *quòd* DEVS *Dominum, &* CHRISTVM *illum fecerat*: sed in Bibliis emendatis illa habentur, quare non est, quòd illa supposititia, & adiecta arbitremur.

t vers. 36.

Nazareni.] Cur nomen patriæ exprimatur, dixi capite secundo [u] causam esse, vt qui propterea despectui habebatur, deinceps haberetur in pretio. Obseruat id etiam hoc loco Chrysostomus.

u vers. 22.

Quem vos crucifixistis.] Acriùs pungit, quos præcedente capite [x] visus est excusare, agens nimirum tunc cum populo. Sic sanè minùs conuenit Principum peccata reprehendere coram populo, qui pronior esse solet ad malè dicendum, & obtrectandum de ipsis. Toties inculcat passionem

x vers. 17.

Principum peccata coram populo non sunt propalanda.

A CHRISTI, & Resurrectionem, quoniam inde gloria maxima existit CHRISTO, confusio Iudæis, nobis salus.

Christus seipsum suscitauit, vt Deus, & vt homo.

Quem DEVS *suscitauit à mortuis.*] Etiam CHRISTVS, vt DEVS, suscitauit seipsum, & vt homo quodammodò, nempe instrumentaliter, vt aliàs [a] dictum est. *Maluit Petrus* PATRI *resuscitationem* CHRISTI *ascribere, vt hinc ostenderet*, inquit Oecumenius, *illos* DEO *contradicere, hinc vitaret eorum indignationem, qui nondum erant idonei ad percipiendam Diuinitatem* CHRISTI.

a cap. 1.

In hoc iste astat coram vobis sanus.] Hinc apparet, verisimilem esse Lyrani coniecturam, de qua antè diximus [b], claudum illum cum Apostolis esse in carcerem coniectum, atque cum iisdem in concilio reum productum. Confirmant idem verba illa sequentia [c]: *Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat.*

b vers. 7.
c vers. 14.

In hoc.] Id est, Per hunc, aut certè refertur ad illud, quod interrogati fuerunt, *In qua virtute*, aut, *In quo nomine*, & quod Petrus responderat: *In nomine Domini nostri, &c. In hoc*, videlicet nomine, &c.

Astat.] Παρέστηκεν, *adstitit, propè stetit.* Quamuis hoc verbum possit esse forense, vt Latinum sistendi, sicut capite 23. [d] *Statuerunt ante illum & Paulum*, παρέστησαν καὶ τὸν Παῦλον αὐτῷ; tamen neutraliter sumptum, vt hoc loco sumitur, non videtur habere eam significationem: & simplicior sensus est, vt accipiatur in primaria significatione, pro statu, aut præsentia. Syrus etiam similiter sumpsit, qui sic habet, הא קאם הנא *ha kaem hana*, id est, *ecce stans hic, est*, supple. Fortasse allusio est ad præcedentem morbum, vt qui priùs iacebat claudus, nunc erectus, & sanus stet, vt etiam innuit Oecumenius.

d vers. 33.

Versus 11.] Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli.

e vers. 22.
Christus lapis est reprobatus.
f Mat. 21. 42.
g 1. Pet. 2. 7.
h cap. 28. 26.
i Rom. 9. 33.
k lib. 3. c. 12.

Hic est lapis.] Ex Psalmo 117. [e] est hic locus, citatus quoque à CHRISTO [f], & iterum à Petro [g], & similis est apud Esaiam [h], quem Paulus citat [i]: Irenæus etiam [k], vt probet eundem esse DEVM vtriusque Testamenti, alia testimonia ex libro Actorum affert: vtitur etiam isto testimonio, addens epithetum *pretiosi*, quod etiam Esaias addidit ad lapidem. Sensus porrò est, vtrumque parietem Iudæorum, ac Gentilium in vnam Ecclesiæ domum à CHRISTO coagmentatum esse, quamuis eum reprobauerint illi, quibus cura commissa erat ædificandi, atque perficiendi Hebræum populum in fundamento legis, vt dicta domus illo posteà lapide faciliùs construeretur.

l Mat. 3. 9.
m Iosue 4. 9.

Putant Remigius & Anselmus, Ioannem quando dixit [l], *Potens est* DEVS *de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, veluti digito lapides indicasse, quos in alueo Iordanis Iosue posuerat [m], & præfigurasse Gentes obrutas fluctibus ignorantiæ, errorumque, tandem tamen per Baptismum conuertendas.

n c. 21. Matth. 43.
o vers. 44.

Voluit Petrus, opinione Chrysostomi, reuocare in memoriam CHRISTI hoc vtentis testimonio, formidabilem in Iudæos sententiam. Subdidit enim [n], *Auferetur à vobis regnum* DEI. & [o], *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur*, id est, non credendo, sed calumniando miser erit, *super quem verò ceciderit, conteret eum*, id est, in iudicio damnatus patietur primam, & secundã mortem.

Christus frequenter lapis dicitur.
p cap. 8. 14. & 28. 16.
q cap. 2. 34.
r c. 3. 9. & c. 4. 7.
Lapis quomodo Christum præfigurauit.
s 1. Cor. 10. 4.
t 2. con. Iud. c. 16.
u Gen. 28. 11. & seq.
x Exod. 17. 12.
y Num. 20. 11.
z Exod. 33. 22.
a 1. Reg. 17. 49.
b Deut. 27. 2. & seq.

Hic est lapis.] Frequenter de CHRISTO dicitur nomen lapidis, & petræ apud Esaiam [p], Danielem [q], Zachariam [r]; denique inquit Paulus: *Petra erat* [s] CHRISTVS. Nam, vt Cyprianus [t] colligit, CHRISTVM adumbrauit lapis, *super quo dormiens Iacob* [u], *mysticam scalam vidit*: in quo Moses *lassa deponens brachia in oratione perseuerauit, quoad Amalech victus est* [x]: *ex quo virga percusso largiter aqua fluxit* [y]: *quo innixus Moses* DEI *posteriora vidit* [z]: *quem Dauid funda eiaculatum Goliam prostrauit* [a]: *cui* DEVS *legem insculpi iussit* [b]: *quem Iosue in testimonium erexit* [c]: *in quem imposita est arca Testamenti* [d]: *cuius lapis adiutorij, cognomen Samuel esse voluit* [e].

Lapidis proprietates Christo quadrant.
c Iosue 24. 26. 27.
d 1. Reg. 6. 15.
e 1. Reg. 7. 12.

B Et sanè vt alias figuras huius generis prætermittam, quadrant optimè CHRISTO lapidis proprietates: firmitas, & soliditas tum ad fundandam, sustentandamque inconcussè Ecclesiam; tum ad percutiendum, & obterendum Diabolum: grauitas, ac pondus deorsum deprimens, propter altissimam humilitatem: pretium ac valor, *vt iustum coronet* [f]: durities, *in quam impij offendant, & impingant* [g]: prominentia, & altitudo, *vt sit refugium herinaceis* [h], hoc est, iustis, qui exultabundi, & gratulabundi DEO concinant [i]: *In petra exaltasti me.* & [k], *Posuisti super petram pedes meos.* Lege Pererium in Danielem [l].

f Psal. 20. 4.
g 1. Pet. 2. 8.
h Psal. 103. 18.
i Psal. 60. 3.
k Psal. 39. 3.
l lib. 2.

Christus nomen petræ communicauit huic nomen Petri suo vicario, & Abrahamo.
m Rom. 4. 11.
n c. 51. 1. 2.

C Hoc nomen petræ cum vicaria potestate, communicauit CHRISTVS Petro, de quo nomine dixi capite primo: & priùs *omnium credentium patri* Abraham [m] quodammodò communicatum fuerat illis verbis Esaiæ [n]: *Attendite ad petram, vnde excisi estis.* Quod declarans mox subiungit: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.*

o Psal. 117. 22.
* Matt. 21. 42.

Qui reprobatus est à vobis ædificantibus.] Quod in tertia persona habetur in Psalmo [o], & ita citatur à CHRISTO [*], Petrus in secunda vsurpans, ad præsentes accommodat.

Ædificantes qui sint.
p cap. 1. 10.
q Rom. 15. 20. Gal. 2. 18.
r 1. Cor. 3.

D Ædificantes, siue ædificatores, & architecti, sunt hi, qui docent: in qua significatione vtitur Ieremias [p] verbo *ædificandi*, necnon Paulus [q], qui se etiam *architectum* [r] nominat, itaque in Matthæum exponunt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Vel sunt quoque omnes Iudæi, vt hoc loco exponit Beda, quia omnes, licèt non singuli, CHRISTVM reprobauerunt, vt ineptum ædificio, ac inutilem, iuxta illud Sapientiæ [s]: *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis.* Inde factum est, vt Ecclesia non solùm domus, vt dixi capite 2. [t] sed etiam structura, & ædificatio appelletur [u], & qui ad eam spectant, superædificati dicantur [x], & seipsos superædificare bonis operibus [y], & alios ædificare exemplo [z]: & Ecclesia ipsa dum proficit, ædificari dicitur [a].

s cap. 2. 12.
t vers. 16.
u 1. Cor. 3. 9. Eph. 2. 21. & 4. 12.
x Ephes. 2. 20. Col. 2. 7.
y 1. Cor. 3. 12. 14. Iud. epist. vers. 20.
z 1. Cor. 8. 10.

Ædificatio idem est quod bona conuersatio.
a 1. Cor. 14. 17. Act. 9. 31.
b Rom. 14. 19. c. 15. 2. 1. Cor. 14. 3. 12. 26. 2. Cor. 10. 8. 12. 19. c. 13. 10. Eph. 4. 16. 29. 1. Tim. 1. 4.
c in tradit. Hebr. Gen. 30.
d Mat. 16. 18.
e 1. Cor. 8. 10. Gal. 2. 18.

E Denique trito iam vocabulo, præsertim inter viros, & scriptores sacros, ædificatio idem valet, quod bona conuersatio [b], & loqui verbum ædificationis, aut quid facere ad ædificationẽ, significat ad aliorum vtilitatem, vt inde possint acquiri, & veluti generari CHRISTO. Nam ædificare, בנה *banah*, Hebraico idiotismo est, vt notauit Hieronymus [c], prolem diuitiásque multiplicare, non temporaliter solùm, sed etiam spiritualiter. Vnde probabile est, voluisse CHRISTVM illis verbis [d], *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, intelligere, propagandam esse vsque ad mundi finem copiosa fidelium sobole, & legitima Pontificum successione. Sumitur interdum & in malam partem pro prauo exemplo [e].

Qui factus

Angulus & lapis angularis in Scriptura quid sit.
a lib.5.in Esa. c.19.
* vers.13.
b c.20.2. c c.14.38. d c.1.16. e c.10.4. f c.51.26. g c.28.16.
Christus simul lapis angularis & fundamentum.

Qui factus est in caput anguli.] *Idioma Scripturarum est*, inquit Hieronymus [a], *vt angulum pro regno ponant: eò quòd populos contineat, quasi in tota domo firmissimum sit. Vnde & CHRISTVS duorum populorum parietes continens, lapis dicitur angularis.* Ita ille Esaias in capite 19.* angulum ponit pro regno, vocans Ægyptum *angulum populorum*: principes verò etiam, & iudices ita appellantur in libro Iudicum [b], in primo Regum [c], apud Sophoniam [d], & Zachariam [e], Ieremiam [f], & Esaiam [g]. Caussam huiusmodi appellationis & generalem, & de CHRISTO Hieronymus modò citatus dedit. Etsi enim fundamentum quoque sit, tamen simul lapis angularis dicitur, quia honoratiorem in ædificio, atque eminentem locum tenet, non latet; vt non sit mirum, si in huiusmodi lapidem Iudæi impegerint, vt solent incauti ad angulum impingere.

h num.154.
i c.3.20.
k tract. de perfecti Christia. forma.

Christianus Adrichomius in sua Ierosolyma [h], putat allusisse CHRISTVM, quando se lapidem nominauit angularem, ad durissimum saxum in fundamentis montis Siō, de quo Nehemias [i], sub nomine firmissimi anguli. Nō ignoro quibusdam videri CHRISTVM dici lapidem angularem, nō ratione tantùm fundamenti, sed quòd promineat in altiore ædificij parte, proptereàq; vocari summum, quasi dicas locatum in frontispicio. Ita vt, quod ait Nyssenus [k], *spiritualis ædificij sit* CHRISTVS *& principium, & finis.*

Petrus Ecclesiæ fundamentum, & Apostoli.
l Matt.16.18. m Psal. 86.1. Apoc.21.14. n Eph.2.20. o 1.Cor.3.11.
Apostoli à Christo habent dignitatem.
p Eph.2.20.

Est etiam Petrus [l] Ecclesiæ fundamentum, aliíque Apostoli [m], ac Prophetæ [n], sed secundarium duntaxat, CHRISTVS solus est fundamentum primum, ac principale, ita *vt nemo aliud ponere possit* [o]: est quoque *summus angularis lapis*, vt loquitur Paulus [p]; à quo habent dignitatem suam Apostoli, qui fundamenta secundaria videlicet sunt, propter eandem doctrinam cum doctrina CHRISTI, propter fundationem Ecclesiarum, propter vniuersalem potestatem, quæ in Petro residebat tanquàm in ordinario, in aliis veluti in legatis. Lege Ioannem Ferdinandum [q], & Riberam [r], & Pinedam [f].

q in Thes. Script. verbo, Angulus.
Dispositio castrorum ab Aria Montano excogitata, quæ & qualis.
r in c.10.Zac. f Iob. 1.12.nu. 4.& c.18.ver. 6.digres. de lapide angulari. t in c.20.Iud.

Arias Montanus [t] comminiscitur nescio quam mathematicam castrorum populi DEI dispositionem in circulum, qui circulus ductis lineis à centro diuideretur in duodecim æquas partes: & inter binas lineas existeret spatium triangulare, siue pyramidale, cuius conus in centro, basis in postremâ superficiei lineâ geminis terminata punctis: ex singulorum laterum duodecim externis, & basis contactæ puncto angulus constaret. Sic tota figura resultaret duodecupla, continens duodecim latera, duodecim bases, duodecim angulos in basi æquales, duodecim æqualis superficiei complexu partes. Hoc modo concinnata figura singularum tribuum primores constituit in basi, & altero trianguli sui latere, ita vt inter se proximū ex ordine latus ceteros contribules medio spatio ipsi munirent, ac veluti angulum conficerent, & idcirco anguli nominarentur. Cui hoc placet inuentum, fruatur, vnius auctoritas mihi non persuadet. Heluetij ditionem quidem omnem in Cantones, quos vocant, diuiduntur id nomen non Magistratus, sed regionis distributæ.

Versus 12.] Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

ET *non est in alio aliquo salus.*] Syrus sic est interpretatus, ולית באנש אחרין פורקנא *veleth banasch acharin purekana* id est, *& non est in homine alio salus, & liberatio*; vel, *Nec est in quoquam alio redemptio.* Præpositio, *in*, idem valet quod, *per*, vt aliàs dictum est. Hugo ait, intelligi posse, aut de salute spirituali totius mundi, aut corporali claudi. Cyprianus [u] innuit posteriorem sensum, coniungēs versus decimi postremis verbis, *In hoc iste astat coram vobis sanus*, verba hæc huius duodecimi, etsi paulò aliter, nempe, *in illo iste in conspectu vestro sanus astat, in alio autem nullo*, tum verò subnectit vndecimum versum, & tandem posteriorem partem præsentis duodecimi. Videtur tamen Beda velle pertinere ad finē versus decimi, itáque suo tempore lectum in textu Græco. Prior sensus communior est, & magis intentus, cumque Petrus colligit ex sanitate claudo collata, cùm id miraculum editum sit in nomine CHRISTI. u 2.cont.Iud. cap.16.

Oecumenius vult his verbis alludere Petrum ad illa verba Psalmi iam citati [x]: *A Domino factum est istud*: sed legens Græcè αὕτη in fœminino, id est, *ista*, nimirum coniunctio, & nexus per dictum caput anguli, seu lapidem angularem facta est à Domino. x Psal.117.23.

Dauid refert Christum in hoc Psalmo.

Certè totus Psalmus in persona Dauid refert CHRISTVM, illum enim initio & fratres, & aulici Saul spreuerunt, sed omnium posteà caput euasit, & rex populi, coniungens decem tribus cum tribu Iuda. Vnde etiam quo die CHRISTVS triumphans Ierusalem ingressus est, gratulabundi populi, & pueri decantauerunt illi ex eodem Psalmo [y]: *Benedictus qui venit in nomine Domini* [z]. y vers.26. z Mat.21.9.

Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.] Pergit ex sanitate claudi magis inferre salutem hominum spiritualem, quæ nimirum per CHRISTVM vnum omnibus contingat, & adhuc iis, qui præcesserūt, contigerit, tum in lege naturæ, tum in scripta. Nam, vt egregiè docet Paulus [a]: *Omnes peccauerūt, & egent gloria DEI, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in* CHRISTO IESV, *quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ per remissionem præcedentium delictorum.* a Rom. 3. 23. 24.25.

Propterea *noui Testamenti mediatorem* vocat idē Apostolus [b], *vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* b Heb.9.15.

Christus verè occisus ab origine mundi.
c Apoc.13.8. d Ioan.1.29.
e ca.3.n.10.& 13.n.17. f c.3.disp.15.n.72.

Hinc est quòd appellatur *Agnus occisus ab origine mundi* [c], &, *Qui tollat peccatum, seu peccata mundi* [d]. Tamen nonnulli volunt ibi in Apocalypsi esse Hyperbaton, vt sentit Ribera in eadem Apocalypsin [e]; Pererius item in epist. ad Romanos [f], & alij quos ipsi citant, nec iungendum cum agno occiso illud, *ab origine mundi*, sed *ad nomina scripta in libro vitæ*, applicari debere. Ego contrà sentio cum pluribus, quos citat, & sequitur Viegas in eandem Apocalypsin [g], quia fauet plurimùm Redemptori CHRISTO, nihilque continet incommodi. *Ab origine mundi*, id est, ab exordio conditi huius mundi, multa illius mortem adumbrarunt sacrificia: ab æterno quoque decreta fuit eiusdem mors, & acceptata.

g c.13 com.1. sect. 4.

Bullingerus, & Caluinus ex hac sententia inferunt omnia reiicienda esse, quibus hactenus salus tributa est, vota monastica, Missas, idola, id est, imagines, merita, indulgentias, Diuorum cultus, tot alia adminicula, quæ vix centesimam partem

salutis nostræ CHRISTO residuam faciant.

a Heb. 5. 9. *Ex Christi redemptione non rectè infertur nihil nobis agendum restare.*

Sed audiant Paulum [a]: CHRISTVS *per passionem consummatus, factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi.* Atque CHRISTVS docuit aliquos *se castrare propter regnum* DEI [b], quod est votum castitatis. Iussit: *Hoc facite in meam commemorationem* [c], quæ est institutio Missæ: dixit, *quòd* PATER, *qui videt in abscondito, reddet tibi* [d], nempe pro merito præmium. Paulus indulgentias innuit, dicens [e]: *Ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona* CHRISTI *donaui.* Diuorum cultus, & inuocatio non minùs licita est, quàm mutua viuentium intercessio, & oratio, quam idem Paulus sæpiùs expetit. Idola nescimus, sed imagines pias, quibus propter prototypum honorem habemus. Denique iniunxit CHRISTVS Apostolis [f], *Docere omnes seruare quæcumque mandauerat.*

b Mat. 19. 12.
c Luc. 22. 19
d Mat. 6. 4. 6.
e 2. Cor. 2. 10.
f Mat. vlt. 20.

A Christo solo quomodo sit salus.

A CHRISTO igitur salus tantùm est, quoniam quicquid ad eam confert, ex eo, meritísque ipsius vim, & valorem habet, vt Sacramenta, oratio, opera bona, quæ nec Hæretici quidem negant.

Fides explicita in Christum omnino ad salutem necessaria.

Colligebant hinc nonnulli Catholici, saltem post promulgatum Euangelium, nulli quamuis inuincibiliter ignoranti, salutem posse contingere, quæ felicitatis adeptionem dicit, nisi explicitam fidem habeat de CHRISTO, posse tamen talem iustificari per solam fidem implicitam. Alij, quia qui iustus est, ius habet ad felicitatē, vtrumque vel concedunt eodem modo, vel negant. Ego certè magis congruum puto præsenti loco, & multis aliis, Patribus quoque, Scholasticis, & Conciliis, maximè Tridentino, vt priùs etiam docui, necessitate medij necessariam nunc esse cuilibet homini fidem explicitam de CHRISTO, quod & CHRISTVS ipse non obscurè Paulo apparens significauit [g]. Sed hoc accuratè demonstratum est in Scholis Theologicis.

g Act. 26. 18.

h p. 2. de prædic. & promi. cap. 11.

Aliud nomen.] Id est, alius, seu alia virtus, vel inuocatio alterius, vt aliàs non semel dictum est. Prosper [h] alludens ad Iosue, cuius, vt aliàs dixi, à IESV nomen nihil, parúmve distat, & qui Mose mortuo populum in terram promissionis induxit, ait: *Rectè huic nomini etiam terrena hæreditas distribuenda seruata est: quoniam non esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluari, Apostolica est sententia præfinitum, quæ nostrum ducem* CHRISTVM IESVM *Dominum ostendit suis hæreditatem perpetuam seipsum distribuentem, qui eum percipientes dicunt* [i]: *Hæreditas mea præclara est mihi.*

i Psa. 15. 6.

Sub cœlo.] Etsi enim de cœlo, vbi DEVS peculiariter sedem collocauit, salus nobis fit, tamen sub cœlo est mediū salutis, vbi & nos sumus, qui salutem consequimur.

Oporteat.] Respectu nostri posito DEI beneplacito de FILII sui Incarnatione non possumus aliter salutem consequi, iuxta id, quod Paulus docet hoc libro [k]: *Eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, &c.*

k cap. 17. 31.

Mundus aliter saluari potuit, quàm per Christi Incarnationē.
l Heb. 2. 10.

Tamen potuit absolutè alio modo mundus saluari, solúmque fuit iste modus valdè conueniens: qua ratione idem Apostolus alibi [l] dicit, quòd *decebat eum, propter quem, & per quem omnia, qui multos fratres in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.*

Vnio hypostatica necessaria fuit ad satisfactionē de rigore iustitiæ.

Ad satisfactionem de rigore iustitiæ videtur necessaria fuisse vnio hypostasis diuinæ cum natura creata, propter infinitatem offensæ personæ. Cur autem hæc vnio in Humana, & non in Angelica natura facta sit, multæ rationes afferuntur in disputatione de Incarnatione cum sancto Thoma in tertia Parte [m].

m q. 1. a.

Incarnationis necessitas ad satisfactionem de rigore probatur.
n Psal. 48

Necessitatem Incarnationis pro satisfactione de rigore iustitiæ Dauid significauit in Psalmo [n], iuxta Basilij expositionem: *Frater non redimit, redimet homo*, hoc est, *non homo nudus*, inquit Basilius, *sed homo* DEVS IESVS CHRISTVS, *quia nullus alius poterat condignum afferre pretium.*

Oportet quid significet.

Ceterùm crebrò verbum *oportet*, & alia idem significantia, cùm in Scriptura ponuntur, solùm denotant hypotheticam necessitatem, vt cùm dicitur, *oportere esse prælia* [o], &c. nempe posita hominum malitia, posito DEI decreto, quo constituerat punire Iudæos: necesse esse vt veniant scandala [p], seu, impossibile esse vt non veniant [q]: oportere hæreses esse [r]: ea fieri, quæ prophetata sunt [s].

o Matt. 24.
p Matt. 18.
q Luc. 17.
r 1 Cor. 11.
s Matt. 26. Apoc. 1. 1. & 1. 16.

Versus 13.] Videntes autem Petri constantiam, & Ioannis, comperto quòd homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos quoniam cum IESV fuerant.

VIDENTES.] Θεωροῦντες, *contemplantes.* Syrus sic legit, כד שמעו *chad schemahhu*, id est, *cùm audissent.* Visus oculorum, & mentis ad plura se extendit: & non audiebant tantùm, sed signa quoque alia percipiebant, quibus constantiam Apostoli suam prodebant.

Constantiam.] Παῤῥησίαν, *dicendi libertatem.* Syrus sic habet, מלחה דשמעון ודיוחנן דעין בגלא אמרוה *mellethah deschimhhun veduuchanan debhin baggela ameruha*, id est, *cùm audiuissent*, vt suprà dictum fuerat, *sermonem Simonis, & Ioannis, & quòd in apertione dixissent eum*, id est, *quòd palàm dixerant illum.* Constantiæ nomen latiùs patet, & fortasse ab Interprete positum est propter eam causam, quam priùs dixi. Quin & dictio Græca παῤῥησία, non solam orationem comprehendit, non apud profanos duntaxat, sed & apud Scriptores sacros, quale illud Pauli [t]: *In quo habemus fiduciam, & accessum*, Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν, καὶ προσαγωγὴν, id est, *in quo habemus libertatem loquendi, & introductionem.* Hoc nomen sæpe in malam partem, aliquando etiam in bonam accipitur. *Non verbis solis*, inquit Chrysostomus, *monstrabant non curare se, de quibus iudicentur, & quòd extrema intententur pericula, sed etiam habitu, & voce, & aspectu, & in summa omnibus libertatem apud populum demonstrabant per ea quæ loquebantur.* Spectat sanè ad illos istud dictum Sapientis: *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit* [u]: & iterum illud Dauidis: *Loquebar de testimoniis* DEI *in conspectu Regum, & non confundebar* [x].

παῤῥησία Græcè quid significat.
t Eph. 3. 12.
Apostolorum summa dicendi constantia.
u Prou. 28. 1.
x Psal. 118. 46.

Et Ioannis.] Dixi versu primo fortasse quoque Ioannem locutum esse. Id affirmandum est, si constantiam pro sola loquendi libertate sumamus. Sin verò amplior est significatio, potuit Ioannes constantiam nutu, & gestu, & vultu demonstrare.

Comperto.] Καταλαμβανόμενοι, *deprehendentes.* Syrus sic legit, אסתכלו *esthacchalu*, id est, *considerauerūt apud se*, vel, *cùm audissent*, &c. *Intellexerunt.* Videtur hæc Syra interpretatio indicare ex sermone comperisse auditores, quòd Apostoli essent imperiti. Sed contrarium colligendum fuit. Ideò meliùs Interpres noster, & Syrus velle videtur,

quòd

quòd facta nonnulla disquisitione, compererunt illiteratos esse.

Sine literis.] Ἀγράμματοι, illiterati, & ignari prorsus literarum.

Idiota.] Vox Græca est ab ἴδιος, id est, *proprius*: vnde *Idiota*, vt placet Bedæ, *is est, qui proprio tantùm naturalique idiomate, seu lingua, & scientia contentus, nescit studia literarum.* In eâdem significatione Cicero [a] quoque nomen hoc vsurpat, opponens ingenioso, & intelligenti. Crebrior est apud Latinos hæc significatio, quàm pro priuato, quíque nullo publico munere fungitur. Quo pacto Nonius & Symmachus idiotas dicunt esse, qui res curant suas, sibi, non plurimis vtiles, nihil patriæ impertientes. Syrus etiam nomine hoc contentus esse voluit scribens והדיוטא *vehediiuta*, id est, & *idiota*.

Idiota quid sit.

a 4. Verr. & in Pisonē, & pro Sextio.

Idiota nominari voluit piissimus quidam vir, qui ante non paucas annorum centurias, contemplationes edidit, nimirum, vt existimo, Christianæ modestiæ studio proprium nomen celans.

Chrysostomus [b] ait reperiri posse illiteratum, qui non sit idiota, & contrà idiotam, qui non sit planè illiteratus. Et tamen, vt hîc crescat oratio, inferior esse deberet conditio idiotæ, quàm illiterati. Nil prohibet primum referre ad scientiam rerum, secundum ad peritiam sermonis. Synonyma tamen facit idem Chrysostomus ἀμαθῆ καὶ ἀδίδακτον.

Illiteratus esse potest, qui non est idiota, & contra.

b hoc loco.

Admirabantur.] Sic de CHRISTO admirati sunt dicentes [c]: *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?* & [d], *& vnde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia, quæ data est illi?* Et ibi, & hîc, vt aliàs sæpe, superbi sunt doctores Iudæorum, existimantes nihil extra scholas suas literarum esse posse. Ideò admiratio non est doctrinam approbantium, sed ægrè ferentiū in iis existere, qui eam ab ipsis non hausissent.

c Ioan. 7. 15.
d Mat. 6. 2.

Iudæorum doctores sunt superbi.

Hæc porrò est vna de notis Euangelicæ veritatis, vt non in sapientia verbi, aut eloquentia promulgata sit, *sed per stultitiam prædicationis, vt non euacuaretur crux* CHRISTI [e]. Sic oportuit initiò Crucifixum prædicari: posteà Mathias [f], Paulus [g], & Barnabas [h] diuino suffragio Apostolis aggregati, sunt non illiterati, ac idiotæ, sed bene docti, vt cum B. Antonino monuimus capite primo, ferè extremo.

Stultitia prædicationis nota Euangelicæ veritatis.
e 1. Cor. 1. 17. 21.
f Act. 1. 23. & seq.
g Act. 13. 2. & seq.
h ibidem.

Antonius, vt scribit Athanasius [i], philosophos, & alius in Concilio Niceno imperitus, & Sanctus mirabiliter confutauit, atque ei silentium imposuit [k]. Verumtamen rara nunc sanctitas, rarior eiusmodi virtutis demonstratio. Scutum est fides, quo qui est munitus, *loquitur de testimoniis* DEI *in conspectu regum, & non confunditur* [l]. Dauid funda, & lapide Goliam deiecit, sed gladio obtruncauit [m]. Moses virga Pharaonem cum exercitu submersit [n]: sed deinceps armis pugnauit.

i in vita.
k Socr. li. 1. c. 5. Soz. lib. 1. c. 15. Ruffin. lib. 1. c. 3. Metaph. in Spiid. Nicep. li. 8. c. 15. Glyc. in Annalib.
l Psa. 118. 46.
m 1. Reg. 17. 49. 51.
n Exod. 14. 21. & seq.

Et cognoscebant eos, quoniam cum IESV *fuerant.*] Petrū cognoscebant, quia in domo Caiphæ CHRISTVM negauerat [o], Ioannem similiter, cuius fauore Petrus admissus fuerat [p], quoniam *notus erat Pontifici*, seu propter nobilitatem generis, si Hieronymo credimus [q], habebat siquidem mercenarios sub se, vt Marcus scribit [r], seu quia possessionem in Galilæa non tenuem illi vendidisset, comparata inde domo in Ierusalem, vt volunt Nicephorus [s], & Cedrenus [t], quod Baronius [u] bene refutat: denique vtrumque cognoscebant, sicut & alios Apostolos, *quoniam* IESVS, inquit Lyranus, *frequenter prædicauerat in templo, & ipsi erant cum eo.*

Petrus & Ioannes satis cogniti Christi iudicibus.
o Mat. 26. 70. 72. Marc. 14. 68. 70. 71. Luc. 22. 57. 58. 60. Ioan. 18. 25. 27.
p Ioan. 18. 16.
q epist. 26.
r cap. 1. 20.
s 1 Hist. ca. 28.
t 2. Annal.
u Tom. 1 Annal.

A Quod Glossa interlin. & Hugo asserunt hic expressum non esse, quòd *fuissent cum* IESV, homine per se prorsus illiterato, *qui tamen literas sciret, licèt non didicisset* [x], facit vt suspicer hos suspicatos esse, ab Apostolis comparatam scientiam mala arte, sicut de IESV existimauerāt. Insinuat hoc idem Chrysostomus, cùm ait, *quòd huiusmodi cū* CHRISTO *consociatio fecit istos credere ab eo hæc illos didicisse, & tanquam Discipulos eius hæc fecisse.*

x Ioan. 7. 15.
Apostolis de malis artibus suspecti fuerunt.

Versus 14.] Hominem quoque stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

B HOMINEM *quoque stantem.*] Productum videlicet ex custodia cum Apostolis ad iudicium, vt antè dixi [y]; quod & Chrysostomus hîc indicat.

y vers. 10.

Nihil poterant contradicere.] Tametsi hactenus forsan de arte magica subdubitauerint, illos tamen rei euidentia conuincebat, cum aliis circumstantiis probitatis Apostolorum, candidæ simplicitatis, & maturæ libertatis. Reddebantur proinde inexcusabiles, quoniam opus tam insigne factum erat in nomine IESV, & ad confirmandam fidem in ipsum. Tali argumento ex operibus miraculorum reuincebat CHRISTVS Iudæos [z].

Non poterant Apostolos de arte Magica conuincere.

C Magnam Chrysostomus obseruat claudi libertatem, quòd Apostolos in ipso iudicij loco non reliquerit, & ita si dixissent non sic se habere, ille reprehendisset. Quibus verbis tamen non tam significat à Iudicibus in custodia positum, & in iudicium productum, quàm sponte seruatores suos in custodiam comitatum, & in ipsum iudicij locum, cùm videlicet paratus esset idem cum iis discrimen, & pro veritate, & pro accepto beneficio subire. Talis dæmoniacus, qui liberatus à CHRISTO, ipsum sequi voluit [a]. Talis cæcus natus, qui restitutorem visus CHRISTVM aduersus obtrectatores tam seriò, tā acriter, & acutè defendit [b].

z Ioan. 10. 25. 38. c. 15. 24.
Claudi in Apostolos fidelitas & gratitudo.
a Mar. 5. 18.
b Ioan. 9. 11. & seq.

D *Versus* 15.] Iusserunt autem eos foras extra concilium secedere: & conferebant ad inuicem.

IVSSERVNT *autem eos foras extra concilium secedere.*] Non est ad rem, quod huc aptat Glossa interlinearis, & Hugo, *absque Synagogis facient vos* [c]. Non enim erat fortasse Synagoga, quò conuenerant Iudices, neque nunc eiiciuntur, sed dimittuntur, vt deliberetur de ipsis. Interpres Syrus sic habet, מן כנשהון *men chenschehun*, id est, *à conuentu eorum*, quod etiam exponitur, *extra Synagogam eorum*, sed textus Græcus habet, ἔξω τοῦ συνεδρίου, *extra consessum.*

c Ioan. 16. 2.

E Eiectio ex Synagoga respondebat nostræ excommunicationi, quam adeò veriti sunt parentes cæci nati [d], & nonnulli Principum [e], vt eius metu non sint hi ausi confiteri CHRISTVM.

Eiectio ex Synagoga quæ esset.
d Ioan. 9. 22.
e c. 12. 42.

Versus 16.] Dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem: manifestum est, & non possumus negare.

QVID *faciemus hominibus istis?*] *Verba hæc victis conueniunt, non vincentibus*, inquit Isidorus

Pelusiota [a]:

Pelusiota [a]: quemadmodum stultus ille ab auaritia victus, & consilium petens, dicebat: *Quid faciam* [b] *? quia non habeo, quo congregem fructus meos*, & malus seruus à timore mundano compulsus aiebat: *Quid faciam* [c], *quia dominus meus aufert à me villicationem?* &c. Et Pontifices, ac Pharisæi etiam ab ambitione, & inuidia, præter timorem, & auaritiam seducti, dicebant inuicem, *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit* [d]? *Causa tam perplexæ quæstionis est*, vt ait Lyranus, *quæ proximis verbis subditur, miraculi euidentia*, & quòd viderent non posse se illos iustè, aut ad mortem, aut ad carcerem condemnare.

a lib.4.ep.181. Concilium Iudæorum fuit hominum desperantium.
b Luc.12.17.
c Luc.16.3.
d Ioan.11.47.

Istis.] *Per contemptum, quasi illiteratis*, inquit Glossa interlinearis, quamuis credibile est, consultationem fuisse non de Petro tantùm, & Ioanne, sed de toto Collegio Apostolorum, quorum eadem erat conditio, necnõ etiam de reliquis Discipulis, præsertim tamen de illis duobus.

Manifestum est, & non possumus negare.] *Fatentur signi euidentiam, sed cæcati malitia credere nolunt*, inquit Lyranus, & Carthusianus cum Chrysostomo: fortasse etiam præstigiis magicis id deputantes, qua ratione & CHRISTI quondam miracula ludibrio habuerunt [e]. Indicant verò se si possent, maximè negare velle, quæ iis proinde praua voluntas apud DEVM imputatur.

e Mat.9.34.c.12.24. Mar.3.22. Luc.11.15.

Versus 17.] **Sed ne ampliùs diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltrà loquantur in nomine hoc vlli hominum.**

SED *ne ampliùs diuulgetur.*] Extra Ierusalem, scilicet, iam enim ibi omnibus manifestum erat: vnde tamen cùm fama nullo negotio vulganda fuerit etiam tacentibus Apostolis, consilium fatuum hoc fuit. Vehementer autem sibi timebant à populo bene iam in Apostolos & doctrinam CHRISTI propenso, ac memore non tantùm claudi nuper sanati, & doni linguarũ, sed CHRISTI quoque ipsius tot miraculorum, & iniquissimæ cædis; tum præterea quòd octo millia [f] intra paucos dies essent conuersa, & eò etiam plura [g]. Timore populi terrentur, ac retardantur, ne plus noceant, sicut sæpe quò minùs CHRISTO nocerent, idem illos metus impediuit [h].

Populus in Christum & Apostolos bene animatus erat.
f Act.2.41.ca.4.4.
g cap.2.47.
h Mat.21.46. Mar.11.18.

Comminemur eis.] Ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα, *minis comminemur*, quæ geminatio emphatica; & quidem hoc loco minæ sunt de morte, vt placet Lyrano.

Ne vltrà loquantur in nomine hoc.] Seu prædicando, seu inuocando, atque ita signum aliquod faciendo.

Per contemptum dedignantur nomen exprimere, profectò indigni ipsi qui exprimant, quod *nemo exprimit eo quo decet modo, nisi in SPIRITV sancto* [i].

Christi nomen impij contemnunt exprimere.
i 1.Cor.12.3.

Vlli hominum.] *Neque Iudæorum, neque Gentilium*, inquit Glossa interlin. Magnus profectò liuor, inuidere veritatis cognitionem etiam externis.

Versus 18.] **Et vocantes eos, denunciauerunt ne omninò loquerentur, neque docerent in nomine IESV.**

ET *vocantes eos.*] Syrus ita legit, וקרו אנון ופקדו *vakruinnun vapakkedu*, id est, *& vocarunt eos, & præceperunt.* Græcum verbum παρήγγειλαν, hanc quoque præcipiẽdi significationem habet, sicut & Latinum denuncio, capite sequenti [k], præcipiendi verbo Græcum illud ipsum verbum Interpres exposuit.

k vers.23

Præcepto vsos esse, non simplici denunciatione, vel exhortatione, quæ verbo etiam Græco possunt significari, ostendunt minæ, quas intentare deliberauerant, quibus contenti videri volunt, vt mitiùs hoc principio egisse censeantur, nec in se concitent populum.

Cur minas verberibus ferunt.

Ne omninò loquerentur, neque docerent in nomine IESV.] Hoc est quod maximè vrgebant, non tam claudi miraculum vulgari prohibentes, quod esset impossibile, quàm prædicationem, qua cessante rumor miraculi concideret, & ipsum miraculum pro falso haberetur.

Obseruatione porrò digna est DEI in persecutionibus Ecclesiæ suæ, & priuati etiam cuiusque suauis prouidentia. Apostoli primùm tanquàm ebrij irrisi sunt, deinde in custodiam coniecti, & ad tribunalia pertracti, posteà virgis cæsi,

Dei prouidentia in Ecclesia sua persecutione.

Versus 19.] **Petrus verò, & Ioannes respondentes, dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu DEI, vos potiùs audire quàm DEVM, iudicate.**

SI *iustum est in conspectu* DEI.] Adeò fidunt causæ, vt eam aduersariis committant, dummodò velint sincerè iudicare, & coram DEO rectè sentire, qui nec falli, nec fallere potest.

Vox hæc est Ecclesiæ ad homines profanos, atque infideles; nec enim isti erant ampliùs legitima Synagoga, cui parere tenerentur: non est autem subditi ad superiorem legitimum, multò minùs hæretici contra Ecclesiæ iudicium, vt illud exigant ad regulam Scripturæ. Quare abutuntur hoc loco Caluinus, aliique Hæretici contra Ecclesiæ auctoritatem pro priuato suo iudicio, sicut & prædictione CHRISTI: *Absque Synagogis facient vos* [l].

Quali hæc Apostoli vox ipsa dicatur.
l Ioan.16.2

Valdè peruersum est profiteri te obedientem, inquit Bernardus [m], *in quo nosceris superiorem propter inferiorem, id est, diuinam propter humanam soluere obedientiam. Quid enim? quod iubet homo, prohibet* DEVS, *& ego audiam hominem, surdus* DEO? *Non sic Apostoli: clamant quippe dicentes: Melius est obedire* DEO, *quàm hominibus.* Quæ sententia relata in capite sequenti [n], huic affinis est, vbi nos plura. Affert in exemplum, tum Adam Euæ vocem potiùs quàm DEI audientis [o], quo nomine illum DEVS increpauit: tum reprehensos à CHRISTO Iudæos [p], auctoritate etiam Esaiæ Prophetæ [q], *quòd* DEI *mandata transgrederentur propter traditiones suas.*

Deo potius quàm obediendum hominibus.
m epist.7.
n vers.29.
o Gen.3.17.
p Matt.15.
q Esa.29.13.

Possunt & ex Gentilibus exempla proferri eorum, qui nec subditi Principibus obedire, nec Principes sibi obtemperari à subditis voluerunt, si quod esset contra leges, & rationẽ præceptũ. Antiochus III. [r] ciuitatibus scripsit; *Si quid per literas iuberet legibus repugnans, ne curarent, perinde quasi ipso nesciente scriptum esset.* Scitum quoque illud [s] Antigoni regis Macedonum, adulatori omnia regibus honesta, iustáque esse dicenti, responsum: *Sunt per Iouem, barbarorum duntaxat regibus: at nobis ea duntaxat honesta sunt, quæ honesta sunt: & ea tantùm iusta, quæ iusta sunt.* Pericles roganti pro se falsum testimonium respondit: Δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν. Alia capite sequenti

Principes Gentiles sibi obediri noluerunt quando aliquid legibus contrarium præceperant.
r Manutius in Apoph.
s idem ibid.
Regibus honesta insinuat ...

de eadem

de eadem re iterum.

In conspectu DEI.] Magnam vim habent hæc, & his similia verba, vt, *coram* DEO, *in Domino*, &c. Prophetæ tali phrasi non rarò vtuntur [a].

a Gen. 24. 40. c. 48. 15. & alibi.

Spectatorē Deū qui præ oculis habent rectè iudicant.

Nam qui spectatorem DEVM, ac præ oculis habent, rectè iudicant, & qui facit quod alter vult, semper eum intueri, ab eòque videri cupit. Hinc Dauid ait [b] : DEVS *stetit in Synagoga Deorum; in medio autem Deos diiudicat*. Fertur, Æthiopas insidētes subselliis, in editiore loco cathedras duodecim vacuas relinquere, & dicere has Angelorū sedes esse. Alij scribunt de media sede pro DEO. Hoc referūt Franciscus Aluaresius, & Ioānes Bodinus [c], quos laudat Theatri vitæ humanæ auctor [d]. Ceterùm quia perfectissimè DEVS omnia cognoscit, aliquid coram DEO dicere, vel facere est, eo modo, quem quis perfectissimum putat, ac DEO maximè probatum. Iosaphat iudices suos monuit, *in iudicando meminissent* DEI, *se iudicia publica exercere* [e]. Precatus est Dauid *dirigi in conspectu* DEI *viam suam à* DEO *ipso* [f].

b Psal. 81. 1.

c 1. Dæmon. c. 4.

d vol. 18. lib. 2. p. 4311. col. 1.

Quid sit coram Deo aliquid facere.

e 2. Par. 19. 6.

f Psal. 5. 9.

Versus 20.] Non enim possumus quæ vidimus, & audiuimus, non loqui.

Quibus maximè incumbat silentio non vti.

NON *enim possumus.*] Singularis cōstantiæ verba sunt ista, potissimum ab iis vsurpanda, quibus docendi munus ex officio, & legitima vocatione incumbit: sed & illis, qui cuiuscumque conditionis sint, aut à Iudice legitimo, aut à Fidei hoste, aut ab aliquo quolibet interrogantur de Fide, vel alia veritate, maximè cùm imminet periculum scandali in silentio. Nam tametsi non viderint immediatè CHRISTVM ipsum, vel audiuerint, sufficit quòd teneantur ductum rationis, & CHRISTI doctrinam, atque præceptum sequi, ac profiteri.

Quando teneamur pro innocente vltrò loqui.

g Dan. 13. 46. 47.

Interdum quoque tenetur quis sponte, ac vltrò loqui pro innocente, vt Daniel fecit pro Susanna [g]: pro publica item vtilitate, & cùm se talis aliqua occasio offert, saluo tamen sigillo confessionis. At verò non quæcumque quis vidit, vel audiuit, debet, vel potest loqui, cùm verbi gratia imminuunt famam alienam, cùm secretò commendata sunt, nec eorū occultatio obesse potest.

Quis vsus eius huius vocis contra nos ipsos.

Idem porrò proponere nobis apophthegma possumus, quoties tentatione intus etiam pulsamur, *Si iustum est audire potiùs illam, quàm* DEVM, *iudicemus: non possumus, aut debemus quod iure non possumus*, quod nostra nos docet conscientia lumine diuino, & impulsu excitata, non exequi. *Non aliquid possumus aduersùs veritatem, sed pro veritate*, ait Apostolus [h]. Et rursus: *Potestas nostra debet in ædificationem esse, non in destructionem* [i]. Non iuuant, neque pertinent hæ sententiæ ad illos, *qui non missi currunt* [k]; siquidem Apostolatus certa sunt signa, quæ se Apostolus ait [l] exhibuisse; certæ notæ, & quasi tesseræ, quibus internoscuntur qui verè mittuntur à DEO: denique, *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur* [m]? *quomodo non vocati assument sibi honorem* [n]?

h 2. Cor. 13. 8.

i 2. Cor. 13. 10.

k Ier. 23. 21.

l 2. Cor. 12. 12.

m Rom. 10. 15.

n Heb. 5. 4.

Quomodo Apostoli non poterāt nō loqui de Christo.

Non possumus.] Non possumus, id est, *Nolumus*, inquit Glossa ordinaria, *vel illis id in naturam quodammodò versum est, vt Angelis in gratia confirmatis, non peccare*: vel, vt ait Lyranus, *Non possumus licitè*: vel, *quia vino cælesti ebrij se continere non poterant*, inquit Gregorius [o], *& à prædicationis feruore minis victi tepescere nolebant*.

o in 1. Reg. c. 1. lib. 1.

p Orat. 4. Theol. sex modis, quibus aliquid fieri non posse dicatur.

Tradit Nazianzenus [p] modos sex, quibus contingit, vt fieri quid non posse dicatur, vel enim

A id est ob defectum circumstantiæ: eò quòd ita sæpe oppositum accidat, vel quia non conueniat, vel quia non liceat, vel quia non sit æquum, vel quoniam sit arduum, vel quia auersa est ab eo voluntas: maximè proprius modus est, cùm quid fieri omninò non potest. Exempla idem affert, iisque similia non pauca afferri possunt; quæ tu lege apud Toletum [q], & Pererium [r], qui etiam citat Cyrillum Alexandrinum [s], & apud Maldonatum [t].

q Ioan. 12. annot. 20.

r 1. in Gen. c. 18. n. 40.

s 6. de Tri.

t in ca. 6. Mar. vers. 5.

Versus 21.] At illi comminantes dimiserunt eos: non inuenientes quomodo punirent eos propter populum, quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo quod acciderat.

B

NON *inuenientes quomodo punirent eos.*] Poterant seditionem prætexere pridem CHRISTO obiectam [u]. Sed iam profligata erat huiusmodi calumnia propter populum optimè conscium & CHRISTI, & Discipulorum ipsius innocentiæ. Diu, & sæpe continuit aduersarios CHRISTI populi timor, qui CHRISTVM in honore, & bona existimatione habebat [x]: sicut Ioannem quoque Herodes eâdem de causa occidere verebatur [y].

u Luc. 23. 5. 14.

Populi timor adversarios Christi & suorum diu continuit.

x Mat. 26. 5. Luc. 22. 2.

y Mat. 14. 5.

C *Omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo quod acciderat.*] Ἐδόξαζον τὸν ΘΕΟΝ ἐπὶ τῷ γεγονότι, *Glorificabant* DEVM *in eo quod factum erat*. Aliquoties auditæ sunt populi [z] acclamationes approbantis CHRISTI miracula, & DEVM laudantis propter illa, & non humanæ potentiæ, vel Diabolicæ, sed diuinæ ascribentis, quæ res accusationis materiam, & causam punitionis aut omninò nullam, aut longè facit minorem.

z Luc. 5. 26. c. 8. 25.

Versus 22.] Annorum enim erat ampliùs quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

D

ANNORVM *enim erat ampliùs quadraginta.*] Homo id ætatis confirmans se sanatum, fide dignior, & iuxta vulgatam hominum opinionem curatu difficilior erat. Non dubium est, quin ætas claudi omnis hîc definiatur, qui vitium contraxerat ex vtero matris. Illustrius miraculum acriores habet contradictores. Allegoriam huius numeri in claudo vide in capite præcedenti [a]. Nec absimilis est, quam de numero octauo supra trigesimum in paralytico affert Augustinus [b].

a vers. 7.

b tract. 17. in Ioan.

Versus 23.] Dimissi autem venerunt ad suos: & annunciauerunt eis quanta ad eos Principes sacerdotum, & seniores dixissent.

E

DIMISSI.] Ἀπολυθέντες, *Absoluti, & liberati*, non vt innocentes declarati, sed à vinculis, & aliis pœnis liberi, quas in præsentia non luerunt quidem, sed tamen minæ eis sunt intentatæ, & interdicta prædicatio.

Venerunt ad suos.] Πρὸς τοὺς ἰδίους, *ad proprios*, seu *domesticos*. Syrus habet, אחיהון *bachaiehun*, id est, *ad fratres suos*.

Quanta.] ὅσα, *quotquot*. Syrus legit, כלמא *culma*, id est, *omne illud*, seu, *quæcumque*. Et hæc videtur hoc loco significatio vocis Latinæ, quam etiam

vim

vim habet interdum Græca, atque alia similis τοῖς, vnde Lucas in Euangelio [a]: *Quanti mercenarij,* &c. Πόσοι μίσθιοι. &, [b] *Quanta audiuimus facta in Capharnaum*, &c. Et in Iob [c]: *Quantas habeo iniquitates*, vbi est dictio, כַּמָּה *chamah*, כַּמָּה לִי עֲוֹנוֹת *chammahli bhauonoth*, i. *quot mihi sunt iniquitates*, sicut in Psalmo [d]: *Quot sunt dies serui tui*, &c. Quāuis posteriore Euangelij loco, atque in isto quem tractamus, quanta intelligi possint idem significare quod magna. Magnæ enim forsan minæ, & longior oratio fuerat, quam breuitatis causa Lucas perstrinxerat. Sed & claudi curationem enucleatiùs narratam ab Apostolis credi potest, quamuis Chrysostomus neget, ne vana gloria extimulati viderentur, quod ego non credo, nec suspicor.

a c.15.17.
b c.4.23.
c Iob.13.23.
d Psal.118.84.

Quis verò exprimat dulces complexus, ingentemque lætitiam ex eorum aspectu, de quibus, vt de primis Ecclesiæ columnis, adeò solliciti erant, & pro quibus, dum custodia tenerentur, & sisterentur iudicio, fortasse orabant continenter, vt posteà pro Petro [e]? Existimo claudum ipsum in medium prosiliisse, & summo gaudio plausúque exceptum esse.

e cap.12.5.

Non silent vitium persecutorum, quod hi ipsi maximè publicum volebant, & ceteris condiscipulis denunciari etiam præceperant. In communi quoque publicoque periculo, communibus opus erat consiliis & precibus.

Versus 24.] Qui cū audissent, vnanimiter leuauerunt vocem ad DEVM, & dixerunt: Domine, tu DEVS qui fecisti cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.

QVI *cùm audissent.*] Hæc est secunda huius capitis pars de oratione vnanimi Discipulorū.

Vnanimiter leuauerunt.] ὁμοθυμαδὸν, *vno animo, vna voluntate.* Non solùm autem concordes in oratione fuerunt, quæ orationis efficax conditio est, vt capite primo [f] notatum est, vt vel *duorum, triúmve ex consensu factam precationem exaudiendam promiserit* CHRISTVS [g], verùm etiam *vno quasi ore eadem verba, non sine magno miraculo*, vt ait Carthusianus, protulerunt. Syrus certè, qui interpretatus est אכחד *acchechad*, id est, *simul*, vno omnium ore eam prolatam esse indicat. Comparare aliqua ex parte possumus hoc miraculum cum adeò celebri Interpretum septuaginta vniformi versione, quando separatis quisque in ædiculis illam conderent, vt non leues quidem auctores tradunt. Lege inter alios Salmeronem [h].

f vers.14.
g Mat.18.19.
h Tom.1.Prol. 5.& 6.

Leuauerunt vocem.] Non sine sono, & voce, quicquid Glossa ordin. dicat, sed, vt Lyranus docet, *tum corde, tum ore.*

Est quidam quidem clamor cordis, vt Mosis [i], vt Ionæ [k], & aliorum sine percussu aëris, absque strepitu; intimus enim affectus maximè auditur à DEO, vt clamor vocis ab hominibus: at vocis eleuatio solùm cordis clamorem significare non rectè potest. *Clamor factus est ex voluptate*, inquit Chrysostomus, *& magna affectione.* Potuit & simul clamor esse calamitatem deplorantium, vt impedimento poterat esse diuino verbo, præterea sese ad prælium excitantium. Lege Thesaurum Ferdinandi [l], verbo, Clamare.

Cordis clamor quidam est.
i Exod.14.15.
k Ionæ 2.3.4.

Tu DEVS.] Nimirum *es*, quod Syrus per particulam הו *hu*, à verbo הוה *haua*, *fuit*, exprimit, & Interpres *es*, reddidit, & Hilarius in Psalmum

A

secundum, & Ambrosius, vel Prosper [m].

Qui fecisti cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.] Similis alibi sententia reperitur [n]. Oratio dirigitur ad PATREM, vt ex sequentibus constat: ipsius autem potentia hoc loco proponitur ad obstruendum os aduersariis, frangendamque audaciam eorum: quemadmodum in capite primo [o], dum agebatur de subrogatione Apostoli in locum Iudæ, in qua opus erat præcognitione, proposita est DEO ipsi eius sapientia, & scientia. Colligit hinc diuinitatem PATRIS Cerealis [p], tanquàm personæ diuersæ à CHRISTO eius Filio, de quo PATRI Apostoli loquuntur in oratione.

m li.2. de vocat Gen.
n vt Psal. 145.6.
Cur ad Patrem conuersi Apostoli rogant.
o vers.24.
p cont. Max. cap.10.

B

Cœlum.] Sphæras omnes superiores, siue differant specie, siue solo numero: ignem etiam, aëremque, qui aër non rarò cœlum nominatur. Quocirca ex numero singulari nihil habent, qui vnicum arbitrantur cœlum esse: sicut præcisè nomen plurale, seu duale השמים *haschamaim*, quod agnoscit duntaxat lingua Hebræa, non facit, vt necessariò duos pluresve fateri cogamur. Aliunde pluralitas colligitur, non ex ratione solùm Mathematica, Physicaque, sed & ex Scriptura, maximè cùm Iudas meminit in epistola [q] Syderum errantium. Nam hæc sunt septem, & oportet in distinctis orbibus fixa esse: de firmamento quoque frequens mentio [r], quod est sydereum cœlum: empyreum quidam intelligunt per id quod vocatur *cœlum cœli* [s]. Hac de re in scholis Physicis.

De cœlis quot sint.
q vers.13.

C

r Genes. 1. Dan.12.3.
s Psal.67.34.

Terram.] Per hanc, & cœlum Moses in Genesi [t] omnem rerum vniuersitatem complexus est, rudi populo, cui scribebat, sese accommodans, quoniam duo ista sub aspectum sola manifestè cadunt, atque ex iis corpora cetera, & apertiùs, & maiore ex parte coalescunt, & in ipsis, ceu in naturalibus locis, commorantur.

t cap.1.1.

Mare.] Aquæ elementum: *Congregationes enim aquarum vocantur maria* [*], & omnia maria coniuncta sunt cum Oceano, vno fortasse Caspio excepto: ideoque dicuntur, *congregatæ aquæ omnes in locum vnum*, vt non minùs hæ suum, quàm elementa alia, locum certum occupent: quamuis propter vsus, & commoditates nostras multæ partes vt aëris, & ignis, sic aquæ à suo elemento separatæ in variis terræ locis extra proprium locum contineantur.

* Gen.1.10.
Maria omnia sunt continua [illegible]

D

Immò sententia nonnullorum est, omnes aquas vel esse maria, vel primam ex mari per occultos terræ meatus originem ducere, ac in ipsam tandem reuerti. Sic indicat Ecclesiastes [u], in quem locum lege Titelmanum, & alios, quæque ipsi disseruimus ibi, necnon Genesis Commentatores, præcipuè Pererium [x], ac Hieronymum Vielmium [y], & Ascanium Martinengum [z], præterea illos qui enarrant secundum librum Meteororum Aristotelis, & Iulium Cæsarem Scaligerum in exercitationibus contra Cardanum [a], & Clauium in Sphæram [b], & qui scholas scripserunt in primam partem S. Thomæ, præsertim Molinam in opere sex dierum [c], & Gregorium de Valentia [d].

Aquæ omnes vel maria sunt, vel ex mari oriuntur.
u cap.1.7.
x lib.1.
y Lect.11.
z in Glossa magna.

E

a in 46 [illegible]
b lib.1.
c Disp.11.
d q.3 [illegible]

Quaternarij elementorum numeri demonstratio est in Timæo Platonis, & apud Aristotelem 2. de Cœlo [e]: eam nos in Physicis nostris explicauimus. Vis tota eius ex cœlo petitur, quod volvi circa centrum debet, id est, circa terram. Et quia non patitur natura vnum elementum esse sine alio, ne trahat omnia, in seque conuertat,

Quaternarij [illegible] quatuor elementorum, demonstratio.
e tex.17.

contrarium

contrarium elemento terræ ignis elementum existet: inter hæc extrema mediant duo alia in grauitate, & leuitate: præsertim cùm secundùm actiuas qualitates aqua igni, aëri terra contrariè opponantur.

Maris cur hic mentio fiat.
a Psalm. 94.5. Psal. 145.6. b Iob. 38. 8. & seq. Psal. 64.8. Psal. 71. 13. Psal. 88. 10. Psal. 92. 4. Luc. 5. 22. c. 11. 25. Apoc. 8. & alibi. c Esa. 57. 20. d cap. 7. 12.

Ceterùm maris mentio peculiariter hîc fit, sicut & aliàs cum cœlo, & terra [a]; quia in eo visitur insigniter DEI omnipotentia, prout Scripturæ persæpe commemorant [b]: & solent qui ira æstuant, quales erant Apostolorum persecutores, comparari cum mari [c]. Vnde Iob purgans se à grauissimis sceleribus, quæ tantum supplicium, tantosque cruciatus mereri potuisse viderentur, dicebat [d]: *Nunquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* videlicet, fremit mare, remugit, agitur, quiescere non potest, procellas, turbines, tempestates, æstus sustinet. *Hac de causa* DEVS, ait Chrysostomus [e], *mare nec tranquillum, nec mute passum est, vt cum diuino imperio pugnante natura, diuinóque iusso semper vincente, esset* DEI *potestas prædicabilis, &c.*

e in Catena Iob. 6. 11.

Nihil non creatum à Deo est.

Et omnia quæ in eis sunt.] Hinc refelluntur qui negant à DEO conditum immediatè mundum corporeum, aut qui ab illo affirmant, quem nominant malum DEVM à bono distinctum, aut qui aliquam substantiam eximunt à creatione DEI, vt aquam, ignem, &c. qua de re Theologi in prima Parte, & Physici in libris de Cœlo.

Versus 25.] Qui SPIRITV sancto per os patris nostri Dauid, pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania?

QVI SPIRITV *sancto.*] Desunt hæc duo nomina in textu Græco. Syrus tamen ea non omisit, sic habens, ואנת הו דמללת ביד רוחא דקודשא *vanth hu demalalth beiad rucha dekudescha*, id est, *Tu es qui loquutus es per* SPIRITVM *sanctum*, & tamen verum est, distinctam esse in S. Trinitate personam SPIRITVS sancti, & eo Prophetas inspirante locutos esse [f], vt capite priore notauimus [g].

f 2. Pet. 1. 21. g vers. 21.

Patris nostri.] Desunt in textu, tum Græco, tum Syro. Nihilominùs sæpe nomine domus Dauid [h], vel generis [i], vel radicis [k], intelligitur populus Iudæorum, quia is hanc gentem maximè illustrauit. Et ipsius ex genere, & radice MESSIAS oriturus erat. Dixi capite 2. [l] cur vocatus sit Patriarcha.

h Esa. 7. 13. Iere. 7. 10. c. 21. 12. Luc. 1. 69. i Apoc. 5. 5. k Apoc. 22. 16. l vers. 29.

Quomodo is qui dicitur puer, alias seruus dicatur.

Pueri tui.] Syrus sic legit, עבדך *hhabdach*, id est, *serui tui*, quam quoque significationem habet nomen παῖς. Hinc est, quòd quem *seruum* vocat Interpres Matthæi [m], dum hîc Esaiam citat, apud eundem Esaiam [n] nominet *puerum*: & qui dicitur à Matthæo [o] *puer Centurionis*, appelletur à Luca [p] *seruus*.

m cap. 12. 18. n cap. 42. 1. o cap. 8. 6. p cap. 7. 2. 3.

Pueri nomen ad alios extenditur.

Extenditur huius vocis vsus ad honorarios ministros, & quouis modo inferiores: qua ratione CHRISTVS Discipulos *pueros* nuncupauit [q]: & Scriptura, tum principes Persarum [r], quibus Assuerus conuiuium fecit: tum Iosue [s], etiam postquàm dux fuerat in bello contra Amalechitas: tum milites [t]. Videtur quid in Romanis haud absimile obseruatum, dum suos milites reperiuntur iuuenes appellasse, & iuuentutem armare apud eos idem erat, quod militem conscribere, ea enim plerumque ætate milites eligebantur. Nec abhorret Italica, Gallicaque locutio, qua operarij etiam ipsi, ac mercenarij nominantur filij. Quæ loquendi formula, vt Clemens Alexandrinus admonet [u], innuit familiaritatem.

q Ioan. vlt. 5. r Esther 1. 3. s Exod. 33. 11. t 2. Reg. 2. 14.

u lib. 1 Pædagog. cap. 5.

Pueri nomen quid sit propriè.

Propriè puer ætatis nomen est: quia verò iuniorum est, maioribus ac senioribus assurgere, obsequi, inseruire, idcirco sæpe ministerij, & obsequij significationem habet. Sic Hispani *moços*, non tam ex ætate, quàm ex officio dicunt. Paulus Iurisconsultus [x] annotauit istum vsum vocis puer, pro seruo. Ambrosius [y] docet senioris ætatis seruulum puerum dici à dominis, vel à quibuscunque potioribus. Confirmat Virgilij testimonio [z], qui hoc (inquit) sequendum putauit, siue eorum vsum, qui sibi docti & sapientes videntur, ipse reperit, siue de nostris ipse transtulit, siue translatum inuenit:

x l. puer. ff. de verb. sign. y lib. 1. de Abraham. c. 9.

z Ecloga 1.

Pascite vt antè boues pueri, submittite tauros.

(cui aliorum pariter alia adiungi possunt [a]) & familiari loquendi formula, qua (inquit) pueros dicimus, quando seruulos significamus, non ætatem exprimentes, sed conditionem. Legi posteà de hoc vocabulo plura dissertàtem Lælium Bisciolam nostrum [b]. Legendus etiam Hieronymus [c].

a Persij satyra 5. & 6.

b 1. horat. subcess. cap. 17. c in c. 1. ep. ad Titum.

Dauid cur puer Dei, aut Domini dicatur.

Dauid porrò frequenter *puer* DEI, seu *Domini*, aut *seruus* vocitatur, quoniam eum ille gloriatur quæsiuisse [d], & *inuenisse secundum cor suum* [e], ita vt quotquot post Dauid boni reges fuerunt, *in viis Dauid ambulasse*, atque *iuxta omnia quæ fecerat Dauid seruus Domini fecisse prodantur* [f]. Prætereà, quia reprobato Saul, electus est à DEO populi gubernator, & veluti DEI ea in re vicarius seruus [g], denique CHRISTI, qui ἀντονομαστικῶς seruus DEI est, ac dicitur, iuxta eum sensum ac moderationem quam anteà præscripsimus, expressus typus fuit, & ipsius personam ita gessit, vt CHRISTO nomen Dauid tribuatur [h]. Lege quæ dixi capite 2. [i] de prærogatiua appellationis serui DEI.

d 1. Reg. 13. 14. e Act. 13. 22.

f 3. Reg. 15. 11. lib. 4. cap. 18. 3. & c. 22. 2.

g Psal. 77. 70. 71.

h Ierem. 30. 9. Ezech. 34. 24. c. 37. 24. Osee 3.

i vers. 18.

Quare fremuerunt gentes.] Hæc in Psalmo secundo sunt, quem hîc auctoritate omnium Apostolorum, & aliorum constat esse Dauid. Ex hoc testimonio, in quo in CHRISTVM conspiratio describitur, quæ in nihilum recidit, & semetipsos animant, & precantur DEVM, vt velit similem in se excitatam persecutionem etiam similem exitum habere.

Fremuerunt.] Vel tumultuatæ sunt, seu congregarunt se, & concitatæ sunt: iuxta vim verbi Hebræi רגש *ragasch*. Græcum verò ἐφρύαξαν, significat quoque extolli, gloriari, superbire, insurgere, frendere.

Gentium nomine qui intelligantur.

Gentes.] Oecumenius existimat sic dici Iudæos compositos ex variis gentibus, in quas erant dispersi. Et tamen CHRISTVS Gentibus traditus est; etiamsi verò hæ non fremuerunt, aut conspirauerunt, aut in CHRISTVM dolos machinatæ sunt, tamen id fecerunt irridendo, & affligendo, vt Hilarius exponit [k]. Nomen גוים, *goim*, id est, *gentes*, aliquando vniuersè sumi, vt Iudæos quoque comprehendat, aliàs notabimus.

k in Psal. 2.

l ibidem.

Vox populi in malam partem.

Populi.] Hilarius [l] hos Iudæos esse ait, intelligendo per Gentes Gentiles. Videtur hoc nomen לאמים *leummim*, id est, *populi*, in numero plurali aliquando in malam partem accipi, præsertim cùm de Iudæis sermo est, qui in bonam partem solent vocari populus, לאם *laam*: malè enim audire solet multitudo, & multi vocantur stulti, & peccatores, ac vulgus imperitum: Iudæi ergo

similes effecti, populi dicuntur. Lege Riberam in Michæam[a].

a cap.1.nu.17. & 18.

Inania.] Κενά, *Vacua*, Hebraicè ריק *rik*, id est, *frustra, sine caussa, inaniter.* Credebant se suis consiliis CHRISTVM concludere posse, & implere quod machinabantur: sed vacua consilia nihil continent. Arctior Arnobij expositio [b] de inanibus ciborum distinctionibus, Sabbatorum feriis, &c. quæ Apostolus [c] vocat *egena elementa.* Irrita fuêre Iudæorum consilia, DEO illa reprobante, prout cecinit idem Dauid [d] de illis atque de Gentibus: *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & dissipat consilia principum.* Vbi Euthymius etiam populos de Iudæis interpretatur.

b in Psal.2.
c Gal.4.9.
d Psal.32.10.

Versus 26.] Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs CHRISTVM eius.

ASTITERVNT *reges terræ.*] In vnum coierunt, & concilia coëgerunt, consultarunt, & deliberarunt. Hebraicum verbum יתיצבו *iythiatsebu*, hoc significat; Syrum קמו *camu*, *insurrexerunt*.

Reges terræ.] Herodes, & Pilatus, de quibus paulò pòst, vt Hilarius exponit.

Aduersùs Dominum.] Hebraicè est nomen DEI Tetragrammaton, יהוה *Iehouah*.

Nemo directè impugnare DEVM intendit, aut nonnisi rarò perditissimus quisque: Iudæi verò *æmulationem* DEI *habebant, sed non secundùm scientiam* [e]. Itaque dum CHRISTO restiterunt, cum DEO ipso pugnauerunt, & omne tandem peccatum contra DEVM est.

Deũ impugnare directè nemo intendit.
e Rom.10.2.

CHRISTVM *eius.*] משיחו *meschicho*, id est, *verum Messiam*, quemadmodum Aben-Ezra è recentioribus Rabbinis, & teste R. Salomone [f], vetustiores omnes intellexerunt. *Qui non honorificat* FILIVM, *non honorificat* PATREM, *qui misit illum*, inquit CHRISTVS [g]. &, *Qui me odit, & PATREM meum odit* [h], &c. *nunc autem oderunt & me, & PATREM meum.* & idem Ioannes in epistola sua*: *Qui non credit in* FILIVM, *mendacem facit* PATREM.

f in Psal.2.
g Ioan.5.23.
h c.15.23.24.
* 1.ep.5.10.

Versus 27.] Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersùs sanctum puerum tuum IESVM, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populis Israël.

APPLICATIO est sententiæ Dauid ad rem propositam de CHRISTO, in persecutione excitata in Discipulos ipsius, & ad similitudinem illius.

Conuenerunt.] Συνήχθησαν. Syrus legit, אתכנשו *ethchannaschu*, id est, *congregati sunt.* Tertullianus [i], *collecti sunt*, qui tamen etiam alibi [k] legit eo modo, quo noster Interpres, addens *vniuersi*.

i libr. de Baptismo.c.7.
k con. Praxeam.c.28.

Verè.] Consentaneè ad vaticinationem Dauid. Hilarius iuxta Græcam phrasim, Ἐπ' ἀληθείας, *in veritate.*

In ciuitate ista.] Desunt hæc in textu Græco, leguntur tamen ab interprete Syro hoc modo, במדינתא *bamrinetha*, id est, *in vrbe*, seu *ciuitate*, à Tertulliano [l], & ab Hilario, & ab Ambrosio, vel Prospero [m] de Vocatione Gentium. Ma-

l citatis locis.
m lib.2.cap.5.

A lè ergo Clarius erasit, & Caietanus superfluere affirmauit.

Puerum tuum IESVM.] Tertullianus, Hilariúsque legunt, FILIVM, necnõ Ambrosius, vel Prosper: & Syrus pariter legens, ברך *berech*, id est, *filium tuum.* Est hoc loco idem nomen Græcum παῖδα, quod versu 25. dixi significare & filium, & seruum. CHRISTO verò non repugnat, immò aliqua ex parte conuenit, vt DEI seruus dicatur, quatenus homo, sicut antè dixi [n], & modum quo dici non possit exposui, paulóque pòst etiam exponam. Quare, etsi non est necessaria, tamen est commendanda Genebrardi annota-

n cap.2.
[illegible]

B tio, potiùs dictum CHRISTVM puerum, quàm seruum, propter CHRISTI decus, *qui*, inquit, *etsi sit seruus* DEI PATRIS, *humanæ formæ ratione, ac propter illam in vnitatem personæ diuinæ inseparabiliter coalescentem, aptiùs dicitur puer, siue Filius* DEI: *vbi enim locutio est periculosa, & intelligentia lubrica, difficilisque, vel propriè est loquendum, vel aliquantò communiùs, ac magis vniuersè, vt subesse possit distinctio.* Quæ quidem annotatio est valdè commendanda, & ob CHRISTI decus conseruandum omninò verbis scriptisque asserenda, quamuis de rigore quodam scholastico commodam habere potest interpretationem, si CHRISTVS seruus DEI dicatur, quoniã Esaias [o] disertè vocat CHRI-

C STVM seruum, necnon Zacharias [p], & alij, & quidem voce Hebræa עבד *hhebed*, quæ propriè significat seruum, vt notat Hieronymus [q].

o c.42.1.c.49.[illegible] 52.13.c.53.11.
p cap.3.9.
q epist.ad Algas.q.2.

Scio Adrianum I. [r] & Concilium Francofordiense [f], vehementer prohibere huiusmodi de CHRISTO appellationem; Chrysostomum nolle, *vt nunc saltem sedenti ad dexteram* PATRIS *tribuatur*, quomodo loquitur dictum Concilium, Athanasium [t], Augustinum [u], Damascenum [x], negare appellationi veritatem respondere propter vnionem hypostaticam: quod etiam voluit Leo [y], cùm dixit, *assumpsisse formã serui sine conditione seruili.*

Nihilominùs potest in aliquo sensu vero CHRISTVS nominari seruus, cùm ipsemet non dubitauerit dicere: *Ascendo ad* DEVM *meum, &*

D DEVM *vestrũ* [z], quod simile quid est, ac si Dominum appellaret: vt docet Hilarius [a], Concilium Ephesinum [b], S. Thomas [c]. Et vt Paulus loquitur [d], *esse* DEI, *sicut nos* CHRISTI *sumus.* Hieronymus [e] monuit de æquiuocatione vocis Græcæ παῖς, cùm tamen pro ea in textu Græco apud Esaiam [f] sit illa, quæ seruum significat. Vbi, inquit, nõ est mirum, si CHRISTVS seruus vocetur, *factus ex muliere, factus sub lege* [g]. Augustinus [h] quoque agens de CHRISTO, indifferenter vtitur voce *pueri, & serui.* Denique quamuis multi sint Patres, quos commemorare superfluum puto, qui CHRISTVM seruum nominari posse affirment: tamen qui pro CHRISTI honore & gloria omne cer-

E tamen subire debent, ab hoc vocabulo, quod semper vilitatem illam conditionis legitimæ præ se fert, debent abstinere, & si aliquando puerum appellare contingat, nunquàm eum tamẽ seruum nominare: potiusque Concilio Francofordiensi, quod disertè id prohibuit, adhærere, quàm rigore scholastico se tueri, qui cùm à paucis fortè intelligatur, errandi aliquam ansam præbere posset, & saltem pias aures hoc nomine ferè iam insueto offendere, quod pace eorum dictum velim, qui ad conditionem humanæ naturæ spectantes, ratione cuius hoc nomen de CHRISTO intelligi posse non dubito, non tam publicè, quàm intra scholas, eũ sic dici posse profitentur.

r ep. ad Episc. Hisp.
f ep.ad eosd.
t hom.13. in ep.ad Heb.
u Ser.3. cont. Ari.
x Tract.[illegible] in Ioan.
y lib.3. de F. de.cap.21.
z Ioan.20.17.
a 11. de Tri.
b epist.ad Nest.
c 3.p.q.20.a.2.
d 1.Cor.3.23.
e in c.42. Esa.
f cap.42.1.
g Gal.4.4.
h 20. de ciu. Dei. c. 18. & libr. de rat. Eccl.c.1.

Ista

Iſta cautione adhibita, Patres intelligas oportet, qui non dubitant, immò etiam cenſent appellari CHRISTVM DEI ſeruum debere. Ex Latinis præcipuè ſunt Ambroſius [a], Auguſtinus [b], Petrus Diaconus [c], Fulgentius [d], Vigilius [e], Gregorius [f], Bernardus [g], Rupertus [h]; ex Græcis Athanaſius [i], Nazianzenus [k] cum Elia [l], Chryſoſtomus [m], Cyrillus Alexandrinus [n], Theodoretus [o]. Ambroſius, qui recuſet concedere quòd CHRISTVS pro nobis ſuſcepit ſeruitutem, Apollinario errore infectum affirmat. Cyryllus negat, ſiquis aſſerat CHRISTVM ſeruum, propter voces Prophetarum, vllo nos offendi modo debere: probat quoque, quoniam quicquid de nihilo productum eſt, ſeruile factum eſt, & rationalis creatura, quia DEO paret, habere ſeruitutem dicitur. Diſſerunt hac de re diligenter Gregorius de Valentia [p], & Franciſcus Suarez [q] noſtri.

Quem vnxiſti.] Vide cap. 2. [r] Hinc verò Tertullianus [ſ] argumentatur CHRISTI vncti diſtinctionem à PATRE, qui vnxit eum. Sed ineptum argumentum eiuſdem videtur contra Marcionem [t], *Corpus* CHRISTVM *habuiſſe, quia qui corpus non habuit, vngi omninò non potuit*, ſiquidem vnctio non corporalis fuit, ſed ſpiritualis, prout ipſemet fatetur alio loco [u].

Herodes.] Diuerſus eſt hic ab illo, de quo in capite 12. vbi de variis huius nominis regibus in hiſtoria Euangelica celebratis diſſeremus. Fuit iſte Antipas Aſcalonitæ filius: Agrippa is, qui Iacobum Ioannis fratrem occidit. Lege Notationes noſtras in Dominicam ſecundam Aduentus.

Pontius Pilatus.] De eodem ibidem dixi, & nonnihil verſu 5. huius capitis, & capite præcedenti [x], vbi docui, cuius ſucceſſor, & quotus Iudææ Præſes fuerit. Quirinus, ſiue Cyrinus totius Syriæ Præſes fuit [y], ac proinde non inter Iudææ præſides, quod Ioſephus [z] facit, numerandus.

Cum Gentibus, & populis Iſraël.] Vel diſtinctio eſt Gentilium à Iudæis, vel vtrumque nomen de his vſurpatur. Lege verſum 25. Hilarius [a] legit, *populis Iſraël*, omiſſo nomine Gentium. Syrus vtrumque habet, dicens עם עממא ובנשא *bhim hhammema vechenſcha, cum populis*, id eſt, gentibus, *& cœtu Iſraël.*

a cp. 47. 5 de fide c. 4. & 6. præfat in Pſ. 36. b cp. 178 ſer. 3. de Temp. c de Incarn. cap. 1. d de fide ad Pet c. 2. e 5. cont. Eutychem. f 2. Moral. c. 16. vel 22. g Sermonib. de Paſſ. Domini. h in c. 3. Zac. i Ser. 4. cont. Arrian. & ep. pro Nicena Synodo. k orat. 1. ſub finem. l ibid. & orat. 15. nu. 73. m To. 1. hom. in id, Quos ego am Deum Deus & hom. 7. in 1. ad Philipp. n anathe. 6. 15. de Trinit. 12. Theſau. c. 15. o in ca. 2. ep. ad Philip. p t. 1. q. 20. Hæreſis plurimi factum. q Tom. 1. diſp. 44. r verſ. 16. ſ cont. Praxeam. c. 28. t lib. 3. c. 15. u lib. de Baptiſ. c. 7. x verſ. 13. y Luc. 2. 2. z lib. 18. Antiq. c. 1. a in Pſal. 2.

Verſus 28.] **Facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.**

FACERE *quæ manus tua.*] Lege verſum 18. capitis præcedentis, & 23. ſecundi. Non refertur hoc decretum ad peccatum crucifigentiū CHRISTVM, ſed ad fructum paſſionis eius, & actus virtutum, quos in ea CHRISTVS exercuit, vt præter Chryſoſtomum, & Oecumenium hoc loco, rectè declarant Leo [b], & Proſper [c].

Manus tua.] Syrus ſic habet, למעבד כל מא דאידך *lemabhad chol ma didech*, id eſt, *ad faciendum omne quod manus tua.* Manus autem hîc eſt potentia, vt exponit Chryſoſtomus. Sicut Lucæ 1. * de Ioanne Baptiſta dicitur, *Etenim manus Domini erat cum illo*, ſiquidem in operibus manus eſt organum organorum, ait Ariſtoteles [d]. Et ſenſus eſt, iuxta Oecumenium, quòd non hoſtes præualuerunt, ſed omnia DEVS moderatus eſt, ac in optimum finem perduxit. Sic etiam apud Ioannem [e] de ouibus ſuis loquens, id eſt, Prædeſtinatis, *Non rapiet*, CHRISTVS inquit, *eas quiſquam de manu mea.*

Decretum Dei non refertur ad peccatum crucifigentium, ſed ad fructum paſſionis. b Serm. 16. de Paſſ. Manus metaphorice quid ſit. c libr. ad excerpta Genu. dub. 7. lib. ad cap. Gal. obiect. 13. 2. de vocat. Gent. cap. 5. * verſ. 66. d de par. ani. e cap. 10. 28.

A Poteſt prætereà manus prædictionem ac prouidentiam, præſertim cum voluntate, ac præcepto, induſtriam, & conſilium, ſapientiam, præſcientiam denotare, vt non ſemel apud Ezechielem [f], Oſeam [g], Aggæum [h], libros Regum [i], Eſdram [k], Ioſue [l]. Idcirco cùm dicitur *manu Domini ſuper aliquem fieri*, ſenſus eſt, illum ei loqui, & aliquid præcipere quadam quaſi vi, & impetu.

Præcipua ſignificatio, & magis frequens eſt pro virtute, ac potentia DEI operantis ſupra vires noſtras, ſed pro variis circunſtantiis refertur ad varios effectus, ad opera mirabilia patranda [m], ad miſerendum [n], ad puniendum [o], ad conferendam fortitudinem [p], ad fructuosè prædicandum [q], ad

B declarandam excellentiam alicuius [r]. Lege Ribeream in Aggæum, Maldonatum, & Toletum in Lucam [ſ], & Pradum in Ezechielem [t].

Deſignant quoque huiuſmodi phraſes ſingularem fauorem DEI, gratiam, & auxilium, iuxta illud [u]: *Poſuiſti ſuper me manum tuam: & manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Sub vmbra manus ſuæ protexit me* [x]; *Iuſtus ſi ceciderit, non colliдetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam* [y]. Nos precemur DEVM verbis Iob, *operi manuum tuarum porriges dexteram* [z]: & ne obſtent ſpiritus maligni, illud inculcemus [a]: *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, vt pupillam oculi*: preſſi tentationibus clamemus [b]: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera*

C *me de aquis multis*: tunc audiemus reſpondentem Dominum [c]: *Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſeruaui te.* Lege Salmeronem Tomo tertio [d].

Inde verò factum eſt, quoniam, vt diximus, manus ceu aptiſſimum, & efficaciſſimum ad opera inſtrumentum, ſignificat potentiam, ſeu potentem vim, & efficacem, vt transferatur etiam ad inanimata. Sic enim vocatur in Scriptura [e] *Manus gladij*, hoc eſt, vis, ac potentia eius, vel ictus vehementior, quemadmodum ei tribuitur os, & deuorandi auiditas. Niſi per Hypallagen dictam manum gladij velimus, pro gladio manus, hoc eſt, manu apprehenſo, vel certè pro manu, vt ita di-

D cam, gladiata, & armata. Lege Pinedam [f].

Simili ratione tribuitur manus iniquitati [g], & malo [h], ſiue tribulationi, & dimitti, aut tradi aliquem in manu eorum, eſt tradi poteſtati eorum, tanquàm tortorum, &c. Prætereà in manu alicuius eſſe, vel tradi, eſt permitti liberæ poteſtati eius. Qua ratione [i] DEVS Satanæ dixit, *vniuerſa quæ Iob haberet, in manu ipſius eſſe*, & ipſummet Iob; *& iuſtorum animæ dicuntur in manu* DEI *eſſe* [k], & quòd DEVS *laborem, & dolorem conſiderat, vt tradat eos in manus ſuas* [l], id eſt, tueatur, & illorum patrocinium ſuſcipiat. Lege Indicem Sà.

Conſilium.] Lege cap. 2. [m] Oecumenius docet, idem hîc ſignificare, quod manum, & potentiam: cui enim potentia ſit, non egere conſilio. Syrus

E vertit, צביאנך *tſebianec*, id eſt, *voluntas tua.* Græcum nomen βουλὴ, vtrumque ſignificat: iuxta rationem verò Oecumenij conuenientius eſſet voluntatem ponere, quàm conſilium.

Decreuerunt.] Προώρισε, *Prædefiniuit.* Syrus habet, רשם *reſcham, definiuit*, vel, *deſignauit.* Alibi dixi de verbis ὁρίζειν, & προορίζειν, vt accommodantur ad prædeſtinationem. Hæc autem propriè eſt ſolùm de re creata, vel de perſona quoque diuina cum relatione aliqua ad naturam creatam, v. g. ad humanitatē. Lege Auguſtinum [n]. Reſpicit autem prædeſtinatio directò terminum gloriæ, ſed ſimul præparationem gratiæ, beneficiorum, me-

Manus prouidentiam ſignificat. f c. 1. 3 c. 3. 22. c. 37. 1. c. 40. 1. g cap. 12. 10. h cap. 1. 1. 3. i 2. lib. ca. 14. 19. li. 3. 18. 46. k lib. 1. 3. 20. l cap. 17. 4. Manus maximè potentiā Dei ſignificat. m 1. Paral. 4. 10. Ezec. 3. 22. n Pſ. 37. 3. Pſ. 118. 173 o 1. Reg. 7. 13. Act. 13. 11. Pſ. 20. 9. p 3. Reg. 18. 46. Manus pro fauor., gratia, & auxilio. q Act. 11. 21. r Luc. 1. 66. 4. Reg. 3. 15. ſ cap. 1. t in c. 1 n 3. u Pſal. 138. 5. x Eſa. 49. 2. y Pſal. 36. 24. z cap. 14. 15. a Pſal. 16. 7. b Pſal. 143. 7. c Eſa. 42. 6. d Tract. 16. Manus gladij quid ſit. e Iob. 5. 20. Pſ. 62. 3. 11. Ier. 18. 21. f in c. 5. Iob. v. 20. nu. 5. Manus iniquitati tribuitur. g Iob. 8. 4. h Habac. 2. 9. i Iob. 1. 12. c. 2. 6. k Sap. 3. 1. l Pſal. 9. 35. Conſilium quid hîc ſignificet. m verſ. 23. n Tracta. 105. in Ioan.

diorumque includit: ita vt vitandi sint Scholastici, vel qui primum duntaxat asserunt, esse prædestinationem[a]: vel qui secundum[b]. Nam vtrumque requirit Augustinus[c], Fulgentius[d], aliique Patres, & Concilium Tridentinum[e]. Vocat etiam Scriptura quosdam præordinatos ad vitam æternam[f]: & vt cognoscerent voluntatem DEI, &c. & prædicarent quoque[g]: tradit præterea, quos prædestinauit DEVS, hos & vocasse, & iustificasse, & glorificasse[h]. Hoc loco decretum consilij diuini, siue prædefinitio, atque prædestinatio est de medio. Legendus quoque B. Thomas[i]. Ceterùm propriè prædestinatio de re tantùm bona est. Nihilominus aliquando de re mala etiam vsurpatur, vt de interitu, de gehenna, &c. Tunc particula, *præ*, non voluntatis, sed æternitatis antecessionem dicit, quia non est obiectum per se voluntatis.

a vt Ocham, Gabr. Rubeo, & alij in 1. d. 40. & Catharinus lib. 1. de præd. c. vlt. li. 3. c. 2. & 3.
b vt Durand. 1. d. 41. q. 1. ad 1. & alij.
c in Enchir. c. 100. 15. de ciu. c. 1. de prędest. Dei, c. 3.
d li. 1. ad Monimum. c. 9. & 10.
e sess. 6. c. 12. & can. 17.
f Act. 13. 48.
g ibi. c. 22. 14. 15.
h Rom. 8. 30.
i 1 p. q. 23. a. 1. & 2.

Versus 29.] Et nunc Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.

ET *nunc Domine respice in minas eorum.*] Non imprecantur aduersariis, tantùm cupiunt remoueri prædicationis impedimentum, pati non detrectantes. *Tempus orationis est tempus mansuetudinis*, inquit Chrysostomus[k], exponens præceptum CHRISTI, quo iubemur orare *pro persequentibus nos*[l], *ideò* DEVM *à se expellit, qui illum à proximo auertit, & facit* DEO *iniuriam*, inquit Augustinus[m], *quia seipsum iudicem constituit, &* DEVM *tortorem.*

k Hom. in c. 5. Matth.
l Mat. 5. 44.
Iniuria Deo fit, quãdo quis mali precatur proximo.
Simplex oratio quid faciat.
m Serm. 4. de Sanctis.

Eximiam autẽ fiduciam declarat simplex oratio, qua DEO præcisè exponimus nostras necessitates, permittentes ipsius bonitati, potentiæ, ac sapientiæ, quid facto opus sit: quemadmodum leprosus ille, qui dicebat: *Domine, si vis, potes me mundare*[n]: & sorores Lazari, *Ecce quem amas, infirmatur*[o]. *Sufficit enim, quasi dicerent*, inquit Augustinus[p], *vt noueris, non enim amas, & deseris.*

n Matt. 8. 2.
o Ioan. 11. 3.
p Tract. 49. in Ioan.

Respice.] Respectus DEI (auctore Augustino, aut quicumque apud eum auctor est Tractatus super MAGNIFICAT[q]) triplex est, *videlicet secundum cognitionem, secundùm gratiam, secundùm iudicium.* De primo: *Omnia*, inquit Apostolus[r], *sunt nuda, & aperta oculis eius.* Secundo modo respicit DEVS solos iustos, quia *oculi Domini super iustos*[s]. Tertius continget in fine, cùm iudex dicet, *Nescio vos*[t].

Respectus Dei triplex est.
q Tom. 9.
r Heb. 4. 13.
s Psal. 33. 16.
t Mat. 25. 12.
Respicere Deus quomodo dicatur.

In genere DEVS respicere dicitur, aspicere, videre, & his similia, quando suã exerit, exercetque potentiam, nunc ad miserẽdum, nunc ad puniendum: vel cùm quid approbat, & in eo sibi cõplacet. Quàm enim facile nobis est oculos applicare ad videndum, tam est DEO, ac multò etiam magis quiduis operari. Sic iratus apud Habacuc[u], *aspexit, & dissoluit gentes*, etsi quidam de conuersione gentium per Apostolos interpretentur[x], alij[y] de euersa idololatria tempore Cõstantini. Sic Dauid de DEO loquens, respiciente terram, affirmat *facere eam tremere*[z]. Contrà verò, *Abel respexit* DEVS[a] oculis approbationis, *& Petrum* CHRISTVS[b] oculis misericordiæ, qui in illius oculos incurrentes, largas, & amaras inde lacrymas elicuerunt: & Matthæum *videndo à telonio abstraxit*[c], & Simonem, ac Andream vocauit, duosque filios Zebedæi[d], & Zachæum à sycomoro[e]. Lege varium vsum verbi aspiciendi apud Ioannẽ Ferdinandũ[f].

u cap. 3. 6.
x Aug. 18. de ciui. Dei c. 1.
y Hieron. in Habac.
z Ps. 103. 32.
a Gen. 4. 4.
b Luc. 22. 61.
c Matt. 9. 9.
d Mat. 4. 18. & seq.
e Luc. 19. 1. & seq.
f in Thesau. Scrip. c. 158.

A *Da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuũ.*] *Vidisti quomodo omnia propter* DEVM *petunt*, inquit Chrysostomus, *& nihil ad suam gloriam; desiderantes, atque, quod in se est, promittentes animum imperterritum.*

Cum omni fiducia.] Μετὰ παῤῥησίας, cuius vocabuli vis iam superiùs exposita est. Syriacè, בגלא *baggela*, id est, *manifestè, in apertione, palàm*, hoc est quod petunt, ne minæ impediant.

Verbi diuini prædicatio maximi momenti res est, & multæ difficultatis; idcirco eget multa oratione. Hanc ea de causa flagitabat à discipulis Paulus[g]: & ex vetere instituto inchoat concionator ab oratione.

Verbi Dei prædicatio multa oratione indiget.
g Ephe. 6. 19. Coloss. 4. 3. 2. Thess. 3. 1.

B *Versus* 30.] In eo quòd manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti FILII tui IESV.

IN *eo quòd manum tuam extendas.*] Dixi aliàs[h] de vtilitate miraculorum, & quomodo peti à DEO possint, sine periculo eius peccati, quod vocatur Tẽtatio DEI. Meminerãt id promissum à CHRISTO sub horam suæ in cœlum Ascensionis[i], & impleri cœptum in claudi miraculo, cuius miraculi fructus, quia tantus extitisset, orant, pergat DEVS ad similia patranda opem ferre.

h cap. 2. 24.
i Mar. 16. 17. & seq.

C *In eo quod.*] Ἐν τῷ ἐκτείνειν, *in extendendo.* Syrus legit, כד אידך מושט *cad aiedech manset*, id est, *quando manus tua extenta sit*, vel, *cùm manum tuam porriges*, &c. id est, Fiduciam concipiemus, si manum extenderis, &c.

Manum tuam extendas.] Manus potentiam significat, vt exposui versu 28. Extendere manum, vel mittere ad aliquid, est incipere opus aliquod: vt capite XII. huius libri[k]: *Misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia.* Prouerb. vlt[l]. *Manum suam misit ad fortia.* Oseæ 7.[m] *Extendit manum suam cum illusoribus*, hoc est, libenter cœpit facere quod ipsi faciebant.

k vers. 1.
l vers. 19.
m vers. 5.

D Denique ex variis circunstantiis varius nascitur huius phrasis vsus. Nam v.g. aliquando extendere manum absolutè positum significat habitum percutere volentis, vel etiam percutientis[n], eademque est vis, cùm dicitur brachium, & manus eleuari[o], seu exaltari[p], & immitti[q], pro quo Hebraicè est verbum, נתן *nathan*, quod ab aliis verbo ponendi, & ex aliorum interpretatione est, verbum dandi. Mittere quoque manum interdum est diripere, quod vulgò dicitur, *Dare il sacco mano*, & Gallicè, *Donner au pillage*, vt in Threnis[r]: *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius.*

Extendere manum varia habet significationes.
n Iob. 1. 11. Esa. 5. 25. 1. Reg. 26. 9. Exech. 6. 14.
o Psal. 101. 11.
p Psal. 9. 12.
q Exod. 7. 4.
r cap. 1. 10.

E Præterea significare potest extensio manuum, vt placet Hieronymo, vel potiùs Philippo in Iob[s], habitum insultantis; quomodo peterent Apostoli minis minacia prodigia opponi. Item significat extendere manum, seu expandere, benefacere, vt apud Esaiam[t], *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum*; in Prouerbiis[u], *Extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.*

s in cap. 11.
t c. 65. 2. Rom. 10. 2.
u Prou. 1. 24.

Ad sanitates.] Syrus, לאסותא *lasuatha*, id est, *ad sanitates*, seu, *ad sanandum.* Græcè, εἰς ἴασιν, *ad sanationem.*

Et signa, & prodigia.] Lege caput secundum[x].

Fieri.] Vt fiant, & edantur.

Sancti.] Lege caput præcedens[y]. Porrò huc aptari potest quæ habetur oratio c. 36. Ecclesiastici, à primis eius verbis.

x vers. 19.
y vers. 14.

Versus 31.] Et cùm orassent, motus est locus, in quo erant congregati: & repleti sunt omnes SPIRITV sancto, & loquebantur verbum DEI cum fiducia.

ET cùm orassent.] Edidit DEVS quandoque signa orationis exauditæ ab se, præsertim per ignem ac nebulam, vt cùm orauit Abel [a], Gedeon [b], Salomon [c], Elias [d], Abraham [e]. Hoc non est adeò frequens, sed potissimùm in legum principiis, vt notauit Chrysostomus, vsurpatum.

a Gen. 4.4. b Iudic. 6. 21. c 2 Paral. 7. 1. & seq. d 3 Reg. 18. 38. e Gene. 15. 17. Mirum in. 1 quod sequitur.

Motus est locus, in quo erant congregati.] Glossa ordinaria, Beda, & Lyranus hæc volunt esse signum exauditionis. Illa verò addit aliam causam, *ad suscitandas mentes fidelium.* Lyranus cum eadem tropologicè significatum, quòd *terrenæ potestates* CHRISTI *fidei essent subiugandæ.* Chrysostomus, & Oecumenius consentiunt, in signo exauditæ orationis. Et adiungunt: *Vt audirent etiam illi diuinam visitationem, & per maiorem terrorem ad maiorem fiduciam inducerentur.* Sic metu metus excutitur hominibus timidis, & equis, quos vocant vmbrosos: vel vt denotaretur ira DEI contra persecutores, benignitas, atque consolatio per repletionem SPIRITVS sancti, de qua mox fit mentio. Beda præter subiugationem infidelium, ponit eorundem quandam quasi exultationem, qualis tribuitur montibus ipsis [f], *quando lege data mota est terra à facie Domini* [g], vt exponit R. Isaac locum Psalmi, apud Genebrardum. Idem scribitur de mari [h]. Ante Bedam Arator sic ad idem propositum cecinerat:

f Psal. 113. 4. 6. g Exod. 19. 19.
h Psal. 113. 19.

— *Horum sub egressibus ergo*
Læta mouetur humus. —

Claudus curatus, & post eius curationem motus terræ, fortassis innuunt imbecillitatem Iudæorum, & eorum qui virtute CHRISTI stabiliendi sint, iuxta id [i]; *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmaui columnas eius.* Videri quoque potest quædam allusio ad commotos indignatione Iudæos contra Petrum, & Ioannem, & iam citatum ab Apostolis Psalmum [k]; *Quare fremuerunt gentes,* &c. Lege caput 2. [l] vbi de spiritu, seu vento vehementi. Postremò innuebatur posse de lapidibus DEVM suscitare filios Abrahæ [m].

De hoc terræmotu aspice. i Psal. 74. 4.
k Psal. 2. 1.
l vers. 2.
m Matt. 3. 9.

Terræmotum DEVS nonnisi graui de causa immittit, vt sub Ozia apud Amos Prophetam cap. 1. [n] vbi Hieronymus, necnon in caput XIII. Zachariæ refert ex Hebræorum opinione causam fuisse sacrilegium ipsius. Alius terræmotus narratur in hoc ipso libro [o], cùm Paulus & Sylla carcere tenerentur. Vnum de signis præcedentibus Iudicium erit terræmotus [p]. Concedo per naturales causas moueri terram posse, etiamsi contrarium Ephrem [q] nitatur probare, & Philaster * existimet hæresim: certum est à naturæ Auctore, & præter naturales causas nonnunquàm procurari, vel ad præsentiam, maiestatemque DEI significandam [r]: vel ad iram [s], hinc Dauid [t]: *Qui respicit terram, & facit eam tremere,* & liber Ecclesiastici [u]: *Cœlum, & cœli cœlorum, abyssus, vniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur: montes simul, & colles, & fundamenta terræ, & cùm conspexerit illa* DEVS, *tremore concutientur.* De terræmotu paulò ante CHRISTI aduentum anno septimo Herodis, Ribera Aggæi 2. de alio in passione eiusdem, & alio in Resurrectione, Baronius [x], & Interpretes Euangelistarum [y]. Paulò antequàm Paulinus Nolæ Episcopus DEO animam redderet, cubiculum, in quo iacebat, contremuit. Cùm item Michaël Archangelus apparuit in Gargano monte, & alia in aliis historiis extant exempla.

Terræmotum causa naturales & supra naturales. n vers. 1.
o cap. 16. 26.
p Apoc. 6. 12. 14. Mat. 24. 7.
q tom. ser. de hac re. pag. 30.
* de hæres. 14.
r Psal. 67. 9. & Ps. 97. 7. 8. 98. 1. Psalm. 113. 7. Ioel. 2. 10.
s Psal. 17. 8.
t Psal. 103. 12. Ps. 45. 7. Ioel. 3. 16. Agg. 2. 22. Matth. 27. 51. & c. 28. 2.
u cap. 16. 18.
x Tom. 1. Annal.
y Matth. vlt. Marc. 15. Luc. 23.

Vt rem insolitam, & miram Scripturæ memorant, motam à DEO terram non citatæ modò ad marginem, sed etiam liber Iob [z], in quo sic est: *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.*

z cap. 9. 6.

Vbi Didacus Stunica illi opinioni adhæresit, quæ auctores habet Pythagoricos, & sectatores, Copernicum [a], & Cœlium Calcagninum [b], & Andream Cisalpinum [c], terram naturali perenni motu moueri. Eam opinionem falsitatis, ac temeritatis conuincit inter alios Clauius noster [d], & Pineda in Iob [e]. Lege etiam Riberam in Amos, & Apocalypsim, vbi tum antiquos, tum recentes terræmotus prodigiosos, sed naturales, ex probatis auctoribus recenset. Quin etiam periculosa, & Fidei repugnans videri potest dicta sententia, quoniam Sapiens dicit [f], *quod terra in æternum stat,* vbi est verbum Græcum ἕστηκε, *stetit,* & in Hebræo habetur, והארץ לעולם עומדת *vehaarets lehholam hhomadeth,* id est, *terra autem in æternum fixa, & consistens est.* Vnde fit, vt duæ hæ editiones, sicut & nostra, consistentiam, ac statum motui oppositum significent. Etsi fateor, stare terram, significare, posse perseuerare in eodem statu suo, veluti generationis, prætereuntes & aduenientes, résve quæ generantur & corrumpuntur, excipiendo. Lege loci illius commentarium nostrum. Idem persuadent alij modi loquendi Scripturarum, quibus dicitur terram esse fundatam [g], firmatam [h], consistentem [i], non [k] commouendam, non [l] inclinandam in seculum seculi, fundatam super stabilitatem suam, solidatam [m] quasi basibus, immobilem [n]. Respondere potest intelligi hæc omnia de perpetuitate terræ, atque de imperceptibili motu ipsius. Sed est profectò huiusmodi responsio ista, motúsque, vt percipi secundùm rationem non possit. Immobilitatem terræ solent Patres in diuinam referre voluntatem, atque potentiam, præsertim Nazianzenus [o], & Basilius [p]: Aristoteles verò atque Seneca sententias plures de ea recitant.

An terra naturali perenni motu moueatur.
a in suis resolut.
b opusc. de motu terræ.
c 3. q. Peripat. q. 6.
d in Sphær. in cap. 1.
e cap. 9.
f Eccl. 1. 4.
g Psal. 23. 2.
h Ps. 92. 1. Ps. 135. 6.
i 2. Pet. 3. 5.
k Psal. 92. 2.
l Psal. 103. 5.
m Iob. 38. 6.
n 1. Paral. 6. 30.
o orat. 34.
p in c. 13. Esa.

Repleti sunt SPIRITV *sancto.*] Ad eum effectum, qui subditur: *Et loquebantur verbum* DEI *cum fiducia.* Lege versum octauum. *Reaccensi sunt* SPIRITV *sancto,* inquit Chrysostomus, *& reaccensum in ipsis charisma.* Lyranus ait, *datum augmentum gratiæ, & charitatis.* Verisimile est hoc, nec tamen repletio, de qua hîc sermo est, necessariò illud significat, vt docui citato loco.

Et loquebantur verbum DEI *cum fiducia.*] Et domi, & foris. *Iam non metuunt, quia cor eis* SPIRITVS *sanctus mutauit,* inquit Gregorius [q].

q lib. 1. in c. 10. Reg. post medium.

Versus 32.] Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

MVLTITVDINIS *autem.*] Hinc incipit tertia pars capitis de vnitate fraterna. Hunc locum tractare integro sermone Augustinus [r] volens, non contentus, pro more, priùs recitatum à Diacono, codicem ipsum capiens, *Etiam ego,* inquit, *legere volo: plus enim me delectat huius verbi esse lectorem, quàm verbi mei disputatorem.*

r serm. 50. de Diu.

Credentium.] Πιστευσάντων, *Qui crediderant.* Syrus

 sic legit,

A sic legit, לכאנשא דאנשא אילין דהימנו *lecanscha danescha ilen dehaiemenu*, id est, *erat autem*, supple, *congregationi hominum illorum, qui crediderant*, vel, *cœtus hominum illorum, qui crediderant*: videtur tamen vnum ex nominibus appellatiuis sectatorum CHRISTI, vt Credentes dicantur, quemadmodum vt Fideles. Lege Notationes nostras in Euangelium de Samaritana, cùm de nomine CHRISTI, & Christianorum disserimus.

* vers. 44. & seq.

Vnio animorum genuina tessera Discipulorum Christi.

a Ioan. 13. 35.

b Eph. 4. 3.

c c. 32. 39.

d Auctor Adagiorum Ciceronem citās, & Gellium, & Laertium, & Platonem.

e lib. 2. c. 13.

Erat cor vnum, & anima vna.] In cap. 2.* loci & facultatum inter fideles communitas expressa est, iam verò, quæ nec tunc quidem defuit, longè maior ac perfectior animorum, & voluntatum, omninò genuina tessera Discipulorum B CHRISTI [a], quia scilicet, vt Euthymius ait, *charitas erga nos in magistro nostro* CHRISTO *inter omnes alias virtutes potissimùm eluxit. Hac est vnitas* SPIRITVS *in vinculo pacis* [b], *hoc est cor vnum, & via vna*, quæ promisit DEVS per Ieremiam [c]. Pythagoram produnt [d], vt illius prouerbij, de quo egimus dicto capite 2. Τὰ τῶν φίλων κοινὰ πάντα, *Amicorum communia omnia*, sic istius auctorem sententiæ fuisse: Φιλίαν ἰσότητα εἶναι, καὶ μίαν ψυχὴν, καὶ τὸν φίλον ἕτερον αὐτὸν, *Amicitiam, æqualitatem esse, & eandem animam, & amicum, alterum ipsum.* Aristoteles in magnis Moralibus [e]: *Cùm demùm*, inquit, *voluerimus impense amicum dicere, vna mea, & huius anima est, dicere solemus.* C Dixi de hac re nonnulla in capite etiam primo, disputans de nomine fratrum. Figmentum fuit de amantibus, qui Vulcano se refundendos, vt è duobus conflaret vnum, tradere voluerint. Hoc diuinus præstat ignis. Celebris quoque Sallustij [f] sententia, quæ placuit Hieronymo [g], Ennodio [h], Cassiano [i], Sidonio [k], Petro Cluniacensi [l], Ioanni Salisber. [m] Minutio [n], Senecæ [o], Apuleio [p]: *Idem velle atque idem nolle ea demùm firma amicitia est.* Narrat autem Diodorus Siculus [q], si Rex apud Æthiopas, vel quispiam de amicis, vulnere, alióve incommodo affectus esset, ceteros non animi duntaxat, sed corporis quoque sympathia illum prosecutos, ita vt idem infligerent sibi. Hac ratione vno ciuili patiente membro, compatie- D bantur & reliqua. Eôdem referri, præter alia, potest Lacedæmoniorum in ineundis bellis consuetudo; priùs enim concordiæ sacrificabant, vel quia belli finis concordia est, vel quia concordia militum parit victoriam. Sic isto maximè principio primam oportuit aciem Ecclesiæ arctissimam tenere, tuerique concordiam.

f in coniur. Catil.

g ep. ad Demetr.

h in Eupre- pia.

i collat. 16.

k lib. 5. ep. 3. & 10.

l lib. 4. ep. 21.

m Polycrat. li. 3. cap. 4.

n in Octauio.

o ep. 109.

p in Philosophic.

q lib. 3.

Quomodo fuerit Discipulorum vnū cor & vna anima.

r homil. 33. in Genes.

s 2. de Trinit.

t Procem. ad lib. de Mori.

u Ser. ad Milites tēpli, c. 4.

x 1. Pædago. cap 5.

y libr. 1. in 1. Reg. c. 1.

Perfecta abrenunciatio mo-

Erat omnium cor, & anima vna, non quòd vnam animam habuerint omnes, vt ait quodam loco Chrysostomus [r]: *Quomodo enim hac in diuersis corporibus fuerit? sed concordiam illorum nobis demonstrat.* Hilarius [s] hanc vnitatem consistere dicit in vna fide, & spe, Baptismo, voluntate, & CHRISTO, quem E vnum omnes induerant. Basilius [t] in quærenda vna voluntate DEI. Bernardus [u] in obedientia, quam vni omnes exhibebant. Clemens Alexand. [x] iungit obedientiam cum simplicitate: *qua velut infantes vnum* DEVM PATREM *vocamus, & inuocamus*, aitque *nos amatores esse vnicornis cornu*, scilicet *non solùm quia Crucis figura factum est, & salubrem vim habet contra venena, sed quoniam vnicum est, & vnitatis amorem designat.* Gregorius [y] *in eo, quòd per intentionem rationis solùm conditorem aspiciebant, & per affectionem amoris solam eius faciem videre desiderabant.*

Addit hanc demùm esse perfectam abrenun-

A ciationem, quæ Monacho nomen tribuat, *vt vox nominis illius insinuet altitudinem dignitatis, & animus tantò ardentiùs ad Conditoris visionem se erigat, quantò sublimitatem, in qua semper debet consistere, quasi in fronte prælatam portat.* Itaque videtur Gregorius [z] Monachi notionem, non ad vnius tantùm DEI referre obsequium, quæ notio primùm à Dionysio [a] allata fuerat, sed ad vnanimem quoque inter se plurium circa idem obsequium DEI consensum; quæ duo inuicem iuuantur, & confouentur, quippe quæ sunt charitas DEI, & proximi.

nachi vis fuit.

z Ibid.

a Eccl. Hier. Cap. 6. ...

Proinde rectè Leo [b] ex corde hoc vno, & anima in Fidelibus istis vna, colligit paratos fuis- B se pro eo mori, quem popolcerant crucifigi. *Qui sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant*, inquit Augustinus [c], *vt sit illis verè quod scriptum est, vna anima, & vnum cor, multa corpora, sed non multæ animæ*, rectè dicitur μόνος, id est, vnus, solus, &c.

Cor vnū & anima vna ... fuerint.

b Serm. ... de Pass.

c in Psal. 132.

Meritò insultant nomini vnitatis, ac monachi, Donatistæ, qui se ab vnitate præciderunt: meritò illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus, sed sequentes Donatum, CHRISTVM *dimiserunt.* Debet quidem sanè communis esse in omnibus Christianis concordia ista, vt Cyprianus [d] præsertim, & Augustinus [e] hinc vrgent; è quibus Augustinus affir- C mat, maiorem esse fraternitatem CHRISTI, quàm sanguinis, quia illa similitudinem tantummodò corporis refert, hæc vnitatem cordis, animæque demonstrat: sed multò esse in Religiosis arctiorem oportet, ac insolubilem, vt Augustinus docet [f].

Hæretici nomen monachorum ...

d libr. 4. ep. 4. Tract. de vnita. Eccles.

e Serm. 25. de verb. Apost.

Vnio in Religiosis maxima esse debet.

f ep. 109.

Desiderat Chrysostomus [g], & deesse lamentatur in sui temporis Christianis id vinculum charitatis, frustraque ab Episcopo pacem in Ecclesia omnibus annunciari, eandémque spiritui ipsius vicissim alios adprecari. At Bernardus [h] querimoniam de Monachis intendens exclamat: *Vbi nunc illud vnanimitatis exercitium? Fusi sumus exterius, & de regno* DEI, *quod intra nos est* [i], *relictis veris ac* D *perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem, de vanitatibus ac insaniis falsis; ac iā religionis antiquæ non solùm virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus.*

g homil. 33. in Matth.

Pax vbi ... Conspirationem in Abbas ... solebant.

h epi. ad Guliel. Abb.

i Luc. 17. 21.

Orauit aliquando PATREM CHRISTVS [k], *vt Fideles vnum essent, sicut ipse cum* PATRE, imitatione videlicet, ac nexu charitatis, non æqualitate, & vnitate substantiæ, vt Augustinus [l], præter alios passim expositores, ex tam multorum corde vno, & anima vna, scitè argumentatur.

k Ioan. 17. 11.

l Tract. 14. & 39. in Ioan.

Vnde oppositum quidam Hæretici perperàm inferebant, vt refert Hilarius [m], vltra Interpretes, & Ambrosius [n], & Paschasius [o], nempe non aliam in PATRE & FILIO, quàm voluntatum esse vnitatem, atq; consensum; aut non aliter dici CHRI- E STVM DEVM, & hominem, vt de aliis meminit Ioannes Maxentius [p], quàm secundùm duarum personarum socialem vnionem. Arator [q] hinc TRINITATIS mysterium confirmat:

Hæretici male colligebant ... vnitatem ... Trinitate.

m li. 8. de Tri.

n 4. de fide cap. 1.

o libr. de cor. Christ.

p in Respons. ad epist. Hormisd.

q li. 1. in Act. ...

Quis dubitare queat mysteria dogmatis, vnum
Personas tres esse DEVM *ticùm millia vulgi*
Conueniant sub mente pari, Numenq; sequentes
Sint animis velut vnus homo!

Porrò sicut in S. Trinitate SPIRITVS sanctus vocari solet nexus, & amor, quo vniuntur aliæ Personæ: & præterea quemadmodum, vt dixit Poëta [r], in hoc mundo, *Spiritus intus alit*; & iuxta Platonicos, vna anima mundi, perinde vt vnius animalis: ita SPIRITVS idem san-

Spiritus sanctus auctor ... concordiæ ... fideles.

r 6. Æneid. longe à medio.

ctus tantæ

ctus tantæ inter Fideles concordiæ auctor erat, estque, eritque in Ecclesia, quam vnam profitemur, etiamsi eam discindere, ac dissecare conentur Hæretici, & Schismatici, vt quondam Arrius, vt ostendit Petro Alexandrino CHRISTVS ætate duodenni cum lacera veste.

Nil magis odit DEVS, *quã seminantẽ inter fratres discordias* [a]. *Nil æquè molestum Dæmoni vt concordia*, sicut quodam loco ait Bernardus [b]: *si enim de ieiunio agatur, ipse nunquã comedit: si de vigiliis, nõ dormit: si de paupertate, nihil habet: si de continentia, hæc ei naturalis est: concordiã agerrimè fert teneri in terra, quam non potuit conseruare in cœlo.* Idem piissimus Pater [c] mirè sociat vnitatem cum diuisione in hac vita, cumque spiritu multiplici variis donis, propria cuique tolerantia, propria quoque nonnunquàm in terrenis agendis sententia. Item coniungit vnitatem cum sectione non volatilium, sed animalium, in sacrificio Abrahæ, hæc enim volatilia, & animalia idem Pater valdè distinguit.

a Prou. 6. 19. Dæmon maximè odit, interta concordiam.
b de modo ben. viu. c. 41.
c Ser. 2. de Septuag.

Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.] Cyprianus ita legit [d]: *Turba autem eorum qui crediderunt, anima vna, ac mente agebant, nec fuit inter illos discrimen vllum.* Græcè, οὐδὲ τις τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον εἶναι, *neque quis eorum bonorum quæ ipsius erãt, dicebat esse (quid) proprium.* Alij codices, οὐδὲ εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων, &c. *neque vnus aliquid bonorum*, &c. Idem Cyprianus [e] colligit maioribus populum istum credentium viguisse tunc virtutibus, nouo adhuc fidei calore feruentem: talem in operibus cumulum in eo fuisse, qualis erat in dilectione consensus: veram natiuitatem filiorum DEI expressisse in se, ac lege cœlesti æquitatem DEI PATRIS imitatos esse, à cuius nemo beneficiis ac muneribus arcetur, quò minùs æqualiter bonitate, ac largitate diuina perfruatur.

d 3. Test. c. 3.
e Ser. de eleemos.

Ex vnione animorum nascitur communio rerum externarum, *vt qui eodem consortio religionis tenebantur*, inquit Augustinus [f], *eodem consortio fruerentur & vita*, hoc est, *vt quibus erat vna fides, esset vna substantia: quibus erat communis CHRISTVS, communis esset & sumptus. Nõ quærit charitas quæ sua sunt* [g], sed sua reddit communia. Acutè, & verè Dionysius quidam Philosophus risu excipiendum dicebat diuitem, qui sibi pauperem amicum esse affirmaret: *Si enim*, inquiebat, *amicus est, tu quomodo diues, ille pauper?*

Ex vnione animorum nascitur communio rerum.
f Serm. 25. de verb. Apost.
g 1. Cor. 13. 5.

Contrà verò litium ac discordiarum seminarium exoritur ex MEO, & TVO, vt sæpe inculcat Chrysostomus [h]; vnde etiam Poëta nescio quis:

Si duo de nostris tollas pronomina rebus,
Prælia cessarent, pax sine lite foret.

Meum & tuum omnium discordiarum seminarium.
h hom. 13. in Genes.

Aristoteles quoque [i], *Maiorum nobilitatem, & diuitiarum abundantiam fontem vocat seditionum.* Fertur, duos Monachos, cùm semper summa inter se concordia vixissent, alter verò, quid esset discordia, nosse cuperet, alterum docuisse, si propositum in medio laterem ille suum affirmaret, ipse item suumidque cùm semel, iterùmve experti essent, alterum discordiæ impatientem, alteri laterem cessisse. Gregorius Thaumaturgus, teste Nysseno [k], lacum, dissidij inter fratres causam, penitus arefecit. Priùs relinquenda tunica ei, qui abstulit, insuper & pallium [l], quàm animi relinquenda tranquillitas, & erga illum concordia, cùm tamen alioqui rem suam iniquè ablatam iure liceat repetere. Claudat Papa Gregorius hunc locum, cùm quadam epistola [m] Theotimum medicum, quàm diligeret ex animo declarans, docet absurdè Philosophos nonnullos vnam duobus in corporibus animæ constituisse substantiam: hoc fieri non posse, verùm, si quod hîc traditur, ipseque in seipso aduersùs Theotimum experiatur, fiat vt cor vnum voluntásque duorum pluriumque occupet mentes, tunc demùm vnam animam in duobus corporibus pluribusque posse consistere. De hac re consule quæ attulimus cap. 2. [n]

i 5. Politic. c. 1.
Monachorũ mirum ... [illegible]
k in vita.
l Mat. 5. 40.
m lib. 2. ep. 66.
n vers. 44.

Addere libet, huiusmodi abdicationem, quam ibi ex voto factam attigimus, displicere vehemẽter Hæreticis, qui propterea illam pernegant: nec minùs eam contra Anabaptistas certæ sectæ Hæreticos pugnare, qui hoc vitæ genus omnibus Christianis dicunt esse necessarium.

Rerum omnium abdicatio Hæreticis displicet.

Posterior error vel inde conuincitur, quòd non distinguit consilium à præcepto, supererogationis opus, & perfectionis ab opere simpliciter necessario: de qua distinctione, quod ad rem præsentem pertinet, disertissimè Augustinus [o]. Qui priorem errorem tuentur, Caluinus, Bullingerus, Pomeranus, & alij contendunt, ius proprietatis, ac possessionis mãsisse apud illos fideles, solùm inter se coniunctos fuisse more amicorum, quibus dicuntur omnia communia.

o Serm. 61. de Temp. & lib. de virg. ca. 14. & 30. & Ser. 11. de verb. Apost.

Hoc si esset, quorsum venderent, ac pretia ad pedes Apostolorum deponerent? hæc est enim perfecta, & absoluta abdicatio: quomodo nemo suum aliquid esse dicebat? qui enim dominium retinet, dicere potest rem esse suam. Quocirca meritò capite sequenti [p], fraudatores appellantur illi, quibus res manens manebat, vt propria, priusquàm venundatæ pretium attulissent: & mentitos affirmat Petrus SPIRITVI sancto, cui fidem promissæ, ac datæ iam rei fallebant. Tandem vt rem insignem, & primæ illius ex Iudæis coalitæ Ecclesiæ propriam Lucas narrat.

Qui suis rebus renunciabãt, non retinebant earũ dominium.
p vers. 1.

Larga verò, & liberalis eleemosynarum erogatio Gentilium quoque fuit conuersorum ad CHRISTVM, vt Paulus testis est in epistola ad Romanos [q]. Differentia ergo est, in religiosa, & voto adstricta priorum illorum abdicatione, Ecclesias námque Gentilium Augustinus [r] quid simile negat fecisse, vt se voto, quemadmodum illi, DEO dedicarẽt. Lege Stapletonum in Antidotis.

Inter conuersos Gentiliũ & Iudæorũ quæ fuit initio differentia.
q cap. 15. 27.
r 3. de doct. Christ. cap. 6.

Obiici hîc posset, Ioannem *in sua*, εἰς τὰ ἴδια, CHRISTI Matrem accepisse [s]. Respondeo, quicquid sit de domo, quam Ierosolymis eum habuisse dicunt, in qua CHRISTVS supremam cœnam celebrauerat, dixi enim de hac re in cap. 2. [t] Rupertus ac Beda exponunt, *in sua officia, & curam, vt ex opibus fidelium benignitate aggregatis ipsi pro illa, & pro se necessaria suppeditarentur.* Est autem valdè consentaneum, B. Virginem, quemadmodum virtutum aliarum, sic paupertatis quoque exactum præbuisse documentum, & exemplum.

Ioannes qua ratione in sua B. Virginẽ receperit.
s Ioan. 19. 27.
t vers. 13.

Prætereà posset quis obiicere sequi communes vxores fuisse; quod senserunt posteà Nicolaitæ, & visus est Plato in ficta republica sua desiderasse. Cælibem agebant vitam quotquot per votum sese rerum omnium possessione abdicabant: & si priùs iuncti matrimonio erant, ex consensu continebant. Postremò credibile est, regendos Apostolis se permisisse, ac obedientiæ tertium votum nuncupasse, atque seruasse.

Qui se suis rebus abdicabant cælibem vitam agebant.

Ceterùm longè pòst deprehensum est aptiùs per eiusdem ordinis Religiosos gubernari ordinem ipsum, quàm per Episcopos; vt idcirco ab horum iurisdictione, Pontifice sic indulgente & concedente, sint exempti, certis exceptis casibus, quos Tridentinum concilium expressit [u]. Lege

Religiosi per eiusdem religionis homines gubernari satius deprehensum.
u Sess. 25. de reform. reg. & monial.

a lib.4.ep.43. ad Cast.Epis. & lib.7.ep.18. & lib.11.ep.8. b Clem.Du dũ.de sepult. c lib.1.epi.28. ad 17.obiect. d Tract.19.

Gregorium [a], & Bonifacium VIII. [b] & Petrum Cluniacẽsem [c], qui Bernardo super hac re satisfacit, cuius contraria videbatur sententia. Digreditur nonnihil quoque Salmeron, hoc loco [d], vt exemptionis istius vtilitatem, imò necessitatem demonstret.

Versus 33.] Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis IESV CHRISTI Domini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis.

ET *virtute magna.*] δυνάμει, potentia in edendis miraculis, fiducia, & libertate in prædicando, prout in priore oratione à DEO flagitauerant, & de se Paulus testatur ad Corinthios [e]. Syrus habet, ובחילא *vabchaiela*, id est, *in robore & fortitudine.*

e 1.epist.2.4.

Apostoli.] Tum quia erant Ecclesiæ duces, ac primi prædicatores: *concordia enim charitatis*, inquit Beda, *est ordinata, vt non omnium sit docere*: tum quia vt non semel monui, hæc illis cura de testificanda CHRISTI Resurrectione peculiariter mandata fuerat, veluti quoddam depositum, quod innui notát Chrysostomus, & Oecumenius verbo proximè præcedenti, *reddebant*, ἀπεδίδουν: tum denique quoniam nullis sæpiùs, & manifestiùs per dies quadraginta [f] CHRISTVS Resurrectionem suam manifestauit. Et verò faciebant id confidentiùs, quòd, vt ex dictis constat, sua non quærebant, quibus abdicauerant sese, sed vnum DEVM, & aliorum salutem.

Concordia ordinata est, vt non omnium non sit docere.

f Act.1.3.

Et gratia magna erat in omnibus illis.] Sicut in capite 2. [g] Gratiam habentes ad omnem plebem, id est, Gratiosi, chari, & accepti erant: vel gratia internæ sanctitatis reddebat illos DEO gratos: vel inuicem gratia valebant amantes se, & iuuantes. Communior est postremus sensus, atque etiam tum præcedentibus, tum consequentibus aptior ex aliis primus, iuxta quem intelligi potest, profecisse CHRISTVM gratia apud homines [h]. *Erant sicut filij in domo paterna honoris eiusdem*, inquit Chrysostomus. Syrus habet, טיבותא *taibutha*, id est, *gratia & bonitas.*

g vers.47.

h Luc.2.vlt.

Magna.] Omnia magna, virtus, & gratia, signa quoque, & prodigia Stephani [i], in aduersariis timor ac metus, &c.

i Act.6.8.

In omnibus illis.] Videri posset de solis Apostolis sermo esse, de quibus proximè facta mentio est. Existimo tamen etiam de aliis, & hoc sibi velle illud, *omnibus.*

Versus 34.] Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant.

NEQVE *enim quisquam.*] Dictio *enim* arguit gratiam in illis fuisse cum relatione ad seipsos, vt nominatim obseruat Chrysostomus, *ob magnam dantium*, inquit, *alacritatem nullus erat indigus.* Syrus legit, דצריך *datsrich*, id est, *cui opus aliqua re esset.* Quæ huc spectant, à nobis tractata sunt capite 2. [k] vbi cur non esset quispiam egens, causa redditur. *quoniam diuidebatur omnibus, prout cuique opus erat*: quod repetitur versu sequenti. De mendicitate necessaria, déque spontanea, & religiosa dixi c.3. [l] Mysticum est, quòd Augustinus *nullum egentem tunc fuisse* interpretatur, *propter abundantiam cœlestium diuitiarum*, quod Apostolus ait [m] *esse diuitem in bonis operibus*, & Petrus [n], ac Ioannes [o], *locupletem.*

k vers.44.

l vers.2.

m 1.Tim.6. 1.Cor.1.5 & 4.8. n 1.Pet.1.4 o Apoc.2.9 p vers.41.

Possessores agrorum aut domorum.] Iam nõ potest Caietanus de domibus dubitare, sicut in cap. 2. [p] vbi tamen & has comprehensas dixi.

Erant.] Frustrà idem Caietanus hæret, an referatur ad possessores, an ad vendentes; perspicuè enim refertur ad possessores, vt etiam expressit Syrus hoc modo, גיר דקנין הוו קוריא ובתאמובנין הוו *gher daknin hauu kuraia vbathamezbanin hauu*, id est, *nam qui possidentes erãt agrorum & domorum, vendentes erant*, vel, *illi enim qui possidebant fundos, & domos, vendebant.* Et textus Græcus, ὅσοι γὰρ κτήτορες χωρίων, ἢ οἰκιῶν ὑπῆρχον.

Vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant.] Chrysostomus [q]: *Vide dilecte*, inquit, *quomodo non permittebant Apostolos vendere, sed ipsi vendebant, & illis pretia dabant.* Significat nimirum voluisse fideles liquidiùs liberales esse, & Apostolos liberare molestia distrahendi, & vendendi. Sunt qui liberales videri volunt, etiamsi res donent litibus intricatas. CHRISTVS proponens perfectionis viam: *Vade*, inquit [r], *vende quæ habes, & da pauperibus.* Vltimum nostri hi fideles fecerunt, quia Apostolis in pauperes distribuenda attulerunt.

q hom.11.

Fideles quomodo liberales fuerint.

r Matth.19.21.

Basilius [s] eos, qui se DEO consecrant Religionis voto, & facultates non pauperibus, iuxta CHRISTI consilium, sed parentibus, vel amicis erogant, affirmat sacrilegium committere [t]: itémque si propinqui denegent iis, qui ad Dominum accedunt, ea, quæ ad ipsos pertinent. Cauendum verò, ne hæc ipsa in oculis illorum consumantur, ne causa præbeatur sese efferendi, contraque pauperibus, qui ad eandem vitam se contulerunt, dolendi.

Religiosi non parentibus, sed pauperibus sua conferant debent.
s Reg. 9. ex fusis.
t Reg. 5. ex breu.

Problema certè potest esse, vtrùm præstet, Religiosis pauperibus eius ordinis, cui te aggreges, bona tua eleemosynæ nomine largiri, an aliis paupertatem similiter patientibus. Videtur Basilius iam citatus secundum malle, eique fauere præsens exemplum, & ratio ex mali nominis de auaritiæ periculo petita, sed primum Benedicto placuisse ferunt [u], causam hanc etiam assignanti, *vt plures eo modo in DEI familia sustententur*: cui adde rectum ordinem charitatis.

Problema: bona sua pauperibus sui ordinis an aliis.

u in vita.

Equidem SPIRITVM Domini multiplicem scio; nec ausim inter tantos viros arbitrium interponere. Præsens factum trahi in exemplum non potest, quia res erat cum solis fidelibus, & ex primitiuo SPIRITVS instinctu. Secunda opinio simpliciter præferenda est: prima in periculo infamiæ, cùm sit *melius nomen bonum, quàm diuitiæ multæ* [x]: sicut Paulus alieno sumptu viuere noluit [y]: licèt id aliis permitteret, ac optimis rationibus licere confirmaret.

x Prou.22.1. y 1.Cor.9. 1. Thess.2. 2.cap.3.8. Act.20.33.34.

Versus 35.] Et ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.

ET *ponebant ante pedes.*] Παρὰ τοὺς πόδας, *ad pedes*: sic Syrus, לות רגליהון *leuath ragleiehun*, id est, *ad pedes ipsorum.* Multæ huius rei causæ afferuntur. Prima est, ob reuerentiam erga Apostolos, quorum pedibus accidentes pretia offerrent.

Cur fideles ponebant ante pedes Apostolorum pretia.

De reuerentia est communis expositio Interpretum,& Chrysostomi alio loco [a]. De genuflexione affirmat Glossa interl. & Hugo.

Mos antiquus fuit, pedes sanctorum virorum amplecti,& Monachorum,& Episcoporum. De Episcopis,Hieronymus [b], Ambrosius [c],Augustinus [d],Suidas [e] : de Monachis, Chrysostomus [f], qui ait,*honestius esse illorum tangere pedes, quàm aliorum caput*. Quid ergo mirum,aut nouum, aut à ratione alienum, si summi Pontificis in terris vices CHRISTI gerentis pedes ritè exosculentur, ac piè omnes Christiani?Si enim regiæ statuæ fas est apprehendere pedes propter regiam figuram, licebit illius,qui officio, & dignitate CHRISTVM repræsentat. Et cùm pœnitentibus solenne fuisse testetur Tertullianus [g], *lambere omnium, qui astarent, vestigia*; laudabile erit id exhibere Pastori œcumenico. Sic enim oportuit vaticinia Esaiæ [h], quæ hanc adorationem continent,quando in se CHRISTVS noluit, in suo Vicario impleri. De locis Esaiæ lege Augustinum [i], & Prosperum [k], atque Leonem à Castro [l]. Patres Orientales in epistola ad Symmachum Papam, profitentur se cupere adorare vestigia eius [m].

Scripsit de osculatione pedum Pontificis Ioseph Stephanus eruditum opusculum, & nonnihil etiam Thomas Bozius in Ecclesiæ notis [n]. Exemplum huius erga Petrum honoris in Cornelio videbimus cap.decimo [o].

a homil. in id cap. 11.1.Cor. Oportet hæreses esse. Tom.4.& homil. 33. ad pop. *Pedes Sanctorum olim ameantes antiquum fuit.*
b epist. 61.ad Pam.
c lib.de dign. Sacerd.c. 2. *Eorum summum pedes exosculari fas est.*
d Serm. 21.de verb Apost.
e in Leontio.
f hom.59. ad pop.Ant.
g Apol. c.12.
h c.49.23.c.60. 14.
i de vnit.Ecc. c.7.
k 1.p.de Præd. c.31.
l in Esaiam.
m Tom.2.ep. pont.
Qui deosculentur.
n lib.20.c.3.
o vers.25.

Secundam causam priori similem dat Chrysostomus,& Oecumenius, vt fastum vitarent, & modestiam, atque humilitatem retinerẽt in exercitio tam strenui operis, vt sic etiam simul consulerent pudori eorum, qui nihil habebant, quod conferrent,sed ex alieno viuebant. *Maioris ducebant*,inquit Chrysostomus [p], *quòd ab eis reciperentur,quam quod darentur dona : hoc enim potissimum est contemnere opes,hoc est pascere esurientẽ CHRISTVM, si absque arrogantia & fastu id facias, sicque des,quasi tibi ipsi plura quàm danti beneficia dare videaris*. Confirmat exemplo Ecclesiæ Macedoniæ, de quo Apostolus [q], & Abrahæ [r].

Tam vult CHRISTVS remotum esse à superbia eum,qui eleemosynam faciat,*vt*,*si fieri possit, nesciat sinistra manus, quando illam dextra porrigit* [s], nec si oculos habeat,videre id possit.

Palladius narrat [t], cùm Abbati Pambo viro sancto, qui hospitalitati vacabat, magnam pecuniæ vim prædiues fœmina Melania detulisset, quasi is illam sperneret, simpliciter deponi iussisse:ipsa verò rem exaggerante, & plausum, atque gratias expectante,dum pondus ac numerum recenseret,hoc duntaxat illum respondisse,*quòd eam DEVS ipse pecuniam expenderat, & numerauerat*, quasi diceret ab ipso vno laudem, præmiumque expectandum.

Tertia causa,vt perfectam dominij translationem eo ritu ostenderent; quomodo Scriptura expressit perfectum hominis in creaturas dominium,dicendo [u], *Omnia subiecisti sub pedibus eius*. Subindicat causam istam hoc loco Chrysostomus, estque valdè obuia; ita vt possessionem dictam putent,quasi pedum positionem. Nescio an huc pertinere possit adagium illud, *Ante pedes*, quo significetur obuium quid præsens, & in potestate alicuius. Lege Auctorem Adagiorum [x].

Quarta,vt significarent exactum contemptum diuitiarum, esse calcandas pecunias, atque auaritiam. Hoc obseruauit Hieronymus [y],Beda etiam

p homil.in id 1.Cor.11. Oportet hæreses esse. Tom.4. *Dant pauperibus eo animo, ut recepisse sibi profiteantur, quàm dant, est Christũ pascere.*
q 2.Cor.8.1.
r Genes.18.
s Matth. 6.3.
Pambo Abbatis Melaniæ responsum, quæ ei ingentem pecuniam vim obtulerat.
t in Lausi.c.10
u Psalm. 8.8.
x lib.1. *Contemptus diuitiarum qualis esse debeat.*
y in 3.c.7.& 1.1.24.

hoc loco, & ante ipsum Arator citatus à Beda. Continent eius carmina perelegantem, & valdè piam sententiam, vt sit nefas, lectori ea hîc non recitare.

—Nunc aspice partes
Lector docte pias,& tecum mente sagaci
Volue quid esse putes, rutili quia pompa metalli
Ponitur ante pedes, sacris non tradita dextris.
Destitui debere probant, quod tangere vitant,
Calcandúmque docent, quod subdunt gressibus aurũ,
De quo terrena veniunt ad pectora curæ,
Consimili iactatur humo, quo sistat auare
Mens tua disce loco, quod tu custodis anhelus,
Quod statione premis, quod cernere sæpius ardes,
Cuius in amplexus per somnia cuncta recurris,
Horrescunt tractare pij,nec tunc quoq; gestant,
Cùm bona facta parant, quantum speculantur iri illo
Stare nefas, & dona gerens contemnitur aurum.

Quintam causam ex tertia deducere possumus, & elicere etiam ex Chrysostomo [z]. Voluit DEVS, vt Apostoli statim experirentur minimè fallacem de centuplo etiã in hoc tempore,pro abdicatione eorũ,quę ipsius causa [a] reliquissent, promissionem fuisse,liquidè simul ditauit,simul honore Apostolos affecit : *tantum enim pretia deferentes ad pedes ipsorum,cum largitate*, inquit Chrysostomus, *tribuebant honorem*. Sexta excogitari adhuc potest causa, vt compensaret quodammodò CHRISTVS honorem,quo fuerat affectus ab Apostolis, quando vestimenta imposuerunt super asinam & pullum,& illum desuper sedere fecerunt [b]. Nam voluit, vt primi Christiani facultates pedibus ipsis illorum supponerent, quod CHRISTO fecerat turba, sternens illi vestimenta in via [c] : quod & Apostolos fecisse Lucas indicat [d].

Iam verò querulis vocibus Augustinus [e] lamentatur non esse, qui cogitet de alterius inopia, sed qui aliena diripiat; non esse qui suas ad pedes Apostolorum pecunias deferat, sed qui etiam confugiẽtes fratres trahat à pedibus sacerdotum. Innocentius III. [f] notat, oblationes omnes,quæ Pontifici fiunt, præterquàm panis, easque, quæ dantur pro defunctis, deponi ad pedes ipsius, & ab eo accipi, quoniam in Actibus Apostolorum habetur, quòd afferebant pretia eorum, quæ vendebantur, & ponebant ante pedes Apostolorum.

z homil 53.ad pop.Antioch. *Apostoli quomodo centuplum eorum quæ reliquerant acceperint.*
a Marc.10 30.
b Mat.21.7.
c ibid.8.
d cap.19.36.
e Serm.25.de verb. Apost.
f lib.2.de myste.missæ.c.39

Diuidebatur autem singulis,prout cuique opus erat.] *Ab hac lege,& consuetudine*,inquit Chrysostomus [g], *inoleuit in Ecclesiis consuetudo quædam admirabilis: fideles enim omnes in conuentibus suis, postquàm audissent doctrinas, post preces, post sacramentorum communionem, soluta concione non mox domum concedebant, sed diuites, & abundantiores alimenta, & edulia à domibus suis auferentes, pauperes vocabant, communésque faciebant mensas, communia prandia,communia conuiuia in ipsa Ecclesia*. Sic ille. Et hanc Paulus vocat Dominicam cœnam [h]. Scriptores alij antiqui,præsertim Tertullianus [i], Agapen, de qua alias. Cyrillus Alexandrinus [k] nunc adimpletum ait, quod CHRISTVS præceperat apud Lucam [l]: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*:cui sententiæ adiungit hæc verba,quæ nullibi reperio in codicibus Græcis,& Latinis,vel in aliis Auctoribus: *Et ecce omnia prosperè succedent vobis, siquidem his nil defuit. Tamen concedo CHRISTVM non cum solis tunc Apostolis locutum, aliisve Discipulis præsentibus, qui nihil, aut parum habebant: sed cum aliis, quos de locupletibus præuidebat, associan-*

Vnde manarit, vt diuites olim pauperibus communia præberẽt.
g hom.in id 1. Cor.11.19.Oportet hæreses esse. Tom.4.
h 1.Cor.11.20.
i in Apol.c.12. vbi Pamel.n. 217.citat alios locos eiusdẽ & aliorum.
k 8. de adorã. in Spir.
l cap.12.33.

a lib.4.ep.41. ad Cast. Epis. & lib.7.ep.18. & lib.11.ep.8. b Clem. Du dū. de sepult. c lib.1.epi. 28. ad 17. obiect. d Tract.19.

Gregorium [a], & Bonifacium VIII. [b] & Petrum Cluniacẽsem [c], qui Bernardo super hac re satisfacit, cuius contraria videbatur sententia. Digreditur nonnihil quoque Salmeron, hoc loco [d], vt exemptionis istius vtilitatem, imò necessitatem demonstret.

Versus 33.] Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis IESV CHRISTI Domini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis.

ET *virtute magna.*] Δυνάμει, potentia in edendis miraculis, fiducia, & libertate in prædicando, prout in priore oratione à DEO flagitauerant, & de se Paulus testatur ad Corinthios [e]. Syrus habet, ובחילא *vabchaiela*, id est, *in robore & fortitudine.*

e 1.epist.2.4.

Apostoli.] Tum quia erant Ecclesiæ duces, ac primi prædicatores: *concordia enim charitatis*, inquit Beda, *est ordinata, vt non omnium sit docere*: tum quia vt non semel monui, hæc illis cura de testificanda CHRISTI Resurrectione peculiariter mandata fuerat, veluti quoddam depositum, quod innuit notát Chrysostomus, & Oecumenius verbo proximè præcedenti, *reddebant*, ἀπεδίδουν: tum denique quoniam nullis sæpiùs, & manifestiùs per dies quadraginta [f] CHRISTVS Resurrectionem suam manifestauit. Et verò faciebant id confidentiùs, quòd, vt ex dictis constat, sua non quærebant, quibus abdicauerant sese, sed vnum DEVM, & aliorum salutem.

Concordia ordinata est, vt omnium non sit docere.

f Act.1.3.

Et gratia magna erat in omnibus illis.] Sicut in capite 2. [g] Gratiam habentes ad omnem plebem, id est, Gratiosi, chari, & accepti erant: vel gratia internæ sanctitatis reddebat illos DEO gratos: vel inuicem gratia valebant amantes se, & iuuantes. Communior est postremus sensus, atque etiam tum præcedentibus, tum consequentibus aptior ex aliis primus, iuxta quem intelligi potest, profecisse CHRISTVM gratia apud homines [h]. *Erant sicut filij in domo paterna honoris eiusdem*, inquit Chrysostomus. Syrus habet, טיבותא *taibutha*, id est, *gratia & bonitas.*

g vers.47.

h Luc.2.vlt.

Magna.] Omnia magna, virtus, & gratia, signa quoque, & prodigia Stephani [i], in aduersariis timor ac metus, &c.

i Act.6.8.

In omnibus illis.] Videri posset de solis Apostolis sermo esse, de quibus proximè facta mentio est. Existimo tamen etiam de aliis, & hoc sibi velle illud, *omnibus.*

Versus 34.] Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant.

NEQVE *enim quisquam.*] Dictio *enim* arguit gratiam in illis fuisse cum relatione ad seipsos, vt nominatim obseruat Chrysostomus, *ob magnam dantium*, inquit, *alacritatem nullus erat indigus.* Syrus legit, דצריך *dasrich*, id est, *cui opus aliquare esset.* Quæ huc spectant, à nobis tractata sunt capite 2. [k] vbi cur non esset quispiam egens, causa redditur. *quoniam diuidebatur omnibus, prout cuique opus erat*; quod repetitur versu sequenti. De mendicitate necessaria, déque spontanea, & religiosa dixi c.3. [l] Mysticum est, quòd Augustinus *nullum egentem tunc fuisse* interpretatur, *propter abundantiam cœlestium diuitiarum*, quod Apostolus ait [m] *esse diuitem in bonis operibus*, & Petrus [n], ac Ioannes [o], *locupletem.*

k vers.44.

l vers.1.

m 1. Tim.6. [illegible] 1 Cor.1.5 & [illegible] 4.8. n 1.Pet.2.4. o Apoc.[illegible] p vers.45.

Possessores agrorum, aut domorum.] Iam nõ potest Caietanus de domibus dubitare, sicut in cap. 2. [p] vbi tamen & has comprehensas dixi.

Erant.] Frustrà idem Caietanus hæret, an referatur ad possessores, an ad vendentes; perspicuè enim refertur ad possessores, vt etiam expressit Syrus hoc modo, גיר דקנין הוו קוריא ובתאמזבנין הוו *gher daknin hauu kuraia vbathamezbanin hauu*, id est, *nam qui possidentes erãt agrorum & domorum, vendentes erant*, vel, *illi enim qui possidebant fundos, & domos, vendebant.* Et textus Græcus, ὅσοι γὰρ κτήτορες χωρίων, ἢ οἰκιῶν ὑπῆρχον.

Vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant.] Chrysostomus [q]: *Vide dilecte*, inquit, *quomodo non permittebant Apostolos vendere, sed ipsi vendebant, & illis pretia dabant.* Significat nimirum voluisse fideles liquidiùs liberales esse, & Apostolos liberare molestia distrahendi, & vendendi. Sunt qui liberales videri volunt, etiamsi res donent litibus intricatas. CHRISTVS proponens perfectionis viam: *Vade*, inquit [r], *vende quæ habes, & da pauperibus.* Vltimum nostri hi fideles fecerunt, quia Apostolis in pauperes distribuenda attulerunt.

q hom.11.

Fideles quomodo liberales esse.

r Matt.19.21.

Basilius [s] eos, qui se DEO consecrant Religionis voto, & facultates non pauperibus, iuxta CHRISTI consilium, sed parentibus, vel amicis erogant, affirmat sacrilegium committere [t]: itémque si propinqui denegent iis, qui ad Dominum accedunt, ea, quæ ad ipsos pertinent. Cauendum verò, ne hæc ipsa in oculis illorum consumantur, ne causa præbeatur sese efferendi, contráque pauperibus, qui ad eandem vitam se contulerunt, dolendi.

Religiosi non pauperibus, sed [illegible] sua conferunt [illegible].

s Reg. 9. ex fusis.

t Reg.187. ex breu.

Problema certè potest esse, vtrùm præster, Religiosis pauperibus eius ordinis, cui te aggreges, bona tua eleemosynæ nomine largiri, an aliis paupertatem similiter patientibus. Videtur Basilius iam citatus secundum malle, eique fauere præsens exemplum, & ratio ex mali nominis de auaritiæ periculo petita, sed primum Benedicto placuisse ferunt [u], causam hanc etiam assignanti, *vt plures eo modo in* DEI *familia sustententur*: cui adde rectum ordinem charitatis.

Præstiterit Religiosis suis fratribus pauperibus sua donare, [illegible].

u in vita.

Equidem SPIRITVM Domini multiplicem scio; nec ausim inter tantos viros arbitrium interponere. Præsens factum trahi in exemplum non potest, quia res erat cum solis fidelibus, & ex primitiuo SPIRITVS instinctu. Secunda opinio simpliciter preferenda est: prima in periculo infamiæ, cùm sit *melius nomen bonum, quàm diuitiæ multæ* [x]: sicut Paulus alieno sumptu viuere noluit [y]: licèt id aliis permitteret, ac optimis rationibus licere confirmaret.

x Prou.22.1. y 1.Cor.9.15. 1. Thess.2.9. 2.cap.3.8. Act.20.33.34.

Versus 35.] Et ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.

ET *ponebant ante pedes.*] Παρὰ τοὺς πόδας, *ad pedes*: sic Syrus, לות רגליהון *lenath ragleiehun*, id est, *ad pedes ipsorum.* Multæ huius rei causæ afferuntur. Prima est, ob reuerentiam erga Apostolos, quorum pedibus accidentes pretia offerrent.

Cur fideles sua ante pedes Apostolorum ponerent.

De reueren

a homil. in id cap. 11. 1. Cor. Oportet hæreses esse. Tom. 4. & homil. 51. ad pop.
b epist. 61. ad Pam.
c lib. de dign. Sacerd. c. 2.
d Serm. 21. de verb. Apost.
e in Leontio.
f hom. 59. ad pop. Ant.
g Apol. c. 12.
h c. 49. 23. c. 60. 14.
i de vnit. Ecc. c. 9.
k 1. p. de Præd. c. 38.
l in Esaiam.
m Tom. 2. ep. pont.
n lib. 10. c. 8. 5.
o vers. 25.

De reuerentia est communis expositio Interpretum, & Chrysostomi alio loco [a]. De genuflexione affirmat Glossa interl. & Hugo.

Mos antiquus fuit, pedes sanctorum virorum amplecti, & Monachorum, & Episcoporum. De Episcopis, Hieronymus [b], Ambrosius [c], Augustinus [d], Suidas [e]: de Monachis, Chrysostomus [f], qui ait, *honestius esse illorum tangere pedes, quàm aliorum caput.* Quid ergo mirum, aut nouum, aut à ratione alienum, si summi Pontificis in terris vices CHRISTI gerentis pedes ritè exosculentur, ac piè omnes Christiani? Si enim regiæ statuæ fas est apprehendere pedes propter regiam figuram, licebit illius, qui officio, & dignitate CHRISTVM repræsentat. Et cùm pœnitentibus solenne fuisse testetur Tertullianus [g], *lambere omnium, qui astarent, vestigia;* laudabile erit id exhibere Pastori œcumenico. Sic enim oportuit vaticinia Esaiæ [h], quæ hanc adorationem continent, quando in se CHRISTVS noluit, in suo Vicario impleri. De locis Esaiæ lege Augustinum [i], & Prosperum [k], atque Leonem à Castro [l]. Patres Orientales in epistola ad Symmachum Papam, profitentur se cupere adorare vestigia eius [m].

Scripsit de osculatione pedum Pontificis Ioseph Stephanus eruditum opusculum, & nonnihil etiam Thomas Bozius in Ecclesiæ notis [n]. Exemplum huius erga Petrum honoris in Cornelio videbimus cap. decimo [o].

p homil. in id 1. Cor. 11. Oportet hæreses esse. Tom. 4.
q 2. Cor. 8. 1.
r Genes. 18.
s Matth. 6. 3.
Pambo Abbas Melaniæ respōsum, quæ ei magnam pecuniam obtulerat.
t in Laus. c. 10.

Secundam causam priori similem dat Chrysostomus, & Oecumenius, vt fastum vitarent, & modestiam, atque humilitatem retinerēt in exercitio tam strenui operis, vt sic etiam simul consulerent pudori eorum, qui nihil habebant, quod conferrent, sed ex alieno viuebant. *Maioris ducebant*, inquit Chrysostomus [p], *quòd ab eis reciperentur, quàm quòd darentur dona: hoc enim potissimum est contemnere opes, hoc est pascere esurientē* CHRISTVM, *si absque arrogantia & fastu id facias, sicque des, quasi tibi ipsi plura quàm danti beneficia dare videaris.* Confirmat exemplo Ecclesiæ Macedoniæ, de quo Apostolus [q], & Abrahæ [r].

Tam vult CHRISTVS remotum esse à superbia eum, qui eleemosynam faciat, *vt*, si fieri possit, *nesciat sinistra manus, quando illam dextra porrigit* [s], nec si oculos habeat, videre id possit.

Palladius narrat [t], cùm Abbati Pambo viro sancto, qui hospitalitati vacabat, magnam pecuniæ vim prædiues fœmina Melania detulisset, quasi is illam sperneret, simpliciter deponi iussisse: ipsa verò rem exaggerante, & plausum, atque gratias expectante, dum pondus ac numerum recenseret, hoc duntaxat illum respondisse, *quòd eam* DEVS *ipse pecuniam expenderat, & numerauerat*, quasi diceret ab ipso vno laudem, præmiumque expectandum.

u Psalm. 8. 8.
x lib. 1.
y ... & ... 1. 24.

Tertia causa, vt perfectam dominij translationem eo ritu ostenderent; quomodo Scriptura expressit perfectum hominis in creaturas dominium, dicendo [u], *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Subindicat causam istam hoc loco Chrysostomus, estque valdè obuia; ita vt possessionem dictam putent, quasi pedum positionem. Nescio an huc pertinere possit adagium illud, *Ante pedes*, quo significetur obuium quid præsens, & in potestate alicuius. Lege Auctorem Adagiorum [x].

Quarta, vt significarent exactum contemptum diuitiarum, esse calcandas pecunias, atque auaritiam. Hoc obseruauit Hieronymus [y], Beda etiam hoc loco, & ante ipsum Arator citatus à Beda. Continent eius carmina perelegantem, & valdè piam sententiam, vt sit nefas, lectori ea hîc non recitare.

—Nunc aspice partes
Lector docte pias, & tecum mente sagaci
Volue quid esse putes, rutili quia pompa metalli
Ponitur ante pedes, sacris non tradita dextris.
Destitui debere probant, quod tangere vitant,
Calcandúmque docent, quod subdunt gressibus aurū,
De quo terrena veniunt ad pectora curæ.
Consimili iactatur humo, quo sistat auare
Mens tua disce loco, quod tu custodis anhelus,
Quod statione premis, quod cernere sæpius ardes,
Cuius in amplexus per somnia cuncta recurris,
Horrescunt tractare pij, nec tunc quoq; gestant,
Cùm bona facta parant, quantum speculantur ini llo
Stare nefas, & dona gerens contemnitur aurum.

z homil. 53. ad pop. Antioch. Apostoli quomodo de centuplum eorum quæ reliquerant acceperint.
a Marc. 10. 30.
b Mat. 21. 7.
c ibid. 8.
d cap. 19. 36.
e Serm. 25. de verb. Apost.
f lib. 2. de myste. missæ. c. 37

Quintam causam ex tertia deducere possumus, & elicere etiam ex Chrysostomo [z]. Voluit DEVS, vt Apostoli statim experirentur minimè fallacem de centuplo etiā in hoc tempore, pro abdicatione corū, quę ipsius causa [a] reliquissent, promissionem fuisse, siquidē simul ditauit, simul honore Apostolos affecit: *tantum enim pretia deferentes ad pedes ipsorum, cum largitate*, inquit Chrysostomus, *tribuebant honorem.* Sexta excogitari adhuc potest causa, vt compensaret quodammodò CHRISTVS honorem, quo fuerat affectus ab Apostolis, quando vestimenta imposuerunt super asinam & pullum, & illum desuper sedere fecerunt [b]. Nam voluit, vt primi Christiani facultates pedibus ipsis illorum supponerent, quod CHRISTO fecerat turba, sternens illi vestimenta in via [c]: quod & Apostolos fecisse Lucas indicat [d].

Iam verò querulis vocibus Augustinus [e] lamentatur non esse, qui cogitet de alterius inopia, sed qui aliena diripiat; non esse qui suas ad pedes Apostolorum pecunias deferat, sed qui etiam confugiētes fratres trahat à pedibus sacerdotum. Innocentius III. [f] notat, oblationes omnes, quæ Pontifici fiunt, præterquàm panis, easque, quæ dantur pro defunctis, deponi ad pedes ipsius, & ab eo accipi, quoniam in Actibus Apostolorum habetur, quòd afferebant pretia eorum, quæ vendebantur, & ponebant ante pedes Apostolorum.

Vnde manarit, vt diuites olim pauperibus communia præberēt.
g hom. in id 1. Cor. 11. 19. Oportet hæreses esse. Tom. 4.
h 1. Cor. 11. 20.
i in Apol. c. 38. vbi Pamel. n. 517. citās alios locos eiusdē. & aliorum.
k 8. de adora. in Spir.
l cap. 12. 33.

Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat.] *Ab hac lege, & consuetudine*, inquit Chrysostomus [g], *inoleuit in Ecclesiis consuetudo quædam admirabilis: fideles enim omnes in conuentibus suis, postquàm audissent doctrinas, post preces, post sacramentorum communionem, soluta concione non mox domum concedebant, sed diuites, & abundantiores alimenta, & edulia à domibus suis auferentes, pauperes vocabant, communésque faciebant mensas, communia prandia, communia conuiuia in ipsa Ecclesia.* Sic ille. Et hanc Paulus vocat Dominicam cœnam [h]. Scriptores alij antiqui, præsertim Tertullianus [i], Agapen, de qua aliàs. Cyrillus Alexandrinus [k] nunc adimpletum ait, quod CHRISTVS præceperat apud Lucam [l]: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam:* cui sententiæ adiungit hæc verba, quæ nullibi reperio in codicibus Græcis, & Latinis, vel in aliis Auctoribus: *Et ecce omnia prosperè succedent vobis, siquidem his nil deficit. Tamen concedo* CHRISTVM *non cum solis tunc Apostolis locutum, aliisve Discipulis præsentibus, qui nihil, aut parum habebant: sed cum aliis, quos de locupletibus prauidebat associan-*

dos

dos Euangelio. Hoc aptè veréque Cyrillus notauit. Imò nauem Petrus & retia eo adhuc tempore possidebat.

a Reg. 11. ex fusis, & ex brev. 93. & 131. 135. 182. 252. Documenta pro religiosis, ex hoc loco excerpta.

Basilius[a] hinc quoque colligit varia documenta monasticæ institutionis. Primùm, vt circa cibum Monachis tribuendum qui præest, rem totam attemperet ad necessitatem cuiusque, cùm neque idem cibi sumendi tempus, neque modus idem, reguláve eadem omnibus queat præscribi. Deinde[b], vt MEVM, ac TVVM in vniuersum à fratribus arceatur, & præpositi, ceu communes parentes, ita iis consulant, vt ad carnales illi non recurrant[c], sed qui curam immediatam habent res ad fratrum vsum necessarias distribuendi, faciles se, & clementes præbeant ad omnes, neque suspicionem aliquam commoueant maioris alicuius erga aliquos beneuolentiæ, inclinationísve animi propensioris: quod assequentur, si singulis distribuant, prout vnicuique opus erit.

b Reg. 12. ex fusis, & 85. ex breu. & 148. & Serm. 2. de instit. monac.
c Reg. 34. ex fusis.

Regula ab Augustino sanctimonialibus data.
d epist. 109.

Hanc quoque primam Regulam Augustinus[d] dictat sanctimonialibus. *Hæc sunt, quæ vt obseruetis præcipimus in monasterio constituta. Primum, propter quod estis in vnum congregatæ, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis cor vnum, & anima vna in* DEO. *Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur vnicuique à Præposita vestra victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia nō æqualiter valetis omnes, sed vnicuique sicut opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum, quia erāt eis omnia communia, & distribuebatur eis prout cuique opus erat.* Vtitur Basilius exemplo variorum membrorum eiusdem corporis, quibus non eadem conueniunt; diuersæ etiam staturæ hominum, qui non æqualibus indumentis vtuntur: denique virium, ac valetudinis dissimilis, cui non similia remedia debent applicari. Haud secus in Regula Augustinus. Immò & Aristoteles in sua œconomia, vbi vtitur illa similitudine medicorum. Hac eadem de re lege quæ dicta sunt cap. secundo[e].

Quomodo non omnia æqualiter sint tribuenda omnibus.

e vers. 45.

Memini Fulgentium, & Bernardum dicere solitos, oportere vt Monachorum Præpositi tanquàm patres, matrésque subditis benignè, & liberaliter prospiciant, nec expectent, dum illi reposcant, sed præueniant ipsi illos.

Patresfamilias etiam famulis de necessariis debent prospicere.

Possunt hîc potiore iure patresfamilias seueriùs admoneri, vt domesticis nihil, quoad licet, deesse patiantur, sed iuxta præscriptum eiusdem Aristotelis familiæ, ac famulis dent cibum, & castigationem, quod iisdem ferè verbis Sapiens[f] præcipit, inquiens: *Cibaria, & virga, & onus asino: panis & disciplina, & opus seruo.* Hoc nomine laudatur ab eodem Salomone[g] fortis, & prouida mulier, & à CHRISTO *fidelis seruus, & prudens constitutus super familiam domini sui*[h].

f Eccl. 33. 25.
g Prou. 31. 15.
h Mat. 24. 45.

Versus 36.] Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum, Filius consolationis) Leuites, Cyprius genere.

IOSEPH *autem.*] Perillustre hoc exemplū Barnabæ nunc ponitur, tum quia de illo crebra in posterum mentio futura est, tum præcipuè, vt quasi ex opposito magis elucescat grauitas sacrilegij Ananiæ, & Sapphiræ, quod mox narrabitur sequenti capite. Ita Chrysostomus, & Oecumenius. Vtile quoque fuit intelligere, quibus quasi

A gradibus Barnabas peruenerit ad Apostolicum fastigium: *Nemo enim repentè fit summus, neque volando, sed ascendendo summam scalam attingimus.*

Quibus gradibus ad summa virtutum perueniatur.

Ioseph.] Græcè, Ἰωσῆς. Lege cap. 1.[i] Syrus habet, יוסף *Iauseph.*

i vers. 23.

Barnabas.] Non Barsabas, vt hîc admonent omnes expositores, & nos eodem illo loco.

Ab Apostolis.] Alexander monachus in gestis Barnabæ haud sanè fidelibus, Ioánis quidem Marci consobrinum facit; existimat verò à Petro impositum istud cognomen, quia ob sanctitatis præstantiam omnibus consolationi fuerit.

Quod est interpretatum.] Beda putat hæc verba, & quoties rerum, vel personarum nomina cum
B interpretatione ponuntur in Scriptura, poni ab ipsa Scriptura, & sacratiorem sensum significare. Probabilius credit Maldonatus noster[k] huiusmodi etymologias, & explicationes nominum Interpretem adhibuisse, non scriptorem. Nam aliquando in veteri Testamento Hebraica Græcè, sæpe verò Latinè, & in nouo Latinè Græca interpretata legimus. Exempla veteris ponit nonnulla, qualia sunt quæ habentur iuxta 70. Græcè[l], & iuxta editionem Latinam[m], itémque[n], & noui, vt[o] vbi Latinus interpres addit nominis Græci Latinam expositionem. Attamen fieri potest, vt scriptor quisque obscurorum vocabulorum notiones ipsemet ponat, quod de Euangelistis docet
C Hieronymus[p]. Cùm verò editio alterius linguæ, quàm in qua Scriptura condita est, habet eorum explicationem, quæ sunt in illa, sine dubio Interpreti tribuenda est.

k Præfat. in Euang. c. 1. Interpretationes nominum expositiones, quæ sunt in vtroque Testamento.

l 1. Reg. 9. 11
m Gen. 31. 41.
n c. 35. 18. Exo. 16. 15. 31. ca. 12. 11.
o Apoc. 9. 11.

p ep. de opt. gene. interpretum.

Ex quo occurritur obiter obiectioni Erasmi, Caietani in Euangelium Matthæi, Martini Cantapetrensis[q], Anabaptistarum, & aliorum, qui propterea negant Matthæum Hebraicè scripsisse, quòd in eius Euangelio[r] Hebraicorum nominum interpretatio reperiatur; hæc enim non est Matthæi, sed Interpretis. Lege Salmeronem in Prolegomenis[s]. Dixi in Disputatione de Scriptura, huiusmodi interpretationes non minùs canonicas, & authenticas, quàm ipsasmet in ea, qua
D sunt compositæ lingua, Scripturas.

q in hypoty. lib. 1. cap. 4.
r c. 1. 23. & 27. 47.
s Tom. 1. in Proleg. 25.

Filius consolationis.] Vltra causam allatam ex Alexandro monacho, Beda reddit istam, *quòd spretis præsentibus spe futurorum se sit consolatus per* SPIRITVM *sanctum Paracletum*, hoc est, *consolatorem.* Rabanus (& idem habet Oecumenius) *propter eleemosynam, qua pauperes consolatus est.* Affert quoque eam, quam Beda, & prætereà, quia dignus habitus est, qui pro Iuda consolaretur Apostolos. Rectiùs id conuenit Mathiæ[t]: & qui cum Mathia sorti expositus est non Barnabas, sed Barsabas[u], fuit appellatus, vt dictum est.

Barnabas cur filius consolationis sit dictus.

t Act. 1. 23. & seq.
u ibid.

Adde, quoniam exemplo suo alios prouocans
E Apostolos voluptate affecit variis pressos persecutionibus. Denique fortasse gratia quadam valebat ad exhilarandum, & consolandum: habet námque hanc vim phrasis Hebræa; vt בן נחם *ben necham*, id est, *filius consolationis*, sit idē, quod ad consolandum aptissimus. Quis scit an non propterea habitus sit pro Ioue à Gentilibus, eò quòd esset forma & decore corporis venerabilis, atque amabilis? Profectò qui eleemosynam elargitur, dignus est nomine filij consolationis. Talis erat Iob, qui dicebat[x]: *Cor viduæ consolatus sum.*

Leuites.] Ex tribu Leui. Lyranus docet, *quamuis non licuerit Leuitis habere agros in Iudæa*[y], *alibi tamen potuisse.* Alexander monachus ait[z], Barnabam habuisse in Iudæa: & Hugo Leuitis habere per-

x cap. 29. 13.
Leuitis agros habere vbi licuerit.
y Num. 18. 20.
z in vita.

millum

a Num. 35. 2. b cap. 32. 7. c 3. Reg. 2. 26. d Rel. 2. de potest. Eccl. q. 2. num. 12. e Mat. 2. 14. f vers. 5.

missum ad pecora alenda[a]: sic enim & Ieremiam[b] possedisse agrum in Anathoth, iussu etiam DEI (adde & Abiathas sacerdotem[c]: & quæ de Leuitis produntur Leuitici vltimo capite) vel, quod etiam dicit Lyranus, habuisse in Cypro. Franciscus Victoria[d] hac voce significari vult, fuisse tantùm Diaconum. At hoc tempore, id valdè incertum est, ne dicam falsum, cùm Diaconos primi ordinasse videantur Apostoli, quamuis non sine institutione CHRISTI: & coniectura leuis est; alioqui diceremus Matthæum, qui vocatur Leui[e], Diaconum tantùm fuisse etiam priùs quàm à CHRISTO vocaretur. Verum est, ab Ecclesia Leuitas dici voce Hebræa inferiores altaris ministros, præsertim Diaconos: sicut apud Hebræos dicebantur Leuitæ, qui leuiora munera circa altare obibant.

Cyprius genere.] Propter dispersionem populi in varias prouincias. Lege caput 2.[f] *Iam quoque lex, quæ Hebræos certis finibus continebat, soluta erat,* inquit Oecumenius, & Chrysostomus: atque postquàm etiam migrassent, qui Leuitæ fuerant, id nomen retinebant.

Versus 37.] Cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.

g in gestis Barnabæ.

CVM *haberet agrum.*] Aut in Cypro, aut in Iudæa, prout antè dictum est. In ipsa vrbe Ierosolymitana fuisse, Alexander[g] monachus scribit, & quidem amplissimum, ac ædificiis exornatum magnificis: Iudæos enim carnaliter intelligentes quod Esaias dicit: *Beatus qui habet semen in Sion, & domum in Ierusalem,* vt quisque ditissimus erat, dedisse operam, vt aliquid in ea vrbe possideret.

Quomodo agrũ Barnabas habuerit, cum Christi esset Discipulus. h Hæresi 1. i 1. hist. cap. 12. k in Synopsi.

Si Barnabas è septuagintaduobus Discipulis fuit, vt placet Epiphanio[h], Eusebio[i], Dorotheo[k], qui ait, quòd primus Romæ prædicauit, & posteà Mediolanensium Episcopus factus est (de qua re aliàs) & posteà aliis in locis idem fecit, immò primus omnium, cùm priùs esset Gamalielis auditor, & Pauli Condiscipulus, quique materteram Mariam matrem consobrini sui Ioannis Marci ad CHRISTVM adduxerit, vt est apud eundem Alexandrum; quomodo, dicet aliquis, adhuc agrum habebat? CHRISTVS *enim negat posse Discipulum eius esse, qui nõ renunciet omnibus quæ possidet*[l]. Respondeo. Non requirit CHRISTVS ab omnibus Discipulis effectum abdicationis, sed affectum: erat enim Ioseph ab Arimathia Discipulus diues[m]. Deinde adhuc non fuerat opportunum omnibus, vt se rerum suarum dominio abdicarent.

l Luc. 14. 33. *Christus non requirit ab omnibus effectum abdicationis, sed affectum.* m Mat. 27. 57.

Attulit pretium.] Pretium hoc magnum fuit ex latifundio siue agro tam amplo, & ædificiis magnificis adeò illustri in ipsa vrbe Ierosolymitana, vel prope, si vera narrat toties citatus Alexander, hoc est, in suburbiis: nam suburbia illa spatiosissima fuerunt, atque pretiosissima, vt tradit Iosephus[n]: sed & agros omnes prouinciæ Iudæorum omninò magni pretij fuisse oportet. Siquidem tam angustam illam Syriæ partem, quæ Palæstina dicta est, Samariam quoque in ea includendo à confinio Arabiæ, vsque ad Phœnicem, non ampliùs centum octoginta nouem mille passuum, Plinius[o] auctor est, immensam hominum multitudinem incoluisse, ita vt nulla in orbe toto regio alia caperet tot homines. Fiet quod dixi veri-

n 7. de bello Iud. cap. 1. *Palæstina insigni multitudine hominum [illegible].* o lib. 5. cap. 13.

A similius, si Baronium audiamus retractantem in Appendice Tomi primi Annalium pretium triginta argenteorum, quo ager figuli coëmptus est. Credit ipse id pretium, & quod Ieremias[p] dedit pro agro, quem emit, longè maius communi opinione fuisse.

p cap. 32. 7. *De pretio agri figuli quid senserit Baronius.*

Etenim affirmat, singulos argenteos libras singulas argenti pependisse: harum vnamquamque denarios quatuor supra centum, siue siclos, hoc est, regales Hispanicos assium Gallicorum quinque, decem verò Mediolanensium comprehendisse. Vnde fiet, vt summa pretij agri figuli constiterit aureis, qui contineant duodecim regales 260. agri verò Ieremiæ aureis 238. & 4. regalibus: B pretium enim fuit septem staterum, & decem argenteorum. Stateres autem Chaldæa paraphrasis exponit minas, quarum singulæ continent duas libras, & semis. *Quocirca consequenter loquendo*, ait Baronius, *argenteos, qui Romæ, aut alibi, tanquàm pretij Iudæ dati*[q], *partes habentur, non fuisse eos, quorum valor iam expositus est, sunt enim parui valoris: atque ita illius monetæ signatæ argenteos, non solùm triginta, sed multò plures datos Iudæ, qui certam illam summam efficerent triginta argenteorum dicti pretij maioris; vt si quis dare dicatur triginta aureos numos, non ipsos in specie auri, sed in minore moneta, quæ trigenarium numerum superet.* Ex hac supputatione Baronij, quam ille probabilibus sanè argumentis confirmat, colli- C gere possumus, tum præcipuè agri Barnabæ pretium fuisse magnum, tum ex aliis etiam aliorum fidelium agris venditis ingentem pecuniæ vim factam esse. Lege capitis primi versum 18.

Argentei qui habentur, non sunt qui Iudæ dati sunt. q Mat. ca. 26. & 27.

Et posuit ante pedes Apostolorum.] Cùm Barnabas, vt paulò antè vidimus, vnus è primis septuagintaduobus Discipulis, ac in illis ferè præcipuus esset, valdè dubito, an Apostolos propriè genuflexo adorauerit, quem nec Apostoli quidem ipsi omninò, vel perrarò cultũ exhibuisse CHRISTO leguntur ante Resurrectionem. Immò quod alios id fecisse Apostolis, cùm pretia detulerunt, ex quorundam sententia retuli, reuocari in dubium potest, quoniam Petrus Cornelium id fa- D cientem prohibuit rei nouitate commotus[r]: etsi ille id aliqua ratione fecisse credendus est, quòd in ipso aliquid supra hominem intueri, ac venerari videretur. Id tamen si de aliis concedimus, nec de Barnaba negare debemus, quem constat omni virtute proculdubiò & humilitate, quæ omnium fundamentum est, custósque, ornatum fuisse.

r Act. 10, 26.

De Barnaba cum magna laude ipsius sæpe hoc libro recurret sermo. Id modò vnum ex Sophronio Patriarcha Ierosolymitano[s] proferendum duxi, qui tradit Petri vxorem filiam fuisse Aristobuli fratris Barnabæ, ex qua susceperit filium, & filiam. Hoc ille vnde hauserit, nescio: certè videtur repugnans humiliori conditioni Petri, & plusquàm mediocri Barnabæ. De filio, ne verbum E quidem apud alios quod sciam: filia quoque Petronilla spiritualis, non carnalis fuit, vt probat Baronius Tomo primo Annalium, & paulò accuratiùs Antonius Gallonius in opere de sanctis Virginibus Romanis Italicè scripto.

s in pereg. Petri, & Pauli, Tom. 1. Bibl. Patrum. *Petri vxor qualis fuerit verum est.*

CAPVT



CAPVT QVINTVM.

SVMMARIVM.

Quinque in partes hoc caput secandum est. Continet enim terribilem Ananiæ ac Saphiræ pro fraudato agri pretio interfectionem illatam à Petro: Miraculorum per Apostolos, præsertim verò per Petrum, magnorum, ac multorum editionem: Vincula Apostolorum, eorúmque, postquàm diuinitùs erepti sunt, Petri in primis, liberam ad aduersarios responsionem: Gamalielis pro Apostolis in concilio sapientem apologiam: Apostolorum denique flagellationem, quæ iis tamen gaudium, & assiduè in posterum prædicandi alacritatem conciliauit.

1 VIR autem quidam
nomine Ananias,
cum Saphira vxore
sua vẽdidit agrum,
2 Et fraudauit de
pretio agri, conscia
vxore sua: & afferens
partem quandam, ad pedes Apostolorum
posuit,
3 Dixit autem Petrus: Anania, cur tentauit
satanas cor tuum, mentiri te SPIRITVI
sancto, & fraudare de pretio agri?
4 Nónne manens tibi manebat, & venundatum
in tua erat potestate? Quare
posuisti in corde tuo hanc rem? Non es
mentitus hominibus, sed DEO.
5 Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit,
& expirauit. Et factus est timor magnus
super omnes, qui audierunt.
6 Surgentes autem iuuenes amouerunt
eum, & efferentes sepelierunt.
7 Factum est autẽ quasi horarum trium
spatium, & vxor ipsius, nesciens quod factum
fuerat, introiuit.
8 Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, mulier,
si tanti agrum vendidistis? At illa dixit:
Etiam tanti.
9 Petrus autem ad eã: Quid vtique conuenit
vobis tentare SPIRITVM Domini?
Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum
tuum, ad ostium, & efferent te.
10 Confestim cecidit ante pedes eius, &
expirauit. Intrantes autem iuuenes inuenerunt
illam mortuam, & extulerunt, &
sepelierunt ad virum suum.
11 Et factus est timor magnus in vniuersa
Ecclesia, & in omnes, qui audierunt
hæc.
12 Per manus autem Apostolorum fie-

A bant signa, & prodigia multa in plebe. Et
erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis.
13 Ceterorum autem nemo audebat se
coniungere illis: sed magnificabat eos populus.
14 Magis autem augebatur credentium
in Domino multitudo virorum, ac mulierum,
15 Ita vt in plateas eiicerent infirmos, &
ponerẽt in lectulis ac grabatis, vt, veniente
Petro, saltem vmbra illius obumbraret
B quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus
suis.
16 Concurrebat autem & multitudo vicinarum
ciuitatum Ierusalem, afferentes
ægros, & vexatos à spiritibus immundis:
qui curabantur omnes.
17 Exurgens autem princeps Sacerdotum,
& omnes, qui cum illo erant (quæ
est hæresis Sadducæorum) repleti sunt
zelo:
18 Et iniecerunt manus in Apostolos, &
posuerunt eos in custodia publica.
C 19 Angelus autem Domini per noctem
aperiens ianuas carceris, & educens eos,
dixit:
20 Ite, & stantes loquimini in templo plebi
omnia verba vitæ huius.
21 Qui cùm audissent, intrauerunt diluculo
in templum, & docebant. Adueniens
autem princeps Sacerdotum, & qui cum
eo erant, conuocauerunt concilium, &
omnes seniores filiorum Israël: & miserunt
ad carcerem, vt adducerentur.
22 Cùm autem venissent ministri, & aperto
carcere non inuenissent illos, reuersi
nunciauerunt,
23 Dicentes: Carcerem quidem inueni-

mus clausum cum omni diligentia, & cu-
stodes stantes ante ianuas: aperientes au-
tem neminem intus inuenimus.
24 Vt autem audierunt hos sermones
magistratus templi, & principes sacerdo-
tum, ambigebant de illis quidnam fieret.
25 Adueniens autem quidam nunciauit
eis: Quia ecce viri, quos posuistis in car-
cerem, sunt in templo stantes, & docentes
populum.
26 Tunc abiit magistratus cum ministris,
& adduxit illos sine vi: timebant enim po-
pulum, ne lapidarentur.
27 Et cùm adduxissent illos, statuerunt in
concilio. Et interrogauit eos princeps sa-
cerdotum,
28 Dicens: Præcipiendo præcepimus vo-
bis, ne doceretis in nomine isto: & ecce
replestis Ierusalem doctrina vestra: &
vultis inducere super nos sanguinem ho-
minis istius.
29 Respondens autem Petrus, & Aposto-
li, dixerunt: Obedire oportet DEO ma-
gis, quàm hominibus.
30 DEVS patrum nostrorum suscitauit IE-
SVM, quem vos interemistis, suspendentes
in ligno.
31 Hunc principem, & saluatorem DEVS
exaltauit dextera sua ad dandam pœni-
tentiam Israëli, & remissionem pecca-
torum.
32 Et nos sumus testes horum verborum,
& SPIRITVS sanctus, quem dedit DEVS
omnibus obedientibus sibi.
33 Hæc cùm audissent, dissecabantur, &
cogitabant interficere illos.
34 Surgens autem quidam in concilio
Pharisæus, nomine Gamaliel, legisdoctor
honorabilis vniuersæ plebi, iussit foras ad
breue homines fieri:
35 Dixitque ad illos: Viri Israëlitæ, atten-
dite vobis super hominibus istis quid
acturi sitis.
36 Ante hos enim dies extitit Theodas,
dicens se esse aliquem, cui consensit nu-
merus virorum circiter quadringen-
torum qui occisus est: & omnes, qui cre-
debant ei, dissipati sunt, & redacti ad ni-
hilum.
37 Post hunc extitit Iudas Galilæus in
diebus professionis, & auertit populũ post
se, & ipse periit: & omnes, quotquot con-
senserunt ei, dispersi sunt.
38 Et nunc itaque dico vobis, discedite ab
hominibus istis, & sinite illos: quoniam si
est ex hominibus consilium hoc, aut opus,
dissoluetur:
39 Si verò ex DEO est, non poteritis dis-
soluere illud, ne fortè & DEO repugnare
A inueniamini. Consenserunt autem illi.
40 Et conuocantes Apostolos, cæsis de-
nunciauerunt ne omninò loquerentur in
nomine IESV, & dimiserunt eos.
41 Et illi quidem ibant gaudentes à con-
spectu concilij, quoniam digni habiti sunt
pro nomine IESV contumeliam pati.
42 Omni autem die nõ cessabant in tem-
plo, & circa domos docentes, & euange-
lizantes CHRISTVM IESVM.

B *Versus* 1.] Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira vxore sua vendidit agrum.

IR *autem quidam.*] Non est semper hoc nomen indicium virtutis, tametsi sæpe sit, vt dictum est capite 2.[a]

Quidam.] *Nomen eius*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo, *primo non ponitur, vt Ioseph, quia istum culpa ignobilem fecit.* Notatio C minimè necessaria, aut vera. Etenim Lucas in Euangelio de Lazaro mendico ait[b]: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus.* Scio tamen nonnullos in eadem apud eundem narratione, cùm scribit[c], *Homo quidam erat diues*: contemptum obseruare in dictione *quidam*. Obseruauit id Chrysostomus[d], Gregorius[e], Beda[f], præter alios recentiores. Idem Euangelista de patre Ioannis scribit[g]: *Fuit quidam Sacerdos nomine Zacharias.* Aliis videtur pepercisse CHRISTVM diuitis honori, vt aliàs monui.

a verf. 22. & aliàs.
Quidam non semper contemptum significat.
b cap. 16. 20.
c verſ. 19.
d Hom. de diui. & Lazaro.
e Hom. 40. in Euang.
f in Lucam.
g Luc. 1. 5.

Ananias.] Huius nominis alij leguntur sancti viri in libro Danielis[h], & Tobiæ[i], & in isto[k], præter pigmentarium apud Esdram[l], quamuis D in historia Tobiæ Raphaël fictam personam Ananiæ inducit, dicens se Azariæ filium esse nomine Ananiam, vbi certum est, vt rectè monet Serarius noster, respexisse Angelum ad significationem vocum, quoniam DEI auxilium afferebat, & filius DEI, ac gratiæ erat.

De nomine Anania.
h cap. 1. 6.
i cap. 5. 18.
k cap. 9. 10.
l lib. 2. cap. 3.

Est quidem exquisitæ Hebræorum sapientiæ firmum argumentum, teste Eusebio[m], Cypriano[n], Chrysostomo[o], & aliis, arcana in vocibus Hebræis significatio, necnon linguæ eorum antiquitatis, ac inter omnes alias linguas primatus; attamen non quadrare semper vocum significationes rebus, quibus imponuntur, & huius Ananiæ exemplo, & plusquàm sexcentorum aliorum E doceri potest, verbi gratia, Absalon, qui significat patris pacem, & re ipsa tamen fuit bellum patris.

Sapientia Hebræorum exquisitum exemplũ, habere in suis nominibus arcanam significationem.
m 11. de Præpara. Euan. ca. 3. 4.
n de mõt. Sina & Sion.
o Homil. 51. in Gene. & 15. in ca. 16. epist. ad Rom.

Agrum.] Κτῆμα, possessionem, quod nomen Interpres posuit capite 2.[p] pro eodem Græco. Lege quæ ibi notauimus. Syrus habet, קריתא *keritha*, quod est *ager & villa.*

p ver. 45.

Cum Saphira vxore.] Si dotalis ager erat, vtriusque consensus necessarius fuit: si proprius alterius, decuit adesse in vtroque consensum.

Nil optabilius in coniugibus concordia; rara tamen res est, & suspicienda. Mirum fuit etiam coniuges alienare agrum. Deerant for-

Concordia in cõiugibus res opta- da, sed rara.

a vers. 34.

san iis liberi, aut suppetebant facultates aliæ: capite tamen præcedente [a] id affirmatur vniuersè de omnibus possessoribus agrorum, & domorum. Adeò flagrabant charitate ac fiducia in DEVM, & de Apostolis tantam opinionem habebant, vt etiam iuncti matrimonio nihil sibi necessariorum defuturum certò sibi persuaderent, quamuis omnium se rerum dominio spoliarent. Id se Chrysostomus in ciues suos Constantinopolitanos sperat inducturum: sed spes erat pro desiderio.

Saphira quid significet.

Saphira.] Hebraicè significat hoc nomen narrantem, vel numerantem, seu literariam. Quadrat significatio numerato pretio. Syriaca notatio est pro formosa. Græcè scribitur, Σαπφείρα, sicut & gemma Σάπφειρος, à qua fortasse proprium nomen Syrus Interpres exposuit eo modo quem dixi. Quanquàm gemma Hebraicè dicitur ספיר *saphir* per samech: at verò שפר *saphar* per scin, est pulchrescere: prima autem significatio esset à ספר *saphar* per samech, quod est numerare & narrare.

B

Versus 2.] Et fraudauit de pretio agri conscia vxore sua: & afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit.

C

ET *fraudauit de pretio.*] Ἐνοσφίσατο ἀπὸ τῆς τιμῆς, *separauit ex pretio*, seu, *seorsim tulit.* Syrus legit, ושקל מן מפיה *veschekel men mimeieha*, id est, *& baiulauit*, vel, *gestauit de pretio ipsius*, seu, *abstulit ex pretio ipsius.* Verbum Græcum significat seponere, interuertere, callidè suffurari. *Fraus fuit, quia totum vouerant, sicut cæteri*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo: *neque consilium* CHRISTI *quod se profitebantur amplecti, Vende quæ habes, & da pauperibus* [b], *nimirum, Da etiam, quæ habes, implebant.* Vbi Hieronymus [c] perpendens verba præcedentia, *Si vis perfectus esse, In potestate*, inquit, *nostra est vtrùm velimus esse perfecti: tamen quicunque perfectus esse voluerit, debet vendere quæ habet; & non ex parte vendere, sicut Ananias fecit, & Saphira, sed totum vendere, & cùm vendiderit, dare omne pauperibus.*

Fraus quæ Ananias & Saphira vsi sunt.

b Matt. 19. 21.

c Tom. 9. ibi.

D

Fraus illorum fuit sacrilegiũ.

Quòd fraus ista violatio voti fuerit, atque sacrilegium, demonstrabimus ex sequenti contextu. In hoc fraudem fuisse, intellexit Glossa ordinaria. Basilius ait [d], quòd *humanæ gloriæ cupiditate Ananias quicquid bonorum habebat* DEO *palàm consecrarat, vt hominum de se opinionem excitaret.* Hieronymus [e], *Ideò*, inquit, *Ananias, & Saphira puniti sunt, quia mentiri voluerunt* SPIRITVI *sancto, & reseruantes necessaria victui suo, quasi perfectè sæculo renunciantes, vanam gloriam sectabantur.*

d Sermo. 1. de inst. Monac.

e epist. 150. ad Hedib. q. 1. *Ananias & Saphira cur sint puniti.*

E

Apostolici hæretici iugulantur.

Tum subdit sententiam, quæ iugulat Hæreticos, qui Apostolici sunt dicti, quòd necessariam crederent Apostolicam exactam rerum abdicationem. *Alioqui licet liberè vel dare, vel non dare: quanquàm ei qui cupiat esse perfectus, præsens paupertas futuris diuitiis compensanda sit.* Idem habet Basilius iam citatus, reliquique Patres, & quos citauimus, & qui deinceps citabuntur.

f in hist. Act. cap. 24.

Magister Historiæ Scholasticæ [f] putat, quòd vterque istorum se societati aggregauit, vt necessaria vitæ absq; labore haberent, hoc est, quod aliis verbis Lyranus dicit, voluisse de medietate pretij habere expensas communes, sicut habebant alij, & de alia medietate viuere lautiùs in occulto. Vtinam non aliqui nunc in monasteriis victum quærant, non quomodo piè ac religiosè viuant.

g epist. 11. cont. ...

Petrus Damianus [g], *Pro sustentanda*, inquit, *quasi longa vita vterque retinuit aliquid. Fortasse etiam cùm animaduerterent persecutionem commotam sibi hac ratione consultum de viatico voluerunt, si migrandum foret; vel vt se redimerent, si opus esset.* Innuit id Hieronymus [h], appellans *dispensatores timidos, ac metuentes famem, quam vera fides non timet.* Clemens Romanus [i] vocat Ananiam *austerum.* Augustinus [k] fraudem fuisse vult, quòd *integris muneribus* (nempe vt integra offerendo) *portionem quandam putauerunt subtrahendam.* Lyranus, *quoniam retinere sibi soli quod est commune, & occultè, est communitatem defraudare.*

h ep. 8. ad ... metria. *Vera fides ... non timet.*

i epist. ...

k Serm. 25. ... verbis Apo...

Conscia vxore sua.] *Conuenerant*, inquit Lyranus, *in modum loquendi de ista venditione, & respondendi.* Carthusianus probabile ducit, Ananiam non vxori tantùm, sed emptori quoque, testibus, & quotquot in eo contractu interuenerant, commendasse, vt idem in publicum iactarent, aut interrogati responderent.

Necessitudo ... ...

Nec Satanas aduersùs Satanam pugnat, cùm de re communi agitur. Peruersa istæc est etiam inter coniunctissimos concordia. Eruendus est qui scandalizat oculus, abscindendus pes, vel manus [l], quod de propinquis, cognatis, & necessariis Hieronymus [m] exponit, Hilarius [n], Athanasius [o], Pacianus [*], Cyrillus Alexandrinus [p], Anastasius Sinaita [q], Saluianus [r], Theophylactus [s].

l Matt. 18. ...

m ibid.

n Cano. 4. in Matth.

o q. 70. ad An tio.

* epist. 3.

p lib. 12. in Ioan. c. 28.

Nulli quantumuis coniunctissimo acquiescendum est ad peccandum inducenti.

q quæst. 73. in Script.

r 3. de Prouid.

s in c. 5. Matt.

t c. 13. 6. 7. 8.

Egregia planè, & proposito accommodatissima sententia est in Deuteronomio [t], quamuis de idololatria: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ* (tenerior est amor vterinorum) *vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo* (exaggeratio est hæc coniugalis amicitiæ) *aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clàm dicens, Eamus, & seruiamus diis alienis* (auaritiam Paulus vocat idolorum seruitutem [u]) quod in his coniugibus vitium fuit, *quos ignoras tu, & patres tui, ne acquiescas ei, nec audias, nec parcat oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum: sit primùm manus tua super eum*, hoc est oculum eruere, & manum abscindere, vt CHRISTVM loquentem audiuimus [x]. Adamum Eua [y], Dalila Samsonem [z] decepit: aliæ alios viros vxores, & has vicissim viri. Sit amicus, & quiuis quantolibet vinculo astrictus, vsque ad aras.

u Gal. 5. 20.

x Matt. 18. 8. 9.

y Gen. 3. 12.

z Iud. 16. 4. & seq.

Amicus vsque ad aras.

Partem quandam.] Μέρος τι, *non præcipuam partem*, inquit Hugo; medietatem Lyranus, & Didymus Alexandrinus [a]. Cassianus [b] verò *paruum quid* vocat id quod reseruarunt sibi; videtur particula τὶ, partem minorem denotare.

a 2. de Spirit. sanct.

b Collat. 6. c. 11.

Versus 3.] Dixit autem Petrus, Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te SPIRITVI sancto, & fraudare de pretio agri?

Primatus Petri hinc colligitur.

DIXIT *autem Petrus.*] Vt princeps Apostolorum, inquit Glossa interlinearis, & Hugo: hincque confirmari primatus Petri solet, quòd tanquàm summus, & diuinus iudex agnouit, & damnauit hypocrisim, ac fraudem istorum, & eos verbo suo occidit.

Cur ten

Cur tentauit.] Ἐπλήρωσεν, *Impleuit.* Fortaſſe Interpres legit, ἐπείρασεν. Secundam lectionem ſequitur Syra verſio, in qua ſic habetur, מנו דהכנא מלא *manau debachanna mela*, id eſt, *quid eſt quod ſic impleuit*, & omnes Græci, atque Cyprianus[a], & Auguſtinus[b], iuxta etiam quam Beda obſeruat, *mentem à ſolo* DEO *propriè impleri poſſe.*

a li.3. ad Quirin.c.10.
b de tempo. barbarico.
Mens à ſolo Deo poteſt impleri.

Neſcio an innuere velit, quem vocant Theologi illapſum ſoli DEO in alias ſubſtantias rationales conceſſum. Videri quoque poteſt feſtiua antitheſis euacuati SPIRITVS ſancti, qui eos repleuerat, cuius loco ſubierit malignus, ac impleuerit: ipſaque impletio plenum Satanæ dominium atque perſuaſionem importat: poſtremò interrogatio cum reprehenſione oſtendit pendere peccatum ex noſtra libera poteſtate: Petrus enim[c] præcipit *nos fortiter Diabolo reſiſtere*, & Iacobus[d], id ſi præſtemus, pollicetur fore, vt fugiat à nobis. Sed retinenda lectio noſtra, qua vtitur ex Græcis Epiphanius[e], & innuit Clemens[f], cùm ſcribit, quòd duo hi coniuges tentauerunt SPIRITVM Domini.

Peccatum ex noſtra pendet voluntate.
c 1.epiſt.5.9.
d cap.4.7.
e hæ 19.
f 7.conſtitut. cap.3.

Hic deprehenditur Petro communicata diuinitùs occultarum rerum ſcientia: obſeruandum quoque, quòd aliquando propter præcedentia aliqua peccata permittitur quis duriùs tentari, & tentationi ſuccumbere.

Petro communicata eſt occultarum rerum ſcientia.

Satanas.] Syriacè ſcribitur per ס ſamech hoc modo, סטנא *ſatana.* Significat in genere hoc nomen quemcunque aduerſarium, aut detractorem, & calumniatorem, eum denique qui alicui obſtat hoſtili animo, vt videre eſt in aliquot Scripturæ locis[g], quibus tamen ſcribitur per ש ſchim. Baſilius[h] ita dictum dicit Satanam, quòd bono aduerſetur, idemque habet Cyrillus Ieroſolymitanus[i]. Ratio ac etymologia nominis indicatur à Zacharia[k], cùm ait: *Satan ſtabat à dextris eius*, ſcilicet, vt aduerſarius ei, ibi enim eſt verbum שטן *ſchatan, Satan*, cum litera ſeruili ל lamed, & pronomine paragogico לשטנו *liſtenò*; quod prætereà verbum eſt in Pſalmo 37.[l] pro quo Latinus ponit, *detrahebant*, necnon in Pſal. 108.[m] cùm dicitur: *Et Diabolus ſtet à dextris eius.* Eandem vocem reperies apud Matthæum[n], *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi*: & in Geneſi[o], quem ab Abraham puteum vocatum *inimicitias*, Latinus interpres ait, & Septuaginta *propter iurgium paſtorum*, Symmachus quidem, & Aquila vocauerunt *aduerſam contrarietatem.* Eſt autem Hebræa vox שטנה *ſchitnah.*

Satan quid ſignificet.
g 2. Reg.19. 22.3.Reg.5. 4.
h hom. Quod Deus non eſt auctor malorum.
i Catech.2.
k cap.3.1.
l verſ.21.
m verſ.4. & 20.
n c.4.10.c.12. 26.c.14.23.
o cap.26.21.

Porrò nomen Hebræum, שטן *ſchatan*, additione duarum literarum, vt inflexionem Græcam Latinámque habeat (Tertullianus[p] indeclinabiliter vſurpat, & alij) dicitur Satanas, non à שטה *Satah*, & נש *nas*, quaſi dicas Apoſtatam ſerpentem, qui dicitur נחש *nachas*, quod tamen Iuſtino[q] placuit. Verè quidem Satan Apoſtata, ſeu tranſgreſſor, appellatur, tuncque deriuandum nomen eſſet à verbo שטה *ſcatah, declinauit*, vel, *defecit*, vt fecit Oleaſter in Geneſim[r], concordátque Irenæus[ſ], & apud Anaſtaſium Nicenum Theodoretus, atque Beda in Matthæum[t], eſt tamen vt communior, & ſimplicior, ita verior dicta deriuatio.

Deriuatio nominis Satan.
p 1.cõ. Marc. 10.
q in Tryph.
r cap.26.
ſ lib.5.c.21.
t cap.16.

Iam verò nomen hoc factum eſt proprium Spiritui maligno, & quidem primò, vt docuit Nilus Abbas[u], Euthymius apud Lippomanum in Catena Exodi[x], & noſter Ribera[y]; cuius ratio eſt, quoniam non extat niſi in numero ſingulari, ſicut & Diaboli nomen, de quo ille idem affirmat. Sed obſtant verba illa CHRISTI apud Matthæum[z]: *Si Satanas Satanam eiicit*: & diabolos in numero multitudinis boni auctores vſurpant, licèt in Scriptura non reperiantur.

Satan nomen eſt proprium Spiritus maligni.
u libr. de octo vitioſ. cogitat.
x cap.15.
y Apoc. 20.n. 6.
z cap.12.26.

Denique nomen vtrumque aliquando commune eſt, ſignificans omnem aduerſarium, & calumniatorem. Sic de Diabolo Euthymius tradit[a], de Satana alij, vt Maldonatus[b]. In iſta ſignificatione, pro ſpiritu, inquam, maligno, hoc nomen non in nouo[c] tantùm Teſtamento, ſed etiam in vetere[d] occurrit. Quocirca minùs eſt probabile quod Hilarius[e], & Iuſtinus[f] dicunt, Tentatori CHRISTVM id primũ nomen impoſuiſſe, ſicut ſerpentis Moſem, Diaboli Iob, & poſt eum Zachariam. Rupertus quoque cùm ait idem de Satan, de Diabolo verò impoſitum eſſe prima vice à Dauid in Pſalmo 108.[g] hoc enim poſterius nomen Græcum eſt, ſæpeque à Septuaginta poſitum pro Hebræo *Satan*, & ignoratione linguarum factum eſt, vt idem Rupertus, & Chriſtianus Druthmarus in Matthæum[h], & Iſidorus, aliique tanquàm Hebræi nominis ſignificationem dixerint eſſe *Deorſum fluens.* Decepit illos ſimilitudo cum Hebræo *Zabulo*, aut *Zabolo*, quam notauit Hieronymus[i]: & ſimilitudinis cauſa eſſe poteſt, quòd dialecto Dorica dicitur ζὰ, pro διὰ, & ζάβολος, pro διάβολος; ζαβάλλω, pro διαβάλλω, vt obſeruauit Pamelius in librum Cypriani ad Demetrianum cum Morelio, & Auctor Theſauri Græcæ linguæ. Vtũtur nomine Zabuli, ſeu Zaboli pro Diabolo Hilarius ſæpe, Paulinus[k] quoque, & Cyprianus[l]. Igitur eadem ferè vis eſt Hebræi nominis *Satan*, & Græci *Diabolus*, pro aduerſario ſiue inimico, calumniatore ac detractore. Ridicula diaboli notatio à duobus bolis animæ perditi peccatoris, atque corporis eiuſdem. Vera nominis Satan ratio eſt, pro aduerſario ſiue contrario, vt præter citatos docent Origenes[m], & Hieronymus[n]: diaboli autem eſt à verbo διαβάλλειν, quod eſt, vt dixi, accuſare & calumniari. Auguſtinus[o] deducit à διαβολὴ, quæ ſignificet aut calumniam, aut delationem. Iuſtinus[p] docet eſſe propriam vocem Scripturarum, & quidem à criminatione aduersùs hominẽ: vocari autem ab Homero aliiſque, ἄτην, id eſt, noxã. Theodoretus[q] etymon deriuat, quòd criminetur DEVM apud homines, interque iſtos diſſeminet lites. Theophylactus[r], quia calumniam contra DEVM contexuit, agens cum primis parentibus, & contra virtutem, paſſim cum reliquis hominibus. Lactantius[ſ], quòd ad quæ nos illicit crimina, defert ad DEVM: idemque Cyrillus Ieroſolymitanus[t] tradit, & Cedrenus[u]. Si quis contendat Hebræam vocem eſſe, quia ſemper Zabulum legimus, non Zabolum, non reſiſtam. Tunc aliud etymon addi poterit, à zabul, Syrorum linguâ, quod eſt fimus ac ſtercus: nam diabolus vocari ſolet Spiritus immundus, vt poſteà videbimus[x].

Satan nomen commune eſt.
a in c.6.Ioan.
b in eundem locum.
c Mat.4.10.c. 12.26.Ioan.13. 27.& alibi.
d Iob.1.6.9.c. 2.1. Zachar.3. 1.2.
e in c.4.Matthæi.
f in Tryph.
g verſ.6.
h Matt.4.1.
i in c.6.ep.ad Epheſ.
Cur diabolus vocetur Zabulus.
k ep.4.& 31.
l li.ad Demetrianum. c. 6.
m tractat.1.in Matth.
n ep. ad Marcellam.
o libr. q. in Num.q.49.
p paræn. ad Gen.
q 3. de affect. Græc.
r in c.4.Matt.
ſ 2.de orig.erro.cap.8.
t catech.2.
u pag.6.
x verſ.16.

Mortales inimicitiæ ſunt iam inde à mundi exordio inter dæmonem, & genus humanum[y], recteque *inimicus homo* in parabola CHRISTI illum deſignat[z], & meritò in Apocalypſi[a] vocatur *Accuſator fratrum.*

y Gen.3.15.
z Matth. 13. 28.39.
a cap.12.10.
Mortales ſunt inimicitiæ inter dæmonem & hominem.

Eius officium eſt, quem Petrus ſimul nominat *aduerſarium Diabolum*[b], calumniari DEVM apud homines, vt docent Iuſtinus[c], Tertullianus[d], Theodoretus[e], Theophylactus[f]. Sic nimirum, vt præſertim notat Tertullianus[g], DEO impoſuit apud primos parentes *prohibitionem eſus omnis ligni, mendacem comminationem mor-*

b 1.epiſt.5.8.
c orat.par. ad Gentiles.
d 2.cõtr. Mar. c.10. & lib. 5. cap.18.
e apud Anaſt. Nice. q. 61. in Script.
f in c.4.Matthæi.
g ſupra.
Officium dæmonis eſt calumniari Deum apud homines, & apud homines Deum.

tis [a], *inuidiam cuiusdam diuinitatis, vt scientiæ boni, ac mali*. A

Prætereà Gentibus eam de DEO calumniam persuasit, vt scribit Chrysostomus [b], non habere DEVM curam, prouidentiámve de his inferioribus: Iudæis de CHRISTO, eum esse præstigiatorem, & impostorem, ita vt in Beelzebub principe dæmoniorum eiiceret dæmonia [c]; omnibus hominibus, quibus persuadet DEVM esse malorum auctorem, tum pœnæ, vt indignentur contra illum, tum culpæ, vt peccent effrenatiùs, non etiam dubitans, inquit Rupertus [d], velle videri DEVM iniustum, se verò iustum.

Altera calumnia est hominum apud DEVM obseruata à Basilio [e], Chrysostomo [f], Ruperto [g]. B
Eius exemplum est in Iob [h], & vniuersè id testatur Apocalypsis [i]. Extant quoque de eâdem re horribiles historiæ apud Climacum, & Athanasium in Antonio, & alios. Vltimò spargit etiam inter homines discordias, & calumnias, vt ait Theodoretus *, & est nimis multis experimétis testatissimum, præsertim de bonis apud improbos, vt quondam de Christianis apud infideles, cuius rei fidem faciunt Patrum Apologiæ ad Gentiles.

Inde appellati sunt viri diabolici, qui testimonio falso innocentis Naboth causa mortis fuerunt [k]: similique de causa Iudam à CHRISTO ipso *Diabolum* nominatum existimare possumus [l], C
in cuius cor Diabolus missurus erat, vt traderet CHRISTVM [m]: profectò nonnisi criminosa aliqua fictáque accusatione: nec aliter sentiendum de Iudæis, quos idem CHRISTVS *ex patre diabolo esse* affirmauit [n]. Lege Toletum in Ioannem [o], & in Lucam [p], & Pinedam in Iob [q].

Ex dictis de nomine Satanæ, atque ex eo quod Petrus dixit, *cur tentauit*, suboriri dubitatio potest, an omne peccatum eius quadam inductione, & tentatione fiat.

Disputaui hoc fusiùs exponens Euangelium de tentationibus CHRISTI. Summa est, siue de illo sermo sit, qui vndique vsurpato sibi assectandi & comitandi ad similitudinem Angeli custodis officio, vnumquemque tentat, vt D
tradunt Origenes [r], Nyssenus [s], Basilius [t], Auctor operis imperfecti in Matthæum [u], & Auctor Sermonum ad Fratres in Eremo, apud Augustinum [x] cum Magistro, & Scholasticis [y]: siue de aliis quibuscumque malignis spiritibus probabiliter asseri posse, nullam in vllo peccato prætermitti occasionem ab illo, quam qua sagacitate est, percipit, si quo modo foras se exerat, nec intimis cogitationibus voluntatibusque includatur, vt Cassianus [z] docet, nósque disputatione de Angelis, qua occasione non abutatur, vt nos circumueniat, & in peccatum præcipitet. Fauent Dionysius [a], Clemens Alexandrinus [b], Origenes *, Basilius [c], Cyrillus Ierosolymitanus [d], Au- E
ctor operis imperfecti *, Damascenus [e], ex Latinis Tertullianus [f], Cyprianus [g], Ambrosius [h], Hieronymus [i], Petrus Chrysologus [k], Cæsarius Arelatensis [l], Beda [m] Augustinum [n] secutus, B. Thomas [o].

Longè tamen probabilior est opposita sententia, non instigare dæmonem, seu tentare per seipsum immediatè, quoties homines peccant. Disertè, ac ex professo etiam hoc docent Origenes [p], Basilius [q], Nazianzenus [r], Anastasius Nicenus [s], Augustinus [t], & apud eum auctor libri de Dogmatibus Ecclesiasticis [u], Gregorius [x], Beda [y], S. Thomas [z], Abulensis [a], Ioannes Driedo [b], Ioannes Viguerius [c].

a Gen. 3. 4. 5.
b Homil. 2. in 2. ad Cor.
c Matt. 12. 24.
d in c. 4. Matthæi.
Diaboli altera calumnia.
e orat. in Lacisis.
f Hom. 2 in 2. ad Cor. 10. & hom. 3. de pat. Iob.
g in c. 4. Matt.
h cap. 12. 10.
i cap. 12. 10.
* apud Anast. Nicen. q. 61.
k 3 Reg. 21. 13.
l Ioan. 6. 70.
m Ioan. 13. 2.
n Ioan. 8. 44.
Cur falsi testes dicti sunt homines Diaboli.
o in ca. 6. ann. 36.
p in c. 11. ann. 39.
q in c. 11. vers. 6. nu. 8.
r Hom. 12. in Luc.
s de vita Moysis.
t in Psal. 1.
u Hom. 13.
x Tomo 10. serm. 68.
y 2. dist. 21.
Dæmon nullam tentandi præter occasionem quácumque potest arripere.
z Collat. 5. c. 15.
a de Diui. nom. c. 4.
b in Paid.
* homil. 15. in Iosue.
c ora. in Lacisis.
d Catech. 2.
* supra.
e 2. de Fide. c. 4. lib 3. c. 20.
f lib. de orat. cap. 5.
g Serm. de ieiun. Christi, & tentat.
h li. 4. in Lucam, de tent. Christi.
i 2 cont. Ioui.
k Serm 11.
l hom. 21.
m in c. 6. epist. ad Ephes.
n in Psal. 15.
o in c. 6. ep. ad Ephes.
p libr. 3. Periarch.
q q. 65. ex breuiorib.
r in sent. 52. ex Tetrastichis.
Diabolus non semper tentat.
s q. 8. in Scrip.
t li. ad art. falso sibi impositos. ad 11.
u cap 82.
x 11. Moral. c. 5.

Ratio verò Basilij, & Origenis conuincit, quia naturalia famis, frigoris, æstus, aliáque incommoda, concupiscentia quoque, similésque inordinati motus, magna satis ad peccandum ansa sunt, etiam sine Dæmone; qui possit proinde conqueri, quòd nos de ipso conqueramur, vt ait Augustinus, & Beda, & Nazianzenus iam citati, necnon & Chrysostomus [d], qui disputat de vtilitate ex tentatione, atque etiam ex obsessione Dæmonis, consolans obsessum Stagyrium. Huiusmodi Dæmonem exposuisse querimoniam, meminit in Antonio Athanasius. Deniq; cùm Pilatus [e] vxorem non exaudierit, dissuadentem instinctu Diaboli, vt placet Ignatio [f], Cypriano [g], Gregorio [h], Bernardo [i], Rabano [k], Magistro Historiæ Scholasticæ [l], & aliis, tametsi Origenes [m] bonum Angelum fuisse velit, necnon Chrysostomus [n], Hilarius, Hieronymus, Theophylactus, Euthymius, hi omnes in Matthæum, item Ambrosius [o], Augustinus [p], Leo [q], intelligi potest, auctore Diabolo, peccata singula non semper committi.

Qui pro alia opinione adducti sunt Patres, dempto Auctore operis imperfecti, & Sermonum ad Fratres in Eremo, possunt commodè exponi, vt beatus etiam Thomas [r] fecit, vt omnis peccati auctor Diabolus habeatur, propter originale, ex quo procliuitas in nobis ad peccandum nata est.

Quædam insigniora peccata Diabolo auctore immediatè fiunt, illa potissimùm, quæ ad turbandam, vexandámque Ecclesiam valent magis, & ad impediendum felicem cursum eius. Hac de causa tum Iudas diabolus dictus est [s], tum Satan Petrus [t]; & ab ipso excitatos Arrium, Eunomiúmque contra Ecclesiam, ipsemet confessus est, vt Cassianus [u] refert.

Mentiri te SPIRITVI *sancto.*] ψεύσασθαί σε τὸ ΠΝΕΥΜΑ τὸ ἅγιον, *mentiri te* SPIRITVM *sanctum*. Syrus sic est interpretatus, דתדגל ברוחא דקודשא *dathedagel berucha dakudescha*, id est, *qui esses mentiens in* SPIRITVM *sanctitatis*; vel, *vt mentireris in* SPIRITVM *sanctitatis*. Nonnulli codices Græci habent, ψεύσασθαί σε εἰς τὸ πνεῦμα, &c. *mentiri te in* SPIRITVM, &c. Quod ad Græcam phrasim attinet, prout extat passim in pluribus libris, Caietanus docet, vel iuxta eam idem esse mentiri SPIRITVM sanctum, cum accusandi casu, atque apud nos mentiri SPIRITVI sancto, cum datiuo: *Quemadmodum etiam*, inquit, *dicunt Græci* εὐεργετῶ σε, id est, *Beneficio te*, pro *tibi*.

Altera eiusdem expositio est, quòd Ananias esset mentitus se SPIRITVM sanctum, simulando se SPIRITVS sancti impulsu res suas distraxisse, ac pretium iustum detulisse, nempe quod iam recitaui ex Basilio [x], *vt qui cupidus humanæ laudis quicquid bonorum haberet, palàm consecrare se* DEO *simulauit*.

Quod Caietanus hoc loco de Græca phrasi dicit, sanè assentior, & complura alia exempla reperies in Thesauro linguæ Græcæ. Durius autem est, quod secundo loco affert. Etsi enim hypocrita mentitur se Sanctum, non tamen SPIRITVM sanctum, Itaque τὸ ψεύσασθαι cum accusatiuo, & datiuo casu eandem significationem habet, nempe mentiri alicui, aut fallere, aut fraudare aliquem; vnde & versu sequenti iungitur casui datiuo, *Non es mentitus hominibus, sed* DEO, Οὐκ ἐψεύσω τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ ΘΕῷ. Augu-

stinus*

y in Psal. 9.
z 2. dist. 25. q. 1. a. 1. & 1. p. q. 114. a. 1. & 1. 2. q. 80.
Cur ad nos sancitam.
a Matth. 4. q. 67.
b li. 1. de grat. & liber. arbit. tra. 3. par. 4.
c in instit. c. 3. §. 2. vers. 18.
d li. 1. de prouid.
e Matth. 27. 19.
f ep. 8 vel 9.
g ser. de Pass.
h 33. Moral. c. 21.
i Sermo. 3. de Pasch.
k apud S. Thomam in Catena Matth. 27.
l c. 10. Matth.
m hom. 35. in Matth.
Quemodo omnis peccati diabolus sit auctor.
n ibidem.
o lib. 1. in Lucam.
p Ser. 121. de Temp.
q Serm. 11. de Pass.
r 1. par. q. 114. art. 3.
s Ioan. 6. 70.
t Matth. 16. 23.
u Coll. 7. c. 32.
Caietani expositio.
x Ser. 1. de instit. Monach.

* de tempo. Barba.

stinus* legit, *Mentiri te apud* SPIRITVM *sanctum*.

Versus 4.] Nónne manens tibi manebat, & vænundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed DEO.

Liberum arbitrium ostenditur.

NONNE *manẽs tibi manebat.*] Aculeata oratio, quæ vim liberi arbitrij ostendit; rationem voti, dominium licitum esse, quibus de rebus propriis in locis disputaui. Quare non video quomodo Caietanus inferat Ananiam voto obligatum non fuisse.

Manens tibi manebat.] Syrus sic est interpretatus, לאו הוא דילך הות עד לא תזדבן *la haua dilach hauath hbad la thezdaben*, id est, *Nónne erat tuus, antequàm non venderetur?* vel sic, *nónne erat tuus, quousque non venderes illum?* Quod alij reddunt sine interrogatione, sed lentiùs: *Tuus erat ager, priùs quàm vendidisses.* Verborum verò illa repetitio, *manens tibi manebat*, sapit Hebraismum, habétque emphaticam, & intensam significationem, & valdè asseuerantem, vt cùm dicitur [a], ראה ראיתי *raoh raithi*, id est, *videndo vidi*, & [b], קוה קויתי *kaua kaiithi*, id est, *expectando expectaui*, &c. Id notauit Euthymius in Psalmum 39. & 131. occurrentque passim plurima exempla. Sed & Latini, Græcíque huiusmodi interdum simili phrasi vtuntur: sic enim Latinè quis dicitur *seruire seruitutem*, *furere furorem*, *occisione occidere*: vt ex Verrio Flacco refert Gellius [c]. Plato in Sympofio, βίᾳ γὰρ ἔρως οὐχ ἅπτεται, οὔτε ποιῶν ποιεῖ, id est, *violentia*, inquit, *amoris non tangit, neque faciens facit*, id est, non violenter stimulat: item Lucianus in Dialogo Menelai, & Prothei: *Videns*, inquit, *vidi, sed tamen res ipsa monstro similis est.*

a Exo.3.7.
b Psal.39.1.
c lib.4.c.17.

Ceterùm hæc exaggeratio aliquando spectat ad actionem verbo significatam, vt ibi [d]: *Castigans castigauit me Dominus*, id est, valdè: & illic: *Benedictus tu fili mi Dauid*, ait Saul [e], *& quidem faciens facies, & potens poteris*, id est, potentissimus eris ad faciendum: & in isto capite [f], *Præcipiendo præcepimus*: ibi quoque [g]: *Desiderio desideraui*, id est, vehementer. Ita alibi dicitur [h], *Deuotione deuouimus*, id est, Maxima nobis mala imprecati sumus. Interdum facit hic dicendi modus, vt certius esse intelligatur quod asseritur, vt cùm dicitur [i], *Nè timeas, quia faciens faciam in te misericordiam*, id est, certissimè faciam; simile est & illud [k]: *Exultatione exultabunt*. & infrà [l], *Benedicens benedicam*. Hæc ferè ex Ribera mutuati sumus super caput primum Sophoniæ [m].

Quam vim habeat hic forma dicendi.
d Psal.117.18.
e 1.Reg.26.25.
f vers.28.
g Luc.22.15.
h Act.23.14.
i 2.Reg.9.7.
k Psal.131.16.
l vers.15.
m n.4.& 7.

Venundatum.] Potuit verti in genere masculino, referendo ad agrum, prout etiam vertit Syriacæ editionis Interpres, dicens, *& cùm venditus est*, pro eo quod est Syriacè, דאזדבנת *dezedabnath*, fœminini generis, propterea quòd ager in ea lingua est eius generis, Græcè autem est τὸ κτῆμα, generis neutrius, ac proinde participium neutrum πραθὲν: hoc tamen modo Latinum nomen neutrum, vt & præcedens indeterminatè ponuntur pro re venundata, & quæ priusquàm venundaretur, manebat, &c. vel dicitur, quòd venundatus ager erat in potestate vendentis, non ille in se, verũ ratione pretij, posito iuxta phrasim Hebræam antecedente pro consequente, priore pro posteriore. Tale illud est apud Ioannem [n], *Et vos in labores eorum introistis*, id est, in fructum alienis laboribus debitum. Alia exempla vide apud Salmeronem [o].

n cap.4.38.
o Tom.1.Prolegom. 14.; Rursus 10.

A *Quare posuisti in corde tuo hanc rem?*] Qui antea dixerat: *Cur tentauit Satanas cor tuum*, modò dicit, *Quare posuisti in corde tuo hanc rem*, seu, vt exponit Syrus, למנא סמת בלבך דתעבד צבותא הדא *lemana samth belebach dethebhached tsebutha hade*, id est, *Quare posuisti in corde tuo, vt faceres voluntatem hanc?* vel, *Quid tibi venit in mentem, vt exequereris hanc voluntatem?* vt intelligamus Tentatorem sollicitare posse, necessitatem imponere non posse: *latrare, vt canem catena illigatum, mordere duntaxat sese in fauces illius*, vt Augustinus loquitur [p], *obiicientem*.

Tentator sollicitare potest, imponere necessitatem non potest.
p Sermo.197. de Tempo.

Posuisti in corde tuo.] Vel in mente, vel in voluntate, vt aliàs dixi [q]. Ponere verò in corde, est
B attentè vel cogitare, vel velle, sicut ponere cor super, seu in aliquid [r], aut ponere super cor [s], aut simpliciter ponere cor [t]. Simili loquendi forma vtitur Lucas in Euangelio non semel [u]. Lege Riberam in Aggæum [x], Maldonatum, & Toletum in Lucam [y], qui vltimus rectè monet hac phrasi aliquando significari, memoria aliquid tenere, aut animo infigere.

Ponere in corde vel similia quid sint.
q cap.1.14. & alibi sæpe.
r Agg.1.5. Ezech.40.4.
s Esa.47.7.
t Dan.6.14.c.10.12.
u c.1.66.c.2.44.c.21.14.
x cap.1.9.
y in cap.1.

Non es mentitus hominibus, sed DEO.] Hinc omnes passim Interpretes colligunt fuisse sacrilegiũ, & voti violationem, & Beda ex his ortum pessimum Sarabaitarum genus, qui erant in Ægypto ficti monachi Apostolicam custodire districtionem simulantes, cùm suas tamen res retinerent,
C de quibus Cassianus [z]; iis verò haud meliores erant, quos Remoboth appellatos Hieronymus [a] describit. Eodem modo de hoc peccato loquitur idem Pater [b], Augustinus etiam [c], Fulgentius [d], Gregorius [e], Athanasius [f], Basilius [g], Nyssenus [h], Petrus Damianus [i], citatus suprà Cassianus. Cecinit sic etiam hac de re Nazianzenus [k]:

Quis porrò pœnam Ananiæ Saphiraq; tremendam
Cum legit, occultos nummos qui morte luêre,
Non etiam leuiter metuit perfringere vota?

Addc prætereà Cyprianum [l], & Paschasium [m].

Votum ab Anania fuit violatũ.
Sarabaitæ qui.
z Coll.18.c.7.
a epistola 22. ad Eustoch. de custod.virg.
b ep.1.ad Demetriadem.
c Serm.25. de verb. Apostol. & 3. de mirab. scriptur.c.vlt.
d ep. de debito coniug.c.8.
e li.1.ep.33.
f Ser. de Pass. & cruce. & in Synop.
g Sermo.1.de inst.monac.
h orat. de Filii & Spiritus sancti diuin. Tom. 5. Biblioth. Pat.

Posset quidem vtcumque Ananias dici mentitus SPIRITVI sancto, si mendacium tantùm Petro dixisset, quia in eo erat SPIRITVS sanctus; &
D sensus esset, *non es mentitus hominibus*, hoc est, simplicibus hominibus, quod etiam docet Dionysius Carthusianus, & Caietanus: sed magis propriè dicitur mentiri SPIRITVI sancto, & DEO, qui aliquid ei promittit, & non seruat.

Mentitus Spiritui sancto Ananias esset, si solum Petro mentitus esset.
Mentitur Spiritui sancto, qui vota non seruat.

Denique tam grauis illata mox pœna maius mendacio peccatum arguit, aut auaritia, aut ambitione, aut hypocrisi, quæ sola Petrus pseudo-Martyr [n] peccata se hîc videre, nullum autẽ peccatum hîc esse affirmat sacrilegij, & effracti voti. De Petro Martyre, qui iugum fregit, dixitq; *Non seruiam* [o], factus Apostata, minùs miror; Caietanum miror religiosissimum, & doctissimum virum tam manifestis consignatum indiciis votum
E hîc non deprehendisse. Lege Bellarminum in controuersiis [p].

i ep.15.cap.3.
k carmin. de virg.præce.
l 3.testim.c.10.
m lib.de Spiritu sancto.cap.8.
n li. de votis.
o Ier.2.20.
p Tom.1.li.2. de Mona.cap.20.

Non hominibus.] Id est, Non tantùm hominibus, quemadmodum dicit Apostolus [q], *quòd non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem*, hoc est, non sola, & præcipua; & Moses [r], *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*, id est, non solùm contra nos, nec maximè contra nos, sed etiam ac præcipuè contra Dominum. *Nos enim*, inquit, *quid sumus?*

q Eph.6.12.
r Exod.16.8.

Sed DEO.] Ergo SPIRITVS sanctus est DEVS, vt præter Interpretes Bedam, Glossam, Hugonem, & alios, atque Aratorem in carmine [s], infert Athanasius [t], Nazianzenus [u], Nyssenus [x],

s lib.1.in Act.
t lib.de communi essen.
u oratio. 5. Theol. & orat. in laudẽ Heronis.
Spiritus sanctus Deus esse probatur.
x orat. de Fil. & Sp. s. sancti diuin.

Didymus [a], Idacius [b], Cyrillus Alexandrinus [c], Hieronymus [d], Ambrosius [e], Victor [f], Cerealis [g], Augustinus [h], Epiphanius [i], Theodoretus [k], Basilius [l], Paschasius [m]. Itaq; mentiuntur Transyluani negantes nusquàm vocari expresè SPIRITVM sanctum DEVM. Contra hos ita pridem Arator cecinit:

—quòd SPIRITVS *almus*
Sit DEVS *ex multis plena est instructio libris.*
Et tamen hinc capit arma Fides: quò tenditis vltra?
Quis dubitat quod Petrus ait? —

Neque verò propterea peccatum hoc Ananiæ, quod esse sacrilegium dixi, in SPIRITVM item sanctum vocari debet, sed SPIRITVI sancto peculiariter hac in re facta iniuria censetur, tum ob simulationem, quæ simplicitati aduersatur, quam SPIRITVS sanctus adamat in columba repræsentatus [n], & *effugit fictum* [o]: tum quia exemplo Ecclesiam lædebat, quæ regitur à SPIRITV sancto: tum postremò, quoniam erat contra liberalitatem SPIRITVS sancti, qui se tam profusè cõmunicauerat, & fortasse primam illam mentem Ananiæ & coniugi sese pro DEO rebus abdicandi dederat.

a li. 1. de Spiritu sancto. sub fin. & li. 2.
b cont. Varimad.
c 13. Thesau. cap. 2. & 7. de Trinit. & lib. quòd SPIRITVS sanctus sit DEVS.
d in c. 63. Esa.
e 3. de SPIR. san. cap. 10.
f in rat. fidei, ad Hũdric. & 2. de persecu.
Non fuit peccatum in Spiritum sanctum, sed facta est Spiritui s. iniuria.
g cont. Maxi. cap. 11.
h de tẽp. Barba. cap. 3.
i hær. 59. & in Ancorato.
k 5. hæret. fabu.
l 5. cont. Eunom.
m lib de SPIRITV sancto. cap 8.
Mentiri semper est peccatum.
n Ioan. 1. 32.
o Sap. 1. 5.

Contra mendacium disputari hîc posset: sed nos id egimus in tractatibus Theologicis, disputantes contra Platonem, Cassianum, Priscillianistas, nullum omninò licitum esse. Arguta ratiocinatio Augustini est [p], *Si doctrina, quæ tradit licere mendacium, est falsa, non licet: si vera, falsitas, & mendacium oritur ex veritate, contra sententiam Ioannis* [q]: *Omne mendacium non est ex veritate; & patrocinaretur veritas mendacio.*

p libr. cont. menda.
q 1. ep. 2. 21.

Versus 5.] Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Et factus est timor magnus super omnes, qui audierunt.

AVDIENS *autem Ananias hæc verba, cecidit.*] *Os quod mentitur, occidit animam* [r]: id instrumentum per quod vitam spiramus, mortis efficitur causa. Hic non exprimitur, quòd Petrus Ananiam interfecerit, Origenes negat [s]: sed cùm Ananias non ferret adeò acrem reprehensionem, præsertim illorum verborum: *Cur impleuit, seu tentauit Satanas cor tuum?* præ nimio mœrore mortuum concidisse. Indicat eundem interfectionis modum Gregorius [t], dicens, *quòd increpando vtrique coniugi vitam abstulit, qui reddidit Thabitæ orando* [u]. Mœrore nimio quosdam continuò interiisse certum est, & constat B. Vincentio [x] Fererio concionante quendam vi verborum eius veluti in carbonem atrum redactum.

r Sap. 1. 11.
Petrus non occidit Ananiam, sed mœrore interiit.
s Tracta. 8. in Matth.
t 2. Dial. c. 30.
u Act. 9. 40.
x in vita.

Sunt & recentia exempla eorum, quibus mortem viri principis vel acris oratio attulit, vel etiam epistola. Procopius [y] hunc ait esse *gladium acutum*, de quo Esaias, nimirum verbi DEI, quo etiam Paulus Elymam excæcauerit [z], & Ezechias [a] Rabsacem fugauerit. Hieronymus [b] idem sentit de Petro, sed nec imprecatum esse mortem: annunciasse duntaxat spiritu prophetico iudicium DEI. Ita ille contra Porphyrium Petro impingentem calumniam crudelitatis.

y in c. 49. Esa.
z Act. 13. 12.
a 4. Reg. 19. 15. & seq.
b epist. 8.

Dionysius Carthusianus hoc loco docet, ab Angelo percussum Ananiam, & coniugem Saphiram; Augustinus, siue apud illum Auctor Operis de Mirabilibus Scripturæ [c], affirmat, à Petro, seu Petri imperio, & verbis, & Cassianus [d], & Vrbanus I. [e] & concilium Aquisgranense sub Pipino [f], *ore Apostolico*, videlicet tanquàm causa, vt Theologus loqueretur, Physica instrumentali esse interfectos. Similem Clemens Alexandrinus [g] de Ægyptio, quem Moses occidit [h], habet sententiam (vbi tamen percussus narratur) necnon de Anania & vxore.

Verbis Petri quomodo dicatur occisus Ananias.
c li. 3. c. vlt.
d 7. de Instit. renunc. cap. 14.
e epist. vnica.
f lib. 3. c. 21.
g 1. Strom.
h Exod. 2. 12.

Fieri id potest, & si asseratur, multa hinc habebimus; primò Petri primatum, ex modò citatis Auctoribus, & ex Tertulliano [i], vtentis suprema potestate, quæ est typus excommunicationis; quoniam, vt idem tradit Gregorius [k], sola eam verborum denunciatione exercuit. Secundò licitam esse aliquando hominis interfectionem, vt probat Alphonsus à Castro [l], contra Vvaldenses, & Nicolaum Galecum vnum de Bohemiæ legatis ad Concilium Basileense, de qua re in Disputatione de Homicidio, & de Fide, vbi de occidendis Hæreticis. Tertiò, non alienam esse ab Euangelica suauitate seueritatem nonnullam, vt docet Beda expendens CHRISTI verba apud Lucam [m]: *Nescitis cuius* SPIRITVS *estis*, vt neque defuisse semper benignitatem sub lege seuera.

Petri primatus.
i lib. de pudi. cit. cap. 21.
k lib. 1 ep. 24. ad Ioan. Constantin.
l con. Hære. verbo hære.
m cap. 9.

Noluit CHRISTVS, qui pati venerat, sæuire, ex hoc tamen exemplo, & Pauli Elymam excæcantis [n], atque Corinthium Satanæ tradentis in interitum carnis [o], *voluit*, inquit Tertullianus [p], *vt intelligeremus id se potuisse. Deiecit quidem in horto comprehensores* [q], *nullo tamen alio malo affecit*: neque insanatam dimisit serui auriculam [r], quam Petrus, grauiter etiam propterea coërcitus, absciderat [s].

Christus seuerus noluit, potuit aliquando esse seuerus.
n Act. 13. 11.
o 1. Cor. 5.
p de pudic. c. 21.
q Ioan. 18. 6.
r Luc. 22. 51.
s Ioan. 18. 10. exemplis seueritatis grauissimas.

Elisæus vrsos immisit in irrisores pueros [t]: at hostibus immissis à rege Syriæ parci voluit [u]. Volebant duo illi fratres [x], Eliæ exemplo [y], ignem cœlitùs euocari in Samaritanos: respõdit CHRISTVS quod dixi [z]: *Nescitis cuius* SPIRITVS *estis*. & hoc etiam, *Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare*, nempe nolens armis obtrudere, sed mansuetudine, doctrina, miraculis Euangelium insinuare.

t 4. Reg. 2. 24.
u cap. 6. 22.
x Luc. 9. 54.
y 4. Reg. 1. 10. & seq.
z Luc. 9. 55.

Quartò, colligimus non necessariò præcedere correctionem debere, quando nulla spes est emendationis, qualem hic Petrum nullam præuidisse Chrysostomus monet. Durandus quoque [a], qui hac etiam de causa docet Iudæ proditionem manifestatam à CHRISTO [b]. Vtrumque exemplum S. Thomas [c] adhibet disputans de correctione fraterna, docetque, quòd Petrus tanquàm executor DEI, publicauit peccatum occultum, quod ex reuelatione ipsius cognouerat.

Non semper præcedere debet correctio.
a 4 dist. 19. q. 2. art. 4.
b Ioan 13. 26.
c 2. 2. q. 33. art. 7. ad 2.

Qua in re habita magnoperè ratio est communis in futurum vtilitatis, vt caueretur perniciosissima Ecclesiasticæ disciplinæ simulatio, vt est in Decreto [d]; & metus vehementer incuteretur illis primordiis nouæ legis Euangelicæ, vt præter Glossam, Hugonem, aliosque Interpretes obseruant Cassianus [e], Isidorus Pelusiota [f] vindicans Petrum à crudelitate, & amentia, & Augustinus [g], & Basilius [h].

Cur seuerus Petrus tam seuerè punierit.
d cap. Nimis. dist. 37.
e coll. 6. c. 11.
f li. 1. ep. 181.
g Serm. 29. de verb. Apost.
h in Moral. c. 11.

Sic enim colligens ligna in Sabbato, lapidatus est [i]: Nadab, & Abiu filij Aaron, igne consumpti [k], quia igne alieno sacrificauerant: Oza percussus ob Arcæ contactum [l]: Heli, quòd indulgentior in liberos fuisset, de sella cõcidens extinctus [m]: Datham & Abiron humo absorpti, quoniam peruicaces extiterant in Mosem [n]: Achan, qui furatus erat anathema [o]: primi quoq; parentes [p], & Cain [q], præter alios, diuinæ possunt animaduersionis exemplum esse.

Reputanda rectè diuina iudicia in regula.
i Num. 15. 36. & seq.
k Leuit. 10. 2.
l 2. Reg. 6. 7.
m 1. Reg. 4. 18.
n Num. 16. & seq.
o Iosue 7. 25.
p Gen. 3.
q Gen. 4.

Rectè Taurus Philosophus Platonis Gorgiam interpretans [a], in quo *ille criminis punitionem non differendam* dicit, *ita vt lenior sit, cùm spes est, eum qui deliquit, meliorem ea punitione futurum, grauior, quando eius illatio exemplo futura est, atque remedio sanandis aliorum animi morbis, & impediendis in posterum peccatis.* Rectè, inquam, Taurus, *propter causam istam secundam*, vt Gellius recitat [b], docet, *pœnam à Græcis vocatam παράδειγμα*, id est, exemplum, *cùm punitio propter exemplũ est necessaria, vt ceteri à similibus peccatis, quæ prohiberi publicitùs interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcirco veteres quoque nostri Romani exempla pro maximis, & grauissimis pœnis dicebant, quemadmodum etiam & Græci παραδείγματα*, vt idē Taurus notat. Hanc tum propter exemplum aliorum illatam pœnam Plato citatus, tum etiã Ambrosius [c] τιμωρίαν dixerunt, à conseruatione honoris, cùm videlicet pœna irrogatur, vt dignitas, auctoritásque eius, in quem peccatum est, conseruetur: ne prætermissa animaduersio contemptum illius pariat, & honorem imminuat.

Punitio non differenda, & quando grauior, & quando leuior esse debeat.
a lib. 1.
b lib. 6. c. 14.
παράδειγμα & τιμωρία quomodo differant.
c 1. Offic. c. 10.

Hanc nominatim causam Basilius [d] affert adeò seueræ pœnæ, qua Ananiam, & Saphiram plecti Petrus voluit. Nyssenus * frater consensit, & hoc exemplo, quòd nempe Ananias insitam Petro virtutem contempserat, quippe cuius vim in curando claudo expertus fuerat †, excusat Thaumaturgi seueritatem, cùm adeò beneficus soleret esse aduersùs cuiusdam fraudes atque mendacia.

d lib. Mor. c. 11.
* in vita Thaumat.
† Act. 3. 7.

Quò fit, vt leuioribus interdum culpis, si eas per se consideres, grauiora supplicia imponantur. De harum grauiorum culparum genere arbitratur Cassianus [e] esse fraudem ab Anania, & Saphira in pretio factam, quod deinde examinabimus, essentque fortassis nonnulla ex allatis accommodatiora exempla. Certum est, procedente tempore, & iam magis firmata lege, pares culpas nō pari punitas pœna, vt de Simone Mago Chrysostomus monet [f]: etsi dici posset cum Oecumenio [g], actum cum domesticis seueriùs, leniùs cum externis, ne hi ad Fidem compelli viderentur.

Leuioribus culpis grauiores interdum pœnæ adhibentur.
e Col. 6. c. 11.
f in c. 8. Act.
g hoc loco.

Attamen *rigidiores illæ priores pœnæ*, inquit Cassianus [h], *quas noua transgressionis præsumptores subierunt, efficiunt, vt quisquis eadem deinceps affectare tentet, noscat sibi secundùm eam formam, qua illi damnandi sunt, etiamsi in præsenti supplicium differatur, in futuri iudicij examinatione reddendum.*

Pœnæ rigidiores quid fuerint.
h supra.

Adijce & hanc à Chrysostomo [i] indicatam causam. *Nam nunc quidem*, inquit, *vtilitatem acceperũt, ne vltrà pergant in malitia, luituri videlicet grauiores posteà in inferno pœnas, qui si viuerent, plura commissuri peccata præuidebantur.*

i in hunc locum.

Quintò, sequitur quanta reprehensione, atque animaduersione sint digni, qui in religiosis familijs proprietarij dicuntur, siue pauca reliquerint, vt viuant commodiùs, siue pauca vsurpent, cùm multis se abdicauerint. Qui audiant quæso Augustinum [k] piè valdè fœminas religiosas commonentem hoc modo: *Quæ aliquid habebant in seculo, quando ingressæ sunt monasterium, libenter velint illud esse commune. Quæ autem non habebant, nec ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt, sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur. Et si pauperes earum quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire: at non ideò putent se esse fœlices. Sed rursus etiam illæ, quæ aliquid esse videbantur in seculo, non habeant fastidio sorores suas, quæ ad illas ex paupertate venerunt.* Hieronymus [l] narrat quinque millium Monachorum suffragio ritè priùs quæsito, Macarium, Pambonem, & Isidorum, ceterósque, quos Patres vocabant, sancto in eis loquente SPIRITV, decreuisse infodiendos cum Monacho esse centum solidos, quos lina texendo acquisierat, moriénsque dereliquerat, parcior magis, quàm auarior, cùm dicerent: *Pecunia tua tecum sit in perditionem* [m]. *Nec hoc*, inquit, *crudeliter quisquam putet factum, tantus cunctos per totam Ægyptum terror inuasit, vt vnum solidum dimisisse sit criminis.* Gregorius [n] haud absimile exemplum recitat sui Monachi Iusti. Nam cùm ipse rescisset iam moribundum tres occultatos aureos habere in medicamine, tum ad purgationem morientis, tum ad exemplum viuentibus, præcepit vt nullus se ad morientem iungeret, vllóve modo ei loqueretur, & mortui cadauer in sterquilinium proijceretur, iactatis etiam aureis super illud, & cunctis clamantibus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Inde factũ est, vt singuli externa quæque, & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat, ad mediũ proferrent, vehementérque formidarent, ne quid apud eos esset, vnde reprehendi potuissent.

Proprietarij in religione quo supplicio sint digni.
k epist. 109.
l ep. 22. ad Eustoch. de cust. Virg.
Exemplum pœnæ monachi proprietarij.
A
m Act. 8. 20.
Aliud exemplum D. Gregorij.
n 4. Dial. c. 55.
B

Extat Canon Clementis III. [o] decernentis, vt Canonicus Regularis, qui nō resignauit proprium in morte, Christiana sepultura priuetur, & sepultus exhumetur. Idem in genere decernit Innocentius III. in Concilio Lateranensi [p]. Sextò, argumentum hinc peti potest ex comparatione minorum, & maiorum cum sanctis Patribus, *Si Ananias condemnatur*, inquit Augustinus [q], vel Maximus [r], vel Ambrosius *, *quòd non totum dederit quod de suo ipse promiserat: quid censemus de eo, qui non vult reddere quod alijs repromisit?* nimirum præsertim legata pia, &c. Quæ quidam quòd non persoluerat, vt scribit Turonensis [f], quartana febri per annum totum plexus est. *Si qui ex prædijs proprijs*, inquit Antiochus monachus [t], *suppilarunt, talem reportarunt ex furto exitum: quanto atrocius illos manet supplicium, qui ex alieno compilant, & arrodunt peculio? Si ille*, inquit Gregorius Magnus [u], *mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos*, DEO *abstulit: considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum* (Venantium alloquitur, qui habitum monasticum dimiserat) DEO *omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti? Considera iudicium* DEI, *quid mereatur, qui semetipsum* DEO *vouit, continuóque mundi desiderijs irretitus, mentitus est quod vouit.*

o c. super quo dam. de statu Monach.
p ibid. c. Monachi.
C
q Serm. 25. de verb. Apost.
r Ser. 9. inter Ambrosianos.
* Serm. 9.
Legata pia qui non persoluerat, qua pœna plexus est.
f de gloria Mart. cap. 31.
t ho. 41. tom. 2. Bibl. Patrũ.
u lib. 1. epi. 33.
Apostatarũ religiosorum quis exitus timendus sit.
D

Petrus Damianus [x] ex professo probat minus peccatum esse istorum duorum, quàm Monachorum qui pecuniam habent. Tandem opportunè hîc admonet paulò superiùs laudatus à me Augustinus. *Videte ergo & vos fratres quid promiseritis* DEO *cùm primùm Fidei gratiam percepistis. Videlicet in omni peccato Christianus fraudem quandam* CHRISTO DEOque *facit, & si non voti effractor, certè fidei & promissionis violator est, paríumque fidus custos, quam ritè in Baptismo ediderat.* Ambrosius [y] *minus ait mirum esse abundare nostro tempore auaritiam, cùm sub Apostolis pullulauerit, etsi illorum auctoritas hoc in Anania emendare non posset (si enim potuisset, punitus non esset) non debere nobis imputari, si illud in plerisque corrigere non possimus.*

x ep. 25. de contem. seculi. c. 3.
Christianus in omni peccato Deo fraudem facit.
y Ser. 11. editionis Rom.
E

Restat vna dubitatio, An hos mors non solùm corporis & temporalis attigerit, sed animæ etiam ac æterna. Negantem partem tuetur Origenes [z]. *Digni erant*, inquit, *in hoc seculo recipere peccatum suum, vt mundiores exeant ab hac vita mundati castigatione sibi illata per mortem communem, quoniam credentes erant in* CHRISTVM. Augustinus [a] fauet, dum simul agens de Corinthio, quem Paulus

An simul cum morte corporis animæ mortem subierint.
z Tract. 8. in Matth.
a 3. cont. Parmen. cap. 1.

tradidit Satanæ in interitum carnis [a], ita loquitur: *Quid ergo agebat Apostolus, nisi vt per interitum carnis, saluti spiritali consuleret, vt siue aliqua pœna, vel morte corporali, sicut Ananias, & vxor eius ante pedes Apostoli Petri ceciderunt, siue per pœnitentiam, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in se sceleratam carnis concupiscentiam?* Cassianus dum leuiorem horum coniugum culpam vocat, comparans cum illo qui Sabbato ligna collegit [b], vt antè quoque meminimus, videtur esse in eadem sententia. Eodem prorsus modo loquitur Isidorus Pelusiota [c] priùs etiam citatus.

a 1.Cor.5.5.
b Num.15.32. & seq.
c lib.1.ep.181.

Aliqui morte corporis affecti nō subierūt æternā mortem.

Potest id confirmari prætereà tum exemplo Prophetæ à leone occisi [d], cuius videtur leuis fuisse culpa, tū Mosis Abbatis apud Cassianum [e], qui leuem etiam ob culpam à Dæmone obsessus est. Petrus Damianus [f]: *Et quidem illi*, inquit, *vtpote rudes, & ad Fidem de nouo venientes, necdum fortasse ad plenum Euangelica præcepta didicerant, necdum enim sacri nouæ doctrinæ codices ad publicum in commune processerant: attamen qui in ipso Fidei tyrocinio quodammodò simpliciter peccauerunt, districto quidem, sed pio iudicio sola, vt credimus, sunt corporis morte mulctati.* Ibi probat minus illorum peccatum fuisse, quàm Monachorum, qui pecunias habent.

d 3.Reg.13.24 & seq.
e Coll.7.c.27.
f epi.15.de cōtem. seculi.c. 3.

Carthusianus ait, sperari posse, quòd Petrus sua prece transgressori Ananiæ gratiam pœnitendi obtinuit, quem foris tam districtè correxit.

Quòd sint damnati, qui t'aires affirment.

At enimuerò, quòd sempiternis pœnis damnati sint, Cassianus [g] præ se fert, his verbis: *Beatus Apostolus prædictos noui facinoris principes non pœnitentia, non vlla passus est satisfactione curari, sed perniciosissimum germen celeri morte succidit.* Dici posset non de pœnitentia interna locutum, quæ nulli negatur, sed de retractatione externa, & reportatione integri pretij. Basilius [h] paulò apertiùs videtur loqui, *eiusmodi aduersum se indignationem* DEI *prouocauit, cuius Petrus minister fuit, vt ne ad pœnitentiam aditum inuenire potuerit.* Eadem tamen responsio, quæ ad Cassianum adhiberi posset. Augustinus [i] ait, *quòd Ananias pariter & vitam perdidit, & salutem.* Sed fortasse salutem pro sanitate, & vita dixit. Apud eundem Auctor libri de salutaribus documentis [k] scribit, *Ananiæ locum* DEVS *non dedit ad ignoscendum.* Diceres, *ad ignoscendum supplicium mortis.* Chrysostomus [l] dum scribit Ananiam sublatum, ne vltrà pergeret in malitia, innuere videtur eò abiisse, vbi non liceat, etiamsi libeat, malè operari. Diceret tamen aliquis non sequi, eum esse damnatum, sed illuc transmissum, vbi nec liceat peccare, nec libeat; sicut de illo dicitur, qui raptus est, ne malitia mutaret eum [m]. Sed & eorum alibi fauere saluti videtur [n].

g Col.18.c.7.
h Ser.1.de instit.Mon. & in procem.tract. de iudicio DEI.
i Serm.2?.de verb.Apost.
k c.56.tom.4.
l homil.12.in Act.
m Sap 4.11.
n hom vlt.in epi. ad Tit.

Commodè quoque accipere licet quod Hieronymus [o] *condemnatos, & vindictam passos* dicit: præsertim cùm idem, & alij ferè citati annotent non crudelitatem sententiæ (quamuis crudelitas non esset, etiamsi supplicio æterno addicti fuissent) sed correptionis exemplum. Cæsarius frater Nazianzeni idem indicat loco posteà citando. Vrbanus item I. [p] satis hoc indicat, dum proponens hoc exemplum rerum Ecclesiasticarum vsurpatoribus, cauere iubet, ne pœnam, & mortem istorum incurrant: &, quod peius est, anathema maranatha fiant: & si non corpore, vt Ananias & Saphira, mortui ceciderint, anima tamen, quæ potior est corpore, mortua & alienata à consortio fidelium cadat, & in profundum barathri labatur.

o epistol 8.ad Demetr.
p in ep.vnica.

Maius habere momentum videtur, quòd Bonifacius Germanorum Apostolus in iuramento quod dedit, cùm ordinaretur Episcopus à Gregorio II. hæc in fine verba adiunxit: *Quod si (quod absit) contra huius promissionis meæ seriem aliquid facere quolibet modo, seu ingenio, vel occasione tentauero, reus inueniar æterno iudicio, vltionem Ananiæ, & Saphiræ incurram, qui vobis (id est, Petro) etiam de rebus propriis fraudem facere præsumpserunt* [q]. Est autem hæc eadem forma iuramenti, quam modò Episcopi in sua quoque ordinatione vsurpant. Certè vix admittit hoc testimonium responsionem. Sicut & cùm Ioannes Papa VIII. [r] Ananiæ & Saphiræ anathemate feriendos censet, qui decreto suo non obtemperent.

Iuramentum Bonifacij Germanorum Apostoli Gregorio Papæ datum.

q in vita apud Sur. c. 14. to mo 1.
r epist.2??.

Discrimen inter prædestinatos & reprobos.

Sunt & qui statuentes discrimen inter Prædestinatos, Reprobosque, quòd Prædestinati culpam agnoscant, quod fecit Dauid [s], & Ezechias [t], & in nouo Testamēto superiùs illi, qui Petro tunc concionāte compuncti [u], & mulier Samaritana [x]; Reprobi autem negent, vt Cain [y], Giezi [z], aut excusent, vt Saul [a], aut etiam sæuiant in reprehensores, vt Reges Iudæorū in Prophetas [b], Herodes in Ioannem [c], Scribæ, & Pharisæi in CHRISTVM [d], Iudæi in Stephanum [e], velint Ananiam & Saphiram in deteriore parte esse, quia fuerunt de numero negantium culpam. Fallax ratio, conueniens bonis, malisque duntaxat, quorum alteri possunt ad vtrumvis ordinem pertinere Prædestinatorum, ac Reproborum. Documento sit in hac ipsa historia Paulus, qui tametsi adeò quandoque sæuus & ferox in Ecclesiam, & Stephanum, ex Prædestinatis tamen erat. Itaque fieri potuit, vt vel sub vltimum vitæ momentum coniuges istos pœnituerit.

s 2.Reg.12.13.
t 4. Reg. 20. 19. Esa.39.
u cap.2.37
x Ioan.4.29.
y Gen.4.9.
z 4 Reg.5.
a 1 Reg.15.20.
b 1 Reg.19.2. Iere. 25.26. 16 c.
c Mar.6.17.
d Matt.21.46.c.26.57.
e Act.7.57.

Anliertantes morte æterna non punire.

Quare propendemus in benigniorem partem, vt hos coniuges censeamus æternam, cæteróqui debitam, temporali morte compensasse; hoc enim magis disertè & luculentè asseritur ab auctoribus prioris opinionis: & qui pro posteriore allati sunt, non ægre ad æquiorem sensum, prout vidimus, trahi possunt. Fauet Hieronymus [f], cùm declarans bis DEVM non punire in idipsum, probabile ducit, non paucos de submersis in diluuio, vel mari rubro, & de crematis in pentapoli mortem euasisse æternam. Atque hic demum finis esto paulò prolixioris digressionis, si digredi fuit, res tam multas præsenti instituto accommodatas maxima, qua fieri potuit, breuitate pertingere.

f in cap.1.Nahum.

Expatiatur more suo Chrysostomus in moralem institutionem de cauendo periurio, de vitandis peccatis, quamuis non semper DEVS easdem de iisdem pœnas reposcat, de cauenda offensione ob sceleratorum turbam, quos etiam, si possumus, reprehendamus, vt alij honorem metumque concipiant: adiice, vt ad diuinas iniurias vlciscendas seduli ac rigidi, ad nostras lenti, & patientes simus, Petri, & aliorum exemplo Apostolorum.

Cæsarius [g] Nazianzeni frater quærit, quamobrem Petrus tam enormiter quondam lapsus, & veniam consecutus [h], ipse quoque veniam non dedit Ananiæ, & Saphiræ, sed in vna hora vtrosque occidit verbo, licèt ferè nullus esset ipsorum lapsus respectu illius abnegationis. Respondet verò causas illas quas attulimus, vt incuteretur metus, & firmaretur disciplina illo exordio legis Euangelicæ: & quia præuidebat incorrigibiles futuros, atque, vt de Simone dicitur [i], *in angustia amaritudinis eos positos esse cognoscebat*, vt-

g Dialo. 4. ...
h Matth. 26. 70. & seq.
i Act.8.23.

pore

pote non consentiente cum labiis corde. Vtitur etiam exemplo allato eius, qui à Mose lapidari iussus est [a]. Simile quid respondet Theodoretus [b], narrans qui mortuum simulauerat, reuerà interfectum esse à Iacobo Nisibeno, licèt posteà suscitatus sit: quod Petrus non fecit, quia salutaris prædicationis initia metu opus habebant. Ceterùm hoc ipso ex loco Bertrandus Cardinalis disserens de origine, & vsu iurisdictionum contra Petrũ de Cugneriis [c], probat in eandem personam posse conuenire vtramque iurisdictionem, temporalem, & ciuilem.

a Num. 15. 35. & seq.
b in hist. Patr.
c quæst. 1.

Et factus est timor magnus in omnes qui audierũt.] Anticipatio est, vt placet Glossæ, & Hugoni; adhuc enim percrebuisse hæc res non videtur, vxori ipsi Ananiæ ignota, etiam post tres horas. Ea ergo extincta, tunc demùm timor iste factus est, ac longè quidem maior, quàm qui capite secundo [d] exprimitur, atque diuersæ rationis.

d vers. 43.

Quomodo factum [illegible] Ananiæ mortem, [illegible]

Potuit tamen ad paucos quosdam homines, vt vterque admittit, ista cognitio venisse, sed metus magnitudine, ac stupore quodam defixi nec hiscere ausi sunt: aut fortassè tãtisper factum vulgare ipsis non licuit, siue alio negotio intentis, siue id facere prohibitis. *Non est ausus quispiam annunciare quod acciderat*, inquit Chrysostomus, *adeò Petrum obseruabãt, & reuerebantur, eique obediebant.* Hic extitit fructus tam diræ animaduersionis, vt *cognosceretur Dominus iudicia faciens* [e], & saperent alij alieno malo, etiam damnationis æternæ, si eam illi subierunt: quomodo narrat Gregorius [f] Chrysorium ad solam *vtilitatem audientium visionem tetram vidisse, & narrasse, qui eum hostem, cui traditus fuerat, & innotuit, & non euasit:* & Beda [g] (imitatus Gregorium) de milite damnato terribilem narrationem prætexens, *de quo constat*, inquit, *quia sicut beatus Papa Gregorius de quibusdam scribit, quod non pro se ista, cui non profuêre, sed pro aliis viderit, qui eius interitum cognoscentes, differre tempus pœnitentiæ, dum vacat, timerent, ne improuiso mortis articulo præuenti, impœnitentes perirent.* Ante vtrumque Cyprianus [h] narrata visione, ac responso, quæ morituro facta fuerat Episcopo: *Audiuit*, inquit, *frater noster & collega moriturus, quod ceteris diceret. Nam qui moriturus audiuit, vt diceret: audiuit non sibi ille, sed nobis. Nam quid disceret iam recessurus? didicit imò nobis remanentibus, vt dum sacerdotem, qui commeatum petebat, increpitum esse comperimus, quid cunctis expediat, agnosceremus.*

e Psa. 9. 17.
f 4. Dialo. 38. & hom. 12. in Euang.
Chrysorium ad solam vtilitatem audientium visionem vidisse.
g lib. 5. histor. Anglo. c. 14.
h lib. de mortalitate.

Versus 6.] Surgentes autem iuuenes, amouerunt eum, & efferentes sepelierunt.

SVRGENTES *autem iuuenes.*] Surgendi verbum significat celeritatem, & alacritatem operis, vt dictum est [i].

i c. 1. p. 15.

Sepelierunt.] Lyranus refutat eos, qui Ananiam idcirco pœnituisse argumentantur, quòd alioqui Petrus eum sepeliri non permisisset, vtpote præuidens fore, vt proprietarij monachi, quod antè docuimus, priuarentur sepultura: potuit enim occulto, ac profano in loco sepeliri, non in publico, vel proprio, ne vxor mortuum agnosceret.

Non sepeliendos [illegible]

Placet ista confutatio, quicquid sit de pœnitentia, de qua superiùs actum est: neque opus est existimare, præuisam à Petro legem illam de non sepeliendis proprietariis.

Ad sepulturæ autem apud Hebræos locum quod attinet, maximè Ierosolymitanos, solebant illi proprium habere sepulcrum, aut in suo quisque fundo, vbi omnes, qui eiusdem essent familiæ, sepelirẽtur, aut in publico loco. Quòd si Ananias in alieno sepultus est, graue illatum ei supplicium fuit, communi gentis opinione, cui magnum mortis solatium videbatur, vt ex multis librorum Regum locis, ac Genesis [k] etiam colligitur, in patrum suorum sepulcris sepeliri; & contrà graue iudicatum est, vt ait Olympiodorus [l], animaduersionis genus, sepulturæ spoliari honore, & inhumatum quenquam iacere.

De Hebræorum sepultura.
k c. 9. 29. 40. & c. 50. 24.
l in Cat. Iob. c. 15.

A

Vtrùm verò magni referat, mortua corpora sepeliri, an nihil parùmve, vide quæ Augustinus disputat in opere de ciuitate DEI [m], ac libro de Cura pro mortuis [n], & alibi [o], & S. Thomas in Summa [p], Alcimus [q], Stobæus [r].

Quid referat mortua corpora sepeliri.
m lib. 1. c. 12. & 13.
n c. 2. 3. 4.
o Serm. 34. de verb. Apost.
p 2. 2. q. 32. a. 2. ad 1.
q lib. ad sororem.
r Ser. 122.

B

Sepulturæ locum apud Iudæos extra ciuitates fuisse, satis constat ex Genesi, dum de Patriarchis agit, & ex historia Regum, & ex sepulcro CHRISTI in horto, atque ex corporibus Sanctorum qui dormierant, quæ surrexerunt, venerúntque in sanctam Ciuitatem [f], & illæ videntur solitudines, quas sibi Reges & Consules terræ Iob [t] scribit ædificasse. Immò Abulensis [u] existimat ante Christianos intra ciuitatem sepelire non licuisse. De Atheniensibus legitur in epistola Seruij Sulpitij ad Ciceronem [x], & de Sicyonibus Plutarchus [y] tradit, religioni idipsum duxisse. Dares Phrygius [z] ait Troianos ante portas vrbis mortuos suos sepeliuisse. Lex verò etiam hac de re apud Platonem [a] extat.

Hebræi sepelirant extra vrbes.
f Mat. 27. 53.
t c. 3. 14.
u Gen. 50.
x li. 4. ep. fam.
y in Arato.
z li. de excid. Troiæ.
a 2. de legib.

C

Ex lege XII. Tabularum idem Romanis cautum erat, hodiéque monumenta apparent in viis Latina præsertim & Flaminia, in quibus monimentis, siue sepulcris inscriptiones ipsæ ac epitaphia viatorem appellant; certæ quoque visuntur notæ, quot agri pedes sepulcrum teneret, significantes: hoc denique indicant verba educendi, amouendi, efferendi, quæ vsurpantur de mortuis. Attamen olim Romani domi, & in laribus suos sepeliebant, vt scribit Isidorus [b]. De Ægyptiis testis est Diodorus [c]; Herodotus [d] de Æthiopibus per vnum saltem milliare: de Persis Cœlius Rhodiginus post M. Ciceronem [e], & Herodotum [f], & Strabonem [g]: de Lacedæmoniis ex lege Lycurgi Plutarchus [h], qui Lycurgus volebat sepulcra statui prope templa, vt iuuenes consuefierent nõ timere mortẽ, neu putarẽt inquinari homines, qui vel cadauer attingerent, vel per sepulcra transirent: tandem, vt quorum sepulcra intuerentur, eorum virtutes imitari conarentur.

Romani extra vrbem sepulcra habuerunt.
b 15. Etym. c. 11.
c lib. 2.
d lib. 3.
e Tuscul. 1.
f lib. 1.
g lib. 15.
h in vita.

D

Hæc vocamus Christiani cœmeteria, nempe areas consecratas templis vicinas; voce ipsa Resurrectionem admonente, licèt Augustinus [i] iam ante sua tempora templis corpora illata, propéque Martyrum monumenta condi solita prodat, vt horum suffragiis, & Ecclesiæ precibus, sacrificiísque iuuarentur. Lege Pererium in Genesim [k] (ex quo sumus nonnulla mutuati) Cœlium Rhodiginum [l], qui in agris veterum sepulcra probat fuisse ex Vlpiano, & Ioannem Sauaronem in Sidonij [m] epistolas (quem legimus auctorem, dum hæc prælo reparado remus.) Traianum verò vnum intra vrbem & in foro sepulcrum habuisse, ducibus posteà id datum, & posteris, auctore Plutarcho, in vrbe sepeliri. Tradit idem de tempore Duellij Consulis, post quem ita Senatus illud inhibuerit, vt Imperatoribus, & Vestalibus concesserit Virgilius [n],

Christiani cœmeteria quare sua nomina [illegible]
i libr. de cura pro mortu. c. 4.
k Tom. 4. c. 50 disp. 4.
l libr. 17. lect. antiq. c. 19.
m lib. 1. epi. 8. lib. 3. epist. 12.

E

— *& corpora partim*
Multa virûm terra infodiunt, euectáque partim

n 11. Æneid. longe ab initio.

Finitimos

Finitimos tollunt in agros, vrbique remittunt.
Vbi meminit antiquæ consuetudinis sepeliendi intra ciuitatem, de qua etiam Seruius in 5. Æneidos exponens ea verba [a]:

a sub initiū.

Præterea si nona diem, &c. & in 6. dum tractat hæc alia:

Sedibus hunc refer antè suis, & conde sepulcro.
Iterum de prohibita vrbana sepultura, habetur in Iure ciuili [b]. Ex quo etiam Paulus [c]: *Corpus*, inquit, *in ciuitatem inferri non licet, ne funestentur Sacra ciuitatis: at qui contra ea fecerit, extra ordinem punitor.* Dionysius Halicarnass. narrat Publicolæ concessum priuilegio Senatus, intra vrbem sepeliri, quâ de re M. etiam Tullius [d]. Adde ex eodem Cicerone [e] de agraria sepultura, & Horatio [f], Liuio [g], ex Æschino contra Timarchum, Aristophane in Concionantibus. De priuilegio quod est concessū Traiano, Eutropius [h], & Aurelius Victor. Lege Alexandrum ab Alexandro cum Tiraquello [i].

b l. mortuo. ff. de religios. & sumptib. fun. & l. prætor. §. D. Adria. ff. de sepult.
c lib. 1 Sent.
d 2. de legib.
e oration. pro Sex. Rosc.
f lib. 1. Car. Satyr. 8.
g 1. Decad. lib. 9.
h lib. 8.
i lib. 3. c. 2. lib. 6. c. 14.

Iuuenes.] Fortasse hoc nomine significantur famuli, vt aliàs dixi de nomine puerorum, & quidem Latinè à iuuando dicti sunt, quia hæc ætas laboribus est aptior. Syrus sic reddidit, אלין דעלפין בהון *ilen dehbalemin behun*, id est, *illi qui iuuenes erant inter illos*, & sic robustiores. In eadem notione pro famulis iuuenes vsurpat Claudianus [k]:

k in 4. Consul. Honorij.

Portatur iuuenum ceruicibus aurea sedes.
Porrò in Ecclesia quidā funeribus curandis præfecti sunt, non certi ordinis propriè, qui septenario duntaxat numero continetur, Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, sed officij, quale etiam Cantoris & Confessoris. Meminit de his omnibus Ignatius [l], necnon de Cursore [m], & Gelasius [n] Papa de Notario, & Defensore, etsi Glossa confundit illum cum Lectore, hunc cum Exorcista. Vocat verò Ignatius hos quos dixi curasse funera, κοπιῶντας, id est, *laborantes*. Hieronymus, aut quicumque est auctor epistolæ ad Rusticum Narbonensem apud illū [o], *fossarios*: Epiphanius [p] illos corpora eorum, qui obiissent obuoluisse, & cooperuisse docet, & *copiatas* nominat, quasi à Græco verbo κοπιάω, quod est *laboro*. De his sub nomine copiatarum mentio est in Nouellis Iustiniani [q], vbi Interpres vertit, *laboratores*.

Quidam in Ecclesia funeribus curandis præfecti, & qui illi.
l epi. 11. ad Antioch.
m ep. ad Polycarp.
n cap. Monachus dist. 77.
o Tom. 9.
p in compen. doctrinæ.
q 43. & 59. vel 61.

Dicti prætereà reperiuntur *Sandapilarij*, de quibus Sidonius Apollinaris [r], quòd ferrent sandapilam, pheretri genus, quo tenuiorum præsertim cadauera efferebantur: ad hæc *Vespillones*, quia vespertino tempore mortuos efferebant, qui funebri pompa, propter inopiam, non poterant efferri: *Lecticarij* etiam à lecticis, necnon *Decani*, quoniam in decurias distributi erant [s], & *Libitinarij*, à Libitina dea, in cuius æde asseruabantur quæ ad instructionem funebris pompæ erant necessaria: & *Pollinctores*, quasi pollutores, vnctores, aut *Polutores*, qui nempe corpora abluebant, & vngebant [t], & *Baiuli* [u], & καθαγιῶται [x], quasi habitatione vrbium prohibiti, tanquàm profani vel infausti. Iulius Firmicus [y] funerarios vocat.

Nomina eorum qui olim funera curabant.
r lib. 2 epist. 8.
s Nouel. 93.
t Nouel. 49.
u Sidon. lib. 3. ep. 12. Fulg. in Lex. Antiqu. lib. 4.
x Hes. in Lex.
y lib. 4. c. 7.

Constantinus instituit, vt essent 950. officinæ immunes ab omni publico munere, ac vectigali, quæ totidem suppeditarent lecticarios, seu decanos, libitinarios, seu copiatas: idque Arcadius, & Theodosius confirmarunt [z]. Eum numerum auxit Anastasius vsque ad 1100. cum certo reditu, Iustinianus quoque [a], & Leo [b], qui cognominatus est Philosophus.

Constantinus lege de lecticariis.
z l. non plures. C. de sacr. Eccles.
a Nouel. 43.
b Nouel. 12.

Refert prætereà Epiphanius [c], Georgium Episcopum Alexandrinum excogitasse certum lecticariorum numerum, ita vt sine iis non liceret corpora mortuorum efferre, maximè peregrinorum, non propter hospitalitatem, sed quæstus gratia. Tantus ille copiatarum numerus efficiebat corpus, siue collegium, & sodalitatem, quæ tot seculis velut intermortua reuixit Romæ nostro seculo sub nomine mortis, atque inde in alias orbis Ecclesias magno Christianæ pietatis exemplo, fructuque est propagata.

c Hæres. 76.
Georgius Episcopus lecticariorum certum numerum instituit.
Sodalitas mortis Romæ quæ sit.

A

Tempore persecutionis videtur Clericorum officium fuisse, vt etiam punitorum cadauera mandari terræ curarent. Hieronymus [d] enim de muliere Vercellensi icta septies, ita scribit: *Clerici, quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant.* Lege Baronium [e], & Ioannem Stephanum Durantum [f], qui existimat, iuuenes, de quibus hîc est sermo, ad eum vsum tunc esse institutos ac destinatos, vt mortuum corpus è domo ad sepulturam efferrent. De hoc non adeò sum certus: illud scio, iuuenum nomine famulos, vel milites intelligi posse, vt in Psalmo [g]: *Iuuenes comedit ignis*; & apud profanum Poëtam anteà citatum [h]:

B

Clerici olim mortuorum punitorum corpora curabant.
d epist. 49.
e Tom. 1. Annal. ano. 116.
f lib. 1. c. de ritib. Eccle. c. 14. & 15.
g Psal. 77. 63.
h Claudia. 4. Consul. Honorij.

Portatur iuuenum ceruicibus aurea sedes.

C

Versus 7.] Factum est autem quasi horarum trium spatium, & vxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introiuit.

FACTVM *est autem quasi.*] Syrus absolutè enunciat, sic scribens, ומן בתר דהוי תלת שעין *vmen bathar dahauai thelath schahhain*, id est, *& posteaquàm facta essent tres horæ.* Et huiusmodi particulas non semper restringere, sed παραγωγικῶς interdum poni, ac ornatus causa, dixi aliàs [i]: etsi illud quoque notaui, veritatis studium à scriptore persæpe demonstrari, qui exactè velit tantùm tradere quidlibet prout se habet, aut ad ipsius notitiam peruenit.

i in c. 1. 5.

D

Horarum trium spatium.] *Quo licuit vxori pœnitere, cuius*, inquit Glossa, *peccatum leuius fuit, vtpote quæ viro consenserit.* Sed id vnde constat? Scimus enim Euæ virum consensisse [k], & sæpenumerò viris vxores peccandi occasionem præbere, tum experientia quotidiana docet, tum sacræ profanæque historiæ.

Feminis sæpe peccandi occasio sæpe præbent.
k Gen. 3.

Chrysostomus tamen dicit, quòd Petrus eam seruare volebat, quia vir erat dux peccati, & propter hoc dedit ei tempus defensionis, & potestatem pœnitentiæ. Cæsarius [l], Nazianzeni germanus, scribit à Petro in vna hora coniugem vtrumque verbo occisum esse. Debet id intelligi de breui mora, quam posuit in vtroque separatim interficiendo; cùm alioquin inter vtriusque mortem trium horarum spatium intercessisse præsens hic Lucæ locus apertè tradat.

Mulier ob peccatum tempus pœnitentiæ.
l dial. 4.

E

Nesciens quod factum fuerat.] Nemo fuit qui ei renunciare ausus fuerit, vt dixi cum Chrysostomo, & Oecumenio versu quinto.

Introiuit.] *Non vocabat eam Petrus, sed expectabat*, inquit Oecumenius, *vt ipsa, dum vellet, ingrederetur, data illi potestate resipiscendi, & non impudenter ingrediendi.*

Versus 8.]

Versus 8.] Respondit autem ei Petrus: Dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam, tanti.

RESPONDIT.] *Rei, non verbo, introitui vxoris, non sermoni*, inquit Glossa interlinearis. *Ad opus, non ad quaestionem*, ait Carthusianus, seu conuenienter ad factum ipsius, prout factum illud exegit. *Salutanti mulieri*, inquit Caietanus. *Cogitationi suae*, inquit Hugo, quia antequàm veniret, proposuerat arguere eam. Syrus vertit, אמר לה *amar lah*, id est, *dixit ei*, vel, *cui dixit*, & hanc significationem habere verbum respondendi, docui capite tertio [a].

a vers. 12. Familiaritas cum muliere cauida.

Dic mihi, mulier.] Nomen tacuit, quod virum alloquens expresserat, quia cauenda omnis cum muliere familiaritas. Vnde Gabriel Angelus Virginem non nominauit, sed posteà, vt turbatam solaretur [b]. Qui nobis chari sunt, eos nomine proprio nominamus, iuxta id Mosi à DEO dictū [c]: *Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me*; & illud CHRISTI [d], *proprias oues vocat nominatim.* Eòdem quoque spectat illud [e]: *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei.* Non hac tamen de causa Ananias nominatus est, sed propter priorem, quam dixi, caussam, omissum est nomen Saphirae.

b Luc.1.28.30. c Exo.33.12. d Ioan 10.3. e Esa.49.1.

Si.] Hoc est, *An, vtrum*, &c. Vide caput 1. [f] Interrogatio haec poterat Saphirae suggerere, Petrum scire quae occulta erant; *cur enim nullo alio interrogato, illam interrogabat?* inquit Chrysostomus. Virum culpae maioris reum propterque forsan seductorem vxoris non interrogauit Petrus, sed reprehendit: ab infirmiore foemina, & minùs rea confessionem exigit, & poenitendi concedit locum. In ista causa non est iuris requirenda forma, vel in interrogando, vel in puniendo: planè diuina est criminis cognitio & punitio.

f vers. 4.

In illa causa forma iuris non seruata est.

Tanti.] Pretij quantitatem quod attulerat, Ananias nominatim expressit. Syrus sic vertit, אן בהלין דמיא *in behalen demaiia*, id est, *Num in istis pretiis*, vel, *num hoc pretio? Expressit Petrus praecisè summam*, inquit Lyranus, *quam vir eius posuerat in communitate.* Hoc probabilius est, quàm quòd dixerit summam totam, quae ex agro vendito collecta fuerat: respondit enim illa, *tanti*, & respondendo mentita est, sicut vir ipsius.

Etiam, tanti.] *Apparet, partem illam pretij fuisse praesentem*, inquit Glossa interlin. Non est id necessarium, sed tantùm expressam à Petro, vt antè dicebam, pretij à viro allati quantitatem, alioqui si totum dixisset, mulier negando respondisset. *Magna caecitas*, inquit Chrysostomus, *non permisit illam crimen deponere, verum cum pertinacia multa respondit, putabat enim quòd cum homine loqueretur.* Procliues ad mentiendum foeminae iam inde ab Eua, quae mentita est mendaci [g], & mendacij patri serpenti, DEVM interdixisse tactum arboris [h], qui tantùm interdixerat esum, vt exaggeraret praecepti grauitatem, quoniam persuasione serpentis iam interiùs corrupta praeceptū illud iam detrectare animo coeperat. Mentita etiam est Sara dicens se [i] non risisse, quae riserat.

Foemina ad mentiendum procliuis. g Ioan.8.44. h Gen.3.2. i Gen.18.15.

Versus 9.] Petrus autem ad eā: Quid vtique conuenit vobis tentare SPIRITVM Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, & efferent te.

QVID vtique conuenit vobis.] Τί ὅτι συνεφωνήθη ὑμῖν, *Quid est quod consensum est vobis.* Syrus sic scribit, מטול דאשתויתון *metul deschtheuithun*, id est, *Quare pares fuistis*, vel, *quia*, מטול *metul*, idem est quod כי *chi*, id est, *quia*, ideò etiam vertitur affirmatiuè, *Quoniam aequales fuistis ad tentandum*, &c. Glossa ordin. increpatiuè inquit dictum, vel sic distinguendum, *Quid*: quasi dicat, *Quid est hoc?* deinde sibi ipse respondet, & dicit: *Vtique conuenit inter vos*, &c. Communior expositio est, vt τί ὅτι, idem sit, *Quid: quod*; aut, *Quid est, quod*: quod etiam versioni nostrae magis quadrat. Non displicet, quoniam nihil dissentaneum continet, vt τί, seu *quid*, accipiatur secundo modo ex allatis à Glossa: ita etiam vsurpant alij Auctores, vt Aristophanes, τί ὦ πάτερ? *Quid ô pater?* nimirum *est quod me vis*, &c.

Tentare SPIRITVM Domini.] Experiri DEI notitiam mihi communicatam, vestra ipsorum poena, non quòd id intenderint, sed quòd ex occasione fraudis inter ipsos pactae, id consecutum fuerit. Ita vtraque Glossa, & Caietanus. Addit Carthusianus fraudem fuisse aequiualentem tentationi DEI, quia tam fraudulenter partem pretij occultauerunt, támque audenter mentiti sunt, quasi de Diuina prouidentia, & DEI scientia dubitassent. Glossa interlinearis, & Hugo exaggerationem peccati esse affirmat, quòd non homines, vt ipsi existimabant, sed DEVM ipsum fraudauissent. Fortasse id quoque Petrus voluit, quasi diceret: Quae haec tandem vaesania, dedita quasi opera velle experiri DEI indignationem? pro indignatione enim nomen SPIRITVS vsurpatum aliquando reperitur [k].

k Esa.30.28. Zach.6.8.

Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium.] *Portè Petrus*, inquit Carthusianus, *audiuit redeuntium sonitum, sicut Abias Propheta vxoris Ieroboam sonitū pedum audiuit* [l], vel spiritu vidit, quemadmodum Elisaeus [m] vidit Giezi currentem post Naaman: & Paulus se dicebat, *etsi corpore absens esset, tamen spiritu praesentem vidisse ordinem seruatum à Colossensibus* [n].

l 3.Reg.14.6. m 4.Reg.5.26.

Et efferent te.] *Et qui faciunt, & qui consentiunt facientibus, digni sunt morte*, inquit Apostolus [o], & in genere, *agentes, & consentientes pari poena puniuntur*, vt tradunt iura [p], & communi quasi omnium fertur prouerbio.

n Col.2.5. Agentes & consentientes pari poena puniuntur. o Rom.1.32. p c.Notū.2.q.1.c. facientes. dist.86. c.1.de offic. dele.c.sicut dignum. de homic.

Versus 10.] Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit. Intrantes autem iuuenes inuenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum.

CONFESTIM cecidit.] Praecessit in Petro tum circa Ananiam, tum circa Saphiram demonstratio culpae ante illationem poenae.

Hic est rectus ordo iudicij seruatus inde ab exordio mundi erga parentes primos, ergáque serpentem ipsum [q]. Nemo nonantè citatus, vel auditus damnandus est. Quamuis, vt praedixi, causa haec exactam iuris formam non requirit, & multa praeter ordinem diuinitùs in hoc negotio gesta esse manifestum est.

Ordo seruatus in hac punitione. q Gene.3.

Ante pedes eius.] Stabat enim iuxta Petrum, vt si resipiscere vellet, ac confiteri, non vereretur alios,

qui

qui audirent, inquit Oecumenius.

Genus mulierū pudibundū est.

Pudibundum genus fœmineum est, cuius consulendum pudori, præsertim in excipienda confessione ipsius, aut etiam in aliter elicienda veritate.

Expirauit.] Hîc quoque est idem Græcum verbum ἐξέψυξεν, *exanimata est*, de quo dixi versu 5. Syrus habet, ומיתת *vmithath*, id est, *& mortua est*, vbi etiam quæ de morte Ananiæ disputata sunt, huc transferri possunt. Carthusianus haud secus, quàm priùs de viro, vxorem ab Angelo percussam affirmat. Hugo, *Ex hoc*, inquit, *videtur, quòd mulier non debet excipi ab excommunicatione*, cuius notato loco dixi typum quendam coniugum istorum Petri voce interfectionem. Non legi qui excommunicari mulierem posse diffiteretur.

Mulier excommunicari potest.

Sepelierunt ad virum suum.] Syrus sic habet, על גיב בעלה *bhal geb babhalah*, quod alij, *iuxta latus domini sui*, alij, *ad tumulum mariti sui*. Et ponitur *ad*, pro, *iuxta*.

Coniuges vno cōdi sepulcro generalis Hebræorum consuetudo.

Generalem Iudæis consuetudinem fuisse, vt vno coniuges sepulcro clauderentur, docet Abulensis [a], *vt carnis coniunctionem*, inquit hoc loco Carthusianus, *sequeretur coniunctio pulueris, & quia de costa viri facta est mulier* [b]. Exempla certè habemus in Adā, & Eua [c], vt colligit Abulensis, Abrahā, & Sara [d], Isaac, & Rebecca [e], Iacob, & Lia [f], vt præter Abulensem traditum legimus ab Hebræis in libro Bereschit Rabbah.

a 2.Reg.25.q.14.
b Gen.2.21.
c Iosue 14.15.
d Genes.25.q.10.
e c. 49.31.
f Gen.49.31.

Barbara Thracū consuetudo.

Mitto barbaram Thracum consuetudinem, cuius ex Græca historia mentionem ingerit Cœlius Rhodiginus [g], vt decedente aliquo, vxor ex pluribus, quas vir habuerat, amicorum defuncti iudicio, illi charissima, cultiùs ornata immolaretur ad eius tumulum, vt coniunctissimis manibus, vnáque cum viro contegeretur humo, reliquis mœrentibus vxoribus, veluti laudis eminentissimæ gloria exutis. Narrat & Tullius in Tusculanis consimilem Indorum morem.

g lib.28.c.15.

Græcorum mos quo maximam amicitiam declarabant.

Apud Græcos vsurpatum ferunt [h], vt cùm aliqui inexplicabili nexu copularentur, vno pallio viui quidem se operirent, at morte obita eodem tumularentur, vt significarent, duo simul corpora concordibus animis, & vna mente vixisse. Oecumenius ex ablatione funeris eodem die vtriusque coniugis per eos qui mortuos efferebant, infert legem fuisse abiectam: *Neque enim*, inquit, *qui mortuum tetigerunt Ananiam, immundi permanserunt vsque ad vesperam, sed ipsi etiam ad funus vxoris eius præstiterunt ministerium.* Non assequor vim rationis, nec enim immundo nefas erat denuò cadauer attingere.

h Alex.ab Alex.lib.1.c.26.

Versus 11.] Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes, qui audierunt hæc.

ET *factus est.*] Iterum de timore fit mentio, quem verisimile est, in quibusdam seruilem, in quibusdam fuisse reuerentialem. *Nullus ibi tamen*, inquit Chrysostomus, *ingemuit, nullus eiulauit; cùm diuinum iudiciū venerarentur, & discerent* DEVM *non esse contemnendum.*

Beneficium Dei magnū, vt peccatū statim puniri.

Eximium beneficium est, *quando* DEVS *statim vltiones adhibet*, vt habet secundus Machabæorum [i], *ne pœna dilata in iudicium sit acerbior*: &, *ne dum non citò profertur sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrent mala* [k].

i c.6.13.
k Eccl.8.11.
l epist.1.

Quod autem ait Clemens Romanus [l], præsentibus nobis interfectos Ananiam, & Saphiram in conspectu omnium circumstantium, si recipitur illa, vt illius epistola, debet intelligi eo modo loqui, propter eos quos apud se habebat, & illi rei interfuerant: neque enim adhuc inter fideles fortasse Clemens censebatur: certè Iudæam ille nondum viderat.

In vniuersa Ecclesia.] Fidelium, de quibus in nouo Testamento maximè propriè dicitur hoc nomen, sicut Synagogæ intelligitur de vetere. Augustinus [m] negat vsquàm in nouo Testamento de Synagoga dictum nomen Ecclesiæ: congregari enim, vnde Synagoga dicitur, nempe ἀπὸ τοῦ συνάγειν, aut συναγωγεῖν, commune est hominibus, & bestiis, at euocari, seu ἐκκαλεῖν, vnde Ecclesia nomen habet, est proprium hominum. Hieronymus [n] de hoc nomine, vt & Augustinus, prophetasse Esaiam dicit, cùm ait [o]: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.*

m in Psal. ... in ep. ... Synagoga ... dicitur.
n in Esaiam
o c.62.2.

Nomen Ecclesiæ quid significat.

Quanquàm cum aliquo adiuncto in vtramque partem accipi nomen Ecclesiæ possit; dicitur enim *Ecclesia malignantium* [p], & *Ecclesia sanctorum* [q]: tamen absolutè positum de Ecclesia CHRISTI intelligitur, præterquàm in capite 19. huius libri [r], vbi dicitur, *quòd erat Ecclesia confusa*, videlicet Gentilium, & Scriba seditionem compescens, *prouocat ad legitimam Ecclesiam* [s], siue ad magistratum spiritualem Iudæorum, & finita oratione *dimisit Ecclesiam*, hoc est, concionem conflatam ex Iudæis æquè ac Gentilibus. Aliquando etiam vsurpatur hoc nomen de Synagoga ipsa, siue de cœtu Iudæorum, tum alibi in vetere Testamento, tum in hoc libro [t]. Lege quæ dixi capite 2. [u] & in 2. 2. disputatione de Ecclesia.

p Psal.25.5.
q Psal.149.1.
r vers.32.
s vers.39.
t cap.7.38.
u vers.33.

Et in omnes, qui audierunt hæc.] Vel, *qui facultates non contulerant in commune*, vt placet Lyrano; vel, *qui etiam nondum erant ex Discipulis*. Dicitur autem *in omnes*, pro, *super omnes*, aut, *in omnibus*.

Pecuniā quam isti attulerant Petrus probabiliter non retinuit.

Si quæras an pretium ab istis coniugibus fraudatoribus allatum, Petrus retinendum censuerit, nescio. Videtur mihi negare Chrysostomus in epistolam ad Titum [x], & hic sensus iudicatur fuisse illorum Patrum, quos retuli hoc exemplo proprietariorum pecuniam in sterquilinium cum ipsis proiecisse.

x hom.vlt.

Versus 12.] Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis.

Cur Lucas miracula Apostolorum repetat.

PER *manus autem.*] Hîc inchoatur secunda pars capitis. Repetit verò Lucas miracula Apostolorum, non vt commemoret eadem repetendo, sed vt significet *perseuerantiam diuinæ potentiæ in Apostolis ad facienda miracula*, inquit Caietanus. Tum verò etiam fortasse, quoniam illustria duo de Petro narrauerat, ne quis alios præteriri suspicaretur, quòd nō per illos talia quoque fierent, *quamuis pro honore Petri*, vt ait Glossa ordinaria, *eorum nomen taceatur. Atque hæc amplior causa timoris est*, inquit Glossa interlinearis, *& occasio principes concitandi*, vt mox describetur.

Per manus quid sit.

Per manus.] Tanquàm per instrumenta contingentia, & applicata, cùm Petrus per verba, & per vmbram, vt ait Glossa interlinearis, & Hugo: aut simpliciùs, *Per manus Apostolorum*, hoc est, *Per Apostolos*, quemadmodum capite 2. [y] dicuntur Iudæi interemisse CHRISTVM *per manus iniquorum*, id est, *per iniquos*. Alia multa exempla suppe-

y vers.23.

tunt in Scriptura [a]. De vi huius locutionis lege quæ notata sunt capite quarto [b].

a Exod. 9. 15. c. 18. 11. Leui. 10. 12. b verf. 18.

In plebe.] *Non dicit, in principibus, quia non credebant*, inquit Lyranus, *paucis exceptis, qui occultè Christiani erant*, vt Gamaliel, Nicodemus, & aliqui alij.

Solêntque populares esse magis dispositi ad amplectendam pietatis doctrinam, vtpote minùs impediti *à tentationibus, & laqueis Diaboli* [c], *quæ sunt diuitiæ, quibus obediunt cetera omnium vitiorum irritamenta* [d]: simpliciori etiam ingenio, nec ita in sua sententia obfirmato, & tenaci. Lege caput secundum *.

Simpliciores sunt ad credendum faciliores, & cur. c 1. Tim. 6. 9. d Eccl. 10. 19. * verf. vlt.

Et erant vnanimiter omnes, &c.] Nimirum Apostoli ipsi, vel etiam Discipuli alij. Primum indicat Lyranus, secundum Glossa ordinaria, notans, *in hoc mirandos esse Apostolos, quia magnitudo gratiæ non fecerat in eis sensus diuersitatem*, nimirum ab aliis inferioribus.

B

In porticu Salomonis.] Mysticè loquitur Glossa interlin. luditque in Salomone, qui fuit Sapiens, dicens, *quòd erant sapientes in domo sapientis, vbi orationi simul instabant, & doctrinæ.* Consentit de loco orationis, & prædicationis Lyranus. De porticu Salomonis dixi capite 3. [e] Docebant tamen non in templo tantùm, vt velle videtur Chrysostomus, sed etiam *circa domos*, vt habetur in fine huius capitis. *Quid ergo Athenis*, inquit Tertullianus [f], *& Ierosolymis? quid Academiæ, & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis?* (more aliorum Patrum negat hæreticis nomen Christianorum) *nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat* *, *Dominum in simplicitate cordis esse quærendum.* Libri Sapientiæ auctorem Salomonem facit, de qua re nos in eiusdem Commentario.

e verf. 1. f de præscri. cap. 7. * Sap. 1.

C

Versus 13.] Ceterorum autem nemo audebat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus.

CETERORVM *autem nemo.*] De infidelibus loquitur, qui non audebant fictè se conuertere, timentes pœnam Ananiæ, ac Saphiræ irrogatam, vt exponit Glossa interlinearis: alij indefinitè de aliis: & fieri etiam potest, vt ex iis essent etiam aliqui fideles, ex illorum videlicet numero, qui nondum se bonis abdicauerant. Aut sensus est, timore magistratus Iudaici, minimè ausos nomen dare inter fideles.

D

Sed magnificabat eos populus.] Magna est vis virtutis, suique reuerentiam extorquet. Emicabat in ipso vultu maiestas quædam, & internam sanctitatem prodebant studiosa opera, & potestatem diuinitùs communicatam miracula, *& quemadmodum Angeli, ita admirabiles erant*, inquit Chrysostomus, *non ad nihil se conuertentes, non ad risum, non ad minas, non ad pericula: non solùm autem propter hoc, sed etiam quòd valdè humani, & pro aliis solliciti erant*: alios enim pecunia, alios corporali ministerio iuuabant. Sed enim non idcirco credebant omnes. *Ita*, inquit Carthusianus, *& multi vsque in præsens verè religiosos atque deuotos commendant, nihilominus in suis carnalitatibus, & vanitatibus perseuerant, vitiosis victi affectibus.*

Virtutis magna vis est.

E

Multi religiosos commendant, sed non ideo à vanitatibus abstinent.

De magnificis istis laudatoribus, déque magnificè laudatis prædixisse videtur Esaias [g]: *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.*

g cap. 61. 9.

Magnificabat.] DEVS hominem, homo & hunc, & illum magnificat. DEVS magnum faciendo [h] hominem, magnificat eum, homo magnificat DEVM, laudando, & prædicando magnitudinem eius [i]: homo hominem & primo [k], & secundo modo [l]. Lege Toletum in Lucam [m].

Deus hominem, homo Deum & hominem magnificat. h 1. Paral. 29. 25. i Psalm. 33. 4. Roman. 15. 11. Luc. 1. 46. Act. 10. 46. & alibi. k Eccl. 10. 26. l 1. Machab. 10. 3. m c. 1. anno. 124.

Quamuis Apostoli de se modestè sentientes, miraculorum operationes ad præceptorem referebant, per nomen eius hæc efficientes: *attamen vita eorum, virtúsque verè Euangelica*, inquit Oecumenius, *idonea erat, quæ plurimum collaudaretur.* Planè quod dicit, facit DEVS [n]: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

n 1. Reg. 2. 30.

Versus 14.] Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum.

CREDENTIVM *in Domino.*] Græcè absque præpositione, πιστεύοντες τῷ ΚΥΡΙ´ῳ, *credentes Domino.* Syrus similiter præpositionem habet בְּמָריָא *bemarija*, id est, *in Domino.* Et quidem videtur phrasis magis propria Hebræorum, quàm Græcorum, aut Latinorum, qui credere alicui sine vlla præpositione vsurpare solent. Vnde illud [o]: *His, qui credunt in nomine eius*, idem est quod nomini. & [p], *Crediderunt viri Niniuitæ in DEO*, Septuaginta vertunt, DEO, Chaldæus, *verbo Domini*, quod nempe locutus fuerat Ionas. Et [q], *Non credent mihi*, & posteà, *si non crediderint tibi*, vbi nec Hebræus textus, nec versio LXX. habet præpositionem: tamen in cap. XIIII.* Hebraicè est præpositio. Sic enim ibi legitur, ויאמינו ביהוה ובמשה עבדו *vaiaaminu BADONAI vemosche bhabdo*, id est, *& crediderunt in Domino, & in Moyse seruo eius*, non verò in nostra versione, vel Septuaginta: *& crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.* Idem reperies in capite XIX. [r] & Psalm. 77. [s] Similiter quod dicitur Exodi 4. [t] *Credent verbo signi sequentis*, Hebraicè est, לקל האת *lecol haoth*, id est, *in vocem*, seu, *in verbum signi*: eadémque diuersitas reperitur Psal. 105. [u] Prouerb. 14. [x] Esaiæ 53. [y] & alibi.

Credere Deo in Scriptura idem est quod credere in Deo. o Ioan. 1. 12. p Ionæ 3. 5. q Exod. 4. 1. 8. * verf. 31. r verf. 9. s verf. 22. t verf. 8. u verf. 24. x verf. 15. y verf. 1.

Ex quibus intelligimus, distinctionem, qua Catechistæ [z], vel etiam Theologi vtuntur, non esse semper exactè veram, vt non sit idem credere DEO, & in DEO, & in DEVM, quæ tamen est distinctio Augustini [a], & reiicienda non est, quia frequens, etsi non perpetua, vt postquàm hæc notaueram, idem admonuisse Pererium [b] nostrum deprehendi citantem Riberam in Ionam [c], qui etiam Pererius profert locum Ioannis, vbi aliqui credidisse dicuntur in CHRISTVM, qui habebant fidem tantùm informem, & charitatis expertem. *Multi*, inquit Ioannes [d], *ex principibus crediderunt in IESVM, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eiicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam DEI*, Contrà verò legimus apud eundem, credere DEO, de fide perfecta, & quæ per dilectionem operatur, ac meretur vitam æternam; *Qui verbum meum audit*, inquit alibi CHRISTVS [e], *& credit ei, qui me misit, habet vitam æternam.*

z 3. dist. 23. B. Tho. 2. 2. q. 2. a. 2. *Credere Deo, & credere Deo, vel in Deum, est fere semper idem.* a Serm. 61. de verb. Dom. & Tracta 29. in Ioan. & Ser. 181. de Temp. b Tom. 3. in Gen. in c. 15. n. 12. c in cap. 3. d c. 12. 42. & 43. *Credere Deo dicitur is qui habet in se charitatem.* e cap. 5. 24.

Idem Ioannes in epistola prima [f], ita etiam loquitur pro eadem re, eadémque significatione ponens credere in FILIVM DEI, & credere FILIO DEI. *Qui credit*, inquit, *in FILIVM DEI, ha-*

f cap. 5. 10.

A *bet testimonium* DEI *in se: qui nõ credit* FILIO, *mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est* DEVS *de* FILIO *suo*. Adde quòd ipsemet Augustinus [a] concedit fideles omnes, etiam peccatores, credere in DEVM, necnõ Bernardus [b].

a lib. de Fide, & operib. ca. 14. & vl.
Etiã rectè Deo credere, & in Deum, distinguuntur.
b Serm. 24. in Cantica.

Nolim propterea, vt præmonui, dictum illum loquendi modum à Theologis celebratum, distinctionis gratiâ inter actum fidei, quam vocant informem, & actum formatæ, respuere, dum constet non ex propria Scripturæ phrasi ductum esse, vel inde vim habere, sed ex eorundem placito Theologorum Augustinum doctorem suum æmulantium, cùm liceat ad propria cuiusque disciplinæ fundamenta significantiùs ac expressiùs declaranda, locutiones alioqui communes, peculia-

B res, propriasque efficere. Auctor Thesauri linguæ Græcæ [c] docet, Πιςεύειν εἰς τὸν ΘΕΟ͂Ν, & εἰς τὸν ΧΡΙΣΤΟ͂Ν, Christianis Theologis Græcis peculiare esse, vt Latinis, credere in DEVM, & in CHRISTVM: dici autem & cum datiuo, & quidem interdum præfixa præpositione, ἐπὶ.

c Tom. 1. in verbo, πιςεύειν.

Ac mulierum.] Nullus sexus à regno DEI excluditur: *Non est enim personarũ acceptio apud* DEVM [d], inquit Glossa interli. *& in* CHRISTO [e] *non est masculus, neque fœmina.*

Nullus sexus à regno Dei excluditur.
d Act. 10. 34.
e Gal. 3. 28.

Mulierum nominatim meminit fortasse in gratiam sexus, quoniam de Saphira mulctata priùs meminerat. Alioqui constat, fœmineum sexum, vt magis docilem, ita etiam proniorem ad pie-

C tatem esse, eique Ecclesia cum Augustino [f] deuoti epithetum attribuit: etsi de DEO voto deuotis alij intelligant, vt sunt inter viros clerici illi dicati, quos vtrosque populi vox generaliter comprehendit.

Cur hic mulierum facta sit mentio.
f in quadam antiphona, *Sancta Maria succurre.* &c. ex Ser. 18. de Sãctis B. August.

Versus 15.] Ita vt in plateas eiicerent infirmos, & ponerẽt in lectulis ac grabatis, vt, veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.

D ITA *vt in plateas eiicerent infirmos.*] Hinc probatur ingens illa multitudo accedentium ad fidem CHRISTI, *maior profectò*, vt Chrysostomus obseruat, *quàm prædicante* CHRISTO, vt & in hac re impleta sit eiusdem pollicitatio [g]: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quod & passim notant Ioãnis Interpretes, licèt addat Theodorus Heracleotes, CHRISTVM beneficij tantùm loco miracula fecisse: Apostolos, quæ pertinebant quoque ad pœnam, vt vidimus in Anania, & Saphira, & videbimus in Elyma mago [h], & constat ex Corinthio, quem Paulus tradidit Satanæ [i]. Sed hic modus nouus est, non maius miraculum: & sine dubio porcorum dominis temporale damnum fuit, quòd

Multitudo credentium magna.
g Ioan. 14. 12.
Christus & Apostoli diuersa miracula fecerunt.
h Act. 13. 11.
i 1. Cor. 5. 5.

E CHRISTVS permiserit, vt à legione Dæmonum inuaderentur porci, & se in mare præcipites coniicerẽt [k]. Duo millia Hilarion affirmat fuisse, teste Hieronymo [l]; immò & Marcus in Euangelio [m]. Arborem quoque fici siccauit CHRISTVS [n]. Idem sentio de alia ratione, quæ redditur ab eodem, latiùs videlicet per orbem edita miracula à CHRISTI Discipulis, quàm à CHRISTO, qui ea fecit in Palæstina tantùm. Rupertus id ad linguarum plurium refert donum vsúmve, quia CHRISTVS vnica locutus est lingua. Sed hoc de CHRISTO secus aliis videri, capite secundo retuli; nec si concedatur, ad magnitudinẽ pertinebit,

k Matth. 8. 32. & seq.
l in vita.
m cap. 5. 13.
n Matth. 21. 19.

A sed ad solam nominis celebritatem. Sed vt repetamus institutã huius loci explicationem, *Tot erant*, inquit Caietanus, *vt nec commodè possent illos deferre ad Apostolos, nec Apostolis vacaret venire ad eos præ multitudine.* Illud idem de maioribus operibus faciendis à Discipulis CHRISTI hoc eodem confirmãt exemplo Augustinus [o], Prosper [p] (qui comparat cum fimbria CHRISTI [q], & vocat spiritum Eliæ duplicem [r]) Theodoretus [*], & alij; potestque infinitis exemplis aliis demonstrari.

o Tract. 44. 71. & 72. in Ioan.
p 2. part. de prædi. & prom. c. 10.
q Matt. 9. 22.
r 4. Reg. 2.
* in hist. Patrum. c. 26.

Eiicerent.] Syrus habet, מפקין הוו *mappekin hauu*, id est, *producentes erant*, vel, *efferrent*, quod etiam significat verbum ἐκφέρειν. Fortasse reliqui Apostoli, vt Petro deferrent, infirmos ad eum efferri iu-

B bebant. Indicant hoc quæ sequuntur de vmbra ipsius, necnon Glossa ordinaria.

In grabatis.] Ἐπὶ κραββάτων. Lecticæ genus est grabatus, aut grabatum, ἀτελὲς κλινίδιον, quasi vilis lectulus ad meridiandum aptus: sed gestandis præsertim ægrotis in lectulo iacentibus accommodatus. Carthusianus cũ Magistro Historiæ Scholasticæ [s] vult esse lectisternia pauperum, in quibus nihil corpori substernitur, sed tantùm supponitur capiti substramentum. In concilio Antisiodorensi [t] quibus mors vicina est, vocantur *grabatarij*, etsi alij, sed non sine mendo, legant, *grauatarios*, quasi morbo grauatos.

s cap. 21. in Acta.
t cap. 11.

Dictio quidem non adeò elegans, tamen à Scri-

C ptura vsurpata. Quocirca Spiridion, cùm Tryphillius recitans in concione verba CHRISTI ad paralyticum [u], *Tolle grabatum tuum, & ambula*, pro nomine τοῦ κραββάτου, dixisset σκιμπόδιον, indignatus, ac de cathedra exiliẽs, *Tune*, inquit, *melior es eo, qui lectum dixit, cuius verbis vti confunderis* [x]? Pollux refert [y] Phrynicum negasse Atticum esse, sed eos vsurpare vocem σκίμπους. Latini scribunt per simplex b, sicut lacum per vnicum c, quod Græci in λακκός geminant, idemque cernitur in ptisana, & πτισάνη, atque in aliis similibus. Vnde etiam Poëtæ primam syllabam grabati corripiunt, vt Virgilius [z]:

De nomine grabati.
u Ioan. 5. 8.
x 1. Hist. Trip. c. 10. Sozom. lib. 1. c. 11.
y lib. 1. c. 42.
z in Moreto.

Membra leuat sensim vili demissa grabato.

D Et Martialis [a]:

Sed si nec focus est, mundi nec sponda grabati.

Cicero [b] diuersa facit lectos & grabatos, hosque illis viliores. Syrus habet, בערסתא *bebharsatha*, quæ vox, & pro lectis, & pro grabatis inseruit.

a lib. 6. & alibi sæpe.
b 2. de Diu.

Vt, veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum.] Propter hunc modum edendi miracula, & qui locum istum exponunt, & qui verba CHRISTI [c] iam citata, *Et maiora horum faciet*, & Chrysostomus [d] disputans contra Gentiles, & Theodoretus [e], ab Apostolis maiora quàm à CHRISTO facta affirmant. Nam quamuis spectata virtute actiua, quam infinitam esse, & diuinam oportet, omnia miracula sint paria, tamen considerando res quæ fiunt, quarum non eadem

c Ioan. 14. 12.
d orat. contra Gent. siue de sancta Babyla mart.
e in hist. Philot. cum de Simeone Stylite.
Miracula omnia sunt paria quoad virtutẽ, sed quoad res diuersa.

E est natura, & perfectio, aut modum, qui in iis faciendis adhibetur, inæqualia sunt. Quare mortui suscitatio maius miraculum est, quàm emundatio leprosi, & curare per solam vmbram mirabilius est, quàm per contactum, vel verbum. Neque tamen vmbra per se operabatur, cùm sit priuatio, sed præsentia Petri, propter quam curabantur infirmitates, siue ipse esset causa moralis tantùm, siue etiam physica instrumentalis.

Existimat Thomas Bozius [f] vno duntaxat ex ægris obumbrato, reliquos in plateas elatos sanatos esse, quasi id sibi velint verba illa, *obumbraret quemquam illorum*, & sequentia, *& liberarentur ab*

Petri vmbra vnum ægrum obumbrans, curabat omnes.
f li. 15. de Signis Eccl. c. 14. & li. 18. c. 1.

infirmi

Digitized by Google

infirmitatibus suis. Hoc etiam indicat Chrysostomus. Sed præterquàm quòd posteriora verba, vt videbimus, desiderantur in textu Græco, quæ ratio Chrysostomum saltem tangit, non eos, qui Latinam, vt debent, editionem vulgatam sequuntur, solùm sequi videtur, solis obumbratis contigisse sanitatem. Refert B. Vincentius Ferrerius [a], quosdam putasse CHRISTI in Cruce vmbram percussisse latronem, qui dexter erat, eique sanctitatem contulisse, quando & sanitatem nunc contulit vmbra Petri.

a Serm. in Parasceue.

Ceterùm ex hac vmbra Petri, siue ex tam proprio vni illi curandi modo, primatum illius colligit Glossa interlin. & Aluarus Pelagius [b]; Arator [c] quoque subindicat, quoniam quod hic in vmbra geritur per illum, *In imagine enim pertransit homo* [d], reipsa geratur in cœlo, hoc est, vt quod suprema, quam habet, potestate ligatur, & soluitur in terra per sacramenti quasi vmbram, ratum firmumque sit in cœlo. Haud multùm ab Aratore abludit Beda, ait enim: *Petrum esse typum Ecclesiæ, vt cùm ille rectus incedit vmbra comitante, iacentes erigat, quoniam Ecclesia mente, & amore cœlestibus intendens, quasi vmbraticè transcurrit in terra: & hîc sacramentis corporalibus figurisque cœlestium renouat, quos illic perpetuis remunerat donis.*

Petri primatus hinc colligitur.
b 1. de planctu Eccl. c. 55.
c lib. 1. in Acta.
d Psal. 38. 7.

Leo IX. [e] indidem argumentatur eundem primatum Petri, eúmque rectorem fuisse vtriusque Ecclesiæ præsentis, & futuræ, ac in se portendisse statum eiusdem, ita vt per secretam vim sacramentorum visibilium solidam tribueret speciem in cœlo, quoniam *nunc videmus per speciem in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* [f].

Petrus rector est præsentis Ecclesiæ & futuræ.
e ep. 1. ad Michaël. Constantinop. c. 11.
f 1. Cor. 13. 12.

Decuit sanè insignem Petrum esse in signorum perpetratione, quia *Iudæis, qui signa petunt* [g], peculiariter destinatus erat: quemadmodum Paulus, qui *Gentibus, siue Græcis sapientiam quærentibus*, sapientia excelluit, vt Carthusianus animaduertit. Argumentatur B. Augustinus [h]; *Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quantò magis gratia nunc permanentis? Meritò per omnes* CHRISTI *Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnaliū vinculorum: si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quantò magis catena vincientis? Vt vmbra*, inquit, *venientis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis: quantò plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis?*

Petrus in miraculis excellens esse debuit.
g 1. Cor. 1. 22.
h Serm. 29. de Sanctis.
Ex vmbra Petri qualiter D. Aug. argumentatur.

Hæc omnia S. Augustinus: cui quis non magis credat doctori tam orthodoxo, quàm Augustino Marlorato [i] hæretico eludenti, ac irridenti argumentum, quod ex quadam comparatione cum vmbra ista Petri adeò salutari, trahunt aliquando Catholici pro Reliquiarum non minùs etiam salutarium honore atque veneratione?

Augustino potius credendum quàm Caluino aut Marlorato.
i in Catena.

Quin & pro imaginibus idem argumentari fas est, siquidem vmbra corporis effigiatam veluti similitudinem repræsentat: nec aliunde quàm ex huiusmodi per vmbrā formatis imaginibus, natam picturam Auctores tradunt, vt Clemens etiam Alexandrinus refert [k]. Liceat & mihi quasi in vmbra ludenti, alludere ad auctoritatem, & potestatem, quam Petri successores, quales quales illi sint, quemadmodum vmbra eam, quæ erat in corpore, æqualem nanciscantur, non in edendis quidem miraculis, his enim non eget semper Ecclesia, sed in fidelibus gubernandis, & coërcendis.

Imaginū cultus ex hoc loco colligitur.
k in Pædagog.

Discant quoque Prælati residentia, quam vocant, quid valeat, quàm sit necessaria. Neque enim quibus præsentes non sunt, illis Prælatorum prodesse vmbra, atque prouidentia potest; & vt vmbra proprium quæque, non alienum, sequitur corpus; ita Prælatorum ipsorum subditi præsenti cura, non vicaria alterius obumbrandi, protegendi, regendi sunt.

Residentia Prælatis est necessaria.

Et liberarentur ab infirmitatibus suis.] Desunt hæc in textu Græco. Tamen in quibusdam codicibus, quos in nouo Testamento Regius olim Typographus Parisiis annotauit, sic lego; ἀπηλλάσσοντο γὰρ ἀπὸ πάσης ἀσθενείας, ἣν εἶχεν ἕκαστος, *Liberabantur siquidem omnes ab omni infirmitate, qua quisque affectus erat.* Syrus similiter his caret verbis, quod non mirum est, cùm illa sit è Græco expressa interpretatio. Ex aliqua necesse est Augustinum [l] traditione accepisse, quod prodit nominatim quendam mortuum transeunte Petro, vmbra illius tactum resurrexisse.

l libr. de catech. rudib. c. 23.

Versus 16.] Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.

CONCVRREBAT *autem & multitudo vicinarum ciuitatum.*] Latè diffundebatur fama Apostolorum, & ad eos conuocabat externam multitudinem, non magis curiosam nouitatis, quàm auidam propriæ vtilitatis. Celebrabant famam præterita miracula, & recentior etiam duorum coniugum ob fraudem oblatæ rei suæ cædes.

Vexatos à spiritibus immundis.] Non hîc oportet nos probare dari spiritus immundos, seu Dæmones, & ab his vexari humana corpora animosque. Tractant præ aliis diligenter de hoc argumento ex nostris Petrus Thyræus, & Martinus Delrius, & qui hæc negare non dubitent, non dubitem dicere malo eos spiritus nequā instinctu id facere. Hieronymus [m] quidem asserit Dæmonem, vt homines ad odium creaturarum DEI prouocaret, persuasisse quibusdam effectus illos mirabiles, qui solent in eum, vt in causam referri, non à se, sed ab astris fieri.

Spiritus mali homines vexāt.
m in cap. 4. Matthæi.

Illud quæstionem vtilem habet: DEVS homines à tam tetra bellua vexari cur permittat? Huic quæstioni satisfacit libris de Prouidentia ad Stagyrium monachum energumenum Chrysostomus: *Non ageret suauiter* DEVS, *si quod naturaliter Diabolus potest, & optat summoperè, semper impediret; & minùs existeret* DEI *clementia, nisi qua denegando totum naturalis potestatis vsum, quanta est Diabolo qua illos etiam ad pœnitentiam recipere non dedignando, qui se ipsi pactis conuentis, & data syngrapha mancipārunt, aliquid ei permitteret, simúlque ostenderet, à quali nos hoste per* FILIVM *suum liberauerit.*

Cur Deus à Dæmonibus homines vexari permittat.

Sapientia inde quoq; elucet, quòd [n] *patrem filiorum superbiæ* imbecilles sæpe homuli DEO freti superent, & infelix ad sordidissima interdum abiectissimaque ferenda ac patienda deiiciatur, *qui solium super Aquilonem conatus fuit locare* [o].

n Iob. 41. 25.
o Esa. 14. 13.

De potentia constat, dum vel comprimitur, vel, ne vltra fines præstitutos procedat, reprimitur, ita vt *neque culices gignere* [p], qui maiora permissus fuerat, neque in porcos abire iniussus potuerit [q], vt obseruat Gregorius [r], & Chrysosto-

p Exo. 8. 18.
q Matt. 8. 31.
r 2. Moral. c. 6.

a Hom. 3. de patien. Iob.
b in Psal. 77.

A mus [a], neque aliud quiduis absque DEI licentia, cui vt lictor, seu cærnifex Principi subseruit secundùm Augustinum [b].

Tandem pertinet ad iustitiam DEI sic in hac etiam vita hominum punire peccata. Hæc ipsa causa iis adiungi potest, quæ vtilitatem nostram continet: quæ cùm sit multiplex, primum modò teneat locum.

Deus propter aliorum peccata permittit hominem à Dæmonio vexari.
c 3. Dialog. c. 33.
d 1. Dialog. c. 10.

Raró, sed aliquando tamen, punit DEVS hac ratione aliena peccata, vt docet exemplum Eleutherij apud Gregorium [c], cuius ob immoderatam lætitiam denuò Dæmon discipulum ipsius, quem reliquerat, inuasit: & aliud apud eundem [d] de extincto infantulo à Dæmone, quia parens detrahentem Episcopo libenter auscultauit.

B Quin & immeritos nonnunquàm, si mala parentes imprecati fuerint, atrociter Diabolus mulctat ad sumendam de ipsis parentibus vltionem, vt legere est in Cæsario [e]: de infantibus quoque vexatis meminit Augustinus [f]. Si agatur de propriis cuiusque peccatis, quæ frequentiùs per Dæmonem puniat DEVS, vt omittam vexationem propter publica quædam peccata, quæ fit ab Ecclesia tradente Satanæ huiusmodi peccatores (vt meminit Origenes [g], cui posteà successit excommunicatio) recenset, ac exemplis ea illustrat Martinus Delrius [h], & Petrus Thyræus [i], & Alexãder ab Alexandro [k], & Nicolaus Seratius [l]: contumacem inobedientiam, & superbiam, odium proximi, aut inuidiam, & vindictæ cupiditatem, carnalem libidinem, ac etiam coniugalem intemperantiam: iustorum afflictionem, vel cædem iniustam, & crudelem: vel calumniosam accusationem, vel maledictionem: cognitæ veritatis impugnationem, aut apostasiam, blasphemiam in DEVM, Diuosque execrationem, siue imprecationem, qua quis sub conditione se Dæmoni addicit: vitium vsuræ, & auaritiæ: impietatem in parentes, eorúmve contemptum: iurgium atque conuitium: ingratitudinem aduersùs beneficia diuina: duritiam, ac immisericordiam in pauperes, irrisionem sacrorum mysteriorum, necnon abusum, & contemptum cæremoniarũ, & sacramentorum Ecclesiæ: templorum, & sacrarum rerũ direptionem, ac expilationem: virorum etiam sanctorum irrisionem, aut dierum festorum violationem: nimiam pusillanimitatem atque desperationem, qua quis oppressus, vel non petit à DEO auxilium, vel diffidit se ex malis eripiendum, vel Dæmoni se auxiliatori subiicit: curiositaté immodicam sciendi, quod scire nulla ratione competit.

e lib. 5. Mirac. c. 11. 12. 26.
f 21. de Ciui. cap. 22.
g Homil. 2 in lib. Iudic.
h lib. 3. par. 1. q. 7.
i disp. de Dæmo. p. 2. c. 30.
k lib. 4 c. 19.
l in Tob. c. 6. q. 20.
Peccata propter quæ Deus Dæmonem corpora obsidere permittit.

C

D

Ob peccata leuia etiã à Dæmone quis vexari potest.
m Collat. 7. c. 27.
n 1. Dialog. cap. 4.
o lib. 2 c. 5.
p lib. 1. Dial. cap. 14.
q 21. de Ciui. Dei. c. 14. & lib. 22. c. 22.
r libris de prouid.

Leuiores nonnunquàm etiam, & veniales culpas vindicat per Dæmonis infestationem DEVS, maximè vt sanctitas, & gratia innotescat eorum, qui sanitatem sunt reddituri. Contigit hoc Mosi Abbati, propter leuiculam iram, vt memorat Cassianus [m]: cuidam Religiosæ apud Gregorium [n], propter præcipitem gulam, & leuem: cuidam Religioso ob tepiditatem, & distractionem in oratione, vt est in vita sancti Bernardi [o]: huius ille famam auxit, secundus Equitij, primus Macarij: his adde sanctissimum illum Anachoretam, de quo Sulpitius [p], qui, vt ne primos quidem in se vanæ gloriæ sentiret motus, à Dæmone quinque menses obsideri DEVM precatus impetrauit, quem Dæmonem toties de aliorum corporibus exegerat. Auctor est etiam Augustinus [q], non semper hominem propter peccatum vexari à Dæmone, necnon Chrysostomus ad Stagyrium energumenum [r].

E

A Resultat prætereà ex Dæmonis, qui vincere conatur, victoria, laus in DEVM singularis, vt ille ipse Dæmon mœstus deplorat agens cum Antonio: & docent Athanasius [s], Clemens Alexandrinus [t], Origenes [u], Ambrosius [x], Leo [y], Cassianus [z], permittere DEVM hanc dimicationem cum Diabolo, ad maius victi probrum. Porrò notatu dignum, viuente CHRISTO frequentiorem trium annorum spatio de energumenis fieri mentionem, quàm in toto veteri Testamento per tot secula, quoniam eo tempore vigebant Sadducæi, quorum vnus error erat, omninò nullum Spiritum esse [a]: in primitiua etiam Ecclesia, vt Auctor hoc loco narrat, & Tertullianus [b], Cyprianus [c], aliique, multi per Dæmones obsessi erant, quia similis tunc error fuit Peripateticorum: nunc repullulascente Atheismo ex Caluinismo, tot passim maleficorum examina succisa multiplicantur.

Gloria D... victoria, ... Dæmon ... tur, refu...
s in vit. Antonij.
t 4 Strom.
u Hom. ... Iesue.
x in cap. 4 Luc.
y Serm. ... Quadrag.
z Collat. ... 27.
Cur ... Christi ... fuerint ... menei.
a Act. 23.
b In Apolog. & lib. ad Scapulam.
c ad Demetrianum.

B Postremò & illud sciendum est, quòd Diabolus affectat intrare in humana corpora, tum odio eius carnis, quam ante Euangelium à DEI FILIO assumendam intelligebat, & assumptam modò non dubitat: tum quia faciliùs corpore vtitur ad perniciem animæ, quam, vt illud, immediatè mouere nequit: tum vt potestatem, quæ ei propter peccatum permissa est, maximè ostendat. Lege Toletum in Lucam [d].

Cur Dæmon humana corpora obsidet.
d c. 4. ...

C Basilius [e] de odio Diaboli in hominem disserit eleganter, eius causam esse dicens, quòd sit imago DEI, vt DEVM quia non potest, illius imaginem, quantùm potest, lædat: & sicut pardalis, cùm sit homini inimicissima, furor deluditur ostensa hominis imagine ex charta, quam illa furibunda concerpit atque dilacerat: sic Dæmonis furor quodammodò compescitur, cùm ei in hominem veram DEI imaginem desæuire conceditur.

Cur Dæmon ... ... odio habeat.
e Hom. in ali... quot Scriptur. loc. & libro, quòd DEVS non sit auctor malorũ. & serm. de inuidia.

Vexatos.] ὀχλουμένους, *perturbatos*, seu *commotos*. Syrus sic est interpretatus, ואלין דהוין הוו להון רוחא טנפתא *vailen dehauun hanu lehun rauche tanpatha*, id est, *& illi qui habentes in seipsis erant spiritus impuros*, vel, *eos in quibus essent spiritus immundi*. Vexationem Glossa interlin. accipit de morbis, & doloribus. Dictio Græca importat agitationem molestam, quæ fieri potest à Dæmone etiam non obsidente, seu non inhabitante, præsertim si Angelus loco præsens est per suammet substantiam limitatam, & non tantùm per operationem.

D

Energumeni voce Græca, quasi dicas exercitatos (etsi in bonã quoque partem aliquando ea vox vsurpetur) appellantur, qui à Dæmone inuadũtur, & possidentur, vel obsidentur, siue cùm in eorum corpora ille ingreditur, simúlque potestatem aliquam eos vexandi seu affligendi accipit.

Energumeni qui sint.

E Non erant Iob [f], vel Antonius obsessi, quamuis vexati, neque etiam Iudas proditor, quem non vexauit Dæmon, licèt in eum ingressus [g], etsi eum Dæmonis ingressum, Euthymius in Lucam [h], & Didymus [i] solùm ad prodendũ CHRISTVM inductionem, persuasionémque intelligunt, & cum illis Maldonatus in Matthæum [k], & Toletus in Ioannem [l], videturque communior opinio.

f Iob. 1. & 2.
g Ioan. 13. 27.
h in cap. 22.
i lib. 3. de Spiritu Sancto.
k in cap. 26.
l in cap. 13.

Quocirca meritò Ildegardis, alioqui Sanctæ, non tam reuelatio, quàm minùs vera opinio refellitur, cùm sibi reuelatum narrat, vt est in libro Reuelationum eius apud Theodoricum Abbatem [m], non permittere DEVM, vt Dia-

m lib. 1. vitæ eius, c. 20.

bolus

bolus secundùm suam essentiam, vt solet esse in loco, corpora possideat; repugnat id enim Theologis, qui etiam inter obsessos, & possessos hoc discrimen statuunt, quòd in his sit Dæmon, vt erat in statuis idolorum; id verò quoque indicant inflationes, & multa alia, quæ in possessis cernuntur. Neque verendum est, ne forma Dæmonis, siue substantia eius substantialis, corpori humano ita sit contraria, vt illud statim solo ingressu destruat, etiamsi nolit. Lege Martinum Delrium [a], & præcipuè Petrum Thyræum [b].

Spiritibus immundis.] Vt boni SPIRITVS, sancti, sic mali vocantur immundi in multis Scripturæ locis [c]: delectantur enim rebus immundis ac sordidis, ad easque homines sollicitant, etsi spiritus quidam fornicationis peculiaris ab Osea [d] commemoratur, vt ipsemet Diabolus Antonio fassus est apud Athanasium [e]; illeque videtur, virtutem cuius Iob ait [f] *esse in lumbis, & vmbilico*: & CHRISTVS [g] *amare loca humida, nec inuenire requiem in aridis.* Et Ecclesia nos docet petere in Litaniis liberari ab hoc Spiritu, quem cõstat perdidisse illos, qui diluuio perierunt [h], & infamem Pentapolim [i], & Benjamitas [k], aliosque innumerabiles absorpsisse.

Etsi verò hoc ita sit, quod modò dixi de Spiritu fornicationis, necnon etiam verum id est, quod Origenes docet [l], & Ambrosius [m], & Augustinus [n] (qui etiam velle videtur à quibusdam corpora vexari) & Hieronymus [o], & Cassianus [p], qui etiam agit [q] de spiritibus gastrimargiæ, fornicationis, philargyriæ, iræ, tristitiæ, acediæ, cenodoxiæ, superbiæ, & Magister sententiarum [r], & Albertus [s] (qui ibi exponunt septem distincta nomina, quasi distinctorum Dæmonum, iuxta totidem vitia capitalia) & Cæsarius Arelatensis [t], & Anastasius Nicenus [u], & Bernardus [x], de singulis vitiis singulos nempe Dæmones propriè tentare: quod etiam septem Dæmonia de Magdalena [y] eiecta designant, vt ait Theophylactus in Lucam [z], & Gregorius [a]; hoc tamen ita est, vt se mutuò iuuent, & pertinaciter vnus idémque varias artes nocendi experiatur: quod intelligitur, vel ex eo, qui triplici CHRISTVM tentatione vnus idémque aggressus est [b]: vt Chrysostomus annotauit [c], & Nazianzenus [d]: & ex eo malo genio, qui boni tutelaris æmulatione suum perdere clientulum conatur, vt tradidit Barnabas apud Origenem, Hermas [e], Origenes [f], Nyssenus [g], Basilius [h], Auctor operis imperfecti in Matthæum [i], Auctor Sermonis ad Fratres in Eremo [k], Magister cum Scholasticis [l], Rabbi Moses [m], Cassianus [n], Beda [o], & alij.

Quamuis hæc, inquam, ita sint, nihilominùs omnes Spiritus nequam nominari possunt immundi, quatenus peccatum quodlibet immunditia est, & macula, opponiturque sanctitati, atque solis incoinquinatis, & immaculatis patet introitus in regnum cœleste. Hinc fortasse natum est nomen spurcissimum בעלזבוב *babbalzebub*, seu, vt nos dicimus, *Beelzebub*, hoc est, DEI *muscarum*, aut, vt habent Septuaginta, *muscam Deum*. Musca enim, inquit Hieronymus [p], spurcum est animal, quæ exterminat suauitatem olei [q]. Idem dici potest de nominibus בהמות *Behemoth*, quod significat *Bestias* [r], quarum bestiarum nomina varia illi in Scriptura tribuuntur, vt Cassianus notat [s]: בעל פעור *babbal pehhor*, vel, vt dicimus, *Beelphegor* [t], cuius notio est, *Deus cadaueris*: לויתן *luiathan*, vel, vt dicimus, *Leuiathan* [u], quasi dicas

a li. 3. Disquis. mag. par. 1. q. 4. sect. 7.
b lib. de Dæmoniacis.
Spiritus mali quare immundi dicantur.
c Zach. 13. 2. Matth. 10. 1. c. 12. 43. Marc. 1. 21. 26. 27. Luc. 4. 33. 36. c. 8. 18. c. 8. 29. c. 9. 42. c. 11. 24. Act. 8. 7. Apoc. 16. 13. c. 18. 2.
d cap. 4. 12.
e in vita.
f cap. 40. 11.
g Mat. 12. 43.
h Genes. 7. & seq.
i infrà 19.
k Iud. 19. & 20.
l Hom. 10. in Iosue. & 8. in Exodum.
m lib. de Paradiso cap. 12.
n in Quæst. ex vtroque Test. c. 105.
o Matth. 6. & Ephes. 6.
p Coll. 7. cap. 17. & 18.
q lib. 5. de institutis item que Collat. 2. cap. 5.
r 2. dist. 6.
s Luc. 8.
t Hom. 23.
u q. 31. in Scripturas.
x Serm. 13. in Psal. Qui habitat.
y Luc. 8. 2.
z ibid.
a Homil. 33. in Euang.
b Matth. 4. 3. 6. 9.
c Hom. 13. in Matt. & 5. ex Diuers.
d orat. de Baptismo.
e in Pastore.
f Hom. 10. 12. & 11. & 35. in Lucam. & 3. de Principiis. cap. 2.
g lib. de vita Mosis.
h in Psal. 1.
i Homil. 5. & 13.
k Sermo. 48. tom. 10. apud Aug.
Omnes mali spiritus sunt immundi.
l 2. dist. 11.
m lib. 3. More cap. 23.
n Collat. 8. c. 17. & Collat. 13. cap. 12.
o in cap. 12. Actuum.
p in c. 9. Mat.
q Eccl. 10. 1.
r Iob 40. 10.
s Collat. 7. c. 32.
t Deuter. 4. 3. Iosue 22. 17. Psal. 105. 28. Osee 9. 10.
u Iob. 3. 8. c. 40. 20. Esa. 27. 1.

draconem magnū plenum veneno: *Asmodæum*, de quo cùm aliæ significationes assignentur, quas Serarius noster percenset [x], tum illa, vt idem sit quod metiens ignem, nimirum concupiscentiæ, notando, quàm ea impura sit, & inflammata, & primarius præses incentórque libidinis, vt ex historia Tobiæ [y] colligi potest: atque ita sentit Auctor libri, cui titulus est, SERPENS *antiquus*, editus à quodam è S. Francisci familia Ierosolymitano, sed anonymo.

Hæc videtur etiam causa, cur appareant Dæmones longè frequentiùs sub formis canis, serpentis, hirci, felis, capri, porci, araneæ, muscæ, noctuæ, lupi, similiúmque fœdorū, ac immundorum animalium. Columbæ similitudine, aut agni nunquàm visi leguntur, non quia non possint eā quoque, vt ceteras, induere formas, sed quia vel non permittuntur, eò quòd vt propriæ à DEO sunt assumptæ, vel non volunt præ odio, ne quid cum DEO habere commune videantur.

Ceterùm quem legimus appellatum Spiritum erroris [z], aut mendacem [a], nequitiæ [b], aut nequam, malum [c], & malignum [d], infirmitatis [e], mutum, ac surdum [f], & pessimum [g], diuinationis [h], pythonis, aut pythonicum [i], videtur omninò certus aliquis Angelus reprobus. Aliquando autem significatur potiùs huiusmodi vocibus vehementior aliquis perniciosus impetus, commotio, acrimonia (quem impetum etiam profani scriptores spiritum nominant) ac veluti ardor, cupido, furor, &c. vt cùm dicitur Spiritus Zelotypiæ [k]: Spiritus vertiginis [l]: Spiritus soporis [m]: Spiritus compunctionis [n], id est, pertinaciæ.

Fortasse idem affirmari potest de Spiritu fornicationum, de quo priùs dixi, vt sit vehemens ardor colendi idola [o]. In hoc sensu exponunt quidam cautionem illam Ioannis in epistola prima [p]: *Nolite credere omni spiritui*: id est, impulsui, seu motioni, vel instigationi, tum externæ, tum internæ, &, quod est in Prouerbiis [q], *Totum spiritum suum profert stultus*, hoc est, Nescit animi sui vehementiores motus tenere, quin eos prodat: & [r], *Spirituum ponderator est Dominus*, item quod ait Paulus [s]: *Æmulatores estis Spirituum.*

Quanquàm dicere possemus, quoniam causa pro effectu poni solet, dici spiritum motionem, quæ in animam immittitur à substantia spirituali, qui dicitur spiritus, siue sit spiritus bonus, siue malus. Lege Riberam in Oseam [t].

Postremò admonendum, spiritus nomen absolutè positum, non semper pro bono, quod Didacus Stella [u] contendit, sed nonnunquàm etiam pro malo accipi, vt apud Matthæum [x], *Eiiciebat spiritus verbo*: quamuis ibi præcesserit nomen dæmoniorum: & apud Marcum [y]; *Deprecabantur eum spiritus*; etsi priùs [z], spiritus nominatus est immūdus. Et cap. 9. [a] *Spiritus conturbabant illum*, qui nempe anteà vocatur *mutus*. Et apud Lucam [b], *Spiritus apprehendit illum.* Vbi est quidem maligni descriptio, nullum tamen epithetum: sicut nec in capite 10. [c] cùm dicitur: *Nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur*; dixerat [d] tamen apud Euangelistam CHRISTVS dedisse potestatem *Discipulis suis calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, ipsique Discipuli dæmonia nominauerant, læti quòd sibi subiicerentur.* Verùm eodem modo Stella nullum proferet locum, in quo ex antecedentibus, vel consequentibus non colligatur, nomen spiritus, etiamsi solitariè ponatur, tantùm pro bono, & non pro malo accipi debere:

x in cap. 3. Tob. q. 1.
y Tob. cap. 6. 17.
Dæmones cur in formis turpium animaliũ appareant.
z 1. Tim. 4. 1.
a 3. Reg. 22. 22. 2. Paral. 18. 21.
b Eph. 6. 12.
c 1. Reg. 16. 15. & seq. Act. 19. 12. 13. 15.
d Luc. 7. 21. c. 8. 2.
e infrà 13. 11.
f Marc. 9. 16. 24.
g Iud. 9. 23.
h Leuit. 20. 27.
i Act. 16. 16.
k Num. 5. 14. 30.
Spiritus fornicationis quis.
l Esa. 19. 14.
m infrà 29. 10.
n Rom. 11. 8.
o Osee 4. 12. cap. 5. 4.
p cap. 4. 1.
q cap. 29. 11.
r Prou. 16. 2.
s 1. Corin. 14. 12.
t in c. 4. nu. 23.
Spiritus absolute positus non est semper bonus.
u in c. 11. Luc.
x cap. 8. 16.
y cap. 3. 12.
z vers. 8.
a vers. 18.
b cap. 9. 39.
c vers. 20.
d vers. 19.

A

ideoq́ue vel inutilis, vel falsa est illa ipsius notatio. Denique, vt aliàs quoque monui, spiritus nomen absolutè positum pro malo sumitur ibi in lib. Regum [a]: *Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait; Ego decipiam illum.*

a 3. Reg. 22. 21.

Insignis Ecclesiastica & priuilegium.

Qui curabantur omnes.] Hanc potestatem iam dederat CHRISTVS, vt est apud Matthæum [b], & Marcum [c], non tantùm Apostolis, sed etiam septuagintaduobus Discipulis, vt est apud Lucam [d], quod non animaduertit Maldonatus in Marcum, de solis Apostolis affirmans, & ea vsus erat etiam quidam, qui non sequebatur CHRISTVM more aliorum [e]: & CHRISTVS abiturus in cœlum pollicitus erat hoc primum signum inter ea, *quæ illos qui crederent in ipsum*, sequerentur [f]. *In hoc* quippe *apparuit Filius* DEI *in mundo, vt dissoluat opera Diaboli* [g], dixitque de isto: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras* [h]. Et quamuis alia miracula magna ex parte cessauerint, hoc tamen nunquàm in Ecclesia cessat, vtpote aduersùs hostes nobis absque cessatione insidiantes necessarium.

b cap. 10. 1.
c cap. 3. 15.
d cap. 10. 19.
e Mar. 9. 38. & Luc. 9. 49.
f Mar. vlt. 17.
g 1. Ioan. 3. 8.
h Ioan. 12. 31.

B

Hoc eadem exaggeratur.

Exaggerant Patres hanc adeò insignem Ecclesiæ notam, & singulare priuilegium, Tertullianus [i], Arnobius [k], Cyprianus [l], Lactantius [m], Prudentius [n], Iustinus [o], Origenes [p], Basilius [q], ex quibus videntur Latini penultimi duo tam admirabilem honorem adscribere Chrismatis Sacramento, Crucísque signo. Legendus prętereà Hieronymus [r], Theodoretus [*], Paulus Orosius [s], Marsilius Ficinus [t]. Qui ex ordine nostro primi Sinas, Euangelij proferendi causâ penetrarunt anno præteriti seculi octogesimo, testantur tū demùm permissum id sibi à Magistratu, cùm respondissent se in Dæmones, à quibus Sinæ dirè vexantur, potestatem à CHRISTO accepisse, eaque potestate, adhibitis ritè ecclesiasticis exorcismis, feliciter vsi essent.

i in Apolog. c. 23. 26 & ad Scapulam. c. 2. & 4. lib. de anima. ca 57. de corona mil. c. 1. & de idololat. c. 11.
k 1. contra Gent.
Nostri Sinas quomodo sint ingressi.
l ad Demetria. & ep. 2. lib. 10. c. 40.
m 4. Instit. c. 27.
n in Apotheosi.
o in Trypho.

C

Iapones propter quid maxime ad fidem conuersi.

Constat quoque Iapones deposito Dæmonum cultu, quo eorum vtcumque nonnunquàm vexationem veluti redimebant, illorum simul molestia liberatos, ita vt adiurati apud nos Dæmones nonnulli responderint, commodiores se hic sedes reperisse, quàm ibi, vnde migrare compulsi fuissent. Consule Indiarum historias.

p 1. contra Celsum
q Hom. quod Deus non sit auctor malo.
* 10. de Græc. affect.

D

Dæmonas abigendi potestas à quibus exerceatur.

Etsi verò Dæmonas abigendi potestas, quia donum est, quod vocant gratis datum, exerceri etiam possit ab infidelibus, aut certè ab improbis [u], & de Iudæis sui temporis CHRISTVS affirmat etiam non credentibus in ipsum [x], iuxta recentiorum expositionem, qui respiciunt ad artem exorcisticam, quam Salomon docuit, teste Iosepho [y] (dubitat verò S. Thomas [z], an exorcismos instituerit, cùm esset in statu salutis, tunc enim potuisse inesse vim diuinam in huiusmodi exorcismis credit, vel verùm, quando adorabat idola, quia tunc potuit in hoc latere aliqua incantatio) & ad exorcistas, de quibus mentio est in hoc libro [a], & huius etiam expositionis meminit Hieronymus in Matthæum [b], etsi quoque illius, quæ ait loqui CHRISTVM de suis Discipulis, placétque Hilario, Chrysostomo, Auctori operis imperfecti, Theophylacto in eundem Matthæi locum, necnon Athanasio [c], Tertulliano [d]: quamuis, inquam, hoc ita sit, non tamen per inuocationem falsi DEI, aut ad falsum dogma confirmandum expelli possunt. Exagitat hoc argumento Tryphonem, alióśque Iudæos Iustinus, quòd per nullius nomen Dæmonis, qui apud ipsos floruerit, quantauis auctoritate, vel sanctitate pellere Diabolum

r cont. Vigilan. & ep. 27.
s 6. Histor. c. 25.
t lib. de relig. Christ. c. 22.
u Matt. 7. 22.
x cap. 12. 27.
y 4. Antiq. c. 12.
z q. 6. de poten. a. vlt. ad 1.

E

a cap. 19. 13.
b cap. 12.
c lib. de communi ess. Patris, & Fil. & Spiritus sancti.
d 4. contra Marcionem.

A

potuerint. Epiphanius [e] testis est, illos virtutem hanc in illis esse credidisse, quibus licuisset nomen DEI Tetragrammaton יהוה *Iehouah*, scire, aut fari: Iosephum verò nondum credentem in CHRISTVM, liberasse Dæmoniacum.

e Hæresi 30.

Antonius obiicit Philosophis impotentiam istam.

Gentilium Philosophis obiecit Antonius impotentiam eandem, vt meminit in eius vita Athanasius; & hic ipse alibi [f]: de qua re plura disputata sunt à nobis in expositione Euangelij de tentationibus CHRISTI [g]. Contingit nihilominùs aliquando, vt per Dæmones Dæmonia expellantur, vt constat de Apollonio Tyanæo, cuius præconem Philostratum Eusebius libris octo hac maximè de causa refutauit, & de aliis mentionem quoque facit Iustinus [h]: & his similes sunt Magi etiam sub Christiano nomine, de quibus Imperator Iustinianus in Digestis [i].

f orat. contr. Idola. & 1. de humana Verbi.
g p. 1. 9. 3.

B

h orat. ad Gentiles.
i l. 1. ff. de var. & extraord. cog.

Lutheranus ministri Dæmone pellendo non valent.

Lutherus à Dæmone, quē conabatur eiicere, in summas angustias redactus est, atque ad alui profluuiū anno 1545. vti scribit tunc maximus eius sectator Staphylus in absoluta responsione contra Smidelinum, & Lindanusin Dubitantio [k], & Bredēbachius [l], & Petrus Thyræus de Dęmoniacis [m]. Neque secùs parocho Lutherano euenisse anno 1582. Birgellis, atq; æquè frustra in eiiciendo illo laboratum Augustæ Vindelicorū anno 1563. narrat Bredenbachius [n]. Sed & ex ore energumenæ Laudunensis tota Gallia, ac toto orbe Christiano celebratissimæ, Caluinianos Dæmon irridens, nihil sibi ab illis timendum clamabat cunctis audientibus anno 1566. quoniam amici essent, & fœderati, sicut testantur acta, Gallicè summa fide scripta, & Faius in Energumeno seu Alexicaco.

k Dial. 3. c. 1.
l libr. 7. Collat. cap. 40.
m par. 3. c. 4.

C

Energumena Laudunensis Caluinianos a Dæmone irrisos.
n lib. 7. Coll. c. 42. & 43.

Hæretici Dæmones in homines immittunt, Catholici eiiciunt.

Verè de Hæreticis affirmare licet, *vt de viuis mortuos*, quod Tertullianus de iis dixit [o], *fecerunt, ita in hominum corpora Dæmones immisisse, cum Catholici hos eiecerint, & de mortuis viuos reddiderint.* Lege Delrium [p], & Thyræum [q]: hic inductionem facit Hæreticorum, qui magnam cum Dæmone coniunctionem, vel communionem habuerunt, & veterum, & recentiorum.

o lib. de Persecut. c. 10.
p libr. 3. Disquisit. mag. p. 1. q. 7. sect. 1.
q Disput. de Dæmoniacis. par. 1. c. 21.

D

Curabantur.] Imperio, & inuocatione CHRISTI, non rei cuiusquam alterius interuentu, seu vi nominis ineffabilis, seu ἀνεκφωνήτω יהוה *Iehouah* enunciati, vt ex Epiphanio [r] antè dixi, seu annuli, ac inclusæ in eo radicis, quam Salomon docuisset, vt Iosephus [s] scripsit (meminit verò etiam de quodam nomine Baraas [t]) seu, quod quidem sciatur, contactu vllo, quo CHRISTVS erga surdum, & mutum dæmoniacum vsus est [u], dicens *Ephetha*, seu, vt habet Syriacum exemplar, אתפתח *ethpathach*, quo verbo CHRISTVS putatur vsus, cùm lingua Syriaca familiariter vteretur, & adhibens *sputum, suspectionem in cœlum, ac gemitum*, quasi videlicet exorcismum faciens.

r Hæresi 30.
s lib. 8. Anti. cap. 2.
t 7. de bello Iuda. c. 21.
u Marc. 7. 33. 34.

E

Exorcismus Ecclesiæ ad Dæmones pellendos valet.

Exorcismum autē hunc cum certis cæremoniis ritè vsurpat Ecclesia, non ignorans vim naturalem iis non inesse, quæ nulla esse potest in re corporea contra Spiritum, vtens tamen aliqua re, vt instrumento ad propitiandum DEVM: ad quod etiam valet inuocatio nominis DEI, & CHRISTI, Sanctorum reliquiæ, impressio Crucis, res consecratæ, adiuratio per exorcismum; de quibus Thyræus quem suprà citauimus [x], & similiter Delrius in magicis Disquisitionibus [y].

x c. 41. & seq.
y libr. 6. c. 2. sect. 1. q. 3.

Qua ratione Dauid cithara dæmonem expulerit.

Quòd si quis opponat Saulem, qui Dauidis cithara minùs à Dæmonio fuit vexatus [z], dicam, aut mitigatum duntaxat harmonia dolorem, aut si quando compulsum est exire dæmonium, vel Dauidis merito, vel CHRISTO in Cruce expanso,

z 1. Reg. 16. 23.

quam

Digitized by Google

quam cithara referebat, eam liberationem esse tribuendam. De iecore piscis, quod positum super carbones fumo suo RAPHAEL Tobiam docuit, illud extricare siue à viro, siue à muliere omne genus dæmoniorum [a], dicam etiam id solum aut signum expulsionis fuisse, vt de cithara modò dictum est, aut dæmonium fugandum, quando fumus excitaretur: habetur enim eadem historia in capite octauo, quòd RAPHAEL ipse *apprehendit dæmonium, & relegauit in deserto superioris Ægypti*: vel virtus ascititia fuit, diuinitúsque communicata iecori illi, non intima, & naturalis. Et credi etiam potest, meritum atque orationem Tobiæ, & Saræ, vt moralem causam, interuenisse. Vide Nicolaum Serarium in Tobiam [b], & Franciscum Vallesium libro de Sacra Philosophia [c], & Abulensem [d], & Delrium in Disquisitionibus magicis [e].

a Tob.6.8.9.
b c.8.q.1.2.3.
c cap.28.
d 1.Reg.16.q.41.
e lib.6.cap.2.sect.1.q.1.& li.2.q.30.sect.3.
Radix Salomonis quomodo ad fugandos dæmones valuerit.

Idem affirmare possumus de radice Salomonis (si tamen caruit ea ratio fugandi dæmones superstitione) videlicet ex DEI institutione valuisse, non suapte natura. Idem de aliis, quæ citati Auctores, Thyræus præsertim, & Delrius, accuratè pertractant. Nã ista tantũ indirectè, ac mediatè conferunt ad fugandos, vel retardandos conatus maleficos, eò quòd impediunt, vel auferunt dispositiones, quibus vtitur Dæmon ob naturalem habitudinem, seu complexionem, vt atrabiliariam, quam vocant, &c. corporis humani, quod ille vexat, aut propter influxum astrorum, quo idem corpus afficit, vt de lunatico Euangelico censet Origenes [f], & Hieronymus [g], aut etiam debilitando, vel impediendo vim remediorum naturalium.

f in c.17. Mat. Tract.4.
g in c.4. Mat.

Hac mente obsessis à Dæmone permittitur in Sacris Canonibus [h] petras, herbásque natura efficaces, absque incantatione tamen, habere, & gestare, nec est qui hac in re dissentiat. Verisimiliter existimare licet, hos quos Lucas modò commemorat, vt primùm baptizati sunt, Baptismi ipsius ope liberatos à Dæmone obsidente.

h 26.q.7.c.vlt.

Contigit id enim aliàs non raro, vt videre est apud Nicephorum [i], & Sozomenum [k], seu Metaphrastem de Tyridate, vel Teridate Armeniæ rege, eiusdémque militibus ac magistratibus: de rege Tartarorum Cassano apud Ioannem Villanum [l], & B. Antoninũ [m]: de Tamaracunga Peruani reguli fratre apud Chiezam de Leon [n]: de Iapone Burgensi fœmina apud Ludouicũ Frois [o], qui alia quoque similia exempla narrat, necnon alij in literis Iaponicis [p]: & prætereà aliud commemorat Delrius [q], vt quod Monachij in Bauaria Iudæo euenit anno 1583.

i lib.8.c.35.
k lib.2.c.7.
Per Baptismũ suscepto à Dæmone plurimi liberati.
l 8.Hist.c.35.
m 2.p.hist.tit.20.c.8.§.9.
n p.1.hist.Peruan.c.119.
o in lit.Iapo. an.1596.
p vt an.1549.
q lib.6.Disq.mag.c.2.sec.3.quæst.3.

Fortasse baptizatos iam aliquos Apostoli, cùm tamen obsessi essent, manuum impositione, seu Confirmationis, & Chrismatis Sacramento à Dæmonis possessione liberauerunt: idipsum enim Lactantius [r], Prudentius [s], atque Nazianzenus [t] aliis contigisse vi eiusdem Sacramenti prodiderunt: constátque nostro etiam seculo quosdam à Dæmonum vexatione post perceptum hoc Sacramentum ereptos.

Item per Confirmationem.
r lib.4.c.27.
s in Apoth.
t orat.1 in Iul.

Versus 17.] Exurgens autem princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo.

A EXVRGENS *autem princeps Sacerdotum.*] Dictio *Exurgens*, non tam corporis, quam animi erectionem, & aggressionem significat. Lege cap. 1. [u] Chrysostomus, & Oecumenius interpretantur erectum, exstimulatum, commotum ob ea, quæ contingebant. Potest etiam idem esse, *exurgens*, quod, *insurgens*.

u vers.15.

Princeps Sacerdotum.] Lege caput præcedens [x].

x vers.6.

Quæ est hæresis Sadducæorum.] Syrus sic est interpreratus, דאיתיהון הוו מן יולפנא דזדוקיא *dithaiehun hauu men iulephana deZaddukaie*, id est, *qui existentes erant de doctrina Sadducæorum*: vel, *cum essent ex doctrina Sadducæorum*. De Sadducæis capite priore [y]. Hæresis autem in malam partem videB tur sumi, tum hìc, tum capite XV. [z] & XXIV. [a] tum in prima epistola ad Corinthios [b], tum frequentiori vsu Patrum, & scriptorum Ecclesiasticorum, significátque errorem circa doctrinam: quamuis in epistola ad Corinthios, interpretes Græci intelligant vitia circa mores, quòd scilicet quidam in Ecclesia commessarentur, nec admitterent pauperes ad communionem cœnæ Dominicæ. Profani auctores vsurpant sæpe hæresim in bonam partem, non Græci tantùm [c], vt Philo, pro vera etiam religione: sed Latini quoque, ac in his Cicero [d]. Omissis aliis falsis, & ridiculis huius vocis notationibus, quæ Græca est (vt quod à Latino verbo hæreo; aut quasi electis, id est, electio) C certa, & vera etymologia est, non ab ἐρείδω contendo, nec ab αἴρω, attollo, vel in quacumque alia significatione: sed ἀπὸ τοῦ αἱρεῖν, vel potiùs ab αἱρεῖσθαι, quod est eligere, vt notauit etiam Tertullianus [e], & Hieronymus [f], & Isidorus [g], Rabanus [h], & Beda hoc loco, & Cyprianus [i], indicat etiam id Irenæus [k].

y vers.1.
Hæresis in malam partem sumitur.
z vers.5.
a vers.14.
b cap.11.19.
c lege Thes. linguæ Græcæ.
d præf.in Par. in princ.
Hæresis unde dicatur.

Quamuis autem hæresis dici possit pars, & Hæretici partiarij, vt loquitur Tertullianus [l], ita etiam nominans Iudæos [m], & sæpe Cyprianus, Optatus, Augustinus, aliíque vocant, partem Donati, Nouatiani, &c. tamen non habetur in hac loquendi forma respectus ad nomen hæresis ab αἱρέομαι, quod est partior ac diuido, sed potiùs schisD matis, quod à σχίζω, seu σχίζεσθαι, scissionem significat. Sunt enim & Hæretici schismatici, licèt non vice versa omnes schismatici sint item hæretici.

e de Præf.c.6. & 17. & in 1. & 2. con. Mar. & in Scorp.
f in c.5.ep.ad Gal. & in 3.c. ep ad Tit.
g 8.Etym.c.3.
h lib.de vniuers. & 2. de Inst. Cle.c.58.
i li.1.ep.6.aut 76.
k lib.3.c.2.
l libr.de Præs. cap.2.
m 3.con.Mar.
Schisma unde dicatur.

Sed quia Fidei nostræ doctrina non propriè suscipitur humana electione (tametsi requiritur eius consensus) sed magis gratia DEI, iuxta id [n]: *Nemo potest venire ad me, nisi* PATER, *qui misit me, traxerit eum.* & [o], *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* denique [p], *Fides est donum* DEI: non potest ei hæresis nomen conuenire, etiam secundum communem illam ac indifferentem significationem, vt monet idem Tertullianus, atque Hieronymus, & prætereà Theophylactus [q]. Qua de causa PauE lus recusasse videtur hoc nomine appellare dictam doctrinam Fidei: neque enim appellauit ipse hæresim, sed ab aliis ita nominari dixit: *Confiteor*, inquit, *quia secundum sectam, quam dicunt hæresim* [r], *&c.* Recentiores aliqui ex his verbis, *Exurgens autem princeps Sacerdotum, & omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum)* arbitrantur colligi, principem ipsum Sacerdotum fuisse sectâ Sadducæum. Respondi sic ratiocinantibus viris doctis, qui hac de re, post longam disquisitionem, me consulebant; non videri verisimilem consecutionem: sed solùm eos, qui se aduersùs Apostolos principi adiungebant Sacerdotum, ex Sadducæis fuisse; quemadmodum & cap. 4 [s] leguntur con-

Fides non est ex electione nostra sola, sed ex Dei dono.
n Ioan.6.44.
o Ioan.15.16.
p Ephe.2.8.
q in c.2.ep.ad Coloss.
r Act.24.14.
s vers.1.& 2.

spirauisse cum Magistratibus templi, doluisséque quòd annunciarent in IESV Resurrectionem ex mortuis:& c.23. [a] narratur, cum principe Sacerdotum accusatores Pauli partim Sadducæos fuisse, partim Pharisæos. Non dubito in tam fœdam hæresim prolabi summos quoque Pontifices potuisse, post adeò atrox crimē interfectionis CHRISTI, cùm ea hæresi primores quosque infectos fuisse Iosephus testetur: tantùm nego satis id ex præsenti loco deduci posse: nec quid potuerint peccare, sed quid peccauerint etiam infensissimi hostes nostri, deceat asseri à nobis.

[a] vers. 6.

Zelus quid sit.

Repleti sunt zelo.] Syrus legit, חסמא *chasama*, id est, *inuidia*. Stoici, ζῆλοι, seu, vt Cicero loquitur, æmulationem, definiunt esse *ægritudinem, si eo quod concupierit, alius potiatur, ipse careat.* Vnde aliqua ratione differt ab eo, quem iidem Græci vocant φθόνον, id est, inuidiam. Confunduntur tamē aliquando, & generaliùs etiam zelus ponitur pro studio, seu desiderio, & cupidine tum bona, tum mala.

Significat quoque voluntatem imitandi. Hoc loco idem est quod inuidia, sicut etiam in capite XIII. [b] libri huius, & in prima epistola ad Corinthios [c], & in epistola Iacobi [d], & apud eundem [e] verbum zelandi, necnon huius libri capite XVII. [f] cùm alioqui aliis in locis Scripturæ vtrumque non raró accipiatur in bonam partem, vt zelus apud Ioannem [g], & verbum zelo in primo Machabæorum [h], atque alibi.

[b] vers. 45. [c] c.3.3. [d] c.3.14.16. [e] cap.4.2. [f] vers.5. [g] c.2.17. [h] ca.2.26.54.58.

Æmulatio & æmulari quid sit.

Eadem ratio est de vocibus æmulationis, & æmulandi, quibus Græcè ζῆλος & ζηλόω, respondēt; nimirum, indifferentem habent significationem. Æmulationem enim Paulus tum bonam ponit in epistola ad Romanos [i], tum malam [k]: verbum item æmulandi in bono [l], & malo [m] sensu, in prima ad Corinth. vt omittam alia apud ipsum, & alios exempla.

[i] c.10.2. [k] c.13.13. [l] 1. Cor.12.31. c.14.1.39. [m] 1. Cor.13.4.

Deus zelotes cur dicatur.

Solet DEVS æmulator [n], & zelotes [o] vocari, Hebraicè, אל קנא *el kanna*, quibus nominibus denotatur ira ipsius ex ardenti amore suæ ipsius vel gloriæ, vel eorum quos amat, qualis est in parentibus, & in amantibus, cùm vident rem quam amant, ab aliis possideri, aut indignè, & iniustè tractari. Explicat copiosè Augustinus [p] quo pacto, sublatis imperfectionibus, in DEO zelum debeamus intelligere, contra Adimantum, qui quòd ita in vetere Testamento dicatur, illud negabat, & eius auctorem, cum suis Manichæis, DEVM malum affirmabat. Quare significatur hîc, Sadducæos, quasi religionis amore perculsos, reuerà autem sectæ suæ deiectione commotos, quæ spiritum, & Resurrectionem [q] non agnoscebat, eam autem in primis Apostoli prædicabant, in Apostolos, & exorientem CHRISTI Ecclesiam persecutionem mouisse. Nulli magis Euangelio repugnant, quàm qui, Sadducæorum similes, animæ negant immortalitatem, proindéque Resurrectionem: bestiarum enim viuunt ritu, prorsus animales spiritum non habentes [r]. Maior erat zelus bonus Apostolorum, fortísque vt infernus, ac mors, eorum æmulatio [s]: *& cum boni æmulatores essent, nihil iis nocere poterat* [t]. Lege apud Robertum Olcot [u] quinque significationes nominis zelus. Et de vocibus æmulandi ac æmulationis Thesaurum Scripturarum Ioannis Ferdinandi [x]. Legendi prætereà interpretes S. Thomæ [y], & Aristoteles [z], & Plutarchus [a].

[n] Nahum 1.2. [o] Exo.20.5. [p] lib. cōt. Adi. ca. præsertim 13. [q] Matt. 22.23. [illegible] 23.8. [r] ep. Iud v.19. [s] Cant. 8.6. [t] 1. Pet.3.13. [u] in lib. Sapi. lect. [illegible] [x] C.1. [y] 2.2 q. 36 de inuidia. [z] 2. Rhet. c.9. & 11. [a] opusc. de dif. inter odium & inuidiam.

Versus 18.] Et iniecerūt manus in Apostolos, & posuerūt eos in custodia publica.

ET *iniecerunt manus in Apostolos.*] *Nihil impudentius, neque audacius malitia*, inquit Chrysostomus: qui experti anteà didicerant, quam exigua illorum virilitas, ac fortitudo esset ex his quæ attentarant, attamen denuò attentant, & iterum simul consurgunt.

Et posuerunt eos in custodia publica.] Capite præcedente iniectæ similiter manus in Apostolos, positique in custodia, sed non est nominata publica, quam idcirco Chrysostomus appellat, *duriorem aggressionem*, & nos ibi hoc obseruauimus. Glossa interlinearis cur positi fuerint in publica custodia, causam assignat, vel firmitatem carceris, vel celebritatem virtutis factæ in publico, id est, tot & tantorum famam miraculorum, addit Lyranus; vt haberentur in numero malefactorum publicorum, quales homicidæ, latrones, &c. Vocatur Græcè hoc loco τήρησις δημοσία, id est, *custodia popularis*, & quasi *gregalium*. *Nobiles enim*, inquit Hugo, *ponebantur in carcere secreto, atque videlicet honoratiore, & commodiore.*

[illegible]

Custodia publica [illegible] quasi [illegible]

Auxit aduersariis arctiùs Apostolos custodiendi curam rumor de interfectis Anania, & Saphira, illam forsan interfectionem adscribentibus arti magicæ: ideò enim & comprehensuri CHRISTVM tam multi aduenerunt, & proditor præcauit, vt *illum tenerent, & cautè ducerent* [b]: quia toties aliàs euaserat [c], vt obseruauit in Matthæum [d] Chrysostomus, & Hieronymus.

[b] Mat.14.44. [c] vt Luc. 4.30. Ioan. 8.59. [d] cap.26.

An malefici à iudicibus comprehensi dæmonum ope liberari nunquam possint.

Sunt qui putent, & in his S. Thomas esse dicitur, sed locum non reperio, captos maleficos eripi non posse à Dæmone, eò quòd non permittat DEVS, vt ille exerceat potentiam suam, ne id fiat in scandalum Iudicum, & DEI ignominiam, quasi plus Dæmon possit in suis ministris, quàm DEVS item in suis. Adduntalij, quando Dæmon mauult huiusmodi mancipia sua, in illa statim professione mori. Attamen experientiam repugnare audio in nonnullis casibus; nec ratio ex DEI contemptu necessaria est, quia in supremum iudicem CHRISTVM potuit Diabolus, eiúsque membra Iudæi, & Romani, potuit in Iob [e] æquè iudicem, & regem. Lege Delrium [f].

[e] Iob. 2. [f] lib. 2. Di. mag. [illegible]

Porrò persecutores isti maleuoli, & inuidi non statim perducunt Apostolos ad iudicium, sed *versutè ansa timoris carceris, facti pœnitentiam ab illis quærebant*, inquit Oecumenius, *volentes in crudelitate minùs crudeles, & minùs impij videri in impietate*, vt innuit Chrysostomus. Quid gesserint in carcere Apostoli, quid dixerint, quis illis animus, quæ occupatio, conijciat qui potest. Facilè adducor credere, orationi, diuinísque laudibus vacasse, plenos diuina voluptate, & fiducia, vt fecisse posteà [g] videbimus Paulum, & Silam, & de tot aliis aliæ produnt historiæ.

Apostoli quid in carcere gesserint.

[g] Act. 16.25.

Versus 19.] ANGELVS autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit.

ANGELVS *autem Domini.*] Angeli nomen è Græcis sumptum, notissimam habet significationem pro nuncio, vt Augustinus [h] notauit, necnon Hilarius [i], Gregorius [k], Isidorus [l]: ideoque spectata vi nominis, officij vocabulum est, non naturæ: iuxta id Psalmi [m], *Qui facit Angelos suos spiritus*, id est,

[h] 5. de Gen. ad lit. c.19. & 15. de Ciuit. c. 23. & lib. 8. c. 31. & 16. cōt. Faustum cap. 20. [i] 5. de Trinitate. [k] Hom. 34. in Euang. [l] 2. Sent. c. [illegible] [m] Ps. 103.4.

tus, id est, nuncios, vt idem ibi Augustinus exposuit, & illud etiam docuit Tertullianus [a], & Ambrosius declarans verba Apostoli in epistolam ad Hebræos [b]: *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi*.

Ex consuetudine recepta id nomen accommodatum est ad significandam peculiarem substantiam creatam, purè spiritualem, intellectualem ab homine distinctam, eóque præstantiorem, vt docuit etiam Dionysius Areopagita [c].

Alioqui Angeli dicti reperiuntur interdum homines ratione officij, quoniam eos DEVS vocare consueuit Angelos, quos virtutis suæ ministros præfecit, inquit Tertullianus [d], vt CHRISTVS [e], Ioannes Baptista*, Apostoli [f], aliíve Prædicatores, & Sacerdotes, seu prælati [g], quilibet etiam homines probi, vt Clemés loquitur [h], & quidam intelligunt Paulum [i] præcipientem, *vt mulier velamẽ habeat super caput suum, etiam propter Angelos*.

Immò & homines improbi sic vocantur, sed cum addito, verbi gratia, *Angeli Satanæ*, vt est apud Irenæum*, qui & de talibus loqui Paulum asserit, cùm ait, *datum sibi Angelum Satanæ colaphizantem* [k]. Theodoretus ac Theophylactus existimant idem in eundem locum. Quin & res inanimæ, si credimus Arnobio [l] exponenti de ventis, & igne citatum locum Psalmi [m], Angeli nominantur. Cyrillus in Ioannem obseruat, eum de industria dixisse de Baptista, quòd *fuit homo missus à DEO*, quòd iam rumor esset, illum de numero ANGELORVM fuisse, propter testimonium Malachiæ [n] de ipso, qui error Origeni tribuitur à Beda [o]. *Sed ignorant*, inquit Cyrillus, *nomen Angeli ministerium magis, quàm substantiam significare*.

Verùm quando ea vox absolutè tribuitur aliquibus hominibus, hi nonnisi magni, & egregij nuncij sunt, vt annotarunt in Matthæum Auctor Operis imperfecti, & Theophylactus, atque Euthymius [p]. Vnde Iob. cap. 1. & 2. quamuis Hebraicè sit nomen מלאך *malach* (quod quidam deriuant apud Pagninum [q] ab הלך *halach, ambulauit*, mutato ה *he*, in א *aleph*, & literis transpositis, vt sit is, qui mandatum habet à suo domino eundi ad aliquid annunciandum, vel efficiendum) & Græcè ἄγγελος, de iis dictum, qui veniebant ad Iob [r], tamen Interpres *nuncios* vertit, non *Angelos*; quos etsi Chrysostomus [s], & Olympiodorus [t], dæmones fuisse forma humana putant, necnon Polychronius*; tamen Origenes [u] existimat fuisse aliquos de famulis.

Porrò generale nomen Angeli accommodatur tanquàm proprium infimo ordini infimæ hierarchiæ, quoniam hi frequentiùs ad nos mitti solent, tametsi qui sine dubio superiorum ordinum, & hierarchiarum sunt, atque mittuntur, nomine eodem nonnunquàm appellentur, vt Gabriel, &c.

Domini.] *Angelum Domini* Glossa interlin. dictum ait ad differentiam mali. Abulensis [x] quoque vult, vbicumque *Angelus Domini* nominatur in Scripturis, sanctum Angelum intelligi. At Hieronymus [y] contradicit, exponẽs locũ illũ Psalmi; *Et Angelus Domini persequens eos*: dicit verò ita vocari etiam malum, quia Dominus illum creauit, & Dominus habet illum in sua potestate.

Equidem non negauerim, puniri malos, bonósve homines aliquando, aut hos exerceri etiam ab Angelis bonis, ita enim Dionysius [z] sentit, & Theodoretus [a], & Augustinus [b], & Basilius [c], &

a lib. de car. Christi c. 14. — b cap. 1. 14. & tom. 2. in Apocal. — Angelorum de ... — c 4. de cœl. hier. — Angeli etiam homines nominantur. — d con. Iud. — e ... 9. 6. iux. 70. — Matt. 11. 10. — f ... — g ... 2. 7. & — h Const. c. 9. — i 1. Cor. 11. 10. — lib. 4. c. pen. — k 2. Cor. 12. 7. — l Com. Psa. — m ... — lib. 1. c. 7. — n ... — o ... 1. Marc. — p ... — q ... vide ... Hebra. — r Iob. 1. — s ... Iob. — t Cat. in Iob. — u ... Iob. idem. — Angeli nomen ... — x ... — y ... 14. 6. de Diu. ... — z ... — a ... — b ... Ciuit. — c ... 34.

A Apollinaris [d]: tamen videtur magis ordinarium hoc officium malorum Angelorum, qui nihilominùs eo modo, quem dixi, nominari possunt *Angeli Domini*. Hinc est quòd interdum dicitur *Spiritus Domini malus* [e]: quam appellationem Gregorius [f] considerans ait, *Quomodo si malus est, spiritus Domini dicitur? Domini est*, inquit, *propter potestatem: malus autem est, propter eius voluntatem*.

Itaque boni ac mali Angeli, Domini Angeli sunt, ac dicũtur, propter creationẽ & dominiũ, & propter ministerium, & propter potestatem; sed boni præter has causas vocantur Domini, propter bonam voluntatem, qua intendunt Domino inseruire, ac eius exequi voluntatem, quem ex charitate diligunt, & ei grati sunt. Lege Pinedam in

B Iob [g], & Toletum in Lucam [h].

Certum videtur, bonum Angelum esse hunc, de quo Lucas hîc agit; & fuit fortasse MICHAEL, vt quondam Synagogæ, ita nunc tutelaris Ecclesiæ: vt communis Christianorum opinio habet, & disertè docet Pantaleo Chartophylax, in narratione de Miraculis S. Michaëlis, apud Surium [i], qui omnes ferè mirabiles effectus, qui in vetere Testamento tribuuntur cuipiam Angelo, tribuit ipsi Michaëli, necnon trãslationem Philippi Diaconi in Azotũ, de quo Auctor in capite octauo [k].

Eadem ferè Sophronius [l] Patriarcha Ierosolymitanus, in encomio Angelorum, Aponius quoque in Cantica [m], omnium credentium du-

C cem, salutísque curatorem vocat: & Hermas [n] Pauli Discipulus ait, inserere legem in ore eorum, qui crediderunt, & potestatem habere in illos, atque gubernare. Rupertus præterea in Apocalypsim [o], nominat Principem in omni prœlio pro populo DEI vsque ad finem seculi, & Principem in orationis nostræ suffragio, illud colligens ex Daniele [p], hoc ex Apocalypsi [q], cùm dicitur, *quòd stetit Angelus ante altare habens thuribulum aureum*. Innuitur autem à Daniele [r], & à Ioanne in Apocalypsi [s], eum tanquàm Ecclesiæ præsidem pugnaturum in fine mundi aduersùs Antichri-

D stum. Multa de Michaële simul collegerunt, quos posteà legi Blasius Viegas [t], & Patres nostri Monachienses [u]. Probat autem ille tum ex omni hierarchia mitti Angelos (id etiam demonstrat Ribera [x], Ioannes Ferdinandus [y], & alij in disputatione de Angelis) tum Michaëlem omnium Angelorum sanctorum esse omninò primum. Ceterùm Arator [z] de isto Angelo cuius hîc fit mentio affirmat venisse ad Apostolos insigni decorum luce, & noctis tenebras disiecisse his versibus:

Angelus adueniens tenebrosa volumina noctis
Reppulit, & subito micuerunt antra sereno.

Per noctem.] *Non permisit* DEVS, inquit Chrysostomus, *hoc miraculum videri, sicut neque* CHRISTVS *conuersionem aquæ in vinum* [a], *neque suam Re-*

E *surrectionem* [b], *quoniam hoc modo maior fides haberi poterat ab interrogantibus de ratione miraculi, quemadmodum accidit Nabuchodonosori, qui vt vidit laudantes* DEVM *in camino pueros, tunc obstupescere cœpit* [c].

Miraculum vocat Chrysostomus opus aut supra vires naturæ, si penetratio fuit, aut supra humanas, si sola ianuarum reseratio, quia per Angelum summa quadam celeritate, & secreto: sed de hac re mox.

Aliquando CHRISTVS vulgari miracula prohibebat, ac etiam cùm ea facere volebat, multitudinem submouebat [d]: aliquando præcipiebat pu-

d in eundem Psalm. — e 1. Reg. 18. 10. — f 2. Mor. c. 0. — Angeli & boni & mali sunt Domini, sed diuersa ratione. — g c. 2. vers. 8 n. 2. — Michael Ecclesiæ Angelus tutelaris. — h in c. 1. an. 15. — i Tom. V. 29. Septemb. — k vers. 39. — De D. Michaële quid veteres senserint. — l Tom. 2. Bibl. Pat. — m lib. 4. — n in Past. lib. 3. similit. 8. — o libr. 5. in c. 8. — p c. 10. Apoc. 12. 7. — q c. 8. 3. — r c. 12. 1. — s cap. 12. — t in c. 12. Apo. Com. 1. sect. 17. & 18. — u in dedic. tẽ. S. Michael. — x in c. 1. epist. ad Hebr. — y in The. Scr. c. 97. num. 7. — z lib. 1. Car. in Act. — a Ioan. 2. 9. — b Mat. vlt. — c Dan. 3. 91. Quomodo fuerit miraculum. — d Matt. 9. 24. 25. 30.

blicè

Christus cur volu. vt sua miracula occultari, aut publicari.
a Marc.5.19.
b Mat.8.4.
c Marc.5.19. Luc.8.39.
d in c.8.
Cur Christus secum Dæmoniacũ esse noluerit.
e Act.4.3.

blicè narrari[a]. Primum faciebat, fortasse ad declinandam Pharisæorum, & Scribarum inuidiam, qui maiora miracula, vt mortuorum suscitationes, & curationes cæcorum (de quibus propriè ne dicerentur, vetuisse CHRISTVM legimus) indigno animo tulissent, qui neque minora ferre poterãt, nam leproso [b], quem mundauerat, non absolutè dixit, ne cui id diceret, sed ne antequàm sacerdotibus se ostendisset. De secundo contrariam fuisse causam coniicimus, quando videlicet aberat dictum periculum, & potiùs suberat vtilitatis spes, vt cùm imperauit liberato dęmoniaco annũciare quanta illi ipse fecisset [c], nimirum vicinis Decapolitis, Tyriis, Sidoniisque, qui vt semigentiles, præparandi, alliciendique ad Fidem erant prædicatione miraculi, vt notat Ambrosius in Lucã [d].
B
Alia quoque potuit esse ratio, ne societas eius, qui fuerat dæmoniacus, condiscipulis apud alios pareret suspicionem magiæ. Vnde tales, vt & furiosos, licèt curentur, non solet ad munia Ecclesiastica Ecclesia admittere. Porrò notant aliqui, quòd Angelus per noctem venisse narratur, argumento esse, coniectos fuisse Apostolos sub vesperam in carcerem, sicut anteà Petrum ac Ioannem [e]: quasi sint veriti clara luce id facere, perinde vt quando CHRISTVM nocte comprehenderunt, vt scribunt Euangelistæ: nam & hoc populi aliquem tumultum verentes fecerunt.

f Ioan.20.19.
g in Ioan.
h cap.25.
Apostoli egressi sunt è carcere ianuis clausis.
i lib.1.Car.in Actus.
k Mat.27.65.66.
l in c.20.
Apertis ianuis egressi sunt.

C
Aperuit ianuas carceris,] Beda vult Apostolos exiuisse ianuis clausis, vt intrauerat ad eos CHRISTVS post Resurrectionem [f], quem etiam CHRISTI admirabilem ingressum confirmat ex hoc ingressu Rupertus [g]. Idem sentit Historia Scholastica [h], & Glossa ordinaria huius loci, cuius meminit Lyranus, qui docet non aperuisse Angelum secundùm rem, sed secundùm apparentiam, quia eduxit eos per ianuas clausas ita liberè, ac si essent apertæ. Arator [i] idem asserit, & comparat cum dicto ingressu CHRISTI, & cum eiusdem egressu de clauso matris vtero. Chrysostomus etiam cum exitu de obsignato sepulcro, & à custodibus custodito [k].
D
Videtur etiam Hugoni probabilis opinio, eámque tuetur Maldonatus in Ioannem [l], & Carthusianus hoc loco, & Gagneius.

m vers.23.

Sed contrariam existimo veriorem, & verbis textus magis conuenientem, quibus non potuit clariùs exprimi ianuas esse apertas: nam quod deinde dicitur, *carcerem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante ianuas* [m]: respondet Lyranus, huius adstipulator sententiæ, Angelum reserasse, móxque vbi vinctos eduxisset, obserasse clam custodibus. Rationem etiam affert, quoniam non potest virtute etiam angelica dari penetratio. Et tamen Angelo tribuitur eductio Apostolorum de carcere, & ianuarũ carceris resignatio.

Penetratio dimensionum naturaliter impossibilis, sed possibilis supernaturaliter.
n 4. dist. 44. q.6.
o quæst.1.
p Dan.14.35.

E
Impossibilem penetrationem naturaliter nemo diffitetur, & verò est, qui supernaturaliter quoque fieri non posse contendat. Nam Durandus [n] ita tenet, & Paludanus [o] putat esse probabilem opinionem, sed falsò, & periculosè. Nam obstant exempla allata, vt omittam Habacuc, qui in lacum clausum, atque obsignatum improuisò introductus est [p], ac, vt loquitur Iosephus (vt quidem cum citat glossa vltimæ editionis, locum autem non reperio, Gorionidem non legi) intra foueam, quamuis Scriptura dicat super lacum, ἐπάνω τοῦ λάκκου, vt Habacuc inquam prætereatur exemplum, obstant quæ attulimus natiuitatis

A
CHRISTI, & Resurrectionis, Apparitionis prætereà, & Ascensionis super omnes cœlos absque vlla eorum patefactione, quod anteà concesserat Durandus. In EVCHARISTIA quoque corporis CHRISTI quantitas est sub quantitate, & cum quantitate specierum: quo fit, vt non repugnet, duas etiam quantitates simul esse cum extrinseca sua & locali extensione. Adhæc gloriosi dos corporis, quæ dicitur subtilitas, obstat; nam eius vi solidissima quæque corpora permeari infracta, miniméque aperta possunt.

B
Profectò, qui primum negaret exemplum, Deiparæ virginitatem in partu, & post partum vix, ac ne vix quidem posset conseruare: in aliis habemus Patrum consensum, & sensum Ecclesiæ.

Christus ad Discipulos clausis ianuis ingressus est.
q c.20.19.26.

Est autem planè indignum, in ingressu CHRISTI ad Discipulos, quem Ioannes [q] scribit *ianuis factum clausis*, ad oculorum ludibrium recurrere, vt iis visæ sint semper clausæ, quas velocissimo CHRISTVS motu, imperceptibilique tempore apertas denuò clauserit; vel per patentem intrasse fenestram, ita tamen vt se perinde ac si per ianuas intrasset, exhibuerit: vel, quæ ratio congruit omnibus exemplis, transitum fecisse ad extremum de extremo, sine medio; quam rationem motus vt fieri posse concedamus (quod sanè non concedimus) est prorsus tamen aliena à
C
communi illo Ecclesiæ sensu, quem dixi, & Patrum loquendi modo.

Penetratio dimensionum quomodo fiat virtute diuina.

Denique licèt naturaliter quantitates idem spatium occupare non possint, poterit DEVS eam repugnantiam tollere, si non per inhærentem qualitatem, quæ qualis qualis illa sit, non pugnat cum quãtitatibus, certè per actualem quandam virtutem. Etenim occupatio loci non inuoluit formaliter distantiam, seu remotionem quantitatis ab eodem loco, siue spatio, ac propterea potest tanquàm posterior quidam, & non omninò necessarius effectus prohiberi à DEO, non aliter quàm exteriorem extensioné corporis CHRISTI, vt paulò antè dixi, prohibet DEVS in
D
EVCHARISTIA.

In pluribus locis vnum corpus diuina virtute esse potest.
r Tom.2. de Incar. Disp. 48. sect.5.
s lib. de vnit. Eccles.
t lib. Moral. cap.63.

Nec magis videri potest difficile, plura corpora simul ponere, quàm idem diuersis in locis: quod DEVM posse, & re ipsa non semel fecisse plures docent, nosque dum scholastica tractaremus, id ostendimus. Lege Suarez [r] in tertiam partem. Videtur memoria lapsus Cyprianus [s], cùm scripsit, duobus Apostolis in custodia clausis, quia simplices, quia vnanimes erant, DEVM affuisse, scilicet per Angelum: resolutis carceris claustris, vt verbum quod fideliter prædicabant, multitudini traderent, ad forum rursus imposuisse. Conueniunt ista non duobus, nempe Petro ac Ioanni, de quibus
E
priore capite, sed omnibus Apostolis: nec hos Angelus ad forum imposuit, sed iussit in templo loqui. Basilius [t] colligit hinc, non debere Christianum metuere, quandocunque in aliquo periculo constitutus sit, aut opem diuinam desperare, sed confidere potiùs, tanquàm præsente Domino, & rebus ipsius omnibus consulente, & confirmante.

Versus 20.] Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.

ITE, & stantes.] Stare constantiæ verbum est, ad quam animantur ab Angelo, non habitus, situsve corporis. Denotat etiam animi contra aduersarios alacritatem & impetum, & militarem veluti in statione perseuerantiam: denique *stare in magna constantia aduersus angustiantes iusti* perhibentur [a].

a Sap.5.1. b in c.2.Eze. initio lib.1.& in Ier.cap.14. c Esa.47.11. Psal.105.23.30. Eph.6.11. d Luc.18.11.

Notat Hieronymus [b], nullum peccatorem in Scripturis stantem legi. Interritum animum & pugnacem crebrò denotat hoc verbum [c], quandoque cum superbia [d]. Alioqui sæpiùs stare nihil aliud est, quàm adesse,& manere. Tantùm non reuocat iis Angelus in memoriam id, quod paulò antè tam enixè precati erant à DEO, *loqui verbum cum fiducia*; & quomodo exauditos se cognouissent signo terræmotus, repletione SPIRITVS sancti, ipsa etiam præsidenti, & libera locutione. Glossa interlin. exponit, *Ite firmi & stabiles, vel manifesti.* Syra editio sic hæc reddidit: זלו קומו בהיכלא ומללו *Zelu kumu behaicbela vmallelu*, id est, *Ite, state in templo, & loquimini, &c.*

e vers.12.

In templo.] In porticu Salomonis, vt dictum est [e]. Locus hic est, vel Angeli iudicio, ad prædicandum DEI verbum conuenientior. Concedũt Lutherani, & Caluinistæ, negant Anabaptistæ, & Valdenses. Posteriores præterea refelluntur iudicio etiam, & exemplo CHRISTI, qui se testatur [f] quotidiè docuisse in templo, vel Synagoga, quæ erat instar Ecclesiæ. Paulus quoque, & Barnabas missi ad prædicandum, primùm intrãt Synagogam, & ibi prædicant [g]: & Paulus meminit Ecclesiarum, in quibus verbi diuini expositio fieret, dum *præcipit in iis tacere mulieres* [h]. Idem proditum est de Petro apud Clementem [i], conuertisse videlicet in Ecclesiam domum Theophili Antiochiæ, & ibi cathedram constituisse, vnde doceret populum. Eusebius [k] ex Philone [l] refert, Christianos in omnibus locis constituisse sacras ædes ad mysteria celebranda, & sacros libros legendos. Iustinus [m] ait, conuenisse certum in locum ad verbum DEI, & EVCHARISTIÆ communicationem. Nicephorus variarum nationum ritum circa hoc enumerans [n], etsi negat Romæ solitam haberi in Ecclesiis sacram communionem, attamen de loco vbique ad id assignato meminit.

f Mat.26.55. Ioan.18.20. g Act.13.14. h 1.Cor.14.34. i lib.10.Recog. k 2.Hist.c.17. l lib.de vita Supplicum. m 2.Apol. n lib.12.c.34.

Plebis nomine quomodo accipiatur.

Plebi.] Ceteri enim ordines aduersabantur Apostolis. Nomen plebis aliquando complectitur quoslibet sine discrimine, aliàs verò infimæ sortis homines, teste Gellio [o], qui etiam plebeij dicuntur; interdum illos omnes, qui priuatam vitam ducunt sine Magistratu; nonnunquàm qui DEI cultui, ac diuinis ministeriis peculiariter non sunt destinati (quos nunc vocant laicos, ἀπὸ τῦ λαῦ, id est, à populo.) Idem ferè iudicium de populo, ac popularibus, necnon de Græcis dictionibus λαὸς καὶ λαϊκὸς, & Latinitate donatum laici nomen, auctore Budæo, vsurpatur de iis, qui veluti sunt sacrorum exortes, neque in ordines diuinos redacti.

o lib.10.c.20.

Plebs sæpe pro omni populo in Scriptura sumitur, id aliquando pro sanctis ministris vsurpatur.

Constat in Scriptura, sæpe plebem in prima illa significatione reperiri, verbi gratia, cùm Ioannis Præcursoris pater decantat *DEVM Israël fecisse redemptionem plebis suæ* [p], prædicitque filium *paraturum vias Altissimi ad dandam scientiam salutis plebi eius*: cùm senex Simeon *salutare DEI esse gloriam plebis Israël* [q]: cùm omnes suscitato adolescente magnificabant DEVM [r] dicentes, *quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia DEVS visitauit plebem suam.* In historia Regum distinctio innuitur apertè, quando narrantur à Domino percussi de populo Bethsamitarum, qui viderant arcam, septuaginta viri, & quinquaginta millia plebis [s]. Ibi enim pro populo Hebraicè habetur עם *hham*, & pro plebe איש *isch*, Græcè autem pro populo legimus ἄνδρας, & pro plebe ἄνδρας τ. λαοῦ. Chaldaicè verò primi illi vocantur בסבי עמא *besabe hhamma*, id est, *de senibus populi*, secundi verò dicuntur בקהלא *bikhala*, id est, *de vniuersitate.*

p Luc.1.68.79. q Luc.2.32. r Luc.7.16. s 1.Reg.6.19.

Hanc distinctionem seruauit Isidorus [t], *Populus*, inquiens, *vniuersi ciues sunt, connumeratis senioribus ciuitatis: plebs autem reliquum vulgus sine senioribus:* quasi dicatur plebs à pluralitate, quia maior est numerus minorum, quàm seniorum. Populus quasi πολίτων ἀθροισμὸς, id est, *Ciuium cœtus.*

t lib.9 Etym. c.4.

Populi diuisio apud Romanos.

Apud Romanos, auctore Romulo, duos in ordines populus erat diuisus, vt colligitur ex Dionysio Halicarnassæo [u], Plebeium, & Senatorium. Huius progenies erant patritij, seu optimates, qui dicebantur ab Atheniensibus (apud quos, auctore Plutarcho [x], similis erat distinctio) εὐπατρίδαι: & poterãt exercere militaria officia, Magistratus gerere, sacra facere, ius dicere, administrare publica, vrbanáque negotia. Plebeios, quos Græci δημοτικοὺς nominabant, licebat milites esse, agros curare, pecus depascere, & reliquas artes factitare. Lege Alexandrum ab Alexandro [y].

u lib.2. x in Thes. y lib.5.cap.18.

Omnia verba vitæ huius.] *Omnia*, inquit Glossa interlin. *vt nihil præ timore celarent. Vitæ huius*, inquit Glossa ordin. *Christianæ, vel æternæ*, Christianum nomen non exprimendo, quia satis notum erat, pro quo Apostoli in carcerem iam coniecti erant. CHRISTVS se *vitam* nominauit [z], & Petrus vitæ illum æternæ verba habere dixit [a]. Ad hæc forsan alludit Angelus, & suggerit, vt hãc æternam vitam vel cum discrimine temporalis vitæ suæ prædicare, & inculcare ne dubitent.

Christus vita est, & vita æterna verba habet. z Ioan.14.6. a Ioan.6.68.

Simplicior sensus est, vt verba vitæ huius significent rationem huius instituti. Sic enim etiam à bonis Auctoribus vitæ nomen aliquando sumitur. Quanquàm rursum Auctor in capite septimo [b], iuxta priorem sensum dixisse videtur de Mose, *Qui accepit verba vitæ dare nobis.* Syrus sic legit, כלהין מלא הלין דחיא *chulleben melle halin dechaie*, id est, *omnes sermones hos vitæ*, vt sit Hebraismus, pro sermonibus vitam dantibus & producentibus.

b vers.38.

Versus 21.] Qui cùm audissent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant. Adueniens autem princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium, & omnes seniores filiorum Israël: & miserunt ad carcerem, vt adducerentur.

Obedientia Apostolorum prompta.

INTRAVERVNT *diluculo in templum.*] Prompta, veloxque obedientia. Fortasse declinante ad diluculum nocte educti sunt ab Angelo de carcere, & inde rectà intenderunt in templum, eoque commodùm peruenerunt, quando patefactæ sunt ianuæ. Græcè, ὑπὸ τὸν ὄρθρον, *sub diluculum*, seu, *sub primum diluculi punctum*, quod etiam vocatur primum diluculum. Syrus sic reddidit, עדן שפרא *hhedan scaphra*, id est, *tempore auroræ*, vel, *tempore pulchritudinis*, quod est, *sub auroram*, vel, *tempore matutino. Exierunt igitur*, inquit ille Interpres, *tem-*

pore

A *pore matutino, & introierunt in templum.* Quæ interpretatio id importat, quod modò dicebam, perueniſſe in templum paulò tardiùs, hoc eſt, in aurora.

Cur Apoſtoli matutino tempore templū adierunt.

Decori habenda fuit ratio, ne Apoſtoli noctu ciuitatem inambularent, & obediendi ſtudium eos compulit opportunè primo quoque tempore accurrere in templum, ſimul gratias DEO pro liberatione acturos, & precaturos felicem exitum prædicationi, ſimul præoccupaturos auditorum aduentum, vt illuſtrior appareret liberatio ob circunſtantiam temporis, & in prædicandi munus quàm citiſſimè diutiſſiméque incumberent.

Oratio & ſacrificium matutinum laudatur.
a Iob.1.5.
b c.4.4.
c Pſa.5.4.
d Pſa.62.2.Pſ. 91.3.Pſal. 118. 146.147.& alibi.
e lib.1.
f li.1.vit.c.22.
g li 10.epi.97.
h lib. de vita contempla.
i in Apol.c.1.

B Laudatur ſacrificium oratióque matutina in Iob [a], Commendat id nobis DEVS apud Amos [b]. Dauid hoc ſe facturum recipit [c], & feciſſe commemorat [d]. Ex Gentilibus ſolemne Magis, Perſiſque tradit fuiſſe Herodotus [e], vt primo ſemper diluculo ſuis idolis hymnos, & laudes dicerent. Et de Apollonio Tyanæo refert Philoſtratus [f], quòd cum Sacerdotibus habitabat, & oriente Sole ſacra quædam in occulto faciebat. De primis illis Chriſtianis teſtis eſt Plinius ſecundus [g] in epiſtolà ad Traianum, & Philo [h], & Tertullianus [i].

k 2.Cōſt.c.9. & lib.7.c.44.
l 5. de Riti. Eccl.c.6.
m lib.de limitibus.
n in Paneg.ad Theodoſ.
o lib.15.
p Odyſſ.3.

Inde tandem nata videtur inter alias cauſas celebris illa orandi ad Orientem conſuerudo, de qua inter alios Clemens [k], inde matutinalis officij ratio: cùm etiam iuxta communiorem Latinorum ſententiam, vt oſtendit Ioannes Stephanus
C Durantus [l], eo tempore, hoc eſt, manè, in aurora CHRISTVS reſurrexerit, canentibus vice gallorum Angelis. Inde etiam factum, vt in Orientem ſpectarent templa, quod de Gentilibus prodidit Hyginus [m], & Latinus Pacatus [n], de Chriſtianis Iſidorus [o], Videlicet hoc illud eſt, quod in primis trito illo prouerbio commendatur, *Ab Ioue principium*; & quo nomine ſuum Homerus [p] Vlyſſem celebrat:

— *qui ſemper ſacra Deorum*
Ante alios fecit cumulans altaria donis.

q in hym.fer. 2.ad Matut.

At quantò hæc ſunt longè ſuauiora animæ verè Chriſtianæ modulamina, quæ canit Eccleſia [q] non minùs eleganter, quàm religiosè!

D *Somno refectis artubus,*
Spreto cubili ſurgimus,
Nobis, PATER, canentibus
Adeſſe te depoſcimus.
Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat,
Vt actuum ſequentium
Tu Sancte ſis exordium.

r in hym.Dō. diei ad Laudes.

Quid illa quàm aptè dicta ſunt [r]?

Tu lux refulge ſenſibus,
Mentiſque ſomnum diſcute,
Te noſtra vox primùm ſonet,
Et ora ſoluamus tibi.

ſ de Cain & Abel. cap. 27.
t Gen.4.3.
u 3.Hiſt.
x lib.4.
y 10.de legib.
z lib.11.
a epi.96.
b 7 cont.Gēt.
c Iliad γ.
d 8.& 12.Æn.
e 4 Faſtorū.

E Sed huius rei contemptum è contrario Scriptura in Cain notaſſe videtur, vt Ambroſius monet [ſ], exponens hæc verba [t]: *Factum eſt poſt multos dies, obtulit Cain ex fructibus terræ. Duplex culpa*, inquit Ambroſius; *vna, quòd poſt dies obtulit; altera, quòd ex fructibus, non ex primis fructibus: ſacrificium autem & celeritate commendatur, & gratia*, Tacitus [u] memorat Syris vſitatum fuiſſe, Solem ſalutare orientem, de Parthis Herodianus [x]. Plato [y]: *Oriente*, inquit, *Sole & Luna, iiſdémque occidentibus in terram inclinationes & adorationes fiunt Græcorum, omniúmque Barbarorum.* Lege Apuleium [z], Senecam [a], Arnobium [b]; & de recentioribus qui citant Homerum [c], Virgilium [d], Ouidium [e], Alexandrum ab Alexandro [f], Briſſonium [g], Lipſium [h], Iacobum Pontanum [i], Pinedam [k]. Claudendus hic locus Clementis [l] admonitione peracri, qua exprobrat tardis Chriſtianis Gentilium, Iudæorúmque concurſum ad ſua vel templa, vel Synagogas orationis cauſâ, vt primùm diluxit, aut experrecti ſunt. Grauior adhuc ſuper hoc ſancti SPIRITVS admonitio, qui ſic per Sapientem [m] quemque compellat, *vt notum omnibus eſſet, quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.*

f lib.4.c.
g in for. lib.1.
h in 3.Tac. & 2. Elec. 18.
i in 12. Æneid. col. 2246. & Progymn. in 7.
k in eaſdē verſus.
l 2. Conſt. cap.64.
m Sap.16.28.

Et docebam.] Nimirum finita in templo precatione, & iam nonnullo hominum facto concurſu, Innocentiæ argumentum fuit, fugam, quam poterant, non captaſſe, & ad idem, ob quod carcere incluſi fuerant, intrepidè reuerſos eſſe.

Adueniens autem princeps Sacerdotum.] Græcè, Παραγενόμενος, *Accedens, &, appropinquans.* Indicat hoc participium Aoriſtum veniſſe principem Sacerdotum ad locum deputatum Synedrio, ſeu concilio ad tractanda negotia, & quidem fortaſſe hoc grauiſsimum erat de Apoſtolis, qui adhuc in vinculis eſſe credebantur, qui locus eſſet intra templi amplitudinem, ſed remotior à porticu Salomonis, vbi Apoſtoli docebant inſcio concilio, vel templo contiguus. De principe Sacerdotum dixi aliàs [n].

n cap.eo.

Conuocauerunt concilium.] Syrus ſic exprimit, לחבריהון *lechabraiehun*, id eſt, *ſuos collegas*, vel, *eos qui erant de ſuo collegio*, & quaſi diceres, *ſocios ſuos*; Græcè, τὸ συνέδριον: de quo item alibi [o] egimus. Syra interpretatio indicat illis verbis Principem Sacerdotum præfuiſſe ſynedrio, ſiue Concilio.

o cap.eod.

Et omnes ſeniores filiorum Iſraël.] Καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν, quaſi vt Senatum à ſenioribus Latini dicunt, ita à Græcis ἀπὸ τῶν γερόντων, dicatur γερουσία.

p ibidem.
q Luc.7.1.
r opuſc. An ſeni gerēd. Reſpub.

Alio quoque loco ſeniores qui eſſent, oſtenſum eſt [p], nec omninò Senatoribus Romanis in Hebræorum Republica reſpondebant, vt ex dictis conſtat. Adde quòd ſeniores, qui in Capharnaū ad CHRISTVM vt interceſſores miſsi ſunt [q], non videntur ad Senatum pertinuiſſe. Nomen τῆς γερουσίας, pro Senatu Romano Plutarchus [r] vſurpat: nec aliū reperio, qui vtatur hoc nomine. Ἡ δὲ Ῥωμαίων σύγκλητος καλεῖται ἄχρι τοῦ νῦν γερουσία, id eſt, *Romanorum autem Conſilium ad hoc vſque tempus Senatus nominatur.*

Frequentiſsimi nunc conueniſſe videntur, plurèſque quàm cùm Petrum, & Ioannem in ius vocarunt: ingraueſcebat enim eorum opinione periculum religionis auitæ, inualeſcente nomine Chriſtiano.

Verſus 22.] Cùm autem veniſſent miniſtri, & aperto carcere non inueniſſent illos, reuerſi nunciauerunt.

APERTO *carcere.*] Deſiderantur hæc tum in editione Syra, tum etiam in textu Græco; codicum tamen vulgarium quidam addunt, καὶ ἀνοίξαντες τὴν φυλακὴν, *& cùm carcerem aperuiſſent*, vt obſeruauit Pariſienſis Typographus, qui cum variis lectionibus Teſtamentum olim edidit. Dupliciter verò intelligi poſſunt, vel repertum carcerem apertum, vel miniſtros eum aperuiſſe. Hic poſterior magis congruit. Eſt enim in ſequenti verſu planè id expreſſum, & recitata modò verba Græca diſertè idipſum continent.

Versus 23.] Dicentes: Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante ianuas: aperientes autem neminem intus inuenimus.

CARCEREM *quidem inuenimus clausum.*] Ergo exierant Apostoli ianuis clausis, aut hæ ab Angelo, eductis illis, denuò sunt clausæ. Fieri potest, vt eodem omnes ac soli carcere inclusi fuerint: vel, quod fieri solet in noxiis confœderatis, separatim positi: vtroque modo miraculosa extitit eorum liberatio: sed mirabilior, si inuicem seiunctos aliis reis associauerant, aut si vnà omnes cum ceteris erant.

a lib. 14. in Ioan. *Apostolos clauso carcere egressos quidā existimant.*

Rupertus [a] quidem sentit, egressos nunc carcere clauso Apostolos, indéque facit argumentum à minori pro CHRISTO iam immortali clausis intrante ad Apostolos ianuis.

Cum omni diligentia, & custodes stantes ante ianuas.] Testimonium hoc fidem facit miraculo. Vera quidem nunciasse ministros non dubito: sed studiosè id fecisse, & rem verbis exaggerasse credi potest, vt sibi similibus fauerent in tam graui periculo, si eorum culpa dilapsos Apostolos probari potuisset, vt de custodibus Petri in capite 12. [b] & Pauli ac Silæ in capite 16. [c] narratur ab Auctore.

b vers. 19.
c vers. 27.

Custodes stantes ante ianuas.] Nonnulli codices Græci addunt, ἔξω, *foris.* Sufficit πρὸ τῶν θυρῶν, *ante ianuas:* videlicet extra interiorem carcerem stabant illi custodes, vel etiam ante exteriorem, sed potiùs ante priorem illum stetisse illos credendum est.

Neminem intus inuenimus.] Si referatur ad Apostolos, poterit quis suspicari diuersum quidem pro aliis, proprium verò pro illis carcerem fuisse; vel nullum ex Apostolis in communi carcere ipsis cum aliis inuenisse, etiamsi fortasse aliquos alios inuenerint. *Quid profane Iudæe,* inquit Beda, *cæca simularis insania, furantibus dicens Apostolis Dominum fuisse de monumento sublatum* [d] *? Dic rogo, eosdem Apostolos de carcere tuo clauso, cuius furto credis ablatos?*

d Matth. 28. 11. & seq.

Cur custodes carceris corrupti non fuerint.

Non fuit eis otium, aut etiam audacia, custodes corrumpendi, iam prior illa sepulcri Dominici custodum corruptela malè successerat: & dum affertur nuncius euasisse Apostolos, simul nunciantur docere in templo, vbi verisimile sit mirabilem suam liberationem minimè tacuisse, sed ad CHRISTI laudem illam eximiè celebrasse.

Versus 24.] Vt autem audierunt hos sermones Magistratus templi, & principes sacerdotum, ambigebant de illis quídnam fieret.

MAGISTRATVS *templi.*] ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *Dux militum templi.* Lege à nobis dicta in capite præcedenti [e], & citatum ibi Carolum Sigonium in Republica Hebræorum [f], qui magistratus templi *duces militares* docet fuisse adhibitos ad reos capiendos, *non verò iudices, qui in templo iudicarent.* Illud quoque monet, videri interpretem hoc, aliisque in locis Matthæi, Marci, Lucæ, parum aptè vertisse, στρατηγὸν, *magistratum*, quoniam non expressit militarem principatum, qui in voce Græca continetur.

e vers. 1.
f lib. 7. c. 11.
Magistratus templi quis esset.

Scimus tamen à Græcis etiam id nomen generaliùs accipi aliquando, pro eo qui cuilibet rei præest. Siquidem dicuntur apud Aristotelem [g] non solùm στρατηγοὶ πολέμων, *duces bellorum*, sed & κυνηγεσίων, id est, *venationum.* Immò Plautus [h] conuiuij strategum dixit. Siculi etiam hoc tempore Præfectum vrbis appellant *Stratigò.*

g lib. de Mūdo.
h in Sticho.

Quocirca Lyranum non audio, cùm hoc loco ait, *nomen Magistratus esse officij, & collectiuè poni pro maioribus communitatis:* neque Carthusianum, dum Doctores legis intelligit, & Iudices.

Principes Sacerdotum.] Qui dicerentur Principes Sacerdotum, vno duntaxat inter Sacerdotes supremo principe existente, consule caput præcedens [i].

i vers. 6.

Ambigebant de illis quídnam fieret.] Διηπόρουν περὶ αὐτῶν, τί ἂν γένοιτο τοῦτο, *Dubitabant de his, quídnam hoc esset.* Syrus sic expressit, תוירין הוו עליהון ומח חשבין הוו דמנאהי הדא *thauirin hauu bhalaiehun vmath chaschbin hauu demanahi hada*, id est, *obstupescentes, & admirabundi erant super illos, & secum reputabant quídnam esset hoc*; vel, *obstupescebant super his, & cogitabant, quid hoc esset.* Phrasis Græca significare videtur dubitatum ac disceptatum in concilio, res illa quónam euasura esset, & quid fieret, factúmque esset Apostolis: simul fraus, an vis interuenisset, dignáque fide, vtrùm ministri renunciarent: qua ratione comprehendi, & sisti possent.

Suspicabantur nimirum fortasse præstigiis fugisse Apostolos: nam etsi viguit aliquando, hodiéque viget apud aliquos opinio, huiusmodi artes inualidas esse, cùm carceribus malefici includuntur auctoritate publica, sicut etiam priùs memini: verumtamen id perpetuum non esse superiùs docui [k], & conuincitur, vel vnius Apollonij Tyanæi magi sceleratissimi exemplo, quem Philostratus vnicus eius laudator euanuisse scribit [l] ex carcere Romano, vbi eum tenebat Domitianus, atque Puteolis improuisum eo ipso tempore apparuisse, quo vinctus Romæ agere putabatur. Non temerè quis fortasse affirmauerit, indulsisse discipulum Philostratum amori erga magistrum suo, qui amor immodicus modum ei non permisit adhibere narrationibus temerè de Apollonio confictis: & si vnquàm prouerbium hoc, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, id est, *mali corui malum ouum*, verum fuit, id in Apollonio, & Philostrato eius discipulo verissimum apparuit. Et fieri quidem potuit, vt de carcere, qui etiam laxior, quàm talibus reis deberetur, assignatus fuerat, Aelius eum præfectus, illius nuper vsus familiaritate in Aegypto, exire clàm concesserit: quod factitant hoc tempore, qui carceribus præsunt vel prece, vel pretio corrupti.

Non est certum maleficos, cum à iudicibus detinentur, non posse fugere.
k vers. 16.

l lib. 7. & 8. c. 17. & lib. 8. c. 4. & 5.

Versus 25.] Adueniens autem quidam, nunciauit eis: Quia ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes, & docentes populum.

STANTES, *& docentes.*] Ergo Apostoli cùm Pontifices, & vniuersum concilium de eis deliberarent, stant & docent. Porrò modus hic loquendi præ se fert magnam in Apostolis confidentiam, & constantiam, vtpote qui non obiter, aut cursim, sed seriò, ac sedulò doceant. Sed & prætereà ab Apostolis exemit hic nun-

Constantia Discipulorum admirabilis.

cius, à militibus fortaſſe diuerſus, omnem ſuſpicionem fraudis; neque enim deliteſcunt, qui euaſerant.

Verſus 26.] Tunc abiit Magiſtratus cum miniſtris, & adduxit illos ſine vi: timebant enim populum, ne lapidarentur.

MAGISTRATVS *cum miniſtris.*] Magiſtratus templi, ſicut etiam ſuprà dictum eſt, Græcè vocatur *ϛρατηγὸς*, de quo dixi: *cum miniſtris*, hi erant milites ſub illo duce militari, cui curæ erat templum tueri à ſtrepitu, diſſidio, &c.

B *Et adduxit illos ſine vi.*] Leniter, ac honorificè etiam fortaſſe cum Apoſtolis egit, non ſolùm ſibi timens à populo, vt mox ſubiicitur, ſed Apoſtolorum ipſorum maieſtatis ore pleno, & graui oratione delinitus, victúſque. Qui comprehenſuri CHRISTVM miniſtri ſunt miſſi (ex militibus quoque forſan templi) CHRISTI diuinis verbis ita capti ſunt, *vt ſic vnquàm locutum negarent alium hominem*[a], eximia fide præditi non redierunt modò, quod omittere poterāt, ſed iam reuerſi obtenderunt ſe adducere non potuiſſe, timuiſſeque inclinatam in eum turbam.

a Ioan. 7. 45.

Cur Apoſtoli in Concilium veniant.

C Quòd Apoſtoli adducuntur ad concilium, in cauſa forſitan fuit Magiſtratus ſiue dux, nolens officio deeſſe, ne officij iacturam faceret. Nec opus fuit vi, idcirco quòd Apoſtoli, vt veriſimile eſt, populum bene erga ſe animatum, & ad propulſandam paratum iniuriam, compeſcebant, memores pacem à CHRISTO prædicante[b], moribundo[c], ſuſcitato[d] inculcatā, & magnoperè commendatam; parendum publicæ poteſtati, eos hortatum eſſe magiſtrum ſuum, non vt vocati à Magiſtratibus defugerent, ſed forti, infractóque animo pro ſe reſponderent, & ſatisfacerent[e]: ſatis tutum eſſe à conſcientia bona præſidium.

b Mat. 10. 12.
c Ioan. 14. 27.
d 20. 21. 26.
e Mat. 10. 17.

Qua ratione Apoſtoli Magiſtratui paruerint.

D Reuocabat fortaſſe condiſcipulis Petrus in memoriam, ſe gladio cædentem aliquem, vt CHRISTVM vindicaret, acriter fuiſſe ab ipſo CHRISTO coërcitum. Iacobus[f] quoque, & Ioannes reprehenſionem magiſtri commemorarunt, negantis *ſcire illos, cuius ſpiritus eſſent*, quando in inhoſpitales Samaritanos ignem de cœlo deuocare volebant[g].

f Matt. 26. 52. & ſeq.
g Luc. 9. 52. & ſeq.

Hanc fortitudinem tantam poſteà tot viri ſancti ſunt imitati, negantes armis repugnandum perſecutoribus, ſed patientia. Quod inter alios Ambroſius[h] & Thomas Cantuarieſis ſuo exemplo comprobarunt, de quibus hi, qui vitam ipſorum ſcripſerunt, teſtes ſunt, eos videlicet ita ſe geſſiſſe, quemadmodum iam feciſſe Apoſtolos vidimus, quia quantacunque eſſet commota aduerſùs illos perſecutio, illa ad priuatas ipſorum tantùm perſonas ſpectabat, quare illam cum maxima patientia tolerarunt. Vide D. Ambroſij epiſtolam 13. ex editione Romana, & D. Thomæ vitam, quam Surius habet in 6. Tom. Gloſſa interlinear. *Ecce*, inquit, *magnitudo fidei, non timere eos qui ſe vinxerant.*

h ep. 13. edit. Rom.

E *Ex parte Apoſtolorum*, inquit Lyranus, *cauſa cur ſine vi adducti ſint, fuit prompta voluntas veniendi, & ſecuritas de aſſiſtentia* DEI. Idem habet Hugo.

Timor iſtorum Magiſtratuum vanus oſtenditur.

Timebant enim populum, ne lapidarentur.] De lapidationis ſupplicio, a quibus inferri, & in quos poſſet, dicam capite ſeptimo. *O inſipientiam!* inquit Chryſoſtomus. *Oportebat timere* DEVM, *qui tanquàm volucres illos ſemper ex ipſorum manibus eripiebat.*

Volens occidere Ioannem Herodes, timebat populum[i], *quia ſicut Prophetam eum habebant.* Phariſæi timore turbæ veriti ſunt reſpondere, *baptiſmus Ioannis an eſſet ex hominibus, quia omnes habebant Ioannem ſicut Prophetam*[k]. Eodem timore ſæpiùs iidē Iudæi reuocati ſunt à cæde CHRISTI[l], vt aliàs indicaui. Sed Marcus[m] ait, *quòd timebant* CHRISTVM *ipſum, quoniam vniuerſa turba admirabatur ſuper doctrina eius.*

i Matt. 14. 5.
k Mat. 21. 26.
l Mat. 21. 46. Matt. 11. 18. Luc. 19. 47. 48. c. 22. 2.
m cap. 11. 18.

B *Verſus* 27.] Et cùm adduxiſſent illos, ſtatuerunt in concilio. Et interrogauit eos princeps Sacerdotum.

ET *cùm adduxiſſent illos.*] Non ſine magno hominum concurſu proſequentium vſque ad concilium, & verbis, geſtibus, multiſque modis fauentium: etſi in turba neceſſe eſt varia ſtudia fuiſſe, & quoſdam illos laude & gloria, alios vituperio & ſupplicio dignos duxiſſe.

Statuerunt in concilio.] Enimuerò iam impletur vaticinatio CHRISTI, *Tradēt vos in conciliis*[n], &c. Vbi malè quidam per concilia, Gentium tribunalia; per Synagogas, Iudæorum cœtus intelligunt: C nec meliùs ſentiunt, qui vtrumq; ad Gentes pertinere putant, vt Synagogæ ſint panegyres, hoc eſt, populares eorū conciones. Veriſimilius eſt ad Iudæos vtrumque referri, qui & Synagogam habebant, hoc eſt, totius populi concionem, vbi qui flagris erant digni, flagellabantur, & leuioribus huiuſmodi pœnis plectebantur; & Synedrium, id eſt, concilium, vbi grauiores cauſæ decernebantur, vt aliàs dictum eſt[o].

n Matt. 10. 17.
o cap. 4.

Verſus 28.] Dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto: D & ecce, repleſtis Ieruſalem doctrina veſtra: & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.

PRÆCIPIENDO *præcepimus.*] Græcè cum interrogante negatione, *οὐ παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν.* Syrus ſimiliter ſic rem exaggerauit, לא הוא מפקד פקדן לכון *la haua mepkad pekadan lechun*, id eſt, *nónne fuit præcipiendo præceptum vobis?* vel, *nónne præcipiendo præcepimus?* hoc eſt, ſæpe, ſeriò, & grauiter, conceptis verbis, atque auctoritate publica. Id Petro, ac Ioanni, & per eos vt primarios ceteris imperatum vidimus[p]. Budæus[q] hunc locum ita vertit: *Nónne conceptis verbis interdiximus vobis*, &c.

p cap. 4. 17. & ſeq.
q Comment. ling. Græc.

E Παραγγέλλειν, & *præcipere* ſignificat, & *interdicere*, vel edicere, ſeu edicto præcipere. De geminatæ iſtius orationis vi lege notata verſu quarto.

Et ecce.] De vi dictionis, *ecce*, dixi capite primo[r]; ſignificat hîc rem inexpectatam, vel idem valet, *&* *ecce*, quod, *& factum eſt*. Budæus ait hanc vim eſſe aduerbij Græci *ἰδοὺ*, & optimè eam exprimit Gallicum, *& voilà*, & Italicum, *eccoti*. Frequens videtur in Euangeliis in iſta ſignificatione huius vocis vſus.

r verſ. 10.

Doctrina Chriſti deſpecta eſt à Iudæis.

Repleſtis Ieruſalem doctrina veſtra.] Exaggeratio eſt cum contemptu, qui conſiſtit in verbo, *repleſtis*, eò quòd re parui momenti, vt ipſi putabant, facta ſit iſta repletio tantæ ac tam nobilis ci-

uitatis;& in voce *doctrina*, quæ sanè nouitate sua omninò despicabilis erat, est magnus contemptus, cuius Apostoli doctores fiunt, sic illi pridem de CHRISTO[a]: *Ecce mundus totus post eum abijt, sed laudant*, inquit Glossa ordin. *ignorantes, ac nolentes Apostolos, qui nec territi minis cessant prædicare.*

a Ioan.12.19.

Simili phrasi vtitur Paulus ad Romanos[b], *ita vt ab Ierusalem*, inquit, *per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium* CHRISTI, quamuis oppositus videtur dicendi modus à præsenti; ibi enim ait Apostolus se replesse Euangelium in loco, nimirum tanquàm rete multis ad Euangelij doctrinam redactis hominibus, ceu piscibus, & nihil omittendo eorum, quæ ad prædicationis pertinebant officium: hîc verò dicitur, quòd Apostoli replerant locum doctrina.

b cap.15.19. *Paulus repleuit Euangeliũ loco. Apostoli Euangelio locum repleuerunt.*

Et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius?] Vultis imponere, ac imputare nobis mortem istius, & homicidij reos facere: prædicatis enim illum iustum, ac resuscitatum, iámque semel[c], secundò[d], ac tertiò[e] id exprobrastis nobis, audiente populo, pergitísque doctrinam de illo vestram fictis confirmare miraculis.

c cap.2.23. & seq.
d cap.3.15. & seq.
e cap. 4.8. & seq.
Apostoli seditionis arguuntur.

Quod quid aliud est, quàm seditionem concitare, & populi nobis conflare inuidiam atque maleuolentiam? Immò & Romanos commouere in nos, quoniam nobis auctoribus, sua illi sententia hominem de medio sustulerunt. Potest in textu Græco peruenire huc vsque interrogatio, eamque Beda, & Rabanus recitati à Glossa ordinaria agnoscunt.

Oblitus est princeps Sacerdotum, inquit Beda, *debiti, quod ipse sibi, & suis imprecatus erat, dicens: Sanguis eius super nos, & super filios nostros*[f]. *Sed illud per antiphrasim*, inquit Glossa ordin. hoc loco dictum tunc est à populo vniuerso. *Execrando sanguinem* IESV, *timent diuinam vindictam*, inquit Caietanus, *si* IESVS CHRISTVS *crucifixus adoratur à populo.*

Sanguinẽ Christi sumit Iudæi, ne in suum caput rediret.
f Matt.27.25.

Porrò sanguis alicuius super aliquem phrasi Scripturæ[g], aut super caput illius dicitur, vt significetur esse dignum morte, vel interficiendum, vel ipsum sibi esse causam mortis.

g Leuit. 20. 9.27. Iosue 2. 19. 2. Reg.1. 16. Osee 12. 14.

Sanguinem.] Præter modò dicta, notatu dignum est, quòd sanguis est vltio, quæ sumitur de aliquo peccante, & omne peccatum, quia dignum morte, facit eum, qui illud operatur, sanguinis reum, sed præsertim carnis, & homicidij, quorum vtrumque effusione sanguinis patratur. Lege Salmeronem[h]. Ribera verò extendit ad alia cum S. Gregorio[k], quia sanguinis esus erat apud Hebræos detestabilis[l], & sanguis menstruus immundissimus censebatur[m].

Sanguis pro vltione sumitur, quæ est de aliquo peccante.

h Tomo 1. Proleg. 14. form.29.
i Osee 4.2.1.
k 11. Moral. c. 10.
l Act.15.29.
m Esa. 64. 6. Zachar. 13.1. Ezech.18.

Hominis istius.] Contemptim loquuntur, *tacéntque nomen propter claritatem*, inquit Glossa interlin. *cui nimirum inuident, & vel propter odium illum non nominant, quo etiam modo paulò antè dicebant se prohibuisse, ne docerent in nomine isto.* Hominis nomen aliquando est ad contemptum, & in malam partem accipitur pro vulgari, & plebeio, sicut Hebræum איש *isch, vir* (alioqui magis honorificum) pro quolibet è vulgo.

Versus 29.] Respondens autem Petrus, & Apostoli, dixerunt: Obedire oportet DEO magis, quàm hominibus.

RESPONDENS *autem Petrus, & Apostoli, dixerunt.*] *Ex feruore, & zelo*, inquit Glossa interlin. (Hugo etiam, & Historia Scholastica[n]) *non*

n in Act. cap. 17.

A *patiuntur Apostoli vnum loqui pro omnibus.* Lyranus negat esse id verisimile, *quia ibi*, inquit, *fuisset confusio vocum, quæ nec est decens, nec bene intelligibilis, nec sic permittitur hominibus loqui in loco iudicij. Ideò magis videtur*, *saluo tamen meliori iudicio*, pergit Lyranus, *quòd Petrus solus dedit responsionem: qua data, alij Apostoli approbauerunt eam tanquàm suam:* nec illa Glossa, cùm non sit magistralis, est authentica.

Petrus pro alijs semper loquitur.

Dionysius Carthusianus probabilem ducit priorem expositionem, ita vt Petro responsionem inchoante, & prosequente, alij ex feruore aliqua verba miscerent eadem affirmando:
B *quod & in iudicijs*, inquit, *accidere solet: non tamen inordinatè, sed valdè modestè id fecerunt.* Fit quidem per Syllepsim, vt quod vni conuenit, de toto eius genere dicatur, vt notauimus capite quarto[o], & primo[p]. Ad hanc tamen figuram confugiendum non est, quando distinctè pluribus quid conuenire exprimitur, vt hoc loco. Quocirca placet magis Carthusianus, qui quoquomodo priores duas opiniones illa ratione conciliat.

Apostoli quomodo loqui in iudicio simul potuerint.

o vers.8.
p vers.10.

Obedire oportet DEO *magis, quàm hominibus.*] Ergo etiam hominibus, quando DEO non repugnant, à quo imperandi auctoritatem acceperunt. Notant in hac responsione Chrysostomus, & Oecumenius eximiam modestiam, cùm possent
C gratia quoque populi freti obiicere tot edita priùs ab ipsis miracula, & eorum pertinaciam, singularem prætereà commiserationem Apostolorum, qua considerabant quomodo illos liberarent ab errore, & furore. Glossa interlin. & Hugo obseruant breuitatem, quæ nobis exemplo sit non vtendi verborum circuitu.

Obediendũ hominibus, quãdo Deo non repugnant.

Sententiam ipsam exposuimus capite quarto[q], vbi Petrus & Ioannes permittebant iudicium aduersariis, DEVM *ne audire oporteret, an illos*: nunc verò ea potestate iudicandi tunc abusos, liberiùs Apostoli omnes reprehenderunt.

q vers.19.

Trita illa sancti Bernardi est sententia[r]: *Siue* DEVS, *siue homo Vicarius* DEI *mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pa-*
D *ri reuerentia deferendum, vbi tamen* DEO *contraria non præcipit homo.* Illustratur hic locus egregiis testimoniis Hieronymi, Ambrosij, Fabiani Papæ, Augustini, Isidori, quæ habentur in Decreto[s]: sed Augustini pulcherrimum est[t] argumentantis ex humanis, vbi obedientia inferiori Magistratui negatur, cùm superiori contraria est. Adde Basilium[u], & Pachomium[x], Vrbanum II.[y] & Hieronymum[z].

r lib.de præcepto. & dispensat. c.12. *Obediendum est hominibus, quatenus Deo contraria non præcipiunt.*

s 11.q.3.c. 92. 93.94.95.97. 98.99.101.
t Sermo.6.de verb Dom.& ep. 166.& in Psal.124.

Debent serui, ac ministri DEI, salua quidem Christiana humilitate, sed liberè tamen, & confidenter, etiam cum periculo vitæ, dominicam tradere doctrinam, vt hinc Basilius[a] argumentatur.
E *Simul oportet maioribus quemque potestatibus*, vt idem infert[b], *subdi, iis in rebus, quæ diuinis mandatis non obsistunt.*

Ministri Dei Christi doctrinã quomodo prædicare debeant.
u Reg. 7. ex breuio. & 114 & 203.& 204.& de instit. monach. c.14.& 16.
x in Regula.
y ep.2.15.q.6. cap.5.
z in c.3.ep.ad Titum.
a in Moral.c. 70.
b ibid.c.79.
c Hom.28.

Dialogismus iste fuit coram populo, non solùm coram congregatis in Concilio, vt quidem placet Chrysostomo in Genesim[c], vbi Apostolorum in dicendo libertatem mirè exaggerat. Sed intra Concilium, atque coram iis tantùm, qui erant de Concilio, fuisse magis credo, & satis indicat, præter alia, quod paulò pòst iussi sunt Apostoli foras fieri ad breue tempus[d].

d vers.34.

Infinita sunt exempla Martyrum, & Confessorum, qui summa libertate Imperatoribus, alijsque Principibus obedientiam, DEI repugnantem

Qui & quot Sancti Tyrannis legi Dei contraria præcipientibus restiterũt.

obedientiæ, denegauerunt. Quo in genere illustrissimi fuerunt Ambrosius, Basilius, Hilarius, Chrysostomus, Martinus, Thomas Cantuariensis, & apud Theodoretum [a] Beroensis quidam Christianus princeps Apostatæ Iuliano respondens. Gregorius quoque Magnus restitit Mauritio leges ferenti pugnantes cum Ecclesiastica libertate: & alij eiusdem nominis duo, secundus, & tertius, sui temporis Imperatoribus sese constantissimè opposuerunt.

a 23. hist. c. 22

Vetera legis obsoletæ non profero exempla, vt Balaam [b], & Machabæorum [c], trium puerorum in Babylone, quos vbi Tyrannus ab incendio reperit liberatos, laudauit etiam hoc nomine quòd verbum eius immutauissent [d]. Chaldaicè, *secundauerunt*, שׁנו, id est, *præceptũ humanum postposuerunt* DEI *præcepto*. Quam vim lex humana habeat ad obligandum, disputauimus in scholis.

b Num. 22. 18. 38. c. 23. 8. 12. 26.
c 2. Machab. 2. 19. & seq. c. 7. 30.
d Dan. 3. 95.

Hæreticos hæc non iuuat sententia, vt Synodorum, Patrum, Pontificum, Ecclesiæ (quam iussit audiri CHRISTVS, cique obediri [e]) auctoritate contempta, se causentur obedire DEO magis, quàm hominibus. Constituta iam loquebantur Apostoli Ecclesia, & tam aperto tótque miraculis testato DEI accepto, atque prædicato mandato. Abolita iam erat Synagoga, vt capite quoque priore admonuimus. Cúmque ipsi nullum proferre possint argumentum, quo accepisse se à DEO tale mandatum ostendant, non possunt Ecclesiæ sanctis præceptis reluctari, & ab eius se obedientia peruicaciter retrahere.

Hæretici se hac sententia contra Ecclesiam tueri non possunt.
e Matt. 18. 17. Luc. 10. 16.

Versus 30.] DEVS patrum nostrorum suscitauit IESVM, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.

DEVS *patrum nostrorum.*] *Magna cum sapientia ostendunt*, inquit Chrysostomus, *quòd illi cum* DEO *pugnent*. Valet ad conciliandam beneuolentiam, quòd & eundem DEVM, eosdemque patres communes faciant, ad conuincendum etiam, quòd, vt ait Glossa ordinaria, non nouus, nec nuper ab ipsis inuentus DEVS sit; ita vt eorum inobedientia reddatur inexcusabilis.

Suscitauit IESVM.] Ἤγειρεν Græcè, *erexit*, & Syriacè, אקים *ekim*, id est, *excitauit*, vel, *efflorescere fecit*. De Resurrectione intelligitur à Chrysostomo, & aliis, quamuis propter exaltationem, quæ subiungitur, & interfectionem, quæ interseritur, videri posset intelligi de Incarnatione.

Christus quomodo sit suscitatus.

Dicitur enim etiam quis suscitari, cùm primùm in lucem emittitur. Suscitari quoque dicitur, quod in apertum profertur, & manifestatur, & exeritur, v. g. [f] *Suscitans suscitabis arcum tuum*, quod alij reddunt, *nudatione nudasti*, vel, *manifestatione manifestabitur arcus*, &c. Præterea suscitatur aliquis, quando vt incitetur, & commoueatur in alium, more præliantis inducitur [g]. Omnia proposito conueniunt; vltimum quidem, quatenus immissus est CHRISTVS ad præliandum contra mundum, & Satanam, & peccatum.

f Habac. 3. 9.
g Iob. 16. 9. c. 41. 1. Esa. 10. 26.

Resurrectio verò CHRISTI, sicut & exaltatio, cur PATRI assignetur, pridem dictum est [h]. Nondum tempus erat, vt perspicuè declararetur, CHRISTVM esse Filium DEI, præstabatque, vt interim diceretur, eum non esse alienum à DEO Patrum, qui sine dubio à Iudæis colebatur, vt notant Chrysostomus, & Oecumenius.

h Act. 2.
Cur Apostoli Christum Dei Filium nõ prædicent.

Quem vos interemistis, suspendentes in ligno.] Inducunt Apostoli super primores Iudæorum, quod ipsi anteà conquesti erant sibi fieri ab illis, *sanguinem hominis istius* IESV, non iam eleuantes crimen dicendo *interemptum ab iis, quibus eum* DEVS *definito consilio, & præscientia tradiderat per manus iniquorum* [i], aut *per ignorantiam* [k], aut quia DEVS *prout prænunciauerat per os omnium Prophetarum pati* CHRISTVM *suum, sic impleuit* [l]: sed clarè, & simpliciter execrandæ impietatis reos illos constituunt.

i cap. 2. 23.
k cap. 3. 17.
l ibid. 18.

In ligno.] Lignum vocatur Crux, item in capite 10. [m] libri huius, & capite 13. [n] & in prima Petri epistola [o], & in epistola ad Galatas [p], itidem in Deuteronomio [q].

Crux lignum vocatur.
m vers. 39.
n vers. 29.
o cap. 2. 24.
p cap. 3. 13.
q cap. 21. 23.

Et hoc nomen, sicut etiam Græcum τὸ ξύλον, & multò magis Hebræum עץ *hhets*, dicitur de omni eo, quod ex lignea materia est (pro arbore quidem viua sæpiùs [r], at aliquando pro trunco etiam & stipite [s]) tunc verò periphrasi opus est, aut alio vocabulo, vt, *cum gladiis & lignis*, Marci 14. [t] id est, baculis, quos fustes dicit Matthæus [u], item Actuum 16. [x] *Pedes eorum strinxit ligno*, id est, ligneis pedicis, seu compedibus. In Iure ciuili aliquando lignum ponitur pro tabula, in quam lex est inscripta [y]. Notant quoque Iurisconsulti [z] xyla dici Græcis naues lignis è paludibus subuectandis destinatas.

Ligni nomen quid significet.
r Genes. 1. Psalm. 1. 3. & alibi.
s Deut. 4. 28. c. 28. 36. Ezec. 15. 2. &c.
t vers. 43.
u cap. 26. 47.
x vers. 24.
y l. 10. ff. de bon. poss. contra tabul.
z apud Cel. Rhodig. lib. 25. cap. 18.

Versus 31.] Hunc principem, & saluatorem DEVS exaltauit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israëli, & remissionem peccatorum.

HVNC *principem, & saluatorem.*] Honorifica hæc epitheta valent ad exaggerandam culpam Iudæorum.

Principem pacis vocat Esaias [a]: quem principatum consecutus est CHRISTVS potissimùm in Ascensione, vt Bernardus docet [b], applicans alia nomina, quæ ab eodem Propheta tribuuntur CHRISTO, aliis eiusdem mysteriis: vocatur quoque MESSIAS Dux ab Esaia [c], à Michæa [d], à Iacob [e], & Rex à Dauid [f], à Ieremia [g], & Zacharia [h].

a cap. 9. 6. Nomina sunt Domini.
b Serm. 6. de partibus.
c cap. 55. 4.
d apud Matt. cap. 2. 6.
e Gen. 49. 10.
Saluator dicendum, non Seruator.
f Psal. 2. 6. & 71. 1.
g cap. 23. 5.
h cap. 9. 9.
i c. 19. 20. & 62. 11.

SALVATOREM.] ΣΩΤΗ͂ΡΑ. Vocat etiam Esaias [i] Messiam Saluatorem. Abhorrent quidam Latinè scribentes, & loquentes, à voce Saluatoris, Seruatorem malentes, tanquàm hoc sit Ciceronianum, alterum non sit. Sed Christianum oportet esse, non Ciceronianum, & Patres nostros sequi non sanctissimos tantùm, sed etiam doctissimos, & eloquentissimos. In his Augustinus [k] ita de hoc nomine loquitur: *Qui est Hebraicè* IESVS, *Græcè* ΣΩΤΗΡ, *nostra autem locutione Saluator. Quod verbum Latina lingua anteà non habebat, sed habere potuit, quando voluit*. Sic ille, qui alibi [l] studiosiores istos linguæ Latinæ, quàm vitæ Christianæ, seuerè, sed verè coarguit. Et idem facit Ambrosius [m], Hieronymus [n], Gregorius [o]. Huius illa sententia est: *Indignum vehementer existimo, vt verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati*. Idem eleganter admonet Arnobius disputans aduersùs Gentes [p]. Huc spectat etiam quod de voce, *grabatus*, aliàs dixi.

k l. 13. de Trin. cap. 10.
l l. 2. de doct. Christ. c. 13. & 1. conf. c. 19.
m in c. 2. Luc.
n in c. 40. Ezechielis.
o Præfat. in libr. Moral.
Non esse omnia ad normam Latinæ linguæ reducenda.
p lib. 1.
q li. 2. in Verrem, seu act. 4.
Saluator vocem Cicero non...

Quanquàm Latinæ parens linguæ Cicero [q] Latino verbo negat Græcam vocem Σωτὴρ exprimi

primi posse. Verba illius hæc sunt: *Itaque eum non solum patronum istius insulæ, sed etiam Sotera conscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? Ita magnum, vt Latino vno verbo exprimi non possit. Is est nimirum Soter, qui salutem dedit.*

Sed & nouas voces excogitare licere in his quæ spectant ad scientias, artésque, idem alibi subindicat[a], esséque puerile res ad philosophiam spectantes dicere ornatè velle: docti autem, & intelligentis viri planè, & perspicuè expedire. Denique saluandi vtitur verbo M.T.[b] dicens *rempublicam saluare*, tametsi reponendum censent Latiniores illi, *seruare*. Refellit Ioannes Molanus[c], & Cardinalis Baronius[d], eos qui Seruatorem pro Saluatore vsurpare superstitiosè, vel putidè consueuerunt. Omitto gentilitiam superstitionem, quæ deos suos Soteras nominat, siue Saluatores, & seruatores, aut sospites, necnon principibus viris idem epitheton attribuit, atque etiam vt cognomen assignat. Scriptura ipsa de iudicibus, ducibúsque populi non rarò similes voces vsurpauit[e], dicens, quando mittebat illi DEVS ab hostibus presso quempiam, qui eum subleuaret, misisse Saluatorem. Simili de causa Ioseph Patriarcha Ægyptiacè, צפנת פענח *tsaphnath pahheneath*, dictus est ab Ægyptiis Saluator mundi[f]. Syrus habet hoc loco pro Saluatore, viuificatorem. Verbum quo Syrus vtitur est מחיא *machaiana*, quod etiam *viuificans* redditur. Lege Commentarium nostrum in 1. epist. Ioannis[g].

Exaltauit dextera sua.] Sic etiam in capite 2.[h] *Dextera igitur DEI exaltatus.* Vbi, atque in vers. 25. exposuimus, necnon & capite primo, quid sibi velit dextera, esséque ad alicuius dexteram, aut aliquem alicui esse à dextris: exaltationem intelligit Glossa interlin. de virtutibus, vel ascensu in cœlum, seu, vt loquitur Lyranus, *ad cœlestia*. Chrysostomus de Ascensu, & quidem aptiùs quàm de Resurrectione, quæ paulò antè expressa est.

Ad dandam pœnitentiam Israeli.] Locum, ac tempus pœnitentiæ, Iudæis in primis, *ouibus domus Israel*[i], tum propter alia peccata, tum præsertim propter grauissimũ occisionis CHRISTI scelus: ita vt non mors tantùm eius fuerit *propter delicta*, verùm etiam *Resurrectio atque Ascensio propter iustificationem*[k], vt quod comparauerat CHRISTVS nobis per mortem, applicaret ad vitam & iustitiam nostram, mittendo prædicatores in mundum, & dando SPIRITVM sanctum, & instituendo per suos ministros apta media magis particularia ad salutem, & vt esset exemplar quoddam nostræ iustificationis: & tanto Resurrectionis ipsius miraculo incitaremur ad fidem & iustificationem: & intelligeremus nobis ab ipso ius acquisitum ad immortalitatem corporis, qui erat effectus iustitiæ originalis. Lege Toletum[l], & Pererium[m].

Nulla nunc de Gentilibus mentio; ne iam indignatis Iudæis, qui abominabantur Gentiles, & sibi vnis Messiam venturum credebant, maioris ansa indignationis præberetur.

Et remissionem peccatorum.] Hîc aliquoties fructus CHRISTI aduentus expressus est, & inculcatus, tanquàm primarius atque præcipuus, & in quo ipsa CHRISTI exaltatio vel maximè consistit. Iustificatio nostra, etsi non in sola remissione peccatorum tota sit posita, sed in dono gratiæ inhærentis, frequentius tamen explicari solet priore modo[n], & vt natura priore, & vt magis noto, atque quadam etiam ratione magis necessario effectu, & magis perfecto in genere suo. Vnde Augustinus[o]: *Ipsa nostra iustitia quamuis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tanta tamen est,* inquit, *in hac vita, vt potius peccatorum remissione constet, quàm perfectione iustitia*, &c.

Nam in Baptismo perfectè peccata delentur, vt nihil omninò remaneat habens rationem culpæ: virtutes infusæ ita suo quodam modo sunt perfectæ, vt magis quotidiè perfici debeant. Præstereà iusti ipsi labuntur sæpe in peccata venialia, ac proinde virtutes infusæ egent quotidiè noua remissione huiusmodi peccatorum: remissio semel facta non habet opus noua infusione virtutum. Alioqui error Caluinianus est dicere, nil aliud esse iustificationem, quàm remissionẽ peccatorum. Et nomen ipsum planè contradicit, quod etiam Paulus opponit distinctè remissioni peccatorum, ita scribens Romanis[p]: *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram,* hoc est, mors CHRISTI fuit exemplar mortis peccatorum, videlicet ipsorum remissionis, ac deletionis; Resurrectio renouationis, atque regenerationis internæ, per quam in nouitate vitæ ambulamus, quæ inter alias latas paulò antè loci huius expositiones vna est satis recepta. Idem in eâdem epistola[q]: *Sicut regnauit peccatum in mortem,* inquit, *ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* Id est, sicut peccatum operabatur opera mortifera, ita gratia per iustitiam infusam operabitur opera vitæ æternæ meritoria. Adhuc ibidem[r]: *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos DEO, tanquàm ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitia DEI.* Prætereà[s], SPIRITVS *viuit propter iustificationem*; vel, vt habet Græcus textus, τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην, id est, *Spiritus vita*, nimirum est, *propter iustitiam.* Eadem est vis verborum in epistola ad Galatas[t]: *Si data esset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia.* Denique ad Ephesios in hunc modum scribit[u]: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm DEVM creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Probari idipsum potest multis Patrum, sed Augustini potissimùm, testimoniis. Clarissimum huius rei testimonium, aliis omissis[x], est in quadam epistola ad Sixtum[y]: *Nec quisquam liberatur, & iustificatur, nisi gratia DEI per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, non solùm remissione peccatorum, sed prius infusione fidei, & timoris DEI, impartito salubriter orationis affectu, & effectu.* Ratio ipsa id conuincit. Est enim iustificatio motus quidam de peccato ad iustitiam, denominatus à termino suo, ad quem ducit, igitur præter peccatorum remissionem, aliqua iustitia acquiritur. Remissio etiam per se liberat à pœna duntaxat, immò si consideretur præcisè absque vlteriore termino positiuo (quisquis ille sit, siue sit habitualis gratia, siue aliquis actus secundus de potentia DEI saltem extraordinaria eductus) & sola (sicut volunt hæretici ordinariè fieri) talis tamen vt per eam verè ac formaliter, & non imputatiuè tantùm sint deletæ maculæ peccatorum; hoc, inquam, pacto considerata remissio peccatorum, solum illum effectum operatur, non autem tribuit ius ad gloriam, aut confert restituitve DEI amicitiam, qui tamen duo effectus iustificatis absque dubio conueniunt. Ad idem valent argumenta, quibus demonstratur, iustitiam nostram formalem esse inhærentem. Verùm id alibi executi sumus[z], & legendus inter alios Card. Bellarminus[a], & Suarez[b]: & præ omnibus Con-

a 3. de Finib.
b in Pison.
c annot. in Marty. Vsuar. ad 5. Cal. Mar tij.
d Nota. in Martyr. ad 9. Nouemb.
e Iud. 3. 9. 15. Esd. 9. 27. Esa. 19. 20. Abd. vers. 21.
f Gen. 41. 45.
g vers. 14.
h vers. 33.
i Mat. 15. 24.
k Rom. 4. 25. *Mors Christi per media nobis est applicanda.*
l in c. 4. ep. ad Rom. annot. vlt.
m ibid. disp. vlt.
n Mat. 26. 28. Mar. 1. 4. c. 1. 19. Luc. 1. 77. c. 3. 3. c. 4. 18. c. 24. 47. Act. 2. 38. c. 10. 43. c. 13. 38. c. 26. 18. Roman. 3. 25. Eph. 1. 7. Col. 1. 14. Hebr. 9. 22. c. 10. 18. *Iustificatio nostra non est sola peccatorum remissio, tamen maximè modo explicatur.*
o 19. de Ciu. Dei. c. 27.
Baptismi effectus.
Dicere iustificationem nostrã esse solam remissionem peccatorum, est error.
p cap. 4. 25.
q cap. 5. 21.
r cap. 6. 13.
s cap. 8. 10.
t cap. 3. 21.
u c. 4. 23. 24.
x Enchirid. c. 52. de pecca. mer. c. 1. 13. Ser. 10. de verb. Apost. lib. de Spi. & lit. cap. 17.
y ep. 105.
Quid sit iustificatio.
Iustificatio non est sola peccatorum remissio.
z Disput. de gratia.
a lib. 2. de iustific. c. 3. & 6.
b Tom. 4. in 3. p. disput. 9. sect. 2. 3. 4.

cilium Tridentinum[a], quod hac de re sancit isto modo agens de iustificatione, vt nunc fit: *Si quis dixerit homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ* CHRISTI, *exclusâ gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per* SPIRITVM *sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantùm fauorem* DEI, *anathema sit.*

a Seff. 6. can. 11.

Versus 32.] Et nos sumus testes horum verborum, & SPIRITVS sanctus, quem dedit DEVS omnibus obedientibus sibi.

ET *nos sumus testes.*] Græcè, Καὶ ἡμεῖς ἐσμεν αὐτοῦ μάρτυρες τῶν ῥημάτων τούτων, *Et nos sumus testes eius*, nempe CHRISTI, *verborum istorum.* Ostendunt se diuinis imperiis obtemperantes prædicare CHRISTI Resurrectionem cumprimis, & Ascẽsionem, & per eundem CHRISTVM peccatorum remissionem. Glossa interlin. verba hæc explicat esse virtutes, siue miracula, Ascẽsionem, & SPIRITVS sancti missionem: Lyranus duo postrema, & Resurrectionem: Chrysostomus, qui magnam notat in hac oratione libertatem, pœnitentiam atque remissionem: *nam Resurrectio quidem*, inquit, *erat iam ex confesso.* Eadem est expositio Oecumenij, & sanè probabilis. Mentio remissionis opportunè fit tum, cùm Iudæi nouum facinus moliti sunt, & eadem machinati contra Apostolos, & quando Apostoli grauissimam illis cædem Filij DEI obiecerant: *Et ille à* DEO *exaltatus*, inquit Oecumenius, *iniuriarum obliuiscitur.*

Horum verborum.] Harum rerum, phrasi Scripturæ valdè frequenti, ac trita, vt exemplis supersedendum videatur. Nempe verbum, Hebraicè דבר *dabar*, significat non modò conceptionem animi, & quod voce exprimitur, atque præceptum, promissionem, prædicationẽ, narrationem, & diuinum, atque substantiale VERBVM, quod est in sancta TRINITATE persona secunda, verùm etiam rem, & opus, euentum, factum, quoniam hoc dum narratur, sermone ac verbo enunciatur.

Verbi varia & multiplices significationes.

Videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis, aiebant boni pastores illi in Euangelio[b]. Ita vt verbum non significet opus absolutum, sed quod dictum, & voce significatum est, ponendo abstractum pro suo concreto, actiuè, aut passiuè sumpto, id est, verbum pro re dicta.

b Luc. 2. 15.

Hinc est, quòd libri Paralipomenon inscribuntur, דברי הימין *dibre haiamin*, *Verba dierum*, id est, Gesta temporum, seu Chronicon. Lege Salmeronem[c].

c Tom. 1. Prolego. 14. in voce, Verbum, Verbũ, λόγος, Græcè, quid significet.

Porrò Hebræum nomen דבר *dabar*, Interpres Græcus nunc vertit λόγον, nunc ῥῆμα: Latinus, & *verbum*, & *sermonem*, in ea quam postremam attuli significatione. A phrasi Hebræa non abhorrent optimi auctores Græci, cùm dicunt δέξασθαι τοὺς λόγους τινός, *Admittere verba alicuius*, id est, petitionem, seu conditionem, rémque, quæ verbis exprimitur, & illis veluti continetur. Sed & idem Interpres quandoque nomen אמר *omer*, quod parem vel certè valdè similem cum nomine דבר *dabar* habet significationem, rem reddit, vt Iob[d], vbi Hebraicè legimus, ותגזר אמר *vethigzar omer*, Interpres reddit, *decernes rem, & veniet tibi.*

d cap. 22. 28.

Et SPIRITVS *sanctus, quem dedit* DEVS *omnibus obedientibus sibi.*] Καὶ τὸ ΠΝΕΥΜΑ δὲ τὸ ἅγιον, habet Græcus contextus, id est, *Et* SPIRITVS *autem ille sanctus*, quasi dicat: Quin & SPIRITVS sanctus, magis ille, quàm nos, hæc est operatus, nec nos nisi per illum ori verba inspirantem, & vim ad miracula tribuentem: immò & ceteris se communicauit, vobisque, si obedientes fueritis, communicabit, si, inquam, obedientes gratiæ præuenienti ipsius, dabit incrementum suorum charismatũ, vt ait Carthusianus. Dixerat CHRISTVS[e]: *Cùm venerit* PARACLETVS, *quem ego mittam vobis à* PATRE, SPIRITVM *veritatis, qui à* PATRE *procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis*, &c. Cuius sententiæ sensus est. Non tantùm, quòd testimonium perhibituri essent Apostoli per SPIRITVM sanctum, vt exponit Augustinus[f]: sed & quia SPIRITVS ipse sanctus per seipsum super baptizatos videlicet, aut confirmatos in forma ignis, & linguarum visibiliter descensurus esset, atque ita distinctum CHRISTO ab Apostolorum testimonio testimonium ipsi esset præbiturus.

Spiritus sanctus auctor est miraculorum quæ a ... fiebant.

e Ioan. 15. 26. 27.

f Tract. 92. in Ioan.

Quinetiam eiusdem SPIRITVS sancti distinctum, propriúmque testimonium, tametsi secundùm internum quendam modum perseuerat: *ipse enim etiam nunc*, teste Paulo[g], *testimonium reddit spiritui nostro, quòd filij* DEI *sumus.*

g Rom. 8.

Non potest hic testis falli, quia sapientissimus, nec fallere, vtpote optimus: & est summæ auctoritatis, omnique exceptione maior, quoniam est omnipotens. Lege Cyrillum in Ioannem[h], & Toletum[i]. Durus autem est SPIRITVS sanctus testis in eos, qui vocantem contemnunt.

Spiritus sanctus testis est omni exceptione maior.

h lib. 10. c. 34. i in cap. 15. Ioan. ann. 23.

Versus 33.] Hæc cùm audissent, dissecabantur, & cogitabant interficere illos.

HÆc *cùm audissent.*] Syrus sic expressit, מתגזלין הוו בדוגזא *methgazelin hauu beduguezza*, id est, *seipsos quasi dilacerantes erant præ furore*, seu *impatientia*; vel, *Corripiebantur furore*, διεπρίοντο. Significat autem διαπρίειν, & simplex πρίειν, serra seco, vel diffindo. Sed & frendo & ringo dentibus, vt est apud Suidam, qui πρίειν, interpretatur βρύχειν, id est, stridere, quod etiam verbum est in capite septimo[k]. Syra illa interpretatio, & Regia, quæ vertit etiam, *furebant*, aliena est ab interpretatione verbi Græci. Non poterant responsionem Apostolorum infringere, verebantur populari auræ resistere; ideoque cùm maximè vellent illos exscindere, scindebantur ipsi variis cogitationibus.

k vers. 54.

Et cogitabant interficere illos.] Καὶ ἐβουλεύοντο, *& deliberabant.* Syrus sic exponit, מחשבין הוו *methschabin hauu*, id est, *erant apud se reputantes*, seu, *cogitantes*, vel, vt alij, *machinabantur.* Græcum verbum significat consultare. Chrysostomus notat in istis malitiam, & ex malitia consequentem in iisdem animi turbati molestiam, cùm Apostoli è contrario summa pace, atque tranquillitate fruerentur. Scilicet, *Impij*, vt ait Amos[l], *oderunt corripientem*: & [m], *Semper præsumit sæua, perturbata conscientia.*

Iudæi etiam persecutores, Apostolis ... erant.

l cap. 5. 10. m Sap. 17. 10.

Versus 34.] Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legisdoctor honorabilis vniuersæ plebi, iussit foras ad breue homines fieri.

SVRGENS *autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel.*] Dixi capite primo [a], quid sit surgere in concione. Gamaliel, qui hîc nominatur, fortasse surrexit, quia sedebat, vt consiliarius; & sententiam dicentibus mos erat surgere, sicut & testibus; quomodo de Niniuitis dixit CHRISTVS [b], *quòd surgent in iudicio, & Regina Austri,* scilicet vt testes deponentes, non vt iudices sedentes. In c. 15. [c] huius libri, Petrus in concilio sermonem habiturus surgit: sed non Iacobus post Petrum loquens [d], quoniam sedebat vt Episcopus Ierosolymitanus. Sine præiudicio tamen primatus Petri; qui alia de causa surrexisse potest intelligi, vt suo dicetur loco. Nam vt hoc ipso cap. quinto [e] superiùs monui, surgere aliquando idem est quod insurgere, aut simpliciter aggredi aliquid: dicitur enim ibi de principe Sacerdotum, & toto concilio: quam significationem videtur id verbum habere eodem illo capite 15. paulò superiùs, cùm quidam Pharisæi surrexisse dicuntur [f]. Porrò Gamaliel surrexit, aut cùm ei fuit ex ordine dicenda sententia, aut anticipans, vt occurreret exasperato in Apostolos Concilio.

Pharisæus.] Dicitur Pharisæus à פרש *parasch,* quod significat separare, vel diuidere: secernebantur námque Pharisæi ab aliis legis obseruantia, & professione religionis peculiari. Significat itē exponere: quippe qui se legis expositores profitebantur, seu sapientissimi inter Iudæos, eóque loco, quo apud Græcos Philosophi: vel potiùs ita dicebantur, quasi expositi & separati ob insignem eruditionem, & sanctitatem.

Pharisæi, teste Iosepho [g], *tanta apud populum auctoritate valebant, vt iuxta eorum responsa fierent quæ ad cultum diuinum, & precationes solennes pertinebant: & pontifex Hircanus populo, cui priùs gratissimus erat, displicere cœperit, quòd ipse ac fratres eius infesti Pharisæis essent.*

Hi cum Scribis, de quibus anteà dixi [h], originem duxerunt, haud paulò ante CHRISTI aduentum, vt Iosephus [i] indicat (quamuis id nolle videatur Hieronymus [k]) ex duabus familiis Israëlitarum, Samai, ac Hillel. Sed consule dicta capite quarto [l].

Fimbrias protrahebant palliorum, quas Hebræi DEI iussu [m] in quatuor angulis hyacinthinas gestabant, atque in oris etiam earum spinas ligabant, vt alio loco meminit Hieronymus [n], quarum punctionibus pedes, tibiásque cruentatas ostentarent, in signum seuerioris vitæ. Præterea quoniam in Deuteronomio [o] diuinorum memoria præceptorum commendabatur verbis illis: *Ligabis præcepta mea quasi signum in manu tua, & mouebuntur inter oculos tuos,* legem in membranis scriptam & complicatam ligabant in fronte, aut capiti circumponebant in modum coronæ.

Sūt hæ fimbriæ, atque phylacteria, quę CHRISTVS eis exprobrat [p] propter hypocrisim, sicut & decimationes, & opera similia ad captandam gloriam composita, vt Epiphanius [q] obseruat, & de decimationibus Euangelistæ [r]. Apud eosdem quoque est, eos, Pharisæos nempe, deditos fuisse multis, & quotidianis purificationibus [f].

Gamaliel.] Beda Clementē refert dixisse, quòd hic Apostolorum erat in fide socius; sed eorum consilio permansit apud Iudæos, vt eorum in tali turbine posset sedare furorem. Hoc habet Clemens in Recognitionibus [t]. Licuit ad tempus religionem tegere, vt sanctum etiam Sebastianum fecisse scimus, eóque modo multos ad CHRISTVM adiunxisse; quo exemplo vtitur B. Thomas [u] in simili proposito, & permissum Naaman ab Elisæo regi infideli obsequi [x], ac templum idolorum ingredi: & Chusai versabatur cum Absalone, sed vt huius praua consilia contra Dauid inuerteret, & ipsi Dauid aperiret [y].

Plurimi refert vel vnus vir bonus, & sapiens. *Anima viri sancti,* inquit Ecclesiasticus [z], *enunciat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Paulus nunc Gamalielem magistrum suum appellat [a]; adiungit Lucianus presbyter [b] Paulo condiscipulos Barnabam, & Stephanum; Alexander monachus [c] Barnabam.

Figmenta sunt, quæ de isto produntur à Rabbinis, condidisse benedictionem contra Hæreticos (sic vocant Christianos) quæ recitatur in solemnibus precibus cū aliis duodeuiginti: peruenisse ad tempus captiuitatis, atque in Iudaismo consenuisse, cùm vita ei à Tito condonata esset, intercessore Rabbino Ionathan Ben-zachai.

Vt sanctum Ecclesiæ alumnum, & Catholicum recensent Martyrologia omnia, præter citatum Lucianum, cùm de mirabili corporis eius inuentione, ipsomet reuelante, necnon filij Abibę, seu Abibonis, & Nicodemi atque Stephani protomartyris agunt [d].

Legisdoctor.] Νομοδιδάσκαλος, *legis magister.* Fortasse Scriba erat, & prætereà munus, ac titulum docendi, & publicè profitendi habebat. Existimare par est, delatum id olim certo ritu, vt nunc fit, & non sine stipendio, priuilegióque officium Doctoris, seu professoris etiam apud Iudæos fuisse. De toto genere academiarum, & tradendarum disciplinarum scripsit Iacobus Midendorpius [e], & ante illum Ludouicus Viues [f]. Iulianus Apostata cauit aliquando, ne Christiani ea dignitate pertingerentur, eo prætextu, ne figmenta detegentes idolorum, ab eorum cultu homines retraherent. Id inclementer factum Ammianus accusat [g], quamuis Ethnicus. Vt videretur ergo clementior, edictum sanxit, quo quos vellet scientiarum præfici scholis, suo reseruabat arbitrio. Edicti verba sunt hæc [h]: *Magistros studiorum, doctorésque excellere oportet, moribus primùm, deinde facundia. Sed quia singulis ciuitatibus adesse non possum, iubeo quisque docere vult, non repentè, nec temerè prosiliat ad hoc munus, sed iudicio Ordinis probatus, decreto Curialium mereatur, optimorum conspirante consensu. Hoc enim decretum ad me tractandum refertur, vt altiore quodam honore, nostro iudicio, studiis ciuitatum accedant.* Idem Iulianus in epistolis [i] prolixiore oratione prosequitur eundem illum in dicta prohibitione prætextum probitatis magistrorum: *& quod non deceat, vt eos Auctores exponant ij, qui quos illi coluerunt, deos oderunt.*

Ex hac occasione scholam deseruit, teste Eunapio [k], Musonius; Proæresius quoque, vt scribit Hieronymus [l]; & apud Augustinum [m] Marius Victorinus.

Honorabilis vniuersæ plebi.] Græcè, τίμιος παντὶ τῷ λαῷ, *in pretio habitus ab vniuerso populo;* & Syriacè, מיקר *meiakar,* id est, *gloriosus & inclytus.* Fortasse ipsa ætate, & morum grauitate, sed prætereà ipso etiam docendi munere, quod insigniter exercebat.

Omninò scientiarum professoribus, atque doctoribus honos debetur, voluitque Ius ciuile, vt qui annos viginti docendo consumpsissent, Comitatus dignitate augerentur [n]. Nil attinet rem hanc aliis vel testimoniis, vel exemplis confirma-

Marginalia (left): a vers. 15. — Surgere dicentibus & testantibus mos erat. — b Mat. 12. 41. 42. — c vers. 7. — d vers. 13. — e vers. 17. — f vers. 5. — Pharisæi quales essent. — Pharisæi in quanto fuere in honore. — g 13. Ant. c. 18. & 2 de bello c. 12. — Eorum origo. — h c. 4 vers. 5. — i 1. de bel. Iud. cap. 4. — k in c. 8 Esa. & c. 11. Zach. — l vers. 5. — m Num. 15. 38. Deut. 22. 12. — n Matth. 23. — o cap. 6. — Pharisæorum fimbriæ, & phylacteria quæ essent. — p Mat. 23. 5. — q Hær. 15. — r Mat. 23. 23. Luc. 11. 42. — f Luc. 11. 39. Mat. 15. 2. c. 23. 25. 26. Mar. 7. 3. 4. — t lib. 1. c. 9. Religionem tegere quando liceat.

Marginalia (right): u 2. 2. q. 10. art. 10. ad 2. — x 4 Reg. 5. 18. 19. — y 2. Reg. 17. 5. & seq. & c. 10. 16. & seq. Vnus vir bonus & sapiens plurimis refert. — z c. 37. 18. — a Act. 22. 3. — b in Hist. de Inu. sancti Stephani, & aliorum. — c Gamalielis Rabbinorum mendacia. — c in Act. Barn. — Fuit sanctus & vt tal. Christianus. — d 3. Augusti. — Doctoris munus olim delatum publicè. — e lib. de Acad. orbis. — Iulianus vetuit Christianos humaniores literas profiteri. — f de disc. cor. & de trad. discipl. — g lib. 22 & 25. — h in C. Theod. lib. 13. de p. o. fessio. Liberum docendi relinquit quibus compertum modo a se probatos essent. — i epist. 42. — k in vita Phil. — l in Chron. — m 8. Conf. c. 5. — Scientiarum professoribus honos debetur. — n L. vnica. C. de profess.

re. De dignitate magisterij meminit Cassiodorus [a].

a 1. Var. epist. 13. lib. 3. ep. 12.

Theodosius Senior magistrum stare, filium verò discipulum sedere ægrè tulit.

Non omittam memorabile factum Theodosij Senioris. Ingressus is scholas, cùm vidisset Arsenium doctorem stantem, Arcadium verò filium iam à se appellatum Augustum, dum discipulus audiret, sedentem, indignatus est, quòd Arsenius magisterij gradum parum decorè seruasset: eóque indignatio processit Imperatoris, Arsenio indignum causante, si sedens doceret stantem Augustum, vt Augusti insigne filio auferret, sederéque in throno Arsenium compelleret, filium detecto capite auditorem se profiteri: tunc enim prolem suam verè fore dignam Imperio, si cum scientia æquè imbuta esset pietate. Sic de Arsenio scriptum reperies apud Surium [b], & Nicephorum [c]. Sed præter citatos suprà auctores, legi quoque potest Petrus Gregorius [d], disserens de cuncta politia circa studia, scholas, collegia, de honore doctoribus habendo, & professoribus, de stipendio, & priuilegiis, &c. Posset hîc comparatio institui, maiórne legis Doctoribus, an medicinæ honor deferendus sit. Lege Cassanæum in Catalogo gloriæ mundi [e], & Tiraquellum [f], qui alios citat, præferentes sine dubio legis Doctores, etsi rationes pro Medicis non dissimulent; quibus fauet etiam quodam loco Basilius [g].

b in vita Ars. 19. Iul. tom. 3.
c lib. 12. c. 23.
d lib. 18. de repub.
e par. 10. consid. 25.
f Tract. de nobilit. c. 31. à n. 359.
g epist. 80.

Cur iubente Gamaliele Apostoli secesserint.

Iussit foras ad breue homines fieri.] *Perterruit hoc modo Apostolos de industria*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius, *ne quam collegis suspicionem ingeneraret, quòd iis faueret, eadémve cum ipsis sentiret, atque vt in eorum absentia efficaciùs pro illis diceret*, inquit Lyranus. Et tamen c. præcedente iusserunt quoque Petrum, & Ioannem foris extra concilium secedere, vt conferrent ad inuicem. Existimare videntur duo illi Patres, nondum credidisse Gamalielem, ac de tam docto & prudenti viro id mirantur. Ex his tamen, quæ de eo priùs dixi, contrarium colligitur.

C

Iussit.] Forsan in aurem Principi Sacerdotum, eive, qui Synedrio præerat, cùm suggessisset, iussit ministris, vt submouerent Apostolos: aut iussit, quia fuit auctor ei, qui iubere poterat, vt iuberet: aut iubendi verbum hoc loco, sicut & alibi, significat suadere, & consilium dare: neque enim Gamaliel tanta erat auctoritate, vt in tanto concilio iubere pro potestate ei liceret.

D

Iubeo quam vim habeat, & κελεύω Græcum.

Iubere Latini dicunt pro decernere, ac sententiam dicere, pro optare, & precari. Græcum quoque κελεύω, idem est nonnunquàm quod hortor, & inuito, vel peto, ac postulo, vel censeo, vel permitto, vel exigo. Et notum est, τὸ κέλευσμα, celeusma nauticum, hoc est, hortamentum, quod remigibus dari solebat. Denique non est semper dictio δεσποτικὴ, sed φιλικῶς interdum vsurpata, vt Homeri interpres notat [h]. Carthusianus verum imperium intelligit, *quamuis in corde suo*, inquit, *sibi eos præponeret, séque eorum seruum, ac discipulum reputaret*. Sensus tamen priores videntur magis commodi.

h Iliad. λ.

E

Ad breue.] Βραχύ τι, *Breue quid.* Syrus sic pro eo habet, לבר עדנא זעורא *lebar bhedana zehhura*, id est, *ad foras per tempus exiguum*: vel, *Paululum temporis.* Phrasis Græca satis frequens, vt nomen illud simpliciter ponatur pro omni tempore, subaudiendo χρόνον, sitque idem quod paulisper. Ita etiam loqui videtur Itali, Hispani, Galli per suum illud, *vn poco, vn peu.* Latinis item vsitatum est dicere, *breui*, vel *in breui*, scilicet tempore.

Homines.] Ἀποστόλους Græcè, cui consentit Syrus dicens, לשליחא *lischlaeche*, id est, *missos.*

A

Foras fieri.] Ἔξω ποιῆσαι, *Foras facere.* Videntur mihi haud absimiliter Itali dicere: *Fatteni innanzi, ò in dietro, ò fuora*, &c. Et Galli, *Faites vous en auant, arriere*, &c. De hac Græca phrasi agit Thesauri linguæ Græcæ Auctor ad verbum ποιεῖν, docetque hoc verbum iunctum isti aduerbio ἔξω, & similibus ἔσω, ἐμπροσθεν, ἔμπροσθεν, &c. habere non propriè agendi, sed ponendi significationem, seu collocandi. Et ποιεῖν ἔξω, in isto loco, quem tractamus, esse facere vt foras eant, siue exeant, & egrediantur, itaque etiam loqui Plautum. Nec propterea tamen reprehendendus fuit Interpres noster, qui verbum verbo fideliter reddidit, aut necessariò dici debuit, *iussit vt Apostolos abducerent*, vel potiùs, *emitterent*, cùm sensus iuxta nostram versionem satis constet. Syrus vertit, ופקד דיפקון אנון לשליחא לבר *vappekad deiapkun annun laschlietha lebar*, id est, *& iussit, vt educerent ipsi Apostolos ad extra*: vel, *Iussitque, vt illi abducerent Apostolos foras.*

Facere foras quid sit, & quomodo sumpta.

B

Versus 35.] Dixitque ad illos: Viri Israëlitæ, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis.

C

VIRI *Israëlitæ, attendite vobis.*] *Non magna vehementia vtitur*, inquit Chrysostomus, *sed vt cum viris ebriis furore loquens, hortatur, ne ita simpliciter, neque ita temerè ferantur.*

Præcipitata sententia valde periculosa.

Nil periculosius præcipitata sententia, qualis fuit Nabuchodonosor in tres pueros [i], ac Theodosij senioris in Thessalonicenses, quem Theodosium Ambrosius non admisit ad pœnitentiam, nisi lata lege de differenda in diem tricesimum Imperatoriæ capitalis executione sententiæ [k], quam legem tulerat antè iunior Valentinianus [l].

i Dan. 3. 13. & seq.
k Ruf. lib. 2. c. 18. Sozom. lib. 7. cap. 24.
l l. si vindicari. C. de pœn.

Huc spectant tritæ illæ voces, *Visis videndis, & consideratis considerandis*; quod etiam ait Sallustius [m]: *Antequàm incipias, consulto; vbi consulueris, maturè facto opus est.* Quæ Sallustio vetustior sententia Bianti à Laërtio [n] tribuitur, estque apud Aristotelem [o]. Simile adagium, *Festina lentè*, adeò tritum ab Augusto, teste Gellio [p], & Macrobio [q], & Suetonio [r].

D

m de bello Iugurth.
n lib. 1.
o 6. Ethic. 9.
p lib. 10. c. 11.
q lib. 6. c. 8.
r in vita cap. 25.

Versus 36.] Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum, qui occisus est: & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.

E

ANTE *hos enim dies extitit Theodas.*] Exemplis illos castigat, & quidem recentioribus, quæ ad confirmandam fidem dictorum plurimùm momenti habebant: *& illum qui plures deficere fecerat, posterius ponit*, inquit Chrysostomus, nimirum vt crescat oratio.

Exempla recentiora ... fidem faciunt.

Ante hos dies.] Scripturæ phrasi idem est quod, *ante hæc tempora*; immò ante quamlibet longa: & satis frequens est, vt diès, in plurali pro anno accipiantur, & annis, quando non exprimitur numerus dierũ, vt notauit Ribera noster in Amos [s]. Iustinus Martyr [t] obseruat, etiam à Platone diem vocari tempus. Si Iudas, vt post Theodam hîc ponitur, ita eo posterior fuit, ille verò in diebus pro-

s c. 4. nu. 9.
t oratio. ad Gent.

fessionis, seu census sub Quirino, ipso anno, quo CHRISTVS natus est, vt dicemus, oportet abiisse, minimùm quatuor, & triginta annos, cùm hæc Gamaliel loqueretur.

Theodas.] Θευδᾶς. Syrus habet, תודא *thauda*: Iosephus [a] etiam nominat Theudam. Trebatij libertus Theudas quidam nominatur à Cicerone [b]. Oecumenius [c] docet, Theudam diminutiuè dici à Theodosio, sicut Simonem à Simeone, Menam à Menandro, Metram à Metrodoro: adde apud Hebræos, vt alibi dixi, Ionam à Ioannes, cùm vtriusque nomen Petri patri tribuatur.

a 20. Antiq. c. 2. vel 4.
b li. 6. ep. 10.
c in cap. 1. ep. 2. Petri.

Dicens se esse aliquem.] Λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν, *dicens aliquem seipsum magnum esse*. Syrus verò sic habet, ואמר על נפשה דמדם הו רב *vamel hhal naphscheh dernedem hu rab*, id est, *& dixit de anima sua, quòd aliquid esset ipse magni*, vel, *dixerat de seipso se esse quid eximij*. De Simone Mago eadem prorsus verba habentur capite octauo in textu Græco [d], vbi Interpres noster ita reddit: *Dicens se esse aliquem magnum*. & Syrus sic reddidit, *cùm magnificaret seipsum, diceretque: Ego sum magnus ille*. Vnde suspicor in hunc locū irrepsisse in textu Græco nomen μέγαν, aut Interpretem codice vsum, in quo non esset, sicut nunc non habent emendatiores [e]. Alioqui τὶς, & Latinum *quis*, & *aliquis*, aliquando significat hominem honoratum, & in pretio existentem, vt docent Auctores vtriusque linguæ Lexicorum. Dictio *quidam*, æquiualens dictioni *aliquis*, non ita videtur habere eum vsum: nec tamen vagè semper significat, sed certam, ac determinatam, & bene descriptam personam, quę tamen non nominetur, sicut bene notat Maldonatus apud Matthæum [f] scribens in hæc verba, *ad quendam*, πρὸς τὸν δεῖνα, sicut Hebræi dicunt, פלוני אלמוני *peloni almoni*, vt ibidem Hieronymus notat, & Hispani ex Hebræis mutuati dicūt, *fulano*, addentes quoque *citano*, Itali, *vn cotal*, Galli, *vn quidam*. Apud Danielem [g] pro, *alteri nescio cui*, Græcè est, τῷ φελμουνὶ, vbi Scholiastes editionis Græcæ Septuaginta, quæ iussu Sixti V. emendata est, Eudoxium citat legentem τῷ φελμουνὶ, & interpretantem τῷ προσφιλεστάτῳ, τῷ ὑψηλοτάτῳ κατ' ἐξοχὴν τῷ ταῦτα δεικνύντι, *charissimo, & præcellentis dignitatis qui hæc ostenderet*. Hieronymus vnumquemlibet de Angelis intelligit, cuius taceatur nomen, & sic ait vertisse Symmachum, τινί ποτε, cùm Aquila & Theodotio secuti sint Septuaginta, relinquendo Hebræam vocem, פלמוני φελμουνί.

d vers. 9.
Nunc quis, seu aliquis, homo non honoratum significat. e ex Rob. Stephani.
f cap. 26. 18.
g cap. 8. 13.

Theodas ergo, seu Theudas, vt Beda, omnésque Glossæ, Carthusianus, aliíque cum Iosepho [h] affirmant, cùm multas ex vrbe Ierosolymitana facultates sustulisset, suis persuasit obsidere ripas Iordanis, cúmque esset magus, Prophetam se venditabat, pollicens diuiso se fluuio transitum præbiturum. Huic iussu Cuspij Fadi procuratoris superueniente equitum manu multis, vel peremptis, vel captis, caput amputatum est, ac in vrbem relatum.

De Theuda, seu Theuda. h 20. Ant. c. 2.

Sed falli Iosephus videtur, seipsúmque fallere; siquidem Cuspius, vt ipsemet scriptum reliquit, missus est procurator Iudææ vnà cum Longino præside Syriæ à Claudio: atqui concilium id, cui Gamaliel interfuit, sub Tiberio celebratum est, cui Claudius successit. Qua etiam in re Eusebius [i] Iosephum secutus fallitur. Opinio Caietani non admittitur, Theodam hîc à Luca commemoratum diuersum esse ab eo, de quo citatus Iosephus meminit. Mouit Caietanum, quòd is, de quo Gamaliel, vt textus indicat, fuit ante Iudam Galilæum; quem autem Iosephus memorat, longè post illum extitit. Sed occurram postea huic argumento.

Error Iosephi.
i 2. Hist. c. 10. & 11.

Cui consensit.] ᾧ προσεκλίθη. Alij, ᾧ προσεκολλήθη. Vatablus interpretatur verbum secundum, *cui adhæsit*, quasi dicas, *agglutinatus est*. quo pacto reddit Interpres alibi hoc verbum, & κόλλησιν, *agglutinationem* [k]. At primum προσκλιθῆναι, est *assensum esse in auxilium*. Syrus autem sic habet, ואזלו בתרה איך ארבע מאא גברין *vezalu batherah ech arbahh mea gabrin*, id est, *& abierunt post eum quasi quadringenti homines*. Deinde verbū προσκολλάομαι, vnde προσεκολλήθη, respondet Hebræo verbo, דבק *dabach*, quod indicat ita duo, vel plura vnum esse, sicut illa quæ glutino cōiunguntur, Latinè adhærere dicūt. Vt [l], *Relinquet homo patrē & matrē & adhærebit vxori suæ*; Hebraicè, ודבק *vedabach*, Græcè, προσκολληθήσεται; sic apud Ephesios [m], idem verbum simili Latino, nempe *adhærebit*, redditur.

k Ier. 13. 11. Baruch 3. 4. Eze. 29. 4. Eccl. 25. 16.
l Gen. 2. 24.
m cap. 5. 31.

Numerus virorum circiter quadringentorum.] Iosephus numerum non definit: solùm dicit persuasisse præstigiatorem illum magnæ vulgi multitudini. Debuit, quo tempore scribebat Lucas, ea de numero fama viguisse: quæ fama, vt esse inconstans solet, ac incerta, non sine moderatione vocis, circiter, recitatur.

Obseruat Petrus Bongus in opere de Numerorum mysteriis quadringentesimum numerum nunquàm laudabiliter positum in Scriptura. Nam eo numero consignantur miserabiles illi, quorum se Dauid Saulem fugitās, ducem exhibuit [n]: Prophetæ lucorum, quos Elias interfecit [o]: Prophetæ Baal, quos cōsuluit rex Israël, & deceptus est [p]: totidem fuerunt, destructi tot cubitis muri Ierusalem [q]: tot viri, quibus Esau Iacob fratrem suum persecutus est [r]: peregrinatio ac seruitus Hebræorum per tot annos durauit [s].

n 1. Reg 22. 2.
o 3. Reg. 18. 22.
p 3 Reg. 22. 6.
q 4. Reg. 14. 13.
r Gen. 32. 7.
s Act. 7. 6.

Versus 37.] **Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se, & ipse periit: & omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.**

POST *hunc extitit Iudas Galilæus.*] Hoc est Caietani argumentum, quo tradit alium esse Theodam hîc commemoratum ab illo, cuius meminit Iosephus. Sed quòd posterior Iuda fuerit, aliorum opinio est [t], & particulam, *post*, Græcámque μετὰ, non significare ordinem temporis, sed idem quod *vltra, præter*, vel *deinde*, ac *deinceps*, & similes particulæ prædictis consequentia connectentes: & Græcè idem quod πέρα, vel ἑξῆς, *deinde*. Indicat quoque hanc expositionem noster Sà, ponens in notatione, *vltra*, & Chrysostomus præterea, dum ait afferri secundo loco illum, qui plures defecere fecerat: & ex professo Martinus Cantapetrensis [u] auctoritate Iosephi [x], & Eusebij [y]. Origenes [z] tamen apertè docet Theudam fuisse antequàm CHRISTVS natus est: Iudam verò post illum in diebus census tēpore natiuitatis CHRISTI. Certè si Theudam aliquem sub Claudio fuisse verum est (vt præ se fert citatus Eusebius, Iosephum citans ac sequens) de alio necesse est loqui Gamalielem, qui fuerit illo longè anterior, & non, vt dixi, ipso posterior Gamaliele. Sed vnicum Theudam passim agnoscunt cæteri.

Post, nō ad temporis ordinem refertur, sed idē est quod præter hæc.
t Gagnei hoc loco, & Ioan. Benedicti.
u 5. Hypot. p. 364.
x loco citato.
y 1. Hist. c. 5. & lib. 2. cap. 10.
z 1. cont. Cel. & tract. 21. in Matth.

In diebus professionis.] Ἀπογραφῆς, *descriptionis*. Syrus sic est interpretatus, ביומתא דמת כתבין הו

Quid sit professio hoc loco.

אנשא בכסב רישא *beiaumetha demeth chathbin hanu anascha baccheseb rischa*, id est, *in diebus, quibus describentes erant homines in argento capitationis*; vel, *Quibus diebus descripti sunt in pecunia capitatim*, seu *censu*. Vertit Hieronymus [a], *in diebus census*.

a in c.3.ep.ad Titum.

Professio ista, seu descriptio à Luca describitur in Euangelio [b], facta per Quirinum, seu Cyrinum, vel Cyrenium iussu Cæsaris Augusti, siue vt constaret hominum numerus, qui parebant Romano Imperio, vt innuit Iosephus [c], & Tertullianus [d], siue simul, idque potissimùm, ad colligendum vectigal in singula capita, quam nominant Iurisconsulti *capitationem*. Solent námque suos censere Principes, vel vt intelligant, ab illis quantum elici pecuniæ queat, vel miles quàm copiosus fieri. Eámque recensionem, censúmque Herodes rex non impediebat; habebat enim regnum precariò, non vectigalis ipse duntaxat Romanorum, sed penè etiam mancipium, ad illorum nutum regens, rectusque. Ergo Iudas Galilæus occasione dictæ descriptionis populum sollicitauit ad defectionem, indignum ducens alij seruire, quàm Domino Deo, aut pendere tributum alienigenis, eùm in Deuteronomio [e], vt quidem recitat Tertullianus [f], & post ipsum Hieronymus [g] (nec enim vspiàm in vlla editione nunc sic extat) ita habeatur: *Non erit vectigal pendens ex filiis Israël.*

b c.1.2.& 2. *Descriptio quãdo facta sit, & cur.*
c 18.Ant.c.1.
d 4.con.Mar. c.36.
e c.6.13.& 10.20.
f li.de Pudic. c.9.
g epi.146.

Iosephus [h] Iudam hunc Gaulanitem cognominat, ex oppido Gamala, ascitum verò ab eo Sadoch Pharisæum, ita vt à Pharisæorum secta hoc vno solùm differrent, quòd templo abstinerent seorsum à ceteris sacrificantes, quippe re ipsa Samaritani.

Quis fuerit Iudas seditionis auctor.
h lib.18.Ant. c.1.& seq.

Sectæ istius sub nomine Galilæorum (qui æquè ac Samaritani Iudæis inuisi erant) & quòd Iudam Galilæum sectabantur, & quia Galilææ maioris, meliorísque prouinciæ Iudææ partis nomen sibi vsurpantes in Iudæos insolescebant (vt solent non tantùm vicinæ vrbes, verùm integræ etiam prouinciæ vicinarum prouinciarum, præsertim nobilium, nomine vocari) sectæ, inquam, istius, credit Oecumenius hoc loco, meminisse in Euangelio Lucam [i], narrantem sanguinem Galilæorum miscuisse Pilatum cum sacrificiis, neque enim in Galilæos veros ius Pilato erat [k]. Idem placet Anastasio Niceno [l], qui prætereà docet, vetitum ab illis fieri sacrificia pro Romano Imperio, aliísve Gentilibus; ideóque ab irritato Pilato inter sacrificia interfectos, aut dum iam illi ea facerent, vt scribit Hegesippus [m], in monte Gadir, siue Garizim, qui est in Samaria, aut in vico eiusdem Thirataba, quem præoccupauit Pilatus, priusquàm peruenirent in montem ad sacrificandum, vt indicat Iosephus [n]. Idem sentit Hugo Ætherianus [o], appellans eum Iurisconsultum.

Galilæi quinam essent.
Quinam Galilæi fuerint, quos Pilatus interfecit.
i c.13.1.
k infrà 23.6.
l q.67.in Scr.
m lib.2.de excid.Ierosf.c.5.
n 18.Ant.c.5.
o de regressu animarũ. c.9.

Auertit populum.] Deest, ἱκανὸν, id est, *multum*, & Syrus idem habet, עמא סגיאא *hhamma saggea*, id est, *populum multum*. Theodas verò dicebatur superius habuisse sibi consentientes circiter quadringentos tantùm.

Et ipse periit.] Nec periit tamen, aut penitus excisa est secta Galilæorum. Apostoli ipsi cum CHRISTO, quia patriâ Galilæi erant, venerunt in suspicionem eiusdem doctrinæ; vt propterea quæstionem CHRISTO aduersarij mouerint, *an liceret dare censum Cæsari* [p], vt Hieronymus notat [q]. Qua etiam de causa Paulum ait sæpe aduersus eiusmodi sectam præcipere. *Admone illos*, inquit Paulus Tito [r], *principibus, & potestatibus subditos esse*; & ad Romanos [s]: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, & [t], *Cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*: CHRISTVS *ipse* respondit [u], *Reddenda Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, vt omittam exempla Tobiæ [x], & Danielis [y], & sociorum, admonitionem quoque Ieremiæ [z], vt obedirent regi Chaldæorum, & reprehensionem Sedechiæ regis Iuda, quòd fidem datam Nabuchodonosori fregisset [a].

Principibus sæcularibus esse obediendũ Paulus præcipit sæpius, & cur.
p Mat.22.16. 17.
q in c.3.ep.ad Titum.
r cap.3.1.
s cap.13.1.
t vers.7.
u Matt.22.21.
x cap.1.2.
y Dan.3.
z cap.38.17.
a 2.Paral.36. 13.

Inter alias causas cur Christianos persequerentur Gentiles, vna erat, teste Clemente Alexandrino [b], Iustino [c], Augustino [d], & omnibus ferè veteribus, qui pro nobis apologias ediderũt, quòd religionis prætextu à Maiorum se obedientia subtraherent: & verò paucos illo Ecclesiæ principio Christanos fuisse, qui se à legibus ciuilibus, & subiectione Magistratuum liberos & exemptos esse contenderent, notat Chrysostomus, aliique [e].

Gentiles Christianos insimulabant, principibus eos non obedire.
b 4. Strom.
c Apolog. 2.
d Confess. in Psal.118.
e ad c.13. ep. ad Rom.

Redeo ad Galilæos, quorum nos constat nomine vocitatos esse ab aduersariis vt cap. 1. huius libri docui, ob illam fortasse, quam modò dicebam causam; & hoc prætextu suppliciũ de Christianis primis sumptum est, sicut Claudius, auctore Iosepho [f], factiosos sectæ huius duos homines crucifixit, Iacobum, & Simonem. Testis est idem quoque [g], Iudæos, qui erant in Ægypto, eodem errore infectos esse, & post excidium Ierosolymitanum nullo genere tormentorum adduci potuisse, etiam pueros, vt Cæsarem Dominum faterentur.

Galilæi suppliciis fuerunt à Paganis affecti.
f 20. Antiq. cap.3.
g 7. de bel. Iud.ca.19 & 31.

Sed longè ante hoc excidium, quando exacto Archelao Iudæa redacta est in prouinciam, & iuncta Syriæ, amissa regni prærogatiua, ac titulo, repullulauit per quendam alium Simonem, vt prodit idem Iosephus [h]. Denique propter hoc hominum genus Herodem magnum credi potest, anno regni trigesimoprimo Iudæos compulisse sibi, suisque posteris regnum iurare.

h li.2.de bel. Iud.cap.7. *Herodes Iudæos in suum regnũ iurare compulit.*

Porrò verisimiliter sentiunt, qui dicunt, CHRISTVM innuere voluisse, Theodam, ac Iudam, cùm dixit [i]: *Omnes, quotquot venerunt ante me, fures sunt, & latrones*: neque enim respexisse videtur ad antiquiores pseudoprophetas, quorum iam memoria interierat, sed ad tempora recentiora, résque omnibus notas, inter quas & Herodianorum secta, qui Herodem magnum habebant pro CHRISTO, meritò censeri possit. Ita verba illa CHRISTI intellexerunt scribentes in Ioannem Græci Patres Chrysostomus [k], Cyrillus [l] (quanquàm vsque ad nonum interrupti sunt libri eius, & quintum, sextum, septimum, octauum Iudocus Clictouæus, ex Chrysostomo, aliísque collectos suppleuit, vt testis est Sixtus Senensis [m]) Theodorus Heracleensis, & alter Mopsuestenus citati in Catena Græca, Theophylactus, & Euthymius, ex recentioribus Toletus, & Maldonatus, & prætereà Isidorus Pelusiota [n], & Hugo Ætherianus [o].

i Ioan.10.8.
k hom.58.
l lib.6.c.2.in Ioan.
m lib.4. Bibliot.
n li.3. ep.119.
o li.de anim. regress.c.9.

Redacti ad nihilum.] Non videtur necessaria Carthusiani annotatio, *ad nihilum redactos non absolutè, cùm animæ sint immortales, & prima materia incorruptibilis, sed quantùm ad id, quod attentarunt, & de terra, seu vita præsenti sublati sunt.* Est namque huiusmodi formula valdè trita, & communis. Poterat Gamaliel, inquit Chrysostomus, & alium Ægyptium seditiosum scilicet commemorare, sed superflua fuisset commemoratio. De Iudæ Galilæi, & factionis eius hominum exitu cognosce ex citatis Iosepho, & Eusebio.

Dispersi

Dispersi sunt.] Videtur verbum dispergendi bellicum, vt ibi [a], *Exurgat* DEVS, *& dissipentur inimici eius*: & [b], *Aspexit, & dissoluit gentes*; & alibi [c]. Hoc loco διεσκορπίσθησαν, sicut priore versu διελύθησαν, pro, *dissipati sunt*.

a Psa.67.1.
b Hab.3.6.
c 3.Reg.22.17 lib.4.25.5.Iere. 52.18.

Versus 38.] Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur.

Humana quæ geruntur consilio in nihilum recidunt.

ET *nunc itaque.*] Summa consilij est: Considerent recentibus docti exemplis, in nihilum recidere, quæ humano geruntur consilio: non properandum, neque istam mox excidendam doctrinam, quæ neminem adhuc lædere deprehensa sit: breui intellecturos, quò euadet: si sit à DEO, caueant ne repugnent.

Itaque.] Deest in textu Græco, sed pro eo legitur, καὶ τὰ νῦν, *& quæ nunc*, id est, quod ad ea pertinet, quæ nunc ingruunt, ac gerenda sunt. Hebræi coniunctione vtuntur, vt causam reddãt, vel quid inferant, nam sæpe ו *vau*, causalis est particula, vt Genesis decimoquarto, והו כהן *vehu ckohen*, id est, *erat enim sacerdos*.

Discedite ab hominibus istis, & sinite illos.] Syrus sic interpretatus est, פרוקו לכון מן אילן אנשא ושבוקו להון *peduku lechun men halin anascha, veschuku lehun*, id est, *Abstinete vos ab his hominibus, & omittite eos*, hoc est, Desinite persequi, & præceptis minacibus, atque carcere cohibere. Vitate consortium eorum, ab iis, si ita vobis quidem placet, abhorrete, nihil vobis rei cum ipsis, nulla communio sit. Hoc sibi videtur velle τὸ ἀπόστητε, recedite, vnde apostata.

Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur.

Versus 39.] Si verò ex DEO est, non poteritis dissoluere illud, ne fortè & DEO repugnare inueniamini. Consenserunt autem illi.

SI *verò ex* DEO *est, non poteritis dissoluere illud.*] Sic emendata Biblia habent, iuxta Græcum αὐτό. Aliqui codices legebant, *eos*. Refertur meliùs ad opus & consilium sentẽtia, quàm ad Apostolos. Syriacè sic legitur, לא מטיא באידיכון דתבטלוני הי *la mateia besadaitchun dathebatlunaie hi*, id est, *non pertinet ad vos manibus vestris illud compescere*; vel, *non est facultas in manibus vestris, vt dissipetis ipsum*.

Gamalielis in dicendo summa prudentia.

Ne fortè & DEO repugnare inueniamini.] Solerter loquitur Gamaliel. Non ait, ex DEO esse, contradiceretur enim ei apertè ab omnibus: neque ex hominibus, proderet námque eis Apostolos: mediam tenens viam, periculi metum iniicit ex altero, ex altero securitatem. Non enim dicit, Nisi dissolueritis, cognoscetis esse ex DEO: sed, si ex DEO non est, dissoluetur: hoc ostendit DEI potentiam, illud ostenderet eorum sæuitiam.

Non item dixit: si CHRISTVS est DEVS, neque quòd consilium non esset humanum, nec etiam quòd non diuinum, sed futuro tempori fidem permisit. Videtur postremò Gamaliel, dicendo, *Ne fortè & DEO repugnare inueniamini*, alludere quodammodò, ac tacitè approbare voluisse sentẽtiam illam Petri, *Obedire oportet* DEO *magis, quàm hominibus.*

Magistratus potest imo, debet nouas res molientes, & non expectare progressum.

Ergo, dicet aliquis, non occurret Magistratus vel politicus, vel Ecclesiasticus, nouas res molientibus, sed permittet, vt longè progressi sponte, vel diuina vltione concidant? Alia ratio erat in Apostolis, quos adeò multa reddebant omni veneratione dignos, vt eorum consilia, factáque non illicò impedienda, & improbanda essent: sed si qua suberat dubitatio, sufficeret, attentè dispicere, quem res ipsorum tenerent cursum. Id Iudæi si facerent, sine dubio peruenirent ad scientiam salutis; ad quam quoque sensim disponendi erant, tamdiu suis volutati in vitiis, támque malè aduersùs doctrinam istam animati. Iam altè, firmitérque fundata, & firmata religione, strenuè, ac fortiter obsistendum noua dogmata proferentibus, non enim audiendi zizaniorum seminatores, & Catholicæ religionis hostes amandandi sunt, vt alio loco docui [d]; & vel duo exempla, quæ protulit Gamaliel, euincunt. De his CHRISTVS [e] præmonuit, vocans *falsos Prophetas, & in vestibus ouium lupos rapaces*, & Paulus [f], negãs etiam Angelo aliter euangelizanti esse credendum [g].

Aduersarij Catholicæ religionis non sunt audiendi.

d disp. de Fide.
e Mat. 7.15. c. 24.24.
f Act.20.29.& seq. 1. Tim.4. 1.2. Tim.3.3.& alibi.
g Gal.1.8.

Probauerant se satis Apostoli, & eorum magister CHRISTVS, omni virtutum genere, atque miraculorum, non armis, & effræni licentia vitæ, vt Mahomet, Hæreticique veteres atque recentes. Adhuc expectabant eo tempore Iudæi MESSIAM, cuius forma, propter obscuritatem, ab Esaia [h], & Zacharia [i], aliisque prædictam, haud facilè cognosci poterat.

h cap. 53.2.& seq.
i c.9.9.& seq.

Nulla ratione Iudæi in Apostolos animaduertere poterant.

Non respuebant Apostoli DEVM Israëlis, nihil in iis deprehendi poterat spectans ad seditionem, cùm in tanta inter eos, aliósque Discipulos concordia planè incredibili, tanta appareret humanarum rerum despicientia. Puniri possent, si deorum cultum inducerent [k]; at de hoc ne verbum quidem, immò nec adhuc contra vllum legis ritum concionati fuerant. Lege contra eos erat agendum, si falsa prædicerent [l]; verùm ad hoc cognoscendum tempore opus erat.

k Deut.13.5.
l Deut.18.20.

Noua quæ docuerunt Apostoli, a Prophetis prædicta.

Quòd si quid à lege differens pronunciabant, fecerant & hoc omnes Prophetæ, vaticinatíque erant futurum aliquando, vt legis sacrificia abrogarentur, Gentes in eiusdem religionis vnà cum Iudæis societatem admitterentur; pactum nouum seu testamentum conderetur [m]; denique alia multa in futurum euentura Prophetarum libris continebantur, quorum exitus expectari debebat, & fieri de futuris coniectura ex iis, quæ perinde, vt prædicta fuerant, iam euenisse diffiteri non poterant.

m Psa.49.8.9. 15.14. Esa.56. 7.Iere.31.46.

Dei iussum de cauendo falsis Prophetis Apostolos non contingebat.

DEVS ipse in Deuteronomio [n] antè denunciauerat ne timerent falsum Prophetam, *vtpote cùm quod prædixit in nomine Domini, non eueniret*, & apud Ieremiam [o] *se confusurum Prophetas mendaces*. Vbi quamuis sit sermo de Prophetis Ieremiæ coætaneis, tamen nec ille, nec ex aliis antiquis Prophetis vllus, de falsis Prophetis, seu de doctoribus prophetauit sectam facturos nouam, sed nostri duntaxat Doctores, nimirum cum CHRISTO Apostoli, aliíque. Valent hæc omnia simul pro nobis, simul pro Gamalielis consilio.

n c.18.vlt.
o ca.14.14.& seq.

Caluinus de Gamaliele quid sentiat.

Hunc perperàm Caluinus contendit, nec fuisse ex DEO, nec in Apostolorum ista fauorem dixisse: mitiorem duntaxat moderati, mansuetíque hominis sententiam fuisse, homine indignam prudente, vtpote quæ maleficiis, sceleribusque omnibus impietatis viam aperiret: attamen valere in causa fidei, veræque religionis: cuius, vt impediri

pediri

pediri cursus non debet, ita nec humano vllo consilio potest. Quærit videlicet qua potest via Caluinus suo, suíque similium sacrilego errori subsidium, & fulcrum: sed arundineum est hoc, non solidum, nec eadem fauere sententia iniustæ, iustæque causæ valet, impietati, & sinceræ religioni, mendacio, & veritati.

Qui perperàm Gamalielis consilio abutuntur.

Sunt etiam, qui abutantur Gamalielis sententia, vt propensos ad ordinem religiosum adolescentes potissimùm retardent, consilium ipsum DEI suómet consilio peruertere conantes: nec in eo saltem Gamalielem audientes, vt sinant illos, ac suómet ipsos arbitrio permittant: & idcirco DEO repugnare inueniuntur.

Prædestinationis signum longa in bonis operibus perseuerantia.

Verumtamen negari non potest, quin re secundùm se spectata, magnum sit diuinæ prædestinationis argumentum longi temporis in bonis operibus perseuerantia, vt docet Augustinus [a]; sed nondum certum, nisi fuerit vsque ad finem: vt propterea cum metu & tremore oporteat nos salutem nostram operari [b]. Bene longa porrò inductio fieri posset in sectis, legibus, imperiis, hæresibus, varia idololatria, &c. quo pacto, quia non nitebantur DEO, dissoluta sint vt fumus, cometa, torrens, & similia. *Sacrilegi feruent inter initia*, inquit Cyprianus [c], *incrementa habere non possunt, nec augere quod illicitè cœperint, sed statim cum praua sua æmulatione deficiunt*. Comparant Basilius [d], Hieronymus [e], Augustinus [f], hæreticos cum torrentibus velociter, ac præcipitanter decurrentibus, transeuntibus, deficientibus, iuxta illud [g]: *Gurges aquarum transiit*: & [h], *Ad nihilum deuenient tanquàm aqua decurrens*. Legendus inprimis Augustinus. *Non vos terreant* (inquit) *fratres, quidam fluuij, qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis implentur; nolite timere, post paululum transit, decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit. Diu stare non possunt. Multæ hæreses iam emortuæ sunt. Cucurrerunt in riuis suis quantùm potuerunt, decurrerunt, siccati sunt riui, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint*, &c. De iisdem exponit Hieronymus [i], quòd *periit* [k] *memoria eorum cum sonitu*, nempe malæ doctrinæ. Præclarè Theodoretus [l] hoc ipsum vrget de Philosophorum sectis.

a tract. 45. in Ioan.
b Phil. 2. 12.
c ad Antonianum.
d ad Nicopol.
e in c. 3. Hab.
f in Psa. 57.
g Habac. 3. 10.
h Psa. 57. 8.
i in Psa. 9.
k Psa. 9. 8.
l 5. & 8. de curand. Græc. affect.

Consenserunt autem illi.] Quod attinet ad interfectionem, & detentionem in carcere: tametsi vis argumenti absolutè persuaderet, vt prorsus Apostolos absoluerent. *Persuasit Gamaliel, & quasi prædicauit Euangelium*, inquit Chrysostomus; *imò quasi iustam sententiam contra illos proferebat, tantùm non dicens: Credite quòd non poteritis dissipare: quare non credidistis? Tam magna prædicatio, quia & ab inimicis testimonium habet*, videlicet, vt dixi, existimat Gamalielem nondum fuisse Christianum.

Versus 40.] Et conuocantes Apostolos, cæsis denunciauerunt ne omninò loquerentur in nomine IESV, & dimiserunt eos.

ET *conuocantes Apostolos, cæsis.*] *Non hoc profectum est ex consilio Gamalielis, sed ex innata sæuitia iudicum, qui quoquo modo suæ libidini satisfacere voluerunt, ne nihil egisse viderentur, & insipienter ea tentasse, quæ ipsis impossibilia erant*, vt obseruat Chrysostomus.

Homines volunt videri insipienter egisse, etiam si errauerint.

Nolunt homines, ij præsertim in quibus prudentia exigitur, si quid per insipientiam deliberauerint, insipienter fecisse videri. Item volunt,

A qui consuluntur, consilium omninò aliquod iis gratum dare, quibus student. Medicus dum aduocatur ad ægrotum, ne aduocatus frustrà censeatur, pharmacum, remediúmvè, tametsi haud ita opportunum, vel necessarium quandoque sit, præscribit: Iudex, quem reum semel in vinculis habet, aut diutiùs ibi detinet, aut aliqua pœna mulctat, etiam innocentem, ne nocens ipse, ac iniustus esse videatur.

Iudex erga innocentem [illegible] videri [illegible].

Quæ potestas in Iudæis coërciua fuerit, dictum aliàs [m]. Apostoli ipsi apud Clementem Romanum [n] harum plagarum faciunt auctorem Caipham, Alexandrum, & Annam (de quibus initio huius capitis) & quidem sæpiùs se plagas ab iis
B accepisse (cùm Lucas meminerit duntaxat semel) ibidem narrant. Prædictio CHRISTI modò impleta est: *Et in synagogis suis flagellabunt vos* [o], id est, in publicis concionibus. Meritò Iudæorum synagogas appellat Tertullianus [p] *fontes Ecclesiæ persecutionum*: & hæc omnium prima censeri potest.

Synagogæ fontes sunt persecutionum.

Cæsis.] δείραντες, *cùm cecidissent*. δέρω enim & excorio, & cædo, seu verbero significat.

De pœna verberũ & flagellationis plura cùm de D. Paulo dicemus [q]. Iudæis permittebant Romani minores has pœnas suis infligere. Græcum verbum δέρω, sicut & nostrum *cædo*, non restringitur ad flagella vel fustes, sed ad alapas [r], & pugnos
C extenditur, aliósque modos. Non videtur autem aliis hoc loco modus aptior, quàm vt idem sit cum cædere & verberare, eumque tum Syriaca editio expressit verbo נגדו אנון *naggedu ennun*, id est, *verberauerunt eos*, tum cõmunis omnium consensus tradit, vt Clementis Romani, & Athanasij, quos citauimus, præter alios. Flagella pati Christianorum est, inferre Caiphę, & Pilati, ait quodam loco Athanasius [s].

Flagella pati Christianorum est, inferre Pilati.

Omninò.] Deest in textu Græco, & in nonnullis Latinis libris, quin etiam & in Syriaco. *Vincemus*, inquit Procopius [t], *& delebimus Romanorum armis, nec stabilietis consilium, quod cepistis*.

In nomine IESV.] Id est, *de nomine*. Sic laudabant
D DEVM pastores [u] nati CHRISTI spectatores, *in omnibus*, id est, *de omnibus quæ viderant*. *In quo hæc dicuntur*, ait Paulus [x], id est, *de quo, de alia tribu est*, &c.

m cap. 4. 1.
n 5. Const. c. 1.
o Matt. 10. 17.
p lib. contra Gnostic. c. 10.
q c. 16. & 22.
r Ioan. 18. 22.
s epist. ad orthodoxos in persecu.
t in cap. 8. Isaiæ.
u Luc. 2. 20.
x Heb. 7. 13.

Versus 41.] Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.

ET *illi quidem ibant gaudentes.*] Id præceperat CHRISTVS, dicens: *Gaudete, & exultate* [y], &c. Chrysostomus [z]: *Tametsi*, inquit, *flagella non*
E *gaudij sint occasiones, sed tristitiæ, & mæroris, nihilominus flagella propter* DEVM, *& causa, propter quam flagellabantur, gaudium eis pariebat. At ij, qui flagellarunt, in magna animi consternatione, & hæsitatione nesciebant quid facerent. Audi enim eos, quomodo post flagellationem animo fluctuant, & dicunt: Quid faciemus hominibus istis? Quid dicitis? flagellastis, innumera mala subornastis, & dubitatis? Tam fortis inuictáque res est virtus, & dum patitur, affligentes vincit.* Hæc ille. Sed est memoria lapsus, cùm eam hæsitationem ait post flagellationem contigisse; præcessisse enim, non secutam esse, Lucas narrat.

Qui flagellantur, gaudent; qui flagellant, mærent.

y Matt. 5. 12.
z Hom. 11. in Genes.

Nusquàm, inquit idem Chrysostomus in hunc

a Ier.17.14.
b 3. Reg. 19. 2.

locum, *hoc apud veteres contigit, etiamsi Ieremias* [a] *flagellatus sit, & Eliæ* [b] *, aliisque Prophetis diræ intentatæ sint minæ. Quibus signis hoc non magis admirabile est? est quippe fortitudinis excellentissimus gradus, non tantum patienter, & libenter, sed lætanter quoque aduersas res ferre. Hoc est omne gaudium*, id est, perfectum, *in varias tentationes*, vt loquitur Iacobus [c], *incidere*, his námque qui defungitur, propinquat ad portum, *ipsáque patientia*, vt idem ait [d], *opus perfectum habet, & spem conciliat, quæ non confundit* [e]. *Psallit qui eiusmodi est, in tubis ductilibus Domino* [f], *quæ per tribulationem distentæ sunt, vel in chordis instrumenti musici, quæ similiter dum distenduntur, edunt sonum harmonicum*, vt ait Augustinus [g].

Est fortitudinis excellentissimus gradus, lætanter ferre res aduersas.
c cap.1.2.
d ibid.4.
e Rom.5.5.
f Psal.97.6.
g in eundem Psalmum.

B Dux Apostolorum Petrus, quod cum collegis facto præstiterat, nos, vt id etiam faciamus, graui, & efficaci oratione cohortatur [h]. *Charissimi, nolite peregrinari in feruore* (id est, Ne videatur vobis res insolens ac noua versari in feruore persecutionis) *qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat, sed communicantes* CHRISTI *passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine* CHRISTI, *beati eritis, quoniam quod est honoris, & gloriæ, & virtutis* DEI, *& qui est eius* SPIRITVS, *super vos requiescit.*

Petrus de patiens in aduersis quàm gloriatus sit.
h 1.epi.4. 12. & seq.

Exultabat Paulus, gaudioque triumphabat, & omnibus lætitiis incedebat in tribulationibus pro CHRISTO [i]. *Repletus sum*, inquit, *tribulatione, superabundo gaudio in omni tribulatione vestra:* & [k], C *Sed & si immolor super sacrificium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis: idipsum vos gaudete, & congratulamini mihi.*

Et Paulus similiter.
i 2.Cor.7.4.
k Phil.2.17.

Plenæ sunt historiæ, & acta Martyrum, quantam illi in acerbissimis tormentis perciperent gestientis liquidæque iucunditatis voluptatem, ita vt cessatio ipsa tormẽtorum molesta illis accideret, eò quòd huiusmodi gaudiorum cessationem, vel remissionem induceret. Id de Theodoro adolescente narrat Historia Ecclesiastica [l]. Aqua suapte natura grauis cùm calefit, & feruet, veluti ascendit, & saltat; ita charitas facit, vt quem res aduersæ deprimerent, per sese extollant, & gaudio D exultationis repleant. Non incommodè digredi liceret in tractationem de gaudio spirituali. Sed præscripta Commentarij lex nos cohibet. Lege Franciscum Ariam nostrum [m], in libro de profectu spirituali, tomo secundo, vbi agit de oratione mentali.

Martyres in tribulationibus quanto gaudio abundarint.
l Theod. li. 3. hist. c.10.
m p.2.c.14.& p.1.cap.1.4. Hispanicè vel Italicè.

Facit ad id quod anteà dixisse Chrysostomum retuli, fortitudinem istã signis omnibus esse magis admirabilem, egregium senis cuiusdam Alexandrini responsum, de quo Cassianus [n]: *Hic turbis infidelium circumfusus, non solùm maledictis, verùm etiam grauissimis impellentium cùm vrgeretur iniuriis, eiq; à subsannantibus diceretur, quid miraculi* CHRISTVS *vester, quem colitis fecit? vt his, respondit, ac maioribus, si intuleritis, non moueat, nec offendar iniuriis:* E addere potuit, quod est Apostolicum, *vt gaudeam quoque, & me magno dignatum honore putem.* Atque hanc ego patientiam, gaudiúmque in tribulationibus innuisse CHRISTVM puto, quando qui crederent in se, maiora facturos promisit signa, quàm ipse faceret [o], ea intelligens quæ operabatur exteriùs propriè dicta miracula. Certè admiratur mundus istam patientiam.

n Coll. 12.c. 13.
Miraculũ Christus quod magnum fecit.
o Ioan.14.12.

A conspectu concilij.] Etiam inter verbera atque iis mixta verberantium, & verberatos spectantium conuitia, par est credere Discipulos gauisos esse, & in DEI quoque laudes, quod de aliis Sanctis accepimus, prorupisse.

A Verberatio tamen, & flagellatio, quam atrocem fuisse suspicor, vt Apostolos maximè deterreret à prędicationis cursu, fortasse clàm adhibita est, fauentis iis populi metu. Non aliud, inculcantibus ne prædicarent in posterum, exiit ex ore flagellatorum respõsum, quàm illud [p], *Obedire oportet* DEO *magis quàm hominibus.* Dimissi verò hilaritatem vultu, verbis gaudium, ac gratulationem vel sibi, vel aliis, DEO gratias, deprecationem vindictæ inferre paratis pro se, præferebant.

Verberatio Apostolorum qualis.
p sup.29.

Quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV *contumeliam pati.*] *Est reuerà dignatio*, ait in Commentario epistolæ ad Colossenses Chrysostomus [q], *etiam contumelia affici, & ligari: si enim qui amicum habet, lucro deputat, si illius gratia quicquam ferat; multò magis si propter* CHRISTVM *hoc fiat.* Huc spectat recitata à me sententia Petri, & Pauli in cruce ambitiosa quædam gloriatio.

Dignatio maxima est, pro Christo pati.
q Hom.12.

Si quis vult erigi, & superbire sancta superbia, erigatur cum Apostolis, vt monet Hieronymus [r], *quando dignus fuerit pro nomine* IESV CHRISTI *contumeliam pati*, glorietur cum Apostolo, *qui exultabat in tribulationibus* [s].

Vbi sancta superbia erigi possumus.
r Sophon.1.
s Rom.5.3. 2. Cor.12.9. & alibi.

Videtur mihi hic Apostolus tãquàm vulnerum cicatrices ostendere, & deprædicare, ceu fortitudinis indices, cùm ait [t]: *Nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini* IESV *in corpore meo porto.* Tolerata crux pro CHRISTO, character est, quo insignit & obsignat CHRISTVS suos milites, tanquàm viuifico illo signo THAV [u], aliòve, quo seruos DEI signari imperatum Ioãnes tradit in Apocalypsi [x], & sic Rupertus [y] *id signum in superliminari domorum expressum, & vtroque poste* [z], *cum sanguinis notulis* mysticè interpretatur.

t Gal.6.17.
Crux tolerata pro Christo, character est Christi.
u Ezech.9.4.
x cap.7.3.
y lib. 2. in Exod.c.16.
z Exod.12. 7.

Non re alia magis DEVS, *quod cuipiam fidat, declarat, quàm cùm dat non solùm, vt in eum credat* (vt Apostoli [a] verbis vtar) *verùm etiam vt pro eo patiatur: nec alios ita Diabolus insectatur vt donis plenos, & à iure ipsius extractos, quàm eos qui grauia pro* CHRISTO *tormenta sustinuêre*, vt admonet Gregorius [b].

Deus se cuipiã fidere declarat, cum eò pati pro amore ipsius cõcedit.
a Philip.1. 29.
b 4. Moral. c. 24.

Vnde CHRISTVM ipsum post Baptismum, in quo PATER luculentè de FILIO testificatus D est, & in eum SPIRITVS sanctus specie columbina descendit [c], *duxit* [d], *egit* [e], *expulit* [f] *idem* SPIRITVS *sanctus in desertum ad certamen cum Diabolo*: vt aliàs diligenter expendi, tractans etiam de commodis tentationis [g], vt intelligamus quò quis procedit in gratia & sanctitate magis magisque, hoc etiam grauius in se odium, bellúmque capitalis hostis prouocare, & maiore fortis pugilis à DEO honore dignari, *cùm hostis ille*, vt Cassianus [h] scribit, *indignum reputet cum ignauo, & imbelli certare.*

c Matth.3.16. 17.
d Mat.4.1.
e Luc.4.1.
f Marc.1.12.
g in Euang. Dom.1. Quadrag.
h Coll 7. ca. 23.
Diabolus indignũ putat cum ignauo pugnare.

E Chrysostomus hanc DEI dignationem prolixè, ac eleganter prosequitur libris de Prouidentia ad Stagyrium. Idipsum vidit etiam Gentilis Seneca [i], *ignem expertum* dicens DEVM *in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone.* Subdit longè pòst: *Hos itaque* DEVS *quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet.*

i lib. de Prouidentia diuina, c.4.

Sanè Sponsa in Canticis dum promouetur in amore Sponsi, tentatur grauiùs, ac molestiùs fert eius absentiam. Primùm enim *queritur se solam relictam* [k], *tum egressa domo, vrbem obit, & quærit* [l], *demùm incidens in custodes spoliatur, ac verberatur* [m]. Sunt hi tres ordines, Incipientium, Proficientium, Perfectorum.

Sponsa Christi dum promouetur in amore ipsius, grauius tentatur.
k cap.1. 6. & seq.
l c.3.2. & seq.
m cap.5.7.

Ex hoc vltimo post acceptum SPIRITVM sanctum, erant Apostoli, in ipsis verberibus exul-

Apostoli erant ex perfectorum ordine post acceptũ Spiritum sanctum.

tautes,& sibi plaudentes. Apostolos multi posteà omnis sexus, ætatis, conditionis, præsertim Martyres, imitati sunt. Exempli loco sufficiat in præsentia virgo ac Martyr Secunda, quæ, cùm virgis Ruffinam sororem Tyrannus cęderet, ita eum interpellauit cum pia quadam indignatione, quòd se tali pro CHRISTO indignam tormento iudicare videretur: *Quid est, quod sororem meam honore, me afficis ignominia? iube ambas simul cadi, quæ simul* CHRISTVM DEVM *confitemur.*

Ruffina & Secunda sorores martyres constantissima.

Sed ne mascula virtus mulierum videatur, par accedat virorum. Dorotheus, Gorgoniúsque primi ac intimi Diocletiani cubicularij, martyrem conspicati coram Imperatore acerbissimè cruciari, has eruperunt in voces: *Quid est, Imperator, quòd huius condemnata sententia, quæ nobis cum eo communis est, vnum illum punis? istius nostra etiam est fides, idémque propositum.*

Et Dorotheus & Gorgonius.

Paulus testimonium perhibet fidelibus ex Hebræorum secta factis, quòd *bonorum suorum rapinam cum gaudio susceperunt* [a], vbi Chrysostomus [b] notat, quòd *hoc erat totum Apostolicum, & dignum magnis illis animis, qui flagellati gaudebant.* Qui autem fert cum gaudio, ostendit se habere mercedem aliquam, & quòd ea non sit damnum, sed prouentus.

a ad Hebr. ca. 10. 34.
b hom. 21. in ep. ad Hebr.

Porrò gaudij causa erat, pro eo IESV contumeliam pati, *qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta* [c]. Hoc est, cùm posset frui vitæ immortalis gaudio, mori maluit: aut propter gaudium de salute hominum, & gloriæ DEI, ac suæ, per Discipulos suos propagandæ. Gaudebant eodem nomine Apostoli, quòd per similem confusionem, & Magistro similes effici se videbant, & eiusdem gloriæ ministros proferendæ.

Gaudij Apostolorum causa quæ fuerit.
c Hebr. 12. 2.

Cauendus verò Tertulliani [d] hoc Apostolorum abutentis exemplo error, quòd nefas sit fugere in persecutione. Ita verò ille ratiocinatur: *Apostoli tractantes in persecutionibus agitati, quando se pecunia liberauerunt? quæ illis vtique non deerat, ex prædiorum pretiis ad pedes eorum depositis, certè multis locupletibus credentibus viris, ac fœminis, qui his etiam refrigeria subministrabant.* De hoc argumento egi Disputatione de Fide.

d lib. de Fuga in persecut. c. 12.
Error Tertulliani, non posse quem fugere in tribulatione.

Pro nomine IESV.] Significare potuerunt his verbis Apostoli, & gloriari, se de domo & familia IESV esse, domesticos ac familiares ipsius, ac veluti sobolem & posteritatem: quoniam solet filius, hæresque, interdum etiam necessarij alij, alterius nomen asciscere. Ad hunc modum verita est Theucuitis, ne superesset viro suo nomen [e]: & pollicetur eunuchis DEVS nomen melius à filiis & fidelibus [f]: & CHRISTVS, vtpote DEI Filius, DEI PATRIS nomen sæpiùs vocatur, vt Petrus Faber [g] obseruauit. Itaque gloriæ sibi ducebant Apostoli pro nomine IESV contumeliam pati, hoc est, vt intimos eius, vt genus, vt hæredes. Hoc est etiam, quod Apostolorum princeps iam in se, & Coapostolis expertus scribebat [h]: *Si exprobramini in nomine* CHRISTI, *beati eritis*, &c. Si quis patiatur vt Christianus, non erubescat, sed glorificet DEVM in isto nomine. Confirmari loquendi dicta formula posset ex profanis, apud quos etiam nomen habet eandem notionem. Lege Roam nostrum [i].

e 2. Reg. 14. 7.
f Esa. 56. 5.
g in Dodeca. cap. 1.
h 1. Pet. 4. 14. 16.

Nascere Dardanio promissum nomen (sed aliàs, *numen*) *Iulo*

ait Martialis [k],

Vera Deûm soboles, nascere magne puer.

Ex Virgilio [l] mutuatus est:

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar, &c.
Iulius à magno demissum nomen Iulo.

i 3. singular. 14.
k li. 6. Epigr. epig. 3.
l 1. Æneidos.

Versus 42.] Omni autem die non cessabant in templo, & circa domos docentes, & euangelizantes CHRISTVM IESVM.

OMNI *autem die non cessabant.*] *Nec verbis, nec terrentur Apostoli verberibus, nisi diuina potestate*, inquit Carthusianus, *totum opus eorum fuisset fulcitum, mirum, & incredibile videretur, quòd principes Iudæorum, vel vno die permisissent eos in vita, aut ciuitate sua metropolitana. Sed non est consilium contra Dominum* [m]. *Homines enim cogitant consilia, quæ non possunt stabilire* [n]. DEVS *reprobat consilia principum, & consilium Domini in æternum manet* [o].

Non est consilium contra Dominum.
m Prouer. 21. 30.
n Psal. 32. 10.
Impij Dei consilium quomodo irritent.
o Ps. 32. 10. 11.
p Ps. 106. 11.

Nam quòd impij dicuntur consilium Altissimi irritauisse [p], sumitur ibi consilium, vt aliàs non raró, pro præcepto: quod cùm denotet voluntatem diuinam signi, vt Theologi loquuntur, consilium autem beneplaciti, non est mirum, si id irritatur, non istud, propriè loquendo.

In templo.] Templum quidem habendo de rebus diuinis sermoni maximè accommodatum est, vt anteà dixi [q]: haberi tamen etiam aliis in locis potest.

q vers. 20.

Circa domos.] Glossa interlin. domos intelligit vel templo vicinas, vel totius quoque ciuitatis. *Spiritualem cibum docendo tribuebant*, inquit Caietanus, *sicut & de corporeo cibo dixerat per singulas domos distributo* [r]. Fieri potest, vt & tunc vterque distribueretur; nunc tamen de spirituali exprimitur, quia tantò alacriùs & impensiùs, quantò seueriùs tum verbis, tum verberibus illum communicare prohibebantur.

r cap. 2. 46.

Hæretici sibi in sua doctrina obsistendum à nobis negant; id cùm fit, impotenter ferunt: & si niti contrà nequeunt, cessant, cùm obedire illos DEO, si sunt ex DEO, & non ex hominibus, Apostolorum exemplo, oporteret. Habet & Ecclesia *canes mutos luporum trepidos ad aspectum, nec audentes latrare* [s], quíque tacendo DEVM habere inimicum malunt, quàm homines, non intelligentes *seruos* DEI *non esse qui placeant hominibus* [t], & qui istis placent, confundi, & à DEO sperni [u].

Hæreticis similes canes muti.
s Esa. 56. 10.
t Gal. 1. 10.
u Psal. 52. 6.

Quod autem *circa domos*, hîc habetur Græcè, κατ' οἶκον, sicut capite secundo [x], vbi consule quæ dixi, Syrus reddit, ובביותא *vbebaitha* hoc loco, *domi*. Adde, idem esse *circa*, quod *per*, aut *circum*, aut *sigillatim*, vt si Italicè diceremus, *insegnando intorno le case*, vel Gallicè, *enseignans és enuirons par les maisons*, vel, *parmy les maisons*, per vnamquamque domum, seu per singulas domos.

x vers. 46.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

SVMMARIVM.

Diaconorum electionem, & primi inter illos Stephani signis, doctrina, & sanctitate maximè conspicui accusationem narrat Lucas in isto capite.

1 IN diebus autem illis, crescente numero Discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersùs Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.

2 Conuocantes autem duodecim multitudinem Discipulorum dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum DEI, & ministrare mensis.

3 Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos SPIRITV sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus.

4 Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus.

5 Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, & SPIRITV sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum.

6 Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.

7 Et verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum in Ierusalem valdè: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.

8 Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo.

9 Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano:

10 Et non poterant resistere sapientiæ, &

A SPIRITVI, qui loquebatur.

11 Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, & in DEVM.

12 Commouerunt itaque plebem, & seniores, & Scribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium,

13 Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba aduersùs locum sanctum, & legem.

B 14 Audiuimus enim eum dicentem: Quoniam IESVS Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.

15 Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquàm faciem Angeli.

C *Versus* 1.] In diebus autem illis crescente numero Discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersùs Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.

D *N diebus autem illis.*] *Non illis omninò dicit diebus, sed quia hæc est consuetudo Scripturæ, quæ etiam futura aliquando quasi deinceps facta dicit*, inquit Chrysostomus; qui tamen illos quoque interpretatur secundo loco dies, quando facta fuerant quæ narrata erant capite priore, flagella videlicet, & minæ, & incrementum Discipulorum. Oecumenius primum sensum sequitur. Lege caput primum [a].

Crescente numero Discipulorum.] Vtpote quoniam omni die docebant *Apostoli in templo, & circa domos* [b]: & *post tentationes creuit Ecclesia*, *non*

a vers. 17. *Ecclesia post tentationes creuit.* b c. præced. vers. 42.

a 7. de Trin.

anteà, inquit Chryſoſtomus. *Eccleſia proprium eſt*, ait Hilarius [a], *vt tum vincat, cùm læditur; tum intelligatur, cùm arguitur; tum obtineat, cùm deſeritur*. Loquitur de incremento Eccleſiæ inter hæreſes.

b Apol. c. vlt.

Sanguis Martyrum ſemẽ eſt Chriſtianorum.

c in fine.

Res eſt exemplis teſtatiſſima, ſed multò adhuc magis inter cædes Martyrum. Vt omninò rectè dixerit Tertullianus [b] alloquens perſecutores Gentiles: *Nec tamen nihil proficis exquiſitior crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ: plures efficimur, quoties metimur à vobis, ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum. Nec deficiet hæc ſecta*, inquit idem ad Scapulam [c], *quam tunc magis ædificari ſcias, cùm cædi videtur: quiſque enim tantam tolerantiam ſpectans, vt aliquo ſcrupulo percuſſus, & inquirere accenditur, quid ſit in cauſa, & vbi agnouerit veritatem, & ipſe ſtatim ſequitur.*

d de vera re- ſtaque conf- feſſ. fidei.

e lib. 5. Inſtit. diu. cap. 13.

f epiſt. 13.

Ex perſecutionibus quomodo veritas Chriſtiana cognoſci poſſit.

His affinia ſcribit Iuſtinus [d] diſputans de veritate religionis Chriſtianæ, conſtatque hac potiſſimùm de cauſa illum ipſum eſſe ad Chriſtianiſmum adductum. Lactantij [e] verò, qui meritò ab Hieronymo [f] *flumius eloquentiæ Tullianæ, & Cicero Chriſtianus* nominatur, acuminis & elegantiæ plena ſunt hæc verba: *Cùm verò ab ortu ſolis vſque ad occaſum lex diuina ſuſcepta ſit, & omnis ſexus, omnis ætas, & gens, & regio vnitis ac paribus animis* DEO *ſeruiant, eadem ſit vbique patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerant aliquid in ea eſſe rationis, quòd non ſine cauſa vſque ad mortem defendatur, aliquid fundamenti ac ſoliditatis, quod eam religionem non tantùm iniuriis ac vexatione non ſoluat, ſed augeat ſemper, ac faciat firmiorem.* Et poſt pauca: *Nam cùm videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices inuictam tenere patientiam, exiſtimant, id quod res eſt, nec conſenſum tam multorum, nec perſeuerantiam morientium vanam eſſe, nec ipſam patientiam ſine* DEO *cruciatus tantos poſſe ſuperare.*

Eccleſia creuit perſecutionibus.

g in vita Malchi. & ep. 62.

h Pſal. 2. 8.

i cap. 1. 7.

k cap. 14. de Tempo.

l lib. 4. c. 4.

m orat. de labonb. cert. & pereg. Petri, & Pauli, Tomo 7. Biblio. Pat.

Strinxit tam breui ſentẽtia rem totam Hieronymus [g], *perſecutionibus*, inquiens, *creuit Eccleſia, martyriis coronata eſt*. Tandem ita futurum fuiſſe, vaticinatus eſt Dauid, tunc inducens PATREM inuitantem FILIVM *ad poſtulandum, & offerentem*[h] *ei Gentes hereditatem, & poſſeſſionem eius terminos terræ*, cùm *fremerent Gentes*. Nec magis vexati *ab Ægyptiis Hebræi excreſcebant*, vt habet liber Exodi [i] (in quem locum extat ſermo S. Auguſtini [k]) quàm propagata latè Eccleſia eſt maiorem in modum perſecutionem paſſa. Lege Thomam Bozium in ſignis Eccleſiæ [l]. Vnus Petrus capite ſecundo tria, capite quarto quinque millia conuertit: &, ſi credimus Sophronio [m], conſtituit decem millium virorum Eccleſiam.

Chriſtiani omnes antea Diſcipuli nominati.

n verſ. 26.

o Diſp. cont. Arrium.

Diſcipulorum.] Chriſtiani omnes priuſquàm hoc nomine Chriſtiani vocarentur, generali nomine Diſcipuli dicebantur, vt colligitur ex capite XI.[n] *Omnes*, inquit Athanaſius [o], *qui credebant in Domino noſtro* IESV CHRISTO, *non Chriſtiani, ſed Diſcipuli tantummodo vocabantur. Et quia multi multorum dogmatum auctores extiterant doctrinæ obuiantes Apoſtolicæ, & omnes ſectatores ſuos Diſcipulos nominabant, nec vlla erat nominis diſcretio inter veros, falſoſq́; Diſcipulos, ſiue* CHRISTI, *ſiue Doſithei, ſiue Iudæ cuiuſdam, ſiue Ioannis ſectatores eſſent, qui ſe quaſi* CHRISTI *Eccleſiæ fatebantur, quin potiùs vno Diſcipulorum nomine ferebantur: tunc Apoſtoli conuenientes Antiochiæ, ſicut horum, Luca narrante* [p], *acta teſtantur, omnes Diſcipulos vno nomine, id eſt, Chriſtianos appellant, diſcernentes à communi Diſcipulorum vocabulo. Et vt diuini per Eſaiam* [q] *oraculi ſermo compleretur,*

Chriſtiani vbi primum dicti ſunt.

p c. 11. 26.

q cap. 62. 2.

A *quo ait: Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum.* Sic ille.

Sed nos poſteà citato loco de nomine Chriſtianorum dicturi ſumus. Illum verò Eſaiæ locum ita etiam expoſuit Euſebius [r], & Chryſoſtomus [ſ], etſi Hieronymus [t] de nomine Eccleſiæ pro nomine Ieruſalem, vel Sion.

r 2. de Demõſtr. Euãg. cap. 49.

ſ Hom. 19 in Ioan.

t in Eſa. c. 62.

Illud porrò Diſcipulorum nomen extat quidem in hoc libro ſæpiùs etiam poſt impoſitum illud Chriſtianorum, tamen nullibi in epiſtolis Apoſtolicis: & viciſſim nomen Chriſtianum iterum duntaxat in iſto opere [u], & ſemel à Petro vſurpatum reperitur [x].

u cap. 26. 28.

x 1. ep. 4. 16.

B Similiter in Euangeliis crebrò Apoſtoli ipſi Diſcipuli nominantur, attamen interdum adaptatur hoc nomen ſelectis Septuagintaduobus [y]: ſicut Apoſtoli duodecim propriè dicti ſunt [z]: qui, vt Hieronymus [a] loquitur, Beda [b], & Anacletus [c], eſt primus Diſcipulorum ordo, nempe primariorum, ac ſuperiorum, quibus in Eccleſia reſpondent Epiſcopi, ſicut illis aliis inferioribus, & generale propterea nomen retinentibus, minores ſacerdotes, vt Petrum docuiſſe teſtis eſt Clemens [d].

y Luc. 10. 1.

z Luc. 6. 13.

a ep. ad Fabiolam, manſ. 6. & epiſt. ad Marcel. cont. Mont.

b in c. 10. Lucæ.

c epiſt. 2.

d epiſt. 1.

Epiſcopi reſpondeant Apoſtolis, & ſacerdotes 70. Diſcipulis.

e epiſtol. ad Smyrnen.

f ep. ad Tral. & ep. ad Magnet.

Quanquàm CHRISTO Epiſcopos, Preſbyteros Apoſtolis, Diaconos ſeptuagintaduobus Diſcipulis ſimiles facit Ignatius [e], qui tamen [f] etiam cum Clemente [g], primos DEI PATRIS, ſecundos CHRISTI, tertios Apoſtolorum gerere figuram tradit, vt memini ſuperiùs [h].

C *Factum eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos.*] Paſſa eſt primùm Eccleſia perſecutiones, deinde hæreſes & ſchiſmata, vt Bernardus ſcribit [i]. Alia ex alia Eccleſiam vexat tentatio: victo quaſi illo externo aduerſariorum bello inteſtinum ſuſcitat Diabolus, ac domeſticum, & proinde tantò magis periculoſum. Quos minæ flagellaque robuſtiores, & charitate inter ſe coniunctiores reddiderant, eorum tantam illam concordiam *terribilem, vt caſtrorum aciem ordinatam* [k], turbare, atque ſchiſmate diſcindere zizaniorum ille ſuperſeminator [l], capitalis inimicus Eccleſiæ conatus eſt.

Poſt perſecutiones ſchiſmata & hæreſis Eccleſiam vexant.

g 2. Conſt. c. 10.

h cap. 1. 20.

i Sermo. 6. in Pſ. 90. & 33. in Cant.

k Cant. 6. 3.

l Mat. 13. 25.

D Non poſſunt in multitudine tam exactè omnia fieri, & deinceps obſeruare eſt, tum in Eccleſiæ ipſius progreſſionibus, tum in ordinibus Religioſis, tum in omni alio conuentu ſacro, politicoque natam plerumque perturbationem atque confuſionem ex multitudine. Vt ſit planè verum illud Prophetæ (quod de Iudæis per ſe dicitur multiplicatis in carne, non lætificantibus ſua conuerſione DEVM & Eccleſiam) *Multiplicaſti* [m] *gentem, ſed non magnificaſti lætitiam*: ſolentque delecti pauci magno aliorum numero longè præſtare.

Vbi eſt multitudo, ibi confuſio.

m Eſa. 9. 3.

E Cùm Petrus magnam piſcium multitudinem cepit, ſciſſum eſt rete [n]: *nam ſi non eſſent retia ſciſſa, ſchiſmata non eſſent commiſſa*, inquit Auguſtinus [o], quem præterea alibi lege [p], necnon & Gregorium [q], & Bedam [r].

n Luc. 5. 6.

o Ser. 48 de Temp.

p 2. q. Euang. q. 2.

q ho. 24. in Euang.

r in Lucam.

Valdè alienum eſt & à charitate Chriſtiana & à recta ratione diſſidium, vt ita dicam, nationale, & ſic ſuæ addictum eſſe nationi, alienam quis vt oderit, inſectetur, maledictis proſcindat.

Iniquitum ex vna natione alias nationes odiſſe. Roma quomodo creuerit.

Non alia magis ROMA ratione coaluit, creuitque, quàm ſuo nationes omnes gremio excipiendo, fouendoque, & omnium facta communis patria [ſ].

ſ lege c. 10 circa nomen Roman.

Et cùm primùm miſſo SPIRITV ſancto, Eccleſia condi cœpit, vt vidimus capite ſecundo [t], *Conuenerant ex omni natione, quæ ſub cælo eſt,*

t verſ. 5.

in ſeru

in Ierusalem, & omnium donum linguarum communicatum est. Id crebrò Apostolus inculcat [a], non esse in CHRISTO IESV, *nec Iudeum, nec Gracum, siue Gentilem, nec Barbarum, nec Scytham, nec seruum, nec liberum, nec circumcisionem, nec praputium*, sed omnes vnum in ipso, & omnia, & in omnibus ipsum.

Murmur.] γογγυσμὸς, *murmuratio*, quæ vox, sicut & in Ioannis Euangelio [b], sumitur in malam partem de querulis, ὀνοματοποιητικῶς, à murmure gementium columbarum. Incertum, caruerítne peccato murmur hoc. Quandoque variant sententiæ sine dissidio animorum ac voluntatum. Videntur autem delatæ querimoniæ ad Apostolos, & si quid in his peccatum est, eò facile fuit, quòd de ipsis Apostolis obmurmurare non dubitauerint. Familiare malum multitudini de suis queri, ac sinistrè loqui principibus.

Gracorum.] Τῶν Ἑλληνιστῶν, *Gracorum*, seu *Gracanicorum.* Syrus sic legit, רטנו הוו יוניא תלמידא *ratenu haunaunaia thalmide*, id est, *Murmurabant Iones discipuli.* Erant videlicet hi religione Hebræi, sed vel illi inter Græcos nati, vel etiam proselyti Græca lingua vtentes. *Gracos opinor dici*, inquit Chrysostomus, *qui Gracè loquebantur*, quamuis Hebræi essent.

Consentiunt hac in re alij, etsi quoque Glossa ordin. videtur de Gentilibus in ciuitate conuersantibus intelligere: quos nisi intelligat ad Iudaismum conuersos, aut certè ad Christianismum, ad rem non loquitur: quod enim esse murmur potuisset inter fideles, & inter Gẽtiles in sua Gentilitate perdurantes? Syrus interpres vocat *Iones discipulos*, vt antè dixi. Sed Ionum nomine Græcos intellexit per quandam συνεκδοχὴν, cùm Ionia sit Græciæ pars nobilissima.

Verum est in nouo Testamento passim, & à Patribus præsertim Græcis, & in Historia Machabæorum [c], Græcorum nomine generaliter dici omnes Gentiles, & opponi Ἕλληνας Hebræis, siue Iudæis, necnon etiam Christianis, & ἑλληνισμὸν ab iis dici doctrinam ritumque Gentilitium. Nempe lingua Græca latissimè patebat, & eorum tum sapientia, tum superstitio maximè vbique vigebat. Quin etiam qui Græci non essent, Barbari vocabãtur; vt à Iosepho [d] Hebræi, Latini à Plauto [e].

De industria Lucas Ἑλληνιστὰς dicit, vt etiam obseruauit Chrysostomus, & Oecumenius, non Ἕλληνας, quasi dicas, non *Gracos*, sed *Gracizantes*, & Græca linguâ vtentes, sectatores, seu imitatores Græcorum in lingua. Simili de causa Romanensis dicebatur, qui alibi ortus Romæ versabatur, vt à Catone [f], sal Romanense non Romæ factum, sed Romæ venditum. Quanquàm Tertullianus [g] aliique Romanam Ecclesiam nominare Romanensem solent. Iosephus narrat [h] Lacedæmonios ab Abraham genus trahere se dixisse, & scribit multos habitasse in Ionia, quos à Gentilium vindicarit iniuriis M. Agrippa [i]: & Antiochiæ, Ephesi, alibique inter Gentiles ius ciuitatis habuisse [k].

Hebraos.] Natos in Iudæa, totáve promissionis terra. Primus hoc nomine appellatus est Abram [l]: *Et ecce vnus qui euaserat*, inquit Scriptura, *nunciauit Abram Hebrao.* Cùm autem prima litera nominis אברם *Abram* sit א *aleph* simplex, Hebræi autem sit prima litera ע *hhain* aspiratio densior, cùm ita scribatur עברי *hhibri*, non aptè sentit apud Eusebium [m] Artabanus, & aliquando Augustinus [n], ac Prosper [o] meminit dictos Hebræos quasi Abraæos.

a Rom. 2. 10. Gal. 3. 28. Coloss. 3. 11.
b cap. 7. 12.
Multitudo de suis principibus facile obmurmurat.
Graci pro Gentibus passim vsurpantur.
c lib. 2. cap. 11. vers. 24.
d proœ. libr. de bello Iuda.
e Prologo Asinariæ.
Qui dicantur Ἑλληνισταί, nõ Ἕλληνες.
f de re rustica passim.
g de præscri. cap. 30.
h lib. 12. Antiq. c. 5. lib. 14. cap. 9.
i li. 16. Antiq. cap. 4.
k cont. Apionem.
l Gen. 14. 13.
Hebræi vnde dicti.
m 9. de Præp. Euang. c. vlt.
n de consen. Euang. c. 14.
o part. 1. de promiss. & præd. c. 9.

Alij deducunt à עבר *hhabar*, quod est *transire*, ita vt ita denominatus sit Abram, quasi transitor, quòd primus eius gentis ex Mesopotamia transito fluuio Euphrate venerit in terram Chanaan [p]. Septuaginta [q] interpretes pro Hebræo ponunt Περάτην, hoc est, transitorem, seu transfluuialem, vt loquitur Augustinus [r]. In ea opinione feruntur esse Origenes, & Diodorus Tarsensis citatus in Catena [s]: disertè autem illam sequitur Chrysostomus [t], Theodoretus [u], Rupertus [x], Burgensis [y], & ex recentioribus Ribera [z], & Ioannes Reuclinus [a].

Probabiliter loqui isti mihi videntur: méque non parum mouet auctoritas septuaginta Interpretum, & quia Gregorius ait [b], quòd Hebræus transitorem significat: ita tamen vt sua etiam sit eorum sententiæ probabilitas, qui ab עבר *Heber* Hebræorum nomenclaturam deriuant.

Facit id Iosephus [c], & Eusebius [d], item Acatius in Catena Genesis, Hieronymus [e], & Augustinus [f] propendens huc magis, quàm in vllam aliam opinionem. Prosper quoque citato loco, & prætereà Isidorus, Beda, Lyranus, Abulensis, Caietanus, Eugubinus, Pererius in Genesim [g]. Lippomanus in Catena Genesis ad cap. XI. citat Rabanum, & ad cap. XIII. ex professo idem probat, necnon Pagninus in Thesauro linguæ sanctæ, & Blasius Viegas noster [h].

Caietani ratio sumitur ex maiore affinitate in sono harum vocum *Heber*, & *Hebraus*. Eugubini, quia nomina Gentilia apud Hebræos per י *iod* in vltima proferuntur, vt יהודי ישראלי עמלקי *Iehudi, Israeli, Hhamaleki*, id est, *Iudaus, Israëlita, Amalecita*: huiusmodi verò nomina ducta sunt ab aliquo nomine primitiuo significante quandam eius gentis originem, & quasi caput. עברי *hhibri* ergo, id est, *Hebraus*, ab Heber erit, principe eius gentis: transitor autem deducitur ab עבר *Hhabar*, & vt esset appellatiuum nomen, deberet dici עבר *hheber* per duo segol, vel עבר *hhabar*, per duo cametz; more aliorum item appellatiuorum, quæ non terminantur in iod.

Adiice rationem Augustini [i], ideò namque in progenie Sem primus ac solus nominatus est Heber, cùm quintus nepos eius fuerit, quoniam ex illo Hebræi sunt cognominati, tanquàm Heberæi; quod ad laudem Sem facit, veluti patris populi DEI.

Denique credibile est, eandem fuisse originem, ac rationem appellationis linguæ, & gentis Hebrææ; linguam verò ab Heber dictam omnes concedunt, eò quòd penes illum solum & familiam ipsius lingua Hebræa, quæ ante ædificationem turris Babel communis erat, remansit vnà cum veri DEI fide, cultúque ac religione.

Eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano vidua eorum.] Græcè, παρεθεωροῦντο, quod Hesychius reddit, παρεφρονοῦντο, *contemnerentur*. Syrus sic legit, דמתכסין הוי *demethchasian hau*, id est, *impedita essent.* *Praferebant Hebræi suas viduas vtpote eruditiores*, inquit Beda, *in ministerio viduis Gracorum, videlicet, vt magis ministrarent illæ, quàm istæ.* Chrysostomus innuit eundem sensum. Vult autem Hugo, ne vocatas quidem ad ministerium. Glossa ordinar. ex Rabano, *Ex despectu*, inquit, *plus grauabantur.* Qui quidem sensus videtur contrarius priori sensui, quòd nempe plus occuparentur, & ministrare

p Gen. 12. & inde.
q Gen. 14. 13.
r de locutio. in Gen.
s in Gen. c. 14.
t hom. 33. in Gen.
u quæst. 61. in Gen.
x li. 5. in c. 11. Gen.
y in Addi. 2. ad postil. Lyrani super c. 21. Matth.
z in Ion. c. 1. nu. 41.
Nomẽ Hebraus, ab Heber est ductum.
a 3. de verbo mirifico. c. 13.
b homil. 2. in Ezech.
c 1. Antiq. c. 7.
d initio Chr.
e in epist. ad Mineti. & Alex. & libr. de Trad. Heb. in Gen.
f lib. 16. de ciui. Dei c. 3. 16. & 11. lib. 18. c. 39. & 2. Retr. cap. 16.
Cur vocati ab Heber potius quàm aliunde.
g c. 10. vel 11. vel 13. vel 14.
h in c. 2 Apocal. commẽt. 2. sect. 4.
i 16. de Ciu. cap. 3.
Hebraa lingua in familia Heber sola remansit.
Quomodo vidua despicerentur in ministerio quotidiano.

A

compellerentur,atq; ad vilia officia deputarētur. Lyranus hoc exponit dupliciter. Vno modo, quia Græcæ mulieres, tanquàm magis rudes, repellebantur ab Hebræis, ne ministrarent. Alio modo, quòd Græcis viduis non administrabantur ita bene necessaria,sicut Hebræis.

Ex his duobus vltimis modis coincidit primus cum Beda:secundus distinctus est ab illo, & à Rabano. Carthusianus omnes hos modos recenset. Caietanus sequens secundum,refutat primum, *Quoniam si diceret*, inquit, *à quotidiano ministerio,significaret, quòd repellebantur viduæ Græcorum à ministrando: sed dicendo, in quotidiano ministerio, significat Græcorum viduas grauari vilioribus ministeriis quotidianis.*

B

Videtur Gagneius sequi tertium, adiungens viduis etiam orphanos, quæ est etiam expositio Oecumenij, cuius ille doctrinam ferè solet amplecti. Mihi quoque iste sensus maximè placet, qui probatur quoque Sà in Notationibus,quamuis nec alij displiceant,& omnes veri esse possint. Nonnulli, vt meminit Salmeron [a], mensas sacras intelligentes siue altaria, despectas viduas Græcas intelligunt,eò quòd illæ queri, quòd ipsis Eucharistia subtraheretur,solitæ essent. Nullam cerno hîc speciem probabilitatis. Hieronymus nunc primum [b], nunc sequi secundum sensum videtur [*].

a Tom. 12. tract.23.

b ad Euagr. ep.85.

* in cap. 48. Ezech.

Græci primi in Ecclesia murmurarunt, & primi ab ea defecerunt.

C

Notatu dignum, quòd vt primi in Ecclesia Græci murmurarunt, ita etiam primi ab ea defecerunt, & multiplici semper schismate illam disciderunt, qua de re legantur Annales & historiæ etiam Græcæ, & Thomas Bozius [c], & prioribus aliquot libris hinc inde, pro Gentis naturali ad factiones & seditiones propensione. Quam scissionem tantorum tamen, & adeò de Ecclesia bene meritorum Patrum doctrina singularis sanctitásque satis cumulatè vel emendauit,vel compensauit.

c libr. 13. de sign Eccle.c. 3.libr.19. c. 3. lib.23.c.4.lib. 24.c.1.

Mulieres primum in Ecclesia rumorē excitarunt.

Deinde à mulieribus verisimile est esse excitatum murmur; querulum est enim omne mulierum genus, ambitiosum, & ad murmurandum procliue:solentque, præsertim viduæ,*esse otiosæ, ac discurrere per domos, verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet*,vt ait Apostolus [d]; denique, *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*, inquit Ecclesiasticus [e]. Et erant forsan hæ viduæ minus opulentæ.Solent verò qui huiusmodi sunt, in cœnobiticis sodalitatibus longè magis conqueri,si quid in victu,vestitúve vel tantillum denegetur, aut iis non æquè vt ceteris affatim tribuatur.

D

d 1. Tim.5.13

e Eccle.25.33.

In cœnobiis qui maximè murmurare solent.

Præterea,verum est illud quod est in Psalmo [f], *Quòd si non fuerint saturati, & murmurabunt*; quod satis superque experti sunt duces Hebræi populi Moses, & Aaron [g]: in quos & alij quidam (quæ murmuris causa alia est) murmurauerunt, quoniā de ministeriis,ac dignitatibus contendebant [h].

f Psal.58.16.

g Exod. 16.2. c.17 2. Num. 11.1.ca.14.1.c. 20.3

h Nu. 12. 1. c. 16.3

Qui res communes distribuunt, ægrè omnibus satisfaciunt.

E

Iam & illud quotidiano discimus experimento,illos,qui rem distribuendi communem curam habent, quàm omnibus ægrè satisfaciant; aliquorum querimonias & obmurmurationes quàm difficulter declinent. Vnde illud de huiusmodi delectu,& conditionibus præceptum Clementis; quod tamen,licèt quidam ex eodem citent,apud illum hactenus inuenire non potui:*Idcirco Episcope, elige adiutores vitæ, & institue operarios Diaconos* DEO *gratos,quos ex cuncto populo maximè dignos probaueris, & faciles ad vexationes & molestias in vsus ministerij sustinendas.*

A

Postremò diligenter animaduertenda est humanæ infirmitatis conditio, & quàm parum nos nobis ipsis fidere possimus, cùm primitias illas SPIRITVS corrumpere ambitio, & tot myriadum cor vnum,& animam infringere leui ex causa conceptū murmur potuerit.Quod profectò & magis mirádum est,quia tot ac tam graues persecutiones pro CHRISTO toleratæ,tam exacta rerum omnium abdicatio,adeò crebra verbi diuini,& sacramentorum vsurpatio murmur istud impedire,& auertere non potuerunt.

Miseria humanæ & infirmitatis nostræ exemplum.

Solent, qui vitam seueriorem, & magis,vt vocant,spiritualem profitētur, propriæ fiduciæ pleni, & existimationis, interdum huiusmodi vitiis laborare,& vt ad seipsos modestiores redeant, in ea vt incurrant DEVS permittit, ne qui se, parua oblata occasione, facilè labi deprehendunt, suismet viribus imputent, si quid magnum, & præstans operentur.

B

In ministerio quotidiano.] Erat hoc ministerium, vt quibusdam placet, circa mensarum seruitium, cui mulieres præficerentur,ad eum ferè modum, quo nonnullæ [i] Domino ministrabant, & Apostolis etiam licebat sororem mulierem in hunc finem circumducere [k],vt omnes Expositores passim interpretantur, & Tertullianus [l], & Augustinus [m], atque Hieronymus [n]:qui item [o] obseruat, & post eum Beda, & Glossa ordinar. [p] *quòd consuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua victum, atque vestitum præceptoribus ministrarent*: sed quia hoc scandalum facere poterat in Nationibus, Paulus abiecisse se memorat [q]. Prædictum ab Esaia de CHRISTO Tertullianus [r] alio quodam loco docet, fore vt eum mulieres opulentæ ministrando comitarentur: *Mulieres diuites exsurgite, & audite vocem meam* [s].

Ministeriū quotidianum quale fuerit.

i Matt.27.55. Marc. 15. 41 Luc.8.2.

k 1.Cor.9.5

l libr.de Monoga.cap.8.

m lib de ope. Monach. c.4.

n 1.contr.Iouin.

o in cap. 27 Matth.

p in c.8.Luc.

C

q 1.Cor. 9.12.

r 4.cont.Marcion.c.19.

Alibi adhuc idem Hieronymus [t] meminit abusos Hæreticos ea laudabili Apostolorum consuetudine, turpes quasdam mulierculas circumducendo.

s Esa.32.9.

t ep. ad Ctesiphon.

Hæretici hac consuetudine abusi sunt.

D

Chrysostomus & Oecumenius intelligunt de eleemosynarum distributione, notantes tale nomen hîc positum, & non magis speciosum eleemosynæ, ne qui dabant,extollerentur, vtpote dispensatores duntaxat ac ministri: & vt qui accipiebant,agnoscerent beneficium,honorémque sibi impensum. Vtrumque in hoc ministerio coniungere possumus, ita vt Diaconi posteà electi viduarum maiorem quandam prouidentiam haberent,& eadem circa mensas exequerentur,quæ priùs à viduis fiebant. Hinc Paulus Timotheo scribens monet [u]: *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non grauetur Ecclesia,vt iis,quæ verè viduæ sunt,sufficiat.*

Ministeriū eleemosynā eò designat.

u 1.ep.5.16.

E

Viduæ.] Si despicientia erat circa victum, vestitúmque, & alia necessaria viduis, obseruatione dignum est, quòd viduarum in primis curam diligentem Ecclesia habuit, vt intelligimus ex Pauli epistolis [x], & Constitutionibus Apostolorum à Clemente collectis [y], prout & DEVS ipse eandem in antiqua lege magnoperè commendauit [z]: & Iacobus Apostolus [a] fecit non postremam partem religionis mundæ, ac veræ, *visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum*. Idémque DEVS peculiariter *est iudex* [b] *viduarum, ac susceptor* [c]. Clemens [d] viduas & orphanos voluit existimari *in figuram altaris, quemadmodum virgines honorari in figuram thuribuli, & incensi*: multáque Ambrosius [e], aliique Patres [f]

x 1.Timo.5.3 & seq.

y lib.3.

Viduarum in Ecclesia summa cura fuit.

z Exo.22.22. Deut. 10. & 14. & 16. & 24. & 26. & 27. Esa. 1.17. 23. Iere. 5.28 c.7.6.

a cap.1.27.

b Psal.67.6.

c Psal.145.9

d lib.2.c.26.

e libr. de viduis.

f Hier. ep.1. & 10. August. de bon.vidu. & epist. 121. Chrys. 2. ep ad vid. iun. Nyss. de virg cap.3.

in lau

in laudem viduarũ habent, & nos nonnihil etiam diximus ad primum caput Esaiæ, & in enarratione Euangelij Dominicæ infra octauam Natiuitatis, & eius quod continet historiam Samaritanæ [a].

a Ioan. 4.1. & seq.

Versus 2.] Conuocantes autem duodecim multitudinem Discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum DEI, & ministrare mensis.

Apostolorũ prudentia singularis.

CONVOCANTES *autem duodecim multitudinem Discipulorum.*] Prudentia facilitásque in Apostolis elucet, quòd id auctoritatis & sanctitatis homines Diaconorum electionem multitudini permittant, contenti numerum præscripsisse, & ordinationem sibi reseruauisse, expositis etiam causis, cur id fieri oporteret. Quare Mosis exemplum secuti videntur, & Aaron, qui supplices propter murmur Hebræorum se interposuerunt, ne latiùs in illos ira DEI desæuiret [b]. Occurrendum statim communi malo, ne dilatione remedij ingrauescat morbus. Duo vitanda extrema, præsertim Magistratui, ne vel aliena pluris faciat de seipso iudicia sermonésque, vel etiam penitùs contemnat; vt nec inita consilia leuiter mutet, vel pertinaciter conficiat. Regium est quidem malè audire, cùm bene feceris, quod de Alexandro Plutarchus [c] apophthegma refert: & ignauiæ criminationem Fabius repellebat, pugnæ declinans periculũ, cùm diceret: *Essem ego verè formidolosus, si leuium obtrectationes veritus, à meorum consiliorum ratione discederem* [d]. At & Moses ipse non dedignatus est hominis Gentilis reprehensionem, atque consilium [e].

b Num. 16.22.
c in Alexand.
d Sab. li. 9. c. 11. Plut. in Fab.
e Exod. 18.14. & seq.

Duodecim.] Οἱ δώδεκα. Syrus sic legit, חר-עשר שליחא *there-hoascher schelucha*, id est, *duodecim Apostoli*. Articulus Græcus denotat *duodecim* collectiuè significare Apostolicum collegium, quod eo numero constabat; sicut priùs quàm pro Iuda suffectus esset Mathias, designabatur idem cœtus nomine vndecim. Lege caput secundum [f].

f vers. 14.

Multitudinem Discipulorum.] Τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν, *Multum numerum Discipulorum.* Syrus sic interpretatur, לכ ה כ שא דתלמידא *lechuleh chenscha dethalmide*, id est, *totam congregationem Discipulorum*, vel, *omnem cœtum Discipulorum.* Cyprianus [g], *totam plebem Discipulorum.* Plurés equidem puto, quàm centum viginti fuisse, quos ad electionem Mathiæ Petrus conuocauerat [h].

g lib. 1. epi. 4. seu 68.
h c. 1. 15.

Omnis tamen cœtus & cogi vix poterat, & confusionem coactus peperisset. Etsi verò fœminarum causa agebatur, admissas mihi non persuadeo. *Consensum quarum multitudinis*, inquit Glossa interlinearis, *quod in exemplum debet assumi.* Sed nos in capite primo ostendimus [i], quæ partes populi fuerint in sacris electionibus, differentes de electione Mathiæ, & paulò pòst aliquid adiungemus.

Ad electionem Diaconorũ qui conuenerint.
i vers. 26.

Non est æquum nos derelinquere verbum DEI, *& ministrare mensis.*] Curabant priùs Apostoli dispensationem communium facultatum: sed id impedimento erat prædicationi, cui cùm vacare vellent, locus dabatur querimoniis, quoniam non satis omnibus prospici de necessariis poterat; ac proinde ne mole negotiorum obruerentur, ea cum aliis partiri, Mosis etiam exemplo, consilium secuti sui soceri Iethro [k], decreuerunt.

k Exod. 18.14. & seq.
Vnio sermoni verbi ... [illegible]

Exigit officium prædicationis hominem vacuum externis, quamuis spiritualibus curis; ita vt

A Paulus ne baptizare quidem vellet, quò magis sedulò euangelizaret, ad hoc se missum scribens, non ad illud [l].

l 1. Cor. 1. 17.

Adiungunt paulò pòst [m] Apostoli ministerio verbi, orationis instantiam: quæ res duæ, vt valdè affines, ita minimè negotiosos decent. Vnde Marcus exercitator in Disputatione sua [n] cum seculari causidico: *Hinc*, inquit, *discimus, illos incumbere debere ministeriis, qui in oratione perdurare nequeunt, ne vtrisque destituamur: qui verò possunt, his quod præstantius est, non esse negligendum.*

Prædicationi oratio adiungenda est.
m vers. 4.
n Tom. 3. Bib. Patrum.

Ioannes Auila, vir nostro seculo apud Hispanos magni nominis propter vitæ sanctimoniam, & efficaciam prædicationis, dum Ecclesiasten instituit [o], monet confessiones ordinariè ne excipiat, neu externis negotiis quantumlibet piis implicari se sinat. Idem præcipiebat concionatoribus nostris beatus Pater Xauerius, vt de eo commemorat Tursellinus [p]. Episcopo maximè conuenit prædicare, & docere, quippe idem pastor, & doctor, teste Paulo [q] (vt eum quidem Græci exponunt, Hieronymus [r], Sedulius, plurimíque Latinorum, & Augustinus [s]) idque vehementer illi mandat Concilium Tridentinum [t].

Concionatoribus abstinẽdum est ab audiẽdis confessionibus.
o epist. 1.
p li. 6. vit. c. 16.
q Ephes. 4. 11.
r in c. 4. ep. ad Ephes.
s epi. 59. q. 4.
t Sess. 5. c. 2.

Porrò Apostoli, qui cura aliis ministrandi victum, abstrahi, aut etiam distrahi nolunt à verbo DEI prædicando, & communicando, quod est animarum alimonia, quippe quia [u] *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore* DEI, eorumq; quos nominat Scriptura, *os* DEI [x], ita vt ab eius communione nullus, ne præcisus quidem, & excommunicatus ab Ecclesia, inhibeatur (sicut dudum antè notauimus [y]) quantò se minùs distineri siuissent ipsi comessationibus, & compotationibus, vel honestis etiam conuiuiis?

u Deut. 8. 3. Mat. 4. 4.
x Ier. 15. 19.
y cap. 2. 42.

Adhibet Clemens Alexandrinus [z] hoc argumentum ex Apostolorum exemplo, vt persuadeat in victu temperantiam, atque modestiam. *Quin etiam*, inquit, *dicebant duodecim, cum euocassent Discipulorum multitudinem: Non est bonum, nos relicto verbo* DEI, *ministrare mensis.* Hieronymus item [a] in Ecclesiæ principes, qui deliciis affluunt, & inter epulas atque lasciuias pudicitiam seruare se credunt, grauiter inuehens, *Annon*, inquit, *confusio & ignominia est*, IESVM *crucifixum magistrum pauperem atque esurientem fartis prædicare corporibus, ieiuniorúmque doctrinam, rubentes buccas tumentiáque ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solùm sermonem eorum imitemur, sed conuersationem quoque, & abstinentiam amplectamur. Sanctum vtique est, & Apostolicum ministerium, viduis, & pauperibus ministrare. Non oportet, inquiunt, dimisso verbo* DEI, *ministrare nos mensis. At nũc, non dico pauperes, nõ dico fratres, & qui rursum inuitare nõ possint (ex quibus excepta gratia, nihil aliud Episcopalis speret manus) sed militãtes, & accinctos gladio, & iudices excubantibus ante fores suas centurionibus, & turmis militum,* CHRISTI *sacerdos inuitat ad prandium. Tota Clerici vrbe discursant, quærunt exhibere iudicibus, quæ illi in Prætoriis suis aut inuenire non possunt, aut certè inuenta non coëmunt.*

Temperantiam hoc facto docent Apostoli.
z 2. Pæd. c. 7.
a in c. 2. Mich. lege quoque epi. 2. & 83.
Prædicatores Apostolos in quo imitari debẽãt.

Omnia ista sunt Hieronymi, quæ vtinam non totidem aptari verbis possent nonnullis arctioris vitæ legibus astrictis, quos hortor magnoperè monachum audiant Hieronymum, & eiusdem ordinis id illis propriè præcipientem in Regulis Basilium [b]: *Caueat Martha, ne turbetur erga plurima [c], immemor sororis meliorem partem esse; sic illa minari ab hac velit, vt ei non noceat.*

Monachos oportet paucis esse contentos.
b in 20. ex fusis.
c Luc. 10. 16.

Possidius [d] magistri sui Augustini vitam scri-

d c. 22. & 27.

Augustinus in peregrinos libera lis conuiuiis non interera.
a 1. Tim. 3.2. Tit. 1.8.

bens, illum Ambrosij Magistri sui sectatum hac in re exemplum narrat, quòd tametsi hospitalitatis munere Episcopis adeò proprio [a] fungens externos hilariter, prolixéque excipiebat hospitio; celebrare tamen ipse aliorum conuiuia, iisve interesse omninò respuebat.

Chrysostomus magnos viros conuiuas habere noluit.

Produnt quoque de Chrysostomo, magnos apud seipsum viros conuiuas habere noluisse, tametsi domi per destinatos ministros lautè tractari aduenientes imperabat: nolebat videlicet tantus vir à scriptione, & prædicatione reuocari, cui continenter quotidiè erat intentus, malebátque seueritatis notam subire, quàm officio ac muneri maximè necessario, & Episcopis adeò peculiari deesse.

Episcopi sancti de suis rationibus cognoscere nolebant.
b in vit. apud Possid. c. 24.

Eâdem de causa nec ipse, nec Nazianzenus, nec Augustinus [b] de rationibus, & prouentibus cognoscere volebant: eiusque rei procurationem reiiciebant in alios. *Nunquam clauem Augustinus* (ait Possidius) *nunquam annulum in manum habebat, sed à domus præpositis cuncta & accepta & erogata notabantur, &c. magis illorum fidem sequens, quàm probatum manifestatumque cognoscens.* Ambrosius [c] de seipso refert, non de illo tantùm Paulinus [d], temporalium rerum curam fratri Satyro commisisse. Testis Augustinus [e], quàm sedulò vacaret Ambrosius habendis publicè sermonibus: quotidiè Missam celebrasse indicant orationes eius ad eam præparatoriæ, ipséque quadam ad sororem epistola: neminem qui se negotij adiret causa exclusum, idem prodit Augustinus [f]: Paulinus [g] autem tanta cura obiuisse munia Episcopalia, vt, eo mortuo, vix quinque præstare possent Episcopi, quæ solus præstabat.

c orat. de Saty. fratre.
d in vita.
e 5. Conf. c. 13. & lib. 6. c. 3.
f 6. Conf. c. 3.
g in vita.

Cùm autem Episcopis, vt diximus, imponatur hospitalitas, & Apostoli, quamuis mensarum munus in Diaconos reiecerint, nõ abiecerint tamen, vt alienum à sua potestate, sed tanquàm minùs opportunum grauioribus occupationibus; quid hîc Hæretici obganniunt, remouendam penitus ab Ecclesiasticis temporalem ac politicam administrationem?

Curam rerum temporalium & administrationẽ Episcopi habere debent.

Diaconi ipsi, vt demonstrabimus, Ecclesiastici erant, & primarij illi Apostoli Petrus, Iacobus, & Ioannes solliciti de fratribus egenis, Paulum rogant, & Barnabam, vt corrogent eleemosynam: quam illi diligenter collectam pertulerunt Ierosolymam, non ad Diaconos præfectos mensis, sed ad seniores [h]. *Nemo quidem militans* DEO [i] *implicari debet negotiis secularibus*, seu, vt textus Græcus habet, βίου πραγματείαις, *negotiationibus vitæ, victúsque*. Cyprianus [k] legit, *molestias*, Ambrosius [l] *obligationes*; tamen cùm res tulerit, & omninò spiritualia detrimentum non patiantur, sed hæc potiùs ex illorum tractatione promoueri possint, non permittit ea duntaxat Ecclesiasticis Prælatis Paulus, verùm etiam iniungit.

h Act. 11. 29. 30.
i 2. Tim. 2. 4.
k lib. 1. ep. 9.
l in commen.

Et ea Augustinum tractasse non Possidius [m] modò, sed ipse de se Augustinus [n] testatur, obseruans Paulo, aliisque Apostolis, *non id ita licuisse, quòd huc, illùcque discurrerent, nusquàm fixam sedem habentes, ceterùm huiusmodi secularibus negotiis, & molestiis Paulum Prælatos affixisse* [o], & si *fratrem* nominat, quia adhuc rector in Ecclesia Corinthiorum non erat, vt ait Ambrosius [p], ordinatus. Et ex Chrysostomo, Theodoreto, aliisque idem colligitur [q], necnon ex Augustino [r], & Clemente Romano in Constitutionibus [s]; non vtique suo, sed eius qui in eo loquebatur arbitrio.

m in vit. c. 19.
n lib. de opere Mon. c. 29. *Secularibus negotiis Paulus Prælatum præposuit.*
o 1. Cor. 6.
p in 1. Cor. 6. & epi. 49.
q in 1. Cor. 6.
r in Psal. 118. conc. 24.
s lib. 2. c. 49. & aliquot seq.

Videntur equidẽ mihi nunc Apostoli CHRISTVM imitati, qui interpellatus à nescio quo, vt fratri diceret, vt diuideret cum ipso hæreditatem, respondit [t]: *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos?* quasi negaret nõ habere se iudiciariam potestatem, qua tamen vsus est in causa adulteræ [u], in tollendis de medio porcis [x], in siccanda ficulnea [y], in asina, & pullo obequitando, sed voluntatem potestate vtendi, *cùm*, vt ait Ambrosius in Lucam, *maioribus intento animo, minoribus obstrepi negotiis non debeat.*

t Luc. 12. 14.
u Ioan. 8. 3. & seq. *Christus vsus potestate iudiciaria.*
x Mat. 8. 32.
y Matt. 21. 19.

Episcopi causas seculares cognouerunt & iudicarunt.

Alioqui cognitas ab Episcopis, & iudicatas causas seculares, non exemplum tantùm iam allatum Augustini docet, quem item vide in Psalmum 118. [z] sed præterea Ambrosij, teste Augustino [a], qui etiam Ambrosius id de seipso narrat [b], necnon se Magistratuum, ipsiúsque Imperatoris praua irritasse iudicia confirmat [c]. Gregorij etiam Thaumaturgi apud Nyssenum [d], & Synesij Episcopi Ptolemaidis Cyrenensis Pentopolitanæ prouinciæ in Ægypto, vt ipsemet in quadam epistola [e] meminit, conquerens more Ægyptiorum, & Hebræorum coactum sacerdotis, iudiciíque partes exercere.

z conc. 24. & ep. 147.
a 6. Confes. cap. 3.
b epist. 45
c 2. Offic. cap. 29.
d in vita.
e ep. 57.

Huius omittenda nullo modo sententia instituto nostro peropportuna: *Non condemno Episcopos, qui in rerum negotiis versantur, sed magis miror eos, qui vtrumque possunt. Mea facultas non est duobus dominis seruire* [f]. *Si verò sunt aliqui, qui neque à condescensu læduntur, poterunt sanè & sacerdotio fungi, & ciuitatum præfecti esse: radius enim Solis si cum stercore versabitur, purus manet, non inquinatur: ego verò cùm idem hoc fecero, fontibus, & mari opus habeo.*

f Matt. 6. 24.

Ecclesiastica leges ciuilibus non repugnant.

Scitum est postremò, ab Ecclesiastico Magistratu latas esse leges ciuilibus alioqui per se minimè malis repugnantes, qualis est illa qua in Concilio Africano, Cypriani tempore, cautum est, ne clerici tutelas admitterent, cuius meminit idem Cyprianus [g], & à ciuili Magistratu ad Ecclesiasticum Magistratum olim prouocatum esse, rata ac firma iudicis Ecclesiastici manente sententia, nec si præoccupatus Ecclesiasticus esset, licuisse ad ciuilem appellare. Et cùm Episcopi sontium supplicia apud Iudices intercedendo deprecarentur, ab istis exauditos. Qua de re videre poteris quæ scripta sunt in C. Theodosiano [h], & de Constantino Magno, quæ sunt apud Eusebium [i], & Sozomenum [k], & ex Iustiniano in Nouellis [l], & ex Honorio [m], vt est apud Augustinum [n], & Ambrosium [o].

g epist. 66.
h de Epis. iudicio. l. 1.
i 4. vitæ eius cap. 27.
k lib. 1. c. 9.
l Nouel. 86.
m de Ep. iudien. l. 7. in Cod.
n ep. 158. & 159.
o epist. 76.

Omitto pauperum curam Episcopis tam seriò commissam cum hospitalitate, & sacerdotij redituum partem ad id peculiariter designatam. Lege de tota hac controuersia Bellarminum, cùm agit de Romano Pontifice [p].

p lib. 5. c. 10. *Quomodo cura rerum temporalium sit ab Episcopo administranda.*
q lib. 4. de consid. c. 6.

Egregia omninò sunt, quæ de cura rerum temporalium à Prælato sumenda præcipit Bernardus [q]: *Summa est*, inquit, *vt eam cum alio communicet fideli, prudenti, quem auctoritate communiat; & quamuis idoneum non reperiat, aut non adeò fidelem, talem potiùs sustineat, quàm se immergat labyrintho huic, memor Iudam œconomum fuisse* SALVATORIS [r], *& infidelem Ægyptium Iosepho suarum ita rerum curam commisisse, vt ignoraret ipse quid haberet in domo sua, nisi panem quo vescebatur* [s].

r Ioan. 12. 6.
s Gen. 39. 6. *Episcopum quæ maxime dedeceant.*

Nil turpius Episcopo, quàm incumbere supellectili, & substantiolæ, scrutari omnia, sciscitari de singulis, mordeti suspicionibus, moueri ad quæque perdita, vel neglecta, quotidianas expensas quotidiano reciprocare scrutinio, de pretio escarum, & numero panum quotidianam cum ministris habere discussionem: con-

tinua

tinua verò Dominici gregis detrimenta nescire: raram admodum cum presbyteris celebrare collationem de peccatis populorum. Sic optimus Abbas ibi & alibi [a] partes Episcopi Prælatique descripsit, id sine dubio factitans in monasterio, quod suggerebat Pontifici. Piè ac verè Ambrosius [b], perpendens Psalmi verba, *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum,* siue, *in verbum,* ait: *Nos autem otiosos nos putamus, si verbo tantummodo studere videamur: & pluris æstimamus eos qui operantur, quàm eos qui studium cognoscendæ veritatis exercent,* &c. Tum, allata sententia CHRISTI, *Martha* [c], *Martha, sollicita es,* &c. *Ita*, inquit, *verbum cognoscere maius opus esse, quàm ministrare diuinæ auctoritate sententiæ definitur,* & cetera. Itaque præcipua Episcopi ac Prælati de DEI verbo cura debet esse: res temporales per alios potiùs administrabit. In concilio Carthaginensi IV. [d] decernitur, vt *Episcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum non per seipsum, sed per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum agat.* Item [e], vt *nullam rei familiaris curam ad se reuocet, sed lectioni, & orationi, & verbi DEI prædicationi tantummodò vacet.* In Chalcedonensi [f] Synodo cauetur, ne absque œconomo res seu facultates Ecclesiasticas Episcopi tractet. Legat, cui vacat, prolixam & accuratam Claudij Espensæi digressionem ad priorem epistolam Pauli scriptam Timotheo, quæ est de Clerico. Bellè huc Esaiæ [g] testimonium quadrat agentis de Principe, quem non minùs Ecclesiasticum possumus intelligere, quàm politicum: *Princeps ea, quæ digna sunt Principe, cogitabit: & ipse super duces stabit;* hoc est, super inferiores Magistratus, ita permittens illis munia ipsorum propria, vt simul velut ex alto attendat, ne quid in iis peccent, grauiùs præsertim.

a vt hō.4. super, ausus est.
b in Psal.118. octon.11.
c Luc.10.41.
d c.17.& habetur d.18 ca. Episcopus gubernationē.
e cap.20.& d. 88.ca.Episcopus nullam.
f c.26.& d.89. c.quoniam in quibusdā. & 16.q.7.c.quoniam in quibusdam.
g c.32.8.

Non est æquum.] Græcè, Οὐκ ἀρεστόν ἐστι, *non est conueniens.* Syrus verò sic habet, לא שפיר *la schaphir,* id est, *non est res pulchra:* vel, *Non decet.* Græca phrasis propriè significat, *non est placitum*, nimirum DEO, nobis, vobisque, seu tale vt placere possit. Nescio, an cui placeat, vt huc illam τοῦ ἀρεστοῦ significationem facere dicamus, qua, Budæo auctore [h] (qui se de hac re à Paulo Æmilio admonitum ingenuè fatetur) idem est, quod decretum, & placitum, vnde sint quæ Galli arresta, *arrests*, adcita vna litera r, appellant; sicut & placita Plinius [i] vocat maximè ratas opiniones Medicorum, quales Aphorismi Hippocratis, ita scita, & Senatusconsulta curiæ Gallicæ Arresta nominentur, quasi placita, quoniam antiqui verbo placendi vtebantur pro eo quod est decernere, & statuere Senatusconsulto. Quod Brissonius [k] affirmat testimonio Senecæ, Ciceronis, Liuij, & legum. Sic hodiéque formulam in decernendo Galli Reges hanc adhibent, *Car tel est nostre plaisir*, innuentes fortasse Comitiorum decretum, quod medij seculi scriptores, vt ætate Caroli Magni, placita vocabant, eodémque nomine Curiam ipsam, forum, & iudicium. Vnde placitare, Gallicè, *plaider*, Italicè, *predeggiare*, vel, *piateggiare:* & lis Hispanicè, *pleyto.* Non inuerosimile Franco-gallicum, *les plaidz*, à *platz* Germana voce deriuatum, quæ plateam significat.

Arrestum, quod Galli vocant, pro sententia iudicis tribunalis, vnde dictum.
h in Pand.l.fi. ff.de Senato.
i lib.14.c.22. lib.29.cap.1.
k Form.lib.2. pagin.214.& 215.

Iuxta hanc notionem significarent Apostoli modum illum ministerij circa mensas adhuc obseruatum, non esse arrestum, hoc est, non obtinuisse vim decreti, & perpetuæ legis, vt nempe per ipsosmet Apostolos fiat: experiundum priùs fuisse, & doctrice experientia compertum esse, nouam iniri rationem stabilem, ratámque oportere.

Quomodo quod de ministerio mensarum factum fuerit, decretum non fuerit.

Sanctas oportet esse leges, hoc est, sancitas, & quàm fieri potest, maximè firmas, sed pro conditione rerum humanarum, vel temperandæ quandoque sunt, vel etiam mutandæ, & abolendæ.

Leges quomodo sanctæ sint.

Ministrare mensis.] Mensarum ministeria omnia ad vitam sustentandam necessaria comprehendunt, præsertim ad victum, idque maximè pauperum. Gregorius [l] pro eodem accipit, præponi aliquem mensis pauperum, & exhibendæ diaconiæ, patebitque id magis ex dicendis. Syrus interpres mensas hîc vocat פתורא *pathura,* quod quidam putant è Græco descendere ποτηρίου, pro calice & patera, seu poculo, ac per synecdochen significare, quæ pertinent ad victum. Obstat huic sententiæ aspirata litera in Syra voce: durior quoque ac insolentior synecdoche ista censenda est.

l lib.9.ep.24.

Versus 3.] Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos SPIRITV sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus.

CONSIDERATE *ergo, fratres.*] Ἐπισκέψασθε, *perspicite.* Syrus habet, בצו *beisu,* i. *despicite,* seu, *exquirite.* Prima est hæc electoris conditio, ne tumultuariè, & inconsultè eligat: & respectum habeat ad amorem fraternum, atque concordiam. Non permittitur sortibus electio, vt Mathiæ; qua de re dictum tunc satis. Lege Petrum Gregorium [m].

m 7. de Rep. c.14. tract. de Elect.c.3.n.10 li.34.Synt.c.5.

Viros.] Non mulieres, inquit Glossa interlinearis. hæc est secunda: arcentur enim ab hierarchia Ecclesiastica. Qua in re Pepuzitæ, siue Pepuziani, apud Epiphanium [n], & Augustinum [o], & hæreseologos alios errant, hierarchicos ordines etiam fœminis conferentes; cùm fabularentur in oppido Pepuza CHRISTVM specie fœminæ reuelatum esse; ideóque cognominarent id oppidum Ierusalem, tanquàm diuinum quid, & summum fœminis haberent honorem. Errat prætereà Lutherus [p], cùm vult fœminas etiam, dummodò sint baptizatæ, posse sacramenta ministrare. Hunc errorem condemnat Concilium Tridentinum [q].

n hæresi 49.
o de hæres.c. 27.
p lib.de capt. Bab.c. de ordine.& in art. a Leone x.damnatis.in 13.& lib.cont.Bullam eiusdem. & lib. de abr. Missa priu. & lib.de inst.ministr.Eccles.
q Sess 7.can.1.

Certum est quoque Angelum non esse ministrum ordinarium; tametsi collatum à bono ratum haberi sacramentum deberet, vt de ordinatione Amphilochi tradit Nicephorus [r].

Angelus sacramentorum nō est ordinarius minister.
r lib 11.c 20.

Nam oportet ministrum esse iis similem, quibus ministrat, & elementum, hoc est, verbum, sensibili voce proferre; quæ Angelo minimè conueniunt: fœminis ne docere quidem in Ecclesia permittitur ab Apostolo [s], multò minùs exercere potestatem ordinis, aut iurisdictionis Ecclesiasticæ. Lege Bellarminum [t]. De Diaconissis verò, & Presbyteris fœminis paulò pòst.

s 1.Cor.14.3. 1.Tim.2.11.12.
t lib.de Sacr. c.24.& 25.

Ex vobis.] Tertia veluti conditio electionis est, vt in congregatione eligendorum simul absque acceptione personarum, simul etiam de numero fratrum congregatorum delectus fiat, hoc est, eiusdem fidei, & religionis, eorumdémque morum: nam quod attinet ad alias externas conditiones gentis, seu patriæ, nobilitatis, doctrinæ, ætatis, famæ, & existimationis, &c. statui nihil potest, nisi pro variis temporis, ac locorum, similiumque rerum circumstantiis; & alibi attigi nescio quid, præstétne Magistratum ex domesticis eligi, an etiam externis [u]. Constat olim propter

u cap.1.12.

depre

Prohibitum est ne Afri ordinarentur, & cur.

deprehensam Afrorum perfidiam, qui vel relabebantur in hæresim Donatistarum, aut Manichæorum, vel tectam diu prodebant, cauendum fuisse à Gregorio Papa II. ne penitus ad Ecclesiasticos ordines admitterentur. Quò minùs mirari debebit, qui similia vigere alicubi decreta cognoscet, ob causas non omninò dissimiles: seu quæ pertinet ad errores, seu ad mores. De Discipulorum numero electio fit, vt qui obedire didicit, præsit. Rectè enim inquit Hieronymus [a]: *In Ecclesiis quamuis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumere nemo debet, nisi possit docere quos pascit.*

a Ephe. 4.

Boni testimonij.] Μαρτυρουμένους, *Testatos & probatos.* Syrus sic est interpretatus, דאית עליהון סהדותא *dith bhalihun sahadutha*, id est, *de quibus sit vel extet testimonium.* Est μαρτυρίομαι, testibus comprobor, seu testimonio probor, & plerumque in bonam partem sumitur. Vnde alibi in Scriptura ponitur absolutè absque additione boni [b], χήρα ἐν τοῖς καλοῖς ἔργοις μαρτυρουμένη, *vidua in bonis operibus testata & probata.*

b 1. Tim. 5. 10. Rom. 3. 21.

Quomodo populus in Episcoporum electione adsit electionibus.

c vers. 15.

Dixi capite primo [c] concessam populo hac ratione quodammodò electionem ministrorum Ecclesiæ, etiam Episcoporum, nimirum non tam per suffragium, quàm per testimonium de vita, & moribus, vt magis cogniti, probatique, magis quoque deligerentur, & audirentur. De Diaconis quidem sic præcipit Paulus [d]: *Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes,* videlicet præsertim publicum, & multitudini notum, in quo debent ministrare, ἀνέγκλητοι, sine accusatione, sine crimine, quo de inius vocari possint, vt explicat Hieronymus [e]. Quam etiam ad rem facit Origenis locus, quem posteà citabo, & quod Cyprianus [f] negat immunem esse populum à contagio delicti, si ad iniustum atque illicitum præpositi sui Episcopatum consensum suum commodet: & probat electionem coram eo fieri debere, non tantùm exemplo Aaron, & Eleazari [g], sed etiam Mathiæ [h], & Diaconorum; *vt vel detegantur,* inquit, *malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit electio iusta, & legitima, quæ omnium suffragio, & iudicio,* id est, *testimonio fuerit examinata.*

d 1. Tim. 3. 10.

e 1. cont Pela.

f lib. 1. epi 4. seu ep. 68.

Populus à delicto immunis non est, si ad indignum consensum praebeat.

g Nu. 20. 27. & seq.

h Act. 1. 15. & seq.

Episcoporum electio per plebem fieri non debet.

i Can. 12. & 13 c. non est permittendu. dist. 63.

k ep. ad Euag.

l ep. 87. ca. 1. c. vota. dist. 63.

Ceterùm in Concilio Laodiceno [i] prohibetur electio Episcoporum per plebem fieri. Hieronymus [k] scribit electionem Episcopi Alexandrini factam fuisse à Presbyteris. Leo [l] *in singulorum Episcoporum electione vota requirit ciuium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electionem Clericorum:* & denuò ibidem, *subscriptionem clericorum, honoratorum testimonium, ordinis, & plebis consensum.* Lege Pamelium in Cyprianum [m]. Item Leo ad Episcopos Africanos [n] scribens: *Citò manus imponere,* inquit, *est ante ætatis maturitatem, ante meritum obedientiæ, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem dignitatem conferre non probatis; & communicare peccatis alienis est, talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari.*

m lib. 1. ep. 4. vel 68.

Quid sit citò manus imponere.

n epi. 85. & ca. quid est manus. dist. 78.

Electio facienda nō ſit hominum ignorum.

o 4. de Sacer. quē lege pręterea ho. 1. in epi. ad Tit. & hom. 1. ad popu.

Chrysostomus etiam [o]: *Neque,* inquit, *eos qui elegerint, subleuare quicquam poterit, si dixerint ignorasse se eum, quem elegêre; verùm vel ex hoc ipso crimen grauius efficitur, quòd quem ignorauêre, perduxerint, aut certè quæ illis videtur excusatio, accusatio est. Nam quomodo id absurdum non sit, eos, qui mancipium aliquod empturi sunt, id tum medicis ostendere, tum emptionis sponsores postulare, tum vicinos interrogare; ac ne tunc quidem adhuc confidere, quin immò, & diuturnum aliquod tempus poscere, intra quod probare illud possint: eos verò qui quempiam ad Episcopale munus huiusmodi cooptaturi sunt, sicut placitum sit ad aliorum vel gratiam, vel inuidiam testimonium suum accommodare, ita eum temerè, ac vt casus tulerit, adlegere, nulla prorsus alia discussione facta.* Sic aureum illud os.

Gregorius etiam cùm in aliis epistolis, tum maximè in 34. libri octaui declarat, quàm diligens esset inuestigator eorum, qui ordinandi essent, & lib. 7. epist. 110. vbi egregiis similitudinibus hoc demonstrat.

Solet hoc tempore solenniter ac publicè exigi de ordinandis testimonium ab Episcopo, idque nomine omnium reddi ab Archidiacono: qui mos innuitur Romæ seruatus à Hieronymo [p], & ab Auctore Quæstionum vtriusque Testamenti apud Augustinum [q].

p epist. 85.

q q. 101.

Et hoc est *manus citò nemini imponere,* vt cauet Apostolus [r], *ne communicet, qui imponit peccatis alienis, examen ordinandi præcedere, vt qui probitate morum, & Ecclesiastico labore sit commendatior, probatus iudicio, non fauore, susceptus veritate, non gratia, Apostolico ordine fretus, non præcipiti voluntate;* vt loquitur Papa Siricius [s], quamuis agens de gradu Episcopali.

r 1. Tim. 5. 22.

s epist. 1.

Requiritur in ministro Ecclesiæ non doctrina tantùm cum sanctitate, sed etiam prudentia [t], *ita vt domus suæ, si quam habet, bene præesse sciat* [u], *& nihilominùs secularia, mundanàque omnia noscat,* vt ait Chrysostomus [x], *tanquàm qui in media hominum turba versatur, & rerum omnium humanarum securior viuat, quàm Monachi, qui montes ipsos habitandos occuparunt. Nam cùm illum necesse sit eorum hominum consuetudine, & congressione vti, qui & vxores habent, & liberos alunt, & seruos possident, quique & diuites admodum sunt, & publicè negotiantur, & potentia pollent, certè eum varium esse conuenit.* Ita quidem Chrysostomus de Episcopo, sed suo modo ad alios transferri potest, qui ad aliquam in Ecclesia sollicitudinis partem vocantur.

Quid requiratur in ministro Ecclesiæ.

t Luc. 12. 42. Matt. 24. 45.

u 1. Tim. 3. 4.

x 6. de Sacerdotio.

Communicat peccatis alienis, inquit Apostolus [y], vt antè retuli, *qui citò,* id est, temerè, & sine delectu manus imponit, quam ad rem valdè facit exemplum Leonis Papæ primi recitatum in Prato spirituali [z]. Illi enim Petrus, postquàm dies quadraginta perseuerans ad sepulcrum eius petisset sibi, ipso intercessore, peccata dimitti, respondit: *Oraui pro te, & dimissa sunt tibi omnia peccata tua, præterquàm impositionis manuum: hoc solum abs te requiretur, siue bene, siue fortasse male egeris.*

Quantum sit peccatum manus indignis imponere.

y 1. Tim. 5. 22.

z cap. 149.

Id nempe intelligitur, non de dimidiata culparum remissione, sed de pœnæ satisfactione. Nil ergo mirum, si Leo tam seuerus in corrigendis aliorum fuerit electionibus [a]. Eius transtulit, eadem de re loquens, verba contra Imperatorem Michaëlem, & contra Photium agens Nicolaus primus, necnon aliorum Pontificum in pluribus epistolis.

a vt epist. 87. cap. 1.

Huc spectat scrutinium, de quo Anacletus in epistola [b], qui præterea ciuiũ consensum requirit: & quod Zephyrinus [c] imperat, vt ordinatio fiat multis coram astantibus: & literæ testimoniales, quæ ab ordinandis exiguntur, de quibus exactissimè præcipiunt Concilia Prouincialia Mediolanensia [d] post Oecumenicum Tridentinum [e]. Legenda tota Decreti causæ primæ quæstio septima, necnon Interpretes Pauli locis citatis.

b epist. 2.

c epist. 2.

d in 4. part. pag. 141. & part. 3. pag. 265.

e Sess. 23. Decret. de Reform. c. 5. & 15.

Quinam præ ceteris eligendi.

Septem.] Ex multis conuocatis eliguntur, quoniam ij assumendi sunt, qui inter ceteros sunt magis digni, idoneique. Origenes egregiè hoc docet [f]: *Licèt Dominus,* inquit, *de constituen-*

f in Leuitic. Hom. 6. & habet ergo 8. quæst. 1.

by Google

do Principe præcepisset, & Dominus elegisset, tamen conuocatur etiam Synagoga: requiritur enim in ordinando Sacerdote, idem dices de Diacono, *& præsentia populi, vt sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc attestante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret.* Huc vsque Origenes.

Septem, inquit. Non minus collegium Diaconorum horum dictum est septem [a], quàm Apostolorum duodecim, vt dictum est suprà [b]. Hos Diaconos septem rectè comparaueris, imitatus Hugonem, & alios, cum septem Angelis DEO assistentibus, & candelabris lucentibus ante Dominum, & lampadibus siue spiritibus, & tonitruis, & vno in lapide infixis oculis, & stellis, quas tenere in dextera CHRISTVM Ioannes vidit in Apocalypsi variis locis; & prima quidem tria huc aptat Conc. Aquisgr. [c] Ignatius [d] certè Diaconos vocat *imitatores angelicarum virtutum*: nimirum propter nonnulla munia iis attributa, de quibus posteà.

a Act. 21. 8.
b vers. 2.
c cap. 7.
d ep. 3. ad Tra.

Septenarij perfectiones fusè persequitur Petrus Bongus in opere de Numerorum mysteriis, & Andreas Masius in Iosue [e], & Salmeron in Prolegomenis [f], Ribera [g], Pineda [h], Pererius lib. 1. in Genes. [i] ex antiquis, Philo [k], Eusebius [l], Clemens Alexand. [m] Augustinus [n], Beda [o], Hieron. [p] Hilarius [q], Basilius [r], Chrysostomus [s], Procopius [t], Macrobius [u], Gellius [x]. Rursus ex recentioribus Franciscus Georgius [y], Pierius [*], Baptista Egnatius [z]. Vocat eum Cicero [a] numerum rerum omnium nodum: Linus poëtarum vetustissimus cunctarum rerum originem, quæ primariæ sex sunt, Angelorum, elementorum, in quibus cœlum quoque numeratur, mixtorum, inanimatorum, plantarum, brutorum, hominis: quarum rerum essentia veluti septima DEI vnitate colligatur, & consistit. Pythagoræi duci, ac rectori omnium simillimum dixerunt, & virgini sine matre natæ Mineruæ: vt proinde Philo [b] dicat, quòd illud vnum solum syncerum esse hebdomadam sine matre ex seipso solo genuit, nulla prorsus adhibita materia: & tertia lex est de semper virgine sine matre nata hebdomada (hoc est, de sabbato sanctificando [c]) vt creatura assueta eius otio, reminiscatur eius, qui cuncta facit inuisibiliter. Denique totus diuinus habetur septenarius, & ter quaterque beatus dicitur is, qui maximè, ac, vt dici solet, omnibus numeris absolutus, & perfectus; estque crebrò idem numerus à Scriptura pro vniuersitate & generalitate rerum vsurpatus. Testis idem Philo [d] (dicens nulla facundia naturam vímque septenarij exponi) vocatum à Philosophis σεπτάς pro ἑπτάς, quasi ἀπὸ τοῦ σεβασμοῦ, & σέβεσθαι, ab insita quadam venerabilitate.

e cap. 6.
f Tom. 1. in Prol. 20. & 41.
g in Ezech. 4. n. 60.
h Iob. 5. v. 19.
i c. 2. v. 34. & c. 42. v. 1. n. 2.
k lib. de vita contempl.
l li. 13. de Præp. c. 7.
m 6. Strom. 8.
n 1. Gen. con. Man. cap. 13. in Psal. 71. & 11. de Ciu. c. 31.
o in Hexam.
p Amos 5.
q Prol. in Psa.
r hom. 11. Hexam.
s orat. 5 cont. Iud.
t in c. 4. & 31. Genes. & 4. Deut.
u lib. 1. c. 6.
x lib. 3. c. 1.
y in hac. cant. 2. ton. 7. ca. 5.
* lib. 16.
a in sec. c. 21.
a in Som. Scip.
b li. de opif. mundi.
c Exod. 20. 8. cap. 31. 13. 14. Deut. 5. 12. 13. 14. Eze. 20. 13. Gen. 2. 2. 3.
d loco suprà citato.

Præterea plurima mystica numeri septenarij exempla, in columnis domus sapientiæ: in donis SPIRITVS sancti: in Sacramentis: in pœna septupli: in remissione septuagies septies facienda: in septem hebdomadis dierum pro Pentecoste: in totidem annorum pro Iubilæo: in septuaginta hebdomadis Danielis: in septem annis, quibus laborauit Iacob pro Rachele: in septem vaccis pinguibus & macilentis: in diebus azymorum: in septimo anno, quo liberabatur seruus Hebræus à seruitute: in anno quo vacare debebat priùs culta terra: in aliis quæ proprio tractatu Italicè composito collegit Ioannes Paulus Eustachius ex Hebræo Christianus; docens adeò exactè vsum CHRISTVM numero mystico septenario in nouo Testamento, vt est in vetere vsus DEVS: indéque fieri eundem vtriusque Testaméti DEVM esse. Quod quidem argumentum pium magis, quàm validum est, cùm in his numerorum mysteriis nihil succi, nihil vigoris sit ad dogmata aliqua confirmanda: sed suppetunt longè firmissima ad id comprobandum argumenta, quæ ex antiquis, qui contra Marcionem, & Manichæos, & similes hæreticos disputarunt, peti possunt. Et vt aliqua nos adhuc septenarij numeri exempla proferamus, quis scit, an septem sportæ, quæ superfuerunt ex panibus multiplicatis [e], designent septem hos Diaconos nostros; sicut in alia multiplicatione cophini [f] duodecim, totidem Apostolos, quoniam ita mensis præsunt Diaconi, vt Apostolis tamen subiiciantur? Et possemus idem dubium proferre de septem Discipulis, quibus CHRISTVS apparuit piscantibus post Resurrectionem: *Et cùm iussisset rete in dexteram nauigij partem mittere, illud plenum magnis piscibus ad terram perduxerunt* [g]: quia Diaconorum fuit istorum officium, alimenta conquirere, & dispensare pauperibus.

e Mat. 15. 37.
f Ioann. 6. 13. Mat. 14. 20.
g Ioann. 21. 2. & seq.

Porrò quoniam septem Diaconi duntaxat nûc electi sunt, Concilium Neocæsariense ita sanxit [h]: *Quòd septem debeant esse Diaconi, ex Canone, etiamsi sit magna ciuitas, & ex libro Actuum persuadeberis.* Hoc decretum cùm recitasset sexta Synodus Constantinopolitana [i], declarat Patres illos locutos non de viris qui ministrant mysteriis, sed de ministerio quod in vsu mensarum adhibebatur. Ad hoc verò affert Concilium hunc ipsum locum, quem tractamus, cum expositione Chrysostomi docentis illud idem; de qua re paulò pòst.

Septem Diaconi nô plures in vnaquaque ciuitate eligendi.
h Can. 15. vel 14. & refertur à Côc. Aquis. c. 64. & d. 93. c. Diaconi septem.
i Can. 16.

Sed quod attinet ad numerum, cum quoque referebant septem in Vrbe Diaconi, qui Regionarij dicebantur, à septem illius regionibus, quas Papa Fabianus [k] ex quatuordecim (iuxta diuisionem Gentilium, vt videre est apud Tacitum, Plinium, Sextum Ruffum, Victorem, & alios) in septem contrahens, ipsis attribuerat, vt apparet ex veteribus Ecclesiæ Romanæ monumentis, & libro de Romanis Pontificibus.

In Vrbe septem fuerunt Diaconi regionarij.
k epist. 1.

Sed & Sozomenus [l] auctor est, diutiùs perseuerasse, vt in Romana Ecclesia nonnisi septem Diaconi ordinarentur. In Concilio Romano II. sub Syluestro Canon extat [m], vt Diaconi Cardinales Vrbis non essent nisi septem, aliarum verò Parochiarum saltem duo. In primo autem Concilio Romano [n] mentio est de septem. Antiquior Syluestro, & Fabiano Euaristus Diaconos quoque septem ordinasse traditur, qui custodirent Episcopum prædicantem [o].

De Diaconorũ numero quid sit statutum.
l lib. 7. c. 19.
m Can. 6.
n Act. 2.
o in libr. de Rom. Pont.

In Concilio Aquisgranensi [p] extat, *quòd ex hinc*, id est, ex electione septem Diaconorum, quam præsens historia continet, *Apostoli vel successores Apostolorum per omnes Ecclesias decreuerunt septem Diaconos ordinandos, qui sublimiori gradu ceteris proximè circa aram DEI quasi columnæ altaris assisterent.* Et tamen Clemens [q] docet, numerum eorum esse debere ad proportionem multitudinis. Nicephorus [r] quoque scribit Romæ quidem suo tempore septem duntaxat fuisse Diaconos ad primorum instar: apud alios autem populos, quem sors tulisset, eorum numerum extitisse.

De septê Diaconis quid Conc. Aquisgr. statuerit.
p ca. 7.
q 2. Const. ca. 19.
r li. 12. c. 34.

Quod in causa fuit, vt Auctor Commentariorum in primam ad Timotheum [s] apud Ambrosium inde probet cœlibatum Diaconorum, &

s cap. 3.
Diaconorum cœlibatus vnde probari possit.

aliorum

aliorum ministrorum altaris, quòd in lege erat infinita quædam Leuitarum multitudo, ita vt tempore quo non contingebat illos deseruire altari, coniugio, & rei familiari vacare possent: nunc Diaconos oportet esse septem, & aliquantos Presbyteros, vt bini sint per Ecclesias, & vnus in ciuitate Episcopus, & quotidiè præstò esse debent in Ecclesia, ita vt non habeant dilationem, vt post conuentum legitimè purificentur sicut veteres.

Plenos SPIRITV *sancto, & sapientia.*] Non sufficit testimonium bonum, & externa bona existimatio, ac fama; sed requiruntur internæ dispositiones sanctitatis, & prudentiæ, vt etiam superiùs docuimus.

Hi Diaconi non tantum fuerunt materialibus mensis præpositi.
a Hæres.21.

B Hæ autem tot, ac tales dispositiones, & quòd, vt Epiphanius [a] dixit, essent hi septem Diaconi ex septuagintaduobus Discipulis, demonstrant non solis materialibus mensis præpositos fuisse: tum etiam qui paulò pòst subduntur ritus orationis, atque impositionis manuum in eorundem ordinatione, quos adhibitos Auctor item scribit, cùm Paulus & Barnabas ordinati sunt [b]: Baptismus quoque à Philippo collatus & Euangelij ab eodem, & à Stephano facta prædicatio manifestò declarãt ad aliquem Hierarchicum ordinem fuisse prouectos, siquidem quæ maioris sunt momenti iudicia, quàm externæ mensæ, per eos, qui contemptibiles essent in Ecclesia exerceri Paulus [c] voluerit. Præterea easdem ferè in Diaconis cõditiones requirere is solet, quas in Episcopis [d]: in epistolis item aliis [e] solet eos cum Episcopis coniungere, & subnectere, Episcoporum nomine presbyteros quoque intelligens, vt alibi dixi [f].

b cap.13.3.
c 1.Cor.6.4.
d 1. Tim.3.2. 3.4.Tit.1.6 & seq.
e Philip.1.1. 1.Tim.3.8.
f cap.1.20.

Postremò constat ex eiusdem epistolis Diaconos fuisse Ephesi, Philippis, & Cretæ, vbi tamen non agebant Christiani vitam cœnobiticam, hoc est, ex collatis in commune facultatibus, vitam minimè ducebant fideles, qui ibi erant, ideóque non erat ibi opus ministris mensarum externarum: igitur alia potiora ad eos munera pertinebant.

Diaconatus characterem imprimit, & habet annexum cœlibatum.

Imprimit etiam Diaconatus characterem, quia non potest repeti, nec amitti: & habet annexum cœlibatum ex decreto Concilij Ancyrani [g], & Siricij Papæ [h], & Concilij Carthaginensis II. [i] in quo citatur Apostolica Traditio, & Innocentij I. [k] qui de Syricio meminit, & VI. Synodi [l], & citatur in Decreto [m] (si tamen canon ille aliquo in numero sit censendus, & non potiùs spurius & suppositirius, vt posteà dicam) & Arelatẽsis II. [n] & III. [o] & Capitulorum, quæ Martinus Bracarensis ex Synodis Græcis collegit [p], recitatúrque in Decreto [q], & Concilij Arausicani I. [r] & Concilij Lugdunensis II. [s] & Concilij Agathensis sub Symmacho [t], quod meminit Syricij, & Innocentij, item Leonis I. [u] Sed hæc ipsa maiorem ex his quæ mox subiicientur, firmitatem consequentur.

g ca.9 vel 10.
h epi.ad Episcopos Afric.
i cap.2.
k epi.ad Exuperium.c.2.
l can.13.
m dist.31.cap. quoniam.
n cap.2.
o cap.3.
p cap.39.
q dist 27.cap. Diaconus qui.
r c.22.23.24.
s cap.1.
t cap.9.
u epist.93.

Glossa interlinearis, & Lyranus plenitudinem istam sancti SPIRITVS, & sapientiæ, exponunt de dono signorum, & linguarum: Oecumenius de interna gratia ad ferendam maledicentiam orphanorum, & viduarum, aliorúmque nugatorum.

Quos constituamus super hoc opus.] Ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης, *in vsu aut necessitate hac, in negotio*, vel *necessario munere*. Syrus sic legit, על הדא צבותא *hhal hada tsebutha*, id est, *super hoc munus*, vel, *apparatum*. Communis expositio est de ministerio rerum temporalium, quod exerceant ipsi, vel exercentibus præsint. Attamen Beda, & eius vtens verbis

A Glossa ordinaria, *constitutos ait Diaconos, qui essent sublimioris gradus ceteris, & proximi circa aram, quasi columnæ, assisterent.*

Diaconi ad quod munus instituti.

Negant quidem Chrysostomus, & Oecumenius constitutos nunc Diaconos iuxta gradum, qui nunc est in Ecclesia, sed ad ministerium duntaxat eleemosynæ quotidianum, & Chrysostomi auctoritatem secutum sextum Constantinopolitanum vniuersale concilium, memini superiùs idem sensisse. Origenes quoque in Matthæum [x] in eâdem videtur opinione, numularios, de quibus Euangelium, Diaconos interpretans mensis præpositos Ecclesiasticarum pecuniarum has non bene tractantes ac dispensantes, sed fraudantes, & inde ditescentes. Innuit simile quiddam Cyprianus [y] conquerens de Nicostrato Diacono.

x Tract.15.
y lib.1.ep.2. lib.3.ep.11.

Tamen isti non affirmant Diaconatus ordinem in hoc solo consistere, & non in munere aliquo sacro, atque ipsum non esse ordinem verè sacrum. Habetur etiam Canon ille VI. Synodi vnus ex spuriis & confictis.

Etiamsi septem Diaconi non fuerint sacro ordine initiati, Diaconatus tamen sacer ordo est.

Et quanquàm aliud est dicere, Diaconatum esse ordinem sacrum, quod præter allata argumenta probatur facilè auctoritate Ignatij, Dionysij, Clementis, & omnium Liturgiarum, aliorumque multorum Patrum, qui posteà proferentur, qui C ministerium altaris, contactum & delationem vasorum sacrorum, solennem recitationem Euangelij, Dominici sanguinis dispensationem iis assignant, & comparant cum Leuitis veteris Testamenti, eodemque nomine Leuitas vocant: aliud autem, quod in præsenti loco sacra ordinatio facta sit: cuius contrarium vltra citatos, tenet quoque Durandus [z], Caietanus [a], & Michaël Medina [b], & defendi posse ait Frãciscus Victoria [c], & Dominicus Soto [d], & cum Victoria tenet Martinus Ledesma [e] à CHRISTO institutum olim Sacerdotium, Diaconatum ab Apostolis: nihilominùs longè communior sententia est, quæ hoc affirmat.

z dist.24.q.2.
a Exponens præsentẽ locum, & tom. 1. Opusc. in 11.
b de sacro. homin. orig. & continen. cap.26.

Diaconatus ordo à Christo institutus.

Hanc sententiam non ea modò, quæ anteà dicebam, demonstrant, sed apertum etiam Ignatij D testimonium de Diaconis ita loquentis [f]: *Oportet & Diaconos mysteriorum* CHRISTI *ministros per omnia placere: nec enim ciborum, & potuum ministri sunt (tantùm, per se, semper) sed Ecclesiæ* DEI *administratores.*

c in Sum. de Sacra. n. 226. vel 235.
d 4. dist.24.q. 1.a.4.
e in 4.2.p.q. 40.a.1.
f epist.5.

Diaconatus ordo sacer, ut veteres Patres docent.

Et vt intelligas respectum etiam habuisse ad Diaconos, de quibus præsens historiæ nostræ locus agit, subdit Ignatius, *quòd ministrant Sacerdotibus purum, & inculpatum ministerium, vt Stephanus Iacobo, Timotheus, & Linus Paulo, Anacletus, & Clemens Petro.* Vbi profectò satis significat protodiaconum Stephanum non solis externis mensis ministrasse. Dionysius crebrò meminit in sua hierarchia Ecclesiastica [g] de Diaconorum ordine sacro, qui inter alia, panem E sanctum, & benedictionis calicem imponant altari. De iisdem scribit ad Demophilum: nec videtur de mensis temporalibus verbum vllum facere.

g cap.3.&5.

Adhuc magis disertè Cyprianus [h] nobis adstipulatur. Nam cùm docuisset Episcopi ordinationem ritè fieri testante populo, vsus exemplo Mathiæ, & Diaconorum, de his huiusmodi causam reddit: *Quod vtique idcirco tam diligenter, & cautè conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet.*

h lib.1.ep.4. seu 68.

Rursum alio loco [i], postquàm dixerat à Do-

i lib.3.ep.9. seu 65.

mino

mino [*] quidē electos Apostolos,id est,vt ipsemet ait,Episcopos,& Præpositos Ecclesiarum, Diaconos verò ab Apostolis post ascensum Domini in cœlos,esse constitutos,rationē constitutionis fuisse ait,*vt haberent Episcopatus sui,& Ecclesiæ ministros.*

* Matth.10.1. Luc.6.13.

Apostoli cur post Ascensionē non ante Diaconos elegerint.

Vbi quod dicit de constitutione Diaconorum per Apostolos,ad frangendam videlicet audaciam quorundam eius ordinis, non facit, quo minùs CHRISTO auctore & institutore Diaconatus sacri,id Apostoli fecerint, ita vt CHRISTVS per seipsum nullos Diaconos ordinauerit, quemadmodum nec immediatè legitur omnia Sacramenta contulisse; vel etiam adeò distinctè ritus instituisse, cùm satis sit rationem præscripsisse, & materiam ac formam essentialem designasse:quod præter eum qui dignitatem capitis habebat, potuisset nemo.

Sacramenta omnia non leguntur à Christo instituta, præscripsit tamen illa.

Sic intelligimus Anacletum [a], & Damasum [b], cùm scribunt, quòd CHRISTVS duos tantùm ordines instituit, Episcoporum in Apostolis, & Presbyterorum in septuagintaduobus Discipulis;agentes (maximè verò id tractabat Damasus) contra Chorepiscopos, qui volebant videri tertium quoddam genus, cùm reuerà essent solùm Presbyteri.

Cur duos tantùm ordines à Christo institutos veteres tradiderint.
a epist.2.
b epist.3.

Concilium Aquisgranense [c] vtens verbis Isidori [d] multa de Diaconis tradit tanquàm de sacris ministris, eorúmque originem refert ad Leuitas veteris Testamenti,& ad electionem septem Diaconorum,quæ hoc loco habetur.

c cap.7.
d 7. Etymol. cap.3.

Clemens in Constitutionibus [e] docet ordinationem Diaconi fieri solitam ab Episcopo imponente manus ei præsentibus omnibus Presbyteris, & Diaconis, & recitante orationem, in qua postulatur ordinando plenitudo SPIRITVS sancti, & virtutis,sicut impletus est Stephanus.

Ordinatio Diaconi quomodo fiat.
e lib.8.c.17. & 18.

Refert prætereà [f] ministratum à Diacono sanguinem: sicut aliquantò pòst de B. Laurentio [g] constat,aliisque,quos Guillelmus [h] Alanus idcirco vocatos notat consummatores & confirmatores sacramenti:quòd autem suspicatur cum vitio legi apud Ambrosium consecratores, & ipse prorsus consentio, & approbatorē prætereà habeo Claudium Espensæum, qui Gropperum citat, immò Ecclesiam ipsam,quæ dispensationem pro consecratione vsurpat in Ecclesiasticis officiis.

f 1.Const. ca 22.
g in actis, & apud Ambr. 1 offic c 41.
h 2.de Euch. sacrif c.39.

Quid?quòd Paulus assignans conditiones Diaconorum, complecti videtur officia eorum tam sacra,quàm temporalia? *Diaconos nempe* [i], inquit, *oportet esse similiter pudicos,non bilingues,non multo vino deditos,non turpe lucrum sectantes* (facile enim est in hæc vitia incurrere versantem cum quibusuis,etiam cum fœminis, & tractantem alimenta atque pecunias) *habentem mysterium fidei in conscientia pura*, id est, sanguinis CHRISTI administrationem.

i 1.Tim.3.8.

Timidè proferebam expositionem istam, etsi in calicis cōsecratione vsurpari scirem has voces, *mysterium fidei*, cùm ecce requirens auctorem, seu fautorem expositionis meæ, Catharinum reperi, qui hactenus id nulli venisse in mentem miratur, ac ne Innocentio quidem Pontifici [k],qui verba illa consecrationis ex Apostolica traditione accepta docuit, licèt in sacris literis non legantur. Adamus Sasbout mihi quoque videtur idem innuere, dum ait, *posse pro certo mysterio accipi, vt sit*, inquit,*mysterium specialis nominis,& non tota fides,seu professio Christianismi.*

Mysterium fidei sanguis Christi ab Apostolo designatur.
k cap. Cùm Marthæ. de celebr. Miss.

Idem præfert Gregorius de Valentia [l], vim faciens in dictis verbis, *mysterium fidei*, vt probet Diaconatum esse ordinem sacrum ex institutione diuina. Meminit,nec improbat eam expositionem Antonius Scaynus [m]. Vidi etiam posteà placuisse nostro Salmeroni [n].

l Tomo 4. disp. 9. q. 1. punct. 2.
m in annot. ad 1.Tim.c.3.

Quocirca credibile est, Ecclesiam in forma consecrationis calicis hæc verba *mysterium fidei*, ex Apostolo mutuatam, non autem de suo addidisse, vt sentiunt passim tamen scriptores de ritibus Ecclesiasticis.Probo autem quam,cur id fecerit,reddit Iuo causam, quia multi hærebant, quomodo sub specie elemētorum sumeretur corpus & sanguis CHRISTI,& hac ratione scrupulum sustulit, quasi diceret:*Sacramenta quæ vides in altari,æstimanda sunt non specie,sed fide.*

Cur adhibeantur hæ voces in cōsecratione calicis.
n in 1.Tim.3. disp.12. & in præsentē locum.

Tandem Ignatius [o] dicit, *Diaconos à* CHRISTO *constitutos esse sicut Episcopos,& Presbyteros,iisq; commissum esse ministerium* CHRISTI [p]; Polycarpus [q] verò non esse hominū ministros,sed CHRISTI;& Hieronymus [r], quòd Nicolaus vnus è septem ministrabat calicem Domini,vt rem certam ponit. Fauet eidem Basilius [s]. Ecclesia etiam in Diaconorum ordinatione petit, vt DEVS velit hos gratia Diaconatus insignire, vt digni existant gradu,& ordine, quo in septenario numero Apostoli Stephanum cum aliis elegerunt. Atqui nunc sine cunctatione profitetur Ecclesia,Diaconatum esse ordinem sacrum.

o epist.14.
Patres Diaconos à Christo institutos perhibent.
p epist.6.
q epistol. ad Smyrnen.
r epist.1.
s in Moral. reg.71.c.2.

Alij posteriores auctores id apertè docent,præsertim Amalarius [t], & Stephanus Eduensis [u], Beda in Retractatione in hunc locum, & Innocentius III. [x] qui notat ideò dalmaticis Diaconos vti, quæ laxiorem formam habent, quia principaliter electi sunt ab Apostolis, vt mensis ex officio ministrarent.Quo loco electionis huius occasionem notat,non electorum solum,aut etiam principale officium.

t 1. de Eccl. offic.c.12.
u li. de sacra. altaris.c.7.
x li.3. Myste. Missæ. c. 5. & 56.

Immò verò ex illa occasione colligi potest sacrum Diaconorum ministerium. Etenim concurrebant, & coincidebant olim mensa,siue cœna communis, & sacra, vt contigit in cœna vltima CHRISTI;quæ prætereà etiam legalis dicta fuit: & ex eo quòd Apostolus ad Corinthios [y] scribit: *Vnusquisque suam cœnam præsumit ad mādūcandum*, nimirum communem : de sacra verò, siue, vt appellatur in eadem epistola, Dominica [z], sunt sequentia illa verba: *Quotiescumque* [a] *manducabitis panem hunc,& calicē bibetis, mortē Domini annūciabitis, donec veniat*,de qua item cœna sacra pridem exposuimus [b], *communicationem fractionis panis*;de communi autem sumptionem cibi cum exultatione.

Quomodo ex hac electione colligatur sacrū Diaconorū ministerium esse.
y 1.Cor.11.21.
z ibid.20.
a 1.Cor.11.26.
b cap.2.

Solebant verò antiqui illi fideles ad synaxim conuenire,& sumpto pane cœlesti vnà conuiuari, & materialem panem victumque necessarium accipere, vt apertè docet Chrysostomus in epistolam primam ad Corinthios [c].Cùm excreuisset igitur eorum numerus, murmurque illud natum esset, de quo initio capitis dictum est, placuit Diaconos creari, qui alimenta ex oblationibus fidelium, tempore sacrificij fortasse, vt modo fit nonnullis in locis,collecta,ex æquo pro cuiusque necessitate distribuerēt,postquàm peractis mysteriis mysticum ipsi poculum ritè omnibus dispensassent:quod spirituale ministerium non exprimitur in præsenti textu, nec Ecclesia id in ista Diaconorum electione factum decernit,aut Patrum communis sententia, alioqui esset res de Fide ; tamen eò propendet communior opinio, & graues Patres affirmant, & rationes non improbabiles suadent,vt ostendimus.

Post communionem fideles simul epulabantur.
c Hom.27.

Non placet quorundam annotatio,Lucam rem

adeò mysticam texisse silentio. Etsi enim solerent etiam catechumenos cælari mysteria sacratiora, teste Dionysio[a], Basilio[b], Ambrosio[c], Augustino[d], tamen scribebatur hæc omnibus historia, fidelibus quoque: nec alibi prodenda fuissent literis talia mysteria, si quid ratio ista valeret. Arator in carmine sic de his Diaconis cecinit[e]:

Iura ministerij sacris altaribus apti
In septem statuêre viris, quos vndique lectos
Leuitas vocitare placet, quàm splendida cœpit
Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Misceat, & latices cum sanguine porrigat agni.

Gulielmus Parisiensis rem totam breui hac sententia definit[f]: *Nonnullis visum ab initio diaconale fuisse officium, pauperum ministrare mensis: manifestum est autem ex ipsa consuetudine euidentissima Ecclesiæ, Diaconale officium totum circa Missarum solemnia consistere.* Sic ille. Lege Bellarminum[g], Baronium[h], Catharinum[i], Taperum[k], Democarem[l], Stapletonum[m], Ioannem Ferdinandum[n], Claudium Espensæum[o], & alios quàmplurimos, qui nostro tempore de religione controuersias tractarunt.

Ceterùm magna Diaconorum auctoritas semper extitit circa ministerium altaris, imponendo super illud ad sacrificium sanctum panem, & benedictionis calicem, vt loquitur Ignatius[p], Dionysius[q], Clemens[r], Polycarpus[s], ita vt altare dictum reperiatur Diaconium in Concilio Laodiceno[t], & Agathensi[u], quia solis Diaconis ad id licebat accedere, & à Cypriano in epistola ad Cornelium de Nouato scribitur. Circa distributionem sanguinis sacri fuisse Diaconorum ministerium, habent, præter Ambrosium suprà citatum, Cyprianus[x], & Iustinus[y], & Concilium Carthag.[z] & Chrysostomus[a], & est apud Nicephorum[b]. Adhæc recitationem solemnem Euangelij in Missa fuisse eorum peculiare officium, scribunt plurimi, vt Clemens[c], Hieronymus[d], Augustinus[e], Gregorius[f].

Amplius mandata iis est cura disponendi in templo, quo quis loco sedeat, & imperandi silentium & mutuam pacem, atque sincerum animum, & orandi cum Pontifice, vt Clemens[g] tradit. Licuit & baptizare Diacono absente Presbytero, vt est apud Tertullianum[h], & Hieronymum[i]: necnon impartiri Eucharistiam etiam eodem in casu, vt legimus in Concilio Niceno[k]. De potestate circa reconciliationem pœnitentium testis Cyprianus[l].

Circa prædicationem quæ fuerit horum administratio, tradit Gregorius[m], qui tamen tantùm videtur significare solemnem recitationem Euangelij; prædicare enim tunc Diacono fas non erat, sed ex concessione Concilij Vasensis II.[n] cùm Presbyter per infirmitatem nõ posset, Sanctorum Patrum homilias populo recitabat. Ambrosius[o] tamen ait Diaconos esse Euangelistas, id est, Prædicatores. Theophylactus[p] eos intelligit, quos Apostolus ibidem vocat Doctores, quia possunt euangelizare sine cathedra, quemadmodum Stephanus[q], & Philippus[r], idque etiam docet Petrus Blesensis[s], & Anselmus[t]. Exemplum Benjamin Diaconi Persæ, de quo Ecclesiasticæ historiæ[u], nõ obest; docebat enim fortasse ac prædicabat etiam sine cathedra. Idem sentiendum est de Vincentio, qui etiam Episcopi imperio id vsurpabat.

Cùm autem Augustinus[x] dicit, quòd Stephanus Euangelia legebat, propriè admittendum non videtur, quoniam nondum scripta erant Euangelia, aut legebantur solemniter in Missa.

Neque verò dicta Diaconorũ auctoritas tantùm erat circa hęc, & circa alia huius generis, quæ tum citati Patres habẽt, & qui de Ritibus Ecclesiasticis, vel officiis diuinis disserunt, tum Liturgiæ, verùm etiam circa alia, quæ ipsam externam gubernationem & munia magis attingunt.

Diaconum appellat Clemens[y] Episcopi auditum, oculum, os, cor, & animam: nonnisi ex hoc ordine Apocrisarij sedis Apostolicæ (quos Nuncios, aut etiam Legatos vocamus) destinabantur, teste Gregorio[z], ac quidem simile colligitur ex epistola Alexandri Episcopi Alexandrini apud Theodoretum[a] encyclica, quam misit per Apionem Diaconum, videlicet vt honorarium tabellarium, quamuis Gregorius II. vsus est Presbytero apocrisario.

Eius erat custodire Episcopum prædicantem propter stylum veritatis, vt habet Euaristi decretum in libro de Romanis Pontificibus, id est, propter eius muneris dignitatem, & functionis amplitudinem: obire carceres, in quibus Martyres tenebantur, vt eos non re solùm, sed consilio quoque, & adhortatione solaretur, vt ait Cyprianus[b], patétque exemplo Abibi Diaconi Ephesini martyris. Pertinebat ad officium quoque Diaconi, vt legimus apud Metaphrastem[c], & Eusebij cuiusdam exemplo, de quo Eusebius[d], referre diuersorum causas ad summum Pontificem, & ab ipso accepta responsa petentibus reddere, vt indicat Auctor Quæstionum vtriusque Testamenti apud Augustinum[e]. Inspicere etiam quid in Ecclesia vbique geratur, & certiorem facere Pontificem, vt intelligimus ex Clemẽte[f], & Gregorio[g]. Concilium Aquisgranense sub Ludouico Pio[h], complectitur multa ex dictis, aitque *quod sine Diaconis Sacerdos nomen habet, officium non habet, quia sicut in Sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio sacramenti est.*

Clemens enumerat varia ministeria temporalia exercenda à Diaconis[i], & laicis, esse instar Aaron, vt Episcopum, sicut Mosem & DEVM: & in epistola prima ponit plura tam spiritualia, quàm temporalia, quæ recitantur etiam in Decreto[k]. Victor Vticensis[l] sanctarum reliquiarum gerulos vocat.

Eminebat tamen inter alia Diaconorum officia illud vnum de diuidendis eleemosynis in pauperes, vt constat ex Laurentio, per ea quæ ex Ambrosio & Leone[m] de eo dicuntur, & ex Tito martyrium Romæ passo, de quo Prosper in Chronico[n], & ex his quæ traduntur à Hieronymo[o], & Gregorio[p], qui meminit Honorati Archidiaconi Ecclesiæ Salonitanæ agentis contra Episcopum dilapidantem facultates, & recitat ipsam scripti formulam, cùm alicui Diaconia, hoc est, eiusmodi facultatum procuratio committebatur[q], in qua de hoc, quod ad mensas pauperum, vel diaconiæ exhibitione Diaconus percepisset, nulli vnquàm hominum quolibet modo, seu ingenio cogi Diaconum ponere rationem prohibet Gregorius, vel aliquam molestiam sustinere.

Et in locis illis, vbi Romana Ecclesia patrimonia possidebat, Diaconiæ cõstitutæ erant, sicut & in Vrbe, in quibus eleemosynæ à Subdiacono rectore patrimonij, & dispensatore erogari solerent, vt videre est in multis Gregorij epistolis. Huc spectant qui vocantur œconomi Ecclesiæ; de quibus inter alios Claudius Espensæus[r].

Sed cùm his de causis nimiùm efferrentur, ac

insolesce

a Eccl hier. c. 7. p. 3. sub finem.
b de Spiritu sanct. cap. 27.
c de iis qui myste. initiãtur. c. vlt.
d Tract. 11. & 94. in Ioan.
e li 1. in Act.
f lib. de sacr. ord. cap. 3.
g Tom. 2. cõtrouers. lib. 1. de sacr. ord. cap 6.
h Tom. 1. Annal.
i 5 contr. Caietan.
k art. 17.
Diaconorum auctoritas magna semper in Ecclesia extitit.
l 3. de sacrificio Missæ. c. 6.
m in Antidot. ad hunc locum.
n in Thesaur. Script. verbo, *Diaconus.*
o in 1. ep. ad Timoth. libr. 1. digress. c. 4. 5. 6.
p ep. 2. 5. 13.
q Eccle. hier. cap. 3.
r 2. Const. ca. 61.
s ep. ad Phil.
t can. 21.
u can. 66.
x Sermo. 5. de lapsis.
Officia quibus in Ecclesia Diaconus fungebatur.
y Apolog. 2.
z can. 38.
a ep. ad Inno. Papam.
b lib. 17. Hist. cap. 19.
c li. 8. Cõst. c. 17. & 18.
d ep. ad Euagrium, & ep. ad Sabinia.
e Serm. 4. de Sanctis.
f in Concil. Rom. c. 1.
Diacono prædicare non licebat.
g suprà.
h li. de Bapt. cap. 17.
i li. cont. Luciferia.
k can. 14.
l li. 3. ep. 17.
m li. 4. ep. 44. vel c. 88.
n cap. 2.
o in c. 4. ep. ad Ephes.
p in c. 4. ep. ad Eph. 11.
q Act. 7.
r infra 8.
s epist. 123. & 141.
t Ephes. 4.
u Theod. 5. Hist. c. 38. Tripar. lib. 10. c. 33. Niceph. li. 14. c. 20.
x Serm. 4. de Sanctis.

Diaconus Episcopi auditus, oculus, os, cor & anima.
Nuncij Diaconi Apocrisiarij.
y 2. Const. ca. 44.
z li. 11. ep. 41.
a 1. Hist. c. 4.
Diacon. cura.
b ep. 11. vel li. 3. ep. 15.
Diaconi referre causas diuersorum.
c 15. Nouemb. cap. 13.
d 7. Hist. c. 11.
e q. 101.
f ep. 1.
g li. 4. ep. 34.
h cap. 7.
Alia Diaconorum ministeria.
i 3. Const. ca. 19.
k dist. 93 cap. Diaconi Ecclesiæ.
Eleemosynis erogandis Diaconi [illegible]
l 3. de persec. Vandal.
m in Serm. de S. Laurentio
n an. 423.
o in Ezech. 48.
p li. 12. ep. 14.
Circa Ecclesiæ facultates [illegible]
q li. 9. ep. 14.
Diaconiæ vbi Romana Ecclesia patrimonium habebat.
r in 1. ep. ad Tim. lib. 3. digress. c. 4.

insolescerēt Diaconi, etiā aduersùs Presbyteros, imò & Episcopos, vt Cyprianus testatur [a], cauit Concilium Nicenum [b], ne porrigerent Presbyteris Eucharistiam, neque coram illis sederent, neque excommunicarent, priusquàm Episcopus, vel Presbyter, neque communicarent, nisi postquàm iis ministrassent. Concilium verò Arelatense [c] exprimit, *ne sedeant in secretario, & ne liceat corpus* CHRISTI *præsente Presbytero aliis tradere.* Carthaginense VI. [d] inseruit eundem Canonem Concilij Niceni; rursum Arelatense I. [e] sanxit, *ne Diaconi aliquid per se præsumant, sed honor Presbyteris reseruetur.* Item Andegauense celebratum circa annum 400. quod manuscriptum extat [f], *vt Diaconi nouerint omni humilitate Presbyteris deferendum esse.*

a li. 1. ep. 1. li. 3 ep. 12. & refertur pręterea c. Dominus. d. 93.
Diaconi qua fuerint protoruia.
b can. 14. vel 18. habetur c. peruenit. distin. ea.
Diaconi honorē Presbyteris habere debent.
c cap. 15.
d cap. 18.
e cap. 18.
f cap. 3.

Præterea Gelasius simile decretum edidit in Concilio Romano [g], *prohibens etiam ne baptizent præsente Episcopo, vel Presbytero, aut Eucharistiam ministrent.* Similia sunt in concilio Eliberino [h], & in Agathensi [i], vel apud Martinum Bracarensem [k], & in Laodiceno [l], & in Romana Synodo sub Syluestro [m], & in Concilio Toletano IV. (habetur in Decreto [n]) & in VI. Synodo quæ etiam recitatur ibidem [o], prohibetur, *ne Diaconus in quauis dignitate, vel officio Ecclesiastico sit, sedeat ante Presbyterum, præterquam si proprij Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens adsit in alia ciuitate super aliquo capite.*

g c. 9. & 10. & in cp. 6.
h cap. 77.
i cap. 65.
k cap. 40.
l cap. 20.
m cap. 7. c. 18. dist. 93.
n dist. 93. cap. Nonnulli.
o ca. Præcipimus. dist. ea.

In Concilio Carthaginensi IV. [p] cautum est, *vt præsente Episcopo Eucharistiam corporis* CHRISTI *populo, si necessitas vrgeat, iussus eroget: vt* [*] *quolibet loco iubente Presbytero sedeat: vt in conuentu Presbyterorum interrogatus loquatur*: penultimum verò Canonem refert Martinus Bracarensis in collectione capitulorum ex Græcis Synodis [q]. Legenda Decreti distinctio 93.

Possit Eucharistiam ministrare, si necessitas vrget.
p c. 38. & refertur c. præsente. ead.
* c. 39. & 40. & hab. c. Diaco. ea.
q cap. 40.

Testatur Hieronymus [r], quòd Romæ Presbyteri sedebant, Diaconi stabant, in epistola, qua ex professo retundit væsanam audaciam anteferentium Diaconos Presbyteris, eadémque de re agit Augustinus, seu quis alius apud ipsum, in Quæstionibus ex vtroque Testamento [s]: & vterque præterea meminit, ausos Romæ Diaconos, quod erat Sacerdotum agere per conuiuia, & in oratione id voluisse, quod respondeatur illis, seu benedictiones Presbyteris dare.

Diaconi sunt Presbyteris inferiores.
r ep. 85. refertur cap. legimus. dist. 93.
s q. 101.

Minùs mirandum, si se in conuiuiis, quæ ipsi ex officio quodam modo instruebant, curabántque, eorum se spiritus, fastúsque continuissent. At non ferendum, quòd, vt ait Augustinus, *non omnia ministeria obsequiorum per ordinem agere Diaconi vellent, reiicientes in multitudinem aliorum clericorum, vt portare altare, & vasa eius, & aquam in manus infundere Sacerdoti, sed propter magnificentiam vrbis Romanæ, quæ caput esse videtur omnium ciuitatum, honorabiliores ibi putari, quàm apud ceteras Ecclesias*; nec tamen sine vitio, cùm tantò illis in eadem ciuitate magis sublimandi essent Sacerdotes, quibus sunt ipsi inferiores. Lege cum otio Hieronymum, & Augustinum, vt cognoscas propria Diaconorum munia, & vnde tantos conceperint spiritus, potissimùm Romani Diaconi. Paulinus [t] appellat Diaconum custodem sanctæ arcæ, id est, prouentuum Ecclesiasticorum, facultatumque omnium.

Diaconi sui muneris propria agere nolebant.
t in carm. de vita S. Mart. lib. 4.

Sed Cardinalium ratio meritò potior habetur quamuis ordine sacro sint inferiores, aut ne vllum quidem sacrum habeant: soli enim tum ad Pontificum consilia, tum ad electionem adhibentur, nec alius eligi, quàm ex eorum numero solet.

Cardinalium potior ratio est habenda quàm aliorum.

Hoc postremum iam inde ab anno CHRISTI 779. constitutum Sigonius [u] narrat ab Stephano III. & Petri Damiani Cardinalis, qui hoc viuebat tempore, confirmat testimonio: de iure quoque Pontificis eligendi penes Cardinales solos, memini alio loco [x], cœpisse anno 1059. Extant præterea Eugenij IV. literæ ad Henricum Cantuariensem Archiepiscopum, quibus contendenti de priore loco cum Ioanne Presbytero Cardinali in Florentino Concilio, multis rationibus satisfacit, quas literas recitat Iacobatius [y].

u lib. 3. de regno Ital.
x lib. 9.
y li. 2. de Cōcil. nu. 252.

Versus 4.] Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus.

NOs *verò orationi, & ministerio verbi.*] Ministerium verbi vocatur hoc loco, διακονία τοῦ λόγου, quasi *diaconia*, seu *ministerium sermonis*, & Syriacè item, תשמשתא דמלתא *theschmascheta demaltha*, id est, *officium*, seu *ministerium sermonis*.

Vnde apparet, nomen Diaconi generaliter significare quemlibet ministrum: quo etiam modo CHRISTVM Paulus nominat *ministrum, seu diaconum circumcisionis* [z]. Et apud Matthæum [a] inquit de se CHRISTVS, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

z Rom. 15. 8.
a c. 20. 28.

Dicitur enim διακονεῖν, ἀ κονεῖν, quod est currere & properare, vnde colligi potest τὸ διακονεῖν idem esse quod percurrere, ac etiam ministrare, & famulari, qui quamlibet operam famuli præstat, aut aliter aliquid in alterius obsequium administrat: & Diaconus interdum significat quoque honoratum nuncium, siue Legatum, atque διακονία Legationem, vt ostendit Auctor Thesauri Græcæ linguæ, passimque in nouo Testamento, vbi Interpres noster ponit verbum ministrandi, aut ministri, & ministerij, illis respondent in textu Græco dictæ voces.

Diaconus vnde dicatur.

Ceterùm optimus hic ordo est, vt præcedat oratio ante verbi, & prædicationis ministerium, qua de re nonnihil attigimus capite quarto [b]. *Lectio suppeditat materiam*, inquit Hugo, cum glossâ, *meditatio disponit; in oratione est formalis efficacia, quoniam hanc illa impetrat.* Bernardus [c]: *Nunc*, inquit, *manent tria, verbum, exemplum, oratio: maior autem horum oratio; ea námque operi, & voci gratiam, & efficaciam promeretur.* Lege eundem in Cantica [d].

Oratio præcedere debet verbi ministerium.
b vers. 29.
c ep. 201.
Orans verbo & exemplo præstat.
d Serm. 57.

Gregorius [e]: *Humani*, inquit, *generis Redemptor per diem miracula hominibus exhibebat, & ad orationis studium in monte pernoctabat, vt perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam amore speculationis funditùs deserant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate penitus contemnant; sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant.*

e 6. Moral. c. 17. vel 25.
Boni prædicatoris est, actionem cum speculatione coniungere.

Augustinus [f]: *Agat*, inquit, *noster iste eloquens, cùm & iusta, & sancta, & bona dicit (neque enim alia debet dicere) agat quantùm potest, cùm ista dicit, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur: & hoc se posse, si potuerit, & in quantùm potuerit, pietate magis orationum, quàm oratorum facultate non dubitet, vt orando pro se ac pro illis, quos est allocuturus, sit orator antequàm dictor. Ipsâ hora iam, vt dicat, accedens, priusquàm exerat proferentem linguam, ad DEVM leuet animam sitientem, vt eructet quod biberit, vel quod impleuerit fundat.*

f 4. de doctrina c. 15.
Oratoris boni est ita dicere, vt intelligenter, libenter, & obedienter audiatur.

Cùm enim de vnaquaque re, quæ secundùm fidem,

Cur præcipuè ante conciones orandum sit.

dilectionémque tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, & multi modi, quibus dicantur ab eis, qui hoc sciunt; quis nouit quid ad præsens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit, vt quid oportet, & quemadmodum oportet dicatur à nobis, nisi in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri [a] *? Ac per hoc discat quidem omnia, quæ docenda sunt, qui & nosse vult, & docere, facultatémque docendi, vt decet virum Ecclesiasticum, comparet. Ad horam verò ipsius dictionis illud potiùs bonæ menti cogitet conuenire: Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed* SPIRITVS PATRIS *vestri, qui loquitur in vobis* [b]*. Si ergo loquitur in eis* SPIRITVS *sanctus, qui persequentibus traduntur pro* CHRISTO*, cur non & in eis, qui tradunt discentibus* CHRISTVM? Nihil in hanc sententiam dici melius, nihil verius potuit.

a Sap. 7.16.

b Mat. 10.20.

Doctor Ecclesiasticus elaboret vt auditores faciant meliores.

c 1. de vitâ contempla. c. 23.

Prosper [c] *hoc*, inquit, *specialiter doctor Ecclesiasticus elaboret, quo fiant qui audiant eum, sanis dispitationibus meliores, non vana assentatione fautores. Lacrymas quas vult à suis auditoribus fundi, ipse primitùs fundat, & sic eos compunctione sui cordis accendat.*

d apud Hieronymum.

Testis est Epiphanius scribens Ioanni [d] Ierosolymitano, in solemnibus Missarum communi oratione iuuari solitos prædicatores: *Quando complemus*, inquit, *orationem secundùm ritum mysteriorum, & pro omnibus, & pro te quoque dicimus: Custodi illum, qui prædicat veritatem, vel certè ita: Tu præsta Domine, & custodi, vt illud verbum prædicet veritatis, sicut occasio sermonis se tulerit.*

Oratio qualis pro Prædicatoribus fuenda.

e Gen. 28.12.

Postremò, prædicatorem decet veluti Angelum ascendere ad DEVM [e] per contemplationem, & descendere ad nos, vt bonum nobis procuret, DEO *excedere, & nobis sobrium esse* [f], vt inquit Ambrosius [g], *per orationem, & prædicationem, & esse velut fulgura* [h], *quæ eunt, & reuertuntur, atque flumina* [i], *quæ ad locum, vnde exeunt per contemplationis secretum, & publicum operationis, seu prædicationis*, inquit Gregorius [k], *reuertuntur. Nisi enim ad contemplandum* DEVM *sollicita semper mente recurrerent, nimirum interna charitas, etiam exteriora prædicationis eorum verba siccaret: sed dum videre* DEVM *indesinenter sitiunt, quasi decursura foris flumina intus semper oriuntur, quatenus illic amando sumant, vnde ad nos prædicando defluant.*

f 2. Cor. 5.13.
g in Psal. 119. & concio. 1. in Psal. 30.
h Iob. 38.35.
Prædicatores & secretum contemplationis & operationis exercitium sectari debent.
i Eccl. 1.7.
k lib. 30 Moral. cap. 2. & homil. 5. in Ezechielem.

Idem significat *mysticorum animalium sub pennis manus* [l], vt exponit idem Gregorius [m]. Placet etiam admonitio Carthusiani: *O vtinam*, inquit, *Prælati ista attenderent, quorum iam plures plusquàm oportet, decet, aut licet, circa temporalia occupantur, in exterioribúsque versantur: quia mente sunt frigidi, nec in spiritualibus exercitiis habent saporem. Hinc offenduntur negligentes seipsos, & sibi commissos.*

l Ezech. 1. 8.
m Greg. ibi.

Versus 5.] Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, & SPIRITV sancto.

ET *placuit sermo coram omni multitudine.*] MALVM *murmurationis optabat hæc multitudo extingui*, inquit idem Carthusianus, *& vt boni filij patrum suorum consilio tam rationali celeriter acquieuerunt: quod & cunctis subditis est pensandum.* Videri potest allusio in verbo, *Placuit*, & Græco, ἤρεσεν, ad id quod superiùs notauimus de placito, & arre-

A sto [n]. Similis est allusio in Syriaco: priùs enim dictum erat, לא שפיר *la schaphir*, id est, *non est pulchrum*, vel, *res pulchra*: hîc habetur eodem verbo, ושפרת *vescha phreth*, id est, *& pulchrum fuit*, vel, *pulchra res visa est.*

n vers. 2.

Gratum fuit quoque rem ex eorum arbitrio pendere, siquidem illorum subimus iugum libentiùs, quos ipsi nobis præficimus. Testis Hebræus populus, qui ne grauissimis quidem difficillimisque propositis à Samuele regis conditionibus remoueri potuit à voluntate regem habendi, qui forte tamen ipsis datus est [o].

Illorum iugum libentiùs subimus, quos ipsi nobis præficimus.

o 1. Reg. c. 8. & 9.

Et elegerunt Stephanum.] Non dubium est, quin hoc sit nomen ex Græcis mutuatum; passim enim B omnes exponunt significare coronam, quod Græcè στέφανος significat. Idem ferè est de aliis Diaconis: quamuis Beda velit Hebraicè significare, *norma vestra*, nempe Martyrum sequentium, quibus dum primus pro CHRISTO occubuit, factus est forma pro eodem moriendi. Lege quæ dixi in capite primo [p], de nomine Andreæ, & similibus.

Stephanus nomen Græcum.

p vers. 13.

Electionis autem nomine designatio tantùm hoc loco intelligitur, non supremum ius eligendi, vt anteà etiam dixi [q].

Electio designatio tantùm.

q cap. 1. 23.

Non aberraret fortasse, qui Stephanum, & alios Diaconos assereret ex Græcis esse, id est, ex Græcizantibus, quoniam & omnia ferè eorum C nomina Græca sunt: & fieri potest, vt in his designandis habita ratio sit murmuris Græcorum, quod ita optimè compesceretur, si videlicet ex iis ipsis essent, quibus eleemosynarum, arcæque Ecclesiæ procuratio committeretur. Carthusianus ait sibi videri, quòd hi ipsi septem electi etiam elegerunt, sicut in electionibus collegiorum, & cœnobiorum qui eliguntur, iidem quoque eligunt.

Stephanus & alij ex Græcis, vel Hebræis Græcizantibus.

Franciscus Turrianus [r] docet hanc electionem nihil aliud fuisse, nisi solam separationem ab aliis, eo prorsus modo, quo in capite primo [s] dictum est, quòd Apostoli statuerunt Ioseph, & Mathiam. Vt verò dicit electio traditionem potestatis, Mathiam quidem immedia-D tè à DEO, hos verò ab Apostolis electos: immò & iuxta priorem sensum Discipulos septuagintaduos ab iisdem Apostolis, cùm CHRISTVS ipsos iussisset [t] *rogare Dominum messis, vt mitteret operarios in messem suam*: tunc enim proposuisse dictos Discipulos: atque ita Zepherinum Papam intelligendum, cùm scribit [u], quòd CHRISTVS præcepit Apostolis, *vt septuagintaduos Discipulos in adiumentum eligerent*: & Anacletum [x] dicentem *quòd eos Apostoli elegerunt*. Petrus Damianus [y] nominatim de Stephano scribit à Petro Diaconum consecratum.

r 1. pro can. Apost. c. 31.
Electio Diaconorum quomodo sit facta.
s vers. 23.
Apostoli elegerunt 72. Discipulos.
t Luc. 10. 2.
u epist.
x ep. 2. & 3.
y ep. 12. c. 4. 20. Nicol. Pap. tom. 3. Bibl. Patrum.

Id quoque velle Lucam in Euangelio [z], vbi vtitur verbo Græco ἀνέδειξε, id est, *ostendit*, E pro quo Interpres habet, *designauit*: quemadmodum & in capite primo huius libri [a], quando Apostoli orabant: *Ostende, quem elegeris.*

z cap. 10. 1.

a vers. 24.

Plenum fide, & SPIRITV sancto.] Requirebatur superiùs plenitudo SPIRITVS sancti, & sapientiæ in omnibus, hæc modò dicitur esse in Stephano; nisi quòd pro sapientia fides ponitur.

Itaque meritò tanquàm conspicuus primus nominatur, ac veluti *Archidiaconus, & primicerius aliorum*, vt Patres loquuntur (vt verbi gratia Lucianus [b]) & inter alios *perinde primus, vt inter Apostolos Petrus*, vt loquitur Augustinus [c], &

Stephanus Diaconorum omnium primus nominatur.
b ep. de inuent.
c Serm. 94. de Diuers.

Chrysolo

Chrysologus [a], *inter Apostolos Apostolus, Propheta inter Prophetas, Doctor inter Doctores* (vt loquitur Nicetas philosophus [b], dicens *quòd charitate ardebat magis, quàm omnes Sancti sui temporis*, videlicet post Apostolos) & inquit idem Augustinus [c]: *Discipulus erat ordine, sed factus est magister exemplo.* Hoc ipsum docet Maximus [d]. Damascenus [e] nominat πρωτοδιάκονον CHRISTI, id est, primum ministrum.

Porrò dubitat idē Augustinus [f], an post Ascensionem tantùm Stephanus sit aggregatus fidelibus, vt vnus de illis, pro quibus CHRISTVS in Cruce orauit [g]. Epiphanius [h] tamen putat, omnes Diaconos fuisse de numero septuagintaduorum Discipulorum.

Affirmat rursum Augustinus [i], & Fulgentius [k], fuisse Stephanum iuuenem, & elegantis formæ, atque etiam virginem, quod forsan indicat conspecta in concilio facies eius, vt Angeli [l]. Nyssenus [m] ait, *cùm multi ad prædicationem fidei confluerent, atque maiorem manum gratiæ ministrantium res postularet, tunc sapientia, ac gratia abundantem Stephanum à* SPIRITV *in auxilium Apostolorum vocatum, nec obstare nomen Ministri, seu Diaconi, vt secundum duntaxat locum propterea ab Apostolica dignitate habere suspicemur* (Damascenus [n] appellat Apostolum) quoniam nomen idem Paulus sibi tribuit [o], & CHRISTO [p], & CHRISTVS [q] ipse sibi.

Addit in magna animi Stephani indole, SPIRITVM sanctum gratiæ radios clariores effecisse.

Singulare profectò, vt Augustinus [r] obseruat, Stephani priuilegium est, quia cùm aliorum Martyrum vix gesta inueniamus, quæ in solemnitatibus eorum recitare possimus, huius in canonico libro est diligenter historia narrata. Dicit quoque [f], quòd præpositus est fœminis, testimonium meruisse sincerissimæ castitatis: hæc tamen laus communis est cum aliis Diaconis.

Fide.] Aut fidelitatem significat maximè necessariam curatori, & dispensatori facultatum, ne eas auertat, & velut Iudas furetur: aut virtutum Theologicarū primam, quæ illo præsertim initio Ecclesiæ potissimùm commendatur, & vt fundamentum totius Christianæ religionis, & propter difficultatem credendorum, quæ difficultas cùm per se grauissima erat, tum nondum bene constituta Ecclesia, grauior.

Posset quoque fiduciam significare cum animi quodam robore aduersùs pericula penuriæ, quando necessaria subministranda sunt, & contra murmurationes eorum, quibus dispensandum erat, & ne lucri specie falleretur, & irretiretur, ac fraudaret, vel interuerteret.

Fidelem seruum, siue dispensatorem requirit CHRISTVS, inquit Chrysostomus [t], *qui nihil ex rebus Domini sibi attribuit, nec incassum quicquam expendit: prudentem autem qui dispensare nouerit. Opportunè siquidem vtraque re nobis opus est, ne scilicet quæ Domini sunt, ad proprios vsus rapiamus, & vt opportunè omnia dispensemus: nam si alterum horum absit, eius absentia, alterum omninò claudicat.* Hæc diuitibus Chrysostomus applicat: Prælatis tamen etiam accommodari possunt: quod idem quoque Pater facit, necnon Hilarius [u], & Ambrosius [x].

Philippum.] De hoc in capite 8. & 21. celebris mentio est, vt idcirco meritò in Diaconorum catalogo nunc secundus ponatur. Vocatur in posteriore loco Euāgelista [y], nō à scripto Euangelio (est enim apocryphum quod nomine eius aliquando circumferebatur) sed prædicato; sicut cùm Paulus Timotheum suum hortatur [z], *vt opus faciat Euangelistæ*, & cùm idem ait scribens Ephesiis [a], *quosdam esse in Ecclesia Euangelistas*: de iis, qui circùm loca Euangelium prædicabant, non vt ceteri Apostoli, sed per occasionem tantùm, exponit Ambrosius [b], & Chrysostomus [c], quales erant Priscilla, & Aquila, quales, vt ait Theodoretus [d], noster hic Philippus. Si quo tempore viuebat Philippus, Euangelium in sacro recitatum fuisset, causa cur Euangelistæ tum ipse, tum Diaconi alij dicerentur, hæc reddi posset, quoniam Diaconorum est id solemniter recitare. Anselmus Euangelistarum nomine non tantùm intelligit eos, qui scripserunt Euangelium, sed etiam qui prædicarunt, & officium ministrandi pauperibus habuerunt, *vt septem*, inquit, *Diaconi sub Apostolis. Vtrumque enim victum præbuisse* & spiritualem, & corporalem, & similiter nunc agere debere Diaconos, propterea que hodiè legere in Missa Euangelium. Constat tamen solemnem, & ex cathedra prædicationem non esse Diaconorum, vt superiùs cum Ambrosio docui.

Reperitur etiam aliquando vocatus Apostolus, vt à Clemente [e], Eusebio [f], Tertulliano [g], Philone Carpathio [h], Cassiodoro [i], sed magis generali acceptione Apostoli, de qua egimus capite primo [k], ad quam qui non attendunt, ea illi, qui vnus fuit ex duodecim Apostolis, tribuunt, quæ sunt huius Diaconi, vt videbimus in capite octauo. Lege Isidorum Pelusiotam [l].

Prochorum.] De hoc mentio est in Romano Martyrologio 9. Aprilis, in Græcorum Menologio vnà cum Nicanore, Timone, & Parmena 28. Iulij. De eodem scribit Hippolytus martyr [m], Dorotheus [n], Metaphrastes [o], Petrus de Natalibus [p].

Nicomediæ Episcopum primum fuisse affirmant ceteri, ordinatum à Petro: Petrus de Natalibus asserit nepotem Stephani, & Ioannis Apostoli comitem in Asia; à quo Antiochiam missus, ibi martyr occubuerit, fide, vt Martyrologium habet, ac miraculis clarus.

Extat [q] Ioannis Apostoli scripta vita sub nomine Prochori, sed in multis apocrypha, vt qui scripsit, illustri sibi auctoritatem nomine facere voluisse videatur, non verus, sed pseudoprochorus sit. Hic quicunque scriptor eo libro, quem dixi [r], tradit se amanuensis officio functum excepisse ex ore Ioannis dictantis, & chartis mandasse Euangelium. Metaphrastes [f], & Sixtus Senensis [t] idem confirmant. Cùm tamen Athanasius [u] hoc de Caio prodat. Denique Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus [x] non solùm Nicomediensium, vt alij citati Auctores, verùm etiam Antiochenorum relictum Episcopum scribit, quod sanè non consentit cum catalogo Episcoporum, qui Antiochiæ præfuerunt, ex quibus post Petrum primi numerantur Euodius, & Ignatius.

Nicanorem.] Dixi paulò antè natalem eius haberi in Menologio 28. Iulij sub Vespasiano in Cypro: Martyrologium autem eodem in loco passum 10. Ianuarij scribit, gratia fidei, & virtute admirandum. Quare non congruit quod ait Dorotheus [y], eodem die cum protomartyre Stephano, & multis aliis vsque ad duo millia martyrio occubuisse.

a Serm. 134. b oratio de Marty. & Inuent. S. Stephani, apud Metaphrastē, & Lippom. mense August. c Sermo. 5. de San. d Sermo. de S. Steph. e li. 4. c. 16. f suprà. g Luc. 23. 34. h hæresi 21. i Sermo. 2. de Sanctis. *S. Stephanus formosus.* k Serm. de S. Stephā. l infrà vers. vlt. m orat. de S. Steph. *Fuit quasi Apostolus.* n lib. 4. c. 16. *Apostolus nomē Christo fuit tributum.* *Stephani animi magna indoles.* o 1. Cor. 4. 1. & 2. Cor. 11. 23. Rom. 15. 16. & sæpius. *Prinilegium Stephani singulare quod sit.* p Rom. 15. 8. q Matt. 20. 28. Mar. 10. 45. Luc. 22. 27. r Serm. 91. de Diuersis. f Sermo. 5. de Sanctis. *Fides pro fidelitate sumitur.* *Seruum fidelem qualem requirat Christus.* t Hom. 78. in Matth. u can. 27. in Matth. x in c. 12. Luc. *De Philippo Diacono.*

y vers. 8. *cur Euangelista sit dictus.* z 2. ep. 4. 5. a cap. 4. 11. b in ep. ad Ephes. c ibi. hom 11. d in epist. ad Ephes. *Philippus fuit appellatus Apostolus.* e 5. Const. c. 7. f 3. Hist. cap. vlt. g lib. de Bapt. cap. 8. h in Cant. i præf. in Ps. k vers. 2. *De Prochoro Diacono.* l lib. 1. epist. 447. 448. 449. 450. m lib. de 72. Discipulis. n in Synopsi. o Sermo. de Apost. Petro & Paulo. p lib. 4. c. 36. *Pseudoprochorus est, qui vitam D. Ioannis scripsit.* q Tom. 7. Biblioth. Patrū. r cap. 46. f 27. Decēb. t li. 2. Biblio. u in Synopsi. x lib. de laboribus & peregrinat. Petri, & Pauli. Tomo 7. Bibliot. Patrum. *De Nicanore.* y in Synopsi.

De Timone Diacono.

Timonem.] Et hic cum aliis nonnullis recensetur in Menologio die 28. Iulij. Sed in Martyrologio Romano Aprilis 19. vbi etiam dicitur, quòd primò apud Beroëam doctor resedit, ac deinde verbum DEI disseminans venit Corinthum, ibique à Iudæis & Græcis, vt traditur, flammis iniectus, sed nihil læsus; demùm cruci affixus, martyrium suum impleuit. Idem de illo scribit Petrus de Natalibus [a], nec, vt ipsi Baronius ascribit, negat diuersum esse ab isto, sed tantùm [b] in Arabia alium quendam eius nominis ex Diacono factum Episcopum; Dorotheum [c] verò iure confutat, quòd Bostrensem, non Beroënsem Episcopum facit. Mendum quoque in eodem est, cùm Simonem nominat pro Timone: in quibusdam verò codicibus legitur, *Timotheum.*

a lib. 4. c. 66.
b cap. 67.
c in Synopsi.

De Parmena.

Parmenam.] Huius demùm in Menologio mentio est cum præcedentibus tribus 28. Iulij, etsi quoque secunda Martij, & sexta Maij: Romanum verò Martyrologium hoc de illo elogium habet 23. Ianuarij; *Philippis in Macedonia sancti Parmenæ, qui fuit vnus de septem primis Diaconis. Hic traditus gratiæ DEI, iniunctum sibi à fratribus officium prædicationis plena fide consummans, sub Traiano martyrij gloriam est adeptus.* Nescio quid sibi Dorotheus [d] velit, cùm ait: *Hic in ipso Apostolorum conspectu Diaconi officio fungens mortuus est.*

d in Synopsi.

De Nicolao Antiocheno.

Nicolaum aduenam Antiochenum.] Pro aduena, Græca vox est προσήλυτος, seu *proselytus*, de qua diximus [e]. Magis probabilis opinio ex Iudæo Christianum immediatè factum, quàm, vt Lyranus putat, & Carthusianus propendet, ex Gentili: nondum enim ex Gentilibus ad Christianam religionem patebat aditus. Vltimus numeratur Nicolaus eo modo, vt quidam arbitrantur, quo inter Apostolos Iudas Iscariotes, quoniam vterque defecit. Nam hæresis impurissimæ auctorem, quæ Nicolaitarum etiam dicta est, multi faciunt, de qua mentio quoque est in Apocalypsi [f], vt Irenæus [g], Epiphanius [h], Dorotheus [i] (qui Sapriæ Episcopum nominat) Tertullianus [k], Hilarius [l], Hieronymus [m], Philastrius [n], Petrus Damianus [o], sanctus Thomas [p], Damascenus [q], Isidorus [r], Gelasius [f].

e cap. 2. 11.
f cap. 2. 15.
g lib. 1. c. 27.
h hæresi 25.
i in Synopsi.
k lib. de Præscri. cap. 46.
l can. 25. in Matth.

Nicolaus cur defecerit, & simul sacrorum hominum continentia.

Occasionem defectionis Epiphanius ait fuisse, quòd ordinatus Diaconus, cùm ad imitationem eorum, quos DEO addictos videbat, ab vxore, quam formosam habebat, se continuisset, & à concupiscentia superatus, eam iterum superinduxisset, argueretúrque ab Apostolis, quòd vxore, quam anteà dimisisset, vteretur (indignum nimirum ratis, vt sacris iam officiis atque ordinibus mancipati adhuc carnis tenerentur illecebris) hæresim excogitauit, necessarium ad salutem consequendam affirmans quotidiè inquinari luxuriis.

m ep. 1. & 48. & dial. cont. Luciferia. & ad Ctesiphõ. aduers. Pelag.
n cõt. hæres.
o ep. 12. c. 4.
p 1. con. Gen. cap. 124. & quodlib. 3. a. 11. ad 5. & 1. Thess. 2. lect. 1.

Ostenditur ab hac culpa immunis.

Nihilominùs Nicolaum à tanta culpa liberant alij, tametsi concedant, sectam illam turpissimam honestum viri optimi, & sanctissimi nomen prætexere voluisse. In primis Clemens Alexandrinus [t], simul explicans innocentiam Nicolai, simul eorum, qui Nicolaitæ nominari voluerunt, imposturam detegens, loquitur in hunc modum: *Cùm Nicolaus formosam haberet vxorē, & post Ascensionem SALVATORIS ei fuisset ab Apostolis exprobrata zelotypia, in medium adducta muliere, permisit, cui vellet, eam nubere. Aiunt enim hanc actionem illi voci consentaneam, quæ dicit carne vti oportere; eiusque factum & dictum absolutè sequentes, qui eius hæresim sequuntur* (id est, qui nomine eius hæretici Nicolaitæ appellantur) *impudenter, effusèque fornicantur. Ego autem audio, Nicolaum quidem nunquàm vlla alia, quàm ea, quæ ei nupserat, vxore vsum esse, & ex illius liberis filias quidem consenuisse virgines, filium etiam permansisse incorruptum. Quæ cum ita se habeam, vitij erat depulsio, atque expurgatio in medium Apostolorum circumactio vxoris, cuius dicebatur laborare Zelotypia, & continentia à voluptatibus, quæ magno studio parantur, docebat illud, carne vti oportere, hoc est, exercere carnem: neque enim, vt existimo, volebat conuenienter Domini præcepto, duobus [u] dominis seruire, & Voluptati, & DEO. Dicunt itaque Mathiam quoque sic docuisse, cum carne quidem pugnare, & eatenus, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem; augere autem animam per fidem & cognitionem.*

q lib. de hæresib.
r 8. Etymol. c. 5. & habetur 24. q. 3. c. Quidam.
f c. Sãcta Romana. d. 15.
t 3. Strom. c. 3.

Nicolaus ab omni libidine fuit immunis.

Quidam si carne vti oportere.

u Matt. 6. 24.

Sunt hæc omnia Clementis, qui etiam alibi [x] breuiùs eundem Nicolaum excusat. Eusebius [y] eadem ex Clemente recitat, & probat, necnon Theodoretus [z], & Nicephorus [a].

x 2. Strom. 9.
y 3. Hist. c. 29.
z 3. de fabu. Græc.

Nomine falso Nicolai vsurpantur.

Quin etiam Ignatius [b] testis est, sæpe dictos turpes Hæreticos pulchrum nomen Nicolaitarum esse mentitos: *Fugite*, inquit, *impuros Nicolaitas falsum sibi nomen sumentes*: & [c], *Finem beatitudinis constituat voluptatem, vt is, qui falsò nominatur Nicolaita dicitur.* Clemens præterea Romanus [d] idem innuit, dicens; *Alij inuerecundè fornicantur, quod nunc faciunt falsi nominis Nicolaitæ.* Hippolytus [e] virum fide Catholica probatissimum, & Samaritanorum ab Apostolis factum Episcopum affirmat.

a lib. 3. c. 15.
b ep. ad Trallianos.
c ep. ad Philadelphien.
d lib. 6. Constit. c. 8.
e libr. de 72. Discip.

Augustinus [f] fauet, dum æquè vt Epiphanius [g], & Clemens Alexandrinus iam citatus ait, quò excusaret se, permisisse, vt vxore ipsius vteretur qui vellet: hæreticos verò factum eius in sectam turpissimam vertisse. Theodoretus [h] rem vno verbo expressit, cùm dixit id fecisse οὐ νομοθετοῦντα, non vt legem poneret, sed vt accusatores redargueret.

f lib. de hæresib. cap. 4.
g hæresi 25.
h 3. de fabu. Græc.

Qui Nicolaum ab hæresi liberant.

Vendicant quoque ab omni infamia Nicolaum ex recentioribus Carthusianus hoc loco, Pamelius [i] (qui monet dubiam esse orationem Isidori, Rabani, Honorij, Gratiani, qua videntur innuere contrarium) Ribera [k], Baronius [l], Blasius Viegas. Quam sententiam adiuuat ista ratio, quoniam Eusebius [m], eos qui sunt dicti Nicolaitæ, ad modicum tempus perdurasse scribit, nimirum cùm falsi eos nominis tæderet, excogitatis nouis portentosis erroribus, non ampliùs illo se nomine vocitarunt.

i in li. Tertul. de Præscr. c. 305.
k in cap. 2. Apoc. n. 9.
l Tom. 1. Annal.
m 3. Hist. c. 23.

Auctoritas ... ratio firmior.

Equidem benigniorem sententiam istam libentiùs amplector, præsertim tot, ac tantorum fultam auctoritate Patrum, grauiúmque aliorum auctorum, cùm etiam videam ex aliis, qui videntur esse in contraria sententia nonnullos, vel famam solam sequi, vel dānare, non Nicolaum, sed Nicolaitas. Alioqui scio nihil vel nouum, vel mirum videri debere, si è Diaconis septem vnus lapsus sit, cùm Iudas dignatus Apostolico honore, Magistrum prodiderit, Lucifer de cœlo ceciderit, tot alij merito, & gratia insignes turpissimè corruerint. *Non omnes Episcopi, Episcopi sunt*, ait Hieronymus [n]. *Attendis Petrum, sed & Iudam considera: Stephanum suspicis, sed & Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi* (non tamen nominatim illum, sed Nicolaitas illius mentitos nomen) *sua damnat sententia, qui tam turpia, & nefanda commentus est, vt Nicolaitarum hæresis ex illa radice nascatur. Probet se vnusquisque, & accedat. Non facit*

n ep. 1. ad Heliodorum.

Ecclesiasti

Ecclesiastica dignitas Christianum. Iterum agens cum adultero, & incesto Diacono Sabiniano [a], monet ordinis suscepti meminerit, ita tamen vt eius vel ordinatoris sanctitati non fidat. *Recordare*, inquit, *à quo Episcopo Diaconus ordinatus sis. Nec mirum, quamuis sanctum hominem, tamen in homine deligendo potuisse falli, cùm & DEVM pœniteat, quod Saul in regem vnxerit* [b], *& in duodecim Apostolis Iudas sit proditor repertus, & de quondam ordinis tui hominibus Nicolaus Antiochenus immunditiarum omnium, & Nicolaitarum hæreseos auctor extitisse refertur.* Vbi, *refertur*, dicit, ex aliorum sententia magis loquens, quàm ex propria. Sicut loqui tamen videtur aliis in locis, tum verò disputans contra Luciferianos, ostendénsque hoc exemplo cum bonis malos permixtos esse.

a epi. 48.

In hac vita nullius de suo, saltem securo esse potest.

b 1. Reg. 15. 11.

Simile documentum colligit S. Thomas [c], non cessandum à procuranda salute aliorum, quòd aliqui à salutis via, quam arripuerint, recedant. Verùm, vt dixi, propendet magis animus, Nicolaum nullius hæresis auctorem fuisse, ac ne vlla quidem dignum nota, quamuis de illo nihil prætereà memoriæ commendatum reperiamus. Videri quoque potest mitiori nostræ de Nicolao sententiæ Turonicum concilium II. [d] fauere, cùm ait, quòd hæresis Nicolaitarum per Nicolai facilitatem surrexit.

c quodlib. 3. art. 11. ad 3.

d cap. 20.

Versus 6.] Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.

HOs *statuerunt ante conspectum Apostolorum.*] Multitudo Discipulorum, siue fratrũ, quos delegerant, designauerant, & separauerant, Apostolis probandos, atque ordinandos proponit, ac veluti offert & præsentat, agnoscens ius omne, & arbitrium hierarchiæ in Apostolis esse.

Et orantes imposuerunt eis manus.] Προσευξάμενοι, *cùm orassent.* Syrus similiter, וכד צלין *vecbad tselin*, i. *& cum orassent*, seu, *preces fudissent.* Ritus hic duplex orationis, & impositionis manuum apertè indicat, Diaconatum esse quid hierarchicum, & sacrum, non merum mensarum externarum, aut eleemosynarum ministerium. Hoc argumento superiùs vsi sumus, atque in eo ad idem confirmandum Beda [e] vim facit, hoc propriè eorum esse docens, qui de communi fidelium numero ad sacrosancti altaris promouentur officium.

Diaconatus ordo sacer & hierarchicus.

e Retr. in Act.

Quod verò innuit aliquanto tempore post ordinationem istam sacram Diaconorum factam, vbi inuenti sunt digni, qui crescente gradatim prouidentia cõsilij salutaris, ministri essent altaris & Dominici sanguinis, ministerio iã refectionis, & mensæ communis multitudinis credentium bene functi, quæ est quoque sententia Glossæ ordin. Hugonis, & aliorum, non congruit cum præsenti contextu, qui profectò satis indicat, simul atque alij fideles septem illos statuerũt ante conspectum Apostolorum, Apostolos ipsis oratione facta manus imposuisse, & sic ad ministerium altaris eos ordinasse.

Non post tempus aliquod ... Diaconi ... ministerium.

Orantes.] Orationis forma non exprimitur, nec illa est, sine dubio, quam recitat Clemens Romanus [f], & libri Ritualium, quoniam in ea fit mentio ordinationis horum primorum septem Diaconorum: tamen verisimile est, quod Glossa ordinaria, Hugo, Lyranus, Carthusianus, aliique obseruant, hinc deinceps manasse cõsuetudinem orationes in ordinationibus vsurpandi. Oratum est quoque à ceteris Apostolis pro electione Mathiæ [g]: ab Antiochenis pro segregatione Sauli & Barnabæ [h]: à CHRISTO ipso, quando Apostolos elegit [i]: addit Chrysostomus ieiunium, quamuis non hîc, sed in ordinatione Sauli, & Barnabæ mentio de illo habeatur [k], & iterum quorundam aliorum [l]: vbi etiam fit mentio de oratione: de quo & nos tunc agemus, atque de instituto ordinationes celebrandi in ieiuniis Quatuor Temporum. Sub oratione comprehendi quidam putant sacrificium. Clemens quidem Romanus [m] apertè satis id significat.

Hos mos ... orationum ab hoc ... manauit.

f 8. Cõst. c. 25.

Quomodo orationes fit.

g cap. 1. 24.

h infr. 13. 1.

i Luc. 6. 12.

k Act. 13. 3.

l infrà 14. 22

m 8. Const. ca. vlt.

Imposuerunt eis manus.] Impositionem manuum in ordinatione Diaconi, idémque est de Presbytero, accidentariam tantùm non esse, quod sensit Dominicus Soto [n], & quidam alij, demonstrat præter ceteros Bellarminus [o]: tum quia communior est sentẽtia Scholasticorum, quæ colligitur quoque ex Patribus, atque Conciliis, præsertim ex Tridentino, quòd nempe sit essentialis: tum quia, cùm toties de illa Scripturæ [p] meminerint, nec aliunde conuinci possint Hæretici, ordinationem esse Sacramentum propriè dictum, quippe quòd non aliud alibi extet symbolum externum, nec aliorum Sacramentorum essentiales partes aliter ex Scripturis, quàm ex huiusmodi probemus, cogimur affirmare omninò essentialem esse. Hoc sibi etiam vult nomen ipsum, quo passim à Græcis appellatur Ordinis Sacramentum, vt à Chrysostomo exponente præsentem locum, nempe χειροτονία, hoc est, manus impositio, seu extensio. Syriacè etiam ex hoc loco, סימידא *sciameda*, quod est manuum impositio, est sacri ritus huius nomen. Docet quoque Paulus [q] *per manus impositionem dari gratiam.* Et voluit DEVS id euidenti signo declarari, quando, vt narrat Metaphrastes [r], cùm imponeret Chrysostomo manus Episcopus Antiochenus, vt eum crearet Presbyterum, continuò descendit in eum visibiliter SPIRITVS sanctus in forma columbæ; & cùm gratiam dari definit Concilium Trident. [s] quando super ordinandum Episcopus dicit: *Accipe* SPIRITVM *sanctum*: dicit autem, cùm manus imponit. Neque verò dubitandum est, quin ex CHRISTI institutione, & nunc Apostoli, & deinceps iidem, atque alij in ordinando adhibuerint cæremoniam istam essentialem impositionis manuum, quamuis non legamus CHRISTVM ea vsum. Id voluit duntaxat Gregorius IX. [t] cùm dicit, Manus impositionem esse ritum ab Apostolis introductum, non quòd, inquam, ipsi eum instituerint, sed quia primi cœperint illum vsurpare in ordinationibus.

Impositio manuum non est quid accidentarium, sed essentiale in ordinatione.

n 4. dist. 24. q. 1. art. 4.

o Tom. 2. Cõt. lib. 1. de ord. c. 9.

p hoc loco, & infr. c. 13. 3. & 4. 1. Tim 4. 14 c. 5. 22. & 2. ep. 1. 6.

q 1. Tim. 4. 14. 2. epist. 1. 6.

r in vita S. Chrysost. *Chrysostomus ordinatur, Spiritum sanctum in specie columbæ recepit.*

s Sess. 23. c. 4.

Christus Apostolos cũ impositione manuum ordinem conferre voluit.

t c. Presbyter. de Sacr. non iteran.

Porrò similis ritus exemplum præcessisse in lege veteri, vbi & imponendas esse manus ab Aaron, & filiis eius super eos, qui Sacerdotio, Leuiticóque officio initiarentur, Baronius ait: ego verò id non inuenio, sed tantùm, vt Sacerdotes imponerent manus super victimam, habetur in libro Exodi [u], quem ipse citat, qui ipse ritus Diaconos, aliósque sacros commonefacit, vt se DEO sacratos sciant, & toti ei se dedicent, iam non sibi viuentes, sed vitam totam diuinis ministeriis ipsius, & aliorum propter ipsum vtilitati, ac saluti libenter impendãt, atque superimpendãt [x]. Lego iussu DEI à Mose [y] impositas manus capiti Iosue successoris, & gubernatoris, ducísque ciuilis, quẽ sanè dicatũ oportet cõmodis eorum, quibus præest, ac multò magis illũ, qui res tractat spirituales.

u ca. 29. 10. 15. 19.

x 2. Cor. 12. 15. *Super Iosue Mose ... manus imposuit.*

y Num. 27. 18 23.

Dubius ritum impositionis manuum est unde sit.
a Lib. de Præf. cap. 40.
b Dec. 1. lib. 1.

Videtur Diabolus, qui multa ex lege diuina in cultum superstitionis transtulit, quæ Tertullianus [a] enumerat, ritum etiam impositionis manuum super sacrandum Pontificem præscripsisse. Liuius [b] námque tradit Numæ capiti, cùm summo Sacerdotio initiaretur, manus esse impositas.

Cur ordinandis manus imponantur.
c 1. de Eccl. offic. c. 12.
d de Eccl. hierar. c. 5.

Aliam porrò mysticam causam de manuum impositione assignat Amalarius [c], quoniam ita designatur illapsus SPIRITVS sancti, quem ordinans precatur dari ordinando: manus enim, opera, & digiti, dona SPIRITVS sancti denotant, & ex Dionysio [d] indicatur hac cæremonia, *protectio principis, & perfectoris* DEI, *qua internè illi ipsi, quibus manus imponitur, tanquàm filij gubernantur, quæ virtutem, ac robur ipsis largitur, & aduersarias potestates repellit.*

Impositio manuum vnde sumpta.
e de Eccl. offi. lib. 2. c. 5.
f Num. 27. 18. 23.
g Gen. 27. 27.
h Gen. 48. 14. & seq.
i Luc. vlt. 51.
k Act. 13. 3.

Isidorus [e] confirmat impositionis manuum vsum super ordinandos etiam Episcopos, non exemplo tantùm Iosue, quod attuli, cùm illum Moses ducem populi instituit [f], sed & Iacob, cùm ei Isaac benedixit [g], & filiorum Ioseph Ephraim, & Manasse, cùm Iacob ipsis bene precatus est [h]; prætereà CHRISTI, qui ascendens in cœlum, eleuatis manibus benedixit suis [i], ac eorum, qui Antiochiæ Saulum ac Barnabam ordinauerunt [k].

Manuum impositio est maximè in aliis Sacramentis vsitata.

Omninò maximè peculiaris est Ordinis sacramento manuum impositio, quæ inde quoque, vt dixi, Græcè χειροθεσία vocata est à Patribus: tamen adhiberi eam prætereà certum est in Baptismo, & Confirmatione; quod quidam item Latini appellant quoque manuum impositionem, & de absolutione aliàs dicemus, immò & super ægros, vt CHRISTVS ipse prædixit [l], & oblatis sibi pueris manus imposuit [m], benedicendo: vnde Ecclesiastica consuetudo nata est, quam Auctor imperfecti operis in Matthæum probat, vt laici, præsertim pueri, à Sacerdotibus, & Episcopis etiam extra Ecclesiam impositis manibus benedicantur: sæpe etiam CHRISTVS miracula manus imponendo operabatur [n]: & vt manus imponendo sanaret, rogabatur [o]. Quin & hanc fuisse consuetudinem veterum sanctorum virorum, vt impositis ægros sanarent manibus, etiam Gentilis homo Naaman præ se tulit [p].

l Mat. vlt. 18.
m Mat. 19. 15.
Manuũ impositione laici à Sacerdotibus benedici solent.
n Mat. 8. 3. 15. c. 9. 25. c. 19. 15. Mar. 1. 31. c. 5. 41. c. 6. 5. c. 8. 7. 32. c. 8. 23. 25. Luc. 13. 13.
o Mat. 9. 18. c. 19. 13. Marc. 8. 22.
p 4. Reg. 5. 11.
q lib. de variis cap. Eccl. c. 16.
Manuum impositio peculiaris confirmationis & ordinis differt ab aliis.
r in li. 8. Cõst. Clem. c. 19.
ſ 3. de Bap. cõ. Donatist.

Hincmarus Rhemensis [q], quem citat, sequitúrque Turrianus [r], meminit dictæ multiplicis manuum impositionis pro reconciliatione pœnitentium, depulsione infirmitatis, vel Diaboli, simplici benedictione, confirmatione, ordinatione, ita vt his duobus vltimis modis non significet solam orationem, quæ iterari potest, teste Augustino [ſ]; sed etiam Sacramentum, quod non potest.

Impositio manuum quandoque conceditur, quandoque negatur.
t 1. Con. c. 19.
u c. 23.
x c. 21.
y c. 14.
z c. 19.

Quæ distinctio habenda est præ oculis, vt sciamus quo modo quibusdam negetur manuum impositio, & iisdem tamẽ concedatur. Conceditur verbi gratia Diaconissis à Clemente Romano [t], & hypodiaconis [u], lectoribus [x], clericis quoque primæ tonsuræ à Concilio Niceno II. [y] nempe illa magis generalis: negatur autem eodem Concilio Niceno I. [z] iisdem Diaconissis, illa nimirum, quæ faciat eas esse extra numerum laicorum, siue quæ propria est sacramenti Ordinis. Item hypodiaconis à Concilio IV. Carthaginensi [a].

a cap. 5.
b c. 5. lib. 1. de Sacr. in genere. c. 11.
c disſ. 241. sect. 1.

Denique quadruplex impositio manuũ distinguitur ab Henrico Enriquez [b], consecratoria, ordinatoria, reconciliatoria, & salutaris: quæ ipsæ adhuc possunt variè subdistingui, vt ex dictis intelligitur. Suarez tomo 3. in tertiam Partem [c] numerat curatiuam, cõsecratiuam, seu ordinatiuam,

A confirmatiuam, cæremonialem ad Baptismum, reconciliatiuam, deprecatiuam. Glossa [d] meminit harum distinctionum.

d in c. maturi. impositio. q. 1.
De porrectione libri, & aliorum instrumentorum.
e in Instr. Vnion.

Si quæras de porrectione libri Euangeliorum, quam Florentinum Concilium [e] definiit esse materiam ordinis Diaconatus; quemadmodum ceterorum Ordinum, porrectionem quoque aliorum instrumentorum, cur modò Lucas nil attigerit, in promptu responsio est, quam & ipse attigi superiùs, quia non erat adhuc opus, vt exercerent diuinum ministerium solemniter Euangelium recitandi, quod nondum etiam scriptum erat, vt notat idem Amalarius [f]. Ipse verò cùm docuisset [g] B consecrationem Diaconorum fuisse in dicta impositione manuum factam per Apostolos, refellit in quodam libello de sacris Ordinibus Auctoris incerti doctrinam, solum Episcopum debere manus imponere super Diaconum, quia non ad Sacerdotium consecratur, sed ad ministerium.

f de Eccl. off. cap. 12.
g ibid.
Episcopi soli non debent Diacono manus imponere.

Nunquid scriptor libelli, inquit, doctior, & sanctior Apostolis? qui posuerunt plures manus super Diaconos, quando consecrabantur. Et propterea solus Episcopus ponat manum super Diaconum, ac si solus possit precari virtutem gratiarum, quàm plures Apostoli precabantur? An fortè non ideò imponit Sacerdos manum super eum, qui ad Diaconatus officium consecratur, vt non fiat quod ipse est, id est, Sacerdos? si ita C *est, nec Episcopum ei oportet manum imponere, quia ipse erat pro eo, non solus ille, sed omnes, qui piè intendunt verbis Episcopi, ac mente retinent. Imitatio Episcoporum, Apostolorum chorus est, & optimum est bonos duces sequi, qui certauerunt vsque ad plenam victoriam.*

Imitatio Episcopi & chorus Apostolorum.
Soli Episcopi debent Diacono manus imponere.
h 4. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 1.
i hoc loco.

Hactenus ille. Nihilominùs Episcopum solum manus Diacono imponere, Theologi monent, præsertim S. Thomas [h]. Immò, vt refert Hugo Cardinalis [i], qui vixit ætate beati Thomæ, quidã existimabant hos septem, de quibus nunc agimus, anteà Diaconos fuisse, hoc est, mensarum ministros: posteà verò, quando iis manus impositæ sunt, etiam factos esse Sacerdotes. Hoc meritò D refellit Hugo, quoniam Stephanus haud ita pôst lapidatus est [k], *& fieri*, inquit, *potest, quòd antiquitus bene imponebantur manus Diaconis: sed crescente Ecclesia, vt fiat distinctio donorum, quæ dantur in ordinibus, modò solis Sacerdotibus imponuntur.*

k Act. 7. 5.

Carthusianus quoque scribit, non vbique, sed in nonnullis duntaxat Ecclesiis, manus imponi Diaconis dum ordinantur. Lyranus absolutè affirmat id fieri.

Quid sit necessarium Diaconorum ordinationi[?] *...sarium.*

Sed si, vt priùs docui, probabilior opinio est, impositionem manuum esse ordini sacro essentialem, qui eam non adhibent, nihil conferunt, E etiamsi librum Euangeliorum tradant, & formam verborum proferant: pro quo libro priusquàm extaret, putant quidam vel ex CHRISTI dispensatione satis fuisse dictam impositionẽ manuum: vel tunc traditam chartam, in qua continerentur scripta mysteria fidei, quæ habentur in Euangelio. Durandus [l] quidem certè, quamuis existimarit Euangeliorum libri traditionem non esse de essentia, meritò tamen constituit, vt in Ecclesia Aniciensi traderetur, vbi id antè non fiebat. Lege Cardinalem Bellarminum [m], & Henricum Enriquez [n], & Gregorium de Valentia [o]. Petrus Damianus [p] asserit, Diaconos ordinatos à Petro, Nicolaum nominatim exprimens.

l 4. d. 24. q. 1.
m 1. de sacr. Ordinis c. 9.
n 10. summæ Theol. mor. cap. 8.
o 3. p. disp. 9. q. 1. pũct.
p epi. 12. c. 4. to. 1. Bibl. Patrum.

Monet me Diaconorum nomen, & officium,

vt de

De Diaconissis fœminis vnde sit generum doctrina.

vt de Diaconis etiam fœminis, siue Diaconissis aliquid attingamus. Viduæ illæ, quarum occasione Diaconi sunt creati, à ministerio mensarum remotæ, aliis functionibus mancipatæ sunt, vt custodiendi vestibula sacra, vti Ignatius loquitur [a], hoc est, portas, quæ mulieribus tantùm patebant, vt per eas ingrederentur in destinatam sibi templi partem à viris distinctam. Ad eas quoque pertinebat, teste Clemente [b], mitti aliquando ad mulierum domos, cùm non posset ire Diaconus propter infideles, & improborum cogitationes: præterea abstergere frontem earum, quæ ab Episcopo inungebantur: ministerium exhibere circa baptizandas, ob honestatem, & decorum: item circa infirmas: ac proinde viduæ debebant illis obedire.

Quæ ad earum officium pertinerent.
a epist. 12.
b 3. Const. c. 8. 15. & 19. lib. 2. c. 21.

Similia habet Epiphanius [c], qui cùm dicit institutas esse propter horam visitationis affectionis, videtur intelligere extremam Vnctionem: sicut per horam laboris, officium sepulturæ, cùm lauantur corpora, &c. Similia sunt apud eundem Epiphanium [d], qui addit & balnea.

c hæres. 79.
d ep. ad Ioan. Ierosol. apud Hieronymum & in hær. Colly. & in epit.

Ceterùm nequis existimaret has ad hierarchiam spectare, Concilia, præsertim Nicenum [e], & Arausicanum I. [f] & Epaunense [g], & Aurelianense II. [h] (quanquàm de canone illo Niceno meritò dubitat Michaël Medina [i], videri námque sibi ait tantùm loqui de Paulianistis, quæ necdum etiam baptizatæ essent, vt meminit quoque Innocentius I. [k]) adnumerant eas inter laicas.

e c. 19. vel 22.
f cap. 26.
g cap. 21.
h c. 16. & 17.
i lib. 4. de sacrorum homi num contin. c. 8.
k epist. 22. vel 23. edit. Rom.

Putant quidam, eas viduas, quas *vetat Paulus* [l] *eligi minores annis sexaginta, & nonnisi moribus probatas*, & quas vocat *anus in habitu sancto* [m], Græcè, ἱεροπρεπεῖς, id est, *qui deceat sacratas personas*, fuisse Diaconissas. Certè lex est in iure ciuili [n], cuius quoque meminit Sozomenus [o], vt sexagenaria sit Diaconissa. Hieronymus de his accipit conditiones illas, quas in mulieribus requirit idem Apostolus [p], *vt sint pudica, non detrahentes, sobria, fideles in omnibus* (quamuis id Haymo neget cum Augustino) sicut & quod retulimus ex eodem [q] de electione viduæ sexagenariæ. Primasius autem Hieronymum transcripsit.

l 1. Tim. 5. 9.
De Diaconissis quando D. Paul. loquatur dicitur quondam quæsitum.
m ad Titum 2. 3.
n l. 27. de Epi. scop. in Co. Theodos. vide præterea Nouell. Iusti. 3. & 123.
o 7. Hist. c. 16.
p 1. Tim. 3. 11.
q cap. 5.

Dicitur porrò interdum Diaconissa, vel Diacona, sicut etiam Presbytera, illa mulier, cuius vir ex illius consensu promotus esset in vnum ex illis ordinibus, ipsa verò castitatem seruare debebat. Harum appellationum, seu denominationum exempla sunt in Concilio Turonensi II. [r] in Decreto etiam Zachariæ Papæ manuscripto habetur, quod citat Baronius [s], de non admittenda in contubernium Presbytera, Diacona, vel Monacha: quod item in Concilio Romano II. sanxit Gregorius II. (vbi de Epiphania diacona, quæ post præstitum sacramentum, id est, iuramentum, & votum, cum Adriano quodam fugerat [t]) & Basilius epistola ad Peragorium. Concilium verò Antisiodorense [u] inhibet, ne Presbytera cum suo Presbytero dormiat. Denique Photius in Nomocanone [x] ostendit ex Concilio Laodiceno, & Chalcedonensi prorsus diuersam fuisse Diaconissam & Presbyteram. Loquitur item Gregorius [y] de Presbytera in eodem sensu.

Mulieres quare vxores ad diaconatu promota vel Presbyteratum, Presbyteræ & Diaconæ dictæ sunt.
r c. 20.
s Tom. Annal.
t c. 41.
u ca. 21.
x tit. 1. c. 37.
y 4. Dial. c. 11.

Aliàs tamen etiã Presbyteræ nomen, iuxta etymon vocis Græcæ, vsurpatum reperitur pro fœmina seniore (forsan quæ præesset Monialibus) vt apud Athanasium [z], & Theophylactum [a], & S. Thomam [b], qui prætereà loquens de Diaconissis dicit, consueuisse homiliam legi in Ecclesia ab illis, nempe inter mulieres.

Presbytera pro femina seniore, Presbytera monialium quibus præerant.
z de virgi.
a in c. 19. Mat.
b 4. d. 25. q. 2. art. 2. q. 1.

Refert quoque [c], & ante ipsum Ambrosius [d], quòd Cataphrygæ, quoniam immediatè post Diaconos agitur de mulieribus ab Apostolo, putarunt posse mulieres Diaconas ordinari. Tribuit eundem errorem Acephalis Marianus Scotus, & Sigebertus in Chronico [e]. *Sed vocantur in iure Diaconissæ*, inquit idem B. Thomas, *non quia habeant huiusmodi ordinem, sed propter aliquod ministerium Ecclesiæ: sicut in Græco dicitur Diaconus quilibet minister.*

c in 1. Tim. 3. lec. 2. in fin.
Cataphrygarum error de mulieribus.
d ibid.
e ann. 525. vel 526.
Diaconissæ in iure quæ sint.

Meminit de iisdem Cataphrygis, eósque refellit cum Vvicleffistis, & Pepuzianis (de quibus etiam ac de Collyridianis Epiphanius) Thomas Vvaldensis [f] citans Augustinum, & Damascenum. Sed non placet quod ait, tales Diaconissas fuisse duntaxat ex eis, quæ essent maritæ Diaconorum post obitum eorum. Legenda alia Concilia [g] de Diaconissarum ætate, vt non sit minor quadraginta annis, quæ cùm vtantur nomine ordinationis, aut etiam impositionis manuum, non propriè loquuntur de sacra, sed de quadam deputatione, & benedictione; sicut etiam cùm Moniales consecrari, ac benedici dicuntur; cùm item prohibent nuptias sub anathemate, fortasse etiam eas irritant propter solemne votum castitatis. De forma ordinationis Clemens in Constitutionibus [h], & de tota re Claudius Espensæus [i], & Michaël Medina [k] (qui mihi Claudium videtur legisse, vt & in alio opere eiusdem argumenti) & Ioannes Roffensis [l].

f Tom. 3. de Sacra. tit. 7. ca. 58.
g Chalc. c. 15. 27. q. 1. c. Diaconissam. & Vorm. c. 73. & Laodic. c. 11. d. 32. c. mulieres. & Carth. IV. c. 12.
Quid intelligãt Cõcilia, cùm dicunt Diaconissas ordinari.
h 8. Const. in c. 19. & 20.
i in 1. ad Tim. lib. 1. Digr. in c. 17.
k 4. de sacrorum hom. con tin. c. 7. & seq.
l cõt. Luth. de sacer. def. § 16
Ex Diaconissis quæ fuerint celeberrimæ.

Phœbem commendat Paulus [m], quæ erat in ministerio Ecclesiæ, quæ erat in Cenchris, οὖσαν διάκονον τῆς ἐκκλησίας, &c. Vbi omnes ferè Interpretes agnoscunt munus noménque Diaconissæ, & hanc solitam fungi ministerio circa Baptismum, & verbum DEI, illo scilicet modo, quem diximus. Celebratur Diaconissa, quæ sacerdotis pagani filium docendo conuertit [n], sub Iuliano Cæsare apostata. In vita Chrysostomi laudantur nobilitate præstantes Diaconissæ, Procula, Pentadia, Syluana, Olympias.

m Rom. 16. 1.
n Theodor. 3. hist. c. 13. & 6. Trip. c. 33.

Versus 7.] **Et verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum in Ierusalem valdè: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.**

ET *verbum Domini crescebat, & multiplicabatur.*] Mirabile hoc est, siue locum consideres, vbi crucifixus est CHRISTVS, siue persecutionem commotam in Apostolos, qui & flagellati sunt, siue inter Discipulos ipsos excitatum murmur. *Sic videlicet vigebat adhuc coniugum illorum subita, & terribilis animaduersionis memoria*, vt Chrysostomus notat. Glossa ordin. ait hanc esse quasi recapitulationem, quoniam in fine capitis præcedentis dictum fuerat: *Omni autem die non cessabant in templo, & circa domos docentes, & euangelizantes* CHRISTVM IESVM; & in principio huius capitis, *Crescente numero Discipulorum*, vt hinc intelligamus ortam persecutionis mox describendæ causam, quia nempe accessio magna facta est credentium in CHRISTVM, præsertim ex numero Sacerdotum.

Fidei incrementum magnum miraculum censetur.

Verbum Domini crescebat.] *In fide, & opere credentium*, inquit Glossa interlin. Similis locutio habetur infrà hoc ipso libro [o]: *Ita fortiter crescebat verbum* DEI, *& confirmabatur.* Et in epistola ad Colossenses [p]: *In verbo veritatis Euangelij, quod perue-*

Verbũ Domini quomodo crescere dicatur.
o c. 19. 5.
p c. 1. 6.

nit ad

rit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & crescit, sicut in vobis, ex ea die, &c.

Sumpta est similitudo ex stirpibus, plantísque quæ crescunt, seu ex iactis seminibus, dum in plantas adolescunt: quam similitudinem indicat verbum Græcum αὐξάνειν, in omnibus istis locis, quos retulimus, & ea similitudine vel parabola vsus est CHRISTVS [a] non semel. Quin etiam verba disserendi, ac disputandi petuntur ex agricultura: & conceptio animi semen aliquo modo iactum supponit: in verbo ipso prolato sonus, aut scriptura corticis instar est siue pellis: conceptus ibi inuolutus medullæ similitudinem habet: qui verbum profert, seminator est; qui audit, terra; sed *incrementum dat* DEVS, inquit Apostolus [b], *qui voluntariè gignit nos verbo veritatis* [c], & illos dicit *Deos, ad quos sermo ipsius fit* [d], & interiùs maximè seminat.

a Mat. 13.

Ex agricultura sumitur similitudo crescentis & fructificantis verbi.

b 1. Cor. 3. 6. 7.
c Iaco. 1. 3.
d Ioan. 10. 35.

Apud Marcum [e] egregiè describitur incrementum, fructúsque huius seminis, hoc est, verbi prædicati. *Sic est regnum* DEI, ait ibi CHRISTVS, *quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille. Vltrò enim terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.*

e cap. 4. 26. & seq.
Similitudo de seminâte ad verbum Dei adaptatur.

Nam verbum DEI prædicatum, & in corde hominis receptum, efficitur initio mortuum, dum veterem hominem occidit, rationem humiliat per fidem, sacrificat corpus abstinentia, & continentia: posteà intus homo nouus quasi adhuc sub terra latens proponit bona operari: tandem existit, prodítque per fructum boni operis foras, ac se ad aliorum exemplum spectandum præbet. Et hoc quidem totum incrementum spirituale, siue generatio fit mirabili quodam modo, quem prædicator qui seminat, & is ipse, in quo semen iactum est, ignorat.

Quo ratione verbum Dei in anima fructificat.

Vnde quod de se narrat Augustinus, quodam loco, dum concionãdo digressus esset in confutationem Manichæorum, de qua nil erat præmeditatus, quendam qui fortè aderat, eius sectæ hæreticum esse conuersum, id sæpe aliis diuini verbi seminatoribus euenit.

Augustinus quo modo digressus in concionando Manichæum conuerterit.

Semen est verbum, ac doctrina comparata cum actibus & operibus bonis: hæc verò seminis etiam habent rationem respectu præmij, vitæque æternæ: *Quæ seminauerit enim homo, hæc & metet: de carne corruptionem, de* SPIRITV *vitam æternam* [f]. &, *Qui parcè seminat, metet etiam parcè, & qui in benedictionibus*, largè, & affluenter [g], *de benedictionibus & metet*; copiosissimum fructum suorum operum bonorum in gloria cœlesti reportabit. Semen verbi efficax est, nec deest Solis, Lunæ, siderum, imbrium, vẽtorum, hoc est, cœlestis auxilij influxus: attamen desideratur quoque solum ferax per liberi arbitrij concursum.

Semen est verbũ respectu operum, & opera respectu vitæ æternæ.

f Gal. vlt. 7. 8.
g 2. Cor. 9. 6.

Liberũ arbitriũ stabilitur.

Potest hîc præterea creuisse verbum intelligi, quia vacabat tunc magis Apostolis prædicare, onere deposito viduas alendi: iuuabant etiam eo in munere Diaconi: auditores partim noui accedebant, partim veteres magis ac magis instruebantur.

Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.] Syrus sic vertit, ועמא סגיאא מן יהודיא משתמע הוא להימנותא *vebhamma sagbia mẽ Iehudaie meschthemahh haua lehaiemanutha*, id est, *& populus multus ex Iudæis auscultans erat*, seu, *obediens erat fidei*, vel, *& populus multus ex Iudæis auscultabat fidei*. Fortasse pro τῶν ἱερέων, legit, τῶν Ἰουδαίων. Nihilominùs

A non est discedendum à Græcis & Latinis codicibus, & de Sacerdotibus verè locutum esse Lucam intelligendum, cùm alioqui de Iudæorum conuersione facta crebrò fuerit mentio: & credendum magnum aliquid hoc loco, & nouum voluisse adiungere, quo amplior Diuini verbi fructus agnosceretur.

Quapropter, *Considera*, inquit Chrysostomus, *quanta est benignitas* DEI: *ex illis enim principibus Sacerdotum, qui ad cædem turbam exasperarant, qui talia clamarant, & dixerant: Alios saluos fecit, seipsum saluum facere nequit* [h], *ex his multi obediebant fidei. Illius igitur & nos fiamus imitatores, nempe diligendo inimicos, & bene eis faciendo* [i]: quod fusè prosequitur. Sed quod de Sacerdotum principibus dicit, summos non intelligit, sed minores, qui turbæ ὄχλου nomine hîc vocantur principes. Quamuis hîc simplicium sacerdotum, ἱερέων, mentio fiat, non autem ἀρχιερέων, id est, summorum sacerdotum. Lyranus, etsi hos miraculis, quæ manifestè fiebant, adductos ad fidem asserit, vult tamen occultè adhuc Christianos fuisse, perinde vt Gamalielem.

Benignitas Dei quanta in sacerdotum conuersione.

h Mat. 27. 42.

B

i Mat. 5. 44.

Caietanus absolutè Christianos nominat, quantùm ad ea quæ sunt fidei, sed negat communicasse cum aliis Christianis in hoc, quòd haberent omnia communia: & proptereà dixisse de his Lucam, *quòd obediebant fidei*, de aliis, *quòd multiplicabatur numerus Discipulorum valdè*. Vtrumque probabile est: nec enim si palàm tanta tantæ auctoritatis hominum multitudo CHRISTVM profiteretur, auderent ceteri tam diram in hoc nomen mouere persecutionem.

Sacerdotes à Caietano asseruntur ad tempus [illegible]

C

Obediebat fidei.] Assensus fidei obedientia nominatur tum hîc, tũ ab Apostolo [k]: & idem est de obedientia Euangelij [l], & veritatis [m], & doctrinæ [n], & verbi [o], & sermonis Domini nostri IESV CHRISTI [p]. Quoniam ad credendum opus est infallibili auctoritate, cui ceu magistræ in omnibus fidei quæstionibus oporteat obedire assentiendo, vt tradit Augustinus [q], & fides eget pia quadam voluntatis affectione, & impulsu, propter difficultatem obiecti obscuri, & supernaturalis: neque credit quis, quantumlibet conuinci videatur, nisi velit, & *captiuet intellectum in obsequium fidei* [r], respiciens ad auctoritatem superioris, qui credenda reuelat, ac proponit, qui est DEVS per Ecclesiam, & credere imperat, ita vt *non credentes dicantur inobedientes* [s].

Cur assensus fidei nominetur obedientia.
k Rom. 1. 5. & 16. 26.
l Rom. 10. 16. 2. Thess. 1. 8. 1. Tim. 1. 2.
Ad credendum quid sit necessarium.
m Gala. 3. 1. 5. 7.
n Rom. 6. 17.
o 2. Thess. 3. 14.
p 1. Tim. 6. 3.
Nemo credit nisi velit.
q de vtilitate credendi ca. 16.

D

r 2. Cor. 10. 5.
s ad Titum 1. 10.

Hinc est quòd vitia, & passiones exorbitantis voluntatis magnoperè impediunt assensum fidei, aut iam etiam datum reuocant. Id non modò CHRISTVS de quorundam auditorum suorum ambitione affirmat [t], & Lucas de aliorum *auaritia, qua fiebat, vt quæ dicerentur à* CHRISTO *irriderẽt* [u], verùm etiam Paulus de hac item *nimia habendi cupiditate* [x] idem affirmat, & Nyssenus ait [y], *Conscios turpissimarum actionum odio iudicij diuini Resurrectionem sustulisse*: & Augustinus [z] *æternitatem pœnarum inferni*: & Ambrosius [a] testis est, *Nouatianum dolore amissi Episcopatus, ab Ecclesia recessisse*: & Chrysostomus [b] scribit, *amore fœminæ Paulum Samosatenum apostatasse à fide.*

Vitia & passiones impediunt assensum fidei.

t Ioan. 5. 44.
u Luc. 16. 14.

E

x 1. Timot. 6. 10.
y oratio 2. de Resurre.
z 21. de Ciu. cap. 18.
a li. 1. de Pœnit. cap. 15.
b hom. 7. in 1. Cor.

Docet item Gregorius [c] multis idololatrarum impedimento fuisse auaritiam, ne cõuerterentur: idem habet Athanasius [d], & Nazianzenus [e] in genere affirmat, *illos vt patrocinium vitiis suis haberent, vitia Diis suis affinxisse, ex quo illud efficeretur, vt non solùm impunitum maneret quoduis crimen, sed etiam laudabile atque honestum haberetur, velut* DEO,

Quare quidam [illegible] conuerti non fuerint Christiani, vel defecerint.
c 20. Moral. cap 12.
d orat. cont. idola.
e ep. ad Nemes.

quem

quem ipse coleret, gratum & iucundum. Hoc idem notatum est ab iis, qui contra Gentiles scripserunt, vel apologias pro Christianis. Existimat Catharinus [a], post Anselmum, obedientiam fidei, non de assensu duntaxat intelligi: sed tunc dici aliquem obedire fidei, quando factis exequitur quæ mandantur in lege fidei. Mihi tamen planior videtur priori loco allata, vt multò etiam magis communis, expositio.

a in cap. 1. ad Rom.

Obedire fidei quid sit iterum.

Versus 8.] Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo.

STEPHANVS *autem.*] Aggressurus historiam Stephani, præfari cum Augustino [b] debeo: *Donet mihi Dominus pauca dicere salubriter, qui donauit Stephano tanta dicere* (adde & facere, & pati) *fortiter.*

b Ser. 1. de Sãctis. & 51. de Diuersis.

Plenus gratia.] Textus Græcus pro *gratia*, habet fidem, cùm ait, πλήρης πίστεως, *plenus fide*, quemadmodum & in versu 5. vbi Interpres posuit fidem. Notat tamen Typographus Parisiensis Regius [c] aliquot codices habere χάριτος, id est, *gratia.* Syrus hîc cum Latina editione congruit, sic habens, מלא הוא טיבותא *mele hana taibutha*, id est, *plenus erat bonitate, gratia, beneficentia*, tot enim modis redditur hæc dictio. Certè gratia plenus, & populo gratiosus erat, *ita vt Apostolis inferiorem esse, aut secundum dignitatis locum habere censendum vetet* Nyssenus [d], Hieronymus [e], etsi dignitate vinci concedat à Timotheo, & Tito (quod cõcedi profectò longè magis debet de Apostolis, quoniam fuit Stephanus duntaxat Diaconus) tametsi quodam etiam modo Apostolus dici possit, vt eum vocat Damascenus [f], negétque illis deteriorem habendum esse: attamen fidei mentio maiorem quendam respectum habet ad acrem illam, & doctam concionem à Stephano habitam, quæ mox recitabitur, quàm gratia sanctificans.

c in suo nouo Test. Græ.

Stephanus non inferior Apostolis censetur.

d orat. de S. Stephano.

e 1. aduer. Iouin.

Quomodo Stephanus sit Apostolis inferior.

f lib. 4. c. 16.

Et fortasse accipitur fides hoc loco pro dono ac fructu SPIRITVS sancti: quæ duo quoniam non sunt nisi in habentibus gratiam sanctificantem, & eorum plenitudo index est plenitudinis illius, idcirco Interpres pro fide gratiam posuit.

Fides hic accipitur pro dono Spiritus sancti.

Potest quoque fides accipi pro ea, quæ interdum nominatur fides miraculorum, quoniam mox ista Stephanus fecisse memoratur: & gratia pro dono etiam miraculorum, quæ est vna ex iis, quas vocant *Gratias gratis datas*: quanquàm fides miraculorum eadem est, quæ Catholica, sed excellens, vt ostendit Cardinalis Bellarminus [g], & Maldonatus [h], patétque ex Scriptura [i], & ex his quæ dixi capite tertio [k].

Fides miraculorum est eadem cum fide Catholica.

g Tom. 1. lib. 1. de Iustif. c. 11. & 17.

h in c. 9. Mat.

i Matt. vlt. 17. Lucæ 17. 6. 1. Cor. 13. 2. Heb. 11. sæpe. & alibi.

k vers. 16.

Et fortitudine.] Καὶ δυνάμεως, id est, *virtute*, vt etiam Syrus vertit, sic dicẽs, וחילא *vechaila*, quod est idem quod *fortitudo, robur*, & *vires*, seu, *facultas*, atque *vis.*

Quid sit fortitudo in re hac.

Dixi capite secundo [l], hoc nomine significari vim operandi res difficiles, ac mirabiles, ita vt ipsæ etiam res virtutes appellentur, & Græcè δυνάμεις. Itaque fortitudinem Interpres intellexit gratiam efficacem huiusmodi difficilium, & mirabilium rerũm. Glossa interlin. gratiam quidem exponit SPIRITVS sancti, & iustificantem, fortitudinem verò fidei. Lyranus, gratiam ad bene operandum, fortitudinem ad aduersa tolerandum; sed placet prima expositio: etsi *ad strenuè disputandum, & moriendum fortitudine opus fuit planè singulari: infuso autem SPIRITV libertatis ignitus animus in lumen veritatis erumpit, nec patitur vllo pacto rigorem iustitiæ vel submitti aliquando, vel dimitti*, inquit Petrus Damianus [m].

l vers. 22.

m in Serm. de S. Stephano.

Faciebat prodigia, & signa magna in populo.] De prodigiis, & signis lege caput item secundum [n]. *Ante tempus ordinationis nullum Stephanus fecerat signum: at vbi manifestatus est*, inquit Chrysostomus, *vt ostendatur non sufficere solam gratiam, sed opus esse etiam ordinatione, vt SPIRITVS sancti augmentum fiat.* Idem obseruat Oecumenius. Existimo eum equidem inter docendum, vt quæ dicebat consignaret, prodigia illa atque signa edidisse, peculiari videlicet DEI instinctu, necnon permissu Apostolorum, quos capite quarto vidimus enixè precatos à DEO, vt huiusmodi operibus liceret doctrinam comprobare.

n vers. 19.

Opus est ordinatione & non sola gratia ad Spiritus sancti augmentum.

Mortui S. Stephani reliquiæ innumerabilia miracula fecerunt, quæ sunt præsertim apud Augustinum [o], & apud Euodium Vzalensem, in duobus libris de miraculis S. Stephani, qui extant tom. 10. operum D. Augustini. Videtur idem Augustinus [p] legisse in hoc textu ista alia verba, *per nomen Domini* IESV CHRISTI; illa enim exponit, & vim in iis facit, cui consentiunt codices Græci nonnulli, διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, vt est apud Regium Typographum Parisiensem.

S. Stephani reliquiæ multa fecerunt miracula.

o 22. de ciuit. Dei. c. 8.

p Ser. 94. de Diuersis.

Versus 9.] Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano.

SVRREXERVNT.] De hoc verbo surgendi dixi non semel significare interdum aggressionem. Hoc loco habet istam significationem. *Iterum*, ait Chrysostomus, *vocat surrectionem, illorum exacerbationem, & iram, atque nouam accusationem*, quam induunt, etiamsi Gamaliel illos prohibuisset quicquam contra Discipulos attentare.

Itaque non disputant studio veritatis cognoscendæ, sed eius impugnandæ voluntate, vt vel in errorem alios adducant, vel occasionem captent sectatores, doctorésque veritatis persequendi. Hos imitantur Hæretici, quibuscum publici congressus & concertationes vix vnquàm, ac ne vix quidem bene succedunt, & ex Ecclesiæ vtilitate, vt aliàs [q] fusè demonstraui.

Hebræi non disputãt studio veritatis cognoscendæ, sed impugnãdæ.

q disp. de fide.

De synagoga.] Synagogæ nomen quid significet, & quomodo differat ab Ecclesia, quæ sunt duo nomina Græca, dixi aliàs [r]: & cur illud veteri legi attributum sit, hoc nouæ: & quæ pœna esset extra synagogam fieri.

r c. 5. 11.

Triplicem vsum hæc vox habet in Scriptura, pro tota Iudæorum Republica [s]: pro quocumque siue bonorum, siue malorum cœtu [t], immò & satanæ [u]: pro loco, in quem multitudo Iudæorum conueniebat ad aliqua exercitia spiritualia [x]: vt ad prædicationem verbi, & legis explicationem diebus sabbatorum [y]; & ad orationem, & laudem DEI [z]; & ad correctionem publicam peccatorum in lege [a]. De loco correctionis expresè tradit Glossa [b]: de expositione legis, & Scripturarum Iosephus [c], & Philo [d], qui locum etiam illum vocat oratorium, atque scholam omnium virtutum.

s Num. 4. 34. & c. 16. 2 c. 27. 20. c. 31. 13. Ex. 34. 31.

t Ps. 85. 14. Eccl. 3. 30. ca. 21. 10.

u Apoc. 2. 9. & c. 3. 9.

x Luc. 7. 5.

Synagoga nomẽ triplicem vsum habet in Scriptura.

y Act. 13. 5. & seq. cap. 15. 21. Luc. 4. 5. & seq. ca. 13. 10 Ioan. 18. 20. Mat. 13. 54.

z Mat. 6. 2. & Iudith 6. 22.

a Mat 10. 17. & c. 23. 34. Marc. 13 9. Act. 22. 19 & c. 26. 11.

b Mat. 10. 11.

c 2. cõn. Apionem.

d lib. 3. de vit. Mosis, & libr. Quod omnes probi sint liberi, & lib. de leg. ad Caiũ.

Ceterùm loci istius origo, qui vbique construi poterat, eadémque in ciuitate multiplex, vt in vna Ierusalem tempore excidij ipsius vsque ad qua-

In vna & eadẽ ciuitate plures fuerũt synagogæ.

dringen

dringentas & octoginta tam pro aduenis Iudæis, A quàm pro ciuibus,& patet hoc ipso versu *de synagoga Libertinorum*, *& Cyrenensium*, *& Alexandrinorum,& eorum qui erant a Cilicia, & Asia*:qui omnes erant aduenæ:de aliis verò extra Ierusalem in isto eodem libro [a],& de Romanis oratoriis apud Philonem [b],ita vt etiam Gentiles suo sumptu eas Iudæis ædificarent, vt est in Euangelio Lucæ [c]: huiusmodi, inquam, origo loci longiùs petenda videtur,quàm à tempore Babylonicę captiuitatis, vt existimauit tamen Sigonius [d].Nam legimus in libro Iudicum [e], *conuenisse in Masphat quadraginta millia virorum in Ecclesiam populi* DEI, hoc est, in locum DEO dicatum diuersum ab eo, vbi erat Arca, & vbi sacrificium fiebat,is enim locus erat B Silo [f].

a c.9.2.c.13.5. c.14.1.c.17.1. Mat.4.23.
b de legat.ad Caium.
c c.7.5.
Origo Synagogarum vnde petenda.
d 2.de rep.Hebr.c.8.
e c.20.1.
f 1.Reg.c.1.3.

Igitur cùm cœpit ab Hebræis, vt à propriis incolis,inhabitari terra promissionis, simul quoque cœpta videntur construi loca sacra pro oratione, verbo DEI,& negotiis religionis,& diuersa,multipliciáque fuisse,iuxta diuersitatem, ac multiplicitatem familiarum, & tribuum (vnico semper duntaxat Arcæ atque sacrificij reseruato loco)vbi sæpe congregabantur Iudæi seorsùm.Indicat hâc antiquitatem Iacobus in Concilio Ierosolymitano,cùm ait [g] : *Moyses à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in synagogis, vbi per omne sabbatum legitur.*

Synagoga quãdo a Iudæis cœperint.
g Act.15.21.

Docet Sigonius [h],synagogas, quæ erant in Ierusalem,fuisse peregrinorum,templum ciuium,in C quo conuenirent doctrinæ causa.Ego verò nil video,quod cogat distinguere; cùm potiùs contrarium CHRISTVS innuat illis verbis [i]: *Ego semper docui in Synagoga, & in templo,quo omnes Iudæi conueniunt.*Illud ex Tertulliano [k] colligere possumus, ad Iudæorum synagogas liberum etiam Gentilibus ingressum patuisse.

h suprà.
Synagoga & templum quomodo differrent.
i Ioan.18.20.
k in Apol.ca.18.

Postremò synagogis præerant potissimũ Scribæ, quoniam eorum erat,vt aliàs dixi [l], conciones habere ad populum, & Scripturas exponere, necnon Pharisæi, quibus id quoque cum Scribis fuit commune,& vtrosque CHRISTVS increpat, quòd *cum sederent super cathedram Moysi* [m], *clauderent populo regnum cœlorum* [n], perperàm declarantes D Scripturas,& ex proprio sensu,quem illis auaritia, & ambitio dictaret.

Synagogis præerant Scribæ & Pharisæi.
l c.4.5.
m Mat.23.2.
n ibid.13.

Qui autem primum inter eos locum in synagoga tenebat, Archisynagogus,siue princeps synagogæ nominabatur:quemadmodum in scholis qui Decanus facultatis, aut etiam Cancellarius appellatur.Lege Sigonium [o],& Toletum [p].Hinc porrò colligitur, disputationem Stephano non fuisse cum Gentilibus, qui nempe religione tales essent, vt tamen sentire videtur Nicetas philosophus [q]. Ridiculus certè fuisset argumenta proferendo ex Scripturarum testimoniis, vt fecit c.sequenti,si ei cum Gentilibus res fuisset. E

Archisynagogus quis fuerit.
o 2. de repu. Heb.c.8.lib.5. c.10.
p Ioan.16.annot.2.
q ora.de Mar. & Inuen. S. Stephani, apud Metap.& Lippo.mense Aug.

Quæ appellatur Libertinorum,& Cyrenẽsium,&c.] Videtur nõnullis,vt Caietano, vnica pro his omnibus synagoga fuisse:tamen distincta, & cum distinctione posita nomina contrarium indicant;& ita quoque sentire videntur Gagneius hoc loco, & apertè Chrysostomus, ac Oecumenius.

Libertinorum.] *Sic appellabantur,* inquit Chrysostomus,*qui à Romanis libertate donati erant*. Syrus ipsum nomen Latinum retinuit, sic vertens, דמתקריא דליברטינו *demethcharie delibertinu*, id est,*quæ vocata erat de libertinis*, vel, *eorum qui erant libertini*.Græcus etiam contextus λιβερτίνων habet. Addit Oecumenius, fortasse rationem nominis

Libertini qui fuerint.

esse à Lybia,siue Liuia(Græci enim sæpe u Latinam consonantem reddunt per β) Augusti coniuge percelebri, ab eoque eximiè adamata, & quæ vicem ei rependit ad eius sepulcrum toleranti animo perseuerans. Beda [r] docet,etiamsi textus Græcus eandem istam vocem retineat, vt dixi, significari tamen per eam hoc loco filios libertorum, qui post seruitutem manumissi, ac libertate donati sunt.

r in Retract.

Consentit Glossa ordin.& Caietanus,qui prætereà suspicatur, synagogam vnam pro omnibus, qui hîc recensentur,à libertinis nomen accepisse. Videntur verò conuenire omnes, quòd libertini Romani erant,hoc est,ex his qui Romam abducti captiui, libertate ibi donati fuerant, de talibus enim Philo [s] mentionem facit. Hoc si esset, ex tribus mundi partibus disputatores Stephanus habuisset, ex Europa Romanos istos,Cyrenenses,& Alexandrinos ex Africa, ex Asia illos, qui erant à Cilicia,& Asia minori,atque sic Stephani fama & Euangelij doctrina longiùs propagari potuisset. Nec est improbabile, Libertinorum nomen ceteris conuenire, qui hîc ponuntur, præsertim iuxta sententiam, quòd vnica omnibus illis synagoga esset,ita vt in vnam omnes cuiusuis gentis libertini congregarentur, nimirum dedignantibus his, qui natura liberi essent, libertinos sibi aggregare.

s lib. de leg. ad Caium.

Distinguuntur quidem liberti & libertini (si propriè loqui volumus) vt primi dicant respectum ad patronum, secundi conditionem ipsam hominum, vt cùm dicuntur aliqui ingenui, vel qui ex manumissis procreantur: tamen confusa posteà est horum vocabulorum significatio. Id videre potissimùm est apud Iurisconsultos, quos consule, si te delectat scire triplex eorum genus Romanorum, Latinorum, Iunianorum, & dedititiorum [t]. Nonnus in collectione & expositione prophanarum historiarum, quæ sunt in prima oratione Nazianzeni contra Iulianum, docet Athenis in Cynosarge iudicium fieri solitum simul de nothis & libertinis ; an omninò libertate donati essent:& nothorum ipsis nomen communicatum,per comparationem ad ingenuos.

Liberti & libertini quomodo distinguantur.
t lib.1.Instit. tit.5.de libertinis.

Mystica obseruatio Bedæ, & Glossæ ordinariæ, de seruili stirpe procreatos fuisse, qui primi aduersùs CHRISTI fidem rebellarunt, & huiusmodi esse hæreticos, qui libertatem permittunt, ac promittunt *serui corruptionis*, vt loquitur Petrus [u].

Qui primi aduersus Christum rebellarunt, à seruo parente prognati.
u 2.ep.2.19.

Constat sanè, vt exempli loco vnum, aut alterum proferam, impiissimum Manetem, siue Manichæum, qui vocabatur initio Curbicus, viduæ seruum emptitium fuisse [x], & ne seruitutis nomen illi contumeliosum esset, postquàm ab hera est adoptatus, Manem dici voluisse, quod lingua Persica homiliam, & Babylonica vas, sed apud Græcos insanum significat.

x Cyril. Ierosolym. Catech.6.

De Mahomete similis est historia [y] : fuit videlicet camelorum pascendorum curæ præpositus, & addictus fuit seruitio potentis cuiusdam viduæ,vt eius pasceret camelos : qui factus demùm est per summam vafritiem dominæ suæ maritus; egregium profectò par libertinorum, qui dirissimè, & diutissimè vexarunt Ecclesiam : & *velamen malitiæ*,sicut & Hæretici nostri, *prætenderunt libertatem*, vt iterum loquar cum Principe Apostolorum [z]. His addi potest ille,qui Leonem Isaurum Imperatorem ex Imperatoribus primum Iconoclastam fecit, de quo præter Theophanem, & alios,Damascenus.

Mahometus seruus fuit.
y apud Theophanem, & Cedrenũ Annalib.
z 1.Pet.2.16.

Existi

Libertini non sunt populi ab aliqua regione sic dicti.

Existimauit Glossa interlinearis Libertinos à quadam regione nominatos: quam sententiam Hugo,& Lyranus non improbant; vt neque etiam Gagneius, qui ait fortasse regioné fuisse Libyam, seu Africam. Verùm nullus Cosmographus, vel Historicus ita vnquàm libertinorū vsurpauit nomen,& ratio scribendi repugnat,atque deriuatio: non enim à Libya *Libertini*, sed *Libyes* dicuntur: neque *Libertini*, sed *Libyrtini*, alia deriuatione dicendi essent, aut, vt hæretico placuit auctori [a], *Libystines*: & ita placuit, vt substitui velit pro λιβερτίνων, nomen λιβυστίνων. Sed quis eum constituit iudicem & censorem omnium quotquot extant & codicum,& Auctorum? Quid si libertinos intelligamus, qui libertatem profitebantur pro Iudæis, aduersùs Romanos, vt priore capite diximus, Galilæorum sectam hoc professam;ita vt tali propterea nomine vocarentur? Certè videntur id illa verba indicare, *quæ appellatur*; & legi posteà in schedis Clementis Puteani nostri doctissimi & piissimi viri, eam illi probari sententiam.

a Beza.

Cyrenensium.] E regione Cyrenaica in Africa, vel Cyrene ciuitate Africæ, si Chrysostomo, & Oecumenio, atque Gagneio credimus [b], qui dicit, modò à mercatoribus regionem illam vocari Barbariam. Æmula fuit ciuitas ista quondam Carthaginis, atque clarorum virorum memoria celebris. Ammianus [c], Mela [d], Plinius [e], & Strabo [f] scribunt de alia in regione Decapoleos in Syria, quæ ipsa regio eodem nomine vocatur Cyrene, videtúrque id etiam colligi ex historia Regum [g], & Amos [h], etsi his locis existimant alij sermonem esse de ciuitate in Media,Iosepho [i] quoque auctore,eámque esse, quam Ptolomæus [k] Curinam vocat, non secus atque Chaldæus interpres apud Amos, qui vtitur nomine קרני *karnes*.

b in cap. 2. Actorum.

De Cyrene vrbe Decapoleos. c lib. 22. d lib. 1. e lib. 5. c. 5. f lib. 17. g lib. 4. c. 16. h cap. 1. 5. i lib. 9. Antiq. cap. 13. k lib. 6. c. 2.

Qui dicitur Simon Cyrenéfis, vel Cyrenæus [l], baiulator crucis CHRISTI, & pater Alexandri, & Ruffi, ex qua Cyrene oriundus fuerit, incertum,etsi Beda [m] ex Libyę ciuitate affirmet,& Augustinus [n] Afrum eum nominet: alij ex Cyrene vrbe in Cypro fuisse putant. Id videtur certum, religione Iudæum fuisse, cùm de filiis, vt vulgo notis, ac fortasse etiam Discipulis CHRISTI, Marcus meminerit. Quia verò loci origine Gentilis erat,idcirco Hilarius [o], Ambrosius [p], Beda [q], & Leo [r] Gentilem vocant,dicúntque per eum significatum fore,vt crucem CHRISTI amplecterentur etiam Gentiles. Ex his nonnulla iam notata sunt [f].

Simon Cyrenæus fit causa fuerit. l Matt. 27. 32. Marc. 15. 21. Luc. 23. 26. m in cap. 27. Matth. n lib. de Passionib. c. vlt. o Can. 33. in Matth. p in cap. 23. Lucæ. q in Matth. cap. 27. r Serm. 8. de Pass. f cap. 2. 10.

Alexandrinorum.] Ab Alexandria Ægypti metropoli, quæ priùs dicta Memphis, atque etiam No, nomen id cum magnitudine à Magno Alexandro accepit, vt Hieronymus notat [t]. Nahum Propheta describens situm eius,vocat κατ' ἐξοχὴν Hebraicè, נא אמון *no Amon*, id est, interprete Hieronymo, *Alexandria populorum* [u], vbi Chaldæus proprium nomen vsurpans sic reddidit, אלכסנדריא רבתא *Alecsanderia rabbotha*, id est, *Alexandria magna*. Ieremias tumultum Alexandriæ [x]: Ezechiel, multitudinem Alexandriæ [y]. Ex profanis Auctoribus Iosephus [z] huius ciuitatis, vt ab Alexandro instaurata est, fuisse scribit longitudinem triginta stadiorum, latitudinem decem. Q. Curtius [a] totum ambitum murorum octoginta, hoc est, latitudinem vnius milliarij, & vnius quartæ;longitudinem trium milliarium, & trium quartarū; circuitum decem milliarium.

t Osee 9. u cap. 3. 8. x cap. 46. 25. *De tropho Alexandriæ.* y cap. 30. 15. z 2. de bel. Iud. c. 16. a lib. 4.

A Hodiè vulgari sermone vocatur *Cairo*, ab Hebræis *Moph*, vel *Noph*, vel *Migdel*, Nilo tanquàm claustrum imposita. Sed tradunt aliqui, Memphim fuisse sitam in altera parte fluminis è regione huius, quem dicunt Cairum. Diodorus Siculus describit veterem Memphim complexam esse stadia centum quinquaginta, pluraque sunt apud eundé de munitione,natura,ingenio loci eiusdem.

Eorum qui erant à Cilicia.] A Tharsis(quod nomen sine aspiratione Græci scribunt; sicut etiam cùm dicunt Palæstinos pro Philisthim,Carmelum pro Charmel,Sarepta pro Sarephta, &c.) pronepote Noe ex Iauan filio Iaphet [b], orti sunt Cilices, B vt indicat eius regionis metropolis Tharsus,super omnia,ortu B.Pauli nobilis [c], licèt Iosephus [d] aliis de causis ἐνδοξοτάτην, id est, celebratissimam vocat,& Solinus [e] matrem vrbium. Id docent idem Iosephus citato loco, Hieronymus [f],Glossa interlin.& Lyranus,& Lippomanus,& Antonius Honcolana [g],Iansenius,& Genebrardus [h],Ioannes Cathardus,& Franciscus Ribera [i]. Latissimè patuisse Ciliciam, auctor est Solinus [k],siue Cilicum imperium,idémque est de regione Tharsis,vt intelligitur ex libro Iudith [l].

b Gen. 10. 4. c Act. c. 9. 11. cap. 22. 3. d 1. Anti. c. 7. e cap. 47. f in Trad. Hebr. in Gen. & lib. de locis Hebr. g Gen. 10. h in Psal. 47. *Cilicia latissimè patuit.* i in c. 1. Ionæ. k cap. 47. Polyhistoris. l cap. 2. 5.

Sed propriè angustior est horum nominum significatio, necnon locorum per ea nomina significatorum dimensio, vt diligenter demonstrat Ribera [m], & colligitur præterea ex Ptolomæo [n]: C vulgò appellatur Caramania. Lege quoque Pererium [o], & Serarium [p]. Videtur Paulus, vtpote Tharsensis, ex hac synagoga fuisse, necnon Stephanus, si frater erat eius consobrinus, vt Salmeron asserit.

m ibid. n lib. 6. c. 2. & 8. o libr. 12. in Danielem. & li. 10. in Gen. à nu. 23. p in ca. 2. Iudith.

Et Asia.] Asiæ minoris prouincia, *quæ Ciliciæ vicina est*, inquit Glossa interli. de qua capite quoque secundo dictum est [q]. Asia minor omnis nunc dicitur Turcia,continétque Phrygiam, Pamphyliam,Cariam,Lyciam,Lycaoniam,Lidyam,Chersonesum, Pontum, Bithyniam, Cappadociam, & alias prouincias.

q vers. 9.

Disputantes cum Stephano.] συζητοῦντες, *Disquirentes*. Syrus habet, דרשין הוו *dareschin hauu*, id est, D *disputantes erant*,& *se exercebant disputando*.

Mirum est, tam multos ex tot synagogis collectos contra vnum conspirasse, & quidem Diaconum, aut ex septuagintaduobus Discipulis, non autem contra Apostolos. Videlicet indignè forsan ferebant ab erudito Gamalielis auditore,quasi magistri freto auctoritate, qui persecutionem dissuaserat,& nihil Apostolorum minis ac verberibus commoto, tanto animi ardore, tanta gratia, vel ob ipsius corporis formam, vel ob facilitatem morum, quos SPIRITVS sanctus comitabatur, tot edendo signa, ac prodigia, CHRISTI doctrinam tradi, & persuaderi. Apostolos verò noluisse aggredi disputando, quos existimabant condi- E tione idiotas,rudésque scientia,& quos ob magiæ (quam imperitiores plerumque artem factitant potissimùm) suspicionem durare diu posse nō credebant; sibique persuadebant, doctioribus non posse imponere, cósve ad suam sectam deducere se posse diffidebant.

Cur tot cū vno Stephano disputare voluerint.

Fortasse etiam ætatem, & auctoritatem Apostolorum veriti, illos aggredi per seipsos non audebant. Verisimile est, Saulum stimulatum inuidia, ac molestè ferentem tanti fieri condiscipulum,ac forsan affinem suum Stephanum,& magistrū communé Gamalielem aliquid dare gratię in fouēdo Stephano videri,alios concitasse,& armasse in Stephanum, & tantum non ducem omnibus

Saulus fuit huius disputationis contra Stephanum auctor & excitator.

præiuisse. *Stephano ipso etiam contra indignum ducente*, inquit Oecumenius, *cum eis, qui circa Sophisticen vires ac gloriam apud Hebræos habebant* (immò verò apud omnes Cyrenaicorum nomen, & secta hac in re celebrabatur) *& corde excæcati erant, conuersari, ipsi verò suæ vanitati fidentes, ad disputandum cum eo processerunt.*

Cur solum Stephanum hi aggressi sint.

Solum Stephanum adeò multi sunt aggressi, non alium, tum quidem inuidia eorum, quæ edebantur ab eo signorum, vt si fortè ad hæsitatiam, atque consilij inopiam eum adigerent, pudore suffunderent, tanquàm insipienter se habentem in his, quæ sibi delegata essent; tum etiam, vt distractione disputationis erga ipsos, causa illi essent, vt à signis vacaret. Nyssenus [a], *Omnes*, inquit, *in quibus eruditionis atque scientiæ nonnihil inerat, in sese conuertebat: & ex iis, qui ceteris præstare eruditione videbantur, coitione atque conspiratione facta, veluti in phalangas quasdam constipati, sic impetum Stephani sustinere nitebantur. At ille omnibus pariter inuictus erat, siue cum multis solus, siue cum paucis congrederetur.* Tunc igitur in speciem quidem Alexandrini, Libertinique, & Cyrenenses, quique vndique conuenerant homines cum veritatis athleta confligebant: reuerà autem, vt per id quod apparuit, intelligitur, qui cum eo contendebat, is pater mendacij erat, per figuras humanas aduersùs eam, quæ à Stephano proferebatur, veritatem insurgens. Augustinus [b], siue Fulgentius, eleganter sanè, atque appositè inducit hos disputatores inter se deliberantes quomodo aggrederentur, & perderent Stephanum, & iuuenem, & pulchrum, & eloquentissimum, & sapientissimum præ omnibus, & signis miraculorum gloria plenum: prætereà facit eos deplorantes grauem suæ religionis iacturam, ob tam multos ad CHRISTVM aggregatos.

a oratio. de S. Stephano. *Cur vnum omnes petierint.*

b Serm. 6. de Sanctis.

Versus 10.] Et non poterant resistere sapientiæ & SPIRITVI, qui loquebatur.

ET *non poterant resistere sapientiæ.*] *In Græco habetur plus*, inquit Beda [c]: *Et non poterant resistere sapientiæ, quæ erat in eo, & SPIRITVI sancto, qui loquebatur, propter quod redarguerentur ab eo cum omni fiducia.* In vno codice Græco, cuius meminit Regius Parisiensis Typographus, sic est: *καὶ οὐκ ἴσχυον ἀντιστῆναι τῇ σοφίᾳ τῇ οὔσῃ ἐν αὐτῷ, καὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, ᾧ ἐλάλει διὰ τὸ ἐλέγχεσθαι αὐτοὺς ὑπ' αὐτοῦ μετὰ πάσης παῤῥησίας· μὴ δυνάμενοι οὖν ἀντοφθαλμεῖν τῇ ἀληθείᾳ*, &c. Quod sic reddi potest, *Et non poterant contrastare sapientiæ, quæ erat in ipso, & SPIRITVI sancto, quo loquebatur, propterea quòd illi ab ipso redarguerentur cum omni libertate. Cùm igitur non possent aduersùs veritatem obniti, &c.* Syrus ista omnia omisit, & in hoc tantùm à nostra editione variat, quòd SPIRITVI sancto sapientiam tribuat dicens, חכמתא דרוחא *chechmetha derucha*, id est, *sapientia SPIRITVS*. Glossa interlinearis ad verba, *qui loquebatur*, addit, *cum omni fiducia, & sine timore.* Petrus Damianus [d] ita legit, *redarguebantur ab eo cum omni fiducia.* Hoc verò illud est quod promiserat CHRISTVS [e]: *Dabitur vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed SPIRITVS PATRIS vestri, qui loquitur in vobis:* & [f], *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.*

c in Retract.

Non poterant.] Non dixit, *Non volebant*, inquit Petrus Damianus [g], *quod rationabilium est, & perfectiorum, sed, non poterant, vbi menti malæ facultas tollitur, non voluntas mutatur.* Sed certè vt maximè vellent, non poterant resistere, hoc est, vincere: resistebant enim, verumtamen nil proficiebant.

d Serm. de S. Stephano.

e Matth. 10. 19. 20.

f Luc. 21. 15.

g supra.

Sapientiæ.] *Scripturarum*, inquit Glossa interlin. *aut sapientiæ Stephani*, inquit Carthusianus, *quam videlicet ingenio etiam ac studio sibi comparauerat, & SPIRITVS sancti præsidio munierat.*

SPIRITVI.] *Sancto*, inquit Carthusianus; *quem pollicitus CHRISTVS, vt vidimus, vocauit SPIRITVM PATRIS [h] loquentem in fidelibus:* vel orationis vehementi impetui *conterenti etiam naues Tharsis [i] hominum pertinacium.*

h Matth. 10. 19. 20.

i Psal. 47. 1.

De SPIRITV sancto sermonem esse, indicant verba Stephani [k]: *Vos semper SPIRITVI sancto restitistis*, & citatus codex Græcus id habet; & Syrus quoque id apertè demonstrat, sic habens, דממללא הות בה *dammallela hauath bah*, id est, *qui SPIRITVS loquens erat in eo*, vel, *per eum.* Grauissimum est hoc peccatum in SPIRITVM sanctum, resistere SPIRITVI sancto, & agnitam veritatem diuinã impugnare; erit verò insuper blasphemia, detrahere, atque calumniari eandem veritatem, perinde ac si mala esset, vel opera euidenter bona, & diuina æstimare, ac si essent diabolica, & detestabilia: quoniam SPIRITVI sancto attribuitur operatio miraculorum, & illuminatio ad cognoscendam veritatem, quæ omnia ordinantur ad sanctificandum homines.

k cap. 7.

De peccato in Spiritum sanctum.

Ita omninò intelligendus CHRISTVS, cùm de blasphemia in SPIRITVM sanctũ loquitur [l], agens profectò de certo, & determinato peccato, non de finali impœnitentia, aut de peccato, quod vocant ex malitia, quoniam sunt hæ circumstantiæ diuersorum peccatorum. Lege Athanasium [m], Basilium [n], Anastasium Nicenum [o], Ambrosium [p], Hieronymum [q], Chrysostomum [r], Bedam in Matthæum, & Isidorum Pelusiotam [s], qui eo modo, quo dixi, exponunt, nempe facilè remitti blasphemiam in FILIVM hominis, hoc est, eorum, qui propter nouitatem doctrinæ appellabant CHRISTVM seductorem, & ob vitam communem cum ceteris hominibus, vinipotorem, & voracem [t], & quia pauper erat, filium fabri [u]: longè verò difficiliùs blasphemiam in SPIRITVM sanctum; eorum scilicet, qui opera, quæ sciebant esse DEI, & à CHRISTO fieri virtute SPIRITVS sancti, eiectionem Dæmonum, curationem morborum, suscitationem mortuorum, &c. credere nolentes, spiritui nequam tribuebant, & immundo (qui maximè opponitur sanctitati Deitatis) quibus ne in hac quidem vita sit remissa temporalis pœna, cùm Romani eos debellauerint. Alios dicendi modos aliorum Patrum de ista quæstione, qua in omnibus sanctis Scripturis nullibi fortè maiorem, & difficiliorem inueniri Augustinus [x] sentit, vide apud Scholasticos [y], & Hieronymum [z], & Richardum de S. Victore [a], & ex recentioribus apud Toletum [b], & Maldonatum [c], & Ioannem Ferdinandum [d], & Gregorium de Valentia [e].

Peccatum in Spiritum sanctum quid sit.
l Matt. 12. 31. Mar. 3. 28. 29. Luc. 12. 10.
m In his hæc verba Matth. 12. de hoc peccato.
n Reg. 273. breuib.
o q. 68. in Scripturam.
p 2. de Pœnit. cap. 4.
q Matth. 12.
r Matth. 12.
s li. 1. ep. 18.
t Matth. 11.
Quæ in Christi blasphemia remittatur.
u Matth. 13. Marc. 6. Luc. 4. 42.

x Serm. 11. de verb. Dom.
y in 2. d. 43.
z ep. ad Marcellã, de hac blasphem.
a Tract. de blasphem. in Spirit. sanct.
Impugnatores Stephani fecerunt peccatum in Spiritum sanctum, non blasphemiam commiserunt.
b Luc. 12. 10. 17. & seq.
c Matth. 12. 31.
d in Thesau. Scrip. lib. 2. c. 47.
e To. 3. disp. 1. q. 13.

Ceterùm impugnatores Stephani, quantùm ex præsenti historia colligitur, tum hîc, tum in sequentibus versibus, & capite, cõmiserunt quidem peccatum in SPIRITVM sanctum, non tamen blasphemiam; hæc enim est, quando non solùm quis resistit legi, sed prætereà detrahit legislatori DEO, vel negando quod in eo est, vel falsò imponendo quod non est; & in particulari assignans opera virtutis DEI Dæmonio.

Qui loquebatur.] ᾧ ἐλάλει, quo, seu, *per quẽ loquebatur*

Blasphemia quàndo communiter. batur Stephanus. Interpres allusisse videtur ad verba citata, quibus continetur illa promissio CHRISTI[a], & modus ille loquendi habet maiorem emphasim, quasi denotet, quòd Stephanus agebatur à SPIRITV sancto, & eius ab illo lingua mouebatur.

a Matth. 10. 19. 20. Luc. 21.15.

Quòmodo fit locutum Spiritus sanctus. Simile quiddam contigit iis, quibus in aurem insusurrasse leguntur Angeli, vt Ambrosio, & Vincentio Ferrerio; vel columbæ, vt Basilio, & Gregorio; vel aliquis Sanctus, vt Chrysostomo Paulus, quemadmodum ex eorum rebus gestis constat. Feliciter successit disputatio. At non sponte Stephanus eam iniit, nec tutum, licitúmve cuiuis ingerere sese. Hac de re aliàs. Multa in libris Augustini visuntur exempla disputationum: & perillustre est quod Victor[b] narrat, continens Catholicorum modestiam, insolentiam hæreticorum.

b 2. de persecut. Vandal.

Versus 11. **Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audiuisse eum dicentē verba blasphemiæ in Moysen, & in DEVM.**

TVNC *summiserunt viros.*] Rectè notat Caietanus, non esse ista, quæ hîc narrantur, vnico gesta tempore, seu in continenti: tametsi nesciatur, quot in iis rebus agendis dies positi fuerint.

Summiserunt.] Ὑπέβαλον, *subiecerunt*. Significatur composita, & occulta, ac subornata, atque (quod nomen Latinum per Græcum illud verbum aptè exprimitur) supposita accusatio, & falsò conficta: ὑποβάλλειν enim inter alia significat falsum quippiam adscribere, seu loco veri subiicere, & hoc idem valet Latinè supponere: sicut supposita persona, aut suppositum testamentum dicitur, cùm fingitur. Fuerunt videlicet subornati, ac suppositītij testes in Stephanum immissi. Notat Glossa interlin. notari hoc verbo calliditatem fraudis, Lyranus mendacium, & iniquitatem, sed nimirum callidè tectam.

Stephanus in quo cum Christo conuenerit. Augustinus[c] in Stephano magnam similitudinem agnoscit cum CHRISTO[d], in eo quòd falsi testes falsum testimonium idem ferè de vtroque dixerunt, & quòd testimonium in Stephanum dictum, vera fuit prædictio, sicut Caiphæ sententia contra CHRISTVM in Concilio[e].

c Serm. 91. de Sanctis.
d Matth. 26. 60. 61.
e Ioan. 11. 49. 50.

Qui dicerent.] Syriacè sic legitur, ואלפו אנון דאמרין *valephu innun dimerun*, id est, *& instruxerunt*, vel, *docuerunt viros, qui dicerent*, vel, *vt dicerent*; ex quibus verbis omninò falsitas testimonij magis apparet, & non minor istorum malitia, quàm impiæ Iezabelis, quæ & ipsa falsos testes contra pium Naboth instruendos curauit, vt eum morti adiudicandum traderent, sicut Regum habet historia[f].

f 3. Reg. 21. 9. 10. 12.

Quid sit blasphemia. *Verba blasphemiæ.*] Βλασφημία idem est propriè, quod nocens dictum, aut læsio famæ. Vsu tamen Scripturæ, & scriptorum Ecclesiasticorum solet accipi pro verbis, quibus de DEO dicitur quod ei non cōuenit, aut negatur quod conuenit: vel etiam de rebus ac personis, quæ DEVM attingunt, vt hoc loco. Legendus S. Thom. in 2. 2.[g] vbi nos ipsi de hac re egimus, necnon in c. 1. Esaiæ, & alij Scholastici in 2. Sententiarum[h], & Gerson Tractatu de Blasphemia[i]. Itaque quando Augustinus[k] docet, quòd blasphemia est, cùm aliqua mala dicuntur de bonis; licèt hoc secundùm priorem illam significationem, in qua à profanis Auctoribus sumitur, verum sit: non tamen iam communiter ita accipitur, nisi mala verba de DEO dicātur, quoniā de hominibus dubitari potest: Deus verò sine controuersia bonus est. Quare complexus est hic Doctor

g quæst. 13.
h dist. 43.
i in par. 4.
k de moribus Manich. c. 7.
Item sine controuersia bonus.

magis communem blasphemiæ significationem.

Blasphemia pro quocumque vituperio sumitur. Aliquando tamen sumitur blasphemare pro vituperare, & blasphemia pro vituperio, & probro. *Sic enim Goliath dicitur blasphemasse Israël*[l]: sic DEVS præcipit populo suo, *ne timeat opprobrium hominum, vel blasphemias eorum metuat*[m]: sic idem eidem minatur fore, vt sit *opprobriū, blasphemia, & exemplum, & stupor in Gentibus*[n]: sic audisse ait *opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon, qui exprobrauerunt populo*[o]: sic sacerdotes in historia Machabæorum deprecabantur DEVM, *vt meminisset blasphemias aduersariorum*[p]: sic Paulus ait de se, *quòd blasphemaretur*, quasi dicens *facienda mala, vt venirent bona*[q]: ac præterea de se, deque aliis: *Blasphemamur*, inquit, *& obsecramus*[r]: sic Angelo Smyrnæ dictum est: *Blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & nō sunt*[s]: sic rursus Apostolus Tito scribens: *Admone*, inquit, *illos neminem blasphemare*[t]; & Auctor operis imperfecti affirmat[u], etiam malum hominem posse blasphemari.

l 1. Par. 20. 7.
m Esa. 51. 7.
n Ezech. 5. 15.
o Sophon. 2. 8.
p 1. Machab. 7. 38.
q Rom. 3. 8.
r 1. Cor. 14. 13.
s Apoc. 2. 9.
t cap. 3. 2.
u homil. 3. in Matth.

Blasphemia etiam est malè ominosa oratio. Alia item significatio est pro infausta, & malè ominosa oratione, vt apud M. Tullium, interprete Cōrado[x], & Manutio, & apud Nazianzenum[y], vt Billius obseruat; quasi sit idem βλασφημία, quod δυσφημία, & sic idem est, quod mala fama ab alio disseminata. Tandem nonnunquàm blasphemia est quoduis peccatum; quia qui peccat videtur non admodum benè sentire de DEO. Sic aliqui accipiunt timorem Iob *ne fortè filij eius benedixissent*[z] DEVM, id est, blasphemassent, *in conuiuiis suis*: & Augustinus[a] voraces ac vinolentos ait, quantaslibet laudes lingua eorū sonet, vitam ipsorum blasphemare: præterea[b], rarò inueniri qui blasphement lingua, multos qui vita. Græcè dicto loco Iob est, *ne fortè in mente ipsorum malè cogitauerint de DEO*. Chaldaicè, *ne fortè ad iracundiam DEVM prouocauerint*.

x lib. 5. ep ad Attic. in 11.
y in orat. ad patrē suum, & in Apolo.
z Iob. 1. 5.
a in Psal. 146.
b tract. 27. in Ioan.

Moses ab Hebræis quàm sit. *In Moysen.*] Vel ipsa Mosis persona intelligitur, quæ maximi fiebat à Iudæis, ac tanti quidem, vt mortui corpus abscondendum fuerit à DEO[c], vt quidam arbitrantur, ne illum ipsi pro DEO colerent: vel à Mose lata lex, aliæque traditiones, de quibus paulò pòst[d]. Solet enim Mosis nomine intelligi lex, aut Pentateuchus, quem scripsit[e], vt etiam à Hieronymo obseruatum est[f].

c Deut. vlt. 6.
d vers. 14.
e Luc. 16. 29. c. 24. 27. Roman. 5. 14.
f 1. con. Iou.

Et in DEVM.] Sic crescit oratio, pluris ergo æstimabant DEVM, quàm Mosem: & tamen Oecumenius contrarium notat; quasi priùs nominauerint, quem sua etiam opinione, aut saltem re, & factis præferebant, siue practicè, quamuis forsan non speculatiuè.

Versus 12. **Commouerunt itaque plebem, & seniores, & Scribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium.**

Cur prius plebē in suam sententiam pertraxerint. COMMOVERVNT *itaque plebem.*] Cùm iam falsos & malos rumores sparsissent, & suppositos testes paratos haberēt (id indicat particula *itaque*) machinas admouent primùm ad plebem imbecilliorem, & mutabiliorē aduersùs Stephanum concitādam. Sciebant enim Apostolos, ceterosq; Discipulos plebi gratos esse, ita vt qui Apostolos priùs deduxerant in concilium, vi abstinuerint, veriti ne ipsimet lapidarentur à populo[g].

g cap. 5. 26.

Apostoli cur plebi grati fuerint. Inter alia placebāt Discipuli propter opinionē sanctitatis, ac religionis, quòd perhonorificè de Patribus[h] loquerentur. Idcirco infamantur apud plebem de blasphemia in Moysem, & DEVM.

h ca. 2. & 3. & 4.

Et seniores, & Scribas.] Illi præerant concilio, hi erant legis Doctores, vt aliàs dictum est. De sacerdotibus non fit mentio, quia si aliqui malè animati erant, plures ex eis tamen erant in magno ipsorum numero, qui, sicut superiùs visum est, obediebant fidei [a], etsi fortè cum reliquis Discipulis non se aggregarent.

a suprà v. 7.

Concurrentes rapuerunt eum.] Ἐπιστάντες συνήρπασαν αὐτὸν, *superstantes simul rapuerunt eum.* Syrus sic expressit, ואתו וקמו עלוהי וחטפו איתיהי *vethu vekamu hhalauhi vechatephu athyhi*, id est, *& venerunt, & surrexerunt contra eum, & rapuerunt, duxerunt eum*, vel, *raptum duxerunt eum*, vel, *proinde venerunt, & insurrexerunt in eum, correptúmque adduxerunt*, &c. Phrasis Græca vim, & impetum ingentem denotat: sic semper augescit persecutorum in dies furor, quos verisimile est illos ipsos fuisse, qui superiùs commemorati sunt ex variis synagogis, ac dedito studio, ea vi vsos, vt reum nocentiorem esse persuaderent, ceu prædonem, seditiosum, sacrilegum.

Persecutorum furor in dies augescit.

Adduxerunt eum in concilium.] Syrus sic habet, למצעת כנשא *lemetshhath chenscha*, id est, *in medio congregationis*, seu *synagogæ*. Meliùs noster Interpres: nec enim Græcum nomen τοῦ συνεδρίου, quod est hoc loco, significat synagogam: & synagogæ, maximè in Ierusalem, non habebant hunc vsum, vt cogerentur in eas seniores & Scribæ ad negotia tractanda maioris momenti.

Versus 13.] Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba aduersùs locum sanctum, & legem.

ET *statuerunt falsos testes.*] Sicut & contra CHRISTVM, vt cum Augustino [b] anteà notauimus: vt verum sit quod CHRISTVS prædixit [c], *Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?*

b Serm. 93. de Sanctis.
c Matth. 10. 25.

Inter Decalogi negatiua præcepta vnum hoc est, de non dicendo contra proximum falso testimonio, quod item sæpe aliàs cauetur in Scriptura [d]. Magna exaggeratio calamitatis propriæ à Iob [e] ponitur his verbis: *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, & suscitatur falsiloquus aduersùs faciem meam contradicens mihi.* Susanna quoque non tam mortem, quàm testium reformidans criminationem falsam, cùm audisset minas seniorum, *Dicemus contra te testimonium*, ingemiscens dixit: *Angustiæ sunt mihi vndique* [f].

Falsum testimonium quàm graue scelus sit, & quàm formidabile.
d Exo. 20. 16. c. 23. 1. Deut. 5. 20. ca. 19. 15. 16. Prouer. 12. 17. c. 19. 5. 9. c. 24. 8. c. 25. 18.
e cap. 16. 9.
f Dan. 13. 21. 22.
g Eccl. 26. 5. 6.

Hinc prætereà Sapientis illud apophthegma [g]: *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit: delaturam ciuitatis, & collectionem populi, calumniam mendacem, super mortem, omnia grauia*, hoc est, Timui publica notari infamia in ciuitate, ne ex huiusmodi infamia coëat, & congregetur contra me multitudo, & ne in ea congregatione falsis criminibus grauer.

Comminantur Scripturæ citatæ pœnas graues falsum edentibus testimonium, & historia Susannæ illustre in senioribus exemplum continet. Eusebius verò aliud narrat longè mirabilius de criminatoribus Narcissi, innocentissimi viri, Episcopi Ierosolymitani [h]: quæ verò mandauerat vt in Naboth submitterentur duo falsi testes, qui eum benedixisse dicerent, hoc est, blasphemasse DEVM, & Regem, quam pœnam Iezabel impia regina luerit, narrat Regum historia [i], vocátque falsos illos testes, filios Belial, &

Falsorum testium pœna.
h 6. Hist.
i 3 Reg. 21. 10. 13.

A Diaboli, & viros diabolicos [k].

k ibid.

Si de legibus humanis loquamur, hæ in caussis ciuilibus certas pœnas, atque in criminalibus decreuerunt iure communi [l]: ac in his quidem pœnam talionis, quæ etiam est in Deuteronomio [m]: & lex vna XII. Tabularum deiectionem ex saxo Tarpeio, quam non esse nimis duram, demonstrat ex Phauorino philosopho Cæcilius iurisconsultus apud Gellium [n]. Indos narrat Strabo [o], digitos extremos falsis testibus decurtasse. Longobardi [p] dextram manum amputabant. Suidas [q] refert legem latam in Tenedo à Tene, vt falsò accusantibus à tergo carnifex astaret sublata securi, vt conuicti statim

B ferirentur. Lege cum scholiaste Tiraquello Alexandrum ab Alexandro [r]. Lege Isidorum [s], Iurisconsultos in iura citata [t], Iacobum Simanca [u], & Couarruuiam [x].

Ceterùm vt ad propositum reuertamur, mentio hîc fit testium in numero multitudinis, quoniam lex præscribebat, vt à pluribus testimonium ederetur, nempe à duobus, vel tribus [y]; quomodo duos legimus subornatos contra Naboth [z], & Susannam [a], & CHRISTVM [b]. Quotnam autem hi testes fuerint, Auctor non exprimit, vt mirer aliquos eum numerum binarium ab illo expressum affirmasse [c].

C *Homo iste.*] Contemptum denotat hæc loquendi forma, vt notat vtraque Glossa.

Non cessat loqui.] Exaggeratio est, qua persuadere volunt, non semel aut iterum, sed sæpiùs, & veluti ex quodam habitu solitũ blasphemare. Oportet verò multoties à Stephano habitũ sermonem de religione, vel priuatim, vel publicè, vt huiusmodi testimonium etiam à falsis testibus deponi potuerit. Grauis accusatio blasphemiæ, quæ propter atrocitatem suppliciis grauissimis per leges luitur [d], & rursus in iure canonico, vt apparet ex titulo de maledicis, & alibi [e], & per extrauagantes Pontificum maximorum Leonis X. [f] Iulij III. & Pij V. [g] ac nominatim lapidatione per legem di-

D uinam [h], qua idcirco tanquàm blasphemus occisus est Naboth, vt dixi, & noster Stephanus, & nisi CHRISTVS sese subduxisset, lapidatus eiusdem caussæ prætextu fuisset [i].

Memorabile exemplum vindictæ diuinæ contra Sennacherib regem Assyriorum propter blasphemiam immissum continet Regum liber quartus [k], & secundus Paralipomenon [l], quod magis illustrat vtrobique Lyranus, & ex Historicis profanis Herodotus [m]. Ille namque tradit, cæsorum ab Angelo cadauera confestim redacta in cineres: hic arcus, & scuta corrosa ab agrestibus muribus, regem à filiis in templo trucidatum, capillum ei barbámque radentibus ad ignominiam, & in statuæ ipsius manu murem cum

E hac inscriptione ponentibus: Εἰς ἐμέ τις ὁρέων, εὐσεβὴς ἔστω, *In me quisquis intuitus fuerit, pius esto.*

Paulus Alexandrũ, & Hymenæum tradendos censuit Satanæ [n], vt discerent non blasphemare. Nathan peccatũ Dauid inde maximè auxit, quòd per id blasphemari fecisset nomen DEI [o], quam ipsam DEVS iniuriam suam sibi ab impiis illatam vehementer queritur apud Esaiam [p].

n 1. Timot. 1. 20.
o 2. Reg. 12. 14.

Facit etiam ad huius sceleris immanitatem, quòd vt illud à filiis Iob auerteret, neu ipsi DEO *benedicerent* (hoc est, maledicerent, & blasphemarent, siquidem horret Scriptura vel ipsum nomen blasphemiæ) *sacrificabat quotidie pro illis* [q]. Et quòd eundem Iob in calamitate graui

q Iob 1.

constitu

constitutum, hortata est vxor benedicere [a], id est, maledicere DEO, & mori, hoc est, vt eo peccato prouocaret in se DEVM, sicque ab eo interfectus, morte faceret miseriarum compendium. Ita quidem exponunt Apollinarius & Chrysostomus in catena Iob, necnon Basilius [b]. Prætereà quòd Michaël *altercans cum Diabolo de Moysis corpore, non est ausus ei iudicium inferre blasphemiæ* [c]. *Et sunt tamen qui quæcunque ignorant, blasphemant.* Adhæc quòd in signum execratæ blasphemiæ solerent vestimenta lacerari, vt aliàs dicemus. Item quòd Gentilis Nabuchodonosor prohibuit blasphemari DEVM Israël, vt refert Daniel [d], hinc enim longè magis sibi fideles id prohibitum persuadere debent, tot à DEO in momenta singula beneficiis affecti, nec vlla ratione induci, vt Polycarpus argumentabatur, *octoginta sex, supra exactis annis ad blasphemandum sollicitatus, vt tantum benefactorem blasphement*, vt memoriæ proditum est ab Eusebio in historia Ecclesiastica [e], & aliis. Iustinianus in Authenticis [f], *fames, terræmotus, ac pestilentias ab irato propter blasphemias DEO immitti ait, hásque vltimo supplicio extirpandas.* S. Ludouicus rex Galliæ Christianissimus blasphemantis linguam ferro candente adurebat, atque seipsum hanc pati pœnam paratum profitebatur, si ea pœna excindi tantum nefas, tantáque iniuria DEI posset [g]. Paulus Æmilius tamen candentem laminam fronti blasphemi iubente S. Rege inustam scribit [h].

Nulla est bene constituta Respublica, quæ blasphemis non acerbas pœnas decreuerit, vt de Saracenis quoque testatur B. Antoninus [i]: nec ferre potest Chrysostomus [k], qui nullum æquè peccatum, ac sæpiùs insectatur, vt etiam priuatus quisque iniuriam istam DEI sinat inultam abire, nec ipsemet impacto colapho vlciscatur; & notat Auctor operis imperfecti [l], CHRISTVM aduersus tentatorem suum tum demùm exasperatum esse, cùm per blasphemiam, DEO debitam sibi ipsi adorationem exegit [m]. Idem B. Antoninus diuinæ in blasphemos animaduersionis exempla recitat, præter illa quæ attulimus, & alia legere potes apud Gregorium [n], Nicephorum [o], Petrum Damianum [p], Cæsarium [q], Alexandrum Anglum [r], Pratum spirituale [f]; denique constat, Socratem, quòd in Deos iniurius haberetur, apud Athenienses delatum, & damnatum esse. De blasphemorum pœnis, Simancas [t], Menochius [u], Petrus Gregorius [x], Azor [y]. Concludamus orationem conuersi ad DEVM, ac verbis vtentes, quibus Tobias [z] mysticam Ierusalem alloquitur: *Maledicti erunt, qui contempserint te, & condemnati erunt omnes qui blasphemauerint te, benedictique erunt, qui ædificauerint te.*

Aduersus locum sanctum] Templum intelligunt, vt apparet ex euersione per IESVM, de qua sequenti versiculo, aut etiam ciuitatem, quam idem CHRISTVS euertendam prædixerat [a]. Nam ciuitas tota sancta cognominatur [b], vel ciuitas Sancti [c], siue Domini; immò ciuitas DEI [d], siue Domini Sion, item mons sanctus [e]: & nomen hoc idem loci sancti pro ciuitate aliàs, quàm hic, inuenitur [f]. Obseruat quoque Marianus Victorinus [g], quòd apud Hebræos siclo vna ex parte inscribebatur, *Ierusalem sancta*, vbi nimirum insculpta virga Aaron, regnum, imperiúmve designabat: alia verò ex parte, vbi erat vas denotans sacerdotium, *siclus Israël.* Is tamen, quem Romæ vidi, habebat pro ara calicem, ex quo flamma ascendit. Causa huius ap-

a Iob. 2. 9.
b orat. de nō adhær. reb. secul.
c ep. Iudæ. 9. 10.
d cap. 3. 96.
e lib. 4. c. 14.
f Const. 77.
g S. Vincen. in ser. 4. post Iudica
h lib. 7. Hist. Franc.
Quanta pœna blasphemis decreta
i 2. part. tit. 7. cap. 7.
k Hom. 1. & 5. ad pop. Antio.
l homil. 5. in Matth.
m Matt. 4. 9. 10.
n lib. 4. Dial. cap. 18.
o in Hist. lib. 18. c. 33.
p ep. 4. c. 11.
q lib. 7. Mirac. cap. 44.
r in destru. ctione vitio. p. 4. c. 17. & 14.
f cap. 47.
t in Cathol. Instit. 8.
u 2. de arbit. iud. cent. 4. casu 375.
x Syntagm. li. 36. c. 12.
y Instit. Moral. lib. 9. cap. 28.
z cap. 13. 16.
a Luc. 19. 44.
b Matt. 4. 5. & 27. 53. Apoc. 11. 2. & 21. 10.
c Isa. 1. 26. Dan. 9. 24. Machab. 2. 7. Isa. 52. 1.
cap. 15. 14.
c Esa. 52. 1. c. 64. 10.
d Psalm. 46. 2. Tob. 13. 19.
e Esa. 60. 14.
f Sap. 19. [illegible]
e Isa. 60. 14. Zach. 8. 3.
f 2. Mach. 2. 18.
g in ep. 104. Hier.

A pellationis est, quoniam DEVS peculiariter ibi colebatur templo, & sacrificio, quæ etiam extra eam ciuitatem esse non poterant, vt notat Euthymius [h]. Prætereà lex eò loci atque cæremoniæ obseruabantur exactiùs, vt ait Beda [i]: similis causa est, cur diceretur ciuitas iustitiæ, vt notauit Chrysostomus [k], *Abundabat*, inquit Christianus Druthmarus [l], *maiore, quàm loca alia, piorum, & in lege peritorum numero, vel sacerdotum, vel Prophetarum.* Ibi creditur Abraham filium sacrificasse [m] (ante illum ibidem obtulisse Abel sacrificium, Hebræi quoque nonnulli putant) Dauid Angelum grassante pestilentia manu gladium gestantem vidisse [n]: denique, vt alia omittam, atque

B etiam de ipso eius situ, qui refert quandam sanctitatem, postquàm illam sanctus sanctorum CHRISTVS præsentia sua sanctificauit, & doctrina, & miraculis, & morte, & Resurrectione, & misso SPIRITV sancto, & Sacramentorum institutione (adde cædem Stephani, & vtriusque Apostoli Iacobi) longè maximo iure ciuitas, & locus sanctus appellatur, & Ecclesiæ tum militantis, tum triumphantis est typus. Porrò etiam post necem CHRISTI sancta vocatur Ierusalem, licèt tanto facinore contaminata, in Euangelio [o] propter sanctitatem, non quam amiserat, sed quam priùs habebat, eo

C modo, quo Matthæus iam CHRISTI Discipulus, vocatur tamen Publicanus [p], vt in Matthæum Hieronymus, ac Beda obseruant. Lege Pererium in Danielem [q], & Maldonatum in Matthæum [r]. Nimio quodam templum Iudæi amore prosequebantur: nec ferè grauior in Ieremiam criminatio fuit, quàm quòd prophetasset euersionem eius [f].

Et legem.] Quem priùs vocauit *Mosem*, & paulò pòst *traditiones, quas tradidit Moses.* Loquebatur itaque Stephanus contra locum sanctum, & legem, *quia templo, & legi veteri Ecclesiam, & legem nouam præferebat*, inquit Glossa interlinearis, Rectè, sed non ad mentem accusatorum.

D *Versus* 14.] **Audiuimus enim eum dicentem, quoniam IESVS Nazarenus destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.**

AVDIVIMVS *enim eum dicentem, quoniam IESVS Nazarenus.*] *Hic & in hoc modo loquendi est contemptus siue propter pronomen demonstratiuum, siue propter cognomen Nazareni*, vt notat Chrysostomus, quoniam Nazareth erat locus vilis, & inferior quocumque alio ferè totius Galilææ. Atque vel *in hoc deprehenduntur falsi testes*, inquit Oecumenius, *quoniam Stephanus nequaquàm dixerat Nazarenum* CHRISTVM.

E Non equidem idcirco testibus istis crimen falsi intenderim; fieri námq; potest, vt id nomen etiam Stephanus vsurpauerit, vt doceret illius ipsius dignitatem, atque maiestatem, qui cùm ex humili oppido esset, & ab eo per contemptum ab aduersariis Nazarenus cognominaretur, tamen CHRISTI, & veri MESSIÆ nomen & gloriam consecutus esset. Lege caput secundum [t].

Destruet locum istum.] Vel ciuitatem, vt diximus; vel templū, quod potuit etiam digito indicari ex synedrio, vbi cōgregati erant, quod erat templo attiguum. *Multa illis reuerētia erat erga templum: vtpote qui & iuxta illud habitare summo honori ducerent*, inquit Chrysostomus. Id colligitur non ex

h Matth. 4.
i ibid.
Ierusalem cur ciuitas sancta diceretur.
k hom. 3. in Matth.
l ibid.
m Gen. 22. 1.
n 2. Reg. vlt. 1.
Ierusalem est magis sancta, quàm antea vnquàm fuerit.
o Matt. 27. 53.
p Matth. 9.
q lib. 1.
r ca. 4. & 27.
f Ierem. 26. 8. & seq.
Non sunt falsi testes in eo quòd Iesum Nazarenum dixerint.
t vers. 22.
Iudæi erga templum summa obseruantia affecti fuerunt.

a cap. 7. 4.

Ieremia [a] tantùm ipsis exprobrante tantam curam, & cultum templi, quasi in ea re spes omnes suas collocassent; sed etiam ex eo, quòd subornati contra CHRISTVM falsi testes pariter idem illi crimen destructionis templi obiecerunt [b]; & alij iàm crucifixo per conuitium inculcarunt, insultantes & blasphemantes [c].

b Matth. 26. 60. 61.
c Matt. 27. 39. 40.

Fortasse isti testes, aut potiùs testium adornatores sperabant huiusmodi accusationem, quam CHRISTO obiectam, ei damnationis conciliasse sententiam putabant: Stephano quoque conciliaturum, qui hoc etiam nocentior videretur, quòd nec alieno Magistri supplicio cautior euasisset, sed id auderet admittere, quod in Magistro animaduersum esset.

Quàm periculosum fuerit de templi excidio verba facere.

Fuisse periculosum de templi excidio loqui, illud etiam indicat, quòd cùm CHRISTVS *ostendentibus sibi Discipulis ædificationes templi*, fortasse quia dixerat Iudæis, *relinquendam illis esse domum ipsorum desertam* [d], atque alio loco futurum prædixerat, *vt non relinqueretur vnus lapis super lapidem qui non destrueretur* [e], accedentes Discipuli vel omnes, vel potiùs, vt Marcus [f] scribit, magis familiares Petrus, Iacobus, Ioannes, Andreas, percontati sunt, quando id eueniret.

d Matt. 23. 38.
e Luc. 19. 44.
f cap. 13. 1.

Excidium tēpli & Vrbis à Christo prædictum, & ab aliis.

Atque ex his item locis apparet, CHRISTVM prædixisse euersionem templi, & ciuitatis, sicut & apud Ioannem [g], cùm dixit: *Soluite templum hoc, & ego in tribus diebus excitabo illud*; & apud Lucam [h], cùm tenderet ad mortem, vbi Oseæ [i] verbis vtitur, sicut & Ioannes ad idem propositum, vt quidam volunt, in Apocalypsi [k]: quæ prædictio videtur prætereà facta à Tobia [l], *Ierusalem ciuitas* DEI, *castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum*; & à Ieremia [m]: *Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideò obtenebrati sunt oculi nostri, propter montem Sion, quia disperiit*; & ab Ezechiele [n]: *Pro eo quòd Sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor, & faciam in medio tui iudicia gentium, & faciam in te quod non feci, & quibus similia vltrà non faciam propter abominationes tuas. Ideò patres comedent filios suos in medio tui, & filij comedent patres suos, & faciam in te iudicia, & ventilabo vniuersas reliquias tuas in omnem ventum.* Est item illustre de re eadem testimonium Zachariæ [o], de quo Eusebius [p], & in eundem locum Cyrillus, Theodoretus, Rupertus, Hieronymus, & alij: & aliud eiusdem [q], de quo ex Hebræorum sententia Lyranus [r], & Galatinus [s]. Hieronymus prætereà exponens Michęam, ait idem hoc excidium illum prædixisse [t]. Origenes [u], Tertullianus [x], iterúmque Eusebius [y] affirmant de Esaia [z], quod nos quoque ibi adnotauimus, quibus adde alia duo loca eiusdem [a], & aliū Ieremiæ [b]. Videtur CHRISTVS [c] Danielem [d] de hoc etiam excidio intellexisse. Sed & Petrum, & Paulum, cùm Romæ essent, de eodem vaticinatos esse, testis est Lactantius [e], atque prædicasse, & *ea*, inquit, *prædicatio in memoriam scripta permansit*. Iosephus [f] autem prodidit, *Prophetarum quæ extabant hac de re oracula, tanquam vulgares fabulas à suæ gentis hominibus fuisse derisas.*

g cap. 2. 19.
h cap. 21. 30.
i cap. 10. 8. 9.
k cap. 6. 16.
l cap. 13. 11.
m Thren. 5. 17.
n c. 5. 9. 10. 11.
o cap. 14. 1. & seq.
p 6. de Dem. c. 18. & lib. 8. cap. 4.
q cap. 11. 1.
r in Zach. 14.
s lib. 4. c. 8.
t cap. 7. 5. 6.
u tract. 24. in Matth.
x 4. contra Marcio. in fi.
y 2. de Dem. cap. 16.
z cap. 1. 7.
a c. 5. 25. cap. 25. 29.
b cap. 19. 6. & seq.
c Matt. 24. 11.
d c. 9. 27.
e lib. 4. c. 21.
f 5. de bello Iud. c. 2. & 3.

Et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.] Τὰ ἔθη, *consuetudines, & ritus*. Syrus etiam habet, עידא *bhaiade*, id est, *consuetudines*, quæ superiùs sub nomine legis, aut etiam Moysi comprehensæ sunt. Mutatio hæc videlicet in melius, recedente figura, & vmbra, æquè prædicta est, ac euersio templi, atque ciuitatis: nominatim verò à CHRISTO, qui se professus est non venisse legem soluere, sed adimplere [g], in familiari dialogo cum Samaritana [h].

Mutatio cæremoniarum legis Moysis à Christo prædicta.

g Matth. 5. 17.
h Ioan. 4. 21. & seqq.
Quid traditionū nomine [illegible]

Existimo Interpretem nomine traditionum non intellexisse distinctè & propriè, voce duntaxat relictas à Mose successori Iosue, & inde per manus acceptas legis cæremonias diuersas ab iis, quæ sunt scripto mandatæ, & quas Græci quidam δευτερώσεις, Hebræi autem קבלה *kabbala*, seu Cabalam nominant, sed vniuersè ac generaliter quicquid legis nomine continetur, & ad reipublicæ Hebræorum gubernationem, tum sacram, tum politicam pertinet. Nam constat voce traditionis doctrinam quoque scriptam significari; vt cùm Mosi dixit DEVS [i]: *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade in auribus Iosue*: prætereà in illis Pauli verbis [k]: *Tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* Tamen ex vsu Patrum, atque Theologorum, traditionis alioqui generale nomen accommodatum est ad doctrinam non scriptam, vt apud Irenæum [l], Tertullianum [m], Cyprianum [n], Augustinum [o], Basilium [p], & plurimos alios, quos citant hi, qui agunt de traditionibus, vt Canus [q], Martinus Peresius [r], & Cardinalis Bellarminus [s].

i Exod. 17. 14.
k 2. Thess. 2. 14.
l lib. 3. c. 2.
m de corona militis c. 3.
n lib. 2. ep. 3. & 74.
o 5. de bap. cap. 23.
p de Spiritu sancto.
q 3. de locis.
r in opere de iisdem.
s de Verbo non scripto.
t oratio de S. Steph.

Sententia [illegible] Stephani [illegible]

Accusatio quidem diaboli oratorum talis est, inquit Nyssenus [t], *sed quænam est audientium amentia? cuius criminis nomine sæuiunt? quam nequitiam in his verbis deprehenderunt? Nam quæ quidem aduersùs eum proferebatur, in posterum euentura erant. Aiebant enim eum dixisse locum euersum iri, & instituta Mosis commutatum iri. Quod igitur maleficium in his verbis continetur, siue vera, siue falsa loquatur? Nam si quidem mentitur, id quod angit, & malè habet, non eueniet: sin autem vera dicit, quænam est iniuria sermoni, quo prædicitur id, quod euenturum sit? Nam quæ fient, prorsus euenient, siue sileamus, siue loquamur: at cædes prædicentis, quam affert incommodorum correctionem? Deinde accusatur quidem* IESVS *Nazarenus: sententia autem, quâ pœna, atque supplicium decernitur, aduersùs Stephanum fertur. Atque si is qui delinquit, iram mouet, & crimini datur loci, & institutorum mutatio, atque hæc accusator non à Stephano, sed ab* IESV *fieri dicit, aduersùs accusatum prorsus commoueri iudices oportebat. O iniustam audientium sententiam!* Quoniam, inquiunt, IESVS *mutabit leges, lapidetur Stephanus.*

Iesus Nazarenus accusatur, & Stephanus plectitur.

Quomodo autem legem IESVS *abrogabit, qui ita affectus erat erga legem, qui omnia ad confirmationem antiquarum legum instituit? qui dixit* [u]: *Non veni dissoluere legem, sed implere? qui legem de non interficiendo, per hoc, quòd nec quidem prorsus irasci quenquam Discipulis confirmauit* [x]*? qui adulterium vnà cum libidine atque concupiscentia eiecit* [y]*? qui per id quod noluit vt quisquam vlcisceretur eum, à quo antè læsus esset* [z], *ne lacessendum quidem iniuria quenquam esse præcepit? qui per communicationem facultatum auaritiæ vitium exterminauit* [a]*? Quî fit igitur, vt hæc neque commemorata, neque in cognoscendo simul quæsita, & examinata sint? Vellem nunc adesse mihi sanguinariorum illorum iudicum concilium, ac de locis, quorum nomine sæuiunt infensi, sciscitari cuperem: vbi celebre illud templum? vbi incredibiles lapidum magnitudines* (erat templi ab Herode integrati, lapidum longitudo centum cubitorum, altitudo totidem, & ampliùs viginti: lapides candidi atque firmissimi, longitudine vigintiquinque cubitorum, latitudine duodecim, altitudine octo [b], ita vt meritò Discipuli CHRISTO stupore pleni dixerint [c]: *Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ*) *vbi aurum illud, quod reliquam templi materiam pretio prope-*

Iesus legem non abrogauit.
u Matt. 5. 17.
x vers. 22.
y vers. 28.
z vers. 39.
a Luc. 6. 30.
Templi lapidum qualitas & quantitas.
b Ioseph. 15. Antiq. c. 14.
c Mat. 13. 1.

modum

a Aggæi 2. an. 45. & seq.

pomedium æquabat (putat Ribera [a], templum quod Herodes extruxit, longè magnificentius fuisse, quàm quod Salomon) *vbi legitima sacrificia? aries, vitulus, agnus, iuuenca, columba, turtur, & auertendis malis sacrificari solitus caper? Si idcirco Stephanum capitis condemnant, vt ne quid tristium illarum rerum eueniret, ostendant quæcumque per cædem illam nefariam sibi conseruauerint. Quòd si nihil horum reliquum est, quorum nomine sententiam illam tulerunt, dicant, cuius rei gratia cædes ab ipsis perpetrata sit.*

Tam multa ex Nysseno retulimus haud sanè assueti aliena in nostras chartas transcribere, quoniam sententiam, quæ placet, non potuimus paucioribus, nedū melioribus verbis, exprimere.

Potuit Stephanus accusari, etiamsi Christum dixisse, quæ cōmemorantur, significaretur.

B Illud solùm annotauerimus, non videri adeò inconcinnam, atque importunam accusationem, etiamsi Stephanus non de seipso, sed de CHRISTO affirmasse dicatur, destructurum fuisse locum sanctum, & traditiones mutaturum, quas tradiderat Moses. Nam hoc nil aliud erat, nisi præferre legi Euangelium, CHRISTVM Mosi, & diuinitatem CHRISTO tribuere; quæ omnia si falsa essent, vel potiùs quia falsa illi esse ea existimabāt, blasphemiæ culpa non vacabant opinione eorum, qui legem, & Mosem amplectebantur, & IESVM ob simile crimen, quod Stephano in præsentia obiiciebant, egerant in crucem.

Cur falsi testes hi dicantur, qui retulerint Stephanum vera dixisse, quæ prædixit Christus.

b Marc. 14. 59.

C Aliud est, quod obiici possit contra Lucam ipsum, quid sit, cur falsos testes nominet, qui ea de Stephano recitarunt, quæ Stephanum dixisse verisimile est, cùm sint vera, & à CHRISTO ipso, vt vidimus, etiam prædicta? Quare testium illorum, qui contra CHRISTVM dixerunt, *non fuisse conueniens testimonium* Marcus ait [b], hoc est, sufficiens ad condemnandum illum, quod Græcè vocatur æquale, καὶ οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν; & tamen Stephano nonnisi propter simile in ipsum dictum testimonium mors illata est? Ratio est, quoniam in illis verbis, quæ se testes hi à Stephano audiuisse dixerunt, continebatur, vt modò dixi, IESVM esse DEVM: insuper addebant dixisse, quòd mutaret traditiones, quas tradiderat Moses: quæ res duæ reum extremi supplicij idoneè

c Leu. 24. 16.

D constituebant: tum maximè primum, in quo erat blasphemia lapidibus punienda [c].

Quomodo hi falsi testes vere fuerunt.

Nihilominus meritò nominantur hi falsi testes, non quòd à Stephano IESVM cognominatum Nazarenum dixerint, quod antè refelli, sed quia deposuerint, dixisse CHRISTVM, se locum sanctum destructurum, quod minimè dixerat, sed id gentes facturas: item Mosis mutaturum traditiones, qui & legem religiosè obseruabat ipse, ac se non vt solueret, sed adimpleret, venisse protestatus erat. Si mutauit & soluit post mortem, vt Caietanus [d] existimauit, non essent dicendi dicti testes falsi, & mendaces.

d in c. 5. Mat.

Christus voluit Apostolos legem esse obseruatores.

E Itaque CHRISTVS erudiens Discipulos futuros prædicatores, & lucem mundi, sálque, vt cùm maximè, tunc eos legis vult obseruantes esse, sicut ipsemet, conditor licèt legis, legem obseruabat, vt habet Auctor operis imperfecti [e], quamdiu eam vigere oportebat.

e in Matt. hom. 10.

Lex à Christo quomodo impleta fuerit.

Quanquàm & illud verum est, aliter impletam legem à CHRISTO, quia meliùs explicauit, vt tradit Euthymius, Theophylactus [f], & Nyssenus [g], quia gratiam attulit, vt faciliùs seruaretur, vt scribit Augustinus [h], & Chrysostomus [i], quia figuris ac prædictionibus exhibita re ipsa & veritate finem imposuit, sic plurimi alij Interpretes apud Maldonatum [k], quia præmia potissimùm

f in Matth.
g con. Iud.
h 7. con. Faust. c. 5. & lib. 19. c. 7.
i hom. 16. in Matth.
k in c. 5. Matt.

A æterna, pœnásque proposuit, non, vt ferè semper lex, quæ temporalia duntaxat, & caduca continet. Hoc non est legem soluere, sed perficere: nec erāt illi testes adeò vel acuti, vel fauentes CHRISTO, vt eo sensu multiplici, quem dedimus, vel CHRISTVM, vel Stephanum intelligerent, aut intelligi vellent.

Versus 15.] Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquàm faciem Angeli.

ET *intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius.*] Omnes Glossæ, & Hugo interpretantur de noua quadam pulchritudine, & claritate. Nyssenus [l] vocat *Angelicum decorem, & mutationem faciei in angelicam formam.* Augustinus [m] ait illustratam esse faciem vt Solem, & [n] comparat cum splendore vultus Mosis, nisi quòd, inquit, *iste, propter excæcationem Iudæorum posuit in eo velamentum, ne videret criminosum ipsorum vultum* [o]; *hic ad confusionem illorum reuelata facie speculans* [p] *in cælum gloriam* FILII DEI, *Resurrectionis annunciabat sacramentum*: dicit etiam [q], *in amico Angelorum angelicam similitudinem apparuisse, & in pedissequo* CHRISTI *ouis fronte signum gestasse, cui sint patefactæ portæ cælorum.* Hilarius Arelaten. [r] docet fuisse in Stephani facie *speciem resurgentis, aduersariis quidem ad pœnam peccati, & tormentum inuidiæ, & exprobrationem impietatis, & testimonium criminis, & veluti repercussionem luminis ex facie lapidati, siue quia iam lapidandus designabatur: in ipso autem Stephano abundantiam cordis transisse in decus corporis, & in exteriori gloria candorem interioris exundasse, & absconditæ pectoris ornamenta speculum frontis irradiasse, & cùm haberet in se* SPIRITVM *sanctum, os præ se gestasse angelicum.*

l ora. de S. Stephano.
m Ser. 99. de Diuers.
n Serm. 6. de Sanctis. De gloria vultus S. Stephani.
o Exo. 34. 33.
p 2. Cor. 3. 18.
q Serm. 99. de Diuers.
r homil. de S. Stephano.

Petrus Damianus [s], vbi dixisset faciem luminosam, & vultus DEI lumine insignitam, & vibranti splendore serenatam appellasset, subdit hæc: *Respondeant mihi diuinorum voluminum euolutores, vbi reuoluerint hominem in terris positum, vultum angelicum induisse: & cùm in vtrisque legibus vel rarò, vel nunquàm inuenerint, adstupeant gloria triumphantis.*

s Serm. de S. Steph.

Chrysostomus [t] comparat similiter cum gloria vultus Mosis [u], & inde redditum amabilem, simúlque terribilem, & reuerēdum, ita vt proptereà passi sint illum concionari: de Barnaba similiter traditum, eum dicendo facie amabilem fuisse, ita vt angelicam quoque dici posset habuisse. Quæ vna forsan causa fuit, cur id nomen haberet, quod, vt aliàs notatum est, significat *filium consolationis.* Tertullianus [x] ponit eandem comparationem Mosis tum seorsim, tum etiam in Transfiguratione CHRISTI, atque in Elia, *Sed Moses erat*, inquit, *proinde qui non videbatur; sic & Stephanus angelicum iam fastigium induerat, sed nondum alia genua in lapidatione succiderant.*

Facies Stephani cum gloria vultus Mosis comparatur.
t hoc loco.
u Exod. 34. 33.
x li. de resurr. carnis. c. 55.

Ex his porrò, quæ adhuc allata sunt, colligi potest, quibus de causis voluerit DEVS emicare in Stephani vultu angelicam, hoc est, splendentem, & decoram formam. Adde præterea, vt declararetur Stephani innocentia, libertas dicendi (solēt iudices reorum vultum attendere, & gestum oris, an palleant, balbutiant, tremant, &c.) efficacia doctrinæ, ideò cùm legem Moses detulit, radians descendit [y], & quando CHRISTVS veluti doctor creatus est à PATRE illis verbis [z]: *Ipsum audite, facies eius resplenduit sicut Sol* [a], & ipse Doctori-

Cur Stephani facies resplenduerit.

y Exo. 34. 29.
z Mat. 17. 5.
a Ibid. 2.

a Mat.5.14.

bus suis dixit [a]: *Vos estis lux mundi*: item quòd qui sunt etiam in gradu inferiore, possunt clarescere (nec enim hoc de Apostolis proditur) quòd qui ad audiendum hac ratione allicerentur, magis etiam, si non obedirent, inexcusabiles redderentur: quòd officium Diaconi, & Angeli, sicut & nominum significatio similia sunt, & in tractandis rebus sacris, atque in viduarum cura, angelica opus est puritate.

David Angelus Dei dictus à multis, & cur.
b 1 Reg.29.9.
c 2.Reg.14.17 20.

Vocatus est Dauid aliquando Angelus DEI ab Achis [b], propter innocentiam: *Scio*, inquit, *quia bonus es tu in oculis meis sicut Angelus* DEI: à muliere Thecuite [c], propter sapientiam, & animi in secundis, & aduersis rebus cōstantiam: *Sicut est Angelus* DEI, *sic est Dominus meus rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur*: &, *Tu autem Domine mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus* DEI, *vt intelligas omnia super terram*: à Miphiboseth filio Saul propter facilitatem, & in parcendo benignitatem [d]: *Tu autem Domine mi rex, sicut Angelus* DEI *es, fac quod placitum est tibi.*

d 2. Reg.19. 27.

Stephanus bene dictus est Angelus.

Eædem omnes causæ in Stephano ita reperiuntur, vt iure meritissimo facies eius illuxerit, sicut facies Angeli, & Angeli ei nomen aptissimè tribuatur. Et quidem illos, qui ita Dauid compellarunt, adegit proprij emolumenti necessitas, & voluntas; Stephanum verò inimici ipsi, vel inuiti coacti sunt, vt tanquàm Angelum venerarentur, & prolixè concionantem auscultarent.

Extāt & alia exépla in Scriptura, quibus comparatio hæc ex Angelis petitur, ad exaggerandam dignitatem, maiestatem eximiam, & imperio ac veneratione dignam speciem. Nam Iacob occurrēs irato fratri Esau, & muneribus verbísque placare volens [e]: *Sic enim*, inquit, *vidi faciem tuam, quasi viderim vultum* DEI, vbi Hebræum nomen אלהים ELOHIM, verti potest (ANGELORVM) id est, ex inopinata humanitate tua tanta maximo affectus sum gaudio. Regina Esther cùm eam Assuerus regia ipsius maiestate stupefactam bonum habere animum iubens interrogasset, infixo osculo, cur mihi non loqueris? respondit [f]: *Vidi te Domine, quasi Angelum* DEI, *& cōturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.*

e Gen.33.10.

f Esther 15.16. 17.

Videtur itaque parœmialis hæc apud Iudæos locutio, qua excellentissimam quampiam hominis speciem, splendorem, terrorem, maiestatem significent. Hinc enim est, quòd Iosephus Gorionides [g], & Flauius [h] narrantes idem de Esther, nullam Angeli mentionem faciunt: *sed vidi te*, inquit Flauius, *magnum, pulchrum, ac terribilem.* Iuuat hanc nostram coiecturam Chaldaica paraphrasis Canticorum primo [i], cùm ait: *Quando Israëlitæ fecerunt vitulum* [k], *denigratæ sunt facies eorum sicut Æthiopum, qui habitant in tabernaculis Cedar: & quando egerunt pœnitentiam, & dimissum iis fuit peccatum, multiplicatus est splendor gloriæ vultus eorum, sicut vultus* ANGELORVM.

g in hist. Iud.
h 11 Antiq.
i vers.5.
k Exod.32.4.

Animi temperati decor in vultum redundat.

Ex qua etiam Paraphrasi egregium illud ethicum documentum elicitur, iusti ac temperati animi decorem in ipsum etiam vultum exteriùs redundare. Exemplo sunt Daniel, Ananias, Azarias, & Misaël: qui cùm nollent pollui de mensa regis, neque de vino potus eius, & vescerentur solis leguminibus, aquámque biberent, apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio [l]. Dixi capite secundo, quibusdam aliis viris sanctis communicatam diuinitùs in vultu gratiam, & maiestatem, quæ intuentes diuino quodam horrore compleret. De exemplo verò fulgoris ac luminis in nonnullorum adhuc viuentium vultu, ac corpore, quasi expressionem claritatis, quæ dos vna est beatorum corporum, lege Thomam Bozium [m]. Prudentius hinc ducit comparationem ad alios fortissimos Martyres, vt Laurentium, & Vincentium, vt animi proditam fulgore vultus constantiam describat; necnon ex Mose. De Laurentio hoc modo:

l Dan.1.12. 15.

m lib. 11. de Notis Eccl. cap. 5.

Illi os decorè splenduit,
Fulgórque circumfusus est.
Talem reuertens legifer
De monte vultum detulit:
Iudæa, quem plebs aureo
Bone inquinata, & decolor
Expauit, & faciem retrò
Detorsit, impatiens DEI:
Talémque & illic prætulit
Oris corusci gloriam
Stephanus per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.

De Vincentio:

Ast ille tantò lætior,
Omni vacantem nubilo
Frontem serenam luminat,
Te CHRISTE *præsentem videns.*

CAPVT



CAPVT SEPTIMVM.

SVMMARIVM.

Recitatur in hoc capite pereruditа Stephani cōcio habita in concilio, & eiusdem pro veritate, quam docebat, fortißimè obita mors.

1 DIxit autem princeps sacerdotum: Si hæc ita se habent?
2 Qui ait: Viri fratres, & patres audite: DEVS gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cùm esset in Mesopotamia, priùs quàm moraretur in Charan,
3 Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi.
4 Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan. Et inde, postquàm mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.
5 Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cùm non haberet filium.
6 Locutus est autem ei DEVS: Quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subiicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis:
7 Et gentem cui seruierint, iudicabo ego, dixit Dominus, & post hęc exibunt, & seruient mihi in loco isto.
8 Et dedit illi testamentum circumcisionis: & sic genuit Isaac, & circumcidit eum die octauo: & Isaac, Iacob: & Iacob, duodecim Patriarchas.
9 Et Patriarchæ æmulantes, Ioseph vendiderunt in Ægyptum, & erat DEVS cum eo:
10 Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius: & dedit ei gratiam, & sapiētiam in conspectu Pharaonis Regis Ægypti, & constituit eum præpositum super Ægyptum, & super omnē domum suam.
11 Venit autē fames in vniuersam Ægyptum, & Chanaan, & tribulatio magna: & non inueniebant cibos patres nostri.
12 Cùm audisset autem Iacob esse fru-
A mentum in Ægypto, misit patres nostros primùm:
13 Et in secundo cognitus est Ioseph à fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus eius.
14 Mittens autem Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuagintaquinque.
15 Et descendit Iacob in Ægyptum, & defunctus est ipse, & patres nostri.
16 Et translati sunt in Sichem, & positi
B sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filij Sichem.
17 Cùm autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat DEVS Abrahæ, creuit populus, & multiplicatus est in Ægypto,
18 Quoadusque surrexit alius Rex in Ægypto, qui non sciebat Ioseph.
19 Hic circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros, vt exponerent infantes suos ne viuificarentur.
C 20 Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus DEO, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.
21 Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi in filium.
22 Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis.
23 Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius vt visitaret fratres suos filios Israël.
D 24 Et cùm vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit illum: & fecit vltionem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso Ægyptio.
25 Existimabat autem intelligere fratres, quoniam DEVS per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt.
26 Sequenti verò die apparuit illis litigantibus: & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, vt quid noce-

dringentas & octoginta tam pro aduenis Iudæis, quàm pro ciuibus,& patet hoc ipſo verſu *de ſynagoga Libertinorum , & Cyrenenſium , & Alexandrinorum,& eorum qui erant a Cilicia, & Aſia:*qui omnes erant aduenæ:de aliis verò extra Ieruſalem in iſto eodem libro [a],& de Romanis oratoriis apud Philonem [b],ita vt etiam Gentiles ſuo ſumptu eas Iudæis ædificarent , vt eſt in Euangelio Lucæ [c]: huiuſmodi, inquam , origo loci longiùs petenda videtur,quàm à tempore Babylonicę captiuitatis, vt exiſtimauit tamen Sigonius [d].Nam legimus in libro Iudicum [e], *conueniſſe in Maſphat quadraginta millia virorum in Eccleſiam populi* DEI , hoc eſt, in locum DEO dicatum diuerſum ab eo , vbi erat Arca , & vbi ſacrificium fiebat,is enim locus erat Silo [f].

a c.9.2.c.13.5. c.14.1.c.17.1. Mat.4.23.
b de legat.ad Caium.
c c.7 5.
Origo Synagogarum vnde petenda.
d 2.de rep.Hebr.c.8.
e c.20.1.
f 1.Reg.c.1.3.
Synagoga quando ædificari cœperint.

Igitur cùm cœpit ab Hebræis, vt à propriis incolis,inhabitari terra promiſſionis, ſimul quoque cœpta videntur conſtrui loca ſacra pro oratione, verbo DEI,& negotiis religionis,& diuerſa,multipliciáque fuiſſe,iuxta diuerſitatem , ac multiplicitatem familiarum , & tribuum (vnico ſemper duntaxat Arcæ atque ſacrificij reſeruato loco)vbi ſæpe congregabantur Iudæi ſeorſum.Indicat hác antiquitatem Iacobus in Concilio Ieroſolymitano,cùm ait [g] : *Moyſes à temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus, qui eum prædicent in ſynagogis, vbi per omne ſabbatum legitur.*

g Act.15.21.

Docet Sigonius [h],ſynagogas, quæ erant in Ieruſalem,fuiſſe peregrinorum,templum ciuium,in quo conuenirent doctrinæ cauſa.Ego verò nil video,quod cogat diſtinguere ; cùm potiùs contrarium CHRISTVS innuat illis verbis [i] : *Ego ſemper docui in Synagoga , & in templo,quò omnes Iudæi conueniunt.*Illud ex Tertulliano [k] colligere poſſumus , ad Iudæorum ſynagogas liberum etiam Gentilibus ingreſſum patuiſſe.

h ſuprà.
Synagoga & templum quomodo differrent.
i Ioan.18.20.
k in Apol.c.18.

Poſtremò ſynagogis præerant potiſſimũ Scribæ , quoniam eorum erat,vt aliàs dixi [l] , conciones habere ad populum , & Scripturas exponere, necnon Phariſæi , quibus id quoque cum Scribis fuit commune,& vtroſque CHRISTVS increpat, quòd *cùm ſederent ſuper cathedram Moyſi* [m] , *clauderent populo regnum cœlorum* [n] , perperàm declarantes Scripturas,& ex proprio ſenſu,quem illis auaritia, & ambitio dictaret.

Synagogis præerant Scribæ & Phariſæi.
l c.4.5.
m Mat.23.2.
n ibid.13.

Qui autem primum inter eos locum in ſynagoga tenebat , Archiſynagogus,ſiue princeps ſynagogæ nominabatur:quemadmodum in ſcholis qui Decanus facultatis , aut etiam Cancellarius appellatur.Lege Sigonium [o],& Toletum [p].Hinc porrò colligitur , diſputationem Stephano non fuiſſe cum Gentilibus, qui nempe religione tales eſſent , vt tamen ſentire videtur Nicetas philoſophus [q]. Ridiculus certè fuiſſet argumenta proferendo ex Scripturarum teſtimoniis , vt fecit c.ſequenti,ſi ei cum Gentilibus res fuiſſet.

Archiſynagogus quis fuerit.
o 2. de repu. Heb.c.8.lib.5. c.10.
p Ioan.16.annot.2.
q ora.de Mar. & Inuen. S. Stephani , apud Metap.& Lippo.menſe Aug.

Quæ appellatur Libertinorum,& Cyrenẽſium,&c.] Videtur nõnullis,vt Caietano, vnica pro his omnibus ſynagoga fuiſſe:tamen diſtincta, & cum diſtinctione poſita nomina contrarium indicant;& ita quoque ſentire videntur Gagneius hoc loco, & apertè Chryſoſtomus , ac Oecumenius.

Libertinorum.] *Sic appellabantur,* inquit Chryſoſtomus,*qui à Romanis libertate donati erant.*. Syrus ipſum nomen Latinum retinuit , ſic vertens, דמחכריא דליברטינו *demethebarie delibertinu* , id eſt, *quæ vocata erat de libertinis* , vel , *eorum qui erant libertini.* Græcus etiam contextus Λιβερτίνων habet. Addit Oecumenius , fortaſſe rationem nominis

Libertini qui fuerint.

eſſe à Lybia,ſiue Liuia(Græci enim ſæpe u Latinam conſonantem reddunt per β) Auguſti coniuge percelebri, ab eoque eximiè adamata, & quæ vicem ei rependit ad eius ſepulcrum toleranti animo perſeuerans. Beda [r] docet,etiamſi textus Græcus eandem iſtam vocem retineat, vt dixi, ſignificari tamen per eam hoc loco filios libertorum, qui poſt ſeruitutem manumiſſi, ac libertate donati ſunt.

r in Retra.

Conſentit Gloſſa ordin.& Caietanus,qui prætereà ſuſpicatur, ſynagogam vnam pro omnibus, qui hic recenſentur,à libertinis nomen accepiſſe. Videntur verò conuenire omnes, quòd libertini Romani erant,hoc eſt,ex his qui Romam abducti captiui, libertate ibi donati fuerant , de talibus enim Philo [s] mentionem facit. Hoc ſi eſſet, ex tribus mundi partibus diſputatores Stephanus habuiſſet, ex Europa Romanos iſtos,Cyrenenſes,& Alexandrinos ex Africa, ex Aſia illos, qui erant à Cilicia,& Aſia minori,atque ſic Stephani fama & Euangelij doctrina longius propagari potuiſſet. Nec eſt improbabile, Libertinorum nomen ceteris conuenire, qui hîc ponuntur, præſertim iuxta ſententiam, quòd vnica omnibus illis ſynagoga eſſet,ita vt in vnam omnes cuiuſuis gentis libertini congregarentur, nimirum dedignantibus his, qui natura liberi eſſent, libertinos ſibi aggregare.

s lib. de leg. ad Caium.

Diſtinguuntur quidem liberti & libertini (ſi propriè loqui volumus) vt primi dicant reſpectum ad patronum, ſecundi conditionem ipſam hominum, vt cùm dicuntur aliqui ingenui, vel qui ex manumiſſis procreantur : tamen confuſa poſteà eſt horum vocabulorum ſignificatio. Id videre potiſſimùm eſt apud Iuriſconſultos, quos conſule, ſi te delectat ſcire triplex eorum genus Romanorum, Latinorum, Iunianorum, & deditiorum [t]. Nonnus in collectione & expoſitione prophanarum hiſtoriarum , quæ ſunt in prima oratione Nazianzeni contra Iulianum , docet Athenis in Cynoſarge iudicium fieri ſolitum ſimul de nothis & libertinis ; an omninò libertate donati eſſent:& nothorum ipſis nomen communicatum,per comparationem ad ingenuos.

Liberti & libertini quomodo diſtinguantur.
t lib.1.Inſtit. tit.5.de libertinis.

Myſtica obſeruatio Bedæ, & Gloſſæ ordinariæ, de ſeruili ſtirpe procreatos fuiſſe, qui primi aduerſùs CHRISTI fidem rebellarunt , & huiuſmodi eſſe hæreticos, qui libertatem permittunt, ac promittunt *ſerui corruptionis,* vt loquitur Petrus [u].

Qui primi aduerſus Christum rebellarunt, à ſeruo ſtirpe procreati.
u 2.ep 2.19.
Hæretici ex ſeruis nati ſunt.

Conſtat ſanè, vt exempli loco vnum, aut alterum proferam, impiiſſimum Manetem, ſiue Manichæum, qui vocabatur initio Curbicus, viduæ ſeruum emptitium fuiſſe [x], & ne ſeruitutis nomen illi contumelioſum eſſet, poſtquàm ab hera eſt adoptatus, Manem dici voluiſſe, quod lingua Perſica homiliam , & Babylonica vas, ſed apud Græcos inſanum ſignificat.

x Cyril. Ieroſolym. Cateche.6.

De Mahomete ſimilis eſt hiſtoria [y] : fuit videlicet camelorum paſcendorum curæ præpoſitus, & addictus fuit ſeruitio potentis cuiuſdam viduæ,vt eius paſceret camelos : qui factus demùm eſt per ſummam vafritiem dominæ ſuæ maritus; egregium profectò par libertinorum, qui diriſſimè, & diutiſſimè vexarunt Eccleſiam : & *velamen malitiæ,*ſicut & Hæretici noſtri, *prætenderunt libertatem,* vt iterum loquar cum Principe Apoſtolorum [z]. His addi poteſt ille,qui Leonem Iſaurum Imperatorem ex Imperatoribus primum Iconoclaſtam fecit, de quo præter Theophanem, & alios,Damaſcenus.

Mahometus ſeruus fuit ſpinus.
y apud Theophanem , & Cedrenũ in Annalib.
z 1.Pet. 2.16.

Exiſti

Libertini non sunt populi ab aliqua regione sic dicti.

Existimauit Glossa interlinearis Libertinos à quadam regione nominatos: quam sententiam Hugo,& Lyranus non improbant; vt neque etiam Gagneius, qui ait fortasse regioné fuisse Libyam, seu Africam. Verùm nullus Cosmographus, vel Historicus ita vnquàm libertinorū vsurpauit nomen,& ratio scribendi repugnat,atque deriuatio: non enim à Libya *Libertini*, sed *Libyes* dicuntur: neque *Libertini*, sed *Libyrtini*, alia deriuatione dicendi essent, aut, vt hæretico placuit auctori [a], *Libystines*: & ita placuit, vt substitui velit pro λιβερτίνων, nomen λιβυςίνων. Sed quis eum constituit iudicem & censorem omnium quotquot extant & codicum,& Auctorum? Quid si libertinos intelligamus, qui libertatem profitebantur pro Iudæis, aduersùs Romanos, vt priore capite diximus, Galilæorum sectam hoc professam; ita vt tali propterea nomine vocarentur? Certè videntur id illa verba indicare, *quæ appellatur*; & legi posteà in schedis Clementis Puteani nostri doctissimi & piissimi viri, eam illi probari sententiam.

a Beza.

Cyrenensium.] E regione Cyrenaica in Africa, vel Cyrene ciuitate Africæ, si Chrysostomo, & Oecumenio, atque Gagneio credimus [b], qui dicit, modò à mercatoribus regionem illam vocari Barbariam. Æmula fuit ciuitas ista quondam Carthaginis, atque clarorum virorum memoria celebris. Ammianus [c], Mela [d], Plinius [e], & Strabo [f] scribunt de alia in regione Decapoleos in Syria, quæ ipsa regio eodem nomine vocatur Cyrene, videtúrque id etiam colligi ex historia Regum [g], & Amos [h], etsi his locis existimant alij sermonem esse de ciuitate in Media, Iosepho [i] quoque auctore, eámque esse, quam Ptolomæus [k] Curinam vocat, non secus atque Chaldæus interpres apud Amos, qui vtitur nomine קרני *karnei*.

b in cap. 2. Actorum.

De Cyrene vrbe Decapoleos.
c lib. 22.
d lib. 1.
e lib. 5. c. 5.
f lib. 17.
g lib. 4. c. 16.
h cap. 1. 5.
i lib. 9. Antiq. cap. 13.
k lib. 6. c. 2.

Simon Cyrenensis vnde fuerit.

Qui dicitur Simon Cyrenésis, vel Cyrenæus [l], baiulator crucis CHRISTI, & pater Alexandri, & Ruffi, ex qua Cyrene oriundus fuerit, incertum, etsi Beda [m] ex Libyę ciuitate affirmet,& Augustinus [n] Afrum eum nominet: alij ex Cyrene vrbe in Cypro fuisse putant. Id videtur certum, religione Iudæum fuisse, cùm de filiis, vt vulgo notis, ac fortasse etiam Discipulis CHRISTI, Marcus meminerit. Quia verò loci origine Gentilis erat, idcirco Hilarius [o], Ambrosius [p], Beda [q], & Leo [r] Gentilem vocant, dicúntque per eum significatum fore, vt crucem CHRISTI amplecterentur etiam Gentiles. Ex his nonnulla iam notata sunt [s].

l Matt. 27. 32. Marc. 15. 21. Luc. 23. 26.
m in cap. 27. Matth.
n lib. de Pastoribus c. vlt.
o Can. 33. in Matth.
p in cap. 23. Lucæ.
q in Matth. cap. 27.
r Serm. 1. de Pass.
s cap. 2. 10.

Alexandrinorum.] Ab Alexandria Ægypti metropoli, quæ priùs dicta Memphis, atque etiam No, nomen id cum magnitudine à Magno Alexandro accepit, vt Hieronymus notat [t]. Nahum Propheta describens situm eius, vocat κατ' ἐξοχὴν Hebraicè, נא אמון *no Amon*, id est, interprete Hieronymo, *Alexandria populorum* [u], vbi Chaldæus proprium nomen vsurpans sic reddidit, אלכסנדריא רבתא *Alecsanderia rabbotha*, id est, *Alexandria magna*. Ieremias tumultum Alexandriæ [x]: Ezechiel, multitudinem Alexandriæ [y]. Ex profanis Auctoribus Iosephus [z] huius ciuitatis, vt ab Alexandro instaurata est, fuisse scribit longitudinem triginta stadiorum, latitudinem decem. Q. Curtius [a] totum ambitum murorum octoginta, hoc est, latitudinem vnius milliarij, & vnius quartæ; longitudinem trium milliarium, & trium quartarū; circuitum decem milliarium.

t Osee 9.
u cap. 3. 8.
x cap. 46. 25. *Descriptio Alexandriæ.*
y cap. 30. 15.
z 2. de bel. Iud. c. 16.
a lib. 4.

A Hodiè vulgari sermone vocatur *Cairo*, ab Hebræis *Moph*, vel *Noph*, vel *Migdel*, Nilo tanquàm claustrum imposita. Sed tradunt aliqui, Memphim fuisse sitam in altera parte fluminis è regione huius, quem dicunt Cairum. Diodorus Siculus describit veterem Memphim complexam esse stadia centum quinquaginta, pluraque sunt apud eundé de munitione, natura, ingenio loci eiusdem.

Eorum qui erant à Cilicia.] A Tharsis (quod nomen sine aspiratione Græci scribunt; sicut etiam cùm dicunt Palæstinos pro Philistiim, Carmelum pro Charmel, Sarepta pro Sarephta, &c.) pronepote Noe ex Iauan filio Iaphet [b], orti sunt Cilices, vt indicat eius regionis metropolis Tharsus, super B omnia, ortu B. Pauli nobilis [c], licèt Iosephus [d] aliis de causis ἀξιολογωτάτην, id est, celebratissimam vocat,& Solinus [e] matrem vrbium. Id docent idem Iosephus citato loco, Hieronymus [f], Glossa interlin.& Lyranus,& Lippomanus,& Antonius Honcolana [g], Iansenius,& Genebrardus [h], Ioannes Cathardus,& Franciscus Ribera [i]. Latissimè patuisse Ciliciam, auctor est Solinus [k], siue Cilicum imperium, idémque est de regione Tharsis, vt intelligitur ex libro Iudith [l].

b Gen. 10. 4.
c Act. c. 9. 11. cap. 22. 3.
d 1. Anti. c. 7.
e cap. 47.
f in Trad. Hebr. in Gen. & lib. de locis Hebr.
g Gen. 10.
h in Psal. 47.
Cilicia latissimè patuit.
i in c. 1. Ionæ.
k cap. 47. Polyhistoris.
l cap. 2. 5.

Sed propriè angustior est horum nominum significatio, necnon locorum per ea nomina significatorum dimensio, vt diligenter demonstrat Ribera [m], & colligitur prætereà ex Ptolomæo [n]: C vulgò appellatur Caramania. Lege quoque Pererium [o], & Serarium [p]. Videtur Paulus, vtpote Tharsensis, ex hac synagoga fuisse, necnon Stephanus, si frater erat eius consobrinus, vt Salmeron asserit.

m ibid.
n lib. 6. c. 2. & 8.
o libr. 12. in Danielem. & li. 10. in Gen. à nu. 23.
p in ca 2. Iudith.

Et Asia.] Asiæ minoris prouincia, *quæ Ciliciæ vicina est*, inquit Glossa interli. de qua capite quoque secundo dictum est [q]. Asia minor omnis nunc dicitur Turcia, continétque Phrygiam, Pamphyliam, Cariam, Lyciam, Lycaoniam, Lidyam, Chersonesum, Pontum, Bithyniam, Cappadociam, & alias prouinciās.

q vers. 9.

Disputantes cum Stephano.] συζητοῦντες, *Disquirentes*. Syrus habet, דרשין הוו *dareschin hauu*, id est, *disputantes erant*, &, *se exercebant disputando*.

Cur tot cū vno Stephano disputare voluerunt.

D Mirum est, tam multos ex tot synagogis collectos contra vnum conspirasse, & quidem Diaconum, aut ex septuagintaduobus Discipulis, non autem contra Apostolos. Videlicet indignè forsan ferebant ab erudito Gamalielis auditore, quasi magistri freto auctoritate, qui persecutionem dissuaserat,& nihil Apostolorum minis ac verberibus commoto, tanto animi ardore, tanta gratia, vel ob ipsius corporis formam, vel ob facilitatem morum, quos SPIRITVS sanctus comitabatur, tot edendo signa, ac prodigia, CHRISTI doctrinam tradi, & persuaderi. Apostolos verò noluisse aggredi disputando, quos existimabant condi- E tione idiotas, rudésque scientia,& quos ob magiæ (quam imperitiores plerumque artem factitant potissimùm) suspicionem durare diu posse nó credebant; sibique persuadebant, doctioribus non posse imponere, eósve ad suam sectam deducere se posse diffidebant.

Fortasse etiam ætatem, & auctoritatem Apostolorum veriti, illos aggredi per seipsos non audebant. Verisimile est, Saulum stimulatum inuidia, ac molestè ferentem tanti fieri condiscipulum, ac forsan affinem suum Stephanum,& magistrū communé Gamalielem aliquid dare gratię in fouẽdo Stephano videri, alios concitasse,& armasse in Stephanum, & tantum non ducem omnibus

Saulus fuit huius disputationis contra Stephanum auctor & excitator.

z præiuisse

præiuisse. *Stephano ipso etiam contra indignum ducente*, inquit Oecumenius, *cum eis, qui circa Sophisticen vires ac gloriam apud Hebræos habebant* (immò verò apud omnes Cyrenaicorum nomen, & secta hac in re celebrabatur) *& corde excæcati erant, conuersari, ipsi verò suæ vanitati fidentes, ad disputandum cum eo processerunt.*

Cur solum Stephanum hi aggressi sint. Solum Stephanum adeò multi sunt aggressi, non alium, tum quidem inuidia eorum, quæ edebantur ab eo signorum, vt si fortè ad hæsitatiam, atque consilij inopiam eum adigerent, pudore suffunderent, tanquàm insipienter se habentem in his, quæ sibi delegata essent; tum etiam, vt distractione disputationis erga ipsos, causa illi esset, vt à signis vacaret. Nyssenus [a], *Omnes*, inquit, *in quibus eruditionis atque scientiæ nonnihil inerat, in sese conuertebat: & ex iis, qui ceteris præstare eruditione videbantur, coitione atque conspiratione facta, veluti in phalangas quasdam constipati, sic impetum Stephani sustinere nitebantur. At ille omnibus pariter inuictus erat, siue cum multis solus, siue cum paucis congrederetur.* Tunc igitur in speciem quidem Alexandrini, Libertinique, & Cyrenenses, quique vndique conuenerant homines cum veritatis athleta confligebant: reuerà autem, vt per id quod apparuit, intelligitur, qui cum eo contendebat, is pater mendacij erat, per figuras humanas aduersùs eam, quæ à Stephano proferebatur, veritatem insurgens. Augustinus [b], siue Fulgentius, eleganter sanè, atque appositè inducit hos disputatores inter se deliberantes quomodo aggrederentur, & perderent Stephanum, & iuuenem, & pulchrum, & eloquentissimum, & sapientissimum præ omnibus, & signis miraculorum gloria plenum: prætereà facit eos deplorantes grauem suæ religionis iacturam, ob tam multos ad CHRISTVM aggregatos.

a oratio de S. Stephano. *Cur vnum omnes petierint.*

b Serm. 6. de Sanctis.

Versus 10.] Et non poterant resistere sapientiæ & SPIRITVI, qui loquebatur.

ET *non poterant resistere sapientiæ.*] *In Græco habetur plus*, inquit Beda [c]: *Et non poterant resistere sapientiæ, quæ erat in eo, & SPIRITVI sancto, qui loquebatur, propter quod redarguerentur ab eo cum omni fiducia.* In vno codice Græco, cuius meminit Regius Parisiensis Typographus, sic est: καὶ οὐκ ἴσχυον ἀντιστῆναι τῇ σοφίᾳ τῇ οὔσῃ ἐν αὐτῷ, καὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, ᾧ ἐλάλει διὰ τὸ ἐλέγχεσθαι αὐτοὺς ὑπ' αὐτοῦ μετὰ πάσης παρρησίας μὴ δυνάμενοι οὖν ἀντοφθαλμεῖν τῇ ἀληθείᾳ, &c. Quod sic reddi potest, *Et non poterant contrastare sapientiæ, quæ erat in ipso, & SPIRITVI sancto, quo loquebatur, propterea quòd illi ab ipso redarguerentur cum omni libertate. Cùm igitur non possent aduersùs veritatem obniti, &c.* Syrus ista omnia omisit, & in hoc tantùm à nostra editione variat, quòd SPIRITVI sancto sapientiam tribuat dicens, חכמתא ורוחא *chechmetha derucha*, id est, *sapientia SPIRITVS.* Glossa interlinearis ad verba, *qui loquebatur*, addit, *cum omni fiducia, & sine timore.* Petrus Damianus [d] ita legit, *redarguebantur ab eo cum omni fiducia.* Hoc verò illud est quod promiserat CHRISTVS [e]: *Dabitur vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed SPIRITVS PATRIS vestri, qui loquitur in vobis: &* [f], *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.*

c in Retract.

d Serm. de S. Stephano.

e Matth. 10. 19. 20.

f Luc. 21. 15.

Non poterant.] Non dixit, *Non volebant*, inquit Petrus Damianus [g], *quod rationabilium est, & perfectiorum, sed, non poterant, vbi menti malæ facultas tollitur, non voluntas mutatur.* Sed certè vt maximè vellent, non poterant resistere, hoc est, vincere: resistebant enim, verumtamen nil proficiebant.

g suprà.

Sapientiæ.] *Scripturarum*, inquit Glossa interlin. *aut sapientiæ Stephani*, inquit Carthusianus, *quam videlicet ingenio etiam ac studio sibi comparauerat, & SPIRITVS sancti præsidio munierat.*

SPIRITVI.] *Sancto*, inquit Carthusianus; *quem pollicitus CHRISTVS, vt vidimus, vocauit SPIRITVM PATRIS* [h] *loquentem in fidelibus*: vel orationis vehementi impetui *conterenti etiam naues Tharsis* [i] *hominum pertinacium.*

h Matth. 10. 19. 20.

i Psal. 47. 8.

De SPIRITV sancto sermonem esse, indicant verba Stephani [k]: *Vos semper SPIRITVI sancto restitistis*, & citatus codex Græcus id habet; & Syrus quoque id apertè demonstrat, sic habens, דמכללא הות בה *dammallela hauath bah*, id est, *qui SPIRITVS loquens erat in eo*, vel, *per eum.* Grauissimum est hoc peccatum in SPIRITVM sanctum, resistere SPIRITVI sancto, & agnitam veritatem diuinã impugnare; erit verò insuper blasphemia, detrahere, atque calumniari eandem veritatem, perinde ac si mala esset, vel opera euidenter bona, & diuina æstimare, ac si essent diabolica, & detestabilia: quoniam SPIRITVI sancto attribuitur operatio miraculorum, & illuminatio ad cognoscendam veritatem, quæ omnia ordinantur ad sanctificandum homines.

k cap. 7. 51.

De peccato in Spiritum sanctum.

Ita omninò intelligendus CHRISTVS, cùm de blasphemia in SPIRITVM sanctũ loquitur [l], agens profectò de certo, & determinato peccato, non de finali impœnitentia, aut de peccato, quod vocant ex malitia, quoniam sunt hæ circumstantiæ diuersorum peccatorum. Lege Athanasium [m], Basilium [n], Anastasium Nicenum [o], Ambrosium [p], Hieronymum [q], Chrysostomum [r], Bedam in Matthæum, & Isidorum Pelusiotam [f], qui eo modo, quo dixi, exponunt, nempe facilè remitti blasphemiam in FILIVM hominis, hoc est, eorum, qui propter nouitatem doctrinæ appellabant CHRISTVM seductorem, & ob vitam communem cum ceteris hominibus, vinipotorem, & voracem [t], & quia pauper erat, filium fabri [u]: longè verò difficiliùs blasphemiam in SPIRITVM sanctum; eorum scilicet, qui opera, quæ sciebant esse DEI, & à CHRISTO fieri virtute SPIRITVS sancti, eiectionem Dæmonum, curationem morborum, suscitationem mortuorum, &c. credere nolentes, spiritui nequam tribuebant, & immundo (qui maximè opponitur sanctitati Deitatis) quibus ne in hac quidem vita fit remissa temporalis pœna, cùm Romani eos debellauerint. Alios dicendi modos aliorum Patrum de ista quæstione, qua in omnibus sanctis Scripturis nullibi fortè maiorem, & difficiliorem inueniri Augustinus [x] sentit, vide apud Scholasticos [y], & Hieronymum [z], & Richardum de S. Victore [a], & ex recentioribus apud Toletum [b], & Maldonatum [c], & Ioannem Ferdinandum [d], & Gregorium de Valentia [e].

Peccatum in Spiritum sanctum quid sit. l Matt. 12. 31. Mar. 3. 28. 29. Luc. 12. 10.

m ho. in hæc verba Matth. 12. de hoc peccato. n Reg. 273. ex breuib. o q. 61. in Scripturam. p 2. de Pœnit. cap. 4. q Matth. 12. r Matth. 12. f li. 1. ep. 59. t Matt. 11. 19.

Quæ in Christi blasphemia facile remittebatur. u Matt. 13. 55. Marc. 6. 3. Ioã. 6. 42.

Ceterùm impugnatores Stephani, quantùm ex præsenti historia colligitur, tum hîc, tum in sequentibus versibus, & capite, cõmiserunt quidem peccatum in SPIRITVM sanctum, non tamen blasphemiam; hæc enim est, quando non solùm quis resistit legi, sed prætereà detrahit legislatori DEO, vel negando quod in eo est, vel falsò imponendo quod non est; & in particulari assignans opera virtutis DEI Dæmonio.

x Serm. 11. de verb. Dom. y in 2. d. 43. z ep. ad Marcellã. de hac blasphemia. a Tractat. de blasphem. in Spirit. sanct. *Fui in Spiritum sanctum peccauerunt, sed non blasphemiam commiserunt.* b Luc. 12. an. 17. & seq. c Matt. 12. 31. d in Thesaur. Scrip. lib. 2. c. 47. e To. 3. disp. 1. q. 13.

Qui loquebatur.] ᾧ ἐλάλει, *quo*, seu, *per quẽ loque-*

batur Stephanus. Interpres allusisse videtur ad verba citata, quibus continetur illa promissio CHRISTI [a], & modus ille loquendi habet maiorem emphasim, quasi denotet, quòd Stephanus agebatur à SPIRITV sancto, & eius ab illo lingua mouebatur.

Blasphemia quãdo communior.
a Matth. 10. 19. 20. Luc. 21.15.

Simile quiddam contigit iis, quibus in aurem insusurrasse leguntur Angeli, vt Ambrosio, & Vincentio Ferrerio; vel columbæ, vt Basilio, & Gregorio; vel aliquis Sanctus, vt Chrysostomo Paulus, quemadmodum ex eorum rebus gestis constat. Feliciter successit disputatio. At non sponte Stephanus eam iniit, nec tutum, licitúmve cuiuis ingerere sese. Hac de re aliàs. Multa in libris Augustini visuntur exempla disputationum: & perillustre est quod Victor [b] narrat, continens Catholicorum modestiam, insolentiam hæreticorum.

Quibus fit locutio Spiritus sancti.
b 2. de persecut. Vandal.

Versus 11. Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audiuisse eum dicentẽ verba blasphemiæ in Moysen, & in DEVM.

TVNC *summiserunt viros.*] Rectè notat Caietanus, non esse ista, quæ hîc narrantur, vnico gesta tempore, seu in continenti: tametsi nesciatur, quot in iis rebus agendis dies positi fuerint.

Summiserunt.] Ὑπέβαλον, *subiecerunt*. Significatur composita, & occulta, ac subornata, atque (quod nomen Latinum per Græcum illud verbum aptè exprimitur) supposita accusatio, & falsò conficta: ὑποβάλλειν enim inter alia significat falsum quippiam adscribere, seu loco veri subiicere, & hoc idem valet Latinè supponere: sicut supposita persona, aut suppositum testamentum dicitur, cùm fingitur. Fuerunt videlicet subornati, ac supposititi testes in Stephanum immissi. Notat Glossa interlin. notari hoc verbo calliditatem fraudis, Lyranus mendacium, & iniquitatem, sed nimirum callidè tectam.

Augustinus [c] in Stephano magnam similitudinem agnoscit cum CHRISTO [d], in eo quòd falsi testes falsum testimonium idem ferè de vtroque dixerunt, & quòd testimonium in Stephanum dictum, vera fuit prædictio, sicut Caiphæ sententia contra CHRISTVM in Concilio [e].

Stephanus in quo cum Christo conuenerit.
c Serm. 91. de Sanctis.
d Matth. 26. 60. 61.
e Ioan. 11. 49. 50.

Qui dicerent.] Syriacè sic legitur, ואלפו אנון דנאמרון *valephu innun dimerun*, id est, *& instruxerunt*, vel, *docuerunt viros*, *qui dicerent*, vel, *vt dicerent*; ex quibus verbis omninò falsitas testimonij magis apparet, & non minor istorum malitia, quàm impiæ Iezabelis, quæ & ipsa falsos testes contra pium Naboth instruendos curauit, vt eum morti adiudicandum traderent, sicut Regum habet historia [f].

f 3. Reg. 21. 9. 10. 11.

Verba blasphemiæ.] Βλασφημία idem est propriè, quod nocens dictum, aut læsio famæ. Vsu tamen Scripturæ, & scriptorum Ecclesiasticorum solet accipi pro verbis, quibus de DEO dicitur quod ei non cõuenit, aut negatur quod conuenit: vel etiam de rebus ac personis, quæ DEVM attingunt, vt hoc loco. Legendus S. Thom. in 2. 2. [g] vbi nos ipsi de hac re egimus, necnon in c. 1. Esaiæ, & alij Scholastici in 2. Sententiarum [h], & Gerson Tractatu de Blasphemia [i]. Itaque quando Augustinus [k] docet, quòd blasphemia est, cùm aliqua mala dicuntur de bonis; licèt hoc secundùm priorem illam significationem, in qua à profanis Auctoribus sumitur, verum sit: non tamen iam communiter ita accipitur, nisi mala verba de DEO dicãtur, quoniã de hominibus dubitari potest: Deus verò sine controuersia bonus est. Quare complexus est hic Doctor

Quid sit blasphemia.
g quæst. 13.
h dist. 43.
i in par. 4.
k de moribus Manich. c. 71.
Deus sine controuersia bonus est.

A magis communem blasphemiæ significationem.

Aliquando tamen sumitur blasphemia pro vituperare, & blasphemia pro vituperio, & probro. *Sic enim Goliath* dicitur *blasphemasse Israël* [l]: sic DEVS præcipit populo suo, *ne timeat opprobrium hominum, vel blasphemias eorum metuat* [m]: sic idem eidem minatur fore, vt sit *opprobriũ, blasphemia, & exemplum, & stupor in Gentibus* [n]: sic audisse ait *opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon, qui exprobrauerunt populo* [o]: sic sacerdotes in historia Machabæorum deprecabantur DEVM, *vt meminisset blasphemias aduersariorum* [p]: sic Paulus ait de se, *quòd blasphemaretur*, quasi dicens *facienda mala,*

Blasphemia pro quocumque vituperio sumitur.
l 1. Par. 20. 7.
m Esa. 51. 7.
n Ezech. 5. 15.
o Sophon. 2. 8.
p 1. Machab. 7. 38.

B *vt venirent bona* [q]: ac præterea de se, deque aliis: *Blasphemamur*, inquit, *& obsecramus* [r]: sic Angelo Smyrnæ dictum est: *Blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & nõ sunt* [s]: sic rursus Apostolus Tito scribens: *Admone*, inquit, *illos neminem blasphemare* [t]; & Auctor operis imperfecti affirmat [u], etiam malum hominem posse blasphemari.

q Rom. 3. 8.
r 1. Cor. 4. 13.
s Apoc. 2. 9.
t cap. 3. 2.
u homil. 1. in Matth.

Alia item significatio est pro infausta, & malè ominosa oratione, vt apud M. Tullium, interprete Cõrado [x], & Manutio, & apud Nazianzenum [y], vt Billius obseruat; quasi sit idem βλασφημία, quod δυσφημία, & sic idem est, quod mala fama ab alio disseminata. Tandem nonnunquàm blasphemia est quoduis peccatum; quia qui peccat videtur non admodum bene sentire de DEO. Sic aliqui

Blasphemia etiam est mali ominosa oratio.
x lib. 5. ep ad Attic. in 11.
y in orat. ad patrẽ suum, & in Apolo.

C accipiunt timorem Iob *ne fortè filij eius benedixissent* [z] DEVM, id est, blasphemassent, *in conuiuiis suis*: & Augustinus [a] voraces ac vinolentos ait, quantaslibet laudes lingua eorũ sonet, vitam ipsorum blasphemare: præterea [b], raro inueniri qui blasphement lingua, multos qui vita. Græcè dicto loco Iob est, *ne fortè in mente ipsorum malè cogitauerint de* DEO. Chaldaicè, *ne fortè ad iracundiam* DEVM *prouocauerint*.

z Iob. 1. 5.
a in Psal. 146.
b tract. 27. in Ioan.

In Moysen.] Vel ipsa Mosis persona intelligitur, quæ maximi fiebat à Iudæis, ac tanti quidem, vt mortui corpus abscondendum fuerit à DEO [c], vt quidam arbitrantur, ne illum ipsi pro DEO colerent: vel à Mose lata lex, aliæque traditiones, de

Moses ab Hebræis quãti fiat.
c Deut. vlt. 6.

D quibus paulò pòst [d]. Solet enim Mosis nomine intelligi lex, aut Pentateuchus, quem scripsit [e], vt etiam à Hieronymo obseruatum est [f].

d vers. 14.
e Luc. 16. 29. c. 24. 27. Roman. 5. 14.
f 1. con. Iou.

Et in DEVM.] Sic crescit oratio, pluris ergo æstimabant DEVM, quàm Mosem: & tamen Oecumenius contrarium notat; quasi priùs nominauerint, quem sua etiam opinione, aut saltem re, & factis præferebant, siue practicè, quamuis forsan non speculatiuè.

Versus 12.] Commouerunt itaque plebem, & seniores, & Scribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium.

E COMMOVERVNT *itaque plebem.*] Cùm iam falsos & malos rumores sparsissent, & suppositos testes paratos haberẽt (id indicat particula *itaque*) machinas admouent primùm ad plebem imbecilliorem, & mutabiliorẽ aduersùs Stephanum concitãdam. Sciebant enim Apostolos, cæterosq; Discipulos plebi gratos esse, ita vt qui Apostolos priùs deduxerant in concilium, vi abstinuerint, veriti ne ipsimet lapidarentur à populo [g].

Cur priùs plebẽ in suam sententiam pertraxerint.
g cap. 5. 26.

Inter alia placebãt Discipuli propter opinionẽ sanctitatis, ac religionis, quòd perhonorificè de Patribus [h] loquerentur. Idcirco infamantur apud plebem de blasphemia in Moysem, & DEVM.

Apostoli cur plebi grati fuerint.
h ca. 2. & 3. & 4.

Et seniores, & Scribas.] Illi præerant concilio, hi erant legis Doctores, vt aliàs dictum est. De sacerdotibus non fit mentio, quia si aliqui malè animati erant, plures ex eis tamen erant in magno ipsorum numero, qui, sicut superiùs visum est, obediebant fidei [a], etsi fortè cum reliquis Discipulis non se aggregarent.

a supià v.7.

Concurrentes rapuerunt eum.] Ἐπιστάντες συνήρπασαν αὐτὸν, *superstantes simul rapuerunt eum*. Syrus sic expressit, ואתו וקמו עלוהי וחטפו איתיהי *vethu vekumu hhalauhi vechatephu aihijhi*, id est, *& venerunt, & surrexerunt contra eum, & rapuerunt, duxerunt eum*, vel, *raptum duxerunt eum*, vel, *proinde venerunt, & insurrexerunt in eum, correptúmque adduxerunt*, &c. Phrasis Græca vim, & impetum ingentem denotat: sic semper augescit persecutorum in dies furor, quos verisimile est illos ipsos fuisse, qui superiùs commemorati sunt ex variis synagogis, ac dedito studio, ea vi vsos, vt reum nocentiorem esse persuaderent, ceu prædonem, seditiosum, sacrilegum.

Persecutorum furor in dies augescit.

Adduxerunt eum in concilium.] Syrus sic habet, למצעת כנשא *lemetshhath chenscha*, id est, *in medio congregationis*, seu *synagogæ*. Meliùs noster Interpres: nec enim Græcum nomen τοῦ συνεδρίου, quod est hoc loco, significat synagogam: & synagogæ, maximè in Ierusalem, non habebant hunc vsum, vt cogerentur in eas seniores & Scribæ ad negotia tractanda maioris momenti.

Versus 13.] Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba aduersùs locum sanctum, & legem.

ET *statuerunt falsos testes.*] Sicut & contra CHRISTVM, vt cum Augustino [b] anteà notauimus: vt verum sit quod CHRISTVS prædixit [c], *Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?*

b Serm. 93. de Sanctis.
c Matth. 10. 25.

Inter Decalogi negatiua præcepta vnum hoc est, de non dicendo contra proximum falso testimonio, quod item sæpe aliàs cauetur in Scriptura [d]. Magna exaggeratio calamitatis propriæ à Iob [e] ponitur his verbis: *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, & suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam contradicens mihi.* Susanna quoque non tam mortem, quàm testium reformidans criminationem falsam, cùm audisset minas seniorum, *Dicemus contra te testimonium*, ingemiscens dixit: *Angustiæ sunt mihi vndique* [f].

Falsum testimonium quàm graue scelus sit, & quàm formidabile.
d Exo. 20. 16. c. 23. 1. Deut. 5. 20. ca. 19. 15. 16. Prouer. 12. 17. c. 19. 5. 9. c. 24. 8. c. 25. 18.
e cap. 16. 9.

Hinc prætereà Sapientis illud apophthegma [g]: *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit: delaturam ciuitatis, & collectionem populi, calumniam mendacem, super mortem, omnia grauia*, hoc est, Timui publica notari infamia in ciuitate, ne ex huiusmodi infamia coëat, & congregetur contra me multitudo, & ne in ea congregatione falsis criminibus grauer.

f Dan. 13. 21. 22.
g Eccl. 26. 5. 6.

Comminantur Scripturæ citatæ pœnas graues falsum edentibus testimonium, & historia Susannæ illustre in senioribus exemplum continet. Eusebius verò aliud narrat longè mirabilius de criminatoribus Narcissi, innocentissimi viri, Episcopi Ierosolymitani [h]: quæ verò mandauerat vt in Naboth submitterentur duo falsi testes, qui eum benedixisse dicerent, hoc est, blasphemasse DEVM, & Regem, quam pœnam Iezabel impia regina luerit, narrat Regum historia [i], vocátque falsos illos testes, filios Belial, & Diaboli, & viros diabolicos [k].

Falsorum testium pœna.
h 6. Hist.
i 3. Reg. 21. 10. 13.
k ibid.

Si de legibus humanis loquamur, hæ in caussis ciuilibus certas pœnas, atque in criminalibus decreuerunt iure communi [l]: ac in his quidem pœnam talionis, quæ etiam est in Deuteronomio [m]: & lex vna XII. Tabularum deiectionem ex saxo Tarpeio, quam non esse nimis duram, demonstrat ex Phauorino philosopho Cæcilius iurisconsultus apud Gellium [n]. Indos narrat Strabo [o], digitos extremos falsis testibus decurtasse. Longobardi [p] dextram manum amputabant. Suidas [q] refert legem latam in Tenedo à Tene, vt falsò accusantibus à tergo carnifex astaret sublata securi, vt conuicti statim ferirentur. Lege cum scholiaste Tiraquello Alexandrum ab Alexandro [r]. Lege Isidorum [s], Iurisconsultos in iura citata [t], Iacobum Simanca [u], & Couarruuiam [x].

Iure communi quæ in ... statutæ.
l l. 1. §. ... legem Corneliam de falsis. & ... de ... falsi. & ... imagine ... m c. 19. 18. 19. 20. 21.
n lib. 20. c. ...
o lib. 15.
p leg. Longob. lib. 2. tit. de testibus. l. ... duo testimonia.
q verbo, Tenedius.
r lib. 6. c. ...
s 5. de sum. bono. c. 59.
t & ... C. de reb. cred. & ff. de testibus. & cap. ... de testib. & c. quemadmodum ... Nou. Iustin. ... Const. Leon. Imp. ... & 77.
u in Instit. Catholic. tit. 64.
x 2. Variar. c. 9.

Ceterùm vt ad propositum reuertamur, mentio hîc fit testium in numero multitudinis, quoniam lex præscribebat, vt à pluribus testimonium ederetur, nempe à duobus, vel tribus [y]; quomodo duos legimus subornatos contra Naboth [z], & Susannam [a], & CHRISTVM [b]. Quotnam autem hi testes fuerint, Auctor non exprimit, vt mirer aliquos eum numerum binarium ab illo expressum affirmasse [c].

y Deut. 17. 6. c. 19. 15. Matt. 18. 16. Ioan. 8. 17. Ioseph. 4. Antiq. c. 8.
z 3. Reg. 21. 10.
a Dan. 13. 21.
b Mat. 26. 60.
c Maldon. in c. 26. Matth.

Homo iste.] Contemptum denotat hæc loquendi forma, vt notat vtraque Glossa.

Non cessat loqui.] Exaggeratio est, qua persuadere volunt, non semel aut iterum, sed sæpiùs, & veluti ex quodam habitu solitū blasphemare. Oportet verò multoties à Stephano habitū sermonem de religione, vel priuatim, vel publicè, vt huiusmodi testimonium etiam à falsis testibus deponi potuerit. Grauis accusatio blasphemiæ, quæ propter atrocitatem suppliciis grauissimis per leges luitur [d], & rursus in iure canonico, vt apparet ex titulo de maledicis, & alibi [e], & per extrauagantes Pontificum maximorum Leonis X. [f] Iulij III. & Pij V. [g] ac nominatim lapidatione per legem diuinam [h], qua idcirco tanquàm blasphemus occisus est Naboth, vt dixi, & noster Stephanus, & nisi CHRISTVS sese subduxisset, lapidatus eiusdem caussæ prætextu fuisset [i].

d in Authent. const. 77. in C. Theod. tit. 2.
e c. Si quis 2. q. 1. c. ... 22. q. 4. cap. 10. non nullis ... de Iudæis.
f 3 & 4.
g 5.
h Leuit. 24. 16.

Memorabile exemplum vindictæ diuinæ contra Sennacherib regem Assyriorum propter blasphemiam immissum continet Regum liber quartus [k], & secundus Paralipomenon [l], quod magis illustrat vtrobique Lyranus, & ex Historicis profanis Herodotus [m]. Ille namque tradit, cæsorum ab Angelo cadauera confestim redacta in cineres: hic arcus, & scuta corrosa ab agrestibus muribus, regem à filiis in templo trucidatum, capillum ei barbámque radentibus ad ignominiam, & in statuæ ipsius manu murem cum hac inscriptione ponentibus: Εἰς ἐμέ τις ὁρέων, εὐσεβὴς ἔστω, *In me quisquis intuitus fuerit, pius esto.*

Vindicta diuina in blasphemum quàm grauis ...
i Ioan. 10. 30.
k cap. 19. 35.
l cap. 32. 21.
m lib. 2.

Paulus Alexandrū, & Hymenæum tradendos censuit Satanæ [n], vt discerent non blasphemare. Nathan peccatū Dauid inde maximè auxit, quòd per id blasphemari fecisset nomen DEI [o], quam ipsam DEVS iniuriam suam sibi ab impiis illatam vehementer queritur apud Esaiam [p].

Alia exempla vindictæ diuinæ contra blasphemantes.
n 1. Tim. 1. 20.
o 2. Reg. 12. 14.
p cap. 52. 5. & Rom. 2. 24.

Facit etiam ad huius sceleris immanitatem, quòd vt illud à filiis Iob auerteret, neu ipsi DEO *benedicerent* (hoc est, maledicerent, & blasphemarent, siquidem horret Scriptura vel ipsum nomen blasphemiæ) *sacrificabat quotidie pro illis* [q]. Et quòd eundem Iob in calamitate graui

q Iob. 1. 5.

constitu

constitutum, hortata est vxor benedicere [a], id est, maledicere Deo, & mori, hoc est, vt eo peccato prouocaret in se Devm, sicque ab eo interfectus, morte faceret miseriarum compendium. Ita quidem exponunt Apollinarius & Chrysostomus in catena Iob, necnon Basilius [b]. Præterea quòd Michaël *altercans cum Diabolo de Mosis corpore, non est ausus ei iudicium inferre blasphemiæ* [c]. *Et sunt tamen qui quæcunque ignorant, blasphemant.* Adhæc quòd in signum execratæ blasphemiæ solerent vestimenta lacerari, vt aliàs dicemus. Item quòd Gentilis Nabuchodonosor prohibuit blasphemari Devm Israël, vt refert Daniel [d], hinc enim longè magis sibi fideles id prohibitum persuadere debent, tot à Deo in momenta singula beneficiis affecti, nec vlla ratione induci, vt Polycarpus argumentabatur, *octoginta sex q; supra exactis annis ad blasphemandum sollicitatus, vt tantum benefactorem blasphemet*, vt memoriæ proditum est ab Eusebio in historia Ecclesiastica [e], & aliis. Iustinianus in Authenticis [f], *famas, terræmotus, ac pestilentias ab irato propter blasphemias* Deo *immitti* ait, *hásque vltimo supplicio extirpandas.* S. Ludouicus rex Galliæ Christianissimus blasphemantis linguam ferro candente adurebat, atque seipsum hanc pati pœnam paratum profitebatur, si ea pœna excindi tantum nefas, tantáque iniuria Dei posset [g]. Paulus Æmilius tamen candentem laminam fronti blasphemi iubente S. Rege inustam scribit [h].

Nulla est bene constituta Respublica, quæ blasphemis non acerbas pœnas decreuerit, vt de Saracenis quoque testatur B. Antoninus [i]: nec ferre potest Chrysostomus [k], qui nullum æquè peccatum, ac sæpiùs insectatur, vt etiam priuatus quisque iniuriam istam Dei sinat inultam abire, nec ipsemet impacto colapho vlciscatur; & notat Auctor operis imperfecti [l], Christvm aduersus tentatorem suum tum demùm exasperatum esse, cùm per blasphemiam, Deo debitam sibi ipsi adorationem exegit [m]. Idem B. Antoninus diuinæ in blasphemos animaduersionis exempla recitat, præter illa quæ attulimus, & alia legere potes apud Gregorium [n], Nicephorum [o], Petrum Damianum [p], Cæsarium [q], Alexandrum Anglum [r], Pratum spirituale [s]; denique constat, Socratem, quòd in Deos iniurius haberetur, apud Athenienses delatum, & damnatum esse. De blasphemorum pœnis, Simanca [t], Menochius [u], Petrus Gregorius [x], Azor [y]. Concludamus orationem conuersi ad Devm, ac verbis vtentes, quibus Tobias [z] mysticam Ierusalem alloquitur: *Maledicti erunt, qui contempserint te, & condemnati erunt omnes qui blasphemauerint te, benedictique erunt, qui ædificauerint te.*

Aduersus locum sanctum.] Templum intelligunt, vt apparet ex euersione per Iesvm, de qua sequenti versiculo, aut etiam ciuitatem, quam idem Christvs euertendam prædixerat [a]. Nam ciuitas tota sancta cognominatur [b], vel ciuitas Sancti [c], siue Domini; immò ciuitas Dei [d], siue Domini Sion, item mons sanctus [e]; & nomen hoc idem loci sancti pro ciuitate alibi, quàm hic, inuenitur [f]. Obseruat quoque Marianus Victorinus [g], quòd apud Hebræos siclo vna ex parte inscribebatur, *Ierusalem sancta*, vbi nimirum insculpta virga Aaron, regnum, imperiúmve designabat: alia verò ex parte, vbi erat ara denotans sacerdotium, *siclus Israël*. Is tamen, quem Romæ vidi, habebat pro ara calicem, ex quo flamma ascendit. Causa huius ap-

A pellationis est, quoniam Devs peculiariter ibi colebatur templo, & sacrificio, quæ etiam extra eam ciuitatem esse non poterant, vt notat Euthymius [h]. Præterea lex eò loci atque cæremoniæ obseruabantur exactiùs, vt ait Beda [i]: similis causa est, cur diceretur ciuitas iustitiæ, vt notauit Chrysostomus [k], *Abundabat*, inquit Christianus Druthmarus [l], *maiore, quàm loca alia, piorum, & in lege peritorum numero, vel sacerdotum, vel Prophetarum.* Ibi creditur Abraham filium sacrificasse [m] (ante illum ibidem obtulisse Abel sacrificium, Hebræi quoque nonnulli putant) Dauid Angelum grassante pestilentia manu gladium gestantem vidisse [n]: denique, vt alia omittam, atque

h Matth. 4.
i ibid.
Ierusalem cur ciuitas sancta diceretur.
k hom. 5. in Matth.
l ibid.
m Gen. 22. 1.
n 2. Reg. vlt. 1.

B etiam de ipso eius situ, qui refert quandam sanctitatem, postquàm illam sanctus sanctorum Christvs præsentia sua sanctificauit, & doctrina, & miraculis, & morte, & Resurrectione, & misso Spiritv sancto, & Sacramentorum institutione (adde cædem Stephani, & vtriusque Apostoli Iacobi) longè maximo iure ciuitas, & locus sanctus appellatur, & Ecclesiæ tum militantis, tum triumphantis est typus. Porrò etiam post necem Christi sancta vocatur Ierusalem, licèt tanto facinore contaminata, in Euangelio [o] propter sanctitatem, non quam amiserat, sed quam priùs habebat, eo

Ierusalem est magis sancta, quàm antea vnquam fuerit.
o Matt. 27. 53.

C modo, quo Matthæus iam Christi Discipulus, vocatur tamen Publicanus [p], vt in Matthæum Hieronymus, ac Beda obseruant. Lege Pererium in Danielem [q], & Maldonatum in Matthæum [r]. Nimio quodam templum Iudæi amore prosequebantur: nec ferè grauior in Ieremiam criminatio fuit, quàm quòd prophetasset euersionem eius [s].

p Matth. 9.
q lib. 1.
r ca. 4. & 27.
s Ierem. 26. 8. & seq.

Et legem.] Quem priùs vocauit *Mosem*, & paulò pòst *traditiones, quas tradidit Moses.* Loquebatur itaque Stephanus contra locum sanctum, & legem, *quia templo, & legi veteri Ecclesiam, & legem nouam præferebat*, inquit Glossa interlinearis. Rectè, sed non ad mentem accusatorum.

D *Versus* 14.] Audiuimus enim eum dicentem, quoniam Iesvs Nazarenus destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.

Avdivimvs *enim eum dicentem, quoniam* Iesvs *Nazarenus.*] *Hic & in hoc modo loquendi est contemptus siue propter pronomen demonstratiuum, siue propter cognomen Nazareni*, vt notat Chrysostomus, quoniam Nazareth erat locus vilis, & inferior quocumque alio ferè totius Galilææ. Atque vel *in hoc deprehenduntur falsi testes*, inquit Oecumenius, *quoniam Stephanus nequaquàm dixerat Nazarenum* Christvm.

E Non equidem idcirco testibus istis crimen falsi intenderim; fieri namq; potest, vt id nomen etiam Stephanus vsurpauerit, vt doceret illius ipsius dignitatem, atque maiestatem, qui cùm ex humili oppido esset, & ab eo per contemptum ab aduersariis Nazarenus cognominaretur, tamen Christi, & veri Messiæ nomen & gloriam consecutus esset. Lege caput secundum [t].

Non sunt falsi testes in eo quòd Iesum Nazarenum dixerint.
t vers. 22.

Destruet locum istum.] Vel ciuitatem, vt diximus; vel templũ, quod potuit etiam digito indicari ex synedrio, vbi cógregati erant, quod erat templo attiguum. *Multa illis reuerẽtia erat erga templum: vtpote qui & iuxta illud habitare summo honori ducerent*, inquit Chrysostomus. Id colligitur non ex

Iudæi erga templum summa obseruantia affecti fuerunt.

a cap.7.4.

Ieremia [a] tantùm ipsis exprobrante tantam curam,& cultum templi, quasi in ea re spes omnes suas collocassent;sed etiam ex eo, quòd subornati contra CHRISTVM falsi testes pariter idem illi crimen destructionis templi obiecerunt [b]; & alij iàm crucifixo per conuitium inculcarunt, insultantes & blasphemantes [c].

b Matth. 26. 60.61.
c Matt.27.39. 40.

Fortasse isti testes, aut potiùs testium adornatores sperabant huiusmodi accusationem, quam CHRISTO obiectam, ei damnationis conciliasse sententiam putabant: Stephano quoque conciliaturum, qui hoc etiam nocentior videretur, quòd nec alieno Magistri supplicio cautior euasisset,sed id auderet admittere,quod in Magistro animaduersum esset.

Quàm periculosum fuerit de templi excidio verba facere.

Fuisse periculosum de templi excidio loqui, illud etiam indicat,quòd cùm CHRISTVS *ostendentibus sibi Discipulis ædificationes templi*, fortasse quia dixerat Iudæis, *relinquendam illis esse domum ipsorum desertam* [d], atque alio loco futurum prædixerat,*vt non relinqueretur vnus lapis super lapidem qui non destrueretur* [e],accedentes Discipuli vel omnes,vel potiùs, vt Marcus [f] scribit,magis familiares Petrus, Iacobus, Ioannes,Andreas,percontati sunt,quando id eueniret.

d Matt.23.38.
e Luc.19.44.
f cap.13.1.

Excidium tépli & Vrbis à Christo prædictum, & ab aliis.

Atque ex his item locis apparet, CHRISTVM prædixisse euersionem templi, & ciuitatis, sicut & apud Ioannem [g], cùm dixit: *Soluite templum hoc,& ego in tribus diebus excitabo illud*;& apud Lucam [h], cùm tenderet ad mortem,vbi Oseæ [i] verbis vtitur, sicut & Ioannes ad idem propositum, vt quidam volunt,in Apocalypsi [k]:quæ prædictio videtur prætereà facta à Tobia [l], *Ierusalem ciuitas* DEI, *castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum*;& à Ieremia [m]:*Propterea mæstum factum est cor nostrum, ideò obtenebrati sunt oculi nostri, propter montem Sion,quia disperiit*;& ab Ezechiele [n]:*Pro eo quòd Sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor, & faciam in medio tui iudicia gentium, & faciam in te quod non feci, & quibus similia vltrà non faciam propter abominationes tuas. Ideò patres comedent filios suos in medio tui, & filij comedent patres suos, & faciam in te iudicia, & ventilabo vniuersas reliquias tuas in omnem ventum.*Est item illustre de re eadem testimonium Zachariæ [o], de quo Eusebius [p], & in eundem locum Cyrillus, Theodoretus, Rupertus, Hieronymus, & alij:& aliud eiusdem [q], de quo ex Hebræorum sententia Lyranus [r],& Galatinus [ſ]. Hieronymus prætereà exponens Micheam,ait idem hoc excidium illum prædixisse [t]. Origenes [u], Tertullianus [x], iterúmque Eusebius [y] affirmant de Esaia [z], quod nos quoque ibi adnotauimus, quibus adde alia duo loca eiusdem [a], & aliũ Ieremiæ [b]. Videtur CHRISTVS [c] Danielem [d] de hoc etiam excidio intellexisse.Sed & Petrum, & Paulum,cùm Romæ essent, de eodem vaticinatos esse,testis est Lactantius [e], atque prædicasse,& *ea*,inquit,*prædicatio in memoriam scripta permansit*.Iosephus [f] autem prodidit, *Prophetarum quæ extabant hac de re oracula, tanquam vulgares fabulas à suæ gentis hominibus fuisse derisas.*

g cap.2.19.
h cap.21.30.
i cap.10.8.9.
k cap.6.16.
l cap.13.11.
m Thren. 5. 17.
n c.5.9.10.11.
o cap.14.1.& seq.
p 6. de Dem. c 18.& lib. 8. cap.4.
q cap.11.1.
r in Zach.14.
ſ lib.4.c.8.
t cap.7.5.6.
u tract.24.in Matth.
x 4. contra Marcio. in fi.
y 2. de Dem. cap.16.
z cap.1.7.
a c.5. 25. cap. 25.29.
b cap.19.6.& seq.
c Matt.24.15.
d c.9.27.
e lib.4.c.21.
f 5. de bello Iud.c.2.& 3.

Et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.] Τὰ ἔθη,*consuetudines*,& *ritus*.Syrus etiam habet, עידא *bhaiade*,id est,*consuetudines*,quæ superiùs sub nomine legis, aut etiam Moysi comprehensæ sunt. Mutatio hæc videlicet in melius,recedente figura, & vmbra, æquè prædicta est, ac euersio templi, atque ciuitatis:nominatim verò à CHRISTO, qui se professus est non venisse legem soluere, sed adimplere [g],in familiari dialogo cum Samaritana [h].

Mutatio cæremoniarum legis Moysis à Christo prædicta.

g Matth.5.17.
h Ioan.4.21.& seqq.

Quid traditionũ nomine sit intellectum.

Existimo Interpretem nomine traditionum non intellexisse distinctè & propriè, voce duntaxat relictas à Mose successori Iosue, & inde per manus acceptas legis cæremonias diuersas ab iis, quæ sunt scripto mandatæ, & quas Græci quidam δευτερώσεις, Hebræi autem קבלה *kabbala*, seu Cabalam nominant,sed vniuersè ac generaliter quicquid legis nomine continetur, & ad reipublicæ Hebræorum gubernationem, tum sacram, tum politicam pertinet. Nam constat voce traditionis doctrinam quoque scriptam significari;vt cùm Mosi dixit DEVS [i]: *Scribe hoc ob monimentum in libro,& trade in auribus Iosue*:prætereà in illis Pauli verbis [k]: *Tenete traditiones,quas accepistis, siue per sermonem,siue per epistolam.* Tamen ex vsu Patrum, atque Theologorum, traditionis alioqui generale nomen accommodatum est ad doctrinam non scriptam,vt apud Irenæum [l], Tertullianum [m], Cyprianum [n], Augustinum [o],Basilium [p], & plurimos alios, quos citant hi, qui agunt de traditionibus, vt Canus [q],Martinus Peresius [r],& Cardinalis Bellarminus [ſ].

i Exod.17.14.
k 2. Thess.2. 14.
l lib.3.c.2.
m de corona militis.c.3.
n lib.2.ep.3. & 74.
o 5. de Bapt. cap.23.
p de Spiritu sancto.
q 3.de locis.
r in opere de iisdem.
ſ de Verbo non scripto.
t oratio.de S. Steph.

Sententia in Stephanũ planè iniqua decernitur.

Accusatio quidem diaboli oratorum talis est, inquit Nyssenus [t], *sed quanam est audientium amentia? cuius criminis nomine sæuiunt? quam nequitiam in his verbis deprehenderunt? Nam quæ quidem aduersùs eum proferebatur,in posterum euentura erant. Aiebant enim eum dixisse locum euersum iri,& instituta Mosis commutatum iri. Quod igitur maleficium in his verbis continetur,siue vera, siue falsa loquatur? Nam si quidem mentitur, id quod angit, & malè habet, non eueniet: sin autem vera dicit, quænam est iniuria sermoni, quo prædicitur id, quod euenturum sit? Nam quæ fient, prorsus euenient, siue sileamus, siue loquamur: at cædes prædicentis, quam affert incommodorum correctionem? Deinde accusatur quidem* IESVS *Nazarenus: sententia autem,qua pœna,atque supplicium decernitur,aduersùs Stephanum fertur. Atque si is qui delinquit,iram monet,& crimini datur loci,& institutorum mutatio,atque hac accusator non à Stephano, sed ab* IESV *fieri dicit, aduersùs accusatum prorsus commoueri iudices oportebat. O iniustam audientium sententiam! Quoniam,* inquiunt,IESVS *mutabit leges,lapidetur Stephanus.*

Iesus Nazarenus accusatur, & Stephanus plectitur.

Iesus legem non abrogauit.

Quomodo autem legem IESVS *abrogabit, qui ita affectus erat erga legem, qui omnia ad confirmationem antiquarum legum instituit? qui dixit* [u]: *Non veni dissoluere legem, sed impleturus? qui legem de non interficiendo, per hoc, quòd nec quidem prorsus irasci quenquam Discipulis confirmauit* [x]*? qui adulterium vnà cum libidine atque concupiscentia eiecit* [y]*? qui per id quod noluit vt quisquam vlciscatur eum, à quo antè læsus esset* [z], *ne lacessendum quidem iniuria quenquam esse præcepit? qui per communicationem facultatum auaritiæ vitium exterminauit* [a]*? Quî fit igitur, vt hæc neque commemorata, neque in cognoscendo simul quæsita, & examinata sint? Vellem nunc adesse mihi sanguinariorum illorum iudicum concilium, ac de locis, quorum nomine sæuiunt infensi, sciscitari cuperem: vbi celebre illud templum? vbi incredibiles lapidum magnitudines* (erat templi ab Herode integrati, lapidum longitudo centum cubitorum, altitudo totidem, & ampliùs viginti: lapides candidi atque firmissimi, longitudine viginti quinque cubitorum, latitudine duodecim, altitudine octo [b], ita vt meritò Discipuli CHRISTO stupore pleni dixerint [c]: *Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ*) *vbi aurum illud, quod reliquam templi materiam pretio prope-*

u Matt.5.17.
x vers.22.
y vers.28.
z vers.39.
a Luc.6.30.

Templi lapides quales & quanti.

b Ioseph.15. Antiq.c.14.
c Mar.13.1.

a Aggæi 2.nu. 45. & seq.

A *pomodum equabat?* (putat Ribera [a], templum quod Herodes extruxit, longè magnificentius fuisse, quàm quod Salomon) *vbi legitima sacrificia? aries, vitulus, agnus, iuuenca, columba, turtur, & auertendis malis sacrificari solitus caper? Si idcirco Stephanum capitis condemnant, vt ne quid tristium illarum rerum eueniret, ostendant quæcumque per cædem illam nefariam sibi conseruauerint. Quòd si nihil horum reliquum est, quorum nomine sententiam illam tulerunt, dicant, cuius rei gratia cædes ab ipsis perpetrata sit.*

Tam multa ex Nysseno retulimus haud sanè assueti aliena in nostras chartas transcribere, quoniam sententiam, quæ placet, non potuimus paucioribus, nedū melioribus verbis, exprimere.

B Illud solùm annotauerimus, non videri adeò inconcinnam, atque importunam accusationem, etiamsi Stephanus non de seipso, sed de CHRISTO affirmasse dicatur, destructurum fuisse locum sanctum, & traditiones mutaturum, quas tradiderat Moses. Nam hoc nil aliud erat, nisi præferre legi Euangelium, CHRISTVM Mosi, & diuinitatem CHRISTO tribuere; quæ omnia si falsa essent, vel potiùs quia falsa illi esse ea existimabāt, blasphemiæ culpa non vacabant opinione eorum, qui legem, & Mosem amplectebantur, & IESVM ob simile crimen, quod Stephano in præsentia obiiciebant, egerant in crucem.

Potuit Stephanus accusari, etiamsi Christum dixisse, quæ commemorauerat, significauerit.

Aliud est, quod obiici possit contra Lucam C ipsum, quid sit, cur falsos testes nominet, qui ea de Stephano recitarunt, quæ Stephanum dixisse verisimile est, cùm sint vera, & à CHRISTO ipso, vt vidimus, etiam prædicta? Quare testium illorum, qui contra CHRISTVM dixerunt, *non fuisse conueniens testimonium* Marcus ait [b], hoc est, sufficiens ad condemnandum illum, quod Græcè vocatur æquale, καὶ οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν; & tamen Stephano nonnisi propter simile in ipsum dictum testimonium mors illata est? Ratio est, quoniam in illis verbis, quæ se testes hi à Stephano audiuisse dixerunt, continebatur, vt modò dixi, IESVM esse DEVM: insuper addebant dixisse, quòd mutaret traditiones, quas tradiderat Mo-

Cur falsi testes hi dicti, qui retulerūt Stephanum hic dixisse, quæ probabiliter dixerat.

b Marc. 14. 59.

D ses: quæ res duæ reum extremi supplicij idoneè constituebant: tum maximè primum, in quo erat blasphemia lapidibus punienda [c].

c Leu. 24. 16.

Quomodo hi falsi testes vere fuerint.

Nihilominus meritò nominantur hi falsi testes, non quòd à Stephano IESVM cognominatum Nazarenum dixerint, quod antè refelli, sed quia deposuerint, dixisse CHRISTVM, se locum sanctum destructurum, quod minimè dixerat, sed id gentes facturas: item Mosis mutaturum traditiones, qui & legem religiosè obseruabat ipse, ac se non vt solueret, sed adimpleret, venisse protestatus erat. Si mutauit & soluit post mortem, vt Caietanus [d] existimauit, non essent dicendi dicti testes falsi, & mendaces.

d in ca. 5. Matt.

E Itaque CHRISTVS erudiens Discipulos futuros prædicatores, & lucem mundi, salque, vt cùm maximè, tunc eos legis vult obseruantes esse, sicut ipsemet, conditor licèt legis, legem obseruabat, vt habet Auctor operis imperfecti [e], quamdiu eam vigere oportebat.

Christus voluit Apostolos legis esse obseruantes.

e in Matt. hom. 10.

Quanquàm & illud verum est, aliter impletam legem à CHRISTO, quia meliùs explicauit, vt tradit Euthymius, Theophylactus [f], & Nyssenus [g], quia gratiam attulit, vt faciliùs seruaretur, vt scribit Augustinus [h], & Chrysostomus [i], quia figuris ac prædictionibus exhibita re ipsa & veritate finem imposuit, sic plurimi alij Interpretes apud Maldonatum [k], quia præmia potissimùm

Lex à Christo quomodo impleta fuerit.

f in Matth.

g con. Iud.

h 7. con Fau. c. 5. & lib. 19. c. 7.

i hom. 16. in Matth.

k in c. 5. Matt.

æterna, pœnásque proposuit, non, vt ferè semper lex, quæ temporalia duntaxat, & caduca continet. Hoc non est legem soluere, sed perficere: nec erāt illi testes adeò vel acuti, vel fauentes CHRISTO, vt eo sensu multiplici, quem dedimus, vel CHRISTVM, vel Stephanum intelligerent, aut intelligi vellent.

Versus 15.] Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquàm faciem Angeli.

ET *intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius.*] Omnes Glossæ, & Hugo interpretantur de noua quadam pulchritudine, & claritate. Nyssenus [l] vocat *Angelicum decorem, & mutationem faciei in angelicam formam.* Augustinus [m] ait illustratam esse faciem vt Solem, & [n] comparat cum splendore vultus Mosis, nisi quòd, inquit, *iste, propter excæcationem Iudæorum posuit in eo velamentum, ne videret criminosum ipsorum vultum* [o]; *hic ad confusionem illorum reuelata facie speculans* [p] *in cælum gloriam* FILII DEI, *Resurrectionis annunciabat sacramentum:* dicit etiam [q], *in amico Angelorum angelicam similitudinem apparuisse, & in pedissequa* CHRISTI *ouis fronte signum gestasse, cui sint patefacta porta cælorum.* Hilarius Arelaten. [r] docet fuisse in Stephani facie *speciem resurgentis, aduersariis quidem ad pœnam peccati, & tormentum inuidiæ, & exprobrationem impietatis, & testimonium criminis, & veluti repercussionem luminis ex facie lapidati, siue quia iam lapidandus designabatur: in ipso autem Stephano abundantiam cordis transiisse in decus corporis, & in exteriori gloria candorem interioris exundasse, & absconditα pectoris ornamenta speculum frontis irradiasse; & cùm haberet in se* SPIRITVM *sanctum, os præ se gestasse angelicum.*

l ora. de S. Stephano.

m Ser. 99. de Diuers.

n Serm. 6. de Sanctis. *De gloria vultus S. Stephani.*

o Exo. 34. 33.

p 2. Cor. 3. 18.

q Serm. 99. de Diuers.

r homil. de S. Stephano.

Petrus Damianus [f], vbi dixisset faciem luminosam, & vultus DEI lumine insignitam, & vibranti splendore serenatam appellasset, subdit hæc: *Respondeant mihi diuinorum voluminum euolutores, vbi reuoluerint hominem in terris positum, vultum angelicum induisse: & cùm in vtrisque legibus vel rarò, vel nunquàm inuenerint, adstupeant gloria triumphantis.*

f Serm. de S. Steph.

Chrysostomus [t] comparat similiter cum gloria vultus Mosis [u], & inde redditum amabilem simúlque terribilem, & reuerēdum, ita vt propterea passi sint illum concionari: de Barnaba similiter traditum, eum dicendo facie amabilem fuisse, ita vt angelicam quoque dici posset habuisse. Quę vna forsan causa fuit, cur id nomen haberet, quod, vt aliàs notatum est, significat *filium consolationis.* Tertullianus [x] ponit eandem comparationem Mosis tum seorsim, tum etiam in Transfiguratione CHRISTI, atque in Elia, *Sed Moses erat*, inquit, *proinde qui non videbatur; sic & Stephanus angelicum iam fastigium induerat, sed nondum alia genua in lapidatione succiderant.*

Facies Stephani cum gloria vultus Mosis comparatur.

t hoc loco.

u Exod. 34. 33.

x li. de resurr. carnis. c. 55.

Ex his porrò, quæ adhuc allata sunt, colligi potest, quibus de causis voluerit DEVS emicare in Stephani vultu angelicam, hoc est, splendentem, & decoram formam. Adde prætereà, vt declararetur Stephani innocentia, libertas dicendi (solēt iudices reorum vultum attendere, & gestum oris, an palleant, balbutiant, tremant, &c.) efficacia doctrinæ, ideò cùm legem Moses detulit, radians descendit [y], & quando CHRISTVS veluti doctor creatus est à PATRE illis verbis [z]: *Ipsum audite, facies eius resplenduit sicut Sol* [a], & ipse Doctori-

Cur Stephani facies resplenduerit.

y Exo. 34. 29.

z Mat. 17. 5.

a Ibid. 2.

a Mat.5.14.

bus suis dixit [a]: *Vos estis lux mundi*: item quòd qui sunt etiam in gradu inferiore, possunt clarescere (nec enim hoc de Apostolis proditur) quòd qui ad audiendum hac ratione allicerentur, magis etiam, si non obedirent, inexcusabiles redderentur: quòd officium Diaconi, & Angeli, sicut & nominum significatio similia sunt, & in tractandis rebus sacris, atque in viduarum cura, angelica opus est puritate.

Dauid Angelus Dei dictus à mulier. & cur.
b 1 Reg.29.9.
c 2.Reg.14.17 20.

Vocatus est Dauid aliquando Angelus Dei ab Achis [b], propter innocentiam: *Scio*, inquit, *quia bonus es tu in oculis meis sicut Angelus* Dei: à muliere Thecuite [c], propter sapientiam, & animi in secundis, & aduersis rebus cõstantiam: *Sicut est Angelus* Dei, *sic est Dominus meus rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur*: &, *Tu autem Domine mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus* Dei, *vt intelligas omnia super terram*: à Miphiboseth filio Saul propter facilitatem, & in parcendo benignitatem [d]: *Tu autem Domine mi rex, sicut Angelus* Dei *es, fac quod placitum est tibi.*

d 2. Reg.19. 27.

Stephanus bene dictus est Angelus.

Eædem omnes causæ in Stephano ita reperiuntur, vt iure meritissimo facies eius illuxerit, sicut facies Angeli, & Angeli ei nomen aptissimè tribuatur. Et quidem illos, qui ita Dauid compellarunt, adegit proprij emolumenti necessitas, & voluntas; Stephanum verò inimici ipsi, vel inuiti coacti sunt, vt tanquàm Angelum venerarentur, & prolixè concionantem auscultarent.

Extat & alia exẽpla in Scriptura, quibus comparatio hæc ex Angelis petitur, ad exaggerandam dignitatem, maiestatem eximiam, & imperio ac veneratione dignam speciem. Nam Iacob occurrẽs irato fratri Esau, & muneribus verbisque placare volens [e]: *Sic enim*, inquit, *vidi faciem tuam, quasi viderim vultum* Dei, vbi Hebræum nomen אלהים Elohim, verti potest (Angelorum) id est, ex inopinata humanitate tua tanta maximo affectus sum gaudio. Regina Esther cùm eam Assuerus regia ipsius maiestate stupefactam bonum habere animum iubens interrogasset, infixo osculo, cur mihi non loqueris? respondit [f]: *Vidi te Domine, quasi Angelum* Dei, *& coturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.*

e Gen.33.10.

f Esther 15.16. 17.

Videtur itaque parœmialis hæc apud Iudæos locutio, qua excellentissimam quampiam hominis speciem, splendorem, terrorem, maiestatem significent. Hinc enim est, quòd Iosephus Gorionides [g], & Flauius [h] narrantes idem de Esther, nullam Angeli mentionem faciunt: *sed vidi te*, inquit Flauius, *magnum, pulchrum, ac terribilem.* Iuuat hanc nostram cõiecturam Chaldaica paraphrasis Canticorum primo [i], cùm ait: *Quando Israëlitæ fecerunt vitulum* [k], *denigratæ sunt facies eorum sicut Æthiopum, qui habitant in tabernaculis Cedar: & quando egerunt pœnitentiam, & dimissum iis fuit peccatum, multiplicatus est splendor gloriæ vultus eorum, sicut vultus* Angelorum.

g in hist.Iud.
h 11. Antiq.
i vers.5.
k Exod.32.4.

Animi temperati decor in vultum coniredundat.

Ex qua etiam Paraphrasi egregium illud ethicum documentum elicitur, iusti ac temperati animi decorem in ipsum etiam vultum exteriùs redundare. Exemplo sunt Daniel, Ananias, Azarias, & Misaël: qui cùm nollent pollui de mensa regis, neque de vino potus eius, & vescerentur solis leguminibus, aquàmque biberent, apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio [l]. Dixi capite secundo, quibusdam aliis viris sanctis communicatam diuinitùs in vultu gratiam, & maiestatem, quæ intuentes diuino quodam horrore compleret. De exemplo verò fulgoris ac luminis in nonnullorum adhuc viuentium vultu, ac corpore, quasi expressionem claritatis, quæ dos vna est beatorum corporum, lege Thomam Bozium [m]. Prudentius hinc ducit comparationem ad alios fortissimos Martyres, vt Laurentium, & Vincentium, vt animi proditam fulgore vultus constantiam describat; necnon ex Mose. De Laurentio hoc modo:

l Dan.1.8.11. 15.

m lib. 11. de Notis Eccl. cap.5.

Illi os decorè splenduit,
Fulgórque circumfusus est.
Talem reuertens legifer
De morte vultum detulit:
Iudæa, quem plebs aureo
Boue inquinata, & decolor
Expauit, & faciem retrò
Detorsit, impatiens Dei:
Talémque & illic prætulit
Oris corusci gloriam
Stephanus per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.

De Vincentio:

Ast ille tantò lætior,
Omni vacantem nubilo
Frontem serenam luminat,
Te Christe *præsentem videns.*



CAPVT SEPTIMVM.

SVMMARIVM.

Recitatur in hoc capite pereradita Stephani cōcio habita in concilio, & eiusdem pro veritate, quam docebat, fortissimè obita mors.

I DIxit autem prin-
ceps sacerdotum: Si
hæc ita se habent?
2 Qui ait: Viri fra-
tres, & patres audi-
te: DEVS gloriæ ap-
paruit patri nostro
Abrahæ cùm esset in Mesopotamia, priùs
quàm moraretur in Charan,
3 Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de
cognatione tua, & veni in terram, quam
monstrauero tibi.
4 Tunc exiit de terra Chaldæorum, &
habitauit in Charan. Et inde, postquàm
mortuus est pater eius, transtulit illum in
terram istam, in qua nunc vos habitatis.
5 Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec
passum pedis: sed repromisit dare illi eam
in possessionem, & semini eius post ipsum,
cùm non haberet filium.
6 Locutus est autem ei DEVS: Quia erit
semen eius accola in terra aliena, & serui-
tuti eos subiicient, & malè tractabunt eos
annis quadringentis:
7 Et gentem cui seruierint, iudicabo ego,
dixit Dominus, & post hęc exibunt, & ser-
uient mihi in loco isto.
8 Et dedit illi testamentum circumcisio-
nis: & sic genuit Isaac, & circumcidit eum
die octauo: & Isaac, Iacob: & Iacob, duo-
decim Patriarchas.
9 Et Patriarchæ æmulantes, Ioseph ven-
diderunt in Ægyptum, & erat DEVS
cum eo:
10 Et eripuit eum ex omnibus tribula-
tionibus eius: & dedit ei gratiam, & sapiē-
tiam in conspectu Pharaonis Regis Ægy-
pti, & constituit eum præpositum super
Ægyptum, & super omnē domum suam.
11 Venit autē fames in vniuersam Ægy-
ptum, & Chanaan, & tribulatio magna: &
non inueniebant cibos patres nostri.
12 Cùm audisset autem Iacob esse fru-
A mentum in Ægypto, misit patres nostros
primùm:
13 Et in secundo cognitus est Ioseph à
fratribus suis, & manifestatum est Pharao-
ni genus eius.
14 Mittens autem Ioseph accersiuit Iacob
patrem suum, & omnem cognationem
suam in animabus septuagintaquinque.
15 Et descendit Iacob in Ægyptum, &
defunctus est ipse, & patres nostri.
16 Et translati sunt in Sichem, & positi
B sunt in sepulcro, quod emit Abraham
pretio argenti à filiis Hemor filij Sichem.
17 Cùm autem appropinquaret tempus
promissionis, quam confessus erat DEVS
Abrahæ, creuit populus, & multiplicatus
est in Ægypto,
18 Quoadusque surrexit alius Rex in Æ-
gypto, qui non sciebat Ioseph.
19 Hic circumueniens genus nostrum,
afflixit patres nostros, vt exponerent in-
fantes suos ne viuificarentur.
C 20 Eodem tempore natus est Moyses, &
fuit gratus DEO, qui nutritus est tribus
mensibus in domo patris sui.
21 Exposito autem illo, sustulit eum filia
Pharaonis, & nutriuit eum sibi in filium.
22 Et eruditus est Moyses omni sapien-
tia Ægyptiorum, & erat potens in verbis,
& in operibus suis.
23 Cùm autem impleretur ei quadragin-
ta annorum tempus, ascendit in cor eius
D vt visitaret fratres suos filios Israël.
24 Et cùm vidisset quendam iniuriam
patientem, vindicauit illum: & fecit vltio-
nem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso
Ægyptio.
25 Existimabat autem intelligere fratres,
quoniam DEVS per manum ipsius daret
salutem illis: at illi non intellexerunt.
26 Sequenti verò die apparuit illis liti-
gantibus: & reconciliabat eos in pace, di-
cens: Viri, fratres estis, vt quid noce-

tis alterutrum?

27 Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem,& iudicem ſuper nos?

28 Nũquid interficere me tu vis, quemadmodum interfeciſti heri Ægyptium?

29 Fugit autem Moyſes in verbo iſto, & factus eſt aduena in terra Madian, vbi generauit filios duos.

30 Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.

31 Moyſes autem videns, admiratus eſt viſum, & accedente illo vt conſideraret, facta eſt ad eum vox Domini, dicens:

32 Ego ſum DEVS patrum tuorum, DEVS Abrahã, DEVS Iſaac,& DEVS Iacob. Tremefactus autem Moyſes,nõ audebat conſiderare.

33 Dixit autem illi Dominus: Solue calceamentum pedum tuorum: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.

34 Videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto,& gemitum eorum audiui,& deſcendi liberare eos. Et nũc veni, & mittam te in Ægyptum.

35 Hunc Moyſen, quem negauerunt,dicentes:Quis te conſtituit principem& iudicem? hunc DEVS principem & redemptorem miſit,cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.

36 Hic eduxit illos faciens prodigia & ſigna in terra Ægypti, & in rubro mari, & in deſerto annis quadraginta.

37 Hic eſt Moyſes, qui dixit filiis Iſraël: Prophetam ſuſcitabit vobis DEVS de fratribus veſtris, tanquàm me, ipſum audietis.

38 Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus noſtris: qui accepit verba vitæ dari nobis.

39 Cui noluerunt obedire patres noſtri: ſed repulerunt, & auerſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum,

40 Dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos: Moyſes enim hic,qui eduxit nos de terra Ægypti, neſcimus quid factum ſit ei.

41 Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulacro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum.

42 Conuertit autem DEVS, & tradidit eos ſeruire militiæ cœli, ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum: Nunquid victimas, & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto, domus Iſraël?

43 Et ſuſcepiſtis tabernaculũ Moloch, & ſidus DEI veſtri Rempham,figuras, quas feciſtis,adorare eas.Et transferam vos trãs

A Babylonem.

44 Tabernaculum teſtimonij fuit cum patribus noſtris in deſerto, ſicut diſpoſuit illis DEVS, loquens ad Moyſen, vt faceret illud ſecundùm formam, quam viderat.

45 Quod & induxerunt, ſuſcipientes patres noſtri cum IESV in poſſeſſionem Gentium, quas expulit DEVS à facie patrum noſtrorum, vſque in diebus Dauid,

46 Qui inuenit gratiam ante DEVM,

B & petiit vt inueniret tabernaculum DEO Iacob.

47 Salomon autem ædificauit illi domum.

48 Sed non excelſus in manufactis habitat,ſicut Propheta dicit:

49 Cœlum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ eſt?

50 Nónne manus mea fecit hæc omnia?

C 51 Dura ceruice,& incircumciſis cordibus,& auribus, vos ſemper SPIRITVI ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos.

52 Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu Iuſti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuiſtis:

53 Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum,& non cuſtodiſtis.

54 Audientes autem hæc diſſecabantur

D cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum.

55 Cùm autem eſſet plenus SPIRITV ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam DEI,& IESVM ſtantem à dextris DEI. Et ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris DEI.

56 Exclamantes autem voce magna continuerunt aures ſuas,& impetum fecerunt vnanimiter in eum.

E 57 Et eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant:& teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecùs pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.

58 Et lapidabant Stephanum inuocantem,& dicentem: Domine IESV,ſuſcipe ſpiritum meum.

59 Poſitis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. Saulus autem erat conſentiens neci eius.

Versus 1.] Dixit autem princeps Sacerdotum: Si hæc ita se habent?

DIXIT *autem princeps Sacerdotii.*] Stephano videlicet, quod nomen Beda monet fuisse in codicibus Græcis. Id etsi apud Chrysostomum, aut Oecumenium non reperio, & satis suppleri potest, prout & Glossa interlinearis expressit: tamen codices nonnullos profert Typographus Parisiensis Regius [a], qui hoc nomen habuerint. Ceterùm Syrus interpres sic reddidit, ושאלה רב כהנא *veschalah rab chahane*, id est, *& interrogauit eum princeps Sacerdotum*, vbi verbum interrogandi iudiciale dignitati & functioni Pontificis, qui locum iudicis tenebat, proprium & appositum habetur.

a in nouo Testam.

Porrò dicti Patres in ista principis Sacerdotum, qui vel concilio præerat, vel ad quem in causa religionis primæ deferebantur, perquisitione, obseruant mansuetudinem, vt propterea etiam Stephanus benignis verbis dicere sit aggressus.

Princeps Sacerdotum modestè Stephanum interrogat.

Fieri potest, vt tametsi synedrij præses cum aliis malignum in eum gererent animum, tamen eum prodere dubitarent, quia Stephani venustas, & vultus eucharis, gratiam ac beneuolentiam extorquebat: vel maximè inuidiam, odiúmque tegerent, vt meliùs incautum propositis iam in eum criminationibus conuincerent ex datis ab ipso responsis.

Cur benignè satis summus Sacerdos sit locutus.

CHRISTVM venerabātur plebeij, & milites [b], sapientiam doctrinæ, & magnitudinem miraculorum mirantes, & regem inaugurare volentes [c], faustisque velut in triumpho acclamationibus excipientes [d]: suos autem deinceps Discipulos voluit ipse etiam à sapientibus, & nobilibus, & potentibus secundùm carnem honore affici, & in pretio haberi, quamuis hi minimè id vellet, quod vel vnius Maximi Imperatoris, vel potiùs Tyranni, aliis omissis, doceri exemplo potest, quem in sedentis sella, igne diuinitùs submisso compulit DEVS Martino assurgere [e], eíque venerabundum occurrere.

b Ioan. 7. 46.
c Ioan. 6. 15.
d inf. 12. 12. *Christus voluit suos Discipulos à principibus & nobilibus honorari.*
e Sulp. in vit.

Versus 2.] Qui ait: Viri fratres, & patres audite: DEVS gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cùm esset in Mesopotamia, priusquàm moraretur in Charan.

VIRI *fratres, & patres audite.*] Honorificè compellat, vt iratos conciliet, & reconciliet; quippe [f] *Responsio mollis frangit iram:* non denegat etiam persecutoribus conuenientem titulum, quem doluit aliquando Paulus Pontifici, licèt per ignorantiam, se non dedisse [g]. *Illi quidem ad cædem spectabant, & iam manus lapidibus armabant,* inquit Nyssenus [h], *obtutu, anhelatione, dentium collisione* (id posteà narratur) *sæuitiam præ se ferentes: hic verò tanquàm fratres aspiciebat, & tanquam patres salutabat. Viri enim fratres,* inquit, *& patres audite.* Augustinus [i] sic ait cœpisse ad suos persecutores loqui, quasi timeret eos, & ita leniter, blandè, & clementer, vt conciliando auditorem, commendaret SALVATOREM, & diu loquens audiretur.

f Prou. 15. 1. *Stephanus in suos aduersarios modestus.*
g Act. 23. 5.
h ora. de S. Stephano.
i Ser. 1. de Sanctis, & 51. de Diuer.

Viri fratres, & patres.] *Coæui, ac seniores,* inquit Glossa interlinearis, Lyranus, & Hugo. Hæc verò nominum proprietate demonstrare intendit, vt

A obseruat Oecumenius, prudentis non esse iniuriosum quippiam, aut quod damnum afferat, aduersùs fratres, ac patres inducere: se itaque nil tale moliri; vereri autem, ne communis ipsi naturæ obliti sint, cùm tanto ardere odio videantur, vt neque signis, & prodigiis, quæ per illum DEVS operari dignetur, credere, ac cedere sustineant. Syrus maiorem adhuc moderationem præ se fert, apud quem sic exorditur גברא אחין ואבהתן *gabre achaun vabahathan*, id est, *viri fratres, & patres nostri*: magnum enim est animi submissionis erga illos exemplum, suos patres eos appellare, qui tam atrociter in eum sæuire iam cœperant. Eodem aliquando exordio Paulus, vocatus etiam in B ius, apologiam inchoauit, in hac ipsa historia [k].

Prudentis nõ est, iniuriosum quippiam inducere.
k Act. 22. 1.

DEVS *gloria apparuit patri nostro Abrahæ.*] Profligat Stephanus capita quatuor accusationis, docens se contra DEVM non esse locutum, neque contra Moysem, neque contra templum, neque contra legem. Criminis purgatio, quæ hinc incipit vsque ad versum 20. consistit in hoc, quòd de DEO, de Patribus, ac nominatim de Mose, de lege etiam prolixè, & honorificè disserit, incipiens à primo gentis auctore Abraham, & docet non esse blasphemum, asserere CHRISTVM esse huius mundi SALVATOREM, quem tot pridem figuræ, oracula, ac testimonia Prophetarum prænunciauerint.

Summa totius orationis huius.

C *Exposuit ab initio legem* DEI *ab Abraham vsque ad Moysem, & vsque ad datam legem, & vsque ad introitum in terram Promissionis*, inquit Augustinus [l], *vt commendaret, quia non erat verum testimonium, vnde illi calumniam commouebant. Deinde de Moyse dedit eis magnam similitudinem ad* CHRISTVM, inquit idem, nempe *vt se Moysis declararet non aduersarium, sed addictum.*

Cur his de rebus in Concilio Stephanus disseruerit.
l Serm. 93. de Diuer.

DEVS *gloriæ.*] Hæc prima verba non sunt hominis blasphemi, sed gloriam DEI quærentis, & gloriæ ipsius quæcumque dixisset, fecisset, ascribentis. Sed nescio quid sibi velit Glossa ordinaria, ad hæc ipsa verba notans, quòd memor Stephanus præcepti illius, [m] *Diligite inimicos vestros,* perD secutoribus suis salutem nunciauit: nec enim in his verbis vlla salutatio continetur, sed in prioribus, quibus eos viros patres fratrésque compellat.

m Mat. 5. 44.

Chrysostomus, & Oecumenius causam huiusmodi de DEO appellationis statim in initio assignant, vt intelligerent aduersarij, quòd nihil proficerent contra prædicationem, nec esse quòd tanti templum, vel instituta sua facerent, DEVM namque semper omnia facere, nullo egentem instrumento, Abrahæ [n] apparuisse, cùm nondum templum esset, nondum sacrificium lege præscriptum, etiamsi progenitores Gentiles haberet, atque in aliena terra ageret, ac de omnibus hostiE bus ei victoriam tribuisse: denique ignobiles gloriosos fecisse: & cùm sit fons gloriæ, opus illi non esse gloria per templum, aut quid tale, sed qui ingloriosos ita glorificauerit, multò magis glorificaturum ipsos.

Deus gloriæ cur sit dictus à Stephano.
n Gen. 15. 1.

Vocauit DEVM Dauid [o] *Regem gloriæ*, & Paulus [p] CHRISTVM, nec est aliud epithetum, quod sibi DEVS magis vendicet, affirmans per Esaiam [q], *quòd gloriam suam alteri non dabit*; idémque Apostolus, *soli* DEO *honorem & gloriam* [r] *precatur*, & in omnibus dandam censet. Sed etsi verum id est κατ' ἐξοχήν, ac de certo duntaxat honore, & gloria, tamen alio certo gloriæ genere etiam amici DEI participes sunt, cùm non dubitet idemmet Paulus polliceri *gloriam & honorem*

Deus gloriæ est epithetum, quod sibi Deus maximè vendicat.
o Psal. 23. 7. 8. 9. 10.
p 1. Cor. 2. 8.
q Esa. 42. 8. c. 48. 11.
Gloria Deo soli est propria, tamē etiam alijs Sanctis datur.
r 1. Tim. 1. 17.

omni

a Rom.2.10.
b 1.Reg.2.30.

omni operanti bonum [a], immò DEVS ipse promittit se *glorificaturum eũ, qui se glorificauerit* [b]. Et constat Sanctos ritè à nobis debito honore coli: tamẽ quoniam hic ipse honor aliis defertur propter DEVM, meritò DEVM gloriæ DEVM appellamus, *qui est gloriosus in Sanctis suis* [c], *& glorificatur in cõcilio Sanctorum* [d], & est gloria nostra [e], & in eo gloriamur [f], & quẽ Ecclesia doxologico hymno quotidiè sępiùs repetito dilaudat canẽs: *Gloria* PATRI, *&* FILIO, *&* SPIRITVI *sancto, &c.* (ex institutione Damasi Papę hortatore Hieronymo, vt ait Alcuinus [g], vel potiùs, vt Vualfridus [h], ex institutione Concilij Niceni, vt colligitur prætereà ex Theodoreto [i], & Sozomeno [k], & Basilio [l], & Concilio Vasensi II. [m]) & insuper solennioribus diebus illo hymno, qui dicitur Angelicus [n]: *Gloria in excelsis* DEO, &c. id est, in cœlo nũc est parata DEVM glorificãdi materia, & Angelis, qui sunt incolæ cœli, exhibita: quem hymnum cantari præcepit in Missa Telesphorus Papa, teste Vualfrido [o], & aliis: licèt in Liturgia Iacobi habeantur verba, quæ sunt in Euangelio Lucæ: quæ verò sequuntur addiderit aut Telesphorus, aut Hilarius Pictauiensis, vt scribit Innocentius III. [p] Lege de his Ioannem Stephanum Durantum [q]. Denique *in templo eius omnes dicent gloriam* [r], cùm qui *gratiam hîc dedit, dabit ibi & gloriam* [s], hoc est, beatitudinem, quæ gloria vocatur, quoniam est eximium opus gloriæ ipsius, & quæ maximè redundat in gloriam, & laudem eius.

c Ecclesia in Graduali Martyrum.
d Psa.88.8.
e Psal.3.4.
f 1. Cor.1.31.
g lib.de offic. diu.
h de obseru. Eccl.c.25.
i 2.Hist.c.24.
k 3. Hist.c.19.
l lib.de Spiritu sancto.c.28
m cap.5.
n Luc.2.14.
o de obseru. Eccl.c.22.
p 2. de myst. Missæ.c.20.
q lib.1.de rit. Eccl.ca.15.& lib.2.c.9.
r Psa.28.2.
s Psa.83.12.

Apparuit patri nostro Abrahæ cùm esset in Mesopotamia, priusquàm moraretur in Charan.] Occurrunt hîc multæ, ac perplexæ dubitationes, præsertim propter apparentem in Stephani verbis discrepantiam ab historia Genesis. Prima est, quæ apparitio ista fuerit.

Quomodo Deus Abrahæ apparuerit.

Putant nonnulli, epithetum illud DEO tributum, vt gloriæ DEVS dicatur, innuere factã apparitionem in forma gloriosa. Tamen per Angelum apparuisse affirmat Glossa interlinearis, Hugo, & Carthusianus hoc loco, & Caietanus in Genesim dicit simpliciter DEVM ipsi apparuisse in forma item gloriosa. In Genesi, vbi commemoratur prima DEI oratio ad Abraham [t], nulla mentio est de apparitione: & Paulus [u] recitans hanc candem vocationem, apparitionis etiam non meminit.

t Gen.12.1.
u Heb.11.8.

Apparitio quædam est auricularis.

Constat apparitionem dici eam quoque, quæ est auricularis, & non ocularis, siue visibilis. Exẽpla sunt alia, cùm DEVS legem dando locutus est Israëlitis [x]: cùm Moyses audiebat vocem DEI loquentis ad se de propitiatorio [y]: cùm ter Samuelem DEVS vocauit, ipse verò se ab Heli vocari existimauit [z].

x Exo. 20.18. Deut.5. 22.
y Num.7.89.
z 1. Reg. 3.4. & seq.

De hoc duplici apparitionis genere, atque prætereà de imaginaria, & per somnia, & de intellectuali, consule Abulensem [a].

a 3.Reg.9.q.1.

Deus nouies reperitur locutus Abrahæ.

Nouies locutus reperitur DEVS Abrahæ [b], sed nõnisi semel exprimitur visibilis eius apparitio [c], quamuis locutio ipsius interdum appelletur apparitio [d], & in genere aliquando factus esse sermo ad eum Domini dicatur per visionem. Scio Pererium [e] velle apparitionem pro visibili accipi, sed id certè non probat.

b Genes.12.1. ibi. 7.c 13.14. c.15.1.c.17.1.c. 18.1.c.21.12.c. 22. 1.ibi.11.
c Gen.18.1.
d Gen.12.1
e Gen.12.nu. 61.

Deus etiam locutus dicitur vocibus formatis externis.

Negare videtur Basilius [f] formatas à DEO sensibiles, & externas voces, quando verbum fecisse scribitur, sed solo interno auditu percepisse eos, quibus DEVS loquebatur interiùs, ac intelligibiliter. Id vniuersè admittere non ausim, sed forsan de Prophetis, de quibus Basilius [g] loquitur: nec minùs auditas corporis auribus voces nomine DEI emissas, certus mihi esse videor, in vetere Testamento interdum, quàm quas sic auditas ambigi non potest, in nouo non semel [h]. De variis modis, quibus DEVS creaturis suis loquitur, fusè & egregiè Gregorius [i] disserit. Sed copiosiùs ac ex professo Petrus Tyræus noster [k].

f in c.7. Esa.
g ibidem.
h Mat.3.17.c. 17.5. Ioan.12. 28. Luc.2.13. 14.
i 28 Moral.2. 2.c.ad 7.
k lib. de Dei appar. & vocali locut. in vet. Testa.& lib.de glorio. Filij Dei appar.

Sive in loco si, sha bet Deo ad Abraham apparitio.

Secunda dubitatio, vbi erat Abraham, cùm hoc DEI primum oraculum accepit. Stephanus quidem locum designat Mesopotamiam. Hac Stephani fretus auctoritate Augustinus [l] sentit post egressum ex Chaldæa, & ante aduentum in ciuitatem Haram, in ipso itinere ex illa in istam, seu potiùs in Chanaan, cùm esset Abram in Mesopotamia, verba hæc DEVM dixisse. Obstat, quoniam iussus est tunc Abram exire de patria, in qua nimirum erat, cùm ei DEVS id præceptum dabat. Mesopotamia verò, prout eam Augustinus ipse distinguit à Chaldæa, Abræ patria non fuit, sed Chaldæa.

l 16.de ciuit. Dei.c.15.

Nec sufficit responsio Augustini, quam sequitur hîc Glossa ordinaria, & Beda, nẽpe illo egresso iam secundùm corpus, vt etiam egrederetur secundùm desiderium abiecta illuc regrediendi voluntate, esse imperatum: quoniam tam disertum de egrediendo præceptũ, corporalem egressum importat, neque credi debet de Abram id cupiuisse aliqua ratione, quod ei à DEO fuerat tantoperè interdictum, vel eò redire etiam cogitasse, vnde propter odium ac fugam idololatriæ discesserat, vt dux Ammonitarum Achior posteà confirmauit Holoferni [m].

Abrahamus patria egressus non habuit voluntatem ad eã regrediendi.

m Iudith 5.1. 9.

Mesopotamia latissimè sumitur.

Itaque hoc loco Stephanus Mesopotamiæ nomine, de quo egimus capite secundo [n], & aliquid paulò pòst dicemus, latissimè vsus est, prout significat omnem illam regionem, quæ est trans Euphratem, habito respectu ad terram Chanaan, id est, ad Syriam, & eam quæ propriè vocatur Mesopotamia, & Chaldæam, & Babyloniã comprehendit. Vnde idem Stephanus subdit versu quarto: *Tunc exiit* (Abram) *de terra Chaldæorum*, intelligens profectò idem per vocabulum Mesopotamiæ, & Chaldææ.

n vers.9.

Sed quod Abulensis [o] bis datum Abræ idem præceptum, semel in Mesopotamia, hoc est, Chaldæa, iterum in Haran affirmat, atque de primo loqui Stephanum (id verò etiam docet hoc loco Gagneius, & meminit Glossa, & Lyranus, & Hugo, tenetque Ribera in epistolam ad Hebræos [p], & ibidem Petrus Lombardus, & in Genesim Ludouicus Ystella [q]) minùs congruit Scripturæ, Patribúsque vnam tantùm agnoscentibus vocationem Abræ: & Stephanus iisdem verbis refert vocationem illius, quibus liber Genesis: denique quid opus erat duplici vocatione obedientissimo Abræ, qui licèt ex itinere substiterit in Haran, vt inseruiret tantisper voluntati patris Thare, DEO id etiam conniuente [r], tamen eo animo ex Chaldæa discesserat, vt iret per se in terram Chanaan? Et cùm DEVS dixit: *Exi de terra tua*, quis non videt idem esse quod, *de patria tua*, in qua natus es, qualis non erat Haran, siue diu ibi manserit, quod Abulensis ait, siue parum, quod Augustinus, & alij tradunt?

o Gen. 12. q. 12.& 18.
p cap.11.
q in cap.11.& 12.

Abraham semel tantùm vocatus est à Deo.

r Iudith 5.9.

Non magis probabile est, quod S. Thomas docet in epistolam ad Hebræos [s], exiuisse Abram ex Chaldæa cum patre iterum reuersurum, sed ex præcepto Domini venisse in Mesopotamiam Syriæ, ibique mortuo patre intendisse remanere, sed ex mandato nouo venisse in Chanaan. Sed nec

Opinio S. Thomæ non probatur.

s c.11.lect.1.

satis aptè

Lyranus quomodo sit hunc exitum interpretatus.
a cap.12.

satis aptè docere Lyranus in Genesim [a] videtur, qui quàm vnicam vocationem agnoscit, eam in Haran factam autumat, ita vt *iuberetur exire de terra sua*, id est, de Chaldæa, non simpliciter quidem, quoniam egressus iam erat, sed longiùs, atque remotiùs recedere, idque post mortem patris Thare. Nam Stephanus narrat vocatum Abrã in Mesopotamia, priusquàm veniret in Haran, siue Charan, siue Charras, ac proinde ante mortem Thare. Interpretatio quoque verborum illorum, *Exi de terra tua*, planè violenta est, sicut & eorum qui ipsamnet Haran dicunt censeri posse patriam Abræ, quia quodammodò Chaldææ pars censeatur, vt habet Ludouicus Ystella [b].

b in c.12. Genes.
Pauli Burgensis sententia reiicitur.
c in pr. addi. ad post. Lyr. in c. 12. Gen.

Paulus Burgensis [c] contendit, natale solum Abræ esse Haran, ideoque ibi accepisse præceptum egrediendi: cùm etiam sita sit in extremitate Mesopotamiæ. Abhorret hæc opinio à communi, & recepta tam Hebræorum, quàm Christianorum opinione, qui natum Abram consentiunt in Vr ciuitate Chaldææ. Vide inter alios Iosephum [d] & Eusebium [e], immò & à Scriptura, quæ tradit, *Aran filium Thare, & fratrem Abræ mortuum in terra natiuitatis suæ*, hoc est, in Vr ciuitate Chaldæorum: & inde Thare secum eduxisse Abram, vt irent in terram Chanaan [f]: hoc enim indicat quòd initio habitauerint in Chaldæa, & quòd hæc eorum patria fuerit.

d 1. Antiq. c. 1. vel 15.
e libr. 9. de Præp. Euang. c. vlt.
f Gen. 11. 28.
g Iudith 5. 6. & seq.

Sed & Achior [g] populum Hebræum ex progenie Chaldæorum facit, aitque patres eorum ab initio habitasse in Mesopotamia, & inde venisse in ciuitatem Haran. Habebatur verò præcipuè Abram princeps, sator, ac parens gentis suæ, vt dicemus. Tandè apertissimè testatur Stephanus noster, æquè vt liber Genesis, Abram euocatum à DEO, eductúmque è Chaldæa. Quare sapiẽtior fuit posterior eiusdem Burgensis cogitatio, qua priorem retractauit scribens in Deuteronomium [h].

h in addit. ad cap. 2.
Chrysostomus quomodo difficultatem.
i Hom. 1. in Gen.

Porrò Chrysostomus [i] vidit, & occurrit apparenti contradictioni in verbis Stephani, & Genesis, circa locum, vbi Abram vocatus est. Postquàm enim recitauit quæ ponuntur in capite Genesis vndecimo, extremo, de educto Abram cum patre, & aliis, subdit: *Attendamus diligenter, obsecro, quæ sint lecta, vt mentem eorum, quæ in scriptis latent, deprehendamus. Ecce enim mox in principio videtur esse quæstio. Nam cùm beatus ille Propheta, Moses inquam, dixisset, Accepit Thare Abram, & Nachor, & eduxit ex terra Chaldæorum, vt proficiscerentur in terram Chananæorum, & venit vsque ad Charan, & habitauit illic: beatus autem Stephanus Iudæos laudans inquit, DEVS gloriæ visus est patri nostro Abraham, cùm esset in Mesopotamia, priusquàm habitaret in Charan, & illinc, postquàm mortuus est pater eius, migrare eum fecit. Quid igitur? dissidentne à seipsis diuinæ Scripturæ? absit. Sed ex hoc animaduertere licet, quòd cùm Patriarcha DEO acceptus esset, visus ei DEVS imperauit, vt inde migraret. Quod vt cognouit Thare pater eius, licet infidelis esset, attamen ob amorem in filium, socius illi peregrinationis esse voluit: & vt venit in Charan, ac illic habitauit aliquandiu, vita hac excessit. Patriarcha autem tunc ad imperium DEI in Chanaan concessit. Denique non anteà eum DEVS inde euocauit, donec mortuus est Thare.*

Hactenus ille, qui perspicuè vocationem factã fuisse refert, cùm adhuc esset in Chaldæa. Quod verò de discessu Abræ ex Charan, quæ interiacebat inter Chaldæam, & Chanaã, nónisi post mortem patris Thare affirmat, deinde expendetur.

Cur prius de discessu Thare, quàm de vocatione Abrahæ Moses scripserit.
k 16. de ciuit. Dei c. 15.

A Vnum restat animaduertendum cum Augustino [k], Mosem, vt simul omnia exponeret, quæ ad historiam Thare pertinebant, & exinde ordiretur diligentiùs scribere de Abram, eam ob caussam priùs exposuisse in capite XI. discessum Thare ex Chaldæa, & aduentum in Haran, & mortem: initium autem narrationis de Abram per recapitulationem repetiisse ab ipsius vocatione in principio capitis XII. omittendo ea, quæ acciderant vsque ad aduentum in Haran, quoniam narrata iam erant. Lege Pererium in caput XII. Genesis [l], Ioannem Ferdinandum in Thesauro Scripturæ [m], & Andream Masium [n], & alios Interpretes, tum in Genesim, tum in præsentem locum.

l Disput. 3. nu. 1. & seq.
m verbo, Abraham.
n in c. vlt. Iosue.

B *Patri nostro Abrahæ.*] Gloriabantur Hebræi hoc vno tanquàm principe, satore, ac primario parente, vt sæpe illis exprobratum est à Ioanne Baptista, quæ tamen exprobratio non aduersatur Esaiæ dicenti [o]: *Attendite ad Abraham patrem vestrum*, & à CHRISTO. Lege caput tertium [p]. Hoc autem loco ponitur nomen Abraham tanquàm magis vulgatũ, & cognitum; cùm alioqui quando primùm vocatus est, adhuc nominaretur Abram, & nondum dictus fuisset Abraham.

o Esa. 51. 2.
p vers. 13. & 25.

De Mesopotamia.

In Mesopotamia.] Dixi paulò antè, necnon in capite 2. nomen istud modò propriè certam vnam prouinciam duntaxat significare, modò latiùs plures, atque in posteriore significatione Stephanum accepisse, vt videlicet comprehenderit etiam Chaldæam. Idem verò iudicium esse debet de capite XXIIII. Genesis [q], & capite item XXIIII. Iosue [r].

q vers. 10.
r vers. 3. 14. 15.

C *Charan.*] Ita etiam Græcè indeclinabiliter χαῤῥάν, Syriacè, חרן *choron*, vt pronunciant hi, qui vt holem Hebræum, Syriacum camets pronunciant, quamuis alij retinentes pronunciationem Hebræam Charan vt nos legant, & scribitur Hebraicè per ח cheth fortem aspirationem; quæ cùm omittitur, sicut persæpe literæ istæ gutturales propter difficultatem pronunciationis à Græcis & Latinis omitti consueuerũt, tunc loco Charan, D legitur Aram; hoc autem non est nomen ciuitatis, vt putauit Gagneius, sed regionis Syriæ; ciuitas autem dicitur Haran, & Charan, & geminata litera r, Charran, & secundùm formam nominis declinati in numero multitudinis, Charræ; vnde Lucanus [s]:

s li. 1. de bello ciuili.

Assyrias latio maculauit sanguine Charras.

Quo item modo nominat Ptolomæus ciuitatem istam clade M. Crassi à Parthis illata nobilitatã, & sitam in extrema Mesopotamia, versùs Syriam, & Palæstinam. Videntur tamen Latini profani Scriptores absque aspiratione Carras dicere, vt præter Lucanum Plinius [t], nisi quis mendum asserat, E qui etiam easdem collocat in Arabia. Sed latius patet Arabia. De eadem mentio fieri videtur libro Tobiæ [u], & Iudith [x]. Sed alia est ac diuersa in libro Tobiæ: media inter Assyriam & Mediam. Vbi lege Serarium nostrum. Sed moneo Græcè non haberi nomen loci [y], sed aduerbium μέχρις, *vsquequo*; quod autem ille Hebraicè dicit vocari אכרים *Achrim*, ex textu Hebræo vel Chaldæo potiùs, qui separatim bis editus est in Germania (vt refert idem Serarius [z]) sumptum est. Nam cum aliis sacris libris hic liber non habetur, in Hebraicis vulgatis Bibliis quæ nunc extant, & passim habentur.

t lib. 5. c. 24.
u cap. 11. 1.
x cap. 5. 9.
y vers. 1.
z prolog. 3. in eund.

Versus 3.] Et dixit ad illum: Exi de terra tua,& de cognatione tua,& veni in terram,quam monstrauero tibi.

EXI *de terra tua, & de cognatione tua.*] In capite duodecimo Genesis additur: *Et de domo patris tui. Sed id omisit Stephanus tanquàm notum*, inquit Hugo,*his quibus loquebatur.*

Domus ex qua Abraham exiit qua sit.
Cur Deus illi precepto adiunxerit, de cognatione & domo relinquenda.

Significat porrò domus patris familiam paternam,& non domicilium duntaxat. Quamuis autem Abram relinquendo patriam censeatur quoque reliquisse cognationem, & domum, & quòd eum secutus sit pater, aliique affines, eorum amoris fuerit erga illum, cùm solus exire paratus esset: in præcepto tamen omnia expressit DEVS, ad magis abstrahendum, & probandum affectum, *ne fortè aut imprudenter cœpisse videretur, aut fraus aliqua mandatis cœlestibus pararetur*, inquit Ambrosius [a].

a 1. de Abraham.c.2.
Mysticè quid significauerit hæc Abrahæ vocatio.
b 3.con.Iul.
c Oseæ 9. 10.

Porrò vocatio ista præsignauit vocationem Iudæorum, & Gentium, *quorum Abraham pater futurus erat*, inquit Cyrillus Alexandrinus [b], *& quem vt botrum in deserto idololatriæ inuenit, & vt fructum præcocem in ficu* [c]. Denotauit etiam tum vocationem cuiuslibet iusti per excitantem, ac præuenientem gratiam: tum quendam veluti exitum hominis perfecti, *& perfectissimam Ascensionem*, vt loquitur Basilius [d], *ab omnibus corporis voluptatibus, quas terra significare potest, & à delectatione sensilium organorum,tanquàm à cognatione: & ceu à domo paterna, à vita prioris criminibus per contraria virtutum studia.*

d in c. 7. Esa.

Triplex genus renunciationis ex hac vocatione colligitur.
e Coll. 3. c.1.

Abbas quoque Paphnutius apud Cassianum [e] obseruat renunciationis genus triplex in hac vocatione: primum, quo vniuersis bonis temporalibus nuncium remittimus: alterum,quo etiam cupiditates earum rerum exuimus: tertium, quo mentem animumque ab omni rerum visibilium studio, & cogitatione, ad rerum inuisibilium, & cœlestium contemplationem, & amorem traducimus,&c. *De primo dixit* DEVS,inquit,*Exi de terra tua*,id est,*de facultatibus mundi huius,opibusq́; terrenis. De secundo dixit,de cognatione tua*,id est,*de conuersatione, & moribus, vitiisque prioribus, quæ nobis à nostra natiuitate cohærentia velut affinitate quadam, & consanguinitate cognata sunt.* Tertiò dixit, *de domo patris tui*,id est,*de omni memoria mundi huius,rerúmque mundanarum, quæ perpetuò nostrorum oculorum occurrunt obtutibus.*

Philonis tropologica expositio.
f li. de migr. Abraham.
g lib 1. de Abraham. c.2.

Philo [f],& eum imitatus Ambrosius [g], *migrationem de terra* tropologicè etiam exponit, *fugam è carcere corporis, & voluptatibus tanquàm custodibus carceris istius*: cognationem intelligit *sensuum familiarem vsum,qui sensus sunt cognati mentis, & cum ea pars animæ*: per domum paternam accipit *mentem siue intellectum, & rationem, quæ quasi pater potentias suas in singulas partes seminat, suas cuique operationes tribuens,& omnes gubernans.*

Allegorica alia interpretatio.
h q.154.

Albinus ad vnam ex quæstionibus in Genesim [h] respondens, ait, *per tres egressiones de terra, de cognatione,de domo paterna,significari egrediendum nobis de terreno homine,de cognatione vitiorum nostrorum, & de mundo, qui Diaboli domus est*, & similem sententiam contineri verbis Psalmi: *Obliuiscere populum tuum,& domum patris tui* [i].

i Psal.44.11.
k li 2. Allegoria. in Genes. cap.2.

Hugo de S. Victore [k] docet significari egressum animæ de delectatione terrena,& de conuersatione praua, in qua sub patre Diabolo primùm permansit: inuitatis autem ad terram vitæ spiritualis, tabernaculum esse conuersationem honestam,altare, fidem firmam,sacrificium, actionem bonam.

Vade tibi, ex Abrahæ Deo dixerit.

Exi de terra tua.] Hebraicè in Genesi sic est, לך לך *lech lecha*,id est, *Vade tibi,quæ phrasis*, inquit ibi Caietanus,*significat quòd ad ipsius Abrahæ vtilitatem præcipiebatur ille egressus.* Est tamen hæc phrasis vsitata pro quacumque ambulatione, siue vtilis ambulanti sit, siue indifferens. *Terra tua*, idem est, quod patria tua: quam fuisse Chaldæam, superiùs ostensum est contra Burgensem, quæ prouincia, atque Vr natale solum Abræ erat tunc abominanda, propter idololatriam à Nino id temporis incœptam, Belum patrem publicè coli imperante diuinis honoribus, simul propter sacrilegam vanitatem diuinationis astrologicæ,quæ adeò viguit apud Chaldæos, vt deinceps qui astromantiæ dediti fuerunt, iidem Chaldæi nominati sint.

Chaldæa ex qua exiit Abraham ob idololatriam tunc maximè abominanda.

Abraham idololatra nunquam fuit.

Meritò igitur euocauit inde DEVS Abraham, & maximè, si ipse aliquando idololatriæ superstitione pollutus fuit, vt cum Rabbinis Iohanan, & Hanina sentit Genebrardus [l], & Andreas Masius [m], atque Philo [n]: quorum tamen opinionem rectè confutat Pererius [o], auctoritate non solùm Iosephi [p], & Suidæ [q], verùm etiam testimonio Iudæorum, qui se CHRISTO negauerunt *natos ex fornicatione, sed se patrem habere Abraham, & DEVM* [r], id est, nec se idololatras esse, nec progenitos ex idololatris. Fauet nonnihil tamen priori sententiæ Nyssenus [s], quem tamen cùm ait *Abraham patrium errorem reliquisse*, possumus intelligere, ne in eum incideret, *esse vocatum à* DEO. Clemens Romanus [t], seu quis alius, arte fatetur Astrologum fuisse, tamen ab initio ceteris omnibus errantibus, ex ratione & ordine stellarum cognouisse conditorem,atque prouidentiam ipsius. Chrysostomus [u] ait Abraham infidelitate peccasse, ideóque semen eius annis 400. seruiuisse: & comparat cum peccato Dauid, & Mosis. Si quid errauit in his Abraham, collapsus incuria iuuenili censendus est, cum Ambrosio [x], qui docet, vt Chaldæorum errores relinqueret, euocatum à DEO, ac virtutis exercitiis eruditum. Concedit id etiam Gulielmus Hamerus eruditus Genesis expositor,capite vndecimo, extremo.

l in Chron.
m Iosue 14.
n lib. quis rerum diuin. heres. Abraham.
o li. 16. in Genes. Disp. 13.
p 1. Antiq.
q verbo, Abraham.
r Ioan. 8. 41.
s orat. de S. Basilio.
t 1. Recogni.
u Hom. 1. de pœnit.
x in Psal. 118. octon. 17.

Terra.] מארצך *mearisecha* Hebraicè, id est, *de terra tua.* Nomen hoc aliquando accipitur pro regione latiore, & plura sub se regna complectente,vt cùm Iob dicitur *vir in terra Hus* [y]; plures enim Ausitidis reges facit Ieremias [z]: aliquando pro vno tantùm regno [a]: aliquando pro vna tantùm vrbe [b].

y Iob.1.1.
Terra nomen plures habet significationes.
z Iere.25.17.20.
a 3.Reg.5.12.
b Deute.24.14.

Hoc loco pronomen possessiuum *tua*, videtur indicare locum particularem, vbi Abram natus est,nimirum *Vr*: tamen cùm adeò procul recesserit,satis est,vt in prima,laxiore videlicet significatione,sumatur.

Amor patriæ naturalis maximus esse solet.
c Hom.31.in Genes.

Quantò patriæ naturalis amor esse cuiuis maior solet,vt eam etiam Monachi ægrè adduci possint vt deserant, teste Chrysostomo [c], tantò hoc durius & perfectius censeri præceptum debet, quo Abraham iussus est extra patriam sine regrediendi spe peregrinari.

d Serm.43. de Tempore.
Graue est procul à patria recedere.

Eleganter hoc exaggerat Augustinus [d]: *Nouum probationis genus*, inquit, *habenti propria exilia* (vitæ ipsius etiam in natali solo) *indicere peregrina, ingerere laborem itineris quiescenti, imperare penuriam possidenti, & tantarum facultatum*

domino

domino necessitatem imponere peregrinandi, &c. Cui non est magis dulce proprium tugurium, quàm palatia peregrina, & voluntaria casa, quàm digesta pretoria? cui non est durum, illos consciós natalium parietes, dulcia illa limina, atque amabilem larem, quem & parentum memoria, & ipsius infantiæ rudimenta commendant, vbi cunabula illa noui, & mox orientis hominis famulabantur, vbi secura alludens infantia inter lucis primordia, aut pueriles anni simplicitate felices, quos sibi inter lasciuos, atque ipsius ætatis lusus vernaculo genuina sola necessitas exhibebat? Inter hæc ergo tam blanda, tam dulcia, quæ cum omni fuerant difficultate relinquenda. Exi, ait, de terra tua. Quis hæc sine fidei viribus libenter audiret?

Sunt hæc omnia Augustini, quibus haud dissentanea habet Ambrosius in Ionam [a], grauissimam pœnam sceleribus grauissimis exilium decerni inter alia docens. *Patria*, inquit Cicero [b], *nos omnium maximè delectat, cuius rei tanta est vis, tantáque natura, vt Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquàm nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteposuerit*. Vlyssem intelligit, quem annos decem errantem Calypso apud se immortalitate ei proposita retinere non potuit: nil enim dulcius patria æstimabat, vt ipsummet loquentem Homerus inducit [c] in conuiuio Phæacum, cuius etiam fumum idem Homerus videre eum cupiuisse scribit his verbis,

ἱέμεν۞ τὸν καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι
ἧς γαίης. —— id est,

Exoptans oculis surgentem cernere fumum
Natalis terræ.

Vnde prouerbium Græcum natum est, ὁ τῆς πατρίδ۞ καπνὸς λαμπρότερ۞ τοῦ παρ' ἄλλοις πυρὸς, id est, Patriæ *fumus igni alieno luculentior*: & Ouidius [d] idem de eo scribit, cuius versus hi sunt:

Non dubia est Ithaci prudentia: sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre locis.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Probat id idem ex bestiis ipsis, vt meritò patriæ à patre nomen deflectatur, siquidem est primus parens: positione autem muliebri, quasi ex vtroque mixtum parente: & tanquàm parentes ambos simul colendam significat, & magis etiam quàm parentes ipsos. Id fecisse sapientissimos ac optimos viros, exemplis ostendi posset. His in Elysiis Poëta [e] insignem assignat gloriam, præmiúmque:

Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi. &c,
Omnibus his niuea cinguntur tempora vitta.

Vbi Pontanus noster ad rem eandem profert alia testimonia. Lucillius quoque hanc rem aptè cecinit:

Commoda præterea patriai prima putare,
Deinde parentum, tertia iam postremaq; nostra.

Sed & eodem de argumento consulendus adhuc Cicero [f], Lactantius [g], Cassiodorus [h], Symmachus [i], Sidonius [k]. Plutarchus tradit [l], vt à patre patriam dicimus, ita Cretenses dixisse μητρίδα à matre, quasi matriam.

Sed idem Augustinus [m] alio loco argutè simul ac seuerè demonstrat patriæ huius amor quàm sit amori cœlestis illius postponendus, & ea deserenda, ac perdenda etiam, ne illius iactura fiat, quæ salua esse non possit in perditis, ac præsertim impiis institutis, atque moribus.

Præterea idem alibi [n] multis argumentis confirmat, quòd si tanta Gentiles fecerunt, tuleruntque pro ciuitate terrena, quanta Christianos facere, patique necesse sit pro dilectione patriæ æternæ. Egregium illud apophthegma inter Platonicos summi Plotini [o], immò ipsiusmet Platonis: *Fugiendum est ad clarissimam patriam, & ibi pater, & ibi omnia: quæ igitur classis, aut fuga? similem* DEO *fieri. Si ergo* DEO *quantò similior, tantò fit quisque propinquior, nulla est ab illo tanta longinquitas, quàm eius dissimilitudo.*

Hanc veluti viam verbis duobus alius Philosophus, & ex sapientibus septem vnus indicauit, & expressit, quam Ambrosius [p] secutum Abraham sapientibus istis seniorem notat: Ἕπου τῷ θεῷ, *Sequere* DEVM: quod ij profectò faciunt, qui *se hîc permanentem non habere ciuitatem* cùm meminerint [q], *conuersationem in cœlis habent* [r], *peregrinantes à Domino* [s] *cum gemitu, & suspirantes ad cœlestem Hierusalem patriam, & matrem nostram* [t].

Hic in colonia sumus, non in patria: *quòd si talis ac tanta est colonia, existimare*, inquit Nyssenus [u], *oportet qualis sit ea vrbs, vnde colonia deducta sit, quæ sit in ea pulchritudo, quæ sit in ea regia, quæ beatitas eorum, quibus illa habitatio obuenit. Nam si ea, quæ in rebus creatis apparent, eiusmodi sunt, vt nulla oratione explicari, nulla ratione comprehendi possint: quid de iis existimandum est, quæ supra hæc sunt, quæ neque oculo comprehendi possunt, neque auribus percipi* [x], *neque mentis, & intelligentiæ coniecturis, qualia sint, iudicari, & existimari possunt?* Neque idcirco tamen non potest, vt quosdam obiicientes refert Auctor libri de conflictu vitiorum, & virtutum apud Augustinum [y], in patria suæ natiuitatis perfectus quis esse, quasi hoc sensu accipienda sit illa sententia CHRISTI [z], *Nemo Propheta acceptus est in patria sua*: contrarium enim docent plurima Sanctorum, qui in natiuo solo vixerunt, exempla: & non dixit CHRISTVS: *Nemo Propheta perfectus*, sed *acceptus*: denique magis à CHRISTO, & DEO fuga patriæ suadetur pro affectibus, quàm pro gressibus. Quod maximè in his locum habere debet, qui ex patria peccandi graues occasiones capiunt, à quibus ipsi facilè vinci se, & superari patiuntur. Sicut è contrario, illis minimè patria relinquenda est, qui sine propriæ salutis periculo, & cum aliorum emolumento in ea versari possint. Tunc enim & officij ratio, & charitatis ordo exigere videtur, ne quis patriam, in qua vtilem nauat operam, derelinquat, vt scitè demonstrat Bernardus [a] Abbati S. Ioannis Carnotensis, docens Abrahæ exemplum non semper esse imitandum. Negandum quin etiam non est, multùm conducere, ad maiorem rerum humanarum scientiam assequendam, variâ peregrinando obire loca, & per diuersas orbis regiones discurrere, quemadmodum inter alios D. Hieronymum fecisse multorum sermone narratur: & Homerus [b] suum Vlyssem, quem quasi sapientissimum laudandum suscepit, ideò maximè commendat, quòd, vt ipse ait,

πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω, id est,

Qui mores hominum multorum nouit & vrbes.

Iure Antisthenes [c] ridebat Athenienses, quòd essent αὐτόχθονες; communem hanc enim iis laudem esse cum testudinibus cochleisque. Tales, qualis & Arcadum pauperrimus, qui terminos agelli nunquàm excesserat [d], & Veronensis à Claudiano celebratus senex, comparat Orus [e] cum onocephalis. Malè pugnauit, vt prudenter notauit Liuius [f], cum Romanis Antiochus, quòd

Notes in the left margin:
a enarrat. 2. in c. 4.
b 1. de Orat. Patria nos maximè delectat.
c Odyss. 9.
d 1. de Ponto. eleg. 4.
Patria quanto sit amore prosequenda.
e Æneid. 6.
f Phil. 5. & 2. de legib.
g lib. 6. c. 6.
h li. 1. Variar. epist. 21.
i lib. 8. ep. 64.
k lib. 1. ep. 1. & carm. 23.
l li. Num sen. gerenda Respub.
Amor patriæ cœlestis patriæ amori postponendus.
m epist. 202.
n 5. de ciuit. Dei c. 18.
Pro cœlesti patria amore quærenda.

Notes in the right margin:
o apud Aug. 9. de ciu. c. 16.
p lib. 1. de Abraham. c. 2.
q Hebr. vlt. 14.
r Psal. 120.
s 2. Cor. 4. 5. 6.
Hic sumus in colonia.
t Gal. 4. 26.
u orat. de B. Greg. Thaumat.
x Esai. 64. 4. 1. Cor. 2. 9.
y Tom. 9. tra. 19. c. vlt.
z Luc. 4. 24.
a epist. 82.
b Odyss. 1.
c Pierius lib. 28.
d Solinus ca. 7. Valer. Max. lib. 7. c. 1.
e lib. 3. c. 23.
f lib. 5.

vnius Minionis inexperientissimi externarum rerum consilio vsus fuerit. Similis forsan causa cur de Romanis Herodotus ac Thucydides nec verbum fecerint:cur, vt admonet Budæus [a], res Hispanorum, Gallorumque Græcis adeò obscuræ fuerint,vt Ephorus Hispaniam, quam vocat Iberiam,existimauerit esse ciuitatem.

a 4. de Asse.

De cognatione tua.] Syrus sic hæc Mosis verba hoc loco expressit, ומן לות בני טוהמך *vmen lauath bene tuhamach*, id est, *& de filiis cognationis tua*. Sed in Genesi solùm est, וממולדתך *vmmolad thecha*,id est,*de cognatione tua* simpliciter,vt hîc habemus. Rupertus hoc distinctè positum ait, *quia alibi terra,alibi cognatio Abrahæ erat : illa Chaldæorum erat, hæc verò in Haran, seu in Syriam deuenerat.* Sed iã ostensum est,vnica vocatione Abram euocatum esse, ac simul etiam tunc iussum esse egredi & de terra,siue patria,vbi vocatio facta est, & de cognatione.

Hoc præceptum quomodo sit intelligẽdum.

Abrã ex patria solus non discessit.

b Gen. 11. 31.

Rectè Caietanus in Genesim hoc præceptum ita interpretatur, nisi aliquis de cognatione, siue domo voluisset cum eo egredi, quod etiam contigit, cùm & pater egressus sit vsque Charan, & posteà Loth iuerit cum Abram vsque in terram Chanaan, ita vt videatur Moses [b], nempe decorum seruans, ipsummet patrem Thare discessus ex Chaldæa auctorem facere potiùs, quàm ipsum Abram, quamuis isti, & non illi, significatum sit à DEO, vt de patria egrederetur.

c ep. ad Paulinum.

Quàm sit molestum à suis egredi, coniectura sumi potest ex his quæ de patria relinquenda diximus: Sed *credenti*, vt ait Hieronymus [c], *totus mundus, diuitiarum est*: &, *facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum*: & verum est illud prouerbij loco ab antiquis vsitatum, πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ, id est, *Hæc patria cuique est,viuit in qua quis bene*; vnde & Socrates non se Atheniensem, sed κοσμικὸν, seu κοσμοπολίτην, id est, *mundanum*, & *ciuem mundi*, nominabat, vt de eo prodit M. T. [d]

d in 5. Tusc.

e orat. de Machab.

Ceterùm qui ad supernam Ierusalem tendit, & voluntate fixus in ea immoratur, *cognationem ducit*, vt verbis vtar Nazianzeni [e], *primam illam inhalationem, & qui secundùm virtutem progeniti fuerunt: porrò amicos, Prophetas, & Patriarchas, aliósque, à quibus pietatis formam, & exemplum accepit: æquales præterea eos habet, qui secum hoc tempore in eisdem periculis, eadémve vitæ ratione versentur, atque in doloribus perferendis contemporanei sunt.*

Veni in terram quam monstrauero tibi.] Hebraicè in Genesi sic est, אשר אראכה *ascher areecha*, id est, *quam videre te faciam*: & Syrus similiter, qui sic hæc expressit, דאחוך *dechauench*, id est, *quæ videbitur tibi*, seu, *à te*. Nimirum posteà dixit illi DEVS [f] præbens oculis eius conspiciendam terram Chanaan: *Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, & Orientem, & Occidentem, omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo in sempiternum.*

f Gen. 13. 14.

Terra quam Deus ostendit petere Abraham, illi nominata non fuit.

g cap. 11.

Non tamen tunc, cùm primùm euocatus est, nomen illius terræ expressit DEVS, sed indefinitè,& confusè tantùm terram nominauit,vt colligi potest ex Genesi contra Oleastrum, & Caietanum in Genesim, & Riberam in epistolam ad Hebræos [g]: tum quòd breuius fuisset nomen Chanaan ponere,quàm circumloquendo dicere, *terram quam monstrauero tibi*: tum quia Paulus id planè præ se fert, & inde fidem, ac obedientiam Patriarchæ exaggerat, cùm ait [h]: *Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit, nesciens quò iret.*

h Heb. 11. 8.

Nec sufficit exponere nescire qua via iret in Chanaan,sicut explicat Ludouicus Ystella [i], cùm maximè sit aduerbium ποῦ, *vbi*, quod locum ad quem eundum est denotat. Cùm tamen ad iter se accinxit, aut etiam aggressus est, nomen proprium eius terræ declarauit, vel Angelum ei comitem, vitæque ducem adiunxit, vt indicat Carthusianus [k]. Sequitur sententiam istam Chrysostomus [l] obseruans, nescisse quantum sibi iter conficiendum esset, & an ad vberiorem sua terram mitteretur. Augustinus [m] item penitus consentit, Lyranus etiam in Genesim, ibique Lippomanus,& Pererius,& in epistolam ad Hebræos [n], Anselmus, Theodoretus, Primasius, Haymo, Oecumenius, Theophylactus, Titelmanus, Arboreus, Carthusianus, & Glossa interlinearis hoc loco. Ergo per prolepsim dictum est Genesis 11. [o] *vt irent in terram Chanaan, veneruntque vsque Haran.*

i in cap. 12. Gen.

k in c. 11. epi. ad Hebr.

l in Gen.

m Ser. 68. de Temp.

n cap. 11.

o vers. 31.

Obiici potest, quòd Moses scripsit [p], Thare vnà cum Abram *exisse de terra Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan, & quòd Abram* [q] *exiuit de ciuitate Haran, vt iret in terram Chanaan, sicut præceperat ei* DEVS, iam igitur indicauerat DEVS nomen terræ Chanaan.

p Gen. 11. 31.

q Gen. 12. 5.

Accedit, verè adhuc dici posse, nescisse Abram quò iret, vt Apostolus loquitur [r], quoniam terra Chanaan vasta erat, ac à multis gentibus ortis ex filiis Chanaan incolebatur: sic enim in qua eius parte habitandum, aut quiescendum ei esset, ignorabat; vnde additur in Historia, quòd cùm peruenisset in terram Chanaan, pertransiuit Abram terram vsque ad locum Sichem, & vsque ad conuallem illustrem [s], expectans diuinum responsum,in qua terræ parte sese sistere deberet: *& inde transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum,* &c. *perrexitque vadens, & vltrà progrediens vsque ad Meridiem.*

Quomodo nescisse fuerit conducta terra Chanaan, nesciuit Abraham quò iret.

r Heb. 11. 8.

s Gene. 12. 6. 7. 8.

Simile est quod de eodem narratur, quando iussus est filium sacrificare [t]. DEVS enim terram illi ostendit, in qua sacrificaret, non autem montem, sed id posteà quoque cognouit: *Tolle*, inquit DEVS, *filium tuum primogenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram Visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, super vnum montium, quem monstrauero tibi.* Verùm, vt ab vltimo incipiat responsio, apparet in verbis recitatis nomen terræ Visionis à DEO expressum: & præsertim in Hebræo, vbi legitur, אל ארץ המריה *el erets hamoriiah*, id est, *in terram hamoriia*, vbi Moriia, vel, vt nos dicimus, Moria, nomen proprium montis est, in quo Dauid holocausta obtulit pro peste sedanda [u].

Neque cùm iussus est sacrificare filium, monti erat ei indicatum.

t Gen. 22. 2.

u 2. Paral. 3.

At nomen Chanaan non expressit ipse DEVS; sed primo quidem loco Moses per anticipationem, & ob maiorem orationis breuitatem, ac perspicuitatem (quo modo satisfit quoque aliis partibus argumenti) videlicet intelligens terram, quæ verè erat terra Chanaan, sicut posteà expressa est Abræ, & cognita, ac nolens longiore verborum circuitione vtendo dicere terram, quam se DEVS Abræ monstraturum promiserat: quæ tamen verba, cùm DEI ipsius sermonem recitauit, exprimere debuit,

& non

& non nomen terræ Chanaan, quod DEVS non expreſſerat. Minùs aptum eſt vel cum Lyrano, & B. Thoma exponere, neſciſſe quò iret, quia terram illam priùs non viderat; vel cum Primaſio, & Haymone in altera expoſitionum, quas aſſignant, quoniam non habebat quem imitaretur.

Verſus 4.] Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan. Et inde, poſtquàm mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram iſtam, in qua nunc vos habitatis.

TVNC *exiit de terra Chaldæorum.*] Obediuit Abram ſine cunctatione DEO: ſed pater vlteriùs progredi cùm nollet, ſubſtitit cum ipſo filius in Charan: iam tamen priuſquàm eò perueniret, admonitus vt in Chanaan vſque tenderet, & diuiño, vt par eſt credere, permiſſu, itineris curſum in gratiam patris intercidens vſque ad mortem patris vltrà non eſt progreſſus.

Et inde, poſtquàm mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram iſtam, in qua nunc vos habitatis.] Pro, *tranſtulit*, legit Auguſtinus, *collocauit* [a], & Græcè eſt μετῴκισεν, id eſt, *coloniam, & habitationem fecit*, eſt enim etiam μετοικία colonia. Syrus autem ſic habet, שניה אלהא לארעא הדא *ſchaniiah elaha larebha hada*, id eſt, *mutauit illum* DEVS *in terram hanc.* Qui bis vocatum Abram dicunt, ſemel in Vr Chaldæorum, & iterum in Haran, ſecundam vocationem his verbis indicari volunt. Sed nos de re ipſa iam egimus, verba autem non aliud efficiunt, quàm interruptum iter DEO auctore ſuſceptum, repetitum ac perfectum eſſe, vt DEI imperio planè tunc demùm ſatisfieret.

a 16. de ciu. Dei c.16.

De anno quo Abraham de Charan exiit, magna difficultas.

Iam verò impedita difficultas eſt, an diſceſſerit ſolùm Abram ſemel ex Haran, ſiue Charan versùs Chanaan, idque cùm primùm pater eius mortuus eſt, quoniam dicitur Abram, cùm inde digreſſus eſt, fuiſſe annorum ſeptuagintaquinque [b]: pater autem ipſius Thare mortuus eſt, cùm eſſet annorum ducentorum quinque [c], & conſtat Abram cum patre, atque cum Lot, & Sarai vxore moram nonnullam traxiſſe in Haran [d]: & præterea certum eſt quod Scriptura tradit, vbi Thare vixiſſet ſeptuaginta annos genuiſſe filios [e]. Nam ſi cùm Abram ex Haran primùm diſceſſit, Thare iam mortuus erat, habebat verò tunc Abram annos ſeptuagintaquinque, omninò ſequitur genitum à patre Thare Abram, non ſeptuageſimo eius anno, ſed centeſimo trigeſimo.

b Gen.12. 4.
c Gen.11.32.
d ibid.31.
e ibid.26.

De ætate Abrahæ Hebræorum opinio ficta.

Propterea quidam Hebræi, ac tandem ad eos ſe adiungens Hieronymus [f], volunt, cùm primùm venit Abram in Chanaan defuncto patre, fuiſſe annorum centum trigintaquinque: Moſem verò computaſſe annos ſeptuagintaquinque, non ab ortu ipſius, ſed ab eo tempore, quo ex Vr, id eſt, igne, in quem illum Chaldæi coniecerant, quoniam ignem adorare noluerat, diuinitùs incolumis euaſit, quæ fuit regeneratio quædam, ac ſecunda natiuitas. Verùm omiſſo igne illo fabuloſo, & ſignificante duntaxat, more Scripturæ, tribulationem, qua ratione Eſdras intelligendus eſt, dicens *Abram inde eductum* [g], ſi Abram cùm venit in Chanaan, abſoluerat ætatis annos centum trigintaquinque, conſequens

f in trad Hebraic. ſuper Gen.c.11.
g 2.Eſd.c.9.7.

A erit, vt filium Iſaac (quem centenarius genuit [h]) vel trigintaquinque annis genuerit priuſquàm veniret in Chanaan; cùm tamen hiſtoria Geneſeos tradat genitum in Chanaan [i], vel ſi recurratur ad computationem annorum Abram à liberatione eius ex dicto igne, ac proinde re ipſa habebat Abram, cùm genuit Iſaac, annos centum ſexaginta, quoniam Iſaac quadragenarius viuo adhuc patre Abraham duxit vxorem [k], fuiſſet omne tempus vitę Abraham ducentorum annorum, qui tamen mortuus ſcribitur centeſimo ſeptuageſimoquinto anno [l].

Abrahā quando genuit Iſaac.
h Gen.17.17. c.21.5. Rom.4.1.
i Gen.21.
k infrà 25.20.
l infr.25.7.

Alia aliorum conciliatio.

B Minùs improbabilis eſt Theodoreti, Lyrani, & Caietani conciliatio, Abram natum anno centeſimo trigeſimo Thare, quoniam cùm primùm diſceſſit ex Haran patre mortuo, habebat annos ſeptuagintaquinque, ille verò vixit ducentos & quinque. Sed certè probabilis non eſt, quoniam cùm habeamus Thare genuiſſe tres filios [m] cùm ſeptuagenarius eſſet, & cùm maximi referret ſciri tempus natiuitatis Abram, potiùs quàm aliorum fratrum Nachor vel Aran, planè veriſimile fit voluiſſe Moſem, ſeptuageſimo Thare anno natum Abram, & nos exactè intelligere tempus ortus eius, ex quo adeò pēdet certa Chronologiæ ratio, vt docet Auguſtinus [n]. Adde quòd ex diſceſſu Abræ poſt mortem patris in Chanaan, non poteſt C id definitè intelligi, quoniam Scriptura non tradit, an diſceſſerit aliquot annis pòſt, an eo ipſo anno, quo mortuus eſt.

m Gen.11.26.
n 16.ciu.c.14

Maſij opinio de annis Abrahæ.
o cap.vlt.

Andreas Maſius exponens Ioſue [o] putat veniſſe primùm Chanaan anno ætatis quinto ſupra ſeptuageſimum, cùm pater adhuc viueret. Stephanum autem in hoc loco affirmantem veniſſe poſt mortem patris, loqui de morte non naturali, ſed ſpirituali, quando ſcilicet conſtituit vlteriùs non progredi Thare in Chanaan, quò vocabat DEVS filium, ſed apud Deos ſuos remanere. Fateor ingenioſè id dici, & mortuos interdum appellari iacentes in peccatis, præſertim in idololatria, quæ mortuos etiam colit Deos. Ceterùm D Stephanus contexit narrationem hiſtoricam, quæ proinde non eſt ad tropologicum ſenſum detorquenda. Sed & quibuſdam viſum eſt, Thare ſtudio idololatriæ, quam reliquerat, ex Chaldæa fugiens, reuertiſſe in Haran, propter diſceſſum, & abſentiam Abram [p].

p Pererius li. 16 in Geneſ. Diſp.19.

Conciliatur cum Moſe Stephanus, & oſtenditur qua ratione anno 75. vitæ ſuæ Abraham in terram Chanaan venerit.

Itaque vt cohęreat cum Moſe Stephanus, oportet aſſeramus bis Abram ex Charan veniſſe in terram Chanaan, primùm cùm eſſet ſeptuagintaquinque annorum, relicto in Charan patre viuo, & annum tunc centeſimum quadrageſimumquintum agente: ita vt peregrinatus ſit apud Chananæos per annos ſexaginta, interim fortè aliquoties patrem reuiſens: deinde cùm audita patris E morte, vt funus curaret, & bona à patre relicta occuparet, poſtremò reuertit in Charan, & inde, confectis his negotiis, terram Chanaan repetiit animo firmiſſimo certiſſimóque illuc non ampliùs redeundi, ſed ſtabilem cum Chananæis ſedem habendi. De prima profectione Moſes locutus eſt, Stephanus de ſecunda. Placuit hæc ſententia, vt taceam Abulenſem [q], etiam Pererio [r] Auguſtinum [ſ] ſecuto, poſtquàm alios dicendi modos, quos declarauimus, excuſſiſſet. Fauet verbum Græcum, μετῴκισεν, quo Stephanum vſum initio dixi, id eſt, *colonum, & habitatorem fecit*; eique quaſi non ampliùs reuerſuro in Haran, domicilium in Chananæa ſtatuit, vt idem Auguſtinus ſcitè perpendit.

q Gen.12.
r ibi. Diſp.11.
ſ li.q.in Gen. q.25. & 16. de ciuit.c.15.

A 3 Vnde

Vnde cùm esset Abraham centum trigintaseptem annorum, hoc est, duobus post patrem mortuum annis, possedit partem aliquam terræ Chanaan, empta spelunca duplici in sepulturam vxoris Saræ [a].

a Gene. 23. 9. & seq.

Cur Abraham viuo adhuc patre de Haran discesserit.

b suprà.

Primæ profectionis Abram de Haran Abulensis [b] causam reddit haud contemnendam, vt patrem processu temporis idololatria deprauatum (fortasse ex consortio alterius filij sui Nachor, qui fuerat idololatra in Chaldæa, teste Augustino [c], & longè post primum aduentum Abram in Haran, cum patre in eandem vrbem Haran deuenerat) vitaret, ne & ipse peruerteretur. Videor iure meo controuersiam istam hoc loco disceptasse, quam alij Genesis Interpretes ibi tractant, nonnisi ex occasione verborum Stephani, quæ in speciem cum Mosis historia quodammodò pugnant.

c li. 16. de ciuit. c. 14.

In qua nunc vos habitatis.] Innuunt hæc verba, quæ fideles veluti distinguunt ab auditoribus, abdicationem, ac distractionem etiam agrorum factam à fidelibus: aut quòd hi illorum iudicio tanquàm peripsema, & purgamentum exterminandi essent de mundo, & ex hominibus auferendi, aut tanquàm extorres amandandi longè extra patriam, vtpote indigni terra promissionis, data filiis Abrahæ, & cultoribus legis. *Apostoli terram reliquerant*, inquit Glossa ordinaria, *& Stephanus iam quasi in morte positus erat.*

Versus 5.] Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cùm non haberet filium.

E*T non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis.*] Pro passu, quod Græcè est βῆμα, id est, *gressus*, Syrus vertit, דורכתא *durechetha*, id est, *vestigium*, seu *gradus*, licet ea significatio non ita obuia sit, Theodoretus [d] verò doceat significare mensuram trium cubitorum, sicut quidam ex expositione ipsius in epistolam ad Hebræos citant, quod tamen non reperio.

d in c. 9. epi. ad Hebr.

Speluncā quam emit Abrahā, non possedit iure hæreditario.

e vers. 16.

f cap. 23. 9. & seq.

g c. 33. 24.

Quod autem infrà [e], & in Genesi est [f], vt paulò etiam antè diximus de empta spelunca ad sepulcrum, non fuit acquirere speluncam illam hæreditario iure, neque ad incolendum, aut colendum, vt notant Glossæ. Similiter quod ait Ezechiel [g]: *Vnus erat Abraham, & hæreditate possedit terram*, intellige non in se, sed in posteris suis.

Quomodo verū sit quod promisit Abrahæ Deus de possessione terræ Chanaan.

h cap. 13. 15.

i inf. 26. 3.

k cap. 13.

Ceterùm quærat aliquis qua ratione consentiant ista cum tam prolixa promissione, quam fecit DEVS Abrahæ non pro semine tantùm posterisque ipsius, verùm etiam pro ipso *omnem terram*, inquit DEVS in Genesi [h], *quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo*: & loquens cum Isaac [i], *Tibi, & semini tuo dabo vniuersas regiones has. Non est sensus*, inquit Caietanus [k], *quòd ipse Abraham in propria persona esset possessurus terram illam, quia nec passum pedis dedit illi* DEVS *ibidem: sed est sensus, quod ratione, vel respectu tui dabo semini tuo terram hanc.*

Atque vsitatum hoc est in Scriptura, vt aliquibus quædam promittantur, quia sunt caput, & principium posteritatis, in qua, & non in ipsis, illa præstanda sunt, vt obseruatum est à Chrysostomo in Matthæum [l], & patet exemplis, quæ ipse affert, & ex benedictionibus Iacob [m], atque ex aliis huius generis, tum ipsimet Iacob, vel Abraham factis promissionibus, tum etiam contentis in libris Prophetarum.

l Hom. 1.

m Gen. 49.

Cùm non haberet filium.] Non ergo Isaac genitus est in Haran, vel in Chaldæa, quod tamen sequi necessariò superiùs docui ex eorum opinione, qui volebant, cùm Abram venit primùm in terram Chanaan, fuisse annorum centum trigintaquinque.

Magnitudo fidei Abrahæ.

Emphasim verò habet hæc additio, vt intelligatur magnitudo fidei Abræ, qui nimirum crediderit eam terram à posteris suis possidendam, etiamsi posteritatis veluti ramum non haberet, quippe filio carens.

Versus 6.] Locutus est autem ei DEVS: Quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subiicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis.

LOCVTVS *est autem ei.*] Græcè, οὕτως, id est, *sic.* Quidam tamen Græci codices [n] inserunt αὐτῷ. Syrus etiam habet, *cum eo*, dicens, ומלל הוא עמה אלהא *vemalel haua bhimmah elaha*, id est, *& locutus est cum eo* DEVS.

n in nouo Testamen. Rob. Steph.

Accola in terra aliena.] πάροικος, id est, *inquilinus*, Syrus habet, תותבא *thuthaba*, quod *inquilinus* etiam redditur propriè. Vide infrà.

Et malè tractabunt eos annis quadringentis.] Hic numerus annorum habetur etiam in Genesi [o]: & in libro Iudith [p]: quamuis nonnulli codices, & auctores addiderint in hoc loco Actuum, *triginta*, vt S. Thomas, Rabanus, & Caietanus in epistolam ad Galatas [q], necnon Caietanus, & Glossa tractantes præsentem locum, & Gagneius contendit, ita legi debere, tum propter auctoritatem Glossarum, tum maximè ex verbis Pauli in dicta epistola. Sed præualet auctoritas editionis vulgatæ nuper iussu Sixti V. & Clementis VIII. correctæ, & publicatæ, præsertim cùm nullus codex Græcus, vel Syrus interpres, nullúsque Græcorum Interpretum aliter legat, vel exponat: & Stephanus citet sine dubio Genesim, in qua non est adiectio illa numeri in vllis neque Hebraicis, neque Chaldaicis, neque Græcis, neque Latinis codicibus, & Pauli locus aliter sit intelligendus, vt liquebit.

o Gen. 15. 13.

p cap. 5. 9.

q cap. 3.

Denique recta Chronologia demonstrat, ab ortu Isaac, qui fuit primum semen Abraham, ad quod semen pertinent verba, quæ Stephanus commemorat, & non ad personam Abraham, vsque ad egressionem Hebræorum ex Ægypto, solos præteriisse annos quinque supra quadringentos, etsi, more Scripturæ, minor numerus prætereatur.

Quæstio de annis, qui fuerunt vsque ad exitū Israelitarum ex Ægypto, vnde inciatur.

r in cap. 4. ep. ad Gal.

s cap. 12. 40.

t Genes. 15. disp. 6. quem etiam vide Gen. 12. disp. 2. & in ca. 12. Exo. disp. 19.

Existit verò nunc difficilis satis, & celebris quæstio, quam Hieronymus [r] vocat non paruam, & à multis quæsitam, sed vix adhuc inuentam, quoniam & bis iam citatus Apostolus recenset à promissione, *quæ facta est Abræ, nimirum omninò prima, quando iussus est Chaldæam deserere, vsque ad tempus datæ legis in Sina, quadringentos, & triginta annos*, & in Exodo [s] proditum est, habitasse *Hebræos in Ægypto annis quadringentis triginta.*

Demonstrat noster Pererius [t] habitationem

populi

populi in Ægypto, quæ concessu omnium auspicanda est ab eo tempore, quo Iacob cum familia eò descendit annum agens centesimum trigesimum [a], cùm esset Ioseph annorum trigintanouem [b], non durasse per quadringentos, sed tantùm per ducentos quindecim annos.

a Gen.47.9.
b Gen. 41.& 45.
Filij Israël in Ægypto fuerūt 215. ann.

Hic Auctor præ manibus est, & rationem colligit ex Augustino [c], Beda [d], & Hebræorum magna Chronologia, ex Iosepho etiam [e], Eusebio [f], Hieronymo [g], Ruperto [h], contra Chrysostomū [i], qui tempus istud breuius facit ducentis annis, contra quosdam Hebræos, & Lyranum, & Clarium, atque Caietanum [k], qui id determinant ducentis decem: adiice Ioannem Benedictum, qui addit annos prætereà quinque contra Genebrardum [l], qui quadringentis, vel etiam insuper triginta.

c quæst.47 in Exo. & 16. de Ciuit. c. 16.& 24.
d lib. de sex ætatibus.
e lib.2. Ant. c. 6.
f in Chron.
g in trad. Hebraic.
h in Gen. 15. lib c.2.
Vnde colligatur numerus annorum mansionis in Ægypto.
i homil. 38. in Gen.
k Gen.15.
l in Chron.

Summa rationis est, quia Mosis auus Caath vnà cum auo suo Iacob Ægyptum est ingressus [m]: & ibi vixit vsque ad annum centesimum trigesimumtertium [n]: ex hoc Amram natus est pater Mosis, qui Amram vixit annos centum triginta septem [o]: Moses huius filius cùm esset octoginta annorum, eduxit Hebræos ex Ægypto [p]. Illorum trium anni simul omnes efficiunt trecentos quinquaginta. Non ergo habitatio populi in Ægypto durauit annis quadringentis, nedum prætereà triginta. Quòd si demas de annis Caath illos, quos vixit antequàm Ægyptum ingrederetur, eosque, quos genito iam filio Amram superuixit, necnon quos Amram post generatum à se Mosem vixit, ne bis idem tempus computetur, erit numerus multò minor.

m Gen.46.6. & seq.
n Exo.6.18.
o 20.& seq.
p Exo.7.7.

Alia ex parte docet Paulus [q] quadringentis triginta annis post promissionem à DEO factam Abræ, quando iussit, vt ex Mesopotamia siue Chaldæa exiret in Chanaan, legem Mosis latam esse: cùm ergo tunc Abram esset quinque ac septuaginta annorum [r], & ab hoc tempore vsque ad ingressum Iacob in Ægyptum anni ducenti quindecim effluxerint, videlicet vigintiquinque vsque ad ortum Isaac, quem ille centenarius genuit [s]: hinc vsque ad natiuitatem Iacob sexaginta [t]: hinc etiam vsque ad ingressum Iacob in Aegyptum centum triginta [u]; necessariò sequitur restare vsque ad legem datam tertio mense egressionis populi ex Aegypto, annos omninò ducentos & quindecim, atque hoc spatio mansisse populum in Aegypto.

q Gal.3.17.
Anni à promissione facta Abrahæ vsque ad legem datam quomodo computentur.
r Gen.12.4.
s Gen.21.5.
t Gen.25.26.
u Gen.47.9.

Si autem computentur quoque anni, quibus in Chanaan versatus est Abram ante ortum Isaac, & hic atque posteri, erunt quadringenti triginta, quomodo septuaginta Interpretes in Exodo interpretati sunt [x], & Augustinus [y], & Apostolus citato loco, qui hoc ibi contendit, non quanto tempore in Aegypto Hebræi morati sint, sed legem Mosis *non habuisse vim faciendi irritam* [z] *promissionem DEI datam Abræ, in qua continebatur gentium benedictio per semen eius, ita vt benedictio illa expectanda fuerit inde, & non per legem. Lex enim*, inquit, *data est post illam promissionem annis quadringentis triginta* [a].

x cap.12.
y quæst.47. in Exod.
z Gal.3.16.17.
a ibid.17.

Si quæris quandiu seruierint, & afflicti fuerint Hebræi in Aegypto, nec enim quod Stephanus de numero annorum refert, pertinet ad omnia, quæ simul ponit, sed tantùm ad habitationem in terra aliena, vt optimè annotauit Augustinus [b]; ita vt etiam intra illos annos seruitus fuerit, idémque terminus huius & illorum, & sit in oratione tum Stephani, tum Genesis hyperbaton, quod notant quoque Glossæ hoc loco.

Quot annos seruierint Israëlitæ in Ægypto.
b quæst.47. in Exod.

Respondeo, minùs quàm centum triginta annis. Etenim ex vniuerso tempore habitationis in Aegypto, eximendi sunt anni vnus, & septuaginta, quos vixit Ioseph post aduentum patris in Aegypto, & gens Hebræa ibi floruit, sicque supererunt centum quadragintaquatuor anni totius mansionis in Aegypto: & rursum, demptis vigintiduobus annis, quibus superuixit Leui fratri suo Ioseph, quoniam seruitus cœpit duntaxat mortuo Leui, reliqui erunt soli anni centum vigintiduo.

Immò Hebræi asperam seruitutem definiunt octogintaseptem annis, nempe sumentes principium a natiuitate sororis Mosis, quam etiam volunt vocatam מרים *miriam*, aut *Mariam*, ab amaritudine tunc incipientis seruitutis: erat verò maior fratre septem annis, & hic octogenarius eduxit populum ex Aegypto [c].

c Exo. 7.7.

Quocirca grauiùs hallucinatur, quàm ceteri, Stapletonus in Antidotis ad hûc locum Actuum, volens totos quadringentos annos consumptos esse in Aegyptiaca habitatione, atque etiam afflictione. Non fuit opus valentibus antidoto, aut si quo modo hac in re malè Hæretici valerent, non laborarent morbo hæresis, cùm citra Fidei periculum huiusmodi res variè à Catholicis discutiantur. Alphonsus Cumiranus [d] in Conciliationibus suis, annos quadringentos triginta accipit à promissione facta Abræ, at verò quadringentos ab ingressu Iacob in Aegyptum. Sed refellitur eodem modo.

Stapletonus redarguitur.
d Tom. 1. in 12.

De mysterio numeri quadringentesimi Petrus Bongus in opere de Mysteriis numerorum, vbi attingit quoque explicatas difficultates. Causa captiuitatis huius quænam fuerit, incompertum. Anastasius [e] tamen Synaita assignat fornicationem Dinæ, cædémque Sichimitarum [f].

e 9. anag. contempl. in hex.
f Gen.34.

Erit semen eius accola in terra aliena.] Non modò in Aegypto, sed etiam in terra Chanaan, vt Septuaginta exponunt in Exodo [g] (vbi enim est secundum nostram editionem, *quod habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*, illi sic legunt, ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν κατῴκησαν αὐτοὶ, καὶ πατέρες αὐτῶν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, καὶ αὐτοὶ καὶ πατέρες αὐτῶν τετρακόσια τριάκοντα ἔτη, id est, *At habitatio filiorum Israël, quam habitauerunt ipsi, & patres eorum in terra Ægypti, & in terra Chanaan, & ipsi & patres eorum quadringentorum, & triginta annorum fuit*) sicut Augustinus [h], atque citati Iosephus, Beda, Eusebius, Pererius: item Sa, Clarius, Ioannes Benedictus [i], ac præter istos, Chrysostomus [k], Hieronymus [l], B. Thomas [m], Glossa interlin. [n] Rupertus [o], Lyranus [p], Abulensis [q], & nos anteà ostendimus.

g c.12.40.
h quæst.47. in Exod. & 16. de ciu. cap.16.& 24.
i in Exod.
k hom. 37 in Gen.
l in c.3. epi. ad Gal.

Malè igitur Oleaster [r] negauit intelligi posse terram Chanaan; quoniam in ea nati sunt Isaac, & Iacob, ibíque ille ex toto, hic maxima in parte vixit. Nam etsi terram illam incolerent, in eaque nati essent, non tamen eius domini, & possessores erant. Iacob ipse Pharaoni respondit [s]: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui, & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.*

Quomodo Patriarchæ fuerint peregrini vbicūque vixerint.
m ibid.
n ibid.
o li.2. in Exo. c.20.
p in c.12. Exo.
q ibid. q.14.
r Genes.15. & Exod.12.
s Gen.47.9.

Paulus verò de tribus Patriarchis loquens, ait [t]: *Fide demoratus est*, Abraham, *in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem.*

t Heb.11.9.

Eugubinus [u], & Genebrardus [x], & Ysiella [y]

u Recogn. in Pentateu.
x in Chron.
y in c.12. Exo num 69.

a in c.3.ep.ad Galat.

(qui non debet contra edit. Sixtinam [a] legere annos 130.) eodem sunt modo reprehendendi, quòd, quam diximus Interpretum septuaginta versionem, nimis acriter reprehendant.

Cur Scriptura meminerit Aegypti solius, & non terra Chanaan.
b Exod.12.
c ibid.q.44.
d ibid.dis.19. num.116.

Obiicies nominatim Scripturam loqui de Aegypto. Ratio est, quia habitatio hæc fuit vltima & diuturnior, vt respondent Lyranus [b], Abulensis [c]; est quoque Synecdoche, vt ait Pererius [d], tum quia prætereuntur Abraham, Isaac, Iacob, solíque posteri memorantur, tum quia eorundem omittitur habitatio in terra Chanaan: quanquàm habita mentio videtur Aegypti, quoniam etiam expulit Abram fames in Aegyptum statim vt venit in Chanaan [e].

e Gen.12.10.

f Gen.18.23. & seq.
Quare Hebræi tamdiu in Aegypto vexati sint.
g Mat.11.30.
h vers.12.& seq.

Sed cur, inquies, Abram pius orator pro Sodomitis, pessimis [f] hominibus, pro suis preces ad auertendas DEI minas non interposuit? An quia simul intellexit non aliter idoneum semen suum reddi legi, & tot aliis beneficiis accipiendis, nisi diu anteà vexaretur, ac veluti concoctus maturesceret ad tale iugum, quo subactus ad suaue iugum CHRISTI [g] disponeretur? Id sanè videtur extasis indicasse, quam de Abraham Genesis caput 15. narrat [h]. An cognouit quot, quantáque opera ex ea occasione DEVS ad gloriæ suæ insignem propagationem operaturus esset, ex quibus ad aduersarios ipsos, & persecutores rediret spiritualis etiam vtilitas? Hoc innuit Sapientiæ liber [i]. An orauit quidem, tametsi hoc sacræ literæ non prodant, sed planè exauditus non est?

i c.18.

Accola.] Πάροικος. Propriè qui iuxtà habitat; incola verò qui simpliciter in alieno: sed confunduntur nonnunquàm, significántque in aliena vrbe vel Rep. habitantem, velut municipem, aut inquilinum. De his vocibus præter Grammaticos Iurisconsulti agunt [k].

k ff.de acqui. poss.l.37.& ff. de migr.l.fin. & Lexicon in tit.l.pupillus. §.incola.ff.de ver.signif.

Versus 7.] Et gentem cui seruierint, iudicabo ego, dixit Dominus, & post hæc exibunt, & seruient mihi in loco isto.

ET *gentem, cui seruierint.*] Gens hæc est Aegyptia, quæ Hebræos seruitute oppressit, & malè tractauit: sed eam DEVS decem plagis vexauit, & ad persequendum Israël egressam, postquàm rebus expoliasset, in Mari rubro extinxit [l]. Id Caietanus putat designatum, quando Abram sacrificans abigebat volucres infestas victimis [m].

l Exod.12.& 14.
m Gen. 15.11.

Iudicabo ego.] Pro *iudicabo*, Syrus habet, ארונין חי *edunin hi*, id est, *condemnabo ego*. In Genesi quoque posuit Interpres verbum *iudicabo*, quod Græcè, sicut etiam hic, est κρίνω, & Hebraicè participium דן *dan*, cum pronomine primæ personæ דן אנוכי *dan anochi*, i. *iudicans ego*, supple sum, quemadmodum & hoc loco in textu Syrochaldæo verbum ex eâdem radice, siquidem, ארונין *edunin*, quod hîc habetur, radicem habet דין *deian*, quod est litigare, & istud verbum à דון *dun*, Hebræo ortum est.

Significat verbum Hebræum דון *dun*, pronunciare sententiam aut contra aliquem, aut pro aliquo, necnon punire, interdum litigare, vel discutere, seu cognoscere de causa, quod ante sententiæ pronunciationem necessarium est. Frequentior est prior significatio, congruítque huic sententiæ.

Significatio verbi κρίνω.

De Græco κρίνω putat Thesauri Auctor primam significationem esse, vt significet secernere, discernere, dirimere, ex ea verò profectam aliam, qua ponitur pro iudicare, & similibus; agnoscit tamen, quod verum est, sæpe in Scriptura vsurpari pro damnare, sicut & κρίμα pro damnatione. Exempla Latini nominis iudicij affert Sà in Indice Scripturæ.

Et post hæc exibunt, & seruient mihi in loco isto.] In Genesi [n] ita habetur: *Et post hæc egredientur cum magna substantia: tu autem ibis ad patres tuos sepultus in senectute bona: generatione autem quarta reuertentur huc*: vbi non est mentio de seruitute, quam seruituri essent DEO. Generatio autem quarta quartum annorum centenarium significat, siue quadringentos annos, de quibus superiùs disputatum est: vel personam ex alia genitam, postquàm Iacob cum suis in Ægyptum ingressus est, quartam ordine in ipsa Ægypto. Esron enim Iudæ filius in Ægypto genuit Ram, siue Aram, quæ est prima generatio: Aram Aminadab, quæ est secunda: Aminadab Naason, quæ est tertia: Naason Salmon, quæ est quarta, & hic ingressus est Terram promissionis. Porrò tamdiu dilata est Diuini promissi executio, vt pluris fieret, ac maioribus votis expeteretur.

n ibid.15.13.

Quatuor generationes quomodo computandæ sint.

Versus 8.] Et dedit illi testamentum Circumcisionis: & sic genuit Isaac, & circumcidit eum die octauo: & Isaac, Iacob: & Iacob, duodecim Patriarchas.

ET *dedit illi testamentum Circumcisionis.*] De nomine Testamenti, & Græco Διαθήκης, dixi capite tertio [o], necnon de Latinis vocibus Fœderis & Pacti, & Hebræo ברית *Berith*. Hoc autem pactum, & lex Circumcisionis data est in Genesi [p]. Disputant fusè de Circumcisione ex nostris Pererius in Genesim [q] per sex Disputationes, & Suarez in tertiam Partem D. Thomæ, & Salmeron [r], & Ioannes Antonius Campanus [s]. Nos potiora quædam paucis attingemus.

o vers.25.
p cap.17.10. 11.
q cap.15.
r Tom.3. Tract.36.
s oratio. de Circumc. ad Pium II.

Instituendæ Circumcisionis, aliis omissis causis, quas Philo [t], Rabbi Moses Aegyptius [u], sanctus Thomas [x], Abulensis [y], Lactantius [z], aliique afferunt, hæc maximè propria est, quam nomen Hebræum ברית *berith*, id est, *Testamenti*, ac *fœderis* præ se fert, & explicat Iosephus [a], Chrysostomus [b], Theodoretus [c], aliique communiter, ne semen Abraham impiis permixtum, interim dum tempus adueniret implendæ promissionis, paternam nobilitatem macularet, sed conseruaret indelebilem memoriam eius, qui tale signum dederat, eorumque, quæ promiserat, præsertim MESSIÆ, & imitaretur fidem patris Abraham, cui Circumcisionem datam ait Apostolus [d], *vt signaculum iustitiæ fidei eius, quæ est in præputio*, id est, iustitiæ per fidem perfectam comparatæ, vel quam fides præ se tulit, & declarauit, cùm adhuc præputiatus esset.

t lib. de Circumcisio vsu.
u Direct.dub. lib.3.c.50.
x 1.2.q.102.a. 5.ad 1.
y Gen.15.
z 4.Inst.c.1.
a 1. Antiq. c. 13.
Cur Circumcisio fuerit instituta.
b Hom.39.in Genes.
c q.67.in Genes.
d Rom.4.11.

Errat itaque Herodotus [e], cùm Palæstinos, siue Iudæos ritum Circumcisionis ab Aegyptiis accepisse scribit: neque de hoc dubitare debuit Franciscus Vallesius [f] citans Orum [g] affirmantem vsos Circumcisione Aegyptios: quod prætereà proditum est à Philone suprà citato, Diodoro Siculo [h], Strabone [i], Origene [k], & aliis; & de Colchis loco citato ab Herodoto, & Diodoro; de Aethiopibus ab Herodoto; de Troglodytis à Diodoro [l], & Strabone [m]: de Syris ac Phœnicibus

e lib.2.
f lib.de sacra Philoso. c.11.
Aegypty non tradiderunt Hebræis Circumcisionem.
g in Hieroglyph.
h lib.2.c.1.& lib.4.c.1.
i lib.17.
k lib.2.in ep. ad Rom.
l lib.4.c.1.
Populi qui & quando Circumcisionem seruauerunt.
m lib.16.

nicibus item ab eodem Herodoto; idémque de his, & Arabibus habet Cyprianus [a]: de Macronibus ab eodem Herodoto [b]; de Lydis à Martiale [c]: de Ismaëlitis & Homeritis, & Samaritis ab Epiphanio [d]; denique Hieronymus [e] id tradit de Gentibus, quæ Iudææ, Palæstinæque confines sunt, hoc est, de Aegyptiis, Idumæis, Ammonitis, Moabitis, & omni gente Saracenorum, quæ habitat in solitudine, & constat Mahometem Circumcisionis cæremoniam sectatoribus suis indixisse. Munsterus [f], in religione chamæleon ac polypus, Præstanis regis Aethiopas subditos testatur, etiamnum retinere Circumcisionem, à Regina Saba acceptam, etiam in fœminis: quin profiteri eam gentem quoque hunc se morem accepisse ex libris Synodorum Apostolicarum. Idipsum refert Hieronymus Lilius [g].

Et quod magis mirere, in Arabia Creophagi, vt est auctor Strabo [h], mulieres ipsas circumcidunt: & de Andramite Lydorum rege narrat Xanthus [i], & Athenæus [k], & Polydorus Virgilius [l], Eunuchas in Aegypto quoque Strabo refert, aliquando incisas esse; testatur id quoque Ambrosius [m]. Non potest hæc propriè Circumcisio censeri, sed excisio, non περιτομὴ, sed ἐκτομὴ, de qua Medici *. Strabonis [n] autē apertum mendacium, γυναῖκας Ἰουδαϊκὰς περιτεμνομένας, *fœminas Iudaicè concisas*; & Iudæos [o] legem habuisse de marium ac fœminarum excisione. Certè in Pierio [p] ferri non potest, quod asserit cum diuinarum literarum historia Strabonem consentire. Quod addit solos in Aegypto sacerdotes circumcisos, habet etiam Origenes [q]. Omitto, quòd à Circumcisione fiebant præputiati medico quodam attractorio instrumento, qui spathister dicebatur; quod indicare Paulus videtur ad Corinthios [r], *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium.* Quo pacto qui de Samaritanis ad Iudæos, vel de his transibant ad illos, denuò circumcidebantur; vt de Symmacho meminit Epiphanius [s].

Præceptam autem solùm viris à DEO Circumcisionem dicunt, eò quòd ad mixtionis vsum vir muliere vehementior sit: vel quia viri licitè errare se credunt, si solo abstineant adulterio: meretricios autem vsus tanquàm legi naturæ non repugnantes putant: cùm tamen præter coniugium, nec viro liceat, nec fœminæ misceri alteri: vel iuxta mysticum sensum, quod si mens purgata, & circumcisa sit, & exuta superfluis voluptatibus, & cogitationibus, restringit animam ad sui castimoniam, purisque sensibus infusam, bonorum facit partuum genitricem.

Cur in præputio [t] Circumcisio mandata sit, ex dictis facilè colligi potest. Iustinus [u] istam etiam dat, vt debilitatio membri genitalis, quod ineptum iam erat in Abram, fidem exacueret, qua penitus crederet illi ad gignendum vim esse à DEO communicandam.

Porrò prior quam dixi Circumcisionis caussa tam vera & propria est, vt nonnullis non contemnendæ auctoritatis sola quoque per se assignanda videatur, & nō ad originale peccatum in pueris, & actualia etiam delēda in adultis in morem Sacramenti, & quòd *incircumcisi in præcepti contemptum delendi de populo dicuntur* [x], intelligatur solùm, quia nec numero Israëlitarum censerentur, nec priuilegio fruerentur populi peculiariter à DEO electi, & dilecti, sed omninò de medio tollerentur, ac interficerentur. Lege Bellarminum [y], qui

A hoc bene probat, & Pererium [z] (qui ostendit pœnam illam esse temporalem, & pro adultis) & Adamum [a], & Stapletonum [b].

Nihilominus communior est nunc Theologorum sententia, ad quam magis quoque Patres propendent post Augustinum [c] (Gregorius [d] idem affirmat, & Beda [e] etiam, & alij idem tradunt) Circumcisionem fuisse Sacramentum institutum in originalis peccati remedium; licèt longè diuersa ratio foret tum illius, tum ceterorum legis veteris Sacramentorum, gratiam conferendi: nempe illam ipsa sua non conferebant virtute, nec etiam tanquàm instrumenta, sed virtute passionis CHRISTI, quam præsignabant, B & vt conditiones adhibebantur, quæ ceu caussæ morales ad eam efficiendam valebant, vt habet Gregorius de Valentia [f].

Ex allata verò causa rectè deducit Chrysostomus [g], *insensatos, ingratos, ac pueriles mentis esse Iudæos, qui hoc etiam tempore Circumcisionem obseruent, & obseruari à nobis velint. Nam nunc beneficio veritatis omnes gentes ad lucem adductæ sunt, neque est amplius distinctio Iudæi & Græci* [h].

Damascenus quidem [i], & Theodoretus [k] docent, in deserto non fuisse vsum Circumcisionis, quia desertum ipsum satis Hebræum populum ab aliis secernebat: & *nouo superinducto Testamento, vetus antiquatum est, & ad interitum venit*, vt He- C bræis Paulus [l] scripsit: & præsente veritate, ac re signata, signi vsus superfluus est, vt docuit Ambrosius [m].

Id verò signum eatenus æternum fuit, vnde & illud Scriptura futurum dicit, לברית עולם *libriih hholam*, id est, *in fœdus sempiternum*, quatenus absque vllius determinatione temporis durauit diutino tempore, non minùs mille nongentorum septuagintaocto annorum, & tandiu, quandiu fœdus atque promissio venturi MESSIÆ complecretur: denique æternum etiam censendum est, ratione figurati per illud Baptismi, & Circumcisionis spiritualis: vtraque autem res æterna est vel simpliciter, vel vsque ad consummationem D seculi.

Quapropter Aethiopes nunc, siue Indi Christiani superstitiosè Circumcisionem retinent: etsi quidam illos excusant à peccato mortali, quia id facere dicuntur duntaxat in memoriam generis sui, dicentes se oriundos ex Abraham, & Regem suum esse ex familia Dauid: aut etiam ex deuotione, studióque imitandi CHRISTVM in eo dolore perferendo, cùm alioqui nec spem in Circumcisione ponant, nec se ad eam, vt ad legis Sacramentum, obligatos credant, quod credere nefas est, iuxta Apostolum [n], idémque & Cyprianus [o] docet, & passim omnes.

Et sic genuit Isaac.] Centenarius, cùm accepis- E set anno præcedente mandatum Circumcisionis. Vim habet illud, *sic*, οὕτως, quod Syrus vertit, והידים *vehaiedem*, quod est, *& tunc*, quasi dicat, accepto, & seruato DEI mandato: & cùm Abraham fidem ac obedientiam suam satis testatam fecisset, dedit illi DEVS promissam sobolem, & posteritatis semen, siquidem, *in Isaac*, inquit [p], *vocabitur tibi semen.*

Et tamen Paulus in epistola ad Hebræos [q] videtur fidei Saræ natum filium imputare: *Fide*, inquit, *& ipsa Sara sterilis, virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat. Propter quod, & ab vno orti sunt (& hoc emortuo) tanquàm sidera*

z in Gen. c. 15. disp. 6. & in ep. ad Rom. c. 4.
a in c. 4. ep. ad Rom.
b in eiusdem loci Antid.
c 2. de nup. & concu. c. 11. 2. de pec. orig. c. 30. 4. de Bapt. cont. Dona. c. 23. & 24. 16. de ciu. c. 27. & alibi.
Sacramenta veteris legis quomodo conferrent gratiam.
d 4. Mor. c. 3. & habetur c. quod autem. de cons. d. 4.
e in c. 2. Luc.
f in 3. p. q. 70. pun. 11.
g hom. 39. in Gen.
Circumcisio non est amplius necessaria.
h Rom. 2. 10. c. 10. 12. Gal. 3. 28.
i lib. 4. c. 26.
k in Iosu. q. 3.
l Heb. 8. 13.
m libr. 1. de Abrahā. c. 4.
Circumcisio qua ex parte signum sit, et rursum dimissa.
Aethiopes Christiani Circumcisionem seruare cur se dicant.
n Gal. 5. 1. 2. & alibi.
o Ser. de vnct. Chris.
Abrahæ fides & obedientia sobolem dedit.
p Gen. 21. 12. Rom. 9. 7. Heb. 11. 18.
q c. 11. 11. 12.

cœli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis [a]. Id autem dedita opera fecit Apostolus, vt placet Chrysostomo, vt pudorem Hebræis excitaret, ne magis pusillanimi videri velint, quàm mulier, quæ quamuis aliquantulùm hæsitauerit, idque ridendo ad pollicitationem prolis [b], tamen mox credidit, postquàm resciuit quis pollicitaretur. Et cùm tribuitur effectus causæ, quæ videtur minùs præcipua, censetur includi illa, quam constat esse præcipuam.

Nam fides Abrahæ in primis, & crebrò commendata est [c], illis potissimùm verbis: *Credidit Abraham* DEO, *& reputatum est illi ad iustitiam:* quam prætereà Paulus bene considerat [d], cùm ait: *Et non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ: in repromissione etiam* DEI *non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam* DEO, *plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere: ideò & reputatum est illi ad iustitiam.* Consentiunt hac in re Chrysostomi sectatores Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, quibus magis assentior, quàm Lyrano neganti Saram credidisse.

Et circumcidit eum.] Forsan ipsemet manu sua, sicut ipse seipsum priùs circumciderat vnà cum Ismael, & omnibus masculis domus suæ [e]. Nec enim certus vllus à lege minister præscribebatur, quoniam Sephora vxor Mosis filios circumcidit [f].

Culter aliquando fuit petrinus [g], sed raro, atque ad significationem peculiaris mysterij, non ordinariè, quoniam ferreus magis est obuius, & accommodatus, vt Iustinus docet [h], Hugo de S. Victore [i], B. Thomas [k], Lyranus, & Abulensis [l], & S. Bonauentura [m], & Pererius [n], & Barradius [o], & Salmeron [p].

Contrariam opinionem tenet Augustinus [q], Bernardus [r], & Magister [s]. Auctor quoque libri de vera Circũcisione apud Hieronymũ [t], Beda [u], Haymo [x]. Sed, vt dixi, ex duplici exemplo generalis regula duci non potest, neque aut in Genesi [y], aut in Leuitico [z], cùm de præcepto Circumcisionis agitur, mentio est, cuius materiæ cultrum esse oporteat. Fieri autem potest, vt Sephoræ, atque in deserto Iosue magis ad manum fuerit petrina materia, quàm ferrea. Nec verò probabile est, ad tot circumcidendos Sichimitas [a] paratos fuisse silices, & non potiùs adhibitos ferreos cultros, imò verò expressio illa petrini cultri in duplici dicto exemplo indicat non solitam cum tali instrumento Circumcisionem dari, cùm nullibi, vbi de illa generale præceptum datur, vllum certæ materiæ designetur instrumentum.

Adde, quòd verba Hebræa חרבות צורים *charboth tsurim*, quæ Interpres noster, *cultros lapideos* reddidit, & Septuaginta in libro Iosue, *μαχαίρας πετρίνας, gladios lapideos*, aut *petrinos*, verterunt, magis significant acutos, reddíque ad verbum possunt hęc Hebræa עשה לך חרבות צורים *hhascheh lecha charboth tsurim*, *Fac tibi cultros acierũ*, & Chaldæus exponit, חריפין *chariphin, gladiolos*, aut *nouaculas acutas*, sicut in Psal. 88. [b] *Auertisti adiutorium gladij eius:* vbi Hebraicè habemus, עזר חרבו *hhezer charbo*. Dauid Kimchi vertit, *gladiũ acutum eius*, & sic vbique verti posse putat, vbi etiã Chaldæus sic legit, סיפה חריפא *saephe charipha*, i. *gladium acutum eius*. In Exodo pariter iuxta textum Hebræum habetur duntaxat, ותקח צפרה צר *vattikkhath Tsipphorah tsor*, id est, *Tulit Sephora*

a Gen. 22. 17.
Cur fides Saræ conceptionẽ Isaac Paulus tribuerit.
b Gen. 18. 10.
Fides Abrahæ præcipuè commendatur.
c Genes. 15. 6. Rom. 4. 3. Gal. 3. 6. Iaco. 2. 23.
d Rom. 4. 19. 20. 21. 22.
Abraham circumcidit Isaac.
e Gen. 17. 23. & seq.
f Exod. 4. 25.
Cultro fiebat Circumcisio, non lapide.
g ibi. & Ios. 5. 2.
h Dial. cont. Trypho.
i part. 12. 1. de Sacra. c. 2.
k 3. par. q. 70. a. 3. ad 2.
l Exod. 4.
m 4. d. 1 p. 2. dub.
n in Exo. c. 4. dis. 6.
o 9 Har. c. 1.
p Tom. 3. tra. 16.
q Ser. 141. de Tem. & 2. cõ. Pel. de pecc. orig. & tract. 30. in Ioan. c. 31.
r Ser. 1. de Cir.
s 4. Sent. d. 1.
t Tom. 9.
u in c. 7. Ioan.
x in c. 2. Luc.
y c. 17.
z cap. 12.
a Gen. 34. 24.
b vers. 44.

nouaculam, aut *aciem gladij*: licèt Chaldæus vertat, טינרא *tinnara, silicem*. De Iosue tradit Rab. Moyses Maimonius [c] silicibus vsum. Nos editionem vulgatam sequi debemus.

Fauet verò prætereà sententiæ Augustini, quòd Gentiles, quos vsurpasse ritum Circumcisionis dixi, lapideum cultrum adhibebant. Testes habemus Catullum [d], & Iuuenalem [e]. Prior ita cecinit:

Deuoluit ipse acuto sibi pondera silice.

Posterior ad hunc modum:

Mollia quo rupta secuit genitalia testa.

Andreas Masius eandem opinionem sequens, negat dictum vocabulum Hebræum צור *tsur*, accipi vnquàm in sacris literis pro acie. Denique valdè contendit pro hac sententia, vel propterea vt Iudæis opponat Circumcisionem spiritualem figuratam per eam, quæ à Iosue facta est, per CHRISTI verbum: *Petra enim erat* CHRISTVS [f], vt philosophatur Martyr Iustinus [g]. Accedit mos seruatus ab Hebræis circumcidendi petrinis cultris: quem tamen posteà mutasse Petrus Comestor prodit [h], postquàm Goliam Dauid lapide strauit, cedente loricæ ferro galeæque lapidi, vt ipsi quidem fabulantur.

Quod attinet ad locum, vbiuis Circumcisio celebrari potuit, etiam in priuata domo, etiam in via, vt constat de Sephora [i], & priusquàm templum construeretur, iam Circumcisionis ritus obseruabatur: neque octauo die poterant infantes Ierusalem deferri in templum toto orbe dispersi.

Interfuit quoque mater Ioannis Baptistæ Circumcisioni eius cum viro Zacharia [k]: nec de B. Virgine & Ioseph scribitur in templum tulisse puerum IESVM, vt circumciderent, sicut, vt sisterent eum Domino, tulerunt in templum [l]: neque licebat puerperæ domo egredi, & intrare templum, vel Synagogam [m]. Epiphanius [n] verò disertè tradit circumcisum CHRISTVM in spelunca Bethlehemitica, vbi natus erat: in quo etiam loco repertum à Magis multi dicunt. Quare non curandum, si nunc circumcidantur Iudæi in Synagogis. Hilarij [o] autem minùs probabilis opinio, circumcisum in templo CHRISTVM: vel aliorum affirmantium in Synagoga Bethlehem: vel Nicephori [p], qui ait in domo Ioseph.

Die octauo.] Eodem etiam die imponebatur masculis nomen. Ratio mystica cur in circumcidendo ratio haberetur huius diei, simulque in imponendo nomine, à Cypriano [q] ista redditur: *Intimatum est iis, qui digni Sanctorum consortio censebantur, quod eorum nomina scriberentur in cœlis, & æternæ beatitudinis, quam post hanc vitæ huius septimanam, octaua dies consequitur, heredes fierent & consortes, quicumque vita innocentia, & sanctimonia sese Domino consecrassent.* Chrysostomus [r] magis physicam causam assignat, vt in ætate adhuc immatura Circumcisionis in carne labor faciliùs toleraretur.

Sed addendum est, quoniam cur octauus potiùs dies esset, nondum apparet, septimum ab ortu diem valdè periculosum esse infantibus, eò quòd præter alias causas vmbilicus plerisque decidit, vt est apud Plutarchum [s]: quò respexit etiam fortasse lex cauens [t], *animalia recens nata ante octauum diem* DEO *immolari*. Testis Aristoteles [u], quòd ante septimum diem plurimi intereant infantes, solitum nomen imponi die septimo.

Scribit verò idem Plutarchus, Romanos post

c in Moreh. p. 1. cap. 16.
Qui & quo Circumcisionem lapide silicum fecerint.
d in carm. de Berecyn. & Athi.
e Saty. 6.
f 1. Cor. 10. 4.
g contra Trypho.
h Hist. schol. in Exod. c. 12.
Circũcisio vbiuis celebrari poterat.
i Exod. 4. 24.
k Luc. 1. 60. 61.
Christus vbi circumcisus fuerit.
l Luc. 2. 22.
m Leui. 12. 4.
n hæs. 19. cõ. Ossinos.
o in Psal. 118. sub princ.
p 1. Hist. c. 12.
Cur die octauo Circũcisio fuerit & nomen daretur.
q Ser. de Circumc.
r Hom. 39. in Genesim.
Cur octauo die circumciderentur.
s q. 102 ex Romanis.
t Leuit. 22. 27.
u 7. de hist. anim. c. 12.

septimum

a lib.1.c.6. — b lib.2.c.25.

septimum diem obseruasse dies lustricos:& Macrobius [a] octauo fœminis, masculis nono nomen imposuisse : idémque habet Festus : & de Atheniensibus post Suidam, Alexander ab Alexandro [b], quod vtrisque decimo. At vltra octauum Circumcisio non differtur, ne deinceps magis solidescens corpus infantis, maiorem cruciatum sentiret.

Lex Euangelica cur octauum diê notari soleat. — Matth.5.2.& 9.

Ad mysterium quoque pertinet præfiguratio legis Euangelicæ, quæ denotari solet per diem octauum, id est, Dominicum, quo CHRISTVS resurrexit; sicut legem veterem designat Sabbatum, & octo Beatitudines [c] prædicatæ à CHRISTO continent summam hominis perfectionem, quæ conducit ad circumcisam, liberámque omni perturbatione, ac molestia cœlestem beatitudinem, quam sabbatismus felicem animarum, & octauus dies Resurrectionis corporum dicit post sex dies in hac vita laboris, & miseriæ. In hûc modum Augustinus [d], & Hugo S. Victoris [e] ratiocinantur, necnon Ambrosius [f]. Et videtur herus ille Pamphylius apud Platonem [g] id dixisse, cùm ait, *animas, quando septem in prato dies requieuerint, oportere octauo surgentes die recedere.* Lege de mysterio octonarij Petrum Bongum [h].

16.de ciuit. l.c.26. — .de Sacr.p. 2.2. — de Abra.c. — 1.de Rep. — 2.de num. lect. — ...ilis sentẽ ... error. — 4.dist.1. — Gen.17.12. — .12.3.Luc. — q.70.a.3.

Neque credendum Magistro sententiarum [i], eum nonnunquàm diem præueniri potuisse, cùm lex præcisè illum constituat [k], nec secus ab vllo prorsus factum sit: denique ita sentit S.Thomas [l], aliique Theologi.

...erre licuit ...isionem ...tauũ diẽ. — ...c.5.3. — n.9.13.

Attamen vltra octauum diem licuit differre Circumcisionem, si quod interueniret necessarium impedimentum. Hoc docet tum exemplum eorum, quos Iosue post tot annos confecti itineris in deserto circumcidit [m] : tum prorogata in aliud ab eo, quod præscriptum erat, tempus, Paschæ celebratio [n].

Hebræi in ... circumcis... erint.

Non licuit Hebræis vti Circumcisione, quo tempore peregrinantes toti pendebant ex DEI nutu, declarantis per nubem, quando ipsis foret conquiescẽdum. Excusant hoc pacto illos (quanquàm excusatio magna est, quòd nusquàm sacræ literæ vitio dederint huiusmodi protelationem) Theodoretus [o], & Damascenus [p], hósque secuti Masius [q], & Pererius [r].

in Iosf. ...c.26. — 7.d.4. — ...

Alia fuit de Mose ratio, cùm eum Angelus ob prætermissam filij Circumcisionem voluit interficere [f] : neque enim vrgens vlla necessitas tanta occurrebat, erátque indecens, & absurdum, si legislator tanti populi, duxque futurus, ne in sua quidẽ familiola Diuinæ legis iura coluisset. Ambrosius [t] scribit, Aegyptios quartodecimo die circumcidisse mares & fœminas, quòd ab eo anno incipiat flagrare passio virilis, & fœminarum mẽstrua sumant exordia.

...4.24. — ...bra.

Et Isaac, Iacob: & Iacob duodecim Patriarchas.] Nempe genuit, vt etiam distinctè Syrus expressit, qui sic habet, ואיסחק אולד ליעקוב *veisachak auled leiahhakub*, id est, *& Isaac genuit Iacob*, & postea addit, *& Iacob genuit duodecim patres nostros*: non ergo refertur ad verbum *circumcidit*, immediatè præcedens, quasi affirmet circumcisum Iacob ab Isaac, & à Iacob duodecim Patriarchas : de hoc enim nihil habet historia Genesis. De nomine autem Patriarchæ aliàs egimus [u]. Istis peculiariter tribuitur hoc nomen, quia ab ipsis denominantur duodecim tribus : ideóque etiam paulò pòst vocantur patres nostri. Sicut & hoc loco Syrus eos vocat, אבחתם *abachatham*, id est, *patres nostros*.

Versus 9.] Et Patriarchæ æmulantes, Ioseph vendiderunt in Ægyptum, & erat DEVS cum eo.

ET *Patriarchæ æmulantes, Ioseph vendiderunt.*] De vendito Ioseph à fratribus propter inuidiam (prout rectè Syrus exposuit verbum Græcum ζηλώσαντες, sic dicens, חגום אבחתם טנו ביוסף *vehanum abachatham tanu beiauseph*, id est, *Patres nostri inuiderunt Ioseph*, participium, ζηλώσαντες, per verbum exponens, nósque de vi huiusmodi vocabulorum diximus [x]) scribitur in Genesi [y], cuius venditionis causa fuit, tum quia eos detulisset ad patrem de crimine pessimo; tum quia impensiùs diligeretur à patre præ ceteris; tum quia somnia sua, quæ primatum ipsius declarabant futurum super illos, simplicitate quadam animi aperiebat.

x c.5.17. — y c.37.2.3.4.5. 8.11.28.

Cur breuiter hic Stephanus Abraha & Ioseph vitam perstringeret.

Occumenius existimat, vt Abraham, ita Ioseph historiam carptim summo artificio à Stephano attingi, ad exprobrandam Principibus Iudæorum animi ferociam, & impatientiam è diametro oppositam singulari facilitati, & tolerantiæ illorum duorum Principum; quorum alter non sit deprecatus abbreuiari tempus Aegyptiacæ captiuitatis; alter iniurias beneficiis compensarit, cùm vlcisci posset : isti verò peruicaces, & impatientes elati contra CHRISTVM ipsum, & Discipulos eius conspirarunt. *Sed recidet coniuratio hæc*, inquit Chrysostomus, *in CHRISTI laudem & exaltationem, cui nolentes aduersarij inseruiunt.*

Exegerat Ioseph puer annos sexdecim, decimumseptimum ingressus, cùm fratres accusauit siue de iurgiis mutuis, siue de nefando crimine, siue etiam de bestiali peccato, siue generatim de impuris, ac fœdis moribus: variant enim Auctores. Quæ ætas idonea bello (vt constat ex Scipione Africano, Alexandro Magno, Iulio Cæsare, & Augusto, & ex his quæ de militari apud Romanos ætate inter alios, & post alios scripsit Ioannes Anto. Valtrinus noster [z], & quam ætatem Terentius Varro citatus ab Augustino [a], adolescentiæ ianuam nominat) ideò expressa est, vt in tantillo puero tanta indoles castitatis, & virtutum reliquarum intelligeretur. Itaque tantùm abest, vt quod zelo iustitiæ, & amoris fraterni, & pietatis paternæ studio fecit, accusando fratres apud patrem, accusationem mereatur, quam in eum Hebræos nonnullos intendere Abulensis [b] refert, vt potiùs inde summam laudem mereatur.

Ætas bello idonea quæ sit. — z 2. de milit. Rom.c.4. — a 22.de ciuit. Dei.c.25. — b Gen.37.

Ioseph nullam culpam commisit fratres apud patrem accusando. — c 2.2.q.33.a.7. ad 2.

Vel enim priusquàm accusare, præmonuit fratres, vt idem notat, & prior illo S.Thomas [c], tametsi Moses non meminerit : vel ne id quidem opus fuit, cùm, vt textus Hebræus habet, דבתם רעה *dibbatham rahha*, id est, *infamiam eorum malam, & oblocutionem*, seu, famã de fratribus malam, rumorémque publicum patri renunciauerit : & quamuis res tectior esset, admonitionem iunioris fratres seniores irriderent, & contemnerent, atque admonentem odio etiam maiore prosequerentur, ac deteriores euaderent.

Ioseph cum Tobia comparatur. — d Tob.1.4.

Videor mihi puerum cum puero, Tobiam cum Iosepho aptè comparare posse, & quæ de Tobia [d] propriè dicta est, sententiam, æquè in Iosephum trãsferre: *Cùm esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.* Quo loco Serarius noster profert exemplum in Themistocle ex Plutarcho [e], qui cùm, ceteris pueris ludentibus,

e in Themist.

orationes

orationes meditaretur, ei magister dixit, *Te, ô puer, paruum nihil, sed magnum aliquid aut bonum, aut malum futurum auguror*: & sacrum ex Bernardo[a] de Malachia Episcopo, & de Basilio ex Nazianzeno[b]; atque extant aliorum Sanctorum exempla alia non pauca, qui sanctitatem quandam à puerilibus annis præ se tulerunt, & pueritiam senilem traduxerunt. Concedi potest, aliquam fuisse fortasse in puero Ioseph somnia narrante sua puerilem vanitatem; *sed quam*, vt ait Bernardus[c], *tot posteà, tantisque virtutibus obscurarit, & calamitatibus expiarit.* Mysteria numeri senarij supra denarium, vide apud Petrum Bongum.

a in vita Mal.
b ora. de S. Basilio.
c de gradibus humili. in 1.

Vendiderunt.] Non omnes: Benjamin enim vix trimus erat, Ruben aberat. Porrò pretium fuit עשרין כסף *bhesrin chaseph*, hoc est, *viginti argenteorum*, vt habent emendatiores codices Hebraici. & Chaldaici. qui sic legunt, עשרין סלעין דכסף *bheschrin silhhin dichsaph*, hoc est, *viginti siclis argenti*, quamuis aliqui habeant vigintiquinque, alij triginta, vt obseruant Ambrosius[d], & Augustinus[e]: notantes in posteriore figuram CHRISTI venditi pari numero argenteorum.

Ioseph à quibus, & quo pretio venditus.
d lib. de Isaac. c. 1. & lib. de Spirit. sancto. c. 18.
e Serm. 81. de Tempore.

Ostendit Petrus Bongus vicenarium numerum symbolum esse seruitutis, atque in id non pauca Scripturarum confert exempla. Septuaginta interpretes pro argenteis aureos reddunt: nam sic legunt, εἴκοσι χρυσῶν, hoc est, *viginti aureis*, vt notat etiam Hieronymus[f]; Iosephus[g] *minas*, quę, vt supputat Pererius[h], efficerent quadringentos octoginta aureos, si de minis Hebraicis sit sermo, vel, si de Atticis, ducentos. Lege quæ differui capite primo[i] de CHRISTI venditione.

f in Trad. He. in Gen. ca. 37. & Mat. 26.
g lib. 2. Ant.
h Gen. 37. d. 7.
i vers. 18.

Non est iam audiendus omninò Leo Castro[k], dum enixè pugnat legi debere triginta, & queritur corruptum à Iudæis eum numerum, atque restitutum in nouis Breuiariis lectione 3. Dominicæ tertiæ Quadragesimæ: nam, vt dixi, plures codices habent viginti, & Bibliorum editio emēdata iussu Sixti V. & Clementis VIII. & Breuiaria item emendata ab eodem Clemente VIII. sic etiam nuper in eadem lectione restituerunt, etiamsi aliqui codices habeant triginta, eámque lectionem, præter Ambrosium, & Augustinum, agnouerit Origenes[l], ac Beda[m]: *nec typum per omnia respondere necesse est*, inquit Iansenius[n], *& CHRISTVM pluris æstimari conueniebat, quàm ipsius figuram.*

k Apol. lib. 3.
l hom. 1. in c. 1. Exod.
m in c. 37. Gē.
n Conc. c. 138.

Emptores appellat sacer textus[o] ישמעאלים *ishmehheim*, id est, *Ismaëlitas*, atque מדינים *madianim*, id est, *Madianitas*[p], & meminit etiam venditum Putiphari Eunucho[q] à Madianitis, quos eosdem rursum nominat Ismaëlitas, loquens de hac secunda emptione[r]. Non est confugiendum ad triplicem venditionem cum quibusdam Hebræis apud Abulensem[s], sed pro eadem gente Ismaëlitæ, ac Madianitæ accipiendi sunt, vt non semel aliàs in Scriptura, quoniam erant ex duobus filiis vnius Abraham Ismaël[t], & Madian[u], & in eadem regione Arabiæ permistas habebant sedes, communique nomine dicebantur Arabes Hebraicè, כשיים *Chusim*, quod nomen vertunt quidem Septuaginta, & noster Interpres, *Æthiopes*, & כוש *Chus*, *Æthiopiam*: eam nempe, quæ Orientalis est propinqua Aegypto: tamen posteà vtrumque mutatum est in nomen Arabum, & Arabiæ.

o Gen. 37. 25.
p vers. 28.
q vers. 36.
r c. 39. 1.
s c. 37. *Ioseph quibus & quoties venditus sit.*
t Gen. 16. 11.
u infrà 25. 2.

Itaque mercatores prætereuntes, quibus Ioseph venditus est, partim erant Ismaëlitæ, partim Madianitæ: denominati autem sunt potiùs simpliciter Ismaëlitæ, aut quia hi plures, aut

Mercatores quibus venditus est Ioseph partim Ismaëlitæ, partim Madianitæ fuerunt.

A quia hi ditiores, etiamsi & Madianitæ in negotio emptionis, ac venditionis Ioseph participes fuerint, & nominatim quoque exprimantur. Hæc sententia est Augustini[x], & recepta.

x q. 124. in Gen. *cur Iudas...*

Consilium istis vendendi Ioseph dedit Iudas, ratus illum, quem morti eripere volebat, apud eos leuiorem seruiturum seruitutem, vt qui essent ei propinqua sanguinis necessitudine coniuncti: fuerat enim auus Ioseph, Isaac frater Ismaëlis, & Madian. Quæ fortasse causa fuit, cùr de tam paruo pretio inter ipsos conuenerit.

Porrò venditi Iosephi meminit etiam ex profanis Iustinus[y], tametsi nonnullis historiam mendaciis respergit, & hac Iosephum infamia, vt per B artes magicas sibi gratiam comparauerit; nisi fortè honestum Magiæ nomen, sicut alios fecisse non ignoramus, vsurpasse eum dicere velimus.

Iustinus venditionis Ioseph meminit.
y lib. 36.

In Ægyptum.] Nimirum tendentibus in Ægyptum negotiatoribus: qui cùm eò peruenissent, illum ibi vendiderunt Eunucho Putiphari[z], vt diximus, maiore scilicet, quàm emerant, vt solent mangones, reuenditorésque, pretio, tam eximiis ornatum corporis animique dotibus. *Breuiter narrans*, inquit Lyranus, *transit ad finem. Non enim primò Ægyptiis, sed Ismaëlitis negotiatoribus, & Madianitis venditus est, & illi vendiderunt eum in Ægyptum Putiphari sacerdoti.* In eodem sensu intelligenda est versio Syriaca huius loci, quæ sic est, ׳חבנוהי C למצרין *vezabnuhi lemetsraim*, id est, *& vendiderunt eum Ægypto*, seu *Ægyptiis*.

z Gen. 39. 1. *Ioseph in Ægypto iterum fuit venditus.*

Et erat DEVS cum eo.] Hæc, atque sequentis versus verba, & quæ prolixè narrantur in Genesi de diuino auxilio, ac fauore, Sapiens ita breuiter exposuit[a]: *Hæc sapientia, venditum iustum Ioseph, non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum: donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersùs eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit eos, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.*

a Sap. 10. 13. 14. *De Ioseph quid Sapiens scribat.*

Notanda verò phrasis, *Erat DEVS cum eo*, quæ vsurpatur etiam de Dauid[b], & de Ioanne Ba- D ptista[c], quamuis paulò aliter, ponendo *manum Domini*, pro Domino, vt alibi diximus[d]. *Fuit autem Dominus cum Ioseph*, inquit historia Genesis[e].

b 1. Reg. 16. 18.
c Luc. 1. 66.
d cap. 4. 28.
e cap. 39. 21.

Versus 10.] Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius: & dedit ei gratiam, & sapientiam in conspectu Pharaonis Regis Ægypti, & constituit eum præpositum super Ægyptum, & super omnem domum suam.

E *Et eripuit eum ex omnibus.*] Quod carptim in hoc versu attingitur, explicatè, ac fusè ponitur in cap. XLI. Genesis, & deinceps.

Eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius.] Ex importunæ heræ turpi suggestione, & ex vinculis. Seruiuit decem ferè annos, & in carcere duos exegit, ingressus trigesimum. *Singulare beneficium fuit non occidi creditum adulterum*, inquit Chrysostomus[f]. In vinculis dira passum, planè significat Dauid[g], & Sapiens[h]. Ibi qui præerat, partes suas in gubernatione vinctorum permisit ei. Sunt hæc in capite trigesimonono Genesis.

Ioseph quæ aduersa sit passus.
f Hom. 62. in Genes.
g Psalm. 104. 17. 18.
h c. 10. 13. 14.

Dedit ei sapientiam.] Non erat ergo Ioseph magus, vt de eo scripsisse Iustinum historicum priùs monui. Quin etiam Ioseph ipse satis discussit

Ioseph non fuit magus.

hanc,

hanc, quæcumque esse posset de illo, opinionem, præfatus Regi antequàm somnia ei sua exponeret, dicenti, *quæ audiui te sapientissimè conicere*[a], *Absque me* DEVS *respondebit prospera Pharaoni*[b], id est, DEI est hoc opus, non humanæ sapientiæ. Is per me, quasi per organum suum, tibi, quæ regno tuo conducant, declarabit. Vnde Chaldæus vertit, בר מן חכמתי אילהין מן קדם יהוה איתותב ית שלמא לפרעו *bar men chachmethi elahen min kadam* ADONAI *ithothab ieth schelama leparhho*, id est, *Non ex mea sapientia, sed à facie Domini respondebitur pax Pharaoni*. Septuaginta sic interpretantur, ἀνδ᾽ τῦ θεῦ ὀκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον φαραώ, id est, *Sine* DEO *non respondebitur salutare Pharaoni*. Symmachus: *Non ego, sed* DEVS *respondebit pacem Pharaoni*. Videtur Paulus Orosius[c] Iustinum redarguere.

A

Gen.41.16.

eis.17.

B

lib.c.8.

Pharaonis.] Aegypti regum commune nomen erat, quoniam & multi memorantur à Scriptura appellati hoc nomine in Aegypto reges, & nonnunquàm subiungit eadem Scriptura vocabulo Pharaonis proprium nomen eius, vt Nechao[d], Ephree[e], Sesac[f], Suas. Eusebius[h] (& Philippus Solitarius[i], qui citat Isidorum) perinde Pharaones dictos ait, vt Augustos Romanos Imperatores.

Hieronymus[k] idem tradit, addens comparationem de nomine Cæsarum apud eosdem Romanos, cum nomine Antiochi apud Syros, Arsacidæ apud Parthos: id etiam habet Iustinus[l], Strabo[m], Dion[n]. Sed post Alexandrum, reges in eadem Aegypto nominatos Ptolomæos vsque ad Cleopatram, qua victa ad Actium, Aegyptus Romana est facta prouincia. Addere possumus cum Basilio[o] apud Philistæos nomen Abimelech, qui itidem docet illud de Pharaone. Prætereà de Nabuchodonosor apud Babylonios: de Dario, Cyro, Xerxe, Artaxerxe apud Medos, & Persas, Hebræi verò pro Artaxerxe dicebant Assuerum. De nomine Cleopatræ pro Ægypti reginis, & Candaces pro Aethiopum similiter reginis, vt videbimus capite octauo[p], de nomine Herodis apud Iudæos. Adhæc reges Albanos cognomen Syluij gestasse, testis est Dionysius Halicarnassæus[q], & Festus[r], & Liuius[s], & Seruius[t]. Latinos Murrhani, vt hic idem obseruat, iuxta id Virgilij[u]:

C

Murrhanum hic atauos, & auorum antiqua sonantem
Nomina, per regesq́; actum genus omne Latinos.

Prætereà, vt adhuc Auctor hic prodit*, Atheniensium reges cognominati sunt Cecropidæ, Indorum vel Palibroti, vel Sandracocti, vel Taxiles, vt placet Straboni[x], & de tertia appellatione meminit Plutarchus*, & Q. Curtius[y], etsi alij nomen gentis Indicę, & Palimbrotam vrbem amplissimam in India faciant. Idem de nomine Nicomedis Bithynis regibus communicato refert Strabo[z]: Paphlagonibus Philomenis Iustinus[a]: Thessalis Hellenis, Solinus[b]: Armenis Tigranis, Xenophon[c], Plutarchus[d], Iustinus[e], Dion[f], L. Florus[g], Valerius Maximus[h]: Molossis Pyrrhidæ, Plutarchus[i]: Ponti Mithridatis, idem Auctor[k]: Persis, qui eunuchi essent, Bagoij, Plinius[l]: Regibus Hunnorum, Gagani, Turonensis[m], passimque Paulus Diaconus, Rhegino, Sigebertus: Longobardorum, Flauij, Paulus Diaconus[n]: Africæ Proconsulibus, Scipionis, Capitolinus[o]. Legēdi Isidorus[p], Eucherius[q], vetus Iuuenalis interpres[r]. Lege Tiraquellum in Notario-

D

E

nibus ad Alexandrum ab Alexandro[f].

Verùm, vt ad Pharaonis nomen reuertamur, sic dictum putat Ludouicus Viues[t], quasi Pharonem, à Pharo insula è regione Alexandriæ, olim Carpathos dictæ, vbi regnauit Protheus. Atqui tempore Abrahæ dicebatur Ægypti rex Pharao, quando etiam dicta insula Pharus videtur, & non Græco vocabulo Carpathos nominata: nec à tam ignobili loco nomen tam illustre desumptum verisimile est.

f lib. 3. c. 2. *Pharao rex Aegypti vnde cognominatus sit.* t 16. de ciu. c. vlt.

Iosephus[u], qui stetisse hoc nomen apud Ægypti reges ait, post Minæum conditorem Memphis, & Abrahamo antiquiorem, vsque ad Salomonis tempora mille trecentos, & ampliùs annos (hic labitur in Chronologia, in eo quòd post Salomonem reges Aegypti Pharaones vocatos negat) Aegyptia lingua Pharaonem regē significare tradit: reges autem à pueritia nominibus aliis discretos, cùm primùm regiam dignitatem inirent, eius dignitatis ac potestatis nomen patriæ linguæ vernaculum assumentes, Pharaones esse appellatos. Annotat item notata iam de Ptolomæis Aegypti regibus, & de Cæsaribus Romanis Imperatoribus.

Iosephus de hoc nomine quid sentiat. u 8. Ant. c. 2. vel 6.

Lege Pererium in Genesim[x], qui meritò adhæresit rationi nominis, quam Iosephus attulit, quam rationem inde confirmo, quòd pari modo iuxta Persarum idioma, vt scribit Herodotus[y], Artaxerxes, Magnum bellatorem sonet; Xerxes bellatorem; & Assuerus, Magnum caput; Darius ἐρξείην coërcitorem aduersariorum denotet. Sed & nomen proprium moris fuisse mutare Persis, cùm ad Imperium accederent, probatur Codomani exemplo, qui ne quid Regiæ maiestati deforet, Darij nomine voluit honorari, vt scribit Iustinus[z].

Iosephi sententia de Pharaonis nomine probatur. x c. 12. disp. 7. y lib. 6.

Constituit eum præpositum super Ægyptum.] Somniorum regis solers coniectatio, & consilium prudens circa annonam, Iosephum eò dignitatis extulerunt, vt latè describitur in Genesi, capite XLI. & Psalmo CIIII. & Sapientiæ X. *Quis expectasset*, inquit Philo[a], *intra vnam diem è seruo dominum, è vinclo præstantissimum omnium, è carcerarij vicario proregem fieri, & regiam inhabitare pro carcere, & ex ignominia extrema in supremū honoris culmen ascendere? Pro compedibus*, ait Rupertus[b], *in quibus humiliauerant pedes eius*[c], *torquem aureum accepit, pro seruili nomine, & habitu, regium portat annulum, pro carceris humilitate, super altum sedit Imperij currum.* Subiungit idem Auctor Iosephi comparationem cum CHRISTO, & annulum regium, stolam byssinam, torquem aureum, regalem currum, cum quatuor dignitatibus insignibus, quæ post passionem CHRISTO collatæ sunt à PATRE, confert. In multis prætereà aliis Iosephum gessisse typum CHRISTI, Patres annotant. Quòd precibus fratris Ruben à morte liberatus est, & tamen in cisternam missus, præfigurauit à Pilato, quamuis inuito, damnatum ad mortem, vt ait Augustinus[d], & Prosper[e]: Quòd nudatus est à fratribus tunica talari, diuisas à militibus CHRISTI vestes, vt iidem dicunt[f]: Quòd cum duobus Regis ministris in carcerem missus est, CHRISTVM ad mortem ductum vnà cum duobus latronibus, iidem eodem loco docent: Quòd triginta natus annos stetit in conspectu Pharaonis, CHRISTVM indicat eadem ætate cœpisse prædicare, vt obseruat Hieronymus[g]: Quòd salutem attulit Aegypto, & fratribus, à CHRISTO veram

z lib. 10. *Iosephus qua ratione ad tantum dignitatis fastigium euectus sit.*

a lib. de Ioseph.

Magna & subita Ioseph ex humili in altū eleuatio. b lib. 8. in Gen. c. 40. *Iosephi cū Christo comparatio.* c Psal. 104. 18.

Ioseph in quot & quibus Christi figura fuerit.

d lib. 12. cont. Faustum. ca. 28. & Ser. 81. de Temp. e 2. de Præd. cap. 22. f Aug. Serm. 81. de Temp. Prosper. p. 1. c. 26.

g in cap. 1. Ezech.

toti mundo salutem allatam, vt notant Augustinus [a], & Prosper [b]: Quòd mortuo ipso, dicitur populus valdè creuisse, vt inferiùs videbimus, post mortem CHRISTI, vt qui fuit granum frumenti in terra mortuum [c], Ecclesiam latissimè excreuisse, vt idem Augustinus [d]. Denique in omni actu Iosephi docet Augustinus [e] notabilem aliquam CHRISTI figuram existere; & Rupertus [f] ostendit somnia etiam ipsa Ioseph valdè similia esse parabolis CHRISTI, & doctrinæ. De pretio, quo venditus est vterque, monui superiùs [g] non fuisse, vt nonnullis visum est, similitudinem, quoniam Ioseph viginti duntaxat, CHRISTVS argenteis venditus est triginta. Ipsa vestis adolescentuli polymita, varium pulcherrimarum CHRISTI virtutum designat ornamentum: Misit Iacob illum ad quærendos fratres; missus est CHRISTVS à DEO PATRE ad quærendos nos, quos habet loco fratrum: Fera pessima inuidiæ Iudaicæ deuorauit CHRISTVM; ipsa CHRISTI caro imbuta est proprio sanguine: qui creditus est extinctus, dominatur Aegypto & mundo; mendacio persuadere conati sunt Iudæi non resurrexisse CHRISTVM, sicut fratres Ioseph illum planè mortuum mentiti sunt: Diu Ioseph imperauit clam fratribus, CHRISTVM ignorant Iudæi, donec ad vesperam famem patientes, vt canes, conuertantur [h]: Eductus de cisterna Ioseph venditur Ismaëlitis, CHRISTVS existens de sepulcro, fidei commercio comparatur à Gentibus. Iulius Firmicus prodit, Aegyptios, patrio gentis instituto, templa Iosepho posuisse. At iure diuino hæc passim excitata sunt CHRISTO. Si quis cupit eundem Ioseph conferre cum sponso MARIÆ, Bernardum legat [i]: lege quoque Hieronymum Gratianum [k].

Hinc verò etiam tropologia elegans & salutaris extrahi potest, quàm abundanter, & cumulatè DEVS labores atque ærumnas compenset, *& momentaneum ac leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate infinito quodam pondere gloriæ* [l] reparare consueuerit. Calamitas Ioseph durauit annis tantùm quatuordecim, prosperitas octoginta, siquidem ab anno trigesimo vsque ad centesimumdecimum [m], quo mortuus est, perpetua floruit tranquillitate, gloria, prosperitate.

Versus 11.] Venit autem fames in vniuersam Ægyptum, & Chanaan, & tribulatio magna: & non inueniebant cibos patres nostri.

VENIT *autem fames in vniuersam Ægyptum.*] Hanc famem prædixerat Ioseph Pharaoni [n], & significauerat sicut vbertatem septennalem, ita & illam per æquale spatium à singulari quadam DEI prouidentia futuram fuisse. Nam dixit Ioseph exponens somnia regis [o]: *somnium regis vnum est*, id est, eôdem illa duo somnia pertinent; *quæ facturus est DEVS, ostendit Pharaoni*: hoc ipsum satis innuunt verba Psalmi [p]: *Vocauit DEVS famem super terram*, id est, misit, & fecit esse famem: ea loquendi forma, qua Paulus de DEO dicit [q], *quòd vocat ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt*: & sæpe in Scriptura vocari, idem est quod esse. Exempla ponit Maldonatus, & habentur [r], quorum primum per, *est*, exponitur [s], & secundum [t].

A Alioqui si modo naturali, ac per naturales causas contigissent, eas quoque coniicere forsan quis potuisset, per astrologicas, & physicas rationes, nec opus fuisset ea sapientia, quam ad hoc cognoscendum, & prædicandum, Iosepho communicatam Scriptura [u] dicit, & ipse etiam præ se tulit [x]. Sanè quidem naturæ ordinem, & facultatem excedere videtur, vt in eâdem regione rerum abundantia maxima per septem continuos annos perduret, & post eam proximè per septem alios etiam continuos annos summa sterilitas, faméśque subsequatur.

Atque ideò magis intelligitur, quòd in Aegypto Nilus *moderatè exundans abundantiæ causa est;* B *parcior, vel exundantior penuriæ*, vt Plinius testatum reliquit [y]: *ita vt per duodecim cubitos inundante Nilo, famem prouincia sentiat, per tredecim etiamnum esuriat: quatuordecim hilaritatem afferant, quindecim securitatem, sexdecim delicias*: ac maximum quidem incrementum fuisse semel tradit octodecim, minimùm quinque.

Itaque oportuit vt præter vim, & cursum naturæ, sola DEI potestate fieret id incrementum Nili vltra sexdecim, vel octodecim cubitos, vnde tanta fertilitas sequeretur per septem annos continenter; contrà verò perexiguus esset fluminis auctus infra duodecim, aut etiam quinque, ex quo fames tam atrox accideret.

C De famis incommodis, & grauissima calamitate multa sunt quæ ex sacris, & profanis literis proferri possent. Scripsit Basilius proprium de ea sermonem, simulque de siccitate, in quo tanti mali acerbitatem exaggeratè scribit; quod faciunt etiam ex profanis Plutarchus [z], Gellius [a], Rhodiginus [b], Ouidius [c], anteponens illud ceteris, quibus humanum genus vexari potest, vt omittam summum Latinorum Oratorem [d], qui nihil fame miserius affirmauit.

Id profectò vates diuinus vnus verbis disertis explicauit, Ieremias scilicet, qui ita lamentatur [e]: *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame, quoniam isti extabuerunt consumpti à sterilitate terræ.* D Nec absimile est quod Græcorum poëta primus cecinit [f]:

Πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι
Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν. id est,
Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis,
At periisse fame res vna miserrima longè est.

Quo tempore Vrbem inopia maxima incessit, & annonæ præfectus primus creatus L. Minutius ex primariis, auctor est Liuius [g], multos ex plebe, ne diutina fame cruciarentur, capitibus obuolutis sese in Tyberim præcipitauisse. Prodigiosas fames coaceruat Mauritius Hilaretus [h], & Philippus Bosquetius in flagro academiæ peccatorum, E quod opus Gallicè scripsit [i]. Quid plura? omitto rabiem, & feritatem, qua fames humanitate expolians hominem induit, vt dentem non in suorum modò, sed in sui etiam ipsius carnem figat: liberi homines libertatis, qua nil pretiosius ducunt, fieri iacturam antè patiuntur, quàm lenta illa tabe exedi, & consumi. Cuius rei documentum sunt in proposito & Aegyptij, & fratres Ioseph. Argutè apud Plautum [k] Saturio loquitur Toxillo seruo suo:

Me quoque etiam vendas licet, dum saturū vendas.

Et Lucanus [l]:

Gnarus & irarum causas, & summa fauoris
Annonæ momenta trahi: namq; asserit vrbes
Sola fames, emiturq; metus, cùm segne potentes

Vulgus

a q. 141. 148. 167. in Gen.
b 2. de Præd. c. 19.
c Ioan. 12. 24. 25.
d Serm. 14. de Tem.
e Serm. 81. de Temp.
f li. 8. in Gen. cap. 22.
g vers. præcedente.
h Psal. 58. 7.
i Ser. 2. super, *Missus est.*
k in vita Ioseph. li. 1. c. 2.
Deus hominum piorum calamitates magnis honoribus cumulare & compensare solet.
l 2. Cor. 4. 17.
m Gen. 50. 25.
Fames & vbertas à Iosepho prædicta.
n Gen. 41. 30. 31. & seq.
o vers. 25.
p Psal. 104. 16.
q Rom. 4. 17.
r Matth. 19. Genes. 21. 12. Esa. 56. 7.
s Rom. 9. 7. 8.
t Luc. 19. 46.

Non fuerunt naturales has causas propria.
u hic vers. præced.
x Gen. 41. 21.
Nilus in Aegypto abundantiæ & penuriæ causa est.
y lib. 5 Hist. c. 9. & 10 Panegyrico.
Quando fertilitas & penuria ex Nilo sequebantur.
De miseria famis.
z opusc. de tuend. valet.
a lib. 16. c. 3.
b lib. 11. c. 14.
c 8. Metam.
d 5. ad Attic. ep. 21.
e Thren. 4. 9.
f Homer. Odyss. 12.
g lib. 4 longè ante medium.
h Concio. in fer. 2. post Domi. 4. Quadragesimæ.
i lect. 1. num. 20.
k in Persa.
l 1. de bello Pharsal.

Vulgus alunt:nam nescit plebs ieiuna timere.
Fames loqui volucres docet, vt psittacum τὸ χαῖρε,&c.vt eas quæ Psaphonem magnum esse Deum garriebant [a]. Agiles, & alacres ad volatum reddit pullos aquilinos [b]. Columbam tempore Noëtici diluuij in arcam retraxit [c]:ancillam Agar, vt heræ obediret,adegit [d].

a Maximus Tyrius Serm. 19.
b Plin.lib.10. c.3.& 4.
c Gen.8.9.
Fames in Scriptura decem celebrantur.
d infrà 21.15. & seq.

Chaldæus [e] paraphrastes obseruat decies in Scriptura cladis famem immissam ad castiganda peccata, & constat inter supplicia grauiora, hoc velut grauissimum peccatoribus comminatum Devm [f], nimirum plus quàm gladium, pestem, malas bestias.Prima fames fuit sub Adam,propter cuius inobedientiam negauit prouentus suos terra [g]:secunda [h], viuente Lamech,qui primus bigamiam induxit: tertia, tempore Abram *, quo obliti mortales vltionis diuinæ per diluuium, redierunt ad peccata priora: quarta, dum viueret Isaac,quãdo Ismaël à vero Dei cultu deficiebat [i]: quinta, hæc ipsa, de qua agimus, quæ sanè debebatur peccatis fratrum Ioseph, & Putipharis Eunuchi [k]:sexta superstite Booz,quando Hebræi deposita memoria liberationis suæ ex Aegypto, & tot aliorum diuinorum beneficiorum, seruierunt Baalim,& Astaroth [l]:septima,regnãte Dauid,propter grauia scelera Saulis [m]: octaua, ad vindicandam Achab, & Iesabelis tyrannidem, & impietatem, atque crudelitatem aduersùs Eliam, & alios Prophetas [n]:nona sub Elisæo similibus de causis [o]: vltimam prædixit Amos [p]: *non famem cibi, sed audiendi verbi* Dei:qua fame premuntur Iudæi: nos autem panibus abundamus [q].

e Ruth 1.
f Deuter. 28. 20.48.& cap. 32.24. Ier.15. 2. Ezech. 14. 13.Genes.1.& 4.Leuitic.26. 16.Osee 2. 9. & 8.7. Psalm. 106.5.18.Prouer.1.13.
g Genes.3.17. 18.19.
h Gen.5.29.
* Gen.12.10.
i Gen.26.1.
k Gen.39. & 41.
l Ruth 1.1.
m 2.Reg.21.1.
n 3.Reg.17.1.
o 4. Reg. 6. 25.
p cap.8.11.
q Luc.15.17.
Fames flagella à Deo infensa peccatis prouenire.
r Hom.de fame.

Itaque rectè Basilius [r],& Hieronymus [s] generaliter pronunciant,famis, penuriæ,& egestatis flagella auctore Deo peccatis infenso descendere.

Iusti famis non vexantur.
s Malach.3.
t Exod.16.4. & seq.3.Reg. 18.41.& seq. Dan.14.33. & seq.
u Psal.36.19. Prou.10.3.
* Hesiod. In Ergis.

Etsi verò calamitas communis inuoluat etiam iustos, vtpote partem aliquam communitatis:attamen verum etiam est, illos Deo curæ esse, & à famis periculo mirabiliter liberari: quod fecisse Devm [t], non tantùm promisisse [u], docent eædem sacræ literæ, ac in primis præsens exemplum fratrum, & patris Ioseph, immò Gentilis poëta negare non dubitat, vexari fame iustos, sic scribens *:

Οὐδέποτ' ἰθυδίκαισι μετ' ἀνδράσι λιμὸς ὀπηδεῖ,
Οὐδ' ἄτη, θαλίῃς δὲ μεμηλότα ἔργα νέμονται,
Τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον. id est,
Nunquam dira fames iustos diuexat in orbe
Aut noxa,ast illis conuiuia pinguia præbent
Cœlicolæ,& tellus his victum præbet abundè.

Cur etiam improbo Deus probos punit.
x 3. de ciuit. Dei c.9.

Ex multis causis,ob quas iusti iustè plectuntur nonnunquàm à Deo, vna est, quæ in Patriarcha Iacob locum fortassè habuit; illa nimirum, quam Augustinus [x] assignat, nec paruam esse arbitratur, *quando à malis docendis, admonendis, aliquando etiam obiurgandis, & corripiendis malè dissimulatur à bonis, vel cùm laboris piget, vel os eorum verecundatur offendere, vel cùm eorum inimicitias deuitant, ne impediant, & noceant, in istis temporalibus rebus, siue quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, siue quas amittere formidat infirmitas:qua in re non vtique parem, sed longè grauiorem habent causam: quibus per Prophetam dicitur: Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram* [y]. Nam filios,quorum fama mala percrebuerat,& à Ioseph ad patrem delata fuerat [z], indulgentior forsan Iacob segniùs admonuerat,remissiùs castigauerat. Certè idem Augustinus [a] obseruauit luisse Iacob hac & similibus tribulationibus minuta quædam peccata.Sed legendus omninò Cyprianus ad Demetrianum,& de mortalitate.

y Ezech.3.18.
z Gen.37.2.
a Serm.82.de Temp.

In Chanaan.] Ioseph quidem non prædixerat famem futuram nisi in Aegypto:colligi tamen id facilè poterat, & de aliis tantæ ac tam fertili vicinis prouinciis: atque etiam de Chanaan expressum habetur in Genesi [b]. Porrò notissima est regio Chanaan à filio Cham filij Noe,cum nomine originem sortita, multásque dispertita in prouincias sub propriis nominibus, licèt vna id sibi vt proprium asciuerit. Cessit tota in hæreditatem Hebræorum, & promissionis terra vocata est.Lege Hieronymum [c], & Lyranum [d]. Quandoque generaliter omnis negotiatorum regio vocatur Chanaan: valet id enim vox Hebræa כנען *Chanabhan*. Vnde quod habetur apud Zachariam [e], *Et non erit mercator vltra in domo Domini*,Hebraicè est, כנעני *Chenabhani*,id est,*Chananæus*,vt est apud Septuaginta,& Chaldæum paraphrasten: Aquila verò, similiter vt noster Interpres, reddit mercator: & pro institoribus apud Esaiam [f] Hebræus textus habet, כנעניה *Chinbhaneha*, id est, *Chananeos eius*,idque quidam volunt intentum, quando Christvs eiecit de templo vendentes [g]. Item in Prouerbiis habetur, *Cingulum tradidit Chananeo* [h], id est,mercatori; eadem significatione dicitur Babylon [i], ארץ כנען *eretz Chanabhan*, id est, *terra Chanaan*.

b cap.42.6.
c in trad.Hebra.
d in cap. 17. Ezech.
e cap.14.21.
f cap.23.8.
g Matt.21.12. Ioan.2.15.
h c.vlt.24.
i Ezech. 17. 4.

Versus 12.]Cùm audisset autem Iacob esse frumentum in Ægypto, misit patres nostros primùm.

Cvm *audisset autem Iacob*.] Erat in Aegypto frumentum sapientia, & industria Iosephi, qui quod consilium Pharaoni dederat, Pharaonis volũtate ipse executus est. Nam cum rex præfecit Aegypto annonæ procurandæ causa,quod munus apud Romanos etiam perhonorificum habebatur,siquidem & qui id gessit primus L. Minutius, ex principibus viris erat, vt superiùs retuli ex Liuio [k]: & Pompeio Magno,post exactos piratas,ac debellatum Mithridatem, atque Orientem Romano Imperio subiugatum, tresque orbis partes gloriosissimè triumphatas, huiusmodi Præfectura delata est, *non minus et gloriæ*, vt Plinius [l] prodidit, *addens,quàm superiora*. Describit eleganter Cassiodorus [m] formulam Præfecturæ Prætorianæ,docétque primum huius dignitatis infulas Iosephum consecrauisse: & ab illo Patriarcha nunc Præfectum patrem appellari Imperij,& hodieque voce præconis euulgari, vt olim illum præco Pharaonis iussu inuulgauit.

Munus annonæ procurandæ apud Romanos perhonorificum.
k li.4.Hist.
l in Panegy.
m libr. 6. variа.epist.3.

Itaque Ioseph septem vbertatis annis per constitutos in singulis amplissimæ prouinciæ regionibus præpositos, quintam partem frugum condi iussit in horrea,& reseruari futuræ sterilitati, quæ cùm aduenisset,vendebantur.

Viri iusti præsentia vtilis, & salutifera est. Testis Segor, quam ab incẽdio,quo deflagrauit infamis Pentapolis,Lot præsens liberauit [n].Testis Laban, atque etiam testificans ipsimet Iacob, quòd experimento didicisset, quia benedixerit ei Dominus propter illum [o]. Testes filij illi Israël, de quibus proditum est, quòd vbicumque habitabant lux erat, ceteris in Aegypto densa caligine contectis [p]. Testis Naaman, qui vnus extitit causa salutis vniuersæ Syriæ [q]. Testis B. Virgo sanctificans Ioannem sua præsentia [r], verbisque, vt ait Cyrillus Alexandrinus [s], & Ambrosius [t]:

Viri iusti præsentia vtilis.
n Gen.19.29. 30.
o Gen.30.27.
p Exo. 10. 23.
q 4. Reg.5.1. & seq.
r Luc.1.44.
s de Fide ad Reginas.c.de Euang. secũdùm Lucam.
t de Institut. virg.c.7.

a Iudic.17.13.

testis denique Michas [a], qui habens puerum sacerdotem apud se, dixit: *Nunc scio quia benefaciet mihi* DEVS *habenti Leuitici generis Sacerdotem.* E contrario exploratum est, vel vnius improbi societas, aut vicinia, quantum damni integræ multitudini sæpe attulerit, & afferre possit, ita vt *aliquid mali sit propter vicinum malum* [b]. Talis Abimelech [c], Acham [d], affines Saul [e], Dauid cùm populum recensuit [f], Sennacherib [g], Pharao Hebræorum persecutor [h], Ionas [i], cui persimilis in casu simili Maria quædam sceleratissima fuit, cuius mentio est in Prato spirituali [k]. Talem prætereà canit Aiacem Virgilius [l] fuisse:

Multa mala nonnunquàm vnius hominis mali præsentia affert.

b Plaut. in Mercato. Actu 4. Scena 4.
c Gen. 20. 7.
d Iosu.7.1. & seq.
e 2.Reg.21.1.
f 2.Reg.24.1. & seq.
g 4. Reg.19. 15.& seq.
h Exod. 5. & seq.cap.
i Ionæ 1.4.& seq.
k cap.76.
l Æneid.1.
m in Romulo.

—Pallásne exurere classem
Argiuûm, atque ipsos potuit submergere ponto
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?

Plutarchus [m] memorat, cùm Romanos ac Laurentes dira lues popularetur, sterilescerent agri, pecudesque morerentur, & sanguine plueret, non antè finem habuisse diuinam iram, quàm deditis ad supplicium, punitisque parricidis. Sapienter, ac verè Græcus poëta [n]:

n Hesiod. in Ergis.li.1.

Πῆμα κακὸς γείτων ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ,
Ἔμμορί τοι τιμῆς ὅς τ' ἔμμορι γείτονος ἐσθλοῦ,
Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη. id est,
Vicinus malus est graue damnũ, vt amicus opẽ fert,
Sortitus frugi vicinum est nactus honorem,
Non pereat tibi bos, ni vicinus malus adsit.

Argutum quoque fuit Themistoclis consilium, quo vt villam faceret vendibiliorem, edici voluit, Ἀγαθοὺς ἔχει γείτονας, *Bonos habet vicinos* [o].

o Plutarc. in Themistocle, & in Apopht.

Misit patres nostros primum.] Non potuit latere Chananæos, & finitimos populos annonæ comparandæ huiusmodi opportunitas: & iam Abram, vt fami remedium quæreret, ex Chanaan quoque perrexerat in Aegyptum [p].

p Gen. 12.10.
Cur Iosephus patrem suum de suo statu certiorem per tot annos non fecerit.

Sed mirum sanè videri potest, cur nec Ioseph per tres, & viginti annos de statu suo patrem fecerit certiorem, quem non nesciebat magno ipsius causa in mœrore ac dolore versari: nec id ei vnquàm DEVS, qui toties apparens, arcana alia patefecerat, indicauerit; nec demùm viri Hebræi, qui tota Aegypto à rege secundus dominabatur, & frumenta pro arbitrio dispensabat, ad eos fama peruenerit, ac ne leuis quidem fratres, patremque de Ioseph suspicio pulsauerit.

Prouidẽtia Dei factum id est.
q Serm.82.de Temp.

Et hoc Augustinus [q] DEI singulari consilio voluntatique deputat, vt per diutinam illam afflictionem à quotidianis delictis, leuibusque peccatis purgaretur Iacob, eiusque augescerent merita, & maiora essent in futura vita præmia. *Cæteroqui enim ab eo loco,* inquit, *vbi erat Iacob, vsq; in Aegyptum vix erant trecenta milliaria: & frequentissimè ex Aegypto in terram Chanaan, & hinc in Aegyptum magna fiebat hominum commeatio & concursus: nec defuit vel Iosepho suorum memoria, vel facultas, opportunitásque mittendi ad illos, saltem quando summo honore, & potestate regebat Aegyptum.*

r q.93.in Genesim.
Vt Prophetia de seruitute Aegyptiaca exitum haberet.
s Gen.15.13.

Alio modo Theodoretus [r] quæstioni huic satisfacit: *quoniam aliter prædictio Abrahæ facta* [s], *posteros eius in terra aliena peregrinaturos, & durissimam ibi seruitutem experturos, non compleretur: statim enim Iacob resciens charissimum filium Ioseph viuere, & seruum esse in Aegypto, quantolibet eum pretio redimi, & ad se reduci quamprimum curasset.* Oportuit igitur, tamdiu Iosephi statum patri esse ignotum, quoad ille patrem ipsum cum omni familia, summam adeptus apud Aegyptios dignitatem accerseret, ibique multiplicatis eorum posteris, exitum sortirentur pridem ante denunciata.

A

Ad has causas duas tertiam censeo adiungendam cum Pererio [t], post Thomam Anglicum (qui sub B. Thomę Aquinatis nomine circumfertur) videlicet præscriptum esse à DEO tempus, quo tempore Ioseph seipsum suis manifestaret, expectaretque dum illos fames ad se venire compelleret, eosdémque aliquantisper durè ac asperè tractaret, vt per huiusmodi vexationem crimen agnoscerent, & pœnitentia castigarent: ac tandem accersito patre, diu in Ægypto ipsi, posterique tranquillè, ac prosperè transigerent.

t Gen. 42. in Præfat.
Debuit non fratres crimen in ipsum patratum agnoscere.

Accedit mystica ratio, vt adumbraretur Iudæos in veri MESSIÆ summa ignoratione perdiu futuros, tandem verò misericordia eiusdem, in ipsius esse cognitionem, fidem, cultumque venturos.

B

Versus 13.] Et in secundo cognitus est Ioseph à fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus eius.

ET *in secundo cognitus est Ioseph.*] Syrus sic & legit, וכד אזלו דתרתין זבנין אודע יוסף נפשה לאחוהי *vechad azalu dethartihen zabnin audahh Iauseph napscheh lachauhi*, id est, *& cùm abiissent in secunda vice, notum fecit seipsum Ioseph fratribus suis*; vel, *& cùm bis profecti essent, patefecit seipsum Ioseph fratribus suis.* Narratur in Genesi [u] longa dissimulatio Ioseph, & asperitas aduersùs fratres suos, & quemadmodum cùm iterum reuertissent, posita simulatione, illos omni officio, & humanitate, pro fratre se gerens, prosecutus sit. Dictæ asperitatis causam iam ex Thoma Anglico [x] retulimus, vt veniam faciliùs impetrarent à DEO, pœnámve luerent impietatis contra fratrem commissæ. Augustinus [y] aliam insuper adiicit, vt dilatio, & ex spe dilata nascens afflictio plenius, ac vberius gaudium efficeret. Tertia est Iosephi historici [z], Chrysostomi [a], Lyrani [b], & Abulensis [c], vt hac ratione Ioseph Patriarcha sciscitaretur de patre, & de Benjamin, qui aberant, veritus ne & hunc vel occidissent, vel vendidissent. Quarta rursum Thomæ Anglici [d], vt quadam profunditate sapientiæ circumducendo fratres, quasi stultos, & malitiosos, & faciendo eos coram se incuruari, & contremiscere, & incarcerari, somnia ipsius vera fuisse appareret. Quinta ex eodem Auctore [e] refertur, quoniam consulebat hoc modo modestiæ ac reuerentiæ fratrum, ne crimen eorum proderet in publicum: placauit quoque inuidiam, & cohibuit malitiam (censeri possunt hæ rationes nouæ) qua fortasse potuissent instigari ad machinandum aliquid contra vitam eius, si sciuissent illum viuere in magna prosperitate, & gloria.

C

u c.42. & 43.
Cur tanta asperitate erga fratres suos Ioseph sit vsus.
x in Genes.
y q. 146. in Genesim.
z 2. Antiq. c. 3. vel 4.
a Hom.64.in Genes.
b q. 100. in Genes.
c Gen.42.

D

d ibidem.
e ibidem.

E

Imitandum proponit Gregorius [f] Iosephi exemplum doctori, ac rectori, vt seueritatem cum lenitate sapienter, & dextrè coniungat; assignans quoque primam ex allatis causis, cur vti seueritate Ioseph voluerit. Obseruat prętereà DEI planè admirabilem prouidentiam, vtentis fratrum inuidia, quæ impedire nitebatur diuina consilia, ad ea ipsa ad exitum perducenda. Atque id etiam facit Basilius [g].

Ioseph proponitur seueritatis & lenitatis exemplum.
f Hom.11.in Ezech.

g Homil. de inuidia.

Et manifestatum est Pharaoni genus eius.] In Genesi [h] narratur gauisum Pharaonem, atq; omnem familiam eius, voluisseque, vt tota cognatio Ioseph veniret in Ægyptum. Præstantissima virtus, & maxima merita Ioseph in Ægyptum, tum

h c. 45.16.& seq.

Princi

Merita Ioseph & verum eum omnibus charũ reddiderunt.

Principis, tum procerum beneuolentiam ipsi conciliabant: cùm alioqui aulicis solemne sit adulatione inuidiam tegere aduersùs eos potissimùm, quos videant ex humili conditione, & ex aliena gente, locóque, ad altissimum repentè gradum prouehi.

Ioseph nobilitas magis innotescit apud Aegyptios redditu posteaquàm agnitus fuit.

Genus eius.] Nomen generis indicat fortasse gaudij Pharaonis causam fuisse, quòd ita innotesceret nobilitas, & claritas generis Ioseph, cuius obscuritas apud Aegyptios nonnihil ei gloriæ facilè decerpebat: & in regem ipsum, qui alienigenam, obscurum, seruilisque conditionis tam altè extulisset, subditorum odium, ac maleuolentiam prouocabat. Syrus legit, שוהמה דיוסף *tubameth deiauseph*, id est, *cognatio ipsius Ioseph*, quo verbo videtur magis ipsius nobilitas declarari, cùm ex isto dilucidè magis propinqui cognatique ipsius distinctiùs intelligantur.

Versus 14.] **Mittens autem Ioseph, accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuagintaquinque.**

MITTENS *autem Ioseph.*] Misit Ioseph iussu Pharaonis: nec Genesis vlla recitat Iosephi verba, quibus id mandauerit, fortasse habens rationem decori, neque satis exprimere valens tenerum optimi filij affectum erga patrem.

In animabus septuagintaquinque.] In Genesi dicuntur primùm ingressæ in Aegyptum cum Iacob animæ sexagintasex [a], deinde septuaginta [b]. Sed in illo numero non comprehenditur Iacob, neque Ioseph, & duo filij ipsius: dicitur enim, quòd *cuncta anima, quæ ingressa sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressa sunt de femore illius, absque vxoribus filiorum eius, erant sexagintasex.* Vidit id etiam, notauitque Hieronymus [c].

a Gen.46 26. b vers.17.

c in Tradit. Hebraicis in Genesim.

De numero eorum qui descēderunt cum Iacob in Aegyptum, Scriptura variant.

Porrò idem numerus septuaginta ponitur in Exodo [d], & in Deuteronomio [e], iuxta textum Hebræum, in quo legimus, שבעים נפש *schibhhim naphes*, id est, *septuaginta animæ*, & editionē nostram. Interpretes autem septuagintaduo, & in posteriore loco Genesis, & in Exodo ponunt septuagintaquinq; sicut modò beatus Stephanus, quamuis illi in Deuteronomio concordent cum Hebræo; ideò difficultas oritur in concilianda ista discrepantia numerorum.

d Exod.1.5. e cap.10.22.

Scrupuli in quos inciderunt, qui Scripturam volunt corrigere.

f in cap. 46. Genes.

Nam dicere, vel accipiendam Scripturam in numeris, quos exprimit, vt ait Clarius [f], non logico, id est, exacto modo, sed communi & populari vsu; vel mendosè addita quinque à Septuaginta in editione Græca, & in verbis Stephani; vel Interpretes septuagintaduos errasse, & eorum sequi errorem Stephanum, siue Lucam voluisse; qua vtraque posteriore ratione respondet Eugubinus [g], & hæresiarcha Beza, improbabile, ac etiam temerarium est.

g in Recognit. veteris Test. ad verita. Hebrai.

Temerarium est dicere 70. Interpretes errasse, & Lucam, seu Stephanum eorum errorem secutos esse.

Vnde obsecro habet Eugubinus mendum irrepsisse, quod ante ipsum agnouit nemo, & omnes tam codices, quàm expositores pro mendo non habuerunt? In numero vt fuerit mendum, certè non potuit esse in declarando, qui fuerint adiecti quinque, quorum filij, & quibus propriè nominibus appellarentur. Iam ipsos Interpretes errasse optimos, & sapientissimos viros, diuinitùs quoque afflatos, ac velut Prophetas, vt graues Auctores, citati à Salmerone, qui post alios prodiit [h], & à Leone Castro, & à

Septuaginta Interpretes sunt ma fide digni.

h Tom.1.Prol.5.& 6.

A Lindano putant; aut Lucam, siue Stephanum tam turpiter errantes sequi voluisse, vel inscienter secutos esse, nemo videt sine manifesto totius Scripturæ fidei, & auctoritatis periculo affirmari non posse; quam Scripturam ex versione Septuaginta non modò citasse in suis scriptis Apostolos constat, sed etiam tradidisse integram vniuersis nationibus, quæ in CHRISTVM crederent, apertè docent Cyrillus Ierosolymitanus [i], & Theodorus [k]. Postremò perit fides Scripturarum, si populariter, & vt lubet, non exactè ac præcisè sumuntur, quæ tradunt.

i Catech.4.

k Sophon. 1. in cate. Græc. in Prophet.

Hieronymus quid de hac controuersia sentiat.

l in Trad. Hebr.

Hieronymus [l] putat, additos quinque per anticipationem, quoniam cùm Iacob intrauit Aegyptum,
B Manasse, & Ephraim filij Ioseph non erant in ea ætate, vt filios generare possent, quos posteà genuerunt, prior Machir, & hic Galaad: posterior Sutalaam, & Taam; & Sutalaam, Edem. Quod verò attinet ad Lucam, ait idem Hieronymus, maluisse sequi translationem septuaginta Interpretum, quæ id temporis multò magis vulgata erat & celebrata, quàm Scripturam Hebraicam, non quòd, vt quidam existimarunt, Lucas Hebraicæ linguæ esset imperitus. Augustinus [m] post hinc inde variè tractatam quęstionem, tandem ait [n], *etiam illos quinque dici ingressos cum Iacob, qui nec quamdiu quidem ipse vixit in Ægypto, nasci omnes potuerunt.* (vixit enim ibi annis septemdecim, & filij Ioseph,
C Manasse, ac Ephraim cùm primùm auus ingressus est, nonum annum non excedebant, ac proinde quo anno mortuus est Iacob, Manasse natus tantùm annos vigintisex, nō potuit habere nepotem Galaad, nec Ephraim Edem) *quoniam ingressus Iacob in Ægyptum, extendi debet ad omne tempus, quo Ioseph vixit, postquàm Iacob ingressus est, quem illuc ille euocauit, & dum ipse Ioseph viueret, nati sunt illi quinque, vt est prope finem Genesis.*

m qu. 152. in Genes.

n q. vlt. & 16. de ciu. c.49.

Ingressi sunt septuagintaquinque in parentibus scilicet.

Quare præstat dicamus, ingressos septuagintaquinque non in se, sed in parentibus, videlicet Manasse, & Ephraim in patre Ioseph, item Hesron, & Hallu in patre suo Phares: quemadmodum Paulus scribit [o] *Leui decimas dedisse Melchisedech*,
D qui annos ampliùs centum & quinquaginta post Melchisedech fuit: intelligit nimirum dedisse in proauo suo Abraham, qui decimas obtulit Melchisedech [p]. Hoc tandem elicitur ex Augustino, quem sequuntur Eucherius, Albinus, hic in Genesim, ille præterea in Deuteronomium, & alij, vt in Genesim Ludouicus Ystella, & Sà, & Oleaster. Accedit quod in Genesi [q], vbi editio vulgata habet: *Filij autem Ioseph, qui nati sunt ei in terra Aegypti, animæ duæ*, legunt Interpretes LXXII. ὑιοὶ δὲ Ιωσὴφ, οἱ γινόμενοι αὐτῷ ἐν αἰγύπτῳ ψυχαὶ ἐννέα, *Filij autem Ioseph, qui fuerunt ei in Aegypto, animæ nouem*, ex quibus resultat septuagintaquinque, adiiciendo nouem ad sexaginta sex. Lege præterea Martinum Cantapetrensem [r], & Hieronymum de la
E Rua [s], & Pererium [t].

o Héb.7.5.

p Gen.14.20.

q cap. 46. 27.

r 6.Hypo.c.1.

s Controu.4. positiua.

t Genes.46. Disp.2.

Hæ difficultates tolli ita non possunt, vt non remaneat aliquis scrupulus.

Huius placet mihi ingenuitas profitentis, quod & ipse profiteor, non posse similes difficultates ita penitùs expediri, vt non relinquatur studiosis adhuc quærendi, & excipiendi locus, & hoc satius duco, quàm eò confugere, cum Petro Bungo [u], post Alphonsum Cumiranum [x], vt dicamus voluisse Interpretes septuaginta numerum septuagenarium additione quinque complere prophetica quadam libertate ob mysticā aliquam significationem. Porrò Clemens Alexandrinus [y] refert, ac refellit Euphorum, aliosque, qui ex hoc loco inferebāt, linguas omnes esse septuagintaquinq;.

Petri Bungi temeritas, qui dū vult sua de numeris patrocinia quærere, scripturam vitiat.

u libr. de mystic. num.

x To.1.conciliat.in 23.

y 1.Strom.ca.12.

A

Versus 15.] Et descendit Iacob in Ægyptum, & defunctus est ipse, & patres nostri.

ET *descendit Iacob in Ægyptum.*] Situs locorum in causa est cur ascendere, vel descendere quis dicatur: cùm locus est accliuis, ascendit ex decliui qui ex illo in illum tendit; contrà verò descendit, qui decliuem relicto accliui petit. Vnde toties in Euangelio de ascensu in Ierusalem sitam in collibus mentio est. Quare vt verum sit, ad rem tamen parum facit quod Origenes [a] obseruauit, nunquàm ferè in sanctum locum descendisse quempiam referri, nec ad vituperabilem conscendisse. Glossa interlinearis etiā hoc loco mysticè interpretatur descendere in Ægyptū, qui mundo adhæret. Obseruaui quandoque dici ascensum ex Aegypto in Chanaan [b]. Itaque non aliud aliquando significat ascendere, quàm surgere, vel ire, seu proficisci [c]. Hebræis est verbum עלה *hhala* (vnde forsitam Gallicum, *aller*) frequens in ea significatione, licèt ascendere significet.

a homil.15.in Genes.

b Gen. 45.25. c.50.23. c 3. Reg. 18. 41. Iob.36.20.

B

Et defunctus est ipse.] In Genesi [*] narratur mors Iacob. Pro verbo Latino, *obiit*, Hebræum verbum גוע *gauahh* (vnde ducitur futurum, quod hic habetur, ויגוע *vaiguahh*, id est, *& mortuus est*) significat dulcem ac facilem mortem per lentam quandam resolutionem, & defectum paulatim labentis spiritus obire, quod Græcè ἐξέλιπε dicitur, id est, *defecit*, seu, *dereliquit*, & idem valet verbum Chaldæum ibidem repositum ואתנגיד *veethnegid*, id est, *& defecit*. Non me latet tamen pro quauis morte vsurpari hæc omnia. Cùm autem absoluisset Iacob ętatis annos centum quadragintaseptem, fælici morte absumptus est.

* c.49.vlt.

Mors Iacob qualis.

C

Et patres nostri.] De morte Ioseph, & aliorum Patriarcharum habetur in Exodo [d], quæ contigit quidem in Aegypto, prout Syriacus interpres hoc loco expressit, cùm sic vertit, ומית תמן *vmith thamam*, id est, *& mortuus est illuc*, necnon historia Genesis de Ioseph [e].

d cap.1.6.

e c.vlt.25. Ioseph mortuus est ante fratres suos.

D

Hunc expletis centum decem annis primum ex fratribus mortuum tradunt Hebræi, breuioris nempe vitæ, quàm ceteros; quippe cùm etiam moriens fratribus mandarit, vt ossa in Chanaan transportarent: & omnes, præter Benjamin, grandiores natu erant. Longissimè autem vixisse videtur Leui, vtpote qui attigerit centesimum trigesimumseptimum annum.

Cur Ioseph reliquis fratribus minus vixerit.

Breuioris porrò vitæ Ioseph fuit, quàm reliqui eius fratres, minorisque quàm patris Iacob trigintaseptem annis, quàm aui Isaac septuaginta, quàm proaui Abraham sexagintaquinque, cuius causa esse potuit, & quia ab anno decimosexto vsque ad trigesimum, ætatem contriuit in maximis angustiis & calamitatibus; & quia reliquum vitæ spatium peregit in grauissimis laboribus, & anxiis curis, quarum plena est, suaque premit mole publicarum rerum, & imperij maximè administratio, *Omnis námque potentatus breuis vita*, inquit Sapiens [f].

E

f Eccl.10.11.

Deceßit ante egressum Hebræorum ex Aegypto, annis centum quadragintaquatuor, & ante ortum Mosis sexagintaquatuor, tantùm abest vt Mosis pater fuerit, quod mendacissimè prodidit Iustinus historicus [g].

Quo tempore obiit.

g lib.36.

* *
*

Versus 16.] Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filij Sichem.

ET *translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulcro.*] Solliciti fuerunt magnoperè Patriarchæ de sepultura corporis sui in terra Chanaan, vt patet ex his, quæ habentur in Scriptura de Iacob [h], & Ioseph [i]; vt ostenderent familiæ suæ, futurum aliquando, vt ipsos ac posteros traduceret DEVS ex Ægypto in eam regionem, vt annotauit Theodoretus [k]: & vt cum CHRISTO resurgerent, inquit Auctor Historiæ Scholasticæ [l], distare tantùm dicens à monte Caluariæ Abrahomiū, id est, locum vbi sepultus est Abraham, triginta milliaribus. Tale quod Petrus Damianus [m] dicit, quoniam in ea regione CHRISTVS erat nasciturus. Posteriorem causam recipit quoque Lyranus, & Abulensis in Genesim [n]. Adiice amorem naturalem patriæ, & charorum, apud quos etiam mortui iacere cupimus: pia solatia DEVM ritè colentium in terra Chanaan, siue pro nondum expiatis animis, siue ne cadauera ipsa idololatrarum quodam quasi commercio profanarentur.

Cur Patriarchæ ossa sua in terram promissionis transferenda curarint.

h Genes.47.30.

i Gen.50.24.

k q. 107. in Genes.

l q. 100. in Genes.

m Serm.2. de transl. S.Hilarij.

n cap.47.

Omninò primam causam videtur Paulus significare voluisse, simúlque etiam indicasse secundam, cùm dixit, loquens de Iosepho [o], *Fide Ioseph moriens, de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit.* Non præcepisset efferri ossa sua ex Aegypto in terram Promissionis, nisi crederet possidendā à filiis Israël, sicut DEVS promiserat. Mosem transtulisse ossa Ioseph, testatur liber Exodi [p]: & in libro Iosue [q] continetur, quòd sepelierunt *eum in Sichem in parte agri, quam emerat Iacob à filiis Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph.*

o Heb.11.22.

p cap.13.19. q cap.24.32

Nugantur Hebræi, futurum vt reuiuiscant primi, qui in terra illa fuerunt humati. Non expressit Ioseph certum locum in terra Chanaan, in quo sepeliri vellet, tamen in Sichem Scriptura meminit humatum Ioseph, cuius Iacob voluerat esse illam agri partem [r], vltra eam terram, quæ illi forte debebat obtingere: solemne autem fuit priscis illis patribus, vt quisque in suam inferretur possessionem. Putat quidem Rabbi Dauid Kimhi [s], Iosephum sibi locum illum delegisse, in quo humari vellet: sed non probat.

Ioseph vbi sepultus fuerit.

r Gen.48.22.

s Iosue 24.

Alij item Rabbini scribunt prudenter id sibi faciendum Israëlitas existimauisse, vt eò referrent, vnde sublatum vendiderant, similiter atque si nebulones furto asportatam vini lagenam vt ebibêre, cò reiiciant vacuam, vnde plenam sustulérant. Atqui sacra Genesis non in Sichem, sed Dothaim venditum Ioseph memorat, quò greges suos è Sichem abegerant fratres [t].

Somnia Rabbinorum ridicula.

t cap.37.12.& seq.

Potuerat Ioseph imperare, vt quàm primùm transferretur se defuncto corpus suum in terram Chanaan: noluit tamen, sed libenter distulit, vt interim, dum apud Aegyptios Israëlitæ detinerentur, promissiorum DEI spei, ac fidei monumentum haberent, & expeterent ac piè procurarent ingressum in regionem promissam. *Post mortem meam* [u], inquit DEVS, *visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob.*

Cur Ioseph statim post mortem transferri noluerit.

u Gen.50.24

Ceterùm caue arbitreris Sichem esse nomen vrbis, quasi eam filij Iacob iure belli, quo stuprum sororis vlciscerentur [x], sibi, patrique acquisierint:

x Gen.34.25.26.

fuit

fuit enim facinus illud filiorum Iacob in Sichimitas iniquissimum, & ab ipso Iacob vehementer improbatum,& tunc cùm factũ est [a],& quando prope mortem omnibus filiis benedicebat [b]: ac proinde pars ea, quam Iacob filio Ioseph vltra sortem dedit, non est,de qua dicit [c], *quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*:fuit siquidem illa duntaxat pars agri, quam Iacob ex Mesopotamia reuersus, habitansq; iuxta Sichẽ, emerat à filiis Hemor [d]:de qua parte agri mentio etiam est apud Ioannem [e],cùm ait *fuisse iuxta Sichar,siue Sichem prædium,quod dedit Iacob Ioseph filio suo*:nempe, vt non improbabiliter notat Rabbi Kimhi, vt animum ipsius ab amore Ægypti ad Terræ promissæ amorem magis traduceret.

a ibid.30.
b Gen.49.5.6.7.
c Gen. 48.22. *Terra quam dedit Ioseph filio suo qua fuerit.*
d Gen. 33.18.19.
e Ioan.4.5.

Illam autem agri partem priùs emptam fortasse Amorrhæi per vim Sichimitis eripuerunt: tum verò Iacob eos vi bellica expulit,quam significant gladius, & arcus:vel, vt Chaldaica paraphrasis vertit, בצלותי ובבעותי *bisluthi vbbehhuthi*,id est,*oratione mea, & obsecratione mea*,quasi per hæc auerterit periculum amittendi agri, quod ob Sichimitarum cædem, & vrbis eorum per filios factam euersionem, meritò timere potuerat. Vtrùm autem ex his contigerit, aut quo tandem alio modo, nihil in Scriptura expressum habetur. Lege Interpretes Genesis [f],præsertim Pererium [g], & Andream Masium, atque Ariam Montanum in Iosue [h].

f Gen 48.
g ibi dil.2.
h c.24.

Sunt qui per arcum & gladium denotari velint Iacob proiectis ad agrum illum sagittis, & protenso gladio, iuxta solemnem temporis illius ritum,quasi iure belli exuisse Amorrhæos possessione: sicut cùm Ioas iussus est ab Elisæo sagittas iacere in Syriam, eo illam præsagio debellaturus [i].

Quomodo eam possessionem acceperit quam emerat quis assequatur.
i 4.Reg.13.15. & seq.

Quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filij Sichem.] Syriacè tantùm habetur,מן בני חמור *men bene chamur*,id est,*à filiis Hemor*. Beda in Retractationibus notat in textu Græco addi ad Abraham, *pater noster*, itáque locutum Stephanum blandiendo, vt diutiùs ac libentiùs audiretur. In Commentariis autem ait pro *filiis Sichem*, in codicibus etiam Græcis haberi, *qui fuit in Sichem*. Quos vidi codices hæc non habent,nisi fortè pro τοῦ Συχέμ, vt nos legimus,supplentes vocem υἱοῦ, id est,filij, sic ipse suppleuerit, ὄντος ἐν Συχέμ, id est, *qui fuit in Sichem*:quid autem hîc supplendum sit, posteà dissereretur.

Quod ad rem ipsam attinet,in Genesi [m] narratur emisse Abraham *ab Ephron agrum, & speluncam pretio quadringentorum siclorum argenti probatæ monetæ publicæ in terra Chanaan, in cuius ciuitate nomine Arbee, siue Hebron Sara defuncta erat* [k]. In capite autem 33. [l] scribitur *quòd Iacob reuersus de Mesopotamia Syriæ transiuit in Salem vrbem Sichimorum in Chanaan, & habitauit ibi iuxta oppidum, & emit partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor patris Sichem centum agnis*. Idem repetitur in Iosue [n], nisi quòd pro agnis ponuntur *oues nouellæ*,eodem sensu:& additur, quod ante etiam exposuimus,fuisse eum locum in possessionem filiorum Ioseph.

k cap.23.13.& seq.
De agris quos emerunt Abraham & Iacob in terra Chanaan.
l ibid.v.1.
m v.18.& 19.
n c.24.32.

Incertum est,quomodo intelligendus sit Stephanus,qui vtramque emptionem Abraham, & Iacob in vnam eandémque confudisse videtur, aut potiùs pro Iacob posuisse Abraham. Huius solutionem difficultatis se daturum promisit Hieronymus [o],sed promissum non exsoluit,quod sciamus. Ante omnia,sicut superiùs fecimus, debemus à Luca, vel Stephano lapsum memoriæ remouere, aut quod iuxta vulgi tantùm opinionem,non secundùm veritatem loquentes, vt respondent hoc loco Beda, & Glossa ordinaria,atque Canus [p], confuderint emptionem Abrahæ cum emptione Iacob.

Quaratione intelligendus sit Stephanus,qui vtramque emptionem confundere videtur.
o epist.101.
Lucæ & Stephano non tribuendus memoriæ lapsus, sed pro eadem vocarunt locum suum.
p 2. de locis. c.vlt.

Deinde non placet euasio Lippomani, & Eugubini in Genesim, atque Masij in Iosue [q], vitium esse in Latina, Græcáque editione præsentis loci, ideóque reponendum *Iacob*, pro *Abraham*, & pro *filij Sichem*, *patris Sichem*. Nam ante istos nemo aliter aut legit, aut mendum deprehendit; neque suspicionem erroris iuuat tanta dissimilitudo nominum Abraham,& Iacob,multò minùs diuersitas pretij,quod Abraham pendit quadringentorum siclorum argenti, Iacob centum agnorum,seu ouium nouellarum,& ille quidem in vsum sepulturæ,hic autem prædij. Quamuis Arias pretia velit eadem fuisse, ita vt *agni vel oues nouellæ* in nummis notatæ fuerint (vnde pecuniæ nomen à pecude) & *nouellarum* vox puritatem denotet,integritatem,iustúmque nummorum pondus. Opinatur de pretiis idem R. Dauid Hakibah [r], & Eugubinus [s], & Hieronymus de la Rua [t]: qui simul etiam obseruat morem illum, quo reditus nomine tot exigũtur pecudes,licèt soluantur in pecunia. De hac ipsa re post alios,sed præ aliis accuratiùs Pineda noster [u].

q cap.24.
Pecunia olim ouibus signata.
r citat.à pag. in Thes.ad nomẽ, קשיטה *Kesitah.*
s in c.33.Gen.
t cont.4.positiua.
Mala huius loci interpretamenta.
u in c.42.Iob. v. 9. nu.8. & seq.

Alij orationem Stephani variè inflectũt, & detorquent,vt suæ tandem,quam volunt,sententiæ, ceu breuiorem pannum vlnæ longiori adaptent. Magister Historiæ scholasticæ [x] in hũc modum disponit: *Et translati sunt in Sichẽ, Sichem dico emptam per Iacob, scilicet à filiis Sichem filij Hemor: deinde positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti*. Caietanus ita contexuit: *Et translati sunt in Sichem, & positi sunt à filiis Sichem filij Hemor in sepulcro,quod emit Abraham pretio argenti.*

x c.19.in hist. Act.

Hæ distorsiones contra omnes codices, & Patres veritatem vexant & obscurant, non fulciunt,aut illustrant. Sequitur quoque ex eo quod ait Comestor,sepultos esse omnes Patriarchas in Hebronico sepulcro Abraham, quod Hieronymus,Beda, aliíque negant. Ex Caietani verò expositione sequitur item, quòd Sichimitæ ossa duodecim Patriarcharum, qui sepulti fuerant in Sichem, inde transtulerint in Hebron ad sepulcrum Abraham:cùm tamen multò credibilius sit, Sichimitas eorum ossa exhumaturos,& proiecturos fuisse, memores quantam ab illis maiores ipsorum stragem accepissent. Martinus Cantapetrensis [y] ait,*Ioseph cum aliis tribubus esse sepultum in Sichem,Iacob in Hebron*; quod autem dicitur, *Quod emit Abraham*, &c.nomen Abraham esse genitiui casus, & intelligi nepos Abraham, id est,quod emit Iacob:& cùm in textu Græco sit, τοῦ Συχέμ, possitque subaudiri,vel patris, vel filij, satius videri,vt subaudiatur *patris*, quia ita habetur in Genesi [z].

Refutantur Comestor,& Caietanus.
y 6.Hyp.c.1.
z c.33.19.

Concordat in his Hieronymus de la Rua [a]. Huic etiam errori adhæsit Beza in huius loci interpretatione, qui post Hemor addidit charactere diuerso *patris Sichem*. At hæc etiam dura sunt, & ab editione vulgari, quam meritò veneramur, dissentanea.

a cont.4.posit.

Restat igitur, vt Lyranum [b] sequamur, qui placuit etiam Caietano,& Pererio,innuitque hũc dicendi modum Hieronymus [c], & Gregorius [d]. Loquitur omninò Stephanus de emptione,quam exercuit Abraham, quoniam ita legunt, sempér-

Intelligendus locus est de agro ab Abrahamo.
b Gen.23.
c ep.101.
d li.7.ep.55.

que legerunt omnes codices, & Auctores,& sermo hîc est de agro, quem in sepulcrum Abraham emit, non Iacob, qui emit in vsum tantùm prædij, prout & à Ioanne nominatur [*]:& meminit Stephanus de pretio argenti, quod Abraham dedit, Iacob autem centum agnos, siue oues nouellas pro illo suo prædio contulit.

* Ioan.4.5.

Sed Ephron, à quo emit Abraham, patrem habuit binomium, Seor, quo nomine vocatur in Genesi [a],& Hemor, quo in præsenti loco. Similia exempla non pauca suppetunt in vtroque Testamento, quæ affert Pererius [b], & Salmeron [c]. Iam verò Moses tacuit patrem, vel auum Seor; Stephanus expressit, cùm dixit, *quòd Hemor* (qui est idem cum Seor) *fuit filius Sichem.* Qua ipsa in re mos quoque obseruandus est Scripturæ, vt in rerum narrationibus vnus scriptor suppleat circumstantiam ab alio omissam; verbi gratia, Magorum Pharaonis nulla nomina recitantur in Exodo [d], Paulus [e] autem nominat Ioannem, & Mambrem.

Ephronis pater binomius.

a c.23.8.

b suprà.

c Tom 1. Prol. 9. can. 45.

Mos Scripturæ, vt vno in loco suppleat quod deest in alio.

d c.7.& seq.

e 2.Tim.3.8.

Quod verò dicitur hoc loco, *& translati sunt in Sichem*, non debemus ad Iacob, qui Genesis vltimo [f], *sepultus dicitur in spelunca empta ab Abraham, in Hebron*, & filios eius, coniunctim referre, sed tantùm ad filios, præsertim ad Ioseph, quem ibi sepultum traditur in libro Iosue [g]. Illud autem, *& positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham*, ad solum Iacob. Et quidem etiam non est insolens, vt Scriptura plurali numero dicat de multis, quod vel paucis, vel vni quoque tantùm conuenit, sicut exempli causa, de effuso vnguento murmurasse dicunt alij Euangelistæ Discipulos [h], quod de vno Iuda scripsit Ioannes [i]. Eodémque modo in cruce aliqui narrant [k] conuitia iecisse latrones in CHRISTVM, Lucas [l] alterum duntaxat. Quanquàm putant aliqui principio vtrumque latronem esse conuitiatos, posteà resipuisse alterum.

f vers.13.

g c.vlt.32.

h Matth.26.8. Mar.14.4.

i Ioan.12.4.

k Mat.27.44. Mar.15.32.

l Luc.23.39.

Alia huius difficultatis enodatio.

Si minùs hæc arrident, non erit improbabile affirmare, Patriarchas duodecim in Ægypto defunctos, indeprimùm translatos in Sichem, siue prope Sichem, vbi ager fuerat assignatus Iosepho à patre Iacob [m], posteà in Hebronicum Abrahæ sepulcrum. Iosephus [n] certè historicus, qui magnam in his fidem meretur, tradit positos esse in Hebron: huc autem deportatos ex Sichem multi asseuerant, vt cum Magistro Historiæ scholasticę, Carthusianus, & Gagneius. Negat Hieronymus de Hebron [o], Sed non concludit ea ratio, quòd suo tempore Patriarcharum in Sichem sepulcra extarent, & viserentur: id enim esse potuit, etiãsi ex Sichem translati fuissent priùs in Hebron.

m Gen.48.22. Ioan.4.5.

n 2.Ant.c.8.

o in epitaph. Paulæ. ep.27.

Et translati sunt in Sichem.] Nomen est loci, qui tempore CHRISTI Sichar corruptè dictus est [p], pro Sicem, vel, vt ait Hieronymus [q], pro Sichem, quæ ipsius ætate dicebatur Neapolis, nunc à Saracenis *Nablos*, necnon, vt habet alibi [r], Salem,& Ciuitas Iacob. Latinè, & Græcè in numero plurali Sicima, erátque tribus Ephraim, sed in finibus, & alia tamen etiam in monte Ephraim fuit vna ex ciuitatibus fugitiuorum [s]

Sichem qua & qualis ciuitas.

p Ioan.4.

q epist.27.

r de locis Hebr.& in Trad. Heb. in Gen.

s Num.35.6.& seq.

Arias Montanus in Oseam [t] Sichem Samariæ metropolim negat esse illam, in qua, seu prope quam condita sunt ossa Ioseph. Masius in Iosue [u] putat esse eandem, neque de duplici Sichem in Scriptura certi quid reperiri, *tametsi*, inquit, *Eusebius etiam distinguat.* Toletus item in Ioannem [x], vnicam facit. Beauxamis item in Harmonia, etsi perperàm confundens cum ciuitate Samariæ.

t c.6.

u c.20.

x cap.4.

A Præstat Hieronymum distinguentem sequi,& nostrum Riberam in Oseam [y],& Abdiam [z], cum Eusebio. Quæ illustria hoc in loco contigerunt, idem colligit, sed vni fortasse tribuens, quæ duobus conueniunt: quod de Maldonato [a] quoque, qui eadem enumerat, sentiendum est. Iustini Martyris patria fuit Neapolis, eadem cum Sichem, de qua modò agimus, aut eidem proxima.

y c.6.n.34.

z cap.1.n.31.

a in c.4. Ioã.

Filij Sichem.] Hoc loco Sichem est nomen viri, de quo priùs dictum est, Græcè solùm habetur, τοῦ Συχὲμ. Beda testis est, in quibusdam codicibus legisse, ἐν Συχὲμ, tunc verò esset nomen loci: sed hęc, vt editioni vulgatæ repugnans, est reiicienda. Alphonsus Salmeron locum hunc totum bene lon-
B ga versat epistola ad Antonium Cardinalem Caraffam [b].

b Tomo 11. operum.

Versus 17.] Cùm autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat DEVS Abrahæ, creuit populus, & multiplicatus est in Ægypto.

CVM *autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat.*] ὤμοσεν, *iurauerat*, alij codices Latini, *professus erat.* Syrus sic habet, דאשתודי הוא במומתא אלהא *deschethaudi haua bemaumatha elaha*, id est, *qua pollicitus fuerat cum iu-*
C *ramento* DEVS, vel, *quam iureiurando pollicitus fuerat* DEVS. Fortasse Interpres legit, ὡμολόγησεν, quod verbum significat non tantùm confiteri, sed etiam spondere,& mittere roganti, atque pacisci.

Latino autem confitendi verbo Interpres vtitur non raró pro eo, quod est laudare, atque honorificum dare testimonium, & celebrare. Videtur & aliquando idem esse, quod indicare simpliciter [c], vel gloriando profiteri; quam vim habet Hebræum in hithpael התודה *hithuada*, quo pacto CHRISTVS ipse confiteri aliquẽ dicitur [d], *Omnis*, inquit CHRISTVS, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram* PATRE *meo, qui in cœlis est*, vbi Syriacè habetur verbum ידא *sada*,
D Græcè, ὁμολογεῖν, quod vtrumque confiteri significat.

c Gen.31.20.

d Matt.10.32.

Creuit populus, & multiplicatus est in Ægypto.] *Mirabile* ait esse Chrysostomus, *eo tum solùm tempore vel maximè creuisse populum, atque multiplicatum esse, cùm instaret præfixum tempus abeundi ad promissam terram.* Non ita tamen id accipiendum est, vt præ se fert hic Doctor, quasi lapsis iam quadringentis annis, tunc demùm duntaxat cœperit illud incrementum: oportuisset enim vel viros nasci, vel pueros, aut adolescentes grandescere veluti in momento temporis, idque ita vt ex vteris maternis prodirent magno numero fœtus.

Quando saepe creuerit populus.

E In Exodo sic scribitur [e]: *Quo mortuo*, nempe Ioseph, *& vniuersis fratribus eius, omnique cognatione illa, filij Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleuerunt terram.* In quibus verbis magna quædam, & hyperbolica exaggeratio est, tum quòd terram implesse dicuntur, tum quòd ita fructiferi fuisse perhibentur, vt ibi significat Hebræum verbum פרו *paru*, à rad. פרה *parah*, quod est fructificare, & quemadmodum arbores fructus ferre, siue instar seminum in terram proiectorum, vel herbarum vltrò ex ea nascentium, atque vt sonat aliud verbum ישרצו *iishretsu*, à rad. שרת *schārath*, quod est mouere se, & reptare, & gigni, sicut ebulliunt reptilia, &

Declaratur augens Israelitarum in Aegypto multiplicatio.

e cap.1.6.7.

aquatilia,& scaturiunt vermes,& huiusmodi animalia maximo quodam numero.

Manetho falsus redarguitur.

a 1.con.Apionem.

Quapropter Manethô, quem citat Iosephus [a], non tantùm falsus,sed etiam ridiculus deprehenditur, dum memorat Hebræos, quos nomine pastorum designat more Ægyptiorum, quòd illi non aliam tenere se artem, atque exercere professi erant apud regem Ægypti, cùm illuc primùm venerunt [b], maxima multitudine venisse in Ægyptum,& subiugasse sibi Ægyptios,& regnasse inibi per annos trecentos nonagintatres. Nam qui Aegyptum ingressi sunt, pauciores fuerunt quàm septuaginta, & ibi diutiùs seruierunt durissimam seruitutem, nec ampliùs in ea regione manserunt ducentis quindecim annis. Si quod autem iis regnum tribui potest,stetit illud tandiu duntaxat,quandiu Ioseph vixit,aut paulò pòst aliquantisper duntaxat.

b Gen. 46.& 47.

Israelitæ quot & quanti fuerint ex Aegypto egressi.

De multitudine populi cognosci potest, ex eo quòd dempta tribu Leui, sexu muliebri, maribus infra vigesimum annum,recensita sunt anno altero egressionis ex Aegypto, bellatorum sexcenta millia, & insuper tria millia, quingenti & quinquaginta [c], excepti sunt quoque senes, inualidi, ac imbelles. Quia verò multitudo tanta mouit Aegypti regem,vt eos opprimeret seruitute; hæc autem accidit mortuo Ioseph post annos circiter quinquaginta, oportet spatio isto tantoperè populum excreuisse.Minùs id mirabere, si recordaberis in exercitu Nini Assyriorum regis, qui floruit post diluuium (cui soli tres filij Noë superfuerant) anno fortè ducentesimo quinquagesimo,numerata peditum septies, & decies centena millia,equitum ducenta millia, curruum falcatorum decem millia, sexcentósque, cuius rei testis est Ctesias [d],si tamen hoc verum est,cùm de hoc regno fabulæ multæ circumferantur.

c Num. 1.2.& seq.atque versibus 46.47.

d Apud Diodorum Siculū lib 3.c.2.

Tantam facultatem tribuit Augustinus [e] miraculo. Rectè quidem, vt enim prolificæ fuerint omnes fœminæ, ac enixæ binos, ternos, quaternósve, quod frequens in Aegypto fuisse tradit Aristoteles [f], adde septenos, quot Medici cellulas in matrice reperiri, ac fœtus etiam posse formari docent in illis: tamen, vt ea tamdiu staret adeò multiplicata generatio, naturæ superat ordinem & potestatem, præsertim populo tam dirè vexato,laboribúsque continuè presso.Mittam singularia quædam exempla τῆς πολυτεκνίας, & fœcunditatis tum profana,tum sacra, déque mulieribus,quæ plures vno partu ediderint, de quibus, si lubet, lege Rauisium Textorem in Officina, Rhodiginum,& Tiraquellum de legibus connubialibus. Adeò autem stolidi sunt Iudæi,vt promissum DEI de multiplicando semine Abraham stellarum instar, arenæque maris, sic intelligant implendum Messiæ tempore, vt quælibet mulier quolibet die filium pariat [g].

e 18.de Ciu.c.7. *Tribuenda est miraculo Hebræorū tam multiplicatio.*

f 7.de hi.ani.c 4. Plin.etiā lib.7.c.3.

g Petrus Cluniac. 2. cont. Iud.c.5.

Versus 18.] Quoadusque surrexit alius Rex in Ægypto, qui non sciebat Ioseph.

QVOADVSQVE *surrexit alius rex in Ægypto.*] Sumpta sunt hæc ex libro Exodi, vbi sic est [h], *Surrexit intereà rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph.* Eusebius & Hieronymus in Chronicis docent, quòd post ingressum Iacob in Aegyptum,ex regibus, qui cōmuni nomine Pharaones appellabantur, vt antè dictum est, primus regnauit Amosis annis vigintiquinque: posteà Nebron annis tredecim: dehinc Acnomphis annis vigintivno: tum Mephres annis duodecim: deinceps Misphармuthosis annis vigintisex: sexto loco Tithmosis annis nouem: tandem Amonaphis annis tringintauno, sub quo Amram septuagenarius genuit Mosem.Glossa ordinaria in Exodum,Pharaonis, sub quo Ioseph in Aegypto fuit, cognomen ait fuisse Mephrem, illius qui filios Israel afflixit, Cenchren, Theophilus [i] Antiochenus Thetmossem cognominat.

h cap.1.8. *Catalogus regū Ægypti, vsque ad exitum filiorum Israel.*

i 3.ad Autolycum.

Rex qui afflixit Israelitas qualis fuerit.

Nouus iste rex,*quia ignorauit Ioseph*, hoc est beneficia,quæ ille contulerat in Aegyptios, *non fuit de semine regis Ægypti,qui constituit Ioseph super Ægyptum*,vt Iosephus scribit (inquit hoc loco Carthusianus, & Lyranus) & id habet Iosephus in Antiquitatibus Iudaicis [k].*Videtur*,inquit in Exodum Caietanus, *quòd non Ægyptius fuerit,nam Ioseph notus fuerat familiis omnibus Ægyptiorum:* & præ se ferunt verba Esaiæ quòd fuerit Assyrius: nam dicit [l]: *In Ægyptum descendit populus meus à principio,& Assur sine causa calumniatus est eum.* Ibi tamē alij,vt Forerius, regi illi attribui cognomen, seu epithetum *Assur* obseruant,propter potentiam, & crudelitatem: fuisse enim veluti in prouerbio ea tempestate, vt ex lectione Prophetarum apparet, qui hostes populi DEI illorum populorum nominibus solent appellare, qui Iudæis infensi fuerant.

k 2.Antiq.c.5. vel 9.

l Esa.52.4.

Prophetæ hostes populi Dei regū nominibus appellant, qui fuerant ei infensi.

Aliorum opinio est, loqui Prophetam de duplici captiuitate,Aegyptiaca,& Babylonica. Sed placet mihi magis, vt tantùm de Aegyptiaca sermonem faciat,quoniam magis cohæret hæc expositio cum textu: & onus captiuitatis denotat non simplicem descensum populi Hebræorum in Aegyptum, vt colonus esset ibi, sed id quod sequitur, *& Assur absque vlla causa calumniatus est eum.* Accedit, quòd ab Assur filio Sem secundo,& nepote Nemrod reges Aegyptiorum originem traxisse nonnulli putant. Quo modo Assur Aegypti regem significare posset.

Beneficiorum facilè obliuiscimur

m in Isthm. ode 7.

Facilè beneficiorum obliuiscuntur homines, præsertim veterum,atque ij, qui potiūtur rerum. *Vetus beneficiū*,inquit Pindarus [m],*obliuioni,& quasi somno traditur*:verba eius si quis desiderat,hęc sūt: ἀλλὰ παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί: ὅτι μὴ σοφίας ἄωτον ἄκρον κλυταῖς ἐπέων ῥοαῖσιν ἐξίκηται ζυγέν. id est,*Sedenim vetus dormit beneficium, immemorésque sunt mortales eius rei,quæ non peruenerit ad summum florem sapientiæ,inclytis carminū fluentis immixta.* Oblitus etiam esset Assuerus Mardochæi,nisi historias & annales priorum temporum legi, audiente se,vigil ac pernox iussisset, *& in his reperisset,quomodo nūciasset Mardochæus insidias Bagathan, & Thares eunuchorum regem Assuerum iugulare cupientium* [n]:qua de causa tanto eum honore affecit, & gentem vniuersam Hebræorum.

n Esther 6.1. & seq.

o Proœm.Bibliothe. *Historiæ vtilitas.*

Historiæ nimirum,ait Diodorus [o], *legentibus citra periculum ostendunt præteritorum exemplis, quid nobis appetendum sit,quidve fugiendum: & verbis res gestas repræsentantes, omnem complectuntur vtilitatem: nam consentientes ad honestum impellunt, detestantur vitia,probos extollunt,deprimunt improbos*, &c.Sed de historiæ quoque vtilitatibus legendus M. Tullius [p], & Liuius [q]. Propterea Homerum Alexander de manibus non deponebat, supponens etiam eum noctu ceruicali cum pugione: Scipio Africanus Cyropædiam vsurpabat lectione ferè continua:Cato Vticensis auctores Græcos etiamnum in Senatu legebat:& Alexander Seuerus, ne

p 2.de Oratore,& 2. de Finib.

q initio Decadis primæ.

quid

quid irremuneratum maneret, quæ cuique munera contulisset, scriptis diligenter mandabat. Si quis nihil, aut minimum petiisset, illum appellabat, dicens: *Quid est, quod nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne priuatus de me queraris.* Diligenti memoria custodita esse, quæ in Persarum reges conferrentur beneficia, Herodotus [a] auctor est loquens de Dario Coam recognoscente, & Istiæum [b], & Phylacum Samium [c]. Thucydides [d] quoque refert dixisse Xerxem Pausaniæ: *Tibi beneficium nostra in domo semper inscriptum erit.*

a lib. 4.
b lib. 5.
c lib. 8.
d lib. 1.

Versus 19.] Hic circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros, vt exponerent infantes suos ne viuificarentur.

Cur Pharao ad affligendos Israëlitas inductus sit.

HIc *circumueniens genus nostrum.*] Græcè est, κατασοφισάμενος, quasi, *falsis & sophisticis rationibus & cauillationibus redarguens.* Syrus sic legit, ואצטנע על שרבן *vetsetanahh hhal tuhaman*, id est, *& composuit se, seu finxit dolum aduersum cognationem nostram*, vel, *& dolosè egit in cognationem nostram.* De nouo illo rege Aegypti ita loquitur liber Exodi [e]: *Et ait ad populum suum: Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est: venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris; expugnatisque nobis egrediatur de terra.* Septuaginta interpretes vtuntur quoque ibi verbo κατασοφισώμεθα. Hebræum verò verbum est נתחכמה לו *nithchachemalo*, quasi, *sapientiores simus illo*, *& fallaci arte vtamur in illum*, quod satis exprimit verbū Græcum κατασοφισώμεθα. *Neque enim*, inquit Græcus in Catena, *Hebræos manifestè angere poterant, cùm nullam huiusce rei vel leuissimam causam haberent.* Atque hoc illud est, quod paulò antè attulimus ex Esaia [f]: *Et Assur absque vlla causa calumniatus est eum.* Nam in verbis modò recitatis ex Exodo, Pharao nihil nisi timores quosdam inanes exposuit sine vlla probabili suspicione, immò cum falsa, atque iniqua opinione de iis, de quibus erat Aegyptus optimè merita.

e c. 1. 9. 10.
f c. 52. 4.

Moses futurus prædicitur, & ob eum persecutio excitatur.
g 2. Ant. c. 5. vel 9.

Iosephus [g] alium prætextum excitatæ persecutionis memorat, quòd quidam ex eo genere hominum, quos gens illa vocat *sacrorum scribas*, quorúmque prædictionibus multùm tribuit, prænunciauit regi, nasciturum per id tempus apud Israëlitas quemdam, qui res Aegyptiorum olim grauiter afflicturus erat, Israëlitas contrà euecturus, si modò ad ætatem adultam perueniret: nam & virtute fore præcellentissimum, & gloriæ per omne æuum celebrem.

Quibus modis afflicti sint ab Aegyptiis Hebræi.

Afflixit patres nostros.] Illa durissima seruitute, quam exercere cogebantur in operibus luti, & lateris, omnisque famulatus in terræ operibus, inter quæ erant ædificationes vrbium, vt exprimit historia Exodi [h], indicans præterea, iuxta textum Hebraicum, imposita tributa (nam vbi nos legimus, *Præposuit itaque eis magistros operum*, sic habet, וישימו עליו שרי מסים *vaiaschimu hhalau schare massim*, quod sic quidam interpretantur, *Præposuerunt eis magistros tributorum*, vel, *Exegerunt ab eis tributa magna*) atque tandem posteà etiam flagella adiecerunt [i]. Iosephus addit [k], deductionem fluminis in fossas, extructionem mœnium, & aggerum, ad arcendas inundationes eiusdem fluminis, pyrami-

h c. 1. 11. & 14.
i Exod. 5. 14.
k suprà, c. 12.

A dum etiam insanas substructiones. Alij Hebræi adiiciunt insuper, coactos fuisse stercora ex vrbibus, ac fæces exportare. Hoc ipsum quidam confirmant ex Psalmi verbis [l], *Manus eius in cophino seruierunt.*

l Psal. 80. 7.

Cur tantis laboribus Hebræi afflicti fuerint.
m in Exodū.

Intendebat hoc sagaci, ac clandestino consilio rex Pharao efficere, vt Hebræis, sicut notat Rupertus [m], non liberet coniugales complexus inire, labore, vel iniuria voluptatis obliuionem afferente. Et quemadmodum laboribus vires eneruabat, & extenuabat vim generandi proles; ita tributis atterebat opes eorum, vt neque numero, neque fortunis augerentur: *sed astu laboris operosi, naturæ radix non arescit*, inquit idem Rupertus, *sed potius post laborem cibi potusq́; ac somni auidior fit: quibus rebus voluptas non emori solet, sed refota crescere, & prorumpere gestit: ita vt sic frustrà inuidia pugnaret, præsertim vbi cœli ros, & terræ pinguedo, id est, DEI, & Patrum benedictio sterilem esse Israëlem non sinebat.* Nil dico, quòd verberibus, atque plagis feruentiores quidam redduntur, vt post Cœlium Rhodiginum [n], & Othonem Brunfolsium [o], Tiraquellus testatur [p]: hoc enim paucorum est, & inter mirabilia numerandum.

B

n lib. 11. c. 15.
o in Onomastico Medic. verbo, Coitus.
p in 15. leg. connub. n. 5.
Ex peculiari Dei voluntate Hebræi crescendi.

Itaque quod Scriptura tradit, *Quantò magis filios Israël Aegyptij opprimebant, tantò magis multiplicatos esse, & creuisse*, vt nonnullam in natura causam habere possit, quam attigit Rupertus, aliam tamen præterea ex Dei peculiari voluntate, & virtute confiteri necessarium videtur. Id innuitur verbis Psalmi [q]: *Et auxit populum suum vehementer, & firmauit eum super inimicos eius.*

C

q Psal. 104. 24.

Vt exponerent infantes suos ne viuificarentur.] Τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν, εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι. Syriacus interpres sic hæc reddidit, ופקד דיהון משחדין ילודיהון דלא יחון *vaphcad dnehehun meschthedin ieludaihun dela iechun*, id est, *& præcepit, vt essent abiecti filij eorum, vt non viuerent*, vel, *& præcepit eiici infantes eorum, ne seruarentur.* Videtur autem Latinus legisse ζωοποιεῖσθαι, siquidem ζωογονεῖσθαι, est, *viuos produci*, siue *gigni*. Reuerà autem voluit Pharao, ne nati Hebræorum ampliùs viuerét: & curauit per populum suum exponendos Hebræorum masculos, non verò (vt editio nostra hoc loco præ se fert) vt Hebræi ipsi infantes suos exponerent, imperauit. Stephanus autem afflictionem aliam, quàm dictam expositionem per ministros Pharaonis Hebræorum masculorum, nunc non designauit. Sed audiamus Mosem hoc ita narrantem [r]: *Dixit autem rex Aegypti obstetricibus Hebræorum* (quæ Aegyptiæ non Hebrææ erant, vt colligitur ex sequentibus) *quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum:* vel etiam antequàm omninò prodierit, ita vt mortuus extrahatur, vel illicò, vt ventrem egressus fuerit: *si fœmina, reseruate.* Tum posteà subdit aliud eiusdem præceptum, cùm prius illud obstetrices non implessent: quò sanè respexisse videtur editio Græca præsentis loci [s]: *Præcepit ergo Pharao omni populo suo dicens: Quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite; quicquid fœminini, reseruate.*

D

r Exod. 1. 15. 16.

E

s vers. 22.

Hoc iam non est circumuenire, & fraudibus agere, ita vt cogamur dicere in tam breui, & proinde obscura Stephani oratione quædam esse intelligenda, *Incredulus Pharao*, inquit Augustinus [t], *hic in alterum se nocendi aditum vertit, vt quod occultè antea temauerat, in populis palàm fieret, omnem Hebræam masculinam prolem iussit occidi.* Rupertus,

t Serm 86. de Tem.

Tria

Tria scelera quæ commisit Pharao.

Tria, inquit, *scelera subsequenter commisit Pharao. Primum, quòd hoc intendit, opprimendo filios Israël, quatenus voluptate generandi emortua filij non procrearentur: secundum, quòd obstetricum dolo agere nisus est, vt nati paruuli clam interimerētur: tertium, cùm apertè sæuiens persecutione, præcepit omni populo suo, vt masculos in flumen proiicerent, fœminas autem viuificarent.* Textus Hebræus pro flumine habet היארה *haieorah*, quod non tam flumen, dictum Hebraicè נהרה *naharah*, quàm *riuum*, vel, *è flumine ductam aquam ad irrigandos agros*, significat, & verbum תשליכהו *thaslichuhu*, significat solū, *exponite eū*, seu, *abiicite eum*, vel, *proiicite eum*. Chaldaica paraphrasis nomen fluuij Hebraicū retinuit לנהרא *lenahare*, immutata paulùm scriptione & pronūciatione, & Septuaginta id expresserūt nomine ποταμός, quod flumen significat, & Latinus interpres, flumine etiam vsus est, fortasse ob id, quod Mosi posteà contigit, vbi tamen Hebraicè idem nomen est, quod suprà היאר *haieor*, Stephanus autem tantùm vocauit ἔκθετα βρέφη, id est, *expositos*, siue, *expositios*, & *proiectos*, quomodo Euripides appellat Oedipoda γόνον ἔκθετον, id est, *partum expositum*, & Isocrates ac Lucianus παῖδα ἐκτεθέντα, *puerum eiectum*. Hesychius etiam τὰ ἐκτεθέντα τὰ ἐκριπτόμενα, id est, *eiecta* seu *proiecta* interpretatur.

Versus 20.] Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus DEO, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.

De Mose præcipuè cur Stephanus agere intenderit.

EODEM *tempore natus est Moyses.*] Præcedentem narrationem retexuit eo consilio, atque perstrinxit, vt ad Moysem perueniret, ac in eo diutiùs versaretur, qui tanti fieret ab aduersariis, & quem hi ab ipso blasphematum criminabantur. Habemus in Exodo [a], *quòd vir de domo Leui accepit vxorem stirpis suæ, quæ concepit, & peperit filium*, nempe Mosem: posteà eodem libro [b] ponitur nomen patris Amram, qui fuit nepos Leui ex secundo eius filio Caath, & primogenitus istius: & duxit vxorem Iochabed patruelem suam, id est, amitam, nempe sororem Caath patris sui, filiámque immediatè ipsius Leui, genitam ab eo longè post ingressum in Aegyptum [c], ex eáque suscepit etiam Aaron, & Mariam.

a c.2.1.2.

b c.6.16.18.20

c Num.26.59.

Hoc mirabile est, inquit Chrysostomus, *quòd futurus Præfectus, neque post hac, neque ante hac, sed in ipso medio furore nascitur.* Iosephus scribit [d], Amarami, hoc est, Amram patri Mosis, cùm orasset pro salute gentis suæ, & pro vxore Iochabele, siue Iochabed, prægnante, respondisse in somnis DEVM *sibi cordi esse & publicam Hebræorum incolumitatem, & priuatim ipsam illius gloriam: puerum enim, quem gestaret vxor, nasciturum, & feliciter insidias obseruatorum euasurum, atque populum ex Ægyptiaca seruitute liberaturum*: vxorem verò posteà tam facilè enixam, vt obseruatores fefellerit, nihil sentientes eorum, quæ in vulgaribus puerperiis sentiri solent.

d 2.Antiq.c.5. vel 9.

De Mosi facta patri reuelatio.

Repetit eadem paucis verbis Freculphus [e], nisi quòd Mosis patrem vocat Ambri: refellit verò etiam [f] Iustinum, siue Pompeium Trogum, quem ille redegit in compendium, quòd, vt antè meminimus, Mosem filium Ioseph assereret. Qua in re turpior adhuc error Alexandri Polyhistoris apud Suidam, Hebræam mulierem Mosi fuisse, cuius sit commentarius, qui pro lege habeatur à Iudæis.

e 2.Chro.c.8.

f ibid.c.1.

A *Et fuit gratus* DEO.] Καὶ ἦν ἀστεῖος τῷ Θεῷ, *& erat placens & commodus* DEO. Sic verò Beza hæc exponit, *qui fuit diuinitùs venustus*: cùm ita hîc laudetur Moses, vt quasi ab infantia ob singularem in eo indolem DEO placuerit, vel si præpositio *coram* intelligatur, & sic dicatur elegans & pulcher coram DEO, id est, verè, & eminenti quodam modo præ ceteris pulcher fuisse monstretur. Syrus habet, ורחים הוא לאלהא *verachim haua lalaha*, id est, *& dilectus fuit* DEO, vel, *charus*. Glossa interlinearis exponit, *quia habuit à* DEO *gratiam in facie*; Lyranus, *quoniam seruauit eum* DEVS *ne periret cum aliis pueris in flumine*. Hugo, *quia gratiam habuit, siue dona gratiæ.* Quibus verbis ostendit Stephanus se
B Mosem non blasphemare. Carthusianus: *Eò quòd fuit* DEO *acceptus, non ex propriis meritis, sed ex* DEI *bonitate, tanquàm æternaliter prædestinatus, atque ad plurima opera bona agenda præordinatus.* Oecumenius Græcas voces ἀστεῖος θεῷ, exponit per istas, ἀρεστὸς ἤτοι θεοφιλής, καὶ ἐν παιδικῇ ἡλικίᾳ ἀμώμητος, *beneplacens, siue* DEI *amicus, & in puerili ætate irreprehensibilis.*

Optimè Glossa interlinearis sensum reddidit: id enim Exodus planè denotat appellans elegantem [g], vbi est nomen Hebræum טוב *tob*, id est, *bonus*, & *pulcher*. Sic enim ibi legimus, ותרא אתו כי טוב הוא *vathere otho chi tob hu*, id est, *& vidit eum quòd pulcher ipse*, supple esset (in qua si- g c.2.2.
C gnificatione dicitur quoque de Saul [h], & de aliis) & Græca vox est eadem, quæ in præsenti loco, nempe ἀστεῖος, pro quo Aquila ponit ἀγαθόν, id est, *bonum*, Symmachus καλόν, id est, *pulchrum*. h 1.Reg.9.2.

Certè ἀστεῖος propriè significat vrbanum, tum verò etiam festiuum, lepidum, cui aliqua gratia insit, & quem Græci vocant nomine εὔχαρις, venustum, elegantem, honestum: quas tamen significationes ferre potest Latina vox gratus, sicut & gratia interdum pro pulchritudine accipitur, vt ibi [i]: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo*: & à gratia vulgò dicuntur mulieres gratiosæ, aut etiam pueri, & adolescentes. Posset prætereà explicari
D ἀστεῖος θεῷ, *bellus* DEO, id est, eximiè bellus: aut bellus à DEO; sicut dici solet quis benedictus, & doctus Domino, aut etiam salus Domino, & cetera.

Nomẽ ἀστεῖος quid significet.

i Prou.31.30.

Porrò quod ait Stephanus fuisse puerum Mosem gratum DEO, significat pulchritudinem in eo eximiam, & singularem fuisse. *Natus infans*, inquit Philo [k], *mox vrbaniorem præ se ferebat vultum, quàm quis de priuato homine suspicari posset. Parcè de semetipso loquens Moses*, inquit Rupertus [l], *dixit infantem se esse elegantem, sed reuerà tanta fuit elegantia, quanta diuinum illum splendorem præsignari decuit, quo posteà facies eius ex collocutione* DEI *splendida facta est* [m], *neque enim elegantia studiosa nato mox infantulo*
E *inesse potuit.* Vis mihi quædam videtur etiam in Græca voce ἀστεῖος, ad pusillitatem Mosis in ætatula & corpusculo denotādam. Rhodiginus [n] negat pulchritudinem nisi in magno corpore propriè reperiri, quia dignitas, quæ expetitur, nulla in pusillis reperitur. Ridet Martialis [o] Cottam, qui bellus magnusque vellet videri. Importat nomen id potiùs delicias quasdam, & ciuile eblandimentum. Alio nomine dicuntur tales σύμμετροι, quasi dicas conformatos, quorum quidem venustum membra responsum habeant, sed ob pusillitatem, nec pulchri, nec formosi censeri simpliciter valeant.

k lib.1.de vit. Mosis.

l in Exo.c.2.

m Exo.34.29. 2.Cor.3.13.

n lib.9.c.24.

o li.1.epig.9. vel 10.

Inter hunc veteris Auctorem legis, & CHRI-

STVM

STVM nouæ multas intercedere similitudines, superiùs docui [a]. His ista adiungi potest, formæ, atque pulchritudinis: nam de corporis CHRISTI speciosa forma locutum Dauid, cùm dixit [b]: *Speciosus forma præ filiis hominum*, placet Augustino, & Cassiodoro in Commentariis, præterea Bernardo [c], & Chrysostomo [d], & Græco auctori in Exodum [e]: & illam in CHRISTO fuisse docet Hieronymus [f], inquiens, *quòd nisi habuisset & in vultu quiddam, oculisque sydereum, nunquàm eum statim secuti fuissent Apostoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent* [g]. Denique est longè magis communis opinio, à qua non sine aliqua temeritate recedit Michaël Medina [h], contra quem Suarez [i]. Lege etiam Abulensem [k].

a c.3.22.
Christi corporis summa venustas commendatur.
b Ps.44.3.
c Ser.1. de omnib. San.
d Hom.28. in Mat. & hom. 32. ad pop.
e in cat. Exo. c.2.
f epist.140. & Mat.9.
g Ioan.18.6.
h 2. de Fide. c.7.
i t.2.3 p.q.13. dis.31. sec.2.
Pulchritudinis Christi causa.
k Parado.1.

Ratio ipsa naturalis id persuadet, quoniam pulchritudo nascitur ex bonitate interni temperamenti, quod fuit in corpore CHRISTI: & Nicephorus [l] describit pulcherrimum vultum eius, cuius extant expressæ imagines vel ab ipsomet CHRISTO, vt proditum est de imagine quam miserit Agabaro, & de alia quam dederit Veronicæ, de qua Gretserus noster [m], & Baronius [n], vel à Luca depictæ, de quibus Nicephorus [o], Theodorus lector [p], Metaphrastes [q]. Tanta est in corpore & animo humano cognatio, & sympathia, vt in his insint plerúnque præstantissimæ animi dotes, qui forma corporis antecellũt: *eius enim species*, inquit Ambrosius [r], *simulacrum est mentis, figuráque probitatis. Et natura ipsa magnis mentibus domicilia corporum digna metatur*, inquit Auctor Panegyrici ad Constantinum, qui incipit, *Facerem sacratissime Imperator*: aut etiam *cùm venerit animus*, vt ait Latinus Pacatus [s], *fingit habitaculum pro habitu suo* (dicitur id Oratoriè vel Pythagoricè, non verè, cùm falsissimum sit, animas vsquàm ante corpora extitisse) aut, quod à Maximo Tyrio [t] dictum est, *vt antè sol exoriens præmittit fulgorem, qui cacumina montium illustret, vberioris lucis specita splendescenti animo præfulget in superficie corporis decor spem afferens multo melioris*. Vtitur simili comparatione Lucianus [u]. Legantur Rhodiginus [x], Tiraquellus [y], Cassanæus [z], Bongus [a]. Tritum illud Euripidis recitatum à Porphyrio [b], faciem esse dignam Imperio: & Lucretius [c] ait, in constituendis Regibus faciem multùm valuisse: idem prodit Q. Curtius [d]: eius quoque rationem Aristoteles [e] haberi vult: necnon verum (tametsi reprehensum à Seneca [f], quem reprehendit Brodæus [g]) illud [h];

Gratior, & pulchro veniens in (vel è) *corpore virtus.* Pythagoras, Isocrates, Plato nec ad scholam deformes admittebant. Lycurgus longiùs amandabat: lex quoque Mosis arcebat à sacris, vt aliæ externæ. Legendus Abulensis [i].

l 1. Hist. c. vlt.
m 1. de cruce, c.97.
n Tom.1. Annal.
o 2. Hist. c.41. & libr.14. c.2.
p 1. Collect.
q in vit. Luc.
r 3. de virgin.
s panegy. ad Theodos.
t Serm.10.
u in imagin.
x lib.16. cap.5. lib.24. c.7. & 8. & 9.
y lego 2. connuo. 2 n 28.
z cata. glori. mũd. consid.10.
a de myst. nu. duodenario.
b in isag. c.3.
c lib.5.
d lib 6.
e 4. Pol. c.4.
f epist.66.
g lib.5. Miscel. c.35.
h Æneid.5.
i Parad.2. cap. 101.

Certè Augustinus ait [k], consuetudinem Scripturæ esse, speciosos corpore bonos vocare, quod Græcis, vt demonstrat Proclus [l], familiare est idem dicentibus esse καλὸν, καὶ ἀγαθὸν, & illud quidem dici quasi ἀπὸ τὸ καλεῖν, quoniam permulceat, sic Dionysius [m] hoc quasi ἐφ' ὃ πάντες θέομεν, *ad quod omnes currimus*. Tales fuerunt in sacris literis, Ioseph [n], Saul [o], Dauid [p], Absalon [q], Salomon [r], & innumerabiles alij, quos ex Poëtis, Oratoribus, & Historicis possem producere, si diutiùs in hoc communi loco immorari concessum esset.

k li.15. de ciu. c.23.
l in Alc. Plat. de anima.
m c.4. de diu. nom.
n Gen.39.6.
o 1. Reg.9.2.
p 1. Reg.16.12.
q 2 Reg.14.25
r Sap.7.11.

Decuit igitur Mosem tantum futurum ducem, legislatorem, Sacerdotem, doctorem, aptum

A tantis dotibus corpus habere, decorum, elegans, venustum; cùm liberatrici etiam futuræ populi sui Iudith, præter natiuam, & ascitam ex ornamẽto extrinseco pulchritudinem, contulerit quendam splendorem DEVS, & in illam amplificauerit pulchritudinem, *vt incomparabili decore omnium oculis appareret* [s]. Lege quæ de B. Virginis corporali pulchritudine colligit Viegas noster [t], & Barradius [u], & Suarez [x], qui agit præterea de CHRISTO [y].

Qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.] In Exodo [z]: *Et videns eum elegantem*, vel mater, vel pater, vel potiùs vterque, Græcè enim est ἰδόντες, quamuis Hebraicum תרא there, ad matrem solam

B pertineat, cùm sit futurum tertiæ personæ generis fœminini, *abscondit*, siue *absconderunt tribus mensibus*. In epistola ad Hebræos [a]: *Fide*, inquit Apostolus, *Moyses natus occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum*.

s Iudith 10. 4.
t in c.12. Apoc. cõment. 2. sect.3.
u 6. Harmo. c. 9.
x to.2. in 3. p. disp.2. sect.2.
y tom.1. disp. 32. sect.2.
z cap.2.2.
a c.11.23.

Glossa interlinearis indicat Mosem propter elegantiam formæ à parentibus absconsum esse, vt saltem hic seruaretur, aliis pereuntibus. Rupertus longè alia de causa id factum putat [b], nimirum, *ne propter elegantiam eius, quæ iam ardere cœperat, magis inflammaretur inuidia*.

Cur Mosis formatura fuerit memoratur.
b Exod.1.

Non est seruatus Moses longiore tempore, *quia*, inquit Lippomanus, *scrutinium per domos singulas*

C *instabat, quod tribus quibusque mensibus fieri consueuerat*: vel quia non potuit diutiùs: tandiu autem potuit, quia *quidam partus*, inquit Lyranus, *non multum apparent per clamorem, maximè cùm volunt matres celare*. Alij notant infaustum esse nonagesimum numerum, quot dies continentur in tribus mensibus. At non omnes menses constant consequenter triginta solis diebus exactè.

Cur diutius seruatus non sit.

Si quæras, cur fidei tribuatur ab Apostolo, quod parentes fecerunt naturali amore prolis, respondebunt in eum locũ Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, S. Thomas, Lyranus, & alij, ex ea elegantia filij intellexisse parentes, atque credidisse futurum magnum

D virum, ideóque eum seruasse. Hæc potiùs prudens habenda est coniectura, non autem fides, nisi DEVS aliquid promisit, vel reuelauit. Iosephus quidẽ [c], vt anteà meminimus, prodidit, patri Mosis factam fuisse reuelationem: *De DEO verò ille certam*, inquit, *spem habebat, prouisurum, vt oraculi veritatem euentus indicaret*.

Mosis cur dicatur ab Apostolo per tres menses fide seruatus.
c libr.2 Antiq. c.5. vel 9.

Verùm videtur Paulus docere fidem ortam ex infantis elegantia, necnon Philo [d], dicens, quòd visus est præ se ferre haud vulgarem indolem, adeò vt eius parentes edictum Tyranni contemnerent. Vtrumque fuit: & Amram accepit oraculum, de quo, vt apud Iudæos vulgari, Mosem ipsum opinionem habuisse innuunt illa verba quæ sequun-

E tur in Exodo [e]: *Existimabat autem intelligere fratres, quoniam DEVS per manum ipsius daret salutem illis*. Et cùm nonnihil forsan dubitaret non posse Pharaonis manus effugere, confirmatus est ipsa elegantis filij forma, quasi peculiari quodam signo, quod DEVS dederit, cui gratum fuisse Stephanus dicit, & omninò verum esse oraculum credens, illum tribus mensibus domi suæ custodiuit.

d 1. de vita Mosis.
Mosis acceperat à Deo oraculũ, futurum vt ipse populum liberaret.
e vers.25.

Versus 21.] Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi in filium.

EXPOSITO *autem illo.*] Syrus sic habet, וכד אשתדי מן עמה *vecad eschthedi men hhammah,* id est, *& cùm abiectus esset à populo suo,* vel, *cúmque fuisset expositus à populo suo.* De matre sola loquitur textus Hebraicus[a], Interpres Chaldaicus, & noster. *Cúmque iam celare non posset,* inquit vulgata editio, *sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eam in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore eius, & considerante euentum rei.* Septuaginta interpretes vtrique parenti occultationem tribuunt, dicentes, ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἠδύναντο ἔτι κρύπτειν αὐτό, *postquàm autem parentes non potuerunt ampliùs occultare ipsum*; expositionem tamen soli matri assignant, dum subiiciunt: ἔλαβεν αὐτῷ ἡ μήτηρ αὐτοῦ θῖβιν, καὶ ἐνέβαλε τὸ παιδίον εἰς αὐτήν, καὶ ἔθηκεν εἰς τὸ ἕλος παρὰ τὸν ποταμόν, *Accepit illi mater eius arculam, & imposuit in ea puerum, & posuit eam in palude iuxta fluuium.* Iosepho minùs credendum dicenti in flumen ipsum proiectam esse arcam, seu quem ipse appellat lectulum, quantus infantulum commodè capere poterat. Credi potest, sororem Mariamem, siue Mariam, iussu matris ex aduerso per ripā descendisse, obseruaturam quò tandem res euaderet. Ceterùm pro fiscella editio Græca Regia habet θήκην, thecam, siue arcam: editio verò Septuaginta iussu Gregorij XIII. & Sixti V. emendata θῖβιν, quo etiam modo legerunt Origenes[b], & Augustinus[c], & alij, etsi Augustinus ait, quid sit θῖβις, difficile esse nosse, quia nec Græcus interpres ex Hebræo, nec Latinus ex Græco vertit hoc nomen (nondum Hieronymus ediderat interpretationem suam Latinam) sed transtulit, vt inuenit. Nimirum Hebræum nomen est, תיבה *thebah,* significans non tantùm, vt Origenes voluit, tegimen ex papyro contextum, sed etiam ex ligno, cum ita quoq; appellata sit Arca Noe[d]. Cyrillus[e] legit, θίβην, vt notatur in variis lectionibus dictæ editionis Græcæ emendatæ, vbi præterea ex Schol. dicitur quòd est κιβωτὸς παπύρου, ἢ ὑδρία, ἢ πλατυσμός, ἣν τινες καλοῦσι σίτλαν *arca papyri, seu vas aquariū, seu situla, & vrna, & hydria, vel platysmus, quam vocant sitem,* nec enim harum vocum significationem reperire potui, nisi quòd πλατυσμὸς significat dilatationem seu diductionem, & id omne quòd latum est, vt linteum, vel quid simile, & fortasse latam arcam. Lippomanus & Ystella credunt vitiosè legi, θίβην, pro θήκην, ponendo primo loco, ι, pro η, & β, pro κ, præsertim cùm Augustinus significationem vocis θίβην difficilem cognitu affirmet.

Omninò retinenda est vox θῖβις per iota, cui auctoritatem tribuit Pontificia approbatio editionis Bibliorum ex versione septuaginta Interpretum, tum etiam, quoniam periti Græci sermonis agnoscunt notionem ipsius huic loco congruentem; licèt nonnulli legant, θίβην, alij dicendum putant, θῖβις, τῆς θίβεως, non, θίβεις, θίβιος, vt Varinus[f], Phauorinus genere fœminino ἡ θῖβις, & masculino ὁ θῖβος, dici posse credit. Nam Hesychius[g] docet esse πλέκτον τι κιβωτοειδὲς ὡς γλωσσοκομεῖον, id est, *fiscellam è vimine plexam circuli in modum, & tanquàm marsupium oblongum, quo viatores vtuntur.* Budæus[h] notat apud Athenæum vsurpari pro vase, quod amplexatur discum vitreum, ne frangatur in ferculis ferendis, à Plinio[*] dictum *repositorium,* quod alij vocant loculum. Suidas[i] postremò ait esse arculam *ex libro, seu papyro in morem cophini factam.* Phauorinus[k] explicationem affert vtramque Suidæ & Hesychij, ponit quoque τὸν θίβωνον, dicens esse κιβώτιον κύπρινον, id est, *arcam ex cypro arbore Ægypti, quæ similis est ligustro, compositam*: immò quorundam opinione est eadem cum ligustro. Sed & Lucianus[*] vsurpat nomen τῆς θίβεως in eadem significatione pro arca papyri. Tam multa de re tantilla dicta sunt, vt vindicem editionem Sixtianam Interpretum septuaginta.

a cap. 2. b. 4.
b in Exodū.
c de locut. in Exodum.
d Gen. 6. 14.
e in Glaphyris.
Vox θῖβις, nō θίβις, retinēda est.
f in Lexico.
g in Lexico.
h Citatur in Thesauro linguæ Græcæ. *Quid significet θῖβις vox hic vsurpata.*
* lib. 9. c. 21 & lib. 28 c. 2.
i in Historic.
k supra.

Idem locus Exodi[l] *fiscellam scirpeam* vocat, Hebraicè תבת גמא *thebath gome,* id est, *fiscellam,* seu *arculam iunci,* aut arboris admodùm leuis, ex qua fiunt nauiculæ, vt ait R. Dauid Kimhi, à radice גמא *gama,* quod est, *bibit,* seu, *absorpsit,* seu, *immersit,* eò quòd hæc aquis immergatur. Plura de hoc Pineda noster[m], quem legimus postquàm ista notaueramus. Iosephus appellat lectulum ex papyro contextum, & nomen θίβην, vt retulimus, ipsam secum materiam importat: quæ etiam ratio iuuat, vt id retineatur, & non generalis significationis vox θήκη. Porrò dictio Hebræa גמא *gome,* significat lignum admodùm leue, qualis est arundo marina, aut iuncus, aut papyrus, aut scirpus, quæ sæpe nomina confunduntur, idémque ferè sonant. Rupertus[n] ait esse genus aquosæ genestæ sine nodo, & papyrum leuem, seu cannam, de qua Lucanus[o]:

— Cùm tenet omnia Nilus
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Plinius[p] scirpum, seu papyrum nasci docet *in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, vbi euagatè stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliqua crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine; in gracilitatem fastigiatum thyrsi more cacumen includens, & ex ea texi nauigia, atque radicem non ignem tantùm alere, sed ad alia quoque vtensilia vasorum vtilem esse.* Hoc etiam vltimum, quod dixi, nempe ex eo nauigia texi, confirmant verba Esaiæ[q]: *Mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas.* Quo in loco eadem vox Hebræa, quæ in Exodo, nempe גמא *gome,* habetur. Sed ista de iunco, qui vulgò ita nominatur, vera non sunt: ideoque fiscella ex eo composita non erat. Lege quæ de iunco Leuinus Lemnius[r]. Illam porrò fiscellam linierunt bitumine (quod ἄσφαλτον Græci vocant, & Hebraicè dicitur חמר *themar,* id est, cæmentum, & terra tenax) & pice, ad tenacissimum contra sentinam aquæ præsidium, quod de bitumine potissimùm affirmat Plinius[s], eoque oblini arcam à Noe imperauit DEVS[t]. Scilicet vult ille homines in rebus aduersis quod in se est, faciant, reliquum diuinæ prouidentiæ permittant, & commendent. Allegorias ac tropologias vide in Catena Lippomani, & apud Ambrosium[u]. Nihil opus est etiam morari in excusandis parentibus Mosis, cum discrimini exponentibus. Damnandi forent, si seruare aliter infantem potuissent[x]: retentus domi diutiùs, sine dubio cæsus esset ab exploratoribus: quoad potuerunt retinuerunt, nec absque magna cura & prouisione exposuerunt: deniq; certi erant oraculo diuino, si vera Iosephus narrat, non periturum infantem. Sed & periclitabatur parentum vita, si deprehensus apud eos infans fuisset. Hoc vltimo modo Menochius[y] illos excusat.

Sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuit sibi eum in filium.] Iosephus[z] nomen filiæ Thermutem exprimit. Rē verò distinctè pluribus verbis in Exodo[a] narratam habemus: *Ecce autem descendebat filia Pharao*

* in Timone.
l cap. 2. 3.
m in c. 8. Iob. vers. 11. nu. 2.
Quid sit iuncus de quo hic agitur.
n in Exodū lib. 1. c. 9.
o lib. 4.
p lib. 13. c. 11. *Papyrus vbi nascatur.*
q c. 18. 2.
r lib. de herbis & arboribus ex Bibliis. c. 16.
s lib. 35. c. 15.
t Gen. 6. 14. *Deus vult homines in aduersis omnia subsidium quod possunt, quærere.*
u in cap. 6. Apoc. fusè. *Parentes Mosis non peccarunt, exponendo eum mortis periculo.*
x de infantib. expos. c. vnico.
y lib. 2. de arbit. iudic. centur. 4. casu 396. nu. 1.
z 2. Antiq. c. 5.
a c. 2. 5. & seq.

C

Moses à flumine, in quod fuerat expositus, liberatur.

lia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis, & allatam aperiens, cernénsque in ea paruulum vagientem, miserta eius ait: De infantibus Hebræorum est hic. Cui soror pueri: Vis, inquit, vt vadam, & vocẽ tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum? Respondit: Vade. Perrexit puella, & vocauit matrem suam. Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, *puerum istum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutriuit puerum, adultúmque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filij.* Idẽ Iosephus[a] paulò aliter describit rem gestam: *Erat filia regi nomine Thermutis: hæc dum ludit ad ripas fluminis, conspicata vas fluitans, missis natatoribus iubet lectulum ad se in ripam extrahi: quo, vt iussum erat, allato, mirè placuit puer, quòd esset magnus ac pulcher. Tanto enim fauore* DEVS *Moysem prosecutus est, vt eum fecerit ab illis ipsis nutriri, & educari, qui propter eius natiuitatem reliquos quoque Hebræos perdendos decreuerant. Itaque iubet Thermutis mulierem aliunde adduci, quæ puero mammam præbeat. Quo non admittente mammam, sed aduersante, idq; cùm alia post aliam adduceretur, Mariame, quasi non data opera, sed fortuitò ad spectandum interuenisset* (dixerat autem iussu matris eam descendisse obseruaturam, quò tandem papyraceum illud vas deportaretur à flumine) *Nihil agis, inquit, regina, dum nutrices infanti adhibes alieni generis mulieres: quòd si Hebræam aliquam accerseres, tum fortè popularis mammam admitteret. Cúmque rectè monere videretur puella, iussa est ipsa hoc negotium exequi, & lactantem quampiam adducere, ac mox vsa permissa potestate, redijt adducens communem matrem ignotam omnibus qui tum aderant. Tum infans perquàm libenter inhærere mammillæ visus est* (id quoque ponit Nyssenus in vita Mosis) *& rogante regina, mulier commissi infantis curam suscepit,* &c.

a loco suprà citato.

De Mose alia narratio Iosephi.

Moses ab eis nutritus qui propter eũ Hebræos omnes perdere decreuerant.

Moses lactãdus propria matri datus est.

Mosis infantia qualis.

Pergit deinde quædam dicere de rudimentis pueritiæ, & de modo quo adoptatus est: *Puer autem non pro ætate proficiebat intellectu, sed suæ ætatis mensura multò superior, & seniorem huius rei facultatem in infantia demonstrabat, & inter ludendum præ ceteris sapere videbatur, & quidquid agebatur, noua quadam indole res magnas olim gerendas præ se ferebat.*

Post tertium verò annum ætatis admirandam gratiam ei DEVS *addidit: nemo enim erat adeò tetricus, vt visa Moysis pulchritudine non obstupesceret, & persæpe accidebat, vt dum gestatur ac circumfertur, obuios quosque in se conuerteret, ita vt relictis serijs alijs negotijs, mallent præcellenti eius forma oculos pascere. Tanta erat puerilis gratia, vt inuiti homines ab hoc spectaculo discederent.*

Mosis elegantia ac pulchritudo admirabilis.

Quo factum est, vt Thermutis hunc sibi filium adoptauerit, cùm alioqui germanis liberis careret: allatúmque patri ostendebat, dicens de successore se cogitare, etiamsi DEVS *illi nullum filium gignere dederit. Hunc puerum,* inquit, *ego educaui non minus indole, quàm pulchritudine diuina excellentem, quem Nilus ipse in sinum meum tradidisse mihi videri potest: quem decreui adoptare mihi filium, tibi verò in principatu ac imperio successorem, & cum dicto patri infantem in manus imposuit. At ille, postquàm acceptum ad pectus applicasset, filiæ gratificaturus, comiter diadema suum eius capiti imposuit.*

Adoptatur à regis filia.

Moyses verò capiti pueriliter detractum prolabi in humum passus pedibus etiam calcauit: id quod mox ominosum est visum, & regno nihil boni portendere: móxque ille sacrorum Scriba (de quo diximus agentes de edicto contra Hebræorum masculos infantes) *qui natiuitatem eius Ægypto cladẽ allaturam prædixerat, occidere puerum volebat, vociferans: Rex, puer iste, per cuius necem nobis securitatem* DEVS *pollicetur, vaticinium iam confirmauit insultãdo tuo regno, & diadema calcando. Hoc interempto, tam Ægyptijs metum, quàm Hebræis spem, & fiduciam adime.*

Moses puer diadema Pharaonis pedibus calcat.

Thermutis verò confestim eum eripit, rege quoque non inuito, cui DEVS *talem animum indiderat, Moysis saluti prouidens. Itaque educabatur quàm accuratissimè. Quamobrem Hebræi quidam felicitatem suo generi per illum affuturam sperabant, Aegyptijs verò suspecta erat hæc educatio. Sed cùm nemo extaret vel è cognatis regis, vel ex alijs optimatibus, qui etiamsi Moyses sublatus esset, magnoperè videretur procuraturus Aegyptiorum commoda, abstinuerunt ab eius cæde.*

Moses à morte per Thermutin liberatur.

Hæc omnia transcripsimus præter morem ex Iosepho, quòd & quædã superius dicta illustrent, vt de pulchritudine infantis, & alia contineant scitu iucunda, ac ad intelligendum ea, quæ sunt in Exodo, vtilia. Emissenus[b] eadem recitat, dicitque ideò fortasse prætermissa à Mose, ne suum præconium scribere videretur.

b Hom. de SS. Innocentib.

Philo[c] (ex quo transcripsisse videtur Clemens Alexandrinus[d], citans etiam Ezechielum Iudaicarum tragœdiarum poëtam) *illam filiam regis,* ait, *vnicam regi fuisse, atque dilectam, & dudum nuptam non potuisse matrem fieri, nec habere successorem in regno valuisse, alioqui migraturo in familiam aliam nepotum penuria: ea pressam cura, maximéque anxiam, cùm hactenus domi se continuisset, exisse ad fluuium, & lauantem inter opaca stagnorum iussisse afferri puerum, cuius forma & infortunium eam commouerit, vt nutricandum traderet eo modo, quem Iosephus dixit: cùm nondum tutum esset eum ferri in Regiam, & prouideret* DEVS, *vt prima educatio contingeret infanti domi apud hos ipsos, ex quibus procreatus fuerat.*

Mosis dis[illegible] ra præ[illegible] c 1. de vita Mosis. d 1. Stromat. 13.

Filia Pharaonis quomodo Mosem adoptauerit.

Discrepat Philo à Iosepho, quòd scribit filiam regis iam antè muliebri arte finxisse se grauidam, vt infans natiuus videretur, non ascititius. Sed id sanè verisimile non est, nec congruum reliquæ historiæ de Mose. Artapanus apud Eusebium[e] Pharaonis, quem cognominat Chenephrim, vel Nechephrim, filiam vocat Merim; & Mosem refert à Græcis dictum Musæum. Nec hæc sunt admodùm probabilia.

Finxit se grauidã filia Pharaonis.

e 9. de Præp. Euang. c. 4.

Quod ait Iosephus post tertium annum adoptatum, & domi receptum à filia regis, Philo sic habet: *Cùm ablactatus maturè esset, maioribus quàm pro ætate incrementis est auctus.* Scriptura porrò dicit adultum iam traditum filiæ regis à matre. *Nouum miraculum,* inquit Augustinus[f], *genus fecit misericordiæ filia parricidæ: nam dum paruulum seruat ignara, patrem decipit incauta. Dignum malitiæ eius sceleris erat, vt filiæ prouisione periret, qui genitrices interdixerat parturire. Competens accessit diuina vindicta, vt suis affectibus puniretur, & Moyses pro alijs eruendis erueretur.* Si fauor pulchritudinis meretricem Phrynẽ liberare potuit in iudicio Atheniensi, cùm tunicam à pectore diduxisset, quam Hyperidis non potuit actio clarissimi Oratoris, vt Athenæus[g] meminit, & Pausanias[h], & alij complures: est enim, quod ait ille[i], *Formosa species muta commendatio,* & pulchritudo, auctore Aristotele[k], est *κάλλος ἐπιςολῆς συςατικώτερος, quauis epistola commendabilior.* & *σιωπῶσα ἀπάτη, silens fraus,* vt loquebatur Theophrastus[l]. & *ἀδορυφόρητος βασιλεία, absque satellitio regnum,* vt Carneades: quid mirum, cùm hæc, inquam, ita se habeant, si planè diuinitùs radians in Mosis infantis vultu decor, Regis

f in locut. in Exodum.

Educatio Mosis miraculum [illegible]

g lib. 13. c. [illegible] h lib. 1. i Publius Syrus.

Pulchritudo commendatio [illegible]

filiam

filiam compleuerit non miseratione tantùm, sed amore?

a Sermo. 1. in oct. Pascha. *Moses cū Christo comparatio.*

Aprè profectò Bernardus [a] cum Pharaone Herodem, CHRISTVM infantem cum infante Mose comparans, notat *in vtroque isto illum vtrumque delusum, ac vtrobique pro vnius suspecta persona trucidatam numerositatem puerorum: & vt Mosem filia Pharaonis, ita Ægyptum suscepisse CHRISTVM conseruandum.* Alij Patres in Mose à matre exposito, & à Pharaonis filia suscepto intelligunt CHRISTVM repudiatum à Iudæis, à Gentilibus susceptum, ita tamen, vt tandem ab Ecclesia ipsa fidem CHRISTI Synagoga recipiat.

Qua ab impiis Gentilibus de Mose falsò prodita sunt. b in Histor.

Antequàm prodeat grandior Moses, vindicandus nobis ab historico profano Alexandro Milesio, quem Suidas [b] testis est scripsisse Moso fœminam fuisse, quæ legem ediderit Hebræorum. Errat & in nomine, & in sexu. Errant & in aliis non paucis antiquiores CHRISTO Scriptores, pertinentibus ad eundem Mosem; de quo meminerunt: vt ex Ægyptiis Sachoniato Berutius, & Ptolemæus Mendosius, & Manetho: ex Chaldæis Berosus: ex Græcis præter Alexandrum, Artapanus, Polemo, Eupolemus, Euphorus: ex Latinis Iustinus, & alij, quos collegit Pererius [c], notans Origenis [d] lapsum tradentis post CHRISTVM duntaxat nomen Mosis innotuisse Gentilibus. Insigne etiam est Plinij [e] contra Mosem mendacium, qui factionis magicæ à Iudæis pendentis eum auctorem fingit, & eum cum Iamne coniungit, quem Ægyptium fuisse magum, vnumque ex his qui Mosi restiterunt, ex Apostolo [f] constat.

c in c. 2. Exo. disp. 4. d Hom. 1. in Cant. *Olumn effusum nomen tuum.* e lib. 30. c. 1. f 2. Tim. 3. 8.

Vers. 22.] Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis.

EX *eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum.*] Scriptura in Exodo de hac eruditione non meminit, solùm tradit [g] *adoptatum in filium filiæ Pharaonis, satis*, vt Caietanus notat, *innuens illis verbis regiā educationem in artibus liberalibus* [h]. Philo postquam eadem ferè dixit de modestia, grauitateq; in puerilibus annis, quæ Iosephum superiùs dicentem vidimus, addit, *quòd confestim accesserunt aliunde præceptores quidam vltrò venientes è præfecturis Ægypti proximis, alij magnis præmiis inuitati è Græcia: at ille eos intra modicum tempus superauit, natiua docilitate institutionem præcurrens, vt reminisci videretur, non discere, in rebus difficilioribus de suo comminiscens aliquid, &c.*

g Exo. 2. 10. h 1. de vita Mosis. *Mosis à quibus doctus fuerit.* *Quæ & quàm multa didicerit.*

Itaque numeros, & geometriam, vniuersámque musicam, rhythmicam, harmonicam, metricam, siue contemplatiuam, siue per instrumenta, vocésque promentem se modis variis, accepit ab Aegyptiis doctoribus, & insuper occultam Philosophiam descriptam literis, vt vocant, hieroglyphicis, hoc est, notis animalium, quæ ipsi venerantur pro numinibus: reliquas liberales artes Græci docebant: ex propinquis autem regionibus euocati Assyrij suas literas, Chaldæi sideralem: hanc & ab Aegyptiis didicit, mathematicæ cumprimis deditis, obseruansq; quid vtrisque conueniat, & in quo discrepent, &c. Basilius [i] ait Mosem dexteritate ingenij, & perspicacia intelligentiæ superasse omnes Ægyptios. Errat Iamblicus [k] affirmans primum sapientiæ ac doctrinarum auctorem fuisse Mercurium Trismegistum: hic enim, vt Eusebius [l] testatur, & Augustinus [m], Mose recentior est, quia tempore

i in c. 1. Esa. k li. de myst. Ægyptio. l 9. de Præparat. c. vlt. m 18. de Ciuit. c. 1. *Mercurius Trismegistus sapientiæ & doctrinarum auctor apud Ægyptios non fuit.*

A Mosis Atlas Astrologus Promethei physici frater, & auus maternus maioris Mercurij floruit: huius autem Mercurij nepos fuit alter ille cognomine Trismegistus.

Refert idem Eusebius [n] quorundam opinionem, quę etiam est Iosephi [o], traditas ab Abraham Aegyptiis mathematicas disciplinas. Obstat, quoniam perparum in Aegypto hæsit, non per duos & viginti annos, vt Artapanus apud Eusebium dicit. De Iside Inachi Argiuorum regis filia Varro ab Augustino [p] citatus id existimat; cuius Isidis in Aegypto regnum post Abraham inchoat Eusebius [q].

Abraham non docuit Aegyptios disciplinas. n supra. o 1. Antiq. c. 1. *Neque Isis.* p 18. de Ciu. cap. 40. q in Chron. *Sed potius Iacob vel Iosephus.*

B Credibile est cùm Iacob degerit annos septemdecim apud Aegyptios, docuisse illos: aut potiùs Iosephum, qui etiam cum imperio, totos octoginta ibi præfuit: de qua re accipi posset quod est in Psalmo [r]: *Eloquium Domini inflammauit eum: misit rex, & soluit eum. Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ: vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* Quanquàm non ignoro, sermonem esse, iuxta præsertim Hebræum textum qui sic habet, לאסר שריו בנפשו וזקניו יחכם *leasor scharau benaphscho vzkenau iechacchem*, id est ad verbum, *ad alligandum principes eius in anima sua, & senes eius sapientes efficeret*, de castigata per eum corruptela aulica, & reductione ad moderationem, atque C virtutem, qua ipse erat præditus, seu, vt pro arbitrio suo id faceret, & Consiliarios Regios efficeret sapientes. Verùm & allata sententia rectè cohæret. Porrò quod Philo de doctoribus Græcis tradidit, & Chaldæis disciplinis, meliùs fecit Stephanus ea non commemorando. Moses námque Cadmo antiquior est, qui literas ipsas Græcas adinuenisse memoratur: & constat ante septem Græciæ Sapientes, qui circa tempus captiuitatis Babylonicæ claruerunt, nullam apud Græcos fuisse philosophiam, nedum sapientiam. Denique Stephanus satis profectò significat sapientiam apud Aegyptios ante Mosem nō solùm notam, sed etiam celebratam & honoratam fuisse.

r Ps. 104. 20. 21. & 22. *Non rectè Philo Mosem à Græcis doctrinam hausisse tradit.*

D Quod attinet ad Hieroglyphica, Iustinus [f] quidem negat, eorum scientia Mosem imbutum fuisse, vtpote quæ contraria Hebræorum regimini foret: Clemens tamen Alexandrinus [t] ait ea adhibuisse ad tradenda, & exponenda complura legalium præceptorum, & cæremoniarum mysteria. Citat quoque Eupolemum in libro de Iudææ regibus, asserentem fuisse Mosem primum sapientem, & grammaticam primum tradidisse Iudæis, & Phœnices accepisse à Iudæis, Græcos autem à Phœnicibus. Lege de hac re tota Pererium [u], & de quadruplici Aegyptiorum sapientia, Mathematica, Physica, Morali, siue Politica, & Theologica, cuius pars princeps erat Hie-E roglyphica, sub se comprehendens imitatiuam, translatiuam, & ænigmaticam, Clementem Alexandrinum [x], & Sixtum Senensem [y]. De Hieroglyphicis olim scripsit Cheræmon, & Orus Apollo: ex recentioribus Pierius Valerius. Earum literarum institutum paucis verbis expressit Lucanus [z]:

Mosis an Hieroglyphica cognouerit. f q. 25. ad orthod. t 1. Strom. ca. 17. *Græci à Phœnicibus, hi ab Hebræis literas acceperunt.* u Gen. 12. disput. 6. & in Exod. c. 2. disp. 7. 8. & 9. *Aegyptiorum sapientia quadruplex.* x 6. Strom. c. 2. y 2. Biblioth. z lib. 3.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Nouerat, in saxis tantùm volucrésque feræq;,
Sculptáque seruabant magicas animalia formas.

Hinc discimus, tum quomodo liberi educandi sint, & scientiis imbuendi; tum externæ disciplinæ ab impiis potissimùm vsurpatæ, piis commodum quantum apportare possint.

Liberi educandi quomodo sint.

Educationis liberorum exempla.
a Dan. 13. 3.
b Tobiæ 4. 1. & seq.
c Iob. 1. 5.
d Esther 2. 7. 11.
e Dan. 13.

A Egregia eruditionis liberorum extant exempla in parentibus Susannæ[a], & Tobiæ iunioris[b], & filiorum Iob[c], & neptis Mardochæi[d]. De Susanna loquens Origenes apud Hieronymum[e]: *Hoc, inquit, vtendum est testimonio ad exhortationem parentum, vt doceant iuxta legem* DEI*, sermonemq́; diuinum non solùm filios, sed & filias suas.* Non erant modò apud Græcos scholæ, quas ad literas ediscendas adirent pueri, sed in quibus iustitiam docerentur, vt à Xenophonte[f] proditum est. Edidit de liberorum educatione Plutarchus opusculum, ex recentioribus Syluius Antonianus, postea S. R. E. Cardinalis, Italico sermone, & ex nostris Hispanico Stephanus Astete. Sed & hoc argumentum copiosè tractauit optimus senex & πολυγραφώτατος noster P. Antonius Posseuinus[g], vbi de cultura ingeniorum disserit, quem posteà tractatum multa adiiciens Italicè edendū curauit.

f 1. Cyropæd.
De liberorum educatione qui scripserunt.
g 1. lib. Biblio. selectæ, c. 7. & seq.

B Ex Patribus autem hinc inde multi, maximè Clemens Alexandrinus in suo Pædagogo, de hac re agunt, & eam sacræ literæ valdè commendant[h], & Concilia permulta, præcipuè Tridentinum[i]. Legatur etiam historia Ribadeneiræ item nostri de vita B. Ignatij nostri[k]. Quòd autem ea Mosis institutio procurante filia Pharaonis facta sit, dubitari nequit: & præter citatos Magistros disertè affirmat Basilius[l], dicens, *magnifico ac regali impendio id fecisse.*

h Eccli. 7. 25. & seq. Ephe. 6. 1. & seq.
i Sess. 23. c. 18. de reforma.
k libr. 3. cap. vlt.
l Hom. 1. Hexam.

C Iam verò quod spectat ad vsum secularis scientiæ, cùm hic in laude Mosis hoc loco ponatur, & alibi Danielis, atque sociorum[m], bene Oecumenius[n] monet illam non esse reiiciendam: *Oportet autem, inquit, paulùlum illis adhærere eos, qui diuinæ scientiæ diuinitùs inspiratæ immorantur*: in qua Scriptura diuina Clemens Romanus[o] docet, nec historiam desiderari in libris Regum, nec sophisticam, id est, eam quæ argutè ad sapientiam refertur, nec poëticam in Iob, Prophetis, Prouerbiis, nec cantilenas in Psalmis, nec vetustatem originis rerum in Genesi, nec leges in Deuteronomio, &c. atque his affinia habent Cassiodorus[p], & Ambrosius[q], *Neque enim Moses, inquit, neque Ananias, aut Daniel peregrinam didicerunt eruditionem, nisi necessitate, atque coactione dominorum: in nullo etenim ea vsi sunt, nisi forte quis dicat, quod bonum sit eas discere ad euertendas illorum fraudes.*

m Dan. 1. 4. & seq.
n in Act. c. 7.
o 1. Const. c. 6. *In libris diuinis nihil eorū deest quæ sunt in secularibus scientiis.*
p in exposit. Psalt.
q in c. 2. ep. ad Coloss.

D Iustinus[r] ait laudari hoc nomine Mosem non simpliciter, sed posita iam vera in DEVM pietate, & magis propter scientiam, quàm vsum. Eandem sententiam habet Beda[s] citatus in Decreto[t], vbi Gratianus notat à sancto Gregorio[u] *non reprehēdi Episcopum, qui eas didicerat, sed quia contra Episcopale officium, pro lege Euangelica, grammaticam populo exponebat.* Idem Hieronymus[x] notat, *si Daniel, & tres eius socij, qui cibis regiis, ne pollueerentur, vesci noluerunt, in vitio esse, & contra religionem nosse doctrinam Chaldæorum, & libros eorum legere* (quod interdictū aliquando est Christianis à Iuliano Apostata[y]) *existimassent, nunquam id facere sustinuissent. Ea igitur, inquit, didicerunt illi, non vt sequerentur, sed vt ea vanitatis & falsitatis, atque impietatis conuincerent, & damnarent. Nam si quis aduersùs Mathematicorum, quos Genethliacos vocant, dogmata disputaret, matheseos corum ignarus, risui omnium pateret. Itaque tres illi pueri sapientiam Chaldæorum ea mente didicerunt, qua Moses doctrinas Ægyptiorum didicerat.* Tametsi, quod attinet ad Danielem, sociósque, non improbabile censeo, literas, quas cum lingua Chaldaica illos discere voluit Nabuchodonosor, non Chaldæorum significare doctrinam, cui addiscendæ trien-

Moses laudatur non propter vsum sapientiæ Ægyptiorū, sed propter scientiā.
r q. 25. ad Orthodo.
s lib. 2. Reg. c. 9.
t distin. 37. c. Turbat acumen.
u li. 9. ep. 48.
x Dan. 1. & hab. dist. 37. c. Qui de mēsa. quamuis nō planè iisdem verbis.
y Nazian. ora. 1. in Iulia. Cyrill. Alexā. 7. con. Iulian.

nium quod ille dedit[z], non sufficeret, sed characteres formare, & legere: vt cum ipso loqui possent, rexq; ab illis Chaldaicè audire de Hebræorum eruditione, cuius toto orbe fama celeberrima, & in qua illi versatissimi erant, vtpote, quemadmodum ibi est, eruditi omni sapientia, cauti scientia, docti disciplina, priusquàm eorum delectus fieret.

z Dan. 1. 5.

Ex his, atque ex aliis, quæ in hanc sententiam Basilius[a] disputauit, de vtilitate nimirum capienda ex Gentilium libris (confirmans ea quæ dicit exemplo Mosis, & Danielis, ac sociorum) necnon alio loco Hieronymus[b], & Augustinus[c], intelligitur conferre huiusmodi lectionem ad augendam, aut etiam acquirendam notitiam, & veritatis (*quæ vbicumque sit, à* SPIRITV *sancto est*, vt scribit Ambrosius[d], qui dicitur SPIRITVS *veritatis*[e]) de rebus per se scitu dignis, valdeq́; cum iis etiā, quæ traduntur in Scriptura, congruentibus, & falsitatis, quam deprehendisse, refutasse est.

Cur sint profanæ literæ cognoscendæ.
a orat. de hac re.
b epist. 84.
c li. 1. de doctri. Christ. c. 34. & 35. & 36. & 37.
Veritas vbicumque est, à Spiritu sancto est.
d in cap. 12. 1. ep. ad Corinth.
e Ioan. 14. 17. c. 15. 26. c. 16. 13.

Præterquàm quòd inde perspicitur diuinarum literarum supra profanas antiquitas, sublimitas, vtilitas, eundemque esse DEVM naturæ, & gratiæ, veræ philosophiæ, atque diuinæ Scripturæ auctorem. Inde est, quòd non Doctores tantùm Latini, Græcique, Gentilium sentētias inserere scriptis suis, atque disputationibus de diuinis etiam rebus non dubitarunt, verùm & Paulus in epistolis suis[f], & hoc ipso in libro[g] agens cum Atheniensibus. *Sunt videlicet ab aduersariis petita testimonia ad fidem validiora*, inquit Basilius[h]: *& quemadmodum vites claiculis sustentatur*, inquit idem[i], *ita & fides externis disciplinis fulcitur.*

Quid valeant ex profanis literis capi possit. Sacri scriptores Gentilium auctorum sententias sunt interdum.
f 1. Cor. 15. 33. Tit. 1. 12.
g cap. 17. 28.
h ora. de Natiui. Christ.
i Hom. 5. Hexam.

Hæc sunt spolia Aegypti, quæ iure nostro tanquàm ab iniustis possessoribus repetimus, vt eleganter docet Augustinus[k], & Rupertus[l], vterque primum spoliatorem Mosem vocans, & Prosper[m]. *Nónne aspicimus, inquit Augustinus, quanto auro, & argento, & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus, Doctor suauissimus, & Martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam: quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus* DEI *famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quòd eruditus fuerat omni sapientia Ægyptiorum.* Nyssenus idem tradit de Gregorio Thaumaturgo[n]. Fabulam narrat Hugo Cardinalis[o], post Magistrum historiæ scholasticæ[p], cùm puer in Regis brachiis ad os prunas admouisset, linguæ inde impedimentum contraxisse. Rursus Augustinus, aut alius[q], in spinis peccata, quæ reddat pro vuis virtutum peccator[r], notat: priùs ostendisse quam pro peccatis legem punientem daret DEVM. Non sunt peccata de natura, nec habent radicem ipsam naturæ spinis armatam: licèt quod ad naturam adiecit primus parens peccatum, in prole originale factum fuerit ab illius actuali diuersum. Eodem modo colligit Nyssenus dictam tropologiam[s]: *Quo Hebræorum facto, inquit, nos monemur, non esse negligendas doctrinarum diuitias, quas Gentes possident, moralem, naturalémque philosophiam, astronomiam, geometriam, musicam, dialecticam, ceterásque scientias, quibus alieni ab Ecclesia florent, accipere ab illis, ac illos abutentes priuare, si possibile est, & in meliores vsus transferre iubemur.*

Literæ profanæ Ægypti sunt spolia.
k 2. de doct. Christ. c. 40. & 22. contra Faust. c. 91.
l in c. 3. Exo.
m 1. de Prædict. c. 37.
n in vita.
o Exod. 2.
p cap. 5. Exod.
q q. vtriusq; Testa. q. 42.
r Esa. 5. 2.
s lib. de vita Mosis.

Hoc præterea est, vt cum Hieronymo[t] loquar purgante seipsum aduersùs eos, qui reprehenderent, quòd in Opusculis suis secularium literarum interdum poneret exempla, quasi candorem Ecclesiæ Ethnicorum sordibus pollueret,

t epist. 84. *Adeguro diquæ quibus obducerer.*

Hoc,

Hoc, inquam est, *extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare* [a] : *hoc est, captiuæ mulieris radere caput, supercilia, omnes pilos, & vngues corporis amputare, & sic habere in coniugio* [b]. Quod etiam alibi vrget [c], *ex vxore fornicaria generare filium Iezrael, qui vocatur semen* DEI [d] : *nouacula acuta barbam, & crura radere peccantium* [e] : *fornicantis tondere cæsariem* [f].

Affert ibidem Hieronymus Latinorũ & Græcorum Patrum multa exempla, qui scripta sua Ethnicorum scriptionibus intermiscenda censuerint. Theodoretus [g] monet id rectè fieri ab eo, qui cum delectu faciat, ex spinis rosas decerpendo, & ex floribus mella, & ex venenatis feris atque serpentibus salutares medicinas.

Damasceni par est in re eadem consilium [h], *vt ceu boni trapezitæ legitimum ac purum aurum asseruemus, adulterinum refutemus*. Clemens autem Alexandrinus [i] philosophiam Gentibus traditam ait velut proprium testamentum, vt sit tanquàm fundamentum Christianæ philosophiæ. Ambrosius [k] vt ancillam Agar, qua, dum ancillatur, vti licet, non vt dominetur. Eadem vtitur ancillæ dominæque similitudine Clemens Alexandrinus [l]. Augustinus [m] testatur se lecto Ciceronis Hortensio, à rerum vanarum spe, & curarum terrenarum desiderio, ad sapientiæ amorem, & ad cœlestia contemplanda & diligenda fuisse traductum. Qui fuit quasi primus gradus, quo vir ille diuinus, & magnum totius Ecclesiæ columẽ, variis licèt quasi anfractibus Manichæorum erroribus circumductus posteà sit, tandem tamen, DEO bene iuuante, ad Christianæ fidei notitiam perductus est. Et Iustinus recessit à Gentilitate propter lectam nescio quam Platonis sententiam. *Videlicet, sicut solent tinctores vt perfectum purpuræ colorem panno inducant, inferiorem alium colorem subtexere, ita se habent humanæ disciplinæ*, inquit Basilius [n], *ad diuinam scientiam*.

Gregorius [o] propterea docet edoctum fuisse seculares disciplinas priùs Mosem, quia res diuinas discere debebat. Ideò Esaiam inter Prophetas excellere, Paulum inter Apostolos, *quia tali quoque doctrina imbuti anteà fuerant; & quia hæc quædam quodammodo dispositio est, quæ nos magis reddit idoneos ad percipiendas res diuinas: curare Diabolum, vt aciem nostram obtundat, nec vt ferrum Philistæi apud peritos acuere sinant*. Facit ad rem præsentem, quòd non impar Iuliano Porphyrius in apostasia, nobis hanc inuidebat scientiam, & in Origene dolebat esse, vehementerque reprehendebat, vt prodidit Eusebius [p].

Alioqui verissimum est quod ait Tertullianus [q], *quod ipsæ hæreses à philosophia subornantur: & si Hæreticis auferantur quæcumque Ethnici sapiunt, & de solis Scripturis suas quæstiones sistant, stare non posse* [r], & quòd *Philosophi sunt Patriarchæ Hæreticorum* [s]. *Et hi de semine illorum* [t], *& de illorum ingeniis omnis hæresis animatur* [u], *& ex subtiloquentiæ viribus, & philosophiæ regulis constat* [x]. Similia sunt apud Cyrillum Ierosolymitanum [y], apud Lactantium, & alios.

Non est difficile ostendere, qui ex quibus Philosophis suos Hæretici errores hauserint: & sapienter cautum est sacris Canonibus, vt Episcopi ac Presbyteri à lectione librorum Gentilium abstineant [z] : immò Apostolus longè antè præmonuit, *ne quis per inanem atque fallacem philosophiam seduci se patiatur* [a]. Cautio igitur est habenda, &

a 1. Reg. 17. 51.
b Deut. 21. 12. 13.
c epist. 146.
d Oseæ 1. 4.
e Esa. 7. 20.
f Ezech. 5. 1.
g 1. de affec. Græco. sub finem.
Quomodo ex profanis Auctoribus bona decerpere, mala reiicere debeamus.
h lib. 4. c. 18.
i 6. Strom.
k 2. de Abraham. c. 10.
l 1. Strom. ca. 5.
m lib. 3 Confess. cap. 4.
n ora. ad adolescen.
o li. 4. in c. 13. 1. Regum c. 3.
p 6. Hist. c. 13.
q lib. de Præscript. c. 7.
Philosophia est hæresium parens.
r lib. de Resurr. carn.
s li. con. Hermogen. c. 8.
t Apol. c. 47.
u 1. cõt. Marcio.
x 5. cõt. Marcio.
y Catech. 18.
z c. Sacerdotes dist. 37.
a Coloss. 2. 8.

A delectus, vt iuxta consilium Sapientis, si & ipsi sapimus, *in terram alienigenarum gentium pertranseamus, bona, & mala in omnibus tentantes* [b] : *sed sapientiam omnium antiquorum*, Patrum scilicet nostrorum, *exquiramus, & in Prophetis vacemus, atque narrationem virorum nominatorum conseruemus* [c]. Neque ita illos externos auctores amare, & voluere debemus, vt nos Ciceronianos v. g. sicut Hieronymo hac de causa flagellato responsum est [d], siue Aristotelicos, aut qualescumque tandem alios, non Christianos nominari patiamur. De hoc abusu lege Canones [e], & quæ magno iudicio & singulari prudentia noster P. Antonius Posseuinus egregiè in Apparatu ad Philosophiam B in sua selecta Bibliotheca coniecit. Nazianzenus [f] docet Athanasium, & Basilium adhibuisse dictam moderationem. Idem Hieronymus Ctesiphonti scribens citat, probatque quod Tertullianum retuli dixisse, *Philosophos esse Patriarchas hæreticorum*. Facit prætereà similes Attelabo [g], *quia omnia dogmata eorum, cum frigeant, & volare non possint, sedem sibi & requiem inter Aristotelis, & Chrysippi spineta reperiunt*.

Nugantur qui librum titulo Mosis sororisque venditant alchymicæ artis, & chrysopœiæ [h] : hos enim ab huiusmodi vanissimis studiis abhorruisse minimè dubitatur.

Et Ambrosius [i] ait, *nec alia quidem vere philosophia rationalis mandare scriptis voluisse: quia enim* C SPIRITVM DEI *accepit, quasi minister* DEI, *manem illam*, inquit, *& vsurpatoriam philosophiæ doctrinam veritatis rationi postiabuit: & ea descripsit, quæ nostræ spei accommoda iudicauit*. Lege Salmeronem [k], Martinum Cantapetrensem [l], Villauincentium [m], Henricum Gandensem [n], Hugonem de sancto Victore [o].

Et erat potens in verbis, & operibus suis.] Simile quid de CHRISTO peregrini illi CHRISTO ipsi dixerunt, vocantes eum *Prophetam potentem in opere, & sermone* [p], id est, in miraculis & doctrina. De Mose nil expressum habetur in Exodo.

Iosephus [q] autem narrat, vbi adoleuisset, breui D suæ virtutis hoc specimen edidisse, vt in graui expeditione contra Aethiopas, à quibus Aegyptij planè oppressi erant, oraculo etiam Deorum, copiis præfectus, victoriam insignem retulerit cum summa laude prudentiæ, atque fortitudinis, cumque regali affinitate, ob Tharbem regis Aethiopum filiam matrimonio sibi iunctam.

Verùm de bellico facinore, vt Iosepho credamus (ex quo ceteri mutuantur, vt Freculphus [r]) vxorem illã ipsi fuisse minimè credibile est, quoniam Scriptura [s] Sephoram eius vxorem nominat, & ipsemet Iosephus alterius vxoris Mosis quoque meminit [t]. Monogamum autem vocat Tertullianus [u]. Sunt qui causam iurgationis Aaron & E Mariæ contra fratrem Mosem assignent dictam vxorem Aethiopem (vt Glossa ordinaria Rabani [x], & meminerunt Hugo Cardinalis, Lyranus, Carthusianus, & alij [y], necnon Magister historiæ scholasticæ [z], & Abulensis [a], vbi cõsentit de illa vxore, non tamen de causa iurgij) sed penitus absq; fundamento, vt demonstrat Lyranus [b], & Oleaster [c].

Chrysostomus autem exponens verba ista, solùm in genere sibi videri dicit, *quòd incipiebat esse admirabilis: & per quadraginta annos fuisse in Ægypto, minimè deprehensum ex Circumcisione*. Idem alio loco [d] scribit ignorasse à quibus genitus esset, eaque re nil grauius Hebræo, singularique prudentia prædito adolescenti potuisse contingere,

In libris antiquorum legendis cautio est adhibenda.
b Eccl. 9. 5.
c ibid. 1.
d epist. 22.
e dist. 37. per totam.
f in orationibus de ipsis.
g in Nahum cap. 3.
Libri Mosis nomine falsò inscripti.
h Delrius refert li. 1. Disquis. Magic. c. 5. q. 1. sect. 1.
Mosis Spiritu Dei plenus de mira tantum nõ humana scripsit.
i 6. Hexam. cap. 2.
k Tom. 1. prolego. 17.
l 1. Hypotyposes. c. 6. 12. 13 14. 15. & li. 6. cap. 1.
m de studio Theologiæ. lib. 1. cap 4. & seq.
n in Sum. a. 7. q. 8. & seq.
o in Prolo. de cœlest. Hierarch.
Moses contra Aethiopas pugnauit, & victoriam tulit.
p Luc. vlt. 19.
q 1. Antiq. c. 5 vel 10.
r 2. Chron. c. 8.
s Exod. 2. 21.
Moses fuit monogamus.
t Suprà c. 11.
u li. de Monogamia. cap. 6.
x Exod. 2.
y tum ibi, tũ Num. 12.
z in Exod. c. 6. & in Num. c. 16.
a Num. 12. q. 4
b Num. 12.
c Ibidem.
d li. 1 ad Stagyrium.

etsi millies regis filius esse putaretur.

Quid significet esse potentem in verbis.

Quòd potens in verbis dicitur, vel intelligendum est de eloquentia, iuxta Origenem, vt notat Carthusianus, ita vt cùm se Moses ineloquentem appellauit [a], DEI comparatione locutus sit, vel tantùm de facultate sapienter disserendi. Prior sententia plerisque ferè omnibus placet: Græcus verò auctor in Catena exponit fuisse Mosem tardum ad loquendum, quia ita se assuefecerat, vt tutiùs, cautiùsque loqueretur.

a Exo.4.10.

Moses quomodo se ineloquentem esse, professus sit.

Hugo de S. Victore aliam probabilem rationẽ assignat, quæ docet nil obesse præsenti, quam Stephanus videtur affirmare, eloquentiæ, ineloquentiam quam de se Moses profitetur. Nã dicit, tametsi ex aliorum sententia, propterea se non eloquentem dixisse, quia diu moratus fuerat in terra Madian, videlicet per quadraginta annos, ac proinde oblitus erat aliquantulùm linguæ Aegyptiacæ, vt ei Aaron frater, qui ex Aegypto non discesserat, dandus interpres fuerit.

Moses oblitus erat lingua Aegyptiaca.

Vnum obstat, quod Moses ait, *ab heri, & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum.* Sed Caietanus illud poni vult pro præcedente tempore etiam longo: ex quo sequitur, verborum horum sensum esse, quòd neque colloquio cum DEO amotum fuerit id impedimentum.

Versus 23.] Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, vt visitaret fratres suos filios Israël.

C*VM autem impleretur ei quadraginta annorum tempus.*] Quo nimirum tẽpore contigerunt ea, quæ de Mose superiùs retulimus, Vnde sequitur, ad hoc vsque tempus perseuerasse Mosem in domo regia tanquàm regium filium.

Ascendit in cor eius.] Syrus sic habet etiam, סלק הוא על לבה *selak haua hhal lebah*, id est, *ascendens fuit super cor eius.* Phrasis non inusitata etiam profanis Auctoribus, vt cùm dicimus, Subiit in animum meum, &c. Cor autem, pro animo & voluntate accipi, præter alias significationes, alibi dixi.

Vt visitaret fratres suos filios Israël.] A quibus abesse, & eorum videre duram seruitutem, molestissimum erat. Cur tamdiu verò distulerit, non facilè diuinauerim. Fortasse illo demùm tempore suggessit ipsi eam mentem DEVS, cùm homines magis maturi, & sapientes, atque ad quiduis agendum apti tunc erant. Fieri item potest, vt eo potissimùm tempore rei bene gerendæ opportunitas sese obtulerit, illamque ipse expectauerit. In Exodo ita legimus [b]: *In diebus illis, postquàm creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos, viditque afflictionem eorum.* Rupertus incrementum illud per annos, qui hoc loco quadraginta numerantur, exponit: Ezechielus autem poëta apud Clementem Alexandrinum [c], plenum dierum senem vocat: vbi autem editio nostra *afflictionem*, & Septuaginta Interpretum τὸν πόνον, id est, *laborem* habet, Hebraicè, בסבלתם *besiblotham*, id est, *oppressiones eorum*, legimus, vel, *onera*: vox enim Hebræa סבלה *siblah*, denotat laborem; onera, sufferentiam laboriosam, quæ à Chaldæo פולחנא *pulchana*, id est, *seruitus* dicitur.

Cur Moses ante quadragesimũ annum fratres suos non visitauerit.

b cap.2.11.

c 1. Strom. c. 11.

Hoc tempore impletum videtur quod Apostolus ait [d]: *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo DEI, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium CHRISTI, aspiciebat enim in remunerationem.* Facto, reque ipsa, etiamsi nihil de filia Pharaonis diceret, negauit se esse eius filium, videlicet Hebræorum se populo adiungendo. Fortasse tamen verbis quoque negauit, etiam cum quodam horrore & abominatione. Græcè enim est, ἠρνήσατο, id est, *detrectauit, & recusauit.* Syriacus ibi legit, כפר דלא יתקרא *chephar delaithkare*, id est, *negauit, vt non vocaretur*, quam ibi vim verbi Græci expendens notauit Chrysostomus.

d Heb.11.24. 25.26.

Moses quomodo se Pharaonis filium negauerit.

Ea autem in re vitauit peccatum, quod admisisset, si, ne iucunditatem illam amitteret, hoc est, diuitias, ac voluptates, quibus in aula potiebatur, nihil de suæ gentis liberatione cogitasset, ad quam se à DEO electum non ignorabat, *atque delitijs affluens, nihil pateretur super contritione Ioseph* [e]: & reputauit cum animo suo CHRISTI, quam præcognoscebat, passionem, sibi ad imitandum eum proponens, pluris hoc æstimauit, quàm omnes Aegypti gazas, & cunctos honorum titulos. Volunt quidã quinto anno à Mosis ortu, Thermutis, quæ Mosem sibi in filium adoptauerat, mortuum patrem fuisse: nec Mosem ad visendos fratres priùs contulisse sese, nisi post ab se prosperè confectum Aethiopicum bellum; quæ res ei Aegyptiorum conflarit inuidiam, regno suo timentium, vt quidam Scriba prædixerat. Sed hæc incerta sunt.

Moses peccatũ non vitasset, si se Pharaonis filium non negasset.

e Amos 6.6.

Versus 24.] Et cùm vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit illum: & fecit vltionem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso Ægyptio.

E*T cùm vidisset quendam iniuriam patientem.*] Syriacè sic legimus, וחזה לחדמן בני שרבתה *vechaze lechadmen bene scharbetheh*, id est, *& vidit quendam ex filiis suæ prosapiæ*, vel, *generis sui.* Forsan respectum habuit ad locum Exodi [f], in quo ille quidam dicitur *de Hebræis fratribus suis*, Hebraicè, איש עברי מאחיו *hisch hhibri meechau*, id est, *vir Hebræus de fratribus suis.* Attamen fratris dictio latiùs patet, quo etiam pacto illam Philo in vita Mosis, texens hanc ipsam historiam, vsurpauit.

f cap.2.11.

Iniuriam patientem.] Ἀδικούμενον, id est, *iniuria affectum & vexatum.* In Exodo [g]: *Vidit virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis. Quæ percussio fuerit, non exprimitur*, inquit ibi Caietanus, *an mortifera, vel castigationis, seu paruæ læsionis.*

g ibidem.

Lyranus, & Abulensis [h], ex Hebræorum sententia, referunt hunc fuisse Salomitam mulieris pulcherrimæ maritum, quem Aegyptius summo mane ad opus euocarat, vt clàm tanquàm maritus abuteretur illa, quod is vbi cognouisset, arguebat eum: Aegyptius autem ipsum grauiùs affligebat, & percutiebat. Sed Carthusianus [i], ex Rabbi Paulo, docet hanc esse fabulam. Philo cùm commemorasset intolerandas ærumnas, quibus Aegyptij Hebræos affligebant, nilque Mosem deprecando, monẽdóve profecisse, subiicit *fuisse vnum aliquem immaniorem operarum Præfectum, quem preces etiam exacerbarent, miseros autem Hebræos ni celeriter iussa facerent, verberaret, excruciaretque: hunc à Mose interemptum, ac iure quidem, cùm studeret in perniciem hominum.* Hoc nimirum est quod sequitur.

Quis fuerit is quem Moses interfecit.

h Exo. 2. q. 4.

i Exod.2.

Vindicauit illum: & fecit vltionem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso Ægyptio.] Syrus sic reddidit, וחבעה ועוד לה דינא וקטלה למצריא *vethabhheh vehhauad lah dina vekatleh lemitsera*, id est, *& vltus est eum, & reddidit ei ius, & interfecit Ægyptium:* sic percussionem, *interemptionem* reddidit, quam textus Exodi [a] apertè ponit his verbis: *Cumque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Verbum πατάσσειν, de ingenti pulsatione solet dici cum grandi strepitu, ac verberatione, propriè loquendo: quamuis ex adiunctis varias habeat significationes, vt, percutere gladio, lingua, cæcitate, percutere ciuitatem.

a c.2.12.

B Ex his circumstantiis bene refellit Abulensis [b] figmentum Rabbi Salomonis, quòd Moses edito nomine TETRAGRAMMATON, יהוה interfecerit Ægyptium: quid enim Moses circumspiciebat, aut cur sepeliebat, quem, si illo modo periisset, constaret non ab alio, quàm à DEO, vel causa interna periisse? Philo Episcopus [c] refert ex traditione, illum Ægyptium interfectum, fuisse vnum ex Præfectis. Clemens Alexandrinus [d] ait solo verbo interfectum esse, sicut à Petro [e] Ananiam, & Sapphiram. Sulpitius [f] calce percussum.

b ibid.q.7. *Rabbi Salomon qui dicit vi nominis Dei interfectum Ægyptium, redarguitur.*

c in Cat.Exo. 2.

d 1.Strom.ca. 23.

e Act.5.5.10.

f 1.Hist.sacræ.

Videtur Ambrosius [g] hoc factum approbare, *quoniam qui non repellit à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit. Vnde sanctus Moses hinc prius*, inquit, *orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis, &c.* & Salomon ait [h]: *Eripe eum, qui ducitur ad mortem:* & Iob [i]: *Saluum feci pauperem de manu potentis, & pupillum, cui adiutor non erat, adiutor benedictio perituri in me veniebat.* Et alibi idem Ambrosius [k] laudans hac in re Mosem, ait: *Sed non ante illum interfecisset Ægyptium, nisi priùs in se nequitiæ spiritualis Ægyptium interemisset, & abdicasset regalium luxum honorum.*

C

g 1.Offic.c.16. *Mosis factum probatur.*

h Prou.24.11.

i c.29.12.&17

k lib.2.de Abel, & Cain. c.4.

Sed Augustinus [l] improbat, quia inconsulta æterna lege id fecit, *Reperio*, inquit, *non debuisse hominem ab illo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamuis iniuriosum, & improbum, occidi, &c. Et ille animi motus, quo Moyses peregrinum fratrem à ciue improbo iniuriam patientem, non obseruato ordine potestatis, inultum esse non pertulit, non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc occultus, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat.* Ad idem affert exempla Petri autem persecutoris CHRISTI abscindentis [m], & Sauli in Ecclesiam sæuientis [n]. Tandem comparans Ecclesiæ ac Synagogæ summos duces Petrum, Mosemque, subdit: *Vterque non detestabili immanitate, sed emendabili animositate iustitiæ regulam excessit: vterque odio improbitatis alienæ, sed ille fraterno, iste dominico, licèt adhuc carnali, tamen amore peccauit.*

D

l 22.con.Faust. c.70. *Augustinus improbat.*

m Luc.22.50.

n Act.9.1. *Moses comparatur cum Petro Malchum percutiente.*

Videtur idem tamen alibi Augustinus [o] excusare Mosem Stephani verbis, quibus & hic eundem excusat. *Tamen*, ait ille, *sicut Stephanus dicit in Actibus Apostolorum, putabat intelligere fratres suos, quòd per eum DEVS daret illis salutem, vt per hoc testimonium videatur Moses iam diuinitùs admonitus, quod Scriptura eo loco tacet*, nempe in Exodo, *hoc audere potuisse.* Idipsum Rupertus [p] facit, eadem ductus auctoritate Stephani. Lyranus quoque hoc loco, & in Exodum, & Hugo Cardinalis, & Carthusianus, & Abulensis.

E

o q.2.in Exo. *Mosis factum fortasse excusat.*

p in Exo.2.

Eusebius [q] autem æquiparat zelo Phinees, nominatque *pietatem ac religionem*. Atque hoc prorsus modo loquitur Oecumenius in expositione præsentis loci Actuum Apostolicorum,

q in cat.Exo. *Vbi pro zelo eum laudant.*

A addens *figuratum sensum de Satana deiecto, & in infernum eiecto à CHRISTO, quem tamen CHRISTVM Iudæi calumniati sunt eiicere dæmonia in Beelzebub* [r], *ita vt deserta Iudæa abierit in Galilæam.*

S. Thomas [f] amplectitur omnes tres dicendi allatos modos, vnum Ambrosij, alios duos Augustini, & primum illum ita declarat, quòd *Moses fratrem defendens cum moderamine inculpatæ tutelæ, occiderit Ægyptium.* Caietano non placet ista ratio, neque patitur, vt recurratur ad diuinam reuelationem, *quoniam*, inquit, *circumspectio Mosis huc illùcque, an aliquis esset testis, arguit vltionis studium, & humanam cautelam.* Attamen aliter excusat, si nimirum ponatur, Aegyptium illum præpositum fuisse ad affligendum Israëlitas, vt indicant citata verba Exodi: *potuit enim hoc modo publicum illum hostem occidere, vt hoc facto*, inquit, *inchoaretur liberatio Israëlis*: quam rationem citata etiam verba Stephani significant.

r Mat.12.24.

f 2.2.q.60.a.6.ad 2. *D. Thomas opiniones omnes citat.*

Qua ratione Caietanus Mosem excusat.

Lippomanus auctor Catenæ in Exodum, planè vindicat ab omni culpa Mosem: *solere namque*, ait, *quos ad heroicas conficiendas res eligit DEVS, in iis operari singulares quosdam, admirabilésque animi impetus, etiam priùs quàm electionem suam publicè declarent*: & hoc docet tum allato Phineis exemplo [t], tum Dauid [u] Goliam sternentis, tum Cyri pro filio pastoris habiti, qui primus Persici regni Monarcha diuinitùs fuit destinatus, siquidem in puerilibus annis puerilem inter pueros rempublicam veluti rex instituit, ac inobedientes castigauit: & cùm Astyages rex eum reprehenderet, quòd ipse serui filius cæcidisset ingenuos pueros, respondit magna constantia se vt regem fecisse.

Deus quos eligit ad res mirabiles, iis impetus, quibus hos declarêt, impartitur.

t Num.25.7.& seq.

u 1. Reg. 17. 49. *Cyrus in pueritia quid fecerit.*

Propensiore animo inclino in sententiam, quæ Mosi fauet, cùm plures quoque ea habeat fautores: & quod Caietano scrupulum fecit de circumspectione, dilui potest, quoniam quod licitè Moses facere potuit, cautè voluit, ne qua seditio excitaretur, & ipsemet capitis discrimen subiret. Plures verò, melioresque Theologi docent iustè à quouis quemuis occidi posse, pro defensione alterius iniustè inuasi, cum eo moderamine, quod B. Thomas dicebat, *inculpatæ tutelæ*. Lege de Mose Dominicum Bannes [x], & Sotum [y], & Michaëlem Salõ [z], Petrum Aragon [a], & Pererium [b].

Liberatur à culpa Mosis, Auctoris sententia.

Porrò non aptè colligunt quidam Iurisconsulti, de quibus Salon meminit, Mosem non fuisse sacerdotem, eò quòd occiderit Aegyptium. Non enim habuit irregularitas ex homicidio tunc locum: sed summus sacerdos etiam causas quoque sanguinis cognoscebat, & omnis ordo sacerdotalis arma tractare poterat: disertè verò Mosem nominat Dauid [c] sacerdotem, quod confirmat etiam aliis testimoniis ac rationibus Genebrardus [d]. Fuit certè proauus Mosis Leui [e].

x de iust.& iure.in q.60.ar.6. ex 2.2. B. Thomæ. *Mosis fuit sacerdos, nec fuit irregularis occidens Ægyptium.*

y 1.de iust.& iure. q.4.ar.6. ad 2.

z 2.2.q.60.ar. vlt.

a ibid.

b in c.2.Exo. disp.10.

c Psa.98.6.

d ibid.

e Exo.6.16.

Versus 25.] **Existimabat autem intelligere fratres, quoniam DEVS per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt.**

EXISTIMABAT *autem intelligere fratres.*] Cùm vir tantus esset Moses, & iam palàm se Hebræum prodidisset, hoc ipso, quòd tam admirabili ratione seruatus esset adhuc infans, & fortasse etiam se designatum à DEO liberatorem priùs dixisset, & adeò insigni facto confirmasset, existimabat persuasum Hebræis esse, se pro officio suo vltionem de Aegyptio fecisse.

Moses se prodiderat liberatorē populi futurum.

Hebræi in Mosem ingrati.

At illi non intellexerunt.] Hæc, atque præcedentia verba, dicuntur à Stephano propter sequentem historiam, in qua deprehenditur peruicacia, & ingratitudo Hebræorum aduersùs liberatorem suum, deputantium Ægyptij occisionem furibundo Mosis zelo, non amori erga gentem suam, & à Deo acceptæ auctoritati. Præterea, vt intelligatur occasio fugæ ipsius ex Ægypto, hæc adiecta sunt.

Versus 26.] Sequenti verò die apparuit illis litigantibus: & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, vt quid noceretis alterutrum?

a c.2.13. *Quo die Moses fratres conciliare visus fuerit.*

SEQVENTI *verò die apparuit illis litigantibus.*] Abulensis in Exodum, quod ibi dicitur [a], *Et egressus die altero*, clariùs hîc dici notat: & tamen satis quoque ibidem in textu Græco exprimitur, fuisse diem proximè sequentem: Ἐξελθὼν δὲ τῇ ἡμέρᾳ τῇ δευτέρᾳ, *Egressus autem die secundo*, & Hebraicè etiam habetur, ויצא ביום השני *vaiaitse beiom haschenì*, id est, *& egressus est die secũdo*. Nam sine dubio שני *schenì*, significat secundum.

b ibid.v.14.

Potuit & id Abulensis colligere ex verbis, quæ eodem loco alter Hebræorum respondit [b]: *Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Aegyptium?* Quanquàm excipi posset, *heri*, quo caret Hebraica editio, & interpres Chaldæus, significare interdum tempus præteritum, indefinitè, sicut, *cras*, futurum, & δευτέραν ἡμέραν nonnunquàm dici quamlibet posteriorem diem. Lege Salmeronem [c], & Riberam [d]. Itaque non penitus constat an vnus tantùm, vel plures ab occisi Aegyptij die intercesserint.

c Tom.1.Prol. 16.
d in c. 11. epi. ad Hebr.n.31. & seq.
e c.2.13.

Apparuit illis litigantibus.] In Exodo legimus [e]: *Conspexit duos Hebraeos rixantes*, Græcè, διαπληκτιζομένους, *altercantes vsque ad plagas*, seu, *venientes ad manus, digladiantes, pugnantes*. Hieronymus Oleaster [f] Hebræum participium נצים *nitsim*, vult meliùs reddi, *eleuantes*, nempe se alterum in alterum, quoniam radix ipsa נצה *natsa*, id propriè significat, seu etiam volare, quasi dicas, *inuolantes*. Alij tamen Hebraicæ linguæ periti agnoscunt eam significationem, quam Interpres noster posuit, præsertim in voce passiua, vt hic est, vnde etiam exponunt נצים *nitsim*, *litigantes & rixantes*, & alibi etiam in hac significatione reperitur.

f ibid.

g ibidem. *Qui fuerint illi qui inter se pugnarunt.*
h Num. 16.3. & seq.

Hebræi, teste Lyrano [g], Hebræos illos duos tradunt fuisse Dathan, & Abiron, fortasse quia hi posteà etiam restiterunt Mosi in deserto [h]. Carthusianus id refutat, quoniam Dathan, & Abiron fuerunt filij Eliab filij Ruben, & de maioribus populi Israëlitici; quos adeò inter se propinquos ac potentes ita contendisse verisimile non est, vt sese percuterent. Coniectura vtraque leuis est, præstátque diuinandi laborem de re, quam tacitam Scriptura esse voluit, defugere.

Reconciliabat eos in pace.] Græcè, Συνήλασεν αὐτοὺς εἰς εἰρήνην, id est, *Attrahebat simul eos in pacem, compellebat, astringebat*. Syrus sic est interpretatus, וכפיס הוא להון דישתינם *vampis haua lehun deteschtbaienun*, id est, *& procurãs erat eis, vt pacarẽtur*: vel, *suadebat eis, vt in gratiam redirent*, nimirum efficaci ratione, & oratione.

Quomodo maxime pax inter Christianos suaderi possit.

Viri, fratres estis, vt quid nocetis alterutrum?] Efficax & acris oratio, atque non sine exprobratione conuincens: qua Abraham, vt iurgia compesceret inter suos pastores & Lot, vsus est [i]. Hoc

i Gen.13.8.

Christianis quibuslibet, præsertim Religiosis, & Clericis inter se contendentibus, est dicendum. In Exodo [k] legimus: *Dixitq; ei qui faciebat iniuriam, quare percutis proximum tuum?* In cuius sententiæ priore parte est Hebræum verbum, רשע *raschahh*. Nam sic est in Hebræo, ויאמר לרשע *vaiomer leraschahh*, cuius verbi ignota propria significatio est, inquit Oleaster, & Hebræi significare dicunt verbum ipsum radicale, רשע *raschahh*, *impium esse, impiè agere, condemnare, pauere, inquietum esse*, & videtur maximè propriè sumi hoc loco nomen pro impio, quod epithetum tribuitur ei, qui culpabilior erat inter corrixantes. Lippomanus affert has significationes eiusdem nominis pro improbo, iniquo, violento, reo: vltimam significationem Pagninus ait frequentem, & quidem forensem, ac oppositam nomini צדיק *tsadik*, id est, *iustus*.

k cap.2.13.

Cùm vidisset Moses necessariam primo die vigilantiam suam erga populum Dei affectum iniuria ab externis, eam sedulò adhibere tentauit, progreditur deinde ad fratrum salutem, quorum mutuum dissidium zelo accensus iustitiæ ferre minùs potuit, memor cuique quidem Devm, sed sibi cumprimis mandasse de proximis [l] & iuuandis, & defendendis, non magis aduersùs alienigenas, quàm contra domesticos. Obseruat Chrysostomus in eodem Mose iram in Aegyptium illum, mansuetudinem circa Hebræos litigatores.

l Eccl.17.12.

Versus 27.] Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum dicens: Quis te constituit principem, & iudicem super nos?

QVI *autem iniuriam faciebat proximo.*] Non suo tantùm, sed aliorum etiam nomine, istum hoc fecisse innuit Stephanus infrà [m], & illis quoque superioribus verbis: *At illi non intellexerunt*. Rupertus etiam id colligit ex pronomine numeri pluralis, *nos*, & quoniam cunctis profitentibus Mosem esse à Deo iudicem constitutum, id vni negare non licuisset, præsertim nomine omnium.

m vers.35.

Quis te constituit principem, & iudicem super nos?] Verum loquitur iste, non volens, nempe Mosem *esse principem, & iudicem*: id autem quod vult, est detrectare imperium, ac iudicium alterius, quod solent impij. Sic enim, verbi gratia, Sodomitæ ad Lot leuiter eos increpantem locuti sunt: *Ingressus es vt aduena, nunquid vt iudices* [n]?

Moses vtre vere princeps atque iudex.

Peccauit Hebræus iste ingratitudine, inquit Carthusianus [o], *in Mosem, qui illos reconciliabat in pace, vt vir tantus, ac tanti habitus, vt Rex Aegypti iunior appellaretur*, teste Philone [p], *omni se dignitate exuens, propter ipsos, & ad illos à Deo liberator, ac seruator missus*. Eodem modo Iudæi negauerunt se Christi discipulos esse velle, sed Mosis [q], aut alium super se regnare præter Cæsarem [r].

n Gen.19.9. *Hebræus ingratitudine peccauit.*
o Exod.2.
p in vita Mosis.
Mosis alia cum Christo similitudo.
q Ioan.9.18. 29.
r infr.19.15.

Marcion, teste Tertulliano [s], argumentabatur alium esse Devm noui, alium veteris Testamenti, quoniam Moses rixantibus fratribus vltrò intercedit, & iniuriosum increpat: Christvs postulatus à quodam, vt inter illum, & fratrem ipsius de diuidenda hæreditate dissidium componeret, operam suam denegauit [t]. Videlicet Moses erat minister Dei seueri iudicis, & iusti, sub vetere Testaméto: Christvs est minister Dei

Marcion male ostendit alium esse Deum veteris ac noui Testamenti.
s libr.4. con. Marc.c.28.
t Luc.12.14.

optimi,

optimi,non autem iudicis.Conuincit Hæreticum huc Tertullianus,quia vt idem DEVS,& CHRISTVS ostenderet se indignè tulisse Mosem esse reiectum ab illo Hebræo dicente, *Quis te constituit principem, & iudicem super nos?* nunc in simili causa reiicit verbis iisdem alium id petentem: confundendo ipsum, ac si diceret: Recordare quòd Moses seruus meus repulsus est ab Hebræo simili sibi detrectante iudicium oblatum: quare nunc ego eodem verbo detrecto iudicium à te illud à me petente.

a in c.12. Luc. annot. 20. & 27.

Moses cùm hæc ageret, nondum erat princeps neque iudex.

Alij, vt Toletus [a], negant Mosem iudicis adhuc potestatem habuisse, verùm vt particularem personam duntaxat, ex charitate, iniuriam patienti, quo potuit modo, subuenisse, cùm in tali temporis articulo res legitimè coram Iudice transigi non posset,& idcirco ineptè eum, qui reprehensus est, respondisse: CHRISTVM benè, quia lis erat de hæreditate, quam ordinarij iudices dirimere poterant, ipse, quamuis posset, non erat deputatus, vt forsan arbitrabatur qui id ab illo exigebat, nec huiusmodi potestatis vsu à grauioribus negotiis auocari volebat. Si verum est, quod superiùs [b] ex aliorum quoque sententia retulimus, iam tunc Mosem accepisse principis, iudicísque potestatem,& grauiorem Hebræus contumax reprehensionem meritus est,& Tertulliani in Marcionem retortum argumentum aptiùs, efficaciúsque concludet.

Christus cur de hæreditate diuidenda iudicium detrectauerit.

b vers. 14.

Versus 28.] Nunquid interficere me tu vis, quemadmodum heri interfecisti Ægyptium?

c c.2.14.

NVNQVID *interficere me tu vis.*] Hebræa verba sic habent in Exodo [c], הלהרגני אתה אמר כאשר הרגת את המשרי *halehorgeni athah omer chaascher haragtha eth hammischri*, id est, *Nunquid ad occidendum me tu dicis, quemadmodum occidisti Ægyptium*, vel, *vt occidas me.* Chaldæa etiam habent hoc modo, הלמקטלי את אמר כמא דקטלת ית מצראה *halmikteli ath amer chema diktaltha iath musraah*, id est, *Nunquid vt occidas me tu dicis hoc, sicut occidisti Ægyptium?* Meritò Abulensis [d] confutat Rabbi Salomonem, affirmantem, quòd iste veritus est, ne se Moses, vt Ægyptium, prolatione duntaxat nominis TETRAGRAMMATON יהוה repentè occideret, de qua re dixi superiùs [e]: necnon dixi, quòd *heri*, sumi possit pro tempore indefinito, & non pro die proximè præcedenti.

d Exo. 2. q. 7.

e vers. 24.

Dicere interdum est idem quod affirmare, & decernere: ideóque bene vertit noster Interpres, *tu vis.* Regerit amarulentum Hebræus ingratus, & mordax responsum, & pro proprio beneficio tam humanæ benignæque correctionis sibi factæ, & pro communi vindicatæ totius Hebræorum gentis, per Ægyptij interfectionem, concessione & munere.

Dicere idem est quod affirmare.

Versus 29.] Fugit autem Moyses in verbo isto,& factus est aduena in terra Madian, vbi generauit filios duos.

FVGIT *autem Moyses in verbo isto.*] Syrus sic reddidit, וערק משא במלתא הדא *vehharak musche bemelletha hade*, id est, *& effugit Moses ad sermonem istum*; vel, *ob hunc sermonem*; præpositionem enim ב *be*, & Latinam *in*, vsurpari causaliter aliàs dixi: sermonem quoque pro re,& facto, quamuis

A hoc loco per eum sermonem intelligi potest responsum illud, quod iniuriosus Hebræus dedit. Explicat hoc modo phrasim hanc Augustinus [f], similibúsque aliis exemplis illam confirmat: sed negat Iuliano iis abutenti, eandem vim esse, quando scribit Apostolus [g], *in quo omnes peccauerunt*, id est, propter quem Adam, seu quia peccauit ille; non autem, in quo originaliter, & tanquàm in massæ vnione communiter. Narrantur hæc fusiùs in Exodo his verbis [h]: *Timuit Moyses, & ait: Quomodo palam factum est verbum istud? Audiuitque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem.*

f cont. Iul. ca. 24.

g Rom. 5. 12.

h c. 2. 14. & 15.

B Iosephus [i] scribit, cur Pharao Mosem ad necem quæsierit, causam fuisse, *prosperos Mosis successus in expeditione Æthiopica, suggerentibus regi Ægyptiis, maximè Scribis & sacrificis, verendum, ne rebus feliciter gestis elatus, res nouas in Ægypto moliretur, accusantibus præterea eundem cædis* (nimirum illius, cuius & nostra, & Exodi historia meminit) *Mosem verò in ipso temporis articulo, quo erat opprimendus, clam se subduxisse; & cùm vias obseruari intelligeret, per solitudines fugam arripuisse, qua euasurum inimici suspicari non possent, atque nusquàm alimenta inuenientem, inediam patientia superasse.*

Moses, referente Iosepho, quam ob causam Ægyptum reliquerit.

i 2. Ant. cap. 5. vel 10. & 11.

Consentit his Philo [k]. Existimant quidam, vt Lippomanus [l], ab Israëlitis ipsis delatum fuisse Mosem ad regem impium, quia fratrum erat fi-

k in vita Mosis.

l Exo. 2.

C delissimus & iustus defensor. Paulus eandem historiam his paucis verbis perstrinxit [m]: *Fide*, inquit, *reliquit Ægyptum* (Moses) *non veritus animositatem* (vbi Græcè est, θυμὸν, id est, *iram & ferociam*; Syriacè, חמתה *chamathe*, quod similiter iram & furorem significat) *regis; inuisibilem enim tanquam videns sustinuit.* De hoc enim primo exitu Mosis ex Aegypto hunc epistolæ locum exponit Rupertus, & in Commentario epistolæ ad Hebræos Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, quoniam licèt fugerit, ne se in apertum periculum coniiceret, rediit posteà timorem non admittens. Alij malunt, vt Catharinus, Arboreus, Gagneius, Titelmanus,& Ribera, & in Exo-

m Heb. 11. 27.

Moses ex Ægypto bis fugit.

D dum Lyranus, Abulensis, Pererius, sermonem fieri à Paulo de secundo egressu, cùm populum omnem eduxit. Nam timor, quo correptus dicitur in Exodo, non competit secundo, sed primo: & animositatem regis, quam Apostolus veritum negat, non veritus est in secundo.

Petrus Lombardus ait, etiam cùm Moses fugit prima vice non timuisse, sed credidisse liberandum se à DEO, neque voluisse in Aegypto manere, ne esset causa iactantiæ, si in apertum periculum se præcipitaret,& sic DEVM tentaret: Sanctos verò quamdiu habent quò fugiant, cedere debere CHRISTI exemplo (omissis exemplis aliorum, vt Iacob fratrem fugientis [n], Dauidis

Moses non fugit ex Ægypto timore pressus, sed ne Deum tentaret.

n Gen. 27.

E Saulem [o], Pauli Aretam regem [p]) qui suis etiam in persecutione iniunxerit fugam [q]. Placet hæc admonitio contra Tertullianum [r], aliósque, qui persecutionem fugere nefas putant; & cùm fugit Moses, fidem habuisse non dubito: at etiam timuisse affirmare necesse est, cùm adeò disertè Scriptura id testificetur: qui timor, vt dixi, apparuit in prima fuga, non in secunda, quæ non tam fuga fuit, quàm liber, & auctoritatis cuiusdam plenus exitus: ac proinde digna fuit fides Mosis, quam Paulus celebraret multò magis, cùm secunda vice egressus est, quàm cùm prima. Minùs probo Primasium, quem Lombardus mihi exscripsisse videtur,& Glossa, cùm ait, *fugam, metúmque fuisse*

o 1. Reg. c. 19. 21. 23. 27.

p 2. Cor. 11. 32.

q Mat. 10. 23.

r lib. de Fuga in persec.

Tamen negari non debet eum timuisse.

Primasius item ait non timuisse.

dunta

duntaxat externum, ac simulatum, ideóque sic ei reputari, quasi non timuisset, ac non fugisset. Verùm hoc effugium est, miniméque necessarium ad conciliandam præsentem controuersiam. Hugo Cardinalis timuisse concedit quodam naturali timore, tamen eo timore non coactum de Aegypto exire, fugámque non timoris fuisse, sed cautelæ eo modo, quem diximus. Rectiùs nihilominùs illam aliam, quam sequimur, subdit sententiam, vt magis consentaneam Apostolo. Neque obstat, quòd hîc celebrationem Paschæ, quæ præcessit discessum populi, collocat posteriore loco, quoniam, vt respondet Carthusianus, non seruauit Paulus ordinem rei gestæ: vel meliùs, quia licèt penitus egressi non essent Hebræi Aegyptum, iam tamen erant in procinctu, eadémque die contigit celebratio Paschæ, & egressio [a]. Prætermitto figmenta Rabbinorum apud Abulensem, & Carthusianum [b], quòd cùm rex coram se caput Mosi demi imperasset constantissimè respondenti, lictor percussus est aorasia, ita vt alia viderit omnia, vnus illi Moses, ceterísque, præterquàm Pharaoni, inuisibilis esset.

Pauli locus explicatur.
a Exo.12.
b c.2.

Et factus est aduena in terra Madian.] Historia Exodi sic habet [c]: *Qui fugiens de conspectu eius* (Pharaonis) *moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum.*

c c.2.15.

Madian, vrbs est, vt ait Hieronymus [d], ab vno filiorum Abraham ex Cethura [e] sic vocata, trans Arabiam, ad Meridiem in deserto Saracenorum contra Orientem Maris Rubri: vnde Madianæi, & Madianæa regio: alia verò ciuitas homonyma est iuxta Arnonem, & Areopolim, ex qua erant filiæ Obab, soceri Mosis. Consule quæ superiùs in hoc ipso capite docui [f], de promiscua Madianitarum, Ismaëlitarúmque pro gête eadem acceptione, & quòd interdum etiam dicantur Arabes ac Aethiopes. Adde ex Habacuc [g]: *Vidi tentoria Æthiopiæ: turbabuntur pelles terræ Madian,* vbi consule Riberam nostrum, & Lyranum [h], Eugubinum, Vatablum, Oleastrum. Sanè quidem Sephora Mosis vxor ex Madian fuit; quæ tamen appellatur item Aethiopissa [i], vt notauit Augustinus [k]. Iosephus [l] Madianam vrbem scribit in littore maris Rubri sitam. Philo [m] vocat finitimam Arabiam: Basilius [n] Aethiopiam.

Madian vrbs quæ sit.
d lib. de locis Heb.
e Gen.25.2.
f vers.9.
g c.3.7.
h in cap.1. lib. Num.
i Num.12.1.
k quæst.20. in Num.
l 2. Ant. ca.5. vel 11.
m in vita Mosis
n hô.1 Hexa.

Diuino consilio factum est, vt eò potissimùm Moses confugeret, vt inde ex progenie Abraham conueniétem sibi sumeret vxorem, atque instrueretur etiam doctrina Mercurij Trismegisti (priùs eruditus in Aegypto omni sapientia Aegyptiorum) qui, vt nonnulli viri insignes affirmant, inquit Lippomanus [o], Iethro fuit, & trinomius. Hoc tamen esse falsum docent ea, quæ superiùs dixi de Trismegisto [p], sicut & Abulensis [q], commentitia demonstrat esse, quæ à Iudæis dicuntur de Iethro, fuisse vnum de consiliariis regis Aegypti, vnà cum Iob, & Balaam, illuc eiectum à rege, quòd cùm coleret verum DEVM, dehortaretur Hebræorum vexationem.

De Iethro fabula quadam.
o Exod.3.
p vers.22.
q Exo.2.q.8.

Vbi generauit filios duos.] Gersom & Eliezer [r] ex Sephora filia Raguel [s], siue Iethro, aut Iether, Hebraicè, יתרו *Ithro*, siue Cynæi, siue Hobab, (ita vt idem quatrinomius esset) quamuis aliqui putent Raguel fuisse patrem Iethro, & more Scripturæ dici patrem puellarum eum, qui auus erat. Iosephus [t] Raguelem Ietheyleum cognominat, qui Mosis amicitiam, atque affinitatem expetiit, & sibi cũ arctè deuincire voluit, eò quòd ille filias ipsius, cùm se aquatum greges ad puteum contulissent, aduersùs pastores impedientes defendit, & earum oues adaquauit [u].

r ibid. 22.
s ibid. 2.18.
t 2. Ant. ca.5. vel 11.
u Exod. 2.17.18.19 [illegible] 21.22.

Nimirum *tanta fuit in Madianæo ad prænoscenda ingenia hominum, moresque comprehendendos prudentia*, inquit Nyssenus [x], *vt vnica re gesta, quam Moyses aduersus pastorum vim* (non sanè incomitatus, & solus, vt notauit Hugo de S. Victore [y], & indicauit Carthusianus [z]) *magno animo fecerat, adolescentis* (erat tamen iam quadragenarius) *virtutem conspexerit, quod non proprio lucro, aut laude commotus, pro iustitia pugnauerit, sed iustum ipsum per se ac natura sua honestum iudicans, pastores, qui nihil in seipsum peccarunt, castigauit, eorúmque iniuriam repulit. Quapropter virtutem Moysi admiratus, præstantiorem ipsam aliorum diuitiis existimans, filiam ei tradidit in vxorem, facultatémque fecit, vt ipse quamcunque viuendi rationem vellet, eligeret.*

Iethro [illegible] quæ ratione [illegible] filiam [illegible] dederit.
x in vita Mosis.
y annot. in Exod.
z Exod.2.

Notabilis veluti occursus, & concursus hinc in Mosem ærumnarum, & calamitatum, hinc DEI in eundem beneficiorum, & consolationum. Digna quoque obseruatione gratitudo Iethro aduersùs peregrinum: Mosis continuus ac inflexibilis iustitiæ rigor, studiúmque alios iuuandi: rursum in socero frugalis prudentia, prudénsque frugalitas in locandis filiabus.

Dei singularia beneficia in Mosem [illegible] [illegible].

Fortasse ab eodem, vel comitibus, vt obseruat Carthusianus, intellexerat, qualis in Ægypto fuisset, & cur inde recessisset. Mosis præterea pius erga DEVM esse monstratur, ac memor pro beneficiis diuinis animus, vt ipsa filiorum nomina voluerit diuinæ monumenta clementiæ esse, qua ipsum DEVS in exilio complexus erat: siquidem alteri filio indidit nomen גרשם *gerescham*, id est, *peregrinus ibi*, vel, *Gersom*, vt nos legimus, dicens: *Aduena fui in terra aliena*; alteri אליעזר *elihhezer*, id est, DEVS *meus adiutorium*, vel, vt nos dicimus, *Eliezer*, dicens: DEVS *patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis* [a].

Mosis [illegible] [illegible] suorum [illegible].
a Exod.2.22. & c.18.4.

Versus 30.] Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus, in igne flammæ rubi.

E*T expletis annis quadraginta.*] Quo spatio mystico, vt anteà dixi, pascebat Moses Iethro soceri sui oues [b], ad principatum ita se præparans: præfectura enim mansueti pecoris habet quiddam simile cum regimine in subditos, sicut venatio cum militia, inquit Philo [c]; qui etiam subdit illud paradoxum: *Non posse regem vndequaque perfectum esse, nisi qui calleat pastoritiam artem, & curando minora animalia, didicerit quomodo debeat præesse præstantioribus: denique reges ait cognominari pastores populorum, non contumeliæ, sed honoris gratiâ.* Homerus quidem perhonorifica voce crebrò [d] Agamemnonem nominat ποιμένα λαῶν, *pastorem populorum*. Et DEVS ipse [e] reges Ethnicos, per Prophetas, Cyrum regem רעי *rehhi*, id est, *pastorem meum*, & alium זה רעה *zeh rohheh*, id est, *pastorem istum*, nominat.

b Exo.3.1.
c in vita Mosis.
Neminem posse [illegible] [illegible] [illegible].
d vt Iliad. 1e. Odyss. 24.
e Esa.44.[illegible] Iere.49.[illegible]

Insuper idem Philo narrat Mosem ea in arte, vsque ad inuidiam pastorum aliorum, excelluisse, cùm grex ei commissus in dies cresceret, ac præter egregiam corporum habitudinem fœcundus esset, pascuísque vberrimis frueretur.

Moses fuit in arte pascendi [illegible].

Non digrediar in pastoritiæ artis laudes, quam factitasse non priscos tantùm primarios viros à Scriptura celebratos, incipiendo ab Abel [f], sed alios etiam constat, qui memorantur in profanis historiis.

Primarij [illegible] antiquitùs [illegible] [illegible].
f Gen.4.2.

historiis. Cuius rei, præter iam allatam, hæc esse prætereà causa potuit, quia omnes ferè antiquorum opes erant in pecore.

Artis pastoritiæ commoda.

Omnium artium aliarum illa simplicissima est, miniméque operosa, ita vt meditationi, contemplationique naturalium, ac diuinarum rerum otium relinquat, & tractari etiam à peregrinantibus potest. Suppeditat victum nobis, vestitumque, & Deo sacrificiorum, oblationumque materiam.

a 2. de re rust. c. 1. *Tres vitæ humanæ quasi gradus.*

M. Varro [a] scribit, *summum gradum naturalem fuisse, cùm alerentur homines iis, quæ terra nullo imperante, & nullis sauciata vulneribus, aut pulsata rastris vitrò procrearet* (id in statu innocentiæ fuit) *ex hac vita posteà ad secundum homines gradum esse progressos commemorat, pastoritiam,* videlicet, *vitam, vt qui priùs ex arboribus, virgultisque glandem, arbutum, poma, & mora decerpsissent victus causâ; eandem deinde vtilitatem à syluestribus animantibus captis, & mansuefactis peterent: tertio demùm gradu à vita pastorali ad agricolationem homines transiisse* (fuit tamen in ipso mundi principio & Cain [b] agricola) *in qua non pauca de statu vtroque præcedente retinuerint.*

b Gen. 4. 2.

Deus & Christus pastoris nomine delectantur.

Postremò Devs ipse atque Christvs mirificè delectantur pastoris appellatione, idque iis nomen sacræ literæ frequenter communicant. Anastasius Sinaita [c] notauit etiam pastum à Mose fuisse gregem irrationalem, in typum pascendi ab eodem aliquando rationalis. Hieronymus [d] idem obseruat, sicut & Apostolos de piscatione lacus Genezareth ad piscationem hominum transiisse.

c 5. in Hexam. d epist. 4. ad Rust.

Dauid ex vita pastoritia ad regnū traductus. e Psal. 77. 71. f 2. Reg. 5. 2. g Mat. 4. 19.

David *de post fœtantes est euocatus ad regnum* [e], *vt pasceret Iacob seruum* Dei, cui quoque Devs dixit, *Tu pasces populum meum Israël* [f], eo ferè modo, *quo piscatores piscium fecit* Christvs *piscatores hominum* [g].

Ecclesiasticæ gubernatio est nomine pastoris nominis significata. h cap. 34. 2. & seq. & cap. 37. 24. *Christus pastor, & à se & aliis dicitur.* i c. 17. 16. k cap. 11. 5. & seq. & c. 13. 7. l cap. 10. 11. & seq. & c. 21. 15. & seq. m 1. Ephes. 4. 11. n Ioan. 10. 11. 14. o Heb. 13. 20. p 1. Ep. 2. 25. c. 5. 4. q Luc. 15. 5. r lib. de pud. c. 7. & 10. s lib. 1. ep. 136.

Sed & pro Ecclesiastico munere frequens est pastoris metaphora, vt apud Ezechielem [h], & Ieremiam [i], necnon Zachariam [k], item Ioannem [l], & D. Paulum [m].

Christvs seipsum vocat hoc nomine apud Ioannem [n], vocaturque *pastor magnus* à Paulo [o], *pastor, & Episcopus animarum, & princeps pastorum,* à Petro [p]. Id sibi voluit ipse nomen tribui per parabolam pastoris in humeros imponentis centesimam recuperatam ouē [q]. Hac imagine Christvm calices ipsi exhibebant Tertulliani tempore, vt est apud eundem [r]. Nec aliud significat pallium ex agnina confectum lana, quod primores Episcopi gestant solemnioribus diebus, vt obseruat Isidorus Pelusiota [s]. Lege laudes artis pastoritiæ apud Basilium, dum Mamantem celebrat martyrem, qui eam factitauerat. Ibi memorat Iacob, Mosem, Dauid, aitque sorores esse quasdam pasturam, & regni administrationem. Profert etiam Christvm id sibinomen tribuentem.

t cap. 3. u lib. de locis Heb.

Apparuit illi in deserto montis Sina.] In Exodo [t] sic legimus: *Cùmque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem* Dei *Horeb.* Hieronymus [u] tradit, quòd mons Horeb est in regione Madian, iuxta montem Sina supra Arabiam in deserto, cui iungitur mons, & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan: duplici autem nomine eundem montem vocari, nunc Sina, nunc Horeb.

Mons Sina & mons Horeb sunt unus mons. x in Exod. y 3. Reg. 19. 9.

Caietanus [x] ait, duplici parte constare eundem montem, ac partem vnam, quæ ipsa habeat formam cuiusdam parui montis, appellatam nomine montis Horeb: totum verò montem dictum montem Dei, quo etiam modo dicitur in historia Regum [y] à nomine quod posteà accepit, eò quòd

A ibi Devs legislator apparuerit: aut forsan, quia est mons ingens, & excellens, sicut dicuntur *exercitus* Dei, *cedri* Dei, *viri* Dei, & similia. Vnde in quodam Psalmo [z]: *Iustitia tua sicut montes* Dei. Chaldæus sic vertit Exodi verba præcedentia, ואתא לטורא דאתגלי עלוהי יקרא יהוה לחורב *vaatha letura deithgeli bhalohi iekare* Adonai *lehoreb*, quod sic exponitur, *Et ipse Moses venit in montem Horeb, vbi reuelata est gloria Domini.* Tali de causa Iacob locum, vbi Devm vidit, vocauit פניאל *peniel*, vel, vt nos dicimus, *phanuel*, id est, facies Dei, dicens, *Vidi Dominum facie ad faciem* [a]. In eodem monte dum Moses manibus eleuatis orat, Iosue hostes debellat [b]. Elias in eius quadam B spelunca stans, videt, & audit Devm in sibilo auræ tenuis [c]: huius petra percussa populo sitienti dat aquas [d].

z Psal. 35. 7. a Gen. 32. 30. b Exod. 17. 11. 12. c 3. Reg. 19. 12. d Psal. 77. 20. Num. 20. 11. *Quæ in monte à Deo gesta sint.* e lib. 2. Ant. c. 5. vel 14.

Videtur apparitio in ipso monte contigisse, qui, quòd nemorosus esset, Philo simpliciter nemus exprimit, & non montem: Iosephus [e] verò montem Sina omnium in ea regione celsissimum, & pascuis valdè commodum, atque herba abundantem, & eò quòd vulgato rumore numen illic habitare diceretur, pastoribus hactenus inaccessum ob religionem loci fuisse.

f Gal. 4. 25. *Horeb & Sina montes sunt diuersi.*

Paulus [f] dicit, quòd Sina mons est in Arabia. Credibilius est, Horeb, & Sina solis radicibus cohærere, ideóque interdum cōfundi, ceterùm longè diuersos esse, & Sina longè superiorem esse C Horeb altitudine.

Solitudo diuinis oraculis inseruit. g ep. ad Chilonem. h Heb. 11. 38. i Luc. 5. 16. k Mat. 17. 2. l lib. ad Mart. c. 2. m Luc. 1. 80. n Dan. 2. 11. o 7. de Ciui. Dei c. 35.

Solitudo diuinis oraculis inseruit, vt Basilius [g] demonstrat exemplo nostri Mosis, & Iacob, & Abraham, & aliorum Patrum, quos Apostolus [h] non sine laude commemorat in solitudinibus errasse, denique Christi ipsius, qui frequentabat deserta loca ad orādum [i]. Hoc ipsum Christi exemplum demonstrat, qui etiam gloriam suam transfiguratus in monte paucis ostenderit [k], atque illud Prophetarum Tertullianus [l] profert: quibus adde Ioannem Baptistam [m]. Huc forsan spectat quod arioli, ac magi responderunt Nabu-D chodonosori [n], *Diis non esse cum hominibus conuersationem*: & quod de Numa proditum est etiam ab Augustino [o], ab Aegeria illa sua seorsim edoctum in solitariis locis: idémque multis aliis doceri profanis exemplis potest. Lege quæ dixi in expositione Euangelij Dominicæ primæ Quadragesimæ, quàm sit necessarius secessus iis, qui publica munia obeunt saltem ad tempus: quod subindicat etiam in proposito Nyssenus [p]. Præcipit hac de re Arias noster [q], & Bernardinus Rosignolius item noster [r]. Ille variis præsertim exemplis rem demonstrat, hic auctoritate Patrum. Basilius [s] autem scribit, totis quadraginta annis in libertino otio contemplationi indulsisse Mosem. Ibi loquitur Devs ad cor, & leuat se solitarius super se [t].

p de vita Moisis. q Tract. de orat. ment. c. 7. Hisp. vel Italice. r 3. de discipl. Christ. perf. c. 21. s hom. 1. Hex. t Thren. 3. 28. *Mōs Deo excelso conuenit.*

E Iam verò mons Deo excelso optimè conuenit: vt proinde sapienter in monte Salomon templum erexerit, non secus ac idololatræ suis delubris montes delegerunt; quemadmodum crebrò meminit Regum historia. Hinc illud Psal. [u] *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* & alibi [x], *Exaudiuit me de monte sancto suo.*

u Psa. 120. 1. x Psa. 3. 5.

Angelus.] Græcè est, ἄγγελος κυρίου, sicut & Syriacè, מלאכא דמריא *malache demareia*, id est, *Angelus Domini.* De nomine Angeli dixi capite 5. [y] Quod ad rem ipsam attinet, quem vocat Stephanus Angelum, Moses ipse, iuxta versionem nostram, vocat Dominum in Exodo [z]: *Apparuitque ei Dominus.* Tamē in Hebræo est, וירא מלאך יהוה

y vers. 19. *Angelus fuit, qui dictus est à Mose Dominus.* z cap. 3. 2.

vatera

A *vaiera maleach* ADONAI, id est, *& visum est ei Angelus Domini.* Similiter etiam Chaldæus est interpretatus, sic dicens, ויתגלי מלאכא דיי *vaithgeli maleacha* d'ADONAI, id est, *& apparuit ei Angelus Domini.* Eodem modo ait Stephanus infrà [a]: *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum*, qua item ratione loquitur Apostolus [b], cùm tamen etiam lex à DEO ipso data dicatur [c]. Extant & alia complura similia exempla: ac vniuersè magis communis opinio est, cuius primus auctor præiuit Dionysius [d], non DEVM per seipsum in vetere Testamento apparuisse, sed loco DEI Angelum. Sic verò, vt pauca exempla annectam, dicitur DEVS apparuisse Abrahæ in Genesi [e], qui tamen Patriarcha hospitio Angelos excepisse scribitur à Paulo [f]. Præterea Iacob dicit [g], *in somnis Angelum Domini sibi apparuisse, ac dixisse: Ego sum* DEVS *Bethel*, videlicet quoniam DEVM repræsentabat. Denique DEVS ipse primùm vocasse narratur Abraham ad sacrificandum filium [h], posteà exprimitur nomen Angeli loquentis in persona DEI [i], & quidem nulli potiùs DEVS immediatè apparuisset, quàm Mosi, de quo ait [k]: *Ore ad os loquor ei, & palàm, & non per figuras, & ænigmata videt* DEVM: cui tamen in hàc augusta visione ardentis rubi constat nõ ipsum DEVM, sed Angelum apparuisse, etiamsi recitentur verba DEI, quæ nimirum dicebantur ab Angelo sustinente personam DEI.

a vers. 38.
b Gal. 3. 19. Heb. 2. 2.
c Exod. 19. & 20. & Deut. 4.
d ca. 4. cæle. hier.
Deus in veteri Testamento non apparuit, sed loco eius Angelus.
e c. 18. & 21.
f Heb. 13. 2.
g Gen. 31. 11.
h Gen. 22. 1.
i ibid. v. 11. 15.
k Num. 12. 8.

Augustinus libris de TRINITATE [l] sæpenumerò disserit de hac re, eóque tandem inclinat, vt ex S. TRINITATIS personis secunda per Angelos repræsentata fuerit, quia & ipsum Angeli nomen interdum ei communicatur, vt citato loco docui, & decebat hoc veluti symbolo Incarnationem futuram præsignificari. Chrysostomus in præsentem Actuum locum idem sentit, vocans *magni consilij* Angelum, & Hilarius [m], & Ambrosius [n]. Festiua quidam similitudine hoc illustrant, sumpta ex adolescentulo, qui præclaram vestem nouam, nonnisi die præstituta induere iussus à patre, non potest se continere, quin præ lætitia gestiens eam domi clàm solus induat, seséque sic vestitum gloriosè circumspiciat, vel potiùs æquali sodali, si minùs id aliud liceat, imponat.

l præsertim li. 2. c. 13. & li. 3. ca. 10 & seq. eundem lege q. 3. in Exod.
Secunda persona à Patribus visa in Angelo est, propter Incarnationem.
m 5. de Trin.
n 3. de Fide. c. 5.

Rectè alibi Augustinus [o]: *Quemadmodum*, inquit, VERBVM DEI, *quod est* CHRISTVS, *in Propheta loquitur veritatem, sic & in Angelo ipso loquitur, quando veritatem Angelus annunciat: & rectè dicitur:* DEVS *dixit, &,* DEVS *apparuit. Et item rectè, Angelus dixit, &, Angelus apparuit, cùm illud dicatur ex persona inhabitantis* DEI, *hoc ex persona seruientis creaturæ. Sed cùm verba iudicis*, inquit idem Augustinus alibi [p], *præco pronunciat, non scribitur in gestis, ille præco dixit, sed ille iudex, &c.*

Quomodo verè dici Verbum diuinum apparuisse, cùm Angelus apparuerit.
o lib. contra Adimantum. c. 9.
p 3. de Trin. c. 11.

Si igitur spectemus id, quod in apparitionibus efficienter fit, immediatè dicendæ erunt ANGELORVM apparitiones, non autem DEI: sin autem id quod referunt, & ad quod referuntur, DEI sunt apparitiones, non ANGELORVM. Imperator in sua ipsius imagine, quam pictor effigiauit, nihil efficit, nec tamen imaginem pictoris absolutè dixeris, sed Imperatoris.

Angeli verè apparuerunt, sed Deum repræsentarunt.

Gregorius [q] prætereà loquens de hac apparitione Mosi facta: *Hinc est*, ait, *quod Angelus, qui Moysi apparuisse describitur, modò Angelus, modò Dominus memoratur: Angelus videlicet, propter hoc, quod exterius loquendo seruiebat: Dominus autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat. Cùm ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur.* Addi maximè debet, quod anteà monuimus, Angelo nomen Domini tribui, quando personam Domini repræsentat. Legendus quoque Hieronymus in epistolam ad Galatas [r]: consule etiam Petrum Tyræum nostrum in opere de Apparitionibus spirituum [s], & Theologos, & quam cum illis ipsi instituimus disputationem de Angelis. Gabriel Vasquez accuratiùs hoc discussit [t].

Cur idem & Dominus & Angelus dicatur.
q Præfa. in libros Mora. c. 1. vel 2. quem item vide lib. 28. c. 2.
r in cap. 3.
s lib. 1. c. 1. 24. 25.
t 1. p. q. 51. disput. 185.

Abulensis [u] porrò optimè monet non fuisse conueniens, vt Angeli, qui apparebant, & loquebantur tanquàm DEI ministri, dicerent se à DEO missos, & nomine DEI agere, ne populus DEVM otiosum crederet: vel plus nimio se Angelis obligatos duceret, immò diuinos iis honores deferret: sed cùm per Angelos DEVM loquentē secum audiret, hinc magis alliceretur ad DEVM, quasi qui eos magnifaceret: & vt se ipsi magis æstimarent, *tanquam qui* DEVM *appropinquantē haberent* [x]: & pluris fierent, quę ipsis proponebantur à DEO.

Cur conueniens non fuerit, vt Angelus in persona sua loqueretur.
u Math. 17. q. 77.
x Deut. 4. 7.

Qua in re Christianos Doctores, quàm Philonem [y] Iudæum sequi malumus, affirmantem eum, qui apparuit, re ipsa fuisse DEVM: Angelum verò nominatum, quoniam futura prænunciauit. Illud ipsum, quod Philo, innuit quidem etiam Nazianzenus [z], & Cyprianus [a]. Iustinus [b] quoque loquens de hac ipsa visione, & Theodoretus [c], Eusebius [d], Nicephorus [e], Origenes [f], Patres concilij Sirmiensis [g], Leo [h], Ambrosius [i], Tertullianus [k], Clemens Romanus [l]. Hi etiam, quos citat Pererius [m] existimasse quartum, qui cum tribus aliis conspectus est in fornace Babylonica, reuerà fuisse FILIVM DEI. Verùm & intelligi possent eo modo, quem diximus, & nostra sententia apertè etiam nititur auctoritate Dionysij [n], Hieronymi [o], & Gregorij [p], & Cyrilli Alexandrini [q], & Rabbi Mosis [r], & Athanasij [s], & aliorum. Priores quoque maiore ex parte docent FILIVM DEI apparuisse: nec tamē video, quid in apparitionibus veteris Testamenti adeò peculiare fuerit, vt illi duntaxat personæ tribui, & non aliis æquè possit ac debeat, seu cur magis vnam significaret personam, quàm alias. Nisi dicamus quodammodò DEI Filium ante sumptam humanam naturam, eius se tantum similitudine, vt priùs dicebamus, induisse, ac se veluti ad futurum Redemptoris exercere voluisse. Verbi gratia, sic specie quarti pueri tres in fornace Babylonis liberasse [t], quo modo posteà iustos ex inferno loco liberauit.

Qui & quot Patres Deum apparuisse tradiderunt.
y in vita Mosis.
z Tract. de Fide.
a 2. cont. Iud. cap. 5.
b Dial. cum Tryph.
c q. 1. in Exodum.
d 1. Histo. c. 1.
e 1. Histo. c. 1. & 2. & 3.
f Hom. 1. in c. 6. Esa.
g can. 15.
h epist. 11. ad Pulcheriam.
i lib. de his qui initiantur c. 4.
k lib. cont. Iud. c. 9.
l lib. 1 Constit. c. 31.
m in c. 3 Dan.
n cap. 4. cæl. hierarch.
o in cap. 3. ad Gal.
p in præf. Moral. c. 1. vel 2.
q 1. Thesau. 2.
r lib. 2. doctoris dubiorum. c. 7. & 8.
s Ser. 4. cont. Arria.
t Dan. 3. 92.

In igne flammæ rubi.] In Exodo legimus, *In flamma ignis de medio rubi.* Hebraicè, בלבת אש מתוך הסנה *belabbath esch mitthoch assench*, id est, *in flamma ignis de medio rubi.* Rubus vocatur הסנה *hassench*, qui est frutex sterilis & senticosus, quem, citra deplumationem, intrare auis non potest, & solo contactu vulnerat, crescens in deserto, & ab hoc tum nomine, tum frutice, & desertum amplum, & mons Sina vocatus dicitur. Nam à סנה *seneh*, fit סיני *Sinai*; posito י *Iod* loco ה *he* vltimæ literæ radicalis: sic dictus, vel quòd ruborum ibi magna copia est, vel quia in eo monte rubus erat, in quo DEVS Mosi apparere dignatus est. Elegit DEVS rubum, quod facilè cremari solet, vt sic illustrius esset miraculum, atque apertior significatio eius rei, quam ille intendebat. Est hæc ratio Theodoreti [u], qui aliam prætereà affert, ex Hebræis nimirum petitam, vt Isidorus [x] obseruat, ne fortè exculperent Iudæi, proni ad idololatriam propter commercium cum Aegyptiis, in illo ligno idolum.

Mons Sina vnde dicatur.
Cur Deus in rubo apparuerit.
Cur Deus in igne rubi apparuerit.
u qu. 6 in Exod.
x in Catena.

Nihil

Nihil habere DEVM commune cum Dæmonibus decuit, quos auctor est Alexander Magnus in epistola ad præceptorem Aristotelem (quam epistolam Latinam fecit Cornelius Nepos) in India locutos per arborem. Reddit eandem rationem putatus Athanasius [a]. Similem causam de igne dant Glossæ, quia forma eius non est imitabilis. Alias vide apud B. Thomam [b], & quas etiam attulimus suprà [c].

a qu. 20. ad Antiochum.
b in cap. 10. Esaiæ.& in c. 12. ad Hebr. lect.5.
Quid rubus ardens significauerit.
c cap.2.1.

Mysticas causas de rubo ardente dat idem Theodoretus, non subiugandum Israëlem ab Ægyptiis: & virginitatem matris ab incarnato VERBO conseruandam. Athanasius, vt significaretur, quòd germinaret CHRISTVS ex nostra spinosa natura. Sed de his posteà. Quod verò attinet ad illam de igne causam, ea æquè locum habet in aliis rebus inanimatis, vt in nube, &c. in quibus DEVS apparuit. Et quæri potest, cur id fecerit? Quod autem Moses respondit [d], vt præcideretur occasio idololatriæ, id in populo verum est, non in Mose ipso, & similibus ei sanctissimis viris, quibus sub humana etiam forma visus est. Melior, vt vniuersalior, ea ratio, quæ id adscribit diuinæ prouidentiæ.

d Deut.4.15.

Cur Deus se in his formis aspectabilem præbuerit.

Decebat nimirum, vt se DEVS primò familiariorem exhiberet, postmodùm lapsu temporis aliquid inde remitteret: tandem homines non per se, sed per homines regeret. Primus modus fuit sub humana forma: secundus, quando auditus est, non visus: tertius, quo nec etiam auditus, sed se per somnum insinuauit, aut imaginationem: vltimus, quo intellectum duntaxat occupauit. Seruatum dicimus hîc ordinē hunc, vt plurimùm, non tamen semper. Nam alioqui interdum cùm videbatur DEVS sub externa specie, audiebatur quoque, in somnis apparebat, intellectum illustrabat: & posterioribus temporibus aliquando est visus, aliquando auditus. Irenæus [e] tamen docet, forma humana nunc DEVM Mosi apparuisse: quod sanè non videtur verum, nisi propter vocem humanam. Philo [f] tradit pulcherrimam quandam speciem visam fuisse, quæ fuerit diuinæ præsentiæ manifestissimum indicium.

Deus variis modis visus.
e lib.4. c.17.
f in vita Mosis.

Versus 31.] Moyses autem videns, admiratus est visum, & accedente illo, vt consideraret, facta est ad eum vox Domini.

MOYSES *autem videns, admiratus est visum.*] Legimus in Exodo [g]: *Et videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses, vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Magnam visionem vocauit Moses (quam Nyssenus [h] vult in medio, claroque die contigisse, nitescente super solarem lucem illo igne) nullo respectu habito ad DEVM: nondum enim constabat in rubo appariturum, aut locuturum DEVM, sed quia res erat admodùm noua, & insolita. Alioqui magna reuerà visio erat, non tantùm quòd verus ignis de nouo productus, siue allatus, tamdiu perdurans, verum lignum, idque rubum, non consumpserit, vt ne calefecerit quidem, cùm tamen reliquum montem depascere-tur, vt placet Cyrillo Alex. [i] DEO suspendente concursum, vt in fornace Babylonica [k] fecerat (idem affirmat Basilius [l] de carbone, quo Esaiæ labia tacta sunt [m]) ardorem tamen ostentans, & lucem, & lucentes flammas, quas alia quædam ei affixa materia alebat, & rubum ceu veste ambiebant; disputat de his Abulensis Exodi 3. [n] verùm

g cap.3.2.3.
Cur visio hæc magna dicta sit.
h in vita Mosis.
Mirabilia, quæ circa illū ignem concurrerint.
i lib.2.de adorat.in Spir. & veritate.
k Dan.3.
l Esa.1.
m infrà 6.
n q.3.& 4.

A etiam propter multiplicem significationem. *Significabat*, inquit Philo [o], *ardens rubus oppressos inimicis; vrens verò ignis oppressores: quòd autem non exurebatur materia, portendebat non perituros, qui affligebantur, inimicorum violentia, sed conatum eorum fore irritum, illos verò euasuros incolumes.* Consentit in hac ratione Glossa huius loci, & Exodi, & Theodoretus [p], quem priùs retuli, quam existimo maximè literalem esse significationem, ac propriam.

Quid significabat rubus ardēs non cōsumptus.
o in vita Mosis.
p in Exod.q. 6.

Cyrillus iam citatus ait Israëlem velut syluestrem arborem nullos iustitiæ fructus habentem, quòd in Ægyptiorum legibus aleretur, legem accipere debuisse, quæ illuminandi vim quidem haberet, si spiritaliter intelligeretur, & calefaciendi, sed proprio Iudæorum stupore inutilis B ipsis futura esset. Sed & in confirmationem prioris expositionis aptè citat Esaiam [q]: *Noli timere, &c. cùm ambulaueris in igne, non comburêris, & flamma non ardebit in te.* Scitum porrò est, ignem poni pro omni tribulatione: in quo sensu intelligunt Abram eductum de Vr, & igne Chaldæorum [r], vt superiùs hoc ipso capite notauimus.

Iudæi quales ante legem fuerint.
q cap.41.1.2. iuxta 70.
r Genes.15.7. 2.Esd.9.7.

Præterea optima ratione tali viso Mosem DEVS in ipso rerum gerendarum initio, simul & certa fiducia confirmauit, & ab insolente arrogantia prohibuit: nam quia ipse cum sæuo populi domino, vt annotarunt Rab. Simeon filius C Ioanna [s], & Rab. Leui filius Gersonis, & cum ipsis elementis in Ægypto, in mari, in vasta solitudine pugnare, luctarique tota vita debebat, vidit rubum, populum videlicet, cuius ipse futurus esset Imperator, è media calamitatum, atque ærumnarum flamma incolumem superesse, sed præsente DEO, rubúmque in ipso incendio conseruante.

Mysticus alius sensus ex Hebræorum fontibus haustus.
s In lib. Zohar.

Moralis à priore haud multùm abludens ratio est, *quoniam Ecclesia* (sic loquitur Hieronymus [t], & Isidorus [u]) *& quiuis iustus, rubus est, ita vt illos nemo cuiuscunque potentiæ, aut conditionis lædat, qui vicissim non simul pungatur, atque veluti vulneretur, & cruentetur aliqua pœna*; vel certè loquente, & con-D solante in rubo DEO, flamma non noceat persecutionis.

Tropologicus sensus de persecutione inualida virorum iustorum.
t ep.127.māl. 2.
u in Catena.

Impius igni deuoratur, quia aridum lignum est, siccum fœnum, & palea: pius in medio ignis non æstuatus viret, ac insuper pungit aduersarios, cruciátque. Ioannes paleis improbos comparat [x], & hos in iudicio CHRISTVS aridos se inuenturum dicit [y]: & seipsum viride lignum affirmans dicénsq; [z], *Si in ligno viridi hæc fiunt, in arido quid fiet?* ostendit peccatores esse ligna arida. Allegoriam affert Oecumenius, vt significaretur captiuitatis humanæ remedium per Incarnationem futurum. Nam igni comparatur DEVS [a], homo herbis ac spinis: homini DEVS summo miraculo coniun-E ctus est: & Humanitas per Diuinitatem non consumpta, sed incorrupta post Resurrectionem reddita est. Transcripsit hæc Oecumenius ex Cyrillo, qui citatur in Catena, vbi affertur quoque Seuerus. Chrysostomus hoc loco idem etiam habet de corpore CHRISTI, quod mortuum quidem est, sed à morte nequaquàm perpetuò detineri potuit [b]. Nec aliter loquitur Gregorius [c].

x Matt.3.12.
Peccatores sunt ligna arida igni destinata.
y Luc. 21. 26.
z Luc.23.31.
a Deut.4.24.
Per Incarnationem Deus homini coniunctus est miro modo.
b Act.2.24.
c Homil 1. in Ezech.

Eòdem pertinet vulgaris illa, & ab Ecclesia quoque decantata mystica intelligentia de illæsa, ac integra virginitate Deiparæ. Hoc verò expressit Theodoretus, & Seuerus, & Chrysostomus in Catena, Bernardus [d], Eucherius [e], Ru-

Virginitas B. Virginis illibata designatur.
d Serm. in id Apoc.12. Signum magnū, &c. & 2. super, Missus est.
e De formulis spirit.

a in Exo. c. 3.
b orat. de Natiui. & in vita Mosis.
c oratio. 2. de Deip.
d Gen. 22. 13.
e Iud. c. 9. 15.
f Mat. 27. 29. Marc. 15. 17. Ioan. 19. 2.

pertus[a], Nyssenus[b], Hesychius presbyter Ierosolymitanus[c]. Quid si spineam coronam CHRISTI designatam dicamus hoc rubo, sicut & vepribus arietis hærentis cornibus vice Isaac immolati[d]? Porrò quemadmodum in parabola lignorum, quæ conuenerunt vt vngerent sibi regem, rhamnus oblatum honorem admittens ea lege, vt *si nollent sub vmbra eius requiescere, ignis ex ipso egrediens deuoraret cedros Libani*[e], tyrannicum imperium denotat: ita existimo voluisse DEVM, per rubum significare tyrannidem Pharaonis eo modo quem dixi: Iudæos vero, qui capiti CHRISTI spineum sertum imponi curauerunt[f], illum hoc facto indicare voluisse regno penitus indignum.

Aliæ variæ expositiones rubi & ignis.
g Serm. 86. de Tempore.
h Homil. 7. in Ezech.
i Deut. 33. 2.
k in Ps. 141.
l orat. in laudē Heronis.
m in Isago. Scrip.
n 2. de spirit. apparit. c. 5.

Augustinus[g] rubum exponit Synagogam Iudæorum, in quibus diu SPIRITVS sancti flamma fuit, sed ei ita restiterunt, vt consumi non potuerint. Gregorius[h] eundem populum, qui igneam[i] legem accepit, & tamen peccatorum suorum spinas non deseruit, nec eius vitia diuini sermonis flamma concremauit. Alium rursus tropologicum sensum innuit Hieronymus[k]; peccata vt spinas inflammari, & expurgari à DEO, non tamen consumi peccatores, cùm eos saluos velit. Nazianzenus[l], hominem Christianum pietatem colere oportere inter impios, quemadmodum rubus ita conflagrabat, vt tamen exhauriri non posset, non infici vitiis eorum, sed potiùs curare, vt alij per illum meliores efficiantur. Lege Pagninum[m], & de tota hac apparitione Petrum Tyræum[n].

Versus 32.] Ego sum DEVS Patrum tuorum, DEVS Abraham, DEVS Isaac, & DEVS Iacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare.

o vers. 13.
p cap. 3. 3. 4.

EGO *sum* DEVS *Patrum tuorum*, DEVS *Abraham.*] Lege quæ docui capite tertio[o]. In Exodo videtur alius ordo seruari, quoniam hæc verba recitantur post illa, quæ hîc ponuntur versu sequenti. Ibi est[p]: *Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses. Qui respondit: Adsum.*

Moses laudatur, quòd rem meliùs considerare voluerit.
q 1. Ioan. 4. 1.
r 1. Thess. 5. 19.
s Eccl. 19. 4.
t 2. Corin. 11. 14
u libr. de spir. apparit. c. 16. 17. 18. li. 4. de apparit. intell. cap. 15. & seq.
x 3. par. q. 25. a. 3.
y vers. 21.
z cap. 3. 6.

Laudandus hac in re Moses, quòd explorare diligentiùs voluit, nec temerè spectro credere: *probandi*[q] *quippe spiritus, an ex* DEO *sint, non extinguendi*[r]: &, *Qui credit citò, leuis est corde*[s]: sed &, *Satanas transfigurat se in Angelum lucis*[t]. Lege Petrum Tyræum[u], & Bartholomæum Medinam[x].

Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare.] Ex eisdem traditionibus hausit Stephanus tremorem Moysi, ex quibus hausit Paulus in epistola ad Hebræos duodecimo[y]. Ibi Paulus refert dixisse Mosem: *Exterritus sum, & tremebundus.* Sed videtur loqui de eo tempore, quo legem accepit: quamuis concedo, de hoc terrore, ac tremore Mosis in historia datæ legis mentionem non fieri. Attamen tremor eius terrorque in ista visione indicatur illis verbis Exodi[z]: *Abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspicere contra* DEVM.

Mosis non fuit territus cùm legem accepit.
a Exod. 20. 20.
b ibidem 21.

Sanè cùm Mosi lex data est, Moses ipse iussit populum deponere timorem[a], & audacter immisit se in caliginem, in qua erat DEVS[b]. Proptereà S. Thomas, Lyranus, & Carthusianus, &

A Guillaudus, & Caietanus interpretantur locum Pauli de visione rubi ardentis. Non congruit hæc expositio cum contextu Apostoli, qui ibi loquitur de terrore legis, cùm lata est, & de omnibus, quæ tunc acciderunt: neque ad rem eius pertinebat loqui de timore alterius temporis. Quare timuit Moses primùm, cùm ferebatur lex, intuens DEI Maiestatem, & prodigia magna[c]: posteà confirmatus à DEO timorem abiecit, & populum bono animo esse iussit[d]. Ad eundem modum, cùm vidit rubi visionem magnam, & insolitam, extimuit; deinde, timore deposito, cum DEO loquebatur. Chrysostomus, aliique Patres Græci ita exponunt, Petrus etiam Lombardus, Catharinus, Arboreus

Moses timuit, sed posteà à Deo confortatus timorem deposuit.
c ibidem 18.
d ibidem 20.

B (etsi non placet quod ait, timuisse, quatenus populi timori se accommodauit, eum leniendo) Titelmanus, Guillaudus quoque (qui minùs etiam mihi probatur, cùm exponit, dicere potuisse Mosem illa verba, aut adeò terribilem fuisse apparitionem in monte, vt vel ipsi duces terreri potuerint) & Ribera, Oecumenius item in expositione præsentis loci Actuum.

Visiones diuinæ timorem incutiunt.
e cap. 5. 14. 15. 16.
f Iud. 6. 22.
g ibid. 13. 22.
h cap. 9. 4.
i c. 7. 8. & 10.
k cap. 3. 2.
l c. 42. 5. 6.
m cap. 23. 9.
n 3. Reg. 19. 13.
Qualis sit hic metus.
o Luc. 1. 12.
p ibid. 29.
q Matt. 28. 8.
r Apoc. 1. 17. & alibi.
s Mat. 17. 6.
t Psal. 2. 11.
u Iudic. 6. 22.
x ibid. 13. 22.
y Exo. 33. 20.

Ceterùm nec mirum, nec rarum est, quòd diuinæ visiones metum incutiant, aut etiam diuinæ voces. Nam idipsum legimus de Iosue[e], de Gedeon[f], de parentibus Samsonis[g], de Ezechiele[h], de Daniele[i], de Habacuc[k], de Iob[l], de Ieremia[m], de Elia[n]: & in nouo Testamento de Zacharia[o], B. Virgine[p], mulieribus[q], Ioanne Apostolo[r], de hoc cum Petro, & Iacobo[s], & de aliis in aliis historiis Ecclesiasticis.

C

Est hic metus venerationis, ac reuerentiæ DEO debitæ, & in tanta dignatione decet, vt mortales exultent quidem, sed cum tremore[t], existimentque familiarem cum DEO conuersationem, & colloquium non esse præsentis vitæ. Qua de causa conspectis Angelis DEVM referentibus existimabant se Gedeon[u], & Manue[x] illicò morituros. Et viguisse videtur hæc olim opinio, iuxta id: *Non videbit me homo, & viuet*[y].

Discrimen apparitionum bonorum & malorum.
z in vita.
a cap. 28.
b cap. 1.
c in lib. exercitio. spir.
d lib. 3. de discipl. Christ. perf. à cap. 13. vsque ad 20.

D S. Antonius, apud B. Athanasium[z], hoc assignabat discrimen inter bonorum, malorúmque Angelorum apparitiones, quòd cùm bonis hominibus apparent boni, etiamsi initio inusitato aspectu timorem iniiciant, ad extremum consolationem, & animi tranquillitatem relinquunt, mali eundem timoris aculeum, quem infixerunt, non auellunt. Præter Antonium, Hieronymus idem tradit, atque Theophylactus in Matthæum[a], & Beda in Lucam[b]: & sapienter, vt cetera, beatus noster P. Ignatius vnam hanc regulam, in Regulis de spiritibus discernendis, præscripsit[c]. Egimus & nos hac de re ad Ioannis epistolæ primæ caput primum: & ex variis Auctoribus nonnulla congessit Bernardinus Rosignolius noster[d].

E

Versus 33.] Dixit autem illi Dominus: Solue calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est.

e cap. 3. 5.
f in Exo. q. 7. Cur Deus iusserit Mosi calceamentū soluere.

DIXIT *autem illi Dominus: Solue calceamentum.*] Legimus sic in Exodo[e]: *Ne appropies huc: solue calceamentū de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Meritò Theodoretus[f] discalceationis huius causas illas, quas alij referunt, minùs probat: vel, vt huius vitæ curas, ac sollicitudines deponeret; vel, vt eo ritu declararet locum esse sanctum, etenim neque adhuc in Pontificem,

aut Prophetam Moses creatus erat: neque iam locum illum DEVS ipse consecrauerat. Putat verò exegisse DEVM à Mose hoc modo maiorem reuerentiam ad excipienda sua mandata: simul erudire voluisse sacerdotes, qua ratione deinceps ministrare debeant in tabernaculo; id namque nudis pedibus faciebant. Posteriorem Theodoreti causam Diodorus [a] reiicit, atque illam, ne vxorem accipiens in Aegyptum descenderet educturus populum, quoniam & hæc non tanti videntur, & Iosue idem facere iussus est [b], cui nihil horum declarandum, aut mandandum erat: cùm autem ipse reddit eam causam, quam secundo loco Theodoretus confutauit, & mihi, qui eo nomine Theodoretum recepi, illa eius ratio, quæ ipsi primo loco placuit, placet, quam video aliis quoque placuisse, adiuncta ad reuerentiam humilitate, & attentione aduersùs DEVM, qui sua præsentia locum sanctificabat. Ita docent Glossæ, tum in hoc, tum in libro Exodi, & Iosue, aliique Interpretes: quin etiam tradunt, nefas primis Hebræis fuisse, vt calceati loca sancta intrarent: qui hodiéque mos à Saracenis, siue Turcis, Lyrano teste, & Abulense, & Rabbi Mose Gerundense, seruatur.

a in Catena.
b cap.5.16.
Reuerentia in Deum quanta esse debeat.

Eam consuetudinem innui putant verbis Ioannis, quibus se indignum dixit *portare calceamenta* CHRISTI *post eum* [c], seu *soluere corrigiam illorum* [d]: videlicet quoniam ingressuri sacrum locum, depositis calceis, aut soleis tradebant pueris hi, qui paulò nobiliores erant. Sed & de Gentilibus idem tradit Cyrillus Alexandrinus [e]: narraturque in historia Regum [f], Philistæos postquàm Dagon ante arcam Domini repertus est in limine templi confractis brachiis, & pedibus, cauisse, ne quis etiam sacerdos pedem poneret super limen eius.

Ioannes quomodo dixerit se Christi calceamenta portare.
c Matt.3.11.
d Luc.3.16.
e li.2.de adorat.in Spi.& verit.
f 1.Reg.5.5.

Voluerunt Discalceati (Hæretici quidam sic dicti teste Philastrio, & Augustino [g] contra hæreses scribentibus) nos vbique sine calceis incedere: tum quia hoc Dominum præcepisse Mosi, & Esaiæ dicebant; tum etiam quòd existimarent sine istis CHRISTVM, ac Discipulos ambulasse. Verùm & hoc falsum esse ostendetur capite duodecimo [h], vbi Petrus iubetur *calceare se caligas suas*, hoc est, calceos: & vnum, aut alterum exemplum antiquæ legis Mosis ipsius, vel Esaiæ præterea, qui triennio discalceatus ambulauit [i], non præiudicat, in qua etiam scimus peregrinantium calceos quadraginta annis diuinitùs seruatos illæsos [k]. Meliùs hinc argumentamur cum Masio [l] pro sacris cæremoniis, contra nostri temporis Hæreticos, sicut & pro deputandis cultui DEI locis sanctis. Aliam Lippomanus probabilem causam hanc assignat, quæ mihi maximè præ ceteris probaretur, nisi qui soli calceamenta imperat DEVS, idem cur imperet, mox subderet: *locus enim, in quo stas, terra sancta est*, & nisi Iosue idem imperatum constaret. Ait itaque Lippomanus, ista discalceatione denotari, vt ibi Moses consistat, nec vlteriùs pergat, *attendens quid ipsi mandetur, res nempe sanctissima liberationis populi, & eductionis ad eum locum, in quo & legem sanctam ipsi daturus sit.* Nam è contrario cùm egressuri essent Hebræi Aegyptum, & agnum comesturi, iussi sunt calceamenta habere in pedibus, in signum profectionis, & migrationis [m]. Præterea addit, significari hac discalceatione renunciationem, seu dimissionem pastoralis officij, & vocationem Mosis ad aliud longè melius, & sanctius officium. *Quomodo*, in-

Discalceati hæretici cur nos nudis pedibus incedere voluerint.
g Hær.68.
h vers.8.
i Esa.20.2.3.
k Deut.29.5.
l in Iosue.
Alia præcepti huius causa ex Lippomano.
m Exo.12.11.

A quit, *mos erat antiquitùs in Israël inter propinquos, vt si quando alter alteri suo iuri cedebat, vt esset iusta concessio, solueret homo calceamentum suum, & daret propinquo suo* [n].

n Ruth 4.7. Deut.25.9.
Quomodo quis discalceatus incedebat

Vnde alij quidam notant, vt Feuardentius [o], in Absalonica seditione Dauid exisse ex Ierusalem, & oliuarum montem nudis pedibus conscendisse, vt indicaret se coactum illinc cedere, & ciuitatem, & regnum illi dimittere: item Ioannem Baptistam, cùm negauit se dignum, qui solueret corrigiam calceamentorum CHRISTI [p], significare voluisse, solum CHRISTVM esse sponsum Ecclesiæ, & se huius rei humilem duntaxat, & abiectum esse præconem. Hoc expressè notauit Cypria-
B nus [q], & Isidorus [r], & Ambrosius [s].

o in librum Ruth.
p Matth.3.11. Luc.3.16.
q 2.con.Iud. cap.9.
r in Catena.
s de benedi. Patriarcha. c. 4.& 3. de fide.c.5.

Accedit hoc ad sensum mysticum, qualis est etiam, vt accessurus ad DEVM contemplandum, à mortuis se carnalibusque phantasiis absoluat, iuxta Augustinum [t], & Ambrosium [u], & Nyssenum [x]. Vt quod idem Augustinus notat vbi suprà, & Cyrillus Alexandrinus [y], & Oecumenius in hunc locum, intelligamus CHRISTVM esse iis inaccessum, qui sunt sub lege mortua, quam corium calceorum significat: &, *vt qui mittitur ad huiusmodi officium, ad quod Moses mittebatur*, inquit Ambrosius [z], *non retardetur mortis periculo, cuius metu priùs fugerat: & sint speciosi pedes euangeli-*
C *zantis* [a], inquit Prosper [b]: *vt dum Pascha celebramus, tegamus pedes calceis legis, & Scripturarum, aduersùs iniurias errorum, & morsus Dæmonis, sed sciamus in terra promissionis æternæ beatitudinis nullum eorum vsum esse*, inquit Gaudentius Brixiensis [c].

Mysticus discalceationis sensus.
t Serm.86.de Tempore.
u in Psal.117.
x in vita Mosis.
y 2. de ador. in Spi.& veri.
z lib.7.in Lucam.c.10.
a Esa.52.7. Rom.10.15.
b in Catena.

Denique sicut calceamenta in pedibus habere, signum est lætitiæ, & honoris, ita sine his incedere, mœstitiæ, vel captiuitatis. Vnde, vt Ezechiel pro vxore mortua nulla ederet signa tristitiæ, inter alia ei præcipitur [d]: *Corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis*: & de Synagoga accepta in sponsam ait apud eundem [e] DEVS: *Calceaui te hyacintho*: & in-
D dulgens pater prodigo filio in gratiam recepto imperat dari calceamenta in pedibus [f]. Et è contrario Esaias in signum captiuitatis populi ambulauit nudus, & discalceatus [g]. Bene igitur liberatori captiuorum, vt magis animo ménteque reuoluat calamitatem eorum, & eis compatiatur, calceamenta deponere DEVS imperat, quæ captiui in exitu de captiuitate iubentur induere [h]: simul etiam vt intelligeretur, quàm facile est calceum exuere, & induere, tam esse DEO captiuos eximere, & liberare.

c Tract.5. de Exodo.
Calceamenta gestare signum erat lætitiæ.
d c.24.17.
e cap.16.10.
f Luc.15.22.
g cap.20.2.
h Exo.12.11.

Calceamentum pedum tuorum.] Ὑπόδημα, quasi subligaculum. Syriacè, מסנך *mesnauch*, id est, *calceamenta tua*, de quo in capite 12. [i] Quod autem quidam recentior Rabbinus Isaac Aeramæus [k]
E obseruauit Mosi dictum, vt solueret de pedibus, in plurali, nempe רגליך *ragleicha*, Iosue autem in singulari, videlicet רגלך *raglecha*, id est, *de pede* [l], quia illi duplex cura incumbebat, & Imperatoris, & patrisfamilias, siue nutritij, huic sola cura rerum bellicarum: quod item R. Bahaiaus, quoniam Moses vberiore diuinarum rerum intelligentia præ Iosue informandus erat: magis argutum est, quàm firmum, vt bene monet Masius [m]. Legendus & in eundem locum Arias, vbi paranomasiam obseruat inter נעל *nahhal*, quod est calceamentum, & רגל *regel*, quod est pes. Consule quoque de nuditate quæ disserit in Apparatus libro, quem Ieremiam inscribit. Si Mosis iùcea cal-

i vers.8.
Rabbinus cur de Mose pedes, de Iosue pedem dictum esse putet.
k lib.de colligat.Isaac.
l cap.5.16.
m ibidem.

ceamenta erant, vt Hebræis placet, perirent allati mystici sensus de corio, siue pelle.

Versus 34.] Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & gemitum eorum audiui, & descendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te in Ægyptum.

a ca. 3. 7. 8. 9. 10.
b v. 11. & sequentib.
c in vita Mosis.

VIDENS *vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto.*] In Exodo fusiùs hæc narrantur [a], simulque responsio Mosis ad DEVM, & iterum DEI ad illum [b]. Non vacat singula exponere, nec etiam opus est. Philo [c] inducit DEVM hæc alia verba promentem de rege, ad quem mittebat Mosem: *Qui tum regnabat, cùm præ metu fugeres, defunctus est, in regnum successit alius, cui nulla tecum simultas intercedit.* Equidem & ipse idem sentio de distinctis regibus, sicut & de eo, sub quo natus est Moses, & illo, sub quo reliquit Ægyptum, vt iuxta Iosephi chronologiam, & aliorum demonstrat Abulensis [d], quoniam nullus ex his Aegypti regibus legitur vltra triginta annos regnasse. Ceterùm non mihi videtur DEO digna oratio, qua Mosem admoneat de morte regis, cùm, qui tunc regnaret, si non priuatam cum eo simultatem gerebat, communis certè Hebræorum hostis, atque durissimæ vexationis auctor esset, quæ ad DEVM ipsum præ sui magnitudine, & atrocitate clamabat.

d Exo. 2. q. 7.
Philonis verba, quibus Mosem Deum alloquitur dicit, sunt Deo indigna.

Descensus Dei quid significet.

e homil. 4. in Gen.
f 16. de ciui. Dei. c. 5.
g cap. 1.
h lib. 1. Director c. 10. & lib. 2. c. 30.

Descendi.] Descensus DEI significat, vt notat Eusebius in Catena, nouum effectum in humana creatura: *prouidentiam, & curam eius specialem de rebus humanis, atque iudicium eius integerrimum*, vt ait Origenes [e]; aut, vt Augustinus [f], *aliquid à* DEO *fieri in terra præter vsitatum naturæ cursum*; quod etiam obseruatum est à Hieronymo, & Theodoreto in Michæam [g]. Quocirca nimis restrinxit acceptionem huius verbi, cùm de DEO dicitur Moses [h] Aegyptius, ad vindictam, & repetitionem pœnarum. Quanquàm, propriè loquendo, descensus non ipsam prouidentiam, siue in puniendo, siue in benefaciendo significat, sed appropinquationem, quasi ad propiùs aspiciendum cuiusque merita, vel demerita, vt patet ex Genesis vndecimo [i], & decimooctauo capite [k], atque ex aliis locis; in quibus modus hic loquendi denotat lentè, & circumspectè, non festinanter, ac temerè DEVM se gerere, vt obseruat Chrysostomus [l], Rupertus [m], Philo [n]. Quod etiam Decreto insertum est [o].

Quid propriè Dei descensus significet.

i ver. 5. 7.
k vers. 21.

l Hom. 30. in Gen.
m libr. 4. in Gen. c. 41.
n lib. de cõfus. ling.
o ex epistola Euaristi Papæ, in c. Deus omnipotens. 2. q. 1.
p Hebr. 11. 15. 1. Paral. 17. 7. Psal. 2. 10. & Psalm. 33. 3. 1. Cor. 12. 18. Luc. 11. 39.
Hæc verba, Veni, in ore Dei magna.

Nunc veni.] Sic etiam est in textu Hebræo Exodi, vbi ita legimus, ועתה לכה *vehhathah lecha*, id est, *& nunc veni.* Vbi tamen editio Latina non habet, *nunc.* Quanquàm phrasi Scripturæ *nunc*, non rarò nota est illationis, non semper aduerbium temporis [p]: solétque reddere Hieronymus, *itaque, igitur*, aut quid simile. Notat Rupertus dixisse DEVM priùs, *Veni*, deinde, *mittam te. Hoc non leue est in ore* DEI, inquit, *præsenti, ac corporaliter astanti dixisse, veni.* Non, inquam, leue est, neque deinceps leuiter actum, vt qui corpore DEO præsens aderat, animo quoque ad obediendum parato adesset. Palàm est ex subsequentibus, quia nondum venerat, quò toties ire iussus fuerat. Videtur mihi phrasi Hebræa imperatiuum לך vel לכה *lecha*, habere vim aduerbij hortantis, vt cùm dicimus, *Age, agedum, heus tu, adesdum, huc ades*, vt cùm dicunt, לך נא *lecha na, veni quæso*, quod est, *agedum quæso.* [q] &, לכה נשה *lecha nascha*, quod est, *veni inebriemus*, id est, *agedum propinemus vinum* [r]. Et pro verbo illo Hebræo, Græci interpretes ponunt δεῦρο. Ea phrasi Iacob vtitur mittens Ioseph ad fratres [s], sic dicens לכה ואשלחך *lecha veeschlachacha*, id est, *veni, mittam te*, Græcè, δεῦρο, ἀποστελῶ σε, *agedum, mittam te.* Sic solent dicere, *vade*, per modum concedentis & dimittentis [t]. Auctores alij vtuntur verbo *I*, vel *I nunc*; sed interdum per ironiam contra oscitantes. Sic Propertius [u], Martialis [x], Seneca [y], Sidonius Apollinaris [z].

q Num. 22. 11.
r Gen. 19. 32.
s Gen. 37. 13.
t Matt. 8. 13. Marc. 5. 34. Luc. 7. 50. c. 8. 48. Ioã. 4. 50. Iudic. 11. 38. 1. Reg. 17. 37. 2. Reg. 24. 1.
Deus agere homines quæ solus aliquando facit.
u lib. 3.
x 2. Epigr. epig. 6. & alibi.
y 1. q. nat. c. 16.
z lib. 1. Epist. ep. 1. & in Panegy. Anthemij.
a Exod. 12.
b 4. Reg. 19. 35. Esa. 37. 36.

Mittam te.] Per homines agit DEVS quod vult, & quomodo, ac quando vult, qui nonnunquàm solus, vel per Angelum agere solet, vt cùm vna nocte primogenitos Ægyptiorum [a], & aliàs exercitum Sennacherib interfecit [b].

Versus 35.] Hunc Moysem, quem negauerunt, dicentes: Quis te constituit principem & iudicem? hunc DEVS principem & redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.

HVNC *Moysem, quem negauerunt, dicentes.*] Deinceps premit Stephanus, vrgétque peruicaciam, & rebellionem Iudæorum, qua vt nunc CHRISTO, ita olim Mosi restiterint, cùm tamen blasphemiæ in Mosem noxam Stephano impingant; contentus verò est rem innuisse, volens vt ipsimet seipsos cum antecessoribus, cum Mose CHRISTVM comparent.

Redemptor nomen est Dei proprium.

Redemptorem.] Λυτρωτὴν, *liberatorem*, seu, *solutorem pretij debiti pro captiuitate.* Syriacè, דינא *daiana*, quod Latinus interpres vertit, *liberatorem*, sed meliùs vertisset, *iudicem*, seu, *diremptorem litium*, à radice דין *daian*, vel, דן *dan*, quod est, *iudicare* vel, *litem dirimere.* Videtur autem vox redemptoris magis propria DEI; nec scio, an alibi in Scriptura de alio dicta, quàm de DEO, reperiatur. Moses quidem, & post eum Iosue, Gedeon, Samson, Iephthe, aliique iudices, ac reges non semel Hebræos ab hostibus asseruerunt, ideóque quodammodò dici potuerunt non modò redemptores, verùm etiam & CHRISTI, & Saluatores: sicut & ab Ægyptiis Ioseph dictus est Saluator mundi [c]. Attamen nomen τοῦ λυτρωτοῦ, qui dicitur Latinè redemptor, non potest ita propriè alij conuenire, quàm VERBO incarnato. Nam significatur eo nomine is, qui soluto pretio, & interueniente pacto aliquem liberat, iam abalienatum ac deuolutum ad alium possessorem, olim autem suum. CHRISTVS verò redemit nos de potestate Dæmonis, & à peccatis nostris, soluto pretio sanguinis sui. *Redemit nos de maledicto legis*, inquit Apostolus [d]; &, *Dedit redemptionem semetipsum* [e]; &, *Habemus redemptionem per sanguinem eius* [f]: & in Apocalypsi [g] Sancti aggratulantes CHRISTO dicunt, *Redemisti nos*, DEVS, *in sanguine tuo*: & vocat eum *Redemptorem* Iob [h], & Esaias [i]. Hinc illæ voces, vt dicamur *populus acquisitionis* [k], & Syriacè, כנשא פרוקא *chenscha perska*, id est, *congregatio redempta*, vel, *cœtus redemptus*, Græcè, λαὸς εἰς περιποίησιν, id est ad verbum, *populus ad vindicationem*, seu, *vindicatus ab alio*, cùm olim à DEO *venditi essemus in iniquitatibus nostris* [l], & à nobis gratis *venundati diabolo* [m]: *Nunc vero pretio sumus magno empti* [n], &, *redempti pretioso sanguine sumus*

c Gen. 41. 45.
Cur solus Christus redemptor proprie sit.

d Gal. 3. 13.
e 1. Tim. 2. 6.
f Ephes. 1. 7.
g cap. 5. 9.
h cap. 19. 25.
i c. 41. 14. c. 43. 14.
Beneficium redemptionis quale sit, diffinitum.
k 1. Pet. 2. 9.
l Esa. 50. 1.
m 1. Pet. 1. 18.
n 1. Cor. 6. 20. c. 7. 23.

Agni immaculati[a]. Non ergo iam sumus nostri, vt post Paulum[b], Cyrillus Alexandrinus[c] infert. Proinde superbiendum seruis non est, vt ait Ambrosius[d], sed grati debemus esse[e], & fugere seruitutem peccati, ac diaboli[f].

Cum manu ANGELI, *qui apparuit illi in rubo.*] Ecce iterum Angelum vocat apparentem in rubo, qui aliàs dicitur DEVS, quoniam, vt dictum est[g], repræsentabat DEI personam. Dixi quoque aliàs, manum significare potentiam, vel instrumentum, siue mediam causam. Posterior significatio est huius loci: & præpositio *cum*, idem valet quod *per*.

a 1. Pet. 1. 18. b 1. Cor. 6. 19. c li. 4. in Esa. c. 45. d Libro de Isaac c. 3. e 3. de Fide. cap. 1. *Angelus est, qui alias Deus dicitur.* f in Psal. 43. g vers. 30.

Versus 36.] Hic eduxit illos, faciens prodigia, & signa in terra Ægypti, & in Rubro mari, & in deserto annis quadraginta.

HIc *eduxit illos, faciens prodigia, & signa.*] Hæc prodigia, & signa (quæ voces alio loco explicatæ sunt[h]) latè narrantur in Exodo[i], nec debent hîc à nobis, qui Exodum non commentamur, enarrari; lege etiam Psalmum 77.[k] & 104.[l]

Memorabiles sunt præter duo signa edita corã Pharaone, conuersionem scilicet virgæ in colubrũ[m], & deuorationem virgarum maleficarum[n], decem plagæ; prima est, versæ in sanguinẽ aquæ[o]: secunda, eductio ranarum in ingenti multitudine[p]: tertia, productio sciniphum[q]: quarta, muscarum[r]: quinta, interfectio animalium, quæ ad Ægyptios pertinebant[s]: sexta, vlcera, & vesicæ turgentes etiam in hominibus Ægyptiis[t]: septima, grando igne mixta[u]: octaua, locustæ[x]: nona, tenebræ triduanæ[y]: decima, mors primogenitorum[z]. Has plagas nescio Suidas[a] vnde acceperit perdurasse dies quadraginta. Paulus verò Orosius[b] cùm de iisdem plagis meminit, redarguit mendacij Trogum Pompeium[c], & Cornelium Tacitum[d], affirmantes Hebræos ab Ægyptiis esse expulsos, responso id facere monitis, ne scabiei, seu vitiliginis pestis, quam patiebantur, ad plures serperet. Eosdem recitat Freculphus[e], refellitque: Iosephus[f] autem hæc ipsa, aliaque de causa discessus Hebræorum ex Ægypto mendacia redarguit.

In Rubro mari.] Quæ ibi signa, prodigiaq; contigerunt, continentur in historia Exodi[g], & in Psalmis[h], & in libro Iudith[i], & Sapientiæ[k], & Iosue[l], & populo Hebræo fidem Paulus tribuit[m], in transitu Rubri maris. Iosephus[n] autẽ ait exercitum Aegyptiacum conflatum esse ex septingentis curribus, & equitum quinquaginta millibus, & ducentis millibus scutatorum peditum.

Solùm notari velim, quod scriptis mandarunt Paulus Orosius[o], & Gregorius Turonensis[p], extitisse suo tempore impressos in Rubro mari tractus curruum, rotarumque orbitas. Sed audiamus Orosium: *Extant etiam nunc*, inquit, *certissima horum monimenta gestorum. Nam tractus curruum, rotarumque orbitæ non solùm in littore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, peruidentur. Et si fortè ad tempus, vel casu, vel curiositate turbantur, continuò diuinitùs in pristinam faciem ventis fluctibusque reparantur: vt quisquis non docetur timorem* DEI *propalatæ religionis studio, ira eius transactæ vltionis terreatur exemplo.* Turonensis verba sunt hæc: *De quo transitu multa narrantur. Sed nos quod à sapientibus, & certè illis hominibus, qui in eodem loco accesserunt, verum cognouimus, ea studuimus inserere paginæ. Aiunt enim sulcos, quos rotæ curruum fecerant, vsque*

h capitib. præcedent. i c. 7. & 8. & 9. & 10. & 11. & 12. & 14. *Plagæ Ægypti decem memorabiles.* k vers. 43. & seq. l ver. 27. & seq. m Exod. 7. 9. n ibid. 12. o ibid. 19. p Exod. 8. 6. q ibid. 17. r ibid. 24. s Exod. 9. 6. t ibid. 10. u Exod. 10. 13. x ibid. 14. y ibid. 22. z Exo. 12. 29. a verbo, Ægypti plagæ. b li. 1. c. 10. *Mendacij redarguitur Trogus Pompeius, & Tacitus de his plagis.* c apud Iustinum lib. 36. d li. 21. Anna. e Tom. 2. Chron. lib. 2. cap. 8. f 1. contra Appionem. g cap. 14. h Psal. 105. & Psal. 135. i cap. 5. k c. 10. & 19. l cap. 2. 10. m Hebr. 11. 29. n 2. Anti. c. 6. o lib. 1. Hist. c. 10. p 1. Hist. Franc. cap. 10. *De orbitis curruum in mari rubro perdurantibus.*

A *hodiè permanere, & quantum acies oculorum videre potest, in profundo cerni: quos si modicum commotio maris obtexerit, illo quiescente, rursum diuinitus renouantur, vt fuerant.*

Addit Gregorius veterem Traditionem, cuius etiam, vt veteris Origenes[q] meminit, & Epiphanius[r], & Aben-Ezra[s], in illa diuisione maris quibusque tribubus Hebræorum singulas factas diuisiones, propriámque vnicuique apertam viam, iuxta id quod est in Psalmo[t]: *Qui diuisit mare Rubrum in diuisiones.* Refert idem Theodoretus[u], tametsi non approbat: item Rupertus, aliique posteriores exponentes Exodum. Illud verò de vestigiis in mari relictis tradit prætereà Diodorus[x].

B Minùs id mirabitur, qui Tertullianum[y] leget de statua salis in quam vxor Lot versa est canentem hoc modo: *Durat adhuc etenim nuda statione sub æthram*, & reliqua, quæ suprà[z] commemorata sunt.

Venit in mentem apta comparatio cum excidio Sodomitico, quod plagas Ægypti, aliaque in egressu populi edita prodigia sex, & quadringentis annis antecessit. Cùm enim fuisset regio illa feracissima plantarum omnis generis pulcherrimarum, modò partim fructum ferunt nullum, partim prodigiosum, specie videlicet inani, falsáq; imagine fructus, ita vt qui colore apparent veri

C fructus, in manibus carpentium in cinerem, fumumq; resoluantur, vt præter auctorem libri Sapientiæ, qui[a] in testimonium nequitiæ terram fumigabundã constare perhibet, & in certo tempore fructus habentes arbores fumigabundos, videlicet, nõ Iosephus[b] modò testificatus est, sed ex ethnicis quoque auctoribus Solinus[c], & Tacitus[d], qui multò meliùs, ac veriùs eius rei causam referunt in DEVM ipsum, cœlúmve, quàm Strabo[e] in exhalationem terrestrem; nisi fortè hanc à DEO Sodomorum vindice semel per ignem, sulphurque immissum generatam, cum sua ista causa perpetuari velit. Lege etiam Borcardum[f].

Imminuit tanti miraculi celebritatem circa trãsitum Rubri maris Hebræorum Hebræus ho-

D mo Iosephus, dum scribit[g] eam cessionem maris factam siue DEI voluntate, siue naturæ sponte, quandoquidem Alexandri ductu Macedonibus Pamphylium mare cesserit, & aliam viam non habentibus illac iter apertum sit, cùm DEVS eius opera ad destruendum Persarum Imperium vti decreuisset. Hanc siue fabulam, vt mihi quidem facilè persuadeo, & fidem huius rei facit Crinitus[h], siue historiã, sed nimis exaggeratam, narrant Curtius[i], vt quidem citat Pererius[k], & Strabo[l]: hic verò etiam naturalẽ facti causam reddit. Multò magis fabulosum quod R. Samuel Marrochianus refert, Hebræos ambulasse super aquas. Primus id creditur fecisse CHRISTVS, & cum

E CHRISTO Petrus, & alij post istos.

Porrò mare Rubrum sinus Arabicus, siue Ægyptius, aut Oceanus inter Æthiopicum mare & Indicum à profanis etiam ita vocatur, Græcè Ἐρυθρὸς, ob rubentes arenas, vt Plinio placet[m]; & quia corallium iis ferè locis reperiatur, quasi hic fundi, & corallij color aquis ruborem communicet, κατ' ἔμφασιν, non καθ' ὕπαρξιν, vel, vt mauult Vranius scriptor Punicus apud Stephanum[n], propter aquam, quæ iuxta montes, & promontoria rubra per Solis reflexionem rubescit: quomodo mare Ægæum hodiè à Turcis album nominatur, & Euxinum nigrum: vel tandem ab Erythra Persei filio ibi submerso, vt scripsit

Mare rubrum in 12. diuisiones scissum est. q Hom. 5. in Exod. r Hæresi 64. s Exod. 14. t Psal. 135. 13. u q. 25. in Exod. x in Catena. y carmin. de Sodoma. c. 3. z cap. 1. 11. *Cladis Sodomiticæ & Ægyptiacæ comparatio.* a cap. 10. 8. *Ethnici meminerunt Sodomitici incendij.* b 5. de bello Iud. c. 5. c cap. 37. d lib. 5. e lib. 17. f 1. part. descript. terræ sanctæ. c. 7. n. 38. g 2. Antiq. ca. vlt. *De mari Pamphylio, quod Macedonibus Alexandro duce cessisse, fabula.* h 17. de honesta discip. cap. 13. i lib. 5. k in c. 14. Exod. disput. 4. l lib. 14. *Mare rubrum quodnam sit.* m lib. 32. c. 2. *Mare rubrum cur sic dictum.* n lib. de vrb.

A Strabo [a], & Arianus [b]. Prima causa, quæ plures habet sectatores, nescio an sit vero similior. Appellat Tertullianus [c] Erythræum pelagus, siue mare, necnon Plinius [d], & Dionysius [e], & Plinius meminit de omnibus allatis vocabuli notionibus, aliosque credere talem ipsius aquæ naturam esse asserit. Affirmat Curtius [f] hoc mare, ne colore quidem abhorrere à ceteris, eique nomen inditum ab Erythro rege, propter quod ignari rubere aquas credant, Ioannes Brodæus [g] testis est peritos marium testari quod prodit Curtius. Vereor tamen à communiore de colore rubro sententia recedere. Quòd autem sola sit ruboris emphasis, & species atque apparentia, non ὕπαρξις, & veri-

B tas, ac existentia, intelligi potest ex Dionysio Alexandrino patria Ægyptio, qui apud Nicephorum [h] scribit, *Alexandria Nilum cæde Christianorum cruentatum præbuisse speciem maris Rubri.* Hebræi nominant ים סוף *iam suph*, id est, *Mare algæ, & caricis*, siue *carectosum*, interprete Rab. Iapheth, apud Genebrardum [i], à copia caricum, & iuncorum, siue papyrorum tam in littore, quàm in fundo, è quibus posteà cœpit apud Ægyptios chartæ vsus, ac nauigiorum, vt ait Herodotus [k]. Scripsit quoque Plinius [l] syluis & carice refertum: Theophrastus etiam [m]. Conuenit præterea huic mari denominatio סוף *suph*, quatenus nomen istud significat etiam turbinem, & pro-

C cellam, siquidem procellosum est, ob varias rupes atque promontoria. Vult Aben-Ezra [n] Suph esse loci vocabulum, Rabbi Iesua vrbis: quemadmodum mare Cinnereth, siue Genesareth dicitur ab illa vrbe. Latet quoddam mysterium in nomine Rubri maris, quoniam vt *baptizati sunt Hebræi in eo mari* [o], *ita nos in* CHRISTI *sanguine baptizati sumus*, è quo Baptismus, & reliqua sacramenta vim efficaciámque consequuntur. Lege Theodoretum [p].

Et in deserto annis quadraginta.] Tamdiu circumduxit DEVS populum Hebræorum, & non per viam terræ Philistium, quæ vicina est, *Reputans* [q], inquit Scriptura, *ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægy-*

D *ptum*: tum quia ab his qui Terram promissionis explorauerant, per dies quadraginta, exterriti eò ascendere noluerint, ita vt totidem annis detinere eos voluerit in deserto: & duobus exceptis, Iosue & Caleb, qui ad ingrediendum erant hortati, nulli ad illam peruenêre [r]. Vnde cùm minatus est DEVS [s]: *Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadauera patrum in deserto iuxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram: annus pro die imputabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis vltionem meam: quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit aduersum*

E *me, in solitudine hac deficiet, & morietur.*

Exprobrat grauiter DEVS in Psalmo 94. [*] & Paulus [t] verbis eius Psalmi pertinaciã Hebræorum illorum per illos quadraginta annos, quo etiam tempore profitetur Moses erudisse ac tentasse DEVM populum suum [u]. Moraliter hæc transfert Gregorius [x] ad prouidentiam DEI circa nouos suos tyrones, vt ab iis arceat initio grauiores tentationes, ne ad pristinam vitam resilire quodammodò compellantur.

Attamen quoniam postquàm redierant exploratores, duo ferè anni abierãt ab egressu ex Ægypto, vt colligitur ex libro Numerorum [y]; viden-

a lib. 16.
b li. 2. gestorũ Alexandri.
c lib. contra Iudæ. c. 3.
d lib. 6. c. 23.
e de situ orbis.
f lib. 8.
g 1. Miscellane. c. 9.
h 6. Hist. c. 19.
Mare rubrum quare dicatur suph Hebraicè
i in Ps. 105. 9.
k lib. 2.
l lib. 3. c. 25.
m 4. de plantis.
n Exod. 13.
o 1. Cor. 10. 2.
p q. 27. in Exod.
q Exod. 13. 17. 18.
Cur 40 annis in deserto sint Hebræi commorati.
r Num. 13. & 14.
s Num. 14. 33. 34. 35.
* vers. 12.
t Heb. 3. 7. 8.
u Exod. 16. 4. Deut. 8. 2. ca. 32. 10. 11.
x 24. Mor. ca. 13.
y c. 9. & 14.
Quadraginta-duos annos populum in deserto mansisse.

A tur hi anni quadraginta inde computandi, ac proinde omnes esse quadragintaduo, prout expresserunt septuaginta Interpretes in libro Iosue [z], (quo etiam pacto legit Augustinus [a]) etiamsi ibi editio Hebræa habeat solùm, ארבעים שנה *arbahhim scianah*, id est, *quadraginta annos*, videlicet in maiore summa adeò paruam illam includens: & idem etiam affirmare videtur Origenes [b], & Augustinus [c].

Nihilominùs non ampliùs quadraginta annis peregrinatos in deserto Hebræos, euidens argumentum inde deducit noster Ribera [d], quoniam Aaron, qui erat octogintatrium annorum [e], in egressu Ægypti [f], mortuus est in anno quadrage-

B simo egressionis filiorum Israël ex Ægypto, cùm esset annorum centum vigintitrium: & Moses minor tribus annis, post paucos menses obiit eodem anno [g], habens centum, & insuper viginti annos, quando iam finiti erant errores deserti: & continuò post paucissimos dies duce Iosue transiit populus Iudæorum Iordanem: vbi dici non potest in maiore minorem summam esse inclusam. Quod ergo dicitur, per quadraginta annos populum portasse fornicationem patrum suorum in solitudine, cùm tamen ea fornicatio, vt dixi, facta sit anno secundo, ex quo Israëlitæ de Aegypto exierant, ratio est, quia parum deerat de eo numero, nimirum duo ferè anni.

C Obseruauit Clemens Alexandrinus [h] Ethnicos ipsos artem imperatoriam, vel exercitus ducendi à Mose didicisse. Verbi gratia, sicut ille quòd suspicaretur fore, vt abeuntes Hebræos Aegyptij persequerentur, breui & compendiosa relicta via, conuersus est in solitudinem, & maxima ex parte noctu iter fecit, ignis columna duce, atque ea ratione populum exercuit ad fiduciam in DEVM, & ad tolerantiam: ad eundem modum ductasse Miltiadem imperatorem Atheniensem noctu exercitum per loca inuia: Thrasybulo, qui exules reducebat, ducem pariter per loca non trita columnam lucidam fuisse.

D *Versus 37.*] **Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: Prophetã suscitabit vobis DEVS de fratribus vestris, tanquàm me, ipsum audietis.**

HIc *est Moyses, qui dixit filiis Israël.*] Pronomen demonstratiuum positum in isto versu, & in præcedenti, & in duobus sequentibus, magnam emphasim habet, demonstratque ab illo Mosem magni fieri, non autem blasphemari, sicut eum Iudæi facere criminabantur.

Prophetam suscitabit vobis DEVS.] De hac Mosis sententia egimus superiùs [i], atque de compa-

E ratione, siue similitudine inter Mosem & CHRISTVM. Opportunè vsurpat Stephanus huiusmodi Mosis testimonium toties à se laudati, *vt doceat in* CHRISTO *peractum esse mysterium*, inquit Oecumenius, *&* DEVM PATREM *proprij* FILII *Incarnationem prædixisse per Mosem.*

Tanquàm me.] Chrysostomus, & Oecumenius volunt Stephanum similitudinem in eo ponere, illamque Mosem ipsum dictis verbis innuere voluisse, quòd CHRISTVS contemnendus esset, atque insidiis appetendus adhuc etiam puellus, &c. quòd eum tanta patrantem miracula, & tradentem eis tam eximias leges audituri non essent.

z cap. 5. 6.
a q. 6. in Iosue.
b Homil. 1. in Numeros.
c q. 6. in Iosue.
Quadraginta tantum annis ibi versatos esse demonstratur.
d Amos 5. nu. 62. & seq.
e Exod. 7. 7.
f Num. 33. 38. 39.
g Deut. 34. 7.
h 1. Strom. c. 13.
Antiqui Imperatores artem imperatoriã à Mose didicerũt.
Stephanus ostendit Mosem à se non blasphemari.
i cap. 3. 22.
Christus quatenus Mosi similis.

Versus

Digitized by Google

Versus 38.] Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis.

HIc *est, qui fuit in Ecclesia.*] In congregatione totius populi, cui erat præfectus. Quod expressit Syrus, cùm sic est interpretatus, הנו דהוא בכנושתא *hanu dehaua bacchenuschetha*, id est, *hic est, qui fuit in synagoga*, seu, *cœtu*, &, *congregatione.* Hinc verò laudare videtur Stephanus legem simul & Mosem, quòd lex à DEO data sit publicè præsente tota fidelium multitudine. De nomine Ecclesiæ dixi capite quinto [a].

a vers.51.

Cum ANGELO, *qui loquebatur ei.*] Dictum est quoque superiùs [b], qua ratione lex nunc à DEO, nunc ab Angelo data dicatur. Et hæc alia laus magna legis, quòd habeat auctorem DEVM, quam suis quique legislatores legibus conati sunt attribuere, fabulantes, siue fingentes nescio quod numen, à quo illas accepissent, vt inductione docere possem cum Cœlio Rhodigino [c], qui certis auctoribus id confirmat in Zoroastre, Trismegisto, Charonda, Dracone, Solone, Zamolxe, Minoe, Maumeth, &c. Quibus adde Numam. Hoc etiam ex Isidoro [d], quem refert Gratianus [e], probari satis euidenter potest, vbi etiam legislatores ferè omnes numerantur.

Magna legis laus est, datam esse à Deo.
b vers.30.
c lib.18.c.19.
d lib.5.Etym.
e c.Moyses.d.7.

Qui accepit verba vitæ.] λόγια ζῶντα, Syrus sic habet, דקבל מלא חיתא *dekabbel melle chaiatha*, id est, *qui accepit sermones vitæ*, seu, *qui accepit eloquia*, seu, *verba viua.* Græcè λόγια, sæpiùs significant oraculum, & responsum diuinum, aut scripturam diuinitùs inspiratam.

Dare nobis.] Græcè, δοῦναι ἡμῖν, *ad dandum nobis.* Syriacè, דלן יתל *delen iitthel*, id est, *quæ nobis daret.* Tertia laus legis est maxima, vt vitam conferat. Hinc illæ adhortationes, & promissiones DEI [f]: *Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis:* quæ verba repetit Ezechiel [g], & Paulus [h]. Lege caput quintum [i]. Quanquàm vita, quæ pro præmio proponitur in vetere Testamento, videtur per se duntaxat esse præsens, atque sic etiam intellecta ab Apostolo in locis suprà citatis, qui opponit opera, quibus vita redditur, fidei, ex qua iustus viuere dicitur: & vult obseruatorem legis viuere in ea, hoc est, frui præsenti vita cum posteritate & gloria, quæ in quauis Republica debetur bono ciui, ac de illa bene merito, & non interfici à seueritate legis, aut puniri pœna, & supplicio humano, quod infertur transgressoribus: nihil autem prætereà consequi putat, si considerentur opera illa secundùm se, vt fiunt citra fidem CHRISTI, ab homine merè legali, & non ex spiritu fidei ab eo, qui iam per fidem in CHRISTVM est iustificatus. Talis enim hominis opera illum DEO commendant, vt rectè cum Augustino [k] exponit Adamus, & Catharinus, & Caietanus, & Arboreus, & Petrus Lombardus, & Sedulius, & Gagneius, & Innominatus, & Philibertus Harescha, & Titelmanus, & Glossæ, & Haymo, & Hugo Cardinalis, & sanctus Thomas, & Theodoretus, & Ambrosius, & Anselmus, & Origenes, & alij in epistolam ad Romanos, & ad Galatas interpretes: merenturque eiusmodi opera, ex spiritu nempe fidei, non legis facta, vitam æternam. Cùm autem dicit, *Dare nobis*, conciliat beneuolentiam, coniungens se cum illis, ostenditque sibi probari legem, quam non minùs dicit sibi datam, quàm illis.

f Leu.18.5.
g c.20.11.
h Rom.10.5.
Gal.3.12.
i vers. 20.
Opera legis merè legalia qualem vitam dantur.
Opera fidei ad quid valeant.
k de spiritu & litera.c.29.

Versus 39.] Cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt, & auersi sunt cordibus suis in Ægyptum.

CVI *noluerunt obedire patres nostri.*] Sæpe se inobedientes ac rebelles erga Mosem Iudæi in deserto exhibuerunt, & reditum in Ægyptum meditati sunt, vt videre est in Exodo, aliísque libris sequentibus Pentateuchi [l], & ex his quę subiiciemus, maximè verò illud ex iis, quę sũt in sequenti versiculo constabit. Certè DEVS ipse conquestus est cum Mose, *per decem vices fuisse tentatum se à populo inobediente* [m], id est, multoties: qua ratione ponitur alibi denarius numerus, vt patet ex exemplis [n], & etiam ego notaui in Ecclesiasten [o]. Retorquet autem Stephanus crimen sibi obiectum, & exaggerat eorum peccatum, vt qui non simpliciter tantùm transgressi sint legem à Mose datam, & præcepta, quæ nomine DEI eis dederat, qui est veluti primus gradus transgressorum: sed data opera, & ex peruicacia peruersæ voluntatis, & malignæ ea violarant, non ex infirmitate, vel ignorantia, qui est secundus gradus: repellendo prætereà monentes, & adhortantes ad legis obseruationem, qui est tertius gradus: & tandem penitus sese auertentes, ceu qui traditi sunt in reprobum sensum, qui est vltimus peccatorum gradus. De his quatuor veluti gradibus consummatæ iniquitatis accipere possumus verba Amos [p]: *Super tribus sceleribus Iuda, & super quatuor non conuertam eum: eò quòd abiecerit legem Domini, & mandata eius non custodierit. Deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierunt patres eorum.*

Iudæi Deo & Mosi in deserto inobedientes fuerunt.
l Exod.14.11.12.c.15.24.ca.16.2.3.c.17.2.3.Num.11.31.c.14.2.3.4.ca.21.4.5.
m Nu. 14.22.
n Genes.31.7.41.Leu.26.26 Iob.19.3.Zac.8.23.Apo.2.10
o cap.7.20.
Quatuor transgressorum veluti ordines.
p cap.2.4.

Versus 40.] Dicentes ad Aaron, Fac nobis Deos, qui præcedant nos: Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei.

DICENTES *ad Aaron, Fac nobis Deos, qui præcedant nos.*] Hæc quæ hîc habentur, in Exodo ita narrantur [q]: *Videns autem populus, quòd moram faceret descendendi de monte Moysis, congregatus aduersus Aaron, dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant. Incredibilis est hæc insipientia, & stupiditas, cum effrenata quadam & contumaci diffidentia, atque recentium beneficiorum nullo modo ferenda obliuione* (vt loquitur Chrysostomus [r], & Cyrillus Alexandrinus [f], & Tertullianus [t], & Cyprianus [u], & Hieronymus [x], & Clemens Romanus [y]) *velle, DEO vero, ac tam benefico derelicto, vt homo quispiam fictum ac falsum* DEVM *faciat. Hac vna in re sapiunt, quòd se sine* DEO *nihil fatentur posse.*

Rabbi Salomon apud Glossam [z] ait, quòd isti fuerunt Ægyptij cóuersi ad Iudaismum, qui cum Iudæis ex Ægypto ascenderant, & nunc Iudæos ad idololatriam incitauerunt: fingit etiam, paulò antè quàm ad idololatriam prolapsi essent, Satanam aërem turbasse, & similitudinem in eo feretri ostendisse, dixisseque Mosem mortuum esse. Refellit eum diligenter Abulensis [a], dicens ea illum confinxisse in gratiam gentis suæ. Non temerè id ab Abulense pronunciari mihi persuadeo, quoniam nec apud Iosephum, nec apud Philonem grauissimos rerum Iudaicarum scriptores, & Iudaicæ religionis sectatores, quicquam tale

q c.32.1.2.
Stupiditas hominum grauissima vbi sit.
r hom.de prodi.Iud. & ho. cont.Iud.Gét. & Hæret.
f 1.de ador.in Spir.& veritate.
t cont.Iud.ca.1.
Sine Deo homines nunquam nihil se facere posse putant.
u de bono pati. cap.8.& 1. cont.Iud.c.1.
x lib.2.in Os. c.6.
y 6.Const.ca.20.
z Exod.32.
R. Salomon quomodo peccatum idololatriæ Iudæorum eleuare sit conatus.
a ibi.q.1.& 2.
Iudæi scriptores huius sceleris abominationē tegunt.

scriptum reperio de ista idololatria. Solùm Iosephus [a], dum meminit secundæ migrationis Mosis in montem, & quadraginta dierum ieiunationis, ait, *alios deuoratum à bestiis iactasse, maximéque qui minùs eum amabant, alios raptum à* DEO. Confutat quoque idem Abulensis [b] tum eos, qui volunt Aaron, de quo est sermo, alium fuisse à fratre Mosis, tum rursus Rab. Salomonem dicentem, quòd mentio est de Aaron, & non de Hur, quem Moses cum illo assignauerat populi iudicem, atque custodem, quia hic cùm tam impiæ petitioni non annuisset, sputis in eius guttur immissis à populo suffocatus est. Adhæc idem Auctor [c] explicat, tametsi editio nostra habeat plures Deos postulatos, vnicum petiisse Hebræos, apud quos non rarò nomen אלהים ELOHIM, habens formam multitudinis, de vno tantùm DEO dicitur. Fauet Hieronymus [d], dicens, iuxta Scripturæ consuetudinem, vnum idolum appellari pluraliter, אלילים *elilim*, & è contrario multa dæmonia singulari numero, אליל *elil*.

Glossa ordin. nihilominùs in præsentem locum Actuum obseruat expressos plures Deos (quod etiam interlinearis tenet) propter duas columnas illas, quæ præcedebant Hebræos, *in quarum*, inquit, *honorem vnū factum est simulacrum, sed amba columna adorata*. Hoc gratis dicitur, & parum consentaneè his, quæ de vitulo conflato subiiciuntur.

Illud constat, sibi persuasisse Hebræos in idola, quæ sibi deposcebant, vim aliquam immitti, seu inesse, qua illa agitare se possent, & iter illorum dirigere: sicut in Ægypto conspexerant bouem Apim summa veneratione cultum commouere seipsum, teste Plinio [e], & Solino [f], vt toties citatus Abulensis [g] annotauit: & quamuis adhuc columna illa duplex perduraret, quæ direxerat eos eò vsque, tamen absente Mose non mouebatur, vt idem ait [h].

Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei.] In Exodo [i] sic habetur: *Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Magni contemptus verba sunt, & erga Mosem, & erga DEVM. Nam de Mose, vt de ignoto homine loquuntur, & eductionem ex Aegypto nonnisi auctore DEO factam cum tot signis, & prodigiis, non DEO tribuunt, sed Mosi, quasi seductori, cum quadam exprobratione, quam denotat pronomen *hic*, non verò quòd viderent cadauer eius, seu feretrum dependens allatum à Satana, in quo esset similitudo cadaueris ipsius, vt Rab. Salomon iam explosus commentabatur. *Existimabat forsan populus Mosem interiisse, aut ei aliquid accidisse, vt redire nō posset*, inquit Glossa interlinearis in Exodum. Tertullianus [k] hæc paulò aliter narrat, *Moyses enim ille, qui nos eiecit de terra Ægypti, dereliquit nos, & quid illi acciderit, nescimus.* Magna prorsus iactura fit populi ex rectoris absentia, quanquàm negotium eius agere videatur coram DEO: populi etiam, ac subditorum contra præpositos facilis contemptus oritur, & turpis ingratitudo.

Versus 41.] Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulacro, & lætabantur in operibus manuum suarum.

a 1. Ant. ca. 4. vel 6.
b quæst. 3.
Alia Hebræorū fabula refellitur.
c q. 4. & 5.
Nomen Elohim de vno tantum Deo dicitur.
d Dan. 2.
Cur Dÿ plures expressi sint.
Hebræi putarūt idola per se ipsa moueri se posse.
e lib. 8. ca. 46.
f cap. 45.
g Exo. 32. q. 7.
h quæst. 9.
i cap. 32. 1.
Hebræi & Deū, & Mosem se planè contemnere profitentur.
k cont. Iudæ. c. 1.
Rectoris absentia magna populo iactura est.

A ET *vitulum fecerunt.*] Syriacè ita habetur, ועבד להון עגלא *vehhabad lehun hhagla*, id est, *& fecit*, seu, *proinde fecit eis vitulum*: Græcè, ἐμοσχοποίησαν, vbi si pro α, sit ε, & legamus, ἐμοσχοποίησεν, non ἐμοσχοποίησαν, optimè cum Syriaca editione conueniet, & Aaroni non toti populo, vituli confectio tribuetur, sicut etiam in Exodo narratur, vbi pluribus res exponitur hoc modo [*]: *Dixitque ad eos Aarō: Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cùm ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem: dixerúntque: Hi sunt Dÿ tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Pro *opere fusorio*,
B Hebraicè est, בחרט *bacheret h*, id est, *stylo*, seu, *typo* nempe ferreo, sicut Græcè, γραφίδι, & Chaldaicè, בזיפא *beziphà*, id est, *circino*: & hæ omnes voces videntur significare instrumentum ad sculpendum, quo fictus est vitulus in typo, seu forma lutea. Voluit Aaron auri tenaces Hebræos, & ornamentorum adeò, vt ita dicam, affixorum, & intimorum amantes, auertere à tam impia, & importuna petitione, vt docent Augustinus [l], & Theodoretus [m]. Erat verò mos Orientalibus, vt viri etiam gestarent inaures, vt est apud Plinium [n]. Idem colligitur ex Scriptura [o]. Dici etiam videtur idem nomen de monili, quod è fronte ad nasum pendebat, dicebaturq; ornamentum nasi. Lege Ariam [p],
C Pradum [q], Pinedam [r], Oleastrum [s]. Tertullianus [t] appellat monilia fœminarum, & annulos virorum. Ambrosius [u] addit petiisse etiam Aaron virorum annulos, & affert mysticam quandam causam. Illa Augustini loco citato optima est admonitio, ne quis contristetur, *si quid tale quis facere iubeatur propter vitam æternam.*

Cur vitulus formatus sit, vnica causa est aliis fictitiis omissis, quas bene reiicit Abulensis [x], quoniam Apim vitulum, siue bouem Ægyptii impensiùs colebant, qui alio quoque nomine dictus est Serapis, & erat corpore nigro, candida fronte, & in tergo alba nota insignis, nec poterat certos vitæ annos excedere: illum verò demersum in lacum, defunctúmque Ægyptii plangebant, & alio
D inuento mirificè lætabantur, vt proditum est à Strabone [y], Plinio [z], Solino [a], Mela [b], Statio [c], Herodoto [d], Diodoro Siculo [e], Luciano [f], Alexandro ab Alexandro [g]. Porrò caput duntaxat bubalum, seu vitulinum ab Aaron esse formatum, affirmat Lactantius [h], Tertullianus [i], Cyprianus [k], Ambrosius [l], Hieronymus [m], Augustinus [n], Ruffinus [o], Beda [p], Rupertus [q], Chrysostomus [r].

Non desunt ex Hebræis, qui Hebræos, & Aaronem ab omni peccato excusent. Sed hoc quid aliud est, quàm DEVM ipsum accusare, accusantem nominatim populum de idololatriæ peccato, atque ex eo vigintitria millia occîdi imperan-
E tem [s], & Aaron conterere volentem [t]. Pluribus contra illos Abulensis [u].

Inuenio aliquos Patres, qui Aaronis peccatum aut omninò nullum fuisse doceant, aut nonnisi leue. Nam Ambrosius [x] coactum id fecisse scribit; etsi ait se tantum Sacerdotem neque excusare posse, neque audere accusare. Theodoretus [y] non omninò venia indignum censet, cùm omni ope illud nefas impedire conatus sit. Eodem modo loquitur Diodorus [z]. Glossa interlinearis in Exodum: *Non est ausus*, inquit, *resistere, quia sciebat populum pronum ad occidendum.* Abulensis, Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Oleaster, Lippomanus, Ystella, aliique recentiores aliqua

* c. 32. 1. 2.
Cur Aaron aurū inaures habere voluerit.
l qu. 141. in Exod.
m in Exod. q. 66.
Inaures viros gestasse.
n lib. 11. c. 37.
o Genes. 24. 30. 37. c. 35. 4. Exod. 35. 22. Iudic. 8. 24. Iob 42. 11. Ezech. 16. 12.
p Iudic. 8.
q Ezech. 16.
r Iob. 42. versu 11. nu. 11.
s Gen. 35.
t cont. Iud. c. 1.
Cur vitulum Hebræi pro Deo sibi finxerint.
u epist. 56.
x Exod. 32. q. 11.
y lib. 17.
z lib. 8. c. 46.
a in Polyhistio. c. 45.
b lib. 1. c. 9.
c 3. Thebaid.
d lib. 2.
e lib. 2. c. 4.
f lib. de sacrif.
g lib. 6. c. 2.
h lib. 4. c. 9.
i li. con. Iud. cap. 1.
k lib. de bon. patien. c. 5.
l 2. de pœn. c. 8. & epist. 56. ad Roma.
A peccato idololatriæ Hebræi excusari non possunt.
m in c. 7. Ose. & 11. & in c. 5. Amos.
n in Psal. 73.
o in cap. 5. Amos.
Aaron an sit excusandus.
p in hunc locum Act.
q in cap. 5. Amos.
r orat. cont. Iud. Gent. & Hæret.
s Exo. 32. 28.
t Deut. 9. 20.
u supra.
x epist. 56.
y Exo. 32. q. 66.
z in Catena.
Peccatum Aaron qui extenuant.

ratione

ratione hoc peccatum extenuant; quem ego dicendi modum sequi malim, quàm penitus excusare, cùm legam orasse pro Aarone Mosem fratrem [a]: *Aduersum Aaron quoque*, inquit ille, *vehementer iratus, voluit eum conterere, & pro illo similiter deprecatus sum.* Miror Bernardum [b] omni culpa liberum affirmare, *ac duntaxat impeditum* vult *esse*, improbitate videlicet Hebræorum, *ne perficeret quod pro bona voluntate cogitabat, non secus ac Samuel Saulem regem inuitus inunxit* [c], *& Dauid prohibitus est ne templum ædificaret* [d], *quod sanctè proposuerat.* Multa quidem Aaron tentauit, vt populum auerteret, iubendo, vt decerperentur monilia, & ornamenta de capitibus mulierum, & puerorum, quod tamen non putabat futurum: deinde sculpsit in metallo cum stylo, χαραίδι, vel, vt alij legunt, ἐν τέχνῃ, in arte: tertiò proiecit vniuersam massam in ignem: tandem egressus est vitulus non virtute ignis, & artis, sed per Magos Ægyptios (vt quidem placet Lippomano) qui cum Hebræis aliqui ascenderant: vel, quia id fabulosum credit meritò Caietanus, fusorio opere factus est, postquàm non sine longa mora typus, siue forma confecta est, & reliqua necessaria ad fundendum aurum, & formandum ipsum in figuram vituli; quam cùm nulla circa eum incantatione vsus esset ad tribuendum ei motum, vt de Dædalo refert Aristoteles [e], sperabat fore, vt eum sine vllo motu videntes, omninò non colerent. Sed oportuit Aaronem huiusmodi impietatem vel cum vitæ periculo penitus prohibere, vt priùs fecisse Hur, iuxta quorundam opinionem, anteà audiuimus.

a Deut. 9. 20.
b epist. 81.
Bernardus illum planè excusat.
c 1. Reg. 10. 1.
d 2. Reg. 7.
Aaron quæ fecit vt ab idololatria populum auerteret.
e 1. Polit. c. 3.
Non potest à peccato liberari.

Cyrillus Ierosolymitanus [f] apertè concedit peccasse Aaronem, atque inde argumentum ducit pro pœnitentibus. *Etiamsi vniuersus populus peccet*, inquit, *nõ superabit diuina benignitatẽ. Vitulum populus fabricauerat, sed non destitit Dominus* DEVS *à benignitate. Negauerũt* DEVM *homines, sed* DEVS *seipsum nõ negauit* [g]. *Isti* [h], inquiũt, *sunt dij tui Israël, & tamẽ pro more suo* DEVS *seruabat illos. Neque populus tãtùm peccauit, sed etiã Aaron summus Sacerdos, Moyses enim dicit: Et super Aaron facta est ira Domini, & rogaui pro ipso, & condonauit illi* DEVS [i]. *Tum verò Moyses quidem supplicans pro summo Sacerdote peccante, placauit Dominum:* IESVS *autem vnigenitus orans pro nobis non placabit* DEVM? *Ac illum quidem propter crimen non vetuit ad summum Sacerdotium peruenire: te verò ex Gentibus venientem salutem consequi vetabit?* Hæc omnia sunt Cyrilli. Hieronymus [k] etiam scribit, quòd sacrilegium Aaron ob conflatum ex auro vituli caput, fraternæ correxêre preces. Recens Auctor proprio quodam opere Aaron expurgauit. Quibus adde cum Caietano [l] ad augendam & pastoribus erga oues delinquentes commiserationem, & his, vbi deliquerint, veniæ fiduciam, permisisse DEVM, vt summi duo hierarchæ, veteris vnus legis, & nouæ alter, nimirum Aaron & Petrus, fœdè laberentur circa ipsammet, cui præerant, religionem, si minùs contra fidem, quam vt non ex animo abnegauerint, ita professi certè non sunt, ac protestati, cùm debuerunt.

f Catech. 2.
Cyrillus id apertè docet.
g 2. Tim. 2. 13.
h Exod. 32. 4.
i Deut. 9. 20.
k epist. 30.
l in Exo. 32.
Duo summi hierarchæ Aaron & Petrus fœdè lapsi sunt.

Et obtulerunt hostiam simulacro.] Habemus hæc in Exodo [m] his verbis: *Quod cùm vidisset Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens: Cras solemnitas Domini est: surgentésque manè, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas: & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.*

m c. 32. 5. 6.

Hugo Cardinalis: *Hic non liquet*, inquit, *excusatio Aaron.* Caietanus verò, *Non meretur tanta blasphemia Aaron excusationem, quam alios secuti apposuimus circa petitionem inaurium: sed potius meretur accusationem, vt pro honore futuri idoli, petierit inaures aureas ex vxoribus, & filiis, & filiabus. Insaniuit enim ipse longè magis quàm alij: nam alij nonnisi* אלהי ELOHE, & אלהים ELOHIM, *quæ sunt nomina communia, attribuerunt idolo, ipse autem incommunicabile, & ineffabile nomen* TETRAGRAMMATON יהוה *attribuit idolo, nullo ad hoc instigante, &, quod peius est, voce publica.*

A

Aaron grauiter accusatur.

Lyranus ait consulta opera voluisse Aaronem ædificare altare, ad retardandum immolationem, quia statim sine altari immolaturi essent, & ipsummet suis manibus Pontificem (id ex sententia refert R. Salomonis) non populi, id exædificasse, vt tardiùs fieret, quia si dixisset, quòd ipsi facerent, in momento sic fuisset factum per manus multorum.

Cur Aaron altare suis manibus sit fabricatus.

B

Porrò ludus, quem lusisse idololatræ Iudæi dicuntur, licèt iuxta multiplicem notionem significare possit ipsum actum cultus superstitiosi, aut digladiandi, aut saltandi, siue choreas celebrandi, aut etiam concumbendi: tamen ad rem mihi maximè videtur tertia significatio. Nam cùm in descensu de monte tumultum, qui audiebatur in castris, pugnæ vlulatum esse dixisset Iosue, Moses respondit esse vocem cantantium; & cùm eò venisset, vidit vitulum & choros [n]. Tertullianus [o]
C
intelligit libidinosum actum: sed Scripturam præ verecũdia sic locutam. Idem innuit Ambrosius [p]. Potest id concedi de choreis ipsis, quæ libidinosè plerumque fiunt, & ad libidinem prouocant, & hac videtur alibi ratione Tertullianus locutus [q]. Alioqui prior expositio longè communior est, necnon Gregorij [r] sententia hæc ipsa est, quam etiam satis significant verba textus, quæ Stephanus subdit, *& lætabantur in operibus manuum suarum*, vt paulò pòst exponemus: & in epistola ad Corinthios prima [s], post recitata hæc eadem verba subiungitur *fornicatio Hebræorum*, tanquàm distincta ab eo ludo.
D
Vtcumque sit, cùm festiuis diebus honestæ quieti, atque voluptati liceat indulgere, etiam per legem diuinam, non solùm ex vsu, & doctrina Gentilium, de qua Xenophon [t], & Plato [u]; fit tamen nescio quo modo, vt eo maximè tempore laxentur freni libidini, & gulæ, & indulgeatur choreis profano, ac Gẽtilitio more, quẽ Hebræi illi impij atque sacrilegi citato loco Exodi imitati sunt, & in libro Iudicum factitare coactus est Samson [x], sed id cum damno aliquo eorum, à quibus ad saltandum inductus fuerat. Vsos reperimus Gentiles saltatione sacra, seu superstitiosa theatrica, militari, conuiuiali: Dauid quoque saltauit coram Arca Testamenti [y]: Maria soror Mosis [z], & mulieres Hebrææ post submersum Pharaonem & Ægyptios, & mulieres item vniuersæ de vniuersis tribubus Israël in occursum
E
Dauid venientes occiso Golia [a]: sed alias non ducebant Hebræi in sacris suis choreas. Requirunt hæc longiorem tractatum, & separatum, qui apud me recẽtioris Auctoris manuscriptus asseruatur, cui penè germanus est, quem ipse composui de ludis scenicis, siue de Comœdiis, & Tragœdiis. Legi possunt Luciani tractatus de saltatione: Fabri Agonistica: Mercurialis Gymnastica: Auctoris peruersæ religionis conuiuiales antiquitates, quæque ipsi notauimus ad caput tertium Ecclesiastæ [b].

Ludus idololatrarum qualis fuerit.
n Exod. 32. 17. 18. 19.
o 2. cont. Mar. c. 18. & libr. de pœn. c. 6.
p epist. 16.
q de coron. milit. c. 9.
r 1. Moral. c. 4. & hom. 40. in Euang.
s cap. 10. 7.
Diebus festiuis peccatur facile frena laxantur.
t in Hierone.
u 2. de legib. statim ab initio.
x cap. 16. 25.
y 2. Reg. 6. 15. 16.
z Exo. 15. 20.
a 1. Reg. 18. 6. 7.

Et lætabantur in operibus manuum suarum.] Sal-

b vers. 4.

tando,

tando,tripudiando,choreas ducendo,manducando,& bibendo,seu conuiuando,prout satis expositum est.

Versus 42.] Conuertit autem DEVS,& tradidit eos seruire militiæ cœli,sicut scriptum est in libro Prophetarum : Nunquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto , domus Israël?

CONVERTIT *autem* DEVS.] Ἐπέστρεψε δὲ ὁ ΘΕΟΣ,*retraxit se autem* DEVS,vel,*inflexit*.Syriacè sic legimus , וחפך אלהא *vechaphach Elaha*, id est,*& conuertit se* DEVS , vel , *auersus est* DEVS. Potest tamen & actiuè intelligi,sicut verbum sequens , eo sensu quem dicemus , & quemadmodum in Psalmo 104. [a] *Conuertit cor eorum, vt odirēt populum eius* , id est , causa fuit odij per accidens, consecutiuè,occasionaliter , *non cor illorum malum faciendo*,inquit Augustinus [b] , *sed populo suo benefaciendo , cor illorum sponte malum ac inuidum conuertit ad odium.*

a vers.25. *Deus quomodo odij causa sit.*

b in eundem Psal.

Tradidit eos seruire militiæ cœli.] Verbum, *tradidit* , eodem modo intelligendum est , quo præcedens *conuertit*; & sicut in epistola ad Romanos [c]: *Tradidit illos* DEVS *in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum , in eum qui est contra naturam.* Et posteà,*Tradidit eos* DEVS *in reprobum sensum,vt faciant ea, quæ non conueniunt*, nimirum subtrahendo peculiarem protectionem, & magis specialia auxilia gratiæ. Chrysostomus, & Glossa interl. hoc loco notant; quòd tradidit, idem est ac permisit. In hoc sensu dicitur peccatum pœna peccati,vt aliàs docuimus cum S.Thoma [d] , & DEVS dicitur excæcare,ac indurare , vt in Disputatione de Prædestinatione,vel in ea qua tractatur , An DEVS sit causa peccati , disputari solet.

c cap.1.v.26.28.

Peccatum est pœna peccati , hoc quomodo sit intelligendum.

d 1.2.q.87.a.2.

Pro seruire est Græcè λατρεύειν , quod verbum diuino cultui ex vsu Doctorum ferè semper accommodatur,vt alibi dictum est.

Militia,Hebraicè, צבא *tseba*, quando coniungitur cum nomine , השמים *haschamaim* , id est, *cœli* , aut *cœlorum*,aut *excelsi* , dicitur vel de militia ANGELORVM,vel de Sole,Luna,stellis, vel figuratè de ministerio , seu cultu in templo.In secundo sensu semper accipit Scriptura,quando reprehendit idololatriam filiorum Israël,quod sæpe facit in libris Regum,& Paralipomenon , & Prophetarum. Dicitur autem militia , siue exercitus cœli,quòd plurimæ sint stellæ , & ordine dispositæ,veluti exercitus:& Luna , quæ isti multitudini præesse videtur,ab idololatris regina cœli nominatur [e]. Vnde in libro Iudicum [f] , *stellæ manentes in ordine,& cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.* Ex his plurimæ fixæ ac immotæ suis in stationibus hærent;quædam etiam suis certis ac definitis motionibus,& cursibus veluti castrametantur : suntque illæ, quos planetas vocant , quòd quasi huius exercitus administri vagentur,atque errent inter medios alios milites:deinde ordo , fortitudo , ac maiestas , quæ in his reperitur (quod & de duabus aliis acceptionibus dici potest) iuxta id [g]: *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* In tertio sensu exponi debet Esaias [h]:*In die illa* , dicens , *visitabit Dominus super militiam cœli in excelso , & super reges terræ , qui sunt super terram.* Ministri enim templi Domini assistunt , & ministrant in templo , sicut

Quid sit militia cœli in Scriptura.

Militia cœli pro stellis in malam partem sumitur.

e Iere.7.18.c.44.17.18.19.25.

f cap.5.20. *Stellarum diuisio in fixas & errantes.*

g Cant.6.3. *Militia cœli pro his quæ rebus diuinis deseruiunt.*

h cap.24.21.

ANGELI in cœlo.Confirmat id Forerius [i] in Esaiam , quoniam iuxta vim vocis Hebrææ in auctoritate libri Numerorum [k], in quo sermo habetur de Leuitis hoc modo , *ingredientur , vt ministrent in tabernaculo fœderis* , Hebraicè autem sic legimus, יבוא לצבא צבא בעבדת הכל מועד *iabo li sba hhaba babhabodath hechol mohhed*, id est ad verbum,*ingredientur militare militiam in cultu tabernaculi Ecclesiæ*:vbi ingredi ad militandum militiam , est fungi ministerio Ecclesiastico:iuxta vim vocis Hebrææ, צבא *tseba* , & templum ac propitiatorium appellatur etiam cœlum : & honestæ illæ fœminæ, quæ oblatis speculis pernoctabant in ostio tabernaculi, dicuntur *excubare* , Hebraicè , צבאו פתח *tsebao pethath*,id est,*militare in porta* [l].

i ibid.

k cap.4.24.

l Exo.38.8.

Primi sensus exemplum habemus apud Lucam [m],qui Angelos natum CHRISTVM laudibus concinentes nominat *multitudinem militiæ cœlestis* , affertque idem Forerius similiter , iuxta Hebræum textum,testimoniū ex primo Regum [n] (loquitur Hebræorum more,qui primum Regum librum nominant , quem nos tertium librum dicimus)sic enim ibi legimus,וכל צבת השמים עמד *vecol tsebath haschamaim hhomed* , id est , *& omnem militiam cœlorum stantem* : atque ita loqui solet Ecclesia in præfationibus Missæ : & in Apocalypsi describitur bellum ANGELORVM duce MICHAELE [o] : & apud Danielē [p] mentio est de eodem, & aliis præsidibus exercituum : sic etiam de his loquens Iob dicit [q] : *Nunquid est numerus militum eius?*

m cap.2.13. *Militia cœli pro Angelis.*

n cap.22.19.

o cap.12.7.

p c.10.13.21.

q cap.25.3.

Nomen Hebræum צבא *tseba* , quod dixi , Septuaginta τὸν κόσμον , & Hieronymus aliquando vertunt ornatum,vt in Genesi [r] : *Igitur perfecti sunt cœli , & terra , & omnis ornatus eorum* , Hebraicè, כל צבאם *col tsebaam* , id est , *omnis exercitus eorum*: id est , omnes stellæ , quæ sunt ornatus , & decor cœlorum,non exclusis creaturis aliis,quæ in exercitus aptè dispositi morem conditæ sunt , ac veluti destinatæ à suo conditore ad opus egrediuntur, vt aliam alia nec impediat , nec retardet , sed incitet potiùs iuuetque. Chaldæus ibi vertit, חיליהון *chelehun*, id est, *exercitus eorum.* Interdum redditur Hebræa vox צבא *tseba*,per nomen δύναμις, *& virtus*, id est , fortitudo , & res fortis , vt in Ps. [s] יהוה צבאות redditur , *Dominus virtutum* id est,exercituum,*ipse est rex gloriæ*.Hinc est,vt monet Ribera [t], quod in alio Psal. [u] sensus sit;*Spiritu oris eius omnis virtus eorum*,nempe cœlorum,id est,omnis exercitus, siue stellæ;& in alio [x] : *Non egredieris vel exibis* DEVS *in virtutibus nostris* : id est, cum nostris exercitibus,vt pugnes nobiscum, & serues nos;& in alio [y]: *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa*.id est,in magno exercitu, quippe magnus erit exercitus euangelizantium , quoniam vniuersæ creaturæ prædicandum erat Euangelium [z]. Crebrò aliis in locis vocari solet militia cœli stellarum multitudo [a]. De Angelis præter citatum locum Iob , intelligi quoque potest Esaias [b] : *Ducit in eo numero militiam cœlorum.* Est in stellis , ac multò magis in Angelis triplex proprietas exercitus, ordo , fortitudo, maiestas , quæ verbis continetur Canticorum [c] priùs citatis , *terribilis vt castrorum acies ordinata* : terribilitas namque fortitudinem ac maiestatem importat. In Apocalypsi [d] , equitantem in equo albo fidelem & veracem exercitus,qui sunt in cœlo, sequebantur in equis albis. Iacob appellauit castra DEI [e], & loco vbi Angeli apparuerunt nomen indidit *Machanaim*,i.castra [f],denique in Psal. [g] habetur:

r cap.2.1. *Militia accipitur pro ornatu.*

Militia pro exercitu & virtute.

s Psal.23.10.

t Sophon.1.num.24.

u Psal.32.6.

x Psal.43.10. Ps.107.12.

y Psal.67.12.

z Mar.16.15.

a Deut.7.19. 4.Reg.17.16. cap.21.3.5. 2.Par.33.3.

b c.40.26.

c cap.6.3.

d cap.19.14.

e Gen.32.2.

f ibid.

g Psal.33.8.

Immittet

Immittet Angelus Domini in circuitu, &c. id est, iuxta Hieron. *circundat in gyro:* iuxta alios, & verbum Hebræum, חנה *chone*, *castrametatur.* Simili figura Daniel [a] exercitum Hebræorum nominauit *fortitudinem cæli,* צבא השמים quia Deo duce bella gerebant: & dixit, quòd cornu modicum (qui creditur Antiochus Epiphanes Seleuci filius priùs obses Romæ, nec legitimus regni hæres) deiecit de ista fortitudine, & de stellis, id est, de militibus Hebræis.

a cap.8.10.11.

Sicut scriptum est in libro Prophetarum.] Locus qui citatur est Amos Prophetæ [b]: omnium enim duodecim Prophetarum liber vnus censetur, teste Hieronymo in prologo galeato. Hoc idem notat Beda, & Glossa ordin. *Quamuis*, inquit, *duodecim libros numeret Augustinus.* Lege cap. 1.[c]

b cap.5.25.

c vers.20.

Nunquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israël?] De his annis quadraginta disputatum est superiùs hoc ipso capite [d]. Hieronymus in Cõmentario super Amos, cuius hîc citatur testimonium, nisi quòd pro *hostias*, est ibi *sacrificium* (sed Græcæ voces eædem vtrobique, σφαγίας καὶ θυσίας) declarat Prophetam per præsentem locum Actuum, seu declarationem ipsam Stephani vt aptissimam refert, ac sequitur. Sensus autem Prophetæ, qui Deum loquentem inducit, hic est: Quidni vos seuerissimè puniam, cùm hæc vestra impietas vetustissima sit, atque ab ipsis Aegyptiacæ liberationis cœpta temporibus, cùm paulò postquàm liberati estis, quarto nimirum mense [e], vitulum formastis, eique immolastis, ac posteà mihi nunquàm per totos quadraginta annos peregrinationis vestræ, sed idolis, seu stellis quibusdam sacrificastis? Eadem est expositio Glossarũ in vtrumque locum, Theodoreti, & Ruperti in Amos, Bedæ in Actus, quæ longè facilior est, ac verior ea, quam Ruffinus affert, qui eam, quæ à Hieronymo affertur, eius etiam indicato nomine, miseram appellat, aut quæ redditur ab aliis recentioribus. *Quod si quædam sacrificia posteà Domino obtulerunt* [f], *non voluntate*, inquit Hieronymus, Glossa, & Beda, *sed pœnarum fecerunt metu, & eorum interfectione, qui propter idola corruerunt: & denique vbicunque occasio fuit, semper corde reuersi sunt in Ægyptum, desiderantes porros, pepones, allia, cæpe, & cucumeres* [g], *& carnes Ægyptias, & manna quod de cælo datum est contemnẽtes. Quod vt sic intelligamus, Stephanus primus martyr Euangelij, dignus nomine suo in Apostolorum narrat historia.* Hoc modo Hieronymus in Amos, in quem etiam lege Riberam [h]. Lyranus ideò negari ait *oblatas victimas, aut hostias, quia valdè pauca fuerant.* Deus ipse per Ieremiam [i] testis est, se cum patribus locutum non esse, & non præcepisse eis in die, qua eduxit eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum.

d vers.36.

Declaratur Prophetia Amos.

e Exod.19.& 30.

f vt Leu.8.ac 9.& Num.7.

g Num.11.5.

h c.5.à nu.56.

i cap.7.22.

Versus 43.] Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus Dei vestri Rẽpham figuras, quas fecistis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.

Et *suscepistis tabernaculum Moloch.*] Non pertinent ista ad tempus, quo fuit populus in deserto, vt satis demonstrat quæ subiicitur pœna translationis in Babylonem. Legitur in Amos [k]: *Et portastis tabernaculum Moloch vestro,* vbi verbum Hebræum, נשא *nascha,* significat, *portare, ferre, eleuare, suscipere,* nempe humeris portandum. Nomen tabernaculum, quod hoc loco Græcè est σκηνὴ, & apud Amos, ex versione Septuaginta, & ex Symmacho vertit etiam Aquila συσκιασμοὺς, id est, *vmbracula,* Hebraicè autem, סכות *sicchoth,* & Hieronymus idem nomen Latinum ponit. Idcirco perperàm noui quidam Interpretes Hebræam vocem, סכות *sicchoth*, idoli propriam esse sentiunt. Et versio Theodotionis *visiones*, referente Hieronymo, non ita quadrat: neque Montani, *auscultationem regis vestri.*

k cap.5.25.

Moloch.] Syriacè, מלכום *malchum.* Legitur Hebraicè apud Amos, מלככם *malchechem,* id est, *regis vestri,* vt etiã reddidit Symmachus, & Theodotio. Chaldaicè est, פכומריכון *pachumarechun,* id est, *Sacerdotum vestrorum.* Sed Septuaginta, & Hieronymus, prout habemus, Aquila verò Μελχόμ. In Leuitico [l] mentio est idoli nomine Moloch, etiamsi ibi Septuaginta ponant, ἄρχοντι, aut, εἰς τοὺς ἄρχοντας, *regnantes,* aut, *in regnãtes:* sicut & Amos [m], pro, *Melchom*, *regem eorum*, & ibi eodem modo Chaldæa paraphrasis, מלכיהון *malchehun,* id est, interprete Aria, *rex eorum*, & vtrique apud Ieremiã [n]. Præterea in Regum libris [o], & in Ieremia [p]: quibus locis Septuaginta retinẽt dictionẽ propriã Moloch. Si puncta ex Hebræis vocibus detrahamus, מלך potest esse *Moloch,* & מלכם *melchom.* Est porrò Moloch idolum Ammonitarum, cui Iudæi lapsi in idololatriam, filios per ignem offerebant, vt patet ex citatis locis, idem quod Melchom, de quo Amos [q], Sophonias [r], Ieremias [s], Historia Regum [t], & lib. Paralipomenon [u], vt notant in præsentem locum Oecumenius, & Beda, & constat ex textu Hebræo in libro tertio Regum [x], vbi pro *Moloch,* est מלכם *Melchom.* Deducitur nomen *Moloch*, & *Melchom*, vel etiam *Molech,* vel *Malchem,* vel *Milchom,* à verbo, מלך *malach,* significante *regnare*, quasi idolum illud præcipuum fuerit, & insigni obseruantia cultum: ac proinde recidit eôdem, vel nomen proprium retinere, vel significationem nominis per etymologiam. Neque enim probabile est quod quidam dicunt, Melchom, aut Moloch idem valere ac Angelum, siue nuncium, ideóque Deum illum Ammonitarum fuisse Mercurium nuncium Deorum: neque enim habet hoc nomen א aleph, quod est in nomine, מלאך *Malaach,* id est, *Angelus,* & *nuncius:* omitti verò etiam non potest, quia est de substantia nominis, cùm à radice, לאך *laach,* per literam formatricem, מלאך *malaach,* id est, *nuncius*, seu *Angelus,* deducatur. Oecumenius in expositione Actuum dicit hoc simulacrum habuisse in parte frontis extrema lapidem transparentem, ac pretiosum in modum Luciferi. Ribera [y] ex nominis etymo infert potiùs fuisse Iouem, quem falsissimè antiquitas nominauit ἄνακτα ἀνδρῶν τε θεῶν τε, id est, *regem hominúmque Deúmq;*, qui numeraretur etiam in *militia cæli*, nempe inter septem stellas errantes. Alij putant fuisse Saturnũ, quasi Deum, seu astrum regium dicas, quòd regnum haberet, & dominium. Lege Abulensem in Leuiticum [z], Oleastrum, aliósque, qui exponunt quomodo coleretur illud idolum, & qua ratione pueri iniicerentur in ipsum, cùm incanduisset: aitque Oleaster, ex nonnullorum sententia, habuisse quoque nomen Beelphegor, & apud Gentiles Priapi. Vide prætereà Interpretes Psalmi centesimiquinti [a], præcipuè Genebrardum, & Petri Gregorij Syntagma iuris [b].

De nomine Moloch.

l c.18.21.& c.20.2.3.4.5.

m c.1.15.

n cap.49.1.

o li.3.c.11.5.7.33.li.4.c.23.10

p c.32.35.

Quod idolum esset.

q c.1.15.

r c.1.5.

s c.49.1.

t li.4.c.23.13.

u li.2.c.28.

x c.11.5.33.

Melchom non est idem quod Angelus.

y Amos 5.nu.73.

z cap.18.

a vers. 20.& 28.

b lib.34.c.20.nu.18.& seq.

Quòd si quæras quando hæc idololatria Moloch, & Militiæ cœli, & proximè sequens, à Iu-

Iudæi non coluerunt Moloch in deserto.

dæis fuerit vſurpata; reſpondebit Lyranus, *poſtquam Hebræi ſunt ingreſſi Terram promiſſionis,vt continet liber Iudicum,*inquit,*multipliciter, & Regum,& Paralipomenon: quo autem tempore fuerunt in deſerto, id non legi. Adde,quod neque Moſes vlla ratione id paſſurus fuiſſe videatur.* Attamen Oecumenius tractãs præſentem locum Actuum, *hoc factum*, ait, *dum Moſes erat in monte cum* DEO. Certè non omnia ſcripſiſſe Moſem,& potuiſſe Stephanum id modò narrare; quod ex vera Maiorum traditione acceperat,negari nequit,vt in ſimili ſuperiùs [a] docuimus. Ribera [b] exiſtimat potiùs geſtum id eſſe, quando populus erat in terra Moab, atque indicari in libro Numerorum [c] verbis illis:*Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum.* Inter hos autem plures Deos cultos tum ab Hebræis,vt etiam teſtatur Ioſephus [d],erat Moloch DEVS non ſolùm Ammonitarum, vt antè diximus, ſed Moabitarum quoque, vt ait idem Oecumenius,& alij. Sanè Moabitæ ac Ammonitæ ſanguinis, locíque propinquitate coniuncti erant,vt facile fuerit DEVM, qui Ammonitarum proprius erat,& quaſi indigena, Moabitas etiam veluti ab Ammonitis mutuò capientes venerari, & colere. Exemplo ſit Baal DEVS idem Tyriorum, & Babyloniorum, quamuis ab his, quibus proprius erat, illi acceperint, necnon & Sidonij, vt cum Hieronymo, & aliis accuratè demonſtrat in Oſeam idem Ribera [e].

Moſes nõ omnia ſcripſit,quæ in deſerto ſunt geſta.

a verſ.12.

b Amos 5.nu. 70.

c cap.25.1.2.

d 4.Ant.c.6.

Moloch Deus nõ ſolùm Ammonitarum, ſed & Moabitarum.

Baal Deus Tyriorum & Babyloniorum.

e c.2.num.62.

Sydus DEI *veſtri Rempham.*] Deeſt hoc nomen in textu Hebræo,cùm ſic in eo legamus, ואת כיון צלמיכם *veeth chijun tſalmechẽ*,id eſt,*& chijun imaginum veſtrorum.* Porrò nomen ῥομφὰ, ibi Septuaginta videntur addidiſſe: retinuerúntque illud Aquila & Symmachus. Theodotio verò pro verbo Hebraico,כיון *chijun*, teſte Scholiaſte, ἀμαύρωσιν,id eſt,*obſcuritatem*, vertit. Hieronymus autem dicit pro *Rempham*,alios *Rompha*, alios *Repham*, vel ſine diphthongo, vel cum illa,alios *Rephon* legere. Oecumenius hoc loco Actuum tenebras, aut excæcationem interpretatur,quod facit ad irriſionem idoli, quod nempe cenſeretur ſydus, & tamen non lumen afferret, ſed eſſet obſcurans & excæcans. Beda, Lyranus, Gloſſa interlinearis, & alij hoc loco affirmant, Rempham fuiſſe ſtellam, quæ dicitur Lucifer. Oecumenius eam ſtellam ait fuiſſe in fronte Moloch. Enimuerò credibile eſt, in huiuſmodi ſimulacrorum fronte, vel vertice appictas ſtellas fuiſſe:quemadmodum & Romani ſimulacro Iulij Cæſaris ſtellam in vertice addebant,vt ſcripſit Suetonius [f], & Plinius [g], & ad id alluſerunt Virgilius [h], ac Horatius [i]. Veriſimile eſt idem idolo duplex fuiſſe nomen,vt ſuſpicatur Leo Caſtro [k],volens idem eſſe רפם & כיון *chijun*, & *repham*,& כיון *chijun*,eſſe barbarum, רפם *repham*,Hebræum,à רפא *rapha*,quod eſt ſanare,quia crederetur morbos ſanare. Atqui non minùs eſt Hebraicum כיון *chijun*,à כון *chun*, id eſt, *parauit, firmauit, certificauit, verificauit, rectificauit, perfecit, aptauit,decreuit*,&c. quaſi ab apparatu:& *Rempham* legimus,non *Repham*. Suſpicatur auctor Hebraici Theſauri hoc loco legi *Rempham*,pro *Keuan*. Id non videtur probabile, quoniam non per k, ſed ch, Latino elemento reddi debet כיון *chijun*, vel כון *chiunan*. Malim barbaram vocem affirmare *Rempham*, quàm כיון *chijun*, & non hanc, vt ait idem Auctor Theſauri, ſed illam potiùs eſſe propriam Iſmaëlitarum,Perſarúmque. Nec diſplicet etymologia כיון *chijun*, à כוה *chauah*, quod eſt

De idolo Rempham.

Quid ſignificet Rempha.

Stellas in fronte idolorum antiqui appingebãt.

f in vita.c.88.
g lib.2.c.25.
h Ecloga 9.
i lib.1.Ode 12.

k Apol.lib.6.

A aduri, vel vt de aſtro dicatur (non de placenta, ſiue torta) vel quia traducebantur per ignem filij colentium Moloch [l]. Idcirco autem vocabatur aut idolum ipſum, aut eius ſacrificium *Thopheth*, id eſt, portentum, ſeu ſpectaculum horrendum: vel, vt aliis videtur, tympanũ, quod pulſabatur, ne aduſtorũ audirentur gemitus in valle Hinnon, vnde vox gehẽnæ. Septuaginta & Lucas vidẽtur vſi nomine barbaro magis noto & trito,& ſic appellarunt *Rempha*,vel *Rempham*,non *chinan*,vel *chijun*.

l Ezech.4.20. 21. Ierem. 7. 31. cap.19. 4.Reg.16.3.c. 21.6. c.23.10. Ioſeph.9.Antiq.c.12.

Figuras, quas feciſtis, adorare eas.] Amos [m] ſecundùm editionem noſtram habet,*imaginem idolorum veſtrorum, ſydus* DEI *veſtri, quæ feciſtis vobis.* Sydus autem eſt illud,quod Remphã vocatum dixi à Septuaginta. B Hebraicè, כיון *chijun*, nempe Luciferi, quem hodieque Saraceni venerantur. A Stephano perſpicuitatis cauſa additæ ſunt dictiones vltimæ duæ, quæ non ſunt apud eundem Prophetam, vt apertiùs exprimeret Hebræorum infidelitatem, atque idololatriam. Quanquàm latebat id non obſcurè in dictis verbis, *figuras, quas feciſtis*, ſcilicet *vt Dij veſtri eſſent.* Abutuntur Hæretici Iconomachi preſenti loco aduersùs cultum ſanctarum imaginum. Sed Stephanus reprehendit adorationem, quæ vt diis tribuebatur,& figurationem ſtellarum ad cultum, quaſi eo dignæ eſſent. Lege Stapletonum in Antidotis huius loci.

m cap.5.26.

Contra hæreticos cultum ſanctarum imaginum perperam impugnantes.

C *Et transferam vos trans Babylonem.*] Amos dicit [n]:*Et migrare vos faciam trans Damaſcum.* Hieronymus ita conciliat:*Nec putandus eſt primus martyr erraſſe, qui pro eo quod in Propheta ſcriptum eſt, trans Damaſcum, dixerit trans Babylonem. Magis enim intelligentiam, quàm verbum poſuit, quia trans Damaſcum ducti ſunt in Babylonem, ſiue trans Babylonem.* Eadem verba repetit Rupertus in Amos, & in præſentem locũ Beda, Gloſſa, & alij. Declarat hoc Ribera exponens Prophetam, quoniam *Iſraël, ſiue decem tribus, de quibus Amos agit, migrarunt trans Damaſcum in terram Aſſyriorum, cuius metropolis eſt Niniue, in quam Tobias captiuus tranſlatus eſt* [o]:*habitauerunt quoque in ciuitatibus Medorum longè à Babylone ſupra Perſidem verſus Aquilonem, vt Regum habet hiſtoria* [p]: D *& trãſlata ſunt in Aſſyrios, poſitaq́; in Hala, & Habor ciuitatibus Medorum iuxta fluuium Gozan. Vnde idem Tobias inuiſit contribules captiuos in Rages Medorum ciuitate* [q]. *Denique Ioſephus* [r] *auctor eſt, non tantùm in Mediam, ſed & in Perſidem traductum fuiſſe Iſraël, & ſiue continuò in Perſidem venerit, ſiue poſteà, certum eſt planè tempore Stephani ita fuiſſe propagatas decem tribus, vt à Media paulatim in finitimas regiones deſcenderint vſque ad Perſidem, & alias prouincias, quæ ſunt trans Babylonem, & eius flumen Euphratem, & omnes illas regiones tenuerint, cùm idem Ioſephus teſtetur* [s], *dum viueret, fuiſſe ex decem tribubus vltra Euphratem infinita hominum millia. Hoc itaque ſibi Hieronymus voluit, docens Stephanum magis intel-* E *ligentiam, quàm verbum poſuiſſe, qui trans Damaſcum ducti ſunt in Babylonem, ſiue trans Babylonem.* Non cohæret conciliatio Caietani, Stephanum nomen Damaſci, quo eſt vſus Amos, non accepiſſe, vt eſt proprium, ſed vt appellatiuum, atque ita ſub eo contineri Babylonem. Nec enim Damaſcena regio latiùs ſumitur, quàm pro Syria, cuius erat caput Damaſcus. Oecumenius ait, Stephanum ſequi editionem Hebræam: vel quòd terminus Damaſcenorum, Syrorumq́ue regionis ſit Babylonia. Lyranus trãſlatum ait Iſraëlem trans Damaſcum, id eſt, vltra longiúſque, Babylonem autem plus diſtare à Iudæa, vel quia tranſitus in Babylonem eſt per Damaſcum, & Propheta expreſſit capti-

n cap.5.27.

Trans Damaſcum ſiu trans Babylonem quomodo Iudæi ſint tranſlati.

o Tob.1.11.

p 4 Reg.17.6.

q Tob.1.16.
r 9. Antiq. c. vlt.

Decem tribus longè atque in Media propagatæ ſunt.

s 11.Antiq.c.5.

Caietanus non benè conciliat Stephanũ cum Propheta.

uitatem

uitatem, seu captiuitatis partem priorem, Stephanus posteriorem. Nisi Stephanus citaret Prophetas, minor difficultas foret. Mihi verò quid prætereà respondeam non occurrit, nisi vt in Hieronymi explicatione acquiescam, cum qua alij consentiunt quoquo modo, excepto quòd Hebræam editionem, vt voluit Oecumenius, non sequitur Stephanus, quoniam illa habet Damascum, non Babylonem. Lege etiam Leonem à Castro [a], qui hunc & aliquot præcedentes ac sequentes huius capitis locos, ex editione Septuaginta citatos expendit, atque defendit. Captiuitatem istam sæpe DEVS comminatus erat per Prophetas, sed maximè in Deuteronomio [b].

a lib. 6. Apol.
b ca. 28. 25. 32. 36.

Versus 44.] Tabernaculum testimonij fuit cum Patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis DEVS loquens ad Moysem, vt faceret illud secundùm formam, quam viderat.

TABERNACVLVM *testimonij fuit cum Patribus nostris in deserto.*] Iam occurrit Stephanus obiectioni de templo, quod destruendum esse ab eo dictum accusabatur. Id enim laudat, quoniam & Moses tabernaculum construxerit, iuxta exemplar sibi à DEO delineatum [c]: & Salomon post quadringentos octoginta annos templum ædificauerit: tametsi hic sit professus non concludi DEVM loco [d], ita vt quamuis templum destrueretur, haud magnum incommodum fieri religioni censeri debeat. In Lege scripta DEVS tabernaculum instituit, & in eo Sancta Sanctorum, arcam, & altaria: deinde pro tabernaculo templum in Ierusalem. Tabernaculum, quod etiam Sanctuarium est dictum, erat structura instar templi ex lignis Setim, quod per partes compingi ac dissolui, & quocumque deferri poterat. Locus qui in eo sanctior erat, velo distinctus, Sanctuarium Sanctuarij, & Sancta Sanctorum appellabatur. Ibi arca fœderis seruabatur habens operculum, cui nomen propitiatorium: & oraculum duobus Cherubim alas superextendentibus obumbratum: necnon altare aureum thymiamatis. Extra velum erat mensa cum duodecim panibus sacris, qui dicebantur propositionis, prætereà candelabrum cum septem lucernis, & altare thymiamatis. Extra tabernaculum in atrio vel tentorio columnis & cortinis cincto, erat cum labro æneo altare æneum holocausti. Dicebatur Tabernaculum, atque etiam Arca testimonij, siue Testamenti, & fœderis, quia iis asseruabantur tabulæ legis, quæ continebant testamentum, fœdus & pactum, quod percusserat DEVS cum populo suo, vt hic illum peculiariter coleret, ille hunc peculiari tutela, & prouidentia regeret, & lex ipsa testatum relinquebat, quid fieri vellet ab ipsis DEVS.

Tabernaculi mentio cur hic fiat.
c Exod. 25. 9. & seq.
d 3. Reg. 8. 27.
Tabernaculum Deus, & templum in lege scripta fieri voluit.
Descriptio tabernaculi.
Cur Tabernaculum & arca testimonij dicatur.

Colliguntur hæc omnia ex libro Exodi [e]. Et Paulus quidem in epistola ad Hebræos ait [f] *fuisse typum tabernaculi cœlestis, & non manufacti, quod* CHRISTVS *introiuit noui Testamenti mediator.* Hieronymus [g] verò ait totum mundum descriptum esse dicti tabernaculi quodam quasi Sacramento, ac de tota re fusiùs Ribera in opere de Téplo [h], & Carolus Sigonius de Republica Hebræorum [i], & Villalpandus [k]. Tabernaculum solubile, ac plicabile perinde vt Arca, delatum est in terram Chanaan à DEO promissam, tum cùm duce Iosue populus Hebræus sicco vestigio Iordanem

Tabernaculum quid significarit.
e cap. 25 ferè toto.
f Hebr. 9. 11. & seq.
g epist. 11.
h lib. 1. c. 2. & lib. 2. c. 1.
i li. 1. c. 2. & 3.
k in Ezech. tom. 2.
Translatum fuit in terram Chanaam.

A traiecit [l]. Posteà è Galgalis, deiecta Iericho [m] diuinitùs, translata sunt in Silo, quod erat oppidum ad Tribum Ephraim pertinens, vbi sub Iudicibus permanserunt. De his consule Historiam Iosue [n], & Iudicum [o]. Tempore Heli summi Sacerdotis, cùm infeliciter pugnatum esset cótra Philistæos, Arcam in castra eductam hostes acceperunt, & à DEO propterea castigati ipsi Philistæi, remiserunt illam maximo cum honore, Hebræi verò in Gabaa Cariathiarim Benjamin intulerunt [p]: tabernaculum autem Arca vacuum, regnante Saul, in oppidum Nobe Tribus item Benjamin [q], & sub Dauid tum illud, tum altare holocaustorum in Gabaon eiusdem Tribus [r]. B Sed Arcam ex Gabaa extulit idem in ciuitatem suam Ierusalem, includens nouo tabernaculo. Illud porrò aliud à Mose conditum adhuc erat in Gabaon tempore Salomonis [s]. Neque huius tabernaculi deinceps mentio reperitur in Scriptura. Venit posteà pia in mentem Dauid cogitatio de extruendo templo [t]: præstitit id Salomon cumulatissimè [u]: atque in eius partem vnam dictam Sanctam Sanctorum celebri pompa transtulit Arcam Mosis cum Tabernaculo Dauid: licèt Ribera velit cum eo, quod erat Mosis, citans Iosephum [x]: & vtrumque indicatur in historia Machabæorum [y], cùm narratur, *Ieremiam spoliato templo, iussum esse à* DEO *tabernaculum, & arcam secum deferre vsque in montem, vbi* C *Moses fuerat, ibique in speluncam eam inclusisse cum altari incensi.* Putat Serarius [z], vtrumque tabernaculum asseruatum fuisse in templo Salomonis, & inde à Ieremia extractum. Nec me latet varias esse super hoc sententias. Sumitur porrò nonnunquàm pro templo tabernaculum, vt [a], *Introibimus in tabernaculum eius*: & [b], *Tabernaculum meum vastatum est.* Simile quid Mosaico tabernaculo fuit, quam dicebatur Constantinus, *portatilem præsertim in bello Ecclesiam circumgestasse* [c]: de Getis refert Hieronymus [d], *circumtulisse in exercitu Ecclesiarum tentoria.* Tandem dirutum est templum (licèt aliquando instauratum fuerit) prout comminando DEVS ipse Salomoni vaticinatus erat. D Legendi Regum libri [e], & Paralipomenon [f]. Itaque scitè Stephanus argumentatus est, non esse tanti templum exteriùs faciendum, vel tabernaculum etiam, aut arcam.

l Iosue 3. 17.
m Ios. 7. 1.
n c. 4. & 5. & 18.
o c. 18. & 20. & 21.
Arca à Philistæis capta, ab iisdem amandata est.
p 1. Reg. 4. & 5. & 6. & 7.
q 1. Reg. 21.
r 1. Paral. 1. & 16. & 21.
Dauid construxit nouum tabernaculum.
s 2. Paral. c. 1. 1. 3. & 3. Reg. 3. 4.
Dauid de téplo extruendo cogitat, quod Salomon fuisse præstitit.
t 2. Reg. 7. 2.
u 3. Reg. 8.
x 8. Antiq. c. 2. vel 4.
y lib. 2. c. 12. 4. 5.
z in cap. 2. 2. Mach.
a Psal. 131. 7.
b Iere. 10. 20.
c Socr. 1. hist. c. 14. Sozom. li. 1. c. 8. Trip. lib. 1. c. 10. Niceph. libr. 7. c. 46.
Templum vastatum est, & dirutum.
d epi. ad Lætam.
e libr. 2 c. 17. li. 3 c. 7. & 9.
f lib. 1 c. 17. & 22.

Augebitur verò vis argumenti valdè, si adiecerimus illa, quæ Ieremias occuluit, ampliùs inuenta non esse, ne Cyri quidem tempore, cùm è captiuitate Babylonica populus iterum Ierosolymis congregatus est, vt longè communior habet opinio, quam tandem sectatus est Ribera noster [g]. Profectò id mihi demonstrasse videtur Serarius item noster [h]. Vbi meritò Historiam scholasticam refellit, cùm tradit [i], Arcam in triumpho Romæ fuisse, & seruari eam in templo Lateranensi, E quod etiam improbat Ribera suprà citatus, & Abulensis [k], necnon Hegesippum [l] reprehendit scribentem Pompeium vidisse veras illas priores Testamenti tabulas, & Cherubinos; denique impostorem illum, qui apud Flauium Iosephum [m] nugatur; Mosem in monte Garizim defodisse vasa sacra. Rupertus [n], & Ambrosius [o] docent inuentam Arcam, & alia CHRISTI tempore, sed mysticè, quia CHRISTVS ipse fuit vera Arca, & verum thymiamatis altare, qui verum tabernaculum Ecclesiæ excitauit, in quod Gentes fide vnanimes congregauit. Iosephus Gorionides [p], Epiphanius [q], Dorotheus [r], Richardus de S. Victore [s], Historia

Arca & quæ Ieremias occuluit amplius inuenta non fuerit.
g Agg. 1. à num. 15. & 2. lib. de Templo. cap. 2. & Heb. 3. ac 9.
Arca non fuit Romam in triumphum delata.
h 2. Mach. 2. q. 19.
i ca. 3. Iudith. & c. 40. Exodi.
k Exod. 25. q. 14.
l lib. 1. c. 17.
m 18. Antiq. c. 5.
n 10. de victoria verbi Dei. cap. 21.
o 3. Offic. cap. 14.
p lib. 1. c. 17.
q lib. de vita & mor. Prophe. cum de Ieremia.
r in Synopsi cùm de Ieremia.
s 4. except. c. 11.

Arca vera Christi tempore quomodo sit inuenta.
a supra.
b lib. 2. c. 35.

scholastica [a], Canus [b], Ribera, & Serarius citati existimant, in nouissimis tantùm diebus hæc inuenienda, quando Elias & Henoch congregabût, & ad CHRISTVM adducent reliquias Israël. Vnde Iosephus ille Gorionides ait, Ieremiam dixisse: *Non sciet homo, neque cognoscetur locus, donec venero ego, & Elias propheta famulus Domini. Tunc restituemus Arcam in locum suum intra Sancta Sanctorum subter alas Cherubinorum.* Rabbini plerique consentiunt, quos ita sequi licet, vt tamen inde Iudaismus non restauretur, sed vt Arca visa, & Ieremiæ completa Prophetia, Hebræi ipsi magis adducantur ad verissimam Arcam, nempe ad verum Messiam CHRISTVM, atque ad Catholicam Ecclesiam, quæ est ipsius veri DEI verissimum tabernaculum, inuitantibus Henoch, & Elia. Malim eam opinionem deserere, ne videamur sapere vlla ratione Iudaïsmum, iisve fauere, qui dicto tempore sentiunt, à Iudæis conuersis vsurpanda legis sacrificia, quamuis duntaxat in signum, & memoriam: quod reperit hoc loco Tullius Crispoldus iam à nobis in capite primo refutatus.

Iudaismus nullo modo est reparandus.

Vt faceret illud secundùm formam, quam viderat.] Quam videlicet DEVS illi ostenderat [c], & instar eius fieri præceperat, edens oraculum, vt loquitur Apostolus, καθὼς κεχρημάτισται Μωϋσῆς, id est, *sicut dato sibi oraculo Moses acceperat.* Id Stephanus data opera commemorat, quia paulò pòst dicturus est, auctore eodem DEO, DEVM locis addictum non esse, nec templo.

c Exod. 25. 9. 40. Hebr. 8. 5.

Versus 45.] Quod & induxerunt, suscipientes patres nostri cum IESV in possessionem Gentium, quas expulit DEVS à facie patrum nostrorum, vsque in diebus Dauid.

QVOD *& induxerunt, suscipientes patres nostri.*] Pro *induxerunt suscipientes*, Syrus legit, עאלוהי מעבל *mahbalu ahbaluhi*, id est, *inducendo induxerunt*, quod vehementiam quandam in eo Tabernaculo transferendo, & ardorem Hebræorum denotat, vt exposuimus suprà [d]. Porrò narratur hoc in lib. Iosue [e], vbi dicitur *sacerdotes portasse Arcam ante populum, quando is transibat Iordanem*, vbi nomine Arcæ comprehenditur etiam Tabernaculum, sicut hoc loco Arca nomine Tabernaculi.

d cap. 5. 28.
e cap. 3. 14.

Etsi autem Caathitarum erat, qui Leuitæ duntaxat erant, non Sacerdotes, Arcam baiulare [f], tamen propter huius miraculi excellẽtiam, nempe transitum Iordanis sicco vestigio, Sacerdotibus hoc opus impositum est. Simili de causa in expugnatione Ierichuntina [g] circũtulerunt Sacerdotes Arcam: prætereà gestarunt illam etiam Sacerdotes, quando Dauide Absalonem fugiente, eam ad illum vexerunt, & eam eius mandato in Ierusalem retulerunt [h]: denique quando in exædificatum, & iam dedicandum templum Salomonis inferebatur è ciuitate Dauidis [i]. Notarunt id Thalmudici, & Rabbi Dauid Kimhi [k], & Masius cum iisdem [l]. Vulgò nunc vocamus tabernaculum, vbi venerabilis Eucharistia vase continetur inclusa, siue pixide, aut arcula. Nomen tabernaculi Clemens Romanus vsurpat [m], Græci vtuntur voce κιβώριον [n], Latini & Galli dicunt ciborium, *ciboire*, pro sacra pixide: sed non assentior etymologiæ Germani, *cib*, esse Arcam, *Orion*, illuminationem Domini. Auctores alios citat Ioannes Stephanus

Caathitæ non ferebant arcam portabant, sed Sacerdotes eam tulerunt propter miraculum.
f Nu. 4. 15. & c. 10. 21.
g Iosue c. 6. 6. 7.
h 2. Reg. 15. 24. 25.
i 3. Reg. 8. 1. 4.
k in c. 3. Iosu.
l ibid.
m 8. Constit. cap 13.
n Germ. in theoria rer. Ecclesiast.

Durantus [o] Græcos, Latinosque, apud quos ciborium extet notione dicta, nosque nonnihil rursum [p]. Sed τὸ κιβώριον poculi speciem esse scribit Athenæus initio libri tertij, & Hesychius quoque Ægyptium esse nomen ἐπὶ ποτηρίου refert, pro scypho & poculo; vnde illa sacra vasa, quæ sacrosanctam Eucharistiam continent, quia ad poculi speciem facta sunt, ciboria dicta esse crederem.

o lib. 1. de ritib. Eccles. c.
p cap. 15. 14.

Cum IESV.] Idem qui priùs vocabatur Hoseas, posteà vocatus est Iosue, siue Iehosuah, siue Iesus à Mose, vt IESVM CHRISTVM per hunc etiam ipso nomine adumbraret, qui Mosi à DEO successor designatus erat [q]. Tamen cõstat ex titulo Crucis, quod Romæ vidi, & ex communi traditione, quòd Saluator quadrilitero nomine dicatur, ישוע *Ieschuah*, sicut & nonnulli alij, quos Latinus interpres nominat Iesue, aut Iesua [r], quamuis aliquãdo per abbreuiationem omittatur litera ו *vau*. Alter autẽ populi dux, יהושע *Iehoschuah*, per nomẽ sex, aut potiùs quinque literarum, scribendo *holem*, id est, vocalem, *ò*, sine *vau*, vel pro *vau scurec*, *chibus*. Petrus Galatinus [s], Sanctes Pagninus [t], Cornelius Iansenius [u] negant nostrum Iosue, aut Iesum Sirach, aut Iosedech habuisse (quæ nonnullorum etiam sententia est, vt Iacobi de Valentia [x], Ludouici [y], seu Aloysij Legionensis, siue de Leon, Lexici Hebraici Complutensis, dubitatque Ioannes Eckius [z]) idem nomen, quod habuit CHRISTVS. Huius enim nomen esse IESVAH, illorum Iehosuah, & hoc significare, DEVS SALVABIT, aut DEVS SALVS, illud SALVATOR.

Iesus non Hoseas, posteà Iehosuah dictus est.
q Numer. 27. 18.
r 1. Paral. 24. 11. Esd. 2. 6. 40. Nehe. 7. 39. & 11. 12. Paral. 31. 15. c. 24. 11. Gene. 46. 17.
s li. 3 de arcanis c. 14.
t in interp. nom. Hebr.
u in c. 7. Concord.
x in Psal.
y de nominibus Dei. l. 3.
z Sermo 4. de Circumcis.

Ceterùm retinenda mordicùs hîc, & in epistola ad Hebræos [a], & in Ecclesiastico [b], editio nostra Latina, consentiens quoque cum Græca, quæ & nostrum Iosue nominant interdum IESVM, & Sacerdotem illum filium Iosedech [c] Græcè Ἰησοῦν. Sed & Patres id planè affirmant, de Sacerdote quidem (qui Hebraicè dicitur ישוע *Ieschuah* in lib. 1. Esdræ [d], quãuis Latinè sit Iosue, & apud Zachariam [e], Hebraicè יהושע *Iehosuah*, & apud Aggæum [f], Latinè IESVS, & Græcè, Ἰησοῦς, vt suspicer idem prorsus nomen paululùm immutatum esse *Iesuah*, & *Iehosuah*, posseque CHRISTO tribui, sicut & dicto Sacerdoti, vt videre est in Eli, & Eliachim, ac similibus, quæ modicè variata nomen idem efficiunt) Hieronymus, Theodoretus, aliique interpretes Zachariæ, Eusebius [g], item Augustinus [h], aliique volentes typum CHRISTI gessisse etiam in nomine: multò autem magis, qui de ipso solo CHRISTO Prophetam loqui interpretantur, vt Tertullianus [i], Lactantius [k], Ambrosius [l], Origenes [m].

Iesu nomen non Saluatoris sed nostrorum proprium est, sed id commemoratum.
a cap. 4. 8.
b cap. 46. 1.
c Zach. 3. 1.
d c. 2. 2.
e cap. 3. 1.
f cap. 1. 1.
g 4. de Demonst. c. 17.
h 12. contra Faust. c. 16.
i lib. con Iudæ. c. vlt.
k lib. 4. c. 14.
l 3. de Fide c. 4.
m Hom. 9. in Leuit.

De Iosue, quòd idem nomen CHRISTI gesserit, ceu typus quidam eius, disertè docet Iustinus [n], id accepisse notans à Mose, cùm anteà Auses, vel Osee nũcuparetur, cùm illum designatum successorem iuberet introducere populũ in Terram promissionis. Eadem est sententia Origenis [o], Eusebij [p], Theodoreti [q], Cyrilli Ierosolymitani [r], Tertulliani [s], Ambrosij [t], Hieronymi [u], Augustini [x]. Philo quoque [y], & Iosephus [z] Iudæi Græcè scribentes, eum, qui Iosue à nobis dicitur, appellant Ἰησοῦν, IESVM. Lege Leonem à Castro [a], & Franciscum Suarez [b], & Martinum Cantapetrensem [c]; ex quibus postremus variè comparat CHRISTVM cum Iosue admodùm acutè, & piè, post Origenem, quem citat, & post Iustinum, & Cyrillum Ierosolymitanum.

n in Tryph.
o Hom. 1. in Numeros.
Iosue Christi typus, Iesu nomine habuit.
p 4. de Demonst. c. vlt.
q in prin. Iosue.
r Catech. 10.
s li. con. Iud. c. 9. & 3. cont. Marc. c. 16.
t in Psal. 47.
u 1. cõtra Iouin.
x qu. 10. in Exo. & 16. cõ. Faust. c. 1. & seq.
y lib. de mut. nom.
z 5. Antiq.
a in cap. 7. Esaiæ.
b 3. part. q. 37. disp. 15. sect. 2.
c 2. hypotyp. cap. 3.

Iudæi per contemptum diminutiuè vocant IESVM, ישו IESV detracto ע. Tamen mos est Ara-

a lib. de vocibus Thalmudicis.

mææ linguæ, vt notauit Iustus Nathanus [a] grammaticus Hebræus, absorbere ח chet & ע hhain. Imò sic Hebræos ipsos vsurpare *Bel* volunt, pro, בעל *Babhal*, & similes alias voces per modum compendij.

Vsque in diebus Dauid.] Latiniùs & clariùs dictum fuisset, *vsque ad dies Dauid*: sic enim Græcè legimus, ἕως τῶν ἡμερῶν Δαβίδ, *vsque ad dierum Dauid spatium.* In Latino sermone inest æquiuocatio, loquatúrne Stephanus de Tabernaculo, an de Gentium expulsione, de qua in proximis verbis præcedentibus. Tollit eam ambiguitatem Syriacus interpres, apud quem sic legimus, ואתיבל עד מא ליומהי דדויד *vathical bhad ma leiaumahi dedauid*, id est, *& deportatum est vsque ad dies Dauidis*, vel, *& deductum est vsque ad dies Dauid*, nempe Tabernaculum sine templo. Glossa quoque interlinearis, *Sic iunge*, ait: *Tabernaculum fuit vsque ad dies Dauid, & in diebus Salomonis templum Tabernaculo successit.* Lyranus prætereà monet hūc esse sensum. Verum est etiam quod Caietanus dicit, & ipsi superiùs notauimus, fecisse Dauid aliud Tabernaculum in monte Sion, in quo posuit arcam, vnde factum est, vt minùs honoris haberet Tabernaculum Mosis: sed non huc respexisse Stephanum, ostendit sequens versus, qui loquitur de templo, quod voluit ædificare.

Dauid aliud fecit tabernaculum diuersum à Mosis tabernaculo.

Versus 46.] Qui inuenit gratiam ante DEUM, & petiit, vt inueniret tabernaculum DEO Iacob.

Inuenire gratiā apud aliquem quid sit.
b Gen. 6. 8. c. 18. 3. c. 19. 19. c. 30. 27. c. 31. 5. c 19. 4. Exo. 33. 12. Esther 2. 9.
c Luc. 1. 30. & alibi sæpe.
d Sermo. 4. de Assumpt.
e Sermo. 3. de Annunciat.

QVI *inuenit gratiam ante* DEUM.] Phrasi Scripturæ מצאות חן *matsoth chen*, id est, *inuenire gratiam* apud alium, etiam hominem, est gratum esse [b], & beneficio insuper dignum esse. Videtur autem Stephanus innuere studium in quærenda huiusmodi, conseruanda, augendáque gratia adhibitum fuisse, vt de beata Virgine loquens, cùm Angelus inuenisse gratiam eam dixit [c], Bernardus [d] notat: necnon & singulari præ aliis gratia præditam esse: quod idem [e] de eadem significatum iisdem verbis docet. Sic vulgò dicere solemus, Inuenit gratiam apud Regem, id est, aut solus, aut maximè omnium Regi gratus est. Petita etiam videtur hæc loquendi formula ex iis qui insperatò thesaurum, aut quid aliud inueniunt, vnde fortunati nominantur: ita vt inuenire gratiam quis dicatur, quia [f] gratis gratia ei confertur, & absque prioribus meritis: vel etiam nulla præuia cogitatione, quæ si pia est, à gratia præueniente est [g], quam sanè gratiam meliùs affirmare possumus à nobis inueniri, quasi bona quadam fortuna, quàm nos eam quærendo inuenire. Nec excludit hic tamen dicendi modus, quin apud DEUM gratiam inuenisse dicatur, maiorem videlicet, qui hanc, adiutus minore, concupiuit, & per illam quæsiuit, petiitque. Sic non improbabile videtur dixisse Angelum Mariæ [h] *quòd gratiam inuenisset*, nempe maternitatis DEI, quam nouerat concedendam cuipiam fœminæ *de domo ac familia Dauid*: vt hac etiam fortasse de causa esse virgo voluerit, præter aliarum consuetudinem, quòd DEI matrem debere virginem esse in Esaia [i] legisset. Lege Salmeronem [k] egregiè hoc probantem, idque affirmat profectum ex summa charitate, cum singulari modestia, siue humilitate, atque cum merito, vt consequeretur tantam dignitatem. Toletus in Lucam [l] obseruat esse quid maius *inuenire gratiam*

Gratia gratis confertur, & absque meritis.
f Rom. 11. 6.
g 2. Cor. 3. 5.

Inuenit gratiā, qui minore adiutus eam maiorem concupiuit.

h Luc. 1. 30.

i Esa. 7. 14.
k Tom. 3. tract. 6.

l in c. 1. annot. 79.

A *apud* DEUM, Græcè, παρὰ τῷ Θεῷ, id est, *iuxta*, *seu prope illum*, quàm *coram* DEO, aut etiam *ante Dominum*, aut *in conspectu Domini*, aut *in oculis Domini*. Ac primum quidem modum de sola B. Virgine vsurpari, alios de aliis, quoniam illa per gratiam omninò singularem hoc habuit, vt DEUM ipsum (cuius etiam nomen exprimitur, & non Domini, quod habitudinem dicit ad seruum, & ancillam) in suo ventre reciperet, ipsumque gigneret.

B. Virgini prærogatiua.

Non est sola consulenda editio Latina vulgata, sed Hebraica etiam phrasis obseruanda, vt vim huius particulæ intelligamus, cùm in Exodo [m] re-
B periamus in verbis DEI ad Mosem: *Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me*, particulā παρά, cū datiuo, ἐμοὶ, haberi, in qua tamen Toletus vim faciebat, quæ Hebraicè his verbis, מצאתה חן בעני *matsathah chen bebhenai*, *inuenisti gratiam in oculis meis*, dicitur, quam eandem vocem habent omnia loca, in quibus est dicta phrasis, & à nostro Interprete redditur nunc vno, nunc alio ex iis modis, quos Toletus notauit, id est, *coram, ante, in conspectu, in oculis meis*: quæ vltima significatio propriè respondet illis vocibus Hebraicis, בעני *bebhenai*. Eodem modo sciendum est, in iisdem illis locutionibus pro nomine Latino, *Dominus*, non esse, vt plurimum, Græcum nomen, ὁ Θεὸς, sed ὁ κύριος, quod loco nominis ineffabilis יהוה po-
C nitur, quod DEI nomen est maximè proprium, & non respectum ad seruum, & ancillam denotat, sed eius essentiam singularem; vt quando de Noë scribitur, *quòd inuenit gratiam coram Domino* [n], Hebraicè habetur, ונח מצא חן בעני יהוה *venoach matsa chen bebhenai*, Septuaginta reddiderunt, Νῶε δὲ εὗρε χάριν ἐναντίον τοῦ κυρίου τοῦ Θεοῦ, *Noe autem inuenit gratiam coram Domino* DEO, vbi Dominus nomini ineffabili respondet, & respectum ad seruum non indicat, sed essentiam DEI designat, quæ vtcunque nomine ineffabili exprimi-
D tur. Porrò Dauid [o] quàm DEO charus, gratúsque fuerit, ac secundùm DEI cor, testatur historia Regum [o], & ipsemet in Psalmis [p], & rursus Lucas inferiùs [q] Pauli testimonium citans prolatum ex Scriptura, quæ id testatur. Denique *gratiam apud* DEUM dixit noster Interpres, de quocunque loquens, in epistola Petri [r], & sæpe extat in epistolis Pauli *esse iustum apud* DEUM, *innotescere orationes apud Dominum*, *manere in aliquo instituto apud* DEUM, *optare apud* DEUM. Et similis phrasis crebrò occurret legenti Scripturas.

m cap. 33. 12.

Inuenisse gratiā in oculis quis dicatur.

n Gen. 6. 8.

Dauid Deo quàm gratus fuerit.
o 1. Reg. 13. 14. c. 16. 13.
p Psal. 88. 21.
q Actuum 13. 22.
r Ibid. c. 2. 20.

Gratia apud Deum de quocunque dicitur.

Petiit vt inueniret tabernaculū DEI *Iacob.*] Legimus in historia Regum desiderium Dauid [f], sed non orationem, in Psalmo autem centesimo trigesimoprimo [t] testatur ipse iurasse se ac vouisse *inuenturū se locum Domino, tabernaculum* DEO *Iacob*, vbi He-
E braicè est, משנות *mischanoth*, id est, *tabernacula*, in plurali, ob templi Salomonij (vt Genebrardus notat [u]) partes aliquantò plures, quàm in tabernaculo Mosaico. Caietanus in præsentem locum Actuum obseruat locatum pro loco poni: petiisse enim Dauidem, *vt inueniret locum stabilem, vbi esset tabernaculum* DEI *Iacob*, *& effecisse illud in Sion*. Sed profectò sermo est de templo ipso, sub nomine tabernaculi, quod erat includendum templo à Dauide construendo; & placet opinio Hebræorum, quam sequitur Iansenius in dictum Psalmum, iuramentum id, votumque Dauid fecisse eo die, quo vidit Angelum paratum ad percutiendum Ierusalem ob peccatum numerationis populi [x]; quia tunc

f 2. Reg. 7. 3. & 1. Paral. 17. 1.

t ver. 2. 3. 4. 5.
Dauid voluit construere Domino tabernaculum.
u ibidem.

x 2. Reg. 24. 1. 1. Para. 21. 1. & seq.
Dauid quando voluit templum à se construendum.

animaduertit sibi esse necessarium placare Devm sacrificiis, nec posse ire in Gabaon, vbi erat altare holocaustorum præ nimio timore, & cùm sciret templum ædificandum à filio, prout ei promissum fuerat, certum verò locum nondum didicisset, tunc nimirum vouisse se non introiturum in domum suam, &c. priusquàm per diuinam reuelationem certior fieret de dicto loco. Quando enim ad illum Gad propheta à Deo missus, iussit vt ascenderet ad aream Ornam Iebusæi, super quam Angelus is conspectus erat, ibique offerret sacrificia, hæc vbi ignis cœlestis deuorasset, *Hæc est*, inquit Dauid, *domus* Dei, *& hoc est altare in holocaustum Israël*, quasi diceret, Iam inueni locum, quem quærebam. Vnde Salomon dicitur construxisse templum in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid [a] patri eius, in loco quem parauerat Dauid in area Ornam Iebusæi. Atque ab eo tempore cœpit ipse parare omnia ad ædificandum templum necessaria, & filium Salomonem ad id adhortari.

a 2. Par. 3. 1.

Deo *Iacob.*] Rectè hîc, & in citato Psalmo appellatur Devs *Iacob*, eò quòd hac in re Dauid imitatus sit Iacob, de cuius simili voto legimus in Genesi [b]. Dicitur quidem sæpe Devs esse Devs Iacob, sed coniunctim simul cum Isaac, & Abraham, solitariè verò ac seorsim non cum Abraham, vel Isaac, sed Iacob [c] Devs, aut etiam Dominus [d] nonnunquàm nominatur. Quin etiam ab eodem, sicut & ab altero eiusdem nomine, quotquot ab eo genus duxerunt, domus Iacob, & Israël, atque Israëlitæ, & filij Israël, & absolutè ac sine addito Iacob, vel Israël, appellari reperiuntur: quãuis interdũ hæc nomina sumantur pro decem tribubus, & regno diuiso à regno Iuda. Et quidem Iacob peculiariter Devm religioso cultu veneratus est [e], pluráque, quàm pater, & auus, & adhuc maiora diuinæ erga se prouidentiæ signa expertus est, & pater fuit duodecim Patriarcharum [f], à quibus totus Hebræorum populus propagatus est, quos Hebræos dictos, quasi Abrahæos alibi falsum esse docui. Semel reperio vocatũ Devm Abraham [g], & Devm Isaac separatim [h]. Ad eas quas dixi causas, cur totus populus denominatus sit à Iacob, & Devs populi dictus sit Devs Iacob, accedit hæc alia, quoniam Abraham duplicem habuit posteritatem, ex Isaac scilicet, & Ismaël, similiter Isaac ex Iacob, & Esau, progeniem numerosam habuit: Iacob verò habuit duodecim filios, qui omnes legem integram, & reliqua omnia acceperunt à Deo, & fuerunt populus peculiaris Dei; Ismaël verò, & Esau ab his bonis exclusi sunt. Notauit id Toletus in Lucam [i], dum ideò considerauit annunciatum Virgini filium dici *regnaturum in domo Iacob* [k], potiùs quàm Abraham, vel Isaac, quibus tamen etiam promissus erat. Sed quod ait, dici domum Iacob, sedem autem Dauid, quia hic fuit rex, non ille, minùs ad rem videtur, quoniam, vt paulò antè dicebam, domus Iacob significat totum populum Hebræum: immò, & domus Dauid, quamuis fuerit rex, vt legere est passim, præcipuè in Prophetis: licèt aliquando peculiariter significet familiam, ac progeniem ipsius Dauid, vt apud eundem Lucam [l]. Hieronymus exponens Esaiæ verba [m]: *Audite ergo domus Dauid*, id est, *Tribus*, inquit, *regia, seu tribus Iuda, in qua erat regnum*: & eadem est significatio illorum verborum Psalmi [n]: *Sedes super domum Dauid: Iudices námque, qui sedebant in Ierusalem, erant de tribu Iuda.*

Deus Iacob, cur hic dicatur.
b c. 28. 20.
c 2. Reg. 23. 1. Psl. 19. 2. Psl. 23. 6. Psl. 45. 8. 11. Psl. 74. 11. Psl. 75. 7. Psl. 80. 2. 5. Psl. 83. 9. Psl. 93. 7. Psl. 113. 7. Psalm. 145. 5. Esa. 2. 3.
d Eccl. 46. 17.
Iacob Deũ peculiari cultu veneratus est.
e Gen. 28. 18.
f Gen. 29. 32. & seq. ca. 30. 4. 5. 6.
g Psal. 45. 10.
h Gene. 46. 1.
Cur peculiariter Deus dicatur Deus Iacob.
i In c. 1. anno. 90.
Christus cur dicatur sit regnaturus in domo Iacob.
k Luc. 1. 32.
Domus Dauid Hebræum totũ populum indicat.
l c. 1. 69. c. 2. 5.
m cap. 7. 13.
Domus Dauid quid significet.
n Psal. 122. 5.

A *Versus* 47.] Salomon autem ædificauit illi domum.

Salomon *autem ædificauit.*] Narratur ædificatio ista in tertio Regum [o], & primo Paralipomenon [p], & templi structuram omnem diligenter describit Ribera in proprio opere, atque Villalpandus in Ezechielem.

o cap. 6. 1.
p cap. 17. 12.

Vocatur sæpe tẽplum nomine *domus* Dei seu *Domini*, in octateucho, Psalmis, Prophetis, Euangeliis, & scriptis Patrum: & vulgò ab Italis, quod in vrbe præcipuum est, ac metropolitanum, dicitur, *il duomo*, nisi malis corruptè à Latino *Dominium*, quod Patres Latini vsurpant in eodem sensu, sicut Græci Κυριακὸν, Basilicam, pro æde sacra præcipua, quasi dicas, Regiam, & neutro genere, τὸ κυριακόν. Lege de nominibus Dominici, & Basilica, Baronium in notis Martyrologij [q], & in Annalibus [r], & Ioannem Stephanum Durantum in Ritibus Ecclesiæ Catholicæ [s]. Quod verò attinet ad nomen domus Dei, quo vtitur etiam Tertullianus [t], & Synodus Gangrensis [u], putarunt nonnulli, domum Dei in Genesi [x] templum significare, eóque in loco posteà templum ædificatum. Distat tamen locus, cuius ibi mentio fit, ab Ierusalem multis milliaribus.

Templum domus Dei vocatur.
q 21. Decemb.
r Tom. 1. Annal.
s lib. 1. cap. 3.
t lib. de idol. cap. 7.
u can. 5.
x ca. 28. 17. 22. cap. 35. 7.

Est vbique Devs [y], & omni adorandus, orandúsque in loco [z], quod fecit in medio mari Moses [a], Iob in sterquilinio [b], Ezechias in lectulo [c], Ieremias in luto [d], Ionas in ventre ceti [e], tres pueri in fornace [f], Daniel in lacu leonum [g], latro in cruce [h], Paulus in carcere [i], in requisitis naturæ Licentius (quem defendit Augustinus [k]) & Agnes Augusta (cuius factum approbat Petrus Damianus [l] exemplo Agnetis Martyris, quæ vidit in lupanari Angelum, & Angelicum reperit indumentum) & alij alibi: tamen peculiari quadam ratione esse, colique certis in locis vult Devs, vt egregiè Augustinus [m] docet, ac post eum qui tractant controuersias, præcipuè Bellarminus [n].

Deus vbique est, sed peculiariter in certis locis.
y Iere. 23. 21. 24. Ioã. 4. 21.
z Psl. 102. 22. Ioan. 4. 21. 1. Tim. 2. 8.
a Exod. 15. 21
b Iob. 2. 8.
c Esa. 38. 12. & seq.
d Iere. 38. 6.
e Ionæ 2. 2.
f Dan. 3. 51.
g Dan. 14. 37.
h Luc. 23. 42.
i Act. 16. 25.
k 1. de ord. c. 8.
l ep. ad Agne. August. apud Baron. tom 11. p. 382.
m ep. 137.
n li. 3. de cultu Sanct.

Meritò *Domus* Dei vocatur ædes sacra, aut etiam *cœtus fidelium*, qui dicitur Ecclesia [o]. Nam Devs peculiarem habet prouidentiam de vtraque, sicut paterfamilias de domo sua: habet ibi suam supellectilem, & pretiosa quæque recondita, nempe sacramenta, sacrificium, religionem, dona Spiritvs sancti, & reliqua salutis instrumẽta: habitat in ea singulari quodam modo, tum per beneficia, quæ ibi magis communicat; tum per corporalem præsentiam in Eucharistia: omnes qui in ea versantur, proprio quodã vinculo coniuncti sunt, ideoque *Domestici* Dei [p] nominantur. Placet mihi pietas Gallorum, vulgari nomine Nosocomium Dei domum appellantium, siue Palatium, Gallicè, *l'Hostel-Dieu*. Sic antiquus ac doctissimus iuxtà piissimúsque scriptor Gulielmus Parisiensis appellat [q], & Hugo Cardinalis [r].

Ecclesia domus Dei est.
Ecclesiæ Deus peculiarem curam habet.
o 1. Tim. 3. 15. 1. Pet. 4. 17. Psl. 23. 5. Prou. 9. 1.
p Eph. 2. 19.
q lib. de morib. c. 6.
r in Psal. 25.

Versus 48.] Sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit.

Sed *non Excelsus in manufactis habitat.*] Hoc & sequentibus duobus versibus conuincit Stephanus Iudæos, nimirum *confisos in verbis mendacij de templo suo* [s], & illum criminantes, quasi contra id blasphemasset. Nam & Salomon ipse, & Esaias negarunt Devm loco circumscribi, templóve, aut domo includi [t], & hic quidem locus innuere videtur verba Salomonis, quibus præfatus

s Iere. 7. 4.
Deus loco non includitur.
t 3. Reg. 8. 27. & 2. Para. 2. 6. cap. 6. 18. Esa. cap. 66. 1. 2.

A fatus est, *quòd nec cœlum, nec cœli cœlorum caperent* DEVM.

Excelsus.] Græcè, ὕψιςος dicitur, quod nomen Interpres noster quandoque vertit per nomen Altissimi, & in textu Hebræo solet esse idem nomen עליון *hhelion*, quod vnum est ex decem DEI nominibus, quòd præ omnibus creaturis, etiam Angelis, sit in altissimo & supremo gradu. Exempla obuia sunt [a], tum illud Angeli dicentis Mariæ [b]: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi:* & [c], *Filius Altissimi vocabitur.* Dæmon ipse idem nomen tribuit CHRISTO [d], & CHRISTVS DEO [e]. Causa tam frequentis epitheti esse videtur, vt distinguatur à falsis Diis, qui de terra

a vt Nu. 24. 16. Psal. 17. 14. Psal. 20. 8. Psal. 45. 5. Psal. 49. 14. Ps. 82. 19. Psal. 86. 5. Ps. 90. 1. Ps. 106. 11.
Cur Deus dicatur Altissimus.
b Luc. 1. 35.
c ibid. 32.
d Luc. 8. 28.
e Luc. 6. 35.

B erant, & altissima non fecerunt. Qua etiam ratione dici solet DEVS cœli, vt notaui in expositione psalmi nonagesimi, & in argumentum veri DEI dicit Dauid [f]: *Quis sicut Dominus* DEVS *noster, qui in altis habitat?* & [g], *Omnes dij Gentium Dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.* Vnde Gabriel iis verbis vsus est quæ recitaui, tum vt doceret CHRISTVM verum, ac naturalem filium DEI esse, tum vt humiliationis ipsius magnitudinem exprimeret, qui cùm esset *filius Altissimi,* nasci tamen in infimis dignatus sit, iuxta ea altissima, quæ promisit Dauid in Psalmo septuagesimo [h], his verbis, *Potentiam tuam* DEVS *vsque in altissima, quæ fecisti, magnalia,* vt ibi exponit Glos-

f Psal. 112. 5.
g Psal. 95. 5.
Christus verus, ac naturalis est Dei filius.
h vers. 19.
Deus solus altissimus.

C sa, Lyranus, & Hieronymus; hic verò præterea alio loco [i] dictum nomen Hebraicum עליון *hhelion,* ait vnum esse de decem nominibus, quibus apud Hebræos DEVS vocatur: nempe verè de DEO cantatur: *Tu solus Altissimus super omnem terram* [k]. *Erigat se, qui vult,* inquit in eum locum Hieronymus, *nos dicamus: Tu solus Altissimus, quantumuis quis exaltetur, nos habemus* DEVM, *cui excelsius nomen est.* Soli DEO debetur illa adoratio, quæ λατρεία dicitur, cuius inter alia signa hoc vnum est, vt ei altare erigatur, quod Latinè ab altitudine dictum volunt.

i epist. 136.
k Psal. 82. 19.
Soli Deo latria debetur.

Innuit S. Thomas nominis Altissimi, prout DEO attribuitur, hanc ipsam rationem, tractans

D verba Iob [l]: *Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra* DEVM *altissimum. Si enim,* inquit, *quibusdam creaturis nomen* DEI *per participationem attribuatur, soli tamen* DEO *altissimo latriæ cultus debetur, qui vocatur Altissimus, etiamsi aliis talis cultus exhibeatur.* Idem notat Lyranus in eundem locum Iob, nempe DEVM altissimum idem esse ac DEVM, cui summus cultus debetur. Ipsemet Assuerus Iudæos veri DEI cultores nominabat *filios Altissimi, & Maximi, sempérque viuentis* DEI [m], eruditus opinor, ac ad veram fidem perductus ab Esther, & Mardochæo: profitetur enim ibidem eiusdem DEI beneficio, & patribus, & sibi regnum traditum, & vsque in id

l cap. 31. 28.
Cur Deus Altissimus dicatur.
m Esther 16. 16.

E tempus custoditum.

Communicatur vocabulum excelsorum aliis vel cœlis, vel Angelis, vel hominibus, hísque, aut sapientibus, aut iudicibus, aut potentibus, ita vt sit quædam periphrasis DEI dici *iudicem excelsorum* [n], *quoniam excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti.* Sic est in libro Ecclesiastæ [*], vbi nos hoc ipsum expendimus. Denique omni malo DEVS est superior, omni bono sublimior, omnem creaturam ad altiorem statum potest euehere. Apud Danielem [o] legimus de quodam Rege potentiore: *Et sermones contra excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret.* &

Excelsi tamen communicatur nomen à Deo.
n Iob. 21. 22.
* cap. 5. 7.
o cap. 7. 25.

A paulò antè [p]: *Suscipient regnum sancti* DEI *altissimi.* Ibi est פליונין in plurali, & in statu, vt vocant, regiminis, vt indicat proximè præcedens קדושי. Exponunt aliqui, quòd quatuor regna, de quibus eo loco priore, *Suscipient regnum Sanctorum altissimorum,* id est, occupabunt regnum filiorum DEI, siue Sanctorum, qui soli suo iure possidere deberent terram: & dici Sanctos altissimorum, id est, cœlorum, in quibus eorum conuersatio est. At cùm Sancti in hac vita non habeant ciuitatem permanentem, & vtantur hoc mundo ac si non vterentur; & quia totus contextus longè aliud significat; meliùs alij beatos, qui iam sunt in altissimis cœli se-

p vers. 18.

B dibus, interpretantur, & cum CHRISTO, quem canimus absolutè solum Altissimum, venient ad Iudicium, vt plenam cum ipso regni possessionem capessant, scilicet cum altera sui parte, id est, cum corpore. Vel sunt quoque huius vitæ Sancti appellati altissimorum, quia hæredes altissimorum, vt innuitur apud eundem Prophetam, inferiore eiusdem capitis loco [q]. Verumtamen iuxta editionem nostram, vt vbique sit numeri singularis genitiuus casus, ac epitheton DEI, quod nomen DEI Hieronymus addidit [r], erit illud plurale, פליונין pro singulari, פליון, sicut אלוהים, pro אלוה; & de DEO ipso intelligetur.

q vers. 27.
r vers. 18.

C *Sicut Propheta dicit.*] Esaias, cuius sunt verba sequentia. Et quamuis inter Prophetas Esaias ita eminet, vt meritò Prophetæ nomen absolutè positum κατ' ἐξοχὴν, de illo intelligi possit, sicut de Paulo nomen Apostoli: & qui propter perspicuam mysteriorum CHRISTI prædictionem, meruerit Euangelista nominari, potiùs quàm Propheta, vt loquitur Hieronymus [s], & Augustinus [t], vt omittam viri nobilis ac vrbani super omnes alios eloquentiam obseruatam, præter Hieronymum à Gregorio [u], & Bernardo [x], & quòd eum in primis Ambrosius ab Augustino catechumeno, teste ipsomet Augustino [y], legi voluerit, *quod præ ceteris,* inquit, *Euangelij, vocationísque*

Esaias Propheta per excellentiam dici potest.
s epist. 101. & 117.
t 18. de ciuit. Dei c. 29.
u libr. 5. in 1. Reg. c. 13.
x Ser. 3. de Natiuit. Dom.
y 9. Confess. cap. 5.

D *Gentium sit prænunciator apertior,* quem etiam vnum CHRISTVS in Synagoga interpretari dignatus est [z]: tametsi, inquam, hæc ita sint, nihilominùs non huc fortasse respexit Stephanus, sicut neque Matthæus citans eundem aliquando tacito eius nomine [a], necnon eundem cum Zacharia [b], quod facit etiam dum citat Oseam [c], & Dauidem [d].

z Luc. 4. 17.
a Matt. 1. 22. ca. 2. 5.
b cap. 21. 4. 5.
c cap. 2. 15.
d cap. 27. 35.

Versus 49.] Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis

E meæ est?

COELVM *mihi sedes est.*] Hæc sententia est apud Esaiā [e], & citatur iuxta versionem Septuaginta, vbi Hieronymus notat, hoc loco vsum Stephanum aduersum Iudaicam contētionem & errorem, qui putant inuisibilem & incomprehensibilem DEVM templo Ierusalem posse concludi, & ad hoc ipsum magis refutandum alia idem Doctor testimonia profert. Vix credo tam crasso errore Iudæos laborasse, etsi constat materiali suo templo nimium tribuisse. Vnde Hieronymus subdit Esaiam notare voluisse repudium templi, ac sacrificij veteris legis, postquàm ve-

e cap. vlt. 1.
Iudæi Deum templo concludi posse putabant.
Veteris legis sacrificia cessatura prænunciantur.

nit verum templum, atque sacrificium, quod est CHRISTVS. Idem affirmat in eundem locum Cyrillus Alexandrinus, & Procopius, Chrysostomus quoque in præsentem locum, & alij Interpretes. Rursus Hieronymus obseruat, necnon Hilarius [a], & Athanasius [b], & Petrus Damianus [c], & alij infrà citandi, de eodem DEO dici nunc, quòd *sedem habeat cœlum, & terram scabellum pedum,* sicut quòd *ponderet cœlos palmo, & metiatur aquas pugillo, & appendat tribus digitis molem terræ* [d], vt ostendatur forinsecùs, & intrinsecùs infusus, & circumfusus, & continere omnia creata, atque extra ea esse, & vbique existere.

a 1. de Trin. b lib. de substan. S. Tri. c ep. 4. c. 6. *Quid significent hæc epitheta, quæ Deo tribuuntur.* d Esa. 40. 12.

Cœlum mihi sedes est.] Ita etiam Dauid [e]: *Dominus in cœlo sedes eius:* & [f], *Dominus in cœlo parauit sedem suam:* & [g], *In sole posuit tabernaculum suum:* & [h], *Qui habitat in cœlis, irridebit eos:* & [i], *Quis sicut Dominus* DEVS *noster, qui in altis habitat?* & [k], *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis:* & [l], *Cœlum cœli Domino:* & Sapiens, iuxta Ecclesiæ sensum de VERBO incarnato [m]: *Omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus prosiliuit,* seu *venit,* quod & in Symbolo Niceno profitemur, *descendisse de cœlis.* Denique CHRISTVS iussit nos orantes ita præfari [n]: *Pater noster qui es in cœlis: Non quòd ibi* DEVM *concludat,* inquit Chrysostomus [o], *sed vt à terris abducat orantes, & supernis habitaculis, ac regionibus affigat excelsis, & vt intelligamus,* ait Origenes [p], *in melioribus mundi requirendum.* Ibi videlicet suam gloriam DEVS manifestat; ibi Beatos habitare vult; ibi DEI magnificentia, & omnipotentia magis elucet, propter eximiam cœli pulchritudinem, amplitudinem, incorruptibilitatem, perennitatem circularis motus ab intelligentiis, influxus, & actiones in inferiora: ita vt DEVS cœlos *fecisse dicatur in intellectu* [q], & ipsi vocentur *opera digitorum eius* [r]: & *enarrare* censeantur *gloriam ipsius* [s]: postremò dicitur *cœlum domus* DEI, inquit Chrysostomus [t], *quia est locus purus à vitio,* & DEVS, inquit Bernardus [u], ad cœlorum comparationem, nec esse videtur in terris: quemadmodum licèt toti corpori præsens sit animus, tamen in capite præcipuè residet. Intelligit Daniel [x], *per templum sanctum gloriæ* DEI, *& thronum regni eius,* cœlum, perinde ac Dauid, qui antè verba primo loco recitata ita habet: *Dominus in tēplo sancto suo.* CHRISTVS quoque vetat iurare *per cœlum* [y], *quia thronus* DEI *est.* Inde est, quòd cœli nomine interdum cœli incolæ intelliguntur, vt cùm dicitur; *Inclinauit cœlos, & descendit* [z], id est, Angelos præmisit, quando ad nos venit DEVS incarnatus, vt exponit Hieronymus; sicut & illud [*]: *Aduocauit cœlum de sursum, & terram discernere populum suum,* id est, tam Angelos, quàm Apostolos ad iudicium. Et huius generis sunt plura alia exempla. Scribit Aristoteles [a], *Omnibus à natura quasi insitam opinionem,* DEVM *in cœlo habitare, quod testatur illud adeò frequens apud poëtas Græcos:*

Ὅς ὑπέρτατα δώματα ναίει.
id est,
Superique habitator Olympi.
&,
Ἕδος αἰεὶ ἰσόλων.
id est,
Habitant quam numina sedem.

In cœlo Deus habitare dicitur. e Psal. 10. 4. f Ps. 102. 19. g Psal. 18. 6. h Psal. 2. 4. i Psal. 112. 5. k Psal. 122. 1. l Psal. 113. 16. m Sap. 18. 15. n Matth. 6. 9. Luc. 11. 2. o in Matth. Hom. 20. p 2. Periarc. cap. 4. *Deus in cœlo cur esse dicatur.* q Psal. 135. 5. r Psal. 8. 4. s Psal. 18. 2. t in Psal. 114. u Serm. 1. in Psal. 90. x c. 3. 53. 54. y Mat. 5. 34. & c. 23. 22. z Psal. 17. 10. & Psal. 143. 5. * in Psal. 49. a 1. de cœlo. text. 22.

Tametsi cæca Gentilitas Deos coluit terrenos & inferos. Quò spectat naturalis cuique ad cœlum prospectus, dum re aliqua aduersa premitur, quasi inde auxilium poscat à Numine. Mitto moralem sensum: vt cœli nomine iustus intelligatur, aut Ecclesia, in qua DEVS consideat. Ita exponit Hilarius [b], Ambrosius [c], Augustinus [d], Origenes [e]: Gregorius [f] autem intellexit CHRISTVM esse DEI sedem. Sed & illud obseruatu dignum, quandoque cœli nomine DEVM ipsum intelligi. Sic nimirum dicebat ille [g]: *Peccaui in cœlum,* id est, in DEVM. Quærebat CHRISTVS [h], Baptismus Ioannis essètne de cœlo, id est, ex DEO: qui nimirum incolere cœlum dicitur. Qua etiam ratione crebrò legimus [i] cœlum ac terram testes adduci, hoc est, cœli incolas, præcipuè DEVM, & terræ. Immò nonnunquàm Latinus interpres exprimit ac supplet nomen DEI scribens, DEVM cœli, cùm est solùm nomen cœli: vt ibi [k], *Non est differentia in conspectu* DEI *cœli,* ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ, *liberare in multis, & in paucis.*

Cœlum Deum inhabitare quomodo natura doceat. b in Psal... c in c. 11. Luc. d in Psal. 31. & 121. e Homil. 1. in Gen. f in Ps. 4. pœnit. g Luc. 15. h Luc. 20. 4. i Deut. 4. 26. c. 30. 19. 1. Machab. 2. 37. k 1. Mach. 3. 18.

Terra autem scabellum pedum meorum.] CHRISTVS eodem modo loquitur, dum vetat iurare per terram, *quia scabellum sit pedum* DEI [l]. Ij, quos citaui, cùm initio agerem cur cœlum dicatur sedes DEI, docent dici terram scabellum pedum eius, ad magis exprimendam immensitatem DEI. Origenes [m], & Basilius [n] mysticè vocant Ecclesiam, quæ est super terram, scabellum pedum DEI, *quia paruam hîc habet cognitionem de* DEO *in ænigmate* [o], *ac per speculum, & per visibilia, quæ pedes Domini appellantur.* Idem Origenes [p], Eucherius [q], & Ambrosius [r], & Chrysostomus [s] CHRISTI carnem dicunt esse scabellum pedum DEI, vtpote quæ ex terra sit, atque in hoc sensu Dauidem imperare, *vt adoremus scabellum pedum* DEI, *quoniam sanctum est* [t]. Eodem modo explicat hæc eadem verba Psalmi Hieronymus, & Augustinus in Commentario, & alij. Rursus Origenes [u] irridens Anthropomorphitas tacito nomine, quod etiam facit Augustinus [x], vult eos, qui adhuc terrenum propositum gerunt, & in quibus exigua, vel nulla pars cogitationis inuenitur, qua DEI prouidentiæ se subiiciant, atque committant, esse scabellum pedum eius. Quò spectat satis communis acceptio scabelli huius pro peccatore, & hoste DEI, qui vi redigitur in seruitutem ipsius, iuxta id Psalmi [y]: *Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.*

l Mat. 5. 35. *Cur terra scabellum pedum Dei dicatur.* m in cap. 21. Matthæi. n in c. 2. Esa. non longe à princ. o 1. Cor. 13. p Homil. 4. in Esa. q lib. de Spiritu c. ... r 3. de Spiritu sancto c. 12. s Ser. de Tri. Cen. Confes. & adorat. t Psal. 98. 5. u Homil. 1. in Gen. x in Psal. 98. y Psal. 109. 1.

Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est?] Apud Esaiam [z] sic legimus: *Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? & quis iste locus requietionis meæ?* In Hebræo textu sic habemus, אי זה בית אשר תבנו לי ואי זה מקים מנוחתי *e ze bayth ascher thibnu li, vee ze makom menuchathi,* id est, *vbi est ista domus, quam ædificabitis mihi, & vbi est ille locus quietis meæ?* Templum verò appellatur locus requietionis DEI, iuxta illud [a]: *Exurge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Antequàm enim extrueretur templum, nullo loco DEVS fixo, ac stabili quodammodò consistebat, siquidem tabernaculum Mosis erat motorium ac portatile, vagum etiam, ac sine certo domicilio in Silo, Nob, Gabaon, &c. vt antè diximus. Ibi quoque DEVS conquiescit, veluti delectatus religioso cultu nostro, & expectans supplicationes nostras. Legenda oratio Salomonis in dedicatione templi [b].

z cap. 66. 1. *Templum cur requies Dei dicatur.* a Psal. 131. 8. 2. Paral. 6. 41. b 3. Reg. 8. & 2. Para. 6.

Versus 50.] Nónne manus mea fecit hæc omnia?

a c. vlt. 2.

NOnne manus mea.] Apud Esaiam [a] : *Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus.* Meritò interrogat, quæ sit, & vbi huiusmodi domus ædificanda, an extra mundum? Sin minùs, quid ergo beneficij accipere ipsum putarent? Simili argumento magna cum exaggeratione vtitur DEVS loquens de sacrificiis, hisque se minimè egere docens in Psalmo quadragesimonono [b]: *Quoniam mea sunt*, inquit, *omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, nõ dicam tibi, meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius, &c.*

b vers. 10. 11.

Argumentum hæreticorum qui templa destruunt, vel tantùm auditoria verbi Dei ponunt.

Porrò, quæ à 48. versu hactenus dicta sunt, nullo modo fauent Hæreticis impugnatoribus templorum, quæ aut omninò de medio tollunt, vt Anabaptistæ; aut iis solùm vti volunt tanquàm auditoriis verbi DEI, ac nonnisi secundariò, vt oratoriis & sacris locis ad sacrificia, & sacramenta. Sæpe Chrysostomus [c] refutat dicentes orationem vbique perinde fieri, vt in templis, & hanc in Massilianis hæresim notauit Damascenus [d]. Recitat Iosephus [e] orationem Ieroboam, qui primus discidit regnum Iudaicum distractis ad se decem tribubus: *Viri populares*, inquit, *notum vobis existimo, quòd nullus locus* DEO *est vacuus, & quòd is nullo certo loco includitur, sed vbique vota exaudit, vbique cultores suos respicit, &c.* Lege quæ dixi capite tertio [f], & secundo [g], & prætereà Basilium [h]. Caluinum autẽ præsenti testimonio Esaiæ, quem Stephanus citat, abutentem aduersùs vsum templorum [i], bene confutat Stapletonus in Promptuario Catholico [k]. Certè mentitur, Christianos existimare includi DEVM templorum habitaculis, vnde propiùs aurem admoueat. Negare autem non potest, verè & propriè locutum CHRISTVM, *cum templum nominauit domum orationis* [l], & PATRIS *sui* [m], & quando iurare vetans in templo, causam reddidit, *quia qui iurat in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in templo* [n]. Salomon etiam reprehendi nequit, cùm dixit: *Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum* [o]: nec Dauid dicens: *Mons Sion, in quo habitasti in eo* [p]: &, *Repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus* [q]: &, *Elegit* [r] *eam* (domum Sion) *in habitationem sibi.* Nemo tam hebes, qui non intelligat non egere DEVM domo, neque includi loco vllo, neque vbicunque peculiariter colitur, & oratur, quoscunque, aut quomodolibet orantes, ipsum exaudire. Secundum sensum Stephanus hîc reiicit, primum hoc eodem libro Paulus [s], tertium Ieremias [t]. Sanè SPIRITVS *sanctus habitat in cordibus fidelium* [u], quis tamen ibi dicat conclusum, aut ea habitatione egentem, aut ita illis cordibus alligatum, vt cùm etiam ad impietatem relabuntur, in iis habitet? cùm Sapiens neget *habitare in corpore, sine corde subdito peccatis* [x]. Vt ergo habitatio illa denotat quãdam veluti gratiarum, donorúmque DEI in cordibus iustorum veluti dispositionem supellectilis; ita cùm DEVS habitare in templis dicitur, sensus est, ibi illum peculiari cultu celebratum, gratiarum suarum dona potissimùm dispertire, tametsi iis locis nec egeat, nec includatur, nec extra illa nunquàm sua conferre beneficia, aut non queat, aut prorsus non velit, aut illis infallibiliter teneatur.

c vt homil. de incompr. Dei nat. hom. 30. contr. Anom. homil. 79. ad pop. Antioch.
d lib. de hær.
e Ant. lib. 8. c. 3. vel 8.
Chrysostomus eos redarguit.
f vers. 1.
g vers. 46.
h 2. de Bapti. c. 8.
Caluinus redarguitur non à nostris tantùm, sed à Christo ipso.
i 3. Inst. ca. 29. num. 30. & in Acta.
k in Dom. 9. post Pent.
l Matth. 21. 13. Marc. 11. 17. Luc. 19. 46.
m Ioan. 2. 16.
n Mat. 23. 21.
o 3. Reg. 8. 13.
p Psa. 73. 2.
q Psal. 77. 60.
r Psal. 131. 13.
Deus non eget domo, nec loco includitur.
s Act. 17. 24. 25.
Spiritus S. habitat in cordibus fidelium, non includitur.
t c. 7. 4. & seq.
u Rom. 8. 9. 11.
x Sap. 1. 4.
Quid denotat Spiritum sanctum in cordibus habitare.

Neque verò quicquam habent Manichæi ad probandum diuersum esse DEVM noui, & veteris Testamenti, ex eo quòd in veteri Testamento iniuncta sit ædificatio templi, in nouo verò nul-

Contra Manichæos, diuersos Deos statuentes veteris atque noui Testamenti fomentes.

A lum tale præceptum habeatur. Nam & in veteri Testamento ita iniuncta est, vt simul declaratum sit, non esse necessariam DEO templi ædificationem. In nouo etiam, quamuis non sit templi iniuncta ædificatio à CHRISTO, tamen ab ipso approbatus est vsus templi, & ita licita esse ostenditur illius ædificatio, prout rectè contra eosdem Hæreticos obseruauit Augustinus [y].

y lib. cõt. Adimãtum. c. 10.

Versus 51.] Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper SPIRITVI sancto restitistis, sicut patres vestri, & vos.

B

DVRA *ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus.*] *Purgatus à crimine, de quo falsi testes eum arguebant, incipit Iudæos arguere*, inquit Glossa ordinaria: *quia qui sine crimine est, dignus est doctoris officio.* Hactenus mansuetè concionatus, nunc asperiùs agit, quia *videbat illos*, inquit Oecumenius, *animum non aduertere his, quæ dicebantur, & sciens se moriturum ex reuelatione*, inquit Chrysostomus, *magna dicendi libertate vtitur*: quod etiam indicat Augustinus [z], dicens prætereà illum videri, *vt inimicum* [a] *loqui, cùm reuerà non esset, sed perfecto odio odisset peruicaciam ipsorum, & correptio hac maximam charitatem ostenderet*, vt ait Fulgentius [b]: *ita vt ideò in oratione, quam posteà pro eis fudit, audiri meruerit lenitas eius,* C *quia sine charitate non fuit in correctione seueritas, & Ecclesiasticum dispensatorem erudierit, vt ad corrigendum cuiuslibet peccati errorem, & non desit in ore correptio, & ad DEVM pro eo supplex effundatur oratio, vt qui malum fecit, per increpationem de malis operibus confundatur, & per orationem apud* DEVM *adiuuetur.* Extant huius confidentissimæ, & acerrimæ orationis exempla in Elia, Esaia, Daniele, Machabæis, atque in Martyribus noui Testamenti, pueris etiam, ac puellis, in quibus, vt de Stephano notat Chrysostomus [c], *libertas erat absque furore, & indignatione. Nam quòd ex furore non fuerit locutus, ostendebat*, inquit, *quando in cruciatibus pro illis orabat.*

Qui sine crimine est, dignus est doctoris officio.
Asperius hæc Stephani oratio cur sit.
z Ser. 1. de SS. & 94. de Diuer. & cõe. 1. in Psa. 70. & in Psal. 138.
a Ser. 92. & 93. de Diuerf.
b Ser. de S. Stephano.
Stephani dicendi libertas cum qui sint imitati.
c hoc loco.

D *Dura ceruice.*] Syriacè acrior etiam est increpatio: sic enim eos compellat אן קשיי קדלא ודלא גזירין בלבהון *au kaschie kedala vadle gezirin belebhun*, id est, *ô duri ceruice, & non circumcisi in cordibus suis.* Porrò satis frequens est hæc phrasis metaphorica, *dura ceruice*, ad significandam animi contumaciam, obstinationem, inobedientiam obfirmatam, vt dicatur quis *dura ceruice*, vel etiam *durissima ceruice* [d], aut, *indurare ceruicem* [e]: & è contrario, *curuare ceruicem*, est reddere aliquem faciliorem ad obediendum [f]: & idem *deiicere ceruicem* [g], vel, *conterere* [h]: aut in opposito sensu *habere ceruicem vt neruum ferreum* [i]. Ratio metaphoræ petitur ex ea colli parte, quæ constat ossibus orbiculatim vertebratis, & ita fit mollior ad inflexionem; vel ex bobus iugum detrectantibus. Ceruicosum Latini dicunt eum, qui est indomabilis, inexorabilis, contumax. Hæc verò allusio ex iugo, est multis in locis Scripturæ [k].

E

Dura ceruice quid significet.
d Exod. 32. 9. c. 33. 3. 5. c. 34. 9. Deut. 9. 6. 13. c. 31. 27. Prou. 29. 1. Baruch 2. 30. Eze. 2. 4.
e Deut. 10. 16. 4. Reg. 17. 14. 2. Par. 30. 8. ca. 36. 13. 2. Esd. 9. 16. 17. 29. Ier. 7. 26. c. 17. 23. c. 19. 15.
f Eccl. 30. 12.
g Ier. 48. 39.
h Psa. 128. 4.
i Esa. 48. 4.
k Act. 15. 10. Rom. 16. 4. Thren. 1. 14.

Eòdem spectat *ambulare*, aut *currere eleuato, erecto, seu sublimi, extento collo* [l]: & contrà, *collum alicuius calcare* [m], *curuare* [n], *subiicere* [o], est in subiectionem suam redigere. Vnde apud veteres pœnæ genus fuit, vt Magistratus, quem videret parum obedientem mandato suo, in collum eius inuaderet, idque intorqueret, vt videre est apud Liuium [p], Plinium [q], Ciceronem [r], qui ita loquitur: *Aliquem obtorto collo ad subsellia reducere.*

l Iob. 15. 26. Esa. 3. 16. Ier. 2. 20.
m Deut. 33. 29. Iosu. 10. 24.
n Eccl. 33. 27. Ier. 27. 8.
o Eccl. 51. 34. Ier. 27. 12.
p lib. 4. Deca. 4.
q lib. de viris illust. cum de M. Liuio Dru.
r Verr. 5. & orat. pro Clu.

Prӕtereà idem vitium obſtinationis exprimit Scriptura per *contentionem*,& *contentioſè agere*[a],per *eſſe durum*[b],per *frontem aream*[c],per *attritam*[d],per *peccata dura*[e], per *durum*,ſeu *obduratum cor*[f], vel *indomabile*[g]:& per *gentem*,vel *domum apoſtatricē*[h], aut *exaſperatricem*,ſiue *exaſperantem*[i], ſeu per *irritatores*[k],prӕtereà per *cor incredulum*, *atque exaſperans*[l],*& impœnitens*[m].

a Exo.32.27.2. Eſd. 9.17.
b Eſa.48.4.
c ibid.
d Eze.3.7.
e Ier.30.14.15.
f Eſa. 46.12. Pſ.94.8.He.3.
8.Baruch 8.7.
g Ezech.2.4.
h ibid.3.
i ibid.5.6.8.& cap.3.& 17.& 44. ſæpe.
k ibid.7.& alibi ſæpe.
l Ierem. 5.23.
m Rom.2.5.
Deus quomodo obduret & aggrauet.

Incircumciſis cordibus.] Huc faciunt quæ modò dixi de corde duro; quòd cor quidem DEVS *indurare* dicitur,& *aggrauare*[n], non poſitiuè, & directò, ſed permiſſiuè, & negatiuè, quatenus per magis peculiarem, & efficacem gratiam *non mollit*[o],ſeu *non tangit*[p],reddendo *ex lapideo carneum*[q], & non dat *cor intelligens*[r]. Alioqui fruſtrà reprehenderetur duritia,& grauitas[s] cordis, & minaretur DEVS ſe *contriturum eam*[t], & Sapiens, *cor durum habiturum male in die nouiſſimo*[u];&,*Qui mentis eſt duræ,corruiturum in malum*[x];&,*Qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinum ei ſuperuenturum interitum*[y]. Et rurſum DEVS fruſtrà hortaretur,*non obdurare corda*[z],& ſine cauſa punitus eſſet Pharao duriſſimi cordis homo. Nimirum is eſt duro corde,vt ait Bernardus[a],*qui nec compunctione ſcinditur,nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit.* Huiuſmodi ergo cor appellatur hîc, & alibi[b] incircumciſum. *Circumciſio verò cordis in Spiritu cuius laus eſt ex* DEO[c], & quam vocat Apoſtolus[d] *non manufactam*, eſt illa, quæ paſſiones mortificat,& mūdi leges præſcindit, & diuinas intelligere facit,non ſecundùm corticē literę, ſed in ſpiritu fidei,& charitatis CHRISTI. Talē Circumciſionem & promittit DEVS[e],& præcipit[f].Maximè autem requiritur Circumciſio concupiſcentiæ,quę potiſſimùm ſe exerit in ea parte, quæ perficiendæ generationi prolis deſtinata eſt: cuius partis Circumciſionem typum fuiſſe ſpiritualis,docent Patres,vt Irenæus[g]:præſertim cùm eadem pars cordis ſimilitudinem habeat, vt inquit Lactantius[h] (dixerat id verò etiam priùs Philo[i]) & denotet aperto, & ſimplici corde oportere nos viuere, & ne quod pudendum facinus, intra conſcientiæ ſecreta velemus, ſed peccata confiteamur.

n Exod.4.21. Rom.9.18.
o Iob.21.16.
p 1.Reg.10.26
q Eze 36.26.
r Baruch 2.31.
Deus quomodo ut corda non indurare iſſiciuè.
ſ Pſa.4.3.Mat. 19.8.Rom.2.5.
Qui ſit duro corde.
t Leu. 26.19.
u Eccle,3.27.
x Prou.28.14.
y Prou. 29.1.
Circumciſio cordis quæ ſit.
z Pſal. 94.8. Heb.3.8.
a 5.de conſid.
b Ierem.9.26. Eze.44.9.
c Rom.2.29.
d Coloſſ.2.11.
e Deut.30.6.
f Deut.10.16. Ierem. 4.4.
Circumciſio concupiſcentiæ præcipitur.
g lib.4.c.30.
h lib.4.c.1.
i lib.de Circ.

Et auribus.] Syrus legit, ובמשמעתהון *vbbemaſchemabbethehun*,id eſt,*& in auditu ſuo*, vbi maior vis ineſt.Sed Ieremias[k] quoque nominat *aures incircumciſas*: & alij *graues*, ſiue *aggrauatas*[l],& *obturatas*,& quidem *in morem aſpidis ſurdæ*[m], vt ad præſens propoſitum notat Auguſtinus[n], aut *induratas*[o], aut *ſurdas*[p],aut *non inclinatas ad audiendum*[q].Reperimus prӕtereà *labia incircumciſa Moſis*[r],etſi non pro vitio morali,ſed naturali locutionis impedimento.Chryſoſtomus hoc loco Actuū legit,*incircumciſis labiis*, *& auribus*, ſed alij nil habent de labiis. Egregiè Origenes in ſingulis partibus,& facultatibus noſtris, quid nos circumcidere oporteat, conſiderat ,auribus, labiis,corde, manibus,pedibus, oculis, guſtatu,odoratu, genitali corporis parte, &c.[ſ] *Vt exhibeamus membra noſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Denique pro eodem accipit Eſaias *incircumciſum*, & *immundum*[t].

Aures incircumciſæ quæ dicantur.
k cap.6.10.
l Eſa.6.10.ca. 59.1.Zac.7 11.
m Pſa.57.5.
n Ser. 94.de Diuer.
o Ierem.7.26.
p Mich 7.16.
q Ierem.7.24.
Labia incircumciſa quid ſint.
r Exo 6.12.30.
ſ Rom.6.19.
t c.52 1.

Ad hanc ſignificandam aurium incircumciſionem permiſit fortaſſe DEVS, vt Malcho ſeruo principis ſacerdotum (quem ſeruum credibile eſt ſatellitium illud animaſſe, & inſtruxiſſe contra CHRISTVM) Petrus abſcinderet auriculam dexteram[u], & vt longè pōſt Conſtantinus, vt à Chryſoſtomo proditum eſt[x], rebellibus Iudæis truncaret auriculas. Malchus, nomine Hebraico paulùm immutato, regem ſignificat,ex quo colligitur, propter contumaciam ſuam contra DEVM Iudæos, ex regia dignitate,qua prӕditi fuerant, in perpetuam ſeruitutem incidiſſe.

u Ioan.18.10. Luc 22. 50. Marc. 14. 47. Mat 26.51.
x hom.2 con. Iudæos.
Malchus ... ſer.

Auris, inſtrumentum eſt diſciplinæ, & obedientię:hanc illi abiecerunt,& nunc malè audiunt, *nec niſi ſiniſtra aure mandata percipiunt, quia videlicet res temporales tantùm curant*, vt indicant Cyrillus Alexandrinus[y], & Ambroſius[z]:donec ſub mundi finem reſtituat Malcho CHRISTVS amputatam auriculam dextram, *vt reliquiæ Iſraël ſaluæ fiant*[a]. Videtur & aurium perforatio, quæ adhibebatur mancipato perpetuæ ſeruituti[b], deſignare ſpiritualem aurium DEO obedientis circumciſionem, vt innuit Gregorius[c].

Aures ... Iudæi ... ſerunt.
y lib. 11. in Ioan.c.31.
z in c.22.Luc.
a Rom.9.27.
b Exod.21.6.
c Homil. in Ezech. *Iudæorum perpetuum quale.*

Vos ſemper SPIRITVI *ſancto reſtitiſtis, ſicut patres veſtri, & vos.*] Syrus rem hanc magis exaggerare videtur,per hæc verba,אנחן בכל זבן לקבל רוחא דקדשא קמין *anuthen becol zeben lukebal rucha dekudeſcha kamin*,id eſt,*vos in omni tempore contra* SPIRITVM *ſanctitatis ſtantes fuiſtis*.Hoc eſt Iudæorum quaſi naturale & proprium vitium, induratio, atque excæcatio cordis, & pertinax, ac obſtinatus contra DEVM animus, eóſque qui DEI loco illos regebant, vt abundè docent quæ adhuc diximus, & illud Eccleſiæ epithetum, quo adhuc eos inſignit,cognominans *perfidos*[d].Iampridem Eſaias hoc ipſum videtur apertioribus verbis expreſſiſſe[e]:*Ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt,& afflixerunt* SPIRITVM *ſancti eius, & conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellauit eos*, vbi Septuaginta legunt; *ipſi autem non crediderunt, & exacerbauerunt* SPIRITVM *ſanctum eius*,&c.vbi loco,*non crediderunt*, Græcè eſt, ἠπείθησαν, id eſt, *non paruerunt, & inobedientes ſeſe præbuerunt*.

d in orat. pro Iudæis. feria 6.Paraſ.
e ca.63.10.

SPIRITVI *ſancto.*] Ex hoc loco diuinitatem SPIRITVS ſancti colligit Chryſoſtomus, & Oecumenius non minùs, quàm ex citato Eſaiæ teſtimonio,ſicut & Athanaſius[f],dicens vtramque ſententiam penè eandem eſſe,& Nicetas[g],& alij.Docet etiam Baſilius[h],quoties in Scriptura inuenitur in obliquo caſu SPIRITVS ſancti,vel SPIRITVS DEI,ſeu Domini,SPIRITVM ſanctum accipi debere.Alij tamen intelligunt vel CHRISTVM ipſum, vt Hieronymus, vel Moſem, vt Adamus, iuxta id Pſalmi[i]: *Vexatus eſt Moyſes propter eos, & exacerbauerunt ſpiritum eius*, vbi etiam Aaron ſcribitur,*Sanctus Domini*.

Diuinitas Spiritus ſancti hinc colligitur.
f ad Serapionem, & Ser. de commun. Pat. & Fil. & Spi. ſancti.
g in orat.Nazianz. de Pentecoſte.
h lib. de Spir. ſancto.
i Pſal.105.32.
Spiritus ſancti cum legitur. Spiritus ſanctus intelligitur.

Reſtitiſtis.] Tanta quippe eſt arbitrij liberi vis, vt diuinæ gratiæ, atque inſpirationi reſiſtere poſſit.*Tangente ſiquidem* DEO *cor hominis*, inquit Concilium Tridentinum[k], *per* SPIRITVS *ſancti illuminationem, inſpirationem illam homo abiicere poteſt.* Quare Caluinus hoc loco deprauat gratiæ actualis naturam, & concurſum cum noſtra voluntate, dum ait, *eos hîc dici reſiſtere* SPIRITVI *ſancto, qui eum in Prophetis loquentem contumaciter reiiciunt*, nec agi de arcanis reuelationibus, quas DEVS cuique intus inſpirat, ſed de externo miniſterio. Nam ceruix dura, & aures incircumciſæ, corque durum circa ea propriè verſantur, quibus cor mouetur, tangitur, afficitur, & qui ſine vllo motu diuino interno Prophetas contemnit,non ita propriè ac directè reſiſtit SPIRITVI ſancto, vtpote qui nihil eum mouet, ſed reſiſtit perſonæ,quam audit,aut rationibus forſan, quas illa affert; quorum neutrum eſt SPIRITVS ſanctus:ſicut è contrario huic obedire,vel credere, non eſt credere,vel obedire hominibus duntaxat;

Liberum arbitrium ... reſiſtat Spiritui ſancto.
k Seſſ.6.c.5.
Caluinus deprauat gratiæ actualis naturam. Caluinus refellitur.
Obedire Spiritui ſancto quid ſit.

ſed vt

sed vt interiùs docemur, & suademur, ac persuaderi debemus DEVM per hos, vel Scripturas loqui.

De hac resistentia, quæ fit voci DEI etiam internæ, loquitur Dauid in Psalmo [a]: *Hodiè si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Denique nunquàm alioqui damnari quis posset de perfidia, aut infidelitate, vt de peccato mortali: nemo enim sub tali peccato tenetur id credere, ad quod credendum non habet gratiæ auxilium sufficiens, sine quo credere non potest. Igitur in eo peccabit is, qui resistere dicitur SPIRITVI sancto, quòd internis eius motibus resistit, sicuti eidem credit, qui illis assensum præbet. Lege Stapletonum in Antidotis huius loci.

a Psalm. 94. 8.

Sicut patres vestri, ita & vos.] Syrus magis premit dicens, אנחון איך אבהיכון אף אנתון *anethun ach abbehechun aph anethun*, id est, *vos sicut patres vestri, etiam vos. Nunc increpando, patres illorum vocat, quibus similes essent in malitia, non autem etiam suos, sicut superiùs, cùm persuadendo loquens vocat nostros*, inquit Glossa ordin. Affine est hoc ei, quod est in Psalmo septuagesimoseptimo [b], quem concionem quandam, atque institutionem populi meritò appellaueris: *Ne fiant sicut patres eorum generatio praua, & exasperans: generatio, quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum DEO spiritus eius.* Eôdem allusit Ioannes Baptista, cùm appellauit Sadducæos, & Pharisæos, *progeniem viperarū* [c], hoc est, pessimorum parentum pessimos filios. Sed & CHRISTVS eodem nomine aduersùs eosdem vsus est [d]. Vterque non ad laudem, vt de Ioanne Ambrosius [e] existimauit, sed ad reprehensionem, vt ceteri Auctores, ex quibus eam, quam diximus, huius appellationis causam assignant Hieronymus [f], Gregorius [g], Beda [h], sed plura Toletus in Lucam [i], meritò refellens vulgarem illam sententiā, quòd in partu pereat vipera fœmina, & quòd ore concipiat abscisso maris capite. Maximi refert parentum, & maiorum exemplum in vtramque partem; qua de re Toletus [k].

Quare Stephanus dicat, Patres vestri.
b vers. 8. 9.
c Matth. 3. 7. Progenies viperarum quæ sit.
d infrà 23. 33.
e li. 2. in Luc. c. 3.
f in c. 23. Mat. & in c. 30. Es.
g hom. 20. in Euang.
h in c. 3. Luc.
i ibid. an. 22.
k in Luc. c. 3. annot. 9.

Versus 52.] Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu Iusti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis.

QVEM *Prophetarum non sunt persecuti patres vestri.*] Syrus etiam particulam causalem addidit, dicés, לאינא גיר מן נביא *leene guer men nebe*, id est, *quem enim ex Prophetis.* Actis retorsio, seu recriminatio, vel, vt Græci dicunt, ἀντικατηγορία, quoniam non ipse Stephanus blasphemus in Mosem existat, sed illi in eum, & alios Prophetas, quos non modò non audierint, verùm etiam persecuti sint, & occiderint: & si illos interfecerint, qui de CHRISTI, quem prædicabant, aduentu locuti sunt, nil mirum, si & ipse, qui iam præsentem, seu officio œconomiæ functum euangelizabat, ab iis appeteretur ad mortem. Esaias sectus est serra, vt Hebræi credunt, à Manasse impio rege Iudæorum, & consentit B. Hieronymus [l], & Epiphanius [m]; Auctor etiam operis imperfecti dicens [n] serram ligneam fuisse, & Anastasius Nicenus [o], & Cyrillus Ierosolymit. [p] indicans etiam iussu Manassis id factum fuisse, & Tertullianus [q], & Isidorus, & Dorotheus de vitis Prophetarum [r]. Innuit id quoque Paulus illis verbis epistolæ ad

Grauis in Iudæos recriminatio.
Esaias serra ligneâ sectus est.
l li. 15. in Esa. & in c. 26. Mat.
m in vita Esa.
n hom. 19. & 46. in Matth.
o q. 17. in Scr.
p Catech. 13.
q in Scor. c. 8. & li. de patiē. c. 14. & lib. 3. cat. con. Mar.
r in Esa. vita.

A Hebræos [f]: *Secti sunt*, seu, vt legit Hieronymus [t], *serrati sunt*; quod verbum Græcè ἐπρίσθησαν licèt quamlibet sectionem significare posset, nuncque illud σχίζειν in eadem notione ponant Danielis Interpretes [u], tamen ibi de Esaia intellexit B. Thomas, Theophylactus, Oecumenius (qui præter Hieronymum meminerunt de serra lignea) necnon Anselmus, Primasius, Haymo, & alij, Athanasius [x] quoque, sic verò carmine Tertullianus hoc descripsit:

Quem populus sectum ligno, sine labe repertum
Immeritum, demens crudeli morte peremit.

Idem Auctor operis imperfecti [y] affirmat Ieremiam lapidatum (Tertullianus, aliique idem dicunt)

B Ezechielem super lapides tractum, & excerebratum; quod in Babylone accidisse Primasius dicit: Theophylactus, & Oecumenius Michæam, & Zachariam gladio occisos, etsi Theodoretus hunc lapidatum scribat: & Dorotheus illum præcipitatum referat: de hoc verò, quòd lapidatus sit, habetur in Scriptura [z], qui locus à Hieronymo [a] citatur sub nomine historiæ Regum; quòd olim vtraque historia pro vna sumeretur. Elias, Elisæus, omnésque ferè alij Prophetæ persecutionem sunt passi. Dorotheus tradit Amos tempora clauo fuisse transfossa. De octogintaquinque sacerdotibus occisis à Saul testatur Scriptura [b], & de Prophetis à Iezabel [c].

C Denique Machabæorum historia [d] plurimas recenset mortes pro defensione pietatis à Gentilibus quidem illatas ex maiori parte, non tamen sine proditione Iudæorum. Solo triduo narrantur occisa octoginta millia, vincta quadraginta millia, non minus autem vænundata [e]. Manassem effudisse sanguinem innoxium, atque impleuisse cruore innocentium Ierusalem, narratur in Regum libris [f], & Ezechiel [g] appellat Ierusalem, *ciuitatem sanguinum*, necnon Habacuc [h], & Nahum [i]. Cur de nece Prophetarum Scripturæ non ita meminerint, lege Origenem [k].

Exprobrauit idem CHRISTVS Iudæis, & pridem ab eis factum, faciendumque pronunciauit grauibus, & multis verbis apud Matthæum [l]:

D *Væ vobis*, dicens, *Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis, Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, & genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ideò ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem: vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti* [m], *vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ* [n], *quem occidistis inter*

E *templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sūt.* Hucusque ex Matthæo, cui similem vltimæ sententiam Lucas habet [o], ac insuper istam [p]; *Non capit Prophetam perire extra Ierusalem*, id est, *vix aliter contingit aut fieri potest*, οὐκ ἐνδέχεται, licèt in Ægypto Ieremiam, Ezechielem occisum in Chaldæa tradant Epiphanius [q], & Dorotheus [r], & historia Regum [f] greges Prophetarum in Samaria occisos commemoret. Idem Lucas alibi [t] recitat alias præcedentes sententias, etsi paulò aliter. Eôdem potest referri, quod habetur in Parabola vineæ [u]:

f cap. 11. 37.
t in c. 26. Mat. & in c. 57. Esa.
u cap. 13. 55. 50.
x lib. de Inc. Verbi.
Ieremias lapidatus est, & alij.
y hom. 46. in Matth.
z 2. Par. 24. 21. 22.
a in c. 23. Mat.
b 1. Reg. 22. 18
c 3. Reg. 18. 4. 13.
Occisi à Gentilibus proditione Iudæorum.
d 2. Mac. 5. & 6. & 7.
e 2. Macha 5. 14.
f 4. Reg. 24. 4.
g c. 24. 9.
h c. 2. 12.
i c. 3. 1.
k ep. ad Afric. de hist. Susan.
l cap. 23. 29. & seq.
Christus eadem Prophetarum Iudæis exprobrat.
m Gen. 4. 8. Heb. 11. 4.
n 2. Par. 24. 21. 22.
o c. 13. 34.
p vers. 33.
Extra Ierusalē Prophetam non perire quid sit.
q in eorum vitis.
r in Synopsi.
f lib. 3. 19. 10.
t cap. 11. 47. & seq.
u Mat. 21. 33. & seq.

Agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, &c. & in alia de inuitatis ad nuptias [a]: *Reliqui tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt.* Paulus etiam egregiè hos descripsit [b]: *Quia eadem*, inquit, *passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis; qui & Dominum occiderunt* IESVM, *& Prophetas, & nos persecuti sunt, &* DEO *non placent, & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos Gentibus loqui, vt salue fiant, vt impleant peccata sua semper: peruenit enim ira* DEI *in illos vsque in finem.* Similis, tametsi antiquior, erat querimonia Eliæ DEVM alloquentis [c]: *Dereliquerunt pactum tuum filij Israël, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio.* Item illa Leuitarum apud Esdram [d]: *Prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos, vt reuerterentur ad te.*

a infrà 22.6.
b 1.The.2.14.15.16.
Iudæi quas persecutiones Apostolis intulerunt.
c 3.Reg.19.10.
d lib.2.9.26.

Ceterùm Iudæi suum illud cane peius, & angue, ac plusquàm Vatinianum, & internecinum odium, Eteocleâsve in Christianum nomen inimicitias retinuerunt semper, & quoad in ipsis fuit, omnibus modis exercuerunt. Nam Hieronymus exponens verba illa Ieremiæ [e]: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto;* & ista alia Iob [f]: *Induratur ad filios suos, quasi non sint sui, frustrà laborauit, nullo timore cogente,* inquit: *Indurata est ergo crudelis Synagoga Iudæorum contra Apostolos, & prædicatores noui Testamenti, qui de ipsa gente nati fuerant, quasi non essent sui filij, odio eos habens, & externos deputans, crudeliter illos vbique in deserto Gentium persequebatur propter Euangelium* CHRISTI. De iisdem idem [g] testis est, solitos ter quotidiè in omnibus Synagogis, sub nomine Nazarenorum, anathematizare vocabulum Christianum, & in id maledicta congerere. Nescio an Iustinus [h] eò alludat, cùm ait, *quod Iudæi* CHRISTVM, *& Christianos execrabantur in Synagogis.* Epiphanius [i] id intellexit fecisse illos aduersùs Hæreticorum sectam eiusdem nominis Nazaræorum, his verbis quando preces perfecerunt; *Maledic* DEVS *Nazoræis.* Sed verum esse quod Hieronymus dixit de Christianis, suadet liber Thalmud [k], in quo Iudæis præcipitur illud in Christianos vt faciant, quos contemptus causa Nazarenos etiam Iudæi nominant. Iure igitur tantus Doctor dixit [l]: *Si expedit odisse homines, & gentem aliquam detestari, miro odio auersor circumcisos, vsque hodie enim persequuntur Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *in Synagogis Satanæ.* Irrisiones Iudæorum Ambrosius [m] commemorat, necnon Tertullianus [n], addens prouocationes ad disputandum, de quibus quoque Eusebius [o], dum de Actis Pionij; prætereà Acta S. Syluestri Papæ, & Adrianus item Papa in epistol. ad Carolum Magnum [p], mentionem faciunt celebris disputationis in Vrbe, quam Iudæi summa importunitate à Constantino Magno extorserint. Rectè idem Tertullianus [q], *Synagogas Iudæorum fontes appellat persecutionum nostrarum,* de quibus persecutionibus ita loquitur [r]: *Nobis, qui successimus in locum Prophetarum, ea sustinentibus hodiè in seculo, quæ semper passi sunt Prophetæ propter diuinam religionem: alios enim lapidauerunt, alios fugauerunt, plures verò ad mortis necem tradiderunt, quod negare non possunt.* Iustinus disputans cum Tryphone Hebræorum nobilissimo Doctore, hos ait aduersùs Ecclesiam CHRISTI insidiis semper feralibus vsos fuisse: *Non solùm*, inquit, *non pœnituistis pro his, quæ malè à vobis gesta sunt, sed & viros aptos ad hoc elegistis de Ierosolymis, & misistis per omnem terram, qui concurrent, & dicerent impiam hæresim surrexisse Christianorum, simul & criminosa quædam diffamarent aduersùs nos, quo videlicet per hoc ignorantes quique deterriti consortia nostra vitarent. In quo non solùm vobis ipsis, sed & aliis opprobria fingendo, causa mortis extuistis.* Addit etiam eos manus ad necem Christianis inferẽdam immisisse, quoties potuerunt, & ab iis, qui rerum potiebantur, non sunt prohibiti. Sub Adriano siquidem Imperatore duce Barchocheba circa CHRISTI annum trigesimum supra centesimum, Christianos ad mortem vsque persecuti sunt, vt idem Iustinus [s], Eusebiusque [t], & Paulus Orosius [u] prodiderunt. Chrysostomus [x] refert aduersùs Constantinum rebellare voluisse, quòd se Christiano Principi subditos dolerent. Posteà cùm Iulianum fauentem haberent, sæuiebant liberiùs, & Ecclesias impunè incendebant, vt cognoscimus ex his, quæ idem Chrysostomus [y] scribit, & Ambrosius [z], & Ruffinus [a], & Tripartita [b], quod & sub Iustiniano, quãuis Christiano Imperatore, ausos fuisse, necnon & Christianos trucidare, memorat Auctor Miscellæ sub Domini annum quingentesimum quinquagesimumquintum, aut sextum (aliter supputat Eutropius [c]) & posteà Phocæ anno septimo, vt est auctor idem quoque Eutropius [d]. Si qui ex ipsis ad Ecclesiam emigrarẽt, ita malè accipiebant conuitiis, lapidibus, &c. vt ignis pœna proposita cohibendi fuerint à Constantino [e].

Iudæi ter in die Christianos anathematizant.
e Thren.4.3.
f cap.39.16.
g lib.2.in c.5. Esa. & lib.13. in cap 49. & li.14.in c.52.
h Dial.in Try.
i Hær.29.
In lib. Thalmud Iudæis præcipitur Christianos maledicere.
k ordi.1.tra.1.d.4.
l epist.65.
Iudæorum irrisiones in Christianos.
m epist.55.
n li.cont.Iud. c.1.
o li.4.hi.c.14.
p epist.3.
Iudæorum synagogæ fontes sunt persecutionum.
q in Scorpiac.
r lib.con.Iud. c.13.
Iudæi miserunt per orbem homines, qui … contra nos … [illegible]
Iudæi ad … [illegible] … Christianos … sunt.
s Apol.2.ad Antoninum.
t in Chron. an.17.Adri. & 4.Hist.c.6.
u lib.7.c.13.
x Homil.: con.Iudæ.
Quanta Iudæi … [illegible]
y Hom.4.in Matth.
z ep.17 & 18.
a 10.Hist.c.37.
b lib.11.c.11.
c lib.16.
d lib.17.
e l.Iudæis C. de Iudæis, & cœlic.

Quos poterant Christianos, mancipia faciebant, & ad suam superstitionem pertrahebant: quod ne fieret, cauit Theodosius [f]. Seditionem mouisse Socrates [g] narrat, & noctu Christianos peremisse sub Cyrillo Alexandrino. Cùm Polycarpus inflammandus esset, ipsi feruore, & furore maiore ligna comportabant in rogum, vt habet Eusebij historia [h], & ne Christiani reliquias auferrent, impediebant.

Mancipia quæ … [illegible]
f l.1. C. ne Christianum manci. hær. vel Iud.
g lib.7.Histo. cap.13.
h lib.4.c.15.

Aliqui nomen Christianum mentiebantur, vt Christiana gauderent immunitate, quod leges testantur eiusdem Theodosij [i], quibus inter Christianos cẽseri vetat, priusquàm debita redderent, & se à criminibus obiectis purgarent. Alij etiam id faciebant, vt reportarent lucrum ex liberalitate Christianorum, quod exemplum illius docet in Ecclesiastica historia [k], qui ideò sæpius baptizatus est, tandem tamen fonte tunc baptismali diuinitùs siccato, eius improbitas comperta est. Quòd si minùs palàm, & aperto marte Christianos insectari liceret, clàm & tectè insectabantur, & ludibrio habebant ritus Christianos, seu statuam Aman agentes in crucem, & incendentes in odium crucis, & CHRISTI, quod ab eodem Theodosio prohibitum legimus [l]: seu Christianos pueros in cruce necantes, quod contigit, teste Socrate [m], & Tripartita [n], circiter annum CHRISTI quadringentesimum decimumquintum, &, vt refert Victor Decarben. [o] 1241. & anno 1475. vt est in Romano Martyrologio [p], & apud Ioannem Mathiam Tyberinum [q], & Vbertinum Pusculum [r], qui meminit alterius pueri Richardi Parisiẽsis: & tandem Surius [s] prodit Iudæos comprehensos in ditione Brandeburgensi anno 1510. fassos esse paucis annis se septem infantes acubus, & punctionibus interfecisse, & idipsum similiter quotannis, si possint, facere.

Christiani nomen mentiebantur … [illegible]
i l.1.C. de his, qui ad Eccle. confug.
k 11. Trip. c.14.
l l. Iudæos C. de Iudæis, & cœlic.
m 7.Hist.c.16.
n lib.11.c.13.
o lib. de Iud. monb.
p 24.Martij.
q in propria Hist.
r in Carm. de eadem re.
s in Comment. rerum nostri temp.

Cùm Galliarum Rex Philippus Longus viueret, Robertus Gaguinus [t], & Paulus Æmilius [u] commemorant, per subornatos à Iudæis leprosos, omnes vbique puteos veneno infectos fuisse. Refert idem Æmilius [x], cùm pulsi Hispania à Sisebuto rege Iudæi se recepissent in Gallias, admonitũ ab

Iudæi in Gallia puteos infecerũt.
t lib.7. Histo. Franco.
u li.8. de gestis Franc.
x lib.1.

Impera

Iudæi Gallia & Hispania pulsi sunt.

Imperatore Heraclio Dagobertum regem, ingentem impendere Christianis à gente Circumcisa metum, Iudæos regno suo expulisse: quod & patrum ferè memoria (circa annum 1493.) in Hispania Catholici Reges Ferdinandus & Isabella fecerunt, & Emmanuel in Lusitania, vt anteà anno 1290. tota fuerant Anglia eiecti edicto publico, vt prodit Polydorus Virgilius [a]. Quoties autem è Christianorum sint eiecti ditione, leges apud Alfonsum Despinum [b], & Iosephum Stephanum [c]. Nam qui (vt grauis Hispanicarum rerum scriptor Lucas Tudensis memorat) principem in Hispaniis Toleti vrbē Iudęi, anno CHRISTI 816. Saracenis proditione tradiderunt, hi, cùm licuit, nullam non occasionem apprehenderunt regnum idem alia via perdendi, quò diuertere ipsos contingeret. De conspiratione eorundem in Regem Hispaniæ mentio est in quodam Concilio Toletano [d], & apud Alexand. Alensem [e].

a lib. 17. 16.
b in fortallitio fidei. lib. 3.
c li. de vnica relig. c. 19.
Iudæi Toleti vrbem Saracenis proditione tradiderunt.
d Conc. 17. c. 8.
e 2. p. q. 179.
Saeuierunt in imaginem Crucifixi.

Quid dicam de immani sæuitia etiam in Crucifixi imaginem Berithi, ex cuius vulneribus, quæ nouæ istæ pantheræ ei intulerunt, vberrimus manauit sanguis, qui omnes vbique ditauit Ecclesias? quæ res describitur in opere proprio apud Athanasium, licèt Athanasio sit auctor, résque ipsa recentior. Similem historiam Constantinopoli gestam ex manuscripto codice Baronius [f] narrat, dum res anni quadringentesimi quadragesimisexti recenset, quamuis quo tempore contigerit, non liqueat. Priorem recitat secunda Nicena Synodus, ante quam etiam posteriorem fuisse probabile non est, nec satis scio, an non alia ab illis sit, quam ad Iustiniani tempora anno 560. Sigebertus [g] refert. Quem anteà laudaui Victor Decarben. auctor est, Iudæos surreptam hostiam mortario contudisse, & imaginem CHRISTI telo transfixisse, stillantibus ex vtriusque vulneribus cruoris guttis in maxima abundãtia, anno 1298. possuntque hostiæ ab eis sacræ profanatæ plura proferri exempla. Ex quibus duo commemorat idem qui suprà Surius, anno 1510. & 1556. Legendus quoque Genebrardus [h], & Iouius Pontanus [i].

f Tom. 6. An.
g in Chron.
In sacrosanctam Eucharistiã sæuiti manum iniecerunt.
h in Chron.
i in hist. rerũ memorabiliũ. lib. 5.

Sunt & qui Scripturam sanctam corrupisse, & ab ea quædam derasisse velint, quibus Christiana mysteria magis illustrarentur. Demonstrant id multi recentiores, præsertim Leo Castro [k], & Salmeron [l], & Gulielmus Lindanus [m], Petrus Galatinus, & Adrianus Finus (etsi contrarium nituntur probare quidam, vt Ioannes Isaac [n]) & ex antiquioribus Patribus, Iustinus [o], Clemens Alexandr. [p] Origenes [q], Athanasius [r], Eusebius [s], Hieronymus [t], & alij, immò Nicolaus de Cusa [u] existimat Alcoranum à Iudæis compositum esse ex parte.

Dicuntur etiam corrupisse sacras literas, sed hoc nõ probatur.
k in Apol. & in Esa.
l Tom. 1. Prol. 4.
m lib. de opt. gen. interpr. Script.
n tra. de hac re.
o in Tryph.
p 1. Strom.
q ep. ad Iulliũ Africa. & tra. 26. in Mat. & hom. 12. in Ieremi.
r in illud Ess. Quæcumque dixit verbũ, &c.
s 4. Hist. c. 18. & lib. 6. ca. 13.
t Michææ 5.
Hæresis Iconoclastarum auctores fuerunt Iudæi.
u lib. cribrationum legis Mahomet. c. 1.
x lib. 9. Flag. c. 6. 7. 10.

Qui contra Iudæos scribunt, meminerunt variarum legum, quas Iudæi in suo Thalmud, & similibus libris tulerunt aduersùs Christianos, Adrianus Finus [x] maximè, qui hanc nominatim profert, *Licere Iudæis Christianos impunè, ac sine peccato interficere.*

Perniciosissimæ ac impiissimæ Iconoclastarum hæresis Leoni Isaurico Imperatori auctores fuisse Iudæos tradit historicus Græcus Constantinus Manasses, & aliquantò ante eundem persuasam ab iisdem Gizid Saracenorum Principi, seu Zitæ narrat Theophanes, & Zonaras. Vnde nil mirum si iis, quæ superiùs dixi, Imperatores Iudæos aliísque edictis compescuerint, & suis Pontifices,

A Conciliáve decretis.

Notabile est quod in duobus Gallicis Conciliis cautum legimus, Matisconensi primo [y], circa CHRISTI annum 575. & tertio Aurelianensi [z], circa annum 537. ne à die Cœnæ Domini vsque ad secundam Sabbati in Pascha (id est, feriam secũdam post Paschatis diem Dominicum) quod est per quatriduum, vllo loco, vel quacumque occasione Iudæi inter Christianos procedant, vel se immisceant, præsertim secundùm edictum etiam Childeberti regis per plateas, aut forum deambulando, quasi insultationis causa: quod hodiéque ex quadam Traditione seruari videmus in his vrbibus, vbi cum Christianis Iudæi versantur. Alioqui constat pluribus officiis, beneficiísque

Iudæi per quatriduum non cõparere debent.
y cap. 14.
z cap. 29.

B affectos Iudæos à Christianis Imperatoribus, quàm à Gentilibus, ita vt etiam gerere Magistratum possent, vt est in Codice Theodosiano [a], vbi tamen abrogatur Gamalielo prætoriana præfectura, propter hominis, & aliorum Iudæorum insolentiam, Sed in C. Iustinianæo [b], omnes administrationes & dignitates Iudæis interdictæ sunt. Est & hoc seueriùs interdictum in Concilio Generali, & sub grauibus pœnis sancitum, sicut constat ex Decretalibus [c]. Pontifices Romani illos in sua ditione esse patiuntur, ac priuilegiis quoque communiunt: attamen eosdem Pius V. [d] solùm Romæ, & Anconæ in Italica ditione sua degere permisit, & alij quoque Pontifices certis il-

a l. 22. de Iud. &c.
b de Iud. & cœlico. l. hac valitura.
c c. cùm sit nimis. & cap. ex speciali. de Iud. & Sarac.
Pontifices Romani de Iudæis quid sanxerint.
d Bulla 13.

C los legibus coërcuerunt. Nam quos Iulius III. [e] nulla insigniri nota vetuerat, ornans & aliis beneficiis, vt allecti Ecclesiæ mansuetudine conuerterentur, Paulus IV. [f] glaucum colorem gestare præcepit: Gregorius [g] verò XIII. cauit, ne Christianis infirmis mederentur, ob incredibile in illos odium, & ingratitudinem aduersùs Ecclesiam (vnus Carolum Caluum Imperatorem Sedechias medicus veneno sustulit [h]) & vt quibusdam in casibus sanctæ Inquisitioni essent subiecti [i] (quod de Nicolao IV. refert quoque Directorium Inquisitorum [k]) præcipit item [l], vt sin-

e Bulla 4.
f Bulla 3.
g Bulla 21.
h Aimoinus lib. 5. c. 35.
i Bulla 29.
k p. 171. seu 2. p. q. 44.
l Bulla 52.

D gulis hebdomadis in Synagogis habeantur Catecheses doctrinæ Christianæ, quibus adesse compellantur ex vtroque sexu maiores duodecim annis. Hoc ipsum fecisse Nicolaum V. fertur, alióśque Pontifices, memores hanc olim à DEO *gentem electam, & ex iis* CHRISTVM [m], *atque salutem nostram fuisse* [n]. Nicolaus autem III. misit Breue ad Lombardiæ Prouincialem ex ordine Prædicatorum, in quo hortatur, vt sedulò incumbat in conuersionem Iudæorum. Multa de Iudæis reperies in Conciliis Toletanis, & apud varios Auctores, præter citatos, quos citat Iacobus Simanca in suis Catholicis Institutionibus [o]. In his maximè legendus Hermas Letmatius eo opere, quod scripsit de Instauranda religione, & P. Antonius Pos-

Gregorius XIII. voluit, vt Hebræis singulis hebdomadis habeãtur conciones.
m Rom. 9. 5.
n Ioan. 4. 22.
Iudæorum conuersio procuranda.
o tit. 35.

E seuinus noster [p], qui de ratione procurandæ salutis eorum aliquot capitibus disserit, nósque in Disputatione de Fide docuimus, cur tolerentur in Ecclesia. Consulendus eadem de re Augustinus & Cassiodorus [q], Sidonius in epistolis [r], Concilium Moguntinum [s], Burcardus [t]. Alioqui viri sancti gentem istam propter odium, quo nos prosequitur, & CHRISTVM, odio sunt sancto prosecuti. De Hieronymo priùs memini. Nicon Monachus Armenus sanctitate conspicuus, hac lege Lacedæmonios pestilentia liberauit, vt Iudaicam gentem expellerent, ne moribus, vt ipse dicebat, execrandis, piaculísque religionis suæ diutiùs ipsos contaminarent: pollicens prætereà id si face-

p lib. 9. Bibl. sel.
q in Psa. 58.
r li. 3. ep. 4. li. 4. epi. 5. lib. 6. epist. 11.
s cap. 6.
t lib. 6. cap. 33.
Nicon monachus Armenus in Iudæos quid fecerit.

rent,

rent,reliquam cum illis vitam acturum. Cùm autem posteà eiectis Iudæis Ioannes quidam Aratus fautor Iudæorum,opificij prætextu Iudæû quemdam in vrbem introduxisset,Nicon fuste foras extrusit:nec lingua,nec auribus eorum sustinens nomen vsurpari [a].Illi conueniebat ea sententia[b]: *Nónne qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi*. Rursum alia [c]: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

a in Act. seu vita S. Nicon.
b Psal.138.21.22.
c Psalm.15.4.

Iusti nomen qui nam Prophetæ Christo tribuerint.
d verſ.24.

De aduentu Iusti.] Præter ea,quæ de isto nomine,vt CHRISTO peculiariter tribuitur, dixi capite 3.[d] obseruatione dignum est, id CHRISTO nomen assignari,præsertim ab illis Prophetis, qui persecutionem passi , ac mortem etiam propter iustitiam , & annunciationem Iusti huius existimantur. Esaias námque [e] *ciuitatem eius* vocandam ait *Ciuitatem Iusti* : rogat [f] *vt nubes pluant Iustum*: idem [g], *Propè est*, inquit, *vt veniat Iustus meus*; & [h], *Egredietur vt splendor Iustus eius* ; & [i] , *Videbunt Gentes Iustum tuum.* Et aliàs vsurpat eandem vocem [k]. Ieremias etiam ita de CHRISTO vaticinatur [l] : *Suscitabo Dauid germen iustum , & regnabit rex , & sapiens erit , & faciet iudicium & iustitiam in terra.* &c, *hoc est nomen , quod vocabunt eum , Dominus Iustus noster.* Adde Zachariam (si placet eum esse, qui interfectus sit à Iudæis inter templum & altare,vt existimauit noster Ribera [m], citans Chrysostomum [n],addíque potest Strabus,& meminerunt istius opinionis Origenes,& Hieronymus [o], qui idem nomen CHRISTO tribuit) cùm ait [p]: *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus , & Saluator.* Hoc idem CHRISTI typus Melchisedec in ipso nomine præsignificauit:quippe idem valet Hebraicè מלכיסדק *melchisedec*,quod, *Rex meus iustitiæ*, vel, *iustus*:aut potiùs absolutè [q], *Rex iustitiæ* [r]:CHRISTVS enim *factus est nobis iustitia , vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est* IESV CHRISTI. Habet hoc loco magnam emphasim epithetum Iusti ad comprimendos aduersarios, & attrahendos,vt notant Chrysostomus,& Oecumenius:nec enim Iustum negare poterant , qui nec pedem quidem terræ possedisset,ac proinde fateri se iniquos debebant,qui adeò iustum occidissent.

e cap.1.26.
f cap. 45.8.
g cap.51.5.
h cap.62.1.
i ibidem 2.
k c.41.2.10.c.46.11.ca.53.11.c.57.1.
l ca. 23.5.6.& cap. 33. 15.16.
m Zach.3.n.1.& seq.
n ho.de nat. Ioan.Bapt.
o in Mat.c.23.
p c.9.9.
Melchisedec Christi typus,est rex iustitiæ.
q Heb.7.2.
r Rom.3.26.
Christus verè iustus cur dicatur.

Cuius vos nunc proditores.] Syrus per hæc verba expressit,ita dicens, דאנחון אשלמתון וקטלתוניה *danethun eschlemthun vaktalthunaethi* , id est , *quem vos prodidistis, & interfecistis eum.* Proditores autem CHRISTI Iudæi dicuntur, vel quia Iudas, qui ex ipsis erat,proditor fuerat, cui dato pretio consenserant [s] ; vel quia tradiderant eum Gentibus , & Pilato ; vel quia illum ad mortem popòscerant, à quo tot beneficiis affecti erant [t] (est enim proditio quædam ingratitudo) & quem quinque antè diebus tanto triumpho exceperāt* vt beneficum, atque Regem:ita vt adeò repentina mutatio simulatum ac proditorium animum arguisse videri potuerit,licèt ex animo ac seriò id tunc fecisse credendum sit de plurimis. Digni profectò, vt eorum etiam cadauera extra Iudæos fines eiicerentur,qua pœna fuisse mulctatos Phocionem, eósque, qui proditionis insimulati fuerant,auctor est Plutarchus [u], & Valerius Maximus [x] , meminítque legis Atheniensium Xenophon [y]:digni iis etiam pœnis, quas bene institutæ Respublicæ, & sapientes Principes de proditoribus, quantumlibet eorum ipsis proditiones placuissent , repetierunt. Scitum est quod ait Æschylus [z]:

Τοὺς προδότας γὰρ μισεῖν ἔμαθον,
Κοὐκ ἔστι νόσος τῆσδ' ἣν ἀπέπτυσα μᾶλλον.

Iudæi cur proditores Christi dicantur.
s Mat. 26. 15.
t infrà 27.20.21.
Ingratitudo quædam est proditio.
* Mat.21.8.& seq.
Proditorum pœna.
u in vita,
x lib.5.cap.3.
y lib.2.rerum Græca.
z in Prom.tragœd. circa finem.

Didici enim odisse proditores,
Nec est vitium quod magis,quàm hoc despuam.

Lege Petrum Gregorium [a].

Homicidæ.] φονεῖς, *occisores*, tradendo crucifigendum Gentilibus.

a lib.33.cap. Syntagmat.

Versus 53.] Qui accepistis legem in dispositione Angelorum , & non custodistis.

QVI *accepistis legem in dispositione Angelorum.*] Quo modo lex à DEO ipso, & ab Angelo data dicatur, expositum est superiùs [b], vbi de Apparitionibus DEI actum.

b sup. 30.

In dispositione.] εἰς διαταγὰς, id est, *in institutionibus, & præceptionibus.* Syrus Græcæ locutioni valdè respōdet dicēs, ביד פוקדנא דמלאכא *beiad pukedana demalacha*, id est, *in manu*, seu, *per præceptum & mandatum Angeli.* Oecumenius exponit legem ordinationes habentem , quæ facerent eos , qui ipsam opere complerent, Angelos , ita vt *in dispositione*, non significet instrumentum, siue medium, quasi dicat per dispositionem Angelorum, seu per Angelos,quibus disposuit,vel præcepit DEVS:sed ad dispositiones Angelorum, id est, vt qui legem acciperent, nempe à DEO , seu mediatè, seu immediatè,per eam ordinarentur , & quasi referrentur inter Angelos,more illorum viuentes. Alium sensum ex aliorum opinione affert idem Auctor, quòd per Angelos statuta esset lex, & Mosi tradita per eum, qui ipsi in rubo apparuit [c] εἰς διαταγὰς, id est, *in*, vel, *ad dispositiones*, siue, *secundùm dispositiones*, quemadmodum illi Angeli statuerant Mosi apparentes in rubo & in monte [d] , quasi εἰς, sit pro κατὰ, id est, quasi *in*, præpositio *secundùm* significet. Chrysostomus reiicit interpretationem dicentium, quòd lex ordinata fuerit ab ANGELIS: *Vbi enim*, inquit, *illi apparuerunt ordinantes legem? sed dispositam dici legem , quæ Mosi tradita fuit per Angelum apparentem in rubo , ita vt videlicet* DEVS *eam disposuerit.* Re ipsa certum est, legis auctorem , & dispositorem fuisse DEVM , quem Diodorus quoque Siculus [e] Iao nominat, etsi Angeli opera, quam dispositionis nomen significat , vsus fuerit. Tamen primæ explicationi fauet præpositio εἰς, nisi velimus explicare εἰς διαταγὰς, *in iussa*, vel, *edicta*(quod significat vox hæc Græca, sicut & διατάγματα, atque διατάξεις) legem distinctam, quæ ANGELI cum lege proposuerunt , quamuis loco DEI , aut Angelica præcepta , iuxta primum sensum, id est, exactissima , & sanctissima ; eo modo quo dicta est *esca* , *& panis* ANGELORVM [f] manna, id est, optimus cibus , & suauissimus , & quo ANGELI , si pane egerent, vescerentur. Hoc eodem idiotismo Hebræo vocantur *lingua* ANGELORVM [g] , id est, excellentissimæ , admirabiles, cum quibus nullæ possint comparari : & in Apocalypsi [h] *mensura Angeli* dicitur, id est, maxima. Hic videtur commodissimus sensus. Caietanus verò ait,non esse clarum,an dispositiones referantur ad varias apparitiones , an ad diuersitatem signorum,quæ apparuerunt cùm data est lex [i],an ad diuersitatem ordinationum,seu statutorū in lege, ac si dictum fuerit,quòd, Accepistis legem in statutis Angelicis.Paulus in epistola ad Galatas [k] dicit *legem ordinatam per Angelos* , διαταγεῖσαν δι' ἀγγέλων, id est, vt rectè notat Adamus [l], *exhibitam ministerio Angelorum certo tempore , inter legem naturæ & Euangelium; certo loco in monte Sina; extra Terram*

Lex in dispositione Angelorum quomodo sit data.
Alia expositio.
c Exod.3.2.
d Exod.19.& 20.
Deus legis auctor & dispositor est.
e lib.1.c.5.
f Sap.16.20. Psal.77.25.
Lingua Angelorum quæ dicantur.
g 1.Cor.13.1.
h cap.21.17.
i Exod.19.& 20.
Lex ordinata est per Angelos, quid sit.
k cap.3.19.
l ibidem.

promissio

a Gal. 4. 25.

promissionis, in Arabia [a], *certo modo, nempe terribili ad incutiendum metum carnali populo:* quæ etiam indicat Anselmus.

Angelos plures in datione legis fuisse qui dicunt.

Angelorum.] Carthusianus ex numero plurali colligit plures in datione legis Angelos visos, & obseruatos esse, eundem enim etiam multitudinis numerum ab Apostolo positum esse loquente de eadem re [b], quamuis de vno tanquàm principali faciat Moyses mentionem.

b Gal. 3. 19. & Heb. 2. 2.

Scio quosdam scribentes in epistolam ad Galatas [c], quales sunt hi, Ioannes Arboreus, Petrus Lombardus, sanctus Thomas, Oecumenius, Theophylactus, Gagneius, Innominatus, Primasius, Chrysostomus, Ambrosius, hi omnes in caput tertium eiusdem epistolæ, per Angelos intelligere Dei internuncios Moysem, & Aaron, & Iosue: *Legem enim requirent ex ore sacerdotis,* ait Malachias [d], *quia Angelus Domini exercituum est.* Sed iidem, excepto Ambrosio, alterum quoque sensum admittunt de substantiis spiritalibus, *quoniam*, inquit Theophylactus, *ad tubas illas, & tonitrua* [e], *ac terriculamenta Angeli administri erant.* Et absolutè hunc solum afferunt sensum Glossæ, & Haymo, Guillaudus, Titelmanus, Adamus, Theodoretus, Hieronymus, Anselmus, Augustinus, Carthusianus, Hugo Cardinalis. Libentiùs adhæserim posterioribus, propter magis cohærentem literæ sensum, & quia verisimilis est Carthusiani illa coniectura in principio posita. Nisi malis numerum pro numero positum affirmare, pluralem nempe pro singulari, quod non est infrequens in Scriptura, sicut contrà singularem pro plurali vsurpare, & vtrumque numerum eodem in loco commutare.

c in cap. 3.

d Malac. 2. 7.

e Exod. 19. & 20.

Lex seruata nō est à Iudæis.

Et non custodistis.] Et quæ anteà dixit, & quæ Scriptura vniuersa de Iudæis habet, docent satis superque, non esse custoditam ab ipsis legem. Verbum custodiendi significat seruare, & obseruare tanquàm depositum, vel rem periculo iacturæque expositam, & veluti rem veneratione dignam. Vtrumque conuenit præcepto, & imperio, & iustificationibus, & iudiciis, & testimoniis, & legi diuinæ, & idcirco omni custodia custodienda est. Atque idem est de verbo Dei, aut via, aut pacto, aut veritate, aut scientia, quæ custodiri præcipiuntur, idem etiam de custodia ipsa Dei. Cùm Paulus iniungit Timotheo, vt *depositum custodiat* [f], Theophylactus interpretatur de præceptis, de fide, ac vita animæ ipsi traditis, & similiter de custodia Dei custodita apud Zachariam [g]. Rupertus, Glossa, & Lyranus ibi. Videtur magis vsitata hæc phrasis in Scriptura, & Scriptoribus sacris, atque Ecclesiasticis, quàm profanis, quemadmodum & Græca φυλάττειν τὸν νόμον, ἢ δικαιώματα τοῦ νόμου. Lege Thesaurum linguæ Græcæ. Possumus nos Christiani cum Apostolo [h] ex comparatione Hebræorum argumentari: *Propterea abundantiùs oportet obseruare nos ea, quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritvs sancti distributionibus, secundum suam voluntatem.* Vbi id etiam intelligimus, quod hoc loco Stephanus obiicit, non custodisse legem Hebræos. Nam præuaricatio significans quamlibet legis transgressionem, fuit, cùm adorauerunt vitulum [i], & quando sunt fornicati cum filiabus Moab [k]: inobedientia, quæ est in aliis non contentis lege, licèt à Deo imperatis, cùm voluit populus reuerti in Ægyptum [l], & contra Dei voluntatem ascenderunt in montem, vt irent in Terram promissionis [m], & ita de aliis. Rursus apud eundem Paulum cum iisdem Hebræis, qui facti erant Christiani, agentem, idem vrgetur argumentum hoc modo [n]: *Videte, ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum* (Mosem) *qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis, auertimus, cuius vox mouit terram tunc, nunc autem repromittit dicens* [o], *Adhuc semel, & ego mouebo non solum terram, sed & cælum.* Ibi Paulus comparat proteruiam Iudæorum, qui pertæsi morantem in monte Mosem, noluerunt ei obedire, vt superiùs vidimus cum Stephano [p], sed repulerunt eum: & argumentatur à Mose ad Christvm, sicut superiore illo loco ab Angelis ad eundem.

Depositum custodire quid sit.
f 1. ep. c. 6. 10. & 2 epist. c. 1. 14.

g cap. 3. 7.

h Hebr. 2. 1. 2. 3. 4.
Christiani quāta religione Christi præcepta custodire debeant.

i Exod. 32. 6.
k Num. 25. 1.
l Nume. 14. 3.
m ibid. 40.
n Hebr. 12. 25. 26.
o Agg. 2. 7.
p vers. 38.

Versu 54.] Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.

Avdientes *autem hæc, dissecabantur cordibus suis.*] Syrus sic est interpretatus, התמליו חמתא בנפשהון *hethmaliju chamatha benapschehun,* id est, *repleti sunt ira in animis suis,* vel, *repleti sunt furore intra se,* διεπρίοντο ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Eodem verbo Græco vtitur Paulus, siue interpres eius, in epistola ad Hebræos, cùm enarrans varia genera Martyriorum, quibus Sancti veteris Testamenti [q] vexati sunt, de quibusdam scribit, quòd secti sunt, Esaiam innuens, vt paulò antè notaui, quem serra sectum tradunt; eumque secandi modum illo verbo significari asserunt. Est tamen generalior pro quauis sectione, vt videre est in verbis illis Danielis [r], quæ priùs quoque recitauimus: *Manet Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium,* vbi est eadem vox: & Suidas interpretatur πρίειν, σχίζειν, quod est scindi, & diuidi. Vim huius phrasis ita declarat hoc loco Carthusianus, vt significet, quòd aduersarij Stephani variis modis secabantur, & extra se quasi diuidebantur, ac rumpebantur, *quemadmodum*, inquit, *mala olla in igne posita crepat, & exilit; quia superbi, impatientes, & incorrigibiles erant. Intimo dolore disrumpebantur, quia non habebant idoneam rationem interficiendi eum: & tamen omnibus modis interficere volebant,* inquit Lyranus, quia passio præualens discrepat à ratione. Oecumenius idem prior magis explicauerat: *Si eum,* inquit, *occidere volebant, quomodo non statim occidebant? quia verisimilem sceleri occasionem prætexere volebant. Nam iniuria aduersus ipsos non erat rationabilis prætextus ad interemptionem, sed ad eiectionem, aut ad flagellationem fortassis, ad occisionem verò causa sufficiens non erat. Alioqui enim neque ipsius contumelia erat, sed Prophetæ aduersus illos accusatio: nec videri volebant interimere illum ob proprias iniurias, quemadmodum neque Christvm: etenim contenti non erant homicidium perpetrare, sed & gloria eius nocere conabantur, siquidem metuebant, ne celebris magis redderetur, si ob iniuriam ipsis illatam interimeretur.* Mutuatus est hæc Oecumenius ex Chrysostomo, ambo

q cap. 11. 37.
r c. 13. 55. 59.
Dissecari hoc loco quid sit.
Iudæi cùm satis causæ ad interficiendum Stephanum nō haberent, angebantur.
Iudæi inuidebant Stephani gloriæ.

mo, ambo enim dissectionem istam accipiunt de anxiæ afflictæque mentis ancipiti deliberatione, quemadmodum suprà *summi sacerdotes, & alij è Concilio dissecabantur, cum cogitabant interficere Apostolos* [a]. Vbi est idem verbum Græcum διεπρίοντο, quod ibi monui minùs rectè iuxta proprietatem Græcæ linguæ à Syro verti, *furore corripiebantur:* quo etiam modo hîc vertit, nempe, *repleti sunt furore intra se*, vt initio notaui.

a Act. 5. 33.

Et stridebant dentibus in eum.] Vt rabidi canes ringebant, & signo illo externo internum furorem prodebant; *super martyrem Stephanum dentibus colubrinis stridebant*, inquit Augustinus [b], *qui quasi serpentem in corde habebant.* Cum eodem illo priore verbo τῷ πρίειν, dixit Aristophanes [c],

b Hom. 6. de Sanctis.

c Citatus in Thesau. ling. Græcæ.

Μὴ πρῖε τοὺς ὀδόντας,

id est,

Noli serrare dentes, seu *stridere*, vel *frendere*.

Stridere dentibus Græci quomodo dicantur.

Et Celsus, *dentibus stridere*, pro eo quod Hippocrates, πρίειν ὀδόντας, & Suidas, βρύχειν ὀδόντας, quod hoc loco dicitur, exponit per verbum τρίζειν, quod per onomatopœiam significat *stridere*, & est apud Marcum [d]. Quamuis etiam idem Aristophanes [e] hoc verbum πρίω, sumpserit pro emo, sic dicens, ἐγὼ πρίωμαι τῷδε, vbi interpres sic exposuit, πρίωμαι ἀντὶ τὸ ἀγοράσω, καὶ ἀποδώσω τὴν ἀπολώλεκαν, id est, πρίωμαι dici hic loco verbi *emam lecythum, & restituam tibi rem illa perditam*: tamen διαπρίω est, vt Thucydides loquitur, δίχα πρίω, id est, *in duas partes seco*. Synesius in epist. 104. διαπρίειν verbo in hac significatione vsus est scribens, ὡς κατεαγὼς εἴη, καὶ διαπρίεται τὸ σκέλος, *quasi confractum esset, etiam scissum est crus*, quamuis etiam pro frendere hîc sumi possit, cùm ea quæ dissecātur, vi adhibita frendere soleant. Hæc quidem de verbi διαπρίω, significatione dicta, ad priorem potiùs annotationem, quàm ad hanc pertinent, sed occasione illius verbi πρίειν τοὺς ὀδόντας, quod est frendere dentibus, hîc adiecta sunt: quod tamen hîc est fremere dentibus, est Græcè, βρύχειν τοὺς ὀδόντας, & Syriacè, ומחרקין הוו שניהון *vamcharekim hauu schanaiehun*, id est, *& stridebant dentibus suis*, vel, *frementes erant dentibus suis.* Hoc autem est signum iracundiæ belluinæ, vt testatur Iob de falso accusatore suo [f]: *Collegit furorem suum in me, & comminans mihi infremuit contra me dentibus suis:* & Dauid de satellitibus Saulis [g] concitatis cōtra se ita scribit: *Frenduerunt super me dentibus suis*, vt exponit Theodoretus, licèt alij ad CHRISTI aduersarios referant, vt & illud Threnorum [h]: *Sibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt, Deuorabimus.* Et idē Psalmographus [i] de impiis in die Iudicij conturbatis, iuxta explicationem Hieronymi, Augustini, Cassiodori, & aliorum: *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet*; & de quouis impio aduersùs iustum [k]: *Obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis.* Cassiodorus [l] fremitum docet propriè ferarum esse, ac iustè feruentibus datum, quando ratione postposita beluino furore succensi sunt. Etsi verò Nonius Marcellus fremere, & frēdere distinguit, vt illud sit, *magnum sonare*, hoc *cum gemitu, vel iracundia miserum, aut minax sonare*. tamen aliquando confunduntur, & cum iis etiam verbum stridendi. Eadem videtur ratio, & vis stuporis dentium, atque stridoris, quæ toties à CHRISTO inter gehennæ pœnas recensetur cum fletu [m], significátque vehementem dolorem cum indignatione: sed stupor connotat indignationem aduersùs eum ipsum, cui dentes obstupescunt, quasi dolorem sibi culpa sua peperit, qualis dolor ac indignatio reperitur in iis, qui acerbos, & immaturos fructus comedunt, suaque intemperantia ita dentes hebetarunt, vt mandere nequeant. Quocirca irascitur DEVS Iudæis apud Ieremiam [n], & Ezechielem [o] dicentibus: *Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*, quasi ipsi, qui nil comederant, id est, deliquerant, dentium stuporem iniustè paterentur, id est, plecterentur. Contrà verò Sapiens [p] admonet patrem, ne indulgenter tractet filium, experturus alioqui inde dolorem: *Non corrideas illi*, inquit, *ne doleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui*, id est, tibi ipsi imputabis & indignaberis. Vnde intelligitur, quàm aptè hi Stephani aduersarij stridere dentibus dicantur, eò quòd forsan pœniteret eos tam diu illum tolerasse, nec de medio sustulisse; & multò magis damnati [q], *qui videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, & præ angustia spiritus gementes, Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij, &c. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, &c.* Hieronymus, seu alius apud eum in Commentariis Iob [r], nempe Philippus presbyter, & Beda [s], & Carthusianus, & Lyranus, & Gregorius, & alij nonnulli, quos citat Pineda, fletu damnatorum significari putant supplicium ignis, qui calore, fumoque lacrymas eliciat; dentium autem stridore pœnam frigoris, iuxta id quod est in libro Iob [t]: *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius.* Verus proculdubiò fletus erit, stridorque in corporibus post generalem anastasim, quam hinc quoque Hieronymus confirmat [u], sed non erunt hæ forsitan diuersæ pœnæ; verùm quia qui vehementissimè torquentur, facere vtrumque solent, & flere scilicet, & dentibus stridere, maxima tormentorum vis à CHRISTO designata est per fletum, ac stridorem dentium. Non absimilis in Prouerbiis [x] sententia: *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis; sic piger iis, qui miserunt illum:* vbi Septuaginta Græcè sic habent, ὥσπερ ὄμφαξ ὀδοῦσι βλαβερὸν, καὶ καπνὸς ὄμμασιν, οὕτω παρανομία τοῖς χρωμένοις αὐτῇ, id est, *sicut vua acerba dentibus noxia est, & fumus oculis, sic iniquitas iis, qui vtuntur ea.*

Stridere dentibus iracundiæ belluinæ signum est.
f cap. 16. 10.
g Psal. 34. 16.
h cap. 2. 16.
i Psal. 111. 10.
k Psal. 36. 12.
l in Psal. 2.
Fremere & fridere vt distinguantur.
Stridor dentium in pœnis inferni quid sit.
m Matt. 8. 12. c. 13. 42. 50. c. 22. 13. c. 24. 51. c. 25. 30. Luc. 13. 28.
Stupor dentium quomodo sit intelligendus.
n cap. 31. 29.
o cap. 18. 2.
p Eccl. 30. 1.
q Sap. 5. 2.
r in cap. 24.
s in cap. 3.
Fletus damnatorum supplicium ignis denotat.
t cap. 24. 19.
u in c. 8. Mat.
x cap. 10. 26.

Versus 55.] Cùm autem esset plenus SPIRITV sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam DEI, & IESVM stantem à dextris virtutis DEI.

CVM *autem esset plenus* SPIRITV *sancto.*] Syrus ista sic reddidit, והו כד מלא הוא הימנותא ורוחא דקודשא *vehu cad mele hana haimenutha verucha dekudescha*, id est, *& ipse cùm plenus esset fide & spiritu sanctitatis*; vbi patet addi fidem, quæ in Latina editione non habetur, sed Græci codices nonnulli habent, ὑπάρχων δὲ πλήρης πίστεως, καὶ πνεύματος ἁγίου, *cùm esset plenus fide, & SPIRITV sancto.* Hæc plenitudo qua ratione intelligenda sit, aliàs dixi [y]; & fortassis modò significat nouum quendam SPIRITVS sancti impulsum, quo aduersùs efferatam rabiem aduersariorum instructus est. Glossa interlin. declarat *plenum fuisse, vel vt solebat esse, vel maximè illa hora superabundasse gratiam: quoniam*, inquit Lyranus, *ea plenitudo prior fuit augmentata in martyrio* (quod nempe imminebat) *qui est actus charitatis perfectæ.* Aptè plenitudinis huius facta est nunc mentio, ne

Plenitudo Spiritus sancti qua sit hic sumta.
y cap. 2. 4

quis

A quis lapsum vllum suspicaretur in Stephano, cùm adeò vehementer Iudæos coarguit; tum præterea, quia mox dicendum erat vidisse illum gloriam DEI. Nyssenus [a] hinc Pneumatomachos conuincit, qui, quoniam inferiùs Stephanus profitetur *vidisse* IESVM *stantem à dextris virtutis* DEI, videlicet PATRIS, nec meminit SPIRITVS sancti, argumentabantur SPIRITVM sanctum non esse DEVM. Sed si SPIRITVS sanctus DEVS non esset, Stephanus plenus illo nō diceretur, cùm nulla creatura rationalis nisi DEO plena esse possit, vt aliàs dixi. Damascenus [b] ex his verbis, *plenus* SPIRITV *sancto*, & ex aliis, *vidit gloriam* DEI, & ex istis, *&* IESVM *stantem à dextris*, &c. colligit mysterium TRINITATIS.

a oratio de S. Stephano.

b lib. 1. parallel. c. 1.

B *Intendens in cœlum.*] Aut iā suspirans ad patriam, quam mox erat ingressurus, atque hæc infima, sordidáque despiciens; aut aduersariis bene precās, ac sibi ipsi contra imminentem mortem auxilium deposcens, ac citò affore sperans. *Simul signanter intellige*, inquit Petrus Damianus [c], *consecutionē verborum. Plenus est* SPIRITV, *& sic intendit in cœlum, quia qui* SPIRITV *diuinitatis afflatur, conculcatis terrestribus, cœlestibus inhiat, & æternis.* Idem subindicat Gaudentius Brixien. [d] Susanna innocentiam suam prodi cernens, *flens suspexit ad cœlum, erat enim cor eius fiduciam habens in Domino*, inquit Scriptura [e]. Mirificè excitat in nobis aspectus cœli nō admirationem modò cœlestium, & terrenarum rerum contemptum, atque fastidium, sed etiā opis in rebus arduis diuinæ fiduciam. Hanc Esaias vt ingeneret, prouocat ea oratione [f]: *Leuate in excelsum oculos vestros.* &, *Quare dicis Iacob, & loqueris Israël: Abscondita est via mea à Domino, & à* DEO *meo iudicium meum transiuit?* &c. Naturale est, miseris & calamitosis cœlum auxilij causa suspicere. Participium Græcum ἀτενίσας, significat *fixum obtutum*: qua in significatione idem Lucas in Euangelio [g], & suprà [h], vsurpat participium ἀτενίζοντες; *Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum.*

Quorsum S. Stephanus in cælum intenderit.

c Serm. de S. Stephano.

d Tractat. 9. Tom. 2. Biblioth. Pat.

e Dan. 13. 35.

Aspectus cæli quid in nobis faciat.

f c. 40. 26. 27.

g cap. 4. 20.

h cap. 1. 10.

D CHRISTVS ipse [i] quandoque cœlum conspexit editurus miracula, vel oraturus, tum aliis de caussis, tum vt nos idipsum facere doceret, dum oramus, vt obseruant Hilarius, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, siue vt vnde nobis omnibus in rebus petendum auxilium esset, indicaret: vt Leontius, & Ammonius tradunt. Ecclesia etiam in Missæ canone tradit, CHRISTVM *eleuatis oculis in cœlum ad* PATREM *consecrauisse*: idq; argumentatur Innocentius III. [k] fecisse argumento à minori, cùm id fecerit Lazarum suscitaturus.

Christus sæpius miracula in cælum suspexit.

i Matt. 14. 19. Ioan. 11. 41. & c. 17. 1.

k li. 4. myste. Missæ. c. 5. & c. cum Martha. de celebr. Missarū.

E *Vidit gloriam* DEI.] Lyranus refert opinionem aliquorum dicentium, quòd Stephanus visione mentali viderit etiam Diuinitatem, sicut Paulus *in raptu ad tertium cœlum* [l]. Refellit istud; quia cùm Paulus hoc vidit, sensuum vsum tum non habebat, quemadmodum Stephanus, qui dum videbat, se videre affirmabat. Secundam sententiam ponit, fuisse visionem imaginariam, ita vt formauerit DEVS in Stephani imaginatione species idoneas ad repræsentandum DEVM, & hominem CHRISTVM, Stephanus autem mente cognouerit significatum illius repræsentationis, atque sic fuerit mentalis visio, vt contigit quibusdam Prophetis. Attamen tertio loco mauult fuisse duntaxat corporalem solius CHRISTI visionem, quoniā textus exprimit *intendisse oculos in cœlum, & vidisse*: non quòd oculis Stephani robur adiectum sit, vt CHRISTVM in ipso cœlo empyreo existentem conspiceret, penetrando alios cœlos acumine sui

Stephanus non vidit diuinitatem.

l 2. Cor. 12. 2.

Stephani visio qualis fuerit.

Visio fuit corporalis.

visus, *quoniam*, inquit, *hoc modo fieret visio per intromissionem, sed quia à corpore* CHRISTI *existentis in cælo fuit immutatus oculus Stephani ad visionem Humanitatis* CHRISTI, *in cuius potestate est, sicut fortasse & cuiusuis alterius corporis gloriosi, quoniam perfectè est animæ subiectum, vt pro sua voluntate videatur propè, & longè in propria atque aliena effigie, quemadmodum contigisse* CHRISTO *narrat Luca Euangelium* [m]. Quod ad Diuinitatem attinet, ait formatam esse aliquam effigiem exteriùs, quæ oculum immutaret eo ferè modo, quo Angeli videri dicuntur: Stephanum autem per intellectum iudicasse, quòd illa effigies non erat Deitas, nisi tantùm repræsentatiuè.

Quomodo Stephanus Christum viderit.

m c. vlt. 16. & seq.

Carthusianus ex his opinionibus, quas etiam commemorat, nullam videtur propriè sequi, sed quartam, vt Stephani visio fuerit anagogica, pura, & intellectualis, absque admixtione phantasmatum, ac medio modo se habens inter visionem viæ per fidem, & Patriæ per speciem, atque sic visio illa fuerit in superiore parte animæ, immò in apice intellectus, *sicut*, inquit, *in contemplatione mystica Theologiæ, seu vnitiua sapientiæ fieri solet per splendidissimam quandam irradiationem increatæ æternæ* LVCIS.

Carthusiani de hac visione opinio.

Porrò primæ sententiæ fauent Patres: Nyssenus [n] quidem affirmat *vidisse ipsum lumen diuinum in lumine* DEI [o] *plena mentis comprehensione, atque* DEVM *&* TRINITATEM. *Solùm verò negatam huiusmodi visionem hominibus* [p] *per naturæ vires.* Hilarius Arelatensis ait [q] *iam tunc accepisse præmium, & vidisse* DEVM, *& quod sperabatur desideriis, oculis eius demonstratum, & spē in re, spiritu adhuc intra carnem militante, perfectam.* Augustinus [r] dicit, *quòd videbat* DEVM, *qui iam migrabat ad* DEVM, *immò &* TRINITATEM *ipsam, ac Diuinitatem* [s], *ac reuelata facie* [t] PATREM, FILIVM, *&* SPIRITVM *sanctum* [u]: Beda [x], *futuræ vitæ gaudia in hac adhuc vita, cùm diuinitus sublimatus esset, esse speculatum, eo modo, quo Paulum, cùm raptus est ad tertium cœlum* [y], *& alios nonnullos.*

Patres dicunt Stephanum vidisse Deum.

n oratio de S. Stephano.

o Psal. 35. 10.

p Ioan. 1. 18 & 1. Tim. 6. 17. & 1. Ioan. 4. 12.

q Hom. de S. Stephano.

r Serm. 99. de Diuers.

s Serm. 96.

t 2. Cor. 3. 18.

u Serm. 6. de Sanctis.

x lib. Retract. in Acta.

y 2. Cor. 12. 2.

Iam verò secundam opinionem sequitur Abulensis [z], simul agens de viso CHRISTO, & apertis cœlis, quoniam hi non propriè aperiuntur, neque dextram DEVS habet, neque oculi Stephani pertingere ad cœlum vsque empyreum suspiciendo quiuissent.

Abulensis opinio.

z in c. 22. 4. Reg. q. 16. & in c. 18. 2. Paral. q. 34.

Tertia placet Caietano, ita vt *vidisse gloriam* DEI, fuerit vidisse non DEVM, sed claritatē quandam corporalem, tanquàm præ se ferentem præsentiam DEI, quam etiam Stephanus inde intelligendo colligebat. Fauet plurimùm Scriptura, quæ gloriam DEI vsurpat pro re augustiore, ac diuiniore, vt pro insigni splendore. Sic ait ædificato à Salomone dedicatoque templo, *gloriam Domini operuisse illud* [a], &, *super tabernaculum à Mose constitutum* [b], & rursum, *super tectum fœderis* [c], & quam Interpres noster in Euangelio Lucæ vocat *claritatem* DEI, *quæ pastores circumfulsit* [d]: *& claritatem* CHRISTI *transfigurati*, nominat editio Græca δόξαν, id est, *gloriam*, quam Latinus reddit maiestatem, eadem voce vtens, cùm loquitur de Mose, & Elia simul apparentibus [e]. Eodem modo habetur in textu Græco apud Paulum loquentem de Mosis claro vultu [f], vbi & Latinus interpres vsus est nomine gloriæ, cùm tamen ibidem paulò pòst [g] reposuerit nomen claritatis. Item apud Ioannem [h]: *Clarifica me tu* PATER *claritate quam habui*, est Græcè, δόξασον τῇ δόξῃ, eodemque loco sæpiùs repetitur idem verbum

Opinio Caietani.

Gloria Dei in Scriptura quid sit.

a 3. Reg. 8. 10.

b Exo. 40. 32.

c Num. 14. 10.

d cap. 2. 9.

e Luc. 9. 31. 32.

f 2. Cor. 3. 7.

g v. 9. 11. 12.

h cap. 17. 5.

Græcum, Latinè redditum per verbum clarificandi. Hieronymus [a] vbi de varia notione nominis gloriæ disseruit, hanc quoque proposito conuenientem affert: *Significat*, inquit, *& aliud in Scripturis diuinis gloria, cùm augustius aliquid & diuinius hominum se præbet obtutibus*. Tum allata modò exempla profert, & hoc ipsum etiam de Stephano, additque plerisque in locis nostros, nimirum Interpretes, maiestatem pro gloria transtulisse: quod iam ex Euangelio Lucæ [b] docuimus. Denique vox ista gloriæ dicitur de omni re excellentissima, & optima, vt cùm Oseas [c] ait: *Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius*: & CHRISTVS apud Matthæum [d]: *Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis*: & apud Ioannem [e], *Si credideris, videbis gloriam* DEI.

DEVS ipse Maiestas vocatur, Græcè δόξα, *quam impij blasphemant*, vt ait Iudas [f], & CHRISTVS *splendor gloriæ* [g], ἀπαύγασμα τῆς δόξης, *splendor referens maiestatem* PATRIS. Sæpe gloria ponitur pro beatitudine [h], quia significat etiam felicem vitæ statum omnibus affluentem bonis: quo modo Ioseph patri iussit *renunciari vniuersam gloriam suam, & cuncta quæ viderant in Ægypto* [i]. Dicuntur prætereà *Cherubim gloriæ*, id est, gloriosi [k], quia *multùm habebant maiestatis & magnificentiæ* (vt Theophylactus ait [l]) *quæ videlicet eos venerabiles reddebat*. In tertia sententia videtur esse Hieronymus [m], cùm agens de cœlis apertis CHRISTO in Baptismo, ait *non reseratione elementorum apertos, sed spiritualibus oculis, quibus & Ezechiel in principio voluminis sui apertos eos esse narrat*. Arator indicat eandem sententiam, cùm ait [n]:

Lumina cordis habens, cœlos conspexit apertos.

Equidem non dubito Stephanum mente non fuisse alienatum, sed præsentem percepisse intelligendo quæ offerebantur: oblata verò esse ipsis oculis corporis eius vera, non ficta obiecta, propter tam apertum Scripturæ loquendi modum, planè mihi persuadeo: DEVM postremò ipsum non esse visum, magis mihi verisimile videtur, vt ab Stephano, ita nec ab aliis, de quibus disceptari solet, Mose videlicet, atque Paulo, sicut aliàs demonstraui [o]. Quocirca ex recitatis opinionibus, dempta prima, aliquid decerpo, simpliciter autem omnium maximè tertia probatur. Alioqui Petri Damiani [p] cautum, ac modestum propono, & lubens amplector iudicium. *Non mediocris*, inquit ille, *stupor inuoluit me, vtrùm primitiuus flos Martyrum corporeis, aut incorporeis oculis ista prospexerit. Grande quidem miraculum, si mentali intuitu stellantibus se immersit arcanis, si mundi corde oculi tam solemnem inspexerint visionem. Quòd si corporalibus, certum est, hunc omne hominum genus dispari[l]itate gloriæ præteruolasse, & pennis fidei, & virtutum incorporea corporeis etsi non comprehendisse, apprehendisse tamen luminibus. Nihil audeo temerè diffinire, vel ex abrupto præcipitare sententiam, cùm finitiuam super huiusmodi regulam me non legerim inuenisse. Securiùs tamen sequor Apostolum, immo* SPIRITVM DEI *in Apostolo, qui cum summa verborum deliberatione magis secura ambiguitatis, quàm periculosæ diffinitioni ista committit: siue*, inquit, *in corpore, siue extra corpus, nescio*, DEVS *scit* [q]. Hæc Petrus Damianus.

IESVM *stantem à dextris* DEI.] Aliqui codices Latini habent, *à dextris virtutis* DEI, quo etiam modo legit Petrus Damianus [r], fortasse ex Matthæo [s] huc aliquis hoc nomen transtulit. Syra editio sic legit, ולברה דאנשא כד קאם *velabberah danascha cad kaem*, id est, *& filium hominis quando stans*, supple est, sicque vtitur participio, quod positionem status significat, nempe, קאם *kaem*, & Græcum participium ἑστῶτα, eandem vim habet, quamuis aliquando Latinè stare idem sit solùm quod esse, siue adesse, & præsentem esse, vt alibi docui [t]; quemadmodum etiam quid sibi velit CHRISTVM esse, ac stare ad dexteram, vel à dextris DEI, aliàs explicaui. Ex quo liquet non denotare PATRE inferiorem esse, vt aduersùs Arrianos notat Nyssenus [u]. *Immò verò contrarium*, inquit, *hinc potius colligitur, siquidem Dauid de ipso canit* [x]: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, & Paulus in dextera solij* DEI *sedere Dominum dicit* [y]. Ostendit deinde corporaliter non accipiendas has corporis positiones: *Nam in homine quidem sessio*, inquit, *super dorsi extremam partem corporis positione designat, ne nimia semper contentio genuum ac poplitum in sese pondus corporis sustinens laboret. Statio autem significat arduum, & erectum super genua hominem. Per vtramque ergo vocem id quod in omni bono stabile, & in omni bono immutabile est*, inquit, *piè intelligemus, ac* DEVM *firmiter, atque immutabiliter constitutum esse, & in bono fundatum. Et quemadmodum Dauid ac Paulus noluerunt in suis scriptis Vnigeniti sessionem memorantes indicare quòd* PATRE *stante* FILIVS *in sede sit, eodem modo cùm Stephanus asseruit* FILIVM DEI *stare, non debemus suspicari* PATREM *sedere*, FILIVM *stare eum voluisse significare*: nimirum propriè loquendo.

Obiici potest, dexteram esse honoratiorem, ideoque videri potiùs sedentem ad dexteram PATRIS, PATRE superiorem. Quidam contendunt olim potiorem fuisse sinistram, vt Antonius Nebrissensis [z], & Ioannes Goropius Becanus [a]; Ribera [b] consentit de aliis nonnullis, non de Hebræis, quia mater filiorum Zebedæi petiit priore loco dexteram pro vno ex filiis [c], & CHRISTVS oues in iudicio ad dexteram statuet [d]; & Manassem Ioseph à se prælatum, posuit ad dexteram Iacob [e]. Dicendum ergo, prout alio in loco attigi, quoniam iudiciaria ei potestas demandata est, atque regia, regius verò thronus dignissimus locus habetur, vbicunque sit, CHRISTVS vt DEVS, consider in eodem throno DEI, & qui propiores sunt meritis, sedent ad dexteram eius, & CHRISTVS proinde vt homo, primo loco. Vnde Bethsabeam matrem Salomon rex considens in proprio honoratissimo throno, iussit sedere in alio ad dexteram collocato [f], & dicitur in Psalmo [g]: *Astitit regina à dextris tuis*. Quòd si spectetur idem CHRISTVS vt DEVS, posset quoque per attributionem attribui illi dextera, quatenus assignatur ei sapientia, ad quam pertinet iudicium: quod vtrumque & omnia accepit à PATRE FILIVS, nec vsquàm in Scriptura reperitur SPIRITVS sanctus sedens, quia neque etiam gubernans extrinsecùs, & hac ratione magis videtur FILIVS gubernare, videlicet per attributionem dictam, & iudicandi potestatem ipsi datam. Lege vtra dignior dextra, an sinistra, præter citatos & hîc, & illo alio loco Bellarminum [h], Lipsium [i], Ioannem Ferdinandum [k], Pinedam [l], Ioannem Sauaronem [m]. Aliquando dicitur DEVS esse à dextris alicuius [n], vt iuuet, & Diabolus vt noceat, si superiores partes habeat: iuxta hanc phrasim dicitur quoque *dextera Domini aliquem suscipere*, vel *protegere*, vel *apprehendere*, vel *exaltare*, est nimirum latus dextrum commodius propugnan-

a lib. 3. in c. 5. ep. ad Gal.
b c. 9. 31. 32.
c cap. 14. 7.
d cap. 6. 29.
e cap. 11. 40. *Deus ipse gloria dicitur.*
f in epi. vers. 8.
g Hebr. 1. 3.
h Luc. vlt. 26. Hebr. 2. 10. & alibi.
i Gen. 45. 13.
k Hebr. 9. 5.
l in epist. ad Hebr.
m in c. 3. Matthæi, & in c. 1. Ezech.
n lib. 1. in Acta.
Auctoris sententia.
o Disput. de beat. & in 1. Ioan. 4. 12.
Petri Damiani de hac Stephani visione iudicium anceps & ambiguum, sed pium & modestum.
p Serm. de S. Stephano.
q 2. epist. ad Corinth. cap. 12. 2.
Stans quid hoc loco significet.
r Serm. de S. Steph.
s cap. 26. 64.
t cap. 2. 14.
Christus non ab Patre inferior.
u orat. de S. Steph.
x Psal. 109. 1.
y Coloss. 3. 1. Heb. 1. 13. Roma. 8. Ephe. 1. 20.
Quid sit stare & sedere corpo. à dextra Dei.
Dextera sinistra honoratior.
z in Quinquagena cap. 19.
a lib. 1. Hieroglyphico. prope finem.
b in 1. ad Heb. n. 20.
c Matt. 20. 21.
d infrà 25. 33.
e Gen. 48. 13.
Christus vt Deus consider ad dexteram Dei.
f 3. Reg. 2. 19.
g Psal. 44. 10.
Deus Filius dicitur ad dextram Patris.
h 1. de Rom. Pontif. cap. 27.
i 2 electa.
k in Thesau. verb. Dextra.
l in c. 17. Iob. vers. 3. n. 4.
Deus quando à dextris, & quando Diabolus.
m in Sidon. Apoll. libr. 1. ep. vlt.
n Psal. 15. 8. & Psal. 16. 7.

ti & defendenti, necnon etiam offendere volenti, ſicut ſiniſtrum, quod infirmius eſt, à manu & brachio dextro protegitur. Ambroſius [a] obſeruat hoc duntaxat loco legi CHRISTVM ſtare, videlicet iam ex his terris ſublatum; porrò alibi ſedentem deſcribi vt iudicem, hìc autem vt aduocatum & Sacerdotem, qui offerret PATRI hoſtiam boni Martyris, vt præſulem redditurum bono luctatori brauium tanti certaminis. Deinde videtur inuehi in eoſdem illos iam confutatos à Nyſſeno, affirmans iſtos ideò non videre cœlos apertos, neque cernere IESVM ſtantem à dextris DEI, nimirum vt conſubſtantialem, quia non acceperunt SPIRITVM ſanctum, ſicut Stephanus, *Quòd ſi qui*, inquit, *obſcuuent, quod* FILIVS *ſtabat, oſtendant hoc loco, quòd* PATER *ſedebat*. Petrus Damianus ſcribit [b], quòd CHRISTVS *cum* PATRE *ſtante ſtabat, & cum bellante bellabat, nec minor illo erat.* Poſtremò Ambroſius [c] confirmat Deitatem FILII, ex eo quòd Stephanus ſuum Domino IESV ſpiritum commendauit, eumque pro lapidatoribus precatus eſt. Eadem ferè habet ſcribens ad Eccleſiam Vercellenſem [d], addens *ſteuiſſe* CHRISTVM, *vt ſollicitus iuuaret athletam, quem & paratus coronaret.* Monet tamen etiam dictum in Pſalmo [e], quòd DEVS *ſtetit in Synagoga Deorum, atque in medio eos diiudicaſſe.* Idem rurſus Ambroſius [f] expendit hunc aſpectum IESV, & cœlorum inde profectum, *quòd quæ iuxta pedes ſunt, & infima iſta, ac ſeipſum Stephanus deſpiciebat, ita vt etiam propterea lapidum non ſentiret ictus, non conſideraret corporis vulnera, oculis* CHRISTO *affixus, & illi adhærens.* Adhuc alio loco [g] docet, quòd immobilis fide Stephanus immobilem CHRISTVM vidit, nec vllo erat mentis timore commotus. Denique aduertit [h], quòd quem Maria Magdalena quærebat CHRISTVM iam ſuſcitatum in terra, Stephanus tetigit, id eſt, diſtinctè vidit, & cognouit in cœlo; quia non ſupra terram quæſiuit, ſed in cœlo, & ad dexteram PATRIS reſidentem.

a 3. de Fide. c. vlt.

Chriſtus nunquàm legitur ſtare, niſi hoc loco, & cur hoc fecerit.

Contra eos qui negant Filium Patri conſubſtantialem.

b Serm. de S. Stephano.

c ſuprà.

Filius Deus probatur.

d epiſt. 25. vel 82.

e Pſal. 81. 1.

f epiſt. 50. *Stephanus cur Ieſum vidit, & cœlos apertos.*

g in Pſal. 61.

h lib. 10. in c. 24. Luc.

Gregorius [i] patiente Stephano apertis cœlis IESVM ſtetiſſe ait, *quoniam ſtare eius compati eſt.* Bernardus [k], *Quia iuuabat, quo*, inquit, *modo Propheta in adiutorium eum ſurgere precatur* [l], *exurge Domine, adiuua nos, & Angeli ſtare dicuntur, ſiue aſſiſtere* [m], *qui miniſtrant: & homines etiam, qui perſiſtunt in vigore animi, & obſeruatione propoſiti.*

Cur Ieſus ſtare patienti Stephano viſus ſit.

i lib. 3 in c. 1. lib. 1. Reg.

k Ser 5 ſuper verb. Eſa.

l Pſal. 43. 23.

m Dan 7. 10.

n li. con. Praxeam. c. 30.

Chriſtus cur nunc ſtare, non ſedere dicatur.

o Pſal. 109. 1.

* cap. vlt. 19.

p in Pſal. 34.

q Serm. 92. de Diuer.

Tertullianus [n] autem quando dicit, *quod Stephanus vidit* FILIVM *ſtantem ad dexteram* DEI, *vt exinde ſeſſurum, donec ponat illi* PATER *omnes inimicos ſub pedibus ſuis* [o], non vult nunc non ſedere, quod affirmat Marcus in Euangelio*, & in Symbolo profitemur: ſed quodammodò adhuc pugnare nobiſcum. *Quid fortius*, ait Hieronymus [p], *quid pulchrius, quàm* CHRISTVM *armatum ſtare pro ſuis Sanctis: ſicut S. Stephanus vidit, quando dixit*, &c. Stare pugnantis, & adiuuantis eſt. Probabile eſt quod Auguſtinus [q] ait, viſos etiam ANGELOS tanquàm milites ducem CHRISTVM comitantes, & commilitonem in terra certantem hortantes, & iuuantes.

Verſus 56.] Et ait: Ecce video cœlos apertos, & FILIVM hominis ſtantem à dextris DEI.

ET *ait: Ecce video cœlos apertos.*] Cum cœlis ſolidiſſimis, & quaſi ære fuſis [r], immò incorruptibilibus corporibus aperiri, frangíve non conueniat, qui omnem iſtam viſionem imaginariam, aut intellectualem, nó corpoream oculorum exiſtimant, firmum ſe hìc argumentum reperiſſe glorientur. Non confugiam ad miraculum, quo poſito deberet ſpatium interiectum in illa apertione, aut vacuum relinqui, aut elementa ad id replendum aſcendere, ſi, inquam, in cœlis ipſis realem aperturam admittimus. Præſtat dicere, obiectam oculis Stephani ſpeciem apertionis, & hiatus ſenſibilis, quæ efficeret, vt partes aëris ſic oculos immutarent, vt apparerent diuiſæ, & diſtantes. Quod intelligi poteſt, ſi partes illæ, quæ ſeparari videntur, denſiores fiant, & lucidiores, ita vt ad illas poſſit viſus terminari, aër verò interiectus

r Iob. 37. 18.

A

Quomodo facta ſit cœli apertio in viſione Stephani.

B ratior maneat. Hoc modo explicat Suarez [s] cœlos apertos in CHRISTI Baptiſmo [t], volens, quod & alij paſſim, eadem ratione tunc omnibus, qui aderant, dum CHRISTVS baptizaretur, fuiſſe conſpicuos. Tantundem hìc affirmari æquè non poteſt. Si enim & alij, vt Stephanus, cœlos apertos vidiſſent, IESVM etiam vidiſſent, nec tantoperè Stephanum videre ſe CHRISTVM profitentem abhorruiſſent. Neque verò neceſſarium reor affirmare, penetraſſe aciem oculorum Stephani vſque ad cœlum empyreum, quod Auctori Operis imperfecti [u] placere video, quãquàm non propter argumentum, quo hoc improbaſſe Lyranum dixi, qui cùm inſuper ait, poſſe vndecumq; à corpore glorioſo immutari oculum alterius, & ab eo

s To. 2. in 3. p. diſp. 27. ſect. 3.

t Mat. 3. 16.

Alij qui præſentes erãt Stephano non viderunt cœli apertionem.

u Hom. 4. in Matthæum.

Lyranus putat corpus glorioſum à quocumque videri poſſe, ſi voluerit.

C cerni pro ſola voluntate Beati, abſque vlla alia in oculo videntis acceſſione, parum profectò philoſophicè agit, & nimis vim corporeæ rei amplificat. Igitur videtur mihi CHRISTVS ipſe tantiſper exiliiſſe de cœlo, ac propiùs acceſſiſſe, vnde ſeipſum cõmodè videndum exhiberet, & cœlos eo quo dixi pacto apertos repræſentaret, ita vt nõ vnum, ſed, quod ait Petrus Damianus [x], omnes cœli aperti apparerent. Rarò quidẽ CHRISTVS, at aliquando cœlum deſeruit, vt cùm Saulum vocauit [y], quod ſuo oſtendetur loco: & ſicut tunc à comitibus Pauli nec viſus, nec diſtinctè exauditus eſt, ita modò inhibiti ſunt aduerſarij, ne quod vi-

Chriſtum quomodo Stephanus viderit.

x Serm. de S. Stephano.

Chriſtus rarò, ſed aliquando cœlum deſeruit.

y Act. 9.

D debat Stephanus, viderent. Auguſtinus [z] affirmat *quòd ſolus Stephanus* IESVM *videbat, quia ſoli apparebat, & alij non videbant, ſed inuidebant. Non merebantur videre gloriam* CHRISTI, *qui angelicum, ac ſplendentem Stephani conſpicati vultum* [a], *nihilò euaſerant meliores, nec profuiſſet iis videre*, qui aures contimuerant, & exclamauerant aduerſùs Stephanum ſe videre proteſtantem. Eadem eſt opinio Nyſſeni [b]. Narrant hiſtoriæ ipſiſmet carnificibus, aliiſq; infidelibus oſtenſam Martyribus paratam gloriam, & ſigna nonnulla diuina, quibus prouocati, & hi Martyres facti ſint. Videtur tamen idem Auguſtinus [c] aſſerere, viſam Stephani frontem à Iudæis cruce conſignatam.

z Serm. 92. & 94. de Diuer.

a Act. 6. 15.

b Serm. de S. Steph.

c Ser. 92. de Diuerſ. & Ser. 99.

E Sed quod attinet ad apertorum viſionem cœlorum, ſequimur hìc eam opinionem, quam priùs protulimus, de reali corporea viſione, non de imaginaria ſola, vel intellectuali, quam vnam Gloſſa quoque interlinearis agnoſcit, negans reſerationem elementorum (hoc eſt, intuitum apertionis) & ſimiliter Gregorius Turonenſis in eadem eſt ſententia [d]. Rectè Auguſtinus [e] apertionem iſtam ei adſcribit, *qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit* [f]: & cœlum, quod poſt peccatum primo parenti clauſum erat, primum poſt CHRISTI Paſſionem latronem intraſſe [g] (ſumendo cœlum pro loco, vbi DEVS beatitudinem communicat)

d lib. de glo. Marty. c. 33.

e Serm. 95. de Diuer.

f Apoc. 3. 7.

g Luc. 23. 43.

Græcum, Latinè redditum per verbum clarificandi. Hieronymus [a] vbi de varia notione nominis gloriæ disseruit, hanc quoque proposito conuenientem affert: *Significat*, inquit, *& aliud in Scripturis diuinis gloria, cùm augustius aliquid & diuinius hominum se prabet obtutibus*. Tum allata modò exempla profert, & hoc ipsum etiam de Stephano, additque plerisque in locis nostros, nimirum Interpretes, maiestatem pro gloria transtulisse: quod iam ex Euangelio Lucæ [b] docuimus. Denique vox ista gloriæ dicitur de omni re excellentissima, & optima, vt cùm Oseas [c] ait: *Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius*: & CHRISTVS apud Matthæum [d]: *Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis*: & apud Ioannem [e], *Si credideris, videbis gloriam* DEI.

DEVS ipse Maiestas vocatur, Græcè δόξα, *quam impij blasphemant*, vt ait Iudas [f], & CHRISTVS *splendor gloria* [g], ἀπαύγασμα τῆς δόξης, *splendor referens maiestatem* PATRIS. Sæpe gloria ponitur pro beatitudine [h], quia significat etiam felicem vitæ statum omnibus affluentem bonis: quo modo Ioseph patri iussit *renunciari vniuersam gloriam suam, & cuncta qua viderant in Ægypto* [i]. Dicuntur prætereà *Cherubim gloria*, id est, gloriosi [k], quia *multùm habebant maiestatis & magnificentiæ* (vt Theophylactus ait [l]) *qua videlicet eos venerabiles reddebat*. In tertia sententia videtur esse Hieronymus [m], cùm agens de cœlis apertis CHRISTO in Baptismo, ait *non reseratione elementorum apertos, sed spiritualibus oculis, quibus & Ezechiel in principio voluminis sui apertos eos esse narrat*. Arator indicat eandem sententiam, cùm ait [n]:

Lumina cordis habens, cœlos conspexit apertos.

Equidem non dubito Stephanum mente non fuisse alienatum, sed præsentem percepisse intelligendo quæ offerebantur: oblata verò esse ipsis oculis corporis eius vera, non ficta obiecta, propter tam apertum Scripturæ loquendi modum, planè mihi persuadeo: DEVM postremò ipsum non esse visum, magis mihi verisimile videtur, vt ab Stephano, ita nec ab aliis, de quibus disceptari solet, Mose videlicet, atque Paulo, sicut aliàs demonstraui [o]. Quocirca ex recitatis opinionibus, dempta prima, aliquid decerpo, simpliciter autem omnium maximè tertia probatur. Alioqui Petri Damiani [p] cautum, ac modestum propono, & lubens amplector iudicium. *Non mediocris*, inquit ille, *stupor inuoluit me, vtrùm primitiuus flos Martyrum corporeis, aut incorporeis oculis ista prospexerit. Grande quidem miraculum, si mentali intuitu stellantibus se immersit arcanis, si mundi corde oculi tam solemnem inspexerint visionem. Quòd si corporalibus, certum est, hunc omne hominum genus disparilitate gloria prateruolasse, & pennis fidei, & virtutum incorporea corporeis etsi non comprehendisse, apprehendisse tamen luminibus. Nihil audeo temerè diffinire, vel ex abrupto pracipitare sententiam, cùm finituam super huiusmodi regulam me non legerim inuenisse. Securiùs tamen sequor Apostolum, immò* SPIRITVM DEI *in Apostolo, qui cum summa verborum deliberatione magis secura ambiguitati, quàm periculosa diffinitioni ista committit: sine*, inquit, *in corpore, siue extra corpus, nescio*, DEVS *scit* [q]. Hæc Petrus Damianus.

IESVM *stantem à dextris* DEI.] Aliqui codices Latini habent, *à dextris virtutis* DEI, quo etiam modo legit Petrus Damianus [r], fortasse ex Matthæo [f] huc aliquis hoc nomen transtulit. Syra

a lib. 1. in c. 5. ep. ad Gal.
b c. 9. 31. 32.
c cap. 14. 7.
d cap. 6. 29.
e cap. 11. 40. *Deus ipse gloria dicitur.*
f in epi. vers. 8.
g Hebr. 1. 3.
h Luc. vlt. 26. Hebr. 2. 10. & alibi.
i Gen. 45. 13.
k Hebr. 9. 5.
l in epist. ad Hebr.
m in c. 3. Matthæi, & in c. 1. Ezech.
n lib. 1. in Acta.
Auctoris sententia.
o Disput. de beat. & in 1. Ioan. 4. 12.
Petri Damiani de hac Stephani visione iudiciũ anceps & ambiguum, sed piũ & modestum.
p Serm. de S. Stephano.
q 2. epist. ad Corinth. cap. 12. 3.
Stans quid hoc loco significet.
r Serm. de S. Steph.
f cap. 26. 64.

A editio sic legit, ולברה דאנשא כד קאם *velabberah danascha cad kaem*, id est, *& filium hominis quando stans*, supple est, sicque vtitur participio, quod positionem status significat, nempe, קאם *kaem*, & Græcum participium ἑστῶτα, eandem vim habet, quamuis aliquando Latinè stare idem sit solùm quod esse, siue adesse, & præsentem esse, vt alibi docui [t]; quemadmodum etiam quid sibi velit CHRISTVM esse, ac stare ad dexteram, vel à dextris DEI, aliàs explicaui. Ex quo liquet non denotare PATRE inferiorem esse, vt aduersùs Arrianos notat Nyssenus [u]. *Immò verò contrarium*, inquit, *hinc potiùs colligitur, siquidem Dauid de ipso canit* [x]: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dex-*

B *tris meis, & Paulus in dextera solij* DEI *sedere Dominum dicit* [y]. Ostendit deinde corporaliter non accipiendas has corporis positiones: *Nam in homine quidem sessio*, inquit, *super dorsi extremam partem corporis positione designat, ne nimia semper contentio genuum ac poplitum in sese pondus corporis sustinens laboret. Statio autem significat arduum, & erectum super genua hominem. Per vtramque ergo vocem id quod in omni bono stabile, & in omni bono immutabile est*, inquit, *piè intelligemus, ac* DEVM *firmiter, atque immutabiliter constitutum esse, & in bono fundatum. Et quemadmodum Dauid ac Paulus noluerunt in suis scriptis Vnigeniti sessionem memorantes indicare quòd* PATRE *stante* FILIVS *in sede sit, eodem modo*

C *cùm Stephanus asseruit* FILIVM DEI *stare, non debemus suspicari* PATREM *sedere*, FILIVM *stare eum voluisse significare*: nimirum propriè loquendo.

Obiici potest, dexteram esse honoratiorem, ideoque videri potiùs sedentem ad dexteram PATRIS, PATRE superiorem. Quidam contendunt olim potiorem fuisse sinistram, vt Antonius Nebrissensis [z], & Ioannes Goropius Becanus [a]; Ribera [b] consentit de aliis nonnullis, non de Hebræis, quia mater filiorum Zebedæi petiit priore loco dexteram pro vno ex filiis [c], & CHRISTVS oues in iudicio ad dexteram statuet [d]; & Manassem Ioseph à se prælatum, posuit ad dexteram Iacob [e]. Dicendum ergo, prout alio in loco attigi,

D quoniam iudiciaria ei potestas demandata est, atque regia, regius verò thronus dignissimus locus habetur, vbicunque sit, CHRISTVS vt DEVS, considet in eôdem throno DEI, & qui propiores sunt meritis, sedent ad dexteram eius, & CHRISTVS proinde vt homo, primo loco. Vnde Bethsabeam matrem Salomon rex considens in proprio honoratissimo throno, iussit sedere in alio ad dexteram collocato [f], & dicitur in Psalmo [g]: *Astitit regina à dextris tuis*. Quòd si spectetur idem CHRISTVS vt DEVS, posset quoque per attributionem attribui illi dextera, quatenus assignatur ei sapientia, ad quam pertinet iudicium: quod vtrumque & omnia accepit à PATRE FILIVS, nec vsquàm in Scriptura reperitur SPIRITVS

E sanctus sedens, quia neque etiam gubernans extrinsecùs, & hac ratione magis videtur FILIVS gubernare, videlicet per attributionem dictam, & iudicandi potestatem ipsi datam. Lege vtra dignior dextra, an sinistra, præter citatos & hîc, & illo alio loco Bellarminum [h], Lipsium [i], Ioannem Ferdinandum [k], Pinedam [l], Ioannem Sauaronem [m]. Aliquando dicitur DEVS esse à dextris alicuius [n], vt iuuet, & Diabolus vt noceat, si superiores partes habeat: iuxta hanc phrasim dicitur quoque *dextera Domini aliquem suscipere*, vel *protegere*, vel *apprehendere*, vel *exaltare*, est nimirum latus dextrum commodius propugnan-

t cap. 2. 14.
Christus non est Patre inferior.
u Orat. de S. Steph.
x Psal. 109. 1.
y Coloss. 3. 1. Hebr. 1. 13. Rom. 8. Ephes. 1. 20.
Quid sit sessio & statio Christi à dextris Dei.
Dextera sit ne digna honoratior.
z in Quinquagena cap. 19.
a lib. Hieroglyphico, pro pe finem.
b in 1. ad Hebr. n. 20.
c Matt. 20. 21.
d infra 25. 31.
e Gen. 48. 13.
Christus vt Deus considet dextera Dei cur.
f 3. Reg. 2. 19.
g Psal. 44. 10. *Christus vt Deus etiam sedet ad dexteram Patris.*
h 1. de Rom. Pontif. cap. 27.
i 2. electi. c. 2.
k in Theatr. verb. Dextra.
l in c. 17. Iob. vers. 3. n. 6.
Deus quando sit à dextris alicuius, & quando Diabolus.
m in Sidon. Apoll. lib. 1. ep. vlt.
n Psal. 15. 8. & Psal. 108. 6.

ti & defendenti, necnon etiam offendere volenti, sicut sinistrum, quod infirmius est, à manu & brachio dextero protegitur. Ambrosius [a] obseruat hoc duntaxat loco legi CHRISTVM stare, videlicet iam ex his terris sublatum; porrò alibi sedentem describi vt iudicem, hîc autem vt aduocatum & Sacerdotem, qui offerret PATRI hostiam boni Martyris, vt præsulem redditurum bono luctatori brauium tanti certaminis. Deinde videtur inuehi in eosdem illos iam confutatos à Nysseno, affirmans istos ideò non videre cœlos apertos, neque cernere IESVM stantem à dextris DEI, nimirum vt consubstantialem, quia non acceperunt SPIRITVM sanctum, sicut Stephanus, *Quòd si qui, inquit, obuncunt, quod* FILIVS *stabat, ostendam hoc loco, quòd* PATER *sedebat.* Petrus Damianus scribit [b], quòd CHRISTVS *cum* PATRE *stante stabat, & cum bellante bellabat, nec minor illo erat.* Postremò Ambrosius [c] confirmat Deitatem FILII, ex eo quòd Stephanus suum Domino IESV spiritum commendauit, cumque pro lapidatoribus precatus est. Eadem ferè habet scribens ad Ecclesiam Vercellensem [d], addens *stetisse* CHRISTVM, *vt sollicitus iuuaret athletam, quem & paratus coronaret.* Monet tamen etiam dictum in Psalmo [e], quòd DEVS *stetit in Synagoga Deorum, atque in medio eos diiudicasse.* Idem rursus Ambrosius [f] expendit hunc aspectum IESV, & cœlorum inde profectum, *quod quæ iuxta pedes sunt, & infima ista, ac seipsum Stephanus despiciebat, ita vt etiam propterea lapidum non sentiret ictus, non consideraret corporis vulnera, oculis* CHRISTO *affixus, & illi adhærens.* Adhuc alio loco [g] docet, quòd immobilis fide Stephanus immobilem CHRISTVM vidit, nec vllo erat mentis timore commotus. Denique aduertit [h], quòd quem Maria Magdalena quærebat CHRISTVM iam suscitatum in terra, Stephanus tetigit, id est, distinctè vidit, & cognouit in cœlo; quia non supra terram quæsiuit, sed in cœlo, & ad dexteram PATRIS residentem.

a 1. de Fide. c. vlt.

Christus nunquàm legitur stare, nisi hoc loco, & cur hoc fecerit.

Contra eos qui negant Filium Patri consubstantialem.

b Serm. de S. Stephano.

c supra.

Filius Deus probatur.

d epist. 25. vel 82.

e Psal. 81. 1.

f epist. 30. *Stephanus cur Iesum vidit, & cœlos apertos.*

g in Psal. 61.

h lib. 10. in c. 24. Luc.

Gregorius [i] patiente Stephano apertis cœlis IESVM stetisse ait, *quoniam stare eius compati est.* Bernardus [k], *Quia iuuabat, quo, inquit, modo Propheta in adiutorium eum surgere precatur* [l], *exurge Domine, adiuua nos, & Angeli stare dicuntur, siue assistere* [m], *qui ministrant: & homines etiam, qui persistunt in vigore animi, & obseruatione propositi.*

Cur Iesus stare patienti Stephano visus sit.

i lib. 1. in c. 1. lib. 1. Reg.

k Ser. 5. super verb. Esa.

l Psal. 43. 23.

m Dan. 7. 10.

n li. con. Praxeam. c. 30.

Christus cur nunc stare, non sedere dicatur.

o Psal. 109. 1.

* cap. vlt. 19.

p in Psal. 34.

q Serm. 91. de Diuers.

Tertullianus [n] autem quando dicit, *quòd Stephanus vidit* FILIVM *stantem ad dexteram* DEI, *vt exinde sessurum, donec ponat illi* PATER *omnes inimicos sub pedibus suis* [o], non vult nunc non sedere, quod affirmat Marcus in Euangelio*, & in Symbolo profitemur: sed quodammodò adhuc pugnare nobiscum. *Quid fortius,* ait Hieronymus [p], *quid pulchrius, quàm* CHRISTVM *armatum stare pro suis Sanctis: sicut S. Stephanus vidit, quando dixit,* &c. Stare pugnantis, & adiuuantis est. Probabile est quod Augustinus [q] ait, visos etiam ANGELOS tanquàm milites ducem CHRISTVM comitantes, & commilitonem in terra certantem hortantes, & iuuantes.

Versus 56.] Et ait: Ecce video cœlos apertos, & FILIVM hominis stantem à dextris DEI.

ET *ait: Ecce video cœlos apertos.*] Cum cœlis solidissimis, & quasi ære fusis [r], immò incorruptibilibus corporibus aperiri, frangive non con-

r Iob. 37. 18.

A ueniat, qui omnem istam visionem imaginariam, aut intellectualem, nó corpoream oculorum existimant, firmum se hîc argumentum reperisse gloriantur. Non confugiam ad miraculum, quo posito deberet spatium interiectum in illa apertione, aut vacuum relinqui, aut elementa ad id replendum ascendere, si, inquam, in cœlis ipsis realem aperturam admittimus. Præstat dicere, obiectam oculis Stephani speciem apertionis, & hiatus sensibilis, quæ efficeret, vt partes aëris sic oculos immutarent, vt apparerent diuisæ, & distantes. Quod intelligi potest, si partes illæ, quæ separari videntur, densiores fiant, & lucidiores, ita vt ad illas possit visus terminari, aër verò interiectus B rarior maneat. Hoc modo explicat Suarez [s] cœlos apertos in CHRISTI Baptismo [t], volens, quod & alij passim, eadem ratione tunc omnibus, qui aderant, dum CHRISTVS baptizaretur, fuisse conspicuos. Tantundem hîc affirmari æquè non potest. Si enim & alij, vt Stephanus, cœlos apertos vidissent, IESVM etiam vidissent, nec tantoperè Stephanum videre se CHRISTVM profitentem abhorruissent. Neque verò necessarium reor affirmare, penetrasse aciem oculorum Stephani vsque ad cœlum empyreum, quod Auctori Operis imperfecti [u] placere video, quáquàm non propter argumentum, quo hoc improbasse Lyranum dixi, qui cùm insuper ait, posse vndecumq; à cor- C pore glorioso immutari oculum alterius, & ab eo cerni pro sola voluntate Beati, absque vlla alia in oculo videntis accessione, parum profectò philosophicè agit, & nimis vim corporeæ rei amplificat. Igitur videtur mihi CHRISTVS ipse tantisper exiliisse de cœlo, ac propiùs accessisse, vnde seipsum cómodè videndum exhiberet, & cœlos eo quo dixi pacto apertos repræsentaret, ita vt nó vnum, sed, quod ait Petrus Damianus [x], omnes cœli aperti apparerent. Raró quidē CHRISTVS, at aliquando cœlum deseruit, vt cùm Saulum vocauit [y], quod suo ostendetur loco: & sicut tunc à comitibus Pauli nec visus, nec distinctè exauditus est, ita modò inhibiti sunt aduersarij, ne quod vi- D debat Stephanus, viderent. Augustinus [z] affirmat quòd *solus Stephanus* IESVM *videbat, quia sôli apparebat, & alij non videbant, sed insidebant. Non merebantur videre gloriam* CHRISTI, *qui angelicum, ac splendentem Stephani conspicati vultum* [a], *nihilo euaserant meliores, nec profuisset iis videre,* qui aures contínuerant, & exclamauerant aduersùs Stephanum se videre protestantem. Eadem est opinio Nysseni [b]. Narrant historiæ ipsismet carnificibus, aliisq; infidelibus ostensam Martyribus paratam gloriam, & signa nonnulla diuina, quibus prouocati, & hi Martyres facti sint. Videtur tamen idem Augustinus [c] asserere, visam Stephani frontem à Iudæis cruce consignatam.

Quomodo facta sit cœli apertio in visione Stephani.

s To. 2. in 3. p. disp. 27. sect. 1.

t Mat. 3. 16.

Alij qui præsentes erāt Stephano non viderunt cœli apertionem.

u Hom. 4. in Matthæum. *Lyranus putat corpus gloriosum à quocunque videri posse, si velimus.*

Christum quomodo Stephanus viderit.

x Serm. de S. Stephano. *Christus rarò, sed aliquando cœlum deseruit.*

y Act. 9.

z Serm. 92. & 94. de Diuer.

a Act. 6. 15.

b Serm. de S. Steph.

c Ser. 92. de Diuers. & Ser. 99.

E Sed quod attinet ad apertorum visionem cœlorum, sequimur hîc eam opinionem, quam priùs protulimus, de reali corporea visione, non de imaginaria sola, vel intellectuali, quam vnam Glossa quoque interlinearis agnoscit, negans reserationem elementorum (hoc est, intuitum apertionis) & similiter Gregorius Turonensis in eadem est sententia [d]. Rectè Augustinus [e] apertionem istam ei adscribit, *qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit* [f]: & cœlum, quod post peccatum primo parenti clausum erat, primum post CHRISTI Passionem latronem intrasse [g] (sumendo cœlum pro loco, vbi DEVS beatitudinem communicat)

d lib. de glo. Marty. c. 33.

e Serm. 95. de Diuer.

f Apoc. 3. 7.

g Luc. 23. 43.

posteà Stephanum vidiſſe apertum. Quanquàm, ſicut eſt dictum, non debet propriè cœlorum ſumi apertio, ſed quo etiam pacto auctores profani cœlum dicunt diſcedere, ſtellâſve [a] cùm fulgurat, vel ætherem rumpi attritum [b]; vel polum [c]: ſic Eſaias [d] quoque complicandos ait, vt librum, cœlos; & Ioannes [e] receſſiſſe, vt librum inuolutum cœlos memorat.

a Virgil. Æneid. 9. b Statius. c Silius Ital. lib. 1. d cap. 34. 4. e Apoc. 6. 13.

Filium hominis.] IESVM enim videbat vt hominem. CHRISTVS ſæpe ſibi ipſi hoc nomen FILII hominis tribuit, nemo alius illi, quod ſciam, præter Stephanum hoc loco. Maldonatus cùm non meminiſſet, præcisè negauit [f] vſpiam in nouo Teſtamento, præterquàm à ſeipſo ita nominari, idque ſignum eſſe *non honoris, ſed abiectionis cauſa illum ſe ita vocare: ſicut ſe apud Prophetam vermem, & opprobrium hominum appellat* [g]. *Ideò ergo ſe FILIVM hominis appellat, vt ſignificet ſe cùm in forma DEI eſſet, exinaniſſe ſemetipſum, & formam ſerui accepiſſe, & habitu inuentum eſſe vt hominem. Conſiderate attentiùs, fratres dilectiſſimi,* inquit Maximus Taurinenſis [h], *cùm beatus Martyr Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM ad dexteram DEI PATRIS ſtare vidiſſet, cur ſe FILIVM hominis videre teſtatus eſt, & non potiùs FILIVM DEI, cùm vtique plus honoris Domino delaturus videretur, ſi ſe DEI potiùs, quàm hominis FILIVM vidiſſe dixiſſet. Sed certa ratio poſtulabat, vt hoc ita & oſtenderetur in cœlo, & prædicaretur in mundo. Omne enim Iudæorum ſcandalum hoc erat, cur Dominus noſter IESVS CHRISTVS, qui ſecundùm carnem eſt Filius hominis, eſſe etiam DEI Filius diceretur. Ideò ergo pulchrè Scriptura diuina FILIVM hominis ad dexteram DEI PATRIS ſtare memorauit, vt ad confundendam Iudæorum incredulitatem illi Martyri oſtenderetur in cœlo, qui à perfidis negabatur in mundo.* Sunt iſta Maximi. Obſeruatum eſt, non hîc tantùm cœlos dici apertos, ſed etiam quando manna miſſum eſt [i], quãdo ſuper baptizatum CHRISTVM deſcendit ſub ſpecie columbæ SPIRITVS ſanctus, Patriſque audita vox [k], quando Prophetis communicatæ viſiones [l]. Moraliter declaratur, quòd hi, *qui vt cœli narrant gloriam DEI* [m], oſtium non reſerant linguæ, niſi graui de cauſa, vt proferant ſcilicet ſuauia, vtilia, ſpiritualia, & myſtica verba.

f in c. 8. Matt. v. 20. *Chriſtus ſeſe cur Filium hominis vocauerit.* g Pſal. 21. 7. h Serm. de S. Stephano. *Cur Stephanus dixerit, ſe filiũ hominis nõ Dei vidiſſe.* i Pſal. 77. 23. 24. k Matt. 3. 16. 17. l Ezech. 1. 1. m Pſal. 18. 1.

Filius hominis, Hebræorum idiomate, quibus hoc frequens eſt, בני אדם *bene adam*, id eſt, *filij hominum*, pro hominibus, & בן אדם *ben adam*, id eſt, *filius hominis*, idem eſt quod homo. Adam enim ipſum, cùm Scriptura generaliter omnes vocat filios hominum, etiam comprehendit, qui tamen hominis nec maris, nec fœminæ filius fuit; ſic dicuntur *filij taurorum* ipſi tauri [n] *filij pauperum* pauperes [o], ſicut בת ציון *bath tſiun*, id eſt, *filia Sion*, ipſa Sion [p], *filia Babylonis*, Babylon [q], & Homerus [r] Achiuos vocat υἷας Ἀχαιῶν, id eſt, *filios Achiuorum*. Vulgaris opinio eſt, ideò dictum CHRISTVM Filium hominis, quia fœminæ virginis. Fauent Irenæus [ſ], Iuſtinus [t], Tertullianus [u], Nazianzenus [x], & clariùs Ambroſius [y], Gulielmus Pariſienſis [z], Bernardus [a], Albertus [b]. Sed repugnat articulus maſculinus, qui ſemper apponitur, υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Meliùs Nazianzenus [c] hominis Filium dici voluit, quaſi Adami, vt oſtendatur, patrem hominem non habere, ſed per Virginem ex Adamo vſque genus traxiſſe. Pernicioſè errarunt, qui, quòd cum maſculino, & non cum fœminino articulo CHRISTVS Filius hominis nominatur, virili è ſemine procreatum, vt Iuſtinus [d]

Filius hominis idem eſt quod homo. n Eccl. 38. 26. o Pſal. 71. 13. p Pſalm. 9. 15. Pſal. 72. 28. q Pſal. 136. 8. r Iliad. 7. ſ li. 3. c. 18. 21. 26. 27. 28. 32. t in Tryph. u li. de carne Chriſti. *Chriſtus dicitur filius hominis quia filius eſt virginis.* x oratio. 4. de Theolog. y in c. 12. Luc. z Tractat. de ſacra. matri cap. 1. a Tractat. de gradib. humil. cap. 5. b in c. 8. Matthæi. c orat. 4. de Theol. d q. 66. ad Orthod.

A meminit, docuerunt. Alios fuiſſe Irenæus tradit [e], qui Anthropi poſtgenitum dicerent, ex quo & Eua, duodecim Æones eſſent. Refellit multis figmentum iſtud, ac demùm docet, ex eo quòd Filius hominis appelletur, ſequi verum eum & perfectum hominem fuiſſe, vt & iam citati contendunt, ex quibus Iuſtinus [f] obſeruat à Daniele [g] vocari *quaſi filium hominis*, quia non exiſtit ex humano ſemine, tametſi verus homo fuerit. Et eôdem reſpexiſſe videntur Epiphanius [h], & Theodoretus [i], dum dicunt ita CHRISTVM vocaſſe ſeipſum, vt oſtenderet ſe eum eſſe, quem Prophetæ humanam naturam ſumpturum prædixerant, ac nominatim Daniel *Filium*

B *hominis* appellauerat, quanquàm in dictione comparatiua *quaſi*, haud vllam vim, niſi quid aliud cogat, ineſſe putem, cùm, vt alia exempla omittam, Paulus [k] CHRISTVM ſcribat *in ſimilitudinem hominum factum*, hoc eſt, verum, non ſimilitudinarium. Auguſtinus [l] quoque attingit eandem cauſam, dicens, *cùm eſſet FILIVS DEI, voluiſſe diſtinguere humanam naturam huiuſmodi appellatione à diuina.* Illa præterea ratio eiuſdem [m] commoda eſt, cùm ait, *ipſo nomine ſingulare Incarnationis beneficium declaraſſe.* Et vt Caietanus [n] loquitur, *homini planè deditum ſe eſſe:* quo pacto Hebræo idiotiſmo, *filius nuptiarum* [o] dicitur, aut *ſponſi* [p], aut *mortis* [q], aut *pacis* *. Adde, quendam veluti trium-

C phum de aſſerto in libertatem homine tali appellatione denotari, vt ſe duces illi Romani prouinciarum ſubiugatarum nominibus cohoneſtabant, & Apoſtolus ex Saulo Paulum ob Sergium Paulum Proconſulem redactum in prouinciam CHRISTI voluit, vt Auguſtino [r] placet, noſque alibi [ſ] dicemus, ſe denominare. Præterea modeſtiam præ ſe tulit CHRISTVS in huiuſmodi nomine, quod etiam tum primùm vſurpaſſe legitur, cùm nec vbi caput reclinaret, habere ſe meminit [t]. Notauit hoc Gloſſa [u], Abulenſis [x], & alij, & indicat Cyrillus Alexandrinus [y]. Nego tamen, quod Bernardus videtur velle [z], non adhibere CHRISTVM hoc no-

D men, niſi cùm de ſe humiliter loquitur. Etenim Filium hominis adhuc viuens, dixit eſſe in cœlo [a], & eſſe Sabbati dominum [b], & habere poteſtatem in terra remittendi peccata [c], & ſententiam in iudicio laturum [d], & rediturum in nubibus cœli [e], & ſeſſurum à dextris DEI [f]. Vnde idem Abulenſis inferebat cauſam vnam talis denominationis, ad declarandam humanæ aſſumptæ naturæ dignitatem, quod item ait Hugo Cardinalis [g]. Nimis reſtringit Iuſtinus [h] nominis iſtius notionem, dicendo *propterea Ezechielem filij hominis nomine vnum ex omnibus alijs à DEO ipſo, ſiue ab Angelo nuncupatum, quia ab Ezechiele per viſio-*

E *nem depingenda erat mortuorum Reſurrectio, quæ futura eſt in fine rerũ per Filium hominis CHRISTVM, qui nominatim ſeipſum exprimit, cùm agit de illa* [i]: *ſicut is qui Moſi ſucceſſit in imperio Hebræorum, nomen IESV ſortitus eſt* [k], *quòd pro poteſtate ſua Soli, & Lunæ eſſet imperaturus* [l]. Nam vt omittam minùs idoneam videri nominis IESV cauſam, vt ex dictis priùs in hoc capite conſtare poteſt [m], alij præter Ezechielem de Reſurrectione vaticinati ſunt æquè diſtinctè ac perſpicuè [n]. Eadem Theodoreto cenſura conuenit dicenti [o] huius appellationis cauſam eſſe, vt intelligatur vniuerſale iudicium à CHRISTO exercendum, quia Filius hominis eſt [p]. Rabbi Abraham [q] ideò Ezechielem filium hominis appellatum docet non à ſe, ſed ab An-

e lib. 1. c. 7. f in Tryph. g cap. 7. 13. *Chriſtus cur ſeipſum vocarit filium hominis.* h hæreſ. 57. i in c. 7. Dan. k Phil. 2. 7. l epi 174. & Tractat. 25. in Ioan. m 2. de conſen. Euang. cap. 1. n in c. 8. Mat. o Marc. 2. 19. p Mat. 9. 15. q 2. Reg. 12. 5. & alibi paſſim. * Luc. 10. 6. *Filium hominis Chriſtus ſe nominauit ...* r 8. Confeſſ. cap. 4. ſ Act. 13. 9. t Matt. 8. 20. u ibidem. x Matth. q. 26. *Chriſtus ...* y ... z Tractat. de grad. humilitatis c. 5. a Ioan. 3. 13. b Matt. 12. 8. c Matth. 9. 6. d Matt. 25. e Mat. 24. 30. f ... g in cap. 13. Matth. h q. 45. ad Orthodoxos. i Ioan. 5. 27. k Deut. ... l Ioſue 10. 12. 13. m verſ. 41. n vt Iob. c. 19. 25. Dan. 12. 2. o 11. contra Græcos. p Ioan. 5. 27. q in Ezech.

gelis,

gelis, quoties eum alloquebantur, quoniam hi eum à se, qui homines non erant, sed videbantur, distinguere volebant. Simili ratione coniectat Maldonatus [a] vsum CHRISTVM antithesi, quando ipse se Filium hominis vocauit, eò quòd tunc de se vt homine agebat, qui tamen simul DEVS, DEIque filius erat. Rabbi Dauid Kimhi [b], Theodoretus [c], Hieronymus [d], causam dant, ne Prophetiæ munere nimis efferretur Ezechiel, aut Daniel. Quare licèt Ezechiel sæpenumerò sic appellatus reperitur, nec tamen omninò solus, vt post Irenæum [e] idem Maldonatus existimauit: Danielem [f] námque semel etiam Angelus ita compellauit. Sed non imminuit hoc vim allatæ rationis, quam innuit quoque tum Augustinus [g], tum clarius Haymo explicans Apocalypsim, vbi se Ioannes vidisse scribit *similem Filio hominis* [h], id est, CHRISTVM. Quanquã fortasse ibi quiuis potiùs homo indefinitè intelligatur, atq; aliis in locis, cũ Filius hominis absq; Græco articulo ponitur, vt in libro Numerorum [i]: *Non est DEVS quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur*: & in Iob [k]: *Quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis*? & in Psalmo [l]: *Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* & in Daniele [*]: *Et ecce quasi similitudo hominis tetigit labia mea.* Rursum in Apocalypsi [m]: *Et super nubem sedentem similem filio hominis.* Obseruauit id Ribera in Apocalypsim [n], necnon in Oseam [o]. Itaque posito articulo, euadit proprium nomen CHRISTI *Filius hominis*, exprimens ea, quæ adhuc attulimus, tum verò Incarnationis eius modum per veram natiuitatem ex homine: quo pacto nec Adam, nec Euam filios hominis, aut hominum appellare possis: mutuum prætereà respectum, quem ad illum habemus, vt ad fratrem quodammodò naturalem, ita *vt non confundatur ipse vocare nos fratres* [p], quod Angelis non conuenit, ac proinde non eo iure sunt filij DEI, etiam per adoptionem, quo nos, id est, per gratiam, iure veluti naturali, ac naturæ similitudine, quæ nobis est cum naturali FILIO DEI, qui idem est Filius hominis, verus homo.

Quò spectat id, quod ait Abulensis [q], maximè importari hoc nomine veritatem naturæ humanæ CHRISTI, siquidem qui Filius hominis est, oportet quòd sit de humana specie, cùm ab homine non deriuetur nisi humana natura: homo autem dici posset is etiam, qui exercet opera quędam externa hominis, habetque figuram eius externam, licèt non habeat ipsam hominis substantiam. Si Latinè ageremus, & hominem, sicut Accius loquitur Telepho, pro seruo acciperemus, dici Filium hominis assereremus, quia serui formam accepit [r]. Lege Toletum in Ioannem [s], & Martinum Cantapetrensem in Hypotyposibus [t], & Iansenium in Concordia [u], & Catharinum [x]. Ex his Cantapetrensis bene notat, nullum esse discrimen, quod aliquando Hieronymus assignauit [y] de filio hominis, & filiis hominum, ita vt illud accipiatur in bonam partem, hoc in malam. Nam idem nomen אדם *Adam*, si ei coniungatur בן *ben, filius*, in numero singulari, Interpretes vertunt in singulari, & in plurali. Si in plurali, בני אדם *bene Adam*, id est, *filios hominum*, constat profectò in bonam partem sumi in his verbis Psalmi [z]: *Filij hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt*: & in malam in altero Psalmo [a]: *Filij hominum vsquequò graui corde?* etsi Hebraicè non est אדם *Adam*, vile, & ignobile nomen, sed איש *isch*, significans virum: item in isto [b]: *Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ.* Apud Græcos legimus παῖδας Ἀχαιῶν, pro Achiuis; παῖδας ἰατρῶν, pro medicis; ῥητόρων, pro Rhetoricis; συγγραφέων, pro Historicis; ποιητῶν, pro Poëtis; δυστήνων, pro calamitosis. Augustini [c] perplacet sententia, CHRISTVM hoc seipsum nomine sæpissimè appellasse, commendantem nobis, quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis. Et alludere forsitan voluit ad promissum diuinum, quãdo detrectabat populus Hebræus audire DEVM, & vnum loqui Mosem volebat eiusdem naturæ hominem [d]. Tunc, inquam, DEVS acquiescens populo, ac bene illud eum locutum dicens [e], pollicitus est se aliquando missurum Prophetam de gente, & fratribus eorum, ac similem Mosi, quem audirent, vt petierãt à Domino DEO: sed vltorem futurum in eos qui nollent audire [f]. Hic est DEI FILIVS, sed homo factus: ipse enim, qui etiam olim loquebatur, dixit [g]: *Ecce adsum.* Sed vitandus Nestorius, qui, cur se hîc nominaret CHRISTVS, causam reddebat, vt separaret Filium hominis à Filio DEI, qui in eodem coniuncti erant [h]. Hinc porrò Hieronymus [i], & Theodoretus inferunt, CHRISTI corpus in cœlo esse verum, sicut erat in terra.

Sed quærat aliquis, quomodo non vanus Stephanus fuit, vel parum consideratus, dum suam illam visionem aut gloriosè, aut temerè deprædicauit? Augustinus [k] ait, *id factum à Stephano, vt sufficientem causam eum lapidandi haberent aduersarij ipsius, & vt testimonium liberè ederet de* CHRISTO, quasi diceret; *Ecce video cœlum apertum, &* IESVM *quem crucifixistis, quem illusistis morientem, quem signato sepulcro posuistis iacentem* [l], *video ego ad dexteram* PATRIS *stantem.* Prætereà vt indicaret pastorem suum in ipso ostentantem adiutorium [m], ne videlicet tantum animi robur, & ipsum in facie splendorem alij adscriberét, quàm CHRISTO de quo disserebat, & se ei testem esse debere in terris, qui ipsi testis, & adiutor adstaret in cœlis. Fortasse generosum militem ducis conspectæ cicatrices animauerũt, armauerúntque ad pugnam. Maximus Taurinensis [n] innuit quartam causam, vt significaret, ad confundendam Iudæorum incredulitatem sibi Martyri CHRISTI CHRISTVM ostensum in cœlo, & à veritate cœlesti testimonium accepisse, cui veritati à se prædicatæ, ac sibiipsi fidẽ terrena impietas derogarat. Quinta valdè verisimilis traditur ab Hilario Arelatensi [o]: *Fuit nimirum ineffabilis exultatio, quæ exundauit etiam exteriùs.* Adiice, quòd fuit quoque animi CHRISTI amore, & beatitudinis desiderio liquescentis quoddam quasi deliquium, ardórve, foras magno ac intolerando impetu prodiens, & erumpens, vt cùm sponsa palàm, & publicè denunciari dilecto imperaret, quia amore langueret [p]. Videri potest idem voluisse Augustinus, cùm ait [q], *Non tacuisse Stephanum quod vidit, vt perueniret ad eum, quem vidit*, hoc est, tantum fuisse ex ea visione ad illum perueniẽdi, quem videbat, ardorem, vt se continere non potuerit, quin exclamaret. Sed prætereà docere videtur Augustinus [r] ex eo temporis articulo, quo dignatus est tali visione, concepisse vehemens desideriũ moriendi pro CHRISTO, atque tantùm non carnifices suos prouocasse. *Ad* CHRISTVM, inquit, *flagrantissimo amore suspensus, carnem quantocyus relinquere desiderabat, & ad ipsum cupiebat auolare, nec mortem iam timebat, quia* CHRISTVM, *quem pro se occisum sciebat, viuentem videbat: ac per hoc festinabat*

a in c. 8. Mat. vers. 20.
b in c. 2. Ezec.
c ibid.
d in c. 8. Dan.
Ezechiel solum nõ est dictus filius hominis.
e lib. 5. cap. 18.
f cap. 8. 17.
g epist. 174. & tra. 25. in Ioã.
h c. 1. 13.
i cap. 23. 19.
Per filium hominis non indefinite quiuis homo intelligitur.
k cap. 25. 6.
l Psalm. 8. 5.
* cap. 10. 16.
m cap. 14. 14.
n c. 1. num. 81.
o c. 10. nu. 38.
Christus Filius hominis cum articulo dicitur.
p Heb. 2. 11.
q in c. 9. Mat. q. 26.
Christus est eiusdem speciei nobiscum vt homo.
r Philip. 2. 7.
s c. 13. ann. 19.
t lib. 7. cap. 2.
u cap. 17.
x in epist. ad Heb. cap. 2.
Filij hominum, & filius hominis nullum est discrimen.
y in c. 16. Mat.
Filij hominum in bonam & in malam partem sumitur.
z Psalm. 35. 8.
a Psalm. 4. 3.

b Psalm. 56. 5.
c 1. de cons. Euang. cap. 1.
d Exod. 20. 19. Deut. 5. 23. & seq. c. 18. 17.
e Deut. 5. 28.
f Deut. 18. 15. & seq.
g Esa. 52. 6.
h Prateol. in Elencho.
i epi. ad Pam. de errore Ioã. Ierosol.
Cur Stephanus suam visionem prædicauerit.
k Ser. 1. de Sã. & 94. de Diu.
l Matth. 26. & 27.
m Ser. 98. de Diuers.
Stephanũ Christi cicatrices animarunt ad pugnam.
n hom. de S. Steph.
o hom. de S. Steph.
p Cant. 5. 8.
q Serm. 94. de Diuer.
Stephanus non tacuit quod vidit, vt veniret ad eum quem vidit.
r Serm. 95. de Diuers.

Stephanus quomodo Iudæis sui interficiendi occasionẽ dederit.

etiam ipse mori pro illo, vt viueret cum illo. Quocirca prima eiusdem Augustini ratio ita accipienda est, vt Stephanus visionem illam suam declarauerit, non quasi data opera, vt suppeteret aduersariis occasio eum interficiendi, id fecerit, sed quoniam inde illi occasionem sumpserunt: quemadmodum olim maiores eorum simili de causa Esaiam occiderant, vt dicemus; & vbi tandem CHRISTVS respondit *futurum aliquando, vt sederet Filius hominis à dextris virtutis* DEI [a], &c. à Iudæis est condemnatus. Potest & sexta ex Augustino [b] elici, vt nimirum non ferens furorem Iudæorum Stephanus, non tã contra se, quàm contra CHRISTVM frementium, & blasphemantium, sese conuerterit ad regis CHRISTI honorarios milites Angelos, quasi diceret: *Gaudeant amici, si blasphemant inimici,* simul monens illis verbis, quibus CHRISTVS mox agendus in crucem vsus fuerat, *stare à dextris* DEI *vindicem, quem ipsi maledictis proscinderent.*

a Mat. 26. 64.
b Serm. 98. de Diuers.

Postremò notatu dignum est quod Chrysostomus [c] docet, ex eo tempore, quo Stephanus vidit gloriam DEI, siue CHRISTI, faciem ipsiusmet esse glorificatam, hoc est, hanc ab illa illuminatam, visámque in Concilio, vt Angeli [d]. Tunc autem dicere oportebit, sub id tempus, quo tractus est in Concilium, vel habere concionem cœpit, ostendisse se illi CHRISTVM, iam enim tunc conspiciebatur vultus eius vt Angeli; tamen nonnisi longè pòst manifestasse communicatam sibi huiusmodi visionem, videlicet necessitate quadam compulsum, cùm rationibus, atque reprehensionibus nihil promoueret, sed auditores potiùs in furorem, rabiémque actos videret.

c hoc loco.
d Act. 6. 15. *Stephanus vidit gloriam Dei cũ primùm in Concilium adductus est.*

Stantem.] Chrysostomus, & Oecumenius vsum hoc verbo Stephanum notant, vt quem occisum dixerat, resurrexisse ostenderet, & quia molestius Iudęis fuisset, si sedere intellexissent, maluisse eum stantem apparere, & Stephanum eum stantem affirmare. Verùm de situ, & positione CHRISTI egimus versu præcedenti. Annales Ordinis S. Dominici habent [e], Monetam Bononiensem celebrem professorem, eum ordinem professum esse, cùm ex eo ordine Prædicatorem vel inuitus ac importunis discipulorum precibus coactus audiuisset, exaggerantem cœlos nunc apertos intrare volentibus, aliquando, omni prorsus ablata spe, claudendos esse iis, qui temporis essent abusi opportunitate. Videtur CHRISTVS veluti assurrexisse ad spectandum Stephanũ. Sunt enim Iusti, præsertim cùm certant, iucundum spectaculum DEO, vt ait non modò Apostolus [f], & de seipso CHRISTVS alloquens Antonium certantem [g], sed etiam Gentilis auctor Seneca his verbis [h]: *Ecce spectaculum, ad quod aspiciat intentus operi suo* DEVS. *Surgit ipse rex filius regis*, inquit Petrus Damianus [i], *& lapidantium acies interrũpens triumphatori certaminis non sine dolore cordis* (exaggeratio est accommodata captui nostro) *assistit*, &c. *Curramus ad spectaculum, ad quod currit, qui exultat vt gigas ad currendam viam* [k], &c. Nyssenus [l] eodem modo nos inuitat, *& ad spectaculum id præsentes* ait *fuisse omnes Angelos.*

Cur Stephanus dixerit, se Iesum stantem videre.
e 1. p. li. 1. c. 17. *Moneta ad ordinem Prædicatorũ quomodo tractus fuerit.*
Iusti dũ certant Deo iucundum præbent spectaculum.
f 1. Cor. 4. 9.
g Athan. in vita.
h epi. quadš.
i homil. de S. Steph.
k Psa. 18. 6.
l oratio de S. Steph.

A dextris DEI.] Quidam codices, *A dextris virtutis* DEI. Epiphanius [m]: *A dextris* PATRIS. Syrus autem, מן ימינא דאלהא *min iamina dalaha*, id est, *à dextera* DEI. Dubito volueritne Stephanus distinctam TRINITATIS personam indicare, ac notionaliter vocem PATRIS vsurpare. Nam CHRISTVM nominauit duntaxat Filium hominis. Ambrosius [n] scribit, quòd Stephanus martyrio coronatus est, quia stantem videbat Dominum IESVM immobilem, non prætereuntem. Immobilis ergo fide Stephanus, immobilem, inquit, CHRISTVM videbat, nullo erat mortis timere commotus. Non mouit se Stephanus: non mouit se CHRISTVS. Docet simul aliquot testimoniis quid sit stare coram Domino, quid præterire.

m Hæres. 44.
n in Psal. ...

Versus 57.] Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum.

EXCLAMANTES *autem voce magna.*] *Rectè adiecit eorum factis*, inquit Nyssenus [o], *historia clamorem, vt ostenderet destinatæ voluntatis eorum cum Sodomitis cognationem. Etenim illorum scelus clamor à iudicante nominatus est. Clamor enim*, inquit, *Sodomorum, & Gomorrhæ ad me ascendit* [p]. *Clamauerunt igitur hi quoque, vt etiam aduersùs Stephanum clamor audiretur.* Verum est, clamorem in Scriptura poni, vt notauit Augustinus [q], *pro tanta impudentia, & libertate iniquitatis, vt nec verecundia, nec timore abscondatur*, eadémque ratione Gregorius [r] peccatum cum clamore, ait esse *culpam cum libertate*. Præter nefandum verò illud Sodomorum peccatum, clamat etiam ad DEVM cædes innocentium [s], oppressio tenuiorum, & infirmorum [t], defraudatio mercedis mercenariorum laborãtium. Malim ego exclamationem istam fuisse aut lamentantium ob violatum ab Stephano honorem DEI, aut opem contra blasphemantem implorantium, aut ob adeò magnum piaculum indignantium, aut insultantium, & veluti de victoria ouantium: quas clamandi, clamorísve præter ceteras significationes in sacris literis reperimus [u]. Clamor fuit magnus, siquidem id significat Syrus vertens וקעו בקלא רמא *vakehhu bekele rama*, id est, *& clamauerunt voce elata*, seu *alta voce*, &, vt ait Petrus Damianus [x], *horribili*, quod item indicat participium Græcum κράξαντες, quasi cornicum & coruorum more crocitando, quamuis id etiam de clamore quodam aspero & incondito dici soleat. Volebant clamore obruere Stephani verba, vt Lyranus notat; vel DEVM inclamabant vindicem tantæ blasphemiæ, vt indicat Glossa interlinearis; vel blasphemabant contra CHRISTVM, vt ait Augustinus [y].

Cur contra Stephanum Iudæi clamauerint.
o oratio de S. Stephano.
p Gen. 18. 21.
Clamor quid peccatorum sit.
q 1. locut. in Genesin.
r 5. Moral. c. 7. & 3. par. Past. c. 32.
Peccata in cœlũ clamantia quæ.
s Gen. 4. 10. Apoc. 6. 10.
t Exo. 2. 23. c. 3. 7. 9.
Clamor Iudæorum cur sic factus.
Clamor Iudæorum in Stephanum qualis.
u Lege Ioan. Ferdi. in Thesau. Scr. verbo, Clamor.
x Serm. de S. Steph.

Continuerunt aures suas.] Syriacè sic legimus, וסכרו אדניהון *vesaccaru adnaiehun*, id est, *obturauerunt aures suas. Ne iis videlicet blasphemiam excipere viderentur*, vt ait Augustinus [z]. Quàm verè incircumcisos auribus appellauit eos Stephanus [a], cùm naturales ipsos aurium veritati meatus occluserint, *peiores aspide surda* [b], inquit Augustinus [c], *quæ quamuis contra incantatorem premat vnam aurem ad terram, & de cauda sibi alteram obturet, tamen ab illo de cauerna educitur.* Prodit illud aspidis ingenium etiam Euthymius [d], nominatim exprimẽs Palamnem aspidem: de excantatione verò Plinius [e], & alij. Imitatos Caipham idem Augustinus [f] monet, cui cùm CHRISTVS respondisset [g], *A modo videbitis cœlos apertos, & FILIVM hominis stantem à dextris virtutis* DEI, *clamauit blasphemasse* CHRISTVM, *& conscidit vestes suas: isti verò*, inquit, *ipsas clauserunt mentes: ille, vt nudus remaneret: hi, vt in sua duritia perseuerarent, & cum cœli ianua aperirentur, ipsas Iudæi mentes claudebant.* Continendo aures rectè fecisse Nyssenus [h] di-

y Serm. 98. & 99. de Diue.
z Ser. 94. de Diuer.
Iudæi peiores aspide surda.
a sup. ver. 51.
b Psal. 57. 5.
c Serm. 93. & 94. de Diue. & in Psal. 57.
d in eundem Psalmum.
e lib. 28. c. 3.
Imitati sunt Caipham.
f Ser. 99. de Diuer.
g Mat. 26. 64.
h orat. de S. Steph.

cit: neque

Quare aures ... ...

cit: *neque enim dignas fuisse profanorum, & impurorum aures, quæ diuinæ apparitionis exciperent narrationes.* Non existimo, quod ait Oecumenius, solos id fecisse falsos testes, sed reliquos etiam qui aderant.

Et impetum fecerunt vnanimiter in eum.] Syriacè sic redditum est, וגומו עלוהי כלהון *veggaZemu bhalauehi culhebun*, id est, *Irruerunt in eum omnes*, vel *contra eum.* Lapidatio námque fiebat à populo, vt mox dicemus. Hic impetus facilè persuadet, prætermissum in præsentia iuris ordinem, & extremum supplicium Iudæos intulisse potestate à politico Magistratu non habita. Caietanus affirmat affuisse Pilati consensum, atque de illo Paulum intelligere, cùm coram Agrippa dixit, *quòd ipsemet detulit sententiam* [a]. Ceterùm noluit Paulus dicere se à Præside latam sententiam detulisse, atque recitasse, sed quod in se erat iudicauisse illos, quos cum potestate comprehendebat, reos esse mortis. Quid autem in pœnis inferendis licuerit Iudæis sub imperio Romano, docui capite quarto [b].

Ordo iuris omni... hic prætermis... fuisse.

a Act. 26.10. *Paulus quomodo sententiam in Sanctos detulerit.*

b vers. 5.

Versus 58.] Et eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescẽtis, qui vocabatur Saulus.

Blasphemi extra castra lapidati.

ET *eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant.*] Blasphemus ille filius Israëlitidis ex patre Ægyptio, cùm in iurgio blasphemasset, iussu DEI eductus est extra castra vt lapidaretur [c]: voluit quoque DEVS eodem ritu lapidari idololatras [d]: & Achan reum anathematis [e], ne videlicet polluerentur castra, vel ciuitas noxio sanguine. De CHRISTO constat eum crucifixum extra ciuitatem, seu, vt Apostolus loquitur, *extra castra & portam* [f], etsi posteà inclusus est mons Caluariæ intra muros ciuitatis, vt testatur Nicolaus Papa I. [g] Beda, & alij, qui scribunt de locis Sanctis. Mons is dicebatur Caluariæ, à caluariis damnatorum ibi truncatorum extra portam, vt in Matthæum [h] docent Hieronymus, & Beda, aliíque, & Iansenius in Cõcordia [i]; quamuis alij malint ab Adam ibi sepulto, de qua re noster Iacobus Gretserus in opere de Cruce [k]. Mos erat Romanis & Romano iure viuentibus eos, in quos vltimo supplicio animaduertendum foret in populi conspectu, extra portam ciuitatis deducere, & si in castris essent, extra vallum; iis demptis, quos è saxo Tarpeio præcipites Romæ dabant, aut bestiis intra ipsam vrbem obiiciebant. Prætereà excipiendo seruos, & peregrinos, & ex ciuibus libertos turpes, ac inhonestos, infimíque gradus, in quos palàm animaduerti potuit: & honestiores, cùm delictum non erat militare: pro aliis enim, si quando alibi, quàm in castris luituri essent, in carcere plectebantur. Hoc eruditè commonstrat Petrus Faber in Semestribus [l], auctoritate Plauti [m], Taciti [n], Suetonij [o], Horatij [p], Varronis [q], Liuij [r], Zonaræ [f], Martialis [t], qui meminerunt sumi solitum supplicium extra portam Exquilinam, Collinam, Metiam, Suburram; vsu prætereà tintinabulorum in damnatis ad supplicium deducendis. Eadem verò ratio de damnatione per cornu pro reis militibus, de qua Vegetius [u], & pro aliis, teste Tacito [x], atque Varrone [y]. Item in aliis prouinciis, ex eo quod de Siciliensibus Mamertinis Cicero scripsit [z], & de muliere Vercellensi septies icta

c Leu.24.10.14.
d Deu.13.10.c.17.5.Leu.20.2.
e Iof.7.24.25.

f Heb.13.12.13.
g ad conf.Bulga.c.92.

Caluariæ mons vnde sic dictus.
h c.27.

i c.141.

k tom.1.lib.1.c.18.
Romani extra ciuitates solent plectebant.
l libr.2.cap.8.
m in Milite. Act.2.Sc.4. in Casina. Act.1.Sc.6 in Pseudolo.Act.1.Sc.3.
n 2.Ann.cùm de Pub. mart. & lib.15.cùm de Plautio Latere.
o in Claudio. c.25.& in Oct. c.57.
p lib.1.Ser.Sat.8. Epodô ode 5.& 17.
q 4.de ling. Lat. cum de periculis.
r lib.8.& 22.
f to.1.Annal.
t libr.2.epig.17.
u lib.2.c.22.
x 2.Annal.
y 5.de ling. Latina.
z libro 5. in Ver.

A Hieronymus [a], & Lampridius [b], & Paulus Diaconus [c], & Theodoretus [d] de aliis. Prætereà Aggenus Vrbicus tractans de limitibus agrorum, tradit in suburbanis fuisse loca noxiorum pœnis destinata. Adde his quoque Platonem [e], & Iosephum [f], qui saltem id indicat, & Tullium alibi [g]. De loco extra vallum cùm milites ob capitale crimen, aut militare flagitium plectendi erant, fuisse Romæ quidem vltra portam Decumanam, alibi autem in aliis prouinciis, docet idem Auctor ex Vegetio [h], Hirtio, siue Oppio [i], Seneca [k], Polybio [l]. Attamen Quintilianus [m], *quoties*, inquit, *noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ, vbi plurimi intueri possint*, & Iurisconsultus [n] famosos

B latrones furca figendos in iis locis, vbi grassati essent, edixit. Sic Auidius Cassius milites, qui aliquid per vim Prouincialibus tulissent, in his locis, in quibus peccauerant, in crucem sustulit, vt scribit Volcatius [o]. Sed id esse potest, si locum designemus extra ciuitates haud ita longè. Legendus quoque Cœlius Rhodiginus [p], & Baronius [q]. Denique ex Actis Martyrum confirmari possunt quæ diximus, quanquàm frequentissimè etiam spectante populo cruciarentur, bestiisve laniandi traderentur. Et de Iudæis rem facit probabiliorem, quòd iudicia in portis ciuitatum [r] exercebantur, vt finitimis villarum incolis facilior esset accessus: inde ergo verisimile est, noxios foras ad supplicium eductos. Confirmat idipsum cum Bo-

C nauentura Toletus [f], ex eo quòd ciues CHRISTI Nazareni, eiecerunt illum extra ciuitatem, vt præcipitarent, ac lapidarent velut blasphemum. Chrysostomus [t] ait *extra mœnia, & ciuitatem immolatum* CHRISTVM, *& crucifixum, non in templo, tanquàm damnatum quempiam, & reum*, vt impleretur illud Esaiæ [u], *Et cum iniquis deputatus est*: simul vt disceremus esse generale sacrificium, & expiationem pro vniuersa terra, non pro Iudæis tantùm, qua item de causa natus dicitur in via extra Bethlehem.

D Quod autem spectat ad Stephanum, Lucianus, qui descripsit inuentionem ipsius, narrat ex reuelatione Gamalielis, locum fuisse extra portam, quæ vergit ad Aquilonem, ducítque ad Cedar (ibi propter torrentem, erat copia lapidum.) Hæc porta posteà, teste Beda in descriptione locorum sanctorum [x], aliísque, qui tractant idem argumentum, à sancto Stephano cognominata est; aliàs etiam dicta Ephraim: erat verò locus lapidationis distans ab Ierusalem vno integro stadio, in eóque Protomartyris Ecclesiam ædificauit Eudoxia, vt memorat Marcellinus [y], Euagrius [z], Nicephorus [a]. Apponam hîc occasione dictorum id, quod notaui in quadam Chrysostomi oratione [b], antiquam consuetudinem tempore etiam eius fuisse, vt ipso die Parasceues fideles extra ciuitatem conuenirent in concionem. Causam ipse

E ait esse, *vt* CHRISTVM *extra ciuitatem crucifixum ceu pastorem sequantur vt oues: & vbi est corpus, illuc & aquilæ congregentur: & quoniam Apostolus* [c] *hortatur, vt exeamus extra castra improperium* CHRISTI *portantes.* Ait prætereà locum, quò conueniebant, fuisse cœmeterium amplum, quoniam eo die CHRISTVS ad mortuos descendit. Lutetiæ haberi solet concio feria V. Cœnæ Domini in amplissimo cœmeterio SS.Innocentium, quod est intra vrbem (olim autem ferunt extra vrbem fuisse) idque vespertino tempore.

Lapidabant.] Inter suppliciorum genera Iudæis vsitata, capite quarto [d] docui hoc vnum fuisse

a epist.49.
b in Alexand.
c lib.14.
d lib.1.ca.17.

e 11.de legib.

f 19.Antiq. cap.1.vel 4.
g oration.pro Cluentio.

h lib.1.cap.21.
i lib.de bello Afric. & libr. de bello Hisp.
k libr.de ira. cap.16.
l lib.1.Histor.
m Decla 275.
n l. capitalium ff.de pœnis.

o in vita Cassij.

p lib.10.& 19. cap.17.
q in Notis.10. Febr.

Iudæi reos extra ciuitatẽ puniebant.
r Psal.61.13.& 126.5. Pro.22.22.ca.31.23.& alibi sæpe.

f in c.4.Luc. annot.43.

t homil.2.in Parasce. apud Gretserum. to.2.de Cruce.

u cap.53.12.& Luc.22.37.

S.Stephani quo in loco lapidatus sit.

x cap.2.

y in Chron.
z 1.Hist.c.22.
a lib.14.c.56.
Die Parasceues extra vrbem olim concio haberi solita erat.
b est 1.de Parasceu. apud Gretserum, tom.2.de Cruce.

c Heb.13.13.

d vers.?
Lapidatio supplicium Iudæis valdè vsitatum.

a lib. 3.

(vt omittam Lusitanos, quibus hoc familiare fuisse proditum est ab Strabone [a]) & paulò antè dixi, eo supplicio animaduersum fuisse in blasphemos, & idololatras: prætereà lex extat de adulteris, vt interficiantur [b]. Colligitur autem ex Ezechiele [c], & Ioanne [d], vt lapidibus obruantur, & in Deuteronomio [e] ea pœna decernitur comprimenti virginem desponsam alij viro, & fœminæ, quæ se mentita virginem, alij in vxorem coniuncta est [f]. Cùm etiam senes illos, qui falsum Susannæ crimen obiecerant, à populo interfectos Daniel scribat [g], pœna eâdem, qua Susanna, si crimen probatum esset, afficienda erat, satis significat lapidationem pœnam fuisse adulterij. Adhæc quando DEVS legem dare volebat Mosi in monte, montis ascensu reliquos arcuit huius timore pœnæ [h]. Sed & eandem imposuit viro, siue mulieri, in quibus pythonicus, vel diuinationis esset spiritus [i]: & colligenti ligna Sabbato [k]: & filio in parentes proteruo, & contumaci [l]. Igitur in Stephanum, vt in blasphemum, lapidum supplicium decretum est, quasi DEVM se vidisse venditantem, quem non viderat (quo olim nomine Esaiã, licèt mortis forma diuersa, necasse feruntur) vt Naboth lapidauerant quasi benedixisset, hoc est, blasphemasset DEVM, & Regem [m]. Nam cùm Israëlitidis illum filium, de quo dixi, lapidari iussit DEVS, eandem in quoslibet blasphemos extendi pœnam edixit, siue ciuis esset, siue peregrinus [n]. Et CHRISTVM ipsũ Iudæi eâdẽ de causa lapidare voluerunt [o]. Et quærenti causam CHRISTO responderunt: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu, homo cùm sis, facis teipsum* DEVM [p]. Et tamẽ non lapidari CHRISTVM, sed crucifigi à Pilato petierũt, quem propter blasphemiam mortis reum cũ Caipha pronunciauerãt, quoniã crux perditissimo Barabbę debebatur, iuxta leges Romanorum, eique similibus seditiosis, & latronibus, qualem haberi CHRISTVM malebant à Præside Gentili, quàm blasphemum aduersùs DEVM, quem ipse DEVM aut non crederet, aut non coleret, aut eius iniurias non adeò curaret, præsertim cùm is optionem eis dedisset, vt quem mallent, CHRISTVM an Barabbam, à morte liberarent, vnde hi, cùm Barabbam sibi donari petierunt, CHRISTVM in eius locum Crucis supplicio affici, & non lapidari, iuxta quod lege præscriptum erat, petierunt. Quanquàm & blasphemiæ crimen, vt permoueret animum Pilati haud multùm pendentis calumniam de affectato [q] regno admiscuerunt [r], & turpissimo mortis genere affici CHRISTVM summoperè cupiebant, & eis oblatam occasionem auidissimè arripiebant.

b Leu. 20. 11. Deut. 22. 22.
c ca. 16. 40. ca. 23. 45. 47.
d c. 8. 5.
e ca. 22. 24.
f ibid. 21.
g cap. 13. 62.
h Exod. 19. 13.
i Leu. 20. 27.
k Num. 15. 35. 36.
l Deut. 21. 21.
Stephanus cur lapidatus sit.
m 3. Reg. 21. 10. 13.
Blasphemi pæna lapidatio.
n Leu. 24. 16.
o Ioann. 8. 59. c. 10. 31. c. 11. 8.
p Ioan. 10. 33.
Christum cur nõ lapidari, sed crucifigi Iudæi petierint.
q Luc. 23. 2.
r Ioan. 19. 9.

Nec verò abhorrebat à moribus, institutísque Iudæorũ seditiosos crucifigere: crucis enim apud eos vsum fuisse, patet ex Deuteronomio [s], vbi Legislator nulla speciatim scelera cruce mulctanda expressit, & Philo tradit [t] solemne Iudæis fuisse sicariis, & homicidis illam decernere, quasi nimirum generatim scriptã de eo supplicio legem ex communi vsu, & praxi ad huiusmodi facinorosos transferrent. De hac eadem re lege annotata in capite secundo [u].

Iudæi seditiosos crucifigere solebant.
s ca. 21. 22.
t li. de specialib. legib.
u vers. 23.
Cur Deus blasphemos lapidationis pænã iniunxerit.

Meritò talem pœnã lapidationis talibus peccatis deputauit DEVS, vt pœnæ populus executor esset aduersùs ea peccata, quæ maximè lædunt & commune bonum, & communem omnium auctorem DEVM, simulque maiorem conciperent peccandi horrorem, qui in peccantes vindi-

A ctam exercebant, & intelligerent pertinere ad se procurationem, tum ne ita peccetur, tum vt si peccatum sit, corrigatur. Loquens DEVS de filio proteruo, & contumaci [x]: *Lapidibus eum obruet*, inquit, *populus ciuitatis, & morietur, vt auferatur malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimescat.* Eandem causam reperit aliis citatis locis auferendi malum de medio populi, & cùm agit de idololatris, comminatur populo, si in illos non animaduerterit [y]. Apuleius [z], disserens de incestu & fratricidio, tradit horum criminum reum obrui lapidibus iussum, vt publicum malum publicè vindicaretur. Abulensis exponens Iosue [a], attingit allatas has causas, cur vellet DEVS certos facino-

B rosos homines lapidari à populo, additque idcirco à multis irrogatum id supplicium, ne diutius tam crudeliter torquerẽtur. Idem Doctor in Leuiticum [b], docet ei, qui lapidandus erat, detractas priùs vestes, quod & de Stephano innuit Augustinus [c], & clarius Petrus Damianus [d]. Fateor plerũque raptos olim ad Crucem, aliúdve supplicium maleficos nudos. Testatur id Plato [e] his verbis, quæ ad lapidationem quoque, qua de agimus, valdè conferunt: *Qui cædis huiusmodi condemnatus fuerit, tam à Iudicum ministris, quàm a Magistratibus occidatur, trahaturq; extra vrbem in statutum triuium nudus, vbi singuli Magistratus pro vniuersa ciuitate in mortui caput lapidem mittant, atque ita ciuitatem*

C *omnem purificent.* Iosephus etiam [f] Lupum, & Chæream eductos ad supplicium nudos prodit. De latronibus cum CHRISTO eductis idem sentiunt veteres picturæ, quæ ipsos repræsentant nudos. Nec aliter fieri poterat, cùm verberandi essent in via ad crucem. Sed quia priùs verberatus est CHRISTVS, illi vestito [g] crux portanda imposita est, in qua demùm nudus confixus est, partientibus inter se militibus vestimenta eius [h]: mosque, Artemidoro teste [i], fuit cruciarij in cruce vt nudi essent, ita vt proinde dirè priùs ac fœdè cæderentur, ne qua in nudis turpitudo appareret. Sed interdum tamen etiam vestiti & deducebantur ad supplicium, & supplicio afficiebantur, præ-

D sertim cùm non crux, sed aliud erat: vt ex Pontio in Actis Cypriani intelligimus, cùm ait, *in loco supplicij birrũ, quo se expoliauit, dedisse carnificibus, dalmaticam Diaconis, & stantem in lineis* (hoc est, in superpelliceo, vt vocant) *expectasse spiculatorem.* Qui loca sacra describunt, quales sunt Borcardus in Itinerario [k], Christianus Adricomius, Ioannes Zuallardus, Ioannes Ceuerius de Veza, Noë Brancees, Michael Ausingus, Hieronymus Gratianus [l], quod & omnes peregrini testantur, faciunt mentionem lapidis, super quo tandiu B. Virgo pro Stephano DEVM precata est, quamdiu durauit lapidatio: sed & Ioannem cum ipsa idẽ fecisse, iidem dicunt, cùm fortè post obita religiosè pia Ieroso-

E lymorum loca, S. Maria diuinitùs edocta intellexit rapi ad mortem Stephanum à concitata multitudine, quam non procul ab vrbis porta (quæ vocabatur Ephraim, aut vallis aut gregis, aut aquarum, posteà Stephani, vt iidem variè loquuntur) conspiciebat. Non inutiles profectò Stephano tales preces fuerunt, quamuis gratia pleno, & fide, & fortitudine. Quare Deiparæ quoque debemus Protomartyrem, sicut & Stephano Paulum: de quo Paulo adhuc Saulo, & lapidantium vestes custodiente, nescio quem legi prodentem, interim pro Stephano preces fudisse, vt meliorem ei, quem putabat in errore versari, DEVS mentem inspiraret.

Filij proteruo comminatio pœnæ.
x Deut. 21. 21.
y Leuit. 20. 4.
z lib. 12.
a Iosue 7. q. 40.
Et qui lapidandi erant, detrahebantur vestes.
c Sermo 6 de Sanctis, vltimus de tene verbis.
d Serm. de S. Stephano
e lib. 10 de legib.
f li. 19. Antiquit. c. p. re. 4.
Latrones cum Christo nudi crucifixi sunt.
g Matt. 27. 31. & seq.
h Matt. 27. 35. Ioan. 21. 10.
i lib. 2. c. 54.
Rei non omnes nudi puniebantur.
B. Virgo dum Stephanus lapidaretur, pro eo orabat.
k 1. p. ca. 7. § 4.
l lib. 1. vitæ S. Iosephi c. 4.

Et testes

Et testes deposuerunt vestimenta sua.] Τὰ ἱμάτια αὐτῶν, *sua ipsorum*, Syriacè similiter, נחתיהון *nachethatehun*, id est, *vestimenta ipsorum*, non autem Stephani, vt videtur intellexisse Petrus Damianus sæpe citatus, aut, vt alij volunt, Bernardus [a], dicens: *Deponuntur vestimenta Martyris ad pedes persecutoris, qui ad tactum sacrarum vestium, & orationibus lapidandi fuerat conuertendus.* Cùm lapidandus esset, iam aliquoties commemoratus Israëlitidis filius blasphemus, voluit DEVS, vt qui blasphemiam audierant (hoc est, vt ego interpretor, qui etiam in iudicio contra illum deposuerant) *ponerent manus suas super caput eius* [b]. Sic legimus à perditis senibus positas manus super caput Susannæ [c]. In Deuteronomio autem præcipitur, vt manus testium prima interficiat, & manus reliqui populi extrema mittatur. Idem præterea iniungi videtur ei, qui idololatram deprehenderit, ac detulerit [d]. Tradunt quoque, quòd cùm Mathias Apostolus blasphemasse argueretur, conductus est ad locum lapidationis, & testes duo, secundùm legis mandatum, posuerunt manus suas super eum, & primi lapides iecerunt. Dixit quoque CHRISTVS accusatoribus adulteræ [e]: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat:* innuens, vt mihi videtur, licèt secus Maldonato, consuetudinem istam; ratio Maldonati est, quia non, *qui sine peccato est*, dixisset, sed qui primus deprehendit. Verùm & multi forsitan deprehenderant, & sine dubio multi accusabant. Videlicet signum illud erat eiusdem potestatis, quam testificando demonstrabant, quoniam iuxta id, quod ipsi deposuerant, sententia ferebatur à Iudice, & tantùm non dicebant, inquit Lyranus [f], *Malitia tua te adduxit ad mortem, non nos.* Vide etiam Abulensem [g]. Oleaster verò præterea addit istam aliam causam impositionis manuum, vt quemadmodum immolantes, qui admouebant manus hostiæ, protestabantur se morte dignos, at DEI misericordia mortem commeritam permutatam esse in mortem pecudis, sic hi qui audierant, & passi fuerant blasphemiam ab alio proferri, digni morte erant, sed DEI misericordia suum tenebat auctorem blasphemia, qui ideò immolabatur, tanquàm maximè reus pro omnibus, & ideò super illum manus iungebant: *quemadmodum*, inquit, *Gentiles cum commune paterentur excidium, hominem dijs deuouebant, & pro peccato omnium occidebant*; & eò alludere Paulum ait, quando dicit [h]: *Puto enim quod DEVS nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquàm morti destinatos.* Caietanus ait testium fuisse manus imponere, quod ego verum puto, & ex dictis colligi mihi persuadeo, eáque impositione ostendisse reum mortis. Quare Oleastri expositio non videtur ad rem, qui enim testificabantur, non ipsi morte digni erant, neque peccatum ab illo admissum approbabant, sed potiùs vindicabant. Sententiam porrò illam, à CHRISTO indicatum morem fuisse, vt primi lapidarent testes in dicta causa adulteræ, sequitur Albertus in Ioannem [i], & Arias Montanus [k]: *Ita vt*, ait iste, *qui lapides iaciebant, eadem actione profiterentur se ab illo crimine & immunes esse, & perpetuò velle ab eo longè recedere.*

Quod attinet ad depositionem vestimentorum (quæ ἱμάτια Græcè dicuntur, nomine quidem interdum generali, sed etiam significante superiores vestes, vt pallium, quod super tunicam induitur, & hanc hoc loco significationem habere videntur) id fecerunt, vt expeditius lapidarent: quemadmodum CHRISTVS, cùm voluit Discipulorum lauare pedes apud Ioannem [l], qui vtitur eadē voce Græca. Magister Historiæ Scholasticæ [m], & Carthusianus [n] addit, ne inquinarentur tactu Stephani, nempe ex cruore illius resultante, quæ tamen ratio parum probabilis videtur: nec enim qui lapidat, tangit, sed eminus ferit, vt vix ex lapidati corpore sanguis ad ipsum exiliat, neque minùs certè inferiores vestes commacularentur.

Secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.] Videtur Saulus natura præferuidus, *& paternarum æmulator traditionum* [o], & maximè concitatus in Stephanum condiscipulum, ac, vt quidam [p] volunt, etiam affinem, quem anteire doctrina, & signis ægrè ferebat, & testes subornasse, & lapidantium horum vestes illos hortando, atque vrgendo seruasse, abstinuisse tamen à lapidatione, tanquàm à re, quæ literatum Pharisæum dedeceret. Qua etiam in re Comestor cum Beda diuinam erga illum prouidentiam agnoscit, quæ non siuerit manus eius innocentis sanguine pollui. Ipsemet deinde Paulus confitens CHRISTO peccatum suum, indefinitè ait [q]: *Et cùm funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum*, intelligens testes, quorum custodiebat vestimenta, licèt alijs omnibus interficientibus consentiret, & tantùm non præesset: quod in citato loco denotat participium Græcum, καὶ αὐτὸς ἤμην ἐφεστώς, *& ego eram superstans.* In eodem sensu Paulum Augustinus [r] dixit vestimenta lapidantium seruasse, vt omnium manibus lapidaret, lapidandus [s] aliquando manibus alienis. Ita etiam Gregorius [t] intelligendus, cùm indefinitè ait lapidantium vestimenta seruando, ita omnium lapidasse manibus, qui ad lapidandum omnes expeditos reddebat. Præterea Fulgentius [u] dicens, *trucidatum Stephanum lapidibus Pauli*: rursum Augustinus [x] dicens, *quod Saulus spoliatus lapidabat*: etsi hæc verba indicant ipsum met proprijs depositis vestibus lapidasse: quod alios negare dixi, quibus assentior, & magis fauet præsens historia hic, & capite vigesimosecundo.

Adolescentis.] Νεανίου. Qui anno ætatis sexagesimooctauo, vt Chrysostomo [y] placuit, CHRISTI verò, vt supputant Chronographi, maximè in Annalibus Baronius [z], sexagesimonono (quoniam & Stephanus lapidatus est SALVATORIS eiusdem quarto & trigesimo) mortuus est, debuit esse annorum triginta trium aut quatuor, aut quinque, ideóque non potuit propriè adolescens esse. Sed vox Græca non ætatem semper significat, verùm etiam validum, ac robustum, & audacis, strenui, acrisque spiritus hominem, ita vt aliquando boni Auctores Græci dicant νεανίαν ἄνδρα [a], sicut & Aeschines [b]; Hesychius [b] ait νεανιεύεσθαι, esse iactare se, & gloriari, audacem & insolentem esse, iuuenilia opera facere. De vocibus Græcis Budæum consule [c], de ætate Pauli Pererij selectarum disputationum in epist. ad Romanos tomum 2. [d] Refert quoque Græci auctor Thesauri, ex sententia Pythagoræ apud Laërtium, idem esse νεανίαν quod ἄνδρα, id est, virum, seu virilis & constantis ætatis hominem: vocari autem νεανίσκον forma diminutiua, iuuenem, seu adolescentem. Ananias eundem Saulum recens vocatum, vocat ἄνδρα, *virum* [e]: neque adolescenti ætate data potestas tanta esset in Christianos. Non etiam ipse se in epistola ad Philemonem [f], quæ Neronis anno quarto scripta dicitur, senem appellaret, nouem decemve inde pòst annis ab eodem Imperatore decemumter-

tium

Marginalia (left): a Ser. de S. Stephano. — Lapidandis testes manus imponebant, & primi lapidabant. — b Leu. 24. 14. — c Dan. 13. 34. — d in Leu. cap. 24. — e Ioan. 8. 7. — Cur testes ipsi lapidarent adulteram. — f in Leu. c. 24. g ibid. Cur testes manus super accusatum imponebant. — h 1. Cor. 4. 9. — i cap. 8. k in c. 7. Ios.

Marginalia (right): Cur vestes suas testes deposuerint. — l cap. 13. 4. m in Histor. Actuum. c. 42. n hoc loco. — Saulus in S. Stephanum cur concitatus tantoperè fuerit. o Galat. 1. 14. p Oecum. — Dei prouidentia non permisit manum sanguine S. Stephani maculari. — q Act. 22. 20. — r Ser. 93. & 94 de Diuer. Saulus in omnium manibus lapidabat. s Serm. 96. de Diuer. t homil. 19. in Euang. & lib. 4. in 1. Reg. c. 10. u Ser. de S. Stephano. x Serm. 6. de Sanctis. — y ora. de prin. Apost. — z tom. 1. Saulus quotum agebat annum cum Stephanus lapidaretur. — Vox adolescens quid significet. — a vt Xenopho 7. Pædia. b in Lexico. — c Com. ling. Græcæ, pag. 934. d disp. 1. n. 16. & 17. — e Act. 9. 13. — f vers. 9. Paulus non fuit ætate iuuenis in sua conuersione, vt creditur.

tium agēte in Imperio annum necatus, vbi à conuersione annos vigintiquatuor attigisset. Et cùm in Apologia ad Agrippam ait [a]: *Et quidem vitam meam à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis, nouerunt omnes Iudæi*, satis indicat, se, cùm hoc dixit, non adolescentem fuisse. Certè minorem vigintinouem annis nemo facit. Quòd si adolescentiam cum nonnullis, nempe Auctore Calepini, immò Varrone citato à Rhodigino [b], producas vsque ad trigesimum, vel etiam ab anno vigesimo vsque ad quadragesimum, cum Pythagora, adhuc adolescentis nomen cum proprietate retinere potuit. Sed non adeò paucorum annorum erat, vt etiam cùm scriberet Corinthiis [c], & se sine vxore esse significaret, viduus esse non potuerit, vt voluit tamen Theodoretus, & Ambrosius, qui ait, *quod iuuenculus anticipatus est à gratia* DEI, *siue vocatus*. Idem Paulus Timotheū, tametsi Episcopum, adolescentem nominat, dicens [d]: *Nemo adolescentiam tuam contemnat*, cùm Clemēs exigat in Episcopo [e] quinquaginta annos ex traditione Domini, *quòd ea ætas*, inquit, *quodammodo iam iuueniles petulantias, & eorum qui foris sunt, obtrectationes effugerit contra quorundam falsorum fratrum vituperationes, quas multis inferunt*, &c. Subdit nihilominùs, *si in parua parœcia ætatis inclinantis, & prouecta non reperiatur, posse eligi eum, qui in adolescentia mansuetè, & compositè viuendo similem ætatem planè ostendat*. Notat ibi Turrianus, adolescentiam Timothei Paulum vocasse τὴν νεότητα, quòd non esset ætate prouectus. Et propterea Iudæos CHRISTO dixisse [f]: *Quinquaginta annos nondum habes*, id est, nondū ætate processisti, quasi quis ascendat, dum ad mediam ætatem tendit, ac veluti adolescat, si minùs proceritate corporis, certè duratione ætatis, quæ mediâ ætas vsque ad quinquagesimum annum, ætas constans est, vt delabi ad extremam ætatem sit (vt ibi loquitur Clemens) καθήκειν τῇ ἡλικίᾳ, sicut quinquagenarium appellat προβεβηκότα τῷ χρόνῳ, eum qui tempore diu progressus est. De ætate Episcopi nō est hîc dicendi locus. Constat posteà triginta annos definitos à Conciliis, vt Neocæsariensi [g] (quod approbatum est à Concilio Niceno) item Tridentino [h], & aliis. Quemadmodum apud Romanos Quæsturæ, Ædilitatis, & aliorum capessendorum fuit ætas certa Magistratuum, iuxta legem quæ dicebatur comitialis, vel annalis, siue annuaria. Qua de re Lælius Bisciola [i] contra Manutium libro de legibus Romanis, docens definitum 27. aut 25. aut 22. sed pro Senatoria dignitate 30. annum. De Bithynis quid scribat Plinius II. eum consule [k], qui refert Augustum permisisse minoribus Magistratibus duodeuigesimū ætatis annū. In legibus posterioribus [l] definita est ætas annorū 25. vel 30. Quocirca non erat ea cōstitutio dogmatica, ac perpetua, sed tantùm decentis ætatis propter causam expositam, & apud Hebræos qui natus erat annos triginta, Sacerdotis, Doctoris, aut Prophetæ officio fungi poterat. Colligūt id nōnulli ex Ezechiele [m], quasi ea se scribat ætate prophetasse, quod meritò refellit Hieronymus [n]. Colligitur præterea ex 1. Paralipomenon [o], idque Hebræi tradunt. Nec me latet, propter insignem virtutem, simul etiam ob idoneorum paucitatem ministrorum, nonnullos quandoque prisco æuo admodùm iuuenes ordinatos Episcopos, vt Eleutherium matre Anthia per B. Paulum ad fidem conuersa, cùm ageret annos viginti, creatúsque priùs esset diaconus annorum 15. presbyter 20. [p] vt Remigium

a Act. 26. 4.
Propriè etiam adolescens dici potuit.
b lib. 19. cap. 21.
c 1. Cor. 7. 7.
d 1. Tim. 4. 12.
e 2. Const. c. 1. *Episcopus quinquaginta annorū esse debet iuxta Clementem, nisi in necessitate.*
Iuuenis quis dicatur quando nō est ætate admodum prouectus.
f Ioan. 8. 57.
g ca. 11.
h Sess. 22. de refor. c. 12.
i 8. hora. subc. c. 14.
k li. 10. ep. 84.
l l. non tātùm. ff. de Dec. & l. ad Rempublicam ff. de mu. & honor.
m cap. 1. 1.
n in Comm.
o cap. 23. 3.
p Nicep. 3. Hi. c. 29.

A Rhemensem anno 22. [q] vt Fulgentium. Sed Gregorij breuior solutio [r], tametsi de Timotheo loquatur, dicens sumi pro eodem iuuentutem, & adolescentiam, idque confirmat verbis Ecclesiastæ [s]: *Lætare iuuenis in adolescentia tua*, quod & nos ibi obseruauimus, & notauit etiam Anselmus [t]. Putat Ioannes Ferdinandus [u] fuisse tunc Saulum annorum viginti & nouem, adolescentiamque dici etiam de iuuentute, quæ accedit ad ætatem virilem. Cùm Cicero dixit pro Roscio, erat (Gellio [x] teste) annor. 27. ille tamen tunc se adolescentulum fuisse affirmat. Idem quoque M. T. [y] statuit adolescentiam solam medio inter pueritiam & senectutem loco. Chrysostomus [z] de Paulo scribit, quòd τεσσαράκοντα ... τῷ κυρίῳ μετὰ πάσης προθυμίας: τελέσας δὲ τὸν ὑπὲρ τῆς ... δρόμον ἀνεπαύσατο, ἐτῶν ἑξήκοντα ὀκτώ.
B Igitur quando conuersus est, annorum erat 35. Glycas [a] idem habet.

Saulus.] Saul est nomen eius, & per inflexionem Græcam, Latinamque Saulus, vt docet in principio epistolæ ad Romanos Anselmus. Cur autem posteà, & quomodo nominatus sit Paulus, dicendum suo loco [b]. Nota est significatio nominis Hebræi, שאול *Schaul, Postulatus*, siue, *Commodatus*, à verbo שאל *Schaal, eo quod*, inquit Hieronymus [c], *ad vexandam Ecclesiam fuisset à Diabolo postulatus: quemadmodum videlicet & primus Rex, quia*
C *postulatus à* DEO *est, Saul est nominatus*, vt idem notat [d], & Augustinus [e], qui addit Apostolum nomen illius Regis habuisse, & eum Ecclesiam persequendo imitatum esse [f], qui erat etiam ex eadem tribu Benjamin, necnon iam citatus Anselmus, vtens allatis Hieronymi verbis de Diabolo, & alij. Arator [g] aliam etymologiam assignat, vt significet infernum (quod significat nomen שאול *scheol*, necnon etiam sepulcrum atque mortem) sic enim canit:

Ad Sauli posuêre pedes velamina sani,
Infernum quod Hebraeus ait. ——

Quidam tamen siue ignorantia Hebraicæ linguæ, siue paronomasia dictionum Hebræarum, & Græcarum, atque etiam Latinarum, Saulum interpre-
D tantur ab inquietudine, & tentatione, quasi ἀπὸ τοῦ σαλεύεσθαι, id est, *iactari, & commoueri*, vel ἀπὸ τῆς σάλης, id est, *fluctu, & motione maris*, & Latinitate donato vocabulo, *salo*. Hoc modo interpretatus est is, qui operibus Ambrosij insertus est falsi nominis commentator epistolarum Pauli [h], vt quadam epistola demonstrauit Baronius [i], multò molliùs, meliusque nomen hoc deducturus, nulla litera addita, à σαῦλος, quod significat *mollem, ac delicatum, vitiosum, & leuem*.

Versus 59.] Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem, Domine IESV,
E suscipe spiritum meum.

ET *lapidabant Stephanum.*] *Ad lapides currebant, duri ad duros, & petris lapidabatur qui pro petra, qui* CHRISTVS *est* [k], *moriebatur*, inquit Augustinus [l], *& à lapideis* [m], *qui legem acceperant in lapideis tabulis* [n]. Arator eleganter mysticas has causas expressit [o]:

—*Lapides Iudæa rebellis*
In Stephanum lymphatâ rapis, quæ crimine duro
Saxea semper eris. ——

& paulò pòst:

q in vita.
r Homil. ... Ezech. ... par. Pastor. admonit. ...
s cap. 11. 9.
t in 1. ad Timoth. 4.
Saulus fuit annorum 35. ... Scriptura verba, Adolescentia ...
u in Thesau...
x lib. 15 c. 28.
y in Catone.
z orat. de SS. Petro & Paulo.
a 3. p. Annal.
b cap. 13.
Saulus cur sic dictus sit.
c in epist. ad Philem.
d in Psal. 16. in fine.
e Enarrat. in Psal. 51.
f Serm. 11. & 36. de verb. Apost. & 91. de Diuers. & 74. de Temp.
g li. 1. in Act.
Sauli nomen alia interpretatio.
Ex Græcis ... quidam deducunt.
h in c. 1. ep. ad Roman. princ.
i in epist. ad Nicolaum Ruscam Sordinj Archiepisc.
Stephanus lapidibus cur occisus sit.
k 1. Cor. 10. 4.
l Serm. 92. de Diuers. & 94.
m idem Ser. 93. de Diuers.
n Exod. 30. & 32.
o libr. 2. Carminū in Act.

Et per tot lapides petra coniungitur vni. Nyssenus [a] ait, *quod orbe lapidis vndique conuicientium quasi corona cinctus* (alludendo ad nomen Stephani) *ita accepit id, quod agebatur, quasi corona victoriæ præmium in manibus aduersariorum necteretur.* Magna in laude ponitur cuiusuis alterius Sancti, cùm canitur, *quòd posuit* DEVS *super caput eius coronam de lapide pretioso* [b] (de Dauid propriè sermo est, ac allusio ad coronam victi regis Ammonitarum auream, & lapide pretioso mirabilem, quæ ad Dauid delata est [c]) quanta laus ergo Stephani, quem tot, & tam pretiosi lapides coronant? Vnus è duodecim illis Apocalypsis [d] attribuitur vni Apostolorum, omnes quodammodò Stephano conueniunt. Gestabat Pontifex priscæ legis duodecim lapides cum totidem tribuum nominibus [e]: Leuita noster in tam multis innumerabilem Martyrum multitudinem, quorum est ipse primarius, & coryphæus. Nam, vt ait Augustinus [f], *quando beatus Stephanus pro* CHRISTO *primus sanguinem suum fudit, quasi corona processit de cœlo, vt eam sumerent sequentes in præmio, qui præcedentis pietatem imitarentur in prælio. Impleuerunt postmodùm terram crebra martyria. Quicunque postea sanguinem pro* CHRISTI *confessione fuderunt, imposuerunt coronam illam capiti suo, & eam secuturis integram seruauerunt.* Rursum Augustinus [g] nunc impletum vult, quod in Euangelio dictum est [h] de lapide, *qui reprobatus ab ædificantibus fuerat, & factus est in caput anguli*: id nempe accipi debet iuxta sensum accommodationis, quoniam literalis est de CHRISTO ipso. Denique Emissenus [i], siue quis alius sub nomine ipsius, festiuè adaptat cùm aliis Martyribus, tum præsertim Protomartyri, mysticam illam Gedeonis victoriam [k]: *Tuba*, inquit, *Stephanus sonabat, quando incredulos Iudæos arguebat, & prædicabat: lampadem manu tenebat, cùm prodigia, & signa magna faciebat: Iudæi laguneulam eius fregerunt, dum eum lapidibus interfecerunt: vicit demùm fortis athleta, quoniam coronatus cœlos ascendit: Iudæi verò victi sunt, quia post paucos annos destructa ciuitate in captiuitatem deducti sunt.*

Beda [l] tradit religiosè asseruatam esse Ierosolymis petram, super quam lapidatus est Stephanus. Augustinus [m] lapidem, qui cubitum Stephani percusserat, à pio viro, qui lapidationi interfuerat, Anconam perductum (est verò allusio in nomine ἀγκών, quod *cubitum* significat) multa miracula edidisse. Meminit idem Beda [n], licèt pro Ancona Antiochiam mendosè ponat. Terram sanguine Protomartyris concretam ab Orosio transportatam in Africam scribit Lucianus [o].

Viget quoque traditio de vitrea ampulla sanguinem item continente concretum; quam ex fuga Vandalicæ persecutionis in Africa sanctus Gaudiosus Episcopus Neapolim detulerit, ita vt hodieque inter Missarum solennia, ceu recens effusus, liquidus conspiciatur. Pamelius exponens hæc verba Tertulliani [p] de monumentis Martyrum, *& si fidem commentari voluerit hæreticus* (commentari ibi est mendacij arguere) *instrumenta Imperij loquentur vt lapides Ierusalem. Rectè*, inquit, *affert in testimonium fidei Acta imperij, vtpote in quibus reperiri posset Apostoli Pauli appellatio, & lapides Ierusalem, qui cruore Petri, Pauli, & Stephani adhuc sanguinolenti visebantur.* Forsan alludere tantùm voluit Auctor ille ad sententiam CHRISTI [q]: *Si hi* (paruuli CHRISTO acclamantes) *tacuerint, lapides clamabunt.* Vt enim id fieri possit, sicut & de sanguinis

A Zachariæ vestigiis meminit suo tempore ex quorundã traditione Hieronymus [r]; tamen lapidatum Petrum, & Paulum Ierosolymis non legimus.

Domine IESV.] Ex hac Stephani oratione ad IESVM colligit eius diuinitatem Ambrosius [s], *vt euidentius*, inquit, *cognosceretur, nulla esse stantis* (IESV) *iniuria, sed potestas, filium Stephanus obsecrabat, vt se amplius commendaret* PATRI. Franciscus Dauid [t] impius in CHRISTI Deitatem, ausus est affirmare, hoc esse Stephani exemplum, seu factum, non testimonium. Deinde non puduit dicere, illud, *Domine* IESV, esse inuocationem PATRIS, ita vt vox IESV, sit genitiui casus, & sensus sit: Tu PATER qui es Dominus FILII tui IESV.
B Postremò versans se in omnem partem, illa eadem verba vult dirigi ad PATREM hac ratione, quia etiam PATER vocari possit Dominus IESVS. Sed hoc vltimum quid aliud est, quàm more Sabelliano PATREM cum FILIO confundere? Illud secundum nimis extortum est, cùm & Stephanus eum inuocet, quem se stantem dixerat vidisse à dextris DEI, & nunquàm alibi legatur, *Domine* IESV, in eo sensu, vt IESV, sit genitiui casus; in Apocalypsi [u] verò negari non possit esse in casu vocandi in illis verbis, Ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ, *Etiam veni Domine* IESV. Tandem quod primo loco affert, derogat Stephano pleno gratia, fide, & SPIRITV sancto. Lege Bellarminum [x].

C *Suscipe spiritum meum.*] *Non solùm per pietatis ac iustitiæ studium, per vitæ, mortisque contemptum, sed etiam per orationis affectum,* CHRISTI *se probat esse Discipulum,* inquit Hilarius Arelatensis [y]. Imitatur CHRISTVM in cruce orantem, vt notat Augustinus [z], PATER, *in manus tuas commendo spiritum meum* [a], παραθήσομαι, deponam, & interim custodiendum tradam, dum mortuus per triduum quæ apud inferos agenda sunt ago. Aliter Stephanus piique alij morientes, istud faciunt: commendant hi videlicet animam DEO, ne eam damnet, sed æternæ faciat participem vitæ, vt solent rei vitam suam Iudicibus commendare. Neque enim CHRISTVS dubitabat se damnari non
D posse, aut vllum habere peccatum, quod sibi à PATRE remittendum esset. Attamen verba hæc Stephani singularis cuiusdam fiduciæ plena sunt, & proximè ad eum sensum accedunt, in quo sensu CHRISTVS dicta verba pronunciauit: nam non tam commendat dubitando, quàm offert, certus probari illi, cuius proximè antè solatium ipsum cernendo perceperat, de seipso sacrificium. Stephanum Augustinus [b] ita loquentem facit: *Isti maledicunt, tu benedicis: isti persequuntur, tu suscipe persecutum, &c. Si vis vt non deficiam à te, adiuua me. Cesset contusio petrarum, ne deficiat in me fortitudo membrorum, &c. Et ideò Domine meus, qui exspectas certamen meum, suscipe spiritum meum. Ve-*
E *rùm quia non timeo lapidata membra, suscipe spiritum meum in requie sempiterna. Inter istos sum deputatus tanquam ouis occisionis* [c]; *apud te ponar in requie suauitatis, & pacis.* Item [d]: *Tibi vixi, tibi morior, quia adiuuisti me, vicit quem suscipis, accipe spiritum meum de manu eorum, qui oderunt tuum.* Præterea [e]: *Fecisti me victorem, recipe me in triumphum: illi persequuntur, tu suscipe: illi eiiciunt, tu intromitte: dic spiritui meo, Intra in gaudium Domini tui* [f]. Adhæc [g]: *Adhæsit anima mea post te, quia lapidatur caro mea pro te; accipe spiritum meum, & redde mihi promissum tuum. Prius orauit* CHRISTVS *pro aliis, Stephanus pro se, quoniam ille non egebat oratione pro seipso, & patiebatur in cruce, satisfaciebatque pro*

G alits;

[a] orat. de S. Stephano.
S. Stephanus lapide pretioso coronatus est.
[b] Psal. 20. 4.
[c] 2. Reg. 12. 30. 1. Paral. 20. 2.
[d] cap. 21. 18.
[e] Exod. 28. 9. & seq.
[f] Ser. 94. de Diuersis. *Stephanus primus dedit aliis Martyribus exemplum, vt eum sequerentur.*
[g] Serm. 96. de Diuersis.
[h] Matt. 21. 42. Psal. 117. 22.
[i] in Eulog. de festo S. Stephani.
[k] Iud. 7. 16. & seq. *Gedeonis victoria Stephano accommodatur.*
[l] lib. de locis sanctis. c. 3. *De lapidibus S. Stephani.*
[m] Serm. 31. & 32. de Diuer.
[n] in Martyrol. 3. Aug.
[o] epist. de Inuen. S. Steph. *Ampulla sanguinis concreti S. Stephani, vbi sit.*
[p] in Scorpiaco. c. 15.
[q] Luc. 19. 40.
[r] in cap. 23 Matth.
Diuinitas Domini nostri Iesu ostenditur.
[s] lib. 3. de Fide. c. vlt.
Qui cõtra Christi diuinitatem hoc testimonio abutuntur, arguuntur.
[t] Disput. 3. Albana.
Christus fuit inuocatus à Stephano.
[u] cap. vlt. 20.
[x] li. 1. de Christo. c. 8.
Stephanus se ostendit verum Christi Discipulum.
[y] Homil. de S. Steph.
[z] Ser. 94. de Diuer.
[a] Luc. 23. 46.
Aliter Christus, aliter pij morientes Deo animã commendant.
Stephani hæc verba magnam in Deum fiduciam induant.
[b] Ser. 99. de Diuers. *Quàm magnificæ voces Stephani istæ sunt.*
[c] Psal. 43. 22. Rom. 8. 36.
[d] Serm. 92. de Diuer. *Beatus ille qui sic moriẽs Christum assari potest.*
[e] Serm. 31. de Diuer.
[f] Matt. 25. 21.
[g] Serm. 1. de Sanctis. Psal. 62. 9.
Christus orauit pro aliis, Stephanus pro se.

A

alius; CHRISTVS PATREM *compellauit, Dominum Stephanus: quippe hic seruus erat, ille* FILIVS. *Hæc oratio*, inquit Oecumenius, *ostendit iustorum animas à corporibus liberatas nequaquam in infernum descendere, sed transmitti potius in manus* DEI *viuentis per omnium nostrûm saluatorem* CHRISTVM *Dominum.* Rectè simul decidere videtur controuersiam, de qua disputauimus agentes de Beatitudine [a], vtrùm iustorum animæ beatitudinem consequantur in clara DEI visione consistentem, & recipiantur in empyreis sedibus ante Iudicij diem: simul has animas quodammodò sisti priùs CHRISTO, quàm ad fruendum DEVM admittantur. Vnde ipsemet CHRISTVS pollicitus est Apostolis *se venturum, & accepturum eos* (in morte, scilicet) *ad seipsum* [b]; idque ab eo factum etiam cum aliis testantur multæ historiæ, siue ab Angelis eundem repræsentantibus, quamuis verba illa CHRISTI de aduentu eius secundo soleant intelligi. Colligit prætereà Chrysostomus ex eâdem oratione, quòd spiritus, siue anima *non perit, sed redit ad eum, qui solus fecit illum* [c].

Iustorum animæ non descendunt in infernũ.
a 1.2.q.3.4.5.
Animæ iustorũ prius Christo sistuntur, quam ad beatitudinẽ admittantur.
b Ioan. 14. 3.
c Eccl. 12. 7.
Stephanus seipsum Christo obtulit.

Mihi, quod anteà insinuabam, videtur Stephanus his verbis obtulisse seipsum CHRISTO, *vt pro Domini sui adhuc calente sanguine*, inquit Chrysologus [d], *sanguinem suum auidus bellator effunderet. Compleuit*, vt notat Maximus [e], *id quod est in Psalmo* [f]: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Retribuere enim primus voluit Stephanus martyr Domino, quod cum omni humano genere accepit à Domino: mortem enim, quam Saluator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit* SALVATORI. Eòdem pertinet, quòd veluti *more sacrificantis stans orabat pro se, simúlque*, vt ait Augustinus [g], *tanquàm exigens debitum, & coronam iustitiæ reddendam à iusto Iudice* [h]. *Ita vt forma corporis recta, & celsa*, vt idem significat [i], *denotaret animum pro se securum, & certum, & quòd qui rectè* DEO *seruisset, orando, & impetrando non laboraret* [k]. Postremò liquet, *quàm esset voluntaria passio Stephani, in eo vel maximè*, inquit Bernardus [l] differens de triplici genere Martyrum, *quòd in ipso mortis articulo tam pro persequentibus, quàm pro seipso sollicitudinem gereret ampliorem.* Argumentatur hic porrò Ambrosius [m] CHRISTI diuinitatem, & quia illum Stephanus vidisse dixit ad dexteram DEI; & quia ei, vt ipsemet in cruce PATRI [n] commendauit spiritum suum; & quia rogauit ne statueret ipsis peccatum, perinde vt à PATRE pro crucifixoribus CHRISTVS poposcerat [o].

d Serm. de S. Stepha. 154.
e Serm. de S. Steph.
f Ps. 115. 12. 13.
Stephanus mortem Christo retribuit.
Stephanus more sacrificantis stans orabat.
g Serm. 93. de Diuer.
h 2. Tim. 4. 8.
i Serm. 92. de Diuer.
k Serm. 2. de San. & 51. de Diuer. & 94. & 99.
l Ser. de Innocentib.
m 3. de Fide. c. vii.
n Luc. 23. 46.
o ibid. 34.

Versus 60.] Positis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino: Saulus autem erat consentiens neci eius.

POSITIS *autem genibus clamauit.*] Habuerunt Hebræi frequenter in vsu, flexis orare genibus, vt videre est tum in vetere [p], tum in nouo Testamento [q], in quibus prætereà idem valet verbum *procidendi alicui, seu ad pedes alicuius*, & Græca verba γονυπετεῖν, id est, *genibus aduolui*. & προσκυνεῖν, id est, *adorare demississimè*. Cùm autem Lucas [r] de Pharisæo illo scribit, quòd stans orabat, non de statu corporis intelligitur, sed quòd esset

p 3. Reg. 8. 54. c. 19. 18. 2. Paral. 6. 13. c. 29. 30. 1. Esd. 9. 5. Esa. 45. 24. Daniel. 6. 10. Mich. 6. 6.
q Matt. 17. 14. c. 27. 29. Mar. 1. 40. c. 10. 17. c. 15. 19. Luc. 5. 8. cap. 22. 41. Act. 9. 40 ca. 20. 36. c. 21. 5. Ephes. 3. 14.
Stans Pharisæus quomodo orasse dicatur.
r cap. 18. 11.

præsens, seu manens, vel audax, vel erigens se, vel fixus, ac immobilis, quasi animo in cœlum elatus, aut ad orationem ipsam attentus; vt notat Maldonatus in Matthæum [s], & Lucam [t], & aliàs dixi de verbo standi [u]. Eodem sensu exponenda loca alia, in quibus habetur, quòd aliqui stantes orauerint [x]. Ipsamet natura genu flexo docet orare, ad animi motum excitandum dedititij ac subiecti, séque profitentis infirmum & egentem, quem vicissim etiam motum indicat hic habitus corporis, vt docet Augustinus [y], & Cæsarius Arelatensis [z], & Hieronymus [a]: de qua re plura Ioannes Stephanus Durantus [b], quod pertinet ad ritum circa hoc seruatum in Ecclesia. Sanè quidem Synodus Turonensis [c] sub Carolo Magno

B

religiosè id fieri confirmat exemplo isto Stephani, necnon & CHRISTI [d], atque Pauli [e], addere potuit Petrum [f], & alios primos Discipulos [g]. Veterem illum ritum, vt Dominicis diebus stantes oremus, renouauit Clemens VIII. in rubricis restituti à se Breuiarij. Elephantus idcirco regiæ apud Ægyptios potentiæ symbolum dicebatur, quòd genua non flectat, quasi non alterius egeat ope, nec opus ei sit alteri, vt parasitus ille loquitur [h], vlli hominum supplicare. Dum ergo genua flectimus, prodimus & protestamur nos veluti fractos, impotentes, egentes. Non negauerim tamen aliquando etiam oratum à Iudæis

C

stantibus, & ita fortassis intelligi possent verba Ieremiæ [i]: *Recordare quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum.* Repeviuntur alij gestus pro vario cuiusque affectu: qualis manuum eleuatio, de qua dixi capite primo [k], qualis prostratio in faciem vsurpata etiam à CHRISTO [l], & ab aliis coram ipso [m]: qualis contractio corporis, & in orbem globúmve reductio: vt cùm Elias pronus in terram *posuit faciem suam inter genua sua* [n]. Hæc vltima componendi ad orandum corporis ratio satis molesta, & repræsentans tum modum, quo infantes adhuc clausi in vteris maternis constituti sunt (vt etiam obseruat Philosophus [o], & Hippocrates [p]) tum formam quandam, qua apud

D

nonnullos serui noxij, aliíve verberones aptantur ad verbera, talis est, vt diuinam commiserationem vehementer excitet. Cur Stephanus, qui pro se stans orauerat, pro lapidatoribus oraturus genua posuerit, intelligi potest ex his, quæ priore versu disputata sunt. *Non illos præposuit sibi, qui proximum diligebat sicut seipsum*, inquit Augustinus [q]. *Plus dolebat persequentium peccata, quàm sua vulnera*, inquit Petrus Damianus [r] post Maximum [s], necnon Bernardus [t], *illorum iniquitatem, & impietatem magis odio habebat, quàm suam mortem:* & Augustinus [u] sæpe inculcat causam fuisse lapidantium grauissimam malitiam, & horrenda supplicia, quæ commeruerant. Ait prætereà [x] CHRISTVM

E

sublimem in cathedra Crucis pro inimicis orasse, Stephanum Discipulum, & creaturam ad terram inclinatum. *Verùm & humilem simplicitatem ostendit Stephanus*, inquit Damianus [y], *summam curam & diligentiam, dolorem, compunctionem, & compassionem*, inquit Chrysostomus [z]. Et tamen Ecclesia orans in Parasceue pro Iudæis, non flectit genua, quod facit etiam pro Hæreticis, Schismaticis, Paganis, ad indicandum inflexibilitatem Iudæorum; & quòd eo die CHRISTVS non descendens, vt illi conuiciando poscebant, sed fixus manẽs in cruce orauit pro ipsis [a], & quia illi genu flexo ipsum irriserunt. Vltimam causam dat Amalarius [b]: *Sicut, inquit, nec Sabbato sancto ad lectionẽ de tribus pueris*

s cap. 6.
t cap. 18. 11.
u cap. 3. ... 20.
x Matth. 6. Marc. 11. 25.
Orandum genibus flexis qui natura docet.
y lib. de cura pro mortuis agenda c. 5.
z Hom. 10.
a li. 3. comment. in epist. ad Ephes. c. 3.
b lib. 2. de Rit. Eccles. c. 24.
c cap. 7.
d Luc. 22. 41.
e Act. 20. 36.
f Act. 9. 40.
g Act. 21. 5.
h apud Plau. in Capt.
Gestus orantium varij ex variis affectibus.
i cap. 18. 20.
k versic.
l Matth. 26. 39.
m Luc. 5. 12. c. 17. 16. Apoc. 4. 10. c. 7. 11. c. 11. 16.
Contractio corporis quid significet cum orandum est.
n 3. Reg. 18. 42.
o 7. de Histo. animal. c. 8.
p lib. de natura pueri.
Cur Stephanus stans pro se, inimicis pro persequentibus genibus flexis.
q Serm. 92. de San.
r Serm. de S. Steph.
s Ser. de eod.
t Ser. de Innoc.
u in Sermonibus.
Christus in sublimi, Stephanus in terra.
x Serm. 93. de Diuer.
y supra.
Cur in Parasceue ad orationem pro Iudæis genua non flectantur.
z oratio 2. de Parasce. apud Gretserũ tomo 2. de Cruce.
a Luc. 23. 34.
b 4. de Eccle. offic. c. 14.

bus pueris genua flectimus: quia statuam Nabuchodonozor genu flexo noluerunt adorare. Quod seruatur aliis temporibus, in quibus eorum historia in Missa recitatur.

Clamauit voce magna.] Et hoc miraculum videri potest, sicut cùm CHRISTVS voce magna clamans expirauit [a]. Solet enim non modò morientes, verùm etiam timentes mortem, vel debilitatos vox in primis deficere. Lacrymas clamori Stephani, vt Paulus CHRISTI [b] (intelligunt hæc aliqui contigisse dum orauit in horto vsque ad sanguinis ex facie ipsius in terram profusionem) adiungit Augustinus [c]. Vtrumque significabat in vtroq; magnum affectum charitatis, quem in Stephano Petrus Damianus [d] his verbis notat: Clamor lapidantium furoris erat, strepitus lapidum crudelitatis. Clamor Stephani amoris, & pietatis: obruendus ille clamore isto clamor, maximum, & difficillimum peccatum summa commiseratione, & ardentissima precatione. Non potuit quatriduanus Lazarus [e], nisi clamore magno suscitari; obstinata mens frangi nequibat absque tali clamore. Clamor CHRISTI crucifixi comminuit petras [f]; clamor Stephani lapidantibus finem imposuit: Centurio ad illum CHRISTI clamorem resipuit, aliique nonnulli percutientes pectora clamore illo iam percussa [g]. Clamor Stephani Saulum, serò licèt, permouit, ac seruauit. Clamor Iudæorum fuit talis, vt pro iustitia, quam DEVS expectabat, sanguinem innocentem eos fundere iniustissimè testaretur, atque id esset quod Esaias [h] scripsit, Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; & iustitiam, & ecce clamor. Clamor Stephani summæ iustitiæ illius testis fuit, ac diuinæ rigorem iustitiæ ab iniquissimis persecutoribus auertit.

Clamare cū quis moritur est vocem miraculum est. a Matt. 27. 50. Mat. 15. 37.
b Heb. 5. 6.
c Ser. 99. de Diuer.
d Serm. de S. Stephano. Clamor Stephani quid significabat.
e Ioan. 11. 43.
Clamor Christi, & Stephani quomodo similes fuer.
f Matt. 27. 51.
g Mat. 15. 39.
h Esa. 5. 7.

Domine.] IESV scilicet, vt priore versu ostendimus auctoritate Ambrosij [i], & contra Franciscum Dauid, vt eandem, inquit Ambrosius, PATRIS & FILII potestatem esse ostenderet, reperiuit dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Hoc Dominus in passione propria, quasi Filius hominis, PATRI dicit: hoc & Stephanus FILIVM DEI in suo martyrio deprecatur. Cùm eadem gratia à PATRE FILIO que deposcitur, eadem potentia declaratur. Aut si volunt Stephanum PATRI dixisse, videant quid propria testificatione significent, &c. Si autem illis non placet, FILIO dictum, Domine, videmus, quod etiam Dominum eum negare conantur.

i lib. 3. de Fide c. vlt.
Patris & Filij eadem est potestas.
Eadem verba Christus & Stephanus dixerūt, sed non eadem ratione.

Ne statuas illis hoc peccatum.] In aliquibus libris subditur, inquit Lyranus, quia nesciunt quid faciunt, sed non est de textu, nec est in libris correctis. Isti enim, saltem pro parte magna, magis fuerunt moti passione, quàm ignorantia; ignorantia autem multorum causata erat ex præcedente malitia, scilicet ex odio, & inuidia contra ipsum. Ita ille Magister Historiæ Scholasticæ [k] eadem legit verba, aitque multos occidendo existimasse legem se obseruare, & obsequium præstare DEO [l]. Et talem fortasse Paulus fuisse se dicit, cùm scribit, se misericordiam consecutum, quia ignorans fecerat [m], quod aliàs examinabitur [n]. De hoc inquit Augustinus [o]: Putas verba ista audiuit Paulus? audiuit subsannans, sed irrisit. Eadem quoque verba legit Hugo Cardinalis [p], & Petrus Damianus [q], & Hieronymus, siue alius sub nomine eius in epistola de viro perfecto [r]. Innuit quodā modo Hilarius Arelatensis [s], dum ait, excusasse supplicatione Synagogam. Verba CHRISTI orantis in Cruce pro inimicis [t]: PATER, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt, transtulit aliquis in sententiam Stephani.

Lapidantes Stephanum magis id fecerunt furore quàm ignorantia.
k in Histor. Actu. cap. 42.
l Ioan. 16. 2.
m 1. Tim. 1. 13.
n cap. 9.
o Ser. 94. de Diuer.
Paulus hæc verba pro se dicta irrisit.
p hoc loco.
q Serm. de S. Stephano.
r Tom. 9. ep. 7.
s Ser. de eodem.
t Luc. 23. 34.

A Rectè autem dicit Stephanus: Ne statuas, Μὴ στήσῃς, & Syriacè, לא תקים la thekim, ne imponito, id est, ne punias ob id peccatum. Stant enim velut ante DEVM peccata vindictam petentia; vel ea DEVS opponit, & obiicit iratus peccatoribus, & tanquàm infamem statuam erigit. Significat ἵστημι, appendo, & pondero, quæ significatio proposito conuenit. Arbitror etiam posse hanc sententiam illa alia explicari, quæ habetur in quodam Psalmo, his verbis [u]: Arguam te, & statuam contra faciem tuam peccata tua: sic enim hunc versum habent Biblia Regia, & aliquot codices alij, & Theodoretus, ἐλέγξω σε, καὶ παραστήσω κατὰ πρόσωπόν σου τὰς ἁμαρτίας σου, quod est, instruam, vel

Statuere peccatum quidnam sit.
u Ps. 49. 21.

B ordinabo ob oculos tuos, vt solet in bello acies, & ordine explicabo prauitates tuas, producam ea quæ fecisti ante oculos tuos, te præsentem conuincam, & impugnabo, quam vim habet aliud verbum Græcum, quod ponit ibi Theodotion, τοιβάσω. Quod confirmari potest ex textu Hebræo, in quo sic legimus, אוכיחך ואערכה עיניך ochichecha veehherchah lhenecha, id est, interprete Hieronymo, arguam te, & proponam te ante oculos tuos. Non solùm enim ex vi verbi Græci, παραστήσω, pro quo Augustinus habet, instituam, sed ex Hebræo ואערכה ehherchah, quod est ordinabo singula, ordine disponam, & collocabo, huius loci sensum esse quem attulimus, euidenter patet. Quo-

C circa minùs rectè Scholiastes, ac Theodoretus [x] statuere contra faciem, idem volunt significare quod ob oculos habere cum neglectu, nosse, ac parui pendere: nam quæ negligimus, ac despicimus, remouere potiùs ab oculis solemus, quàm ob oculos proponere. Basilius [y] putat fortè grauiorem, quàm tenebras & ignem æternum, fore pudorem hunc, vt nunquàm non ob oculos habeant damnati sceleratæ vitæ vestigia, tanquàm ineuitabilis alicuius tincturæ effigiem & formam. Petit ergo Stephanus extra ordinem poni hoc peccatum, nec firmo loco stare, non attendere ad id DEVM studiosè, ac veluti cum quodam vindictæ gustu, sed proiicere post tergum, atque

x in cap. 14. Ezech. v. 3.
y orat. 23. de iudicio, & in Psal. 33.
Sensus petitionis S. Stephani.

D illud auferri, dimitti, deleri, ita vt idem valeat quod Stephanus precatur, atque quod CHRISTVS, Dimitte illis [z], Ἄφες αὐτοῖς. Et non solùm ne quod Caluinus ac Beza perperàm dicunt, non imputet exteriùs, siue vt externa & imputatitia iustitia iustos censeat. Nam hac in re imitari voluisse CHRISTVM de Stephano affirmant quotquot huius orationis eius meminerunt, siue in Sermonibus, quibus eum laudant, siue in Commentariis huius loci. Cyprianus [a] prætereà, & Chrysostomus [b]. Hoc autem scribit Cyprianus [c]: Sic esse oportuit primum Martyrem CHRISTI, qui Martyres secuturos gloriosâ morte præcurrens, non tan-

z Luc. 23. 34.

E tùm Dominicæ passionis prædicator esset, sed & patientissimæ lenitatis imitator. Sed caue ne, cùm in Testamento vetere (ex quo dilectionis inimicorum profert Chrysostomus exempla Mosis, Samuelis, Dauidis) negat præceptum fuisse de diligendis inimicis, sed pœnam talionis [d] duntaxat, id simpliciter accipias: non adeò expressum, tamen præceptum id habebant, sicut exigit vera charitatis ratio: quæ charitas, vt peculiari modo propria nouæ legis est, ita potissimùm, prout extenditur ad amandos inimicos, quod est difficilius, & cuius CHRISTVS singulare dedit exemplum.

a lib. de bono patien. c. 6.
b oratio. 2. de Parasceue, apud Gretserum, Tom. 2. de Cruce.
c lib. de bono patien.
Diligere inimicos, quomodo in lege veteri præscriptum fuerit.
d Exo. 21. 24. Mat. 5. 19.

Augustinus [e] probabile ducit affuisse Stephanum, quando CHRISTVS pendens in Cruce pro

e Serm. 92. de Diuersis.

A *alijs;* CHRISTVS PATREM *compellauit, Dominum Stephanus: quippe hic seruus erat, ille* FILIVS. *Hæc oratio*, inquit Oecumenius, *ostendit iustorum animas à corporibus liberatas nequaquam in infernum descendere, sed transmitti potiùs in manus* DEI *viuentis per omnium nostrûm saluatorem* CHRISTVM *Dominum.* Rectè simul decidere videtur controuersiam, de qua disputauimus agentes de Beatitudine [a], vtrùm iustorum animæ beatitudinem consequantur in clara DEI visione consistentem, & recipiantur in empyreis sedibus ante Iudicij diem: simul has animas quodammodò sisti priùs CHRISTO, quàm ad fruendum DEVM admittantur. Vnde ipsemet CHRISTVS pollicitus est Apostolis *se venturum, & accepturum eos* (in morte, scilicet) *ad seipsum* [b]; idque ab eo factum etiam cum alijs testantur multæ historiæ, siue ab Angelis eundem repræsentantibus, quamuis verba illa CHRISTI de aduentu eius secundo soleant intelligi. Colligit prætereà Chrysostomus ex eâdem oratione, quòd spiritus, siue anima *non perit, sed redit ad eum, qui solus fecit illum* [c].

Iustorum anima non descendant in infernū.
a 1.2.q.3.4.5.
Animæ iustorū priùs Christo sistuntur, quam ad beatitudinē admittantur.
b Ioan. 14.3.
c Eccl.12.7.
Stephanus seipsum Christo obtulit.

Mihi, quod anteà insinuabam, videtur Stephanus his verbis obtulisse seipsum CHRISTO, *vt pro Domini sui adhuc calente sanguine*, inquit Chrysologus [d], *sanguinem suum auidus bellator effunderet. Compleuit*, vt notat Maximus [e], *id quod est in Psalmo* [f]: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Retribuere enim primus voluit Stephanus martyr Domino, quod cum omni humano genere accepit à Domino: mortem enim, quam Saluator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit* SALVATORI. Eôdem pertinet, quòd veluti *more sacrificantis stans orabat pro se, simúlque*, vt ait Augustinus [g], *tanquam exigens debitum, & coronam iustitiæ reddendam à iusto Iudice* [h]. *Ita vt forma corporis recta, & celsa*, vt idem significat [i], *denotaret animum pro se securum, & certum, & quòd qui rectè* DEO *seruisset, orando, & impetrando non laboraret* [k]. Postremò liquet, *quàm esset voluntaria passio Stephani, in eo vel maximè*, inquit Bernardus [l] disserens de triplici genere Martyrum, *quòd in ipso mortis articulo tam pro persequentibus, quàm pro seipso sollicitudinem gereret ampliorem.* Argumentatur hîc porrò Ambrosius [m] CHRISTI diuinitatem, & quia illum Stephanus vidisse dixit ad dexteram DEI; & quia ei, vt ipsemet in cruce PATRI [n] commendauit spiritum suum; & quia rogauit ne statueret ipsis peccatum, perinde vt à PATRE pro crucifixoribus CHRISTVS poposcerat [o].

d Serm. de S. Stepha.154.
e Serm. de S. Steph.
f Ps.115.12.13.
Stephanus mortem Christo retribuit.
Stephanus more sacrificantis stans orabat.
g Serm.93.de Diuer.
h 2.Tim. 4.8.
i Serm.92.de Diuer.
k Serm. 2. de San. & 51. de Diuer. & 94. & 99.
l Ser. de Innocentib.
m 3. de Fide. c.vlt.
n Luc.23.46.
o ibid.34.

Versus 60.] Positis autem genibus clamauit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino: Saulus autem erat consentiens neci eius.

POSITIS *autem genibus clamauit.*] Habuerunt Hebræi frequenter in vsu, flexis orare genibus, vt videre est tum in vetere [p], tum in nouo Testamento [q], in quibus prætereà idem valet verbum *procidendi alicui*, seu *ad pedes alicuius*, & Græca verba γονυπετεῖν, id est, *genibus aduolui*, & προσκυνεῖν, id est, *adorare demississimè*. Cùm autem Lucas [r] de Pharisæo illo scribit, quòd stans orabat, non de statu corporis intelligitur, sed quòd esset præsens, seu manens, vel audax, vel erigens se, vel fixus, ac immobilis, quasi animo in cœlum elatus, aut ad orationem ipsam attentus; vt notat Maldonatus in Matthæum [s], & Lucam [t], & aliàs dixi de verbo standi [u]. Eodem sensu exponenda loca alia, in quibus habetur, quòd aliqui stantes orauerint [x]. Ipsamet natura genu flexo docet orare, ad animi motum excitandum dedititij ac subiecti, séque profitentis infirmum & egentem, quem vicissim etiam motum indicat hic habitus corporis, vt docet Augustinus [y], & Cæsarius Arelatensis [z], & Hieronymus [a]: de qua re plura Ioannes Stephanus Durantus [b], quod pertinet ad ritum circa hoc seruatum in Ecclesia.

p 3.Reg.8.54. c.19.18.2.Paral.6.13.c. 29. 30.1.Esd. 9.5. Esa. 45. 24. Daniel. 6.10. Mich.6.6.
q Matt.17.14. c.27.29.Mar. 1.40.c.10.17. c.15.19.Luc.5. 8. cap.22. 41. Act 9.40.ca. 20.36.c. 21.5. Ephes.3.14.
Stans Pharisæus quomodo orasse dicatur.
r cap.18.11.
s cap.6.5.
t cap.18.11.
u cap.1.21.c. 20.
x Matth.6.5. Marci 11.25.
Orandum genibus flexis ipsa natura docet.
y lib.de cura pro mortuis agenda c.5.
z Hom.10.
a li. 2. comm. in epist.ad Ephes.c.3.
b lib.3.de Rit. Eccles.c. 14.

B Sanè quidem Synodus Turonensis [c] sub Carolo Magno religiosè id fieri confirmat exemplo isto Stephani, necnon & CHRISTI [d], atque Pauli [e], addere potuit Petrum [f], & alios primos Discipulos [g]. Veterem illum ritum, vt Dominicis diebus stantes oremus, renouauit Clemens VIII. in rubricis restituti à se Breuiarij. Elephantus idcirco regiæ apud Ægyptios potentiæ symbolum dicebatur, quòd genua non flectat, quasi non alterius egeat ope, nec opus ei sit alteri, vt parasitus ille loquitur [h], vlli hominum supplicare. Dum ergo genua flectimus, prodimus & protestamur nos veluti fractos, impotentes, egentes. Non negauerim tamen aliquando etiam oratum à Iudæis

c cap.37.
d Luc.22.41.
e Act.20.36.
f Act.9.40.
g Act.21.5.
h apud Plau. in Capt.

C stantibus, & ita fortassis intelligi possent verba Ieremiæ [i]: *Recordare quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum.* Reperiuntur alij gestus pro vario cuiusque affectu: qualis manuum eleuatio, de qua dixi capite primo [k], qualis prostratio in faciem vsurpata etiam à CHRISTO [l], & ab alijs coram ipso [m]: qualis contractio corporis, & in orbem globúmve reductio: vt cùm Elias pronus in terram *posuit faciem suam inter genua sua* [n]. Hæc vltima componendi ad orandum corporis ratio satis molesta, & repræsentans tum modum, quo infantes adhuc clausi in vteris maternis constituti sunt (vt etiam obseruat Philosophus [o], & Hippocrates [p]) tum formam quandam, qua apud

Gestus varij in orationibus.
i cap.18.20.
k vers.11.
l Matth. 26. 39.
m Luc.5.12.c. 17.16. Apoc.5. 14.c.7.11.c.11. 16.
Contractio corporis quid significet cum oratione.
n 3.Reg.18. 42.
o 9.de Histo. animal.c.8.
p lib. de natura puer.

D nonnullos serui noxij, aliíve verberones aptantur ad verbera, talis est, vt diuinam commiserationem vehementer excitet. Cur Stephanus, qui pro se stans orauerat, pro lapidatoribus oraturus genua posuerit, intelligi potest ex his, quæ priore versu disputata sunt. *Non illos præposuit sibi, qui proximum diligebat sicut seipsum*, inquit Augustinus [q]. *Plus dolebat persequentium peccata, quàm sua vulnera*, inquit Petrus Damianus [r] post Maximum [s], necnon Bernardus [t], *illorum iniquitatem, & impietatem magis odio habebat, quàm suam mortem*: & Augustinus [u] sæpe inculcat causam fuisse lapidantium grauissimam malitiam, & horrenda supplicia, quæ commeruerant. Ait prætereà [x] CHRISTVM

Cur Stephanus stans pro se orauit, & pro persecutoribus genibus flexis.
q Serm.51.de San.
r Serm. de S. Steph.
s Ser. de eod.
t Ser. de Innoc.
u in Sermonibus.

E sublimem in cathedra Crucis pro inimicis orasse, Stephanum Discipulum, & creaturam ad terram inclinatum. *Verùm & humilem simplicitatem ostendit Stephanus*, inquit Damianus [y], *summam curam & diligentiam, dolorem, compunctionem, & compassionem*, inquit Chrysostomus [z]. Et tamen Ecclesia orans in Parasceue pro Iudæis, non flectit genua, quod facit etiam pro Hæreticis, Schismaticis, Paganis, ad indicandum inflexibilitatem Iudæorum; & quòd eo die CHRISTVS non descendens, vt illi conuiciando poscebant, sed fixus manés in cruce orauit pro ipsis [a], & quia illi genu flexo ipsum irriserunt. Vltimam causam dat Amalarius [b]: *Sicut*, inquit, *nec Sabbato sancto ad lectionē de tri-*

Christus in sublimi orauit, Stephanus in terra.
x Serm.93.de Diuer.
y supra.
Cur in Parasceue ad orationem pro Iudæis genua non flectantur.
z oratio.2.de Parasce. apud Gretserū tomo 2. de Cruce.
a Luc.23.34.
b 4 de Eccle. offic.c.24.

bus pueris

bus pueris genua flectimus: quia statuam Nabuchodonozor genu flexo noluerunt adorare. Quod seruatur aliis temporibus, in quibus eorum historia in Missa recitatur.

Clamare eū qui moritur est miraculum. a Matt.27.50. Mar.15.37.

Clamauit voce magna.] Et hoc miraculum videri potest, sicut cùm CHRISTVS *voce magna clamans expirauit* [a]. Solet enim non modò morientes, verùm etiam timentes mortem, vel debilitatos vox in primis deficere. Lacrymas clamori Stephani, vt Paulus CHRISTI [b] (intelligunt hæc aliqui contigisse dum orauit in horto vsque ad sanguinis ex facie ipsius in terram profusionem) adiungit Augustinus [c]. Vtrumque significabat in vtroq; magnum affectum charitatis, quem in Stephano Petrus Damianus [d] his verbis notat: *Clamor lapidantium furoris erat, strepitus lapidum crudelitatis. Clamor Stephani amoris, & pietatis: obruendus ille clamore isto clamor, maximum, & difficillimum peccatum summa commiseratione, & ardentissima precatione. Non potuit quatriduanus Lazarus* [e], *nisi clamore magno suscitari; obstinata mens frangi nequibat absque tali clamore.* Clamor CHRISTI crucifixi comminuit petras [f]; clamor Stephani lapidantibus finem imposuit: Centurio ad illum CHRISTI clamorem resipuit, aliique nonnulli percutientes pectora clamore illo iam perculsi [g]. Clamor Stephani Saulum, serò licèt, permouit, ac seruauit. Clamor Iudæorum fuit talis, vt pro iustitia, quam DEVS expectabat, sanguinem innocentem eos fundere iniustissimè testaretur, atque id esset quod Esaias [h] scripsit, *Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; & iustitiam, & ecce clamor.* Clamor Stephani summæ iustitiæ illius testis fuit, ac diuinæ rigorem iustitiæ ab iniquissimis persecutoribus auertit.

b Heb.5.6.
c Ser. 99. de Diues.
d Serm. de S. Stephano. Clamor Stephani quid significabat.
e Ioan.11.43.
Clamor Christi, & Stephani quomodo similes sint.
f Matt.27.51.
g Luc.23.48.
h Esa.5.7.

Domine.] IESV scilicet, vt priore versu ostendimus auctoritate Ambrosij [i], & contra Franciscum Dauid, *vt eandem,* inquit Ambrosius, PATRIS & FILII *potestatem esse ostenderet, reperiuit dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Hoc Dominus in passione propria, quasi Filius hominis, PATRI dicit: hoc & Stephanus FILIVM DEI in suo martyrio deprecatur. Cùm eadem gratia à PATRE FILIO quæ deposcitur, eadem potentia declaratur. Aut si volunt Stephanum PATRI dixisse, videant quid propria testificatione significent, &c. Si autem illis non placet, FILIO dictum, Domine, videmus, quod etiam Dominum eum negare conantur.*

i lib.3. de Fide.c.vlt.
Patris & Filij eadem est potestas.
Eadem verba Christus & Stephanus dixerūt, sed non eadem ratione.

Ne statuas illis hoc peccatum.] *In aliquibus libris subditur,* inquit Lyranus, *quia nesciunt quid faciunt, sed non est de textu, nec est in libris correctis. Isti enim, saltem pro parte magna, magis fuerunt moti passione, quam ignorantia; ignorantia autem multorum causata erat ex præcedente malitia, scilicet ex odio, & inuidia contra ipsum.* Ita ille Magister Historiæ Scholasticæ [k] eadem legit verba, aitque multos occidendo existimasse legem se obseruare, *& obsequium præstare* DEO [l]. Et talem fortasse Paulus fuisse se dicit, cùm scribit, *se misericordiam consecutum, quia ignorans fecerat* [m], quod aliàs examinabitur [n]. De hoc inquit Augustinus [o]: *Putas verba ista audiuit Paulus? audiuit subsannans, sed irrisit.* Eadem quoque verba legit Hugo Cardinalis [p], & Petrus Damianus [q], & Hieronymus, siue alius sub nomine eius in epistola de viro perfecto [r]. Innuit quodā modo Hilarius Arelatensis [s], dum ait, *excusasse supplicatione Synagogam.* Verba CHRISTI orantis in Cruce pro inimicis [t]: PATER, *dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt,* transtulit aliquis in sententiam Stephani.

Lapidantes Stephanum magis ad furorem, quàm ignorantia.
k in Histor. Acto. cap 42.
l Ioan.16.2.
m 1. Tim.1.13.
n cap.9.
o Ser. 54. de Diuer.
Paulus hæc verba pro se dicta irrisit.
p hoc loco.
q Serm.de S. Stephano.
r Tom.9. ep. 7.
s Ser. de eodem.
t Luc.23.34.

A Rectè autem dicit Stephanus: *Ne statuas*, μὴ στήσῃς, & Syriacè, לא תקים *la thekim, ne imponito,* id est, ne punias ob id peccatum. Stant enim velut ante DEVM peccata vindictam petentia; vel ea DEVS opponit, & obiicit iratus peccatoribus, & tanquam infamem statuam erigit. Significat ἵστημι, *appendo, & pondero*, quæ significatio proposito conuenit. Arbitror etiam posse hanc sententiam illa alia explicari, quæ habetur in quodam Psalmo, his verbis [u]: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam peccata tua:* sic enim hunc versum habent Biblia Regia, & aliquot codices alij, & Theodoretus, ἐλέγξω σε, καὶ παραστήσω κατὰ πρόσωπόν σου τὰς ἁμαρτίας σου, quod est, instruam, vel
B ordinabo ob oculos tuos, vt solet in bello acies, & ordine explicabo prauitates tuas, producam ea quæ fecisti ante oculos tuos, te præsentem conuincam, & impugnabo, quam vim habet aliud verbum Græcum, quod ponit ibi Theodotion, τοξεύσω. Quod confirmari potest ex textu Hebræo, in quo sic legimus, אוכיחך ואערכה לעיניך *ochichecha veehherchah lheneicha*, id est, interprete Hieronymo, *arguam te, & proponam te ante oculos tuos.* Non solùm enim ex vi verbi Græci, παραστήσω, pro quo Augustinus habet, *instituam*, sed ex Hebræo אערכה *ehherchah*, quod est *ordinabo singula, ordine disponam, & collocabo*, huius loci sensum esse quem attulimus, euidenter patet. Quo-
C circa minùs rectè Scholiastes, ac Theodoretus [x] statuere contra faciem, idem volunt significare quod ob oculos habere cum neglectu, nosse, ac parui pendere: nam quæ negligimus, ac despicimus, remouere potiùs ab oculis solemus, quàm ob oculos proponere. Basilius [y] putat fortè grauiorem, quàm tenebras & ignem æternum, fore pudorem hunc, vt nunquàm non ob oculos habeant damnati sceleratæ vitæ vestigia, tanquàm ineuitabilis alicuius tincturæ effigiem & formam. Petit ergo Stephanus extra ordinem poni hoc peccatum, nec firmo loco stare, non attendere ad id DEVM studiosè, ac veluti cum quodam vindictæ gustu, sed proiicere post tergum, atque
D illud auferri, dimitti, deleri, ita vt idem valeat quod Stephanus precatur, atque quod CHRISTVS, *Dimitte illis* [z], ἄφες αὐτοῖς. Et non solùm ne quod Caluinus ac Beza perperàm dicunt, non imputet exteriùs, siue vt externa & imputatitia iustitia iustos censeat. Nam hac in re imitari voluisse CHRISTVM de Stephano affirmant quotquot huius orationis eius meminerunt, siue in Sermonibus, quibus eum laudant, siue in Commentariis huius loci. Cyprianus [a] præterea, & Chrysostomus [b]. Hoc autem scribit Cyprianus [c]: *Sic esse oportuit primum Martyrem* CHRISTI, *qui Martyres secuturos gloriosa morte præcurrens, non tantùm Dominicæ passionis prædicator esset, sed & patien-*
E *tissima lenitatis imitator.* Sed caue ne, cùm in Testamento vetere (ex quo dilectionis inimicorum profert Chrysostomus exempla Mosis, Samuelis, Dauidis) negat præceptum fuisse de diligendis inimicis, sed pœnam talionis [d] duntaxat, id simpliciter accipias: non adeò expressum, tamen præceptum id habebant, sicut exigit vera charitatis ratio: quæ charitas, vt peculiari modo propria nouæ legis est, ita potissimùm, prout extenditur ad amandos inimicos, quod est difficilius, & cuius CHRISTVS singulare dedit exemplum.

Statuere peccatum quidnam sit.
u Ps.49.21.
x in cap. 14. Ezech.v.3.
y orat. 23. de iudicio, & in Psal.33.
Sensus petitionis S. Stephani.
z Luc.23.34.
a lib. de bono patien.c.6.
b oratio.2. de Parasceue, apud Gretserum, Tom. 2. de Cruce.
c lib. de bono patien.
Diligere inimicos, quomodo in lege veteri præceptum fuerit.
d Exo.21.24. Mat.5.39.

Augustinus [e] probabile ducit affuisse Stephanum, quando CHRISTVS pendens in Cruce pro

e Serm.91.de Diuersis.

Stephanus præsens fuit, quando Christus pro crucifixoribus orauit.
a Luc. 23. 34.
Stephanus nescit irasci.
b Act. 2. 37. & seq.
c Serm. de S. Steph.
d orat. de eodem.
Stephanus pro inimicis quid rogauerit.

crucifixoribus orauit [a], sicut & Nicodemum, qui illum sepelire meruit, & per cuius reuelationem idem Stephanus inuentus est; aut inter illos fuisse, qui compuncti sunt, & conuersi ad prædicationem Petri [b]. Hilarius Arelatensis [c] ait, *nescisse iis Stephanum irasci, per quos sibi videret aulam regni cælestis aperiri, per quos se æternis seculis intelligeret consecrari. Et sic ex oleastro nouum ramum cœpisse inseri, vt oliuam veterem nollet abscindi.* Nyssenus [d] autem sic de eo scribit, *benigna precatione sanguinarios compensasse, rogans, ne in contrarios euentus facinus, quod in ipso perpetrabatur, diuideretur, vt sibi quidem vitam, aduersariis autem exitium adferret; sed quibus ipse dignus iudicatus esset, ab iis ne hostes quidem, quasi bonorum sibi aliqua ex parte auctores, excluderentur.* Subdit conspectum IESVM imitationis eius memoriam suggessisse. *Sic is*, inquit, *qui* CHRISTVM *cernit aduersus hostes, sese gerere nouit. Quoniam enim lenitatis præceptorem videbat, recordatus est legum ab eo latarum, inimicos diligere iubentium, & benefacere odio prosequentibus, & pro hostilia facientibus orare.* Vrgent citati omnes hoc Stephani in diligendis inimicis exemplum, necnon Ecclesia in oratione, quam de ipso recitat: vt quem terret Magistri maiestas, & diuinitas, moueat Discipuli similis nobis puri hominis in imitando Magistro per Magistri gratiam, quæ præstò omnibus est, quique *passus pro nobis reliquit exemplum, vt sequamur vestigia eius* [e], studium, & alacritas: & qui Solem infirmis oculis intueri non potest, lucernam videat. *Cognoscant Iudæi arma Christianorum*, inquit Nyssenus [f], *quibus iniuriam vlciscendo magnus Stephanus vsus, sui facti exemplo, legem vitæ sanxit. Hic enim tanquàm sacerdos quidam iuxta legem spiritualem, puram hostiam immolans, non alienum, sed suum altaribus admouens corpus, & loco libaminis sanguinem spargens, per sese,* DEVM, *quem in cælestibus adytis cernebat, delinquentibus placabat, & oratione peccatum eorum, quod sceleratis manibus suis sanguinarij quasi exarabant, delebat.* Eleganter introducitur ab Augustino [g] Stephanus ita loquens: *Certè ego patior, ego lapidor, in me sæuiunt, in me fremunt, sed ne statuas illis hoc peccatum, quia vt hoc dicam tibi, à te primò audiui: ego seruus tuus patior, sed multum interest inter me, & te. Tu Dominus, ego seruus: tu* VERBVM, *ego auditor* VERBI: *tu Magister, ego Discipulus: tu Creator, ego creatura: tu* DEVS, *ego homo. Multum interest inter peccatum istorum, qui lapidant me, & illorum, qui crucifixerunt te. Quando ergo dixisti* [h]: PATER, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, pro magno peccato petisti, & me pro minimo petere docuisti. Ego patior in carne, isti non pereant in mente.* Et [i]: *Domine, si istos modo occideris inimicos, quos posteà facies amicos?* Monent prætereà iidem Patres, tam piam pro lapidatoribus orationem, argumentum esse, ab eximia charitate processisse acrem illam Stephani anteà eorundem reprehensionem [k]: *& dum lapidei Iudæi Stephanum percutiunt, tunc tanquàm lapidem percussum, sed molliorem, de se oleum charitatis misisse*, inquit Petrus Damianus [l], *& tinnitum pietatis edidisse.* Adhæc magnam opem à peccatoribus concipi posse, docet Hilarius Arelatensis [m], cùm videant pro lapidatoribus Stephanum orare; & Augustinus, Fulgentius, & alij cùm animaduertant Stephani precibus Saulum posteà Ecclesiæ datum. Latè patet disputatio de dilectione inimicorum, de qua iidem, qui suprà Patres, & alij [n] multi, & nos ipsi alio loco [o]. Nota est historia [p]

Dilectio inimicorum exemplo Stephani maximè roboratur.
e 1. Pet. 2. 21.
f oratio de S. Steph.
Arma Christianorum in inimicos qualia sint.
g Sermo. 1. de Sanctis.
Christi & Stephani quanta sit dissimilitudo.
h Luc. 23. 34.
i Serm. 4. de Sanctis.
k Aug. Serm. 92. de Diuer. & 93. & in Ps. 112. & Serm. 237. de Tēp. Fulgen. Ser. de S. Stepha. Greg. 7. Moral. cap. 15. vel 23. & li. 19. c. vlt.
Increpatio Iudæorum à Stephano facta ex charitate profecta ostenditur.
l Sermo. de S. Stephano.
m Ser. de eodem.
n Chrys. Ho. 6. in 1. ad Timo. Ho. 2. de Parałce. Antiochus Hom. 72. Tom. 2. Bibliot. Patr.
o in Euang. de Samarit.
p Metaphra. 9. Febr.

A

Nicephori laici, & Sapricij presbyteri, qui ex amicissimis infensissimi cùm euasissent, ac prior seipsum recolligens cùm posterioris amicitiam frustrà multis modis expetiisset, tum per alios, tum denique per seipsum, abiiciendo sese suppliciter ad pedes eius, rogandóque nomine CHRISTI, vt ignosceret, contigit posteà, vt ne tunc quidem, cùm ad supplicium pro CHRISTO tanquàm martyr Antiochiæ, sub Valeriano, & Galieno, duceretur Sapricius, cùm ab eo enixè veniam & pacem postulasset Nicephorus, ei vnquàm condonare voluerit, & ille quidem Sapricius ab instituto resilierit negans CHRISTVM; hic autem Nicephorus verè nomini suo respondens,

B

victoriam retulerit, accepta corona, quam alius amiserat, nequicquàm ad constantiam in Fide ab eodem Nicephoro animatus. Hieronymus, aut alius sub nomine ipsius in epistola de viro perfecto [q], infert ex hac oratione Stephani excusantis etiam ignorantiam lapidantium, *animas interfectorum sub altari vindictam petentium* [r] ideò illud facere, quia respectum habent [f] *ad spirituales nequitias, & potestates tenebrarum*, in quibus persecutionis peccatum non fuit ex ignorantia. Hoc idem voluisse videntur, qui dixerunt petere eos destructionem regni peccati, vt sentiunt Anselmus, & Haymo in Apocalypsim, & Augustinus [t], vel diem Iudicij, atque resurre-

C

ctionem corporum, vt Ambrosius, Primasius, Beda in Apocalypsim, & Gregorius [u]. Accedit quòd in hac vita præcipitur [x], *Diligite inimicos vestros, &c.* vt passionum adhuc æstibus obnoxij arceantur longè ab odio, seque in re difficillima vincant, ac per tale certamen coronam acquirant: at Beati nec possunt odij, vllave alia perturbatione affici, nec à DEI voluntate declinare: quin etiam rectè optare possunt, & petere, vt inimici tanquàm mali puniantur, vt resipiscant, aut sublati de hac vita, minorem pœnam in inferno habeant. Licet id quoque in hac vita iustis, si viscera charitatis induant, & omnem inimicitiæ, ac maleuolentiæ sensum de-

D

ponant, instar Beatorum, vt docet S. Thomas [y]: de qua re etiam Ribera noster in Apocalypsim [z]. Verùm paucorum est, perfecto odio odisse, & vt, ceu Alcon Cretensis sagittandi peritissimus, ita iuguler draconem, vt filiolum, quem tenet in faucibus, non interimat [a].

Obdormiuit.] Ἐκοιμήθη, quasi non capturus quietem, nisi charitati inimicorum satisfecisset. *O somnus pacis*, inquit Augustinus [b]; & Petrus Damianus [c]: *Felix somnus cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum æternitate*; & Nyssenus [d]: *Velut teneris floribus, vel rore quodam leui circumfusus in dulcem simul ac beatum somnum delapsus est.* Chrysostomus [e] disputans de nomine cœme-

E

terij, in quo iacent corpora defunctorum, eius nominis hanc ait esse causam, quia non tam mortui sunt, quàm somno consopiti, & dormientes, quomodo apud Areopagitam [f] mortui nostri dicuntur κεκοιμημένοι, *qui placidè & suauiter dormierunt*, & in concilio Antiocheno [g], κοίμησις τῶν ἀναπαυσαμένων, dormitio eorum qui quieuerunt, mors dicitur, & passim occurrent alia exempla in nouo Testamento, & noui Testamenti Scriptoribus. Nam ante CHRISTI aduentum mortem vult Chrysostomus mortis nomen habuisse, atque etiam inferni, quod ostendit aliquot Scripturæ testimoniis: at postquàm CHRISTVS venit, & pro mundi vita mortem subiit,

Sapricij & Nicephori historia memorabilis.
q Tom. 9. ep. 7.
r Apoc. 6. 10. *Animas interfectorum sub altari, quid vindictam petant.*
f Ephes. 6. 12.
t 1. de Serm. Domini in monte. c. 41. & Ser. 11. de Sanctis & 59. de Temp. *In hac vita præceptum dilectionis inimicorum, cur.*
u 2. Moral. c. 6 vel 4.
x Matt. 5. 44.
Iusti possunt petere de malis inimicis vindictam.
y 2. 2. q. 25. a. 6. ad 3.
z c. 6. a n. 41.
a Manilius 5. Astrono. & Valer. Flacc. 1. Argonaut. cum de signo Sagittarij.
Mors Stephani somnus.
b Ser. 92. de Diuer.
c Serm. de S. Stephano.
d oratio. de S. Stephano.
Cœmeterium vnde nomen habeat.
e oratio 2. de Parasceue.
f Eccles. hierar. c. 1.
g cap. 23.
Mors ante Christum mors dicta est, post somnus.

non am

non amplius habere eam appellationem, sed somni, & dormitionis: quod item illustrat nonnullis locis sacrarum literarum.

In veteri Testamento mors etiam somnus est dictus.

Verumtamen in vetere quoque Testamento dormire, est mori, & somnus mors, eademque est ratio de affinibus verbis, ac nominibus dormitandi, dormitionis, &c. Vnde in Psalmo [a]: *Dormitauerunt, qui ascenderunt equos*, & [b], *Dormierunt somnum suum*, & [c], *Sicut vulnerati dormientes in sepulcris*, & [d], *Cùm dederit dilectis suis somnum*, & [e], *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi.* In Deuteronomio [f]: *Tu dormies cum patribus tuis.* In libris Regum [g]: *Dormiuit Dauid cum patribus suis.* In Iob [h]: *Sic homo cùm dormierit, non resurget, donec atteratur cœlum.* In Nahum [i]: *Dormitauerunt pastores*, vt ibi exponunt Theodoretus, Theophylactus. Denique cùm tam frequens sit hæc phrasis, in Psalmis præsertim, Iob, Prophetis, libris Regum, & Paralipomenon, & cùm, vt loquitur Augustinus [k], *somnum pro morte positum innumerabiliter Scripturæ contineant*, miror à Chrysostomo haberi adeò peregrinam. Hebræi mortuos solent appellare, qui sunt in statu perditionis, Sanctos, qui sunt in manu DEI, appellant viuentes, aut dormientes, vel ea de causa, quòd vtilitatem magnam multis conferant officiis in Ecclesiam. Notauit hoc Genebrardus [l]. Hieronymus [m] causam dat certam spem Resurrectionis, & quidem gloriosæ. Sed & priorem apertè indicat, disputans contra Vigilantium, probansque Sanctos pro nobis orare. Idem valent voces pausantium, atque quiescentium, satis à priscis Auctoribus vsurpatæ [n]. Silentes quoque dicuntur, quòd edere vocem non possint, vel publicam habere orationem ad viuos [o]. Nec mouere debet ratio, qua Chrysostomus vtitur ex Apostolis, quibus cùm CHRISTVS dixisset Lazarum dormire, non intellexerunt de morte, sed existimauerunt eum intelligere de dormitione somni [p]: erant enim rudes, & oratio ipsa amphibologica. At ratio huius denominationis æquè valet in vetere, ac nouo Testamento, nempe, quia mors somni instar est quoddam leuamentum dolorum, & laborum: & vt post somnum expergiscimur, ita post mortem resurgimus: nec magis DEO difficile mortuum, quàm cuiuis dormientem excitare. Ita docet aliis in locis Chrysostomus [q], Hieronymus [r], & Apollinarius [s], & Augustinus [t].

Mortui & dormientes quinam sint.

Mors cur somnus dicatur.

Nox pro morte sumitur in Scriptura.

Et quoniam qui dormiunt, ferè nocte dormiunt, aut diurnam lucem excludunt; hinc est quòd in Scriptura nomine noctis, & tenebrarum mors intelligitur: *Venit nox*, inquit CHRISTVS, *quando nemo potest operari* [u]. *Abraham exultauit, vt videret diem meum* [x], id est, vitam meam, seu me hominem cum hominibus viuentem. *Nónne duodecim sunt horæ diei* [y], *si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt*: id est, vitæ meæ spatium definitum est, ne dubitetis, ô Discipuli mei, mecum venire. *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant* [z], id est, dum viuitis, aut quandiu apud vos ego viuus sum. Quid? quod profani Auctores Græcique, Latinique, vsurparunt eos loquendi modos in dictis significationibus. Homerus [a] quidem dixit:

ὡς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Membra cadens duro is somno composita reliquit.

Quod imitatus Virgilius [b] dixit:

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget Somnus.—

Et quemadmodum idem cecinit [c]:

Et consanguineus lethi sopor.—

a Psal. 75.7. b Psal. 75.6. c Psal. 87.6. d Psal. 126. 2. e Psal. 3.6. f cap. 31.16. g 3. Reg. 2. 10. h cap. 14.12. i cap. 3.18. k in Psal. 3. l in Psal. 7. m epist. 29. ad Theodoram. n Cassia. colla. 2. cap. 5. o Psal. 30. 18. Psal. 113.17. p Ioan. 11. 12. q Hom. 21. & 69. ad popu. r cap. 4. 1. ad Thessal. & epist. 29. s in Catena Iob. c. 3. t epist. 122. u Ioan. 9. 4. x supra 8. 56. y infrà 11. 9. z infrà 12. 35. a Iliad. λ. vers. 241. b 12. Æneid. c Æneid. 6.

A Ita priùs Homerus [d]:

Ἔνθ᾽ ὕπνῳ ξύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο.

Occurrit somno, qui mortis frater habetur.

Orpheus [e] autem & lethes, & mortis fratrem eum fingit scribens:

αὐτοκασίγνητος γὰρ ἔφυς λήθης θανάτου τε.

Tu lethes mortisque patre es prognatus eodem.

Ad quod iterum alludens Homerus somnum, & mortem gemellos vocat, sic scribens [f]:

πέμπε δέ μιν πομποῖσιν ἅμα κραιπνοῖσι φέρεσθαι,
ὕπνῳ καὶ θανάτῳ διδυμάοσιν.

id est,

Ferre ipsumq; dedit somno, mortique gemellis
Præpetibus valdè cursoribus.—

B In vetere quadam inscriptione reperitur sepulcrum dictum requietorium: Cicero [g] vocat sacram quietem, pacem, securitatem: Valerius Probus his idem notis expressit, H.R.I.P. *Hic requiescit in pace*: Petrus Diaconus istis aliis, D. M. S. *Dormiant mortui securi*: Lucanus [h] etiam nomine securorum appellat mortuos, & Tertullianus [i], & Cassiodorus [k], & Sidonius [l], siue securitatem mortuorum statum. Hinc illæ dicendi formulæ, non sollicitandos, vel inquietandos, vel turbandos manes, id est, sepulcrum violari non debere. Vide Turnebum [m], & Pausaniam [n]. Coluthus [o] appellat somnum mortis συνήμονα, *comitem*, καὶ κασίγνητον, *& fratrem*: Menander [p] προμελέτην, *præmeditationem*, καὶ μυστήρια, *& mysteria*: Seneca [q] *fratrem*: Hesiodus [r] *sororem*: Ouidius [s] *imaginem*. Præterea Catullus & Propertius vocant mortem *noctem*: Lucretius *quietem*: Horatius [t] *soporem*. Pausanias, quem priùs nominaui, Spartanos memorat somni mortisque simulacra simul posuisse. Videntur hæc apud Gentiles ex ea opinione nata, qua mortuos putant perinde vt dormientes nullius doloris experientiam habere, sed animum vnà cum corpore interire. Sic sensit certè Lucretius [u]:

Tu quidem vt es lecti sopitus, sic eris æui
Quod superest cunctis priuatu' doloribus ægris.

Plura hinc inde colligi possent, quæ lubens volénsque prætermitto.

D *In Domino.*] Textus Græcus non habet duas has dictiones, sicut neque Syrus, quas legunt tamen ferè omnes Latini; exponit verò Petrus Damianus [x], & post illum Lyranus, *quoniam absorptus est in claritatis abyssum, & inter DEI sui brachia requiescens dormiuit securus, & quietus in æterna pace, quia spiritum suum Domino commendauit*, inquit Augustinus [y]. Eadem est vis in his verbis: *Obdormiuit in Domino*, quæ in illis ex Apocalypsi [z]: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Ibi autem, licèt iuxta satis communem expositionem intelligi possit de omnibus iustis, qui in DEI gratia moriuntur, quæ expositio traditur ab Andrea

E Cæsariensi, Beda, & aliis in eum locum, & à Bernardo in sermone ad milites templi [a]: tamen si attendamus phrasim Hebræam, secundùm quam præpositio hæc ב *be* sæpe loco particulæ causalis, *pro*, & *propter*, &c. sumitur, vt ter verbi gratia in Genesi [b], vbi Interpres posuit *propter*, & *pro*: & in Osea [c], atque Michæa [d], apud quos lectio Latina, *in*, habet omninò eandem significationem, idem erit *mori in Domino*, quod *pro Domino*, siue *propter Dominum*, & præsertim quoniam eo capite Apocalypsis proximè antè mentio est de interficiendis ab Antichristo, hîc patientia Sanctorum est. Atque ita explicat dictum locum Ambrosius Mediolanensis, & Haymo, & glossa

d Iliad. ξ. vers. 231. e in Carm. f Iliad. π. vers. 671. g 2. de Legib. h lib. 9. i lib. de anima. k lib. 6. ep. 8. l lib. 3. ep. 12. m Aduers. li. 28 cap. 41. n in Eliacis. o in Carm. p in Carm. q in Herc. fur. actu 4. in Choro. r in Ergis. s 2. de Arte. t lib. 1. Carm. ode 24. u lib. 4. x Serm. de S. Steph. y Serm. 92. de Diuersis, & 6. de Sanctis. *Quid sit obdormire in Domino.* z cap. 14. 13. a cap. 1. *Præpositio in, pro præpositione pro, & propter, frequens in sacra Scriptura.* b c. 18. 2. cap. 29. 18. c cap. 12. 12. d cap. 1. 1.

interlinearis, & Lyranus, ac noster Ribera, & indicat Augustinus [a], potéstque confirmari aliquot similibus loquendi formulis in nouo Testamento, quæ nimirum præpositione *in*, vtuntur eo modo, quem diximus, maximè in epistola ad Romanos [b]. Nihilominùs prior expositio recipienda est, quam Ecclesia agnoscit, proponens in officio Defunctorum illa verba de omnibus iustis, eámque sequuntur Andreas Cæsariensis, Beda, Richardus de S. Victore, Primasius, Ansbertus, Ioachim abbas, Hugo Cardinalis, Carthusianus, Viegas noster, & alij, nec Haymoni displicet. Ita locum illum Bernardus [c] etiam intellexit. Fauet quoque eadem epistola Pauli ad Romanos modò citata [d], & epistola ad Galatas [e], aliaque ex vtroque Testamento exempla colligit noster Sà in Indice Scripturæ. Ex quibus intelligi potest, quòd esse in Domino, vel in CHRISTO, significat esse, vel contineri intra eius corpus, vt viua membra, iuxta id [f]: *Manete in me, & ego in vobis*; & [g], *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Sic prætereà, quando iubet Apostolus [h], *vt qua nubit, nubat in Domino*, sensus est, vt viro fideli, quemadmodum Tertullianus [i], Hieronymus [k], & alij exponunt. Quare in Domino etiam moriuntur, vel obdormiunt, qui manent in eo vsque ad mortem, & in ipsa morte sunt viua eius membra. Qui sensus congruit proposito Ioannis, quia etsi sub Antichristo plurimi vitam martyrio finituri sint, alij tamen etiam non pauci ab eiusdem ministris affecti variis aliis incommodis morientur sanctè, sed sine martyrio; quibus tamen omnibus, & his conuenit quod ibidem subditur: *Amodò enim iam dicit* SPIRITVS, *vt requiescant à laboribus suis*. Itaque Stephanus obdormiuit in Domino secundùm duplicem sensum, & quia gratus DEO, ac voluntati ipsius obsequens, viuumque eiusdem membrum fuit, quippe plenus fide, & gratia, & quia pro Domino mortuus est in tuenda illius fide, qua plenus erat, & simul fortitudine.

Hîc quæri potest de tempore martyrij Stephani. Baronius [l] controuersiam istam accuratè discussit. Omninò retinenda Ecclesiastica traditio de die, qui sequitur Natalem CHRISTI, vigesimosexto Decembris, CHRISTI eiusdem anno trigesimoquarto expleto, inchoante illo ipso die anno trigesimoquinto à Natiuitate. Hoc de die confirmant Martyrologia omnia, & Patrum Homiliæ, sermones, orationes, quibus Stephanum celebrant, præsertim Nysseni, Augustini, Fulgentij, Petri Damiani, & Bernardi, ex quibus primus senior est, quàm prima corporis Stephani inuentio. Quapropter non sunt audiendi, qui contigisse Stephani lapidationem contendunt die tertio Augusti, eodem quo CHRISTVS crucifixus est anno, ex quibus est B. Antoninus [m]: sed Inuentionem, quæ sub Honorio agente in Imperio annum vigesimumprimum, contigit die vigesimosexto Decembris, esse permutatam cum die martyrij. Etenim ab Ascensione CHRISTI, vsque ad dictam diem tertiam Augusti mensis, nimis angustum est spatium, nempe vix duorum mensium, vt in eo aliquandiu perseuerasse dici possit Ecclesia post Pentecosten, *in fractione panis*, & inde oborta occasione dissidij [n], Diaconos elegisse, & Stephanum Diaconum Iacobo ministrasse, signa tot, ac prodigia edidisse, atque prædicasse. Potiùs Inuentionis celebritas, quæ reuerà contigit die vigesimasexta Decembris, translata est in tertiam Augusti, qua die Anconitani lapidis, de quo priùs diximus, festiuitas Inuentione ipsa vetustior agitabatur, vt in Martyrij memoria festiuiùs Ecclesia occuparetur. Longiùs aberrant à verisimilitudine Hippolytus Thebanus, quem Glycas [o] commemorat, & apud Nicephorum [p] Petri in sede Antiochena successor Euodius, qui dicunt anno postquàm ordinatus est Stephanus in Diaconum septimo, lapidibus occubuisse. Nam hæc temporis supputatio quammaximè vocationi Pauli, & vniuersæ Chronologiæ aduersatur. Fortasse non errarunt graues illi Auctores, sed error irrepsit, vt anni septem positi fuerint pro septem mensibus, qui ab Ascensione CHRISTI ad martyrium Stephani intercurrerunt. Eusebius [q] scribit simul ac Stephanus creatus est Diaconus ab illis, qui Dominum neci dedissent, lapidibus obrutum.

Porrò Stephanum non minùs mortuum illustrarunt signa, & prodigia, quàm viuum. De his magno numero per sacras ipsius reliquias editis, multa prodidit memoriæ Euodius Vzalensis Episcopus, duobus libris [r], Augustinus [s], Prosper [t], Gregorius Turonensis [u], Hilarius Arelatensis [x], Petrus Damianus [y], Auitus [z], Lucianus [a], Beda [b], Nicephorus [c], Gennadius [d], Nicetas [e], Cedrenus [f], qui narrat visionem Stephani Pulcheriæ Augustæ exhibitam. Ex his miraculis duo vehementer notanda iudico, vt hunc fortissimum Martyrem peculiarem agnoscamus obstinatæ mentis hominum patronum apud DEVM, &, vt ita dicam, domitorem esse: quemadmodum valet Sanctorum aliquis ad impetrandam huius morbi leuationem, alius ad alterius. Primum miraculum spectat ad Iudæos, quos viuens expertus est duræ ceruicis erga DEVM, & aduersùs se duros, immò lapidescentes, non inanimes, vt illa quondam fabulosa Niobe, sed malè animatos. Scripsit S. Seuerus Maioricensis insulæ Episcopus circularem de hac re epistolam, cuius, qui suprà citatus est [g] Euodius meminit, & quam ex Vaticano manuscripto codice describit Baronius [h], aduentu Reliquiarum B. Stephani in eius insulæ oppidum Magonam omnes Iudæos fuisse conuersos, hoc est, quingentos quadraginta, spatio octo dierum; cùm enim hi contra Christianos, qui multùm de aduentu reliquiarum in eam vrbem lætabantur, & zelo quodam religionis in Iudæos amore illius Martyris exardescebant, non solùm argumenta, sed etiam saxa, sudes, iacula, omniaque telorum genera comparassent, vt Christianorum vim & potentiam incredibili quodam ardore incensam, ex quo tempore sacræ illæ reliquiæ aduenerant, si ita res posceret, etiam corporis viribus propulsarent; cùm verò in confertam fidelium in platea multitudinem Iudæi lapides immanissimos grandinis instar iactassent, nullum Christianorum non solum ictu, sed ne tactu quidem vexauerunt: idem vicissim miraculum exhibente DEO Iudæis, quos lapidibus præ zelo fideles armati nullo modo læserunt, & ignem de cœlo in Synagogam immittente, quo omnia eius ornamenta, exceptis libris, absumpta sunt. Postquàm autem Theodorus, qui omnium doctissimus, & pertinacissimus habebatur, clamore populi dicentis, Theodore, crede in CHRISTVM, commotus ita fuisset, vt crederet, reliqui trepidi terrebantur. Ceterùm eius posteà sermonibus ad conuersionem vrgentis, Iudęi alij, qui credidisse Archisynagogum suum admira-

bantur,

Margin notes (left):

a 20. de ciu. cap. 9.
b cap. vlt. 2. 8. 11.
c epist. 91. & Sermo. 24. ex paruis.
d c. vit. 7. 11.
e cap. 1. 22.
Esse in Domino, quid sit.
f Ioan. 15. 4.
g ibidem 5.
h 1. Cor. 7. 39.
i 2. ad vxo.
k 1. cót. Ioui.
Stephanus in Domino quomodo sit mortuus.
Quo die S. Stephanus sit passus martyrium.
l Tom. 1. Annal & in Notis Martyrolog. 3. Aug. & 26. Decemb.
Mors Stephani non incidit in diem tertium Augusti.
m 1. p. Histor. tit. 6. c. 2. §. 4.
n Act. 6. 1.

Margin notes (right):

o 3. par. Annalium.
p 2. Hist. c. 3.
q 2. Hist. c. 1.
r apud Aug. tomo 10. operum.
s Ser. 31. 32. 33. 34. 35. de Diuer. epist. 103. lib. 22. de ciuit. Dei. c. 8. tracta. 120. in Ioan.
t lib. de præd. dimid. temp. cap. 6.
u 1. Hist. c. 31. & lib. de glo. Martyr. c. 33.
x Serm. de S. Stephano.
y Ser. de eodem.
z ep. de Reli. S. Steph. tom. 10 Aug.
a de reuelatione, seu inuentione S. Stephani. to. 10. oper. Aug.
b Retract. in Acta c. 1 & 8. & lib. de temp.
Iudæi quomodo ad fidē conuersi sint.
c libr. 14. c. 9.
d li. de Script. apud Hieronym. de Luciano, Auito, Orosio.
e orat. de martyrio & inuét. S. Stepha. apud Metaphra.
f in compéd. de hist. p. 377.
g lib. 1. c. 1.
h Tom. 5. Annal anno 418.

bantur,proindéque pauore perculsi erant, mirabiliter conuersi sunt S. Stephani precibus Deo, illum ipsum ad suam, & suorum conuersionem ingenti quodam Spiritu propellente:necnon tandem Meletius Theodori frater, conuersus est, cuius in corde quantumuis illibentis, & renitentis verba, priùs ab eo blasphema iudicata, ita obseruabantur, vt ea ex corde nequiret euellere: CHRISTE, *in nomine tuo*:denique portẽta magna, & multa edente,illis haud absimilia,quæ edita in deserto egressis ex Ægypto Exodus [a] narrat; potissimùm columnæ ignis, & mannæ [b].

a ca.7.& seq.
b infra c.13.& 14.

Martialis primary viri conuersio mirabilis.
c lib.22.de ciuit.Dei.c.8.

Alterum miraculum narrat Augustinus [c], de Martiali viro primario, sed Gentili, quem à religione Christiana valdè abhorrentem, gener,filiáque Christiani cùm obtestando,& plorando iamiam moriturum conuertere nequirent, gener ex altari S. Stephani flores summa pietate, fidéque, cùm Protomartyrem supplex orasset, ad caput languentis apposuit: hic verò expergefactus Baptismum inclamat,ac demùm baptizatus, quamdiu vixit, in ore habebat postrema illa verba Stephani,quæ Stephani nesciebat fuisse, CHRISTE, *accipe spiritum meum*,nec multò pòst defunctus est. Vltimo tandem loco afferenda hîc essent multiplicia Stephani encomia,laudésque, quibus non in isto solùm capite, & priore insigniter exornatur, sed à Patribus etiam celebratur: verùm non est,quod iam actum agamus.Hîc addo,quod allegorico sensu Ambrosius ait [d], *fuisse Stephanum eum piscem,in quo Petrus staterem reperit* [e], *primúsque de Euangelio ascendit,habens in ore pretium* CHRISTI, *quem census in passione loquebatur, cuius gratiam & Petri iudicium atque doctrinam locuples assertor glorioso martyrio impleuit.* Eôdem pertinent quæ diximus de lapidibus ipsis, & lapidationis loco, quæque posteà dicentur de exequiis, & inuentione. Præterea summo honore ac veneratione iam inde ab exordio Ecclesiæ cultus est, celebrando quotannis diem martyrij ipsius, vt testatur Clemens [f]. Scribit præterea Martialis [g], vnus de primis discipulis,se cùm aras Dæmonum diruisset, IGNOTI ARAM DEI reseruasse, & in nomine DEI Israël, atque ipsius testis Stephani dicasse, ita vt eodem Martiali,vel auctore, vel exemplo multas opiner in Gallia metropoles sacratas Stephano, eas præsertim,quas ille erexit: sed lectu dignum, quod de Metensi narrat Gregorius Turonensis [h], vt videlicet suum Stephanus oratorium liberauerit ab incendio.Constat præterea Dionysium Parisiis Ecclesiam nomine Stephani excitasse,quam hoc etiam tempore vulgus nominat sanctũ Stephanum Græcorum. Primus Hungarorum rex martyrque Stephanus, ab hoc nostro Stephano cum nomine,regni,ac martyrij, per eius intercessionem,coronam accepit [i]. Alter antiquior priore,à S. Germano Constantinopolitano Episcopo, cùm adhuc esset in vtero per intercessionẽ Protomartyris benedictus est,cuius vt nomen,sic fortitudinem diuinitùs est imitatus, ac Stephanus iunior cognominatus [k]. Denique nomine Stephanus coronam præfert suo, multis debitam titulis & ciuicam, & muralem,& obsidionalem,&

Stephanus fuit piscis primus quē Petrus et tt.
d 5 Hexa.c.6. & lib.4.in ca.5.Luc.
e Mat.17.26.

Stephanus summo honore ab initio Ecclesiæ cultus.
f 5.Const.cap.19.
g ep.ad Burd.

In Gallia multæ Metropoles S. Stephano sacratæ.
h 2.hist.Frãc. c.6.lege item vitam S.Tiudonis,cap.11. apud Sur. 23. Nouemb.
i in vita apud Sur.23. Aug.
k Dam.in vit.

A castrensem, & triumphalem,& naualem,de quibus Gellius [l], & quas militi nostro strenuissimo iuxta tropologiam quiuis facilè accommodabit. Viget etiam in Vrbe traditio, de qua Iacobus de Voragine [m],illuc trãslato in ædem Laurentij Stephano,Laurentium in sarcophago dexterã illi cessisse:auditum præterea ex energumeni loquẽtem ore dæmonem, nescio vbi, non recessurum, nisi Romam adduceretur ad Stephanum: sed & Angelorum perceptas voces,cùm dicerent, O fœlix Roma, quæ corpus Stephani & Laurentij vno claudis mausolæo.Lege quæ de anteriore tum inuentione, tum translatione valdè mirabili narrant Nicetas Philosophus, Lucianus presbyter, Marcellinus in Chronico, Nicephorus [n],Gennadius, (B) Beda,Sigebertus,Mença Græcorum:sed errat Nicetas, cùm inuentionem æuo Constantini magni ponit:Honorij ac Theodosij æuum alij rectiùs assignant. In translatione Constantinopolitana inter miranda, mulæ fuerunt humana voce locutæ. Potest & quem huiusmodi piæ delectant accommodatæ translationes, quæ de Ruben bene precando vaticinatur Iacob [o], huc ad Stephanũ trãsferre. *Rubẽ*,inquit ille,*primogenitus meus,tu fortitudo mea, & principium doloris mei:prior in donis,maior in imperio*.Et Ruben Hebraicè filius videns,aut visio filij,aut visionis filius.Stephanus vidit cœlos apertos,& Filium hominis: fuit fortitudo DEI, quia plenus fortitudine:principium doloris, quoniam (C) primus Martyr,in quo, sicut & deinceps in aliis, CHRISTVS ipse patiebatur quodammodò.Prior fuit in donis,vtpote plenus fide, gratia,fortitudine, itẽ prædicandi facultate, præditus dono miraculorũ,vultu Angelico, visione gloriæ DEI,ac Filij hominis,apertis cœlis; denique primus martyrij adeptus coronã. Fuit maior in imperio, quia etsi infra Apostolos,sed inter Diaconos (& fortan inter genitos à CHRISTO post Passionem suam) primus,sibimet ipsi imperans,séque vincens,dum pro lapidantibus precatus est, & pro tanto Apostolo exorauit.

l lib.5.cap.6.
m Ser.1.de S. Stephano.
n lib.14.ca.9.
o Gen.49.3.

D *Saulus autem erat consentiens neci eius.*] Quidam codices Latini, & plurimi Græci hinc inchoant caput octauum. Est id verò expressum magis,tametsi satis priùs indicatum in depositione vestimentorum facta à testibus secus pedes Sauli, vt tantò etiam magis elucesceret vis precũ Stephani,atque Sauli conuersio,posteà narranda tãquam illarum fructus, vtque intelligeretur non manibus,sed consilio,& approbatione lapidasse. Trita, & vera sententia est(quam Caluinus & Beza immeritò irrident) Ecclesiæ Stephanum orando acquisiuisse tantum Apostolum Paulum. Inculcat id frequenter Augustinus [p] dicens,*quòd si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Et Fulgentius [q] dicit,*quòd quò præcessit S.Stephanus in cœlum trucidatus lapidibus Pauli, illuc secutus est Paulus adiutus orationibus Stephani.* (E) Probabile putat Oecumenius & nonnullis aliis lapidatoribus Stephani eius oratione peccatum dimissum esse.

* * *

Hæc particula cur hic sit addita.

Stephanus Paulum Ecclesiæ acquisiuit.
p Ser.1.de Sãctis, & 4. & de Diu. 94.& 99.
q Serm. de S. Steph.



CAPVT OCTAVVM.

SVMMARIVM.

Attingitur in isto capite Stephani sepultura: exponitur Ecclesiæ grauis persecutio: Samariæ conuersio, & in eâdem Simonis Magi, sed cum reuersione huius ad vomitum: Eunuchi Candacis Reginæ Baptismus.

1 FActa est autem in
illa die persecutio
magna in Ecclesia,
quæ erat Ierosoly-
mis, & omnes disper
si sunt per regiones
Iudææ, & Samariæ,
præter Apostolos.
2 Curauerunt autem Stephanum viri ti-
morati, & fecerunt planctum magnum
super eum.
3 Saulus autem deuastabat Ecclesiam per
domos intrans, & trahens viros, ac mulie-
res, tradebat in custodiam.
4 Igitur qui dispersi erant pertransibant,
euangelizantes verbum DEI.
5 Philippus autem descendens in ciuita-
tem Samariæ, prædicabat illis CHRI-
STVM.
6 Intendebant autem turbæ his, quæ à
Philippo dicebantur vnanimiter, audien-
tes, & videntes signa quæ faciebat.
7 Multi enim eorum, qui habebant spiri-
tus immundos, clamantes voce magna
exibant.
8 Multi autem paralytici, & claudi curati
sunt.
9 Factum est ergo gaudium magnum in
illa ciuitate. Vir autem quidam nomine
Simon, qui antè fuerat in ciuitate magus,
seducens gentem Samariæ, dicens se esse
aliquem magnum:
10 Cui auscultabant omnes à minimo vs-
que ad maximum, dicentes: Hic est virtus
DEI, quæ vocatur magna.
11 Attendebant autem eum: propter quod
multo tempore magiis suis dementas-
set eos.
12 Cùm verò credidissent Philippo euan-
gelizanti de regno DEI, in nomine IESV
CHRISTI baptizabantur viri, ac mulieres.
13 Tunc Simon & ipse credidit: & cùm
baptizatus esset, adhærebat Philippo. Vi-
A dens etiam signa, & virtutes maximas fie-
ri, stupens admirabatur.
14 Cùm autem audissent Apostoli, qui
erant Ierosolymis, quòd recepisset Sama-
ria verbum DEI, miserunt ad eos Pe-
trum, & Ioannem:
15 Qui cùm venissent, orauerũt pro ipsis,
vt acciperent SPIRITVM sanctum:
16 Nondum enim in quenquam illorum
venerat, sed baptizati tantùm erant in no-
mine Domini IESV.
B 17 Tunc imponebant manus super illos,
& accipiebant SPIRITVM sanctum.
18 Cùm vidisset autem Simon, quia per
impositionem manus Apostolorum da-
retur SPIRITVS sanctus, obtulit eis pe-
cuniam,
19 Dicens: Date & mihi hanc potestatem,
vt cuicumque imposuero manus, accipiat
SPIRITVM sanctum. Petrus autem dixit
ad eum:
20 Pecunia tua tecum sit in perditionem:
quoniam donum DEI existimasti pecuniâ
D possideri.
21 Non est tibi pars, neque sors in sermo-
ne isto, cor enim tuum non est rectum co-
ram DEO.
22 Pœnitentiam itaque age ab hac ne-
quitia tua: & roga DEVM, si fortè remitta-
tur tibi hæc cogitatio cordis tui.
23 In felle enim amaritudinis, & obliga-
tione iniquitatis video te esse.
24 Respondens autem Simon, dixit: Pre-
camini vos pro me ad Dominum, vt nihil
veniat super me horum, quæ dixistis.
25 Et illi quidem testificati, & locuti ver-
D bum Domini, redibant Ierosolymam, &
multis regionibus Samaritanorum euan-
gelizabant.
26 Angelus autem Domini locutus est ad
Philippum, dicens: Surge, & vade contra
Meridianum ad viam, quæ descendit ab
Ierusalem in Gazam: hæc est deserta.

27 Et ſurgens abiit. Et ecce vir Æthiops,
eunuchus,potẽs Candacis reginæ Æthio-
pum, qui erat ſuper omnes gazas eius, ve-
nerat adorare in Ieruſalem:
28 Et reuertebatur ſedens ſuper currum
ſuum, legenſq; Eſaiam prophetam.
29 Dixit autem SPIRITVS Philippo: Ac-
cede, & adiunge te ad currum iſtum.
30 Accurrens autem Philippus, audiuit
eum legentem Eſaiam Prophetam, & di-
xit: Putáſne intelligis quæ legis?
31 Qui ait: Et quomodo poſſum, ſi non
aliquis oſtenderit mihi? Rogauítque Phi-
lippum vt aſcenderet,& ſederet ſecum.
32 Locus autem Scripturæ, quam lege-
bat, erat hic: Tanquàm ouis ad occiſio-
nem ductus eſt:& ſicut agnus coram ton-
dente ſe,ſine voce, ſic non aperuit os ſuũ.
33 In humilitate iudicium eius ſublatum
eſt. Generationem eius quis enarrabit,
quoniam tolletur de terra vita eius?
34 Reſpondens autem eunuchus Philip-
po,dixit: Obſecro te, de quo Propheta di-
cit hoc? de ſe,an de alio aliquo?
35 Aperiens autem Philippus os ſuum,&
incipiens à Scriptura iſta, euangelizauit
illi IESVM.
36 Et dum irent per viam, venerunt ad
quandam aquam:& ait Eunuchus: Ecce
aqua,quid prohibet me baptizari?
37 Dixit autem Philippus: Si credis ex to-
to corde,licet. Et reſpondens ait: Credo
FILIVM DEI eſſe IESVM CHRISTVM.
38 Et iuſſit ſtare currum: & deſcenderũt
vterque in aquam,Philippus,& Eunuchus,
& baptizauit eum.
39 Cùm autẽ aſcendiſſent de aqua, SPI-
RITVS Domini rapuit Philippum, & am-
pliùs nõ vidit eum Eunuchus. Ibat autem
per viam ſuam gaudens.
40 Philippus autem inuentus eſt in Azo-
to, & pertranſiens euangelizabat ciuita-
tibus cunctis,donec veniret Cæſaream.

Verſus 1.] Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia,quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apoſtolos.

Perſecutio in Eccleſia ſub Stephano qualis.



ACTA *eſt autẽ in illa die.*] Qua ſcilicet occiſus eſt Stephanus: nimirum ab ea die cœpit ſæuire perſecutio. Memini in capite ſexto [a], cùm agerem de Nicanore, ſenſiſſe Dorotheum [b], eádem die interfectum Nicanorem cum Stephano,aliíſque ad duo millia. Hippolytus [c] quoque martyr tradit cum Stephano Nicanorem coronatum martyrio.

a verſ.5.
b in Synopſi.
c libro de Septuagintaduobus Diſcip.

A Videri poteſt Paulus innuiſſe de pluribus interfectis,ſaltem poſt necem Stephani; ait enim [d]: *Et cùm occiderentur, detuli ſententiam*: quæ verba ita videntur de multis propriè capienda,& non de vnico Stephano: vt illa, quæ proximè præcedunt [e], *Multos Sanctorum ego in carceribus incluſi.* Syrus interpres ita vertit, והוא הוא בהו יומא, *vehaua hana behu iauma*,id eſt, *& fuit facta in illo die*,vel, *& fuit per illud tempus*, Hebræo more diem pro tempore vſurpando. Euſebius [f], *E veſtigio*,inquit, *poſt Stephani martyrium.*

d Act.26.10.
e ibidem.
f li.2.Hiſt.c.1.

Perſecutio magna in Eccleſia,quæ erat Ieroſolymis.] Ἐπὶ τὴν Ἐκκλησίαν, *in Eccleſiam*,ſeu, *contra Eccleſiam.* Hæc meritò cenſeri poteſt prima ex perſecutionibus B Eccleſiæ,quibus nempe vniuerſaliter vexata eſt Eccleſia, vt obſeruat Caietanus [g],& loquitur Euſebius [h], necnon Auguſtinus [i] refutans eos,qui exactè ſolas decem numerabant. Ad hoc tempus referri poteſt, quod Lucianus [k] Gamalielem in reuelatione dixiſſe memorat, *Nicodemum,quòd* CHRISTI *diſcipulus eſſet,amotum principatu à Iudæis, & anathematizatum* (quod Iudæis eſt,extra Synagogam fieri) *& pulſum in exilium,ſed ſe illum proprio in agro ſuſceptum aluiſſe, & veſtiuiſſe vſque ad vitæ exitum, ac tandem iuxta Stephanum honorificè ſepeliuiſſe.* Nicetas Philoſophus ſcribit [l], *cùm ob necem Stephani compunctus, & baptizatus eſſet Nicodemus reuerentia Gamalielis,in præſentia quidem* C *interfectum non eſſe, præter facultatum tamen priuationem,& exilium plagas duriſſimas tuliſſe.* Tunc etiam fortaſſe accidit, vt Lazarus cum ſororibus, & Marcella, atque Maximino impoſiti nauigio ſine remis in certum periculum expoſiti ſint: & cum iiſdem prætereà Ioſeph ab Arimathia,qui ex Gallia nauigans in Britanniam,ibi mortuus eſt. Habet hoc vltimum hiſtoria manuſcripta Vaticanæ Bibliothecæ citata à Baronio [m]: illud verò Acta Magdalenæ,& ſociorum, in quibus ſunt quæ idẽ Baronius [n] commemorat,qui citat manuſcripta,& Sylueſtrũ in Roſa aurea [o],& Petrũ de Natalib⁹ [p], omnes Maſſiliã diuina prouidentia appuliſſe: quã in nobiliſſimam etiã Gallorũ prouinciã Apoſto- D licos plures alios viros ſiue per eã occaſionẽ,ſiue poſteà miſſos ab Apoſtolis,præſertim à Petro,deueniſſe docet Claudius Eſpenſæus in Catalogo de Galliæ Apoſtolis [q], præter Paulum, qui eandem luſtrauerit,Philippum, qui ibidem prædicauerit,itémque Lucam noſtrum, quem interpretamur. Ex illis refert præſertim Iulianum Cenomanum Epiſcopum, qui dicitur eſſe Simon Leproſus,Martialem Petri diſcipulum,& Stephani affinem, Vrſicinum aut Vrſinum eundem cum Nathanaële,Paulum Sergium,quem Apoſtolus Paulus conuertit [r]. Petrus de Natalibus [ſ] de eo mentionẽ facit,ac de Cedonio,vel Sidonio, vel Chelidonio,qui fuerit ille cęcus natus [t],coadiutor au- E tem Maximini in Epiſcopatu. Legendus quoque de his Gallorum Apoſtolis, Petrus Cluniacenſis dictus Venerabilis [u],& Genebrardus [x].

Prima perſecutio in Eccleſia hæc fuit.
g hoc loco.
h ſuprà citato loco.
i 18. de ciuit. Dei.cap.52.
Nicodemus in exilium miſſus eſt.
k epi.de Inu. S.Steph.
Nicodemus baptizatus eſt, & plagas ſuſtinuit.
l ora.de mart. & Inuen. S. Stephani.
Chriſtiani primi pulſi Ieroſolymis in Galliam venerunt.
m Tom.1.An.
n 22.Iulij.
o Feria 5 infra 8.Paſch.
p lib.6.c.124.
Qui quiáſque fuerint primi Galliarum Apoſtoli.
q in 2.ad Ti. c.4.D.g.25.
r Act.13.12.
ſ li.5.c.101.& 102.
t Ioan.9.

Omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ.] Incertum, an omninò omnes, an ſoli antiquiores Diſcipuli, qui peculiariter hoc nomine dicebantur. Ita ſanè intellexiſſe videtur Euſebius [y], qui hos nominat *Diſcipulos.* Caietanus ait ſermonem eſſe *de iis, in quos deſcenderat* SPIRITVS *ſanctus in variis linguis die Pentecoſtes* [z]: ideò námque mox adiici, quòd Saulus per domos intrabat, & trahebat viros ac mulieres, & tradebat in cuſtodiam [a], nimirum eos,qui erant in Ieruſalem, & præſertim qui familiam ibidem habebant. Carthuſianus idem ex

u lib.1.epiſt. epiſt 2.
x 2.Chron.
Quinam diſperſi fuerint ea perſecutione.
y 2.Hiſt.c.1.
z Act. 2. 2.& ſeq.
a infrà v. 3.

eo con

eo confirmat, quòd aliquos ad Stephanum sepeliendum superfuisse necessarium est. Baronius [a] coniicit minimùm quindecim millia eiecta esse, atque hos esse, ad quos Petrus [b], & Iacobus [c] scribentes, appellant *aduenas dispersionis*, aut *duodecim tribus in dispersione*: ad distinctionem aliorum, qui longè, latéque toto orbe habitabant, dicebanturque non *dispersi*, aut *ex dispersione collecti Iudæi*, sed coloni, & indigenæ: nec enim vspiàm legi, finita Babylonica captiuitate, Iudæos quantumlibet grauia ac dira passos à finitimis regibus pulsos è Palæstina, & in exteras orbis prouincias amandatos. Equidem concedo magnum horum dispersorum numerum fuisse, cùm præter quingentos adhuc agente in terris CHRISTO [d], octóque millia duabus Petri concionibus aggregata [e], Lucas victus fortasse ipsa multitudine, generatim ter dixerit, *magis auctam credentium in Domino multitudinem virorum, ac mulierum*, & *creuisse, atque multiplicatum esse numerum Discipulorum in Ierusalem valdè, & multam etiam turbam sacerdotum obedisse fidei* [f]: sed numerum definire difficile est. Arbitror etiam nonnullos aut latuisse, aut propter vel familiam, vel fauorem dimissos esse, saltem ad tempus, licèt passim indicta persecutio in omnes esset, exceptis Apostolis; vel ὑπαλλακτικῶς, per anticipationem, dixit Lucas, *omnes*, quia paulò pòst in omnes peruaserit procella persecutionis. Quod ad nomen *dispersorum* attinet, difficile est id ad solos arctare, quos præsens persecutio dispersit: quoniam Iacobus *duodecim Tribubus* scribere se dicit, non erant verò illæ omnes ex Babylonica captiuitate reuersæ in Ierusalem, sed solæ duæ, Iudæ nempe tribus & Beniamin. Itaque magis propendet animus, vt Iacobum, necnon & Petrum ad veterem illam aliam dispersionem respexisse affirmemus, seu Assyriaca illa fuerit, seu Babylonica, seu per varios Asianorum & Ægyptiorum principes facta; quas numero multitudinis vocat Psalmus [g] dicens, *dispersiones Israëlis congregabit*, quæ communior est sententia. Gagneius [h] tamen istam non spernens, priorem magis probare videtur, ita vt ex ea omnium tribuum turma, quæ die Pentecostes credidit, ac paulò pòst bona pars, & ex singulis tribubus aliquot, cum Apostolis communiter vixerit vsque ad illam persecutionem, & dispersionem. Idem indicat Emmanuel Sà [i]: Titelmanus [k] de iis, qui in genere ob persecutionis rabiem per varia sunt loca dispersi. Obstare sententiæ nostræ videtur, quòd epistolæ dictæ scribuntur Christianis. At potuerunt plures ex Iudæis dispersis olim ante hoc tempus, quo dispersio hæc facta est ob persecutionem, posteà facti esse Christiani: simúlque ex iis, qui venerant ad Pentecosten ex omni natione, ac tribu, iámque conuersi tunc fuerant, hac mota persecutione dispergi, & communiter ad omnes epistolæ mitti Iacobi & Petri. Ceterùm in persecutione licitam esse fugam, quod Tertullianus [l] negauit, inter alia, quæ alio loco [m] adduxi, doceri potest, vel hoc exemplo, vt notant Beda, Glossa, & Lyranus, & eo quod posteà de Saulo recèns conuerso videbimus. Legendus Athanasius [n], Nazianzenus [o], Ambrosius [p], Augustinus [q], & alij veteres, & recentiores.

Quot Ierosolymis exierint. a Tom. 1. An. b epist. 1. ca. 1. c cap. 1. d 1. Cor. 15. e Act. 2. 41. & c. 4. 4. *Christianorum quanta fuerit Ierosolymis multitudo.* f Act. 5. 14. c. 6. 1. c. 11. 21. *De dispersis ad quos Petrus & Iacobus scribunt.* g Psal. 146. 2. h in ep. Iac. c. 1. & 1. Pet. 1. *Varia de hac dispersione opiniones.* i ibid. in Notatio. k ibid. *Quomodo dispersi ante hanc dispersionem Christiani facti sint.* *Contra Tertullianum agitur, qui negat licere fugere.* l lib. de Fuga in persec. m li. de Fide. n Apol. de Fuga sua. o ora. 1. cont. Iul. p 1. de Fide. c. 37. q epist. 180.

Per regiones Iudææ, & Samariæ.] Κατὰ τὰς χώρας, *secundùm villas*. Syrus autem בקוריא דיהוד *bekuraia dihud*, id est, *per agros*, aut *pagos Iudææ*. Græca vox χώρα, latæ significationis est, ac inter alia pro loco, vel agro sumitur, inde χωρεπίσκοποι, qui dicuntur *regionarij Episcopi*. Regio similiter Latinè aliquando angustiùs sumitur, ita vt plures in eadem vrbe olim regiones distinguerentur. Non se continuerunt hi diu dispersi finibus Iudææ, ac Samariæ. Nam interiùs Lucas de his ita scribit [r]: *Et illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta est sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam.* Fuerunt forsan & de numero eorum Galatæ, quos his verbis Paulus alloquitur [s]: *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos CHRISTVS proscriptus est, & in vobis crucifixus?* Appositè vtroque loco huius libri, & præsenti, & alio citato, dispersi Discipuli Græcè vocantur διασπαρέντες, id est, disseminati. *Audis*, inquit Athanasius [t], *in Actis Apostolorum post lapidatum Stephanum Discipulos dispersos, & quasi seminatos: non quòd imbecillitate disiecti, sed fidei gratia ita diuisi essent: sed enim ita dispersi sunt, quasi seminantes frumenta effecti sint, ad panem supercœlestem conficiendum, vniuersúmque orbem peragrantes, viuifica doctrinæ virtutes efficaciásque disseminarunt.* Eusebius obseruauit quoque vim eandem verbi disseminandi. Nyssenus [u] in laudatione Stephani persimilem sententiam expromit, Stephano ipsi hæc omnia tribuēs: *Quemadmodum periti athletæ subeuntes corpus aduersariorum per quandam artificiosam agilitatem atque habilitatem grauiorem lapsum illis struunt, ita magnus quoque Stephanus humi prostratus grauem illam aduersarij contusionem effecit. Hinc in orbem terrarum Discipuli currere cœperunt: hoc omnes in partes sermonis diuulgationis initium est: nam nisi ab illius cæde populus Iudæorum in Discipulos sæuisset, forsitan solummodò Ierosolymis Euangelij gratia inclusa esset: nunc verò agitati à Iudæis, alius aliò gentium per orbem dispersi sunt, vndique per mysteriorum doctrinam Diabolum exturbantes: hoc modo Samaria verbum recepit: hoc modo obiter in via salus Eunucho à Philippo conficitur: ita magnum illud Ecclesiæ instrumentum Paulus ira, minísque à Diabolo armatus, aduersùs ipsum armatorem tela vertit, ex omni eum exterminans orbe terrarum, vt nullum relinqueret locum fidei Christianæ inaccessum. Hinc Ægyptij, Syri, Parthi, & Mesopotamij, Itali, Illyrici, Macedones CHRISTVM agnoscunt, & omnes vtique gentes sermo percurrens ad fidem adducit.* Hæc quæ Pater vterque hîc dicit, Athanasius & Nyssenus, longiora necessariò tempora respiciunt, cum eo, quem citaui huius libri [x], qui interiùs est, loco, illi *qui varias seminando verbum DEI regiones obibant post dispersionem, nemini scribantur locuti, nisi solis Iudæis.* Certum, ac multiplex argumentum experientiæ est, magnos, & illustres DEVM ex suorum persecutione fructus elicere. Et hoc loco idem, quod citati illi Patres, Oecumenius obseruauit, & Chrysostomus, aliique, necnon Hieronymus [y], atque Augustinus [z]. *Cùm inde*, ait iste sanctus Doctor, *tanquàm ex vno loco fugarentur, quasi ligna ardentia igne diuino, totam syluam mundi accensam feruore spiritus, & lumine veritatis impleuerunt.* Hieronymus verò scribit, huius tribulationis occasionem factum Euangelij seminarium.

Dispersi ... non ... dispersi. r cap. 11. 19. s ad Gal. 3. 1. t Homil. de semente. *Discipuli dispersi cur dicantur disseminati.* u orat. de S. Steph. *Ex persecutione Iudæorum quanta commoda in Ecclesiam emanarint.* x cap. 11. 19. y in cap. 10. Matth. z conc. 1. in Psal. 10.

Præter Apostolos.] Existimant Chrysostomus, & Oecumenius, & Lyranus, atque Magister Historiæ Scholasticæ [a], alios Discipulos vt timidiores cessisse; Apostolos, vt constantiores remansisse, ne ex fuga istorum crederetur fidem Catholicam non habere firmum fundamentum. Malim cum aliis diuinæ id prouidentiæ & instinctui deputare, ac fortasse imperio etiam Apostolorum, qui vt pastores, & duces in statione, &

a in Hist. Act. cap. 42. *Cur Discipuli ex Ierosolymis dispersi.*

excubiis

excubiis steterunt: tales enim non est fas fugere, cùm ingruit periculum subditorũ. Certè de Philippo, de quo tãta celebrari audiemus, nullo modo id affirmandũ videtur: nõ de Anania, qui Damascenã collegit Ecclesiam, atque his nonnullos alios similes fuisse par est existimare. Recitaui in primo cap.[a] ex Eusebio[b], Apollonij Theologi antiqui testimoniũ de antiqua Traditione, iniunctũ Apostolis à Domino Ierosolymis ne discederent ante duodecim annos ab eius Ascẽsione, seu missione SPIRITVS sancti. Sunt qui intercessione Gamalielis factã putent potestatem Apostolis remanendi: alij arbitrãtur id à timore Iudæorũ profectũ, ne propensior in Apostolos populus seditionẽ cõmoueret in eiectores: probabile est diuinitùs prohibitos persecutores, nõ secus atque cũ comprehensus in horto CHRISTVS imperauit[c], Discipulos vt satellites sinerent abire, negata nimirum his in illos, vt Chrysostomus[d], ac Theophylactus[e] notant, potestate, vnde Caietanus[f] colligit, eum, qui relicta fugit sindone nudus[g], non fuisse de Apostolis, quia nullus quemquam illorum ausus esset attingere post dictam inhibitionem CHRISTI, *vt impleretur*, inquit Ioannes[h], *sermo quem dixit, quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Meritò Ioannes de la Fuente[i], hoc eadem ratione confirmans, refellit Ambrosium[k], & Gregorium[l], asserentes adolescentẽ illum fuisse Ioannem Apostolum. Porrò Beda[m] hinc refellit pseudographum librum Melitonis[n], in quo est, secundo post Domini Ascensionem anno Apostolos esse toto orbe dispersos in suas prouincias: *nec enim anno vno potuit fieri, vt qui in Ierusalem remansisse dicuntur Apostoli, inde discesserint, prædicato iam à dispersis aliis Euangelio, donec Ecclesia per totam Iudæam, & Samariam, & Galilæam pacem haberet.*

[a] vers. 8. [b] lib. 5. Hist. c. 17. *Cur Apostoli remanserint.*
[c] Ioan. 18. 8.
[d] hom. 82. in Ioan. [e] in Ioan. [f] in Ioan. [g] Marc. 14. 51. 52.
[h] cap. 18. 9.
[i] in Marcum.
[k] in psal. 36. [l] 14. mor. c. 23. [m] in retract. in Acta. [n] de obitu B. Virg.
Apostoli non re hæserunt Iudæa usq; post partam inea Ecclesiæ pacem.

Versus 2.] Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.

CVRAVERVNT *autem Stephanum.*] Συνεκόμισαν. Syriacè sic legitur, וקפסו קברוהי לאסטפנוס *vakpesu kaberuhi lestephanus*, id est, *&* *positum in capulum sepelierunt Stephanum*, vel, *Collectum in arcam sepelierunt.* Vim facit Caietanus in verbo composito Græco, ita vt præpositio σὺν, quæ componit, & significat *simul*, denotet quòd simul cum persecutione magna fuit cura sepeliẽdi Stephanum. Interpretatio quidem Syra bona est, quoniam Græcum vocabulum vsurpatur aliquando pro eo quod est efferre ad sepulcrum, quemadmodum & simplex in his versibus apud Sophoclem[o]:

κ᾽ εἴ τινα στρατὸς,
θέλεις κομίζειν, οὐδὲν ἄλγος ἕξομεν.
id est,
Et si quem exercitus
Efferre vis, ad sepulcrum scilicet, *nullum dolorem habebimus.*

[o] in Aiace.

Compositum etiam συγκομίζω, in eadem Tragœdia idem vsurpauit dicens:

Οὗτός σε φωνῶ τόνδε τὸν νεκρὸν χεροῖν
Μὴ συγκομίζειν, ἀλλ᾽ ἐᾶν ὅπως ἔχει.
id est,
Heus te voco: manibus tuis hunc mortuum
Componere caue, sed manere sic sinas.

Tradit quoque Scholiastes Æschyli[p] de mortuis dici συγκομίζειν, & ἐκκομίζειν, & ἀνακομίζειν. Sed hoc discrimine, vt συγκομιδὴ sit, πρὸ τοῦ τάφου πᾶσα

[p] in Tragœ. Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις. κομίζειν & συγκομίζειν quid significent.

A ἐπιμέλεια, *omnis ante sepulturam ipsam cura*: ἐκκομιδὴ autem ἡ πρὸς τὸν τάφον ἀπαγωγὴ, *deductio ad sepulturam*, & ἀνακομιδὴ, ἡ ἐκ τάφου εἰς τάφον μετάθεσις, *transpositio ex sepulcro in sepulcrum*: denique Sophoclis Scholiastes[q] dicit esse metaphoram à frugum collectione. Igitur noster Interpres meliùs posuit verbum curandi, quod amplectitur totius funeris curam vsque ad eius elationem. Reperio tamen apud Patres Græcos τὴν προσκομιδὴν, pro oblatione, quæ fiebat pro defunctis, vt apud Eusebium Alexandrinum[r].

[q] in Aiacem.
[r] orat. εἰς τὴν Κυριακήν.

Viri timorati.] Ἄνδρες εὐλαβεῖς, *viri religiosi.* Syrus habet, גברא מהימנא *gibre mehemene*, id est, *homines fideles*, vel, *viri fideles.* Meliùs noster, cùm ait, *viri*
B *timorati*, propriè enim εὐλαβὴς, significat eum, qui bene, & circumspectè, ac proinde timidè res capessit: & in nouo Testamento, atque apud Scriptores Ecclesiasticos cautum, ac sollicitum circa ea, quæ pertinent ad cultum diuinum, quem aliter diceremus religiosum, & pium. Eandem vocem Simeoni seni tributam etiam à Luca[s] idem noster Interpres reddidit per timorati nomen, & quandoque religionem ac pietatem timor significat, ita vt etiam λατρείαν dictam quidam velint, ἀπὸ τοῦ τρεῖν, *tremere*, & augente particula λα, id est, *valdè.* Lucianus in epistola, siue Tractatu de Inuentione Stephani, quem etsi Lippomanus apud Hieronymum[t] suspectum habet, Gennadius[u] recipit, & Marcellinus Comes[x], & Nicephorus[y],
C & Beda[z], & id satis innuit Augustinus[a], inducit Gamalielem ita loquentem in Reuelatione, postquàm dixisset de loco, vbi lapidatus est Stephanus, *& quòd ibi nocte ac die iacuit proiectus* (fortasse sub vesperum fuerat occisus) *ita vt sepultura non daretur secundùm mandatum impiorum principum, & vt à feris consumeretur corpus eius, ex Domini autem voluntate non tetigit eum vel fera, vel auis, vel canis. Ego Gamaliel*, inquit, *compatiens CHRISTI ministro, & festinans habere mercedem à Domino, misi per noctẽ quantos poteram religiosos Christianos in CHRISTO IESV fideliter credentes, habitantes Ierusalem in*
D *medio Iudæorum* (nondum ergo eiecti & dispersi erant, saltem omnes) *& hortatus sum eos, & necessariam substantiam ministraui, ac persuasi illis ire occultè, vt portarent corpus eius* (extra ciuitatem enim lapidatus erat, & iacebat) *meo in vehiculo ad villam meam, hoc est, Caphargamalam* (quod interpretatur villa Gamalielis, viginti millia distans à ciuitate) *& ibi feci illi planctum fieri diebus septuaginta* (Beda[b] legit, quadragintaquinque) *& posui eum in meo monumento nouo in Orientali theca: & præcepi eis, vt quæcumque necessaria erant pro eius planctu de meo darent.* Nicetas Philosophus scribit[c], ex malo persica in loculo impositum Stephanum ex transuerso collis: Gamalielem verò procidentem ad pedes Apostolorum petiisse, vt sibi corpus liceret acci-
E pere, atque in suo monumento nouo, quod erat in vico prope Ierusalem, deponere; tunc autem Apostolos, qui annuerant, cum multitudine fidelium in Psalmis, & hymnis Stephanum translatum sepeliuisse, cientes planctum magnum totis quadraginta diebus. Hieronymus[d] Apostolos ipsos curam Stephani corpori impendisse affirmat. Hi, quos violenta morte Iudicis sententia sustulisset, qui βιαιοθάνατοι dici possunt, præsertim si crucis supplicium fuisset, insepulti iacebant, præda coruis, alijsque alitibus carniuoris, secundùm ius Romanum, nam in Deuteronomio[e] *appensi in patibulo eodem die sepeliri iubentur.* Et Iosue[f] legem hanc obseruauit, & circa CHRISTVM, aliósque

[s] cap. 2. 25.
[t] 2. August. [u] de viris illustri. cap. 46. & 47. [x] in Chron. [y] lib. 14. ca. 9. [z] in Acta, & lib. de sex ætatibus. [a] Ser. 6. de Sã. & 31. ac 94. de Diue. tra. 120. in Ioan. *Stephanus diuinitus ab animalibus seruatus. Stephanus quomodo sepultus fuerit.*
Stephanus vbi sepultus.
[b] retract. in Act. c. 8.
[c] orat. de Mar. & Inu. Steph. *Quomodo Gamaliel eum ab Apostolis ad sepeliendum petierit.*
[d] ep. 53. ad Riparium.
Cadauera morte punitorum non sepeliebantur.
[e] ca. 21. 22. 23. [f] Iosu. 8. & 10.

seruata

seruata est [a], aut potiùs ex Præsidis indulgentia & clementia, qui Romanorum legibus gubernabat. Tamen consuetudo fuit, Philone teste [b], vt natali Imperatoris, aut simili die festo, deponerentur crucifixi ad sepulturam cognatis rogantibus; & id in genere de capite damnatis, nè horum corpora cognatis ipsorum negentur, aut etiam aliis quibuscunque, tradunt Iurisconsulti [c]: & pretio interdum redemptos Cicero [d] satis innuit, & Quintilianus [e] humanitatem hanc exhibitam meminit cadaueribus damnatorum, & de Lacedæmoniis Aemilius Probus [f], & Diodorus Siculus [g], & de Romanis Plutarchus [h]. De magis antiquo more Romano fuisse proditum est, vt hostes publici, aut qui hostiũ loco essent, verbi gratia proscripti, parricidæ, aliíque facinorosi, quorum pœnæ ad exemplum aliorum pertinebant, vltimo affecti supplicio, honore sepulturæ carerent, ideóque ex Gemoniis gradibus, siue scalis vnco in Tyberim pertraherentur, quod ostendit ex Valerio Maximo [i], & Plutarcho [k], & Suetonio [l], & Lampridio [m], & Spartiano [n], Petrus Faber [o], ac prætereà ex Tacito [p] damnatis negatam sepulturam, quorum bona publicata forent, non item, si de se illi statuissent: & sub Tiberio, Claudio, & Nerone, aliísque Tyrannis, quacumque ex causa damnatis capite absque distinctione vlla, vel scelerum, vel pœnarum, communem fuisse priuationem sepulturæ. Sed & interdictum, ne hos propinqui lugerent, quod etiam proditum est à Valerio [q]: cùm tamen iure ciuili [r] duo illa in hostes tantùm, aut perduellionis damnatos, aut suspendiosos, siue cruciarios decernerentur: quod priùs quoque factitatum ab Atheniensibus, auctor est Xenophon [s], Lycurgus Orator [t], & Dio Chrysostomus [u], ita vt etiam huiusmodi sontium refoderentur ossa, si fortè sepulta essent: immò deinceps si qui alia ex causa, quàm perduellionis puniti essent, etiamsi nemo posceret, certo in loco sepeliri solitos in Vrbe probabile ex eo quidam ducunt, quòd ibi sceleratus campus erat sontium destinatus sepulturæ, vt Seruius notat [x]: tamen is solis Vestalibus incestis sepeliendis seruiebat [y]. Hostes ipsi hostibus in bello cadauera sua permiserunt, vt Aristoteles [z] ex Sophoclis Antigone docet; & prætereà Dion Chrysostomus [a], Tacitus [b], Valerius [c], Liuius [d], Plutarchus [e], Isocrates [f], Lysias [g], Xenophon [h], Demosthenes [i], Aristides [k].

Itaque, qui Stephani funus curauerunt, id tacita saltem Magistratus approbatione fecerunt, & in eo se reuerà ἄνδρας εὐλαβεῖς, hoc est, viros religiosos, & pios exhibuerunt: quo nomine cum primis laudatum in Scriptura legimus Tobiam [l], & viros Iabes Galaad [m], & apud Ethnicos Cimonẽ & Pisistratum, & M. Antonium Pium. De Cimone Aemilius Probus [n] scribit in hunc modum: *Complures pauperes mortuos, qui vnde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit: sic se gerẽdo minimè est mirandum, si & vita eius fuerit secura, & mors acerba.* De Pisistrato Eustathius Homeri Interpres [o]: *Historia*, inquit, *laudat Pisistratum, quod pedissequos cum nummis duos, trésve circũduceret, vt in sepulturam inopum aliquid conferret.* De M. Antonio Capitolinus: *Tantáque clementia fuit, vt & sumptu publico vulgaria funera iuberet efferri.* Eutychianum Papam hoc officium pietatis sedulò exercuisse, traditur in Martyrologio [p], ita vt manu propria sepelierit trecentos quadragintaduos Martyres. De S. Malachia scribit B. Bernardus [q], de Hugone autem

a Matth. 27.
b con. Flaccũ. *Sepeliebãtur tamen ex principis concessione.*
c l. corpora. ff. de cadau. punit. l. 11. C. de relig. & sump fun.
d li. 5. in Ver.
e Declam. 6.
f in Pausan.
g lib. 11.
h in Antonio. *Qui more antiquo Romano sepultura carebãt.*
i lib. 6. cap. 3.
k in Gracch.
l in Domitia. c. vlt. & in Vespasiano. c. 2.
m in Commodo.
n in Ant. Caracalla.
o lib. 2. Semestrium. cap. 9.
p lib. 5. Annal. *Mortuos lugere à Tyrannis prohibitum.*
q lib. 2. cap. 2.
r l. liberorum. §. non solent. ff. de iis qui not. inf. l. minime. ff. de relig. & sumpt. fun.
s 1. Ἑλληνικῶν.
t ora. cõ. Leocratem.
u ora. quæ dicitur R hodiacus.
x ad 11. Æne.
y Liuius lib. 8. decadis 1.
z 1. Rhet. c. 13.
a orat. περὶ ...
b 1 Annal.
c lib. 1. c. 6. & lib. 5. c. 1.
d lib. 22.
e in Antonio. *Qui Stephani funus curarunt, id auctoritate Magistratus fecerunt.*
f in encom. Helenes.
Qui laudati sũt ob curam sepeliendi mortuos.
g in epitaph.
h 6. Ἑλληνικῶν.
i in epitaph.
k in panathenaico.
l c. 1. 2. & 4. & vlt.
m 2 Reg. 2. 4. 5.
n in vita, sub finem.
o ad finem Iliad. ω.
Ecclesiastici qui bus fuit curæ mortuorum sepultura.
p 8. Decemb.
q in vita.

A Lincolniensi Episcopo, qualiter renuerit prandium regis, vt vacaret sepulturæ, Auctor vitæ eius meminit, rursusque Martyrologium [r] de presbyteris Ioanne & Crispo, eorum in hac re studium commendat. Nolo in sepulturæ commendationem vel descriptionem, quæ nimis alta, seu profunda est, nunc descendere, contentus attigisse proposito nostro necessaria, vel vtilia cum his, quæ capite quinto diximus [s], & tum paulò post in isto, tum etiam in sequenti dicemus. Legat qui volet Onuphrium Panuuinum [t], Federicum Nauseam [u], Ioannem Stephanum Durantum [x], Petrum Fabrum [y], Baronium [z], Tiraquellum [a], Marcellum [b], Claudium Guillaudum [c], Feuardentium [d], B Iacobum Pontanum [e], Alphonsum à Castro [f], Cælium Rhodiginum [g], Frãciscum Bencium [h], Hilaretum [i], Ioannem Sauaronem [k]. Hi vniuersum hoc argumentum de sepultura tum profana, tum Christiana, & fusè, & eruditè tractant, atque veteribus tum Auctorum testimoniis, tum historiis illustrant & probant, quæ nos alio loco collegimus. Non puto pro Stephano preces fusas, *quoniam iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*, inquit Augustinus [l], *cuius nos debemus orationibus commendari.*

Fecerunt planctum magnum super eum.] Syrus sic habet, ואתאכלו עלהי רורבאית *vathechulu bhalehi raurebaith*, id est, *& luxerũt propter eum maximè*, vel, C *& planxerunt super eum vehementer*. Κοπετὸς, est *planctus*, siue *plangor*, & *lamentatio*, in qua, vt quidam Latini loquuntur, pectus plangimus, & pectus manu tundimus, à κόπτομαι, quod est inter alia, pectus percutio manu. Chrysostomus exponit de luctu, & lacrymis, quæ vel à nondum perfectis proficiscerentur, sicut & prior ille metus in fuga; vel quas tanta Stephani gratia eliceret. *Quis enim*, inquit, *non plorasset, videns illum mansuetum agnum lapidari, & tacere mortuum?* Oecumenius tertiam causam addit, *quòd se tanto præfecto, tanto patrocinio, tanta doctrina, tantísque signis priuatos conspicerent.* Lyranus, & alij intelligunt de tota cura, seu pompa funeris. *Et hinc apparet*, vt inquit Ca- D ietanus, *non incœpisse solemnitates Martyrum in illa primitiua Ecclesia, non enim dedicauerunt Martyrium Stephani, sed fecerunt planctũ magnum, curantes corpus illius Hebræo more.* Argumentatio debilis; dedicati namque sunt dies aliis Sanctis, quorum tamen cum planctu celebratum est funus. Sed & Hieronymus [m] oppositum planè colligit hoc ex loco contra Vigilantium de Sanctorum reliquiis veneratione prosequendis. Decernitur quoque Stephani celebritas in Apostolicis constitutionibus [n], auctoritate Petri & Pauli, sed & Martyrum reliquorum. Vt nihil dicam de Polycarpo, deque Lugdunensibus Martyribus, quorum meminit Eusebius [o]. Immò verò idipsum E velle Paulum, quando scribit [p]: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum* DEI, *quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem*, sentit Theodoretus [q], exprimens nominatim Iacobum vtrumque iam mortuum, & Eustratius Constantinopolitanus, quem Turrianus [r] citat, vt scilicet tum festo, tum commemoratione solemni celebrarentur in canone Missæ. Profectò simillima verba illius constitutionis cum verbis epistolæ Pauli bene Turrianus esse demõstrat. Hieronymus [s] cohibens Paulæ luctum super obitu Blesillæ filiæ, & obtendentis exempla plangentium in vetere Testamento, Dauid pro Absalon [t], populi Hebræi pro Moyse, & Aaron [u],

r 11 Aug.
s v. 6. & 10.
t Tract. de ritu sepeliẽ.
u in Catechi. libro c. 12.
x 1. de Ritib. Eccl. c. 23.
y 2. Semest. c.
z lib. 14. 15.
a in Annal.
a in Alex. ab Alex. li. 3 c. 7.
b in opere de fact. cæ. sect. 15.
c de iuri sepult.
Pro Stephano orationes non est.
d Rath. 1. digress. de sepult.
e tom. 1 Progym. p. 2.
Planctus quid sit.
f contra hæret. verbo sepultura.
g lib. 17. c. 19. 20 21.
h orat. 25.
i Serm. in fer. 4. post Domi 4. Quadrag.
k in Silesiã, li. 1 ep. 11. li. 2. ep. 4 li. 3. ep. 12.
l Tract. 84 in Ioan. & Ser. 17. de verb. Apost.
Caietani sententia parum probatur de funere Stephani.
Refutatur: & solemnitatem Martyrum antiquam demonstratur.
m cont. Vigilant.
celebritas festi Stephani Apostolicis constitutionibus præscribitur.
n lib. 8. c. 33.
o 4 Histor. c. 15. & li. 5. c. 1. & seq.
p Heb. 13. 7.
q in epist. ad Hebr.
r in Clementem.
s epist. 25.
Qualis fuerit luctus Stephani exitium.
t 2. Reg. 18. 33.
u Deut. 34. 8.

Iacob

Iacob pro Ioseph [a], & similium, docet planctum magnum, qui Stephano factus est, non in plangentium exanimatione, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendum, sicut planctus magnus, & fortis nimis totius Ægypti pro Iacob [b] non longas imperabat Ægyptiis lacrymas, sed funeris monstrabat ornatum. Verba, quibus Hieronymus [c] ex hoc planctu colligit contra Vigilantium Reliquiarum venerationem, sunt hæc: *Ergò Martyrum immunda sunt Reliquiæ? & quid passi sunt Apostoli, vt immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent: vt facerent ei planctum magnum: vt eorum luctus in nostrum gaudium verteretur?* Non potest reprehendi moderatus luctus pro morte charorum, quem CHRISTVS ipse suscepit pro Lazaro [d], & præsertim cùm sunt iusti, & Reipublicæ vtiles, quales quando mortuos accipiebat, flebat Ambrosius [e]. *Sed grandis in suos pietas*, inquit Hieronymus [f], *hoc est, effusa nimium lacrymæ, impietas in* DEVM *est*. Eundem in deflendis defunctis excessum cum Apostolo [g] reprehendit Hieronymus idem alibi [h], & Chrysostomus [i], & Rupertus [k], & Basilius Seleuciensis [l].

Quamdiu durarit funus, luctusque, nil definitè tradi potest. Recitauimus ex Luciano dies septuaginta, ex Niceta quadraginta funeri Stephani datos. Rituales libri mentionem faciunt de octaua, vigesima, trigesima, sexagesima die, quibus pro defuncto memoria fieret, Ambrosius* de tertia, & trigesima, de septima, & de quadragesima; de triginta Missis per totidem continuatos dies, habetur in Dialogis Gregorij [m], & in gestis Clodulphi Episcopi Metensis [n]. Apud Origenem mentio est de septem diebus. Ephrem in suo testamento petiit [o], vt post trigesimum diem sui recordarentur: Clemens [p] mentionem facit de tertio, & de nono, posteà de quadragesimo. In vetere Testamento ploratum legimus Iacob per septuaginta dies [q], Mosem per quadraginta, ait idem Clemens [r]; alij verò passim solùm per triginta, vt omnes codices Deuteronomij Hebraici, Græci, Latini [s], & Philo [t], sicut & de Aaron [u]. De septem diebus liber Ecclesiastici [x]: vt triginta essent iuxta obseruationem populi Hebræi: quadraginta secundùm consuetudinem Ægyptiorum, quot nempe celebrabatur nuptialis lætitia [y], & quot planxerunt Israelitæ, & Ægyptij Iacob, cùm iam sepeliendus esset [z]. Magister Historiæ Scholasticæ [a], qui meminit apud Christianos de tertio, & de septimo die, & de triginta Missis, tradit morem fuisse Ethnicorum, vt seruarent corpora mortuorum incondita nouem diebus, per singulos dies plangendo, eaque fouendo aqua calida, quò explorarent, vtrùm anima penitus egressa è corpore, an tantùm in eo sopita esset; condita verò per dies quadraginta luxisse: Hebræorum autem morem fuisse, vt incondita per dies septem seruarentur, condita per triginta lugerentur. Nescio quo pacto id probare possit. Numa apud Plutarchum [b] puerum trimulo minorem lugeri noluit: maiorem non plures menses, quàm ille annos vixerat: neminem vltra decem, quo spatio cauit, vt mulier post obitum viri abstineret à secundis nuptiis. Tamen Iunius Brutus, Valerius Poplicola, Augustus, viri optimè de Republica meriti, defleti sunt annuo luctu. Damascenus [c] quoque ex eodem Gregorio, ac prætereà ex Dionysio, sed & ex Apostolis confirmat ritum precum, & Missarum: de annua die, seu anniuersaria scribit Tertullianus [d], & Ambrosius [e]: & consuli potest tum Pamelius in Liturgicis [f], tum Ioannes Garetius in proprio opere, quo docet mortuos iuuari viuorum precibus, Turrianus [g] etiam, & Pererius [h].

a Gen. 37. 35.
b Gen. 50. 3.
c ep. 53. ad Ri[p]. 1. 21.
Reliquiarum Sanctorum probatur veneratio.
Mortui moderatè lugendi sunt.
d Ioan. 11. 35.
e in vita.
f epist. 25.
g 1. Thess. 4. 12.
h epist. 41.
i Hom. 69. & 70. ad popul. hom. 61. in Ioan. hom. 3. in ep. ad Phil. hom. 4. in ep. ad Hebr.
Quamdiu funus Stephani durauerit.
k 9. in Gene. c. 41.
l Ser. de Lazaro suscitato.
* oratio. de obitu Theodosij, & orat. de fide Resurrect.
m lib. 4. c. 55.
n in vita Trudonis, 23. Nouemb.
o libr. 3. in Iob.
In vetere Testamento funus quamdiu durarit.
p 8. Const. c. 42.
q Gen. 50. 3.
r supra.
s Deut. 34. 8.
t li. 3 de vita Mosis.
u Nu. 20. 30.
x cap. 22. 13.
y Gen. 29. 27. & Tob. 11. 21.
De funeribus Ethnicorum quid Comestor scribat.
z Gen. 50. 10.
a in Gen. ca. 114.
Reiicitur Comestor.
b in vita.
c orat. de defunctis.

Nihil hîc dico de simulatis apud Ethnicos histrionum, aut mulierum præficarum lacrymis: de quibus Cicero [i], & Plato [k], & Ieremias [l]: aut de tibicinibus, vt est in Euangelio [m], & apud Ouidium [n], & Chrysostomum [o]. Omitto etiã pullam, seu atram vestem, signum mœroris in viuentibus, de qua idem Chrysostomus [p], & Cyprianus [q], & Turonensis [r], & de veteribus Romanis Plutarchus [s]. Denique omnia in funere furua erant, vnde & funus, auctore Festo. Hæc & alia, quæ studio breuitatis tacemus, faciunt ad hunc planctũ magnum, vel propter durationem, vel propter varios in exequiis tunc, & certo pòst tempore adhibitos ritus, necnon in tractandis mortuis corporibus. Præ aliis legi dignus est Silius Italicus [t].

d li. de corona militis. ca. 3. & lib. de monogam. c. 10. & lib. de exhort. cast. cap. 11.
e orat. de obitu fratris.
f Tom. 1. pag. 77. 78. 79.
g in li. 4. pro Cano. Apo. & ep. Põt. 12. & seq. & libr. 8. Constit. c. 42. Clementis.
h in c. 50. Genes. à nu. 6.
i 2. de Legib.
k in Minoe.
l cap. 9.
m Luc. 8. vbi Ambros.
n 4. Fastor.
o suprà.
p Hom 61. in Ioan.
q lib. de Mortalitate.
r 5 Hist c. 14.
s in Quæst. Rom. q. 14.
t li. 15. Punic.

Versus 3.] Saulus autem deuastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.

SAVLVS *autem deuastabat Ecclesiam.*] Factus scilicet audacior post necem Stephani Saulus est, & vel dispergere volebat Ecclesiam, vel facta dispersione perscrutabatur adhuc eos, qui clàm remanserant. Ipsemet prodidit quàm dirè persecutus sit, & deuastarit Ecclesiam [u]. Reuerà *Benjamin lupus rapax*, vt sæpe inculcat Augustinus [x]. Erat namque de hac tribu (de qua & Saul rex [y]) vt testatur ipse [z] natus cum dolore vel Synagogæ, cùm conuersus est, vel, antequàm conuerteretur, Ecclesiæ; ac priùs בן אוני *ben om*, id est, *filius doloris*, quàm בנימין *benjamin*, id est, *filium dextræ*; &, *natu minimus*, quia *minimus Apostolorum*, vt ipse loquitur [a], immò & *Sanctorum* [b], id est, Discipulorum, propter quem, vt ait Hieronymus [c], ex ingenti strage illius tribus [d] quidam seruati sunt, vt hic nimirum Saulus nasceretur. Sed vereor in Hieronymo memoriæ lapsum, dum Benjamitas reseruatos numerat trecentos: liber autem Iudicum sexcentos [e]. Ita quidem prædictionem Iacob [f], in qua vocauit Benjamin lupum rapacem, intellexit Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Ruffinus, Theodoretus, Beda, Rupertus, & iam citatus Augustinus [g], necnon Origenes [h]: de qua re iterum posteà. Vel non viderat Saulus CHRISTVM, absens interim forsitan Ierosolymis, agénsque Tharsi in patria: vel restiterat, vt ceteri multi, diuinæ nondùm adeò efficaci vocationi; nec Gamaliel doctor eius, frangere quiuerat ferociam ipsius: aut ille ipse Gamaliel clàm tectéque colebat CHRISTVM, sicut dictum est [i]. Tametsi verò non esset ex sacerdotali Leuiticóve genere, cuius magis propria est sacrorum & religionis cura; id sibi munus assumpsit, fretus nobilitate, ciuilitate Romana, doctrina, zelo, &c.

Per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.] *Magna insania, & quod ille solus erat*, inquit Chrysostomus, *& quod in domos ingrediebatur, & quod nec mulieribus parcebat. Hanc viam persecutus sum*, inquit ipsemet Paulus [a],

u Act. 22. 3. 4. 5. & ca. 26. 9. 10. 11.
Saulus Benjamin lupus rapax cum Benjamin cõfertur.
x in Serm de S. Stephano. & Ser. 14. de Sanctis.
y 1. Reg 9. 1 2.
z Rom. 11. 1. Phil. 3. 5.
a 1 Cor. 15. 9.
b Eph. 3. 8.
c epist. 27.
d Iudic. 20. 45.
e cap 20. 47.
f Gen. 49.
g omnes in Gen.
h Hom. 4. in Ezech.
i cap. 5.
Sauli persequutio Christianos insania.

a Act. 22. 4.
b Act. 26. 10.

lus [a], *vsque ad mortem alligans, & tradens in custodias viros, ac mulieres*. Et [b]: *Multos Sanctorum ego in carceribus inclusi*. Verùm de hac sæuitia Pauli iterum capite nono.

Versus 4.] Igitur, qui dispersi erant, pertransibant euangelizantes verbum DEI.

Cur hîc de prædicatione verbi fiat mentio.

EVANGELIZANTES *verbum* DEI.] Vltima dictio desideratur in aliquibus Latinis codicibus, & in omnibus Græcis. Syrus tamen interpres eam non omisit, qui sic vertit, ומכרזין מלתא דאלהא *vemachrezin meltha delaha*, id est, *& prædicabant verbum* DEI, quòd si omissa fuisset, non hîc aliud sanè, quàm DEI verbum intelligitur. Hæc verbi euangelizatio, siue prædicatio hîc modò ponitur, ad sternendam viam futuræ narrationi, & ad ostendendum fructum, quem ex illa dispersione DEVS collegit, vt solet praua consilia hominum confundere, & ad gloriæ suæ amplificationem conuertere. Euangelizabant autem hi dispersi Iudæis duntaxat, vt priùs notatum est ex huius ipsius libri capite vndecimo [c]. Meminimus etiam superiùs [d] potissimam istam fuisse causam, cur possessiones suas pretio fideles illi primi distraxerint, vt suo nimirum tempore dispersi liberiùs prædicarent, & si quid facultatum eis superesset, haberent vnde dispersorum posset inopia subleuari.

c vers. 19. *Fideles primi cur possessiones suas distraxerint.*
d cap. 2. 45.

Versus 5.] Philippus autem descendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis CHRISTVM.

PHILIPPVS *autem descendens in ciuitatem Samariæ*.] Is videlicet qui in catalogo Diaconorum post Stephanum numeratur primus [e], diuersus ab Apostolo (etiamsi dubitet Augustinus [f]) Apostoli enim remanserant in Ierusalem, & hic SPIRITVM sanctum Samaritanis conferre non potuit, sed mittendi fuerunt Petrus, & Ioannes [g], vt notat Oecumenius, & alij; etsi, quod ille ait ob metum persecutionis fugisse, non placet: meliùs Glossa hæredem Stephani nominat. Aliquando vocatum Apostolum etiam istum docui, cùm agerem de catalogo Apostolorum [h]. Et ita in hoc proposito appellat eum Tertullianus [i], & Philo Carpathius [k], & Clemens Romanus [l], & Augustinus [m], & Ambrosius [n].

e Act. 6. 5.
f Tract. 6. in Ioan.
Philippus qui in Samaria prædicauit, non fuit Apostolus.
g Act. 8. ver. 14.
Dictus etiam est Apostolus.
h cap. 1. 13.
i li. de Bapt. c. 18.
k in Cantica.
l 6. Const. c. 7.
m 1. de Doct. Christia. in procemio.
n li. 9. in Lucam.
o vers. 15.

Descendens.] Vel secundùm situm loci, vel quia ciuitas Samariæ inferior erat, quàm Ierusalem, nempe dignitate, inquit Glossa interlin. Prior expositio simplicior, & melior. Lege caput septimum [o].

Samaria tum vrbs, tum regio est.

In ciuitatem Samariæ.] Syrus sic legit, למדינתא דשמריא *lamdinetha deschamrin*, id est, *in vrbem Samaritanorum*. Samaria tum prouinciæ nomen est interiacentis inter Iudæam, Galilæamque, quam prouinciam describit Iosephus [p]; tum metropolis in ea prouincia, fuitque regni decem tribuum, siue Israël quondam caput [q]: distans ab Ierusalem sexdecim leucis, in alto monte ædificata, quem alter inferior cingit: posteà Sebaste appellata, in honorem Augusti Cæsaris ab Herode Antipatro, qui euersam ab Hircano restituit, vt refert idem Iosephus [r], dicens duplici muro cinctam fuisse, & octoginta stadiorum ambitum comprehendisse. Nomen habuit ciuitas non post abductos Israëlitas in captiuitatem, à præsidiis Assyriorum ibi relictis, vt sentire videtur Eusebius [s] (qui olim vocatam putat *Eclenias* [t]) sed à Semer domino montis, & agri, quem montem, & agrum ab illo emit Amri rex Israël duobus talentis argenti, vt habet historia Regum [u]. Hoc loco sumitur Samariæ nomen pro ciuitate, vt ex consequentibus satis constat.

p 1. de bello Iud. c. 2.
q Esa. 7. 9.
r 13. Antiq. c. 18. & 17. & li. 15. c. 11. & 1. de bello Iud. c. 16.
Samaria vnde dicta sit.
s 7. Demonstrat. c. 2 circa finem.
t in Chron.
u lib. 3. c. 16. 24.

Prædicabat illis CHRISTVM.] Cessauerat prohibitio [x], *In viam Gentium*, prædicationis videlicet causa, *non abieritis, & in ciuitates Samaritanorum non introeatis*, ac potiùs præceptum illud CHRISTI de reddendo ipsi testimonio in Ierusalem, Iudæa, & Samaria implebatur, de quo egimus capite primo [y], necdum tamen aliis quàm Iudæis, vt capite vndecimo dicitur [z], prædicabatur, quatenus ibi, & nonnunquàm, quando fit comparatio cum Gentilibus, Samaritani inter Iudæos computantur, quorum in multis religionem ac ritus sectabantur. Erat quoque CHRISTI apud Samaritanos recens adhuc memoria, quos CHRISTVS per biduum instituerat, & ad credendum magna ex parte induxerat [a]. Refert Hugo Cardinalis opinionem, quòd hic Philippus missus sit cum Petro ad solutionem pulli, & asinæ [b], quia vterque prædicauit Gentibus, nimirum Eunucho Philippus, & Petrus Cornelio [c]: vel ille Samaritanis, qui Gentiles habentur à Glossa ordinaria in Matthæum [d], vbi meminit eiusdem allegoriæ, ita vt asina designet Samariam. Atque idem docuit Hilarius, & Beda in eundem locum, necnon Magister Historiæ Scholasticæ [e]. Allegoriam dixi, & mysticum sensum, sicut & eorum, qui hos nominant Petrum & Paulum, in quibus est Origenes, & Theophylactus, intelligentes per asinam populum Iudaicum, per pullum Gentilem, cùm certum sit Paulum tunc discipulum CHRISTI non fuisse. Nam quinam illi fuerint, si diuinandum est, minùs aberrauerit fortasse, qui Petro Ioannem, aut fratrem associauerit, aut aliquos ex iis esse dixerit, quorum vt CHRISTVS magis familiaritate, ita opera vtebatur, & ex Apostolis potiùs erant, quàm ex Discipulis. Philippus hic non erat Apostolus, vocatus est autem Euãgelista [f] ob prædicationem, non ob Euangelium, quod falsò eum scripsisse quidam dixerunt: de qua re, ac de differentia ipsius à Philippo Apostolo, dixi capite primo [g]. Missum Samariam ab Apostolis Cyprianus tradit [h].

x Matt. 10. 5.
y vers. 8.
z vers. 19.
Samaritani censebantur Iudæi.
Cur Samaritanis primò Euangelium sit prædicatum.
a Ioan. 4. 40. 41.
b Matt. 21. 2.
An Philippus missus sit cum Petro ad soluendum asinam.
c Act. 10.
d cap. 21.
e in Histor. Euang. c. 117.
Qui fuerint illi ad soluendam asinam missi.
f Act. 21. 8.
g vers. 13.
h epist. 71. ad Iubaianū.

Versus 6.] Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur, vnanimiter audientes, & videntes signa, quæ faciebat.

INTENDEBANT *autem turbæ his*.] Paulò aliter Syrus hæc habet, sic scribens, וכד שמעין הוו מלתה בני נשא דתמן ציתין הוו לה ומתטפיסין הוו לכל דאמר הוא דחזין הוו אתותא דעבד הוא *vecad schamehhin hauu mellethah benai nascha dethamman tsaiethin hauu leh vmethtepisin hauu lecol demar haua dechazen hauu ethuatha debhaber haua*, quod ad verbum est, *Et cùm audientes erant sermonem eius, filij hominis, qui illic erant, attendentes erant ei, & acquiescentes erant omnibus quæ loquens erat, qui videntes erant signa, quæ faciens erat*: vel aliter, *Cúmque audirent sermonem eius homines, qui illic erant, attendebant ei, tum acquiescebant omnibus, quæ dicebat, cùm viderent signa,*

qua ede

A

quæ edebat. Itaque significat hîc Interpres Samaritanos non audiisse tantùm, verùm etiam obediuisse Euangelio. Textus Græcus ita extat, Προσεῖχόν τε οἱ ὄχλοι τοῖς λεγομένοις ὑπὸ τῦ φιλίππυ ὁμοθυμαδὸν, ἐν τῷ ἀκούειν αὐτοὺς, καὶ βλέπειν τὰ σημεῖα, ἃ ἐποίει, quę verba sic expressimus, propter Græcæ linguæ ignaros, *Attendebántque turbæ iis quæ docebantur à Philippo, vnanimiter consentiendo in audiendo ipsos, & videndo signa, quæ faciebat. Ex præsenti capitulo,* inquit Beda, *& ex Samaritanæ mulieris historia*[a], *promptam animo ad credendum hanc gentem fuisse probatur.* Eò verò admiranda magis huiusmodi facilitas, quòd non nesciebant Samaritani concitatam Ierosolymis persecutionem, & cæsum Stephanum: & quoniam, vt videbimus, maximi nominis, ac opinionis apud illos Simon Magus erat. Quanquàm & innatum in Iudæos odium potuit etiam esse in causa, vt libentiùs probarent, quæ improbabant illi, & doctrinam de MESSIA, quem ad se magis pertinere, quam ad illos existimabant, confirmatam præsertim signis, & miraculis, auidiùs reciperent. Sed & illud verum est, *quòd publicani, & meretrices, atque peccatores,* quo in numero apud Iudæos Samaritæ erant, *præcedunt eos Iudæos in regnum* DEI[b]: & inter Gentiles, ad quos propter idololatriam partim spectabant, maior est Euangelij prouentus, quàm inter Iudæos. Videtur Esaias præuidisse conuersionem istam Samaritanorum: cùm enim dixisset de mittendis ad prædicandum Apostolis in capite vndecimo[c], vt exponit Eusebius[d], & alij, subdit[e]: *Idumæa, & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt.* Vbi Septuaginta sic trāstulerunt, καὶ ἐπὶ Μωὰβ πρῶτον τὰς χεῖρας ἐπιβαλοῦσιν· οἱ δ' υἱοὶ Ἀμμὼν πρῶτοι ὑπακούσονται, id est, *Et super Moab primùm mittent manus; filij autem Ammon primi obedient*, addentes de suo, *primùm*, & *primi*, Prophetico quodam SPIRITV. Plinius[f] verò auctor est, & Strabo[g], pertinuisse ad Idumæam Ioppem (vbi Petrus erat, quando missus est ad conuertendum Cornelium[h]) Samariam, Azotum, ac supra Idumæam esse Samariam, atque Iudæam: *& tum Moabitæ, tum Ammonitæ eo tempore,* inquit Leo Castro[i], ad Samariam pertinebant, & ad Idumæam; qui Leo ita etiam exponit Esaiam, iuxta nostram editionem, *Idumæa & Moab præceptum manus eorum:* id est, erit præceptum, & ipsamet norma Euangelica, quam prædicauère Apostoli; erunt tam pij, & tam piè ambulabunt per viam Euangelicam, vt videantur præceptum, norma, & regula manus eorum, id est, SPIRITVS sancti, qui dabatur per manus eorum, scilicet Apostolorum, erunt regula Euangelicæ vitę, vel iuxta Hebræos, ומואב משלוח ידם *vmoab mischloach iadam*, i. *& Moab iniectio manuum eorum*, vel, *immissio*, id est, iniectio manuum Apostolicarum erit super illos Moabitas. *Et filij Ammon obedientes erunt*, obedient Euangelio Ammonitæ. Nec refert quòd de Apostolis expositio tradatur, quoniam in ministerio euangelizandi principes erant: & ad eos, quos Philippus Diaconus conuerterat, mox missi sunt Apostoli. Adde quod ex Cypriano retuli[k], missum fuisse Philippum ab Apostolis.

Samaritanorū ad credendum animi promptitudo.
a Ioan. 4. 5. & seq. per totū.
Vnde venerit, vt illi facilè crederent.
b Matth. 21. 31. 32.
c vers. 11. 12. 13.
d 2. de Demon. c. 41.
Prophetia Esaiæ applicata ad Samaritanos.
e vers. 14.
f lib. 5. c. 13.
g lib. 16.
h Act. 10.
i in c. 11. Esa.
Samaritanorū magna laus.
k epist. 73. ad Iubaian.

B C D E

Signa quæ faciebat.] Et Stephanus, & Philippus signa faciebant, non soli Apostoli, ne quis existimaret pendere virtutem miraculorum ex sanctitate, vel dignitate personarum: videlicet *æmulanda charismata meliora*[l], & *multis Domino in illa die* (scilicet Iudicij) *dicentibus*[m]: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? confitebitur Dominus, quia nunquam noui vos.*

Diaconi etiam miracula fecerunt.
Miracula etiā ab his fiunt qui Sancti non sunt.
l 1. Cor. 12. 31.
m Matt. 7. 22. 23.

Versus 7.] Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Multi autem paralytici, & claudi curati sunt.

MVLTI *enim eorum, qui habebant spiritus immundos.*] Eodem modo Dæmones clamabant, quos eiiciebat CHRISTVS[n], abutentes nimirum corporum obsessorum organis ad formandam vocem, quoniam timore perculsi erant, & dolebant, ac indignabantur se eiici, & supplicum more deprecabantur, ac, vt Marcus ait, etiam procidebant. Cur autem dicantur immundi, exposui capite quinto[o].

Exibant.] Nempe spiritus immundi ab iis qui illos habebant, & in quibus ipsi priùs erant. Potuit clariùs ita reddi, iuxta textum Græcum, *Multorum enim habentium spiritus* (in casu nominatiuo) *immundi clamantes voce magna exibant;* Πολλῶν γὰρ τῶν ἐχόντων πνεύματα ἀκάθαρτα βοῶντα φωνῇ μεγάλῃ ἐξήρχετο: vel sic adhuc clariùs; *Ex multis autem, qui eos habebant, spiritus immundi voce magna clamantes exibant.* Huius sententiæ Græcæ Erasmus vim non assecutus, negauit posse Latinè ad verbum exprimi. Syrus ita interpretatus est, סגיאא גיר דאחדין הוי להון רוחא טמפתא קעין הוו בקלא רמא ונפקין הוו מנהון *sagguiae ger dachiden haui lehun reuche tampathe kablin haun bekala rama, venaphkin haun minnehun*, id est, *Multi enim, quos tenebant spiritus immundi, clamabant alta voce, & exibant ab eis.* Chrysostomus ait, quòd hoc egrediendi signum manifestum erat, signa verò Magorum contrario modo se habebant. Quid velit, nescio, siquidem ex pacto eiiciuntur quoque Dæmones Magorum incantationibus, & in egressu signa dant manifesta.

n Matt. 8. 29. Mar. 1. 21. c. 5. 7. Luc. 4. 41.
Dæmones quomodo clament.
o vers. 16.
Dæmones dant sui exitus signa manifesta.

Multi autem paralytici, & claudi curati sunt.] Lyranus putat, præter eiectionem spirituum immundorum, factam quoque de aliis signis mentionem, ne quis illam eiectionem tribueret Beelzebub principi Dæmoniorum, quoniam huiusmodi signa fieri nequeunt, nisi virtute diuina. Probabilis ratio. Non dubito alios curatos: tamen claudorum, & paralyticorum curatio nominatim expressa est, sicut & superiùs[p], & inferiùs[q]. Fortasse, si de mystica ratione agitur, illa ratio est, quam capite tertio reddidimus[r]; literalis si qua est, illa verisimilis est, quoniam eiusmodi homines membris capti, ita vt se commouere non possint, minùs quodam modo vitalis principij habere videntur, & eorundem propterea curatio illustriùs apparet, excepta mortui suscitatione, de qua etiam idcirco in hoc libro duo exempla narrantur[s]: alterum opera Petri, alterum Pauli, sicut & ex duobus claudis, vno in Ierusalem, altero Lystris: priorem curauit Petrus, posteriorem Paulus.

Cur hîc de aliis signis mentio fiat.
Cur facta sit mentio miraculorum.
p cap. 3. 1.
q c. 9. 33. & c. 14. 8.
r vers. 7.
Cur paralytici sint curati.
s c. 9. 40. c. 20. 12.

Versus 8.] Factum est ergo gaudium magnum in illa ciuitate.

FACTVM *est ergo gaudium magnum.*] Et propter beneficium curationum, & maximè propter lumen Euangelij, & gratiam iustificationis, cuius gaudium est inexplicabile: nec solidum, liquidumque in alio esse, quàm in viro probo potest,

atque rebus honestis, vt docuit etiam Philosophus[a], & post eum S. Thomas[b]. Chrysostomus verò eleganter, & prolixè[c], vbi etiam de vicissitudine in vita nostra tristitiæ ac voluptatis, prosperitatis, & aduersitatis: quemadmodum & hoc loco factum obseruat, & facere DEVM solere tristibus læta miscendo, vt in maiori admiratione sint. De gaudio autem spirituali lege Hieronymum Platum[d], & Franciscum Ariam[e]. Ipsum nomen Euangelij est nomen boni lætique nuncij: & is qui natum CHRISTVM Angelus nunciauit, dixit[f]: *Euangelizo vobis gaudium magnum.* Qui tanti gaudij nullum sensum habet, non æstimat profectò beneficij magnitudinem, nec videtur præditus charitate, qui proximum post eum gaudij fructum non amat.

Versus 9.] **Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in ciuitate Magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum.**

VIR *autem quidam nomine Simon.*] Simon iste ex oppido, seu vico prouinciæ Samariæ Gitthon, vnde & Gitthæus, vel Cithæus, cognominatus est, teste Clemente Romano[g], Iustino[h], Epiphanio[i], Philastrio[k], Eusebio[l], Damasceno[m], Theodoreto[n], Nicephoro[o], Ignatio[p], Cyrillo Ierosolymitano[q], & aliis. In V. Synodo, in supplicatione monachorum ad Iustinianum Imperatorem, vocatur Simon Cretianus, aut, vt est ad marginem, Zoëtrius: & in supplicatione oblata Agapeto Papæ, in textu est Zoëticus, ad marginem Cretianus, & Zoëticus. Patrē habuit Antonium, matrem Rachelem, si Clementi[r] credimus, qui eum asserit Græcis literis apprimè eruditum fuisse, & super omnes superbissimum, addens & alia quibus eum describit. Irenæus[f] Samaritem vocat, omnésque conueniunt in hac re, & satis præ se fert præsens historia.

Qui antè fuerat.] Προϋπῆρχεν, *Praeextiterat.* Syrus sic exposuit, דעמיר הוה לה בה במדינתא זבנא
D
סגיאא *dabhamir hauah leh bah bamdinetha zabna saggiia*, id est, *qui habitauerat in illa vrbe*, vel, *ciuitate multo tempore.*

Magus.] Μαγεύων, *exercens artem magicam,* quod participium coniungendum est cum alio ἐξιστῶν, *stupore replens.* Nomen Magi aliquando honestum, sicut Sophistæ, Mathematici, & similia, pòsteà infame euasit. Significabat initio Magus, vt colligitur ex Proclo[t], & Psello[u], eum qui haberet facultatem, qua res insuitatas, & admirandas ratione quadam occulta, sed naturali, efficeret, applicando singulares nonnullas virtutes, quæ ferè latent ceteros, siue vteretur DEO quasi magistro, siue bonis Angelis, siue proprio exquisitiore studio, atque solertia. Posteà translata est hæc appellatio ad illum, qui mira etiam faceret, sed Dæmonum opera.

De primo genere Magiæ tractant Aristoteles[x], Plinius[y], Proclus[z], Philo[a], Augustinus[b], Albertus[c], Ficinus[d], Cardanus[e], Fracastorius[f], Pererius[g], Martinus Delrius[h], Petrus Tyræus[i], Sirenius[k], Michaël Medina[l], Laurentius Ananias[m], Bartholomæus Sibylla[n], Gregorius de Valentia[o], Franciscus Vallesius[p], & alij. Tales videntur apud Persas fuisse, qui Magi dicebantur, scrutatores nimirum naturæ, vt Philo[q] loquitur, dicens iis familiariter vsos Persicos re-

a 10. Ethic. c. 1. 5. 6.
Verum gaudiū præterquàm in viro probo esse non potest.
b 1. 2. q. 31. a. 4.
c Hom. 63. ad populum.
De gaudio spirituali.
d 3. de bono status Relig. c. 7.
e Tractat. de orat. ment. p. 3. c. 2. & seq.
f Luc. 2. 10.
g 6. Const. c. 7. & 2. Recognit. & in Itinerario.
h Apolog. ad Anton. 2.
i Hæres. 21.
k li. de Hæresibus.
l 2. Hist. c. 12.
m lib. de Hæresibus.
De Simone Mago, vnde fuerit.
n lib. de Hæretic. fabul.
o lib. 2. c. 14.
p ep. ad Trallen.
q catech. 6.
r 2. Recogn.
f lib. 1. c. 20.
t li. de Magia.
u lib. de Dæmonib.
x de admiran. erudit.
y lib. præsertim 2.
z li. de sacrific. & Magia.
a lib. de specialib. legib.
b 21. de Ciui. c. 4. & 5.
c 2. Mineral. tract. 2. c. 1. 11. 17.
d li. 4. Theol. Plato. c. 2.
e libris de subtil.
f lib. de Sympath.
g libris de Magia.
h libris Disquisit. Magic.
Qui olim Magi dicti sint.
Magi nomen primò honorificum, postea infame.
i libris de apparit. spiritu, & de dæmoniacis, & de locis infestis.
k li. 9. de Fato.
l 2. de recta in Deum fide. c. 7.
m lib. de natur. dæmon.
n Decad. 3. pereg. quæst. q. 3. c. 8
o 2. 2. Disp. 6. q. 12. pun. 2.
p lib. de sacra Philosophia. c. 1. & 26.
q lib. quòd probus sit liber. & lib. de special. legib.
Persarū Magi quales fuerint.

A
ges, quod etiam tradit Hieronymus[r], negans fuisse maleficos, sed de singulis philosophatos, atque Chaldæorum philosophos, siue sapientes habitos, ac proinde Saluatoris ortum ex inspectione siderum cognouisse[s]. Talis Philostrati[t] opinione, & Iustini[u], aliisve fuit Apollonius Thyanæus, cuius non sunt opera tamen euersa à DEO, vt ait Iustinus. Sed superstitiosum fuisse conuincit Eusebius[x], & alij. Galenus[y] de se testis est, se habitum esse propter singularem peritiam, secundi generis Magum: necnon Boëtius[z] etiam de seipso idem prodit, & quidam alij de Alberto suspicati sunt, propter librum de Mirabilibus, qui tamen suppositiitius est, & vanitate, ac superstitione refertus. Certum verò est,
B
Salomonem eximium in primo genere fuisse, nisi quòd ea, quæ Iosephus[a] de morbis curatis, & Dæmonibus pulsis per incantationem scribit, falsa sunt, vel ab illo vsurpata, & tradita, quo tempore se idololatriæ & superstitioni immiscuit.

Nil opus est probare dari secundi generis superstitiosam, & dæmoniacam magiam, quam qui negat Petrus Pomponatius[b], meritò ab Antonio Mirandulano[c] censetur nec Philosophus, nec bonus Christianus, cùm mirificos effectus omnes deputat influxionibus cœlorum, à quibus pendeant leges omnes atque religiones. Eadem censura notandi, qui rem totam adscribunt τῇ εὐκρασίᾳ, id est, bonæ complexioni, &, vt vocant, iustitiali: quod ferè faciunt nonnulli Medici, vt
C
Gentilis Fulginas, Forliuius, Garbus, & interdum Petrus Aponensis, atque Cardanus. Nam quædam fiunt ab hisce Magis planè repugnantia naturæ, vt cùm ligneæ statuæ loquuntur, & progrediuntur. Solent isti, vt huiusmodi res faciant, certas vestes induere, describere figuras, ducere lineas, voces, ac verba proferre, in quibus nulla naturalis inesse vis potest: eadem quoque & per alios planè rudes operantur: exigunt patratores talium operum, impuri spiritus adorationem: contrà verò homines Magi illis imperant, & comminantur, videlicet propter societatem, pactúmve cum Dæmone superiore, aut certè per quandam simulationem. Denique potestas exorcistarum, vel sanctitas seruorum DEI frangit, & impedit hos conatus: & ex Apostolis Petrus cum Paulo Simonem hunc strauit, rursúmque Paulus alios Ephesinos[d], & Elymam Magum[e], Iacobus Maior Philetum, & Hermogenem, Ioannes Apollonium & Cynopem, aliíque alios, vt eorum gesta testantur: quippe *cùm iam vir fortior adueniens, fortem illum vicerit, & vasa eius vniuersa diripuerit*[f], *& principem mundi huius eiecerit foras*[g]: vt notant Patres contra Gentiles, & Iudæos. Lege Augustinum[h].

Seducens gentem Samariæ.] Ἐξιστῶν, *extra se ponens.* Syrus autem sic explicauit, ובחרשוהי מתעא
E
הוו לעמא *vbbecharaschauhi mathbhi hauu lehhamma*, id est, *& magicis suis præstigiis seducens erat populum*, vel, *qui magicis suis artibus seduxerat populum.* Idem verbum Græcum est in 11. versu, vbi Syrus habet, *obstupefacere*, quod Interpres noster, *dementare*, ait. Et propriè ἐξιστᾶν, est *de statu deiicere*, nimirum *mentis, & rationis*, iuxta subiectam materiam. Ἐξιστῶν, inquit Beda, *significat, in extasim, id est, mentis excessum, siue stuporem, & admirationem conuertens, per ostenta videlicet præstigiarum suarum.* De præstigiis Simonis citati superiùs Patres multa, etsi de posteriore eius tempore, quo laruam Christianam exuerat.

r in c. 2. Daniel.
s Matt. 2. 2.
t in vita Apollonij.
u q. 24. ad orthod.
x contra Hieroclem.
y 2. de differen. febr. c. 7. 10. de simpl. medic. facu.
z 1. de Consolat. prosa 4.
a 8. Antiq. c. 2.
b li. de Incāt.
Petrus Pomponatius magiam superstitiosam negans arguitur.
c li. 6. de singul. certam.
Medicorū quorundam error de magia falsa.
Magi quibus adminiculis vtantur.
Magi à viris sanctis vincuntur.
d Act. 19. 13. & seq.
e Act. 13. 8. & seq.
f Luc. 11. 22.
g Ioan. 12. 31.
h 18. de Ciu. c. 18.
Verbū ἐξιστᾶν quid sit propriè.

Sed

Sed præter illos multa perstrinxit Anastasius Nicenus[a], & ex prioribus Clemens Romanus suprà citatus, & insuper Glycas[b]. Neque tamen omnia, quæ de Simone produntur, præstigiæ meræ fuerunt, & imposturæ, vt Baronio placuit[c]. Sunt enim in iis multa, quæ naturaliter fieri potuerunt ab homine per se, aut per doctrinam alterius, vt Dæmonis, instructo.

a quæst. 21. in Script.
b part. 2. Annalium.
c Tom. 1. Anna. anno 68.

Magni nomen quid significet.

Dicens se esse aliquem magnum.] Syriacè, *dicebat, Ego sum magnus ille.* Magni nomen cùm in Scriptura tribuitur alicui, significat vel nobilem, vel fama celebrem, vel honoratum, vel sapientem, vel diuitem, vt exemplis docet Pineda noster[d], pluresque vocis eiusdem notiones tradit item ex nostris Martinus de Roa[e], nosque iam nónihil egimus c. 2.[f] Constat DEO κατ' ἐξοχὴν conuenire, vt dicatur *magnus*, immò, *maximus*, apud profanos æquè sacrosque Auctores. Inde qui DEO propiores auctoritate sunt, magnates Latinè vocamus, Græcè μεγιστᾶνες, quasi *maximates*, etsi Latini quoque Suetonius & Tacitus *megistanes* vsurpauerunt. Tales etiam quos appellāt Hispani *los grandes*, secundos à Rege. Quàm magnificè Simon de se & sentiret, & prædicaret, scribunt citati Auctores, ac insuper Hieronymus[g] qui refert eum dixisse: *Ego sum sermo* DEI, *ego sum Speciosus, ego Paracletus, ego omnipotens, ego omnia* DEI. Glossa interlinearis exponit vocasse se *magnum*, vel *Prophetam*, vel *Angelum*, DEI*ve filium*, Lyranus aut *Prophetam*, aut CHRISTVM, quoniam Samaritani sicut Iudæi expectabant MESSIAM, vt apparet ex illa muliere quæ dicebat: *Scio quia* MESSIAS *venit*[h]. Suiipsius prædicatio, & laudatio, atque honoris ambitio, indicium malæ sectæ, & vitæ, & ferè semper in Magis, & Hæreticis reperitur. Simoné gloriosum videri voluisse Irenæus[i] ait, & alij passim, qui de illo scribunt. Augustinus[k] autem hæreticum definit, *qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatúsque gratia falsas, ac nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur.* Idemque ait Hieronymus[l]. Potest idem longa inductione in aliis ostendi, quā facit Feuardentius in Esther[m]: & è contrario quantoperè modestiæ, & humilitati studuerint, eamque præ se tulerint Euangelici Doctores: è quibus Paulus, exempli causa, *minimum se Apostolorum, eóque nomine indignum*[n], *& minimum Sanctorum*[o] *vocat*, hoc est, Discipulorum, siue fidelium. Existimo eas Simonem de se appellationes vsurpasse, Paracleti, & Sermonis DEI, siue Verbi, quæ designant personas TRINITATIS, post apostasiam à Christianismo. Est namque S. TRINITATIS *mysterium Christianorum, & religionis nostræ maximè proprium dogma*, vt loquitur Basilius[p], *per quod distinguimur à Gentilibus, & Iudæis: cùm hi vnicum* DEVM *agnoscant in persona vnica; illi plures deos in naturis ac personis.* Inde est, quòd à Patribus appellatur Simon *primus Hæresiarcharum*: ab Ignatio[q], *primogenitus Satanæ*: & Dionysius[*] ab hoc editos libros scribit, qui sint appellati contradictorij aduersùs fidem CHRISTI. Cyrillus Ierosolymitanus[t] planè indicat hanc meam sententiam, quòd se Simon Verbum diuinum nominauerit, & proinde ipsum omnis hæreseos auctorem vocat, & conditorem. Illud quoque Theodoretus[f] & Irenæus[t] tradunt.

d in c. 1. Iob. vers. 3. n. 17. & seq.
e 1. singularium c. 16.
f vers. 20.

Simon Magus quàm magnificè de se senserit & dixerit.
g in cap. 24. Matth.

h Ioan. 4. 25.
Suiipsius prædicatio mala fidei signum est.
i lib. 1. c. 20.
Hæreticus quis.
k lib. de vtili. creden. c. 1. & 1. con. epist. Parmen. c. 3. refertur cap. hæreticus est. 24 q. 3.
Euangelici Doctores humilitatem professi.
l in Abdiam.
m cap. 6.
n 1. Cor. 15. 9.
o Eph. 3. 8.

S. Trinitatis mysterium est nostræ religionis propriū dogma.
p 2. con. Eunomium.

Simō hæresiarcharū primus.
q ep. ad Trallian.
* c. 6. de Diuin. nom.
t Catech. 6.

f lib. 1 de fab. hæret.
t lib. 1. c. 20.

Versus 10.] Cui auscultabant omnes à minimo vsque ad maximum, dicētes: Hic est virtus DEI, quæ vocatur magna.

A CVI *auscultabant omnes à minimo vsque ad maximum.*] Græcè, ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου, *à paruo vsque ad magnum.* Syriacè habetur, רורבא ודקרקא *raurabe vedakdake*, id est, *magni & tenues*, vel, *tam proceres, quàm tenues.* Aliquando positiua habent vim superlatiuorum, præsertim apud Hebræos, qui carent superlatiuis & comparatiuis. Sic Matthæus *mandatum magnum vocat*[u]; & paulò pòst[x], *maximum ac primum.* Extremi medios quoque comprehendunt, vt aliàs admonui[y]. Sæpe etiam paruitas & magnitudo accommodatur ad diuitias: prætereà paruus aut paruulus aliquando ponitur pro stulto, ac imperito, vt apud Iob[z]; aut pro imbelli, & imbecilli[a]. Itaque omnis conditionis,
B statúsque homines hoc loco intelliguntur, præsertim docti, indoctíque, inopes ac diuites, priuati & Magistratus. Huc spectant quæ paulò antè de vocabulo magni diximus.

Positiua habent vim superlatiuorum.
u cap. 22. 36.
x vers. 38.
y cap. 1. 21.
z cap. 5. 2.
a cap. 9. 21. & Psal. 61. 8.

Hæc est virtus DEI, *quæ vocatur magna.*] Οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ ΘΕΟΥ ἡ μεγάλη, *hic est* DEI *virtus magna.* Quare abundant, nec redundant tamen, duæ dictiones, *quæ vocatur*, immò quidam codices Græci habēt, ἡ καλουμένη μεγάλη, vt Bibliopola Parisiensis in Græco suo Testamento habet. Glossa interlin. exponit virtutem hanc DEI magnam de CHRISTO: etsi ignorabant CHRISTI nomen. Sed non ignorabant Samaritani, quod mulier illa Samaritana scire se profitebatur, dicens[b]: *Scio quia*
C MESSIAS *venit.* Quòd autem CHRISTVS sit virtus DEI magna, rectè confirmat Lyranus ex verbis Apostoli[c]: *Prædicamus* CHRISTVM DEI *virtutem.* Augustinus[d] ait, *haberi voluisse* CHRISTVM *& Iouem*: Tertullianus[e], *summam virtutem*, id est, summum DEVM: Theodoretus[f], *infinitam potentiam*: Irenæus[g], *Sublimissimam virtutem*: Clemens Romanus[h], *excelsam virtutem supra creatorem* DEVM: *& primam virtutem*; licèt loqui videantur de illo postquàm apostatauit.

b Ioan. 4. 25.
c 1. Cor. 1. 24.
d lib. de Hær. cap. 1. Tom. 6. initio.
e lib. de Præscript. c. 46.
f 1. de fabul. Hær.
g lib. 1. c. 20.
h 2. Recogni.

Versus 11.] Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos.

D ATTENDEBANT *autem eum.*] Neque tamen anteà de isto vlla alia mentio est: & nō constat an CHRISTI tempore floreret. De alio Simone item Mago Iosephus[i] meminit, qui post CHRISTI Ascensionem aliquot annis fuit amicus Claudij Fælicis Iudææ procuratoris, ac, vt pariter ipse loquitur, pro magno se gerebat: sed genere Cyprius erat, religione Iudæus.

i 20. Antiq. c. 5. vel 9.

Magus suis.] Ita meliùs emendata Biblia, quàm *Magicis*, prout anteà legebant alij codices. Græcè enim est, ταῖς μαγείαις, & Syrus vertit, בחרשוהי *becharaschauhi*, id est, *præstigiis suis*, seu *incātationibus.*

Dementasset eos.] De verbo Græco ἐξεστακέναι,
E dictum est, versu nono. Chrysostomus censet, hanc esse in Ecclesia illa nouella nouam, & grauem tentationem. Et meritò sanè: atque obseruare licet, sicut Mosi Magi sese opposuerunt in Ægypto[k], & in deserto Balaam[l], ita nunc Apostolis Simonem istum, aliosque, de quibus dixi iam citato loco. Oecumenius infert magna quadam prouisione animi fugiendos Magos, quoniam stuporem mentis adducant, ne possit quis intelligere ad diiudicandum. Armantur sacræ, ciuilésque in Magos leges[m] præter Scripturam sacram[n], quæ etiam acriter in Ochozia[o], & Manasse[p] artium istarum vsurpationem reprehendit, ex quibus ille propterea mortuus est, & ob istud peccatum

Magna hæc fuit in Ecclesia tentatio.
k Exod. 7. 11. 2. Tim. 3. 8.
l Num. 22. 5. & seq.
m C. de malef. & Mathemat. & extra. de maled. & malef.
n Leui. 19. 31. c. 20. 6. Deut. 18. 10 11. Exo. 22. 18.
Artes magicæ quàm sint detestabiles.
o 4. Reg. 1. 3 6.
p 2. Paral. 33 6.

gentes illæ regnis suis priuatæ sunt, quæ Hebræi occupauerunt, & posteà Hebræi eadem de causa in Babylonem captiui abducti sunt. Lege insuper Martinum Delrium [a], & Petrum Gregorium [b]. Et quidem Magi quocumque nomine vocentur, aut venefici, aut malefici, aut incantatores, aut arioli, aut circulatores, aut diuini, aut Mathematici, aut Chaldæi, aut Astrologi, aut Sophistæ, aut Coniectores, aut Sagæ, aut Striges, aut Lamiæ, faciunt iniuriam DEO, & Sanctis, Ecclesiæ, humanoque generi, & rebus animatis, ac inanimatis, quatenus iniuriæ sunt capaces. Etenim DEO, & Sanctis maledicunt, & blasphemant, cum DEI, & Ecclesiæ hoste diabolo societatem ineunt, hominibus, & aliis creaturis abutuntur, & exitium parant. Non plura congeram, contentus exaggerata Philonis [c] sententia, zelum Mosis [d] maximoperè commendantis, *quòd maleficis ne diem quidem viuere permittat: sed & si carnifex desit, velit vt ipsemet populus iudex sit in illos & vindex, manus tali supplicio non contaminaturus, sed vt alter Phinees,* DEO *sanctificaturus* [e].

a li.5. Disquisit. Magica, sect.16.
b lib.34. Syntag.
Magi quocumque nomine cēseantur, Deo faciunt iniuriam.
c lib. de speciali legibus.
d Exo. 22. 18.
e Num. 25. 7. & Ps. 105. 30. 1. Macha. 2. 26.

Versus 12.] Cùm verò credidissent Philippo euangelizanti de regno DEI, in nomine IESV CHRISTI baptizabantur viri, ac mulieres.

CVM *verò credidissent Philippo euangelizanti.*] Syrus sic legit, דמסבר הוא מלכותא דאלהא בשמה דמרא ישוע משיחא עמדין הוו *damsaber hava malkutha dalaha baschmeh demora Iesuahh meschicha hhamedin hauu,* id est, *Qui euangelizans erat regnum* DEI *in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI *baptizantes erant*, vel, *euangelizanti regnum* DEI *in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI *baptizabantur, &c.* Græcè, εὐαγγελιζομένῳ τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ ΘΕΟΥ, καὶ τοῦ ὀνόματος ἸΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ, id est, *euangelizante ea quæ sunt de regno* DEI, *& de nomine* IESV CHRISTI. Lyranus putat verba illa, *in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI, continere formam Baptismi eo tempore adhiberi solitam, prout in capite secundo [f] docuimus: sed præterquàm quòd alij codices, & Bibliorum Regiorum atque Complutensium, non habent *in nomine, &c.* sed (*de regno* DEI, *& nomine* IESV CHRISTI) quam lectionem Caietanus præfert, & cui lectioni fauet omninò textus Græcus, retinendo, vt par est, editionem emendatam; si comma ponatur ante verbum *baptizabantur*, sensus erit, quòd crediderunt *euangelizanti de regno* DEI *in nomine* IESV CHRISTI, id est, de beatitudine, & necessariis ad illam, quæ nomine, iussuq; CHRISTI tradebantur, aut quæ à CHRISTO & CHRISTI virtute pendebant.

Euangelizare in nomine Iesu Christi quid sit.
f vers.38.

Versus 13.] Tunc Simon & ipse credidit: & cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

TVNC *Simon & ipse credidit.*] Emphasis illarum dictionum, *& ipse*, suadet credidisse Simonem ex animo, & non fictè: sicut & interpretatio Syra quæ talis est, ואף הו סימון הימן הוה *veaph hau Simun haimen haua,* id est, *& ipse etiam Simon credens erat,* vel, *quin & ipse Simon credebat.* Caietanus nil definit, tantùm dicit suspectam videri eius fidem. Beda, & Glossa ordinaria, & Lyranus dubi-

Simon verius credidit.

A tant, inclinant tamen in fictionem. Eidem huic parti fauent Chrysostomus, & Oecumenius dicentes, *eo modo baptizatum, quo Iudam Apostolum electum:* hunc autem, vt capite primo vidimus, semper malum fuisse Chrysostomus sensit, & Oecumenius dicit quòd fuit ὑποκρινόμενος τὸν ἀπόστολον, μάγος ὑπάρχων, id est, *se sub nomine Apostolorum venditans, cùm esset magus.* Chrysostomus alibi [g] iterum hunc Simonem comparat cum Iuda ad Eucharistiam accedente. Et rursum [h] ait *baptizatum, sed non illustratum, eo modo, qui Hæreticis contingit.* Hugo præterea, Carthusianus, Gagneius, & alij eòdem propendent. Magister Scholasticæ Historiæ [i] asseueranter dicit *simulasse fidem*. Cyrillus

g Hom.18. ad popul.
h in orat. in id Iod.1. *In principio erat verbum.* Tom.3.
Qui tamen omnes non modo dubie afferunt.
i in Hist. Act. cap.41.

B Ierosolymitanus [k], *hypocritam & ostentatorem, qui deuotionem simulet, non ex corde credat, docet habere Simonis Magi hypocrisim, & accedere, non vt gratiæ particeps fit, sed vt perscrutetur, anxièque speculetur id quod datur.* Et alibi scribit [l] hoc modo: *Accesserat aliquando Simon Magus ad hoc lauacrum: baptizatus est, sed non illuminatus: & corpus quidem lauit aqua, cor autem non illustrauit* SPIRITV: *descendit quidem corpus, & ascendit; anima verò si non est consepulta* CHRISTO, *neque cum illo resurrexit.* Eusebius [m] scribit, *quòd ille se callidè in* CHRISTI *religionem insinuauit, & vsque eò fidem in* CHRISTVM *veteratoriè simulauit, quoad Baptismatis lauacro tinctus est: idémque fieri suo tempore ab his qui Simonis sectam sequuntur.* Eadem ferè sunt

k Catech.1.
l in Procatech. seu in Præfa.
m 2. Hist. c.1.

C apud Nicephorum [n]. Ambrosius [o] negat puram conscientiam habuisse, & ex fide credidisse, sed dolum cogitasse. Consentit Hieronymus [p], qui inter alia scribit exponens verba illa Psalmi [q]: *Probaui te apud aquam contradictionis,* accommodatè ad Simonem: *Simon probatus est ad aquam contradictionis, quia in hypocrisi accepit Baptismum.* Irenæus [r] idem apertè de Simone tradit, & Theodoretus [s], & S. Antoninus [t], & Vrbanus II. [u] qui ait, *quòd fictè ad Baptismum accessit*, & Gregorius [x], & Augustinus. Hic doctissimus Pater docet [y], *quòd in Ecclesiam Simon vt coruus ingressus est, quærens quæ sua sunt, non quæ* IESV CHRISTI [z], *in Christianis potentiam magis amans, quàm iustitiam,* & [a] *quòd nihil profuit*

Simoniani fidē ad Baptismum simulant.
n 2. Hist. c.4.
o 2. de pœni. c.4. & 5.
p li.4. in c.16. Ezech. & in c.1. ep. ad Gal.
q Psal. 80.8.
r lib.1. c.20.
s in Cant. Dilectus meus candidus, &c. c.5. 10.
t 1. p. Histor. 6. c.1. §.4.
u 1. q.1. c. Salvator.

D *illi visibilis Baptismus, cui sanctificatio inuisibilis defuit:* & *quòd mortuus erat Simon à Philippo in Samaria baptizatus, sed viuebat ad eius pœnam Baptisma* [b] *quod habebat:* & *quòd Sacramentum accepit* [c], *sed non operationem* SPIRITVS, *quæ est in iustis.* Arator eadem corui similitudine, qua sanctus Augustinus, vtens ita canit [d]:

x in Psal. 4. Pœnit. super ea, Simulatus habet malum nam me introducit.
Baptismus non profuit Simoni.
y Tract. 6. in Ioan. & in expos. Ps.130.
z Phil. 2. 21.
a q.4. in Leuit.
b 2. cōtra lit. Petil. c.7. & 102.
c lib.1. de Bapt. c.14.
d li.1. in Act. Apost.

——*Non ergo saluti*
Sufficit vnda lauans, nisi sit sine felle columba
Qui generatur aquis: Simon hic Baptismatis vndam
Contigerat, sed coruus erat sua lucra requirens, &c.

Et paulò superiùs:

Fonte quidem lotus, sed non in pectore mundus
Hic fuerat Simon ille Magus, quem prodidit orbi
Pœna sequens nescisse fidem.

E Mitto alios, qui idem vtcumque innuunt, in quibus est Isidorus Pelusiota [e]. Hi, quos citauimus cum Beda, Glossa interlineari, & ordinaria, cum Lyrano, Hugone, Carthusiano, Caietano, qui dubitant, debent sufficere, ad probabilitatem istius opinionis, cuius contraria nullos habet apertos assertores. Neque adeò nobis illa necessaria est ad conuincendos Caluinistas, qui asserunt solùm electorum esse veram fidem, nec semel habitam amitti posse, quod tamen argumentum valdè vrget Stapletonus in Antidotis ad hunc locum, & Turrianus noster in explanationibus Clementis Romani [f]. Quæcumque hi afferunt,

e li.1. ep.13.
Non est necesse nimium afferere, verè eum credidisse, vt probemus contra Calvinistas fidem amitti posse.
f lib.6. c.7.

non aliud

non aliud probant, quàm externam fidei professionem, & quæ Clemẽs adiungit, fictum ieiuniũ, & orationem; & quod proinde potuerit dici, vt Tertullianus loquitur [a], *ex Christianis seu ex Euangelio primus hæreticus, atque etiam fidelis, & Christianus* [b] *: ita vt patientia* CHRISTI *magna traxerit eum ad Euangelium vsque*, & prætereà tanquàm subiectus foro externo Ecclesiastico, potuerit excommunicari, vt supponitur in Canonibus Apostolorum [c]. Denique emphasis Lucæ in illis verbis: *Et ipse credidit*, non arguit veram fidem, sed victum magnitudine signorum Simonem, & incensum desiderio similia patrandi, eò adductum, vt ex semideo, seu mediofidio, & summi nominis viro, fieri se Condiscipulum aliorum passus sit, ne apud omnes, qui se deserto, adiungebantur Philippo, despectus esset, vt notat Glossa interlinearis. Nec iuuat alteram opinionem Clemens inducens Petrum ita loquentem cum sacrilego mercatore SPIRITVS sancti, *Non est tibi pars in sermone hoc, neque sors in fide hac*: fides enim significare potest tum solam externam, tum etiam complecti ipsam Christianam religionem, quæ in fide fundatur, & in eius extrinseca doctrina atque professione: prẹterquàm quòd Lucas non recitat Petrum de fide mẽtionem fecisse; quin & verbis illis indicat Petrus nunquàm ex animo credidisse, ideóque non esse, nec fuisse sortem illi in fide, nimirum interna. Idem dico factum esse, cùm paulò pòst Simon precatus memoratur Apostolos, vt mala, quæ erãt comminati, à se deprecarẽtur: non enim hoc ex diuina spe proficiscebatur, sed ex seruili quodã timore, sicut cùm Pharao petebat ab Aaron, & Moyse, vt orarent Dominum, vt auferret ranas, & muscas, & tonitrua, & locustas, confitens quoque se peccasse [d], denique fictas preces fuisse, Oecumenius docet, ac alij, vt videbimus. Fateor conuinci fuismet verbis Caluinum à Stapletono, vt cogatur fateri Simonem reuerà credidisse, & ab ea tamen fide recessisse. Sed quòd fidem tantùm simulauerit, longè credibilius est, quod non soli Simonis deinde Discipuli, vt vidimus, sed alij prætereà veteres Hæretici factitarunt, Elcesaitæ, de quibus ex Origene Eusebius [e], Priscillianistæ apud Augustinum [f], Bogomiles teste Zonara [g], quos refellimus disputatione de Fide, idémque docuisse Mahometum in Alcorano certum est [h], & de Anabaptistis clãculariis proditum est à Friderico Staphylo [i], & de Lutheranis à Caluino [k], & Augustinus [l] ad Consentium docet, non esse licitum ad conuertendos Hæreticos, simulare ipsorum hæresim. Irenæus [m] prætereà, Origenes [n], Tertullianus [o], Cyprianus [p], & alij, omnem communicationem earum rerum Christianis prohibent, quæ quoquo modo spectant ad ritus religionis Gentilium, quod æquè locum habere debet in Hæreticis. Vt non sit mirum, si huiusmodi doctrina, & athei Machiauelli hodiè imbuti aliqui, religione vera, falsáque abutantur ad propria emolumenta, & ad rationem status, quam vocant, trahant; nec ex Hæreticis veris Catholici ficti fieri vereantur: aut se veros putent Catholicos esse posse, si se pro hæreticis gerant, vt tempori inseruiant. Comparari possunt isti, & Simon, cum illo, qui cùm CHRISTVM simulato, aut ad lucrum hiante animo sequi vellet, ei ille dixit [q]: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Ita de illo scriba sentit Chrysostomus [r], Ambrosius [s], Augustinus [t]. Rari omninò ex Magorum genere homines con-

a de Præsc.c. 46.
b li. de idolo. c.9.
c can. 10. vel 18.
Non probatur ex Scriptura credidisse.
Fides hic quid significet.
Simon etiam precatur, vt Apostoli pro se precarentur, ad simulatè fuit.
d Exo.8.8.28. ca.9.28.ca 10. 16.17.
Caluinus fatetur Simonem credidisse, & à fide recessisse.
e 6. Hist.c.38.
f de Hæres.c. 70. tom.6. initio.
Fidem verbo negare non licet.
g in Alexio Imperat.
h c.26.
i p.3. Theol. Luth.
k lib.cont. illos.
Nihil habere cõmune Christiani debent cum hæreticis.
l lib.de menda. & contra mendacium.
Contra Machiauellistas, qui cũ hæretici se fingunt hæreticis, cum Catholicis Catholicos.
m lib.1.cont. Valent.cap.1.
n lib.8.contr. Celsum.
o lib.de idol.
p Ser.de lapl.
q Matt.8.20. Luc.9.58.
r homi.47.in Matth.
s 2.de pœn.c. 5. & Ser.79.
t Ser.7.de verb. Dom.lib 14. Euang.q.6.li. de sancta virgine. cap.31.

A uertuntur: de vno Cypriano martyre constat, quẽ Nazianzenus [u] (sed cum Carthaginensi Episcopo non bene confundit) refert ab Anthimo Episcopo hac lege admissum, vt magicos priùs libros inflammaret. Augustinus [x] quoque scribit, cuiusdam suo tempore magi Christiani dilatam absolutionem, quia solet ea ars fallax esse, eandémque conditionẽ subire coactum libros exurendi. Gregorius [y] narrat Basilium quendam eius artis hominem ab Equitio inter Monachos receptum importunis precibus Episcopi Amiterni, pòst ad vomitum fuisse reuersum, tãdémque Romæ concrematum. Imitantur Simonem, qui habitum clericalem induunt, aut religiosum, vt per eum ad

B honores, & beneficia sibi viam patefaciant.

Adhærebat Philippo.] *Corpore, non corde*, inquit Glossa interlinearis, &, vt ait Magister Historiæ Scholasticæ [z], & Lyranus, *Philippo in familiaritatem se insinuabat, vt consequi posset artem miracula faciendi.* Carthusianus idem arbitratur, monétque, quòd ad id facit, quod de ficta Simonis conuersione anteà diximus ex Hieronymo, Scripturæ morem esse, rem gestam narrare eo modo, quo cùm fieret, ab omnibus fieri putabatur.

Videns etiam signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.] Hæc est causa, cur adhæreret Philippo, fieri enim videbat plura & maiora, ac quidem vera, quàm quæ ipse ficta adhuc fecis-

C set. Virtutes quid significent, quæ vocantur Græcè *δυνάμεις*, exposui alio loco [a]. Caietanus interpretatur *potentias*, hoc est, *efficientias potentiarum super Dæmones, qui expellebantur, & in modis faciendi, putà, sola inuocatione nominis* IESV, *statim sanando claudos, & huiusmodi: hæc enim propriè manifestare potentias.* Pro extremis illis dictionibus, *stupens admirabatur*, est iam tertiò Græcum verbum ἐξίστατο, de quo in versu 9. & 11. Ex eo autem stupore Caietanus infert probabile esse, fictam Simonis conuersionem fuisse.

Versus 14.] Cùm autem audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quòd recepis-

D set Samaria verbum DEI, miserunt ad eos Petrum & Ioannem.

CVM *autem audissent Apostoli.*] Philippus ipse tanquàm religionis Christianæ Antistitibus scripsisse videtur Apostolis de progressibus, quos fecerat in Samaria Christiana religio, simul etiam eos tam læto nuncio exhilarans, quoniam Samaria caput quondam Israëlitici regni, & nobilissima post Ierusalẽ ciuitas erat. Inde verò Glossa interlinearis rectè infert superiùs Samariæ nomine intelligi nõ prouinciam, sed ciuitatem. Et nouum

E mirumque videri poterat tam citò ad fidem eos accessisse, quibus adhuc per CHRISTVM non licuerat prædicare [b], & simul eos inuitans vt Baptismo tinctis SPIRITVM sanctum visibili, externóque signo, seu linguarum dono conferre dignarentur, manus imponendo, quod solis licet Episcopis. Perutilis est literarum communicatio, quibus produntur per sodales sodalibus toto dispersis orbe, quæ vbiuis piè, vtilitérque gerantur ad diuini amplificationem honoris, ad vtilitatem proximorum, ad sodalitatis ipsius vel incrementum, vel famam, vt quò communiores, hoc DEO maiores gratiæ habeantur: vt rectè factorũ exempla, documentáque sumantur, vt ad posteros priscarum extet memoria rerum. Factitat id Socie-

Rari ex Magorum genere conuertuntur ad Christum.
u orat.in eius laudem.
x in Psal.61.
y 1. Dial.c.4.
Cur Simon Philippo adhæserit.
z in Hist.Act. cap.41.
a cap.2.22.
Nomine virtutis quid Caietanus intelligat.
Philippus scripsit ad Apostolos conuersionem Samaritanorum.
b Matth.10.5.
Literarum communicatio est perutilis.

Societatis nostræ institutum de mittē lis annuis literis, vnde sit sumptum.
a lib.5.c.1.2.3.

tas nostra annuis illis prouinciarum omnium epistolis, exemplo veterum Christianorum, præsertim Lugdunensium, & Viennensium, de quibus Eusebius [a]. Lege quæ de vtilitate scriptionis epistolaris dixi in præfatione ad epistolam Ioannis primam.

Apostoli nō mittunt Petrum vt superiores, sed vt inferiores.

Miserunt ad eos Petrum, & Ioannem.] *Cùm audis, miserunt, non propterea*, inquit Caietanus, *Petri principatum neges. Nam si minor simpliciter, & absolutè est, qui mittitur, etiam impar inuenitur aliis Apostolis. Mittunt ergo non imperio, sed fraterna charitate, ac impulsione: vt multi fratres mittunt quādoque maiorem, & Capitulares mittunt Episcopum quandoque ad Papam, vel Cæsarem.* Carthusianus à contrario argumentum colligit in Arrianos: *Si alij Apostoli*, inquit, *miserunt hos duos principales Apostolos, cur Arrius finxit vnigenitum* DEI FILIVM PATRE *esse minorem, quia à* PATRE *est missus?* Idem dici potest de SPIRITVS sancti missione à PATRE & FILIO; quæ missiones nec sunt ab imperio, quasi à maiore, neque à consilio, veluti à sapientiore, denique non ab habente maiorem auctoritatem, quomodo CHRISTVS dixit, quòd *Apostolus non est maior eo, qui misit illum* [b], sed proficiscuntur à communi, & concordi voluntate, cum connotatione originis, siue dependentiæ: de qua re Scholastici [c], & S. Thomas [d], ex Augustini doctrina [e]. Baronius [f] illustrat exemplis huiusmodi missionis modum, filiorum Israël, qui miserunt Phineen, qui habebatur omnium princeps, & decem alios, qui in singulis tribubus primatum gerebāt ad inuestigādum de altari, quod trans Iordanem erexerant filij Ruben, & Gad, & media Tribus Manasses in terra Galaad [g]: fidelium Antiochiæ, qui Paulum & Barnabam miserunt Ierosolymam ad consulendum Apostolos [h]: Iudæorum, qui aduersùs Agrippam regem, & Festum præsidem destinarunt Romam ad Neronem ex primoribus decem legatos, & cum eis Ismaëlem summum Pontificem, & qui huic secundus ordine erat Chelciam custodem sacri ærarij [i]. Adde ab Herode missos Magos in Bethlehem, vt [k] *interrogarent diligenter de puero* CHRISTO, in quos tamen Herodes imperium nullum exercebat. Adde etiam Paulum collectam deferentem Macedoniæ & Achaiæ ad alios [l], ac suam quoque operam offerentem sponte [m]. Denique charitas fuit, & humilitas in Petro, poterátq; si vellet, eiusmodi missionē detrectare.

Filius minor nō est Patre, quia missus ab eo est.
Spiritus sanctus non est minor Patre & Filio, qui ab vtroque missus est.
b Ioan. 13.16.
c 1. sent. d. 15.
d 1.p.q.43.ar.8.
e 2. de Trin. cap. 5.
f Tom. 1. Ann.
Exempla quæ monstrant eos qui mittuntur esse principes eorum qui mittūt.
g Ios. 22.13. & seq.
h Act. 15.2.
i Ios. 20. An. c. 7.
k Mat. 2.8.
Apostoli etiam aliàs missi sunt, quamuis maiores essent.
l Rom. 15.25.26.
m 1. Cor. 16.2.

Petrus cur præ aliis mitti debuit.

Petrum, & Ioannem.] Petro potissimùm delata est huiusmodi cura, tanquàm principi Apostolorum, cuius auctoritate res tanta probari debuit, Samaritanorum videlicet ad Ecclesiam aggregatio, quos Iudæi peiùs oderant quàm Gentiles, quorum Gentilium iniquo animo ferebant in Ecclesia eādem cum ipsis associationē, debuit etiam SPIRITVS sancti in eosdem collatione, quæ est propria Episcoporum, res tam noua, & difficilis confirmari. Adiectus est Petro comes Ioannes, siue Apostolorum ceterorum iudicio, qui illum propter CHRISTI erga ipsum eximium amorem, vel sanctissimæ ipsius matris ei commissæ custodia, omissis signis aliis, haud obscurè testatum, & quòd Petro ipsi percharus, & familiaris esset, magni faciebant, & obseruabant, vel Petri ipsius propensiore voluntate, atque electione. Nam, vt aliàs dixi, & hoc loco Arator [n],

Cur Ioannes Petro adiunctus sit.

Sæpe sibi socium Petrus facit esse Ioannem,
Ecclesia quia virgo placet,—

cum Ioanne ei singularis familiaritas intercessit. Vide caput tertium [o].

n li. 1. carm. in Acta.
o vers. 1.

Versus 15.] Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent SPIRITVM sanctum.

QVI *cùm venissent, orauerunt pro ipsis.*] Vel ipsi soli orauerunt, vel etiam indicta est ab ipsis communis oratio, vel conceptam vsurparunt orationem velut formā Sacramenti Confirmationis, quod, vt videbimus, collaturi erant. Augustinus [p] argumentatur CHRISTVM esse DEVM, *quòd det, deditque* SPIRITVM *sanctum, Apostoli autem non dederint ipsi, sed vt daretur orauerint*: neque posteà Simon petierit dari sibi potestatem, vt cuicumque imponeret manus, daret ipse SPIRITVM sanctum, sed vt ille acciperet, nempe à DEO.

Quod hic orauerint, quomodo intelligatur.
Christus est Deus dans Spiritum sanctum, non Apostoli.
p lib. 15. de Trin. c. 16.

Vt acciperent SPIRITVM *sanctum.*] In signo, ac dono sensibili, vt linguarum, aliorùmve miraculorum: interiùs enim acceperant SPIRITVM sanctificantem, quotquot absque fictione, & simulatione baptizati erant.

Spiritum sanctum quomodo Samaritani acceperint.

Versus 16.] Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini IESV.

NONDVM *enim in quemquam illorum venerat.*] Græcè, οὔπω γὰρ ἦν ἐπ' οὐδενὶ αὐτῶν ἐπιπεπτωκός, *non adhuc enim erat supra vllum ex his collapsum*, vbi Græcum participium ἐπιπεπτωκός, innuit SPIRITVS sancti aduentum in signo visibili, ac veluti casum, & illapsum externum. Super tria primùm millia, dein super quinque venit SPIRITVS sanctus, etiam cum dono linguarum extrinseco simul ac baptizati sunt, vt ostendimus [q], immò & in Gentiles, antequàm baptizarentur [r]. Sed hoc priuilegium censeri potest Petri: siquidem neque de Eunucho, quem Philippus diaconus baptizauit [s], prorsus mentio, vel suspicio est, accepisse exteriùs donum SPIRITVS sancti, neque Ephesij à Paulo baptizati aliter id consecuti sunt, quàm per impositionem manuum ipsius post Baptismum [t]. Vicarius CHRISTI Petrus habuit aliquando quandam veluti participationem potestatis eiusdem CHRISTI, quam vocant *excellentiæ*, vt sine Sacramento Sacramenti conferret effectum; vel certè potiùs, vt illum impetraret.

Signum visibile aduentus Spiritus sancti iamnondum acceperant.
q c. 2.41. c. 4.4.
r Act. 10.44.
s hoc c. 8.38.
Baptizati à Petro spiritū sanctum accipiebant, non ab aliis.
Petrus habuit in loco quandā excellentiæ potestatem.
t cap. 19.5.6.

Sed baptizati tantùm erant in nomine Domini IESV.] An hæc fuerit forma Baptismi, lege caput secundum [u]. Particula *tantùm*, restringit Baptismum, vt notauit Lyranus, non autem formam, hoc est, significat Samaritanos tantùm baptizatos fuisse non accepto exteriùs SPIRITV sancto; non verò quòd Baptismi forma solùm continuerit nomen Domini IESV.

u vers. 38.

Versus 17.] Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant SPIRITVM sanctum.

TVNC *imponebant manus super illos.*] Variam impositionem manuum religiosè olim vsurpatam, aliàs [x] docui. Hanc Glossa interlinearis refert ad Sacramentum Confirmationis, necnon Glossa ordinaria, & Lyranus, & Beda, & Hugo, & Carthusianus, & Caietanus, & Gagneius, & Magister Historiæ Scholasticæ [y], notantes eandem istam manuum impositionem, & Confirmationis collationem propriam esse Episcopi: ideò enim

x cap. 6.6.
y in Hist. Act. cap. 44.

non

non Philippum Diaconum, sed Apostolos manus imposuisse Samaritanis. Oecumenius cum Chrysostomo primùm quidem indicat eandem sententiam, docens Apostolis seruatam esse potestatem dandi aliis SPIRITVM sanctum, eo modo externo, quem sæpe diximus: tamen videtur velle id Philippum potuisse, si vellet: ait enim *non fecisse, nec à DEO exorasse, qui tot alia signa ediderat, & vt deferret Apostolis, & quòd non satis adhuc Samaritani ad id dispositi viderentur.*

Verum prior sententia longè communior est, de Sacramento Cõfirmationis, in quo datur gratiæ augmentum, eius, inquam, quæ interiùs sanctificat, licèt nunc sine dono externo atque visibili conferatur. Nam præter citatos, ita quoque præsentem locum de prædicto Sacramento intellexit Cyprianus [a], vocans *signaculum dominicum, quo Christiani per orationem, & manus impositionem Episcopi consummentur.* Præterea Hieronymus [b], qui tamen non satis distinguere videtur SPIRITVM sanctum, qui datur per impositionem manus Episcopi, ab eo, qui in Baptismo recipitur, quem confert simplex Presbyter, aut alius. Adhæc Isidorus [c] vtens etiam & exemplo Ephesiorum in hac eadem historia [d], & auctoritate Innocentij Papæ I. [e] quam ad idem propositum affert Albinus, seu Alcuinus [f], qui Innocentij præsentem locum producit: item Rabanus [g], & Vualfridus Strabo [h], qui negare videtur vsos Apostolos chrismate in hoc Sacramento. Idem satis innuit Eusebius Pontifex [i], scribens manus impositionis Sacramentum ab aliis perfici non posse, nempe vt ab ordinariis ministris (prout loquuntur Concilium Florentinum [k], & Tridẽtinum [l]) nisi à summis Sacerdotibus, *quoniam nõ legitur, aut scitur tempore Apostolorum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis peractum esse.* Postremò Ioannes III. [m] Chorepiscopos vehementer arguit, quòd per hanc manuum impositionem non dubitarent conferre SPIRITVM sanctum, contra exemplum Apostolorum, præsertim in loco isto, quem tractamus, & citat ad idem confirmandum Damasum & Leonem. Ex aliis rursum Patribus, fauet valdè Damascenus [n], docens Apostolis datum SPIRITVM sanctum in forma ignis [o], nobis per oleum. Emissenus, vel Hilarius Arelatensis [p] hoc nunc ait, *confirmandis neophytis tribui per manus impositionem, quod SPIRITVS sancti descensio donauit in Pentecoste.* Augustinus [q] idem indicat, cùm ait, *Ecclesiam in Præpositis suis nunc seruare morem, quem habebant Apostoli, oratione, & manuum impositione tribuendi SPIRITVM sanctum.* Hugo de S. Victore [r], alter sui temporis Augustinus, idem docet, & Concilium Hispalense II. [s] & Elibertinum [t], & Melchiades [u], quem prolixè Gratianus citat [x]. Innocentius quoque III. [y] disertè, & fusè Concilium Florentinum suprà citatum, & Concilium Parisiense [z], & B. Thomas [a].

Disputationem de hoc sacramento non est huius loci instituere. Legendi præter Scholasticos [b], maximè Suarez [c], Enriquez [d], & Bellarminus [e], Ioannes Eckius [f], Federicus Nausea [g], Franciscus Turrianus [h], Claudius Espensæus [i], Ioannes Stephanus Durantus [k], Thomas Bozius [l], Catechismus Concilij Tridentini, Castro [m], & ex antiquis Gulielmus Parisiensis, qui meritò deplorat contemptum tanti Sacramenti, cuius gratia videlicet quodammodò maior est, quàm Baptismi, & sine quo, vt loquuntur Patres, atque Concilia, non sumus pleni Christiani, & perfecti (vnde vocatur

Confirmationis sacramentum hic stabilitur, & à solo Episcopo confertur.
Philippum diaconum potuisse dare Spiritum sanctum quo asserunt.
Solo Episcopo licet conferre sacramentum Confirmationis.
Qui & quot Patres Cõfirmationis sacramentum à solo Episcopo dari posse affirmant.
a ep. 71. ad Iubaianum. c. 3.
b libr. contra Luciferia.
c lib. 2. de Eccle. offic. c. 26.
d cap. 19. 2. & seq.
e epi. ad Decentium, quæ est 29.
f lib. de Diui. offic. c. de Sabbato sancto Paschæ.
g 1. de Instit. Cleric. c. 6. & c. nouissimè. de cons. d. 5.
h li. de rebus Eccle. cap. 26.
i ep. 1. ad Epi. Campaniæ. & hab. c. manus quoque. ead.
Chorepiscopos Spiritum sanctum conferre in confirmatione nõ licet.
k in formul. vnionis Arm.
l Sess. 7. can. 3.
m in ep. vnic.
n in li. 4. c. 10.
o Act. 2. 3.
p Ser. de Pẽt.
Solemnitas Pentecostes quæ faciũt pro Confirmationis sacramento.
q libr. 15. de Trin. cap. 26.
r lib. 2. de Sacra. p. 7. c. 2.
s cap. 7.
t c. 77.
u epist. 1.
x de cons. d. 5. cap. 1. & 3.
y de sacra vnctio. c. cum venisset.
z lib. 1. c. 27.
a 3. p. q. 72. a. 11
b in 4. d. 7. & 15. & S. Tho. 3. p. q. 72.
c Tom. 3. in 3. p. disp. 33.
d inst. Moral. lib. 3.
Qui & quot de hoc sacramento scripserint.
e Tom. 2. cõt.
f in homil. de sacra hom. 3.
g in Catech. l. 3. a c. 23.
h li. 2. pro epi. Pont. ca. 16. & l. 3. Const. c.
i in 2. ad Tim. Digressi. 1. & Appendice 6.
k 2. de ritib. Eccl. c. 20.
l 1. de not. Eccle. cap. 3.
m cont. hær.
Ex confirmationis sacramento ... maior quàm Baptismi.

A

inter alia nomina hoc sacramentum τελείωσις, hoc est, consummatio) & consummati Christiani; ac ne nomen quidem Christiani, quod à chrismate dicitur, quodammodò mereri videmur. Præterea tractant de hoc argumento Canonistæ [n], & Thomas Vualdensis [o], Armacanus [p], Petrus Damianus [q]: hi etiam qui scribunt Sermones de Cœna Domini, vt S. Eligius, & alij, ea enim die chrisma consecratur. Docui in capite secundo [r], igneas linguas quadam ratione repræsentasse materiam huius Sacramenti, quæ dicitur oleum mixtum balsamo. An Apostoli imponentes manus, vt conferrent effectum eiusdem Sacramenti, vsi etiam sint dicta materia, non liquet. Probabilis est pars

B

affirmans, quoniam ante omne Concilium legimus appellatum Sacramentum istud *vnctionis*, siue *chrismatis* ab antiquissimis Patribus, qui simul coniungunt manuum impositionem, nec est qui dicat huic successisse postea chrisma, & vnctionem. Innuit id præterea Apostolus, cùm ait [f]: *Qui confirmat nos vobiscum in CHRISTO, & qui vnxit nos, DEVS: qui & signauit nos, & dedit pignus SPIRITVS in cordibus nostris:* vt exponit Theodoretus, & Anselmus, necnon in libro de iis qui initiantur Ambrosius [t]. Quanquàm concedi posset, ex institutione quidem CHRISTI, & declaratione Apostolorum, atque quodam etiam eorundem vsu, post prima illa Ecclesiæ incunabula, intellectum fuisse chrisma esse materiã huius sacramẽti,

C

tamen ab initio non esse ab iisdem adhibitam, quando per sensibilia signa conferebant SPIRITVM sanctum, sicut & ipsi acceperant, nempe per impositionem manuum, vel prædicationẽ, quemadmodum in linguis igneis descẽderat ad ipsos [u]. Ita docet S. Thomas [x], Alensis [y], Scotus, Richardus, Bonauentura, Durandus, Gabriel, Paludanus, Ledesma, Soto in quarto sententiarum [z], Taper [a], Hieronymus Tortensis [b], Suarez, & alij recentiores, Concilium Moguntinum vltimum [c], Concilium Coloniense [d]. De ministro verisimilius est, ordinarium esse Episcopum, ex dispensatione tamen Papæ etiam Presbyterum: ordinarium mini-

D

strum solum Episcopũ vocat citatum Concilium Tridentinum, & antè producti Patres id omninò præ se ferunt: quibus iunge Gregorium [e], & Innocentium III. [f] Leonem [g], Gelasium [h], sed id concessu superioris posse Presbyterum, colligi potest ex iisdem Patribus, necnon ex Ambrosio [i], qui meminit de Presbyteris Ægypti, de quibus & Augustinus, siue alius [k], & ex Concilio Toletano I. [l] & ex Decretis [m]. At non ausim asserere, si absque superioris facultate Presbyter id faciat, quamuis malè, validè tamen facere: siquidem Innocentius III. [n] asserit inaniter fieri, & vmbram esse, non in veritate conferri, & Eusebius [o] irritum esse, & vacuum, nec inter Sacramenta reputari [p]. Scio quid alij respondeant, qui contrà sen-

E

tiunt, vt dictus Taper [q], Caietanus, Ferrarius [r], & Salmeron [s]. At longè tutior hæc opinio: sicut & præstat dicere soli Pontifici summo licere hanc Presbyteris facultatem communicare. De effectibus consulendi citati Auctores, qui eos miraculis quoque illustrant: suffecerit in præsentia exemplum Nouati, quem Eusebius [t] narrat, quòd hoc signaculum CHRISTI non recepisset, quippe qui etiam id reiiceret, à Dæmone esse abreptũ. Turrianus [u] duos narrat mox à suscepto hoc Sacramẽto molestissimã experiri tentationẽ cõtra fidẽ desiisse. Exẽpla alia leges in Optato [x], Bernardo [y], Surio [z], colligitque ex his aliqua Bellarminus [a].

Canonistæ de hoc sacramento etiã agunt.
n in tit. de sacra vnct. & de consec. dist. 5.
o Tom. 2. de Sacra. cap. 113.
p de q. Arme. 11. c. 5.
q Ser. 1. de Dedic.
r vers. 4.
f 2. Cor. 1. 20. 21.
t cap. 7.
Quomodo concedi possit Apostolos chrismate vsos non esse.
u Act. 2. 3.
x 3. p. q. 72. ar. 2. ad 1. & a. 4. ad 1.
y 4. par. q. 24. mem. 1. & 2.
z dist. 7.
a art. 12.
b in Conf. August. li. 3. c. 5. §. 4.
Minister ordinarius est Episcopus solus.
c in Doct. Fid. cap. 18.
d de hoc Sacr.
e lib. 3. ep. 9. & 26.
f c. quanto. de consuet.
g epist. 88.
h epi. 6.
i in c. 4. ep. ad Ephes.
Presbyter si absque facultate Pontificis illud conferat, nihil facit.
k lib. q. vtriusque Test. qu. 101.
l ca. 20.
m d. 95. c. Presbyter. & c. omni tẽpore. de conse. dist. 4.
n d. c. quanto. de consuet.
o epi. 3.
p c. manus. de cons. dist. 5.
Effectus huius sacramenti.
q citato loco.
r 4. con. Gen. c. 60.
f Tract. 26. in Actus.
t lib. 6. Hist. c. 33. vel 23.
u in 3. constit. Clem. cap. 17.
x 2. cõ. Parm.
y in vita Mal.
z in vita Rob.
a 2. de confir. ca 6.

Versus

Versus 18.] Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur SPIRITVS sanctus, obtulit eis pecuniam.

Simon non acceperat Spiritum, & illum dare aliis volebat.

CVM *vidisset autem Simon.*]Nondum videlicet acceperat ipse hunc SPIRITVM, nec ei adhuc manus Apostoli imposuerant, aut ad illum aliis imponentes peruenerant:ipse verò mirabiles talis impositionis effectus videns in aliis,ipso non contentus dono SPIRITVS sancti, ipsam expetiit donandi potestatem, quam ne Philippus quidem habebat.

Manus.] Χειρῶν, *Manuum.* Sic item Syrus dixit, אידא *aeda*, id est, *manuum.* Rectè Chrysostomus infert ex eo quòd Simon viderit dari SPIRITVM sanctum,hunc visibiliter, & in signo externo fuisse datum.

Simon ex mera malitia peccauit.

Obtulit eis pecuniam.] Non peccauit Simon ex ignorantia; neque enim viderat cuiquam datum SPIRITVM sanctum pecuniarum gratia:*sed tentauit Apostolos, & accusationis causam*, inquit Chrysostomus, *quæsiuit*, vt indicat sequens Petri reprehensio, quæ *cor eius rectum esse* negat *coram* DEO.

Simonis quanta nequitia fuerit.

Obtulit pecuniam nil possidere volentibus, inquit Cyrillus Ierosolymitanus a,*etiamsi videret illos, qui rerum venditarum pretia adferebant,& ante pedes Apostolorum proiiciebant* b: *neque id reputabat, quòd illi, qui pedibus diuitias ad pauperum alimenta oblatas conculcabant*, SPIRITVS *sancti potestatem pro mercede aliqua non essent tradituri.* Magister Historiæ Scholasticæ c ait, *existimasse Simonem ab Apostolis ex quadam industria huiusmodi potestatem conferri, & posse pretio comparari.*Occumenius præter id, quod Chrysostomus tradidit, adiungit quæstus desiderium,necnon Vrbanus Papa II. d & Cyprianus e. Clemens Romanus f Petri ipsius verbis assignat primam illam causam initio positam, etsi nó tam in Simonem illam refert,quàm *in Diabolum Simonis suggerentem.Consilium,& voluntas Diaboli*, inquit apud Clementem Petrus,*erat, vt ipsum Adam post degustatum cibum interdictum promissa immortalitate priuauerat* g, *sic nos pecunia delinitos, & captos, dono* DEI *priuare, si hac permutatione facta donum* SPIRITVS *sancti,quod æstimationem superat,nummis ipsi addiceremus.*

a Catech. 16.
b Act. 2.45. c. 4.34.35.
c in Hist. Act. c. 44.
Quid crediderit de hac potestate Apostolorū improbus Simon.
d 1.q.1.c. Saluator.
e Ser. de ieiunio, & tentatio.
f 6. Const. c. 7.
Dæmō Apostolos voluit priuare dono conferendi Spiritū sanctum.
g Gen. 3.1.
h c. sunt nonnulli. 1. q. 1.
i Gen. 23.15.
k 2.2.q.100.a. 4. ad 3.
Simoniæ peccatū à Simone dictū quid sit.
l Gen. 25.31. & seq.
m epi. 126. & in trad. Hebr. circa ca 27. & 49. Gen.
An sit in veteri lege simoniæ vitio commaculaverint.
n 2. Const. c. 3.
o sup. art. 4. & in c 12. epi. ad Heb.
p Heb. 12.16.
q Gen. 25. q. 6.
r Num. 22.7. & seq.
s 2. de sacra. p. 10. c. 2.
t 4. Reg. 5. 20. & seq.
u 1. q. 1. c. eos qui & ca. qui studet. etiā cano iste tribuitur Nazianzeno.
x 4. Reg. 5. q. 29.

Ab hoc Simone simoniæ peccatum denominatum est,cùm aliquis vendit,vel emit spiritualia, aut spiritualibus annexa, aliòve quouis contractu non gratuito rem spiritualem, alia re pretio æstimabili comparare,vel alteri conferre desiderat,illamque his modis,qui dicuntur *munere à manu, ab obsequio, à lingua* h, cōpēsat. Ceterū licèt huius peccati ante Simonē reus censeri possit Ephron vendens Abrahæ locum sepulturæ i,vt innuit S. Thomas k,& Esau vendens primogenituram l,cui annexū erat ius Sacerdotale, iuxta Hebræorū traditionem,de qua Hieronymus m, & Clemens n,& S. Thomas o, quem ideò forsan vocat Paulus p *profanum*,id est,*irreligiosum & sacrilegū*, vt velle videtur idem B. Thomas suprà citatus, & Abulensis q, & Balaam accepto pretio volens maledicere populo DEI r, vt obseruat Hugo de S. Victore s, & Giezi t, qui à Naaman pro sanitate lepræ, quam Elisæus magister contulerat,mercedem retulit,vt idem Hugo suprà citatus indicat,& Tharasius u, & Abulensis x (qui parum sui memor primum omnium huic obnoxium peccato facit,

A qui de Balaam idem affirmauerat) & Iudas y venditor CHRISTI (saltem secundùm quandam rationem, propriè namque nullam habuit rationem spiritualitatis in persona illius) vt citati canones,& Basilius z, & Cyrillus Ierosolymitanus a referunt. Præterea Caiphas, vt placet Isidoro Pelusiotæ b, quoniam emit Sacerdotium, potestque idem dici de socero Anna,qui duo largitionibus impetrauerant à Romanis, vt alternis annis summo Sacerdotio fungerentur, quemadmodum affirmat Abulensis c,& Maldonatus d, & colligitur ex Historia Regum e, & Machabæorum f,& ex Luca g, atque Ioanne h, id in vsu fuisse apud Iudæos. Etsi hæc,inquam,se ita habeant, nihilominùs sacrilegum hoc nomen absolutè sumpsit à Simone,non quia sit auctor ementium,Giezi vendentium (quod concedi potest Hugoni,& Abulensi, obseruauitque apud Hieronymum i Hilarion detrectans munus quod primarius vir Orionus à legione Dæmonum curatus, offerebat, cauensque vel offensam DEI, vel ne ad eundem legio reuerteretur: simile autem responsum Ioannes Eleemosynarius cuidam dedit, diaconatum petenti oblato munere) sed *quoniam*, vt ait idem Abulensis, & sanctus Antoninus k, *in nouo Testamento, & lege noua iam constituta, quæ est spiritualior, illud magis completè, & circa rem maximè spiritualem* (etsi non erat gratia gratum faciens, vt voluit Gregorius de Valentia l, sed gratis data) *commisit, volens emere, ac postea vendere.*

y Matth. 26.
z epist. 76.
a Catech. 16.
b lib. 1. ep. 315.
c 4. Reg. 5. q. 39.
d in c. 3 Luc.
e lib. 3. c. 11.
f lib. 2. c. 4. 11.
Cur peccatum Simoniæ à Simone nomen acceperit.
g cap. 3.
h cap. 11. 49.
i in Hilarione.
k 3. par. tit. 12. c. 1. § 1.
l t. 3. Disp. 6. q. 16. pun. 2.

B

Simoniæ naturam, & distinctionem, proprietates & effecta Theologis permitto, Canonistis, & Casuistis. Cùm definitur autem m, *studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale, aut spirituali annexum pro temporali*, existimat Franciscus Victoria n propterea non opus expressum in definitione, sed voluntatem solam, quia Simon conatus est solùm, non autem obtinuit, vel executus est simoniam ipsam: sed potiùs hoc est ad indicandam simoniam, quam vocant mentalem, qua quis vult peccatum hoc cōmittere, verè esse peccatum, vel quia radix malitiæ simoniæ, sicut & cuiuslibet peccati in actu interiori voluntatis consistit, vt habet Nau. o Grauitas simoniæ tanta est, vt ea tolerabiliorem Tharasius p asserat Macedonij, & eorum, qui circa ipsum sunt SPIRITVS sancti impugnatorum impiam hæresim. *Illi enim*, inquit, *creaturam, & seruum* DEI PATRIS, *& FILII* SPIRITVM *delirando fatentur: isti vero eundem* SPIRITVM *efficiunt suum seruum. Omnis enim dominus, quod habet, si vult, vendit, siue seruum, siue aliquid aliud eorum, quæ possidet, similiter & qui emit, dominus eius volens esse quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit*, &c. Comparat idem q Simoniacos cum iis qui CHRISTVM blasphemarunt *eiicere dæmonia in Beelzebub* r, & cum iis, *quos eiecit ipse de templo* (quod ferè faciunt Interpretes, præsertim Theophylactus s, Beda t, Hieronymus u, Ambrosius x, necnon Gregorius y) & cum Iuda proditore. Si quis sibi persuadeat rem spiritualem pretio æstimabilem esse, quod paulò pòst Simoni Petrus obiicit, hæreticus est, quales Armenos fuisse testis est Guido Carmelita apud Alphonsum à Castro z. Et qui Henricum IIII. Imperatorem hoc in errore sectabantur, Henriciani sunt appellati. Omninò aduersantur SPIRITVI sancto Simoniaci, vt ex præsenti historia liquet, atque ex allato Tharasij testimonio,& ex eo quod Martinus Polonus a narrat, & Petrus Damianus b de Hildebrādo,qui posteà fuit Gregorius VII. Pōt. Max.

C

m Gloss. Summa, cas. 4. q. 1.
n relec. de simon. nu. 9.
o in Manual. c. 23. nu. 100.
p ... in ... 1. q. 1. c. conque.
q supra, & c. qui student. 4.
Simoniaci cum iis qui Christum blasphemarunt comparantur.
r Matt 12. 24.
s in c. 2. Ioan.
t ibid.
u in cap. 21. Matth.
Simoniaci quo heretici.
x in c. 19. Luc.
y Hom. 4. & 17. in Euan. & lib. 9. epist. 40. lib. 4. ep. 55.
Simoniaci Spiritui sancto aduersantur.
z verbo, simonia.
a in Chron. lib. 4.
b epist. 6. 7.

D

E

Hildebrandus, qui fuit Gregorius VII. quo ratione deprehenderit Simoniacũ.

Max.dicens, ab illo se accepisse, cùm ille esset in Gallia legatus Apostolicus, & Episcopum Simoniacum recitare iussisset doxologicum versiculum, nequiuisse SPIRITVM sanctum nominare, sed substitisse bis térque cùm pronunciasset, *Gloria* PATRI, *&* FILIO, *Meritò*, inquit Damianus, SPIRITVM *sanctum dum emit, amisit, vt qui exclusus erat ab anima, procul etiam consequenter esset à lingua.*

Versus 19.] Dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat SPIRITVM sanctum.

Petebat, quod nec Apostoli in sua potestate habent.

DICENS: *Date & mihi hanc potestatem.*] Id petebat infelix ille, quod ne Philippo quidem concessum erat: & potestatem habere volebat, quæ ne in Apostolis quidem erat (eo modo, quo ille sibi fingere videbatur) nimirum per modum qualitatis habitualiter inhærentis, ac permanentis: neque enim gratiæ gratis datæ, quas vocant, sunt omnes habituales, vt potestas miraculorum, donum Prophetiæ, &c.

Gratia gratum data non sunt habitus.

Versus 20.] Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum DEI existimasti pecunia possideri.

PETRVS *autem dixit ad eum.*] *Quasi Princeps loquitur Petrus primus*, inquit Glossa interlinearis, quod posteà pluribus ostendemus. Publicè autem loquitur, & corrigit, quia publicum erat peccatum. Sic enim etiam Paulus præcipit Timotheo [a]: *Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant.* Qua de re Augustinus [b], & Interpretes Pauli [c], præsertim Græci, & ex Latinis Anselmus, B. Thomas, Glossa, necnon Gratianus [d], Origenes quoque [e], & Gregorius [f]. Sanè, *sicut, quia non citò profertur contra malos sententia, filij hominum absque vllo timore perpetrant mala* [g], *ita pestilente flagellato, stultus sapientior erit* [h], *& mulctato pestilente, sapientior erit paruulus* [i].

Correptio coram omnibus quãdo facienda.

a 1. epist. 5. 20.
b de corre. & gra. c. vlt. Ser. 15. & 16. de verb. Dom.
c citato loco.
d 2. q. 1. cap si peccauerit.
e homil. 7. in Ios.
f p. 3. Past. ca. 26.
g Eccles. 8. 11.
h Prou. 19. 25.
i Prou. 21. 11.

Imprecatio Petri in Simonem qualis sit.

Pecunia tua tecum sit in perditionem.] *Imprecatio, & maledictio est prauidentis diuinam de Simone sententiam, & huius reprobationem, atque æternam perditionem*, vt ait cum Beda Glossa ordinaria, *non autem vindictæ studentis.* Et ad exectationem peccati res etiam inanimata maledicitur. Hugo Cardinalis velle videtur optare Petrum duntaxat, *perire Simonem pecunia, & Simoni pecuniam, vt iactura pecuniæ peccandi ansam tollat.* Glossa interlin. ita exponit: *Pecunia tua tecum pereat.* Hieronymus [k], *quod oblatam pecuniam cum offerente damnauit.* Oecumenius negat esse verba execrantis, sed corripientis, veluti si quis dicat: *Pecunia tua simul tibi pereat cum huiusmodi voluntate.* Chrysostomus his verbis paulò immutatis Petrum loqui facit: *Peccatum tuum tecum sit in perditionem.*

Simoni perire pecuniam Petrus optat.

k Mich. 3.

Mihi simplicior, veriórque primus sensus videtur, quem Græca vox ἀπώλεια, *perditio, destructio*, valdè comprobat, eumque sequitur Magister Historiæ Scholasticæ [l], etsi quoque notat posse ita sententiam distingui, ne videatur Petrus pecuniæ imprecari: *Pecunia tua tecum sit nempe ducens te in perditionem.* Sed nil est, quod vereamur huiusmodi imprecationem, cùm CHRISTVS ipse, aliique præterea sancti viri rebus ratione carentibus sint imprecati, vt diei [m], arboribus [n]. Per se quidem nefas est creaturis, etiã irrationabilibus, maledicere, quæ cùm pœnæ sint incapaces, earum maledictum refunditur in auctorem naturæ, vt docent cum S. Thoma [o] Theologi: tamen eo, aut simili modo, quem dixi, licet, tum his, tum rationabilibus quoq; maledicere, vel ad significandum aliquod mysterium, sicut de arefacta ficu à CHRISTO Patres docent: vel accepta à DEO potestate, qua ratione creditur Noë maledixisse nepoti suo Chanaan [p], & Elias iis, in quos deuocauit ignem de cœlo [q], & Paulus ei, quem nesciebat esse summum sacerdotem [r], & Alexandro ærario [s], vel more prophetico, vt hîc, & in Psalmis [t]. Lege Gregorium [u]. Aliquando similes querelæ concitatiores proficiscuntur ab amoris impotentia, vt de Iob suspicatur Pineda [x], exemplis Poëtarum profanorum rem illustrans.

Simplicior petrũ imprecatur.

l in hist. Act. c. 44.

Sancti imprecati sunt rebus inanimatis.

m Iob. 3. 2. Iterem 4. 13.
n Mat. 21. 19.

o 2. 2. q. 76. *Quomodo creaturis imprecari liceat.*

p Gen. 9. 25.
q 4. Reg. 1. 10. & seq.
r Act. 23. 3.
s 2. Tim. 4. 14.
t vt Ps. 68. 23. & alibi passim.
u 4. Mora. c. 6.
x in c. 3. Iob. v. 2. sect. 4.

Ceterùm hac ipsa Petri sententia aduersùs proprietarios Monachos Ægypti Patres vsos, & Gregorium, dixi capite quinto [y]. Chrysostomus, & Oecumenius, & Beda, & Glossa ordinaria, & alij notant Apostolos puros fuisse à pecuniis, & lucri amore, & Glossa ordin. atque Hugo docent, hinc exemplum debere capi, ne pecunia vt peccatorum eleemosyna recipiatur: quæ est quoque doctrina Clementis Romani [z] dicentis, *præstare fame perire, quàm quicquam accipere, quod amicis* DEI *contumeliosum sit, eósque faciat ludibrio esse*, iuxta id [a]: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*: quod probat etiam tum auctoritate prohibitionis diuinæ [b], tum exemplo Ahiæ [c], & Elisæi [d], & hoc ipso refutatæ à Petro (quem ibi loquentem inducit) & Ioanne pecuniæ, quam Simon obtulerat. Quanquàm non apparet Simonem obtulisse hanc pecuniam eleemosynæ nomine, sed potiùs pretij, vt quidem Petri responsio denotat; nisi dicas verbis prætulisse Simonem liberalem eleemosynam, Petrum ad fingentis animum, voluntatémque respexisse. Abutitur hac sententia Tertullianus [e] in eos qui tempore persecutionis redimerent pecunia periculum mortis: *hoc enim esse de homine* CHRISTVM *redimere in homine in quo* CHRISTVS *est.* Pecunia censetur inter adiaphora; sed est plerumque peccatorum ansa, segesque. *Pecuniæ námque obediunt omnia* [f], & venalia sunt cuncta, ipsa etiam quodammodò virtus, ita vt sequantur passim homines consilium Poëtæ [g]:

y vers. 5. *Apostoli nõ erãt pecuniæ amori dediti.*

z 4. Const. ca. 6. & 7.
a Psal. 140. 5.
b Deut. 23. 18.
c vt colligi potest ex 3. Reg. 13. & 14.
d 4. Reg. 6. 16. & colligitur etiam ex c. 8.
Hanc pecuniam eleemosynæ nomine an Simon obtulerit.
e lib. de fuga in persec.
Pecunia peccatorum ansa est.
f Eccl. 10. 19.
g Hor. li. 1. ep. ep. 1.

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos. —

Alius quoque dixit consentaneè ad sententiam Sapientis citatam [h]:

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Verũ prætereà est despici inopem, eíque ad amicitias, & honores non patere aditum, sicut est apud alium, qui ita scribit [i]:

— *dat census honores,*
Census amicitias, pauper vbique iacet.

Sed plura hac de re dixi Ecclesiastẽ interpretãs [k].

h Ouid. lib. 1. Metam.
i idem lib. 1. Fast.
k cap. 10.

Quoniam donum DEI *existimasti pecunia possideri.*] Videtur Simon eo in errore, ac hæresi fuisse, vt existimaret æstimabilem pretio diuinam gratiam, siue donum gratis datum; ac proinde Simoniam ipsius non simplicem fuisse, sed cum hæresi coniunctam, vt indicant etiam Ambrosius [l], & Augustinus [m], quæ tamen hæresis, vt anteà dixi, non est semper coniuncta cum peccato Simoniæ: & vix credo sibi Simonem persuasisse ipsammet vendi posse SPIRITVS sancti personam. Mihi autem in voce δωρεὰν, *donum*, seu, *gratis concessum*, innui probabile est, nil cogitasse Simonem de gratia iustificante; quæ potiùs dici solet χάρις, sed de

Simonis error quis fuerit.

l 2. de pœnit. c. 4.
m tract. 10. in Ioan.

gratia

Dona Spiritus sancti qualitates sunt.

gratia gratis data, vt etiam priùs notaui. Quanquàm non ignorem, à Theologis dona SPIRITVS sancti dici qualitates quasdam diuinas, quæ in solis iustis reperiuntur, & cum gratia iustificante connexæ sunt, & nomen doni attribui SPIRITVI sancto, non tàntùm quia donatur nobis eo modo, quo nec PATER, nec FILIVS (non enim PATER est missus ab alio, vel FILIVS à SPIRITV sancto secundùm diuinitatem, sed SPIRITVS sanctus à PATRE, & FILIO missus est, qui FILIVS prout à PATRE procedens, potest assumere nomen doni) verùm etiam quoniam licèt mundus non esset, vt ratiocinatur S. Augustinus [a], & cum eo B. Thomas [b], aliique Theologi [c], adhuc ratione suæ processionis, nempe per amorem, donum diceretur, siquidem primum donum donantis est amor erga illũ, cui aliquid donatur, & ex hoc amore procedunt alia omnia dona creata, vt ait idem Augustinus [d] (qui prætereà docet, relationem SPIRITVS sancti ad PATREM & FILIVM, magis exprimi nomine doni, quàm nomine SPIRITVS [*]) & secundùm rationem dictæ processionis nomen doni de SPIRITV sancto intelligi potest, & vt id quod donari potest, & vt id quod est ad id deputatum. Lege interpretes B. Thomę, præsertim Gabrielem Vasques, Gregorium de Valentia, & Ludouicum Molinam. Existimat Ioannes Ferdinandus [e], hoc nomen doni vel absolutè, vel prout dicitur donum à DEO, solere principaliùs significare gratiam iustificantem: sed profectò pendet ea significatio ex adiunctis, ita vt æquè habere possit alias significationes, sicut & nomen donationis, quod ipsemet fatetur sumi pro gratiis gratis datis apud Paulum, cùm ait [f]: *Habentes autem donationes secundùm gratiam differentes*, quæ tamen donationis vox etiam ipsa aliter sumitur, nempe prout complectitur quoduis donum gratiæ [g], & nominatim gratiam iustificantẽ [*], & Græcè promiscuè est vel δωρεά, vel χάρισμα, pro quibus & Interpres noster ponit nunc *donũ*, nũc *donationẽ*, nunc *charisma*.

Spiritus sanctus est donum, & qua ratione.

a 4. de Trin. ca. 20.
b 1. p. q. 38. ar. vlt.
c in 1. Sent. d. 18.
d 15. de Trin. ca. 29.
* 5. de Trin c. 11.

Spiritus sanctus qua ratione sit donum.

e in Thes. Scriptur. ver. *Donum.*

Donum significat gratiam iustificantem, sed non semper.

f Rom. 12. 6.

Donatio quid significet.

g 2. Cor. 1. 11.
* Rom. 5. 17.

Versus 21.] Non est tibi pars, neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram DEO.

NON *est tibi pars, neque sors in sermone isto.*] Syriacè sic legimus, לית לך מנתא אף לא פסא בהיכנותא *leth lach menatha aph la pasa beha emanutha*, id est, *Non est tibi pars, ac ne sors quidem in fide ista.* Clemens Romanus [h], Ambrosius [i], & Augustinus [k] legunt eodem modo. Pro sermone Græcè est λόγῳ, quam vocem Caietanus mallet verti *rationem*, nimirum eam, quæ erat in illapsu SPIRITVS sancti per manuum impositionem. Idem notauit Gagneius ita fieri potuisse, vt ratio, vel causa poneretur: quamuis nec nostram interpretationem improbet, cùm sermo, siue verbũ phrasi Scripturæ pro re, seu facto non rarò vsurpetur. Caietanus acutè notat exclusum dici Simonem, & à parte, quasi ei aliquid iure deberetur, & à forte velut desuper illi diuinitùs contingente. Syriaca interpretatio citata minus quid innuit esse sortem, quàm partem. Turrianus [l] vult vtroque nomine idem significari, videlicet Baptismum, per quem adsciscimur inter fideles, & de quo scribit Apostolus [m]: *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine*, hoc est, vt exponit Dionysius [n], in Baptismo, dicitur enim Græcè Baptismus φῶς, & φωτισμός, & his verbis ait excommunicatum Simonem. Augustinus [o] hanc sortem, sicut & in

h 6. Const. c. 7
i 2. de Pœ. c. 4
k tra. 6. in Io.

Pars vel sors quo modo differant.

l lib. 1. pro Cano. Apos. c. 11.
m Coloss. 1.
n de Cœl. hie. c. de Baptism.
o in Psal. 30. concio. 2.

Mathiæ, sumit pro dono DEI, & præsertim gratiæ: quia in sorte non est electio, nimirum nostra, vel meritum, sed voluntas DEI personas non accipientis, atque eiusdem, licèt nobis occulta, iustitia. Ideò super vestem inconsutilem CHRISTI, quæ typus erat charitatis, sortem missam esse [q]. Hanc ipsam censuram excommunicationis in Simonem fuisse, ipsemet Petrus in quodam ex Canonibus Apostolorum expressit hoc modo [r]: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiciatur & ipse, & ordinator, & à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus à Petro*, &, iuxta aliam lectionem, *sicut Simon Magus à me Petro abscissus est.* Meritò Simoniæ vitio decreta est iure communi pœna excommunicationis: existimo verbis his, Petrum exclusum Simonem significasse non à Baptismi tantùm effectu, qui est societas fidelium, vel à potestate, quam petebat, sed etiam à dono linguarum, quod ceteri ab Apostolis accipiebant, & non ipse.

Sors quid sit, & donum [illegible]
p Act. 1. 26
Sors dimissa [illegible]
q Ioh. 19. 24. Psal. 21. 19.
r Can. 31.
Simon fuit excommunicatus à Petro.
Simoniæ vitio excommunicationis pœna inflicta.

(*Cor enim tuũ non est rectum coram* DEO.] Fictè igitur, ac simulatè Simon Baptismum receperat, *Petrus verò*, vt ait Lyranus, *virtute* DEI *reuelantis, videbat intima sui cordis. Et ex opere etiam Simonis id pensauit*, inquit Carthusianus. Pro eodem nonnunquàm Latinus interpres ponit rectum, & simplicem: interdum distinguit, vt ostendit Pineda [f]. Rectum est, quod prauo, & obliquo opponitur, & est æquabilis quantitatis. Significat verò etiam cor esse rectum coram DEO, esse illi gratum. Sed prior significatio est magis ad rem. Fieri potuit, vt qui per Baptismum rectè susceptum rectus coram DEO, & gratus erat, posteà voluntatem deflexerit, & à DEI gratia exciderit. Et, vt loquitur Ambrosius [t], *puram conscientiam fidei non habuerit.* Origenes [u] comparans Simonem cum ficu arefacta [x], dicensque visum esse CHRISTI professorem, *Melius est*, inquit, *vt fallacem ficum, quæ viuere existimatur, non autem fructificat, quasi viua, obiurgatam, quia est infructuosa, siccari verbis Discipulorum* CHRISTI, *& fieri manifestam, quàm vt furetur, dum viuere æstimatur per figmentum professionis innocentium corda, & eorum, qui facilè seducuntur à talibus.* Sed nos anteà probabilius duximus ad ipsummet Baptismum fictè Simonem accessisse.

Simon fictè accessit.
f in Iob ca. 1. vers. 1. nu. 16.
Rectum quid sit.
t 2. de Pœn. cap. 5.
u hom. 16. in Matthæum.
x Marc. 11. 13.
Simon vt ficus infructuosa arefacta est.

Versus 22.] Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga DEVM, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.

POENITENTIAM *itaque age ab hac nequitia tua.*] Hinc quidam inferunt, priori sententia Petrum nondum præuidisse, aut significare voluisse Simonis æternam perditionem, sed conditionem subintellexisse, nisi resipisceret, & declarasse malle se, vt ipse cum pecunia periret, quàm sacrilegæ petitioni eius acquiescere, quod si faceret, ipsemet periret Petrus: alioqui frustrà nunc eum ad pœnitentiam hortaretur. Tamen Glossa ordinaria docet ita loqui Apostolum, non quòd ignoret eum pœnitentiam non acturum, sed quia cùm sit iussus omnibus pœnitentiam prædicare, suum facere officium voluisse, vt ille esset inexcusabilis. Consentit Comestor in Historia Scholastica [y], Carthusianus, & alij hoc loco, & satis indicant Chrysostomus, atque Oecumenius, dicentes eo modo loquendi denotari, fidem non esse coactionis, sed

Pars [illegible] *excommunicationis* [illegible]
Petrus [illegible]
y in Hist. Act. c. 44.

nis, sed

nis, sed libertatis nostræ, posita nimirum DEI gratia: quòd si cuipiam constet sua reprobatio, & damnatio, vt rectè docent Theologi, non tenetur, nec verò etiam sperare potest beatitudinem, aut pœnitentiam agere saltem finalem.

Si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.] Ambrosius [a] hinc argumentatur, pœnitentiæ locum nemini esse negãdum, & spem veniæ, quam Petrus offerat ei, *quem per magicam vanitatem blasphemantem in* SPIRITVM *sanctum, & puram fidei conscientiam non habentem, Apostolica iam auctoritate condemnauerat.* Similis est argumentatio Augustini, aut alterius in libro de vera, & falsa pœnitentia [b]. Idem argumentari licet contra Hæreticos huius temporis, qui lapsis solam Baptismi recepti memoriam sufficere volunt. Docet prætereà idem Ambrosius, in formula illa, *si fortè*, apparentem quidem, reuerà autem nullam dubitationem esse, confirmans testimoniis non modò sacris Ieremiæ [c], & Ezechielis [d], sed profano quoque Homeri [e], cuius hæc verba sunt:

——αἴκ' ἐλεήσῃ
ἄστυ τε, καὶ Τρώων ἀλόχους, καὶ νήπια τέκνα. id est,
——si fortè perire
Non sinat hanc vrbem, & natos, charásque iugales.

Denique, inquit, *ipsi sapientes seculi, qui omnem gloriam suam statuunt in expressione verborum, quod Latinè* fortè, *dicimus, Græcè* τάχα, *non vbique pro dubitatione posuerunt.* Plura ex vtroque genere exempla, præsertim ex priore, quod magis ad nos pertinet, possunt afferri [f]. Est autem obseruandum cum Gregorio [g], quando DEVS dubitantis loquitur in morem, velle aliquid innuere, scilicet aut libertatem voluntatis nostræ, cui diuina, vel voluntas, vel præscientia non imponit necessitatem; aut difficultatem rei, & paucitatem facientium id quo de agitur. Si quis verò hominum loquatur dicto pacto, attendendum an res sit eiusmodi, vt turpe sit illum de ea dubitare. Quocirca Petrus DEVM ipsum respiciens, & Simonis flexibilem voluntatem secundùm se, non dubitauit de remissione culpæ, nulloq; modo, si peccator faceret pœnitentiam: quoniam potissimùm, si hæc adsit, æquissimum, & honestissimum sit, vt peccata remittantur, nec dubium esse queat, quod adeò asseueranter affirmat DEVS [h]: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Non potuit Petrus de hoc dubitare: potuit tamen, an vera esset futura oratio Simonis, & pœnitentia: vtrùm, quod attinet ad pœnam, tantus futurus dolor, vt totius pœnæ remissionem mereretur. Lege Riberam in Ioëlem [i]. Carthusianus, Comestor, & alij causam eius locutionis dubiæ assignant, quòd Petrus præuideret Simonem non acturum pœnitentiam. Qui id nescisse dicunt, colligunt aduersùs Hæreticos gratiæ incertitudinem, vel præsentis, vel consequendæ: *& dum dubij sumus de salute, fortiùs nos agere debere pœnitentiam*, vt loquitur Hieronymus [k], *magisque prouocare* DEVM *ad misericordiam: sicut Niniuitæ de incerto egerunt pœnitentiam*, inquit Augustinus [l], *& certam misericordiam inuenerunt.*

Cogitatio cordis tui.] Ἐπίνοια, *consideratio*, Syriacè habetur, נכלא *nechla*, id est, *dolus.* Græca vox significat commentum, & cogitationem solertem.

Fides non est coactionis, sed libertatis nostræ.
a 2 de Pœn. c. 4. & 5.
Nemini neganda pœnitentia.
b cap. 1.
Dubitatio in hac formula, si fortè, nulla est.
c cap. 26. 3.
d cap. 3. 11.
e Iliad. 6.
f Ioel 2. 14. Ionæ 3. 9.
Quid significet dubitatio in ore Dei.
g hom. 9. in Ezech.
Diuina præscientia non imponit voluntati nostræ necessitatem.
Petrus non dubitauit de remissione peccatorum, si Simon conuerteretur.
h Zach. 1. 3.
i c. 2. à nu. 21.
Gratiæ incertitudo.
k in cap. 3. Ionæ.
l in Psal. 50. vers. 8.

Versus 23.] **In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.**

IN *felle enim amaritudinis.*] Εἰς χολὴν πικρίας, *in fel acerbitatis.* Syrus autem ita habet, בכבּרא גיר מרירתא *bechebra ger meriratha*, id est, *in felle enim*, vel *iecore*, *seu hepate amaritudinis.* Columba fellis expers, symbolum est simplicitatis. Simon expers simplicitatis nihil habet columbinum, sed serpentinum. Non erat ille particeps SPIRITVS sancti, qui in columbæ specie apparuit [m], nec Ecclesiæ, quæ columba nominatur, & cuius idem qui caput, filius quoque vocatur Barjona [n]; est enim יונה *Ionah, columba*, quam etymologiam notauit Hieronymus [o]: etsi negari non possit potiùs dictum Petrum Barjona, per compẽdium nominis, pro בר יוחנא *Bar Iochana*, quod significat *filium Ioannis*, vt expressè nominatur etiam in Euangelio [p]: & simili contractione nominis Iona, siue Ionah vtitur Lucas [q]. Id nõ placet Antonio Nebrissensi [r], qui se à meliore sententia, quam sequebatur priùs, leui ratione dimoueri passus est, quòd ei Cardinalis Hispanus ex codice Græco monstrasset non esse legendum *Simon Ioannis*, sed *Simon Iona*. Fateor Syrum apud Lucam legere [s], יונן *Ionan*, in casu recto: apud Matthæum [t] יונא *Iauna*, & apud Ioannem [u], item Græcos codices omnes apud Lucam ἰωνάν: & nõ paucos apud alios Euangelistas ἰωνᾶ: tamen testis est Regius olim Typographus [x] in quibusdam esse ἰωάννα in cap. 1. Ioannis: in c. autem 21. ἰωαννᾶ. Postremò præualet editio Latina, præsertim iam correcta: sed ad rem. Per idem fel denotatur Simonis ira, & inuidia, quòd se despici existimaret: quam *radicem amaritudinis sursum germinantem, multósque inquinantem* nominat Paulus [y], oppositam SPIRITVI, qui *suauis est* [z], *& cuius non habet amaritudinem conuersatio* [a]. Biliosorum genus est, teste Aristotele [b], qui amari dicuntur, qui cum difficultate placantur, & longo sunt tempore sub ira; soléntque medici amara pro biliosis accipere, quippe cùm ad cibum potúmve sumpta bilim augeant. Denique in *felle amaritudinis esse*, est esse animo pessimè affecto, vt ait Sã. Basilius [c] discrimen statuens inter furorem, iram, excandescentiam, amaritudinem, hanc ait esse confirmationem perturbationis acriorem. Præstereà sicut *serpens est principium omnis peccati* [d], ita peccato nomen fellis, veneni, & amaritudinis rectè tribuitur, vt dicatur *vua fellis, fel draconum, & botrus amarissimus* [e]: & peccatori *amarum esse derelinquere* DEVM [f]; & *eum prouocare ad iracundiam in amaritudinibus* [g]; & *potare aceto, & felle, ac myrrha* [h]: reddendo ipsum, qui suauis est, & benignus, veluti amarum, & seuerum. Lege Ioannem Ferdinandum [i], & Pinedam [k], qui disserunt de multiplici significatione amaritudinis. Suspicor, & hoc voluisse Petrum, quòd videret, & cognosceret per reuelationem Simonem destinatum pœnis æternis, sicut & obstrictum perpetuis vinculis peccatorum: id enim præseferunt Græca cum accusatiuo: Εἰς χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα; *In choleram acerbitatis, & colligationem iniquitatis video te positum.* Sanè haud infrequenter amaritudinis vox coniungitur morti, & dicitur *arcus res amara* [l], *morsus amarissimus* [m]: *amaritudo amarissima* [n] mors inopina: *amarior morte mulier* [o]: *amara mortis memoria* [p]: *ipsa mors amara* [q]: *dies amarus mortis* [r]: *amaro animo* is, qui effertur ad supplicium [s]: *mors in olla* ob amaritiem colocynthidum, seu cucumerum, aut cucurbitarum syluestrium [t], quas Persæ vocant *fel terræ*, teste Mesue apud Franciscum Vallesium [u]. Dulcia peccatorum initia, extrema amara, vt ferè dulcia omnia in amarorem, & bilem facilè commutantur. Vnde Sapiens [x]: *Fauus distillans labia meretricis: nouissima autem*

Simon nihil habet columbini.
m Matt. 3. 16.
n Mat. 16. 17. Ioan. 1. 42.
o in cap. 16. Matthæi.
p Ioan. 21. 15. 16. 17.
Antonius Nebrissensis arguitur.
q cap. 3. 30.
r in Quinquagena. cap. 24.
s cap. 3. 30.
t cap. 16. 17.
u c. 1. 42. & c. 21. 15. 16. 17.
x in Testam. suo Græco.
y Heb. 12. 15.
z Sap. 12. 1.
a Sap. 8. 19.
Biliosi quinam sint.
b 4. Ethic. 5.
c in Regu. Breu. in 55.
Fel & similia peccata significant.
d Gen. 3. 1. & seq.
e Deut. 32. 32. 33.
f Iere. 2. 16.
g Osee 12. 14.
h Psal. 68. 22. Matt. 27. 34.
i in Thesau. Scupt. verbo, Amarescere.
k in c. 13. Iob. v. 26. à nu. 1.
l Psal. 63. 4.
m Deuter. 32. 24.
n Esa. 38. 17.
o Eccl. 7. 27.
p Eccl. 41. 1.
q 1. Reg. 15. 32.
r Amos 8. 10.
s Prou. 31. 6.
t 4. Reg. 4. 40.
u de sacra Philosophia. c. 13.
x Prou. 5. 3. 4.

amara quasi absynthium.

Obligatione iniquitatis.] Syriacè habetur, ובקטרא דעולא *vabbekatre debhaule*, id est, *in vinculis iniquitatis*, Græcè in accusatiuo, vt dixi, συνδεσμον, *colligationem*. Peccatum aptè dicitur vinculum, catena, funis, laqueus, sagena, rete: & peccator ligatus, atque obligatus, vinctus, & captiuus. Hinc illud [a]: *Iniquitates sua capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*; & [b], *Si abstuleris de medio tui catenam*; & [c], *Scient quia ego Dominus, cùm contriuero catenas iugi eorum*; & [d], *Funes peccatorum circumplexi sunt me*: eandem vim habent voces debiti, & debitoris. Sed alia sunt vincula, & iugum iustorum, ipsúmque legis nomen à ligando dictum est, qua solutus lege, *peruersè liber est, ac tanquàm pullum onagri se liberum natum putat* [e], vt eleganter exponit Gregorius*. Captiuitates Hebræorum typus sunt peccatorum: & Samson vinctus catenis [f], & zizania colligata [g] in fasciculos ad comburendum. Significat quoque obligatio iniquitatis hoc loco, veluti catenam intextam ex multis peccatis, quibus Simon erat obstrictus, quippe magus, hypocrita, auarus, Simoniacus, sacrilegus, in profundum peccatorum demersus, vt & in fæcem felleæ amaritudinis infixus. Illustrari hic locus potest simili ex Psalmo [h]: *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*: vetus editio, & Augustinus, *strangulationem*, Hilarius, *obligationes*, Romanum psalterium, *obligationem*, Aquila, διαπλοκάς, *implicationes, simultates*, Symmachus, σκολιότητας, Theodotio, διεστραμμένα, *peruersa*, Septuaginta, στραγγαλιὰς, *strangulationes, obliquitates*, vel etiam *obligationes*. Hebraicè, עקלקלות *bhakalkaloth*, id est, *tortuositates*, seu *prauitates*, quæ est *Periphrasis hypocritarum, qui intus malefici sunt, & extrà benefici*, vt ait Genebrardus.

Iniquitates.] Ἀδικίας. Non est fixum vllum discrimen inter iniquitatem, peccatum, scelus, delictum, & similia, quamuis Gregorius, & S. Thomas in verba illa Iob [i]: *Quantas habeo iniquitates, & peccata? scelera mea & delicta ostende mihi*, conentur assignare. Ioannes quidem in epistola [k] docet, quòd *iniquitas peccatum est*: & cùm Gregorius velit plus sonare iniquitatem, quàm peccatum, Ambrosius [l] contrà docet, latiùs patere illam, quàm hoc. Eandem sententiam de promiscuo harum vocum vsu docet Pineda [m], probabiliúsque meo iudicio loquitur, quàm Ribera [n], & Canus [o] dicentes nomen iniquitatis dici dumtaxat de mortali peccato. Idem iudicium est de Hebræis vocibus, עון *bhauon*, פשע *pesahh*, חטא *chet*, אשם *ascham*, & aliis, & de Græcis ἁμαρτία, ἀδικία, ἀνομία, & similibus. Lege commentarios nostros in Ioannis epistolam.

Versus 24.] Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum, quæ dixistis.

RESPONDENS *autem Simon.*] Videri potest Simon fidelis, ac pœnitens, quod de illo affirmat Abulésis [p], volens prætereà ad preces Apostolorum remissum ei peccatum. Omnes huius loci Interpretes fictã fuisse Simonis pœnitẽtiam, & preces has fuisse tales, quas solus timor pœnæ expresserit, contendunt: *etsi dissimulare non potuerit, & confiteri*, inquit Oecumenius, *se deprehensum, & præferre humilitatem*, vt ait Chrysostomus. *Sed est*

A *qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo* [q], qualis fuit Achab, dicens: *Non tentabo Dominum* [r]; & Antiochus DEVM Iudæorũ implorans, & se Iudæum fore spondens [s], & Esau, *qui non inuenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lacrymis inquisisset eam* [t], non pœnitentiam, sed paternam benedictionem, & primogenituram amissam, & honorem, & possessiones, ac patrimonium. Eodem in numero poni possunt perditi illi duo, Cain [u] & Iudas [x], pœnitendam pœnitentiam habentes. Lege Augustinum in libro de vera, & falsa pœnitentia [y]. Clemens Romanus Petri verbis recitat Simonem timore perterritum, videlicet seruili, & mundano, precatum pro se Apostolos, vt DEVM
B precarentur [z].

Quæ dixistis.] *Non quia credidit, sed quasi infidelis*, inquit Glossa ordinaria, *eis imputat quæ ventura sunt*. Vel Ioannes quoque aliqua locutus erat, vel ei eadem oratio socij Petri adscribitur. Verisimile autem est, orationem fuisse longiorem, & comminationem magis expressam. Porrò cur Petrus Simonem non sustulerit longè deteriorem quàm Ananiam, & Saphiram, rationem attigimus in capite quinto [a]. Adde ex Hugone Cardinale, quoniam edidit quædam signa pœnitentiæ, tametsi fictæ: ideóque si animaduersum in eum esset illa seueritate, qua in Ananiam Petrus vsus fuerat, desperassent alij, nec se ad pœnitudinem recipere
C curauissent: quocirca etiam *permitti regnare reges hypocritas* [b] (qui propriè אנשי לצון *ansche latson*, id est, *viri illusores*, dicuntur ab Esaia [c], & quos alibi vocat [d] Hebraicè, תעלולים *thahhalulim*, id est, *pueriles*, moribus videlicet, seu etiam *illudentes*, qui à nostro Interprete *effœminati* appellantur) quia pœnitentiæ formam aliquam gerunt. Sed quàm infelicem exitum Simon habuerit, plenæ sunt historiæ, qualem scilicet tot ac tã nefanda eius scelera commeruerunt, tum in primis Simoniæ peccatum, cuius grauitatem criminis Giezi lepra demonstrauit [e]: Ieroboam [f] quoque suppliciũ, atque Antiochi [g]: phrenesis Iustini Imperatoris [h]: Nicephoro etiam Imperatori mors à Bulgarorum re-
D ge Cramno illata [i]. Censuræ Pontificum, ac exauthorationes in Henricum IV. Imperatorem, à quo sunt Henriciani dicti, qui Simonia notati erant [k]: translatio regni Francorum à Merouingis ad Carolouingos: tum translatio Imperij ad Germanos à stirpe Caroli, ità vt Henricus I. qui primus in Imperio successit, huiusmodi votum emiserit [l]: *Simoniaca hæresis DEO inuisa, & à beatissimo Apostolorum principe Petro damnata, quæ ab Antecessoribus nostris hactenus est temerè custodita, modis omnibus à nostro sit regno expulsa*. Mitto damnatos in Concilio Ephesino ordinatos per pecuniam Episcopos [m], *ne si*, vt ait Synodus, *ista passim permitterentur, consuetudo Iudaica, vel Ægyptiaca*
E *fieret vendendi Sacerdotium, & emendi*. Nil dico de schismate Dioscori aduersùs Bonifacium II. quem Dioscorum Ioannes Papa excommunicauit [n], facta ad hoc propositum Simonis mentione. Taceo Gennadij Constantinopolitani Synodalem de eadem re epistolam [o], vbi de Simone eôdem, & de sententia CHRISTI [p]: *Gratis accepistis, gratis date*: quo loco ad idem vtitur Cyprianus [q], & Gregorius [r], & Chrysostomus [s], & Hieronymus [t]: licèt de vitanda iactantia exponant Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius in Matthæum; alij de largiter exhibendo miraculorum dono, quia *quæ gratis accepimus, gratis dare solemus, & copiosè dare, quæ gratis damus*:

Peccatum vinculum, funis, & cætera dicitur.
a Prou. 5. 22.
b Esa. 58. 9.
c Ezech. 34. 27.
d Psal. 118. 61.
Funes iustorum qui sunt.
e Iob. 11. 12.
* 10. Moral. c. 15.
f Iud. 16. 21.
g Matt. 13. 30.
Obligatio iniquitatis quid sit.
h Ps. 124. 5.
i c. 13. 23.
k 1. cap. 3. 4.
l in Apologia Dauid. Iniquitas, & peccatum non certum est quomodo differant.
m in cap. 13. Iob. vers. 23. nu. 3. & 4.
n Sophon. 3. nu. 14.
o 4. de locis Theolog. ca. vlt. ad 8.
Simon an fuerit verus pœnitens.
p 4. Reg. 6. q. 19.

q Eccli. 19. [illegible]
r Esa. 7. 12.
s 2. Machab. 9. 13. 17.
t Heb. 12. 17. Gen. 27. 38.
u Gen. 4. 13.
x Matt. 27. 5.
y Tom. 4.
z 6. Clem. c. 7.
Simon cur non fuerit à Petro sublatus.
a vers. 5.
b Iob. 34. 30.
c cap. 28. 14.
d cap. 3. 4.
Simonis supplicium, & Simoniaci pœnæ.
e 4. Reg. 5. 27.
f 3. Reg. 13. 34.
g 2. Mach. 9. Causa quæ Simoniacis subiecta fuerint.
h Niceph. 17. Histor. c. 11. & 30.
i Anna Comnena Constant. lib. 24.
k Otho Frising. lib. 7. ca. 10.
l Luithprand. lib. 2. c. 4.
m circa annũ Christi 400. contra Simoniacos Epheso. [illegible]
n To. 1. Concil. vet. edit.
o circa annũ 459. apud Balsamonẽ Tom. 1. Bibliothecæ Patrum.
p Matt. 10. 8.
q 3. com. Iud. c. 10.
r li. 4. epist. 31. & li. 7. ep. 110. hom. 4. & 13. in Euang.
s Hom. 33. in Marcum.
t in cap. 10. Matth. & in c. 3. Michææ.

tis damnis: alij in genere de fuga auaritiæ. Prætereo edicta Leonis Imperatoris,& Iustiniani[a],& Athalarici regis Arriani[b], aliásque ciuilis, & Ecclesiastici præsertim Iuris sanctiones, quæ præsertim extant in Decreto[c],& in Decretalibus[d],& in Extrauagantibus Ioannis XXII.[e] & alibi, & quæ propriè de hoc argumento scripta sunt à Gregorio[f],& in vita Romualdi,& Ioannis Gualberti,& apud Cæsarium[g].

Sed vt ad Simonem redeamus,hic procul posteà abiit,&,vt ait Chrysostomus,Romam,eò quòd Apostoli illuc non peruenerant. Priùs tamen, digressis è Samaria Apostolis, ciuium suorum partem seduxit,tum Iudæos,tum Gentiles,vt colligitur ex Iustino[h] (qui & ipse patria Samaritanus) & Irenæo[i], fortasse impostor ille Samaritanus fuit, in quem Pilatus, Iosepho[k] teste, exercitum immisit. Narrat apud Clementem Petrus[l], disputasse rursum se cum eodem Cæsareæ, & post trinam victoriam, compulisse,vt in Italiam fugeret. Proditum prætereà est in Recognitionibus, quæ Clementis eiusdem dicuntur[m], rediisse postmodùm Simonem ad Petrum,& obsecrasse,vt ipsum ad pœnitentiam susciperet, adiutorem se illi pollicendo in prædicatione, se enim reipsa deprehendisse illum esse verum Prophetam,& intimorum scrutatorem : at cùm Petrus eius hypocrisim reprehendisset, illum conuitiis Petrum incessendo discessisse ab ipso, professum non seriò pœnitere,sed eius nosse professionis secreta voluisse,vt confutaret. Tertullianus[n], eâdem pecunia, quam obtulerat Petro, scribit Helenem, siue Helenam quandam Tyriam de loco libidinis publico redemisse; dignam sibi mercedem pro SPIRITV sancto. Romam peruenit sub Claudio, eius anno secundo,circa CHRISTI annum 44. vt indicat Iustinus[o]. Ibi statua ipsi posita est,cum titulo : *Simoni* DEO *sancto*,in amne Tiberi inter duos pontes (vocabatur olim insula Tiberina, vel Æsculapij,vel Lycaonia, nunc S.Bartholomæi) vt prodidit Irenæus[p],Tertullianus[q],Eusebius[r], Cyrillus Ierosolymitanus[s]. Sub Nerone,vt est auctor Suetonius[t] (nō sub Claudio,vt Metaphrastes[u]) exhibuit in spectaculis Icarium volatum, de quo volatu Simonis tradit etiam Dio Chrysostomus[x], necnon Lucianus[y] de vario incessu magorum differens super aquas,superque ignes ; tale quod Iuuenalis[z] de mago canit,

——— *In cœlum iusseris, ibit:*

cedente autem virtuti diuinæ,vel Angeli percutientis potestati,vt placet Philastrio[a], qui sustentabat, sublimem Simonem Dæmone (quem duplicem Sulpitius fuisse vult[b], & apud Clementem[c] plures fuisse memorat Petrus ipse) Simon decidens elisit coxam,& extremos digitos pedum fregit,vt Clemens suprà citatus scripsit,vel crura, vt Epiphanius[d], & Arnobius[e], qui ex vrbe post eum casum ait perlatum Brundam, cùmque cruciatibus, ac pudore defessus esset,ex alti culminis se deorsum præcipitasse fastigio. Epiphanius[f] tamen Romæ mortuum affirmat, & innuit Cyrillus Ierosolymitanus[g],& Nicephorus[h] asserit,dicens locum, vbi cadens ruptus est,dictum Simonium. Hi omnes Auctores Christiani,præterque illos Damasus[i], Ambrosius[k], Hieronymus[l], Augustinus[m], Maximus Taurinensis[n], Isidorus[o], Gregorius Turonensis[p], Nicephorus[q], Glycas[r], Cedrenus[s], Monachi Orientales[t], Theodoretus[u], Hegesippus[x], Prosper[y], Chrysostomus[z], & alij permulti docent, auctoritate, & precibus

A Petri victum ac stratum Simonem, ac insuper de variis aliis altercationibus Romæ habitis inter vtrumque meminerunt Hegesippus, Acta Nerei, & Archilei, & Leo Papa II.[a] & Anastasius Nicenus[b]. De variis autem præstigiis Simonis, necnon de huius ipsius volatus gloriosa iactatione Clemens Romanus[c] multis disserit. Quare summa impudentia Caluinus[d] fabulam asserit contentionem Petri cum Simone : nec Augustinus[e] dubitat, nisi vtrum id acciderit die Dominico,& an pridie Petrus ieiunium indixerit, vt propterea in Vrbe sabbati ieiunium posteà perseuerauerit. Hanc quidam, vt Bellarminus[f],

B ex Petri prærogatiuis vnam esse contendunt : decuisse namque, vt Princeps ac Pater Ecclesiæ Principem, patrémque omnium Hæreticorum superaret. Attamen hac in re Paulum Petro socium adiungunt Cyrillus Ierosolymitanus, Sulpitius, Prosper iam citati. Responderi potest id eos dicere illo modo, quo Leonem[g], cùm omninò pares ipsos facit, saluo tamen primatu Petri,& Clauibus,quas nominatim Petro idem Cyrillus ibidem tradit. Ceterùm de Petro alij absolutè affirmant,nulla Pauli mentione facta. Cur autem permissus sit Simon, & Magi alij ab Apostolis suas exercere artes, illa est causa, quam de Magis Pharaonis[h], & aliis tradunt Theodoretus[i], & Chrysostomus[k], vt inde cognosceretur

C non esse Magos Apostolos, qui Magorum præstigias eluderent, sicut nec eo tempore Mosem, aut alios deinceps orthodoxos, qui cum huiusmodi genere hominum certauerunt, Magiam exercuisse facilè ostendimus. Postremò in hoc vno Simone obseruare licet, quàm studiosè Diabolus DEVM primus in cœlo, deinde vbi non successit, etiam in terra conatus sit imitari, & diuinos sibi honores comparare, si minùs per seipsum, & pro seipso, certè per alios homines, ac pro illis quoque quos in hac re fautores habebat. Iam quidem sentiens se pelli ab energumenis, & prauidens pulsum iri ab idolis Crucis virtute conterendis, excitat sibi quodammodò Ec-

D clesiam. Etenim Simonis in animum iniecit, vt se DEI *virtutem magnam* prædicaret, *seque ipsum* CHRISTVM *Saluatorem, ac instauratorem mundi*, necnon, prout occasio ferebat, modò FILIVM, modò PATREM, & SPIRITVM sanctum se nominabat; addebat item Simon se esse aduersarium prauorum Angelorum, qui Selenem (alij Helenam vocant) matrem omnium cœlo pepulissent. Prætereà voluit Dæmon vt præstigias,& incantationes pro miraculis, pro Missæ sacrificio sanctissimo, turpissimum Simon vsurparet ex sanguine menstruo,& semine humano nescio quod prodigiosum libamen : denique vt alios prætermittam crassissimos, fœdissimosque errores ipsius, qui recensentur à citatis Auctoribus, vt de gratia mini-

E mè necessaria ad salutem, ad quem errorem confutandum sunt qui scriptas putant plures epistolas Apostolicas, vt Petri, ac Iacobi, ac Iudæ[l], voluit Diabolus suæ Synagogæ Simonem habere ducem, vt CHRISTVS fuit Ecclesiæ. Vnde meritò appellatus est præcursor Antichristi à Chrysostomo[m].

Obseruabit, qui leget historias,& Patres, cultam à plurimis hæreticis magiam fuisse. Testantur de antiquioribus, Marco, Menandro, Basilide, Carpocratianis, Gnosticis, Irenæus[n], Theodoretus[o], Tertullianus[p], Epiphanius[q], alij. Etsi verò de nostri temporis hæreticis non adeò apertè constat

a l. si quemquam. C. de Episc. & Cler. b Cassiodor. 9. Variar. ep. 15. & 16. c caus. 1. q. 1. d in tit. de simonia. e tit. eod. f lib. 3. ep. 13. li. 4. ep. 21. 14. 51. 53. li. 7. ep. 79. 80. 110. 113. lib. 9. epi. 40. 51. 54. lib. 11. epi. 46. & in Psal. 4. pœnit. *Simonis post discessum Apostolorum ex Samaria gesta.* g li. 6. miracu. lo. c. 14. 15. 18. h Apol. ad Antoni. Pii. & in Tryph. *Simonis fraudes diuersæ.* i lib. 1. c. 26. k 18. Antiqui c. 5. vel 7. l 6. Constit. cap. 7. m lib. 1. n lib. de anima. c. 14. o in Apol. p lib. 1. c. 20. q in Apologet. c. 13. r 2. Hist. c. 13. s Catech. 6. t in Nerone. cap. 12. u 29. Iunij. x orat. 21. de pulchritudine. y in Philopseud. *Gesta eius Romæ.* z Satyra 3. a de Hæresib. c. 13. b 2. Hist. sacr. c 6. Constit. c. 9. d hæres. 21. *Simonis exitium quando contigit.* e 2. contra Gentiles. f suprà. g Catech. 6. h lib. 2. c. 36. i in Petro. k Ser. 67. vel 11. & orat. in Auxent. l de viris illustril. in Petro & in Ps. 9 m de Hæres. c. 1. ep. 86. lib. cont. Fulgen. Donat. c. 23. n Serm. vlt. de Petro, & Paulo. o de vita, & obitu Sancto. p 1 Hist. Fran. c. 25. q 2. Hist. c. 14. r 2. Annal. s in Compen. historiæ. t libello ad Papam Agapetum, in 5. Synodo, Act. 1. u 1. de fabu. Hæret. c. 1. x 3. de excid. Hierosol. c. 2. y de Promiss. ... tēpo. ... z Hom. cōtra Hæret. in to. ... Ephrem.

a ep. ad Constant. Imp. in 5. Syn. Act. 1. b quæst. 23. in Script. c 3. Recognit. d 4. Instit. c. 6. §. 15. e ep. 86. f li. 1. de Rom. Pontif. c. 23. *An Paulus Petri socius fuerit in altercatione cum Simone.* g Sermo. 1. de Natiu. Apost. Petri & Pauli. *Cur Petrus & Apostoli Magos permiserint suas artes exercere.* h Exod. 7. & inde. i q. 18. in Exod. k Homil. 46. in Acta. *Dæmon primus in cœlo, post in terra nomen diuinum comparare voluit.* *Simonis impia, & blasphema verba.* l Adamus in argumēto ep. ad Hebræos. m Ser. contra Hæret. Tom. 3. Ephrem. n lib. 1. c. 8. 9. 21. 22. 23. 24. *Hæretici plurimi Magiæ fuerunt dediti.* o in fabulis hæret. p de præscr. q cōtra Gnosticos.

palàm ac publicè id factitare; laudant tamen sortilegos, ac fouent illos, omniáque media tollunt, quibus Catholici vtuntur contra ipsos. Lege Proloquium nostri Delrij ad magicas Disquisitiones suas,& Feuardentium in epistolam Iudæ. Lutherus[a] gloriatus est se plusquàm salis modium cum Satana comedisse, atque ab eo argumenta didicisse quibus oppugnaret Missæ sacrificium [b]. Zuinglius[c] edoctum se à *quodam spiritu, quem nesciret ater esset an albus*; quomodo deprauaret verba, quibus cōsecratur corpus CHRISTI. Est quoque certum, fuisse semper hæreticos præcursores magorum, nuncque iis in prouinciis hos vigere, vbi illi disseminati sunt, ac maiore quidem copia, quàm pluribus retrò centuriis annorum fuerint.

Lutherus gloriatus est se plures salis modios cū Dæmone comedisse.
a lib. de angula Missa.
b lib. de supplem. Euch.
c epist. ad Bucerum.

Versus 25.] Et illi quidem testificati, & locuti verbum Domini, redibant Ierosolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant.

ET *illi quidem testificati, & locuti verbum Domini.*] *Firmius testimonium perhibentes*, inquit Glossa interlinearis, *verbis vel signis, ad confirmationem credentium*, nempe illorum qui erant in ciuitate Samariæ, vbi diutiùs hæsisse Apostolos credendum est, vt contra Simonis futuras præstigias, erroréśque, ne nouissimus error peior esset priore, meliùs armarentur, & vt ab iis, qui CHRISTO familiariter vsi erant, fierent certiores, ita se habere, quæ Philippus docuerat.

Apostoli cur diutiùs in Samaria commorati sint.

Et multis regionibus Samaritanorum euangelizabant.] Ne inutilis esset reditus, & inanis fructus itineris, vtque prouinciam omnem Samariæ, quoad liceret, aduersùs Simonem instruerent. Quas verò editio nostra regiones appellat, dicuntur Græcè κώμας, id est, vt rectè Syrus reddit, קוריא *kuraia*, quod est, *pagi*, siue *vici*, vel, vt plerumque Latinus interpres noui Testamenti vertit, *castella*. Sumitur aliquando nomen regionis pressiùs, vt dixi versu primo, pro tractu, quem vulgò diceremus Italicè, *il contorno, ò quartiere*, Gallicè, *à l'enuiron, ou le quartier*. Digreditur Chrysostomus in parænesim eorum qui villas habent, eos vehementer adhortans, vt illas non tam ad fruges, & voluptatem colant, quàm Christianè, piéq; instituant, ac præsertim ne vllam absque Sacra æde esse patiantur: id enim ad pacem agricolarum vtile, & ad securitatem agri esse; & hoc esse colere animas eorum; qui terram colunt, illos inserere in cœlos, qui fructus agri Domino ferant, & habere in villa paradisum, vnde corpus, vnde anima recreetur.

Apostoli cur per Samariam prædicauerint.

Nomen regionis quid significet.

Qui villas habent quid in iis præstare debeāt.

Versus 26.] Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra Meridianum, ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam: hęc est deserta.

ANGELVS *autem Domini locutus est.*] Quid sibi velit nomen Angeli, & an qui dicitur Angelus Domini, sit semper bonus, dixi capite quinto[d]. Probabile est, hunc fuisse tutelarem, vel Ecclesiæ, qui dicitur Michaël, vel Eunuchi, vel Aethiopiæ, vnde ille erat, vel etiam Philippi. Primum affirmat Pantaleo Chartophylax laudatus à me ibidem, & alij.

d vers. 19.
Quis fuerit hic Angelus.

Locutus est ad Philippum.] *Non Eunucho Angelus* A *apparuit, eúmve duxit ad Philippum*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius, *quia fortassis non obedisset, vel saltem perterritus fuisset; neque enim erat qualis Cornelius*[e], qui nimirum, tametsi Gentilis, religiosus erat, ac inter Iudæos versatus, Angelorum apparitiones non ignotas habebat. Quanquàm Dionysius auctor est, in lege naturę ab Angelis homines eruditos de necessario cultu DEI. Innuitur etiam debere ipsosmet Angelorum fungentes officio Sacerdotes, ad peccatores adire, eosque perquirere, & ad meliorem frugem reducere. Prætereà intelligimus varium vocationis modum, aut immediatè per homines, qui cōtigit Samaritanis: aut per Angelos, seu visiones, vt hoc loco, & capi- B te decimo, in quo de Cornelio agitur: item, vel sine vocatorū dispositione, vel cum aliqua, vt in dictis exemplis, vel cum opposita, vt in Saulo. Non inculco Philippum istum Diaconum fuisse, non Apostolū, vt Albertus tamen præter alios voluit[f]; satis enim id anteà demonstratum est. Adde testimonium Cypriani[g], Hilarij[h], Augustini[i], Innocentij Papæ[k] (qui vocat eum Euangelistam propter Euangelij prædicationem) & Anacleti[l].

Cur Angelus Eunucho nō apparuit.

e Act. 10.
Sacerdotes debent peccatores adire.
Vocationis varietas.
f in cap. 12. Ioan.
g epist. 73. vel lib. 2. ep. 1.
h in Psal. 67.
i q. 101. test. & vete. Test.
k epist. 17. ad Episc. Macedonię.
l epist.
m vers. 19.

Surge.] De vi, vsúque huius vocabuli dictum est capite primo[m], significare scilicet plerumque alacritatem celeritatemque operis, quæ significatio præsenti loco multùm congruit, ita vt inde C colligi nequeat, iacenti, aut dormienti Angelum apparuisse, cùm probabilius sit vigilanti.

Vade contra Meridianum.] Κατὰ μεσημβρίαν. Syrus habet, לתימנא, *lethaemana*, id est, *ad Meridiem*, seu, *ad Austrum*, Caietanus exponit, *versùs*, necnon Emmanuel Sà. Gagneius verò negat eundum fuisse Philippo exactè ad Meridiem iuxta topographiam Palæstinæ, sed inter Occidentem, Meridiémque. Chrysostomus, & Oecumenius hinc inferunt, Philippum modò non ex Ierusalem abire iussum, quia itur inde ad Septentrionem, sed ex Samaria, vnde est iter versùs Meridiem. Multa suppetunt exempla in Scriptura acceptionis particulæ, *contra*, pro, *versùs*, aut è *regione*[n]: nec id abhorret à vulgari vsu loquendi plurium lingua- D rum. Mysticum sensum omitto. Miror cur Donatistæ, qui in Africæ Meridionali videlicet plaga *Ecclesiam sponsam* CHRISTI *cubare iactabant*, hoc etiam loco abusi non sint, vt illo ex Canticis[o]: *Vbi pascas, vbi cubes in Meridie*, vt sæpe Augustinus[p] cum irrisione meminit.

Cōtra pro versus vel è regione scripturæ frequens.
n Sanctus Pagnini phrasibus Script.
Donatistæ hoc loco non abusi sunt.
o cap. 1. 7.
p ep. 48.

Ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam: hæc est deserta.] Syriacè sic legimus, באורחא דנחתא מן אורשלם לעזא *beurecha marberaietha denachtha*, id est, *per viam desertam, quæ descendit, &c.* At Beda docet, non viam, sed Gazam desertam dici: *veterem enim illam Gazam, quæ terminus erat quondam Chananæorum iuxta Aegyptum, ad solum vsque esse destructam* (nimirum ab Alexandro post obsi- E dionem bimestrem) & aliam pro illa alio loco constructam. Glossæ omnes cū Beda cōsentiunt, & Magister Historiæ Scholasticæ, Hugo Cardinalis, Carthusianus, Caietanus, Gagneius, & alij Latini. Cum Syra interpretatione concordant Chrysostomus, & Oecumenius, notantes, ideò expressam hanc loci circunstantiam, ne Philippus metueret Iudęos: sed verior causa, vt distingueretur ab alia sita in portu maris, de qua paulò pòst, per quam non erat ineundum iter à Chanaam in Aegyptum. Gaza dicitur Hebraicè, עזה *hhazah*, id est, *fortis*, per literam ע *haiin*, quæ litera frequenter vertitur in g, propter soni similitudinem, vt in Gomorrha, Hebraicè עמרה *hhamorah*,

Gaza vetus destructa, & alia condita.

Beelphe

Beelphegor, Hebraicè, בעל פער *babhal phebhor* quod hoc loco fecit Syrus interpres scribens per g, לגזא *legoza* in Gazam. Vna erat ex celeberrimis Palæstinorum vrbibus, cum Azoto nimirum, Ascalone, Geth, Accaron, quæ erant metropoles quinque prouinciarum [a], & distabat ab Hebron mansione vna, duabus ferè ab Ierusalem (cuius portas Samson media nocte in verticem montis transtulit [b]) in via Ægypti à Iudæa. Ita vt propterea Eunuchus reginæ Æthiopum, qui sunt prope Ægyptum, rediret ab Ierusalem in patriam per viá, quæ ducebat Gazam. Quocirca fallitur Pomponius Mela [c], cùm & Persicam vocem nominat significantem ærarium, & ita vocatam in Palæstina, munitam admodùm vrbem, quòd cùm Cambyses Ægyptum armis peteret, huc belli & opes, & pecuniam contulerit. Nam multò ante Cambysem nomē id ei loco impositum erat, quo visos Prophetas constat [d], Genesim [e], Deuteronomiū [f], Iosue [g], librum Iudicum [h], Historiam Regum [i], Historiam Machabæorum [k], & de Cambysis gaza, siue ærario, non in Palæstina, sed in Æthiopia Ægypti meminit Ptolomæus [l], qui præterea memorat in Media ciuitatem Azagam, quæ ab Strabone [m] vocatur Gaza. Sophonias [n] prædixisse videtur destructionem Gazæ, vtens quoque paronomasia, sic scribens, כי עזה עזובה תהיה *chi bhazah bhazubah thiheieh*, id est, *quia Gaza derelicta erit*, vel, iuxta nostrum Interpretem, *quia Gaza destruetur*. Destruxisse eam dicitur Alexander Magnus post biennalem obsidionem, teste Curtio [o]: sed habuit posteà quoque nomen Constantia à Constantio Constantini Magni filio, vel à Constantia huius sorore (variant enim hac in re Historici [p]) cùm enim locus ille, qui priùs Gentilium superstitioni summoperè deditus fuerat, subitò ad pietatem Christianam esset conuersus, ob id eo ciuitatis honore affectus fuit per ipsum Imperatorem. Sed hoc potiùs ad nauale Gazæ pertinet appellatum Maiumam, quæ differt à Gaza, & distat ab ea circiter viginti stadia. Nam Constantinus cùm intellexisset Maiumam religioni Christianæ deditissimam esse, illam, vt dixi, cum nouo nomine Constantiæ ciuitatis honore decorauit, eximens à ditione Gazæ superstitioni Gentilium supra modum addictæ. Iulianus verò nactus Imperium, Gazensibus Constantienses denuò subiecit, ex eóque tempore pro Constantia Gazæ vrbis maritima pars nominata est: salua tamen distinctione regiminis Ecclesiastici per diuersos Episcopos Gazensem, & Constantiensem, siue Maiumatensem, frustrà illo litem in hunc intendente, vt meminit Sozomenus [q]. Hodiè verò Gazera vocatur, & forum est rerum venalium celebre, & amplum: non tamen in ipso maris littore, sic tamen vicino mari, vt per fossam merces vltrò citróque scaphis conuehi possint. Porrò Anacletus [r] hoc exemplo Philippi, sicut & Habacuc, qui portauit prandium Danieli [s], hortatur nos ad fiduciam in DEVM, *proiiciendámque in ipsum omnem sollicitudinem nostram, quoniam ipsi est cura de nobis* [t].

Gaza quæ ciuitas esset.
a 1. Reg 6.17.
b Iud.16.3.
c lib.1.c.11. error Pomponij Melæ.
d Ierem. 25. 20. ca.47.1.5. Amos 1. 6. 7. Sophon. 2. 4. Zach. 9.5.
e cap.10.19.
f cap.2. 21.
g cap.10.41.c. 11.22.c.15.47.
h c.1.18. ca.6. 4. c.16.1.21.
i lib.1.c.6.17. lib.3. c 4. 24. lib.4.c.18.8.
k li.1.c.11.61. c.13.41.
l lib.4.c.7.
Constantinus Maiumam locum ignobilem ciuitatem fecit propter religionē Christianam.
m lib.11.
n cap.2. 4.
o lib.4.
p Sozom. 2. Hist. c. 4. & Euseb. 4. de vita Constantini. cap.38. ac Socr. li.1.c.14.
Iulianus Apostata Constantienses Gazensibus iampiu subiecit.
q 5. Hist. c.4.
r epist.2.
s Dan.vlt.
t 1. Pet.5.7.

Versus 27.] Et surgens abiit, Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens Candaces reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem.

A ET *surgens abiit.*] *Nil interrogans*, inquit Chrysostomus, *& in altero perfectionem*, hoc est, surgendo, *in altero obedientiam ostendens, videlicet abeundo*, inquit Glossa interlinearis. Et Carthusianus informat hoc exemplo Religiosos, vt *sine superflua*, inquit, *inquisitione statim obediant: immo olim Sanctos subditos patribus suis in his, quæ vel irrationabilia, vel inutilia videbantur, obedisse celeriter contestatur*. Præclarè de hac re disserit Gregorius [u] expendens obedientiam pueruli Samuelis [x].

Obedientia prōpta religiosorum hoc exprimitur.
u in 1. li. Reg. lib.2.c.4. ante med.
x 1. Reg.3.

Et ecce.] Nouitatis, & admirationis, atque improuisæ rei nota est in ista particula. Nam quis post Simonis tristem casum, hominis Gentilis, ac primarij conuersionem expectasset? Sic alternat
B vices DEVS, &, vt monui exponens Iudæ ruinam, & pro illo substitutionem Mathiæ [y], hoc est quod Iob ait [z], *Conteret* DEVS *multos, & innumerabiles, & stare facit alios pro eis.*

Post Simonis casum accidit hominis potentis conuersio.
y Act.1.v. 20.
z Iob 34.24.

Vir.] Quoniam hic idem vocatur posteà Eunuchus, voce significante vitium corporis, existimat Glossa interlinearis, Beda, & alij, nomen viri nunc designare animi vigorem, ac virtutem. Sed puto simpliciorē, & communiorē vim huius nominis esse, de quo aliàs dixi [a]. De nomine Eunuchi deinceps. Videtur Hieronymus [b], eandem illam secutus de viro sententiam, voluisse, vt nempe virum Lucas appellauerit iam baptizatum, & fide
C roboratum. Lyranus contrarium infert, cùm dicatur *vir*, argumento esse Eunuchum dici à castitate, & honestate morum, non à præcisione genitalium.

Cur vir Eunuchus dictus sit.
a cap.1.10.
b in c.53. Esa. & 1. cont. Iouin. c.7. & ep. 193.

Æthiops.] Æthiopia duplex fuit, vt colligitur ex Homero [c], Herodoto [d], Strabone [e], Plinio [f], aliisque præsertim Geographis, altera Orientalis contermina, & contigua Aegypto, altera Occidentalis, longiùs inde remota: atque inter vtramque interest sinus Arabicus. Causa cur id nomen tam latè communicatum sit, illa videtur fuisse, quòd latissimè imperium aliquando Aethiopes protulerint, potiti etiam Aegypto, multisque Orientem, ac Septentrionem versùs terris, quibus
D diu proinde nomen Aethiopia insedit. Hebraicum vocabulū est כוש *chusch*, à primo filio Cham sic dicto [g]. Et sanè huic genti adhæsisse videtur istius Cham maledictio, quoniam pleriq; ex ipsis sunt mancipia [h]. Lege Franciscum Riberam [i], & Ioannem Ferdinandum [k]. Refellit iure Pererius [l] Matthæum Beroaldū [m], adhibita duplicis Aethiopiæ distinctione, cùm ille vocabulo Hebraico כוש *chusch*, non Aethiopiam appellari, sed Arabiam Aegypto, ac Palæstinæ propinquam, & vsque ad sinum Arabicum, quod Mare Rubrū dicitur, porrectam, magnoperè contendit. Hoc enim est, non tantùm Philoni, Iosepho, Eusebio, Hieronymo, omnibúsque diuinarum literarum tractatoribus,
E Hebræis iuxtà, atque Christianis præfractè aduersari, sed interpretibus quoque Septuaginta maximæ, grauissimæq; auctoritatis, qui perpetuò Chus αἰθιοπίαν Aethiopiam, & כושים *chuschim*, αἰθιοπὰς Aethiopas Græcè reddiderunt.

Aethiopia olim duplex fuit.
c Iliad.a.
d lib.7.
e lib.1.
f lib.5.
Aethiopia Hebraicè vnde nomen habeat.
g Gen.10.6.
h suprà 9.25. & seq.
i Sopho.3. à num.25.
k in Thesau. Script. verbo, Æthiopia.
Beroaldus Arabiam Chus esse dicens refellitur.
l libr. 15. in Gen. Disp.1.
m in Chron.

Appellatio Aethiopiæ ducta fuit ab Aethiope Vulcani filio, vt placet Plinio [n]; aut ab αἴθω, quod est, *ardeo, vro, cremo*, & ὄψ, id est, *aspectus*, quia facies incolarū nigrescit Solis adusta ardoribus. In Scriptura nomine Aethiopū aliquando intelligi Gentiles indifferēter, docet Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus, Glossa, dum exponunt verba Psalmi [o]: *Aethiopia præueniet manus eius* DEO. Intelliguntur quoque peccatores per Aethiopes metaphoricè, ob nigredinem vultus, vt apud Amos [p]:

Æthiopes vnde dicti.
n lib.6. c.30.
o Psal.67. 32.
Aethiopes peccatores designant.
p c.9.7.

a Habacuc 3. 7. Sopho. 2. 12.

b Iere. 13. 23.

Chusi etiã Saül dictus est. . & cur.

c 1. Serm. Sat. 4.

Nunquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi filij Israël? & alibi aliquot locis [a]: denique Hieronymus ait, quòd in omnibus Scripturis Æthiopes dicuntur, qui penitus in vitia sunt demersi, & ita in vitiis inueterauerunt, vt consuetudinem quodammodò in naturam vertisse videantur, quibus dictum est [b]: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Eadem de causa *Chusi*, hoc est, *Æthiopis* nomine Saül designatur in titulo Psalmi septimi, vertítque ibi Scholion *Æthiopem*, qui vocatur *filius Iemini*: nam erat Saül improbus, & obfirmato contra Dauidem animo. Tritum est quoque aliis nationibus nigrum, & atrum pro malo ponere: vt Horat [c].

B

—Hic niger est, hunc tu Romane caueto.

* Psal. 71. 9.

d 1. de morib. Gent.

e in c. 3. Matt.
f in epigram. anthol.
g ora. subcesiu. c. 17.

h 6. Georg.
i in Chronol.

Deniq; per Æthiopes intelliguntur qui squallentes, aridas, desertas incolunt regiones, vt in Psalmo*, *Corã illo procident Æthiopes*, vbi Hebraicè est, לפניו יכרעו ציים *lepanau iichrebhu tsiiim*, i. *coram illo procident habitatores deserti*, vel secundùm R. Abraham, *habitantes in terra deserta*. Sũmus nũc Æthiopum rex ab ipsis dicitur, vt ait Ioannes Boëmius [d], Gian, id est, potens: cùm autẽ vulgò quidam nominant Presbyterũ Ioannem, idem esse vult, ac si nominarent Preteianni. Idem visum Ioanni Soario [e], & aliis. Mauult Brodæus [f] dicamus Prestani, idque esse vetus Indiæ regum nomen. Meminit noster Lælius Bisciola [g] de aliis, qui Sophum, Beldugian, Ioannem pretiosum, Presteicban appellent. Refert quoque eundem Boëmum, Munsterum [h], Genebrardum [i] narrare, Æthiopas existimare, natum regem suum, qui & albo sit colore, ex stirpe Dauid, iam inde quando Regina Saba, seu nomine Maqueda, seu Nicaula, filium Salomoni peperisset, ei nomen Dauid imponẽdo.

Fuerit ne Gentilis.

k 2. Hist. c. 1.
l 2. Hist. c. 6.
m li. 1. Carm. in Actus.

n c. 12 lect. 4.

o Concord. c. 111.

Fuit proselyta, & religione Iudæus.

p Tom. 1. Annal.

q lib. 17.
r 8. Antiq. c. 4.
s 1. de Rom Pont. c. 12.

t Act. 15. 7.
u Act. 10. 10. 20.

Ceterùm hunc, de quo agimus, origine כושי *chusschi* Æthiopem, ac religione etiam Gentilem sentit Beda, Glossa ordinaria & interlinearis, & Hugo, & Caietanus. Lyranus probabile ducit, & planè fauent, qui primitias Gentium Ecclesiæ vocant, vt præter modò citatos, Eusebius [k] etiam, & Nicephorus [l], & Arator [m], & alij: aut qui citata verba Psalmi: *Æthiopia praueniet manus eius* DEO, impleta nunc esse tradunt, vt præter alios Oecumenius hoc loco, Theodoretus, siue Basilius in dictum Psalmum; & Euthymius. Porrò B. Thomas in Ioannem [n] disertè docet fuisse Gentilem, & Maldonatus, & Toletus, & Sà citans Bedam, & Iansenius [o], & Ioannes Arboreus, & Claudius Guillaudus, & Albertus Magnus, qui tamen malè confundit Philippum Apostolum cum Diacono. Lyranus autem æquè probabile existimat fuisse proselytum, siue religione Iudæum, quia, vt subditur, legebat Esaiam. Id Carthusianus tenet, tum etiam quia hoc eodem loco narratur venisse adorare in Ierusalem. Baronius [p] prætereà idem affirmat, arguens erroris contrariam sententiam, eò quòd nondum erat reseratus Gentibus aditus ad Ecclesiam, sed primùm patuit per Petrum Cornelio Centurioni: & Æthiopes cum Iudæis eadem penè sentiebant, auctore Strabone [q], vtentes quoque Circumcisione, vt testatur Herodotus à Iosepho [r] citatus. Eandem sentẽtiam sequitur Bellarminus [s], propter priorem rationem quam afferebat Baronius, & alias antecedentes, maximè quòd ipsemet Petrus indicat se primum prædicasse Gentibus [t], & anteà dubitauerat, an esset tempus illis prædicandi [u], & de dispersis à tribulatione, quæ facta est sub Stephano, scriptum

x infrà 11. 19.
y ep. ad Suuinam
z Hom. 21. Acta.
a in vita Cypriani.

b lib. 4. c. 40. Cur scierit Eunuchus vnde fuerit.

Author probabilior pro ...sit Gentilis.

A est [x], *quòd nemini loquebantur verbum, nisi solis Iudæis*, & Hieronymus [y], atque Chrysostomus [z] aiunt, Cornelium primum à Petro baptizatum, salutem Gentium dedicasse, & initium Gentium ab illo factum. Adde Pontium Diaconum [a] discipulum Cypriani, qui propterea tam citò Eunuchum baptizatum docet, quia & Iudæus erat, & de templo Domini veniens Prophetam legebat Esaiam, & sperabat in CHRISTO, etsi nondum eum venisse crediderat. Irenæus [b] quoque ait, *parum fuisse laborandum Philippo, quia deerat sola cognitio Eunucho, aduenisse Filium* DEI, *ceterùm à Prophetis præcatechizatum fuisse circa* DEVM PATREM, *& conuersationis dispensationem*, id est, *vitæ mores, & præaptatum in timore* DEI. Equidem concedo posteriorem opinionem fauere primatui Petri, quatenus primum Gentilibus patefecisse asserit portam Ecclesiæ: tamen tantùm abest, vt oppositam sententiam erroris damnandam putem, vt magis etiam probabilem reat, nec de Petri prærogatiua vllum inde præiudicium fieri censeam. Nam aperta palàm, ac in communi porta non est, nisi per Petrum: nunc tantùm in transitu ascitus est Eunuchus. Quomodo superstite adhuc CHRISTO pauci quidam Samaritani ac Gentiles vocati sunt ab eodem ipso CHRISTO, vt mulier Samaritana, & mulier Chananæa siue Syrophœnissa, & alij, qui non suis modò id inhibuerat, sed *seipsum quoque*

c Matt. 15. 24.
d Matt. 15. 24.
Etiam Gentes ad templum Ierosolymitanum conueniebant.
e c. 12. 20.
f 2. Mach. 3.
g cap. 3.
h 1. Esdr. 4. & 6.
Quo animo Esaiam legeret.

C *venisse negauerat* [c], *nisi propter oues, quæ perierant, domus Israël* [d]. Neque obstat profectio ad templum Ierosolymitanum: id enim celebratum à Gentilibus testatur Ioannes [e], ob celebritatem, famamque sanctitatis eius, quod famosissimum in toto orbe nominat Machabæorum historia [f], narrans ibidem Heliodorum hostiam obtulisse [g]: sicut & eòdem misisse munera Cyrum, & Darium, Esdras commemorat [h]. Quòd legebat Eunuchus Esaiam, id faciebat, vel curiosè, vel etiam studiosè, hoc est, voluntate cognoscendæ veritatis, præsertim cùm, vt dictum est, magna esset consensio Æthiopum cum Iudæis in rebus pertinentibus ad religionem. Quæ ratio non iuuat contrariam opinionem, sed nos potiùs, vt minùs verisimile videri debeat ab homine Gentili adiri templum, & legi sacram Scripturam potuisse, quam constat iussu etiam Ptolomæi Græcè redditam.

De nomine Eunuchi.

Eunuchi origo.

i 3. pædag. c. 4.
k 1. vitæ Apol.
l in Satyr. co.
m 9. Hist. Æthio.
Cur Eunuchi haberentur.
n 6. Epigram. ep. 66.
o 1. cont. Iouin.
p Luithprandus 6. de rebus per Europam gestis c. 4.

Eunuchus.] Εὐνοῦχος, Syriacè legitur, מהימנא *mehaiemnah*, quod nomen Auctor Lexici Syriaci interpretatur *præpositum*, sed in Bibliis Regiis notatur in margine idem esse, quod סריס *saris* Hebraicè, id est, *qui est ex sectis testiculis*, vel etiam *Princeps*. Græca vox, iuxta Græcum etymon, idem valet, vt est in magno Etymologico, quod *lectum habens*, aut *lecti custos*, ἀπὸ τοῦ τὴν εὐνὴν ἔχειν καὶ ἐπιμελεῖσθαι, id est, *ex eo quod lectum seruaret, & eius curam haberet*: quoniam ad cubilis, & gynæcei

E custodiam curámque expeditior esset, quàm ancilla quælibet, vel quia ad cubicularium ministerium adhibitus, de fide continentiæ aduersùs vxores suspectus non esset. Legendi Clemẽs Alexandrinus [i], Philostratus [k], Petronius [l], Heliodorus [m], Martialis [n], Hieronymus [o], de turpi abusu non fœminarum duntaxat, sed masculorum. Aliæ prætereà duæ causæ Eunuchismi esse possunt, nempe ad seruandam pueriles in canendo vocis tenuitatem, ac suauitatem, & ad propulsandum morbum, non alia ratione curabilem. Adde quartam causam in historiis non raro expressam, ad vlciscendos hostes [p], aut etiam quintam ad quæstum ex eorum mercatura faciẽdum.

Eò res etiam processit, vt eunuchæ mulieres efficerentur, quod Xanti Lydorum historici testimonio de Lydis confirmat Athenæus [a]. Quidam deriuant, vt Phauorinus [b], ab εἰ τὸν νοῦν ἔχειν, eò quòd res Venereæ ἀνόητα, id est, *sine intellectu & mente*, ab Antiquis dicerentur. Eustathius [c] quasi sit εὖνις, hoc est ἐστερημένος ὀχείας, id est, *priuatus*, seu *orbatus congressu mulierum*. Epiphanius [d] dictum esse existimat, quia possit εὐνοεῖν, hoc est, *beneuolus esse, ac fidem seruare*, his ablatis membris, quibus esset ad frangendam castitatem excitatus. Suidas [e] virum fuisse dicit hoc nomine proprio appellatum: *Si demus*, inquit, *eum fuisse virum, qui fuit animo disputationibus Epicuri effœminato, & eneruato*. Robertus Olcot in librum Sapientiæ [f] meminit *etymologiæ ab* εὖ, id est, *bene*, & νίκη, *victoria*. Ex quo intelligitur, si respiciamus notationes vocis, præter B primam, quæ latiùs patet, hoc hominum genus tale esse, quod nec fœmineum, nec masculinum esset, vt rectè dixit post alios auctores profanos Basilius [g], & Nazianzenus [h].

Insectantur iidem castissimi Patres [i] grauissimè Eunuchos ab hominibus factos, quippe qui maxima ex parte infecti essent hæresi Arriana, vel Macedoniana; docet verò Basilius, intolerabili quadam libidine, ac longè maiore quàm alios, titillari, atque cruciari: idque & naturali ratione demonstrat, & sui temporis duplici exemplo. Eadem est doctrina Augustini [k], qui refert Calligonum Eunuchum Valentiniani iunioris gladio puC nitum, ob vim meretrici illatam. Lege quiddam aliud quod narrat [l] ex Terentio [m], apud quem Pythia inquit de eunuchis.

Ego istos (eunuchos) *audierã amatores vel maxumos,*
Sed nihil potesse. —

Est etiam in scriptis Athanasij [n], Leontium Episcopum Antiochenum factionis Arrianæ, vt sine suspicione frueretur Eustolio, seipsum exsecuisse, quod prodit etiam Socrates [o]. Idipsum de Eunuchis in genere tradit Arnobius [p], Chrysostomus [q], Anastasius Nicenus [r], Clemens [s]. Sacra Scriptura perspicuè rabiem furorémque libidinis in D Eunucho expressit, appellans spadonem generaliore vocabulo complectente (vt ait Vlpianus [t]) thlibias, & thlasias, de quibus Ægineta [u], & de re ipsa liber Deuteronomij [x], & Leuitici [y], & Cyrillus Alexandrinus [z]. Nõ Persico, vt quidam prodidit, sed Græco potiùs, à verbo σπάω, quod est *euello*, vel, *distraho*, etsi alij imperitè dictum esse velint à spada, id est, gladio, quo aliquando membra exscinduntur: Græcum nomẽ est σπάδων. Stephanus [a] ab oppido Persico denominat. *Concupiscentia*, inquit Sapiens [b], *spadonis deuirginabit iuuenculam: sic qui facit per vim iudicium iniquum*; vbi indicatur mos committendi spadonum custodiæ virgines. Rursus [c], *Videns oculis, & ingemiscens, sicut spado complectens virginem, & suspirans*. Prætereà, *Beatus spado*, ait liber Sapientiæ [d], *qui non operatus* E *est per manus suas iniquitatem*, quia, inquit Suidas [e], seu potiùs ab eo recitatus Cyrillus in peracri cõtra spadonas inuectiua, solent ij spadones, quibus virilia planè amputata sunt, manibus ac digitis corrumpere mulieres [f]. In Scriptura prima mentio est Eunuchorum sub eo Pharaone Aegyptiorum rege, cui Ioseph seruiuit, quando Putiphar, & duo alij vocantur eius Eunuchi [g]: deinceps non infrequens in Historia Regum, & Esther, & Iudith, & apud Danielem. Non defuére Hebræi, qui, teste Hieronymo [h], dicerent, Putipharem Iosepho vti voluisse ob nimiam pulchritudinem, ac

a lib. 12. ca. 12.
b in Lexico
c in Homer. Iliad. χ. Odyss. γ.
d Hæres. 58.
e in verbo. Eunuchus.
f c. 3. lect. 19.
g epist 19. *Eunuchi Arriana hæresi, & Macedoniana infecti.*
h oratione in Heronem. quem etiã vi. de orat. in Basiliũ, & in id; *Cõ eunuchis ...*
i ibi, & Basil. li. de virginit.
k lib. 6. cont. Iul. cap. 14.
l 2. de ciu. c 7.
m in Eunucho.
n epi. ad Solitarios.
o 2. Hist. c. 21.
p libr. 5. cont. Gentiles.
q hom. 64 in Matth.
r q. 79. in Scri.
s l. 3. pædag. c. 4
t ff. lib. 50. tit. 16. l. 128.
u lib. 6. ca. 68.
x cap. 23. 1.
y c. 21. 24. 26.
z 4. de adorat. in Spiritu.
a de vrbib.
b Eccl 20. a. 1.
Spadonum custodiæ virgines depositabantur.
c ibid. c. 30. 21.
d cap. 3. 14. verb. Spado.
f lib 14.
Eunuchi in Scriptura vbi mentio fit.
g Gen. 37. 39. & 40.
h lib. de trad. Heb. in Gen.

A turpe ministerium: sed à domino virilibus Putipharis arefactis, posteà electum esse, iuxta morem hierophantum in pontificatum Heliopoleos. Sed & Danielem cum sociis, quos inter Eunuchos esse voluit Nabuchodonosor, existimant castratos fuisse Iosephus [i], & alij Hebræi, Origenes quoque [k], Metaphrastes [l], Zonaras [m], & Hieronymus [n] subdubitat. Ceterùm contrà de his alij sentiunt, necnon & de Putiphare, dictósque Eunuchos translata vocis significatione à castratis, quibus initio optima quæque ac principalia Regum ministeria negotiáque credebantur, ad illos qui similiter vt ipsi posteà huiusmodi res tractabant, ac munera obibant. Danielem certè sociósque Na B buchodonosor, sicut & alios eruditos omni sapientia, & cautos scientia, & doctos disciplina introduci volebat [o]; ac proinde nec puerili ætate, nec deliciarum causa: & qui adduci non potuerunt vt cibis à DEO prohibitis vterentur, Regis seruire deliciis nullo modo voluissent. Constat ex Eunuchis fuisse, vt memorat Esther historia [p], principes, cõsiliarios Regis, quíque faciem eius viderent: item custodes, & administros Reginæ, & concubinarum Regis: adhæc ianitores palatij Regis, siue, vt est Græcè, σωματοφύλακες, custodes corporis eius, quod Xenophon [q] de Cyro prodit. Homeri verò Scholiastes Eustathius [r] Demodochum ait fuisse Eunuchũ Clytemnestræ, & Phemium fratrem Penelopes. Legitur prætereà in li C bro Iudith [s] Vagao custos ac præfectus cubiculi Holofernis. Et in genere præfectos cubiculis Imperatorum Eunuchos vocat Iustinianus [t]. Meminit Ieremias [u] Sedechiæ regis Iuda principem militiæ Eunuchum fuisse, eóque munere functum Putipharem traditur in Genesi [x], talísque describitur apud Ochum Persarum regem à Diodoro Siculo [y], & à Iosepho [z] Eunuchus Begoæ, seu Bagoas, quod nomen cùm Græcus textus in libro Iudith [a] habeat pro Vagao, & Alexandro Magno nequissimum Eunuchum Bagoam fuisse Curtius scribat [b], & Herodi Iosephus [c], videtur Eunu D chis, siue spadonibus passim tributum id nomen: & Plinius auctor est [d], ferè apud Persas ita nominatos spadones omnes. Scribit Tacitus [e], non despectum nomen Eunuchi apud Barbaros, vltróque potentiam habuisse. Plato [f] docet, & Dio Chrysostomus [g], ex Eunuchis delectos, qui puerorum custodes essent, educatores, rectores, primarúmque literarum, & disciplinarum doctores, qualis filiorum Themistoclis Sicinus, teste Herodoto [h]: quales B. Eugeniæ sancti Protus, & Hyacinthus [i]: celebrantur prætereà doctrinæ laude ex Eunuchis Menophilus Mithridatis, & sub Cõstante Eutherius, cui omni ex latere peritia parem neque legisse se, neque audiisse scribit Ammianus [k], Cuphantas item [l], Probatius [m], Eugenius [n]. Hinc Sidonius Apollinaris [o] sua certis aptans E hominibus, literas Eunuchis tribuit. Denique noster Eunuchus curam non solùm gerebat gazarum, siue thesaurorum Reginæ, sed perstudiosus videtur fuisse, cùm alienæ religionis homo, vel in curru legeret Esaiã, vt posteà videbimus [p].

Verùm, vt ad Eunuchos exsectos redeamus, Iustinus martyr [q] narrat Christianum adolescentem, vt carnis irrationali motu careret, obtulisse Felici Augustali Præfecto libellum, vt medico liceret illum castrare, cùm is id metu pœnæ facere detrectaret Origenem idem in seipsum admisisse constat, eóque nomine vituperatum: qua etiam de causa duo Monachi à Theophilo Alexandrino ex-

An Eunuchi fuerint Ioseph Daniel cum sociis.
i 10. Ant. c. 10.
k homil. 4 in Ezech.
l in vita Dan.
m Tom. 1. An.
n in Dan. c. 1.
o Dan. 1. 3. 4.
p cap. 1. & 2.
q li. 7. Cyrip.
r Odyss. 3.
s ca 12.
t in Nouella 142.
u ca. 52.
x ca. 37. & 39.
y lib. 16.
z lib. 11. Ant.
a supra.
b lib. 10.
c lib 17. Ant. c. 3.
d lib. 13. c. 4.
e li. 6. Annal.
f lib. 3 de leg. *Eunuchi laude doctrinæ clari fuerunt.*
g orat. 21.
h lib. 8.
i Vsuardus 11. Septembr.
k lib. 16.
l Euagr. li. 4. cap. 22.
m Soz. libr. 6. c. 5.
n Socr. lib. 2. c. 2. Theod. li. 2. c. 16.
o lib. 1. ep. 8.
p vers 28.
Christianus adolescens voluit castrari ad superanda libidinum.
q Apol. ad Antoninum.

communicati sunt [a]: denique hæresis fuit, de qua Epiphanius [b], quorundam dicentium, quòd *Nisi quis Eunuchus fieret, saluari nō posset.* Quocirca meritò Ius in primis Canonicum [c], & ciuile etiam [d] cauit seuerissimè, ne quis sibi hanc mutilationem afferat, neu vllus eam alteri medicus inferat; & auctor est Valerius Maximus [e], inuisos, ac infames fuisse Eunuchos apud Romanos. Lampridius [f] meminit vetitos Eunuchos à Constantino gerere Præfecturas ac Magistratus, immò infimo eos loco habuisse prodit Athanasius [g], qui prætereà notat ab Ecclesiasticis ministeriis arceri: cauetur id quoque in Concilio Niceno [h], & in canonibus Apost. [i] & queritur *tanti fieri à Constantio, vt etiam iudicia Ecclesiastica exercerent homines, vt natura, ita animo ad generandum steriles, vtpote vllam de sobole mentionem esse ægrè patientes,* nēpe de Filio DEI, cùm essent Arriani: quæ est item Nazianzeni, & Basilij querimonia. Constat prætereà ex vita S. Sabæ, reiectos à cōsortio Monachorum Eunuchos. Suidas [k] prodit Theodosij iunioris edicto cautum, ne foret Eunuchus Patritius. Habebatur quoque indignus militia, & censebatur telas eum non tela debere tractare. Qua de caussa Narsetem [l] Ducem, & Principem in bello strenuum, Sophia Augusta magno suo malo, & Italiæ maiore detrimento ad gynecæa relegauit; quam pœnam etiam, eò quòd idolis immolare noluisset, S. Hesychius [m] pati compulsus, muliebribus officiis deputatus est: segregant prætereà leges [n] à militia hoc hominum genus, & Vegetius [o], eósque Iuuenalis [p] imbelles epitheto proprio cognominat. Adiice his quòd cùm omne animal castratum plus mansuescat, homo, auctore Aristotele, ferocior euadit. Facit, & spectat vtcumque ad laudem Eunuchorum, quod de specu Hieropolitano Dion [q], & Ammianus [r] prorsus improbabile commemorant. Ibi ex cisterna spirare auram omnibus animantibus noxiam, solis impunè illam haurientibus, quibus genitalia excisa sunt: quod item, vt produnt Hippocrates [s], Galenus [t], & Aristoteles [u], & Plinius [x], non calescant Eunuchi, nec podagra laborent, vel varicibus infestentur, vel minùs habeant, quàm alij. Lege de toto hoc argumento Pererium [y], & Feuardentium [z], & Petrum Gregorium [a], & Suidam [b], qui Cyrillum citat, & Robertum Olkot [c], qui refert distinctionem Grammaticorū, vt castratus sit quasi castus natus, nempe naturaliter frigidus ac impotens: Spado, qui inuitus castratur: Eunuchus, qui spontè id permittit, etsi meritò hanc distinctionem negligit. Legendi præter citatos Macrobius [d], Suetonius [e], Ammianus [f], Martialis [g], Saluianus [h], Brissonius [i], Lipsius [k], Pineda [l], Scaliger [m], Alciatus [n]. Ammianus [o] primam castrationem defert Semiramidi Assyriorum reginæ. Alij tribuunt hoc inuentū vel Persis, vel Medis, vel Aegyptiis. CHRISTVS autem, & Christiani ob continentiā vocati sunt aliquando spadones, teste Tertulliano [p], quippe qui *seipsos spiritualiter castrauerunt propter regnum cælorum* [q], sicque multò maiorem laudem continentiæ merentes, quàm qui propter libidinis impotentiam, mentísque insaniam seipsos fœdè mutilant, vt præ ceteris demonstrat Basilius [r]. Hi sunt quibus DEVS ipse [s] promittit in domo sua, & in muris locum, & nomen melius à filiis, & filiabus, nomen sempiternum, quod non peribit.

Quòd igitur attinet ad eum, qui hoc loco dicitur Eunuchus, non constat, an id nomen significet fuisse spadonem, an ministrum regium. Primā opinionem sequitur Hieronymus [t], & Athanasius [u], & Augustinus [x], qui vocat pro Eunucho spadonem, eodem modo ante illum Tertullianus [y], & Arator [z], qui sterili corpore, & Magister Historiæ Scholasticæ, & Hugo Cardinalis, & Glossa interlinearis hoc loco: hi tres, aliique id supponere videntur. Secundam probabilem censet Carthusianus hoc item loco, Lyranus autem omninò eam tuetur, ductus tamen leui ratione, & Abulensis alicubi [a], alibi [b] enim magis propendet in priorem. Fauere videntur Eusebius [c], & Nicephorus [d], dum non vtuntur voce Eunuchi, sed Satrapam nominant, vel Præfectum Reginæ Æthiopum. Prima opinio probabilior est, neque obstat nomen viri, quod de quolibet homine dici potest; vel Satrapæ, aut Præfecti, cùm hi tituli veris Eunuchis dari solerent, vt vidimus. Qui secūdam sequi volet sententiam, dicat, quod antè indicaui, quia solebant reges Chaldæorum, Persarum, Medorum, Aegyptiorum, propter multitudinem fœminarum quas habebāt, eunuchorum vti ministerio, factum esse, vt quicumque Regibus ministrarent, omnésque Principes, appellarentur Eunuchi. Et quoniam tales credibile est fuisse Danielem, sociósque, hoc pacto Esaias exponitur, cùm prædixit [e]: *De filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in palatio regis Babylonis.* Erant autem illi de semine Regio [f], & tribu Iuda [g].

Potens.] Δυνάστης, *potentia præditus*, substantiuum nomen est, referendum ad sequentia verba. Significat vox Græca eum, qui obtinet alicuius loci dominationem, ac si dicas, optimatem, primatem, procerem: estque Dynasta, Latinitate donatum, dictúmque etiam de Rege, quoniam plurimum potest, vt ait Strabo. Euthymius adeò potentem ait fuisse, vt post Reginam primus in Imperio haberetur, ac proinde in Psalmo [h] vocatur *manus*, in qua vir, ac robur hominis potissimùm dignoscitur, vbi est, *Æthiopia præueniet manus eius* DEO, Hebraicè sic legimus, כושתריץ ידיו לאלהים *chuschtharits iadau lelohim*; vbi Hieronymus, *Æthiopia festinet dare manus* DEO; Pagninus, *currere faciet manus suas* DEO, id est, extendet, ac mittet istum Eunuchum, &c. Hunc verò locum ab aliis eadem ratione intellectum de Eunucho superiùs docuimus.

Candaces.] Κανδάκης. Potest esse nomen viri in prima declinatione, & attribui Eunucho, atque ita Euthymius citatus accepit. Sed præter illum, qui hoc modo intellexerit, dempto Gregorio Nazianzeno [i], & Anastasio Synaita [k], scio neminem. Et sanè non cohæret sensus cum sequentibus nominibus obliquis, *reginæ Æthiopum*, nisi sumatur, vt nomen proprium ipsius reginæ: esse autem reginarum Aethiopum, quæ à fœminis regerentur, non à viris, Candacis nomen proprium, omnes huius loci Interpretes æquè consentiunt, additque Oecumenius existimatum ab Aethiopibus, quos reginæ filios edidissent, veros filios Solis esse. Idem de imperio, & nomine reginarum produnt Eusebius [l], & Nicephorus [m], immò & Plinius [n] (quamuis Candaocem appellet, aut, vt legunt alij, Candagem) atque Strabo [o].

Qui erat super omnes gazas eius.] ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς. Syrus sic est interpretatus, והו שליח הוא על כלה גזה *vehau schaleth haua hhal culleh gazah*, id est, *Et ipse præfectus erat super vniuersum thesaurum*, vel, *qui quidem præerat omnibus opibus eius*.

Marginal notes (left): a in vitis Patrum, 2. d. c. 172. b Hæresi 58. c c. si quis pro ægritudine. & c. si quis à medicis. & cap. si quis absciderit. & c. hi qui se. & pluribus aliis dist. 55. Eunuchi à Constantino nullo in honore habiti. d l. eiusdem legis & l. lege Cornelia. ff. ad lege Corn. de sicar. & alibi. e lib. 7. cap. 7. f in Alexand. g ep. ad Solitarios. h ca. 2. i ca. 21. & 22. k verbo, Antiochus. l Paulus Diaconus lib. 2. m Euseb. lib. 8. c. 12. n li. 8. C. The. de tyronibus. o lib. 1. c. 7. p Sat. 6. q in Traiano. r lib. 23. s de morbis vulgar. t li. 6. de morbis vulgar. u lib. 6. de Hist. animal. c. vlt. x lib. 11. ca. 37. y Gen. 17. disp. 9. & lib. 2. in Dan. z in Esther, digress. de Eunuchis. a 7. Synt. ca. 2. b verbo, Spado. c in c. 3. Sapientiæ lect. 19. d lib. 7. ca. 10. e in Dom. c. 7. f lib. 18. g lib. 6. epigr. h li. 7 de prouid. i lib. 2. select. iur. Antiq. k lib. 2. Antil. lect. cap. 8. Christiani qui propter cælorum regnum continentia vacant, sunt optimi spadones. l in Iob. c. 16. v. 14. nu. 3. & seq. m exerc. 273. n de verb. sig. l. spadonum. o lib. 14. p li. de Monoga. c. 1. q Mat. 19. 12. r ep. 87. & lib. de virginitat. s Esa. 56. 5. Iste Eunuchus fuerit ne verus vel regius minister.

Marginal notes (right): t in c. 53. Esa. u ep. ad Constantium x lib. 15. de ciuit. 21. y lib. de baptismo c. 18. z a lib. 1. in Acta. a 3 Reg. 22. b 4. Reg. 9. post q. 21. & Par. 32. post q. 1. c 2. Hist. c. 1. d 2. Hist. c. 6. e Esa. 39. f Dan. 1. g vers. 6. Dynasta quid significet. h Psal. 67. Candaces quid sit hoc loco. i orat. in sanctum Baptisma. k lib. 6. Anagogic. contempla. in hexamer. Candaces nomen est reginæ Aethiopum. l 2. Hist. c. 1. m 2. Hist. c. 6. n lib. 6. c. 29. o lib. 17.

Gaza

Gaza [a] Persarum vox est, vel etiam Medorum satis nota (vt etiam meminimus paulò antè cùm ageremus de Gaza loci nomine) significans, vt docent Pomponius Mela [b], Q. Curtius [c], Seruius Virgilij Interpres [*], Hieronymus [d], Isidorus [e], opes, supellectilem, & omne quod possidemus, præsertim verò locum ipsum, in quo pecunia, & thesaurus asseruatur, quod etiam dicitur vocabulo à Græcis composito, γαζοφυλακεῖον gazophylacium, quod Scriptura quoque vsurpat, perinde ac Hebraica illa קרבן corban, vel קרבנה corbonah. Erat porrò, vt id obiter cum Beda [f] adnotemus, huiusmodi in templo locus duplex; alter, in quem oblatæ pecuniæ templi vsibus reponebantur; alter, in quem aliæ mole maiores res coniiciebantur. Ille arca erat [g], quales nunc expositas videmus in templis; hic velut capacior aula [h]. De priore Marcus [i], Ioannes [k] videtur de posteriore mentionem facere, vel certè de toto loco, in quo prioris generis gazophylacium ponebatur, & quidem in maiore atrio, quoniam viduæ illi, quæ obtulit duo æra minuta [l], eò intrare licuit. Eodem pacto apud Lacedæmonios ærarium in templo Apollinis erat, vt scribit Athenæus [m]: apud Romanos in æde Saturni, vt est apud Plutarch. [n] apud Ægyptios in regio palatio, vt habetur in Genesi [o]. Vocatur quandoque in Scriptura, quod Interpres vertit gazophylacium, Græcè παστοφόριον [p], vel ἐξέδραι [*], etsi hic dicatur esse cantorum [q], Hieronymus etiam aliquando [r] pastophoria gazophylacia intelligit, siue cellaria, & thalamos. Denique constat sumi prætereà gazophylacium pro domo, sicque Græcè redditur interdum voce οἶκος, vbi legimus gazophylacium [s], eáque domo, quæ multiplex erat intra templi atrium instar turrium per circuitum coniuncta muro eiusdē templi, ad custodiam thesaurorum templi, ac vestiū ministrorū eius, & habitationem illorum, cùm ministrare debebant. De hac re Comestor [t], Abulēsis [u], Ioseph Stephanus [x]; similia tradit Ruffinus [y] de templo Serapidis.

Magistratus, quem hic Eunuchus gerebat, similis est Quæsturæ Romanorum, etsi hæc non vnius modi erat, & comparandus est cum eo genere Quæstorum, qui publicæ pecuniæ præerant, quæ prima fuit ratio institutionis illorum; neque viri Consulares, magnísque honoribus functi Quæsturam illam gerere dubitauerunt, vt Titus Quintius Capitolinus, qui ter Consul anteà fuerat [z]. Qua tota de re qui res Romanas prosequuntur, maximè Magistratus [a], & Alexander ab Alexandro [b] cum Tiraquello Scholiaste. Constat etiam in honore habitos Quæstores apud Athenienses [c], & Carthaginenses [d]. Custos gazæ γαζοφύλαξ dicitur ab Interpretibus septuaginta, à nostro Interprete arcarius gazæ [e]. Vulgò appellamus Thesaurariū, qui dictus quoq; reperitur voce Græca Cimiliarcha [f], vel potiùs Cimeliarcha, aut Cimeliarchus, ἀπὸ τῶ κειμηλίω, quod significat thesaurum, aut aliud reconditum quippiam ac sepositum, & cimeliarchium est rerum pretiosarum reconditorium [g]. Et quia cimilia seu cimelia, κειμήλια Ecclesiarum nominat Paulus Diaconus [h], hinc est, quòd quædam Ecclesiæ, vt Mediolanensis, vasorum sacrorum, quæ diuino destinarentur cultui, custodem Cimiliarcham appellent. Galli autem voce Græca immutata aliquantulùm, Marguilier nominant.

Venerat adorare in Ierusalem.] Id alios quoque Gentiles fecisse dixi superiùs, monens hinc idoneum argumentum non ducere eos, qui proptereà Eunuchum istum proselytum, seu religione Iudæum affirmabāt, & sunt qui Alexandrum Magnum tradant [i] adorasse Iaddum Pontificem obuiam sibi prodeuntem, vel potiùs, vt ipse dicebat, DEVM, in ipso, quem ipse Pontifex coleret, atque immolasse in tēplo Ierosolymitano. Eòdem pertinet summa existimatio apud Gentiles de religione Iudæorum, cuius fuit Achior testis [k], aduentus reginæ Saba [l] ad Salomonis audiendam sapientiā, munera missa Templo à Cyro [m], à Dario [n], ab Artaxerxe [o], à Seleuco [p], ab Heliodoro [q], ab Antiocho magno, aliísque multis Regibus ac Gentibus, vt testatur Iosephus vterque, Flauius [r], & Gorionides [s], qui citat quoque Strabonem, & Nicolaum Damascenum.

Adorare.] Ἐληλύθει προσκυνήσων, venerat adoraturus; hoc autem verbum Græcum προσκυνεῖν, propriè significat veneranter osculari, & reuerentiam corpore inclinato exhibere: quæ reuerentia quia vel in oratione, vel etiam in sacrificio vsurpatur, prout locus, in quo vsurpatur, postulat, & ratio exigit, ex vsu Scripturæ DEO sæpe accommodatur, alioqui communis quoque hominibus talis reuerentia, vt ait Augustinus [t], censeri solet, sicut & adorandi, adorationísque vocabula, modò pro vno, modò pro alio vsurpantur. Et quidem pro sacrificio apud Sophoniam [u], & Ioannem [x]. Ille enim promittit adorationem in omni loco, hic CHRISTVM dicentem inducit, instare tempus, quo impleatur id promissum. Constat verò orare, & flexo venerari DEVM genu, vbique semper licuisse, at non item offerre sacrificia ex præscriptis à lege cæremoniis [y]. De vsu Latinarum vocum adorandi, & adorationis; & Græcarum λατρεύειν, atque λατρείας, disputant qui de adoratione agunt. Lege Gabrielem Vasquez [z], & Lælium Bisciolam [a]. Hic præter deriuationem verbi adoro ab ador frumēti genere inter sacrificia vsitato [b], vel ab oro [c], & ex eo quòd colēs DEVM ad os manū admoueret, vt nūc fit in mutuis salutationibus, notat, post Antoniū Augustinū [d], apud vetustissimos Auctores Latinæ linguæ, sumptum verbum hoc pro ago, vt in lege XII. Tabularum: vbi adorare furtum, agere ac furari est: nisi quis *adornare*, legendum putet. Sanè nil facere mortalis maius & præclarius valet, quàm DEVM adorare. Aut, quia summum cultus genus constabat sacrificio; sacrificare autem verbo faciendi significabatur, adorare sumptum est pro facere. Tertullianus ait [e], Eunuchum istum profectum ad templum orandi gratia, necnon Nicephorus [f], quam vocat Eusebius [g] *piam ac religiosam* DEI *venerationem*. Sed sub his vocabulis comprehendūtur quoque sacrificia. *Magnis laudibus prædicatur ille*, inquit Chrysostomus, *quandoquidem & ille in Aethiopia manens, & tantis occupatus negotiis, & cùm non esset festus dies* (non ergo ad Paschalem celebritatem, vt quosdam velle priùs retuli, venerat) *agréque in superstitiosa ciuitate, venit adoraturus Ierusalē. Reliquit aulam regiam*, inquit Hieronymus [h], *& tantus amator legis, diuinæq; scientiæ fuit, vt etiam in vehiculo sacras literas legeret.*

Versus 28.] Et reuertebatur sedens super currum suum, legénsque Esaiam Prophetam.

ET *reuertebatur sedens super currum suum.*] Curruum genera multa recēsentur ab Alexandro

Neapo

Margin notes (left): Gaza quid significet. a Publius Cōsentius. b lib.1.c.11. c libr.3. non multo ante finem. * in 1. & 2. Æneid. d in c.39. Esa. e Etymol. lib. 15. c.1. & lib. 20. c. 9. Duplex in téplo erat gazophylacium. f in c.12. Mar. g 4. Reg. 12. 9. 10. h 2. Esd. 10. 37. 1 cap. 12. 41. k cap. 8. 20. l Marc. 12. 2. In templis apud Gentes pecunia publica olim seruari solita. m lib. 6. n in Probl. o cap. 47. 14. Pastophoria & gazophylacia eadem erant. p Ierem. 35. 4. Ezec. 40. 17. 18. * Ezec. 40. 44. q Ezec. 41. 10. c. 42. & 44. & 46. sæpe. Gazophylacium pro domo sumitur. r in Ezec. 40. s Ier. 36. 10. 12. 20. t in Hist. Sch. in 3. Reg. c. 15. u 3. Reg. 6. q. 21. & 1 Par. 9. q. 12. x in 1. Mach. c. 4. y 2. Hist. c. 23. z Liui. 3. Dec. lib. 1. a vt Wolfangus Lazius, Ioā. Rosinus. b lib. 2. cap. 2. c Liu. 3. Dec. lib. 5. & Plutar. d idē 4. Dec. lib. 3. e Esther 3. 9. f Iubemus. C. de sacros. Eccles. g l. vlt. §. fin autem. C. de bon. aut. iud. possid. l. litibus. § fin autem. C. de agric. & cens. lib. vlt. Non solum Proselyti, sed etiam Gentiles venerabant Ierosolymam ad adorandum.

Margin notes (right): i Ios. 11. Ant. c. vlt. Quot & quanti Gentiles Ierosolymis Deū adorauerint. k Iudith 5. 5. & seq. l 3. Reg. 10. Mat. 12. 42. m 1. Esd. 1. 2. & seq. n 1 Esd. 6. 8. & seq. o 1. Esd. 7. 15. p 2. Mach. 3. 3. q ibid. 35. Adorare verbū quam vim habeat Græcè & Latinè. r 12. Ant. c. 3. lib. 16. cap. 10. vel 6. s lib. 3. c. 1. lib. 4 cap. vlt. t 10. de Ciuit. Dei. cap. 1. Adoratio pro sacrificio vsurpatur. u c. 2. 11. x cap. 4. 20. & seq. c. 12. 20. y Deut. 14. 23. 24. c. 26. 3. 3. Para. 17. 12. c. 22. 6. c. 1. Par. 6. 6. & Psa. 77. 68. 69. z 1. b. 1. de adora di. 1. cap. 1. a oia. subcesiu. lib. 7. ca. 4. b Nonius & Priscianus. c Valla 5. Elegan. c. 11. d lib. emend. iuris. e lib. de Bapt. c. 18. f lib. 2. cap. 6. g 2. Hist. cap. 1. Quomodo Eunuchus Ierosolymis adorauerit. h epistol. 103.

Section letters in the inner margin: A, B, C, D, E.

a lib.2.ca.10. *Curruũ inuentor quis fuerit.* b lib.7.ca.56. c 3. de natur. Deor.

Neapolitano cum notationibus Tiraquelli [a]. Primam inuentionem, quod ad bigam quidem attinet, tribuit Plinius [b] Phrygibus; quod ad quadrigam, Erichthonio. Cicero [c] hanc ſcribit inuentam à Minerua quarta, Ioue nata ex Coryphe Oceani filia. De Erichthonio verò æquè teſtatur Virgilius [d]: etſi Euſebius affirmat [e], quòd primus tantùm in Græcia illum iunxerit. Ceterùm apud alias nationes anteà fuiſſe non dubito. Et Herodotus [f] à Libycis, ſeu Africanis Græcos didiciſſe memorat. Lege Polydorum Virgilium [g], qui operoſam rem mihi molitus videtur, aſſignando cuique rei primos inuentores, non habito diligenter ad antiquitatem Scripturarum reſpectu, in quibus eæ ipſæ res multis ſæpe ſeculis anteriores reperiuntur, quàm quos ille in Gentilitate affert earum rerum inuentores. De curribus omnis Scriptura vetus loquitur, incipiendo à Geneſi, & deinceps, atque honoris cauſa proditur iuſſum Ioſeph in Aegypto *aſcendere ſuper currum regium ſecundum* [h], qualis nimirum huic Eunucho debebatur, ſi erat, vt Euthymium [i] docentem audiuimus, Reginæ proximus dignitate ac poteſtate in regno. Vſi ſunt curru Reges incedendo, duces in bellum exeundo ac triumphando: nec alia res hîc aptiùs orbes cœleſtes repræſentat ſeſe ſub empyreo immobili cœlo voluentes, nimirum propter penſiles quodammodò rotas ab axibus terram tangentes in puncto. Idcirco DEVM præſidem vniuerſi deſcribit Ezechiel [k] inſidentem in curru: & myſticam arcam imponebant Hebræi quadrigæ [l]. De falcatis ſeu ferreis, vel potiùs ferratis curribus, & quadrigis ad perturbandas hoſtium acies comparatis, crebra mentio in hiſtoriis atque tractatibus de re militari. Perſæ vix pedeſtres conficiebant iter, ſed vel in equis, vel in curribus: vnde Xenophon prodit [m], Ageſilaum captiuos Perſas nudos militum oculis exhibuiſſe, vt eorum intuerentur corpora tum candida, quia nunquàm à Sole exurebantur, tum pinguia & mollia, *διὰ τὸ ἀεὶ ἐπ' ὀχημάτων εἶναι, quòd eſſent ſemper in curribus.*

d 3 Georgi. e in Chron. f In Melpomene lib.2.cap.12. *Curruũ vſus in Scriptura, aſſ. in reperitur.* h Gen.41.43 i in Pſalm.67 *De vſu curruũ apud antiquos, & quid hi repræſentent.* k cap.1. l 1.Paral.28.3. Reg.6. *Currus falcati quales eſſent.* m in encom. Ageſilai.

Legénſque Eſaiam Prophetam.] *Magna diligentia erat*, inquit Chryſoſtomus, *quia etiam in curru ſedens legebat: & quidem eo tempore quo Solis erat calor feruentior.* Hoc non video qua de cauſa dictum ſit, niſi forſan propter viam meridianam, ſiquidem tempeſtatem anni non exiſtimo fuiſſe calidam, ſi hæc hiſtoria præceſſit Sauli conuerſionem, aliquo antè tempore, ſiquidem illa hyeme contigit. *Vbicumque in nouo Teſtamento ſalutis narratur principium, de Eſaia ſumitur teſtimoniũ*, inquit Gloſſa ordinaria, *qui interpretatur ſalus Domini.* Lege quę dixi capite ſeptimo [n], de laude huius Prophetæ. Putat Lyranus eo modo legiſſe Eſaiam, quo ſolent multi laici ex deuotione recitare horas canonicas Latino idiomate, quamuis non intelligant. Carthuſianus indicat calluiſſe aliquas linguas, *vt ſolent*, inquit, *Officiales Regum, ac Reginarum, verbi gratia, Græcam, qua lingua conuerſio Septuaginta extabat, ſummæ tunc auctoritatis*; fortaſſe lingua quoque Aethiopica redditam Scripturam habebat. Non videtur, vt bene ratiocinatur Gloſſa interlinearis, & Hugo, linguam Hebraicam ignoraſſe, qui librum legebat idiomate Hebræo conſcriptum. Alia ratio eſt de precibus: nec expedit vulgari paſſim lingua ſacras Scripturas legendas exponi, vt in proprio de hac re opere demonſtrauit noſter Iacobus Ledeſma, & Bellarminus in Controuerſiis [o], & Petrus Steuartius in priorem epiſtolam ad Corinthios [p], & nos ipſi in diſputatione de ſacra Scriptura. Monebam paulò ſuperiùs, ex lectione iſta ſacra non effici neceſſariò lectorem ipſum religione fuiſſe Iudæum. Omninò tamen perutilis eſt & maximè commendabilis ſacra quoque lectio, ſicut aliàs pluribus docui [q], & non ineleganter oſtendit Feuardentius [r], dum laudat Aſſuerum Annales lectitantem, necnon Serarius noſter [ſ]. *Perſæ reges nulla*, vt ait Seneca [t], *eruditione, nullo literarum cultu imbuti, otij vitandi cauſa etiam in itinere, vt eſt apud Aelianum* [u], *Philyrium, ſeu Philyrias ſecabant*, multò melius, nobiliuſque Eunuchi noſtri in illo ſuo otio, quo currui inſidebat, negotium, qui ſacroſancta lectione animum religionis iam munere in templo defunctum, & fortaſſe de MESSIA, ſiue à Iudæis, ſiue à neophytis fidelibus, ipſiſque Apoſtolis aliquo modo edoctum voluerit confirmare, & confouere. Legerat fortaſſis etiam illud [x], *Meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens.* Eius ſedulum piumque legendi ſtudium valdè commendant Chryſoſtomus [y], & Hieronymus [z]. *Memento Eunuchi reginæ Aethiopum*, ait prior, *qui cùm eſſet homo barbarus, innumeriſque diſtentus ſollicitudinibus, & vndequaque circumſeptus negotiis, nec intelligeret quem legebat, legebat tamen in curru ſedens, quod ſi in via tantam præſtitit diligentiam, cogita qualis fuerit domi verſans: ſi tempore profectionis non ſuſtinuit abſque lectione manere, multò minus domi ſedens: ſi nihil intelligens legebat, nec deſtitit à lectione, multò minus poſtquam didicerat, &c.* Vtinam ſequantur primarij viri huius exemplum dynaſtæ, meminerintque quod exegit à rege DEVS [a], *vt legis volumen legeret omnibus diebus vitæ ſuæ*, &c. Poſſent domeſtica non pauca proferri exẽpla, Theodoſij iunioris Imper. [b] Alfredi Anglorum regis [c], Alphonſi Aragonię [d], qui quaterdecies vtrumque Teſtamentum legit cum commentariis, Caroli magni [e], & aliorum, quibus Principes viri ad ſacra ſtudia excitarentur.

Eunuchi commẽdatur diligẽtia. n verſ.41. *Quo animo Scripturam hoc Eunuchus legerit.* *Linguã Hebraã Aethiops non ignorauit.* *Sacras literas paſſim vulgari lingua haberi non expedit.* o lib.2.de ver. Dei.c.15 & 16 p in cap.14. *Sacra Scripturæ lectio perutilis & commendabilis.* q in Euāg. de Samaritana 1. 41. in Inſt. moral. puncto 21. r in cap.5 Eſther. ſ ibidem. t 3.de Ira. *Eunuchi ſtudia laudantur.* u 14.de varia Hiſt.c.12. *Pia ad ſacra Scripturæ lectionem exhortatio, & Regũ ad eã exempla.* x Deut.6.7. y Homil.3 de Lazaro. z epiſt.103 ad Paulinum. a Deut.17.18. 19. b Niceph. li. 14.c.3. c Ranulfus lib.6.c.1. d Anto. Pan. lib.1. de vita Alphonſi. e Paulus Aemilius lib.3.

An porrò Eunuchus Eſaiam legeret ſeparato in volumine, an in integro continente libros omnes Bibliorum, quis poteſt diuinare? Putat Toletus [f], cùm dicitur traditus CHRISTO liber, ſolius huius Prophetiam ſeparato in libro fuiſſe. Probabilis coniectura: quamuis quod ait ſingulos libros in membranis ſcriptos fuiſſe, & in lignis oblongis circumuolutos, de Prophetarum libris, qui legi ſolent in Synagogis, dubium eſſe poteſt. Sed de libris Moſis, qui in ſummo honore apud eos habentur, & integri ſingulis annis in Synagogis leguntur, certum eſt eos in mẽbranis deſcriptos, atque circumuolutos ſumma religione in arca quadam ſeruari, ex qua deprõpti ſingulis Sabbatis, prout in ſectiones ſunt diuiſi, publicè leguntur, & poſt lectionem in eandem arcam reponuntur. Hoc tamen neceſſarium non videtur, vt in Prophetarum libris CHRISTI tempore ſeruatum ſit, vt intelligamus quomodo CHRISTVS reuoluiſſe dicatur librum, cùm hoc verbo reuoluendi cuiuſcumque modi librorum explicatio, ſiue apertio intelligi poſſit; quicquid ſit de illa ratione circumplicandi membranas, quam Lacedæmoniis in vſu fuiſſe dum ſcriberent, concedimus, & prodit Athenæus [g].

f in c. 4. Lucæ. *De Moſis librorum & Prophetarum in voluminibus.* g lib.10 Dipnoſophiſt.

Verſus 29.] Dixit autem SPIRITVS Philippo: Accede, & adiunge te ad currum iſtum.

DIXIT *autem* SPIRITVS *Philippo.*] Iam, opinor, in via conſtituto, & expectanti, quor-

ſum

ſum eò venire iuſſus eſſet. Dixit autem, vel interiùs loquens DEVS, vel etiam Angelus, vel hic ipſe exteriùs in aſſumpto corpore, ſicut cùm apparuit eidem Philippo in Samaria. Gloſſa interlinearis optionem dat inter SPIRITVM ſanctum, & Angelum. Hugo, & Carthuſianus, & Beda, exponit de SPIRITV ſancto, ſiue DEO, & Cyrillus Ieroſolymitanus*, & Idacius a, & Nyſſenus b. Caietanus de Angelo, qui & paulò pòſt nominatur SPIRITVS Domini, & dicitur rapuiſſe Philippum, & hæc mihi ſententia magis placet, cui planè Tertullianus c adſtipulatur, cùm ait, *quòd ad Philippum rurſus* SPIRITVS, *vt ſe curriculo Eunuchi adiungeret, iuſſit.* Cùm enim dicit *rurſus*, indicat eundem, qui anteà vocatus eſt Angelus.

Spiritus cũ Philippo quomodo locutus ſit.

* Catech. 17. a con. Varim. b orat. aduerſus eos qui differũt Baptiſmum. c lib. de Bapt. c. 11.

Verſus 30.] Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Eſaiam Prophetam, & dixit, Putáſne intelligis quæ legis?

ACCVRRENS *autem Philippus.*] Προσδραμὼν, *præcurrẽs.* Syrus ſic legit, וכד אחכרב *vechad ethchareb*, id eſt, *cúmque acceſſiſſet.* Currendum illi fuit, vt ad currum currentem perueniret.

Audiuit eum legentem.] Alta igitur legebat voce: quæ pronunciatio index eſt, & cauſa reuerentiæ aduersùs diuinam Scripturam, vel magis intenti animi ad eam percipiendam. Nonnulli tamen, vt de Ambroſio narrat Auguſtinus d, oculos tantùm ducunt per paginas, & corde intelligentiam eorum rimantur quæ legunt, voce ac lingua quieſcente. Feciſſe Ambroſium id etiam monet Auguſtinus cauſa ſeruandæ vocis, quæ illi facillimè obtundebatur. At prior illa alia mouit Hilarionem cauſa, Hieronymo teſte e, vt poſt orationes & Pſalmos Scripturas diuinas, quaſi DEO præſente, recitaret.

d 6. Confeſſ. c. 3.

Ambroſij mos legendi ſacram Scripturam.

e in Hilarione.

Putáſne intelligis quæ legis?] Ἆρά γε γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις; *Virùm cognoſcis, quæ recognoſcis?* Alloquebatur Philippus Eunuchum aut lingua vernacula ſua, aut Eunuchi ipſius; ita vt vel ille linguarum dono vſus ſit, vel hic Syrochaldaicam linguã calluerit. Laudat Chryſoſtomus Philippum, tanquàm qui eſſet & à temeritate ſuiipſius laudandi alienus, & ab adulatione commendandi diligentiam, ac pietatem Eunuchi valdè remotus: prætereà vt prudenter ſciſcitantem, & benignè, modeſtéque ſuam operam exhibentem, atque innuentem latere in iis, quæ legebantur, magnum, ac diuinum ſenſum, quem Eunuchus capere minimè poterat.

Quid hic laude dignum fecerit Philippus.

Verſus 31.] Qui ait: Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi? Rogauítque Philippum, vt aſcenderet, & ſederet ſecum.

ET *quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?*] Negat ſententiam ſe intelligere, non linguam, & vocabula. Chryſoſtomus f agnoſcit in Eunucho diſcendi ſtudium, ac ingenuam ignorantiæ profeſſionem, ſimúlque gratum, & bene de Philippo ſentientem animum, vtpote quem conſpiceret faſtus expertem in humili veſtitu. *Arguit Eunuchus illorum audaciam*, inquit Gloſſa ordinaria, *qui exiſtimãt ſine Doctore ſe Scripturam diuinam poſſe intelligere.* Hoc multò antè Hieronymus g gra-

f Hic, & hõ. 1. de Lazaro.

Qui dicant ſe poſſe Scripturã diuinã ſine Doctore intelligere arguuntur.

g epiſt. 103.

A uiſſimis verbis etiam de ſeipſo loquens exaggerauit: *Nec ſanctior ſum*, inquit, *hoc Eunucho, nec ſtudioſior, &c. Et tamen cùm librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volueret, labiis perſonaret, ignorabat eum, quem in libro neſciens venerabatur. Venit Philippus, oſtendit ei* IESVM, *qui clauſus latebat in litera, &c.* *Hæc à me breuiter perſtricta ſunt, &c. Vt intelligeres te in Scripturis ſanctis ſine prævio, & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi.* Scripturam obſcuram eſſe, ac difficilem, quod minimè obſcurum eſt, nec difficile probare, audent negare Hæretici, contra quos Bellarminus h; & nos in noſtra Diſputatione de Scriptura id confirmauimus. Lege prætereà Baſilium i.

Scriptura eſt difficilis.

h lib. 3. de ver. Dei. à c. 1.

i lib. de Spiritu ſancto. ca. 27. & Prooem. in Eſaiam.

B *Rogauitque Philippum, vt aſcenderet, & ſederet ſecum.*] Præter vrbanitatem Eunuchi obſeruatam à Chryſoſtomo, honorémque habitum Philippo, tanquàm Prophetæ, quem oris fortaſſe dignitas quædam, morúmque diuina maieſtas, & facilitas præ ſe ferebat, habuiſſe quoque rationem Eunuchus videtur loci deſerti ac inhabitabilis, præſertim ſi tempeſtas feruentior erat, vt pridem volebat Chryſoſtomus. Itaque honoris, & commodi cauſa admiſit in currum, non ipſe de curru deſcendit. Non eſt eo honore impius rex Achab Eliam proſecutus, accinctis lumbis currentem ante illum curru vectum k: leuauit autem idem rex Benadad, regem Syriæ, contra voluntatem Domini in currum ſuum l. Honeſtum ac honorificum eſt principibus viris honorem doctis, ſanctiſque impertiri. Nil enim honeſtius ſapientia, & virtute. Huius rei extant profana, ſacráque exempla innumera m: & conſtat plus honoris detuliſſe viris ſacris Chriſtianiſſimos Imperatores, ac Reges, quàm quibuſcumque aliis qualibet ſeculari dignitate inſignitis. Maior ac ſolidior honor Doctorem curru admiſiſſe traditurum ſalutis ſcientiam, quàm cùm Platonem Dionyſius tyrannus aduectum naue vittata, quam ei miſerat, quadrigis albis exceptum, in currum impoſuit, & ipſemet aurigam egit n. Valentinianus autem Imperator, vel inuitus, Martino Turonenſi aſſurrexit, diuino igne ſub ſellam ſedentis immiſſo, vt narrat Sulpitius o.

Cur Eunuchus ſecum Philippũ admiſerit.

k 3. Reg. 18. 44. & ſeq.

l 3. Reg. 20. 33. 42.

Principes viri viris doctis & ſanctis honorem deferre debent.

m colligit multa auctor Theatri, vt repeties in Indice, verbo, *Honor*, pag. 3371.

C

n Plutar. in vita. | Dioniſij. Plin. li. 7. c. 30.

o Dial. 2. vitæ Martini. ca. 6.

D

Verſus 32.] Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic: Tanquàm ouis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum.

LOCVS *autem Scripturæ.*] Singularis prouidentia DEI fuit, vt hic potiſſimùm locus occurreret. Chryſoſtomus tamen hoc deputare videtur ſtudio diſcendi, quòd Prophetam aliis ſubliniorem in manibus haberet: & illud potiſſimùm capitulum, in quo & Paſſio, & Reſurrectio, ac donum docebantur. Præfero priorem expoſitionem, quæ etiã eſt Gloſſæ ordinariæ, & fauet Tertullianus p, dicens *quòd Scriptura iſta fidei ipſius occurrit.* Attuli alibi q non pauca huius generis exempla ſacrorum locorum, qui ſimiliter diuinitùs occurrentes, diuinam aperuerũt de re quapiam, de qua deliberabatur, voluntatem. Eodem diuino conſilio factum prorſus eſt, vt CHRISTVS æquè in Eſaiæ incideret certum locum, de quo diſſereret in Synagoga r, ſicut Origenes obſeruauit, & Theophylactus, & Euthymius in Lucam. Tota hæc Eunuchi conuerſio plena eſt ſignis atque mi-

Eunuchus quo potiſſimum ratione hunc Prophetæ locũ præ oculis habuerit.

E

p lib. de Bapt. c. 18.

q in Notationib. de Euan. Dom. 1. Quadrag.

r Luc. 4. 17. 18.

Miraculosa hac fuit Eunuchi conuersio.
a 4. Reg. 5.1. Luc. 4. 27.
b Ioan. 4.

rabilibus circũstantiis diuinæ prouidentiæ, quam eandem illustrare possemus non paucis exemplis, vt Naaman [a], vt mulieris Samaritanæ [b], & aliis, quæ suppeditant sacræ, & sanctæ Historiæ, tum ex iis, qui pij alicuius libri lectione ad meliorem sunt vitam traducti. Certè quidem Cyrus Hebræorum fautor deuenit in notitiam veri DEI, eò quòd tantò antè nominatim se ab Esaia præcognitum, ducẽtis forsitan ante ipsius ortum annis, intellexerit [c], atque grato deinde animo, & sermone professus est *omnia sibi regna terræ Dominum* DEVM *cœli dedisse* [d]. Idipsum etiam Assuerus maritus Esther [e] tum pro seipso, tum pro præcessoribus regibus declarauit.

c Esa. 44. 28. c. 45. 1.
d 1. Esdræ 1. 2.
e Esther vlt. 16.

Locus.] Ἡ περιοχὴ, id est, *comprehensio*, seu *complexio*. Syrus legit, פסוקא *pasuka*, quam vocem Latinus Syrum interpretans vertit, *sectio*, & *articulus*: significat verò vox Syra versum, & integram sententiam, vt etiam passim tradunt Grammatici Hebræi; Græca autem dictio idem valet, vt dixi, quod *complexio*, *comprehensio*, *ambitus*, & idcirco idem etiam quod sectio siue pars libri certis terminis conclusa, quem barbari *passum* vocant; & noster Interpres hîc *locum* posuit longè meliùs, quàm Erasmus, qui argumentum, & sententiam; etsi verum est, eam quoque significationem habere τὴν περιοχὴν, sicut & ὑπόθεσιν, quemadmodum & nomen periodi ęquè iam Latinum ac Gręcum. Ceterùm distinctio capitum, multóque magis versuum in Bibliis, quæ nunc est, vt benè docet Sixtus Senensis [f], recentior est, Psalmis exceptis. Nam Patres paulò antiquiores, & expositores citant Scripturas non capitum enumeratione, seu numerorum recitatione, sed per allegationes particularium historiarum. Hoc modo ait Augustinus se scripsisse à principio Geneseos vsque ad expulsionem primorum parentum de Paradiso, & Gregorius exposuisse ab initio libri Regum vsque ad Dauidis regis vnctionem, pro eo quod nunc diceremus tria prima capita Genesis, & quindecim primi Regum. Vel certè citant per locos, siue periodos, aut versus, & sententias, quæ etiam interdum capita, vel capitula appellant, verbi gratia dicentes de eo loco Pauli [g] dicentis *veritatem dico in* CHRISTO, vsque ad eum, vbi dicitur: *Ex quibus est* CHRISTVS, &c. Versus porrò, quãtùm intelligi potest ex eodem Augustino [h], continebat sex dictiones partim monosyllabas, partim polysyllabas: & iuxta hanc rationem reperimus magnitudinem voluminum, quæ aliqui scriberent æstimatam esse, vt cùm Origenem Hieronymus [i] dixit *scripsisse in Cantica versus ferè viginti millia*: *Nazianzenum* [k] *omnia sua opera conclusisse versibus triginta millibus*: *Hilarium* [l] *mutuatum ex Origene versus propè quadraginta millia*: *seipsum, dum exponeret epistolam ad Ephesios, dictasse quotidiè versus mille*. Simile est, quod Diogenes Laërtius [m] tradit de summa quorundam voluminum Aristotelicorum, contentam fuisse quinquies mille trecentis triginta versibus. De Hebræis codicibus testis est idem Hieronymus [n], habuisse iam suo tempore commatum incisiones, distantiásque interuallorum: tametsi Elias Leuites [o] contendat, ex sententia Rabbinorum, olim legem totam fuisse vnam פסוק *pasuk*, siue sententiam vnam, absque vlla versuum distinctione, Iudæos verò Tyberitas distinxisse in *pesukim*, hoc est, versus, sententiasve anno post vltimum Ierosolymorum excidium trigesimosexto supra quadringentesimum. Meminit auctor libri Hebraicarum quæstionum super

Distinctio capitum & versuũ sacræ Scripturæ recens est.
f lib. 3. Biblio. cùm agit de methodo partitionis.
Veteres quomodo citent Scripturas.
g Rom. 9. 1.
Versus quid essent apud antiquos.
h In speculo diuinæ Scrip. Tom. 9.
i Præf. in Hõ. Origenis in Cant.
k de Script. Eccles.
l Apol in Ruffinum.
m in vita Aristotelis.
n Præf. Paral. & Esaiæ.
o in Præf. ad Masoreth. *Biblia quando in versus distingui cœperint.*

libris Regum, quem S. Thomas ex Iudæo Christianum aliquem fuisse arbitratur, librum Prouerbiorum continuisse apud Iudæos versus nongentos quindecim. Sed in ea partitione versuũ quæcumque sit, & quandocumque cœperit (referunt id enim quidam ad Esdram) non attenditur dictionum numerus, non cola, non commata, suntque versus inæquales. Constat Ammonium Alexandrinum, siue Eusebium Cæsariensem, siue Tatianum secuisse Matthæum in 350. capita, Marcum in 235. Lucam in 343. Ioannem in 232. Verùm in ea partitione voluerunt duntaxat indicare locos Euangelicæ concordiæ. Distinctio in commentariis Hilarij super Matthæum in canones 33. & Ambrosij super Lucam in titulos 64. & Bedæ super eundem in capita 93. non ab illis, vt Sixtus quidem suspicatur [p], sed ab aliis facta est. Reperitur similis distributio in explanatoribus Græcis noui Testamenti abhinc ferè sexcentis annis, vt in Euthymio, Oecumenio, Areta, Andrea Cretense, atque etiam in Suida, haud paulò maior, quàm quæ in Bibliis nostris nunc passim est. In libro Iob [q] nescio cur Pineda asseruerit Græcos Interpretes, & ipsos Septuaginta pariter cum Latinis distinxisse 42. capita, vt hæc Hebræis diuisio responderet. Non enim cohæret istud cum dictis de indistincta olim, præter Psalmos, omni Scriptura, etsi Auctores in Catena Iob diuidunt in pauciora, hoc est, in 33. inter Latinos; qui antecesserunt ætatem Hugonis Cardinalis, B. Thomæ, Alensis, Alberti, Bonauenturæ, qui nostra sectione vtuntur, vsurpabant maiorem capitum numerum, vt videre est in vetustioribus Bibliis etiam impressis. Hæc ex Senensi excerpta hîc posuimus, quod præsenti instituto peropportuna, & scitu per se non inutilia, vel iniucunda viderentur.

Distinctio Prouerbiorum ...
Distinctio Euangeliorum ...
p supra.
Diuisio Iob.
q in præf. c. 3.

Erat hic.] Nempe, *locus erat hic*, non autem pronomen *hic* referri potest ad sequentia, *tanquam ouis*, Græcè enim ouis est πρόβατον, neutrius generis, & *hic* est αὕτη fœminini.

Tanquàm ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.] Hæc sunt in capite quinquagesimotertio Esaiæ, quod caput meritò quis inscribere possit: *Passio Domini nostri* IESV CHRISTI *secundum Esaiam*. Hebraicè sic in eo legimus, כשה לטבח יובל *chasschah latebach iubal*, quod ad verbum est, *sicut agnus ad mactationem*, seu, *sacrificium ducetur*. Ista porrò cõparatione ouis & agni describitur CHRISTI in Passione singularis patientia, & mirabilis taciturnitas, vt nec factis restiterit, nec dictis vllis sese opposuerit aduersariorum, cùm maximè posset: & *quod vt Pascha nostrum immolatus est* [r]. *Et veluti ouis lanis nos induit meritorum suorum*, vt innuit Beda. Nazianzenus [s] notat in his verbis innocentiã designari, atque ex CHRISTI ceu vellere indumentũ nostræ antiquæ nuditatis & mortalitatis, vt immortales ex illo euadamus. Athanasius [t] eodem ferè modo loquitur, vtens prætereà similitudine amianthi, quale lini quoque genus apud Plinium [u] habetur, ex quo telæ fiunt, quæ ignibus iniectæ, ardent quidem, sed flãmis inuictæ splendescentes magis exeunt inde, quã si aquis lotæ sint. Epiphanius [x] idem habet de veste immortalitatis, quam viuentiũ Mater MARIA nobis prætexuerit. Augustinus [y] sacrificiũ CHRISTI vt agni Paschalis, & silẽtium in Passione [z] denotari scripsit. Alludere voluit Ioannes Baptista, cùm indicans CHRISTVM, dixit [z]: *Ecce agnus* DEI, &c. ad præ-

Cap. 53. Esaiæ quomodo inscribi meritò possit.
r 1. Cor. 5. 7.
Corpus ...
s orati. de Pascha.
t lib. de Incar. Verbi.
u lib. 19. c. 1.

ferentem

ſentem locum Eſaiæ, necnon & ad alium Ieremiæ[a], apud quem CHRISTVS ipſe ita loquitur: *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*, vt in Ioannem docent Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, ac præterea Iulius Firmicus[b], & Elias Cretenſis[c].

a cap. 11. 19.
b lib. de erro. profa. relig. c. 21.
Agni nomen pro Christo vſitatiſſimum.
c in Comm. oratio. 4. de Theo. Naz.

Placuit mirificè agni nomen Ioanni Euangeliſtæ, quod tam ſæpe, adeóque ſuauiter inculcat in Apocalypſi[d]. Petrus quoque ſcribit[e] *redemptos nos pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati, & incontaminati* IESV CHRISTI, reſpiciens videlicet ad ſacrificium, ſimulque ad innocentiam ipſius CHRISTI: ex quibus hanc à Baptiſta indicatam Auguſtinus[f] ait; illud in Ioãnem iidem Cyrillus, ac Euthymius cum Origene[g], & Chryſoſtomo[h], & Hieronymo[i], & Tertulliano[k], qui etiam obſeruat taciturnam patientiam[l], ſicut & Cyprianus[m], & de Agno paſchali Gaudentius Brixienſis[n], & eleganter Paulinus[o], & Iuſtinus[p]. Legimus quoque Andream, qui diſcipulus Ioannis Baptiſtæ fuerat[q], libenter vſurpaſſe agni vocem, loquentem de ſacrificio quotidiano incruento, quod ipſe faciebat[r]. Hebræi quidem licèt alia etiam animalia ſacrificarent, agnum tamen quotidiè mactabant[ſ], typum ſcilicet iugis noſtri ſacrificij, in quo ter ante conſumptionem inclamamus agni nomen tollentis peccata mundi, ſicut & in Litaniis.

d ca. 5. 6. 8. 12. 13. c. 6. 1. 16. c. 7. 9. 10. 14. 17. c. 12. 11. c. 13. 8. c. 14. 1. 4. 10. c. 15. 3. c. 17. 14. c. 19. 7. 9. c. 21. 9. 14. 22. 23. 27. c. 22. 1. 3. 14.
e 1. ep. c. 1. 19.
f Tract. 4. in Ioannem.
g Homil. 14. in Num.
h Hom. 37. in Matth.
i in Eſa. c. 53. *Sacrificiũ agni noſtrum incruẽtum figurabat.*
k li. con. Iud. c. 12. & lib. 4. cont. Marcio. c. 40.
De cereis agni benedictis imaginibus.
l li. de Reſurre. carn. c. 20.
m li. de bono pat. c. 9. & in Sym.
n Tract. 3.
o epiſt. 5.
p in Tryph.
q Ioan. 1. 40.
r in Actis.
ſ Num. 28. 9.

Pertinent eòdem cereæ agni cœleſtis imagines ritè ſacratæ, ac benedictæ à ſummo Pontifice, de quibus Vincentius Bonardus Italicè, & Andreas Fruſius noſter in carmine. Hic ad Leonem III. primam, quæ quidem prodita ſit literis, refert originem, cùm is huiuſmodi Carolo magno miſiſſet imaginem: deinceps meminit de Vrbano V. qui ad Imperat. Conſtantinopolitanum ferri eam iuſſit. Teſtantur hoc idem in abſidibus templorum, alibique agni cum diademate pictæ imagines, quas etſi propter abuſus prohibuit ex parte VI. Synodus, tamen Theodorus Studita[t] hæc recitat etiam Chryſoſtomi verba: *Ego ex cera fuſam amo picturam, pietatis ergò faciam.* Rationem quoque dat idem Theodorus, *quoniam refert agnũ indicatum à Ioanne, at verum agnum à lege ſignificatum, tollentem peccatum mundi.* Et conſtat Conſtantinum in baptiſterio Lateranenſi, Saluatoris imagini, argenteam pedibus eius adiunxiſſe agni imaginem cum inſcriptione, *Ecce agnus* DEI. Geſtat præterea Agnes virgo martyrque agnum: & Clementi Romano agnus apparuit. Bonardus antiquiorẽ vſum facit cerearum ſacrarum agni imaginum. Tu illum leges, & Ioannis Molani de picturis opus, atque Cardinalis Paleotti de imaginibus librum.

t ep. quadam apud Baroni. tom. 9.

Beatus Franciſcus[u], vel ad aſpectum, nomẽnve agni aut ouis, totus colliqueſcebat, & lacrymas tenere non poterat, & cùm poterat, prece, vel pretio redimebat eos qui ad macellum ducebantur, ne mactarentur, cùm meminiſſet CHRISTI, qui ad occiſionem ductus fuiſſet, *ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuiſſe os ſuum*[x], & vt inueniret ouem perditam[y], & ab ouibus bonus paſtor agnoſceretur[z], ouillam pellem induiſſe, factum etiam ouem. Quæ res adeò delectauit Eccleſiam, vt in ipſis calicibus, teſte Tertulliano[a], depingeretur ouis humeris paſtoris reuecta: eodemque ſpectat pallium Epiſcopale magni honoris inſigne confectum ex lana, deſignans, vt ait Iſidorus Peluſiota[b], *pellem ouis, quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentámque humeris ſuis ſuſtulit*[c]: quoniam Epiſcopus munere CHRISTI fungitur, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni

u in vita. *B. Franciſcus quàm tenere amaret agnos, deligeret.*
x Eſa. 53. 7.
y Luc. 15. 3. 6.
z Ioan. 10. 14.
In calicibus depicta fuit ouis humeris paſtoris reuecta.
a lib. de pudi. c. 7. & 10.
b li. 1. ep. 136.
c Luc. 15. 5.
Pallium Epiſcopale quid ſignificet.

illius ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates à ſe ferendas aſſumpſit. Ius tamen pallij de Iure communi nonniſi Patriarchis, & Archiepiſcopis competit. Multa de Pallio Ioannes Stephanus Durantus[d] congeſſit.

Agnus.] Ineptè Heracleon, vt Origenes[e] refert, colligebat CHRISTVM nõ habuiſſe corpus perfectum, quia in grege agnus imperfectum quiddam eſt. Hoc loco vocatur etiam ouis, & alicubi aries, aliiſque nominibus perfectorũ animalium, vt leonis, ſed vox agni præter allatas cauſas, indicat benigniſſimum imperium CHRISTI, pro quo ſummis orabat votis Eſaias[f], dicens, *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ*, vbi more tamen ſuo Rabbini nugantur.

d li. 2. de Ritib. Eccl. c. 9.
e Tom. 9. in Ioan.
Chriſtus agnus, & aries, & leo, ſed cur potius agnus dicatur.
f cap. 16. 1.

Coram tondente ſe.] Bene ait, *coram tondente*, inquit Ambroſius[g], *qui ſuperflua, non propria in illa depoſuit cruce, qui corpus exuit, non diuinitatem amiſit.*

g ep. 25. longè poſt med.

Verſus 33.] In humilitate iudicium eius ſublatum eſt. Generationem eius quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita eius?

IN *humilitate iudiciũ eius ſublatum eſt.*] Ita legunt Septuaginta, ἐν τῇ ταπεινώσει ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη, ſed Hebraicè ſic legimus, מעצר וממשפט לקח *mehhotſer vmimmiſchpat lekuh*, quod ſic expreſſit noſtra editio, *De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt*; pro, *ſublatus eſt*, Græcè eſt ἤρθη, id eſt, *ſublatum*, aut *eleuatum eſt iudicium*, inquit Hieronymus[h]. *De tribulatione atque iudicio ad* PATREM *victor aſcendit*: vel, iudex omnium, iudicij non reperit veritatem, ſed abſque culpa per ſeditionem Iudæorum, & Pilati vocem damnatus eſt. Chryſoſtomus[i] poſteriorem ſenſum ſequitur, & Procopius[k], & Tertullianus[l], & Origenes[m], & Oecumenius[n]. *Hic Pilato interrogante*, ait Tertullianus, *nihil locutus eſt: in humilitate enim iudicium eius ſublatum eſt.* At Lyranus intelligit eleuatum iudicium, quia CHRISTO reſurgente, Sancti, qui erant in Limbo detenti, inde fuerũt ſublati. Idẽ in Eſaiam[o], de gloria etiã CHRISTI ipſius in Reſurrectione, & Aſcenſione. Gloſſa interli. de Reſurrectione, quando data eſt illi poteſtas in cœlo, & in terra[p]. Syrus interpres ita reddit, מן חבושיא ומן דינא אתדבר *men chabuſcheia vmen dina ethdebar*, quod iuxta noſtram verſionem vnus ſic reddidit, *Ex anguſtia, & ex iudicio ſublatus eſt*; alius ſic, *In ipſius humilitate, de clauſtro & iudicio ſublatus eſt.* Auctor libri de Trinitate[q], qui inter opera Tertulliani circumfertur, videtur duas dictiones, *in humilitate*, non ad ſequentia referre, ſed cum præcedentibus copulare, *ſic non aperuit os ſuum in humilitate*: niſi malis adiici debere & cetera, vt etiam Pamelius notauit[r].

Quomodo Chriſti iudiciũ ſublatum ſit.
h in Eſa. c. 53.
i orat. 3. con. Iudæos. c. 13.
k in Eſa. 53.
l li. cont. Iudæos. c. 13.
m Hom. 6. in c. 15. Exod.
n hoc loco.
o cap. 53.
p Matt. 28. 18.

Generationem eius quis enarrabit?] De humana generatione CHRISTI intellexit Tertullianus[ſ], vocans generationem *natiuitatem, quia nullius omninò hominum*, inquit, *natiuitatis* CHRISTI *fuit conſortium in conceptu cùm virgo* MARIA VERBO DEI *prægnans inueniretur.* Eodem modò Chryſoſtomus[t], & Leo[u], & Irenæus[x]. De diuina Baſilius[y], & Cyrillus Alexandrinus[z], & Auguſtinus[a], *qui ... dixiſſe Iudæos, quòd* CHRISTVS *cum ... ſcis, vnde ſit*[b] (quod ibidem quoque ... tius, & Theophylactus) & ... ne *natiuitatis*: præterea idem C... Ambroſius[d], & Auctor ... Matthæum[e], & Hieron...

q cap. ...
r ibidem.
ſ lib. contra Iud. c. 13.
t Hom. de S. Ioan. Bapt.
u ep. 10. & ...
x li. 3. c. 44. & lib. 1. c. ...
y ...

Miraculosa haec fuit Eunuchi conuersio.
a 4. Reg. 5. 1. Luc. 4. 27.
b Ioan. 4.

rabilibus circūstantiis diuinæ prouidentiæ, quam eandem illustrare possemus non paucis exemplis, vt Naaman [a], vt mulieris Samaritanæ [b], & aliis, quæ suppeditant sacræ, & sanctæ Historiæ, tum ex iis, qui pij alicuius libri lectione ad meliorem sunt vitam traducti. Certè quidem Cyrus Hebræorum fautor deuenit in notitiam veri DEI, eò quòd tantò antè nominatim se ab Esaia præcognitum, ducētis forsitan ante ipsius ortum annis, intellexerit [c], atque grato deinde animo, & sermone professus est *omnia sibi regna terræ Dominum* DEVM *cæli dedisse* [d]. Idipsum etiam Assuerus maritus Esther [e] tum pro seipso, tum pro præcessoribus regibus declarauit.

c Esa. 44. 28. c. 45. 1.
d 1. Esdræ 1. 2.
e Esther vlt. 16.

Locus.] Ἡ δὲ περιοχὴ, id est, *comprehensio*, seu *complexio*. Syrus legit, פסוקא *pasuka*, quam vocem Latinus Syrum interpretans vertit, *sectio*, & *articulus*: significat verò vox Syra versum, & integram sententiam, vt etiam passim tradunt Grammatici Hebræi; Græca autem dictio idem valet, vt dixi, quod *complexio*, *comprehensio*, *ambitus*, & idcirco idem etiam quod sectio siue pars libri certis terminis conclusa, quem barbari *passum* vocant; & noster Interpres hîc *locum* posuit longè meliùs, quàm Erasmus, qui argumentum, & sententiam; etsi verum est, eam quoque significationem habere τὴν περιοχὴν, sicut & ὑπόθεσιν, quemadmodum & nomen periodi æquè iam Latinum ac Græcum. Ceterùm distinctio capitum, multóque magis versuum in Bibliis, quæ nunc est, vt benè docet Sixtus Senensis [f], recentior est, Psalmis exceptis. Nam Patres paulò antiquiores, & expositores citant Scripturas non capitum enumeratione, seu numerorum recitatione, sed per allegationes particularium historiarum. Hoc modo ait Augustinus se scripsisse à principio Geneseos vsque ad expulsionem primorum parentum de Paradiso, & Gregorius exposuisse ab initio libri Regum vsque ad Dauidis regis vnctionem, pro eo quod nunc diceremus tria prima capita Genesis, & quindecim primi Regum. Vel certè citant per locos, siue periodos, aut versus, & sententias, quæ etiam interdum capita, vel capitula appellant, verbi gratia dicentes de eo loco Pauli [g] dicentis *veritatem dico in* CHRISTO, vsque ad eum, vbi dicitur: *Ex quibus est* CHRISTVS, &c. Versus porrò, quātùm intelligi potest ex eodem Augustino [h], continebat sex dictiones partim monosyllabas, partim polysyllabas: & iuxta hanc rationem reperimus magnitudinem voluminum, quæ aliqui scriberent æstimatam esse, vt cùm Origenem Hieronymus [i] dixit *scripsisse in Cantica versus ferè viginti millia*: *Nazianzenum* [k] *omnia sua opera conclusisse versibus triginta millibus*: *Hilarium* [l] *mutuatum ex Origene versus propè quadraginta millia*: *seipsum, dum exponeret epistolam ad Ephesios, dictasse quotidiè versus mille*. Simile est, quod Diogenes Laërtius [m] tradit de summa quorundam voluminum Aristotelicorum, contentam fuisse quinquies mille trecentis triginta versibus. De Hebræis codicibus testis est idem Hieronymus [n], habuisse iam suo tempore commatum incisiones, distantiásque interuallorum: tametsi Elias Leuites [o] contendat, ex sententia Rabbinorum, olim legem totam fuisse vnum פסוק *pasuk*, siue sententiam vnam, absque vlla versuum distinctione, Iudæos verò Tyberitas distinxisse in *pesukim*, hoc est, versus, sententiásve anno post vltimum Ierosolymorum excidium trigesimosexto supra quadringentesimum. Meminit auctor libri Hebraicarum quæstionum super

Distinctio capitum & versuū sacræ Scripturæ recens est.
f lib. 3. Biblio. cùm agit de methodo partitionis.

Veteres quomodo citent Scripturas.
g Rom. 9. 1.
Versus quid essent apud antiquos.
h in speculo diuinæ Scrip. Tom. 9.
i Præf. in Hō. Origenis in Cant.
k de Script. Eccles.
l Apol. in Ruffinum.
m in vita Aristotelis.
n Præf. Paral. & Esaiæ.
o in Præf. ad Masoreth.
Biblia quādo in versus distingui cœperint.

A libris Regum, quem S. Thomas ex Iudæo Christianum aliquem fuisse arbitratur, librum Prouerbiorum continuisse apud Iudæos versus nongentos quindecim. Sed in ea partitione versuū quæcumque sit, & quandocumque cœperit (referunt id enim quidam ad Esdram) non attenditur dictionum numerus, non cola, non commata, suntque versus inæquales. Constat Ammonium Alexandrinum, siue Eusebium Cæsariensem, siue Tatianum secuisse Matthæum in 350. capita, Marcum in 235. Lucam in 343. Ioannem in 232. Verùm in ea partitione voluerunt duntaxat indicare locos Euangelicæ concordiæ. Distinctio in commentariis Hilarij super Matthæum in canones 33. & Ambrosij super Lucam in titulos 64. B & Bedæ super eundem in capita 93. non ab illis, vt Sixtus quidem suspicatur [p], sed ab aliis facta est. Reperitur similis distributio in explanatoribus Græcis noui Testamenti abhinc ferè sexcentis annis, vt in Euthymio, Oecumenio, Areta, Andrea Cretense, atque etiam in Suida, haud paulò maior, quàm quæ in Bibliis nostris nunc passim est. In libro Iob [q] nescio cur Pineda asseruerit Græcos Interpretes, & ipsos Septuaginta pariter cum Latinis distinxisse 42. capita, vt hæc Hebræis diuisio responderet. Non enim cohæret istud cum dictis de indistincta olim, præter Psalmos, omni Scriptura, etsi Auctores in Catena Iob diuidunt in pauciora, hoc est, in 33. inter Latinos; C qui antecesserunt ætatem Hugonis Cardinalis, B. Thomæ, Alensis, Alberti, Bonauenturæ, qui nostra sectione vtuntur, vsurpabant maiorem capitum numerum, vt videre est in vetustioribus Bibliis etiam impressis. Hæc ex Senensi excerpta hîc posuimus, quod præsenti instituto peropportuna, & scitu per se non inutilia, vel iniucunda viderentur.

Distinctio Prouerbiorum in versus.
Distinctio noui Testamenti in capita.
p supra.
Diuisio libri Iob.
q in præf. c. 9.

Erat hic.] Nempe, *locus erat hic*, non autem pronomen *hic* referri potest ad sequentia, *tanquam ouis*, Græcè enim ouis est πρόβατον, neutrius generis, & *hic* est αὕτη fœminini.

Tanquàm ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.] D Hæc sunt in capite quinquagesimotertio Esaiæ, quod caput meritò quis inscribere possit: *Passio Domini nostri* IESV CHRISTI *secundum Esaiam*. Hebraicè sic in eo legimus, כשה לטבח יובל *chasschah latebach iubal*, quod ad verbum est, *sicut agnus ad mactationem*, seu, *sacrificium ducetur*. Ista porrò cōparatione ouis & agni describitur CHRISTI in Passione singularis patientia, & mirabilis taciturnitas, vt nec factis restiterit, nec dictis vllis sese opposuerit aduersariorum, cùm maximè posset: & *quod vt Pascha nostrum immolatus est* [r]. Et *veluti ouis lanis nos induit meritorum suorum*, vt innuit E Beda. Nazianzenus [s] notat in his verbis innocentiā designari, atque ex CHRISTI ceu vellere indumentū nostræ antiquæ nuditatis & mortalitatis, vt immortales ex illo euadamus. Athanasius [t] eodem ferè modo loquitur, vtens prætereà similitudine amianthi, quale lini quoque genus apud Plinium [u] habetur, ex quo telæ fiunt, quæ ignibus iniectæ, ardent quidem, sed flāmis inuictæ splendescentes magis exeunt inde, quā si aquis lotæ sint. Epiphanius [x] idem habet de veste immortalitatis, quam viuentiū Mater MARIA nobis prætexuerit. Augustinus [y] sacrificiū CHRISTI vt agni Paschalis, & silētium in Passione [z] denotari scripsit. Alludere voluit Ioannes Baptista, cùm indicans CHRISTVM, dixit [a]: *Ecce agnus* DEI, &c. ad præ-

Cap. 53. Esaiæ quomodo inscribi meritò possit.
r 1. Cor. 5. 7.
Cur per ouem & agnum Christus fuerit designatus.
s oratio. de Pascha.
t li. de incar. Verbi.
u lib. 19. c. 1.
x in Hæres. Antidicomarianit. 13.
y ep. 119. c. 10.
z Tract. 50. in Ioan.
Christus verus agnus est.
a Ioan. 1. 29.

sentem

ſentem locum Eſaiæ, necnon & ad alium Ieremiæ[a], apud quem CHRISTVS ipſe ita loquitur: *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*, vt in Ioannem docent Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, ac præterea Iulius Firmicus[b], & Elias Cretenſis[c].

Placuit mirificè agni nomen Ioanni Euangeliſtæ, quod tam ſæpe, adeóque ſuauiter inculcat in Apocalypſi[d]. Petrus quoque ſcribit[e] *redemptos nos pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati, & incontaminati* IESV CHRISTI, reſpiciens videlicet ad ſacrificium, ſimulque ad innocentiam ipſius CHRISTI: ex quibus hanc à Baptiſta indicatam Auguſtinus[f] ait; illud in Ioãnem iidem Cyrillus, ac Euthymius cum Origene[g], & Chryſoſtomo[h], & Hieronymo[i], & Tertulliano[k], qui etiam obſeruat taciturnam patientiam[l], ſicut & Cyprianus[m], & de Agno paſchali Gaudentius Brixienſis[n], & eleganter Paulinus[o], & Iuſtinus[p]. Legimus quoque Andream, qui diſcipulus Ioannis Baptiſtæ fuerat[q], libenter vſurpaſſe agni vocem, loquentem de ſacrificio quotidiano incruento, quod ipſe faciebat[r]. Hebræi quidem licèt alia etiam animalia ſacrificarent, agnum tamen quotidiè mactabant[s], typum ſcilicet iugis noſtri ſacrificij, in quo ter ante conſumptionem inclamamus agni nomen tollentis peccata mundi, ſicut & in Litaniis.

Pertinent eòdem cereæ agni cœleſtis imagines ritè ſacratæ, ac benedictæ à ſummo Pontifice, de quibus Vincentius Bonardus Italicè, & Andreas Fruſius noſter in carmine. Hic ad Leonem III. primam, quæ quidem prodita ſit literis, refert originem, cùm is huiuſmodi Carolo magno miſiſſet imaginem: deinceps meminit de Vrbano V. qui ad Imperat. Conſtantinopolitanum ferri eam iuſſit. Teſtantur hoc idem in abſidibus templorum, alibique agni cum diademate pictæ imagines, quas etſi propter abuſus prohibuit ex parte VI. Synodus, tamen Theodorus Studita[t] hæc recitat etiam Chryſoſtomi verba: *Ego ex cera fuſam amo picturam, pietatis ergò factam.* Rationem quoque dat idem Theodorus, *quoniam refert agnũ indicatum à Ioanne, at verum agnum à lege ſignificatum, tollentem peccatum mundi*. Et conſtat Conſtantinum in baptiſterio Lateranenſi, Saluatoris imagini, argenteam pedibus eius adiunxiſſe agni imaginem cum inſcriptione, *Ecce agnus* DEI. Geſtat præterea Agnes virgo martyrque agnum: & Clementi Romano agnus apparuit. Bonardus antiquiorẽ vſum facit cerearum ſacrarum agni imaginum. Tu illum leges, & Ioannis Molani de picturis opus, atque Cardinalis Paleotti de imaginibus librum.

Beatus Franciſcus[u], vel ad aſpectum, nomẽnve agni aut ouis, totus colliqueſcebat, & lacrymas tenere non poterat, & cùm poterat, prece, vel pretio redimebat eos qui ad macellum ducebantur, ne mactarentur, cùm meminiſſet CHRISTI, qui ad occiſionem ductus fuiſſet, *ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuiſſe os ſuum*[x], & vt inueniret ouem perditam[y], & ab ouibus bonus paſtor agnoſceretur[z], ouillam pellem induiſſe, factum etiam, ouem. Quæ res adeò delectauit Eccleſiam, vt in ipſis calicibus, teſte Tertulliano[a], depingeretur ouis humeris paſtoris reuecta: eodemque ſpectat pallium Epiſcopale magni honoris inſigne confectum ex lana, deſignans, vt ait Iſidorus Peluſiota[b], *pellem ouis, quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentámque humeris ſuis ſuſtulit*[c]: quoniam Epiſcopus munere CHRISTI fungitur, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni

a cap. 11. 19.
b lib. de erro. profa. relig. c. 28.
Agni nomen probeſſe vſitatiſſimum.
c in Comm. oratio. 4. de Theo. Nati.
d ca. 5. 6. 8. 12. 13. c. 6. 1. 16. c. 7. 9. 10. 14. 17. c. 12. 11. c. 13. 8. c. 14. 1. 4. 10. c. 15. 3. c. 17. 14. c. 19. 7. 9. c. 21. 9. 14. 22. 23. 27. ca. 22. 1. 3. 14.
e 1. ep. c. 1. 19.
f Tract. 4. in Ioannem.
g Homil. 14. in Num.
h Hom. 37. in Matth.
i in Eſa. c. 53.
Sacrificiũ agni noſtrum incruẽtum figurabat.
k li. con. Iud. c. 11. & lib. 4. cont. Marcio. c. 40.
De cereo agni benedictis imaginibus.
l li. de Reſurre. carn. c. 20.
m li. de bono patien. c. 9. & in Sym.
n Tract. 3.
o epiſt. 4.
p in Tryph.
q Ioan. 1. 40.
r in Actis.
ſ Num. 28. 9.
t ep. quadam apud Baron. tom. 9.
u in vita. *B. Franciſcus quam tenere oues & agnos diligeret.*
x Eſa. 53. 7.
y Luc. 15. 3. 6.
z Ioan. 10. 14.
In calicibus depicta fuit ouis humeris paſtoris reuecta.
a lib. de Pudicitia. ca. 7. & 10.
b li. 1. ep. 136.
c Luc. 15. 5.
Pallium Epiſcopale quid ſigni-ficet.

A illius ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates à ſe ferendas aſſumpſit. Ius tamen pallij de Iure communi nonniſi Patriarchis, & Archiepiſcopis competit. Multa de Pallio Ioannes Stephanus Durantus[d] congeſſit.

Agnus.] Ineptè Heracleon, vt Origenes[e] refert, colligebat CHRISTVM nõ habuiſſe corpus perfectum, quia in grege agnus imperfectum quiddam eſt. Hoc loco vocatur etiam ouis, & alicubi aries, aliíſque nominibus perfectorũ animalium, vt leonis, ſed vox agni præter allatas cauſas, indicat benigniſſimum imperium CHRISTI, pro quo ſummis orabat votis Eſaias[f], dicens, *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ*, vbi more tamen

B ſuo Rabbini nugantur.

Coram tondente ſe.] Bene ait, *coram tondente*, inquit Ambroſius[g], *qui ſuperflua, non propria in illa depoſuit cruce, qui corpus exuit, non diuinitatem amiſit.*

Verſus 33.] In humilitate iudicium eius ſublatum eſt. Generationem eius quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita eius?

IN humilitate iudiciũ eius ſublatum eſt.] Ita legunt Septuaginta, ἐν τῇ ταπεινώσει ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη, ſed

C hebraicè ſic legimus, מעצר וממשפט לקח *mehhotſer vmimmiſchpat lekuh*, quod ſic expreſſit noſtra editio, *De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt*; pro, *ſublatus eſt*, Græcè eſt ἤρθη, id eſt, *ſublatum*, aut *eleuatum eſt iudicium*, inquit Hieronymus[h]. *De tribulatione atque iudicio ad* PATREM *victor aſcendit*: vel, iudex omnium, iudicij non reperit veritatem, ſed abſque culpa per ſeditionem Iudæorum, & Pilati vocem damnatus eſt. Chryſoſtomus[i] poſteriorem ſenſum ſequitur, & Procopius[k], & Tertullianus[l], & Origenes[m], & Oecumenius[n]. *Hic Pilato interrogante*, ait Tertullianus, *nihil locutus eſt: in humilitate enim iudicium eius ſublatum eſt.* At Lyranus intelligit eleuatum iudicium, quia CHRISTO reſurgente, Sancti, qui erant in Limbo de-

D tenti, inde fuerũt ſublati. Idẽ in Eſaiam[o], de gloria etiã CHRISTI ipſius in Reſurrectione, & Aſcenſione. Gloſſa interli. de Reſurrectione, quando data eſt illi poteſtas in cœlo, & in terra[p]. Syrus interpres ita reddit, מן חבושיא ומן דינא אתדבר *men chabuſcheia vmen dinaethdebar*, quod iuxta noſtram verſionem vnus ſic reddidit, *Ex anguſtia & ex iudicio ſublatus eſt*; alius ſic, *In ipſius humilitate, de clauſtro & iudicio ſublatus eſt.* Auctor libri de Trinitate[q], qui inter opera Tertulliani circumfertur, videtur duas dictiones, *in humilitate*, non ad ſequentia referre, ſed cum præcedentibus copulare, *ſic non aperuit os ſuum in humilitate*: niſi malis adiici debere & cetera, vt etiam Pamelius notauit[r].

E *Generationem eius quis enarrabit?*] De humana generatione CHRISTI intellexit Tertullianus[ſ], vocans generationem *natiuitatem, quia nullus omninò hominum*, inquit, *natiuitatis* CHRISTI *fuit conſcius in conceptu cùm virgo* MARIA VERBO DEI *prægnans inueniretur.* Eodem modò Chryſoſtomus[t], & Leo[u], & Irenæus[x]. De diuina Baſilius[y], & Cyrillus Alexandrinus[z], & Auguſtinus[a], qui ait, *ideò dixiſſe Iudæos, quòd* CHRISTVS *cùm veneris, nemo ſcit, vnde ſit*[b] (quod ibidem quoque dicunt Leontius, & Theophylactus) & vtitur quoque nomine *natiuitatis*: præterea idem Chryſoſtomus[c], & Ambroſius[d], & Auctor Operis imperfecti in Matthæum[e], & Hieronymus[f], & Phæbadus[g]

d li. 2. de Ritib. Eccl. c. 9.
e Tom. 9. in Ioan.
Chriſtus agnus, & aries, & leo, ſed cur potius agnus dicatur.
f cap. 16. 1.
g ep. 25. longè poſt med.
Quomodo Chriſti iudiciũ ſublatum ſit.
h in Eſa. c. 53.
i orat. 3. con. Iudæos. c. 13.
k in Eſa. 53.
l li. cont. Iudæos. c. 13.
m Hom. 6. in c. 15. Exod.
n hoc loco.
o cap. 53.
p Matt. 28. 18.
q cap. 9.
r ibidem.
ſ lib. contra Iud. c. 13.
t Hom. de S. Ioan. Bapt.
u ep. 10. & 11.
x li. 2. c. 48. & lib. 4. c. 21.
y li. 2. contra Eunom.
Chriſti generatio qua hoc loco intelligatur.
z li. 2. de Trinit.
a Tract. 31. in Ioan. & 1. de Symbol. ad Catechu. c. 3. & lib. 2. c. 3.
b Ioan. 7. 27.
c ora. 3. cont. Iud.
d 1. de Fide. c. 6.
e Hom. 1.
f in c. 1. Matt.
g lib. con. Arianos. to. 4. Biblio. Pat.

coætaneus Hieronymi, quem recenset inter Scriptores Ecclesiasticos, & Idacius Clarus [a], & Iustinus [b], & Clemens [c], & Athanasius [d], & Oecumenius [e]. De vtraque natiuitate idem Hieronymus atque Procopius in commentariis Esaiæ meminerunt. In capite secundo [f] explicans nomen generationis, attigi tertiam quādam præsentis loci intelligentiam, pro hominibus illius seculi, quo seculo vexabatur CHRISTVS, vt sit sensus: Quis mirari satis queat peruersitatem hominum illorum, &c. Ita quidem Forerius in Commentario super Esaiam, & Pineda [g] id etiam approbat. Adā verò Esaiam quoque enarrans, meminit quartæ pro semine ac posteritate, vt ex Passionis beneficio innumerabilis secutura sit generis series ac successio. Sanè verbū Hebræum דור *dur*, significat ordinare & enumerare. Placet quoque Carthusiano, & Lyrano [h]. Obstat duabus vltimis expositionibus, quod plerique pro *generatione* ponunt nomen *natiuitatis*, vt Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Phæbadus, Idacius, & Interpres Latinus Athanasij. Quāquàm, vt ingenuè fatear, nomen Hebræum דור *dor*, & Græcum γενεά, non significant natiuitatem; sed hoc interdū sumitur pro genere, siue progenie, vt cùm quæritur quo quis ortus sit genere, quam familiam habeat, aut liberos, illud tempus vitæ quo homo in hoc mundo peregrinatur plerumque significat. Nec displicet Forerio quinta explicatio, *Generationem eius*, id est, *ætatem, seculum, vitæ tempus quis enarrabit, quis computabit?* fuit enim breuissima, & præreptus est immatura morte, violenta, immerita. Oecumenius affert sextā de gloria, quam CHRISTVS consecuturus erat post Resurrectionem, ac de generosa eius dignitate. Sed ad quartam reuocari potest.

a lib. aduersus Varimadum. tom. 4. Bibl. Pat. — b in Tryph. — c epist. 1. — d li. de Incar. Verbi. — e hoc loco. — f vers. 40. — g in c. 1. Iob. vers. 8. — Generatio eius seculi hominis significat. — h hoc loco. & in Esaiam.

Quoniam tolletur de terra vita eius.] Sic etiam Septuaginta sunt interpretati, ὅτι αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ. Sed iuxta editionem nostram habemus, *quia abscissus est de terra viuentium*, iuxta textum Hebræum, כי נגזר מארץ חיים *chi nigzar meereſt chaiim*, id est, *quia separatus est de terra viuentium.* Chrysostomus [i] exponit, *tolli*, id est, *abscondi vitam* CHRISTI *in* DEO, *illo modo, quo nostrā Paulus* * *absconditam ait cum* CHRISTO *in* DEO, *atque ita intelligi, nostrum vnum quemlibet esse* CHRISTVM, *qui patiebatur.* Procopius [k], *quia altior est subsistētia vnigeniti Filij* DEI *omni creatura*: vel, *superat omnem sensum ratio generationis eius*, vt ait Cyrillus, siue Clictouæus [l], & genuinus Cyrillus alio loco [m]. *Ita vt*, quod ait Oecumenius, *lædi nequiuerit* DEITAS *ipsius, natura verò ipsa humana cælo recepta sit.* Tertullianus [n]: *Quoniam cæli eū post resurrectionem receperunt.* Glossa interlin. hoc loco idem dicit, *vt in cælo, non in terra viuat.* Augustinus [o], *quia resurget, eritque vita superior, ac velut eleuata à terra.* Iustinus [p], & Athanasius [q], & Hieronymus [r], *quoniam morietur*; qui Hieronymus agnoscit quoque illam expositionem, quam affert Tertullianus, quæ parum distat ab ea, quæ est Augustini. Vltimæ huic expositioni fauet illa quinta data ad priora verba, quam etiam sequitur Forerius, & Adam in Esaiam, & hoc loco Carthusianus, atq; Lyranus, & Glossa ordinaria. Indicat Oecumenius alium sensum de sublimiore, atque excellentiore viuendi ratione ipsius, quæ dicitur cōuersatio, dum versaretur etiam inter nos mortalis, *tanquàm secundus homo de cælo cælestis* [f], *sanctitate segregatus à terrenis*, vt ait quoque Glossa ordinaria. Mihi maximè probatur penultimus dicēdi modus, magisque congruit editioni Latinæ apud Esaiam, & Hebræo verbo, נגזר *nigzar*, quod ibi est, pro-

*i orat. 3. con. Iudæos. — Quid sit sublatam esse vitam Christi. — * Coloss. 3. 3. — k in Esa. c. 53. — l li. 5. in Ioan. c. 2. — m libr. 2. de Trinit. — n lib. cōt. Iudæos c. 13. — o hom. 16. ex lib. 50. Hom. — p Dial. in Tryphon. — q lib. de Incarn. Verbi. — r in Esa. c. 53. — f 1. Corin. 15. 47.*

A priéque significat excisum ac separatum esse, & quodammodò ab aliis segregatum.

Versus 34.] Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc, de se, an de alio aliquo?

OBSECRO *te.*] Qui reuerà nobiles sunt, sunt etiam ingenui, faciles, modesti, alieni honoris tuendi perstudiosi, denique illustrior apparet in nobilitate virtus; quippe si vera nobilitas sit, virtutis proles est. Rogauit superiùs Eunuchus Philippum, ascendere, & considere in curru, modò vt exponat Scripturam, obsecrat.

Nobilitas vera virtutis proles.

B *De quo Propheta dicit hoc, de se, an de alio aliquo?*] Hæc percontatio indicat casu incidisse in locum illum, non studiosè ab alio propositum: præterea, vt aduertit Chrysostomus, nescisse Eunuchum loqui Prophetas de aliis, aut de aliis, in sua persona, & quasi ipsi loquerentur de seipsis. Hinc verò etiā inopum æquè ac locupletum desidiam carpit, negligentiáque in ediscendis sacris Scripturis: idemque facit Carthusianus, nósque alio loco idem fecimus. Adiice his Theodosium iuniorem Imperatorem, & Alphonsum regem Aragonium, de quibus antè meminimus. Ille etiam noctu sacris libris operam nauabat, lucerna se sponte sua accendente, oleumque affundente miro artificio, ne quem

Theodosius iunior sacrarum literarum studiosus.

C ministrum eo labore grauaret [t]. Hic quaterdecies vtrumque Testamentum [u] cum Commentariis perlegit. Nō pudebit hos Principes, ac Dominos, si iis pauperculum seruulum, sed Sanctum adiunxerimus. *Nequaquàm literas nouerat*, inquit Gregorius [x], *sed Scripturæ sacræ sibimet codices emerat, & Religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se studiosè legere faciebat: & factum est, vt iuxta modum suum plenè sacram Scripturam disceret, cùm literas funditùs ignoraret.* Chrysostomus præ ceteris Patribus, sæpe ac grauiter hortatur quoscumque ad lectionem Scripturarū [y], videlicet qui facere cum fructu id possint: alioqui quàm non modò necessarium, verùm etiam periculosum sit, vt sine discrimine legantur Scripturæ à quolibet, monui superiùs [z].

t Niceph. lib. 14. c. 3. — u Anton. Panorm. in vita. — x 4. Dial. ca. 14. — y Hom. 1. in Matth. Hom. 10. in Ioann. Præfat. in epistolas Pauli. Hom. 3. in 2. ad Thessal. Hom. 9. in ep. ad Coloss. Homil. 3. de Lazaro. — z vers. 28.

D *Versus* 35.] Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ista, euangelizauit illi IESVM.

APERIENS *autem Philippus os suum.*] Pleonasmus est Scripturæ, ad significandum principium sermonis, præsertim paulò longioris, aut libera, claraque voce [a], aut cum præmeditatione, & circūspectione, aut post longum, diuturnumq; silentium [b], maximè verò cùm quis rogatus, ac penè compulsus loquitur, aut de rebus grauissimis [c], aut de veris, & æquis [d]. Vnde pollicetur DEVS Ezechieli [e] *os apertum*, hoc est, liberam orationem, qui posteà dixit [f]: *Et aperto ore meo non silui amplius.* Et

Aperire os quid significet.

E Apostolus [g] deposcit aliorum orationes, *vt detur sibi sermo in apertione oris sui cum fiducia* (Græcè est παῤῥησία, id est, *libertas dicendi*) *notum facere mysterium Euangelij*: & Corinthiis scribens, ait [h]: *Os meum patet ad vos, ô Corinthij*, hoc est, vobiscum liberè agam, & quæ locuturus sum, grauissima, verissimaque, versantur in animo meo continenter. Hoc est, quod vulgò dicimus, pleno ac rotundo ore loqui, cùm syncerè, liberéque, & cum quadam emphasi, vel auctoritate quempiam sermonem habere intelligi volumus. Atque adeò idem est, quod disertè & clarè loqui. Quod legitur in

a Eccles. 15. 5. 20. 11. 2. — b Iob. 3. 1. — c Psal. 77. 2. — d Prou. 8. 6. 31. 8. — e cap. 29. 21. — f cap. 33. 22. — g Ephes. 6. 19. — h 2. Cor. 6. 11. — Ore pleno loqui quid sit.

Psalmo [a],

a Ps. 118. 130.

Psalmo[a], *Declaratio sermonum tuorum illuminat*, pro declaratione, quæ Græcè dicitur δήλωσις, Hebraicè est, פתח *pathach*, id est, *porta*, vel *apertura*, siue *apertio*, & *patefactio*. Quanquàm sensus esse quoque potest principium & ostium legis est, mentes illustrare.

Auditor quomodo erga Doctorem afficiatur.

Quemadmodum verò pendet dicentis ab ore auditor, qui sapientissimus Doctor habetur, & in eius vultum intentus hæret, obseruans tacentem, os aperientem, dicere incipiétem, voces ipsas, vocumque modum, qualitatem, tenorem, &c. promentem considerans: ita aperiendi oris gestus, habitúsque proprius est magistri, doctorisque. De illo qui congruéter DEVM orat, ait Sapiens[b]: *Aperiet os suum in oratione*, id autem vt præstare posset

B

Dauid, orationem istã præmisit[*]: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*: atque idipsum Hebræos facere ad omnes preces, quod nos ad matutinales, alibi notaui[c]. Lege Maldonatum[d], Ioannem Ferdinandum[e], & Pinedam[f], & Salmeronem[g]. Beda ludit in etymologia nominis Philippus, *Os lampadis*, quæ conueniat obscuritatem Prophetiæ proferenti in lucem scientiæ, & ante Bedam Arator[h]:

b Eccl. 39. 7. * Psal. 50. 17. c c. 2. ver. 4. d Matt. 5. ver. 2. e in Thesau. Script. verbo, *Apertio*. f in c. 3. Iob. vers. 1. nu. 4. & seq. g To. 1. Proleg. 5. Reg. 12. *Philippus os lampadis hic dicitur recte dicitur.* h li. 1. carm.

——— *impone Philippum*
Lampadis os, quod Hebræus ait, qui meritis honorem
Nomine teste probat. ———

(hic ego legẽdum puto *teste*, non *testo*: testum enim instrumẽtum fictile est, aut ex ære, aliáve materia, in quo placentæ, aliáque id genus coquuntur, seu clibanus, aut furnus, quod hic locum habere non

C

potest, præsertim ratione carminis repugnãte) sed hanc nominis Græci notationem ex Hebræa lingua iampridem confutaui[i]. Arbitrantur aliqui[k], os aperire esse cũ ratione ac iudicio proferre orationẽ. Alij[l] de sermone graui & profundo. Nonnulli cùm post silentium longius loquitur aliquis: quomodo dicitur vulgò nouis Cardinalibus os aperiri, &c. Alij, quod factis operibúsque docuerit quis anteà, sermone quoque docere.

i cap. 1. v. 13. k Olympiad. Philipp. B. Thom. in c. 3. Iob. l Gregor. 4. Mor. c. 4. m Rom. 13. 12. nepist. 1. o cap. 2. Eccl. hierar. p in cap. 28. Matthæi. q li. de Fide, & Symb. lib. de Fide, & operib. præsertim c. 6. 9. 11. lib. de catechiz. rudib. *Catechismus his traditur.* r in 2. Esd ca. 11. s li. de Diui. offi. c. de Sabbato sancto. t 1. de Eccles. offic. c. 8. u 1. de Diui. offic. c. 17. x à pag 31. vsque ad 35. y 6. Rationa. cap. 56. z in c. Ante viginti. de Consec. dist. 4. a de Ritib. Eccle. c. 19. *De Catechumenis.* b li. 2. de Bap. c. 12. c Tom. 3. in 3. part. cum de Baptismo. d in Catechismo. e li. 1. de Bapt. c. 21. f in Catechismo. Catech. 1. & 2. *Euangelizandi verbũ quid significet hoc loco.* g epist. 45. ad Pammach. h lib. de Fide, & operib. c. 6.

Euangelizauit illi IESVM.] Hic est Catechismus, qui præcedit Baptismum adultorum, eósque,

D

vt ita dicam, præilluminat, priusquàm τὸν φωτισμὸν recipiant, hoc est, *illuminationem*, seu Baptismum, qui dicitur Sacramentum illuminationis, reddens nos *filios lucis*, ac *lucem in Domino*, atque *indutos arma lucis*[m].

Meminit de hoc Catechismo tum fidei, tum etiam morum Clemens[n], Dionysius[o], Hieronymus[p], Augustinus[q], Beda[r], Alcuinus[s], Amalarius[t], Rupertus[u], Ordo Romanus[x], Durandus[y], Turrecremata[z], Ioannes Stephanus Durantus[a], Enriquez[b], & Suarez[c], & Federicus Nausea[d], & Bellarminus[e], & Matthæus Galenus[f], & qui scribunt tum de Sacramentis, tum de Catechismo. Id verò etiam testantur nomina *Catechumenorum*, & *scrutiniorum*, quæ septem fiebant de illis, & *patrinorum*, qui pro infantibus respondent, & eos in-

E

stituere tenentur; Catecheses quoque scriptæ à Cyrillo Ierosolymitano, & liber Ambrosij de initiandis, & quod Hieronymus[g] tradit, consuetudinem huiusmodi fuisse, vt iis qui baptizandi essent, per quadraginta dies publicè traderetur sancta, & adorãda TRINITAS. Rectè autem Augustinus[h] obseruat, verbo euangelizandi, quod hic ponitur, non comprehẽdi tantùm doctrinam eorum, quæ credenda sunt de CHRISTO, sed etiam quæ obseruanda ei, qui accedit ad compagem corporis CHRISTI; immò & euangelizare, esse cuncta dicere, quæ sunt credenda de CHRISTO, nõ solùm

A

cuius sit Filius secũdùm diuinitatem, vnde secundùm carnẽ genitus, quæ perpessus, & quare, quæ sit virtus Resurrectionis eius, quod donũ SPIRITVS promiserit, dederitque fidelibus, sed etiam qualia membra sint, vel esse debeãt, quibus ipse sit caput, qualia quærat, instituat, diligat, liberet, atq; ad æternam vitam, honoremque perducat. *Hac cùm dicuntur*, inquit, *aliquando breuius, atque constrictius, aliquando latius & vberius*, CHRISTVS *euangelizatur, & tamen non solùm quod ad Fidem, verùm etiã quod ad mores pertinet, non prætermittitur.* Eodem libro[i] superiùs ostendit tria prima illa millia, quæ baptizauit Petrus[k], dicto modo instituta esse, quod & nos etiam monuimus. *Locus præsens Esaiæ omnia continet*, inquit Chrysostomus, *Incarnationem, Passionem, Resurrectionem, Assumptionem, Iudiciũ futurum*. Irenæus[l] putat *satis anteà instructũ Eunuchum, & præcatechizatum à Prophetis*, hoc est, lectione illorum, *nec* DEVM PATREM, *aut cõuersationis dispositionem, sed solùm aduentum ignorasse Filij* DEI: *quem cùm breuiter cognouisset à Philippo, baptizatũ esse*, &c. nec multùm laborandum fuisse circa illum, quoniam erat in timore DEI præaptatus à Prophetis. De Catechismo, qui pueris, aliisq; rudibus Christianis proponitur, & exponitur, non agam pluribus: res est, quam Concilium Tridentinum[m] post Lateranẽse vltimum[n], summoperè commendandam duxit, iubens edi eum, qui vocatur Parochorũ Catechismus, & Pius V. atque Gregorius XIII. amplissimis priuilegiis, ac indulgentiis docentes, dicentésque donauit. Lege Posseuinum[o] nostrum, & Institutiones Christianæ doctrinæ à Carolo Borromæo Cardinali editas.

i cap. 8. k Act. 2. 41. *Locus Esaiæ omnia de Christo narrat Eunucho continet.* l lib. 4. c. 40. *Catechismus parrochorum commendatur.* m Sess. 24. c. 4. de reforma. n Sess. 9. o li. 4. Bibliot. sanctæ. c. 6. 7. 8. 9.

Versus 36.] Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?

ET *dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam.*] Syriacè sic legitur, מטיו הוו לדוכתא הדא דאיתבה מיא *matiu hauu leduchetha hada dithbah maia*, i. *Venerunt ad locum quendam, in quo erant aqua.* Beda ait, suo etiã tempore fuisse vicũ in tribu Iuda, cui nomen Bethsur & Bethsoron, distantem ab Ælia Chebron vigesimo lapide: iuxtaque eum ad radices montis fontẽ ebullientem, qui ab eadẽ, in qua gignitur, absorbeatur humo: ibi Eunuchum baptizatũ. Id ante Bedam totidem verbis tradiderat Hieronymus[p], & Eusebius à Hieronymo Latinitate donatus. Sed nego, quod hic Auctor habet, Apostolorũ Acta referre Eunuchũ in hoc loco esse baptizatũ: loci námque nomẽ in hoc libro prorsus tacetur. Sacramento Baptismi ritè celebrando, cùm initio, vt ait Vualfridus Strabo[q], daretur in fluuiis, vel fontibus, vt patet etiã ex Lydia[r], quæ baptizata est in flumine, & ex custode carceris, qui in carcere[s], & vbiuis alibi, posteà deputatũ est baptisteriũ separatum ab Ecclesia, prope maiorem basilicã, vt colligitur ex Cõcilio Antisiodorensi sub Deus-dedit[t], & ex Cyrillo Ierosolymitano[u], & Nazianzeno[x], & Paulino[y], & Gregorio Turonensi[z]. Et initio quidem vnicum erat in ciuitate, vel oppido, deinde verò singulis parochiis singula sunt assignata, vt est in Concilio Meldensi, aut Illerdensi[a]. Tum etiam cœptum est cõdi baptisterium intra Ecclesiam prope πρόναον, id est, vestibulum, vt de eo, in quo Clodouæus baptizatus est, idem Turonensis[b] testatur. Hoc tempore quibusdam in ciuitatibus vnico

Eunuchus vbi sit baptizatus. p lib. de locis Hebraicis. *Sacramentum Baptismi vbi olim collatum.* q lib. de reb. Eccl. c. 26. r Act. 16. 13. 15. s ibid. 33. *Baptisterio vbi essent.* t cap. 14. u Catech. mystag. 1. x orat. 40. y epist. 12. z 5. Hist. c. 11. a cap 7. b 2. Hist. c. 31.

* lib. de Eccl. Hist.
Baptisterium mater est adoptionis.
a cap. 59.
b cap. 48.
c quæ incipit. Præsenti.
d 1. de ritib. Eccl. c. 19.

vtuntur omnes baptisterio, vt Parmæ in Italia. Meritò Dionysius * vocat Baptisterium μητέρα τῆς υἱοθεσίας, *matrem adoptionis*. Extra necessitatem cautum est baptizari extra Ecclesiam etiam in priuatis Oratoriis, vt est in Synodo Trullana [a], & in Concilio Meldensi [b], & in Clementina de Baptismo [c], vbi excipiuntur ex priuilegio filij Regum, ac Principum, hoc est, eorum, qui dicuntur summi, seu supremi potentatus, & ij, qui sine periculo ad Ecclesiam ferri non possunt. Lege Ioannem Stephanum Durantum [d].

Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?] Aliqui codices habent, *quis*, sed nostra editio congruit cum textu Græco τί κωλύει, & interpretatione Syra, quæ est huiusmodi, מנאהי כליתא *manahi chalitha*, *i. quod est obstaculum*, vel, *quæ prohibitio est*. Beda monet in quibusdam exemplaribus, atque in eo ipso, quo vtebatur, desiderata hæc verba, & totum sequentem versum, quem etiam Syra editio non habet, neque Græci Patres interpretantur. Magna Eunuchi alacritas, diligentia, prudentia. Non dicit: *Baptiza me*, neque silet: *sed medium quoddam inter desiderium*, inquit Chrysostomus, *& accipiendi promtitatem loquitur*. Nimirum Baptismi necessitatem expositam fuisse oportuit à Philippo, cùm illum Eunuchus nominatim poposcerit: & verisimile etiam est assensum suum declarasse ad ea, quę Philippus euangelizauerat, quasi diceret, vt ait Glossa interlinearis, *Fides plena est, aqua propè, baptizator præsens*. Hilarius [e], *Sacramentum Baptismi adeò impatienter*, inquit, *postulauit, vt à Diacono ministerium Apostolici officij, salutis suæ cupidus, exigeret. Arripuit aquæ opportunitatem Eunuchus, cuius erat in ea via raritas per desertum*.

Philippus iam de Baptismo locutus fuerat.
e in Psal. 67.

Versus 37.] Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo Filium DEI esse IESVM CHRISTVM.

f lib. de Eccl. hier. cap. de Bapt.
g libr. 1. Iuris Orien.
h li. de Bapt. c. 18.
i Sermo. 116. 163. 215. de Temp.
k epist. 23.
Patrini quibus olim nominibus dicti.
l c. in Catechismo. de cōsec. dist. 4.
m de Diui. offic. cap. de Sabb. san.
n de rebus Eccl. c. 26.
o 6. de Sacra. par. 2. c. 12.
p sermon. de Dedic.
q q 56. ad Orthod.
r lib. 1. c. 54.
f 3. par. To. 3. disp. 25. sec. 1.
t Sess. 5. c. 4. Sess. 7. c. 12. & 13.
Pueri etiā ante vsum rationis sunt baptizādi.
u Gen. 17. 12. Leui. 12. 3.
x Rom. 5. 12.
y Act. 16. 15.
Cur Eunuchus sit à Philippo interrogatus.
z 1. Cor. 1. 16.

SI *credis ex toto corde, licet*.] Beda dicit, in quibusdam codicibus Græcis legi, *saluus eris*, pro eo nempe quod habemus, ἔξεστι, *licet*. Interrogatur adultus pro se, vt respondeat, at pro infantibus respondent, qui vocantur *susceptores*, Grecè ἀνάδοχοι à Dionysio [f], & Elia Cretense [g], quod etiam nomen significat, quos vocat Tertullianus [h] *sponsores*, & *fidei ductores*, & quos *fidei iussores* Augustinus [i], qui præterea appellat eos, *fidei doctores* [k]: *Patrini* vulgò dicuntur, & in Iure Canonico [l], & ab Alcuino [m], Vvalfrido Strabone [n], Hugone de S. Victore [o], & Iuone [p]: Iustinus [q] nominat *Offerentes*: Concilium Parisiense I. [r] *Patronos*.

Quòd verò pueri ante rationis vsum baptizari possint, ac debeant, ponendum est tanquàm omninò certum, & egregiè demonstratum præ aliis à Suarez [f], sed & à Conciliis definitum, præsertim Tridētino [t]. Sufficit illis generalis voluntas CHRISTI, siue Ecclesiæ: nec fingenda est miraculosa vsus rationis pro eo tempore acceleratio. Sanè si Circumcisio profuit octo dierum [u] pueris, vel martyriū, quidni Baptismus? Et si obest Adæ peccatum omnibus [x], quidni CHRISTI Sacramentum prosit? Denique cùm Apostoli baptizabant domos, familiasque integras, vt Paulus domum Lydiæ [y], & Stephanæ [z], videntur & infantes ipsos baptizasse.

Non ignorabat Philippus Eunuchi fidem, inquit Glossa ordinaria, *sed volebat manifestam confessionem, vt baptizaturis, & baptizandis daretur exemplum in-*

A *terrogandi, & confitendi*. A Iudæis ante Baptismum exegerat Petrus pœnitentiam [a], quoniam petentes quid eos facere oporteret, credere se significauerant, & à Petro iam redarguti fuerant, quòd aduersùs Scripturas, quas recipiebant, CHRISTO non credentes, illum nefariè occidissent.

a Act. 2.

Credibile est omninò ab Eunucho Philippum eum dolorem exegisse, qui requiritur, quoniā instituit non de fide tantùm, sed etiam de moribus, vt paulò antè Augustinum [b] docentem audiuimus. *Gratia quidem gratis peccata dimittit*, inquit Hieronymus [c], aut si quis alius est huius auctor sententiæ, *sed cum consensu, & voluntate credentis, sicuti Philippus Eunucho in Actibus Apostolorum probat dicens: Si credis ex toto corde, licet te baptizari. Quo testimonio intelligitur, nō minus periculum esse, si baptizetur incredulus, quàm si verè credenti Baptismus denegetur. Credens autem ille est, iuxta Scripturas, qui ex toto corde crediderit*. Sic dictus Auctor. Sed fidem ex toto corde intelligere debemus syncerā, sine fuco, & simulatione, quod hoc loco Caluinus cōcedit, malè alibi negans eodem modo amari DEVM posse, nimirum etiam cum gratia ipsius, ex toto corde. Nihilominùs non requiritur necessariò fides supernaturalis, vt præuia dispositio, sed sufficere potest humana credulitas, vt rectè docet Suarez [d].

B

Etiam fides ab Eunucho postulata.
b lib. de F. & operib.
c Tom. 9. 1.
Non minus periculum est si pateat ter dolum, quā non baptizare credentem.
Fide ex toto corde quid.

d 3. par. Tom. 3. Disp. 15. sect. 2.
Olim baptizādi peccata confitebantur.
e Matt. 3. 6.
f lib. de Baptismo. c. 18.
g orat. 40.
h lib. 9. c. 29.
i cap. octaui qui iam. de conf. & lib. de vera & falsa pœn. c. 8. & li. de pœnit. med. c. 2. & li. de Fide, & operib. c. 6. & seq. & ep. 48. & 108. & lib. 50. homil. in 27. & 50.
Fides explicita de pluribus esse debet.
k lib. de Fide ad Petrum. c. 30.
l Sess. 6. c. 6. & 7. & Sess. 14. c. 1.
m vers. 38.

Olim ante Baptismum CHRISTI, sicut ante Ioannis [e], candidati Baptismi cōfitebantur peccata sua, non sacramentali confessione, quoniam Sacramentorum ianua Baptismus CHRISTI est, sed humilitatis causa, & consilij capiendi, vt testantur Tertullianus [f], Nazianzenus [g], & de ciuitate Alexandrina Historia Tripartita [h]. Aliqua certè adultis pœnitentia necessaria est habentibus peccata actualia, vt sæpenumerò docuit Augustinus [i], & Fulgétius [k], denique id definit Concilium Tridentinum [l]. Lege quæ dixi capite secundo [m].

C

Credo Filium DEI *esse* IESVM CHRISTVM.] Hoc est, eum, qui vocatur IESVS CHRISTVS, esse Filium DEI, ita vt CHRISTVS sit loco cognominis. Fides explicita de pluribus esse debet, proindeque verisimile est, Eunuchum de pluribus Fidei professionem edidisse. Certè Philippi prædicationi, quam plures res complexam esse cum Augustino dixi, Eunuchus assensum præbuit, quamuis de IESV diuinitate, tanquàm de potissimo articulo, mētio fiat. Si dicas in confessione Filij DEI comprehendi PATRIS confessionem, verissimè dices: eodem modo, si sub nomine CHRISTI, prout significat vnctum, contineri eundē PATREM, qui vnxit, & SPIRITVM sanctū, quo vnctus est, seu per gratiam sanctificantē, seu per hypostaticam vnionem: siquidem omnia dona gratię per attributionem SPIRITVI sancto deputantur. Longè verosimilior tamen est opinio, quæ medij quoque necessitate fidem exigit explicitam nunc in CHRISTVM; qua de re pręter Scholasticos, lege Iosephum Acostam [n]: & nos aliàs id probauimus. Non etiā est improbabile, fidei solemnē professionē in Baptismo indicatam à Petro, quando dixit [o], *non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in* DEVM; id est, *stipulatio*, inquit Gagneius.

D

Fides explicita in Christū omnino necessaria.

E

n 5. de procuranda Indorum salute. c. 1. 2. 3. 4.
o 1 ep. 3. 21.

Versus 38.] Et iussit stare currū: & descenderunt vterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizauit eum.

ET *iussit stare currum*.] Hugo Cardinalis dubitat, vter iusserit, Philippúsne, an Eunuchus. Chrysostomus intellexit de Eunucho, & planè verisimile est; idq; supponit versio Syra, quę sic habet,

וַיְצַו vappekad baua, id est, *& præcipiens fuit*, seu, *præcepit*, supple Eunuchus, qui antè locutus fuerat, atque codices, in quibus desideratur versus præcedens: connectunt enim verba Eunuchi distinctè cum istis; sed & in nostra editione satis apparet idem sensus, quoniam de eodem qui proximè antè Fidem professus erat, subditur hæc iussio.

Et descenderunt vterque in aquam.] *Eunuchus magnam familiam habuit, nec tamen corā illis se nudare, ac lauari erubuit*, inquit Carthusianus, *dū corā* DEO *de propriis verecundabatur peccatis*. Quo confunduntur qui hominum magis, quàm DEI reuerērtur, ac verentur aspectum. Descensus iste in aquam significat quoquomodò immersionem, & probabile est eo modo quo commodè potuit, & est magis expressa ablutio, Eunuchum baptizatum. Alioqui sufficit infusio, seu aspersio, vt dixi de tribus [a], & quinque millibus [b]. Est enim huius Sacramenti proxima materia ablutio, CHRISTVS autē modum eius nullum definiuit, Carthusianus citatus affirmat Eunuchum immersum. Sed non improbabile etiam est, fuisse duntaxat aspersum, propter decentiam, sicut de CHRISTO, dum eum Ioannes baptizauit [c], quidam cōtendunt. Lege Suarez.

Magis quidam erubescunt homines quàm Deum.

Eunuchus forsitan immersus vel aspersus aqua.

a Act. 2. 41.
b infrà c. 44.
c Matt. 3. 15.

Et baptizauit eum.] Clemens Romanus [d] excusat Philippum, sicut & Ananiam [e], quòd baptizarint, quoniam hoc eis munus extraordinariè commissum est à CHRISTO Pontifice, & DEO. Hilarius [f] reiicit causam in impatiens desiderium Eunuchi. Posset quoque Diaconus ex confessione, seu delegatione Episcopi, aut Sacerdotis ministrare ordinariè hoc Sacramentum, vt patet ex ordinatione eius in Pontificali Romano, & ex Iure Canonico [g], ita vt in casu necessitatis absente Sacerdote iure suo liceret ei id ministerium vsurpare, quippe vt speciali ministro Presbyteri; qua item de causa committitur ei dispensatio Dominici corporis. Exemplum quoque Baptismi à Diaconis collati legitur apud Paulum Diaconum [h].

d 8. Const. c. vlt.
e Act. 9. 18.
f in Psal. 67.
Diaconus quādo baptizare possit.
g c. constat. de cōsec. d. 4.
h 5. de gestis Longobard. c. 10.
Baptismus non est differendus.

Non debet differri Baptismus tātæ necessitatis vtilitatísque Sacramentum. Quòd si quidam olim etiam cordati, grauésque viri distulerunt, vt Ambrosius [i], Augustinus [k], Martinus [l], Constantinus Magnus [m] (etsi falsum est, hunc vsque ad mortem distulisse, & Nicomediæ baptizatum ab eius ciuitatis Episcopo Arriano Eusebio [n] Nicomediensi) id fecerunt, aut ob Sacramenti reuerentiam, aut publicis, priuatisque negotiis impediti, ita vt in Paschate, aut Pentecoste suscipere Baptismum non possent: quæ duo quondam solemni Baptismo tempora assignata erant [o], vt habetur in Iure, & refert Ioannes Stephanus Durantus [p], vsque ad ætatem Caroli Magni, quando baptizandorum maior numerus infantum, & varia pericula horum præsertim laxiorem exigebant temporis opportunitatem [q].

i in vita.
k 1. Confess. c. 11.
l in vita.
m Baron. Annal. Tom. 3. & Enriquez 2. de Bapt. c. 4.
n iidē Auctores.
o c. duo tempora. de consecr. d. 4.
p 1. de Ritib. Eccl. c. 19. nu. 14.
q Ruper. 4. de Diui. offic. c. 18.

Etsi verò alicubi mos fuerit fortè ante vsum rationis infantibus non conferre Baptismum; tamen præstat non expectare, neque id modò sine graui scandalo fieret: multóque grauior error esset, nolle Baptismum ante trigesimum ætatis annum, prætextu CHRISTVM imitandi, accipere. Concilium Tridentinum [r] damnat huiusmodi errorem, necnon mortis articulum expectantiū, aut qui negant paruulos baptizandos, vel cùm adoleuerint, interrogandos an ratum id habeant. Lege Suarez [s], Enriquez [t], & Bellarminum [u], & nominatim contra dilatores ex Patribus præcipuè Basilium [x], Nazianzenum [y], Chrysostomum [z], Augustinum [a], Nyssenum [b], qui hoc Eunuchi valdè vr-

r Sess. 6. c. 12. 13. 14.
Pueri sunt baptizandi ante rationis vsum.
s 3. par. Tom. 3. Disp. 31.
t 2. de Bapt. c. 4.
u lib. de Bap. c. 8. & 9.
x Hom. 13. exhort.
y orat. 40.
z Hom. 1. & 19 in Acta, & Hom. 13. in epist. ad Heb.
a 1. Confess. c. 11.
b orat. aduersus eos qui differunt Baptismum.

A get exemplum, & oppositum narrat Archiæ cuiusdam, qui cùm vellet baptizari, aquæ copiam non habuit, aliosque partim citatos à me, partim ab his aliis Auctoribus, ex quibus colligi potest, adultum teneri ad Baptismum sub peccato mortali, quàm primùm, moraliter loquendo, potest eum obtinere dignè, & commodè.

Adultus tenetur Baptismum accipere, quamprimùm potest.

Satis dispositum fuisse Eunuchum, ac institutum, non Augustinus duntaxat docet [c], verùm etiā Tertullianus [d], monens ne quis temerè, ac imparatus admittatur, & Cyprianus [e], & Irenæus [f]. Idem obseruare possumus de variis cæremoniis B sensim inductis circa Baptismum, quas afferunt iidem Auctores, atque explicant, nec eædem vbique sunt in vsu: olim namque Ecclesia nondum satis fundata erat: præterea non habebat eadē Ecclesia SPIRITV magis abundās eiusmodi necessitatem adminiculorum, vt Ambrosius obseruat [g].

c li. de Fide, & oper. ca. 9.
d lib. de Baptis. c. 18.
e lib. 3. c. 43.
Cæremoniæ Baptismi non statim adhibitæ, sed sensim.
f lib. 3. c. 40.
g in cap. 4. ad Ephes.

Quæri potest, vtrùm solus Eunuchus baptizatus sit? sed si alij prætereà baptizati essent, rē adeò insignem Lucas non omisisset, atque Irenæus [h] ait Philippum solum soli prædicasse. Anteponit hunc Chrysostomus aliis omnibus, qui prius crediderant in CHRISTVM, quandoquidem illicò absque signis (quæ viderant etiam Magi [i], & in Cruce latro [k]) & quòd etiam is potuerit esse spectator status Ecclesiæ, quæ in Ierusalem persecutionem C patiebatur: tamen Philippo tam facilem se ad credendum exhibuerit. Theodoreti [l] opportuna sententia: *Æthiops Eunuchus non multas legis Scripturas, sed cùm vnum Propheticum inuenisset testimonium, per illud ad salutem deductus est: ad vobis autem persuadendum, non sufficiunt omnes Apostoli & Prophetæ, & qui post illos fuerunt veritatis præcones.*

An solus sit baptizatus.
h lib. 3. c. 12.
Anteponitur aliis qui ante ipsum in Christū crediderant.
i Matth. c. 2.
k Luc. 23. 40. & seq.
l Dialog. in Impatib.

Versus 39.] Cùm autem ascendissent de aqua, SPIRITVS Domini rapuit Philippum, & ampliùs nō vidit eū Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.

CVM *autem ascendissent de aqua*, SPIRITVS *Domini rapuit Philippum.*] *Hieronymus dicit hoc* D *Angelum fecisse in* SPIRITV *sancto*, inquit Glossa interlinearis; locus autē Hieronymi est in Commentariis super Esaiam [m], vbi sic loquitur agens de ministerio Angelorum: *Consideremus illud, quod in Actibus Apostolorum scribitur:* SPIRITVS *Domini rapuit Philippum, & non vidit eum vltrà Eunuchus, an super Angelo debeamus accipere. Sunt qui Angelum in* SPIRITV *sancto hoc fecisse testentur.* Si hoc admittimus, intelligemus iussionem solam SPIRITVS sancti, quia propria virtute id potuerit Angelus, sicut cùm Habacuc in Babylonem translatus est [n], aut Ezechiel [o], aliíve, vt notat Chrysostomus (quem tamen Hieronymus, Theodoretus, & alij volunt in spiritu tantùm esse translatum) necnon E cùm CHRISTVS [p] ipse à Diabolo tentatore, vt aliàs docuimus [q]. Reuerà namque CHRISTVM Angelus rapuit, cui tribuitur nomen spiritus, vt notat Didymus [r], & ita etiam docet Ambrosius [s].

Philippus an à Spiritu sancto vel ab Angelo raptus sit.
m in c. 63.
n Dan. 14. 35.
o cap. 8. 3.
p Matt. 4. 5. 8.
q in Euang. Dom. 1. Quadrag.
r li. de Spiritu sancto.
s in Symbolum, circa finem.
Est raptus ab Angelo, & cur.

Id porrò ideò factum est, & propter Philippum, *vt esset*, inquit Chrysostomus, *in admiratione, tanquam vir non vulgaris, sed diuinus, ac Prophetis non inferior*: & propter Eunuchum, *vt intelligeret*, inquit Lyranus, *Philippum à* DEO *specialiter fuisse missum ad ipsum informandum de Fide, & baptizandum.* Oecumenius causam tertiam assignat, *quoniam voluisset Eunuchus adhuc congredi, & Philippus abnuens, ac denegans, cùm nondum*

communicati sunt [a]: denique hæresis fuit, de qua Epiphanius [b], quorundam dicentium, quòd *Nisi quis Eunuchus fieret, saluari nō posset.* Quocirca meritò Ius in primis Canonicum [c], & ciuile etiam [d] cauit seuerissimè, ne quis sibi hanc mutilationem afferat, neu vllus eam alteri medicus inferat; & auctor est Valerius Maximus [e], inuisos, ac infames fuisse Eunuchos apud Romanos. Lampridius [f] meminit vetitos Eunuchos à Constantino gerere Præfecturas ac Magistratus, immò infimo eos loco habuisse prodit Athanasius [g], qui prætereà notat ab Ecclesiasticis ministeriis arceri: cauetur id quoque in Concilio Niceno [h], & in canonibus Apost. [i] & queritur *tanti fieri à Constantio, vt etiam iudicia Ecclesiastica exercerent homines, vt natura, ita animo ad generandum steriles, vtpote vllam de sobole mentionem esse agrè patientes,* nēpe de Filio Dei, cùm essent Arriani: quæ est item Nazianzeni, & Basilij querimonia. Constat prætereà ex vita S. Sabæ, reiectos à cōsortio Monachorum Eunuchos. Suidas [k] prodit Theodosij iunioris edicto cautum, ne foret Eunuchus Patritius. Habebatur quoque indignus militia, & censebatur telas cum non tela debere tractare. Qua de caussa Narsetem [l] Ducem, & Principem in bello strenuum, Sophia Augusta magno suo malo, & Italiæ maiore detrimento ad gynecæa relegauit; quam pœnam etiam, eò quòd idolis immolare noluisset, S. Hesychius [m] pati compulsus, muliebribus officiis deputatus est: segregant prætereà leges [n] à militia hoc hominum genus, & Vegetius [o], eósque Iuuenalis [p] imbelles epitheto proprio cognominat. Adiice his quòd cùm omne animal castratum plus mansuescat, homo, auctore Aristotele, ferocior euadit. Facit, & spectat vtcumque ad laudem Eunuchorum, quod de specu Hieropolitano Dion [q], & Ammianus [r] prorsus improbabile commemorant. Ibi ex cisterna spirare auram omnibus animantibus noxiam, solis impunè illam hauriētibus, quibus genitalia excisa sunt: quod item, vt produnt Hippocrates [s], Galenus [t], & Aristoteles [u], & Plinius [x], non caluescant Eunuchi, nec podagra laborent, vel varicibus infestentur, vel minùs habeant, quàm alij. Lege de toto hoc argumento Pererium [y], & Feuardentium [z], & Petrum Gregorium [a], & Suidam [b], qui Cyrillum citat, & Robertum Olkot [c], qui refert distinctionem Grammaticorū, vt castratus sit quasi castus natus, nempe naturaliter frigidus ac impotens: Spado, qui inuitus castratur: Eunuchus, qui spontè id permittit, etsi meritò hanc distinctionem negligit. Legendi præter citatos Macrobius [d], Suetonius [e], Ammianus [f], Martialis [g], Saluianus [h], Brissonius [i], Lipsius [k], Pineda [l], Scaliger [m], Alciatus [n]. Ammianus [o] primam castrationem defert Semiramidi Assyriorum reginæ. Alij tribuunt hoc inuentū vel Persis, vel Medis, vel Aegyptiis. CHRISTVS autem, & Christiani ob continentiā vocati sunt aliquando spadones, teste Tertulliano [p], quippe qui *seipsos spiritualiter castrauerunt propter regnum cælorum* [q], sicque multò maiorem laudem continentiæ merentes, quàm qui propter libidinis impotentiam, mentisque insaniam seipsos fœdè mutilant, vt præ ceteris demonstrat Basilius [r]. Hi sunt quibus DEVS ipse [s] promittit in domo sua, & in muris locum, & nomen melius à filiis, & filiabus, nomen sempiternum, quod non peribit.

Quòd igitur attinet ad eum, qui hoc loco dicitur Eunuchus, non constat, an id nomen signifi-

A cet tuisse spadonem, an ministrum regium. Primā opinionem sequitur Hieronymus [t], & Athanasius [u], & Augustinus [x], qui vocat pro Eunucho spadonem, eodem modo ante illum Tertullianus [y], & Arator [z], qui sterili corpore, & Magister Historię Scholasticę, & Hugo Cardinalis, & Glossa interlinearis hoc loco: hi tres, aliique id supponere videntur. Secundam probabilem censet Carthusianus hoc item loco, Lyranus autem omninò eam tuetur, ductus tamen leui ratione, & Abulensis alicubi [a], alibi [b] enim magis propendet in priorem. Fauere videntur Eusebius [c], & Nicephorus [d], dum non vtuntur voce Eunuchi, sed Satrapam nominant, vel Præfectum Reginæ Æthiopum. Prima

B opinio probabilior est, neque obstat nomen viri, quod de quolibet homine dici potest; vel Satrapæ, aut Pręfecti, cùm hi tituli veris Eunuchis dari solerent, vt vidimus. Qui secūdam sequi volet sententiam, dicat, quod antè indicaui, quia solebant reges Chaldæorum, Persarum, Medorum, Aegyptiorum, propter multitudinem fœminarum quas habebāt, eunuchorum vti ministerio, factum esse, vt quicumque Regibus ministrarent, omnésque Principes, appellarentur Eunuchi. Et quoniam tales credibile est fuisse Danielem, sociósque, hoc pacto Esaias exponitur, cùm prædixit [e]: *De filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in palatio regis Babylonis.* Erant au-

C tem illi de semine Regio [f], & tribu Iuda [g].

Potens.] Δυνάστης, *potentia præditus*, substantiuum nomen est, referendum ad sequentia verba. Significat vox Græca eum, qui obtinet alicuius loci dominationem, ac si dicas, optimatem, primatem, procerem: estque Dynasta, Latinitate donatum, dictumque etiam de Rege, quoniam plurimùm potest, vt ait Strabo. Euthymius adeò potentem ait fuisse, vt post Reginam primus in Imperio haberetur, ac proinde in Psalmo [h] vocatur *manus*, in qua vir, ac robur hominis potissimùm dignoscitur, vbi est, *Æthiopia præueniet manus eius* DEO, Hebraicè sic legimus, כושחריץ ידיו לאלהים *chuschtharits iadau lelohim*; vbi Hieronymus, *Æthiopia festinet dare manus* DEO; Pagninus, *currere faciet manus suas* DEO, id est, extendet, ac mittet istum

D Eunuchum, &c. Hunc verò locum ab aliis eadem ratione intellectum de Eunucho superiùs docuimus.

Candaces.] Κανδάκης. Potest esse nomen viri in prima declinatione, & attribui Eunucho, atque ita Euthymius citatus accepit. Sed præter illum, qui hoc modo intellexerit, dempto Gregorio Nazianzeno [i], & Anastasio Synaita [k], scio neminem. Et sanè non cohæret sensus cum sequentibus nominibus obliquis, *reginæ Æthiopum*, nisi sumatur, vt nomen proprium ipsius reginæ: esse

E autem reginarum Aethiopum, qui à fœminis regerentur, non à viris, Candacis nomen proprium, omnes huius loci Interpretes æquè consentiunt, additque Oecumenius existimatum ab Aethiopibus, quos reginæ filios edidissent, veros filios Solis esse. Idem de imperio, & nomine reginarum produnt Eusebius [l], & Nicephorus [m], immò & Plinius [n] (quamuis Candaocem appellet, aut, vt legunt alij, Candagem) atque Strabo [o].

Qui erat super omnes gazas eius.] ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς. Syrus sic est interpretatus, והו שליט הוא על כלה גזה *vehau schaleth haua bhal culleh gazah*, id est, *Et ipse præfectus erat super vniuersum thesaurum*, vel, *qui quidem præerat omnibus opibus eius.*

a in vitis Patrum. 2. d. c. 172.
b Hæresi 58.
c c. si quis pro ægritudine. & c. si quis à medicis. & cap. si quis absciderit. & c. hi qui se. & plurib. aliis dist. 55.
Eunuchi à Constantino nullo loco habiti.
d l. eiusdem legis & l. lege Cornelia. ff. ad lege Corn. de sicar. & alibi.
e lib. 7. cap. 7.
f in Alexand.
g ep. ad Solitarios.
h ca. 1.
i ca. 21. & 22.
k verbo, *Antiochus.*
l Paulus Diaconus lib. 8.
m Euseb. lib. 8. c. 12.
n li. 2. C. The. de tyronibus.
o lib. 1. c. 7.
p Sat. 6.
q in Traiano.
r lib. 23.
s de morbis vulgar.
t li. 6. de morbis vulgar.
u lib. 6. de Hi. animal. c. vlt.
x lib. 11. ca 37.
y Gen. 17. dis. 9. & lib. 1. in Dan.
z in Esther, digress. de Eunuchis.
a 7. Synt. ca. 2.
b verbo, *Spado.*
c in c. 1. Sapiētiæ lect. 19.
d libr. 7. ca. 10.
e in Dom. c. 7.
f lib 18.
g lib. 6. epigr.
h li. 7 de prouid.
i lib. 2. select. iur Antiq.
k libr 2. Anti. lect. cap. 8.
Christiani qui propter cælorum regnum continentes vocant, sunt agnomine spadones.
l in Iob. c. 36. v. 14. nu. 5. & seq.
m exerc 271.
n de verb. sig. l. spadonum.
o lib. 14.
p li. de Monoga. c. 1.
q Mat. 19. 12.
r ep. 87. & lib. de virginitat.
s Esa. 56. 5.
Iste Eunuchus fuerit ne verè vel regius minister.

t in c. 53 Esa.
u ep. ad solitarios.
x lib. 3. de bapt. in c. 21.
y lib. de baptismo c. 18.
z lib. 1 cam in Acta.
a 3 Reg. 22. q. 6.
b 4. Reg. 1. post q. 11. & 1. Par. 28. post q. 1.
c 2. Hist. c. 1.
d 2. Hist. c. 6.
e Esa. 39. 7.
f Dan 1. 3.
g vers. 6.
Dynasta quid significet.
h Psal. 67. 32.
Candaces quid sit hoc loco.
i ora. in sanctum Baptisma.
k lib. 6. Anagogic. contēpla. in hexamer.
Candaces nomē est reginæ Aethiopum.
l 2 Hist. c. 1.
m 2. Hist. c. 6.
n lib. 6. c. 29.
o lib. 17.

Gaza

Gaza [a] Persarum vox est, vel etiam Medorum satis nota (vt etiam meminimus paulò antè cùm ageremus de Gaza loci nomine) significans, vt docent Pomponius Mela [b], Q. Curtius [c], Seruius Virgilij Interpres [*], Hieronymus [d], Isidorus [e], opes, supellectilem, & omne quod possidemus, præsertim verò locum ipsum, in quo pecunia,& thesaurus asseruatur, quod etiam dicitur vocabulo à Græcis composito, γαζοφυλακεῖον *gazophylacium*, quod Scriptura quoque vsurpat, perinde ac Hebraica illa קרבן *corban*, vel קרבנה *corbonah*. Erat porrò,vt id obiter cum Beda [f] adnotemus, huiusmodi in templo locus duplex; alter, in quem oblatæ pecuniæ templi vsibus reponebantur; alter, in quem aliæ mole maiores res coniiciebantur. Ille arca erat [g], quales nunc expositas videmus in templis; hic velut capacior aula [h]. De priore Marcus [i], Ioannes [k] videtur de posteriore mentionem facere, vel certè de toto loco, in quo prioris generis gazophylacium ponebatur,& quidem in maiore atrio,quoniam viduæ illi, quæ obtulit duo æra minuta [l],eò intrare licuit. Eodem pacto apud Lacedæmonios ærarium in templo Apollinis erat, vt scribit Athenæus [m]: apud Romanos in æde Saturni, vt est apud Plutarch. [n] apud Ægyptios in regio palatio, vt habetur in Genesi [o]. Vocatur quandoque in Scriptura,quod Interpres vertit gazophylacium, Græcè παστοφόριον [p],vel ἐξέδρα [*], etsi hic dicatur esse cantorum [q], Hieronymus etiam aliquando [r] pastophoria gazophylacia intelligit, siue cellaria, & thalamos. Denique constat sumi prætereà gazophylacium pro domo, sicque Græcè redditur interdum voce οἶκος, vbi legimus gazophylacium [s], eáque domo, quæ multiplex erat intra templi atrium instar turrium per circuitum coniuncta muro eiusdē templi,ad custodiam thesaurorum templi,ac vestiū ministrorū eius, & habitationem illorum,cùm ministrare debebant.De hac re Comestor [t],Abulēsis [u],Ioseph Stephanus [x]; similia tradit Ruffinus [y] de templo Serapidis.

Magistratus, quem hic Eunuchus gerebat, similis est Quæsturæ Romanorum, etsi hæc non vnius modi erat, & comparandus est cum eo genere Quæstorum,qui publicæ pecuniæ præerant, quæ prima fuit ratio institutionis illorum; neque viri Consulares, magnísque honoribus functi Quæsturam illam gerere dubitauerunt, vt Titus Quintius Capitolinus, qui ter Consul anteà fuerat [z]. Qua tota de re qui res Romanas prosequuntur, maximè Magistratus [a], & Alexander ab Alexandro [b] cum Tiraquello Scholiaste. Constat etiam in honore habitos Quæstores apud Athenienses [c],& Carthaginenses [d]. Custos gazæ γαζοφύλαξ dicitur ab Interpretibus septuaginta,à nostro Interprete arcarius gazæ [e]. Vulgò appellamus Thesaurariū, qui dictus quoq; reperitur voce Græca Cimiliarcha [f], vel potiùs Cimeliarcha, aut Cimeliarchus, ἀπὸ τῦ κειμηλίυ, quod significat thesaurum, aut aliud reconditum quippiam ac sepositum,& cimeliarchium est rerum pretiosarum reconditorium [g]. Et quia cimilia seu cimelia,κειμήλια Ecclesiarum nominat Paulus Diaconus [h], hinc est, quòd quædam Ecclesiæ, vt Mediolanensis, valorum sacrorum, quæ diuino destinarentur cultui,custodem Cimiliarcham appellent. Galli autem voce Græca immutata aliquantulùm,*Marguiber* nominant.

Venerat adorare in Ierusalem.] Id alios quoque Gentiles fecisse dixi superiùs, monens hinc ido-

Gaza quid significet. a Publius Cōsentius. b lib.1.c.11. c libr.3. non multò ante finem. * in 1.& 2. Æneid. d in c.19.Ef. e Etymol.lib. 15. ca.1.& lib. 20.c.9. *Duplex in téplo erat gazophylacium.* f in c.12.Mar. g 4.Reg.12.9. 10. h 2.Esd.10.37 i cap.12.41. k cap.8.20. l Marc.12.2. *In templis apud Gentiles pecunia publica olim seruari solita.* m lib.6. n in Probl. o cap.47.14. *Pastophoria & gazophylacia eadem erant.* p Ierem.35.4. Eze.40.17.38. * Eze.40.44. q Eze.41.10. c.42.& 44.& 46.sæpe. *Gazophylacium pro domo sumitur.* r in Eze.40. s Ier.36.10.12. 20. t in Hist. Sch. in 3.Reg.c.15. u 3.Reg.6.q. 21.& 1 Par.9. q.12. x in 1.Mach. c.4. y 2.Hist.ca.23. z Liui.1.Dec. lib.3. a vt Vuolfangus Lazius, Ioā. Rolinus. b lib.2.cap.2. c Liu.3.Dec. li.8.& Plutar. d idē 4.Dec. lib.3. e Esther 3.9. f l.iubemus. C. de sacros. Eccles. g l.vlt.§.fin autem.C. de bon.aut.iud. possid. l.liberis.§ fin autem.C. de agric.& cens. h lib.vlt. *Non solum Proselyti, sed etiam Gentiles venerabant Ierusalem ad adorandum.*

A neum argumentum non ducere eos, qui propterea Eunuchum istum proselytum, seu religione Iudæum affirmabāt, & sunt qui Alexandrum Magnum tradant [i] adorasse Iaddum Pontificem obuiam sibi prodeuntem,vel potiùs,vt ipse dicebat, DEVM,in ipso,quem ipse Pontifex coleret, atque immolasse in tēplo Ierosolymitano. Eòdem pertinet summa existimatio apud Gentiles de religione Iudæorum, cuius fuit Achior testis [k], aduentus reginæ Saba [l] ad Salomonis audiendam sapientiā, munera missa Templo à Cyro [m],à Dario [n], ab Artaxerxe [o], à Seleuco [p], ab Heliodoro [q],ab Antiocho magno,aliisque multis Regibus ac Gentibus, vt testatur Iosephus vterque, Flauius [r], & Gorionides [s], qui citat quoque Strabonem,& Nicolaum Damascenum.

B *Adorare.*] Ἐληλύθει προσκυνήσων, *venerat adoraturus*;hoc autem verbum Græcum προσκυνεῖν,propriè significat veneranter osculari, & reuerentiam corpore inclinato exhibere:quæ reuerentia quia vel in oratione, vel etiam in sacrificio vsurpatur,prout locus, in quo vsurpatur,postulat, & ratio exigit, ex vsu Scripturæ DEO sæpe accommodatur, alioqui communis quoque hominibus talis reuerentia,vt ait Augustinus [t], censeri solet, sicut & adorandi,adorationisque vocabula,modò pro vno, modò pro alio vsurpantur. Et quidem pro sacrificio apud Sophoniam [u], & Ioannem [x].

C Ille enim promittit adorationem in omni loco, hic CHRISTVM dicentem inducit, instare tempus,quo impleatur id promissum. Constat verò orare,& flexo venerari DEVM genu,vbique semper licuisse, at non item offerre sacrificia ex præscriptis à lege cæremoniis [y]. De vsu Latinarum vocum adorandi, & adorationis [z]; & Græcarum λατρεύειν, atque λατρείας, disputant qui de adoratione agunt. Lege Gabrielem Vasquez [z], & Lælium Bisciolam [a]. Hic præter deriuationem verbi adoro ab ador frumēti genere inter sacrificia vsitato [b],vel ab oro [c],& ex eo quòd colēs DEVM ad os manū admoueret, vt nūc fit in mutuis salutationibus,notat, post Antoniū Augustinū [d],apud vetustissimos Auctores Latinæ linguæ, sumptum

D verbum hoc pro ago,vt in lege XII. Tabularum: vbi adorare furtum, agere ac furari est: nisi quis *adornare*,legendum putet. Sanè nil facere mortalis maius & præclarius valet,quàm DEVM adorare. Aut, quia summum cultus genus constabat sacrificio; sacrificare autem verbo faciendi significabatur,adorare sumptum est pro facere. Tertullianus ait [e], Eunuchum istum profectum ad templum orandi gratia, necnon Nicephorus [f], quam vocat Eusebius [g] *piam ac religiosam* DEI *venerationem*.Sed sub his vocabulis comprehendūtur quoque sacrificia. *Magnis laudibus prædicatur ille*, inquit Chrysostomus,*quandoquidem & ille in Aethio-*

E *pia manens, & tantis occupatus negotiis, & cùm non esset festus dies* (non ergo ad Paschalem celebritatem, vt quosdam velle priùs retuli,venerat) *agréque in superstitiosa ciuitate,venit adoraturus Ierusalē. Reliquit aulam regiam*, inquit Hieronymus [h], *& tantus amator legis, diuinæq; scientiæ fuit, vt etiam in vehiculo sacras literas legeret.*

Versus 28.] Et reuertebatur sedens super currum suum, legénsque Esaiam Prophetam.

ET *reuertebatur sedens super currum suum.*] Curruum genera multa recēsentur ab Alexandro

i Iosf.11.Ant. c.vlt. *Quot & quanti Gentiles Ierosolymis Deū adorauerint.* k Iudith 5.5. & seq. l 3.Reg.10. Mat.12.42. m 1.Esd.1.2. & seq. n 1 Esd.6.8.& seq. o 1.Esd.7.15. p 2.Mach.3.3. q ibid.35. *Adorare verbū quam vim habeat Græcè & Latinè.* r 12.Ant.ca.3. lib.16.cap.10. vel 6. s lib.3.c.1.lib. 4 cap.vlt. t 10.de Ciuit. DEI.cap.1. *Adoratio pro sacrificio vsurpatur.* u c.2.11. x cap.4.20.& seq.c.12.20. y Deut.14.23. 24.ca.20.3.1. Para.17.12.ca. 22.0.cc 2.Par. 6.6.& Psa.77. 68.69. z l.b.1.de adora oi 1.cap.1. a ora.iubilæu.lib 7.ca. 4. b Nonius & Priscianus. c Valla 5.Elegan.c.11. d lib.emend. iuris. e lib.de Bapt. c.18. f lib.2.cap.6. g 2.Hist.cap.1. *Quomodo Eunuchus Ierosolymis adorauerit.* h epistol.103.

a lib.2.ca.30. *Curruū inuentor quis fuerit.* b libr.7.ca.56. c 3. de natur. Deor.

Neapolitano cum notationibus Tiraquelli [a]. Primam inuentionem, quod ad bigam quidem attinet, tribuit Plinius [b] Phrygibus; quod ad quadrigam, Erichthonio. Cicero [c] hanc scribit inuentam à Minerua quarta, Ioue nata ex Coryphe Oceani filia. De Erichthonio verò æquè testatur Virgilius [d]: etsi Eusebius affirmat [e], quòd primus tantùm in Græcia illum iunxerit. Ceterùm apud alias nationes anteà fuisse non dubito. Et Herodotus [f] à Libycis, seu Africanis Græcos didicisse memorat. Lege Polydorum Virgilium [g], qui operosam rem mihi molitus videtur, assignando cuique rei primos inuentores, non habito diligenter ad antiquitatem Scripturarum respectu, in quibus eæ ipsæ res multis sæpe seculis anteriores reperiuntur, quàm quos ille in Gentilitate affert earum rerum inuentores. De curribus omnis Scriptura vetus loquitur, incipiendo à Genesi, & deinceps, atque honoris causa proditur iussum Ioseph in Aegypto *ascendere super currum regium secundum* [h], qualis nimirum huic Eunucho debebatur, si erat, vt Euthymium [i] docentem audiuimus, Reginæ proximus dignitate ac potestate in regno. Vsi sunt curru Reges incedendo, duces in bellum exeundo ac triumphando: nec alia res hîc aptiùs orbes cœlestes repræsentat sese sub empyreo immobili cœlo voluentes, nimirum propter pensiles quodammodò rotas ab axibus terram tangentes in puncto. Idcirco DEVM præsidem vniuersi describit Ezechiel [k] insidentem in curru: & mysticam arcam imponebant Hebræi quadrigæ [l]. De falcatis seu ferreis, vel potiùs ferratis curribus, & quadrigis ad perturbandas hostium acies comparatis, crebra mentio in historiis atque tractatibus de re militari. Persæ vix pedestres conficiebant iter, sed vel in equis, vel in curribus: vnde Xenophon prodit [m], Agesilaum captiuos Persas nudos militum oculis exhibuisse, vt eorum intuerentur corpora tum candida, quia nunquàm à Sole exurebantur, tum pinguia & mollia, διὰ τὸ ἀεὶ ἐπ᾽ ὀχημάτων εἶναι, *quòd essent semper in curribus.*

d 3 Georgi. e in Chron. f in Melpom. g lib.2.cap.12. *Curruū vsus in Scriptura, ac saepe reperitur.* h Gen.41.43 i in Psalm.67 *De vsu curruū apud antiquos, & quid hos repræsentent.* k cap.1. l 1.Paral.28.3. Reg.6. *Currus falcati quales essent.* m in encom. Agesilai. *Eunuchi commēdatur diligētia.*

Legénsque Esaiam Prophetam.] *Magna diligentia erat*, inquit Chrysostomus, *quia etiam in curru sedens legebat: & quidem eo tempore quo Solis erat calor feruentior.* Hoc non video qua de causa dictum sit, nisi forsan propter viam meridianam, siquidem tempestatem anni non existimo fuisse calidam, si hæc historia præcessit Sauli conuersionem, aliquo antè tempore, siquidem illa hyeme contigit. *Vbicumque in nouo Testamento salutis narratur principium, de Esaia sumitur testimonium*, inquit Glossa ordinaria, *qui interpretatur salus Domini.* Lege quę dixi capite septimo [n], de laude huius Prophetæ. Putat Lyranus eo modo legisse Esaiam, quo solent multi laici ex deuotione recitare horas canonicas Latino idiomate, quamuis non intelligant. Carthusianus indicat calluisse aliquas linguas, *vt solent*, inquit, *Officiales Regum, ac Reginarum, verbi gratia, Græcam, qua lingua conuersio Septuaginta extabat, summæ tunc auctoritatis*; fortasse lingua quoque Aethiopica redditam Scripturam habebat. Non videtur, vt bene ratiocinatur Glossa interlinearis, & Hugo, linguam Hebraicam ignorasse, qui librum legebat idiomate Hebræo conscriptum. Alia ratio est de precibus: nec expedit vulgari passim lingua sacras Scripturas legendas exponi, vt in proprio de hac re opere demonstrauit noster Iacobus Ledesma, & Bellarminus in Controuersiis [o], & Petrus Steuartius in priorem epistolam ad Corinthios [p], & nos ipsi in disputatio-

n vers.48. *Quo animo Scripturam hoc Eunuchus legeret.* *Linguā Hebraā Aethiops non ignorauit.* *Sacras litteras passim vulgari lingua habere non expedit.* o lib.2.de ver. Dei.c.15 & 16 p in cap.14.

A ne de sacra Scriptura. Monebam paulò superiùs, ex lectione ista sacra non effici necessariò lectorem ipsum religione fuisse Iudæum. Omninò tamen perutilis est & maximè commendabilis sacra quoque lectio, sicut aliàs pluribus docui [q], & non ineleganter ostendit Feuardentius [r], dum laudat Assuerum Annales lectitantem, necnon Serarius noster [s]. *Persæ reges nulla*, vt ait Seneca [t], *eruditione, nullo literarum cultu imbuti, otij vitandi causa etiam in itinere, vt est apud Aelianum* [u], *Philyrium, seu Philyras secabant*, multò melius, nobiliusque Eunuchi nostri in illo suo otio, quo currui insidebat, negotium, qui sacrosancta lectione animum religionis iam munere in templo defunctum, & fortasse B de MESSIA, siue à Iudæis, siue à neophytis fidelibus, ipsisque Apostolis aliquo modo edoctum voluerit confirmare, & confouere. Legerat fortassis etiam illud [x], *Meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens.* Eius sedulum piumque legendi studium valdè commendant Chrysostomus [y], & Hieronymus [z]. *Memento Eunuchi reginæ Aethiopum*, ait prior, *qui cùm esset homo barbarus, innumerisque distentus sollicitudinibus, & vndequaque circumseptus negotiis, nec intelligeret quem legebat, legebat tamen in curru sedens, quòd si in via tantam præstitit diligentiam, cogita qualis fuerit domi versans: si tempore profectionis non sustinuit absque lectione manere, multò minùs domi sedens: si C nihil intelligens legebat, nec destitit à lectione, multò minùs postquam didicerat, &c.* Vtinam sequantur primarij viri huius exemplum dynastæ, meminerintque quod exegit à rege DEVS [a], *vt legis volumen legeret omnibus diebus vitæ suæ*, &c. Possent domestica non pauca proferri exépla, Theodosij iunioris Imper. [b] Alfredi Anglorum regis [c], Alphonsi Aragoniæ [d], qui quaterdecies vtrumque Testamentum legit cum commentariis, Caroli magni [e], & aliorum, quibus Principes viri ad sacra studia excitarentur.

Sacra Scripturæ lectio perutilis & commendabilis. q in Eulg de Samaritana 1. ar. in lib. moral. punctо 21. r in cap.5. Esther. s ibidem. t 3. de Ira. *Eunuchi studiū laudatur.* u 14. de varia Hist.c.12. *Pia ad sacra Scripturæ lectionem exhortatio, & Regū [illegible] exempla.* x Deut.6.7. y Homil.3.de Lazaro. z epist.103.ad Paulinum. a Deut.17.18. 19. b Niceph. l. 14.c.3. c Ranulfus lib.6.c.1. d Anto. Pan. lib. 1. de vita Alphonsi. e Paulus Aemilius lib.3.

An porrò Eunuchus Esaiam legeret separato in volumine, an in integro continente libros omnes Bibliorum, quis potest diuinare? Putat Toletus [f], cùm dicitur traditus CHRISTO liber, solius D huius Prophetiam separato in libro fuisse. Probabilis coniectura: quamuis quod ait singulos libros in membranis scriptos fuisse, & in lignis oblongis circumuolutos, de Prophetarum libris, qui legi solent in Synagogis, dubium esse potest. Sed de libris Mosis, qui in summo honore apud eos habentur, & integri singulis annis in Synagogis leguntur, certum est eos in mébranis descriptos, atque circumuolutos summa religione in arca quadam seruari, ex qua deprópti singulis Sabbatis, prout in sectiones sunt diuisi, publicè leguntur, & post lectionem in eandem arcam reponuntur. Hoc tamen necessarium non videtur, vt in Prophetarum libris CHRISTI tempore seruatum E sit, vt intelligamus quomodo CHRISTVS reuoluisse dicatur librum, cùm hoc verbo reuoluendi cuiuscumque modi librorum explicatio, siue apertio intelligi possit; quicquid sit de illa ratione circumplicandi membranas, quam Lacedæmoniis in vsu fuisse dum scriberent, concedimus, & prodit Athenæus [g].

f in c. 4. Luca. *De Mosis librorum & Prophetarum in Synagogis lectione.* g lib.10. Dipnosoph.

Versus 29.] Dixit autem SPIRITVS Philippo: Accede, & adiunge te ad currum istum.

DIXIT *autem* SPIRITVS *Philippo.*] Iam, opinor, in via constituto, & expectanti, quor-

sum

sum eò venire iussus esset. Dixit autem, vel interiùs loquens DEVS, vel etiam Angelus, vel hic ipse exteriùs in assumpto corpore, sicut cùm apparuit eidem Philippo in Samaria. Glossa interlinearis optionem dat inter SPIRITVM sanctum, & Angelum. Hugo, & Carthusianus, & Beda, exponit de SPIRITV sancto, siue DEO, & Cyrillus Ierosolymitanus*, & Idacius a, & Nyssenus b. Caietanus de Angelo, qui & paulò pòst nominatur SPIRITVS Domini, & dicitur rapuisse Philippum, & hæc mihi sententia magis placet, cui planè Tertullianus c adstipulatur, cùm ait, *quòd ad Philippum rursus* SPIRITVS, *vt se curriculo Eunuchi adiungeret, iussit*. Cùm enim dicit *rursus*, indicat eundem, qui anteà vocatus est Angelus.

Spiritus ad Philippo quomodo locutus sit.

* Catech. 17. a con. Varim. b orat. aduersùs eos qui differunt Baptismum. c lib. de Bapt. c. 18.

Versus 30.] Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Esaiam Prophetam, & dixit, Putásne intelligis quæ legis?

ACCVRRENS *autem Philippus.*] Προσδραμὼν, *præcurrēs*. Syrus sic legit, וכד אתקרב *vechad ethchareb*, id est, *cúmque accessisset*. Currendum illi fuit, vt ad currum currentem perueniret.

Audiuit eum legentem.] Alta igitur legebat voce: quæ pronunciatio index est, & causa reuerentiæ aduersùs diuinam Scripturam, vel magis intenti animi ad eam percipiendam. Nonnulli tamen, vt de Ambrosio narrat Augustinus d, oculos tantùm ducunt per paginas, & corde intelligentiam eorum rimantur quæ legunt, voce ac lingua quiescente. Fecisse Ambrosium id etiam monet Augustinus causa seruandæ vocis, quæ illi facillimè obtundebatur. At prior illa alia mouit Hilarionem causa, Hieronymo teste e, vt post orationes & Psálmos Scripturas diuinas, quasi DEO præsente, recitaret.

d 6. Confess. c. 3.

Ambrosij mos legendi sacram Scripturam.

e in Hilarione.

Putásne intelligis quæ legis?] Ἆρά γε γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις; *Virùm cognoscis, quæ recognoscis?* Alloquebatur Philippus Eunuchum aut lingua vernacula sua, aut Eunuchi ipsius; ita vt vel ille linguarum dono vsus sit, vel hic Syrochaldaicam linguá callùerit. Laudat Chrysostomus Philippum, tanquàm qui esset & à temeritate suipsius laudandi alienus, & ab adulatione commendandi diligentiam, ac pietatem Eunuchi valdè remotus: prætereà vt prudenter sciscitantem, & benignè, modestéque suam operam exhibentem, atque innuentem latere in iis, quæ legebantur, magnum, ac diuinum sensum, quem Eunuchus capere minimè poterat.

Quid hic laude dignum fecerit Philippus.

Versus 31.] Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauítque Philippum, vt ascenderet, & sederet secum.

ET *quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?*] Negat sententiam se intelligere, non linguam, & vocabula. Chrysostomus f agnoscit in Eunucho discendi studium, ac ingenuam ignorantiæ professionem, simúlque gratum, & bene de Philippo sentientem animum, vtpote quem conspiceret fastus expertem in humili vestitu. *Arguit Eunuchus illorum audaciam*, inquit Glossa ordinaria, *qui existimant sine Doctore se Scripturam diuinam posse intelligere.* Hoc multò antè Hieronymus g grauissimis verbis etiam de seipso loquens exaggerauit: *Nec sanctior sum*, inquit, *hoc Eunucho, nec studiosior*, &c. *Et tamen cùm librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volueret, labiis personaret, ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei* IESVM, *qui clausus latebat in litera*, &c. *Hæc à me breuiter perstricta sunt*, &c. *Vt intelligeres te in Scripturis sanctis sine præuio, & monstrante semitam non posse ingredi.* Scripturam obscuram esse, ac difficilem, quod minimè obscurum est, nec difficile probare, audent negare Hæretici, contra quos Bellarminus h; & nos in nostra Disputatione de Scriptura id confirmauimus. Lege prætereà Basilium i.

f Hic, & hō. 1. de Lazaro.

Qui dicant se posse Scripturā diuinā sine Doctore intelligere arguuntur.

g epist. 103.

Scriptura est difficilis.

h lib. 3. de ver. Dei. à c. 1.

i lib. de Spiritu sancto. ca. 27. & procem. in Esaiam.

B *Rogauitque Philippum, vt ascenderet, & sederet secum.*] Præter vrbanitatem Eunuchi obseruatam à Chrysostomo, honorémque habitum Philippo, tanquàm Prophetæ, quem oris fortasse dignitas quædam, morúmque diuina maiestas, & facilitas præ se ferebat, habuisse quoque rationem Eunuchus videtur loci deserti ac inhabitabilis, præsertim si tempestas feruentior erat, vt pridem volebat Chrysostomus. Itaque honoris, & commodi causa admisit in currum, non ipse de curru descendit. Non est eo honore impius rex Achab Eliam prosecutus, accinctis lumbis currentem ante illum curru vectum k: leuauit autem idem rex Benadad, regem Syriæ, contra voluntatem Domini in currum suum l. Honestum ac honorificum est principibus viris honorem doctis, sanctísque impertiri. Nil enim honestius sapientia, & virtute. Huius rei extant profana, sacráque exempla innumera m: & constat plus honoris detulisse viris sacris Christianissimos Imperatores, ac Reges, quàm quibuscumque aliis qualibet seculari dignitate insignitis. Maior ac solidior honor Doctorem curru admisisse traditurum salutis scientiam, quàm cùm Platonem Dionysius tyrannus aduectum naue vittata, quam ei miserat, quadrigis albis exceptum, in currum imposuit, & ipsemet aurigam egit n. Valentinianus autem Imperator, vel inuitus, Martino Turonensi assurrexit, diuino igne sub sellam sedentis immisso, vt narrat Sulpitius o.

Cur Eunuchus secum Philippū admiserit.

k 3. Reg. 18. 44. & seq.

l 3. Reg. 20. 33. 42.

Principes viri viris doctis & sanctis honorem deferre debent.

m colligit multa auctor Theatri, vt reperies in Indice, verbo, *Honor*, pag. 1373.

n Plutar. in vita Dionisij. Plin. li. 7. c. 30.

o Dial. 2. vitæ Martini. ca. 6.

Versus 32.] Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic: Tanquàm ouis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.

LOCVS *autem Scripturæ.*] Singularis prouidentia DEI fuit, vt hic potissimùm locus occurreret. Chrysostomus tamen hoc deputare videtur studio discendi, quòd Prophetam aliis subliminem in manibus haberet: & illud potissimùm capitulum, in quo & Passio, & Resurrectio, ac donum docebantur. Præfero priorem expositionem, quæ etiā est Glossæ ordinariæ, & fauet Tertullianus p, dicens *quòd Scriptura ista fidei ipsius occurrit*. Attuli alibi q non pauca huius generis exempla sacrorum locorum, qui similiter diuinitùs occurrentes, diuinam aperuerūt de re quapiam, de qua deliberabatur, voluntatem. Eodem diuino consilio factum prorsus est, vt CHRISTVS æquè in Esaiæ incideret certum locum, de quo dissereret in Synagoga r, sicut Origenes obseruauit, & Theophylactus, & Euthymius in Lucam. Tota hæc Eunuchi conuersio plena est signis atque mi-

Eunuchus qua potissimùm ratione hunc Prophetæ locū præ oculis habuerit.

p lib. de Bapt. c. 18.

q in Notationib. de Euan. Dom. 1. Quadrag.

r Luc. 4. 17. 18.

rabilibus

Miraculosa hac fuit Eunuchi conuersio.
a 4. Reg. 5.1. Luc. 4. 27.
b Ioan. 4.

rabilibus circũstantiis diuinæ prouidentiæ, quam eandem illustrare possemus non paucis exemplis, vt Naaman [a], vt mulieris Samaritanæ [b], & aliis, quæ suppeditant sacræ, & sanctæ Historiæ, tum ex iis, qui pij alicuius libri lectione ad meliorem sunt vitam traducti. Certè quidem Cyrus Hebræorum fautor deuenit in notitiam veri DEI, eò quòd tantò antè nominatim se ab Esaia præcognitum, ducẽtis forsitan ante ipsius ortum annis, intellexerit [c], atque grato deinde animo, & sermone professus est *omnia sibi regna terræ Dominum* DEVM *cæli dedisse* [d]. Idipsum etiam Assuerus maritus Esther [e] tum pro seipso, tum pro præcessoribus regibus declarauit.

c Esa. 44. 28. c. 45. 1.
d 1. Esdræ 1. 2.
e Esther vlt. 16.

Locus.] Ἡ δὲ περιοχὴ, id est, *comprehensio*, seu *complexio*. Syrus legit, פסוקא *pasuka*, quam vocem Latinus Syrum interpretans vertit, *sectio*, & *articulus*: significat verò vox Syra versum, & integram sententiam, vt etiam passim tradunt Grammatici Hebræi; Græca autem dictio idem valet, vt dixi, quod *complexio*, *comprehensio*, *ambitus*, & idcirco idem etiam quod sectio siue pars libri certis terminis conclusa, quem barbari *passum* vocant; & noster Interpres hîc *locum* posuit longè meliùs, quàm Erasmus, qui argumentum, & sententiam; etsi verum est, eam quoque significationem habere τὴν περιοχὴν, sicut & ὑπόθεσιν, quemadmodum & nomen periodi ęquè iam Latinum ac Gręcum. Ceterùm distinctio capitum, multóque magis versuum in Bibliis, quæ nunc est, vt benè docet Sixtus Senensis [f], recentior est, Psalmis exceptis. Nam Patres paulò antiquiores, & expositores citant Scripturas non capitum enumeratione, seu numerorum recitatione, sed per allegationes particularium historiarum. Hoc modo ait Augustinus se scripsisse à principio Geneseos vsque ad expulsionem primorum parentum de Paradiso, & Gregorius exposuisse ab initio libri Regum vsque ad Dauidis regis vnctionem, pro eo quod nunc diceremus tria prima capita Genesis, & quindecim primi Regum. Vel certè citant per locos, siue periodos, aut versus, & sententias, quæ etiam interdum capita, vel capitula appellant, verbi gratia dicentes de eo loco Pauli [g] dicentis *veritatem dico in* CHRISTO, vsque ad eum, vbi dicitur: *Ex quibus est* CHRISTVS, &c. Versus porrò, quãtùm intelligi potest ex eodem Augustino [h], continebat sex dictiones partim monosyllabas, partim polysyllabas: & iuxta hanc rationem reperimus magnitudinem voluminum, quæ aliqui scriberent æstimatam esse, vt cùm Origenem Hieronymus [i] dixit *scripsisse in Cantica versus ferè viginti millia*: *Nazianzenum* [k] *omnia sua opera conclusisse versibus triginta millibus*: *Hilarium* [l] *mutuatum ex Origene versus propè quadraginta millia*: *seipsum, dum exponeret epistolam ad Ephesios, dictasse quotidiè versus mille*. Simile est, quod Diogenes Laërtius [m] tradit de summa quorundam voluminum Aristotelicorum, contentam fuisse quinquies mille trecentis triginta versibus. De Hebræis codicibus testis est idem Hieronymus [n], habuisse iam suo tempore commatum incisiones, distantiásque interuallorum: tametsi Elias Leuites [o] contendat, ex sententia Rabbinorum, olim legem totam fuisse vnum פסוק *pasuk*, siue sententiam vnam, absque vlla versuum distinctione, Iudæos verò Tyberitas distinxisse in *pesukim*, hoc est, versus, sententiásve anno post vltimum Ierosolymorum excidium trigesimosexto supra quadringentesimum. Meminit auctor libri Hebraicarum quæstionum super

Distinctio capitum & versuum sacræ Scripturæ recens est.
f lib. 3. Biblio. cùm agit de methodo partitionis.
Veteres quomodo citent Scripturas.
g Rom. 9. 1.
Versus quid essent apud antiquos.
h in speculo diuinæ Scrip. Tom. 9.
i præf. in Hõ. Origenis in Cant.
k de Script. Eccles.
l Apol. in Ruffinum.
m in vita Aristotelis.
n Præf. Fatal. & Esaiæ.
o in Præf. ad Masoreth. *Biblia quãdo in versus distingui cœperint.*

A libris Regum, quem S. Thomas ex Iudæo Christianum aliquem fuisse arbitratur, librum Prouerbiorum continuisse apud Iudæos versus nongentos quindecim. Sed in ea partitione versuũ quæcumque sit, & quandocumque cœperit (referunt id enim quidam ad Esdram) non attenditur dictionum numerus, non cola, non commata, suntque versus inæquales. Constat Ammonium Alexandrinum, siue Eusebium Cæsariensem, siue Tatianum secuisse Matthæum in 350. capita, Marcum in 235. Lucam in 343. Ioannem in 232. Verùm in ea partitione voluerant duntaxat indicare locos Euangelicæ concordiæ. Distinctio in commentariis Hilarij super Matthæum in canones 33. &
B Ambrosij super Lucam in titulos 64. & Bedæ super eundem in capita 93. non ab illis, vt Sixtus quidem suspicatur [p], sed ab aliis facta est. Repetitur similis distributio in explanatoribus Græcis noui Testamenti abhinc ferè sexcentis annis, vt in Euthymio, Oecumenio, Areta, Andrea Cretense, atque etiam in Suida, haud paulò maior, quàm quæ in Bibliis nostris nunc passim est. In libro Iob [q] nescio cur Pineda asseruerit Græcos Interpretes, & ipsos Septuaginta pariter cum Latinis distinxisse 42. capita, vt hæc Hebræis diuisio responderet. Non enim cohæret istud cum dictis de indistincta olim, præter Psalmos, omni Scriptura, etsi Auctores in Catena Iob di-
C uidunt in pauciora, hoc est, in 33. inter Latinos; qui antecesserunt ætatem Hugonis Cardinalis, B. Thomæ, Alensis, Alberti, Bonauenturæ, qui nostra sectione vtuntur, vsurpabant maiorem capitum numerum, vt videre est in vetustioribus Bibliis etiam impressis. Hæc ex Senensi excerpta hîc posuimus, quod præsenti instituto peropportuna, & scitu per se non inutilia, vel iniucunda viderentur.

Distinctio in Prouerbiorum versus antiqua.
Distinctio noui Testamenti antiqua.
p supra.
Diuisio libri Iob.
q in præf. c. 9.

Erat hic.] Nempe, *locus erat hic*, non autem pronomen *hic* referri potest ad sequentia, *tanquam ouis*, Græcè enim ouis est πρόβατον, neutrius generis, & *hic* est αὕτη fœminini.

D *Tanquàm ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.*] Hæc sunt in capite quinquagesimotertio Esaiæ, quod caput meritò quis inscribere possit: *Passio Domini nostri* IESV CHRISTI *secundum Esaiam*. Hebraicè sic in eo legimus, כשה לטבח יובל *chasschah latebach iubal*, quod ad verbum est, *sicut agnus ad mactationem*, seu, *sacrificium ducetur*. Ista porrò cõparatione ouis & agni describitur CHRISTI in Passione singularis patientia, & mirabilis taciturnitas, vt nec tactis restiterit, nec dictis vllis sese opposuerit aduersariorum, cùm maximè posset: & *quod vt Pascha nostrum immolatus est* [r]. *Et veluti ouis lanis nos induit meritorum suorum*, vt innuit
E Beda. Nazianzenus [s] notat in his verbis innocentiã designari, atque ex CHRISTI ceu vellere indumentũ nostræ antiquæ nuditatis & mortalitatis, vt immortales ex illo euadamus. Athanasius [t] eodem ferè modo loquitur, vtens prætereà similitudine amianthi, quale lini quoque genus apud Plinium [u] habetur, ex quo telæ fiunt, quæ ignibus iniectæ, ardent quidem, sed flãmis inuictæ splendescentes magis exeunt inde, quã si aquis lotæ sint. Epiphanius [x] idem habet de veste immortalitatis, quam viuentiũ Mater MARIA nobis prætexuerit. Augustinus [y] sacrificiũ CHRISTI vt agni Paschalis, & silẽtium in Passione [z] denotari scripsit. Alludere voluit Ioannes Baptista, cùm indicans CHRISTVM, dixit [a]: *Ecce agnus* DEI, &c. ad præ-

Cap. 53. Esaiæ quomodo inscribi meritò possit.
r 1. Cor. 5. 7.
Cur per ouem & agnum Christus fuerit designatus.
s oratio. de Pascha.
t li. de Incar. Verbi.
u lib. 19. c. 1.
x in Hæres. Antidicomarianita.
y ep. 119. c. 15.
z Tract. 10. in Ioan.
Christus verus agnus est.
a Ioan. 1. 29.

a cap.11.19.

lentem locum Esaiæ, necnon & ad alium Ieremiæ[a], apud quem CHRISTVS ipse ita loquitur: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*, vt in Ioannem docent Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, ac prætereà Iulius Firmicus[b], & Elias Cretensis[c].

b lib.de erro. profa.relig.c. 28.
Agni nomen pro Christo vsitatissimum.
c in Comm. oratio. 4. de Theo.Nazi.
d ca.5.6.8.12. 13. c.6.1.16.c. 7.9.10.14.17. c.12 11.c.13 8. c.14.1.4.10.c. 15.1.c.17.14.c. 19. 7. 9.c.21. 9.14. 22. 23. 27.c2. 22. 1.3. 14.
e 1.ep. c.1.19.
f Tract. 4. in Ioannem.
g Homil. 24. in Num.
h Hom.17.in Matth.
i in Esa. c.53.
Sacrificiū agni nostrum incruentum figurabat.
k li.con. Iud. c.11. & lib. 4. cont.Marcio. c.40.
De cereis agni benedictis imaginibus.
l li.de Resurre.carn. c.20.
m li.de bono patien.c.9. & in Sym.
n Tract.3.
o epist.4.
p in Tryph.
q Ioan.1. 40.
r in Actis.
ſ Num. 28.9.

Placuit mirificè agni nomen Ioanni Euangelistæ, quod tam sæpe, adeóque suauiter inculcat in Apocalypsi[d]. Petrus quoque scribit[e] *redemptos nos pretioso sanguine quasi agni immaculati, & incontaminati* IESV CHRISTI, respiciens videlicet ad sacrificium, simulque ad innocentiam ipsius CHRISTI: ex quibus hanc à Baptista indicatam Augustinus[f] ait; illud in Ioãnem idem Cyrillus, ac Euthymius cum Origene[g], & Chrysostomo[h], & Hieronymo[i], & Tertulliano[k], qui etiam obseruat taciturnam patientiam[l], sicut & Cyprianus[m], & de Agno paschali Gaudentius Brixiensis[n], & eleganter Paulinus[o], & Iustinus[p]. Legimus quoque Andream, qui discipulus Ioannis Baptistæ fuerat[q], libenter vsurpasse agni vocem, loquentem de sacrificio quotidiano incruento, quod ipse faciebat[r]. Hebræi quidem licèt alia etiam animalia sacrificarent, agnum tamen quotidiè mactabant[ſ], typum scilicet iugis nostri sacrificij, in quo ter ante consumptionem inclamamus agni nomen tollentis peccata mundi, sicut & in Litaniis.

Pertinent eòdem cereæ agni cœlestis imagines ritè sacratæ, ac benedictæ à summo Pontifice, de quibus Vincentius Bonardus Italicè, & Andreas Frusius noster in carmine. Hic ad Leonem III. primam, quæ quidem prodita sit literis, refert originem, cùm is huiusmodi Carolo magno misisset imaginem: deinceps meminit de Vrbano V. qui ad Imperat. Constantinopolitanum ferri eam iussit. Testantur hoc idem in absidibus templorum, alibique agni cum diademate pictæ imagines, quas etsi propter abusus prohibuit ex parte VI. Synodus, tamen Theodorus Studita[t] hæc recitat etiam Chrysostomi verba: *Ego ex cera fusam amo picturam, pietatis ergò factam.* Rationem quoque dat idem Theodorus, *quoniam refert agnũ indicatum à Ioanne, ac verum agnum à lege significatum, tollentem peccatum mundi.* Et constat Constantinum in baptisterio Lateranensi, Saluatoris imagini, argenteam pedibus eius adiunxisse agni imaginem cum inscriptione, *Ecce agnus* DEI. Gestat prætereà Agnes virgo martyrque agnum: & Clementi Romano agnus apparuit. Bonardus antiquiorẽ vsum facit cerearum sacrarum agni imaginum. Tu illum leges, & Ioannis Molani de picturis opus, atque Cardinalis Paleotti de imaginibus librum.

t ep. quadam apud Baroni. tom.9.

u in vita.
B.Franciscus quàm teneri ouem & agnos diligeret.

Beatus Franciscus[u], vel ad aspectum, nomẽue agni aut ouis, totus colliquescebat, & lacrymas tenere non poterat, & cùm poterat, prece, vel pretio redimebat eos qui ad macellum ducebantur, ne mactarentur, cùm meminisset CHRISTI, qui ad occisionem ductus fuisset, *sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuisse os suum*[x], & vt inueniret ouem perditam[y], & ab ouibus bonus pastor agnosceretur[z], ouillam pellem induisse, factum etiam ouem. Quæ res adeò delectauit Ecclesiam, vt in ipsis calicibus, teste Tertulliano[a], depingeretur ouis humeris pastoris reuecta: eodemque spectat: pallium Episcopale magni honoris insigne confectum ex lana, designans, vt ait Isidorus Pelusiota[b], *pellem ouis, quam Dominus aberrantem quæsiuit, inuentámque humeris suis sustulit*[c]: quoniam Episcopus munere CHRISTI fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni

x Esa.53.7.
y Luc.15.5.6.
z Ioan.10.14.
In calicibus depicta fuit ouis humeris pastorum reuecta.
a lib.de Pudicitia. ca 7. & 10.
b li.1.ep. 136.
c Luc.15 5.
Pallium Episcopale quid significet.

A illius ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates à se ferendas assumpsit. Ius tamen pallij de Iure communi nonnisi Patriarchis, & Archiepiscopis competit. Multa de Pallio Ioannes Stephanus Durantus[d] congessit.

d li 2. de Ritib. Eccl.c 9.
e Tom. 9. in Ioan.
Christus agnus, & aries, & leo, sed cur potius agnus dicatur.

Agnus.] Ineptè Heracleon, vt Origenes[e] refert, colligebat CHRISTVM nõ habuisse corpus perfectum, quia in grege agnus imperfectum quiddam est. Hoc loco vocatur etiam ouis, & alicubi aries, aliísque nominibus perfectorũ animalium, vt leonis, sed vox agni præter allatas caussas, indicat benignissimum imperium CHRISTI, pro quo summis orabat votis Esaias[f], dicens, *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ*, vbi more tamen B suo Rabbini nugantur.

f cap.16.1.

Coram tondente se.] Bene ait, *coram tondente*, inquit Ambrosius[g], *qui superflua, non propria in illa deposuit cruce, qui corpus exuit, non diuinitatem amisit.*

g ep.25. Iodge post med.

Versus 33.] In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita eius?

Quomodo Christo iudiciũ sublatum sit.

IN *humilitate iudiciũ eius sublatum est.*] Ita legunt Septuaginta, ἐν τῇ ταπεινώσει ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη, sed C Hebraicè sic legimus, מעצר וממשפט לקח *mehhotser vmimmischpat lekuh*, quod sic expressit nostra editio, *De angustia, & de iudicio sublatus est*, pro, *sublatus est*, Græcè est ἤρθη, id est, *sublatum, aut eleuatum est iudicium*, inquit Hieronymus[h]. *De tribulatione atque iudicio ad* PATREM *victor ascendit*: vel, iudex omnium, iudicij non reperit veritatem, sed absque culpa per seditionem Iudæorum, & Pilati vocem damnatus est. Chrysostomus[i] posteriorem sensum sequitur, & Procopius[k], & Tertullianus[l], & Origenes[m], & Oecumenius[n]. *Hic Pilato interrogante*, ait Tertullianus, *nihil locutus est: in humilitate enim iudicium eius sublatum est.* At Lyranus intelligit eleuatum iudicium, quia CHRISTO resurgente, Sancti, qui erant in Limbo de D tenti, inde fuerũt sublati. Idẽ in Esaiam[o], de gloria etiã CHRISTI ipsius in Resurrectione, & Ascensione. Glossa interli.de Resurrectione, quando data est illi potestas in cœlo, & in terra[p]. Syrus interpres ita reddit, מן חבושיא ומן דינא אתדבר *men chabuscheia vmen dina ethdebar*, quod iuxta nostram versionem vnus sic reddidit, *Ex angustia & ex iudicio sublatus est*; alius sic, *In ipsius humilitate, de claustro & iudicio sublatus est.* Auctor libri de Trinitate[q], qui inter opera Tertulliani circumfertur, videtur duas dictiones, *in humilitate*, non ad sequentia referre, sed cum præcedentibus copulare, *sic non aperuit os suum in humilitate*: nisi malis adiici debere & cetera, vt etiam Pamelius notauit[r].

h in Esa.c.53
i orat.3. con. Iudæos. c. 13.
k in Esa. 53.
l li.cont. Iudæos.c.13.
m Hom. 6. in c.15.Exod.
n hoc loco.
o cap.53.
p Matt.28.18.

q cap. 5.
r ibidem.
ſ lib. contra Iud.c.13.
t Hom. de S. Ioan. Bapt.
u ep. 10. & 11.
x li.3.c.41.& lib.1 c.21.
y li.3. contra Eunom.
Christi generatio qua hoc loco intelligatur.
z li. de Trinit.
a Tract.31. in Ioan & 1. de Symbol. ad Catechu. c. 3. & lib 2. c. 3.
b Ioan. 7 27.
c ora. 3. cont. Iud.
d 1. de Fide. c. 6.
e Hom 1.
f in c 1. Matt.
g lib. con. Arrianos. to. 4. Biblio. Pat.

Generationem eius quis enarrabit?] De humana generatione E CHRISTI intellexit Tertullianus[ſ], vocans generationem *natiuitatem, quia nullus omninò hominum*, inquit, *natiuitatis* CHRISTI *fuit conscius in conceptu cum virgo* MARIA VERBO DEI *prægnans inueniretur.* Eodem modò Chrysostomus[t], & Leo[u], & Irenæus[x]. De diuina Basilius[y], & Cyrillus Alexandrinus[z], & Augustinus[a], qui ait, *ideò dixisse Iudæos, quòd* CHRISTVS *cùm venerit, nemo scit, vnde sit*[b] (quod ibidem quoque dicunt Leontius, & Theophylactus) & vtitur quoque nomine *natiuitatis*: præterea idem Chrysostomus[c], & Ambrosius[d], & Auctor Operis imperfecti in Matthæum[e], & Hieronymus[f], & Phæbadus[g]

a lib. aduersus Varimadum. tom. 4. Bibl. Pat. b in Tryph. c epist. 1. d h. de Incar. Verbi. e hoc loco. f vers. 40.

coætaneus Hieronymi, quem recenset inter Scriptores Ecclesiasticos, & Idacius Clarus [a], & Iustinus [b], & Clemens [c], & Athanasius [d], & Oecumenius [e]. De vtraque natiuitate idem Hieronymus atque Procopius in commentariis Esaiæ meminerunt. In capite secundo [f] explicans nomen generationis, attigi tertiam quādam præsentis loci intelligentiam, pro hominibus illius seculi, quo seculo vexabatur CHRISTVS, vt sit sensus: Quis mirari satis queat peruersitatem hominum illorum, &c. Ita quidem Forerius in Commentario super Esaiam, & Pineda [g] id etiam approbat. Adā verò Esaiam quoque enarrans, meminit quartæ pro semine ac posteritate, vt ex Passionis beneficio innumerabilis secutura sit generis series ac successio. Sanè verbū Hebræum דור *dur*, significat ordinare & enumerare. Placet quoque Carthusiano, & Lyrano [h]. Obstat duabus vltimis expositionibus, quod plerique pro *generatione* ponunt nomen *natiuitatis*, vt Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Phæbadus, Idacius, & Interpres Latinus Athanasij. Quāquàm, vt ingenuè fatear, nomen Hebræum דור *dor*, & Græcum γενεὰ, non significant natiuitatem; sed hoc interdū sumitur pro genere, siue progenie, vt cùm quæritur quo quis ortus sit genere, quam familiam habeat, aut liberos, illud tempus vitæ quo homo in hoc mundo peregrinatur plerumque significat. Nec displicet Forerio quinta explicatio, *Generationem eius*, id est, *ætatem, seculum, vitæ tempus quis enarrabit, quis computabit?* fuit enim breuissima, & præreptus est immatura morte, violenta, immerita. Oecumenius affert sextā de gloria, quam CHRISTVS consecuturus erat post Resurrectionem, ac de generosa eius dignitate. Sed ad quartam reuocari potest.

g in c. 3. Iob. vers. 8. *Generatio eius seculi homines significat.*

h hoc loco & in Esaiam.

Quoniam tolletur de terra vita eius.] Sic etiam Septuaginta sunt interpretati, ὅτι αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ. Sed iuxta editionem nostram habemus, *quia abscissus est de terra viuentium*, iuxta textum Hebræum, כי נגזר מארץ חיים *chi nigzar meereſt chaiim*, id est, *quia separatus est de terra viuentium*. Chrysostomus [i] exponit, *tolli*, id est, *abscondi vitam* CHRISTI *in* DEO, *illo modo, quo nostrā Paulus* [*] *absconditam ait cum* CHRISTO *in* DEO, *atque ita intelligi, nostrum vnum quemlibet esse* CHRISTVM, *qui patiebatur*. Procopius [k], *quia altior est subsistētia vnigeniti Filij* DEI *omni creatura*: vel, *superat omnem sensum ratio generationis eius*, vt ait Cyrillus, siue Clictouæus [l], & genuinus Cyrillus alio loco [m]. *Ita vt*, quod ait Oecumenius, *lædi nequiuerit* DEITAS *ipsius, natura verò ipsa humana cœlo recepta sit*. Tertullianus [n]: *Quoniam cœlis eū post resurrectionem receperunt*. Glossa interlin. hoc loco idem dicit, *vt in cœlo, non in terra viuat*. Augustinus [o], *quia resurget, eritque vita superior, ac velut eleuata à terra*. Iustinus [p], & Athanasius [q], & Hieronymus [r], *quoniam morietur*; qui Hieronymus agnoscit quoque illam expositionem, quam affert Tertullianus, quæ parum distat ab ea, quæ est Augustini. Vltimæ huic expositioni fauet illa quinta data ad priora verba, quam etiam sequitur Forerius, & Adam in Esaiam, & hoc loco Carthusianus, atq; Lyranus, & Glossa ordinaria. Indicat Oecumenius alium sensum de sublimiore, atque excellentiore viuendi ratione ipsius, quæ dicitur cōuersatio, dum versaretur etiam inter nos mortalis, *tanquàm secundus homo de cœlo cœlestis* [f], *sanctitate segregatus à terrenis*, vt ait quoque Glossa ordinaria. Mihi maximè probatur penultimus dicēdi modus, magisque congruit editioni Latinæ apud Esaiam, & Hebræo verbo, נגזר *nigzar*, quod ibi est, propríeque significat excisum ac separatum esse, & quodammodò ab aliis segregatum.

i orat. 3. con. Iudæos. *Quid sit sublatam esse vitam Christi.* * Coloss. 3. 3. k in Esa. c. 53.

l li. 5. in Ioan. c. 2. m libr. 2. de Trinit.

n lib. cōt. Iudæos c. 12.

o hom. 16. ex lib. 50. Hom. p Dial. in Tryphon. q lib. de Incarn. Verbi. r in Esa. c. 53.

f 1. Corin. 15. 47.

Versus 34.] Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc, de se, an de alio aliquo?

OBSECRO *te.*] Qui reuerà nobiles sunt, sunt etiam ingenui, faciles, modesti, alieni honoris tuendi perstudiosi, denique illustrior apparet in nobilitate virtus; quippe si vera nobilitas sit, virtutis proles est. Rogauit superiùs Eunuchus Philippum, ascendere, & considere in curru, modò vt exponat Scripturam, obsecrat.

Nobilitas vera virtutis proles est.

De quo Propheta dicit hoc, de se, an de alio aliquo?] Hæc percontatio indicat casu incidisse in locum illum, non studiosè ab alio propositum: præterea, vt aduertit Chrysostomus, nescisse Eunuchum loqui Prophetas de aliis, aut de aliis, in sua persona, & quasi ipsi loquerentur de seipsis. Hinc verò etiā inopum æquè ac locupletum desidiam carpit, negligentiāque in ediscendis sacris Scripturis: idemque facit Carthusianus, nósque alio loco idem fecimus. Adijce his Theodosium iuniorem Imperatorem, & Alphonsum regem Aragonium, de quibus antè meminimus. Ille etiam noctu sacris libris operam nauabat, lucerna se sponte sua accendente, oleumque affundente miro artificio, ne quem ministrum eo labore grauaret [t]. Hic quaterdecies vtrumque Testamentum [u] cum Commentariis perlegit. Nō pudebit hos Principes, ac Dominos, si iis pauperculum seruulum, sed Sanctum adiunxerimus. *Nequaquàm literas nouerat*, inquit Gregorius [x], *sed Scriptura sacra sibimet codices emerat, & Religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se studiosè legere faciebat: & factum est, vt iuxta modum suum plenè sacram Scripturam disceret, cùm literas funditus ignoraret.* Chrysostomus præ ceteris Patribus, sæpe ac grauiter hortatur quoscumque ad lectionem Scripturarū [y], videlicet qui facere cum fructu id possint: alioqui quàm non modò necessarium, verùm etiam periculosum sit, vt sine discrimine legantur Scripturæ à quolibet, monui superiùs [z].

Theodosius iunior Scripturam lucernam studium.

t Niceph. lib. 14. c. 3. u Anton. Panorm. in vita li. 1.

x 4. Dial. ca. 14.

y Hom. 1. in Matth. Hom. 10. in Ioann. Præfat. in epistolas Pauli. Hom. 3 in 2. ad Thessal. Hom. 9 in ep. ad Coloss. Homil. 3. de Lazaro. z ver. 28.

Versus 35.] Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ista, euangelizauit illi IESVM.

APERIENS *autem Philippus os suum.*] Pleonasmus est Scripturæ, ad significandum principium sermonis, præsertim paulò longioris, aut libera, claraque voce [a], aut cum præmeditatione, & circūspectione, aut post longum, diuturnumq; silentium [b], maximè verò cùm quis rogatus, ac penè compulsus loquitur, aut de rebus grauissimis [c], aut de veris, & æquis [d]. Vnde pollicetur DEVS Ezechieli [e] *os apertum*, hoc est, liberam orationem, qui posteà dixit [f]: *Et aperto ore meo non silui amplius.* Et Apostolus [g] deposcit aliorum orationes, *vt detur sibi sermo in apertione oris sui cum fiducia* (Græcè est παρρησίᾳ, id est, *libertas dicendi*) *notum facere mysterium Euangelij*: & Corinthiis scribens, ait [h]: *Os meum patet ad vos, ô Corinthij*, hoc est, vobiscum liberè agam, & quæ locuturus sum, grauissima, verissimaque, versantur in animo meo continenter. Hoc est, quod vulgò dicimus, pleno ac rotundo ore loqui, cùm syncerè, libereque, & cum quadam emphasi, vel auctoritate quempiam sermonem habere intelligi volumus. Atque adeò idem est, quod disertè & clarè loqui. Quod legitur in

Aperire os quid significet.

a Eccles. 15. 6. Iob. 33. 2. b Iob. 3. 1. c Psal. 77. 2. d Prou. 8. 6. c. 31. 8. e cap. 29. 21. f cap. 33. 22. g Eph. vi. 19. h 2 Cor. 6 11.

Ore pleno loqui quid sit.

a Psal. 118. 130. Psalmo[a], *Declaratio sermonum tuorum illuminat*, pro declaratione, quæ Græcè dicitur δήλωσις, Hebraicè est, פתח *pathach*, id est, *porta*, vel *apertura*, siue *apertio*, & *patefactio*. Quanquàm sensus esse quoque potest principium & ostium legis est, mentes illustrare.

Auditor quomodo erga Doctorem afficiatur. Quemadmodum verò pendet dicentis ab ore auditor, qui sapientissimus Doctor habetur, & in eius vultum intentus hæret, obseruans tacentem, os aperientem, dicere incipiētem, voces ipsas, vocumque modum, qualitatem, tenorem, &c. promentem considerans: ita aperiendi oris gestus, habitúsque proprius est magistri, doctorisque. De illo qui congruēter DEVM orat, ait Sapiens[b]: *Aperiet os suum in oratione*, id autem vt præstare posset Dauid, orationem istā præmisit[*]: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*: atque idipsum Hebræos facere ad omnes preces, quod nos ad matutinales, alibi notaui[c]. Lege Maldonatum[d], Ioannem Ferdinandum[e], & Pinedam[f], & Salmeronem[g]. Beda ludit in etymologia nominis Philippus, *Os lampadis*, quæ conueniat obscuritatem Prophetiæ proferenti in lucem scientiæ, & ante Bedam Arator[h]:

b Eccl. 39. 7. * Psal. 50. 17. c c. 2. vet. 4. d Matt. 5. vet. 2. e in Thesau. Script. verbo, *Aperio*. f in c. 3. Iob. vers. 1. nu. 4. & seq. g To. 1. Proleg. 5. Reg. 12. *Philippus os lampadis hic doctrinae recte dicitur.* h li. 1. carm.

—— impone Philippum
Lampadis os, quod Hebræus ait, qui mentis honorem
Nomine teste probat. ——

(hîc ego legēdum puto *teste*, non *testo*: testum enim instrumētum fictile est, aut ex ære, aliáve materia, in quo placentæ, aliáque id genus coquuntur, seu clibanus, aut furnus, quod hîc locum habere non potest, præsertim ratione carminis repugnāte) sed hanc nominis Græci notationem ex Hebræa lingua iampridem confutaui[i]. Arbitrantur aliqui[k], os aperire esse cū ratione ac iudicio proferre orationē. Alij[l] de sermone graui & profundo. Nonnulli cùm post silentium longius loquitur aliquis: quomodo dicitur vulgò nouis Cardinalibus os aperiri, &c. Alij, quod factis operibúsque docuerit quis anteà, sermone quoque docere.

i cap. 1. v. 13. k Olympiad. Philipp. B. Thom. in c. 3. Iob. l Gregor. 4. Mor. c. 4. m Rom. 13. 12. ne pist. 3. o cap. 2. Eccl. hierar. p in cap. 28. Matthæi. q li. de Fide, & Symb. lib. de Fide, & operib. præsertim c. 6. 9. 11. lib. de catechiz. rudib. *Catechismus hic traditur.* r in 2. Esd. ca. 11. f li. de Diui. offi. c. de Sabbato sancto. t 1. de Eccles. offic. c. 8. u 1. de Diui. offic. c. 17. x à pag. 31. vsque ad 35. y 6. Rationa. cap. 56. z in c. Ante viginti. de Consec. dist. 4. a de Ritib. Eccl. c. 19. *De Catechumenis.* b li. 2. de Bap. c. 12. c Tom. 3. in 3. part. cum de Baptismo. d in Catechismo. e li. 1. de Bapt. c. 25. f in Catechismo. Catech. 1. & 2. *Euangelizandi verbū quid significet hoc loco.* g epist. 65. ad Pamm. h lib. de Fide, & operib. c. 6.

Euangelizauit illi IESVM.] Hic est Catechismus, qui præcedit Baptismum adultorum, eósque, vt ita dicam, præilluminat, priusquàm τὸν φωτισμὸν recipiant, hoc est, *illuminationem*, seu Baptismum, qui dicitur Sacramentum illuminationis, reddens nos *filios lucis*, ac *lucem in Domino*, atque *indutos arma lucis*[m].

Meminit de hoc Catechismo tum fidei, tum etiam morum Clemens[n], Dionysius[o], Hieronymus[p], Augustinus[q], Beda[r], Alcuinus[f], Amalarius[t], Rupertus[u], Ordo Romanus[x], Durandus[y], Turrecremata[z], Ioannes Stephanus Durantus[a], Enriquez[b], & Suarez[c], & Federicus Nausea[d], & Bellarminus[e], & Matthæus Galenus[f], & qui scribunt tum de Sacramentis, tum de Catechismo. Id verò etiam testantur nomina *Catechumenorum*, & *scrutiniorum*, quæ septem fiebant illis, & *patrinorum*, qui pro infantibus respondent, & eos instituere tenentur; Catecheses quoque scriptæ à Cyrillo Ierosolymitano, & liber Ambrosij de initiandis, & quod Hieronymus[g] tradit, consuetudinem huiusmodi fuisse, vt iis qui baptizandi essent, per quadraginta dies publicè traderetur sancta, & adorāda TRINITAS. Rectè autem Augustinus[h] obseruat, verbo euangelizandi, quod hic ponitur, non comprehēdi tantùm doctrinam eorum, quæ credenda sunt de CHRISTO, sed etiam quæ obseruanda ei, qui accedit ad compagem corporis CHRISTI; immò & euangelizare, esse cuncta dicere, quæ sunt credenda de CHRISTO, nō solùm cuius sit Filius secūdùm diuinitatem, vnde secundùm carnē genitus, quæ perpessus, & quare, quæ sit virtus Resurrectionis eius, quod donū SPIRITVS promiserit, dederitque fidelibus, sed etiam qualia membra sint, vel esse debeāt, quibus ipse sit caput, qualia quærat, instituat, diligat, liberet, atq; ad æternam vitam, honorémque perducat. *Hæc cum dicuntur*, inquit, *aliquando breuius, atque constrictius, aliquando latius & vberius*, CHRISTVS *euangelizatur, & tamen non solùm quod ad Fidem, verùm etiā quod ad mores pertinet, non prætermittitur*. Eodem libro[i] superiùs ostendit tria prima illa millia, quæ baptizauit Petrus[k], dicto modo instituta esse, quod & nos etiam monuimus. *Locus præsens Esaiæ omnia continet*, inquit Chrysostomus, *Incarnationem, Passionem, Resurrectionem, Assumptionem, Iudiciū futurum*. Irenæus[l] putat *satis anteà instructū Eunuchum, & precatechizatum à Prophetis*, hoc est, lectione illorum, *nec* DEVM PATREM, *aut cōuersationis dispositionem, sed solùm aduentum ignorasse Filij* DEI: *quem cùm breuiter cognouisset à Philippo, baptizatū esse*, &c. nec multùm laborandum fuisse circa illum, quoniam erat in timore DEI præaptatus à Prophetis. De Catechismo, qui pueris, aliísq; rudibus Christianis proponitur, & exponitur, non agam pluribus: res est, quam Concilium Tridentinum[m] post Lateranēse vltimum[n], summoperè commendandam duxit, iubens edi eum, qui vocatur Parochorū Catechismus, & Pius V. atque Gregorius XIII. amplissimis priuilegiis, ac indulgentiis docentes, dicentésque donauit. Lege Posseuinum[o] nostrum, & Institutiones Christianæ doctrinæ à Carolo Borromæo Cardinali editas.

i cap. 8. k Act. 2. 41. *Locus Esaiæ omnia de Christo necessaria continet.* l lib. 4. c. 40. *Catechismus puerorum commendatur.* m Sess. 24. c. 4. de reforma. n Sess. 9. o li. 4. Bibliot. sanctæ. c. 6. 7. 8. 9.

Versus 36.] Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?

ET *dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam*.] Syriacè sic legitur, מטיו הוו לדוכתא הדא דאיתבה מיא *matin hauu leduchetha hada dithbah maia*, i. *Venerunt ad locum quendam, in quo erant aqua*. Beda ait, suo etiā tempore fuisse vicū in tribu Iuda, cui nomen Bethsur & Bethsoron, distantem ab Ælia Chebron vigesimo lapide: iuxtáque eum ad radices montis fontē ebullientem, qui ab eadē, in qua gignitur, absorbeatur humo: ibi Eunuchum baptizatū. Id ante Bedam totidem verbis tradiderat Hieronymus[p], & Eusebius à Hieronymo Latinitate donatus. Sed nego, quod hic Auctor habet, Apostolorū Acta referre Eunuchū in hoc loco esse baptizatū: loci námque nomē in hoc libro prorsus tacetur. Sacramento Baptismi ritè celebrando, cùm initio, vt ait Vualfridus Strabo[q], daretur in fluuiis, vel fontibus, vt patet etiā ex Lydia[r], quæ baptizata est in flumine, & ex custode carceris, qui in carcere[f], & vbiuis alibi, posteà deputatū est baptisteriū separatum ab Ecclesia, propè maiorem basilicā, vt colligitur ex Cōcilio Antisiodorensi sub Deus-dedit[t], & ex Cyrillo Ierosolymitano[u], & Nazianzeno[x], & Paulino[y], & Gregorio Turonensi[z]. Et initio quidem vnicum erat in ciuitate, vel oppido, deinde verò singulis parochiis singula sunt assignata, vt est in Concilio Meldensi, aut Illerdensi[a]. Tum etiam cœptum est cōdi baptisterium intra Ecclesiam propè πρόναον, id est, vestibulum, vt de eo, in quo Clodouæus baptizatus est, idem Turonensis[b] testatur. Hoc tempore quibusdam in ciuitatibus vnico

Eunuchus vbi sit baptizatus. p lib. de locis Hebraicis. *Sacramentum Baptismi vbi olim collatum.* q lib. de reb. Eccl. c. 26. r Act. 16. 15. f ibid. 33. *Baptisterio vbi effecto.* t cap. 14. u Catech. mystag. 1. x orat. 40. y epist. 12. z 5. Hist. c. 11. a cap. 7. b 2. Hist. c. 21.

vtuntur omnes baptisterio, vt Parmæ in Italia. Meritò Dionysius * vocat Baptisterium μητέρα τῆς υἱοθεσίας, *matrem adoptionis*. Extra necessitatem cautum est baptizari extra Ecclesiam etiam in priuatis Oratoriis, vt est in Synodo Trullana [a], & in Concilio Meldensi [b], & in Clementina de Baptismo [c], vbi excipiuntur ex priuilegio filij Regum, ac Principum, hoc est, eorum, qui dicuntur summi, seu supremi potentatus, & ij, qui sine periculo ad Ecclesiam ferri non possunt. Lege Ioannem Stephanum Durantum [d].

* lib. de Eccl. Hist. *Baptisterium mater est adoptionis.* a cap. 59. b cap. 48. c quæ incipit, Præsenti. d 1. de ritib. Eccl. c. 19.

Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?] Aliqui codices habent, *quis*, sed nostra editio congruit cum textu Græco τί κωλύει, & interpretatione Syra, quæ est huiusmodi, מנאהי כליותא *manahi chalitha*, i. *quod est obstaculum*, vel, *qua prohibitio est*. Beda monet in quibusdam exemplaribus, atque in eo ipso, quo vtebatur, desiderata hæc verba, & totum sequentem versum, quem etiam Syra editio non habet, neque Græci Patres interpretantur. Magna Eunuchi alacritas, diligentia, prudentia. Non dicit: *Baptiza me*, neque silet: *sed medium quiddam inter desiderium*, inquit Chrysostomus, *& accipiendi promptitatem loquitur*. Nimirum Baptismi necessitatem expositam fuisse oportuit à Philippo, cùm illum Eunuchus nominatim poposcerit: & verisimile etiam est assensum suum declarasse ad ea, quæ Philippus euangelizauerat, quasi diceret, vt ait Glossa interlinearis, *Fides plena est, aqua propè, baptizator præsens*. Hilarius [e], *Sacramentum Baptismi adeò impatienter*, inquit, *postulauit, vt à Diacono ministerium Apostolici officij, salutis suæ cupidus, exigeret. Arripuit aquæ opportunitatem Eunuchus, cuius erat in ea via raritas per desertum.*

Philippus iam de Baptismo locutus fuerat. e in Psal. 67.

Versus 37.] Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo Filium DEI esse IESVM CHRISTVM.

SI *credis ex toto corde, licet.*] Beda dicit, in quibusdam codicibus Græcis legi, *saluus eris*, pro eo nempe quod habemus, ἔξεστιν, *licet*. Interrogatur adultus pro se, vt respondeat, at pro infantibus respondent, qui vocantur *susceptores*, Græcè ἀνάδοχοι à Dionysio [f], & Elia Cretensi [g], quod etiam nomen significat, quos vocat Tertullianus [h] *sponsores, & fidei ductores*, & quos *fidei iussores* Augustinus [i], qui præterea appellat eos, *fidei doctores* [k]: *Patrini* vulgò dicuntur, & in Iure Canonico [l], & ab Alcuino [m], Vvalfrido Strabone [n], Hugone de S. Victore [o], & Iuone [p]: Iustinus [q] nominat *Offerentes*: Concilium Parisiense I. [r] *Patronos*.

Quòd verò pueri ante rationis vsum baptizari possint, ac debeant, ponendum est tanquàm omninò certum, & egregiè demonstratum præ aliis à Suarez [f], sed & à Conciliis definitum, præsertim Tridentino [t]. Sufficit illis generalis voluntas CHRISTI, siue Ecclesiæ: nec fingenda est miraculosa vsus rationis pro eo tempore acceleratio. Sanè si Circumcisio profuit octo dierum [u] pueris, vel martyriũ, quidni Baptismus? Et si obest Adæ peccatum omnibus [x], quidni CHRISTI Sacramentum prosit? Denique cùm Apostoli baptizabant domos, familiasque integras, vt Paulus domum Lydiæ [y], & Stephanæ [z], videntur & infantes ipsos baptizasse.

f lib. de Eccl. hier. cap. de Bapt. g lib. 3. Iuris Orien. h li. de Bapt. c. 18. i Sermo. 116. 163. 215. de Temp. k epist. 23. *Patrini quibus olim nominibus dicti.* l c. in Catechismo. de cõsec. dist. 4. m de Diui. offic. cap. de Sabb. san. *Pueri etiã ante vsum rationis sunt baptizandi.* n de rebus Eccl. c. 26. o 6. de Sacra. par. 2. c. 12. p sermon. de Dedic. q q. 56 ad Orthod. r lib. 1. c. 54. f 3. par. To. 1. disp. 25. sec. 2. t Sess. 5. c. 4. Sess. 7. c. 12. & 13. u Gen. 17. 12. Leui. 12. 3. x Rom. 5. 12. y Act. 16. 15. *Cur Eunuchus sit à Philippo interrogatus.* z 1. Cor. 1. 16.

Non ignorabat Philippus Eunuchi fidem, inquit Glossa ordinaria, *sed volebat manifestam confessionem, vt baptizaturis, & baptizandis daretur exemplum interrogandi, & confitendi.* A Iudæis ante Baptismum exegerat Petrus pœnitentiam [a], quoniam petentes quid eos facere oporteret, credere se significauerant, & à Petro iam redarguti fuerant, quòd aduersùs Scripturas, quas recipiebant, CHRISTO non credentes, illum nefariè occidissent.

a Act. 2. 38.

Credibile est omninò ab Eunucho Philippum eum dolorem exegisse, qui requiritur, quoniã instituit non de fide tantùm, sed etiam de moribus, vt paulò antè Augustinum [b] docentem audiuimus. *Gratia quidem gratis peccata dimittit*, inquit Hieronymus [c], aut si quis alius est huius auctor sententiæ, *sed cum consensu, & voluntate credentis, sicuti Philippus Eunucho in Actibus Apostolorum probat dicens: Si credis ex toto corde, licet te baptizari. Quo testimonio intelligitur, nõ minus periculum esse, si baptizetur incredulus, quàm si verè credenti Baptismus denegetur. Credens autem ille est, iuxta Scripturas, qui ex toto corde crediderit.* Sic dictus Auctor. Sed fidem ex toto corde intelligere debemus syncerã, sine fuco, & simulatione, quod hoc loco Caluinus cõcedit, malè alibi negans eodem modo amari DEVM posse, nimirum etiam cum gratia ipsius, ex toto corde. Nihilominùs non requiritur necessariò fides supernaturalis, vt præuia dispositio, sed sufficere potest humana credulitas, vt rectè docet Suarez [d].

Etiam Philippus ab Eunucho pœnitentiam exegit. b lib. de Fide, & operib. c. 9. c Tom. 9. ep. 8. *Non minus periculum est baptizare incredulum, quam non baptizare credentem. Fides ex toto corde quæ sit.* d 3. par. Tom. 3. Disp. 23. sect. 2.

Olim ante Baptismum CHRISTI, sicut ante Ioannis [e], candidati Baptismi cõfitebantur peccata sua, non sacramentali confessione, quoniam Sacramentorum ianua Baptismus CHRISTI est, sed humilitatis causa, & consilij capiendi, vt testantur Tertullianus [f], Nazianzenus [g], & de ciuitate Alexandrina Historia Tripartita [h]. Aliqua certè adultis pœnitentia necessaria est habentibus peccata actualia, vt sæpenumerò docuit Augustinus [i], & Fulgentius [k], denique id definit Concilium Tridentinum [l]. Lege quæ dixi capite secundo [m].

Olim baptizandi peccata confitebantur. e Matt. 3. 6. f lib. de Baptismo. c. 18. g orat. 40. h lib. 9. c. 18. i cap. omnis qui iam. de consec. d. 4. & li. de vera & falsa pœn. c. 18. & li. de pœnit. med. c. 2. & li. de Fide, & operib. c. 6. & seq. & ep. 48. & 118. & lib. 50. homil. hom. 27. & 50. k lib. de Fide ad Petrum. c. 30. l Sess. 6. c. 6. & 7. & Sess. 14. c. 1. m vers. 38.

Credo Filium DEI *esse* IESVM CHRISTVM.] Hoc est, eum, qui vocatur IESVS CHRISTVS, esse Filium DEI, ita vt CHRISTVS sit loco cognominis. Fides explicita de pluribus esse debet, proindeque verisimile est, Eunuchum de pluribus Fidei professionem edidisse. Certè Philippi prædicationi, quam plures res complexam esse cum Augustino dixi, Eunuchus assensum præbuit, quamuis de IESV diuinitate, tanquàm de potissimo articulo, mẽtio fiat. Si dicas in confessione Filij DEI comprehendi PATRIS confessionem, verissimè dices: eodem modo, si sub nomine CHRISTI, prout significat vnctum, contineri eundẽ PATREM, qui vnxit, & SPIRITVM sanctũ, quo vnctus est, seu per gratiam sanctificantẽ, seu per hypostaticam vnionem: siquidem omnia dona gratiæ per attributionem SPIRITVI sancto deputantur. Longè verosimilior tamen est opinio, quæ medij quoque necessitate fidem exigit explicitam nunc in CHRISTVM; qua de re præter Scholasticos, lege Iosephum Acosta [n]: & nos aliàs id probauimus. Non etiã est improbabile, fidei solemnẽ professionẽ in Baptismo indicatam à Petro, quando dixit [o], *non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in* DEVM; id est, *stipulatio*, inquit Gagneius.

Fides explicita de pluribus esse debet. *Fides explicita in Christum omnino necessaria.* n 5. de procuranda Indorum salute. c. 1. 3. 4. o 1. ep. 3. 21.

Versus 38.] Et iussit stare currũ: & descenderunt vterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizauit eum.

ET *iussit stare currum.*] Hugo Cardinalis dubitat, vter iusserit, Philippúsne, an Eunuchus. Chrysostomus intellexit de Eunucho, & planè verisimile est; idq; supponit versio Syra, quæ sic habet,

ופקד

A ופקד והוו *vappekad haua*, id est, *& præcipiẽs fuit*, seu, *præcepit*, supple Eunuchus, qui antè locutus fuerat, iique codices, in quibus desideratur versus præcedens: connectunt enim verba Eunuchi distinctè cum istis; sed & in nostra editione satis apparet idem sensus, quoniam de eodem qui proximè antè Fidem professus erat, subditur hæc iussio.

Et descenderunt vterque in aquam.] *Eunuchus magnam familiam habuit, nec tamen corã illis se nudare, ac lauari erubuit*, inquit Carthusianus, *dũ corã* DEO *de proprijs verecundabatur peccatis.* Quo confunduntur qui hominum magis, quàm DEI reuerẽtur, ac verentur aspectum. Descensus iste in aquam significat quoquomodò immersionem, & probabile est eo modo quo commodè potuit, & est magis expressa ablutio, Eunuchum baptizatum. B Alioqui sufficit infusio, seu aspersio, vt dixi de tribus [a], & quinque millibus [b]. Est enim huius Sacramenti proxima materia ablutio, CHRISTVS autẽ modum eius nullum definiuit, Carthusianus citatus affirmat Eunuchum immersum. Sed non improbabile etiam est, fuisse duntaxat aspersum, propter decentiam, sicut de CHRISTO, dum eum Ioannes baptizauit [c], quidam cõtendunt. Lege Suarez.

Magis quidam reuerentur homines quàm Deum.

Eunuchus fortasse immersus vel aspersus aqua.

a Act. 2. 41.
b infrà c. 44.
c Matt. 3. 15.

Et baptizauit eum.] Clemens Romanus [d] excusat Philippum, sicut & Ananiam [e], quòd baptizarint, quoniam hoc eis munus extraordinariè commissum est à CHRISTO Pontifice, & DEO. Hilarius [f] reiicit causam in impatiens desiderium Eunuchi. C Posset quoque Diaconus ex confessione, seu delegatione Episcopi, aut Sacerdotis ministrare ordinariè hoc Sacramentum, vt patet ex ordinatione eius in Pontificali Romano, & ex Iure Canonico [g], ita vt in casu necessitatis absente Sacerdote iure suo liceret ei id ministerium vsurpare, quippe vt speciali ministro Presbyteri; qua item de causa committitur ei dispensatio Dominici corporis. Exemplum quoque Baptismi à Diaconis collati legitur apud Paulum Diaconum [h].

d 8. Const. c. vlt.
e Act. 9. 18.
f in Psal. 67.
Diaconus quãdo baptizare possit.
g c. constat. de cõsec. d. 4.
h 5. de gestis Longobard. c. 10.

Non debet differri Baptismus tãtæ necessitatis vtilitatísque Sacramentum. Quòd si quidam olim etiam cordati, grauésque viri distulerunt, vt Ambrosius [i], Augustinus [k], Martinus [l], Constantinus D Magnus [m] (etsi falsum est, hunc vsque ad mortem distulisse, & Nicomediæ baptizatum ab eius ciuitatis Episcopo Arriano Eusebio [n] Nicomediensi) id fecerunt, aut ob Sacramenti reuerentiam, aut publicis, priuatisque negotiis impediti, ita vt in Paschate, aut Pentecoste suscipere Baptismum non possent: quæ duo quondam solemni Baptismo tempora assignata erant [o], vt habetur in Iure, & refert Ioannes Stephanus Durantus [p], vsque ad ætatem Caroli Magni, quando baptizandorum maior numerus infantum, & varia pericula horum præsertim laxiorem exigebant temporis opportunitatem [q].

Baptismus non est differendus.

i in vita.
k 1. Confess. c. 11.
l in vita.
m Baron. Annal. Tom. 3. & Enriquez 2. de Bapt. c. 4.
n iidẽ Auctores.
o c. duo tempora. de consecr. d. 4.
p 1. de Ritib. Eccl. c. 19. nu. 14.
q Ruper. 4. de Diui. offic. c. 18.

E Etsi verò alicubi mos fuerit fortè ante vsum rationis infantibus non conferre Baptismum; tamen præstat non expectare, neque id modò sine graui scandalo fieret: multóque grauior error esset, nolle Baptismum ante trigesimum ætatis annum, prætextu CHRISTVM imitandi, accipere. Concilium Tridentinum [r] damnat huiusmodi errorem, necnon mortis articulum expectantiũ, aut qui negant paruulos baptizandos, vel cùm adoleuerint, interrogandos an ratum id habeant. Lege Suarez [s], Enriquez [t], & Bellarminum [u], & nominatim contra dilatores ex Patribus præcipuè Basilium [x], Nazianzenum [y], Chrysostomum [z], Augustinum [a], Nyssenum [b], qui hoc Eunuchi valdè vrget exemplum, & oppositum narrat Archiæ cuiusdam, qui cùm vellet baptizari, aquæ copiam non habuit, aliosque partim citatos à me, partim ab his aliis Auctoribus, ex quibus colligi potest, adultum teneri ad Baptismum sub peccato mortali, quàm primùm, moraliter loquendo, potest eum obtinere dignè, & commodè.

r Sess. 6. c. 12. 13. 14.
Pueri sunt baptizandi ante rationis vsum.
s 3. par. Tom. 3. Disp. 31.
t 2. de Bapt. c. 4.
u lib. de Bap. c. 8. & 9.
x Hom. 13. exhortat.
y orat. 40.
z Hom. 1. & 19 in Acta, & Hom. 13. in epist. ad Heb.
a 1. Confess. c. 11.
b orat. aduersus eos qui differunt Baptismum.

Adultus tenetur Baptismum accipere, quàmprimum potest.

Satis dispositum fuisse Eunuchum, ac institutum, non Augustinus duntaxat docet [c], verùm etiã Tertullianus [d], monens ne quis temerè, ac imparatus admittatur, & Cyprianus [e], & Irenæus [f]. Idem obseruare possumus de variis cæremoniis sensim inductis circa Baptismum, quas afferunt iidem Auctores, atque explicant, nec eædem vbique sunt in vsu: olim namque Ecclesia nondum satis fundata erat: præterea non habebat eadẽ Ecclesia SPIRITV magis abundãs eiusmodi necessitatem adminiculorum, vt Ambrosius obseruat [g].

c li. de Fide, & oper. ca. 9.
d lib. de Baptis. c. 18.
e lib. 3. c. 44.
Cæremoniæ Baptismo non statim adhibitæ, sed sensim.
f lib. 3. c. 40.
g in cap. 4. ad Ephes.

Quæri potest, vtrùm solus Eunuchus baptizatus sit; sed si alij præterea baptizati essent, rẽ adeò insignem Lucas non omisisset: atque Irenæus [h] ait Philippum solum soli prædicasse. Anteponit hunc Chrysostomus aliis omnibus, qui priùs crediderant in CHRISTVM, quandoquidem illicò absque signis (quæ viderant etiam Magi [i], & in Cruce latro [k]) & quòd etiam is potuerit esse spectator status Ecclesiæ, quæ in Ierusalem persecutionem patiebatur: tamen Philippo tam facilem se ad credendum exhibuerit. Theodoreti [l] opportuna sententia: *Æthiops Eunuchus non multas legit Scripturas, sed cùm vnum Propheticum inuenisset testimonium, per illud ad salutem deductus est: ad vobis autem persuadendum, non sufficiunt omnes Apostoli & Prophetæ, & qui post illos fuerunt veritatis præcones.*

An solus sit baptizatus.
h lib. 3. c. 12.
Anteponitur aliis qui ante ipsum in Christũ crediderunt.
i Matth. 2. 2.
k Luc. 23. 40. & seq.
l Dialog. In Impatib.

Versus 39.] Cùm autem ascendissent de aqua, SPIRITVS Domini rapuit Philippum, & ampliùs nõ vidit eũ Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.

CVM *autem ascendissent de aqua*, SPIRITVS *Domini rapuit Philippum.*] *Hieronymus dicit hoc* D *Angelum fecisse in* SPIRITV *sancto*, inquit Glossa interlinearis; locus autẽ Hieronymi est in Commentariis super Esaiam [m], vbi sic loquitur agens de ministerio Angelorum: *Consideremus illud, quod in Actibus Apostolorum scribitur:* SPIRITVS *Domini rapuit Philippum, & non vidit eum vltrà Eunuchus, an super Angelo debeamus accipere. Sunt qui Angelum in* SPIRITV *sancto hæc fecisse testentur.* Si hoc admittimus, intelligemus iussionem solam SPIRITVS sancti, quia propria virtute id potuerit Angelus, sicut cùm Habacuc in Babylonem translatus est [n], aut Ezechiel [o], aliíve, vt notat Chrysostomus (quem tamen Hieronymus, Theodoretus, & alij volunt in spiritu tantùm esse translatum) necnon cùm CHRISTVS [p] ipse à Diabolo tentatore, E vt aliàs docuimus [q]. Reuerà namque CHRISTVM Angelus rapuit, cui tribuitur nomen spiritus, vt notat Didymus [r], & ita etiam docet Ambrosius [s].

Philippus an à Spiritu sancto vel ab Angelo raptus sit.
m in c. 63.
n Dan. 14. 35.
o cap. 3. 1.
p Matt. 4. 5. 8.
q in Euang. Dom. 1. Quadrag.
r li. de Spiritu sancto.
s in Symbolum, circa finem.

Id porrò ideò factum est, & propter Philippum, *vt esset*, inquit Chrysostomus, *in admiratione, tanquam vir non vulgaris, sed diuinus, ac Prophetis non inferior*: & propter Eunuchum, *vt intelligeret*, inquit Lyranus, *Philippum à* DEO *specialiter fuisse missum ad ipsum informandum de Fide, & baptizandum.* Oecumenius causam tertiam assignat, *quoniam voluisset Eunuchus adhuc congredi, & Philippus abnuens, ac denegans, cùm nondum*

Est raptus ab Angelo, & cur.

tempus esset, ipsum vtique contristasset. Glossa ordinaria existimat, quòd SPIRITVS irruit in Eunuchum fortiter, sicut & in Apostolos venit [a], ac proinde videri Philippũ Apostolum fuisse, quamuis non legatur manus imposuisse, aut SPIRITVM sanctum inuocasse, vt in primitias Gentium sponte SPIRITVS sanctus descenderet, atque ita excusationem contra Iudæos haberent Apostoli, cùm illi hos accusarent, quòd Gentiles baptizassent.

a Act. 2. 2. *Philippus dicitur hic fuisse Apostolus.*

Ceterùm Philippum istum Diaconum fuisse, non Apostolum, non semel demonstraui. Quòd autem in Eunuchum irruerit SPIRITVS Domini, aut descenderit SPIRITVS sanctus in illũ visibiliter, nullo modo colligi potest, cùm disertè dicatur, quòd SPIRITVS Domini rapuit Philippum. Verisimile est in Eunuchum descendisse SPIRITVM sanctum signo visibili: tamen aio id ex præsenti loco non effici, vt magis mirer illam sententiam Glossæ ordinariæ indicatam non obscurè ab Augustino [b]. *Cõtinuò*, inquit, *descendit* (Philippus) *cum illo* (Eunucho) *in aquam, impleto Baptismatis mysterio, & Sacramento, ne hominum putaretur donum* SPIRITVS *sancti: non expectatum est, sicut tunc* (in Samaria) *vt venirent Apostoli, sed continuò venit* SPIRITVS *sanctus: soluta est Simonis cogitatio* (quòd videlicet per homines daretur SPIRITVS sanctus; quasi hominum illud opus esset, non DEI) *ne in tali cogitatione haberet imitatores.*

Redarguitur Glossa.

b lib. 50. Homiliarum. in 22. c. 11.

Spiritus sanctus super Eunuchũ descendit.

Ibat autem per viam suam gaudens.] Alij codices Latini habent, *enim*, sicut & Græcus textus, vbi sic legitur, ἐπορεύετο γὰρ, id est, *pergebat enim*, vel, *ambulabat enim* (sed Syra interpretatio habet, אלא אזל *ella azel*, quod est, *sed abibat*: siquidem, vt habet Syrochaldaicum Dictionarium, אלא *ella*, Græcum est ἀλλὰ, id est, *sed*, aut, *nisi*) quòd quasi reddatur causa cur non visus sit ampliùs ab Eunucho Philippus, quòd Eunuchus in via pergeret lætitia plenus. Placet magis nostra editio, ita vt significetur simulac vterque ex aqua ascendit raptũ Philippum: Eunuchum verò tanto gaudio perfusum propter susceptum Baptismum, atque CHRISTI doctrinam, vt tristitiam, quæ de Philippo sibi erepto poterat existere, ipse absterserit, secum etiam reputans illius opera DEVM ad aliorum vtilitatem vti velle, qui sibi illum tantisper commodauerat, quamuis non ideò non viderit illum ampliùs, quia ibat. Constat particulas, *enim*, & *autem*, vicariè poni pro se inuicem, siquidem inuenies *autem*, pro *enim* [c], & *enim*, pro *autem* [d], vt ait Sà in Indice. Fructus vnus SPIRITVS sancti gaudium est, proximè nascens ex charitate, vt aliàs docui [e].

Eunuchus cur tanto gaudio, perfusus sit.

c Ioan. 6. 40. 1. Cor 10. 11. d Ioan. 16. 13. Rom. 8. 18. & alibi sæpe. e c. 2. vet. 46.

Quid factũ deinceps sit Eunucho, tradunt nonnulli Patres, & Historici. Irenæus [f] scribit, in Æthiopiæ regiones missum esse prædicatum. Ceterùm sicut id ex Irenæo mutuati videntur Eusebius [g], Nicephorus [h], necnon Hieronymus [i], qui vocat eum *Apostolum Æthiopum, ac de discipulo magistrũ*, & Cyrillus Ierosolymitanus [k], qui ait, *quod eũ Philippus misit*: sic videtur Irenæus mutuatus ex Abdia [l], & Cleméte, vt quidem notat Feuardentius scholiastes Irenæi. Abdias addit Matthæum Apostolum in Æthiopiam profectum, ibidem illum inuenisse. Apud Clementem nihil tale reperio. Citat prætereà idem ille Sophroniũ affirmantẽ tanto Eunuchum studio promulgandæ religionis Christianæ extitisse, vt in Arabia felici, & Toprobana insula euangelizauerit, ac glorioso certamine pro CHRISTI nomine obierit. Pro Sophronio Dorotheum [m] dicere forsan voluit, hic

Eunuchus in Æthiopia Christum prædicauit.

f li. 3. c. 12. & li. 4. c. 40. g 2. Hist. c. 1. h 1. Hist. c. 6. i in c. 53. Esa. & ep. 103. k Catech 17. l in vita Matthæi.

Prædicauit etiã in Arabia.

m in Synopsi, in fine.

enim ad verbũ eadem habet, adiungẽs Erythram, in qua Martyr occubuerit, & sepultus sit: cœmeterium verò ipsius esse munimentum insuperabile, à fidelibus barbaros scelestos fugans, morbósque pellens, & sanationes operans vsque in eum diem in quo hæc scribebat. Abulensis [n] refert, ætate sua Nubianos in Æthiopia populos literas ad sedem Apostolicam scripsisse, in quibus erat, Eunuchum inde oriundum fuisse. In ordine Baptismi Æthiopum recitatur tota hæc historia de Baptismo Eunuchi [o]. In Martyrologio, aut Menologio, nulla extat de illo mentio: quem tamen Hieronymus [p] non dubitat Sanctum nominare.

Martyrio obiit & coemeterium.

Eunuchus unde fuerit oriundus. n qu. 3. in 1. Prologũ Hieronymi in Matthæum.

o Tom. 6. Biblioth. Patrũ. p ep. 103.

Versus 40.] Philippus autem inuentus est in Azoto, & pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

PHILIPPVS *autem inuentus est in Azoto.*] Distat Azotus à Gaza quadraginta circiter milliaria, totidemque ab Ierusalem. *Fortè*, inquit Carthusianus, *vsque ad illam Philistinorum vrbem transtulit eum* SPIRITVS *Domini.* Hoc sine dubio affirmare videntur Chrysostomus, & Oecumenius, vtentes etiam exemplis Habacuc, & Ezechielis, dicentésque eo in raptu iter magnum confecisse. Glossa item ordinaria, *inuentus est*, inquit, *ab hominibus, scilicet, qui in raptu non inueniebatur, quia ambulauit in solitudine, vel nimia velocitate.*

Philippus à Spiritu translatus est.

Andreas Masius [q] sentit deportatum ab Angelis in vrbem Azoti. Sed quòd ait ex Samaria priùs sublatum, si propriè loquitur, non consentio: intelligit fortasse iussu DEI inde exisse, non ab Angelis ipsis inde eductum esse. Ambrosius [r] clarè docet de Gaza subitò positum in Azoto; & confirmat non solùm exemplo Habacuc, sed etiam Eliæ, ac Pauli, *cùm raptus dicitur fuisse vsque ad tertium cœlum.*

Andreas Masius quid de eo senserit. q in c. 11. Iosue sub finem.

r in Symbolum, in fine.

Dubitationem parere posset textus Græcus, εὑρέθη εἰς Ἄζωτον, *inuentus est in Azotum*, supple, venisse, vbi præpositio εἰς significare videtur versùs, aut circa Azotum, ita vt SPIRITVS Domini, siue Angelus rapiens Philippum subduxerit ab oculis Eunuchi ipsum, non deduxerit vsque Azotũ. Sed particula εἰς etiam cum accusatiuo reperitur nõnunquàm vim eãdem habere quam præpositio ἐν. Dicunt enim optimi Auctores v. g. εἰς τὴν ἐκκλησίαν καθίζεσθαι, i. *in concione sedere*, & στῆναι εἰς τὸ μέσον, id est, *stare in medio*, &c. Et idcirco noster, ac Syrus interpres, qui sic habet, אשתכח באזוטוס *eschthachach ba Zotus*, rectè verterunt, *inuentum Philippũ in Azoto*, vel, *Azoti*; verba quoque sequentia indicant repertum esse non in via, sed in ciuitate Azotica.

Azoto.] Dixi superiùs [s], vnam hanc esse ex quinque principibus Palæstinorum ciuitatibus. Nobilis est ob receptam DEI arcam [t].

s vers. 26. t 1. Reg. 5. 1.

Et pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis.] Maritimæ hæ erant: tota enim Palæstina clauditur mari Mediterraneo, in parte Occidentali iuxta Ægyptum, quod mare vocatur etiam mare Palæstinorum [u], & satis communi nominè magnum.

Palæstina clauditur mari Mediterraneo.

Cæsaream.] Profectò Palæstinæ Cæsarea hîc intelligenda est, quæ anteà vocabatur Turris Stratonis. Sed eam Herodes Ascalonita in Augusti gratiam postquàm instaurauit, ita nominauit [x]. Iacet ad littus maris Mediterranei, inter Doram, & Ioppem. Alia eiusdem nominis est in eãdem prouincia, quæ dicitur Philippi, priùs Paneas à vicino fonte, vel antro Iordanis: sic nominata, quòd illam Philippus Herodis filius in honorem

u Exo. 23. 31. *Cæsarea Palæstinæ quæ sit.*

x Iose. 1. de bello Iud. c. 16. & 15. Antiq. cap. 13. & Hieron. in c. 16. Matthæi. *Alia Cæsarea in Palæstina.*

Tiberij

Tiberij ædificauerat in Phœnicia parte Palæstinæ ad radicem montis Libani; posteà ab Agrippa iuniore propter Neronem dicta Neronias [a]: & rursus tandem Paneas [b]: ante quod nomen dicitur nominata Lesem, & Lesem-Dã, & Diospolis, vel etiam Lais; modò autem Velenæ [c]. Si quæ aliæ nomine eodem vocatæ reperiuntur, vt Cæsarea Cappadociæ, certè de duabus illis duntaxat in Scripturis mentio reperitur, & quidem noui solùm Testamenti, quamuis Cæsaream Cappadociæ intelligant quidã esse, de qua in capite XVIII. huius libri [d]. Conueniunt omnes, huius Philippi patriam fuisse Cæsaream Palæstinæ, quò fit, vt non sit idem cum Apostolo, qui erat à Bethsaida ciuitate Andreæ, & Petri [e], qua de re aliquid etiã attigimus in isto capite, & in sexto, ac primo.

De Philippo Diacono nihil aliud extat in Scriptura, nisi huius libri capite vigesimoprimo [f], vbi vocatur Euangelista, & vnus ex septem, atque habuisse scribitur quatuor filias virgines prophetantes. Meminit Hieronymus [g], tanquàm de primitiis virginitatis, de his quatuor filiabus. Polycrates apud eundem Hieronymum tradidit [h], Philippo Apostolo, vni de duodecim, fuisse tres filias virgines, quæ obdormierunt Hierapoli, vbi & pater ipsarum, quartam aliam, quæ Ephesi. In catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum recẽsens Philippum inter alios Apostolos, sepultum memorat cum filiabus Hierapoli. Idem dicit Isidorus [i]. Eusebius [k] citat eundem auctorem idem dicentem, nempe fuisse Philippum ἕνα τῶν δώδεκα Ἀποστόλων, *ex duodecim Apostolis vnum*; ita vt malè reddiderit Christoforsonus, *vnum è septem Diaconis*, & quod dicit Suffridus Petrus eum legisse εἷς τῶν ἑπτὰ Διακόνων, *vnus ex septem Diaconis*, ex coniectura, non ex manuscripto sit. Nam & Ruffinus [l] vertit, *vnum ex Apostolis, & filias duas, quæ Hierapoli virgines senuerunt, aliámque* SPIRITV *sancto plenam, quæ Ephesi occubuit*, cùm prior ille Interpres duas duntaxat ponat. Rursum Eusebius [m] addit ex Proclo quatuor Diaconi filias prophetissas illas ipsas, de quibus Historia Actuum Apostolicorũ, omnes Hierapoli conditas cum patre, quod item scriptum reliquit Dorotheus [n]. Idem Historicus [o] agens de Papia, qui illas nouit, ab iisque multa accepit, vocat Apostoli filias, iuxta dicti recentioris Interpretis versionem: sed ibi Ruffini versio habet, Euangelistæ. Clemens Alexandrinus [p] ait, Petrum, ac Philippum Apostolos procreasse filios; & hunc filias viris tradidisse.

a Iosf.20. Ant. c.8.
b Hier. suprà.
c Salm. Tom. 1. Prolego. 41. *Aliæ ciuitates hoc nomine non habitae in Scriptura.*
d vers.22.
e Ioan. 1.44.
De hoc Philippo quid legatur.
f vers.8.
g epi.17. & 1. cont. Iouin.
h lib. de Scri. Eccl.
De Philippo Apostolo Hierapoli sepulto.
i lib. de vit. & mor. Sancto. cap.73.
k 3. Hist. ca.25.
l cap.31.
m lib. 3. Hist. cap.26.
n in Synopsi.
o Euseb. 3. Hist. cap.33.
p 3. Strom. c.5.

Inter istas tam varias, seu opiniones, seu dicendi modos, idem prorsus obtinet, quod de filiabus quatuor Philippi Diaconi virginibus, ac Prophetissis à Luca scriptum dixi [q]: Apostolum autem aliquas habuisse (siquidem errore factum est, vt pro Diacono id de ipso affirmetur, aut æquiuocatione, vt eidem Apostoli quoque nomen tribuatur) falsum esse, aut leui iactatum rumore censeo: cùm & Hieronymus [r] nullam haberi certitudinem testetur, Petro excepto, alium ex Apostolis coniugio iunctum fuisse (ita vt Heruetus Clementis scholiastes nimia asseueratione id de Philippo Apostolo certum dixerit) & quicumque de filiabus Philippi meminerunt, si Clementem demas, has asserunt virgines extitisse. Marius Victorius notat, quod ex catalogo Hieronymi recitatum est, non esse ipsius, sed à Græcis adiectum. Eusebij errorem corrigere voluisse videtur Nicephorus [s], etsi admittit simul vtrique Philippo filias fuisse: quæ est quoque sententia B. Antonini [t], qui vult Apostolum duas tantùm habuisse, ac in earum medio sepultum Cæsareę: Diaconum quatuor, sepultúmque Hierapoli: idem tenet Glossa ordinaria in cap. 21. Actuũ, & Hugo Cardinalis.

Minùs ferendi sunt, qui vnum, eundémque Philippum & Apostolum docent fuisse, & Diaconum, vt S. Thomas [u] (qui alibi tamen eos distinxit, quod Sixtus videre potuit, ac debuit [x]) & Abdias [y]. Græci in Menologio V. Idus Octob. seu vndecimo die, Philippum hunc nostrum collocant sub isto elogio: *Philippus Apostolus, vnus è septem Diaconis*. (Sed Apostoli nomen pluribus communicare solet.) Martyrologium Romanum, & alia de eôdem agunt VIII. Idus Iunij, siue sexta die, & dicunt, *Natalem huius esse Cæsarea, qui fuit vnus de septem primis Diaconis, & signis ac prodigiis clarus Samariam conuertit, & Candacis Æthiopum reginæ Eunuchũ baptizauit, ac demùm apud Cæsaream requieuit, & iuxta eum tres filiæ virgines prophetissæ, quarta Ephesi*. In iure Canonico [z] habetur, *quòd Philippus sibi ipsi fecit sepulcrum, in quo ipse & filiæ eius quieuerunt*. Vbi Glossa bene notat húc fuisse Diaconum. De filiabus Philippi Diaconi Magister Historiæ Scholasticæ [a] (vt quidem citat Carthusianus) credit cum Agabo prædixisse vincula Paulo; quod tamen Chrysostomus negat [b]. Ex his filiabus idem Menologium meminit vnam nomine Hermionem, sub Traiano Imperatore grauissima passam, in Domino quieuisse pridie Nonas Septembris.

Aulteri de hoc iudicium.
q Act. 21.8.
r 1. cont. Iou.
s 2. Hist. c.44.
t 1. p. Hist. tit. 6. c. 11.
Duo fuerunt Philippi, vnus Apostolus, alter Diaconus.
u in c.12. Ioã. lect. 4.
x 1. Bibl. anno 207.
y in vita S. Matth.
Elogia huius Philippi.
Alia de eodem Philippo, & filiabus.
z 13. q.2. cap. vnaquæque. §. item in nouo.
a in c.21. Act.
b hom. 45. in Act.



CAPVT NONVM.

SVMMARIVM.

Tria maximè illustria continentur in isto capite: Sauli persecutoris conuersio: Aeneæ paralytici sanitas: Tabithæ mortuæ suscitatio.

1 SAVLVS autem adhuc spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini, accessit ad principem Sacerdotum,
2 Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.
3 Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco: & subitò circumfulsit eum lux de cœlo.
4 Et cadens in terrã audiuit vocẽ dicentem sibi, Saule, Saule, quid me persequeris?
5 Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum IESVS, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare.
6 Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?
7 Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.
8 Surrexit autem Saulus de terrâ, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.
9 Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit.
10 Erat autem quidam Discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine.
11 Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat.
12 (Et vidit virum Ananiam nomine, introëuntem, & imponentem sibi manus vt visum recipiat.)

A 13 Respondit autem Ananias: Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ierusalem:
14 Et hic habet potestatem à principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.
15 Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël.
16 Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.
B 17 Et abiit Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus, dixit: Salue frater, Dominus misit me IESVS, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis SPIRITV sancto.
18 Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquàm squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est.
19 Et cùm accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum Discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.
C 20 Et continuò in synagogis prædicabat IESVM, quoniam hic est Filius DEI.
21 Stupebant autem omnes, qui audiebant, & dicebant: Nónne hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos, qui inuocabant nomen istud: & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes Sacerdotũ?
22 Saulus autem multò magis cõualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est CHRISTVS.
D 23 Cùm autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in vnum Iudæi, vt eum interficerent.
24 Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem & portas die ac nocte, vt eum interficerent.
25 Accipientes autem eum Discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.

26 Cùm autem venisset in Ierusalem,tẽtabat se iũgere Discipulis:& omnes timebant eum, non credentes quòd esset Discipulus.

27 Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos: & narrauit illis quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei,& quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine IESV.

28 Et erat cum illis intrans, & exiens in Ierusalem,& fiducialiter agens in nomine Domini.

29 Loquebatur quoque Gentibus, & disputabat cum Græcis:illi autem quærebãt occidere eum.

30 Quod cùm cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum.

31 Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariã habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini,& consolatione sancti SPIRITVS replebatur.

32 Factum est autem vt Petrus dum pertransiret vniuersos, deueniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ.

33 Inuenit autem ibi hominem quẽdam, nomine Æneam, ab annis octo iacentem in grabato,qui erat paralyticus.

34 Et ait illi Petrus: Ænea,sanat te Dominus IESVS CHRISTVS: surge, & sterne tibi.Et continuò surrexit.

35 Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ,& Saronæ:qui conuersi sunt ad Dominum.

36 In Ioppe autem fuit quædam discipula,nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis,& eleemosynis,quas faciebat.

37 Factum est autem in diebus illis,vt infirmata moreretur. Quam cùm lauissent, posuerunt eam in cœnaculo.

38 Cùm autem propè esset Lydda ad Ioppẽ, Discipuli audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire vsque ad nos.

39 Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cùm aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum:& circumsteterũt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas,& vestes, quas faciebat illis Dorcas.

40 Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit:& conuersus ad corpus,dixit: Tabitha,surge. At illa aperuit oculos suos:& viso Petro, resedit.

41 Dans autem illi manum,erexit eam.Et cùm vocasset Sanctos,&viduas, assignauit eam viuam.

42 Notum autẽ factum est per vniuersam Ioppen:& crediderunt multi in Domino.

A 43 Factum est autem vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium.

Versus I.] Saulus autem adhuc spirans minarum,& cædis in Discipulos Domini, accessit ad principem Sacerdotum.

AVLVS *autem.*] Connexio ista indicat finem capitis septimi, vbi de Saulo lapidantiũ Stephanũ tenente vestes, mentio facta est: necnon persecutionẽ Ecclesiæ, ac dispersionẽ Discipulorum, cuius magna ex parte Saulus fuisse videtur auctor. Obseruatum id est à Magistro Historiæ Scholasticæ, à Glossis,& ab aliis, ita vt contenta capite octauo veluti parenthesi conclusa fuerint. *Hic caput cum 7. capite coniunctum est.*

B *Adhuc.*]Nondũ satur morte Stephani,Ecclesiæ persecutione,& dispersione Discipulorum,atque nonnullorum etiam occisorum,iuxta quorundam sententiam,vt dixi capite octauo [a]. Zelus illum, & æmulatio legis exstimulabat, vt ipse de se posteà testificatus est [b]:nonnihil etiam gloria inanis: etsi negat id de illo Chrysostomus [c], eò quòd in

C exteras ciuitates abibat, arbitratus obsequium se præstare DEO,& mulieribus non parcẽs,quę gloriæ ipsius,vt viri, non oberant: quædam item, vt anteà notaui, aduersùs Stephanum inuidia. Idem Chrysostomus [d] obseruat particulam,ἔτι,pro qua nos habemus,*adhuc*, significare *prætereà*, & denotare hominem, qui anteà mala multa operatus est:& *quòd adhuc ferocientem, adhuc insanientem, adhuc in vigore furoris existentem, adhuc cæde feruentem* attraxit CHRISTVS, *non expectans,vt expleret furorem,vt ostenderet morbum, vt extingueret flammas af-*

D *fectionum, & fatigatus debacchando mansuesceret, & tunc tandem eum traheret,sed dum vigeret furor, ipsum cepit,vt ostenderet potentiam suam,vincens, & superãs persecutorem in media insania. Sic enim medicum maximè admiramur,quando febrem, cùm infestior,& flammam morbi,cùm vehementior est,extinguere,& penitus abolere potest.*

a vers.1.
Paulus an gloria cupiditate excitatus hanc persecutionem sit molitus.
b Act. 22. 3. Gal.1.14.
c Hic.&hom. de feren. reprehens.
d Hom.de feren.reprehẽs. seu de cõuer. Pauli., & ho. 9. de laudib. Pauli.
Pauli conuersio quàm sit admirabilis.

Spirans.] Ἐμπνέων.Syrus sic legit, עד כיל מלא הוא *hhad chil mele hauа*, id est, *Adhuc plenus erat.* Eôdem sensus redit;& fortasse legit,ἐμπλέως, aut ἐμπλέων, quod significat *innatans*,seu *fluitans.* Sed melior nostra versio: & est eadem phrasis in historia Machabæorum [e] de Antiocho, *ignem spirans animo in Iudæos.* Quo etiam modo Latini optimi Auctores dicunt, *ira spirare sanguinem* [f], *amores spirare* [g],& Græci, θυμὸν πνεῖν,ἄρεα,δίκας [h], id est, *spirare furorem, Martem, vltionem,&c. Erat adhuc spi-*

E *rans*,inquit Augustinus [i], *quasi pulmone inflato, nec purgato,id est,superbus, & nondum hyssopo,quæ pulmonem purgat, aspersus.*

Minarum.]Græcismus est,Latinè dicẽdum erat, *minas*,&c.Quamuis participia coniuncta gignendi casibus non rarò reperiantur apud bonos Auctores linguæ Latinæ, vt *appetens otij, vindictæ*,&c. Has minas Glossa interlinearis, & Lyranus exponunt de verbis;Beda, & Glossa ordinaria referunt ad absentes; Hugo amplectitur vtrumque. Non erant sine blasphemiis, & contumeliis minæ, *qui priùs*,inquit Paulus [k], *blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.*

e 2.Mach.9.7
f Seneca.
g Horat.
h Auctor Thesaur. Græci.
i in Psal.50.
k 1.Tim.1.13.

Cædis

Paulus ardebat Christianorum cade.

Cadis.] φόνε. Vnde apparet inané esse Glossæ ordinariæ dubitationem , vtrùm occideret,aut flagellaret , an vtrumque faceret ; ex his verò Lyranum,id quod peius est,elegisse, dum intellexit de verberibus,& flagellis. Nam φόνος interfectio est: interfecti erant,vt dixi, præter Stephanum,etiam alij , & alios Saulus designabat ad cædem. *Hanc viam,* inquit ipsemet , *persecutus sum vsque ad mortem* [a]*:& cùm occiderentur,detuli sententiam* [b]. Magna paronomasia est φθόνε, καὶ φόνε, inuidiæ,& cædis, vt non sit mirum, si sumpserit armaturam zelus, ac liuor Sauli,& ad cædem eruperit.Quod ius Iudæi sub Romanis habuerint in extremis suppliciis,& morte inferenda,vidimus alibi [c]. Vtinam tam esset ardens in Christianis vindicandæ zelus religionis,quàm erat in Saulo,quàm est in Turcis, Iudæis,Hæreticis,Infidelibus.

a Act.22.4.
b infrà 26.10.
c cap.4.1.

Paulus à quibus saeuiendi potestatem acceperit.

Accessit ad principem Sacerdotum.] Ananias paulò pòst nominat in numero multitudinis *principes Sacerdotum* [d] , à quibus potestatem Saulus accepisset alligandi fideles. Ille ipse cum principe Sacerdotum meminit de omnibus maioribus natu [e];à quibus epistolas acceperit , & de principibus Sacerdotum , à quibus potestatem multos Sanctorum in carceribus includendi [f] habuerit. Princeps Sacerdotum Annas fuit,vel alius:qui expleto anno Annæ successerit , prout olim docuimus [g].

d vers.14.
e Act.22.5.
f Act.26.10.
g cap.4.6.

Versus 2.] Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas , vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres , vinctos perduceret in Ierusalem.

ET *petiit ab eo epistolas.*] Cómendatitias scilicet, & authenticas ad Archisynagogos , aliósque Iudæorum Magistratus , necnon etiam ad politicos Gentiles,vt paulò pòst dicemus. Cyrillus Ierosolymitanus [h] exaggerans Pauli ex persecutore Apostoli testimonium,vt minimè suspectum , vel dubium , considerat plures eum,quàm alios, epistolas scripsisse. *Miratus sũ certè,* inquit,*sancti* SPIRITVS *dispensationem,quòd aliorum quidem epistolas paruo numero circumscripsit , Pauli autem antea sui persecutoris , quatuordecim esse concessit. Non enim eò quod minor esset Petrus, aut Ioannes,præcidit gratiam, absit : sed quòd dubia non esset doctrina illius,qui antea esset inimicus,& persecutor,plura concessit illum scribere, vt omnes nobis sic faciliùs persuadeamus.* Quid si tot epistolis compensare voluit immoderatum illud studium tam multas epistolas Pontificis contra Christianos colligendi , ac deferendi ad diuersas prouincias,& Synagogas?Quanquàm dissimulandum non est , in editione Syra singularem poni epistolam hoc loco אגרתא *igartha* , non multas plurali numero : & constat Græcè ac Latinè pluraliter epistolas pro vnica dici. *Valdè me momorderunt epistolæ tuæ* , ait Cicero [i] , *de Attica nostra,eadem tamen sanauerunt.*

h Catech.10. *Cur Paulus plures quã alij scripserit epistolas.*
i lib.12.epl.ad Attic.ep.12.

In Damascum.] Paulus ipse sic de se loquitur [k]: *Et ampliùs insaniens in eos,persequebar vsque in exteras ciuitates:in quibus dum irem Damascum cum potestate, & permissu principum Sacerdotum,&c.* vbi significat sibi in animo fuisse plures adire ciuitates. Glossa interlinearis putat in proximis iam ciuitatibus exercuisse persecutionem. Vel certè à Damasco exorsus est,quæ *Syria* (eius, quæ Syria etiam Damasci cognominata est) *caput est* [l] , & nobilissima ciuitas ac peramœna in latere montis Libani, distans ab Ierusalem quinque mansionibus duntaxat,non duódecim dierũ, vt voluit Raulinus [m],& Salmeron [n], itinere. Putat Abulensis nomen vrbi impositum à Damasco famulo Eliezer [o], & prior eo id Hieronymus [p] sensit : qui [q] etiam asserens etymologiam, vt *sit quasi sanguinem bibens*, ait ita dictam , eò quòd Abel iustus à Cain fuerit ibi extinctus [r].

k Act.26.11.12.
l Esa.7.8.
Damascus vnde dicta sit. m Serm.1.de conuers. S. Pauli.
n Tom.1.Ps. leg.41.
o Gen.15.2.
p ibidem.
q in c.27.Ezechielis *transla. de dicta sit.*
r Gen.4.8.

Ostenditur ibi nunc locus ille, & opinio est, Adamum de paradiso eiectum, illas partes cum filiis inhabitasse,& ex campi Damasceni terra siue puluisculo formatum. *Hæc si vera traditio est,inclitè*, inquit Hieronymus , *& Paulus post interfectionem Stephani,primi in* CHRISTO *martyris,perrexit Damascum, vt credentes in* CHRISTO *vinctos duceret Ierusalem.* Idem Hieronymus in Zachariam [s] aliam notionem tradit,id est, *Sanguis cilicij*, siue *sacci*, *Vt prior*,inquit,*interpretatio,cruentum populum significet; secunda, crudelitati eius pœnitentiam copulatam.* Iosephus [t] inditum ait id nomen ab Vr filio Aram filio Sem. Stephanus in libro de Vrbibus à filio Mercurij homonymo, siue eiusdem nominis, qui ex Arcadia colonos illuc traduxerat Iustinus [u] historicus, à rege Damasco. Tertullianus [x] docet quòd retrò,id est,priùs, Arabiæ deputabatur, antequàm transcripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum, quæ ad verbum ferè dixerat anteà Iustinus martyr [y]. Hic præterea auctor est [z], alios in alias quoque regiones esse missos à principibus Sacerdotum ad vexandã,infamandámque dispersam Ecclesiam tanquàm impiam, & ἄθεον: quod verisimile est eodem ferè factum tempore, quo Saulus huius forsan primus auctor cõsilij missus est. Hoc ipso tẽpore, vt apparet ex his quæ de seipso idem Paulus [a] ad Corinthios scribens narrat, Damasci rex Aretas erat, inter quem, Herodémque cùm grauia odia intercederent,ac bella, Iosepho [b] teste, necdum pace constituta vigerent, mirum est,tantum sibi summum Pontificem iuris vindicasse apud regem Aretam in his, quæ ad religionem spectabant, vt literas daret ad Synagogas,vt quod summi videbatur imperij,vincti inde Ierosolymam perducerentur, qui ex Iudæis crederent in CHRISTVM. Non tanta pollet hodiè vbique auctoritate, apud Christianos etiam Principes, Christiana religio, regaléque apud nominis Christiani Reges sacerdotium, quanta tunc apud idololatras,externos,hostes, Iudæorum pollebat cultus. Mihi fit verisimile, ex pacto, atque condicto ab Areta rege factam Pontifici in Iudæos potestatem agentes in ipsius ditione,vt capi possent,siquidem iuri gentium aduersatur, vt aliter fiat, & non sit tutum perfugium atque immunitas egressis alium in locum extra ditionem proprij Principis.

s cap.9.
t 1.Antiqu. c.14.
u lib.36.
x lib. contra Iudæ. c. 9. & 1.con. Mar. c. 13.
Iudæi alij ad alias regiones missi sunt, ad vexandam Ecclesiam.
y in Tryphonem.
z de veritate Christ. religio.
a 2.Cor.11.32.
b 18.Antiq.7. *Pontifex Iudæorum quomodo tantam authoritatẽ habuit, vt posset Christianos Damasci degentes in vincula conicere.*

Damascus aliquando pro Diabolo mysticè exponitur,vt Canticorũ septimo [c],à Gregorio, & S. Thoma:vel ibidem à Theodoreto pro Hæreticis, vel pro Gentilibus,corúmque vocatione,vt Esaiæ octauo [d],ab eodem Theodoreto, & Procopio, & à Tertulliano [e],Iustino [f],Athanasio [g],Epiphanio [h], Chrysostomo [i],Ambrosio [k];etsi Hieronymus [l] intelligit de sapientia seculari : qui prætereà cum Theodoreto etiam, & Glossa de Gentium vocatione accipit Zachariæ verba [m]:*Onus verbi Domini in terra Hadrach,& Damasci requiei eius. Onus enim fuisse* ait,*quia doluerunt , quòd eius ciues converterentur ad Fidem*,quod accidisse,cùm Saulus ibi prædicauit,posteà videbimus.

Damascus mysticè quid significet.
c vers.4.
d vers.4.
e li. cont. Iudæ.c.9.
f in Tryph.
g lib. de Incarnat.
h lib.3. compen.Fidei.
i in c.2.Matthæi.
k Serm.21.in Psal.118.
l in Esaiam
m cap.9.1.

Ad Synagogas.] Synagoga quid sit, lege caput

sextum [a]:

a vers. 9. sextum [a]: cùm autem plurali numero hîc innuantur, argumento est, aut eàdem in vrbe Damasci plures fuisse, aut in principe illa vrbe fuisse principem inter Iudæos, qui pro imperio aliorum locorũ Synagogas subiectas suæ ciuitati velut metropoli administraret, ad quem proinde à summo Pontifice deferendæ essent epistolæ.

Si quos.] *Propter paucitatem Discipulorum*, Glossa interlinearis; *etsi enim aliquot millia erant, attamen multifariàm dispersi, non multa in eodem loco occupabant.*

Huius viæ.] De nomine isto attigi nonnihil capite secundo [b]. Chrysostomus, & Oecumenius viam explicant tum fidem, & doctrinam, quæ ad regnum cœlorum sola perducit; tum simpliciùs cõuersationem, seu vitæ institutum, iuxta CHRISTI voluntatem, & leges: tum SPIRITVM sanctum esse auctorem quodammodò solum: tum contemptim id Oecumenius dictum arbitratur: siquidem obscurum atque ignobilem solent appellare *hominem è via, seu è triuio.* Non credo vltimam acceptionem Saulo venisse in mentem, qui eodem nomine vtitur iam Paulus factus, pro via, quam aliquando insectatus tũc sectabatur [c]: multò minùs id de Luca suspicandum est, si eius velimus hæc verba esse. Neque verò firmum est illud discrimen, quod quidam [d] ponunt inter viam, & vias, vt via in singulari significet vitæ actionem ac institutum, in plurali opera, & peculiares actiones, cùm in Psalmo dicatur [e]: *Exultauit vt gigas ad currendam viam*, id est, ad peragenda opera sibi demandata: in Iob [f]; *Ipse est principium viarum* (id est, operum) DEI: & in Prouerbiis [g]; *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Eodem modo vt in Psalmo alio habetur [h]: *Vniuersæ viæ* (id est, opera) *Domini misericordia, & veritas.* Ita in numero vnius [i]: DEVS *in Sancto* (vel tabernaculo, vel arca, vbi virga, manna, legis tabulæ, operum diuinorum signa) *via tua*, id est, operum, agendíque ratio, *tu es* DEVS, *qui facis mirabilia.* Verum est, quòd sæpe verbum ambulandi ponitur pro operari, vt *cum* DEO, *coram* DEO, *post* DEVM, *in viis* DEI, *in præceptis legéque* DEI, *in nomine Domini, &c.* Denique Paulus, vt antè dicebam, *vias Domini* vocat [k] doctrinam, ac viuendi rationem.

b vers. 28. Via hoc loco quid sit.

Via blasphemum pro non familiari.

c Act. 22. 10.

d Ribera Os. 4. num. 19. Via & vias singulari & in plurali opera significant.

e Psalm. 18. 6.

f cap. 40. 14.

g cap. 8. 22.

h Psal. 24. 10.

i Psal. 76. 14.

k Act. 22. 10.

Viros & mulieres.] Illos non metuens, nec misericordia motus erga istas.

Vinctos perduceret in Ierusalem.] *Non petiit potestatem eos ibi puniendi sed adducendi Ierosolymam*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius, *quod hoc maiori auctoritate fieri vellet.* Verisimile est bona satellitum manu comitatum discessisse ex Ierusalem, & mandata Damascum, alióque detulisse ad Iudæorum Magistratus, vel etiam Gentilium, vt, si opus esset, plurium subsidium præstarent. Saulus narrat [l] de epistolis ad fratres, hoc est, ad Iudæos, sed his fortasse scribebatur, vt opem implorarent ciuilium Principum, si necessaria videretur.

Non solum Paulus sed multi cum eo Damascum potuerunt.

l Act. 22. 5.

Quòd Saulo datum sit hoc negotium, non efficit, vt is genere illustris fuerit: solent enim huiusmodi plerumque negotia committi acribus, peritis, zelo plenis hominibus. Ipsemet in hac historia [m] vocatur *scenofactoria opifex*, & Chrysostomus vocare solet *coriarium, sutorémque pellium, inopem, abiectum, obscurum, sicut reliquos Apostolos* [n]. Pharisæus erat, sed ex ordine isto non magis nobiles erant sanguine, quàm ingenio, Gamalielis auditor summi nominis; at studus operam dant etiam mediocres. Cùm autem ait de se [o]: *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis*; intelligit de his, quæ

Paulus an fuerit nobili genere natus.

m cap. 18. 3.

n vt homil. 4. de laudibus Pauli, & hom. 4. in 2. ad Timo. & ho. 3. in 1. ad Cor.

o Philip. 3. 4. Paulus Pharisæus erat, & admodum nobilis.

A inter Iudæos, & Iudaizantes sese cum Gentilibus comparantes magni fiebant: subdit enim [p] *se octaua die circumcisum fuisse, ex genere Israel, de tribu Beniamin, ex Hebræis Hebræum, secundum legem Pharisæum, secundum æmulationem persecutum Ecclesiam* DEI, *secundum iustitiam, quæ in lege est, conuersatum sine querela.* Et tribus quidem Benjamin nominatim meminit, quia probatissima erat, nec vnquàm à cultu veri DEI recesserat, seque tempore separationis tribui Iuda coniunxerat [q], & bellica virtute pollebat [r]. Ait præterea *se secundùm legem Pharisæum*, hoc est, secundùm legis tractationem; quæ tractatio videtur omnium exactissima, atque, vt idem alibi loquitur [s], certissima secta, siue exquisitissima, non in legis duntaxat intelligentia, ve-

p vers. 5. 6.

Tribus Beniamin laudes.

q 3. Reg. 12.

r Iudic. vlt.

s Act. 26. 5.

B rùm etiam exercitio, & custodia. Vltimum quod dicit eò spectat, vt se nunquàm fuisse affirmet sub vlla iudiciorum legalium querela, nec vnquàm reum factum.

Sensit Augustinus [t] quidem propter citatum locum fuisse Paulum nobilem, præsertim verò id probat ex voce Pharisæi, quam putat dici de primario, & separato velutì à ceterorum grege, quem vocamus egregium. Distinctione finiri res potest de nobilitate Romana, & Iudaica. Primæ non officiebat opificium, erat enim & Mariæ sponsus faber; attamen de Regia tribu, familiáque Dauid: de tribu quoque Benjamin rex omnium primus

Paulus fuit ne nobilis, & quomodo de hoc verum esse possit.

t Serm. 15. de verbis Apostoli.

C apud Iudæos Saül fuerat: denique Sacerdotium nobilitatem Iudæis dabat præter tribum atque familiam: doctrina etiam legis, quæ Scribas, & Pharisæos nobilitabat. Secus accidebat in republ. Romana, vbi Romulus, teste Dionysio Halicarnassæo [u], nec opifices ad ciuilitatem admittebat in initio præter agricolas, & milites. Numa id posteà abrogauit, & ex publicanis [x], institoribus [y], carbonariis [z], elati sunt aliqui ad Consularem dignitatem. Igitur Paulus vtroque iure nobilis fuit. Sed si æstimes ex opibus, potentia, honoribus, nobilitatem, more Romanorum, donec altiùs eueheretur, censebatur ignobilis.

Nobilitas Romanorum in quo posita.

u libr. 2. & 6.

x Pub. Rupil.

y Terentius Varro.

z M. Scaurus.

D *Versus 3.*] Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco: & subitò circumfulsit eum lux de cœlo.

ET *cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco.*] *Nec Ierosolymis, nec Damasci hoc accidit, ne aliis liceret rem alio modo narrare*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius, *sed ipsimet, cui acciderat, fides narranti adhiberetur*, necnon satellitibus, & comitibus, qui in Iudaismo perseuerantes, ac testimonium edentes gestæ rei, minimè suspecti haberentur: in ciuitatibus illis magis acuti, & callidi risissent, ac præstigias fortasse inclamassent, vt qui audita diuina super CHRISTVM voce, tonitruũ

Cur hæc visio Paulo in via acciderit.

E esse dictitarunt [a]. *Prohibendus erat, cùm appropinquaret ciuitati*, inquit Glossa interlinearis, *nimirum ne si anteà resiliret Saulus, neque Damasci conuersionis ipsius miraculum, ac prouentus appareret.*

a Ioan. 12. 29.

Subitò circumfulsit eum lux de cœlo.] Addit in sua narratione Saulus temporis circunstantiam, quæ auget miraculum, & lucem magis describit [b]: *Appropinquante me*, inquit, *Damasco, media die, subitò de cœlo circumfulsit me lux copiosa.* Et rursum [c]: *Die media in via vidi, rex, de cœlo supra splendorem Solis circumfulsisse me lumen, & eos, qui mecum simul erant: subitanea lux fuit, vt in coruscatione, & fulgure*, inquit Lyranus: *lux, sicut Apostolis in Pentecoste ignis apparuit* [d], ait idem Auctor. Ephrem [e] dicit hanc im-

b Act. 22. 6. Quo tempore deciderit.

c Act. 26. 13.

d Act. 2. 2.

e Tom. 3. Encô. in omnes sanctos Martyres.

mensam

a Thom. Bozius lib. 14. de Notis Eccles. cap. 9. *De luce quæ circumfulsit Paulum.*

mensam lucem fuisse in nube lucida. Quidam [a] in modum globi, inde colligentes ibi CHRISTVM præsentem extitisse, alioqui, si è cœlo, seu è loco, aëréve superiore continuata fuisset, non propriè Paulum circumdedisset, eámque etiam alij vidissent. Nil ista concludunt, & constat ab aliis lucem visam esse [b].

b Act. 22. 9.

Hora meridiana qua acciderunt. c Gen. 1. 3. d 2. Cor. 4. 6. e Gen. 3. 8. f Ioan. 4. 6. g infrà 9. 4. h Matth. 25. i Ioan. 9. 4. k Psal. 103. 23. *Lux non fuit gratia infusa, sed præparatoria ad gratiam.* l 2. dist. 28. q. vnic. a. 4. ad 3. m Psal. 42. 3.

Oportet primam in creatione microcosmi lucem esse, quæ prima facta est in creatione magni mundi [c]. DEVS, inquit Apostolus [d], *qui dixit de tenebris lumẽ splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris. In meridie cubat sponsus, & in cruce* CHRISTVS *obdormit.* Deambulabat eodem tempore ad auram [e] DEVS vocaturus Adam ad pœnitentiam: & hora sexta, id est, meridiana fuit, quando Samaritana

B

cum MESSIA collocuta est [f]: *Veniet nox, cum non licebit operari* [g]: & media nocte virgines vocantur ad nuptiarum locum [h]: *dum dies est, operandum* [i], *ortóque Sole exeundum ad opus, & ad operationem vsque ad vesperam* [k]. Occasio fuit ista, vt se Saulus præpararet ad gratiam iustificantem, non fuit gratia intùs infusa, vt bene docet B. Thomas [l]. Ceterùm discuti ante omnia à peccatoris intellectu tenebras, vt conuertatur, oportet; & *emitti lucem, ac veritatem, quæ deducant, ac adducant* [m]; *atque veritatis scuto circumdari contra Principem tenebrarum, à quo captiuus tenetur, vt Apostolus ait* [n], *ad ipsius voluntatem. Ambulabunt enim vt cæci qui Domino peccauerunt* [o], *lux circumfulget exterius*, inquit Petrus Blesensis [p], *ei qui interioribus ignorantiæ tenebris obducitur; illustrat diuina dignatio pietatis*, inquit Bernardus [q], vel à foris intus adhuc luminis incapacem: qui necdum infundi poterat, diuina saltem circumfunditur claritate. Chrysostomus [r] ideò præmissam lucem voci dicit, *vt compresso ita furore ipsius, menteque serenata, vocem attentius perciperet.* Ambrosius [s], *Tanquàm lupum nocturnis tenebris oberrantem, effusa luce cæcatum.* Hugo [t] existimat, lucem illam externam, vel fuisse lucem Solis subitò aërem liquidum illustrantis in morem fulguris, atque coruscationis absque densiore vlla materia ab ipso repercussa; vel lucem quãdam ex CHRISTI præsentia, quasi eiaculatam à corpore ipsius glorioso, vel ab Angelo allatam, qui ad Saulum fit missus. Primo & secundo modo interuenit miraculum; illuminatio siquidem à Sole naturaliter facta non est: visio gloriosæ claritatis superat vires oculi mortalis. En Heliodorum alterum [u]; dum ærarium templi, immò templa ipsa Domini expilare, diruere nititur, deiicitur, flagellatur, obmutescit, deportatur, non Oniæ precibus, qui Pontifex erat Aaronicus, sed meritis, & gratia CHRISTI, summi secundùm ordinem Melchisedech Sacerdotis [x], & Leuitæ Stephani precibus, vita ei condonatur. Ecce tibi maledicturus populo DEI Balaam [y], verberata corporis asina resilire compellitur.

n 2. Tim. 2. 26. o Soph. 1. 17. p Tract. de cõuers. S. Pauli. q Ser. 1. de cõuers. S. Pauli. r hom. de ferendis reprehens. s li. de bened. Patriarcha. c. vlt. t hoc loco. *Quid fuerit illa lux physicè.* *Heliodoro similis fit Paulus.* u 2. Mach. 3. 25. 26. 27. x Psal. 109. 4. Heb. 7. 17. *Rursus cum Balaam comparatur.* y Num. 22. 23.

C

D

Paulus cur abortiuũ se dixerit. z 1. Cor. 15. 8. a Lect. 1. in 1. Cor. 15.

Meritò seipsum appellauit *abortiuum* [z], quoniam natus tempore alieno, quando etiam abierat CHRISTVS, & CHRISTI persequebatur Ecclesiam; & quidem natus cum quadam violentia, vt notat S. Thomas [a]: & quia ipsiusmet opinione qui se minimum nominabat, non peruenerat ad debitam perfectionis quantitatem, vel contrà, quia per gratiam DEI mox euasit vir ætatis plenæ, non per interualla temporis, quemadmodum ceteri Apostoli. Adde quòd ortu suo mortem matri Synagogæ intulit: & nascente Benjamin (quod Paulo nomen tribui solet) mater periit; quæ propter doloré בנאוני *Benhboni*, id est, *filium*

A

doloris, illum nominauerat [b]. Prætereà eidem conuenit eadem appellatio, vt eum significet, qui in ipso matris vtero extinguitur, quia in medio Synagogæ affirmans IESVM esse MESSIAM in lege promissum, eidem Synagogę mortuus est [c]. Adhæc acutè Anselmus ea voce ait innuisse Apostolum suam cæcitatem, & luminis amissionem, de qua paulò pòst, vt solent qui non debito nascuntur tempore, semimortui, & cæci nasci. Quanquàm abortiuus quoque dici potuit, quasi supernumerarius, hoc est, super numerum aliorum Apostolorum: ea ratione qua Suetonius scribit [d] *illos Senatores abortiuos appellatos, qui supra numerum per gratiam in Senatu essent adlecti*: atque eodem pacto Barnabas dici potest abortiuus, nec eo tamen sensu, quem voluit Suetonius, de deformibus indignisque.

Quomodo filius mortis Benjamin. b Gen. 35. c in 1. Cor. 15. d in August. cap. 1. *Abortiui Senatores qui dicti.*

Versus 4.] Et cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?

Casus Pauli quæ causa fuerit. e Psal. 17. 15. f cap. 22. 6. & seq. c. 26. 13. & seq. *Voce simul quæ casus fuit confectus.* g Iosu. 6. 20. h Ioan. 18. 6. i Psal. 28. 5. k Beda Histo. Anglo. c. 20. l Hist. Simonis Mõtisfortij auctis.

ET *cadens in terram.*] Casus hic tribuendus videtur copiosæ luci, ac veluti fulguranti: *fulgura námque multiplicauit* DEVS, inquit Dauid [e], *& conturbauit eos.* Liquefecit hoc fulgur durum ceu in vagina corporis gladium animi, vaginam ipsam corporis non consumpsit. Id quidem Paulus ipse, cùm rẽ ipsam narrat, satis innuit [f], & suadet ratio illa Chrysostomi, de qua dixi, cur vocem lux præcesserit. Si enim vox ipsa deiecisset, vt muros Hierichuntinos tubæ ac voces humanæ percrepantes [g], vt cohorté in horto Oliuetano verba CHRISTI [h]: vt Domini vox cedros Libani [i], vt Britannos hæreticos iussu Germani decantatum halleluia [k]: vt Albigenses illud ex Hymno, *Hostem repellas longiùs* [l], *&c.* vt Hungaros conclamatum à Saxonibus *Kyrie eleison*: non ita commodè exaudita esset. Eodem tamen loco Chrysostomus prostratum voce Paulum ait, comparans cum illis, quos CHRISTVS verbis his strauit, *Quem quæritis?* quique, vt nunc Saulus, vincula parata habebant, & persequebantur CHRISTVM. *Cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus*, ait cum epiphonemate Iob [m], *quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* ipsa superliminaria cardinum à *voce clamantium Seraphim commota sunt* [n], quidni homines, *qui vt folium sunt* [o], cadant? Reuerà *à fortitudine manus, ac potentiæ Domini defecit in increpationibus*, inquit Ambrosius [p]. In sua narratione ad Agrippam regem comites secum omnes decidisse in terram Paulus commemorat [q]. Moses Barcepha [r] comparans verba CHRISTI cum verbis DEI, *Adam vbi es?* docet quemadmodum illa lenem continebant sententiam, & inuitabant ad pœnitentiam, & vt pro se aliquid responderet, si

m cap. 26. 14. n Esa. 6. 4. o cap. 64. 6. p in Psal. 38. q Act. 26. 14. r de parad. p. 1.

E

posset: ita nunc CHRISTVM ad sermonem excusationémque prouocauisse.

Varij vocationis modi. s Dan. 4. 30. t Esa. 28. 19. u Psal. 118. 71. x Psal. 15. 4. y Psal. 77. 34. z Psal. 76. 3. a Psal. 82. 17. b 2. Corin. 12. 10.

Non eundem seruat DEVS vocationis modum, quosdam quasi per vim vocat, vt Nabuchodonozorem illum ad feras amandatum [s], & prono corpore abiectum, vt eo casu ad modestiam reuocaretur, meminissetque se hominis indignum consortio, qui se supra hominem efferebat. *Vexatio dat intellectum* [t]; & [u], *Bonum est humiliari, vt discamus iustificationes* DEI; & [x], *Dum multiplicantur infirmitates, acceleramus ad* DEVM; & [y], *Cùm occidimur, quærimus, & reuertimur ad eum*; & [z], *In die tribulationis* DEVM *exquirimus*: & [a], *Dum implentur facies ignominia, quærimus nomen ipsius*; & [b], *Dum infir-*

mamur,

mamur, tunc potentes sumus; & [a], *Castigatus à* DEO, *eruditur quasi iuuenculus indomitus. Auditu*[b] *aurium audiui te, nunc autem*, voce tua cùm sim iam percussus, *oculus meus videt te* (agnoscens quem despiciebam) *idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.*

Gregorius [c] vult cecidisse Saulum in faciem suam, & hoc proprium esse eorum, qui suas in hac vita culpas agnoscunt, & pœnitendo deflent: cùm reprobi retrò cadere dicantur, quia repentè ex hac vita decedunt, ignorantes ac non videntes, ad quæ supplicia ducantur. Eadem est Hieronymi [d] annotatio, qui confirmat exemplo Heli [e]. Equidem retrogradum gradum de impiis, seu in genere de peccatoribus, vel de reprobis intelligi non diffiteor [f], quo casu narrantur etiam corruisse, qui CHRISTVM comprehẽsuri aduenerant [g], non tamen etiam concedendum esse puto Sauli comites, qui cum eo cadentes, eodem modo videntur cecidisse, de numero fuisse prædestinatorum: & quòd Saulus ita, hoc est, in faciem ceciderit, historiæ nostræ textus non exprimit. Præterea reperio Goliam, impium proculdubiò, ac reprobum morientem cecidisse in faciem suam [h].

Cecidit itaque Saulus visione tantæ lucis perterritus, ac penè exanimatus, sicut Daniel [i], sicut tres in Transfiguratione Discipuli [k]: quorum casum de adoratione (quam sæpius eo corporis habitu fieri negandum non est, depressa, quæ recta est hominis statura, velut dominantis inter animalia) ineptè quidam Caluinistæ [l] exponunt. Cecidit, & horrore animi turbatus est, sicut MARIA audiens Angelum turbata est [m], & Abraham in occasu excessum passus est [n]. *Et quando venit gratia* DEI *super propheticam mentem, subitò irruit, & incumbere atque cadere super Prophetas* SPIRITVM *sanctum legimus*, inquit Ambrosius [o]. Pictores labentem equo Saulum nobis exhibent. Id æqua Poëta nescio quis audendi potestate reprehendit, immò maiore, dicens:

Mentitur pictor Paulum qui pinxit equestrem,
Cum clarè constet, quod fuit ille pedes.

Sed vnde constat? Dicet, quia sine miraculo ex lapsu vitare corporis afflictionem, & effractionem nequiuisset: quia lapsum comites trahebant ad manus. Nihil hæc efficiunt, & ipsimet comites deciderunt [p]. Quorsum verò tam festinus, cumque tanta persecutor auctoritate, septus etiam satellitio, pedibus longum satis iter conficere potuisset, vel debuisset?

Audiuit vocem dicentem sibi.] *Hebraica lingua*, vt ipsemet narrat Agrippæ [q], ea nimirum lingua, quæ vernacula Iudæis erat, licèt aliquantulùm corrupta post reditum ex Babylonica captiuitate, vt proinde non purè Hebræa, sed potiùs Syriaca, vel Syrochaldaica dici debuerit: tametsi etiam vulgò Hebrææ nomen retineret [r], & quod à Matthæo scriptum Euangelium Hebraicè fertur, & à Paulo epistola ad Hebræos, (etsi de hac non ita, vt de illo constat) nonnisi dicta intelligibili, communique toti genti lingua compositum videatur. Lege Salmeronem [f], vbi de Matthæi præsertim Euangelio multis id probat.

Vocis lucisque duplex testimonium præsentiæ diuinæ esse solet, vt in Sina [t], in Tabernaculo [u], in Baptismo CHRISTI [x], in Transfiguratione eiusdem [y]. *Credibilia sunt hac testimonia nimis, nec dubitare est*, inquit Bernardus [z], *de veritate, qua sese ingerit per vtrasque oculorum scilicet, auriumq; fenestras. Vox de cœlo*, hoc est, *de loco superiori, Saulo allata est, vt ostenderetur prædicationem, quæ ipsi committebatur, esse cœlestem*, inquit Isidorus Pelusiota [a].

Saule, Saule.] Hebraicè dixit, שאול שאול *Saul, Saul*, quo etiam pacto Græcus habet textus, Σαοὺλ, Σαοὺλ, licèt extremo septimo capite, seu ad initiũ octaui Σαῦλος, & in principio istius, atque deinceps, nisi cùm adhuc recitantur verba CHRISTI suum istum persecutorem compellantis [b]. Expressio, & quidem geminata nominis magnam vim habet. Ostendit probè cognitum à CHRISTO Saulum, intùs, vt dicitur, & in cute: indicat affectum commiserationis, & diligentis vocationis: vt cùm etiam CHRISTVS dicebat: *Hierusalem, Hierusale, quæ occidis Prophetas* [c], *Martha, Martha, sollicita es* [d], *Simon, Simon, Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum* [e]. Nescio an vllus reperiatur in Scriptura proprio nomine à DEO, siue CHRISTO vocatus, qui non vel ex prædestinatis sit, vel circa quem, saltem, cùm nominaretur, amoris, & beneuolentiæ signum non ostenderetur, vt cùm proditori CHRISTVS dixit: *Iuda, osculo Filium hominis tradis* [f]? Alius enim Euãgelista refert amicum appellatum [g].

Quid me persequeris?] Crimen obiicit non tam arguendo, quàm defendendo, vt quondã DEVS [h]: *Popule meus, quid feci tibi, vel in quo contristaui te?* vt dominus famulum plurimorum reum criminum manu comprehensum & vinctum alloquitur: *Quid tibi vis faciam nunc? ecce venisti sub manus meas: quò recidit furor tuus, insania, zelus intempestiuus? vbi vincula, circumcursationes tuæ?* Hæc ferè Chrysostomus [i]. Similis siue exprobratio, siue defensio CHRISTI dum viueret, fuit: *Multa bona opera ostendi vobis ex* PATRE *meo, propter quod horum vultis me occidere* [k]?

Fortis, ingenuáque Polycarpi ad conuitiandum CHRISTO sollicitati, vt mortẽ euaderet, responsio: *Octoginta sex annis illi iam inseruiui, & nullo me hactenus affecit incommodo: quomodo igitur Regẽ meum, qui me ad hoc vsque tempus seruauit incolumem, contumeliosis verbis possum afficere* [l]? Petrus Blesensis ait [m], *irati verba esse pro suis membris, in qua, vt collata beneficia, sic illatam iniuriam propriam deputat*: quo etiam modo, inquit Petrus, cùm ex vrbe Roma aliquando fugeret, & sibi occurrentem CHRISTVM nactus esset, ab eo quæsiuit, *Domine, quò vadis?* CHRISTVS respondit, *Romam iterum crucifigi*. Hoc de Petro semel, iterúmque narrat Blesensis æqualis Innocentij III. Gregorius [n], Hegesippus [o], Abdias [p], Athanasius [q], Ambrosius [r], Linus [f]; & simile quiddam de Paulo, sed ex Apocryphis, recitat Origenes [t], nimirum illi dixisse Saluatorem, denuò debeo crucifigi. De Petro lege Baroniũ [u], & Panuinũ [x]. Hieronymus [y] in his verbis minas agnoscit, quas CHRISTVS, vt arcum intẽdat. Æquè consentiunt alij multi hoc loco, pro membris caput respondere, & quiritari, vt Augustinus, aliique in sermonibus, vel commentariis huius loci: præstereà Andreas Cæsariensis [z], Drogo Cardinalis [a], Ephrem [b], & rursum Augustinus [c], & Prosper [d], & Gregorius [e], qui præterea confirmat [f] verbis CHRISTI, quibus Petro apparens in Vrbe dixit: *Venio Romam iterum crucifigi.*

In capite vigesimosexto [g] addit Paulus sibi immediatè dicta hæc verba: *Durum est tibi contra stimulũ calcitrare*: quæ verba sunt hîc in versu sequenti. Sixtus Senensis [h] Caietanum reprehendit, quòd verba ista in isto capite non agnouerit, cùm in omnibus exemplaribus Græcis habeantur, vt & in emendata editione Latina Sixti V. Fateor

Marginalia (left): a Iere. 31. 18. b Iob. 42. 5. 6. — *Paulus cecidit in faciem suam, & cur.* — c 31. Moral. c. 10. vel 11. & homi. 8. in Ezech. — d in c. 1. Ezechielis. *Reprobi retrò cadere dicuntur.* e 1. Reg. 4. 18. f vt Psal. 69. 4. Esa. 28. 13. Genes. 49. 17. g Ioan. 18. 6. — h 1. Reg. 17. 49. — i c. 8. 17. c. 10. 9. k Matt. 17. 6. — l Beza in Matthæum. *Cur Paulus in faciem ceciderit.* m Luc. 1. 29. n Gene. 15. 12. — o 2. de Abraham. c. 9. *Paulus an fuerit eques, vel pedes cum cecidit.* — p Act. 26. 14. — *Qua lingua vteretur Iudæi Christi tempore.* q Act. 26. 14. — r Act. 21. 40. ca. 22. 2. Luc. 23. 38. Ioan. 5. 2. c. 19. 13. 17. 20. Apoc. 9. 11. c. 16. 16. — f to. 1. prolego. 15. *Diuinæ præsentiæ testimonium quale sit.* t Exo. 20. 18. u Num. 7. 89. x Matt. 3. 17. y infrà 17. 5. z Sermo. 1. de conuers. sancti Pauli.

Marginalia (right): a li. 1. ep. 409. — b cap. 22. 7. c. 26. 14. — c Matt. 23. 37. d Luc. 10. 41. e Luc. 22. 31. *Nullus nomine proprio vocatus esse, quin non sit de numero prædestinatorum.* — f Luc. 22. 48. g Mat. 26. 50. *Quid valeat Christi cũ Paulo sermocinatio.* h Michææ 6. 3. — i Hom. de cõuers. Pauli, & hom. 10. in Matth. k Ioan. 10. 32. *Polycarpi responsum plenũ amoris, & confidentia.* l Euseb. 4. Histo. c. 14. m hom. de conuers. Pauli, & hom. etiam 30. in Matth. *De occursu Domini facto Petro.* n in Psal. 4. pœnit. o 3. de excid. Ierosolym. p lib. 1. q Apolog. de fuga. r in Aux. de traden. Basilicis. f in Histo. de morte Petri, & Pauli. t Tom. 21. in Ioan. u Tom. 1. Annal. x de septem Eccles. y in Psal. 57. z in Apoc. ca. 11. a Sermo. 1. de Pass. Tom. 2. Biblioth. Patrum. b Tom. 3. enco. in omnes SS. Mar. c 17. de ciui. c. 9. & tract. 10. in 1. ep. Io. d in Ps. 108. e in Ps. 5. pœnit. & 3. Moral. c. 11. f in Ps. 4. pœnit. g versu 14. h 6 Biblioth. annot. 246.

Quid sit aduersus stimulum calcitrare.

tamen exposita ab interprete Syro in versu præsenti. Prouerbium est quadrans in eos, qui prouocant illum, qui nocere lacessitus magis possit: vel qui suas ærumnas augeant vehementiùs, dum iis reluctantur. Vtuntur profani eádem parœmia, vt ille [a]:

Inscitia est aduersùs stimulum calces.

a Terent. in Phorm.
b Eurip. in Bacchid. act. 5.

Rursum alius [b]:

Θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον ἢ θυμούμενος
πρὸς κέντρα λακτίζοιμι, θνητὸς ὢν θεῷ.

Sacra potiùs illi fecerim, quàm vt iracundia
In DEVM *percitus, cùm sim mortalis ipse,*
Contra stimulum calcitrem.

c Contra stimulū calces.
d in Truculento.
e in Pythiis.

Auctor Adagiorū [c] profert ex Plauto [d] testimoniū,

Si stimulos pugnis cadis, manibus plus dolet.

Præterea ex Pindaro [e]: ridiculam quoque Ctesiphontis pancratiastæ recalcitrationem præ iracundia contra calcitrantem mulam, de qua Plutarchus [f]. Adde Æschylum [g],

f περὶ τῆς ἀοργησίας.
g in Prometheo captiuo.

Οὔκουν ἐμοίγε χρώμενος διδασκάλῳ,
πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς.

Igitur me vsus magistro,
Contra stimulos non membra extendes.

Metaphora est à bobus, quos agricolæ lignis præacutis à tergo fodiunt.

h Eccl. vlt. 11.
i ibidem.
k epist. 9. ad Philip.
Verba Dei stimulus sunt.

DEI, CHRISTIque verba, atque potentia stimuli quidam sunt [h], & interni instinctus seu stigmata, vel punctiones prouocantes ad conuersionem delinquentem, vt monet Hieronymus [i], nósque in commentario ad Ecclesiasten, qui annuente DEO breui videbit lucem. Aptè cum Ignatio [k], aliud licèt agente, dicere possumus: *Durum est contra stimulum calcitrare: durum est* CHRISTO *nolle credere: durum est prædicationem Apostolorum reiicere.* Denique, vt ille IESV, & Euãgelio malebat, quàm archiuis credere: ita debuit Saulus plus deferre doctrinæ Apostolicæ, quàm epistolis Pontificum: *ideóque hoc stimulo in via confossus erroris, audiuit*, inquit Hieronymus iam citatus, *Durum tibi est calcitrare contra stimulum* DEI. *Minatur his verbis Medicus, sed vt corrigat*, inquit Ambrosius [l], *terret, ast vt curet: spirituales enim hi stimuli sunt*, ait idem alibi [m], *clauique, quibus configi bonum est, resistere malum. Vincit enim omnia veritas* [n]; &, *Conscientia ipsa mille testes* [o]; &, *Durus animo ipse accusator, index, carnifex, vermis remordens.*

l in Psal. 39.
m in Psal. 118. octonario 15.
n 3. Esd. 3. 12.
o Quintil. 5. Instit.
p Plautus in Truculento.
Christus æquè passus est pro singulis, ac pro omnibus.
q Gal. 2. 20.
Christus pari singulos amore diligit, ac vniuersos.

Si stimulos pugnis cadis, vt antè retuli, *manibus plus dolet* [p]. Hinc infer, quantum omnes CHRISTI redemptioni, tantundem debere singulos, vt innuit Paulus dicens de CHRISTO [q]: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Neque enim recusaturus erat* CHRISTVS, inquit Pauli eam sententiam explanans Chrysostomus, *vel ob vnum tantam exhibere dispensationem*, adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuersum. *Quod erat commune, proprium efficit*, ait Oecumenius: declarans *tantam quemlibet* DEO *gratiam de his agere oportere, quantam si pro se vno humanam carnem induisset.* Iisdem propemodùm verbis vtitur Theophylactus. Docet id egregiè visio Carpi apud Dionysium [r].

r epi. ad Demophilū monachum.
Deus maiorem vltionem sumit de suorū, quàm de propria iniuria.
s Gen. 4. 6.
t ibid. 11.
u Num. 31. 2.
x 1. Reg. 15. 2.

Deinde, quomodo CHRISTVS ad suas priùs iniurias, & tormenta patiens, suorum persecutiones coërcet atque vindicat? Quando Cain DEVM læsit in sacrificio, leuiter admonitus est [s]; acerbiùs, cùm fratrem occidit [t]: voluit de Madianitis [u], & Amalechitis [x] pœnas repeti, non propter idololatriam, sed quia molesti fuerant Hebræis: Achab sanguinem linxerunt canes, & vxoris, non quòd impij extitissent in DEVM, sed

y 3. Reg. 21. 19.
z 3. Reg. 12. 28. & seq.
a 3. Reg. 13. 4.

A quoniam abstulerant vineam Naboth [y]. Primus auertit populum à DEI cultu Ieroboam [z]: attamen manus ipsius tum solùm arefacta est, quando illam extendit in Prophetam [a]. Eòdem pertinet, vt alia complura exempla prætermittam, parabola Regis, qui tot condonans talenta, indignatur grauissimè aduersùs ingratum seruum, qui nec paucos remittere denarios conseruo sustinuit [b]. *Nolite*, inquit DEVS, *tangere* CHRISTOS *meos* [c]; & [d], *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*, aut etiam *sui*, iuxta textum Hebræum. Qua ratione congruit Saulo, sibi ipsi, dum persequitur, nocenti.

b Matt. 18. 23. & seq.
c Psal. 104. 15.
d Zach. 2. 8.
Peccatum grauissimum malo exemplo prauo, non laedere.
e Serm. 1. de conuers. S. Pauli.

Grauissimum est peccatum, quo non teipsum duntaxat, sed alios lædis exemplo, & quidem, si B Bernardo [e] credimus, magis horrendum sacrilegium, quàm eorū, qui CHRISTVM crucifixerunt.

Hæretici sunt castigandi.
f epist. 50.

Adhæc, non esse alienum à Christiano spiritu, vel mansuetudine suppliciis exigere fidem, ac fidelitatem à perfidis Hæreticis, ita quidem ex hoc facto argumentatur Augustinus [f], inter cetera sic loquens: *Vbi est quod isti clamare consueuerunt, liberum est credere, vel non credere? cui vim* CHRISTVS *intulit? quem coëgit? Ecce habent Paulum Apostolum, agnoscant in eo priùs cogentem* CHRISTVM, *& posteà docentem: priùs ferientem, & posteà consolantem.* Præterea B. Thomas [g] admonet ne quis arbitretur, nullam requiri ex parte hominis dispositionem ad gratiam, quòd Paulus eam consecutus C videatur *adhuc spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini*: cùm enim esset in progressu peccati, perfectè motum esse cor eius à Domino, audiendo, & addiscendo, & veniendo, secundùm illud Ioannis [h]: *Omnis qui audiuit à* PATRE, *& didicit, venit ad me.* Ceterùm huiusmodi conuersionem fuisse miraculosam [i]. Postremò Gregorius [k] colligit quàm quisque modestus ac humilis debeat esse, quamuis ea in se non recognoscat peccata, quæ sunt in aliis. *Quis enim crederet*, inquit, *quod per Apostolatus meritum Saulus lapidatum Stephanum præcessurus erat, qui in morte eius lapidantium vestimenta seruabat?* Hieronymus [l] explanans illud Esaiæ [m], *Pro vrtica crescet myrtus*, D ait Paulum, cùm persequens Ecclesiam audiuit, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, vrticam fuisse: quando in toto orbe Euangelium prædicabat, & dicere poterat [n], CHRISTI *bonus odor sumus*, rectè cyparissum appellari potuisse, & myrtum.

g 1. 2. q. 112. ad 2.
Ad gratiam dispositio est necessaria.
h Ioan. 6. 45.
i hom. de festen. repreh. seu de conuers. S. Pauli.
k 22. Moral. c. 8. vel 14.
l in c. 55. Esa.
m cap. 55. 13.
n 2. Cor. 2. 15.

Versus 5.] Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum IESVS, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare.

QVI *dixit: Quis es Domine?*] *Ignorat Saulus*, DEVS*ne sit, vel Angelus; honorifico tamen nomine Dominum appellat*, inquit Glossa interlinearis, & E Historia Scholastica [o]. Chrysostomus [p] putat verba esse *animæ gratæ, beneuolæ, libertatis plenæ, syncera, incorruptæ, non obluctantis, non contendentis, sed statim agnoscentis virtutem diuinam, séque ad Dominum conuertentis.* Bernardus [q] hinc potiùs excusans Paulum colligit ignorasse, quem persecutus hactenus esset. Augustinus [r] videtur velle eo tempore, quo cetera non videbat, IESVM vidisse. Ambrosius ait [s], *quod non quæsisset quis esset, si cognouisset: cæcatum enim fuisse, & ei* CHRISTVM *respondisse: Ego sum* IESVS, &c. Vidisse aliquando CHRISTVM iam suscitatum, & cœlo etiam receptum, ipse de se Paulus perspicuè testatur [t], comparans visionem

o in Act. cap. 46.
Verba Pauli grata fuit.
p hom. de fest. repreh. siue de conuers. S. Pauli.
q Serm. 1. de conu. S. Pauli.
r Serm. 14. de Sanctis.
s in Psal. 118.
Paulus Christū vidit.
t 1. Cor. 9. 1. & c. 15. 8.

sionem

sionem suam cum iis, qui oculis corporis illum conspexerunt, indéque probat Resurrectionis CHRISTI veritatem. Atque id, præter ipsius Interpretes, affirmat quoque Origenes [a]. Verùm cùm CHRISTI apparitio facta Paulo legatur aliàs, aut nocte per visionem [b], aut in templo, cùm pateretur stuporem mentis [c], non potuit de alia intellexisse, quàm de ista, de qua præcisè intelligit Primasius [d], Carthusianus [e], Glossa ordinaria [f], & sanctus Thomas [g], & Tertullianus [h], licèt Ambrosius [i] intelligat etiam de ea, quæ accidit in templo, & Sedulius [k], & Haymo [l], & Petrus Lombardus [m], & Hugo Cardinalis [n]. Et quidem historiæ series omninò fauet (quicquid Caietanus dicat, audens affirmare contrarium potiùs innuere, cùm cæcatum luce Saulum, nec visum ab ipso CHRISTVM meminit) in qua, inquam, historiæ serie vltrò citroque colloquitur vigil Saulus cum CHRISTO, & ex huius glorioso corpore manasse lux videtur, & circumfulsisse Saulum: & postquàm à Saulo CHRISTVS visus est, Sauli oculis (vt Caietani coniecturæ priori respondeamus) vehementia sua tenebras offudisse. Ananias quoque Saulum salutans, dixit se à Domino missum, *qui apparuerat ei in via, qua veniebat* [o], & Barnabas narrauit Apostolis timentibus adiungere sibi Saulum, *quo modo in via vidisset Dominum*, quod erat alterum Caietani argumentum, *& hic locutus esset ei* [p]: & ipsemet Saulus debuit esse testis eorum, quæ cùm vocatus est, viderat, & audierat, vt tum CHRISTVS ipse [q], tum Ananias, siue per hunc CHRISTVS [r], disertè expresserunt.

Neque rectè dici potest, CHRISTVM in cœlo ipso existentem, & non assistentem prope Saulum, Saulo apparuisse, vt de apparitione facta Stephano quidam senserunt, vt dictum est capite septimo, & de ista sentit Ambrosius [s], & indicat Gregorius [t]: nam circumstantiæ docent, visum CHRISTVM propè, nimirum lumen vicinum circa Saulum in ipso aëre, quod comites quoque viderunt, ac propter vehementiam, videndi facultatem Saulo ademit, quasi ex CHRISTI præsentia fluxerit. Deinde vox audita distinctè à Saulo, confusè ab aliis ex ore Iusti, vt loquitur Ananias [u], hoc est, CHRISTI, processit, qui Saulo propinquior erat. Postremò, si videbat tantùm Saulus CHRISTVM in cœlo, quomodo colloquebatur cum ipso? aut cur dubitabat esse CHRISTVM, præsertim cùm meminisse posset dixisse Stephanum, *vidisse se cœlos apertos* [x]? Lege Bellarminum [y], & Suarez [z], & Valentiam [a].

Obstare videtur, quòd semel in cœlum reuersus CHRISTVS, inde vsque ad Iudicij diem creditur non venturus. Sed hanc obiectionem capite tertio profligauimus [b], dicentes, vel circumscriptiuè simul in cœlo, simul in via Damascena CHRISTVM præsentem fuisse: vel tantisper de cœlo descendisse, vbi cùm ordinariam, ac fixam veluti sedem habeat, neque inde cum pompa, & palàm ante Iudicium egressurus sit, meritò censeri potest in hoc sensu perpetuus cœli habitator, vsque ad illud tempus.

Augustinus exponens Psalmum sexagesimumseptimum docet, quod in eo dicitur *de Benjamin in mentis excessu*, hoc est, de Saulo nostro, ita intelligi, quòd adempto lumine oculorum carnalium, respondebat Domino, quem spiritu videbat. Verùm placet magis alia quam subiicit sententia, vt de illa extasi loquatur, quæ alio ei tempore con-

a libr. 1. cont. Celsum.
Paulus pluries Christum vidit.
b Act. 18. 9. & c. 23. 11.
c Act. 22. 17. 18.
d in c. 15. 1. ad Corint.
e ibidem.
f ibidem.
g in c. 9. 1. ad Corinth.
h lib. cont. Praxeam. ca. 15.
i in c. 15. 1. ad Corinth.
k ibidem.
l ibidem.
m ibidem.
n ibidem.
Visio Christi hic Paulo facta est.
o vers. 17.
p vers. 27.
q Act. 26. 16.
r Act. 9. 17. c. 22. 14.
Christus in cœlo non fuit, cum Paulo apparuit.
s in c. 15. 1. ad Corinth.
t 19. Moral. c. 5.
u Act. 22. 14.
x Act. 7. 55.
y li. 3. de Eucharist. c. 3.
Christus etiam ante iudicium visibilis in hunc mundum venit.
z Tom. 2. in 3. par. Disp. 51. sec. 4.
a Tom. 4. in 3. par. Disp. 6. q. 3. puncto 1. §. 13.
b vers. 21.
...atres, qui dicunt Paulum non vidisse Christum, ...icantur.

A tigit. Similiter cùm Ambrosius dicit [c]: *Licèt apertis oculis videret nihil, tamen* CHRISTVM *vidisse, præsertim quem etiam audiebat loquentem, & non cæcitatis obumbrationem fuisse illam, sed gratiæ, eo modo, quo* MARIÆ *obumbrauit* SPIRITVS *sanctus* [d], intelligi potest vidisse oculis corporis, antequàm excæcaretur, idque per obumbrantem gratiam. Nam idem alibi [e] tradit, quòd CHRISTVS vidit eum, vbi lux circumfulsit eum. Oecumenium non queo excusare, dicentem non esse visum à Saulo CHRISTVM, nisi rebus, & efficacia quadam.

B Propter hanc mirabilem Pauli vocationem à CHRISTO iam immortali, atque de cœlo ipso, ac veluti ad dextram PATRIS constituto, arbitrati sunt nonnulli in antiquis sigillis, quibus diplomata summi Pontificis obsignantur, collocari Paulum honoris causâ à dextris, Petrũ à sinistris. Hanc rationem, posito quòd locus à dextris sit honoratior, de quo dixi in capite secundo [f], Petrus Damianus [g] assignat, Innocentius III. [h] & sanctus Thomas [i].

Hinc porrò probant passim, qui de EVCHARISTIA disserunt, posse CHRISTVM esse, & verò reipsa esse in hostia consecrata, simúlque in cœlo. Id ante aliquot centurias annorum contra Berengarium arguмétatus est Adelmannus Brixiensis [k], inter alia sic dicens, eadémque via confir-
C mans apparitionem realem CHRISTI Saulo factam: *Quis enim alius dicebat Saulo, Saule, Saule, quid me persequeris? Neque putandum est ei Angelus pro* CHRISTO *apparuisse, cùm ipse Saulus effectus Paulus posteà dicat; Nouissimè omnium tanquam abortiuo visus est & mihi* [l]. *Et alio loco: Nónne Dominum* IESVM CHRISTVM *vidi* [m]? *Aut verò Saulus adhuc infidelis*, id est, nondum baptizatus, *raptus est in cœlum* [n], *vt illic ei* CHRISTVS *loqueretur: aut ipse* CHRISTVS *descendit è cœlo, quod semel tantùm fieri oportet in voce Archangeli* [o], *& in tuba* DEI, *quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem* FILII DEI, *& procedent* [p]. Quanquàm in his verbis Adelmannus sentire videtur CHRISTVM cœlo non relicto præsentem fuisse in via, in qua Saulo appa-
D ruit, B. Thomas [q] docet de cœlo descendisse.

Quod scribit Marius Victorinus [r] CHRISTVM post abscessum in cœlum soli Paulo visum, vel intellexit de visionibus in sacra Scriptura expressis, vel fuit in ea opinione, CHRISTVM deinceps non in propria se persona exhibuisse, sed Angelos ipsius personam in apparitionibus repræsentasse.

Ego sum IESVS, *quem tu persequeris.*] Additur in capite vigesimosecundo [s] Nazarenus, & hoc loco ab editione Syra, & in nonnullis codicibus Græcis noui Testamenti Parisiensis Typographi, qui prætereà post *quem tu persequeris*, ὃν σὺ διώκεις, addunt, ἀλλ' ἀνάστηθι, *sed surge. Non* DEVM,
E *vel* DEI FILIVM *se vocat, sed humilitatis mea*, inquit, vt notat Beda, *infirma suscipe, & superbiæ tuæ squamas depone. Poterat expressisse quis esset, maiestaticis, & terribilibus verbis*, inquit Petrus Blesensis [t], *vt diceret: Ego sum* DEVS *vltionum* [u] *Dominus, qui respicio terram, & facio eam tremere* [x]*: tango montes, & fumigant* [y]: sed cùm lenitate respondet, vt excitet ad spem, & inuitet ad fidem. *Ego sum Saluator*, inducit eum Bernardus [z] ita loquentem, *quem tu persequendo peris; ego sum, de quo tu in lege tua legis prædictum, quod nescis impletum, quia Nazarenus vocabitur* [a]. *Et quare non dixit*, inquit Chrysostomus [b], *Ego sum* IESVS, *qui resurrexit: Ego sum* IESVS, *qui sedet à dextris* DEI [c];

c lib. de bened. Patriar. c. vlt.
d Luc. 1. 35.
e lib. de Ioseph. c. 10.
Paulus cur à dextris Petri collocetur.
f vers. 21.
g ep. ad Desiderium.
h Serm. de Euangelistis.
Christus simul in cœlo præsens, & in Eucharistia esse potest.
i Lect. 1. in ep. ad Gal.
k in epist. de Eucharistia. Tom. 3. Bibl. Patrum.
l 1. Cor. 15. 8.
m 1. Cor. 9. 1.
n 2. Cor. 12. 2. 3.
o 1. Thess. 4. 15.
p Ioan. 5. 25. 28. 29.
q 3. part. q. 57. art. 6. ad 3.
r libr. 3 con. Arrianos.
Quomodo Christus soli Paulo in terris apparuerit.
s ver. 8.
Cur Christus de se sit humiliter sic locutus.
t Ser. de conuer. S. Pauli.
u Psal. 93. 1.
x Psal. 103. 32.
y ibidem.
Quibus verbis mellifluus Bernardus loquenté Christum faciat.
z Ser. 1. de cõuer. S. Pauli.
a Matt. 2. 23.
b hom. de cõuers. S. Pauli.
c Mar. vlt. 19.

sed, Ego sum IESVS *, quem tu persequeris? vt perstringeret eius mentem , vt compungeret eius animam.* Simul etiam ait [a] voluisse dicere : *Ne putes tibi cum hominibus solis esse certamen. Non ei à Domino respondetur : Ego sum vnigenitus* PATRIS, inquit Gregorius [b], *Ego principium, Ego Verbum ante secula, quia enim Saulus incarnatum Dominum credere contemnebat, & eius Humanitatis infirma despexerat, de cœlo hoc, quod contempserat, audiuit : Ego sum* IESVS *Nazarenus , quem tu persequeris, ac si diceret : Hoc à me audi de superioribus , quod in me de inferioribus despicis. Auctorem cœli venisse despexeras in terram. Ex terra ergo hominem cognosce de cœlo , vt tantò in me amplius Sacramenta infirmitatis metuas, quantò & hac perducta in cœlestibus ad excellentiam potestatis probas.* B *Prosternens igitur te, nequaquam tibi hoc astruo , quòd ante secula* DEVS *sum, sed illud à me audis , quod de me credere dedignaris. Postquam enim dixit,* IESVS, *adhuc in expositione terrena inhabitationis subdidit,* Nazarenus, *velut si apertiùs diceretur : Humilitatis meæ infima suscipe, & tua superbiæ squamas amitte.* Hactenus Gregorius: ex quo Beda, quem suprà citaui.

a in hunc locum.
Christus quadam se potestas nominare.
b lib.23. Moral. c. 24. vel 32.

Durum est tibi contra stimulum calcitrare.] Exposita sunt hæc verba versu præcedente. Alia verò à CHRISTO tunc sibi dicta , recitat Paulus regi Agrippæ [c]. Syra editio non in isto, sed in præcedente versu collocat istam sententiam , vt etiam ibi notauimus. Illa alia verba innuuntur in sequentibus , vt dicemus. Singularis hic ferus, & C aper vineæ vastator diuinæ , non alterius quàm Principis venatoris peritissimi spiculo confodiendus erat : tantus hostis non alterius quàm summi Imperatoris gladio feriendus. Non suffecerat pro Stephano assurrexisse , ac veluti minas intentasse: descendit, comminus pugnat CHRISTVS.

c c.26.vers.16. 17.18.

Versus 6.] Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?

ET *tremens, ac stupens dixit.*] Aliqui codices Græci non legunt ista, nec Syra versio. Ipse Paulus D narrans Iudæis vocationem suam, inquit [d] : *Et dixi, Quid faciam, Domine?* Notauit Caietanus, abundare in hoc loco verba ista: quem eo nomine Sixtus [e] reprehendit.

d Act.22.10.
e 6.Biblioth. annot 126.
Cur tremore ac stupore Paulus sit perculsus.

Tremor, ac stupor prouenerunt ex luce, & voce, atque ex præsentia CHRISTI , cuius experiebatur maiestatem, & potestatem, cuique propterea se ad obsequendum promptum , paratumque exhibebat. *Est enim initium sapientiæ timor Domini* [f]; *pædagogus legis*, vt ait Clemens Alexandrinus [g]; *frenum peccatorum*, vt Basilius [h]; *scopa* , vt Gregorius, *acus, vel seta, quæ filum introducit* , vt Augustinus [i]; *semen, quo accepto concipitur & quasi parturitur spiritus salutis*, vt Esaias loquitur [k]; E *claui, qui nos fixos in officio retinent*, vt idem Basilius [l]; *miles armatus excubans ad fores conscientiæ*, vt Chrysostomus [m]. Vim huius timoris expertus , hortabatur posteà Paulus Philippenses [n], vt *cum metu ac tremore operarentur salutem* : & Sapiens docet, *beatum hominem, qui semper est pauidus* [o]; & Esaias [p] alia quidem dona requiescere super iustum, *sed dono timoris repleri.* Porrò vidimus in capite secundo [q], compunctos ad Petri prædicationem dixisse: *Quid faciemus?* eodémque modo alij responderunt Ioanni Baptistæ [r]. *Infirmatus est Saulus intendente minarum arcum* CHRISTO, *& nolens erigere diu ceruicem aduersùs extentum arcum dixit*, inquit Augustinus [s], *Domine,*

Timoris Domini pulchra epitheta.
f Psal 110.10.
g 2 Strom. c. 4.
h in Psal 33.
i Tract. 9 in 1. epist. Ioannis & c. sicut scta.de pœn. d.2.
k cap.26.18.
l in c.1. Prouerb.
m hom.15. ad populum.
n cap.2.12.
o Prou.28.14.
p cap.11.3.
q vers.37.
r Luc.3.14.
s in Psal. 17.

A *quid me vis facere? dum corruit in terram, peccatum cohorruit, & ipso terra attactu in faciem, iam cæcatus corpore, qui erat mente, sortem humanæ generationis, hoc est, culpam agnoscens , lutum oculis imposuit , posteà lauandus per Baptismum*, vt cum Ambrosio [t] loquar agente de cæco nato [u]. Idem adhuc Augustinus [x] de Saulo explicat illa verba [y], *Sagitta tua acuta, populi sub te cadent in corde : de cœlo enim,* ait ipse, *emissa est sagitta : corde percussus est Saulus, nondum Paulus , adhuc Saulus, adhuc erectus , nondum prostratus ; accepit sagittam , cecidit in corde. Non enim quòd prostratus est in faciem, ibi cecidit in corde : sed vbi ait, Domine, quid me iubes facere? Modò ibas ad Christianos alligandos & perducendos ad* B *pœnam : & modò dicis* CHRISTO, *quid me iubes facere? O sagittam acutam potentissimam , qua accepta, cecidit Saulus, vt esset Paulus!*

t 3. de Sacr. 2.
u Ioan.9.
x in Psal.44
y Psal.44.6.

Nunc impletum ait Hieronymus [z] quod prædictum est ab Esaia [a] : *Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi.* Hoc æquè omnes de Saulo notant, sed præcipuè Bernardus [b], qui suauissimè simul , & efficacissimè deplorat etiam in Religiosis desiderari hanc perfectæ obedientiæ formam , qui mentis magis quàm corporis cæcati oculis, opus habeant, vt iis Prælatus sicut CHRISTVS cæcis illis dicat [c]: *Quid vultis vt faciam vobis? & discernant, dijudi-* C *cent , eligant in quibus obediant imperanti, immò in quibus præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. Non fuit proculdubiò timor ille, ac stupor, quem tam facilis, & exacta comitata obedientia est, sine intimo animi sensu, atque pœnitudine.* Nam si multa post tempora tam sæpe adeò flebiliter, tot iam tantísque meritis cumulatus, priorem illam vitam suam lamentatus est , & in Ecclesia persequenda sedulitatem , ne dicam an rabiem , *quid verisimile est*, ait Chrysostomus [d], *ipsum per id temporis passum, quo nullum bonum opus habebat , & conscius persecutionis vocem illam audiebat?* Deinceps occurrit obijcientibus nil mirum, quòd conuersus sit, quoniam DEVS vocem illam quasi fu- D nem ceruici eius iniecit, vsque ipsum ad se adduxit. Obiectioni isti, quam communem affirmat Gentilibus , Iudæis, & nostris, respondet, *voluntariè obediuisse, cum & multi tandem vocem audientes, quia nolunt , non obediant, & pridem Iudæi summa quadam liberæ mentis pertinacia, quem audierant in Iordane dilectum* DEI *Filium appellari , &* SPIRITVS *sancti in specie columbæ testimonio decorari* [e], *deceptorem ipsi nominauerint* [f] : *ac respuerint eum, quem tam luculentè Ioannes prædicauerat, & qui tot se signis, & tam insigni doctrina prodiderat, & non dubitauerint vinculis adstringere illum, qui, vt modò Saulum, sola eos voce ad terram strauerat* [g], *ac se eorum oculis etiam præsens inuisibilem reddiderat.* Affert E quoque in exemplum Elymam , cui cæcationis remedium, quod Saulus expertus resipuerat, frustrà ab eodem Saulo adhibitum est, & Proconsuli alienum malum profuit [h]. Tandem grauiter inculcat, vt rem summi momenti, & maximè necessariam, non cogi à DEO quenquam nolentem, sed volentem trahi : contrariam sententiam defensionem ignauiæ esse, ne piis hortationibus quis acquiescat , & tacitam accusationem Pauli, eorumque omnium, qui diuinæ vocationi respondentes Sancti euaserunt.

Prophetia Esaiæ de Paulo.
z lib.17. in Esaiam.
a cap.60.14
b Serm.1. de conuers. S. Pauli.
Religiosi exemplum Pauli in obedientia sequi debent.
c Luc.18.41.
d Hom. de conuers. S. Pauli.
Paulus voluntariè obediuit.
e Matt.3.16. 17.
f Ioan.7.12.
g Ioan.18.6.
Quomodo multi iisdem mediis quibus Paulus affecti non resipuerint.
h Act.13.11. 12.
Nemo nolens sed volens trahitur.

Hæc eò libentiùs retexui fusiùs disputata à Chrysostomo, quoniam præsentem locum exponens Caluinus , Brentius , aliique Hæretici , vel in

Commen

Commẽtariis, vel in Tractatibus aliis, vociferantur Paulum inuitum ad CHRISTI obsequium à CHRISTO coactum: atque huius generis censendam omnem eam gratiam, qua quilibet peccator efficaciter vocatur sine humanæ voluntatis cum cooperante gratia libera electione. Longè aliter Augustinus, qui cùm alibi sæpe, tum in opere de SPIRITV, & litera [a], docet DEVM *visorum suasionibus, aliisque modis intrinsecis, extrinsecisque; vbi nemo habeat in potestate, quid ei veniat in mentem, agere, vt credamus, & ipsum velle credere, operari in nobis, sed consentire vocationi, vel ab ea dissentire, propria hominis voluntatis esse.* Agens verò de Pauli conuersione scribit in hunc modum [b]: *Quàm rabida voluntas, quàm furiosa, quàm caca in Saulo? qui tamen vna desuper voce raptus est, occurrente vbique tali viso, quo mens illa, & voluntas refracta sæuitia retorqueretur, & corrigeretur ad Fidem.* Et alibi [c], *Vt de cœlo vocaretur Paulus, & tam magna, & efficacissima gratia conuerteretur, gratia* DEI *erat sola, quia merita eius erant magna, sed mala.* Idem [d], *Voluntas desuper excitatur, vt credat: sicut Sauli, etiamsi tam auersus esset à Fide, vt etiam credentes persequeretur.* Magnam, & efficacissimam gratiam appellat, quia efficacissima fuit excitatio, & ideò efficacissima, quia maximè congrua. Isidorus quoque Pelusiota * ostendit in ista conuersione vsum Saulum libertate arbitrij, aliisque idem exemplis probat.

Paulus inuitus non fuit ad fidem attractus.

a cap. 13.

b li. 1. ad Simplicia q. 2.

Christi potestas in conuersione Pauli mirabilis.

c lib. de gra. & lib. arb. c. 5.

d lib. de gra. Chr. c. 19.

Gratia Dei cur magna, & efficacissima dicta sit.

* lib. 2. epist. 72.

Versus 7.] Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.

SVRGE.] In capite vigesimosexto [e] additur, & *sta super pedes tuos.* Sic Ezechieli *, cùm præ magnitudine gloriæ Domini cecidisset in faciem, dictum est: *Sta super pedes tuos.* Sic Danielem simili de causa cùm pauens corruisset, & pronus collapsus esset, *tetigit* GABRIEL ANGELVS, *& statuit in gradu suo* [f]. Sic Apostolos CHRISTVS ex Transfiguratione perculsos, ac stratos, iussit timore posito surgere [g]. Sic idem consternatum terribili viso Ioannem, & ad eius cadentem pedes, mortuo similem imposita manu erexit [h]. *Quemadmodum enim vbi auriga perterritus*, inquit Chrysostomus [i], *habenas amisit, equi præcipites feruntur, & currus distractus labefactatur; sic quoties animus magno stupore occupatur, suo deesse officio solet, suásque actiones amittere, membra deseri, ereptis sensibus incipiunt, eáque frigere atque corruere.* Confirmat exemplo Seraphim [k], quæ vt Septuaginta ipse intellexit, καὶ ταῖς μὲν δυσὶ κατεκάλυπτον τὸ πρόσωπον, ταῖς δὲ δυσὶ κατεκάλυπτον τοὺς πόδας, *& duabus quidem alis velabant faciem*, propriam, *duabus autem velabant*, suos, *pedes* (vbi Interpres addens *eius*, refert ad faciem ac pedes DEI sedentis in throno) quòd non ferant radios è throno proficiscentes, fulgurque prosiliens. *Nunquàm mens meliùs tenebras suas diiudicat*, ait Abbas Ioachim [l], *quàm cùm diuinæ sapientiæ lucem, & summæ iustitiæ veritatem agnoscit.*

e vers. 16.

* cap. 2. 1.

Corruentes ex diuina visione eriguntur.

f Dan. 8. 17. c. 10. 9. 10. 11.

g Matt. 17. 7.

h Apoc. 1. 17.

Qua ratione homines visa Deo consternentur.

i hom. 3. de incompr. nat. Dei.

k ibi. & hom. 2. de verbis Esaiæ.

l in c. 1. Apoc.

Expectauit Saulus, vt notat Caietanus [m], & verisimile quidem est, prostratus, vt iussus surgeret: alij autem iniussi surrexerunt, vtpote, qui solo terrore ceciderunt, nihil intra seipsos spiritualis motus versùs IESVM sentientes, cuius oppositum erat intus in Paulo. *Accipiens sermonem* CHRISTI *sicut piscis hamum*, inquit Ephrem [n], *è profundo sursum tractus est.*

Cur Paulus non priùs surrexerit quàm iussus sit.

m in cap. 26. Actuum.

n Tom. 3. Sermo. in om ne Marty.

Et ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.] Adduntur ista, quæ sequuntur in capite vigesimosexto [o], *Ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te testem, & ministrum eorum, quæ vidisti, & eorum, quibus apparebo tibi: eripiens te de populo, & gentibus, in quas ego mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur de tenebris ad lucem, & de potestate tenebrarum ad* DEVM, *& accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter Sanctos per fidem, quæ est in me.* Quomodo nunc iubetur ab alio audire, quæ eum oporteat facere, quod in capite vigesimosexto prorsus omittitur, ibidem verò tam disertè inducitur CHRISTVS exprimens, quid ab ipso fieri velit? Vtrumque cohæret; summam voluntatis suæ proposuit, voluit simul ab alio prolixiùs exponi, & rationem proponi eius exequendæ, cum necessariis mediis ad iustificationem, inter quæ erat Baptismus. Sanè quidem Tertullianus [p] existimat missum duntaxat Baptismi causa Damascum; satis verò iam priùs didicisse, atque credidisse IESVM Nazarenum esse Dominum DEI Filium. Gregorius [q], aliique contrarium innuunt: scribit enim ille, hoc solum iacentem Saulum audire potuisse, vt surgens disceret quod audierat. *Exemplum discendi datur*, inquit Glossa ordinaria, *& superbia increpatur, vt nullus alium indignum existimet, à quo doceatur quod ignorat*, atque vt intelligatur, quod ait Lyranus, etiam in cognitione ac donis supernaturalibus suos processus esse, nec subitò perueniri ad fastigium. Salubris prorsus Augustini [r] admonitio est aduersùs eos, qui ab aliis discere nolunt, proprio nixi sensu, ac iudicio: *Caueamus tales tentationes superbissimas & periculosissimas*, inquit, *magisque cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum, licèt diuina, & cœlesti voce prostratum, & instructum, ad hominem tamen missum esse, vt Sacramenta perciperet, atque copularetur Ecclesiæ.* Addit exemplum Centurionis, de quo in capite decimo huius historiæ, & Eunuchi, de quo in capite præcedenti, docétque humanæ tum conditioni, tum charitati, societatique congruere, vt ab hominibus homines instituantur, non immediatè de cœlo semper, aut per Angelos. Percommodam præsenti proposito narrat historiam Ioannes Moscus auctor Prati spiritualis [f], de sanctissimo Abbate, qui cùm in Sacrificio quædam ad consecrationis ritum non orthodoxa per ignorantiam pronunciaret, nec perito Diacono, qui superueniens sacrificanti eum admonuerat credens, de Angelis quæreret, quos assistentes circùm altare intueri solebat, vt se res haberet, hoc responsi tulit, *Ausculta ei: nam vera loquitur, & rectè ista prosequitur.* cumque quasi quiritando subiiceret, quare non præmonuissent ipsi, *id propterea factum* respondisse, *vt ab hominibus homines corrigerentur.* Idem Augustinus confirmat alibi [t] quæ hactenus dicta sunt, ideò docens *ad Ananiam missum Saulum à* CHRISTO, *qui per seipsum omnia facere poterat, vt ipsa societas congregatorum fideliũ approbando in inuicem, & communicando vera fidei doctrinam in omnibus, quæ dicuntur verbis, vel signantur Sacramentis, tanquàm vnam speciem veri coloris obduceret, & ab illo Sacerdotio, quod in Ecclesia constitutum est, Sacramentum doctrinæ Fidei Saulus perciperet, & verus eius approbaretur color.* Sic ille magnus Doctor veritatis,

o vers. 16. 17. 18.

Paulus quomodo iussus fit ab alio audire, quæ facere debebat.

p lib. de Baptismo. c. 11.

q hom. 9. in Ezech.

Discendi exemplum hoc accipiendum est.

Homo ab homine doceri debet.

r 1. de Doct. Chri. in Prologo.

f cap. 199.

Abbas qui in cõsecratione falsa immiscebat, ab homine ea discere iubetur.

t 2 quæst. Euang c. 47.

Christus cur Saulum ad Ananiam miserit.

Cassianus[a] idem admonet dicens, *missum Saulum ad Ananiam, eum illius priùs doctrina, quàm sua instituti volente* DEO, *ne scilicet quod rectè gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis praberet exemplum: dum vnusquisque sibimet persuaderet simili modo se quoque debere* DEI *solius magisterio atque doctrina potius, quàm seniorum institutione formari.* Sed & sponte postea eundem notat ascendisse Ierosolymam, vt Euangelium, quod comitante gratia SPIRITVS sancti cum potestate signorum, & prodigiorum Gétibus prædicabat, suis Coapostolis, & antecessoribus priuata quodammodò ac domestica examinatione conferret[b]. Affert etiam[c], Samuelem permissum ire ad Heli[d], quamuis DEO minùs gratum. Tandem retinendum præceptum illud[e]; *Interroga patrem tuum, & annũciabit tibi, seniores tuos, siue maiores, & dicent tibi.* Lege hac de re Bernardinum Rosignolium nostrum[f], & quæ dicuntur à nobis ad epistolam Ioannis primam[g]. *Præmitigatur*, inquit Chrysostomus, *mens illius, & ita non omnium simul* CHRISTVS *ei in præsentia reuelationem concedit, vt spem ingerat, quod iterum visurus sit. Vult benignissimus iustitiæ, & misericordiæ magister*, ait Petrus Blesensis[h], *vt blandè, & socialiter doceatur ab homine, quem sciebat diuinæ vocis tonitru sustinere non posse.* Sic inter DEVM, & populum Israël Moyses loquebatur, dicebant enim[i]: *Loquere tu nobis, non loquatur ad nos Dominus, ne moriamur.* Innuit Bernardus[k] cum prima nouam aliam ratione[l]: *O* SAPIENTIA *suauiter verè vniuersa disponens! Eum, cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, vt socialis vitæ commendetur vtilitas, & edoctus per hominem discat & ipse secundùm datam sibi gratiam hominibus subuenire.* Mysticè autem accipit ciuitatem pro religioso ordine, & latiùs sumi potest pro Ecclesia, *quam qui non audit, ethnicus est, & publicanus*[m], & extra quam non est salus, vt in Diluuio extra Arcam[n]. Huc spectare quoque per accommodationis posset sensum, quod ait Ecclesiastes[o]: *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere*, vt nos ibi notauimus.

a coll. 1. c. 15.

Nulli præsumendum est de sua doctrina, sed eã oportet cũ aliis communicare.

b Galat. 2. 2.
c sup. c. 14.
d 1. Reg. 3. & 4. & seq.
e Deut. 32. 7.
f lib. 1. de disciplina Chr. perf. c. 1.
g cap. 2. 17.
h Ser. de cõuers. S. Pauli.
i Exo. 20. 19.
k Sermo. 1. de conuers. S. Pauli.
l Sap. 8. 1.
m Mat. 18. 17.
n 1 Pet. 3. 20. 21. cum expositione Cypri. ep. 74. 75. 76. Hierony. cont. Lucif. Aug. 12. cont. Faustum. cap. 14. 15. 16. 17. 37. 38. 19. li. 15. de Ciuit. Dei. c. 26. 27.
o cap. 10. 15.

Quid te oporteat facere.] Nimis quidam argutè in verbis Sauli notarunt, *quid me vis facere?* magis se paratum ad faciendum declarasse, quàm ad patiendum, quòd illud habeat ostentationem, hoc absconsionem: non iisdem respondisset verbis CHRISTVS: nec existimandum est de se Saulum tunc locutum esse iactabundè, cùm ceteri singularem demissionem, & obedientiam in ipso, & ipsius verbis illis agnoscant.

Stabant stupefacti.] Si nolis standi verbum, vt aliàs notaui[p], sumere hoc loco pro verbo substantiuo, sed in propria significatione, pro positione statuque corporis, cùm in capite 26.[q] asserat Paulus comites quoque decidisse in terram, reuocanda huc notatio Caietani posita à me superiùs, quòd adhuc iacente Saulo illi surrexerint iniussi, nihil spiritualis motus versùs IESVM sentientes: lumine autem ipso perculsos decidisse indicat Græcus textus in capite 22.[r] οἱ δὲ σὺν ἐμοὶ ὄντες τὸ μὲν φῶς ἐθεάσαντο, *& qui mecum erant, lumen quidem viderunt*, καὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο, *& timidi, seu pauidi facti sunt*, quæ verba nec Syra, nec nostra editio habet. Itaque fallitur hîc Glossa interlinearis negans illos cecidisse, quod etiam sentit Hugo.

De sociis Pauli, quomodo steterint.
p cap. 1. 11.
q vers. 14.
r vers. 9.

Stupefacti.] ἐννεοί, quæ vox propriè significat mutos, qui nesciant loqui, interdum etiam surdos, aliquando abalienatos mente ac stupidos. Lege Auctorem Thesauri linguæ Græcæ[s]. Si prima placet acceptio, erant præ ingenti metu elingues, ac vt maximè vellent, aut quoque possent mutire, vel hiscere non audentes.

Cur hi Pauli comites surdi facti sint.
s in Indice.

Obstupuit, inquit Poëta[t], *steterúntque comæ & vox faucibus hæsit.* Ex eadem terroris causa, & improuisa immani voce inducitur aliquando surditas, vt bombus quidam duntaxat, & inconditus audiatur sonus, voxque, non articulatè ac distinctè. Quo sensu vera erunt, quæ sibi aduersari videntur in proximè sequentibus verbis, quibus dicitur hos comites Sauli vocem audiuisse, & in capite 22.[u] vbi est, non audiuisse. Quanquàm aliter ista conciliari posse mox videbimus. Syra editio amplexa est vltimam significationem vtens participio תמהין *thamhin*, id est, *attoniti*.

t 2 Æneid.
u vers. 9.

Audientes quidem vocem.] Conciliatio quam attuli, est Bedæ in capite 22.[x] necnon Eucherij[y]. Hoc autem loco Glossa ordinaria, & Lyranus, & Hugo, & Carthusianus, & Caietanus, & alij passim in hunc locum, necnon Augustinus[z], explicant vocem CHRISTI minimè auditam, sed Pauli, quoniam Paulus ipse ita narrat: *Vocem non audierunt eius qui loquebatur mecum.* Facilior videtur prior expositio: nec enim constat vocem CHRISTI huiusmodi fuisse, vt æquè à sodalibus, atque à Saulo ipso clarè exaudiri non quiuerit, nisi ad diuinam voluntatem recurramus, quæ vt præsentiam CHRISTI ab aliorum oculis, ita ab eorundem auribus eiusdem vocem subtraxerit. Dici posset vocem CHRISTI non audiuisse, quia nesciebant esse CHRISTI: vel quoniam CHRISTVS nomen proprium IESV expressit, & cognomen Nazareni, ideò dici non audiuisse, quia quid ea vox verbáque sibi vellent, non percipiebant. At magis, vt dixi, expedita solutio prima. Nec admodùm probabile est quod ait Oecumenius: si CHRISTI ipsius vocem audiuissent, conuertendos fuisse, vt patet ex his, quæ priùs dixi. Placet potiùs quod idem notat ideò non credidisse, destitutos nempe vocatione efficaci, vt essent magis idonei testes eius, quod circa Saulum contigerat, nec ad gratiam testificari viderentur. Chrysostomus putat, quòd etiamsi audissent, increduli tamen permansissent. *Qui non credit, non audit, vt qui tanquàm tonitruum*, inquit Ambrosius[a], *cœlestem audierat vocem.*

x vers. 9.
y in Quæstio. noui Testam. ex Act. Apostol.
z in Psal. 67. *Responsio quomodo comites Pauli Christi vocĕ audiuisse, & vi audiuisse dicantur.*
a de Fide. ca. vlt.

Neminem autem videntes.] In capite 22.[b] dicuntur lumen vidisse, & Saulum profectò viderunt, sed neminem prætereà, proindéque non illum, cum quo is loquebatur.

b vers. 9.

Versus 8.] **Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.**

SVRREXIT *autem Saulus de terra.*] *Modo sponte surrexit videlicet*, inquit Glossa interlinearis, *quasi priùs, vel non potuerit, vel noluerit, expectans iussionem vocantis. Non fui incredulus*, inquit Agrippæ, *cœlesti visioni*[c], *& continuò non acquieui carni, & sanguini*, scribit ad Galatas[d].

c Act. 26. 19.
d cap. 1. 16.
An Paulus nihil planè viderit.

Apertisque oculis nihil videbat.] οὐδένα ἔβλεπεν, *neminem videbat*; quod posset intelligi de persona illa, hoc est, de CHRISTO, quocum anteà coràm loquebatur: sed quæ sequuntur, conuincunt, nec vllum alium de comitibus vidisse, à quibus oportuit eum trahi, ac deduci. Syrus interpres expressit eundem sensum hoc modo, ולא מתחזא הוא לה מדם כד עינוהי פתיחן הוי *vela methcheze hava leh medem*

medem chad bhenaubi pethichen hauei, id eſt, *neque conſpectum ſeu, viſum erat ei quicquam, quando oculi eius aperti erant*, vel, *nihilque ei apparuit, cum oculi eius eſſent aperti.* Magis perculit Sauli oculos copioſa illa lux, quàm comitum, *ne*, inquit Oecumenius, *communis afflictio exiſtimaretur, & quæ caſu contigiſſit, ſed à diuina prouidentia.* Carthuſianus putat propter mẽtis raptum, caruiſſe vſu ſenſuum, ſed quòd tunc extaſim paſſus non ſit, ſuperiùs dixi, & dicam magis inferiùs. Tertullianus [a] appellat *plagam orbationis*, & *periculum luminis* [b], id eſt, oculorum: Auguſtinus [c], *ademptum lumen oculorum carnalium*: & alio loco [d], aſſerit cæcum factum: Aponius [e], *nube cæcitatis ab alto directa illigatum*: Ambroſius [f], *effuſa luce cæcatum*: Chryſoſtomus [g] eodem modo. Videntur paſſim omnes exiſtimare, fuiſſe in Sauli oculis veram orbitatem, & cæcationem, priuationémque potentiæ viſiuæ, ſeu corruptionem organi viſus, & nominatim Chryſoſtomus comparat cum illa, qua percuſſus eſt Elymas Magus à Paulo [h], idque ſatis indicant ſquamæ poſteà decidentes ex oculis ipſius, & tota ſeries hiſtoriæ, atque curatio facta per Ananiam.

Paulus quomodo cæcus remãſerit.

a lib. de Bapt. c. 13.
b lib. con. Praxeam. c. 15.
c in Pſa. 67.
d Serm. 14. & 28. de Sanctis.
e lib. 1. in Cãt.
f lib. de bened. Patriarch. c. vlt.

Paulus amiſit omnem oculorũ ſenſum.
g hoc loco.
h Act. 13. 11.

Sodomitæ illi, quos ANGELI percuſſerunt cęcitate [i], habuerunt priuationem viſionis quãtùm ad ianuam domus Lot, cuius domus ſitum, figuram, & magnitudinem non diſcernebant, quamlibet ipſimet errando quærerent. Idem videtur iudicium eſſe de Balaam, qui ANGELVM non videbat viſum ab aſina [k]. Vocat Auguſtinus [l] hoc genus cæcitatis (quam etiam Eliſæus inflixit militibus, quos rex Syriæ miſerat ad ipſum comprehendendum [m]) Græco nomine ἀορασίαν, quæ poſſet Latinè, ſi ferret vſus, dici *auidentia*, & definit eſſe, *quando aliquid à quibuſdam non videtur, quamuis adſit, à quibus alia, quæ pariter adſunt, videntur.* Theodoretus [n] comparans viſionem Danielis [o], & ſociorum terrorem, propter quem illam diſtinctè non perceperant, cum hoc præſenti caſu, dictionem quoque τὴν ἀορασίαν vſurpat, & illum terrorem vocat ἔκστασιν. Conſtat nimio ſplendore debilitari aciem oculorum, diſgregari obtutum, obliterari, penitúſque deleri. *Tanto fulgore maieſtatis apparuit* CHRISTVS, ait Rupertus [p], *vt eum quem vocabat, cæcum faceret, atque ſua claritate lumen corporeum extingueret hominis infirmi, vt veri luminis virtutem ferre non ſuſtinentis.*

Sodomitæ nõ fuerunt percuſſi cæcitate, ſed viſionis priuatione.
i Gen. 19. 11.
k Num. 22. 31.
l q. 43. in Gen. & 22. de Ciu. c. 19.
Quid ſit ἀορασία ſeu auidentia.
m 4. Reg. 6. 18.
n orat. 10. in Dan.
o Dan. 10. 7. 8.
p 4. de operibus Spir. ſancti c. 19.

Democritum Philoſophum hiſtoriæ quidem produnt, vt philoſopharetur liberiùs, luminibus oculorum ſua ſponte ſe priuaſſe, ſed qua ſolertia id fecerit, Laberius poëta citatus à Gellio [q] his verſibus deſcripſit: licèt cauſam voluntariæ cæcationis fingat aliam, vertens in eam rem quam tum agebat:

Democritus ſe philoſopharetur ſtrauit oculis.
q lib. 10. c. 17.

Democritus Abderites phyſicus Philoſophus, clypeũ
Conſtituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere vt poſſet ſplendore æreo, ita radiis
Solis aciem effodit luminis, malis bene
Eſſe ne videret ciuibus: ſic ego
Fulgentis ſplendore pecuniæ volo
Elucificare exitum ætatis meæ,
Ne in re bona videam eſſe nequam filium.

Galenus [r] quoque multis exemplis docet, à ſplendida, ac vehementi luce oculos noſtros offendi: ſic Xenophontis milites læſos oculis fuiſſe, quòd per multam niuem iter feciſſent: ſic Dionyſium Siciliæ tyrannum domum ſuper carcerem conſtruxiſſe clariſſimam, ac longè ſplendidiſſimã, calce illitam, in quam vinctos ex imo, & obſcuriſſimo carcere, in quo diu detenti eſſent, eduxiſſe, vt

r lib. 10. de vſu partium c. 3.
Exempla eorum qui nimia luce cæcati ſunt.

A occæcarentur tantæ lucis occurſu repentino, & conferto: ſic multos in Solis defectibus, dum fixis oculis Solem intuerentur, imprudentes prorſus fuiſſe cæcatos. Myſticos ſenſus, quos Gloſſæ tradunt, S. Bernardus, & B. Vincentius, aliique in Commentariis atque Sermonibus, prætermitto.

Obſeruant iſti quo DEVS ordine vocare ſoleat *illuminando*, vt ſe quis agnoſcat qualis ſit: *proſternendo*, vt ſeipſum, ſuas ſpectans peccatorum ſordes, humiliet: *appellando perſecutorem*, vt attendat grauitatem peccati, & reſpondeat tota obedientis animi propenſione: *excæcando*, vt hæc omnia nihili ducat, quæ carnis cernuntur oculis: *iubendo ciuitatem ingredi*, vt ſalutis remedia, monitáque capiat ab aliis. Haud dubium, quin iſta cæcitas, ac ieiunium triduanum pœnæ, ac ſatisfactionis cuiuſdam nomine à DEO inflicta ſint, necnon præparationis ad gratiam recipiendam. Aptari huc poſſunt verba Balaam [s] arioli, qui pro maledictione coactus eſt benedictionem populi DEI pronunciare: *Dixit Balaã filius Beor: dixit homo, cuius obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum* DEI, *qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt: qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius.* Ceciderat verò Balaam cum aſina, & Angelum, qui ab illa videbatur, ipſe nõ videbat [t]. Extat præterea apud Patres cõparatio cum altero Saulo, ſeu Saül rege, qui erat etiam de tribu Benjamin, ſicut noſter Saulus. Eam ponit Auguſtinus [u], & Tertullianus [x], quorum vterque ſimilem facit Dauidi, quẽ ille perſequebatur, CHRISTVM, quem Saulus. De eodem intelligitur vaticinium Iacob [y]: *Benjamin lupus rapax manè comedet prædam, & ad veſperam diuidet ſpolia*, vt exponit Auguſtinus [z], & in Geneſim Theodoretus, Beda, Rupertus, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Ruffinus, Iſidorus, & præterea Hilarius [a], Tertullianus [b], & Innocentius III. [c] Petrus Bleſenſis [d], & rurſum Ambroſius [e], & Hieronymus [f], & Gregorius [g], & Rupertus [h], ſic accipiens de ipſo verba Pſalmi [i], *Benjamin*, quia de hac erat tribu, *adoleſcentulus*, quia minimus Apoſtolorum, *in mentis exceſſu*, quia raptus eſt, quia in via ſtupefactus, quia ſtupebant omnes de conuerſione ipſius. Subdit ibidem egregiam comparationẽ vocationis Pauli cum vocatione aliorum Apoſtolorum: & obſeruat, cùm iure belli talis hoſtis occidi potuerit à CHRISTO, meritò ſe ſolere CHRISTI ſeruum nominare, quoniam CHRISTVS ei donauit vitam, & tantis præterea beneficiis affecit.

Qualiter Deus homines ad ſuũ trahat obſequiũ.
s Num. 24. 3.
Paulus comparatur cum Balaam.
t Num. 22. 27. 28.
Quomodo etiam Sauli regi fuerit ſimilis.
u Serm. 3. de verb. Apoſt.
x 5. cont. Mar. c. 1.
y Gen. 49. 27.
z Serm. 14. de San.
a in Pſa. 67.
b in Scorp. c. 13. & 5. cont. Mar. c. 1.
c Ser. 1. de cõuer. S. Pauli.
d Ser. de eod.
e in Pſal. 118. octonario 6.
f lib. 4. in c. 11. Iſaiæ.
g 28. mor. c. 11. vel 9.
h li. 4. de operib. Spiritus ſancti. c. 19.
i Pſal. 67. 28.

Fuit Saulus de tribu Benjamin [k] *lupus rapax*, quia ingenio acer, ferox, vehemens, *manè*, hoc eſt, ante conuerſionem, *rapiebat prædam*, perſequendo Eccleſiam, *veſpere*, poſtquàm conuerſus eſt, *diuiſit ſpolia*, conuertens ipſe plurimos. Matri Synagogæ, vt pridem dicebam, & ait Ambroſius [l], dolorũ, ac interitus, vt Benjamin ille [m] genitrici ſuæ, cauſa fuit, vel, vt Iſidorus [n], afflixit filios Eccleſiæ, priùs Benoni filius doloris, tum Benjamin filius dexteræ: denique poſtremus erat inter Apoſtolos, ſicut Benjamin inter Patriarchas, & ſingularibus priuilegiis à Ioſeph, hoc eſt, à CHRISTO, condecoratus, vt notat idem Ambroſius [o]. Quò ſpectat etiam id, quod eſt in Pſalmo [p], *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.* Extaſim enim paſſus eſt; & cum de ipſo locum interpretatur ibi Auguſtinus, dicitque neminem id ambigere. Et ſanè ita etiam exponit Hieronymus, etſi non placet, exceſſum accidiſſe in via ipſa Damaſcena, vt voluit vterque, niſi per exceſſum cum Hilario, cuius ea-

Aptatur benedictio Benjamin Saulo & virtus quæ comparatio.
k Rom. 11. 1. Philip. 3. 5.
l in Mich. obſeru. 1. & libr. de ben. Patr. c. vlt.
m Gen. 35. 17. 18.
n in Pſal. 67.
o libro de Ioſeph. c. 10.
p Pſalm. 67.

dem illa explicatio est, pauoris consternationem intelligamus. In eàdem sententia est Basilius, & Theodoretus,& alij, & de Ruperto antè dixi.

a vers.11.

Quomodo Paulus Damascum sit introductus.

Ad manus autem trahentes introduxerunt Damascum.] In capite 22. [a] sic legimus: *Et cùm non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus, veni Damascum.* Fieri potuit, vt eum comites in iumentum imposuerint, & alligauerint, ne decideret, vel equitatem circũsteterint, vel etiã vehiculo deduxerint, manibus priùs prehensum,ac deductum.Historia Scholastica, & Glossa interlinearis manibus suis tenuisse dicunt manus illius, & quasi cæcum duxisse:quod etiam satis innuit Augustinus [b]. Carthusianus ait adeò destitutum viribus fuisse præ timore,stupore,contemplatione,vt per se ingredi non posset.Eo modo quo Daniel de seipso Angelum alloquens dicebat [c]: *Domine, in visione tua dissoluta sunt compages meæ,& nihil in me remansit virium.* Participium χειραγωγοῦντες indicat sublatum, ac deductum manibus alienis. Fauet coniectura, vt qui vinctos perducere in Ierusalem CHRISTI fideles Damasci agentes volebat, vinctus ipse quodammodò perduceretur Damascum spolium ac mancipium CHRISTI. *En qui festinabat, qui vbique circumcursabat*, inquit Chrysostomus [d], *opus nunc habet aliquibus, qui manuducant:quique vt spolium Diaboli, ac vasa capta quasi ciuitate introducant omnibus videntibus. Ligatus introductus est*,inquit idem, [e] *non circumpositis illi vinculis,& trahebant illum, qui sperabat se alios tracturum.* Mirabile spectaculum,magni concursus omnium ordinum,varij sermones tum in via Sauli,comitúmque,tum in media Damasco ciuium cum istis, & inter se. Non parcebat proculdubiò Saulus gemitibus, & suspiriis,ac,vt mihi quidem persuadeo,Stephanum identidem memorabat, & inuocabat, agnoscens fructum precum eius pro lapidantibus in sua vocatione ista.

b Serm.15.de Sanctis.

c cap.10.16.

Mutatio dexteræ Excelsi.

d hom.de cõuer.Pauli.

e in hunc locum.

Quomodo in via & in vrbe se habuerit.

Versus 9.] Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit,neque bibit.

ET *erat ibi tribus diebus non videns.*] Probabilis ratio hinc ducitur ad probandum facultatem ipsam visiuam ablatam Saulo esse, vel organum corruptum:nihil enim prorsus tanto tempore videbat,quòd in ἀορασίᾳ non contingit.Lege versum præcedentem.

Quid fecerit in triduo.

Et non manducauit, neque bibit.] *Compungebat se propter ea quæ fecerat*, inquit Chrysostomus,*confitebatur,precabatur,orabat* DEVM, *& seipsum mirum in modum pœna dignum indicabat*, inquit Oecumenius, *ob Ecclesiæ persecutionem, tristisque* DEVM *deprecabatur, vt sibi remitteret.* Lyranus sustentatũ ait cœlesti visione, vt Mosem in monte per quadraginta ieiunij dies [f]. Testatur esse communem opinionẽ, hoc triduo contigisse raptum illum vsque ad tertium cœlum, de quo ipsemet meminit [g]. Sed tridui abstinentia à cibo non eget miraculo. Beda,Glossa ordinaria,Hugo,Historia scholastica existimant hoc tempore didicisse diuinitùs Euangelium, idque probant, tum quia mox prædicauit,tanquàm cui congruant verba Psalmi [h]: *Eloquium Domini inflammauit eum*: tum quia in epistola ad Galatas negat contra eos, qui, vt ait Comestor [i], nominabant eum Apostolum Ananiæ,*se ab homine accepisse Euangelium, sed per reuelationem* IESV CHRISTI [k]. Hac de causa Rupertus [l] notat in omnibus epistolis, præterquã ad Hebræos, apponere Paulum,sibique tribuere titulum Apo-

f Exod.24.18. & 34.28.

Raptus in hoc triduo contigit.

g 2.Cor.12.2. 4.

h Psal.104.19.

i in Act.c.46.

k Gal.1.12.

l 4.de operib. Spir. sancti.c. 19.

A stoli IESV CHRISTI, ne videretur ceteris inferior, quos viuens hic CHRISTVS designauerat, & super quos in Pentecoste SPIRITVM sanctum miserat.

De raptu dicto expressè docet Carthusianus hoc loco,& in epistola ad Galatas ait in eodem didicisse Euangelium. Augustinus [m], vt priore versu dixi, videtur velle contigisse raptum in ipsa via, necnon Hieronymus.Sed exponi possent, vt ibidem notaui, de pauore, qui animum abalienat. Ioannes Arboreus,declarans posteriorem ad Corinthios epistolam [n], probabile ducit, illam quidem epistolam scriptam à Paulo circa principium

m in Psal.

Quomodo dicatur raptus in eadem vicinia esse.

n cap.12.

B Imperij Neronis,ab huius verò Imperij principio computando retrò quatuordecim annos, deprehendi tempus conuersionis Pauli, quo scribit se visionem,siue *raptum habuisse ante quatuordecim annos. Nam conuersus est*,inquit,*anno,quo* CHRISTVS *passus est,passus est autem* CHRISTVS *circa finem Tiberij: huius successor Caius vixit quatuor annis, post quem fuit Nero; & sic additis duobus de tempore Tiberij, quia nondum mortuus erat, quando Paulus est conuersus,& octo de tempore Neronis,quod fluxerat,vsque ad tempus,quando scripsit dictam epistolam,existunt anni quatuordecim à tempore conuersionis.* Transcripta sunt hæc ex S. Thoma [o], vt idem Auctor etiam profitetur: & vterque idem indicat in epistolam

o in eundem locum lect 1.

C ad Galatas [p]. Eandem tuetur sententiam Lyranus [q],etsi paulò aliter init numerum annorum sub Imperatoribus. Idem sentit Carthusianus [r], & Ioannes Driedo [s]. Baronius [t], quem sequitur Pererius [u],prorsus improbat calculum istum temporis, quoniam putat epistolam ad Corinthios secundam editam longè post,hoc est,anno Redemptoris nostri quinquagesimooctauo, qui est non decimusquartus à Pauli conuersione, sed vigesimusquartus,aut quintus:atque contigisse raptum Pauli post triennium à conuersione ipsius, à quo anno vsque ad tempus dictæ epistolæ anni decem & septem intercurrerint. Sed si hoc ita est, non fuit epistolę illius coniicienda scriptio in octauum supra quinquagesimum CHRISTI annum,sed in

p in c.1 vbi S. Thomas lect. 1.

q in c.12.2.ad Corinth.

r ibidem.

s 1.de Script. Eccl. c.2. p.3.

Baronij sententia de tempore quo raptus contigerit.

t to.1. Annal. anno Christi 58.

u in epist. ad Rom. in prolegom. disput. nu.18.

D quinquagesimumquartum, vel quintum, & non verum exactè dixisset Paulus *sibi accidisse eam visionem quatuordecim annis* priùs quàm epistolam scriberet, si à conuersione septemdecim intercurrerunt.

Paulus ipse testatur Galatis post annos tres venisse Ierosolymam [x]: & narrata conuersione subdit *se orantem in templo factum* [y] *in stupore mentis*: ibi igitur, eoque tempore, nempe CHRISTI anno trigesimooctauo, probabile est concessam Paulo mirabilem ecstasim.Iuuat coniecturã meam Adelmannus [z], grauis,& antiquus Pater,cui indignum esse videtur,vt Saulus adhuc infidelis (sic ipse loquitur) raperetur in cœlum. Videtur vtcumque

Quando acciderit raptus, Auctoris sententia.

x Gal.1.18.

y Act.22.17.

z ep.ad Berẽganũ de Euchari. Tom.3. Biblio. Patrũ.

E Damasus [a] fauere opinioni de raptu in triduo illo:

Mutatus postquam placuit de nomine Paulus
Mira fides rerum,subitò trans æthera vectus
Noscere promeruit,possint quid præmia vitæ,
Conscendit claris Martyr penetralia CHRISTI,
Tertia lux cœli tenuit Paradisus euntem.

a in carm. de Paulo Apost. Tom 3. Biblio. Patrum.

Paulus ex his triduo etsi non plenè instructus fuit, tamen fuit instructus sufficienter de rebus fidei.

Sed acquiescendum priori sententiæ, sic tamen, vt satis eo triduo edoctum Saulum fateamur de Euangelio, prout ipsemet Galatis significat [b], & mox à Baptismo reipsa comprobauit [c], & præter Bedam, Comestorem, alios, Rupertus [d] docet. Hoc postremum qui neget, non legi: nec negat sanè Sixtus Senensis [e], dicitve Paulum Euangelium à Luca & Marco didicisse: *sed Euangelicæ hi-*

b cap. 1. 12.

c Actuum 9. 20.22.

d 4. de operibus Spir. sancti.c.18.

e 1.Biblioth. Luca.

storia

storiæ narrationem, siue expositionem: sicut & Origenes [a] loquitur, quem citat, hoc est, res à CHRISTO dictas, gestásque particulariter.

a dialogo de rectâ in Deû fide, non longè à princ.

Versus 10.] Erat autem quidam Discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine.

ERAT *autem quidam Discipulus Damasci.*] Rectè Saulus lupus committitur Ananiæ oui, quam ipsius nomen significat (etsi alij *nubem Domini* interpretentur) diximúsque capite quinto [b] de etymologia huius nominis, quam hoc loco Glossa interlinearis ait esse *gratia* DEI, vt iuxta Esaiæ [c] vaticinium habitet lupus cum agno.

b vers. 1.

c cap. 11. 6.

O noua palma! lupum domat ille rapacem
Hebræus, quem dixit ouem, inquit Arator.

Tradit eandem notionem ac rationem nominis Ananiæ Hieronymus [d], dicens, lupum hunc rapacem Benjamin, oui caput submisisse. Et eôdem antè alluserat non semel [e]. Chrysostomus ait, *hûc valdè fuisse insignem, cùm tam liberè* CHRISTO *ipsi responderit, &* CHRISTVS *tam ei perspicuè futura exposuerit, quod nec Angelus cum Philippo fecerat* [f]. Oecumenius facit vnum de septuaginta Discipulis, & Diaconum, & huius rei testem citat Paulum ipsum in Canonibus: tunc autem propter persecutionem Presbyterum nullum ibi fuisse. Quòd non fuerit ex septem Diaconis primis, constat. Inter LXX. Discipulos ponit eum etiam Dorotheus [g], & Damasci asserit Episcopum; Gagneius ex tribu Iuda; Petrus de Natalibus [h] nominat solummodò Discipulum Apostolorum, *& post conuersionem Pauli ordinatum dictæ ciuitatis Episcopum, in qua & quieuerit eo ipso die, currentibus aliquot annis, quo baptizauerat Paulum.* Martyrologium *hoc ipso die*, videlicet Ianuarij quinto & vigesimo, tradit *post prædicatum etiam Eleutheropoli Palæstinæ, aliisque in locis Euágelium, lapidibus Martyrium Damasci consummasse.* Idem est in Menologio Calendis Octobris, vbi quoque censetur inter Septuaginta.

d epistol. 1.

e in c. 11. & 65. Esaiæ.

Ananias quis fuerit.

f Act. 8. 1.

g in Synopsi.

h lib. 3 ca. 11.

Fuit Episcopus Damasci.

Canó, quem citat Oecumenius tanquàm Pauli, videtur esse is, qui nomine eius habetur apud Clementem [i], vbi excusat Ananiam, quòd se baptizauerit, quamuis presbyter non esset, id enim fecisse iussu CHRISTI Pontificis ac DEI [k], perinde vt Philippus Diaconus Eunuchum baptizauit. Sed ibi non appellat eum Diaconum, sicut affirmat Oecumenius, verùm duntaxat fidelem fratrem.

Cur baptizauerit non ordinatus.

i lib. 8. Const. c. vlt.

k Act. 8.

Augustinus [l] indicat fuisse saltem presbyterum, cùm baptizauit Saulum, ait námque *hunc ad illum esse missum, vt illo Sacerdotio, quod in Ecclesia constitutum est, Sacramentum doctrinæ Fidei perciperet, & verus eius approbaretur color.* Cassianus [m] vocat *Seniorem*, hoc est, superiorem, ac doctorem Sauli. Ipsemet Apostolus hoc de suo spirituali patre elogium coram Agrippa edidit [n]: *Ananias quidam*, inquit, *vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus* (Damasci) *Iudæis.* Hæc laus minùs reddebat suspectum Ananiæ testimonium de Saulo: tum verò cùm non esset Apostolus, nec forsan de primis septuaginta Discipulis, poterat liberiùs dicere *Saulum non ab homine accepisse, vel didicisse Euangelium, sed per reuelationem* IESV CHRISTI [o]. In Turcogræcia narratur Ananiæ domum Damasci conuersam posteà in templum Christianorum. Diuino autem videtur etiá factum consilio, vt Romæ in celebri S. Pauli Basilica, baptizatoris Ananiæ caput vnà cum Stephani capite religiosè custodiatur.

Fuit sacerdos presbyter.

l lib. 2. Quæst. Euang. q. 47.

m collat. 2. c. 15.

n Act. 22. 12.

o Gal. 1. 12.

Et dixit ad illum in visu Dominus.] *Forsitan tempore somni*, inquit Carthusianus, & satis indicat Oecumenius: qui modus frequens est in Scriptura, ac de illo aliquid egimus capite secundo [p]. Græcè est, ἐν ὁράματι, quod nomen, inquit Beda [q], & Iuuencus Presbyter in Euangelico carmine posuit, dicens:

p vers. 17.

q Retract. in Acta.

Horomatis huiusce expertes reddite cunctos.

Non aliam aliquam illustriorem personam traxit, aut ad Pauli instructionem transmisit, quoniam per homines inducturus eum non erat, sed per ipsum CHRISTVM, *nihilque Saulum Ananias docuit, sed baptizauit solùm*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius: & hoc ipsum ipsemet Apostolus, vt corroboret auctoritatem suam, exaggeratè pronunciat [r], vt modò retuli, & in particulari dum tractat de mysterio EVCHARISTIÆ [s].

Cur alius ad Paulum missus non fit.

r ad Gal. 1. 1. 11. 12. 13. & seq.

s 1. Cor. 11. 23.

Ecce ego, Domine.] Prompta, benéque instructa obedientia. Cognouit enim vocé vocantis, quam adhuc puer Samuel non cognoscebat [t], & confestim vocanti ad obediendum, alacrem se paratúmque exhibuit. Vocatus à DEO Abraham [u], & ab Angelo Iacob [x], siue etiam à DEO [y], responderunt, *Adsum.* Eodem modo Moses [z], item Balaam accersitus à Balac [a], Miphiboseth à Dauid [b]. Samuel verò existimans se vocatum ab Heli, ad eum accurrens respondit, *Ecce ego* [c]. Et Esdras cùm vocaretur à Domino [d], dixit, *Ecce ego, Domine.* Esaias quoque iisdem verbis obtulit se mittendum, quò vellet DEVS [e]. Stellæ ipsæ à DEO vocatæ dixerunt, *Adsumus* [f]. Vocare DEI est imperare, vt cùm apud Prophetas *vocare* scribitur *famem, gladium, formidinem* [g], &c.

t 1. Reg. 3.

Obedientia plurimorum commendatur.

u Gen. 22. 1. & 11.

x Gen. 31. 11.

y Gen. 46. 2.

z Exod. 3. 4.

a Num. 22. 38.

b 2. Reg. 9. 6.

c 1. Reg. 3. 4. 6. 8.

d lib. 4. 14. 2.

e cap. 6. 8.

f Baruch 3. 35.

g Psa. 104. 16.

Versus 11.] Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat.

ET *Dominus ad eum: Surge, & vade.*] Vel iacenti imperatur, vel alacritas, & celeritas, vt non semel monuimus de verbo surgendi [h], hoc verbo significatur.

h Act. 5. 6.

In vicum.] Vicus inter alias significationes accipitur etiam in illa, quæ proposito congruit, hoc est, pro via publica, siue platea intra ciuitatem, vt præter alios docet Isidorus [i], etsi posset quoque sumi pro suburbio: ciuitatem enim dicitur intrare etiam is, qui intrat suburbium. Ciuitas diuiditur in regiones, hæ in vicos, isti in ædes: & est vicus, vel vrbanus, vel paganus remotus ab vrbe ac suburbio. De vrbano est sermo. Græca vox ῥύμη propriè est tractus ille viæ in vrbe vtrimque ædificiis septæ, valétque idem quod πλατεῖα, vel Homericum nomen ἀγυιά, & non dissimile Latinum angiportus.

Vicus nomê quid hic sit.

i lib. 15. Originum. c. 2.

Qui vocatur Rectus.] De vicis, viisque & cliuis Romanis, vnde nomina sumpserint, disserit Alexander ab Alexandro [k] cum Tiraquello, monétque partim à conditoribus, nonnunquàm à variis euentis denominatos; plerumque, qui loca vrbis incoluissent, transmisisse ad posteros denominationes ex suismet nominibus. Similitudinem noster hic vicus Rectus habet cũ eo, qui dicebatur in Vrbe vicus longus [l], aut via lata [m], aut Fornica-

k lib. 2. c. 18. 6.

l Val. Max. li. 2. c. 1. Liuius l. Dec. lib. 10.

m Publ. Vict. in 7. regio.

a Liu.3. Dec. lib.2.
b lib. 4. Epig. in 73. vel 70.
c cùm de templo Martis.
d de rep. Romana.
e in lusu de morte Claudij.
f lib.6.c.19.

ta [a], &c. Ibidem viam Rectam fuisse, testis est Martialis [b]:

Lingonum à Recta, Flaminiáque via.

& Ouidius [c]:

Appositum Recta porta Capena via.

Ducebatur, vt ait Panuinus [d], per longitudinem campi Martij. Meminit quoque Seneca [e] viæ Rectæ. Legendus Marlianus [f].

Quis fuit Iudas hospes Pauli.

In domo Iudæ.] *Hospes hic erat Sauli*, vt ait Lyranus, & Carthusianus, idque probabilius, quàm quod Glossa interlin. esse nomen tribus Iuda, atque Ananiæ imperari, vt inter Iudæos quærat Saulum. Historia Scholastica præter hos dicendi modos tertium addit, vt domus significet vicum assignatum Iudæis.

Iudæi Damasci locum proprium incoluerunt.

Fieri quidem potuit, vt Damasceni separato quodã propriòque in loco voluerint degere Iudæos, sicut non modò solùm, sed & sub Imperatoribus Gentilibus Transtiberinam in vrbe regionem incoluerunt, Philone teste [g], & Martiali [h], qui cum irrisione Iudæum cognominat *Transtiberinum ambulatorem.* Quanquàm hoc tempore Iudæi cis Tiberim Romæ habitant. Sed prima sententia simplicior, ac verisimilior est. Nescio an Iudas hic idẽ dicendus sit cum illo, quem hæc eadem historia inferiùs cognominat Barsabam [i], & numerat inter primos fratres [k], atque etiam Prophetas. Id si est, vel Saulus iam animo Christianus ad Christianum diuertit, vel Iudas Sauli conuersione, ac prædicatione audita, aliáve ratione posteà Christianam religionem est amplexus. Faber Stapulensis [l] hoc ipso iam tempore Christianum putat fuisse.

g de legat. ad Caium.
h lib. 1. Epigr. 35. in Cæciliũ.
i cap.15.22.
k ibidem.
l in ep.1. Dionysij.

Patria Pauli quæ fuerit.
m lib. de Scri. Ecc. in Paulo.

Tharsensem.] Hieronymus [m] tanquàm communem de Paulo opinionem recitat ex oppido Iudææ Giscalis fuisse, capto verò illo à Romanis cum parentibus ipsius, Tharsum Ciliciæ commigrasse. Meminit Iosephus [n] Giscalæ munitissimum oppidum à Tito expugnatum, nec alius est qui id factum priùs memoret, quando duce Pompeio Iudæa subacta est nonagintasex annis ante hoc tempus, quippe Olympiade cẽtesima septuagesimanona, anno secundo, vt est apud eundem Iosephum [o], & Eusebium [p], atque sexcentesimo nonagesimoprimo ab Vrbe condita, vt habet Dio [q]: quando autem vixit Paulus, nihil oppida Iudææ passa leguntur à Romanis, quibus prouincia parebat. Itaque meritò idem Hieronymus [r] alio loco illum de patria Pauli rumorẽ commentitium, & fabulosum vocat, & in quadam epistola [s] natum, ac nutritum Tharsi docet, ideóque vocatum Tharsensem, & Tharsensi scribẽdo dictione vsum. Beda [t] Tharsi educatum duntaxat scribit, indéque cognomen, vt à Nazareth CHRISTVM, accepisse; natum Giscalæ, sicut natus est CHRISTVS in Bethlehem. Eadem sententia Andreæ Masij [u] de Giscala, necnõ Ariæ Montani [x]; distinguũt verò alij hoc Galilææ oppidum munitissimum, vt vocat Iosephus [y], à Giscali, quæ pertinet ad tribum Benjamin, de qua tamen tribu Saulus erat. Sed Paulo ipsi natale suum prodenti solùm credendum est. *Ego*, inquit [z] pro concione, *sum vir Iudæus natus in Tharso Ciliciæ.* Quibus etiam ex verbis confutantur Ebionæi, qui, vt Epiphanius [a] testis est, contendebant Paulum fuisse origine Græcum, factum verò posteà proselytum, vt consequi vxorem posset filiam Sacerdotis, quam adamauerat. Accedit quòd libenter se Paulus, gloriosèque, si æquè verè potuisset, non tantùm Iudæum, sed & inter Iudæos natum; in ipsa videlicet prouincia Iudæa professus esset, ad magis sibi concilian- dos Iudæorum animos, quam ad rem argumenta alia contulerat. Fieri potuit, vt Maiores Pauli Giscala migrarint Tharsum, vel non coacti, sed voluntarij, eo modo, quo tam multi alij Iudæi orbem coloniis, vt ait Philo [b], repleuerunt, vel occasione belli sub Antiocho Epiphane gesti, quemadmodum idẽ Epiphanius [c] significat. Denique non est qui dicat, Giscalæ ciuilitatis Romanæ communicatum beneficium, quo veluti gloriatur Paulus [d]: sicuti de Tharso produnt Dio [e], & Plinius [f] (Strabo [g] ab eruditione plurimùm celebrat etiam apud Romanos) qui nominat liberam ciuitatem, Ignatius quoque scribens Tharsensibus, Pauli ciues, ac discipulos vocat.

n 4. de bello Iud. cap.4.
Iudæa à Põpeio quãdo subacta.
o 14. Ant. c. 8.
p in Chron.
q lib.47.
r in ep. ad Philem. sub finẽ.
s epi.15.q.10.
t in c.21. Act.
u in c.19. Iosu. vers. 10.
x in Apparat.
y 4. de bello Iud. cap.4.
z Act.22.3.
Ebionæi de Paulo quid senserint.
a Hæresi 30.
Paulus fuit Tharsensis.
b lib. de leg. ad Caium.
c supra.
d Act.16.21. 37. c.22.25.
e lib.47.
f lib.5. c.27.
g lib.14.

Tharsus vnde nomen duxit.
h Antiq. li. 1. c.6. & lib. 9. c. 11.

Porrò Tharsus, aut sine aspiratione Tarsus, mutato θ in τ, vt notauit Iosephus [h], Ciliciæ vrbs princeps est, deditque toti prouinciæ nomen, vt Tarsus quoque diceretur. Hoc non modò idem Iosephus tradit (id verò quod de permutatione literarum ait, apparet in aliis, vt in Palæstinis pro Philistiim, Carmelo pro Charmel, Sarepta pro Sareptha, Cittio pro Chetim, Iapet pro Iaphet, vt omittam ex vocabulis Græcis trophæum pro τρόπαιον) sed etiam Hieronymus [i], Glossa item interlinearis, Hugo, Lyranus, Lippomanus, & Pererius, aliique in Genesim [k], Iansenius, & Genebrardus in Psalmos [l], Ioannes Cathardus, & Franciscus Ribera in Ionam [m], qui omnes agnoscunt impositionem huius nominis à nepote Iaphet eiusdem appellationis, hoc est, *Tharsis* filio Iauan. Quo modo posteà sit factum, vt Tharsis nomen de omni mari Mediterraneo, & de huius maris celeberrima vrbe Carthagine, vel Africa etiam tota, atque deinceps de Oceano, ac de lapide quodã pretioso, alitérve de aliis rebus diceretur, consule citatos Auctores, & rursum Pererium in Danielem [n], nósque ipsi aliquid ad caput secundum Esaiæ diximus. Appellat Iosephus [o] ἀλογωτάτην celebratissimam. Solinus [p] *matrem vrbium:* vocatur hoc tempore Turcomania.

i in locis Hebrai.
k c.10. Peret. lib.15. vers. 4. n.21. & seq.
l in Psal.47.
m cap.1.
n lib.11.
o 1. Antiq. c. 7.
p cap.47.

Ecce enim orat.] Syrus interpres ex his verbis, quæ cum sequentibus nectit, exorditur sententiam hoc modo, הא גיר כד הו מצלא חזא בחזוא לגברא *ha ger cad hau metsalle chaza bechazua legabra*, id est, *Ecce enim cum ipse oraret, vidit per visionem virum:* vel, *Ecce enim dum ille precatur, videt per visionem virum*, &c. Particula causalis indicat ideò dictum Ananiæ, quòd Saulus oraret, ne is illum adire dubitaret. Hoc notant Chrysostomus, Glossa interlinearis, Hugo, Lyranus, Carthusianus, qui vltimi duo monent orationem fuisse post raptum gratiarum actionis pro raptu. Sed orare is quoque dicitur, qui in contemplatione versatur, ita vt toto illo triduo Saulus orasse cẽseri possit, quod Bernardus affirmat [q]. Eadem illa ætiologia demonstrat quam debeat spem bonæ frugis de alio ille, qui eum spiritualiter erudit, concipere, quem videat deditum orationi: & hoc ipsum quàm sit efficax, aptúmque indicium salutis, vacare orationi.

Saulus quomodo toto triduo orauerit.
q Serm. 1. de cõuers. S. Pauli.

Versus 12.] Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem sibi manus, vt visum recipiat.

ET *vidit virum Ananiam nomine.*] Dixi quemadmodum editio Syra copulet ista aliter, ita vt visionem in oratione velit accidisse, aut vtramque non distingui. Tota sententia videtur includenda parenthesi, non connexa cum oratione

CHRI

CHRISTI ad Ananiam. Redundat etiam in textu Græco,& Syro, בחזוא *bechazua*, ἐν ὁράματι, *in visu*,vel, *per visionem*. Porrò *vterque in visione ostenditur alteri*,& Ananias, & Saulus, *& nomen indicatur,vt priùs sint sibi inuicem noti, quàm se videant*,inquit Glossa interlinearis. Visio verò illa intelligenda est de simplici reuelatione, quantùm ad nomen,& de imaginatiua repræsentatione,quantùm ad personam Ananiæ. Nec ideò tamen est necessarium, vt vidisse dicatur in visione Saulus, quod velle Chrysostomus videtur,scilicet imaginaria, quia cæcus erat; vt enim cæcus non esset, rem absentem corporis oculis non videret. Quid ergo rident Hæretici, & nomine tantùm tenus quidam Christiani, visiones,per quas exhibentur vel vigilantibus, vel dormientibus earum rerum species atque similitudines, quæ aut eodem tempore fieri præcipiuntur,aut etiam fiunt? Tales recenset nonnullas Augustinus libro de cura pro mortuis [a], & plenæ sunt historiæ tum de visionibus,apparitionibusque mortuorum ad viuos,tum etiam viuorum item ad viuos: qua de re tota legendus Petrus Tyræus noster in opere de Spirituum apparitionibus.

Mortuis saepe dæmones apparuisse, & vivis diuinitùs immissa.

a c.11.16.17.

Imponentem sibi manus,vt visum recipiat.] Hæc manus impositio est curatiua, non sanctificatiua, de qua distinctione egimus capite octauo. Non legitur ostensus Paulo in visione Ananias baptizans: hoc enim erat, in quo exigenda erat eius obedientia,quę quò cæca magis,hoc maioris meriti. *Vereor*,inquit Bernardus [b], *ne quis sit fortè inter vos,qui solo sese somnio præsumat illuminatum esse*.

Manus impositio curatiua.

b Ser.1.de cõuers. S. Pauli.

Versus 13.] Respondit autem Ananias: Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Ierusalem.

RESPONDIT *autem Ananias: Domine,audiui à multis.*] Magis verba sunt timentis, quàm credentis, & in tanta trepidatione ob feruentem adhuc persecutionem, & recentem de persecutore Saulo rumorem, non aduertentis vim communicatæ Saulo ipsi visionis,quam CHRISTVS commemorabat; vel certè modum requirentis, quo quæ à CHRISTO dicuntur esse possint. Ita quidem Oecumenius, & Chrysostomus, & Augustinus, passim dicens *timuisse ouem etiam iuxta pastorem, ac inter manus ipsius medici tremuisse*, & Gregorius [c]. Glossæ autem omnes addunt etiam contineri his verbis excusationem,necnon Augustinus [d],notans non admissam à CHRISTO, qui iam dixerat paucis ouiculis suis [e]: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum*,& mittebat modò ad eum, qui desierat esse lupus. Non quotiès quis modum à DEO inquirit eius rei, quam proponit, minùs credere DEO censendus est, vt patet ex B. Virgine percontante [f], *Quomodo fiet istud?* quam percunctationem absit,vt cum Origene [g],Nysseno [h],& Euthymio [i], ex incredulitate processisse arbitremur;vel ex quadam hæsitatione,ac dubitatione,dum considerabat solùm quæ sunt humanæ naturæ, non item quæ potentiæ diuinæ,vt voluit Athanasius [k],& Chrysostomus [l].Sed scire cupiebat mysterij modum, quem mox Angelus etiam pio obsequẽs iustoque desiderio exposuit, vt docent Ambrosius [m], Augustinus [n], Bernardus [o], Damascenus [p],Cyrillus Ierosolymitanus [q],Theophylactus [r],Beda [s],aliique. Sic ergo fieri potest,

c 31. Moral.c. 10.vel 14.
d Serm. 9. de verb.Apost.
e Mat.10 16.
Ananias vnde qualit.excusatur.
f Luc.1.34.
g homil. 1.in Genes.
h oration.de Chri. Nat.
i in Lucam.
k Ser.de Deipara.
l hom. 47.in Genes.
m in Luc. & lib.2.de Abraham c.1 & 1. de offic.c.18.
Quomodo quis possit modũ alicuius rei sciscitando quærere.
n 16.de Ciui. cap.24.quæst. nou. & vet. Testa.q.19.in Num. homil. 44.ex lib.50. hom.
o hom. 4.super, *Missus est. B.Virgo qua ratione modũ conceptionis Filij petierit.*
p lib.3.de Fide.c.2.
q Catech.12.
r in Luc.c.1.
s ibid.

A vt Ananias absque noxa vlla interrogauerit;neque enim non reprehensus fuisset, si hæsitasset, sicut reprehensum legimus patrem Ioannis Baptistæ [t], & Nicodemum [u],& Capharnaitas [x]. Vti possumus exemplo Abraham, qui audiens promissionem DEI magnificam, cupidus sciendi modum, non incredulus mysterij,dixit [y]: *Vnde scire potero, quod possessurus sim terram hanc?* quem etiam ei Angelus modum statim aperuit [z]. Lege de nostris recentiores Lucæ Interpretes Maldonatum & Toletum;prætereà Salmeronem [a],& Barradiũ [b], & Canisium [c],& Suarez [d]. Hi vindicant ab Hæreticorum blasphemia inconcussam Deiparæ fidem. Huc quoque faciunt quæ disputauimus capite quarto [e],de peccato tentandi DEVM,& qua

B ratione absque istius periculo peccati possit quidpiam à DEO non responsum duntaxat, sed etiam miraculum peti.

t Luc.1.20.
u Ioan.3.10.
x Ioann.6.62. 63.
y Gen.15.8.
z ibid.13.
Virginem Deiparam quæ ab infidelitate peccato liberent.
a tom.3.tract. 6.
b 7.Concord. Euang.
c 4.de Maria. c.1.
d tom. 2. de Incarn. disp. 4.sect.3.
e vers.30.

Audiui.] Ergo Ananias post aliorum dispersionem,occiso Stephano, Damascum sese contulerat:alioqui non dixisset,*audiui*, sed, *scio, vidi,expertus sum.*

De viro hoc.] Cur vocetur Saulus vir,qui priùs appellatus est adolescens, dixi capite septimo [f]. Ambrosius [g] allegoricè declarans verba Ioseph de fratre Benjamin,& accommodans CHRISTO comparato cum Paulo,ait vocatum *paruulum*, siue *iuniorem*, & *adolescentem*, *tum propter iuuenilem animum,& immaturitatem virtutis,præsertim cùm la-*

C *pidantium Stephanum vestimenta seruabat* [h], *vbi tantùm hoc nomine adolescentis dictus legitur:tum etiam respexisse* CHRISTVM *ad id tempus, quo tempore hærens,ac horrore correptus, quòd cæcitas accidisset ei,incipiebat tamen appropinquare,dicendo:Domine, quid me vis facere?vt qui vocabatur ad gratiam, excusaretur à culpa*,quòd ea lubricæ fuisset ætatis,quæ ætas,quia magis metu, quàm ratione reuocatur à vitio,adhibuit ei stimulum, & miseratus admonuit, ne aduersùs stimulum calcitraret. Legendus cum otio liber totus Ambrosij de Ioseph, in quo singula,quæ narrantur de Benjamin,aptè admodùm, piéque ad Paulum transfert.

f vers.57.
g lib. de Ioseph Patriar. c.10.
h Act.7.57.
Paulus à culpa excusatur ob ætatem lubricã.

Sanctis tuis.] Commune hoc nomen fidelium

D esse dixi capite secundo [i], quod nomen non tantùm in sacra noui Testamenti Scriptura, vt ibidem notaui,reperitur, verùm etiam eo in eadem significatione vtuntur antiquiores,tum qui, quos Essæos, aut Essenos Philo [k] vocat, Christianos fuisse putantes, ita nominatos volunt, quasi ὁσίους, hoc est,*Sanctos*,vt Chrysostomus [l], quæ denominationis ratio placuit eidem Philoni: tũ alij propriè, distinctéque loquentes de Christianis, vt Tertullianus [m],& in epistolis Ignatius, & Polycarpus,& alij passim. Eodem sensu Petrus [n] appellauit *gentem sanctam*,id est, sanctificatam semel ab originali peccato per Baptismum, & in dies ab actualibus,præsertim lethalibus, per pœniten-

E tiam,prætereà, quoniam per CHRISTVM DEO oblata est atque dicata: tandem quia vitæ puritatem, *ac sanctimoniam, sine qua nemo videbit Sanctum Sanctorum* [o], Christianæ religionis professio requirit cum doctrina sana, & firmissimè sancita, atque ab omni errore, tum præsertim à communi aliorum deorum falsitate aliena, & separata,quæ tamen vltima Sancti notio, vt de DEO dicitur, Deíve cultoribus, non est, vt docet nihilominùs Arias Montanus [p],primaria,& præcipua.

Sancti communi nomine fideles dicuntur.
i vers.27.
k lib. Quod liber sit probus.
l hom 44.in Act.
m li.1 ad vxo. c.6 & lib.2.c. 1.2 3.6.
n 1 epist.2.9.
Christiani cur sancti dicantur.
o Heb.12.14.

Ecclesia sãcta est his omnibus de causis,nec extra illã vera sanctitas reperitur, quamuis & intra ipsam nonnulli censeantur,qui non sunt omnibus

p lib.de arcano ser.cap.2.
Ecclesia cur sancta dicatur.

his

his modis ſancti. Qui Eccleſiæ ſacris præſunt, peculiari quodam iure Sancti dicuntur, qui ſancta ſanctè tractare debent, vt quondam honoris cauſa, teſte Plutarcho [a], profani Sacerdotes ὅσιοι appellabantur. Hinc ſanctiſſimi epithetum, cuiuis primùm ſanctiſſimo ſacrorum Antiſtiti, ſeu Epiſcopo (ſic nominantur Epiſcopi in iure [b], meminítque Curopalata ſic vocatum Metropolitam Andianopoleos, immò & alios Metropolitanos, & Archiepiſcopos, nempe ἱερώτατους καὶ πανιερωτάτους) tum ſummo duntaxat hierarchæ *Epiſcoporum Epiſcopo Pontifici Romano tributum eſt*, ac multò quidem meliùs, quàm idololatras Imperatores ad conſuetudini inſeruiendum, Sanctiſſimi titulo ſanctus Dionyſius Alexandrinus Gallienum, ac Valerianum ornandos cenſuerit [c]. Huc faciunt quæ de optimi voce attuli in capite primo [d]. Denique habetur in his ratio honoris, qui DEI perſonam gerentibus, & à DEO datis Magiſtratibus deferendus eſt: cùm Ennio licuerit *ſuo iure*, vt ait M. Tullius [e], *ſanctos appellare Poëtas, quòd quaſi deorũ aliquo dono, atque munere commẽdati nobis eſſe videantur*. Si mores minùs quandoque ſint ſancti, ſancti attamẽ, ac etiam ſanctiſſimi aliis de cauſis debitus titulus denegari non poteſt. *Quis enim ſanctum eſſe dubitet*, inquit Ennodius [f], *quem apex tantæ dignitatis* (de Symmacho Papa ſcribit) *attollit? In quo ſi deſunt bona acquiſita per meritum, ſufficiunt quæ à loci deceſſore præſtantur. Aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur, illuſtrat.* Sed nos ſancti ſumus, quia ſanctus Dominus DEVS noſter [g], & prout ab ipſo inſtituti ſumus, ab eodem ante omnia ſupplices precemur, *vt ſanctificetur nomen illius* [h], nimirum vel vt vita noſtra ſancta prouocet omnes ad eum glorificandum, quo modo intelligunt petitionem illam primã Dominicæ orationis Chryſoſtomus [i], Nyſſenus [k], Hilarius [l], Hieronymus [m]: vel vt omnes Sancti efficiantur, quæ eſt expoſitio Tertulliani [n]: vel cum Cypriano [o], & Ambroſio [p], vt ſanctificatio, quam accepimus in Baptiſmo, conſeruetur in nobis.

a de oracul. defectu, in fine.
b Auth. interdicimus C. de Epiſc. & cler. ex Nou. 123. c. 10. & alibi ſæpe.
Pontifex Romanus cur ſanctiſſimus nominetur.
c apud Euſeb. 7. Hiſt. c. 10.
d verſ. 1.
e ora. pro Archia Poëta.
Etiamſi qui ſint moribus minùs commendabiles, hoc titulo digni ſunt.
f li. Defenſionis 4. & 5. Synod. Romanæ Tom. 1. conc. edit. vlt.
Sancti moreſſe debemus.
g Pſal. 98. 9. iuxta 70. Interpr.
h Mat. 6. 9.
i ibid.
k Tra. de ora.
l in pſa. 13.
m in Mat.
n Tra. de ora.
o Tra. de ora. Dom.
p 5. de Sacr. c. 4.

Verſus 14.] Et hic habet poteſtatem à principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.

ET *hic.*] ὧδε, aduerbium loci, non pronomen.

Habet poteſtatem à principibus Sacerdotum.] Verſu primo mentio eſt dũtaxat de principe vno: lege quæ ibi diximus. Putat Chryſoſtomus & Oecumenius Diſcipulos timore plenos ſciſcitatos curioſiùs, vt fit, quæ contra ſe definita eſſent. Veriſimilius eſt, manaſſe tantæ rei rumorem Damaſcum vſque, aut admonitos Diſcipulos, qui ibi agebant, ab iis qui erant in Ieruſalem.

Alligandi omnes.] *Quaſi diceret*, inquit Chryſoſtomus, *Timeo ne fortaſſe me in Ieruſalem ducat: quid me proiicis in os leonis? Cur me huic prodis?* Solum nomen Sauli auditum terrebat: quod auget mirificè eius opinionem, quam debebat concipere de virtute diuina, qua nimirum factum ſit, vt nihilominùs obtemperaret. Ananias miſſus quodammodò eſt, vt ouis ad lupum, vt hic lupus verteretur in ouem.

Ananias timet adire Paulum.

Verſus 15.] Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomẽ meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël.

A VADE, *quoniam vas electionis eſt mihi iſte.*] Phraſi Scripturæ vas electionis idem eſt, quod electum. Vas autem apud Hebræos ponitur pro omni inſtrumento, vt *vaſa mortis* ſunt ſagittæ [q]: *vaſa iniquitatis bellantia* [r], inſtrumenta bellica, ſeu arma iniquè adhibita, quam ſignificationem habent quoque *vaſa interfectionis* [ſ], & *vaſa illa quæ fortior diripit* [t], nempe pro inferioribus dæmonibus, quibus Beelzebub vtebatur, vt miniſtris & inſtrumentis, aut pro hominibus, quos adiutores habebat, aut ſub captiuitate detinebat. Vaſa item Pſalmi [u] ſunt muſica inſtrumenta: eodémque modo *vaſa Cantici* [x]. Sic præterea *vaſa tranſmigrationis*, denotant itineris ſupellectilem [y], & quidquid B ex pelle confectum eſt [z], Hebraicè dicitur *vas pellis*, & à Septuaginta *omne vas operarium pellis*: pari modo iidem Græci cum textu Hebræo pro omni ferramento [a] reddunt *omne vas ferreum*: pro monilibus [b] *vaſa*: & vaſa dicuntur mures aurei [c], & inferiùs in hac hiſtoria [d], linteum vocatur vas. Quin etiam appellantur ab ipſomet Paulo [e] *vaſa miniſterij*, omnia illa, quibus Sacerdotes in miniſterio tabernaculi vtebantur, etiam veſtes: ſed & corpora noſtra hoc nomine denotantur, vt cùm dicuntur *munda, quæ mulieribus non ſunt commixta* [f], & idem Apoſtolus monet [g], vt *quiſque vas ſuum poſſideat in ſanctificatione, & honore*. Et Petrus [h] mulierem nominat *muliebre vaſculum infirmius*, de qua C dicendi forma in Petri expoſitione etiam egimus. Denique homines integri, tum prædeſtinati, qui vocantur *aurea, & argentea vaſa, & in honorem*; tum reprobi, qui *vaſa lignea ac fictilia, atque in contumeliam* [i], aut ſanè tum iuſti, tum iniuſti. Adeò latè patent כְּלִי *chelí*, & σκεῦος, immò & vas, vt in Cicerone [k] Budæus obſeruauit [l], nimirum ſumuntur pro quouis vtenſili, & omni re quæ in vſum noſtrum comparatur. Nec abſimilem quandoque notionem habent arma [m]. Itaque vocatur Saulus vas electum, & paratum, ac vtile Domino, cui cùm fidat Dominus, fidere poſſit & Ananias; vtpote cuius non ſit naturale vitium, ſed electus, & ad magna deſtinatus, vt exponit Oecumenius, necD non bene probatus, & excoctus in via, vt ſolent in fornace vaſa, vtque DEVS ſueuit ſuos anteà probare [n]. Frangi debuit hoc vas, vt meliùs refingeretur [o]. Ad genium Sauli peracrem, & zelo DEI feruidum animum cenſet Chryſoſtomus [p] reſpexiſſe CHRISTVM, quando talem de eo appellationem vſurpauit. Quanquàm quòd id accidiſſe ſubiungit priuſquàm Saulo gratia daretur, ego intelligo de viſibili ſigno Baptiſmi, & de viſiua reſtituta ipſi facultate; quandoquidem eum priùs gratiam iuſtificantem eſſe adeptum puto dubitari non poſſe, cùm vocatus adeò ſe præbuerit obſequentem, & ipſis tribus diebus, ſi non in Paradiſum raptus, certè inſtitutus de rebus diuinis abundè fuerit, vt antè docuimus. E

Bernardus [q] ita Saulum ab Anania inuentum dicit, vt priùs fuerit à Domino præuentus, & præparatus: *Quid*, inquit, *Paulo paratius? qui ſupplex iam & mente, & voce clamauerat, Domine, quid me vis facere?* Ipſemet Chryſoſtomus [r], vt priùs vidimus, certus eſt, Saulum audita CHRISTI voce, in via flebiliter culpam ſuam lamentatum. Idem cum Hieronymo [ſ] in vaſe electionis indicari volunt prædeſtinationem, quam ille dicit aliis verbis expreſſerit, dicens [t]: *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ*, id eſt, iam inde ab vtero elegit, *& vocauit per gratiam ſuam.* Immò videtur Hieronymus [u] affirmare, fuiſſe in Saulo diſpoſitio

Vas in Scriptura quid ſignificet.
q Pſal. 7. 14.
r Gen. 49.
ſ Ezech. 9.
t Mat. 12. 29. Mar. 3. 27.
Vaſa nomen quam amplam habeat & variam ſignificationem.
u Pſ. 70. 22.
x Amos 6. 5.
y Ezech. 12.
z Leui. 11. 32.
a 4. Reg. 6. 5.
b Eſa. 3. 20.
c 1. Reg. 6. 8.
d cap. 10. 11.
e Heb. 9. 21.
f 1. Reg. 21. 5.
g 1. Theſſ. 4. 4.
h 1. epiſt. 3. 7.
i 2. Timot. 2. 20. 21.
k ora. in Verr. Act.
l de Aſſe.
m vt Rom. 6. 13.
Paulus cur electus vas dicatur.
n Deuter. 8. 2. Tob. 12. 13. Eccl. 2. 1.
o Iere. 18. 4.
p 1. de compunctione.
q Serm. 78. in Cantica.
Paulus à Domino præuentus, ab Anania præparatus inuentus eſt.
r Hom. de frequen. repetit. ſeu de conuerſ. Pauli.
ſ vterque in ep. ad Gal.
t Gal. 1. 15.
u in c. 52. Eſa.

sitionem ad gratiam, nimirum non ad primam, sed concursum voluntatis eius ad illius effectum. *Vas electionis*, inquit, *dicitur, quia praeparauerat se in vas pretiosum, & aptum in ministerium* DEI. Aliam adhuc Doctor idem causam dat [a], *quia vas legis, & sanctarum Scripturarum armarium est* (simili de causa Gregorius IX. Antonium Patauinum *Arcam Testamenti* nominabat) & vt aureum, atque argenteum vas sapientiam habuit, & eloquium, quo CHRISTI Euangelium praedicauit. Nullus enim doctiores eo scripsit epistolas, vt indicat Petrus [b]. Gaudentius Brixiensis [c] alludens, opinor, ad vasis sanctitatem, & honorem, de quo meminimus, propter continentiam virginalem, qua exornatus erat, *vas electionis* appellatum significat. Origenes [d] innuit denotari capacitatem, ac plenitudinem gratiae. Consentit Ambrosius [e], scribens hac in re comparandum cum Beniamin, *cui Ioseph partes quinque in conuiuio dedit, aliis fratribus tantùm singulas* [f]: *nihil enim minus à magnis aliis Apostolis fecit* [g], *& plus etiam omnibus laborauit* [h]. Rursum Ambrosius [i] Paulum *vas electionis* esse tradit, in quo pretiosa mandatorum CHRISTI praecepta conduntur, & de cuius plenitudine substantia vitae populis semper erogatur, & plenum est: & quod ornat sua domum Ecclesiae vtilitate, atque sua Christianos operatur custodia, ne tententur. Non pigeat adhuc audire Chrysostomum, qui nullum laudandi Pauli finem facit, nec vllam praeterit occasionem in eius laudes digrediendi. Is conferens cum coelis, astrisque Paulum, eum illis praefert, *quoniam astra quidem* [k], inquit, *cùm fierent, admirabantur Angeli* [l], *hunc verò* DEVS *ipse admiratus est dicens: Vas electionis iste mihi est*. In qua admiratione DEI (more scilicet nostro loquentes) contineri intelligimus, quas adhuc cur Paulus vas electionis dicatur, rationes attulimus, quotque afferri praetereà queunt. Prosper [m] inter alia, quibus praesignificatum à Mose CHRISTVM obseruat, illud affert, quòd Mosi dictum sit, *vt sibi sociaret Aaron fratrem suum* [n]: Paulum verò electum à CHRISTO, qui loqueretur ad populum, de quo Mediator noster ipse ostendit Ananiae dicens: *Vas est mihi electionis homo iste*. B. Thomas fusè, piè, & doctè insumit Prologum suum totum in Pauli epistolas circa declarationem huius vasis, exponens simul ad idem propositum verba Ecclesiastici [o]: *Vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*: In auro designare sapientiam, in soliditate charitatem, in ornamento ex omni lapide pretioso virtutes ceteras, & demùm, quae fuerit dicti vasis constitutio, repletio, vsus, fructus. Dignus profectò Chrysostomus tantus vsque ad spiritualem quandam insaniam laudator Pauli, & imitator, cui & epistolas eius enarranti visus est Paulus in aurem loqui, atque dictare, qui simili cum Pauli vasis electionis cognomine diuinitùs cohonestaretur, sicut reuelatum est Flauiano eundem initiaturo [p]. Quintinum haereticum vas irae & ad ignominiam, quod summus iam figulus in ira sua confregit, non puduit falsè appellare Paulum vas confractum, sicut Ioannem iuuenem stolidulum, Petrum abnegatorem [q], &c.

Vt portes nomen meum.] *Non solùm fidelis erit, sed & doctor, & magna dicendi libertate vtetur*, inquit Chrysostomus. Et quidem nomen illud *portabit, cuius inuocatores alligare venit*, inquit Glossa interlinearis. Quid sibi nomen velit in Scripturis siue

A

DEI, siue Domini, siue etiam absolutè, docui capite 2. [r] Quo autem modo hîc portari dicitur, eôdem apud Esaiam [s] venire. *Ecce nomen Domini venit de longinquo. Portauit Paulus* CHRISTI *nomen*, inquit sanctus Thomas [t], *in corpore, conuersationem, & passionem eius imitando: in ore, sapissimè in epistolis exprimendo* (hoc est, plusquàm ducenties vigesies) adde, & rescissum caput ter id Graecè pronunciasse: *denique non solùm ad praesentes, sed etiam ad absentes ac futuros tradendo sensum Scripturae*.

Mihi probabile etiam est phrasi ista significari confidentem atque constantem praedicationem. Nam Hebraismus est, vt assumi, eleuari, portari sermo dicatur ab eo, qui eum primus, & quidem

B

audacter, fortitérque vsurpat; quasi super seipsum, ac velut in humeros imponat illum, atque quodam obligationis onere se grauet. Verbum Hebraeum in hac significatione est, נשא *nascha*, & inde nomen משא *mascha*, *onus*, pro munere quolibet, tum verò docendi, & pro doctrina, pro Prophetia, &c. Quocirca destinat Saulum CHRISTVS, vt portet nomen ipsius, non solùm transferendo, & circumferendo per diuersa loca, sed etiam, vt, quod ipsemet posteà dixit [u], *sciat sibi impositam euangelizandi necessitatem, ac dispensationem*, cum comminatione siue periculo, nisi faciat. Hanc portandi rationem videntur verba sequentia significare [x], *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*. Graecis σκευοφόρος

C

est vasifer & sarcinator, & conuasare Seneca [y] vsurpat pro eo quod est vasa, sarcinásque colligere: quamuis Terentius [z] pro furari. Leuis sarcina CHRISTI lex, seu onus leue [a]; intra seipsum Saulus id portaturus erat.

Coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israël.] Cùm crescat oratio, maius quid est, coram filiis Israël portare nomen CHRISTI, quia difficilius, siue illos ipsos spectes nomini Christiano infensissimos, siue Saulum, *qui venerat, spirans minarum, caedisque*, cum epistolis in Discipulos CHRISTI.

Causam dixit Paulus ante aliquot Praesides, & vnum regem Agrippam, vt quidem est in hac

D

historia [b], atque coram Imperatore Nerone ipse se vocat [c], *doctorem Gentium in fide, & veritate*: & ait quòd *vincula sua manifesta facta sunt in* CHRISTO *in omni pretorio* [d]. De filiis Israël, siue Iudaeis constat tum ex eadem ista Historia [e], tum ex eo singulari affectu, quem declarat erga illos in epistola ad Romanos [f], & persaepe in aliis epistolis.

Quòd ergo peculiariter Paulus Gentium *Apostolus* dicatur, *& Doctor* [g], & *Magister* [h], & *praedicator Euangelij Praeputij*, Petrus verò Circumcisionis, siue Iudaeorum [i], ita explicat Hieronymus [k], *Principale quidem singulis in Iudaos, & Gentes fuisse mandatum, vt qui defendebant legem, haberent quem*

E

sequerentur: qui legi gratiam praeferebant, iis non deesset doctor, & praeuius: in commune verò hoc eos habuisse propositi, vt CHRISTO *ex cunctis gentibus Ecclesiam congregarent*. Adde quòd praerogatiua quaedam Petri fuit, vt peculiaris Apostolus Iudaeorum haberetur, & Circumcisionis: pluris enim initio Iudaei fiebant, & CHRISTVS horum conuersionem impensiùs commendauerat [l], eaque opinor de causa, *minister Circumcisionis* appellatur ab eodem Paulo [m]. Alioqui perspicuè dictum à Petro legimus [n]: *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus* DEVS *in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum*

Pauli praedestinatio hic designatur.
a ep. 101. & in c. 8. Oseae.
b 2. ep. c. vlt. 16.
c Tract. 8. To. 2. Bibl. Patrû.
Variae rationes cur Paulus sic appelletur.
d li. 3. Periarchon.
e lib. de Ioseph. c. 10.
f Genes. 43. 34.
g 2. Corin. 12. 11. 12.
h 1. Cor. 15. 10.
i Serm. 11. de SS. Petro & Paulo.
k Hom. 18. in ca. 11. epist. ad Roman. in p. morali.
l Iob. 38. 7.
m de promi. & praedict. Proph. p. 1. c. 34.
n Exod. 4. 14. 15.
Paulus vas auri solidum.
o cap. 50. 10.
p in vita. & Leo Imp. ora. de laude eius.
q Prateolus in Elencho.
r vers. 21.
s cap. 30. 27.
Paulus quomodo nomen Dei portauerit.
t Prologo in epistolas Pauli.
Portare nomen Domini ex Hebrae quid sit.
Onus Hebraicè quid significet.
u 1. Cor. 9. 16. 17.
x vers. 16.
y epist. 19.
z in Phorm.
a Matt. 11. 30.
Nomen Christi portauit Paulus, vbi.
b cap. 26.
c 1. Tim. 2. 7.
d Phil. 1. 13.
e in isto cap. vers. 20. & c. 13. 46. & alibi. c. 16. c. 17. c. 18. ca. 19. c. 20.
Paulus cur Gentium dicatur Apostolus.
f cap. 9. toto.
g Act. 15. 35. Galat. 2. 9. 1. Tim. 2. 7.
h Gal. 2. Ro. 15. 16.
i Gal. 2. 7. 9.
k In cap. 2. ad Galatas.
Petrus cur Praedicator Circumcisionis sit dictus.
l Matt. 10. 5. c. 15. 24. Luc. vlt. 47. Act. 1. 8.
m Rom. 15. 8.
n Act. 15. 7.

Euangelij, & credere. Testis est Cornelius, & visio lintei Petro ostensa [a]. Paulus abundantiùs aliis laborauit [b], & peregrinando disseminauit verbum DEI inter Gentes [c]: idcirco meritò consecutus est titulum Doctoris, Apostolique Gentium, & hoc etiam CHRISTVS prophetans fortasse non augendo orationem, posuit filios Israël vltimos, sed potiorem locum tribuendo præposuit Gentes, & Reges. Theodoretus exponens epistolam ad Hebræos, ideò in illa epistola nomen à Paulo proprium, & titulum Apostoli prætermissum docet, quoniam non horum, sed Gentium Doctor, & Magister erat. Quidam verò presbyter apud Eusebium [d], qui eum beatum nominat, aliam istam causam assignabat, *quoniam Dominus ipse Apostolus* PATRIS *sui omnipotentis ad Hebræos missus fuit, Paulus ad Gentes: propterea modestè cùm ad Hebræos scriberet, Hebræorum se non inscripsisse Apostolum, partim ob honorem, quem Domino Hebræorum Apostolus tribuebat, partim ne cùm Gentium præco, & Apostolus esset, præter officium ad Hebræos scribere videretur.*

a Act.10.11. & seq.
b 1.Corin.15.10.
c Rom.15.19.20.
Cur in epistola ad Hebræos Paulus propriũ nomen prætermiserit.
d lib.6. Histo. c.11.

Versus 16.] Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

EGO *enim ostendam illi.*] Tantùm abest, vt à vobis timendus sit: patietur ipse multa, & oculi ipsius sunt aperiẽdi, vt iis vtatur pro me, non vt iis abutatur contra vos. Est vas in tribulationis fornace probè decoctum, & consolidatum. *Vidit in raptu*, inquit Lyranus, *premia Beatorum, quæ excedunt totam humanam facultatem: viditque non esse cõdignas passiones huius temporis ad futuram gloriam* [e]. Verè ita est, nec quicquam est, quod æquè labores leniat, vt futuræ meditatio beatitudinis; sed superiùs docui non euenisse Paulo raptum in isto tempore. Rectè ergo inquit, *ostendam*, nisi enim ostendat DEVS, nimis abhorret natura: & si non persuadeat ipse, prorsus paradoxum est. Meliùs quodammodò CHRISTVS id potuit ostendere & persuadere, quàm DEVS, quia *idemmet qui* DEVS *erat, non vt* DEVS, *sed vt homo, ex his quæ passus est, scientiam comparauit* [f]; quam dicunt experimentalem. Cùm adhuc in schola oraret PATREM, vt transiret calix, dixit: *Si possibile est* [g], quòniam, vt ait B. Thomas [h], videtur contra naturam, calicem sine dolore ebibere.

e Rom.8.18.
f Heb.5.8.
g Matt.26.39.
h in Matth.

Eorum quæ Paulus passus est, testis est præsens historia, & ipsemet longiorem catalogum texuit posteriore ad Corinthios epistola [i]. Ei cui necessitas euangelizandi incumbit [k], necesse etiam est multa tolerare, sicut paulò antè notabamus. Oportet quoque vt quis compenset per passiones malorum aliis illata mala: debet prædicator crucis ferendo crucem persuadere: denique ab eo, qui tantæ dulcedinis benedictione præuentus [l], vocatúsque est, meritò amoris vices exiguntur, cuius amoris index pro amato extrema quæque fortiter, ac libenter pati. His igitur de causis dictum à CHRISTO: *Quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

Paulus quæ, & quãta pro Euãgelio sit passus.
i c.11. & 12.
k 1.Cor.9.16.
l Psal.20.4.

Mendacij pater verum locutus est, cùm innocentiam ac iustitiam Iob patientia probandam dixit, ac petiit [m]: *Tribulatio enim patientiam operatur, patientia verò probationem* [n]: & sicut probatur vas figuli in fornace, sic homines iustos tentatio tribulationis [o], & caminus humiliationis [p]: & acceptos DEO necesse est, vt probet tentatio [q], & CHRISTVM ipsum oportuit pati, itáque intrare in gloriam suam [r]: nec aliter pactum etiam veteris Testamenti firmandum fuit [s].

Probatio hominis est tribulatio.
m Iob.1.11.
n Rom.5.3.
o Eccli.27.6. Sap.3.6. Zach.13.9.
p Eccli.2.5.
q Tob.12.13.
r Luc.vlt.26.
s Deut.5.2.

Nil mirum, si Ananias hactenus hæsitans, ac trepidans, nec satis assequens, quî posset ex inimico fieri amicus CHRISTI, mox vt audiuit multa passurum, penitus acquieuerit, omni dubitatione, non metu solùm, deposita. Augustinus [t] has putat esse minas CHRISTI, Chrysostomus hortationem cum minis. Porrò quàm sit multa Paulus passus, annotauit idem Augustinus [u], appellans etiam stigmata CHRISTI, quæ se ille portare dicebat in corpore [x]. Habet nonnullum acumen aptatus Paulo Ieremiæ [y] locus: *Dissipatum est vas luti, & conuersus figulus fecit vas alterum, sicut placuerat oculis eius vt faceret.*

Ananias in audiens eũ multa passurum, factus constãs, acquiescit.
t Serm.15. de Sanctis.
u in Psal.130. in expos. epi. ad Gal. Ser.1. & 25. de Sanct. Sermo.16. de Diuers.
x Gala.6.17.
y cap.18.4.

Versus 17.] Et abiit Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me IESVS, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis SPIRITV sancto.

ET *imponens ei manus, dixit.*] Hæc impositio manuum, vt iam sæpiùs dixi, refertur ad sanitatis donum, iuxta promissionem CHRISTI [z]: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, non ad proprium effectum sacramenti Confirmationis, quod etiam dicitur sacramentum impositionis manuum, & ab Episcopo tantùm, vt ab ordinario ministro confertur. Ananias verò, vt etiam vidimus in hoc capite, Episcopus non fuit, vel presbyter. Sicut tamen Baptismum dedit, quem non poterat dare, nisi CHRISTI imperio, ita potuit SPIRITVM sanctum per dictam manuum impositionem propriam Episcopo, & dicto sacramento Chrismatis, tribuere. In extraordinaria vocatione Sauli fuêre extraordinaria omnia. Quocirca perridiculus est Caluinus, dum Papistas plusquàm ridiculos nominat, quòd solis Episcopis manuum impositionem propriam asserant: qui certè ab eodem Anania baptizatum Saulum negare non potest, etiamsi solos presbyteros baptizare posse contendat. Fieri prætereà potest, vt huiusmodi manuum impositio similis fuerit, eadémve cum illa, quæ super catechumenos quidem fiebat cum benedictione sacerdotali ante Baptismum, vt videre est in Concilio Matisconensi II. [a] & Carthaginensi IV. [b] & apud Cyprianum, dum refert Acta Concilij Carthaginensis in testimonio Vincentij, & Thibari [c], & apud Augustinum [d], & apud Clementem [e], & Dionysium [f].

Manus impositio cur hic sit adhibita.
z Matt.vlt.
Caluinus ridiculus est, dum Catholicos ridiculos vocat.
Impositio manuum ante Baptismum facta.
a Can.1.
b Can.81.
c Sent. 37. & ep.56.
d lib. de pec. mer. & remiss. c.26. & lib. de Fide, & operib. c.4.
e 7. Constit. c.39.
f Eccl. hier. de Baptismo.

Saule frater.] Paulò aliter Paulus hæc narrat [g]: *Veniens ad me, & astans, dixit mihi, Saule frater, respice: & ego eâdem hora respexi in eum.* Sed in isto capite paulò pòst exprimuntur huius rei circunstantiæ aliquæ. *Statim illum familiarem facit nomine*, inquit Chrysostomus. Adde prætereà epithetum suauissimum fratris: nec enim quomodolibet vsurpat hanc vocem, sed in arctissima significatione.

g Act.22.13.

Dominus misit me IESVS, *qui apparuit tibi.*] *Non dixit, qui excæcauit*, inquit Chrysostomus, *modestè loquens, & cùm manus imponens cæcitatem curaret, nomen* IESV *interponens, ac significare volens illius virtute afferri sanitatem, sicut Petrus cùm claudo gressum restituit* [h]. Non etiam inculcauit IE-

Anania summa in loquendo modestia.
h Act.3.6.

SVM

SVM crucifixum, Filium DEI, qui signa fecit, quem persecutus esset, ne acerbè, & cum exprobratione, vel risu, & insultatione loqui videretur. *Spirituales instruunt in spiritu lenitatis* [a] : *arundinem quassatam non confringunt, & linum fumigans non extinguunt* [b], hoc est, adeò lenes, & mansueti sunt, vt sunt agiles ij, qui etsi huiusmodi res pedibus terant, non conterunt, vel extinguunt.

Quomodo spirituales arguere debeant. a Gal. 6. 1. b Matt. 12. 20. Esa. 42. 3.

In via.] Vbi ipsemet IESVS existens apparuit, & non solùm, vt contendunt quidam, vbi Saulus erat, ita vt ille manens in cœlo, inde huic apparuerit oculorum eius acie illustrata cœlos penetrante. Certè vis magna verbis his affertur: *Dominus IESVS apparuit tibi in via, qua veniebas*, nisi intelligamus IESVM ipsum in ipsa via fuisse: vt si dicam me scribere in cubiculo, in quo tu es, intelligis profectò me scribere non in atrio, sed in cubiculo ipso. Plura de his superiùs. Lege quoq; Gregorium de Valentia [c]. *Apparuisse se IESVS Saulo non dixerat Ananiæ: hic ergo id didicit ab SPIRITV sancto*, inquit Chrysostomus. Fieri tamen potest, vt CHRISTVS ipse id ei dixerit, licèt Lucas inter CHRISTI ad Ananiam verba non retulerit.

Christũ à Paulo in via visum hinc rectè probatur.

c lib. 3. con. Fortunatum. cap. 2.

Vt videas.] Proponitur priore loco minus reipsa beneficium, sed quod hominum æstimatione præponitur plerumque, & esse solet anticipata quædam dispositio ad maiora, sed vsu minus cognita beneficia recipienda.

Minus beneficiũ cur maius proponatur.

Et implearis SPIRITV sancto.] Per Baptismum, scilicet: videas autem per manuum impositionem, quæ simul impositio, vt anteà docuimus, non solùm curatiua fuit, verùm etiam dispositiua ad Baptismum. Quòd Saulus visum receperit, apertè commemoratur, non item quòd SPIRITVM sanctum. Hoc tamen ambigi non debet, idque tum de effectu proprio Baptismi, tum Confirmationis, licèt absque manuum impositione. Repletio itaque innuit maiorem effectum, quàm qui Baptismo ordinarius sit, ac potiùs accommodatum Confirmationis sacramento.

Spiritum sanctũ Paulus recepit maiore copia quàm alij.

Versus 18.] Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquàm squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est.

ET *confestim ceciderunt ab oculis eius tanquàm squamæ.*] Has squamas Lyranus vocat maculas albas, & duras, in similitudinem squamarum piscium, atque causatas fuisse à lumine excessiuo Saulum excæcante. Idem habent Carthusianus, & Caietanus. Chrysostomus docet istas, quorundam sententia, fuisse cæcitatis causam, sola verò manuum Ananiæ impositione decidisse ab oculis Sauli: aliquandiu autem hæsisse, ne quis crederet cæcitatem esse fictitiam. Oecumenius ait casum squamarum ostendisse vehementiam cæcitatis, sanitatisque certitudinem.

Squamæ quid fuerint.

Comparari quodammodò posse arbitror curationem istam cum curatione Tobiæ, de qua ita proditum legimus in eius historia [d]: *Et cœpit albugo ex oculis eius, quasi membrana oui egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statimque visum recepit.* Curationis modus dissimilis fuit, quia in Tobia ex causa naturali, hoc est, ex felle piscis, vt demonstrant Franciscus Vallesius [e], & Franciscus Georgius [f], & in Tobiam Lyranus, & Carthusianus, atque Serarius noster: etsi hic in celeritate diuinam vim interuenisse probabile ducat. Cæcitatem autem quæ induxerunt, com-

Comparatio Tobiæ & Pauli in cæcitatis curatione. d c. 11. 14. 15.

e lib. de Philos. sacra. c. [illegible]. f Tom. 6. Proem. 185.

[illegible] Tobiæ [illegible] oculorum.

A parabilia videntur inter se, nimirũ caliditas vehementior in stercoribus hirundinum cum occulta aliqua vi & excrementitia spurcitia, ex quibus membranula concreuit in oculis Tobiæ: & intensior lucis splendor, qui virtuali calore similem in Sauli oculos effectum excitauerit. Nyssenus [g] *has squamas* ait *signum fuisse tegumenti, quo cor eius obductum fuerat.* Indicat verò etiam sanitatem post Baptismum accidisse, cuius contrarium satis apertè habetur in hac eâdem historia [h]. Drogo [i] videtur eandem illam sententiam sequi; ait enim *quòd ab oculis Pauli tanquàm squamæ ceciderunt, vt reuelata facie gloriam Domini specularetur.* Gregorius [k] quoque per tropologiam squamas de-

g orat. de S. Basilio.

h Act. 22. 13. i Ser. de Pass. circa finem. Tom. 2. Biblioth. Pat.

B cidentes exponit *carnalem sapientiam obdurescentem aduersus veritatem, sese que tegumento excusationis contra vim verbi diuini, aut interna inspirationis opponentem, quam squamæ dum exciderunt, illam iam decidisse indicarunt in via, cùm vocanti Saulus respondit: Quid me vis facere?* Consentit in sermone Petrus Blesensis. Similis est allegoria Bedæ hoc loco, quam Drogo quoque citatus posuit, de perfidia serpentina Iudæorum (habent námque squamas serpentes) quam Saulus deposuerit de oculis cordis. Ante Bedam in eundem modum cecinit Arator:

Squamæ moraliter quid significent. k li. 33. Moral. c. 24. vel 31.

Et squamæ cecidère graues, natura quod anguis
Ferre solet; ratione viget: Iudæa venenum
C *Semper ab ore vomit, crudelior aspide surda*
Perfidia coluber Synagoga sibilat antro;
Discipulis SALVATOR ait, calcabitis angues [l],
Purior obsequiis vt sit cœlestibus actus,
Vipereum iacit ante nefas, & prælia Doctor
Mox meliora gerit. —

l Luc. 10. 19.

Accedat adhuc alter Græcus auctor Germanus Constantinopolitanus [m], sed iunior. Hic serpẽtem anteà Saulum fuisse dicit oculis die noctéque, sine vlla interruptione, intentis in cædes Discipulorum CHRISTI: his oculis, cùm vocatus est, priuatum esse, quibus recta non intuebatur, sed solùm distorta, obliqua, flexuosa: venenũ blasphe-
D miæ euacuasse, veterésque exuuias per Baptisma CHRISTI; squamas enim decidentes serpentinas videri: & serpenti isti mortifero, qui CHRISTI membris dentes infixerat, euenisse, vt id mali pateretur, quod aliis sese illaturum minabatur, quando carnem Pauli cum CHRISTO crucifixam expertus est, ac veluti gustauit. En non fabulosum Stesichorum, post palinodiam, de cæco videntem, quòd ademptam videndi facultatem Helena, quia illam carmine vituperauerat, cùm denuò laudauit, restituerit [n]; sed reuerà post cæcitatem, ob vituperatum, maléque tractatum in suis CHRISTVM, quando retractauit, pristinæ restitutum videndi facultati.

m oratio. de ieiun. med. Quadrag. apud Gretserum, to. 2. de cruce.

n Iren. lib. 1. c. 20. Tertull. lib. de anima. c. 34. præter tot Auctores profanos.

Et surgens baptizatus est.] Priùs itaque visum re-
E cepit in oculis corporis, quàm perciperet sacramentum Baptismi, quem Græci vocant vel φῶς, vel φωτισμὸν, lumen, aut illuminationem. Si qui ergo curationem cæcitatis Baptismo deferunt, vt Hieronymus [o], intelligendi sunt, quoniam ea gratia data est iamiam baptizando, & idcirco quia baptizandus erat, & inter fideles aggregandus. Paulus [p] ante Baptismum meminit de Ananiæ, postquàm ei visum reddiderat, adhortatione: DEVS *patrum nostrorum* (valent hæc verba ad fidem conciliandam, atque beneuolentiam, vt de Petri concionibus diximus, & Stephani) *præordinauit te* (nil ergo mirum si in ordinem redegit te, & stimulo cedere compulsus es) *vt co-*

Paulus curatus est antequàm baptizatus.

o in cap. 1. Ezech.

p Actuum 22. 14. *Adhortatio Ananiæ ad Paulum.*

A *gnosceres voluntatem eius, & videres Iustum*, id est, CHRISTVM, cui Iusti nomen conuenientissimè tribuitur propter causas alibi [a] expositas, *& audires vocem ex ore eius* (quam vocem cùm comites non audierint, & tamen ex ore iusti prodierit, sequitur & comminùs locutum CHRISTVM, & miraculum fuisse, quòd exaudiri ab aliis noluerit) *quia eris testis illius ad omnes homines* (& Iudæos, & Gentiles) *eorum quæ vidisti, & audisti* (realis visio, vt & auditio esse debuit, vt verum ac solidum edere testimonium posset.) *Et nunc quid moraris?* (expectabat Saulus, sicut iussus fuerat, quid eum facere oporteret, & flagrabat Ananias desiderio implendi iussionem CHRISTI, & tantum Ecclesiæ virum lucrifaciendi.) *Exurge* (fortasse decumbebat, aut fessus ex itinere, apparitionis consternatione, ieiunio, vi contemplationis sedebat) *& baptizare, & ablue peccata tua* (verè igitur abluuntur per Baptismum peccata, nec est tantùm iustitiæ præcedentis sigillum, & externa confirmatio, vt Caluinistæ garriunt) Sauli verò peccata iam abluta esse verisimile est. Gregoriúsque [b] in itinere infusam gratiam docet, sed propter Baptismi votum, vt loquuntur, & seruandum fuit generale CHRISTI præceptum [c]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & particulare Saulo impositũ, vt intraret Damascum auditurus quid illum facere oporteret, vt notauit Tertullianus*, *Satis enim*, inquit, *iam didicerat, & crediderat, hocq; solum ei deerat, inuocato nomine ipsius* (Iusti nimirum, seu CHRISTI, in cuius nomine Baptismus initio peculiariter conferebatur eo modo, quem aliàs declaraui [d].) Non fuit diu differendus Sauli Baptismus, erat enim ille optimè dispositus, *& citò cognouerat Iudas hospes*, inquit Tertullianus [e], *vas eum esse electionis constitutum*. Sed nescio Tertullianus cur id de Iuda dicat: nec enim probabile est, Ananiam verba illi retulisse, quæ acceperat à CHRISTO, & forsan Baptismus peractus est, ne conscio quidẽ Iuda, tum cùm fieret ab Anania. Nisi dicas, quod antè suspicabar, Iudam iam tunc fuisse de numero fidelium, & quidem insigniorum, qui pro familiaritate cum Saulo, de Saulo ipso vocationis eius seriem priùs intellexerit, quàm Ananias à CHRISTO missus aduenisset. Michaël Baius [f] (cuius in multis à Pio V. & Gregorio XIII. damnata doctrina est) quia Saulo Ananias dixit [g], *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*, contendebat neminem, quamlibet perfectè conuersum, & charitate incensum, peccatorum veniam, DEIque gratiam consequi ante perceptionem sacramenti vel Baptismi, vel Pœnitentiæ, nisi fortè in mortis articulo. Confutant huiusmodi sententiam Theologi omnes, aiúntque supremam iustificationis dispositionem esse amorem DEI veræ charitatis supernaturalis, aut contritionẽ, & ista dispositione præsente, hoc est, vno vel altero ex dictis actibus, gratiam iustificantem statim infundi, etiamsi sacramentum non recipiatur, ita tamen vt eius posteà perceptio necessaria sit, vt pareatur Diuino vel Ecclesiastico præcepto: & per hanc perceptionem iam priùs recepta gratia intendi possit, aut residuæ aliquæ saltem pœnæ condonari. Lege Bellarminum [h].

Cùm Saulus baptizatus est, eum non Saulum, sed Paulum deinceps nominatum sentit Martinus Cantapetrensis [i], sed Lucam, quod dicere omiserat agens de Baptismo, id posteà expressisse in capite decimotertio. Hanc autem sententiam disertè tradit Ambrosius [k], dicens: *quòd priusquàm hic Apostolus præceptis spiritualibus lauaretur, erat blasphemus, persecutor* [l], *& Saulus; at vbi pluuia super eum lauacri cœlestis influxit, necatur blasphemus, persecutor, necatur & Saulus, viuificatur Apostolus, viuificatur Iustus, viuificatur & Paulus. Vsque adeò autem perdidit veterem cum actibus hominem, vt cum moribus mutaret & nomen.* Damasus quoque satis fauet [m] sic canens:

Mutatus postquàm placuit de nomine Paulus,
Mira fides rerum, subitò trans æthera vectus
Noscere promeruit prosint quid præmia vitæ.

Videntur ad eandem sententiam accedere, qui notionem nominis Pauli esse scribunt, vt significet, paruulum, & humilem, quod passim facit
B Augustinus, & alij Patres Latini, docentque ipso conuersionis die desiisse Saulum esse Saulum, quod est nomen Regis superbi. Et si allusio fiat in lingua Græca, in qua Σαῦλος, est quasi ἀπὸ τοῦ σάλου, id est, à salo, hoc est, turbulentia tempestatis, ac tentationis, vt ludit Ambrosius [n], desiisse esse turbulentum, & factum esse hoc modo Paulum, necnon & quietum, è Græco παῦλα, hoc est, quies, vt innuit Ephrem [o]; vel iuxta vim linguæ Hebraicæ, vt refert Hieronymus [p], mirabilem, quasi à פלה *palah*, id est, *segregare*, veluti quid eximium, aut, vt aliis placet, *electum*, aut *operatorem*, à פעל *pahhal*, aut ab eodem verbo, *confectum*, seu *operatum* passiuè (sed Syriacè scribi-
C tur non per ע hhain, sed per ו *vau*) aut os tubæ, quasi פי *pi* αὐλῆς.

Augustinus secutus primam Latinam etymologiam, quæ germanior est (ostensum verò est, cùm ageremus de nomine Stephani, & aliorum Diaconorum, Iudæis sub Romanorum imperio agentibus Romana in vsu & aliarum nomina Nationum fuisse) docet [q], quòd postquàm adductus est ad Magistrum, qui ait [r]: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, nominatus est Paulus: & [s] quòd *Saulus deposita tunica veteris peccati pannosa, cædibus sanguinea, accepit tunicam humilitatis, vt fieret de Saulo Paulus*; & [t], *sic euasisse modicum, vel minimum, vt esset inter Apostolos tanquàm fimbria vesti-*
D *menti, sed quam tetigerit Ecclesia Gentium veluti fluxum patiens, & sanata sit.* Bernardus [u] loquens de die conuersionis: *Concisus est hodiè Paulus*, inquit, *immò Saulus conuersus, versus est in Paulum, siquidem factus est tanquàm Euangelicus ille paruulus, de quo Dominus ait* [x]: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, &c.* Metaphrastes ait [y], *Sauli nomine in Pauli nomen transmutato, eóque ex salo persecutionis traducto* (ludit etiam in Græca voce, τοῦ σάλου) *ad quietem eius fides*, & hæc est allusio ad vocem παύλης, *missum ad Ananiam*. Prudentius quoque fauet [z]:

Hic lupus antè rapax vestitur vellere molli,
Saulus qui fuerat, fit adempto lumine Paulus,
E *Mox recipit visum, fit Apostolus, ac populorum*
Doctor, & ore potens coruos mutare columbis.

Non dicunt quidem isti, præter Ambrosium, in Baptismo ipso nomen esse mutatum Saulo, & indicant nonnulli etiam ante Baptismum; iuuat tamen opinionem de Baptismo antiquus mos nomen baptizatis imponendi, vt apud Hebræos circumcisis; de quo Dionysius [a], & Concilium Nicenum [b], & alter Dionysius Episcopus Alexandrinus apud Eusebium [c]. Quanquàm ea impositio locum habeat in pueris potiùs, & non vel in valdè adultis, vel in moribundis. Certè remansit Augustino post Baptismum nomen suum, & Martino, & Ambrosio, & Nectario,

Marginal notes:
a Act. 3. 1.
Baptismo verè peccata tolluntur.
b 11. Moral. c. 6. vel 7.
c Ioan. 3. 5.
* libr. de Baptismo c. 13.
d Act. 2. 38. Baptismus Pauli non fuit differendus.
e suprà c. 13.
f lib. de charit.
g cap. 22. 16.
h li. 2. de pœnit. c. 13. & 14. Paulus post Baptismum dictus est
i 5. Hypotyp. c. 1.
k Ser. 31. edit. Rom.
l 1. Tim. 1.
m in Carmine de S. Paulo.
Paulus vnde dictus sit.
n in epist. ad Rom.
o Ser. de omnib. Martyr.
p in epist. ad Philem.
Ad nomẽ Pauli variè Patrum allusiones.
q ex 6. Serm. 14. de Sanct.
r Matt. 11. 29.
s ho. 17. ex li. 50. Homiliarum.
t Tract. 8. in 1. ep. Ioan.
u Sermo. 2. de conuer. sancti Pauli.
x Matt. 18. 3.
y in encom. Apost. Petri & Pauli.
z in Enchirid.
In Baptismo probabile est nomen Pauli notatum.
a Eccle. hier. c. de Baptismo.
b Can. 30.
c lib. 7. Histo. c. 20.

Illyricus reprehendit ritum in Baptismo nomina designandi.
a Centu 1 li. 2.c.6. colum. 497.
b vers.27.

& aliis,atque,vt capite sequenti videbimus,Cornelio Centurioni;de Eunucho idem affirmari debet. Inde tamen vanum Illyricus [a] trahit argumentum, vt reprehendat ritum nomina designandi in Baptismo, quoniam Eunuchi nomen, quod ante,postque Baptismum perseuerauit,non est proprium personæ,sed aut dignitatis,aut vitij naturalis,vt præcedente capite docuimus [b]. Videtur autem è contrario inditum nomen Ioannis nouum Chrysostomo, Cassiano,Climaco: & Petri, tum Basilij fratri vni, tum Episcopo Alexandrino, & de aliis, qui pro nominibus idolorum, quæ acceperant à parentibus,asciuissent alia Prophetarum, vt Eliæ, Ieremiæ, Esaiæ, Samuelis, & Danielis, vt se Israëlitas in spiritu profiterentur, & ciues cœlestis Ierusalem,Eusebius [c] meminit,ac Nicephorus [d]. Vnde colligi etiam potest, probabile esse quod ait Suarez [e],fuisse in arbitrio adultorum, vel aliorum pro pueris, nomen eligere, quando dicebantur dare nomina petentes Baptismum,& vocabantur competentes,siue electi, ad differentiam aliorum, qui nondum petierant, & audientes etiam nominabantur:ita vt quamuis dicantur nomina imponi in Baptismo, non sit necesse, vt eodem die Baptismi, & cum ipsa baptismali ablutione, sed satis fuerit, quòd eligerentur in initio ipsius ritus baptismalis. Sic modò pro foribus Ecclesiæ initio Catechismi interrogat baptizator, Quo nomine vocaris? Sed de hoc ritu præter citatum Suarez, consule Bellarminum [f], Enriquez [g], & Ioannem Stephanum Durantum [h].

Fuit in arbitrio competentiũ adultorũ nomina antiqua mutare vel retinere.
c 8.Hist.c.31.
d 6.Hist.c.32.
e Tom.3.in 3. part.q.71.a.1. in Coment.

f Tom.2.lib. 1. de Bapt.ca. 27.
g 2. de Bapt. c.25.
h 1.de Ritib. Eccl. c.19. n. 19 & 20.

Ceterùm de nomine Pauli sentit Origenes [i], & Anselmus [k], & ex recentioribus, Soto [l], id viro illi cum Saulo alterum nomen semper fuisse more aliorum, etiam Hebræorum, qui duplex persæpe nomen gererent, quod confirmat post Anselmum Soto, quoniam vbi primùm de Pauli nomine mentionem historia præsens facit, ita loquitur [m]: *Saulus autem, qui & Paulus*; non autem qui posteà, vel anteà Paulus. Chrysostomus [n], & Oecumenius [o], aliique Patres Græci [p], arbitrantur datum nomen Paulo nouum, vt quondam quibusdam Patriarchis [q],& inter Apostolos Petro [r], filiisque Zebedæi [s] (idem hoc tradit Hieronymus [t], & Anastasius Nicenus [u]) non simul atque conuersus est, vt aliquandiu ex Sauli nomine agnosceretur tanquàm priùs persecutor, sed postquàm satis ex prædicatione mutatio ipsius in melius deprehensa esset; siue cùm velut Apostolus segregatus est cum Barnaba, vt indicat Glossa ordinaria [x], & Anastasius Nicenus [y], & Ambrosius Catharinus [z],*sicut*,inquit,*cum Papa inthronizatur*, nomen ipsi mutatur (quod tamen non est adeò antiquum,& solenne)siue cùm Paulum Sergium Proconsulem conuertit [a], quæ pluribus opinio arrisit, vt Hieronymo [b], Augustino [c], Bedæ [d], Adoni [e], Glossæ ordinariæ [f], Lyrano [g] (qui ait esse communem Doctorum) Anselmo [h]. Hic tamen magis approbat sententiam Origenis: & hanc eo nomine refellit, quòd nulla talis consuetudo nomina videlicet assumendi ab aliis conuersis, & quodammodò debellatis (vt quidam cognominati sunt Imperatores apud Romanos Africani, Asiatici, Cretici, Adiabenici, Parthici, Sarmatici, &c.) in diuinis Scripturis reperitur. Idem sentit Sedulius propter eandem rationem.

i Prę́f. in epi. ad Rom.
Paulus ab initio fuit binomius.
k in c.1.eiusd. epist.
l ibidem.
m cap 13.9.
n in idem c. lect 5 & hom. de conuers. Pauli, siue de fecen. reprehensio & homi 9.de laud. Pauli.
Primo Saulus & posteà Paulus est dictus.
o Act.13.
p in epist. ad Rom.
q Gen.17.5.
r Ioan. 1.42.
s Mar.3.17.
t in Ps.146.
u q.15.in Scripturas.
x in cap.13. Actorum.
y suprà.
z in epist. ad Romanos.
a Act.13.12.
b in epist.ad Philemonẽ. & de viris illustribus, in Paulo.
c 8. Confess. c.6.
d in c.13 Act. & in Martyrolo. 12. Kal. Apr.
e in Martyr. 11.Kalen. Februarij.
f in c.13.Act.
g ibidem.
h in c.1.ep.ad Rom.
i Tom.1.Annal.
Non accepisse nomen à Sergio Paulo quidam sentiunt.

Displicet quoque Baronio [i] eadem ratio nominis, idcirco quòd non sapit modestiam Chri-

A stianam, & illam eximiam Pauli humilitatem, qui se *nouissimum, minimùmque Apostolorum* [k], & *Sanctorum*,id est,Discipulorum, *indignum nomine Apostoli, abortiuum*,& *peccatorum primum* solet appellare,sed putat, si ex ea Pauli Sergij conuersione petenda nominis mutatio sit, quando non priùs in hoc opere de illa mentio est, ipsummet Proconsulem grati, amantissimíque animi causa suum cognomen communicasse, vt solebant Romani libertis de se optimè meritis, vel clientibus, vel hospitibus, vel aliis; sic enim etiam de se Iudæus Iosephus nobilis historicus testatur [l], cùm in bello captus à Tito esset, & libertate, ac

k 1.Cor.15.8. 9. Ephes.3. 8. 1.Tim.1.15.

l in vita sua. sub finem.

B ciuitate etiam donatus, ab eodem quoque familiæ Flauiæ nomine insignitum esse, vt Flauius Iosephus appellaretur. Eò verò magis id Apostolo nomen placuisse coniicit idem Baronius [m], quòd & corporis habitudini congruebat, quæ parua erat, qua de causa Æmiliorum genti Pauli cognomen ferunt adhæsisse [n]: & cùm Romanis, ac Gentibus cum primis assignatus esset Apostolus,Romano libentiùs nomine vtebatur,quàm Hebræo.

m suprà.

n Sigon.libr. de nominib. Romanorũ.

Reuocat me ab ista opinatione ratio ferè eadem, quæ Auctorem ipsius ab alia proximè recitata distraxit, quoniam cùm quis nomen alteri suum communicat, seu indulgere amori erga illum suo velit, seu alium finem quærat, ea

Auctor nõ probat Baronij sententiam.

C in re superiorem se quodammodò, & maiorem declarat eo, quem à seipso denominat; id autem voluisse neophytum Sergium, Apostoli in CHRISTO filium, nullo pacto mihi persuadeo. Scio basilicas appellatas Porcianas, Timotheásve Mediolani, Constantinianas, Pastoris, Liberij, Romæ, aliisque eiusmodi nominibus à conditoribus, aut dedicatoribus sacrarum illarum ædium, sed non existimo conditores, dedicatoréſque nomina indidisse, sed populum pietatis illorum celebratorem. Et de Constantino quidem dubitari nequit, quem certum sit adeò alienum fuisse ab inscriptione nominis proprij ad opera quæ multa, & illustria faciebat, vt Traiani, qui nihil à se factum sine suo

Basilica, quæ conditoris nomina pra se ferũt, à quibus sic sunt appellata.

D prodire nomine patiebatur, parietinæ nomen, siue parietariæ falsè appinxerit, quam scimus esse herbam ita dictam, quòd parietibus adhæreseat [o].

o Aurelius Victor in Cõstantino.

Eusebius Cæsariensis Pamphili dici cognomine voluit, quòd Martyrem Pamphilum coleret studio singulari, & Cyprianus Cæcilij, quoniam is illum genuerat in CHRISTO: magis igitur æquum erat, vt Paulus Sergius à Saulo Sauli, quàm hic ab illo Pauli appellationem desumeret. Si Origenem sequimur,cuius mihi super alias hac in re opinio facilior probabiliórque videtur, quæ placuit etiam Claudio Guilliaudo [p], Leoni Ca-

Sergius potius Paulus ab Apostolo dictus esse quàm contrà.

E stro [q], Andreæ Richlicio [r] (qui aliquot aliis argumentis pugnat) & Carthusiano [s], & sancto Thomæ [t], adhibeamus quoque eiusdem Anselmi [u], qui sequitur eandem de vsu duplicis nominis Sauli, & Pauli non spernendam notationem, vt idem hic Apostolus, donec quidem genti propriæ ministrabat, Saulus magis vernacula patriæ appellatione, siue Saul diceretur, cùm autem Græcis, aliisque gentibus leges,& præcepta salutis dabat, Paulus nominaretur, omnem hanc de nomine Sauli & Pauli disceptationem acu quodámodò tetigisse, & satis expresse declarasse nobis videmur. Nam ad Baptismum quod attinet, si in illo Pauli nomen inditum illi esset,

p in c.1.ep.ad Rom.
q in c.1.Esa.
r in suo Paulo.p.1.nu.6.
s in c.1.ep.ad Rom.
t in c.13.Act.
u in c.1.ep.ad Rom.
Auctoris de tota hac disceptatione sententia.

profectò non toties posteà cum Sauli nomine mentionem de ipso Lucas fecisset. Cùm verò tum Saulus primùm vocari cœptus sit ab ipso, quando segregatus est, destinatúsque Gentibus peculiariter, inde verosimilis coniectura ducitur pro exposita sententia Origenis; ita vt *is qui fiebat omnia omnibus* [a], ipso etiam nomine mallet, vt Gentilis inter Gentiles videri, quod ab innominato quoque Auctore Commentariorum in epistolas ad Romanos, & Galatas ad Paulum III. obseruatum est. Post istum ille probabilior dicendi modus est, vt ipsemet Paulus sic dici voluerit, tum maximè, quando segregatus est cum Barnaba DEI iussu, & declaratus Apostolus, studio præcipuo humilitatis. Hoc Augustinus [b] obseruauit & sensit. Haymo [c] refert paucis verbis illos modos dicendi de duplici nomine, de deriuatione à Paulo Sergio, item de etymologia Latina Pauli ab humilitate, & Sauli Græca à cessatione persecutionis: Sauli verò iuxta Hebræam notationem, à שאול *scheol*, quasi dicas *infernalem*; alij à שאול *schaul*, id est, *petitus*, nempe à Dæmone, ad persequendam Ecclesiam. Petrus Lombardus eadem ferè habet. Hæc de nomine quidem nimis forsitan fusè, at non iniucũdè, vel inutiliter. Incidi posteà in Toleti ac Pererij Cõmentarios epistolæ ad Romanos. Primus recitat opinionem Sauli & Pauli nomen prorsus idem esse, sed secundum corruptè proferri pro primo: & postremam sequitur sententiam. Secundo videtur minimè improbabilis, quam sequimur: & Saulum quidem vocitatum à parentibus nomine plausibili in tribu Benjamin: Paulum, quia natus in ciuitate Romana nomine apud Romanos perillustri, & sono ipso parum admodùm distante à Saulo. Salmeron [d] adhæret opinantibus à DEO impositum nomen Pauli, quando declarauit eum Apostolum.

a 1. Cor. 9. 22.
b lib. de Spir. & lit. c. 7.
c in c. 1. ep. ad Rom.
d To. 13. in ep. ad Rom. ca. 1. disp. 2.

Versus 19.] Et cùm accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum Discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.

ET *cùm accepisset cibum, confortatus est.*] *Nam infirmus factus erat*, inquit Chrysostomus, *& ex itinere, & ex metu, & ex ieiunio, & ex tristitia.*

Absoluta historia conuersionis Pauli, quædam expendenda restant. Primum est de tempore. *Id*, inquit Comestor [e], *aliquando dicitur fuisse annus primus Dominicæ passionis, interdum secundus.* Vtrumque verum est, hoc de anno vsuali, illud de anno emergente. Si enim computes primum annum Dominicæ passionis à Calendis Ianuarij, qui est annus vsualis, tunc secundo anno conuersus est Paulus: si autem ab ipso die Passionis vsque in sequentem diem Passionis anno reuoluto, qui est annus emergens, in primo anno Dominicæ passionis conuersus est. Hic fuit natiuitatis CHRISTI trigesimusquintus, inchoatus à die 25. proximè præteriti Decembris: à quo mensis integer fluxit vsque ad vigesimum item quintum Ianuarij, in quo accidit conuersio. Consentit Gulielmus Durandus [f]. Obstat huic expositioni, quòd ita à Stephani cæde, quam factam docuimus [g] die 26. Decembris, expleto die antecedente CHRISTI anno 34. vnus tantùm fluxisset mensis vsque ad conuersionem Pauli: at adeò breui spatio contigisse non potuerunt, quæ Lucas à dicta morte Stephani interserit ante Pauli conuersionem, vt perpendenti patebit. Quocirca satius videtur, si reipsa anno Dominicæ passionis secundo exactè sumpto, hoc est, natiuitatis trigesimo sexto, Paulum asseramus conuersum. Hoc sentit modo Card. Baronius [h], & Pererius [i]. Vnde difficile est, commodam his explicationem dare, qui vel statim à CHRISTI Ascensione, vel eo ipso anno, quo CHRISTVS passus est, Pauli conuersionem reponunt [k]. Martyrologium Romanum affirmat secundo ab Ascensione Domini anno fuisse, vbi distinctio de vsuali, & emergenti habere locum non potest. Idem planè est apud Isidorum [l], & in Martyrologio Vsuardi. Oecumenius [m] disertè docet Paulum anno à passo CHRISTO secundo vocatum. Turpiùs errant, qui CHRISTVM magica quædam, dum viueret, scripsisse nugantur ad Petrum, & Paulum: CHRISTO namque superstite, CHRISTI discipulus non erat Paulus. Lege Augustinum [n] in hos acriter inuehentem. Sed aberrant quoque, qui à conuersione septennium interiiciunt [o], contra quos egimus tractantes de lapidatione Stephani [p]: quę si tamdiu dilata est, ratio allata persuadebit, conuersionem Pauli nonnisi post completos octo annos esse potuisse.

e Hist. Scho. in Act. c. 46. *Quomodo verũ sit, Paulũ cõuersum anno primo & secundo Dominicæ passionis.*
f 7. Rationalis diui. offi. c. 4.
g cap. 7.
Conuersio ... anno ... Christi ...
h Tom. 1. Annal.
i in epist. ad Rom. proleg. disp. 1. au. 24 & 25.
k Beda in ca. 13. Actor. Euseb. in Chro. S. Tho. & Lyranus in 1. ad Cor. c. 15. & citatus Comestor.
l lib. de vita & mor. Sanctor. c. 71.
m in c. 13. Actorum. sub finem.
n 1. de consen. Euan. c. 10.
o Glycas par. 3. Annal. ex Hippoly. Thebano, & ex Euodio. Niceph. 2. Hist. c. 3.
p cap. 7. *Paulus ... conuersus sit.*

Secundo loco notandus occurrit locus ipse in via Damascena, vbi Saulum Dominus vocauit. Ibi enim in tantæ rei monimentum nobilis Ecclesia excitata est, vt idem Augustinus his verbis significat *: *Hodiè in illis regionibus etiam loca ipsa testantur quod tunc gestum est, & nunc legitur, & creditur.*

* Serm. 14. de Diuersis.

Tertiò, Pauli conuersionem, quam Stephano deberi ostendimus capite septimo, vnam meritò ab Ecclesia festiuè recoli (etsi Augustini etiam conuersio relata est in tabulas Ecclesiasticas [q]) quoniam & viuens, & nunc defunctus plurimos conuertit exẽplo, oratione, doctrina, & spem inde concipit quantuscunque peccator reconciliationis suæ. Has causas Bernardus [r] perstringit. Vltimam sæpe inculcat, ac exaggerat Augustinus [s], & quotquot vel præsentem locum explanant, vel disputant de laudibus huius Apostoli. Gregorius [t] præterea vult nos formare huiusmodi prouerbium simile ei, quod olim circumferebatur: *Num & Saül inter Prophetas* [u]? *Num & Saul inter Apostolos? Vt intelligamus, quod conuersus peccator non sòlùm*, inquit, *sperare à Domino veniam, sed viriliter certando pertingere valeat ad coronam. Pauli vocatio*, ait Ambrosius [x], *Ecclesiæ firmitudo est.* Remigius Autisiodorensis [y] non dubitat maius miraculum affirmare de Saulo persecutore discipulum facere, quàm Lazarum de monumento resuscitare [z]. Augustinus [a] verò vniuersè affirmat, maius diuinæ potestatis opus esse, ex impio pium facere, quàm mundum vniuersum condere. Idem quoque generaliter, & de Lazaro comparato cum Saulo, docet Gregorius [b].

Æstimauit Paulus ipse vim tanti miraculi toties, ac tot modis commemorans statum illum suum, priusquàm vocaretur in gratiam vocationis [c], hinc se demississimè abiiciens, hinc altissimè misericordiam erga se DEI extollens. Maximè verò vtrumque exaggerat scribens Timotheo, quod propter mirabilem dictionis, spiritúsque energiam, totidem hic verbis recitandum est. *Gratias ago ei, qui me confortauit* CHRISTO IESV *Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio, qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam* DEI *consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit au-*

Pauli vnius conuersionem Ecclesia celebrat.
q in Martyrolog. 4. Maij.
r Sermo 1. de conuers. S. Pauli.
s præsentis Serm. 8. & 11. de verb. Apost.
t lib. 4. in 1. Reg. c. 10. *Pauli conuersio quantam spem fecerit ... ingenerare.*
u 1. Reg. 10. 12. & 19. 24.
x lib. de bono mort. c. 4.
y in Psal. ... *Pauli conuersio quasi ... miraculum.*
z Ioan. 11.
a Tract. 72. in Ioan.
b lib. 1. Dial. c. 17.
Paulus ... quantis hic ... vetustum fuerit.
c Act. 22. & 26. 1. Cor. 15. Gal. 1. 1. Tim. 1. 12. & seqq.

tem gra-

tem gratia Domini nostri cum fide, & dilectione, quæ est in CHRISTO IESV. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd* CHRISTVS IESVS *venit in hũc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum: sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet* CHRISTVS IESVS *omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi* (& quidem per me) *in vitam æternam.* Hęc ibi omnia Paulus. Vbi libet cum Gregorio [a] plangendo exclamare: *In cuius verbis quid aliud, quàm duritia nostræ mentis accusatur? quia ipse plangit quod ante Baptisma commiserat: nos verò & post Baptisma multa commisimus, & tamen flere recusamus.* Eandem sententiã reperies apud Augustinũ [b], & Chrysostomũ [c]. Idem autem Gregorius [d] habet suauissimã ac elegantissimã tropologiam, & comparationem sæuitiæ rhinocerotis, & modi quo à venatoribus capitur, cum Saulo persequente, & conuerso, dignam prorsus quæ legatur, quam, quia longior, & si quid exemero, sapor eius deperiret, malo cum gustu lectorem ex Auctoris scriptis eam cognoscere, quàm hîc obiter, & strictim cum iactura referre. Aliam comparationem, seu applicationem villici iniquitatis, disertè, & fusè Theophilus Alexandrinus [e] de Paulo persequitur. Videtur sæuiens Saulus pro religione cum Mose comparandus vlciscente Hebræi hominis iniuriam interfectione Ægyptij [f], vt propter tantam indolem non hic minùs quodammodò nouæ, si non legislator, at præco legis, quàm ille veteris, fuerit designandus, vt Augustinus [g] subindicat, afferens etiam exemplum Petri, qui post abusum gladij [h], pastor Ecclesiæ creatus est [i]. Adde, tales in primis idoneos esse regimini aliorum, qui ex his quæ peccauerant, alienis compati peccatis ediscant. Leo de eadem Petri negatione agens [k]: *Ob hoc*, inquit, *sicut apparet, hæsitare permissus est, vt in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec B. Petrus potuisset euadere.* Lege de Petro Basilium [l]. *Rigor Sauli, tanquam gelu, flante diuino* SPIRITV *resolutus, in aquas euasit propriæ compunctionis, & sanctæ aliorum exhortationis*, vt idem Gregorius [m] ratiocinatur, *& tam durus persecutor, ac Stephani lapidator, Stephanum præcessit gratia Apostolatus. Nec illis ergo nos*, inquit adhuc ille [n], *nullos omnino desperantes, in corde nostro præferamus, quibus pro tempore prælati sumus: quia etsi iam videmus quantum præcessimus, nescimus quantum, cum currere cœperint, præcedamur.* Obiicienti Celso, ad CHRISTVM solos confluxisse flagitiosos, respondit Origenes [o], hac ratione intelligi quantum eius medicina contra pestes animarum polleat: etsi iam mutatis exprobranda est vita pristina, accusandum etiam Phædonem, quem Socrates è meritoria cella traduxit in scholam philosophicam, & Polemonem, qui è luxu opera Xenocratis ita resiliit, vt illi in professione Philosophiæ successor esset.

Pauli planctus vt nos ad plangendum excitare debeat.
a homil. 4. in Ezech.
b libr. de vera & falsa pœn. cap. 13.
c libro 2. de comp. cordis.
d lib. 10. moral. ca. 10. vel 13. 14. 15.
e 1. Allegor. in Euang.
f Exod. 2. 12.
g 22. contra Faust. cap. 70.
h Mat. 26. 51.
i Mat. 16. 18. Ioan. 21. 15.
Illi ad alios regendos idonei sunt, qui suis peccatis rectè aliorum compatiuntur.
k Serm. 9. de Pass.
l hom. 29. de Pœnit. & ho. 22. de humil.
m 27. Mor. ca. 18. vel 21.
Magnum ad humilitatem documentum Pauli conuersio nobis præbet.
n 29. Moral. c. 11. vel 12.
o lib. 1. cont. Celsum.
E prauâ vita ad Philosophiã qui transiere fuerint.

Porrò Paulus verbis illis eius anteà recitatis mihi videtur non imminuere, quod sentiunt tamen Græci, Ambrosius, & S. Thomas, aliique in primam ad Timotheum, necnon Augustinus [p], sed exaggerare peccatum suum. Nam maximè amplificat DEI misericordiam, seséque peccatorum primum nominat, in quo misericordiæ DEVS edere voluerit exemplum singulare. Quod autem de ignorantia sua dicit, potest intelligi de affectata: coniungit enim eam cũ incredulitate: vt quando dicuntur *errare quidam ab vtero* [q]: *ira effundenda in Gentes, quæ* DEVM *non nouerunt* [r]: *nonnulli excæcati malitia* [s]: *dati in reprobum sensum* [t]: *offendisse in lapidem offensionis* [u]: *non credidisse, & contradixisse* [x]: *obscuratum habere intellectum, alienati à vita* DEI *per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum* [y]: flamma ignis vindicandi *qui non nouerunt* DEVM, *& non obediunt Euangelio* [z]: *insipientes, & simul increduli, ac errantes* [a]. Præterea cùm ait [b], *Misericordiam* DEI *consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*, sensus potest esse (*quod feci*, &c.) nec enim incredulitas ignorantiam excusat. Profectò quando CHRISTVS vocabat Pharisæos cæcos [c], & alios, non eleuabat peccatum, & dum in cruce deprecabatur veniã nescientibus quid facerent [d], Leo [e] interpretatur, *quoniam excæcauerat eos malitia eorum*, prout & de illis ipsis loqui videtur Sapiens [f]. Fauet Theophylactus [g], notans quòd ibi Paulus de hoc se condemnat, *quia ignorantiæ morbo antè laborasset, quam incredulitas ipsa pepererat.* Bruno [h] quoque *quia* pro *quod* exponit. Augustinus [i] non dubitat Paulum, dum se primum peccatorum appellauit, reuerà intellexisse se cunctis peiorem.

Paulus non minuit suũ peccatum, sed exaggerat.
p in Psal. 50.
Qualis ignorantia Paulus laborauit.
q Psalm. 57. 4.
r Psalm. 78. 6.

A

s Sap. 2. 21.
t Rom. 1. 28.
u Rom. 9. 32.
x Rom. 10. 21.
y Ephe. 4. 18.
z 2. Thess. 1. 8.
a Tit. 3.
b 1. Tim. 1. 13.
c Mat. 23. 16. 17. 19. 24.
d Luc. 23. 34.
B
e Serm. 15. de Pass.
f cap. 2. 21.
g in 1. Tim. c. 1.
h ibid.
i tract. 9. de verbis Apost. cap. 6.

Concurrunt in hanc Pauli conuersionem omnes ferè modi, quibus DEVS alios conuertere solet. Lux denotat internam inspirationem: deiectio in terram, aduersitatem: vox, reprehensionem alicuius, vel prædicationem: stimulus, conscientiæ remorsum: missio ad Ananiam, boni exempli prouocationem. Reperiuntur hîc quoque variæ dispositiones, gratiæ excitantis, in luce: humiliationis, in casu: considerationis quis, & quantus sit quem offenderis, in verbis Sauli, *Quis es, Domine?* timoris, atque subiectionis sub diuina voluntate, cùm tremens dixit, *Quid me vis facere?* obedientiæ, & disciplinæ sub alio homine, quando iussus est ingredi ciuitatem, & audire quid oporteret illum facere: ad res externas, & rationes humanas clausos mentis oculos, apertos habere ad diuina consilia, & inspirationes, satisfacere pro peccatis ieiunando, orando, &c. & se veluti lanam rigidè stringere ad recipiendam purpuræ tincturam, vt in hoc proposito loquitur Isidorus Pelusiota [k]: exuere squamas ab oculis, vt te quidem non excuses, res autem diuinas penitus intuearis: sacramenta frequentare, Pœnitentiæ præsertim, quæ est quidam Baptismus, & Eucharistiæ, quã adumbrauit cibus Saulum confortans (nec enim Ananias sacerdos erat, vel alius, qui consecraret) versari cum Discipulis Domini, hoc est, cum bonis: alios non exemplo tantùm docere, verùm etiam verbo, quibus malè viuendo, & loquendo offensionem præbueris, vt se Dauid facturum recipiebat illis verbis [l], *Docebo iniquos vias tuas*: constanter, fortitérque perseuerare contra aduersarios, & obtrectatores, vt non erubescas Euangelium [m], neque CHRISTVM coram hominibus. Hæc eadem, vel ex his quædam dicere possumus esse signa perfectæ conuersionis, de qua re lege etiam Basilium [n], & Bernardum [o], & Sermonem Guilielmi Parisiensis.

Modi quibus Deus conuertere homines solet.
C
Moralis expositio eorum quæ Paulo acciderũt.
D
k li. 1. ep. 146.
l Psalm. 50. 15.
m Rom. 1. 16.
E
n in Reg. 296 ex breuio.
o Ser. de quatuor orandi modis.

Meritò igitur tam singulare celebrat conuersionis exemplar Ecclesia, necnon aptè solemus eximiam conuersionem alicuius cum ista comparare. Sic quidem Nicephorus [p] facit, scribens de Procopio ex Ægypti Præfecto martyre Christiano, qui de cœlo vocatus sit. Gregorius Nazianzenus, quem citat Philippus Solitarius [q], cùm virtutes distinxisset in φυσικὰς, ἠθικὰς, διδακτικὰς, περιστατικὰς, *naturales, morales, quæ doceri possunt, quæ ad casus pertinent*; & quando quis non spontè, & vltrò,

p 7. Hist. ca. 15.
q 4 Diop. c. 6

A sed malo coactus ad bonum se applicat, affert in exemplum cum Manasse & latrone, etiam Paulum conuersum. Lege Ephrem [a], in quàm multis Paulus nobis imitandus sit.

a tom. 1. pag. 181.

Fuit autem cum Discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.] Chrysostomus legit, *diebus tribus*: Græcè est, ἡμέρας τινὰς, *dies aliquos*, vel, *aliquot*. Syrus simpliciter sic legit, והוא יומתא *vehaua saumatha*, id est, *& fuit dies*, quamuis Interpres expositionis gratia adiungat, *fuitque diebus aliquot*. Non est autem sensus, quòd diu manserit antequàm palàm, ac publicè prædicaret, sed quòd prædicatio per dies multos durauerit: subditur enim quòd continuò prædicare sit aggressus. *Quid huic rei comparabimus*, inquit Chrysostomus? *Consolatio ista adducto Paulo* (& conuerso) *compensabat mœrorem, quem ex morte Stephani fideles conceperant, nec facile potest æstimari quanto cuncti gaudio triumpharent, & quas* DEO *gratias, & Saulo gratulationes exhiberent.* B Sic lætus Dauid præcipuum hostium suorum ducem Abner ad se venisse, celebrauit conuiuium [b]. Collætatur similiter Ecclesia tam festiuè celebrans conuersionem istam Pauli, ex qua tantus prouenire fructus debuit: nec vllius legens libentius, ac sæpiùs, quàm illius epistolas, quemadmodum alterius pœnitentis Dauid Psalmos, vt obseruauit Innocentius III. [c] quibus adde tertium Matthæū. Conuersio Pauli Burgensis ex Iudæo Christiani comparatur cum ista, in vita quæ est ante scrutinium: & dicitur apparenti sibi B. Virgini respondisse; Quid me vis facere? indéque cognomen à S. M. accepisse; etsi alij putant quod esset ex prosapia illius: ceteri enim parentes idem cognomen habuerunt, licèt posteà, de Carthagena, quòd factus Episcopus Carthaginensis.

Paulus statim post conuersionē prædicare aggressus est.

b 2. Reg. 3. 20.

c Ser. 1. de cōuers. Paul.

C *Versus* 20.] Et continuò in Synagogis prædicabat IESVM, quoniam hic est Filius DEI.

ET *continuò in Synagogis.*] Sic habent Biblia emendata à Sixto V. & Clemente VIII. consentiente Græca editione, καὶ εὐθέως ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *& confestim in Synagogis*; & sic etiam Syriaca editio habet, מכרז הוא בכנישתא *machraz haua bachenuschatha*, id est, *prædicans erat in Synagogis*. D Porrò plures eadem in vrbe Synagogæ nonnunquàm erant: hæque tam visu esse fidelibus potuerunt illo tempore, quàm puram legem adhuc sectantibus. Velox magister est SPIRITVS sanctus, vt dixi capite secundo: & Saulus eo magistro, siue CHRISTO, vsus erat in triduano ieiunio suo, vt superiùs ostendi. *Non erubescebat mutationem, neque formidabat destruere ea, in quibus antea clarescebat*, inquit Chrysostomus. Qui cùm subdit, tunc non accepisse, quando ab Anania baptizatus est, SPIRITVM, qui faciebat signa, cùm nulla fecisse legatur, idque, vt sic fides ipsius ostenderetur, siue E probaretur, eum ego interpretor, quoniam SPIRITVS, siue donum miraculorum, in vsu consistit, non in habitu. Quòd tamen charisma linguarum, aliáque huiusmodi gratis data dona acceperit, quæ in morem qualitatum hærent in animo, amens sit qui dubitet. Vim, ac feruorem concionantis, illo præsertim initio, quis verbis queat exprimere? Vulgaris de Augustino (vnde natus nescio) rumor est, tria in optatis maximè habuisse; CHRISTVM videre in carne conuersantem, Romam triumphantem, & Paulum audire declamantem. Incipiebat iam tunc Benjamin iste lupus

Spiritus sanctus velox magister est.

Spiritum sanctū an in Baptismo Paulus acceperit.

A rapax diuidere spolia, Iudæis dimittendo literæ paleam & scoriam, nobis veritatis soliditatem, quam ceu ex scypho (quem mysticus Ioseph in animæ ipsius sacco condiderat, vas eum formans electionis) propinabat, & non tam corpore, sicut Benjamitæ, quàm strenuus animo pugnabat; duplici roboratus portione, quam dederat primogenitus fratrum CHRISTVS, plus omnibus laborabat: amantissimus Domini hic Benjamin confidenter agebat pro illo. Eximium hoc Sauli priuilegium, vt tam citò prædicator euaserit; non tam exemplum, quàm miraculum, & mutationem dexteræ Excelsi Bernardus [d] docet esse, vt proptereà Bruno cui respondet, Episcopatum admittere, conscius priorum peccatorum, tam citò B non debeat. Renuit ibi etiam Matthæi exemplum, qui tametsi vocatus immediatè de telonio [e], diu antè vixit cum CHRISTO agens pœnitentiam, quàm ad prædicandum mitteretur: item Ambrosij, qui licèt de tribunalibus ad sacerdotium raptus, à puero mundam in mundo egit vitam, multísque aliis modis id declinauit. Legi velim Rupertum [f] accuratè & eleganter disserentem de diuina Pauli doctrina. Perpendit inter alia triduo nihil legisse vnde disceret, nec audisse; Ananiam non se missum dixisse, vt informaret Euangelio: nec Lucam scripsisse, degisse cum Discipulis, qui erant Damasci, sed fuisse, & conti- C nuò prædicasse, conualescendo, & confundendo Iudæos: squamas, quæ prius deciderant, indicasse. Velamen remotum incredulitatis à corde ipsius, vt reuelata facie gloriam Domini specularetur in eandem imaginem transformatus à claritate in claritatem tanquam à Domini SPIRITV [g], ita vt exurgeret homo splendidus tam in corpore exteriùs, quàm in corde interius illuminatus. Exaggerat autem egregiè gratiam [h] istius vocationis, & conuersionis, & quo pacto de se diceret ille, *Gratia* DEI *sum id quod sum* [i].

d epist.

e Matth. 9.

f lib. 4. de oper. Spiritus sancti c. 17. & seq. vsque ad finem libri.

g 2. Cor. 3.

h ibid. c. 9.

i 1. Cor. 15. 10.

Prædicabat IESVM.] Syriacè sic legitur: דיהודיא על ישוע *deiudaie bhal Ieschuahh*, quod est, *prædicans erat de* IESV, vel, *prædicabat* IESVM, D Græcè, ἐκήρυσσε τὸν ΧΡΙΣΤΟΝ, *prædicabat* CHRISTVM.

Quoniam hic est Filius DEI.] Rem sanè omnium difficillimam neophytus Doctor probandā apud Iudæos sumpsit. Vocauit quidem IESVM superiùs in hac historia Petrus Filium DEI [k] in sermone publico; & omnes Apostoli dum orarent [l]; & Eunuchus fidem profitens, vt baptizaretur [m]; sed ante Saulum, qui id ex instituto prædicauerit, ac probauerit, neminem meminimus. Didicerat id Saulus à CHRISTO ipso, nec minùs quàm Ioannes, qui exorditur Euangelium à Deitate CHRISTI, ex eiusdem CHRISTI E pectore hauserat. Vtinam probationes Sauli haberemus, quibus demonstrauit IESVM esse Filium DEI, quas petitas potissimùm opinor ex sacrarum testimoniis literarum. Neque verò controuersia esse poterat de filiatione adoptiua, quæ cùm iusto cuilibet, tum certè magis insigniter conuenit iustitia præcellentibus, usque, qui in singulari quadam tutela DEI versantur, & ante omnes MESSIÆ, vt quidem negare Iudæi non poterant. Dubitatio est de naturali, & consubstantiali Filio DEI, an talem futurum esse MESSIAM Iudæi intellexerint. Caiphas adiurauit CHRISTVM, vt diceret, *si esset ipse* CHRISTVS *Filius* DEI [n]. CHRISTVS verbis illis Dauid per obliquum id declarasse videtur, cùm argu-

k c. 3. 13.

l cap. 4. 30.

m cap. 8. 37.

n Matt. 26. 63.

mentatus

mentatus esset: *Quomodo ergo Dauid in* SPIRITV *vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis* [a]? Relinquenda hæc demonstratio aduersùs Iudæos scholasticis Theologis, aliísque, qui Iudæorum nationem scriptis exagitant. Ludouicus Molina [b] profert septemdecim testimonia: & legendus quoque Suarez [c], ac Sebastianus Barradius [d]. CHRISTVS satis aliquando clarè DEVM se, ac DEI Filium expressit, ita vt propterea & lapidare ipsum Iudæi voluerint [e], & ad crucem demùm egerint [f].

a Mat. 22. 43. 44. Psal. 109. 1.
b 1. par. q. 27. disp. 2.
c Tom. 1. in 3. p. disp. 1. sect. 1.
d lib. 2. Conc. Euãg. c. 16. & 17.
e Ioan. 10. 31.
f Mat. 26. 63. 64.

Versus 21.] Stupebant autem omnes, qui audiebant, & dicebant: Nónne hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos, qui inuocabant nomen istud: & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes Sacerdotum?

STVPEBANT *autem omnes.*] *Sed stupidi manebant, & increduli,* vt ait Chrysostomus: tamen Cyrillus Ierosolymitanus [g] videtur de fidelibus intelligere. Totus contextus expositioni priori magis fauet. Stuporem istum Rupertus [h] arbitratur innui verbis Psalmi [i]: *Ibi Benjamin adolescentulus* (Saulus de illa tribu) *in mentis excessu* (in stupore mentis omnium dicentium, *Nónne hic est,* &c.) qui etiam in via stupidus factus est.

g Catech. 10.
h 4. de operibus Spiritus sancti. c. 19.
i Psal. 67. 28.

Nónne hic est, qui expugnabat.] Quasi mutatam leuiter sententiam mirarentur, & criminarentur. Et tamen sapientis est, in melius mutare sententiam, non acquiescere carni, & sanguini, non modò non esse incredulum cœlesti visioni, sed iussioni quoque citò, ac alacriter obedire. Exemplum dat non rubescendi, vbi potest veritas mutare sententias suas, inquit Glossa ordinaria. Huc applicari potest prouerbium illud, de quo antè memini: *Num & Saül inter Prophetas* [k]? Et erat sanè cur mirarentur adolescentem, ciuem Romanum, nobilem apud Iudæos, professione Pharisæum, doctrina conspicuum, tam dirum nuper persecutorem, cum literis & potestate missum contra CHRISTI cultores, adeò immutatum absque metu vel opinionis de inconstantia, vel laqueorum, quos aliis parauerat, vt libera & publica oratione IESVM prædicaret esse CHRISTVM siue MESSIAM, immò & Filium DEI.

Sapientis est mutare consilium in bonum.
k 1. Reg. 10. 11. 12.

Expugnabat.] ὁ πορθήσας, *diruens, euertens, vastans, depopulans,* vnde trita epitheta apud Poëtas, πτολίπορθος, & περσέπτολις, pro *vrbium vastatore, euersore, populatore,* vt Proserpina Græcè dicitur Περσεφόνη, quasi *cædibus omnia vastans.* Vtitur eodem verbo Paulus de seipso persequente Ecclesiam [l], ἐδίωκον τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ ΘΕΟΥ, καὶ ἐπόρθουν αὐτήν, *persequebar Ecclesiam* DEI, *& expugnabam illam,* seu, *vastabam,* more hostis populantis omnia, & deprædantis captas vrbes, *conatus,* vt ibi exponit Chrysostomus, *Ecclesiam extinguere, subuertere, demoliri, abolere: nam id est,* inquit, τοῦ πορθοῦντος, *expugnatoris opus.* Quò maiorem accidisse hoc loco ait stuporem Iudæis de tam improuisa, tantáque catastrophe adeò priùs furibundi, & furentis Sauli in Ecclesiam. Nec hîc verò Valla obiiciat, quod citato obiicit loco, non expugnandi vtendum verbo, sed oppugnandi, quasi, quod fieri nequit, Ecclesia dicatur expugnari & vastari. Nam nihil ampliùs talia non rarò important constantia præpositione, *ex,* verba, quàm alia simplicia: vel Scripturæ non quod factum est, sed quod facere conabatur Saulus, expresserunt. Tale illud in persona CHRISTI aut Ecclesiæ [m], *Sæpe expugnauerũt me, &c. etenim non potuerunt mihi.* Non aptius exprimi sæuitia illa potest, quàm exemplo lupi rapacis, quod de Benjamin, & in eius persona de Saulo, nostro à plurimis intellectum vidimus, *qui manè rapuit prædam, & vespere spolia diuisit.* Reuerà *hæc mutatio dexteræ Excelsi* [n], vt qui Benoni erat, *filius doloris, euaserit Benjamin, filius dexteræ* [o].

l Gal. 1. 13. *Paulus Ecclesiæ magnus persecutor.*
Valla vult carpere nostrã editionem, carpitur.
m Psal. 128. 1.
Sæuitia Sauli nõ potest melius exprimi quàm per lupi sæuitiã.
n Psal. 76. 11.
o Gen. 35. 18.

Nomen istud.] *Non dicebant* IESVM, *præ inuidia,* inquit Chrysostomus, *neque nomen audire sustinentes: ita erant exasperati.*

Versus 22.] Saulus autem multò magis cõualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmãs quoniam hic est CHRISTVS.

SAVLVS *autem.*] Quidam codices Latini hîc pro Saulo habent Paulũ, atque ita legit Glossa ordinaria: cùm tamen deinceps vsque ad versum nonum capitis 13. retineatur nomen Sauli, & posset quis inde confirmare sententiam, quòd binomius Saulus fuerit, & cùm Lucæ excidisset nunc, paulò post conuersionem, vocare Paulum, rursus voluisse vocare Saulum; deinde verò cùm incidit mentio de peregrinationibus eius inter Gentes, non ampliùs Saulum, sed Paulum vocasse, quia Pauli nomen apud Gentiles vsitatum erat, & non Sauli. Beda [p] notat, textum Græcum in versu 26. habere nomen Pauli; vbi tamen neque hoc, neque Sauli nomen nunc extat, vel in Græcis nostris codicibus, vel Syriacis, vel Latinis, *non quia illo adhuc tempore,* inquit ille, *sic vocaretur, priusquàm Sergium Paulum Cypri Proconsulem ad fidem* CHRISTI *conuerteret; sed præoccupando nunc ita vocatur, opportunè dicente B. Luca, ibi præsignare, quia Paulus esset vocandus, vbi eum primò post conuersionem, Ierosolymam venire, & Apostolis iunctum esse narraret: vt vnde paulò antè superbus Ecclesiæ persecutor exierat, illo nunc humilis Ecclesiæ propugnator intraret. Nam quia paulum Latinè modicum significat, iure Paulus ille vocari maluit, qui inter maximas virtutum operationes humilis permanere non omisit. Neque enim putandum est, Paulum, siue Petrum Hebræa, & non potius Latina, vel Græca esse vocabula, cùm constet Hebræos p, literam non habere omnibus modis.* Hæc volui recitasse, quoniam conferunt ad ea, quæ disseruimus anteà de isto nomine: & ratio cur modò Paulus dicatur, non Saulus, iuuat dictam opinionem, quòd duplex eidem Apostolo nomen fuerit. Attamen quòd Hebræos literam p, prorsus agnoscere negat, ignoscendum minùs perito huius linguæ, in qua certum est eandem literam פ pe, cum *raphe,* valere *ph,* cum *daghes,* p.

Paulus fuit binomius.
Paulus in hoc capite à Luca vocatus est.
p Retr. in Act.

Multò magis conualescebat.] Quantò minùs esse suspicio poterat eum ad gratiam loqui. Codices quidam Græci [q] addunt, τῷ λόγῳ, *sermone,* siue *oratione. Maius est huius testimonium,* inquit Cyrillus Ierosolymitanus [r], *quàm Petri, & Ioannis. Suspiciosius enim aliquis dixerit, quòd erant domestici: de illius autem testimonio, qui hostis anteà fuit, deinceps verò pro illo moritur, quis dubitet illius esse verum testimonium?* Tum verò notans, quod & aliàs notauimus, diuina dispensatione factum, vt plures ille, quàm ceteri, scriberet epistolas, causam reddit, quòd dubia non esset doctrina illius, qui anteà fuisset inimi-

q in Græco Test. ParisT. Typogr.
r Catech. 10. *Testimonium Pauli maius est quã Petri vel Ioannis.*
Quomodo Pauli doctrina sit mirabilis.

cus,

cus,& persecutor. *Stupebant enim omnes*, inquit, *de Paulo dicentes: Nonne hic est, qui prius nos persequebatur? nonne hic huc venit, vt nos ligatos ducat Ierosolymam? Non miremini*, inquit Paulus: *Ego scio quòd durum est mihi contra stimulum calcitrare: scio quòd non sum dignus vocari Apostolus* [a], *quia persequebar Ecclesiam* DEI. *Existimabam enim esse solutionem legis*, CHRISTI *prædicationem: nesciui autem quòd ipse venit adimplere legem, & non soluere* [b]: *superabundauit autem gratia* DEI *in me* [c]. Basilius [d] tractans verba Psalmi [e]: *Hæc via eorum scandalum ipsis*, cùm dixisset, quòd DEVS per malitiæ viam incedentibus occurrat, offendicula obiiciens, quæ nos à peccatis remorentur, & arceant, vt posteà, quod eodem Psalmo subditur [f], *In ore nostro ei complacea mus*, Pauli profert exemplum: *Persecutor*, inquit, *erat Paulus, depopulabatur ac vastabat* CHRISTI *Ecclesiam, prono ad explendam iniquitatem cursu vires exerebat. Posteà in ore suo complacuit, dum per Synagogas annunciaret, quoniam hic est* CHRISTVS.

a 1.Cor.15.9.
b Mat.5.17.
c 1.Tim.1.14.
d hom.in Psa. 48.
e Psa.48.14.
f ibid.

Confundebat Iudæos.] Sine dubio nominis Christiani inimicos, quamuis citatus Cyrillus de fidelibus intelligat. Græcum συνέχει, significat etiam *conturbabat*, seu *turbabat*, & *perturbabat*, participium verò Syriacum מזיע *meziahh*, idem valet quod *commouens*, ac *terrens*. *Eloquium Domini inflammauerat Saulum* [g], *eratque in ore ipsius eloquium sanum* [h], *& irreprehensibile, ita vt is qui ex aduerso est, vereretur, nihil malum audens dicere de Saulo*, qui, vt ait Tertullianus [i], *cùm primus Ecclesiæ sanguinem fudisset, posteà gladium stylo* (non tantùm scriptionis, sed etiam prædicationis) *mutans, & conuertens macheram in aratrum, lupus rapax Benjamin, dehinc adferēs ipse etiam escam secundùm Iacob, &c.*

g Psa.104.19.
h Tit.2.8.
i in Scorpiac. c.13.

Affirmans.] Συμβιβάζων. Significat hoc verbum hoc loco, vt Budæo [k] videtur, *ex collatione, nempe sacrorum vaticiniorum, docens, & probans*, quamuis etiam habere hîc locum possit ea significatio, qua συμβιβάζω, eodem Budæo teste, & Suida item, idem est quod doceo, & instruo, quemadmodum etiam habetur apud Paulum [l], τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου, ὃς συμβιβάσει αὐτόν, *quis enim cognouit sensum Domini, qui instruat* seu *doceat illum?* Fauet Syriaca editio, quæ sic habet, כד מחוא הוא *chad mechaue hauа*, id est, *cùm ostendens erat*, seu, *cùm ostenderet*, seu, *nunciaret*. Oecumenius exponit, μετ᾽ ἐπιεικείας διδάσκων, *cum quadam quasi condescensione*, seu *aptè, & conuenienter docens*.

k in Com.lin. Græcæ.
l 1.Cor.2.16.

Quoniam hic est CHRISTVS.] Hoc apud Iudæos summoperè probandum erat, quod præstāt illi omnes, qui contra illos disputant, & ex Scholasticis nonnulli tractantes de Incarnatione. Lege potissimùm Sebastianum Barradium [m], & Franciscū Suarez [n]. CHRISTVS ipse disertè se MESSIAM professus est [o]. Ecce vas vtile Domino quā citò fundit vtilem liquoré olei prædicans CHRISTVM, & malum exemplum bono compensans. Si confestim euellerentur zizania, non superesset peccatoribus ad vitæ emendationem locus: nisi Esau reprobus in hanc prodire lucem permissus esset [p], Iacob iustus & sanctus non extitisset: si totam tribum Benjamin deleri DEVS pro meritis permisisset [q], Paulum Ecclesia non habuisset. Elicitur ex Isidoro Pelusiota hæc animaduersio [r], qui meminit etiam Matthæi [s], quem DEVS vacantem portoriis exigendis non extinxit, ne Euangelij scriptionem, prædicationémque impediret: Magdalenæ [t], quam passus est aliquandiu viuere, & resipiscere, ne pœnitentiæ exempla meretricibus deessent: Petri [u], cuius non est virtus ab-

Christus noster verus est Messias.
m lib. 2. Cōc. Euang. & lib. 3.
Paulus vas vtile Domino.
n Tom.1.in 3. p dis.2.
o Mat.16.17. c.26.64. Ioan. 4.26.
p Gen.25.26.
q Iud.20.47. 48.
Multos Deus permisit cadere qui posteà resipiscunt.
r lib 1.ep.193.
s cap.9.
t Luc.7.
u Matth.26.

A iurationem, quoniam calentes ipsius lacrymas prospiciebat: Iob, propter quem dictum Esau viuere voluit, quia ex eius genere futurus erat [x]: *Sic demum*, inquit, *persequentem Paulum non abscidit, ne orbis terrarum fines salute frustrarentur*. De reseruatis autem illis ex tribu Benjamin propter Paulum, non meminit ipse, sed Hieronymus [y], quem nuper citaui.

x Gen.42.
y epist.13.

Versus 23.] Cùm autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in vnum Iudæi, vt eum interficerent.

B CVM *autem implerentur dies multi.*] *Fuit enim Saulus*, vt dictum est versu 19. *cum Discipulis, qui erant, Damasci per dies aliquot*. Ceterùm quoniam de diebus multis mentio est, Glossa interlinearis dubitat vtrùm in Damasco insidiæ in Saulum contigerint: tamen magis inclinat ibi contigisse. Lyranus sentit priùs abiisse Saulum in Arabiam, inde rediisse Damascum, post lustratam prædicando dictam prouinciam, tum propter hæc verba textus, tum quia post istam persecutionem concitatam in ipsum narrat Lucas petiisse Ierusalem; ipse verò in epistola ad Galatas [z] negat se statim à conuersione in eam ciuitatem contulisse, sed cùm ex Arabia reuertisset Damascum, & quidem lapso triennio: adde quòd si C clàm exiisset Damasco, vt hîc subiungitur, eò rursum palàm non rediisset: eadem sententia placet aliis Interpretibus præsentis loci, & epistolæ ad Galatas, & Historiæ Scholasticæ [a], & Baronio [b]. Aliis apud Carthusianum [c] videtur, quòd statim post conuersionem venerit in Ierusalem: quia vt primùm venit, Apostoli illum deuitabant, veluti recentem adhuc persecutorem: tamen perinde computari, ac si non venisset, quia nihil ibi substitit. Chrysostomus ex variis expositionibus vnam istam dat, quòd ille non abierit, vt moram faceret. Alia item apud eundem est, quòd non ad Apostolos abierit tunc, sed vt Discipulis adhære- D ret, vtputà non doctor, sed discipulus existens. Lege quoque Oecumenium. Aliqui, vt Catharinus [d], indicant, quæ præcedentibus versibus narrata sunt de disputatione Sauli Iudæos expugnantis non contigisse, vbi primùm conuersus est, sed post reditum ex Arabia, ita vt in Arabiam post aliquot dies à conuersione abierit, & cùm inde Damascum rediisset, ibi prædicauerit, & factis in eum insidiis effugerit: hæc tamen omnia coniungantur cum conuersione occasione Damasci: quòd autem diu post conuersionem Apostoli Saulum veriti sint in Ierusalem, causam esse, quia solo rumore conuersionem acceperant, cùm qui conuersionis oculati testes Damasci erant, Ierusalem E reuerti nondum ausi essent, & ipse, vt de seipso scribit [e], facie ignotus esset Ecclesiis Iudæorum, quæ erant in CHRISTO, tantumque auditum habuerant, quòd qui persequebatur illos aliquando, euangelizaret fidem, quam aliquādo expugnabat.

An insidiæ in Paulū factæ fuer[int].
z c.1.17.18.
a cap.41.
b Tom.1.Annal.
Quando venerit Ierosolymam.
c in hunc locum.
d in c.1.epis. Galat.
Cur Apostoli eum conspectum fugerent.
e Gal.1.22.23.

Equidem disputationem Sauli cum Iudæis non dubito mox à conuersione, paucísque duntaxat interiectis diebus, factam fuisse: id enim perspicuè sibi vult versu 20. aduerbium *continuò*, εὐθέως, & expressiùs Syrum verbū שעתה *schahhatheh*, quod est, *eadem hora*, vel *hora hac*. Deinde stupor, & commemoratio literarum, cum quibus venerat ad vinciendos fideles, idem suadet, vnà cum ea adiectione, *quòd is nihilominùs multò magis conualescebat, &c.*

Auctoris sententia.

Quod

Quod dicitur, *cùm autem implerentur dies multi*, commonstrat primæ opinionis probabilitatẽ vnà cum allatis aliis coniecturis. Tunc verò affirmare oportebit insidias Iudæorum, & Sauli fugam in reditu Sauli accidisse: quam etiam in sententiam Hieronymus [a] procliuior descendit. Nihilominùs conquiesco in mea sententia, cui mirificè fauent, qui diuinæ vim gratiæ admirantur in Saulo, vt mox à conuersione adeò strenuus Doctor euaserit, qualis est Chrysostomus [b], & passim alij.

a in epist. ad Galatas.

b hom. 20. in Act. & alibi.

Consilium fecerunt Iudæi in vnum, vt eum interficerent.] Dixi hæc euenisse aliquanto tempore post conuersionem, vbi Saulus ex Arabia reuertisset. Nam etsi ante discessum ex Damasco prædicauit, & ita concitauit in se Iudæos, tamen credibile est, hos per literas Ierosolymam scriptas voluisse certiores reddere Principes Sacerdotum de Sauli mutatione, interim Saulum hac aliáve occasione discessisse. Experitur re ipsa Saulus *quãta oporteat ipsum pro nomine* IESV *pati*, & verum esse quod & expertus posteà docuit, *omnes* [c] *persecutionem subire, qui piè volunt viuere in* CHRISTO. Quæ res longa plurimorum exemplorum inductione demonstrari potest, & iam in aliis Apostolis superiùs ostensa est.

Insidiæ factæ sibi post reuersionem ex Arabia.

Persecutiones pios semper manent.

c 2. Tim. 3. 12.

Versus 24.] Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem & portas die ac nocte, vt eum interficerent.

NOTÆ *autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum.*] Vel humano indicio, vel reuelatione diuina. Incertum, an in ipsamet Damasco voluerint eum interficere, an vinctum remittere Ierosolymam. Primum satis consentaneum est malitiæ, ac sæuitiæ Iudæorum: & fortassis cùm priùs de illo scripsissent, habebant in mandatis vt id facerent, à Principibus Sacerdotum, eadémque in re cõsentientem fauentéque Damascenum politicum Magistratum, vt docent quæ subduntur.

Paulus in ipsa Damasco ad mortem quæsitus est.

Custodiebant autem & portas die ac nocte, vt eum interficerent.] Syra editio habet, חרעא דמדינתא *tharhhe damdinetha*, id est, *portas vrbis*, vel, *ciuitatis*. Vox Græca, τὰς πυλῶν, propriè dicitur de aditu per mœnia in vrbẽ: θύρας verò significant eũ qui fert in domũ. Quemadmodũ Latinè fores, ianua, ostium in ædibus vsurpantur, porta in ædificiis muro cinctis, quasi à portando, quòd per eã omnia importẽtur, ac exportẽtur: vel, vt ex Catone notauit Isidorus [d], quia qui vrbem nouam cõdebat, tauro & vacca arabat; & vbi arasset, murum faciebat; vbi portam volebat esse, aratrum sustollebat, & portabat, & portam vocabat. Nõ meminerant isti, Apostolos in Ierusalem liberos è carcere prodiisse diuina vi [e], cui nullæ custodiæ portarum ciuitatis esse impedimento possint, si suum clientem saluare DEVS decreuerit. Vigebat eo tempore Romanos inter, regémque Aretam (priscum ac familiare Arabum siue Tyrannorum, siue Regũ id nomen fuisse indicat Machabaica historia [f]) acre bellum, præside in Syria Vitellio, ac vis belli conuerti in Arabiam videbatur; ideò Iudæos huiusmodi arripuisse occasionem credi potest suggerendi Aretæ, vel ministris eius, Saulum alterius rei prætextu in illam ciuitatem, atque prouinciam aduenisse ad explorandum, quippe qui etiam Arabiam visisset: cauerẽt etiam atque etiam, omnésque elabendi aditus clauderent: se, & communi periculo impulsos, & studio propriæ religionis, à

Porta vnde dicatur.

d li. 15. Etym. 2. 2.

e c. 5. 19.

f 2. Mach. 5. 8.

Qua ratione Paulum apud Aretam Regem sint calumniati.

A

qua ille defecerat, & quam impiè oppugnabat, omnem operam adhibituros, vt communem hostem obseruent, capiant, dedant. Itaque custodes portarum, non soli vrbis satellites, de quibus loquitur Paulus Corinthiis [g], sed ipsi cum iis Iudæi fuisse videntur, vt indicat Glossa interlinearis, etiamsi Beda contradicere videatur, & Hugo, & Carthusianus, & Glossa ordin. Solemnis fuit Iudæorum Gentiúmque in Christianos calumnia proditi Imperij, & quòd seditionum auctores essent, & eorum causâ mala omnia, calamitatésque famis, pestilentiæ, incendiorum, belli, &c. prouenirent, vt videre est in Apologiis Patrũ pro Christianis, & in opere Augustini [h] de Ciuitate DEI.

B

Legendus præcipuè Tertullianus [i], & Arnobius [k].

g 2. Cor. 11. 32

Christiani de Romani imperij proditione sæpe calumniati.

h Tom. 5.

i in Apol. c. 2. 35. 40.

k 1. cont. Gẽt. ab initio.

Versus 25.] Accipientes autem eum Discipuli nocte, per murũ dimiserunt eum, submittentes in sporta.

ACCIPIENTES *autem eum Discipuli.*] Beda exponit de Discipulis CHRISTI; in Græco enim non est, inquit, additum *eius* (quo pacto Latini nonnulli codices habent) sed tantummodò, *Discipuli*, vt generaliter CHRISTI, vel Ecclesiæ intelligantur: nondum enim Paulus Discipulos fecisse legitur, sed solùm Iudæos confudisse, qui erant Damasci. Consentit Glossa ordi-

C

naria, & Hugo. Chrysostomus verò & Oecumenius, licèt non legant, *eius*, tamen volunt sermonem esse de Discipulis Sauli. Sed prior opinio magis placet.

Per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.] Καθῆκαν διὰ τοῦ τείχους, *per murum demiserunt*, vel, *deorsum miserunt*. Latini codices habent, *dimiserunt*, & sic etiam legit Sixtiana emendatio. Consentit Syriaca editio, ושבקוהי *veschabnuhe*, hoc est, *& dimiserunt eum*. Ardebat Saulus desiderio mortis pro CHRISTO, sed sciens sibi latiùs, longiúsque procedendum, & cedens Condiscipulorum monitis, & precibus, fugam arripuit eo modo, qui ipsi propositus est.

Paulus ardebat martyrij desiderio.

D

In persecutione quandoque fugere licet, ac verò etiam oportet, vt hoc ipso exemplo confirmat Athanasius in Apologia pro fuga sua, refellens rationes contrarium sentientium, tacito nomine Tertullianum [l] intelligens. Idem notant Interpretes huius loci, & Augustinus [m]. Gregorius [n] quoque hinc elicit, necesse esse, vt *artificiosa virtute aduersariorum pugnam aliquando constanter appetamus, & prudenter aliquando declinemus, atque ita Paulum cùm Damasci valdè obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum noluisse aduersitati confligere, quia & semetipsum, quem profuturum multis nouerat, vidit posse deficere: & aut nullis se ibi, aut paucis prodesse. Se-*

E

cessum à certamine petiisse, & pugnaturum feliciùs ad alia se bella seruasse: non loco virtutem, sed locum virtuti defuisse: & idcirco fortissimum militem ab obsidionis angustia certaminis campum quæsiuisse. Similis sententia repetitur ab eodem alio loco [o], vbi cùm ait funem, sportámque quæsiuisse, séque latenter deponi voluisse, intellexit (opinor) diuino consilio acquieuisse. Permisit DEVS hanc fugam, *vt Saulus sua sibi conscius esset imbecillitatis*, inquit idem Gregorius [p]: *eripuit Paulum sine miraculo, quoniam vult etiam humana industria pleraque fieri, ne alioqui haberentur homines vt stipites*, inquit Chrysostomus, & Macarius Ægyptius [q]. Docet Augustinus contra Gaudentium [r], quòd non fugit Paulus vt mercenarius [s], quia non deseruit timore iustitiam: &

In persecutione licet fugere, ac oportet etiam.

l lib. de Fuga in persecutio.

m 22. con. Faustum. c. 36.

n 31. Mor. c. 14 vel 23. & 24.

Aduersariorum pugna constanter aliquando, & prudenter declinanda.

o 2. Dial. c. 3.

Deus cur Paulũ fugere permiserit.

p 28 Mor. c. 5.

q hom. 26.

r lib. 1. c. 16.

s Ioan. 10. 12.

a Tract. 46. in Ioan.
b lib. de oper. Monach.
c Psa. 49. 15.

tractans parabolam ipsam boni pastoris ac mercenarij [a], ait, *quòd oues pastori in cœlo sedenti orationibus commendabat, se autem vtilitati eorum fugiendo seruabat.* Monet prætereà [b], non quia dixit DEVS [c], *Inuoca me in die tribulationis, & eximam te, & glorificabis me*, propterea non debuisse fugere Apostolum, & per murum in sporta submitti, vt manus persequentium euaderet, sed expectare potiùs vt comprehenderetur, & eum sicut tres pueros de mediis ignibus liberaret [d].

d Dan. 3. 30. *Militi licèt sit probrum fugere, in tempore tamē id opportunū est.*
e ff. lib. 46. de re milit.
f tit. 33 §. 4.

Militi probrum est & capitale [e] fugere, & atrocem lex Salica [f] censet calumniam, *si quem quis leporem clamauerit.* Attamen & post fugam, opportunam videlicet, rediens miles meliùs pugnat, iuxta veterem parœmiam; estque militare vnum stratagema in tempore fugere: exemplo sunt præ ceteris, fortis ille Romanus Horatius cæsis superstes fratribus, & victores vincens Curiatios [g]. Scitè quoque dictum ab Antigono Macedonum rege, *suam militiam non magis armorum, quàm temporum esse* [h]. Secundus item Antigonus cedens hosti quandoque dixit, *se non fugere, sed vtilitatem à tergo sitam persequi* [i]. Et Demosthenes rogatus cur fugeret, Seruo me, inquit, patriæ. Etsi autem violare ciuitatis muros transcendendo hostile, & abominandum, legéque puniendum censeatur [k]: ac Remus idcirco tradatur occisus, quòd id conatus esset [l]: licuit id Saulo in innocentiæ causa; vbi legis cessabat ratio de latrociniorum & proditionum periculis.

g Liuius dec. 1. lib. 1.
h Apophthe. Manu. lib. 4.
i Apoph. Manu. lib. 5.
k l. fin. ff. de rer. diuis.
l ibid. & Plut. in Romulo. Florus libr. 1. Epito. Ouid. 4. Fastor. Hor. Epod. ode 7. Lucan. lib. 1.

Beda, Glossa, aliíque in sporta, muro Damasci, Areta, & fuga, moralem sensum rimantur, mutuati ab Aratore, qui prior carmine in eo, & in allegorico lusit hoc modo:

Moralis sensus sportæ, qua Paulus demissus est.

Sporta solet texi iuncis, palmisque vicissim
Tegmina dat Saulo, retinens in ore figuram
Ecclesiæ; nam iuncus aquis, & palma coronis
Semper inest: innuat Ecclesiam Baptismatis vnda,
Martyriique cruor, dudum vescente caterua
Nutriti sub dente cibi, distendere septem
Sportarum cœpêre sinus: tot in Orbe profectò
Ecclesias Scriptura canit, quot SPIRITVS illic
Sic operator adest, & signat nomina virtus,
Cùm tamen Ecclesiam celebremus in omnibus vnam.
Protegit ergo virum species, cui militat ipse
Vas in vase manens, atque hac duce tutus ab hoste
Egreditur cunctis doctor qui vincit in armis.

m in Exo. c. 2. *Moses expositus in iunceo vase, & Paulus in sporta demissus, quid portenderent.*

Vt licuit Ruperto [m] in scirpo seu iunco, aut fiscella Mosis expositi, & papyrione mysticè obseruare, futurum fuisse, vt Mose scribente elegantia SPIRITVS vilitate literæ tegeretur, & calamus eiusdem Scriptoris iret impetu SPIRITVS contra vasa papyri scriptorum falsitatis Paganorum, & Hæreticorum: quidni etiam fas sit Saulum vas electionis adumbrare in vase vimineo, siue palmeo, aut iunceo, tanquàm velociter orbem vniuersum prædicatione percurrentem, & doctrinam, noménque CHRISTI circumferentem? Gregorius [n] certè sportulam, quam se Saül non habere querebatur, vt inde daret [o] videnti, memoriam significatam vult, in qua panis doctrinæ ponitur; eodémque modo de septem sportis plenis fragmentorum ex panibus multiplicatis [p] intelligit. Hieronymus [q] in abitu Pauli Arabiam versus, & reditu in Damascum excogitauit ingeniosam allegoriam ex notationibus nominum quinque erutam. Paulus hâc narrans fugam suam, tantam cum iuramento asseuerationem adhibet [r], vel quod res erat, vt & similes, quas adiùgit ignotior Corinthiis [s]: vel vt Corinthij minùs crederet

n lib. 4. in 1. Reg. ca. 9. c. 4.
o 1. Reg. 9. 7.
p Mat. 15. 37.
q in c. 1. ep. ad Galatas.
r 2. Cor. 11.
s Chrysost. ac Theophylac. ibid.

A Iudæis, quorum contra se anteà æmulationes, odiáque narrauerat, cùm iam ab initio conuersionis eorum persecutionem, ac illorum opera concitatos Gentiles expertus fuisset, nec tamen quidquam consequi potuissent, quo pacto simul veros à pseudoapostolis discernere poterant: ipse autem iactantiæ suspicionem vitabat [t].

t Primas. & Haymo, & Cathar. ibid.

Versus 26.] Cùm autem venisset in Ierusalem, tentabat se iungere Discipulis, & omnes timebant eum, non credentes quòd esset Discipulus.

B CVM *autem venisset in Ierusalem.*] Dixi versu 23. aduentum hunc Sauli in Ierusalem fuisse post reditum ex Arabia Damascum: ita vt illuc abierit non proxime à conuersione sua. Verbum ἐπειρᾶτο, id est, *tentabat*, indicat valdè cordi fuisse Saulo eam profectionem, cuius ipse Galatis significat scopum fuisse videre Petrum, ἱστορῆσαι, id est, vt obseruat Chrysostomus, non simpliciter ἰδεῖν, sed, vt solent loqui qui magnas ac splendidas vrbes inuisunt, cognoscendi gratiâ. Obseruauit id quoque Gennadius [u] scholarius. Verrius item Flaccus apud Gellium [x], ipsummet historiæ scriptorem ait esse, qui rebus, quas narrat, interfuerit. Galenus [y] prætereà ἱστορίαν vocat, cognitionem C & experientiam propriam. Tantùm abest vt verè censendus sit Auctor librorum de Inuentione [z], historiam docuisse, rem gestam continere ab ætatis nostræ memoria remotam. Hoc modo è numero historiarum eximendi Scriptores rerum sui temporis, vt Iouius, Guicciardinus, & ex veteribus Cæsar, Sallustius, multi alij. Sed hoc obiter. Quod verò Lucas vniuersè hîc scribit voluisse se iungere Discipulis, Græcè est, κολλᾶσθαι, id est, *adhærere, agglutinare, in familiaritatémque se insinuare*, non præiudicat primariæ intentioni de videndo Petro. Ac proinde non probo Chrysostomi notationem, modestiæ causâ voluisse iungere se Discipulis, non Apostolis: sed nomen Discipulorum extendo ad Apostolos, quod tandem etiam D facit dictus Doctor. Ambrosius, Theodoretus, Hieronymus, Theophylactus, & Oecumenius in expositione epistolæ ad Galatas, notant ascendisse in Ierusalem, vt videret Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat SALVATOR curam Ecclesiarum, & ipso Paulo maior. Hieronymus quoque disceptans cum Augustino [a]: *Tanta*, inquit, *Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epistola sua scripserit: Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum.* Chrysostomus rursum: *Os*, ait, *Petrus erat Apostolorum, & princeps, propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit.* Sed audi Hieronymum exponentem epistolam ad Galatas [b]: E *Non vt oculos, genas, vultúmque eius aspiceret* (nimirum venit Paulus Ierosolymam videre Petrum) *vtrùm macilentus, an pinguis, adunco naso esset an recto, & vtrùm frontem vestiret coma, an, vt Clemens in periodis eius refert, caluitiem haberet in capite. Nec puto Apostolicæ fuisse grauitatis, vt post tantam triennij præparationem aliquid humanum in Petro voluerit aspicere, &c.* Subdit posteà ad hoc ipse, *vt videret Apostolum, non discendi studio, qui & ipse eundem prædicationis haberet auctorem, sed honoris priori Apostolo deferendi.* Vrget idipsum vehementer Augustinus [c] contra Manichæos, dicens *omninò non crediturum Paulo fuisse Ecclesiam, licèt vocato de cœlo, si non inuenisset in carne Apostolos,*

u in defens. c. ex Concil. Florent.
x lib. 5. c. 18.
y lib. 3. aeris tiro. 3 lib. 1.
z lib. 1.
Paulus Ierosolymā ivit causâ videndi Petrum.
Petrus Paulo maior.
a epist. 89. seu apud Aug. ep. 11.
b in cap. 1. *Cur Paulus videre Petrū voluerit.*
c 28. contr. Faustum c. 4.

quibus

quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium, eiusdem societatis esse appareret. Et putat, inquit, *Manichæum* (audiat quiuis hæreticus) *credi sibi debere ab Ecclesia* CHRISTI *loquenti contra Scripturas, tanta & tam ordinata auctoritate firmatas, per quas et præcipuè commendatum est, vt quisquis illi annunciauerit, præterquàm quod accipit, anathema sit.*

Paulus in Arabia nihil dignè Apostolo fecit.

Et omnes timebant eum, non credentes quòd esset Discipulus.] Durabat trepidatio tanta; latuit enim diu post conuersionem in Arabia, ibi forsàn nihil dignum Apostolatu perpetrans, vt Hieronymus [a] suspicatur, non ob segnitiem, sed quòd aliqua dispensatio, & DEI præceptum fuerit, vt taceret; sicut cùm posteà prohibitus est prædicare in Asia [b]: & quia narrans [c] Agrippæ vitæ suæ seriem, nullum de hac re verbum facit, quamuis aliis secus videatur, in ea videlicet prouincia prædicasse, vt Chrysostomo. Vt vt res se habuerit, præterita sæuior Sauli persecutio, & sagax ingenium, & non satis certi de conuersione rumores, ancipites Discipulorum animos tenebant.

a ibidem.
b Actuum 16.
c Actuũ 26.

Ecclesia excipit etiam suos persecutores.

Excipit gremio Ecclesia etiam, qui dirum persecutionis in illam mucronem seu cædendo, seu falsa docendo intulerunt, dummodò ferociam exuentes, & abiicientes errorem, resipiscant; sed certa miniméque dubia resipiscentiæ ac pœnitudinis signa dêt oportet. Exempla habemus in Ecclesiasticis historiis non solùm abiuratæ hæresis, sed refutatæ quoque idololatriæ, atque in hac ipsa historia inferiùs [d] libros superstitiosos exustos videbimus publicè coram omnibus. De Arnobio [e] hunc in modum prodit Hieronymus: *Arnobius in Africa Rhetor clarus habetur: qui cùm in ciuitate Sicca ad declamandum iuuenes erudiret, & adhuc ethnicus ad credulitatem somnijs compelleretur; neque ab Episcopis impetraret fidem, quam semper impugnauerat, elucubrauit aduersus pristinam religionem luculentissimos libros, & tandem veluti quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetrauit.* Mirum est sine Ananiæ, aliorúmque Damascenorum Discipulorum commendatitiis epistolis discessisse Damasco Saulum, & accessisse in Ierusalem. Nõdum fortasse in vsu erat illa contesseratio hospitalitatis inter Christianos, cuius meminit Tertullianus [f], videlicet signũ quod qui ferret, pro legitimo Ecclesiæ filio duceretur, & hospitio à fidelibus honorificè, prolixéque reciperetur; quod posteà signum ne adulteraretur, placuit literis committere, quas Niceni Patres nominauêre formatas [g]: de quibus extat decretum Sixti I. [h] & mentio est apud Optatum Mileuitanum [i], & Augustinum [k], qui vocat communicatorias, & Atticum [l], qui canonicas, & Theophilum Alexandrinum [m], qui Ecclesiasticas, & concilium Chalcedonense [n], quod pacificas, sed quæ propriè dicebantur commendatitiæ, vt idem Concilium admonet [o], dabantur iis tantùm, qui essent in Ecclesiæ opere clariores, vel ab Episcopis clericis suis peregrinantibus [p], nonnunquàm etiam personis, quæ fuissent suspectæ, quas epistolas innuere videtur ipsemet Paulus, cùm scribit ad Corinthios [q]: *Nunquid egemus, sicut quidam, commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? epistola nostra vos estis.* Si quis harum literarum, aut similium vsus tũc temporis erat, in tanto metu otium nõ fuit eas vel petendi, vel scribendi: & diuino quoque cõsilio prætermissum id officij genus est, ad magis exercendam, probandamque Sauli patientiam, vt qui post conuersionem, ceu quoddam abortiuum, eiectus quodammodò fuerat in barbaram Arabiam, in

d cap.19.19.
e in Chron.
De Arnobio Rhetore Hieronymus quid scripserit.
Paulus non habuit commendatitias literas.
f de Præscrip. Hæret.c.20.
De literis formatis, & quæ earum vsus.
g in Con.Nicen.can.48.
h libr.de Roman.Pontific.
i 2.cont.Parmenia.
k epist.162.
l post concil. Chalcedon.
m 1.Paschali in fine.
n can 11.
o ibidem.
p idem Cõc. c.13.
q 2.ep.3.1.2.
Cur Paulus his literis commendatitiis caruerit.

A politiore ciuitate Ierosolymitana, vt peripsema, ac reiectaneus haberetur, non apud Iudæos duntaxat, quibus erat inuisus, ob abdicatam eorum religionem, verùm etiam apud fideles, quos vel sola nominis Sauli memoria horrore concutiebat.

Versus 27.] **Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos: & narrauit illis quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine IESV.**

B BARNABAS *autem apprehensum illum.*] Vtpote constantior, *& quia fortè plus aliis audierat de conuersione Sauli,* inquit Lyranus, *etiam in ipsa Damasco,* inquit Chrysostomus: addens quòd iuxta etymologiam nominis, erat *filius consolationis,* hoc est, mitis, & mansuetus, vtilis ac facilis, & factus amicus Sauli, cum quo etiam posteà ordinatus est Apostolus [r], eiusdem quondam condiscipulus sub eodem magistro Gamaliele, & percharus Apostolis, ac toti Ecclesiæ, propter tantam illam alacritatem liberaliter agrum vendendi, & pretium ponendi ante pedes Apostolorum [s]. Singulis quædam amicitiæ necessitudo intercessit inter Saulum & Barnabam, orta, vt existimo, ex iisdem studiis sub eodem magistro Gamaliele, licèt C sanctiore posteà gratiæ dono, & eorundem muniorum nodo sacratiore confirmata. *Religiosam* appellat Quintilianus [t] *huiusmodi necessitudinem,* & asserit, *firmissimè ad senectutem vsque durare: nec sanctius esse* (nimia videtur exaggeratio) *sacris iisdem, quàm studiis initiari.* Commendat easdem societates, Apuleius [u], Sidonius [x], alij.

Barnaba magna laus, & Apostolorum in eũ beneuolentia.
r Act.13.2.
s c.4.36.37.
Studiorum societas magni momenti est.
t 1.Institut.c. 3.
u 3.Florid.
x li.3. ep.1.li. 4. ep. 1. lib.5. ep.9.

Duxit ad Apostolos.] Beda, & Glossa intelligunt de Petro, ac Iacobo fratre Domini; de quibus ipsemet Paulus in epistola ad Galatas [y] meminit à se visos, *cùm ascendisset post tres annos in Ierusalem, & ibi mansisset dies quindecim: ex aliis Apostolis nullum præterea,* quoniã fortasse tunc aberant. Infert idem Beda, errare qui putant, Paulum secundo post D passionem Domini anno in Apostolatũ Gentium cum Barnaba iam fuisse ordinatum: etsi quod ipse dicit tunc cùm adductus est à Barnaba ad Apostolos, Apostolorum numero sociatum fuisse non æquè consentio, cùm id accidisse omnes dicant, quando cum Barnaba segregatus, & ordinatus est [z]: & quod attinet ad Apostolicam gratiam, iam illam in conuersione acceperat.

y cap.1.18.19.
Paulus quos Apostolos viderit.
z Actuũ 13.2.

Narrauit illis, quomodo in via vidisset Dominum.] Nihil horum Saulus dicit; *opinor autem quòd & ad alios hoc non protulisset postea,* inquit Chrysostomus, *nisi quadam fuisset necessitas.* Id fecit ter; bis vocatus in ius, ac pro se rationem reddens [a]; semel vt tueretur Apostolicam dignitatem, & honorificaret E ministerium suum: tunc etiam profitens se coactum, ac vt minùs sapientem, immò & insipientem loqui [b]. Ex narratione ista Barnabæ probauimus superiùs veritatem apparitionis CHRISTI factæ Saulo.

a Act. 22. & 26.
b 2.Corin.12. 11.

Fiducialiter egerit.] Ἐπαῤῥησιάσατο. Syrus sic habet, עין בגלא מלל *bhin bagla malal,* i. *cum manifestatione,* vel, *palàm locutus fuisset.* De hoc verbo aliàs egimus [c]: potest hoc loco extendi ad actionem, & non restringi ad solam libertatem orationis; quod indicant sequentia verba, *In nomine* IESV: non enim dicere solemus aliquem loqui in nomine alicuius, nisi pro eo quod est loqui de illo.

c cap.4.29.

Verſus 28.] Et erat cum illis intrans, & exiens in Ieruſalẽ, & fiducialiter agens in nomine Domini.

ET erat cum illis intrans, & exiens in Ieruſalem.] Syrus ſic legit, ועאל הוא עמהון ונפק בארשלם *vehhael haua hhummehun venaphek birſchulem*, quod eſt, *& ingrediens cum eis erat, & egrediens in Ieruſalem*; & Græcus: Καὶ ἦν μετ' αὐτῶν εἰσπορευόμενος εἰς Ἱερουσαλὴμ, *Et erat cum illis ingrediens in Ieruſalem.* Vbi εἰς, eſt pro ἐν, præpoſitio motus ad locum, pro præpoſitione motus in loco. Sic legunt Biblia Regia: alij tamen codices habent, εἰσπορευόμενος, καὶ ἐκπορευόμενος ἐν Ἱερουσαλὴμ, *ingrediens & egrediens.* Intrare, & exire phraſi Hebræa, idem eſt quod verſari, vt dictum eſt capite primo [a]. — a verſ.21.

In textu Græco eſt participium *ingrediens*, ſiue *intrans.* Italicè etiam dicimus de eo, qui cum aliquo verſatur familiariter, *Va ò camina con lui*; & Gallicè, *Il va & chemine auec lui iour & nuict*; quod aliter dicitur: *Sta con lui, conuerſa, prattica, tratta*; & Gallicè, *Il demeure, il conuerſe, il pratique, il traicte & eſt touſiours ſon couſteau pendant, &c.* Beda, Gloſſa ordinaria, Lyranus, & alij exponunt de quindecim diebus, quibus ſe cum Petro manſiſſe aſſeuerat [b]: ſic videtur idem eſſe εἰσπορεύεσθαι, & ὑπομένειν πρὸς Πέτρον, *ingredi, & manere apud Petrum.* — b Gal.1.18.

Fiducialiter agens.] Eſt participium παρρησιαζόμενος, ab eodem verbo quod expoſitum eſt verſu præcedente, videtúrque eandem vim habere, quam ibi, propter eandem cauſam, hoc eſt, propter ſequentia verba. Syrus habet eadem etiam verba quæ ibi notauimus.

In nomine Domini.] Ἐν ὀνόματι ἸΗΣΟΥ, *In nomine* IESV. Syra editio Bibliorum Regiorum aliter diſtinguit, ita inchoans verſum ſequentem à prioribus verbis: *Et loquebatur in nomine* IESV *palam, & diſceptabat cum Iudæis.* Sed Syriaca alia editio vnum tantùm ex his duobus verſum conficit.

Verſus 29.] Loquebatur quoque Gentibus, & diſputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum.

LOQVEBATVR *quoque Gentibus, & diſputabat cum Græcis.*] Πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς, *aduerſus Græcè loquentes.* Gloſſa ordinaria, & Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ, & Hugo volunt diſputationem iſtam non fuiſſe in Ieruſalem, ſed in via, eundo verſùs Syriam & Ciliciam, quò Paulus ipſe ſcribit ſe veniſſe [c], poſtquàm Ieroſolymis egerat cum Petro, & Iacobo. Contraria ſententia eſt Lyrani, ad quam Carthuſianus magis inclinat, & Chryſoſtomus, atque Oecumenius eandem innuunt, necnon & Beda, qui obſeruat quòd Græcos Saulus in Ieruſalem, Iudæos in Damaſco, quæ Gentilium eſt ciuitas, docuerit, vt ſignificaretur, Gentiles in ciuitatem DEI adunandos, & Iudæos in perfidiam Gentium eſſe lapſuros, iuxta illud Eſaiæ [d]: *Et vertetur Libanus in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur.* Contextus ipſe ſatis oſtendit hæc in Ieruſalem accidiſſe. — *Vbi fuerit habita hæc diſputatio.* — c Gal.1.21. — d cap.29.17.

Gentibus.] Nec textus Græcus, nec Syra verſio habet Gẽtes, nec Beda, nec Interpretes Græci, qui etiam, quos Latinus Græcos interpretatur, notant à Luca dictos, non Ἕλληνας, id eſt, natione Græcos, & religione, ſed Ἑλληνιστάς, qui Græcè loquebantur, quaſi dicas, Græcizantes, quos hoc loco Syrus ſic περιφραστικῶς nominat, יהודיא אילין דידעין הוו יונאית *iehudaie ilen deiadehhin haun iaunaith*, id eſt, *Iudæos, qui ſciebant Græcè.* Noſter Interpres vel per Gentes intellexit Iudæos ex diſperſione aliarum Gentium, per Græcos autem illos Iudæos, qui Græcè loquebantur, quales erant Cilices Pauli contribules, quibuſcum etiam Stephanus diſputauerat [e]: vel per primos intelligi voluit cultu & religione, non tantùm genere Gentiles; per ſecundos, qui Ἑλληνισταὶ dicuntur, Iudæos religione, Græco ſermone vtentes. Chryſoſtomus, & Oecumenius per ſecundos, hoc eſt, Græcos (de Gentibus enim ſub iſto nomine nõ meminerunt) docent *intelligendos Hebræos, ſed non profundos*, vt Oecumenius loquitur, *ſeu intimos, & perpetuos Ieruſalem aut Iudææ inhabitatores, qui ne videre quidẽ Saulum ſuſtinebant, & qui, ſi is cum veris Gentilibus diſceptaſſet prædicando illis* CHRISTVM, *maximas in illum turbas excitaſſent*, non ipſi, inquam, modò puri, ac puti Hebræi, verùm etiam ex illis facti Chriſtiani; cùm iſti poſteà tam acriter in Petrum inuecti ſint, quia prædicauerat Cornelio [f]. Denique debebatur hoc Petro, vt primus inciperet prædicare Gentilibus, ſaltem publicè, palámque, vt oſtendimus capite præcedenti, cùm de Eunuchi conuerſione egimus. Quocirca ſi cui violenta videtur Gentium pro Iudæis ex eorum inter illas diſperſione prima allata interpretatio, dicendum erit cum Bellarmino [g] diſputaſſe Saulum cum Gentibus, non eas ad fidem pertrahendo, ſed fidem ab earum calumniis defendendo. — *Quid per Gentes & per Græcos hic intelligat.* — e cap.6.9. — *Iudæi non ad Chriſtum conuerſi, [illegible] Chriſti [illegible]* — f Act.10. & 11. — g 1. de Rom. Pontifice. ca 22.

Græcis.] Dixi quid per hos intelligere poſſimus. Mihi probabile fit, ſi in his comprehendamus illorum Synagogam, qui erant è Cilicia, Saulum autem, qui ex ea tum erat, cùm Stephano diſputanti contra illam, & alias tam acriter aduerſabatur, ſingulari quodam ardore animi diſputationem contra illos ſuſcepiſſe, vt præteritam offenſionem meliore ſarciret exemplo, & dedoceret, ac in veritatis ſemitam reduceret, quos praua doctrina imbuerat, aut in errore confirmarat. *Non enim erubeſcebat Euangelium* [h], nec puduit palàm profiteri, quod publicè apertéque inſectatus erat, vt præteritæ culpæ condigna ſatisfactio fieret. Videre mihi, & audire videor Victorinum eximium rhetorem, qui quod ſecretiùs poterat facere, in conſpectu multitudinis, vt narrat Auguſtinus [i], profiteri ſalutem ſuam maluit, vt cuius linguæ grande telum, atque acutum multos peremerat, eiuſdem ob conuerſionem plures exultarent, *quia Rex noſter alligauerat fortem* [k], *& vas eius ereptum mundarat, aptarátque in honorem ſuum, ac vtile fecerat ſibi ad omne opus bonum* [l]. — *Græci [illegible] Paulus contra [illegible] diſputat.* — h Rom.1.16. — *Victorinus maluit publicè fidem profiteri, quam [illegible]* — i 8. Confeſſ. c.2.3.4. — k Matt.12.29. — l 2.Tim.2.21.

Illi autem quærebant occidere eum.] *Magnæ alacritatis, victoriæque potentis in Saulo hoc indicium erat*, inquit Chryſoſtomus, *etiam illos valdè mæſtos factos ob id quod acciderat* (hoc eſt, ob conuerſionis Sauli modum, qui modus iam percrebuerat) *& propter adeò acrem efficacémque diſputationem eius pro nomine Chriſtiano.* Nil poterat grauius moleſtiuſque Iudæis accidere, quàm ſi diſputatione conuincerentur: propterea perſecutio illa, quæ Stephanum ſuſtulit, & Eccleſiam diſperſit, excitata eſt, cui nil propius fuit, quàm vt modò ſimilis redintegraretur: quæ procella Saulo inde dimiſſo conquieuit, vt paulò pòſt narratur. Fuit itaque in Ieruſalem machinatio hæc mortis in Saulum per Iudæos, quos Græcorum, aut etiam Gentium nomine intelligendos docui, præſertim Græcorum Sauli Cilicis Antagoniſtarum. Rarò cum fructu, ac ſine periculo diſputatur cũ hoſtibus publicè de religione: aut enim nullo idoneo iudice lis — *Iudæis nihil poterat [illegible] accidere, quàm hæc cum Paulo diſputatio.* — *Quinam Paulo mortem ſint machinati.* — *Diſputatio cum hæreticis publicè [illegible]*

dirimi

dirimitur: aut si illi apertis conuincuntur argumentis, vt elabi, & tergiuersari non liceat, rumpuntur scilicet ira, inuidiáque, vt historiæ nos & veteres,& recentes docét:qua de re B. Thomas [a], nósque cùm eum interpretaremur, & pereruditè Iacobus Simancus in Catholicis Institutionibus [b]. Extant ea de re Iuris vtriusque decreta; vt in Iure canonico [c], pro quo facit Conciliū Chalcedonēse*,& in Iure ciuili [d]. Verè Paulus enumerans obita pro CHRISTO discrimina, dixit [e]: *In mortibus frequenter:* iam enim bis penè adhuc tyro ad mortem appetitus est. Verus imitator CHRISTI Paulus. Vix natus CHRISTO, migrare ac peregrinari cogitur. *Nobis hoc imperat,* inquit Saluianus [f], *vt se imitemur* [g], *qui sibi hoc imposuerat, vt CHRISTI esset imitator.*

a 2.2.q. 10.a. 7.
b tit.20.
c c. quicunque. §. inhibemus. de hær.in 6 & c. cum quibus. 24.q.3.
* cap.3.
Paulus verus CHRISTI imitator.
d l.nemo clericus. C. de summa Trin. l.damnato.C. de hæret.
e 2.Cor.11.23.
f 3. de proudent. circa med.
g 1. Cor.11.1.

Versus 30.] Quod cùm cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tharsum.

QVOD *cùm cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream.*] Veriti persecutionem quam erāt experti sub Stephano [h]: vbi simul notanda occurrunt, quæ de fuga persecutionis, & de adhibenda humana, non expectando miracula, prouidentia, superiùs notata sunt, & hoc etiam loco notantur à Chrysostomo, qui monet hac ratione, *ignauorum prætextum auferri, qui nimirum toti pendere à DEO volunt, nihil propria industria adhibere.* Denotat verò fratrum illa deductio, & quanti Saulum facerent, & quantùm Saulo metuerent, quem scirent maiore etiam studio ad mortem quæri ab aduersariis, quàm olim Stephanum. Priusquàm excederet Saulus, ea videtur visione diuina dignatus in templo, quam cap.22. commemorat [i], dicens *sibi imperatum inde exire.* Syrus interpres de suo hic addit, בלליא *beleleia*, id est, *de nocte*, quòd nocte deductus sit: est autem non improbabile.

h Act.8.1.
Prouidentia diuina ita S(ie)m. dum, vt humana industria adhibeatur.
Paulus quanti à fratribus sit æstimatus.
i vers.17.18.

Cæsaream.] Plures hoc nomen ciuitates sortitas dixi præcedenti capite [k]. Hæc est Philippi cognominata in Syria, seu Palæstina propior Ierosolymis. De loci itinere locutus censetur Paulus in epistola ad Galatas [l], & Tharsum vsque, quod mox subnectitur, cùm ait: *Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ.*

k vers.40.
l cap.1.21.

Tharsum.] Lege versum vndecimum.

Versus 31.] Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti SPIRITVS replebatur.

ECCLESIA *quidem per totam Iudæam.*] Græcè in plurali Ἐκκλησίαι;& satis frequens est in hac aliisque Scripturis noui Testamenti eiusmodi vsurpatio [m]: quæ nihil præiudicat vnitati Ecclesiæ vniuersalis: sic vocantur Ecclesiæ Asiæ, Macedoniæ, Galatiæ, Laodicensium, Corinthiorum, Thessalonicensium, & septem ciuitatum Asiæ, quæ recensentur in Apocalypsi: immò Ecclesia in domo Philemonis. Eodem etiam pacto apud alios Auctores legimus mentionem de Ecclesia Gallicana, Africana, Mediolanensi, &c. & hoc ipsum obseruat Augustinus [n], afferens alia in aliis rebus exempla.

Ecclesia in plurali sæpe in scripturis nominatur.
m Actuū 14.21.ca.15.41.c.16.5.Rom.16.4.16.23.1.Corin.4.17.c.7.17.c.14.33.ca.16.1.19.& alibi valde sæpe in epistolis. & in Apoc. & epistolis Petri & Ioannis.
n Psalm. in Psal.150.

Iudæam, & Galilæam, & Samariam.] Distinctæ

A prouinciæ sunt in Palæstina, vt notatum est capite primo libri huius [o], vbi quoque actum de Samaria [p], & de Galilæa [q].

o vers.8.
p ibidem.
q vers.11.

Habebat pacem.] Mentio est de pace, ne quis Petrum egressum Ierosolymis arbitretur (quod mox narrandum est) propter metum persecutionis, quoniam cùm hæc vigebat veluti in statione, ibi Apostoli manebant, pacis tempore ad prædicandum digrediebantur: diúque probata Apostolorum aliorum ac populo commendata probitas efficiebat, vt illos quidem paterentur consistere in Ierusalem, non autem Saulum. Hæc partim ex Occumenio, partim ex Chrysostomo. Lyranus

Petrus nō egressus est Ierosolymis metu persecutionis.

B aliam causam dat, vt intelligatur quo pacto fratres potuerint deducere Saulum de Ierusalem vsque ad Cæsaream: tum prætereà, quia per se scitu dignum erat post grauem illam persecutionem occasione Stephani motam, pacem Ecclesiæ redditam cognoscere. Alternant persecutio, & pax in Ecclesia: ne si illa diutiùs duraret, Iudæi negarent spatium sibi fuisse deliberandi de Fide nostra: si ista semper esset, patientiæ, & tot aliarum seges virtutum deesset, magísque secundis rebus moueri viderentur, qui se ad Ecclesiam adiungerent, quàm vi solidæ veritatis. *Post tempestatem DEVS tranquillum facit, & post lacrymationē & fletum exultationem infundit* [r]. *Non patitur DEVS nos tentari supra id quod possumus* [s]: *nec relinquit virgam peccatorum*

Persecutio & pax in Ecclesia alternant.
r Tob.3.22.
s 1.Cor.10.13.

C *super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas* [t]. Agebatur, cùm pax illa erat, annus CHRISTI trigesimusnonus, quo etiam anno Tiberius mortuus est: cui pacis fructum deferre Tertullianus [u] videtur his verbis: *Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in seculum intrauit, annunciatum sibi ex Syria Palæstina, quod illic veritatem illius DIVINITATIS reuelauerat, detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus, quia non in se probauerat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Eusebius [x] id recitat in vltimo Tiberij anno. Hinc verò illud quoque magis intelligitur, quod antè diximus, quo primùm tempore venit Ierosolymam Saulus, vnde discedere compulsus est ea ratione, quæ hîc narrata est, abiisse aliquantū à con-

t Psal.124.3.
Pax summa sub Tiberio in Ecclesia fuit.
u Apolog.c.5.
Quomodo pax in Ecclesia tunc temporis fuerit.
x in Chron.

D uersione spatium: quia cùm est conuersus, non habebat Ecclesia pacem, sed vexabatur dura persecutione, ipséque Saulus de persecutoribus erat.

Ædificabatur.] Syrus sic vertit, הוא בהשלמא כד מתבניא הות ורדיא בחחלתא דאלהא *haua bahschelama chad methbania hauath veradeia bathchel tha dalaha*, hoc est, *Erat in ea* (Ecclesia) *pax, quādo ædificata esset, & incedebat in timore* DEI; vel sic, *quòd Ecclesia habebat pacem dum ædificaretur, & pergebat in timore* DEI, &c. Sed debuit in vltimo verbo, & sequenti eundem coniugationis modum exprimere, quia in textu Græco sunt eadem participia, οἰκοδομούμεναι, καὶ πορευόμεναι, quæ respiciunt no-

E men illud Ἐκκλησίαι. Atque ita sensus esset, quòd pax proueniebat Ecclesiæ, quoniam ædificabatur, & pergebat in timore DEI, &c. *est enim profectò pax multa diligentibus ac timentibus* DEVM [y], *& seipsos superædificantibus lapides viuos in domo Domini* [z] *ad propriam, aliorúmque vtilitatem.*

y Psal.118.165.
z 1.Pet.2.5.

Voces ædificandi, & ædificationis vsu Ecclesiastico significant non solùm propagationem externam, quo modo hic censeri potest dici Ecclesiam ædificari, verùm etiam spirituale quoddam incrementum ex mutuis exemplis, vel doctrinis, ceu ex lapidibus. Vnde dici solet quis loqui *verbum ædificationis*, aut *dare bonam ædificationem*, aut esse,

Ædificandi & ædificationis vocabula quid denotent.

homo ædificationis, ſeu *ædificatiuus*: ſumuntúrque hæc etiam omnia in malam partem. Paulus crebrò vſurpat has formulas, quòd *charitas ædificat*[a], quòd *infirmus ædificatur*, alterius nimirum malo exemplo ad manducandum idolothyta[b]: *quòd qui loquitur lingua, ſeipſum ædificat*[c], id eſt, ſibi vni prodeſt: idiota verò, qui non intelligit, *non ædificatur*[d]: *quòd non quæcunque licent ædificant*[e]: *vt conſolemur inuicem, & ædificemus alterutrum*[f]: *vt quæ ædificationis ſunt, inuicem cuſtodiamus*[g]: *vt vnuſquiſque proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem*[h]. Rurſum quòd *qui prophetat, ſeu exponit Scripturas*, &c. *hominibus loquitur ad ædificationem*[i]: *quòd ipſe accepit poteſtatem à Domino in ædificationem aliorum, non in deſtructionem*[k], *& omnia in eum finem faciat*[l]: *idémque hortatur vt omnes etiam faciant*[m]. *Denique conſummationem Sanctorum appellat ædificationem corporis* CHRISTI[n], *& ædificationem*[o] DEI *nos eſſe affirmat ſiue ſtructuram, ita vt operibus noſtris ſuperædificemus iam poſito fundamento*[p], *quod eſt* CHRISTVS[q], *tanquam primarium (ſecundarium enim ſunt Prophetæ atque Apoſtoli*[r]*)* vel *Fides ipſa*[s]. Eódem pertinet nomen domus DEI ac Domini, & ſpiritualis, &c. vt docuimus capite quarto[t] de Eccleſia. Significant hæc ſymbolica vocabula, DEVM habitare in nobis, nos firmos ac ſtabiles eſſe: & inter nos atque cum DEO & CHRISTO gratiæ cæmento, & meritorum calce intimè fixéque cohærentes: dúmque viuimus, elaborare nos ipſos, & expolire debere.

Ambulās in timore Domini.] Ambulandi verbo ſignificantur greſſus non corporis, ſed mentis, phraſi Scripturæ ſatis frequenti, vt cùm quis dicitur *ambulare cum* DEO, vel *coram* DEO, *ante* DEVM, *poſt* DEVM, hoc eſt, ei placere, vel *ambulare in lumine, & lege, & iuſtificationibus* DEI, vel *Domini*, legem ac præcepta ſeruare, aut *ſecundum Spiritum*, ſequi ductum Spiritus, aut in viis alicuius illum imitari, vel ei obſequi, vel obedire: aut in tenebris, viuere in ignorantia, & peccatis, *aut in medio mortis, in periculis magnis*: aut *vias difficiles*, ſubire labores maximos: aut in nomine Domini, eum colere. Exemplis, quia obuia ſunt, ſuperſedeo. Acuta magis, quàm neceſſaria, vel etiam vera Ruperti annotatio eſt apud Salmeronem[u] (locum enim non reperi) in veteri Teſtamento, cùm nondum Dominus ad nos veniſſet, dictos eſſe iuſtos ambulare, vt præcurſores, & anteambulones; in nouo verò, quia iam venit, ſequi, vt ibi[x], *Venite poſt me*; & [y], *Sequere me*; & [z], *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur*, &c. Vtitur enim crebrò Paulus in epiſtolis verbo ambulandi, & alij Apoſtoli item in ſuis ſecundùm eandem ſignificationem. Neque magis probandus is eſſet, qui hoc loco dictum verbum obſeruarit iunctum timori, quaſi timor ſit ambulantium hanc viam vitæ, quoniam *perfecta charitas foras mittit timorem*[a]: nec *quiſquam dum viuit, eſſe ſine metu debet, incertus odióne, an amore ſit dignus*[b]. Nam præterquàm quòd timor quidam eſt caſtus, filialis, reuerentialis, quem Beati ipſi ſeruant, reperio quoque Paulum de charitate vſurpare phraſim eandē[c]. Itaque ambulare in timore idem erit quod verſari in timore, timorem habere, quem profectò viator in via, comitem etiam cum quadam ſollicitudine, quæ exultat à Beatis, deponere nunquàm debet: *Beatus enim homo, qui ſemper eſt pauidus*[d]; &, *Oportet cum metu, & tremore noſtram ſalutem operari*[e], exēplo Iob, *qui verebatur omnia opera ſua*, vt inquit ipſe[f], *ſciens quia* DEVS *non parceret delinquenti*.

Et conſolatione ſancti SPIRITVS *replebatur.*] Καὶ τῇ παρακλήσει τοῦ ἁγίου ΠΝΕΥΜΑΤΟΣ ἐπλη-

a 1.Cor.8.1.
b ibid. 10.
c 1.Cor.14.4.
d ibid.17.
e 1.Corin.10.23.
f 1.Theſſ.5.11.
g Rom.14.19.
h Rom.15.2.
i 1.Cor.14.3.5.12.
k 2 Cor.10.8.& 13.10.
l ibid.ca.12.19.
m 1.Cor.14.26.
n Ephe.4.12.16.
o 1 Cor 3.9.
p 1.Cor.3.10.12.14.
q ibid.11. Epheſ.2.20.21.22. Coloſ.2.7. & 1.Petr.2.5. Matt.16.18.
Habitare Deū in nobis quid ſit.
r Epheſ.2.20.
ſ epiſt. Iudæ 20.
t verſ.11.
Ambulare in Scriptura quā vim habeat.
u To.1. Prolego.5.
Ambulare iuſti dicti ſunt, in veteri Teſtamento, ſequi in nouo, hoc reiicitur.
x Matt.4.19.
y Matt.9.9.& c.19.27.28.
z Ioan.12.26.
Timorem eſſe ambulantium, an dus yoſit.
a 1.Ioann.4.18.
b Eccl.9.1.
c Rom.14.15.
Ambulare in timore quid ſit.
d Prou.28.14.
e Phil.2.12.
f cap.9.28.c.31.23.

A θυνόντο, *& conſolatione ſancti* SPIRITVS *multiplicabatur*: quo etiam modo vertit Syrus dicens, ובבויאא דרוחא דקודשא סגיא הות *vabbebuaa deruchà dekudeſcha ſagea hauath*, quod eſt ad verbum, *& conſolatio* SPIRITVS *ſanctitatis multa erat*, idque approbat Beda & Gloſſa interlinear. Significat παράκλησις conſolationem, adhortationē, patrocinationem; quæ tria SPIRITVI ſancto ita attribuuntur, vt PARACLETVS propriè cognominetur ſæpiùs à CHRISTO, & tamen CHRISTVS ipſe ſeipſum eodē nomine appellat, cùm ait[g]: *Ego rogabo* PATREM, *& aliū* PARACLETVM *dabit vobis*: eſt enim ipſe conſolator noſter, & *Aduocatus* vocatur à Ioanne[h], Græcè παράκλητος, & ſermo-
B nes eius omnes ferè ſunt parænetici, ſiue exhortatorij: & PATREM Paulus nominat DEVM *totius conſolationis*[i], & ſe ab illo ait exhortatum[k], vtens quoque vocibus Græcis. Non poteſt PATRI conuenire nomen Aduocati, quia eſt prima in TRINITATE perſona; nec etiam SPIRITVI ſancto, quia conſubſtantialis eſt, niſi eo modo, quo dicitur *interpellare gemitibus inenarrabilibus*[l], id eſt, facere, vt ipſi interpellemus, & oremus. In quo ſenſu oportet exponere Paulinum Patriarcham Aquileienſem[m], cùm affirmat, dici SPIRITVM ſanctum Paracletum, hoc eſt, *Aduocatum*. Quare cùm Baſilius[n], Hieronymus[o], & Athanaſius[p] docent eſſe PARACLETVM nomen commune to-
C ti TRINITATI, de primis duabus ſignificationibus intelligendi ſunt, tertia verò CHRISTO competit propter naturam humanam, ſecundùm quam minor eſt PATRE, ac SPIRITV quoque ſancto, vt indicat Ambroſius[q], dicens *nunquàm nos in tentationibus huius mundi, & miſeriis nec ſine Aduocato, nec ſine Conſolatore* PATREM *eſſe pati*. Idem Athanaſius[r] obſeruauit, non appellari in vetere Teſtamento SPIRITVM ſanctum nomine PARACLETI: cuius rei duplicem excogitauit cauſam Toletus[ſ], & quia tribulationibus, atque perſecutionibus, quas Eccleſia erat paſſura, promittendus, ac dandus erat SPIRITVS conſolator: & quoniam tam ſuaue
D nomen vnà cum vberiore donorum ſancti SPIRITVS effuſione, legi gratiæ, atque filiis debebatur, quos reſpiciens Eſaias alloquitur[t]: *Conſolamini, conſolamini popule meus, dicit Dominus*. Quanquàm Hebræis multæ non defuerunt vexationes, & res triſtes, quæ conſolatorem magnoperè requirerent: & Dauid ac Prophetæ non ſemel DEVM conſolatorem agnoſcunt, & nominatim inuocant, aut pro exhibita conſolatione gratias reddunt. Cauendum verò ne quis παράκλυτον dicat, quod eſt *infamis*, vel παρακλίτην, quod ſignificat *aſſeſſorem*, aut *accubitorem*. Latinitate verò donando παράκλητοι, vel paracletum per e longum dicere debemus, vel paraclitum producendo i, ſi non in pro-
E ſa, vbi Grammatici[u] retineri volunt accentum Græcum, vt in eléiſon, certè in verſu; v. g. in illo Iambico verſu, *Qui paraclitus diceris, donum* DEI, &c. Editio Syra retinens id nomen, effert per vocalem i, dicens פרקליטה *paraklita*. Vnde verſus:

Græca ſit at ſi vox, ſed declinata Latinè,
Accentu Græco talis vox eſt referenda.

Ædificatur Eccleſia timore, eo etiam qui pœnam aliquam habet, atque conſolatione, ſicut omnis Reſpublica, quod dixit ille[x], pœna ac præmio moderatur: conſolatio verò ſpiritualis longè melior eſt quàm temporalis, & neſcio quomodo in æſtu, ac ardore tribulationis, vt in ſiti potus ſuauior exiſtit: *Quàm*, inquit Dauid[y], *magna multitudo dulce-*

Paraclitus nomen eſt proprium Spiritus ſancti.
g Ioan.14.16.
h 1.ep.2.1.
i 2.Cor.1.3.
k ibid.4.
Aduocati nomen perſ... ...
l Rom.8.26.
m in libello qui habetur Tomo 3. Bibl. Pat.
Quomodo S. Trinitati Paracleti nomen conueniat.
n lib.de Spiritu ſancto c.19.
o epi.ad Hedib.q.9.
p lib. de cōmuni eſſ. Pat. & Fil. & Spiritus ſancti.
In veteri Teſtamento ſanctum Spiritum Paracletum dictum non eſſe.
q Tract.in Symbolū c.1.
r orat.cōtr Arianos.
ſ in c.14.Ioā annot.17.
t cap.40.1.
De nomine Paraclitus.
u Aeron Nebriſſenſis.
Eccl. ſapore ... ...
x cap. omnis autē lex. dist.4. & l.1.ff. de iuſt. & iu.
y Pſal.30.20.

dinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te? Hoc est illud *manna absconditum, quod vincenti datur* [a], ac proinde post pugnam, quæ pugna non exercetur sine timore, hæc est *exultatio, sed cum tremore* [b].

a Apoc. 2.17.
b Psal. 2.11.

Consolatio & timor duo sunt velut calcaria.

Consolatio, & timor sunt velut duo calcaria, dextrum sinistrumque, vt hinc læta tristes erigat, hinc tristia lætitia præfidentes extimulent, sic etiam *hoc mare magnum, & spatiosum manibus* [c], qua velis, qua remis transmittimus: & animi nostri ager ductis colitur sulcis, & aquis irrigatur.

c Psal. 103.25.

Versus 32.] Factum est autem, vt Petrus, dum pertransiret vniuersos, deueniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ.

FACTVM *est autem, vt Petrus.*] Hæc est capitis huius pars secunda, de curata Æneæ paralysi.

Dum pertransiret vniuersos.] Pax, qua potitā Ecclesiam diximus (quam nonnulli tribuunt Sauli discessioni, post illam adeò vehementem disputationem in Ierusalem) in causa erat, vt Apostoli, qui se in persecutione digressis aliis continuerant Ierosolymæ, subinde exirent, ac discurrerent prædicabundi. Sic Paulus [d] ait se *post triennium in Ierusalem cùm ascendisset, solum ibi Petrum, & Iacobum Domini fratrem reperisse.* Nego tamen Caietano, infra illud triennium generalem ad prædicandum Apostolorum diuisionem factam esse, sed duntaxat ad tempus, & ad propinquiora tantùm loca, qualis erat Samaria, quò cum Ioanne Petrus concessit [e]. Immò verò Apollonius vetus Theologus [f], vt memini me aliàs dicere [g], tradebat *diuino admonitu iussos Apostolos hærere duodecim annos in Ierusalem.* Quod si verum est (diu autem mansisse præter eam profectionem Petri, & Ioannis in Samariam, docet quoque Iacobi in eadem ciuitate Ierosolymorum [h] cædes, & Petri vincula) eo modo verum est, vt non priùs tam latè, ac liberè prædicarent Gentibus, quàm Iudæis; quibus alioqui constat prædicasse ante id spatium etiam longè satis dispersis. Et diuisionem illam generalem idem Chrysostomus [i] innuit nonnisi post Apostolicum primum Concilium factam, de qua re inferiùs suo loco. Obambulabat, ac obibat Petrus, lustrabatque vniuersos tanquàm dux exercitus, & ceteris in rebus ad Ecclesiæ administrationem spectantibus semper primus, vt hactenus vidimus, & hîc obseruat Chrysostomus, sapientior credo Caluino, qui non veretur Papistarum hoc loco stultitiam accusare, quòd ex iure visitandi, Petri primatum colligant. Antidotum stultitiæ Caluinianæ præscribit Stapletonus [k]. Existimat Baronius [l] Petri visitationem hanc ferè biennalem fuisse, ac interim peruenisse Antiochiam, quò præuenerat dispersorum Discipulorum prædicatio, atque tunc eam Ecclesiam fundasse, & instituisse, videlicet CHRISTI anno trigesimo-octauo, vt indicat Hieronymus [m]. Eusebius [n] prodit cœpisse sedere Petrum Antiochiæ ducentesimatertia Olympiade, quarto anno eiusdem, & vltimo Tiberij, hoc est, dicto illo CHRISTI tempore, atque ex eodem dicitur administratam à Petro eam Ecclesiam per septem annos: quod item Damasus [o] affirmat, & Gregorius [p], & alij permulti, testaturque celebritas Cathedræ Petri Antiochiæ [q]. Voluit Petrus, ac fortè etiam rogantibus id illum ceteris Apostolis, vt cùm Samariam eum miserunt [r], in metropoli Syriæ Antiochia, vbi Iudæorum maximus numerus ciuitatis iure vtens degebat, religionis fundamenta stabilire, & sedem locare, præcipuámque ei dignitatem conferre. Hallucinatur itaque grauiter Onuphrius Pannuinus [s], & iure meritóque magnis argumentis exagitatur à Baronio [t], cùm contra totius Antiquitatis consensum contendit, Ecclesiam Antiochenam nonnisi post Romanam esse à Petro institutam. Lucas non meminit Petrum id fecisse; fateor: atqui hoc inter alia prætermisisse nominatim Hieronymus [u] monuit, & nos in Præfatione [x]. Sed Alexandrina tamen Patriarchalis Ecclesia, in qua per Marcum, & non per seipsum Petrus sedit, prælata est Antiochenæ, non hac per se de causa, sed quoniam habita est ratio prærogatiuæ iam à Romanis stabilitæ: secundùm quam Ægypti, siue Alexandrina præfectura Augustalis etiam dicta, longè præstabat Præfecturæ Syriæ, siue Antiochenæ, quæ huic suberat, immò etiam immediatè alteri inferiori, hoc est, Cæsareæ Palæstinæ, maximæ omnium Iudææ ciuitatum [y] Ecclesia Ierosolymitana, alioqui inter omnes Ecclesias, vt origine temporis, ita rerum in ea gestarum facilè princeps, erat supposita: vt scriptum reperitur in concilio Niceno [z], & apud Hieronymum [a], & alio loco demonstrabitur [b]. Imitentur Pastores summum Pastorem Petrum in visitando grege, vt crebrò Iura inculcant [c], Patrésque, & maximè commendat Concilium Tridentinum [d]. Scripsit tractatum de visitatione Salodius, Paulus Fuscus, Michaël Timotheus, Lucas Antonius Resta, Felicianus Episcopus Comensis.

Apostoli sedata persecutione Ierosolymam prædicationis causa exeunt.
d Gal. 1.19.
Apostolorum diuisio facta nō est intra triennium, cuius Paulus meminit.
e cap. 8.14.
f apud Euseb. 2. Histor. c. 17.
g cap. 1.
h cap. 12. 2. ibidem 3.4.
Quando facta est generalis illa diuisio.
i Homil. 25. in Acta.
Petrus dux exercitus christiani eum lustrat.
k in Antidotis ad hunc locum.
l Tom. 1 Annal.
Petrus Antiochenæ fundator Ecclesiæ.
m in cap. 2. ep. ad Gal.
n in Chron.
o in Pontificali.
p lib. 6. ep. 37.
q 22. Februa.
r Act. 8.14.
Onuphrius Pānuinus arguitur
s in notat. ad Platinam.
t Tom. 1. Annal.
u in cap. 2. ep. ad Gal.
Alexandrina Ecclesia Antiochenæ fuit prælata.
x cap. 5.
y Iosep. 3. de bello Iud. ca. 14.
z cap. 7.
a ep. 61. con. Ioan. Ierosolymit.
Pastores Ecclesiarum in visitandis Ecclesiis, Petrum debent imitari.
b cap. 11.
c c. cum Apostolus. & ca. sopitæ. de cēsib.
d Sess. 24. c. 3. de Refor.

Ad Sanctos.] Lege vers. 13. cur dicerentur Fideles Sancti.

Lydda qua ciuitas fuerit.

Lydda.] In Palæstina seu Iudæa in littore Mediterranei, siue magni maris ciuitas est inter Ioppen, & Ierusalem, distans à Cæsarea circiter mille passus. Illam Cestius in principio Iudaici belli incendit, vt ait Iosephus [e]; posteà verò quàm instaurata fuit, nomen ei Diospolis impositum est, teste Hieronymo [f]. Plinius [g] inter decem Iudææ Toparchias, tertio loco Lyddam collocat. *Reliqua Iudæa, inquit, diuiditur in Toparchias decem, eo quo dicemus ordine: Hierichuntem, palmetis consitam: fontibus irriguam Emmaum, Lyddam, Iopicam, Acrabatenam, Gophniticam, Thamniticam, Betholenen, Tephenem, Orinen, in qua fuere Ierosolyma, longè clarissima vrbium Orientis, non Iudææ modò: Herodium cum oppido illustri eiusdem nominis.*

e 2. de bello Iud. c. 23.
f lib de locis Hebrai. & ep. 27.
g li. 5. c. 14.

Versus 33.] Inuenit autem ibi hominem quendam, nomine Æneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus.

INVENIT *autem ibi hominem quendam.*] An intra, vel extra oppidum, quis diuinabit? Poëta fortè aliquis, qui se diuinum profiteatur. Arator quidem ita cecinit:

——*vbi mœnibus astans*
Respicit Æneam defunctis viuere membris.

quasi in ipso limine oppidi inuentus sit à Petro Æneas. Et id fieri potuit, vt obseruaret morbosus ille transeuntes, à quibus expeteret stipem, quemadmodum alius Ierosolymis ad portam templi Speciosam stabat: de quo egimus cap. 3.

Historici officium quod sit.

Nomine Æneam.] Diligentis Historici est, circumstantias narratæ rei exprimere. Si quando igitur personæ nomen tacet Lucas, aliíve Euangelistæ, aut id ignorant, aut ita personam describunt,

vt nominis expressio non desideretur. Ita sentire possumus de claudo illo, quem modò commemorabamus. Videtur præterea idcirco nominis meminisse, quoniam dicturus erat, paralyticum istum à Petro nominatim compellatum esse. Cùm autem hoc nomen sit Gentilitium, vel erat Gentilis paralyticus, vel, quod non semel præmonuimus, Hebræis etiam communicabantur eiusmodi nomina. Syrus vocat אניס *Anias*, quod nomen reperitur etiam in veteri Testamento [a], vbi Hebraicè priore loco est אנונם *Anibham*, & Græcè, Ἐνάμ, & in posteriore ענניה *hhanaia*, & Græcè, Ἀνανίας: vnde autem Hugo acceperit Æneæ nomen significare fratrem, penitus ignoro. Fateor hîc Græcè scribi Αἰνίαν per ι, vt videri possit diuersum à trito illo viri celebratissimi nomine, quod scribitur per ει, Αἰνείας.

Cur hic Æneã nominauerit.

a 1. Paral. 7. 19. & 2. Esd. 8.4.

A

Ab annis octo iacentem in grabato.] De grabato dixi capite quinto [b]. In annorum numero Beda, & Glossa ordinaria mysterium venantur, vt Æneas repræsentet genus humanũ, quod iaceat suo oblectatum languore, & voluptatem capiens in labentibus mundi gaudiis, in quo sunt quatuor plagæ, & anni totidem tempestates. Arator designationem addit Circumcisionis, quam lex vetus infantibus die octauo infligebat [c], & Dominicæ resurrectionis, quæ contigit *propter iustificationem nostram* [d]. Comparat hunc quoque paralyticum cum Euangelico [e] annorum octo supra triginta, & cum CHRISTO illum sanante Petrum. Vterque sanè vtrumque vltrò paralysi liberauit, & in alterius numero Augustinus [f] eandem fermè rationem mysticam excogitauit. Veneror, vt debeo, sanctos Patres, sed subtiliores numerorũ perscrutationes (vt verum fatear) nunquàm valdè probaui, cùm intelligerem eosdem numeros non in deteriorem minùs, quàm in meliorem partem ab iisdem Auctoribus subinde accipi, & speciatim octonarium, de quo Petrus Bongus [g] nihil nisi bene ominosum affert, cùm secus illi, quos citauimus, faciant. Quid Glossa interlinearis sibi velit, non assequor, cùm notat octo annos fuisse, non nouem, vt virtus esset gloriosior: gloriosior enim, credo, & illustrior virtus miraculi appareret, quò plures anni forent. Nec valet solutio Hugonis, quòd octauo die secundùm naturam non est curatio infirmitatis, sed nonus est criticus. Quicquid sit de diebus, agitur hîc de annis. Videtur potiùs errore factum, vt idem notat, vt pro *nono* poneretur *nouem*, citato loco Glossæ.

b vers. 15. *In numero octonario quid mysterij latere quidam putent.*

c Leu. 12.3.

d Rom. 4. 25.

e Ioan. 5.5.

f Tract. 17. in Ioan. *In numeris non sunt suspicienda nescio quæ mysteria.*

g li. de Myst. numerorum.

Glossa expositio reiicitur.

B

C

D

Qui erat paralyticus.] Talis erat & claudus ille, de quo in capite tertio: vbi attigimus, cur potissimùm commemorata sint Petri miracula circa claudos, & paralyticos. Quid etiam vetat, vt prior denotauerit Iudæos, hic autem Gentiles? Nam de paralyticis curatis à CHRISTO hunc sensum tradunt Patres [h], videlicet vel de Iudæis, vel de Gentilibus torpentibus in bono opere.

Quid designet hic paralyticus.

h Cyril. & Rupert. in Ioann. Hilar. can. 7. & 8. in Matt.

E

Versus 34.] Et ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dominus IESVS CHRISTVS: surge, & sterne tibi. Et continuò surrexit.

ET *ait illi Petrus: Ænea.*] Vnde sciuit Petrus nomẽ huius paralytici? Fortasse & hac in re declarauit diuinam & Propheticam scientiam suam, sicut cùm & illum ipsum Petrum anteà Simonem, Simonis nomine CHRISTVS sibi anteà incognitum, atque experimento vel auditione incognitum appellauit [i].

i Ioan. 1. 42.

Sanat te Dominus IESVS CHRISTVS.] Sic meliùs, prout etiam habent emendatiores codices, & textus Græcus, ἰᾶταί σε, atque Syra editio, מאסאלך *masilach*, id est, *sanans te*, supple est, quàm, vt nõnulli Latini legunt, per imperandi, vel optandi modum *Sanet te*, &c. Quo tamen modo legit Gregorius [k], & Cyrillus Alexandrinus [l], & non tantùm Magister Historiæ Scholasticæ [m], & omnes Glossæ, aliíque Interpretes. Hîc idem Cyrillus obseruat circa modum, quo Petrus in hoc paralytico curando vsus est, & illo claudo, tribuere voluisse miraculi gloriam CHRISTO, ne videretur propria virtute, & operatione id efficere posse. Annotat idem Ambrosius [n], etsi loquens de Ænea confundit verba, quæ protulit Petrus cùm claudum sanaret. *Reuerà*, inquit Cyrillus, *Psaltes ad* CHRISTVM *conuersus, ac de miraculis intelligens quæ patrabantur ab Apostolis, aliisve Sanctis, dixit: Gloria virtutis eorum tu es* [o]. Probat quoque ex hoc loco diuinitatem, humanitatémque CHRISTI in vna persona.

k lib. 23. Moral. cap. 15. vel 13.

l 6. de Trin. *Petrus omnem miraculi gloriã Christo tribuit.*

m Histor. Schol. c. 49. in Acta.

n 1. de Fide. c. 4.

o Psal. 88. 18.

Surge, & sterne tibi.] Imitatus est CHRISTVM Petrus paralytico dicentem [p]: *Surge, tolle grabatum tuum*, aut *lectum*, *& ambula*. Hoc autem modo miraculi vis magis apparet: surgere enim, ac grabatum tollere nonnisi sanus, atque etiam vegetus, & robustus potest. Voluit ferè semper CHRISTVS editi à se miraculi signum extare, vt aduertunt Chrysostomus, Leontius, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius in Ioannem [q]; vt, post panes multiplicatos superesse fragmenta eorum [r]; vt, deferri vinum ex aqua factum Architriclino [s]: vt, dari manducare puellæ suscitatæ [t]: vt, leprosum mundatum ostendere se sacerdoti [u], &c. Mysticum est quod ait Beda, *ideò iussum paralyticum iam sanatum surgere, & sternere sibi, vt qui fides soliditatem perceperit in corde, non solum torporem, in quo fessus iacuerat, discutiat, sed etiam bona opera, in quibus requiescere valeat, paret.* Gregorius [x] ante Bedam haud absimilem tropologiam tradidit, vt nempe *quis surgat, mala quæ perpetrauit derelinquens*, & sternat sibi mercedis causas, ex quibus requiescere debeat operans, iuxta sententiam Psalmi [y]: *Declina à malo, & fac bonum.*

p Matth. 9. 6. Mar. 2. 9. Ioa. 5. 8.

Christus volui, miraculi à se editi signũ extare.

q cap. 5.

r Mat. 14. 20. Ioan. 6. 12. 13.

s Ioan. 2. 8.

t Luc. 8. 55.

u Matth. 8. 4. *Mysticum documentum paralytici surgẽtis.*

x lib. 23. Moral. cap. 15. vel 13.

y Psal. 36. 27.

Surge.] *Verbum est*, inquit Ambrosius [z], *imperantis: sed fiducia de meritis est, non præsumptio de potestate: & de nominis operatione, non de sua virtute præceptionis auctoritas.* Tum pergit contra Arrianos: *Quid igitur Arriani dicunt? In nomine* CHRISTI, *& Petrus imperat, & nolunt imperasse* DEI FILIVM, *sed rogasse?* Et quoniam legitur interdum rogasse etiam CHRISTVS, subdit: *Sed lectum est, quod rogauit. Disce distantiam. Rogat quasi Filius hominis, imperat quasi* DEI FILIVS.

z lib. 1. de Fide. c. 3.

Christus Patrem non rogauit tantùm, sed imperauit in nomine Patris.

Sterne tibi.] Syriacè, *Sterne lectum tuum.* Non præcipit parare lectum ad recumbendum, cui surgere præcepit, sed ad exportandum, perinde vt cùm CHRISTVS aliis paralyticis [a] imperauit *surgere, tollere grabatũ, ambulare, ire in domum.* Quocirca moralis sensus assignatus à Beda [b], & Gregorio [c], cùm super priore significatione fundetur, aliquantulùm vacillat. Opportuna Chrysostomi, & Oecumenij animaduersio est, non exegisse ab Ænea Petrum fidem, non interrogasse, velletne sanus fieri, quoniam ad multorum consolationem fiebat hoc miraculum, magis quàm ad priuatam paralytici vtilitatem: ac nonnulla in genere miracula etiam CHRISTVS edebat non exigens semper fidem, vt attraherentur alij ad fidem, quædam ad consolationem iam credentium. Adiicit Chrysostomus,

a Matth. 9. 6. Ioan. 5. 8.

b hoc loco.

c 23. Moral. 15. vel 13. *Cur ab Ænea Petrus fidẽ non exegerit.*

ftomus, & CHRISTVM, & Apoftolos exemplo eius, cùm primùm inciperent figna facere, non requifiuiffe fidem, fed poft aliqua iam facta miracula.

Verfus 35.] Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddę, & Saronæ: qui conuerfi funt ad Dominum.

ET *viderunt eum omnes, qui habitabant Lydda, & Sarona.*] Quidam codices Græci [a] corruptè legunt, *Affaronam*, in accufatiuo Ἀσσάρωνα. Hieronymus [b] docet quòd Saron, vel Saronas (quod interpretatur Campeftris) eft regio Cæfareæ Palæftinæ vfque ad oppidum Ioppem pertingés, & pafcendis gregibus apta, quæ iuxta foli qualitatem Petro prædicanti fidei continuò fructus germinauit. Prætereà, quòd eft omnis iuxta Ioppem Lyddamque regio, in qua latiffimi campi fertiléfque tenduntur, & omnis illa plaga, quæ iuxta Actus Apoftolorum Saronas appellatur. Denique quòd & inter montem Thabor, & ftagnum Tiberiadis regio, Saronas nominatur. Contradicit Hieronymo Gloffa ordinaria, & Carthufianus, volentes Saronam, perinde vt Lyddam, effe duas ciuitates. In libro Iofue [c] mentio fit regis Saron; fed Hebraicè eft, לשרון *Laffaron*, Græcè, Ἀσσαρών. Vbi Abulenfis [d] afferit vel *la*, effe articulum, vel potiùs, quia huiufmodi articulo Hebræi carent, fuppletum ab aliquo, & quòd alibi non reperiatur *Lafaron*, fed *Saron*. Poffet quidem videri ל effe articulum, dicíque לשרון *lafcharon*, pro להשרון *lehaffaron*. Sed quia in aliis propriis nominibus non præponitur ל, & non folet ה præponi nominibus propriis, idcirco videntur ibi omnes literæ pertinere ad integritatem vnius eiufdémque vocis. Andreas Maſius [e] concedit quidem Saron fuiffe planitiem foli vbertate celebrem. Verùm illud Laffaron ait effe vrbis nomen, iuxta Chaldæam paraphrafim: & hanc fibi videri Affaron, quæ hoc loco Actuum habetur haud procul Lydda. Quare negat effe nomen regionis fiue planitiei inter montem Thabor, fiue Tabyrium, & lacum Tiberiadis. Idem fentit Arias Mōtanus [f]. Sed præftat credere Hieronymo, quippe qui, vt hoc loco ait Gagneius, locorum αὐτόπτης fuerit, & fpectator affiduus. Prętereà ex paraphrafi Chaldæa non poteft ratio noua colligi, cùm id ipfum duntaxat nomen habeat, quod editio Hebraica. Deinde in emendatis libris Sixtianis hoc loco legimus *Sarona*, non, vt hi volunt, *Affarona*. Poftremò facit ad celebritatem miraculi, fructúmque, vt Sarona regionem potiùs fignificet, quàm vnicam ciuitatem. Nec eft tamen prorfus improbabilis alia fententia, cùm etiam conftet locorum ficut & virorum propria nomina variari nonnulla literarum detractione vel mutatione, fiue cùm variantur incolæ, fiue ipfomet temporis lapfu. Fateor in aliis locis Scripturæ [g], vbi Saron regionis nomen eft, Hebraicè effe abfque ל, שרון *Scharon*, & Græcè, Σαρών, licèt Interpres vertat aliquando, *Sarona* [h], & paraphraftes Chaldæus [i] eadem terminatione שרונא *Scharona*: & rurfus editio Latina exprimat quodam loco [k] idem vocabulum, vbi tantùm id habet Chaldæa ex Græcis illa quæ eft Theodotionis, cùm Symmachus reddat πεδία, id eft, *campi*.

Qui conuerfi funt ad Dominum.] *Erat enim paralyticus Æneas ἐπίσημος*, inquit Chryfoftomus, & Oecumenius, hoc eft, infignis, non quidem, vt exiftimo, fplendore generis, vel opum, vel alia vlla re, fed quia omnibus notus. Nec enim vir diues, aut nobilis iuffus effet fternere fibi, feu tollere, & portare grabatum fuum: & quòd eundē Petrus inueniffe fcribitur, indicat in publico loco, ac fortaffe ad petendam eleemofynam, perinde vt de claudo alio proditum eft [l]. Quòd tam multi conuerfi fint (fic enim pro omnibus multos intelligimus cum Hugone) arguit miraculi celebritatem. Probabile tamen etiam eft, præceffiffe Petri ad illos prædicationem illo ipfo tempore, vt placet Carthufiano, aut aliorum Difcipulorum, antequàm hos Petrus modò reuiferet.

a in nouo Teftam. Pat. Typog.
b lib de locis Heb. & lib. 10. in c. 33. Efaiæ, & in Abdiam.
Sarona regio vbi fit.
Eft nomen vrbis, non regionis.
c c. 12. 18.
d in Iof.
e ibid.
f in Iof.
Fuit regionis nomen, quemadmodum afferit Hieronymus.
g 1. Par. 5. 16. c. 27. 29. Efa. 33. 9. c. 35. 2.
h 1. Par. 27. 29.
i Efa. 33. 9. c. 35. 2.
k Efa. 35. 2.
Æneas paralyticus infignis cur fuerit.
l cap. 3. 2.

Verfus 36.] In Ioppe autem fuit quædam difcipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemofynis, quas faciebat.

Vltima pars capitis eft de fufcitatione Tabithæ.

IN *Ioppe.*] Hieronymus [m] id ait effe oppidum Palæftinæ in tribu Dan, in cuius littore tempore quoque fuo faxa monftrarentur, in quibus Andromeda religata Perfei quondam fit liberata præfidio, ac portum fuiffe fugientis Ionæ, diftantem à Bethlehē quadragintafex milliaribus. Laurentius Valla [n] docet, Hieronymum fabulæ oblitum: effe enim locum illius in India ciuitatem Tharfis. Attamen Plinius [o] tradit in Phœniceo mari ante Ioppem effe Pariam oppidum, in qua obiectam belluæ Andromedam ferunt; fed quando fcribebat, dictam alio nomine Arados. Et rurfum alibi [p] difertè memorat dictæ belluæ offa Romam apportata ex Ioppe oppido Iudææ. Lege prætereà Solinum [q], Strabonem [r], Melam [f]. Vidimus etiam fuperiùs eundem in Toparchiis Iudææ nominantem Iopicam [t]. Putant Solinus ac Mela extitiffe ante diluuium: videtúrque nonnullis à Iaphet filio Noë inftauratam ac denominatam: etfi alij malunt nomen datum à Ioppe Æoli filia, & Cephæi vxore. Nunc vulgò vocant Iapho, aut Iaphe, aut Iapha, aut Iaphet, Veneti Zapho. Syrus nominat יופא *Iouppi*, Hebræus יפה *Iaphoh*: & qui peregrinantur in terram Sanctam, in eum portum primùm defcendunt. Vnde terreftri itinere vnius diei, aut duorum infuper triúmve horarum perueniūt in Ierufalem: quod innuit etiam Hieronymus in ea illius diftantia à Bethlehem quam diximus. Quanquàm videtur idem Hieronymus confundere Lyddam, & Ioppem, cùm ait *Lyddam verfam in Diofpolim Dorcadis, atque Æneæ refurrectione ac fanitate effe inclytam.* Fortaffe propter vicinitatem vtriufque ita locutus eft. Non longè ab hoc portu monftratur faxum excelfum, fuper quo Petrus lauans retia vocatus eft à CHRISTO ad Apoftolatum [u].

Difcipula.] De nomine Difcipulorum fiue Difcipularum dictum eft capite fexto [x]. Fœminas dictas nomine fœminino Difcipulas, præter hunc locum in Scriptura nullibi reperio: fed nomine fororis fæpiùs [y]. Vulgari fermone vt Monachi fratres, ita Moniales forores, feu *frati*, & *fore*, nominantur. Alioqui confueuerunt Iudæi fuæ Gentis fœminas forores, ficut viros fratres appellare.

Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas.] Pofterius nomen eft Græcum, quod Lucas non addi-

Ioppe qua ciuitas fuerit.
m lib. de locis Heb. in cap. 1. Ion. & ep. 27. & 46. & 129.
n hoc loco.
Laurentius Valla carpit Hieronymum, fed immeritò.
o lib. 5. cap. 31.
p lib. 9. c. 5.
q cap. 47.
r lib. 1. & 16.
f lib. 1. c. 11.
t lib. 5. cap. 14.
Hieronymus Ioppem & Lyddam confundit.
u Luc. 5. 2. & feq.
x verf. 1.
y Rom. 16. 1. 1. Cor. 7. 15. c. 9. 5. ad Phil. 2. Iac. 2. 15.
Tabitha cur Dorcas fit dicta.

diſſet, niſi magnum ei myſterium ineſſe cognouiſſet, inquit Beda: Latinè dicitur dama,ſeu damula,vel caprea; quod animal valet acutiè videndi, quaſi Græcè ἀπὸ τοῦ δέρκειν, *erat enim*,inquit Chryſoſtomus,*vigilans ac ſobria,vt Dorcas: & multa nomina etiam diſpenſatiuè ponuntur ſua efficacia appellationem ſignificantia, quæ conſequitur*, inquit Oecumenius. Adde, hoc animal celſa petere,& denotari iſto nomine ſublimem animum noſtrę Tabithæ,vt innuit Hieronymus [a].Solet etiam in deliciis eſſe [b]:

a in Ezech. c. 45.
b Martialis li. 13. Epig. epig. 94 vel 99.

Delicium paruo donabis Dorcada nato.

eſtque natura timidum.Talis tropologicè Dorcas noſtra,vt paulò pòſt deſcribitur. Superfluè Antonius Nebriſſenſis [c] admonuit, aliud eſſe Talitha apud Marcum [d], quod ſignificat puellam, aliud Tabitha, de quo diximus, Fortaſſe inciderat in corruptum codicem Marci, in quo eſſet Tabitha, pro Talitha:videtur Chryſoſtomus legere Tabetha: Syrus legit, טביתא *Tebitha*, vel *Tebitho*.Hebraicè vocatur צביה.

c in Quinquagena. cap. 43.
d cap. 5. 41.

Hæc erat plena operibus bonis.] Non erat ergo *vacua gratia in ipſa* [e], *& non acceperat in vanum animam ſuam* [f]. Sed non dubito,quin opera ipſa plena eſſent coram Deo ſuo, quibus illa erat plena, vt non tantùm bona, ſed bene quoque fierent, & reſponderent perſonæ,& gratiæ illius. Angelus, ſiue Epiſcopus grauiter in Apocalypſi [g] reprehenditur, *quòd non inuenirentur opera eius plena coram* Deo, & hoc eſt non reſpondentia dignitati Epiſcopali, nec probatur Deo, cuius in ſtatera non deprehenduntur opera plena: & qui Deo plenus non eſt,quicquid in animum imponat,vacuus inaniſque habebitur animus eius. Lege quæ dixi in capite primo Eccleſiaſtis [h].

e 2. Cor. 6. 1. 1. Cor. 15. 10.
f Pſa. 23. 4.
Tabitha operibus bonis quomodo plena fuerit.
g cap. 3. 2.
h verſ. 1.

Et eleemoſynis.] De hoc nomine in capite tertio [i].Sumitur pro re,quæ datur, & pro actu dandi. Nominatim fit mentio de operibus eleemoſynarum,cùm generatim præceſſiſſet de bonis,quoniam ſuſcitatio Tabithæ iſtis peculiaribus operibus deputatur in hac narratione. Quanquàm & hoc verum eſt, inter omnia opera bona externa nullum illuſtrius eſſe, gratiúſque, quàm miſericordiæ. *Bona miſericordia*,inquit Ambroſius [k], *quæ & ipſa perfectos facit,quia imitatur perfectum* Patrem. *Nihil tam commendat Chriſtianam animam, quàm miſericordia*, &c. *Neque quiſquam magis beatus, quàm qui intelligit ſuper pauperis neceſſitatem* [l], *& infirmi, atque inopis ærumnam:in die Iudicij habebit ſalutem à Domino, quem habebit ſuæ debitorem miſericordiæ.* Ad hunc modum Ambroſius. Cyprianus fortaſſis eò reſpexit,quando titulum libro indidit de opere,& eleemoſyna. Certè cùm de aliis omnibus ferenda in Iudicio publica ſine dubio ſententia ſit, in ea tamen ſola Christvs [m] expreſſit miſericordiæ opera:quæ etiam de his ſententia indicat, quo nos Devs amore proſequatur,docernens præmia,ſuppliciáque his,qui benignè nobis fecerint,aut non fecerint:& quàm paruo contentus ſit tantus Dominus,vt beneficij loco habeat benefacta in æquales noſtros.Hinc opinor eſt,vt phraſi ſatis trita Scripturæ iuſtitiæ nomine intelligatur miſericordia, nempe quòd valdè iuuet ad omnes virtutes conſequendas, & qui miſericors eſt, idem appellatur ſanctus & iuſtus,eleganti paronomaſia nominum Hebræorum צדק & חסד *cheſed*, & *tſedech*,quorum prius miſericordia, poſterius iuſtitia eſt.Lege Riberam [n], & Pinedam [o]. Vocat Paulus [p] *fruges iuſtitiæ eleemoſynam*:& profectò,quod iure quis debet, dabit,

i verſ. 2.
Cur hic de eleemoſynis peculiariter fiat mentio.
k lib. 1. de offic. c. 11.
l Pſa. 40. 2.
In Iudicio cur de eleemoſynis peculiaris ſententia ferenda.
m Mat. 25. 35. & ſeq.
n in Amos c. 6. n. 16.
o Iob. 6 verſ. 14. n. 4. & ca 30. verſ. 25. n. 7.
p 2. Cor. 9. 10. *Eleemoſina cur fruges iuſtitiæ dicatur.*

A ſi ſit miſericors ac liberalis:ipſaque liberalitas,quæ dicitur humanitas, reddit tum danti, tum accipienti, quod humanum eſt:ipſi demùm Deo, qui id non modò carum habet,ſed exigit,vt dixi.

Verſus 37.] Factum eſt autem in diebus illis,vt infirmata moreretur.Quam cùm lauiſſent, poſuerunt eam in cœnaculo.

Vt *infirmata moreretur.*] Non fuit mors repentina,ſed longior morbus,ideóque non eſt aduocatus ante mortem Petrus, quoniam indignum ducebant eum auellere à prædicatione, qui breui etiam expectabatur:& ipſa morbi prolixitas ſpem

B ſuſtentabat ſanitatis. Deprecatur Eccleſia in Litania ſubitaneam,& improuiſam mortem. Diuturnior etiam morbus ſæpe animo ſalubris accidit ad meritum & purgationem, & exemplum. Illuſtre Nicephorus [q] narrat exemplum de Benjamin anachoreta, qui admirabili patientia hydropem tolerabat,quam ab aliis, & varios omnis generis morbos ſola manus contrectatione, aut oleo benedicto propellebat. Legendum item quod narrat B. Antoninus [r] de illo,qui cùm magnitudinem morbi pertæſus,horam ex quatuor ac viginti,quo tempore purgatorias pœnas optione data maluerat, quàm morbi in hac vita vim ſuſtinere, annorum ſpatio longiorem ſibi experiri videretur,ſup-

C plex impetrauit reditum in vitam,& in vita prolixiorem morbum.Petiit Dauid [s] *notum ſibi fieri finem ſuum, & numerum dierum quis eſſet*, vt ſciret quid deeſſet ſibi,ſeu quantum temporis ſupereſſet. Sed quoniam viro ſancto videtur indignum ſcire velle vitæ finem,quem voluit Devs eſſe incognitum,vt etiam docuimus in capite primo [t], & incertitudo mortis longè paſſim vtilior eſt,vt Patres [u] docent, ſignificat hoc petitionis modo deſiderium mortis ex tædio vitæ calamitoſæ, vt cùm quis calamitate preſſus exclamat: Quando Domine facies finem? pro eo quod eſt, ô vtinam faceres finem!

Morbus diuturnior eſt animo ſæpe ſalubris.
q lib. 12. c. 41.
r 1 part. tit. 5. c. 5. § 1.
Purgatoriæ pœnæ longiores morbo...
s Pſal. 38. 5. verſ. 7.
Qua ratione Dauid vitæ ſuæ finem ſcire voluerit.
t verſ. 7.
u Lactant. de opif. Dei c. ... 4. Aug. in Pſ. 101. & 144 & Tract. ... in Ioan.

Quam cùm lauiſſent.] Gloſſa interlinearis ait in

D quibuſdā codicibus inueniri:*Cùm lauiſſent vnguentis.* Quod attinet ad lotioné,erat antiquis maxima pœna,fœdatum mori, aut ſepeliri, vt quidam colligunt ex Leuitico [x], vt Hieronymus ab Oleaſtro. Meminit huius ritus apud Chriſtianos Tertullianus [y], & crebrò hiſtoriæ, præſertim recitatæ à Gregorio Papa [z],à Turonenſi [a],à Beda [b], ab ginardo [c],ab Euſebio [d], ab Amalario [e], à Sidonio [f], ab Annonio,ſiue Aimonio [g].De his quoque,aliiſque ritibus Epiphanius [h]. De vnctione, & conditura patet vel ex pollinctoribus ita dictis, quòd veluti pollutos vngerent,non modò lauarent: etſi alij malunt à pelle, & vnguendo, ſiue vngendo: quidam vocatos polinctores, à poliendis cadaueribus; appellantur verò etiam ſalitores. Lege nota-

E tiones Tiraquelli in Alexandrum ab Alexandro [i]. De iiſdem non ſolùm plurimi profanorum, ſed etiam idem Tertullianus [k]: & adhuc de re ipſa Prudentius [l], Gregorius [m], aliique Patres. Ægyptiis ſolenne fuiſſe vngere corpora, docet vel Iacob, quem Ioſeph Ægypti Præfectus medicis præcepit,vt aromatibus condirent [n]. Inde manauit hic mos ad alias gentes, atque ad Iudæos, vt Tacitus [o] teſtatur: apud quos tamen poſt illos duos patrem, filiúmque,nullum eo ritu ſepultum legimus vſque ad Aſa regem Iuda [p]. De Ægyptiis legendi Herodotus [q],ac Diodorus [r]. Virgilius de funere Miſeni Troiani [s]:

x Leuit. 15. v. 5.
y Apolog. c. 42.
z Hom. 39. in Euang. lib. 1. Dial. c. ... lib. 4. c. 16. & 47.
Defunctorum corpora lauari ...
a l. b. de gl. Conf. ... 42 ...
b ... c. 9. 10. 11. & 12. & Hiſt. ... lib. 4. c. 6.
b de S. Guthberto.
c in vita Caroli Magni
d ... Hiſt. ... c. ...
e lib. 4. c. 41.
Diuiſio ... defunctorum quibus mos erat.
f lib. 3. epiſt. ...
g lib. 4. c. 31.
h ... de ſepul. Chriſti.
i lib. 1. c. 7.
k Apol. c. 42.
l in Cathemerinon, in Hymno ad exeq. defuncto.
m ... *Aegyptiis mos vngere corpora ... in ca. Canticorum.*
n Gen. 50. 2.
o ... Annal.
p 2. Paral. 16. 14.
q lib. 2.
r lib. 2.
s Æneid 6.

Corpúsque lauant frigentis, & vngunt.
Id sumpsit ex Homero [a], καὶ τότε δὴ λοῦσάν τε, καὶ ἤλειψαν λίπ' ἐλαίῳ, qui ponit etiam duplicem hunc ritum in funere Patrocli [b], & Achillis [c]. Hi duo satis demonstrant vsum lauandi & vngendi corpora mortuorum apud Græcos, Troianósque fuisse. De Romanis quoque Ennij versus:

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Plura Pontanus noster in Virgilium [d], & in Progymnasmatis [e], & suaui mihi cōsuetudine notissimus Franciscus Bencius [f].

De CHRISTO variis aromatibus condito tradunt Euangelistæ, ex quibus item colligitur durasse plures dies condituram apud Iudæos, cùm non tantùm ipso, quo sepultus est, CHRISTVM Nicodemus mixtura myrrhæ, & aloës condierit, verùm etiam tertio pòst die mulieres eâdem de causa venerint ad monumentum. Hi dies in Genesi [g] numerantur quadraginta, apud Ægyptios verò septuaginta, vt proditur ab Herodoto [h]. Nec tamen existimandum, apud vtrosuis hunc tam operosum condiendi modum semper, atque erga quemlibet esse impensum, sed solùm erga insigniores, vel charissimos. Alioqui Lazarus quatriduo duntaxat sepultus non fœteret, nec Martha priusquàm sepulcrum aperiretur, id dixisset [i], nisi communi omnium opinione inducta esset, qua communiter sibi persuadere solerent, mortuum paucis ab obitu diebus odorem ingratū exhalare.

Cur calida mortui abluerentur, causam ex Plinio [k] colligit Seruius [l], eamque prætereà tradit Cornelius Celsus [m], quoniā, inquit, solet plerumque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere, ideóque simul conclamabatur, si fortè reuiuisceret. Cur vngerentur, Donatus [n] rationem hanc assignat, vt celeriùs flammam conciperent, adde potiùs, vt minùs fœterent, dum cremarentur. Non habet ista causa locum apud eos qui corpora non cremant (nec fuisse veteris apud Romanos instituti, testis Plinius [o], Tertullianus [p], Macrobius [q], Cornelius Celsus [r]; suo æuo viguisse Sidonius [s], & Cassiodorus [t]) neque generalis esse potest prior illa. Quæcunque Gentiles impulerit (apud quos delubra, teste Asconio [u], dicebantur ea templa, in quibus essent labra corporum abluendorum mortuorum) haud dubium quin pij amorem erga defunctos, & Resurrectionis spem omni hoc adhibendo circa illos cultu declarare velint. Verùm hac de re nonnihil iam disserui capite quinto & septimo. Fertur Balduinum Ierosolymorum regem ad Flandros suos ex Palæstina misisse pretiosas ac mundas sordes ex abluto corpore mortui CHRISTI existentes, per Abbatem S. Bertini: aquam etiam, qua pia fœmina Britanniæ Dux, Vincentium Ferrerium abluit, non pauca miracula edidisse.

Posuerunt eam in cœnaculo.] ἔθηκαν ἐν ὑπερῴῳ. De cœnaculo, & voce etiam Græca pridem dixi [x]. Hieronymus [y] *altiorem domus partem fuisse* docet, loquens de Tabitha, *quæ bonis*, inquit, *operibus ad summa conscenderat*. Non videtur statim mandata sepulturæ, accersitus enim Petrus, insepultam reperit. Et quidem olim aliquandiu inhumata mansisse condita corpora, vt religiosè iis officia ab excubantibus persoluerentur, non tantùm cùm deducebantur, testis est Hieronymus de Paula [z], & Turonensis de Pelagia [a]. De septem diebus, tradit Seruius [b], vt interim constare posset, neque veneno, neque ferro periisse defunctū, vt ait Hyginus [c]. Onuphrius Panuinus [d] locum

a Iliad. 6.
b Iliad. 18.
c Odyss. vlt.
d in citatum locum 6. Æn.
e Volum. 1. p. 2. in 57.
f orat. 22. de ratione funeris apud Romanos.
Plures dies apud Iudæos condiebantur mortuorum corpora.
g cap. 50. 2.
h lib. 2.
Non omniū corpora per plures dies condiebantur.
i Ioan. 11. 39.
k lib. 7. c. 52.
l Æneid. li. 6.
m Præf. lib. 1. de re Medica.
n in 6. Ænei.
o lib. 7. c. 54.
p de anima.
q lib 7. c. 7.
r de re Medic.
s lib. 1. ep. 3. li. 4. ep. 12 & 13. & carm. 16.
t lib. 6. epi. 8.
u in Diuin.
Cur pij in curandis mortuorum corporibus operā posuerint.
x cap. 1. 11.
y in cap. 41. & 42. Ezechiel.
Cur mortuorum corpora non statim efferrentur.
z in epitaph.
a lib. de glor. Confes. ca. 104.
b in 5. Æn. in id, *Prætereà si nona.*
c Fab. 274.
d de ritu sepeliendi c. 3.

A vbi cadauera exponerentur vniuersè infert ex præsenti historia fuisse cœnaculum, vel domus publicam partem. Solet tamen cadauer multis in prouinciis ad ianuam domus, seu in vestibulo exponi, vel vt mortis ceteri admoneantur, vel vt ad orandum pro defuncto prouocentur. Mouit posterior causa Pelagiam, de qua refert Turonensis [e], vt moribunda à filio peteret, *ne se ante diem quartam sepeliret, vt videntes famuli, famulæque, pro ipsa orarent*. Solitos idem olim Græcos vsurpare, ac Romanos, sunt qui ex Homero [f] colligant, & Virgilio [g], & Suetonio [h], & Luciano [i], quos citat Lipsius [k]; necnon Persium, Dionem, Senecam, Platonem. Ita quidem Virgilius:

B *Sic ait illacrymans, recipitque ad lumina gressum,*
Corpus vbi exanimi positum Pallantis Acetes
Seruabat senior.—

Id proprio vocabulo dicebatur collocatio, vel commendatio [l]; & solebat prætereà corpus mortui foras spectare, atque facie pedibusque in publicum verti, vt docent iidem Auctores, præcipuè Homerus [m], Persius [n], Seneca [o]. Ponebatur item ante fores cupressus, piceæve ramus, funebre signum, ne quis è numero Pontificum, si domum nescius esset ingressus defuncti, pollueretur, vt proditum legimus à Plinio [p], & Seruio [q], quoniam his, inquit, isto [r] funere pollutis non licebat sacrificare: quamuis Dioni [s] visum aliter. Non est

C præsentis instituti reliquos persequi funeris ritus, quos cognoscet qui à me laudatos hîc & cap. 5. ac 8. euoluet. Videtur hic tamen vnus prætermitti non posse, de amictu mortui. Etenim paulò pòst audiemus, quasi audita Petri voce mortuam Tabitham oculos aperuisse, atque resedisse & erectam à Petro fuisse. Quæ non videntur esse potuisse, si institis, fasciisque sepulcralibus manus pedésque ligata, faciésque sudario tecta, vt de Lazaro, & totum corpus circumuolutum sindone erat [t], vt de CHRISTO ipso Ioannes scripsit [u], dicens, *eum Iudæis morem sepeliendi fuisse*. Qui sanè mos linteo cadauera obuoluendi, & illigandi seruatus traditur inter Christianos à Dionysio Alexandrino [x], Athanasio [y], Hieronymo [z], Pruden-

D tio [a], & hoc tempore eum Christianitatis pars maior tenet, exceptis fortasse insignioribus personis, & sacerdotibus.

Ac de his quidem constat ex vita Popponis Abbatis, & Ausberti Rhotomagensis Episcopi, Germani [b]. Itali vestibus mortuos induunt, quas viui gerebant, exemplo non solùm antiquo aliorum in Italia Christianorum, de quibus Gregorius [c], prætereà Turonensis [d], Sidonius [e], Arnobius [f], Lactantius [g], sed etiam vetustiore Gentilium, de quibus Plutarchus [h], Ennius [i], Corippus [k], Quintilianus [l]. Fallor, vel vtrumque apud nonnullos Christianorum fuit in vsu, simul cadauer veste induere, simul indutum linteo inuolue-

E re. Vtrumque sanè fecit Marino martyri martyr Asterius, Eusebio teste [m], nec desunt alia exempla. Quicquid sit, Tabitha vel nondum induta linteo erat, cùm Petrus, qui propè aberat, aduenit (Cyprianus [n] certè ait, *quòd in tabula lotum iacebat*) vel quo miraculo extitit viua, eodem linteum dissiliit, ac de facie sudariū, vt contigisse verisimiliter dici potest filio viduæ, qui suscitatus à CHRISTO resedisse dicitur [o], cùm ad sepulturam iam efferretur. Fauet coniecturæ huic meæ Rabbi Iacob [p], qui scribit, cùm se nimiùm apud Hebræos funeris pompa extulisset, vt deterriti expensarum magnitudine cognati, & propinqui, se aliquando,

Locus vbi defuncti exponebantur.
e suprà.
f Iliad. 7.
g Æneid. 11.
h in Augusto. c. 100.
i περὶ πένθους
k 1. Electorū. cap. 6.
l Glo. in l. si quis. ff. de relig.
m suprà.
n Saty. 3.
o ep. 12.
Cur cupressus ante fores poneretur.
p lib. 16. c. 33.
q in 3. Ænei. in id, *Atraque cupresso.*
r in 11. Ænei. initio.
s lib. 54.
Quo amictu mortui condebantur.
t Ioan. 11. 44.
u cap. 19. 40.
x apud Eus. li. 7. c. 17.
y in Antonio.
z epist. 49.
a in Hymno ad exeq. defuncto.
b lib. 2. c. 22.
c 3. Dial. c. 17.
d 4. Hist. Frāc. c. vlt. lib. 6. c. 9 & vlt. lib. 7. c. 1. & 50. de vit. Patrū c. 3. 7. 8. 12 de glor. Cōfess. c. 81.
e lib. 3. ep. 3.
f 5. cont. Gēt.
g de orig. err. 101. c. 4.
Quo habitu composita fuerit Tabitha.
h in Proble. Rom q. 46.
i in Ctesiph.
k lib. 1.
l decl 373.
m lib. 7. Hist. c. 14. vel 16.
n lib. de opere & eleem. c. 2.
o Luc 7. 15.
p in Furno. c. 152.

relicto cadauere, subducerent, moderationem à Gamaliele adhibitam, ne nisi lineis velis cadauera, cuiusuis essent conditionis, obuoluerentur. Quanquàm id velle potuit, ne in sepulcro pretiosior vlla vestis, aut supellex, pro vetere consuetudine, cuius apud Ieremiam Hieronymus [a] meminit, coniiceretur, quod iure etiam ciuili [b] Romanis inhibitum est, non quòd cadaueribus amictus iniiceretur. De vestitu cadauerum testis insuper Paulus Iurisconsultus [c], Vlpianus [d], & Constantius [e].

a cap. 8.
b ff. ad leg. Iul. & prius lege 12. Tabula. apud Cicero. 2. de legib.
c l. 19. de in rē verso.
d l. 14 § idémque erit ff. de rel. & sum. funer. l. 113 § vlt. de lega. 1. l. 15. § proinde. de vsufructu.
e de S. Germano lib. 1. c. 22.

Versus 38.] Cùm autem propè esset Lydda ad Ioppen, Discipuli audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire vsque ad nos.

CVM *autem propè esset Lydda ad Ioppē.*] Hæc est causa, cur, vt priùs dixi, Hieronymus scripserit, vtrumque miraculum, & paralytici, & Tabithæ, contigisse in Lydda, nimirum loci vtriusque vicinitas. Syrus ait, quòd Lydda erat ad crepidinem Ioppe.

Ne pigriteris venire vsque ad nos.] Verbum Græcum ὀκνῆσαι, significat pigrum, ac segnem esse, detrectare, differre, grauari, sed & Latinum pigror ac pigritor vsurpatur pro differo, seu tardo, vt cùm M. Tullius [f] ait: *Tu quæso quicquid erit noui, scribere ne pigrere.* Videtur hoc loco vim habere grauandi, vel cunctandi: nec enim decorum erat segnitiem obiicere. Glossa interlineat. notat duos missos, exemplo CHRISTI, qui suos binos mittebat [g], decori videlicet gratiâ, vt aliàs dixi, & quidem ex sensu virili prudentiore. Ceterùm causam non indicasse, ne venire recusaret, propter humilitatem, hoc est, ne si suscitandæ defunctæ expresè meminissent, is modestè petitionem, vt suis imparem meritis, reiecisset. Fuit quoque reuerentia erga Petrum rem simpliciter proponere, cuius satis perspecta charitas, quique ibi breui expectabatur.

Verbi ὀκνεῖν, & pigror, significatio.
f 14. ad Attic. epist. 2.
g Luc. 10. 1.

Versus 39.] Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cùm aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum: & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas.

EXVRGENS *autem Petrus venit cum illis.*] *Impiger & humilis nulla excusatione est vsus*, inquit Glossa interlin. *Obtemperat ac venit*, inquit Chrysostomus, *neque pro indignitate habet vocatum esse. Impigrè pro Apostolica humanitate venit*, inquit Cyprianus [h].

Circumsteterunt illum omnes viduæ flentes.] Viduarum cura quanta semper Ecclesiæ fuerit, docui capite sexto. Fletus hic demonstrat, quod capite octauo vidimus, honestè defunctos posse defleri, dummodò ne quid nimis [i]. Lege præter ceteros Bernardum [k] deflentem Gerardi fratris obitum, & Ambrosij item Satyri sui. Credi potest has viduas conuenisse officij soluendi causa, & commune, quod aliis omnibus fortasse debebant ratione gradus sui in Ecclesia, & peculiare, ob accepta beneficia à Tabitha. Sed & suspicari licet in prima Ecclesia quiddam simile fuisse ei, quod posteà

h li. de opere & eleem. c. 2.
i Teren.
k Serm. 26. in Cantica.
De his orditur quaeritur quare ...

A etiam Iure ciuili sancitum est [l], vt ascetriæ, siue canonicæ mulieres non minùs octo feretrum præcederent, & psallerent. Itaque viduæ istæ lacrymis potiùs, quàm verbis, vt eleganter Arator describit, flagitant conseruatrici vitæ ipsarum, vitam: nec dubitant restitui posse à Petro, qui sponte, non exoratus, Æneæ sanitatem deploratam reddidisset. Non solis viduis, etsi his maximè, vtpote pro conditione miserabilioribus, sed aliis Tabitha benignè fecit: decori tamen ratio non permittebat fœminæ domum, forsan etiam viduæ, frequentari à viris.

l in Nouel. 49 Const.

Ostendentes ei tunicas, quas faciebat illis Dorcas.] Preces armatæ dici possunt istæ: maxima enim vis
B eleemosynæ ad liberandum ab vtraque morte, prima, & secunda [m]: iuuant quoque defunctos viuorum preces, vt hinc elicere videtur Chrysostomus. Primum etiā illud Cyprianus [n] ad eleemosynæ commendationem adducit, atque de illis viduis hoc modo loquitur: *Circumsteterunt eum viduæ flentes, ac rogantes, pallia, & tunicas, & omnia illa quæ priùs sumpserant indumenta monstrantes, nec pro defuncta suis vocibus, sed suis operibus deprecantes, & quæ laborantibus viduis larga fuerat subsidia viuendi, meruit ad vitam viduarum petitione reuocari.* Iterum Chrysostomus egregiè hoc exemplo demonstrat [o], his benefactis creari, seruarique gratam nostri memoriam apud posteros, non superbarum constru-
C ctione domorum, &c. illud enim esse rebus inanimatis sumptus impendere: hoc autem cum illis, qui eiusdem sunt generis, misericordiam facere. Videtur porrò idem eodem loco velle ostensas non tantùm vestes ad commendationem defunctæ, sed ad exaggerandam solitudinem propriam ac egestatē, quæ potè tali priuatæ subsidio forent, ait enim calidas lacrymas profundentes, cibum, & quibus opus habebant, quæsiuisse.

Preces armatæ eleemosynæ.
m Tob. 4. 11. & cap. 12. 9. Eccles. 3. 33. 29. 15. Dan. 4. 24.
n supra.
o Homil. 11 in Gen. *Quibus modis memoria quæ ...*

Tunicas & vestes.] Cyprianum audiuimus interpretantem pallia, & tunicas, & omnia indumenta. Prior vox Græca τῶν ἱματίων, latè significat quaslibet vestes; tum verò magis presè pallia, quæ supra tunicam induuntur, aut etiam togas: præter-
D cà vestes stragulas: item tegumina capitis, vt exemplis demōstrat Budæus [p]. Posterior vox τῶν χιτώνων, sumitur aliquando pro interioribus tunicis, seu intimis, quæ dicuntur intusia, vel molliùs indusia: & subuculæ, & interulæ: quæ Latinè etiam tunicarum vocabulo simpliciter posito significantur: interdum pro exterioribus. Volunt Lucas comprehendere omne indumenti genus, vt Cyprianus [q] obseruat: & Vlpianus [r] inter vestimenta numerat omnia lanea, lineàque, serica, bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, iniiciendi, accumbendi causâ parata sunt: sed & Scripturæ [s] vestimenti vocabulum extendunt ad culcitram, siue lodicem, ad lectulum, ad operi-
E mentum dormientis, ac etiam fortassis ad omnem domesticam supellectilem, vt apud Esaiam [t]: *Vestimentum tibi est, princeps esto noster: & in domo mea non est panis, neque vestimentum.*

De vestimentis.
p in comment. ling. Græc.
q supra.
r l. 23. § 1. ff. de aur. arg. &c.
s Exo. 22. 26. Iob. 22. 2. Amos 2. 8.
t cap. 3. 6. 7.

Quas faciebat illis.] Syrus habet, *dabat*, seu, *dans fuerat*. Non tantùm fieri fecit, sed ipsamet vestes consuebat: quod opulentissimas, illustrissimásque fœminas non veterum modò, sed nostra etiam memoria, nobísque bene cognitas, fecisse scimus, tanquàm quæ in pauperibus CHRISTI ipsius personam respectarent. Lege vitam Elizabethæ Hungaræ [u], Elizabethæ reginæ Lusitaniæ [x], Eleonoræ Ducis Mantuæ [y]. Concedo Lyrano tantùm consuisse parum esse; sed existimo cum opibus

u apud Surium. *Mulieres ... suis manibus pauperibus indumenta parabant.*
x in ... & libris Perpiniani.
y Apud Possevinum & Antonium Felicianum.

operas

operas contulisse, non sumptibus parcentem, sed merita adaugentem. Audiatur Arator:

— Lugentia tecta petenti
Stant inopes, viduique greges, & brachia monstrant
Exuuiis onerata suis, quas Dorcadis ipsa
Texuerant, dederántque manus. —

Textus Græcus, ὅσα ἐποίει μετ' αὐτῶν οὖσα, *quanta*, vel, *quæcunque faciebat cum iis existens*, videtur innuere adhibitas viduas à pia illa fœmina socias in opere: fortasse tamen solùm significat, cùm esset cum ipsis, hoc est, quando viuebat, vt etiam vertit Syrus, ac versabatur inter illas. Attamen ex illis verbis eruit Chrysostomus latentem humilitatem Tabithæ, quòd communiter omnes agerent inuicem sine fastu & arrogantia. Ambrosius [a] nominat alimenta, non solùm vestes, propter quæ Tabitha suscitata fuit.

a de fide resurr.

Dorcas.] *Non repetit Tabitha, sed Dorcas*, inquit Caietanus, *quia fortè vtroque nomine solita erat appellari*; ab Hebræis quidem Tabitha, & ab eisdem natione Græcis Dorcas, vt propterea nomen eius interpretandum duxerit Lucas.

Versus 40.] Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua, orauit: & conuersus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro, resedit.

EIECTIS *autem omnibus foras.*] Exemplo CHRISTI filiam Archisynagogi principis resuscitãtis [b], idque ad vitandam elationem; vel *ne indigni signum viderent*, inquit Glossa ordin. *& vt* DEVM *secretius, efficaciúsque exoraret*, inquit Lyranus; & *ne lacrymis conturbaretur, neque confunderetur*, inquit Chrysostomus; & quoniam vbi lacrymæ, tale mysterium perfici non debet, nec mors res deploranda est, aut nostri mortui effusè lugendi. Solent magi, vt suas exerceant artes, clam aliis agere. Non vt rem talem ac illicitam ageret Petrus remouit arbitros, vt notat Comestor [c], sed iis quas dixi de causis.

b Math. 9. 25. Cur Petrus hoc miraculũ clàm facere voluerit.

c Hist. Schol. in Act. c. 49.

Ponens genua, orauit.] Dixi capite septimo [d] de genuflexione inter orandum, *quod*, inquit Chrysostomus, *fuit modo in Petro indicium attentæ, & ordinatæ orationis. Sensit Petrus*, ait Cyprianus [e], *impetrari posse quod sic petebatur* (à viduis) *nec defuturum* CHRISTI *auxilium viduis deprecantibus, quando esset in viduis ipse vestitus.* Cùm itaque genibus nixus orasset, & viduarum ac pauperum idoneus aduocatus legatas sibi preces ad Dominum pertulisset, conuersus ad corpus, &c.

d vers. 59.

e lib. de ope. & eleemos. c. 2.

Tabitha, surge.] Cyprianus addit: *In nomine* IESV CHRISTI. Sed, opinor, non vult expressas has voces à Luca, verùm id nomen Petrum seu voce, seu animo interposuisse, quod planè persuadet præmissa eiusdem ad DEVM oratio, ex qua intelligitur, cùm dicit, *surge*, non tam suo, quàm CHRISTI nomine imperare, vt de Ænea cum Ambrosio priùs diximus. Non omnia permittit DEVS eadem facilitate fieri, & qui tot sola curarat Petrus vmbra, nunc tanta facit ad excitandam Tabitham, videlicet, *interdum fides accedentium magis, minúsve cooperatur*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius. Sed antequàm Petrus his verbis vteretur, intellexit profectò se exauditum, vt notant Lyranus, Carthusianus, & Arator. Diriguntur verba non propriè ad totum compositum, quod per mortem dissolutum est, sed ad corpus, ad quod conuersus dicitur Petrus, quasi diceret: Tu corpus exanime denuò animare, ac viue, & surge de mortis sopore, aut de loco, in quo iaces. Atque in hoc etiam Petrus imitatus est CHRISTVM dicentem [f], *Adolescens, tibi dico, surge*: *Talitha* [g], id est, puella, *chumi*, id est, surge: *Lazare* [h], *veni foras.*

Non omnia permittit Deus eadem facilitate fieri.

f Luc. 7. 15.
g Marc. 5. 41.
h Ioan. 11. 43.

Dum nomine proprio vtitur (neque enim legendum est Talitha, vt dictum est) ostendit sibi diuinitùs reuelatum nomen, si fortè alia ratione id ignorabat, quemadmodum etiam dicebamus de Ænea: aut declarat beneuolentiam, vt de nominato Lazaro, dum suscitaretur, voluit Leontius [i]: aut demonstrat, quod item circa Lazarum docuit Ambrosius [k], non alium pro alio excitari ad vitam, sed ipsissimam illam, quæ ibi iacebat mortua, nec fortuitam esse hanc resurrectionem, sed impetratam, ac imperatam. Vnde argumentari fas est, sicut argumentatur ex Lazaro Irenæus [l], quòd non alij pro nobis, sed nos ipsi mortui eodem corpore, eadémque anima resurgemus: aut denique nominis proprij vsurpatio denotat, quòd vbi vis diuina interuenit, sermo dirigitur ad mortuum, quia DEI vocem mortui audiunt [m], & [n], *Ipse vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, vt exponit ibi Chrysostomus, & Athanasius [o]: quomodo etiam Ezechiel [p] ex persona DEI ossa arida iubetur alloqui. Maldonatus exponens verba CHRISTI ad viduæ defunctum vnigenam [q], *Adolescens, tibi dico, surge*, obseruat non æquè Petrum dixisse, Tabitha, tibi dico, quia non sua, sed CHRISTI auctoritate loquebatur.

Cur nomine proprio Petrus sit vsus.

i in Ioan. 11. in Catena Græca.
k orat. de fide resurrect.

l lib. 6. c. 13.

Ad mortuum cur sermonẽ Petrus direxerit.
m Ioan. 5. 25.
n Rom. 4. 17.
o Ser. de Cruce. & pass.
p cap. 37. 4. 5.
q Luc. 7. 15.

Existimat Antonius Nebrissensis [r] illas voces, *Tibi dico*, ab Euangelista interiectas, non à CHRISTO prolatas, & ex Cõmentariis suis artis grammaticæ repetit vocandi casum non poni absolutè, sed semper regi à secunda persona imperatiui explicita, vel subintellecta, idque tum præcipuè, cùm oratio ex recta fit obliqua, vt si dixeris: ô Cęsar, legat Pompeius, subintelligitur, audi, vel attende; si ergo sequatur verbum imperatiui modi non significans attentionem, intelligendum aliud, à quo vocatiuus ille regatur, vt si dixeris: ô Antoni, lege, subaudiendum est, audi, vel percipe. Ad eundem, inquit, modum cùm Euangelista dixit: *Tibi dico*, tantùm valet, quantùm, audi, vel attende. Idem sentit de verbis istis, *Respice in me*, in Psalmo [s], DEVS DEVS *meus, quare me dereliquisti*: quæ cùm non sint in textu Hebræo, Septuaginta, quoniam subintelligenda erant, exprimere voluerint.

Quid Nebrissensis senserit de verbis ... interiectis.
r in Quinquagena. cap. 45.

s Psa. 21. 1.

Nimis hæc argutè, & haud scio an semper verè: atque quod attinet ad locum ex Euangelio, non inueni, qui ambigeret illa verba esse ipsiusmet CHRISTI. Quamuis Hieronymus [t] docet, Marcum [u] in interpretatione verborum, *Talitha chumi, Puella, tibi dico, surge*; duas dictiones, *tibi dico*, emphasis gratiâ addidisse. Nec arbitror etiãsi Petrus dixisset, *Tabitha, tibi dico, surge*, minùs nos intellecturos fuisse non sua, sed CHRISTI hoc imperasse virtute. Nam nec semper CHRISTVS talibus vtebatur verbis, vt in allatis exemplis de puella, & Lazaro suscitatis apparet.

Obseruatio Nebrissensis nimis arguta est.

t de opt. gen. inter.
u cap. 5. 41.

At illa aperuit oculos suos.] Vel nondum illigata sudario facies erat, vel miraculo solutum est, vt anteà monui.

Optimus index vitæ sensus visus, qui moribũdos deficere solet, & mortuis claudi à domesticis, vt de Gentilibus videre est apud Euripidem [x], Plinium [y] (qui tradit, vt cor nascentibus in vtero formatur primum, sed vltimum emoritur, ita ocu-

Sensus visus index vitæ optimus.

x In Alceste, & Hecuba.
y lib. 11. ca. 37.

los

los formari tardissimè, primos emori) Nonium Marcellum [a], Virgilium [b], Ouidium [c], Homerum [d], & de nostris apud Epiphanium [e], pluresque alios, quos post Guichiardum [f] citat Delrius [g]. *Aperiendo etiam oculos mortem somnij instar ostendit*, inquit Chrysostomus.

Resedit.] Et hoc aliud vitæ signum, quòd se commouerit, & quæ iacebat, resederit. Idem de adolescente narrauit Lucas in Euangelio [h], ac insuper locutum esse. Excussum oportuit linteum, si iam eo obuoluta facies erat. Quare ratio moralis quorundam hoc loco non est ad rem, vt modestiæ causa, atque reuerentis pudoris ad viri aspectum, cum quo sola erat, sese subtrahēdo resederit. Reuerentem, modestámque non dubito fuisse: nego quòd resederit, id fuisse in causa.

a verbo. Sugillare.
b 9. Æneid.
c sæpe in epi.
d Iliad. 11. & Odyss. vlt.
e orat. de sepultura CHRISTI.
f 1. Funer. c. 11.
g in Troade Senecæ. n. 372
h cap. 7. 15.

Versus 41.] Dans autem illi manum, erexit eam. Et cùm vocasset Sāctos, & viduas, assignauit eam viuam.

DANS *autem illi manum.*] Nondum satis firmas vires assecutam, Chrysostomus, Oecumeniúsque videntur affirmare: manus autem attactu eam illi firmitatem Petrum contulisse. Fieri id potest, nec semper perfecta simul sanitas, etiam cum miraculo tribuitur, vndecunque id proueniat, siue ex modicitate fidei eius, qui curatur, siue vt hoc modo miraculum illustrius fiat, & qui beneficium accipit, id pluris faciat. Exemplum est in cæco, quem à CHRISTO curatum, sensim Marcus narrat [i].

Cùm quis etiam miraculo sanatur, non statim vires integras recipit.

i cap. 8. 24. 25.

Potuit quoque hic tactus, sicut & CHRISTI, indicare in ipsamet carne, vt CHRISTI, ita & aliorum, quibus communicata potestas est efficiendi miracula, vim quandam instrumenti fuisse: & prætereà significare, ac designare illos ipsos qui tangerent re ipsa conferre gratiam sanitatis, vel vitæ, & Arator causam tropologicam istam affert:

In manu Petri diuina quædam vis inesse potuit.

—quam protinus ipse
Prendit, & erectam turbis gaudentibus offert.
Illa manus meruit Petri contingere dextram,
Pauperibus quæ larga fuit.—

Cum qua ratione & hæc morata simul, ac literalis interuenit, vt signum ederet beneuolentiæ, & beneuolè prehensam assignaret eam familiaribus, & amicis, vt mox sequitur, etiamsi forsan integras cum vita vires recuperasset. CHRISTVS sanauit socrum Simonis tangendo manum ipsius [k]: & puellæ manum tenuit, cùm eam suscitauit [l]: Petrus claudi apprehensa manu dextera alleuauit eum, vt vidimus capite tertio [m], vbi recole quæ diximus.

k Matth. 8. 15.
l Matth. 9. 25.
m vers. 7.

Et cùm vocasset Sanctos, & viduas.] Sanctorum nomen omnium fidelium fuisse pridem docui, haud dubium quin æquè fœminarum, ac virorum. Quid ergo est, quòd nunc Sancti, ac viduæ distinguuntur? An hæ viduæ inter fideles nondum censebantur, sed ex his erant, qui propter miraculum istud credidisse dicuntur? An nominatim de viduis mentio fit, quamuis è numero essent Sanctorum, seu fidelium, quoniam hæ pro vita Tabithæ Petrum precatæ erant? Voluit Petrus aduocari Sanctos, vt miraculo exhilararentur, & confirmarentur suo ipsius aspectu atque sermone.

Cur hic de viduis post Sāctos mentio fiat.

Assignauit eam viuam.] Sicut CHRISTVS adolescentem dedit matri [n]. Sed ibi est verbum, ἔδωκεν, quod significat simpliciter dare: hîc autem παρέστησεν, quod exhibere, ac præbere, & repræsentare significat. De quo verbo egimus in capite

n Luc. 7. 15.

A primo [o]. Chrysostomus ait, commendatam aliis ad consolationem, quòd accepissent sororem, & vidissent miraculum, aliis autem, vt præesset. De Tabitha nil aliud potui reperire: similis autem narratur historia de Drusiana Ephesina, cui Ioánes Apostolus ex Pathmico exilio reuertens vitam reddiderit, cùm hanc ab illo efflagitassent egeni, acceptas ab illa vestes ostentando [p].

o vers. 3.

Quæri posset, molestúmne fuerit piæ fœminæ, iam de sua salute securæ, ad vitam redire: fueritne deinceps dum viueret, certa de eadem salute: solíne ad vitam reuocentur in hac mortali cōditione; qui iam mortui inter iustos & electos cēsebantur: B an post Ascensionem CHRISTI, aliquis aliquando suscitetur ex beatis. Caret dubitatione, non afferre molestiam, vt DEO vocanti mortuus obtemperet, reuiuiscendo. Et videtur certum, qui semel euaserat periculum damnationis, illud denuò non subire. Postremò, nec de numero damnatorum, nec de beatis quemquam suscitari probabilius duco. Quæ me ratio impulit cap. 1. vt Sanctorum suscitata corpora, ad edendum CHRISTO resurgenti testimonium, quoniam fruebantur iam visione DEI, crederem verisimilius esse, non ampliùs deposita, sed cum ascendente CHRISTO sursum elata in cœlum. Alia ratio ante Ascensionem CHRISTI, maximè si C credatur Moses in Transfiguratione CHRISTI rediuiuus apparuisse. Hac autem ratione Tabitham nostram asseremus, vel tantisper iussam expectare, atque differre beatitudinis adeptionem, si nulli obiit pœnæ obnoxia; vel ex Purgatorio reuocatam.

p ex Abdia li. 5. B. Anton. 1. par. Hist. tit. 6. c. 6. §. 1.
An piæ fœminæ molestum fuerit, ad vitam remeare.

Versus 42.] Notum autem factum est per vniuersam Ioppen: & crediderunt multi in Domino.

NOTVM *autem factum est.*] Ob Æneam sanatum, & diu antè propter claudum, videntur plures conuersi: & tamen hoc miraculum longè D quàm illa maius est.

Non debent DEI opera, multò autem minùs omnium maximum, videlicet hominis conuersio, pensari ex rebus externis; sed ex ipsius arbitrio, qui quibus vult mediis vtitur, atque adhibet interdum magis quæ sunt opinione nostra minùs idonea. Quanquàm & in nobis sæpe non reperiuntur eædem dispositiones, ita vt, quod de Tyro ac Sidone dixit CHRISTVS [q], si quæ nobis quandoque auxilia gratiæ proponuntur irrito fructu, aliis offerrentur, vacua in illis non forent.

Dei operatio ex rebus externis, sed ex ipsius arbitrio pensanda sunt.

q Matt. 11. 21.

Ceterùm quod editio nostra habet, *crediderunt in Domino*, Græcè est, ἐπὶ τὸν ΚΥΡΙΟΝ, & in eo-E dem casu reddidit Syrus. Vnde intelligitur, non esse perpetuam illam differentiam Scholasticorum [r] petitam ex Augustino [s], credendi DEO, DEVM, in DEVM, vel in DEO: nec sanè sciri potest, omnes, qui nunc credidisse dicuntur in Domino, siue in Dominum, charitatis etiam affectu tetendisse in ipsum, atque reuerà iustos & illi gratos extitisse. Immò verò cùm agitur de fide hominis erga hominem, iidem illi modi absque delectu viurpantur: &, quod est maius, cùm simul incidit mentio de DEO ipso, & de alio homine, quibus haberi fides dicatur, præsertim iuxta vim lectionis Hebraicæ, vt exemplis demonstrat Ribera noster [t]; & certū est ab Augustino [u] ipso concedi,

r 3. dist. 23. & S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 2.
Credere in Deū vel in Deo, non semper distinguuntur.
s Serm. 61. de verb. Dom. & 181. de Temp. & Tract. 29. in Ioan.
t in c. 1. Ione. nu. 19.
u lib. de fide & oper. c. 14.

quòd

A

...rm.14. in ...tica.

quòd fideles omnes, etiam peccatores, credunt in DEVM: quod concedit quoque Bernardus [a], aliíque. Quis etiam credat, principes illos, qui credidisse dicuntur in CHRISTVM, sed non *ausi sunt confiteri propter Pharisæos* [b], *ne extra Synagogam fierent, cùm diligerent magis gloriam hominum, quam* DEI, charitate præditos fuisse? Præterea singuli fideles, etiam peccatores, non in Ecclesiæ tantùm, sed in propria quoque persona cùm Symbolum recitant, verba illa, *Credo in* DEVM, pronunciando non mentiuntur. Sed accuratiùs hoc tractaui capite quinto [c].

...an. 12. 42. ...ers. 14.

Versus 43.] Factum est autem, vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium.

APVD *Simonem quendam coriarium.*] Glossa interlinearis coriarium interpretatur vel à coriis, vel à curia, quasi curiarium, aut curialem. Idem notat Magister Historiæ Scholasticæ [d], Hugo, & Carthusianus. Sed vox Græca βυρσεὺς, omninò significat coriarium à coriis, vnde & Latinum nomen bursa.

d in Acta Apost. c. 49.

B

Chrysostomus quoque, & Oecumenius obseruant modestiam Petri, quòd nec apud suscitatam Tabitham, nec apud alium locupletem, vel nobilem, sed apud vilem opificem maneat; vt & ipsi discamus eiusmodi hominum genus non spernere, nec potentes euehere, atque hi ipsi discant non extolli, illi non animo deiici.

...r Petrus apud quendam ...nem ...uerſatus.

Præceperat CHRISTVS suis, *vt in quamcunque ciuitatem aut castellum intrassent, interrogarent, quis in ea dignus esset*, vt hospitij beneficium conferret, interprete Hieronymo [e], vel idoneus excipiendo Euangelio, vel bonis moribus, & hospitalis, & *ibi manerent* [f], id est, in semel accepto hospitio, donec exirent, quandiu nimirum essent in ea ciuitate, *non transeuntes de domo in domum* [g], ne leues ac inconstantes viderentur, vt ait Chrysostomus [h], & Beda [i]: vel non contenti iis quæ apponerentur in primo hospitio, meliora quærerent, vt idem Chrysostomus, & Theophylactus, ac Euthymius, & Victor Antiochenus in Marcum [k]: vel priorem hospitem offenderent quasi minùs hospitalem, & dignum, vt iidem: vel hospitia mutantes in locum parum conuenientem inciderent, vt Druthmarus [l]: vel ostenderent se priùs errasse, vt Ambrosius [m]: qui etiam attingit primam, & tertiam causam.

...ristus cur ...tiam non ...tandi præ...t. e in c. Matt.

f Matt. 10. 11. g Luc. 10. 7. h Homil. 33 in Matth. i Matth. 10. k in cap. 6. l in Matt. 10. m Serm. 12.

Verùm Petrus aduocatus venerat, & non tam Euangelij prædicandi causâ, publicæque vtilitatis, quàm ob priuatum quorundam negotium: & collato beneficio non decebat Euangelici prædicatoris puritatem habitare in eius domo, quæ beneficium acceperat. Ex aliis verò elegit domum Simonis coriarij, siue quòd ei familiariter notus erat, siue quòd vnus ex Discipulis tenuioris fortunæ enixiùs fortasse sibi hospitem poposcit, vt ei Petrus æquum duxerit satisfacere. Alioqui rationabili aliqua de causa fas erit de domo in domum transire, vt fecisse Paulum narratur in hac nostra historia, transeuntem de domo Aquilæ in domum Titi [n].

Cur Petrus in domo Tabithæ non manserit.

n Act. 18. 7.

In capite sequenti [o], domus Simonis coriarij fuisse dicitur iuxta mare, vbi hoc etiam tempore Gagneius prodit ostendi peregrinis ex plurima ruina residuam. *Segregata ab vrbibus loca*, ait Oecumenius [p], *sectabantur Apostoli, vtpote solitudinis ac quietis amici.* Talis videtur fuisse & Lydiæ domus, ad quam inuitatus Paulus, imò & coactus diuertit [q].

o vers. 6. *Simonis domus vbi fuerit.* p in cap. seq. q Act. 16. 13. 15.

los formari tardissimè, primos emori) Nonium Marcellum [a], Virgilium [b], Ouidium [c], Homerum [d], & de nostris apud Epiphanium [e], pluresque alios, quos post Guichiardum [f] citat Delrius [g]. *Aperiendo etiam oculos mortem somny instar ostendit*, inquit Chrysostomus.

Resedit.] Et hoc aliud vitæ signum, quòd se commouerit, & quæ iacebat, resederit. Idem de adolescente narrauit Lucas in Euangelio [h], ac insuper locutum esse. Excussum oportuit linteum, si iam eo obuoluta facies erat. Quare ratio moralis quorundam hoc loco non est ad rem, vt modestiæ causa, atque reuerentis pudoris ad viri aspectum, cum quo sola erat, sese subtrahẽdo resederit. Reuerentem, modestámque non dubito fuisse: nego quòd resederit, id fuisse in causa.

a verbo. Sugillare.
b 9. Æneid.
c sæpe in epi.
d Iliad. 11. & Odyss. vlt.
e orat. de sepultura CHRISTI.
f 1. Funer. c. 11.
g in Troade Senecæ. n. 372
h cap. 7. 15.

B

Versus 41.] Dans autem illi manum, erexit eam. Et cùm vocasset Sãctos, & viduas, assignauit eam viuam.

DANS *autem illi manum.*] Nondum satis firmas vires assecutam, Chrysostomus, Oecumeniúsque videntur affirmare: manus autem attactu eam illi firmitatem Petrum contulisse. Fieri id potest, nec semper perfecta simul sanitas, etiam cum miraculo tribuitur, vndecunque id proueniat, siue ex modicitate fidei eius, qui curatur, siue vt hoc modo miraculum illustrius fiat, & qui beneficium accipit, id pluris faciat. Exemplum est in cæco, quem à CHRISTO curatum, sensim Marcus narrat [i].

Cum quis etiam miraculo sanatur, non statim vires integras recipit.

i cap. 8. 24. 25.

Potuit quoque hic tactus, sicut & CHRISTI, indicare in ipsamet carne, vt CHRISTI, ita & aliorum, quibus communicata potestas est efficiendi miracula, vim quandam instrumenti fuisse: & præterea significare, ac designare illos ipsos qui tangerent re ipsa conferre gratiam sanitatis, vel vitæ, & Arator causam tropologicam istam affert:

In manu Petri diuina quædam vis inesse potuit.

—quam protinus ipse
Prendit, & erectam turbis gaudentibus offert.
Illa manus meruit Petri contingere dextram,
Pauperibus quæ larga fuit.—

Cum qua ratione & hæc morata simul, ac literalis interuenit, vt signum ederet beneuolentiæ, & beneuolè prehensam assignaret eam familiaribus, & amicis, vt mox sequitur, etiamsi forsan integras cum vita vires recuperasset. CHRISTVS sanauit socrum Simonis tangendo manum ipsius [k]: & puellæ manum tenuit, cùm eam suscitauit [l]: Petrus claudi apprehensa manu dextera alleuauit eum, vt vidimus capite tertio [m], vbi recole quæ diximus.

k Matth. 8. 15.
l Matth. 9. 25.
m vers. 7.

Et cùm vocasset Sanctos, & viduas.] Sanctorum nomen omnium fidelium fuisse pridem docui, haud dubium quin æquè fœminarum, ac virorum. Quid ergo est, quòd nunc Sancti, ac viduæ distinguuntur? An hæ viduæ inter fideles nondum censebantur, sed ex his erant, qui propter miraculum istud credidisse dicuntur? An nominatim de viduis mentio fit, quamuis è numero essent Sanctorum, seu fidelium, quoniam hæ pro vita Tabithæ Petrum precatæ erant? Voluit Petrus aduocari Sanctos, vt miraculo exhilararentur, & confirmarentur suo ipsius aspectu atque sermone.

Cur hic de viduis post Sanctos mentio fiat.

Assignauit eam viuam.] Sicut CHRISTVS adolescentem dedit matri [n]. Sed ibi est verbum, ἔδωκεν, quod significat simpliciter dare: hîc autem παρέστησεν, quod exhibere, ac præbere, & repræsentare significat. De quo verbo egimus in capite

n Luc. 7. 15.

A

primo [o]. Chrysostomus ait, commendatam aliis ad consolationem, quòd accepissent sororem, & vidissent miraculum, aliis autem, vt præesset. De Tabitha nil aliud potui reperire: similis autem narratur historia de Drusiana Ephesina, cui Ioãnes Apostolus ex Pathmico exilio reuertens vitam reddiderit, cùm hanc ab illo efflagitassent egeni, acceptas ab illa vestes ostentando [p].

o vers. 3.

p ex Abdia l. 5. & Autor. 1. par. Hist. tit. 6. c. 6. § 1. *An piæ fœminæ molestum fuerit, ad vitam reuocari.*

Quæri posset, molestúmne fuerit piæ fœminæ, iam de sua salute securæ, ad vitam redire: fuerítne deinceps dum viueret, certa de eadem salute: solíne ad vitam reuocentur in hac mortali cõditione, qui iam mortui inter iustos & electos cẽsebantur: an post Ascensionem CHRISTI, aliquis aliquando suscitetur ex beatis. Caret dubitatione, non afferre molestiam, vt DEO vocanti mortuus obtemperet, reuiuiscendo. Et videtur certum, qui semel euaserat periculum damnationis, illud denuò non subire. Postremò, nec de numero damnatorum, nec de beatis quemquam suscitari probabilius duco. Quæ me ratio impulit cap. 1. vt Sanctorum suscitata corpora, ad edendum CHRISTO resurgenti testimonium, quoniam fruebantur iam visione DEI, crederem verisimilius esse, non ampliùs deposita, sed cum ascendente CHRISTO sursum elata in cælum. Alia ratio ante Ascensionem CHRISTI, maximè si credatur Moses in Transfiguratione CHRISTI rediuiuus apparuisse. Hac autem ratione Tabitham nostram asseremus, vel tantisper iussam expectare, atque differre beatitudinis adeptionem, si nulli obiit pœnæ obnoxia; vel ex Purgatorio reuocatam.

C

Versus 42.] Notum autem factum est per vniuersam Ioppen: & crediderunt multi in Domino.

NOTVM *autem factum est.*] Ob Æneam sanatum, & diu antè propter claudum, videntur plures conuersi: & tamen hoc miraculum longè quàm illa maius est.

D

Non debent DEI opera, multò autem minùs omnium maximum, videlicet hominis conuersio, pensari ex rebus externis; sed ex ipsius arbitrio, qui quibus vult mediis vtitur, atque adhibet interdum magis quæ sunt opinione nostra minùs idonea. Quanquàm & in nobis sæpe non reperiuntur eædem dispositiones, ita vt, quod de Tyro ac Sidone dixit CHRISTVS [q], si quæ nobis quandoque auxilia gratiæ proponuntur irrito fructu, aliis offerrentur, vacua in illis non forent.

Dei operationes rebus externis, sed ex ipsius arbitrio pensandæ sunt.

q Matt. 11. 21.

Ceterùm quod editio nostra habet, *crediderunt in Domino*, Græcè est, ἐπὶ τὸν ΚΥΡΙΟΝ, & in eodem casu reddidit Syrus. Vnde intelligitur, non esse perpetuam illam differentiam Scholasticorum [r] petitam ex Augustino [s], credendi DEO, DEVM, in DEVM, vel in DEO: nec sanè sciri potest, omnes, qui nunc credidisse dicuntur in Domino, siue in Dominum, charitatis etiam affectu tetendisse in ipsum, atque reuerà iustos & illi gratos extitisse. Immò verò cùm agitur de fide hominis erga hominem, iidem illi modi absque delectu vsurpantur: &, quod est maius, cùm simul incidit mentio de DEO ipso, & de alio homine, quibus haberi fides dicatur, præsertim iuxta vim lectionis Hebraicæ, vt exemplis demonstrat Ribera noster [t]; & certũ est ab Augustino [u] ipso concedi,

E

r 3. dist. 23. & S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 2. *Credere in Deũ vel in Deo, non semper distinguuntur.*
s Serm. 61. de verb. Dom. & 181. de Temp. & Tract. 29. in Ioan.

t in c. 3 Ioel. nu. 29.
u lib. de fide & oper. c. 14.

quòd

m.24.in ica.

quòd fideles omnes, etiam peccatores, credunt in DEVM: quod concedit quoque Bernardus [a], aliíque. Quis etiam credat, principes illos, qui credidisse dicuntur in CHRISTVM, sed non *ausi sunt confiteri propter Pharisæos* [b], *ne extra Synagogam fierent; cùm diligerent magis gloriam hominum, quam* DEI, charitate præditos fuisse? Præterea singuli fideles, etiam peccatores, non in Ecclesiæ tantùm, sed in propria quoque persona cùm Symbolum recitant, verba illa, *Credo in* DEVM, pronunciando non mentiuntur. Sed accuratiùs hoc tractaui capite quinto [c].

n.12.42.

rs.14.

Versus 43.] Factum est autem, vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quendam coriarium.

APVD *Simonem quendam coriarium.*] Glossa interlinearis coriarium interpretatur vel à coriis, vel à curia, quasi curiarium, aut curialem. Idem notat Magister Historiæ Scholasticæ [d], Hugo, & Carthusianus. Sed vox Græca *βυρσεὺς*, omninò significat coriarium à coriis, vnde & Latinum nomen bursa.

n Acta A. 6.49.

Petrus ... quendam ... meruerit.

Chrysostomus quoque, & Oecumenius obseruant modestiam Petri, quòd nec apud suscitatam Tabitham, nec apud alium locupletem, vel nobilem, sed apud vilem opificem maneat; vt & ipsi discamus eiusmodi hominum genus non spernere, nec potentes euehere, atque hi ipsi discant non extolli, illi non animo deiici.

Præceperat CHRISTVS suis, *vt in quamcunque ciuitatem aut castellum intrassent, interrogarent, quis in ea dignus esset*, vt hospitij beneficium conferret, interprete Hieronymo [e], vel idoneus excipiendo Euangelio, vel bonis moribus, & hospitalis, & *ibi manerent* [f], id est, in semel accepto hospitio, donec exirent, quandiu numerum essent in ea ciuitate, *non transeuntes de domo in domum* [g], ne leues ac inconstantes viderentur, vt ait Chrysostomus [h], & Beda [i]: vel non contenti iis quæ apponerentur in primo hospitio, meliora quærerent, vt idem Chrysostomus, & Theophylactus, ac Euthymius, & Victor Antiochenus in Marcum [k]: vel priorem hospitem offenderent quasi minùs hospitalem, & dignum, vt iidem: vel hospitia mutantes in locum parum conuenientem inciderent, vt Druthmarus [l]: vel ostenderent se priùs errasse, vt Ambrosius [m]: qui etiam attingit primam, & tertiam causam.

e c. Matt.

f Matt. 10. 11

g Luc. 10. 7.

h Homil. 33 in Matth.

i Matth. 10.

k in cap. 6.

l in Matt. 10.

m Serm. 32.

Cur Petrus in domo Tabithæ non manserit.

Verum Petrus aduocatus venerat, & non tam Euangelij prædicandi causâ, publicæque vtilitatis, quam ob priuatum quorundam negotium: & collato beneficio non decebat Euangelici prædicatoris puritatem habitare in eius domo, quæ beneficium acceperat. Ex aliis verò elegit domum Simonis coriarij, siue quòd ei familiariter notus erat, siue quòd vnus ex Discipulis tenuioris fortunæ enixiùs fortasse sibi hospitem poposcit, vt ei Petrus æquum duxerit satisfacere. Alioqui rationabili aliqua de causa fas erit de domo in domum transire, vt fecisse Paulum narratur in hac nostra historia, transeuntem de domo Aquilæ in domum Titi [n].

n Act. 18. 7.

o vers. 6.

Simonis domus vbi fuerit.

In capite sequenti [o], domus Simonis coriarij fuisse dicitur iuxta mare, vbi hoc etiam tempore Gagneius prodit ostendi peregrinis ex plurima ruina residuam. *Segregata ab vrbibus loca*, ait Oecumenius [p], *sectabantur Apostoli, vtpote solitudinis ac quietis amici.* Talis videtur fuisse & Lydiæ domus, ad quam inuitatus Paulus, imò & coactus diuertit [q].

p in cap. seq.

q Act. 16. 13. 15.



CAPVT DECIMVM.

SVMMARIVM.

Agitur in hoc capite de Conuersione Centurionis Romani Cornelij, operâ Petri diuinitùs accersiti: & de mystico linteo, quod videt Petrus in mentis excessu.

1 VIr autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica,
2 Religiosus, ac timens DEVM cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans DEVM semper:.
3 Is vidit in visu manifestè, quasi hora diei nona, Angelum DEI introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli.
4 At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu DEI.
5 Et nunc mitte viros in Ioppen, & accerse Simonem quendam, qui cognominatur Petrus:
6 Hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius est domus iuxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere.
7 Et cùm discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocauit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant.
8 Quibus cùm narrasset omnia, misit illos in Ioppen.
9 Postera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora vt oraret circa horam sextam.
10 Et cùm esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus:
11 Et vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram,
12 In quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli.

A 13 Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca.
14 Ait autem Petrus: Absit Domine, quia nunquàm manducaui omne commune, & immundum.
15 Et vox iterum secundò ad eum: Quod DEVS purificauit, tu commune ne dixeris.
16 Hoc autem factum est per ter: & statim receptum est vas in cœlum.
17 Et dum intra se hæsitaret Petrus
B quídnam esset visio, quam vidisset: ecce viri, qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad ianuam.
18 Et cùm vocassent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium.
19 Petro autem cogitante de visione, dixit SPIRITVS ei: Ecce viri tres quærunt te.
20 Surge itaque, descende, & vade cum eis nihil dubitans: quia ego misi illos.
C 21 Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum quem quæritis: quæ causa est, propter quam venistis?
22 Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir iustus, & timens DEVM, & testimonium habens ab vniuersa gente Iudæorum, responsum accepit ab Angelo sancto accersire te in domum suam, & audire
D verba abs te.
23 Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum.
24 Altera autem die introiuit Cæsaream. Cornelius verò expectabat illos, conuocatis cognatis suis, & necessariis amicis.
25 Et factum est cùm introisset Petrus, obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit.
26 Petrus verò eleuauit eum, dicens: Sur-

ge, &

ge,& ego ipſe homo ſum.

27 Et loquens cum illo intrauit, & inuenit multos,qui conuenerant:

28 Dixitque ad illos: Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam: ſed mihi oſtendit DEVS, neminem communem, aut immundum dicere hominem.

29 Propter quod ſine dubitatione veni accerſitus. Interrogo ergo, quam ob cauſam accerſiſtis me?

30 Et Cornelius ait: A nudiuſquarta die vſque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir ſtetit ante me in veſte candida,& ait:

31 Corneli, exaudita eſt oratio tua, & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu DEI.

32 Mitte ergo in Ioppen, & accerſe Simonem,qui cognominatur Petrus: hic hoſpitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare.

33 Confeſtim ergo miſi ad te:& tu bene feciſti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conſpectu tuo adſumus audire omnia quæcũque tibi præcepta ſunt à Domino.

34 Aperiens autem Petrus os ſuum,dixit: In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor DEVS,

35 Sed in omni gente qui timet eum, & operatur iuſtitiam,acceptus eſt illi.

36 Verbum miſit DEVS filiis Iſraël, annuncians pacem per IESVM CHRISTVM: (hic eſt omnium Dominus.)

37 Vos ſcitis quod factum eſt verbum per vniuerſam Iudæam:incipiens enim à Galilæa poſt Baptiſmum, quod prædicauit Ioannes,

38 IESVM à Nazareth: quomodo vnxit eum DEVS SPIRITV ſancto,& virtute,qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam DEVS erat cum illo.

39 Et nos teſtes ſumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum, & Ieruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno.

40 Hunc DEVS ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri

41 Non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à DEO:nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo, poſtquàm reſurrexit à mortuis.

42 Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à DEO iudex viuorum, & mortuorum.

43 Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.

A 44 Adhuc loquente Petro verba hæc,cecidit SPIRITVS ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum.

45 Et obſtupuerunt ex Circumciſione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia SPIRITVS ſancti effuſa eſt.

46 Audiebant enim illos loquentes linguis,& magnificantes DEVM.

47 Tunc reſpondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui SPIRITVM ſanctum acceperunt ſicut & nos?

B 48 Et iuſſit eos baptizari in nomine Domini IESV CHRISTI. Tunc rogauerunt eum, vt maneret apud eos aliquot diebus.

Verſus 1.] Vir autem quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis,quæ dicitur Italica.

C IR *autem quidam erat in Cæſarea*] Hæc eſt Paleſtinæ, in littore maris valdè munita,ac proinde à militibus Romanis cuſtodita. Vocat eam Clemens Romanus [a], & alij, πύργον, id eſt,turrem Stratonis. Satis aptè reſpondet Metropolis vrbs nomine Cæſarea, vbi Gentilis fieri Chriſtianus debuit, Romæ, quæ arx erat Imperij, in qua Petrus locaturus ſedem erat.

a 6. Conſtit. c. 10.

Nomine Cornelius.] Italus fuiſſe videtur, quia Centurio cohortis Italicæ, de qua mox,aut etiam Romanus,quia geſtans nomen Romanum.

Cornelius fuit Italus aut Romanus.

Scitum eſt, Romanos vſos prænomine, nomine,cognomine,vel agnomine, ſeu primi id fecerint, ſeu à finitimis populis acceperint; qua de re

De nominibus quæ
ſuppetunt.

D tota diligenter Sigonius [b], Iulianus Vrſinus [c], cum Antonio Auguſtino [d], Ioannes Glandorpius [e], & Ricardus Streinnius [f], cum Elia Reuſnero Leorino; poſt antiquiores M. Varronem, & Valerium Maximum, & Grammaticos, Solipatrum, Donatum, Diomedem, Priſcianum; & ſiue, vt qui in quaque familia eodem nomine vocabantur, præpoſito alio diſtinguerentur, ſiue vt Sabinis gratificarentur,eorum ſibi nomina adſciſcendo, & ſua viciſſim illis communicando. Prænomen nomini gentilitio præponebatur,vt Publius: (prænomina ad triginta Varro [g] numerat) nomen declarabat originem gentis, vt Cornelius: cognomen poſt nomen gentilitium ſubiiciebatur,vt Scipio:agno-

b lib. de nominibus Romanorum.
c de familiis Romanorũ.
d de eadem re. e in Onomaſtico hiſt. Roman.
f de gentibus & famil. Romanorum.

g de lingua Latina.

E men addebatur extrinſecùs,ob aliquam rationem, vel euentum,vt Africanus:quod tamen (quidquid contendant Grammatici) non agnomen tantum dicitur,ſed etiam cognomen vocat Cicero [h].

h oratio. pro Murena, & in Somnio, & in Catone, & 2. de Offic.

Itaque Cornelius,nomen eſt gentilitium,cuius generis omne nomen tradunt [i] deſinere in ius,eſſeque patronymicum, ſicut etiam exempli cauſa Iulius, Æmilius, Attius, Nautius. Siquidem Iulius, à Iulo Æneæ filio; Æmilius,ab Æmilio Iuli etiam filio; Attius, ab Atti; Nautius, à Naute Troianis nuncupatur.

Cornelius gentile eſt nomen.
i Priſcian. li. 2. & alij.

Priſcianus cùm id, quod modò dixi, de patronymicis tradidiſſet, docet omnes ab illo, qui primus Cornelius appellatus eſt,hoc nomen habuiſſe

Cognomina vnde dicta ſint.

A

quicunque eiuſdem familiæ ſunt, ſicut omnes minores Theſei, Theſidas Græci appellarunt.

Cornelius vnde genus traxerit.
a 22. de ſignis Eccl. c. 1.
Corneliorum familia maximè illuſtris.

Thomas Bozius [a] poſt Fuluium Vrſinum, quem citat, noſtrum iſtum Cornelium exiſtimauit è nobiliſſima Corneliorũ Romana familia fuiſſe. Meliùs dixiſſet, è gente: gens enim ad nomen, familia ad cognomen refertur. Vnde in gente Cornelia (quæ omnium maximè inter Romanas ſparſa eſt, & excelluit dignitatibus, honoribus, imperiis) erant hæ quaſi partes eius, id eſt, familiæ, Ruffinorum, Scipionum, Lentulorum, Dolabellarum, Sullarum, Cinnarum, Cethegorum, Balborum, Merularum, Maluginenſium, Coſſorum, Siſennarum, Blaſionum, Rutulorum, aut Aruinarum, Priſcorum, Tacitorum, Frontonum, Palmarum, Orſitorum, Anullinorum, Mamercorum, Mammularum, Merendarum, Fuſcorum, Seuerorum. Lege Ricardum Streimium, qui in libro de ſtemmatibus gentium, & familiarum Romanarum demonſtrat omnium ampliſſimam, nobiliſſimamque Corneliam eſſe.

B

Virtus in familia illuſtri eniteſcit.

Eniteſcit ſplendidè virtus, pietáſque in perſona illuſtri, vt de Centurione iſto Cornelio, perinde vt de Eunucho, annotarunt Chryſoſtomus, & Oecumenius, tum propter difficultatem, tum vbi hæc ſuperata ſit propter exemplum; tum propter id, quod ex nobilitate, ac potentia eſt ad virtutem exercendam adiumentum; denique propter nobiliorem gratiæ diuinæ in re magis difficili triumphum. Auguſtinus [b] narrans Victorini rhetoris nobiliſſimi conuerſionem, digreditur in huius argumenti tractationem non piè minùs quàm eloquenter: & ego, ſi vellem, plurima huc conferre poſſim ex omni Scriptorum genere, quibus doceam, generis nobilitas, opes & potentia, quàm ſit magnum virtuti, ac pietati adminiculum, híſque illa decorem decúſque non ſecus afferant, ac gemmæ pretioſæ aureus annulus. Lege Tractatum de nobilitate Andreæ Tiraquelli [c], præſertim quæ affert de prærogatiua virtutis, vt ab hac genuina, veráque nobilitas in primis cenſenda ſit: quo de argumento etiam Pogius, & Platina, necnon Gerſon quodam Sermone [d]. Ambroſius [e], Paulinus [f], Sidonius [g], Chryſologus [h], obſeruant Ioannis Baptiſtæ à Luca deſcriptam generis claritudinem, ídque ad cumulum pertinere diuinæ gratiæ.

C

b 8. Confeſſ. cap. 4.
Nobilitas ad virtutem & pietatem magnum adiumentũ affert.
c c. 5. & 22.
d Ser. de Natiuit. B. Virg. conſid. 1.
e in c. 1. Luc.
f epiſt. 10.
g lib. 7. ep. 9. in concione.
h Serm. 85.

D

Aulici ac ſeculares colere virtutem poſſunt.

Illud præterea doceri hoc loco poſſet, aulicos ac militares homines colere virtutem ac pietatem poſſe: quod laudans Cæſarium fratrem, qui in Imperatoris aula verſatus erat, probat Nazianzenus [i], & Baſilius [k] de militibus, cùm de Gordio martyre diſſerit, proferens adhuc exemplum Centurionis noſtri, & aliorum duorum, eius, qui à CHRISTO laudatus eſt [l], & illius, qui CHRISTVM in cruce extinctum pro Filio DEI faſſus eſt [m]: & in genere ſaluari ſeculares poſſe, non ſolos Monachos, confirmat eodem hoc exemplo Cornelij, Auctor Sermonum ad fratres in eremo [n]. Alioqui non falsò cecinit ille [o]:

i orat. in Cæſarium fratrẽ.
k orat. in Gordium mar.
l Matth. 8. 5. & ſeq.
m Matth. 27. 54. & ſeq.
n apud Aug. Serm. 60.
o Lucan. lib. 9.

E

Nulla fides, pietáſque viris, qui caſtra ſequuntur.

Et tamen Martyrum noſtrorũ pars melior conſtat ex militibus, vt omnes hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtantur. Centuriones duo Euangelici Gentiles erant. Maxima Romanorum gloria fuit ex militia. Sic ſubiuganda fuit Gentilitas à CHRISTO, vt eorum eſſent primitiæ milites: & Rex pacificus imperaret *conflari gladios in vomeres, lanceas in falces* [p], *& arcum contereret, confringeret arma, ſcuta combureret igni* [q].

p Eſa. 2. 4.
q Pſal. 45. 10.

A

Gloria vrbis Romæ eſt Cornelius.
r Homil. in Numeros.

Poſtremò Italiæ, ac forſan etiam Romanæ vrbis gloria eſt, quòd Gentium primitiæ, vt eum appellat Origenes [r], Cornelius fuerit: gloria item Gentilitatis, quòd tam inſignem perſonam præmiſerit; quemadmodum & in CHRISTI Natiuitate aduenerunt reges Magi [s], ex Iudæis viles paſtores [t]. Nam quod attinet ad Eunuchum, eum fuiſſe proſelytum, dixi [u] non eſſe improbabile: qui etiamſi Gentilis fuit, clàm ac priuatim ſolùm vocatus eſt.

s Matth. 2. 1.
t Luc. 2. 8. & ſeq.
u cap. 8.

Centurio quis.

Centurio.] A centũ dicitur, ſicut ab ἑκατὸν, ἑκατοντάρχης, eſtque qui centũ peditibus præeſt (tametſi nonnunquàm equitum Centuriæ reperiuntur [x]) qui militum numerus pars erat cohortis, de qua paulò pòſt. Suſpicatur Caietanus fuiſſe primipilum Centurionem, hoc eſt, primæ cohortis ex decem, quibus conſtabat legio, & alias numero militum, & dignitate præcedebat, habens Aquilam præcipuum Romanorum ſignum, licèt aliquo modo diuerſam ab Aquila legionis [y]. Donabatur ille Centurio equeſtribus ornamentis cenſúque [z]. Indicant Martialis [a], & Lipſius [b]. Huius cohortis (quæ primipilum etiam dicebatur, & circa ſigna grauis armaturæ conſtituta erat) Centurio non modò Aquilæ præerat, ſed quadringentos etiam milites & viginti in prima acie gubernabat [c], ac tãquàm princeps ſeu primus, atque primi ordinis ductor, necnon Tribunus militum dictus, totius legionis merita & commoda conſequebatur.

x apud Ciceron. Philip. 7. & Liuium 1. Dec. lib. 1.
y Cæſar 3. de bello ciuili.
z Ouid. 3. de Amore. Iuuen. Saty. 14.
a lib. 4. epigr. 38. vel 39.
b 2. de milit. Rom. & Iuſt. ad Tacitum.
c Veget. li. 2. cap. 4.

C

Centuria plures ſupra centum complectitur.

Scio tamen Centuriam aliquando complexam plures ſupra numerum centenarium, ſaltem apud Græcos, verbi gratia, vigintiocto præterea, & Cẽturionem quoque ei ordini minori præfuiſſe, qui minor Centuria, maiórque decuria ex ſexaginta conſtabat, cui præerat ordinariè vexillarius, etſi vexillum propriè fieret ex centum octoginta tribus [d].

d Gellius lib. 6. ca. 4.

Cohortis.] ἐκ σπείρης, *ex cohorte*, ne quis putaret præfuiſſe toti cohorti. Cohors propriè eſt peditum, ſicut turma equitum, & legionis iuxta veterem militiam decima pars [e], habens quinquaginta manipulos, qui cùm ſinguli conſtarent ex vigintiquinque (ſecundùm alios tantùm vigintiquatuor) continebat cohors mille ducentos quinquaginta, legio millia duodecim, & quingentos.

D

e Cincius apud Gellium libr. 16. cap. 4. & Galba in ep. ad Cic. li. 10. Fami. ia 30. Cæſar li. 4 de bello ciuili. Velleius li. 2.

Legio varia & multiplex fuit apud Romanos.

Quanquàm valdè variæ de numero & legionis & cohortis opiniones fuerunt. Nam exempli cauſa cum Vegetio [f] Hieronymus [g] conflarunt legionem ſex millibus: alij addiderunt ſexcentos ſexagintaſex: Polybius [h] affirmat communem conſtitiſſe peditibus quatuor millibus ducentis, & trecentis equitibus in grauiore bello fuiſſe quinque millia peditum, trecentos equites. Sub Romulo primùm non erant in legione plures tribus millibus peditum, & trecentis equitibus: poſteà peruenit ad ſex millia peditum, & ſexcentos equites, & ſæpe aliàs variatum eſt.

f lib. 2. c. 2.
g in cap. 26. Matth.
h lib. 6.

E

De cohorte ſimiliter ſtatuendũ.

De cohorte ſimiliter ſunt qui ei aſſignarunt mille quingentos pedites: Modeſtus [i] mille duntaxat centum & quinque, necnon Vegetius [k] loquens de prima, aliis dans 555. tantùm, equites centum trigintaduos, & milliariam nominabant: vel, ſi quingentaria, aut quinquagenaria, vel ſexcenaria diceretur, quingẽtos quinquaginta pedites, equites ſexagintaſex, ac mẽtio eſt etiam de ſexcenaria. Item aliquãdo habuit duntaxat quingentos, aliàs plures, pauciorévе: Salluſtius [l] enim ſcribit, cohortes pro numero militum compleri ſolitas.

i lib. de vocabulis rei militaris.
k ſuprà.
l in Catilina.

Cohortium diſtinctio quæ, & quanta.

Sed & varia fuit diſtinctio cohortium, in Conſulares, Prætorias, Vrbanas, Auxiliares, Legiona-

rias, &c.

rias,&c. Prætoria cohors erat electa manus militum, ac familiarium ducis, qui circa eum pugnabant, neque ab eo discedebant, nempe extra legionem, vt docet Frontinus [a]: omnis autem cui pareret exercitus, vt notat Asconius, Prætor nominabatur. Numerus erat maior cohors, trecentos enim in illa, quæ fuit Scipionis Africani, proditum est à Liuio [b] ex voluntariis fuisse, præter quos erant extraordinarij, & peruenerunt aliquando vsque ad duo millia, imò & ad decem, in quibus equites nonnulli, non omnes pedites. Certè plures habere solebat quàm aliæ ordinariæ cohortes.

a lib. 4. c. 1.
b li. 29. initio.

Sed licèt cohortes, aliíve militum ordines sæpe pro arbitrio vel augerentur, vel imminuerentur, vel etiam duplicarentur, nomen idem nihilominùs retinebant. Græci φάλαγγα dicunt pro legione, & σπεῖραν pro cohorte, vt tradit Polybius [c], quamuis vocem *cohors*, à Græca χόρτ☉ est qui deriuet. Hanc Chrysostomus, & Oecumenius Latino vocabulo Græca lingua donato appellatam numerum testantur, sic enim aiunt: Σπεῖρα δέ ἐστιν, ὃ καλοῦμεν νοῦ νέμερον, *Spira est, quod nunc vocamus numerum*. Hesychius & Suidas exponunt esse φάλαγξ στρατιωτῶν, φάλαγξ ἂς νέμερα.

B

c lib. 11.

Probati autem scriptores Latini de militibus vsurpant nomen numeri, cùm non modò sunt delecti, sed in suos iam ordines redacti. Ennius [d] hominum multitudinem spiras appellat, cùm dicit, *spiras legionibus nexunt*. Legi posteà de hac re dissertationem Lælij Bisciolæ [e] nostri percuriosam, citantis Tacitum, Suetonium, Plinium, Capitolinum, Ammianum, Tertullianum, Claudianum. Sed Latinæ vocis apud Græcos vsum profert in Sozomeno [f]: & pro eodem Græcum nomen ἀριθμὸν apud Xenophontem [g].

Nomen numeri de militibus dicitur.
d apud Festũ.
e 8. hora. subseci. c. 18.
f 1. Hist. c. 2.
g 2 Pædia.

Hinc obiter intelligi potest, qua Iudas, aliique Iudæi acti amentia, furoréque fuerint, cùm ad CHRISTVM comprehendendum cohorte conduxerint, in qua quidam arbitrantur fuisse quingentos milites, vt dictum est; alij, quoniam hæc videtur Prætoria, fortasse plures, *quasi Iudas vereretur, ne* CHRISTVS *magicis artibus effugeret, aut seipsum transfiguraret*, inquit Hieronymus [h]: vel, vt ait Cyrillus [i], *cæcatus malitia putauerit posse* CHRISTI *potentiam multitudine superare*.

Iudas & Iudæi qua amentia in ipsum duxit sint.
h in cap. 26. Matthæi.
i lib. 11. in Io. c. 32.

Quæ dicitur Italica.] Ab Italis militibus vnde collecta erat: cohortes enim, ac etiam legiones, denominabantur à prouinciis, ex quibus milites legebantur, vt annotauit Onuphrius [k], etsi aliis quoque ex rebus legioni nomina imponebantur, vt ab ordine delectus prima, quæ primo loco scripta esset; secunda, quæ secundo, & ita deinceps; aut à locis vbi stabant, vt Germanica, Pannonica, Britannica, Amiterna, Thebæa, &c. aut à ducibus, vt Augusta, Claudia; aut ab aliis euentibus, vt Martia, Rapax, Victrix, Ferrea, Fulminifera, &c.

Cohors Italica cur dicta sit.
k lib. de Imperio Rom.

Reperitur cohors Italica prima [l], sed eam Nero post hæc tempora condidit: mentio est item de secunda, & tertia: verùm illas M. Aurelius Antoninus adhuc recentior instituit, Dione teste [m]. Itaque quam idem ait cognominatam Ferratam, & dicebatur quoque ordine sexta, putat Baronius [n] esse, quæ hoc loco exprimitur, quoniam Dio scribit huic legioni ab Augusto ad hyberna Iudæam assignatam, nunquàm autem legitur inde amota vsque ad tempora Neronis, quando in Armeniam euocata est, iterùmque reddita Syriæ, indidem illam Mucianus duxit in Italiam contra Vitellium. De numero, & nominibus legionum vide quæ at-

E

Italicæ cohortes plures.
l de qua Tac. lib. 17. 18. 19.
m lib 55.
n Tom. 1. Annal.

A

tigit citatus Baronius [o], & Auctor Thebæorum martyrum historiæ Italicæ Gulielmus Baldesanus [p], & Ioannes Antonius Valtrinus noster [q], & Iustus Lipsius [r]. Putant nonnulli hanc Italicam cohortem eandem esse cum Augusta, cuius in capite vigesimoseptimo [*] mentio.

o Tom. 1. Annal.
p sub initiũ.
q 1. de Militia Rom. c. 1. & 7.
r 1. de Militia Rom. dial. 4.
* vers. 1.

Versus 2.] Religiosus, ac timens DEVM, cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans DEVM semper.

RELIGIOSVS, *ac timens* DEVM.] Εὐσεβὴς, *pius*. Syrus habet, וזדק הוא *vezaddik haua*, id est, *& iustus erat*. Dixi capite secundo [f] de nomine isto, pro quo erat Græcum εὐλαβεῖς, quod Syrus interpretabatur, *timentem* DEVM, & hoc loco mox adiungitur, quamuis ad verbum hîc habeatur, ודחל הוא מן אלהא *vedachel haua men elaha*, id est, *& timens erat à* DEO. Vnde fieri videtur, vt religio cum timore importent pium DEI cultum, qui dicitur λατρεία, quæ vox à peritis Græcæ linguæ, & à Phauorino [t], denotare dicitur vehementiam atque intensionem timoris.

f vers. 5.

Latria quid importet.
t in Lexico.

Quocirca in lege naturæ, ac etiam in scripta, timoris nomine omnis cultus, & legis vniuersæ obseruatio significatur: ipsaque lex vocata est timor ac terror [u], immò & DEVS quoque [x]. Nam tunc omnia pœnæ timore agebant homines potiùs, quàm DEI amore. Quin & profani Scriptores timidum deorum, & cultorem pro eodem vsurpant, vt ille [y]:

C

Timoris nomine legis vniuersæ obseruatio fuit designata.
u Exod. 20. à vers. 18.
x Gen. 31. 53.

Emathion æqui cultor, timidúsque deorum.

y Ouid. 5. Metamorpho.

Etsi verò lex Euangelica sit lex amoris, ita vt DEVS ipse iam non timor dicatur, *quem foras mittit charitas* [z], sed nomine charitatis [a] tamen timor filialis cum charitate coniunctus est; & B. Thomas [b] honorem ac reuerentiam DEI refert ad donum timoris DEI.

Lex Euangelica lex amoris est.
z 1. Ioan. 4. 18.
a ibid. 8.
b 2. 2. q. 81. a. 2. & q. 19. a. 9.

Hinc, & ex sequentibus laudibus Cornelij colligitur eum reuerà fuisse fidelẽ ac iustum coram DEO, quamuis ei deesset cognitio, quæ requiritur in lege Euangelica, & nondum esset symbolo, ac Sacramento externo Ecclesiam ingressus. Indicat hoc, inter alia, quòd Angelus ei dixerit, *opera eius bona ascendisse in memoriam in conspectu* DEI, & sententia Petri intendentis loqui de ipso, *quod in omni gente qui timet* DEVM *acceptus est illi*. Ita quidem de Cornelio sentit ex Doctorum sententia hoc loco Carthusianus, Magister quoque [c], & S. Thomas [d]. Hæc etiam sibi voluit Gregorius dicens [e], *per bona opera meruisse fidem*, nempe magis explicitam [f]: *& simul per fidem venisse ad bona opera*, hoc est, per implicitam, *cùm sine fide impossibile sit placere* DEO [g]: denique per fidem venisse ad opera, sed per opera esse solidatum in fide. Mutuatus est hic ex Gregorio Beda eandem sententiam.

D

Cornelius fuit iustus & fidelis coram Deo.
c 3. dist. 25. c. 4.
d 2. 2. q. 10. a. 4. ad 1. & 3. p. q. 69. a. 4. ad 2.
e Homil. 9. in Ezech.
f Hom. 19. in Ezech.
g Heb. 11. 6.

Eadem sensu eodem extant sæpe apud Augustinum [h]: nec enim *potuisse inuocare, in quem non crederet* [i]: defuisse tamen ei fidẽ CHRISTI, sine qua non poterat esse saluus, nec templo DEI incorporari, hoc est, Ecclesiæ, vnà cum Baptismo: cùm autem iustificationem tribuit descensui SPIRITVS sancti in Centurionem [k], intelligi potest de perfectione, & augmento eiusdem. Eandem doctrinam mihi tradere videtur Hieronymus [l], & alij, atque ex recentioribus Ruardus Taper [m], Alphonsus à Castro [n], Henricus Enriquez [o], Gregorius de Valentia [p].

h lib. de prædest. Sanctorum. c. 7. lib. 1. de Bapti. cõtra Donatist. ca. 8. li. 4. c. 21. ep. 57. lib. 50. Homil. in 43. q. 84. in Leui.
Christi fides ei defuit, sine qua saluari non poterat.
i Rom. 10. 14.
k q. 84. in Leuit. & q. 31. in Numeros.
l in c. 3. ep. ad Gal.
m art. 7.
n verbo, *Re͡spiscentia*, hæresi 10.
o To. 1. Sum. Theol. Moral lib. 1. ca. 5. nu. 4.
p 2. 2. Dispu. 1. q. 1. puncto 4.

Modus loquendi Oecumenij tractatis præsen-

a Hom. de fide, lege naturæ, & Spiritu sancto.

tem locum, & Chrysostomi in quadam homilia[a], opera Cornelij, ante Baptismum videlicet, aut saltem ante illapsum SPIRITVS sancti, fuisse mortua, non placet, nisi accipiatur de vita animæ eiusmodi, quæ apta esset proximè, ac statim transferre ad vitam æternam, qualis non erat iustitia, quamuis vera eius, quem diuinum præceptum obligabat ad magis explicitam fidem de CHRISTO, si fortè vincibiliter, & culpabiliter illam non haberet, facta iam in Palæstina de illo prædicatione sufficienti: immò propter peccatum non acceptatæ fidei, amitteretur prior iustitia, quod ne contingeret, accitus est Petrus.

Ignorãtia Christi non excusabat Cornelium eo tempore.

Nemo iam saluari potest sine explicita fide in Christum.

b 3.d.25.a.2.q.1.
c 6. in conc. Trid. c.20.
d 2. de nat. & gra. c.11. & 12. & in 4.d.1.q.1.a.3. & d.5.q. vnica.a.2.
e Relec. de Sacramen. in comm. p.1.q.2. conclu.3.
f 2.2.q.2.a.8.
g Rom.8.17.

B Hoc tempore, quo planè sufficiens existit promulgatio Euangelij, improbabilis est, vt docuimus disputatione de Fide, & de Iustificatione, opinio Richardi[b], Andreæ de Vega[c], Dominici Soti[d], aliorúmque, posse aliquè iustificari, & saluari absque cognitione, ac fide explicita de CHRISTO: nec magis probabiliter sentiunt, qui contendunt posse iustificari, sed non saluari, vt Melchior Canus[e], & Dominicus Bannes[f]. Verùm & hac ipsa de re nonnihil superiùs egimus. Profectò qui iustus est, DEI filius est, ac proinde hæres ipsius, & cohæres CHRISTI[g]. Illi minùs probabiliter loquuntur, qui semper necessariam volunt fuisse CHRISTI fidem, sine qua nemo iustificaretur: & si deessent homines, qui eam traderent, missurum DEVM fuisse Angelos. Est hoc proprium legis nouæ, vt C nouus & magis expressus requiratur fidei actus: nec licet ex vno vel altero Cornelij & Eunuchi exemplo generale argumentum colligere. Quanquàm & eo iam tempore venerat CHRISTVS, & promulgari cœperat.

Quomodo se Cornelius ad Christi doctrinã disposuerit.
h Reg. 224. ex Breuio.

Basilius[h] videtur existimare, nondum ante Petri aduentum fuisse Cornelium iustum, attamen nulla in re mala occupatum, sed cupidum perfectionis, bona illa, quæcunque in ipsius posita facultate, & cogitatione erant, verè syncereque exercuisse, atque ita se ad doctrinam Petri disposuisse. Commodè intelligi debet hic Pater, ita vt dispositio ista non imputetur naturæ viribus, aut educationi, sed, vt rectè monet Glossa ordinaria, diuinæ D inspirationi, quo etiam in sensu verum erit, quod ex Doctorum communi placito Lyranus affert, si Paganus conuertat se (adiutus auxilio gratiæ) ad deprecandum primam causam, cuius per seipsum potest habere notitiam aliquam, rogando, vt dirigat eum ad salutem suam, & caueat à peccatis, DEVS reuelabit illi de fide Catholica quantùm necessarium est ad salutem, vel mittet ei doctorem. Denique tritum axioma, *Facienti quod in se est, non denegari gratiam*, sic intelligitur, Respondenti, & acceptanti primam, seu præuenientem & excitantem, dabitur vlterior.

Facienti quod in se est, Deus nõ denegat gratiã.

E Pelagiani, vt liberi arbitrij facultatem aduersùs gratiam extollerent, abutebantur hoc exemplo Centurionis, quasi ante gratiæ perceptionem, timens atque orans DEVM, eleemosynis & ieiuniis, & orationi spontaneo studio fuerit intentus, atque ob hoc diuino testimonio laudatus, donum regenerationis acceperit. Profligat Prosper[i] egregiè hanc obiectionem à me ipsiusmet verbis recitatam. *Neque enim*, inquit, *intelligunt omnem illam præparationem Cornelij per* DEI *gratiam fuisse collatam. Siquidem cùm sanctus Petrus per visionem omne genus animalium de baptizando Cornelio, ac perinde de omnibus gentibus doceretur, atque ille immundum atque indiscretum cibum Iudaica obseruantia recusaret, trina ad eum vox facta sit, dicens:*

i lib. de liber. arb. ad Rufinum.
Cornelij conuersio nihil fauet Pelagianis.

A *Quæ* DEVS *mundauit, tu ne commune dixeris. Quo satis apertè ostenditur, omnia bona opera, quæ in Cornelio præcesserant,* DEI *gratia ad emundationem ipsius præcessisse: vt cui Dominus iam impertierat hoc donum, non dubitaret Apostolus conferre Sacramentum, ne nouæ, & nondum reuelatæ vocationis vacillaret exordium, nisi per ipsa indicia præcedentium studiorum* DEVM *in assumendis constaret operatum.* Sic Prosper. Bernardus[k] eandem rationem facit Cornelij & Pauli, cùm ad hunc Ananias, Petrus ad illum venit; nimirum iam præparatos anteà fuisse à DEO, ac præuentos.

k Serm. 71. in Cant.

Verùm, vt ad Cornelium reuertamur, cùm tot, ac talia bona opera fecisse narretur, quibus auxilia gratiæ necessaria sunt, non video qua ratione quidam ex illa inferant nonnulla bona opera moralia solis naturæ viribus, ac sine gratia fieri posse, quicquid sit de veritate istius propositionis. Neq; etiam est, quòd tam enixè Stapletonus contendat in Antidotis contra hæreticos, non fuisse Cornelium iustum, priusquàm à Petro institutus SPIRITVM sanctum reciperet, ne concedere cogatur, quod illi maximè volunt, iustificatum ex sola fide: non enim id sequi docent tam multa alia, quæ de bonis Cornelij operibus memorantur, nulla etiam fidei facta mentione.

Bona aliqua opera sine naturæ viribus fieri possunt.

In lege naturæ licuit iustum esse coram DEO; & Angeli ipsi, teste Dionysio[l], nonnunquàm erudiebant de necessariis. Videtur Nazianzenus[m] patrem suum adhuc non Christianum professione, iustum ac veri cultorem DEI facere, nec dubitat asserere quosdam reperiri tales, qui nondum Christiano nomine censeatur. Aduentus CHRISTI, lex & Sacramenta ipsius promulgata, fidésque explicita, si quos anteà iustos (non tamen sine CHRISTI meritis, fidéque eiusdem implicita) repererunt, copiosioris gratiæ munere affecerunt: hi autem eam fidem, Sacramenta, legem percipere debuerunt, quando eis innotuerunt: nulli verò nunc aliqua ratione non innotescit saltem fides explicita de CHRISTO, vt iam aliquoties docui. *Veni vocare* CHRISTVS *peccatores, non iustos, ad pœnitentiam*[n], quia peccatorum multitudo maxima: & qui sunt iusti, tales sunt ob præuisa merita CHRISTI, atque illis ex perceptione remediorum, quæ attulit CHRISTVS, augetur gratia, & contra peccandi periculum instructiores redduntur. Hoc sensu posset intelligi quod scribitur[o] *non promissa pœnitentia iustis Abraham, Isaac, & Iacob, his qui* DEO *non peccauerant*: etsi verum est promitti iustis, si labantur in peccatum.

Iusti in lege naturæ aliqui erãt sine explicita in Christum fide.
l de cæl. Hie. c.9.
m orat. in funere patris.
n Matth. 9.13. Luc. 5.32.
o in ora. Manasse.

Ad extremum, quoniam his tantis militis laudibus nihil detrahit militem fuisse, non est militia mala, aut Christianis interdicta, vt hinc argumentatur Tertullianus[p] (quem immeritò nonnulli penitus militiam putant à Christianis arcuisse) simul cum aliis Centurionibus Euangelicis[q], & militibus, quos Ioannes instituit[r]: immò Chrysostomus Cornelij exemplo milites adhortatur, vt in pietate & timore DEI imitentur illum, ac de iusto lucro eleemosynas faciant: & in eos inuehitur, qui militiam prætexendo, negant se pios esse posse, quando miles fuerit Centurio, de quo IESVS ait[s]: *Neque in Israël tantam fidem inueni*, nec ei nocuerit militia sua. Error est sapiens hanc satis seditiosam opinionem, qua infecti sunt, qui audent vniuersum negare belli vsum: quem errorem sectati sunt Manichæi (sed generaliter, non de solis Christianis loquebantur) & Iulianus Apostata, & nostro tempore B. Rhenanus,

p lib. de corona militis c. 11.
q Matth. 8. & 27.
r Luc. 3.14.
Militia per se mala non est.
s Matt. 8.10.
Error est, nullũ bellum licitum esse.

Erasmus,

Erasmus, Cornelius Agrippa, Anabaptistæ, Ioannes Oecolāpadius, vt refert Gabriel Prateolus [a], & Alphonsus à Castro [b], qui & de Ioanne Fero, alioqui Catholico & pio, idem scribit (nisi aspersus est ab Hæreticis hic in eius scriptis error) ac propriè loquendo de bello contra Turcas Martinus Lutherus, & Theodorus Bibliander. Lege præter citatum Alphōsum, etiam Bellarminum [c], & Gregorium de Valentia [d], & Iacobum Pamelium [e], & Ioannem Roffensem [f].

a in Elencho.
b con. Hæref. verbo, Bellum.
c Tom. 1. lib. 3. de laicis, ca. 14. 15. 16.
d Tom. 3. disp. 14. q. 16. puncto 1.
e in Tertul. in lib. de corona mil.
f cont. art. 14.

Cum omni domo sua.] Tanti refert Superioris exemplum, seu dominus sit, seu paterfamilias, seu Magistratus. Legendus omninò centesimus Psalmus, in quo Principis optimi forma describitur, odientis in domo sua *facientes præuaricationes, cor prauum, ac malignum vitantis, persequentis detractorem, non admittentis in conuictum superbum, auarum, seu ambitiosum, iniquum, omnes demum peccatores in matutino,* hoc est, statim, *interficientis, ac castigantis, innocentiam omnibus domesticis proponentis, assessores sibi fideles adoptantis, & ministros ambulantes in via immaculata.*

Quanti referat Superioris exemplum.

Deriuatur vicissim subditorum impietas, ac iniquitas in Superiorem, quemadmodum non caput duntaxat in reliqua membra influit, verùm etiam ipsum aliis ægrotantibus membris caput consentit, & ægritudinem participat. Exemplo sit Achis, qui quòd Satrapis suis non placeret Dauid, illum, cuius exploratam habebat innocētiam, ablegauit à se, nolens iis displicere [g]. *Transire fecit Samaria regem quasi spumam super faciem aquæ,* inquit Oseas [h], hoc est, cùm rex procliui ad idololatriam populo obsequeretur, & hic auidus regi assentiretur, & assentaretur, fecit, inquam, populus, quem aquæ [i] multæ repræsentabant, regem suum perire, illum ipsum ceu spumam in seipso, vt in aqua, consumens, ac perdens, & euanescere faciens.

Subditorum impietas in Principem deriuatur.
g 1. Reg. 29. 6. 7.
h cap. 10. 7.
i Apoc. 17. 15.

Docet Augustinus [k], vnumquemque, patrem etiam familias, esse ministrum CHRISTI, & erga suos Ecclesiasticum, & quodammodò Episcopale implere debere officium, eos admonendo, docendo, hortando, corripiendo, impendendo beneuolentiam, exercendo disciplinam.

k tract. 51. in Ioan. *Quisque paterfamilias Christi minister est.*

Non alio deuinciri summi, imique inter se vinculo queunt, quàm si DEI, qui super omnes est, obedientiæ sese obstringant: nec fidem qui DEO fallit, in fide erga homines constans erit. Constantius Constantini pater, quos deprehendit idola colere, cùm se anteà Christianos profiterentur, veritos ne exigerentur ex domo ipsius, planè statuit exigendos: constantes autem in CHRISTI cultu stipatores suos, & ipsius regni custodes constituit, cùm affirmaret fidem erga Imperatorem inuiolatam non seruaturos, qui perfidi aduersùs DEVM extitissent [l]. Theodoricus Italiæ rex cùm minister ipsi charissimus, & in deliciis habitus, vt adhuc charior esset, ad Arianismum, quem Rex coleret, desciuisset, caput ei resecuit, inquiens: *Si DEO fidem synceram non seruasti, quomodo mihi, qui homo sum, conscientiam sanam præstabis* [m]?

Fidem qui Deo fallit, in fide erga homines constans non est.
l Euseb. 1. de vita Constan. ca. 10. Sozo. 1. Hist. c. 6.
m Niceph. lib. 16. c. 35 Zonaras, Cedrenus & Theod. lector 2. Collec.

Narrat Ephrem [n] affinem historiam de mercenario, qui frustrà impeditus ab hero, secesserat in eremum: sed post paucos annos, eum reuisendi prætextu redierat, & cùm semel iterúmque officiosè exceptus, tandem deposita simulationis persona, liberè exposuisset non posse ampliùs vitæ monasticæ iugum ferre, & recipi posceret, eodémque loco quo priùs haberi, ac sibi oblatam filiam vxorem dari, rebus ipsius consulturo maiore

Monachus, qui uxorem ducebat ... repellitur.
n Tom. 1. tra. de vita spirit. c. 41.

A quàm adhuc diligentia; respondit herus: *Si DEO conscientiam non seruasti, mihi, quod promisisti, quomodo seruare poteris?* Quo dicto, inquit Ephrem, *iuuenis tanquam flagello cæsus, ad cellulam suam se contulit.*

Faciens eleemosynas multas plebi.] Multæ eleemosynæ profectò ex liberalitate proficiscuntur; quòd autem plebi eas faciebat, sine dubio non expectās ab hominibus compensationem, syncerum DEI respectum, amorémque demonstrabat, verè religiosus, ac timens DEVM. Hoc dabat consilium CHRISTVS, vt in tales fieret eleemosyna, qui non possent retribuere: futurum námque, *vt retribuatur in resurrectione Iustorum* [o]. Ab eâdem pietate commendatur alter Centurio, *qui diligens gentem Iudæorum etiam Synagogam ædificauerat* [p], liberalis profectò quoque in egenos. Hieronymus [q]
B Cornelio crebra quoque tribuit ieiunia.

Eleemosyna iis quo retribuere nō possunt danda.
o Luc. 14. 14.
p Luc. 7. 5.
q 2. cō. Iouin.

Et deprecans DEVM semper.] Hoc est, intentus ac sedulò vacans orationi, quando videlicet illi vacuum erat ab aliis necessariis negotiis. Nec enim erat Euchita. Lege cap. 1. [r] Ethnicus erat, nec tamen ex iis quos CHRISTVS reprehendit, *quia orantes multum loquantur, putantes quòd in multiloquio suo exaudiantur* [s], quæ dicitur Græcè βαττολογία, à Batto poëta vso ineptis repetitionibus, quæ deriuatio probabilior est, quàm ab alio cognomine, quòd esset balbus, nempe superuacanea, inanísque studio affectata inter orandum verborum copia, quasi sic meliùs orare videri hominibus possint,
C aut faciliùs multa quàm pauca verba sit DEVS exauditurus. Lege Augustinum [t].

r vers. 14. *Battologia in oratione quæ reprehendatur.*
s Matth. 6. 7.

Ethnici pluribus verbis orabant, inquit Glossa [u], *putantes quòd sic DEVM magis flectere possent, vt solet orator Iudicem, & quoniam Dæmones non aliter assequerentur, quid ipsi peterent, quippe animi arcana per se non intelligentes.* Rectè Lyranus [x] admonet, regulam certam præscribi non posse, cùm vocalis oratio aliquos prolixior magis excitet, nonnullos distrahat.

t ep. 121. c. 10.
u in c. 6. Mat.
x ibidem.

Alia ratio est de oratione publica, quam verbis exprimi oportet iuxta præscriptam verborum formulam: in qua tamen orator, & sacrificator, vt non præceps, nimísque esse breuis debet, ita audi-
D torum vitare debet prolixitate fastidium, vt egregiè præcepit Gulielmus Parisiensis [y], agens nominatim de celebratione Missæ. Apuleius [z] Deæ Syriæ cultores multa scribit solitos phanaticè effutire, quo prætereà modo inuocatum Baal, ac multo clamore, indicatur in Historia Regum [a]. Eôdem alludere videtur amicus Iob dicens [b]: *Nunquid qui multa loquitur, non & audiet?*

Oratio publica nec longior, nec breuior esse debet.
y de Rhet. diuina. cap. 44.
z lib. 8.
a 3. Reg. 18. 27
b cap. 11. 2.

Summa cuiusuis Christiani consistit in quatuor illis virtutibus, quæ extiterunt in Cornelio, Religione, Timore DEI, Eleemosyna, Oratione: sed eos qui præsunt maximè decet illas colere. Nam quia totius gubernationis pietas scopus est, à DEO contendendū præcipuè, vt gubernaculum ipse teneat & dirigat: seruiendum ei in timore à
E gubernatore, si timeri ipse se, DEVMque velit: & coërcendi timore subditi: denique & his benignè faciendum pro tempore: sic enim in Arca cum tabulis legis hinc virgam, hinc manna fuisse constat [c].

Quæ sit summa cuiusque Christiani perfectio.
c 3. Reg. 8. 9.

Versus 3.] Is vidit in visu manifestè, quasi hora diei nona, Angelum DEI introëuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli.

IS *vidit in visu manifestè.*] Apparitio hæc vigili manifestè facta est clara die, tertia post meridiem hora inæquali, vt aliàs exposuimus [a]. Oportuit ergo in assumpto corpore apparuisse Angelum, eo modo qui pridem quoque declaratus est [b].

a c.1.vers.13.
b c.1.vers.10.

Cur Cornelio Christus, sicut Paulo non apparuit.
c cap.9.
d Gal.1.1.

Non apparuit CHRISTVS ipse, sicut Saulo [c], ne putes dignitatis temporalis, aut etiam meritorum hac in re habitam rationem: etsi & alia causa fuit in Saulo, quoniam *non erat docendus ab homine, aut ab alio, quam à* CHRISTO *ipso* [d]. Angelus interuenit, vt Gentium vocatio testatior esset, haberétque aduersùs Iudæos Petrus hanc, qua se tueretur, auctoritatem: *apparuit adeò clarè, non in nocte, non in somnis*, inquit Glossa ordinaria, *quia Gentiles hebetiore sensu spirituales ac mysticas visiones videre non consueuerant*: & sic quoque declarabatur, mysterium diuinum illis sine figura & ænigmate manifestandum esse.

Cur hora nona Angelus apparuerit.
e lib. de Diui. offic. cap. de Sab. san.

Hora diei nona.] *Quoniam in morte illius baptizandus erat, qui spiritum tradidit hora nona*, inquit Beda, & Arator hoc loco, atque Alcuinus [e]: *quia in fine seculi credentes nona hora operarij sunt*, inquit idem Arator, & Glossa ordin. (meliùs id congruit vndecimæ) *eò quòd dedicatur hæc hora orationi, sicut prius Petri, ac Ioannis exemplo est ostensum*, inquit Glossa ordinaria.

Continet præterea nouenarius ter tria, hoc est, confessionem TRINITATIS, *cui confessioni iungendus est denarius beatitudinis, seruantibus simul Decalogum*, inquit Arator. *Postrema hora hæc erat*, ait Chrysostomus, *quando curæ dimittuntur, & vacatur precibus, atque compunctioni.* Plura de mysteriis horæ nonæ in capite tertio [f], & Petrus Bongus [g] de ipso nouenario.

f vers.1.
g lib. de myster. numer.
Cornelius hora nona in oratione cur perstiterit.
h li.2. de Inst. renunci. c.1.
i supra.

Illud ad rem præsentem facit, quod Cassianus [h] obseruat, ea hora Cornelium in precibus solita deuotione perstitisse, & Alcuinus [i] in Sabbato sancto Baptismum celebrari hora nona, quia Angelus Domini ad Cornelium venit eadem hora. Didicerat forsitan ex commercio cum Iudæis Cornelius celebrare statis horis orationes. Refert Clemens Romanus [k] id imitatione quadam factitatum ab Ethnicis: & matutinarum apud eosdem precum ac vespertinarum, quæ salutationes dicebantur seu exercitationes, vel apertio templi, & laudes, frequens in Auctoribus mentio [l].

k in Const.
l Arnob. lib.7. Pruden. in Pe. ristepb. Apul. lib.11. Senec. lib.15 epi. vlt. & alij.
m vers.19.

Angelum DEI.] De nomine Angeli, & quis dicatur DEI, vel Domini, sempérne bonus, an etiã quandoque malus, lege caput quintum [m]. Lyranus & Carthusianus existimat hunc fuisse custodem Angelum. Probabile id est.

Singulis hominibus Angelus custos est assignatus.
n Homil.6. in Matth.
o 1.p.q.113.a.5.
Cur omnes homines custodem Angelum habeant.

Sed illud sine temeritate negari nequit, singulis hominibus, etiam Gentilibus, singulos custodes Angelos assignatos: quod negant tamen illi apud Origenem [n], qui volunt custodiam duntaxat incipere à tempore Baptismi. Hos refutat Thomas [o], quoniam beneficia quidem, quæ dantur homini diuinitus ex eo, quod est Christianus, incipiunt à tempore Baptismi, sed ea, quæ prouidentur homini à DEO, in quantùm habet naturam rationalem, extunc ei exhibentur, ex quo nascendo talem naturam accipit: tale autem beneficium est custodia Angelorum. Videtur hæc antiquissima traditio, quam Gentiles ab Hebræis, vt alias complures, acceperint. Nam quidam ex ipsis narrant vnicuique hominum à natiuitate assistere bonum, malúmque Dæmonem. Id Empedoclem docuisse Plutarchus [p] scribit: & de bono genio multò plures meminerunt ex Philosophis, præsertim Plato [q], & Pythagoras [r], & Iamblicus [s], vt Poëtas omittam. Ex nostris verò qui id asserant, præter Magistrum plures attuli disputatione de ANGELIS, quò te remitto: & redibit hac de re sermo capite duodecimo.

p opuscul. de trãquillitate anim.
q in Phædone, & in Conuge. & Apol. ad Athenien.
r apud Iamblicum in vi. ta.
s de myster. Ægypt. segmento 3. c. 5. & 6.

Corneli.] Dixi aliàs nominis expressionem denotare exprimentis amorem, & scientiam: erat etiam fortassis adeò attentus orationi, vt nec præsentem Angelum aduerteret, nisi inclamatus nominatim.

Versus 4.] At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu DEI.

t cap.7.32.
Cur Cornelius viso Angelo timore correptus sit.
u Luc.1.29.

AT *ille intuens eum, timore correptus.*] Monui etiam quodam loco superiùs [t] ferè semper in Scriptura timorem ex ANGELORVM apparitione natum narrari, etiam cùm facta est B. Virgini [u], siue ob aspectum ipsum solum, siue ob verba, siue ob vtrumque. Prima causa potior est, quia vigebat inter Iudæos opinio non modò qui DEVM, sed etiam qui ANGELVM videret in hac vita, continuò moriturum, vt colligitur ex Exodo [x], & Iudicum historia [y]: & est magis insolens ANGELI aspectus, quàm colloquium, quod cùm simile sit humano, minùs deterret. Id notat Euthymius [z] agens de Zacharia, necnon Theophylactus, Beda, Ambrosius, Origenes. Ambrosius [a] sanè, & Athanasius [b] turbatione MARIÆ, cùm salutata est, ANGELI aspectui potissimùm tribuunt, & fauet Græcus textus in Euangelio Lucæ [c], vbi pro eo quod legimus: *Quæ cùm audisset*, habet, ἡ δὲ ἰδοῦσα: *Hæc autem cùm vidisset*, quamuis mox ibidem addatur, *Turbata est in sermone eius*: & videndi verbum omni sensui sit commune, vt notauit Augustinus [d].

x cap.33.20.
y cap.6.22. & 13.22.
z in c.1. Luc.
a 2. de Virginibus, & in exhortat. ad Virgines.
b q.22. ad Antiochum.
c Luc.1.29.
d Tract.121. in Ioan.
Per terrorem Angelo visi, corpus debilitatur.

Eò nonnunquàm procedit terror, vt corpus ipsum debilitetur, & animus quodammodò tabescat, & sumetipsius humilitate opprimatur, vt Gregorius [e] demonstrat exemplis Abrahæ [f], Iacob [g], Mosis [h], Esaiæ [i], Ieremiæ [k], Danielis [l].

e 4. Moral. c. 10. vel 39. Homil.8. in Ezechiel.
f Gen.18.27.
g infra 32.31.
h Exod.4.10.
i cap.6.5.
k cap.1.6.
l cap.4. & 10.

Quid est, Domine?] Sic habent Biblia emendata: nam & Græcè, τί ἐστι κύριε, *Quid est Domine?* & Syriacè, מנא מרי *mana meri*, id est; *Quid est, Domine mi?* legitur. Multi tamen codices Latini legunt, *Quis es?* quam etiam lectionem sequuntur Glossæ, & alij Latini interpretes: ad hanc verò faciunt dicta in capite præcedente [m].

m vers.5.

Orationes tuæ, &c.] Responsio ista ostendit non fuisse interrogationem de persona: vel si fuit de persona, ANGELVS maluit magis vtilia statim proponere, *vt doceamur & ipsi curiosa, & superflua non perscrutari*, inquit Carthusianus: quemadmodum quærenti Iacob [n] nomen Angeli, & patri Samsonis [o], non est redditum responsum.

n Gen.32.29.
o Iud.13.17. 18.

De Saulo cùm ad illas voces: *Saule, Saule, quid me persequeris* [p]? Respondit, *Quis es, Domine*: alia ratio est: scire enim debuit, quem persequeretur, vt persequi desineret. Continet hæc responsio laudem Cornelij, qua soluitur metu, qui Angelo perspectus erat ex signis etiam extrinsecis.

Cur Saulo non sit manifestatum.
p Act.9.5.
Signum ad discernendos spiritus optimum.

Optimum ad discernendos spiritus documentum est, vt bonus esse intelligatur, si primùm turbata mens timore liberetur, & conquiescat: malus, si metus ac turbatio magis magísque inualescat. Ita præcipit Antonius [q], quem citat, sequitúrque S. Thomas [r], & disputantes de turbato

q apud Athanas. in vita.
r 3.p.q.30.a.3. ad 3.

Ioannis

Digitized by Google

a Luc.1.
b in c.vlt.Ma.
c in li.exercitior. spir. in Reg. de discr. spir.

Ioannis patre, Theophylactus, & Beda [a], atque de mulieribus adeuntibus CHRISTI sepulcrum idem Theophylactus, & Hieronymus [b], & generaliter B.P.N. Ignatius [c].

Ascenderunt in memoriam in conspectu DEI.] Fecerunt, vt DEVS recordaretur tui: vel, recordatus est DEVS earum: & ad similitudinem de nouo recordati eleemosynarum, & orationum tuarum, DEVS disponit de salute tua, mittendo me ad te, vt exponit Caietanus.

Ascendere cogitationes in corda quid sit.
d Luc.vlt.38.
e cap.8.1.4.

Ascendere dicuntur cogitationes in corda [d], cùm quis versat animo multa: & pariter orationes, ac eleemosynæ, & res quæcunque in memoriam alicuius, cùm is recordatur, & peculiariter cùm sunt opera meritoria, quoniam euehunt nos, & per ea trahit nos DEVS ad se. In Apocalypsi [e] dicitur *fumus aromatum ascendere de manu Angeli: quæ sunt orationes Sanctorum: & per ascensiones, quas Iustus disponit in corde suo* [f], Theodoretus [g] intelligit pias cogitationes de DEO.

f Psalm. 83.6.
g ibidem.
Memoria potest esse de bonis & malis.

Memoria indifferenter esse potest de bonis, ac malis, & vt qui meminit, vel malè afficiatur aduersùs aliquem, vel bene, tamẽ absolutè nonnunquàm accipitur in bonam partem, vt cùm Dauid orat [h]: *Memento Domine Dauid:* sicut è contrario, in malam partem obliuisci, & obliuio.

h Psa.131.1.
Meminisse quid sit.
i cap.3.2.
k Luc.1.54.

Meminisse etiam, seu recordari aliquid, est id facere tam apud profanos, quàm sacros Scriptores. Vnde in Cantico Habacuc [i]: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis,* id est, misericordiam præstabis: & in Cantico B. Virginis [k]: *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Sic etiam passim Homerus vsurpare solet *recordari pugnæ,* pro *pugnare; obliuisci,* pro *abstinere à pugna* [l]: *recordari excubiarum,* id est, *excubias facere* [m]: *recordari cœnæ,* id est, *cœnare* [n].

l Iliad.14.
m Iliad.18.
n Iliad.24.
Angelus ipse offerebat preces Cornelij Deo.
o cap.12.12.
p cap.8.3.4.
q de orat. Dñ. c.11.

Fortassè Angelus ipse erat, qui offerebat hæc opera DEO, sicut Tobiæ Raphaël [o], & aliorum Sanctorum alius Angelus in Apocalypsi [p]. *Citò orationes ad* DEVM *ascendunt, quas ad* DEVM *merita nostri operis imponunt,* inquit Cyprianus [q]. Iuuant orationes, vt liberiùs ascendant eleemosynæ, quoniam auferunt onus affectus terrenorum, & opus charitatis DEO gratissimum est, *quia mauult misericordiam, quàm sacrificium* [r].

r Oseæ 6.6. Mat. 9.13.
Oratio ieiunio & eleemosyna comitata esse debet.

Si ieiunij alteram alam iungas, pernicior volatus erit, quia depressior moles carnis: quantumque debilitabitur homo animalis, tantò spiritualis robustior euadet. Sterilis est sermo orationis sine fructu boni operis: oratione DEO anima, corpus ieiunio, bona externa eleemosyna quodammodò consecrantur. *Hæc triplex obseruantia,* ait Leo [s], *omnium virtutum comprehendit effectus, hæc ad imaginem & similitudinem* DEI *peruenit, vt à* SPIRITV *sancto inseparabiles faciat.* Similia & his plura habet Chrysologus [t].

s Ser.1 de ieiunio sept.men.
t Ser.43.
Humilitas attollit orationem.
u cap.35.21.

Humilitas altissimè mittit orationem, ac veluti eiaculatur longè, dum recedit, ac se demittit. *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit,* inquit Ecclesiasticus [u], *& donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Denique directa in DEVM intentio subuehit omnia opera bona.

Tertullianus furit in Catholicos.
x lib. de ieiunio. c.8.

Tertullianus, abreptus (opinor) furore in Catholicos, quos Psychicos nominat, carpítque vt intemperantes [x], de suo addit, *legi* (in hac nimirum historia) *ieiunia exaudita Cornelij.* Quanquàm non dubito, Cornelium cum oratione, & eleemosyna adhibuisse quoque ieiunium.

Versus 5.] Et nunc mitte viros in Ioppen, & accerse Simonem quendam, qui cognominatur Petrus.

Cur ad Petrum ipse missus nõ sit.

ET *nunc mitte viros in Ioppen.*] *Non mittitur ipse ad Petrum, quia tota familia ipsius baptizanda erat,* inquit Glossa ordinaria, & Hugo, *ideóque incommodum erat totam commigrare:* cum etiam suppeteret opportunitas doctoris hominis, noluit DEVS vti opera Angeli, vt sic quoque doctrina securior esset. Docet id optimè Isidorus Pelusiota [y] verbis istis: *Ardens ille verbi amator, Paulus inquam Apostolus, non modò aduersus seipsum, aliósque Apostolos sententiam fert, si quid nouarum rerum in Euangelica prædicatione comminisci audeant, sed etiam aduersus Angelos, non Angelos simpliciter, sed etiam de cœlo. Non quòd ii, qui hoc facinus perpetrare nec vnquàm ausi sunt, nec audebunt, contumeliam facere in animũ induceret, verùm vt pestiferis Dæmonibus viam præcluderet, ne quando arrepta occasione, vt Angeli, prædicationem fidei euerterent. Quid enim inquit? Etiamsi nos* [z], *aut Angelus de cœlo euangelizauerit vobis aliquid præterquàm quod accepistis, anathema sit. Nam alioqui Angeli ex prædicationis securitate tantam voluptatem capiebant, vt is etiam, qui ad Cornelium missus fuerat, magistrum indicaris, non autem sibi ipsi docendi munus permiserit.* Hæc ille. His cõsentaneè colligit Augustinus [a], DEVM velle nos homine vti doctore, sicut & cùm Saulum ad Ananiam, & ad Eunuchum misit Philippum: quas cùm historias exponeremus, plura diximus in eandem sententiam.

y li.3.ep.166. *Paulus cur etiã Angelis contraria fidei docentes anathemata per tulerit.*
z Gal.1.8.
a Prol. in lib. de doct. Chri.

Et accerse Simonem quendam, qui cognominatur Petrus.] De his nominibus dictum est capite primo [b]. Reseruabatur Petro hoc negotium propter primatum: non enim quis auderet Gentes admittere, saltem publicè, vt dictum est, cùm id etiam Petrus nonnisi diuino visu admonitus, & accersitus fecerit. Hieronymus ait [c], *quòd primus Cornelius salutem Gentium dedicauit:* & Chrysostomus, quòd ab hoc factum est initium illarum.

b vers.13.
c ep. ad Saluinam.

Versus 6.] Hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius est domus iuxta mare: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.

HIc *hospitatur apud Simonem.*] Mysticum sensum de hospitis huius nomine, & arte, atque de loco ipso, vbi domus sita erat, habes apud Bedam, cui libenter concedo, omnia plena figuris spiritualibus esse in Scriptura sancta, etiam nomina, & positionem locorum. Ex illo Glossa ordinaria mutuata est. Sed hæc persequi non est otium. Cyrillus [d] quoque coriarium, aliter tamen quàm isti, interpretatus est esse eum, de quo Iob [e], *Pelle, & carnibus vestisti me.* In codicibus quibusdam Græcis legitur, ὃς λαλήσει ῥήματα πρὸς σε, ἐν οἷς σωθήσῃ σὺ, καὶ πᾶς ὁ οἶκός σου, *Qui loquetur verba ad te, in quibus saluaberis tu, & omnis domus tua.* Contrà verò desiderantur in aliis vltima verba, *hic dicet tibi,* &c. tum Latinis, tum Græcis; nec sunt in editione Syra.

d lib.7. in Leuit.
e cap.10.11.

Cuius est domus iuxta mare.] Coriariis opportunum iuxta aquas habitare, sicut & purpurariis [f].

f cap.16.13.

Versus 7.] Et cùm discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocauit duos domesti-

cos

cos suos, & militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant.

Angeli potiùs disparere solent, quàm discedere.

ET *cùm discessisset Angelus.*] Incertum an statim disparendo, an sensim ac visibiliter discedendo. Primum verisimilius, quia vsitatius,& quodammodò ad naturam Angelorum accommodatius,qui etiam repentini, ac improuisi aduentare, seu comparere solent,& corpus assumptum,postquàm eo sunt vsi,resoluere.Indicat Carthusianus, aitque hinc intellectum à Cornelio Angelũ fuisse,qui apparuerat.

Vocauit duos domesticos suos.] Δύο τῶν οἰκετῶν αὐτοῦ. Syr. *Duos ex vernis suis*,seu,vt est in textu Syriaco, מן בני ביתה *min bene bethah*, id est, *ex filiis domus suæ*. Vox Græca οἰκέτας,significat famulos vt plurimùm, siue seruos domesticos, etiam recèns emptos,aut non ita pridem bello captos.

Vernæ qui vocentur.

Qui autem à Latinis vernæ propriè dicuntur, Græci potiùs vocant οἰκογενεῖς,vel οἰκοτρίβας, qui nempe ex seruis domi nascuntur. Immò verò primum illud nomen honestius est,sicut & Latinum famuli, quàm etiam vocabulum Græcum δοῦλος, quasi medium.Hebræi,necnon Syri,& Syrochaldæi homines, ac filios domus vocant etiam famulos,ac vernaculos [a],& Latinus interpres nonnunquàm pro filiis domus,vertit familiam [b], & apud Iob [c] pro domo Chaldæus,*homines domus*.

a Gen.17.26.27.
b vt Eccl.2.7.
c cap.1.10.

Domestici qui dicantur.

Possemus qui domestici hoc loco nominantur, appellare familiares, quæ vox comprehendit modò quoslibet etiam non liberos, vt docet M. Tullius [d];& Vlpianus [e],& Macrobius [f],& Seneca [g].Apud Matthæum [h] : *Quantò magis domesticos eius* τοὺς οἰκιακοὺς,significare potest tum amicos domesticos, tum famulos, quales CHRISTI respectu erant Discipuli: apud Paulum [i] *maximè ad domesticos fidei* οἰκείους,id est,qui suaui ac familiari vinculo iuncti sunt in Fide;& alibi [k], *Domestici* DEI, id est,familiares,amici:denique cùm *domesticorum curam non habentem* reprehendit [l], omnes intelligit pertinentes ad familiam.

d ora.pro Cecinna.
e l. 195. ff. de verbo.signifi.
f lib.1.cap 11.
g lib.6.ep.47.
h cap 10.25.
i Gal.vlt.10.
k Eph.2.19.
l 1.Tim.5.8.

Et militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant.] Dixerat Lucas, quòd Cornelius erat timens DEVM cum omni domo sua: nũc exprimit de milite,qui non erat de domo ipsius. Tres mittuntur, *vt sit idoneus testium numerus*, inquit Glossa interlin. *vt triplex mundi pars denotetur,ex quo Gentiles vocandi erant*,inquit Arator, Beda, Glossa ordinaria : *vt significetur professio* TRINITATIS *in Baptismo*, inquit idem Arator, & Leo IX. [m] Ex his tribus duo domestici, vnus erat miles,quoniam

Tres cur missi sint.

Nulla [n] (aut rara) *fides,pietásque viris,qui castra sequuntur,*

vel iuxta contrarium sensum Bedæ,atque Glossæ, quantò fortiores, tantò pauciores. In Ecclesiæ membris plures sunt,qui audire, quàm qui sciant verbum dicere. Domestici etiam ac miles innuũt, vt iidem dicunt, Ecclesiam conflandam partim per domesticas occupationes, partim per instantiam prædicandi.

m Eph.1.c.17.
n Luca.lib.9.

Versus 8.] Quibus cùm narrasset omnia, misit illos in Ioppen.

QVIBVS *cùm narrasset omnia.*]Syrus, *Quicquid viderat. Vide quàm alienus est à fastu?* inquit Chrysostomus. *Non dixit : Vocate mihi Petrum,sed ita vt persuaderet,narrauit omnia; idque singulari ratione faciebat. Non enim volebat id sola auctoritate præcipere,& accersere. Idcirco nunc narrat. Tam moderatus erat vir : tametsi nihil magnum cogitari poterat de viro, qui apud coriarium diuerterat.* Idem est apud Oecumenium.

Cornelij modestia singularis.

Versus 9.] Postera autem die iter illis facientibus,& appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam.

POSTERA *autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus.*] Magister Historiæ Scholasticæ [o],Glossa ordinaria,& Hugo meminerunt alterius lectionis,vt sit pro *appropinquantibus, apparentibus*,id est, ita vt videri possent è domo Simonis coriarij.Citat Glossa Bedam,sed nil tale reperio apud illum. Distare dicitur Cæsarea ab Ioppe milliaria trigintasex, quod iter ante horam sextam etiam æstate, sine dispositis equis vix confici potest.

o cap. 2. in Hist.Act.

Itaque qui mittebantur à Cornelio,non discesserunt eo ipso die, quo Angelus apparuit:nec sanè commodè tunc licuit,quia hora quasi nona apparuit, postquàm ferè tres tãtùm diei horæ supererant, & aliquo spatio fuit opus ad tam graue negotium tractandum, & mandandum. Fortasse sub vesperam, & noctis parte aliqua aliquid itineris confecerunt;idque & illorum & mittentis pietas suadet,quæ videtur quoque Lyrani mens.

Eodem die, quo visio apparuit, non discesserunt qui missi fuerant.

Ascendit Petrus in superiora.] Ἐπὶ τὸ δῶμα, *supra domum.* Syriacè, לאגרא *leogre*, id est, *in tectum.* Vox Græca nonnunquàm significat simpliciter idem quod οἶκος, *domus*; aliquando quod ὑπερῷον altior domus pars,siue tectum,quod in Palæstina, vt docui, cùm agerem de templi pinaculo, super quod CHRISTVM diabolus statuit [p], planum ac apertum est,vt ibi ambulare, & versari possis, qui ædificij modus hodiè vsurpatur à Genuensibus,& Neapolitanis.

p Matth.4.5.

Auctor Thesauri Græci temerè negat posteriorem istam significationem. Nam Hieronymus [q] eam agnoscit, docétque, quòd δῶμα in Orientalibus prouinciis ipsum dicitur,quod apud Latinos tectum:in Palæstina enim & Ægypto,vel vbi scripti sunt diuini libri,vel interpretati sunt,non habere in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ, vel Solaria,vel Mæniana vocant,id est,plana tecta, quæ transuersis trabibus sustentantur : denique & in Actis Apostolorum Petrum, quando ascendit in doma,in tectum ædificij ascendisse credendum esse. Affert prætereà ex Deuteronomio [r], Esaia [s], Matthæo [t], & Psalmis [u] exempla huius eiusdem significationis. Matthæi locus maximè est ad rem: *Quod in aure auditis,prædicate super tecta.* Idẽ Hieronymus alibi [x] exponit præsentem locum nostrum de tecti solario:Cyprianus [y] vocat *tectum superius*: & Ambrosius [z] *cœnaculum*(quam lectionem agnoscit Glossa ordin.) ac altum locum:Tertullianus [a] superiora : lege Antonium Nebrissensem [b] disputantem de Mænianis, & Brissonium [c]. Vocant etiam tectum hoc habile ad spectandum Latinè proiectum,& podium:vnde Italicè,*poggio*.

q epist. ad Suniã & Fretelam.
Doma superius tectum quid sit.
r cap.22.8.
s cap.22.1.
t cap.10.27.
u Psal.101.8.
x in cap.41. Ezech. & 16. c.5.Dan.& 10. c.22.Isa.
y in oratio. Dom.c.15.
z Serm.1.
a lib. contra Psychicos.ca 10.
b in Quinquagena.ca 27.
c libr. 11.de verb.sign.

Vt oraret.] *Quia omnis Sanctus quando orat,relinquens humilia,vel terrena,in altum mentis extollitur, & in sublime suspensus rapitur, & cogitatione cœlo vicinus efficitur*, inquit Ambrosius [d]. Eandem rationem de loco isto orationis affert Cyrillus Alexandrinus [e], & Hieronymus [f] innuit,necnon Glossæ, quæ prætereà mysticè interpretantur, Gentilem populum esse veluti superiorem domum,Synagogam esse infra, & in mundo immersam : aut

d supra.
e libr. 7. in Leuit.
Cur orantes ad tectum conscenderint.
f supra.

Ecclesiam relicta cupiditate terrenorum, conuersationem habituram in cœlis, aut Petrum ipsum superiora mysteria visurum, quasi obuiam ascendisse visioni.

—Locus instruit altus (inquit Arator)
Despiciénsque solum, Petrum cœlestia semper,
Non terrena sequi.—

Secessus in remotiorem locū orationi quam aptus sit.

Non est dubium, quin iuuet secessus in locum remotiorem ad attentiùs orandum, & meditandum, & liberior etiam cœli prospectus. CHRISTVS orandi gratia recedebat in deserta, & montosa loca [a]: Iudith in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, & oratorium [b]: de Abraham [c], Iacob [d], Mose [e], Elia [f], constat orasse in montibus: Isaac [g] exisse in agrum, vt meditaretur: Elisæum cum filiis Prophetarum casas ædificasse ad fluenta Iordanis [h]: Ezechielem habuisse visiones iuxta flumen Chobar [i], Danielem ad Tigris ripas, & in superiore loco orasse [k]. Idem CHRISTVS præcepit, *vt oraturi intremus in cubiculum* [l], Græcè ταμεῖον. Apostolos vidimus capite primo [m] sacros conuentus in cœnaculo egisse: de aliis fidelibus cum Paulo narratur capite vigesimo [n]: Elisæo item cœnaculum fecit pia, & opulenta mulier [o]: Elias quoque manebat in cœnaculo [p].

a Luc.5.16.c.6.12.
b ca.8.5.c.9.1.
c Gen. 22.2.
d Gen. 32.24.
e Exod.3.1.2.
f 3.Reg.19.9.
g Gen.24.63.
h 4.Reg.6.2. & seq.
i c.1.3.
k c.6.10.c.10.4.5.
l Matth.6.6.
m vers.13.
n vers.8.
o 4.Reg.4.10
p 3.Reg.17.19.

Capellæ in oratoriis quænam essent.

Inde natum opinor, vt in templis, quæ nunc Capellæ dicuntur, extruerentur vocata tunc cubicula, & oratoria ad secretè orandum, vel in lege Domini meditandum, vt loquitur Paulinus [q]. Mentio est de his præthereà in Codice de Romanis Pontificibus, cùm scribit de Symmacho, & in Pœnitentiali, quem citat Baronius [r], notátque inde natos Cubicularios S. Petri à Leone institutos, qui tunc iidem erant cum Capellanis; etsi hoc nomen recentius est. Si omnes, & vbique oraremus, vt Paulus hortatur [s], non adeò forsan necessaria foret oratio publica: quanquàm & hoc nomine per se conuenienter vsurpatur, non modò vt sic ipsi excitemur magis, verùm etiam vt solemniùs honoretur DEVS. Lege caput septimum [t].

q epist.12.
r in Matt. die 11. Iun.
s 1.Tim.2.8.
t vers. 30.

Cur Petrus orauerit.

Orat Petrus, quia Prælatis oratio pernecessaria est: proptereà enim decreuerunt Apostoli Diaconorum electionem, vt his mensarum data cura, ipsi orationi instarent cum ministerio verbi [u]. Cyrillus Alexandrinus [x] ait orasse, *quia mortuus cum* CHRISTO *quæ sursum sunt quærebat* [y].

u cap.6.2.3.4.
x li.7.in Leu.
y Coloss.3.1.

De hora meridiana sexta causa mystica.

Circa horam sextam.] Omissis mysticis huius horæ causis, quas Arator assignat, Beda, & alij, de sexta ætate mundi, in qua salutem ipsius esurierit Petrus, vt CHRISTVS sitiuit petens aquam à Samaritana [z], quemadmodum & die sexta conditus est homo [a], & horam circiter sextam peccauit; DEVS enim ad iam lapsum venit, deambulans ad auram post meridiem [b]: & est maximè periculosum Dæmonium meridianum: contra quod Basilius [c] docet, vt recitetur hora meridionali, siue sexta, nonagesimus Psalmus: & hac hora CHRISTVS crucifixus est [d]: his, inquam, relictis mysteriis, de quibus Ioannes Stephanus Durantus [e], ea vna erat ex solemnioribus orationi deputatis, vt indicat Tertullianus [f], & Cassianus [g], & Cyprianus [h], sub quam horam prandium sumebatur.

z Ioan.4.6.
a Gen.1.27.
b ibid.c.3.8.
c Reg. 37. ex fusis.
d Mat.27.45.
e 3 de Ritib. Eccl.c.9.
f lib.con.Psy. c.10.
g 3.de inst.renunc.c.3.
h de orat.Dō. c.15.

Itaque Petrus quod non potuit publicè, id priuatim voluit: quomodo námque semper orādum præcipiatur [i] exposui alibi [k], & prætereà optimè S. Nilus [l] docet contra Adelphum & Alexandrum, tradētes cum Euchitis semper orare oportere, non operari; eiusmodi præceptum datum, vel vt ignauiam nostram cognosceremus; vel vt acueremus orādi studium; vel vt elationem vitaremus, sciētes eò nos nō pertingere, quò iubemur.

i Luc.18.1.
k c.1.14.
l lib. περὶ ἀκτημοσύνης, apud Turrianum in lib. 7. Const. Clem. c.25.

Petrus cur ante cibū orationem adhibuit.

Existimo quoque cum Lyrano voluisse Petrum orationem præmittere ante comestionem, *dando nobis exemplum*, inquit Carthusianus, *similiter faciendi, vt simus in comestione circumspectiores, ne grauentur corda nostra vel crapula, vel ebrietate* [m]. Laudabilis consuetudo, piáque, CHRISTI exemplo [n], benedicendi ante cibum, & gratias agendi post cibum sumptum Domino, de qua Clemens Romanus [o], Athanasius [p], Chrysostomus [q], Basilius [r], Hieronymus [s], Ephrem [t], Theophylactus [u], Cyrillus Alexandrinus [x], Origenes [y], Tertullianus [z], Nazianzenus [a], Prudentius [b], vt taceam posteriores Auctores. Narrat Gregorius [c], cùm Monialis lactucam auidè momordisset, oblita priùs benedicere, arreptam à Diabolo protinus cecidisse.

m Luc.21.34.
n cùm panes multiplicauit vel Eucharistiā fecit.
o 7.Const.ca. vlt.
p lib.de Virginitate.
q Hom 50.in Matthæum.& 83.& 59.ad popul.
r ep.1.ad Nazianzen.
s ep.22.
t Tom.2.in 1. adhor.
u in c.6.Ioan. & ca.14.Mat.
x ibid.in Ioā. & in c.9.Luc. vt citat S.Thomas in Catena.
y lib.3.in Iob.
z lib.de corona militis.
a ora.1.cont. Iulianum.
b in Cathim. hymno ante cibum.
c lib.1.Dial.c. 4.

Versus 10.] Et cùm esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus.

Petrus cur post orationem esurierit.

ET *cùm esuriret, voluit gustare.*] *Mirandum*, ait Ambrosius [*], *cur sanctum virum post orationem fames sequatur, cùm soleat fames oratione depelli, & esuriens anima nonnisi obsecrationibus saginari. Sed puto Petrum post orationem non cibum esurisse hominum, sed salutem, nec inedia vexatum corporis, sed inedia credentium laborasse. Cùm enim Iudaicus populus perfidus, & ingratus illo prædicante,* CHRISTO *non crederet, famem quodammodo Petrus sui officij sustinebat: famem enim patitur, qui minimè fructum sui laboris assequitur.*

* Ser.10.sen 2. de SS. Pet. & Paulo.

Petrus verè esuriit.

Equidem facilè mihi persuaserim, in oratione Petrum etiam de Iudæorum sollicitum salute cogitasse, ac DEO illam commendasse: nec tamen dubito quin perinde, vt scribitur, propriè esurierit, vt in deserto CHRISTVS [d]: voluit ergo Ambrosius dicere, intensiorem animi famem fuisse, quàm corporis: quo etiam in sensu Beda, Glossa, aliíque debent intelligi, cùm de dicta esurie spirituali explicant.

d Mat.4.2.

Verbum gustandi quid denotet.

Voluit gustare.] γεύσασθαι, id est, parcè, & modestè comedere. *Quod est contra eos*, inquit Carthusianus, *qui instar canis famelici effundunt se super cibum.* Eodem modo vtitur in eâdem significatione Lucas [e], loquens de Paulo, & de iis, qui Pauli in necem coniurauerant [f]. Hi an temperantes fuerint, nescio, certè modus ille loquendi denotat ne attingere quidem cibum voluisse, priusquàm de medio Paulum sustulissent, non autem vt temperantiæ studerent. Scio etiam gustationem, vel gustum Petronio [g], vt arbitratur Turnebus [h], esse primam partem cœnæ, quæ dicebatur quoque anticœna, seu anticœnium, & primus missus, vel primum ferculum, quod Itali vocant *Antipasto*, Galli *entree de table*, Hispani *el ante*, Græci [i] προπόματα: qua de re plura Lipsius [k], & Martinus Roa [l] noster, lectus dudum à me posteaquàm hæc notauissem. Iidem Galli vtuntur verbo, ac nomine *gouster*, pro ea quæ dicitur merenda, aut collatio post prandium. Parciùs tunc editur, sed siue cœnam vsurpes, siue prandium, cum Augustino [m], *quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumas.* Abstineo plura dicere, ne intemperans in dicendo videar, non contentus quod instituti ratio patitur delibasse. Iouiniano Petri exemplum istud afferenti contra ieiunia, quoniam non expectans stellam more Iudaico, hora sexta in solarium pransurus ascendit, Hieronymus respondet [n], fortuitam

e Act.20.11.
f infrà 23.14
g in Trimalci.
h libr.19 Aduersā. cap. 7.
i Athe.libr.4. c.1. & 2.& li. 3.c.14.
k lib.3.Ant.lectio.
l de die natali.c.14.
m 10.Conf.c. 31.
Quemadmodū medicamenta, sic alimenta sumenda sunt.
n 2 cont.Iou.

esuriem

esuriem non facere præiudicium ieiuniorum; sed & posse fieri, vt vel sabbatum esset, vel dies Dominicus, & post bidui, triduique ieiunium hora sexta esurierit: nunquàm verò se crediturum, Apostolum, si ante vnam diem cœnauerat, epulísque distentus fuerat, alterius diei esuriisse meridie: quòd si cœnauit pridie, & sequenti die esuriuit ante prandium, non vsque ad satietatem ait existimare se illum comedisse, qui tam citò potuit esurire.

Petro diuinitùs à cælo prandium paratur.

Parantibus autem illis.] Simonem intelligit coriarium, & familiam ipsius. Syrus: *Cùmque illi pararent, &c. Pransuro Petro desunt cocorum apparatus, desunt obsequia famulorum, sed, quod est melius*, inquit Ambrosius [a], *ministeria diuina non desunt, & vtili commutatione sancto viro quod deest in terris, abūdat in cœlis: vt reficiatur enim Petrus, non cellarium sollicitè reseratur, sed cœlum ipsum protinus aperitur.* Hoc docent quæ sequuntur.

a Serm. 10.

Extasis quatuor species in Scriptura.

b lib. Quis legit. diuina. rerum hæred.

Cecidit super eum mentis excessus.] Ἔκστασις, quod hîc nomen ponitur, seu mentis excessus, auctore Philone [b], quadruplex in Scripturis reperitur. Primus affert delirium ac insaniam, nascitúrque vel ex nimio senio, vel ex atra bili, vel ex alio morbo. Eum comminans DEVS, ponit inter maledictiones in Deuteronomio [c], vbi vocatur Latinè, *furor mentis*. Secundum solet creare magnus aliquis, ac inopinatus, & repentinus pauor: qualem expertus scribitur Isaac allata venatione Esau post Iacob [d], vbi, quod Latinus reddit: *Expauit Isaac stupore vehementi*, Græcè est, Ἐξέστη Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην, similísque phrasis est de Iacob audiente viuere Ioseph [e] in Ægypto, atque dominari: ἐξέστη τῇ διανοίᾳ, pro quibus verbis Latinus, *quasi de graui somno euigilans*. Tertius fit in tranquillitate animi, cùm is feriatus à sensibus, in placida, & dulci contemplatione versatur. Accidit hic primo parenti, cùm ei DEVS immisit soporem [f], ἔκστασιν. Vt enim somnus mentis est vigilia sensuum, ita & vigilia mentis est sensuum vacatio, & otium. Quartus est, quando mens diuino afflatu, & spiritu corripitur, atque impletur, qualis est prophetici generis. Conuenit Abrahæ, qui etiam vocatur Propheta [g], hic excessus: qui enim dicitur *sopor irruisse super eum* [h], Græcè est ἔκστασις. Colligi hæc etiam ferè possunt ex Augustino multis locis [i].

c cap. 28.28.

d Gen. 27.33.

e Gen. 45.26.

f Gen. 2.21.

g Gen. 20.7.

h Gen. 15.12.

i lib. cont. Adiman. c. 8. 1. ad Simpl. q. 1. 12. Gen. ad lit. c. 7. 11. & seq.

Nomen excessus vt accipiatur pro extasi.

k Psa. 115.2.

l cap. 9.31.

Extat nonnunquàm Latina vox *excessus* absque addito, vt cùm Dauid ait [k]: *Ego dixi in excessu meo*, etsi Græcam dictionem ἐκστάσει, ibi quidam interpretentur *fugam*, vel *discessum*, vel *stuporem*, ac *pauorem*, & *perturbationem mentis, ob imminentia pericula persecutionis*: & apud Lucam [l] dicebant (Moses, & Elias in Transfiguratione) *excessum quem completurus erat in Ierusalem*. Vbi cùm Græcè sit ἔξοδος, varia est quorundam expositio de nimio CHRISTI amore in obeunda pro nobis morte. Significat námque ἔξοδος, exitum seu discessum, qui etiam bene Latinè appellatur excessus, sicut & excedere idem est quod discedere.

De excessu Petri.

Petri excessus ex tribus postremis modis aliquid continet; idémque affirmari potest de stupore mentis, quem de se narrat Paulus, & vno nomine vocat ἔκστασιν [m], constat Græcam dictionem ἔκστασις in genere significare dimotionem rei à statu, in quo erat: tum speciatim dici de mentis emotione, siue ob furorem, siue ob alium casum naturalem, siue ob diuinarum rerum contemplationem, vel de graui admiratione, qui aliter vocatur θάμβος, & à Suida [n] θαυμασμός. Quarum si-

m Act. 22.17.

Extasis quid.

n in verbo, Ἔκστασις.

A gnificationum exempla suppetunt in Scriptura, præsertim noui Testamenti. Nonnunquàm item valet idem quod abscessus, vel discessus, vt cùm Plutarchus [o] scripsit: Αἱ τῶν θερμῶν καταψύξεις οὐδεμίας παρουσίᾳ γίνονται ψυχρότητος, ἀλλ' ἐκστάσει θερμότητος, *Calidorum feruor nullius rei accessu, sed caloris recessu refrigescit*. Atque hæc significatio competet loco citati Psalmi, iuxta dictam explicationem.

o epist. in primo frigido.

Extasis quomodo fiat.

p q. de verit. artic. 2. ad vlt. & 2. 2. q. 175. a. 2. ad 1. & in 2. ad Cor. cap. 12. lect. 1.

Diuinus amor extasim facit.

q c. 4. de Diu. nom. part. 2. Vertus (?)

Sed vt ad rem ipsam reuertamur, B. Thomas [p] docet, quòd excessus mentis, extasis & raptus quandoque accidit, duntaxat quantùm ad intentionem, cùm videlicet quis exterioribus sensibus, & rebus vtitur quidem, sed tota eius intentio diuinis inspiciendis, & diligendis vacat: quomodo Dionysius [q] tradit, *quod diuinus amor extasim facit*. Aliter verò & secundùm magis vsitatā significationem, *Fit*, inquit, *dictus excessus mentis extasis, & raptus, cùm aliquis etiam actu ab vsu sensuū, & sensibilium rerum abstrahitur ad aliqua supernaturaliter videnda, idque vel per abstractionem à sensibus externis ad imaginariam visionem, vel ab imaginatione quoque ad intellectualem: & hoc iterum aut per intelligibiles immissiones, aut secundum quod intellectus videt DEVM per essentiam.* De Pauli raptu [r] affirmat vltimum modum: de Petro, vt & de Ioānis reuelationibus, illum, qui est cum abstractione à sensibus externis, sed cum imaginaria visione. In hoc assentior, quicquid sit de Paulo, & patet ex his quæ sequuntur, & ex communi sententia eorum, qui de hac Petri visione disserunt, potissimùm Hieronymi [s], Augustini [t], Gregorij [u].

B

C

r 2. Cor. 12.

Petri extasis qualis.

s Theron.

t 12. Genes. ad litter. 11.

u 28. Moral. c. 2. & 4.

Dæmon quid in hoc genere possit.

Quid in hoc genere Dæmon possit, eruitur facilè ex Disputatione de Angelis, & tractat accuratè Delrius noster [x] confutans Cardanum affirmantem, *cùm libeat, posse quempiam vi naturali rapi*; Bodinum, dum ait *in eiusmodi extasi animam reipsa migrare de corpore*, & nonnullos errores M. Antonij Mocenici.

x lib. 2. Disquisit. mag. ca. q. 23.

Extasis in bonam & malam partem sumitur.

y lib. de anima.

Sumitur extasis in bonam malámque partem, ait enim Tertullianus [y], *quòd hoc operatur de suo proprio, vt sic nobis sapientiæ imagines inferat, quemadmodum & erroris*. Proinde perperàm Ioannes Petrus Oliuerius [z] Auctorem libri de Spiritu, & Anima, qui est apud Augustinum [a], coarguit, quòd Ioannem dixerit Apocalypsim scripsisse in extasi. Lege caput secundum [b]. Ceterùm Ambrosius [c] solitudini Petri quodammodò imputat hanc tantam visionem, ieiunio Tertullianus [d].

D

z lib. de Prophet. cap. de somniis.

a Tom. 3.

b vers. 17.

c ep. 11. ad Sabinum.

d lib. cont. Psychicos. ca. 10.

Omnis gratia cadere quodammodo dicitur.

Cecidit.] Quasi casu. Omnis quidem gratia dici quodammodò potest cadere, & casu contingere, quia præter meritum, tum prima, tum propter istam aliæ, quæ spectant iustitiam nostram, vel augmentum eius; maximè verò quam vocant gratiam gratis datam, quæ minimè pendet à voluntate, ac merito nostro, nobísque bona quædam (si fas sic loqui) fortuna à DEO datur, qui certo eam consilio dat: & quia nulli sufficientem negat, neque casu, neque fortuna propriè cuiquam obuenit, sed ea tantùm ratione, quoniam absque prioribus meritis.

E

Idem verbum iam semel occurrit capite primo [e], cùm ageretur *de sorte super Mathiam cadente*, & inferiùs vsurpatur *de SPIRITV sancto communicato* [f].

e vers. 25.

f vers. 44. & c. 11. 15.

Cadere verbum quid denotet.

Denotat quoque id verbum vehementē impetum rei seu bonæ, vt in allatis exemplis, seu malæ, vt cùm dicitur *cadere timor super aliquem* [g], aut *aliud supplicium* [h]. Eadem ratione Scriptura vsurpat *cadere manum Domini super aliquem*, cùm fit ei reuelatio: quasi hæc omnia sint, vt sunt vere, *de sursum*

g Act. 19.17.

h Act. 13.11.

descenden-

descendentia à PATRE luminum [a]. Notauit hoc Gregorius [b].

E contrario dicitur quoque *ascendere ira* DEI *super aliquem*, eò quòd ira DEI causam habeat in illo, nempe peccata, quæ ascendunt ad DEVM, exigentia, ac veluti elicientia iram ipsius. Item dicuntur *cogitationes illæ ascendere in cor* [c], quæ sunt de rebus inferioribus, & per rationes intimas. Epiphanius [d] autem disputans contra Montanistas, qui mentis emotæ Prophetas asserebant, negat id nominatim de hac Petri extasi; sed probè intellexisse quæ videbat, cùm responderit, abnuendo ciborum communium gustum. Eadem satis accuratè Moses Bar-cepha [e] docet, tum de aliis Prophetis, tum de Petro.

a Iac. 1. 17.
b 2. Moral. ca. 21. vel 10.
Ascendere ira Dei quomodo dicatur.
c Luc. vlt. 38.
d hæresi 48.
e de paradiso. p. 2. c. vlt.

Versus 11.] Et vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram.

ET *vidit cœlum apertum.*] *Imaginariè*, inquit S. Thomas [f]. Lege quæ diximus de cœlis apertis, quos se Stephanus videre affirmabat [g]. *Cœlorum hæc apertio patefactionem designat mysterij*, inquit Beda, & Glossa ordinaria: *quod aliis generationibus, seu seculis non erat agnitum filiis hominum, sicuti nunc reuelatum est Apostolis eius, & Prophetis*, inquit Apostolus [h], *Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in* CHRISTO IESV *per Euangelium*: neque enim antiquis etiam Patribus id ita innotuit, vt eo tempore, quo Apostolus scribebat, hoc est adeò apertè, & plenè, rebus ipsis atque corporaliter, & secundùm speciales quasdam circunstantias, vt multi exponunt, præcipuè Chrysostomus, & Græca Scholia, & Hieronymus, & S. Thomas in citatum locum epistolæ ad Ephesios. Cœlum item aperitur Petro, quia cœli clauiger est [i]. Vnde Arator:

Clauiger æthereus cœlum conspexit apertum
Visu honore suo. ———

Vas quoddam.] Sæpe Augustinus, aliique pro vase discum vsurpant. Sumitur autem vas pro quouis instrumento, ac pro receptaculo, vt docuimus capite præcedente [k], cùm ostendimus Paulum fuisse vas electionis.

Velut linteum magnum.] Ὀθόνην, linteum pannum. Quia hæc visio imaginaria, & symbolica est, mysticè profectò accipienda est. Glossa interlinearis vas intelligit, *corpus* CHRISTI, *quod est vt linteum, quoniam sine semine conceptum candorem castitatis custodit, & quia mortuum: magnum verò, propter* DEITATIS *consortium, & quia resurrexit.* Interpretatur quoque de Ecclesia, cuius rationem dat Beda, & Glossa ordinaria, *incorruptibilem veritatem, ac fidem, non enim tinea linum consumit.* Id prior dixerat Augustinus [l]. Addit præterea Glossa, esse statum Religionis, seu ordinis religiosi. Hugo, Carthusianus, aliique expositores passim exponunt de Ecclesia: qui etiam sensus per se congruit intento huius visionis, quæ est de vocatione Gentium ad Ecclesiam. Ad eundem modum loquitur Ambrosius [m], Hieronymus [n], Augustinus [o], Gregorius [p], & alij.

Gregorius autem linteum, vel sindonem, quam fortis illa mulier [q] *fecit, & vendidit*, explicat subtilem intextionem sanctæ prædicationis, in qua molliter quiescitur, quia mens in illa fidelium spe superna resoluetur. *Vnde*, inquit, *& Petro animalia in linteo demonstrantur: quia peccatorum* *animæ misericorditer aggregatæ in blanda fidei quiete continentur.*

f in 1. ad Cor. 12. lect. 1.
Reuelatio Petro facta est de incorporādis Christo Gentibus.
g c. 7. vers. 55.
h Eph. 3. 5. 6.
i Matt. 16. 19.
k vers. 15.
Quid significet vas linteum Petro ostensum.
l Hom. 45. ex lib. 50 Homil. m li. 2. de Spiritu sancto. c. 11. & Ser. 10. n epist 59. ad August. & in c. 14. Esa. & in c. 18. Ezech. & in c. 3. Thren. & in c. 2. Oseæ.
Linteum hic significat ecclesiam.
o Hom. 41. & li. 50. Hom. & Ser. 26. de Diuersis.
p 10. Moral. c. 7. vel 11. & li. 18. cap. 16. vel 20.
q Prou. 31. 24.

Eòdē spectat quod Cassianus [r] habet de Euangelio, & Ephrem [s] de diuino sermone. Pulchrè Cassianus inquit, *Non ait linteum, sed quasi linteum: linteum quippe mortificationis indicium est. Quoniam igitur mors Dominicæ passionis non humana naturæ lege, sed propriæ voluntatis tribuitur arbitrio, quasi linteum dicitur. Mortuus enim secundum carnem, non est secundùm Spiritum mortuus, quia nec derelicta est anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionem* [t], &c. Ambrosius [u] innuit dici velut linteum, *quia splendidum erat velut linteum.* Sanè in linteo non possunt sustineri tot animalia. Nitorem verò illum ait designare, quòd Ecclesia *non habet maculam, neque rugam* [x]. Glossa ordinaria coniungit candorem sanctitatis, & mortificationem carnis. Placet Cyrillus Alexandrinus [y], dum dicit fuisse animalia in sudario depicta.

r 3. de instit. renun. c. 1.
s Tom. 3. Ser. in S. Basil.
Cur non linteū, sed quasi linteū dicitur.
t Psal. 15. 10 Act. 2. 31.
u Serm. 10.
x Eph. 5. 27.

Quatuor initiis.] Syrus, *angulis*, vt etiam exponit Glossa interlinear. & Lyranus, Augustinus [z] *lineis*. Deest participium δεδεμένον, *vinctum*. Hos angulos eadem Glossa dicit cum Beda, esse vel quatuor mundi partes, quibus extenditur Ecclesia, vel totidem Euangelia, quod vtrumque etiam anteà dixerat Arator, & Origenes de Euangeliis [a]. *Licet enim*, inquit Cassianus [b], *quadriformi Euangelistarum narratione distinctum Euangelium quatuor videatur habere principia, vnum tamen Euangelij corpus est, eiusdem scilicet* CHRISTI *natiuitatem pariter ac Deitatem, miracula quoque, passionémque complectens.* Deducit Augustinus non pertinere ad Ecclesiam, qui non continentur intra vas demissum his quatuor lineis, siue chordis, sed & Ecclesiam extendi per quatuor plagas mundi, non solo contineri angulo Donatistarum, aliorúmve hæreticorum [c].

y lib. 14. de adorat. in Spiritu. & 9. cōtra Iulianum.
Quid sint quatuor initia.
z Serm. 26. de Diuersis.
a Hom. 2. in c. 6. Gen.
b supra.
c in Psal. 101. conc. 2. de vita Eccl. c. 11.

Si per vas sumatur religiosus ordo, erunt quatuor initia, iuxta Glossam, quatuor religionum patroni, Augustinus, Benedictus, Dominicus, Franciscus. Oecumenius pro vniuerso orbe linteum sumit, pro elementis initia quatuor, vas pro crassiore mundo, animalia pro variis statibus hominum. Quanquàm etiam dicit sindonem esse Ecclesiam; bestias, gentes; quatuor initia, Euangelia.

Submitti de cœlo.] Significat hæc submissio, & descensus, auctorem Ecclesiæ DEVM. Idem sibi voluit Ioannes, cùm declarans visionem suam, dixit [d]: *Et ego Ioannes vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cœlo à* DEO. Ambrosius, & Cassianus interpretantur destinatum ac præscriptum à SPIRITV sancto. Cyrillus [e] doceri Petrum cœlitus, quoniam eminentiorem se, & maiorem non habebat in terris.

d Apoc. 21. 2.
e 7. in Leuit.

Versus 12.] In quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli.

IN *quo erant omnia quadrupedia.*] Syrus, *omne genus*, & rectè: non enim ibi ostendebantur singula generum, sed genera singulorum, quemadmodum & in arca Noë [f]. In textu Græco adduntur θηρία, *feræ*, seu *bestiæ*. Caietanus ita distinctè legit, *omnia quadrupedia*: & post distinctionem, *terræq; bestiæ, & serpentia, & reptilia, & volatilia cœli*. Miror à nostro Interprete hic bestias omissas, cùm eas posuerit in capite sequenti [g], vbi textus Græcus habet easdem prorsus dictiones, quas in hoc

f Gen 6. 7. 8.
g vers. 6.

loco, etsi ibidem Syrus quoque non addiderit. Ambrosius * feras ponit, sed non serpentia, siue reptilia, ἑρπετά. Clemens Alexandrinus [a] omittit feras, & Cyrillus Alexandrinus [b], & iste alibi [c], *serpentia*, & Ephrem [d]. Iustinus [e] arbitratur non omnia animalia fuisse, hoc est, etiam munda, in isto vase, sed tantùm immunda; idque colligit ex responso Petri de eo, quod est commune, & immundum.

* 2. de Spiritu sancto. c. 11.
a 2. Pædag. c. 1.
b 7. in Leuiticum.
c libr. 14. de adora. in Spiritu.
d oratio. in S. Basilium.
Munda animalia an immunda sola in illo vase continerentur.
e q. 89 ad Orthodo.
f in c. 18. Ezechiel.
g Homil. 2. in c. 6. Gen.
h suprà, & in c. 14. Esa.

Si comparatio vasis cum arca Noë retinetur, quam Hieronymus [f] assignat, & Origenes [g], erant quoque munda: ait autem ipse significari per hæc omnia genera animalium varietatem credentium. Prior expositio vt communior, ita & textui aptior est: & Hieronymus tantùm vult in Ecclesia esse dictam varietatem, aggregatis nempe Gentilibus ad Iudæos iam credentes. Verum est autem quod idem docet [h], sæpe hominum peruersos mores comparari cum feris, & bestiis, quod æquè tradunt Ambrosius, alisque omnes citati superiùs, & quotquot disserunt de ista visione, & facile est demonstrare pluribus vtriusque Testamenti locis, in quibus similiter probi mores cum nonnullis animalibus conferuntur. Lege etiam Chrysostomum in Genesim [i], Basilium [k], Lactantium [l], Irenæum [m], & alios Patres. Nam nil apud Gentiles vsitatius, idque significare voluerunt per fabulosas metamorphoses, & metempsychoses.

i Hom. 12. & 23. & hom. 10. in Matth.
k Hom. 10. in Hexameron.
l 2. Instit. c. 3. li. 5. c. 5. & 11.
m lib. 5. c. 8.
Paulus ad bestias Ephesi quo ratione pugnauerit.
n 1. Cor. 15, 32.
o de Resurr. carnis. c. 48.
Mysticè hæc animalia quid designent.
p epi. ad Romanos.
q in c. 14. Esa.

Hoc sensu Paulum dicentem *se Ephesi pugnasse ad bestias* [n], intellexit eum interpretans Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, prætereà Tertullianus [o], & scitum est satellites ab Ignatio [p] bestias ac Leopardos vocari.

Lyranus tria vitia in his tribus bestiarum generibus notat, auaritiam, inuidiam, superbiam: & idem habet Glossa interlinearis. Basilius [q] verò per primas vult nos intelligere ingenio tardos: per secundas, venenato ictu desæuientes, id est, inuidos & iracundos: per tertias, leues, atque inconstantes.

Cur de piscibus non fiat mentio.
r Matt. 13. 47.
s Matt. 4. 19.
t cap. 16. 16.
u vers. 11.
x epist. 4.
y Matt. 5. 8.

De piscibus non fit mentio, quia extra aquam mortui sunt; sicut neque in Arcam Noë illati dicuntur, alioqui constat mysticè homines, vt pisces, sagena verbi capiendos [r], & Apostolos esse *piscatores hominum* [s]. Nam quod quidam dicunt Apostolos piscatores dictos, propter Iudæos, venatores autem, propter Gentiles, minùs probo: vtrumque iis à Ieremia [t] nomen vtrorumque respectu tribuitur. Glossa persequendo mysticum huius visionis sensum de Religioso statu, per immunda animalia vult designari illos, qui pœnitentes de contractis immunditiis ad Religionem transeunt de statu seculari. Dum exponerem Psalmum 67. [u] docui, nonnullos illa verba, *animalia tua habitabunt in ea*, intelligere eo ipso modo, quem hîc tradidimus de aggregatis ad Ecclesiam feris, & agrestibus hominibus. Hieronymus [x] verò solarium siue tectum, quò conscendit Petrus, mysticè sumit pro perfectiore monachi statu: esuriem, pro desiderio salutis Iudæorum, quod Gentilium conuersio restinxit: vas, pro Euangelio quadrangulo, quod descendens de cœlo, denotat omnes homines saluari posse: idem vas, cùm specie linteaminis candidissimi in superna transfertur, ait significare credentium turbam de terris ad cœlum rapi, vt pollicitatio Domini compleatur [y]: *Beati mundi corde, quoniam ipsi* DEVM *videbunt*.

Versus 13.] Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca.

ET *facta est vox*.] Eam Angelus formauit, vt ait Carthusianus, repræsentans tamen personam DEI. Sed alibi de vocis tali formatione disserui.

Surge.] Dixi aliquoties verbo isto importari alacritatem in aggrediendo opere. Forsan orabat etiam Petrus nixus genibus, vt ait Chrysostomus; aut sedebat, aut iacebat quoque, quasi deiectus, ac debilitatus ab extasi.

Petre.] Nescio cur hîc, & sæpe tum superiùs, tum inferiùs, pro Petro Simonem interpres Syrus reposuerit, contra fidem textus Græci.

Occide.] θῦσον, Syrus, דבוח *chus*, quod vtrumque verbum propriè sonat mactare, & mactando sacrificare. Vnde εἰδωλόθυτα, *idolis immolata*: & θυσία, atque θυσιαστήριον, *hostia ac altare*, vt monet Beda, dicens potuisse verti, *immola, & manduca*.

Quomodo Gentes à Petro occidendæ sint.
z Hom. 41. & lib. 50. Homil. & conc. 2. in Ps. 94. & conc. 3. in Ps. 103. & lib. de vnit. Eccl. c. 11.
a 13. Moral. c. 15. & li. 14. c. 23.
b Num. 18. 18.
c Serm. 10.

Augustinus [z], Gregorius [a], & alij Patres indifferenter legunt, vel *occide*, vel *macta*, & docent occidendam infidelitatem à Gentilibus, antequàm inserantur, ac veluti comestione quadam conuertantur in corpus Ecclesiæ, aut saltem ignorantiam de CHRISTO, quam Cornelius verbi gratia, alioqui religiosus, ac timens DEVM, habebat. Allusio est ad sacrificium legis veteris, vbi pars mactatæ hostiæ cedebat vsibus sacerdotis [b]. Quocirca rectè Ambrosius ait [c], *quòd in Ecclesia primum* DEO *animal ex Gentibus Centurio Cornelius est immolatus*.

Petri prærogatiua, quod primus Gentes ad Corpus Ecclesiæ adduxerit.
d sign. & Serm. 26 de Diuers. & 12. Gen. ad lit. c. 11. 14. 33.
e ep. 1. c. 17.
f Psa. 79. 14.
g in Thren. cap. 1.

Vbi Petro hanc prærogatiuam tribuit, vt primus Gentiles aggregauerit Ecclesiæ, quod facit etiā Hieronymus, vt anteà dixi, & hoc loco Glossa ordinaria, & interlinearis, fauetque Augustinus [d], dicens *hac in re, vt & in aliis, Ecclesiæ personam à Petro repræsentatam*. Leo IX. [e] idem notauit, vocauitque Cornelium *immanem aprum de sylua* [f], videlicet, prout referebat Gentilitatem. Idem Hieronymus [g], dum docet dentes in Scriptura sacra significare nonnūquàm prædicatores, ait propterea dictum Petro ostensis in figura Gentibus: *Macta, & manduca; id est, vetustatem earum contere, & in corpus Ecclesiæ videlicet, & tua membra conuerte*.

h epist. 89.
Nullus homo secundum naturam pollutus.
i 3. de institu. cœnob. c. 3.

Scribit prætereà [h], ostendere his verbis DEVM voluisse, nullum hominem secundùm naturam esse pollutum, sed æqualiter omnes ad CHRISTI gratiam prouocari. Cassianus quoque [i], *Omnes gentes*, inquit, *quæ quondam extra legis obseruantiam positæ habebantur immundæ, per credulitatem fidei confluentes, vt ab idolorum cultu salubriter immolentur, atque ad salutarem escam proficiant, Petro purificante voce Dominica deferri*.

Prædicatores leonum catuli dicuntur.
k 30. Moral. c. 7. vel 11.

Gregorius [k] catulos leonum appellans prædicatores: *Horum*, inquit, *primo*, nimirum Petro, *esurienti, sed iam valenti, ostensa per linteum Gentilitate, quasi monstrata præda dicitur, Macta, & manduca*.

Cur potissimum Petro dicatur macta & manduca.
Ecclesia leæna cur dicatur.
l Tom. 1. lib. 1. de Rom. Pont. c. 21.
m 18. Moral. c. 20. vel 31.

Profectò aptissimè vni Petro id conuenit, quoniam capitis est manducare, & per manducationem traiicere cibum in stomachum, & illum sibi incorporare, hoc est, infideles conuertere, & efficere membra Ecclesiæ, vt notauit etiam Bellarminus [l]. Idem Gregorius [m] simili de causa Ecclesiam leænam nominat, quia malè viuentes in vitiis ore sanctæ prædicationis interficit. *Vnde*, inquit, *& ipsi primo pastori, quasi huius leænæ ori, dicitur: Macta, & manduca. Quod mactatur quippe, a vita occiditur: id verò quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo, & manduca dicitur, id est, à peccato eos, in quo viuunt, interfice, & à seipsis*

illos in tua membra conuerte. Petrus Damianus[a] mystica expositione confert eleganter comminutum & contritum in pulueres vitulum aureum, quem aquâ conspersum dedit Moses bibendum populo[b], cum præsente Petri visione.

a Serm. 6. de S. Eleucadio.
b Exod. 32.
Petro iniungitur vt pascat & occidat.
c Ioan. 21. 15.

Mirum est, eidem Petro iniungi, *vt pascat*[c], *& occidat, vt pascua prebeat, & manducet.* Sed qui aduersùs CHRISTVM sunt oues humiles, simul contra eiusdem hostes se vt leones gerunt: pascendi sunt, qui contrarias conditiones habent, ac toti belluini, nec cibo aluntur humano, quique esurientes repugnantia propriæ saluti, respuentes escas ouium CHRISTI, occidi debent gladio Petri, immò SPIRITVS, *quod est verbum* DEI[d], vt mortui transferantur ad aliam vitam, & fiant idonea esca DEI: sic enim CHRISTVS cibum suum dixit *facere voluntatem* PATRIS *in conuertendis hominibus*[e], non quòd vires etiam spirituales reficeret isto cibo, vel augeret meritum, sed ob singularem delectationem.

d Eph. vlt. 17.
e Ioan. 4. 34.

Qua ratione in Canticis crebrò Sponsus ait, *se vel comedisse fauum cum melle*, vel *fructus agri, aut horti comedere velle*, &c. In contrario sensu dicitur, *Diaboli cibus electus*[f], quia selectissimos, & sanctissimos quosque inuadit; verbi gratia filios Zebedæi ad ambitionem[g], Petrum ad CHRISTI negationem[h], Thomam ad incredulitatem induxit[i], & CHRISTVM ipsum tentauit[k]. Lege Gregorium[l], & quæ dixi in Euangelium Samaritanæ[m]. Porrò duplicem in Petro, ac proinde in Petri successore, obseruant potestatem, munúsque, de quo antè dixi, præter Gregorium, Origenes[n], Ambrosius[o], Augustinus[p], Bernardus[q].

Diaboli cibus electus.
f Heb. 1. 16.
g Matth. 20. 20. & seq.
h infrà 26. 70. & seq.
i Ioan. 20. 26. 27.
k Matth. 4. 2. & seq.
l 32. Moral. c. 10. & lib. 33. c. 8.
m Ioan. 4.
n Hom. 7. in Leuit.
o Serm. 67. siue 2. de nata. Apost.
p Serm. 26. de Diuers. c. 7.
q 4. de conside.

Versus 14.] Ait autem Petrus: Absit Domine, quia nunquàm manducaui omne commune, & immundum.

ABSIT *Domine.*] Ambrosius[r]: *Quoniã, inquit, vocatus Petrus, respondit, Domine, ideo secundum euidentius meruit oraculum, quia confessus est Dominum.* Probat autem inde, & ex tota serie huius visionis SPIRITVM sanctum esse DEVM.

r li. 2. de Spiritu sancto. c. 11.

Quia nunquam manducaui omne commune, & immundum.] Cyrillus Alexandrinus addit[s]: *Neque intrauit in os meum omnis caro profana*; fortè confundens hanc sententiam cum sententia Ezechielis, de qua paulò pòst.

s lib. 7. in Leuit. & li. 9. in Iulianum.

Cùm CHRISTVS apud Matthæum dicit[t]: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*, & aliquoties ibidem[u] repetit idem verbum, pro eo verbo, est Græcum verbum κοινόω, *communico.* Docet Hieronymus, legens in textu Matthæi *communicat*, quòd hoc verbum propriè Scripturarum est, & publico sermone non teritur. Est autem id verbum Latinum etiam in Euangelio Marci[x], qui Latinè scripsisse creditur. Prætereà Marcus vocat *manus communes*, exponens *non lotas*[y], quæ dicuntur κοιναῖ, τοῦτ᾽ ἔστι, ἀνίπτοις χερσὶ, vbi expositio nominis *communes*, siue Euangelistæ, siue Interpretis, denotat insolentem vocis vsum in ea significatione. In epistola ad Romanos[z] ponitur commune pro immundo. Nec facilè alia loca reperientur. Nam quæ in Prouerbiis[a] vocatur *communis domus*, illa est, quæ ob amplitudinem multos capit. Libro primo historiæ Machabæorum[b] cibi immundi exprimuntur voce τῶν κοινῶν.

Communicare idem est quod coinquinare in Scriptura.
t cap. 15. 11.
u vers. 11. 18. 20.
x cap. 7. 15. 18. 20. 23.
y cap. 7. 2. 5.
z cap. 14. 14.
a cap. 21. 9.
b cap 1. 65.

Augustinus, siue Auctor quæstionum veteris [A] Testamenti[c] notauit duplicem significationem *communis*, pro immundo, & pro indiuiso. Ipsemet verò Augustinus[d] priorem significationem, *communis*, apud Iudæos, & in lege, bene, inquit, nouerunt, qui Ecclesiasticas literas didicerunt. Apud Hebræos quæ non sunt sancta, & munda, tangi communiter possunt ab ipsis, & à Gentilibus, a mundis, & immundis. Hinc videri posset tractus vsus dictorum vocabulorum. Tamen falsum est, quicquid tractari potest, æquè ab omnibus esse immundum. Immò longè plura sunt illius generis non immunda. Vnde Beda putat communem cibum dici, quo vtantur omnes homines, vt suem, ostreas, lepores, &c. [B] immundum, qui nulli sit comestibilis, vt bestiarum, vel reptilium. Caietanus immundi nomen vsurpat secundùm legem; communis, secundùm quandam modestiam loquendi cum Gentilibus (quod etiam innuit Glossa interlinearis) & vtrumque à Petro additum ad exprimendum horrorem. Id quod Hieronymus monuit, ita verum est, vt nec in Latina, nec in lingua Græca talis ea vocum significatio inueniatur, multò minus in Hebræa, quicquid dicat Comestor[e], esse idiotismum eius.

c quæst. 9. *Duplex nominis communis significatio.*
d in Psal. 103. conc. 3.
Cibi communes & immundi quo modo different.
e in Hist. Sch. Actuum. c. 51.

Maximè mundus cibus est EVCHARISTIA: ideóque *cibi nomine absolutè dignus*, vt ait Origenes[f]. Adeò autem is communis est, vt etiam [C] κοινωνία nominetur, vt docui capite secundo[g], *non modo quia nobis communicationem cum* DEO *conciliat, nósque regni ipsius participes, & consortes reddit*, vt scribit Isidorus Pelusiota[h], verùm etiam quoniam similem animorum, corporúmque vnionem conciliat inter nos, & est maximè omnibus expositus. Lege Dionysium[i].

Cibus maximè mundus est Eucharistia.
f Homil. 7. in Leuit.
g vers. 46.
h lib. 1. epist. 228.
i Eccl. Hier. c. 3. p. 1.

Porrò Petrus adhuc legem obseruabat circa abstinentiam ab immundis, quæ vngulam fissam non habent, neque ruminant[k], & quæ repunt per terram super pectus, & pisces non habentes pinnulas, & squamas, & ab omni volucri habente quatuor pedes, atque ex bipedum genere à quibusdam animalibus in particulari. Moderabatur [D] in hac fecusatione Petrum SPIRITVS sanctus, vt ait Chrysostomus, vt eò magis se posteà tueri posset aduersùs eos, qui reprehensuri ipsum erant de admissis Gentilibus: tum præterea ne videretur fuisse inane spectrum, aut eo modo locutum Petro DEVM experiundi solùm causâ, vt cùm imperauit Isaac immolari[l].

Petrus adhuc legem obseruabat.
k Leuit. 11. 4. & sequen. & Deut. 14. 1. & seq. 2. Mach. 6. 18. & seq. c. 7. 1. & seq.
l Gen. 22. 2. & seq.

Ezechiel, cùm iussus est stercus sumere[m], *A, a, a*, inquit, *Domine* DEVS, *ecce anima mea non est polluta, & morticinum, & laceratum a bestiis non comedi ab infantia mea vsque nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda.*

m in cap. 4. 14.

Triplex illius præcepti assignatur causa, valetudo, distinctio ab idololatris, mystica significatio [E] morum: qua de re Aristeas[n]. Assignat præterea Chrysostomus[o] pro ratione, nimiarum amputationem deliciarum: & vulgo creditus Ambrosius[p], vt contunderetur duritia, atque coërceretur peruicacia Iudæorum.

Cur Deus præceperit a quibusdā cibis abstinere in lege veteri.
n lib. de septuag. Interpret.
o in c. 14. ep. ad Rom.
p ibidem.

Putat idem Chrysostomus[q] in Genesim, & Didymus[r] discrimen mundorum ac immundorum animalium fuisse cognitum Noë[s] plus octingentis annis ante legem, vel naturali rationis iudicio, vel DEI reuelatione. Alij, vt Theodoretus, Beda, Abulensis, Mosem de his meminisse scribunt προληπτικῶς in historia Genesis. Probabilis est etiam sententia, quæ placet Pererio[t], tempore Noë non quantùm ad vsum, quoniam indistinctè

q Hom. 20.
r in Catena Genesis. c. 7.
s Gen. 7. 2.
Distinctio ciborum mundorū & immundorum [illegible].
t libro 10. in Gen. Di[illegible]. 2.

a Gen. 9. 4.

carnibus vesci permissum est[a] post diluuiū, dempto sanguine, sed quantùm ad sacrificium prohibitum esse, idque ex maiorum traditione.

Iudæorum in abstinentia ciborum immundorum obseruantia.
b 2. Machab. 6. & 7.
c 2. Machab. 7. 2.

At post legem adeò religiosè ritus hic seruatus est, vt mori fortiter, quàm eum leuiter præuaricari venerabilis Eleazar, & nobilissimi cum matre Machabæi maluerint[b]: ex quibus primus fratrum respondit[c]: *Quid quæris, & quid vis discere à nobis? parati sumus mori magis, quàm patrias* D E I *leges præuaricari.*

Petrus cur à cibis vetitis horruerit.

Petrus itaque nondum sciens mortuam penitus legem, ac vim amisisse obligandi, adhuc eam seruabat, dignus venia, ita vt huiusmodi legis obseruatio ipsi, atque similibus eius non esset mortifera, sicut posteà fuit, ac modò esset lege iam noua latiùs & clariùs propagata, ac declarata. Idcirco Paulus ita nos instituit[d]: *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem* C H R I S T I. & [e], *Omne quod in macello venit manducate, &c.* & [f], *Non est regnum* D E I, *esca, & potus:* & [g], *Omnis creatura* D E I *bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur:* & alibi [h], *Esca nos non commendat* D E O: & [i], *Omnia munda mundis.*

d Colos. 2. 16. 17.
Iam ciborum delectus secundum legem est perniciosus.
e 1. Cor. 10. 25.
f Rom. 14. 17.
g 1. Tim. 4. 4.
h 1. Cor. 8. 8.
i Tit. 1. 15. & Rom. 14. 20.
k Serm. 26. de Diuer. & 45. de ver. Apo.
l vt lib. 30. & 31. con. Faust. lib. de moribus Eccl. Catho. c. 33.

Augustinus[k], qui disputat aliquando contra Manichæos de hoc argumento[l], expendens hæc Pauli testimonia, & ostendens veteres illos ritus cessasse, ac solummodò quantùm ad morum quandam informationem, quam adumbrabant, remāsisse, docet quoque illis verbis, quibus Petro dictum est: *Occide, & manduca*, fortassis significatum esse, vt non iam timeret obseruationes Iudæorum. Idem traditur à Hieronymo[m], & à Clemente Alexandrino[n], & à Cyrillo Alexandrino[o], & ab Origene[p].

m in cap. 3. Oseæ.
n 2. Pædag. c. 1.
Ecclesia potest à quibusdā cibis abstinentiam præcipere.
o lib. 9. in Iulian. & 14. de adorat. in Spiritu.
p 5. con. Celsum.
q vers. 20.
r 1. Cor. 8. 13.

Attamen potest Ecclesia certis diebus certorum abstinentiam ciborum iniungere, vt capite XV[q]. videbimus iniunxisse de suffocatis, & sanguine: & Paulus paratus fuit carne *sibi interdicere in æternum, ne fratrem scandalizaret*[r]: tunc verò, qui eiusmodi cibos sumat, nō inquinant eum cibi, sed inobedientia, vel boni consilij, votíve violatio. Rabbi Moyses, & Salomon, aliíque in Genesim, quos citat Lyranus, docent quæ priùs reputabantur immunda in futuro seculo, id est, M E S S I Æ, habenda pro mundis, perinde ac tempore Noë[s]. Hæresis fuit Marcionis[t], Manichæi[u], & aliorum, aliquos esse cibos naturâ immundos.

s Gen. 9. 4.
t Epiphan. hær. 42.
u idem hær. 66. August. de hæres. in 46. & 30. cont. Faust. c. 5. & 6.

Versus 15.] Et vox iterum secundò ad eum: Quod D E V S purificauit, tu commune ne dixeris.

QVOD D E V S *purificauit.*] Græcè ἃ, *quæ*; tunc verò sequentia verba debebunt esse in numero plurali, *Tu communia ne dixeris*: quod rectè patitur vocabulum Græcum μὴ κοίνου imperatiui modi, hoc est, *ne communicaueris*, aut *inquinaueris*, tua nempe opinione.

x quæ. 89. ad Orthodoxos.

Iustinus[x], vt vidimus superiùs, ex hoc responso inferebat, in linteo ostensa animalia tantùm immunda, quia purificatio immunditiem supponit. Porrò purificati dicuntur omnes, hoc est, ad puritatem vocati, sicut Sancti, qui sanctitatem profitentur, siue ibi sunt, vbi sanctitas est, & non extra, nimirum intra Ecclesiam.

Petrus à voce fuit increpatus, & cur.

Chrysostomus existimat contineri his verbis increpationem, quanquàm non tam propter Petrum, quàm propter alios Iudæos, aut ex Iudæis

A Christianos. Cyrillus Alexandrinus[y] scribit Petro adhuc tristi, & Iudaicè respondenti redditam vocem à D E O corripientem. Ambrosius[z], siue alius apud eum in Commentariis Apocalypsis, comparat cum Mose ire detrectante in Ægyptum[a], renuentem Petrum animalium immundorum vsum, esumque, hoc est, Gentilium conuersionem, atque verba ista, quæ modò dicuntur Petro, illis esse similia, quæ olim dicta sunt Mosi[b]: *Solue calceamentum de pedibus tuis*, id est, Aufer odium, & despectionem Gentium de corde tuo: *Locus enim, in quo stas, terra sancta est*: id est, mundus, in quo habitas, meo sanguine redemptus est.

y lib. 9. in Iulianum.
z in cap. 6.
a Exo. 6. 12.
b Exod. 3. 5.

B Idem in genuino opere Ambrosius[c] declarat sanctificationem ac purificationem istam contigisse per Ecclesiæ sacramentum, hoc est, per Baptismum, cuius typus in diluuio Arca fuerit, in quam sunt introducta animalia, etiam immunda[d]. Sed causa primaria purificationis est sanguis C H R I S T I, vt in proposito docet Irenæus[e].

Sanctificantur omnes ex Baptismo, & Christi sanguine præcedit.
c lib. 7. in c. 10. Lucæ.
d Gen. 7. 2.
e lib. 3. c. 12.

Petrus C H R I S T O sæpiùs reluctatus legitur, loquentem namque de Passione dehortatus est[f]: lauare ei pedes volentem noluit primùm admittere[g]: prædicentem omnium Apostolorum scandalum, ab ea prædictione seipsum excepit[h]: modò iussus occidere, & manducare, imperium detrectat. Collegit Basilius[i] exemplo isto, & similibus, nullo modo nitendum nobis consilio

Petrus sæpius Christo est aduersatus.
f Matt. 16. 22.
g Ioan. 13. 8.
h Matt. 26. 33.
i in Moralib. Regu. 8. c. 1.

C proprio, vt iis fidem derogemus, quæ à Domino dicuntur. Paruit Ezechiel iubenti gustare[k] panem bouino stercore coopertum, id est, coctum, vt Hebraicè dicitur (excitatur enim ignis ex boum fimo seu stercore) cùm abhorruisset ab humano: paruit Esaias, vt nudus incederet[l]: Oseas, vt fornicariam duceret[m]: Abraham, vt filium interficeret[n]: aliisque in rebus Prophetæ alij in speciem vel turpibus, vel absurdis, quæ reuerà tales non sunt, quoties præcipiuntur à D E O.

Parendum Deo iubenti, etiamsi alia videantur præcipiat.
k cap. 4. 15.
l cap. 20. 2.
m cap. 1. 2.
n Gen. 22. 10.

Caueamus supercilium Pharisaicum, præsertim nos, qui curandis animorum morbis destinamur, dicentium, *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius*[o], & exprobrantium C H R I S T O, quòd *cum publicanis & peccatoribus manducaret*[p]. C H R I S T V S vt medicus venit ad ægros[q]: potum quæsiuit à Samaritana[r], & in Samaria: conuiuiales epulas ob Magdalenam non respuit, quam Pharisæus cum stomacho ibi intuebatur[s]. Ergo Hippocrati, vel etiam Æsculapio laudi fuit esse σκατοφάγον, vt loquitur Aristophanes[t], vel, vt Galenus[u], κοπροφάγον, & Aristoteli, Chrysostomo teste[x], esse σπερματοφάγον ἀνθρωπίνου σπέρματος; & Medici medicaminibus sordidissimis vtuntur, vt videre est ex his quæ tradunt Dioscorides[y], Galenus[z], Plinius[a], Auicenna[b], atque B. Hieronymus[c], aliique Medici &

Non sunt contemnendi improbi & peccatores.
o Esa. 52. 11.
p Matt. 9. 11.
q ibidem.
r Ioan. 4. 7.

D

s Luc. 7. 37. & seq.
t in Pluto.
u lib. 10. simplicium.
x orat. in Babylam martyrem.
Medici sordidis medicaminibus vtuntur.
y lib. 2. c. 90. & 91.
z lib. 10. simplici. medicamento. c. 1. 8. 9. 10. 12. 13.

E Physiologi: & horrori habebit curator animorum tractare peccata, vt conuenientem iis afferat medicinam?

Adest D E V S obumbrante gratia, ne Patris spiritualis animo adhærescant sordes ac turpitudines, quas eluit, & expiat. Probauit id in seipso Thomas Cantipetrensis, vt ipsemet narrat in vita sanctæ Lutgardis[d]. Nam stimulos carnis, quos audiens confessiones molestissimos prius experiebatur, precibus illius Sanctæ nullos penitus se expertum testatur per annos sexdecim, tametsi extra auditionem confessionum molesti esse non desinerent. *Petrum imitantur Religiosi nimis cæremoniales*, inquit Glossa ordinaria, *qui horrent*

Deus adest Confessoribus spiritualibus, ne sordes peccatorum animos non polluant.
a li. 28. c. 4. & 10.
b lib. 4. Fen 3. Tract. c. 70. & 71.
c lib. 2. in Iouin.
d lib. 2. c. 2. apud Surium 16. Iunij.

admittere

Religiosi qui horrent peccatores admittere annotantur.

admittere immundos peccatores, cùm tamen aliquando magis proficiant in Religione quàm aliqui alij, qui videbantur in seculo deuoti. Consulendum nihilominus famæ ac nomini Religionis, præsertim eius, quæ versatur in medio nationis prauæ, debétque sine offensione ac scandalo esse apud multitudinem. Eruet hinc etiam auditor confessionum aliud documentum, indicatum à Tertulliano [a], atque Chrysostomo [b], vt audita confessione sic se gerat cum pœnitente, ac si nunquàm audiuisset: quia iam purificatus, non immundus est.

a 2. cōt. Marc.
b hom. 9. in ep. ad Hebr.

Versus 16.] Hoc autem factum est per ter: & statim receptum est vas in cœlum.

HOc *autem factum est per ter.*] *Hoc & visum, & dictum, & auditum*, inquit Caietanus. Itaque videtur demissum linteum semel, iterū, & tertiò, totiésque retractū, & ad singulas demissiones vox de cœlo missa, & reddita à Petro. Et ita quidē disertè affirmat de visione, ac voce Cyrillus Alexandrinus [c], & Augustinus [d] de ter demisso disco, siue linteo, & Magister Historiæ Scholasticæ [e]. Nisi obstet, tum quòd acquieuisse Petrum verisimile est, cùm monitus est, non dicere commune, quod purificatum est; tum quòd mox subditur vas esse receptum in cœlum, quasi ex quo primùm apparere cœperit, in id vsque tempus conspicuum perseuerauerit.

c 7. in Leuiticum.
d in Psal. 103. concio. 1.
e in Histor. Act.

Vas cur ter ostensum est.

Ter ostensum est vas, pro commendanda veritate visionis, vel pro fide TRINITATIS, in qua gentes baptizandæ sunt [f]. Vterque sensus est Glossæ interlinearis, & vtrumque innuit idem Cyrillus Alexandrinus [g], posteriorem Ambrosius [h], & Augustinus [i], qui nectit ternarium istum cum quatuor initiis lintei, & ex vtroque numero conflat duodenarium numerum Apostolorum. Sed prior est maximè ad rem, ita vt quod ter fit, omninò verè fieri censeatur. Sic enim qui CHRISTVM maximè negauit Petrus, dum ter id fecit [k], ter iussus est respondere de amore erga illum [l]. Sic Paulus ter Dominum rogauit [m], vt recederet Angelus Satanæ: sic Dominus ipse tot vicibus fudit orationem agonisticam in horto [n]. Sic ad veritatem mortis comprobandam, tot dies in sepulcro iacuit [o]. Denique scitum illud Philosophi [p]; quòd *Tria sunt omnia.* Lege Petrum Bongum [q].

f Matth. 28. 19.
g 7. in Leuit.
h libr. 2. de Spiritu sanct. c. 11.
i suprà, & aliis locis citatis.
k Matth. 26. 69. & seq.
l Ioan. 21. 15. & seq.
m 2. Cor. 12. 8.
n Matth. 26. 39. & seq.
o Matth. 12. 40.
p 1. de Cœlo. cap. 1.
q lib. de mysteriis nume. in ternario.

Et statim receptum est vas in cœlum.] Cùm anteà tribus illis vicibus disparebat, non recipiebatur in cœlum, sed aliter subducebatur ab oculis, aut imaginatione. Significat hæc receptio in cœlum, vel *introitum in cælestem beatitudinem iis qui fide ac Baptismo*, inquit Beda, & Glossa ordinaria, & Hieronymus [r], *purificati fuerint*, si videlicet opera alia bona adfuerint: vel, vt placet Lyrano, admissis in Ecclesiam Gentilibus, cœlum æquè, vt Iudæis, patefieri. Græcè est πάλιν, rursus, aut retrò. Syriacè nullum est aliud aduerbium.

Quid significet vasis in cœlum receptio.

r epist. 4. ad Rusticum.

Versus 17.] Et dum intra se hæsitaret Petrus quidnam esset visio, quam vidisset, ecce viri, qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, adstiterunt ad ianuam.

ET *dum intra se hæsitaret Petrus, &c.*] *Permittitur hæsitare, vt dubitationis ei solutio gratior existeret, sicut sponsus* MARIÆ [f], inquit Chrysostomus

Cur Petrus hæsitauerit.

f Mat. 1. 19.

A *In hac visione* SPIRITVS *sanctus Petrum non docuit subitò*, inquit Carthusianus, *& per seipsum* (seu per Angelum) *completè, sed pedetentim, partim per homines, ad conseruandam mentis humanæ humilitatem.* Ipsamet B. Virgo *turbata, cogitabat qualis esset salutatio* [t], quò tenderet, quis finis eius esset, subdubitans de prole mentionem fieri, ac timens castitati: vel subuerens dolum in tam singulari, & honorifica salutatione, humilitatis perstudiosa.

t Luc. 1. 29.
B. Virgo quare non turbata fuerit.

Cùm disceptabatur, & requirebatur à Petro, vt illa signa intelligerentur, inquit Augustinus [u], *mentis erat actio conantis, sed deerat effectus, donec nunciati sunt, qui venerant à Cornelio.* Obseruat alibi Chrysostomus [x], vtiliter permissum Petro negare CHRISTVM: inde námque cautiorem factum, nil ausum opponere, cùm post Resurrectionem redarguutus est [y], *quòd interrogasset, Hic autem quid?* non repugnasse cùm CHRISTVS dixit: *Non est vestrûm nosse tempora, vel momenta* [z]: acquieuisse nunc, cùm ne intelligeret quidem quæ dicerentur.

B

u lib. 12. Genesis ad liter. c. 11.
x Hom. 83. in Matth.
Petrus ex negatione factus est cautior.
y Ioan. 21. 21.
z Act. 1. 7.

Ecce viri.] Non casu contigit, sed diuina prouidentia, quæ in sui suaui dispositione non fallitur: & comparari solet cum hero, qui duos famulos dimittit ad negotia diuersa, sed prospiciens præcipit, vt talem viam carpant, in qua via sibi occurrant, qui tamen illis occursus improuisus, ac veluti fortuitus accidit.

Prouidentiâ diuinâ omnia fiunt.

C *Adstiterunt ad ianuam.*] *Eò quòd vilis erat domus*, inquit Chrysostomus, *intra rogabant, non vicinos.*

Inquirentes.] Græci quidam codices addunt, καὶ μαθόντες, *& discentes.*

Versus 18. & 19.] Et cùm vocassent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium. Petro autem cogitante de visione, dixit SPIRITVS ei: Ecce viri tres quærunt te.

D DIXIT SPIRITVS *ei.*] SPIRITVM sanctum intelligit Ambrosius [a], & Gregorius [b], qui etiā videtur velle non exteriùs formatam vocem, sed interiùs edoctum Petrum. Malim, vt præsefert textus, vocem materialem accipere, quam formarit Angelus (vt priùs cum Carthusiano dixi) & per attributionem SPIRITVS sancti personam repræsentans. Vnde quod inferiùs dicitur: *Ego misi illos*, sensus est, mitti feci à Cornelio, cui certum est Angelum locutum. Immò superiùs verba illa, *Quod* DEVS *purificauit*, indicant aliam personam loquentem de DEO, quanquàm loquitur interdum quis de seipso in tertia persona.

a li. 2. de Spiritu sancto. c. 11.
b 28. Moral. c. 2.
Angelus cum Petro locutus est.

Glossa interlinearis vtramque sententiam ponit de SPIRITV sancto interiùs loquente, vel Angelo, qui Cornelio visus fuerat. Sed si tota visio imaginaria fuit, & in extasi, non fuit opus externa voce. Chrysostomus prorsus contendit, non fuisse Angelum propter dicta sequentia verba, *misi illos*; consentit Cyrillus Ierosolymitanus [c]. Nomen SPIRITVS absolutè etiam pro Angelo poni, aliàs docui [d].

E

c Catechesi 17.
d cap. 5. 16.

Ecce viri tres quærunt te.] Gregorius [e] inter varios Prophetiæ modos hunc tradit, quando Prophetiæ spiritus in præsenti ex parte tangit, & ex parte non tangit. *Quod Petri historia*, inquit, *testatur, cum missi ad eum à Cornelio milites, ei sunt per* SPIRITVM *nunciati: scriptum quippe est, Et dixit* SPIRITVS *ei, Ecce viri tres quærunt te. Ad quos ille descendit,*

e Homil. 1. in Ezechiel.
Prophetiæ modus est, quando Spiritus ex parte tangit, & ex parte non.

& requirens dixit: Quæ causa est, propter quam venistis? In cuius verbis ostenditur, quia eandem causam per SPIRITVM *non audierat, quam à militibus requirebat. In præsenti ergo mentem Petri* SPIRITVS *ex parte tetigerat, qui & adesse milites dixit, & pro qua causa venerant, tacuit.*

Versus 20.] Surge itaque, descende, & vade cum eis nihil dubitans: quia ego misi illos.

SVRGE.] Eadem vis verbi est, quæ versu 13. Carthusianus exponit, vt surgat ab oratione, & meditatione.

Ab actibus vitæ contemplatiuæ ad actiuæ transeundum est.

Descende, & vade cum eis.] Idem Carthusianus moraliter admonet interdum cùm ratio, & charitas postulant, ab actibus vitæ contemplatiuæ cessandum, atque ad opera vitæ actiuæ aggrediendum: virtutes enim sibi inuicem cedere, nec se tamen impedire. Quando Moses versabatur in monte, ac fruebatur diuino consortio, iussus est aliquoties descendere ad populum [a], præsertim cùm absente illo peccasset [b]; *Surge*, inquit, *& vade, & descende hinc citò.* Mittebatur Moses ab irato DEO in nouos idololatras. Mittebatur Petrus à misericordi DEO, vt euangelizator ad Catechumenos.

a Exod. 19. 10. 21. 24. & cap. 32. 7. & Deut. 9. 12.
b Exod. 32. 7. Deut. 9. 12.

Nihil dubitans.] μηδὲν διακρινόμενος. *Est hic & alia defensio Petri*, ait Chrysostomus, *vt discat, quòd & hæsitarit, didiceritque non hæsitandum.* Importat Græcum verbum dubitationem cum disceptatione: *qui enim hæsitat, secum ipse disputat alternantibus sententiis*, vt notauit Budæus [c].

Hæsitans quid sit.
c in Cõmen. ling. Græcæ.

Quærat aliquis, cur Ioannis pater animaduersus est surditate, & infantia [d], cùm de potentia DEI (cuius probè nouerat in Abraham & Sara exemplum) non dubitauerit [e], sed de DEI duntaxat voluntate, an quod poterat, & Angelus promittebat, esset effecturus, huius rei requirens signum, idque more aliorum, vt eiusdem Abraham [f], & Gedeonis [g], vel an verus esset Angelus, & à DEO missus; quod tandem peccatum plusquàm veniale non videtur: Petrus autem impunè tulerit, quòd visioni diuinæ tam parum se obsequentem præbuerit? Zachariæ pœna culpam supponit Petri culpa, si qua in eo fuit, grauiorem; tametsi, vt dixi, tantùm venialem, quia multò & clariùs ipsi Angelus non in extasi, & distinctiùs locutus est, non confusè. Pœna quoque illa signi vim habuit, ac mysterij. Petri hæsitatio tum ex visionis symbolicæ obscuritate nascebatur, tũ ex communi opinione adhuc vigente, Gentibus intrandum in Ecclesiam non esse, nisi per portam legalis obseruantiæ, aut non tam citò recipiendas.

d Luc. 1. 20. 62.
e Gen. 18. 2.
f Gen. 15. 8.
g Iud. 6. 17.
Cur Zacharias punitus sit, non Petrus, cùm vterque hæsitauerit.

Nam tametsi SPIRITVM sanctum *omnis doctorem veritatis* [h] recepissent, non decebat, vt is illicò, & simul, sed pedetentim, & prout occasio ferebat, singulas veritates, & accommodatè ad eorum captum doceret, qui etiam post aduentum SPIRITVS sancti *non poterant omnes omnia portare* [i], sed sicut olim CHRISTVS faciebat, vt Hilarius dixit, ita Ecclesia *ætate crescere debebat, atque sapientia.* Sed Ecclesia quidem cum ætate etiam sapientiæ noua adeptione creuit: CHRISTVS cum ætate, sapientiæ, quam iam habebat, sola manifestatione. Vna ex illis veritatibus erat, ista de abrogatione veteris legis, vt explicat Didymus [k] locum Ioannis [l], & Origenes [m], qui præterea dicit nunc impletum illud promissum, *cùm adhuc Petrus superstitione laboraret*, hoc est, nondum cæremoniis fi-

Spiritus sanctus non docuit Apostolos illicò omnem veritatem, sed pedetentim.
h Ioan. 16. 13.
i ibidem 12.
Ecclesia creuit ætate & sapientia.
k c. 2 de Spiritu sancto.
l cap. 16. 13.
m 2. contra Celsum.

nem prorsus impositum ignoraret. Denique moderatus est, vt pridem dixi cum Chrysostomo, Petrum DEVS hac in hæsitatione, vt testatiorem posteà faceret voluntatem suam de Gentilibus in Ecclesiam admittendis.

Misi illos.] Lege versum 19. Notat præterea Chrysostomus non dixisse: *Propter hoc enim visio apparuit tibi. Sed ego misi illos, ostendens quòd sic sibi persuadere debent non exacturi probationes, sufficit enim illis ad omnem probationem audire ab illo, Fac hoc, loquere hoc, & nihil amplius quærere.*

Versus 21.] Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum, quem quæritis: quæ causa est, propter quam venistis?

DESCENDENS *autem Petrus ad viros.*] Dum hi viri ad ianuam sciscitantur de Petro, descendit Petrus iussu DEI, non monitu, vel accersitu cuiusquam ex domesticis: quò illustrior apparuit dictis viris Petri sanctitas, maximè cùm intellexerint eum agere in altissima domus, ac remotissima parte. Vnde inferiùs colloquentes exaudire, & tam citò nuncium de ipsis accipere nequiret.

Petri sanctitas quo signo dictis viris manifesta fuerit.

Ecce ego sum, quem quæritis.] *Promptè seipsum exhibet, humanè, & humiliter dimittens circuitum verborum*, inquit Glossa ordinaria. *Vidit milites esse, qui astabant*, inquit Chrysostomus, *ideò non simpliciter rogat, sed prius confessus esse se quem quærebant; quærit causam aduentus, vt ne putetur hoc quærere, quasi velit seipsum occultare; & rogat, vt si quidem opus sit, statim festinet, & simul eat, si autem minus, vt hospitio excipiat.*

Petrus cur se exhibeat cum de signis.

Quæ causa est, propter quam venistis?] Necdum sciebat Petrus qui essent, & qua de causa venissent, vt sentit eadem Glossa, & Carthusianus. Glossa interlinearis contrariam sententiam sequitur, aitque interrogasse non quòd ignoraret, sed vt illi viri confiterentur, & iactantiam vitaret. Hugo conciliat vtrosque, vt nec omninò ignorauerit, nec pro certo sciuerit, nisi per quasdam coniecturas. Non firmiter hæret ista conciliatio: & ego priori opinioni, quam sequi Gregorium [n] docui [o], adhæresco.

n Hom. 1. in Ezech.
o vers. 19.

Versus 22.] Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir iustus, & timens DEVM, & testimonium habens ab vniuersa gente Iudæorum, responsum accepit ab Angelo sancto accersire te in domum suam, & audire verba abs te.

VIR *iustus, & timens* DEVM.] Rectè à iustitia laudant Centurionem suum; est enim militum genus infame cædibus, calumniis, auaritia, latrociniis, extorsionibus, quippe, vt ait ille [p], *Cauponantes bellum.* Idcirco Ioannes illis præcipiebat, *vt neminem concuterent, nec calumniam facerent, & contenti essent stipendiis suis* [q]. Sapienter factum, vt & à Luca superiùs [r], & modò ab his viris, quòd laudatur pietas Cornelij. *Si enim offenduntur Iudæi, cùm talis fuerit, si non fuisset talis*, inquit Chrysostomus, *quid non dixissent?*

Militum genus quibus vitiis infame sit.
p Ennius apud Ciceron. lib. 1. de Officiis.
q Luc. 3. 14.
r vers. 2.

Et testimonium habens ab vniuersa gente Iudæorum.] Valet hoc simul ad conciliandum Petrum genti Iudæorum, simul Iudæos alios, qui proinde minus ægrè laturi esse videantur, tam probatum,

& gratum

& gratum Iudæis admitti inter Christianos, qui ex Iudæis constabant.

Magna laus est, bonum esse iudicio exterorum.

Magna laus est, bonum esse iudicio etiam exterorum,& eorum, qui aliam religionem testantur,maximè verò si Gētilem laudet Iudæus,quem naturali quodam odio abominatur,vocās תועבה *thoubbebah, abominationem*.Innuit bonam in Iudæis de Cornelio opinionem beneficentia ipsius in illos,qui lucro deditissimi erant.Cùm Seniores Iudæorum pro alio Centurione intercederent apud CHRISTVM, & rogarent sollicitè, dixerunt [a]: *Quia dignus est vt hoc illi præstes:diligit enim gentem nostram,& Synagogam ipse ædificauit nobis.*

a Luc.7.4.5.

Testimonium habens.] Μαρτυρούμενος, absolutè positum sumitur in bonam partem,vt etiam apud Paulū [b], μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου, καὶ τῶν προφητῶν, *Testificata à lege, & Prophetis*:& [c], χήρα ἐν ἔργοις καλοῖς μαρτυρουμένη, *Vidua in operibus bonis testimonium habens*.In profanis Scriptoribus, & in Nazianzeno exempla citat Budæus [d].

b Rom.3.21.
c 1.Tim.5.10.
d in Com.lin. Græca.
Ὄχλος, seu turba quid signi ficet.

Ab vniuersa gente.] Ὑπὸ ὅλου τοῦ ἔθνους, *A multitudine gentis.* Quamuis autem ὄχλος plerumque accipiatur de confusanea hominum multitudine,& de turba, ac vulgo, tamen significat etiam totius populi vniuersitatem:quo modo accipi hîc videtur,nec enim eximia laus esset probari testimonio vulgarium.

Responsum accepit.] Ἐχρηματίσθη. Sic de Simeone scribit idem Lucas [e]:*Responsum acceperat à SPIRITV sancto*:Ἦν αὐτῷ κεχρηματισμένον ὑπὸ τοῦ ΠΝΕΥΜΑΤΟΣ τοῦ ἁγίου.Sic de Magis: *Responso accepto in somnis* [f], χρηματισθέντες κατ᾽ ὄναρ.Sic in epistola ad Romanos [g]: *Sed quid dicit illi diuinum responsum?* ὁ χρηματισμός.Sic in ea,quę est ad Hebræos [h]:*Fide Noë responso accepto*, χρηματισθείς.

e cap.2.26.
f Mat.2.12.
g cap.11.4.
h cap.11.7.

Quomodo respondere aliquis dici possit,etiamsi interrogatus non fuerit.

Qui notant responso non respondere interrogationem, hoc est, quasi prior interrogauerit,cui responsum dari dicitur, aut respondere is,qui interrogatus sit,verum dicunt,& nos ipsi alibi notauimus [i].Sed nil opus est ea notatione [k],consideranti vim vocabuli Græci,quod inter alias significationes etiam apud profanos Scriptores hanc habet,vt idem sit quod oraculum edere,ac reddere,& passiuè oraculo admoneri,seu sermone,colloquióque diuino dignari, quamuis id oraculum nemo poposcerit,vel expectauerit.Latini responsa vocant tum oracula diuina, tum partem illam iuris, quæ constat ex iis, quæ Iuriscōsulti responderunt consulentibus.

i cap.1.18.
k quam tamē affert Ribera in c.11.ep. ad Hebræos.

Ab Angelo sancto.] Idem epithetum Angelo tribuitur à Marco [l],& à Tobia [m].Opponitur immundo,de quo capite quinto [n]. Angeli nomen ibidem exposui: nec memini absolutè positum pro malo, sed semper ex adiunctis descriptum malúsne sit,an bonus.

l cap.8.38.
m cap.10.11.
n vers.16.

Missi à Cornelio cum excusant, quid ... venerit.

Accersire te in domum suam.] Modestè excusant Cornelium, vt qui iussu Angeli accersat, venturus ipsemet alioqui,& habiturus illi honorem.Innuit id Chrysostomus.

Quando alius Centurio in Euangelio Lucæ legitur [o] *misisse ad IESVM Seniores Iudæorum,rogasseque,vt veniret,& sanaret seruum eius*, sunt qui existiment [p] de suo Seniores illud addidisse, quibus dederat is in mandatis duntaxat, vt impetrarent. Subdit enim Lucas misisse alios ad CHRISTVM, qui propinquanti dicerent [q]: *Domine,noli vexari, non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres; propter quod & meipsum nō sum dignum arbitratus, vt ad te venirem,sed dic verbo,& sanabitur puer meus.*

o Luc.7.3.
p Toletus in Luc.c.7.ann.4.
q vers.6.7.

Et audire verba abs te.] Petrus in capite sequenti [r] narrat retulisse sibi Cornelium, illi dictum fuisse ab Angelo, *vt Petrus loqueretur ei verba, in quibus saluus esset ipse, & vniuersa domus eius.* Hoc idem missos ad Petrum à Cornelio verisimile est expressisse; siquidem omnia illis ipse narrauerat. Ponitur verbum non rarò,aut verba absolutè pro prædicatione Euangelij,siue pro doctrina,præsertim in epistolis Pauli, sicut & Scripturæ nomen absolutè pro diuina.

r vers.14.

Versus 23.] Introducens ergo eos recepit hospitio. Sequenti autem die surgens, profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum.

INTRODVCENS *ergo eos.*] *Intus vocat*,ait Chrysostomus, *ne quid eis graue accidat.* Nescio quid graue accidere potuerit: fortasse ne minùs commodè habitarent,verebatur Petrus. Quidam codices Græci habent, Τότε εἰσαγαγών, *& tunc cùm introduxisset*:nostri, εἰσκαλεσάμενος οὖν, &c. *cùm vocasset autem.*

Petrus cur eos hospites exceperit.

Recepit hospitio.] Volens vel hac ratione visioni cœlesti obtemperare, & familiariter, ac fidenter victitare cum iis,quos tota natio Iudæorum abominabatur. Ἐξένισε, vnum & maximè proprium verbum est, quod multis circumloquimur.

Hospitalitas propria Patriarcharum tessera.

Propria veluti tessera Patriarcharum est hospitalitas, quam Eliezer dimissus ad quærendam filio domini sui Abrahæ sponsam in Mesopotamiam,à DEO expetiit, & per eam deprehendit [s]. Nam super omnes coluit Abraham hospitalitatem,*per quam DEO placuit, & ANGELOS excipere meruit* [t], cùm apud se manere compelleret, nec sciret alios esse, quàm peregrinos vulgares. *Sunt enim ad hospitium non modò inuitandi peregrini, sed etiam cogendi exemplo tendentium in Emmaus* [u], inquit Gregorius*,qui ait à quodā CHRISTVM ipsū exceptum,de se fortasse loquens tacito nomine [x].

s Gen.24.13. & seq.
t Hebr.13.2. Gen.18.3.c.19.2.
u Luc.24.29.
** Hom.23.in Euang.*
x vt est in vita eius.

Ambrosius de hospitalitate quid loquatur.

Ambrosius [y] verò inter laudes hospitalitatis ponit; quòd Abraham exceperit ipsummet FILIVM DEI, & meruerit procreare Isaac,& Lot euaserit incendium,& Raab salutem sit consecuta.Præterea vtitur [z] Pauli testimonio requirentis ab Episcopo,*vt sit hospitalis* [a]: & hoc argumento, quoniam cùm in hac vita peregrinemur, denegabuntur nobis post decursam vitam Sanctorum hospitia,si duri, aut negligentes fuerimus in excipiendis hospitibus.

y ep.25.vel 82 ad Eccl. Vercellen.
z 1.de Abrahā. c.5.& 2. offic. c.21.
a 1.Tim.3.2.& Tit.1.8.

Humanæ conditionis consid. ratio nos ad hospitalitatem promouet.

Sed vel humanæ conditionis cogitatio,*quæ humani nil à nobis alienum admonet* [b], vt putemus,debet persuadere, vt quem ipsi si peregrè esse à natali solo contingat,beneficentiæ locum in aliis inuenire cupimus, eum patere peregrinis velimus *sine murmuratione* [c],hoc est,animo non difficili,sed alacri,& beneuolo; vt nimirum fecisse dixi Abraham,& Lot, cui adiunge Laban cum Rebecca [d], & Iob [e],& Sunamitidem [f],& Abigail [g].

b Terent.in Heaut.
c 1.Pet.4.9.
d Gen.24.29. & seq.
e cap.31.32
Exempla hospitalitatis.
f 4.Reg.4.8. & seq.
g 1.Reg.25.18 & seq.

In historia nostra, hoc ipso capite & extremo priore, laus hospitalitatis tribuitur Simoni coriario,& ipsi Petro; tum etiam Lydiæ purpurariæ [h], & Publio Principi [i], in Euangelio; Marthæ ac Magdalenæ [k], & Zachæo [l]; & duobus peregrinantibus in Emmaus [m],quos antè dixi, quos omnes constat ex hospitalitate magnum fructum percepisse: vt omittam alia complura exempla, & sententiam CHRISTI [n]:*Hospes eram,& collegistis me.*

h Act 16.15.
i infrà 28.7.
k Luc.10 38. & seq.
l infra 19.6.
m Luc.vlt.29.
n Mat.25.35

Ioannes Apostolus laudat Caium, quòd libe-

A ralem se exhiberet erga peregrinos[a]. Diotrephem autem vituperat, quòd non reciperet[b]. Christiani veteres adeò dediti fuerunt hospitalitati, vt hanc Tertullianus[c] appellet Catholicæ communionis contesserationem, alludens nimirum ad tesseram dari solitam hospitibus apud Gentiles[d]. Abusus ea contesseratione, & simulatione Christianæ religionis Peregrinus, priùs ob maxima crimina eiectus patria, vbique Christianorum munificentia abundè, & lautè viuebat, vt Christianos deridens meminit Lucianus[e]. At Pacomius ea præsertim de causa ad Ecclesiam se adiunxit, quòd in illa exerceri hospitalitatem animaduerteret etiam in exteros, & Paganos[f], quos

B Paganos vt contineret in idolorum cultu, pluresque ad eū alios alliceret, Apostata Iulianus Christianam istam pietatem imitatus est[g].

Vix est ordo Religiosus ex antiquioribus, cui non hospitalitatis cura fuerit, vt omittam eum qui propriè Hospitaliorum cognominatus est. De seipso testis Hieronymus[h], scribens quoque à Pammachio excitatum in portu Romano xenodochium[i], & Romæ à Fabiola nosocomium[k]: de aliis monachis tum Cassianus[l], tum Euagrius[m].

Fuit peculiaris in Oriente necessitas hospitij, vbi rara oppida, desertiora & inculta loca, & æstu infesta. Colligitur id facilè ex Scripturis[n], quod

C eruditè facit, adiectis aliis nonnullis, noster Serarius[o], docens vsum cauponarum non fuisse.

Ecclesiam Romanam scribit Martinus Papa I.[p] *quisquis miserabilis homo ad eam venisset, illum hospitio excepisse, omnia ad vsum ei prabuisse, nec vllum repulisse, dedisséque panem mundissimum* (vtor Pontificis verbis) *& vinum diuersum*, sed omnibus illi pertinentibus.

Plura in commendationem hospitalitatis Augustinus[q], Hieronymus[r], Gregorius[s], Chrysostomus[t], Nazianzenus[u], Clemens Alexandrinus[x], Rupertus[y], Alexander ab Alexandro cum Tiraquello[z], Budæus[a]. Extant insuper decreta Conciliorum, Constantinopolitani VI.[b] Aquis-

D granensis[c], Parisiensis[d], Gangrensis[e], Aruernensis[f], Matisconensis II.[g] Anglicani[h], Carthaginensis IV.[i] Toletani III.[k] Rhemensis[l]. Eâdem faciunt celebrata in vtroque Iure orphanotrophia, ptochotrophia, brephotrophia, gerontocomia, xenodochia, nosocomia, hoc est, receptacula pro orphanis, pauperibus, pueris, senibus, peregrinis, infirmis[m]. Hac laude præter Pammachium & Fabiolam, quos diximus, insignes fuerunt Gallicanus[n], vir Consularis, & designatus gener Constantini; Samson item, & Zoticus, de quibus perhonorifica mentio est in Iure ciuili[o], & apud Procopium[p].

E Nec verò caruit prorsus virtutis huius exercitio vetus Testamentum, in quo & leges de illa sancitæ sunt[q]. Sed, si Iosepho[r] credimus, Hircanus Pontifex construxit xenodochium. Id verò etiam proditum est ab Hegesippo[s], & Isidoro[t]. Fuit Rabbinorum quorundam opinio de vxore Lot, teste Lyrano[u], idcirco in statuam salis versam[x], quòd qua nocte accubuerunt ANGELI, nec salem quidem apposuit.

Inter vitia Sodomorum, quæ iis exitium attulerunt, nō in postremis nominat inhospitalitatē[y], necnō Ægypti plagarum eandem extitisse ferunt causam: arcebant enim peregrinos, aut vt mancipia durè tractabant, & oderant eos, qui se aduersus eos benignius gessissent, immò & hospites ipsos immolabant[z], ex quibus decantatus Thasius, quem Busiris mactauit. Ægyptiæ inhospitalitatis meminit quoque liber Sapientiæ[a].

Hospitalitati quam non veteres dediti Christiani fuerint.
a epist.3 5.
b ibid.10.
c in Apol.ca. 20.
d Plaut.in Pœnulo, & in Cistel.
e Dial. Peregrinus.
f in vita, apud Sur 14. Maij.
g Naziãzen. orat.1. cōt. Iul.
h li.7. in Eze. & in procem.
i ep.27.
k epi.3.
l 4. de inst. renunc. c.7.
m in vitis Patrum. c 5.
Ordines religiosi hospitalitatem maximè coluere.
n Gen.c.19.2 c.21.14.c.24. 10.c.28.12.19. c.31.54.c.42. 25.27.c.43.23 Ios. 9.4 5.11. 12. Iud.19.19. 1. Reg 10.4. c.21. Tob 5.22 c.6.6.c.8.21.
o in c.6. Tob. q.3.
p epist.16.
q lib.2 qu.in Euang c. vlt. Ser.32. de ver. Dom. Ser.46. ad fratres in eremo. Serm. 70. de Temp.
Hospitalitati Romana Ecclesia maximè fauit.
r in c.1. epi. ad Tit. & aliis citatis locis.
s cit. loco, & lib.11. ep.3. & lib.12. ep.6. & 14.
t in c.12. epi. ad Rom. ho. 30. hom.41. in Gen. & Tom. 5. hom. de dec. & hospita. & concio. 2. de Lazaro. orat. de amo. pauperum.
x 4. Strom. c. 7.
y in c.10. Ma. *Qui recipit Prophetam, &c.*
z lib.4. ca.10.
a in l. soler. §. quantum ad xenia. de off. Proconf.
b can. vlt.
c cap.141.
d lib.1. c.14.
e cap.21.
f lib. 2. c.101.
Hospitalis [illegible] ge [illegible] erecta.
g cap 2.
h c 6. apud Bedam 4. histor. Ang. cap. 1.
i c. 14. 15.
k cap.7.
l cap. 17.
Sodomitæ inhospitales fuerunt.
m in Auth.7. §. vlt. & Auth. [illegible] de impensis. C. de epis. & cle. l. omnia priuilegia. & c. 23. q. 8. c. in qualibet.
n in Martyr. Rom.
o suprà citatis locis.
p lib. 1. de ædif. Iust.
q Exod. 22. 21. c. 23. 9. Leu. 19. 3[illegible] c. 23. 22. Num. 35. 13. [illegible] Deut. 14. 21.
r [illegible] 12. & 13. Anti[illegible]
s lib. [illegible]
t lib. [illegible] Ori. c. [illegible]
u in c.19. Gē.
x Gē 19 26.
y Eze.16.49

Audimus Sinas nunc esse hospitaliores. Exuent sine dubio cum contraria feritate errorum caliginem, & importatum ab hospitibus lumen veritatis tandem, vt bene auguror, aspicient.

Iidem habiti inter Gentiles Barbari, qui inhospitales, vt Britanni ab Horatio[b], Strabone[c], Solino[d]; Tauri ac Pontici ab Arnobio[e]; alij quódam in Italia & Sicilia, à Plutarcho[f]; Lacedæmonij ac Thebani à Dionysio Halicarnassæo[g]; & Tacito[h]; Apolloniatæ ab Æliano[i], Philostrato[k], Strabone[l]; Spartiani à Plutarcho[m]; Carthaginenses ab Strabone[n]; Scythæ ab eodem[o], & ab Herodoto[p]: denique tradit Strabo[q], commune fuisse Barbaris omnibus hospites arcere è finibus suis. Apud Lucanos autem produnt Ælianus[r], & Heraclides[s], qui Sole occaso hospites diuersantes notos, ignotósque domo exigeret, accusatum κακοξενίας, atque mulctam eo nomine pendere coactum. Proprium Iouis epithetum veteres esse voluerunt ξένιον, id est, *hospitalem*, siquidem, vt ait eum alloquens Poëta[t],

Iuppiter hospitibus nam te dare iura loquuntur.

Alter orationis solutæ inter Latinos parens[u]: *Rectè*, inquit, *à Theophrasto laudata est hospitalitas. Est enim, vt mihi quidem videtur, valdè decorum patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus. Idq́; etiam Reipublicæ est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in vrbe nostra non egere.* Idem adhuc Iouis hospitalis numen nihil vnquàm cælari posse, nec hospites offendendos esse, ne Iouis hospitalis fidem implorent, non semel docuit[x]. Delapsus nescio quo pacto ad retractandum sum, de quibus dixeram quoque anteà. Illud ad pietatem Gallorum confirmandam, quòd hospitales domos, domos DEI nominent, Gulielmi Parisiensis[y] non recenti confirmare possum testimonio.

Nimius sim, si omnia colligam, quæ Homerus[z], Xenophon[a], & Phocylides, Menander, & alij perplures in hanc sententiam pronunciant. Non profanæ tantùm, sed sacræ quoque literæ Iouis hospitalis meminerunt, vt Machabæorum historia[b]: & scio profanos homines, quod in Cicerone notauit Lactantius[c], hospitalitatem à vera iustitia atque liberalitate detorsisse, & ad vtilitatem rapuisse. Clausulam adiicio Toxaris cum Solone de peregrino Anacharsi, quem illi adducebat, orationem: *Venio maximum tibi munus adducens, virum peregrinum egentem amicitiæ.*

Sequenti autem die surgens profectus est cum illis.] Deest in textu Græco participium, *surgens*, ἀναστὰς, etsi quidam pauci id habeant. Noctem, & quod reliquum fuerat diei præteritæ tractauit nuncios Petrus, cóque tempore habitos pios sermones verisimile est, non ab iis tantùm, sed ab aliis quoque Discipulis ad tam lætum nuncium de tanto viro flagitante Euangelium: de quibus mox mentio fit proximis verbis.

Et quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum.] Syrus sic legit, ואזל עמהון אנש מן אחא דיופא *vezal bhimmehun enasch min acha deiuppi*, id est, *& abiit cum eis vir vir*, id est, aliquot *ex fratribus, qui in Ioppe*, vel, *& comitatus est eos vnusquisque ex fratribus Ioppensibus.* Aliena quidem hæc versio à Græco textu, qui habet τινες, *quidam*, & ab eo,

z Ouid. 2. Fast. Hyginus in fabulis, Plutar. in Parallel. c.38. Strabo li.17. Diodo. lib.2. c.4. Arnob. 6. cont. Gent. Aug. 18. de ciui. ca 12. Euseb. in Chron. Philo li. de Abrah.
Inhospitales & Barbari iidem apud Gentiles.
a c. 19. 13. 14 15.
b lib.3. Carm. ode 4.
c lib.4.
d in Polyhistor. c.14.
e 8. cont. Gēt.
f in paral. c. 38.
g lib.2.
h lib.12.
i 13. var. hist.
k 4. vita Apol. c.10.
l lib.8.
m in Agide, & in Lycurgo.
n lib.17.
o lib.7.
p lib 4.
q lib.7.
r lib. 4. var. histor.
s in Politic.
t Virgil. 1. Æneid.
u Cicer. 2. de Offic.
Hospitalium res est maximè in [illegible].
x oratio. pro Deiotaro, & 3. de Finib.
y lib. de monib. c. 8. pag. 207.
z Odyss. 8. & 13. 14.
a 3. & 6. apud Cyropæd. & 3. Instit. eiusdem.
b lib. 2. cap. 6. 3.
c lib. 6. c.21.

a cap. 11.12. *Quomodo plures & pauci Petrum comitati sint.*

quod posteà narrauit Petrus [a]: *Venerunt autem mecum & sex fratres isti.* Sed non est alienum à vero, processisse omnes foràs, ac deduxisse ad aliquantum spatium, tum vt honore Petrum prosequerentur, tum vt Petri hospites: sex autem solos comites se Petro vsque Cæsaream adiunxisse, quòd enixiùs id voluerint, & Petrus permiserit.

Abraham hospites suos deducebat. b Gen. 18.16. c Odyss. 7. d Odyss.

Abraham hospites suos simul gradiens deducebat [b]: & Vlyssem laudat Homerus [c], quòd non modò susceptor hospitum iucũdus, verùm etiam comis deductor esset. Idémque de Ioue hospitali prædicat [d]. Gagneius ait, multam cæteruam fuisse cum Petro, vt multos tandem testes haberet.

B Sanè conuinci non potest fuisse tantùm sex, quoniam quod Petrus narrat posteà in Ierusalem, potest intelligi de illis, qui ex aliorum plurium numero illuc ex Cæsarea, quò iuerant, ab Ioppe ascenderint: & quò plures habuisset testes, hoc meliùs ex Circũcisione fidelibus super viris præputiatis admissis satisfecisset.

Pauci soli quomodo Petrū comitati sint.

Attamen dictus capitis sequentis locus magis fauet, decebátque prudentiam, & modestiam Petri tam multos asseclas in aliena domo non adhibere. Nec deerant Cæsareæ, Philippi Diaconi natali solo, alij fideles, qui in illa controuersia, idoneum de hoc testimonium ferrẽt, cùm opus esset.

C Bene monet Glossa ordinaria, quosdam codices ad verba ista quæ tractamus, hæc alia subtexere, *vt Petro testes sint*, *Neque enim*, inquit, *sunt de textu, & non habentur in libris correctis: sed primò fuit quadam Glossa interlinearis* (nescio an inde Magister Historiæ Scholasticæ [e], qui ea ponit, acceperit) *posteà textui inserta per ignorantiam Scriptorum, sicut & in multis aliis locis veteris, & noui Testamenti.*

e in Hist. Act. c. 51.

Versus 24.] Altera autẽ die introiuit Cæsaream. Cornelius verò expectabat illos, conuocatis cognatis suis, & necessariis amicis.

D ALTERA *autem die introiuit Cæsaream.*] Biduũ ferè posuit in itinere, sicut hi, quos miserat Cornelius. Pedibus ambulasse credendum est, via enim breuior erat, quàm vt diebus duobus equitanti opus fuerit.

Petrus pedibus iter fecit.

Cornelius verò expectabat illos.] Non dubito quin illo quatriduo multò vacaret magis orationi, ieiunio, eleemosynæ, & aliis operibus bonis, vt se quàm maximè compararet ad accipiendum, sicut verè erat, verbum DEI.

E *Conuocatis cognatis suis, & necessariis amicis.*] *Meritò*, ait Chrysostomus, *non enim iustum fuisset, etiam cognatos, & amicos non simul adduci: hoc amici officium, hoc pij, in talibus bonis necessarios amicos facere socios.* Meritò hos conuocat, quibus fidebat, & cum quibus de talibus semper egerat, quæ frustrà cum aliis tractasset: & videntur hi ab ipso fuisse instituti. *Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet*, ac in his quidem primo loco, quæ spectant ad æternam salutem, *fidem negauit, & est infideli deterior* [f]. Chrysostomus [g] ad idem propositum affert verba Esaiæ [h], iuxta Septuaginta, *Domesticos seminis tui ne despexeris.*

f 1. Tim. 5. 8. g Hom. 24. in 1. ad Tim. h cap. 58. 7.

Docet verò esse infideli deteriorem, qui eam suorum curam non habet, hoc est, prouidentiam animæ, corporísque, quoniam ille etsi alienos despicit, propinquos tamen nequaquàm aspernatur. Similis mihi videtur Cornelius Andreæ [i], qui fratrem, & Philippo [k], qui Nathanaëlem adduxit ad CHRISTVM: Samaritanæ, quæ ciues suos inuitauit ad eundem [l]: Matthæo, qui vocatus à CHRISTO, celebrauit conuiuium [m], in quo voluit illum esse, vt per eam occasionem plures CHRISTO adiungi possent: mulieri illi [n], quæ inuenta drachma conuocauit vicinas, & amicas ad congratulandum sibi.

Quomodo sit infideli deterior qui suos despicit. Cornelius quibus similis onde etc. i Ioan. 1. 41. k ibid. 45. l infrà 4. 29. m Luc. 5. 29. n Luc. 15. 9.

Cum cognatis.] Græcè dicuntur συγγενεῖς, quos Syrus exponit, *filios cognationis.* Cognatio complectitur lata significatione communiter genitos, & quasi ab eodem ortos genitore: de qua voce Ambrosius ad Paternum [o], qui alibi putat more Hebræorum dici de omnibus eiusdem gentis, vt de ipsis Hebræis. Sic enim Elizabeth vocatam MARIÆ cognatam [p]: & alios eiusdem Elizabeth [q]: & à Paulo cognatos suos omnes Israëlitas [r], denique MARIÆ cognatam esse Elizabeth, quia ambæ Israëlitæ, aut ex eadem tribu.

Cognati qui sint. o epi. 66. vet. edit. p Luc. 1. 36. q ibid. 58. r Rom. 9. 3.

Quicquid sit de Elizabeth, quæ non ex tribu Iuda, sed Leui erat, & ex familia Aaron, & si non arctius cognationis vinculum intercessisset, non designasset ANGELVS personam coniunctam, notam, ac familiarem, quippe cùm secundùm cognationem generalem aliæ multæ potuerint esse nomen habentes Elizabeth: nec visitatura illam MARIA fuisset, vel tres apud eam menses mansisset [s]: omissa, inquam, controuersia ista, de qua præsertim Toletus in Lucam [t], cognatio magis propriè secundùm Iurisconsultos, est inter eos, qui ex eodem sanguine per fœminas coniunguntur, agnatio inter eos, qui per patrem ex eadem familia sunt: quamuis cognatos etiam interdum omnes consanguineos appellent. Vnde semper agnatio est nomen speciei, cognatio interdum vt genus hanc quoque comprehendit, vt constat ex Iure ciuili [u], & ex Ambrosio priore ex citatis locis, vbi Paternum reprehendens negat dici posse agnatos, qui per patrem non descendunt, vt fratres vterinos ex diuerso patre natos. Lege Lexicon Iuris.

Elizabeth quomodo cognata Mariæ fuerit. s Luc. 1. 40. 56. t cap. 1. annot. 108. u l. inter agnatos. ff. vnde legitimi. & l. Iurisconsultus. ff. de gradibus & affinibus.

Hoc tempore vocant Hispani & Itali cognatum suum pro sororio, id est, pro eo qui nupserit sorori, & cognatam pro ea quæ nupserit fratri. Sed & alia acceptio apud veteres reperitur, vt apud Iustinum [x], Æmilium Probum [y], Victorem Vticensem [z], vt qui sunt sororij, vocentur generi, & Gregorius [a] eum qui gener est, cognatum appellat, Ausonius [b] eundem nominat affinem: sic vsurpat quoque Iornandes [c] pro tali affini vocem cognati, Turonensis [d] verò nomen propinqui. Erat enim olim ignotum sororij vocabulum, nec sororis vir, Isidoro teste [e], nomen speciale habebat, vt est etiam in Decreto [f]: Galli dicunt pulchrum fratrem: & quãdoque fratris absoluto nomine ad id significandum auctores Latini vtuntur. Apud Sidonium [g] Hecdicius dicitur sororius, qui coniugem habebat sororem eius, quémque Turonensis [h] propinquum ipsius vocat. Tandem Cuiacius [i] obseruat sicut generos, ita cognatos quoque ac affines nominatos qui sunt sororum viri. Verùm hoc, vt dixi, loco laxior & communior cognatorum notio.

Cognatus & cognata quid vulgo significent. x lib. 18. y in Pausania. z lib. 1. a 3. Dial. cap. 1. b in Parental. carm. 16 & 21. c de success. regno. in Leone Aug. senio te. & de reb. Getic. c. 44. d 2. Hist. c. 24. e 9. Orig. cap. vlt. f c. quid autẽ. 35. q. 5. g carm. 20. h suprà. i 6. Obseru. c. 17.

Decipitur ergo Dominicus Soto [k], docens agnationem esse genus, & cognationem esse speciem. Tamen confunduntur aliquando hæc nomina. Cornelius Gentilis habuit cognatos vel alios Gentiles eiusdem religionis, iuxta generalem illam cognationis primam acceptionem traditam ab Ambrosio; vel etiam sanguine coniunctos: quos qui mittuntur, aut abeunt in prouinciam,

k 4. dis. 40. q. vnica. art. 1.

ciam, secum non rarò deducunt.

Et necessarius amicis.] Syrus distinctè ponit, *amicis, & necessarijs.* Sed plus est esse necessarium, quàm amicum, & minus quàm cognatum, sicut necessitudo quàm cognatio: quamuis & promiscuè vtrumque nomen vsurpetur pro coniunctione affinitatis, vel sanguinis, vel meritorum.

Apud Græcos *οἱ ἀναγκαῖοι* absolutè interdum dicuntur, qui item apud Latinos absque addito necessarij, quos Eustathius [a] interpretatur *προσήκοντας κατὰ γένος*, & Budæus [b] *necessitudine, & propinquitate coniunctos.* Atque idem est de nomine *τῆς ἀναγκαιότητος*, sicut & de Latino necessitudinis.

a in Homerū.
b in Com. lin. græcæ.

Non alibi vocem istam Latinam necessariorum in hac significatione arbitror inueniri, quàm semel in libro Iob [c], vbi tamen est Hebræa vox, תושיה *thuschiiah*, significans *legem, sapientiam, subsistentiam*: ita vt Latinus interpres legem amicitiæ violatam ibi significari intelligens, ea sit vsus dictione. Sapientiam reddit Chaldæus: *βοήθειαν*, id est, *auxilium*, Septuaginta. Sunt necessarij, inter quos necessaria conferuntur officia tum consilio, tum re.

c cap. 6. 13.

Versus 25.] Et factum est cùm introisset Petrus, obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit.

ET *factum est cùm introisset Cornelius.*] Vel in ciuitatem Cæsaream, vel prope domum. Primùm cõsciuisset inuidiam Petro, & fortasse Cornelio odium, si videlicet in tam ampla ciuitate, tot spectantibus Gentilibus Iudæisque, idiotam, ac nouæ hominem religionis adeò honorificè accepisset.

Obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit.] Glossa interlinearis & Hugo arbitrantur ex imperitia Petrum vt DEVM à Cornelio adoratum. Lyranus adoratione duliæ, quoniam sciret non esse DEVM, sed eius nuncium: Glossa ordinaria, Beda, Magister Historiæ Scholasticæ [d], Carthusianus: fauetque Chrysostomus, & alij, eo modo, quo insignes doctrina & moribus viri solent honoris externo signo coli: CHRISTO Martha prodiit obuiam [e], sed etiam vt DEO: Lot verò ANGELIS [f].

Petrus quo honore à Cornelio affectus fuit.
d in Hist. Act. cap. 52.
e Ioan. 11. 20.
f Gen. 19. 1. 2.

Verba Petri, quibus refutans eum honorem dixit: *Et ego ipse homo sum,* indicant profectò putasse Cornelium, Petrum esse aliquem Angelum humana forma vestitum, quales ANGELOS apparuisse Iudæis discere potuit ex iisdem, & priore experimento eius, qui apparens iusserat accersiri Petrum: vel etiam esse ex diis minorum Gentium vnum, prout inter Gentiles vigebat opinio de his, & de aliis maioribus diis. Hieronymus [g] eodem videtur dicere Cornelium errore laborasse, quo Lycaones, cùm Paulum vt Mercurium, Barnabam adorauerunt vt Iouem [h].

Qualem de Petro Cornelius opinionem habuerit.
g cont. Vigilātium.
h Act. 14. 11.

Gregorius [i] docet, *agnouisse primum Pastorem Ecclesiæ in adorante Cornelio super se sibi honorem oblatum: conditori námque suo hominem debere, non homini prosterni.* Alibi [k] scribit, quòd Petrus à bene agente Cornelio, & sese ei humiliter prosternente immoderatiùs venerari recusauit, seque illi similem, nimirum hominem, recognouit. Excusandus est Cornelius, quamuis iam iustus, quia Angeli de Petro testimonium potuit ingenerare existimationem esse aliquid in eo diuinitatis, à quo de rebus maximis instituendus foret, quod Angelus ipse non fecisset.

Cornelius non errauit dum Petro se prostrauit.
i 21. Moral. cap. 10. vel 11.
k 26 Moral. c. 19. vel 12. & lib. 1. epist. 24.

Ioannem ipsum adoratorem ANGELI, ANGELVS adoratus correxit [l], prohibuítque *quia talis apparuerat, vt pro DEO posset adorari,* inquit Augustinus [m]. Cui sententiæ subscribit Remigius Rhemensis [n], B. Thomas [o], Cælius Pannonius [p], Gregorius de Valentia [q]. Idem innuit Gregorius [r], licèt eam prætereà causam reddat [s], quia naturam humanam ANGELVS per FILII DEI Incarnationem, antequàm se ab homine adorari sinebat, redemptam, & erectam, ac sibi ipsi quoque prælatam veneratur, nec in membris subiectam despicit, *quam in ipso,* inquit, *membrorum capite prælatam videt.*

Cur Angelus noluit à Ioanne adorari.
l Apoc. 19. & c. 22. 9.
m quæst. 61. in Gen. & l. 20. con. Faustum c. 21.
n in Apocalypsin ex ... Capreolo ...
o 2. 2. quæst. 84. a. 1. ad 1.
p in Apoc.
q To. 3. Disp. 6. q. 11. puncto 5.
r lib. 21. Moral. c. 3. vel 11.
s 27. Moral. c. 8. vel 12. & hom. 8 in Euang.
t 3 dist. 9 ar. 2. q. 5.
u 3. p. loco citando ...
x ... c. 18. Genes. ... 7.

Placet hæc de Angelo posterior causa, vt & Glossæ, Ausberto, Haymoni, Ruperto, Bedæ, Anselmo, Richardo de S. Victore, Hugoni Cardinali, aliisque in Apocalypsim, & Bonauenturæ [t], & Suarez [u], & Pererio [x], addita insuper in homine dignitate ministerij diuini, atque tolerātiæ pro eo, vt notat in eandem Apocalypsim Ribera, adiecto item splendore virginitatis, qua Ioannes enitescebat, estque quadam ratione quisquis ea præditus est, superior Angelis, vt obseruat Viegas exponens eundem locum. Ratio illa de virginitate traditur quoque à Petro Damiano [y]. Addunt alij in eodem sacerdotalem dignitatem, quæ maior est Angelica. Aptissima ratio ex ministerio, quo fungebatur Ioannes, prophetando, ac testimonium prædicationis exhibendo, & hac de causa patiendo, vt satis præ se ferunt verba eiusdem Angeli, quæ Ioannes recitat [z].

y Sermo. 1. de B. Ioan. Euan.
z Apoc. 22.
Ioannem ignorasse Angelum esse, quem adorauit.

Ceterùm nullo pacto existimo Ioannem ignorasse, ANGELVM fuisse, quem hoc ipso nomine etiam exprimit, & ANGELO, quantumuis DEVM repræsentaret, non deberi latriam, ne non tam ad DEVM, quàm ad creaturam videatur eiusmodi adoratio referri. Accedit, quòd semel admonitus non iterum id contendisset, nisi ex quadam tantùm vrbanitate prohibitum se credidisset.

Verba procidendi & adorandi non obstant. Crebrò enim in Scriptura [a], & communi quoque vsu, per externum corporis habitum gestúmve idem hominibus præbetur honor ac veneratio, quæ ANGELIS, & Sanctis, & DEO ipsi, cùm interna sit, longè dispar, vt & quidam exteriores gestus vni DEO proprij: atque contra legem DEI non esse, adorari aliquem hominem, docet egregiè Rupertus [b].

Vsus ... aliquando ... Deum & Sanctos colendum ...
a vt Gen. 19. 1. 23. 7. 12. 2. Reg. 1. 2. & 3. Reg. 1. 16.
b lib. 4 de Trinit. c. 3.

Sed vt redeam ad Cornelium, id quod dixi, falli potuisse in opinione de Petro, tametsi vnum DEVM verè coleret, sentit mecum Alanus Copus [c], post Hieronymum [d], & annuit Bellarminus [e], & Iosephus Stephanus [f], & Gregorius de Valentia [g]. Nec video quàm validè conuelli possit ratio à me allata ex verbis Petri, ab iis, qui præ sola modestia honorem asserunt à Ioanne refutatum, in quibus est præter alios Gabriel Vasquez [h] noster, & Suarez [i], & Salmeron hoc loco.

c Dial. 1. ca. 7.
d cit. loco con. Vigilan.
e Tom. 1. li. 1. de Sanctis c. 14. ad 4.
f lib. de osculat. pedum Rom. Pont. c. 8.
g To. 3. Disp. 6. q. 11. puncto 5.
h li. 1. de adorat. c. 3. num. 161.
i Tom. 1. de Incarnat. Disput. 11. sect. 1.

Procidens ad pedes eius adorauit.] Sic legitur Stephanus custos carceris procidisse ante Paulum, & Silam [k].

k Act. 16. 29.

Non est necesse, vt prono in terram corpore, quod Lot fecit exiens obuiam ANGELIS, & adorans eos [l], & Abigail venerata Dauid [m]. *Ante pedes procumbendi, & ad genua etiam accidendi, gratia salutandi, vel supplicandi, apud exteras nationes,* inquit Iosephus Stephanus [n], *vsus fuit maximus apud Romanos, cum vrbem Consules habuêre, non ita*

l Gen. 19. 1.
m 1. Reg. 25. 23.
n supra c. 1.

crescente

Romani principes sibi genua & pedes osculari voluerunt.

A *crescente tamen paulatim Imperio, cum honorum augmẽto, & peregrini mores inferri cœperunt.* Exẽpla lege apud illũ, tũ de Caio, Caligula, Nerone, Othone, Traiano, Adriano, Antonino, Diocletiano: qui alios ad oscula genuũ & pedum admiserunt, præsertim vltimus, cuius exemplo (vt qui idcirco calceamenta ornaret auro, & argento) inuidiosè, ac falsò Ioannes Cuspinianus Romanum Pontificem calumniatur, tyrannicũ sibi pedes osculandi morem in communem vsum Christianorum perduxisse. Iam verò tempore Constantini Imperatoris morem fuisse antiquum in salutando, ac renunciando Imperatore, in genua procumbere, testis est Eunapius [a], & plurima extant in Historiis profanis, & Ecclesiasticis huius rei monumenta.

a in vita Ædesij.

Imperatores, qui pedes sibi osculari voluerunt, inconsulti fuerũt, alij non.

B Porrò vt inconsultè, qui primi eos honores exegerunt, id fecerint, ac iniquo id animo populus primùm tulerit, in posteris omnem demitigauit inuidiam, quòd iidem in illos à populo honores vltrò, libentérque sint delati, *existimante*, vt Gellius ait [b], *nisi Principes, tanquàm publicos parentes, summo studio venerarentur, aliquid de eorum summa dignitate detrahi, aut imminui.* Furius Camillus cùm triumphans curru vectus est quatuor iũctis equis, tyrannicè putatus est diuinitatem affectasse [c]: at quotquot post illum triumpharunt, sine tyrannidis suspicione morem illum seruauerunt. Cùm Cæsari diadema M. Antonius imposuit, populus aduersatus est [d]: deinde nunquàm in vnius dominatum Respublica peruenit, quin diadema simul cum omnium acclamatione Principi delatum sit. Ad eundem modum quod Diocletianus diuinitatis de se opinionem, vt est auctor Cassiodorus [e], concipiens fecit, hac remota prorsus insolentia, & sine nota, vel iniuria alij, deinceps vsurpauerunt.

b lib. 2. c. 2.

c Plut. in vita.

d Cic. Phil. 2.

e in Chron.

Cornelius procidit ad pedes Petri tanquàm patris spiritualis.

Itaque Cornelius procidit ad pedes Petri tanquàm patris spiritualis, sicut iunior Tobias domum regressus, statim osculatus est patrem, hoc est, veneratus [f]: & Elisæus vtrumque parentem, antequàm Eliam sequeretur [g]: & tanquàm ducis, *ac veluti currus, & auriga* [h], hoc est, in quo summam regiminis, & salutis collocaret: quo pacto eundem Eliam princeps quinquagenarius coluit curuatis genibus [i]: & tanquàm doctoris, & Prophetæ: qua de causa Nabuchodonozor Danielem adoraturus, & hostias ac incensum ei oblaturus, in faciem suam cecidit [k]: & tanquàm supremi hierarchæ, vt ab Alexandro Magno Iaddum (qui & Simon, & Ioiadas, vel Iaduas) Iudæorum Pontificem adoratum prono corpore in terram, tradit cum Iosepho [l], Zonaras [m]. Genua tangebant supplices, qui & Græcè vocantur γονυπετεῖς, velut misericordiæ consecrata, vt Plinius [n] docet, Plutarchus [o], Seruius [p]; & quòd sint symbolum roboris, viriúmque, vt proinde qui non ea flectit Elephas, regiæ sit hieroglyphicum potentiæ. Vel significatur à supplicibus, dum tangunt alterius genua, vt quàm facilè flectit is sua, iam suum facilè inflectat animum; sicut & cùm femur, ab ea se veluti parte vitam expectare, quæ principem tenet in generando locum: sed hac de re plura Ioannes Goropius Becanus [q], póstque ipsum Martinus Roa noster [r]. Aduolui solitos præterea supplices & affundi pedibus dominorum, vel etiam parentum, legimus apud Plinium [s], Saluianum [t], Chrysologum [u], Sidonium [x].

f cap. 11. 7. 11.

g 3. Reg. 19. 20.

h 4. Reg. 2. 12.

i ibid. 1. 13.

k Dan. 2. 46.

l 11. Ant. ca. 8.

m Tom. 1. Annal.

n lib. 11. c. 45.

o rerum Roman. cap. 40.

p in 3. Æneid.

q lib. 5. orig. Antuer.

r lib. 4. Sing. cap. 1. & 4.

s lib. 9. epist. 21.

t epist. ad Hypatiũ & Quietam.

u Ser. 93.

x lib. 4. ep. 23.

In Clemẽte VIII. & alijs Petrum, imò Christum veneramur.

Petrum in Clemẽte VIII. qui viuit, & regnat, & in quolibet alio Romano Pontifice agnoscentes, immò & CHRISTVM ipsum, cuius vices in terris gerit, ad illius pedes exosculandos proni aduoluimur: & meritò vsurpamus illud de ipso, quod est in Deuteronomio [y]: *In dextera illius ignea lex: dilexit populos: omnes Sancti in manu illius sunt: & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Spectat eodem locus Esaiæ [z] sensu saltem accommodationis: *Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi.*

y cap. 33. 2. 3.

z cap. 60. 14.

Imperatores qui Romani Pontificis pedes sunt exosculati.

Denique exploratissimum est, hunc osculi pedum Pontificis honorem Pontifici detulisse ex Imperatoribus Iustinum seniorem, Iustinianum II. Federicum I. (etsi ad osculum pedum non est antè admissus, quàm stratoris officio fungi more Maiorum compelleretur, Constantini præsertim magni exemplo) & posteriores deinceps omnes, vt omittantur Reges Pipinus, Carolus Magnus, & tam multi alij. Sed & inter priuilegia Romani Pontificis, Gregorius VII. sanctitate conspicuus nono loco illud recensuit, quòd solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur [a].

Iam inde etiam ferè ab Innocentij III. tempore communi principum omnium vsu literæ præscriptæ ad Pontificem in salutatione pedum exosculationem continent. Trita est quoque illa adiurandi, & obsecrandi venerabilem personam formula, PER VESTIGIA TVA. Habent item Acta perantiqua Susannæ martyris Præpedignam Caij

C Pontificis de more pedes osculatam. Hac demissione, & proiectione corporis nemo nescit animi demissionem declarari, & quendam præ maiestate alterius pudorem ac ruborem, vt hoc loco cum Beda Glossa ordinaria obseruat; vel, vt Arnobius [b] loquitur, scribens *im salutatos, quibus honor impendebatur, tanquàm ancillæ, aut seruuli trepidationem.*

a refert id Io. Ste. Stephanus de osculat. pedũ Rom. Pot. c. 17. ex lib. 2. Regis. fol. 109 quod est manuscriptũ in Bib. Vatica. & nũc est in to. 3. ep. decretal. lib. 2. epistol. Gre. VII. post epist. 55. pag. 658. edit. Ro.

b li 7. contra Gentes.

At osculum amoris symbolum non seruilem metum, sed filialem, atque reuerentiæ plenum demonstrat.

Episcoporum pedes exosculari mos olim fuit.

Lege Thomam Bozium in signis Ecclesiæ [c], & Cæsarem Baronium in Ecclesiasticis Annalibus [d], qui cùm meminerunt præterea Episcopos eo honoris genere cultos ab Imperatoribus Regibúsque, quod diximus (de Epiphanio testis Hieronymus [e], omnis ætatis & sexus turbam pedes

D exosculatam) argumentum profectò ex minorum, maiorúmque comparatione suppeditat, pro Episcoporum Episcopo: & multò magis cùm Chrysostomus [f] adire Monachos, ad eorúmque prouolui vestigia suadet, & ex Actis Susannæ habetur, etiam Sacerdotibus osculatos pedes. Sed & Episcopi vt Pontificis oscularentur pedes, æquè certum est, extátque luculẽtum testimonium in epistolis Orientaliũ Episcoporum ad Symmachũ [g]. Anastasius Bibliothecarius describens creationem Leonis IV. Pontificis, quæ fuit anno CHRISTI 847. tradit in Lateranensi Patriarchio, pedes ei, morem obseruando antiquum, omnes osculatos esse.

E Est item in Actis Hippolyti, Eusebij, & sociorum Martyrum, ad Stephani Papæ pedes anno circiter 259. sanctos illos Martyres & alios fideles se abiecisse.

c lib. præsertim 20. cap. 5.

d varijs locis.

e epist. 61. ad Pammac.

f Hom. 59. ad populum.

g Tom. 2. epi. Rom. Pontif.

Hoc tempore Cardinales ac multis retrò annis, post vnam, aut alteram pedum Põtificis osculationem in ipsius electione, deferunt ei manus tantùm, vel os inter Missarum solemnia, cùm ad osculum admittuntur. Sunt enim Pontificis, ac Ecclesiæ totius primarij cõsiliarij, ac veluti cardines, super quos posuit DEVS orbem [h].

h 1. Reg. 2. 8. Iob 9. 13.

Versus 26.] Petrus verò eleuauit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum.

a Robert. Stephan.
Leontius quale Eusebiæ Imperatrici responsum dederit.

PETRVS *verò eleuauit eum.*] Quidam codices [a] Græci habent, ἀνάστηθι, τί ποιεῖς; κἀγὼ, &c. *Surge, quid facis? & ego, &c.* Suidas scribens de Leontio Tripolis Lydiæ Episcopo, narrat, cùm Eusebia Constantij vxor superbia elata, ab Episcopis adoraretur, solus verò eam adulationem aspernatus domi maneret; & illa ad Concilium indictum quà minis, quà precibus, quà promissis illum euocaret, hoc modo respondisse: *Si me ad te venire volueris, debita Episcopis reuerentia conseruata, vt ego quidem ingrediar; tu autem statim de sublimi isto solio descendēs, reuerenter mihi obuiam procedas, & caput meis manibus supponas benedictionem acceptura: ac deinde ego sedeam, tu verecundè astes, cùm iussero, signo dato sessura; si hæ, inquam, tibi conditiones placuerint, veniam ad te: sin alio modo, non tam multa dabis, tam magna non poteris, vt nos honore Episcopis conueniente neglecto, diuinum sacerdotij institutum violemus.*

b in cap. 49.
Reges in Synodo quale submissionis signum coram Episcopis ediderint.

Leo Castro interpretans Esaiam [b], testatur se in peruetusto codice legisse, Reges olim cùm adirent Episcoporum Synodum, procumbere solitos toto corpore in terram ante Episcopos, & terram ipsam exosculari, neque priùs se attollere humo, quàm illi suis sedibus surgerent, & illos brachiis attollerēt, & sella quadam regia pro dignitate collocarent. Non surrexisset, opinor, ingenuus hic, & pius Cornelius, nisi Petri imperio, & manibus erectus, qui præ modestia, vt antè vidimus, non est passus tantam demissionem: aut vt corrigeret nimiam Cornelij opinionem de ipso, aut vt aliorum vel errori, vel offensioni occurreret: postremò, vt hoc etiam quasi præmium honoris illis præsertim teneræ Ecclesiæ principiis reiiceret, qui pote, vt cecinit Arator,

—genibus quem poplite flexo
Non sinit adnolui: gratis dare munera suetus
Arcet honoris opus.—

Gregorij magni singularis humilitatis exemplū.

c cap. 151.

Gregorius Magnus, is qui cum celsitudine Pontificiæ maiestatis Christianam humilitatem summoperè coluit, &, vt priùs cognouimus, Petri illam modestiam celebrauit, Ioannem Abbatem Persam, vt est in Prato spirituali [c], ad se adorandum, in media vrbe progredientem præuertit, prostrando se humi coram illo, neque antè surgendo, quàm illum surrexisse vidisset. Alter Gregorius ordine V. vnà cum Othone Imperatore obuiàm processit Nilo Abbati, & illum vterque in medio collocatum deduxit, ac summa veneratione manus est exosculatus [d].

d in vita Nili, & Gabriel Barrius libr. 5. de ant. Calab.
Priuilegium sanctitatis quale.

Est hoc priuilegium sanctitatis, non præiudicium hierarchicæ dignitatis; & verò non desunt talia in aliis inferioribus exempla, vt in Nicephoro Constantinopolitano, qui sanctissimum cōfessorem Theophanem diuino instinctu cognoscēs, cereis & incenso eminùs excepit, prosequutus est, flexis genibus adorauit [e].

e Zonaras in Leone Armeno.
Ecclesia tempori seruiens cos est venerata, à quibus coli debuit.

f lib. 6.

g 3. Trip. c. 1.

Nonnunquàm tempori seruitum est, & saluti publicæ, cùm ingruerent Tyranni imbecilla adhuc admodùm Ecclesia, & à Præsulibus ipsis hi dati honores Tyrannis, qui debebantur sibi ab ipsis. Hoc de Apostolis Simone ac Iuda prodit Abdias [f] (cuicuimodi tandem is sit, quem habemus) vt iratum Regis animum compescerent contra impios: hoc de Simeone Seleuciēsi Cassiodorus [g], quem ait tamen, cùm pro fide pugil ante Saporem sisteretur, venerationem ei ante id tempus impensam negasse. Eòdem pertinet, si quando nonnihil Pastor de suo iure remittat, vt ouem aberrantem alliciat, & reducat. Hæc Eugenium IV. ratio impulit, vt Ioannem Palæologum Orientis Imperatorem, ne ante pedes in genua procumberet inhibuerit, Sigismundum verò, vt id faceret, permiserit, qui erat Latinorum Imperator. Eadē de causa Adrianus Papa I. obtestari se scribit Constantino & Irenæ, prouolutum ad eorum pedes, imaginum piarum vt vsum restitutum velint: atque similis submissionis reperientur non pauca exempla in epistolis Pontificum ad Principes seculares, quorum Ecclesia, vel edictis vel persecutione vexaretur.

Cornelius putauit in Petro esse aliquid diuinitatis.

h Apocal. 19. 10. c. 22. 8.

Et ego ipse homo sum.] Hæc ratio demonstrat, putasse Petrum residere in Cornelio de ipsius diuinitate opinionem. Certè minus est hominem se affirmare, quàm conseruum, vt respondit Angelus Ioanni [h]. Id multò magis verum est, si verum est quod ait Caietanus, ego autem non dubito esse falsum, *fuisse morem Iudæorum soli* DEO *flectere vtrumque genu.*

Hominem se esse meminisse quantum prosit.

i Dan. 4. 30.

k Act. 12. 22. 23.

l Psal. 9. 21.

m in Moral. c. 58.

Si se meminisset hominem Nabuchodonozor [i], bestia non euasisset. Si Herodes diuinos honores non acceptasset, vermibus consumptus nō periisset, vt posteà [k] videbimus. *Constitue*, inquit Dauid [l], *legislatorem super eos, vt sciant Gentes, quoniam homines sunt.* Vbi est Hebræum nomen אנוש *enosch*, quod significat miserum, & ærumnosum, laboribus, & miseriis obnoxium. Basilius [m] congerit modestiæ Christianæ exempla, quibus doceat non patiendum, vt nobis præter modum honos habeatur. In his & hoc Petri affert, & contrarium illud Herodis.

Versus 27.] Et loquens cum illo intrauit, & inuenit multos, qui conuenerant.

ET *loquens cum illo.*] De illis colloquens, quæ proximè antè dicta sunt, vt placet Chrysostomo, exponensque conditionem suam, quòd nimirum homo esset, atque mortalis.

Et inuenit multos, qui conuenerant.] Accersitos à Cornelio cognatos, necessarios, amicos, qui non prodierant omnes Petro obuiam, ne præ multitudine nouas res ciere viderentur.

Versus 28.] Dixitque ad illos: Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit DEVS, neminem communem, aut immundum dicere hominem.

n Ioan. 4. 9.

DIXITQVE *ad illos: Vos scitis.*] Glossa interlinearis monet, vel affirmãdo, vel interrogando Petrum loqui posse nos intelligere. Posteriorem modum posuit, quia mirum videri posset, Gentiles, quibuscum loquebatur, huiusmodi res scire. Sed non est mirum; experientiâ enim id non minùs discebant, quàm quod Samaritana de Samaritanis dixit *non coiūt Iudæos illis* [n]. *Non statim dicit linteum*, inquit Chrysostomus, *quia valdè erat alienus à vana gloria.*

Abominatum sit.] Ἀθέμιτον, *nefas, & contra ius.* Syrus, דלא מפס *dela mappes*, i. *quod non licet*, seu *non licitum.* Chrysostomus Græcam vocem exponit eodem hoc secundo modo; ait namque modestè loqui Petrum, nec dicere, *Non dignamur accedere aliquos homines, & tamen venimus ad te: sed vos scitis,*

quod

quod DEVS *hoc iussit,ideóque iniustum esse adhærere, vel accedere alienigenam.* Idem est ἀθέμιτον,& ἀθέμιστον. Vtrumque deriuatur à nomine θέμις, id est, *lex, institutum, ius, fas, & similia:* ideóque significat *nefarium,impium,nefandum,nefastum,legibus vetitum, illicitum, iniquum.* Dicitur quoque ἀθέμιστος ab Homero,teste Aristotele[a],de illo,qui societatem hominum fugit,

a 1.Polit.c.2.

b Iliad.1.

——— Ἀφρήτωρ,inquit Homerus[b], ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,

Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου.———

Abominari quid sit.

Latinum vocabulum abominandi à simplici verbo ominor, & præpositione ab, compositum, significat pro malo omine habere, execrari, fastidire, ab his rebus fugere, quæ corruptæ sunt, & pestilentes;& abominationis vox sæpe dicitur de idolis,aut de rebus quæ offeruntur illis,aut de iis, qui honores diuinos sibi arrogant. *Cùm videritis,* inquit CHRISTVS[c], *abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta[d], stantem in loco sancto,* hoc est,Antichristum,vel Cæsaris imaginē,vel equestrem statuam Adriani, vt exponit Hieronymus[e], etsi alij malunt simpliciùs intelligere de desolatione abominabili ciuitatis Ierosolymitanæ per exercitum Titi. Lege Ioannis Ferdinandi Thesaurum Scripturarum[f],& Pinedam[g].

c Matt.24.15.

d cap.9.27.

e ibidem.

f in verbo, Abominor.

Abominabilis quis dicatur.

g in Iob. c 15. vers.16.n.1.& 2.& c.19.vers. 19.nu.1.

Denique abominatus, & abominabilis homo is dicitur, quem nemo auditu, visu, congressu, contactu, familiaritate dignatur, sed vt immundum,& turpissimum auersatur,detestatur,execratur, & vno verbo, vt anathema ducit, atque excommunicatum. Hanc Iudæorum à ceteris gentibus auersionem Romani,Græcique ridebant,ac eos vicissim vt hominum vile genus,superbum,ac intolerabilis fastus fastidiebant,vt videre est apud Poëtas, Horatium, Martialem, Iuuenalem, & ex Historicis apud Tacitum,& Suetonium.

h cap.17.18.

Ad alienigenam.] Græcè est ἀλλόφυλος, sed in Euangelio Lucæ[h],quem Interpres quoque vocat alienigenam, Samaritanum,leprosum,nominatur alio vocabulo ἀλλογενής, & in aliis Scripturæ locis eidem voci Græcæ τῷ ἀλλοφύλῳ, eadem hæc Latina respondet.

i in cap 1. Amos.

Alienigena in Scriptura quis dicatur.

Hieronymus[i] docet, vbicumque in veteri Testamento ἀλλοφύλους, id est, *alienigenas*, legimus, non commune nomen omnium gentium,sed esse proprium Philistiim, hoc est, Palæstinorum. Id sanè verum non est, quando cum alienigenis ponitur huiusmodi particula, quæ vocis significationem aliter limitat.Exempli causa,cùm est particula *omnis*. Sic in Exodo[k], vbi agitur de agno comedendo,habetur, *Omnis alienigena non comedet ex eo,* id est, *omnis incircumcisus, & infidelis*, quia Hebraicè est vox, נכר *nechar*, quæ significat ignotum: sicut & in præsenti loco Syriacè legitur, נוכריא *nucheraia:* erant autem Gētiles omnes quasi ignoti DEO,& soli Israëlitæ noti tantummodò. *Cognoui vos ex omnibus cognationibus terræ,* inquit DEVS apud Amos[l].

k cap.12 43.

l cap 3.2.

Palæstini cur alienigenæ dicti sint.

m Deut.2. 23.

Ratio autem cur Palæstinos vocare soleant septuaginta Interpretes ἀλλοφύλους, id est, *alienigenas*, & aliarum tribuum,hæc est,quoniam à Cappadocia irrumpentes Heuæos deleuerunt vsque Gazam[m], illicque pro eis deinceps habitauerunt. Cùmque essent inter habitatores terræ Chanaan, siue Promissionis alienigenæ, inuidiosum vocabulum retinuerunt apud Iudæos,qui illos pro iuratis hostibus habebant,nec expellere poterant.

Sed mihi ostendit DEVS, *neminem communem, aut immundum dicere hominem.*] Non id ostendit DEVS explicitè, sed ex ostensa visione, & aduentu nunciorum Cornelij ratiocinando intulit, præsertim cùm ei dictum est: *Vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos;&, Quæ* DEVS *purificauit, tu commune ne dixeris. Deputat* DEO *aduentum suum, & vitat opinionem, ne videretur Cornelio, à quo tam honorificè tractaretur, adulari*, inquit Chrysostomus.

Versus 29.] Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me?

SINE *dubitatione.*] Ἀναντιρρήτως. Syrus, עתד אית *hhathida ith*, id est, *promptè*, seu, *expeditè*. Aduerbium Græcum significat, *citra contradictionem.*

Interrogo ergo,quam ob causam accersistis me?] *Tametsi causam ipse non ignoraret, ac se scire satis prioribus verbis præ se tulisset, voluit illos primum id confiteri, & fidei mancipare,* inquit Chrysostomus,& Oecumenius. Imitatus est DEVM, qui interrogationibus elicit alterius mentem, & consilium,aut etiam ea ratione detegit latens vitium,aut excitat ardorem desiderij, aut facit, vt respondens ferat contra se sententiam, aut ita indicat libertatem voluntatis nostræ, aut occasionem sumit declarandi aliquod mysterium.Exemplis abundamus in vtroque Testamento,vt cùm interrogati sunt à DEO Adam[n], & Cain[o],& Satan ipse[p], cùm à CHRISTO Andreas cum Condiscipulo[q],Philippus[r], Martha[s], Discipuli euntes in Emmaus[t],Simon Leprosus[u], mater filiorum Zebedæi[x],&c.Idem dico de ANGELIS interrogantibus,vt apud Esaiam[y] Salmeron[z] noster pereruditè nouem causas tractat, ob quas DEVS interrogationis, vel dubitationis formula inter loquendum vtatur.

Cur Deus interroget quæ aliàs probè nouit.

n Gen.3.9.

o infrà 4.6.

p Iob.1.7.cap. 2.2.

q Ioan.1.38.

r infrà 6.5.

s infrà 11.27. 34.

t Luc.vlt.17.

u Luc.7.42.

x Matt.20.21.

y cap.63.1.

z Tom.1.prologo 11.quinquag 3. canone 14.

Versus 30.] Et Cornelius ait: A nudiusquarta die vsque ad hanc horam,orās eram hora nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida,& ait.

A NVDIVSQVARTA *die vsque ad hanc horam.*] Mansuetè, & humiliter repetit quæ iam Petrus per nuncios didicerat.

A nudiusquarta die.] Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας. Syrus sic habet, ארבעה יומין אית עד מא להשא *arbehhah iaumin ith hhad ma lehascha*, id est, *Quatuor sunt dies vsque ad nunc. Prima die viderat Angelum, & miserat nuncios:secunda hi peruenerunt Ioppen: tertia iidem inde cum Petro profecti sunt: quarta reuerterunt Cæsaream*, inquit Glossa citata à Lyrano, & Magister Historiæ Scholasticæ[a].

a in Act. Apostol.

Vsque ad hanc horam.] *Fortè,* inquit Caietanus, *illamet hora erat hora nona:* hoc enim videtur significare quod sequitur, *orans eram hora nona.* De mysteriis huius horæ lege versu 3. Chrysostomus ait Cornelium vitæ sibi religiosę tempora constituisse. Non est vir pius qui non statis horis oret, aliáve pia opera exequatur.Exempla habemus in Dauid,Daniele,aliisque.

Pius non est, qui horis statis non orat.

Orans eram hora nona.] Syrus, *ex quo ecce ieiunio*, vel, *ieiuno ego, & hora nona cùm precarer domi meæ.* Meminimus nos superiùs,quosdam Cornelio tribuere cum eleemosynis & orationibus etiam ieiunia. Glossa cum Beda notant, quòd in quibusdam etiam Latinis codicibus, & in Græcis omnibus ita scriptum est: *A quarta die vsque in hanc*

horam eram ieiunans, & adorans à sexta vsque ad nonam. Ex quo inferunt tribus continuis horis orasse. Nunc ita habet Græcus textus: Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων, καὶ τὴν ἐννάτην ὥραν προσευχόμενος. Aliqui codices Græci, vt notat Gagneius, habent ἤμην, *sedebam*, vúltque effici, vt Cornelius ieiunarit quatriduum totum. Caietanus item legit, *sedebam ieiunus*. Chrysostomus existimat velle Cornelium dicere, quòd antequàm ANGELVS appareret, præcesserant omnes illi dies: & Oecumenius consentiens addit, orationem durasse tres horas cùm ANGELVS venit.

Cornelius orauit, & ieiunauit, quando visus est ei Angelus.

Simplicior sensus est, qui etiam magis placet eidem Auctori, & passim aliis, sequendo Græcum textum, necnon & Latinum, quod attinet ad orationem, vt Cornelius dicatur orasse, vel quoque ieiunasse die quodam, qui quartus esset ab eo die, quo cum Petro colloquebatur. Bene autem idem Caietanus colligit, quòd in vigilia habuit Cornelius illam visionem: orare enim vigilantis est. Verùm cur vocat imaginariam? ad externos námque sensus exhibita est.

Vir.] Ita nominat ANGELVM, Angeli nomen non exprimens, vt sit alienus à fastu, inquit Chrysostomus: vel quoniam non erat versatus in Theologica scientia de ANGELIS, verùm sint puri spiritus, & in assumptis, non in propriis corporibus appareant. In Ascensione CHRISTI qui apparuerunt duo ANGELI, viri vocati sunt. Lege quæ capite primo dixi [a].

a versu 10.

In veste candida.] Ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ. Syrus, כד לביש חורא *chad lebisch chaure*, id est, *cùm esset albis indutus.* Dicti illi ANGELI in Ascensione Domini erant ἐν ἐσθῆτι λευκῇ. Nomen Græcum posterius propriè significat colorem album; at nomen λαμπρὸς, splendentem, & illustrem, cuiuscunque coloris sit. Quare non omnis vestis candida est item alba. Vnde Horatius [b]:

Color albus & candidus idem non sunt.

b lib. 2. Serm. Satyr. 6.

—*rubro vbi cocco*
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

Vocari etiam solet flamma candida, & ferrum candens, & quidquid pulchrum, dicitur quandoque candidum.

Quia tamen albus inter omnes colores plurimùm splendoris, & lucis habet, propterea sæpe idem est candidum, quod album, præcipuè quod niueum est, & pura luce perfusum, vt loquitur Isidorus [c].

c lib. 12. Orig. cap. 1. Candida vestis non est eadem cum alba.

Non, opinor, cogimur dicere, albam vestem Iacobum Apostolū intellexisse, cùm dixit [d]: *Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens, in veste candida*, ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ. Cùm & CHRISTI Domini vestes albi coloris fuisse minimè credibile sit, tamen in Transfiguratione fuisse albiores, quàm fullo possit facere, & velut niuem, docent Euangelistæ [e]. Fortassis etiam vestis alba, qua ludibrij causa Herodes induit CHRISTVM [f], non tam erat albi coloris, quàm candida, & fulgens, vt aulæ principibus gestare mos est. Est enim etiam apud Euangelistam ἐσθὴς λαμπρά. Nisi quis in albo colore mysterium latere dicat, nempe significationem innocentiæ CHRISTI, quia solerent rei atrati apparere: sicut & Æthiopes nigri denotant peccatores, iustos hi, qui sunt candidiores niue [g].

d cap. 2. 2.

e Matth. 17. 2. Marc. 9. 3. Lucæ 9. 29. f infrà 23. 11.

g Hiero. in c. 9. Amos. h Pineda in c. 0. Iob. vers. 10. nu. 6.

Nego tamen quod quidam [h] affirmat, subesse Græcam vocem, quæ significat splendorem, vbi Interpres noster albas, aut candidas vestes vocat. Nam in capite primo huius historiæ, vt antè dixi, est λευκαῖς, necnon in Apocalypsi [i], in qua paucis locis pro Latino candidi nomine, est Græcum λαμπρὸν [k].

i cap. 1. 14. c. 4. 4. c. 6. 11. 7. 9. 13. cap. 3. 14. k c. 15. 6. c. 22. 1.

Versus 31.] Et ait: Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu DEI.

ORATIO *tua.*] Superiùs versu 4. in plurali, *Orationes tuæ.*

Commemoratæ sunt.] Hoc est quod priùs ibidem dictum est, *ascenderunt in memoriam.* Syrus sic vertit, אשתמעת צלותך ולזד קתך דוברנא הוא קדם אלהא *eschtham bhath tselutbach valzed kathach ducherana haua kedam elaha*, id est, *exaudita est oratio tua, & de eleemosynis tuis commemoratio fuit*, vel, *mentio facta fuit coram* DEO, quasi recitante aliquo ex codice, aut narrante, atque commemorante. Lege quæ ibi diximus.

Versus 32.] MITTE ergo in Ioppen, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare.

IVXTA *mare.*] In fine huius versiculi post ista verba habet Græcus textus, quem Syrus quoque interpretatur, ὃς παραγενόμενος λαλήσει σοι: *Qui cum accesserit, loquetur tibi.*

Versus 33.] Confestim ergo misi ad te: & tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcunque tibi præcepta sunt à Domino.

CONFESTIM.] Ἐξαυτῆς, aliquando disiunctim eadem significatione, & videtur subaudiri ὥρας: tuncque respectus est ad eam ipsam horam, qua ANGELVS Cornelio locutus est. Rarus est huius aduerbij vsus etiam apud profanos, teste Suida; & præterea bis reperitur in nouo Testamento [l].

l Mar. 6. 25. Philip. 2. 23.

In cōspectu tuo.] Ita quoque Syrus habet, קדמיך *kedamaich*, i. corā te. Sed Græcè est, ἐνώπιον τοῦ ΘΕΟΥ, *coram* DEO. Non dixit, *coram homine*, sed *coram* DEO. *Ostendens sic oportere accedere seruos* DEI, inquit Chrysostomus. *Et rectè id dicitur*, ait Glossa, *ab eo, qui* DEO *promptus erat obtemperare, credens eum vbique præsentem esse.* Laudat Apostolus Thessalonicenses [m], DEOque gratias agit ea de causa sine intermissione, *quod cùm accepissent ab eo verbum auditus* DEI, *acceperunt illud non vt verbum hominum, sed, sicut est verè, verbum* DEI.

Cur à Deo quam ab homine.

m 1. ep. 2. 13.

Iuuat mirificè auditorem verbi DEI hæc cogitatio, si secum reputet loqui DEVM per Ecclesiastem tanquàm per fistulam, vel tubam, & huius rei voluit idem DEVS non obscura edi documenta, cùm aut ad concionantis aures columbam, ANGELVMue insusurrantem ostendit, aut super caput igneam columnam, vt aliàs notaui.

Quid iuuet verbi Dei auditorem.

Iuxta editionem nostram, in conspectu alterius adesse, est promptum, paratúmque te exhibere ad audiendum, & obediendum, sicut generaliter esse rem in conspectu alicuius, & coram aliquo, est esse in potestate illius, seu arbitrio, &

subiici

subiici delectui oculorum, vt terram esse coram, quæ phrasis aliquoties occurrit[a].

Eôdem spectat forensis illa formula, vt esse coram DEO, vel alio, sit eius sisti iudicio, vt illius dicto, vel iudicio stare debeat, neque contradicere queat. Illustre huius exemplum petitur ex Esdra[b]: *Ecce coram te sumus in delicto nostro: non enim stari potest coram te super hoc.*

Omnia quæcunque tibi præcepta sunt à Domino.] Ὑπὸ τοῦ ΘΕΟΥ, à DEO, vel in visione lintei, vel quæ proponi solerét iussu CHRISTI his, qui CHRISTO nomen dare vellent siue ad credendum, siue ad operandum, inter quæ vnum quiddam exprimit Petrus paulò pòst[c]. *Docètes eos*, inquit CHRISTVS, *seruare omnia quæcunque mandaui vobis*[d]. Vbi indicat, vt monet Theophylactus, neque fidem, neque Baptismum ad salutem satis esse, nisi etiam DEI præcepta seruentur.

a vt Gen. 13. 9. c. 20. 15. Ierem. 40. 4.
b 1. Esd. 9. 15.
c vers. 42.
d Mat. 28. vlt.
Fides non sufficit ad salutem.

Versus 34.] Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor DEVS.

APERIENS *autem Petrus os suum.*] De hac phrasi lege caput octauum[e]. Indicat hîc Petrum rogatum, & de grauissimis rebus, ac liberè sermonem instituere.

In veritate comperi, quia non est personarum acceptor DEVS.] Eadem sententia extat aliis aliquot in Scripturæ locis[f].

In DEVM non cadit propriè acceptio personarum, vt B. Thomas[g] rectè docet, quamuis assumat vnum per gratiam, & alium in peccato relinquat. *Nam duplex*, inquit, *est datio, vna pertinens ad iustitiam, cùm quis dat alicui, quod ei debetur, alia ad liberalitatem pertinens. Posterioris generis est collatio munerum gratiæ, ac proinde non habet in ea locum acceptio personarum, quoniam potest quiuis de suo dare quantum, & cui vult, iuxta illud: Non licet mihi quod volo facere*[h]?

Item ex parte personarum diuersarum à DEO, nulla ex se digna est donis istis gratiæ, prout antecedunt iustificationem, nec vna consequenter dignior quàm alia: atque idcirco quòd vni dentur, & non alteri, non est acceptio personarum.

Et tamen liberalitas potest habere locum, quia si attendamus primam infusionem gratiæ habitualis iustificantis in adulto, DEVS prius reddit quodammodò dignum, hoc est, dispositum subiectum per motus supernaturales, quos ipse excitat, & quibus liberum subiecti arbitrium auxilio gratiæ adiutum (quæ dicitur adiuuans) cooperatur, sed absolutè, simpliciterque, ac propriè nequit dici mereri illam gratiam iustificantem.

Quanquàm quantùm ad augmentum huius eiusdem gratiæ iustificantis, DEVS censeri potest seruare, supposita sua promissione, seu pacto, iustitiam. Et idem est de collatione gloriæ, quoniam & hæc, & illud gratiæ augmentum respondent condignitati meritorum, aut etiam gloriæ quantitas, condignitati gratiæ iustificantis.

Tunc tamen etiam dici potest DEVS non esse personarum acceptor, quatenus, vt ait Ambrosius[i], *nulla apud eum discretio personarum est, nisi morum, & vitæ, vt homines vnius fidei meritis distinguantur, non personis.* Ex quo & obiter refelluntur, qui hanc sententiam detorquent ad æqualitatem gratiæ & gloriæ.

Meritò itaque Pelagianos Augustinus[k] redar-

e vers. 35.
f Deut. 10. 17. 2. Par. 19. 7. Iob. 34. 19. Sap. 6. 8. Eccl. 35. 16. Rom. 2. 11. Ephes. 6. 9. Coloss. 3. 25. 1. Pet. 1. 17.
Personarum acceptio in Deum non cadit.
g 2. 2. q. 63. a. 1. ad 3. & 1. p. q. 23. a. 5. ad 3.
h Matt. 20. 15.
Liberalitas quomodo esse possit in prima infusione gratiæ.
Deus seruat iustitiam in augmento gratiæ & gloriæ datione.
Non est acceptio personarū in hoc.
i in cap. 3. ad Gal.
k epist. 105.

A guit, qui DEVM in danda gratia faciebant acceptorem personarum: *Dat enim*, ait Augustinus, *præuenientem congruam gratiam non omnibus, sed quibusdam, quoniam est omninò indebita, & prorsus gratuita: atque bene operantes, séque cum eiusmodi gratia disponentes, tantùm de congruo ex benignitate & liberalitate respicit ipse, & acceptat, & ordinat ad conferendam ipsis remissionem peccatorum, & sanctificationem.*

Vnde quoque infertur, non omnia opera eorum, qui nondum sunt iustificati, esse mala, sed aliqua esse posse verè bona, quamuis non meritoria de condigno. Hæc fusiùs habent scholæ nostræ de Gratia, & Iustificatione: non penitus tamen fuerunt omittenda, contra Hæreticos huius loci
B commentatores.

Ceterùm Petrus non hîc agit de illa acceptione personarum, quæ vitium est contra iustitiæ virtutem, sed de ea, quæ pertinet ad optionem, electionémque gratuitam. Iudæi etenim, sub quorum persona, & propter quos alloquitur astantes, semper sibi persuaserunt se præ aliis omnibus gentibus electos, vt quemadmodum ipsi olim, ipsorúmque proselyti ad Synagogam spectabant, ita & nunc soli ad Ecclesiam pertineant, saltem in eo quod attinet ad externa dona, ac extrinsecam professionem religionis. Siquidem non ignorabant olim contigisse salutem aliis in lege naturæ, vt Iob.

C Dicit itaque Petrus comperisse se in veritate, non vocari ad Ecclesiam Iudæos solos, seu qui legem vt proselyti ex Gentibus profiteantur, sed quoscumque ex iisdem Gentibus absque onere legis, ita vt immediatè transferantur ad Ecclesiā, & ad capiendum fructum redemptionis CHRISTI. Exponitur luculentè hic locus ex his, quæ Paulus ad Ephesios[l] scribit: *Propter quod memores estote, quod aliquando vos, qui eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea, quæ dicitur Circumcisio in carne, manu facta, quia eratis illo tempore sine* CHRISTO, *alienati à conuersatione Israël, & hospites Testamentorum* (veteris nempe, quod Israëlitæ iam habebant, & noui, quod sub Messia sperabant) *promissionis spem non habentes, & si-*
D *ne* DEO *in hoc mundo: nunc autem in* CHRISTO IESV *vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè, in sanguine* CHRISTI. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt concilièt ambos in vno corpore* DEO *per crucem, interficiens inimicitias in semetipso, & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis qui propè, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno* SPIRITV *ad* PATREM. *Ergo iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici* DEI, *superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum* (id est,
E in quo vtrique fundati sunt) *ipso* videlicet *summo angulari lapide* CHRISTO IESV, *in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum* DEI *in* SPIRITV *sancto.*

Hæc ibi omnia Paulus pergens in eodem argumento etiam capite sequenti, docénsque hactenus satis obscurum fuisse, *fore, vt in* SPIRITV *gentes fierent cohæredes, & concorporales* (id est, simul ac æquè partes in eodem corpore Ecclesiæ) *& comparticipes promissionis in* CHRISTO IESV *per Euangelium.*

De vitio ipso acceptionis personarum omitto

Contra Pelagianos Deus gratiā præuenientē dare dicitur.
Opera omnia nō iustificati mala non sunt.
Acceptio personarum, de qua Petrus hic agit, quæ sit.
Sensus verborū Petri.
l cap. 2. 11. ad finem vsque. Gentes quantum & qualiter à Christo alienæ.

a In c.2.ep.ad Gal.

A dicere. Vnum illud cum Hieronymo [a] notatum velimo, quo nunc argumento Petrus vtitur aduersùm eos, qui in Cornelio ex Gentibus admisso, nec circumciso, scandalum sustinebant, eodem contra Petrum ipsum Paulum vsum, *quod personarum non sit acceptor* DEVS, *sed vnumquemque pro veritate iudicet*: vt quamuis Petro vt præcessori deferat, nihilominùs audacter ei resistat in faciem veritate compulsus.

In veritate comperi.] Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι, in præsenti verè comperio, deprehendo, conuincor, nimirum manifestis argumentis, tam reuelationis mihi factæ, quàm diuinæ admonitionis Cornelio.

Petrus nō ignorabat Deū personarum acceptorem non esse.

B Non ignorabat priùs Petrus, DEVM non esse acceptorem personarum, nec ei deerat experimentum in seipso, & Condiscipulis, quos singulari beneficio elegerat: sed tum id nunc sciri dicitur, quod scitur magis; tum adhuc nullo experimento didicerat Gentilibus apertam portam in Ecclesiam. Sciebat Iob DEVM non parcere delinquenti [b], priusquàm incideret in illas calamitates; attamen id tunc dixit, cùm expertus est: sciebat DEVS quòd Abraham timebat DEVM, etiam antequàm filium immolaret; tunc nihilominùs hoc expressit [c].

b cap.9.28.

c Gen.22.12.

Experientia rerum magistra.

C Veritas meritò in experientia versari, & esse dicitur, hæc enim rerum magistra est, omnísque nostra scientia ex pluribus experientiis collecta est, & quandiu animus vniuersalem scientiam tenet, quodammodò in vmbra iacet, donec ad experimentum descendit, & sic veluti excussa vmbra veritatem penitiùs intuetur. Hoc præsertim locũ habet, in practicis & moralibus, atque prætereà in promissis: quæ omnia maximè vera dicuntur, cùm ad singularia rediguntur, quæ reipsa extent. Quæ item causa est, cur nouum Testamentum veteris comparatione veritas nominetur, quia quod in eo adumbratum & promissum est, præsens exhibuit. *Lex per Moysen data est*, inquit Ioannes [d], *gratia & veritas per* IESVM CHRISTVM *facta est*: rectè *facta*, quoniam quæ in praxim non reuocatur veritas, cognita solum est, non facta.

d cap.1.17.

In veritate species est iuramenti.

D Possumus prætereà dicere, dictiones, *in veritate*, continere formam asseuerationis, atque etiam iuramenti, sicut interdum *vere*, est enim sæpe pro his in textu Hebræo vox aliqua à radice אמן *aman*, quod est, fidelem esse stabilem, veracem, constantem in dictis promissísque; vnde *amen*, quod idem valet, atque τὸ γένοιτο, *ita fiat*, vel *esto*, firmum, fixum, immutabile, estque aliquando iuramenti forma. Vnde haberi potest pro iuramento quod Abraham dixit Pharaoni, *Verè soror mea est* [e]; & Iob [f]: *Verè scio quod ita sit*; & Dauid [g], *Sicut iurasti Dauid in veritate tua*, id est, per veritatem tuam, quasi dicas, per fidem. Et CHRISTVS [h]: *In veritate dico vobis*; & [i], *Ego in veritate dico vobis*; & [k], *Verè dico vobis*.

e Gen.20.5.
f cap.9.2.
g Psal.88.50.
h Luc.4.25.
i Ioan.16.7.
k Luc.21.3.

E Maldonatus [l] notat, *Amen* habere duplicem vsum, vel ad confirmandum iam antè dicta à nobis, aut ab alio, vel ad affirmandum quæ simus dicturi; ac posteriorem in nouo Testamento esse frequentissimum iuxta Syriacam linguam, qua id ferè scriptum est, priorem rarum: contrà in vetere posteriorem rarum, priorem frequentissimum, secundùm linguam Hebraicam illi Testamento familiarem. Aquila nonnunquàm reddit, πεπιστωμένως, id est, *fideliter*, Septuaginta γένοιτο, *fiat*, vt monet S. Hieronymus [m]. Nō dubito quin prior vsus, si minùs in Scriptura, certè in precibus, & prædicationibus noui Testamenti sit perfrequens.

l in c.5.Matt. *Amen duplicem vsum habet, ex Maldonato.*

m epi.134. ad Sophron. & 137. ad Marcellum. & li. 8. in cap. 23. Esaiæ. & in c. vlt. ep. ad Gal. in fine. & Matth. 6.

A Nam Paulus [n] asserit non posse aliquem respondere *Amen*, id est, inquit Hieronymus [o], confirmare quæ prædicta sunt, nisi intellexerit prædicationem. Et de Psalmis Dauid inquit Ausonius:

Consona quem celebrant modulati carmina Dauid,
Et responsuris ferit aëra vocibus amen.

n 1.Cor.14. 16.
o epist.155.

Vocat etiam idem Hieronymus [p] *Amen* signaculum orationis Dominicæ, quasi dicatur, *Ita sit, vt est dictum*. Rupertus [q], & B. Antoninus [r] obseruant, alios Euangelistas contentos esse in oratione ponere semel, *Amen*, Ioannem id geminare, quia hic magis persecutus est pertinentia ad CHRISTI diuinitatem, quæ exigunt maiorem

p in c.6.Matthæi. *Amen signaculum orationis Dominicæ.*
q in c.1.Ioan.
r 1.par.Hist.c.8.tit.5.§.1. *Cur Ioannes repetat Amen.*

B affirmationem, *quasi*, inquit, *dicat Verè, verè*, quod esse iuramentum perinde ac in Testamento vetere, *Viuo ego*, aut, *Viuit anima tua*, docet iam toties citatus Hieronymus [s]. Sed quia quandoque bis repetit Ioannes *Amen*, narrans aliquid de CHRISTO, quod alij pariter narrant Euangelistæ, semel contenti dixisse, nec illud est ex his, quæ magis attingant diuinitatem CHRISTI, præstat dicere vnum esse ex idiotismis Ioannis, & vnam ex propriis ipsi loquendi formulis, quas libentiùs frequentat. Citat de hac ipsa re Remigium, sequiturque Benedictus Papa XI. [t] recèns editus, addens tunc sermonem esse de rebus magis à nostra remotis intelligentia,

s in epist. ad Gal. c. 1.

t in c.5. Matthæi.

C magísque ad salutem necessariis, & CHRISTVM tunc particulam duplicasse, cùm magis asseueranter loqueretur, quod Ioannes expresserit, non ceteri. Lege quæ notauimus capite vltimo primæ Ioannis epistolæ, verbis vltimis.

Versus 35.] Sed in omni gente qui timet DEVM, & operatur iustitiam, acceptus est illi.

SED *in omni gente.*] Ἐν παντὶ ἔθνει. Vnde Latinitate donata vox *Ethnici*, de qua lege cap.2. [u] vbi est Latinum nomen *natio*.

u vers.

D Apud Ecclesiasticos Scriptores dicuntur Ethnici, seu Gentiles, & Pagani, qui sunt à Christiana religione alieni, & superstitiosè idola colunt, & non, vt Iudæi, vnum DEVM. Manasse videtur hic loquendi modus ab Hebræis, qui omnes nationes, præter suam, vocabant גוים *goim*, quasi hæc vox idem sonet ac Græcis Barbarus. Reperitur tamen vsurpatum, præsertim in numero singulari, etiam de Hebræorum gente.

Ethnici, & Pagani qui dicantur.

Videtur hoc loco gens commune nomen esse Iudæis, & aliis omnibus, fit enim comparatio inter Iudæos, aliósque. In Iure ciuili [x] Gentiles dicuntur quicumque non subiecti Romano imperio, atque non iure, ac lege ciuili, sed Gentium viuentes.

x C. Theod. l. 1. de nupt. Gent.

E *Qui timet* DEVM.] Qui colit DEVM: omnis enim DEI cultus timor dicitur, vt aliàs notatum est [y]; & proinde qui primam Decalogi tabulam obseruat, vel qui abstinet à malo: habet enim timor vim retrahendi, & amouendi.

y vers.2. & in c. 1. Ecclesiast. vers.14.

Et operatur iustitiam.] Sic in Psalmo [z] dicitur *habitaturus in tabernaculo* DEI, *& requieturus in monte sancto eius, qui ingreditur sine macula*, quod est timere, abstinere à malo, esse manibus innocentem; *& operatur iustitiam*, quod est esse mundum corde, &c. & obseruare secundam tabulam Decalogi.

z Psal.14.1.& seq.

Iustitiæ porrò nomine Chrysostomus, Oecumeniúsque intelligunt generalem virtutem, de

Iustitia nomine generalis virtus intelligitur.

qua tri

a 5. Ethic. c. 1.

qua tritum illud quod est apud Aristotelem [a]:

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Iustitia quâ red dimur corã Deo iusti, quale.

Nimis trita est etiam in sacris literis iustitiæ hæc acceptio, necnon & affinis pro eo dono gratiæ, quo reddimur coram DEO iusti ac sancti, & eidem grati, siue sit gratia diuersa à charitate, siue charitas ipsa: alteram enim ex his necessariò assectantur reliquæ virtutes tum Theologicæ, fides, & spes, tum morales, si istæ dantur infusæ diuersæ ab acquisitis, tum SPIRITVS sancti dona, si sint quoque distincti habitus. Hoc loco Iustitia est operatiua, & fortasse nonnullum respectum dicit ad eleemosynas Cornelij.

Iustitiæ nomine eleemosyna intelligitur.
b Matth. 6. 1.
c Psal. 111. 9.
d 2. Cor. 9. 10.

Etenim iustitiæ nomine quandoque appellatur eleemosyna; vt cùm ait CHRISTVS [b]: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus*, ἐλεημοσύνην. Sic verò etiam Hebræa vox צדקה *tsedakah*, quæ significat iustitiam, ponitur interdum pro misericordia, & eleemosyna, vt illis verbis Psalmi [c]: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi*: quæ verba videtur paraphrasticè declarare Apostolus [d]: *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.*

Misericordia pro iustitia ponitur.
e vt Gen. 20. 13. cap. 21. 23. Deut 24. 13.
f Psal. 4. 4.
g Psal. 17. 26.
h Matt. 25. 31. & seq.

Posuerunt quoque Septuaginta nomen τῆς δικαιοσύνης pro חסד *chesed*, quod nomen propriè significat misericordiam & eleemosynam [e]. Sanè quidem sicut iustus crebrò idem est in Scriptura quod sanctus, ita & misericors. Nam verbi gratia, vbi est nomen Hebræum, quod significat misericordem, Interpres noster vertit, sanctum: *Mirificauit*, inquit Dauid [f], *Sãctum suum*; & [g], *Cum Sancto sanctus eris*. Debet homo homini humanitatẽ; debet id sibi, vt eam in hominem alium sibi similem exerceat; debet DEO, qui homini eam adeò commendat, & de illa sententiam in supremo iudicio peculiariter feret [h].

i Heb. 11. 33.
k cap. 14. 17.
l cap. 20. 30.
m cap. 18. 22.

Putant Chrysostomus, & Oecumenius intellexisse Paulum misericordiam, & humanitatem, cùm dixit, *Sanctos operatos iustitiam* [i]. Postremò operari iustitiam, significat exercere virtutũ eximia opera, vt in Ecclesiastico [k]: *Ante obitum tuum operare iustitiam; quoniam non est apud inferos inuenire cibum*: & [l], *Qui operatur terram suam, inaltabit aceruum frugum, & qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur*; & apud Ezechielem [m]: *In iustitia sua, quam operatus est, viuet*. Alioquin constat iustitiam magis propriè respectum dicere ad alium: & idcirco ipsamet diuina mandata vno peculiari nomine iustificationem appellari non rarò, vt sunt de variis officiorum generibus, quæ circa alios obseruari debent.

n quæst. 92. ad Orthod.
o Homil. 11. in Num.
p in Psal. 118. vers. 5.
q ibid. & in Psal. 18.
r 4. Reg. 23. q. 1.
s cap. 9. 16.
t cap. 5. 9.

Lege Iustinum [n], Origenem [o], Hilarium [p], Basilium [q], Abulẽsem [r], & alios, qui distinctè disserunt de multiplici nomine legis, mandati, præcepti, testimonij, iustificationis, cæremoniæ, viæ, verbi, veritatis, &c. Quandoque pro צדק seu δικαιοσύνη, & iustitia, reperimus positum nomen eleemosynæ. Sic quidem Theodotion apud Danielem [s], loco istorum, *in omnem iustitiam tuam*, vertit, ἐν πάσῃ ἐλεημοσύνῃ σου. Quanquàm & iustitia de DEO dicitur interdum, dum quod ipse sibi debet facit; seu dum præstat quod promitit, etsi homines non mereantur. Tale illud Baruch [t]: *Adducet enim DEVS Israël cum iucũditate in lumine maiestatis suæ, cum misericordia, & iustitia, quæ est ex ipso.*

Deus etiam flagitiosos ad se vocat.

Acceptus est illi.] Alios vocat DEVS etiã flagitiosos, qui nec eum antè timuerunt, nec operati sunt iustitiam: sed Petrus, quod de omni gente dixit, vt admirans pronunciauit ad astantium Iudæorum instructionem: quod autem de Cornelio iusto, religioso, timente DEVM, operante iustitiam, per modum exhortationis dictum est, vt simul Iudæos non pigeret imitari hunc Gentilem, & Gentiles alij eodem exemplo animarentur, sperarẽtque posse adipisci similem gratiam legis Euangelicæ.

A

Sed memor esto, quod anteà quoque memini monuisse, opera illa Cornelij, si iustus erat, condignitatem meriti habuisse, simpliciter tamen gratiam iustificantem, & primam excitantem non tribui pro meritis veris, & tanquàm debitam, verùm ex benignitate DEI.

Ista sententia ad quid à Patribus proponatur.
u Hom 60. in Gen. & orat. 8. in 1. ad Cor.
x in cap. 5. Ecclesiastis.

B

Ceterùm proponunt nobis Patres dictam istam sententiam, Corneliũmque, vt spem vtrinque capiemus, quales quales simus, ad veritatis scientiam perueniendi, & parem Cornelio gratiam obtinendi; præsertim verò Chrysostomus [u], Olympiodorus [x] verò ex eadem argumentatur diuitias, & huiusmodi bona non per se bona esse, sed media, & ἀδιάφορα, quoniam non omnibus à DEO dantur, sicut quæ verè sunt bona cunctis æquè liberaliter effundit (quantùm videlicet est satis) hoc est, liberum arbitrium, dispositionémque ad exercendas, obeundásque virtutes.

y 1. de bello Gallico.

C

Acceptus est.] Δεκτὸς. Videtur Ecclesiasticum vocabulum pro grato, licèt Latinum *acceptus*, à profanis etiam vsurpetur, vt cùm ait Cæsar [y] de nescio quo, *qui maximè plebi acceptus erat.* Græcum verbum δέχεσθαι, inter alia significat admittere approbando; & acceptus approbatum, gratum, beneficio affectum, reconciliatum.

Versus 36.] Verbum misit DEVS filiis Israël, annuncians pacem per IESVM CHRISTVM: (hic est omnium Dominus.)

Christi mysteria ad salutem necessaria hic omnia proponuntur.

D

FINITO in prioribus verbis quasi proœmio, narrationem ipsam aggreditur, ac veluti catechesim omnium eorum, quæ fidem CHRISTI professuro, atque baptizando necessaria erant, & in Symbolo Apostolico, vt notat Beda, comprehensa, nempe quòd IESVS sit CHRISTVS omnium Dominus; missus reconciliare mundũ DEO; à Ioanne prædicatus; SPIRITV sancto vnctus; per miracula declaratus; crucifixus; suscitatus; suisque post Resurrectionem manifestatus; Iudex omnium in fine venturus; Ecclesiam per fidem totum in orbẽ dilataturus. Glossa ordinaria eandem sermonis summam colligit, auctore Rabano. Tertullianus [z] ait, quòd Petrus Centurionem istum catechizauit.

z lib. de Corona militis. c. 11.

E

Verbum misit DEVS.] Textus Græcus, in quo est, τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ: οὗτός ἐστι πάντων Κύριος, reddit sensum magis perspicuum hoc modo: *Quod verbum* DEVS *misit filiis Israël, euangelizans pacem per* IESVM CHRISTVM: *hic est omnium Dominus* (nempe IESVS CHRISTVS) & iungendo sequentem versum, *Vos scitis, verbum*, inquam, *quod factum est*, &c. Sed iuxta editionem nostram aliter constat sensus, vt mox dicemus.

Mittendi verbum quomodo vsurpetur.
a Psal. 17. 17.
b Psal. 56. 4.
c ibid. 5.

Mittendi autem verbum vsurpat Scriptura alibi in eodem sensu, ita vt lateat in verbo nuncius, qui non exprimitur; vt [a], *Misit de summo, & accepit me*, id est, Misit ANGELVM, vel alium ministrum; & [b], *Misit de cœlo, & liberauit me*; & [c], *Misit*

misericordiam suã, & eripuit me, id est, misericordiæ homines; & [a], *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea*, id est, emittet ardorem Solis, aut pluuiam. Hinc deriuata missorum vox pro Apostolis, Græca voce idem significantibus, vt capite 1. docuimus. Immò & substantiuè missum dicunt, pro immissione vel ferarum, seu gladiatorum, vel ferculorum.

a Psal.147.18.

Verbum.] Glossa interlin. Hugo, & Carthusianus & de VERBO incarnato, & de verbo prædicationis intelligunt. Priori expositioni fauet verbum mittendi, & nomen λόγου. Nam etiamsi orationem, & sermonem significet, & quamuis prætereà alibi dicatur mitti, seu *emitti verbum* [b], id est, præceptum diuinum, vel *veritas* [c], tamen videtur hîc poni pro persona diuina, quoniam mox in versu sequenti, vbi iterum est *verbum*, Græcè est ῥῆμα, quæ vox innuit distinctam significationem à priore τοῦ λόγου.

b Ibidem.
c Psal.42.3.

Nihilominùs præfero sensum posteriorem, qui ceteris placet, ita vt redundet in textu Græco τὸ ὄν, & sit τὸ ῥῆμα accipiendum ex vsu phrasis Hebraicæ pro re, sicut & in Euangelio auctoris [d], *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est*; vbi est ῥῆμα: & alibi sæpe in Scriptura: vbi quoque reperio eundem vsum τοῦ λόγου, eadémque ratio est de Latinis vocibus, *verbum & sermo*, siquidem & hanc vocem Interpres posuit apud Marcum [e] in eâdem significatione pro re.

Verbum pro re in Scriptura sæpe ponitur.
d cap.2.15.
e cap.1.45.

Verumtamen pro persona diuina λόγος dicitur, non ῥῆμα. Deinde quoniam non ita congruè nectitur oratio, si dicas: VERBVM *misit* DEVS, id est, secundam in TRINITATE personam, *annuncians pacem per* IESVM CHRISTVM, est enim ταυτολογία, siquidem secunda persona TRINITATIS est IESVS CHRISTVS. Obseruasse se Maldonatus [f] scribit, à nemine, nisi à Ioanne Euangelista, IESVM ΛΟΓΟΝ, VERBVM appellari. Lege nostrum Commentarium in primam Ioannis epistolam [g]. Fateor tamen priorem sensum placuisse Hippolyto martyri [h], & Athanasio [i], qui etiã notat non insolentem Scripturis esse dictam tautologiam. Exemplum esse potest ex epistola prima ad Corinthios [k], *expectantibus reuelationem Domini nostri* IESV CHRISTI, &c. Quocirca non sequitur, VERBVM distingui à CHRISTO.

Verbum pro persona diuina λόγος dicitur, non ῥῆμα.
f in Luc. c. 1.2.
g cap.1.1.
h Hom. cont. hæresim Noëti. Edita est Moguntiæ anno 1604.
i orat. in id, Deus de Deo. & in declar. Leui. &c. cõt. Samosat.
k cap.1.7.
l vers.8.

Filiis Israël.] Primùm, & ante omnes, vt dictum est capite primo [l], Ac meritò de his nominatim meminit, agens cum Gentilibus, quia & Iudæi nonnulli aderant, & totam eorum nationem ita sibi conciliabat, habiturus posteà testes & patronos in querimonia Iudæorum aliorum de Gentilibus admissis.

Hinc Irenæus [m] Hæreticos refutat, qui alium asserebant DEVM veteris, alium noui Testamenti; & postquàm ratiocinatione illos conclusit, hanc contorquet in eos sententiam, aptam profectò ad confodiendos omnes Hæreticos: *An nunquid perfectam tunc cognitionem nondum habebat Petrus, quam posteà adinuenerunt hi? Imperfectus igitur secundùm hos Petrus, imperfecti autem & reliqui Apostoli*, quos eundem in docendo Ethnicos modum tenuisse dixerat, *& oportebit eos resuscitentes horum fieri Discipulos, vt & ipsi perfecti fiant. Sed & hoc quidem ridiculum est.* Sic ille.

m lib.3.c.12. Deum vnum veteris & noui Testamenti quomodo probet Irenæus.

Athanasius [n] obiicientibus CHRISTVM non esse DEVM, nec VERBVM, quia hoc loco dicitur quòd VERBVM *misit* DEVS *filiis Israël, euangelizans pacem per* IESVM CHRISTVM, respondet hoc modo: *Possumus*, ait, *contra hanc obiectionem aliquid simile reperire, idque ex epistola ad Corinthios* [o]: *Expectantes, inquit Apostolus, reuelationem* IESV CHRISTI, *qui & confirmabit nos inculpabiles, vsque in diem Domini nostri* IESV CHRISTI: *vt enim non alter diem alterius* CHRISTI *expectantes confirmat; ita quoque* VERBVM *misit* PATER *carnem factum, vt cùm tam homo esset, ipse per seipsum euangelizaret. Atque ita statim subiunxit: Hic est omnium Dominus: Dominus autem omnium* VERBVM *est.* Hactenus responsio Athanasij.

n orat. cont. Arianos de dicto, Deus de Deo. Christus est verus Deus, ex hoc loco ostendit Athanasius.
o 1.Cor.1.7.

Annuncians pacem per IESVM CHRISTVM.] Pacem cum DEO in conscientia propria inter nos, internam, externam, supernam. Nil pace suauius, vtilius, honestius: nil ferè inculcatum magis, & à Prophetis futuram pollicentibus, & ab Euangelistis, Apostolis, ANGELIS, CHRISTO ipso iam præsentem euangelizantibus. *Princeps pacis* CHRISTVS *est* [p], *& pax nostra* [q]. Eo enim nato *pax ab* ANGELIS *decantata est* [r], qui *prius* ANGELI *pacis amarè flebant* [s]: prædicari voluit à suis pacem [t]: hanc abiturus ex hoc mundo dedit, & reliquit [u]; & suscitatus reddidit [x]: vt nimirũ *dirigantur pedes nostri in viam pacis* [y], & ad eam peruenirent: quam *quia dare non potest mundus* [z], dum militamus, & sensibus immisti sumus, obtinebimus in cœlo, vbi *sedebimus in pulchritudine pacis, in tabernaculis iustitiæ, & in requie opulenta* [a], cum pacifico rege Salomone, & cum Melchisedec summo sacerdote, qui est *rex Salem* [b], id est, *pacis*.

Pacis laus, & commendatio.
p Esa.9.6.
q Ephes.2.14.
r Luc.2.14.
s Esa.33.7.
t Luc.10.5.
u Ioan.14.27.
x infra 20.21. 26.
y Luc.1.79.
z Ioan.14.27.
a Esa.32.18.
b Hebr.7.2. Gen.14.18.

Quo modo autem per IESVM annunciata, atque euangelizata pax sit, & facta, lege Paulum [c]: *Qui acquiescit* DEO, *habet pacem, & per hæc fructus optimos* [d]: atque [e]; *Diligentibus* DEVM *pax multa, & sine scandalo, aut offendiculo: amicitia verò huius mundi inimica est* DEI [f].

c Ephes.2.14. & seq. Coloss.1.20. & seq.
d Iob.22.21.
e Psal.118.165.
f Iac.4.4.

Pacis externæ, & temporalis laudes, & commoda quid attinet persequi? *Tantum est pacis bonum*, ait Augustinus [g], *vt etiam in rebus terrenis nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inueniri.* Silius item Italicus, Poëta Hispanus, sic de pace cecinit [h]:

Pacis externæ laudes & commoda.
g 19. de ciuit. Dei cap.11.
h lib.11.

—Pax optima rerum,
Quas homini nouisse datum est: pax vna triumphis
Innumeris potior.—

Audi & alterum Poëtam Hispanum, sed Christianum [i]:

i Prudent. in Psychomachia.

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,
Pax belli exacti pretium est, pretiúmque pericli:
Sydera pace vigent: consistunt terrea pace:
Nil placitum sine pace DEO, *non munus ad aram*
Cum cupias offerre probat, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro.
Qui mactare DEO *mactatis vult holocaustis*
Offerat in primis pacem: nulla hostia CHRISTO
Dulcior.—

Illa optima vtilitas est, *vt sine timore de manu inimicorum liberati seruiamus* DEO *in sanctitate, & iustitia* [k].

k Luc.1.74. 75.

Voluit diuina Prouidentia, vt CHRISTVS cùm summa mundus pace frueretur, veniret [l], ob eam quam dixi causam, vtque faciliùs Euangelica doctrina propagaretur: quod à Hieronymo [m] est obseruatum, & Theodoreto [n], & Procopio [o]: & ne Iudæi existimarent MESSIAM bella gesturum, eiúsque imperium armis, ac potentia proferendum, aut vi quemquam cogendum ad Fidem.

Christus venit cùm summa mundus pace frueretur.
l Luc.2.1. & seq.
m in c.4. Michææ.
n in Psal.46.
o in c.11. Esa.

Valdè appositè Petrus orationem ad audito-

res attem

A res attemperat: cum Centurione ac militibus de pace: cum Iudæis, qui etiam aderant, de MESSIA ipsis per Prophetas promisso mentioné facit.

Christus cur hic dicatur omnium Dominus.

Hic est omnium Dominus.] Conicio adiecta hęc verba etiã propter Gentiles, vt intelligerent illum DEVM, quem colerent Christiani, esse verum DEVM; neque dignandos hoc honore & nomine, qui colerentur à Gẽtilibus, quippe cùm ipsa multitudine conuincerentur non esse rerum omnium Domini: propter Iudæos quoque, ne mirentur, si qui non vnius ipsorum tantùm gentis dominus sit, sed omnium aliarum, in has velit, vt in illam liberalis esse. Indicat posterius istud membrum Glossa interlinearis. Etsi non est excludendum aliarum rerum dominium, quod non minùs habet DEVS, quàm in vniuersitatem hominum.

B

Scopus Petri in hac oratione.

Videtur autem CHRISTVM denotare pronomen demonstratiuum, *hic*, οὗτος, proximè enim præcessit: & scopus Petri erat de eo loqui, vt patet ex contextu totius sermonis: & iam Cornelius veri DEI cultor erat; sed nondum de CHRISTO institutus. Cõsentiũt Interpretes: ex quibus Chrysostomus obseruat, adeò perspicuè Petrum & sublimiter CHRISTI dominationem nunc expressisse, quia loquebatur ad Cornelium eximium iam factum, & alacriter suscipientem omnia, quæ à se afferebantur. Probatur hinc CHRISTI diuinitas, vt colligit Ioannes Maxentius [a], & Athanasius [b]. Porrò de Domini nomine iampridem egi [c]: licèt verò dixerim magis esse propriũ DEI, C de ipso verò etiam summo Pontifice κατ' μείωσιν, & diminutiuè dici Domnus; tamen quemadmodum de Sanctis integrum vocabulum à Gallis Germanísque video vsurpari: sic olim lego præfixum nomini S. Martini hunc titulum, vt appellaretur Dominus. Hoc loquuntur modo concilium Antisiodorense [d], Turonense I. [e] & II. [f]

a lib. 1. Dialo. ca. 10. Tom. 4. Bibl. Patr.
b orat. contra Aria. de dicto, Omnia mihi tradita sunt. (sic: *Deus de Deo.*)
c cap. 1. 6.
d cap. 5.
e in princ. & c. 11.
f cap. 19.

Versus 37.] Vos scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudæam: incipiens enim à Galilæa post Baptismum, quod prædicauit Ioannes.

D

VOs *scitis.*] Iudæos ipsos testes citat eorum quæ acciderunt circa personam CHRISTI, tum prædicando, tum miracula patrando.

Quod factum est verbum.] Dixi versu præcedente, verbum hîc esse pro re: comprehendit enim summam dictorum, ac gestorum CHRISTI, quæ hoc eodem loco subtexitur. Ita sentit Lyranus, & Caietanus, & Gagneius, fauétque Chrysostomus, licèt de prædicatione Glossa interlinearis, Petrus Comestor, Hugo, & Carthusianus interpretentur, necnon editio Syra. Quid vetat, rem omnem dici verbum, quia verbo res omnis facta est [g]? Hac enim de causa visum est nonnullis secundæ personæ TRINITATIS VERBI tributum nomen, quia *per illud* DEVS *omnia fecit, & sine ipso fa-* E *ctum est nihil* [h]. Id quidem dixit Augustinus [i], & Isidorus [k]. Necnon tamen erat VERBVM, priusquàm res conditæ essent: fuit námque semper aptum, vt per illud DEVS, quæ vellet loqueretur, & fieri imperaret. Eódem facit ea aliorum ratio, vt FILIVS DEI dicatur VERBVM, id est, realitas veritásque, quia Hebraicè דבר *dabar*, id est, *verbum*. rem omnem significat.

g Gen. 1. 1. & seq. Psal. 148. 5.
h Ioan. 1. 3. Verbũ erat antequàm quicquam per illud fieret.
i Ser. 190. de Temp.
k lib. 7. Orig. c. de Filio.

Cur res dicatur verbum.

Alia causa potest assignari, cur res vocetur verbum, quia Hebræis est in vsu abstractum ponere pro suo concreto actiuè, aut passiuè sumpto, hoc est, verbum pro re dicta, atque verbo significata.

Secunda persona Trinitatis cur ῥῆμα dicatur, sed λόγος dicitur.

Sunt præterea qui priore versu λόγον sumentes pro persona secunda TRINITATIS, ibi velint significatam, vt est interna, & in se: hîc per ῥῆμα eandem, quatenus per Incarnationem & opera manifestauit se: atque id sibi voluisse pastores, cùm dicerent [l]: *Videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis*, vbi est ῥῆμα. At non loquebantur pastores Græcè, & ῥῆμα, vt antè monui, non videtur vnquàm vsurpatum pro FILIO DEI: importat enim in sua notione fluxum & sonum pronunciationis materialis.

l Luc. 2. 15.

Incipiens enim.] Deest particula *enim* in textu Græco, & Caietanus redundare credit; necnon Emmanuel Sà. Tamen non officit, sed efficit maiorem distinctionem; sed tunc τὸ *incipiens* in casu nominandi pertinebit ad CHRISTVM, qui cœperit vel opus Euangelij, vel prædicationem: in accusandi autem casu ad verbum, quod hos scire Petrus dixit, hoc est, rem, quæ inchoata est in Galilæa.

A Galilæa.] Distinguitur hîc à Iudæa, vt alibi notatum est [m]: dixi etiam cur hinc incœperit CHRISTVS, & cur Apostolos, ac Discipulos maiore ex parte Galilæos delegerit [n].

m cap. 1. 8.
n cap. 1. 11.

Post Baptismum, quod prædicauit Ioannes.] Glossa ordinaria duas diuersas alias lectiones notat ex Rabano, & ex Beda. Prior est: *Scitis vt prædicauit Ioannes* IESVM *à Nazareth*, &c. vel, *Hoc prædicauit Ioannes, quod vnxit eum*, &c. Posterior: *Prædicauit Ioannes* IESVM, *sicut vnxit eum* DEVS, &c. Gagneius ita explicat: *Vos scitis vt verbum factum, & diuulgatum per vniuersam Iudæam post Baptisma Ioannis, nihil aliud sit, quam* IESVS *à Nazareth, quomodo vnxit eum* DEVS.

Interpretatio & contextio Auctoris.

Existimo verba omnia recitata simul nectenda, ita vt sit sensus: Scitis id quod gestum est post Baptismum, quod Ioannes prædicauit, & quo, vt exprimit Glossa interlinearis, CHRISTVS baptizatus est. Vnde τὸ *quod*, non significat mysterium CHRISTI futuri, quod Ioannes prædicauerit, vt voluit Lyranus, sed est pronomen relatiuum, pertinens ad *Baptismum*, quod nomen hoc loco est neutrius generis, non minùs quàm in Græco textu βάπτισμα. post quod est, ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάννης. Hieronymus, Augustinus, aliíque Patres Latini neutro genere enunciant Baptismum, non tantùm Baptisma, & in masculino Baptismus.

Prædicauit.] Sic Marcus [o], & Lucas [p] scribunt à Ioanne prædicatum Baptismum pœnitentiæ.

o cap. 1. 4.
p cap. 3. 3.

Verbum quod adhibetur in sacramentis, essentialis est eorum forma.

Inde perperàm ratiocinantur nostri temporis Hæretici, verbum quod in Sacramento adhibetur necessariò, & vt forma, iuxta Theologos; non esse veram, essentialem, & operatiuam formam, neque sacrum, vel consecratorium verbum; sed tantùm concionale, aut instructorium, quod tamen externam cęremoniam viuificet, ita vt verba, quæ nos formam vocamus, sit magicus susurrus, velut ab exorcista demurmuratus, vt blasphemat Caluinus [q].

q 4. Inst. c. 14. §. 4. & in cap. 5. ep. ad Ephe. super eu: Mundans cum lauacro aquæ, in verbo vitæ.

Ioannes quomodo dicitur prædicare Baptismũ.

Dicebatur Ioannes prædicare Baptismum, hoc est, præparatorium ad pœnitentiam, quia non baptizabat tantùm, sed etiam ad Baptismum præmissa prædicatione multos exhortabatur, & quidem ad Baptismum in remissionem peccatorum, quam videlicet consequerentur non per illum, nec per illam prædicationem, sed per CHRISTVM, quem Ioannes potissimùm prædicabat *agnum tollentem peccata mundi* [r], *& qui baptizaturus esset in* SPIRITV *sancto, & igni* [s]: *Ioannes enim*, vt

r Ioan. 1. 29.
s Mat. 3. 11.

a Act.19.4.
b Luc.1.76. 77.

Paulus ait [a], *baptizauit Baptiſmo pœnitentiæ populum dicens in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederēt*; & de Filio PATER cecinit [b]: *Præibis ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum.* De differentia inter vtrumque Baptiſmum, CHRISTI, & Ioannis, dixi etiam aliquid capite primo [c].

c verſ.5.
Verbum quod in Sacramentū adhibetur, eſt conſecratorium.
d ſic loquitur Auguſt. Tra. 80. in Ioan.
e de Eccl. hie. c. vlt.

Quòd autem verbum, quod in Sacramento accedit ad elementum [d], *ſit ſacrum, & conſecratorium*, vt loquitur Dionyſius [e], non concionale, ſuperuacaneum eſt probare; adeò id eſt certum exploratúmque; ac in particulari de verbo continente TRINITATIS inuocationem, quod attinet ad Baptiſmum.

Auguſtinus vnus ſufficit ad omnes hæreticos redarguendos.
f 6. de Baptiſ. c.25.
g 3. de Baptiſ. c.15.
h Mat. vlt. 19.

B Vnus Auguſtinus, quem tanti facit etiam Caluinus, nec quāti debet, clarè & crebrò hoc tradit; alios enim patiar prȩteriri, vt in re minimè dubia. DEVS, inquit Auguſtinus [f], *adeſt verbis Euangelicis ſuis, ſine quibus Baptiſmus* CHRISTI *conſecrari non poteſt. Quis neſciat non eſſe Baptiſmum* CHRISTI, *ſi verba Euangelica, quibus ſymbolum conſtat, illic defuerint?* Hæc verba quæ ſint, declarat alio loco [g]: *Si Euangelicis verbis: In nomine* PATRIS, *&* FILII, *&* SPIRITVS *ſancti* [h], *Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamuis eius fides ſub eiſdem verbis* (nota quomodo prædicatio non modò non ſit eſſentialis, ſed neque neceſſaria, cùm error Sacramentum non impedire dicatur) *aliud opinantis, quàm Catholica veritas doceat, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata.* C Subdit iiſdem dictis verbis, non Marcionem duntaxat, aut Valentinum, aut Arrium, aut Eunomium baptizaſſe, ſed ipſos carnales paruulos Eccleſiæ; attamen integrum, ac minimè repetendum Sacramentum contuliſſe, etiamſi tot diuerſitates in iis opinionum eſſent, quot homines erant.

i 6. de Baptiſ. c.25.
k in ſumma doctrinæ de re Sacramentaria.

Tandem aſſerit Auguſtinus [i], quòd facilius fuerit inuenire Hæreticos, qui omninò non baptizarent, quàm qui non illis verbis baptizarent. Etſi verò Caluiniſtæ quoque adhibent in Baptiſmo eadem illa verba, tamen non proferunt, vt conſecretur aqua, ſed vt etiam inde populus inſtruatur, vt Caluini Symmiſtes Beza manifeſtè declarat [k], in quo quidam Lutherani conſentiunt, ideóque vtuntur omnes lingua vulgari, ſcilicet volentes docere populum, qui non intelligit linguam Latinam. Lege eundem Auguſtinum in libro contra Hæreſes [l], & Ambroſium [m], Chryſoſtomum [n], Didymum [o], Athanaſium [p], Theodoretum [q], Cyrillum Ieroſolymitanum [r], Nyſſenum [ſ], Baſilium [t], Cyprianum [u], atque Innocentium primum [x].

l cap.44.
m de iis, qui initiantur myſteriis. ca.4.2. de Sacram. c.5. & lib.4. c.4.
n Hom.20. in epi. ad Epheſ.
Verbum concionale non eſt de eſſentia Baptiſmi.
o 2. de Spir. ſancto.
p Ser.3. cont. Arrianos.
q lib.4. de fab. Hæret.
r Catech.3.
ſ lib. de Bapt.
t de Spir. ſancto c.15.
u Ser. de Bapt.
x ep.23. c.5.

Quid plura? Si verbum concionale & doctrinæ eſt Baptiſmo vel eſſentiale, vel neceſſarium, profanus ergo, ac impius, non ſolùm vanus, & nullus eſt puerorum Baptiſmus, qui recipiendæ doctrinæ pares non ſunt: noſtri quoque baptizati rebaptizandi erunt, quoniam circa eos nulla concione vtimur (niſi ſint adulti, quibus etiam catecheſis impenditur multò ante Baptiſmum) ideóque ad Anabaptiſtas remittere illos oportebit: & Caluinus ſine vero Baptiſmo defunctus eſt, qui non eſt rebaptizatus. Sed & paulò pòſt videbimus, Petri concione finita, datum Cornelio, familiæque Baptiſmum, eumque non à Petro ipſo, ſed iuſſu eius ab inferioribus miniſtris.

Nullum Scripturæ teſtimonium pro verbo concionali proferri poteſt.

Nec vllum Hæretici Scripturæ teſtimonium proferunt (ſine quo argumentari nos nolunt) in quo ad Sacramentum præſcribatur concionale illud verbum, vt planè requiſitum. Nam quod ait A Apoſtolus [y] de Eccleſia: *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, ſolus Hieronymus, & profitens quidem ſe loqui tropologicè, accipit de doctrina, alij omnes de illis verbis [z], *In nomine* PATRIS, *&* FILII, *&* SPIRITVS *ſancti*, ſicut & hi de Baptiſmo intelligunt lauacrum aquæ, ille quamlibet purgationem. Lege Stapletonum in Antidotis [a], & Bellarminum in Controuerſiis [b].

y Epheſ.5.
z Matth.28.
a in c.28 Matthæi. ver.19. in cap.5. Marci verſ.1. in hoc c. Act. verſ.1.
b Tom.3. lib. de Sacram. in genere c.19.

Verſus 38.] IESVM à Nazareth: quomodo vnxit eum DEVS SPIRITV ſancto, & virtute, qui pertranſiit bene faciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam DEVS erat cum illo.

c verſ.22.
d cap.2.23.
e cap.1.45.
f in lib. Iob. 2.11. c.4.1. c.8.1. c.11.1.
g 1. Reg.17.12.
h ibid. 16.1.
i verſ.1.
k in Syntaxi.

IESVM *à Nazareth.*] *Prius dixit ipſius opus*, inquit Chryſoſtomus, *& nunc fidenter loquitur de eius patria, dicendo* IESVM *à Nazareth:* ſciebat enim quòd patria offendebat. Lege caput 2. [c] de epitheto Nazaræi, ſeu Nazareni, cui ſimile eſt cognomen iſtud à Nazareth, quod extat quoque apud Matthæum [d], & Ioannem [e]. Cognomen aliqui ſortiuntur à patria, vt amici Iob [f], pater Dauid Ephrateus [g], & Bethlehemites [h], & alij. Docui quoque ſuperiùs [i] variis è rebus peti cognomina. C Diſputat hoc illuſtris Grammaticus Ioannes Deſpauterius [k], ac variis exemplis Liuij, Ciceronis, Taciti, illuſtrat.

Cognomen à patria non ſemper cum propoſitione in auferendi caſu efferendum.
l lib.11.
m 1. præfat. in Iob c.5.

Docet præthereà non ſat congruè efferri cognomen à patria, vel oppido in caſu auferendi, vt Ariſtoteles de Stagyra, Democritus de Abdera, Henricus de Gandauo, IESVS à Nazareth, Thomas de Aquino. Idem admonet Andreã Alamannum Franciſcus Philelphus [l] in epiſtola, ne aut vt indoctus videatur, & vim minùs tenere præpoſitionis *de*, vel arrogans, quaſi licere ſibi velit quod ab omni vetuſtatis vſu ſit alienum. Ceterùm, vt aliàs dixi cum Gregorio [m], non eſt exigenda Scripturæ ſacræ dictio ad regulas Donati.

n Matt.3.11.
o Ioan.1.32.

D *Quomodo vnxit eum* DEVS.] ὡς. Beda iuxta aliam editionem, ait legendum *ſicut: Prædicauit Ioannes* IESVM, *ſicut vnxit eum* DEVS, &c. Rabanus *quòd*, id eſt, *hoc prædicauit Ioannes quòd vnxit eum*, &c. Caietanus ſequitur ſenſum ſecundum, vúltque pronomen *eum*, additum more Hebræo, alioqui non neceſſarium. Prædicauit hoc Ioannes, cùm dixit [n]: *Ipſe baptizabit vos in* SPIRITV *ſancto, & igni*; & cùm teſtatus eſt [o], *vidiſſe ſe* SPIRITVM *ſanctum deſcendentem ſuper eum ſicut columbam, & manentem ſuper eum.*

Quando vnctio Chriſti facta ſit.
p lib.1. c.25. Cerinthus.
Pelagianorum hæreſis granißima.
q li.1. & 6. de Incarnat.

Vnctio *inuiſibilis olei fuit, quando humana natura* VERBO DEI *in vtero Virginis copulata, facta eſt cum eo vna perſona*, inquit Beda, non autem quando columba deſcendit ſuper CHRISTVM. E Teſtis eſt Irenæus [p], Cherintum ſeparaſſe IESVM à CHRISTO, vt IESVS eſſet purus homo ex MARIA, & Ioſeph natus, CHRISTVS Filius DEI, qui tempore Baptiſmi deſcenderit in IESVM in forma columbæ. Pelagiani quidam, vt refert Caſſianus [q], docuerunt, de MARIA natum purum hominem: anno autem trigeſimo ætatis hunc ſuis meritis factum CHRISTVM: tandémque poſt Paſſionem etiam per merita ſua, DEVM: nec minùs ceteris hominibus fas eſſe ſuis vt viribus bene viuant, & ad beatitudinem perueniant, ſicut peruenit CHRISTVS. Eundem errorem, quòd IESVS natus ſit purus

homo,

homo, tradidit Nestorius cũ Anastasio presbytero,& Theodoro Mopsuesteno,& aliis. Sed addebant huic hominis filio FILIVM DEI posteà vnitum accidẽtaliter solùm, ac per habitudinem, vt in templo, per vnionem voluntatum, & dilectionis, per coniunctionem cum suo instrumento, per communicationem nominis,& dignitatis, vt DEVS diceretur, ac adoraretur à creaturis, non propter se, sed propter eum à quo assumptus erat.

Arriani, vt Ioannes Maxentius [a] notat, ex ea vnctione argumentabantur CHRISTVM esse minorem PATRE,& creaturam. CHRISTVS ipse in Synagoga locum Esaiæ [b] de seipso exposuit [c]: SPIRITVS *Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus*,&c. Quem locum de diuinitate ipsa eius intellexit Euthymius [d]; Cyprianus [e], cùm conceptus est de SPIRITV sancto,& Damascenus [f], Gregorius [g], Augustinus [h], Cyrillus Ierosolymitanus [i], Cyrillus Alexandrinus [k], Nazianzenus [l], & Euthymius [m], & Eusebius [n]: Irenæus [o] autem, Athanasius [p], Ruffinus [q], Augustinus [r], Hieronymus [f], Prosper [t], Ambrosius [u], Hilarius [x], cùm in baptizatum SPIRITVS sanctus descendit specie columbæ.

Eadem ratio est de loco Psalmi quadragesimiquarti, *Vnxit te* DEVS,&c. Sanè omnis gratia, ac virtus Humanitati communicata est ob vnionem VERBI cum illa, nec vlla deinceps facta accessio est gratiæ infusæ, vel scientiæ. Itaque in Baptismo vnctio intelligenda erit, quia tunc declarata est, & exerceri cœpta, & aduenit signum visibile columbæ, & vox PATRIS externa, qua veluti FILIVM destinabat ad officium doctoris,&c. *Et Ecclesiam suam præfigurare dignatus est*, inquit hoc loco Beda,& Augustinus [r], in qua visibili vnguento baptizati vnguntur, & hi præcipuè accipiunt SPIRITVM sanctum. Idipsum obseruat Athanasius [z], iuxta id primæ epistolæ Ioannis [a]: *Vos vnctionem habetis à Sancto*: vbi consule Commentarium nostrum,& Pauli ad Corinthios [b]: *Vnxit nos* DEVS, *qui & signauit nos,& dedit pignus* SPIRITVS *in cordibus nostris*. Lege Bellarminum [c], & Suarez [d],& Gregorium de Valentia [e].

Docui alibi [f] CHRISTI nomen ab vnctione deriuatum, idque in eandem vnam personam conuenire, quæ sit simul Rex, Sacerdos, Propheta (quæ seorsim personæ quondam vngebantur) immò & DEVS: etsi DEVS ipse oleum dici potest, ac vnguentum Humanitatis. Nam, vt docet Eusebius [g], in Scriptura diuinæ naturę virtus, quæ omnia valet, omne bonum præstat, omnem pulchritudinem subministrat, oleum vocatur; quoniam oleum auget lumen, fessos subleuat, aufert labores, hilares facit eo inunctos, instar luminis de seipso vibrat splendores, nitidumque ac micantem eorum reddit vultum, qui ipso vtuntur [h]: omnia subit, & penetrat [i]. Sed vnguentum spectat ad eandem virtutem, quæ vt est in se simplex, cum oleo consecratur, quatenus consideratur vt multiplex. Addit prætereà, nomine CHRISTI, quo primus à Mose appellatus est Aaron, visibili vnguento delibutus [k], designari potissimùm internam, spiritualémque vnctionem, cùm idem Patriarchis nomen Dauid tribuat [l], & Esaias [m] CHRISTVM FILIVM DEI satis appellare censeatur, cùm dicit vnctum.

Illustrat Eusebij doctrinam Ioannes Apostolus, dum per vnctionis vocem à nobis intelligi vult gratiam, charitatem, & alia dona SPIRITVS sancti, quibus efficiamur viua membra CHRISTI,

Arrianorũ blasphemia.
a lib.1.Dialog.
b cap.61.1.
c Luc.4.18.& seq.
d in Lucam.
e lib.2.cont. Iud.c.10.& in Symb.
f lib.4.cap.6.
g lib.9.ep.61.
h lib. Quæst. noui & vet. Test.ca.49.& 15. de TRINI. c.26.& 3.cõt. Maxim.ca.16. & 15.de ciuit. c.16.
Omnis gratia humanitati ob vnionem Verbi facta est.
i Catech.3.
k lib.de Fide ad Theodos.
l ora.4.Theo.
m in c.4.Luc.
n 9. Demon. Euang.cap 10
o lib.3.cap.10.
p ora.2.cont. Arianos.
q in Symbolum.
r 15.de TRIN. c.26.& 3.con. Max.ca.16.& Tract. 74. in Ioan.
f in c.61.Esa.
t lib 3.de promiss.p.3.c.11.
u in Lucam.
x 11.de TRIN.
y 15 de TRIN. cap.26.
z orat.2.cont. Arianos.
Christi nomen vnde sit ductũ.
a cap.2.20.
b epist.2.1.21
c Tom.1.libr. 5.de CHRIST. c.5.& seq.
Oleum in Scriptura quid significet.
d Tom.1.de Incarn.disp.7. sect.3.
e Tom.4.disp. 1.q.2.puncto 2.
f cap 2.
g 4.de Dem. c.15.
h Matth.6.17. Psa.103.15.
i Psa.108.18.
k Exo.29.7. Leu 8.12.Psa. 132.2.Eccl 45.18.
l Psa.104.15.
m cap 61.1.

A

& veri perfectique Christiani, immò & quidam CHRISTI, Regésque,& Sacerdotes. *Et vos vnctionem*, inquit [n], *quam accepistis ab eo, maneat in vobis;&, Vnctio eius docet vos de omnibus*:& [o], *Vos vnctionem habetis à* SANCTO (SANCTI nomen absolutè positum est pro SPIRITV sancto) *& nostis omnia*.

Quocirca bene monet Hieronymus [p], cùm agitur de vnctione CHRISTI, spiritualem intelligi oportere, & nequaquàm humani corporis, vt fuit in Sacerdotibus Iudæorum: Humanitatem verò esse, quæ fuit vncta, quia dicitur *vnctus à* DEO *præ consortibus suis* [q], id est, ceteris Sanctis, DEVS autem consortes substantiæ suæ non habet. Eligius [r] vnctum exponit IESVM per prædestinationem, vt FILIVS DEI homo fieret. Oleum lætitiæ Resurrectionem, Ascensionem, Dominationem ipsius.

B

SPIRITV *sancto.*] DEVS in præcedentibus verbis censetur PATER prima TRINITATIS persona: Vnctus, secunda, siue FILIVS: SPIRITVS sanctus tertia:& in ipso nomine CHRISTI TRINITATEM totam innui, dixi alio loco [f].

Attribuitur SPIRITVI sancto vnctio, vel vt ipso vngi censeatur CHRISTI Humanitas, aut per Incarnationem, aut per gratiam cum ea infusam, aut per visibilia illa signa in Baptismo circa CHRISTVM ostensa [t]: quoniã quæ gratiæ sunt, assignantur SPIRITVI sancto: *quod autem* CHRISTVS *vnigenitus æqualis sit* PATRI, *naturæ est, non gratiæ*, inquit Augustinus [u]: quòd in vnitatem personæ vnigeniti ille homo assumptus sit, non naturæ, sed gratiæ est.

C

Et virtute.] Δυνάμει, de qua voce aliàs [x] dictum est. Potentiam significat, & vim ad loquendum,& operandum, ac veluti pugilis in morem ad decertandum, qui priùs oleo perfundebatur. Sic à pugna cum Dæmone scribit Lucas in Euangelio [y], *ad ineundam prædicationem atque miracula regressum* IESVM *in virtute* SPIRITVS, vt eum locum explicant Titus Bostrenus, Euthymius,& Beda. Videtur præter ceteros Euangelistas studiosè Lucas hoc notare solitus, CHRISTVM SPIRITVS sancti ductu omnia fecisse, sicut cùm dixit, *quod agebatur à* SPIRITV *in desertum* [z].

D

Qui pertransiit benefaciendo.] Ὃς διῆλθεν εὐεργετῶν, *Qui pertransiit benefaciens*. Syrus sic habet, והוכו דמתהלך הוא ומאסא *vehauchu demethcheterech hava vmase*, id est, *& is est qui perlustrans erat, & sanabat*, vel, *& is qui perlustrabat regionem, & sanabat*,&c.

Pertransire, & simplex transire, & Hebræum עבר *hhabar*, aliquando est idem quod experiri, ac versari in aliquo opere vel exercitio, vt in Psalmo [a]: *Manus eius* (Ioseph) *in cophino seruierunt*, Hebraicè *transierunt*, seu *versatæ*, & *occupatæ sunt*. Septuaginta ἐδούλευσαν, legentes (opinor) non תעבורנה *thahbhaborenah* per ר, sed per ד, תעבדנה *thahbhabodenah*. Sensus quoque esse potest, vt Hieronymo placet [b], *à cophino recesserunt*, id est, seruire desierunt:& ita in proposito, CHRISTVS pertransiit benefaciendo, id est, vitam mortalem absoluit, quam dum viueret benefaciebat, totámque beneficiis insumebat. Indicat prætereà pertranseundi verbum efficacem CHRISTI œconomiam,& victoriam, quam retulit de mundo & diabolo. Hac ratione percussurus Ægyptum DEVS transiturum se prædixit, necnon & ministrum suum ANGELVM [c].

E

Minùs aptè Glossa interlinearis exponit, benefaciendo, id est, mores instruendo, seu informando, vt

n 1.Ioan 2.27
o vers.20.
p in c.61.Esa. *Vnctio Christi spiritualis intelligenda.*
q Psal.44.8. Heb.1.9.
r Hom.8.
f cap.2. *Vnctio cur tribuatur Spiritui sancto.*
t Mat.3.16.17.
u Tract.74.in Ioan.
x cap.1.
y cap.4.14.
z cap.4.1.
Pertransire quid sit.
a Psa.80.7.
b in eundem Psal.
c Exod.12.12. 23.

do,vt Lyranus loquitur, & Hugo:repugnat enim τῷ εὐεργετῶν.

Et sanando omnes oppressos à Diabolo.] Syrus ita vertit, ומאסא להנך דאתנכיו מן בישא *vmase lehanun dethenechu men bischa*, id est, *& sanabat eos, qui percussi fuerant à malo*, vel, *Sanabat eos, qui læsi erant à malo.* ἰώμενος πάντας τοὺς καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ Διαβόλου. Allusio quædam paronomasiæ est in participio καταδυναστευομένους, & in nomine δυνάμει, quod priùs de CHRISTO dictum est. Significat autem καταδυναστεύειν, potentia, ac per tyrannidem opprimere, & καταδυναστεύεσθαι, sub potestatem redigi.

Sanandi verbum habet significationem translatam pro eo, quod est remedium adhibere siue corpori, siue etiam animo, quam etiam in nomine medici metaphoram vsurpat Esaias [a] & CHRISTVS [b], suntque vsitatæ profanis quoque hæ loquendi formulæ.

a cap.3.7.
b Mat.9.12.

Quomodo censeantur oppressi, ac sub tyrannide Diaboli hi, qui iustè pro peccatis destinati sunt, aut obnoxij æternis pœnis, quarum illator, & carnifex est Diabolus: cùm etiam dicat CHRISTVS [c], quòd *qui facit peccatum, seruus est peccati*; idque confirmant Paulus [d], & Petrus [e], qui Petrus hanc quoque rationem sanè aptam reddit, *à quo enim quis superatus est, huius & seruum esse*, meritò in quæstionem vocari potest.

c Ioan.8.34.
d Rom.6.16.
e 2.epi.2.19.

Adiice *quòd principem mundi huius diabolum* CHRISTVS ipse nominat [f], & Iob [g], *regem super vniuersos filios superbiæ*. Plus quiddã voluit CHRISTVS, cùm diabolo principatum tribuit, quàm vt sola hominum opinione, qui colant eum vt principem, princeps censendus sit: quod Nazianzenus [h], & Cyrillus Alexandrinus [i] tradiderunt. Nam non soli idololatræ pertinent ad Diaboli principatum. Meliùs Augustinus [k], & Basilius [l] per mundum, homines malos vniuersè intellexerunt, qui nascuntur in peccato, & sine gratia Redemptoris in eo manent, & alia perpetrant, nec euadere possunt Diaboli laqueos, *quibus tentat, inducit, & pertrahit ad peccatum*, vt idẽ Augustinus [m] loquitur, & peccato irretitos pœnis mactat. Hi ad istius dominium iure pertinent, posita DEI voluntate, ac lege.

Diabolus cur princeps huius mundi dicatur.
f Ioan.12.31.c.14.30.c.16.11.
g cap.41.25.
h orat. de calamitat. animæ suæ.
i li.10.in Ioã. c.40.
k Tract.95.in Ioa. & de agone Christiano.c.3.
l Hom. Quòd DEVS non sit auctor malorum.
m 1.q.Euang. c.4.

Sed eum CHRISTVS dominio spoliauit, quia qui ad CHRISTI gratiam porrigit manum, iugum excutit, & si tueatur eandem gratiam, in id iugum non ampliùs mittitur, quantumuis colluctandum supersit aduersùs hunc *principem & rectorem tenebrarum* [n], & [o], *contra leonem rugientem, & quærentem quem deuoret*: ligatus est draco, mordet volentes, & in eius se rictum inserentes [p]: *Si quis vinci se ab illo sinat, iustè*, inquit Augustinus [q], *ipsius potestati traditur, imperioque, ac dominio subditur*: & is potestatem iustam habet, quamuis voluntatem iniustam, vt ait Gregorius [r].

Christus qua ratione Dæmonem dominio priuarit.
n Ephes.6.12.
o 1.Pet.5.8.
p Apoc.20.2.
q 3.de lib.arb. cap.10.
r lib.18.Mor. c.3.

Eximere potuit ceu à tortoris manibus de potestate diaboli hominem DEVS hominis verus absolutúsque dominus, sua ipsius virtute & potentia, iure voluit, ac iustè, vt is, qui in Filium ipsius ab omni liberum peccato dominium iniquissimè exercuerat, dominio priuaretur illorum, quos à iusto Iudice traditos iustè detinebat. Hoc est quod ait CHRISTVS [f]: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras*: & sub similitudine arcis, vel domus alicuius, quam per tyrannidem diabolus occupasset [t]: *Dum fortis*, inquit, *armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet: si autem fortior eo superueniens vicerit eum,*

Deus eximere potuit hominem à potestate hominis, non voluit, sed voluit vt hoc iustè fieret.
f Ioan.12.31.
t Luc.11.21.22.

A *vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Itaque victus est, iudicatus est oppressor, sanati sumus: &, vt Tertullianicè loquar, remediati. Premat quantùm volet, si volumus, non opprimet. Abutitur, & abusus est semper potestate, ac possessione reorum, non amore iustitiæ in illos agens, sed internecino eorum, Dominique odio puniens, vexans, sæuiens, opprimens. *In hoc apparuit* FILIVS DEI, *vt dissoluat opera diaboli* [u]. Lege quæ ibi diximus, & huius historiæ cap. 5. [x] de imminuta dæmonum potestate in animos, atque etiam in corpora. Ibidem exposui vocem *Diabolus*, ex Græcis petitam [y].

u 1.Ioan.3.8.
x versu 16.
y vers.3. Quid sit, Diabolus.

B *Quoniam* DEVS *erat cum illo.*] Vim ferè habet eandem phrasis ista cum ea, quam pridem explicauimus cap. 4. [z] pro assistente DEI virtute ac potentia ad docendum, & operandum res diuinas, & planè eximias. Esse DEVM cum aliquo, est, veluti præesse, & donis ornare: & qui alteri prospera quæque aggratulatur, precatúrve, vsurpare solet illas voces, *Dominus tecum*, vel est, vel sit.

z vers.31.

Non potest DEVS non esse in rebus omnibus, est igitur singulari quodam modo, cùm exprimitur esse in aliquo homine. Salutans Gedeonem ANGELVS dixit [a]: *Dominus tecum virorum fortissime*, id est, protector, & auxiliator. Sic enim iussis timorem ponere Esaiæ [b], ac Ieremiæ [c] dictum est,

Deus non potest non esse in rebus omnibus.
a Iudic.6.12.

C *Ne timeas, quia ego tecum sum.* SAPIENTIÆ increatæ deposcebat auxilium, qui dicebat [d]: *Mitte* SAPIENTIAM *de cœlis Sanctis tuis, vt mecum sit, & mecum laboret.* Fortasse optabat simul, ac in primis quidem, præsentiam gratiæ inhabitantis. At verò cùm GABRIEL MARIAM salutauit, *Dominus tecum* [e], innuit destinatam, & mox exequendam in ipsius vtero Incarnationem FILII DEI, qui est EMMANVEL [f], id est, *Nobiscum* DEVS.

b cap.41.10.
c cap.1.8.
d Sap.9.10.
e Luc.1.28.
f Esa.7.14. Matth.1.23.

Delectatur mirificè salutatione ista Ecclesia, libentérque ad omnem solemnem orationẽ præmittit, *Dominus vobiscum*: imitata etiam fortasse Booz, qui messores humaniter salutans dixit, *Dominus vobiscum* [g]; necnon Prophetam, qui verbis

De salutatione, Dominus vobiscum.

D iisdem salutauit regem Asa, & exercitum ipsius [h]. Vt hac de causa Dionysius [i] videri possit salutationem istam appellasse diuinissimam, & hagiographarum tabularum mysticam, & supramundanam recitationem. Meminerũt de eâdem Scriptores rituum, ac officiorum diuinorum, seu Ecclesiasticorum, aliique apud Ioannem Stephanum [k], & proprium de ipsa librum composuit Petrus Damianus, & consulendi prætereà Canonistæ [l], & Nauarrus in opere de oratione, aliique de Horis Canonicis.

g Ruth 2.4.
h 2.Paral.15.2.
i 3. de eccl. hierar.
k Ex.de Rit. Eccl. c.4.
l in can. Hoc quoque. de consecr. dist.1.

E Sed vt ad institutum reuertamur, erat DEVS perfectissimo modo cum CHRISTO, siue cum ipsius Humanitate, non per gratiæ creatæ donum duntaxat, sed per intimam vnionem hypostasis VERBI: solus potuit pro potestate sanare oppressos à diabolo, quia de eo solo verum est, quòd eo modo DEVS erat cum illo.

Deus quomodo esset cum Christo.

Poterat de alio affirmari, quod Nicodemus affirmauit de ipso [m]: *Rabbi, scimus quia à* DEO *venisti magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit* DEVS *cum eo*: sicut quando de Ioseph patriarcha dicitur, quòd DEVS *erat cum eo* [n]: sed non illud quod Paulus [o]: DEVS, inquit, *erat in* CHRISTO *mundum reconcilians sibi.* Quæ locutiones non fauent Arrianis, vt ostendit Ioannes Maxentius [p], quasi propterea sit dicendus

De alio dici potest, Deus erat cum illo, id est, fuit & Christo.
m Ioan.3.2.
n Gen.39.2.
o 2.Cor.5.19.
p libr.1.Dialog.

CHRI

A CHRISTVS pura creatura: erat námque DEVS cum illo, vt dictum est, ratione Humanitatis. Neque est quòd Nestorium Beda vereatur, quòd pronomen *illo*, personam significare videatur, vt proinde exponendum sit, DEVS erat cum illo, id est, PATER cum FILIO, ne, vt ipse ait, CHRISTI personam geminare, & in Nestorij dogma cadere videamur.

Versus 39.] Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno.

B IN *regione Iudæorum*.] Generaliùs Iudæos sumit, vt comprehendunt etiam Galilæos, sicut & alibi notatum est [a].

a cap.1.8.

Cur à Iudæis ad Gentiles fiat trãsitus.

Quem occiderunt.] Vt non sit mirum, si ad Gentiles transitus fiat, & reprobentur Iudæi Gentilibus electis. Potuit id dici liberiùs apud auditores maiore ex parte Gentiles, & apud paucos alios ex Iudæis Christianos. Quanquàm cùm se obtulit occasio, vt vidimus [b], palàm & liberè Iudæis ipsis id obiicere non dubitauit.

b cap.5.30.

Suspendentes in ligno.] Lege caput quintum [c].

c vers.30.

Versus 40.] Hunc DEVS suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri.

C HVNC DEVS *suscitauit*.] Lege cap. 1. [d] quomodo CHRISTVS à DEO suscitatus sit vt homo; & seipsum qua ratione suscitauerit tanquàm principalis causa vt DEVS, & etiam vt homo, tanquàm causa instrumentalis, tum ex parte animæ, tum ex parte corporis.

d vers.3.

Manifestũ fieri suscitatum, non est miraculum.

Et dedit eum manifestum fieri.] Nil opus est miraculo nouo, vt iam suscitatus fiat aliis manifestus; nisi fortè vt gloriosum corpus sese attemperet ad captum sensuum mortalium. Sed hoc situm est in potestate eiusdem corporis gloriosi. DEVS itaque dedit eum manifestum fieri, quia ita fieri voluit in gratiam nostram.

D *Versus* 41.] Non omni populo, sed testibus præordinatis à DEO: nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo, postquàm resurrexit à mortuis.

NON *omni populo*.] Cur paucis tantùm, etsi non solis Apostolis, CHRISTVS apparuerit post Resurrectionem, & quo pacto idem voluerit illos Resurrectionis ipsius testimonium ferre, docuimus capite primo [e]. Si credimus Augustino [f], *suscitatum* CHRISTVM *nemo vidit impiorum*. De participio quoque *præordinatis*, & Græco *προκεχειροτονημένοις*, vide eodem capite [g].

e vers. 2.& 3. *Suscitatum Christum nemo vidit impiorum.*
f Tract.76.in Ioan.
g ver. vlt.

E *Manducauimus, & bibimus cum illo.*] De cibo, quem sumpsit CHRISTVS à Resurrectione, dictum est eodem capite primo [h]. Notat cum Beda Glossa ordinaria, hîc Lucam exposuisse de potu, quod in Euangelio tacetur: nisi illic credamus indicatum, vbi ait [i]: *Donec illud bibam vobiscum nouum in regno* PATRIS *mei*. Quem locum ita quoque Chrysostomus [k] intellexit, & per præsentem confirmauit: & vinum bibere voluisse CHRISTVM post Resurrectionem, vt radicitùs euelleret eorum errorem, qui aqua (nimirum sola) in Mysterus, siue in Missæ sacrificio vtuntur. Concordes sunt in ea expositione Euthymius, Theophylactus, & plerique recentiores, & dicunt vinum nouum vocari ob renouatum, & glorificatum CHRISTVM.

h vers.4.
i Mat.26.29.
k Hom 83.in Math.
Vinũ bibere post Resurrectionem cur voluerit Christus.

Aliis tamen videtur metaphoricè CHRISTVS locutus de bibẽdo vino nouo in regno PATRIS sui, id est, in cœlo, perinde vt apud Lucam dixit [l]: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi* PATER *meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*. Ita sentit Origenes [m], & Beda [n], & Nazianzenus [o]. Nouum autem vinum illud erit, quia alterius generis, nobilius, & suauius, cùm inebriabuntur *Beati ab vbertate domus* DEI [p]: & Hebræorum phrasi quicquid melius, & iucundius est, nouum appellatur, vt Canticum [q]. Verisimilitudinem huic expositioni, quæ mihi post Maldonatum placet, facit emphasis in iis dictionibus, *Vsque in diem illum*: solet námque dies ille longissimum, ac postremum diem demonstrare, vt Iudicij [r]. Præterea coactè nouum vinum dicitur respectu renouati CHRISTI. Deinde regnum PATRIS nonnisi de cœlo poni videtur, tametsi regnum DEI quandoque vel Ecclesiam, vel Euangelium designet: nempe quoniam solus PATER non descendit de cœlo, licèt nonnunquàm DEVS, id est, TRINITAS, descendisse dicatur ad cognoscendum, & vindicandum, vt in turrim Babel [s], in Sodomam [t]; aut ad protegendum, vt Iacob [u]. De hac phrasi Moses Ægyptius [x].

Vinum nouum meum cum electis Christus bibet
l ca.22.29.30.
m Tract.35.in Matth.
n in Mat.26.
o ora.2.de Pascha.
p Psalm.35.9.
q Psa.95.1.& 97.1.& 149.1.
r 1.Thess.5.4. & 2. epi.1.10. & 2.Tim.1.12 18.& c.4.8.
Pater nunquàm descendit de cœlo.
s Gen.11.5.7.
t infrà 18.21.
u Gen.46.4.
x lib.1.Directorij dubio. c.10. & lib.2. c.3.
y Psalm.16.15. Mat.8.11.Luc. 14.15.c.22.30. Apoc.19.9.

Postremò, quoties meminit Scriptura de esu, ac potu regni cœlorum, hoc regnum non pro Ecclesia sumit, vel Euangelio, sed pro beata vita [y]. Hæc eò dixi, vt intelligeremus locum illum de vino nouo, non iuuare Bedæ sententiam in præsenti loco: sed quid pluribus opus est? cùm cibus sumitur, sumi etiã potus solet: expressit potum Petrus ad exaggerationem veritatis: Euangelistæ cibum expressisse contenti sunt, cuius sumptione satis Resurrectionis veritas confirmabatur, vt non fuerit necessarium exhiberi à CHRISTO miraculum post Resurrectionem, vt notant Chrysostomus. & Oecumenius: quamuis non pauca exhibita esse constat, & ostendimus capite primo [z].

Cur cibi & potus Petrus meminerit, Euangelistæ solius cibi.
z vers.3.

Postquàm resurrexit à mortuis.] Beda & Rabanus, quos citat etiam Glossa ordinaria, notant in Græco additum, *per dies quadraginta* [a], *& sanctus Augustinus*, inquit Beda, *in suo codice ita haberi declarauit, atque exponendo subiunxit, non quòd quotidie per dies quadraginta cum illo manducassent, atque bibissent, sed aliquando per dies illos quadraginta*. Non vidi codicem Græcum, qui habeat hæc verba. Cur dicatur à mortuis Resurrectio potiùs, quã à morte, lege capite tertio [b].

a Act.1.
b vers.15.

Versus 42.] Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est, qui constitutus est à DEO iudex viuorum, & mortuorum.

ET *præcepit nobis prædicare omni populo*.] Vbi CHRISTVS id præceperit, nescio: solùm legimus iussisse, vt essent testes Resurrectionis, non quia vellet vt solius, sed potissimùm. Lege cap. 1. [c] Præter ea, quæ mandarunt literis Euangelistæ, alia tradita oportuit à CHRISTO, vt aliàs quoque meminimus [d]. Cùm præcepit generaliter doceri omnes gentes, & prædicari Euangelium, voluit profectò hunc adeò grauem, necessariúmque de Iudicio articulum prædicari.

c vers.8.
d Mat.vlt.

Constitutus

a Ioan.5.22.
b Act.17.31.
Christus quomodo sit iudex.

Constitutus est à DEO *iudex.*] PATER, inquit CHRISTVS ipse [a], *non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit* FILIO. Paulus verò ait [b]: *In quo iudicaturus est* DEVS *orbem terræ in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus.* CHRISTO, vt est Filius DEI, per attributionem competit iudicare, vt Ioannis citatum locum Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Leontius, Cyrillus Alexandrinus, hícque prætereà alibi [c], necnon Athanasius [d], Tertullianus [e], Hilarius [f], Ambrosius [g], S. Thomas [h], citans Augustinum [i]. Et Cyrillus ait, quòd propter Incarnationem accepit CHRISTVS, vt homo existens haberet eandem cum FILIO DEI iudicandi potestatem: verum id quidem est, attamen expeditior via est dicere. solum FILIVM iudicare externo ritu, forma visibili, & iudiciali, & sumpto sensibili habitu, quo ab hominibus qui iudicantur videatur. Tradit hunc sensum Augustinus [k], & Beda [l], & Cyprianus [m], & fauet ratio, quæ subditur eodem loco, *quia Filius hominis est* [n].

c Exegesi de Incarn. ad Valerianũ. & 2. de Fide ad Reginas. cap. Quod CHRISTVS sit verus Deus, etiamsi Filius hominis appelletur.
d orat.4.con. Arrianos.
e con.Prax.c.16.
f 7.de TRIN.
g 2.de Fide.c.4.
h 3.p.q.59.a.1.
i lib. de vera Relig. c.31.
Pater qua ratione non iudicet.
k 1.de TRIN. c.13.li.50.Hõ. in 22. & Tra. 21.in Ioan.
l in Ioan.
m 2.con.Iud. cap.28.& 3.ad Quirinum. c.31.
n vers.27.
Christus vt homo qua ratione iudicet.

Adhæc, quia dicitur, PATREM *non iudicare*, cùm tamen sine dubio iudicet ratione diuinitatis, sicut FILIVS: tandem datam potestatem esse indicat, non anteà habitam, habuit verò semper CHRISTVS vt DEVS.

Conciliari possunt ambæ sententiæ, si quod Cyrillus innuit, dicamus, à FILIO tantùm, quia solus humanam sibi naturam vnitam habet, iudicium exerceri; ab aliis personis per eandem naturam humanam, sed vt per instrumentum separatum. CHRISTVS itaque vt DEI FILIVS accepit ab æterno cum generatione potestatem iudiciariam à solo PATRE: vt homo in tempore, quando sibi vniuit humanitatem à tota TRINITATE effectiuè vniente, sed secundùm attributionem à PATRE, quia est principium TRINITATIS. Idem CHRISTVS vt homo habet iudicandi potestatem non minùs ac scientiam infusam præter diuinam: quod vtrumque donum creatum non habuisset, nisi DEVS esset. Potestas ista creata est solius CHRISTI, qui est Filius hominis, simúlque modus ille iudicandi externus, quem diximus. Lege Toletum, & Maldonatum in Ioannẽ [o].

o c.5.ann.19.
Petrus loquitur de potestate iudicandi data Christo vt homini.

Videtur Petrus intendere loqui de potestate iudicandi data CHRISTO vt homini: egit námque immediatè priùs de Passione ipsius, & Resurrectione; & proximè pòst de eodem vt mediatore, per quem consequamur peccatorum remissionem. Quod item dicit, *constitutus à* DEO, denotat externam DEI prouidentiam, & opus ad extra, vt vocant. Sic etiam loquitur Paulus eo loco, quem citauimus, vt illum perpendenti constabit.

Non agam hîc de Iudicio extremo vniuersali, quod Petrus præcipuè significare voluit, & particulari, in quo est etiam CHRISTVS iudex; non quidem, quòd animæ singulæ, simul à corporibus separantur, sistantur in cœlo ante illum, vt loqui videntur Augustinus [p], Bernardus [q], Hugo de S. Victore [r], Chrysostomus [s]: quis enim id credat de reprobis vel purgandis, cùm nihil coinquinatum introire sinatur in cœlum [t]? neque ita vt CHRISTVS ipse descendat ad singulos laturus sententiam, vt innuit Innocentius III. [u] & Ludolphus [x]: nec enim CHRISTVS de cœlo, nisi perrarò, descendit, oporteret verò ferè continenter moueri, & pluribus simul in locis versari, quod potest sanè, non decet tamen eum facere.

p de vanitate secul.c.1.
q in Med.c.1.
r 1.de anima. c.2.
s Hom.14.in Mat. & 46.ad popu.
t Apoc.21.27.
u 2.de contẽ. mundi.ca.41.
x pa.1.de vita CHRISTI. ca. 46.

Sed vt primùm abit è corpore anima, eodem puncto tẽporis eleuatur intellectualiter, vt Scholæ more loquar, ad audiendam iudicis CHRISTI sententiam, per illuminationem locutionémve intellectualem, quæ à loco non pendet, atque ita tunc cognoscit se iudicari, & vel saluari, vel damnari, non tantùm DEI, sed CHRISTI quoque hominis imperio, & efficacia, iudicantis quo quisque præmio, pœnáve sit dignus, iuxta legem æternam DEI, & mensuram ab eo constitutam, & idipsum pro sua voluntate, ac potestate pronunciantis, & imperantis cum effectu. Traditur doctrina ista ab Abulense [y], eámque bene declarat, & probat Franciscus Suarez [z], & Soto [a].

Animæ in [illegible] iudicium [illegible]
y Matth.14. q.219.
z Tom.2.in 3. p.Disp.52.sec.1.
[illegible]
a 4.dist.[illegible]

Duo animaduertenda sunt. Alterum, si propriè loquamur de potestate hac secundùm se, & substantiam suam, non contigisse CHRISTO per proprium meritum ipsius, quia fuit connaturalis, & natura quoque prior, quàm meritum, sed quantùm ad perpetuitatem, vel vsum, actualemque possessionem, & statum supremi Iudicis: vel etiam quantùm ad manifestationem: quibus modis exponi solent verba illa CHRISTI [b]: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.*

b Matt.[illegible]
Christus quando [illegible]

Alterum, ex eo tempore, quo post Resurrectionem pronunciauit CHRISTVS verba ista, cœpitque in statu esse regnantis, ac dominantis, inchoasse iudiciariæ exercitium potestatis: immò & animam ipsius separatam, quæ spoliauit infernum, & Dæmonis potestatem ligauit, & aliquas forsan animas ex Purgatorio extraxit, & iudicium tulit de iis, quæ tantisper dum ibi fuit, migrarunt è corporibus.

[illegible]
c Luc.12.14.
d Ioan.12.47.
e Ioan.3.17.
f 1 Cor.[illegible] Hebr.[illegible] & alibi.
g Ioan.3.16.

Ante id tempus dum adhuc passibilis, & mortalis viueret, *detrectauit iudicium inter litigantes* [c]: negauit *se venisse vt iudicaret mundum, sed vt saluificaret* [d]: nec *ad hoc à* DEO *missum* [e], quia noluit ea potestate vti, præsertim vt damnaret, vel puniret, quod aliquando sonat iudicandi verbum [f]: & DEVS ex singulari amore erga mundum, *dederat vnigenitum* FILIVM *suum, vt qui crederet in eum, non periret, sed haberet vitam æternam* [g], & veluti prohibuerat FILIO suo, vt ait Chrysostomus, & Euthymius, ne quenquam primo quidem illo aduentu iudicaret.

[illegible]
h Ioan.12.47.48.
i Ioan.3.18.
k Gen.2.17.

Negat etiam interdum CHRISTVS se iudicare [h], & eodem sensu negare potuit iudicaturum, vt significet se nullius causam esse condemnationis, sed quenque à sermone ipso suo iudicari, quem non custodit; ac si ipsemet iudicaturus non esset, sed sermo quem locutus fuerat, esset iudicaturus. Dicit quoque eum, *qui non credit, iam iudicatum esse, & qui credit, non iudicari* [i]: nimirum quoniam prior damnatus est sententia ipsiusmet sermonis, quem non credit, & damnationis, aliquando ferendæ, iam in se causam habet, posterior non habet: quemadmodum Adamo dictum est [k]: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, id est, mortis in te causam habebis.

Christus quomodo sit iudex viuorum & mortuorum.
l lib. de Fid. & Symb.[illegible] & in Enchirid.c.[illegible]
m Hom.1. de Symbolo.
n in Symb.

Viuorum, & mortuorum.] Id est, *Iustorum, & iniustorum*, vt ait Glossa interlin. & Lyranus, Augustinus quoque [l], & Chrysostomus [m]: *animarum & corporum*, vt Ruffinus [n], etsi enim iudicium vniuersale fiet in resuscitatos, iam cùm fidem profitemur, viuunt animæ, corpora multorum mortua sunt: tam eorum qui anteà mortui erunt, quàm qui in aduentu CHRISTI mortui inuenientur, vt eadem Glossa habet; quamuis námque morientur paulò ante generalem Resurrectionem, propter illud modicum tempus dicuntur viui: vel modò

pronun

pronunciantes fidei articulum, intelligimus viuos, qui nunc superſunt; mortuos, qui nos præceſſerunt in vita: vel vtrique referendi ſunt ad tempus, quod præcedet immediatè Iudicium, quando vltima eius ſigna incipient apparere, & veniet Dominus; tunc enim erunt quidam viui, quidam iam mortui, ſed illi quoque morituri ac reſurrecturi, vt compareant cum aliis iam reſurgentibus in iudicio.

An aliqui ſint iudicandi in iudicio finali adhuc viui & nondum mortui.

Sed Caietanus hinc effici putat, viuos propriè ſumi de iis, qui adueniente CHRISTO iudice, perſeuerabunt in vita, & omninò non morientur. Habet hæc opinio nonnullos fautores, vt in epiſtolam ad Corinthios primam [a] (vbi Paulus fauet) Chryſoſtomum, & in priorem ad Theſſalonicenſes [b] (qui etiam locus iuuat) necnon Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium vtrobique, & Ambroſium in priorem locum, & Iuſtinum [c]: prætereà Origenem [d], Theodorum Heracleotem, & Apollinarium, quos non reprehendit Hieronymus [e], immò eandem ſententiam ſequitur [f] alibi: adhæc Auguſtinum [g], Gennadium [h], Tertullianum [i], Epiphanius [k] etiam docet aliquos tranſituros ſine morte ad vitam immortalem.

a cap. 15.
b cap. 4.
c quæ. 109. ad Orthodo.
d 5. con. Celſum.
e epiſt. 152. ad Mineruum.
f ep. 148. q. 3.
g q. 1. ad Dulcitium.
h lib de Eccl. dogmatib. inter opera Auguſtini, c. 7. & 8.

Nemo futurus eſt liber à morte.

Contraria ſententia longè communior eſt, ac non ſolùm maximæ Patrum turbæ, vt loquitur Gennadius, verùmetiam omnium ferè Scholaſticorum [l], & Scriptorum noſtri temporis. Valdè ſuadet nexus ille Pauli mortem inter, & peccatum, *vt in omnes homines pertranſierit, in quos peccatum* [m]: deinde quod idem, iuxta editionem vulgatam, tradat, *quod omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur* [n]: *reſurrectio enim oriri non poteſt, niſi mors præcedat*, inquit Athanaſius [o], & ex toto contextu eius loci côuincitur de mente Pauli eſſe, à Reſurrectione, proindéque à vera morte nullum excludi, vt bene demonſtrat Suarez, &, ſi retineatur lectio Græca, *omnes non dormiemus*, exponi poterit cum Oecumenio de diuturna dormitione, quæ indigeat ſepulchro, ac reſolutione ad corruptionem, quia mors, & reſurrectio eorum, qui vixerint, vſque ad iudicij diem, veluti momento fiet, ita vt mors nulla videri poſſit. Vel ſenſus erit: *Omnes non dormiemus*, id eſt, Omnes euigilabimus, & non ſempiterno mortis quaſi ſomno corripiemur. Vel non tantùm omnes dormiemus, ſed etiam immutabimur à morte ad vitam. Pertinet eòdem generalis illa DEI ſententia [p]: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*; & Apoſtoli [q]: *Statutum eſt hominibus ſemel mori; poſt hoc autem iudicium*: & [r], *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in* CHRISTO *omnes viuificabuntur*: & Dauid [*]. *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi?*

i de Reſurrect. carnis. c. 41. & 42.
k Hæreſ. 64.
l 4. diſt. 43. & S. Thomas 1. 2. q. 81 a. 3. ad 1.
m Rom. 5. 12.
Reſurrectio generalis omnium futura eſt.
n 1. Cor. 15. 51.
o libr. de Incarnat. Verbi. & Ser. 3. con. Arian.
p Gen. 3. 19.
q Heb 9. 27.
r 1. Cor. 15. 22.
* Pſal. 88. 49.

Sententia contraria hæretica non eſt cenſenda.

Porrò poſterior hæc opinio ita certa eſt, & tenenda, vt tamen contraria tanquàm hæretica damnari non debeat: neque enim vlla ſuper hoc extat Eccleſiæ definitio: & Scripturæ teſtimonia variis modis exponunt citati Patres, quibus placet etiam, vt ab vniuerſali mortis lege obeundæ reipſa, nonnulli eximantur: quanquam & ipſum viuere in his ærumnis, continuum quoddam mori videatur, non ſecus ac iſto modo illud exponitur [ſ]: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.*

ſ Gen. 2. 17.
t 4. diſt. 43. q. 2. a. 4.

Qui contrariã tenentur ſententiam non ſunt temeritatis arguendi.

Nec verò auſim dictæ ſententiæ Auctoribus temeritatis notam cum Soto [t], & Catharino [u] temerè inurere, cùm ſint illi Auctores tot, ac tantæ auctoritatis, & ſe Scripturæ ipſius vmbra tegant,

u in 1. Cor. 15.

A quam Auguſtinus [x] aliquando profeſſus eſt ſe ignorare, in prima ad Theſſalonicenſes [y] quomodo aliter intelligi queat; etſi, cùm priùs dubitauiſſet [z], acquieſcat communiori opinioni [a]. Conſultius eſt ab omni cenſura abſtinere, & hanc noſtram probabiliorem, & ſimpliciter veram arbitrari, quo modo loquuntur antiquiores Theologi, præſertim S. Thomas [b], & ex recentioribus Canus [c], Sixtus [d], Suarez [e], & Pamelius [f]. Lege etiam Acoſtam [g], Valentiam [h], Enriquez [i], & ex Patribus Iſidorum Peluſiotam [k].

x q. 3. ad Dulcitium.
y cap. 4. 14.
z q. illa 3. ad Dulcitium, & 2. de peccat. me. & remiſ. c. 31.
a 20. de ciuit. DEI. c. 20. & 2. Retract. c. 33.
b in 1. Cor. 15. & 1. 2. q. 81. a. 3. ad 1

Omnes ſunt iudicandi.

Vnum reſtat, an omnes homines ſint iudicandi. Sed quæ adhuc ſunt dicta, nullo negotio affirmantem partem euincũt, omnes videlicet eſſe iu-B dicãdos, etiam iudicio, quod vocant, diſcuſſionis, ſi quod peccatum actuale vnquàm habuerunt, non ſolùm approbationis, & damnationis. *Non reſurgunt impij in iudicio* [l], quia non efferent caput, non præualebunt, ſed cauſa cadent: *Qui non credit, iam iudicatus eſt* [m], & quoniam habet iam iuſtam damnationis cauſam, vt pridem expoſuimus, *ſicut & qui credit* (fide nempe viua) *non iudicatur* [n], id eſt, non condemnatur, quod vtrumque prætereà Irenæus rectè eodem hoc modo explicauit [o]. *Iudicabuntur*, ait Auguſtinus [p], *etiam infideles, tamen ad explicandam rei certitudinem, de præterito dictum eſt iam eſſe iudicatos, ſeu damnatos.*

c 12. de locis. c. 14.
d 6 Bibli. annot. 265.
e Tom. 2. in 3. part. diſp. 50. ſect. 2.
f in Tertull. de Reſur. carnis. cap. 41. & 42.
g 4. de nouiſſ. tẽporib. c. 21.
h in 3. p. Diſput. 11. qu. 3. punct. 3.
i lib. de vit. fine hom. c. 21.
k lib. 1. epiſt. 222.
l Pſal. 1. 5.
m Ioan. 3. 18.
n ibidem.
o lib. 5. c. 27.
p li. de agone Chriſt. c. 27.

Si qui Patres de infidelibus loqui ſecus viden-C tur, hoc fortaſſe voluerunt, euidentiorem in iis damnationis cauſam apparere, eò quòd careant ipſo fundamento iuſtitiæ, atque meritorum, hoc eſt, fide.

Pueri an iudicandi ſint.

De pueris ambigi magis poteſt. Sed ſine ambage dubitationem eximit communior ſententia [q], fulta Auguſtini [r] potiſſimùm auctoritate, & Gregorij [ſ], & hac rationis veriſimilitudine, quia decet id gloriam CHRISTI, vt ab his quoque colatur, qui cũ peccato originali mortui ſunt, & vt miſericors, qui in Adamo primùm, deinde in CHRISTO, nec iis negauerit ſufficiẽs ſalutis remedium: & vt iuſtus, qui ſeruato ſuæ prouidentiæ ordine, dicto medio carentes nec ab beatitudinem cœle-D ſtem admittat, nec pœna ſenſus plectat; qua eadem tamen ſimul prouidentia fiat, cum naturali rectitudine voluntatis eorum, atque prudentia, vt nullum ex eiuſmodi cognitione ſententiæ DEI, & amiſſione beatitudinis ſupernaturalis mœrorem, dolorémve experiantur, ſed ſuis contenti naturalibus bonis, diuinæ penitus conformes ſint voluntati, vt aliàs docui diſputans de peccato originali.

q in 4. diſtin. 47.
r 3. Hypognoſt. & 3. de libe. arb. c. 23.
ſ 9. Moral. ca. 12. vel 16.

Scriptura quæ de iudicio proponat.

Fatendum eſt, ea Scripturam de Iudicio præcipuè proponere, quæ erunt in illo inſigniora, quæque ad incutiendum mortalibus horrorem maximè accommodata ſunt, cuius generis ſunt, quæ pertinent ad adultos.

Angeli tam boni quàm mali in iudicio apparebunt.

Poſtremò Angeli tam boni, quàm mali appa-E rebunt in iſto Iudicio, & illud aliquo modo ſubibunt, non ſolùm quantùm ad præmium pœnámve accidentariam, quia aliquid ſunt cooperati ad ſalutem, ac damnationem hominũ, verum etiam quantùm ad eſſentialem; colligitur hoc námque ex verbis Petri [t], quibus ait, *Angelos qui peccauerunt, reſeruatos in Iudicium*; & Pauli dicentis *quòd Angelos iudicabimus* [u]: & malorum Angelorum ipſorum *lamentantium veniſſe* IESVM *Nazarenum ante tempus perdere illos* [x]. Id quoque ſentiunt multi Patres, maximè Andreas Apoſtolus apud Abdiam [y], Clemens Romanus [z], Iuſtinus [a], Irenæus [b], Euſebius [c], Nicephorus [d]

t 2. ep. 2. 4.
u 1. Cor. 6. 3.
x Matt. 8. 29.
y lib. 3.
z 7. Conſtit. cap. 33.
a in Tryph
b l b. 4. c. 33.
c 4. Hiſtor c. 17 vel 18.
d lib. 4. c. 6.

(qui quatuor vltimi negant igni torqueri dæmones ante Iudicium, sed malè) Lactantius [a], & in expositione primæ ad Corinthios [b] Græci, Latinique,& Augustinus non semel [c].

a 7.Instit.ca. 26.
b cap.6.
c 11. de ciuit. c.33. lib. 21. c. 23. lib. de natura boni. ca. 33.

Cur Angeli & homines simul iudicandi.

Postremò ex ANGELIS, & hominibus sanctis conflatur corpus vnum CHRISTI, Ecclesiæ ciuitas, & vtrisque decernitur præmium eiusdem rationis pro meritis: conuenit ergo iudicium ac sententiam publicè ferri æquè de ANGELIS, vt sic magis clarescat CHRISTI gloria, qui est caput, & Rex ANGELORVM, DEIque tum iustitia, tum misericordia, tum prouidentia: ANGELORVM ipsorum laus ac merita. Hæc autem controuersia minùs attingit præsentis tractationem loci;etsi non nesciam, cùm CHRISTVS viuorum iudex profertur, per viuos intelligi, aut comprehendi etiam ANGELOS. Consule citatos, in primis Suarez [d].

d Tom.2.in 3. p.Disp.57. sectio 5.6.7.8.

Constitutus.] ὁ ὡρισμένος, *definitus, destinatus.* Significat verò Latinum verbum destino, constituere animo apud se, & deliberare, vel deputare, ac designare aliquid in aliquem finem, vel mittere: atque idem est de composito prædestino: necnon de Græcis ὁρίζω, & προορίζω, quæ saltem habent primas duas significationes.

Prædestinationis nomē quid propriè significet.

Prædestinationis nomen similiter propriè, ac strictè quidem apud Augustinū passim, & Theologos sumitur pro æterno proposito DEI, siue decreto, quo homines quosdam ordinat ac dirigit in beatitudinem supernaturalem per media supernaturalia re ipsa consequendam: & hoc modo ordinati vocantur prædestinati, quasi etiam designati, ac transmissi, perinde vt solet sagitta transmitti ad scopū, vt appositè declarat B.Thomas [e], virtute aliena, quia propria, & naturali non posset eum attingere. Vnde Paulus plerumque coniungit cum prædestinatione propositum DEI, & voluntatis eius [f]: aut cum electione [g].

e 1.p.q 23.artic.1.
f Rom. 8. 28. 29. & Ephe.1. 5.

Prædestinati etiā reprobi vocantur.

Quanquàm aliquando prædestinationis significationem extendit Augustinus [h], & Fulgentius [i] ad illud quoque propositum, quo impij ordinantur ad pœnam: cùm tamen ex vsu communi dicatur reprobatio: & ea ratione ordinati reprobi, ac reprobati, vel etiam præsciti dicuntur: quamuis præsciēdi item verbum, pro verbo prædestinandi in illa propria significatione reperiatur apud Paulum [k], & apud eundem [l], vt quid generalius, & commune vtrique ordinationi. Auctor noster inferiùs vtens eodem verbo, ait, *quòd crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam* [m].

g Rom.9.11.
h 15. de ciuit. DEI.c.1.& li. 21.c.24.& 6. hypog.
i lib.1.ad Monimum sæpe.
k Rom.11.2.
l infrà 8.29.
m Act. 13. 48.

Prædestinatio nō cadit in Deum, sed in creaturā.

Denotat igitur verbum, quo nunc vtitur, CHRISTO constitutam ac prædestinatam iudiciariam potestatem tanquàm homini, vt antè ostendimus: non enim cadit prædestinatio in DEVM tanquàm in obiectum per se, sed in creaturam, vel in DEVM quatenus respicit creaturam. Hic ipse prætereà loquendi modus declarat, CHRISTVM non vsurpasse dignitatem illam, sed à DEO in ea fuisse constitutum: quod voluit Ioannes Baptista, cùm dixit [n]: *Qui post me venturus est, ante me factus est,* id est, prædestinatus, designatus, constitutus in maiore dignitatis gradu; & Paulus [o]: *Quem constituit heredem vniuersorum.*

n Ioan.1.15.
o Heb.1.2.

Versus 43.] Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.

A

HVNC *omnes Prophetæ testimonium perhibent.*] Maximi fiebant à Iudæis Prophetæ, & maximi momenti testimonium est, vt dixi capite secundo [p]: ideoque libēter profertur à Petro etiam apud Cornelium, qui versabatur inter Iudæos. Similem sententiam idem Petrus protulit capite tertio [q]. Ex Prophetis clarissimè loquitur Esaias [r]: *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me;* & Ieremias [s]: *Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor ampliùs;* & Michæas [t]: *Quis DEVS similis tui, qui aufers iniquitatem?*

p vers.16.
q vers.18. 21. 24.
r cap.43.25.
s cap.31.34.
t cap.7.18.

Contra Brentium ex hoc loco argumentum ex ipsa Ecclesia vniuersali desumens.

B

Egregiè scilicet argumentatur Brentius [u], testimonium quod ab Ecclesia sumimus, non esse idoneum, si à consuetudine prouinciarum sumatur, nisi etiam à Prophetis petatur, & Apostolis. Quasi verò Petrus nunc in ipso Ecclesiæ exordio vix adhuc egressæ Iudææ fines, potuerit allegare testimonium vniuersalis Ecclesiæ: vel non eo modo Patres quoque sint argumentati, & non ex Prophetis tantùm, & Apostolis, vt Augustinus [x], Optatus [y], Athanasius [z], cum aliis Episcopis Ægypti, Thebaidis, ac Libyæ, atque alij: præsertimque id vrgent Tertullianus [a], & Vincentius Lyrinensis [b], Hieronymus [c], Nazianzenus [d], Hilarius [e], Irenæus [f], Cyprianus [g], Basilius [h]. Legendi Scriptores de Controuersiis, & quæ ipsi de Scriptura, & Ecclesia disputauimus, & ex non

u apud Marlorat. in Catena huius loci.
x lib. de vtil. creden. c.14. lib. de vna Eccl. cap.4.2. con. lit. Petil. c.16 & 104.
y 2.con. Parmen.
z ep. ad Iouin. Imper. apud Theodoret. 4. Histo. c.3.
a lib. de Præscrip. Hæret.
b lib. cōt profanas omnium hæresum nouitates.

C

adeò recentibus, Thomas VValdensis [i]. Ignatius [k] porrò æqualis Apostolorum dixit, *Euangelio se non crediturum, nisi videret in Antiquis.* Clemens autem Romanus [l] inducit Petrum ita loquentem post narratam ab eo visionem lintei, & iussionem diuinam, vt descenderet ad viros, à quibus quærebatur: *Atque ita mecum quod acciderat reuoluens, intellexi verbum Domini quod scriptum erat* [m]: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit* (citauerat hunc locum in prima concione ad Iudæos [n]) & rursus, *Recordabuntur* [o] (in nostra editione, *Reminiscentur*) *& conuertentur ad Dominum omnes fines terræ, & adorabunt coram eo omnes familiæ Gentium. Ac cùm vbique de vocatione Gentium scriptum esse considerassem, surrexi, & iui cum eis, &c.* Verisimile itaque est recitasse Petrum plures locos, sed Lucam breuitati consulentem, præteriisse. Rabbi Salomon ait [p], *quòd vniuersi Prophetæ non sunt locuti nisi ad dies MESSIÆ*, nempe iuxta primariam intentionem.

De sententia Gentium, Apostolorum, & quo admonuerat Orat. & Hæreticis & li. con. Lucifer.
c ep. ad Ocea. & Hæreticis
d epistol. ad Cledonium.
e lib. de Syn.
f li.1.c.3. & 4.
g lib. de simplici. Prælator. vel de vni. Eccle.
h epist. 72.
i Tom.1. Doctrinalis. lib. 2.c.19 & 11.
k ep. ad Philadelphien.
l 6. Cœdic. 12.
m Ioel.2.32.
n Act.2.21.
o Psal.21.28.
p in Zachariam.

D

Remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.] Lege caput quintum [q]. Cur tam sæpe inculcetur hic fructus & vtilitas ex CHRISTI aduentu, potiùs quàm sub nomine iustitiæ, seu iustificationis, sanctitatis, gratiæ, &c. Repete item quæ dixi capite secundo [r], quare dicatur in numero multitudinis remissio peccatorum.

q vers.31.
r vers.38.

E

Ineptus est rursum Brentius, dum colligit nos, quia Sanctos inuocamus, sacramentis vtimur, aliisque remediis, aliter quàm in nomine CHRISTI peccatorum remissionem, ac veniam quærere. Explosus est hic error pridem capite quarto [s] contra alios Hæreticos.

s vers.12.

Omnes, qui credunt in eum.] Fides in primis prædicata, & commendata est Iudæis, ac Gentilibus, eique etiam persæpe, tanquàm causæ, peccatorū tributa remissio, atque iustificatio, & à CHRISTO, & ab Apostolis, quoniam salutis initium est, & salutem poscenti necessaria est ὑπόστασις, & substantia, seu subsistentia: *& initium substantiæ nostræ*, vt loquitur Paulus [t], eàmque explicat Chrysostomus, quasi per eam subsistamus, & nati iimus, &

Cur ad remissionem fides tam quàm causa requiratur.
t Heb.3.14.

mus, & essentiales facti:&,vt ait Theophylactus, *diuina, & spirituali essentia fundati,atque regenerati sumus*:&,vt Theodoretus,*renouati,& Domino* CHRISTO *coniuncti,& sanctissimi* SPIRITVS *gratiam accepimus*. Non proinde tamen id, quod complementum est,& perfectio participationis eiusdem diuinæ naturæ in nobis negatur,gratia nimirum charitásque. Sed de fide Apostolus potissimùm agit cum Hebræis, quoniam hi aduersùs istam contentiosiùs pugnabant; eámque fideles si perderent, à CHRISTO prorsus alieni redderentur.

Fides cur ab Apostolo hypostasis dicatur.

a Heb.11.1.

Meritò præterea vocatur ὑπόστασις, *& substantia rerum sperandarum*[a],quia nulla est spes,quam non fulcit,& sustentat fides: aut, iuxta Græcorum expositionem, efficit vt subsistant quodammodò ea,quæ sperantur, verbi gratia Resurrectio nondum facta, nec adhuc habens subsistentiam, per spem subsistit in anima nostra. Id egregiè per periphrasim declarauit Syrus interpres citato illo loco, qui sic habet, איתיא דין הימנותא פיסא על אילין דאיתיהון בסברא אך הו דהוי להון בסוערנא *ithaieha den haiemauntha peiasâ hhal ilen dithaiehun besabra ech han dahauai lehen besubbarana*, id est, *Est autem fides persuasio de his quæ sunt in spe,ac si ipsa essent illis in effectu*; vel, *Est autem fides certitudo de iis rebus,quæ sunt in spe,ac si iam existerent actu.*

Fides quàm sit ad salutem necessaria.

Item quia in Gentili cum errore falsorum deorum nulla potest esse salubris virtus: in Iudæo cum ignoratione MESSIÆ vana est legis obseruatio: atqui Fides vnum verum DEVM, & Filium eius CHRISTVM proponit. Dum docet Fides DEVM esse,& quanta sit laborum retributio Sanctorum, ad magnas res gerendas, & obeunda pericula excitat, hortatur,comitatur, & adiuuat: ac, vt verbis vtar Petri[b], *corda purificat*, abstergens ignorantiam, & quod in se est,prauos etiam affectus ex peruersis practicis principiis existentes.

b Act.15.9.

Fides operibus legis quomodo opponatur.

Solet Fides opponi contra eosdem Hebræos operibus legis,vt intelligamus non per opera ista contingere salutem, sed per gratiam, quam fides implorat[c],quæque,nisi credentibus,non datur,& accedentibus per fidem ad illum[d]: de qua re Augustinus[e],& Concilium Tridentinum[f].

c Rom. 10. 14.
d Heb.11.6.
e lib. de Prædestinat. Sancto.c.7.
f Sess.6.c.8.

Tandem, vt omittam quòd credere in DEVM intelligi videtur de fide viua, & informata à charitate:docui enim non semel,non esse perpetuum discrimen vulgò traditum inter credere DEVM, DEO,& in DEVM,mediocriter in Scripturis versatus deprehendet, sicut fidei tribuitur iustificatio nostra[g], ita & aliis virtutibus. Nam de timore, exempli causâ, habemus, quòd *qui sine illo est, non potest iustificari*[h], quod est *initium sapientiæ*[i], hoc est, perfectæ iustificationis, vt exponit Augustinus[k], intelligens quoque timorem seruilem, vt & alij Patres:quòd *per eum quæritur* DEVS, *& acceditur ad ipsum*[l]: quòd ab eo *concepimus, & peperimus spiritum salutis*[m] (iuxta versionem Septuaginta) quòd *est fons vitæ*[n], quòd *expellit peccatum*[o]. Idem ostendere possemus in aliis virtutibus, vt dilectione[p],eleemosyna[q], spe[r], humilitate[s], oratione[t], obedientia[u]: de quarum singulis quemadmodum nec affirmamus, nec Scriptura tradit quòd solæ iustificant: ita neque de fide id Hæretici vel affirmare debent, vel Scripturæ testimonium possunt producere, in quo affirmetur.

g Rom. 3. 22. c.4.5 cap.5.1. Eph.2.8. Act. 13. 9. Philip. 3.9.Ioan.1.12. c.3.16.
h Eccle.1. 27. 28.
Iustificatio non fit à fide, sed & aliis virtutibus tribuitur.
i Psal 110.10. Prou.1.7. Eccli.1.16.
k 1. de Serm. Dom. in mõte.c.9.
l Psal. 77. 34. & Psal.12. 17.
m Esa. 26. 17. 18.
n Prou.14.27.
o Eccli 1.27.
p Luc.7.47.
q Tob.12. 9. Luc.11.41.
r Rom 8. 24. 1.Ioan.3 3.
s Luc. 18. 14. 15.
t Luc. 11. 13. Rom.10.13.
u Heb.5.9.
Fides sola non iustificat.

Sed ipsi obiicimus ipsis Iacobum[x] disertè negantem à sola fide iustificationem esse: *Videtis*, inquit, *quia ex operibus* (iis, quæ fides facienda dictat,& non ex legalibus, alioqui excluderetur & fides, quæ etiam est opus quoddam[y]) *iustificatur homo* (id est,vel ad iustificationem disponitur,vel iustus cognoscitur,vel in iustitia quam habet proficit & crescit) *& non ex fide tantùm* est(nisi videlicet ex ea,quæ viua est,& vitæ fructus edit) & *per charitatem operatur*[z].

x Cap 2.24.
y Ioan.6.29.
z Gal.5.6.

Quod verò apud Lucam* dicit CHRISTVS Iairo, *Crede tantum, & salua erit*, non est ad rem; quia loquitur de miraculo excitandæ mortuæ filiæ, non de iustificatione, vel remissione peccatorum: fidem autem solam (quam non tam exigit ibi CHRISTVS, quàm in ea Iairum confirmat, vt Augustinus[a] docet) satis interdum esse constat ad miracula impetranda,etiam ab improbis[b]. Quocirca omnes *qui credunt in* CHRISTVM, *remissionem peccatorum accipiunt per nomen eius*, id est, nemo sine fide, *sine qua impossibile est placere* DEO[c]: omnes non Gentiles minùs, quàm Iudæi, & ex omni hominum genere: singuli, dummodò cum fide adsint alia,quæ simul requiruntur ad obtinendam remissionem peccatorum: & ad iustitiam, *cuius spem ex fide expectamus*, inquit Paulus[d], id est, ex fide speramus nos posse iustificari, vt explicat Augustinus[e]. Subditque Apostolus, quòd *in* CHRISTO IESV *neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium*: nempe lex circumcisis data, & opera Gentilium non iustificant, sed fides, non quæcunque, quidem, sed quæ per dilectionem operatur. Vereor ne dum in fide moror, fides commentarij periclitetur,vt qui breuitatem quam profitetur,parum fideliter transilire videatur;at enim non potest quis nimiùm esse fidelis in sua tuenda, & confirmanda fide. Tractant idem argumentum Theologi, præsertim Bellarminus[f], nósque etiam egimus in scholis nostris[g].

* cap.8.50.
a 2. de cons. Euang c.28.
b Matt. 7. 22.
c Heb.11.6.
d Gal.5.5.
e lib. de Spiritu & lit.ca. 32.
f Tom.3. li.1. de Iustifi. toto, & lib.2.c. 4.
g Disp.de Fide, & de Iustificat.

Versus 44.] Adhuc loquente Petro verba hæc,cecidit SPIRITVS sanctus super omnes, qui audiebant verbum.

ADHVC *loquente Petro verba hæc.*] Glossa interlinearis ait cecidisse super Cornelium cum suis;necnon Carthusianus,& Caietanus. Videtur & Petrus indicare capite sequenti cecidisse tantùm super illos,dicens[h]:*Cecidit* SPIRITVS *sanctus super eos,sicut & in nos in initio*[i]. Et quidem res hæc tota gerebatur propter Gentiles,vt Iudæi intelligerent, & his conferri charismata SPIRITVS sancti. Idem expressè tenet Cyprianus[k]. Cùm auté Petrus ait, *Sicut & in nos in initio*,innuit in hos SPIRITVM sanctum visibili specie descendisse, idque in igneis linguis. Historia Scholastica[l] dubitat,& Carthusianus,sed Arator ita sentit:

h vers.15.
i cap.2.4.
k ep.72 vel l. 2.1.
l in Histor. Act.c.53.

——*Mox* SPIRITVS *almus*
Indulgens varias opulento munere linguas
Compleuit sine more domum,Baptisma frequentat
Petrus,vt ablutos flammis purgaret in vndis.

Cur ante Baptismum descendit Spiritus sanctus.

Fauet quod paulò pòst linguis locutos dicitur. Chrysostomus obseruat, singulari DEI prouidentia abruptum à DEO ipso Petri sermonem priusquàm deueniret ad Baptismum,*quem*,inquit, *Cornelius, & domestici credebant esse remissionem peccatorum* (id scilicet prædicante Petro, quamuis Lucas non meminerit) *& voluisse* DEVM, *vt ferè simpliciter Petrus adesset, hoc est, nihil quodammodò ageret,sed totum* DEVS,*ad compescendos ex Iudæis Chri-*

ſtianos,qui ægrè tamen vel ſic acquieuerunt.

Argumentantur Hæretici huius temporis,non conferri gratiam per Baptiſmum,quia hìc datum legimus SPIRITVM ſanctum(videlicet ad iuſtificandam etiam,vel ad augendam gratiam iuſtificantem) non ad dona ſolum, gratiáſve gratis datas,prout capite ſecundo expoſitum [a] eſt,ante Baptiſmum:ſed hoc priuilegium fuit,nihil derogans virtuti efficaciæque ſacramenti: quemadmodum nihil derogauit Circumciſioni, quòd Abraham ante illã ſit iuſtificatus [b]. *Sicut in Abraham,*ait Auguſtinus [c], *præceſſit fidei iuſtitia,& acceſſit Circumciſio ſignaculum fidei* [d] *: ita in Cornelio præceſſit ſanctificatio ſpiritualis* , vel augmentum eius , ſi iam erat iuſtus, & in aliis ſimpliciter , ſi qui nondum erant, *& acceſſit ſacramentum regenerationis in lauacro Baptiſmi.*

a verſ.4. *Baptiſmus confert iuſtificationẽ, etiamſi ante illum hi iuſtificati fuerint.*
b Gen.15.1.2.3.4.5.6.Iacob.2.21.24.
c 4. de Bapti. con.Donat. c. 24.
d Rom.4.11.

Apta eſt comparatio in hoc inter Abraham, & Cornelium:quoniam Abraham dicto modo meliùs cognoſcebatur *vt pater omnium credentium tam ex præputio,quàm ex Circumciſione,* & oſtendendum erat Paulo vtenti exemplo ipſius,non ex lege, aut ex cæremoniis legalibus,ſed ex fide in verũ DEVM operante per charitatem,hominem iuſtificari. Similiter Cornelius primus erat ex Gentibus vocatus ad fidem CHRISTI;at documentum edi oportebat conuerſis Iudæis, ſed legis adhuc zelatoribus, vt per hoc extraordinarium miraculum intelligerent pertinere non circumciſos etiam ad nouum Teſtamentum, & vocari ad pœnitentiam.

Comparatio inter Abrahã & Cornelium in hoc apta.

Monet rurſum idem non eodem loco Auguſtinus [e],vt hinc intelligamus,quòd inuiſibilis ſanctificatio quibuſdam adfuerit, atque profuerit, poſſitque interdum adeſſe, & prodeſſe , ſine viſibili ſacramento,ita vt DEVS non alligetur,vt vulgari axiomate loquuntur Theologi, ſacramentis ſuis,dummodò id etiam conſtet,ſacramenta,quod pertinet quidem ad ipſa, ſecundùm ſe non eſſe expertia gratiæ: ſed hanc ſine illis interdum exhiberi, quando videlicet myſteria iſta, ſiue ſacramenta *vt Baptiſmum , non contemptus religionis , ſed neceſſitatis articulus excludat* , vt ipſiſſimis Auguſtini [f] verbis loquar, ita vt ſi ſuſcipi ſacramenta valeant, ſuſcipiantur, illa, inquam, quæ neceſſaria ſunt, eò quòd ſalus hominis ex vtroque perficiatur, tam cordis conuerſione, quàm ſacramentorum ſuſceptione.

Deus ſine Sacramentis conferre gratiam poteſt.
e q.84.in Leuit.
f 4.de Bapti. con.Donatiſt. c.24.& q.84. in Leuiticũ.

Eandem doctrinam elicit hinc Algerus [g],quòd nimirum DEVS per ſe ſine miniſtris quod ſuum eſt operetur,hoc eſt,gratiam largiatur:& rem aliis exemplis illuſtrat, vt latronis, qui eſt iuſtificatus in cruce ſine Baptiſmo [h] : & duorum, qui ſine Moſe SPIRITVM ſanctum acceperunt, ſicut alij ſeptuaginta [i].Citat quoque idem Auctor ad idem propoſitum teſtimonia Auguſtini, Proſperi, atque Iſidori.

g lib.1.de Sacram.corp. & ſanguinis Domi.c.7. Tom. 6. Bibliothec. Patrum.
h Luc. 23.43.
i Num. 11.26.

Dixi capite ſecundo [k],Ioëlem ibi à Petro citatum prophetaſſe de SPIRITV ſancto effundendo non ſuper Iudæos tantùm, ſed & ſuper Gentiles. Impletur nunc illa Prophetia: SPIRITVS enim cecidit felici quadam ſorte ſuper Cornelium,& domeſticos eius. Quòd autem id acciderit, dum illi audirent verbum, per hoc oſtenditur, inquit Lyranus, quòd illi, qui deuotè, & attentè audiunt verbum DEI, recipiunt gratiam SPIRITVS ſancti. Ecce iam tertiò datum legimus SPIRITVM ſanctum,bis ſcilicet priùs Diſcipulis [l]; ſed ſemper bene occupatis in oratione,aut verbo DEI: & capite 19.[m] Epheſij eundem acceperunt poſt inſtitutionem Pauli, Baptiſmum, & manuum impoſitionem. Legendus Auguſtinus in Pſalmum 96.vbi diligenter totum hunc locum tractat, & quæ pertinent ad ſequens caput.

De deſcenſu Spiritus ſancti in Gentes, Ioëlis Prophetia impleta.
k verſ.18.
l cap. 2. 1. & ſeq.& c.4.31.
m verſ.6.

Verſus 45.] Et obſtupuerunt ex Circumciſione fideles, qui venerant cum Petro:quia & in nationes gratia SPIRITVS ſancti effuſa eſt.

ET *obſtupuerunt ex Circumciſione fideles.*] Non aderant ergo ex huiuſmodi fidelibus alij; an autem ex aliis Iudæis, incertum, éſtque veriſimilius nullos affuiſſe. De verbo Græco ἐξέστησαν, atque de nomine ἔκστασις, alibi [n] egimus. Syrus duo verba poſuit,nempe hæc, ותמהו ותהרו *vathemahu vathebaru*, id eſt, *& mirati ſunt, & obſtupuerunt.* Stupebant etiam Iudæi ipſi, & mirabantur, & mente confuſa erant, cùm in Pentecoſte audiebant Diſcipulos linguis loquentes [o].

n cap.3.6.
o cap.2.

Si conſilium hoc vocationis ſuæ(qua Gentes vocauit)DOMINVS *quandiu voluit, abſcondit, ac diſtulit, & quando voluit,reuelauit,*inquit Proſper [p], *Sanctiſque ignorantia iſta non nocuit; cur ſpei noſtræ obeſſe credimus,ſi in quo numero, quibúſve hominibus vaſa miſericordiæ in gloriam præparantur* [q]*,occulitur? cùm tamen conſtet regnum cœlorum omnes ingreſſuros bonos, hoc eis donante* DEI *gratia, & nullos ingreſſuros malos, hoc ipſorum merente nequitia?*

Conſilium vocationis ſuæ cur abſconderit.
p lib. de libe. arbitrio.
q Rom.9.23.

Ex Circumciſione.]Lege caput ſeptimum [r].Sumitur ſæpe, potiſſimùm in Pauli epiſtolis, vox Circumciſionis pro tota lege, & pro Iudæis, quemadmodum præputium pro idololatria, & pro Gentilibus.

r verſ.1.

Nationes.] ἔθνη. Lege verſum 22. & capitis ſecundi quintum. Aliquando etiam conuerſi ex Gentilibus nomen retinent Gentilium, vt cùm dicitur CHRISTVS *expectatio Gentium* [ſ], *& princeps,in quo ipſæ ſperant* [t], & Paulus vocat ſe Apoſtolum ipſarum [u]. Oſtendi citatis locis, quandoque hoc nomine appellari,comprehendíque etiam Iudæos,cuius tamen contrarium docet Abulenſis [x], quia ſit nomen maximæ multitudinis,vel, vt alibi tradit [y], dicantur Gentiles, *quaſi tales quales geniti ſunt,hoc eſt,ſine lege,& ritu extrinſecùs dato à* DEO,*vt loquitur etiam Gloſſa Matthæi* [z]. Feſtus ait *dici nationes de illis, qui non aliunde venerunt, nec vllam à maioribus nobilitatem acceperunt, ſed quæ eundem locum vbi natæ ſunt incolunt.*

ſ Gen.49.10.
t Eſa.11.10.
u Rom.11.13.
x in 1. Prologo Hieron. in Matthæum. q.1.
Gentiles cur dicti.
y q.142.in c.Matth.
z cap.1.

Gratia SPIRITVS *ſancti.*] Δωρεὰ,*donum.* Vbi eſt Latina vox *gratia* in Scripturis, ſolet eſſe Græca χάρις, & nonnunquàm χάρισμα. Gratiam à gratis dictam nemo neſcit. *Qui ad gratiam ſe ſcit pertinere,*inquit Auguſtinus [a], *quod eſt* CHRISTVS,*& quod eſt* CHRISTI,*nouit,quia indiget gratia. Si gratia vocatur, gratis datur:ſi gratis datur, nulla merita tua præceſſerunt , vt detur.* Vnde Paulus opponit gratiam debito [b], & operibus [c].

a in Pſal.48 ſub finem. & in 41.
Gratia gratis datur, & ſine meritis.
b Rom.4.4.
c infrà 11.6.

Iuxta vniuerſalem hanc acceptionem quicquid à liberali manu DEI proficiſcitur in creaturas, gratia eſt,vt quòd homo creatus ſit, quemadmodum Hieronymus loquitur [d], & quòd ANGELI, ac animæ noſtræ ſint immortales, vt ſexta Synodus generalis [e],negans id habere à natura,hoc eſt, non abſoluta neceſſitate, & per ſe, ſicut habet DEVS. Ita quoque gratiæ vocem vſurpat idem Auguſtinus [f], *Attendamus gratiam* DEI, *non ſolum qua fecit nos, ſed etiam qua refecit:* & vult nos DEO gratias agere pro gratia, qua creati ſumus, non præcedentium aliquorũ operum meritis, ſed

Gratia generaliter ſumpta comprehendit quicquid à Deo habemus.
d epiſt.119.ad Cyprianum presbyterũ.
e Act.11.
f in Pſ.144.

gratuita

a epist. 95.
b Rom. 4. 5.
c cap. 16. 25.

gratuita DEI bonitate [a]. Vbi præterea videtur gratiam sumere non pro dono solùm creato, sed & pro beneuolentia diuina, qua donum gratis communicat: quod etiam Apostolus [b] appellat *propositum gratiæ* DEI, & Sapiens [c], *omnium rerum nutricem*.

Gratia pro dono supernaturali frequens apud Patres.

Verumtamen communior vsus, præcipuè apud Patres, atque Theologos, est, pro dono creato supernaturali, per quod ad supernaturalem quoque beatitudinem destinamur (quæ ipsa aliquando etiam dicitur gratia, nempe consummata) siue sit habitus idem, aut diuersus cum virtutibus operatiuis, siue actuale auxilium DEI, siue quæ vocatur gratia, donúmve gratis datum. Quod nomen, cùm alioqui commune esse posset, iuxta allatum etymon, cuilibet gratiæ, accommodatum est illi particulari gratiæ, & dono, quod minùs pendet à bona, & morali dispositione nostra, proindéque magis gratis dari videtur tum bonis, tum malis, idque ad aliorum potiùs vtilitatem, quàm eius ipsius, cui tribuitur. Hoc loco gratiæ nomen, & τῆς δωρεᾶς, amplectitur & gratiam gratum facientem, & gratis datam, quia, vt priore versu docui, vtramque simul nunc DEVS communicauit. Paschasius [d] hinc, & ex capite sequenti, SPIRITVS sancti diuinitatem argumentatur, quòd nempe dicatur auctor gratiæ, & illi nomen DEI communicetur.

d 2. de Spiritu sancto. c. 8. & 9.

Gratia est donum creatum, quod recipitur in eo cui datur.

Effusa est.] Hoc participium demonstrat, gratiam esse donum creatum, quòd sit, & recipiatur in eo, cui datur siue permanenter, siue transeunter, vt cum Scholis loquamur. Neque enim existimo esse planè necessarium argumentum ad probandam gratiam habitualem, ex eo præcisè quòd dari dicatur per modum effusionis, tametsi de reipsa nullo modo dubitari possit, etiamsi Thomas VValdensis [e] doceat, si hoc Pelagius negaret, non habendum propterea hæreticum, vel repugnare censendum doctrinæ Catholicæ. Nam reperimus quoque DEI *iram effundi* [f], *& frameam* [g], item *effundi animã* [h], *cor* [i], *pedes, gressúsque* [k], *precem* [l], *& orationem* [m], *contemptionem* [n], *sapientiam* [o], *misericordiam* [p], *fornicationem* [q], *canos* [r], *despectionem* [s]. In quibus formulis non significatur profectò permanenter aliquid effundi.

e tit. 1. de Sacramentis. c. 8.
f Ps. 68. 25. & 78. 1.
g Psal. 34. 3.
h Psal. 41. 5.
i Psal. 61. 9.
k Psal. 72. 2.
l Psal. 101. 1.
m Psal. 141. 3.
n Ps. 106. 40.
Verbi diffundendi vis.
o Eccl. 1. 10.
p Eccl. 18. 9.
q Ezech. 21. 8.
r Osee 7. 9.
s Iob. 12. 21.
t Psal. 44. 3.

Eadem autem ratio est de verbo diffundendi. Et exempli causa, cùm dicitur *diffusa gratia in labiis* [t], non tam habitualis gratia, habitúsve denotatur eloquentiæ, quàm actualis quidam lepos sermonis, & decor venustásque in oris, labiorumque motu, quæ Italicè vocatur, *Gratia nel parlare o nel dire*, Gallicè, *Grace de bien parler ou bien dire*, & Græcè, χάρις, aut χαριεντισμός, Gallicè, *Grace à parler*, vnde χάριτες, veneres, leporésque orationis. Venerari tamen oportet auctoritatem Catechismi compositi ex decreto Tridentini Concilij, qui Catechismus in tractatione de Baptismo, ita docet de gratia iustificante: *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis proposita, decreuit, non solùm per quam peccatorum fit remissio, sed diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsásque animas pulchriores, & splendidiores reddit. Atque id ex sacris literis apertè colligitur, cùm gratiam effundi dicant, eámque* SPIRITVS *sancti pignus appellare soleant* [u]. Concilium [x] hæc duo ponit, vt decernat iustitiam, qua sumus iusti, nobis inhærere: ex antiquis interpretibus Apostoli, aut ex Patribus non potest elici certa explicatio dicti loci, in eo sensu vim præcisè faciendo in diffundendi verbo. Sed quod in epistola ad Romanos [y] dicitur *diffusam gratiam in cordibus*, innuit proculdubiò satis inhæsionem per modum liquoris recepti: tum præterea, quòd stamus in gratia, & est facta diffusio charitatis, quod est nomen non actus, sed formæ habitualis: adhæc quòd *per* SPIRITVM *sanctum, qui datus est nobis*, nempe velut possessio quædam nostra, quæ si volumus, retinetur, ac perdurat: postremò quòd per eam diffusionem *consecuti simus pacem ad* DEVM, *& spem gloriæ filiorum* DEI, tanquàm veri filij eius quibus datum est ius ad gloriam. Hæc certè, inquam, omnia denotant necessariò inhærens habituale donum, non denominationem solam, vel imputationem. Itaque aliis citatis locis effusio ac diffusio figuratam potiùs habent quàm propriam significationem. Vt rectè liceat ex his vocabulis argumentari sumptis (vt par est, cùm nil obstat) in propria significatione ad eum, quo fecit, modum Romanus citatus Catechismus, & meritò Theologi habitus virtutésque gratiæ nominent infusas.

Gratia quid sit.
u 2. Cor. 1. 22. & 5. 5. Ephes. 1. 14.
x Sess. 6. ca. 7. & can. 11.
y cap. 5. 5.
Gratia est qualitas inhærens.

Versus 46.] Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes DEVM.

AVDIEBANT *enim illos loquentes linguis.*] De dono linguarum capite secundo, versu autem 44. præsentis capitis vnà cum dono isto gratis dato gratiam sanctificantem datam diximus.

Et magnificantes DEVM.] *Loquentes magnalia* DEI, inquit Glossa interlinearis, hoc est, vt capite secundo [z] de Apostolis exposuimus, & hîc quoque interpretatur Carthusianus, gratias DEO deuotissimè referendo, eiusque bonitatem, & beneficia totis præcordiis attollendo.

z vers. 11.

Versus 47.] Tunc respondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui SPIRITVM sanctum acceperunt, sicut & nos?

TVNC *respondit.*] *Dixit*, vt vertit Syrus, qui sic habet, ואמר הוא *veamar hava*, id est, *& dicens erat*; & nos aliàs obseruauimus, *respondere*, nonnunquàm idem esse, quod loqui simpliciter, nullo priùs interrogante.

Nunquid aquam quis prohibere potest.] *Ferè hoc est contradicentis*, inquit Chrysostomus, *prohibentibus, & dicentibus, quòd non oportet hoc fieri: & enunciauit hanc sibi dudum fuisse mentem.* Argumentum à maiori esse Glossa ordinaria sentit. Si enim quod maius est, dedit DEVS priùs, quod est minus, nullus prohibere potest; vel ipsis iudicibus ex Circumcisione fidelibus, qui Petrum erant comitati. *Ipsa attestatione rei magnæ, quasi acclamatum est ad Petrum*, inquit Augustinus [a] (à DEO nimirum, & CHRISTO) *quid de aqua dubitas? iam ego hic sum.*

Argumentum à maiori.
a li. 50. Homi. in 23.

Sicut & nos.] Cum signo sensibili, & dono linguarum [b], *quamuis*, inquit Carthusianus, *non in tanta plenitudine, sicut Apostoli, qui primitias* SPIRITVS *acceperunt* [c]. Sed nec inter istos seruata necessariò æqualitas, sicut de Apostolis etiam ipsis, aliísque, qui SPIRITVM sanctum in Pentecoste acceperunt, pridem demonstrauimus, prout dispar, ac minimè in vtrisque dispositio æqualis erat.

b Act. 2. 4.
c Rom. 8. 23.
Spiritus sanctus æqualiter non fuit missus in omnes etiam Apostolos.

Versus 48.] Et iussit eos baptizari in nomine Domini IESV CHRISTI. Tunc rogauerunt eum, vt maneret apud eos aliquot diebus.

Baptizari nemo à seipso potest.

ET *iussit eos baptizari.*] *A sociis, vel à seipso,* inquit Glossa interlinearis, & Hugo. Sed sibi ipsi nemo propriè imperat. Quocirca meliùs Carthusianus, & Caietanus solùm priorem sensum amplectuntur: neque enim Apostoli ordinariè baptizabant, vt de seipso Paulus affirmat [a]: *Non misit me* CHRISTVS *baptizare, sed euangelizare,* hoc est, magis me hoc iussit facere, quàm illud, alioqui enim omnibus Apostolis iniunxit, *vt euntes docerent omnes gentes, baptizantes eos* [b], &c.

a 1. Cor. 1. 17.
b Matth. vlt. 19.
Cur Apostoli communiter non baptizarent.

Prædicatori necessaria erat sapientia, industria, linguarum donum, dignitas, & officium, propterea Apostoli, exemplo etiam CHRISTI, qui *per se prædicabat, prout prædixerat Esaias* [c], *ad id missum esse, non verò baptizabat,* vt Ioannes testatur [d], nolebant occupari in ministerio Baptismi, sicut nec in mensis [e], quæ res factu faciliores erant, sed in primis in prædicatione. Chrysostomus [f] refert suo tempore baptizandi munus datum senioribus, qui inutiliores essent, verbi doctrinam sapientioribus, quòd docendi labor sit sudor [g]; quemadmodum instituere certantes, hominis est strenui sapientia, & exercitatione probati: imponere autem victori coronam, illius etiam esse potest, qui certamina ignorat, quamuis corona clariorem reddit victorem. Hac eadem de re egimus versu 37. refutantes concionale verbum, quod Caluinus in Sacramentis duntaxat agnoscebat, atque vna refutationis à nobis ratio hinc sumebatur. Ambrosius hoc ipsum de nobiliore euangelizandi, quàm baptizandi ministerio enarrans citatum Pauli locum, isto Petri exemplo confirmat.

c cap. 61. 1. Luc. 4. 18.
d cap. 4. 2.
e Act. 6. 2.
f in 1. ad Cor. cap. 1.
g 1. Tim. 5. 17.

Cur Petrus baptizari Cornelium voluerit.

Ceterùm voluit Cornelium, sociósque Petrus baptizari, ne quod antè notatum est, monuítque Augustinus [h], *visibile sacramentum omitteretur, cuius effectum sine ipso tribuit interdum* DEVS, *vt se ostendat præcipuum, primariúmque gratiæ auctorem* [i]. Eadem est ante Augustinum Cypriani [k] doctrina dicentis, *necessarium esse vltra* SPIRITVM *sanctum etiam Baptismum, & Apostolum Petrum diuini præcepti, atque Euangelij memorem præcepisse, vt baptizarentur iidem illi, qui iam fuerant sancto* SPIRITV *pleni, vt nihil prætermissum videretur, quo minus per omnia diuini præcepti, atque Euangelij legem Apostolica magisteria seruarent.*

h q. 84. in Leuit. & 33. in Numeros.
i li. 10. Homi. in hom. 23.
k li. 2. ep. 1. vel 72.

Martyrologium quidem Romanum [l], & Menologium Græcorum [m] tradunt baptizatum à Petro Cornelium: sed quod Petri fecit alius iussu, ipse censetur fecisse. Nihil tamen obstat vel insignem Cornelij personam baptizare Petrum voluisse, vel reliquos quoque familiares eiusdem.

l 2. Febru.
m 11. Septeb.

In nomine Domini IESV CHRISTI.] Non hîc retracto controuersiam de forma Baptismi. Lege caput secundum [n].

n vers. 38.

Tunc rogauerunt eum, vt maneret apud eos aliquot diebus.] *Pro eorum consolatione, & pleniore instructione, & præsertim ex dilectione, quam ad tam felicem, & gloriosum conceperunt magistrum,* inquit Carthusianus, *patrem, atque Apostolum: nec dubium quin eis consensit.*

Samaritani rogauerunt CHRISTVM, vt apud *eos maneret, & mansit duos dies* [o]. Simul rogantibus acquieuit, simul Iudæorum offensionem tam breui manens spatio, cauit. Ad eundem modum credibile est diu Petrum hærere noluisse apud neophytos ex Gentilibus fideles. Obtemperauit quoque CHRISTO præcipienti *vt prædicatores inuitati in aliqua domo, ibi manerent* [p]. Declarauerunt se isti aduersùs Catechistam, & Doctorem gratos, & beneficos, audiósque vberiorem ex tam salubri doctrina fructum percipiendi.

o Ioan. 4. 40. 41.
Cur Petrus apud Cornelium duos aliquot mansit.
p Matt. 10. 11.

Domus Cornelij in Ecclesiam versa.

De CORNELIO quæ extant, petenda sunt ex Patribus, & aliis Historiis Ecclesiasticis. Hieronymus [q] prodit Paulam in Cornelij domo, vbi Petrus exceptus est, & SPIRITVS sanctus descêdit, & celebratus Baptismus, Ecclesiam vidisse, scilicet in quam domus illa conuersa sit, vel ab Apostolis ipsis de voluntate Cornelij, atque consensu, vel posteà ab aliis. In Romano Martyrologio [r] est, factum suæ vrbis Cæsareæ Episcopum, sed post Zachæum. Id quoque habet Clemens Romanus [s]; quamuis in oratione de Apostolis apud Metaphrastem [t] dicatur Episcopus Ilij, qui Metaphrastes quo die à Græcis ponitur Cornelius in Martyrologio [u], narrat de eodem nonnulla, sed apocrypha; ex quibus aliquid decerpsit Thomas Bozius [x], pertinens ad venerationem reliquiarum ipsius.

q epist. 17.
r 2. Febru.
s 7. Constit. c. 46.
t 29. Iunij.
u 13. Septemb.
x lib. 15. de signis Eccl. c. 4. & 7.

Cæsarea cur Palæstinæ fuerit metropolis.

Existimat Baronius [y] Cæsaream, quòd auctore DEO fidei ostium ibi Gentibus aperiri primùm cœperit, meruisse singularem prærogatiuam, vt esset Palæstinæ metropolis, ac sub se haberet sedem Ierosolymitanam. Est quidem verum de primatu Ecclesiæ Cæsariensis, meminit enim Concilium Nicenũ [z], Leo Papa [a], & Nicolaus [b], vterque primus, & Hieronymus [c], & Acta Porphyrij Gazensis apud eundem Metaphrastem [d].

y in Notat. Martyrol. 2. Februarij.
z can. 7.
a epist.
b ad consul. Bulgarorum cap. 92.
c ep. ad Pammach.
d 26. Februarij.

Sed melior est alia huius ratio, quam, re meliùs considerata, Baronius idem [e] attigit, differens de sedibus Patriarchalibus Alexandrina, & Antiochena, nempe vt in his sedibus insigniendis honore, ac titulo metropolis habitus sit ab Ecclesia respectus ad similem honorem, titulúmque, quem ciuilis Romanus Magistratus detulerit. Erat verò apud Romanos totius Palæstinæ Cæsarea metropolis ciuitas maritima, & maxima Iudææ ciuitatum, vt fatetur Iosephus [f]. Quocirca trita illa quam fusè tractat Petrus Damianus [g] ratio de dignitate Alexandrinæ Ecclesię post Romanam, quòd Marcus Petri discipulus ibi sederit, non adeò placet. Tametsi idem Auctor addat, pro singulari amore quo Petrum prosequebatur Marcus, illi Ecclesiæ non suum, sed Petri nomen, tribuisse.

e Tom. 1. Annal.
f 3. de bel. Iud. c. 14.
g Serm. 1. & 2. de S. Marco.

Ierusalem à Patribus honoratissima

Ierusalem summo in honore habetur à dicto Niceno concilio, quòd illustrata fuerit non solùm tot Regibus, ac Prophetis, & eximiis veteris legis priuilegiis, sed CHRISTI præsentis doctrina, miraculis, Passione, morte, Resurrectione, Ascensione, missione SPIRITVS sancti, fundatione Ecclesiæ, vtriusque Apostoli Iacobi [h], & Stephani protodiaconi martyrio, & alterius de duobus illis Apostolis pontificio, &c. Tamen suberat Cæsariensi metropolitæ Ierosolymitanus Episcopus, quod ad Ioannis fastum frangendum Hieronymus vrget, & Leo ad Iuuenalis Ierosolymæ Episcopi [i].

h Act. 12. & Marc.
i Act. 7.

Tres fuerunt Ecclesiæ Patriarchales.

Quapropter tres diu solùm Patriarchales fuerunt sedes, dictæ etiam denominatione sumpta ab Apostolo Petro, Apostolicæ, Romana, Alexandrina, Antiochena: primæ Petrus præfuit, ex quo sedere cœpit, perpetuò vsque ad mortem per seipsum, tertiæ ad tempus, secundæ per discipulum Marcum, quicquid Nicephorus [k] contendat

k lib. 14. c.

etiam

Alexandrina post Romanã Ecclesiam prima.

etiam per seipsum. Primum post Romanam (vbi caput erat Imperij, non Europæ duntaxat) Alexandrina locum obtinuit, quia Præfectura Ægypti, siue Alexandrina nominata est ab Augusto Augustalis, atque præ ceteris ab eodem magnificentissimè nobilitata: quæque in Africa erant, vbi est Ægyptus, & quæ in Asia, vbi est Syria, & Syriæ metropolis Antiochiæ parebant. Tempore bis iam citati Niceni concilij [a] nulla de aliis Patriarchis mentio est quàm de dictis tribus: in concilio Chalcedonensi [b] repressus est Anatolij Constantinopolitani conatus, vt & à Leone, quod anteà monuimus, Iuuenalis Ierosolymitani: Gelasius [c] quoque obluctatus est Acacij Constantinopolitani petulantiæ, obiiciens tum Leonis Pontificis exemplum, ac Marciani approbationem Imperatoris, tum nonnisi Heracleensis Ecclesiæ Episcopum esse, quam eandem facit cum Constantinopolitana. Agnoscit idem Papa [d] tres tantùm sedes Patriarchales, & Anacletus [e], & quos attulimus Leo [f], & Nicolaus [g], & prætereà Gregorius [h], & Damasus [i]. *Constantinopolitanus autem*, ait Nicolaus, *& Ierosolymitanus antistes licèt dicantur Patriarchæ, non tanta tamen auctoritatis, quanta superiores*, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, *existũt.*

a cap. 7.
b Act. 16.
c epist. 11. ad Dardanos.
d in cõc. Rõ. in decret. de libris apocry.
e ep. 3.
f ep. 53.
g ad cõs. Bulgaro c. 92.
h lib 6. ep. 37.
i in conc. Rõ. apud Baroniũ Tom. 4. Ann. anno 382.

Constantinopolitana Ecclesia nõ est Patriarchalis.

Nam Constantinopolitanam Ecclesiam nec Apostolorum quisquam instituit, nec Nicena Synodus, quæ cunctis Synodis celebrior, & venerabilior est, eius mentionem aliquam fecit. Sed solùm quia Constantinopolis noua Roma dicta est, fauore Principum potiùs, quàm ratione, Patriarcha eius Pontifex appellatus est. Ierosolymitanus autem Præsul, licèt & ipse Patriarcha dicatur, & secundùm antiquam consuetudinem, ac Nicenam Synodum honorandus sit, salua tamen metropolis propria dignitate (nimirum Cæsareæ) &c. addit, nunc nec nomen, nec veterem Ierusalem extare, sed Æliam ab Ælio Adriano; veram verò Ierusalem tantùm in cœlis esse.

Constãtinopolitanus & Ierosolymitanus quando facti sunt sedes Patriarchales.

Post annos à CHRISTO quingentos tempore Iustiniani, tum Imperatoris opera, tum Pontificum Romanorum permissione, cœpère Constantinopolitanus, & Ierosolymitanus Episcopi, in numero Patriarcharum haberi, nullo ampliùs reclamante. Gulielmus Tyrius [k] tradit erectionem Episcopi Ierosolymitani in Patriarcham factam sub Vigilio Papa in concilio Constantinopolitano, quod contigisse narrat Baronius [l] CHRISTI anno quingentesimo quinquagesimotertio, proferens etiam huius rei testem codicem, qui dicitur Censuum, ex Bibliotheca Vaticana. Tunc Cæsariensis Ecclesia subiecta est Ierosolymitanæ, quę Cæsariensis priùs erat sub Antiochena, sicut & Ierosolymitana immediatè sub Cæsariensi. Sed Iustinianus Imperator [m] Cæsaream fascibus Proconsularibus nobilitauit, restituens ei Proconsulatum, quem diu antè possederat.

k libr. 14. de bello sacro. c. 12.
l in Tom. 7. Annal.
m in Nouel. Const. 103.

Iustinianus assignat secundum locum Cõstantinopolitanæ Ecclesiæ, sed fallitur.

Idem [n] adhuc assignat secundùm locum sedi Constantinopolitanæ post Romanam. Sed cùm se id facere dicit secundùm decretum quatuor Synodorum, falsum dicit, vt constat ex literis Gelasij ac Leonis Papæ I. & ex actione VI. concilij Chalcedonensis. Credibile autem est, annuente Romano Pontifice remansisse eum titulum Constantinopolitano, vt etiam expresè habetur in iure Canonico [o], & ciuili [p]. Apud Gregorium Papam [q] inuenio quatuor Patriarchas, nimirum vltra Romanum: Ierosolymis enim ea collata dignitas est in concilio Chalcedonensi [r], quod ei tres Palæstinas subiecit.

n in Constit. 131.
o cap. Antiqua. de Priuileg. & Eug. IV. in Bulla V.
p Auth de Eccles. titul.
q lib. 2. indic. 10. epist. 17.
r Act. 7.

Aquileiẽsis Patriarcha vnde sit dictus.

Quod attinet ad Patriarcham Aquileiensem, primus hoc nomine dictus reperitur Paulinus anno CHRISTI circiter quingentesimo septuagesimo in Schismate Episcoporum Venetiarum, Istriæ, & Liguriæ, quorum is caput erat: de quo Schismate scribit Papa Pelagius [s]. Deinde verò retinere id nomen permissum videtur illi Ecclesiæ, sedis Apostolicæ vel dissimulatione, vel indulgentia, propter bonum pacis.

s ep. 3. & 5.

Patriarcha Gradensis quando cœpit.

Anno autem facilè sexcentesimoquinto, mortuo Seuero Patriarcha Aquileiensi, cœperunt duo distincti esse in Aquileia Ioannes, & in Gradu primus Candidianus, alter in fauorem Longobardorum, alter Romanorum [t], & quia Forum Iulij est incolatus Aquileiensis, nonnunquàm dicitur idem Patriarcha Aquileiensis, & Foroiuliensis [u], aut Iuliensis.

t Paul. Diac. li. 4. ca. 10 vel 14. & Baron. lib. 8. Annal.
u Marian. Scotus & Vualfridus Strabo de rebus Eccl. c. 25.

Patriarcha Venetus vltimus.

Postremus recentissimus Patriarchatus est Venetus, quem primus gessit Laurentius Iustinianus sub Nicolao V. qui Gradensem Patriarchatum Venetias transtulit post mortem eius, qui in Gradu Patriarcham agebat. Mẽtionem de Aquileiensi facit Canonicum ius [x], & de Gradensi [y]. Legendus Sigonius [z].

x c. nũc verò. 9. q. 3.
y c. erubescãt. d. 32. in supra scriptione. & c. ex literis. de offic. iud. delega.
z lib. 1. de regno Italiæ.

Patriarcha idem est cum Archiepiscopo.

Scio nomẽ Patriarchæ quãdoque nihil aliud sonare quã Archiepiscopũ, est enim Archiepiscopus princeps Episcoporũ, & Patriarcha patrũ. Greg. Turonẽsis [a] vocat Nicetiũ Patriarchã Lugdunensem: ita etiam appellatur à concilio Matisconensi II. [b] alius eiusdem vrbis Episcopus Priscus. Extat huiusmodi quoque vox de Archiepiscopis in genere vsurpata ab Athalarico rege quodam epistola ad Ioannem Papam [c]. Sed & Arriani primarios Episcopos suos nomine eodem nuncupant, vt videre est apud Gregorium Magnum [d], & Victorem Vticensem [e], idémque factitarunt hæretici alij, vt sui erroris principem Patriarcham vocitarent. Vt ea forsitan de causa resipiscentes Bulgari, sibi peterent à Nicolao Papa primo Patriarcham ordinari: qui tamen [f] *initio quidem concessit Episcopum, pollicitus autem postea est, cùm magis propagaretur Ecclesia, superiorem alium, qui si non Patriarcha, certè Archiepiscopus appellandus foret, ad quem omnes concurrerent.*

a 5. Hist. Fran. c. 21.
b in princ.
c apud Cassio. li. 9. varia. epi. 15.
d in epist.
e de persec. Vand.
f Nicolaus ad cons. Bulga. c. 72.

Patriarchæ idem sunt qui & Primates.

Quin etiam hi, qui alio nomine Primates vocantur, & dicuntur præesse minimùm tribus Archiepiscopis, nomen Patriarcharum habere leguntur, aut Metropolitanorum, vt in Gallia, Lugdunensis, & Bituricensis, aut Viẽnensis quoque, & Rhemensis, & Arelatensis, & Senonensis: in Germania, Magdeburgensis (nunc Salesburgensis:) in Anglia, Eboracensis, & Cantuariensis: in Hybernia, Armacanus: in Polonia, Gnesnensis: in Scotia, S. Andreæ: in Pannonia, Strigoniensis: in Hispania, Toletanus, Bracarensis, Tarraconensis, Hispalensis, Compostellanus: in Africa, Carthaginensis: & in Italia, Aquileiensis, atque Gradensis, seu Venetus, necnon Pisanus, Mediolanensis, Rauennas, aut si qui sunt alij, quorum ego de primatu inter se lites aliis permitto. Cùm iam constet decreto Bonifacij I. [g] Cælestini I. [h] & Leonis I. [i] constitutum, vt quæque suum prouincia Metropolitanum habeat.

g epi. 3. tom. 1. Concil.
h ep. 2. c. 4. to. 1. Concil.
i epist. 87.

Ita etiam locutum Socratem [k] reor, dum scribit, in concilio Constantinopolitano metropoles, immò & Patriarchatus, quos multos numerat, constitutos esse: etsi ea in re hallucinetur, cùm, vt rectiùs prodit Sozomenus [l], non distinctæ tunc prouinciæ fuerint, sed insigniores tantùm Episcopi ab Imperatore Theodosio designati, qui discer-

k 5. Hist. c. 8.
l 7. Hist c. 9.

nerentur ab Hæreticis tanquàm verè Catholici ac religiosi.

Primates & Patriarchæ iidem sunt.

In iure Canonico [a] iidem sunt Primates & Patriarchæ. Sed Latini suo illo priore vocabulo sæpiùs vtuntur: &, vt dixi, cum Romano quatuor alij Constantinopol. Alexand. Antioch. Ierosoly. Patriarcharum nomen peculiariter retinuerunt [b]: alij quidam Primates dicti sunt, ac veluti minorum Gentium, atque minores Patriarchæ.

Illud quoque deprehendet, qui leget Auctores antiquos, simplex nomen Episcopi passim datum Patriarchalium sedium Præsulibus, & Papæ ipsi, & non solùm Archiepiscopis. Lege Lælium Zecchium [c], & Castanæum [d]: & quæ quibus Patriarchis subiectæ prouinciæ sint, librum Prouincialem omnium Ecclesiarum, & librum secundum de iure Orientali. Prætereo quos nunc Armenij vocant Patriarchas suos duos, & tertium καθολικὸν: quem Maronitæ, & Æthiopes seu Abyssini, & Cophti, & Iacobitæ, qui duos item habēt.

Quatuor Patriarchæ quibus cōparati.

Verùm vt ad propriè dictos Patriarchas reuertamur, quos, cōnumerando Ierosolymitanum, comparat idem ius Canonicum [e], & Lyranus [f], quatuor mysticis animalibus, quæ in Apocalypsi describuntur *esse in medio, & in circuitu sedis*; assentior Bellarmino [g], immò Leoni [h], ac Gelasio [i], non habitam rationem fuisse sedium Regiarum, *alioqui Mediolanum, Rauenna, Treuiri, Sirmium*, inquit Gelasius, *sedes forent Patriarchales, in quibus diu constitit Imperator*.

Sedes Patriarchales illæ sunt, in quibus maior fuit Magistratus ciuilis.

Nihilominùs verum arbitror quod initio dixi, respexisse Ecclesiam ac forsan Petrum ipsum, in tribus antiquissimis Patriarchalibus sedibus, Romana, Alexandrina, Antiochena, ad primatum illum ciuilem, quem hæ à Romanis ciuitates habebant. Nam si habenda ratio fuit Petri, qui his Ecclesiis præfuerit per se, aut per Marcum, cur non prælata est Antiochena, in qua sedit immediatè, Alexandrinæ, in qua per Marcum? Præstat quidem Euodio, quem Petrus pro se Antiochiæ præfecit, Marcus dignitate Euangelistæ: attamen plus videtur quòd ipsemet Petrus Antiochenam septem annis Ecclesiam gubernauerit. Deinde cùm idem aliis quoque ciuitatibus Episcopos assignauerit, posset non minùs affirmari ibi præsedisse, quàm Alexandriæ per Marcum, aut per Euodium Antiochiæ. Voluit itaque Petrus tribus primatum dare sedibus, ac præcipuam dignitatem, vt ex politica dignitate illustrior, auctiórque fieret Ecclesiastica, vt innuit etiam Leo [k]. Vt minùs mirum sit, si propter eandem causam Constantinopolitanus Patriarcha primum posteà dignitatis locum inter alias obtinuerit sub Romano.

Sed Hegesippum legas cautè, cùm in eius libro tertio [l] Patriarchæ numerantur hoc ordine quatuor, Romanus, Alexandrinus, Constantinopolitanus, Antiochenus. Non id Hegesippus potuit scripsisse, cuius ætate nescio nomenne Patriarchæ hoc sensu esset in vsu; & certum omninò est, nondum fuisse Constantinopolitano tributum Episcopo. Ambrosius interpres addidit de suo, cū ipsius seculo sibi Græci vsurpassent eum titulum, prætextu pseudocanonis cuiusdam editi in concilio Constantinopolitano I. & quamuis iidem præferrent Constantinopolitanum Alexandrino, postposuit, quia tunc adhuc Latini Græcis ea in re reluctabantur.

Sedium Patriarchalium in Vrbe quædam vestigia.

Extat in Vrbe vestigium dictarum sedium Patriarchalium in quinque celebrioribus Basilicis, quæ nominantur Patriarchales, de quibus Ioannes Monachus [m], Pannuinus [n], & alij, suntque disticho comprehensæ:

Paulus, Virgo, Petrus, Laurentius, atque Ioannes:
Hi Patriarchatus nomen in Vrbe tenent.

Nimirum S. Pauli, Petri, Mariæ maioris, Laurentij extra muros, Ioannis Lateranensis. Sic appellantur, vel quia celebriores: vel vt in Vrbe, tanquàm in orbe, repræsentetur vniuersa Ecclesia, cui præest Vrbis Episcopus: vel vt in Vrbem conuenientes alij Patriarchæ, siue ad Concilium, siue ad alia negotia, proprium ceu palatium tanquàm in patria communi haberent.

a ca. cleros d. 21. ca. vrbes d. 80. ca. nulli. & ca. prouinciæ. d. 99. c. cōquestus. 9. q. 3.
b ca. antiqua. de priuil. c. sacrosancta. & c. renouantes. & c. definimus. d. 22.
c lib. de Rep. Ecclesiastica.
d in Catalog. gloriæ Mūdi. p. 4. cons. 9.
e c. 40. de elec.
f in c. 4. Apoc.
g Tom. 1. li. 1. de Rom. Pōt. c. 14.
h epist. 54.
i ep. 11. ad Dardanos.
k epist. 54. ad Anatol. vbi: Constantinopolitanus Patriarcha [illegible]
l cap. [illegible]
m in c. fundamenta [illegible] lib. 6.
n de septem Eccl. Vrbis

CAPVT



CAPVT VNDECIMVM.

SVMMARIVM.

Narrat hoc caput Apologiam Petri pro se ad Fideles ex Circumcisione querentes de ipsius cum Gentilibus commercio, recitantis & suam, & Cornelij visionem. Continet praetereà plurium ad Euangelium conuersionem factam per dispersos à tribulatione, quae facta fuerat sub Stephano, praesertim Antiochia, vbi primùm cognominati sunt Discipuli Christiani. Postremò collectam à Paulo, ac Barnaba eleemosynam deferendam his, qui erant in Iudaea.

1 AVDIERVNT autem
Apostoli, & fratres,
qui erant in Iudaea:
quoniam & Gentes
receperunt verbum
DEI.
2 Cùm autē ascen-
disset Petrus Ierosolymam, disceptabant
aduersùs illum, qui erant ex Circumci-
sione,
3 Dicentes: Quare introisti ad viros prae-
putium habentes, & manducasti cum
illis?
4 Incipiens autem Petrus exponebat illis
ordinem, dicens:
5 Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & vi-
di in excessu mentis visionem, descendens
vas quoddam velut linteum magnū qua-
tuor initiis summitti de coelo, & venit vs-
que ad me.
6 In quod intuens considerabam, & vidi
quadrupedia terrae, & bestias, & reptilia, &
volatilia coeli.
7 Audiui autem & vocem dicentem mi-
hi: Surge Petre, occide, & manduca.
8 Dixi autem: Nequaquàm Domine: quia
commune aut immundum nunquàm in-
troiuit in os meum.
9 Respondit autem vox secundò de coe-
lo: Quae Deus mundauit, tu ne commune
dixeris.
10 Hoc autem factum est per ter: & rece-
pta sunt omnia rursum in coelum.
11 Et ecce viri tres confestim astiterunt
in domo, in qua eram, missi à Caesarea
ad me.
12 Dixit autem SPIRITVS mihi vt irem
cum illis, nihil haesitans. Venerunt autem
mecum & sex fratres isti, & ingressi sumus
in domum viri.
13 Narrauit autem nobis, quomodo vi-
A disset Angelum in domo sua, stantem &
dicentem sibi: Mitte in Ioppen, & accer-
se Simonem, qui cognominatur Petrus,
14 Qui loquetur tibi verba, in quibus sal-
uus eris tu, & vniuersa domus tua.
15 Cùm autem coepissem loqui, cecidit
SPIRITVS sanctus super eos, sicut & in
nos in initio.
16 Recordatus sum autem verbi Domi-
ni, sicut dicebat: Ioannes quidem bapti-
zauit aqua, vos autem baptizabimini SPI-
RITV sancto.
17 Si ergo eandem gratiam dedit illis
B DEVS, sicut & nobis, qui credidimus in
Dominum IESVM CHRISTVM: ego quis
eram, qui possem prohibere DEVM?
18 His auditis, tacuerunt, & glorificaue-
runt DEVM, dicentes: Ergo & Gentibus
poenitentiam dedit DEVS ad vitam.
19 Et illi quidem, qui dispersi fuerant à
tribulatione, quae facta fuerat sub Stepha-
no, perambulauerunt vsque Phoenicem,
& Cyprum, & Antiochiam, nemini lo-
quentes verbum, nisi solis Iudaeis.
20 Erāt autem quidam ex eis viri Cyprij,
C & Cyrenaei, qui cùm introissent Antio-
chiam, loquebantur & ad Graecos annun-
ciantes Dominum IESVM.
21 Et erat manus Domini cum eis: mul-
túsque numerus credentium conuersus
est ad Dominum.
22 Peruenit autem sermo ad aures Ec-
clesiae, quae erat Ierosolymis super istis: &
miserūt Barnabam vsque ad Antiochiam.
23 Qui cùm peruenisset, & vidisset gra-
tiam DEI, gauisus est: & hortabatur om-
nes in proposito cordis permanere in Do-
mino:
24 Quia erat vir bonus, & plenus SPIRI-
TV sancto, & fide. Et apposita est multa
turba Domino.

25 Profectus est autem Barnabas Tarsum, vt quæreret Saulum: quem cùm inuenisset, perduxit Antiochiam.

26 Et annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia: & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ Discipuli, Christiani.

27 In his autem diebus superuenerunt ab Ierosolymis Prophetæ Antiochiam:

28 Et surgens vnus ex eis nomine Agabus, significabat per SPIRITVM famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.

29 Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus:

30 Quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ, & Sauli.

Versus 1.] Audierunt autem Apostoli, & fratres, qui erant in Iudæa: quoniam & Gentes receperunt verbum DEI.

Fratres etiam Apostoli cur dicantur.

AVDIERVNT *autem Apostoli, & fratres.*] Etiam Apostoli sunt fratres, eósque ita Petrus nominauit capite primo [a]. Rectè tamen modò distinctè memorantur Apostoli, & fratres, vbi comparatio est Apostolorum cum aliis inferioribus Discipulis. Hoc ipsum habet vulgaris loquendi vsus, vt tametsi Clerici omnes, aut Religiosi sint fratres, ad exprimendam tamen distinctionem ordinis, atque dignitatis, fratrum nomine, qui sunt inferiores, propriè appellentur.

a vers. 16.

Solus Cornelius & qui cum eo erãt nomine Gentium hic designãtur.

Gentes.] Glossa interlinearis, & Hugo de Eunucho intelligunt, non solùm de Cornelio. Verùm quicquid sit de priore, quem capite octauo vidimus quorundam sententia fuisse proselytum, apertè liquet Cornelium cum suis duntaxat hoc loco intelligendum, siquidem cum Petro res agitur, qui Eunuchum fortasse ne viderat quidem, multò minùs ad eum introierat, & cum illo manducauerat, quo nominè aduersùs ipsum disceptatum est.

Cur potiùs cum Petro quã cum Philippo sit disceptatum.

Magis etiam dissimulari cum Philippo potuit, quàm cum Petro, quia Petrus princeps Christianorum erat: Philippus diaconus duntaxat: ille palàm & celebri in loco haud procul ab Ierusalem: hic occultè atque ferè in solitudine tractauerat cum Gentili.

Cur Lucas de Spiritu sancto dato non meminerit.

Receperunt verbum DEI.] Legem Euangelicam. Non facit Lucas mentionem de recepto etiam SPIRITV sancto, quod perlatum tamen ad eosdem illos esse rumore eodem, omninò credendum est; & non continuò recipiunt SPIRITVM sanctum ij, qui verbum DEI, vt apparet ex capite octauo in Samaritanis; fortasse accommodãs narrationem disceptatoribus illis, qui rem minùs æquo animo ferebant, & quem datum SPIRITVM sanctum Gentilibus dolebant, ne commemorare quidem sustinebant.

Versus 2.] Cùm autem ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant aduersùs illum, qui erant ex Circumcisione.

A CVM *autem ascendisset.*] Dixi aliàs [b], propter sublimem arduùmque Ierosolymorum situm, qui inde abirent, descendere, qui irent, dictos ascendere.

b cap. 1. 15.

Disceptabant.] Διεκρίνοντο. Syrus, הוו דינין *daienin hauu*, id est, *litigantes erant*, vel, *litigabant*. De hoc Græco verbo diximus aliàs. Res adeò grauis visa est, vt ne Petri quidem ratio habita sit, quem admodum & eidem in contrariam posteà partem deflectenti restitit Paulus in faciem [c].

c Gal. 2. 11.

Qui fuerint qui cum Petro iudicio litem mouerunt.

Hugo eos qui disceptabant, atque, vt ait Chrysostomus, *tanquam valdè offensi expostulabant*, putat etiam fuisse Apostolos. Malim alios, quia illi non ignorabant aperiendam Ecclesiæ portã Gen-
B tilibus. Quamuis cùm Petrus ipsemet fuerit diuino viso ac præcepto admonendus, vt pergeret ad Cornelium, potuerunt & alij Apostoli adhuc ambigere, essétne opportunum Gentiles recipere, vel onere iam legis receptos liberare. Arator plebem nominat:

—*Plebs cuncta requirit*
Gentibus vnde salus.—

Epiphanius [d] huius inuentorem querimoniæ, ac instigatorem facit Cherintum, qui fuit primus post Simonem Magum Hæresiarcha, atque eandem deinde ab eodem excitatam in eadem Ierosolymorum ciuitate, quando eòdem Paulus re-
C diit [e], accusatúsque est quòd Gentiles induceret in templum, & id violaret. Videtur Ionas typus fuisse istorum, dum perperàm pluris ipsum facere docuit DEVS vmbram hederæ, quàm ciuitatem Niniuæ [f]: pluris rituum legalium custodiam, quàm Euangelij in Gentes propagationem.

d Hæresi 28.

Cherintus totius murmuris auctor.

e Act. 21. 28.

f Ionæ 4. 10. 11.

De Samaritanis cur eadem non fuerit mota controuersia.

De Samaritanis alia ratio est, ad quos missos vidimus Petrum, & Ioannem [g], quoniam legis partem maximam obseruabant. Crebrò etiam dum CHRISTVS viueret, litem ipsi Pharisæi, ac Scribæ mouerunt quodammodò, quòd ad publicanos, & peccatores diuerteret [h]; intelligẽtes vtroque nomine Gentiles, quia & publicanorum officium, vt Matthæus Iudæus exercuerit [i], magis tamen proprium Gentilium videbatur, vtpote
D odiosum, & solebant à Iudæis omnes Gentiles peccatores censeri [k], & hac ipsa voce intelligere, atque exprimere, vt cùm CHRISTVS dicit *se in manus peccatorum esse tradendum* [l].

g Act. 8. 14.

h Luc. 15. 1.

i Matt. 9. 11.

k Gal. 2. 15. & alibi.

l Matt. 26. 45. Marc. 14. 41. Luc. 24. 7.

Zachæus Gentilis.

Inde conijci potest Zachæum Gentilem esse, siquidem cùm is CHRISTVM excepit, dicuntur *Iudæi omnes murmurasse, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset* [m], Ita sanè de Zachæo sentit Tertullianus [n], qui vocat eum allophylum, Cyprianus [o], Ambrosius [p], Beda [q], Chrysostomus [r]: & ex recentioribus vt probabilem opinionem probabilibus argumentis Maldonatus [s] confirmat. Ceterùm Nicolaus Papa I. [t] hinc probat vitandos Gentiles, qui nolunt conuerti, *quoniam Di-*
E *scipuli nescientes*, inquit, *quod acciderat, molestè tulerunt, quod Petrus princeps eorum ad Cornelium ingressus fuerat, quem ipse* DEO *præcipiente primum ex Gentibus fecerat Christianum.*

m Luc. 19. 7.

n 4. cõt. Marcionem c. 37.

o lib. de ope & eleemosy.

p in Lucam c. 19.

q ibidem.

r Homil. de Zachæo.

s in Luc. 19.

t ad consult. Bulgar. c. 42.

Versus 3.] Dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?

DICENTES: *Quare introisti ad viros.*] *Vide quid prætexant*, inquit Chrysostomus; *non dicunt, Quare annunciasti, sed, Quare simul edisti?* Frigidum dictum erat, adde etiam fortasse inuidiosum

sed Apo

(sed Apostolis exceptis, si qui erant ibi) quod enim ægrè ferebant, nec proferre, vt dixi, sustinebant, id erat, SPIRITVM sanctum Gentilibus communicatum.

Iudæorum cauillatio contra Christum quales. Tales erant cauilli Iudæorum contra CHRISTVM, quòd lutum Sabbato fecisset [a], quòd grabatum tolli eo die iussisset [b], quòd curasset [c], &c. cùm eodem tamen tempore adeò illustria miracula edidisset. Abhorrebant qnoque Iudæi consuetudinem cum Samaritanis, vt mulier Samaritana CHRISTO ipsi obiecit [d], præsertim communicationem cibi, & potus, quòd ea potissimùm re se contaminari credebant. Licebat eis cibum potúmque emere, at non dono capere: multò autem minùs, vnà sumere, vt constat ex Thalmudicis traditionibus, & iam notatum est cap. primo [e].

a Ioan. 9.16. b Ioann. 5.10. 16. c Luc. 13.14. d Ioan. 4.7. e vers. 8.

A

Versus 4.] Incipiens autem Petrus, exponebat illis ordinem, dicens.

B

INCIPIENS *autem Petrus.*] Glossa interlin. in hac tota Petri apologia distinguit duodecim excusationis causas. *Summa huius defensionis.* Summa omnis eò reducitur, vt purget se aduersùs crimen violatæ legis, in consuetudine habita cum Gentilibus, hísque intra Ecclesiam receptis. Iussus non statim inquit, cucurri: missus non statim baptizaui: SPIRITV me impellente prædicaui: me adhuc loquente descendit SPIRITVS sanctus; DEVS ergo ipse totum fecit, misit, prædicauit, SPIRITVM sanctum dedit, baptizauit, recepit.

C

Versus 5.] Ego erã in ciuitate Ioppe orans, & vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis summitti de cœlo, & venit vsque ad me.

EGO *eram in ciuitate Ioppe orans.*] Paucis opus est, cùm recitentur duntaxat ea quæ sunt in capite præcedente.

Venit vsque ad me.] Hoc est quod dicto capite dicitur, esse submissum vas vsque ad terram, terra
D enim est vbicunque habitatur, licèt sit locus sublatus à solo, & terra. *Terra est vbicunque habitatur.*

Versus 6.] In quod intuens considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia cœli.

IN *quod intuens considerabam.*] Εἰς ἣν ἀτενίσας κατενόουν, *In quam* (ἀθρόως) *fixis oculis respiciens considerabam.* Si extasis erat, non intuebatur oculis corporis, nec intendebat eorum aciem, sed imaginabatur, vel sibi videre videbatur.

Bestias.] Lege capitis prioris versum duode-
E cimum.

Versus 7.] Audiui autem & vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide, & manduca.

Versus 8.] Dixi autem: Nequaquàm Domine: quia commune, aut immundum nunquàm introiuit in os meum.

Versus 9.] Respondit autem vox secundò de cœlo: Quæ DEVS mundauit, tu ne commune dixeris.

Versus 10.] Hoc autem factum est per ter: & recepta sunt omnia rursum in cœlum.

RECEPTA *sunt omnia rursum.*] In capite priore [f], *Receptum est vas in cœlum.* Syrus sic habet, ואשתלק לה כל מדם לשמיא *vaschtbalek lech chul medem laschmeia*, id est, *& sublatum est id omne in cœlos*; vel, *Receperunt sese omnia in cœlum*: quasi iam proprio motu sese receperint, vtpote sanctificata, & mundata, & in cœli possessionem, atque ad DEVM euolantia, à quo per propositum voluntatis suæ, sacramento tamen posteà interueniente, cum dono SPIRITVS sancti munditiem, sanctitatémque acceperant. f vers. 16.

Versus 11.] Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo, in qua eram, missi à Cæsarea ad me.

Versus 12.] Dixit autem SPIRITVS mihi, vt irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum & sex fratres isti, & ingressi sumus in domum viri.

VENERVNT *autem mecum & sex fratres isti.*] Lege prioris capitis versum vigesimumtertium. Petrus cum illis efficiebat septenarium numerum. Et pulchrè septenario fratrum numero, inquit Beda, gratia SPIRITVS sancti septiformis effusa est: vel quia sex diebus mundus iste formatus est, per sex fratres opera perfecta monstrantur, vt etiam cum eodem Auctore obseruat Glossa ordinaria.

Versus 13.] Narrauit autem nobis, quomodo vidisset Angelum in domo sua stantem, & dicentem sibi: Mitte in Ioppem, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus.

Versus 14.] Qui loquetur tibi verba, in quibus saluus eris tu, & vniuersa domus tua.

IN *quibus saluus eris tu.*] In capite priore habetur [g]: *Hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Fortasse g vers. 6.
qui missi sunt à Cornelio, hæc omnia expresserunt, licèt eodem capite [h] solùm dixisse dicantur, h vers. 22.
audire verba abs te.

Versus 15.] Cùm autem cœpissem loqui, cecidit SPIRITVS sanctus super eos, sicut & in nos in initio.

SICVT *& in nos in initio.*] Nimirum in Pentecoste [i]: & particula comparationis ac similitudinis non graduum æqualitatem, sed eiusdem doni SPIRITVS sancti identitatem importat, vt dixi capite præcedenti [k]. i Act. 2. k vers. 44.

Versus 16.] Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini SPIRITV sancto.

a vers.5. b Matth.3.11. Marc.1.8. Luc.3.16.

IOANNES *quidẽ baptizauit aqua.*] Hoc à CHRISTO dictum vidimus capite primo [a],& à Ioanne Baptista [b].

Versus 17.] Si ergo eandem gratiam dedit illis DEVS, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum IESVM CHRISTVM: ego quis eram, qui possem prohibere DEVM?

EANDEM *gratiam.*] *ἴσην δωρεάν*, *æqualem*, hoc est, vt Syrus exponit שואית *schauiath*, id est, *æqualiter*; vel, *æquè*, nempe iuxta sensum dictum. Græcum adiectiuum *ἴσος* non significat tantùm parem, & æqualem, verùm etiam aliquando similem, & præterea iuris eiusdem. Eodem sensu interpretari Petrum [c] licet dicentem, eos, quibus scribit, *coæqualem sortitos cum illo fidem in iustitia* DEI, *&* *Saluatoris* IESV CHRISTI, Græcè *ἰσότιμον*, *æquè pretiosam*, quod præterea ex parte obiecti verum est.

c 2.Pet.1.1.

Ego quis eram, qui possem prohibere DEVM?] Lyranus notat, quod in quibusdam codicibus additur, *ne daret* SPIRITVM *sanctum credentibus in nomine* IESV CHRISTI, non esse in textu, nec haberi in libris correctis; sed fuisse quandam interlinearem Glossam, quam scriptores inseruerint in textum. Explicat verò Glossa interlinearis, quæ extat: *Nolite conari. Si enim ego non potui, nec vos poteritis.*

Responsum Petri plenum prudentia.

Prudens planè responsum, quo innuit sibi vt maximè vellet, & eorum assentiretur iudicio, nefas fuisse DEI voluntati reluctari, quam verbis, factisque tam disertè declarauerat. Moribus impensè congruit, quod monet Glossa ordinaria, *quando superior facit aliquid insolitum, licèt sit bonum*, tamen ostendere debet, illud esse rationabiliter factum ad pacem aliorum; & illi debent acquiescere audita super hoc ratione.

Petri modestia singularis.

Chrysostomus expendit in hac tota Petri oratione singularem modestiam, qui deposita quodammodò doctoris persona, & auctoritate, rationem reddat, fratrum testimonium adhibeat, rem omnem DEO adscribat, pares Gentiles sibi, seipsum aliis fratribus faciat. Gregorius [d] præterea huius imitator modestiæ, si quis alius maximè, obseruauit diligenter in Petro hoc exemplum, sibique ad imitandum proposuit. Nam vbi Petri descripsit excellentiam in potestate clauium [e], ambulatione super aquas [f], curatione per vmbram [g], occisione per verbum [h], suscitatione per orationem [i], loquitur in hunc modum, & à me præter morem recitari ipsius verbis debet, non solùm ob egregiam institutionem moralem, sed potissimum etiam contra Caluini [k] immodestiam in Petrum, & Petri successorem blasphemiam, detorquentis eò tantam modestiam, nullam vt in Petro supra alios auctoritatem fuisse non vereatur asserere. *Et quia ex admonitione* SPIRITVS *ad Cornelium Gentilem*, inquit Gregorius, *fuerat ingressus, contra eum quæstio à fidelibus facta est, cur ad Gentiles intrasset, & comedisset cum eis, cur eos in Baptismate suscepisset* (hoc vltimum conquestos alios non meminit Lucas) *& tamen idem Apostolorum primus tata donorum gratia repletus, tanta miraculorum potestate suffultus, querela fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit, causam per ordinem exposuit, &c. Si enim cùm à fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sancta Ecclesia acceperat, attendisset, respondere poterat, vt pastorem*

d lib.9.epi.in ep.39.
e Matt.16.19.
f Matt.14.29.
g Act.5.15.
h ibi.5.& seq.
i Act.9.40.
k in hunc locum, & 4. Instit.c.6.n.7. *Caluini immodestia ex hoc loco nullam in Petro auctoritatem agnoscentis.*
Petrus non ex auctoritate, sed ex ratione respondit.

A *suum oues, quæ ei commissæ fuerant* [l], *reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profectò doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placauit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes exhibuit. Si ergo Pastor Ecclesiæ, Apostolorum princeps, signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere: quanto magis nos peccatores, cùm de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus?* &c.

l Ioan. & seq.

B Agit eo loco Pontifex non humilitate minùs quàm dignitate maximus, cum Theotista Patritia hortans ad facilè tolerandas detractiones, & non sibi videatur indignum, tametsi ex genere Imperiali, detrahentibus satisfacere, reddenda ratione. *Omnes etenim*, ait, *fratres sumus, vnius Imperatoris potestate conditi, & sanguine redempti: & ideò fratres nostros, quantumlibet pauperes, & abiectos, in nullo despicere debemus.*

Fratres omnes sumus.

Idem Gregorius [m] de seipso loquens, ita scribit ad Bonifacium quendam virum magnificum: *Nam nos licet in omnibus causis, in iis tamen præcipuè quæ* DEI *sunt, ratione magis stringere homines, quàm potestate festinamus. Si contempsi*, ait Iob [n], *subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersùm me: quid enim faciam, cùm surrexerit ad iudicandum* DEVS, *& cùm quæsierit, quid respondebo ei?*

m lib.9.ep.41.
Prælati ratione magis quàm potestate subditos debent astringere.
n cap.31.13.14.

C Retulit Gratianus [o] in canones partem recitatæ ex priore loco Gregorij sententiæ, notátque non tamen hoc exemplo Prælatos cogi suscipere reprehensionem subditorum: subdit præterea ex hac eadẽ humilitatis dispensatione intelligendũ quod Leo Papa IV. Ludouici se Imperatoris, eorúmque iudicio, quos ille mitteret, submittere voluerit. Petrus Damianus [p] Alexandro Papæ II. scribẽs, hinc infert licere minori deferre Episcopum suum ad maiorem. Cuius generis alia non pauca exempla congerunt hæresiologi, dum disputant de Primatu Romani Pontificis, præsertim Bellarminus [q], & Baronius [r].

o 2.q.7.c.Testus.
p ep.1.ad Alex.II.
q Tom.1.de controuersiis.
r Hinc tanta Annal. [illegible]

D Gloriantur Pontifices modestissimo *serui seruorum* DEI epitheto, sciuntque salua dignitate, quam sustinent, maximam, omnium se commodis, pro quibus formam serui CHRISTVS accepit, seruire debere, omnésque agnoscunt multò quàm ille meliùs, quem laudat Seneca [s] vt humiles amicos, & conseruos; & meminerunt, quod monet Paulus [t]: *Et vos domini, eadem facite illis, scientes quia illorum, & vester Dominus est in cœlis.*

s epist.47.
t Ephes.6.

Caluini intoleranda est arrogantia, audacia, & impudentia, cùm ait, *nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporum* [u] *nomina impedire, quo minùs omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus, quò probemus, num ex* DEO *sint* [x]: &, *se* [y] SPIRITV DEI *fretum despicere ex alto quicquid terrenæ sapientiæ contra opponitur*, & [z], *quicquid garriant, aut allatrent omnes, suam sibi conscientiam instar mille testium esse.* Non potuit Geneua libertatis cupida tantam in hoc, & collega Farello ferre tyrannidem, nouum etiam Pontificatum reuocantium. Vtrumque ducentorum suffragiis Senatorum eiecit, vt proditum est à Capitone [a].

Caluini arrogantia intoleranda.
u 4.Instit.c.9.n.12.
x 1.Ioan.4.1.
y ibidem.ca.[illegible]
z hic se Spiritu DEI proditum.
a epist.ad Farellum, quæ est inter epistolas Caluini.
Lutheri fastus.

E Nec minor Lutheri magistri fastus, & pertinacia. Respondet Erasmo, se quæ scripserit in libro de seruo arbitrio, non vt diatribam, vt ille, ac per modum collationis ad inuestigandam scripsisse veritatem, sed asserendo, ita vt penes vllum nolit esse iudicium, sed omnibus suadeat vt præstent obsequium: item dum scribit ad Regem Angliæ: ait certò scire sua se dogmata habere de cœlo: de

tartaro dicere potiùs debuit, qui non dubitauit publicè pronunciare malum Spiritum sibi, & se malo Spiritui satis notum fuisse, & plus quàm modium salis cum malo Spiritu comedisse [a].

a Iacobus Laingæus de vita Martini Lutheri: & Lutherus ipse li. de Missa angulari Saxonicè scripto.

Versus 18.] His auditis, tacuerunt, & glorificauerunt DEVM, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit DEVS ad vitam.

HIs *auditis, tacuerunt.*] Ἡσύχασαν. *Quieuerunt.* Prudentis est, manus meliora proponenti dare, cedere rationi, vinci à saniore doctrina atque consilio; alioqui argumentum est inuidi, malignique animi, & contentionis, non veritatis amantis, veritatem cognitam impugnare pergere, non amplecti.

Prudentis viri partes.

B

Videtur Sophonias [b] præuidisse futurum, vt Iudæorum illa superbia detumesceret, qua impotenter gloriabantur in templo, & cæremoniis, vel ægerrimè ferebant vocari Gentes ad Ecclesiam, de qua re scriptæ sunt ab Apostolo epistolæ ad Romanos, & Galatas, & partim etiam ea, quæ est ad Ephesios. *Auferam*, inquit apud illum Prophetam DEVS, *de medio tui magniloquos superbiæ, & non adiicies exaltari amplius in monte sancto meo.*

b cap. 3. 11. *Sophonias vaticinium de Iudæorum superbia molliendo.*

De iudicij, intellectúsque proprij mortificatione piè, ac doctè disserit Franciscus Arias noster [c], ex doctrina potissimùm Basilij [d], Gregorij [e], Bernardi [f], Dorothei [g], atque in hoc genere monita admodùm exquisita reliquit B. P. Ignatius [h].

De mortificatione iudicij quis scripserit.
c part. 2. de progressu spirituali Hispanicè, vel Italicè, ca. 10. & 11.

C

Et glorificauerunt DEVM.] Et hoc aliud indicium est ingenui, & bene affecti animi, non obedire duntaxat, sed etiam *congaudere veritati* [i], DEO gloriam hoc nomine, proximo ad gratulationem, quam DEVS luce veritatis illuminauerit, exhibere & libenter, & hilariter.

Aliud ingenui animi indiciū.
d Regula 123. ex Breuior.
e lib. 5. c. 14. in 1. Reg. & lib. 11. Moral. cap. 21.
f Serm. 2. & 3. de Resurrect. Dom.
g Ser. 8. & 19.
h lib. Exercitio. & constitut. & epi. de obed.
i 1. Cor. 13. 6.

Quod igitur dicebat pridem citatus Epiphanius [k], quæstionem de hac re mouisse cum suis Cherintum, intelligere oportet vel hos nondum satis multiplicatos stabilitósque aliis pluribus simulatè consensisse, vel etiamsi restiterint, plures illos præualuisse.

Gregorius quatenus hanc Iudæorum laudationem vocet.
k Hæresi 28.

D

Gregorius [l] (ex quo Beda, & Glossa ordinaria mutuantur, necnon Magister Historiæ Scholasticæ) horum Hebræorum fidelium vocat verbis Iob [m], *formidolosam laudationem, quia dum claritatem suæ fidei Gentilitas*, inquit, *obtulit, multitudo Hebræorum fidelium* (fideles quoque nominat alibi [n]) *diuina iudicia pertimescendo laudauit, & saluti Gentibus à suo se murmure, dona cœlestis gratiæ admirando, compressit.* Subdit deinde obiectionem: *Sed cùm Gentes fidem suscipiunt, cur ab eis, qui iam fideles sunt, formidolosa venire laudatio dicitur, cùm læta venire potius, quàm formidolosa debuisset? Sed idcirco conuersis Gentibus ab Hebræis iam fidelibus formidolosa laudatio prodit, quia nimirum iustè Iudæa repulsa est, dum pia est Gentilitas vocata, & damna suæ repulsionis timuit, dum lucra alienæ vocationis vidit.*

l lib. 27. Moral. c. 26.
m cap. 37. 22.
n li. 9. cp. 19.

E

Elicit demùm egregiam tropologiam. Vnde nos quoque quotidiè, dum iniquos quosque ad inopinatam vitæ celsitudinem prouehi repentè conspicimus, sub occultis DEI iudiciis timendo gaudemus, ne per occulta iudicia quosdā DEVS, qui digni putantur, deserat, qui per hæc ad se eos, qui indigni æstimantur, vocat. Chrysostomus aliud edit documentum, in bonis proximorum glorificare DEVM, & non insultare.

Docet in bonis proximorū glorificare Deum, non insultare.

Ergo & Gentibus.] Syrus habet, דכבר אף *daccheber aph*, quod est. *Iam etiam.* Ἄραγε, meliùs noster Interpres reddidit: nec enim reperio pro aduerbio temporis vsurpatum. Quamquàm כבר *chebar* aduerbium est quoque dubitandi, & sensus duplex erit, & quidem cōmodus, *vtrùmne*, aut *iámne*, &c. vt admiratio sit & de re ipsa, & de celeritate temporis, quòd tàm citò patuerit Gentibus Ecclesia. *A Domino factum est istud, & erat mirabile in oculis eorum* [o], prout CHRISTVS ipse locum hunc Psalmi interpretatus est [p].

o Psa. 117. 22.
p Mat. 21. 42.

Pœnitentiam dedit DEVS.] *Tempus, & locum pœnitentiæ*, ait Lyranus, *vel pium ipsum pœnitentiæ motum, quod apparuit in ipso descensu* SPIRITVS, inquit Glossa interlinearis. Hinc itaque colligitur, Cornelium cum suis ante Baptismum iustificatos, cùm necessaria adultis sit pœnitentia. Lege caput secundum [q], & quintum [r].

q vers. 38.
r vers. 31.

Ad vitam.] Gratiæ, & gloriæ. Sic sæpe hoc nomen absolutè positum vsurpatur, & non tantùm pro substantiali, & corporea. Vnde quibusdam videtur Hebræum nomen plurale esse חיים *chaiim*, quamuis hæc forma pluralis plerisque aliis nominibus communis est.

Versus 19.] Et illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis.

ET *illi quidem, qui dispersi fuerant.*] Quæ in hoc versu sunt, eò spectant, vt doceatur, hactenus non esse apertum ostium Gentilibus, quemadmodum etiam aliàs hoc ipso ex loco probauimus [s]. Glossa existimat, regredi Lucam ad intermissam narrationem de dispersione ac persecutione Ecclesiæ post mortem Stephani, quam narrationem inchoauerat capite octauo [t].

s ca. 8. & 10.
t à versu 1.

Sub Stephano.] Syrus habet, על אסטפנוס *hbal estephanaus*, id est, *propter Stephanum*; vel, *ob Stephanum*, post mortem videlicet ipsius, aut etiam inchoando à morte eiusdem. Ἐπὶ Στεφάνῳ. Caietanus vertendum putat eo modo, quo Syrum vertisse dixi. Præpositio Grӕca ἐπὶ inter alias cum dandi casu significationes, habet causalem: præterea idem valet quod post, quæ posterior significatio quadrat quoque proposito: persecutio námque cum dispersione cœpit post mortem Stephani. Rectè autem Interpres exposuit *sub Stephano*, quod vtrumque significat, & in morte ipsa eius factum persecutionis initium, & propter ipsum dispersam Ecclesiam. Sic passum dicimus CHRISTVM *sub Pontio Pilato*, hoc est, tempore eius, dum Iudæam administraret, &, *Factum verbum Domini ad Ioānem sub Principibus sacerdotum Anna, & Caipha* [u], etsi ibi ἐπὶ, est cum genitiuo ἀρχιερέων, in qua constructione significat sub, cùm tempus denotatur, non secus atque cùm Quintilianus dicere solet *sub Alexandro*, exempli causā, hoc est, tempore Alexandri. Minùs probo sensum Caietani, *sub Stephano*, vt intelligamus Lucam describere triumphum Stephani, ac si dixisset, sub triumpho Stephani.

Quid est sub Stephano persecutionem factā.
u Luc. 3. 21.

Phœnicem.] Phœnix, siue Phœnicia, teste Plinio [x], & Strabone [y], & Tacito [z], aliisque Cosmographis, Syriæ regio est ferè tota maritima, contigua Galilææ ad Libanum, habétque præcipuas vrbes Tyrum, Sidonem, Sareptam, Decapolim, Berythum, Tripolim, Byblum, etsi Tripo-

Phœnicia regio quæ sit.
x Lib. 5. c. 12. & 20.
y lib. 6.
z lib. 18.

lis à trium vrbium obtentu denominetur, Tyriorum, Aradiorum, Sidoniorum. Lege Salmeronem[a]. Nomen regioni dedit vel Cadmi frater ex patre Agenore Phœnix, qui imperauit Phœnicibus; vel palma, quam φοίνικα Græci vocant, ibi abundans: vel minor vrsa illo item nomine dicta, quæ maximè obseruatur in nauigatione à Phœnicibus.

a Tom. 1. Prolegom. 41.

Syrophœnices cur incolæ dicantur.

Quia verò Syriæ vicina est, aut etiam, vt dixi, pars illius, incolæ magna ex parte appellantur Syrophœnices; vel idcirco, quòd Syrij Phœniciam occupauerint, eo prorsus pacto, quo in Asia Gallogræci, & Celtiberi in Hispania, & in Africa Libyoæthiopes dicti sunt. Nam alij fuerunt in Africa Phœnices vocati Libyophœnices, id est, Lybiæ habitatores. Inde Africani Pœnorum, quasi Phœnorum, & Phœnicum cognomen traxerunt. Siquidem Meridionales, & Occidentales ex litera φ, ph, qua delectantur Orientales, aspirationem demere solent, pronunciantes verbi gratiâ Palæstinos, pro Phalæstinos. Sicut dicimus è contrario trophæum, pro tropæum, à Græco τρόπαιον.

Lingua Punica cur Hebrææ sit affinis.

Hac de causa factum puto, vt lingua Punica sit affinis Hebraicæ, vt Hieronymus [b], & Augustinus [c] tradunt, & ille [d] Pœnos sermone corrupto quasi Phœnos appellari. Existimat Andreas Masius [e], probàtque esse prorsus eandem vnam gentem Chananæorum apud Hebræos, & Phœnicum apud Græcos facienda nauicularia, & ἐμπορικῇ τέχνῃ celebrem, propter portuosum mare, quod accolunt. Certè quæ apud Matthæum Chananæa [f], apud Marcum [g] est Syrophœnissa vocata.

b lib. 3. in c. 7. Esaiæ & li. 5. in Ieremiam, c. 25.
c 2. cont. lit. Petiliani. cap. 104. & in Psa. 116. & li. 2. de Serm. Domini in monte.
d libr. 5. in ca. 25. Ierem.
e in c. 5. Iosue.
f cap. 15. 22.
g cap. 7. 26.

Cyprus describitur.

Cyprum.] Perillustris insula est, nouem aliquando sedes regnorum, inter Syriæ, Ciliciæque iacens littora, ab Ortu Syrio, ab Occasu Pamphylio, à Meridie Phœnicio, ab Aquilone Cilicio mari clausa. Veneri sacram ob fertilitatem, luxúmque, & macariam, hoc est, beatam, profani Scriptores appellitant Iosephus [h], & Hieronymus [i] docent Hebraicè vocari Cethim, ab huius nominis pronepote Noe ex patre Iauan, qui fuit filius Iaphet. *Eius appellationis*, ait Iosephus *vestigium extare in vrbe illius insulæ quæ vocatur Citium, vnde Zeno Citieus, Stoicorum princeps, & inde omnes insulas, vt pleraque loca maritima, Hebræos Gentili voce Chitim appellare.* Verùm de hoc nomine Chetim, hoc in libro aliàs plura. Lege Ortelium [k], & quos citat ex recentioribus Benedictum Bordonium [l], Vadianum, Pium II. Dominicum Nigrum, Sabellicum, Volaterranum, Iacobum Zieglerum.

h 1. Antiq. c. 7.
i lib. de Tradit. Hebra.
k in Theatro, tab. 78.
l in suo opere Insulari.

Cyprus Cerastis dicta.

Reperitur nonnunquàm Cerastis dicta, quòd promontoriis tanquàm cornibus infestis assurgat. Patria fuit Barnabæ Apostoli [m], aliorumque insignium sanctorum, & in omni genere illustrium virorum. Propter Barnabam prærogatiuam obtinuit inter Ecclesias, quam ipsemet Barnabas longè pòst per visum aduersus repugnantes defendit: Zenonis Imperatoris tempore, circiter annum CHRISTI 485. cùm impius Petrus Fullo sedis inuasor Antiochenæ, Cyprum sibi diœcesim violentè subiicere moliretur. Tunc enim Barnabas suomet venerando corpore, quod delitescebat, cum Matthæi Euangelio reuelato imperat Salaminæ Episcopo Anthemio vt Constantinopolim pergens ius tueatur suæ sedis Apostolicæ, minimè dubius de victoria: quam retulit etiam, summis ab Imperatore affectus honoribus [n]. Sed & anteà in Concilio Ephesino eidem Cypro contra Antiochiam sententia fuerat adiudicata [o]. Legi tamen Niceni Concilij canonem [p], qui videtur minùs fauere Cypriis.

m Act. 4. 36.

Barnabas suæ Ecclesiæ priuilegium defendit.

n Alexander Monachus in vita Barnabæ apud Sur. 11. Iunij. Niceph. lib. 16. cap. 37. Theod. Lector in Collectan. Suidas, & alij.

Antiochiam.] Huius nominis plures insignitæ ciuitates inueniuntur: & inferiùs capite XIII. mentio est de Antiochia Pisidiæ. Ista igitur in Syria est: sed Hieronymus [q] exponens vocem *Hemath*, docet esse duplicem locum ita dictum, *Nam vna*, inquit, *est Hemath minor, terminus terræ filiorum Israël versùs Septemtriones, quam ab Antiocho Epiphane posteà Epiphaniam, vel cum addito, Syriæ, cognominarunt: altera maior, habēs quoque nomen Antiochiæ, & auctore* [r] *Iosepho, Syriæ metropolis, tertium inter omnes Romani vrbes orbis locum obtinens, hoc est, post Romam, & Alexandriam.*

p est 17. ...
q in cap. 4. ... 47. Ezech.
r lib. 3. de bel. Iud. cap. 2.

Addit Hieronymus totam ipsam circùm regionem Hebraicè vocatam Rebla, aut Reblatah. Siue etiam Cœlen Syriam, & voce composita Cœlesyriam, & posteriorem ciuitatem sui fonte vberrimo Daphne: & Cn. Pompeium, qui primus Iudæam Romano subegit imperio, militari manu eum locum conseuisse, & ab eo iuxta fabulam Poëtarum nomen Daphnis accepisse, quòd lauris, & cyparissis abundaret. Inde etiam nominata est Epidaphne, scilicet à Daphne vicino suburbano amœnissimo, stadiorum octoginta, cum fano Apollinis, & Dianæ delubro.

Sunt qui conditam velint à Seleuco Nicanore Olympiade 119. Vocauit eam posteà Iustinianus Imperator Theopolim, vt prodit post Euagrium [s] Volaterranus [t]: qui prætereà notat à Nicanore, qui filius erat Seleuci & Laodices, & primus post Alexandrum Syriæ Rex, conditas, vel instauratas sexdecim (Stephanus Byzantius [u] recenset tredecim: de regione nominis eiusdem Plinius [x], ac de insula [y] meminit) Antiochias, in memoriam patris Antiochi, sicut quinque Laodicæas ob honorem matris, & à suo ipsius nomine nouem Leucias, tres Apamias, ab Apamea, & vnam Stratoniceam à Stratonice vxoribus. Ex hac Antiochia erat Lucas noster, ísque Theophilus, cui vtrumque volumen dicauit Apostolicorum Actuum, & Euangelij, vt initio præfati sumus. Quod item capite priore diximus de Patriarchatu Antiocheno post Romanum, tertio post Alexandrinum, valdè confirmatur ex eo, quod modò cùm Iosepho monebamus, inter orbis vrbes, quæ Romanis parebant, tertium dignitatis locum datum Antiochiæ.

s lib. 4. ca. ...
t lib. 6.
u lib. de vrbibus.
x lib. 5. c. ...
y cap. ...

Porrò, vt est apud eundem Volaterranum [z], habuit olim Antiochenus Patriarcha prouincias sub se viginti, quatuordecim Metropolitanos, Episcopos quinquagintatres, & vrbs ipsa trecenta sexaginta sex templa. Prætereà sex vrbes sub duobus Primatibus erant, quos Catholicos nominabant. Ironopolitano, siue Baldacensi, quæ ciuitas quondam Babylon dicta est, & Aucensi, qui Persidis etiam primas appellabatur. Persarum Ecclesiam subiectam fuisse Antiochenæ, Canon Concilij Niceni docet, quo cauetur, Episcopos congregari, vt disponant aliquid ad ordinem Ecclesiæ pertinens, sine consensu, & auctoritate Patriarchæ Antiocheni. Recitat istum Canonem inter alios ex Arabicis Latinos factos noster Turrianus [a].

a Appen. ad Constit. Clementis. ...

Nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis.] Hoc maximè vrgendum fuit, vt intelligeretur tum rectè factum à Petro, vt non sine diuino præcepto aperiret Gentilibus Ecclesiæ portam, tum hoc deinde Petri exemplum secutos alios. Iudæos Antiochiæ

a 2. cont. Apionē.12. Antiq.cap.3.7.de bello Iud. c. 14.

tiochiæ municipali fruitos iure, testis Iosephus[a]; idque contrà nitentibus aliis, ratum ac firmum esse Vespasianum, ac Titum imperasse.

Versus 20.] Erant autem quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi, qui cùm introissent Antiochiam, & loquebantur ad Græcos, annunciantes Dominum IESVM.

ERANT *autem quidam ex eis.*] Qui ab Ierusalem dispersi fuerant, non quos in Cypro, aut Cyrene dicti dispersi ex Iudæis Christianos fecerant. Priore modo exponit Lyranus, & Caietanus longè meliùs quàm Glossa ordinaria, quæ posteriore. De Cyrenæis lege caput secundum & sextum.

Ad Græcos.] Ἑλληνιστάς. Consequentia sermonis poscit, vt intelligamus per Græcos Gentiles: quamuis vox ista Græca significet potiùs Græcanicos, siue Græcantes, & Græcizantes, hoc est, Iudæos origine, ac religione, sed degentes inter Græcos Gentiles, vt aliàs dictum est [b]. Ἕλλην, autem, & Græcum, & Ethnicum, vt etiam ait Hieronymus [c]. Secus visum est Glossæ ordinariæ, & Gagneio: nostra autem sententia placet Lyrano, Hugoni, Caietano, & Sà.

b cap.6.1.& c. 9.29.
c in c.3.epist. ad Gal.

Græci sunt iidē cum Gentilibus.
d Act. 18. 4. Rom.1.14.16. c.2. 9.10. c. 3. 9. c.10.12. 1. Cor.1.22. 24. Galat. 3. 28. Ioel. 3. 6. 1. Machab. 11. 24.
e cap.15.22.
f cap.7.26.
g cap.13.
h epist.20.
Lingua Græca vsus maximè vniuersalis.
i lib. de opere Monach.c. 31.
k oratio. pro Archia Poëta.
l 6. de bello Gallico.
m Proœm. in li. 2. cōment. in ep ad Gal.
n 8.de ciuitate DEI.c.2.
o 2.de Orat.
Orphans dicti sunt Græci.
p li.14.epigr. 58.vel 57. de Aphronitro.
q cp.10.& 19.
r li.de Pallio.

Plerisque locis vocat Scriptura Græcos, quos intelligi vult Gentiles[d], cùm opponat Iudæis: & quam Matthæus vocat Chananæam [e], Ἑλληνίδα nominat Marcus[f], & noster Interpres Gentilem: ita quoque Græcia sumi videtur apud Zachariam [g], eò quòd Græca lingua maximè excelleret in gentibus: Augustinus [h] indicat causam esse, quòd excelleret inter Gentiles lingua Græca, dicitque[i] Græcos ac Paganos eosdem censeri, idem etiam esse quod Paganos.

De linguæ Græcæ maximè vniuersali vsu, præter sapientiam secularem, atque superstitionem, quæ apud Græcos in primis viguerunt, meminit quoque post antiquiores illos Latinæ peritissimos Ciceronem [k], & Cæsarem[l], Hieronymus [m], dicens, omnem Orientem loqui, & rursum Augustinus [n], qui ait inter ceteras Gentium linguas clariorem haberi. Idem Tullius[o] ignaros linguæ Græcæ pecudes, Martialis[p] rusticos. Mitto quòd à leuitate, & impostura Græcorum, quódque pallio vterentur, abiecta toga, qui philosophabantur inter ipsos Ethnici, Christianos meliorem seueriorémque profitentes Philosophiam, per conuitium Græcos nominabant. Testatur id idem Hieronymus[q], & Tertullianus[r], qui additum meminit nomen impostorum, quasi imponentium, hoc est, iniicientium, ac superimponentium tunicæ pallium: quamuis qui literati erant per illud nomen, quod Græcè erat ἐπιθέτης, denotare simul volebant deceptorem, eúmque qui sanctitatem mentiatur, quæ est etiam significatio Latinæ vocis *impostor*.

ſ 1.Machab.1. 11.
Regnum Græcorum quodnam sit.
t in Panegyrico.
u 1.Polit. c.1. lib.3.c.10.

Obseruandum præterea vocari nonnunquàm in sacris literis[ſ] regnum Græcorum, quod non in Græcia est, sed in Syria & Asia, quia Seleucus, qui regnabat in his prouinciis, vtebatur, eiúsque posteri, Græcorũ lingua, moribus, institutis. Quin & Isocrates [t] nomen Græcorum scribit, *iam non nationis gentisque, sed rationis esse ac mentis*: vt Græci vocentur potiùs illi qui perceperunt eruditionem Græcorum, quàm qui nati in eadem Græcia. Barbaros Philosophus [u] opponit Græcis ingenio ra-

A tionéve pollentes minùs: & Apostolus [x] *sapientes appellat* Græcos, *barbaros insipientes*. Mitto quòd vox ista Γραικός, qua citatus vtitur Hieronymus, antiquior est quàm Ἕλλην, vel Ἀχαιὸς, vel alia similis; adeóque vetus, vt, quemadmodum Scaliger [y] scribit, etiam Græcis ipsis iam desita sit. Extat ea vox apud Apollodorum [z], Lycophronem [a], Aristotelem[b], Cyrillum Alexandrinum[c], aliósque; ac testis est Eustathius [d] Barbaros absque γ Ræcos dixisse, non Græcos.

x Rom.1.14.
y 1.Poët.c.19.
z 1. Biblioth.
a in Cassand.
b 1.Meteor.
c 1.cont.Iuli.
d Iliad.2.

Græcis passim Christi Euangelium prædicatur.

Sed vt ad institutum reuertamur, de communicato Græcis, hoc est, Gentilibus Euangelio, non tantùm Petri exemplum in Cornelio, familiaque ipsius, sed fortassis cōmunis Ecclesiæ Antiochen-
B sis consensus, permotæ nimirum dicto exemplo, fuit in causa, vt etiam Græcis, hoc est, Gentilibus, iis opinor, qui fortè Græcè duntaxat sciebant, vt proinde Ἑλληνισταὶ potiùs dicantur, quàm Ἕλληνες (latissimè namque Græca lingua, vt dictum est, patebat) euangelizaretur CHRISTVS. Etenim inter Canones Synodi Apostolorum Antiochenæ, quos Pamphilus martyr testatus est se in Bibliotheca Origenis reperisse, vt Turrianus [e] noster scribit se legisse in antiquissimo codice Græco, primus erat, *vt credentes in Dominum* IESVM (quos illius temporis homines vocabant Galilæos) *Christiani deinceps vocarentur*: & secundus; *vt Christiani non iam circumciderentur more Iudæorum,*
C *siquidem sit Baptismus Circumcisio non manu facta* [f]: tertius; *Vt ex omni natione, & genere ad Fidem Catholicam admitterentur.*

Canones concilij Antiocheni Apostolorum tempore celebrati.
e lib. 1. con. Magdebur. c. 15.
f Ephes.2.11. Coloss.2.11.

Verùm vt concedam, Antiochiæ habitã Apostolorum Synodum, quod & Innocentius Papa I. scribens Episcopo Alexandro [g]: tamen omninò constat præcessisse Ierosolymis aliã quæ recitatur in capite XV. in qua & plures qui circunferuntur Canones Apostolorum sanciti creduntur. Nam nondum Antiochiam conuenerant Apostoli, qui adhuc Ierosolymis agebant, vel circa illam ciuitatem, nec extra prouinciam eius, & ibi celebratum ab ipsis Concilium eadem propemodùm decreuit, quæ continentur dictis Antiochenis, vt si hos
D etiam Apostoli tulerũt, id posteà fecerint in principe illa ciuitate Antiochiæ, vbi magnus fidelium numerus erat, ad firmius statuendam veritatem, & magis stabiliendos iam decretos Canones in Ierusalem. Illud tamen probabile est, reliquos fideles, qui hoc tempore versabantur Antiochiæ, vt primum allatum est de Cornelio in Ecclesiã admisso, & huius facti causa, atque de ratione, quam Petrus exposuit in Ierusalem, edixisse, vt deinceps Gentilibus CHRISTI lex proponeretur.

g epist.18.
Ierosolymitana synodus præcessit Antiochenam.

Versus 21.] Et erat manus Domini cum eis: multúsque numerus credentium conuersus est ad Dominum.

E ET *erat manus Domini cum eis.*] *Virtus* DEI *in operibus mirabilibus,* inquit Lyranus, *& signa operabantur, vt illi alij crederent,* inquit Chrysostomus, & Oecumenius. Sæpe verò dictum quid sit manum Domini cum aliquo esse, aut fieri, aut loqui Dominum in manu alicuius.

Multúsque numerus credẽtium conuersus est ad Dominum.] Πιστεύσας ἐπέστρεψεν, *cùm credidisset, conuertit* nimirum se. Conuersio tribuitur fidei, eo modo, quo iustificatio tota; de qua re aliàs disputatũ est. Quanquàm phrasis Græca indicat præcessisse fidem, & secutam esse conuersionem; quod etiam distinxit Syra versio; *Multique crediderunt, &*

Conuersio tribuitur fidei.

conuersi sunt. Posset tamen quoque, iuxta eandem formulam Græcæ orationis, esse sensus, vt dicunt, formalis, *credens, siue cum credidisset, conuertit se*, id est credendo conuertit, atque formaliter conuersus est, eo inquam, sensu, quo dicimur iustificari per fidem.

Denique Græcum verbum ἐπιστρέφω neutraliter aliquãdo accipitur pro ἐπιστρέφομαι, vt significet conuerto gressum, vt in epistola ad Galatas[a]: *Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa?* & ad Thessalonicenses[b]: *Quomodo conuersi estis ad* DEVM *à simulacris?* & apud Marcum[c] ex Esaia[d]: *Nequando conuertantur, & dimittantur eis peccata:* quibus locis est dictum verbum in actiua forma. Lege caput tertium[e].

a cap. 4. 9.
b epist. 1. 9.
c cap. 4. 12.
d cap. 6. 9.
e vers. 19.

Versus 22.] Peruenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis super istis: & miserũt Barnabam vsque ad Antiochiam.

Cur ipsi Apostoli Antiochiam non venerint.

MISERVNT *Barnabam*.] Quarenam tanta ciuitate Antiochia suscipiente verbum, non venerunt ipsi Apostoli, sed miserunt Barnabam? *propter Iudæos*, inquit Chrysostomus, *ne improperarent ipsis contubernium cum Gentilibus*. Pridem enim ostendimus, iam à Petro Antiochenam fuisse fundatam Ecclesiam; non tamen adhuc ex Gentilibus, sed ex Iudæis duntaxat. *Rectè etiam Cypriis prædicatoribus, Cyprium item prædicatorem adiunxerunt*, ait Caietanus.

Versus 23.] Qui cùm peruenisset, & vidisset gratiam DEI, gauisus est: & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino.

Gratia Dei quid hic sit.

VIDISSET *gratiam* DEI.] χάριν. Gratiæ nomine intelligitur conuersio Gentilium, & conuersatio religiosa: fortasse quoque dona gratis data, & linguarum, quod sciebat cum SPIRITV sancto communicari. Appositè verò id nomen gratiæ positum est, quoniam gratia maximè elucet in his, qui sunt minùs digni, ac dispositi, & de quibus minor spes est, quòd sint diuinis donis afficiendi. Tales opinione Iudæorum erant Gentiles, quos illi nisi priùs legem seruarent, Euangelij gratiam percepturos, minimè credebant. *Vidit*, ait Chrysostomus, *gratiam* DEI, *& non diligentiam hominum*.

Gaudium est fructus Spiritus sancti.

Gauisus est.] Et sine dubio glorificauit etiam DEVM, sicut illi, de quibus versu 18. Post charitatem inter SPIRITVS sancti fructus duodecim, secundus est gaudium, seu, vt dicam more Theologorum, complacentia tum in diuino DEI ipsius bono, cùm in alieno, siue proximi. Hieronymus[f] recitat ex Euangelio secundùm Hebræos præclaram istam Christi sententiam: *Nunquàm læti sitis, nisi cum fratrem videritis in charitate. Qui seminat, & qui metit, gaudet*[g]. Qui temporalem sementem faciunt, hoc est, qui res spectant temporales & priuatum commodum, dolent, si alij metant, quod ipsi seminauerunt: qui spiritualem, & non sibi, sed hero suo, gaudent, per quoscumque tandem siue per se, siue per alios metatur. Talis erat Apostolus, qui dicebat[h]: *Dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem* CHRISTVS *annũcietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo*. Affine Mosis de Eldad ac Medad exemplum[i], & CHRISTI de illo qui dæmonia eiiciebat in nomine ipsius, nec sequebatur tamen ipsum[k].

f in cap. 5. ep. ad Ephe.
g Ioan. 4. 36. *Seminantes & metentes quando simul gaudeant.*
h Phil. 1. 18.
i Num. 11. 25.
k Luc. 9. 49. 50.

Paulus qui suo gaudio de filiolis a se conuersis.

Vocat etiam à se conuersos Paulus *gaudium suum, & coronam suam*[l], *& gloriam in die Domini*[m]: *& spem, atque coronam gloriæ ante Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *in aduentu eius*[n], *vtpote à se in* CHRISTO IESV *genitos*[o], & *quos vt filiolos parturiuit*[p]. Iterum scribit quibusdam[q]: *Quam gratiarum actionem possumus* DEO *retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante* DEVM *nostrum*, &c. *Si agricolam arbor ad fructum perducta delectat: si pastor ex fructu gregis sui capit voluptatem*, inquit Seneca[r]: *Si alumnum suum nemo aliter intuetur, quàm vt adolescentiam illius suam iudicet: quid euenire credis iis, qui ingenia educauerũt, & quæ tenera formauerunt, adulta subitò videant?* Denique si est *in cœlo gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente*[s]; quis dubitet lætitiam quoque percipi in terris vel de peccatoris cõuersione, vel de maiore progressu tendentis ad perfectionem?

l Phil. 4. 1.
m 2. Cor. 1. 14.
n 1. Thess. 2. 19.
o 1. Cor. 4. 15.
p Gal. 4. 19.
q 1. Thess. 3. 9.
Quomodo quis gaudeat de iis quos prolo educauit.
r ep. 34.
s Luc. 15. 7.

Hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino.] Syrus, *Efflagitabat ab eis, vt toto corde suo adhærerent Domino nostro*. Παρεκάλει πάντας τῇ προθέσει τῆς καρδίας προσμένειν τῷ ΚΥΡΙΩ. Chrysostomus vim facit in verbo Græco παρεκάλει, ita vt significet, *hortabatur cum præconio, & laudibus: & forsan*, inquit, *in eo quòd laudabat, & approbabat turbam, plures conuertit*. Virtus quippe laudata crescit, hócque honesto artificio vsos videmus in epistolis Apostolos, & Patres in concionibus. Porrò παρακαλεῖν, vt aliàs dictum est, significat *hortari, solari, orare*. Adhortatio ista supponit liberum arbitrium in iis, quibus fit: cùm verò est de perseuerantia, quam definit Cicero[t], & Augustinus[u], *in ratione bene considerata stabilem, & perpetuam permansionem*, ostendit & falsum esse, iustum non posse excidere à iustitia, quam habet: & perseuerantiæ necessitas, quàm sit magna. *Sic state in Domino charissimi*, inquit Paulus[x]; &, *Stabiles estote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis*[y], in Domino. Soli perseuerantiæ *salus* datur[z], & *corona*[a], & ei *qui est fidelis vsque ad mortem*[b], & *qui permanent in tentationibus, soli edunt, bibúntque in mensa cælesti*[c]: & *qui perseuerant in disciplina, iis tanquàm filiis se offert* DEVS[d].

Virtus laudata crescit.
Perseuerantia necessaria quanta.
t 2. de Inuentione.
u li. 83. quæst. q. 31.
x Philip. 4. 1.
y 1. Cor. 15. 58.
z Matth. 10. 22. c. 24. 13.
a 2. Tim. 4.
b Apoc. 2. 10.
c Luc. 22. 28. 29. 30.
d Hebr. 12. 7.

Eximium est hoc SPIRITVS sancti donum, quod forsan innuunt verba illa Barnabæ *in Domino*, & ex professo demonstrat Augustinus[e], & Concilium Tridentinum[f] definit. Bernardi de perseuerantia præclarum elogium extat ad Ianuenses[g], siue Genuenses: *Et nunc quid restat, charissimi, nisi vt admoneamini de perseuerantia, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsus absque perseuerantia nec qui pugnant, victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*[h], &c. *Hoc summæ honestatis insigne, hanc totius probitatis vnicam fidámque custodem custodiri à vobis firmiter hortor, & precor.*

Perseuerantia donum est Spiritus sancti eximium.
e in lib. de bono perseuerantiæ.
f Sess. 6. can. 16.
g ep. 129.
h Matth. 10. 22. c. 24. 13.

Prouehar longiùs, si de perseuerantiæ virtute differam, & refert plurimùm tamen hanc altè infigere. *Memores simus*, iuxta monitum CHRISTI[i],

i Luc. 17. 32. & Gen. 19. 26.

vxoris

vxoris Lot, & hoc ad perseuerandum sale condiamur, vt etiam admonent ad hoc propositum Rupertus [a], & Augustinus [b]: induamus nos *talarem vestem*, vt Ioseph, quam Gregorius [c], & Ambrosius Ansbertus [d] de perseuerantia interpretantur, *coram facie ambulemus, nec reuertamur cum ambulamus, exemplo animalium mysticorum* [e].

a 6. in Gene. c.12.
b 16. de Ciuit. c.10.
c Hom. 15. in Euang. & 1. Moral. c. vlt.
Retrò non aspiciendum.
d in cap. 2. Apocalypsis.
e Ezech. 1.12.

Orpheus Eurydicen ab inferis reducturus, conditionem à Dite accepit, ne retrò aspiceret [f]:

Hanc simul & legem Rhodopeius accipit Orpheus,
Ne flectat retrò sua lumina, donec Auernas
Exierit valles, aut irrita dona futura.

f Ouid. 10. Metamorp.

sed quoniam non præstitit quod impositum fuerat, voti compos non est effectus:

— auidúsque videndi,
Flexit amans oculos, & protinus illa relapsa est.

B Scitè Augustus illi, qui in expeditione notabili cicatrice in fronte deformis à saxo, quo percussus erat, sua tamen nimiùm opera iactabat, dixit: *At tu cum fugies, nunquam post te respexeris* [g].

g Macrob. 2. Saturnal. c.4.
Quid sit animal cum cauda immolare.

Rursum Gregorij [h] tropologia est eôdem spectans de victima immolanda cum cauda: *In cauda quippe finis est corporis, & ille*, inquit, *bene immolat, qui sacrificium boni operis vsque ad finem debita perducit actionis.* Denique, *Væ his qui perdiderunt sustinentiam* [i], *quia infirmata in bonum habitat in amaritudinibus* [k]. Legendus adhuc Bernardus in epistola [l], qua Guarinum Abbatem non ad perseuerantiam modò incitat, sed vt etiam in melius semper proficiat, & Basilius in Regulis [m].

h suprà.
i Eccli. 2.16.
k Mich. 1.12.
l epist. 253.
m Reg. 275. ex breuiorib.

Versus 24.] Quia erat vir bonus, & plenus SPIRITV sancto, & fide. Et apposita est multa turba Domino.

QVIA *erat vir bonus.*] Consultò Barnabas adeò laudatur, tum propter alacrem illam, ac liberalem facultatum suarum abdicationem, de qua capite quarto [n], tum vt minimè indignus intelligatur, qui sit posteà cum Paulo Apostolus ordinatus [o]: non autem quòd in sortitione cum Mathia sors super eum non ceciderit: neque enim idem est Barnabas, & Barsabas, vt pridem dictum est [p], & hoc etiam loco annotat Scholastica Historia.

n vers. vlt.
o Act. 13.2.3.
p cap. 1.23.

Docet autem Oecumenius DEVM solum bonum esse naturâ [q], & vt principium ac fontem bonorum, hominem virtutis assumptione (adde per gratiam (*atque hoc sensu*, inquit, *alibi dicitur etiam à* CHRISTO *ipso bonus homo* [r]; & *seruus bonus* [s]: potuit dicere & de aliis rebus multis, quæ vocantur etiam bonæ in Scriptura. Eandem responsionem Arrianis dabant Patres, cùm illi inde probarent CHRISTVM non esse DEVM, quasi videlicet se negasset bonum, solique id epithetum DEO tribuendum affirmasset: præsertim Basilius [t], Epiphanius [u], Cyrillus Alexandrinus [x], Ambrosius [y], Augustinus [z]. Exemplum est in Apostolo, cùm ait, quòd *solus* DEVS *habet immortalitatem* [a], cùm constet & Angelos, & animos nostros esse immortales, etiam naturaliter, hoc est, ex internis principiis, non ita tamen quin à suo creatore DEO redigi in nihilum possint, vt proinde quòd persistant, & non annihilentur, DEI liberalitas quædam, gratiàque censeatur, quemadmodum Plato [b] de hac re DEVM loquentem inducit.

Nemo bonus naturâ præter Deum homo per gratiam.
q Luc. 18.19.
r Matt. 12.35.
s infrà 25.21. 23.
Quomodo dicatur solus Deus esse bonus, explicatur.
t ep. ad Amphilochium.
u Hæresi 69.
x 2. Thesau. c. 1.
y in Luca c. 18.
z 1. cōtra Maximinū c. 23.
a c. 1. Tim. 6. 16.
b in Timæo.

Plenus SPIRITV *sancto & fide.*] Huiusmodi plenitudo quid sibi velit, aliàs declaratum est. Existimarim hoc loco bonitatem sumi pro facilitate, atque mãsuetudine, vocabatur quippe Barnabas filius consolationis [c]: plenitudinem SPIRITVS sancti pro zelo, & charitate diffusa in corde ipsius: plenitudinem fidei pro dono eximio ipsius, vno de SPIRITVS sancti fructibus [d] cum aliis necessariis ad fidem profitendam, & docendam, vt sunt genera linguarum, interpretatio sermonum, &c.

c Act. 4.36.
Quid hic sit Spiritu sancto plenum.
d Galat. 5. 23.

Tanta certè fuit Barnabas oris maiestate, vt pro Ioue quandoque habitus sit [e]. Doctori necessaria est lætitia, hoc est, suauitas conuersationis, & orationis, Spiritus rectus prudentiæ, sanctus temperantiæ, & omnis sanctimoniæ, principalis zeli, *qui sit fortis vt mors, atque infernus* [f]. Has quatuor conditiones postquàm Dauid postulauit à DEO, & impetrasse se sensit, magno animo ausus est polliceri [g]: *Docebo iniquos vias tuas*, certus etiam se persuasurum, *& impij ad te conuertentur. Hoc est verbum* DOMINI *ad Zorobabel* (cuius etymologia est, *Magister confusionis*, id est, iniquorum [h]) *dicens non in exercitu, nec in robore, sed in* SPIRITV *meo* [i].

Barnabas cur pro Ioue habitus est.
e Act. 14.12.
f Cant. 8.6.
g Psal. 50.15.
h Hieron. in c. 1. Aggæi.
i Zach. 4.6.

Sed ante omnia idem Dauid flebiliter peccata sua in conspectu DEI pœnitudine redundans vbi exposuisset, seipsum peccatoribus exemplum proposuerat. Hoc nimirum est *bibere aquam de cisterna sua* [k], *vt tunc deriuentur fluenta, putei, fontésque ipsius foras, & in plateis aquas diuidat; dummodo has primò habeat solus, nec sint alieni participes*, id est, opere exequatur, ac impleat, quod alios docere vult, aut certè inde gloriam inanem non captet, vt explicat Gregorius [l].

David se peccatoribus exemplum præbuit.
k Prou. 5. 15. 16.17.
l Homi. 12 in Ezech.

Ionas doctoris typus videtur. Columbam significat nomen eius, propter mansuetudinem. Vult quippe CHRISTVS in prædicatore hanc simplicitatem columbinam [m]. Est filius Amathi, id est, Veritatis meæ, veritatem enim à DEO acceptam prædicare debet, non suas adinuentiones: mittitur, ac inuitus quidem: non oportet námque vt quis non missus currat [n], ac se ingerat. De Pastoris mansuetudine, humilitate, amore, lege Gregorium [o], Basilium [p], Augustinum [q] & quæ capite vigesimo [r] asseruntur.

Ionas Doctoris typus.
m Matth. 10. 16.
n Ierem. 23. 21. & Ezech. 13.6.
o 2. p Pastor. c.4. & 8.
p Reg. 10. & 43 ex fusis.
q de moribus Eccl. c. 31.
r vers. 27 31.

D Antequàm portò hinc abeo, mittendi in priore versu vocabulum me admonet, atque quoniam Barnabam nunc missum vidimus Antiochiam, vt nonnihil attingam de missionibus, quas Societas nostra ex proprij ratione instituti frequentat. Hæ sunt ceu quædam huc illúcque excursiones eorum militum, qui auxiliares & subsidiales appellantur, leuísque armaturæ, & præstò sunt in tempore discriminis, vt alios certa dispositos sede labantes confirment, hostem excipiant erumpentem, omni negotio adsint, suáque, quod sæpe fit, fide ac diligentia ita se gerant, illis vt victoria referri possit accepta; de quo genere militum sæpe Liuius, & Vegetius, & in opere de Militia Romana noster Valerinus [s].

Missiones nostræ Societatis quæ.
s lib. 5. c. 2.

E Apostoli hoc militiæ genus spiritualis videntur sibi potissimùm sumpsisse. Nam Petrus quidem, vt capite nono vidimus [t], *pertransibat vniuersos*, Paulus, Barnabásque inter se veluti cohortantes dicebant [u]: *Reuertentes visitemus omnes Ecclesias.* Idipsum agebat à Paulo missus Timotheus, vt confirmaret Thessalonicenses [x]: idem Titus apud Corinthios [y]: Idem rursum Paulus cum Sila *perambulans Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum* [z]: id cum eodem Sila Iudas Antiochiam missi ab Apostolis [a]. Hoc poterant Apostoli per seipsos toto orbe facere, & per alios quos ipsi mitterent.

Apostoli similes discursiones fecerunt.
t vers. 32.
u Act. 15.36.
x 1. Thess. 3.2.
y 2. Cor. 7.6. & seq c. 8. 6. c. 12.18.
z Act. 15. 40 41.
a Act. 15.27.

hæc modò potestas residet apud Episcopos in suis diœcesibus, & apud Romanum Pontificem vbique, cui Societas quarto se voto sanctè obligat, dum professionem emittit, vt ad nutum ipsius quolibet mittatur etiam inter Hæreticos, Turcas, & Infideles, absque cunctatione, & sine viatico, si sit opus, proficiscatur: qua ex re non spernendi in Ecclesiam, iuuante DEO, fructus extiterunt; obstupescentibus præsertim Barbaris, & auaritiæ sordes, omnísque lucri desiderium abesse, & omnem libidinis sinistrum rumorem. Tractat hoc argumentum in opere de procuranda Indorum salute Iosephus Acosta[a], demonstrans vtilitates, & cautionem, quæ adhibenda est, quámque nos certis propriisque præscriptam legibus habemus.

Quarti voti Societatis obligatio ad quid pertineat.

a lib. 5. c. 21. & sequentibus.

Et apposita est multa turba Domino.] Vel repetitio est eius, quod anteà[b] dictum est de multo numero credentium conuerso ad Dominum: vel potiùs, vt placet Glossæ interlineari, sermo de illis aliis est, qui opera Barnabæ plures præter illos conuersi sunt.

b vers. 21.

Versus 25.] Profectus est autem Barnabas Tharsum, vt quæreret Saulum.

PROFECTVS *est autem Barnabas.*] Intercedebat inter vtrumque magna familiaritas, vt vidimus capite nono[c], & Barnabas præda, quam fecerat Antiochiæ, allectus, adiungere vult strenuum socium, vt eam adhuc maiorem faciant. *Venit Barnabas*, inquit Chrysostomus, *ad athletam, ad ducem belli, ad certantem singulari duello, nec habeo quo nomine digno vocem illum: venit ad canem venaticum leones occidentem, ad taurum fortem, ad facem claram, ad os orbi sufficiens.*

Familiaritas magna inter Paulum & Barnabam.
c vers. 27.

Pauli laudes.

Præterea obseruat ipse, & cum eo Oecumenius, non scripsisse Paulo Apostolos, quoniã nondum viri sciebant virtutem. Hoc si esset, non venisset Paulus Ierosolymam, & à Barnaba ad Apostolos *adhuc non credentes esse Discipulum, & timentes eum*, deductus non esset[d]: aut certè nondum satis testata erat virtus eiusdem, & in diuinis operibus, vsque sermonis facultas, & tamen multi anni abierant à missione illius de Ierusalem Tharsum, & aduentum Antiochiam: quo tempore, quid ibi fecerit, Lucas tacet, sicut & de triennio, quo fuit in Arabia[e]. Profectò non dubitassent Apostoli eum admittere in Ierusalem, quem iam scissent Antiochiæ prædicasse.

d Act. 9. 26. 27.

e Galat. 1. 17. 18.

Versus 26.] Quem cùm inuenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ Discipuli, Christiani.

ET *annum totum conuersati sunt ibi.*] Creuit mirabiliter per id spatium fidelium numerus operâ Barnabæ, & Pauli: sed huius potissimùm, & quia nullum Antiochiæ tunc erat à persecutione impedimentum, Paulo imputat Chrysostomus, quòd ob tantam multitudinem, CHRISTO aggregatam, cœperit Antiochiæ nomen Christianum: & eius ciuitatis laudem esse affirmat, quòd prima omnium illo ore frui cœperit, iámque non tria millia recenseantur, vt priùs[f], non quinque[g], sed indefinitè tanta multitudo. Pro *annum totum conuersati sunt*, Græcè est, ἐγένετο δὲ αὐτοὺς ἐνιαυτὸν ὅλον συναχθῆναι, *Contigit*, seu *factum est annum totum aggregari*, quod Syrus ita exponit: *Totóque anno simul congregabantur.* Ecclesiæ verò nomen significat vel concionem, ac multitudinem hominum, vel locum, in quem conueniebant. Sed de hoc nomine aliàs dictum est[h].

f Act. 2. 41.
g cap. 4. 4.

Ecclesia nomen quid significet.

h Act. 2. 11.

Ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ Discipuli Christiani.] Priùs dicebantur tantùm *esse de via illa*, inquit Chrysostomus. Non, opinor, sic loquebantur fideles, quos vidimus vocatos fratres, ac Discipulos, quod hîc etiam nomen ponitur, sed tantùm illo modo semel hactenus reperimus vsum Lucam, cùm ageret de Saulo *persequente huius viæ viros ac mulieres*[i]. Placet quod ait idem Doctor, & Glossa etiam ordinaria, nomen impositum crescente multitudine pro aliarum more sectarum, quæ dum crescunt, nomine item proprio insigniuntur; *Sicut Platonici à Platone, ita & Christiani à* CHRISTO, vt ait Lyranus. Placuit eadem causa Cyrillo Ierosolymitano[k]: nec aliud voluit Athanasius[l], cùm dixit, *discrimen statuendum fuisse à tam multis aliis nouorum dogmatum sectatoribus, qui sectatores suos, discipulos etiã appellabant, eodem scilicet nomine, quod fidelium priùs quasi proprium erat.*

i Act. 9. 2.

k Catech. 17.
l Disput. con. Arium.

Quod addit instituto id factum Apostolorum Antiochiæ conuenientium, primùm non constat an id propriè Apostoli instituerint, immò vtrùm ab aliis fidelibus ex Iudaismo conuersis, aut ex Gentilitate credentibus, aut ab infidelibus, vt rectè monet Carthusianus: ex quibus opinionibus Scholastica Historia tertiã sequitur. Meminimus superiùs[m] Canonis concilij Apostolorum Antiochiæ celebrati de isto nomine: sed diximus quoque, videri prorsus post hæc tempora contigisse.

Qui hoc nomen dederint.

m vers. ...

Vndecunque institutio manarit, ex noua impositione nominis idẽ Athanasius[n] colligit contra Arrianos, necnon Augustinus[o], fas esse noua alia nomina excogitare, ad res alias denotandas, prout occasio tulerit. Mihi non displicet vt nullo certo auctore inaudiri primùm cœperit Christianorum nomen, ita vocitantibus Discipulos vel ipsismet inter se seu ex Iudæis conuersis, seu ex Gentilibus, vel Infidelibus, illos: tum verò posteà certo decreto stabilitum sit id nomen ab Apostolis. Quanquàm nec improbabile censeri debet quod ait Iacobus Pamelius[p], priusquàm Antiochiæ nuncuparentur primi inter Gentes Christiani (quos perperàm, vt aliàs notaui, quidam Christianos, vt & pro CHRISTO Chrestum nominauerunt) eodem nomine vocatos eos, qui crediderant in CHRISTVM, quoniam Tertullianus[q] prodidit Tiberij tempore nomen Christianum in seculum introisse. Quamuis video nomen Christianum pro doctrina & secta sumi posse, quæ profiteretur CHRISTVM, licèt nondum denominaretur à CHRISTO.

n supra.

o Tract. 97. in Ioan.

p in Apolog. Tertull. ca. 4. not. 17.

q Apol. c. 4.

Ignatius[r], & iam citatus Cyrillus[f] hoc interpretantur esse illud nomen nouum, quod ore Domini apud Esaiam[t] nominatum anteà fuerit, vt nobis imponendum. Alios Patres citat Leo Castro[u], ex quibus clariùs loquitur Eusebius[x], & Nazianzenus[y]. Eodem sensu accipi possunt alia verba DEI apud eundem Esaiam[z]: *Vocaui te nomine tuo; Meus es tu.*

r epistol. ad Magnes.
f Catech. 17.
t cap. 62. 2.
u ibidem.
x 2. de Demonst. c. 3.
y orat. de amore pauperum.
z cap. 43. 1.

Superest vt nomini respondeamus, vt admonet Nyssenus[a], Chrysostomus[b], Leo[c]. Primus vtitur exemplo simiæ, quæ saltatorem habitu alieno imitata, nuce obiecta currens ad illam, rediit ad ingenium: secundus vrget comparationem eius,

a orat. Quid nomẽ professio Christiani significet.
b Hom. in hunc locum.
Nomini Christiano ...
c Sermo. de Natiuit.

qui Principis nomen gerens cauet, ne quid eo nomine indignum gerat; quam ad rem facit expostulatio Alexandri Magni cum milite ignauo sibi cognomine: tertius præcisè dicit, quòd frustrà appellamur Christiani, si imitatores non sumus CHRISTI. Adde Saluianum [a], & Theofridum Abbatem [b]. Imitatio verò in vera doctrina consistit, & in bona vita.

Vnde quandoque Hæreticis Patres Christianum nomen denegant [c]; & sanè meritò, quoniam ipsi etiam denominari maluerunt à suo quique peruerso doctore, quàm à CHRISTO, vt notat Ambrosius [d]. Quocirca eleganter Augustinus [e] *dealbatos tantùm nomine Christiano eos dicit, & solo nomine Christianos* [f]: & Cyprianus [g] *Antichristos* nominat, cùm tamen ipsi à contrario hæretici *se maximè Christianos venditent*, vt ait Lactantius [h]. Eodem modo ante Cyprianum locutus fuerat Tertullianus [i], dicens prætereà *pelles ouium, sub quibus latet lupus, & à CHRISTO prædicta sunt* [k], *esse nominis Christiani in Hæreticis extrinsecus superficiem: & Christianum non intelligendum, qui ab Ecclesia grege aberrauerit* [l]. Lege Commentarios nostros in primam epistolam Ioannis [m].

Sed vt nihil dicam de malis Christianis, *qui fatentur se nosse CHRISTVM, factis negant* [n], etiamsi veram fidem retineant, quódque maioris distinctionis ergo ab Hæreticis, qui Christianum nomen conseruabant, Orthodoxi Catholici, & Ecclesia, extra quam sunt hæretici, Catholica dicta est, & tandem etiam Romana, quia nulla vnquàm hæresis labe maculata est, vt aliàs docui.

Concludendus hic locus Antiochensis laude Ecclesiæ, in qua si non prorsus primùm, certè inter Gentes, vt dixi, non priùs alibi viguit, auditúmve est nomen Christianum saltem tanquàm inditum Gentilibus. Ter duntaxat expressum legimus Christianorum nomen in Scripturis hoc loco, inferiùs cap. 26. [o] & priore Petri epistola [p]. Hoc nomine mirificè commendat Chrysostomus [q] Ecclesiam illam, vt quæ prima, tanquàm coronam admirabilem Christianorum tulerit appellationem: & propterea vniuerso præsideat orbi. Verum id est, (nisi exaggeratio sit) secundùm quid tantùm, ob dictum priuilegium nominis Christiani. Sic etiam concedo hanc fuisse nonnullam causam, cur, vt hoc loco ait Oecumenius, Pontificiam, Patriarchalémve Antiochia sedem obtinuerit: sed præcipuæ aliæ duæ fuerunt, tum quòd ibi Petrus sederit, tum præsertim, vt anteà docui [r], quoniam ea ciuitas inter orbis vrbes tertia erat.

Inculcat idem sæpiùs Chrysostomus [s]. Certè gloriandum nobis hoc nomine, & triumphandum, *Si quid patimur vt Christiani*, inquit Petrus [t], quod solum nomen, teste Iustino [u], & Tertulliano [x], *sufficiebat, vt reos constitueret*. Cyrillus [y] Alexandrinus citat ex eodem Propheta [z] secundùm editionem Septuaginta: *Qui mihi seruient, nomen nouum inter eos vocabitur; in terra benedicetur: benedicent enim DEVM verum.* Quem etiam locum Hilarius [a] interpretatur eodem pacto.

Suidas [b] nomenclaturam istam factam scribit sub Claudio Imperatore, cùm Petrus Apostolus Euodium Antiochiæ Episcopum designasset, vt vocarentur Christiani qui pridem Nazareni, & Galilæi dicti essent, Genebrardus [c] id affirmat contigisse anno post CHRISTI Passionem decimosexto, cùm adhuc imperaret Claudius, & ab eiusdem CHRISTI natiuitate quadragesimono-

a 1. de prouid. sub finem. b Ser. de veneratio. Sancto. Tom. 2. Bibl. Pat. *Hæreticis nomen Christianũ Patres denegant.* c Cypria. libr. 4. ep. 2. vel ep. 52. Athan. ser. 2. con. Arrianos. August. libr. de gratia CHRISTI. ca. 20. Hier. con. Luciferia. d Præfat. in 1. epi. ad Cor. & in c. 1. e 1. con. epist. Parm. c. 7. f Enchirid. c. 5. g libr. 1. epi. 6. vel 76. h 4. Inst. diu. c. 30. i de Præsc. hæret. c. 4. k Mat. 7. 15. l lib. de Pudi. m cap. 2. 18. n Tit. 1. 16. *Ecclesia Catholica cur Romana dicta sit.* *Antiochensis Ecclesiæ commendatio.* o vers. 28. p cap. 4. 16. q Homil. 3. ad populum. & hom. 7. in Mat. r c. 10. & 11. s Hom. 14. & 17. & 37. ad popul. t 1. Eph. 4. 16. u Apol. 1. & 2. x Apol. cap. 2. y li. 2. in Gen. & in c. 65. Esa. z c. 65. 16. a lib. 5. de Tri. *Quando sale nomen nobis est ordinatum.* b verbo, Christiano. c in Chron.

no. Sed quod Suidas tradit de Euodio, nescio quo pacto probare possit. Genebrardus [d] verò serius tempus videtur tradidisse, illud ipsum, quo Mater CHRISTI migrauit ex hac vita. Hanc appellat Cyrillus [e] Alexandrinus cũ nouo nomine recreationem in CHRISTO, nouámque creaturam: & vitam sanctissimam, omnibus carnis affectionibus liberam, omni macula terrena superiorem. Baronius [f] assignat annum quadragesimumtertium à Natiuitate, decimum à Passione, seu Ascensione. Tertullianus [g] prodit de tempore Tiberij, vt dixi; Ignatius [h], cùm Petrus, & Paulus fundarent Ecclesiam, non quòd Petrus esset tunc Antiochiæ, sed quia eius auctoritate fundata erat ibi sedes, & facta illuc missio.

Versus 27.] **In his autem diebus superuenerunt ab Ierosolymis Prophetæ Antiochiam.**

IN *his autem diebus.*] *Illo anno, quo Antiochia conuersati sunt Barnabas, & Saulus*, inquit Glossa interlinearis. De hac loquendi formula lege cap. 1. [i] Baronius [k] famem, quæ mox narratur, collocat in quadragesimo quarto CHRISTI anno, nempe inchoato, & secundo Claudij Imperatoris, licèt Eusebius [l], & Orosius [m] in quarto istius, necnon Historia Scholastica, & Gagneius, ex auctoritate Dionis Cassij [n], qui ex vrbis fastis Romanam historiam per singulos annos contexuit. Caietanus, qui consentit de famis tempore, vt sit secundus, aut tertius Claudij annus, negat certum esse, an fuerit sub Caio Caligula, vel Claudio aduentus horum Prophetarum, ac prædictio famis. Sanè fames aliquantò post prædictionem euenit, ac, vt quidem arbitratur idem Baronius [o], post necem Iacobi fratris Ioannis, & Petri vincula, diuisionem Apostolorum inter Gentes, & primum eiusdem Petri aduentum in Vrbem, etsi Lucas posteriùs meminerit de cæso Iacobo [p], & Petro [q] carcerato ex occasione Agabi.

Prophetæ.] Habuisse Prophetas Ecclesiam, docui capite secundo [r], & quo sensu dixerit CHRISTVS *legem & Prophetas vsque ad Ioannem fuisse* [s]; quod hîc etiam subnotat Oecumenius.

Addit insuper, ne ob Christianismum crederetur facta fames (omnes autem clades à Christianis prouenire, dictitabãt Gentiles, vt aliàs monui) illam prædici voluisse SPIRITVM sanctum per Prophetas. Chrysostomus eòdem alludit, cùm ait, *eo modo non fuisse onerosos Doctores illos alios, qui famem ipsi non denunciarunt*: qui Doctores etiam cùm non adeò clari fuerint, vtpote nullus ex Apostolis, *laudandi*, inquit, *Antiochenos, quòd sine indignatione tam auidè sermonem arripuerint.* Existimat quoque, vtili quadam dispensatione accidisse, vt eò Prophetæ descenderent, quoniam ibi fructum eleemosynæ plantari oportebat.

Verisimile est, diuino instinctu Prophetas hos contendisse Antiochiam ad subsidium fratrum, qui erant in Iudæa, vel etiam submissos ab Apostolis ad illustrandam magis, confirmandámque neophytam ex Gentilibus numerosam Ecclesiam: illi enim præcipuè sapientiam quærebant, sicut Iudæi signa [t]: exquisitæ verò cuiusdam sapientiæ est vaticinari: & cùm ab eisdem Gentilibus eloquentia magni fieret, linguarum donum rectè illis initiis communicabatur.

d in Chron. e suprà. f Tom. 1. Ann. g Apol. c. 4. h ep. ad Mag. *Fames, de qua hic, quando contigit.* i vers. 15. k Tom. 1. An. l in Chron. m lib. 7. c. 6. n lib. 60. o suprà. p Act. 12. 2. q ibid. & seq. r vers. 17. s Mat. 11. 13. *Cur famem hãc Christiani prædixerint.* *Cur Prophetæ in Antiochiam venerint.* t 1. Cor. 1. 22.

Versus 28.] Et surgens vnus ex eis nomine Agabus, significabat per SPIRITVM, famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.

SVRGENS.] Iam aliquoties quid hoc sibi verbum velit, expositum est.

a vers. 10.
Agabus Propheta Michæa similis.

Agabus.] De eodem mentio est capite 21. [a] obeunte Cæsaream, & vincula prædicente iniicienda Paulo. Videtur alter Michæas prophetans mala: aítque Beda, etymologiam nominis esse. *Nuncius tribulationis*: alij tamen *locustam* interpretantur. Ponitur solemnis memoria ipsius in Martyrologio [b], dicitúrque Antiochiæ quieuisse. Putat Dorotheus [c] è septuaginta Discipulis fuisse: Petrus de Natalibus [d] patria etiam Antiochenum: sed argumentum illius ex isto capite nihil efficit: contrarium potiùs innuit, cùm vnus scribatur ex Prophetis fuisse, qui superuenerant Antiochiam: alioqui cur non Cæsariensem affirmare possumus, cùm, vt dixi, Cæsaream quoque obierit?

b 1. Februar.
c in Synops.
d lib. 3. ca. 118.

Significabat per SPIRITVM, *famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.*] Græcus, Syrúsque textus addunt nomen *Cæsaris*. Quoto eius anno fames acciderit, priùs dixi.

Chronologia ratio per Consules & Imperatores diu in Ecclesia retenta.

Vbi etiã obiter notari potest, diu Chronographiæ rationem per Imperatores, & Consules in Ecclesia retentam: quæ etiam præsertim per Consules, certior videtur, ex qua annorum numerus, qui errori magis obnoxius est, ob numeri notas, fixiùs iniri potest. Omitto dicere, vt veteres Romani ab Vrbe condita annos supputabant, ita nonnullos Christianos ab ædificatione Romanæ Ecclesiæ supputasse [e].

e in Gestis Agapeti apud Baron. Tom. 7. Annal. an. 536.
A Christo quando supputari anni cœperint.
f lib. de Diui. lect. c. 23.
g lib. de Tẽporatione. c. 45.

Præterea sub annũ CHRISTI quingentesimũ vigesimũséptimũ à Dionysio, cui cognomen Exiguo, quémque miris laudibus effert Cassiodorus [f], prætermissis Consulibus ac Imperatoribus, Olympiadibus, ac Indictionibus, à CHRISTI Incarnatione annos numerari cœptos. Testatur id Beda [g], *Cùm priùs*, inquit, *Græci calculatores à Diocletiano, qui ita fieri præscripserat, annos computarent.* Alexandrina verò cum Ægypto Ecclesia memoriam horrens persecutoris, à Martyribus, qui sub eo passi sunt, annorum computum deriuarunt, vt videre est in literis Patriarchæ Alexandrini ad Clementem VIII. [h]

h apud Bar. in Apend. Tom. VI.
Famis caussæ.

Iam verò quod attinet ad famem, habet hæc frequenter causas ex siccitate, largiore imbre, vredine, rubigine, æstu intempestiuo, frigore conquerente, vt Plato loquitur [i], ea tamen etiam DEVS clade plerumque scelera punit [k]; cuius animaduersionis obseruant Hebræi ex Thargo Ruth nouem exempla.

i in Axiocho.
k Deut. 28. 20. 2. Reg. 21. 1. Ezech. 14. 12. 21. Leu. 26. 16. Os. 2. 9. 12. ca. 8. 7. Psa. 106. 33. 34. Prou. 3. 33.
Nouem fames, iuxta Thargum duces celebres.
l Gen. 3. 1. 17.
m Gen. 4. 11.
n Gen. 12. 10.
o Gen. 26. 1.
p Gen. 42. 5.
q Ruth 1. 1.
r 2. Reg. 21. 1. 3. Reg. 18. 2. 4. Reg. 6. 25.
s in Flagello Academ. pec catorum Gallicè edito. lec. 1.
t Fer. 2. post 3. Dom. Quadragesimæ.

Nam primam famem fuisse volunt viuente Adamo, fortasse ob maledictam terram à DEO [l]: secundam propter parricidium Cain [m]; quod enim dicitur ei: *Maledictus eris super terram*, Septuaginta vertunt, *à terra*, id est, Terra tibi maledicet, & sterilescet tibi, cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. Tertiam sub Abraham [n]: quartam sub Isaac [o]: quintam sub Iacob [p]: sextam, sub Ruth [q]: septimam, octauam, & nonam, quæ narratur in Historia Regum [r]. Colligit Philippus Bosquierus [s] alias non paucas fames, quæ auctore DEO mundum vexarint magnis implicitum flagitiis. & Mauritius Hilaretus [t].

Chrysostomus, & Oecumenius dicunt, famem à DEO immissam propter mala, quæ aduersùs Apostolos fiebant à Iudæis, ita vt nempe magis sæuiret in Iudæa, quæ alioqui vniuersalis futura erat. Nam quod Martinus Cantapetrensis [u] ait, per Synecdochen intelligi solam Iudæam per orbem vniuersum, quicquid sit de similibus aliis phrasibus, quæ ita alibi accipi debeant, repugnat non modò iam citatis Patribus, verùm etiam profanis Historicis, qui de fame ista sub Claudio meminerunt, vt Dio [x], & Suetonius [y], Mentionem verò prætereà facit Regiæ magnificentiæ erga Iudæos Helenæ Adiabenorum reginæ, & Izatis filij ipsius Iosephus [z], & Orosius [a] (etsi hic illos ad Christianam fidem, ille ad Iudæorum religionem conuersos velit) & Eusebius [b], & Hieronymus [c].

Cur hæc fames à Deo immissa.
u lib. 4. Hypotypos. c. 1.
x lib. 60.
y in Claudio c. 18.
z lib. 20. Antiq. c. 2.
a lib. 7. c. 6.
b 2. Hist. c. 12.
c epist. 27.
Fames malorum gravissimum.

Grauissimum, & ineluctabile malum fames,
Λιμὸς μέγιστον ἄλγος ἀνθρώποις ἔφυ,
Λιμῷ γὰρ οὐδὲν ἔστιν ἀντειπεῖν ἔπος. inquit Menãder.
Fames est maximus angor hominibus;
Fami enim nihil obluctari potest.

Describit viuis, & egregiis epithetis præter Ouidium [d], quo nihil in hoc genere elegantius, & alios, famem Basilius [e]: sed qui summum malorum vocat omnium, nihil est quod addere queat. Ita quidem Homerus [f];

d 8. Metamorphos.
e orat. de fame, & siccitate.
f Odyss. 12.

Πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι:
Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν.
Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis:
At perisse fame, res vna miserrima longè est.

Eodem modo Cicero [g], & Ammianus [h], & Vegetius [i], & plures loquuntur, & lamentator Propheta [k]: *Melius fuit*, inquit, *occisis gladio, quàm interfectis fame.* Denique lenta mors hæc, luem pestis trahit secum, propter cibos, quos qui famescunt, insalubres, malíque succi sumunt, vt experimento compertum est, & tradunt Medici, Galenus præsertim [l]. Non in re minùs, quàm in voce affinitas est inter λιμὸν, & λοιμὸν, famem & pestem. Hac ipsa de re dictum cap. 7. [m] vnde nunc nonnulla transtulimus.

g 5. lib. ad Atticum ep. 21.
h li. 19. & 25.
i lib. 4. c. 1.
k Thren. 4. 9.
l lib. de bõis Euchymiis.
m versu 11.

Versus 29.] Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus.

IN *ministerium.*] Εἰς διακονίαν. Syrus, *subsidium.* Vocatur collecta, vt est idem quod eleemosyna (quandoque enim significat collationem, siue conuentum, sicut Græca vox συνάξις) vel oratio facta per collectam multitudinem, aut dum colligitur, vt procedat de vna Ecclesia in aliam ad stationem faciendam: illa quoque præsertim oratio quæ breuior est, & in qua veluti fungens legatione sacerdos ad DEVM pro populo, petitiones omnium compendiosâ breuitate colligit, & concludit, siue eleemosynæ ministerium hoc loco, & alibi [n], quasi qui eam vel faciant, vel deferant, ministrent, ac seruiant, facientes quod debent, & facere debentes cum humilitate. Alioqui ministerij nomen, & ministrandi verbum generalius est, & dicuntur ministrare ij etiam qui cibos parant, aut paratos in mensam afferunt, vt Angeli CHRISTO, in deserto [o], & herus fidelibus seruis [p].

Collecta quid sit.
n Philip. 2. 25. Rom. 12. 7. 15. 25. 2. Cor. 8. 4. & 9. 1. 12. 13. Hebr. 1. 14. & alibi.
o Matth. 4. 11.
p Luc. 12. 37.

Maiore laborabant inopia Christiani, qui erant in Palæstina, siue Iudæa, vt proximè sequentia verba indicant. Nam eiecti ab Ierusalem post necem Stephani, bona, si quæ supererant, ami-

Cur Christiani in Iudæa maiore inopia laborarent.

ferunt, vt fortasse innuunt verba epistolæ ad Hebræos [a]: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*, & alia prioris ad Thessalonicenses [b], *Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum* DEI, *quæ sunt in Iudæa, in* CHRISTO IESV, *quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris sicut & ipsi à Iudæis.*

a cap. 10. 34.
b cap. 2. 14.

Mulctabant fortasse Iudæi, vt etiam Gentiles, posteà eos, qui CHRISTO seruiebāt, iudiciali sententia, vt in Anglia tamdiu factum deploramus, vel nullo expectato iudicio ea rapiebant, vt præter alios meminit ex epistola quadam Melitonis Episcopi Sardensis in Asia Eusebius [c]. Digni erant primi illi in Iudæa Discipuli, quibus communi aliorum omnium benignitate succurreretur, cùm, vt succurrerent communitati, tam benignè ipsi, liberaliterque sua omnia distraxerant [d].

c lib. 4. Histo. c. 25.
d Act. 2. & 4.

Peruetus mos fuit, ante tempora etiā CHRISTI, vt Iudæi Synagogarum, ac totius orbis fouerentur (vt cum Hieronymo [e] loquar) ministeriis: etenim M. Tullius [f] prodit, Flaccum iussum causam dicere, quòd in Asia vetuisset, ne Iudæi collectam pecuniam deferrent in Ierusalem. Immò verò existimauit Petrus Comestor [g] in festo cœtus, siue Collectarū, quod celebrabāt Iudæi die octauo post festum Tabernaculorū, hoc est, vigesimosecundo Septembris, colligi solitam pecuniam in vsus pauperum. Quanquàm & de expensa solùm cultus diuini B. Thomas [h], Lyranus [i], Abulensis [k], & Steuartius [l] intellexerunt: & Paulus Burgensis [m] de omni prorsus collectione pecuniæ negat, necnon Ribera [n], inter alias rationes, quia habet idem nomen septimus dies azymorum: & collectio pecuniæ ad sumptus templi fiebat in omni terra promissionis primo die tantùm duodecimi mensis, hoc est, Februarij: & festum illud cœtus, seu collectæ erat, quo relictis tabernaculis omnes in tabernaculum, aut templum conueniebant, gratias DEO relaturi per solemnia sacrificia, ob aduentum in terram promissionis post peregrinationem quadraginta annorum: sicut & dies vltimus azymorum nomine eodem dicebatur, quia omnes post exitū de Ægypto cōuenerant in eundem exercitum, & mare transierant: & postremò quoniam pro voce Hebraica עצרת *hhotsereth*, in Leuitico interpretes Septuaginta posuerunt, ἐξόδιον, quæ vox significat *exitum*, ac *finem*, & præterea *canticum*, quod è scena exeuntes histriones canebant, vt scribit Liuius [o], aliíque apud Auctorem Thesauri Græci, qui ostendit à Latinis etiam Scriptoribus vsurpatum: quę significatio quadrat, vt Theodoretus [p] insinuat, duabus dictis magnis solemnitatibus, quas reuertentes Iudæi in vrbes suas, celebri claudebant actione.

Iudæi Synagogarum ac totius orbis fouebantur ministeriis.
e con. Vigil. fort. pro Flacco.
g in Hist. libri Num. c. 47.
h 2. 2. q. 102. a. 4. ad 10.
i in c. 23. Leu. k ibid. q. 26. & 27.
l in 1. epist. ad Cor. c. 16.
m in Addi. ad Leuit.
n 5. de Tem. c. 15.
Festiuitas siue collectæ quale esset.
o lib. 7.
p q. 11. in Leuit.

De illa porrò per orbem totum pecuniæ à Iudæis facta collectione, quam ætate adhuc Hieronymi viguisse dixi, cauit Honorius Imperator [q] ne fieret: deinde autem restituit [r]. Iunior verò Theodosius collectam seu exigi solitam in Occidentalibus prouinciis, sibi vendicauit [f].

q C. Theodos. de Iud. lib. 4.
r ibid. l. 15. & 17.
f ibid. l. vlt. & C. Iust. de Iudæis l. 16.

Sed redeundum ad Christianos. Paulus [t] de indicta à se Corinthi collecta, atque in Macedonia, quæ fieri deberet *per vnam Sabbati*, hoc est, die Dominica, mentionem facit scribens Corinthiis, ac de iam etiam indicta Ecclesiis Galatiæ. Tenuit diu hoc institutum, vt testantur Sermones Papæ Leonis [u], de collectis, siue per collectam, qui nominatim asserit esse instituta Apostolica, & exprimit diem Dominicam [x]. De eadem die, ac de antiquo vsu, quem exoletum dolet, restitutúmque vult, disserit quodam Sermone Chrysostomus [y]:

Paulus collecta Corinthiis indicit, & aliis.
t 1. epi. 16. 1. 2.
u Ser. 2. 3. 5.
x Serm. 5.
y Ser. de elee. & collat.

A tum præterea de Gazophylacio posito in Ecclesia, in quod oblatæ pecuniæ conderentur: quam, de re eadem loquens Cyprianus [z], Hebręo vocabulo corbonam appellat, & Paulinus [a] mensam, & Tertullianus [b] arcam, notans item menstrua die, id est, semel in mense, datam huiusmodi stipem ab vnoquoque vel cùm vellet, si modò vellet, & si modò posset, & tam ipse, quàm citati alij, & Iustinus [c] (qui quod colligeretur, deponi sóditum apud Præpositum ait) indigentium solis vsibus collectam pecuniam cessisse confirmāt, & ante hos omnes Clemens Romanus [d] vtens nomine τῆς λογίας.

z de operibus & eleemos. a epist. 12. b Apol. c. 39.
c ora. ad Ant. Pium.
d lib. 4. const. c. 8.

B Inde nata consuetudo in Missa offerendi præcipuè die festo, idque denotat particula Missæ, quæ vocatur OFFERTORIVM, vt tradunt Innocentius III. [e] & Rabanus Maurus [f], & alij, qui scribunt de Diuinis, Ecclesiasticísque officiis, & Ordo Romanus [g], & quos præterea citat Ioannes Stephanus Durantus [h]. Nomen illud Græcum, λογίας ἀπὸ τοῦ λέγειν, vt colligere significat, deriuatum est, & sumitur pro eo, quod, vt dictū est, conferebatur in Ecclesia, atq; colligebatur ad subleuandā tenuiorum inopiam. Cicero [i] *collectam*, inquit, *à conuiuis Crasso exigit*, hoc est, symbolum aut symbolam. Hesychius autē, & Suidas hæc omnia nomina synonyma faciunt, λογίαν, ἀλογίαν, συλλογὴν, ἐκλογὴν, ἐπιλογὴν, ἐλεημοσύνην, χαρποφορίαν: reperitur etiam interdum Latinitate donata eulogia pro pane benedicto, de quo aliàs meminimus.

Offerendi in Missa consuetudo vnde nata.
e 2. de Myst. Missæ. c. 53.
f 1. de instit. Cler. c. 33.
g de officio Missæ.
h 2. de Ritib. Eccl. c. 26.
i 2. de orat.

C Ceterùm si quæ noua necessitas existeret, cui consueta nō sufficeret eleemosynarum collectio, nouam Episcopus indicebat, vt pro Christianis redimendis Cyprianus [k] fecit, eiusque exemplo alij in Africa Episcopi: Augustinus [l] etiam ad liberandum ære obligatum alieno, ita tamen, vt, quòd antè dixi cum Tertulliano [m], spontè id ab offerentibus fieret, sicut & fieri solitæ in Missa oblationes, de quibus idem per se loquendo, nisi aliunde accedat obligatio ex promissione, vel Ecclesiæ necessitate, vel diuturni temporis consuetudine recepta, vel cēsu reseruatiuo fundi dati ab

Collecta noua ab Episcopo indici solita.
k epi. 60.
l epi. 215.
m Apol. c. 39.

D Ecclesia, docet B. Thomas [n], & Canonistæ in Rubricam de Parochiis, vt Ioannes Andreas, Panormitanus, &c. aut in cap. omnis de consec. dist. 1. S. Antonin. [o] aliíque Sūmistæ [p], & Ioannes Azor in Institutionibus suis [q]. Tunc verò cùm sunt spontaneæ oblationes, aut etiam ex sola consuetudine quod libet offerendi, integrum est cuiuis quidquid velit offerre, siue multùm, siue parum, iuxta consilium Tobiæ [r], & Apostoli [f], & Iudæorum exemplum in captiuitate Babylonica [t].

n 2. 2. q. 86. a. 1.
o 3 p. tit. 12. c. 11.
p ver. Decimę aut oblatio. & Nauar. in Mā. c. 21. n. 19.
q Inst. Moral. Tom. 1 lib. 7. c. 38. & c. 7. q. 11.
r c. 4. 8. 9.
f 2. Cor. 8. 11. 12.
t Baruch 1. 6.

E Suspicor loco voluntariarum oblationum fieri solitarum in Missa post offertorium, successisse, saltem in Italia, vt concionatores ad eleemosynam populum cohortentur, præsertim cùm iuxta veterem ritum habeatur concio, seu prædicatio post Symboli recitationem, vt ostendit Ioannes Stephanus Durantus [u], nosque aliàs docuimus [x]. Huc facere possunt, quæ præcedente capite tractauimus de hospitalitate, omníque genere piæ largitionis in pauperes, maximè autem Ecclesiæ Romanæ, cuius antiquam consuetudinem Dionysius Corinthius [y] fuisse memorat egentium toto orbe Christianorum subleuare inopiā: quod fecisse quoque Symmachum erga Africanos Episcopos exulantes in Sardinia septingentos quinquagintaquinque sub Hunnerico, & Thrasamundo Regibus Vandalorum, Paulus Diaconus prodidit. Testes eiusdem munificentiæ sunt tot Gre-

u 2. de Ritib. Eccl. c. 25.
x Præfat. ad Euang. Dom.
y apud Euseb. 4. Hist. c. 22.
Ecclesia Romana consueuit egētium toto orbe subleuare inopiam.

gorij

gorij epistolæ: testes tam multæ hospitales in Vrbe ædes cum reditibus pro remotissimarum hominibus prouinciarum: testis in eadem vrbe magna, minor, vt ita dicam, vrbs Leonina, quam Leo IV. excitauit, receptaculum eorum, qui è Corsica insula, aut aliunde Saracenorum metu profugissent [a]: testes adeò diuersarum nationum adolescentes certis in collegiis Romæ, & suismet in regionibus ad pietatem, doctrinamque instituti, magnificentia præsertim Gregorij XIII. quem ferunt prætereà quotannis aureorum septuaginta millia in egenos erogasse; exceptis largitionibus extraordinariis in externos. Scripsit, vt anteà monui, Laurentius Villauincentius libros tres de Oeconomia sacra circa curam pauperum, probās contra perniciosum librum in Hæreticorum sanè officina scriptum, & cusum, pertinere curam illā per se ac maximè non ad politicū, sed ad Ecclesiasticum Magistratum.

Vrbs Leonina ad quid instituta.

a Platina, & alij.

Habitantibus in Iudæa fratribus.] Id quod priùs dixi de sæuiore in Iudæa fame, præsertim in Discipulis, qui se suis rebus pro CHRISTO, & aliorum subsidio abdicauerant, & à Iudæis odio fidei spoliati quoque fuerant, obseruant hoc etiam loco Glossa ordinaria, & Lyranus: hic verò prætereà infert, peculiari quodam vinculo teneri fideles diuites iis, qui propter CHRISTVM omnia reliquerunt, subuenire. Et sanè ita est, videturque non solùm charitatis officium, sed iustitiæ quoddam debitum id exigere, vt qui se spontè ad paupertatem redegerunt, & aliis de rebus suis benignè fecerunt, iisdem rependatur vnde viuant. Rectè Hieronymus [b] huc aptat Lucæ locum [c]: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, quoniam conuenire vulgaribus pauperibus non ita possit, inter quorum pannos, & illuuiem corporis flagrans sæpe libido dominatur, & nec præsentia possidentes, nec futura, non habent æterna tabernacula; sed pauperibus spiritu; de quibus scriptum fit [d]: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*; quoniam in vulgi pauperibus sustentandis, nequaquàm intellectu, sed eleemosyna opus sit: *In sanctis pauperibus*, inquit, *beatitudo est intelligentia, vt ei tribuat, qui erubescit accipere, & cùm acceperit, dolet, metens carnalia, & seminans spiritualia* [e].

Fideles diuites in peculiariter subuenire tenentur, qui pro Christo omnia reliquerunt.

b lib. con. Vigilan.
c cap. 16. 9.
d Psa. 40. 1.

Quæ verba vltima indicant aliam quandam rationem iustitiæ petitam ex labore, & opera, quam impendunt Religiosi in proximorum salute curanda. Exaggeratur hæc ratio non semel à Paulo *vtente comparatione operarij* [f]: qui *mercede dignus est* [g]: & agricolæ, *quem oportet primùm de fructibus percipere* [h]. Similem sententiam illi, quam ex Hieronymo recitauimus, habet Augustinus [i], tractans eundem locum Psalmi. Aliàs docui eleemosynam quandoque vocari in Scriptura iustitiam; posset hæc ad alias addi causa, respectu videlicet eorum, quos modò dicebamus.

e 1. Cor. 9. 11.
Religiosi, qui laborant in proximorum salute curanda, debent ex iustitia sustentari.
f 1. Cor. 9. 7. 13.
g Mat. 10. 10.
h 2. Tim. 2. 6.
i in Psal. 101. concio. 1. & 21. de Ciuit. DEI. c. 27.

Ceterùm Beda, & cum illo Glossa ordinaria putant non violasse nunc Discipulos Domini mandatum, quo ait [k]: *Nolite solliciti esse de crastino*: neque contra Pauli exemplum, quod sæpe de seipso posteà testatus est, *manibus suis operatum esse, ne quem grauaret* [l]; *non enim caueri ne quis humano more ista procuret, sed si quis propter ista DEO militet, & in operibus DEI non regnum DEI, sed istorum acquisitionem intueatur; cùm potius in istorum quidem prouisione regnum DEI cogitandum sit, & in militia regni ista cogitare non oporteat*. Hæc Beda. Colligitur verò id ex eo, quod CHRISTVS eam prohi-

k Mat. 6. 34.
l 2. Thess. 3. 8. 1. Cor. 4. 12. Act. 20. 34.

A bet duntaxat sollicitudinem, quæ à seruitute DEI hominem distrahit, &, vt loquitur Lucas [m], facit eum in sublime tolli, μετεωρίζεσθαι, id est, longa futuri sollicitudine suspendi, ac veluti philosophari de longè remotis, vt Astrologi, cùm de cœlo disserunt, quales illi, qui apud Iacobum [n] dicunt: *Hodiè, aut in crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus.*

m cap. 12.
n cap. 4. 13.

Certè CHRISTVS non est aduersatus præcepto suo, *qui cùm loculos haberet* [o], non modò in crastinum, sed in plures quoque dies sollicitudinem quandam habuit: frustrà prouocaret nos Salo-
B mon ad imitationem prouidæ, *sollicitæq; formicæ* [p]: nec *mulierem fortem à cura domestica commendare debuisset* [q]: non fuisset laudanda Ioseph prudentia solliciti in septennium [r]: nec debuisset CHRISTVS laudare *vt fidelem, ac prudentem familiæ præpositum, qui dare illi posset in tempore tritici mensuram* [s], cessare postremò deberent mechanicæ artes omnes, & operarum, seruitiorúmque labores, *& patris familias cura in thesaurizando pro filiis* [t].

Prouidentia à futuro non omnino vetita.
o Ioan. 12. 6. 13. 29.
p Prou. 6. 6.
q Prou. 31.
r Gene. 41.
s Luc. 12. 42.
t 2. Cor. 12. 14.

Cauendum ne *sollicitudo seculi suffocet semenem diuinam* [u]: ne si nimia sit, proficiscatur ex diffidētia aduersùs DEVM: ne præcedat, sed sequatur sollicitudinem regni DEI, *quod ante omnia quærendum est* [x]: ac tanti refert, vt illi vni seruiendum sit, *quo-*
C *niam duobus dominis seruire non possumus* [y], alia quæ velut ad cumulum adiiciuntur nobis, præ hac cura curare quodammodò non videamur, sed negligere, & flocci pendere.

u Luc. 8. 14.
Nimia sollicitudo futuri vetatur.
x Matth. 6. 33.
y ibid. 24.

Lege, quæ Paulus præcipit Timotheo, *vt præcipiat diuitibus huius seculi* [z]: quod vno verbo Dauid expressit [a], *ne ad diuitias cor apponant.*

z 1. Tim. 6. 17.
a Psal. 61. 11.

Quod Basilius [b] docet prohiberi tantùm sollicitudinem pro se, non autem pro aliis infirmis, & pauperibus, proposito non obest, solliciti enim erant Antiocheni pro illis, qui versabantur in Iudæa: sed CHRISTVS id non voluit, nec Basilius simpliciter velle potuit, qui sine dubio nec Pau-
D li manualem laborem ad sibi, suisque comparandum victum, nec aliorum vel Monachorum, vel quorumcumque potest non probare, sicut & Hieronymus [c] facit, & Augustinus [d], passimque alij, additque etiam Augustinus [e], *non prohiberi, vt asseruetur cibus in futurum.*

Basilius, docet prohiberi sollicitudinem pro se non pro aliis.
b Reg. br. 272. et alibi.
c in c. 6. Matthæi.
d de opere Monacho. et l. & alibi.
e Serm. in monte c. 17.

Proiicienda itaque sollicitudo in DEVM, cui cura est de nobis [f]. Immò *nihil solliciti esse debemus* [g], anxia nimirum sollicitudine: sed ita, vt ea qua par est moderatione facientes quod possumus, deposito sollicitudinis excessu, qui reprehensus est in Martha [h], partes Marthæ, socia adhibita Magdalena, *quæ meliorem partem elegit* [i], cùm res tulerit, obeamus: necessariis contenti simus, quia *vnum necessarium est* [k], vt exponit Cassianus [l], & Basilius [m],
E Theophylactus [n], & Cyrillus [o], fauétque Gregorius [p]: quamuis alium sciam sensum esse.

Proiicienda sollicitudo in Deum.
c lib. contra Adiman. cap. 14.
f 1. Pet. 5. 7.
g Philip. 4. 6.
h Luc. 10. 41.
i ibid. 42.
k ibidem.
l Collat. 1. c. 8. & Collat. 23. c. 4.
m in Moral. constit. c. 2.

Aurea prorsus, & Augustino digna sententia, qua DEVM alloquitur [q]: *O tu bone OMNIPOTENS, qui sic curas vnumquemque nostrùm tanquàm solum cures, & sic omnes, tanquàm singulos.* Rursum [r]: *In toto tempore totum me simul, sempérque consideras, ac si nihil aliud considerare habeas: sic super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, & mihi soli intendere velis. Quocumque iero, tu me Domine non deseris, nisi prior ego te deseram.*

Deus sic curat vnumquemque nostrum, quasi solum curet.
n in Luca c. 10.
o in Catena S. Thomæ.
p lib. 6. in 1. Reg. c. 4.
q 3. Confess. c. 11.
r lib. Soliloquio. c. 14.

Adde B. P. Ignatij [s] nostri apophthegma, *sic pendere nos à prouidentia diuina debere, vt si omnia DEVS, nos nihil: ita nobis in rebus etiam nostris elaborandum, perinde ac ille nihil, nos omnia conferre oporteret.* Id

Quomodo Deo in prouidentia pendendum sit.
s Ribadeneira in vita.

sibi vult,

sibi vult,non verum minùs quàm tritum prouerbium: IVVA TE IPSVM, VT IVVERIS A DEO, quod verbis Pauli diceremus [a]: NE QVIS DESIT GRATIÆ DEI: elegans, ac venusta similitudo est,qua Anselmus demonstrat,procurationem rerum temporalium,etiam laboriosam, ac molestam, sine spirituali detrimento suscipi posse. Lege illam apud Auctorem vitæ ipsius [b].

a Heb.12.15.

b lib.2.

Molendino vita nostra similis quomodo sit.

Dicebat molendino similem esse vitam nostram, actus nostros molæ, illum, qui opera sua pro terreno tantùm commodo faciat, farinæ decidentis in fluuium iacturā facere: qui bona nonnulla operetur,sed magis ad temporalia intendit, valdè exiguam reportare: Monachum, qui ex superioris tantùm præscripto tractet secularia, sine aut superbiæ, aut iniustitiæ vitio quamuis interdum propterea Missas perdat, loquatur aliis tacentibus,& quædam alia similia faciat,vel dimittat, hæc ab obedientiæ virtute consumi, totámque farinā conseruari,quæ illū æternaliter pascat.

Versus 30.]Quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Bernabæ, & Sauli.

AD *seniores.*] De senioribus dixi capite quarto [c]. Oecumenius hoc loco intelligit Apostolos, qui Presbyterorum dignitatem haberent, immò & Episcoporum, multoque magis Diaconorum. Lyranus, & Carthusianus illos,qui aliis præerant. Distinctè ponuntur seniores, siue Presbyteri,& Apostoli aliquando [d],aliàs verò seniorum nomine nihil vetat vt illi etiam comprehendantur. Ego hîc tam hos, quàm Diaconos, qui præerant mensis [e],intelligendos puto.

c vers.5.
Seniores hoc loco qui sint.

d Act.15.2.23.

e Act.6.3.4.

Per manus.] Διὰ χειρὸς, *Per manum*,id est,operâ,& ministerio. Est quippe manus organum organorum, vt aliàs dixi,& ex phrasi Græca ortum est verbum διαχειρίζειν, *administrare, regere,gerere*, & nomina διαχειρισμὸς,& διαχείρισις *administratio.* Quanquàm & eadem phrasis Hebræis non est insitata.Lege cap.2.[f] & 3.[g] & 4.[h] & 5.[i] & 7.& huius capitis versum 21.

Manus organum organorū.

Barnabæ,& Sauli.]Hoc ipsum Saulus iam Paulus,de se,ac Barnaba scripsit Galatis [k], dicens *sibi ab Apostolis id vnum mandatum esse,vt pauperum memores essent.*

f vers.23
g vers.28.30.
h vers.12.
i vers.25.35.
k Epi.ad Gal. c.2.10.

A

Chrysostomus exponit de iis, qui propter fidei professionē *è possessionibus electi erant, & rapinam bonorum suorum passi* [l],vt priùs etiam diximus. Hieronymus [m],qui pretium facultatum diuenditarum ad pedes Apostolorū deposuerant [n],ideóque iam egebant.Vtrumque verum est,vt constat quoque ex dictis.

Qui fuerūt egētes Ierosolymis.
l Heb.10.34.
m in epist. ad Gal.
n Act. 4.34. 35.

Hi duo potissimùm huic muneri designati sunt, & propter muneris ipsius momentum: & quia alter,cùm primus, vel ex primis opimū agrū vendidisset, pretiumque eius in communes vsus contulisset [o]: alter pro tot ac tantis in euangelizando laboribus nec solitum quidem iustum ab aliis vitæ subsidium recipere [p] sustineret, remotissimi erant ab omni suspicione sordium, & lucri,liberiusque,& alacriùs tum petere,tum deferre collectam pro fratribus pecuniam poterant. Ad idem munus Paulus Corinthiis destinans Titum,& Lucam,siue quem alium,illos magnis laudibus commendat [q].

B

Cur hi duo potissimum sunt ad hoc munus designati.
o Act.4.37.
p 1.Cor.9.4.15 & alibi.
q 2.Cor.8.16. 17.18.19.

Non poterant quidem hoc Apostoli fungi semper munere,certum tamen,vt cap. 6. vidimus,viris fidelibus demādari debuisse: eratque apud Romanos insignis præfecturæ annonę Magistratus [r], quem gerebant Ædiles, vt apud Græcos Agoranomi [s],Sed & Valentinianus ac Valens [t] ad Episcoporum reiiciunt audientiam, ne mercatores commodum mercandi excedant. Extat quoque mentio de eodem Magistratu in Codice [u], apud Cassiodorum etiam [x], & Boëtium [y], qui tradit, *Magnum dici solitum,qui populi curasset annonam* (& propterea cognomen ait Cassiodorus datū Pompeio)& Ambrosium [z],& Senecam [a]. Id vel inde confirmatur, quoniam crebras legimus ob tritici penuriam seditiones. Non opus exemplis aliis.

C

Præfectus annonæ Magistratus erat insignis.
r Vuolfang. Lazius 2. de repub.Rom.
s Plaut.in Captiuis.
t l.1.de Episc. audien. lib. 1. C.tit 7
u tit.de offic. præf.vrbi.
x lib.6.ep.18.
y 3.de consol. prol.4.
z ep.35.ad Eufeb.Episc.
a de breuit.vitæ.c.18.& 19.

Claudium, sub quo fames hæc accidit, conuiciis medio foro populus corripuit, & fragminibus panis turpissimè infestauit [b],& simili de causa Theodosium lapidibus impetitum constat [c].

Claudius Imperator à populo fragmentis panis petitus.
b Sueton. in Claudio.c.18. Oros.lib. 7.c. 6.
c Marcel.comes in Chro.

Caietanus monet ascensum istum Pauli in Ierusalem,medium esse inter duos,quos ipsemet in epistola ad Galatas commemorat [d], alterum post annos tres à conuersione, quando Barnabas duxit eum ad Apostolos;de quo superiùs capite nono [e]; alterum post annos quatuordecim, cuius mentio est inferius capite decimoquinto [f]. Lege caput nonum.

d cap.1.17.
e Act.9.27.
f vers.2.



CAPVT DVODECIMVM.

SVMMARIVM.

Iacobus frater Ioannis cæditur: Petrus ex vinculis diuinitùs liberatur: Herodes vtriusque auctor criminis Cæsareæ honores diuinos admittens, infami ac dira morte perit.

1 EODEM autem tempore misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia.
2 Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.
3 Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit vt apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum.
4 Quem cùm apprehendisset misit in carcerem, tradens quattuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo.
5 Et Petrus quidem seruabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.
6 Cùm autem producturus eũ esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.
7 Et ecce Angelus Domini astitit, & lumẽ refulsit in habitaculo: percussóque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius.
8 Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me.
9 Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre.
10 Transeuntes autẽ primam & secũdam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem: quæ vltro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuò discessit Angelus ab eo.
11 Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. A
12 Consideransque venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes.
13 Pulsante autem eo ostium ianuæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode.
14 Et vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intrò currens nunciauit stare Petrum ante ianuam.
15 At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus eius est. B
16 Petrus autem perseuerabat pulsans. Cùm autem aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt.
17 Annuens autem eis manu vt tacerent, narrauit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixítque: Nunciate Iacobo, & fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.
18 Facta autem die, erat non parua turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. C
19 Herodes autem cùm requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci: descendénsque à Iudæa in Cæsaream, ibi commoratus est.
20 Erat autem iratus Tyriis, & Sidoniis. At illi vnanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo.
21 Statuto autẽ die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos.
22 Populus autem acclamabat: DEI voces, & non hominis.
23 Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem DEO: & consumptus à vermibus, expirauit.

24 Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur.
25 Barnabas autem & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus.

Versus 1.] Eodem autem tempore misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia.



EODEM *autem tẽpore.*] Anno CHRISTI 44. Claudij Imperatoris secundo, nimirum ante famem capite superiore cõmemoratam[a], vt ibi etiam diximus. Sic verò respicient verba ista primam narrationem de Cornelio, atque disceptationem fidelium, qui erant ex Iudæis cum Petro: vel, vt placet Bedæ, & Glossæ interlineari, referentur ad tempus, quo Saulus, Barnabásque missi sunt Antiochia Ierusalem, vt fami futuræ consulerent. Chrysostomus putat indicari tempus mox secuturum. Iacobi mortem sunt qui collocent anno salutis quadragesimo: Ioannes autem Mariana[b] quadragesimosecundo. Sed temporum ego, ne fallam, aut fallar, supputationes libenter prætereo.

a versu 28. *Quod tempus hic describatur.*

b 4. Histo. Hispan. c. 2.

Misit manus.] Mittere manum aut extendere, vt aliàs notauimus[c], est idem quod aggredi libenter, & alacriter, vt cùm *mulier fortis manum misisse* dicitur *ad fortia*[d], & alius in malam partem *extendisse cum illusoribus*[e]. Itaque non placet intelligere hunc locum cum Pinto[f] de exercitu, vt enim in numero vnius exercitum manus significet, & Græca vox χεὶρ; non tamen in numero multitudinis: nec opus nunc fuit exercitu.

Manum mittere quid sit.
c Act. 4. 30.
d Prou. 31. 19.
e Osee 7. 5.
f in c. 8. Daniel.

Herodes.] Non Ascalonita, vel Antipas, sed Agrippa. Hic primi, sub quo natus CHRISTVS[g], nepos fuit, ex filio Aristobulo. Alius item extitit Agrippa nomine, verumtamen iunior, ad quem Paulus describitur deinde hoc ipso libro sermonem habuisse[h], & cuius mentio ibidem crebrò fit[i]. Itaque fallitur Glossa interlinearis, cùm istum, de quo modò mentio est, filium eius facit, quo regnante prodiit Redemptor, & illum ipsum eiusdem Passioni ait interfuisse. Labitur eodem errore interpres Ephrem[k], & concilium Aquisgranense[l] sub Pipino. Sed & Hippolytus[m] martyr contra fidem Auctoris nostri scripsit ab Herode Tetrarcha Iacobum cæsum in Marmarica Achaiæ. Videtur fauere Isidorus[n] dicens in Carmarica (mendum forsan est) sepultum. Nec Hippolyti liber magnam habet auctoritatem; nec auctor habetur Isidorus libri de vita & morte Sanctorum.

Herodes qui, & quot.
g Matt. 2. 1.
h cap. 26.
i ca. 25. & 26.
k Tom. 2. in id, *Attende tibi*, 1. Tim. 4. 16.
l lib. 3. c. 22.
m libr. de sepruag. Discipulis.
n de vita & morte Sãcto. cap. 71.

Vix alio nomine apud alios dictus reperitur, vt apud Iosephũ, quàm Agrippæ: vt proinde Oecumenius vel scriptoris vitio Herodem hîc legi suspicetur: vel, quod res est, duplex nomen habuisse. Qua de causa, si Herodem hic patrem habuit, vt eum quidem vocat Chrysostomus, eundem dictum oportet & Aristobulum, & Herodem. Sicut, vt modò dixi, eodem nomine nuncupatus est Agrippa: de quo non debuit ambigere Caietanus, vel magis authenticum huius appellationis auctorem desiderare, quàm Lucam; apud quem cùm quinquies Herodis repetatur vocabulum, non est creditu facile, mendum irrepsisse. Sic istum quoque Suidas appellat Herodem Agrippam: & Syriacus interpres ita vertit hoc loco, *Herodes ille Rex, qui cognominatus est Agrippas*; & Eusebius[o] monet quæ Iosephus narrat de nece Agrippæ, referre Lucam de Herode, quoniam duplex erat eidem nomen. Lege notationes nostras in Dominicam quartam Aduentus, & cum Interpretibus Euangeliorum Hugonem Victorinum[p].

Herodes hic etiã Agrippa dictus est.
o 2. Hist. cap. 10.
p Tom. 1. in prænota. elucidato. ca. vlt. & Tom. 2. li. 6. Instit. Monast. c. 5.

Rex.] Tetrarchæ, & Regis nomen aliquando confunditur à Plinio[q], à Cicerone[r], ab aliis: tametsi minor propriè fuerit dignitas Tetrarchiæ. Sic Rex appellatur Herodes Antipas à Matthæo[s], ac Marco[t], & ab illo Archelaus[u], cùm nunquàm verè reges fuerint. Iste regnum obtinuerat Romæ à Caio, vt narrat Iosephus[x]; idcirco rex propriè, non, vt falsus vocat sub Isidori nomine citatus nuper auctor, Tetrarcha dici debet.

Tetrarchæ & Regis nomen cõfunditur.
q lib. 5. c. 16. & 21.
r oratio. pro Deiotaro.
s cap. 14. 9.
t cap. 6. 14.
u cap. 2. 22.
x 18. Antiq. c. 8. li. 19. c. 5. lib. 2. de bello. c. 8. & 10.

Vt affligeret quosdam de Ecclesia.] Philo[y], atque Iosephus[z] tradunt, hunc Herodem fuisse Iudaicæ religionis studiosissimum, obseruantissimumque, ac de vrbe sub id tempus recuperato, confirmatóve reuersum regno, cum potestate in res etiam sacras, in templum, atque sacerdotium. Vt verisimile sit, tot rebus prosperis lætum, & gratificari volentem Iudæis, quibus se sentiebat obstrictum, animum applicuisse ad vexandam duriore ista persecutione Ecclesiam, qua non iam vulgares Discipulos, verùm ipsosmet petebat Ecclesiæ principes Apostolos.

Herodes ille Iudaicæ religionis obseruãtissimus.
y in Flaccum.
z 18 Antiq. c. 6. & li. 19. c. 5.

Versus 2.] Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.

OCCIDIT *autem Iacobum fratrem Ioannis.*] Iacobũ, qui dictus est maior, vt docuimus capite primo[a], cuíque CHRISTVS, ac fratri, fore prædixit, *vt calicem biberent*[b].

a vers. 13.
b Mat. 20. 23.

Puto non distinctionis tantùm causâ ab alio Iacobo, vocatum hunc fratrem Ioannis, verùm etiam dignitatis cuiusdam gratiâ, quia Ioannes *vna erat ex præcipuis columnis Ecclesiæ*[c]: quemadmodum & eodem superiore loco[d] monui denominatos fratres Iacobi minoris à Iacobo ipso, propter eximiam eius opinionem sanctitatis, atque auctoritatis.

Cur hic Iacobus Ioãnis frater dictus sit.
c Gal. 2. 9.
d cap. 1. 13.

Cur Iacobus iste maior potissimùm primus ad necem quæsitus sit, suspicari licet, quòd ceu tonitrui filius[e] seipsum vt in nube non continens, etiam postquàm Coapostoli abiissent in Gentes, vnus Hispanias, obita Iudæa, Samariáque, quamuis ad Iudæos solos, proselytósque prædicabundus petierit, quando *lapidato Stephano*[f], *Ecclesia dispersa est*, quamuis *alij in Ierusalem Apostoli remanserunt*[g]. Illuc enim peruenisse, ac ibi diu hæsisse, graui multorum testimonio, ac traditione confirmat Baronius[h], & hodieque monumentum extat Virgini matri constructum Cæsaraugustæ, Virginis eiusdem monitu, ad Iacobum, Iacobi iussu, templum. Theophylactus certè, post Chrysostomum[i], adeò ait acrem, grauem, molestúmque Iudæis Iacobum fuisse, ac Herodi, vt communi eorum sententia, de medio ante omnes tollendus censeretur, magnúmque iudicaret Herodes munus, cùm eum interfecit, Iudæis obtulisse.

Cur ad mortem primus sit quæsitus.
e Mar. 3. 17.
f Act. 7. 58.
g infrà 8. 1.
h Notat. in 25. Iulij.
i in cap. 17. Matthæi.

Hieronymus[k] miratur DEI hac in re iudicium, cur istum Apostolum statim Herodis pati sententiam voluerit, Petrum ceterósque Apostolos reseruauerit. Causam verò esse posse dicit, vt

k libr. 5. in c. 25. Ieremiæ.
Cur Deus hunc Apostolum [illegible] voluerit.

ille in condemnationem Iudæorum occisus sit, hi doctrinæ Domini reseruati sint, sicut Vrias Propheta ex Ægypto quò fugerat reuocatus, iussu regis Ioacim gladio percussus est [a]: Ieremias non item, qui iam tenebatur in carcere.

a Iere.26.23.

Iacobus protomartyr inter Apostolos.

Debetur sanè Stephano titulus Protomartyris: at est inter Apostolos protomartyr Iacobus propriè quodammodò datus ceteris in exemplum Apostolis, nec, vt ille furentis impetu populi, sed condicto latóque damnatus à Rege iudicio, propter eam, quam attuli causam, & ob alia mirifica facinora seu in Hispania [b], seu in Ierusalem [c], præcipuè in confutatione, & conuersione insignium Magorum Phileti, ac Hermogenis, de quibus mentio est in Pauli epistolis [d], qui tamen posteà redierunt ad ingenium, necnon illius ipsius, qui ipsum traxerat ad iudicium, cùm ad supplicium cum quoque comitatus, hominis constantiam obstupuisset: qua de re post Clementem Eusebius [e].

b vt indicat Breuiariũ Ambrosianum.
c vt est in Breuia. Toletano, & apud Abdiã, B. Antoninũ, Vincentium, & alios.
d 2.Tim.1. & 2.
e 2.Hist.c.8.

Quo die sit passus.

Recitat Hieronymus [f] opionionem, passum Iacobum die 2. Paschatis. Obest quod Lucas paulò pòst narrat, dilatam Petri necem post elapsos Azimorum dies. Ado Treuerensis [g], & Callixtus Papa [h], passum scribit 25. Martij, eo ipso quo multi CHRISTVM crucifixum putant, die. In Menologio natale ipsius ponitur prid. Calen. Maij. Profectò Auctor noster innuit, cùm significat mox Petrum detrusum in vincula post Iacobi mortem, hanc Iacobum subiisse circa tempus Paschale, nec tamen præcisè, quo die celebratum est Pascha, aut alio aliquo ex Azymis id accidisse persuadet eadem loquendi formula, & Agrippæ quod dixi, studium Iudaicæ religionis.

f in cap. 43. Ezech.
g in Martyrologio.
h lib. de miracu. S. Iacobi.

Occidit.] Qui vitæ, ac necis apud Iudæos potestatem haberet, quo tempore suberant Romanis seu per Præsides, seu per Reges, docui alio loco. Summa nunc penes Herodem hunc potestas erat, concessu Romanorum, vt vidimus.

Caluaria mons à decollatorum capitibus non est dictus.

Gladio.] Negant Baronius [i], & Iacobus Gretserus [k] aduersùs eos, qui Caluarium montem à decollatorum capitibus nominatum volunt, supplicium decollationis apud Iudæos in vsu fuisse: quę est Hieronymi tamen & Bedæ opinio in Matthæum [l], atque Iansenij [m]. Videntur & mihi cum ratione negare, quoniam Iudæi, quos vltimo affecerant supplicio, sepeliebant ad vesperam [n]; ita vt eo in monte non essent dispersa, relictáve capitum præterea, quia quiuis alius alibi in Palæstina suppliciis reorum deputatus locus Caluaria, aut si, vt moris erat, editior foret, Caluariæ mons dici potuisset. Accedit quòd Scripturæ de hoc supplicij genere apud Iudæos vsurpato non meminerunt, nisi iterum in nouo Testamento, cùm de Ioanne Baptista [o] (quidquid contrà dicat Petrus Gregorius [p] asserens pœnam hanc fuisse in Israëlitica politia) vt necesse sit cum dominatu, iuréque Romanorum id esse in illius gentis mores introductum, ac proinde ab auctore libri Sanedrim cum strangulatione, lapidatione, combustione, gladij quoque supplicium recensitum.

i 1. Annal.
k 1. de cruce. cap.18.
l vterque in cap.27.
m Concord. Euang. c.143.
n Deut.21.22. 23.
o Matt.14.10.
p lib.31. Syntagm.c.10.

In historia Regum [q] rex Israël minatus legitur cum iuramento, *quod non staret eo die caput Elisæi super ipsum.* Dauid [r] quoque obtruncauit Goliam. At Golias iam mortuus erat. Fieri quoque potest, vt Rex ille voluerit ad exẽplum de interfecto cadauere caput eximi, ac publicè proponi. Quò pertinet rescissum Holophernis caput [s], & aliorum [t]. Fauet etiam sententiæ nostræ Sigonius [u], docens nominatim veteres Scripturas necis tria sola genera exprimere, combustionis, crucifixionis, lapidationis.

q lib.4. c.6.31. *Quomodo in veteri Testamento reorum capita abscindebantur.*
r 1.Reg.17.51.
s Iudith 13. 10.
t 2. Machab. 15.30. Iudic.7. 25. & sæpe in hist. Regum.
u 6. de rep. Hebr. c. vlt.

De capitis plexu veterum.

Ceterùm præcisionem capitis honestissimum genus mortis ducebant Persæ, teste Xenophonte [x]. Sed Plutarchus [y] ait apud eos vsum fuisse, non gladij, aut securis, verùm nouaculæ. Maioris apud Romanos ignominiæ habebatur gladio, quàm securi cædi. Idcirco námque Antoninus Caracalla, vt prodit Spartianus [z], Dio, & Xiphilinus, improbauit, quòd Papinianus, quem iusserat interfici, non gladio, sed securi percussus fuisset. Τῷ γε τὸν Παπινιανὸν φονεύσαντι, inquit Dio, ἐπετίμησεν, ὅτι ἀξίνῃ αὐτὸν, καὶ οὐ ξίφει διεχρήσατο: quod Spartianus verbis Caracallæ dixit alloquentis percussorem, *Gladio te exequi oportuit meum iussum.*

x 2. de Cyropædia.
y in Artaxerxe.
z in Geta, & in Caracalla.

Colligitur apertè differentia eadem inter securim, gladiúmque ex Vlpiano [a], cùm disserit, vt pœna per sententiam iam lata nec augeatur: nec minuatur. Durauit hoc animaduersionis genus seu securi, seu gladio, sub Christianorum persecutoribus, vt constat ex Actis, & ex Martyrologio [b], vbi de Diocletiano, meminítque Prudentius [c], ac longè etiam pòst Cassiodorus [d], qui de Italiæ rege Theodorico.

a l. aut damnum § 1. ff. de pœnis.
b 24. Martij.
c in Iudephalytros.
d lib.11. Variar. epist.40.

Martyribus per alia tormenta quàm gladium vita tolli non poterat.

Immò Martyribus nostris vita plerumque non poterat extorqueri per alia quælibet dira tormenta, sed per gladium, quasi vererentur illos creaturæ aliæ expertes animæ, quos non malè ferro armata hominis crudelis manus; nolente etiam DEO, qui aliarum vim rerum ad nocendum suspendebat, humanæ impedire libertatem voluntatis, etsi memini quorundam obriguisse manúsque brachiáque carnificum, quæ cum gladio ad Martyrum resecandas ceruices extenderant: nec aliqua quoque desunt exempla securi percussorum. Recitat ex Clementis Alexandrini septimo hypotyposeon Eusebius [e], illum ipsum, qui obtulerat Iacobum Iudici ad martyrium, tandem ab illo promotum, confessum esse, se esse Christianum, & simul capite plexum; cùm Iacobus in via roganti, vt daret sibi remissionem, respondisset, *Pax tibi*, atque exosculatus eum esset.

e 2. Hist.

Iam verò Iacobus tam citò ex hac vita subductus, & ad dexteram in regno admissus, relicta, vt ita dicam, fratri sinistra longioris istius inferioris æui, quò pauciores, minorésque hic viuens honores consequi ei licuit, hoc (vt post B. Antoninum [f] affirmem) maiores, ac plures mortuus consecutus est, non ab Hispanis modò, apud quos iacet, sed ab vniuerso orbe Christiano, qui religiosè ad sacrum ipsius corpus visendum effunditur, experiens ingentem vim diuinorum beneficiorum: qua de re permulta extant testimonia in Hispaniarum historiis [g], atque in his, quæ traduntur à iam citato Antonino [h], à Vincentio [i], à Turpino [k], à Ludolpho Bêburgense [l], à Leone III. [m] à Calixto II. [n] ab Innocentio II. [o] à Fortunato [p], à Cæsario [q], à Baronio [r], ab Historiis Indicis, à Suida [s], ab Isidoro [t], à Breuiario Toletano ex institutione Isidori, à Beda [u].

f 1. p. Histor. 6. c.7.
g Luca Tudense, Alonso Beuter, Roderico, Vasæo, Morales, Mariana.
Iacobus in cælo honoratior.
h supra & 2. p. tit. 17. c.1. § 2.
i lib.26. Specul. Histor. c.ix & seq. ad 41.
k in vita Caroli Magni.
l lib. de vete. Princip. Germaniæ.
m in epist.
n serm. & lib. de mirac. S. Iacobi.
o in epist.
p in epigram.
q 8. miracul. cap.58.
Peregrinatio Compostellana quando cœpta.
r in notis 25. Iulij. & Tom. Annal.
s in Herode.
t de vita & morte Sanct. cap.73.
u in Collectaneis.
Ecclesia Compostellana dignitatibus ornata.
x supra 1. p.

Meminit Antoninus [x] votum peregrinationis Compostellanæ reseruatum Papæ: quam peregrinationis celebritatem cœpisse potissimùm ferunt CHRISTI anno 1120. Militaris autem D. Iacobi ordo institutus est ea occasione sub Alexandro III. & præter festum Natalis Apostoli celebrant Hispani Translationis 3. Calend. Ianuarij, & Miraculorum 5. Non. Octobris, & Dedicationis Compostellanæ Ecclesiæ Calendis Iunij. Ornauit eam Carolus Magnus Ecclesiam muneribus & ipso procurante Pontifices etiam dignitatibus.

Sed nimis

Sed nimis propter eas elatus Præsul eius contra Toletanum, compressus est in Concilio Lateranensi, præsente Innocentio III. à Ruderico celebri Toletano Episcopo, & historiæ Hispanicæ scriptore.

Is cùm ibi negauerit fuisse Iacobum in Hispania, nec illi contradictum legatur, in dubium sanè reuocat quod ex vetere priùs traditione dixi, ibi fuisse,& prædicasse hunc Apostolum[a].Qua de causa Baronius quoque secutus olim[b] antiquitatis fidem, posteà dubitauit[c]: & iussu Clementis VIII. in emendato Romano Breuiario[d] restitutum est, *prouincia Hispania Ecclesiarum traditionem esse, Iacobum Hispaniam adiisse, & ibi aliquos ad fidem conuertisse*, pro eo quod anteà legebatur, *peragrasse Hispaniam, ibique Euangelium prædicasse*, videlicet nulla mentione facta de traditione. Huic tamen, quæ magni meritò fieri solet, noluit Pontifex derogare. Petrus Damianus[e] vniuersè docens in celebrandis festis Ecclesiam temporis rationem non habere, quo res illis exhibitæ contigerint, probat hoc exemplo de Iacobi festo, sicut & alio de festo Petri ad vincula, quorum in isto capite narratio continetur. De translatione autem corporis huius Apostoli ad Hispanos, liber lectu dignus extat in Bibliotheca Benedictina (quem edidit ex ordine Cælestino Ioannes de Bosco amicus noster) Anonymi auctoris,qui floruit ante annos 600. De Iacobi in Hispaniam aduentu atque prædicatione, duplicem Hispano scripsit idiomate discursum Ioannes Velascus Castellæ Comestabilis, in omni scientiarum genere, vt ipsemet sum expertus, non mediocriter versatus. In eo nititur ad obiecta respondere, & Hispaniæ decus adeò magnum multis argumentis vindicare. Alios audio idem præstitisse; vnum quem dixi, legi.

a Collectio Conc. Hispa. per Loaisam pag. 190. & seq.
b in Notis, 25. Iulij.
c Tom. 9. Annal.
d 25. Iulij.
e ep. 13. de Dominus vobiscu, cap. 15. tom. 3. Bibl. Patrum.

Versus 3.] Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit vt apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum.

VIDENS *autem quia placeret Iudæis.*] His obstrictum se sciebat, vt dixi,ac videri Iudaicæ religionis studiosus volebat.

Studere subditum Principi placere minùs mirum & notum est; illum huius quodammodò mancipium fieri,& ad eius se voluntatem accommodare,peruersitas est quàm maxima. Debet quidem placere subditis Princeps in bonum, quia non propter Principem illi,sed ipse propter illos, illorum voluntate,atque electione, secundùm ius Gentium destinatus est. Verumtamen qui hominibus placet, quoniam placet, non iuxta præscriptum rationis, & placitum sapientis, CHRISTI seruus non est; confundetur, eò quòd rectũ ordinẽ cõfundit, *& DEVS conteritis ipsius ossibus*; hoc est, vi, ac robore facultatum, *spernet eum*[f]: tyrannicum id est, non regium. Alter Herodes ne contristaret Herodiadem, & discumbentes, obtruncauit Ioannem[g]: idem vt cum Pilato fortè rediret in gratiam, illusit CHRISTVM[h]: Pilatus ne Cæsaris amicitiam perderet, perdidit sua sententia verum Iudæorum, & omnium regem[i]: remisit Achis Dauid perchatum sibi, suóque optimum iudicio, quia Satrapis non placebat[k]: Darius à Satrapis item compulsus Danielem in lacum leonum coniecit[*]. Postremò, vt exemplis aliis profanis parcam, sacrísque, Adamo peccandi occasio fuit immodicus in vxorem amor,cui vt placeret,propositum ab ea pomum gustauit[l]. Si quis vocem Græcam ἀρεστὸν in ea significatione accipiat, de qua dixi aliàs[m], pro decreto quod Galli vocant *arrest*, dicet indicari hoc loco Iudæis deliberatum, certúmque fuisse à Rege, Petrum ad mortem deposcere. Ceterùm non de Petro sumenda sententia videtur, sed de Iacobo, cuius quia Iudæis mors placuerit, incitatior Herodes factus sit ad Petrum ipsum delendum.

Princeps debet placere subditis in bonum.
f Psalm. 52. 6. Gal. 1. 10.
g Matt. 14. 9. 10.
h Luc. 23. 11.
i Ioan. 19. 12. & seq.
k 1. Reg. 29. 6. 7.
* Dan. 6. 14. & seq.
l Gen. 3. 6.
m cap. 6. 2.

Et Petrum.] Emphasim habet particula *&*, tum ad primatum præsertim eius designandum, tum simul ad Iacobi nonnullam laudem, quem sustulisse adeò vtiliter,ac bellè successerit,vt post ipsum quisquis alius præter Petrum occidatur, nihil propemodùm ad rei bene gestæ cumulum habere accessionis censeatur.

Vis particulæ &.

Erant autem dies Azymorum.] Festum ergo vinculorum Petri Calendis Augusti alia occasione celebratur, vt docet Anonymus[n] (& Petrus Damianus[o],idem annotans de festo Iacobi Apostoli) seu incertus quodam proprio Sermone: non enim credibile est tam sæuos Iudæos adeò crudelem Herodem tanto spatio tenuisse Petrum in carcere, quem nisi obstitisset religio Paschalis festi, vix eo, quo illum ceperant die viuere permisissent. Occasio celebrandi dictis Calendis illius festi fuit,vt ait idem Auctor,vt sanctiore ritu pro Augusto, Christiani summus hierarcha Imperij,propter feliciorem victoriam,atque Ierosolymitanarum Romanarumque catenarum eiusdem mirificum nexum, & præclara ipsarum ope edita miracula,coleretur. Qua de re consulendus Baronius[p], qui negat celebrari olim solitas Augusti Calẽdas in honorẽ Imperatoris Augusti: sed eo die,vt refert Dio[q], equestria certamina exhibita, quòd illo ipso Martis ædes consecrata est.

n in Biblioth. hom. Tom. 4. in festo S. Petri ad vincula. homil. 2.
o suprà.
Cur Calendis Augusti Petri vinculis festa sacra.
p in Notis, ad Kal. Augu. & Tom. 5. Annalium.
q lib. 60.

Noti sunt dies Azymorum, quorum Scriptura crebrò meminit[r]. Græca vox ἄζυμοι, significat panes infermentatos, quia non licuit Hebræis, dum vrgerent eos Ægyptij ad egrediendum, massam fermentare. Voluit autẽ DEVS quotannis in memoriam liberationis,vt agnum immolarent,solísque azymis per septem dies vescerentur. Si tamen computemus diem, quo immolabatur agnus Paschalis,erunt octo dies azymi, quia illo etiam die azymis vescendum erat: atque hoc pacto dies Paschæ vocatur primus dies Azymorum[f].

Azymi dies qui essent.
r Exo. 12. Leuit. 23. & 23. Nu. 28. Deut. 16.
f Matt. 26. 17. Marc. 14. 12. Luc. 22. 7.

Attamen computari non debet,sed in fine,seu vespera, & occasu decimiquarti diei, post comestum agnũ, incipiebat decimusquintus, qui idem erat primus Azymorum,vt contra Rupertum Pererius[t] demonstrat. Obseruat autem Ribera[u], eas vnico die solemnitates constituisse, quæ erant in memoriam beneficij à DEO collati, vno tantùm die,vt Sabbatum,Pascha,&c. Est námque septimo die finita creatio[x], & vno vespere agnus immolatus in Ægypto[y], nocte verò sequenti Ægyptiorum primogeniti interfecti[z]: quando autem pluribus diebus beneficium datum est, septem dies habuisse, quia septenarius est numerus vniuersitatis, atque sic in proposito Hebræos pluribus diebus azyma comedisse, hoc est, triginta, si credimus Iosepho[a]: quemadmodum ob peregrinationem quadraginta annorum, quibus manserunt in tabernaculis scenopegiæ, tabernaculorúmve festum per septem dies celebratur[b].

t in cap. 12. Exod dis. 9.
u 5. de Templo c. 5.
x Gen. 2. 1.
y Exod. 12.
z infrà 13.
a 2. Ant. c. 5.
b Leuit. 23. 36. 2. Mach. 10. 6

Sed quid dicemus de festo dedicationis altaris, quod per dies octo durabat[c]? Fortasse hoc festum, quia magis spirituale, octauum quoque

c 1. Macha. 4. 56.

diem, qui repræſentat perpetuam ſolemnitatem, poſt ſeptem, quibus vniuerſum hoc tempus voluitur, habebat, qua ratione ſolemnioribus feſtiuitatibus Eccleſia octauas aſſignat, vt monent Scriptores rituum Eccleſiaſticorum, præſertim Amalarius [a]. Adde quòd non DEVS immediatè, ſicut alia, ſed Machabæi feſtum id inſtituerunt [b], quemadmodum & Salomon extructo templo ſolemnitaté fecit ſeptem diebus [c]. Herodes porrò, ſiue Herodem in Eccleſiam incitantes Iudæi, occaſione ſolemnitatis abuſi ſunt ad edendum facinus tam inſigne. Teſtes ſunt Nicomedienſes martyrium paſſi natali die CHRISTI [d]: teſtes Alexandrini, quos pſeudopatriarcha Georgius in Pentecoſte tam atrociter vexauit [e]: teſtis CHRISTVS ipſe Paſchali feſto actus in crucem: denique huiuſmodi exempla multa ſuppetunt in vtraque hiſtoria, profana, & ſacra. Videlicet vel vacantes religioni, ſibi homines minùs cauent timéntve: vel diuini oſor cultus inuidúſque dæmon ſacras ſolemnitates profanare ſtudet. Scitè prouerbio ſuo Galli rem exprimunt, *A bon iour bon œuure.*

a lib. 4. de Eccle. offic. cap. 32. & 36.
b ſuprà.
c 3. Reg. 6. 66.
d Hiſt. Eccl. & Martyrol.
e Hiſt. Ecc.

Verſus 4.] Quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt Paſcha producere eum populo.

Quaternio non eſt nomen officij.

TRADENS *quatuor quaternionibus.*] Quaternio non eſt officij nomen, vt Centurio, &c. vt velle tamen videntur Latini cum Beda ferè omnes, ita vt is ſit qui haberet ſub ſe quatuor milites, ſicque illi eſſent omnes viginti, ſed numeri, ſeu compoſitionis ex quatuor: quo modo dicitur quadruplicata charta: & idcirco quatuor quaterniones militum ſexdecim efficiunt, quemadmodum Oecumenius exponit, Græcique alij, & vox ipſa Græca, τετράδιον, quæ hoc loco habetur, per ſe ſignificat, non ſecus ac τετράς.

Qua in re Suidas fallitur, cùm τετράδιον, vel τετράδιον, compoſita docet ἐκ τοῦ δὶς καὶ τέτταρα, ideòque de ſenario; τετράδιον verò dici de quaternario numero, qui & quaternio vocatur: nullum enim diſcrimen eſt inter duo prima: vltimum ſuſpectum habetur: & nemo eſt, qui hos milites affirmet viginti quatuor fuiſſe. Syrus vertit, *Eúmque tradidit ſexdecim militibus cuſtodiendum. Fortaſſe*, inquit Oecumenius, *vt ſingulis noctis vigiliis, hoc eſt, ternis inæqualibus horis, quatuor aduigilarent cuſtodes.* Arias Montanus arctam iſtam cuſtodiam extendit ad diem, aítque ſenis horis à ſingulis quaternionibus Petrum cuſtoditum. Aſſentior quidem: neque enim in carcere vigiliarum, ſtationúmve ratio exacta habebatur: & qui maximè cuſtoditum volebant Rex, Iudæique, ſeu quòd ſcirent ante decennium Apoſtolos carcere dilapſos, vel potiùs ab Angelo eductos [f], ſeu quia vererentur, ne ob recentem Iacobi cædem, omni ſibi ratione Petrus conſuleret, non de die minùs ſolliciti, quàm de nocte fuerunt. De cuſtodia militum agam poſteà verſu ſexto.

f cap. 5. 19.

De voce Paſchatis.

Poſt Paſcha.] Hebræa vox eſt, quamuis in Chaldæam terminationem deflexa, & hoc ſemper modo à noſtro Interprete in nouo Teſtamento expreſſa: in vetere bis [g], aliàs in eodem ſemper Phaſe, non Græca, quaſi ἀπὸ τοῦ πάσχειν, & à Paſſione CHRISTI, vt eſt animaduerſum ab Hieronymo [h], Auguſtino [i], Nazianzeno [k], eúmque errorem ſecutus eſt Auctor Gloſſæ.

g 1. Eſd. 6. 19. Ezech. 45. 21.

Significat tranſitum, ab Hebræo verbo פסח *paſach*, non populi ex Ægypto, aut per mare rubrum per ſe loquendo, etſi his quoque vocis notio quadret, itaque ſentiant Auctores graues [l]: ſed Angeli occidentis primogenita Ægypti pertranſeundo eorum domos, ac intactas relinquendo [m]. Affert hanc nominis rationem Hieronymus [n], & rurſum Ioſephus [o], quæ ſaltem ratio intelligenda eſt de prima celebratione Phaſe Hebræorum; diſertè námque in Exodo exprimitur [p]. Nam in aliis videtur potiſſimùm celebratus, & commemoratus tranſitus egreſsúſve Hebræorum ex Ægypto, & in Deuteronomio [q] id traditur.

h in cap. Matthæi.
i in Pſ. [illegible] Tract. [illegible] Ioan.
k oratio. de Paſcha.
l 1. optime! Aug. Tract. in Ioan. [illegible] Meſſa. Ioſephi, li. 13. Antiquit. c. [illegible] 12. Nazianzen. oratio. de Paſcha.
m Exo. 12. 11. 13. 23. 27.
n in cap. 23. Matthæi.
o 2. Antiquit. cap. [illegible]
p cap. 12. 11. 13. 27.
q cap. 16.

In hoc loco nomine Paſchæ intellexit Lucas totam celebritatem Paſchalem, quæ ſeptiduana erat, complectens etiam ſolemnitatem Azymorum. Alibi autem ſumitur modò pro agno ipſo Paſchali [r], modò pro die præciſo, in quo agnus immolabatur [ſ], modò pro iis quoque ſacrificiis, quæ fieri ſolebant per ſingulos ſeptem illos dies [t]. Imitatur Iudæos Herodes, qui deliberantes de occidendo CHRISTO dicebant [u]: *Non in die feſto:* ſimul voluit diuturniore cruciatu carceris, catenarum, famis, militum comitantium, grauiùs affligere.

r 2. Paral. 35. 11. Luc. 22. 7. 1. Cor. 5. 7.
ſ Ioan. 4. 42. 13. 1. ca. 18. 39. Luc. 22. 1.
t Deut. 16. 2. Ioan. 18. 28.
u Matth. 26. 5.

Producere eum populo.] ἀναγαγεῖν. Syrus, *Vt traderet*; Lyranus, *exponere morti ad voluntatem populi.* Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ [x], vt ipſe populus occideret eum, non ipſe Herodes, quemadmodum Iacobum, quia magis videbatur eis glorioſum, ſi ipſi occiderent eum, quia erat princeps Apoſtolorum. In ſexto verſu, vbi habetur: *Cùm autem producturus eum eſſet*, Græcè eſt, ὅτε δὲ ἔμελλεν αὐτὸν προάγειν, quod iterum Syra verſio explicat per verbum tradendi.

x in Act. Apoſt.

Producere quid ſignificet.

Verbum primum Græcum inter alias ſignificationes, vt educendi, extrahendi, emittendi, hanc etiam forenſem habet, quæ eſt indicare ſceleris auctorem, & in eum tendere. Volebat Herodes videri iudicio agere, causáque cognita; cui rei tempus dediſſet idoneum, ſimul conſulens religioni feſti, ſimul nullam omittens negotij perficiendi opportunitatem.

Verſus 5.] Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad DEVM pro eo.

Carcer vbi fuerit.

IN *carcere.*] Qui non procul aberat à Regia, ait Auctor ſermonis de Catenis Petri apud Surium, & à militaribus cohortibus, quæ Petrum obſeruabant, præter aſſignatos quatuor quaterniones. Chryſoſtomus [y] prætereà vult in intimum carcerem coniectum Petrum: Adrichomius [z] carcerem Betiſo ſeu Betitſo domui Pilati proximum facit; aítque eundem eſſe, in quem nunc Petrus, & alij anteà Apoſtoli cum ipſo coniecti ſunt. Sed qui deſcribunt loca ſancta, Petri carcerem cum porta ferrea ſtatuunt intra pomeria prope Caluarium montem, & vallem cadauerum, & portam ſtercoris, & eam, quæ vocatur Eſſenorum.

y Homil. [illegible] ep. ad Ephes.
z in Theatro terræ ſanctæ.

Betiſo nomen cur conueniat carceri.

Nomen Betitſo conſentit, quaſi dicas *domum ſordium, eiectionis ſtercoris:* criminoſiores enim, vt fæx, ſordéſque, in eum carcerem teterrimum, ac fœdiſſimũ deiiciebantur proximè locum ſupplicij extremi: pro aliis autẽ leuioribus reis alij erant car-

ceres

ceres intra ciuitatem[x]. Coniicit non malè Villalpandus noster [a] de primo illo carcere (qui possit cum Thesauro Messeniorum comparari, de quo Plutarchus[b], & Liuius[c], qui subterraneus erat ex quadrato saxo, imperuiusque luci, & auræ: vel barathro Romanorum apud eundem Plutarchum[d], aut Atheniensium) posse intelligi verba CHRISTI de tenebris exterioribus[e], id est, de carcere, qui tenebrarum nomine nonnunquàm dicitur, externo illo, quem descripsimus; libenter assentior, & quicquid etiam sit de isto, in quo fuit nunc Petrus, non erat fortasse idem, in quo priùs idem cum Coapostolis. Eadem de tenebris exterioribus sententia Abulensis[f], & nostri item Pinedæ[g], qui docet præterea, tenebrarum, caliginis, obscuritatis vocibus carcerem describi, vinculis quoque tenebrarum; tenebricosus enim carcer, & ibi astrictus mouere se non potest. Sic quos rudentes Interpres vocat in epistola Petri secunda[h], Græcè dici σειραῖς ζόφου, *catenas caliginis*: denique ita loqui profanos, vt tenebras ponant pro carcere. Lege caput quintum[i].

x Ierem. 32. 2. 2. Esdr. 3. 25.
a in Appar. Vrbis super Ezechielē. par. 2. lib. 2. c. 9.
b in Philopœm.
c Dec. 4. li. 9.
d in Mario.
e Matt. 8. 12.
f Matth. 22. q. 27.
g Iob. 10. vers. 22.
h cap. 2. 4.
i vers. 18.

Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad DEVM *pro eo.*] His primùm se armis Ecclesia, priusquàm materialibus, tueri solet, non more castrorum seipsam defendens, vt Ambrosius, ac Thomas Cantuariensis dicebant: tametsi non contra persecutores, sed vt persequi desinant, orat. Conspirans plurium oratio validissima est, vt cum Chrysostomo[k], aliisque alibi[l] docui, hoc ipso exéplo Ecclesiæ orãtis pro Petro. Fauet maximoperè Petri super omnes primatui, quòd pro illo vno incumbit Ecclesia orationi, non aliàs vnquàm pro alio (quod quidem legatur expressum) aut pro Iacobo nuper interfecto. Adeò Petrum omnes amabant, ac æstimabant, vt se qui pro tanto orarent viro, indignos vel non reputauerint, vel ne cogitauerint quidem. Oratio sine intermissione, hoc est, vt Iacobus loquitur[m], *assidua*, & vt hîc denotat dictio Græca ἐκτενὴς, *continuata*, & longa ad impetrandum efficacior est. Euchitarum verò, qui nunquàm cessandum putant, superstitiosa, & impossibilis, contra quos aliàs disputatum est[n].

Orationis vsus, & eius quantus.
k Homil. 3. de incomprehensibili Dei natura, & hom. 2. in 1. ad Corinth.
l cap. 1. 14.
m cap. 5. 16.
n cap. 1. 14.

Ea oratio, quæ celebratur potissimùm in Italiæ præcipuis vrbibus, recurrente sua singulis templis vice cum apparatu, & expositione venerabilis EVCHARISTIÆ, hinc fortasse traxit exemplum, etsi spatium horarum quadraginta ex Dominica sepultura, quæ tot durauit horas, sumptum videatur. Sed meminisse oportet solam multitudinem orando nihil posse, nisi virtus accesserit, vt paulò antè citatus Chrysostomus[o] monet. Inde prætereà traxisse documentum potuit Ecclesia tam crebrò pro Domno Apostolico deprecãdi officia diuina celebrando. Edidit Angelus Sangrinus opusculum de oratione quadraginta horarum. Meminit Nicephorus[p] monachorum ἀκοιμήτων, hoc est, *insomnium*, qui perpetuis hymnis canebant DEO tres in cœtus diuisi.

Quæ celebratur in Italia, vnde originem traxerit.
o Homil. 2. in ep. 2. ad Cor.
p lib. 15. c. 23.

Versus 6.] Cùm autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.

CVM *autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat.*] Syriacè, *Et in illa ipsa nocte, cuius diluculo tradendus erat.* Quandiu in carcere fuerit Petrus, exactè non liquet: aliquanti certè intercesserunt dies, per quos qui orabatur ab Ecclesia DEVS, atque à Petro etiam ipso, vt reor, non tam pro se, quàm pro Ecclesia, dissimulauit, nec exaudiuit, ipsum expectans necessitatis articulum, is, qui *adiutor* dicitur *in opportunitatibus, in tribulatione*[q]. Existit videlicet hoc modo magis vis diuinæ potentiæ rebus iam propè desperatis: discimus nunquàm de DEO desperare, sed perseueranter orare, permittentes ipsi omnes articulos temporum, & rerum nostrarum prouidentiam.

Quàdiu in carcere fuerit Petrus.
q Psal. 9. 10.

Erat Petrus dormiens.] Κοιμώμενος. Est autē κοιμᾶσθαι, non simpliciter, ac vtcunque dormire, sed, vt ait Eustathius[r], τὸ ἀποκλίνειν, ἢ ὡς εἰς ὕπνον ἀνακλίνεσθαι, *cubare, & inclinare se ad dormiendum.* Itaque cubabat, & iacebat, dans corpus somno Petrus, vt sequens historiæ contextus docebit. Sopiti somno sensus solutum cura animum indicant: talem Petro tunc fuisse, & hoc loco, & in expositione epistolæ ad Ephesios notauit Chrysostomus[s], vbi confert Petri carcerem istum cum carcere Pauli, & Silæ[t]: *Hi vigilabant*, inquit, *& hymnos canebant, quoniam iam flagris cæsi fuerant, & totum eorum negotium confectum erat. Petrum futuri expectatio conturbare poterat. Dormit corpore Petrus, corde ad* DEVM *vigilat,* DEVS *verò custos ipsius nec dormitat, nec dormit*[u].

r in Iliad.
Petrus dormiens quid doceat.
s Hom. 1.
t cap. 16. 25. & seq.
u Psal. 120. 4.

Inter duos milites.] Magna cautio, custodia arcta. Nescio essēntne hi duo milites ex numero quatuor quaternionum. Fieri potest, siquidem non omnes illi simul eodem tempore adhibebantur ad custodiam. Secus tamen factum magis credo, ac pluribus paulùm à se distantibus locis milites dispositos, vt custodia tutior ac munitior fieret. Adeò accurata tot circumstantiarum commemoratio, facit ad magnitudinem, splendorémque miraculi.

Milites duo qui quales.

Quatuor difficultates cumulant custodiam, ait Glossa, *carcer, milites, catenæ, custodes.* Tempore Imperatorum, & vbi Romano agebatur iure, militibus rei tradebantur in custodiam. De duobus militibus meminit Modestinus[x], ac mentio est custodiæ militaris, quæ Græcè φρουρὰ στρατιωτικὴ nominatur in Iure ciuili[y]. Nec tamen huiusmodi custodia carceralis semper erat, immò ab hac eam distinguit Constantinus, dum fisci debitores in carcerem duci vetans ita præcipit[z]: *Contineantur aperta, & libera, & in vsu hominum instituta custodia militari.* Cyprianum narrat Pontius[a] ductum, ac susceptum ab statore officij Proconsularis. Rescripsit Plinio tamen Traianus, vt per publicos seruos in Bithynia custodiæ adseruarentur, quòd ea ibi consuetudo obtinuisset[b]. Milites fuisse, qui Apostolos carcere inclusos custodiebant, vt vidimus capite quinto[c], æquè consentio: de custodiis etiam ab iisdem adseruatis in castris, atque in Prætorio, capite 21.[d] atque 23.[e] videbimus, & Iosephus[f] mentionem facit.

Mos antiquus custodiendi carcerem.
x l. vlt. ff. de custo. reo.
y lib. 11. C. ex quibus causis maior. l. sed & si quis. § 1. D. si quis cautionibus. & l. Autocrator. ff. de appellat.
z tit. 11. C. de exactor. tributo. lib. 10.
a in vita.
b lib. 10. epist. ad Traianum.
c vers. 18.
d vers. 34.
e vers. 10. & 35.

Igitur quia plerumque milites ad ipsam carcerum custodiam adhiberi solebant, ipsum custodiæ nomen, quod Græcus Euangelij Matthæi Interpres retinuit, & alij Scriptores Græci, carcerem significat; & quatenus dicitur de asseruatione sontium, definit Suidas[g] illam hoc modo, Κουστωδία τῶν δεσμωτηρίων ἐπιμελούμενον στράτευμα σύστημα στρατιωτικόν. Cùm Perseus Rex Macedo captus à Paulo Æmilio custodiretur in carcere, milites morantes in eo custodiendo pertæsi, vigilia ipsum extinxerunt, somnum capere illi non permittentes[h]. Mitiùs agitur cum Petro, vel potiùs crudeliùs, vt ad

Custodia nomen pro carcere, & quare.
f 18. Antiq. c. 8.
g verbo, Custodia.
h Plutarc. in Æmilio.

Quandiu in carcere fuerit Petrus.

a Psal. 67. 14.

infamem mortem non diu pòst conseruetur. De Petro possit illud aptè vsurpari ex Psalmo [a]: *Si dormiatis inter medios cleros*, id est, inter pericula, vt ibi exposuimus, *pennæ columbæ deargentatæ*, &c. id est, erunt sic candidissimæ columbæ, quas venerabantur Assyrij, nec edere aut occidere vllo modo audebant.

Vinculis continebantur omnium more gentium, qui carcere detinebantur.

b lib. 1. c. 1. 18. 19. 29. c Act. 21. 33. d Act. cum 21. 11. e in Nerone. c. 36.

Vinctus catenis duabus.] Omnium more gētium vinculis continebantur, qui carcere includebantur. Manus, pedésque Arrianus [b] scribit solitos deuinciri. De Paulo narratur inferiùs, quòd à Tribuno sit iussus alligari catenis duabus [c], vt nempe vna pedes, altera manus stringeret; sic enim Agabus vaticinando significauerat, cùm Pauli zonâ sibi ipsi manus, pedésque alligaret [d]. Triplicem gestasse testatur Suetonius [e] coniuratos sub Nerone catenam.

Vincula carceratorum antiquitus qua fuerint.

f lib. 3. g in Erotico. h orat. περὶ Πλάτω. i lib. de habitu mulieb. c. 7. & lib. de cultu fœminarum cap. 10. k in ludo septem Sapientum. l lib. 27.

Petrum pedes constrictos habuisse non apparet, cùm posteà dicantur catenæ de manibus eius cecidisse, & iussus calceare caligas, pedum indumentum. Haud dubium quin ex ferro catenæ vt plurimùm forent. Æthiopas Herodotus [f] refert aureos reis compedes iniecisse: Plutarchus [g] quoque, ac Dio Chrysostomus [h]: hos, opinor, idem cùm prodit Tertullianus [i], sub nomine Barbarorum intelligit. Crœsum à Cyro ea ratione vinctum, hi versus testantur [k]:

Vinctúmque pedicis aureis secum iubet,
Reliquum quod esset vitæ, totum degeret.

m ca. 23. 10. 35. c. vlt. 30. n con. Vigilan. o lib. 58. p epist. 5.

Ammianus [l] Arsacem regem à Sapore catenis scribit argenteis ligatum. Alioqui fuit quædam ἄδεσμος ἢ ἐλευθέρα φυλακὴ, siue vinculis liberáque custodia, qualem expertum Paulum historia nostra bis tradit [m], olímque apud Senatores, aliósque Magistratus habebantur tales pro Senatoribus honestioribúsve aliis viris custodiæ, vt in vniuersum meminit Hieronymus [n], & de Lentulo, & ceteris coniuratis Dio [o].

An vna eadémque catena Petrum, & militem custodem copularet.

q 18. Antiq. cap. 8. r Hom. 9. in Matth.

Quia verò apud Senecam [p] reperio, quòd eadem catena, & militem custodem, & reum (quem vocat custodiam) copulabat, & perspicuum extat huius rei exemplum in Iosephi historia [q]; adducor facilè vt credam, hinc & hinc cum medio Petro vtrumque militem colligatum fuisse; auctore fortasse ipsomet Agrippa, qui id in seipso aliquando expertus erat, estque is, de quo Iosephum scribere modò dicebam. Chrysostomus [r] id planè asserit. Solùm excipi posset, quomodo milites, cùm de manibus Petri catenæ ceciderunt, non aduerterint? Sed qui nec aduerterunt alia, nil mirum si hoc illos etiam latuerit. Arias Montanus notat, quòd milites singuli tenebant singulas catenas, quibus erat vinctus Petrus; vt duriori custodia vteretur, & intra carcerem, & extra portam nemo, aut eum adire, aut accedere posset, cùm intus, & foris omnia essent munita.

Cur catenarum Petri festum celebretur in Ecclesia.

f li. 1. epist. 30 lib. 11. ep. 49.

Quæ tam multis locis Chrysostomus adeò magnificè deprædicat de Pauli catenis, & vinculis, hæc in catenas Petri æquo possunt iure transferri, quas indicto etiam festo censeat Ecclesia venerandas, vt cuius in ligandis, ac soluendis alienis spiritualibus vinculis, quibus nulli, nisi reuerà nocentes tenentur, immò quæ nocentes non tam arcent, quàm faciunt, potestas est in Ecclesia princeps, & præcipua, eiusdem quoque vincula pro CHRISTO gestata à cunctis fidelibus in honore habeantur solemniore ritu. Nam & Pauli vinculis vim tributam miraculorum testis Gregorius [f]. Dixi versu 3. festum vinculorum Petri, siue Dedicationis S. Petri ad vincula celebrari Kalendis Augusti. Ita Martyrologia quidem omnia, & plures Latini Patres, cùm Græci de his catenis solēnitatem instituant ad 17. Kalendas Februarij.

Vbi catenæ Petri asseruentur.

t Serm. de vinculis Petri. u vt est in orat. de vinculis Petri apud Sur. Tom. 4. quæ est aut Procli, aut Germani, sed non Chrysost. quia nondum eius tempore fuerit inuentæ. x vt est in A. Ss. Alexandri Papæ. y epist. ad Eustochium de vinculis Petri, Tom. 9. operum Hieronymi. z in libro Actuum, cap. 67.

Ex duabus Ierosolymitanis hisce catenis, Eudocia Theodosij iunioris vxor (non Eudoxia Arcadij, vt scripsit Beda [t], seu alius apud eum) quas, quando iterum obiret religionis causâ pia Ierosolymorum loca, ab Episcopo Iuuenale dono acceperat, anno CHRISTI 436. vel 437. alteram Constantinopoli collocauit in templo S. Petri [u], alteram misit in vrbem ad filiam Eudoxiam Augustam Imperatoris Valentiniani vxorem. Hæc munus id sacrum in Basilica reposuit montis Esquilini anno 438. Vbi præterea mirabiliter catena, quæ Petrum Romæ in Mamertino strinxerat, hactenus piè custodita [x] (quam Balbina virgo Romana Alexandro Papa hortante conquisitam diligenter inuenerat) coaluit aptissimè cum Ierosolymitana, perinde ac si gemina, & omninò par foret. Mendax est ergo Pseudo-Hieronymus [y] (is inquam qui falsò sibi Hieronymi sumpsit nomen) dum ait ex Constantini decreto institutam hanc solemnitatem. Decipitur etiam Historia Scholastica [z], cùm affirmat vtramque catenam esse Romæ, quod tamen etiam cecinisse hoc Arator videtur versu;

—Manet omne per æuum
Pignoris huius apex, & syderis obtinet instar
Corpore quod Petrus sacrauit, & Angelus ore.
His solidata fides, his est tibi Roma catenis
Perpetuata salus, harum circundata nexu
Libera semper eris, quid enim non vincula præstant
Quæ tetigit qui cuncta potest absoluere?—

Quanti habitæ sint.

a lib. 5. epi. 6. lib. 6. epist. 21. li. 1. epist. 14. 29. 30. lib. 2. epist. 4. 9. lib. 12. epist. 49. b To. 7. Annal. c Tom. 1. Annal. & in Notis Martyrol. 1. Aug.

Tanti pretij æstimatæ sunt hæ catenæ multis coruscantes miraculis, eò præsertim quòd Breuiarium Romanum recenset, atque Sigebertus in Chronico anni 969. vt pro ingenti munere limaturæ mitterentur aurea claui inclusæ primariis viris de DEI Ecclesia bene meritis, à Romano Pontifice, quemadmodum constat non ex pluribus duntaxat epistolis Gregorij [a], verùm etiam ex iis, quas ante illum conscripserunt inuicem Iustinianus V. C. posteà Imperator, & Hormisdas Papa. Recitantur epistolæ istæ à Baronio [b], qui de toto quoque hoc argumento diligenter tractat [c].

d lib. de habitu muliebr. cap. 7.

Is, quem dixi, auctor orationis citatæ à Surio, narrat, quòd catenas in carcere derelictas ipsi Herodis ministri, quibus diuinæ cognitionis lumen effulsit, clàm sustulerunt, & apud seipsos veluti thesaurum quendam eas cōseruarunt, donec tandem, illo nempe tempore, quod superiùs notatum est, Constantinopolim vna translata est. *Aliquando*, inquit Tertullianus [d] anteà citatus, dum agit de catenis aureis, *reuerà inuentum est, quomodo & aurum non ametur.* Sed reuerà inuentum etiam est, qua ratione ferrum ametur, & auro præferatur, ac omni lapidi pretioso id, inquam, ferrum, quo venerandum Petri corpus pressum & maceratum est. Imperatrix Helena CHRISTI Crucem, Eudocia Petri vincula inuenit.

Versus 7.] Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussóque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius.

Quomodo Angelus astare dicatur.

ET *ecce Angelus Domini astitit.*] Ἐπέστη. Syrus vertit, *Astitit supra eum*; cùm tamen in Euange-

lio, quando

a cap.2.9.

lio, quando Lucas [a] ait de ANGELO, qui pastoribus apparuit, ἐπέστη αὐτοῖς, & noster Interpres reddat, *stetit iuxta illos*, ipse etiam simpliciter explicet, *venit ad eos*. Quæ interpretatio melior est; ANGELVS enim vtrobique ad colloquendum venit eo modo, quo solet homo ad hominẽ; quod fit commodiùs, cùm colloquentes iuxtà sunt, quàm si alter emineat: & præpositio ἐπὶ, significat *in, ante, iuxta, supra*, &c. Clauso carcere intrauit Angelus, vt paulò pôst dicemus.

Lumen Angelorum vnde proueniat.

Lumen refulsit in habitaculo.] Siue ex corpore, quod Angelus assumpserat, eiaculatum, siue aliunde allatum ab eodem, siue à DEO productum. Epithetum Angeli sancti est, vt Angelus lucis dicatur. Cùm Angelus Domini stetit iuxta pastores, qua nocte CHRISTVS erat natus, *claritas* DEI *circumfulsit* [b]: cùm apparuit in monumento iam suscitati CHRISTI, *erat aspectus eius sicut fulgur* [c].

b Luc.2.9. c Mat.vlt.3.

Non ita in veteri Testamento fulgentes apparuerunt Angeli, vt in nouo.

Non ita leguntur Angeli fulgentes apparuisse in vetere Testamento; debebatur hoc veritati, & luci legis nouæ, quæ fugauit vmbras, & tenebras antiquæ, orto Sole iustitiæ. Obseruauit id Beda exponens Euangelium Lucæ [d]. Haud dubium, quin externas noctis tenebras nuncius natalis CHRISTI, & hic visitator Petri Angelus sua voluerit luce dispellere. Quandoque tamẽ sola quæritur in claritate, quæ etiam δόξα dicitur, gloria, seu maiestas, vt cùm Saulum medio die *circumfulsit lux de cœlo, & perculit* [e]. *Hoc lumen*, inquit Glossa, aliique Latini, *soli Petro præbitum est, nec aliis refulgebat*. Id quoque ait Chrysostomus [f], & ne putaret Petrus spectrum esse. *Sopor Domini super alios irruerat*, vt in Saulem, & exercitum ipsius [g], quando *Dauid clàm abstulit Saulis hastam, & scyphum*. Eò mirabilius, & gratius lumen affulsit, quòd carcer ille, vt antè diximus, teterrimus, ac obscurissimus, ne de die quidem quicquam lucis admitteret.

d cap.2.

e Act.9.3. cap. 22.6.

f Homil.8.in epi.ad Ephes. & hoc loco. g 1.Reg.26.12

Pauillum latus Petri quid indicet.

Percussóque latere Petri.] *Aliè námque dormiebat: & ne existimaret*, ait Chrysostomus, *rem esse solùm lucis, Petrum Angelus pupugit.* Allegoricũ est quod Arator, Beda, aliique notant de puncto latere CHRISTI [h], vnde fluxit Ecclesia, de porta in latere Arcæ [i], & de Eua quæ exiit ex latere Adam [k], vt Petrus intelligat, omnis in se decus Ecclesiæ consistere. De tropologia dicam in fine præsentis historiæ.

h Ioan.19.34.

i Gen.6.16. k Gen.2.21.

Quare Petrus iussus est velociter surgere.

Surge velociter.] Quod ait, *velociter, non trepidantis est*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius, *sed suadentis, ne cunctetur.* Paulo oranti in templo Ierosolymitano, & mentis patienti stuporem, dixit CHRISTVS: *Festina, & exi velociter ex Ierusalem* [l]. Videlicet non verebatur Angelus angustias temporis, & moræ periculum: cohortatione ad agendi celeritatem, & desiderium liberationis declarauit, & sopitum expergefacere, magísque expeditum reddere voluit. Duo hæc verba innuunt summam diligẽtiam & alacritatem, cùm primùm, vt aliàs dictum est, per se huiusmodi vsum habere soleat, immò & locum subire aduerbij hortantis, & vrgentis. Hoc loco simul significat mutationem situs: iacebat enim, & decũbebat dormiẽs Petrus.

l Act.22.18.

Quomodo catenæ de manibus Petri ceciderint.

Et ceciderunt catenæ de manibus eius.] Excussæ nimirum ab Angelo, &, vt Macario [m] placet seniori, effractæ, cuius Angeli in corpora potestas exercetur per motum localem. Hac eadem ratione, vel per terræmotum Angeli etiam opinor opera factum, vniuersorum, qui eodem carcere cum Paulo tenebantur, vincula sunt soluta [n]. Proclus [o] casum catenarum deputare videtur imperio ac verbis Angeli, & argumentum hoc esse, Angelum illum bonum fuisse, visionem veram. Imperio, ac verbis ascribitur, quod proximè post illa consecutum est, etsi vim non verba, sed operatrix Angeli facultas habebat.

m Homi..7. Tom.2. Bibl. Patrum. n Act.16.26. o orat. de his vinculis apud Surium, siue in Tom.4. Bibl.hom.

Ratiocinatio autem de Angelo bono probabilis est, si aliæ circunstantiæ attendantur: per se, non necessariò concludit, quia cacodæmoni quoque huiusmodi effectum operari difficile non est. Quia nihil de decidentibus catenis ex pedibus asseritur: illi forsan colligati ferro non erant.

Versus 8.] Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me.

Cur Petrus præcingi iubeatur ab Angelo. p supra.

PRÆCINGERE.] *Ad eximendum Petro metum*, inquit idem Proclus [p], *quomodo dispositas militum custodias pertransiret, tamo* ANGELVS *illum auxilio, ac præsidio munitum confirmat, vt otiosè pallium induere, atque sandalia, & laxatam adstringere vestem possit.* Præterea hinc ostenditur, nullum in vincto dolum extitisse, neque fugam, cùm sine catenis in magno otio, & quiete induens se prosiluerit, vt obseruat Chrysostomus [q]. *Propter carceris rigorem ligamenta ad horam laxauerat*, inquit Beda, *vt tunica circa pedes dimissa frigus noctis vtrumque temperaret.* Idipsum repetit Historia Scholastica, & alij, inde etiam tropologicè inferentes, nonnunquàm fas esse tenorem disciplinæ remittere. Cassianus [r] item innuit, confirmátque rectè monachum vti cingulo, quòd eo Petrus [s], & Paulus [t], & Ioannes Baptista [u], & Elias [x], ac Elisæus sint vsi. Subdit Angelum monuisse, vt præcingeret se Petrus, quia viderat eum ob refectionem nocturnæ quietis, paulisper defessa membra solita cinguli obstrictione laxasse.

q Hom.8. in epi.ad Ephes.

r 1.de inst. renunc.cap.1.

s hoc loco. t Act.19.12.c. 21.11. u Mat.3.4. x 4. Reg.1.8.

Iudæi quas vestes solebant gestare.

Consueuerant Iudæi oblongas gestare vestes, vt nunc passim Orientales, quas cùm quiescebãt, solutas relinquerent: cùm quid operis, itinerísve faciebant, religarent, & attollerent: vt patet tum exemplo CHRISTI lauantis pedes Discipulorum [y]; tum parabolæ, quam idem affert de præcingendis lumbis [z]; & valdè crebra mentio est huius rei in Scriptura, necnon apud Scriptores profanos, quibus etiam cingere est militare [a]. Vnde prouerbium [b]: *Non glorietur æquè accinctus, vt discinctus*, hoc est, is, qui adhuc in belli discrimine versatur, perinde vt qui iam victoria potitus, arma deposuit. Isidorus Pelusiota [c] Galilæorum pauperes vti solitos scribit vestimento retractim consuto, cuiusmodi est, quod pectorale nominant; ac talem fuisse CHRISTI tunicam inconsutilem.

y Ioan.13.4.

z Luc.12.35.

a vt apud Plautum in Amphitr. b 3.Reg.20.11.

c libr.1.epist. ep.74.

Cingi, & accingi, succingi, & præcingi, qui differant. d in Psa.92.

Non laboro nunc de differentia, quæ ab Augustino [d] affertur inter cingi, accingi, succingi, præcingi, vt primum sit operaturi, secundum pugnaturi, tertium ituri, quartum ministraturi; confunditur enim quandoque horum verborum significatio. De vario præcinctorum, aut cingulorum genere accommodatè ad mores Toletus in Lucam [e]. Fortasse colligat aliquis non nudum in sola interula iacuisse Petrum, sed cum veste; solùm enim iubetur se præcingere.

e in cap.12.

Quomodo Petrus dicatur præcinctus vel succinctus.

Ita quidem sanè incommodè sine lecto, & culcitra dormisse, Petri non solùm paupertas, sed barbara etiam aduersariorum persuadet crudelitas, duóque milites, inter quos medius quietem capere cogebatur: attamen præcingi, vel succingi dicitur & is, qui tunicam super nudo, verbi gratia,

vt more nostro loquamur, super thorace, & femoralibus, non solùm super interula circumponit, vt idem Petrus apud Ioannem [a], vbi est verbum διεζώσατο, sicut hîc περιζώσαι; etsi ibi, sed profectò minùs probabiliter, Euthymius contendat Petrum vestem duntaxat discinctam, quæ sine manicis esset, & vsque ad brachia proiecta, præcinxisse. Non credo nunc esse sermonem, sicut tamen voluit Petrus Comestor [b], de cingulo duro, quali vterentur Prophetæ, & Apostoli, vt ipse quoque dicit, propter afflictionem carnis.

a cap. vlt. 7.
b in Hist. Sch. Act. cap. 67.

Calcea te caligas tuas.] Υπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, *Subliga sandalia tua.* Suspicatur Iacobus Lopez Stunica [c], legendum per υ, ὑπόδυσαι, *subindue*; ait tamen retineri posse lectionem, quæ extat, vt ad calceorum corrigias referatur. Glossa interlinearis tradit esse calceamenti genus. Lyranus, quod non habet supernè corium, quale, inquit, quod Galli nominãt *galoches*. Sandalia apud Græcos sæpe sunt muliebria calceamenta elegantissima, vt ait cum Polluce [d] Turnebus [e], necnon Petrus Victorius [f]: aliquando soleæ, quibus domi vtebantur viri. Isidorus [g] caligas, aut caliculas à ligando, vel à callo dictas, inter genera calceamentorum ponit; alij galliculas, vnde Gallicum illud *galoches*. Hieronymus [h] quæ Latinè in Esaia dicuntur *calceamenta*, confundit cum sandalijs, & caligis: alij caligam cum compagio, vel campago, & cambago, seu campaco, de quo Rhodiginus [i], & Petrus Pithœus [k]: fitque de illo mentio in iure Canonico [l]: quidam cum crepida quæ sit solea, superiorem partem pedis detectam relinquens in ea duntaxat per corrigiam illigata, quam vocare possimus calceum fenestratum. Hoc loco arbitror integros calceos intelligi, ideóque esse apud Matthæum [m], quæ interpres dixit ὑποδήματα, & Lucas etiam in Euangelio [n], quæque ille apud Marcum [o] sandalia, ita vt CHRISTVS calceorum vsum permiserit, tot nimirum itinera pedibus facturis Discipulis, abusum cohibuerit, ne præ nimia de futuro sollicitudine, vt ait Iuuencus [p], *nec plantis tegmina bina* circumferrent, sicut neque duas tunicas, &c. Id non intelligentes Ægyptij illi monachi apud Cassianum [q], calceamenta velut interdicta Euangelico præcepto recusabant. Hieronymus [r] negat CHRISTVM caligas, seu, vt ipsemet exponit, calceamẽtorum onus, & vincula pellium habuisse; tum quia milites vestimentis illius forte discissis, caligas non habuerunt, quas tollerent; tum quia non poterat habere Dominus, quod prohibuerat seruis. Atqui forsan ratio tam vilis rei habita non est à militibus: CHRISTVS autem quomodo Discipulis inhibuerit, iam diximus.

c in ann. con. Erasmum.
Per caligas quid hic intelligatur.
d lib. 7. c. 22.
e lib. 29. ca. 8.
f 19. varia. lec. c. 15.
g lib. 19. Orig. cap. 34.
h in c. 40. Esa. & Gen. 14.
i lib. 18. c. 21.
k 1. Aduersario. cap. 16.
l c. nonnulli. & c. peruenit. dist. 93.
m cap. 10. 10.
n cap. 22. 35.
o cap. 6. 9.
p 2. Hist. Euã.
q 1. Inst. c. 10.
r epist. 22.

Septuaginta crebrò vocem τῶν σανδαλίων exprimunt, pro qua editio Latina *calceamenta* [s], & Hebræa habet נעל *nahhal*. Fauet præterea quod habetur in Genesi [t]: *A filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Vbi etiam est dictum nomen Hebræum, & Græcum ὑπόδημα. Ioannes Ferdinandus noster [u] existimat sandalia non pedum esse, sed tibiarum, quasi dicas tibialia. Sed quæ modò attuli, penitus obstant, maximè testimonia veteris Testamenti, quæ non possunt aliter intelligi, quàm de pedum gestamine; & vt caliga eo modo interdum vsurpetur, non tamen vnquàm sandalium, quod sciam; id verò optimus Auctor Donatus præter citatos exponens Terentium [x] Græca voce Latinè loquentem, docet esse calceamentum: & τὰ σάνδαλα sine dubio talaria calceamenta vertunt periti Inter-

Sandalia quid sint.
s Exod. 3. 5. Deut. 25. 9.
t cap. 14. 23.
u in Thesauro Script. verbo, Calceus.
x in Eunucho

A pretes, seu calceamenta, seu sandalia: denique Syra dictio טלרא *talera*, pro qua ponuntur sandalia, eandem vim habet, sed & à Chaldaico Thargũ [y] frequenter communes calcei appellantur sandalin, vt monet Elias Leuita [z], vbi etiam ait Rabbinum quendam vocatum Hallandelar, id est, calceolarium. Lege Serarium nostrum in historiam Iudith [a]. Gaudentius Brixiensis [b], quæ Marcus sandalia [c], nominat caligulas: apud quem lege mysticum vsum calceorum. Gregorius [d] describit Equitium Abbatem, cùm fœnum secaret, calceatum caligis clauatis.

y Gen. 14. 23. Cant. 7. &c.
z in Thisbi.
a cap. 10. q. 2.
b Sermo. 4. in Exodum.
c cap. 6. 9.
d 1. Dialog. c. 4.

Non improbabile mihi fit, has caligas aliter dici posse perones, & calceos talares, qui talos
B contegebãt medio crure tenus, & à rusticis siue campanis hominibus aut peregrinis vsurpabantur. Festus [e] tibiatim calceare dixit, id est, ad mediam tibiam seu suram, quod Aldelmus [f] suratim vocat. Caligam verò Hieronymus [g] distinguit vulgarem, & militarem: & consulendus eadem de re Plinius [h], & Sympolius [i], & Athenæus [k]; ex quibus distinctio quoque peti potest exarmatæ, & clauatæ in soleis. Caio Imperatori cognomen impositum Caligulæ, quòd ad sibi deuinciendos milites, militarem caligam gestabat, vt est apud Tacitum [l], & Suetonium [m], & Dionem [n], & Ausonium, cuius illud [o]:

Caligæ hic perones & calceos talares intelliguntur.
e lib. 18.
f de laud. virgin. cap.
g ep. ad Gaudentium.
h lib. 7. c. 43.
i ænig. 57.
k lib. 12.

Caius, cognomen caligæ cui castra dederunt.

C Nota quoque satis apud Capitolinum [p] caliga Maximini.

Qui obscuriore in ordine militari versabantur, manipulati etiam dicti & gregarij, vocabantur caligati. Quo pacto Marium Seneca [q] à caliga scribit euectum ad Consulatum: testatur autem [r] id sibi posteà Caium Imperatorem, vt probrosum cognomen duxisse. Lege præterea Brissonium [s], & Sauaronem [t]. Prior docet commune omnibus militibus calceamentum fuisse, quamuis alij ferreos, alij figerent argenteos, aureósve clauos.

l 1. Annal.
m in Caio.
n lib. 57.
o in duodecim Cæsaribus.
p in Maximino.
Caligati qui dicerentur.
q 5. de benef. c. 16. & in de breu. vitæ c. 17.
r lib. de sapien. non ca. dere iniuria. 18.
s 2. Select. ex iure ciuili antiq. c. 5.
t in Sidonii Apoll. lib. 4. ep. 20.

Ferunt Romæ inter alias Reliquias piè asseruari vnam ex soleis, seu calceis, quos Petrus iussus est ab ANGELO calceare. De vsu sandaliorum
D in sacris mysterijs Ordo Romanus, & Rituales libri, ac præsertim Ioannes Stephanus Durantus [u], ac Petrus Faber [x]. Ea priùs, calceósve celebraturi deponebant, fortasse exemplo Mosis [y], & Iosue [z], necnon, vt quidam putant, Iudæorum aliorum, sicut modò Saraceni meschitas discalceati intrant: vt cap. etiam 7. [a] docuimus. Hoc Synodo displicuit, quæ à Bonifacio Episcopo [b], & aliis Francis Episcopis celebrata est anno 742. cauit enim vt *vnusquisque presbyter Missam ordine Romano cum sandaliis celebret*, id est, cum calceis: sandalia enim propria sunt Episcoporum. Clemens Alexandrinus [c], derupta itineris, militiæ, vel alterius necessitatis causa, nollet viros vti calceis: sin autem, nec
E nudis incedere pedibus quis possit, soleis vtendum, quas Attici κονίποδας vocant, quòd pedes terræ appropinquent: tales videri quibus vtebatur CHRISTVS, quorum Ioannes corrigiam soluere se negabat dignum.

Sandaliorum vsus in sacris mysteriis.
u lib. 2. de Ritib. Eccl. c. 1.
x 2. Agonist. cap. 14.
y Exod. 3.
z Iosue 5. 15.
a vers. 39.
b cap. 249. in lib. 6. Capitulari Caroli Magni. Iuxto [illegible]
c in 2. Pædag. cap. 11.

Circumda tibi vestimentum tuum.] Ἱμάτιον, *superiorem vestem, seu pallium.* Occumenius negat violari à Petro CHRISTI præceptum *de non portandis duabus tunicis* [d], *quia id pro tempore solùm datum fuerat, non vt in perpetuum seruaretur, quod nec poterat decorè, nec sine iactura valetudinis, & detrimento prædicationis, voluisse, cùm id præcepit CHRISTVS, ostendere potentiam suam, quod etiam sic nihil ex necessarijs ipsis esset defuturum*; posteà cùm

Per vestimentum quid intelligatur.
d Matt. 10. 10. Marc. 6. 9. Luc. 9. 3.

dixisset [a]: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* & respondissent, *nihil*: subdidisse: *Qui habet sacculum, tollat, similiter & peram*, &c. quasi diceret, Posthac ipsa hæc possidere.

[a] Luc. 22. 35. 36.

Consentio cum Occumenio, non esse inhibitum simpliciter plurium vsum vestium; nego tamen permissionem illam contineri in illa sententia, quam protulit CHRISTVS sub mortem. Arbitror autem cum Hieronymo [b], & Augustino [c], quod paulò antè dicere cœperam, caueri præcepto CHRISTI plures habere tunicas, quàm in præsentem necessitatem requirantur, eo sensu, quo Ioannes præcipiebat [d], *vt habẽs duas, daret non habẽti*, intelligẽs tunicæ nomine omnem vestitum necessarium, licèt sint plures tunicæ, vt ait Hieronymus [e]; & qui escas, similiter faceret, & ea ratione, qua diuites istarum rerum sollicitos Iacobus reprehendit, quòd tantam habeant vestimentorum multitudinem, vt à tineis comedantur [f], idque malint, quã egenis impertiri. Constat CHRISTVM ipsum duabus simul tunicis indutum fuisse [g]. Intelligi posset per τὸ ἱμάτιον pallium. De hoc Tertullianus librum conscripsit. Videtur ab iis vsurpatum Christianis, qui seuerius vitæ genus sectabantur; quale quod modò vocamus Religiosorum pallium & cappam. Colligi hoc potest ex eodem Tertulliano, qui saga militum [h] ait fuisse, Cypriano [i], Hieronymo [k], Saluiano [l], Eusebio [m], & ex concilio quoque Gangrensi [n], vbi appellatur περιβόλαιον.

Vsus plurium vestium quomodo inhibitus. [b] In c. 10. Mat. [c] 2. de consens. Euang. c. 10. [d] Luc. 3. 11. [e] ep. ad Hedibiam quæst. 1. [f] cap. 5. 2. [g] Ioan. 19. 23. [h] Apolog. ca. 24. [i] de bono patien. [k] ep. ad Furiã. & epist. 23. ad Marcellam. [l] 8. de prouid. [m] 6. Hist. c. 11. lib. 8. cap. 21. [n] cap. 21.

Versus 9.] **Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre.**

ET *nesciebat quia verum est, &c.*] Meritò: *maxima enim res fiebant*, ait hoc loco Chrysostomus, *& præ timore videntur incredibiles*: &, vt moraliter agamus, plerique in beneficiis DEI indormiscunt: vel bona opera tanquàm sopiti faciunt. Potest præterea huius rei causa naturalis reiici ad quendam ingentis, & improuisæ lætitiæ de liberatione excessum, quo fiat, vt non reipsa, sed per somnium rei lætæ fructum percipere videamur. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion*, inquit Propheta Regius [o], *facti sumus sicut cõsolati*. Hebraicè חולמים *cholemim, dormientes, & somniantes*, vix ita esse credẽtes. Cũ accepisset Iacob filiũ Ioseph viuere, quasi de somno euigilãs, filiis affirmãtibus credere non poterat [p]. Sic Apostoli cùm præsentem cernerent suscitatum CHRISTVM, adhuc non credebant, & præ gaudio mirabantur [q]. Existimantes etiam se videre spiritum, vel phantasma, vt cùm aliàs ambulans super aquas apparuit [r], & cùm in hoc ipso capite pro Petro liberato existimatum est Angelum eius esse [s]. Addam & profanum exemplum: *Cùm præco Senatus, ac T. Quintij Imperatoris nomine, victo Macedone Philippo, his qui prius isti parebant, libertatem, & suo vt iure viuerent, edixisset, maius gaudium fuit* (loquitur in hunc modum Liuius [t]) *quàm quòd vniuersum homines caperent, vix satis credere se quisque audisse, alij alios intueri mirabundi, velut somni vanam speciem.*

In Petro quæ fiebant quæ ratione incredibilia visa sint. [o] Psa. 125. 1. [p] Gen. 45. 26. [q] Luc. vlt. 17. [r] Mat. 14. 26. [s] vers. 15. [t] lib. 33.

Macarius senior docet [u], quòd Petrus velut in excessu mentis existens, putabat visionem esse. Gregorius [x] quoque raptum in extasim asserit, ac extra se, sed super semetipsum in contemplationis culmine fuisse. Non dubito Petrum, cùm sibi videre videbatur quod videbat reipsa, vigilem fuisse, & experrectum, excitatus enim erat lumine, voce, percussione Angeli, catenarum casu; tamen imaginarias visiones in vigilia posse contingere, non dubitat B. Thomas [y], Abulensis [z], & alij, quales ferè illæ quæ Prophetis acciderunt. Lucas cùm scribit quòd Petrus existimabat se visum videre, innuit potiùs passum perturbationem animi, quàm cœlesti viso dignatum. Proclus quidem sæpe citatus à me, agnoscit hîc in Petro [a] naturæ infirmitatem, arbitrantis inane aliquod visum esse: *Fortitudo enim carceris*, inquit Lyranus, *& diligens custodia fecerunt sibi imaginationem de euadendo impotentia, propter quod rem gestam somnium æstimabat.* Carthusianus putat non perfectè vigilasse; aliquos enim in somno surgere, & incedere.

[u] Hom. 7. [x] 2. Dial. c. 1. *Visiones in vigilia interdum contingunt.* [y] 2. 2. q. 174. a. 3. [z] 2. Par. 18. qu. 35. [a] Ser. de vinculis Petri.

Versus 10.] **Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem: quæ vltrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuò discessit Angelus ab eo.**

TRANSEVNTES *autem primam & secundam custodiam.*] Vel ordinarios custodes dispositos diuersis locis ad excubandum, vel duos è quatuor quaternionibus, qui propriè assignati erant Petro ad custodiam, vel extraordinarios excubitores mœniorum, qui quò arctiùs custodiretur Petrus, adhibiti sunt. Elusa est custodum diligens vigilantia, percussique sunt acrisia, vel aorasia, sicut milites illi, qui comprehendere volebant Elisæum [b], vt aliàs quoque dictum est [c]. Proclus [d] credit milites sopore depressos diuinitùs esse. Et id esse potest, huiúsque rei exemplum etiam anteà [e] de Saül, & exercitu ipsius attulimus: cui simile de Sodomitis in Genesi [f].

Custodum diligens vigilantia elusa est. [b] 4. Reg. 6. 18. [c] Act. 9. 7. [d] suprà. [e] vers. 7. [f] cap. 19. 11.

Venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem.] Omnes ferè Latini interpretes portam istam intelligunt exteriorem carceris, & hunc extra, vel in exteriori parte ciuitatis: & consentit Scholastica Historia. Arias verò non solùm in notatione huius loci, verùm etiam in Apparatu, cùm describit veterem Ierusalem, vult extra vrbis veteris mœnia fuisse. Caietanus sibi contrarium rectiùs colligere videtur ex illis verbis quæ sequuntur, *Et exeuntes processerunt vicum vnum.* Vicus námque in ciuitate est, ad quem qui extrà est, non exit, sed introit. Fuit námque exitus ex porta immediatâ vici ciuitatis, & illa ad eam ducere dicitur, eo pacto, quo dum domo egredimur in vrbem, vbi tamen domus est, egredi vulgò dicere solemus. Baronius [g] priores Auctores putat in errore versari. Ierusalẽ enim ad hoc vsque tempus duplici muro fuisse circumdatam, tertio tantùm inchoato ab Agrippa, cuius hoc capite mentio, nondum absoluto: ac proinde carcerem inter duos illos muros extitisse, cùm scribat Iosephus [h] in ipsis turres munitissimas erectas. Sed quæ dixi versu quinto probabiliora sunt.

Porta ferrea quænam dicatur. [g] Tom. 1. An. [h] 6. de bello Iud. cap. 6.

Quæ vltrò aperta est eis.] Nullo externo adminiculo, sed inuisibili opera Angeli, qui quamuis visibilem se præberet, inuisibiliter tamen nonnulla operabatur. CHRISTVS *in sanguine suo confregerat inferni portas æreas, & vectes ferreos* [i].

Quomodo aperta vltrò porta dicatur. [i] Esa. 45. 2. & Psa. 106. 16.

Ferrea quid mirum si cedunt ostia Petro?

Quem

Quem DEVS *etherea custodem deputat aula,*
Ecclesiaq́, suæ faciens retinere cacumen,
Infernum superare iubet [a].—

a Arator lib. 1. in Acta.

Beda ex Aratore idem mutuatus est, additque *angustam, & ferream portam, qua ducit ad Ierusalem cœlestem, Apostolorum nobis vestigiis factam meabilem, qui sanguine proprio eam vicerint, ac reserauerint.*

Cur tam Angelus aperuerit.

Angelus, qui clausis ingressus erat portis, & priores omnes fortasse etiam clausas egressus cum Petro, ferream aperuit, tum ad miraculi nouitatem, vt cùm ante excidium Ierosolymitanum ænea templi porta, quæ multos requirebat, vt clauderetur, & aperiretur, vltrò reserata est [b]; tum ad eiusdem liberationis maiorem facilitatem; in porta enim nullæ stabant custodiæ, quæ portæ reseratione vinctum elabentem possent deprehendere: & iuuabat reseratio Petrum, vt rem agi verè, non imaginariè intelligeret. Si primum id conceditur, penetratio est in Petro, & corpore assumpto ab Angelo; qui effectus adeò mirabilis est, & omni naturæ ordini repugnans, vt propriis eum viribus Angelus facere nequiuerit, sed diuina potentia.

b testis Iosephus.

Dici tamen posset, citra miraculum adeò subtiliter Angelum reliquas quoque portas aperuisse, & clausisse, vt dormientes custodes non euigilarent, aut non sentirent, si qui vigilabant. Chrysostomus in quadam oratione [c] scribit, Habacuc ab Angelo demissum, & reductum ex lacu clauso [d] sigillis integris permanentibus. Verùm intelligi debet hoc factum, non Angeli, quamuis per illum, sed virtute DEI. Nescio quos Chrysostomus hoc loco Hæreticos, & cur alloquatur, dicens: *Vbi nunc sunt Heretici, quomodo transierit* Petrus primam & secundam custodiam, *dicant nunc. Sed non poterunt.* Certè nostri tam sunt impudentes, vt penetrationem omnem negent, etiam in partu Virginis, exitu CHRISTI de sepulcro, ingressu ad Discipulos ianuis clausis [e], & aliis eiusmodi mysteriis.

c orat. de Thomæ incredul. inter alias orat. Patrum seorsim Romæ editas.
d Dan. 14. 35.
e Ioan. 20. 19. 26.

Procedere vicum vnum, quid sit.

Processerunt vicum vnum.] Erat ergo carcer, inquiunt alij, intra ciuitatem, vici enim seu plateæ ciuitatis sunt, de quibus egimus capite nono [f], cùm de vico Damasci, cui nomen Recto. Deduxit Angelus eò Petrum, vbi & à carcere longiùs abesset, & vnde quò vellet, recipere se rectâ meliùs posset. Erant, si Hebræis credimus, vici in Ierusalem vigintiquatuor, nimirum illustriores. Lege Villalpandum nostrum [g]. Si carcer erat extra ciuitatem, procedere vicum vnum rectè intelliguntur etiam qui deforis intrant in ciuitatem.

f vers. 11.
g in Apparatu vrbis super Ezech. p. 1. li. 3. cap. 12.

Quare Angelus disparuit.

Et continuò discessit Angelus ab eo.] Iam erat Petrus in tuto extra periculum, sibique per seipsum prospicere poterat: *neque vult* DEVS *miracula geri, quod potest humana industria*, vt indicat Chrysostomus: *hoc etiam pacto postquàm Angelus disparuisset*, vt ait Historiæ Scholasticæ Magister, *melius colligere seipsum Petrus, & vera & perfecta liberationis percipere sensum valebat.* Comparari vtcunque potest liberatio Athanasij in templo noctu obsessi [h] cum ista Petri liberatione. Nostra verò ætate [i] similem prorsus historiam narrat Tursellinus [k] noster accidisse, opitulante B. Virgine Lauretana, notátque vetus illud Petri exemplum quodammodò instauratum.

h 5. Trip. c. 2.
i anno 1570.
k lib. 4. de Lauret. hist. cap. 20.

Versus 11.] Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

A

AD *se reuersus.*] γενόμενος ἐν ἑαυτῷ, *Factus in seipso.* Syriacè, *Tunc cognouit*, nimirum perfectiùs euigilauit, anteà semisopitus: vel rediit ad liberiorem sensuum vsum, ex quadam extasi, & alienatione mentis. Rectè Interpres assecutus est vim phrasis Græcæ; γίνεσθαι enim sæpe verbis motum significantibus additur, vt omissis exemplis Auctorum prophanorum, apud Ioannem [l]: εὐθέως ἐγένετο τὸ πλοῖον ἐπὶ τῆς γῆς, εἰς ἣν ὑπῆγον, *& statim nauis fuit* (peruenit) *ad terram, ad quam ibant.* Gregorius [m] ad se reuersum Petrum exponit, ex mentis extasi, & contemplationis culmine. Non satis tamen liquet, an veram tunc extasim pateretur, & in vera contemplatione versaretur. Solùm dicitur, quòd inter dormiendum existimabat se visum videre.

l cap. 21.
m 2. Dialog. cap. 1.

B

Nunc scio verè.] Sibi gratulantis, & DEO gratias agentis verba sunt hæc. Richardus de S. Victore [n] vincula Petri mysticè accipit de humana mente, quæ post spiritualia exercitia tentatione pulsatur, ne nimiùm efferatur, vt voluptatis delectatione in carne, & suggestione in mente, *quæ sunt*, inquit, *quasi carcerales tenebræ.* Sed si non tam propria torporis ignauia, quàm alienæ malignitatis proteruia id patiatur, eripitur aduentu diuinæ legationis, siue inspirationis, & vnctionis docentis de omnibus [o], iuxta sententiam illam Psalmi: *Misit de cœlo, & liberauit me* [p]: *Misit* DEVS *misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam.* Petrus Angelum secutus est, quod non alij aliàs Apostoli ab Angelo etiam de carcere liberati [q], & veluti valuas, & repagula transiliit duræ ac ferreæ passibilitatis, vestigia legens Euangelicæ contemplatione cœlesti, à seipso egressus, qui ad se posteà memoratur reuersus.

Vincula Petri mysticè exponuntur.
n lib. de ... c. ...

C

o 1. Ioan. 2. 27.
p Psal. 56. 4.
q Act. 5.

Quia misit Dominus Angelum suum.] Antiqui Patres, ac Prophetæ quoties ex graui periculo euadunt, profitentur Angelorum id factum ministerio, vt Iacob [r], Iudith [s], Daniel [t]: & reipsa id etiam experti sunt alij: vt pueri tres in fornace [u], idem Daniel iterum in lacu [x], Tobias [y], &c. Probabile est, hunc Angelum custodem Petri fuisse, idque sentit etiam Gerson [z]; etsi per quandam accommodationem nominat eum VRIEL, cuius etymologia est, fulgor DEI. Proclus excusat Petrum, ne hactenus quis eum diffidentia laborasse, vel in fide nutasse suspicetur: cùm potiùs quæ examinatè sciuntur, plus veritatis in animo gignant, & infigant.

D

Angelorum ministerium ...
r Gen. 48. 16.
s cap. 13. 20.
t cap. 6. 22.
u Dan. 3. 49.
x ibidem 14. 35.
y vt ... Tob. 12.
z ... super Magnificat.

Accidit hoc nobis, vt tandem recognoscamus diuinum beneficium, quantóque versaremur priùs in periculo, præsertim quando mundi carcerem egressi, ac portam ferream, cùm ligaremur non ferro, sed ferrea nostra voluntate, hilaréque canentes: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* [a]. Vicum vnum processimus in visione pacis, & in Ierusalem vitæ perfectioris, ordinísque religiosi.

Moraliter ...

E

a Psal. 115. 16.

Et de omni expectatione plebis Iudæorum.] Syrus: *Ex eo quod machinabantur aduersum me Iudæi.* Plebs non significat hoc loco viliorem populi partem: maior enim expectatio & machinatio erat in primariis dignitate, doctrináque, qui prætextu legis, ac paternarum traditionum, nomen Christianum magis oderant, & insectabantur, præsertim verò Christianorum summum antistitem Petrum, qui vt dignitate, ita dicendi vi, & mi-

Expectatio ...

rificis

rificis operibus praecellebat. Προσδοκία, est expectatio cum spe, Petri enim interitus, vt Reipublicae salutaris, & DEO gratus, expectabatur. Ter iam Petrum vidimus carceres euasisse; bis verò diuinitùs [a]. Inde Salmeron hoc loco infert non fuisse magum, quòd sit certum, hoc hominum genus de vinculis ne daemonis quidem arte liberari. Hac de re dixi capite quinto [b].

a cap.4.& 5.
b vers.11.

Versus 12.] Consideransque venit ad domum Mariae matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes.

Consideratio hac Petri quam fuerit.

CONSIDERANSQVE.] Syrus: *Quod cùm intelligeret.* συνιδὼν, *Conscius.* Secum cogitabat liberationem suam, quae adhuc visa fuerat imaginaria: liberatori DEO, & Angelo, quem fortè lustrabat oculis, gratiam pendere volebat: obuersabantur animo fratres, quibus quòd liber esset eorum precibus debere se sciebat, & eos reuisere quamprimùm gestiebat, simul recogniturus beneficium, simul gaudio affecturus, curáque anxia liberaturus, & prouocaturus, ad laudes DEO vnà referendas: circumspiciebat, vbi locorum esset, ne in hostes denuò incideret, probè intelligens vitae diuinitùs redditae sibi relictam prudentem procurationem.

Venit ad domum Mariae matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus.] Dixi de hac domo in capite primo [c], publicae orationi, sacrísque conuentibus dicatam fuisse, & ibidem simul Discipulos cohabitasse, quod & Nazianzenus, aliúsve cecinit in CHRISTI patientis tragoedia.

c vers.13.14.

Templa & oratoria ab erectoribus nomina accipiunt.

Viguit diu consuetudo in Ecclesia, vt qui oratoria, templáve, seu basilicas erexissent, illorum his nomina adhaerescerent, vt videre est in basilica Constantiniana, vel Eudoxiae, &c. in Titulo Pastoris, & similibus, etiam extra vrbem, vt Mediolani in Porciana, &c. Εὐχαριστίας, gratiarúmque in medio ciuitatis templum statutum Aristoteles [d] refert, vt retributio efficeretur, & ei qui nobis gratificatus esset, vicissim inseruiremus, rursúsque ipse gratificando nos prouocaret.

Marcus.] Marci meminit Auctor inferiùs [e] eius occasione inter Paulum, Barnabámque nescio quid ortum dissidij narrãs: & Paulus ipse aliquando [f] appellans *consobrinum Barnabae*, ἀνεψιὸν, *filium fratris vel sororis*, & sibi vtilem in ministerio, atque adiutorem. Putat Oecumenius [g] scripsisse Euangelium, quod Marci dicitur, necnon Victor Antiochenus, Euthymiúsque ad initium huius Euangelij, Dorotheus [h] quoque, & Origenes [i], quem citat Sixtus Senensis [k], ac sequitur, necnon Gregorius [l] Cortesius, refellens dicentes habuisse cognomen Aristarchi. Clemens Romanus [m], praetereà fauet, dum eundem Marcum Pauli adiutorem Euangelium scripsisse affirmat, perinde vt Lucam, cui vtrumque illud tribuit: etsi Alexandrinus in Hypotyposibus [n], & Papias [o] Petri comitem discipulum, interpretémque asserant. Eandem sententiam tenet Alexander, qui descripsit acta Barnabae, Theodorus Studites [p], Hieronymus item [q], & Nicephorus [r], & quidam recentiores, vt Feuardentius [f], & Henricus Mauroius [t].

d 5.Ethic.c.5.
e Act.15.38.& in isto c.12.25. & cap.13.5.
Marcus hic quis fuerit.
f Colos.vlt.10. 2. ad Timot. 4.11.ad Philē. vers. 24. vbi perperàm nescio quis, qui cum commate ponitur Aristarch⁹ post Marcum, quasi idem vnus quę esset, legit sine illo, *Marcus Aristarchus.*
g Hic,& in 1. Pet.c.vlt.
h in Synopsi.
i Dialogo de recta fide.
k 1.Bibl.& 2.
l con. Persuaso.dissuas.vlt.
m 1.Const.c. 57.
n libr.6.
o libr.1 Dom. verbo. apud Euseb.3. Hist. cap 19.
p in quadam ep. quam recitat Bar.Tom. 9.Annal.
q in epist.ad Philem.
r 2. Hist ca.15.
f in 1.epi. Petri.cap.5.13.
t in Apologia.
u in Synopsi.

Non potest haec opinio consistere. Nam cùm Marcus Euangelista Romae agebat, & inde discedens diutiùs Alexandriae, ac in Ægypto, Libya etiam, & Pentapoli, vt placet Athanasio [u], noster

A hic Marcus, cui praenomen Ioannes adhaerebat Paulo, & Barnabae, tum in Ierusalem, tum alibi, donec postquàm Paulus, & Barnabas dissociati sunt [x], reuertit Ierosolymam, tum petit Cyprum, denique rediit ad Paulum. Basilius [y] docet quo tempore Romae Paulus versabatur, vnde scribens ad Colossenses facit de isto Marco mentionem [z], Euangelistam excoluisse Ecclesiã Alexandrinam. Sed & nemo ex antiquis Auctoribus Marco, qui scripsit Euangelium, Ioannis nomen fuisse tradit. Eusebius [a] porrò cum Dionysio Corinthio (qui tamen immeritò dubitat an scripserit Apocalypsim) Hippolytus [b], Dorotheus [c], Hieronymus [d], & Isidorus [e] perspicuè duos distinguunt,

x Act.15.39.
y 5.con.Eunomium. ca.vlt.
z cap.vlt.10.
a 7 Hist.c.20.
b de septuag. Discip.
c in Synopsi.
d de Scrip.Eccles.in Marco & in Barnaba.
e lib.de vita, & obitu Sancto.

B eum qui Ioannes, & illum qui simpliciter Marcus dicitur, scriptor Euangelij. His ferè argumentis vtitur Baronius eiusdem sententiae assertor. Adde Marcum Euangelistam passim haberi Petri comitem, & interpretem, ita vt idcirco Euangelium ab illo editum, nonnunquàm à Petro Petri Euangelium denominetur [f].

f testis Tert. libr. 4. cont. Marcio. & Niceph.2.Hist.c. 15.

Illum Petrus appellat filium suum [g], aut quòd paterno, singularique amore eum prosequeretur; aut quòd in CHRISTO genuisset, baptizassetque, vt ait Petrus Damianus [h], & Damasus [i], Beda [k] ex turba Sacerdotum fuisse dicit, quam credidisse CHRISTO Lucas [l] scripsit, quod itidem Auctor Commentariorum in Marcum sub nomine Hieronymi indicat, cùm nempe Petrus praedi-

Cur Marcum Petrus appellet filium suum.
g 1.Pet.vlt.13.
h Serm. de S. Marco.
i in vita S.Petri.
k Procem.in Marcum.
l Act.6.7.

C cabat Ierosolymis in principio. Nam quod ait Nicephorus sororis filium fuisse, incertum habetur, ne dicam falsum. Eadem ratione vocantur à Paulo filij, Titus, Timotheus, Onesimus, atque se Corinthios in CHRISTO genuisse. Credibilius est etiam Petronillam hac de causa vocari Petri filiam, vt aliàs monui, non vt ex eo naturaliter genitam, quamuis carnaliter Petrus Damianus [m] disertè asserat. Quis credat etiam Euangelistam Barnabae comitem fuisse, & non istum potiùs illius, vel in Euangelista aliquid fuisse culpae, quamobrem in consortium à Paulo admittendus non videretur [n]? Praetereà viuebat Ioannes Marcus

Petronilla cur Petri filia dicatur.
m ep.ad Agnetē. Aug. apud Baro. tom. 11. pag. 372.
n Act 15.37.

D anno Neronis decimoquarto, quo anno Paulus morte imminente, illum accersit scribens Timotheo [o]: Marcum autem Euangelistam constans opinio est ex hac vita sublatum eiusdem Imperatoris anno octauo. In Martyrologio Romano hoc de eo elogium habetur [p]: *Bibli in Phoenicia sancti Marci Episcopi, qui & Ioannes à beato Luca nominatur.*

o 2.Tim.4.11.
p 27.Septem.

Dorotheus autem, vbi semel in distinguendo Barnabae consobrino à Ioanne Marco errauit, errorem etiam cumulauit in hoc, quòd illum asseruit Apolloniadis, istum Biblidis Episcopum. Eũdem hac in re secutus est Salmeron [q], alioqui di-

Dorothei error de Marco.
q Tom.4.tra. 1.

E ligenter demonstrans distinctionem inter Ioannem Marcum, & scriptorem Euangelij [r]: credidit enim Ioannem, vel Apolloniadis, vel Ptolemaidis Episcopatum gessisse.

r ibid.& tom. 12. tract.15.

Ceterùm de Maria matre huius Marci, praeter id quod habetur praesenti loco, nihil aliud reperire potui. Eximia laus est, domum ipsius tantis hospitibus, & tam sacris mysteriis, vt dictum est, nobilitatam fuisse. De Marco legendi quoque ex nostris Maldonatus [f], & Barradius [t].

f in c.1 Mar.
t lib 1.Harm. ca.19.

Vbi erant multi congregati, & orantes.] Fortasse tunc etiam nocturno illo tempore, aut diluculo perdurabat oratio, quae superiùs facta dicitur *sine intermissione. Vide quantum bonum est persecutio.* inquit Chrysostomus, *quantùm precantes in nocte perficiunt,*

quomodo

quomodo alacres & excitatos illos efficit. Digreditur verò in laudem nocturnæ orationis, cùm & noctis partem opifices, nautæ, negotiatores, vigiles, seu custodes, operando transigant: astrorum ipsorum aspectus, profundum silentium, & quies vehementer iuuent: tunc anima fit magis pura, & expedita, & à vanæ gloriæ periculo libera, & cœlesti rore refrigeretur: eorum qui interdiu vacabant vitiis, somnus morti similis, humanam imbecillitatem, & omnium infirmitatem rerum demonstret: exemplo sit summus rex Dauid, qui id factitabat [a], immò & CHRISTVS, qui pernoctabat in oratione [b]. Legendus idem alibi [c].

Viguit mos hic nocturnæ orationis apud priores illos Ægypti Christianos, de quibus, etsi, sub alio nomine, Philo [d], & Plinius secundus [e], cuius de hac re testimonium profert Tertullianus [f], Eusebius [g], Orosius [h], Nicephorus [i]. De sui temporis Christianis idem proditur ab eodem Tertulliano [k]: de sui à Cypriano [l], qui vrget exemplum Annæ Prophetissæ [m], & CHRISTI: de sui à Cyrillo Ierosolymitano [n], ab Athanasio [o], à Basilio [p], & Nazianzeno [q]: item ab Hilario [r]: *vt cùm maximè*, inquit, *vitiis opportunitas datur, tum præcipuè eadem vitia diuinæ legis recordatione frangamur*: & ab Ambrosio [ſ] vtente, præter Hilarij rationem, & exemplũ CHRISTI, quodq; nocte Iudas CHRISTVM prodidit, Petrus negauit, Sponsa autem siue Ecclesia clamat, *In cubili meo in noctibus quæsiui quem dilexit anima mea* [t], necnon comparatione illorum, qui studentes doctrinis secularibus, perperàm somno indulgent: & quòd tunc tentationes vigent, & deleri voluit DEVS Ægyptiorum primogenita, Moses verò id tempus præuenit agni sub vesperam comestione: de sui præterea à Hieronymo [u], *qui hoc ait esse* ANGELVM *imitari, quem vocat Daniel* עיר *hhir*, id est, *vigilem*, & CHRISTVM, ipsum vt dictum est, exprobrantem quoque somnum Apostolis [x], & Paulum, & Silam, cùm essent in carcere [y], & ab Augustino [z].

Non est opus pluribus vellicatoribus VIGILANTII improbatoris vigiliarum, ideóque digni nomine DORMITANTII, vt ludit Hieronymus [a]: vel aliorum, quos Nyctages, vel Nyctazontes vocat Isidorus [b], Rabanus [c], & Concilium Aquisgranense [d]: vel VVicleffistarum, huiusque seculi Hæreticorum.

Suppetunt complura alia Testamenti vtriusque, & posteriorum Patrum, Conciliorumque testimonia, quæ diligenter collegit Ioannes Stephanus Durantus [e], sufficiat vel nomen solum vigiliarum, quod hodiéque, quamuis absque re, conseruatur. Non eas Ambrosius sustulit, vt Augustini mentitus nomen Auctor Sermonum ad Fratres in eremo [f] voluit; contradicunt enim notati Ambrosij loci, & qui eiusdem vitam scripsit Paulinus, quique cum eo vsum habuit Mediolani Augustinus [g]: non Bonifacius Papa primus, vt aliis videtur, siquidem apud Leonem item primum, qui est eo posterior, crebra est de nocturnis peruigilationibus laicorum mentio [h]: necnon apud Theodoretum [i], qui narrat à Flauiano, & Diodoro, qui sunt etiam Bonifacio iuniores, celebratas vigilias cum populo ad sepulcra Martyrum: vt omittam Gregorium [k], ac plures alios, qui Bonifacium longè sunt consecuti.

Obiicitur Concilium Elibertinum [l]; sed prouinciale est, nec omninò certæ auctoritatis: cui tamen maiorem addere conatur Ferdinandus Mendoza præclaris tribus libris, quos obtulit Clementi VIII. & mulierum duntaxat vigilias vetat: sicut & Antisiodorense [m] ea tantùm, quæ fiebant in peruigilio sancti Martini, cum luxu ac intemperantia, & in aliis, quæ Gentilitia quadam superstitione. *Placuit prohiberi*, ait Canon concilij Elibertini seu Illiberitani, *ne fœmina in cœmeteriis peruigilent, eò quòd sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committant.* Eundem canonem tribuit Iuo [n] concilio Meldensi.

Nihil præiudicant corrupti aliquorum mores, vt iam inde suo tempore Hieronymus respondit Vigilantio, cùm & absque vigiliis possint homines errare, vel in suis, vel in alienis domibus. *Apostolorum*, inquit, *fidem Iuda prodito non destruxit, & nostras ergo vigilias malæ aliorum vigiliæ destruent?* Vti prætereà possumus argumento ex vigilia Natalis CHRISTI, quæ adhuc est in vsu. *Quod enim semel fecisse bonum est*, ait idem Hieronymus, *non potest malum esse, si frequenter fiat, aut si aliqua culpa vitanda est, non ex eo quod sæpe, sed ex eo quod fit aliquando, vitabile est: ardentiùs appetitur quicquid est rarius.* Turrecremata [o] decem rationes affert pro nocturna oratione; Archidiaconus [p] sex: alias Vmbertus [q]: & fusè hoc argumentum tractat Marcellus Francolinus [r]. Verum attigerunt Gulielmus Durantus, & Ioannes Beletus, cùm vigiliarum desuetudinem in pietatis nostræ diminutionem retulerunt. Interfui ipse nocturnis vigiliis Lutetiæ, quas piè admodùm, & summa frequentia populus celebrat pridie quàm Diuæ Genouefæ tutelaris sanctum corpus per vrbem religiosa supplicatione circumferatur.

Sed vt præsentia ferunt tempora, morésque, sapienter factum, vt laicis nocturni minimè permittantur in Ecclesia conuentus, cùm etiam Romulus nocturna inhibuerit sacra fœminarum cum viris, vt Halicarnassæus [ſ] refert, ac Tullius [t], & in Græcia Diagon [u], & in Romano rursum imperio toto Constantius Imper. [x] illa nempe quæ celebrabantur à Paganis. De Clericis cathedralium Ecclesiarum, déque monachis alia ratio, licèt vel Pontificum gratia, vel iam inueterata consuetudine, dilatæ sint nocturnæ preces in diluculũ, quod orationi commodum est, post quam nõ opus denuò cubitum ire [y]. Audio ab aliis, maximè à monialibus, persolui hoc officium diuinum, cùm aduesperascit. Lege Mendozam [r].

Ceterùm vniuersam istam Petri de carcere per Angelum liberationem Ioannes Gerson [a] seu allegoricè, seu tropologicè de generali Angelorum custodia interpretatur, cuius custodiæ effectus à se fusiùs declaratos hoc disticho comprehendit:

Angelus astat, fulget, pulsat, surgere clamat,
Soluit, & educit, libertatique relinquit.

Primos quatuor exponit de purgatione; quintum & sextum de illuminatione; vltimum de perfectione. Veterem hominem ait esse Tyrannum nostrum, qui nos tradat quatuor passionibus, seu quaternionibus; duas catenas, voluptatem, & vanitatem; Angelum astare præueniendo, ac inspirando, & synteresim pulsando, vt surgamus per spem; vestimentum circumdemus per operationem; præcingamur per disciplinam; calceemur *in præparationem Euangelij pacis* [b] per obedientiam; cadant catenæ de manibus malæ consuetudinis, vt possimus benè agere; exeamus de

medio

Marginalia (left): *Orationis nocturnæ excitamentum.* — a Psa.6.7. Psa.41.9. Psa.62.27. Psal.118.55.62. — b Luc.6.12. — c Hom.41.& 42. ad popul. & 55. & 59. & in Mat. 69. & hom. 14. in 1. Tim. — d libr. de vit. contemplat. — e lib.10.epist. 97. ad Traianum. — f Apolo ca.2. — g 3.Hist.ca.16. *Mos orandi noctu tempore antiquissimo multis testimoniis probatur.* — h lib.7.c.12. — i lib.3.cap.17. — k in Apol.sub finem. de corona militis. & 2. ad vxor. cap.5. — l Tra de orat. Dom. sub finem. — m Luc. 2.37. — n catech.9. — o Apologia de fuga sua. & libr.de virginit. — p epi.1.& 61. & Reg.17.ex fusis, & in Ps. 14. — q orat.42.& 2. de Pascha. — r in Psa.118.in id, *Memor fui nocte nominis tui Domine.* — ſ in eundem locũ Psalmi, & in id, *præueni in immaturitate*, & serm. 60. & epi.82. & 35.& lib.7. in Luc.c.11.in id, *quis vestrũm habens amicum.* & 1. de Abraham. cap.vlt. — t Cant.3.1. — u epi. 7.8.10. 22. 27. 48.53. 103. in cap.4 Dan. 1. contr. Vigilantium. c.1.& 4. & in Psa.91.& Psa. 118. — x Mat.26.40. — y Act.16.25. — z Serm. 56.& 251.de Temp. & li. 50.hom. in 26.& 9.Cõfess.cap.7. — a epist.53.& 1. cont. Vigilan. — b 1.Offic.c.22. & 8. Etymol. cap.5. — c 2 de Instit.cle rico.c.9. — d cap.130. — e 1.de Ritib. Eccle. cap.4. — f Serm.25. — g 9.Conf.c.7. — h Ser.1.2.4. 6.7.8.de ieiunio decimi mensis.Ser.4. de ieiun.Penteco.ser.1.3.4. 5.7.8. de ieiu. septimi mensis. — i 6. Trip c.13. & lib.4.cp.12. — l can.35.

Marginalia (right): Consilium C. bertini & Antisiodorensis placantur. — m cap.13. — n p.11.c.61. — Obiectum a contrario non Hieronymi. — o in Reg.S. Bened. tract. 65. — p cap. Inimicis.6.q.1. — q in Reg.B. Augustini c. 17. — r Tracta. de Horis Can.c. 8. — Nulla ratio nunc in permittendo habet. — ſ 2.Antiquit. Rom. — t 2. de Legib. — u Cic.cit. — x C. Theod. de sacris Paganis. — y Cassian 3. Inst.c.5. — z lib.1. de Horis Can.c.8. — a p.4. tract. 2. super Magnificat. — b Ephes.6.15.

medio duorum militum Timore, & Dolore; transeamus primam secundámque custodiam Desiderij, & Lætitiæ vanæ, per spem bonam ac lætitiam spiritualem; portam etiam ferream diabolicæ potestatis; obeamus vicum longum, & rectum sanctæ meditationis de diuinis, post satisfactionem de peccatis; & tandem beneficij Angelici memor, & rediens ad te, & exultans dicas; *Nunc scio verè*, &c.

Mysticus etiam expositio.

Præterea docet quòd astat Angelus, vt expendamus finem nostrum, qui est DEVS; fulget, vt nouerimus qualis sit status noster; pulsat, vt cognito periculo incitemur ad bonum; iubet surgere velociter, vt sperando, diuina mandata seruemus; soluit catenas peccatorum, vt præcingamur virtute actionis, & calceemur caligis præceptorum; educit de carcere damnationis, aperiens portam ferream pœnitentiæ, ac deducens per vicum satisfactionis arctæ, & directæ: libertati relinquit, *vt extendamur ad anteriora* [a], DEO grati, & Angelo liberatori. Innocentius III. [b] totam historiam eleganti tropologia integro sermone pertractat, & Petrus Blesensis duobus [c]. Marcus Eremita [d] ferream portam, quæ ducit ad ciuitatem, dicit esse cor durum: ceterùm ei qui malis affligitur, & tribulationibus iactatur, sua sponte, quemadmodum B. Petro, aperiri.

a Philip. 3. 13.
b Serm. de vinculis Petri.
c de eadē re.
d de paradiso, & lege spirit. cap. 18.

Vers. 13.] Pulsante autem eo ostium ianuæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode.

Per ostium quid significetur.

OSTIVM *ianua.*] τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος. Syrus, *Fores atrij.* Certè πυλὼν, atrium est, aut vestibulum, etsi aliquando etiam porta, ostium, fores, & peculiariter amplior, maiórque domus porta. Retinendo editionem nostram, posterior significatio quadrabit, sensúsque erit, pulsatam à Petro minorem portam, quæ erat in maiore; vulgò, *la porticella*, *o portella.* Solet enim Latinè ostium de minoribus portis dici (abutor autem portarum nomine, cùm & illæ de maximis dicantur) vt cubiculorum; ianua de maioribus, vt totius domus. Lego etiam quod Interpres apud Matthæum dicit [e]: *Egrediente autem illo* (Petro) *ianuam*, Græcè esse, εἰς τὸν πυλῶνα, Marcum [f] verò dicere, *Exiit foras ante atrium*, εἰς τὸ προαύλιον, vbi prius vocabulum pro ianua sumendum est, cùm Petrus sit egressus ad id per ianuam, non foras extra illud. Incertū quoque an ea domus haberet vestibulū.

e cap. 26. 71.
f cap. 14. 68.

Processit puella.] Παιδίσκη. Syriacè, טליתא *telitha.* Hoc propriè est nomen ætatis minoris; illud & ætatis, & conditionis seruilis: sicut παῖς, & Latinum *puer*, vt vidimus capite quarto [g]: qui enim apud Matthæum [h] Græcè vocatur Centurionis παῖς, apud Lucam [i] dicitur δοῦλος, *seruus.* Ancillæ, quæ Petrū ad negandum CHRISTVM extimularunt, παιδίσκαι apud omnes Euangelistas nominantur, & Paulus [k] cùm ait, *eiice ancillam*, vsurpat post Interpretes septuaginta παιδίσκην. Chrysostomus, aliique Græci, vt Proclus [l], non modicæ ætatis, sed fortunæ, conditionísque nomen hoc loco interpretātur. *Vide*, inquit Chrysostomus, *& ancillas pietate plenas, & quomodo in pari honore sint cum aliis.* Caietanus quoque intelligit ancillulam. Fauet huic opinioni, quòd procedēs ad ostiū, videtur ostiariæ functa officio, quod officiū ancillarum fuisse non apud Hebræos tantùm, docet ea, quam dixi in historia Euangelica, & alia ancilla ostiaria Isboseth [m], sed etiam apud Romanos.

De nominibus, puer, & puella.
g vers. 25.
h cap. 8. 6.
i cap. 7. 2.
k Gal. 4. 30. Gen. 21. 10.
l orat. de vinculis Petri.
m 2. Reg. 4. 5.

A Vt enim exēplum vnū proferatur, Cicero [n] scribit: *Cum Nasica domum ad Poëtam Ennium venisset, ei ab ostio quærenti ancillam dixisse, domi non esse.*

n 2. de Oratore.

Malim tamen non ancillam, sed ingenuā aliquā virginem fuisse, tum quia Interpres puellam posuit, & Syrus, vt dixi, טליתא *telitha*, quæ nomina pro ætate solùm vsurpata reperio: tum quia nominis Rhode expressio indicat notam, ac etiā nobilem extitisse, viles autem personas nomine dignari non solemus, nisi sit grauis ratio, vt in Pontificis seruo Malcho [o], & quoniā insigne in eius persona miraculū contigit, & quoniam ab eodem alapam CHRISTVS accepit, vt placet Chrysostomo [p]; & quoniam ex primis, & præcipuis fuit, B de Pōtificis familia, vt mysticas alias causas omittamus, quas reddunt Cyrillus [q], & Ambrosius [r].

Quare per puellam hic ingenua aliqua virgo est intelligenda.
o Ioan. 18. 10.
p Hom. 82. in Ioan.
q lib. 11. in Ioan. cap. 35.
r in Luc. c. 22.

Si obiicias dedecere ingenuā adolescentē virginem prosilire ad ianuam, hoc ipso ego vtar argumento, vt non ancillæ ostiariæ munus obiisse affirmem, sed officij causa, & forsan ex leui aliqua curiositate, & ex desiderio, ac suspicione alicuius de Petro nuncij, illuc aduolasse.

Obiectioni occurritur.

Ad audiendum.] Sic meliùs Biblia emēdatiora, cùm alia haberent, *ad vidēdum*, est enim Græcè ὑπακοῦσαι. Syrus, *egressa est*, inquit, *vt ei responderet.* Ideò nimirum audire, & subauscultare volebat, seu, iuxta vim verbi Græci, *aures subiicere loquenti*, ad excipiendum sonum, quod Plautus dicit, C *Auscultare ad fores, & ab ostio*: & περὶ τοῦ θυρωροῦ, *de ianitore*, idem verbum ὑπακούειν, Plato [s] vsurpat. Aliquando habet significationem τοῦ ὑποκρίνεσθαι, respōdere, vt notauit Eustathius [t], atq; ita vsi videntur Septuaginta verbo ὑπακούειν, in libro Iob [u]: *Vocabis me, & ego respondebo tibi*: nisi malis, *obediā*; & [x], *Seruum meum vocaui, & non respondit.* Quæ significatio sumitur ex cōsequente: postquàm enim præbuimus aurem vocanti, aut quouis modo compellenti, respondere solemus.

Verbi ὑπακούειν significatio.
s in Phædone.
t Odyss. δ.
u cap. 14. 15.
x cap. 19. 16.

Nomine Rhode.] Cur nomen sit expressum dixi. Glossa interlin. cùm legat, *ad videndum*, vim facit in etymologia, quam ait esse, videns, vel, visio fortitudinis, vel, visionis fortitudo. Alia notatio D magis aliis placet, vt sit nomen Græcum, significans rosam. Est námque ῥόδον, rosa, & ῥόδη, vel ῥοδῆ, frutex rosas producens. Vnde Rhodus insula à Rhodo metropoli, quæ inuēto rosæ capulo ædificata est. Græcis, aliorúmque Gentilium vocabulis nominatos Iudæos, postquàm in iugum Romanorum venerant, iam aliquoties admonui.

Etymologia nominis Rhode.

Versus 14.] Et vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intrò currens nunciauit stare Petrum ante ianuam.

E ET *vt cognouit vocem Petri.*] Inclamauerat illa quis pulsaret; vox autem Petri facilè cognita est, ob frequentē eius priùs auditum sermonem, & quia proprius cuique vocis sonus solet esse ac formatio, vt idcirco homini τοῦ μέροπος epithetum datū censeatur, vt notatū est capite secūdo [y].

Quare vox Petri facilè cognita est.
y vers. 4.

Præ gaudio non aperuit ianuam.] Voluit præuenire Petri ingressum, priórque tam læti nuncij auctor esse. *Bene id etiam factum est*, inquit Chrysostomus, *ne qui domi erant, rei improuisæ aspectu obstupescerent, minúsque crederent.* Sic opinor præ gaudio Samaritanam, vt euangelizaret suis CHRISTVM, *reliquisse hydriam suam* [z]. Est in Actis Porphyrij Gazēsis Episcopi [a], scriptorē ipso-

Cur virgo hæc ianuam Petro non aperuerit.
z Ioan. 4. 28.
a apud Surium 26. Februarij.

ſum hoc exemplo, Martyris Barochæ, qui iam ferè exanimatus putabatur, valetudinem priùs Episcopo renunciaſſe, quàm quem ille petebat potum, ei daret. Hîc iterum poſuit Lucas πυλῶνα, pro ianua, eo ſenſu, qui priore verſu declaratus eſt, & quo in proximè ſequẽtibus verbis intelligi debet. Nam veſtibulum non aperitur, cùm, vt docet Gellius[a] ex auctoritate Cecilij Galli, ſit locus ante ianuam domus vacuus, per quem à via aditus acceſſúſque ad ædes eſt. Gaudij ingens copia fecit, vt puella nec verbum Petro reſponderit, nec ſubdio nocturno tempore expectantem, & ingredi geſtientem curauerit. Stupet ad ſubita gaudia ſenſus, & eos quandoque cum ipſa etiam vita eripit, præſertim cùm poſt ſummam ſequitur triſtitiam; vt celebres illæ teſtantur matronæ, altera moriens in reducis filij ex clade Thraſymena complexu: altera ad primum redeuntis aſpectum: quem falſa mortuum fama renunciauerat[b]. Vnde Deianiræ apud Sophoclem[c] Lichas reſpondens de hoſpita, quam illa exceperat ſummo honore:

a lib. 16. c. 5.

Stupet ad ſubita gaudia ſenſus.

b Plinius, & Vale. Max.
c in Trachiniis.

——Ita beneuolè, vt diu
Præ gaudio attonitum mihi cor ſtupuerit.

Geſtientem lætitiam egregiè in re ſimili oſtendebat Chereas ille Terentianus:

Num quis hic eſt? Nemo eſt. Num quis hic
Me ſequitur? Nemo homo eſt.
Iámne erumpere hoc licet mihi gaudium? prò Iupiter,
Nunc tempus profectò eſt, cùm perpeti me poſſum interfici,
Nec vita aliqua hoc gaudium cõtaminet ægritudine.

Denique verum illud[d], quòd

——Minùs gaudent, qui timuêre nihil.

d Martial. lib. 11. Epigr. in 37. vel 21. de Caio Proculo.

Exercenda quoque Petro tantiſper patientia fuit, & lætis ſubtriſtia ſuccedere oportuit, *vt dilata ſpes animam quodammodò affligeret*[e].

e Prou. 13. 12.

Videbatur ſibi puella ſceleris arguenda, ſi tantillùm fraudaret domeſticos tam bono nuncio, vt leproſi quondam illi, qui Syriam prædam noctu relictam nocte ipſa renunciarunt[f]: ſimul cupiens omnes vt obuiam Petro procederent & honoris, & gratulationis causâ. Hiſtoria noſtra cauſam non reſeratæ ianuæ magis conſpicuam poſuit, alias non negauit.

Sed intrò currens nunciauit ſtare Petrum ante ianuã.] *Et Dominum de tumulo egreſſum prima omnium mulier*, inquit Beda, *Diſcipulis nunciauit*[g], *vt vbi abundauit delictum, ſuperabundaret & gratia*[h]. Scio declamationes extare pro fœminarum genere, & contra[i]. Conſtat *in* CHRISTO *non eſſe maſculum, neque fœminam*[k], & in Eccleſiam ipſam multa à fœminis illata commoda: ac in ordine rerum ſimpliciter creatarum primas deberi fœminæ matri DEI. Sed neque ſi Rhode ancilla fuit, de qua nihil prætereà vſpiàm legi, vilis ei conditio quidquam detraxit, ſicut nec Oneſimo Pauli chariſſimo diſcipulo[l], vel Vitali martyri[m], & ex fœmineo ſexu Mariæ, quæ cognomen gerit ancillæ[n], aut alteri, quæ Græca voce Dula[o] dicitur, aut illi, quæ apud Iberos vergentes ad mare Caſpium, editis miraculis, Regem, Reginamque, ac populum vniuerſum conuertit ad CHRISTVM[p].

f 4. Reg. 7. 9.
g Mar. vlt. 10
h Rom. 5. 20.
i vt apud Claud. Eſpẽ. ſum in 2. ad Timoth. & alios ex Gentilibus. Vide Bellẽgardum in Sentẽtiis, verbo, *Fœmina*, & *Mulier*, & Delriũ in Hippolytum Senecæ.

Fœminarum laus.

k Gal. 3. 28.

l de quo in epiſt. ad Philẽ.
m de quo cũ Agricola in Martyrol. 4. Nouembr.
n de qua in Martyrol. 1. Nouembr.
o de qua in Martyrolog. 25. Martij.
p Ruffin. 1. Hiſtor. ca. 10. Socra. lib. 1. c. 16. Sozom. lib. 2. cap. 24. Theodo. lib. 1. cap. 6.

Verſus 15.] At illi dixerunt ad eam: Inſanis. Illa autem affirmabat ſic ſe habere. Illi autem dicebant: Angelus eius eſt.

A

INSANIS.] Maint. Syr. *Terrore conturbata es*. Viſa res eſt prima fronte impoſſibilis, propter adeò munitum carcerem, & tam arctè cuſtoditum Petrum. Qui maximè quid cupiunt, quia verentur plurimùm ne nõ contingat, minimè ſe faciles reddunt, contigiſſe vt credant: ſicut de Thoma CHRISTVM reſurrexiſſe abnuente quidam putant[q]. Syrus interpres inſaniæ cauſam, & turbatæ, ac emotæ mentis expreſſit à ſpectro incuſſum terrorem. Procliuis eſt omnis mulierum natio ad credendum, & quaſlibet rerum formas opinionéſve concipiendum; vt multò ex iis plures, quàm ex viris, vel à Dæmonibus obſideantur, vel magicas artes exerceant, vt produnt ex profanis etiam Plinius[r], & Quintilianus[ſ], quorum poſterior ait, *latrocinium in viro facilius, veneficium in fœmina*; adde maleficium; & parœmiam illam, quòd *anus quæ vult ſomniat*: & quod in textu Hebræo Exodi[t] eſt genere fœminino, *maleficas non patieris viuere*, quod editio noſtra reddit maſculino. Quanquàm id DEI quoque fieri permiſſu reor, ad frangendam Dæmonum ſuperbiam; vt quam ob peccatum in hominem poteſtatem habent, in ignobiliorem, infirmioremque ſexum præcipuè exerceant. *Sexus muliebris incautus, & mollis eſt, eique proprium eſt decipi*, inquit Chryſoſtomus[u]. Poſſumus inſultantes ac exprobrãtes in Dæmonas mulierum deceptores Virgilij illud[x] intorquere:

q quos citant Toletus, & Maldonatus in c. 20. Ioan.

r lib. 31. c. 1.
ſ in Declamat.

t cap. 22. 18.

B

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuque puerque tuus, magnũ & memorabile nomen,
Vna dolo diuûm ſi fœmina victa duorum eſt.

Vniuerſum ſexum per vnam, & per diuos duos Dæmonum phalangas omnes intelligentes.

u Hom. 21 in Matt. & hom. 23 in 1. ad Corinthios.
x 4. Æneid.

C

Angelus eius eſt.] Syrus addit, *fortaſſe*; ſed tanquàm rem certam, & communi inter fideles opinione firmatam, ſine hæſitatione id videntur protuliſſe. Quanquàm dubitatio eſſe potuit, non de deputato ſingulis cuſtode Angelo proprio, qui perſonam interdum clientis, & externam formã quandoque in aliquo negotio ſumeret: ſed an reipſa nunc pro Petro Angelus ipſius apparuiſſet. Interpretes paſſim, vt Chryſoſtomus, & Oecumenius, & Beda, atque Theologi ex hoc maximè loco doctrinam Catholicam confirmant de Angelica cuſtodia. Facit id prætereà Hieronymus[y], & Ionas Aurelianenſis[z], qui citat quoque aliud teſtimonium Chryſoſtomi[a] idẽ hinc elicientis, atque Theodoretus[b], & alij. Notabilis Thaumaturgi[c] locus, in quo gratias agit Angelo cuſtodi, quòd eius operâ incidiſſet in tam bonum magiſtrum Origenem, ac de ſeipſo verba Iacob vſurpat[d], *Qui paſcit me ab adoleſcentia mea.*

Angeli cuſtodes [illegible]

D

y lib. 11. in cap. 18. Matt.
z lib. 2. de cultu imag.
a Hom. de [illegible]
b in 1. Cor. 11.
c orat. Panegyr. & [illegible] ad Orig.
d Gen. 48. 15.
[illegible]

Vehementer contendunt Hæretici telum hoc nobis extorquere, dum aiunt vulgares id homines, ac ex vulgi pronunciaſſe opinione: vel Angeli nomine intellexiſſe nuncium aliquem: vel Petro, aut de Petro angelicam viſionem factam. Profectò primi parum abſunt à Sadducæis negãtibus omninò Angelũ, aut ſpiritum vllum eſſe[e], quibus adnumerandus Clarius, qui pro Angelo, reddit nunciũ. Secundi, quod eſt prorſus in Scriptura inſolens, Angeli nomen ſimpliciter pro homine ſumunt; ſi quando enim ex quadam accommodatione hoc modo accipiendum videatur, docebunt conſequentia, & antecedentia, vt cùm de Ioanne ſententia illa[f]: *Ecce ego mitto Angelum meum*: cùm de CHRISTO[g], *Magni conſilij Angelus*: cùm de Sacerdote[h], *Angelus Domini exercituum eſt*: cùm de Prædicatoribus[i], *Ite Angeli veloces*. Tertia expoſitio, quæ eſt Bezæ[k],

E

e Act. 23. 8.

f Malac. 3. 1.
g Eſa. 9. vel iuxta Lxx.
h Malach. 2. 7.
i Eſa. 18. 2.
k hoc loco.

violenta

violenta est, & à proposito abhorrens, cùm de præsentia, non de visione, seu apparitione Angeli sit sermo. Nihilò magister [a] melius quàm discipulus, vnum quemlibet docet Angelum intelligi, cui tum Dominus Petri curam mandauerit, non perpetuus custos fuerit. Nam deputatio hæc temporalis fidelibus congregatis, quo pacto innotuit? qua ratione affirmare potuerunt Angelum eius esse, qui solùm ei ad tempus datus erat? cur tunc potiùs assignaretur, quàm anteà, vel pòst, ob non minora pericula, & vexationes? Non est probabile in casu tam repentino, & aduentu, quem non credebant, Petri Angelum imaginari extraordinarium potuisse. Siquidem in huiusmodi subitis ac improuisis euentis, vt desinat mens turbari, non rara, non extraordinaria, sed quæ fiunt communiter, animo succurrunt, & imaginationi. Hæc satis pro præsenti loco, vniuersè enim, ac fusè controuersiam istam tractauimus disputatione de Angelis, & cùm exponeremus historiam ieiunij, ac tentationum CHRISTI. Consule Antidotum Stapletoni ad hunc locum [b], & quæ accuratiùs disserit Feuardentius in appendice Operis de Hæresibus Alphonsi à Castro [c].

a Caluinus 1. Instit. cap. 14. num. 7.
b & in Promptuar. Cath. de festo S. Michaël.
c verbo, Angelus, hæresi 3. *Ariæ Montani sententia.*

Existimat Arias Montanus, putasse fideles illum Angelum venisse, vt eos orantes consolaretur, hortaretúrque: cùm essent satis frequentia, & aperta Angelorum in illa Ecclesiæ integritate ministeria, innuit demùm eadem ista Ierosolymitanæ sententia Ecclesiæ, cùm ait: *Petri quem viuere sciebat, Angelum adesse, non animam, animam etiam eius, si mortuus esset, potuisse apparere.* Fieri id posse, docui aliàs [d]. Videtúrque id CHRISTVS velle, quando dicit [e]: *Spiritus carnem, & ossa non habet*, vt placet Augustino [f], Theophylacto, Bedæ, & Hugoni in Lucam [g]. Nego tamen ordinariè animam cuiuspiam, cùm apparere videtur, per seipsam id facere, sed eius loco Angelum, sicut sanè sentire se indicat Augustinus [h]. Cócedi potest de anima Samuelis [i], Oniæ Sacerdotis [k], & Ieremiæ [l], necnon Mosis in CHRISTI Transfiguratione [m], vt alias omittam, quas congerit Tyræus noster [n]: & in genere hoc neganti [o] producere licet Hieronymum sic expostulantem cum Vigilantio [p]: *Tu* DEO *leges ponis? tu Apostolis leges inijcis, vt esse ad diem Iudicij cogantur in custodia? &, cùm diabolus* [q], *& dæmones toto orbe vagentur, quare Martyres post effusionem sanguinis tenebuntur inclusi?* Valet etiam argumentum à viuis, qui aliquando viuis apparuerunt, à quibus longè aberant: exempla recitat idem Tyræus [r], verùm eadem cautione & de his apparitionibus sentiendum iudico. Lyranus certè arbitratur hoc loco, Angelum in specie sancti Ambrosij Mediolani existentis apparuisse Turonis in funere B. Martini, & in persona sancti Francisci absentis in Arelatensi Capitulo. Quanquã quod de Ambrosio dicitur, Chronographiæ repugnare Baronius [s] demonstrat, cùm ante Martinum Ambrosius quatuor annis excesserit. Eáque res in emendato Breuiario erasa est. Leuiter, & minùs cósideratè, vt in re inopinata, & noua, pronunciatum est, quòd Angelus esset: non enim Angelus fores pulsare solet, sed repentinus clausis ianuis apparere.

d in exposit. Hist. Transfigurationis.
e Luc. vlt. 39.
f Sermo. 8. de Resurrect.
g cap. 24.
h lib. de cura pro mortuis, cap. 11.
i 1. Reg. 28. 12. & seq.
k 2. Machab. 15. 12.
l ibid. 14.
m Matt. 17. 3.
n lib. de appatit. spirit. c. 11.
o Marbachio lib. de Mirac. & Ioanni Riuio de veteri superstit.
p lib. contra Vigilan.
q Iob. 1. 7. & c. 2. 2.
r suprà.
s Tom 3. 4. 5. Annal. & in Notis Martyrol. 11. Nouéb.

Versus 16.] Petrus autem perseuerabat pulsans. Cùm autem aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt.

PETRVS *autẽ perseuerabat pulsans.*] Vel metuens deprehendi, vel desiderio ardens reuisendi fratres. Et forsan Rhode præ gaudio non aperiens, nihil etiam Petro responsi dederat.

Cùm autem aperuissent.] Syrus, *Proinde exierunt.* Par est nimirum credere omnes, non tam ob perseuerantem Rhodes asseuerationem, quàm quòd fores crebriùs, fortiúsque pulsari audirent, adductos, vt crederent Petrum adesse, illi obuiam longo agmine cùm luminibus processisse.

Viderunt eum, & obstupuerunt.] Quis memoret pia oscula, charos amplexus, calentes lacrymas, lætitiæ illices, & indices, quis voces Petro gaudentium, sibiipsis gratulantium, gratias, laudésque DEO reddentium? quis iterum iterúmque defixos in Petrum obtutus, ne in adeò concupita errarent persona? quis exultantis, seséque non capientis præ gaudio mentis extasim, quam hîc importat τὸ ἐξίσταντο? *Desideratior*, ait Chrysostomus, *multò post fuit Discipulis, non solùm quòd seruatus est, sed etiam quòd astitit, & statim accessit.* Maius gaudium percipit pastor de vna oue inuenta [t], muliérque de drachma [u], paterfamilias de filio prodigo [x] redeunte ad meliorem frugem; denique rem amissam qui recuperat, lætatur effusiùs, & noua lætitia, quàm cùm salua esset, nec requirebat ipsa, nec possessor experiebatur. *Sic tantò plus gaudet Imperator triumphans*, inquit Augustinus [y], docens maius esse gaudium de salute animę desperatæ, quantò fuit in maiore periculo, *nauta post magnam tempestatem, æger redintegrata valetudine; & edendi, bibendique voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi & sitiendi molestia; nec pacta sponsa viris statim traduntur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauerit sponsus dilatam. Stupore gaudium temperauit* DEVS, inquit Proclus [z], *& hoc illum, vt in composito statu retinerentur.*

Quãtum fuerit gaudium Discipulorum videntium Petrum liberatum è carcere.
t Matt. 18. 13. Luc. 15. 4.
u Lucas ibidem.
x ibidem.
y 8. Confess. cap. 3.
z Oratio. de vinc. Petri.

Versus 17.] Annuens autem eis manu vt tacerent, narrauit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixítque: Nunciate Iacobo, & fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.

ANNVENS *autem eis manu vt tacerent.*] Κατασείσας δὲ αὐτοῖς τῇ χειρὶ σιγᾶν. De hac phrasi, & modo indicendi silentij dicemus alibi [a]. Syrus vertit, *Porrò indicabat eis sublata manu, vt tacerent.* Non satis rem expressit participio *sublata*, *κατασείειν* námque est, & sonũ edere, & quassare deorsum, quasi manum certo modo quassando, & quidem forsan *κάτω*, hoc est, deorsum indici silentium consuesceret. In capite 19. [b] dixit Lucas, *Κατασείσας τὴν χεῖρα*, in accusatiuo absque verbo *σιγᾶν*: quod etiam verbum simili vtens formula alio loco [c] omisit. *Tacere iubet*, inquit Glossa, *ne clamore gaudentium aduentus eius in ciuitate cognoscatur.* Non fuit proprius hic mos Iudæis indicendi eo modo silentij, vt Chrysostomus [d] tamen insinuat, quoniam Budæus [e] eundem notauit in Xenophonte: Fulgentius Placiades eum qui dicturus esset ad populum, scribit erexisse in iotam digitos duos, tertium pollice compressisse. Cuius quoque consuetudinis Victorinus [f], & Apuleius [g] meminerunt. Tam religiosè id fecisse nunc Petrum, aliósve in hac historia non opinor, quidquid sit de Episcopis Græcis, quos eo gestu orationem habuisse, vel benedictionem populo dedisse contendit Iosephus Stephanus [h]: idem affirmans de Paulo [i],

a cap. 13. 16.
Κατασείειν quid sit.
b vers. 33.
c cap. 21. 40.
Mos indicẽdi silentij.
d in cap. 19. Actor.
e Comment. linguæ Græcæ.
f Comment. ad Heren.
g de Asino aureo.
h lib. de oscul. pedum Rom. Pont. cap. 16.
i Actuum 21. 40.

cùm sibi audientiam fieri voluit, necnon de Alexandro [a]. Aristoteles exerto pingi brachio solet, vt Orator ac Philosophus summus. Id factitatum ab Oratoribus, vt expeditiùs loquerentur; testis Ammianus [b], & Curius Fortunat. [c] & de Philosophis Sedulius [d], atque Iuuenalis [e]: Seneca verò tyronibus forensium studiorum nefas tradit fuisse brachium extra togam exerere, scilicet nonnisi post annum, vt ait Artemidorus [f]. Catonem Tertullianus [g] iuridicinæ suæ in tempore, humerum exertum gessisse scribit.

a Act. 19.33.
b lib. 26.
c lib. 3. Rher.
d lib. 1. Carm.
e Satyr. 13.
f lib. 1. c. 26.
g de pallio. c. 3.

Cur aberat Iacobus minor.

Dixitque: Nunciate Iacobo, & fratribus hæc.] Aberant aliqui, peculiariter Iacobus minor, seu frater Domini, tractans fortasse, vt Episcopus Ierosolymitanus, negotia Ecclesiastica, seu pastoralia: quem omnes, ac Petrus ipse, reuerebantur: vt ineptè hinc quidam argumententur, Iacobum illum non fuisse Apostolum, quoniam præsens non erat, siquidem nec cuncti forsan Apostoli aderant, quos potuit Petrus sub nomine fratrum comprehendisse.

Petrus cur voluerit has fratribus nunciari.

Voluit rem tantam fratribus nunciari, vt mœrorem lætitia cômutarent, & vnà cum ipso DEVM collaudarent, quem enixè pro ipsius libertate fuerant comprecati, & vt in prædicandi munere magis magisque confirmarentur, miraculorum ope corroborati: *non edixit, vt passim omnibus aliis euulgarent, vanam gloriam deuitans*, vt ait Chrysostomus, & Proclus [h]. *Opera DEI reuelare, & confiteri honorificum esse Raphaël dixit* [i]. Qua sententia ad opera, quæ per Sâctos suos facit DEVS, celebranda, & prædicanda, vsus est Seuerus Minoricensis Episcopus [k], & Stephanus Papa [l]. Chrysostomi [m] etiam præclara est de re eâdem sententia: *Ideo moneo, vt illos rumores augeamus, qui res nostras attollunt magnásque videri faciunt: non autem illa, fratres, exaggeremus, quæ toti sodalitati dedecus effundunt. Contra si quid audierimus boni, apud omnes proferamus: si quid verò mali, prauíque, apud nos ipsos occultemus, idque vt tollamus, nihil non faciamus.* Basilius [n] ex eiusmodi narrationibus Petri hoc loco, & priùs in cap. 11. [o] Pauli etiam ac Barnabæ [p], colligit laudabilem consuetudinem esse, vt ab his, qui peregrè redeunt, exigatur eorum quæ gesserint absentes ratio. Imitatus mihi videtur Petrus tum Angelos, tum CHRISTVM ipsum, qui Resurrectionem ipsius annunciari voluerunt Discipulis, ac nominatim Petro [q].

h suprà.
i Tob. 12. 7.
k epist. de Iudæo. conuers.
l apud Rheginonem anno Dom. 751.
m orat. 5. con. Iudæos.
n Reg. 44 ex fusis.
o vers. 4. & seq.
p c. 15. 4. 12.
q Matt. vlt. 7. 10. Mar. vlt. 7.

Licet in persecutione fugere.

Et egressus abiit in alium locum.] Licet in persecutione fugere [r]: & id faciendum sibi Petrus cognouit ex modo, quo illum Angelus de carcere liberauerat, non iubens, vt aliàs, cùm vniuersos liberauerat, liberè ac palàm prædicare [s]: nec in periculis tentandus est DEVS, vt obseruat Chrysostomus. Augustinus [t] verò monet, vt cùm possumus, declinemus, nec expectemus, vt à DEO liberemur per miraculum, sicut Petro priùs contigit.

r Matt. 10. 23.
s Act. 5. 20.
t lib. de oper. monach. cap. 27.

Quò discesserit Petrus post vincula sua.

Videtur Baronio [u], Petrum mox discessisse Ierosolymis versùs maritimas ciuitates Cæsareæ, & Sidonis, ac peruenisse vsque Antiochiam. Non id Metaphrastes [x], quem citat, statim post vincula à Petro factum scribit, inserens alia quædam post Petri liberationem, nec ponens illa verba, quæ Baronius, vt ista connecteret, posuit, *liberatus à vinculis*; concedo facilè occasione tam diræ persecutionis hoc anno, qui dicitur fuisse Claudij secundus, discessionem factam ab Apostolis inter Gentes, Iacobo in Episcopali munere Ierosolymis relicto. Sed Lucas nunc proprium quid Petro narrat, cùm egressum ait in alium locum. Coniectura Baronij est, quòd Herodes dicatur Cæsaream profectus; quasi propter Petrum hoc fecerit. Verùm aliam profectionis huius causam fuisse, paulò pòst ostendemus. Verba Lucæ non cogunt affirmare Petrum longiùs abiisse, aut etiam ex vrbe Ierosolyma egressum esse.

u Tom. 1. Annal.
x in Actis Petri, 29. Iunij.

Versus 18.] Facta autem die, erat non parua turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro.

QVIDNAM *factum esset de Petro.*] Τί ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο, *Quid tandem Petrus factus esset. An*, inquit Caietanus, post Erasmum, *conuersus fuisset in aliquod numen*, vel per metamorphosim mutatus in aliud quiddam, iuxta vulgi stultitiam, qua creditum est, magicis artibus homines verti in aues, in genios, &c.

De phrasi huius loci [illegible]

Putat prætereà Erasmus peculiarem Lucæ phrasim esse, qua significare velit incertum fuisse militibus, quid Petro factum esset. At est hæc satis trita locutio, & vulgari omnium ferè linguarum vsu recepta: quamuis in casu obliquo, non in recto, quo hîc vtitur Græcè Lucas, & præter ipsum alij auctores Græci. Admirationem auxerunt clausæ portæ, vt placet Glossæ interlineari, & Chrysostomo [y]. At enim vt ferream, ita & alias apertas esse, probabile est, aitque Metaphrastes [z] *in numero multitudinis portas sua sponte apertas.* Nisi malis cum Gagneio, vel exeuntem Petrum post se illas reclusisse, vel potiùs illas vltrò, Angelica videlicet opera, reclusas. Ratio Glossæ, quæ placuit quoque Magistro Historiæ Scholasticæ [a], & Hugoni, quòd si reseratus carcer relictus esset, non dubitassent milites Petrum euasisse, necessaria non est: nec enim ferè minùs mirabile accidit tot aperire portas, etiamsi patentes relinquantur, & æquè anceps sim, quid eo factum sit, qui clàm tot militibus, custodibúsque patefacere portas quiuerit, seu qua ratione id præstiterit. Chrysostomus [b] docet clausa omnia mansisse, & duorum militum, qui cum Petro dormiebant, manus eâdem catena, qua cum illo vincti fuerant, colligatas perseuerasse.

y Homil. 26 in ep. ad Ephes.
z in Actis Petri, 29. Iunij.
a in Act. [illegible] post.
b Homil. in Martyres.

Versus 19.] Herodes autem cùm requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci: descendénsque à Iudæa in Cæsaream, ibi commoratus est.

INQVISITIONE *facta de custodibus.*] Ἀνακρίνας τοὺς φύλακας. Syrus, *Condemnauit illos custodes*, nempe quatuor militum quaterniones, & duos, inter quos Petrus medius dormiebat, si ab illis diuersi erant, ac prætereà fortasse ordinarios alios custodiæ carceris præpositos. Verbū ἀνακρίνειν significat *interrogare*, & *sciscitari, examinare, diligenter inquirere*: ac idcirco sæpe iudicibus tribuitur, vel inquirentibus iudiciali quodam more veritatem: quod Latini dicunt, inquit Budæus [c], *quærere, quæstionem habere.* Interpres quandoque vertit, *interrogare* [d], interdum *iudicare* [e]. Idem etiam nonnunquàm est quod βασανίζειν, *& applicare ad tormenta*, quod nomine Latino inquisitionis continetur, vel quæstionis: quod Herodem fecisse studio placendi Iudæis, qui erant in tanta expectatione de nece Petri, insita Tyranno sæuitia, & quòd milites

Ἀνακρίνειν quid significet.
c in comment. ling. Græc. & annot. post. in pandect.
d Luc. 23. 14.
e vt 1. Cor. 4.

lites

lites illos necasse dicitur, nullo negotio persuadent.

Iussit eos duci.] Ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι. Syrus, *Iussit eos necari.* Arias Montanus: *Iussit eos duci ad supplicium, non ad iudicium: nam inquisitio, quam hic legimus, inquit, iudicij facti significationem habet, post quod ad iudicium producti sunt.* Affirmant hoc etiã Chrysostomus[a], Proclus[b], Petrus Alexandrinus[c] (qui genus mortis exprimit suffocationem) & Oecumenius, & Cyrillus Ierosolymitanus[d]. Omnes autem admonent, nullam idcirco culpam transcribendam in Petrum, vel DEVM; vt neque quòd infantes ab alio Herode pro CHRISTO cæsi sint[e], neque quòd tot alia patrentur homicidia; quia licuit militibus, si vellent, fugere; & si eos etiam DEVS liberasset cum Petro, visa esset non

a Homil.1. in ep. ad Eph. & homil. 9. in Matth. & hoc loco.
b oratio. de vinc. Petri.
c Can. 13. apud Theod. Balsamonẽ.
d Catech. 14.
e Matth. 2.16.

B diuinitùs facta liberatio, sed fuga. Herodes actus furore, & insania, innoxios trucidauit, probè edoctus miraculi veritatem, quod nec Iudæi fecerunt custodibus sepulcri CHRISTI[f], nec iis, qui seruarant Apostolos in carcere[g], nec illis qui Paulum & Silam, qui sunt etiam Baptismum adepti[h]. Herodem euasio militum meliorem non reddidisset, quemadmodum nec alios CHRISTVS toties elabens de manibus eorum: inquisiti, occisique rem testatiorem, & certiorem fecerunt: noluit DEVS superstitum militum vti testimonio, quia parum erat idoneum, vtpote cui obiici posset negligentiæ, vel proditionis excusan-

f Matt. vlt. 12. 13.14.
g Act. 5.22. & seq.
h infrà 16.27. & seq.

C dæ causa dari: postremò duri, ferocésque in Petrum, & in ceteros priùs Apostolos, aliósque fideles obfirmata, & insanabili malitia hanc non exuturi, sed adaucturi præuidebantur à DEO. Itaque sublati sunt è viuis milites, non in carcerem duntaxat abacti, vt sentit Glossa, Comestor[i], Hugo, Carthusianus, qui legendo *addici*, interpretatur de supplicio, quod tamen posteà non luerint, & Gagneius: vel Cæsaream, vt Caietano videtur, quasi aliò ipsemet Herodes sit euocatus, & sic dilatum de militibus iudicium, ac omninò etiam ob Herodis mortem intercisum, ne Petri liberatio interitum immeritis afferret. Nam exposita à nobis sententia grauiores habet Auctores, & non

i Hist. Schol. in Acta.

D improbabili nititur ratione: fauétque Græcum τὸ ἀπαχθῆναι, vt id quidem intellexit Syra interpretatio, & optimi Græcæ linguæ Auctores vsurpant, & obseruat Budæus[k], vt sit nempe verbum forense significans abduci ad carcerem, vel pœnam, vel iudicem. Vnde ἀπαγωγὴ etiam à Septuaginta in Esaia[l] positum reddidit editio nostra *carcerem*, τοὺς ἐν ἀπαγωγῇ οὐκ ἔλυσε, *vinctis eius non aperuit carcerem*. At verò milites iam erant examinati, vt dictum est, videlicet à iudice, & in carcere: abducti ergo cùm dicuntur, intelligi debet, ad supplicium, vt rectè Montanus ratiocinabatur. Postremò boni Auctores Latini duci di-

ἀπαχθῆναι verbum quod significet.
k in Cõmen. ling. Græcæ.
l cap. 14.17.

E cunt, pro eo quod est ad supplicium trahi. Sic enim Plinius Traiano scribit de Christianis: *Confitẽtes iterum ac tertiò interrogauit supplicium minatus, perseuerantes duci iussi.* Eodem modo Cicero[m] pro carceratione: *Ego is Consul, &c. qui timeam ne mihi in carcere habitandum sit, si tribuni plebis duci iussissent.* Exempla verò in Scriptura plura sunt, vt de Machabæis martyribus, de CHRISTO, ac latronibus, &c.

m in Rullũ.

Descendénsque à Iudæa in Cæsaream, ibi commoratus est.] Meminit Iosephus[n] de hac Herodis Agrippæ Cæsariensi profectione in Palæstinam, in eam videlicet Cæsaream, quæ priùs vocabatur turris Stratonis. *Iámque*, ait, *tertium Iudææ totius regni annum exegerat, cùm peruenit in vrbem Cæsaream, quæ priùs Stratonis turris dicta est, vbi solemnes ludos celebrauit pro salute Cæsaris, ad quam solemnitatem magna multitudo nobilium ac procerum conuenerat ex tota prouincia.* Monet Caietanus non multùm temporis intercessisse à vinculis Petri, & à morte Herodis, quæ mox narrabitur. Historia Scholastica tradit ideò profectum, vt quod subditur, pœnas repeteret de Tyriis & Sidoniis, idémque Glossa, & alij docent.

Herodes Agrippa in Cæsaream profectus, & quare.
n 19. Antiq. c. 7. vol 8.

Versus 20.] Erat autem iratus Tyriis, & Sidoniis. At illi vnanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eò quòd alerentur regiones eorum ab illo.

ERAT *autem iratus Tyriis, & Sidoniis.*] Iræ causam Baronius, vt nuper dixi, credit fuisse, quòd Petrus, postquàm liberatus est, in eas Palæstinæ regiones maritimas venit, positas ibi visens componénsque Ecclesias. Iosephus non scribit causam: neque, vt dicebam, Metaphrastes citatus à Baronio affirmat, simul Petrus liberatus est, descendisse Cæsaream, & Sidonem, & obiisse Palæstinæ, seu Syriæ maritimas regiones vsque Antiochiam. Sed post narratam liberationem subdit peragrasse propter Simonem Magum, omnes ciuitates Cœlesyriæ, ac præterea Pontum, Asiam, Galatiam: & peregrinationem exorditur ab Ierusalem in Cæsaream Stratonis, tum in Sidonem, &c. Quòd si Tyriis, ac Sidoniis, qui non erant in ditione ipsius, idcirco iratus est Herodes, cur non etiam Cæsariensibus, quos non minùs Petrus viserat, & Episcopum tunc iis, vt idem Metaphrastes scribit, dederat? Apud illos tamen ludorum solennitatem egit, vt ex Iosepho retulimus, & ipsi ab illis vt DEO, quod paulò pòst Lucas adiicit, acclamatum est.

Iræ causa Herodis Agrippæ in Tyrios & Sidonios quæ fuerit.

Concedo Petrum inuisisse has, & alias hoc tempore prouincias, id est, Claudij Imperatoris anno secundo; aut, vt supputant alij, quarto, ac Romam peruenisse, & de ceteris pariter Apostolis verisimile est, per alias orbis partes dispersos esse, ob secundam istam persecutionem, in qua Iacobus obtruncatus est, & ad mortem designatus Petrus, sicut vniuersa, exceptis Apostolis, in Ierusalem Ecclesia, post necem Stephani dispersa est[o]: nullo autem loco in Iudæa consistere, Iudææ Rex Christianorum persecutor Apostolis permittebat, quod satis innuit Chrysostomus[p], dum ait, *Apostolos, vbi diu prædicassent in Iudæa, quamuis cæsos flagellatósque*[q], *demùm à Iudæis propulsos, sese conuertisse ad Gentes.* Verùm contineo me in expositione Auctoris, non id ago, vt vniuersam Apostolorum texam historiam: & assero irarum Agrippæ causam aduersùs Tyrios Sidoniósque petendam aliunde. Videtur mihi Lucas has iras memorare, & petitam ab iis, quibus erat iratus, pacem, quod conducat ad explicandum regis infelicem exitum, qui commodè ei narrari debuisse visus est post necẽ Iacobi, & vincula Petri, quamuis illa Herodis mors à Chronographis reiiciatur in quartum Claudij annum.

Petrus Tyrios & Sidonios inuisit, ac Romam peruenit.
o Act. 8.1.
p Hom. 72. in Matthæum.
q Act. 5

Iratus.] θυμομαχῶν. Valla exponit *iratè*, siue *acerbè pugnans.* Non placet Erasmo nunc, cui sic plerumque placet, vt eum transcribat persæpe, quia nondum indixerat Rex bellũ, sed iam animo bellum agitabat, ni placassent iratum. Est, *infensum*

ac pugnacem gerens animum, ita vt sit πολέμιος χόλος τοῖς πάσχουσι, *Hostilis ira patientibus*, seu, *affectis illa. Sicut fremitus, & rugitus leonis, ita & regis ira* [a], *qua enim fuga possent animalia leonem euadere, fremitu eius consternata, & deficientia capiuntur*, inquit Basilius [b]. *Indignatio regis nuncij mortis* [c]. Corporis plerumque in talibus constitutio mollior, alti, & præsidentes animi, potentia lædi nescia bilem excitat, vt proinde non vana penitus coniectatio sit, Cometam, qui eum humorem excitat, & adauget, bellorum, & mortis Principum præsagum esse. Tam tenax est in bilioso horum humore ira, vt quamuis videantur, ac profiteantur se ignoscere, pronissimi sint in futurum ad vindictam, iracundiæ stimulos in imis pectoribus reseruantes: vt de Agamemnone Calchantem Homerus [d] affirmantem inducit.

a Prou.19.12. c.20.2.
b in Hexam. hom.9.
c Prou.16.14.
Ira regum, & ef fectus.
d Iliad.1. non procul ab initio.

Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ,
Εἴ περ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσσῃ
Ἐν στήθεσσιν ἑοῖσι.———

Semper enim regis metuenda est ira minori,
Qui quanquàm malè dissimulet: bilémque molestam
Concoquat, & pœnam præsens in tempus omittat,
Non tamen inbibitæ semel obliuiscitur iræ
Supplicio dum facta graui commissa rependat.

Qui sunt à DEO dati rectores populi Moses [e], & Dauid [f], mitissimi fuerunt: CHRISTVS à se vt *mites esse disceremus*, præcepit [g]. Cõparat regis iram Seneca [h] cum procella: *Potentioris iram*, ait, *nunquàm sapiens prouocabit, immò declinabit, non aliter quàm in nauigando procellam.* Atque hoc sibi volunt illa prouerbia, *Procul à Ioue, & fulminibus: Ignem gladio ne fodito. Perierunt omnia*, inquit idem Seneca [i], *vbi, quantum suadet ira, fortuna promittit, nec diu potest quæ multorum malo exercetur, potentia stare.* Lege quibus id exemplis comprobet [k], & peregrinis, & Romanis: atque his multò plura vetera, recentioráque afferri possent, quorum etiam trucior aspectus, vox, ac verba asperiora, minaces, aut seueræ literæ fatalem nonnullis diem attulerunt.

Mitiatis exempla.
e Num.12.1.
f Psal.131.1.
g Matt.11.29.
h epist.14.
i lib.3. de Ira. cap.16.
k ca.17. & 18. & seq.

Tyris, & Sidoniis.] Tyrus, ac Sidon, quæ hodiè Zur, & Said, vel Saieto, vrbes olim Phœnicis nobiles, nouem à se distabant parasangis, hoc est, 270. stadiis. Est enim parasanga triginta stadiorũ, seu circiter 32. milliaribus; aut, opinione Abulensis [l], quinque tantùm leucis; aut, vt placet Marino Veneto [k], quem ille citat [m], vna & viginti; aut, iuxta alios, ducentis stadiis. Tyrus, siue Thiras, septimus filius Iaphet filij Noe [n], nomen loco dedit. Ex hac vrbe fuit Cadmus Europæ frater Thebarum conditor. Ibi nata est Dido, teste Virgilio [o]: quæ mortuo viro in Africam abiit: cecidit in sortem tribus Aser, sed hæc illam obtinere non potuit [p]. Valdè floruit opibus, potẽtia, mercimoniis, quemadmodum Prophetæ [q] testantur, & Qu. Curtius [r], vt dici rex Tyri DEVS vellet [s]: olim insula stadiis seiuncta quatuor seu dimidiato milliari, vel septingentorum passuum spatio à continente, aggere comportato pedes ducentos lato ex lapidibus vrbis veteris, iuncta est continenti per Alexandrum Magnum, vt produnt Diodorus [t], ac Plinius [u]: purpuræ atque conchiliorum est ferax: in ea Origenes iacet: Pœnis, & Carthagini originem fecit, vt scribit Solinus [x]. Inde ad Dauid, & Salomonem ligna cedrina missa sunt ædificiis apta [y].

Tyrus & Sidon quæ vrbes, & quid sit parasanga.
l Genes. 10. post q.6.
k in descript. Terræ sanctæ.
m Matth. 15. q.55.
n Gen.10.2.
o Æneid.1.
p Iosue 19.29.
q Esa. 23. 7. Ezech. 26. & 27. & 28. Oseę 9.
r lib.4.
s Ezec. 28. 2.
t 17. Bibliot. in anno 4. Alexandri.
u lib.5.c.19.
x in Polyhisto.c.40.
y 2. Paral.2.3.
z Gen. 10.15.
a Iustin hist. lib.18.
Sidon vnde nomen acceperit.

Iam verò Sidon à Sidone primogenito Chanaan [z] ædificata est: etsi quidam [a] nominis notionem à piscium vbertate deriuent, quòd Sidon Phœnicum lingua piscem significet. Traduntur Sidonij Arithmeticæ, Syderalisque sciẽtiæ inuentores, necnon artis nauigandi, & vitrariæ: propter eam, quam dixi, Tyrios inter Sidoniósque propinquitatem, Didonem Virgilius Tyri natam Sidoniam quoque cognominat [b]: celebratur sæpe ab Homero Sidon, Tyrus nunquàm, vocátque Sidonios πολυδαιδάλους, vt Strabo [c] πολυτέχνους, καὶ καλλιτέχνους, artifices artificiosos.

b Æneid.1.
c lib.16.

Persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis.] Blastus hic quis fuerit, nescio, nec quis alius hoc vnquàm anteà nomine appellatus sit, reperio. Hæreticum enim ab Irenæo, aliísque confutatum, qui diu pòst vixit, omitto.

Blastus hic quis fuerit.

Esse super cubiculum, idem est quod esse cubicularium, quem Plutarchus [d] appellat κατευναστὴν [e], vel, quo nomine vtitur etiam Diodorus Siculus [f], κατακοιμιστὴν: Curopalata [g] verò παρακοιμώμενον appellat *procubitorem seu præfectum sacri Imperialis cubiculi*: cubicularios κοιτωνίτας. Hoc munere apud Persas, alióśque functos eunuchos, siue spadones pridem notauimus [h]. In Ecclesiastica Republica sicut nomen cubiculi dictum inuenitur de oratorio [i], quasi alludendo ad verba CHRISTI [k]: *Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora* PATREM *tuum*: ita & cubicularij de eo, quem appellamus Capellanum: qua ratione Leo constituisse dicitur ex clero super sepulcro Apostolorum cubicularios [l]. Modò verò cubiculariorum ordo quidam est in familia Pontificia, seu Palatina, cui laici quoque adleguntur, quamuis iam inde à Gregorio magno ad Pontificij cubiculi obsequia nonnisi Ecclesiastici admittantur: ablegauit enim sanctus Pontifex [m] laicos inde, pueros & seculares, *vt is qui in loco est regiminis habeat*, inquit, *testes tales*, aut clericos, aut etiam monachos, *qui vitæ eius in secreto conuersationem videant, quique ex visione sedula exemplum perfectum* vel perfectius *sumant*. Lege Baronium [n], & Lælium Zecchinum [o].

d in Alex. & Otho. [illegible]
e in Apoph.
f lib.13.
g de offic. Pala. Cõstantinop.
h cap.12.
i vt apud Paulinum ep. 12. & lib. de Rom. Pontificibus in Marcellino & Symmacho & apud [illegible]
l lib. de Romanis Pontificibus, à Leone.
m in conc. Rom. c.
n Not. Martyrol. [illegible]
o de Rep. Eccles.

Blastum credi potest fuisse primum cubicularium seu cubiculi regij præfectum: Glossa interlinearis vocat Thesaurorum custodem, necnon Historia Scholastica, & Hugo: Lyranus autem Secretarium. Nil repugnat conuenire in eandem personam plura officia; ceterùm cubicularius non est, vel Secretarius, vel Thesaurarius.

Postulabant pacem.] Erat enim rex θυμομαχῶν, bellum meditans & moliens, vt magis ab ea recedendum sententia rear, quæ tantarum causam irarum affert, quòd se Tyrij, Sidoniíque Christiana lege imbui paterentur à Petro. Rarum prorsus, ac etiam fortasse inauditum, vt Iudaicæ vel Gentilitiæ sectator religionis Rex aut Princeps bellum pro religione mouerit, iis præsertim, qui eorum sub imperio non viuerent. Sed neque Christianis licet bello aggredi alienæ cultores religionis hoc nomine duntaxat, ne vel aliam amplectantur, vel nostram complecti cogantur, vt aliàs ostensum est [p].

p 2.2 Disput. de Fide, & de bello.

Eò quòd alerentur regiones eorum ab illo.] Syrus: *Propterea quòd victus regionis ipsorum ex regno ipsius Herodis erat.* Διὰ τὸ τρέφεσθαι αὐτῶν τὴν χώραν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς, *eò quòd aleretur eorum regio à regia, nimirum regione, per extractionem alimoniæ*, inquit Caietanus, quoniam eorum regio nimis erat angusta, vt ait Glossa, vel ex regia annona: & fortasse caritatem eo anno passa.

Nihil magis expugnat hostes, & ad deditionem

compellit,

Fames ad deditionem impellit.

compellit, quàm fames, vt dixi capite vndecimo [a]) & perplures historiæ docent [b]. *Nemo enim est tam fortis, tamque robustus*, ait Xenophon [c], *vt aduersus famem pugnando bellum gerere possit.* Porrò quamuis iure gentium celebrentur inter omnes commercia, potest tamen Princeps, vt suis consulat, & vbertati, cauere ne fruges & cibaria exportentur, seu extrahantur. Id hoc tempore magis est in vsu, quàm olim, cùm propter dominatum vnius, maior erat inter homines consociatio, & communio: quin tamen etiam Præfecti annonæ, vt apud Romanos duo è sex Ædilibus Cereales dicti patritij ordinis [d], curarent ne deesset alimonia per huiusmodi exportationem, dubitari non debet; B satísque constat, vindicatam semper seuerè huiusmodi exportationem, atque inhibitam. Lege Cassiodorum [e]: & Cicero [f] meminit Athenis Athenagoram Cymæum *virgis cæsum, quòd in fame ausus esset triticum exportare.*

Exportatio frugum inhibita.

a vers. 28.
b nonnullas collegit Feuardent. in cap. 1. Ruth.
c 6. de instit. Cyri.
d Diony. Halicarn. lib. 6. Apuleius 1. Metamorphos. Liuius 4. Decad. lib. 8.
e s. varia. epi. 12. lib. 1. ep. 14.
f oration. pro Flacco.

Versus 21.] Statuto autem die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos.

STATVTO *autem die.*] Audiendis Tyriis, ferendæque de illis sententiæ, vt exponunt Lyranus, & Carthusianus. Hic erat dies secundus celebritatis, vt ait Iosephus [g], ludorum pro Cæsaris salute. Syrus reddidit, *diem percelebrem.*

g 19. Ant. c. 7.

C *Vestitus veste regia.*] *Tota ex argento*, ait idem Auctor, *mirabili opere contexta, quæ radiis orientis solis perculsa, & diuinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum honore incutiebat spectantibus.*

Viri primarij vestibus splendidis procedebant.

Decet viros primarios, vt vestibus splendidis, ac preciosis insignes procedãt: quod fecisse Abraham legimus, cùm misit ad futuram filij coniugem [h], Iacob [i], Iosephum [k], Dauidem [l], Salomonem [m] (cuius etiam CHRISTVS meminit in Euangelio [n]) Danielem [o], Ionatham, & Simonem Machabæum [p], Mardochæum [q], Iuditham [r], Esther [s]: omnes tum saltem, cùm id vsurpabant, approbatos à Scriptura. Mulieris item fortis, quam laudat Sapiens [t], *indumentum erat byssus, & purpu-* D *ra.* Confert ea res ad status gradum, honorémque coram subditis conseruandum: & est potestatis à DEO in alios collatæ symbolum. Multò magis conuenit, vt ad sacrificia, & alia sacra munia ornatus adhibeatur vestimentorum, quod Hieronymus [u] docet, ac oportet quoque habitu notatos, & conspicuos esse, qui honestiora, grauiorá- que obeunt Ecclesiæ munera. Mitto veteris legis pontificias *vestes elegantissimas, & pretiosissimas in gloriam & decorem*, vt loquitur in Exodo [x] DEVS: rectè enim à minorum, & maiorum comparatione suo [y] argumentatur. Obuia sunt in Patribus & Historiis testimonia, & exempla clericalis ornatus. Luxus, deliciæ, pompa meritò reiicitur. *Vos* E *in tunicis*, inquit idem Hieronymus [z], *aurum texitis, sed vos auratos gehenna suscipiet. Quid lucrabimur*, ait Ephrem [a], *de cultu vestimentorum, & ornato elationis amictu, nisi ignem inextinguibilem?*

h Gen. 24. 22. 30. & 47. 53.
i Gen. 27. 15. 27.
k Gen. 41. 42.
l 2. Reg. 12. 20
m 1. Par 20. 2.
n Mat. 6. 29.
o cap. 5. 29.
p 1. Mach. 10. 20. cap. 14. 43.
q Esth. 6. 8. 11.
r Iudith 10. 3.
s cap. 5. & 15.
t Prou. 31. 22.
u 1. cont. Pel.
x ca. 28. & 31.
y epist. 124.
z in vita Pauli primi eremitæ.
a lib. de lucta spir. cap. 2.

At verò cauendum etiam, ne viles, & abiectæ vestes plebis neglectum, quæ res externas admiratur, afferat, vt Philopœmeni accidit [b]. Qua de causa in libro officiorum Palatij Imperatorum est, vt qui publica munera gererent, vestium distinguerentur ornatu, & in concilio Gangrensi [c] anathemati subiicitur *reprehendens*, vel *iudicans illos, qui cum reuerentia birris* (qui serici erãt, & vnum A ex Episcoporum insignibus) *vtebantur*: cùm id vsurparent, vt exponit Balsamon, *propter professionis honorem, non propter mollitiem, vel arrogantiam.* Leges præterea, si lubebit, in apocrypho Esdræ libro tertio [d], *purpuram, & cydarim byssinam inter ornamenta regia*: necnon apud Philonem [e], & Iosephum [f] eadem, aliáque.

b Plut. in vita.
c c. 12 dist. 30. c. si quis virorum.

De luxu vestium inter alios Petrus Faber [g], nósque aliàs in Esaiam capite tertio. Equidem facilè assentior Isidoro Pelusiotæ [h], modum in veste Herodem excessisse, eámque, vt ipse ait, *spirituali illo thalamo fulguris in morem rutilante minimè dignam fuisse.* Idem [i] tamen etiam docet pro suo quemque statu vestibus ornatis vti debere, licèt B captent inde alij occasionem peccandi.

d cap. 3. 6.
e contra Flaccum cum de Cataba: & li. de creatione Principis.
f 17. Ant. cap. vltim. cum de hoc Herode ad sepulcrum elato.
g 1. Semestri. cap. 6.
h lib. 1. ep. 74.
i lib. 2. ep. 289

Iustini iunioris Imperatoris pia monitum.

Legenda prorsus Iustini iunioris Imperatoris, quam sub mortem habuit, oratio ad Tiberium, præsente Ioanne Patriarcha Cõstantinopolitano, Principibus, & Magistratibus, & militibus Prætorianis, quando veste illum Imperiali induebat [k]; *Ne te*, inquit inter alia pia monita, *in errorem inducat vestis splẽdor, neque illustris ornatus illarum rerum, quæ sub aspectum cadunt, te decipiat, quibus ipse in fraudem impulsus meipsum grauissimis suppliciis obnoxium reddidi. Non eleues te habitus, quemadmodum me. Ecce* DEVS, *qui bene fecit tibi, hunc habitum dedit tibi, non ego. Honora illum, vt tu quoque honorêris ab illo*, &c. Vide præterea in Theodosiano Cod. titulum de habitu, quo vti oporteat intra vrbem, & nonnulla C huc spectãtia apud Cassiodorũ [l], Symmachum [m], Sidonium [n], Turonensem [o]. Reperies etiam in Auctoribus togatos pro aduocatis siue causidicis: trabeatos pro Senatoribus, etsi trabea reges, consules, equestris ordinis homines induerentur: tiaratos pro regibus maximè Persis.

k Euag lib. 5. cap. 11. Auctor Miscell li. 16. Niceph. li. 17. cap. vlt.
l lib. 6. epi. 15 & 21. & lib. 12 epist. 7.
m lib. 7. epi. 9.
n in Epithalamio Polemij, & Araneolæ, libr. 2. epi. vlt.
o 2. Hist. c. 18.

Sessio haec pro tribunali quid indicet.

Sedit pro tribunali.] Ἐπὶ τοῦ βήματος. Fauet hæc sessio pro tribunali eorum sententiæ, qui volebãt statutum diem, de quo superiùs, fuisse illum, in quo pronunciaturus erat Rex sententiam Tyriis atque Sidoniis. Non malè accidit, vt simul in publica lætitia lætum de pace, quam Blastus impetrauisset, responsum daret rex. Quid si tamen con- D cio tantùm fuit ad populum? Est enim βῆμα, locus, in quem conscenditur siue ad concionandum, siue ad ius dicendum, quem locum, si sit in castris, suggestum nominant. Testantur porrò historiæ omnes, loco celsiore solitum esse Principem, Ducem, Regem, Imperatorem. Exemplum extat in Iehu [p]. De Cæsare meminit Lucanus [q]: Plinius de Traiano [r]: de Pompeio Plutarchus [s]: de tumultuante Percennio Tacitus [t]: Vopiscus de Probo: de Iuliano Ammianus [u]: Xiphilus de Bundimia regina Britanniæ. Si deerat comparatum ad hoc tribunal, id opere tumultuario excitabant aut ex palliis, aut ex cespitibus, aut ex terrę glebis, aut ex terra palustri, vt colligitur ex citatis Auctoribus. Alioquin erat constructum de industria ta- E libus personis statum tribunal, quem torum vocat altum Virgilius [x]:

Βῆμα quid sit.

p 4. Reg. 9.
q lib. 5.
r in Panegyr.
s in Pompeio.
t 1. Annal.
u lib. 23.

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.

x 2. Æneid.

Concionabatur ad eos.] Ad turbam, inquit Syrus; ἐδημηγόρει πρὸς αὐτούς, vbi non videtur esse sermo de Tyriis, ac Sidoniis, sed de toto populo Cæsariensi: hoc enim importat verbum δημηγορεῖν. Glossa interlinearis, Comestor, Hugo, Carthusianus aiunt blanditiis vsum in oratione, Lyranus valdè egregiè locutum. Colligunt hæc, opinor, ex populari acclamatione.

Δημηγορεῖν verbum quid importet.

Principibus ad populum concionari perhonorificum.

Perhonorificum est Principibus ad populum concionari, & ius dicere. Longum satis de Impe-

ratoribus, Regibúsque, qui hoc factitarint diligentissimè, catalogum texit Tiraquellus [a], & leguntur apud Thucydidem, Liuium, Homerum, Virgilium, aliósque, præclaræ huiusmodi hominum conciones, quas in genere vehementer probat Basilius [b], & sunt in Machabæis exempla.

a lib. de Nobilit. cap. 28. à n. 17.

b orat. 2. de ieiu. in princ.

Ceterùm subit recordatio Priami, quem Virgilius canit [c], cùm ius daret, peculiare habitus, & ornamenti genus gestasse:

c Æneid. 7.

Hoc Priami gestamen erat, cùm iura vocatis
More daret populis.

Et quidem superiùs regia se Herodem veste induisse vidimus. Verisimile est sub nominibus τῆς ἐσθῆτος βασιλικῆς, vestis regiæ, regium reliquum ornatum comprehendi, vt coronam, ac sceptrum, quæ Reges iudicando concionandóve vsurpasse, colligitur ex diuinis literis [d], & profanis [e], quæ de sedibus quoque seu de tribunalibus meminerunt instratis etiam purpura. Legendus item Tertulliani liber de corona militis [f]; vbi cùm penitus coronæ negat vsum in Scripturis reperiri [g], confutatur ex dictis. Sed agit ipse de profano quodam genere coronæ. Consule Pradum nostrum [h], de corona præcipuè regia, & pontificia.

Vestis regiæ nomine quæ intelligantur.

d Sap. 6. 22. Baruch 6. 13. Ezech. 21. 26. Iob. 29. 7. 14. cap. 19. 9.
e Hippias Erythræus 2. hist. Athen. lib. 12. c. 3. & 18.
f maximè ca. 13.
g cap. 9.
h in Ezech. c. 21. 26.

Versus 22.] Populus autem acclamabat: DEI voces, & non hominis.

POPVLVS *autem acclamabat:* DEI *voces.*] Græcè est φωνὴ, in singulari. Syriacè: *Hæ sunt filia vocum* DEI, *& non hominum.* Iosephus [i] nil dicens de concione, rem ita pergit narrare, *Móxque adulatores perniciosi, alius aliunde acclamantes,* DEVM *consalutabant, rogantes, vt faueret propitius: hactenus enim vt hominem reueritos, nunc agnoscere, & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius.*

i 19. Ant. c. 7.

Non probo censoriam notationem [k] Iacobi Lopidis contra Erasmum; cùm non sit minùs contra editionem nostram, cuius profitetur patrocinium. Vult nos legere in datiuo φωνῇ, & sensum esse, populū acclamasse *voce* DEI, *& non hominis,* id est, ea voce, qua DEO acclamaret, & non homini, non quòd Herodis vocem, vt de cœlo missam, laudauerit, & sermonem. Vocis nomine intelligitur oratio, & ex tali effectu causæ diuinitas colligitur. Lectionem autem nostram, ac dictionem illam in nominatiuo non Latini tantùm secuti sunt, sed Græci etiam Interpretes, ac Eusebius prætereà [l].

Vocis nomine quid hic intelligatur.
k annot. in Erasmum.

l 2. Hist. ca. 10.

Est, vt ita dicam, aulator adulator, & κόλαξ κόραξ, vel, vt Constantinum dicere solitum Aurelius Victor [m] memorat, *sorex & tinea palatij*, habens in ore semper illud Harpagi: *Mihi placet quicquid rex facit: & Stratoclis agentis de Demetrio* [n]: *Quicquid rex iubet, id & erga Deos sanctum, & erga homines iustum est: & Gnathonis* [o]:

Aulator est adulator, & κόλαξ κόραξ.
m in vita Cōstantini.
n Plutarch. in Demetrio.

o Teren. in Eunucho.

Negat quis? nego: ait, aio:
Postremò imperaui egomet mihi omnia assentari.

Perniciosa adulatio, inquit Q. Curtius [p], *perpetuum regum malum est, quorum opes assentatio sæpiùs, quàm hostis euertit.* Mauult Augustinus [q] *pati supplicium, quàm fœda adulatione consequi beneficium:* plusque [r] ait *persequi linguam adulatoris,* quippe inter cicures bestias est pessima, vt inter feras tyrannus [s], *quàm manum interfectoris.* Procul aberat Mardochæus à sordibus istis, Amanum à rege Persa secundum ideò non adorans, ne DEO debitum honorem communicare cum homine videretur, paratu. alioqui pro salute Israël etiam vestigia osculari [t].

Adulatio, quātum malum.
p lib. 8.
q epist. 62.

r in Psa. 69.

s Bias. & Diogenes in Laertio.

t Esther 13. 12. 13. 14.

Nam honores diuinos sibi vt Diis reges Persas vendicasse, iísque quos vellent deferri mandasse, scriptorum Ethnicorum multiplici testimonio probat noster Serarius [u], post Barnabam Brissonium [x], atque nostrorum, simul ostendens, quàm multi, cultores alioqui plurium Deorum, adorationem regibus impertiri respuerint, ac detestati sint. Vocat Plinius [y] Persicam illam *προσκύνησιν humi iacentium adulationes:* Seneca [z] *seruitutem:* Martialis [a] qui id faciant, *turpes humilésque:* Arrianus [b] nominat ταπεινότητα: Isocrates [c] autem, *tanquàm fracti & abiecti animi viros* appellat Persas, *qui Diis debitos honores mortali regi tribuerent:* tandem Athenienses Timagoram, quòd eo ritu Darium adulando salutasset, capitali supplicio affecerunt, vnius ciuis humilibus blanditiis, totius vrbis suæ decus Persicæ dominationi submissum grauiter ferentes, vt memorat Valerius Maximus [d], Plutarchus [e], & Athenæus [f], apud quem pro Timagora Euagoras irrepsit, immò verò Hermolaus Macedo, vnus ex coniuratis Alexandri, hæc ei apud Curtium [g] exprobrat: cuius incredibile factum cognosces apud Senecam [h], Gellium [i], Ælianum [k]. Antonium Melissam [l], Lucanum [m], Iuuenalem [n]. *Persarum te vestis & disciplina delectat: patrios mores exosus es. Persarum ergo, non Macedonum regem occidere voluimus, & te transfugam belli iure persequimur. Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, venerarique te vt* DEVM. *Tu Philippum patrem auersaris, & si quis Deorum ante Iouem haberetur, fastidires etiam Iouem. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus?*

u in cap. Esther q. [illegible]
x lib. 1. de [illegible] Persa.
y lib. 6.
z lib. 3. de [illegible]
a lib. [illegible]
b lib. 4. de [illegible] gestis
c in Panegyr.
d lib. 6. c. [illegible]
e in Artaxerxe, & in Pelopida.
f lib. 6.
g lib. 8.
h 2. de benef. c. 13. & ep. [illegible] & 120.
i lib. [illegible] c. 4.
k 2. var. hist. c. 19. & [illegible]
l lib. 2. Serm. 14.
m lib. [illegible]
n Sat. [illegible]

Id facerent potiùs quod iste, vani, ac superstitiosi adoratores Agrippæ, quos non Iudæos, sed Tyrios, Sidoniósque, seu alios idololatras fuisse mihi persuaderem, nisi Cæsariensis populus acclamasse diceretur, & si non assentandi studium eò præcipitaret, vt alteri diuinum honorem deferre præ te feras, quamuis ex animo non deferas. Quin iste, vt Paulus, Barnabásque pro Diis culti [o], præ horrore & abominatione tantæ blasphemiæ regiam illam vestē discerpsit: vel sicut Ezechias audiens blasphemias Rabsacis [p]. Criminis notantur ingentis à Ieremia [q], qui cùm sacrum volumen dilaceratum, & combustum est, nullam ediderunt significationem doloris, nec timentes, nec scindentes vestimenta sua.

o Act. 14. 13. & seq.
p 4. Reg. 18. Esa. 37.
q cap. 36. 24.

Cùm gloriosus miles gloriæ inseruiens assentando Canuti Anglorum regis, hunc animi causa deambulantem in littore Oceani regum longè omnium potentissimum, qui hominibus, qui mari, qui terræ latè imperitaret, nominasset: *Rex,* inquit Polydorus Virgilius [r], *vt illius assentationes vanas coargueret, vestem exuit, ex ea globum fecit, super que sedit quam proximè aquam, dicens: Unda, tibi iubeo, vt ne pedes meos tangas. Suis mirantibus, cur hoc faceret, unda insurgens totum madefecit. Tum ille: En, principes vocatis me regem, qui hanc paruulam vndam meo imperio cohibere nequeo. Nullus mortalium est tali nomine dignus: est rex* PATER CHRISTI, *cum quo ille regnat, cuius nutu cuncta reguntur: hunc veneremur, hunc Regem omnium appellemus: hunc regum omnium Dominum, cœli, maris, terræ rectorem profiteamur, prætereà neminem.*

Regis Anglorum [illegible] exemplum.

r lib. 7. Histo. Anglicæ, sere extremo.

Subdit deinde Auctor. *Vintoniam profectus, coronam, quam gestabat, capiti Imaginis* CHRISTI *crucifixi, quæ in templo sanctorum Petri, & Pauli pendebat, suis manibus imposuit: nunquàm posthac eiusmodi ornamento capitis vsus insigni.* Pium ac rarum exemplum. Nam persæpe [s].

s Iuuen. Sat. 4.

—Nihil

— Nihil est quod credere de se
Non possit, cum diis laudatur æqua potestas.

Lege Chryſoſtomi homiliam de inanis gloriæ cupiditate.

Si pro veste argentea Sole radiante repercuſſa homini vnius prouinciæ regulo, inquit Rupertus [a], *tantum attribuerunt, quanto putas Beſtiæ tam magnæ* (ANTICHRISTO) *clangore voces* DEI *concrepabunt poſſidenti omne aurum, & omne argentum, ſimul fulgenti luce miraculorum?* Ars olim fuit apud Romanos acclamandi, plaudendíque, non in theatris duntaxat, ſed Principibus quoque; ita vt ederetur ipſo clamore concentus. Cognoſci hoc poteſt ex Tacito [b], cùm de Nerone ſcribit, & ex Plinio [c], & ex Xiphilino [d], & ex Caſſiodoro [e]. Profert iſtos hac de re Auctores Lælius Biſciola [f]. Non arbitror hanc nunc in iſta acclamatione artem ſeruatam à non adeò cultis hominibus; & qui haud parati meditatiuè acceſſerant, quem in acclamando modum adhiberent.

a lib. 1. in c. 13. Apocal.
b lib. 16. Ann.
c in paneg. Traiani.
d in pertinace.
e lib. 1. variar. epiſt. 31.
f 1. horar. ſubſec. c. 1.

Verſus 23.] **Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem DEO: & conſumptus à vermibus, expirauit.**

CONFESTIM *autem.*] Παραχρῆμα. Syrus, *eadem hora,* Ioſephus [g], *paulo pòſt,* qui etiam quinque dies languorem regis duraſſe ſcribit.

Percuſſit eum.] Ἐπάταξεν. Syrus, *ferit.* Verbum Græcum ſignificat ita pulſare, vt ictus ſonitum, ſeu ſtrepitum edat. Tamen generaliùs vſurpatur de eo, qui pulſat, & quouis modo percutit, aut etiam vulnerat. Non puto percuſſum Agrippam ſono edito, quem alij exaudierint, immò, vt ait Chryſoſtomus, hoc neſcierant. Videlicet impreſſit Angelus inteſtinam morboſam, & lethiferam qualitatem. Ioſephus [h] rem ita exponit: *Hanc impiam adulationem ille nec caſtigauit, nec repulit: paulóque pòſt ſuſpiciens vidit ſupra caput bubonem funi extento* (fortaſſe conopœi) *inſidentem: móxque vt ſenſit hunc eſſe calamitatis nuncium, qui olim felicitatis fuerat.* (narrat id alibi [i] Germanum neſcio quem Agrippæ vincto in vrbe præſagiiſſe, cùm ei quoque bubo inſediſſet: ſed Virgilius [k], Ouidius [l], Pliniuſque [m] funeſtam auem faciunt, felicitatis nunciam nemo) *ex intimis præcordiis indoluit. Secuta ſunt ventris tormina ſtatim in principio vehementia. Conuerſis igitur in amicos oculis: En, inquit, ego ille veſtra appellatione* DEVS, *vitam relinquere iubeor fatali neceſſitate coarguente veſtrum mendacium: & quem immortalem ſalutaſtis, ad mortem rapior. Sed ferẽda eſt voluntas cæleſtis numinis: neque enim malè viximus, immò tanta felicitate, vt omnes me beatum prædicent. Hæc locutus, creſcente dolore diſcruciabatur. Properè igitur relato in regiam, rumor ſparſus eſt breui eſſe moriturum: quamobrem confeſtim totus populus, vnà cum vxoribus, atque liberis, ſaccum indutus, more patrio ſupplicabat* DEO *pro ſalute regis* (erãt ergo iſti Iudæi) *omnia miſcens lamentis & eiulatibus. Rex autem in celſiore decumbens cubiculo, & in faciem ſtratos humi proſpiciens, non temperabat ſibi à lacrymis, cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil ſe remittente confectus, vitam finiuit, annum natus quartum ſupra quinquageſimum, poſtquàm regnaſſet per ſeptennium,* &c. Addit prætereà quantis defunctum Cæſarecnſes ac Sebaſteni conuiciis affecerint, & ſtatuas eiuſdem.

g 19. Ant. cap. vlt.
Quomodo Agrippa percuſſus dicatur.
h ſuprà.
i lib. 18. Ant. c. 13.
k Æneid. 9. & 12.
l 5. Metamorphoſ.
m lib. 10. c. 12.

Angelus Domini.] Bonus erat Angelus, ſi verum eſt quod non abſolutè Domini, aut DEI diceretur, ſed cum addito, vt malus [n], &c. quemadmodum obſeruarunt Abulenſis [o], & Ribera [p], docentes, quod verum eſt, ad inferenda ſupplicia, vti DEVM etiam bonorum ANGELORVM opera: cuius rei exempla nonnulla reperiuntur tum in Scriptura [q], tum in Hiſtoriis Eccleſiaſticis; vt Agnetis, cùm ab Angelo ipſius tutelari vrbis Præfecti filius interfectus eſt, quòd eam violare conaretur: idémque comminata videtur Cæcilia, hortans ſponſum, ne ſe attingeret: atque idem etiam tradunt Interpretes [r], necnon alij Patres, vt Ambroſius [s], & Auguſtinus [t], & Hieronymus [u], & Clemens, ſiue quis alius, in Recognitionibus [x], & Baſilius [y], & Gregorius [z].

B Fateor probabiliter ſentire, qui aiunt plagas Ægyptiacas per Angelos bonos factas, qui tamen mali dicantur in Pſalmo [a], id eſt, vt plerique Hebræorum vertunt, noxij, vel nocentes, & Euthymius malos expoſuit, non natura, vel electione, ſed effectu, quia pœnas inferebant: alioqui eadem prodigia feciſſent mali, quæque à Magis edebantur, quæque à Moſe, aut Aaron. Auguſtinus fatetur quidẽ tam bonos, quàm malos homines DEI permiſſu puniri per ANGELOS malos, non ſolùm malos homines per bonos: vtrùm etiam per bonos boni, hæret ancipiti ſententia. Ego autem non dubito, quoniam Moſem, filiúmve ipſius, quòd circumciſus hic non eſſet, in itinere occurrens
C Dominus (Hebraicè eſt nomen TETRAGRAMMATON) ſeu DOMINVM repræſentans Angelus, quod nomen Angeli exprimit editio Græca, & Chaldaica [b], voluit occidere. Toſtatus etiam credit bonum Angelum fuiſſe, qui vltus eſt enumerationem populi factam à Dauid [c], & negari ſanè non poteſt. Nec deerunt in aliis Hiſtoriis ſacra alia exempla. Ad rem autem præſentem quod attinet, cùm aliàs demonſtrauerim [d] nomen Angeli Domini dici etiam de malo, quod voluit quoque Hieronymus [e], & peſſimum hominem igni iam deſtinatum, qui diabolo paratus eſt, & Angelis eius [f], magis conueniat vexari ab
D Angelo malo, procliuior ſum vt exiſtimem, Angelum malum fuiſſe, qui Herodem percuſſerit: cui bellè etiam conſentit feralis bubo eidem inſidẽs, vt priùs ex Ioſepho memini, qui tamen de Angelo non meminit. Sed Oecumenius pro bubone Angelum in funiculo illo viſum ab Herode ſcribit. Quibus rebus diabolo conueniat cum bubone, lege Ioannem à S. Geminiano [g].

Eo quòd non dediſſet honorem DEO.] Ioſephus cauſam iſtam ſatis expreſſit, vt vidimus. *Zelotes* [h] DEVS *gloriam ſibi reſeruat, nemini dat* [i]: & ſi oblatam recipientibus indignatur, quantò magis vſurpantibus? Teſtes apoſtatæ Angeli [k], parentes primi [l], Gigantes [m], & tot alij. Sed nihil illuſtrius eo, quod de Antiocho Epiphane (rectiùs, Epimane) prodit
E Machabæorum hiſtoria: par enim eius in DEVM elatio, parem luit pœnam, & vel inuitus contra ſe pronunciauit [n]: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe* DEO, *& mortalem non paria* DEO *ſentire.* Celebris illa quoque in beſtiam transformatio (quocumque tandem intelligatur modo) Nabuchodonozor [o].

Chryſoſtomus hoc loco negat mortis cauſam, quam ſubiit Herodes, imputandam interfectioni Iacobi, & cuſtodum Petri, vinculiſve eiuſdem, quia ibi periit, vbi hos, aut alios non læſerat, & prouidit hac ratione DEVS, ne tali exemplo deterriti alij, deſinerẽt perſequi Chriſtianos, ne iſtis deeſſet patientiæ ſeges. Ignoſcat Chryſoſtomus, non per ignorantiam errant, vt ipſe loquitur, qui

n 1. Reg. 18. & cap. 19.
o 4. Reg. 19. q. 28. 1. Par. 21. q. 70.
p in c. 7. Apocal.
q Gen. 19. 1. & ſeq. Exod. 12. 29. 2. Reg. 24. 16. lib. 4. c. 19. 35. 1. Par. 21. 15. libr. 2. 12. 21. 2. Machab. 3. 25. Eſa. 37. 36. Apo. 7. 1. & ſeq.
r in citata loca.
s ep. 21. & 1. de pœnit. cap. 13.
Plagæ Ægyptiacæ per quos Angelos factæ, bonos an malos.
t 9. de ciuit. c. 5. & in Pſalm. 77. & 5. cont. Iul. c. 3. libr. de natu. boni. ca. 31.
u lib. 7. in Eſ. fere in princ.
x 4. Recogn. verſus finem.
y in c. 13. Eſa.
z 2. Moral. c. 3. lib. 8. c. 6.
a Pſa. 77. 49.
b Exod. 4. 24.
c 1. Par. 21.
d Act. 5. 19.
e in Pſa. 34.
f Mat. 25. 41.
Angelus malus Herodem percuſſit.
g li. 4. de exẽplis & rerum ſimilitud. ca. 22.
h Exod. 20. 5. cap. 34. 14.
i Eſa. 42. 8.
k Iob. 4. 18. Eſa. 14. 16.
l Gen. 3. 23.
m Baruch 3. 26. 27.
n 2. Mach. 9. 12.
o Dan. 4. 28. 29.
Quæ fuerit cauſa mortis Herodis.

illud

illud sentiunt: non feram enim, vt hac ipsemet censura percellatur sua, cui alibi [a] eadem placuit causa. Arias Montanus sentit intelligi de honore, quem DEO non dederit Rex in liberatione Petri manifesta. Dici etiam fas est, Theologico more, peccatum vnum, alterius pœnam esse peccati: tam absonam blasphemiam tantæ præcedentis ferociæ, præsertim in Ecclesiam, ciúsque primores Iacobum, & Petrum. Profectò Lucas adeò infelicem hominis exitum non narrasset, nisi eam quam aio causam, cur ita perierit, fuisse credidisset: quamuis immediatam assignauerit, quòd honorem non dederit DEO. Exclamans hîc audiatur Plinius [b]: *Tu qui te DEVM credis, aliquo successu tumens, tanti perire potuisti?* Sanè quidem qui sunt Ecclesiam diriùs persecuti, Tyranni, & Hæretici, funestum mortis genus subiisse compertum est. Docet id, & exemplis confirmat Hieronymus [c]: illud refert quoque dictum Iuliano extincto, per ludum ab Ethnico nescio quo. *Quomodo Christiani dicunt DEVM suum esse patientem & ἀνεξίκακον: nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius: ne modico quidem spatio indignationem suam ferre potuit.* Sic ille quidem ludēs: at non irridetur DEVS, nec diu semper dissimulat hostium impiorum iniurias: *& possumus*, ait idem Pater, *vti hoc Habacuc versiculo* [d], *Diuisisti in stupore capita potentium, si quando reges, & duces eorum Christianum viderimus sanguinem fundere, & posteà vltionem Domini consecutam, hoc etiam in stupore credentium, vel in stupore cunctarum nationum, quæ eos non putabant tam citò posse concidere.*

Horum à DEO animaduersorum catalogum collegerunt Bellarminus [e], Bozius [f], Feuardentius [g], Lensæus [h], Iosephus Stephanus [i], Georgius Ederus [k].

Malè sibi plaudunt mali Principes de terrena felicitate, nec bene colligunt bonum de ipsis iudicium DEI, quod illos agere feliciter sinat. Acriter inuehitur Lucifer [l] in Arrianum Principem dicentem, *Nisi pater bene fecisset, conferre se ad Arrianos, non se regnaturum: si hæreticus esset, non permissurum DEVM adhuc in regno esse.* Superiores improbos probis in felicitate persæpe viuere, non Scripturæ modò, Patrésque crebrò docent, sed profani etiam Scriptores, vt Macrobius [m], Gellius [n].

Et consumptus à vermibus, expirauit.] Καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν, *Et factus vermium cibus*, seu *esca*. Non potuit aptiùs deprimi tanta superbia, & castigari, quàm vermibus. Tali morte Hunnericus [o] extinctus est, & Maximianus [p], & Iulianus [q], & Apostata Theotechnes, aliúsque qui altare perminxerat [r], & Claudius Herminianus [s] (hic vexatus dicebat: *Nemo sciat, ne se gaudeant Christiani*) & Monachus impurissimus ex Christiano factus Iudæus [t], & Caluinus [u], & Nestorius [x], præter eū de quo dixi, Antiochum, & seniorē Herodem [y], & ex iis quos memorant Auctores profani Pherecidem Pythagoræ præceptorem, & Alcmanem poëtam [z], & Syllam Dictatorem [a], & Platonem [b], vnde prouerbium: οἱ Πλάτωνος φθεῖρες, *Pediculi Platonis* [c], & morbus dicitur Phthiriasis, & iidem pediculi ferales [d].

Sola memoria quòd cadauera nostra vermium esca sint futura, valet plurimùm ad ingenerandam superbissimis modestiam, & temperantiam libidinosissimis [e]. Quid si viui excedendi sint à vermibus? Quid si in gehenna nunquàm moriatur eorum vermis? *Et mater mea, & soror mea vermibus*, ait sanctus Iob [f]: quem passum esse vermes, tradunt Tertullianus [g] (qui vocat erumpentes bestiolas)

a Homil. 8. in ep. ad Ephes.
Peccatum vnum alterius pœna est peccati.
b 7. Hist. ca. 7.
Persecutorum Ecclesiæ mors funesta est.
c in c. 3. Habacuc.
d ca. 3. 12. iuxta lectionem Septuaginta.
e Tom. 1. l. 4. de Eccl. c. 19.
f de notis Eccles. lib. 21.
g in Esther. digre. de hac re.
h libr. de persec. Eccles.
i lib. de vnica relig. cap. 37.
k lib. 1. mallei hæret. cap. 14.
l lib. 1. de reg. aposta.
m lib. 1. ca. 11.
n lib. 13. cap. 4.
o Victor Vticen. lib. 3.
p Eus. 8. Hist. ca. 28. Eutrop. & Pomp. Lætus.
q Sozomenus lib. 5. cap. 7.
r Niceph. lib. 10. cap. 29.
s Tertul. ad Scapulam. c. 3.
t Antiochus hom. 84.
u Bolsecus c. 22. vitæ eius.
x Nicephorus lib. 14. cap. 36.
y Iosephus 17 Antiq. cap. 8.
z Plin. libr. 11. c. 33. Aris. 5. de Hist. animal. c. 31. Ælian. 4. variæ hist. ca. 28.
a Plut. in Sylla. Q. Serenus in carmine. Plin. suprà, & lib. 7. ca. 41. & lib. 11. ca. 33. & lib. 13. c. 26. Valer. Max. lib. 9 c. 4.
b Myronian. apud Laertiū in Platone.
c in Adagiis
d Cœli. Aurelian. tar. pass. lib. 4. cap. 2.
e Iob. 17. 14. & 21. 26. & 25. 6 Eccl. 10. 13. & 19. 3. Esa. 14. 11 & 51. 8. & 66 24. & Mar. 9 44. 1. Mach. 2. 62.
f cap. 17. 14
g lib. de patientia. c. 14.

Cyprianus [h], Augustinus [i], Chrysostomus [k], Prosper [l], Basilius [m], Olympiodorus [n], Suidas [o]; Septuaginta quoque in illa vxoris eius oratione id expresserunt: *Tu in putredine vermium sedes* [p]? Non est necesse cum Origene [q] affirmare, quòd se Dæmones in vermes mutauerint, cùm intima reddi possit causa, quamuis opera Dæmonum immissa. Est námque morbi genus fœdissimum, qui vocatur verminatio, aut etiam pedicularis morbus, cùm ex ventriculo, intestinis, vesica, renibus, dentibus, reiiciuntur foras vermes, quos aliquando etiam appellari pediculos certum est, immò & serpentes, vt docet Hieronymus Mercurialis [r], ac paulò pòst constabit: aut generantur quoque in auribus, & naribus, ac dignoscuntur interni ex febre horrifica, anhelitu fœtente, tussicula inani, & sicca, nausea, seu fastidio: si autem sint in superiore ventriculo, chilum consumunt, sicque corpus absumunt; vel mordendo, famem, ac syncopen efficiunt, vt scripsit Iacobus Hollerius [s]. Sed qui propriè dicitur pedicularis morbus, Græcè φθειρίασις, vt monui, non in capitis modò profunda cute, sed corporis totius pediculos gignit, auctore Galeno [t].

Vtrumque passum Herodem dici potest, vel illum, qui, vt iam dicebam, nominatur peculiariter morbus pedicularis. Nam qui morbo pediculari interiisse Pherecides tragœdus Pythagoræ præceptor proditur ab Aristotele [u], Plutarcho [x], Æliano [y], eum Plinius [z], & Apuleius [a] expirasse scribunt copia serpentum ex eius corpore erumpente, quæ Q. Serenus vocat animalia tetra.

Fuit porrò Pherecides [b] omnis numinis diuini insignis contemptor, & suæ tantæ impietatis ac atheismi eiusmodi luisse pœnam creditur [c]. Dixit enim intra Apollinis templum in Delo gloriosè insolescens apud frequentem auditorum coronam, nulli se vnquàm DEO sacrificasse, neque minùs idcirco sanum degere, quàm qui hecatombas immolarent. Illi ipsi, quos expertos memoraui eundem morbum, impietate aliqua laborasse deprehenduntur: & Satan, qui oderat simul DEVM, simul Iob, impiorum, atheorúmque infami supplicio piissimum Iob castigatum, notatúmque voluit.

Per minima, & abiectissima animalcula sapienter inflati, elatíque homines discruciantur à DEO, vt Pharao [d], per culices, ranas, muscas, cyniphes: & hominis in huiusmodi bestiolas dominium minùs est liberum, & efficax, vt suam recognoscat ob peccatum vilitatem, vt notat Hugo de S. Victore [e]. Lege nostros Pinedam [f], & Serarium [g]: quorum in hac tractatione de vermibus Herodis fateor me operâ adiutum. Vide etiam Commentarium Delcampij in citatum locum Plinij.

Est autem aduertendum, quosdam in Scriptura morbos narrari, quos iure diuinos appellauerimus, hoc est, qui licèt causas habeant naturales, & eandem essentiam cum aliis affectionibus, tamen à DEI voluntate pendent. Talis videtur Ioram languor in aluo insanabilis, duos durans annos, donec tabefieret, & viscera ipsa egereret [h]. Auerterat hic impius rex populum à lege DEI, & occiderat fratres suos, idcirco DEI permissu ac voluntate factum est, vt vitioso victu vteretur, quæ est huiusmodi morbi causa, minùs, si non ita peccasset, vel in eo erraturus ob DEI peculiarem prouidentiam, vel ab illo lædendus. Consule Franciscum Vallesium [i].

At enimuerò in Herode morbus habuisse videtur

h lib. 3. ad Nouatianum
i lib. de patientia
k Hom. de populo
l de prædic. par. c. 12.
m in Catena Iob.
n ibidem.
o in Iob.
p cap. 2.
q in lib. Iob
r lib. 4. variar. lect. c. 8.
s lib. de morbis
t lib. de comp. medica. secundùm loca cap. 7.
u 5 de Hist. animal. c. 31.
x in Sylla.
y 4. de var. hist. c. 28.
z 7. Hist. ca.
a 2. Floridorum.
b in Comm.
c Tracti. de à Delo apud Abolignam.
d Exod. 7. 8.
e annot. in Genesim.
f in Iob c. 1. de morbis Iob. sect. 4.
g in 2. Mach. cap. 9.
h 2. Paral. 21. 19.
i lib. de sacra Philosoph. c. 46.

detur plus, vt ita dicā, diuinitatis, propter celeriorem interitum, qui summùm occidit quinto die, vel vnico etiam, vt aliis placet, volentibus parum fideliter hanc à Iosepho, quemadmodum & alias aliquas, notatam circumstantiam. Chrysostomus[a] quodam loco ait, *quòd crepuit, & effusa sunt viscera eius. Quid veste nitida gloriaris*, inquit Drogo Cardinalis[b] *subter te sternetur tinea, & operimētum tuum vermis est*[c]. *Hæc tua vestis est: illuserūt tibi, qui chlamyde coccinea circumdederunt. Sic Antiochus*[d], *& Herodes duo alienis vestibus depositis, in suis vestibus expirarunt.*

Postremò inualuit, vt allegoricè Herodis nomine, vel propter hunc, vel propter alios duos priores, sæuus quiuis intelligatur Tyrannus, ac piorum persecutor, sicut etiam quando Pharao nominatur, aut Nabuchodonozor, aut Holofernes, &c. Notauit hoc Victor Vticensis[e] scribens: *Si quis fortè ex his aliquem, vel similem nominasset solùm, dum* Dei *populum admonebat, illi obiectum esse, quod in personam Regis dixisset, atque statim exilio traditum esse: nec ineptè*, inquit, *nam Pharao, nomen est dignitatis.* Hoc vltimum de nomine Pharaonis pro dignitate, notauimus & nos capite septimo[f].

a Hom. 26. in epist. ad Heb.
b de sacram. Dom. Pass. to. 2. Bibl. Patrū.
c Esa. 14. 11.
d 2. Mach. 9.
Herodis nomine sæuus quiuis intelligitur Tyrānus.
e 1. de persec. Vvanda.
f Num. 7. 10.

Versus 24.] Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur.

VERBVM *autem Domini.*] Syr. *Proinde Euangelium* Dei *prædicabatur, & incrementum capiebat.* Vbi Interpres Latinus Syram particulam *vau*, quę propriè significat, *&*, causaliter exposuit, quam etiam nonnunquàm significationem habet apud Syros & Hebræos. Voluit autē innuere, propterea Euangelicam prædicationem liberiùs excurrisse, ac profecisse, quòd intelligeretur, tam dirum persecutorem tā dira morte diuinitùs extinctum, & sublatum esse graue impedimentum. Lege caput sextum[g], vbi est eadem forma dicendi.

g vers. 7.

A *Versus* 25.] Barnabas autem & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus.

AB *Ierosolymis.*] Syrus addit Antiochiam; & quidam etiam codices id habebant, vt notat Arias Montanus, & in suo notat Testamento nouo Græco Robertus Stephanus.

Reuertitur verò Auctor ad Saulum, & Barnabam, quos priore capite scripserat Antiochia venisse Ierosolymam, vt fratribus ibi agentibus, Antiochensium fratrum eleemosynam deferrent, ob famem, quam Agabus futuram prædixerat[h]. B Quamuis autem hæc reuersio contigisse videatur eodem anno, quo & profectio, hoc est, Christi quadragesimoquarto, & Claudij secundo, iuxta communiorem supputationem, ac statim secuta esse, quæ capite sequenti narrātur de vtriusque segregatione, & ordinatione: tamen quoniam eodem isto anno, quo contigerant, narratio de Iacobi cæde, & vinculis Petri instituta est, voluit Lucas Herodis funestum interitum, vt quæ spectabant ad eum, semel expediret, constarétque quàm iustè ita periisset impius & persecutor fidelium, commemorare, etiamsi in Christi annum quadragesimumsextum, & quartum Claudij coinciderit, secundùm Chronologiam Iosephi, & C aliorum, vt liquet etiam ex dictis. Infert hinc Salmeron Paulum cum Barnaba Ierosolymis, ac in domo quidem matris Ioannis Marci, mansisse, quo tempore Iacobus cæsus est, & coniectus in carcerem Petrus. Rectè quoque corrigit codices, in quibus est, *Paulus*, pro, *Saulus*, vel, *reuersi sunt Ierosolymam*, pro, *ab Ierosolymis.*

Assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus.] De hoc satis multa superiùs hoc ipso capite[i].

h Act. 11. 28.
i vers. 12.





CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

SVMMARIVM.

SAVLVS ac Barnabas Antiochiæ Syriæ SPIRITVS sancti instinctu, & impositis manibus dimittuntur ad Gentes: In Cypro Saulus Proconsulem Sergium Paulum CHRISTO *aggregat, Magum Elymam, qui impediebat, cæcitate percutiens: Antiochiæ Pisidiæ ambo multos conuertunt, sed cùm Iudæi blasphemarent, & concitarent seditionem, iis dimissis properarunt ad Gentes. Habuit autem ibi Paulus longum, & pereruditum sermonem, quem recitat Lucas.*

1 ERANT autem in Ec-
clesia, quæ erat An-
tiochiæ, Prophetæ,
& Doctores, in qui-
bus Barnabas, & Si-
mon, qui vocabatur
Niger, & Lucius Cy-
renensis, & Manahen, qui erat Herodis
Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.
2 Ministrantibus autem illis Domino, &
ieiunantibus, dixit illis SPIRITVS sanctus;
Segregate mihi Saulum, & Barnabam in
opus, ad quod assumpsi eos.
3 Tunc ieiunantes, & orantes, imponen-
tésque eis manus, dimiserunt illos,
4 Et ipsi quidem missi à SPIRITV sancto
abierunt Seleuciam, & inde nauigaue-
runt Cyprum:
5 Et cùm venissent Salaminam, prædi-
cabant verbum DEI in Synagogis Iudæo-
rum. Habebant autem & Ioannem in mi-
nisterio.
6 Et cùm perambulassent vniuersam in-
sulam vsque Paphum, inuenerunt quen-
dam virum magum pseudoprophetam,
Iudæum, cui nomen erat Bar-iesu,
7 Qui erat cum Proconsule Sergio Pau-
lo viro prudente. Hic, accersitis Barna-
ba, & Saulo, desiderabat audire verbum
DEI.
8 Resistebat autem illis Elymas magus
(sic enim interpretatur nomen eius) quæ-
rens auertere Proconsulem à fide.
9 Saulus autem, qui & Paulus, reple-
A tus SPIRITV sancto, intuens in eum,
10 Dixit: O plene omni dolo, & omni
fallacia, fili diaboli, inimice omnis iu-
stitiæ, non desinis subuertere vias Do-
mini rectas!
11 Et nunc ecce manus Domini super te,
& eris cæcus, non videns Solem vsque
ad tempus. Et confestim cecidit in eum
caligo & tenebræ, & circuiens quærebat
qui ei manum daret.
12 Tunc Proconsul cùm vidisset factum,
credidit admirans super doctrina Do-
B mini.
13 Et cùm à Papho nauigassent Paulus,
& qui cum eo erant, venerunt Pergen
Pamphyliæ. Ioannes autem discedens ab
eis, reuersus est Ierosolymam.
14 Illi verò pertranseuntes Pergen, vene-
runt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi Syna-
gogam die Sabbatorum, sederunt.
15 Post lectionem autem legis, & Pro-
phetarum, miserunt principes Synagogæ
ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est
in vobis sermo exhortationis ad plebem,
C dicite.
16 Surgens autem Paulus, & manu silen-
tium indicens, ait: Viri Israëlitæ, & qui ti-
metis DEVM, audite.
17 DEVS plebis Israël elegit patres no-
stros, & plebem exaltauit cùm essent in-
colæ in terra Ægypti, & in brachio excel-
so eduxit eos ex ea.
18 Et per quadraginta annorum tempus
mores eorum sustinuit in deserto.

19 Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum,

20 Quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & post hæc dedit iudices, vsque ad Samuel Prophetam.

21 Et exinde postulauerunt regem: & dedit illis Devs Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta.

22 Et amoto illo, suscitauit illis Dauid Regem: qui testimonium perhibens, dixit: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

23 Huius Devs ex semine secundùm promissionem eduxit Israël Saluatorem Iesvm,

24 Prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius Baptismum pœnitentiæ omni populo Israël.

25 Cùm impleret autem Ioannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego, sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere.

26 Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Devm, vobis verbum salutis huius missum est.

27 Qui enim habitabant Ierusalem, & principes eius hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt,

28 Et nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum.

29 Cúmque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.

30 Devs verò suscitauit eum à mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his,

31 Qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem: qui vsque nunc sunt testes eius ad plebem.

32 Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est:

33 Quoniam hanc Devs adimpleuit filiis nostris resuscitans Iesvm: sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodiè genui te.

34 Quòd autem suscitauit eum à mortuis, ampliùs iam non reuersurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia.

35 Ideóque & aliàs dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

36 Dauid enim in sua generatione cùm administrasset, voluntati Dei dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem.

37 Quem verò Devs suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem.

38 Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari,

39 In hoc omnis, qui credit, iustificatur.

40 Videte ergo ne superueniat vobis quod dictum est in Prophetis:

41 Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarrauerit vobis.

42 Exeuntibus autem illis rogabant, vt sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc.

43 Cúmque dimissa esset Synagoga, secuti sunt multi Iudæorum, & colentium aduenarum, Paulum, & Barnabam: qui loquentes suadebant eis vt permanerent in gratia Dei.

44 Sequenti verò sabbato penè vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Dei.

45 Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.

46 Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos indicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.

47 Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ.

48 Audientes autem Gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

49 Disseminabatur autem verbum Domini per vniuersam regionem.

50 Iudæi autem concitauerunt mulieres religiosas, & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis.

51 At illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium.

52 Discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritv sancto.

Vers.1.] Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.


RANT *autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ.*] Syriæ sine dubio, quò rectè dicebamus in fine capitis præcedentis reuersos ab Ierosolymis Saulum & Barnabam.

Prophetæ.] Quomodo à CHRISTO sit dictum, cum lege Prophetas vsque ad Ioannem fuisse, cùm nouo Testamento suo non desint Prophetæ, docui capite secundo [a]; & fortasse Prophetæ nunc dicuntur ij, qui exponebant sacras Scripturas, vt aliàs docuimus.

a vers. 17.

Prophetæ hic qui dicantur, & Doctores.

Doctores.] *Qui sacram Scripturam exponebant*, inquit Lyranus, per dona sapientiæ, & scientiæ, & interpretationis sermonum, sed nimirum adhibito studio proprio, ita vt SPIRITVS sancti gratia magis emineret in Prophetis. Distinguit Paulus [b] Doctores à Prophetis, & Euangelistis, & Apostolis, ita tamen vt eosdem velit esse Doctores, qui sunt Pastores; & Euangelistas, vel illos intelligit, qui scripserunt Euangelia, vel qui per occasionem tantùm docebant, non circumeundo more Apostolorum: Doctores, siue Pastores, qui circa vnum duntaxat locum, tanquàm Episcopi, occupabantur. Sic quidem Græci Apostolum interpretantur. Longè verò aliter quidam Latinorum, vt Ambrosius, qui Doctores, siue, vt ipse vocat, *magistros*, vult esse exorcistas, vel qui lectionibus imbuti infantes imbuerent. Sed non quicunque Doctores, iidem Pastores, vt vice versa. Latiùs etiam extenditur nomen Doctorum, qui in nouo Testamento successisse videntur legis Doctoribus, seu Scribis Iudæorum.

b 1. Cor. 12. 28. Ephes. 4. 11.

His Theologi dant certam aureolam vel laureolam. Qui tamen in Ecclesia Sancti, maximè fuêre doctrina insignes, his illa Doctorum nomen attribuit, tam Græcis, quàm Latinis. Lege Bullas Pij V. & Sixti V. quibus declarant sanctos Thomam Aquinatem & Bonauenturam Doctores Ecclesiæ, atque Decretalem Bonifacij VIII. [c] in qua præcipit duplici officio celebrari quatuor Ecclesiæ Doctores, Gregorium, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum; indicans iam ex recepta consuetudine hoc anteà titulo in Ecclesia notatos fuisse. Egi nonnihil cap. 5. [d] de dignitate siue titulo Doctoris vel Magistri. Meminit dignitatis magisterij apud Cassiodorum [e] Theodoricus, quam conferebat ipse literati dogmatis opinione fulgentibus, vt gererent nomine, quam possidebant meritis dignitatē. Turrianus [f] arbitratur nomine Prophetarū intelligi hoc loco Episcopos; per Doctores, presbyteros; in presbyterorum namq; ordinatione oratio quę recitatur, sic eos vocat: Episcopos verò Dionysius [g] ita esse *diuinorū iudiciorū denūciatores, quia nihil agere debent hierarchicum; nisi vt à* DEO *acti*, & à Clemente [h] vocantur *Prophetæ laicorum*: & oratio Episcopi consecratoria dicitur *Prophetia* [i]. Hæc mihi sunt incerta: hîc autem non minùs de Barnaba, & Saulo, quàm de aliis, qui nominantur, Prophetarum, vt & Doctorum, vox dici potest; &, vt paulò antè dicebam, Prophetarum nomine forsan intelliguntur explanatores Scripturarum synonymo ferè nomine cum Doctoribus.

Ecclesia quibus Doctorum nomen attribuat.

c de reliq. & venerat. Sanctor. in 6.

d vers. 14.

e lib. 1. variar. epist. 11. & li. 2. epist. 12.

f 1. de hierarc. ordine.

g ca. 6. Eccl. hierar.

h 2. Constit. i 1. Tim. 4. 14.

Simon, qui vocabatur Niger.] Aut à colore, si nomen Latinum est, aut *ascendens*, siue *consurgens*, & *eleuans*, inquit Glossa ordinaria, & interlinearis, si est Hebræum. Malim dicamus Latinum, vt olim dixi de nomine Iusti: & impositionem esse à colore, sicut apud Romanos Flauorum, seu Flauiorum, Albiorum, seu Albinorum, &c. De hoc Simone nihil aliud extat.

Lucius Cyrenensis.] Cyrenensem Episcopum asserunt Martyrologia Adonis, Vsuardi, Bedæ, atque aliorum, necnon Petrus de Natalibus [k], qui recitat ex Hieronymi Martyrologio, prædicationis officio fidelissimè peracto, sanctitate, & doctrina cōspicuum quieuisse in pace pridie Nonas Maij. Ea die Romanum Martyrologium habet hoc de illo duntaxat: *Cyrenæ sancti Lucij Episcopi, quem in Actibus Apostolorum sanctus Lucas commemorat.* Inde coniicitur diuersum esse ab eo Lucio, cuius Paulus meminit in epistola ad Romanos [l], multóque magis, si, quod Origenes de quorundam ibi sententia refert, idem ille est cum nostro Luca.

Lucius quis fuerit.

k li. 4. c. 131.

l c. 16. 21.

Manahen.] Syrus, *Manail*. Relatus est hic inter Sanctos, sicque de ipso Romanum Martyrologium 24. Maij: *Antiochiæ sancti Manahē Herodis Tetrarchæ collactanei Doctoris, & Prophetæ* (videtur velle Doctores, & Prophetas simul fuisse, qui hoc loco recensentur à Luca, poterant autem iidem vtroque munere præditi esse) *sub gratia noui Testamenti in eadem vrbe quiescentis.* Huius nominis Iosephus [m] nominat Galilæorum sectæ auctoris filium interfectorem Ananiæ pontificis, & Ezechiæ germani eius, qui & ipse, cùm tanquàm tali scelere insigniter nobilitatus, regali habitu incederet, à duce factionis, quam secutus erat, Eleazaro interemptus est.

Manahen quis fuerit.

m 2. de bel. Iud. c. 21.

Herodis Tetrarchæ.] qui dictus est Antipas, Ioannis Baptistæ occisor [n], CHRISTI irrisor [o].

n Matth. 14. 10. 11.
o Luc. 23. 11.

Collactaneus.] Σιωτροφ@. Syrus, *Filius educationis*. Caietanus exponit, simul educatum, non enim significari communicationem lactis, sed communionem educationis, qua à pueritia filiis Regum adiunguntur pueri simul educandi. Fauet Oecumenius. Sanè quidem sicut propriè consanguineos, & Græcè ὁμαίμους, appellamus fratres eodem patre genitos, quasi eiusdem sanguinis, ita & Latina voce collactaneos illos tantùm, qui lacte pascantur eodem, iisdémque mammis nutriantur, qui Græco nomine vocantur ὁμογάλακτοι, aut ὁμογάλακτες. Vulgata nobis editio tutanda, cùi nihil obest dictio σιώτροφ@, significans quomodolibet conuictorem, & eâdem alimonia vtentem, sicut & τὸ σιώτροφον, aut σιωτροφία, idem est quod συνιτία.

Per collactaneum quid intelligatur.

Opportunè monet Oecumenius, quòd mores vnumquemque saluant, non verò educatio à pueris: *Manahē enim educatus*, inquit, *cū tali viro, Prophetia dignus habitus est.* Quippe, vt ait Aristoteles [p], μέγα πρὸς φιλίαν, καὶ τὸ σιώτροφον, καὶ τὸ καθ᾽ ἡλικίαν: *Ad amicitiam conciliandam multùm confert & educationis communitas, & ætatis competentia.*

Mores non educatio saluant.

p 8. Ethic.

Hinc porrò sequitur, non lacte nutritum materno Herodem, quia illo quo Manahen. Est lac matris, alimoniæ in primis accommodum, longéque salubrius, vt Galenus [q] tradit, & Plinius [r], & Columella [s], quamuis loquatur de canibus & suibus. Sanguine enim intra vterum fœtus alitur, lac autem ex sanguine per modicam in vberibus demutationem concinnatur. In Codice [t] iubetur mater lactare filium, si possit: nimirum ob exiguitatem lactis minimè sufficiens excusatur à lactatione [u]. Eximunt Iurisperiti nobilem mulierem, quos citat Tiraquellus [x], etsi eam non dedeceat. Non video cur sit dedecori lactare filium, quem

Matris lactis ...

q lib. 1. de sanit. tuen.
r lib. 28. c. 9.
s lib. 7. c. 12.
t l. nec filium. de patria potest.
u ... Poste.
x Tract. de Nobilitate. cap. 30. nu. 78. & seq.

quem ex propriis visceribus mater effuderit, ac ipsos menses nouem intra penitissimos vteri recessus sanguine aluerit. Hoc Hecuba fecit mater Hectoris; hoc Thessalonice Antipatri Macedonis; hoc Penelope Telemachi; hoc Honorij Imperatoris mater [a]; hoc, vt nostris vtamur exemplis, Anna Samuelis [b]; Sara Isaac [c]; quod Ambrosius [d] laudat, & ab omnibus matribus fieri debere vehementer inculcat: hanc enim eorum esse gratiã, hunc honorem, quo se propriis commendent viris; sic plus amare liberos. Gregorius [e] ait contrariam consuetudinem ex incontinentia natam: Chrysostomus [f] ex superbia. Augustinus [g] idem carpit. Vrget Plutarchus [h] eam rationem, quæ vltima erat Ambrosij, ac vicissim plus etiam amari matres à filiis, eò quòd cibi sodalitium beneuolentiæ sit incrementum: proptereà quoque prouidè parientibus lac suppeditasse, ac duplices quidem mammas, si gemellos parere contingat. Ait prætereà opusc. de amore prolis, quòd sola lactis confectio ac dispensatio sufficit ad demonstrãdam naturæ prouidentiam, atque industriam, nimirum quia pariendi & alendi finis est non necessitas, sed amor. Negabat Phauorinus [i], *integram matrem esse, quæ lac filio negaret*, affirmabatque *parum abesse ab ea, quæ fœtus aborsum procuret: ingenitam item morum nobilitatem, quæ pendet à lacte adulterari, iuxta Homerum* [k], *& Virgilium* [l], quibus addit Tiraquellus [m] Ouidium [n], Valerium Flaccum [o], Theocritum [p], & alios. Phauorini sententiam ab se de illo ipso auditam, perelegantem sanè, & grauem, recitat Gellius [q], ex quo, vt sæpe alias, transcripsit Macrobius [r], necnon Erasmus [s]. Romani iampridem, vt Tacitus [t] memorat, filium ex casta parente natum, non in cella emptæ nutricis, sed in gremio, ac sinu matris educabant. Eodem nomine laudat idem Germanos [u].

a Claud. Panegy. 4. de Honorij Cõsul.
b 1. Reg. 1. 24.
c Gen. 21. 7.
d li. de Abraham. cap. 7. 7. Hexam. c. 21 ep. 82.
e ca. ad eius. dist. 5.
f Hom. 1. in Psal. 50.
g in Psal. 49.
h opusc. de educan. liberis.
i apud Gel. lib. 12. cap. 1.
k Iliad 16.
l Æneid. 4.
m supra.
n 9. Metam. 3. Tristium. eleg. 11. & in Ibin.
o 2. Argonaut.
p Idyll. 3.
q lib. 12. c. 1.
r lib. 5. cap. 11.
s in Colloquio Eutrapeli, & Fabullæ.
t lib. de claris Oratorib.
u de Germa. morib.

Ceterùm cùm nullus hîc ex Apostolis recenseatur, non est credendum hoc tempore ibi Petrum fuisse, quamuis post vincula, vt vidimus, relicta Ierusalem, varias peragrans prouincias, Romam vsque peruenerit. Quocirca non est hac in re Arator [x] audiendus in hunc modum canens:

SPIRITVS accensam verbo radiante lucernam
Sub modio [y] lucere vetans, secernite Saulum
Dixit in oris opus; quem mox sacrauit euntem
Imposita Petrus ille manu, cui sermo Magistri
Omnia posse dedit. —

Glossa Decreti [z] docet Paulo Petrum dedisse licentiam prædicandi auctoritate Domini, dum dicit: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Leo quoque IX. [a] ibi asserit Petrum fuisse, & huic operi præfuisse. Oecumenius disertè tradit, à Lucio, & Manahen impositas manus, quæ impositio consecratoriáne fuerit, an tantùm deprecatoria, statim expendetur.

x li. 1. Carm. in Acta.
y Matt. 5. 15.
Petrum dedisse Paulo licentiam prædicandi.
z cap. quis nesciat. dist. 11.
a epis. 1. c. 17.

Vers. 2.] Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis SPIRITVS sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.

MINISTRANTIBVS *autẽ illis Domino*]. Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ ΚΥΡΙΩ, καὶ νηστευόντων. Syriacè: *Cùmque ipsi ieiunarent, & precesusspicarentur* DEO. Lyranus exponit, *Ministrantibus in bonis operibus.* Oecumenius, κηρυττόντων, id est, *prædicãtibus.* Caietanus hunc Oecumenij sensum inde cõfirmat, quòd priùs mentio nominatim facta est de Prophetis, & Doctoribus. Fauet quoque quod Paulus [b] appellat se λειτουργὸν ἸΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ εἰς τὰ ἔθνη, ἱερουργοῦντα τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ ΘΕΟΥ, hoc est, vt Interpres noster vertit, *ministrum* CHRISTI IESV *in Gentibus, sanctificantem Euangelium* DEI, & Syrus posteriorem dictionem interpretatur per verbum inseruiendi. Vocat prætereà idem Apostolus [c] ciuiles Magistratus λειτουργοὺς ΘΕΟΥ, necnon & διακόνους [d], & Epaphroditum ministrum necessitatis suæ [e]; & eleemosynarum deportationem, siue distributionem, aut, vt editio Latina habet, ministeriũ officij, διακονίαν τῆς λειτουργίας [f], & obsequiũ sibi ab alio exhibitũ [g], & ANGELOS λειτουργικὰ πνεύματα [h]. Arias Montanus explicat hoc modo præsentẽ locum; *Cùm quadã die ministerium suum exercerent prophetandi, & docendi, & in dicto ieiunio vacarent orationi, & precibus, commendantes* DEO *Ecclesiæ amplificationem.* Ambrosius [i] citans hoc testimonium, simpliciter ponit *deseruientibus.* Sed & ratio suadet, quoniam nihil aliud fecisse videntur Prophetæ illi, ac Doctores Antiochenses, nisi dimittere liberos ab aliis negotiis Saulum, ac Barnabam, vt obirent munus, ad quod iam electi erant à DEO: immò Paulus negat se ab hominibus, aut per homines missum [k]: signum igitur est, non fuisse sacram ordinationem, ac proinde nec opus fuisse Liturgia, quæ esset sacrificium.

b Rom. 15. 16.
c Rom. 13. 6.
d ibidem 4.
e Phil. 2. 26.
f 2. Cor. 9. 12
g Phil. 2. 30.
h Heb. 1. 14.
i Tract. de Spir. sancto.
k Gal. 1. 1.

Verùm enimverò Catholici passim aliter sentiunt aduersùs Sacramentarios, & contra Lutheranos, vt Brentium hoc loco, & confessionem Augustanam, qui negant Missæ sacrificium, & aduersùs Caluinum, & Bezam in Commentariis, sermonem hîc esse de vero sacrificio. Legẽdi potissimùm Bellarminus [l], Enriquez [m], Suarez [n], Aiala [o], Bozius [p], Ioannes Stephanus Durãtus [q], Baronius [r], Stapletonus [s], Petrus Cotonus noster [t], & Andreas Richlitius [u]. Commune argumentum est, quoniam licèt dictum verbum Græcum vsurpetur pro quouis ministerio, dummodò sit publicum, vt fatetur Augustanæ confessionis Apologia, quasi dicas λεῖτον ἔργον, prout deducit Suidas, patétque ex Synesio, aliísque profanis Auctoribus, præter allatos Pauli locos, & concedit Auctor Thesauri Græci, quamuis Hæreticus, volens ita hîc sumi, & non pro sacrificio: tamen ex adiunctis iudicandum est ita, vt contendunt Catholici, accipi. Itaque cùm dicitur, *Ministrantibus illis Domino*, significatur ministerium publicum propriè exhibitum ipsi; ad quod non sufficit, si in honorem eius fiat; hoc námque pacto dicere debuisset Lucas, *Ieiunantibus, & orantibus Domino*, sicut Apostolus ait [x]: *Qui manducat, Domino manducat.* Verbi ergo, seu prædicationis, aut etiam sacramentorum ministerium, etiamsi sit publicum, populo propriè fit, non Domino; ideóque τὸ λειτουργοῦντων, pertinet ad sacrificantes: cùm præsertim soleat, quando absolutè reperitur, vel accommodatur ad sacra, semper sumi pro ministerio sacrificij, vt in Auctoris Euangelio [y], & epistola ad Hebræos [z], & ad Philippenses [a], vbi pro θυσία, & λειτουργία, in nostra editione est *sacrificium*, & *obsequium*, quam vltimam dictionem Interpres ponere etiam solet pro λατρεία [b].

De Missa sacrificio intelligitur.
l lib. 1. de Missa. cap. 13.
m li. de Missæ sacrific. c. 10.
n Tom. 3. in 3. par. Disp. 74. sect. 1.
o de traditio. 3. p. consid. 5.
p 13. de notis Eccl. c. 3.
q 2. de ritib. Eccl. ca. 1.
r Tom. 1. Annal.
s Antido. huius loci.
t In discursu Gallico de S. Euchar.
u in Paulo p. 3. n. 31. & seq.
x Rom. 14. 6
y cap. 1. 23.
z cap. 2. 9. 21. & 10. 11.
a cap. 2. 17.
b Ioan. 16. 2. Rom. 9. 4. ca. 12. 1.

Eodem sensu certum est λειτουργίαν à Patribus Græcis nominari, quam nos Missam appellamus, vt videre est apud Georgium Cassandrum [c],

Λειτουργεῖν, & Λειτουργία quid significent.
Quæ Liturgia nomine appellatur.
c in Liturgia.

X 2 & Iacobum

a in Liturgicis.

A & Iacobum Pamelium [a], qui Liturgias recitant Iacobi Apostoli, Basilij, Chrysostomi, &c. Denique Suidas scribit, quòd λειτουργία κυρίως μὲν ἱερατική, καταχρηστικῶς δὲ δουλική, *Liturgia propriè quidem est sacra, abusiuè autem seruilis.* Valeret coniectura Stapletoni ex ieiunio, quod hîc adiungitur, quia Christianorum sacrificio præmittitur ieiunium naturale, nisi & de magis stricto ieiunio potiùs innueretur, & Lucas post ministerium posuisset ieiunium.

Melior illa, quòd SPIRITVS sanctus dixit ministrantibus, vt segregarent Saulum, & Barnabam: non fiunt autem sic apparitiones, & reuelationes intentis ad prædicandum, & audiendum. Ex Græcis Metaphrastes [b] adstipulatur isti sententiæ circa intelligentiam loci præsentis: ait enim, *Domino sacrum obeuntes ministerium, & ieiunantes,* &c. Denique, quod Bezam malè habet, Erasmus, quem solent hæretici habere in pretio, λειτουργούντων interpretatus est *sacrificantibus.* Sed & Henricus Stephanus fretus Budæo, vt solet in plerisque, fatetur in Historia Ecclesiastica λειτουργεῖν solere accipi pro fungi sacerdotali munere; ac plurimos dixisse Cœnam Dominicam λειτουργίαν, concedit, sicut & Græcos ἱερουργίαν, citátque Hesychium exponentem voces λειτοάρχαι, vel λῃτοάρχαι, quæ significāt eos qui præerant sacris. Fauet Gallorum omnium tritus loquendi modus, quo vocant ministerium, quod obitur circa cultum DEI, *le seruice Diuin*, vel, *le sainct seruice.* Præterea Syriacum participium, quod hoc habetur loco, מחכשפין *methchaschpin*, significare tantùm solet, vt Boderius [c] docet, *exercentes actionem, qua vel sacrificent, vel preces concipiant.* Hunc ipsum locum, & alios nonnullos pro sacrificio retulit in Symphoniam siue Concordantias suas Græcas noui Testamenti Xystus Betuleius, licèt hæreticus. Neque refert quòd noster Interpres non hîc ita etiam verterit, cùm & citatis Euangelij Lucæ [d], & epistolæ ad Hebræos [e] locis, in quibus proculdubiò agitur de sacrificio, posuerit nomen officij, vel ministerij, atque ministrationis, aut verbum seruiendi.

b de Petro. & Paulo, apud Sur. 29. Iunij.

c in Lexi. Syrochal.

d cap. 1.
e ca. 9. & cap. 10.

Inanis etiam Caluini [f] cauillus, cùm λειτουργούντων sit numeri pluralis, fieri Missas à singulis esse celebratas. Nam si, quod minimè verum, aut præsenti conueniens loco est, intelligat de omnibus Christianis, omnes non vt sacerdotes, aut sacerdotum celebrant instar, sed suo quiuis concurrit modo cum sacrificante sacerdote. Si de priùs commemoratis Prophetis atque Doctoribus, quoniam inter illos erant Saulus ac Barnabas, & quod sequitur ἐπιθέντες τὰς χεῖρας, numero quoque dicitur multitudinis, consequens erit eosdem ipsos sibi ipsis manus imposuisse. Si tandem de iis qui iam erant sacerdotes; verum est sacrificasse, &, si Episcopi erant, manus etiam imposuisse. Quanquàm id solos fecisse Lucium, & Manahem, quorundam opinionem esse videbimus, simúlque Saulo & Barnabæ, quid contulerint, manus iis imponendo. Si enim fuit ordo sacer, confirmatur opinio nostra, solet enim ordo in Missa conferri, teste Dionysio [g], & fuit dies tunc Dominica, vt ait Leo [h], qua maximè die Missæ celebratur sacrificium. Mitto suspicionem, quæ suboriri cuipiam posset, sacrificium tunc vsurpatum, sed non Missæ: Christianos enim aut Gentilium, aut Iudæorum etiam ritu, qui & Ierosolymis duntaxat sacrificare poterant, non erit alicuius homo iudicij, qui sacrificasse suspiceretur: inter Christianos autem nullus sacrificandi modus præterquàm Missæ fingi potest: sacrificium laudum & precum haud propriè dicitur.

Caluini cauillus irritus & inanis redditur.
f apud Marlorat. in Cate. Actuum 13.

g Eccl. Hier. p. 1. c. 2.
h dist. 75. cap. quod die.

Porrò contraria expositio de Liturgia non est ita reiicienda, vt omni penitus probabilitate carere censeatur, nec nostram adeò certam putamus, vt ea tanquàm necessario argumento, tametsi valdè probabili, Hæreticos arbitremur conuinci: qua in re placet Bellarmini [i] iudicium, & ingenuitas. Fauet Catholicorū communiori sententiæ vtcunque, quod Vitruuius [k] opera vocat quæcunque officia sacerdotis in æde sacra.

i 1. de Miss. c. 15.
k lib. 1. c. 2. *Ieiunans hic gaude, & in Dionysio.*

B *Ieiunantibus.*] Ieiunium celebrabatur non naturale tantùm propter altaris sacrificium, sed magis arctum, quodque absolutè positum pro Ecclesiastico intelligitur. Digreditur Chrysostomus in laudes ieiunij: sed nos de hoc diligenter egimus alio loco [l]. *Quando ordinatio erat*, inquit ille, *tunc ieiunant.* Incidit, vt tunc ieiunarent, non ideò ieiunarunt fortassis, vt ordinarent, si tamen propriè ordinarunt, de quo posteà. Vnde non ex hoc facto præcisè manauit consuetudo, vt ordines non conferantur solemniter, nisi ieiunio indicto, quod vocant quatuor Temporum. Hac de re denuò capite sequenti. Nec officit ieiunio Dominica dies, tum quia nonnisi multò pòst constat propter hæreses inhibitum eius diei commune ieiunium: tum quia referri posset ieiunij nomen ad præcedentem diem, quod nondum solutum erat (licèt solui potuisset) hora fortassis adhuc tertia, qua solemnis celebrari solebat Missa, & qua non solent etiam qui non ieiunant cibum gustare, vt cap. 2. [m] docuimus. Porrò ieiunij vsurpatio non pertinet eò solùm, vt aptior quis reddatur ad preces, aliúmve DEI cultum, sicut garriunt Hæretici, sed pars est nonnulla diuini cultus, atque ieiunio placari, honorari, coli DEVS potest, eique satisfieri: quo pacto, vt alia prætercam argumenta, de Anna vidua cum laude scribitur [n], *quòd erat ieiuniis & obsecrationibus seruiens*, λατρεύουσα, *nocte ac die.* Lege Bellarminum [o].

l in Euangelium de ieiunio Cath. in Mat. 4.

C

m vers. 15.

n Luc. 2. 37.

o lib. 2. de bonis oper. c. 11. 12. 13. *Spiritus sanctus quo modo loquebatur.*

D *Dixit SPIRITVS sanctus.*] Vtrùm verbo mentali, vel sensibili, vel vtroque, non constat. Cùm ad Prophetas, de quibus præcessit mentio, sermo directus sit, vt etiam notat Chrysostomus, & Glossa interl. probabile est, reuelationem factam esse: quod Lyranus reprehendit sine causa. Nil vetat sensibili quoque verbo vsum SPIRITVM sãctum, fauétque τὸ εἶπε. Quanquàm non omnis DEI locutio, etiam quæ ad hominem fieri dicitur, vocalis est: habet enim & mens aures [p], & Veritas incommutabilis, ait Augustinus [q], *aliquando per seipsam loquitur ineffabiliter rationalis creaturæ mentibus.*

p Psal. 84. 9. Hab. 2. 1.
q 16. de Ciuit. c. 6.

E Nihil, opinor, aspectabile hîc fuit: sola vox seu potiùs sonus communiter ab omnibus auditus est, DEVM, qui SPIRITVS sanctus per attributionem vocatur, propter ordinem gubernationis Ecclesiæ, loquentem exhibens, tametsi formaretur forsan immediatè pro aliarum huiusmodi locutionum more, ab Angelo, vt docet S. Gregorius [r], dicens *cùm DEVS per semetipsum loquitur, solam vim internæ inspirationis aperire: aliàs per angelicam creaturam eius ad nos verba formari:* idémque innuit citatus nuperrimè Augustinus, & nos alibi ostendimus [s], de voce PATRIS super CHRISTVM in Baptismo [t], & Transfiguratione [u], & tertiò sub tempus passionis ipsius [x]. Cur Angeli cùm loquerentur tanquàm DEI

r 28. Moral. c. 2. vbi supra.

s in Histor. Transfigur.
t Matt. 3. 17.
u Matt. 17. 5.
x Ioan. 12. 28.

ministri

ministri non dicerent se nomine DEI missos, sed agerent perinde ac si DEVS ipse esset, qui sermonem haberet, rationes assignat quinque Abulensis[a] veras, & appositas.

Segregate mihi Saulum, ac Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.] Hoc opus est Apostolatus, vt rectè Glossa interlinearis exposuit, siue muneris prædicandi inter Gentes indefinitè. Hinc est quòd ipsemet Paulus vocat se *segregatum in Euangelium* DEI[b], *doctorem, prædicatorem, Apostolum, magistrum Gentium*[c], *in quo* DEVS *operatus sit per Apostolatum inter Gentes*[d]: quod priùs etiam & de ipso prædixerat CHRISTVS Ananiæ[e], & hic ipsimet significauerat[f].

Eandem ob causam cùm absque addito auditur nomen Apostoli, omnes intelligunt Paulum, non solùm quia plura scripsit, & visus est doctior quàm alij, ferè autem ita loquimur cùm citamus scripta eius, sed quoniã, quod Apostoli proprium est, Fidem pluribus in locis plantauit ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum[g]: immò, vt ait Hieronymus[h], *à Mari Rubro vsque ad Oceanum per totum ferè orbem, deficiente prius eum terra, quàm studio prædicandi, & plus omnibus laborauit*[i]. Augustinus[k] causas has dicti nominis Paulo attributi reddit.

Consule prætereà Abulensem[l] afferentem discrimen triplex in Apostolatu Pauli ac Barnabæ, & aliorum duodecim: quia illi immediatè à DEO de cœlo electi, quia veluti seiuncti ab aliorum collegio, quia nulli certæ prouinciæ destinati. Quo fit, vt segregatio nunc facta non contulerit Apostolatũ, cùm se Paulus ab hominibus, aut per hominem missum neget, sed fuerit externa deputatio DEI, eiusdem auctoritate facta, vt maiore ipsi apud alios auctoritate prædicarent. Apostoli nomen Barnabæ etiam tribuitur inferiùs[m]: nec minùs hic, quàm Paulus[n], potuit se abortiuum appellare, si ea voce ille significatur, qui supra constitutum numerum asciscitur, quo pacto Suetonius[o] vocauit abortiuos Senatores, qui per gratiam in Senatum adlegebantur præter ordinarios. Non fauet apud Paulum dictio ἔκτρωμα, & Paulus dum ita loquitur, seipsum deprimit: vt minimum ac indignum nomine Apostoli. Sed iam aliàs[p] hac de re.

Porrò cùm se Paulus[q] vocat segregatum, Chrysostomus quidem intelligit de electione in eximium quoddam vas per singulare iudicium DEI, & vt Origenes quoque per æternam dicit eius prouidentiam, Irenæus[r] legit prædestinatum ex vtero matris, vt idem Apostolus alibi[s] dicit: Lombardus ex vtero Synagogæ, in qua Doctoris munere, tanquàm Pharisæus, fungebatur: Lyranus à Iudaismo: Ambrosius alludi vult ad munus quod anteà in lege exercebat, cùm esset Pharisæus, quod nomen Hebraicè significat segregatũ atque separatũ. Sed Hieronymus, Augustinus, Sedulius, Anselmus, & alij, à cœtu Condiscipulorum, prout hic narratur. Theodoretus verò notat segregationem ex vtero factam à PATRE, à FILIO, vt esset vas electionis, istam denique à SPIRITV sancto. Voluit autem idem Paulus eo epitheto significare præcipuam functionem, ad quam electus, & missus est, fuisse vt euangelizaret, prout etiam expressit Corinthiis[t]. Tamen segregatio præsentis loci communis est Paulo cum Barnaba. Nec audiendi Sedulius & Origenes dicentes segregatum esse & dici Paulum, quia præuiderat DEVS in eo causas ac merita futura, cur segregari debuit. Non hoc de se ferret dici Paulus, solitus vocationem suam diuinæ gratiæ tot ac tam multis verbis cum omni modestia & exaggeratione deputare. Idem verò se vocatum vocat Apostolum[u], cùm se Petrus[x] nominet absque addito Apostolum, quia Paulus erat extra numerum duodecim, & nolebat videri ingessisse se, propriáve vsus auctoritate.

Felix tunc Ecclesia, in qua missu immediato SPIRITVS sancti dabantur prædicatores, & pastores, vt colligitur quoque ex his, quæ de Timotheo scribit Paulus[y], & in Historia Ecclesiastica suppetunt nonnulla exempla in Seuero Rauennate, in Ambrosio Mediolanensi, in Gregorio, & aliis. *Fit id nunc*, inquit Chrysostomus[z], *suo quodam modo, quoties ab humana passione alieni huiusmodi electiones celebramus, cùm nihil omninò seculare, nihil temporale intuentes, neque ad gratiam, neque ad odium facimus*: vel *cùm*, vt ait Bruno[a], *consecrandus consecratori præsentatus, de fide, & ceteris, vt habet ordo, requiritur, & interrogatur.*

Ad extremum verba SPIRITVS sancti, quibus præcipit *sibi*, non Domino, *fieri segregationem Sauli, ac Barnabæ, in opus, ad quod iam etiam ipse assumpserit eos*: demonstrãt diuinitatem illius, vt vidit, præter Chrysostomum hoc loco, & iterum in aliis[b], Didymus[c], Idacius,[d] Athanasius[e], Ambrosius[f], Cyrillus Alexandrinus[g], Cyrillus Ierosolymitanus[h], Basilius[i], Leontius[k], Cæsarius[l], Nazianzeni frater, Augustinus[m].

Assumpsi.] Προσκέκλημαι, *Accersij, in auxilium aduocaui*, aut per aliam aliquam reuelationem factam priuatim non tantùm Saulo, sed etiam Barnabæ, de qua, vt de illa, non ita constat: aut per decretum diuinum, quod modò exprimitur, & veluti confirmandum ab Ecclesia proponitur. Viderint ergo qua auctoritate faciant, qui suæ electionis ac missionis nullum edere signum valent, *currentes, euntes, cum non sint missi*[n]. Pertinent hi ad genus Apostolorum, quos Hieronymus[o] ait *nec à* DEO, *nec ab hominibus, vel per hominem missos: alios enim per* IESVM CHRISTVM *seu* DEVM *duntaxat: aliquos à* DEO, *sed per homines: quosdam ab hominibus, non tamen à* DEO *missos esse.* Cum Paulo, & aliis Apostolis iungendi sunt antiquæ legis Prophetæ: ad tertium ordinẽ pertinent Iudas, & Silas[p], Timotheus, Titus, & quotquot Apostoli, eorúmve successores, ritè non ordinarunt solùm, sed elegerunt: ad quartum, bene ordinati, & malè electi per ambitum, & fauorem humanum: sed ad primum pseudoprophetæ, atque pseudoapostoli; qui cùm sint ministri Satanæ, transfigurant se in Apostolos CHRISTI[q]. Magnum delectum, cautionemque necessariam in sacris electionibus, & ordinationibus esse, dudum iam capite sexto vidimus. Liquet id etiam, præter alios, ex Cypriano aliquot in epistolis[r].

Versus 3.] Tunc ieiunantes, & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt illos.

TVNC *ieiunantes, & orantes.*] Participia Græca sunt Aoristi temporis, quæ sic Syra interpretatio expressit: *Postquam igitur ieiunassent, ac preces auspicati fuissent, imposuerunt eis manus* (meliùs, *& imposuissent*) *& dimiserunt eos.*

Magnã & in istis verbis litem concitatã reperio, sintne de sacra ordinatione accipienda. Negantem

a Matt.17. q. 77.
Opus hoc quod fuerit.
b Rom.1.1.
c 1.Tim.2.7. & 2.ep.1.11.
d Gal.2.8.
e Act.9.15.
f infr.22.14. 15.
Quare Apostoli nomine Paulus intelligatur.
g Rom.15.19.
h in cap.5. Amos.
i 1.Cor.15.10.
k lib.3.ad Bonifacium. c.3.
Discrimen in Apostolatu Pauli ac Barnabæ.
l in 1.Prolego. Matthæi. q.4.& in cap. 10.q.25.
m Act.14.4.
n 1.Cor.15.8.
o in Octauio. cap.35.
p Act 9.
Paulus cur se segregatum vocat.
q Rom.1.1.
r lib.3.c.18.
s Gal.1.15.
t ep.1.c.1.17.
u in epistolis.
x in epistolis.
Vocationes immediatæ in Ecclesia.
y 1.Tim.1.18.
z in 1.Tim.1.
a in 1.Tim.1.
b Hom.74.in Ioan.& hom. 1. in Symbolum.
c li.2 de SPIRITV sancto.
d con. Varimadum.
e de cõmuni essẽ. PATRIS, & FILII, & SPIRITVS sancti, & disputat. cõtra Ariũ, & de Profess. regulæ Catholicæ.
f Tractat. de SPIRITV sancto, Tom.5.
g 13. Thesaur. cap.2.
h Catech. 16.
i 5. cont. Euno.
k lib. de sectis.
l dialog.1.
m quæstio.ex nouo Testam q.97.
n Iere.23.21. Rom.10.15.
o in c.1 ep.ad Galat.
p Act.15.27.
q 2.Cor.11.13.
r vt epist. 31. & 35.

partem tuetur Caietanus, qui superiùs idipsum docuerat de manuum impositione super Diaconos[a]; neque enim esse consecratoriam, siue sacramentalem, sed adhibitam duntaxat ad firmandam veluti gratiam noui ministerij, sicut in illis Diaconis ad ministrandum mensis, ita in his duobus ad prædicandum. Arias Montanus quoque vocat *signum electionis, & cooptationis Ecclesiasticæ, & communicationem gratiæ, & auctoritatis*, nimirum publicè, ac veluti in facie Ecclesiæ. Suarez [b] affirmat eam impositionem manuum fuisse tantùm deprecantium, nec esse tunc Saulum, & Barnabam ordinatos vel Presbyteros, vel Episcopos. Consentire videtur Aloysius de Leon [c], & alij recentiores. Ratio princeps est, quia nihil aliud habetur hoc loco, quàm missos esse iussu SPIRITVS sancti ad opus prædicationis. Paulus iam à CHRISTO constitutus erat Apostolus, vt antè dixi, aitque [d] quòd *ceteri nihil sibi contulerunt*, videlicet iurisdictionis, & Apostolatus: cum Apostolatu verò Episcopatus connexus est, ita vt Apostolorum successores dicantur Episcopi: exercuerat iam vterque officium prædicationis: affirmat item de quodam Paulus [e], seu is fuerit Lucas, seu Apollo, seu Barnabas, ordinatum esse ab Ecclesiis comitem peregrinationis suæ, quam ordinationem nemo sacram dicit. Postremò Episcopalis ordo tantis viris collatus esset à Petro, quem solum à CHRISTO immediatè ordinatum, ceterorum Coapostolorum ordinatorem quidam [f] asserunt, vt sit verum, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum esse matrem, ac ab ea consecrationem, ac dignitatem accepisse: incertum est etiam an Simon, Lucius, ac Manahen essent Episcopi, hoc saltem tempore.

a Act. 6. 6.

Manuum hæc impositio quò spectet.

b Tom. 3. in 3. p. Disp. 34. sect. 1.

c in c. 1. ep. ad Gal.

d Galat. 2. 6.

e 2. Cor. 8. 19.

f Turrecremata in sum. de Eccl. par. 2. c. 42.

Longè vt communior, sic verosimilior est sententia, quę ait manuum præsentem impositionem spectare ad Ordinis Sacramentum. Chrysostomus clarè docet fuisse ordinatos, vt alios Interpretes omittam, & tunc Saulo mutatum nomen. Leo Papa I. [g] cùm scribit ad Dioscorum Alexandrinum, iniungit vt ordinationes sacræ non fiant nisi præcedentibus ieiuniis. *Nam*, inquit, *præter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat, quòd cùm Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto* SPIRITVS *sancti ad Euangelium mitterent Gentibus prædicandum, ieiunantes, & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus quanta & dantium, & accipientium* (qui scilicet ipsi vtrumque præstabant) *deuotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Vbi quod de Apostolis dicit, difficile est, tametsi priùs Aratorem citauerimus id Petro adscribentem, & nonnulli, quos refert Lyranus, arbitrati sint, finito ieiunio ac oratione remissos in Ierusalem Saulum, Barnabámque, vt ordinarentur, ad Apostolos. Hoc sensit Magister Historiæ Scholasticæ, & Hugo non dissentit. Non cohæret cum historiæ contextu, vbi qui ieiunarunt, orauerúntque, iidem manus imposuisse narrantur. *Erant verò*, inquit Lyranus, *Antiochiæ aliqui Episcopi ab Apostolis ordinati*. Oecumenius asserit Lucium, & Manahem imposuisse manus: addidisset & Simonem, ob numerum ternarium Episcoporum, qui ad ordinationem Episcopi adhibetur, exemplo Iacobi minoris, quem ferunt consecratum Ierosolymitanum Episcopum à Petro, Iacobo maiore, & Ioanne, quos postremos duos antea seorsim ordinasset Petrus [h], non seruata or-

g ep. 81. aliàs 79.

Ieiunia præcedere debent ordinationes sacras.

Quot Episcopi requirantur in ordinatione Episcopi.

h Enriquez citat Auctores lib. de Ordin. sacramē. c. 1. & in particulari ita tenet Bellarm. lib. 1. de Roma. Pontif. c. 23.

A dinationis solemnitate, quæ nunc est, idque ex priuilegio, vt notat Carthusianus, per aliquod tempus in primitiua Ecclesia.

Confirmatur porrò sententia hæc, quoniam vix alius aptior est locus, vnde probari queat Ordinis Sacramentum: cùm in epistolis ad Timotheum [i], & præsentis historiæ capite sexto [k] nil ampliùs afferatur quàm de oratione, & impositione manuum: & Ritualia omnia hinc petunt, vt ordinatio sacra sine sacrificio non fiat, quod celebratum paulò antè ostendimus, expendentes participium Græcum λειτουργούντων: nec tot erat opus cæremoniis ad declarandum ministerium prædicationis, ad quod in præsentia Saulus &
B Barnabas peculiariter destinarentur.

Ordinis sacramentum probatur.

i 1. ep. c. 4. 14. c. 5. 22. ep. 2. 1. 6.

k vers. 6.

Fateor multiplicem esse impositionem manuum, nec omnem esse sacramentalem vel Confirmationis, vel Ordinis, vt etiam docui alibi [l]: sed hanc, quæ adhibebatur quoque initiandis in lege vetere [m] (immò & simili quadam imitatione apud Gentiles, vt prodit Liuius [n]) sacram esse intelligitur ex aliis circunstantiis, vt modò dixi. Vocant autem Græci Ordinem sacrum χειροτονίαν, & χειροθεσίαν, ex quibus obuia cuiuis erit dissolutio contrariorum argumentorum.

l cap. 8. 17.

m Exod. 29. 10.

n Decad. 1. 1.

Nec mouere debet, si tanti viri ab inferioribus sint ordinati, Paulum enim etiam Ananias baptizauit [o]; & quamuis Apostolus iam esset, nondum
C tamen cōsecratus Presbyter, seu sacerdos, & Episcopus, quemadmodum diu antè alij Apostoli à CHRISTO nominati sunt, quàm essent etiam sacerdotes, quod consecuti duntaxat creduntur in suprema Cœna. Et sufficit ad Apostolatum ius prædicandi cum amplissima potestate delegata, qualis etiam in non Episcopis esse potest; ita vt nostri Episcopi non dicantur succedere Apostolis in Apostolatu (finitur enim legatio cum legato) sed in dignitate Episcopali.

Quare tanti viri ab inferioribus sint ordinati.

o Act. 9. 18.

Quòd vnum de Sacramentis nouæ legis sit Ordo, hactenus posui; qui probationes requirit, adeat Scholasticos, & tractatores controuersiarum, præsertim ex nostris Bellarminum [p]. In
D quod etiam argumentum fusè digreditur Baronius [q], & Espensæus [r]. Beda ordinationem hanc Sauli, quam vocat Apostolatum, ponit anno 13. post CHRISTI Ascensionem, dicitque *quartodecimo ad magisterium Gentium iuxta condictum Iacobi, Cephæ, & Ioannis profectum esse: atque consentire historiam Ecclesiasticam, quæ ait Apostolis esse præceptum, vt duodecim annis in Iudæa prædicarent.* Non de Iudæa, sed de Ierusalem traditio est ab Apollonio manifestata apud Eusebium [s], vt aliàs dixi [t]. De condicto illo aliorum trium Apostolorum mentio est in epistola ad Galatas [u]. Quod facit vt suspicer, segregationem, quæ hic narratur, indefinitam fuisse ad Iudæos, & Gentes, siue ad regiones Iudæorum & Gentium, siqui-
E dem hoc ipso capite [x] prædicasse legimus Saulum Iudæis, & cùm ab iis non admitteretur, conuertisse se ad Gentes. Cùm ergo ascendisset Ierosolymam anno 14. à sua conuersione, vt ait citata epistola [y], illi tres Apostoli ratum habuerunt, vt præcipuè intenderet ipse cum Barnaba prædicationi ad Gentes; sic fortasse intelligentes peculiariter, accipiendam segregationem ipsorum Antiochiæ factam iussu SPIRITVS sancti. Concordant ista cum Chronologia Baronij [z], qui eandem ordinationem collocat in CHRISTI anno 44. ac in eodem raptum Pauli Ierosolymis, de quo raptu egimus capite nono.

p Tom. 2. lib. de sacrament. Ordinis.

q Tom. Annal.

Quo sensu sacramentum ordinis.

r in 1. epist. ad Tim. lib. 1. Digressionum, c. 16.

s 5. Hist. c. 17.

t cap. 1. 8.

u cap. 2. 9.

x vers. 46.

y ad Gal. 2. 1.

z supra.

Versus 4.] Et ipsi quidem missi à SPIRITV sancto abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum. A

MISSI à SPIRITV *sancto, &c.*] Vel cùm missi essent imperio SPIRITVS sancti ab Antiochensi Ecclesia: vel accepto peculiari eiusdem sancti SPIRITVS responso, cùm illa non indicasset locum, quò irent, vt abirent Seleuciam. Ex hoc eodem loco Athanasius [a] colligit SPIRITVS sancti diuinitatem, sicut ex superiore, quòd iuberet segregari sibi Saulum, & Barnabam.

a lib. de com. ess. PATRIS, & FILII, & SPIRITVS sancti.

Seleucia quid sit.

Seleuciam.] Ciuitas est in Syria Antiochena, quam Rex Seleucus Nicanor, vel Nicator condidit, aliquando dicta Pieria à promontorio, in quo stat: ad eam vsque peruenit nemus B Daphnes, & ex ea in Cyprum, vt etiam innuit Lucas hoc loco, commodissimè traiicitur: parum distat ab Antiochia. Dixi aliàs cum Volaterrano [b] hunc Seleucum Antiochi filium primum Regem Syriæ post Alexandrum, sicut sexdecim Antiochias ob memoriam patris denominauit, Laodiceas quinque in memoriam matris Laodices; & in gratiam vxorum Apamææ, & Stratonices, tres Apamias, & Stratoniceam vnam; ita à suo ipsius nomine nouem Seleucias. Lege Plinium [c], & Iosephum [d], & Hegesippum [e]. Scribit Iosephus Seleuciam nostram fuisse commune Macedonum, Græcorum, & Syrorum domicilium, atque ibi semper Græcis cum Syris malè conuenisse; C Græcorum tamen factione preponderante, donec eò Iudæi confugerent, quorum aduentu, Syrorum conditio cœpit esse potior. Antiochena ipsa regio non tantùm Tetrapolis, sed & Seleucis nominatur.

b lib. 11. Geographiæ.

c lib. 5. c. 21. & 22. & 27.
d libr. 13. Ant. c. 16.
e lib. 4. c. 1.

Et inde nauigauerunt Cyprum.] Soluentes Seleucia, in qua est littus excelsum, vocatúrque in historia Machabæorum [f] maritima. Cyprus notior est, quàm vt opus sit quid afferre. Lege caput secundum [g]. Illuc contendisse Apostolos Chrysostomus notat, eò quòd ibi non esset persecutio, & verbo DEI iam sparso, in Antiochia quidem sat plures erant: & Phœnicia prope Palæstinam erat, Cyprus autem non item. D

f lib. 1. c. 11. 8.
g vers. 19.

Versus 5.] Et cùm venissent Salaminam, prædicabant verbum DEI in Synagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioannem in ministerio.

ET *cùm venissent Salaminam.*] *In quibusdã exemplaribus inuenitur*, inquit Glossa ordinaria citans Rabanum, *Abierunt Seleuciam, quæ est Salamina*, ita vt sint duo nomina vnius ciuitatis. Idem notat Hugo. Sed planè sunt nomina distinctorum locorum. Est verò Salamina, vel Salamin, vel Salamis, non eiusdem nominis insula in mari Euboico contra Athenas cum vrbe cognomine; sed vrbs E in Cypro insula sita in parte amœnissima littoris Orientalis, respiciens Syriam, quam Teucer expulsus à patre Telamone ob suspicionem de Aiacis fratris cæde post euersam Troiam, nauigansque in Cyprum, extruxit, æquiuocam alteri in Attica patria sua, erecto ibidem insigni templo Ioui [h]. Fertur Barnabæ natiuitatis, passionísque locus. Deinde Constantia dicta est, cuius Epiphanius, doctrina, & pietate conspicuus, Episcopatum gessit. Iudæi tempore Traiani ciuitatem exciderunt deletis incolis ducentis quadraginta millibus, quo nomine posteà inde iussi sunt exulare, pœna capitis proposita [i]. Ætate Hieronymi [k] Constantiæ nomen gerebat à Constantio Augusto. Nunc Famagosta, quasi fama augusta; nescio qua de causa. Turcicam oppugnationem passa superioribus annis, cùm eam deficeret annona, ac reliquus belli apparatus, tandem expugnata est per deditionem.

Salamina quid sit.

h Isocra. orat. ad Euagorã. & Velleius Paterculus li. 2. Horat. lib. 1. Ode 7.

i Dio.
k epist. 27. ad Eustoch.

In Synagogis Iudæorum.] Segregatio ergo illa fuit indefinita, ad prædicandum quibuslibet non solis Gentilibus, vt nuper admonuimus. *Et à Iudæis quidem inchoatum est, ne hi contentiosiores fierent*, inquit Chrysostomus, nimirum molestè ferrent sibi Gentiles præponi. De Synagogis alio loco tractauimus [l]. Beda verò hîc admonet: *Propter ignaros locorum semel annotandum credidi, vbicumque Synagogam Iudæorum videris, scito in ciuitate gesta, quæ dicuntur.* Latiùs forsan ciuitatem dixit pro oppido.

l cap. 6. huius libri.

Habebant autem & Ioannem in ministerio.] Εἶχον ὑπηρέτην. Communis expositio est, Ioannem cognomento Marcum fuisse adiutorem in prædicationis munere. Sed placet magis, quod ait Arias Montanus, dum Saulus & Barnabas intenti erant Euangelio annunciando, illum ministrasse ipsis, & pauperibus. Fauet vox illa Græca τῦ ὑπηρέτη, & quia circa prædicationem hoc etiam pacto iuuasse Apostolos dici potest, & simul fortasse cogendo auditorium, vel priuatim instruendo: ita tamen vt prima illa functio primaria esset.

Versus 6.] Et cùm perambulassent vniuersam insulam vsque Paphum, inuenerunt quendam virum magum pseudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Bar-iesu.

VSQVE *Paphum.*] *Vrbs est (quondam Erythra) in Cypro nobilis carminibus Poëtarum*, inquit Hieronymus [m]; &, vt canit Arator [n], amoribus, inde tropologiam cum quadam allegoria eliciens:

m in Hilarione.
n libr. 2. Carminum.

—Cyprum, Salaminàque linquens,
Pergit adire Paphum, quæ fertur amoribus olim
Dedita, sacrilega mansisse libidinis antrum,
Aligerósque vagos studio coluisse procaci.
Hinc operum procedit apex, quia gratia maior
Ad delicta venit, culpas huic posse remitti
Exemplum iam Paulus erat, quàm splendida laudũ
Materia est adiecta viro, primordia casta
In luxus regione serit, fructúsque pudicos
Multiplicat lasciuus ager, cui nescia posthac
Difficilísque foret, cùm sic videatur honestas
De turpi cœpisse loco.—

Ceterùm vetus est ista Paphus, Cypri olim metropolis, vt eam etiam vocat Chrysostomus, & indicat, quòd ibi Proconsul esset, in qua Veneri templum dicatum erat, à quo denominata Venus Paphia: & ibi ferunt Machabæos cum matre passos [o], extaréque visendam iis eodem loco excitatam Ecclesiam, septem constantem sacellis. Noua distat à vetere stadiis tantùm decem. Iacet vtraque in littore Occidentali, vt proinde tendentibus Paphum à Salamina, quæ est in Orientali, peragranda sit tota insula, quod hîc ab Auctore fecisse Apostolos expressum est. Quod de Machabæis dixi, Gagneius asserit, nescio quo vel auctore, vel argumento, cùm non Martyrologia [p] tantùm locum designent Antiochiam, sed etiam Iosephus [q] (qui natale item solum Sosandrum Castrum vocat) & Augustinus [r]. Nec magis credendum Ce-

Paphus quid sit.

o 2. Mach. 6. 9
p 1. August.
q in Tract. de Mach.
r Ser. 19. de Diuersis. cap. 6.

ratoribus, Regibúsque, qui hoc factitarint diligentissimè, catalogum texit Tiraquellus [a], & leguntur apud Thucydidem, Liuium, Homerum, Virgilium, aliósque, præclaræ huiusmodi hominum conciones, quas in genere vehementer probat Basilius [b], & sunt in Machabæis exempla.

a lib. de Nobilit. cap. 21. à n. 17.
b orat. 2. de ieiu. in princ.

Ceterùm subit recordatio Priami, quem Virgilius canit [c], cùm ius daret, peculiare habitus, & ornamenti genus gestasse:

c Æneid. 7.

Hoc Priami gestamen erat, cùm iura vocatis
More daret populis.

Et quidem superiùs regia se Herodem veste induisse vidimus. Verisimile est sub nominibus τῆς ἐσθῆτος βασιλικῆς, vestis regiæ, regium reliquum ornatum comprehendi, vt coronam, ac sceptrum, quæ Reges iudicando concionandóve vsurpasse, colligitur ex diuinis literis [d], & profanis [e], quæ de sedibus quoque seu de tribunalibus meminerunt instratis etiam purpura. Legendus item Tertulliani liber de corona militis [f]; vbi cùm penitus coronæ negat vsum in Scripturis reperiri [g], confutatur ex dictis. Sed agit ipse de profano quodam genere coronæ. Consule Pradum nostrum [h], de corona præcipuè regia, & pontificia.

Vestis regiæ nomine quæ intelligantur.
d Sap. 6. 22. Baruch 6. 13. Ezech. 21. 26. Iob. 29. 7. 14. cap. 19. 9.
e Hippias Erythræus 2. hist. Athen. lib. 12. c. 3. & 18.
f maximè ca. 11.
g cap. 9.
h in Ezech. c. 21. 26.

Versus 22.] Populus autem acclamabat: DEI voces, & non hominis.

POPVLVS *autem acclamabat:* DEI *voces.*] Græcè est φωνὴ, in singulari. Syriacè: *Hæ sunt filiæ vocum* DEI, *& non hominum.* Iosephus [i] nil dicens de concione, rem ita pergit narrare, *Móxque adulatores perniciosi, alius aliunde acclamantes,* DEVM *consalutabant, rogantes, vt faueret propitius: hactenus enim vt hominem reueritos, nunc agnoscere, & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius.*

i 19. Ant. c. 7.

Non probo censoriam notationem [k] Iacobi Lopidis contra Erasmum; cùm non sit minùs contra editionem nostram, cuius profitetur patrocinium. Vult nos legere in datiuo φωνῇ, & sensum esse, populū acclamasse *voce* DEI, *& non hominis,* id est, ea voce, qua DEO acclamaret, & non homini, non quòd Herodis vocem, vt de cœlo missam, laudauerit, & sermonem. Vocis nomine intelligitur oratio, & ex tali effectu causæ diuinitas colligitur. Lectionem autem nostram, ac dictionem illam in nominatiuo non Latini tantùm secuti sunt, sed Græci etiam Interpretes, ac Eusebius prætereà [l].

Vocis nomine quid hic intelligatur.
k annot. in Erasmum.
l 2. Hist. ca. 10.

Est, vt ita dicam, aulator adulator, & κόλαξ κόραξ, vel, vt Constantinum dicere solitum Aurelius Victor [m] memorat, *sorex & tinea palatij, habens in ore semper illud Harpagi: Mihi placet quicquid rex facit: & Strateclis agentis de Demetrio* [n]: *Quicquid rex iubet, id & erga Deos sanctum, & erga homines iustum est: & Gnathonis* [o]:

Aulator est adulator, & κόλαξ κόραξ.
m in vita Cōstantini.
n Plutarch. in Demetrio.
o Teren. in Eunucho.

Negat quis? nego: ait, aio:
Postremò imperaui egomet mihi omnia assentari.

Perniciosa adulatio, inquit Q. Curtius [p], *perpetuum regum malum est, quorum opes assentatio sæpius, quàm hostis euertit.* Mauult Augustinus [q] *pati supplicium, quàm fœda adulatione consequi beneficium:* plusque [r] ait *persequi linguam adulatoris,* quippe inter cicures bestias est pessima, vt inter feras tyrannus [s], *quàm manum interfectoris.* Procul aberat Mardochæus à sordibus istis, Amanum à rege Persa secundum ideò non adorans, ne DEO debitum honorem communicare cum homine videretur, paratus alioqui pro salute Israël etiam vestigia osculari [t].

Adulatio, quantum malum.
p lib. 8.
q epist. 61.
r in Psa. 69.
s Bias & Diogenes in Laertio.
t Esther 13. 12. 13. 14.

Nam honores diuinos sibi vt Diis reges Persas vendicasse, iisque quos vellent deferri mandasse, scriptorum Ethnicorum multiplici testimonio probat noster Serarius [u], post Barnabam Brissonium [x], atque nostrorum, simul ostendens, quàm multi, cultores alioqui plurium Deorum, adorationem regibus impertiri respuerint, ac detestati sint. Vocat Plinius [y] Persicam illam προσκυνήσεων *humi iacentium adulationes:* Seneca [z] *seruitutem:* Martialis [a] qui id faciant, *turpes humilésque:* Arrianus [b] nominat ταπεινότητα: Isocrates [c] autem, *tanquàm fracti & abiecti animi viros* appellat Persas, *qui Diis debitos honores mortali regi tribuerent:* tandem Athenienses Timagoram, quòd eo ritu Darium adulando salutasset, capitali supplicio affecerunt, vnius ciuis humilibus blanditiis, totius vrbis suæ decus Persicæ dominationi submissum grauiter ferentes, vt memorat Valerius Maximus [d], Plutarchus [e], & Athenæus [f], apud quem pro Timagora Euagoras irrepsit, immò verò Hermolaus Macedo, vnus ex coniuratis Alexandri, hæc ei apud Curtium [g] exprobrat: cuius incredibile factum cognosces apud Senecam [h], Gellium [i], Ælianum [k]. Antonium Melissam [l], Lucanum [m], Iuuenalem [n]. *Persarum te vestis & disciplina delectat: patrios mores exosus es. Persarum ergo, non Macedonum regem occidere voluimus, & te transfugam belli iure persequimur. Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, venerarique te vt* DEVM. *Tu Philippum patrem auersaris, & si quis Deorum ante Iouem haberetur, fastidires etiam Iouem. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus?*

u in cap. 3. Esther. q. 3.
x lib. 1. de regno Persarū.
y lib. 9.
z lib. 3. de benefic. ca. 12. 1. de Ira. c. 19.
a lib. 10. epig. 72.
b lib. 4. de rebus gestis Alexandri.
c in Paneg.
d lib. 6. c. 3.
e in Artaxerxe, & in Pelopida.
f lib. 6.
g lib. 8.
h 1. de benefi. c. 13. & ep. 95. & 120.
i lib. 21. c. 4.
k 2. variæ histor. c. 19. & li. 5. c. 2. & li. 13. c. 30.
l libr. 2. Serm. 74.
m lib. 10.
n Satyr. 10.

Id facerent potiùs quod iste, vani, ac superstitiosi adoratores Agrippæ, quos non Iudæos, sed Tyrios, Sidoniósque, seu alios idololatras fuisse mihi persuaderem, nisi Cæsariensis populus acclamasse diceretur, & si non assentandi studium eò præcipitaret, vt alteri diuinum honorem deferre præ te feras, quamuis ex animo non deferas. Quin iste, vt Paulus, Barnabásque prò Diis culti [o], præ horrore & abominatione tantæ blasphemiæ regiam illam vestē discerpsit: vel sicut Ezechias audiens blasphemias Rabsacis [p]. Criminis notantur ingentis à Ieremia [q], qui cùm sacrum volumen dilaceratum, & combustum est, nullam ediderunt significationem doloris, nec timentes, nec scindentes vestimenta sua.

o Act. 14. 11. & seq.
p 4. Reg. 19. & Esa. 37.
q cap. 36. 24.

Cùm gloriosus miles gloriæ inseruiens assentando Canuti Anglorum regis, hunc animi causa deambulantem in littore Oceani regum longè omnium potentissimum, qui hominibus, qui mari, qui terræ latè imperitaret, nominasset: *Rex,* inquit Polydorus Virgilius [r], *vt illius assentationes vanas coargueret, vestem exuit, ex ea globum fecit, supérque sedit quam proximè aquam, dicens: Vnda, tibi iubeo, vt ne pedes meos tangas. Suis mirantibus, cur hoc faceret, vnda insurgens totum madefecit. Tum ille: En, principes vocatis me regem, qui hanc paruulam vndam meo imperio cohibere nequeo. Nullus mortalium est talis nomine dignus: est rex* PATER CHRISTI, *cum quo ille regnat, cuius nutu cuncta reguntur: hunc veneremur, hunc Regem omnium appellemus: hunc regum omnium Dominum, cœli, maris, terræ rectorem profiteamur, prætereà neminem.*

Regis Anglorū pium ac rarum exemplum.
r lib. 7. Histo. Anglorū, ferè extremo.

Subdit deinde Auctor. *Vintoniam profectus, coronam, quam gestabat, capiti Imaginis* CHRISTI *crucifixi, quæ in templo sanctorum Petri, & Pauli pendebat, suis manibus imposuit: nunquàm post hac eiusmodi ornamento capitis vsus insigni.* Pium ac rarum exemplum. Nam persæpe [s].

s Iuuen. saty. 4.

—Nihil

— Nihil est quod credere de se
Non possit, cum diis laudatur æqua potestas.
Lege Chrysostomi homiliam de inanis gloriæ cupiditate.

Si pro veste argentea Sole radiante repercussa homini vnius prouinciæ regulo, inquit Rupertus [a], *tantum attribuerunt, quanto putas Bestiæ tam magnæ* (ANTICHRISTO) *clangore voces* DEI *concrepabunt possidenti omne aurum, & omne argentum, simul fulgenti luce miraculorum?* Ars olim fuit apud Romanos acclamandi, plaudendíque, non in theatris duntaxat, sed Principibus quoque; ita vt ederetur ipso clamore concentus. Cognosci hoc potest ex Tacito [b], cùm de Nerone scribit, & ex Plinio [c], & ex Xiphilino [d], & ex Cassiodoro [e]. Profert istos hac de re Auctores Lælius Bisciola [f]. Non arbitror hanc nunc in ista acclamatione artem seruatam à non adeò cultis hominibus; & qui haud parati meditatíve accesserant, quem in acclamando modum adhiberent.

a lib.8.in c.13. Apocal.
b lib.16.Ann.
c in paneg. Traiani.
d in pertinace.
e lib.1.varia. epist.31.
f 1.horar.subsec.c.2.

Versus 23.] Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem DEO: & consumptus à vermibus, expirauit.

CONFESTIM *autem.*] Παραχρῆμα. Syrus, *eadem hora*, Iosephus [g], *paulo pòst*, qui etiam quinque dies languorem regis durasse scribit.

Percussit eum.] ἐπάταξεν. Syrus, *ferit*. Verbum Græcum significat ita pulsare, vt ictus sonitum, seu strepitum edat. Tamen generaliùs vsurpatur de eo, qui pulsat, & quouis modo percutit, aut etiam vulnerat. Non puto percussum Agrippam sono edito, quem alij exaudierint, immò, vt ait Chrysostomus, hoc nescierant. Videlicet impressit Angelus intestinam morbosam, & lethiferam qualitatem. Iosephus [h] rem ita exponit: *Hanc impiam adulationem ille nec castigauit, nec repulit: paulóque pòst suspiciens vidit supra caput bubonem funi extento* (fortasse conopœi) *insidentem: móxque vt sensit hunc esse calamitatis nuncium, qui olim felicitatis fuerat.* (narrat id alibi [i] Germanum nescio quem Agrippæ vincto in vrbe præsagiisse, cùm ei quoque bubo insedisset: sed Virgilius [k], Ouidius [l], Pliniusque [m] funestam auem faciunt, felicitatis nunciam nemo) *ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina statim in principio vehementia. Conuersis igitur in amicos oculis: En, inquit, ego ille vestra appellatione* DEVS, *vitam relinquere iubeor fatali necessitate coarguente vestrum mendacium: & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Sed ferenda est voluntas cœlestis numinis: neque enim malè viximus, immò tanta felicitate, vt omnes me beatum prædicent. Hæc locutus, crescente dolore discruciabatur. Properè igitur relato in regiam, rumor sparsus est breui esse moriturum: quamobrem confestim totus populus, vnà cum vxoribus, atque liberis, saccum indutus, more patrio supplicabat* DEO *pro salute regis* (erãt ergo isti Iudæi) *omnia miscens lamentis & eiulatibus. Rex autem in celsiore decumbens cubiculo, & in faciem stratos humi prospiciens, non temperabat sibi à lacrymis, cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente confectus, vitam finiuit, annum natus quartum supra quinquagesimum, postquam regnasset per septennium*, &c. Addit prætereà quantis defunctum Cæsareenses ac Sebasteni conuiciis affecerint, & statuas eiusdem.

g 19.Ant.cap.vlt.
Quomodo Agrippa percussus dicatur.
h supra.
i lib.18.Ant.c.13.
k Æneid.9.& 12.
l 5.Metamorphos.
m lib.10.c.12.

Angelus Domini.] Bonus erat Angelus, si verum est quòd non absolutè Domini, aut DEI diceretur, sed cum addito, vt malus [n], &c. quemadmodum obseruarunt Abulensis [o], & Ribera [p], docentes, quod verum est, ad inferenda supplicia, vti DEVM etiam bonorum ANGELORVM opera: cuius rei exempla nonnulla reperiuntur tum in Scriptura [q], tum in Historiis Ecclesiasticis; vt Agnetis, cùm ab Angelo ipsius tutelari vrbis Præfecti filius interfectus est, quòd eam violare conaretur: idémque comminata videtur Cæcilia, hortans sponsum, ne se attingeret: atque idem etiam tradunt Interpretes [r], necnon alij Patres, vt Ambrosius [s], & Augustinus [t], & Hieronymus [u], & Clemens, siue quis alius, in Recognitionibus [x], & Basilius [y], & Gregorius [z].

B Fateor probabiliter sentire, qui aiunt plagas Ægyptiacas per Angelos bonos factas, qui tamen mali dicantur in Psalmo [a], id est, vt plerique Hebræorum vertunt, noxij, vel nocentes, & Euthymius malos exposuit, non natura, vel electione, sed effectu, quia pœnas inferebant: alioqui eadem prodigia fecissent mali, quæque à Magis edebantur, quæque à Mose, aut Aaron. Augustinus fatetur quidē tam bonos, quàm malos homines DEI permissu puniri per ANGELOS malos, non solùm malos homines per bonos: vtrùm etiam per bonos boni, hæret ancipiti sententia. Ego autem non dubito, quoniam Mosem, filiúmve ipsius, quòd

C circumcisus hic non esset, in itinere occurrens Dominus (Hebraicè est nomen TETRAGRAMMATON) seu DOMINVM repræsentans Angelus, quod nomen Angeli exprimit editio Græca, & Chaldaica [b], voluit occidere. Tostatus etiam credit bonum Angelum fuisse, qui vltus est enumerationem populi factam à Dauid [c], & negari sanè non potest. Nec deerunt in aliis Historiis sacra alia exempla. Ad rem autem præsentem quod attinet, cùm aliàs demonstrauerim [d] nomen Angeli Domini dici etiam de malo, quod voluit quoque Hieronymus [e], & pessimum hominem igni iam destinatum, qui diabolo paratus est, & Angelis eius [f], magis conueniat vexari ab Angelo malo, procliuior sum vt existimem, Ange-

D lum malum fuisse, qui Herodem percusserit: cui bellè etiam consentit feralis bubo eidem insidés, vt priùs ex Iosepho memini, qui tamen de Angelo non meminit. Sed Oecumenius pro bubone Angelum in funiculo illo visum ab Herode scribit. Quibus rebus diabolo conueniat cum bubone, lege Ioannem à S. Geminiano [g].

Eò quòd non dedisset honorem DEO.] Iosephus causam istam satis expressit, vt vidimus. *Zelotes* [h] DEVS *gloriam sibi reseruat, nemini dat* [i]: & si oblatam recipientibus indignatur, quantò magis vsurpantibus? Testes apostatæ Angeli [k], parentes primi [l], Gigantes [m], & tot alij. Sed nihil illustrius eo, quod de Antiocho Epiphane (rectiùs, Epimane) prodit

E Machabæorum historia: par enim eius in DEVM elatio, parem luit pœnam, & vel inuitus contra se pronunciauit [n]: *Iustum est subditum esse* DEO, *& mortalem non paria* DEO *sentire.* Celebris illa quoque in bestiam transformatio (quocumque tandem intelligatur modo) Nabuchodonozor [o].

Chrysostomus hoc loco negat mortis causam, quam subiit Herodes, imputandam interfectioni Iacobi, & custodum Petri, vinculisve eiusdem, quia ibi periit, vbi hos, aut alios non læserat, & prouidit hac ratione DEVS, ne tali exemplo deterriti alij, desinerēt persequi Christianos, ne istis deesset patientiæ seges. Ignoscat Chrysostomus, non per ignorantiam errant, vt ipse loquitur, qui

n 1.Reg.18.& cap.19.
o 4.Reg.19.q.28 1 Par.21.q.70.
p in c.7.Apocal.
q Gen.19.1.& seq. Exod.12.29.2 Reg.24.16.lib.4 c.19.35.1.Par.21.15.libr.2.32.21.2.Machab.3.25.Esa.37.36.Apo.7.1.& seq.
r in citata loca.
s ep.21.& 2.de pœnit.cap.13.
Plagæ Ægyptiacæ per quos Angelos factæ, bonos an malos.
t 9.de ciuit.c.5.& in Psalm.77.& 5.cont.Iul.c.3.libr.de natu.boni.ca.31.
u lib.7.in Es. ferè in princ.
x 4.Recogn. versus finem.
y in c.13 Esa.
z 2.Moral.c.3.lib.8.c.6.
a Psa.77.49.
b Exod.4.24.
c 1.Par.21.
d Act.5.19.
e in Psa.34.
f Mat.25.41.
Angelus malus Herodem percussit.
g li.4.de exēplis & rerum similitud. ca.22.
h Exod.20.5.cap.14.14.
i Esa.42.8.
k Iob.4.18.Esa.14.16.
l Gen.3.13.
m Baruch 3.26.27.
n 2.Mach.9.12.
o Dan.4.28.29.
Quæ fuerit causa mortis Herodis.

illud sentiunt: non feram enim, vt hac ipsemet censura percellatur sua, cui alibi [a] eadem placuit causa. Arias Montanus sentit intelligi de honore, quem DEO non dederit Rex in liberatione Petri manifesta. Dici etiam fas est, Theologico more, peccatum vnum, alterius pœnam esse peccati: tam absonam blasphemiam tantæ præcedentis ferociæ, præsertim in Ecclesiam, eiúsque primores Iacobum, & Petrum. Profectò Lucas adeò infelicem hominis exitum non narrasset, nisi eam quam aio causam, cur ita perierit, fuisse credidisset: quamuis immediatam assignauerit, quòd honorem non dederit DEO. Exclamans hîc audiatur Plinius [b]: *Tu qui te DEVM credis, aliquo successu tumens, tanti perire potuisti?* Sanè quidem qui sunt Ecclesiam diriùs persecuti, Tyranni, & Hæretici, funestum mortis genus subiisse compertum est. Docet id, & exemplis confirmat Hieronymus [c]: illud refert quoque dictum Iuliano extincto, per ludum ab Ethnico nescio quo. *Quomodo Christiani dicunt DEVM suum esse patientem & ἀνεξίκακον: nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius: ne modico quidem spatio indignationem suam ferre potuit.* Sic ille quidem ludés: at non irridetur DEVS, nec diu semper dissimulat hostium impiorum iniurias: *& possumus*, ait idem Pater, *vti hoc Habacuc versiculo* [d], *Diuisisti in stupore capita potentium, si quando reges, & duces eorum Christianum viderimus sanguinem fundere, & posteà vltionem Domini consecutam, hoc etiam in stupore credentium, vel in stupore cunctarum nationum, quæ eos non putabant tam citò posse concidere.*

Horum à DEO animaduersorum catalogum collegerunt Bellarminus [e], Bozius [f], Feuardentius [g], Lensæus [h], Iosephus Stephanus [i], Georgius Ederus [k].

Malè sibi plaudunt mali Principes de terrena felicitate, nec bene colligunt bonum de ipsis iudicium DEI, quod illos agere feliciter sinat. Acriter inuehitur Lucifer [l] in Arrianum Principem dicentem, *Nisi pater bene fecisset, conferre se ad Arrianos, non se regnaturum: si hæreticus esset, non permissurum DEVM adhuc in regno esse.* Superiores improbos probis in felicitate persæpe viuere, non Scripturæ modò, Patrésque crebrò docent, sed profani etiam Scriptores, vt Macrobius [m], Gellius [n].

Et consumptus à vermibus, expirauit.] Καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξε, *Et factus vermium cibus*, seu *esca*. Non potuit aptiùs deprimi tanta superbia, & castigari, quàm vermibus. Tali morte Hunnericus [o] extinctus est, & Maximianus [p], & Iulianus [q], & Apostata Theotechnes, aliúsque qui altare perminxerat [r], & Claudius Herminianus [s] (hic vexatus dicebat: *Nemo sciat, ne se gaudeant Christiani*) & Monachus impurissimus ex Christiano factus Iudæus [t], & Caluinus [u], & Nestorius [x], præter eũ de quo dixi, Antiochum, & seniorẽ Herodem [y], & ex iis quos memorant Auctores profani Pherecidem Pythagoræ præceptorem, & Alcmanem poëtam [z], & Syllam Dictatorem [a], & Platonem [b], vnde prouerbium: οἱ Πλάτωνος φθεῖρες, *Pediculi Platonis* [c], & morbus dicitur Phthiriasis, & iidem pediculi ferales [d].

Sola memoria quòd cadauera nostra vermium esca sint futura, valet plurimùm ad ingenerandam superbissimis modestiam, & temperantiam libidinosissimis [e]. Quid si viui exedendi sint à vermibus? Quid si in gehenna nunquàm moriatur eorum vermis? *Et mater mea, & soror mea vermibus*, ait sanctus Iob [f]: quem passum esse vermes, tradunt Tertullianus [g] (qui vocat erumpentes bestiolas)

a Homil 8. in ep. ad Ephes.

Peccatum vnum alterius pœna est peccati.

b 7. Hist. ca. 7.

Persecutorum Ecclesiæ mors funesta est.

c in c. 2. Habacuc.

d ca. 3. 12. iuxta lectionem Septuaginta.
e Tom. 1. li. 4. de Eccl. c. 17.
f de notis Eccles. lib. 23.
g in Esther, digre. de hac re.
h libr. de persec. Eccles.
i lib. de vnica relig. cap. 17.
k lib. 1. mallei hæret. cap. 14.
l lib. 1. de reg. aposta.
m lib. 1. ca. 11.
n lib. 13. cap. 4.
o Victor Vticen. lib. 3.
p Eus. 8. Hist. ca. 28. Eutrop. & Pomp. Lætus.
q Sozomenus lib. 5. cap. 7.
r Niceph. lib. 10. cap. 29.
s Tertul. ad Scapulam. c. 3.
t Antiochus hom. 84.
u Bolsecus c. 22. vitæ eius.
x Nicephorus lib. 14. cap. 36.
y Iosephus 17 Antiq. cap. 8.
z Plin. lib. c. 11. c. 33. Aris. 5. de Hist. animal. c. 31. Ælian. 4. variæ hist. ca. 28.
a Plut. in Sylla. Q. Serenus in carmine. Plin. suprà, & lib. 7. ca. 41. & lib. 11 ca. 33 & lib. 13. c 26. Valer. Max. lib. 9 c. 4.
b Myronian' apud Laërtiũ in Platone.
c in Adagiis
d Cœli. Aurelian. tar. pass. lib. 4 cap. 2.
e Iob. 17. 14. & 21. 26. & 25. 6. Eccl. 10. 13. & 19. 1. Esa. 14 11 & 51. 8. & 66 24. & Mar. 9 44. 1. Mach. 2. 62.
f cap. 17 14.
g lib. de patientia. c. 14.

Cyprianus [h], Augustinus [i], Chrysostomus [k], Prosper [l], Basilius [m], Olympiodorus [n], Suidas [o]; Septuaginta quoque in illa vxoris eius oratione id expresserunt: *Tu in putredine vermium sedes* [p]? Non est necesse cum Origene [q] affirmare, quòd se Dæmones in vermes mutauerint, cùm intima reddi possit causa, quamuis opera Dæmonum immissa. Est námque morbi genus fœdissimum, qui vocatur verminatio, aut etiam pedicularis morbus, cùm ex ventriculo, intestinis, vesica, renibus, dentibus, reiiciuntur foras vermes, quos aliquando etiam appellari pediculos certum est, immò & serpentes, vt docet Hieronymus Mercurialis [r], ac paulò pòst constabit: aut generantur quoque in auribus, & naribus, ac dignoscuntur interni ex febre horrifica, anhelitu fœtente, tussicula inani, & sicca, nausea, seu fastidio: si autem sint in superiore ventriculo, chilum consumunt, sicque corpus absumunt; vel mordendo, famem, ac syncopen efficiunt, vt scripsit Iacobus Hollerius [s]. Sed qui propriè dicitur pedicularis morbus, Græcè φθειρίασις, vt monui, non in capitis modò profunda cute, sed corporis totius pediculos gignit, auctore Galeno [t].

Vtrumque passum Herodem dici potest, vel illum, qui, vt iam dicebam, nominatur peculiariter morbus pedicularis. Nam qui morbo pediculari interiisse Pherecides tragœdus Pythagoræ præceptor proditur ab Aristotele [u], Plutarcho [x], Æliano [y], cum Plinius [z], & Apuleius [a] expirasse scribunt copia serpentum ex eius corpore erumpente, quæ Q. Serenus vocat animalia tetra.

Fuit porrò Pherecides [b] omnis numinis diuini insignis contemptor, & suæ tantæ impietatis ac atheismi eiusmodi luisse pœnam creditur [c]. Dixit enim intra Apollinis templum in Delo gloriosè insolescens apud frequentem auditorum coronam, nulli se vnquàm DEO sacrificasse, neque minùs idcirco sanum degere, quàm qui hecatombas immolarent. Illi ipsi, quos expertos memoraui eundem morbum, impietate aliqua laborasse deprehenduntur: & Satan, qui oderat simul DEVM, simul Iob, impiorum, atheorúmque infami supplicio piissimum Iob castigatum, notatúmque voluit.

Per minima, & abiectissima animalcula sapienter inflati, elatíque homines discruciantur à DEO, vt Pharao [d], per culices, ranas, muscas, cyniphes: & hominis in huiusmodi bestiolas dominium minùs est liberum, & efficax, vt suam recognoscat ob peccatum vilitatem, vt notat Hugo de S. Victore [e]. Lege nostros Pinedam [f], & Serarium [g]: quorum in hac tractatione de vermibus Herodis fateor me operâ adiutum. Vide etiam Commentarium Delcampij in citatum locum Plinij.

Est autem aduertendum, quosdam in Scriptura morbos narrari, quos iure diuinos appellauerimus, hoc est, qui licèt causas habeant naturales, & eandem essentiam cum aliis affectionibus, tamen à DEI voluntate pendent. Talis videtur Ioram languor in aluo insanabilis, duos durans annos, donec tabefieret, & viscera ipsa egereret [h]. Auerterat hic impius rex populum à lege DEI, & occiderat fratres suos, idcirco DEI permissu ac voluntate factum est, vt vitioso victu vteretur, quæ est huiusmodi morbi causa, minùs, si non ita peccasset, vel in eo erraturus ob DEI peculiarem prouidentiam, vel ab illo lædendus. Consule Franciscum Vallesium [i].

At enimuerò in Herode morbus habuisse videtur

h lib. de bono patientiæ. cap. 3. & oration. de mortalitate.
i lib. de patientia. ca. 11.
k Hom. 5. ad populũ. & 28. in 1 ad Corinth.
l de prædic. 1. par. c. 22.
m in Catena Iob.
n ibidem.
o in Iob.
p cap. 2.
q in lib. Iob.
r lib. 5. variar. lect. c. 6.
s lib. 1. de morbis ... 5.
t lib. de compos. medica. secundùm loca. cap. 7.
u 5 de Histor. animal. c. 31.
x in Sylla.
y 4. de varia hist. c 28.
z 7. Hist. c. 33.
a 2. Floridorum.
b in Carmine.
c Traditũ est à Deliis apud Rhodiginũ li. 19. c. 10.
d Exod. 7. 8. 9.
e annot. in Genesim.
f in Iob. c. 2. de morbis Iob. sect. 6.
g in 2. Mach. cap. 9.
Morbi iure diuini appellati qui.
h 2. Par. 21. 18. 19.
i lib. de sacra Philoso. c. 40.

detur plus, vt ita dicã, diuinitatis, propter celeriorem interitum, qui summùm occidit quinto die, vel vnico etiam, vt aliis placet, volentibus parum fideliter hanc à Iosepho, quemadmodum & alias aliquas, notatam circumstantiam. Chrysostomus[a] quodam loco ait, *quòd crepuit, & effusa sunt viscera eius. Quid veste nitida gloriaris*, inquit Drogo Cardinalis [b] *subter te sternetur tinea, & operimentum tuum vermis est* [c]. *Hæc tua vestis est: illustrius tibi, qui chlamyde coccinea circumdederunt. Sic Antiochus* [d], *& Herodes duo alienis vestibus depositis, in suis vestibus expirarunt.*

a Hom. 26. in epist. ad Heb.

b de sacram. Dom. Pass. 10. 2. Bibl. Patrũ.

c Esa. 14. 11.

d 2. Mach. 9.

Herodis nomine sæuus quiuis intelligitur Tyrãnus.

Postremò inualuit, vt allegoricè Herodis nomine, vel propter hunc, vel, propter alios duos priores, sæuus quiuis intelligatur Tyrannus, ac piorum persecutor, sicut etiam quando Pharao nominatur, aut Nabuchodonozor, aut Holofernes, &c. Notauit hoc Victor Vticensis [e] scribens: *Si quis fortè ex his aliquem, vel similem nominasset solùm, dum* DEI *populum admonebat, illi obiectum esse, quod in personam Regis dixisset, atque statim exilio traditum esse: nec ineptè*, inquit, *nam Pharao, nomen est dignitatis*. Hoc vltimum de nomine Pharaonis pro dignitate, notauimus & nos capite septimo [f].

e 1. de persec. Vvanda.

f Num. 7. 10.

Versus 24.] Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur.

VERBVM *autem Domini*.] Syr. *Proinde Euangelium* DEI *prædicabatur, & incrementum capiebat*. Vbi Interpres Latinus Syram particulam *vau*, quę propriè significat, *&*, causaliter exposuit, quam etiam nonnunquàm significationem habet apud Syros & Hebræos. Voluit autẽ innuere, propterea Euangelicam prædicationem liberiùs excurrisse, ac profecisse, quòd intelligeretur, tam dirum persecutorem tã dira morte diuinitùs extinctum, & sublatum esse graue impedimentum. Lege caput sextum [g], vbi est eadem forma dicendi.

g vers. 7.

A *Versus* 25.] Barnabas autem & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus.

AB *Ierosolymis*.] Syrus addit Antiochiam: & quidam etiam codices id habebant, vt notat Arias Montanus, & in suo notat Testamento nouo Græco Robertus Stephanus.

Reuertitur verò Auctor ad Saulum, & Barnabam, quos priore capite scripserat Antiochia venisse Ierosolymam, vt fratribus ibi agentibus, Antiochensium fratrum eleemosynam deferrent, ob famem, quam Agabus futuram prædixerat [h].
B Quamuis autem hæc reuersio contigisse videatur eodem anno, quo & profectio, hoc est, CHRISTI quadragesimoquarto, & Claudij secundo, iuxta communiorem supputationem, ac statim secuta esse, quæ capite sequenti narrãtur de vtriusque segregatione, & ordinatione: tamen quoniam eodem isto anno, quo contigerant, narratio de Iacobi cæde, & vinculis Petri instituta est, voluit Lucas Herodis funestum interitum, vt quæ spectabant ad eum, semel expediret, constarétque quàm iustè ita periisset impius & persecutor fidelium, commemorare, etiamsi in CHRISTI annum quadragesimumsextum, & quartum Claudij
C coinciderit, secundùm Chronologiam Iosephi, & aliorum, vt liquet etiam ex dictis. Infert hinc Salmeron Paulum cum Barnaba Ierosolymis, ac in domo quidem matris Ioannis Marci, mansisse, quo tempore Iacobus cæsus est, & coniectus in carcerem Petrus. Rectè quoque corrigit codices, in quibus est, *Paulus*, pro, *Saulus*, vel, *reuersi sunt Ierosolymam*, pro, *ab Ierosolymis*.

h Act. 11. 28.

Assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus.] De hoc satis multa superiùs hoc ipso capite [i].

i vers. 12.





CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

SVMMARIVM.

Savlvs ac Barnabas Antiochiæ Syriæ Spiritvs *sancti instinctu, & impositis manibus dimittuntur ad Gentes : In Cypro Saulus Proconsulem Sergium Paulum* Christo *aggregat, Magum Elymam, qui impediebat, cæcitate percutiens: Antiochiæ Pisidiæ ambo multos conuertunt, sed cùm Iudæi blasphemarent, & concitarent seditionem, iis dimissis properarunt ad Gentes. Habuit autem ibi Paulus longum, & pereruditum sermonem, quem recitat Lucas.*

1 ERant autem in Ec-
clesia, quæ erat An-
tiochiæ, Prophetæ,
& Doctores, in qui-
bus Barnabas, & Si-
mon, qui vocabatur
Niger, & Lucius Cy-
renensis, & Manahen, qui erat Herodis
Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.
2 Ministrantibus autem illis Domino, &
ieiunantibus, dixit illis Spiritvs sanctus;
Segregate mihi Saulum, & Barnabam in
opus, ad quod assumpsi eos.
3 Tunc ieiunantes, & orantes, imponen-
tésque eis manus, dimiserunt illos,
4 Et ipsi quidem missi à Spiritv sancto
abierunt Seleuciam, & inde nauigaue-
runt Cyprum:
5 Et cùm venissent Salaminam, prædi-
cabant verbum Dei in Synagogis Iudæo-
rum. Habebant autem & Ioannem in mi-
nisterio.
6 Et cùm perambulassent vniuersam in-
sulam vsque Paphum, inuenerunt quen-
dam virum magum pseudoprophetam,
Iudæum, cui nomen erat Bar-jesu,
7 Qui erat cum Proconsule Sergio Pau-
lo viro prudente. Hic, accersitis Barna-
ba, & Saulo, desiderabat audire verbum
Dei.
8 Resistebat autem illis Elymas magus
(sic enim interpretatur nomen eius) quæ-
rens auertere Proconsulem à fide.
9 Saulus autem, qui & Paulus, reple-
A tus Spiritv sancto, intuens in eum,
10 Dixit: O plene omni dolo, & omni
fallacia, fili diaboli, inimice omnis iu-
stitiæ, non desinis subuertere vias Do-
mini rectas!
11 Et nunc ecce manus Domini super te,
& eris cæcus, non videns Solem vsque
ad tempus. Et confestim cecidit in eum
caligo & tenebræ, & circuiens quærebat
qui ei manum daret.
12 Tunc Proconsul cùm vidisset factum,
credidit admirans super doctrina Do-
B mini.
13 Et cùm à Papho nauigassent Paulus,
& qui cum eo erant, venerunt Pergen
Pamphyliæ. Ioannes autem discedens ab
eis, reuersus est Ierosolymam.
14 Illi verò pertranseuntes Pergen, vene-
runt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi Syna-
gogam die Sabbatorum, sederunt.
15 Post lectionem autem legis, & Pro-
phetarum, miserunt principes Synagogæ
ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est
in vobis sermo exhortationis ad plebem,
C dicite.
16 Surgens autem Paulus, & manu silen-
tium indicens, ait: Viri Israëlitæ, & qui ti-
metis Devm, audite.
17 Devs plebis Israël elegit patres no-
stros, & plebem exaltauit cùm essent in-
colæ in terra Ægypti, & in brachio excel-
so eduxit eos ex ea.
18 Et per quadraginta annorum tempus
mores eorum sustinuit in deserto.

19 Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum,
20 Quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & post hæc dedit iudices, vsque ad Samuel Prophetam.
21 Et exinde postulauerunt regem: & dedit illis Devs Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta.
22 Et amoto illo, suscitauit illis Dauid Regem: qui testimonium perhibens, dixit: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.
23 Huius Devs ex semine secundùm promissionem eduxit Israël Saluatorem Iesvm,
24 Prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius Baptismum pœnitentiæ omni populo Israël.
25 Cùm impleret autem Ioannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego, sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere.
26 Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Devm, vobis verbum salutis huius missum est.
27 Qui enim habitabant Ierusalem, & principes eius hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt,
28 Et nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum.
29 Cúmque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.
30 Devs verò suscitauit eum à mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his,
31 Qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem: qui vsque nunc sunt testes eius ad plebem.
32 Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est:
33 Quoniam hanc Devs adimpleuit filiis nostris resuscitans Iesvm: sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodiè genui te.
34 Quòd autem suscitauit eum à mortuis, ampliùs iam non reuersurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia.
35 Ideóque & aliàs dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.
36 Dauid enim in sua generatione cùm administrasset, voluntati Dei dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem.

A 37 Quem verò Devs suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem.
38 Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari,
39 In hoc omnis, qui credit, iustificatur.
40 Videte ergo ne superueniat vobis quod dictum est in Prophetis:
41 Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini: quia opus operor
B ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarrauerit vobis.
42 Exeuntibus autem illis rogabant, vt sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc.
43 Cúmque dimissa esset Synagoga, secuti sunt multi Iudæorum, & colentium aduenarum, Paulum, & Barnabam: qui loquentes suadebant eis vt permanerent in gratia Dei.
44 Sequenti verò sabbato penè vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Dei.
C 45 Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.
46 Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.
47 Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ.
D 48 Audientes autem Gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.
49 Disseminabatur autem verbum Domini per vniuersam regionem.
50 Iudæi autem concitauerunt mulieres religiosas, & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis.
51 At illi excusso puluere pedum in eos,
E venerunt Iconium.
52 Discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritv sancto.

Vers.1.] Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.



A

RANT *autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ.*] Syrię sine dubio, quò rectè dicebamus in fine capitis præcedentis reuersos ab Ierosolymis Saulum & Barnabam.

Prophetæ.] Quomodo à CHRISTO sit dictum, cum lege Prophetas vsque ad Ioannem fuisse, cùm nouo Testamento suo non desint Prophetæ, docui capite secundo [a]; & fortasse Prophetæ nunc dicuntur ij, qui exponebant sacras Scripturas, vt aliàs docuimus.

a vers. 17.

Prophetæ hic qui dicantur, & Doctores.

Doctores.] *Qui sacram Scripturam exponebant*, inquit Lyranus, per dona sapientiæ, & scientiæ, & interpretationis sermonum, sed nimirum adhibito studio proprio, ita vt SPIRITVS sancti gratia magis emineret in Prophetis. Distinguit Paulus [b] Doctores à Prophetis, & Euangelistis, & Apostolis, ita tamen vt eosdem velit esse Doctores, qui sunt Pastores; & Euangelistas, vel illos intelligit, qui scripserunt Euangelia, vel qui per occasionem tantùm docebant, non circumeundo more Apostolorum: Doctores, siue Pastores, qui circa vnum duntaxat locum, tanquàm Episcopi, occupabātur. Sic quidem Græci Apostolum interpretantur. Longè verò aliter quidam Latinorum, vt Ambrosius, qui Doctores, siue, vt ipse vocat, *magistros*, vult esse exorcistas, vel qui lectionibus imbuti infantes imbuerent. Sed non quicunque Doctores, iidem Pastores, vt vice versa. Latiùs etiam extenditur nomen Doctorum, qui in nouo Testamento successisse videntur legis Doctoribus, seu Scribis Iudæorum.

B

b 1. Cor. 12. 28. Ephes. 4. 11.

His Theologi dant certam aureolam vel laureolam. Qui tamen in Ecclesia Sancti, maximè fuêre doctrina insignes, his illa Doctorum nomen attribuit, tam Græcis, quàm Latinis. Lege Bullas Pij V. & Sixti V. quibus declarant sanctos Thomam Aquinatem & Bonauenturam Doctores Ecclesiæ, atque Decretalem Bonifacij VIII. [c] in qua præcipit duplici officio celebrari quatuor Ecclesię Doctores, Gregorium, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum; indicans iam ex recepta consuetudine hoc anteà titulo in Ecclesia notatos fuisse. Egi nonnihil cap. 5. [d] de dignitate siue titulo Doctoris vel Magistri. Meminit dignitatis magisterij apud Cassiodorum [e] Theodoricus, quam conferebat ipse literati dogmatis opinione fulgentibus, vt gererent nomine, quam possidebant meritis dignitatē. Turrianus [f] arbitratur nomine Prophetarū intelligi hoc loco Episcopos; per Doctores, presbyteros; in presbyterorum namq; ordinatione oratio quę recitatur, sic eos vocat: Episcopos verò Dionysius [g] ita esse *diuinorū iudiciorū denūciatores, quia nihil agere debent hierarchicum; nisi vt à* DEO *acti*, & à Clemente [h] vocantur *Prophetæ laicorum*: & oratio Episcopi consecratoria dicitur *Prophetia* [i]. Hæc mihi sunt incerta: hìc autem non minùs de Barnaba, & Saulo, quàm de aliis, qui nominantur, Prophetarum, vt & Doctorum, vox dici potest; &, vt paulò antè dicebam, Prophetarum nomine forsan intelliguntur explanatores, Scripturarum synonymo ferè nomine cum Doctoribus.

Ecclesia quibus Doctorum nomen attribuat.

c de reliq. & venerat. Sancto. in 6.

d vers. 14.

e lib. 1. varia. epist. 11. & li. 3. epist. 12.

f 1. de hierarc. ordine.

g ca. 6. Eccl. hierar.

h 2. Consti. i 1. Tim. 4. 14.

Simon, qui vocabatur Niger.] Aut à colore, si nomen Latinum est, aut *ascendens*, siue *consurgens*, & *eleuans*, inquit Glossa ordinaria, & interlinearis, si est Hebræum. Malim dicamus Latinum, vt olim dixi de nomine Iusti; & impositionem esse à colore, sicut apud Romanos Flauorum, seu Flauiorum, Albiorum, seu Albinorum, &c. De hoc Simone nihil aliud extat.

Lucius Cyrenensis.] Cyrenensem Episcopum asserunt Martyrologia Adonis, Vsuardi, Bedæ, atque aliorum, necnon Petrus de Natalibus [k], qui recitat ex Hieronymi Martyrologio, prædicationis officio fidelissimè peracto, sanctitate, & doctrina cōspicuum quieuisse in pace pridie Nonas Maij. Ea die Romanum Martyrologium habet hoc de illo duntaxat: *Cyrenæ sancti Lucij Episcopi, quem in Actibus Apostolorum sanctus Lucas commemorat.* Inde coniicitur diuersum esse ab eo Lucio, cuius Paulus meminit in epistola ad Romanos [l], multóque magis, si, quod Origenes de quorundam ibi sententia refert, idem ille est cum nostro Luca.

Lucius hic quis fuerit.

k li. 4. c. 136.

l c. 16. 21.

Manahen.] Syrus, *Manail.* Relatus est hic inter Sanctos, sicque de ipso Romanum Martyrologium 24. Maij: *Antiochiæ sancti Manahē Herodis Tetrarchæ collactanei Doctoris, & Prophetæ* (videtur velle Doctores, & Prophetas simul fuisse, qui hoc loco recensentur à Luca, poterant autem iidem vtroque munere præditi esse) *sub gratia noui Testamenti in eadem vrbe quiescentis.* Huius nominis Iosephus [m] nominat Galilæorum sectæ auctoris filium interfectorem Ananiæ pontificis, & Ezechiæ germani eius, qui & ipse, cùm tanquàm mali scelere insigniter nobilitatus, regali habitu incederet, à duce factionis, quam secutus erat, Eleazaro interemptus est.

Manahen hic quis fit.

C

m 2. de bel. Iud. ca. 18.

Herodis Tetrarchæ.] qui dictus est Antipas, Ioannis Baptistæ occisor [n], CHRISTI irrisor [o].

n Matth. 14. 10. 11.

o Luc 23. 11.

Collactaneus.] συντροφος. Syrus, *Filius educationis.* Caietanus exponit, simul educatum, non enim significari communicationem lactis, sed communionem educationis, qua à pueritia filiis Regum adiunguntur pueri simul educandi. Fauet Oecumenius. Sanè quidem sicut propriè consanguineos, & Græcè ὁμαίμους, appellamus fratres eodem patre genitos, quasi eiusdem sanguinis, ita & Latina voce collactaneos illos tantùm, qui lacte pascantur eodem, iisdémque mammis nutriantur, qui Græco nomine vocantur ὁμογάλακτοι, aut ὁμογάλακτες. Vulgata nobis editio tuenda, cui nihil obest dictio συντροφος, significans quomodolibet conuictorem, & eâdem alimonia vtentem, sicut & τὸ σύντροφον, aut συντροφία, idem est quod συζητία.

Per collactaneū quid intelligatur.

D

Opportunè monet Oecumenius, quòd mores vnumquemque saluant, non verò educatio à pueris: *Manahē enim educatus, inquit, cū tali viro, Prophetia dignus habitus est.* Quippe, vt ait Aristoteles [p], μέγα πρὸς φιλίαν, καὶ τὸ σύντροφον, καὶ τὸ καθ' ἡλικίαν: *Ad amicitiam conciliandam multùm confert & educationis communitas, & ætatis competentia.*

Mores vnumquemque saluant, non vero educatio à pueris.

p 8. Ethico.

E

Hinc porrò sequitur, non lacte nutritum materno Herodem, quia illo quo Manahen. Est lac matris, alimoniæ in primis accommodum, longèque salubrius, vt Galenus [q] tradit, & Plinius [r], & Columella [s], quamuis loquatur de canibus & suibus. Sanguine enim intra vterum fœtus alitur, lac autem ex sanguine per modicam in vberibus demutationem concinnatur. In Codice [t] iubetur mater lactare filium, si possit: nimirum ob exiguitatem lactis minimè sufficiens excusatur à Platone [u]. Eximunt Iurisperiti nobilem mulierem, quos citat Tiraquellus [x], etsi eam non dedeceat. Non video cur sit dedecori lactare filium,

Matris lacte fœtus alendus, & quare.

q lib. 1. de sanita. tuenda.

r lib. 28. c. 9.

s lib. 7. c. 8. & 12.

t l. nec filium de patria potest.

u 5. Polit.

x Tract. de Nobilita. cap. 20. nu. 78. & seq.

quem

quem ex propriis visceribus mater effuderit, ac ipsos menses nouem intra penitissimos vteri recessus sanguine aluerit. Hoc Hecuba fecit mater Hectoris; hoc Thessalonice Antipatri Macedonis; hoc Penelope Telemachi; hoc Honorij Imperatoris mater [a]; hoc, vt nostris vtamur exemplis, Anna Samuelis [b]; Sara Isaac [c]; quod Ambrosius [d] laudat, & ab omnibus matribus fieri debere vehementer inculcat: hanc enim eorum esse gratiã, hunc honorem, quo se propriis commendent viris; sic plus amare liberos. Gregorius [e] ait contrariam consuetudinem ex incontinentia natam: Chrysostomus [f] ex superbia. Augustinus [g] idem carpit. Vrget Plutarchus [h] eam rationem, quæ vltima erat Ambrosij, ac vicissim plus etiam amari matres à filiis, eò quòd cibi sodalitium beneuolentiæ sit incrementum: proptereà quoque prouidè parientibus lac suppeditasse, ac duplices quidem mammas, si gemellos parere contingat. Ait prætereà opusc. de amore prolis, quòd sola lactis confectio ac dispensatio sufficit ad demonstrãdam naturæ prouidentiam, atque industriam, nimirum quia pariendi & alendi finis est non necessitas, sed amor. Negabat Phauorinus [i], *integram matrem esse, quæ lac filio negaret*, affirmabatque *parum abesse ab ea, quæ fœtus aborsum procuret: ingenitam item morum nobilitatem, quæ pendet à lacte adulterari, iuxta Homerum* [k], *& Virgilium* [l], quibus addit Tiraquellus [m] Ouidium [n], Valerium Flaccum [o], Theocritum [p], & alios. Phauorini sententiam ab se de illo ipso auditam, perelegantem sanè, & grauem, recitat Gellius [q], ex quo, vt sæpe alias, transcripsit Macrobius [r], necnon Erasmus [s]. Romani iampridem, vt Tacitus [t] memorat, filium ex casta parente natum, non in cella emptæ nutricis, sed in gremio, ac sinu matris educabant. Eodem nomine laudat idem Germanos [u].

Ceterùm cùm nullus hîc ex Apostolis recenseatur, non est credendum hoc tempore ibi Petrum fuisse, quamuis post vincula, vt vidimus, relicta Ierusalem, varias peragrans prouincias, Romam vsque peruenerit. Quocirca non est hac in re Arator [x] audiendus in hunc modum canens:

SPIRITVS accensam verbo radiante lucernam
Sub modio [y] lucere vetans, secernite Saulum
Dixit in oris opus; quem mox sacrauit euntem
Imposita Petrus ille manu, cui sermo Magistri
Omnia posse dedit. —

Glossa Decreti [z] docet Paulo Petrum dedisse licentiam prædicandi auctoritate Domini, dum dicit: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Leo quoque IX. [a] ibi asserit Petrum fuisse, & huic operi præfuisse. Oecumenius disertè tradit, à Lucio, & Manahen impositas manus, quæ impositio consecratoriáne fuerit, an tantùm deprecatoria, statim expendetur.

Vers. 2.] Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis SPIRITVS sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.

MINISTRANTIBVS *autẽ illis Domino*]. Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ ΚΥΡΙΩ, καὶ νηστευόντων. Syriacè: *Cùmque ipsi ieiunarent, & precesauspicarentur* DEO. Lyranus exponit, *Ministrantibus in bonis operibus.* Oecumenius, κηρυττόντων, id est, *prædicãtibus.* Caietanus hunc Oecumenij sensum inde cõfirmat, quòd priùs mentio nominatim facta est de Prophetis, & Doctoribus. Fauet quoque quod Paulus [b] appellat se λειτουργὸν ἸΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ εἰς τὰ ἔθνη, ἱερουργοῦντα τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ ΘΕΟΥ, hoc est, vt Interpres noster vertit, *ministrum* CHRISTI IESV *in Gentibus, sanctificantem Euangelium* DEI, & Syrus posteriorem dictionem interpretatur per verbum inseruiendi. Vocat prætereà idem Apostolus [c] ciuiles Magistratus λειτουργοὺς ΘΕΟΥ, necnon & διακόνους [d], & Epaphroditum ministrum necessitatis suæ [e]; & eleemosynarum deportationem, siue distributionem, aut, vt editio Latina habet, ministeriũ officij, διακονίαν τῆς λειτουργίας [f], & obsequiũ sibi ab alio exhibitũ [g], & ANGELOS λειτουργικὰ πνεύματα [h]. Arias Montanus explicat hoc modo præsentẽ locum; *Cùm quadã die ministerium suum exercerent prophetandi, & docendi, & in dicto ieiunio vacarent orationi, & precibus, commendantes* DEO *Ecclesiæ amplificationem.* Ambrosius [i] citans hoc testimonium, simpliciter ponit *deseruientibus.* Sed & ratio suadet, quoniam nihil aliud fecisse videntur Prophetæ illi, ac Doctores Antiochenses, nisi dimittere liberos ab aliis negotiis Saulum, ac Barnabam, vt obirent munus, ad quod iam electi erant à DEO: immò Paulus negat se ab hominibus, aut per homines missum [k]: signum igitur est, non fuisse sacram ordinationem, ac proinde nec opus fuisse Liturgia, quæ esset sacrificium.

Verùm enimverò Catholici passim aliter sentiunt aduersùs Sacramentarios, & contra Lutheranos, vt Brentium hoc loco, & confessionem Augustanam, qui negant Missæ sacrificium, & aduersùs Caluinum, & Bezam in Commentariis, sermonem hic esse de vero sacrificio. Legẽdi potissimùm Bellarminus [l], Enriquez [m], Suarez [n], Aiala [o], Bozius [p], Ioannes Stephanus Durãtus [q], Baronius [r], Stapletonus [s], Petrus Cotonus noster [t], & Andreas Richlitius [u]. Commune argumentum est, quoniam licèt dictum verbum Græcum vsurpetur pro quouis ministerio, dummodò sit publicum, vt fatetur Augustanæ confessionis Apologia, quasi dicas λήϊτον ἔργον, prout deducit Suidas, patétque ex Synesio, aliísque profanis Auctoribus, præter allatos Pauli locos, & concedit Auctor Thesauri Græci, quamuis Hæreticus, volens ita hîc sumi, & non pro sacrificio: tamen ex adiunctis iudicandum est ita, vt contendunt Catholici, accipi. Itaque cùm dicitur, *Ministrantibus illis Domino*, significatur ministerium publicum propriè exhibitum ipsi; ad quod non sufficit, si in honorem eius fiat; hoc námque pacto dicere debuisset Lucas, *Ieiunantibus, & orantibus Domino*, sicut Apostolus ait [x]: *Qui manducat, Domino manducat.* Verbi ergo, seu prædicationis, aut etiam sacramentorum ministerium, etiamsi sit publicum, populo propriè fit, non Domino; ideóque τὸ λειτουργούντων, pertinet ad sacrificantes: cùm præsertim soleat, quando absolutè reperitur, vel accommodatur ad sacra, semper sumi pro ministerio sacrificij, vt in Auctoris Euangelio [y], & epistola ad Hebræos [z], & ad Philippenses [a], vbi pro θυσία, & λειτουργία, in nostra editione est *sacrificium*, & *obsequium*, quam vltimam dictionem Interpres ponere etiam solet pro λατρεία [b].

Eodem sensu certum est λειτουργίαν à Patribus Græcis nominari, quam nos Missam appellamus, vt videre est apud Georgium Cassandrum [c],

Marginalia: Claud. Panegy. 4. de Honorij Cõsul. — 1. Reg. 1. 23. — Gen. 21. 7. — li. de Abraham. cap. 7. — Hexam. c. — ep. 82. — ca. ad eius. — 8. 5. — Hom. 1. in — al. 50. — in Psal. 49. — opusc. de — ican. libe- — ud Gel. 2. cap. 1. — id 16. — neid. 4. — ipsã. — Metam. — lium, e- — 2. & in — gonaut. — 3. — 12. c. 1. — cap. 11. — Collo- — Eutra- — & Fa- — e clatonib. — erma. — atm. — 5. 15. — dedu — ttam — i. — quis — dist. — 17. — b Rom. 15. 16. — c Rom. 13. 6. — d ibidem 4. — e Phil. 2. 25. — f 2. Cor. 9. 12 — g Phil. 2. 30. — h Heb. 1. 14. — i Tract. de Spir. sancto. — k Gal. 1. 1. — De Missæ sacrificio intelligitur — l lib. 1. de Missa cap. 13. — m li. de Missæ sacrif. c. 10. — n Tom. 3. in 3. par. Disp. 74. sect. 1. — o de traditio. 3. p. consid. 5. — p 11. de notis Eccl. c. 3. — q 2. de ritib. Eccl. ca. 1. — r Tom. 1. Annal. — s Antido. huius loci. — t In discursu Gallico de S. Euchar. — u in Paulo p. 3. n. 11. & seq — x Rom. 14. 6 — y cap. 1. 23. — z cap. 2. 9. 21. & 10. 11. — a cap. 2. 17. — b Ioan. 16. 2. Rom. 9. 4. ca. 12. 1. — Quo Liturgia nomine appelletur. — c in Liturgia.

A & Iacobum Pamelium [a], qui Liturgias recitant Iacobi Apostoli, Basilij, Chrysostomi, &c. Denique Suidas scribit, quòd λειτουργία κυρίως μὲν ἱερατικὴ, καταχρηστικῶς δὲ δουλικὴ, *Liturgia propriè quidem est sacra, abusiuè autem seruilis.* Valeret coniectura Stapletoni ex ieiunio, quod hîc adiungitur, quia Christianorum sacrificio præmittitur ieiunium naturale, nisi & de magis stricto ieiunio potiùs innueretur, & Lucas post ministerium posuisset ieiunium.

a in Liturgicis.

Melior illa, quòd SPIRITVS sanctus dixit ministrantibus, vt segregarent Saulum, & Barnabam: non fiunt autem sic apparitiones, & reuelationes intentis ad prædicandum, & audiendum. Ex Græcis Metaphrastes [b] adstipulatur isti sententiæ circa intelligentiam loci præsentis: ait enim, *Domino sacrum obeuntes ministerium, & ieiunantes*, &c. Denique, quod Bezam malè habet, Erasmus, quem solent hæretici habere in pretio, λειτουργούντων interpretatus est *sacrificantibus*. Sed & Henricus Stephanus fretus Budæo, vt solet in plerisque, fatetur in Historia Ecclesiastica λειτουργεῖν solere accipi pro fungi sacerdotali munere; ac plurimos dixisse Cœnam Dominicam λειτουργίαν, concedit, sicut & Græcos ἱερουργίαν, citátque Hesychium exponentem voces λειτοάρχαι, vel λιτοάρχαι, quæ significát eos qui præerant sacris. Fauet Gallorum omnium tritus loquendi modus, quo vocant ministerium, quod obitur circa cultum DEI, *le seruice Diuin*, vel, *le sainct seruice*. Prætereà Syriacum participium, quod hoc habetur loco, מתכשפין *methchaschpin*, significare tantùm solet, vt Boderius [c] docet, *exercentes actionem, qua vel sacrificent, vel preces concipiant.* Hunc ipsum locum, & alios nonnullos pro sacrificio retulit in Symphoniam siue Concordantias suas Græcas noui Testamenti Xystus Betuleius, licèt hæreticus. Neque refert quòd noster Interpres non hîc ita etiam verterit, cùm & citatis Euangelij Lucæ [d], & epistolæ ad Hebræos [e] locis, in quibus proculdubiò agitur de sacrificio, posuerit nomen officij, vel ministerij, atque ministrationis, aut verbum seruiendi.

b de Petro, & Paulo, apud Sur. 29. Iunij.

c in Lexi. Syrochal.

d cap. 1.
e ca. 9. & cap. 10.

Inanis etiam Caluini [f] cauillus, cùm λειτουργούντων sit numeri pluralis, fieri Missas à singulis esse celebratas. Nam si, quod minimè verum, aut præsenti conueniens loco est, intelligat de omnibus Christianis, omnes non vt sacerdotes, aut sacerdotum celebrant instar, sed suo quiuis concurrit modo cum sacrificante sacerdote. Si de priùs commemoratis Prophetis atque Doctoribus, quoniam inter illos erant Saulus ac Barnabas, & quod sequitur ἐπιθέντες τὰς χεῖρας, numero quoque dicitur multitudinis, consequens erit eosdem ipsos sibi ipsis manus imposuisse. Si tandem de iis qui iam erant sacerdotes; verum est sacrificasse, &, si Episcopi erant, manus etiam imposuisse. Quanquàm id solos fecisse Lucium, & Manahem, quorundam opinionem esse videbimus, simúlque Saulo & Barnabæ, quid contulerint, manus iis imponendo. Si enim fuit ordo sacer, confirmatur opinio nostra, solet enim ordo in Missa conferri, teste Dionysio [g], & fuit dies tunc Dominica, vt ait Leo [h], qua maximè die Missæ celebratur sacrificium. Mitto suspicionem, quæ suboriri cuipiam posset, sacrificium tunc vsurpatum, sed non Missæ: Christianos enim aut Gentilium, aut Iudæorum etiam ritu, qui & Ierosolymis duntaxat sacrificare poterant, non erit alicuius homo iudicij, qui sacrificasse suspicetur: inter Christianos autem nullus sacrificandi modus præterquàm Missæ fingi potest: sacrificium laudum & precum haud propriè dicitur.

Caluini cauillus irritus & inanis redditur.
f apud Marlorat. in Cate. Actuum 13.

g Eccl. Hier. p. 1. c. 2.
h dist. 75. cap. quòd die.

Porrò contraria expositio de Liturgia non est ita reiicienda, vt omni penitus probabilitate carere censeatur, nec nostram adeò certam putamus, vt ea tanquàm necessario argumento, tametsi valdè probabili, Hæreticos arbitremur conuinci: qua in re placet Bellarmini [i] iudicium, & ingenuitas. Fauet Catholicorũ communiori sententiæ vtcunque, quod Vitruuius [k] opera vocat quæcunque officia sacerdotis in æde sacra.

i 1. de Missa c. 15.
k lib. 3. c. 1. *Ieiunium hoc quale, & die Dominica.*

B *Ieiunantibus.*] Ieiunium celebrabatur non naturale tantùm propter altaris sacrificium, sed magis arctum, quódque absolutè positum pro Ecclesiastico intelligitur. Digreditur Chrysostomus in laudes ieiunij: sed nos de hoc diligenter egimus alio loco [l]. *Quando ordinatio erat*, inquit ille, *tunc ieiunant*. Incidit, vt tunc ieiunarent, non ideò ieiunarunt fortassis, vt ordinarent, si tamen propriè ordinarunt, de quo posteà. Vnde non ex hoc facto præcisè manauit consuetudo, vt ordines non conferantur solemniter, nisi ieiunio indicto, quod vocant quatuor Temporum. Hac de re denuò capite sequenti. Nec officit ieiunio Dominica dies, tum quia nonnisi multò pòst constat propter hæreses inhibitum eius diei commune ieiunium: tum quia referri posset ieiunij nomen ad præcedentem diem, quod nondum solutum erat (licèt solui potuisset) hora fortassis adhuc tertia, qua solemnis celebrari solebat Missa, & qua non solent etiam qui non ieiunant cibum gustare, vt cap. 2. [m] docuimus. Porrò ieiunij vsurpatio non pertinet eò solùm, vt aptior quis reddatur ad preces, aliúmve DEI cultum, sicut garriunt Hæretici, sed pars est nonnulla diuini cultus, atque ieiunio placari, honorari, coli DEVS potest, eique satisfieri: quo pacto, vt alia prætercam argumenta, de Anna vidua cum laude scribitur [n], *quod erat ieiuniis & obsecrationibus seruiens*, λατρεύουσα, *nocte ac die*. Lege Bellarminum [o].

l in Euangelium de ieiunio CHRISTI. Mat. 4. 1.

C

m vers. 15.

n Luc. 2. 37.

o lib. 2. de bonis oper. c. 11. 12. 13
Spiritus sanctus quo pacto vsus dicatur.

D *Dixit* SPIRITVS *sanctus.*] Vtrùm verbo mentali, vel sensibili, vel vtroque, non constat. Cùm ad Prophetas, de quibus præcessit mentio, sermo directus sit, vt etiam notat Chrysostomus, & Glossa interl. probabile est, reuelationem factam esse: quod Lyranus reprehendit sine causa. Nil vetat sensibili quoque verbo vsum SPIRITVM sãctum, fauétque τὸ εἶπε. Quanquàm non omnis DEI locutio, etiam quæ ad hominem fieri dicitur, vocalis est: habet enim & mens aures [p], & Veritas incommutabilis, ait Augustinus [q], *aliquando per seipsam loquitur ineffabiliter rationalis creaturæ mentibus.*

p Psal. 84. 9. Hab. 2. 1.
q 16. de Ciuit. c. 6.

E Nihil, opinor, aspectabile hîc fuit: sola vox seu potiùs sonus communiter ab omnibus auditus est, DEVM, qui SPIRITVS sanctus per attributionem vocatur, propter ordinem gubernationis Ecclesiæ, loquentem exhibens, tametsi formaretur forsan immediatè pro aliarum huiusmodi locutionum more, ab Angelo, vt docet S. Gregorius [r], dicens *cùm* DEVS *per semetipsum loquitur, solam vim internæ inspirationis aperire: aliàs per angelicam creaturam eius ad nos verba formari*: idémque innuit citatus nuperrimè Augustinus, & nos alibi ostendimus [s], de voce PATRIS super CHRISTVM in Baptismo [t], & Transfiguratione [u], & tertiò sub tempus passionis ipsius [x]. Cur Angeli cùm loquerentur tanquàm DEI

r 28. Moral. c. 2. vsque ad 7.

s in Histor. Transfigur.
t Matt. 3. 17.
u Matt. 17. 5.
x Ioan. 12. 28.

ministri

ministri non dicerent se nomine DEI missos, sed agerent perinde ac si DEVS ipse esset, qui sermonem haberet, rationes assignat quinque Abulensis [a] veras, & appositas.

17. q.

Segregate mihi Saulum, ac Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.] Hoc opus est Apostolatus, vt rectè Glossa interlinearis exposuit, siue muneris prædicandi inter Gentes indefinitè. Hinc est quòd ipsemet Paulus vocat se *segregatum in Euangelium* DEI [b], *doctorem, prædicatorem, Apostolum, magistrum Gentium* [c], *in quo* DEVS *operatus sit per Apostolatum inter Gentes* [d]: quod priùs etiam & de ipso prædixerat CHRISTVS Ananiæ [e], & hic ipsimet significauerat [f].

quod | .1.1. | n. 2. 7. | .1.11. | .8. | .15. | 22. 14.

Eandem ob causam cùm absque addito auditur nomen Apostoli, omnes intelligunt Paulum, non solùm quia plura scripsit, & visus est doctior quàm alij, ferè autem ita loquimur cùm citamus scripta eius, sed quoniã, quod Apostoli proprium est, Fidem pluribus in locis plantauit ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum [g]: immò, vt ait Hieronymus [h], *à Mari Rubro vsque ad Oceanum per totum ferè orbem, deficiente prius eum terra, quàm studio prædicandi, & plus omnibus laborauit* [i]. Augustinus [k] causas has dicti nominis Paulo attributi reddit.

Apostoli Pau. ... | .15. 19. | 19.5. A- | .15.10. | ad Bo- | 19.6.3.

Consule prætereà Abulensem [l] afferentem discrimen triplex in Apostolatu Pauli ac Barnabæ, & aliorum duodecim: quia illi immediatè à DEO de cœlo electi, quia veluti seiuncti ab aliorum collegio, quia nulli certæ prouinciæ destinati. Quo fit, vt segregatio nunc facta non contulerit Apostolatũ, cùm se Paulus ab hominibus, aut per hominem missum neget, sed fuerit externa deputatio DEI, eiusdem auctoritate facta, vt maiore ipsi apud alios auctoritate prædicarent. Apostoli nomen Barnabæ etiam tribuitur inferiùs [m]: nec minùs hic, quàm Paulus [n], potuit se abortiuum appellare, si ea voce ille significatur, qui supra constitutum numerum asciscitur, quo pacto Suetonius [o] vocauit abortiuos Senatores, qui per gratiam in Senatum adlegebantur præter ordinarios. Non fauet apud Paulum dictio ἔκτρωμα, & Paulus dum ita loquitur, seipsum deprimit: vt minimum ac indignum nomine Apostoli. Sed iam aliàs [p] hac de re.

... in | ... Pau | ... Ptole- | ...thæi. | ...a cap. | 4.4. | 15.8. | ...uio.

Porrò cùm se Paulus [q] vocat segregatum, Chrysostomus quidem intelligit de electione in eximium quoddam vas per singulare iudicium DEI, & vt Origenes quoque per æternam dicit eius prouidentiam, Irenæus [r] legit prædestinatum ex vtero matris, vt idem Apostolus alibi [s] dicit: Lombardus ex vtero Synagogæ, in qua Doctoris munere, tanquàm Pharisæus, fungebatur: Lyranus à Iudaismo: Ambrosius alludi vult ad munus quod anteà in lege exercebat, cùm esset Pharisæus, quod nomen Hebraicè significat segregatũ atque separatũ. Sed Hieronymus, Augustinus, Sedulius, Anselmus, & alij, à cœtu Condiscipulorum, prout hîc narratur. Theodoretus verò notat segregationem ex vtero factam à PATRE, à FILIO, vt esset vas electionis, istam denique à SPIRITV sancto. Voluit autem idem Paulus eo epitheto significare præcipuam functionem, ad quam electus, & missus est, fuisse vt euangelizaret, prout etiam expressit Corinthiis [t]. Tamen segregatio præsentis loci communis est Paulo cum Barnaba. Nec audiendi Sedulius & Origenes dicentes segregatum esse & dici Paulum, quia præuiderat DEVS in eo causas ac merita futura, cur segregari debuit. Non hoc de se ferret dici Paulus, solitus vocationem suam diuinæ gratiæ tot ac tam multis verbis cum omni modestia & exaggeratione deputare. Idem verò se vocatum vocat Apostolum [u], cùm se Petrus [x] nominet absque addito Apostolum, quia Paulus erat extra numerum duodecim, & nolebat videri ingessisse se, propriáve vsus auctoritate.

...se si- | ...mat. | 1. | 1.

u in epistolis.
x in epistolis.

Felix tunc Ecclesia, in qua missu immediato SPIRITVS sancti dabantur prædicatores, & pastores, vt colligitur quoque ex his, quæ de Timotheo scribit Paulus [y], & in Historia Ecclesiastica suppetunt nonnulla exempla in Seuero Rauennate, in Ambrosio Mediolanensi, in Gregorio, & aliis. *Fit id nunc*, inquit Chrysostomus [z], *suo quodam modo, quoties ab humana passione alieni huiusmodi electiones celebramus, cùm nihil omninò seculare, nihil temporale intuentes, neque ad gratiam, neque ad odium facimus*: vel *cùm*, vt ait Bruno [a], *consecrandus consecratori præsentatus, de fide, & ceteris, vt habet ordo, requiritur, & interrogatur*.

Vocationes immediatæ in Ecclesia.
y 1. Tim. 1. 18.
z in 1. Tim. 1.
a in 1. Tim. 1.

Ad extremum verba SPIRITVS sancti, quibus præcipit *sibi*, non Domino, *fieri segregationem Sauli, ac Barnabæ, in opus, ad quod iam etiam ipse assumpserit eos*: demonstrãt diuinitatem illius, vt vidit, præter Chrysostomum hoc loco, & iterum in aliis [b], Didymus [c], Idacius, [d] Athanasius [e], Ambrosius [f], Cyrillus Alexandrinus [g], Cyrillus Ierosolymitanus [h], Basilius [i], Leontius [k], Cæsarius [l], Nazianzeni frater, Augustinus [m].

Assumpsi.] Προσκέκλημαι, *Accersij, in auxilium aduocaui*, aut per aliam aliquam reuelationem factam priuatim non tantùm Saulo, sed etiam Barnabæ, de qua, vt de illa, non ita constat: aut per decretum diuinum, quod modò exprimitur, & veluti confirmandum ab Ecclesia proponitur. Viderint ergo qua auctoritate faciant, qui suæ electionis ac missionis nullum edere signum valent, *currentes, cùm non sint missi* [n]. Pertinent hi ad genus Apostolorum, quos Hieronymus [o] ait *nec à* DEO, *nec ab hominibus, vel per hominem missos: alios enim per* IESVM CHRISTVM *seu* DEVM *duntaxat: aliquos à* DEO, *sed per homines: quosdam ab hominibus, non tamen à* DEO *missos esse*. Cum Paulo, & aliis Apostolis iungendi sunt antiquæ legis Prophetæ: ad tertium ordinẽ pertinent Iudas, & Silas [p], Timotheus, Titus, & quotquot Apostoli, eorúmve successores, ritè non ordinatum solùm, sed elegerunt: ad quartum, bene ordinati, & malè electi per ambitum, & fauorem humanum: sed ad primum pseudoprophetæ, atque pseudoapostoli; qui cùm sint ministri Satanæ, transfigurant se in Apostolos CHRISTI [q]. Magnum delectum, cautionemque necessariam in sacris electionibus, & ordinationibus esse, dudum iam capite sexto vidimus. Liquet id etiam, præter alios, ex Cypriano aliquot in epistolis [r].

b Hom. 74. in Ioan. & hom. 1. in Symbolum.
c li. 2. de SPIRITV sancto.
d con. Varimadum.
e de cõmuni essẽ. PATRIS, & FILII, & SPIRITVS sancti, & disputat. cõtra Ariũ, & de Profess. regulæ Catholicæ.
f Tractat. de SPIRITV sancto, Tom. 5.
g 13. Thesaur. cap. 2.
h Catech. 15.
i 5. cont. Euno.
k lib. de sectis.
l dialog. 1.
m quæstio. ex nouo Testam q. 97.
n Iere. 23. 21. Rom. 10. 15.
o in c. 1 ep. ad Galat.
p Act. 15. 27.
q 2. Cor. 11. 13.
r vt epist. 33. & 35.

Versus 3.] Tunc ieiunantes, & orantes, imponentésque eis manus, dimiserunt illos.

TVNC *ieiunantes, & orantes.*] Participia Græca sunt Aoristi temporis, quæ sic Syra interpretatio expressit: *Postquam igitur ieiunassent, ac preces auspicati fuissent, imposuerunt eis manus* (melius, *& imposuissent*) *&* *dimiserunt eos.*

Magnã & in istis verbis litem concitatã reperio, sintne de sacra ordinatione accipienda. Negantem

partem tuetur Caietanus, qui superiùs idipsum docuerat de manuum impositione super Diaconos[a]; neque enim esse consecratoriam, siue sacramentalem, sed adhibitam duntaxat ad firmandam veluti gratiam noui ministerij, sicut in illis Diaconis ad ministrandum mensis, ita in his duobus ad prædicandum. Arias Montanus quoque vocat *signum electionis, & cooptationis Ecclesiasticæ, & communicationem gratiæ, & auctoritatis*, nimirum publicè, ac veluti in facie Ecclesiæ. Suarez[b] affirmat eam impositionem manuum fuisse tantùm deprecantium, nec esse tunc Saulum, & Barnabam ordinatos vel Presbyteros, vel Episcopos. Consentire videtur Aloysius de Leon[c], & alij recentiores. Ratio princeps est, quia nihil aliud habetur hoc loco, quàm missos esse iussu SPIRITVS sancti ad opus prædicationis. Paulus iam à CHRISTO constitutus erat Apostolus, vt antè dixi, aitque[d] quòd *ceteri nihil sibi contulerunt*, videlicet iurisdictionis, & Apostolatus: cum Apostolatu verò Episcopatus connexus est, ita vt Apostolorum successores dicantur Episcopi: exercuerat iam vterque officium prædicationis: affirmat item de quodam Paulus[e], seu is fuerit Lucas, seu Apollo, seu Barnabas, ordinatum esse ab Ecclesiis comitem peregrinationis suæ, quam ordinationem nemo sacram dicit. Postremò Episcopalis ordo tantis viris collatus esset à Petro, quem solum à CHRISTO immediatè ordinatum, ceterorum Coapostolorum ordinatorem quidam[f] asserunt, vt sit verum, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum esse matrem, ac ab ea consecrationem, ac dignitatem accepisse: incertum est etiam an Simon, Lucius, ac Manahen essent Episcopi, hoc saltem tempore.

Longè vt communior, sic verosimilior est sententia, quę ait manuum præsentem impositionem spectare ad Ordinis Sacramentum. Chrysostomus clarè docet fuisse ordinatos, vt alios Interpretes omittam, & tunc Saulo mutatum nomen. Leo Papa I.[g] cùm scribit ad Dioscorum Alexandrinum, iniungit vt ordinationes sacræ non fiant nisi præcedentibus ieiuniis. *Nam*, inquit, *præter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat, quòd cùm Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto* SPIRITVS *sancti ad Euangelium mitterent Gentibus prædicandum, ieiunantes, & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus quanta & dantium, & accipientium* (qui scilicet ipsi vtrumque præstabant) *deuotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Vbi quod de Apostolis dicit, difficile est, tametsi prius Aratorem citauerimus id Petro adscribentem, & nonnulli, quos refert Lyranus, arbitrati sint, finito ieiunio ac oratione remissos in Ierusalem Saulum, Barnabámque, vt ordinarentur, ad Apostolos. Hoc sensit Magister Historiæ Scholasticæ, & Hugo non dissentit. Non cohæret cum historiæ contextu, vbi qui ieiunarunt, orauerúntque, iidem manus imposuisse narrantur. *Erant verò*, inquit Lyranus, *Antiochiæ aliqui Episcopi ab Apostolis ordinati.* Oecumenius asserit Lucium, & Manahem imposuisse manus: addidisset & Simonem, ob numerum ternarium Episcoporum, qui ad ordinationem Episcopi adhibetur, exemplo Iacobi minoris, quem ferunt consecratum Ierosolymitanum Episcopum à Petro, Iacobo maiorę, & Ioanne, quos postremos duos anteà seorsim ordinasset Petrus[h], non seruata ordinationis solemnitate, quæ nunc est, ídque ex priuilegio, vt notat Carthusianus, per aliquod tempus in primitiua Ecclesia.

a Act. 6. 6.

Manuum hæc impositio quo spectet.

b Tom. 3. in 3. p. Disp. 34. sect. 1.

c in c. 1. ep. ad Gal.

d Galat. 2. 6

e 2. Cor. 8. 19.

f Turrecremata in sum. de Eccl. par. 2. c. 42.

g ep. 81. aliàs 79.

Ieiunia præcedere debent ordinationes sacras.

Quot Episcopi requirantur in ordinatione Episcopi.

h Enriquez citat Auctores lib. de Ordin. sacramẽ. c. 1. & in particulari ita tenet Bellarm. lib. 1. de Roma. Pontif. c. 23.

Confirmatur porrò sententia hæc, quoniam vix alius aptior est locus, vnde probari queat Ordinis Sacramentum: cùm in epistolis ad Timotheum[i], & præsentis historiæ capite sexto[k] nil ampliùs afferatur quàm de oratione, & impositione manuum: & Ritualia omnia hinc petunt, vt ordinatio sacra sine sacrificio non fiat, quod celebratum paulò antè ostendimus, expendentes participium Græcum λειτουργούντων: nec tot erat opus cæremoniis ad declarandum ministerium prædicationis, ad quod in præsentia Saulus & Barnabas peculiariter destinarentur.

Fateor multiplicem esse impositionem manuum, nec omnem esse sacramentalem vel Confirmationis, vel Ordinis, vt etiam docui alibi[l]: sed hanc, quæ adhibebatur quoque initiandis in lege vetere[m] (immò & similali quadam imitatione apud Gentiles, vt prodit Liuius[n]) sacram esse intelligitur ex aliis circumstantiis, vt modò dixi. Vocant autem Græci Ordinem sacrum χειροτονίαν, & χειροθεσίαν, ex quibus obuia cuiuis erit dissolutio contrariorum argumentorum.

Nec mouere debet, si tanti viri ab inferioribus sint ordinati, Paulum enim etiam Ananias baptizauit[o]; & quamuis Apostolus iam esset, nondum tamen cõsecratus Presbyter, seu sacerdos, & Episcopus, quemadmodum diu antè alij Apostoli à CHRISTO nominati sunt, quàm essent etiam sacerdotes, quod consecuti duntaxat creduntur in suprema Cœna. Et sufficit ad Apostolatum ius prædicandi cum amplissima potestate delegata, qualis etiam in non Episcopis esse potest; ita vt nostri Episcopi non dicantur succedere Apostolis in Apostolatu (finitur enim legatio cum legato) sed in dignitate Episcopali.

Quòd vnum de Sacramentis nouæ legis sit Ordo, hactenus posui; qui probationes requirit, adeat Scholasticos, & tractatores controuersiarum, præsertim ex nostris Bellarminum[p]. In quod etiam argumentum fusè digreditur Baronius[q], & Espensæus[r]. Beda ordinationem hanc Sauli, quam vocat Apostolatum, ponit anno 13. post CHRISTI Ascensionem, dicitque *quartodecimo ad magisterium Gentium iuxta condictum Iacobi, Cephæ, & Ioannis profectum esse: atque consentire historiam Ecclesiasticam, quæ ait Apostolis esse præceptum, vt duodecim annis in Iudæa prædicarent.* Non de Iudæa, sed de Ierusalem traditio est ab Apollonio manifestata apud Eusebium[s], vt aliàs dixi[t]. De condicto illo aliorum trium Apostolorum mentio est in epistola ad Galatas[u]. Quod facit vt suspicer, segregationem, quæ hic narratur, indefinitam fuisse ad Iudæos, & Gentes, siue ad regiones Iudæorum & Gentium, siquidem hoc ipso capite[x] prædicasse legimus Saulum Iudæis, & cùm ab iis non admitteretur, conuertisse se ad Gentes. Cum ergo ascendisset Ierosolymam anno 14. à sua conuersione, vt ait citata epistola[y], illi tres Apostoli ratum habuerunt, vt præcipuè intenderet ipse cum Barnaba prædicationi ad Gentes: sic fortasse intelligentes peculiariter, accipiendam segregationem ipsorum Antiochiæ factam iussu SPIRITVS sancti. Concordant ista cum Chronologia Baronij[z], qui eandem ordinationem collocat in CHRISTI anno 44. ac in eodem raptum Pauli Ierosolymis, de quo raptu egimus capite nono.

Ordinis sacramentum probatur.

i 1. ep. c. 4. 14. c. 5. 22. ep. 2. 1. 6.

k vers. 6.

l cap. 8. & 9.

m Exod. 29. 10.

n Dec. 1. lib. 1.

Quare tanti viri ab inferioribus sint ordinati.

o Act. 9. 18.

p Tom. 2. lib. de sacramen. Ordinis.

q Tom. 1. Annal.

Quo tẽpore facta fuerit Sauli ordinatio.

r in 1. epist. ad Tim. lib. 1. Digressionum, c. 16.

s 5. Hist. c. 17.

t cap. 1. 8.

u cap. 2. 9.

x vers. 46.

y ad Gal. 2. 1.

z suprà.

Versus 4.] Et ipsi quidem missi à SPIRITV sancto abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum.

MISSI à SPIRITV *sancto, &c.*] Vel cùm missi essent imperio SPIRITVS sancti ab Antiochensi Ecclesia: vel accepto peculiari eiusdem sancti SPIRITVS responso, cùm illa non indicasset locum, quò irent, vt abirent Seleuciam. Ex hoc
a de com. PATRIS & .., & SPIRITVS san.
eodem loco Athanasius [a] colligit SPIRITVS sancti diuinitatem, sicut ex superiore, quòd iuberet segregari sibi Saulum, & Barnabam.

...ucia quid
Seleuciam.] Ciuitas est in Syria Antiochena, quam Rex Seleucus Nicanor, vel Nicator condidit, aliquando dicta Pieria à promontorio, in quo stat: ad eam vsque peruenit nemus Daphnes, & ex ea in Cyprum, vt etiam innuit Lucas hoc loco, commodissimè traiicitur: parum distat ab Antiochia. Dixi aliàs cum Volaterrano [b] hunc Seleucum Antiochi filium primum
b ..11. Geo... his.
Regem Syriæ post Alexandrum, sicut sexdecim Antiochias ob memoriam patris denominauit, Laodiceas quinque in memoriam matris Laodices; & in gratiam vxorum Apamææ, & Stratonices, tres Apamias, & Stratoniceam vnam; ita à suo ipsius nomine nouem Seleucias. Lege Plinium [c], & Iosephum [d], & Hegesippum [e]. Scribit Iosephus Seleuciam nostram fuisse commune Macedonum, Græcorum, & Syrorum domicilium, atque ibi semper Græcis cum Syris malè conuenisse; Græcorum tamen factione præponderante, donec eò Iudæi confugerent, quorum aduentu, Syrorum conditio cœpit esse potior. Antiochena ipsa regio non tantùm Tetrapolis, sed & Seleucis nominatur.

c ..5.c.12.& 27.
d ..18.Ant.
e ..4.c.1.

Et inde nauigauerunt Cyprum.] Soluentes Seleucia, in qua est littus excelsum, vocatúrque in historia Machabæorum [f] maritima. Cyprus notior est, quàm vt opus sit quid afferre. Lege caput secundum [g]. Illuc contendisse Apostolos Chrysostomus notat, eò quòd ibi non esset persecutio, & verbo DEI iam sparso, in Antiochia quidem sat plures erant: & Phœnicia prope Palæstinam erat, Cyprus autem non item.

f ..11.8.

Versus 5.] Et cùm venissent Salaminam, prædicabant verbum DEI in Synagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioannem in ministerio.

ET *cùm venissent Salaminam.*] *In quibusdã exemplaribus inuenitur*, inquit Glossa ordinaria citans Rabanum, *Abierunt Seleuciam, quæ est Salamina*, ita vt sint duo nomina vnius ciuitatis. Idem notat Hugo. Sed planè sunt nomina distinctorum locorum. Est verò Salamina, vel Salamin, vel Salamis, non eiusdem nominis insula in mari Euboico contra Athenas cum vrbe cognomine; sed vrbs in Cypro insula sita in parte amœnissima littoris Orientalis, respiciens Syriam, quam Teucer expulsus à patre Telamone ob suspicionem de Aiacis fratris cæde post euersam Troiam, nauigansque in Cyprum, extruxit, æquiuocam alteri in Attica patria sua, erecto ibidem insigni templo Ioui [h]. Fertur Barnabæ natiuitatis, passionísque locus. Deinde Constantia dicta est, cuius Epiphanius, doctrina, & pietate conspicuus, Episcopatum gessit. Iudæi tempore Traiani ciuitatem exciderunt deletis incolis ducentis quadraginta millibus, quo nomine posteà inde iussi sunt exulare, pœna capitis proposita [i]. Ætate Hieronymi [k] Constantiæ nomen gerebat à Constantio Augusto. Nunc Famagosta, quasi fama augusta; nescio qua de causa. Turcicam oppugnationem passa superioribus annis, cùm eam deficeret annona, ac reliquus belli apparatus, tandem expugnata est per deditionem.

...quid

h ...tat, ...orã. ...s Fa... ...t. 2. ...t. 1.

i Dio.
k epist. 27. ad Eustoch.

In Synagogis Iudæorum.] Segregatio ergo illa fuit indefinita, ad prædicandum quibuslibet non solis Gentilibus, vt nuper admonuimus. *Et à Iudæis quidem inchoatum est, ne hi contentiosiores fierent*, inquit Chrysostomus, nimirum molestè ferrent sibi Gentiles præponi. De Synagogis alio loco tractauimus [l]. Beda verò hîc admonet: *Propter ignaros locorum semel annotandum credidi, vbicumque Synagogam Iudæorum videris, scito in ciuitate gesta, quæ dicuntur.* Latiùs forsan ciuitatem dixit pro oppido.

l cap. 6. huius libri.

Habebant autem & Ioannem in ministerio.] Εἶχον ὑπηρέτην. Communis expositio est, Ioannem cognomento Marcum fuisse adiutorem in prædicationis munere. Sed placet magis, quod ait Arias Montanus, dum Saulus & Barnabas intenti erant Euangelio annunciando, illum ministrasse ipsis, & pauperibus. Fauet vox illa Græca τῷ ὑπηρέτῃ, & quia circa prædicationem hoc etiam pacto iuuasse Apostolos dici potest, & simul fortasse cogendo auditorium, vel priuatim instruendo: ita tamen vt prima illa functio primaria esset.

Versus 6.] Et cùm perambulassent vniuersam insulam vsque Paphum, inuenerunt quendam virum magum pseudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Bar-iesu.

VSQVE *Paphum.*] *Vrbs est (quondam Erythra) in Cypro nobilis carminibus Poëtarum*, inquit Hieronymus [m]; & vt canit Arator [n], amoribus, inde tropologiam cum quadam allegoria eliciens:

m in Hilatione.
n Libr. 2. Carminum.

—Cyprum, Salaminàque linquens,
Pergit adire Paphum, quæ fertur amoribus olim
Dedita, sacrilegæ mansisse libidinis antrum,
Aligerósque vagos studio coluisse procaci.
Hinc operum procedit apex, quia gratia maior
Ad delicta venit, culpas huic posse remitti
Exemplum iam Paulus erat, quàm splendida laudũ
Materia est adiecta viro, primordia casta
In luxus regione serit, fructúsque pudicos
Multiplicat lasciuus ager, cui nescia posthac
Difficilísque foret, cùm sic videatur honestas
De turpi cœpisse loco.—

Paphus quid sit.

Ceterum vetus est ista Paphus, Cypri olim metropolis, vt eam etiam vocat Chrysostomus, & indicat, quòd ibi Proconsul esset, in qua Veneri templum dicatum erat, à quo denominata Venus Paphia: & ibi ferunt Machabæos cum matre passos [o], extaréque visendam iis eodem loco excitatam Ecclesiam, septem constantem sacellis. Noua distat à vetere stadiis tantùm decem. Iacet vtraque in littore Occidentali, vt proinde tendentibus Paphum à Salamina, quæ est in Orientali, peragranda sit tota insula, quod hîc ab Auctore fecisse Apostolos expressum est. Quod de Machabæis dixi, Gagneius asserit, nescio quo vel auctore, vel argumento, cùm non Martyrologia [p] tantùm locum designent Antiochiam, sed etiam Iosephus [q] (qui natale item solum Sosandrum Castrum vocat) & Augustinus [r]. Nec magis credendum Ce-

o 2. Mach. 6. 9.
p 1. Augusti.
q in Tract. de Mach.
r Ser. 19. de Diuersis. cap. 6.

a in Chron.

dreno [a] affirmanti passos in Ierusalem.

Magum.] Non debuit deesse Paulo cum quo certaret Magus, vt cum Simone Petrus certauerat, aliique cum aliis Apostoli, quod pridem obseruauimus [b].

b cap. 8. 18.

Cui nomen erat Bar-iesu.] Ita habent Biblia emendata, iuxta fidem Græci textus, & lectionem Græcorum: & meritò approbat Lyranus dicens, *Sic esse & in Græco, & in libris correctis, rectéque exponit filium* IESV. Franciscus Lucas Brugensis in eruditis Notationibus suis ad Biblia demonstrat retinendam hanc lectionem, & non *Bar-ieu*, vel *Bar-iehu*, vel *Bar-ien*, quicquid sit de eo, qui sub Hieronymi nomine explicat Hebraica nomina, aut etiam de Beda. Bedam ratio illa mouebat, vt deprauationem putaret, quòd Βαριησ͂, *Bar-ieu*, si virgulam abbreuiationis notam superponas, idem ac Βαριησοῦ, plenè scriptum significet, quoniam indignum sit Magum, Iesu, id est, Saluatoris filium dici, quem è contrario Paulus filium Diaboli nuncupat. Sed meminisse Bedam oportuit, nomen IESVS, vulgare tunc multorum fuisse, tametsi postea soli Domino nostro iure attributum. Ita vt opinio sit (certum Auctorem non legi) Barrabam latronem proprio nomine Iesum vocatum, atque idcirco Pilatum differentiæ causa addidisse, *qui dicitur* CHRISTVS [c]. Nam quod alij Bar-iesu deriuant à βαρὺς, grauis ac molestus, leuiculum & ridiculum est.

c Mat. 27. 17.

Vtrùm autem ille id nomen à patris nomine acceperit, an sibi ipse imposuerit tanquàm DEI Saluatoris filio, incertum. Primum arbitror: cur enim à IESV, qui haberetur DEI Filius, denominari vellet, quem nec filios habuisse certum esset, & quem idem ipse insectaretur? Editio Syriaca ברשומא *Barschoumo*, scribit, id quod significat *filium nominis*, hoc est, virum nominatum, ac celebrem; videlicet ob magias ac præstigias tale nomen sibi fecerat: quo modo Simon dicebat *se esse aliquem magnum* [d].

d Act. 8. 9.

Versus 7.] Qui erat cum Proconsule Sergio Paulo, viro prudente. Hic, accersitis Barnaba, & Saulo, desiderabat audire verbum DEI.

Proconsul qui diceretur, eiusque officium, & dignitas.

QVI *erat cum Proconsule Sergio Paulo.*] Notus est Magistratus Proconsulis: mittebatur is cum potestate Consulari ad prouinciam administrandam, & quia Consulis vice fungebatur, id nomen gerebat. Habebat initio Consularia insignia, sed sex tantùm lictores. Posteà cœpit propria ei iurisdictio competere: & postquàm suo quique anno Consules fuissent, sequenti Proconsules remanebant, prouincias cum imperio sortientes. Lege Fenestellam, Pomponium Lætum, aliósque, qui de Magistratibus, & iure, & legibus Romanorum disputant, tum Carolum Sigonium, Paulum Manutium, & Nicolaum Grucchium, & qui ad meas venit manus, his iam editis, Lælium Bisciolam [e].

e s. subsecius. hora. cap. 1.

Regebant primùm prouincias Prætores, & grauiore vrgente bello, Consules: qui prorogato imperio si remanerent, appellabantur Proprætores, & Proconsules: tandem ordinarium munus fuit Proconsulis cum Consulari dignitate, & lictoribus duodecim; & generali nomine Præses dicebatur, vel Præfectus etiam qui præerat Consulari prouinciæ, non tantùm qui Prætoriæ: pro

A voluntate enim Senatus eadem modò Prætoria, modò Cõsularis erat, hoc est, nunc à Prætore, nũc à Consule, seu à Proprætore, vel à Proconsule administrabatur, aut etiam cum iure siue Prætorio, siue Consulari, etiamsi is qui præesset, nec Prętor, nec Consul anteà fuisset.

Cyprus, cùm stetit Romana Respublica, in prouinciæ formam vltima redacta est, misso in eam M. Catone Quæstore cum iure Prætorio, & coaluit in vnam prouinciam cum Cilicia, ac Prætoria diu censa est. Hoc tempore Sergius vt Proconsul regebat prouinciam, non anteà Consul, sed Consulari vtens iure, & honoris causa fortasse simul cum Cypro Ciliciam, quas olim ab eo-

B dem rectas dixi: neque enim inter Consules numeratus reperitur. Alioqui ea fuit Cypri prærogatiua, vt quòd per se distincta prouincia Prætoria esset, sub nulla quoque alia Ecclesiastica metropoli censeretur, vt scribit auctor Actorum Barnabæ Alexander [f]: quamuis Petrus Fullo hæresiarcha Episcopus Antiochenus Antiochenæ Ecclesiæ, sed irrito conatu, subiicere voluerit, quòd accepisset Euangelium ab iis, qui ibi fuerant ordinati, Saulo, & Barnaba: Barnabas enim Anthemio Salaminæ Episcopo apparens, iussit, vt ius sedis tueretur, quòd & ipsa esset Apostolica,

f apud Surium 11. Iunij.

C quippe habens Apostolum, nempe Barnabam ipsum, qui suum simul corpus illi reuelauit. De hoc antè quoque memini [g].

Non facilè dixerim, an esset de familia Sergia, cuius fertur Auctor Sergestus comes Æneæ [h]:

g cap. 11. *Sergius hic quis fuerit.*

h Virg. 5. Æneidos.

Sergestúsque, domus tenet à quo Sergia nomen,

& ad quã pertinuit multis notatus flagitiis L. Sergius Catilina. Nec intelligo cur Sergio postpositum sit nomen Pauli, quod pręponi solet, quamuis in Martyrologio priorem locum Paulus tenet. Attamen apud Plinium [i] memoratur quidãm Sergius Paulus. Eusebius [k] scribit de Asiæ Proconsule non Sergio, vt Ioãnes Glandorpius [l] existimauit, sed Seruilio Paulo.

i lib. 1. et auctoribus citatis 13, 18.

k 4. Hist. cap. 24. vel 25.

l in Onomastico Rom.

D Tantum virum, & adeò prudentem impostor, &, vt credibile est, apostata suæ religionis, quia pseudopropheta, auaritiæ ac vanæ gloriæ studens, quod factitat omne hoc hominum genus, sectabatur.

Viro prudente.] Qui nimirum ingenij sagacitate, & rerum vsu deprehendere quiuerit impostorem, & veritatis cognoscendæ prætextu Apostolos accersierit.

Hic, accersitis Barnaba, & Saulo.] Non quia prior nominatur Barnabas, ideò maior; sed fortasse quia Cyprius, ac illustri genere, & opibus olim clarus, Gentibus erat magis notus, & cõsequenter Proconsuli. Sic Ioannes notior Pontifici, Petrum introduxit in domum illius, vbi CHRISTVS reus tenebatur [m]. Modestiæ verò fuit,

Cur Barnabas prius nominatur quam Saulus.

m Ioan. 18. 16.

E quòd se Apostoli vltrò in palatium non ingerebant, sed expectabant dum accerserentur, eos captantes auditores, qui fructum referrent, non fastum.

Desiderabat audire verbum DEI.] Ἐπεζήτησεν, *enixè quærebat, ac petebat*: fieri potest, vt non tam salutis amore, quàm sciendi desiderio, & quadam curiositate, qua tanguntur plerumque viri præpotentes, vt vel animum pascant, vel ad politicam administrationem conuertant, vel sibi ex vsu cum doctis, & probis existimationem creent. Sic Herodes Ioannem Baptistam [n], & CHRISTVM [o] libenter videbat, & audiebat. Quocirca sermo-

Desiderium hoc quale fuerit.

n Marc. 6. 19. 20.

o Luc. 23. 8.

nem,

A nem, qui habebatur ab Apostolis, non Proconsul forsan ipse verbum DEI, sed historicus hoc loco nominat tam honorifico vocabulo. Chrysostomus tamen miraculum vocat, quod præoccupatus alterius magia Proconsul, voluit audire Apostolos.

Versus 8.] Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen eius) quærens auertere Proconsulem à fide.

B RESISTEBAT *autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen eius.*] Quidam [a] putant non exprimi vim prioris, per nomen posterius, sed τὸ μεθερμηνεύεται significare, quod qui Bar-jesu dicebatur, vocabatur quoque Elymas, vt si diceres Simonem μεθερμηνευόμενον Petrũ, Boanergen Ioannem aut Iacobum. Caietanus volens *Elymas* esse nomen Hebræum, ait Lucam, qui Græcè scribebat, aliud illud item Hebræum *Bar-jesu* non interpretari, cùm etiam iuxta vim eorum neutrum exponatur per alterum: sed magum ipsum finxisse hanc interpretationem, vt qui proprio nomine vocabatur *Bar-jesu*, dici quoque voluerit *Elymas*: admonere autem Euangelistam, non idcirco vocari Elymam, quia sit reuerà Elymas, hoc est, DEI *mensura, vel census*; sed quoniam ita placuit Mago, C vt intelligeretur propterea dictus *Bar-jesu*, id est, *Filius Saluator*, aut *Saluatoris*, quòd esset futurus id, quod nomine Elymas diximus significari. Subtilis ratio, & quam fert sententia Græca, οὕτως γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, *sic enim interpretatur* (scilicet Magus) vt sit αὐτοῦ pronomen reciprocum seu possessiuum. Verùm indicat magis contextus, nomen ipsum posterius, esse interpretationem prioris: & cùm passim scribatur Elymas per ypsilon, Græcum erit, non Hebræum.

a ... dicens Ri... in Pau... 13.n.37. ... qui prius ... dicebo ... Elyma...

Idem hoc argumentum pugnat cum Erasmo, & Ioanne Fero, volentibus esse dictionem Syram, quæ significat *magum*: & prætereà, quoniam Syra editio expressit hoc loco, אלומוס *Eloumous*: & D denique quia dicendum fuerat, *sic enim interpretatur cognomen ipsum*, nempe *Elymas*, per nomen magi, vt sentit Historia Scholastica, & Carthusianus, non autem *ipsius*, quod respicit non Elymam, sed nomen proprium Bar-jesu.

Probabiliùs loquuntur qui Elymam exponi per Magum asserunt, quod Græcum vocabulum ἔλυμος nigrum, aut pãnosum significet: hæc nempe istius hominum fæcis quasi insignia sunt. Gagneius ab euentu excæcationis per Paulum notionem nominis, sed Hebræam deducit; cæcum enim dici אלימנא *Elimana*, aut *Eliman*. Beda [b] exponit, *transgredi facientem*, aut *transgressionem facien-* E *tem*. Arias putat nomen proprium esse hoc, Barjesu verò cognomen: Elymos autem, aut Elumos, inuersum reddi Somoel: & hoc, seu Semoel, significare nomen forte, ac magnificum: & tantundem valere, ac illud Barschoumo, quod Syrus anteà posuit pro Bar-jesu.

b ...tin... ...in.

Rursum quòd sit Græca vox, placet Vatablo, quæ præstigiatorem, incantatorem, & impostorem sonat. Fingi adhuc potest vocari Elymam ab Elymaide regione Assyriorum iuxta Persas, vbi magia plurimùm vigeret; ac si ita vocetur Elymas, vt solet magicis deditus nominari Chaldæus.

Quid si etiam Elymas vulgaris tunc, & satis nota dictio fuit, cuius nec modò, nec apud classicos vnquàm Auctores vel vsus, vel notio perspecta sit. Hoc vltimum fortasse præstat dicere, & ignorantiam ingenuè profiteri; cùm allatæ etymologiæ parum cohæreant, aut admodùm extortæ sint, ne dicam etiam falsæ. Equidem non reperio illud. Gagneij Hebræum pro cæco nomen, sed אלם *ilem*, pro muto, & pro vidua, אלמנה *almana*. Apud Græcos quoque lego duntaxat, quod ad rem facere aliqua ratione possit, canes ἐλυμαίους nigricantes, aut frugem, ἔλυμον item coloris atri, quæ aliter vocatur μελίνη, & à Latinis panicus. Sed hæc quid ad rem præsentem?

Versus 9.] Saulus autem, qui & Paulus, repletus SPIRITV sancto, intuens in eum.

SAVLVS *autem, qui & Paulus.*] Hîc primùm reperitur nomen Pauli, de quo satis in capite nono multa. Addi potest ad eam sententiam, quæ ibi recitata est, duplex eidem nomen fuisse, quod occasio admonendi nunc de duplici nomine est, quia & Magi duplex nomen commemoratum erat, & Proconsulis, quem duo etiam habuisse, & Sergij, & Pauli, Glossa ordinaria sentit. Sed ridiculè Beza Pauli Saulique nomen prorsus idem asserit sola variatum idiomatis ratione, perinde vt qui Latinè Ioannes dicitur, exprimitur Gallicè *Iean*, Germanicè *Hans*: adde Græcè Ἰωάννης, Hebraicè יוחנה *Iochanna*, &c. Præter id verò etiam quod de nominis mutatione docuimus, notandum cum Lactantio [c], mortuis consecratis Gentiles nomina immutasse, *credo*, ait ille, *ne quis putet eos homines fuisse.* Affert exemplum Romuli, qui post mortem dictus est Quirinus; Ledæ, quæ Nemesis; Circes, quę Marica; Ino, quę Leucothoa, &c.

Duplex nomen Pauli, quare.

c 1. Inst. c. 21.

Repletus SPIRITV *sancto.*] Hoc est, vt Chrysostomus intellexit, efficacia, & energia SPIRITVS sancti, seu afflatu, ac impulsu quodam nouo, vt alibi quoque vim huius phrasis declaraui [d]. Appositè de hoc diuino instinctu Lucas meminit, ne quis animaduersionem in Magum ex effræni profectam ira, vindictæque commotione suspicaretur.

d cap. 2. 4.

Intuens in eum.] Fixo obtutu, ἀτενίσας, & oculis iracundis, atque minacibus, & adeò perspicacibus, vt ex oris externa forma penitiorem Magi penetraret malitiam, & ab seipso cognitam vel aspiciendo demonstraret.

Maxima in oculis vis est omnem in partem, ac in nulla magis parte corporis exerunt se, produntque animi motus seu lenes, seu truces, seu quicunque alij; qua de re Plinius [e] eleganter, & Rhodiginus [f]. Testes Assueri oculi ardentes, furoris indices, quos non ferens Esther corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillam reclinauit caput [g].

In oculis vis maxima.

e lib. 11. ca. 37. longè ante med.
f lib. 4. c. 28.

g Esther 15. 10

Versus 10.] Dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, nõ desinis subuertere vias Domini rectas?

DIXIT: *O plene omni dolo, & omni fallacia.*] Non absimili Petrus [h] acrimonia verborum Simonem perculit: *decétque*, ait Chrysostomus, *impudentes tam acriter compellare.* Nihil mansuetius CHRISTO, tamen in reprehensionibus nomina

h Act. 8. 20. & seq.

vsurpauit

Acrimonia in reprehensione aliquando necessaria.
a Mat.23.13.& seq.
b ibi.verſ.24.26.
c cap.15.16.
d cap.22.27.
e ibidem.
f Mat.16.23.
g Ioan. 6.70. cap.8.44.
h infr. 17.12.
i Mat.23.33.
k ibid.& c.12.34.
l Luc. 13.32.
m Luc.24.25.
n Mat. 12.39. cap.17.16.
o cap.3.5.
p 1.Reg.11. 6.
q Tit. 1.14.

vſurpauit *hypocritæ* [a], *cæci* [b], *ac ſine intellectu* [c], *parietis dealbati* [d], *ſepulcrique pleni ſpurcitiis* [e], *Satanæ* [f] *filij diaboli* [g], *& perditionis* [h], *ſerpentis* [i], *viperæ* [k], *& vulpis* [l], *tardi ſtultique* [m] *generationis malæ*, ſeu, *peruerſæ, & adulteræ* [n], *&c.* Sed & poſtremis verſus prioris verbis videntur illa de eodem CHRISTO apud Marcum [o] ſimilia: *Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum*, illud contra dolum atque malitiam eorum, hoc contra cæcitatem. Tale quodammodò quod & de Saule narratur, cùm ſuperbum & atrox accepiſſet reſponſum Naas Ammonitæ ad viros Iabes, *Et inſiluit SPIRITVS Domini in Saül, cùm audiſſet verba hæc, & iratus eſt furor eius nimis* [p]. Præſtitit Paulus modò quod poſteà præcepit [q]; *Increpa illos durè, vt ſani ſint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantium ſe à veritate.*

Fallacia hic quid denotet.

Dolum in agibilibus, fallaciam Lyranus accipit *in credibilibus*; Carthuſianus *in verbis, & operibus*: Caietanus, *in intellectu, & voluntate.* Pro *omni fallacia*, Syrus poſuit, *omnibus flagitiis.* Græca dictio ῥᾳδιουργία, denotat etiam pronitatem ad omne flagitium, vel ſcelus à proiecta quadam profectum audacia, vel ad quod quis facilè prorumpit. Et ſanè nullum eſt tantum crimen, quod non magiæ profeſſores nullo negotio admittant, cùm omni inhumanitati ac impietati frænos laxauerint. Lege caput octauum. Memoria lapſus videtur Origenes [r], cùm ait *in populo fidelium eſſe aliquos Simones, quibus confidenter dicendum ſit: O plene omni dolo,* &c. non enim Simoni, ſed Elymæ dicta ſunt hæc verba.

r Homil. 3. in Num.

Filius diaboli quare appellatus hic magus.

Fili diaboli.] Tantùm abeſt, vt Bar-jeſu nomen illi conueniat, quod importat *Filium Saluatoris.* Rectiùs diceretur, vt quidam legebant, *Bar-jeu*, quaſi *filius Iouis*, qui eſt non deorum, ſed dæmonum rex. Eo autem ſenſu vocatur filius diaboli, quo Iudæi à CHRISTO dicti ſunt *eſſe ex patre diabolo, quia deſideria eius vellent facere* [ſ], & Petrus *Satan* [t], quia ſcandalo eſſet, & impedimento in præcipuo opere redemptionis: & Iudas diabolus [u], quòd ſubdolè ac proditoriè Magiſtro mortem machinaturus eſſet. *Nam ſicut qui adhæret* DEO, *vnus Spiritus fit cum illo* [x], inquit Cyrillus Alexandrinus [y], *ita qui diabolo, diabolus quodammodò efficitur.* Ad eundem modum, hoc eſt, propter ſimilitudinem morum, Ezechiel [z] Iudæos *patre Amorrhæo, Cethæa matre dixit. Filij ergo diaboli ſunt homines*, inquit Beda [a] cum Auguſtino [b], *imitando, non naſcendo: non*, inquit Ambroſius [c], *carnis ſucceſſione, ſed criminis.* Lege quoque Epiphanium [d] contra Caianos, & Archonticos, & Auguſtinum [e]. Vulgari ſermone dici ſolet, eſt diabolus, hoc eſt, homo callidus, fraudulentus, &c. Callidiſſimus eſt in animalibus ſerpens, cum ideò diabolus ad fallendam Euam induit [f]: qui ergo dolis ac fraudibus vtuntur, meritò filij diaboli nominantur.

ſ Ioan. 8. 44.
t Mat.16.23.
u Ioan.6.70.
x 1.Cor.6.17.
y in c.6.Ioan. lib. 4.cap.30.
z cap.15.3.45.
a in c.6.Ioan.
b ibidem.
c li.4.in Luc.
d Hæreſ.38.& 40.
e ſuprà, & lib. cont. Adimantum.c.14.& 1. Retract.c.22.
f Gen.3.1.

Quare inimicus omnis iuſtitiæ.

Inimice omnis iuſtitiæ,] Non Elymas, iuxta notationem illam nominis vt Hebræi, hoc eſt, non *menſura* DEI *mei.* DEVS enim iuſtus eſt, & iuſtitiæ ſymbolum eſt menſura: atque iuſtitia omnia dimetitur, & ſuam cuique dat menſuram. Dicitur inimicus omnis iuſtitiæ, quia DEI *ipſius, & legum eius*, inquit Gloſſa interlin. *quia infuſæ, & acquiſitæ*, inquit Lyranus: *quia legis naturæ ſcriptæ, & Euangelicæ*, inquit Carthuſianus: *quia doctrinæ* CHRISTI, *quam tradebant Apoſtoli, & in qua continetur omnis iuſtitia*, inquit Chryſoſtomus: *humanæ, ac diuinæ, quatenus*, inquit Arias, *nec iuſtus erat, nec iuſtitiam, ac virtutẽ* (dicitur enim omnis virtus iuſtitia) *ab aliis coli ſinebat, neque iuſtificationẽ diuinã accipi permittebat.*

Omnis idem quod magnus & multus.

A Quanquàm omnis ſeu iniuſtitia, ſeu fallacia & dolus idem valet quod magnus & multus: ſic námque accipitur omnis, vt contrà multus pro omni. Michæas ait [g]; *quod properabunt ad Domum gentes multæ*, id eſt, omnes, ac ex omnibus aliqui, iuxta prædictionem CHRISTI [h], & viſionem Ioannis [i]. CHRISTVS idem dixit *ſanguinem ſuum fundendum pro multis* [k], hoc eſt, ſine dubio, pro omnibus, quantùm ad ſufficientiam: ſicut quod ſcribit Paulus *per vnius inobedientiam peccatores conſtitutos multos*, intelligit reipſa omnes, ſicut eodem loco expreſſerat [l]. Eodem pacto apud Danielem [m] dicuntur multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilaturi, hoc eſt,

g cap.4.2.
h Matth.24.14.
i Apoc.7.9.
k Mat.26.28.
l Rom.5. 12. 18.19.
m cap.12.2.

B omnes. Quanquàm ibi peculiaris fuit cauſa quare multos dixerit Propheta, ob ſequentem diſtributionem: quaſi dixiſſet, omnes reſurgent, multi ex illis in vitam æternã, multi in opprobriũ.

Econtrariò, pro multis vſurpatur omne, aut vniuerſum, verbi gratia, quando narratur *Abſalon ingreſſus ad concubinas patris coram vniuerſo Iſraële* [n]: vel cùm verbis Eſaiæ [o] prædicatur, quòd *omnis mons, & collis humiliabitur, & vallis implebitur, & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas*, hoc eſt, vitia per CHRISTVM corrigentur, de iis námque ſolùm intelligitur, qui parabunt vias Domini, vt bene monet Euthymius [p]. Eſt item præterea idem omne quod perfectum,

n 2. Reg. 16. 22.
o cap.40.3.4. Luc.3.5.
p in c.3. Lucæ.

Idem quod perfectum.

C vt cùm allata hominis definitione Sapiens ex virtutis, pietatíſque ſtudio, *Hoc eſt*, inquit, *omnis homo* [q], id eſt, totus, perfectus, & quicquid homo eſt. Lege huius loci Commentarium noſtrũ, Itaque Bar-jeſu erat *plenus omni dolo, & fallacia, omniſque inimicus iuſtitiæ*, quia maximè fraudulentus, & ad vllum non paratus flagitium contra ius, fáſque, quod etiam importare dixi vocem ῥᾳδιουργίας: & eſſe inimicum, indicat obfirmatum, & malum animum, non paſſione, vel imbecillitate labentem, & labantem.

q Eccleſ.12.13.

Non deſinis ſubuertere vias Domini rectas?] Cum interrogatione, & in futuro tempore legit editio Græca, & Syra: habétque illo modo maiorem

D emphaſim, & acriorem Pauli indignationem. Cauſam DEI vrget, non ſuam, vel Barnabæ, neque Proconſulis, ne aut adulator, aut ambitioſus videatur. Quadrat in iſtum quod idem Apoſtolus de quibuſdam ſeductoribus, quos comparat cum primariis illis Magis Aegypti Iamne, & Mambre [r], qui reſtiterunt Moyſi, ſcribit [ſ]: *Quemadmodum autem Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati, corrupti mente, reprobi circa fidem; ſed vltrà non proficient: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorũ fuit.*

r Exod.7. 11. & ſeq.
ſ 2. Tim. 3.8. 9.

Viarum nomine quid ſignificetur.

Viæ comprehendunt documenta, præcepta, conſilia, ſeu fidem, pœnitentiam, mores, DEI quoque miſericordiam & veritatem (quas prouidentiæ negator Magus tollebat) vno verbo ra-

E tionem rectè viuendi, eáſque diſpoſitiones omnes, quibus paratur ingreſſus DEI, iuxta id [t]: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas* DEI *noſtri*, hoc eſt, virtutes, vt quodam alio loco hunc ipſum, quem tractamus, explicat Chryſoſtomus [u], volens idem ſignificari per voluntatem DEI, cùm dicitur in Pſalmo [x]: *Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſraël voluntates ſuas.* Sinuoſa eſt, ac obliqua, & non æqua iniquitas, ſeu tranſgreſſio: Iudaicæ cæremoniæ, quas Iudæus magus forſan Proconſuli ingerebat, prauæ ſunt, diſtortæ, ac vanæ, non docentes directè ſalutem; nec linea recta ducentes ad CHRISTVM, ſed per vmbrarum, &

t Eſa. 40.3. Matth.3.3. Marc.1.3. Luc.3.4. Ioan. 1.23.
u Hom.in Pſ. 102.
x Pſal.102.

figurarum

figurarum quasi meandros; complananda fuit, & exæquanda via, *atque dirigenda in rectitudinem, & campos*, vt loquitur Tertullianus [a], *transeuntibus legis difficultatibus in Euangelij facilitates*.

Versus 11.] Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns Solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret.

ET *nunc*.] Rectè Syrus, *Itaque nunc*. Hebræi enim vtuntur particula ו *ve* copulatiua, pro illatiua. Non raro *& nunc*, redundat, aut valet solùm ad continuationem sententiæ [b], vt obseruauit Ribera [c]. Tamen potest hoc loco significare mox adfuturam diuinam animaduersionem.

Differt DEVS punitionem scelerum quandoque in aliam vitam, interdum in longius huius vitæ tempus, vt spatium relinquat pœnitentiæ; fidem, ac timorem, qui sunt de futuris, exerceat, amorem excitet, magis amore coli, quàm timore appetens, thesaurum iræ abutẽtibus accumulet [d], qua de re Gregorius [e], & Augustinus [f]. Cùm statim punit, id exigit sceleris contagium, vt memini dicere de Simone, cuius Elymas æmulator existebat.

Ecce.] Sæpe vidimus hac particula nouum, improuisum, grauem casum designari.

Manus Domini super te.] Vide vt alienus est à fastu. *Minimè vltio erat*, inquit Chrysostomus, *sed sanatio: etenim tantùm non dicebat, non ego facio, sed* DEI *manus*. Inter varias manus Domini significationes, quarum alibi [g] aliquas declarauimus, & à Pinto [h] multæ explicantur, vna est pro flagello, & percussione [i]. Tanta varietas significationis oritur ex eo, quòd manus sit generale instrumentum, immò ὄργανον τῶν ὀργάνων ad opera [k]. Neque verò illud *super te*, restringit ad pœnam: dicitur enim eadem phrasi, cùm fauorem etiam significat [l]: sed ex adiunctis dispiciendum est.

Et eris cæcus, non videns Solem vsque ad tempus.] *Vsque ad tempus, si resipisceret, aut vsque ad mortem, quia non resipuit*, vt ait Glossa interlinearis. Sed temporaneam tantùm cæcitatem corporis fuisse, & textus indicat, & passim omnes. Leuior animaduersio, at durior tamen quàm in Simonem: quippe Simon, vt aliàs dixi [m], Samaritanus erat, minus proinde quodam pacto dignus censura Ecclesiæ, quamuis iam tunc recèns admissus, magísque in speciem excusandus videbatur: Elymas autem se profitebatur cultorem syncerum Iudaicæ religionis, grauiúsque lædebat Ecclesiam, impediendo Euangelij prædicationem, quo in casu ius habet illa coërciuum in quoscunque. Accedit quòd Simonis exemplo, quem Petrus verbis castigauerat, sapere debuisset: non autem illum sectari, vt eum fecisse quidam [n] volunt. Idem verò Petrus duos illos de numero fidelium Ananiam & Saphiram pessimi hominis exempli occidit [o]. Lege Gratianum [p]. Paulus eodem, quo curatus erat, curare Magum remedio voluit, sciens non mereri carnis oculos, qui mentis auferre aliis conabatur, vt cũ Aratore notat Beda, & alij, & alicubi Chrysostomus [q]. Qui prætereà monet ex arbitrij libertate profectum, quòd Paulus per corporis cæcitatem sanitatem consecutus sit mentis: Elymas in huius cæcitate remanserit.

Beda, eúmque transcribens Glossa in priorem Petri epistolam [r], addunt comparationem cum Tobiæ cæcitate. Vbi dum perfidiam Elymæ nominãt, videri possent existimasse fidelem aliquando fuisse, sed ad Iudaismum rediisse cum magiæ professione. Igitur huius cæcitatis causam reddunt, vt dignas suæ perfidiæ pœnas luens, ab eorum quoque, qui credituri erant, dementatione cessaret. Si propriè perfidus Elymas fuit, iustior fuit sic eum vindicandi ratio, vt antè dixi. Tertullianus [s] testis est, *Elymam æquè vt Simonem præstigias aduersus Apostolos multas dedisse, sed plagam cæcitatis de præstigiis non fuisse*, hoc est, non fictam. Dionysius [t] quoque meminit certasse posteà eundem contra doctrinam Pauli, ac nominatim eam eius sententiam arguisse: DEVS *seipsum negare non potest* [u], quasi inde fieret, non esse omnipotentem. An autem librum ediderit, vt Baronius [x] putat, non exprimit Dionysius, nec vllus ex iis, qui catalogum Scriptorum texunt, vt Sixtus [y], qui recenset tamen scripta Simonis Magi.

Non videns Solem.] Exaggeratio est, vt nec adeò clarum lumen, & tam gratum oculis super alia. Hoc lumen intelligebat cæcus Tobias, cùm quereretur, moderatè tamen [z]: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?*

Minimè profectò inter errantes errasse videntur, qui ex creaturis pro DEO Solem coluerunt, quod præ aliis Plinius [a] fecit, ac prisci illi homines, Platone teste [b]. Reprehenditur hic error, in quem Iudæi ipsi quandoque sunt prolapsi, à Prophetis. Et Moses [c] ipse prædocuit, præmonuitque, ne pulchritudine illecti id facerent. Quin & coërcendi fuerunt à Leone Papa [d] Christiani, vt aliàs monui [e], qui Solem exurgentem venerabantur de loco celsiore, seque, priusquàm ad B. Petri Basilicam peruenirent, superatis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur, conuerso corpore ad nascẽtem Solem reflectebant, & curuatis ceruicibus in honorem splendidi orbis inclinabant: ídque siue ignorantiæ vitio, siue Paganitatis spiritu. Mirum si non & Heliam Solem esse crediderunt, propter cognationem cum Græco Solis vocabulo ἥλιος, & Heliæ in igneo curru, in quo & Sol seu Phaëton insidens pingitur, translationem. His certè de causis Beda [f], Sedulium [g] citans, Gentiles opinatur suum illud commentum ex perperàm intellectis diuinis literis hausisse. Id Chrysostomus [h] etiam tradit. Lege Lipsium [i], & de nostris Pontanum [k], atque Gretserum [l], & Pamelium [m] de ritu precandi, & extruendi templa ad Orientem, non Gentilium duntaxat, sed etiam Christianorum, de quo item & nos alibi [n]. Adductos in suspicionem adorati Solis Christianos, testis Tertullianus [o], quòd innotuisset eos ad Orientis regionem precari, & diem Dominicum, qui Solis dicitur, lætum ac festum celebrare.

De pœna verò excæcationis pereruditè disserit Petrus Faber [p], ob libidinis perpetrationem, ob armentum dispalatum, ex quo quis bouem abigere pararet, si id à feris dilaniatum fuerit, ob frumentum ex horreis furatum: quæ tria crimina secundùm tropologiam ad Elymam applicari possunt.

Et confestim.] Respondet illis præcedentibus verbis, *& nunc*. Repentina excæcatio index est virtutis diuinæ, atque miraculi; *nec cæcitatis plagam*, vt falsè Tertullianus [q] loquebatur, *de præstigiis fuisse*. *Ea ipsa hora*, inquit Syrus.

Cecidit in eum caligo, & tenebræ.] *Initium cæcitatis, ac ipsa demum perfecta cæcitas*, vt ait Glossa interli-

[r] cap. 3. *Melius est enim, &c.*
Cæcitatis Elymæ causa.
[s] lib. de anima c. 57.
[t] ca. 8. de Diu. nominib.
[u] 2. Tim. 2. 13.
[x] Tom. 1. An.
[y] in Biblioth.
[z] Tob. 5. 12.
An inter errantes sint qui Solẽ pro Deo colunt.
[a] lib. 2. cap. 6.
[b] in Cratylo.
[c] Deut. 4. 19.
[d] homil. 7. de Natiuit.
[e] cap. 1.
[f] lib. de 10. q. q. 28.
[g] 1. Pascha ca. 13 & libr. 1. Carm.
[h] Hõ. de ascẽ. Eliæ.
[i] ad 3. Hist. Taciti.
[k] in 12. Æne. & Progymn. 7. secũdæ partis tertij libr.
[l] 1. de cruce c. 26.
[m] in Tertull.
[n] cap. 1.
[o] Apolog. ca. 16.
De pœna cæcitatis.
[p] lib. 3 ca. 19. Semestrium.
[q] lib. de Anima c. 57.

nearis, & Hugo. Arator etiam ita rem describit:

—tunc nubila vultum
Cæruleis fixère notis, & pectoris atri
Venit in ora color.—

Poëticè loquitur, nec existimandum aliquid positiuum in eius oculos ceu hirundineum stercus in Tobiæ decidisse [a]. Sola fuit priuatio lucis ab extrinseco sic immissa, perinde vt si res aliqua meatus obstruxisset oculorum.

a Tob. 2. 11.

Caligo in oculis quid sit.

Pro caligine est ἀχλὺς, quæ licèt generaliter nonnunquàm significet idem quod σκότος, hoc est, *obscuritas, & tenebræ*, tamen, auctore Galeno [b], *est oculorum quoddam πάθος, nempe ducta similitudine ab aëris perturbatione, & crassamento spissiore qui in nebula, tenuiore quàm nubes, oculi cicatricula à superficiaria exuberantia contracta, & totum ferè oculi nigrum comprehendens, colorisque cærulei.* Si quid huiusmodi in Mago admittitur, id ita fiat, vt miraculi celeritas retineatur, sicque in oculis notæ illæ cæruleæ, quas Arator cecinit, extiterint, vt non sensim, sed simul, semélque puncto temporis lucis vsuram penitus amiserit. Nec abhorret tamen à vero alia sententia, cùm contrà nescio quis cæcus à CHRISTO curatus, non viderit continuò perfectè [c], eóque modo mitior, ac lentior pœna ad resipiscentiam prouocauerit.

b in ll. 2. Hippocra. Prorrh. com. 2. n. 11.

c Mat. 8. 24.

Et circuiens quærebat qui ei manum daret.] Simile quid passus erat Paulus in via Damascena, adhuc persecutor [d], nisi quòd antequàm imploraret, comitum manibus prehensus, ac ductus est. Græcum participium περιάγων, designat *corporis totius in orbem motionem, & circumductionem*; quæ familiaris est cæcis palpantibus, ac circumtentantibus, quà possint tutò ingredi ac progredi, aut alieno seu hominis, seu rei alterius fulcimento vti. Hinc est quod ad molēdum, seu ad hauriendum, vel ad onera attollendum iumentis vtamur cæcis, aut obductos velamine oculos habentibus, vt circulariter sese commoueant; quæ est aptior motus ratio pro huiusmodi operibus, & ad tale Samson cæcatus à Philistæis adhibitus est [e].

d Act. 9. 8.

e Iud. 16. 21.

Etsi porrò pridem dixi, priuatam Paulum, propriámque non vltum in Elyma puniēdo iniuriam, sed communem Ecclesiæ, DEI que ipsius; nihilominùs non abs re censeri debet super hoc Anastasij Nicæni parænesis [f], *Ne concitemus viri sancti iram, quia* DEVS *facit eius voluntatem, exauditque illius preces, & execrationem* [g]. Inter alia huius rei exempla profert istud, & illud aliud de Anania, & Saphira [h]: atque ita sanctum malis exitialem, *& odorem mortis ad mortem*, bonis salutarem esse, *ac odorem vitæ ad vitam* [i]. *Caueamus item*, admonet Antiochus Abbas [k], *contradictores, & contumaces esse veritati*, confirmans vnà cum isto etiam Alexandri ærarij exemplo, de quo lamentans, & vaticinans idem Apostolus, Timotheum [l] conuenit his verbis: *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet ei Dominus: quem & tu deuita; multum enim restitit verbis nostris.* Postremò redi in memoriam eorum, quæ cùm de Simone dissererem [m] admonui circa pœnas, quas Apostoli de nonnullis adeò graues sumpserunt, cùm id non fecerit CHRISTVS: flagellans summùm templi violatores [n]: & qua ratione lex sanciatur suppliciorum seueritate, necnon malo exemplo sic obuiam eatur: atque impedimentis Euangelicæ prædicationis. Hanc vltimā in primis causam Isidorus Pelusiota [o] insistit, cur Paulus diuino de amandis inimicis præcepto [p] non sit nunc aduersatus, idque vel maximè *quoniā Proconsulis opera vniuersa natio ad salutem facilè alli-*

f quæst. 75. in Script. Tom. 1. Biblio. Pat.
g Eccli. 4. 5. 6.
h Act. 5.
i 2. Cor. 2. 16.
k hō. 22. Tom. 2. Bibl. Patrū.
l 2. Tim. 4. 14. 15.
m cap. 8.
n Ioan. 2. 15.
o lib. 1. ep. 354
p Mat. 5. 44.

A *ci, & subigi poterat: cæcitate etiam Magum admonitum in Pauli se disciplinam tradidisse, incredulitatem curasse, sanitatem adeptum esse.* Sed quod de curata incredulitate asserit, ne his quæ dicta sunt repugnet, accipiendum erit non de conseruata semper fide, sed de adepta, & ad tempus tātùm retenta.

Beda [q] vbi contulit cæcitatem Tobiæ, Pauli, Elymæ, de hoc indicat æternæ subiectum vltioni fuisse. Sic verò (quod propter singulariter piam tropologiam omittere non debeo) loquitur: *Et mihi, si detur optio, malim cum tanto patre*, Tobia, *siue diuinis, seu humanis subiacere iustis verberibus, quam ab iniustitia verberū vi*, vt Paulus, *ad iustitiæ studia trahi: rursúmque malim à culpis flagello retrahi, quàm pro insanabili pondere peccatorum*, quemadmodum Elymas, *æternæ vltioni subijci.*

q hoc loco.

B

Tradunt Elymam recepto visu posteà Barnabæ valdè restitisse in Cypro. Id quidem Prateolus [r] asserit: sed alium idoneum Auctorem non legi: solùm scribit in actis Barnabæ Alexander Monachus [s] concitatam à Iudæis de Syria descendentibus persecutionem in ipsum, qui & illum occiderint. Cùm autē eidem communicat Elymæ cæcationem, sicut & Pauli Sergij conuersionem, & similia, debet intelligi de summa quadam inter eum & Paulum amicitia & consensu, vt quod C faceret vnus, censeretur alius facere.

r in Elencho.

s apud Surium 11. Iunij.

Versus 12.] **Tunc Proconsul cùm vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini.**

TVNC *Proconsul cùm vidisset factum.*] Vidit nec dolis, fallaciísve Paulū agere, nec DEVM auctorem excæcationis Magi, edere falsitati testimonium miraculo: quod miraculum verum esse non ambigebat, cùm aliis ex circunstantiis, tum ex Magi persona, quoniam diabolus diabolum non expugnat, *ne sit*, vt olim CHRISTVS ratiocinatus est, *eorum diuisum regnum* [t].

t Matth. 12. 25. 26.

D Miraculi vis tanta fuit, quòd Proconsulem reddidit ἐκπληττόμενον, perculsum, attonitum, obstupefactum, horrore plenum, vt fortasse ad persuadendum non fuerit opus pluribus: tametsi ad consequendam fidem diuinam, si iam nō præcesserat, aut non adeò explicita, amplior ei posteà, & accuratior catechesis impensa sit. Non puto virum Consularem, cui administratæ ratio prouinciæ reddenda erat, abdicatis illicò rebus, Pauli discipulum, & sectatorem euasisse, sed aliquod in medio tempus fuisse.

De hoc Sergio Paulo Romanum Martyrologium & Bedæ Martio mense [u]: *Narbone in Gallia Natalis S. Pauli Episcopi Apostolorum Discipuli,* E *quem tradunt fuisse Sergium Paulum Proconsulem, qui à Paulo Apostolo baptizatus, & cùm in Hispaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem Episcopali dignitate donatus est: vbi prædicationis officio non segniter expleto, clarus miraculis migrauit in cœlum.* Vsuardus in suo quoque Martyrologio collocat illum pridie Idus Decembris, & Vincentius Belloua censis, quem mox citabo; Ado XI. Kal. Februarij; Beda XI. Kal. April. Dicit verò ab eodem Paulum nomen accepisse, quia fidei CHRISTI subegerat. Mentionem de eodem facit Prudentius [x]:

Surget & Paulo speciosa Narbo.

Præterçà Gregorius Turonensis [y], Petrus Cluniacensis [z], Vincentius Bellouacensis [a], Petrus de

u die 22.

x Peri Stephan. hymn. 4.
y 1. Hist. Franco. cap. 30.
z lib. 1. ep. 2.
a 9. Spec. histor. cap. 49.

Natalibus[a], Turonensis, & Cluniacensis adnumerant Galliarum Apostolis, & prior ex Actis sancti Saturnini refert cum aliis sex sub Decio floruisse: quod non cohæret cum ætate Proconsulis, Pauliue Apostoli. Pendet etiam huius Narbonensis Episcopatus ex Pauli Apostoli profectione in Hispaniam, quæ vt sit probabilis, nondum penitus ac indubitatè creditur, qua de re nonnihil anteà disserui.

a lib.1.c.60.

Sine dubio in aliis prouinciis Gallicana singulariter illustrata est prædicatione, & præfectura Ecclesiastica, aut Apostolorum, aut CHRISTI Discipulorum, aut Apostolicorum virorum, vt præter iam à me laudatum Cluniacensem, ex instituto demonstrat Claudius Espensæus[b]. Propter Sergium Paulum Narbona potuisset de primatu contendere, sicut Arelas propter Trophimum, vt dicemus capite 20.[*]

b in 2. ep. ad Timoth. Digress.16.

* versu 4.

Versus 13.] Et cùm à Papho nauigassent Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Ioannes autem discedens ab eis, reuersus est Ierosolymam.

ET *cùm à Papho nauigassent Paulus, & qui cum eo erant.*] Syrus, *Paulus autem, & Barnabas per mare peruenerunt à Papho vrbe.* Ἀναχθέντες δὲ ἀπὸ τῆς Πάφου οἱ περὶ τὸν Παῦλον. Erasmum Iacobus Lopes Stunica hîc vellicat, vt sui ipsius immemorem, qui vertat: *Cùm autem à Papho soluissent ij, qui cum Paulo erant*; cùm Ioannis vndecimo[c] Vallam reprehenderit, quòd pro translatione nostra; *Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam,* πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν, καὶ Μαρίαν, reposuerit, *ad eas quæ erant circa Martham, & Mariam*, ignorans Græcos, quando verbi gratia Platonem significare volunt, τοὺς ἀμφὶ Πλάτωνα, vsurpare: palamque sit Iudæos non ad eas inuisendas venisse, quæ circa Martham, & Mariam erant, sed ad illas ipsas, vt consolarentur de fratre suo. *Non debuit igitur*, ait Stunica, *Erasmus excluso Paulo, eos, qui cum ipso erant, soluisse interpretari.* Hæc eadem censura notat auctorem suum, efficitque nec debuisse ab Interprete alium exprimi, quàm Paulum. Scio quid respondeat, copiosiùs ab illo redditum Latinè Græcanicum idiotismum, eò quòd intelligeret Interpres, non soluturum Paulum sine sociis. Sed & noui præpositionis περὶ, & ἀμφὶ, cum accusatiuo personæ vsum duplicem esse, vel pro persona ipsa, vel pro comitatu & sodalitate ipsius: quæ persona plerunque reperietur apud Auctores aut princeps esse, aut doctoris fungi officio, illum autem stipare militum solet turba, huius à latere discipuli raro discedere. Quapropter apud Ioannem cum Martha, & Maria principibus fœminis, reliquus earum comitatus exprimi potuisset: at non oportuit, cùm illæ, quæ potissimùm visebantur, non incomitatæ satis intelligerentur: & ibi Euthymius obseruauit idem valere πρὸς τὰς περὶ, &c. ac sine præpositione. Quanquàm in Catena Græca hæc non legatur, vt ante me vidit Maldonatus. *Cum Paulo erant Barnabas, Ioannes, Marcus, & aliqui fortasse*, inquit Carthusianus, *ex Proconsulis familia conuersi.*

c versu 19.

Pergen Pamphyliæ.] Vnica proditur Perge, aut Perga, vnde Diana Pergæa, aut Pergasia, ob templum ibi illi conditum: ita vt non ad discrimen, sed ad prouinciæ notationem sit facta additio. De Pamphylia dudū diximus[d] esse in Asia minore inter Ciliciam, & Syriam, ita vt ab Ortu habeat Trachæam Ciliciam, quam etiam tangit: ab Occasu Lyciam cum Asiæ minoris parte, & monte Climace contiguo, atque Phrygiam: à Septemtrione Galatiam & Cappadociam cum Pisidia contigua: à Meridie mare Mediterraneum, quod ibi vocatur Pamphylium. Gagneius ait olim vocatam Mopsopiam: sed huius nominis non aliam reperio, quàm quæ ab Strabone[e] dicitur Attica. Extat alia Pamphylia regio in Isauria, & tertia ciuitas in Macedonia.

d cap.2.10.

e lib.9.

In Pergensi ciuitate aut non hæserunt Apostoli, aut nil memoria dignum egerunt. Certè non inutiliter vllibi consistebant, neque *adulatio vel honor iam credulo Proconsule illos emolliuit, aut retinuit*, inquit Chrysostomus. Hoc est *Neminem salutare per viam*[f], opus prædicationis iniunctum sedulò exequi, absque iactura temporis, & omni mora reiecta, cunctisque sublatis impedimentis[g].

f Luc.10.4.

g Ambros. in Luc. & Euthym. Augu. Sermo.42 de Sanctis. Grego.hom.17.in Euang.

Ioannes autem discedens ab eis, reuersus est Ierosolymam.] *Nolens tot itinera conficere, & subire pericula*, inquit Chrysostomus, & Oecumenius. Hæc fuit causa dissidij posteà inter Paulum & Barnabam, Paulo nolente redeuntem admittere, quòd discessisset[h].

h Act.15.38.& seq.

Versus 14.] Illi verò pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi Synagogam die Sabbatorum, sederunt.

ANTIOCHIAM *Pisidiæ.*] Differt ab Antiochia Syriæ, de qua capite secundo; maléque cum illa confunditur, vt monuit Glossa ordinaria. Pisidiæ prouincia est in Asia minore, finitima Pamphyliæ, Lycaoniæ, Isauriæ. Plinius[i] *populos eius* ait *ante i dictos Solymos; alij Lycios: malunt nonnulli vtrisque tantùm contiguos fuisse.* Certè Homerus[k] describit Bellerophontem missum à rege Lyciorum ad Solymos debellandos.

i lib.20.c.27.

k 6.Iliad.

Synagogam.] Lege capite sexto[l] quid esset Synagoga, & quis vsus eius.

l vers.9.

Die Sabbatorum.] De nomine, & die Sabbati lege cap.1.[m] Salsè sed impiè Agatharcides, quem citat Iosephus[n], & quem Augustinus[o], Seneca, *custodiendo Sabbato Iudæos septimam ætatis partem perdere dictitabant, & libertatem.* Idem est dies Sabbatorum, & dies Sabbati: significant enim etiam Sabbata, dies hebdomadæ, vt obseruat Euthymius[p], & Nicephorus[q]: ac proinde positus absolutè dies Sabbatorum, eum denotat, qui propriè est dies Sabbati: quemadmodum vna[r] Sabbatorum est prima inter dies hebdomadæ. Huius acceptionis aliud occurret exemplum capite 16.[s] & in historia Machabæorum[t], alibique in Græco exemplari. Quare falluntur, qui putant nomen Sabbati in singulari semper poni ad significandam eā diem, quæ est septima, Sabbata, ad totam hebdomadam. Nam prima Sabbati apud Matthæum[u], & quam Marcus[x] vocat *vnam Sabbatorum*, est prima hebdomadis: sicut è contrario *dies Sabbatorum*, in Marco, & præsenti loco, & aliis citatis, est septima eiusdem. Lege Maldonatum[y], & Riberam[z], & Toletum[a].

m vers.12.

n 12. Antiq. cap.1.

o 6.de Ciuit. c.11.

p in cap. vlt. Matthæi.

q 1 Hist. c.13

r Ioan.20.

s vers.13.

t lib.1.c.2.32. 34.41.

u cap.28.1.

x cap.16.

y in Matt.28.

z 5.de Temp. c.1. nu.5. & 6.

a Ioan. 5. annot.11.

Non improbabile, diem ipsum septimum, atque

festiuum numero multitudinis denominatum *Sabbatorum*, quia die illo multa DEVS legitur Iudæis beneficia contulisse. Quo pacto Epiphaniæ diem vocant solemnitatem Epiphaniorum Hieronymus [a], Cassianus [b], Isidorus [c], & alij: quoniam eo die tria celebrantur miracula: quidam etiam solemnitatem appellant Dominicorum, quæ dicitur dies Dominica, quòd talis dies multis nobilitetur benedictionibus, multis mysteriis sanctificetur, Creationis, Resurrectionis CHRISTI (nostram eodem futuram die nonnulli credunt) Aduentus SPIRITVS sancti, Natalis CHRISTI, & Baptismi, & primi ab eo editi miraculi, & aliis, vt aliàs memini [d]. Adde his Theophilum in Synodo Palæstina, quę extat apud Bedam [e], & Leonem [f].

a epist. 3. ad ... b collat. 10. c. 2. c 1. Offi. c. 27.

d præfat. in Euang. Dominic. e tom. 2. li. de æquinoctio verno, siue de celebra. Paschæ. f epist. 81. ad Dioscorum.

Testantur porrò Homiliæ, & Sermones Patrũ, non semel per hebdomadam Dominico die, vt præcipit Clemens [g], & scribit de Ambrosio Augustinus [h], sed frequenter, ac penè quotidiè, Quadragesima præsertim, habitam prædicationem: cuius rei testimonium est in eodem Augustino [i], & Chrysostomo [k], aliisque citatis à me tractatu de ritibus Quadragesimæ, vt omittam festos incidentes alios dies. Sic non est iam vt olim [l], *pretiosus rarusque* DEI *sermo, siue verbum*, postquàm omnipotens ille sermo à regalibus sedibus venire, & VERBVM seipsum effundere dignatum est.

g 2. Const. c. 59. h 6. Confess. c. 3. & ep. 74. i lib. de gestis cũ Emerito. k Hom. 43. in Matth. l 1. Reg. 3. 1.

Sederunt.] Vt auditores (quod & de CHRISTO duodenni legimus [m]) captantes hac modestia opportunitatem cum aliorum gratia & vtilitate docendi. Sedemus quidem hodiè, dum intersumus Ecclesiastæ, siue Concionanti: sed olim non tantùm, quod etiam nunc facimus, dum recitaretur in Missa Euangelium, stabant qui aderant, ex institutione Anastasij Papæ primi [n], immò & Clementis [o], id verò faciebant quoque Græci, teste Micrologo [p], ad lectiones Apostolicas, id est, ad Epistolas, quam laudat Isidorus Pelusiota [q], & eam non obseruantem Alexãdrinum Episcopum Socrates [r], Nicephorus [s], & Sozomenus damnat [t]. Lege Abulensem [u]. Verùm etiam populus prædicationem stans audiebat, vt apparet ex Augustino [x], & Constantinum id obseruasse testis est Eusebius [y]. Ambrosius [z] tradit solitos sedere in cathedris seniores dignitate, sequentes in subselliis, nouissimos in pauimento super mattas. Optatus [a] innuit vetitum populo sedere in Ecclesia: *Populus*, ait, *in Ecclesia sedendi non habet potestatem*. Sed Clemens [b] contrarium supponit. Hac eadem de re hoc libro alibi diximus.

m Luc. 2. 46.

n ep. ad Episc. Germaniæ, & Burgund. de consi. dist. 1. o 2. Cõst. c. 61. p cap. 9. q libr. 1. epist. 136. r 7. Hist. c. 19. s lib. 12. c. 34. t 9. Trip. c. 39. u præfat. in Matt. q. 12. & 13. x lib. 50. Homil. in 26. & Serm. 49. de Diuer. y in vita. lib. 4. c. 33. z in Lucam. a 4. con. Parmenia. b 2. Constit. cap. 57.

Versus 15.] Post lectionem autem legis, & Prophetarum, miserunt principes Synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.

POST *lectionem autem legis, & Prophetarum.*] Mos erat recitandi ex Bibliis aliquid in Synagoga Sabbato, quæ per legem, ac Prophetas intelligi, aliàs notaui, vt produnt Iosephus [c], & Philo [d].

c 2. cõt. Apio. d in vita Mosis, & lib. Quòd probus sit liber, & lib. de legat. ad Caium.

Tradunt Hebræi legem siue Scripturam Pentateuchi pro numero ferè hebdomadarum anni distributam fuisse in sectiones quinquagintatres, quas vocant פרשות *perasoth*, quarum constarent singulæ centum & trigintasex versibus: verùm postquàm eos libros Antiochus cõbussisset [e], earum partium loco totidem de propheticis libris decerpsisse, quæ priori lectioni congruerent sensu: nunc autem etiam vigere consuetudinem, vt Sabbatis post diei sectionem legalem, cantent propheticam quam appellant הפרתה *haphrathah*, id est, *missam*, siue *missionem*, quoniam ea finita dimittunt plebem. Legendus Elias in Tisbi.

e 1. Machab. 1. 59.

Quia verò traditum CHRISTO ipsi librum, & ab eo lectum lego [f], antequàm diceret, censeo vtrumque in vsu fuisse, vt & prior aliquis ex inferioribus ministris prolixius aliquid legeret, tũ is, qui dicturus erat, ceu thematis loco, breuiter ex libro recitaret, quod solent memoriter Concionatores nostri. Vbi non adeò probabilis videtur Toleti [g] sententia, CHRISTVM in Synagoga antequàm diceret, lectionem illam priorem magis prolixam vsurpasse. In Ecclesia olim etiam extra Missam, ac diuina Officia (de quibus rituum Ecclesiasticorum tractatores) lectiones celebrabantur vel ex sacra Scriptura, vel continentes insignem historiam, quamuis recentem, vt tradit Augustinus [h].

f Luc. 4. 17.

g in c. 4. Luc. ann. 21.

Vnus ex minoribus est ordo Lectoris, qui consecratur in traditione libri Prophetiarum (etsi nonnullis [i] videtur satis esse tradere ipsi librum epistolarum) quas debeat legere. Iulianum, qui fuit deinde Apostata, sexdecim adhuc tredecimve annorum, inter Clericos profitentem cum Gallo, & in Clerum cooptatum, diuinos libros lectitasse narrat Nazianzenus [k], *cum id sibi*, inquit, *non minus amplum, & honorificum esse existimaret, quàm aliud quiduis.* Apud Augustinum [l] inuenio, cùm iussisset legi locum ex hoc ipso libro Actuum Apostolicorum, relegendo interpretatum. Alioqui exploratum habetur ab Euangelij recitatione, mox haberi solitam homiliam. Quod rectè demonstrat Ioannes Stephanus Durantus [m], nósque præfatione ad Euangelia Dominicalia. Videtur huc Clemens [n] allusisse, cùm dicit post lectionem legis & Prophetarum, necnon Epistolarum, & Actuum Apostolorum, atque Euangelij, præmissa populi salutatione, debuisse sacerdotem habere sermones exhortatorios ad populum.

h Sermo. 7. de S. Stephano. & 22. de Ciuit. c. 8. i Sylu. verbo, Ordo. 2. §. 1. & Tabie. §. 3.

k oratio. 1. in Iulianum. l Serm. 11. de Diuersis.

m 2. de Ritib. Eccle. 25. n 2. Cõst. c. 4.

Miserunt principes Synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, &c.] Nec hinc, nec aliunde colligi posse arbitror, quod autumant Caietanus hoc loco, Maldonatus [o], & Toletus [p], liberum in Synagoga vnicuique fuisse dicere si quid occurreret, vt apud nos in publicis disputationibus (eum morem non habent omnes Academiæ) disputare. Nam licèt priore epistola ad Corinthios [q] pluribus prophetare, seu interpretari licuisse significetur; non tamen perturbatè, ac sine ordine, & moderatione. *Omnia*, inquit ibi, *honestè, & secundùm ordinem fiant* [r].

o in c. 4. Luc. p ibidem.

q cap. 14. 30.

r vers. vlt.

CHRISTO ipsi docenti in templo Principes Sacerdotum, & Seniores populi obiecerunt, *In qua potestate hæc facis, & quis dedit tibi hanc potestatem* [s]? & CHRISTVS *Cathedram Moysi fatetur esse Scribarum & Pharisæorum* [t]: & docendi populum siue concionandi Sacerdotum fuisse colligitur ex Osea [u], Aggæo [x], Malachia [y], vel quibus potestas fieret à summo Sacerdote, seu per seipsum, seu per alium. Hoc in Euangelica lege proprium Episcoporum munus est, vt aliàs docui, vel qui à sede Apostolica, Episcopóve loci auctoritatem acceperit, cùm *nemo prædicare possit, nisi mittatur* [z]. Consulendus antè citatus Ioannes Stephanus Durantus [a], qui id maximè confirmat

s Matt. 21. 23. Marc. 11. t Matt. 23. 2.

u cap. 4. 6. x cap. 2. 12. y cap. 2. 7.

z Rom. 10. 15. a 2. de Ritib. Eccl. c. 25.

testimonio Synodi Trullanæ[a], Leonis Papæ[b], Nazianzeni[c]: his adde iuris ciuilis à Balsamone[d] allatam sanctionem. Hussitæ ac Pauperes de Lugduno liberam cuiuis laico permittebant prædicationem, contra quos Castro[e], & alij.

Quare mihi quàm verisimile fit, Archisynagogum, seu Synagogæ principem, de quo alibi[f], suas cuique vices vel dedisse, vel permisisse: & nonnisi hac lege, siue CHRISTVM, siue Paulum, siue alios in Synagogis sermonem habuisse, hoc est, aut vltrò inuitatos, aut impetrata ad dicendum potestate. Nunc inuitatur Paulus, non se ingerit, sic merces, vt dicitur, non vltroneas carius venditurus, vilius expositurus.

Est ergo malus Logicus Caluinus[g], & qui Syllogismis eius concludi se sinunt, omnes ad Scripturæ lectionem promiscuè admittendos. Non esse cuiusuis disputationem de fide, ostensum est aliàs[h]: & constat ordinariè initiatis duntaxat concionem permitti, laicis perraro, vt Nicephorus[i] tradit. Bullas ingerit, & inania verba Bullingerus[k], dum anxiè queritur publicam tractationem Scripturarum inscitia dominante redactam ad inutilem cantum, horásque canonicas, quæ *initio*, inquit (ô egregium etymologum!) *tale nomen habuerunt à Canonicis Scripturis quotidiè tractari solitis in collegiis Ecclesiasticis*. Manasse potuit isto ab exemplo consuetudo in Ecclesia, quam retinuit Ambrosius[l], & Cyrillus Alexandrinus[m], & in se seruatam non semel, testis est Cæsarius Arelatensis[n], & incustoditam conqueritur Nyssenus[o] ab Helladio Cæsariensi Episcopo, vt peregrini Episcopi inuitarentur ab eius ciuitatis Episcopo, ad quam diuertissent. Immò extat de hac re decretum Concilij Carthaginensis IV.[p] his verbis: *Episcopi vel Presbyteri si causa visitandæ Ecclesiæ ad alterius Ecclesiam venerint, in gradu suo suscipiantur, & tam ad verbum faciendum, quàm ad oblationem consecrandam inuitentur*. Idem constituit Clemens[q]: *Est enim*, inquit, *hortatio, & monitio, hospitum grata, & mirum in modum vtilissima, siquidem Nemo Propheta*, inquit Dominus, *acceptus in patria sua*[r]. Addit de offerenda EVCHARISTIA, aut saltem benedictione populo impertienda.

Eusebius[s] narrat permissam ab Aniceto Papa potestatem Polycarpo, cùm in Vrbem venisset ex Asia, vt offerret EVCHARISTIAM. Piam hanc, humanámque priscæ religionis consuetudinem B. Cardinalis Borromæus, vt alias non paucas, & facto, & decreto reuocauit[t]. Apud Cassianum[u], aliósque Monachi ab his quos visebant ad verbum ædificationis, exhortationis, consolationis prouocabantur.

Si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.] Non placet mihi tam accurata, & rigida Glossæ interlinearis notatio, *in dubitante formula signum esse perfidiæ: exhortationem nominatam, non prædicationem, aut electionem* (nisi potiùs lectionem voluit) *vt fieret ad plebem* (est verò nomen λαῶ, non solius infimæ sortis hominum, vt nec semper Latina vox plebis, quod aliàs admonitum est[x]) *non ad se, qui non indigerent*. Præferunt magis hæc verba humanitatem, & in Archisynagogo aliisque aut fidem, aut propensionem ad illam, & beneuolentiam aduersùs Apostolos, *quos*, ait Carthusianus, *ex habitu, & gestu, & totius oris forma ac moribus censuerunt religiosos, & pios*. Denique παράκλησις latiùs patet, comprehendens consolationem, vt hîc vertit Syrus, & omnem

a can. 64.
b epist. 63.
c citatur à Syno Trull.
d in dictum can. Synodi Trull.
e aduersus hæres. verbo, [illegible]
f Actuum 18. 8.
g hoc loco.
h à 2. Dispu. de fide.
i 15. Hist. c. 14
k hoc loco.
l Serm. 41. veteris edit.
m Hom. 7. & 8.
n in Sermon.
o ad Amphilochium.
p can. 33. 7. q. 1. c. Episcopi.
q 2. Const. c. 58. vel 62.
r Luc 4. 24.
s 5. Hist. c. 23.
t in Actis Eccles. Mediol.
u in collationibus.
x c 4. 10.

doctrinam; vocátque Paulus[y] *consolationem Scripturarum*.

Versus 16.] Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israëlitæ, & qui timetis DEVM, audite.

SVRGENS *autem Paulus*.] Iam dixi capite primo[z], quid sibi velit surgere. Simplex sensus est, vt meliùs à multitudine exaudiretur: ac fieri potest, *vt Archisynag[illegible], ac auditorio vniuerso*, quod ait Carthusianus, *honorem assurgendo tribuerit*: vel potiùs, vt more docentium locum superiorem conscenderit, sed ibi resederit: illud item, vt tantisper, dum ex sacro codice quippiam recitaret, erectus steterit reuerentiæ causa. Sed adhuc, opinor, more Iudæo, velatus caput: iam verò ad huiusmodi lectionem, præsertim solemnem Euangelij, id ab omni velamine detegimus, vt loquitur vetustus codex in expositione Missæ, quia CHRISTVS proprium suum caput pro nobis spinea corona velatum habuit. CHRISTVS ipse surrexit legere Esaiam, vt Lucas[a] narrat, vbi tamen Toletus putat stetisse Paulum in hoc sermone. Ex gradibus aræ, vel ex ambone haberi solebat sermo sacer ad populum. Audi Prudentium[b]:

Fronte sub aduersa gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes prædicat vnde DEVM.

nec abludit carmen Sidonij[c]:

Seu te conspicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs sedula circumsistit,
Exposita legis bibat auribus, vt medicinam.

Tribunalis, ac pulpiti nomen vsurpat ad hoc propositum Cyprianus[d]. Ambo non est vox Latina, *quòd intrantem ambiat*[e], *cingátque, aut gradibus ambiatur*[f], sed Græca, qua Socrates[g] vtitur, & concilium Laodicenum[h]. Eadem est eius significatio atque τῆς ἄμβωνος, *pro supercilio petræ*, siue *superciliosa eius eminentia*[i], *fastigio, & accliuitate montis*, quasi sit ἐν τῷ ἀναβαίνειν, vnde fortassis & in scutis vmbo. Esdras, *vt legeret librum legis Domini ad stantem populum, stabat ipse super gradum ligneum in platea, quam fecerat ad loquendum super omnes eminens*[k]. Iudith quoque allocutura multitudinem super obtruncato Holoferne, ascendit in eminentiorem locum[l]. Plura Ioannes Stephanus Durantus[m].

Porrò prodit ac surgit ad dicendum Paulus verbi dux, altérque Mercurius[n], potiores ei semper & vbique Barnaba cedente partes, non secus ac Ioannes cedebat Petro, vt obseruat Chrysostomus, *quamuis enim abduxisset eum à Damasco, & venerabilior esset, adhuc minorum*, & iuxta vulgarem opinionem, *attamen ad communem*, inquit, *vtilitatem spectabam*.

Manu silentium indicens.] Κατασείσας τῇ χειρί. Sæpiùs de hoc ritu dixi, quem Chrysostomus non debuit proprium Iudæorum appellare. Solebat ante lectionem sacram voce clara Diaconus imperare silentium. Extat huius ritus mentio apud Clementem[o], ex quo Isidorus[p]. *Scriptum est enim*, inquit ille, *Tace*[q], *& audi Israël*; rursus: *Tu autem sta ibi, & audies. Similiter*, ait idem Pontifex, *Diaconus populum speculetur, ne quis murmure obstrepat, dormitet, aut nutus faciat: oportet enim stare in Ecclesia sapienter, sobriè, & vigilanter, auribus ad verbum Domini intentis*. Multa in eandem

y Rom. 15. 4.
z vers. 13.
a c. 4. 16.
b Hymno 11. de S. Hippol.
c carm. 16.
d lib. 2. ep. 5. lib. 5. ep. 5.
e vt Vualfridus Strabo dicit c. 6. de reb. Eccles.
f vt Duran. in Rationali lib. 4. ca. 14.
g lib. 6. ca. 5.
h can. 15.
i Suidas, & alij. Hesych. Galenus, & alij in Appéd. Thesauri.
k 2. Esdr. 8. 4. & 5.
l Iudith 13. 16.
m 2. de Ritib. Eccl. cap. 14.
n Act. 14. 11.
o 2. Const. ca. 57. & lib. 8. c. 11.
p li. 1. Offic. c. 10.
q Deut. 27. iuxta 70. pro quo nostra editio, Attende, & audi.

A

sententiam Ambrosius [a], Basilius [b], Chrysostomus [c], Isidorus Pelusiota [d].

Laudat verò Nazianzenus [e] hoc nomine Nonnam matrem, *quod in sacris conuentibus, aut locis nunquam illius vox audita sit, exceptis necessariis, & mysticis.* Non parua laus in mulieribus, quæ libentius, ac sæpius in Ecclesia, vt ait Augustinus [f], *ita garriunt, ita verbosantur, vt lectiones diuinas nec ipsæ audiant, nec alios audire permittant.* Canones super hac re Pontificum, & Conciliorum recitat Ioannes Stephanus Durantus [g], Pij V. Concilij Tridentini, Coloniensis, Basiliensis, Lugdunensis, Africani. Legenda sacri Silentij mirabilia etiam in profanis exempla apud Ambrosium [h], & in Monachis Ægypti apud Cassianum [i]. Iudith [k], & Esdras [l] concionem habituri, silentium indixerunt. Egeret Ecclesia non minùs silentiariis, quàm Imperatoris olim familia, in qua ad ea quæ quietis eius erant, vt Procopius loquitur [m], adhibebantur.

a 3. de Virginib. & præf. Psalmorum.
b in Ps. 28.
c Hom. 74. in Matthæū, & 36. in 1. Corinth. & 38. ad populum.
d lib. 1. ep. 45.
e orat. 19. in laudem patris sui.
f Serm. 251. de Tēpo. quē etiam lege in 215.
g 1. de ritib. Eccle. c. 26.
h 3. de Virginibus.
i 2. de Inst. c. 10.
k cap. 13. 16.
l 2. Esd. 8. 7.
m 2. de bello Persico.

B

Viri Israëlitæ, &c.] Hic est primus Pauli sermo planè dignus tanto Apostolo, propter doctrinam, & efficaciam. Similitudinem habet cum Petri ac Stephani iam expositis sermonibus. Summam colligit Lyranus: DEVS *ille, qui tot patribus antiquis contulit beneficia, vobis in semine Dauid redemptionem promisit, hanc in* IESV *Nazareno adimpleuit: illi ergo vt Redemptori adhærendum.*

C

Et qui timetis DEVM.] Spectare hoc videtur ad Gentiles proselytos & alios, *qui ex religione*, vt notat Arias, *conueniebant Sabbatis in Synagogas ad audiendum, & cognoscendum de lege*: alioqui non erat apponenda coniunctio *&*. Placet hoc magis, quàm quod ait Glossa interlinearis, *timentes segregatos*, quia non omnes timebant DEVM: vel quod habet ordinaria, quæ est etiam Chrysostomi, *laudem omnium interposuisse, vt eos conciliaret sibi.* Lege caput 2. [n]

n vers. 11.

Versus 17.] DEVS plebis Israël elegit patres nostros, & plebem exaltauit, cùm essent incolę in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea.

D

DEVS *plebis Israël.*] DEVS ipse DEVM se Israëlitici populi sæpe nominat: & hunc populum filium suum, seu puerum, aut seruum. Apud Oseam [o] vsurpat nomen filij, vbi tamen per Israël intelligit decem Tribus, quæ verè ex Ægypto vocatæ sunt, tametsi non solæ, sed & aliæ duæ. In Cantico B. Virginis [p] vocatur Israël *puer* DEI, & Zachariæ, DEVS *Israël* [q], & Simeonis [r], *plebs* DEI. Omnium est, fuit, erit DEVS [s]: at olim in solo Israël colebatur: Dij autem Gentium erant Dæmonia [t], quod etiam Darius simul agnouit, edicto sanxit [u]. Hoc videlicet est pactum, quod pepigit DEVS cum Abraham, *vt esset* DEVS *eius, & seminis illius post ipsum* [x]. Peculiaris & illa causa talis appellationis est, quia de Israël DEVS carnem sumpturus erat [y]; ideóque tot ei prærogatiuas contulerat.

o cap. 11. 1.
p Luc. 1. 54.
q ibid. 68.
r Lu. 2. 32.
s Rom. 3. 29.
t Ps. 95. 5.
u Dan. 6. 26.
x Gen. 17. 7.
y Rom. 9. 4. 5.

E

Elegit patres nostros.] Sic Petrus [z], & Stephanus seipsos cum auditoribus Iudæis coniungentes vocant patres nostros, *& Abraham patrem nostrum* [a], ad conciliandam sibi eorum beneuolentiam. Patriarchæ potissimùm intelliguntur illi, quibus promissio facta est de nascituro ex semine ipsorum CHRISTO, quales Abraham, Isaac, Iacob cum posteritate vsque ad exitum ex Ægypto. Crebra prætereà mentio de populo electo & patribus eius [b]. Primum DEI opus est liberalis atque gratuita electio: *nec nos enim priores eligimus* DEVM, *sed ille nos* [c].

z Act. 3. 13.
a infrà 7. 2.
b Deut. 4. 37. ca. 7. 6. ca. 14. 2. ca. 26. 18.
c Ioan. 15. 16.

Et plebem exaltauit, cùm essent incolæ in terra Ægypti.] Cùm ibi præesset Ioseph, quādo, vt in suo dixit sermone Stephanus [d], *creuit populus, & multiplicatus est in Ægypto.* Restringit Glossa interlin. hanc exaltationem ad liberationem à seruitute: sed huius mentio fit sequentibus verbis: & exaltare maius quid significat: quamuis & in modo liberationis exaltati fuerint Hebræi apud Pharaonem, & subditos ipsius. Exaltare dicitur DEVS erigere, subleuare, cùm ita iuuat, ac in tuto, & veluti in alto collocat, vt non sit qui insurgere valeat. Inter alias causas, cur DEVS nominetur solus ALTISSIMVS [e], est, quoniam immunis est ab omni iniuria, ita vt *ad altissimum illud refugium non accedat malum, aut flagellū* [f]. Nec est, vt puto, aliena expositio illorū verborum Psalmi [g]: *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*, aut secundùm Septuaginta, ἐξουδένωσας, *magni pendisti vilissimos*, vt vertit Hieronymus, *filiorum*, quasi hos abiectos, & viles erigens, & attollens.

d Act. 7. 17.
Exaltare Deus quando dicatur.
e Ps. 82. 19.
f Ps. 90. 9. 10.
g Psal. 11. vlt.

In brachio excelso.] In potentia magna. Vt enim quis ictum fortiter imprimat, brachiū altè attollit, iuxta illud: *Leua manus tuas in superbias eorum* [h]; & apud Esaiam [i], *Adhuc manus eius extenta.* In brachiis, ac lacertis robur, virésque existunt. Obuia sunt exempla in Scripturis, ita vt etiam iungatur ad maiorem ἔμφασιν cum brachio potentia, atque fortitudo [k]. Sufficit B. Virginis testimonium, sic optimè Incarnationis magnitudinem exprimentis [l]: *Fecit potentiam in brachio suo*, vt quidem placet in Lucam Bedæ, atque Cyrillo, & Theophylacto, necnon Augustino Canticum id exponenti.

In brachio excelso, quid sit.
h Ps. 73. 3.
i ca. 5. & multis aliis.
k Iob. 22. 8. Ps. 88. 11. 14. Esa. 51. 9. & 62. 8. Dan. 11. 6.
l Luc. 1. 51.

Fateor brachij vocem CHRISTO tribui, seu secundæ TRINITATIS personæ, perinde vt SPIRITVI sancto nomen digiti [m]; *portat* enim omnia *verbo seu brachio virtutis suæ* [n]: qua de re alibi monui [o]. Sed nec DEIPARAM eò respexisse arbitror [p], nec Paulum hoc loco. Moses reuocans populo in memoriam potentem istam liberationem, eadem vtitur dicendi forma [q], *ponens simul manum fortem, ac robustam, & brachium extentum.* Neque verò facere quippiam in brachio extento, vel manu forti, accipitur semper de illato supplicio, interdum etiam de alio opere, in quo se DEI potentia, virésque quodammodò maximè exerunt. Sic Ieremias argumentatur, nihil esse DEO impossibile [r]: *Heu heu Domine* DEVS, *tu fecisti cœlum & terram in fortitudine magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum.* Vbi obiter aduertendum, quòd cœli dicuntur *opera digitorum* DEI [s], & facti manibus DEI, ea ratione qua & *in intellectu* [t], quia magis affabrè, ac veluti maiore artificio: ita vt in iis præter potentiam, enitescat sapientia ipsius.

m Luc. 11. 20.
n Heb. 1. 3.
o c. 1. vers. 8.
p quod tamen sentit Beda, Strabus, Theophylactus, & Glo. in catena S. Thomæ.
q Deut. 4. 34. & 5. 15. & 7. 8. 11. Exod. 16. 6.
r cap. 32. 17.
s Ps. 8. 4. & Ps. 101. 26.
t Ps. 135. 5.

Versus 18.] Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto.

ET *per quadraginta annorum tempus.*] De quadraginta annis in deserto lege caput septimum [u]: hîc autem est particula ὡς, *quasi*, seu *circiter*, fauens opinioni de quadragintaduobus. Ribera [x] defendit fuisse præcisè quadraginta, numerando

u vers. 36
x annot. 5. in 02.

ab

ab egressu ex Ægypto. Verbum ἐτροποφόρησεν Syrus vertit, *nutriuit*. Sed nostra editio melior est: significat enim τροποφορεῖν, ferre mores alicuius, accommodare se ad illos, inseruire moribus alienis, vt solet mater, seu nutrix, vel pædagogus non sine molestia, ac tædio. Notauit id Budæus[a], simúlque M. Tullium hoc verbum in ista significatione Græcando vt solet, cum Attico suo, vsurpasse. Τὸν τῦφόν μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον[b], *Indulge ambitioni meæ insanæ, & insolenti*, vel *elationi meæ*.

Nescio an qui nutriendi, alendíve verbo sententiam præsentem præter Syrum exponendam senserunt, Arias, & Gagneius, vel ἐτροφοφόρησεν legerint, vel potiùs respexerint ad eos, quos maximè dixi alterius ingenium tolerare, & patientiam ad id accommodare solere, nimirum educatores, ac institutores. Certè DEVS dum exprobrat duros ac intolerandos populi mores in deserto, obiicit se matris functum officio aduersùs illos, ita vt tæderet eum, aut in immorigeros filios scuticâ, flagellúmque cogeretur experiri. Vtrumque sensum agnoscimus in illis Psalmi verbis[c]: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic*, aut *offensus fui*: duo enim hæc significat προσοχθίζειν, siue προσοχθεῖν. Proximum verò esse, est insistere, imminere, impressionem facere, nimirum crebris calamitatibus vrgendo, quasi dicas Italicè, *gli sono stato adosso*. Hieronymus propter Hebræum אקוט akut, reddit, *displicuit mihi generatio illa*; Aquila, & Symmachus, δυσαρεστήθην, *displicuit mihi in generatione illa*; Septuaginta, προσώχθισα, id est, vt explicat Euthymius, *inimicus ei eram, atque implacabilis*. Lege Riberam[d]. Item quot molestias DEO ceruicosus hic populus exhibuerit, consule libros Exodi[e], Numerorum[f], Deuteronomij[g]: & tamen sustinuit incredibili DEVS benignitate adeò peruersos mores: quos cùm Dauid recensuisset, subdit[h]: *Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos*. Rupertus dum explicat locum Oseæ[i]: *Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & nescierunt quòd curarem eos, Miram*, inquit, DEI *patientiam, cuius & Paulus in Actibus Apostolorum meminit his verbis: Et per quadraginta annorum tempus, &c*. Tum subdit: *Sicut enim nutritius puerulum, qui nondum ad intelligibilem ætatem peruenit, sed nec discretionem adhuc habere potest boni, ac mali, patienter suffert, & infantiles eius ineptias, quamuis interdum commotus, reuerberet, adhibitis sæpius consolatur blandimentis, & quimlibet ingratum portat in brachiis: sic Dominus* DEVS, *qui hæc loquitur, populum rudem, & spiritualia nescientem mysteria cœlestis regni* DEI, *patienter sustinuit, & quamuis multorum ex illis corpora prosterneret in deserto*[k], *residuis tamen multis & magnis blandiebatur miraculis, circumducendo illos, & docendo, vt Moses ait*[l], *& custodiuit quasi pupillam oculi sui*. Non potuit præsens, quam tractamus, sententia paucioribus, magísque appositis verbis enucleari. Quapropter quod asserit Chrysostomus, *Paulum sola commemorare* DEI *beneficia, tacere de criminibus populi*, concedo apertè non facere, satis tamen profectò innuit, dum DEI tolerantiam commendat.

Versus 19.] Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum.

ET *destruens gentes septem in terra Chanaan*.] Hæc est terra Promissionis[m], quam Glossa post

A Clementem ait[n] *obuenisse post Diluuium, Sem, ex quo Hebræi, ita vt iure sint inde pulsæ Gentes illæ, quæ eam violentè occupauerant*. DEVS tamen alias duas causas assignat, tum scelera Gentium illarum, præsertim quòd impedierint Hebræos in itinere: tum pollicitationem, quam ipse de ea fecerat[o]. Genesis[p] enumerat ex Chanaan filios vndecim, qui totidem Gentibus nomen dederunt, Sidonem, Hethæum, Iebusæum, Amorrhæum, Gergesæum, Heuæum, Aracæum, Sinæum, Aradium, Samaræum, Amathæum.

Reperitur præterea Chananæorum nomen dictum communiter de illis vndecim: quamuis & inter Palæstinos, & Amorrhæos pars habitata à B Chanaan patre, vel ab aliis descendentibus ex aliquo vndecim filiorum Chanaan, qui siue pietatis, siue honoris causa ita dici voluerint, hoc nomen sit sortita. Lege Ariam[q]. Ex his septem præcepit DEVS[r] deleri, & suum ad id auxilium Iosue promisit[s], Chananæam, Hethæam, Heuæam, Pharezæam, Gergesæam, Iebusæam, Amorrhæam. Est autem Pharezæa idem quod Samaræa, vt quidam putant. Et constat, septem has Gentes, quæ terram eam habitabant, quæ ab Hebræis deinde occupata est, in Scriptura interdum pluribus, paucioribus nonnunquàm nominibus vocari, ob diuersas familias, quæ varia nomina obtinebant. Reliquias earum gentium, C quæ superfuerant, subiugauit Salomon in tributarios[t].

Dicitur porrò DEVS ipse gentes has destruxisse, quoniam plus valuit in acquirendis illis diuina virtus, quàm humana. *Nam manus* DEI *gentes disperdidit, & plantauit eos, afflixit populos, & expulit eos. Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera* DEI, *& brachium eius, & illuminatio vultus illius, quoniam complacuit in eis*[u]. Denique bellorum à DEO sunt successus[x], qua de re Agathias[y].

Sorte distribuit eis terram eorum.] Eorum, vel Patrum, vel illorum, qui erant inter gentes. D Aptior videtur posterior sensus, qui meliùs expressus esset pronomine fœminino, sicut fecit Syrus interpres: qui tamen non expressit sortem, vt debuit.

De sortitione terræ Promissionis habetur in libris Numerorum[z], Deuteronomij[a], Iosue[b], & Psalmorum[c]; & notabile est, ita rectam, & temperatam diuino consilio, vt quales regiones olim Iacob multis antè seculis sub mortem vaticinatus fuerat[d] plerísque Tribubus obuenturas, & Moses cùm è vita esset exiturus[e], tales cuique sors sub Iosue obiecerit. Et opus tamen sorte in distribuendis regionibus fuit, quia prædictiones non erant adeo claræ, vt sufficerent ad amouendas, dirimendásve controuersias inter homines E auaros, & pertinaces, maximè cùm ex rebus post multa secula venturis penderet explanatio plurium verborum in illis vaticinationibus, vt quòd Benjamin inter humeros DEI esset requieturus seu habitaturus[f], ex loco, qui destinandus erat templo.

Quis in sortiendo seruatus sit modus, ignoratur. Improbabile est quod Iosephus[g] tradit, quam sors cumque Tribum nominasset, eam ex propositis regionibus optione aliquam delegisse. Paulò probabilior Rabbinorum[h] sententia, in vrnam vnam sortientium Tribuum, in alteram descriptarum regionum conjecta nomina fuisse;

Left margin notes (trimmed at the edge): Comment. ... g. Græca. — ...st hoc in ...13. ep. 29. — ...94. 8. — ...iro esse ...1. — ...3. ep. ...n. 15. — ...4. & — ...1. & ...0. & — ...38. — ...1. — ...4. — ...10. — ...5. ...7. ...8. ...2.

Right margin notes: n l. Recogn. — o Deut. 9. 4. 5. — p cap. 10. 16. 17. — q in Apparatu lib. Chanaan. — r Deut. 7. 1. — s Iosue 3. 10. — t 2. Paral. 8. 7. 8. — *Quomodo Deus dicatur gentes destruxisse.* — u Psal. 43. 3. 4. — x 1. Reg. 14. 6. cap. 17. 47. 2. Paral. 14. 11. &c. 25. 8. 1. Machab. 3. 18 lib. 2. cap. 8. 18. — y lib. 1. — z cap. 26. 55. 56. cap. 33. 54. & 34. 2. 13. cap. 36. 2. — a cap. 1. 38. & cap. 31. 7. — b cap. 16. & sæpe toto libro. — c Psa. 77. 60 — d Gen. 49. — e Deut 33. — f Deut. 33. 12. — *Modus sortiendi.* — g lib. 5. Antiq. cap. 1. — h lib. de pactis, seu contract. p. 1. c. 1.

A tunc Eleazarum Pontificem corá omnibus quassasse, sursúmque ac deorsum vrnas agitasse, extrahendo hinc Tribus cuiuspiam nomen, hinc regionis. Concedi etiam potest Andreæ Masio [a] vnica hydria, siue vrna, in qua essent regionum nomina, quæ sigillatim educerentur cuique Tribui, pro cuiusque prærogatiua. Arias [b] mauult ex Vrim, & Thumim, quæ in Pontificis pectorali custodiebantur, recitata nomina, agri sortes, hoc est, situs, & confinia ex vrna petita. Porrò regiones constituti metatores prius designauerant per funiculum, non quidem materialem, quis enim sufficeret immensæ terrarũ amplitudini? sed imaginarium, ac mathematicum, quales Geometræ animo fingunt, & per parallelos, lineásque designant. In dimetiendo autem ratio habita est Tribuum, vt partes proportione Geometrica tribuerentur iuxta cuiuslibet Tribus amplitudinem, vel modicitatem [c]. Nihilominùs, vt nuper monebam, sorte res transacta est, vt diuino iudicium humanum approbatum dissidia præcideret, dum cuiuis Tribui sua obrigit æqua pars, perinde ac fuerat priùs distincta. Attamen duabus Tribubus ac dimidiæ, anteà per Mosem [d] diuisa erat terræ pars trans Iordanem. Lege Abulensem [e], qui totam hanc rationem exactè pertractat. De generali sortium vsu capite primo [f].

a in cap. 15. Iosue.
b in cap. 15. Iosue.
c Num. 26. 53. 54. 55. 56.
d Num. 34. 14. 15.
e in cap. 18. Iosue. q. 5.
f vers. vlt.

Versus 20.] Quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & post hæc dedit Iudices vsque ad Samuelem Prophetam.

QVASI *post quadringentos & quinquaginta annos.*] Textus Græcus, & editio Syra hęc verba nectunt cũ sequentibus. Interprès autem noster dispungit. Græcè sic est: Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις, καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτάς. Syriacè hoc modo: *Porrò quadringentis, & quinquaginta annis dedit eis Iudices.* Beda sequens nostram lectionem, interpretatur factam diuisionem promissæ terræ dicto annorum spatio, computando à natiuitate Isaac. Nam inde ad egressum Hebræorum de Ægypto, abierunt anni quadringentiquinque, quibus additi anni quadraginta peregrinationis in deserto, & circiter quinque bellorum Iosue, post quæ bella contigit diuisio, existunt omninò quadringenti quinquaginta. Gagneius consentaneè ad lectionem Græcam ita subducit numerum, vt post Ægyptiacam libertatem Moses præfuerit populo quadraginta annis, Iosue vigintiseptem, Othoniel quadraginta, Aoth octoginta, Barach, & Debora quadraginta, Gedeon quadraginta, Abimelech tribus, Thola vigintitribus, Iahir vigintiduobus, Iephte sex, Abessam septem, Aialon decem, Abdon octo, Samson viginti, Eli quadraginta, Samuel & Saul quadraginta: qui omnes constituunt quadringentos quadragintasex annos, ac proinde circiter quadringentos quinquaginta. Q. Iulius Hilarion [g], mille annis antiquior auctor, docet loqui Paulum non de tempore captiuitatis Ægyptiacæ, sed sola, in quibus Hebræi Iudices habuerunt, & dominati sunt, tẽpora nominare. Horum autem sic init numerum: Iesus *Naue*, inquit, *cum senioribus iudicauit annis* 31. *posteà cùm ob peccatũ traditus populus esset Chusan-rasathaim regi Mesopotamiæ per annos* 8. *missus est Gothoniel, qui iudicauit annis* 50. *deinde seruiit idem populus Eglon regi Moab per annos* 18. *tunc iudicauit Aoth per annos* 80. *rursum Iabin Rex Chananæorum subiugauit sibi populum per annos* 20. *& occisus cùm rex esset, iudicauit Debora annis* 40. *expleto hoc spatio, traditus est Madianitis per annos* 7. *illis expugnatis iudicauit Gedeon per annos* 40. *post illũ præfuit filius eius annis* 3. *post hunc Thola annis* 22. *tum Iabir annis quoque* 22. *redactus est populus in seruitutem Ammonitarũ per annos* 18. *successit iudex Iephte annis* 6. *Sebon* 7. (Abesan voluit dicere) *seruiuit populus Allophylis, seu Palæstinis, per annos* 40. *postea iudicauit Samson per annos* 20. *successit Semergar per annũ* 1. *tandem populus absque Iudice pacificus degit per annos* 30. *quibus expletis, Heli Sacerdos iudicauit per annos* 20. *Samuel per* 40.

Quo tempore facta sit diuisio promissæ terræ.

g in Chronol. hac de durat. mũdi. tom. 7. Bibl. Patrum. *Iuly Hilarionis opinio.*

B Colligit hoc modo summam 561. annorum sub Iudicibus, siue à Iosue vsque ad Samuelem. Sed monet si soli præcisè sumantur anni Iudicum sine annis captiuitatis mediæ, qui sunt centum vndecim, existere numerum ab Apostolo positum annorũ 450. computando scilicet 30. annos interregni pacifici ante Heli. In hac supputatione, si mendum non est Typographi, ad 561. desiderantur 10. anni: nec ij quos Auctor ait à Paulo significari, sunt plures quàm 440.

Prætereà Othoniel (quem ille vocat Gothoniel) præfuisse scribitur in libro Iudicum [h] non 50. sed 40. annis, sicque minor adhuc denario summa redditur. De Abimelech filio Gedeon non C exprimitur præfecturæ tempus [i]. Semergar nullus fuit, sed Samgar, hícque post Aod, non post Samsonem, nec quandiu præfuerit notatum est [k]. Non meminit etiam Hilarion de Aialon, & Abdon, è quibus prior iudicauit annis 10. [l] posterior 8. [m] atque ita omnes anni forent 569. Quòd Iosue tenuerit annos 31, in imperio, non reperio. Itaque parũ tutus chronologus Hilarion.

h cap. 3. 11.
i cap. 9.
k cap. 3. 31.
l cap. 12. 11.
m cap. 12. 14.

Caietanus inhærens quoque eidem lectioni Græcæ, reponit 350. pro 450. *Quantum*, inquit, *ferè tempus inter Iosue, ac Saulem fluxit, & quo toto tempore Iudices fuerunt.* Errorem probat in numero nostro: quoniam templum fundatum narrat Regum historia [n], postquàm Hebræi Ægypto sunt D egressi anno 480. hinc detractis 80. regni Saül, & Dauid, & 50. administrationis Mosis ac Iosue, restant 350. Refellitur Caietanus ex fide communi Auctorum, & ex auctoritate codicum omnium, atque vulgatæ editionis.

Caietani sententia.

n lib. 3. c. 6. 1.

Gagneius, prætérquàm quòd omittit interregna, seu interstitia nonnullorum Iudicum (à Iair ad Iephte verbi gratia, vacatio fuit annorum 18) & aliis [o] videntur censendi in 40. annis Othonielis ij, quibus rexit Iosue, atque illi, qui excurrerunt inter Iosue, & Othoniel: & Abulensis [p] contendit, Iudicum tempus esse annorum 380. inchoando à morte Iosue, & interregna computando, includit Samuelis, & Saulis annos, E quos Paulus potiùs excludit, saltem 20. Samuelis, quot durauit principatus ipsius.

Gagnei & Abulensis.

o Ribera l. de templo cap.

p præf. in lib. Iosue. q. 5.

Quod ad Bedam attinet, nescio cur ab ortu Isaac incipiat numerare, cùm nulla hîc de illo sit mentio. Alia ex parte tempus Iudicum, quod, comprehẽsis interregnis, peruenit ad annos 457. etsi Beda definiat 396. Abulensis [q] 380. proximè accedit ad nostrum numerum 450. solétque taceri minor, & supprimi à Scriptura. Aloysius Leon [r] quinquaginta annos supra 400. accipit de 40. consumptis in deserto, & aliis ferè 10. in subiugandis bello Chananæis, ita vt 400. spectent ad tẽpus, nõ quo Hebręi morati sunt in Ægypto, sed quo promissio facta est de terra promissionis.

Bedæ num. & aliorum.

q supra.

r in cap. 1. epist. ad Gal.

Qua

Quæ opinio incidit ferè cum Beda, ſicut & quod ait Arias, excepto quòd ſeptem annos duntaxat tribuit debellationi gentium illarum. Ioannes Benedictus exponit ab exitu Ægyptiaco ad nonum annum Ioſue: Vatablus illum terminum initialem ponit, nullum finalem.

Equidem hoc vnum habeo, quod dicam, malle me, neſcientem editionis noſtræ reddere rationem, illam ſequi eius auctoritate contentum, quàm vel parum firma illam ratione illuſtrare, vel aliam ſiue Græcam, ſiue Syram ſequi: quod facere tamen Canus [a] maluit, intelligens de Iudicibus cum Eraſmo, & Pagnino. Atque ita omniũ expoſitionum erit, quam dedit Beda, minimè improbabilis. Recipit illam Gloſſa ordinaria, & Lyrani, & Hiſtoria Scholaſtica, & Carthuſianus, & Hugo. Vidi etiam poſteà placuiſſe Barradio noſtro [b]. Incidi etiam in Salmeronem, qui computat, vel à natiuitate Iſaac, vel ab ingreſſu Iſraëlitarum in Ægyptum vſque ad Iudices, vt nempe tot fluxerint anni, ad vſque terræ promiſſionis poſſeſſionem. Lege quæ diximus capite ſeptimo [c].

Auſtoris ſen-[...] (partial margin note)
[...]r. de locis [...]eol. c. 5. ad (partial margin note)
[...]n Har. lib. [...] 10. (partial margin note)
[...]ſ. 6. (partial margin note)

Iudices porrò fuerunt Hebrææ Reipublicæ Magiſtratus primi; poſteà enim, vt mox dicetur, Regibus vſi ſunt, tum Principibus, denique iterum Regibus. Iudicibus Rempublicam adminiſtrantibus, regiminis forma erat Ariſtocratica, partimque Monarchica. Nam Iudex iudiciorum, cõſiliorum, & bellorum principatum tenebat: abſoluebat prætereà, damnabátve abſque minorum Iudicum conſilio, fora variis locis agendo, & conuentus [d]: necis tamen ſententiam ferre non poterat, niſi legis præſcripto, quo Reges poſteà ſoluti fuerunt: neque vllum ei commodum, aut præmium, aut ſtipendium, aut ſplendorem licebat vſurpare, vt apparuit potiſſimùm in Samuele [e]. An populum conuocare, habere Senatum, & cum vtroque agere, quæ viderentur è Republica, potuerit, non adeò quidem liquet ex Iudicum libro: ius id tamen habuiſſe, quod Moſes, ac Ioſue, & Reges exercuerunt poſt Iudices, par eſt credere. Non erat hæreditarius principatus: populi tantùm ſuffragio deferebatur, modóque vnius familiæ, & modò vnius Tribus homini, DEO plerumque, vt hunc, aut illum deligeret, in mentem populi inſpiranti. Nec rarò vacatio erat, tum maximè, quando pax vigebat: erat quippe primaria Iudicis inſtitutio ad bella: ius autem ſanciebatur à Synedrio, & à Pontifice, præter priuatos Iudices, cum Leuitis. Gedeon oblatum Principatum ad quartam vſque generationem, & vt populo dominaretur, citra regium duntaxat nomen, ſapienter, ac modeſtè refutauit, more præceſſorum Iudicis fungens officio [f]: *Non dominabor*, inquit, *veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur Dominus.* Id ipſemet DEVS malebat, vt apparuit ex indignatione ob poſtulatum regem [g]: dignum ratus, vt in poſſeſſionem terræ promiſſionis populus iam immiſſus arctiore vinculo retineretur in ſeruitute ipſius, quam etiam terram tueri poſſent abſque Principe, ſi in obſequio diuino permanſiſſent. *Aut enim aduerſarios*, ait Abulenſis [h], DEVS *ipſe deterruiſſet, ſicut prius Chananæos perſequi volentes Iacob* [i]: *aut effeciſſet, ne quis animum hoſtilem gereret contra illos. Hoc ſibi volunt verba illa tam benigna prolixæque pollicitationis* [k]: *Cum tulero Gentes a facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini ter in anno.* Lege eundem Abulenſem [l], & Ariam [m], & Sigonium [n].

[...] 4. 5. 1. [...] 16. 17. (partial margin note)
[...]g. 12. 3. (partial margin note)
[...] 23. (partial margin note)
[...] 6. (partial margin note)
[...] lib. (partial margin note)
[...] 24. [...]em [...]ou. [...] 2. (partial margin notes)

Verſus 21.]. Et exinde poſtulauerunt regem: & dedit illis Saül filiũ Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta.

ET *exinde poſtulauerunt regem.*] Diſplicuit DEO poſtulatio, & in rege primo voluit extare poſtulationis ingratæ memoriam [o]; Saül enim Hebraicè idẽ eſt quod *poſtulatus*. Indignabatur DEVS *querens ſe abiectum, ne regnaret ſuper eos* [p], triſtabatur Samuel, & hac præſertim ipſa de cauſa; & quòd ex filiorum culpa poſtulandi occaſio ſumpta eſſet; & quia profitebantur ſe Gentium ceterarum hac in re imitatores: & quoniam, vt Ioſephum [q] Abulenſis [r] prodere ſcribit, vnum de filiis ſuis regem conſtitui volebant, putantes hoc pacto faciliùs impetraturos. Ioſephus tamen hoc non dicit, & repugnat querimoniæ eorundẽ de filiis Samuelis.

o 1. Reg. 8. 7.
p ibidem.
q 6. Ant. c. 3. & 4.
r 1. Reg. 8. q. 6.

Et dedit illis Saül filiũ Cis.] Ex hoc Cis fuit etiam Mardochæus [s], de ſtirpe Iemini, quæ eſt itẽ ſtirps Saül [t], *qui Iemini erat vir fortis robore.*

s Eſther 2. 5.
t 1. Reg. 9. 1.

De tribu Benjamin.] Quomodo igitur verum vaticinatur Iacob [u], non auferendum regnum de tribu Iuda? Reſponderi poteſt, ex quo in ea fuerit. DEVS autem inſpirator vaticinij præuidebat lapſum Saulis: poſtquàm verò cœpit primus de tribu Iuda ſceptrum tenere Dauid, tenuit id ea tribus ad Babylonis vſque captiuitatem: poſteà, licèt perſonæ, quæ regebant, eſſent Pontifices de tribu Leui, ditio ipſa eius regni, ac ſubditi, & ſedes regia erant in eadem tribu Iuda: ideò ſtetiſſe dicitur ſceptrum, imperiúmque Iuda, donec Herodes aduenit, nec iure hæreditario rex, nec populi ſuffragio, ſed à Romanis ſubmiſſus, ac violentè quoque admiſſus, & contra præceptum DEI [x], *ut non niſi de numero fratrum rex eſſet.*

Quomodo ſceptrum dicatur ſtare in tribu Iuda.
u Gen. 49. 10.
x Deut. 17. 5.

Inſulsè Rabbini quidam ſic autumant, impletum vaticinium de non auferendo ſceptro, ſiue principatu ex Iuda, donec veniret שילה *ſchiloh*, pro quo eſt in Latina editione, *Qui mittendus eſt*, nimirum donec in vrbe Silo vngeretur in regem Saül, qui erat ex tribu Benjamin. Iacob per Schiloh perſonam apertè intelligit: & Saül creatus eſt rex in Maſphat [y], & ante illũ Iudices populi erant, Heli, & Samuel, aliique ex aliis tribubus, quàm Iuda, & non defecit ſceptrum poſt ipſum in tribu Iuda: potiùs maximè fundatum eſt per Dauid, & conſtabilitum deinceps in poſteris eius per annos facilè quingentos: denique quo pacto conuenit Saüli, quod ibi proximè ſequitur: *Et ipſe erit expectatio Gentium?*

Rabbinorum in hac re opinio.
y 1. Reg. 10. 17.

Singularem prærogatiuam habuit, vt inter fratres Benjamin, ita tribus ipſius inter alias. In ſortem eius Ieruſalem, ac templum cecidit [z]: primus ex ea rex, vt modò dixi, Saül à DEO datus eſt, non amoturus ab ipſa regnum, ſi ille non peccaſſet [a]: ad eandem pertinuit cum Mardochæo Eſther [b] populi liberatores à ſuprema internecione [c]: poſtremò Paulum tulit [d], eximium Eccleſiæ columen, & ornamentum.

z Ioſue 18. 13.
a 1. Reg. 13. 13.
b Eſther 2. 5.
c Eſther 8.
d Rom. 11. 1. Philip. 3. 5.

Annis quadraginta] Beda, & alij poſt illum hoc dictum putant ex communi fama: ceterùm ex hiſtoria Regum, & aliis colligi Saülem cũ Samuele annis quadraginta præfuiſſe Iſraëli. Nam Salomó anno 480. egreſſionis filiorum Iſraël ex Ægypto, & regni ſui quarto cœpit ædificare templum Domino [e]: Iudices præfuerunt per annos 396. ad hos ſi 40. Dauid addas, & Salomonis quatuor, ſupererunt 40. quorum ait Ioſephus in regimine Samuelem viginti tranſegiſſe, Saülémque totidem. Abulenſis [f] aſſignat Samueli 22. Saüli 18.

Quid de ea Beda & alij. (faint margin note)
e [illegible] (faint margin note)
[illegible] (faint margin note)

a in ca.20.18. de Ciuit. b 1.Hist.sacr. Eupolemus apud Viue [a] 21. Saüli. Sulpitius [b] refellit opinionem de 30. vel 70. Saülis. Omnes cōueniunt in tempore, quod Paulus tribuit Saüli, computandos annos Samuelis. Sulpitij verba pauca hæc sunt: *De ætate imperij eius parum certa comperimus, nisi quod in Actibus Apostolorum 40. annos regnasse dictus est. Quanquàm ego arbitror tum à Paulo, cuius illa prædicatio refertur, etiam Samuelis annos sub regis istius ætate numeratos. Plerique tamen, qui de temporibus scripserunt, triginta eum annos regnasse annotauerunt, cui opinioni nequaquàm accedimus*, &c. Subdit post allatam confutationem dictæ sententiæ, aliam de 70. *Sed vnde*, inquit, *hæc auctoritas fuerit assumpta, non reperi*. Tum concludit: *Nos in tanta erroris copia, Chronicorum annotationem secuti, quia eam ex Apostolorum Actibus, sicut superius memorauimus, profectam arbitramur, Samuelem, & Saülem quadraginta annos principatum gessisse referimus*. Hactenus ille. Idem tradunt Eusebius [c], Nicephorus Constantinopolitanus [d], & alij.

c in Chron. d in Chron.

Quid Canus. e 11. de locis. cap. 5. ad 12.

Singularis est Canus [e] in hac re, dum contendit loqui Apostolum de annis 40. Saülis post Samuelem, nec huius annos includendos in annis illius, *cuius* inquit *annos Iosephum numerare 38. ita vt attribuat Samueli soli duodecim, & regnante Saüle decem & octo. Saüli post Samuelis mortem viginti, hoc est, quinquaginta ambobus*. Non vult communis opinio, vt iungantur omnes anni Samuelis cum annis Saülis, sed hi quos, cùm Samuel superesset, Saül regnauit, qui etiam iuxta computum Cani, erunt trigintaocto, hoc est, circiter quadraginta.

Quid Iosephus. f 6. Ant. in fi.

Quod ad Iosephum [f] attinet, is in exemplari Græco habet, Saülem viuente Samuele regnasse decem & octo annis, post mortem eius annis vigintiduobus, qui omnes sunt quadraginta. Sigismundus in sua versione detrahit duos: Ruffinus in sua dicit, quòd Saül regnauit, viuo Samuele, decem & octo, eo defuncto, duobus annis.

Quid Arias.

Nescio quid etiam velit Arias affirmando duos duntaxat fuisse Saülis annos: hîc autem computari omnes ab initio Samuelis vsque ad Dauidem: dixisset saltem cum aliis, vt cum Gregorio, & Angelomo, duobus tantùm dici in Historia Regum [g] regnasse Saülem tropologico sensu, quo *& vnius anni fuisse, cùm cœpit regnare, quia in principio bonus erat, & per annos duos bene vixit*. At simpliciter de duobus annis asserere, contradicit omni historiæ, & auctoritati.

g 1. Reg. 13. 1.

Quid Angelomus.

Angelomus meminit explicationis de Isboseth, qui duobus tantùm regnauit annis. Sed nec ad textum, nec ad rem nostram est. Augustinus [h] præter alios, regni Saülis annos numerat quadraginta, quem placet intelligamus comprehensis annis Samuelis. At Gregorius [i] præcisè negat illos, qui propriè ad Saülem pertinent, esse solùm duos. *Licèt enim*, inquit, *multis annis regnauerit, illis solis regnare dicitur, in quibus innocens, ac humilis fuisse perhibetur*.

h 18. de Ciuit. cap. 20.

i lib. 5. in c. 13. Reg.

Versus 22.] Et amoto illo, suscitauit illis Dauid Regem: cui testimonium perhibens dixit: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

Amotionis & exauctorationis causa.

ET *amoto illo, suscitauit illis.*] Nota est causa amotionis, & exauctorationis, temeraria diuinorum munium vsurpatio, & inobedientia: ita tamen, vt dum viueret, ius regni retineret; atque ab

A ipso Dauid iam designato rege tanquàm rex obseruaretur, & coleretur. Amotus ergo est, vel præciso vitæ tempore, quod fortasse diutius victurus erat, vel translato regno in aliam familiam, tribumque, quod in eius propria, si non peccasset, mansisset.

Quem non terrore concutiat, & modestum faciat Saülis ex tanta probitate in tam insignem improbitatem mutatio; D E I que iudicium adeò seuerè, quem ita benignè elegerat, reprobantis? Non ad permanendum electus est Saül Rex à Domino, *Sed secundùm populi cor durum*, inquit Augustinus [k], *& malum, datus ad eorum correptionem, non ad vtilitatem. Sed nescimus plerumque quid petamus, & iratus concedit* D E V S, *quod negat benignus*. *Electus est ille non secundùm gratiam*, ait Gregorius [l], *sed secundùm iudicium. Meminerint Reges, quòd* D E V S *mutat tempora, & ætates, transfert regna, atque constituit* [m]: *Dominatur super regnum hominum, & cuicunque voluerit, dat illud* [n]: *&, Regna de gente in gentem transfert, propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos* [o].

k in Psal. 61.

l lib. 4. in c. 1. 1. Reg. c. 1.

m Dan. 2. 21. n infra 4. 22.

o Eccl. 10. 8. p 1. Reg. 16. 11. & seq. q Psal. 77. 70. r Psal. 112. 7. & 1. Reg. 2. 8.

B

Suscitauit illis Dauid regem.] ἤγειρεν, quoniam ex vili statu elatus est [p], atque *de post fœtâtes acceptus* [q], *& de stercore erectus* [r].

Inueni Dauid filium Iesse.] Dauid pater non solùm Iesse, sed etiam Isai nominatus reperitur, & Naas, si credimus Abulensi [s], qui notat [t] quoque dici semper Isai in Testamento vetere, semel tantùm Iesse [u], cùm hoc modo in nouo dicatur passim: videri autem modicam literarum mutationem, sicut in Teram, & Tare, aliisque similibus. Attamen extat Iesse tum in Ecclesiastico [x], tum in fine Psalmi 71. [y]

Dauid patris nomen. s 2. Reg. 17. 9. 27. t in c. 1. Matt. in expos. textus. u Esa. 11. 1. 10.

C

x c. 45. 31.

In libro porrò Iudith [z] non hominis, sed regionis nomen est, nec opinor à Iesse patre Dauid, quamuis aliter nonnullis videatur, vt Salmeroni [a]. Syrus interpres retinet in nouo Testamento Isai, vt hîc, & alibi [b]. Hebraicè perpetuò legitur ישי Iischai, necnon Chaldaicè: Græcè, Ἰεσσαί. Latinus interpres variauit, nunc Isai, nūc Iesse. Verùm in libro Iudith [c], qui nō extat Hebræa lingua, discrepat Græca, Latináque editio, & pro *Iesse*, videtur Græcè poni γαιῶμ. Iosephus [d] viri nomen effert Iessæum.

y vers. 20. *Iesse non hominis, sed regionis nomen.* z c. 1. 9. a Tomo 4. tract. 27. sub princ. b Rom. 15. 12.

D

c cap. 1. 9.

d 6. Antiq. c. 9. & 10.

Emphasis est, ac exaggeratio & diuinæ liberalitatis, & propriæ laudis Dauid, quòd tam humili ex radice sit electus Rex, ex qua exiturus erat flos C H R I S T V S. Saül quidem, & alij opprobrando Dauid filium Isai solebant appellare [e], aut etiam nepotes eius [f]. Videtur verò mihi Scriptura, canens veluti Epithalamium, vel Epicædium Dauid, atque recitare volens cygnæum cantum eius, data opera hæc de illo verba cum dicto epitheto enunciare [g], *Hæc autem sunt verba Dauid nouissima: Dixit Dauid filius Isai: dixit vir, cui constitutum est de* C H R I S T O D E I *Iacob, egregius Psaltes Israël.* S P I R I T V S *Domini locutus est per me*, &c. *Nec tanta est domus mea apud* D E V M, *vt pactum æternum iniret mecum firmum in omnibus, atque munitum*, &c. Porrò tota hæc sententia D E I, quem Paulus hîc loquentem inducit, petita videtur tum ex libris Regum, tum ex Psalmis [h]. *Quæsiuit*, inquit Samuel alloquens iam reprobatum Saül, *Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus, vt esset Rex super populum suum*. In Psalmo sic habetur: *Tunc locutus es in visione Sanctis tuis, & dixisti: Posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea, inueni Dauid seruum meum*. Neutrobique legimus appellatum filium Iesse, sicut affirmat Paulus:

e 1. Reg. 20. 27. 30. 31. c. 22. 7. 8. 9. 13. c. 25. 10. lib. 2. 20. 1. f 3. Reg. 12. 16. 2. Paral. 10. 16.

g 2. Reg. 23. 1. 2. 3.

E

h 1. Reg. 13. 14. Ps. 88. 20. 21.

fortasse

A fortaſſe ad ſenſum, & ad rem ipſam reſpexit, necnon ad verba illa: *Exaltaui electum de plebe mea,* id eſt, de plebis fæce, de loco humillimo. Epiphanius [a] tradit, exordio naſcentis Eccleſiæ Ieſſæos dictos Chriſtianos à Ieſſe, ex quo CHRISTVS ſecundùm carnem [b]; & ſuſpicor ego per contemptum id à Iudæis nomen inditum, non quidem propter familiam Dauid, qui magni fiebat, ſed quadam alluſione ad illos, qui, vt dixi, per irriſionem appellabant Dauid filium Iſai.

a Hær.29. *Christiani dicti Iessæi.* b Eſa.11.1. Rom.15.12.

Virum ſecundùm cor meum.] Cor hoc loco eſt voluntas, interdum mens, vt aliàs dictum eſt. Mirum eſt, & meritò cum admiratione vſurpatum à Iob [c], *quòd apponit erga hominem* DEVS *cor ſuum,* & B immenſo cordi DEI adaptari quodammodò, atque conuenire homuncio valeat, ita vt in eum intelligentiam ſuam defigat DEVS, afficiatur erga ipſum, delicias collocet ſuas in illo. Æquum & iuſtum eſt, vt qui ſuum à DEO auertit, cor cum beſtiis, vt Nabuchodonozor [d], poſitum habere ſinatur. Non poteſt nô eſſe cor hominis, etiam Regis, cordi DEI ſubiectum, quoniam *id habet in manu ſua, & quocunque vult inclinat, ſicut diuiſiones aquarum* [e] *impetu fluentium;* quamuis, vt ait ille [f],

c cap.7.17. d Dan.5.21. e Prou.21.1. f Seneca in Hippol. Act.1.

—durus, & verè inſolens
Ad recta flecti Regius nolit tumor.

Et ſermo eius poteſtate plenus ſit, nec dicere ei quiſquam poſſit: cur ita facis [g]? At paucorum eſt cor habere C ſecundùm cor DEI. *Præſta* DEO *cor tuum molle, & tractabile,* inquit Irenæus [h], *& cuſtodi figuram, qua te figurauit artifex, habens in temetipſo humorem, ne indurans amittas veſtigia digitorum.*

g Eccl.8.4. h lib.4.ca.76

Imperator manu gerens mundum pingitur, DEVSque ſtatuat in DEI manu cor Imperator, vt cum mundo geſtet, regátque illum DEVS. Inaugurato Imperatori globus aureus in manum datur his verbis, quæ profert Palatinus Rheni: *Accipe globum ſphæricum, vt omnes nationes Romano Imperio ſubiicias, & Auguſtus glorioſus appellari valeas:* vt de inauguratione Comitis Hollandiæ proditum eſt [i]. Veteres imagines Heracliorum cum globo in manu, & Theodoræ Auguſtæ cum Michaële atque Thecla filiis exhibet in Annalibus Baro- D nius [k]. Primum in antiquis imaginibus Iuſtinianum reperio ſic inſignitum: ſed & ſcio æternitatis ſymbolum habitam ſphæricam figuram, & ad Imperij denotandam firmitatem, expreſſam eſſe [l]. In Bulla aurea Caroli IV. [m] traditur vnum ex Imperialibus inſignibus cum enſe, quem in proceſſione ſolemni, poſtquàm creatus eſt Imperator, defert ante illum Dux Saxoniæ, & ſceptro, quod geſtatur à Marchione Brandeburgenſe, pomum eſſe portatum à comite Palatino.

Inauguratio Imperatoris. i in Chron. Hirſaugi. k Tom.8.pag. 229. & tom. 10. pag. 326. edit. Roma. l Pierius li. 39. m cap.22.

Qui faciet omnes voluntates meas.] Quæcunque voluero, ſeu res volitas à me, præcepta mea, quam vocant Theologi, voluntatem ſignificatione de eodem E alibi dicitur, *quod fecerit rectum in oculis Domini* [n] (id eſt, fauentibus, & approbantibus, non ſolùm videntibus) *& non declinauerit ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Vriæ Hethæi* [o].

Præcepta Dei, voluntas ſigni dicta. n 3.Reg.15.5. o 2.Reg.11.2. & ſeq. *Quomodo Dauid ſecundum cor Dei fuiſſe dicatur.*

Hic ſermo, & hoc peccatum Dauid Dulcitium dubitatione pulſauit, quam ex octo quinto proponit loco, ſed vltimo ei Auguſtinus [p] reſpondet: *Quæris,* inquit Doctor, *quare dixerit Dominus,* nimirum præſcius futurorum: *Elegi Dauid ſecundùm cor meum, cùm talia, tantáque ipſe homo commiſerit.* Summa reſponſionis eſt, præuidiſſe in eo DEVM veracem pœnitentiam, humilitatem, pietatem, multa bona opera: vt licèt ſecundùm cor DEI non eſſet, quòd ille peccauit, tamen ſecundùm cor DEI fuerit, quòd pro peccatis ſuis congrua pœnitentia ſatisfecit. Tum concludit: *Hoc ſolum ergo in illo ſecundùm cor* DEI *non fuit, quod illi* DEVS *non imputauit: hoc itaque ablato, id eſt, non imputato (quod enim reuerà non aufertur,* DEVS *imputat) quid remanſit, niſi vnde veriſſimè diceretur: Inueni Dauid ſecundùm cor meum?* Subdit aliam expoſitionem; vt de CHRISTO id propheticè ſit dictum, quod nos modò non curamus: & ipſemet præcedentem fatetur per ſe intentam à Paulo.

p Tom.4.

Quæri adhuc poſſet, quomodo DEVS excipiat duntaxat peccatum admiſſum in Vriam. Sed conſule Abulenſem [q], qui numerationem populi grauius peccatum docet fuiſſe in populo, quàm in Dauid, eò quòd non debuiſſet populus id permittere: cùm autem fieret, DEO dimidium ſiclum ſoluere [r], vnde punitus eſt, non Dauid: præ alio autem peccato, hoc & alia eiuſdem Dauid leuia haberi.

q 3.Reg.15.q. 4 & lib.2.ca. 24.q.17.11.32. r Exod.30.10.

Errant Hæretici, negantes poſſe in hac vita aliquem eſſe verè, atque coram DEO iuſtum, & totam legem implere, quod eſt *facere omnes voluntates* DEI, *& ambulare in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela* [ſ]. Ad hoc non requiritur, vt ipſis videtur, nunquàm in omni vita vel vnum legis iota tranſgredi, immò neque etiam vllo tempore grauiùs peccare: ſufficit ſi quis ea faciat, quæ DEVS ab illo exigit ſecundùm eum ſtatum, in quo conſtitutus eſt (ſicut è contrario dicitur *omnium reus* [t], *qui mortaliter delinquit in vno*) & pro aliquo tempore nullum habet mortale peccatum. Ille meretur abſolutum nomen iuſti, ait Baſilius [u], *qui etſi vnum, aut pauca peccata* (immò etiam multa) *commiſit, fecit tamen multas iuſtitias, à peccatis illis liber.*

Hæreticorum error refellitur. ſ Luc.1.6. t Iacob.2.10. u Hom.de Pœnitentia.

Idem docent Hieronymus [x], & Ambroſius [y], nominatim agentes de Dauid, qui multis bonis vitia compenſauerit; nempe etiam mortalia, quæ eſſe poſſunt in Prædeſtinatis, nec ideò propriè venialia, quia veniam tandem conſequuntur: ſicut neque reproborum peccata omnia merentur nomen mortalium, vt malè Caluinus ſenſit. Cuius & illud ineptum eſt, *vocari Dauid virum ſecundùm cor* DEI *in* CHRISTO *capite ſuo, hoc eſt, propter externam imputationem.* Peculiare quiddam de Dauid dicitur; hoc autem æquè in quemuis fidelium, ne refragante quidem Caluino, conuenire poteſt.

x 2.cont.Iou. y Apol.1.Dauid.cap.6.

Verſus 23.] Huius DEVS ex ſemine, ſecundùm promiſſionem eduxit Iſraël Saluatorem IESVM.

HVIVS DEVS *ex ſemine.*] Argumenti, quod Paulum conficere initio dixi, nunc aſſumptum ponitur, quòd ex Dauid ſemine DEVS SALVATOREM adduxit Iſraëli, quem etiam tantus vir Ioannes ſuo teſtimonio commendauerit.

Secundùm promiſſionem.] Factam ipſimet Dauid [z], & aliis Prophetis de ipſo [a]. Propterea dixit Gabriel, *dandam ſedem Dauid patris ipſi* CHRISTO [b]: Iudæi ipſi, diſputâte cum illis CHRISTO, *faſſi ſunt Meſſiam eſſe filium Dauid* [c]: turba idem credidit [d]: cæci hoc viderunt [e]: Ioannis pater idẽ cecinit [f]: CHRISTVS ipſe de ſeipſo confirmauit, non ſolùm in ea quam modò dicebam diſputatione, verùm etiam in Apocalypſi [g]: vbi tamen appellat *ſe genus, & radicem Dauid*; quod eſt, genus ac radicem ex Dauid trahere: vel certè indicat

z 2.Reg.7.12. 14.Pſ.88.4.36. Pſal.131.11.2. Re.23.1.8.Par. 17.11. a Eſa.11.1.Ier. 23.5.Ezech.34 23. 24.& 35. 24.25. b Luc.1.32. c Mat.22.42. d Mat.12.26. e Mat.9.27. f Luc.1.69. g c.5.5 & cap. 22.16.

ille

ille modus loquẽdi, quicquid ſucci gratiæ Dauid habuit, ex CHRISTO ipſo, qui eius erat Dominus tum ratione Diuinitatis, tũ ratione Humanitatis copulatæ cum DIVINITATE, traxiſſe, *non enim radix portatur, ſed portat* [a].

a Rom.11.18.

Sed mos eſt Hebræis radicem vocare *virgam ipſam quæ ex radice exiſtit*, vt cùm dicit Eſaias [b], *quod egredietur virga de radice Ieſſe*, id eſt, de Dauid filio Ieſſe. Suntque alia non pauca exempla [c]. Et Paulus [d] vtens verbis Eſaiæ: *in die illa*, inquit, *radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum Gentes deprecabuntur.* Immò nonnunquàm vocatur CHRISTVS ipſe nomine Dauid [e], vt intelligeremus maximè fuiſſe illi promiſſum, & ex ſemine ipſius eſſe.

Hebræi per radicem virgam ipſam intelligunt. b cap.11.1. c Eſa.53.2. Oſ. 14.6.1. Mach. 2.11. d Rom.15.12. e Ier.30.9. Ez. 34.23.24. c.37. 24.25. Oſe.3.5.

Eduxit.] Ἤγειρε, *ſuſcitauit*, ſicut verſu priore, ſeu *erexit*. Hoc verbum Zacharias Ioannis pater poſuit in Cantico dicens [f]: *Erexit cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui.* Significat verò deiectum priùs populum Hebræum, imò & proſtratam mundi totius ſalutem, quæ erigẽda, & exſuſcitanda eſſet.

f Luc.1.69.

Iſraël.] Τῷ Ἰσραὴλ. *Iſraëli* in datiuo caſu, *huius eſt adoptio filiorum, & gloria, & Teſtamentum* [g], *& legiſlatio, & obſequium, & Patres, &* CHRISTVS, qui non eſt miſſus primariò, ac principaliter, ac dum nobiſcum agebat mortalis, *niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël* [h].

g Rom.9.4.5. h Matt.15.24.

Saluatorem.] Euangelica vox iſta, & lætiſſima, ſæpe à Prophetis de CHRISTO futuro vaticinantibus celebrata [i]; & ab ANGELIS nato illo annunciata [k]; & à Samaritanis credita, atque prædicata [l]; & à Petro Iudæis propoſita, cùm diceret, vt pridem vidimus, & vim vocis Latinæ expendimus [m], *hunc principem, & Saluatorem* DEVS *exaltauit dextera ſua.*

Saluator, vox eſt Euangelica, & lætiſſima. i Eſa.12.2.3. c. 19.20. c.26.1. c.45.8.15. c.51. 5. c.62.1.11. c. 63.8. Ier.14.8. Mic.7.7. Zac. 9.9. k Luc.2.11. l Ioan.4.42. m Act.5.31.

Dicebatur in veteri Teſtamento *mitti, vel dari Saluator* à DEO, cùm aliquem excitabat, vel prouidum annonæ curatorem, vt Ioſeph [n], vel hoſtium debellatorem, vt Othoniel iudicem [o], & Aiod [p], & neſcio quem ſiue Angelum, ſiue Principem tempore Ioachaz regis Iſraël [q], de quo Saluatore Abulenſis [r]. Idem fuit nunc à Paulo vocari IESVM SALVATOREM, atque MESSIAM, quoniam ea vigebat opinio apud non Iudæos tantùm, ſed Samaritanos quoque, qui hoc nomine CHRISTVM, in quem credebant, appellarunt [ſ], vt obſeruat Ammonius [t], fore, vt MESSIAS eſſet etiam Saluator; fauéntque Prophetæ citati ſic de illo, vt iam dixi, loquentes. Eandem vim habent nomina Saluatoris [u], & Redemptoris [x], quæ de eodem MESSIA dicuntur, & exprimunt ſignificationem nominis IESV, quod Habacuc [y] diſtinctè poſuit. Craſſi ac infelices Iudæi Saluatorem MESSIAM fatentur corporum, ſed non animorum.

Saluator mitti vel dari à Deo quid in veteri Teſtamento. n Gen.41.45. o Iud.3.9. p ibid.15. q 4.Reg.13.5. r ibid.q.3. ſ Ioan.4.42. t ibid. in catena Græca. u Gen.49.18. Pſa.97.1.2. x Iob.19.25. y cap.3.

Verſus 24.] Prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius Baptiſmum pœnitentiæ omni populo Iſraël.

PRÆDICANTE *Ioanne.*] Προκηρύξαντος. Cùm vt præco præceſſiſſet, & prædicaſſet. Præco fuit Ioannes, *Angelus* [z], *nuncius, miſſus* [a], *Apoſtolus*, aurora, lucifer, iris, *lucerna* [b], *pronubus, & amicus* [c], *præcurſor, ſeu prodromus* [d], *vox* [e], *teſtis* [f], *Propheta* CHRISTI [g], limes legis ac Prophetarum ſilentium [h] (vt iam fruſtrà ſperet Iudæus MESSIAM, cùm poſt Ioannem nullum aſſignet Prophetam Mediator vtriuſque Teſtamenti) ſiue legis, & gratiæ fibula.

D. Ioannis epitheta. z Matt.11.10. Malac.3.1. a Ioan.1.6. b Ioan.5.35. c Ioan.3.29. d Luc.1.17.76. e Ioann.1.23. Eſa.40.3. f Ioan.1.7.15. g Matt.11.9. h ibid.13.

A *Ante faciem aduentus eius.*] Ante aduentum eius, quod PATER ipſimet dixit [i]: *Præibis ante faciem Domini*; & eſt Hebraiſmus ſatis frequens [k]. Quocirca vanum laborem ſuſcipiunt, qui quod apud Malachiam legitur [l]: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam*, quoniam Euangeliſtæ [m] recitant in ſecunda perſona: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*, vt apparentem diſcordiam concilient, eò recurrunt [n], vt eandem aſſerant vocem PATRIS & FILII, atque ita apud Euangeliſtas & Prophetam loqui eundem PATREM FILIO de Ioanne: ſenſum verò eſſe, quòd *Ioannes præparabit viam ante faciem meam*, quia PATER ad nos venit in CHRISTO; quod *ante faciem tuam*, quoniam FILIVS eſt facies PATRIS. Non quæro, an FILIVS dicatur facies PATRIS. Certè Malachiam Euangeliſtæ non ſic intellexerunt, pro eo enim quod ille dixit: *Præparabit ante faciem meam*, mutata ſolùm perſona dixerunt, *ante te.*

i Luc.1.76. k Pſ.140.?. Thren.1.6. Habac.1.?. l Malac.3.1. m Matt.11.10. Marc.1.2. Luc.7.27. n Ianſen. in Cõcord. c.11.

Meliùs concordat Ribera [o], docens eadem opera modò vni, modò alteri perſonæ TRINITATIS tribui: atque ita Ioannis miſſionem, à Propheta quidem FILIO, ab Euangeliſtis autem PATRI, Hebræi dicunt לִפְנֵי *liphne, ante faciem*, id eſt, *ante*, vel *coram*: quod Græcè hîc, & alibi dicitur πρὸ προσώπου, & aliter, κατὰ πρόσωπον, phraſi profanis etiam ſcriptoribus vſitata. Ioannes igitur ante faciem aduentus CHRISTI, ſeu ante illum miſſus eſt, atque prædicauit, quia illum proximè præceſſit veluti honoratiſſimus ſeruus, & hoc pacto non Propheta, hoc eſt, non aliorum more, de longè pòſt venturo CHRISTO vaticinans, ſed digito præſentem demonſtrans, *pluſquàm Propheta* cenſetur [p].

Eadem opera modò vni, modò alteri perſonæ tribuuntur. o in c.3. Malachiæ n.4. & ſeq. p Matt.11.9.

Baptiſmum pœnitentiæ.] Idem nomen Ioannis Baptiſmo tribuit hac eadem hiſtoria iterum Paulus [q], & Euangeliſtæ [r], & Ioannes ipſe [ſ], qui ait: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam.* Nuſquàm CHRISTI Baptiſmus vocatur Baptiſmus pœnitentiæ: videlicet Baptiſmus Ioannis conferebatur non iam acta pœnitentia, ſed vt ageretur: Baptiſmus CHRISTI anticipatam pœnitentiam requirebat, vt vidimus capite primo [t], non dabatur, vt fieret: hic exigebat antè fidem de CHRISTO, & in CHRISTVM, qui iam veniſſet: ille inſtruebat, vt crederent in venturum, vel præſentem. Poſſumus & vim facere in eo, quòd non aliquando dicatur Baptiſmus Ioannis remiſſionis peccatorum [u], ſed pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, licèt in Niceno Symbolo *confiteamur vnum Baptiſma* (profectò CHRISTI) *in remiſſionem peccatorum*, quoniam non per Baptiſmum Ioannis, ſed per priorem, ſi fuerat, aut per ſubſequentem pœnitentiam peccata remittebantur. Vnde quando dicimus loquentes de Ioannis Baptiſmo, eſſe Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, hæc vltima verba connectimus non cum Baptiſmo, quaſi vi propria haberet iſtum effectum, ſed cum pœnitentia: hæc enim erat in remiſſionem peccatorum; ad eam verò pœnitentiam præparabat ille Baptiſmus, quem Ioannes conferebat, annunciando pœnitentiam, quæ peccata remitteret, interueniente fide CHRISTI, *qui vt manifeſtaretur in Iſraël, propterea ſe Ioannes dicebat* [x] *veniſſe baptizantem in aqua*, ſigno nempe iſto communi externo multitudinem conuocans ad audiendum tale teſtimonium, & diſponendum ad fidem CHRISTI, necnon ad

Baptiſmus pœnitentiæ quis. q cap.13.24. r Marc.1.4. Luc.3.3. ſ Matt.3.11. t verſ.31. u vt facit Maldo. Matt.3. verſ.11. x cap.1.31.

remiſſio

remiſſionem peccatorum per pœnitentiam cum illa fide,& ad recipiendũ poſteà eiuſdem CHRISTI Baptiſmum,non in aqua duntaxat futurum, ſed in SPIRITV quoque ſancto [a].

a Ioan.1.31.

Verſus 25.] Cùm impleret autem Ioannes curſum ſuum, dicebat: Quem me arbitramini eſſe, non ſum ego, ſed ecce venit poſt me,cuius non ſum dignus calceamenta pedum ſoluere.

CVM *impleret autem Ioannes curſum ſuum.*] Syrus, *miniſterium*, τὸν δρόμον. Proſper [b] paulò aliter præſentem citat locum; *Cùm impleretur curſus,Ioannes dicebat, Quem me ſuſpicamini eſſe,non ſum ego:ſed ecce,venit poſt me, de cuius pedibus non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius.* Verùm fallitur memoriâ, cùm Petro tribuit, quod eſt à Paulo dictum.Gloſſa interlinearis, & Hugo,*Præcurſoris officium.*Carthuſianus: *Cùm tenderet ad finem vitæ,& prædicationis.* Placent ſimul hæ omnes expoſitiones, quæ etiam coincidunt, niſi quòd non arbitror de fine vitæ ſermonem eſſe, ſed verbum implendi poni pro verbo exequendi. In eodem ſenſu ipſemet Paulus [c] vſurpauit *conſummationem curſus ſui*, interpretans eſſe *miniſterium verbi, quod acceperat à Domino* IESV, *teſtificari Euangelium gratiæ* DEI: quod quia fecit longis per orbem peregrinationibus, potuit & hoc modo dici decurriſſe. Sed generaliùs de Sanctorum in bonis profectu curſus dicitur, quia cum feſtinatione, *viam currunt mandatorum* DEI [d]: *ſic currunt, vt comprehendant* [e]: *feſtinant ingredi in requiem* [f].

b 3.de præd. prom. cap.23.
c 2.Tim.4.7. Act.20.24.
d Pſa.118.32.
e 1.Cor.9.24.
f Heb.4.11.

Alioqui currere denotat interdum conuerſari ſimpliciter,& abſolutè:vt,*Sine iniquitate cucurri,& direxi* [g]:quodcunque munus obire, vel conari, vt, *Non eſt volentis,neque currentis* [h]: progredi,ac proficere in aliqua re, ſine impedimento, vt,*velociter currit ſermo eius* [i]: quomodo Apoſtolus optat, *vt ſermo* DEI *currat,& multiplicetur* [k]. Ioannes Præcurſoris nomen meruit,ſiue προδρόμου, quod Latinitate donauit Cicero [l]; nunquàm enim dum ſtrenuè viam CHRISTO præpararet,illi ſubſiſtere,nunquàm diuertere,nullum vacauit cum ſeculo ſermonem habere,inquit Rupertus [m],non domum,non agrum poſſidere, non affines agnoſcere,ſed vrgente ſermone Domini nudus, & expeditus currere habebat ante faciem CHRISTI.

Currere quid ſignificet.
g Pſalm.58.5.
h Rom.9.16.
i Pſal.147.15.
k 2.Theſſ.3.1.
l ad Atticum lib.1.ep.11.& lib.6.epiſt.6.
m in c.1.Ioan.

Tales CHRISTVS Apoſtolos curſores eſſe volebat,& Apoſtolicos prædicatores,*ſine ſacculo,pera, baculo,calceamentis* [n], *neminem ſalutantes per viam* [o], denique,vt Eſaias [p] eos nominat, *Angelos veloces, nubes volantes.*

n Mat.10.9.10. Luc.10.3.4. Mar.6.8.9.
o Luc.10.4.
p cap.18.2.

Quem me arbitramini eſſe, non ſum ego.] Græcus & Syrus legunt cum interrogatione: *Quem me arbitramini eſſe? non ſum ego*, Τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι; οὐκ εἰμὶ ἐγώ. Agnouit id etiam Gloſſa interlinearis, & Hugo, vt mittam Eraſmum, qui ita vertit: *Quid? me putatis eſſe* CHRISTVM? eodem modo Vatablus,& alij.Si barytonum τὶς in caſibus obliquis principio orationis poneretur, ſenſus eſſet, iuxta vnam ex acceptionibus eius, *aliquem*, id eſt, *magnum & inſignem me arbitramini eſſe, non ſum ego.* Non variat quidem ſententiam, vtcunque legamus, tamen interrogationem malim remoueri, quia non Ioannes interrogabat, ſed reſpondebat interrogatus.Fidelis prodromus Ioannes, ac verus amicus [q], qui Domini, ac Sponſi [r] vltrò delatum honorem conſtanter abnuit [s], & ea etiam omnia negauit de ſe, quæ citra mendacium potuit, ex quibus demi tantillum de CHRISTI honore,videri quoquo modo poſſet. Eximia ſanctitas vltra ſingularem natiuitatis modum omnibus paſſim notum, & Baptiſmum, quem aliquem futurum Prophetæ prædixerant [t], tantam de Ioanne opinionem peperit,vt haberetur CHRISTVS [u].Sed hoc CHRISTI diuinitatem inſigniter confirmauit, vt ſuper omnes omnium opinione ſanctiſſimus, CHRISTVM ſe longiſſimo interuallo ſuperiorem,& fortiorem fateretur,aſſeueraret, inculcaret,omni ratione perſuaderet, indignum etiam dicens, non ſolùm, qui ad ſe venientem baptizaret [x],ſed qui corrigiam calceamenti eius ſolueret, & id poſt ipſum portaret [y]. Facit hoc argumentum Auguſtinus [z], ac prior fecit CHRISTVS ipſe,quamuis non adeò diſertè,& clarè ſimul interrogari cœpit Ioannes:*Tu quis es* [a]? Ad caput interrogationis reſpondit ſine ambagibus:*Non ſum ego* CHRISTVS [b]. Idem aliis verbis iterum atque iterum palàm,incunctanter,diſertè negans. Quanquàm veriſimile eſt,& modeſtiæ Ioannis conſentaneum, priuſquàm à talibus viris interrogaretur, non reſpondiſſe de CHRISTO.Et hoc ſentit Cyrillus [c],& Hieronymus [d],illud autem Chryſoſtomus [e]. Bis puto cum Ambroſio, & Beda in Lucam, quos ſequuntur ex recentioribus Toletus,& Maldonatus, reſponſum hoc editum à Ioanne,ſemel ante Baptiſmum ad intimas populi cogitationes, & ſuſpiciones [f], quas prophetico ſpiritu cognoſcebat:iterum ad legatos Sacerdotes,& Leuitas, qui iidem erant Phariſæi, poſt Baptiſmum ab ipſo factum [g], tum cùm crebreſcente fama, quam ex deſerto, & Iordanis ora populus Ieruſalem aduexerat, & CHRISTO ipſo baptizato, & pro vero MESSIA demonſtrato à Ioanne, primores Iudæorum rem tantam ex eodemmet Ioanne vellent cognoſcere. Fauet hæc opinio lectioni illi cum interrogatione; ſic enim Ioannes aptè interrogaſſet, quod ſecum cum animis ſuis interrogare, & diſquirere populum intelligebat more prophetico, & ipſius CHRISTI [h].

q Ioan.3.29.
r ibid.
s Ioan.1.20.& ſeq.
Ioannes quomodo pro CHRISTO habitus.
t Ezec.36.25.
u Luc.3.15.
x Mat.3.14.
y ibidem 11.
z Serm.4.de Ioan Bapt.& præf.2.in Pſa.29.
a Ioan.1.19.
b ibidem 21.
c lib.1.in Ioã. c.7.
d in c.40.Eſa.
e in c.1.Ioan.
f Luc.3.15.Mat.3.11.Marc.1.8.
g Ioã.1.19.20.
h Matth.9.4. Luc.vlt.38.10. 10.19.

Caueat Cõcionator, & Prælatus,quod opportunè admonent Origenes [i], & Gregorius [k], ne quid ſibi arrogent, nec etiam oblatum honorem admittant,qui debetur CHRISTO,ac DEO. *Parco autem*,ait Paulus [l] (veras etiam laudes ſuas prætęriens)*ne quis me exiſtimet ſupra id,quod videt in me, aut aliquid ex me audit.*

i in Luc.ca.3.
k 2.par.Paſt. cap.8.
l 2.Cor.12.6.

Sed ecce venit poſt me.] Vt poſt præcurſorem Dominus. Apud Ioannem [m] dicit Ioannes: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat.Venturus poſt me*,quantùm ad manifeſtationem doctrinæ, & miraculorum:iam enim erat in mundo. *Ante me factus eſt*, vel ſecundùm diuinitatem genitus ab æterno, generatione enim temporali prior erat Ioannes,idque valere poteſt τὸ γέγονεν; vel potiùs mihi prælatus. *Quia prior me erat*, præſtantia, dignitatéque naturæ, aut æterna generatione: ideò enim præceſſi tanquàm viæ ſtrator,& prodromus,& miniſter.

m ca.1.15.27.

Rectè in illa ſententia eſt ἔμπροσθέν μου γέγονεν, & non πρό: hæc enim particula prioritatem temporis ſignificat,illa non item, ordinariè loquendo, præſertim in Scriptura;ſed ordinem in diſpoſitione,& collocatione aliquorum.

Cuius non ſum dignus calceamenta pedum ſoluere.] De calceamentis lege cap. 12. [n] Lyranus [o], qui vellet ea non geſtaſſe CHRISTVM, ait *hanc eſſe vulgarem loqutionem,quæ ad inanimata quoque applicetur;*

n verſ.8.
o & hoc loco, & c.3 Matth.

cetur; *sicut de vino*, inquit, *multùm debili, comparando ipsum ad vinum optimum, dicitur, quòd non est dignum illud discalceare: significando, quod nullius est momenti, respectu illius.* Atque ita significare voluisse Ioannem, indignum se esse, qui minimum officium CHRISTO impenderet, & quòd hic ipsum improportionabiliter excederet. Paulò meliùs illi [a], qui prouerbialem orationem esse dicentes, originem inde arcescunt, quòd Hebræi sacratiorem locum ingressuri calceos ponerent, vt nunc Turcæ, & Mauri faciunt, olimque Moses [b], & Iosue [c], qui verò erant illustriores, apud puerum illos ponebant. Credo, quod in Ioanne Cyrillus [d], Chrysostomus [e], Græcique alij senserunt, ex triuio, & communi loquēdi vsu formulam istam sumptam, quæ propterea indicat receptum consuetudine tunc fuisse, calceos gestare corrigiis astrictos. Quam seruasse consuetudinem CHRISTVM par est credere, cùm, vt Scriptura indicat, & affirmant Patres, in victu, vestitúque communis, non singularis esset. Verùm de hac re eo, quem dixi, loco plura, & quo sensu visus sit CHRISTVS calceamentorum vsum Apostolis negare [f]. Hanc tam demissam Ioannis orationem semel, iterúmque, ac fortasse sæpiùs replicatam, omnes Euangelistæ [g] dignam literis censuerunt, & Paulus in præsentia libenter commemorauit.

a Maldonatus in cap. 3. Mat.
b Exod. 3. 5.
c cap. 5. 1.
d cap. 1.
e ibid.
f Mat. 10. 10. Luc. 10. 4.
g Matth. 3. 11. Mar. 1. 7. Luc. 3. 16. Ioā. 1. 27.

Non sum dignus.] ἄξιος. Ex Euangelistis Ioannes tantùm id nomen posuit. Alij seu Interpretes eorum, & Lucas, ἱκανός, *idoneus*. Atque propterea Cyprianus [h] dum Ioannem citat, legit, *dignus*; dum Matthæum [i], *idoneus*. Paruum, aut nullum discrimen. *Est autem humilis quidem, sed vera confessio*, inquit Cyrillus [k]: *quis enim hominum dignus esse potuit, si dignitatem omnimodam, & absolutam consideres, vnigenitum* DEI FILIVM *omnium creatorem digito signare, & præcursor eius fieri? Verumtamen considerando*, inquit Carthusianus, *Ioannis obsequium, vt ex charitate, & actuali motione* SPIRITVS *sancti procedens, meritorium fuit vitæ æternæ, etiam de condigno, & quantùm ad id dignus fuit Dominum* IESVM *baptizare.* Adiicit de Sacerdote: *Immò sic deuotus Sacerdos dignus est corpus eius, & sanguinem consecrare, tractare, & sumere, ad quod nemo condignus est, si ad* CHRISTI *dignitatem habeatur duntaxat respectus.*

h 2. con. Iud. c. 16.
i 1. con. Iud. c. 12.
k in c. 1. Ioan.

Redit nunc in memoriam id, quod communicaturi dicimus, *Domine, non sum dignus*, &c. Origenem [l] hortari vt faciamus: *Humiliando nosmetipsos, atque Centurionem* [m] *imitando, tum in humilitate, tum etiam in fide.* Quanquàm ille ita loquebatur, nolens domo excipere, cuius aduentus non spiritualis salutis causa expectabatur: nos dum excipere volumus, eadem verba vsurpamus, vt meliùs ad recipiendum disponamur cum præsentia CHRISTI reali salutem animarum nostrarum. Itaque dignitatem rei habere non possumus, præparationis, quam hospes tantus præcipit, atque exigit, & possumus, & debemus: ne quod seuerè Apostolus [n] monet, *manducando, & bibendo indignè*: ac etiam non dignè secunda ista dignitate, *iudicium nobis manducemus, & bibamus, non diiudicantes corpus Domini.*

l hom. 6. in Diuersos.
m Mat. 8. 8.
n 1. Cor. 11. 29.

Versus 26.] Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent DEVM, vobis verbum salutis huius missum est.

VIRI *fratres, filij generis Abraham.*] Beneuolè, & blandè agit: nihil enim dulcius fraterno nomine, nihil Iudæis gratius, & gloriosius Abrahę patris voce, nihil laudabilius timore, cultúque DEI. Quamuis, vt dixi versu 16. probabile est, vltimis verbis designari proselytos, aliósve Gentiles, qui pietatis studio veniebant ad Synagogas.

Vobis verbum salutis huius missum est.] Syrus, *Vobis ille missus est, verbum vitæ.* Hoc est, DEI Filius CHRISTVS per Incarnationem veniens, maximè *propter oues domus Israël* [o]. Aut verbum prædicationis, quod, dum viueret CHRISTVS, vetuit aliis, quàm istis communicari [p]: post Resurrectionem verò, his ante omnes [q]. Qua de re iterum posteà [r]. Si de VERBO æterno locus hic intelligitur, respondet Athanasius [s] Arrianis, sicut apud eundem Apostolum non alter CHRISTVS diem alterius CHRISTI expectantes confirmat, ita quoque VERBVM carnem factum à PATRE missum, vt cùm iam homo esset, ipse per seipsum (adde & per alios) euangelizaret. Petrus eodem modo priùs dixit [t]: VERBVM *misit* DEVS *filiis Israël.*

o Mat. 15. 24.
p Matth. 10. 6.
q Actor. 1. 8. Luc. vlt. 48.
r vers. 46.
s orat. de dicto, Dare ex DAQ.
t Act. 10. 36.

Versus 27.] Qui enim habitabant Ierusalem, & Principes eius hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt.

ET *Principes eius hunc ignorantes, & voces Prophetarum.*] De ignorantia Iudæorum, etiam Principum, ob quam Petrus quoque illos excusauit, lege caput tertium [u]. Syrus non agnoscit ignorantiam, sed malitiam in ipsis: vertit enim hanc Græcam sententiam, Τοῦτον ἀγνοήσαντες, καὶ τὰς φωνὰς τῶν Προφητῶν, לא ארגשו בה אף לא בכתבא דנביא *lo argeschu bach aph, lo bacthabe denabia*, id est, *Non consenserunt ei, nec Scripturis Prophetarum.*

u vers. 17.

Communis Interpretum consensus est, eleuari hîc peccatum ob ignorantiam, non exaggerari propter inobedientiam, seu obstinationem. Etsi non ignorem, ignorandi verbum, sicut & nesciendi, valere idem, quod improbare, & refutare: scio tamen, etiam primariam, ac præcipuam illius, & Græci τῷ ἀγνοεῖν, esse, quam editio nostra posuit, & quæ, nisi aliud exigat orationis contextus, præferenda est: vnde ἀγνόημα, peccatum per ignorantiam, siue per imprudentiam commissum.

Voces.] Notissimum est, dici voces Prophetarum, scripta vocibus expressa per lectionem, quæ mox subiicitur, vel quæ exprimi possint. Sed nec insolens est vocis generali nomine, omnem, quem animal profert sonum, articulatum hominis intelligi, atque non literas tantùm, & syllabas, & dictiones, sed & integram orationem: quemadmodum de hac verbum dicitur, & de integris epistolis nomen literarum, apicum, syllabarum, præsertim apud antiquiores Ecclesiasticos scriptores.

Vox scripta significata.

Prophetarum.] Prophetas omnes CHRISTVM sonare, & loqui, dixit quoque Petrus [x]. Lege quæ ibi notata sunt. Ambrosius [y], quod Latinus interpres apud Esaiam [z] reddidit, *Ecce testem populis dedi eum*: legens cum LXX. *Testimonium*, ait esse finem omnium testimoniorum, ideóque ita vocari.

x c. 3. vers. 18. 21. c. 10. 43.
y Sermo. 5. in Psal. 118.
z cap. 55. 4.

Si Iudæi tam crebra Prophetarum, legisque lectione tam parum promouerunt, quia germanam interpretationem, ac intelligentiam ipsius non assequebantur, quamlibet iactarent, *se in danda* CHRISTO *morte lege agere* [a]; nónne frustrà

Nō prodest multis Scripturas legere, nisi eas recte interpretē sequantur.
a Ioan. 19. 7.

iactant

iactant etiam hæretici quotidianam illam suam lectitationem Scripturæ, neglecta orthodoxa, hoc est, à Patribus tradita, & Ecclesiæ, atque Pontificis, cuius illa est, iudicio approbata Scripturæ eiusdem interpretatione? Nam quamuis (vt Caluinus ipse hoc loco suummet iugulum suo gladio petens, obseruat) *Dominus nobis per Scripturam illuceat, non omnibus tamen sunt oculi.* De obscuritate difficultatéque Scripturarum, & legitimo illustratore, interprete, iudice, egimus proprio tractatu [a], & aliquid attigimus capite octauo [b].

a 2. 2. disp. de scriptoris, & prolog. ad Isaiam.
b vers. 31.

Quæ per omne Sabbatum leguntur.] De solemni hac lectione in Sabbatis, diximus alibi superiùs [c]. Prophetæ legebantur, nec tamen soli. De Moyse mentio est inferiùs [d], etiam lectum esse per omne Sabbatum. De lege, & Prophetis, hoc ipso capite superiùs [e]; vt necesse sit, aut nomine Prophetarum Mosem quoque comprehensum, legemque, ac Pentateuchum, cuius auctor fuit, aut vnà cum Prophetis, aliquid etiam recitatum ex Mose, & lege.

c vers. 15.
d 15. 21.
e vers. 15.

Iudicantes impleuerunt.] אלא דנוהי ושלמו כלהון דכתיבן *ella danuhi veschalemu chulehen dacchethiban*, id est, *Sed condemnarunt eum, & impleuerunt quæcunque scripta sunt,* inquit Syrus. Petrus dixerat [f], quòd *quæ* DEVS *pronunciauit per os omnium Prophetarum, pati* CHRISTVM *suum, sic impleuit.*

f 18.

Quod impleuit DEVS, fecit, quia verax est, & pro bonitate, & sapientia sua vtitur aliena malitia. Quod Iudæi impleuerūt, fecerunt, quia ignorantes, & iniqui, diuinæ tamen prouidentiæ seruientes, vt maximè & nescirent, & nollent.

fecit, & usfaciunt, ... mo-

Iudicandi verbum significat hoc loco, sicut & alibi [g], condemnare, aut etiam punire, quemadmodum κρίνειν, idem quod κατακρίνειν. Eademque ratio est de nominibus iudicij, & κρίσεως, vel κρίματος. Condemnarunt, & puniuerunt per Pilatum, vt subditur.

g ...th. 12. cap. 19. Corint. Ioan. 5. 47. 48. 1. 12.

Versus 28.] Et nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum.

ET *nullam causam mortis inuenientes.*] Historia Passionis CHRISTI continet multas causas cognitæ, probatæque innocentiæ ipsius. Et Petrus quadam concione [h] obiecit Iudæis, negasse, *ac tradidisse Pilato* CHRISTVM, *cùm is iudicaret dimittendum, atque absoluendum.*

Petierunt à Pilato, vt interficerent eum.] Non eis licebat interficere quenquam, viuentibus sub Romanorum iugo, vt pridem dictum est. Petierunt autem, vt interficerent: hoc est, vt ipsis iure, vt sibi quidem videbatur, agentibus, interficeretur: quod etsi re ipsa exequuti sint Gentiles, quibus se CHRISTVS tradendum prædixerat*, tamen ipsi rectè dicuntur interfecisse, atque ita etiam loquutus est Petrus [i].

h 3. 13.

Versus 29.] Cúmque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.

IDEO CHRISTVS in cruce dixit [k]: *Consummatum est*, postquàm, *vt consummaretur Scriptura, sitienti amarus potus oblatus esset, túncque inclinato capite tradidit spiritum.*

k ...o.

A *Deponentes eum de ligno.*] Non crucifixores Gentiles, neque crucifixionis auctores Iudæi, sed pij Discipuli, qui etiam posuerunt in monumento. Ipsemet Ioseph Arimathæus innuitur vtrumque officium præstitisse in Euangelio Marci [l]. Affirmatque Augustinus [m], non tamen sine aliorum auxilio, vt Nicodemi, quem Nazianzenus, aut qui est author tragœdiæ de CHRISTO patiente, scala conscensa, clauos refixisse asserit, quod idem fecisse Iosephum Nonnus [n] ait, imposito humeris sacro onere.

l cap. 15. 46.
m li. de Passio. c. 17.
n carm in Ioã. 19.

Lignum pro cruce poni aliàs [o] monui. Sepulturam quoque suspẽdiariis, seu cruciariis Romano iure negatam, ita vt & viui, & mortui in patibulo, cruceve relinquerentur præda coruis, aliisque alitibus carniuoris [p]; cùm Hebræi eodem iuberentur die sepelire [q]: quod & Iosue fecit [r], non autem Gabaonitæ [s]: quippe non de filiis Israël, sed reliquiæ Amorrhæorum. Nisi placet, non sine DEI oraculo consulto, id etiam à Dauide, qui prohibere poterat, permissum; quia septem filiorum Saül supplicium piaculum offensi DEI erat, & magnæ illius famis, ac siccitatis triennalis expiatio, & procuratio.

B

o c. 5. 30. c. 10. 39.
p Act. 8. 2.
q Deut. 21. 23.
r c. 8. 29. & c. 10. 26. 27.
s 2. Reg. 21. 10.

Acutam rationem Andreas Masius [t] excogitauit, cur lex supplicio crucis affectos sepeliri voluerit, quoniam ex diutino in cruce spectaculo facilè deduci quis in extinctæ animæ opinionem posse videretur, minúsque rectè de futura olim corporum resurrectione cogitare: propterea omnibus naturaliter hominibus sepulturã cordi, curæque fuisse, quasi notionẽ immortalitatis quandam, atque resurrectionis haberet impressam. Ea item de causa videri terram pollui, vt lex loquitur [u], si diutiùs cadauer affixum cruci maneat, hoc est, homines praua illa, impiáque opinione ceu bestiarum, esse humana corpora.

C

Cur sepeliri cruci affixos Deus iusserit.
t in c. 8. Iosue.
u Deuteron. 21. 23.

A Pilato factam CHRISTI sepeliendi potestatem, tradunt Euangelistæ: non enim eorum, in quos animaduertebatur, corpora aliter sepelire licuisse, Vlpianus [x] tradit, quàm si fuisset petitum, ac permissum. Sed hac de re fusiùs capite octauo [y].

x ff. de cadauer. punit. l. corpora.
y vers. 2.

D *Posuerunt eum in monumento.*] Describunt Euangelia, cuiusmodi id fuerit.

Tradunt verò Thalmudici [z], & ex Rabbinis Iacob [a], cum Mose Ægyptio, vetitum inferri damnatorum cadauera, quos βιαιοθανάτους Græci vocant, in sepulcra ceteris communia, sed seorsim in priuata: & vel in eisdem, vel haud inde procul sepeliri debuisse instrumenta, quibus mors illata esset, cruces, v. g. clauos, enses, lapides, pro mortis genere. Videbitur alicui contra eam traditionem esse, quòd monumentum, in quo positus est CHRISTVS à Iosepho, Iosephi ipsius fuisse dicitur, & nouum, in quo quisquam nondum positus fuerat. Sed quid vetat, si traditioni fauere velimus, dici nouum respondere, & Iosephi, quia futuris Magistri exequiis, non sibi ipsi illud excidi curauerat, & parari? Nam tantum virum paterno sepulcro caruisse censere minùs probabile est. Vel dicendum, qui rem permiserat difficiliorem, Pilatum, vt sepultura CHRISTO crucifixo daretur, magis facilem permisisse, de modo, & ratione sepulcri. Denique priuilegio nil opus erat, si tam sibi designatum, propriúmque sepulcrum, ac suis etiam fortasse, tanquàm luculentiùs, & commodiùs accommodari Ioseph voluit vnius CHRISTI sepulturæ.

z in Cõpend. Thalmud, quod dicitur Alphesi.
a in Turim Iore Degha. ca. 152.

E

Quomodo Christus in monumento nouo sepultus sit.

Cùm fuerit nouum monumentum, non quiuit

Christi resurrectionem calumniari ...

calumniator Iudæus, alium, qui ibi esset sepultus, resurrexisse, obiicere [a], quia erat excisum in rupe. Non ergo Discipuli suffossis lapidibus Magistrum furati sunt [b]. Aduolutum etiam saxum magnum ad ostium monumenti, docet non euasisse CHRISTVM remoto lapide, cùm nondum mortuus esset, aut ex eo illum Discipulos, cùm aperuissent, extraxisse [c]; præsertim cùm, vt Nicephorus ex antiqua refert traditione, singulari quodam, & ignoto artificio sepulcrum obseratum, & obseruatum esset. Vt nihil de militari dicam custodia. Denique alienum sepulcrum denotat CHRISTVM victorem mortis, ac inter mortuos liberum [d], & non pro se, sed pro nobis mortuum, breuique suscitandum [e]. Celebris est, ac perhonorifica sepulcri CHRISTI peregrinatio, de quo Esaias vaticinans dixit [f]: *Erit sepulcrum eius gloriosum.*

a Theoph. & Euthym. & Beda in Mat. Hier. Cyrill. Chrysosto. in Ioannē. Ambros. 3. de virgin. b. Hieron. & Beda. c Origenes. d Psal. 87. 6. e Ambrosius 3. de virgin. Augustinus Sermo. 133. de Tempore. f cap. 11. 10.

Versus 30. DEVS verò suscitauit eum à mortuis tertia die.

IPSE etiam seipsum suscitauit CHRISTVS, vt alio loco docui [g], non modò vt DEVS, verùm etiam quatenus homo; siue secundùm vim partibus eius, hoc est, animæ, corporique communicatam. Sed ad minuendam inuidiam, id DEO potiùs tribuitur, quàm vt perspicuè adhuc dicatur ille esse DEVS. Quo pacto Petrus quoque in prima concione ad Iudæos loquutus est [h], & in secunda [i], & in tertia [k], & in quarta [l].

Tertia die.] Non sunt hæc in textu Græco, vel interpretatione Syra.

Nota Synecdoche, qua pro toto pars ponitur: nec enim CHRISTVS tres dies integros iacuit in sepulcro, sed dierum naturalium trium, itémque noctium, vt à diebus distinguuntur, parte nonnulla, nempe parte sextæ feriæ, Sabbato toto, & parte primæ feriæ. Namque Iudæi *à vespera quidem festum ad alteram vesperam inchoabant* [m], diem verò ipsum totum à media nocte vsque ad sequentem mediam noctem. Atque in hoc sensu dixit CHRISTVS, *futurum se in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus* [n]: quod cor terræ, quamuis de inferno aptiùs intelligitur, vtpote cùm sit in terræ medio, in quo fuit anima CHRISTI; tamen inde sequitur, tamdiu in sepulcro iacuisse corpus eiusdem.

Mirum est, potuisse in mentē venire tanto viro Gregorio Nysseno [o], vt ad exactè assignandū hoc spatium, affirmaret, CHRISTVM mortuum esse feria quinta in Cœna, quando exhibuit carnem, & sanguinem Discipulis, sub panis viníque speciebus; ita vt separata tunc sit anima à corpore, & præuenerit ipse mortem, quam illaturus erat inimicus, licèt non apparuerit tunc mortuus. Nam CHRISTVS post Cœnam passus est tristitiam vsque ad mortem, & agoniam, pertulit tormenta, spiritum PATRI commendauit. Taceo, quod ibidem computat pro duplici nocte, diéque Parasceuen, ob tenebras, quæ diei lucem bipertitò secuerant.

Ionas tribus integris diebus mansit in ventre ceti [p], quia tanto tempore, vt innuit Tertullianus [q], solet venter digerere cibum, sicque miraculum in Iona illustrius apparebat.

Legendi de tempore sepulturæ CHRISTI tractatores Euangeliorum, & Ignatius [r], Isidorus Pelusiota [s], atque Baronius [t]: sed Isidorus maximè, qui varium adhibet id exponendi modum.

g cap. 1. 3. h c. 2. 24. 32. i cap. 3. 15. k cap. 4. 10. l cap. 5. 30. *Christus quomodo per tres dies mortuus fuerit.* m Leuit. 23. 32. n Mat. 12. 40. o oratio. 1. de Resurrect. p Ionæ 2. 1. *Ionas integros tres dies in ceto mansit.* q lib. de Resurrect. carnis. c. 58. r epist. 5. s lib. 1. ep. 114. & lib. 2. epist. 212. t Tom. 1. Annal.

A *Versus* 31.] Qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem: qui vsque nunc sunt testes eius ad plebem.

QVI *visus est per dies multos.*] Per quadraginta, etsi non per singulos, sed aliquando per aliquos, vt dictum est capite primo [u].

His, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem.] In Galilæa quoque visus erat, qui præcedere suos iusserat, vt ibi videretur [x]. Oportet igitur maiorem partem apparitionum contigisse post illam quæ in Galilæa facta est, si post multos dies B visus est, postquàm reuersus est ex Galilæa. Quanquàm omninò puto, potiùs hanc esse tantùm descriptionem Discipulorum, vt non mirentur, aut non reiiciant hi, quibus loquitur Paulus, testimonium Discipulorum, quòd Galilæi forent, qui passim despiciebantur, ac odio etiam habebantur inter Iudæos, vt dixi capite primo [y]: tales nāque delegisse CHRISTVM, quia & ipse Galilæus esset.

Paucas quidem Euangelistæ memorant apparitiones ex pluribus, quas factas innuit Ioannes [z]: at omnes, vna excepta, in Ierusalem, aut non inde procul. Voluit CHRISTVS suscitatus ostendere se in Galilæa priùs, ac potiùs, quàm in Iudæa, aut vt liberiùs procul à Sacerdotum, & Pharisæorum C metu, quo tenebantur adhuc Apostoli [a]: aut quia plures ibi Discipulos habebat, vbi & diutiùs prædicauerat, qui eadem opera confirmari simul poterant.

Quia tamen trepidi Apostoli cunctabantur, eóque non ituri præuidebantur à CHRISTO, nisi se illis priùs Ierosolymis ostenderet, non primùm in Galilæa, sed illic apparuit [b].

Augustinus [c] vltimam apparitionem numerat, qua Discipulis ascendens in cœlum visus est. Chrysostomus [d] verò immediatam affirmat fuisse, qua iisdem in monte Galilææ, per quem montem malè quosdam Oliuetanum intellexisse docui capite primo [e]. Alius prætereà horum verbo- D rum sensus esse potest, quem ex Hieronymo [f] colligimus. Putat ille, probabile esse, CHRISTVM sæpiùs apparuisse in Galilæa, & quasi continuè versatum cum suis, idque voluisse Lucam capite primo præsentis historiæ, illis verbis [g]: *Quibus & præbuit seipsum viuum post Passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis.* Hoc modo Paulus, qui alibi [h] meminit *visum CHRISTVM simul plusquam quingentis fratribus*, nimirum in Galilæa, nunc ait: *Qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem,* hoc est, Discipulis Galilæis, quos secum adhuc mortalis ex Galilæa in Iudæam, eiúsque metropolim Ierusalem adduxerat, apparuit iam suscita- E tus in Galilæa per multos dies, quamuis magis publicè, & solemniter in monte, vbi illis constituerat, vt loquitur Matthæus [i].

Qui vsque nunc sunt testes eius ad plebem.] Non est quidem in codicibus Græcis Complutensibus, & Regiis, *νῦν, nunc*, tamen correctiores id habent, atque Syriaca editio.

u vers. 3. x Matt. 26. 32. c. vlt. 10. y vers. 11. z cap. 20. 30. a Chrysost. & Euthym. in c. vlt. Matthæi. & hic in vlt. Lucæ, ibique Ambros. *Cur Ierosolymis prius, quam in Galilæa apparuerit.* b in dictam Ambro. supra. c 3. de consens. Euang. c. 25. d Homil. 90. in Matth. e post vers. 11. f in epist. ad Hedib. q. 7. g vers. 3. h 1. Cor. 15. 6. i cap. vlt. 16.

Versus 32.] Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est.

ANNVNCIAMVS.] Εὐαγγελιζόμεθα, euangelizamus, bonum nuncium afferimus, rogati

verbum consolationis & exhortationis παρακλήσεως dicere.

Quæ ad Patres nostros repromissio facta est.] Non de sola Resurrectione, vt Glossæ interlineari videtur, sed etiam de Incarnatione, vt Lyrano, immò & de omnibus ad CHRISTVM pertinentibus, maximè de Resurrectione, quæ supra omnia mysteria alia ab Apostolis inculcata est, vt sæpe vidimus, ac in posterum videbimus; de CHRISTI aduentu, & mundi salutatione per ipsum, ait Carthusianus.

Versus 33.] Quoniam hanc DEVS adimpleuit filiis nostris resuscitans IESVM: sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodiè genui te.

FILIIS *nostris.*] Τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν: quidam codices Latini legunt, *vestris*; alij Auctores, *suis*; nonnulli, *Israël*; alij, *filiis vestris resuscitans vobis* IESVM; aliqui, *filiis vestris resuscitans nobis* IESVM; quidam, vt est in textu Græco, *filiis eorum nobis.* Hanc vltimam lectionem recipit Chrysostomus, & Oecumenius, & editio Syra, proximè præcedentem Theophylactus.

Suspicatur Franciscus Lucas Brugensis [a], cui placet maximè lectio vltima, & post eam penultima, Interpretem quidem vertisse altero ex illis modo, sed eos, qui non intellexerint, quosdam omisisse *eorum*, ac scripsisse *vestris*, *& nostris*, pro *vobis*, *& nobis*, quosdam *nobis*, *& vobis*, iunxisse cum *resuscitans*, & *eorum*, mutauisse cum *vestris*, *& nostris.* Vatablus explanat hoc modo, *Et nos vobis per Euangelium annunciamus*, DEVM, *eam repromissionem, quæ Patribus facta est, impleuisse liberis illorum nobis.* Retinendo, vt par est, editionem nostram Sixti V. iussu emendatam, existimo *filiis nostris*, idem esse, quod *nobis*, esséque istum loquendi modum magis beneuolum, & familiarem, qui complectatur eos, qui in præsentia viuunt, & posteros, vt si vulgò dixisset, *Alla nostra razza, ò alla nostra gente.* Aut perinde est, ac si diceret, *Etiam filiis nostris*, ac proinde sine dubio nobis, quibus viuentibus DEVS promissionem impleuit, vt fidem faciunt testes, quos produxi, qui suismet oculis suscitatum IESVM viderunt.

a in Notatio. nib.

Editio Græca congruit, τοῖς τέκνοις αὐτῶν; pronomen enim αὐτῶν, potest vtramuis personam significare, vel omnes personas: tum verò redundat ἡμῖν quod restringit ad primam: & probabile est ex margine alicuius, qui intellexerat αὐτῶν de prima persona (Beda de tertia, aliíque de secunda, vt vidimus) irrepsisse in textum. Non potest diligentia in editione vulgata confutanda, nimia, aut superuacanea videri.

Resuscitans IESVM.] Dixi quosdam legere *nobis*, aut *vobis*, sed nihil opus est, vt constat ex dictis. *Expressum est nomen* IESV, inquit Oecumenius, *quoniam de puro homine malè id nonnulli accipiebant, & antea id dictum erat*, VERBVM *positum fuisse in monumento, posséque quis propterea opinari* VERBVM *sine carne.*

Resurrectio est complementum œconomiæ CHRISTI, vt idcirco per eam completæ dicantur promissiones, immò & CHRISTVM *resurrexisse propter iustificationem nostram* [b], in qua salus nostra consistit. Itaque hoc pacto verbum resuscitandi sumetur pro eo quod est à mortuis excitare, quod non est tamen adeò certum, cùm sequentem

Resurrectio Christi est complementum promissionum. b Rom. 4. vlt.

Psalmi sententiā aliter alij intelligāt, & τὸ ἀναστήσας exponi possit de excitatione per Incarnationem.

In Psalmo secundo.] Ita etiam Biblia Regia in textu Græco, & editione Syra. Non pauci tamen codices Græci, ac Latini habent, *primo.* Sex testatur exemplaria Græca noui Testamenti diuersis locis excusa Franciscus Lucas Brugensis, monet de Græcis etiam Beda, sed & ita hîc legendum citant Hieronymus, ac iterum Beda in Commentario Psalmi primi, & Euthymius in fine secundi, quorundam sententiam, quod eadem voce *beati* finiat, qua primus incipiebat. Legit hîc eodem modo Oecumenius, & istam lectionem in isto loco Hilarius, exponens Psalmum secundum, planè retinet dicens, *ea in re Paulum Hebræum ad Hebræos se accommodasse, cùm septuagintaduos Psalmos distinxerint, húncque, qui nunc citatur, secundum fecerint*, sicut & alios suo quosque ordine collocauerint: quia erant priùs incompositi. Consentit Cassiodorus, & Remigius. Origenes [c] testatur se in vno exēplari Hebræo distinctos, in altero vnicum è duobus vidisse, tametsi Hebræis Psalmis nullus numerus adiaceat, primúsne sit, vel secundus, vel tertius: in Actuum autem libro haberi pro primo, quem pro secundo habent Græci.

c in Catena.

Eadem est opinio de duobus conflatis in vnum Rabbinorum, quos citat Kimhi. Quoddā scholion Græcum ad eum, qui dicitur secundus, annotat, ἐν τῷ ἑβραϊκῷ συνημμένοι, *in Hebræo conuncti sunt.* Alij ex nostris, credo vt arbitri inter vtramque sententiam, ne alteri præiudicent, adimunt numerum, legúntque, *sicut & in Psalmo scriptum est.* Aliqui mitiùs arbitrantur, primum Psalmum hunc esse in titulo, quem primus gerit, nempe Auctoris Dauid, secundum verò in ordine: Paulum autem priorem causam respexisse, cùm primum nominauit. Ita quidem Glossæ, & Ludolphus, quamuis Lyranus contendat esse ascititium titulum.

Ceterùm plerique Latinorum, pluresque Græcorum codicum, Chrysostomi etiam & Theophylacti textum vt nos legunt, item Tertullianus [d], & Iustinus, etsi, vt verum fatear, Iustinus [e] alicubi videtur vnicum existimasse Psalmum, quoniam vtrumque citat eodem tenore absque vlla interpositione: sicut proximè alium etiam integrum.

d 4. contra Marcio. ca 22. e Apolog. 2.

Hebræi quoque ita hodiè Psalmos distinguunt, vt hic sit secundus: quod nisi facerent, sed primo iungerent, non constaret receptus centum quinquaginta Psalmorum numerus; vel, vt nonum Psalmum nostrum, ita suum centesimum quadragesimumseptimum diuidere deberent. Syram editionē hoc loco fauere dixi: fauet præterea in volumine Psalmorū, necnon Arabica, & Æthiopica. Denique vtriusque argumentū Psalmi planè differt.

Quocirca non est audiendus Martinus Cantapetrensis [f], dum ait, lectionem istam quam in omnibus ferè codicibus esse fatetur, natam ex negligentia Librariorum, contra auctoritatem Sanctorum, & Doctorū Hebræor. Nam plures Auctores habemus, & quos ipse profert, non tam ex propria quàm ex aliena loquuntur sententia, potissimùm Hieronymus, cui in expositione Scripturæ familiare est aliorum recitare opiniones, & Lectori proponere diiudicandas. Obiici quoque potest Hilario, nec à Paulo nominandum fuisse Psalmum primum, si apud Hebræos erant omnes quantùm ad numerum indistincti, vt ipse tradit.

f 5. Hypotyp. col. 351.

Filius meus es tu, ego hodiè genui te.] Hunc locum duabus præter istam vicibus citat Apostolus in epistola ad Hebræos [g].

g c. 1. & c. 5.

Rabbini in expositione huius Psalmi delirant.

A Omissa Rabbinorũ expositione de Dauid, qui tunc genitus, ac, vt dici solet, renatus censeatur, quando ex maximis periculis ereptus est, & collocatus in regio solio: vt contrà mortis vox vsurpatur de ingenti calamitate, quemadmodum vitæ de eximia prosperitate (inde qui dicuntur natales locorum, magistratuũ, reditus quoque, & aliarum rerũ, de quibus Roa noster [a]) excluso etiam Iansenio, historicè seu literaliter, Psalmum secundum esse de Dauid, quatenus typus CHRISTI est, inter alios Catholicos variæ sunt opiniones de intelligentia propria ac literali istius versiculi. De generatione æterna CHRISTI sentit Ruffinus, & hi, quos affert Suarez [b], & Bellarminus [c], & Vasquez [d], ita vt *hodiè*, præsentis temporis aduerbium, denotet perseuerantiam dictæ generationis B absque successione; *genui* verbum præteriti, perfectionem & consummationem. Fauent in eodem Psalmo verba illa, *apprehendite disciplinã*, Hebraicè, *osculamini* FILIVM, & alia, *ne quando irascatur* DOMINVS, idem ille, quod Hebraicus textus magis innuit, non ponendo *Dominus*. Tandem Paulus eo loco probat differentiã inter Angelos, & CHRISTVM, quòd illi non geniti, sed facti sint.

a lib. de die natali. c.14. & 17.

Catholici intelligunt de generatione æterna.

b Tom. 2. de Incarnat. Disput. 45. sect. 1. & Tom. 1. Disp. 1. sect. 3.
c Tom. 1. lib. 1. de CHRISTO. c. 5.
d 1. part. Disput. 18. c. 2.

Et de temporali.
e citantur à dictis Auct.

Alij [e] exponunt de generatione secundùm carnem; tunc verò gignere non esse producere de propria substantia, sed nouo quodam modo proferre in lucem; propterea etiam vsurpatum aduerbium *hodiè*, significãs vitam præsentem, & ab hoc C FILIO vocari PATREM *Dominum*, quod non faceret, vt filius naturalis, ac tãquàm DEVS, quemadmodum obseruauit Basilius [f], & Fulgentius [g]. Reuocari ad eandem classem potest Augustini [h] interpretatio de ea generatione, quæ CHRISTO contigerit in Baptismo, quando PATER de eo dixit, *Hic est* FILIVS *meus dilectus* [i].

f in Psal. 2.
g lib. cont. Arian. ad 3. obiectionem.
h Quæst. noui & veter. Testa. in 54.
i Matt. 3. 17.

Explicatur de Resurrectione.

k in Catena.
l 6. de Demonstrat. c. 2.
m 3. de Sacramen. c. 1.

Postrema sententia est de Resurrectione CHRISTI, pro qua sunt in Psalmum secundum Hilarius, & Theophilus Antiochenus [k], Eusebius item [l], & Ambrosius [m], Chrysostomus præterea in hunc locum Actuum, aliique Græci. Etenim si inspiciatur mens Psalmographi, præmittit sermonem de Passione, *Astiterunt Reges terræ, &c.* prout D Ecclesia tota cum Apostolis congregata capite quarto [n] intellexit: deinceps de Resurrectione, *Dominus dixit ad me, &c.* subdit enim: *Postula à me, &c.* nimirum vt mittam te in possessionem eius regni, de quo priùs dictum erat: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem eius*, id est, Ecclesiam, *prædicans præceptum eius*. Cui prædicationi confirmatæ per Passionem, debita erat illa possessio, tanquàm præmium post Resurrectionem: ex qua Resurrectione constitit etiam quàm iniquæ ac vanæ fuissent aduersariorum in CHRISTVM cogitationes, atque consilia de tam dira, ac turpi morte illi inferenda. Sed & Resurrectioni congruit gignendi verbum, non minùs quàm nomen regenerationis [o]: est námque præexistentis corpo- E ris ad vitam reuocatio; & CHRISTVS appellatur propter Resurrectionem ad vitam immortalem *primogenitus ex mortuis* [p], *& mortuorum* [q]. Quòd si expendamus quid idem Paulus voluerit in præsenti concione historiæ nostræ, videbitur profectò dum vtens Psalmo præmonet, *sicut scriptum est*, retulisse auctoritatem, ac sententiam Psalmi ad ea, quæ anteà dixerat: immediata autem de Resurrectione mentio est; nec quadrat hoc testimonium vel ad promissionem factam Patribus, cuius meminerat, vel ad ipsius complementum.

n vers. 6. & seqq.

o Matt. 19. 28.

p Col. 1. 18.
q Apoc. 1. 5.

Accedit quòd Paulus, sicut & Apostoli ceteri, vbique in sermonibus, quos recitat hæc Historia, in primis de Resurrectione CHRISTI sollicitus erat; quia difficulter credebatur etiam à Iudæis, qui erant extra Ierusalem: Deitatem non adeò, vel non tam citò, & clarè vrgebat. Bellarminus in epistola ad Hebræos maximè literalem sensum putat esse de Deitate CHRISTI: Suarez de Resurrectione: Vasquez solum istum, & non alios esse literales: Patres verò, qui loquuntur de generatione temporali, non de ea, quæ facta est in vtero Virginis intelligendos, sed in Resurrectione.

Scriptura literales plures sensus habere potest.
r Tractat. de Scriptu.
s 12. Confess. c. 30. & 31.

Negari non potest eundem Scripturæ locum, quod aliàs docui [r], plures pati etiam literales sensus, non quotquot tamen quiuis intelligendo formare potest, vt indicat Augustinus [s], quamlibet veros, nisi probabile quoque sit, eos à sacro Scriptore perceptos, vel aptè congruant Scripturæ contextui. Scitum est prætereà, quendam Scripturæ sensum dici posse accommodationis, quando quis eam transfert ad rem suam eo modo, quo alius elegantis Scriptoris sententiam, vt ornatè, vt acutè, vt appositè loquatur, quo in genere Bernardus excellit. Ad extremum longè aliud est, quòd vnus quispiam locus variè à Patribus explicetur secundùm sensum etiam literalem: aliud, quòd is habeat plures sensus literales. Nec facilè quis reperiat Patrem aliquem, qui tractans locum vnum, asserat, habere plures eiusmodi sensus, sed qui vnum asserat, alios neget, vt Hilarius [t] de præsenti. Lege de hac sensuũ Scripturæ varietate, tum Scholasticos in 1. parte [u], tum de aliis nostris Riberam [x], Maldonatum [y], Acostam [z], Salmeronem [a].

t in Psal. 2.
u q. 1. a. 10.
x in Osee. c. 11.
y in Matth. c. 2. 15.

Auctoris de hoc verpsalm senticia.

z li. 1. de Christo reuelato. c. 5. & seq.
a Tom. 1. Prolego. 19. & antè in 7. & sequen.

His præmonito, ac præmunito lectori aperiam simpliciter sententiam meam. Censeo, in epistola ad Hebræos intellexisse Paulum de CHRISTI Deitate Psalmi testimonium, ibíque premere per se verba illa: *Filius meus es tu*, alia, *Ego hodiè genui te*. Vt particulam eiusdem versiculi, non ad aliquid aliud inde efficiendum [b], quàm quòd in die Resurrectionis absoluta iam redemptione nostra, declaratus sit genitus esse à PATRE secundùm æternam generationem; quo pacto in epistola ad Romanos [c] dicitur: *Prædestinatus* FILIVS DEI *in virtute ex Resurrectione mortuorum*, id est, in Resurrectionis die manifestatus. Nam agitur eo loco disertè de CHRISTO, vt DEVS est, eiúsque diuinitas ex comparatione cum Angelis probatur, quorum nulli vnquàm dixit DEVS: *Filius meus es tu*. Non etiam ibi disputatur de generatione æterna CHRISTI, etsi illa quoque verba ipsam importantia confirment id, quod agebatur de diuinitate, ne quis putaret, eo modo dici Filiũ, quo *Angelus* [d], aut *homines* [e], qui tantùm sunt *voluntariè geniti verbo veritatis*, vt loquitur Iacobus [f]. Deinde arbitror, duas explicationes de Incarnatione, & Resurrectione, prout Apostolus Psalmum citat hoc loco, esse probabiles.

b Hoc etiã dicit Adamus in ca. 2. ep. ad Hebr.
c cap. 1. 4.

d Iob. 1. 6. 2. 1. c. 38. 7.
e Genes. 6. 2. Psalm. 81. 6. Ioan. 10. 34.
f cap. 1. 18.

Nam quod attinet ad Incarnationem, de qua Beda, aliique Latini libri istius Interpretes consentiunt (de Baptismo enim, quod ait Augustinus [g], non placet, ne filiationem adoptiuam admittere videamur; & quia in Transfiguratione idem repetitum est [h]) iuuat eam sententiam, tum quia paulò pòst proprium, clarúmque alterius Psalmi de Resurrectione testimonium profertur: tum quia promissio, quæ proximè commemorata est, dicitur impleta, resuscitando IESVM, quod potest intelligi excitando, & producendo per Incarnationem, præsertim cùm in sequen-

g supra.
h Matt. 17. 5.

tibus

tibus verbis, quibus illud aliud, quod dixi, testimonium adfertur, ponatur particula aduersatiua *autem: Quòd autem suscitauit eum.* Quasi hoc pacto admoneat Paulus, se, cùm duo dixisset, & de misso Saluatore IESV, ac proinde DEO Deique Filio, vt homo fieret, & de eodem post indignam mortem suscitato, primum confirmasse per Psalmum secundum, modò alterum velle per alium, & adeò libenter vsurpare Dauid, quòd & tanti meritò fieret ab ipsis, & eius esset ex semine hic SALVATOR, & hic à mortuis suscitatus.

Triplex literalis est huius loci sensus.

Adhæc, si Psalmi sententiam per se accipiamus, quin triplicem literalem sensum recipere valeat, non video quid obstet, prout sentiunt Bellarminus, & Suarez iam citati, necnon Molina [a], & Gregorius de Valentia [b], Ribera [c], Blasius Viegas [d], qui nuper prodiit, & Salmeron [e]. Hoc est, de generatione CHRISTI æterna, de temporali, sed includente vnionem humanitatis cum Verbo diuino, qua factum est, vt idem homo esset Filius naturalis DEI PATRIS; & de Resurrectione.

a 1.p.q.27.art. 1.disp.2. & q. 1.art.10.disp. 3.
b 1. part. de ipsa Theol. punct.5.q.1.
c in c.1.ep.ad Hebr.
d in Apoc.c.1. comm.1. sect. 19.
e Tom.1. Prolego.7.

Neque enim vis facienda in verbo Hebræo ילדתיך *uldethicha*, quasi sit, *nasci feci te*, & non, *genui*: significationem etiam habet actiuam intransitiuam in Hiphil. Scio displicere, vt de Resurrectione intelligamus loqui hoc loco Paulum, præter Bedam, aliósque Latinos interpretes, vt Caietanum, & Oecumenium, necnon etiam Sixto Senensi [f], & Genebrardo [g], Riberæ [h], qui excludit quoque Incarnationem: quoniam gignere, vt nuper alij argumentabantur, solùm est ex substantia gignentis. Et si *hodiè*, sonat Resurrectionis diem, non magis inde probat Apostolus resurrexisse CHRISTVM, quàm resurrecturum: quo tempore verum etiam erit, *Ego hodiè genui te*: & intentio Apostoli est comprobare impletam promissionem Patribus factam de Saluatore: id autem facit, dicendo, quòd suscitauit IESVM; eadem enim opera nos conresuscitasse [i], iúsque ad resurgendum dedisse. Ea verò de re minimè dubitandum, quoniam DEVS eundem hunc IESVM sibi consubstantialem Filium agnoscit illis verbis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ac proinde infinitæ ipsius potentiæ neminem posse resistere.

f 7. Bibliot. her.8 a.d 11.
g in Psal.2.
h in epist. ad Hebræos.
i Ephes.2.6.

Verùm & mihi supperunt quæ obiiciam, & cùm agitantur probabilia, modum adhibere oportet. Certè ad sensum literalem non requiritur exactissima in verbis omnibus proprietas: & si Resurrectio literaliter appellatur regeneratio in Scriptura, vt vidimus, & natiuitas ab Ambrosio [k]; atque CHRISTVS, ratione ipsius, *primogenitus* [l] *mortuorum, & ex mortuis* [m], & in similitudine *illa mulieris cum tristitia parientis* [n], *homo natus in mundum* intelligitur; per Resurrectionem post dolorem mortis, vt placet Chrysostomo, Theophylacto, & aliis, quid prohibet in illis verbis: *Ego hodiè genui te*, gignendi verbum accipi de Resurrectione?

k Serm.41.
l Apoc.1.5.
m Colossens. 1.18.
n Ioan. 16.21.

Nego tam posse testimonium hoc ad remotiorem in sermone Apostoli promissionem referri, quàm ad proximam suscitationem CHRISTI. Aio prætereà, ex contextu Psalmi, hísque, quæ adhuc Paulus dixerat, probè intellexisse auditores, illam sententiam non posse detorqueri in tempus futurum. Denique cùm proposito non obsit, admittam de diuinitate sensum illum, vel vt à Ribera explanatus est, vel vt ab Aria; videlicet Resurrectionis die CHRISTVM apertè probatum Fi-

A lium DEI: ita vt *hodiè*, non exponat, natiuitatē illa die fuisse; sed illud testimonium, *genui te*, illa die fuisse maximè cōfirmatum. Sic Ambrosius [o] etiam loquitur: *Pulchrè autem*, inquit, PATER *dicit ad* FILIVM: *Ego hodiè genui te; hoc est, quando redemisti populum, quando ad cœli regnum vocasti, quando implesti voluntatem meam, probasti meum te esse Filium.*

o 3. de Sacra. cap.1.

Paulus est auctor epistolæ ad Hebræos.

Neque verò est, quòd Sixtus dubitet, ne epistolæ ad Hebræos auctor habeatur Paulus, quoniam Psalmi versum eundem sensu duplici sit interpretatus, alio ea epistola, & alio præsenti concione.

Quid diceret, si non de deitate solùm CHRISTI, seu de æterna diuina generatione in cap. 1. epistolæ ad Hebræos [p], sed etiam de sacerdotio
B æterno secundùm ordinem Melchisedech, Paulus eandem sententiam intellexit in cap. 5. [q] Hoc quidem secundum quidam [r] sentiunt, & vim argumentationis esse, quòd sacerdotium in lege naturæ pertineret ad primogenitos iure hæreditario: ideóque sequatur eum, qui FILIVS est à DEO genitus, ac primogenitus, habere sacerdotium sempiternum, quod est *secundùm ordinem Melchisedech*: quia panem & vinum in cœna litauit. Illud porrò de primogenitis testatur Hieronymus [s]: argumentóque est, quòd Leuitæ loco primogenitorum DEO ministrabant [t]. Et dictam illam rationem de sacerdotio CHRISTI, quia FILIVS DEI sit, approbant in eum locum Caie-
C tanus, & Ribera.

p vers.5.
q vers.5.
r Salmeron tom.1. Prolego. 8. etsi alites tom. 15. tract 13 in ep. ad Hebr. & tract.6. sequitur sensum de Resurrect.
s ep.126. & in c.49. Genes.
t Num.3.12.

Eunomij cauillatio, cui occurritur.

Vna restat Eunomij breuis cauillatio: Si VERBVM FILIVS DEI est, nec præter ipsum aliud est, nempe præter interius, atque insitum naturaliter in DEO, & aliud, quod in Scripturis FILIVS DEI dicitur, per quod cuncta condidit, interiori verbo simillimum, quo verbo PATER ad FILIVM dixit: *Ego hodiè genui te?* Cùm enim omne, quod dicitur, verbo, non aliter, dicatur, patet, non absque verbo ita PATREM ad FILIVM fuisse loquutum.

Occurrit Cyrillus Alexandrinus [u], quòd Propheta hæc accepit à DEO per reuelationem, & induit in oratione personam FILII, ita asserendo se audiuisse à PATRE: FILIVS *meus es tu.* Hic mo-
D dus ingenio nostro commodus est, vt aliqua ratione capiamus tantum mysterium, atque non vt dicitur, sed vt est, pro nostra imbecillitate intelligamus.

u li.2.in Ioan. cap.4.

Hodiè quid significet.

Hodiè.] Hoc aduerbium, qui tractatum iam locum de Incarnatione, aut Resurrectione interpretantur, volunt designare certum tempus; qui de diuinate, æternitatem.

Ambrosius [x], cùm alio loco idem Apostolus [y] ait, *quòd* CHRISTVS *est heri, & hodiè*, priore generationem æternam, temporariam vult posteriore significari. Athanasius [z] item ex eodem aduerbio, *hodiè*, infert, quòd PATER in illo versiculo appropriat sibi natiuitatem, siue generationem FILII
E secundùm carnem. Idem notant Origenes, & Eusebius in catena Lippomani, necnon Cyrillus: ita vt ex opposito significata sit natiuitas æterna aliis verbis alterius Psalmi [a]: *Ex vtero ante Luciferum genui te.*

x 5.de Fide.c. 1.
y Heb.13.8.
z oratio.in id: DEVS ex DEO. & tractat. de decretis Nicenæ Synodi.
a Psal.109.3.

Hodiè æternitatem valde propriè significat.

Non significat quidem *hodiè*, æternitatem, sed præsentem durationem, siue breuis, siue longa sit; vt Augustinus [b] docet, & alij. Tamen falluntur, qui negant, nusquàm sumi in Scriptura pro æternitate: nam non potest aptiore æternitas aduerbio exprimi, quàm hoc, aut similibus, quæ nihil, aut minimum variationis, & successionis important. Clemens quoque Alexandrinus [c],

b ep.121.c.11.
c in Pæd.2n.

præter alios, conuenientissimum æternitatis vocabulum esse confirmat. *Quid me stimulas, Ariane*, inquit Augustinus [a], *& irrides, cùm audis, Hodiè?* Nempe in ea sententia Psalmi secundi, quam tractamus, & de FILII DEI natiuitate diximus æterna posse intelligi: *Apud* DEVM *nunquàm crastinus, nunquàm hesternus dies est, sed semper hodiè*, &c.

a lib. de quinque hæresib. cap. 4.

Genui te.] Cum æternitate, si de ea locum illum sumamus, coniungitur verbum temporis præteriti, quia, vt ait S. Thomas [b], *Illud, quod fit, quia nondum est, incompletum per consequens est: quod autem factum est, completum est, & ita perfectum. Sed ne putetur esse generatio tota in præteritione, & per consequens in desitione, addit hodiè, vt sit sensus: Perfectus es* FILI, *& tamen generatio tua æterna est, & semper à me generaris, sicut lumen in aëre perfectum est, & tamen semper procedit à Sole.*

b in c. 1. epi. ad Heb. Cur cum aduerbio præsentis temporis iungatur verbum temporis præteriti.

Versus 34.] Quòd autem suscitauit eum à mortuis, ampliùs iam non reuersurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia.

AMPLIVS *iam non reuersurum in corruptionem.*] Nec vidit tamen aliquando corruptionem, prout & mox Psalmi verbis dicitur, hoc est, putrefactioné, sed corruptionem mortis expertus est. Quocirca non ampliùs reuerti est, nunquàm experiri; & quia mors est via ad corruptionem putrefactionis; propterea non reuerti ad corruptionem, est etiam non reuerti ad mortem. Quare non probo Ioannis Benedicti interpretationem de non patienda iterum cruce, & morte.

Christus qua ratione nõ amplius versurus est corruptionem.

Dabo vobis sancta Dauid fidelia.] Syrus, טיבותה דדויד מהימנתא *taiebuthch dedauid mehaiemenutha*, id est, *Beneficentiam Dauid fidelem.* Videtur sumptus hic locus ex Esaia [c] iuxta versionem Septuaginta, vbi Hebraicè, & in editione nostra Latina est: *Feriam vobis pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles.* Est autem sensus, præstabo vobis fœdera, quæ Dauid promisi, fidelia, & vera: vt dicantur fœdera sancta à sanctificando. Sic Gagneius; ita vt pertineat hoc testimonium ad id, quod paulò antè præcessit, *quoniam hanc* DEVS *repromissionem adimpleuit filiis vestris. Aut*, inquit, *probatur hac auctoritate non subiturum* CHRISTVM *corruptionem, quoniam promisit id* DEVS *Dauidi: nam* CHRISTVS *nomine Dauidis appellari solet, ac proinde homo est & mortalis. Cùm ergo* DEVS *promittat fidelitatem eius firmam, perpetuámque, mori quidem debuit iste Dauid, siue* CHRISTVS *vt homo, sed à morte resurgere in vitam sempiternam.*

c cap. 55. 3.

Christus Dauidis nomine vocatur.

Simplicior est, ac verior prima expositio, ita vt contineat hoc testimonium impliciti cuiusdam syllogismi propositionem maiorem, ad probandum, quòd qui resurrexit CHRISTVS, non morietur ampliùs. Quæ promittit DEVS, fideliter præstat, & consequenter quæ Dauidi. Tertullianus [d] certè, cùm docuit adimpletas Prophetias circa CHRISTVM, idem cõfirmauit recitatis his ipsis verbis paulùm immutatis: *Nec enim hæc*, inquit, *in Dauid* (hoc est, in persona ipsius) *interpretaberis, quia præmisit* (Esaias) *& disponam vobis dispositionem æternam, religiosa & fidelia Dauid: atquin hinc magis* CHRISTVM *intelligere debebis ex Dauid deputatum carnalis generis, ob* MARIÆ *virginis censum.*

d 3. cõtra Marcio. c. 20.

Rursum idem auctor [e] eundem Esaiæ locum vsurpat, eodem sensu vocans sancta, quæ priùs re-

e 4. contra Mar. c. 1.

A ligiosa: vtrumque verò significat dictio Græca, ὅσια, sed & idem, quod τὰ ὀφειλόμενα, debita, vel δίκαια, iusta, atque in singulari *omne ius, fásque.* Est autem, vt vulgò dicitur, omne promissum debitum, & ex quadam iustitia soluendum, seu præstandum.

Nouatianus [f] CHRISTVM ait ab Esaia prænunciatum, cùm eius Euangelia describens, dixit: *Et disponam vobis testamentum æternum, sancta Dauid fidelia.* Leo Castro in Esaiam [g] sic explicat: *Dabo sancta Dauid fidelia*, id est, *Dabo sanctum Dauid, seu sanctum corpus Domini ex genere Dauid fidele*, hoc est, *incorruptibile, quod non debeat reuerti in corruptionem.*

f de Trinit. c. 9. inter opera Tertulliani. Quænam sint sancta Dauid fidelia. g in cap. 55.

B Interpretes verò LXX. ponendo, *sancta Dauid fidelia*, vsos more suo periphrasi, vt sensum sacrum aperirent, & respexisse ad Psalmum [h], in quo cùm dixisset Dauid: *Misericordias Domini in æternum cantabo*, illas in eodem Psalmo paulò pòst in hoc esse declarauit [i]: *Semel iuraui in Sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit*, &c. quod est dicere, fidele esse, & sanctum, atque firmum, & immutabile iuramentum, atque promissum factum vel Dauidi filio Iesse, vel Dauidi figurati nominis, nempe CHRISTO, quem promisi ex semine Dauid venturum.

h Psal. 88. 1.

i versu 36.

C Scio nonnullos [k] locum Esaiæ interpretari de EVCHARISTIA, vt ibi *sancta*, in numero plurali ponantur pro *sanctum*, in singulari, videlicet sanctum CHRISTI corpus de semine Dauid sumptum, est fidele, id est, incorruptum, & firmum. Vnde & eodem capite paulò antè præmittitur [l]: *Properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac*, &c. Quæ verba Hieronymus exponit etiam de EVCHARISTIA.

k lege Ennquez lib. 9. de Missa c. p. n. t. lit. H. in Glossa. De Eucharistia sunt qui exponant.

l Esai. 55. 1.

Versus 35.] Ideóque & aliàs [m] dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

m Psalm. 15.

D IDEO'QVE *& aliàs dicit.*] Hoc est illud sanctum Dauid fidele, id est, promissum firmum, & ratum, ac veluti minor propositio syllogismi, quem à Paulo confectum dicebamus. Vsus est & Petrus hoc ipso testimonio superiùs [n], vbi nos etiam exposuimus. Qui Hebræum nomen שחת *schachath*, *foueam* interpretantur, pugnant cum euentu: vidit enim cadauer CHRISTI foueam, hoc est, iacuit in illa. Tunc autem esset in statu regiminis, & à radice שוח *schuach*, vel שחה *schachah*, vel שח *schach*, quæ omnia significant *inclinare, humiliare*, &c. At secundùm eam significationem, quam reddiderunt LXX. per διαφθοράν, & Latina editio per *corruptionem*, à שחת *schachath*, quod est *corrumpere*, Rabbi Isaac explicat: *Quòd non dominabitur post mortem scolex, aut vermis.*

n c. 2. 27.

Christi corpus vidit foueam, sed non corruptionem.

E *Versus* 36.] Dauid enim in sua generatione cùm administrasset, voluntati DEI dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem.

DAVID *enim in sua generatione.*] Colligit argumentum, cùm in Dauid non queat incorruptibilitatis promissio locum habere, de CHRISTO intelligendam. Eadem fuit ratiocinatio Petri [o], cuius vim & nos aliàs expendimus.

o c. 2. 24. & sequ.

In sua generatione.] ἐν ἰδίᾳ γενεᾷ. De hac voce dixi capite secundo [p]. Idem est, quod in seculo

p versu 40.

suo,

a Esa.38.12.
suo, vel ætatis suæ actionibus. Sic Ezechias dixit [a]: *Generatio mea ablata est*, id est, tempus, & series vitæ meæ finitum; quam Glossa interlin. ait, *ab Abraham esse decimamquartam generationem*.

Cùm administrasset.] Possunt hæc aut per se accipi, aut iungi sequentibus, *voluntati Dei*. Nostra editio, ac Syra cum his iungit. Vatablus cum præcedentibus, *in sua generatione*; vt sit sensus: Postquàm ætati suæ inseruiuit, id est, hominibus suæ ætatis.

Non propriè dicitur quis mori voluntati Dei, sed voluntate: idcirco aptiùs intelligimus Dauid, cùm viueret, ministrasse voluntati Dei, iuxta *cuius cor etiam erat*, & *fecit omnes voluntates ipsius*, vt anteà dictum est [b]. Minùs etiam congruè vsurpatur, ministrare in generatione, sed generationi. Et cùm constet, mori quemque volũtate Dei, etiamsi non semper in voluntate, vel cum voluntate, nil opus erat illud exprimi.

b vers.22.

Voluntati Dei.] Iam dixi, cum quo nectendæ sint hæ dictiones.

c vers.vlt.

Dormiuit.] Lege caput septimum [c], vbi est compositum Latinum, *obdormiuit*, sed idem Græcum, ἐκοιμήθη.

Et appositus est ad patres suos.] Non, vt Vatablus putat, *illatus in sepulcrum patrum suorum*, sed simpliciter mortuus, vt constabit ex his, quæ mox dicentur.

Valet idem, *Apponi ad populum suum*, aut *populo*, aut *populis* [d]; &, *colligi* [e], seu *congregari* [f]; *dormire cum patribus* [g]; *ingredi viam vniuersæ carnis* [h], vel *terræ* [i]; *transire ex hoc mundo* [k], *ire*, vel *pergere ad populum*, vel *patres* [l]; *iungi populo* [m]; *colligi ad sepulcrum* [n]; *videre*, & *gustare mortem* [o].

d Gen 25.17. c.35.29. c.49.33. Deut.32.50 e Num.20.26. ca.31.21. Gen.49.32. 4. Reg.22.20. f Esa.57.1. Ier.8.13. Soph.1.2.3. Gen.25.8. g Gen.47.30. 3. Reg 11.43. c.14.20.31. & passim in historia Regũ. h Ios.23.14. i 3.Reg.2.2. k Ioan.13.1. l Num.20.24. ca.27.13. Gen.15.15. m Deut.32.50 n 4. Reg.22.20. o Psal.88.49. Ioã 8.52. Mat.16.28. Heb.2.9.

Quod attinet ad *colligi*, aut *congregari*, quæ etiam phrasis accommodatur ad cædem animalium [p], ratio ita loquendi est, quoniam qui extinguũtur, plurimis, hoc est, mortuis aggregantur quasi in tumulũ, & cumulum: vel iamiam morituri colligere pedes solent, vt de Iacob narratur [q]; vel *mortui colliguntur*, vel *colligantur ad sepulcrum* [r]. Philo [f] disputans de Abraham, triplicem assignat causam, cur mortuus apponi dicatur, ob reditum vel in Solem, Lunam, stellas, ex quibus terrena hæc omnia gigni creduntur; vel ad idearum contubernium, quarum ad exemplar sensibilia facta sunt, sed ita vt in id sapientes soli admittantur: vel ad quatuor elementa, quantùm ad corpora, & quantùm ad animas in æthera, cuius illæ quædã particulæ sint.

p Osee 4.3. Sophon.1.2.3. q Gen.49.32 r 4. Reg.22.20. f lib. Quis rerum diuinarũ sit hæres.

Ex nostris Augustinus [t], Comestor [u], Glossa interlinearis [x], Abulensis [y], Paulus Burgensis [z], id accipiunt de frequentia, & societate Angelorum, si qui moriuntur, iusti sint, quibuscum aliquando futuri erãt, qui limbo tenebantur, & quorum subinde solatiis fruebantur, viuentes quodam modo Angelicam vitam, remotam à tentationibus, & periculis. Vel de omnibus prædestinatis, qui efficiunt populum electum, collectúmque in sinu *patris omnium credentium Abrahæ* [a]. Hoc vltimum, præter Comestorem, habent quoque Rupertus [b], Lyranus [c], Caietanus [d], & alij.

t q.168. in Ge. & 2. con. Pel. cap.10. *Quid sit, colligi ad patres.* u in hist. libr. Gen. c.114. x in c.25. Gen. & 49. y in c.25. Gen. z in c.49. Gẽ. a Rom.4.11. b 6. in Gen. c. vlt. li. 9. c.40. c in c.49. Gẽ. d in c.25 Gen. *Philo arguitur.*

Verumtamen Philo nimis suo more Platonizat, vel Stoicam etiam sapit scholam, & falsa pronunciat ex parte. Secunda exponendi ratio non minùs ferè modò aptari posset nostris in gratia confirmatis hîc adhuc viuentibus, vt ait Lyranus: præsertim si ipsis constet eo se esse numero apud Devm, vel etiam illis, qui frequentissimas hîc Angelorum visiones habuisse leguntur. Certè non opinor, Astyagem Regem Persarum censendum

A inter istos, de quo pariter Daniel [e] prodit, *quòd appositus est ad patres suos*; non Ismaëlem, cuius item mors iisdem describitur verbis [f], non Roboam [g], Achab [h], Achaz [i], & fortasse Salomonem [k], tótque alios, qui *dormisse* dicuntur *cum patribus suis*. Vt sit friuola, & falsa Burgensis notatio, primum Abraham dici *congregatum ad populum suum* [l], quia primus sit mortuus sine culpa expiabili per ignem purgatorium.

e cap.13.65. f Gen.25.17. g 3. Reg.14.31. h 3. Reg.22.40. i 4. Reg.16.20. k 3. Reg.11.43 l Gen.25.8.

Quis verò ei hoc reuelauit? Et vt facilè de Abraham admittatur, cur negatur de Noë, cuius encomium Scriptura ipsa adeò insigne fecit [m]? Denique, vt modò dixi, in alios nonnullos eadem ratio
B nequit conuenire, quorum iisdem verbis mors commemoratur. Et est idem, apponi ad patres, & dormire cum illis, atque apponi, colligi, congregari, iungi populo, aut populis. Nemo autem ferat, vt quempiam cum Angelis dormire intelligamus: minúsque proprium est, eos vt patres vocemus, quamuis custodes, & præsides.

m Gen.6.8.9.

Neque formula dictionis illationem denotat in sepulcrum, vt velle Vatablus videbatur, in quo iam alij positi sint: nemo enim ante Abraham iacuit in sepulcro, quod sibi comparauerat, præter Saram vxorem. Nec, vt Magister Historiæ Scholasticæ argumentatur, Iacob, multóque minùs prior illo Isaac, collocati in eodem cum Abraham, & Sara, ad populum, qui tam paucos non comple-
C ctitur, appositi rectè dici possunt.

Quid? quod, vt obseruat Augustinus, de Iacob iam mortuo, sed nondum sepulto, dictum est, *appositum esse ad populum suum*? Rem Theodoretus [n] optimè attigit, cùm docuit, modos illos dicendi de morientibus, quòd colligantur, vel congregentur ad populum suum, aut ad patres, innuere animorum immortalitatem, atque futuram Resurrectionem. Et quidem cùm Abraham narratur *mortuus, congregatus ad populum, sepultus*: primum de compositi totius dissolutione accipi potest, secundum de anima, tertium de corpore. Quod cùm
D Caietanus etiam tradit, immeritò eum Oleaster carpit.

n quæst. vlt. in Gen. *Cur dicatur apponi ad populũ.*

Docuimus & nos capite octauo [o], ex cura sepulturæ opinionem de immortalitate, ac Resurrectione confirmari. Quod illi argumentum non suppeditabant, qui cadauera cremabant. Id Hebræos fecisse, mirum est sibi Andreã Capillam [p], post Abulensem [q], qui affirmat de nobilioribus, saltem aliquando, persuadere potuisse. Nam quæ dictis locis combustiones memorantur, vnguentorum sunt, & aromatum ad pompam funeris, vt in secundo Paralipomenon [r], vbi de Ioram, quod clariùs traditur de Asa ibidem [f]. Apud Ieremiam [t] pro verbo comburendi L X X. vtuntur verbo κλαίειν, quod est *plangere*. Et in citato libro Regum paraphrasis Chaldaica exprimit dictum illum suf-
E fitum.

Immortalitas animæ ex cura sepulturæ confirmatur. o vers.22. p in c.34. Ier. vers.4. & 5. q 1. Reg.31. q.18. r cap.21.19. f cap.16.14. t supra.

Quòd verò ibidẽ dicuntur sepulta ossa, idem est atque corpus, pro quo illa non rarò sumuntur, vt tradit Kimhi [u]. Tantùm abest, vt nudarentur carnibus ossa, & illæ cremarentur, hæc seruarentur, vt dicunt oppositæ sententiæ sectatores, vt vel attigisse cadauer expiationem requireret [x]. Plenæ sunt Scripturæ huiusmodi sepulturarum exemplis, & ex externis Tacitus [y] disertè tradit, non cremasse Iudæos, sed humasse cadauera.

u 1. Par.11. x Num.19.11, 13. y 21 Annal.

Quadrat porrò hæc expositio de appositis mortuis ad patres, & c. malis æquè, bonísque: omnes enim animi associantur in modum cuiusdam populi, siue in limbo, siue in inferno, siue in cœlo.

Purgatorij enim non est stata semper, firmáve sedes. Hinc est, quòd improbi in inferno, sicut oues, positi describuntur morte depascendi secunda [a], nunquàm consumendi, & *colligati in fasciculos ad comburendum* [b]. Probi autem dici possunt *collecti in fasciculo viuentium* [c], atque *habitare in terra, & regione viuorum* [d].

a Psal.48.15.
b Matt.13.30.
c 1.Reg.25.29.
d Psal.114.9. Psa.26.13.

Si non Astyages, de quo dixi, occurreret, censerem Hebræos illos idiotismos non ante Abraham auditos, cùm ante illum infinitus propemodùm bonorum, malorúmque populus mortalitatem exuerit, inde natos, quòd ille dux, capútque extiterit vniuersæ Hebræorum gentis: nec minùs eo etiam Ismaëlitæ, vt auctore gloriarentur. Summæ his autem curæ foret, quod aliàs [e] annotauimus, non promiscuam, sed propriam in gente, & familia sua habere sepulturam, qua qui carerent, summo affici & dedecore, & supplicio crederentur.

e cap.8.2.

Adde Nehemiam, cùm Rex maximus Artaxerxes tristitiæ in vultu eius causam quæreret, respódisse [f]: *Quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus sepulcrorum patris mei deserta est?* Cui non displicet, quæ mihi quidem placet opinio, respondeat mecum ad eum modum excipienti, vulgares illas phrases inde ductas, vnde dixi, aliò deinde translatas, vt fit, & magis communes factas.

f 2.Esd.2.3.5.

Vnum adhuc obest, quoniam ipse Abraham apponi dicitur ad populum suum; hic autem nondum erat. Sed opponi posset, sinum eius dici receptaculum omnium iustorum, etiam qui ante illum fuerunt, & ipsum vocari *patrem credentium, etiam in præputio* [g], non qui consecuti sunt solùm, sed & qui præcesserunt.

g Rom.4.11.

Illud sanè probo Burgensis monitum, peculiare nouo Testamento esse, vt sancti viri dormire, seu obdormire, morique in Domino dicantur: iam enim patescit, qui obstructus erat in beatitudinem introitus: qua de re ad caput septimum satis multa [h].

Cur Sancti in nouo Testamento obdormire dicantur.

h vers.vlt.

Videtur nonnullis [i] eadem ratio de gustu mortis, quasi iam magis gustetur, quàm comedatur, & in ea *vt in leonis, quem Samson discerpsit* [k], *ore mellis fauus exstitit*, & libenter à iustis obeatur, postquàm CHRISTVS, de quo Paulus eodem pacto loquitur [l], illam est expertus. Fateor in vetere Testamento non reperiri hanc phrasim, tametsi Ioannes [m] Græcè scribens refert ita Hebræos fuisse locutos: verumtamen cùm apud alios Euangelistas [n] reperitur, indefinitam habet significationem, ac in vtráque partem, non pro malis minùs quàm pro bonis. Lege de hac re tota Pererium [o], cuius nos labore profecisse non dissimulamus.

i vt Græcis, & Glossæ in c.2. ep.ad Hebr.
Gustare mortē qui dicantur.
k Iud.14.6.8.
l Heb.2.9.
m cap.8.52.
n Matt.16.28. Mar.9.1. Luc.9.27.
o lib.de ben. Patriarch.à n.191. & tom.3. in Gen.in ca.25.disp.8.

Versus 37.] Quem verò DEVS suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem.

QVEM verò DEVS *suscitauit.*] Concludit de CHRISTO verum esse promissum, & vaticinium, quia de Dauid non est. Porrò in textu Græco, & versione Græca, atque in nonnullis codicibus Latinis, & in editione Syra, desunt dictiones duę, *à mortuis*, sed parum refert. Retinet autem semper Paulus eundem de CHRISTO resuscitato loquendi modum, tribuens DEO (quod & Petrus suis etiam fecit in concionibus) propter eam, quam sæpe attigi, causam.

A

Versus 38.] Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari.

NOTVM *igitur sit vobis, viri fratres.*] Clausula hæc est totius sermonis: isti vni adhærendum ex semine Dauid orto CHRISTO, tanquàm Redemptori, atque Saluatori, per quem cuiuis in eum credenti remissio contingat peccatorum, quando quæ lex adhuc præscripserit, ad id sufficientia non fuerint, à quorum etiam ille onere, difficilíque obseruantia liberet.

B

Et ab omnibus.] Rectè coniunctio *&*, quæ est in textu Græco, restituta est, quam nonnulli codices Latini non habent: valet verò idem quod *etiam*, aut *sicut*. Primo modo sensus est, quòd liberauit CHRISTVS etiam à legis onere, quam Iudæi tanti faciebant, & pluris æstimabant externum, quàm internum cultum; secundo modo, quòd sicut ablatum erat id onus, ita inde tanquàm à posteriore, vt dicunt, vt ab effectu colligerent, se à peccatorum etiam, si vellent, sarcina liberatos. Frequens est vsus dictæ particulæ *&*, in triplici lingua, Hebræa, Græca, Latina, & aliis quoque vulgaribus, quem hîc esse diximus.

Et, pro etiam, ita sicut.

C

Quibus non potuistis in lege Moysi iustificari.] Legis veteris imbecillitatem inculcat Paulus in epistolis, potissimùm ad Hebræos, in qua de cæremoniis; ad Romanos, in qua de obseruatione mandatorum Decalogi; ad Galatas, in qua de vtrisque.

Disputant Theologi tractantes de Incarnatione, & de Sacramentis nouæ legis, hoc idem argumentum, demonstrántque, quàm sit vera Pauli sententia, quòd *ad* [p] *perfectum non perducebat lex, & erant egena, ac infirma illius elementa omnia* [q]. *Reprobatio fit præcedentis mandati*, inquit Apostolus [r], *propter infirmitatem eius, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Docet etiam nominatim *ex operibus legis non esse homines iustificatos* [s], & *per legem habuisse tantùm cognitionem peccati, & eam operatam esse non iustitiam, sed iram.* Vocat præterea *legem mortis* [t], aut *literam occidentem* [u], aut *ministrationem mortis* [x], aut *legem mandati carnalis* [y], aut *iustificationes culturæ* (externæ) *& sanctum seculare* [z], siue *mundanum*, vt habet Græcus textus, aut *munera, & hostias non valentes iuxta conscientiam perfectum facere seruientem* [a], &c. *sed tantùm ad emundationem carnis inquinatos sanctificare* [b].

p Heb.7.19.
q Gal.4.9.
r Heb.7.18.19.

D

s Rom.2 & 3. & 4. Gal.2 & 3.
t Rom.7.6.
u 2.Cor.3.6.
x ibidem 7.
y Heb.7.16.
z Heb.9.1.
a ibidem 9.
b ibidem 12.

Tandem Concilium Florentinum [c] definit, *quòd Sacramenta vetera non causabant gratiam, sed eam solùm per Passionem CHRISTI figurabant.* Itaque lex Moysi, eiúsque Sacramenta non poterant iustificare, præstando iustitiam, & gratiam sanctificantem primam, quamuis possent, quod attinet ad incrementum eius, ex merito boni operis in iis obseruandis, & vsurpandis, quod non procedit ex virtute, seu valore operis externi, sed ex interna gratia, charitate & virtute. Non etiam per se vim talem habebant præcisa fide CHRISTI, vsus enim illorum vt aliquod meritum habebant, fundabatur in fide CHRISTI; quod negabant Iudæi, vt monet Augustinus [d], immò & Apostolus [e] dicens, *quòd ignorantes iustitiam DEI, & suam quærentes statuere, iustitiæ DEI non sunt subiecti*; id est, ignorantes à DEO iustificari homines per gratiam CHRISTI, & volentes suam, id est, legis stabilire

c in Bulla vnionis.
Sacramenta veteris legis gratiā non conferebant, sed figurabant.

E

d epist.29.
e Rom.10.3.

iustitiam,

iustitiam, quasi per legis opera possent iustificari, subtrahunt se à iustitia DEI, neque iustificationem consequuntur.

Eo autem posito fundamento fidei, ac meritorum CHRISTI, verè idem Paulus dixit, *quòd factores legis iustificabuntur* [a], *& qui fecerit ea, viuet in illis* [b]. Et Iacobus, *quòd Abraham ex operibus iustificatus est* [c]: & verum est in hoc sensu, iustos, qui erant in vetere, pertinuisse ad nouum Testamentum, atque Christianam religionem ab initio fuisse, vt loquitur idem Augustinus [d], qui alioqui allatum illud discrimen inter vtramque legem crebrò agnoscit [e], & Eusebius [f], atque alij: *Bibebant enim de spiritali consequente eos petra: Petra autem erat* CHRISTVS [g], *qui Agnus quoque* vocatur *occisus ab origine mundi* [h]: *estque Mediator* DEI, *& hominum omnium* [i]. Legi, postquàm hæc pro instituto strictim notauissem, Barradij nostri fusum, ac diligentem de vtriusque Testamenti comparatione Tractatum [k], in quo quindecim noui supra vetus prærogatiuas doctè explicat, in quibus illa est, vt vetus vi sua neminem iustificauerit, sed omnis iustificatio, & peccatorum remissio pertinuerit ad nouum. Eadem de re & capite 4. nonnihil actum, agetúrque capite decimoquinto.

a Rom. 2. 13. b infrà 10. 5. Gal. 3. 12. c in ep. c. 2. 21. d 1. Retr. c. 13. e in lib. toto de Spiritu. & litera. lib. 1. de peccator. meri. & remiss. c. 11. 2. de peccato orig. c. 25. 1. con. duas ep. pel. c. 8 lib. 3. c. 4. in Psa. 72. & tract. 41. in Ioan. & epist. 157. f 1. Hist. cap. 4. g 1. Cor. 10. 4. h Apoc. 5. 12. i 1. Tim. 2. 5. k lib. 1. Harm. per sexdecim capita.

Versus 39.] In hoc omnis qui credit, iustificatur.

IN *hoc.*] Vel *in hoc*, est idem quod *per hunc*, iuxta satis frequentem vsum præpositionis *in*; ita vt qui fidem habet, per hunc fiat iustus; vel quod *in hunc*, nempe qui credit; dictum enim est non semel, credere in DEO, & in DEVM, aliquando vim eandem habere. Aliàs item docuimus quo pacto iustificatio fidei tribuatur, cùm sit certum solam non sufficere, ac per se, & sine forma charitatis, atque non operando per dilectionem, seu nisi sit operatiua per talis operis principium sibi adiunctum, quod est charitas. *Omnis qui credit, iustificatur*, quia nemo sine fide: quia via est ad salutem cuiuis generi hominum: & cuilibet in particulari, quantùm est ex se, si cetera non desint, nec aliud impedimentum adsit.

Fides sola non iustificat.

Audiuimus in hac historia, Petrum non tantùm ante Baptismum à Iudæis [l] exigentem pœnitentiam, sed post Baptismum quoque à Simone Mago [m]: ad eandem prouocatur vnus *ex Angelis illis*, hoc est, *Episcopis*, in Apocalypsi [n], atque *vt prima opera faciat*. Quid igitur Caluinus hoc loco satisfactionis tollit necessitatem, ac nobis imponit, quòd affirmemus originale solum peccatum cum aliis ante Baptismum commissis purè gratuitò per CHRISTVM remitti, cetera redimi satisfactionibus?

l cap. 2. 38. m cap. 8. 22. n cap. 2. 5.

Gratis etiam profectò iustificationem fieri affirmamus peccantibus post Baptismum, nec arbitramur quicquam præiudicare gratuitæ CHRISTI remissioni satisfactionem, qua placatur DEVS: quoniam à CHRISTO ipso vim habet satisfactio, vt placet DEO: itaque CHRISTVS DEO *reconciliauit mundum* [o], vt ab ipso mundo variam exigat obedientiam, atque iustitiam, ad quam inter alia spectat, vt qui peccauit seu post, seu ante Baptismum, pœnitentiam agat, *dignósque pœnitentiæ fructus faciat* [p].

Iustificatio etiā post Baptismum fit gratis.

o 2. Cor. 5. 19. p Luc. 3. 8.

Verebitur Caluinus asserere, præiudicium à Paulo factum gratiæ CHRISTI, quando peccatorem illum Corinthium, sed baptizatum, &, vt credo, adhuc fidelem tradidit Satanæ *in interitum*

A *carnis, vt spiritus saluus fieret* [q]. Concedimus Caluino, CHRISTI mortem quotidianū, perpetuumque piaculum esse delendis peccatis, verùm ita vt non sine pœnitentia, & satisfactione, quemadmodum nec sine fide, quam ipsemet requirit. Neque ita successit mors eadem CHRISTI, vt putat, cæremoniis, sacramentis, sacrificiis antiquæ legis, quasi illa omnia per se quippiam valerent ad peccatorum remissionem: erant duntaxat, vt dictum est, iustitiæ carnis; & fides, quam veteres illi profitebantur in CHRISTVM, conferebat ad remissionem, tametsi non sola sine contritione, seu pœnitentia.

q 1. Cor. 5. 5.

B Aliud argumentum eruit ex hoc eodem loco idem Caluinus in Institutionibus [r], vt probet nos iustificari sine qualitate interna, quoniam hîc dicitur, quòd *per hunc*, videlicet, CHRISTVM, *fit remissio, & iustificatio*: prætereà fieri iustificationem per fidem, quæ apprehendit diuinam de ea promissionem, siquidem ait Apostolus quòd *annunciatur per hunc remissio*: adhæc iustificationem in nullo alio consistere, quàm in remissione peccati, & non in interna aliqua renouatione: quæ si est, non tam iustificatio dici debet, quàm eius effectus: mentio námque nunc fit de sola remissione peccatorum, eáque censetur iustificatio: denique non requiri ad iustificationem, vt lex obseruetur, profiteri id Pauli verba illa videntur: *A quibus non potuistis in lege Moysi iustificari.*

r lib. 3. c. 11.

C Facilis ex his, quæ adhuc dixi, solutio. Nam per CHRISTVM iustificatio est, vt per efficientem causam, per qualitatem infusam, vt per formalem. Annunciatio remissionis fide apprehensa necessaria est, non tamen sufficit, nisi ea fiant, quæ annunciantur exigi, vt remissio obtineatur, inter quæ, præter fidem, est adimpletio omnium, quę DEVS, CHRISTV'sve iusserit, de quorum numero pœnitentia censetur; quod qui exequitur, credit vt oportet: & ita verum est, eū, qui credit, iustificari; quemadmodum sanatur qui credit medico, litem vincit, qui credit Iurisconsulto; si pharmaca præscripta recipiat, & proposita consilia adimpleat.

Iustificatio est per Christum, & per formalē iustitiam.

D Cur iustificatio per remissionem peccatorum sæpiùs exprimatur, à me alibi [s] notatum est: ipsa sanè importat necessariò formam sanctificantem, expultricem deformis, & maculosæ malitię: sitque sæpenumerò in Scripturis mentio *sanctificationis, mundationis, ablutionis, renouationis, &c.* & ipsum nomen iustificationis hoc satis indicat, quod à iustitia dicitur.

s cap. 2. 38.

Postrema verba significant solùm illam legis, de qua egimus, per se sumptæ, infirmitatem: necnon propriis viribus minimè obseruari posse; ita vt, quod crebrò repetit Augustinus, non præcedant opera iustificandum, sed iustificatum sequantur, per illum, *qui de peccato damnauit peccatum in* E *carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis* [t]. Loquitur autem Augustinus de verè iustis, à quibus legis mandata perfectè obseruantur.

t Rom. 8. 3. 4.

Versus 40.] Videte ergo ne superueniat vobis quod dictum est in Prophetis.

VIDETE *ergo.*] Premit modò, vrgétque vehementer prophetica comminatione, ne si non credant, graues pœnas incurrant.

In Prophetis.] Glossa interlinearis, *in vno libro multorum Prophetarum*: Lyranus & Caietanus, *in libro* XII. *Prophetarum.* Eodem modo alij passim, & Arias ait librum illum solere appellari hoc nomine,

mine, *Propheta.* Quidquid ſit, de libro vno, in quem duodecim, qui vocantur minores Prophetæ, coniecti eſſent, quilibet verò maiorum proprium efficeret librum, vt docuit Hieronymus [a], nempe propter breuitatem, vt ait Theodoretus [b], Ruffinus [c], Auguſtinus [d], eáque de cauſa vocantur minores, quemadmodum maiores ob prolixitatem.

a Prol. in libr. Regũ & Prol. in eoſdẽ Prophetas minores.
b Procem. in duodecim Prophetas.
Propheta in plurali numero aliquem ſignificat.
c Præf. in Oſ.
d 18. de Ciuit. Dei. cap. 29.
e cap. 6. 45.
f cap. 23. 6.
g 6. Hypotyp. c. 1. col. 416.

Meliùs hoc loco Carthuſianus, & Vatablus expoſuiſſe videntur, *in Prophetis*, hoc eſt, *in vno ex Prophetis.* Nam & apud Ioannem [e] eadem iſta loquendi formula, *Eſt ſcriptum in Prophetis*, non aliquem ex minoribus ſignificat CHRISTVS, ſed Eſaiam; & Hebræa phraſis ſimilis reperitur in Geneſi [f]: *In electis ſepulcris noſtris ſepeli mortuũ tuum*, id eſt, in vno ex ſepulcris: & vulgò ita loquimur, *Aiunt Poëta*, de vno aliquo intelligentes, vt notat Martinus Cantapetrenſis [g]. Poſtremò neſcio vnde probari poſſit, Prophetarum plurali numero abſolutè poſito minores intelligi.

Verſus 41.] Videte contemptores, & admiramini, & diſperdimini: quia opus operor ego in diebus veſtris, opus quod non credetis, ſi quis enarrauerit vobis.

VIDETE *contemptores, & admiramini.*] Locus hic eſt Habacuc capite 1. [h] citatus ſecũdùm verſionem LXX. & ſumptus ab Apoſtolo in ſenſu allegorico de reprobatione, & excæcatione Iudæorum, & ſpiritali vaſtitate, & ablatione Scripturæ, eiuſque intelligentiæ, & ſacerdotij, & iuris ad regnum cœleſte, cùm Propheta de euerſione Ieruſalem ageret per Chaldæos, quæ fuit figura cladis Romanæ, ſeu à Romanis inferendæ. Nam corpoream deſolationem multi euaſerunt ex cõtemptoribus Iudæis, qui noluerunt credere Euangelio, & Prophetis, tam qui erant in Ieruſalem, quàm qui per orbem diffuſi; tum verò illi, quos Antiochiæ Piſidiæ alloquebatur Paulus, cui Romani nihil mali intulerunt. Nihil tamen etiam vetat, quin reſpectum ſimul habuerit ad euerſionem Ieruſalem, quæ proculdubiò valdè redundauit in omnes per orbem diſperſos Iudæos.

h verſ. 5.
Locus Habacuc ab Apoſtolo quomodo ſumptus.

Ceterùm pro, *Videte contemptores*, quo item modo expreſſerunt verſiones aliæ duæ, quarum meminit Hieronymus, nimirum per *calumniatores*, aut *declinantes*, editio noſtra, iuxta textum Hebræum, & verſionem Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, ait: *Aſpicite in Gentibus, & videte*, vbi geminatio verborum idem ſignificantium auget orationis vim. Chaldæus autem reddit, *Videte in populis.* Varietas interpretationis oriri potuit ex ſimilitudine literarum duorum vocabulorum Hebraicorum ſine punctis, quorum punctorum recentior inuentio eſt, בגדים *bogedim*, id eſt, καταφρονηταί, & *contemptores*: & בגוים *begoijm*, id eſt, *in gentibus*, ſiue *populis*.

Verſio LXX. propoſito Apoſtoli commodior erat, quia gentibus, populíſve non auferebatur gratia, vel Scriptura, ſed contemptoribus Prophetarum, & conſequenter CHRISTI ab ipſis prophetati, videlicet Iudæis, & ſciebat Paulus Prophetam, licèt dixiſſet, *in gentibus*, vel *populis*, re ipſa loquutum eſſe cum contemptoribus, præſertim cùm de Iudæis quoque dici nomen *populorum*, atque *gentium* aliàs oſtenderimus.

Cur Apoſtolus verſione LXX. vſus ſit.

Confert ad rem præſentem Canon quem adfert Ribera [i], ſolere Euangeliſtas, & Apoſtolos, dum citant veterem Scripturam, verba nonnulla vel addere, vel ſubtrahere, ſeruata veritate ſenſus eiuſdem: ſed & idem fieri ab Euangeliſtis recitantibus verba CHRISTI, idem ab Eccleſia, & Patribus, dum proferunt vel ex nouo, vel ex vetere Teſtamento. Exempli cauſa, in officio Eccleſiaſtico ſic legimus: *Dixit* IESVS *Diſcipulis ſuis, & turbis Iudæorum, Caro mea*, &c. cùm tamen apud Ioannẽ [k] ſit: *Litigabant ergo Iudæi*, &c. tum poſtea [l]: *Dixit ergo eis* IESVS: reuerà enim loquebatur Diſcipulis, & turbis Iudæorum. Præterea Marcus [m] ſcripſit dixiſſe CHRISTVM puellæ: *Talitha cumi, quod eſt interpretatum, Puella, tibi dico, ſurge.* Loquebatur enim puellæ, quæ, quamlibet mortua, non obſurduerat ad vocem ipſius, cùm tamen verba illa duntaxat ſignificent, *Puella, ſurge.*

i in Habac. cap. 1. num. 14.
Apoſtoli ſolent dum citant Scripturam aliquid addere, vel detrahere.
k cap. 6. 52.
l ibid. 53.
m cap. 5. 41.

Non eſt autem improbabile inter concionandum deprehendiſſe Paulum ex habitu, geſtúque nonnullos ex auditoribus Iudæis contemnere quæ de CHRISTO dicerentur. Porrò quamuis prænunciaſſent Iudæorum peruicaciam Prophetæ, non tamen fruſtrà monet Paulus, vt caueant, quia poterant obſequi, ſi vellent reſpondere vocanti DEO, & DEI nomine prædicantibus.

Et admiramini, & diſperdimini.] Mendosè quidam legunt, & *diſpergimini.* In editione noſtra eſt in textu Habacuc, *Et admiramini, & obſtupeſcite.* Apud LXX. *Et admiramini mirabilia, & diſperdimini.* Magnitudinem admirationis gemino expreſſam verbo in noſtra editione, & vno, ſed geminato variè inflexo in Hebræa ſignificare voluerunt LXX. per ἀφανίσθητε, quod rectè per *diſperdimini*, redditum eſt. Idémque eſſet, ac ſi diceres, Perite, exinanimini, & exanimamini præ admiratione, & metu, vel euaneſcite, marceſcite, hinc abite, diſpergimini: quo vltimo modo qui legunt, vt Lyranus, Hugo, & Gagneius, à ſenſu, & vi vocis non abhorrent, ſed à puritate verſionis Latinæ. Quidam codices Græci [n] ante ἀφανίσθητε addunt ἐπιβλέψατε.

n in nouo Teſtamento Roberti Stephani.

Quod autem exponit Caietanus, *euaneſcite in paſſionibus veſtris*, verum eſt, ſed paulùm remotum, vbi in Euangelio eſt [o], *Exterminant facies ſuas*, Græcè habemus, ἀφανίζουσι, quod Hieronymus exponit, *demoliuntur*, Hilarius, *conficiunt*, Chryſoſtomus, διαφθείρουσι, *corrumpunt*, alij, *obſcurant.*

o Matt. 6. 16.

Quia opus operor ego in diebus veſtris, opus quod non credetis, ſi quis enarrauerit vobis.] Latina editio in Habacuc ferè concordat: *Quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet, cum narrabitur.* Quamuis Hieronymus ex Symmacho legat, *opus fiet.* Hoc opus de Incarnatione Gloſſa interlinearis intelligit, & Hugo, necnon Galatinus [p], & Theophylactus [q]. Lyranus addit Paſſionem, & Reſurrectionem, Caietanus *ablutionem, ſeu Baptiſmum in remiſſionem peccatorum in nomine* CHRISTI: rurſum Hugo de vaſtatione per Romanos, ſicut Propheta loquebatur de futura per Chaldæos.

p lib. 3. contra Iudæos. c. 1.
q in c. 1. Habacuc.

Sed planè videtur intendere Paulus opus hoc eſſe cladem illam, quam diximus ſpiritualem, atque reprobationem, quoniam, vt mox illis exprobrat, *repulerunt verbum* DEI, *& indignos ſe iudicauerunt æternæ vitæ.* Huiuſmodi opus, ſicut & cùm Ieremias [r], aliíque prædicarent captiuitatem Babylonicam, nulla ratione adduci poterant, vt crederent, quantumuis à Ioanne Baptiſta, & à CHRISTO prædictum, iactantes *ſe filios Abrahæ* [ſ], & vt conſulerent paci, ac incolumitati, néve *Ro-*

Quid ſit opus quod Deus operatur.
r cap. 5. & 20.
ſ Matth. 3. c. 21. c. 43.

mani

a Io. 11. 48.

mani venirent ablaturi locum, & gentem [a], censentes expedire, *vt mors* CHRISTO *decerneretur.* Consentiũt in ista expositione Theodoretus, & Theophylactus in Habacuc, & iste in præsentem locum, & Carthusianus, & Arias.

Versus 42.] Exeuntibus autem illis rogabant, vt sequenti Sabbato loquerentur sibi verba hæc.

EXEVNTIBVS *autem illis.*] Græcus textus ita habet: Ἐξιόντων δὲ ἐκ τῆς Συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων, παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ Σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα. Omisit Latina editio *Synagogam*, quia iam constabat ibi habitum sermonem.

Non est interpretata τὰ ἔθνη, credo quòd existimaret significare non Gentiles, sed illos, à quibus rogati antè fuerant Paulus & Barnabas dicere verbum exhortationis. Τὰ ἔθνη enim sumi indifferenter pro quacunque multitudine, aliàs vidimus, sicut & nomen gentis: quod & vulgaris sermo vsurpat, *lo pregorono quelle genti*; etiamsi id verisimile est factum per Archisynagogos, qui priùs inuitauerant. Caietanus, Gagneius, & Arias intelligũt de Gentilibus, sed contraria opinio communior est: itáque intellexit Chrysostomus, & Theophylactus, apud quos nec dictiones illæ sunt τὰ ἔθνη, quas & omisit editio Syra: vt credi possit ex scholio marginali in textum irrepsisse.

τὰ ἔθνη quid interdum bene significet.

Quod posteà narratur, conuenisse penè vniuersam ciuitatem ad audiendum, non efficit, vt hi, qui modò dicuntur rogasse, fuerint Gentiles: sed sparso, vt fit, rumore de prædicata noua quadam doctrina, & de libertate dicendi in Paulo, conuenerunt etiam illi in Synagogam, ad audiendum; quoniam à Synagoga nulli arcebantur, vt verbo diuino interessent. Quod nominatim Tertullianus prodit [b], cùm Gentiles prouocãs ait, *Irrumpite Iudæorum Synagogas; audite Prophetias, quæ ibi leguntur*, &c. Iudæi itaque denuò, ac diligentiùs audire volebant, aut *maligno animo, vt inde captarent Paulum persequendi occasionem*, quod Hugo sensit, ac Lyranus, & Glossa interlinearis: *aut etiam bono*, quemadmodum Carthusiano placuit, *vt pleniùs instruerentur de re adeò graui, ac noua.*

... ciuitas ... dico ...

b l. ca. 18.

Sequenti Sabbato.] Εἰς τὸ μεταξὺ Σάββατον. Quidam ex iis, qui de Gentilibus superiora verba accipiebant, ista sic explicant: *Interim vsque ad Sabbatum*; quasi illi rogarent, vt sibi certo alio loco extra Synagogam, ad quam vsque ad sequens Sabbatum conueniendum non erat, sermonis causa, iisdem illis de rebus sermocinarentur. Sed vt ea esset significatio, dici deberet, μεταξὺ εἰς τὸ Σάββατον: quo autem modo nunc legitur, significat, *in id, quod est deinceps*; seu, *in futurum Sabbatum.*

Indicat Iosephus Scaliger [c] legendum, εἰς τὸ μεταξὺ Σαββάτων, vt significetur *tempus, quod interest inter Sabbatum & Sabbatum*, quódque nominant Hebræi, בחול מועד *bechol mohhed*: Plutarchus, aliique Græci, ἐργασίμους ἡμέρας: Italicè, *giorni di lauoro*: Gallicè, *iours ouuriers*, id est, profanos, & profestos. Ita vt dum per eos dies vacarent operibus, ac negotiis Hebræi, Gentiles hac vti vellent occasione, Paulum sæpiùs, magísque per otium audiẽdi. At repugnant ea, quæ dixi, necnon noua, & nulli anteà cognita Iosephi lectio: sed & Oecumenius μεταξὺ Σάββατον declarat ἀντὶ τοῦ, τὸ ἐσόμενον. Editio quoque Syra reddit, לשבתא אחרתא *leschibetha acharitha*, i. *in Sabbatũ*, vel *Sabbato alio*, siue *subsequenti*. Postremò, iuxta sensum illum Scali-

c ...men- ... tempor. l. 261. Græcã ... tur.

geri dici debuisset, ἐν τῷ μεταξὺ, vt loqui mos est Demostheni, ceterísque Græci sermonis peritis, inter quos meritò Lucas censetur, tanquàm Atticior, vt Vergara [d] loquitur, præter Hieronymum, quem in præfatione retuli.

d de ratione studij Græc.

Est non nemo [e] qui arbitretur Sabbatum nunc dici τὸ μεταξὺ, quòd esset inter aliqua festa interiectum, vel quia in aliquem eorum sex dierum incidisset, qui intercedunt inter primum & vltimum earum solemnitatum, quibus dies octo dedicantur.

e Andreas Rachlitius in Paulo.

Versus 43.] Cúmque dimissa esset Synagoga, secuti sunt multi Iudæorum, & colentium aduenarum, Paulum, & Barnabam: qui loquentes suadebant eis vt permanerent in gratia DEI.

CVMQVE *dimissa esset Synagoga.*] Non locum, sed in eum conuenientes hîc Synagoga significat; sicut & nomen Ecclesiæ pro vtroque sumitur.

Colentium aduenarum.] τῶν σεβομένων προσηλύτων, *colentium proselytorum*, quos capite 2. [f] Latinus interpres comparans Iudæis, appellat *proselytos*. Dicuntur autem *colentes*, scilicet DEVM, quia recesserant à cultu plurium Deorum, & ab idololatria Gentilium.

f vers. 11.

Græcum verbum σέβεσθαι, frequentiorem habet significationem pro veneratione, & cultu, qui DEO datur; & σεβόμενοι dici possent *Religiosi*. Est tamen etiam in vsu vtrumque vocabulum pro obseruantia hominibus exhibita: & in passiua significatione dici quoque possunt σεβόμενοι iidem, qui ἔντιμοι, id est, *honorati, primarij, magnæ auctoritatis, qui coluntur magna cum reuerentia.*

Σέβομαι, Græcum verbũ quid propriè significet.

Nisi obstaret auctoritas editionis Latinæ, placeret mihi posterior acceptio, quia quod prior significare dicitur, nimirum *colentes*, hoc includitur satis in Græca voce, τῶν προσηλύτων, & iam Latinitate donata, *proselytorum*. Glossa ordinaria ex Rabano, ait meliùs legi, *colentium* DEVM, & sic in Græco haberi: sed ego id nunc non reperio in Græcis codicibus.

Vt permanerent in gratia DEI.] In cognitione veritatis, & bona voluntate, desiderióque fidem penitus complectendi, ac exequendi quæ necessaria sunt, vt inniterentur CHRISTI gratia, non confiderent in legis iustitia.

Fortasse nondum fidem diuinam erant consequuti, nedum gratiam iustificantem. Ἐπιμένειν τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, denotat *adhærere*, ita vt videatur adhortatio esse ad adhærendum, & consentiendum. Si quis hos velit iam iustos fuisse, colliget argumentum pro dono perseuerantiæ, quo carere possint etiam hi, qui sint verè iusti: quod negant hæretici, volentes fidem, in qua iustitiæ summam collocant, si semel habeatur, amitti non posse. Qui error diu antè in Iouiniano explosus est, vt testatur Augustinus [g], & Hieronymus [h]; quamuis loqueretur de iustis post Baptismum, quos asserebat non posse peccare: & damnatur in Concilio Tridentino [i].

Iusti perseuerantiæ dono carere possunt, & fidem amittere.

g li. de hæres. cap. 82.
h 2. cont. Iou.
i Sess. 6. cano. 23.

Versus 44.] Sequenti verò Sabbato penè vniuersa ciuitas conuenit audire verbum DEI.

SEQVENTI *verò Sabbato.*] Ergo in 42. versu, Εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον, significabat, vt diximus,

futurum

futurum Sabbatum, non spatium inter duo Sabbata.

Penè vniuersa ciuitas, &c.] Syrus, qui legit, כלה מדינתא *chullah medinetha*, id est, *tota ciuitas*, omisit particulam restringentem. Conciuit multitudinem tantam non habita solùm prior oratio, cuius fama percrebuit, sed priuati etiam fortasse ab iisdem Apostolis per medium, quod interfuit, spatium temporis facti sermones. Conuentus autem in Synagoga celebratus est, quò licuit ventitare cuiuis ad audiendum verbum Dei, etiam Gentibus, vt iam sæpe monuimus.

Versus 45.] Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.

TVRBAS.] Τοὺς ὄχλους. Et Latinum, & Græcum vocabulum important inconditam, & confusaneam, ac perturbatam multitudinem. Quanquàm & indefinitè quamlibet significant. Et plurali numero, οἱ ὄχλοι, idem quod in singulari, ὁ ὄχλος.

a vers.17.

Zelo.] Liuore, inuidia, indignatione. Lege caput quintum [a]. Causa erat Gentilium concursus tantus, quibus non dubitarent Apostoli non tantùm colloqui, sed offerre etiam Dei dona, priusquàm fierent proselyti, aut Mosis legi nomen darent.

Contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur.] Ἀντέλεγον τοῖς ὑπὸ τοῦ Παύλου λεγομένοις ἀντιλέγοντες, *contradicebant contradicentes*. Quæ orationis forma non Hebræorum propria est, vt voluit Caietanus, sed Græcis, Latinísque vsitata.

b cap.6.11.

Blasphemantes.] Extenditur hoc verbum etiam ad alios, quàm ad Devm, vt aliàs [b] docuimus, agentes de peccato blasphemiæ, eius etiam, quæ dicitur in Spiritvm sanctum.

Blasphemia Iudæorum qualis fuerit.

Erat igitur horum aut in Apostolos blasphemia, quasi essent seductores, aut in doctrinam eorum, vt falsam, aut in Christvm, eò quòd non esset verus Messias, vtpote admittens promiscuè Gentes, cùm Prophetarum promissiones Israëlitis factas perperàm deflecteret ad alios.

Versus 46.] Tūc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.

TVNC *constanter Paulus, & Barnabas dixerunt.*] In recitata cōcione solus agebat Paulus: haud dubium, quin priuatim & Barnabas prædicauerit. Nunc palàm, liberè, & constanter vterque inducitur loqui, ad eum modum, quo superius, cùm de constantia sermo est, cùm Petro Ioannes loquutus narratur [c].

c cap.4.19.

Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei.] Concedunt Iudæos partim iusto tangi zelo, & in hoc rectè iudicare, quòd ad se in primis spectaret verbum Dei, & legis nouæ, ac Euangelicæ primi nuncij, atque priuilegia: id ipsum enim non oraculis modò Prophetarū continebatur, sed Christvs etiam sæpe docuerat, & vt ita fieret, Discipulis exactè, crebróq; præceperat. Lege quæ diximus capite primo, & decimo, & vndecimo. Hinc Tertullianus [d] probat, eundem vtriusque Testamenti Devm esse, cùm Apostoli Iudæis, antequàm Gentilibus, prædicauerint: sed malignè facit, dum ex eo, quòd relictis Iudæis, conuerterunt se ad Gentes, infert [e], *vt cessauerat præceptum solis Iudæis prædicandi, ita & illud de fuga in persecutione* [f].

d 3. contra Marcion c.21. *Deum dum vtriusque Testamenti.*

e lib. de fuga in persecut.c.6.

f Matt.10.23. *Prophetis, qui renuntiarunt Iudæis, Gentes commendat subducere.*

Sed quoniam repellitis illud.] *Sed quia*, inquit Hieronymus [g], *filij, quibus panis prius oblatus est* (alludit ad verba Christi cum Chananæa loquentis [h]) *qui in canibus, Patrem* (dici potest etiam Christvs Pater, non solùm frater noster) *in sua venientem recipere noluerunt* [i]: *dedit omnibus potestatem, vt qui receperint eum, fiant filij* Dei [k]. *Maior seruire debet minori* [l], inquit Arator [m]. *Achis expellit Dauidem* [n], inquit Arnoldus [o]. *Angelus Domini altare ad sacrificium pro salute populi erigi præcepit, non in terra Iuda, sed in area Areuna Iebusæi* [p], inquit Augustinus [q]. *Iacob in benedictione præposuit Ephraim minorem* [r], inquit Isidorus [s], & Rupertus in Genesim. *Propinquior nolens vxorem Ruth accipere* [t], *discalceatus est gloria collata legis, & infirmiæ nota inustus*, inquit Prosper [u]: *Gentilis autem, qui accepit, calceatos pedes habet in præparatione Euangelij pacis* [x]. Christvs egressus templo, incidit *in cæcum* [y] *à natiuitate, eumque curauit*, id est, Gentilem, Iudæo relicto, vt Græci in Ioannem mysticè exponunt, & Rupertus, & Cyrillus in Catena.

g in ca.31. Ierem.
h Mat.15.26.
i Ioan.1.11.
k ibidem 12.
l Gen. 25. 23. Rom.9.12.
m hoc loco.
n 1.Reg.29.6.7.
o Tractat. de septē verbis Christi.
p 2. Reg. vlt. 21 & seq.
q Ser.198. de Temp.
r Gen. 48.14.
s ibidem.
t Ruth 4. 6. Deut.25.7.
u 2. de prædic.c.23.
x Ephes.6.15.
y Ioan.9.1.

Iudæorum delictum, salus est Gentibus, vt illos æmulentur, inquit Paulus scribens Romanis [z], *& delictum eorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium*: ideóque profitetur se conniti prædicando Gentibus, *vt ad æmulandum prouocet carnem suam, & saluos faciat aliquos ex illis*, cùm Iudæi conspecta Gentium sanctitate, & præclaris donis, vel sic extimulentur quadam zelotypia, & ex contentione aduersùs Gentes, qui noluerant, Apostolorum prædicatione, tandem conuertantur. Quo sensu dictum illud Clemens Alexandrinus [a] accipit à Deo: *In gente stulta irritabo illos* [b].

z Rom.11.11. 12.13.14.

a 2 Strom.
b Deuter.32.21.

Et indignos vos iudicatis æterna vita.] Non est peccatum, si te gratia diuina repútes indignum, dummodò non recuses oblatam, neque imitatus Cain [c], magis ad indignitatem attendas tuam, quàm ad Dei liberalem misericordiam. Cauit Christvs [d] *dari sanctum canibus, & proijci margaritas ante porcos*, hoc est, eos qui contemnant, & conculcent.

Gratia Dei indignum quisque se reputare potest, sed non debet eam oblatam spernere.
c Gen.4.13.
d Matt.7.6.

Prohibiti etiam sunt à Spiritv sancto Paulus, & Timotheus loqui verbum Dei in Asia [e], quia non erant auditores id recepturi. Græcus textus habet: *Non dignos iudicatis.* Syrus, פסקתון על נפשכון דלא שוין אנחון *pesakthun lhhal naphsechun dele schewin anthun*, id est, *Vosmetipsos rescindistis, ne digni sitis.*

e Act.16.6.

Non iudicabant profectò se vel non dignos, vel indignos, sed ita se gerebant, quomodo si integrè vellent iudicare de aliis eodem pacto se gerentibus, ac proinde de seipsis deberent: & *tanquam serui nequam iudicari de ore proprio possent* [f]: quippe claris conuicti demonstrationibus. Similis mihi videtur loquendi ratio, qua Iacobus [g] vtitur aduersùs detractorem, cùm ait, hunc legi detrahere, & eam iudicare: nempe quoniam legitimè non iudicat, nisi qui secundùm legem iudicat: is verò, qui contra legem, quæ prohibet detractionem, vel ex qua de singulis

f Luc.19.22.
g cap.4.11.

ferendum

ferendum iudicium est, iudicat, normam se iudicij, atque legis loco constituit.

Ecce conuertimur ad Gentes.] Εἰς τὰ ἔθνη. In propria significatione pro Gentilibus, qui Iudæis opponuntur; quamuis latiorem eius significationem quandoque esse superiùs docuerimus [a]. Hoc sibi fortasse Sponsa voluit prouocans dilectum suum ad fugiendum [b]: *Fuge, dilecte mi,* relinque pertinaces Iudæos ac fœtidos, *ad montes aromatum,* ad Gentiles, qui à te exculti, & tuo sanguine perfusi exuberabunt fragrantibus floribus fructibúsque *tibi odor bonus futuri, & aliis propter te, in vitā* [c].

Neque verò tamen colligant propterea Hæretici, non aliam sibi à Scripturis constitutam pœnam, quàm vt deserantur arbitrio, & sensui suo. Alia ratio fugitiui serui, alia eius, qui sponte in tuam se adiungere seruitutem possit, si velit. De huius generis hominibus, qui nondum tenentur fide iuramenti obligati, CHRISTVS aliquando dixit [d]: *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris*: de posterioribus; *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus* [e].

In tam libera oratione Apostoli modum tenent, non exprobrant, aut malè ominantur: solùm monent illos à se deseri, idque non propria voluntate, sed diuino tum vaticinio, tum præcepto: quod eò debuerunt magis apud Iudæos exponere: quàm pridem Petrus cùm rationem reddebat in causa Cornelij [f], quoniam ipsos nemo nunc vocabat ex Gentilibus, sed vltrò eos quærere videbantur. Iam impletur sententia CHRISTI *de vinea locanda aliis agricolis, & dando regno genti facienti fructus eius* [g]. Adumbrauit hoc ipsum CHRISTVS ipse quodammodò, vt in Matthæum [h] Hieronymus, Beda, Theophylactus obseruant, quando, *quòd eius Iudæi doctrinam non reciperent in partes Tyri & Sidonis venit, ac in ipsammet etiam fortassis Gentilium regionem*, quod vltimum sentit Chrysostomus.

Versus 47.] Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsque ad extremū terræ.

SIc *enim præcepit nobis Dominus.*] Præceptum vocat prædictionem, & rationem dispositionis diuini consilij, siue fiat imperio, siue per solam internam, externámve motionem, siue duntaxat permittendo: quoniam quod quis prænoscit, & potest impedire, vt notant Canus [i], & Ribera [k], ne fiat, si non impedit, si mouet vt fiat, iuuat, seu permittit, censetur vulgo præcipere. Non memini legere, quòd prædictio nuda præcepti nomine significetur. Quocirca præceptum vocat Apostolus, aut quia sub præcepti forma quadam traditur apud Esaiam, qui citatur, vsurpantem Hebræo more imperatiuum pro futuro: vel habuit respectum ad CHRISTI præceptum, quo iussit Gentibus prædicare, vt sæpe audiuimus, posita illa prædictione apud Esaiam. Cyprianus [l] pro *præcepit*, legit, *dixit*. Glossa interlinearis, ex Rabano *Prophetiam* ait *præceptum immobile esse*, hoc est, Apostolos, & Apostolicos viros præcepti loco habere. Interlinearis *prædixit* ponit, pro *præcepit*. Hugo rationem reddit, quia non fuit præceptum ex parte prophetantis, sed ex parte recipientium, qui ita seruauerunt, ac si esset præceptum.

a vers. 42.
b Cant. 8. 14.
c 2. Cor. 2. 15. 16.
Hæretici puniri iure possunt, & non solùm in suo permitti desertione.
d Matt. 10. 14.
e infrà 18. 17.
Apostoli, in Iudæos nihil asperius loquuntur.
f Act. 11. 4. & seq.
g Matth. 21. 41. 43.
h cap. 15. 21.
i 2. de locis. cap. 4.
k in cap. 6. Amos nu. 11.
Præceptum cur prædictio diuina dicatur.
l 1. con. Iud. c. 21.

A Sanè frequens est in Scriptura, vt quod decreuit DEVS quauis de re, nominetur præceptum, seu mandatum. Hoc pacto *præcepit* DEVS *coruis, vt pascerent Eliam* [m], & *viduæ Sarephtanæ, vt idem faceret* [n], immò *& Semei, vt malediceret Dauidi* [o]: & *ventis ac mari* [p], & *omnibus creaturis* [q]: & hostibus vindicibus populi sui [r]. Vnde quod apud Matthæum est [f]: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis (Moses) dimittere vxores vestras*, Marcus dixit [t]: *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.*

B *Nobis.*] Verba quæ mox citantur, de CHRISTO sunt, & ad CHRISTVM directa, tamen ea sibi Apostoli applicant, tanquàm ipsius ministri, & membra: sicut CHRISTVS ipse persecutionem, quam inferebat suis Saulus [u], sibi illatam querebatur: cui Saulo tanquàm vasi ad portandum nomen suum vbique electo [x], dixit idem CHRISTVS [y]: *Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te*, atque omnibus in commune Discipulis, vt dixi, idipsum iniunxerat.

Apud Oseam [z] dicitur, quòd *leo rugiet*, id est, prædicatio CHRISTI, quæ per Apostolos futura erat: apud Abdiam [a], *quod legatum ad Gentes misit*, id est, CHRISTVM, qui est *Desideratus cunctis gentibus* [b], & *expectatio earum.* Sed similiter per prædicatores suos, quos Paulus ait *legatione fungi pro illo* [c]. Nil autem ad propositum C Zacharia [d] luculentius, iuxta expositionem Hieronymi, necnon Eusebij [e], *Quia hæc dicit Dominus exercituum*, id est, CHRISTVS *post gloriam*, id est, post miracula, & Resurrectionem, & Ascensionem, *misit me ad Gentes*, nempe per Apostolos.

Aliquando Scriptura de CHRISTO loquitur solùm vt est caput: interdum ratione solius corporis eius, quod est Ecclesia [f], nonnunquàm quantùm ad vtrumque. Tradunt, & exemplis illustrant hanc regulam Augustinus [g], & Isidorus [h], & post illos Ribera [i], quibus præiuit hac in re citatus ab Augustino Ticonius.

D *Posui te in lucem Gentium.*] Esaiæ sunt hæc in capite 49. [k] secundùm editionem Septuaginta, quo toto capite Gentes longinquæ inuitantur ad salutem, *Audite insulæ* [l], &c. tum quiritatur CHRISTVS tantos labores frustrà susceptos ob Iudæorum, qui obedire noluerunt, paucitatem, *In vacuum laboraui* [m], &c. Deinde colligit veluti animum, & se recreat spe conuersionis Gentilium [n]: *Glorificatus sum in oculis Domini, & factus est fortitudo mea: & dixit: Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas.*

Meritò Simeon cecinit CHRISTVM *lumen ad reuelationem Gentium* [o], & CHRISTVS ipse *lucem se mundi* appellauit [p], vtpote *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum* [q]. Hoc E Esaiæ testimonio premit Iudæos Eusebius [r], cùm dissimulare nequiti possint impletum esse quod Esaias prædixit [f], *iam respicientibus lumen illud, in eóque ambulantibus Gentibus.* Peculiariter CHRISTVS, qui Iudæorum etiam est, ac mundi totius, lumen Gentium dicitur: quoniam si comparentur istæ cum Iudæis vnum verum DEVM cognoscentibus, & colentibus, & CHRISTI venturi seu notionem, seu fidem habentibus (licèt Iudæorum plurimi iacerent in tenebris peccatorum) versabantur in lumine Iudæi, Gentes in gemina & morum & errorum obscuritate, ac nocte.

Dicitur Deo quauis decretum præceptum dicitur.
m 3. Reg. 17. 4.
n ibidem 9.
o 2. Reg. 16. 10.
p Matt. 8. 27.
q Psal. 148. 5.
r Esa. 13. 14.
f cap. 19. 8.
t cap. 10. 5.
u Act. 9. 4.
x ibid. 15.
y infrà 22. 21.
Vaticinia de prædicatione Gentibus facienda.
z cap. 11. 10.
a vers. 1.
b Gen. 49. 10. Agg. 2. 8.
c 2. Cor. 5. 20.
d cap. 2. 8.
e 6. de Demonst. c. 16.
Scriptura variè de Christo loquitur.
f Ephes. 1. 22. Col. 1. 18. 24.
g 1. de doct. Christ. c. 31.
h 1. de sum. bono c. 21.
i in Zach. c. 2. nu. 17. & 18.
k vers. 6.
l vers. 1.
m vers. 4.
n vers. 5. 6.
Christus lumen vocatur ad illuminationē Gentium.
o Luc. 2. 32.
p Ioan. 1. 12. c. 9. 5.
q Ioan. 1. 9.
r 2. de Demonstrat. ca. 25.
f cap. 60. 3.

Apostoli sunt lumen mundi.
a Mat.5.14.
b Ioan.1.9.
c ibid.8.
d infrà 5.35.
e in Matt.5.

Suo Apostolos CHRISTVS nomine donauit, destinans mundo prædicatores: *Vos estis*, inquit [a], *lux mundi*. Sed beneficio ipsius, *qui erat lux vera* [b], summa, essentialis, & imparticipata, respectu cuius Ioannes negatur *lux esse* [c], qui simul affirmatur *lucerna ardens, & lucens* [d]. Auctor Operis imperfecti [e] argutè magis, quàm verè, Apostolos *sal terræ*, propter Iudæos, exponit, quòd eos in eodem statu conseruare deberent, quæ vis est salis, vtpote veritatem cognoscentes: *lucem mundi*, respectu Gentilium, qui veritatem docendi essent, quod est proprium lucis.

f Philip. 2. 15. Eph.5.8.

Omnes Christiani lux vocantur ab Apostolo, & *luminaria in mundo, & filij lucis ac diei* [f], CHRISTVS & extrinsecùs doctrina, exemplóque illuminat, & intrinsecùs per gratiam: Apostoli, & Apostolici homines extrinsecùs tum docendo, tum rectè viuendo: ceteri hoc saltem vltimo modo. In hoc circiter tempus incidit reliquorum in Gentes Apostolorum generalis dispersio. Nam Chronographi hæc deputant, quæ hic narrantur, anno CHRISTI 45. seu 46. tradidit verò Thraseas, Apollonio teste apud Eusebiū [g], *accepisse se à maioribus SALVATOREM præcepisse Apostolis suis, vt ne ante duodecimum annum ab Ierosolymis discederent*, videlicet procul, ac in totum, sicut iampridem capite primo retulimus.

Dispersio generalis Apostolorū quando contigerit.
g 5.Hist.c.17. vel 18.

h Hom.70. in Matth.
i Mat.22.9.

Chrysostomus quoque [h], dum tractat ea verba CHRISTI [i], *Ite ergo ad exitus viarum*, &c. ea illustrat præsenti loco, atque *Iudæis quidem primum Apostolos prædicasse, sed longo temporis spatio cæsos & flagellatos in Iudæa manentes, ac demùm ab ipsis propulsos, in Gentes profectos esse.*

Vsque ad extremum terræ.] An tempore Apostolorum eò vsque ac per orbem totum peruenerit Euangelium, disseruimus capite secundo [k].

k vers.8.

Versus 48.] Audientes autem Gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

Gentium gaudium pro sua conuersione vbi prædictum.

AVDIENTES *autem Gentes gauisæ sunt.*] De suo bono videlicet, non de alieno malo. Hoc Gentium gaudium Paulus egregiè describit, allatis Psalmorum ad eam rem, & Esaiæ testimoniis in epistola ad Romanos [l], quæ adhuc apud Esaiam plura suppetunt [m]. Vnum perillustre est, continens comparationem cum Iudæis nunc reiectis: postquàm enim de istis eo modo egit, Gentium admissarum gaudium, & exultationem ita exponit [n]: *Nónne adhuc in modico & in breui, conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur?* id est, post septingentos annos, quorum ad æternitatem exiguum est spatium, Gentiles, horridi, inculti, steriles, alieni à Fide, fertiles, ac frugiferi euadent, ob religionem veram, quam complectentur; & contrà Iudæi sterilescent; *& audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt, & addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in Sancto Israël exultabunt: quoniam defecit, qui præualebat, consummatus est illusor, &c.* hoc est, Diabolus, qui per idololatriam exercebat tyrannidem.

l cap.15. 9. & seq.
m cap. 9. 1. c. 35. 1. 9. c. 35. 1. c. 54. 1.
n cap. 29. 17. & seq.

Perspicuum est, ait Nyssenus [o] tractans huiusmodi locum, *quòd non locis inanimatis, & sensu carentibus lætitiam annunciat, sed per solitudinem tropicè, & allegoricè squalidam & inornatam animam significat*, &c. Eadem ratione intellexit Nazianzenus [p], Iustinus [q], Origenes [r], Eusebius [s], Cyrillus [t], Theodoretus [u], Hilarius [x], Ambrosius [y].

o Orat. de Baptismo.
p orat. 1. con. Iul.
q Apolog.2.
r in Iosue Homil.2.
s 6. de Demonstr. c. 21. & lib. 9. c. 6.
t 6. con. Iul. & in c. 35. Esaiæ.
u quem citat Castro cap. 35 Esa.
x in Psal. 65.
y 2. de Virg.

A

Glorificabant verbum Domini.] Euangelium, vel CHRISTVM VERBVM PATRIS, inquit Glossa interlin. & Carthusianus. Lyranus eligit secundum, ego primum. Syrus vertit, ומשבחין לאלהא *vamschabbechin lalaha*, id est, *Gloriam tribuebant* DEO. Nondum adeò instituti videntur, vt distinctè darent gloriam VERBO DEI, vt notionaliter sumitur pro persona TRINITATIS. Gloriam autem, laudémve magis verbis datam intelligo, quàm factis, etsi hæc potior, nec defuit, quum credidisse nonnulli dicantur, simul videlicet Sacramenta recipiendo, & opera pietatis exercendo.

B

Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.] τεταγμένοι. Sunt qui hunc locum sic explicent, vt Tullius Crispoldus [z], quoniam Græcum participium significat *ordinatos* simpliciter, & non *præordinatos*, de iis qui seipsos ordinauerunt ad vitam æternam, nec se, vt Iudæi, indignos iudicauerunt vitæ æternæ. Videlicet omnibus prædicatum est, omnes pulsauit inspiratione sua DEVS, at pars repulit, pars admisit: illi ad eos venienti, oblatæque vitæ restiterunt, hi recipiendæ sese accommodauerunt, ac veluti in ordine ad vitam tendentium collocauerunt, atque coordinauerunt. Verus & Catholicus sensus, quem vidi posteà Salmeroni placuisse.

z in manuf. Comment.
Quomodo homo voluntate credat aliis non credentibus.

C

Sed alium exigit editio nostra, quæ ponit *præordinationem*, non hominum profectò, seipsos, quamuis cum gratia, præordinantium, sed DEI gratis omninò ad vitam æternam eligentis, & media præordinantis ad eius consecutionem, inter quæ primum est Fides, ostendens illam, omniáque dirigens ad ipsam: *Quos enim DEVS prædestinauit, hos & vocauit, & iustificauit, & glorificauit* [a]. Fortasse etiam non est sermo de prædestinatione, sed de præordinatione, seu prædicta à Prophetis ordinatione DEI, & voluntate, vt Euangelij gratia, quod maximè negabant Iudæi, illius egregij contemptores, pertineret ad Gentiles, ex quibus modò aliquanti crediderunt, proindeque in vitæ via æternæ dispositi sunt, quamuis

Prædestinatio est à solo Deo.
a Rom. 1.30.

D

eos omnes prædestinatos fuisse, non est necesse. Arias ita videtur explicare. Et tunc non deberemus legere *quotquot*, sed *ij qui*, prout etiam vertit Syrus אלין *elin*, & Græcum ὅσοι, id potest significare. Quia tamen penitus defendenda editio nostra est, hærendum censeo in allata explicatione de prædestinationis præordinatione.

Porrò Lucas non ita loquitur, quasi ex reuelatione cognouerit omnes illos, qui credidisse præ se ferebant, fuisse de numero prædestinatorum, sed solùm per coniecturam, & piam quandam opinionem, & ab affectu charitatis confidentiam conceptam: sicut cùm Paulus ait de Philippensibus [b], *Confido hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem* CHRISTI IESV. Et quidem probabile argumentum erat eiusmodi præordinationis ad vitam æternam in illis, qui crediderant, cùm pauci essent, & fidem amplecterentur tanto studio, atque profiterentur in tanta multitudine eidem contradicentium.

b Philip.1.6.

E

Non asserit Lucas causam præordinationis, aut prædestinationis fidem esse, aut prædestinatis sufficere fidem, aut qui hanc habeant, esse quoque prædestinatos, aut præordinari omnes credentes, aut nullos alios credidisse, quàm qui essent præordinati ad vitam æternam, quæ sunt Caluini falsa

Fides non est prædestinationis causa.

assertio

assertiones, ac falsò hinc erutæ conclusiones.

a Homil.17.in Euang. b cap.10.6.

Gregorius[a] declarans verba Lucæ[b]: *Etsi ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra*; filium pacis ait esse, *qui prædestinatus est*, *qui sequitur verbum quod audit*. Attamen constat multos ex prædestinatis non credere continuò prædicationi, & contrà non pauciores esse, qui credant, nec esse de numero prædestinatorum, & Matthæus[c] eandem sententiam recitans vocat *dignum*, de quo CHRISTVS etiam velit, vt Apostoli interrogent, id est, bonum DEI cultorem, de sua sollicitum salute, non contentiosum, sed veritati acquiescentem: hæc enim ex communi fama sciri possunt; prædestinatio soli DEO nota est.

c cap.10.11.

Prædestinatio soli Deo nota.

Fauet nihilominùs ea Gregorij explicatio, præsertim si distinctas affirmemus in vtroque Euangelista sententias, his, quæ diximus de prædestinatione, nimirum credidisse, quos DEVS prædestinauerat ad vitam æternam, in qua vita vera pax consistit, & est cœlestis Ierusalem, visio pacis, iuxta vulgarem etymologiam.

d lib. de lib. arbitrio.

Prosper[d] videtur prædestinationem sumere non pro ordinatione, quæ perducat vsque ad vitã æternam, vel quæ includat electionem ac prædestinationem ad illam, sed solam viam, hoc est, fidem, quæ non possit obtineri sine ordinatione gratiæ DEI, quamuis & à fide recedi possit, & sola per se ad vitam non sufficiat. Probat enim suum illud intentum de necessitate gratiæ diuinæ, & simili exemplo Lydiæ, de qua inferiùs hac eadem historia[e], *Cuius Dominus aperuit cor, vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo*: & quòd idem Paulus, vt est ibidem[f], vetitus est iis locis prædicare, vbi non erat prædicationi eius fides habenda: denique illa eiusdem sententia[g]: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat DEVS.*

e cap.16.14. f vers.7. g 1.Cor.3.7.

Gratia efficacis.

Itaque videntur hi modi dicendi denotare vim gratiæ efficacis, quam Chrysostomus vocat hîc *prædefinitionem* DEI, qui nunc voluerit efficaciter vt hi crederent, non tamen necessariò, gratiam prædestinationis. Quamuis nec aspernandam iudicem interpretationem de prædestinatione, immò etiam vt magis communem præferendam.

h c.35. tom. 3. operum Aug. i Salmeron.

Porrò non est apud Augustinum, siue Fulgentium in libro de fide ad Petrum[h], vt quidam putant pij alioqui viri[i], *non prædestinatum propriè nimirum dicta prædestinatione, nulla posse ratione credere aut saluari, sed solum non posse saluari.* Hoc autem etiam ipsum intelligo de facto, non de possibili, de gratia efficaci, effectúmque sortiente, non de sufficiente, & cui defectus deest, eius culpa cui offertur.

Versus 49.] Disseminabatur autem verbum Domini per vniuersam regionem.

k Luc.8.11.

DISSEMINABATVR *autem.*] Non est quòd Glossæ vim faciant in verbo *disseminandi*, quia *semen sit verbum* DEI, vt dixit CHRISTVS[k]: Græcè enim est διεφέρετο, id est, *perferebatur*, seu *annunciabatur*. Vniuersam regionem intelligit illam, quæ est circùm Antiochiam Pisidiæ.

Versus 50.] Iudæi autem concitauerunt mulieres religiósas, & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis.

A

IVDÆI *autem concitauerunt mulieres, &c.*] Non serpens modò ad decipiendum Adam, sed Hæresiarchæ ferè omnes mulieribus sunt abusi, ad stabiliendos errores, vt constat ex Historicis Ecclesiasticis[l], Hieronymo item[m], & Augustino[n]. Nam sunt discendi cupidæ, probandi iudicium non habentes, garrulæ, placidæ, conceptæ opinionis tenaces, pietatis prętextu adornatę. Taceo perniciosa consilia Iezabelis[o], Zares vxoris Aman[p], Herodiadis[q]: & latissimè patet muliebris sexus accusatio.

Mulieres persecutionis in Apostolos sunt Auctores.

l Euseb.lib.7. c.10. Theod. lib. 1.c.4. Nicepho.li.6.ca. 30.lib.8 ca.7. Trip.lib 1. ca. 14. m ep. ad Ctesiphon. & in c.64. Esaię. n 2. con. Parmen.c.3. & 9. & 2. con. lit. Petilia.c.88. o 3.Reg.21.7. p Esther 5.14. q Matt.14.8.

Religiosas.] Σεβομένας. Dixi versu 43. posse etiam hoc participium Græcum significare primarias, & honoratas. Occumenius intelligit *cultrices non fideles, sed Græcas*, hoc est, Gentiles, aut etiam Iudæas

B

Græcè loquentes, quæ ideò ita nominentur, quòd legem obseruarent, si nimirum erant Iudææ, seu natione, seu religione tanquàm proselytæ; vel si Gentiles, quòd impensiùs idola colerent, sed Apostolorũ sermonibus flecti ad veram pietatem viderentur. De vtrisque concedi potest, nec inuerisimile est priùs fuisse Apostolis, subministrando, quod Lyranus ait, necessaria.

Muliebris sexus deuotus.

Vulgaris opinio est de fœmineo sexu, deuotum esse: itáque accipit quod canitur quadam antiphona ex Augustino deprõpta[r], *pro deuoto fœmineo sexu.* Ibi nond ubito loqui Augustinum de deuotis ritu sacro monialibus: ponit enim è regione Cleri, & vtrumque selectum ordinem opponit populo, commendans omnes Deiparæ. Veruntamen fuit semper hic sexus vt mollior, & facilior, ita pronior ad deuotionem, quam concipiunt vulgares in tenero quodam, & pathetico studio consistere, quem affectum vocant.

r Serm 18. de San. qui est 2. de Annun.

C

Profani suas illas fœminas sacris deditas simulatrices, & simpulatrices nominabant[s]: & constat, quod alibi dicam[t], obsideri hunc sexum magis à Dæmone propter facilitatem ad superstitionem, quàm virilem.

s Turnebus li. 3.ca.10. Alex. ab Alex. lib. 3.c.13. t c.16 huius libri, vers.16.

Quamuis autẽ admittatur, has fœminas, aut earum aliquas superstitiosas fuisse, non tamen dictio Græca debuit reddi per hanc Latinam, vt quidam voluerunt, cùm sumi in bonam partẽ queat, & secundùm eandem intelligi, saltem iuxta vulgi, aut etiam Iudæorum, qui concitabant eas, opinionem.

D

Honestas.] Εὐσχήμονας, Syrus, עתירתא *hhathiretha*, id est, *diuites.* Caietanus interpretatur honestatem in exteriore habitu, quod ad mundum spectat muliebrem, sicut religiositatem aduersùs DEVM.

Honestare, & honestas, & honestum esse, vel fieri, & honor, & honorabilis, & honorare, & honorari, atque his similia, crebrò de diuitibus, ac diuitiis dicuntur in sancta Scriptura, aut de iuuando, alendóque per facultates alio, vt omissis tot exemplis constat ex præcepto de honorandis parentibus[u]: docétque Hieronymus[x] *honorem in Scripturis non tam in salutationibus, & officiis deferendis, quàm eleemosynis ac munerum oblatione sentiri.*

Diuites in Scriptura vocantur honesti.

u Exo.20.12. x in c.15. Matthæi.

E

Εὐσχήμων propriè significat decorum, speciosum, compositum, decenti corporis habitu, affectúque præditum: nec memini vsquàm legere in significatione pro diuite: sed plerunque in textu Græco Scripturæ pro honestate est πλοῦτος, & πλουτίσαι pro honestare. In capite 17. huius eiusdem libri[y] vocantur iterum γυναῖκες εὐσχήμονες, vbi Interpres adhuc reddit, *honestas*, Syrus autem, ידיעתא *iedaiehbatha*, id est, *percelebres.*

y vers.12.

Inter homines bene compositi, decoréque elegantes, & diuitiis abundare, & celebrari solent.

Honesti homines quinam sint.

Itali nominant *vna persona honorata*, Hispani *honrada*, Galli *honeste*, eam quæ ingenua est atque liberalis, & satis habet, vnde commodè viuat, & aliis quoque, cùm occasio tulerit, commodare valeat. Videtur prætereà sumi honesta persona pro nobili, quam Liuius [a] appellat *honoratissimæ imaginis* (loquitur de Appio Claudio, quem C. Claudius conquerebatur in vincula coniectum) quippe nobilitati, quæ videlicet consistit potissimùm in virtute, honor habetur: nec bene opes aut dignitates ac honesta officia, quæ nobilitant, vel potiùs nobilitatem eam, quam dixi, supponunt, nisi studiosis, cultoribúsque virtutis, quæ est in genere honestorum, & per se expetendorum bonorum, impenditur.

a lib. 3.

Iurisconsulti opponunt humili, ac vili hominem honestum. Denique optimi Auctores linguæ Latinæ honestum pro pulchro vsurpant [b], quod sonat vocabulum nostrum Græcum: & nonnunquàm pro diuite, vt notat Asconius [c]: quomodo etiam accepit Vlpianus [d], opponens egeno.

b Terent. in Eunucho.
c in 3. Verrin.
d ff. de furt. l. 52.

Primos ciuitatis.] Hinc intelligimus mulieres etiam illas fuisse ex primis, ac proinde non ex Gentilibus minùs quàm ex Iudæis, immò forsan magis: in ea enim ciuitate, qui primi erant, ex Gentilibus potiùs fuisse credendum est.

Excitauerunt persecutionem.] Pro more, & ingenio, de quo lege capite 7. [e] vbi docuimus aliquot exemplis, quo odio Iudæi persecuti Christianos fuerint, quid in illos semper malorum, quantúmque machinati.

e vers. 52.

Versus 51.] At illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium.

AT *illi excusso puluere.*] Οἱ δὲ ἐκτιναξάμενοι τὸν κονιορτὸν. Syrus addit, וכד נפקו *vecad naphequ*, id est, *Cùmque eiecti essent*, indicans id fecisse extra ciuitatem. Vt puluerem prædicatores excutiant in eos, qui non recipiant Euangelium, Dominum præcepisse produnt Euangelistæ [f], *in testimonium illis aut supra illos.*

f Matt. 10. 14. Mar. 6. 11. Luc. 9. 5. c. 10. 11.
Cur puluis ex pedibus excuti iussus est.

Hac nimirum ratione declarare illos volebat huiusmodi peruicacibus frustrà se tantum iter, laborémque pro ipsis suscepisse, & vel ipsum eorum puluerem impium esse, vt proinde iam ab illis abhorreant, eum vt sibi adhærere non sustineant, sed regerant in signum anathematis, & in Iudicij die testem. Innuunt causas istas Matthæi interpretes, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Hilarius, Hieronymus, & Beda, necnon in Lucam Ambrosius, & prætereà Origenes [g], atque Augustinus [h]. Vltimæ duæ, quæ sunt Origenis, & Hilarij, videntur præponendæ. Sic enim inferiùs tum Paulus in contradicentes, ac blasphemantes vestimenta sua excutiens dixit imprecando [i]: *Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego; ex hoc ad Gentes vadam*: tum [k] *alij vociferantes in Paulum proiiciebant vestimenta sua*, & puluerem iactabant in aërem: eodem modo Esdras vtens imprecatione, ait [l]: *Excussi sinum meum, & dixi: Sic excutiat Dominus omnem virum, qui non compleuerit verbum istud de domo sua, & de laboribus suis sic excutiatur, & vacuus fiat, & dixit: Omnis multitudo, Amen.* Dauid [m] certè *impium* asserit *vt puluerem, quem proiicit ventus à facie terræ.*

g Homil. 18. in Genes.
h in Matth.
i cap. 18. 6.
k infr. 22. 23.
l 2. Esd. 5. 13.
m Psal. 1. 4.

Sic solebant iidem Iudæi aut lapides erigere [n], seu lapidum aceruum [o], aut altare [p], aut vestem scindere [q], vt esset rei factæ testimonium; quem-

n Iosue 24. 26.
o Iosue 22. 20.
p Gen. 31. 4. 7.
q Matt. 26. 65.
Erigere lapides, & huiusmodi, cur Iudæi soliti fuerint.

A admodum Romani suem lapide ferire in pangendis fœderibus, quæ idcirco fœdera feriri, percutíve dicebantur: & Pilatus manus lauit [r], siue Iudaico more [s], siue aliarum Gentium: etsi ablutio potiùs erat apud has pro sacris obeundis, vt & apud Romanos: qua de re multa noster Pontanus [t], & Brissonius [u]: sed de hac pulueris excussione, vel iactatione apud profanos vestigium non reperio. Erat tantummodò, vt Vegetius [x] loquitur, mutum, & commune signum hostis aduentantis, quoties proficiscente turba exercitus, puluis ad similitudinem nubis surgeret, quod suis quoque in historiis Cæsar [y], Liuiúsque [z] edunt subinde, necnon Virgilius ita concinens [a]:

r Matt. 27. 24.
s Deut. 21. 6. Psal. 25. 6.
t lege Pontanum in 2. Æneid. in id, *Donec me flumine viuo abluero.*
u libro 2. de Form. Rom.
x lib. 3. c. 5.
y li. 4. de bello Gall.
z li. 10. & 30.
a Æneid. 9.

B *Quis globus, ô ciues, caligine voluitur atra?*
Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros,
Hostis adest. ———

Potest quoquomodo videri nostra, de qua agimus, pulueris excussio belli quædam in refractarios indictio. Cùm autem apud Lucam [b] perpendo particulam *etiam*, *etiam puluerem pedum vestrorum excutite*, arridet illa ratio, vt denotent se à priuatis commodis alienissimos extitisse; quo pacto Esaias [c] dicit *excutere manus ab omni munere*: ita tamen, vt cum postremis duabus allatis causis connectatur. His námque sequentia illa CHRISTI verba plurimùm fauent: *Amen dico vobis: Tolerabi-* C *lius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die Iudicij, quàm illi ciuitati*, quæ talem pœnitentiæ occasionem miraculis confirmatam [d] refutauerit, nec alieno perditorum illorum exemplo [e] profecerit.

b c. 9. & 10.
c cap. 33. 15.
d Matt. 11. 23. 24.
e 2. Pet. 2. 6.
Puluis excussus fiebat duobus modis.

Ex dictis porrò intelligitur, excussionem pulueris factam duobus modis, aut collisione solearum, aut vestimenta quassando. Quanquàm verò Syrus, vt dixi, significet excussum ab Apostolis iam egressis ciuitate puluerem, tamen Euangelistæ meminerunt de domo, vt si in agro esset, & de vrbe, si vel ab vno malè exciperentur, vel bene receptos ab aliquo, primores, aut ciuitas tota, aut eius pars maior illos eiicerent, licèt pauci aliqui audirent, aut si omninò nullum fructum perciperent. D Atque ita si ex vrbe exeundum erat, fiebat excussio in platea, coram hominum frequentia. Verùm quoniam à platea ad portam ciuitatis aliquid adhærebat pulueris, iterum hic excutiebatur, ne qua videretur communio remanere cum illis. Lege Interpretes, præsertim Maldonatum [f], & Toletum [g], & Salmeronem [h].

f in Matt. c. 10. 14.
g in Luc. c. 9. an. 14.
Apostoli cur Ierosolymis etiam prohibiti prædicarent.
h Tom. 4. par. 2. tract. 15.
i Act. 5.

Apostoli Ierosolymis cùm prædicare prohiberentur, non exibant, causantes *obediendum* DEO *magis, quàm hominibus* [i], neque flagellis absterrebantur, vel cessabant *omni die in templo, & circa domos docere, & euangelizare* IESVM CHRISTVM. Nimirum id faciendũ illis erat, & inuitatos etiam ad veritatis cognitionem trahere iubebantur, E quando iis licebat, hoc est, donec egrederentur, & omnis illis via diuinum istud præceptum exequendi præcideretur.

Iconium.] Oppidum est in Lycaonia ad Taurum montem celeberrimum, vt vocat Plinius [k]: huius nominis aliud erat in Cilicia, in quo se Cicero moratum scribit [l]; aliud in Cappadocia; aliud in Asia Pontica apud Trogetem lacum. Auctor Dictionarij historici affirmat esse in Pisidia: & Caietanus in capite sequenti, & Erasmus volunt id, de quo hîc mentio est, esse in Cilicia, quoniam, inquit Caietanus, in capite sequenti habetur, Apostolos hinc migrasse in Lycaoniã. Nõ hoc habetur, sed solùm quòd confugerint ad ciuita-

Iconium oppidi vbi fuerit.
k lib. 5. c. 27.
l lib. 3. epistol. ep. 5.

tes

tes Lycaoniæ, vnde non fit, non vnum etiam eius prouinciæ fuisse Iconium, ex quo fugiebant. Ex superiore peregrinatione constat hoc Iconium finitimum esse Pisidiæ: huic autem propinqua est Lycaonia, non Cilicia: & Caietani argumentum potiùs fauet, cùm nempe scribitur, quòd ex Iconio ad Lystram, & Derben Lycaoniæ ciuitates peruenerunt.

Versus 52.] Discipuli quoque replebantur gaudio, & SPIRITV sancto.

A DISCIPVLI *quoque replebantur gaudio.*] Eiectis Apostolis Doctoribus suis gaudent, & SPIRITV sancto replentur, non deiiciuntur, non intepescunt, quoniã illorum constantia roborabantur, DEVSque supplebat eiusmodi absentiam inspirata, auctaque charitate, quam proximè sequitur *gaudium* [a], & qui ad regnum DEI pertinet, iustitiamque colit, *pace fruitur, & gaudio in* SPIRITV *sancto* [b]: *gloriatur in tribulatione, quæ patientiam operatur, probatio spem sine confusione, ob charitatem diffusam in corde per* SPIRITVM *sanctum inhabitantem* [c].

Fructus tribulationum.

a Gal.5.22.

b Rom.14.17.

c Rom.5.5.

CAPVT DECIMVM-QVARTVM.

SVMMARIVM.

Iconij cùm Paulus, ac Barnabas multos CHRISTO *ex Iudæis, Græcísque adiunxissent, ea verò de causa concitatos contra se Iudæos cum Græcis animaduertissent, inde digressi sunt, vtilius alibi operam posituri: cùm etiam Lystris diuinos honores, sanato claudo, refutassent, ac deinde ab iis ipsis, qui obtulerant, pulsi vrbe lapidibus fuissent, reuiserunt in itinere fideles, constitutis per loca Presbyteris, & demùm Antiochiam peruenientes, quæ gesta erant, narrauerunt.*

1 FACTVM est autem
Iconij, vt simul introirent in Synagogam Iudæorum, &
loquerentur, ita vt
crederet Iudæorũ,
& Græcorum copiosa multitudo.
2 Qui verò increduli fuerunt Iudæi,
suscitauerunt, & ad iracundiam concitauerunt animas Gentium aduersùs fratres.
3 Multo igitur tempore demorati sunt,
fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa, & prodigia fieri per manus C
eorum.
4 Diuisa est autem multitudo ciuitatis:
& quidam quidem erant cum Iudæis, quidam verò cum Apostolis.
5 Cùm autem factus esset impetus Gentilium, & Iudæorum cum principibus suis,
vt contumeliis afficerent, & lapidarent eos,
6 Intelligentes confugerunt ad ciuitates
Lycaoniæ Lystram, & Derben, & vniuersam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant.

B 7 Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex vtero matris suæ,
qui nunquàm ambulauerat.
8 Hic audiuit Paulum loquentem. Qui
intuitus eum, & videns quia fidem haberet vt saluus fieret,
9 Dixit magna voce: Surge super pedes
tuos rectus. Et exiliuit, & ambulabat.
10 Turbæ autem cùm vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam, Lycaonicè dicentes: Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos.
11 Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium: quoniam ipse erat
dux verbi.
12 Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante
ciuitatem, tauros, & coronas ante ianuas
afferens, cum populis volebat sacrificare.
13 Quod vbi audierũt Apostoli, Barnabas
& Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt
in turba clamantes,
14 Et dicentes: Viri, quid hæc facitis? &
nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad DEVM viuum, qui fecit cœlum,
& terram, & mare, & omnia quæ in eis
sunt:

15 Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas,
16 Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra.
17 Et hæc dicentes, vix sedauerunt turbas ne sibi immolarent.
18 Superuenerunt autem quidam ab Antiochia, & Iconio Iudæi: & persuasis turbis, lapidantésque Paulum, traxerunt extra ciuitatem, existimantes eum mortuum esse.
19 Circumdantibus autem eum Discipulis, surgens intrauit ciuitatem, & postera die profectus est cum Barnaba in Derben.
20 Cúmque euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam,
21 Confirmantes animas Discipulorum, exhortantésque vt permanerent in fide: & quoniã per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum DEI.
22 Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.
23 Transeuntésque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam,
24 Et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam:
25 Et inde nauigauerunt Antiochiam, vnde erant traditi gratiæ DEI in opus, quod compleuerunt.
26 Cùm autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset DEVS cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei.
27 Morati sunt autem tempus non modicum cum Discipulis.

Versus 1.] Factum est autem Iconij, vt simul introirẽt in Synagogam Iudæorum, & loquerẽtur, ita vt crederet Iudæorum, & Græcorum copiosa multitudo.

ICONII.] Ita quidem Sixtiana Biblia; sed multi etiam codices Latini habent, *in Iconio*, prout est in Græco texto, ἐν Ἰκονίῳ. Nec tamen non satis Latinè ita dici posset, vel Prisciano teste [a], præsertim ab Historicis, vt inquit *in Tyro*, pro *Tyri*, &c. Multaque apud Plinium [b] extant exempla. Iam dixi hoc Iconium esse in Lycaonia, itaque etiam sentit Ioannes Benedictus. De hoc Iconio, quod est diuersum ab alio in Cilicia, idem Plinius [c], ac Strabo [d].

a lib.2.
b lib.2.ca 71. 96. 97.
c lib.5.c.27.
d lib.12.

A Hîc Theclam à Paulo conuersam, communis est opinio, cuius assertorem Faustum Manichæum Augustinus [e] non improbat, cùm ille diceret: *Ea in vrbe oppigneratam iam thalamo, in amorem perpetuæ virginitatis incensam.* Chrysostomus [f] de eodem Iconio loqui videtur, quando scribit, *illam, vt sibi in carcere cum Paulo loqui liceret, ex gemmis, ac mundo muliebri distracto collectam custodi pecuniam dedisse.* Eandem, Paulo auctore, fidem complexam tradunt quoque Nyssenus [g], Epiphanius [h], qui meminit de dimisso sponso, Hieronymus [i]. Qua etiam de causa Pauli primogenita nominari solebat. Lege Baronium [k]. Nonnihil etiam de Thecla diximus in præfatione [l]. Insignis B verò est impudentia impurissimi Lutheri, dum scribere non veretur [m], *docere Catholicos Paulum, impura in Theclam cupiditate incensum fuisse: & hunc esse carnis stimulum illum, quem sibi datum alicubi queritur* [n].

Thecla à Paulo conuersa. (?)
e 30. contra Faustum c.4.
f Homil. 21. in Acta. & hom. 22. ad pop.
g Homil. 4. in Cantica.
h Hæres. 78.
i ad Oceanũ de vita Clericor. tom. 9.
k Notæ. in 23. Septemb. & Annal. tom. 1.
l cap. 2.
m lib. Symposiacorum. c. 26.
n 2. Cor. 12. 7.

Iudæorum, & Græcorum.] Cùm distinctè hi ponantur, nescio cur Glossæ, Hugo, & Carthusianus dubitent, an Græci sint Iudæi dispersi. Sunt videlicet absque dubio Gentiles, quos ita nominari solere iam aliquoties vidimus: non autem Iudæi in Græcia nati, vt asserit Lyranus. Et fauet, quòd Apostoli superiùs professi sunt, *se ad Gentes, relictis Iudæis, conuerti*, Iudæis, inquam, qui erant ibi ex dispersis. Quòd si versu sequenti, *concitata contra fra-* C *tres Gentes*, hoc ipso nomine, & Græco ἔθνη, appellantur, id fit, vt magis intelligamus, quos Græcos vocauerat, esse Gentiles.

Græci, & Gentiles idem sunt.

Adde quòd qui Græca lingua vtentes ob dispersionem, Iudæi erant, dicebantur non ἕλληνες, quod nomen est hoc loco, sed ἑλληνισταί. Neque qui ex Gentilibus fiebant Iudæi, absolutè vocabantur Græci, sed proselyti, & aduenæ. Chrysostomus ita omninò intellexit, & Caietanus consentit.

Copiosa multitudo.] Post vexationem obseruatum iam sæpiùs est in hac historia, vberem segetem extitisse.

D *Versus* 2.] Qui verò increduli fuerunt Iudæi, suscitauerunt, & ad iracundiam concitauerunt animas Gentium aduersùs fratres.

AD *iracundiam concitauerunt animas Gentium aduersùs fratres.*] Ἐκάκωσαν. Erasmus, *corruperunt*; Vatablus, *deprauarunt*. Corruptè scilicet, & prauè. Quis enim ita loquitur, vt corrumpere dicat aliquem, vel deprauare contra alium? Meliùs Syra editio, גרגו לעממא דנבאשׁון להון לאחא *garenu lebhamme denabeschun lehun lache*, id est, *extimularunt Gentes, vt malè exciperent fratres.*

E Κακόω, est *malo*, seu *damno vexo, affligo, frango vires, infesto*. Quare videtur hîc denotare, quòd Iudæi importunè peruerterunt animos Gentilium propensiores priùs in Apostolos, ita vt illi propemodùm ad vitandum molestiam, &, quod dici solet, ad redimendam vexationem, quam significat κάκωσις, ab Apostolis alieniores videri compulsi sint, & iram, atque malignitatem erga ipsos demonstrare. Semper sibi similes Iudæi contentiosi, seditiosi, inuidi, peruicaces: quod nuper etiam vidimus priore capite, & fusiùs in septimo. Causati fortè sunt sectam istam falsam, & Romano Imperio noxiam.

Iudæorum in Christianos malitia. (?)

Digitized by Google

Aduersus fratres.] Vel Apostolos, Iudæorum ipsorum aliquo modo fratres secundùm carnem, vel Christianos quoscunque.

Versus 3.] Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa, & prodigia fieri per manus eorum.

MVLTO *igitur tempore demorati sunt.*] Beda testatur, in codicibus Græcis ante hæc verba ista alia esse, desiderari autem in quibusdam Latinis, DEVS *autem pacem fecit.* Carthusianus etiam legit, & ego in Latinis reperi manuscriptis.

B

Hoc est, quod anteà dicebam, si Apostoli non expellerentur, cedere noluisse maleuolentiæ, iræ, vexationi resistentium, sed inuitis ac refragantibus obtrudere noluisse verbum gratiæ DEI, vt DEI obtemperarent præcepto. Hæc est moralis quædam compulsio [a], *qua Rex iubet ad cœnam compelli intrare quoscunque:* sed Physica, vt ita dicam, realisque per vim compulsiuam armorum, & pœnarum, non est adhibenda, nisi aduersùs eos, qui fidem, quam dederunt, non exoluunt, aut si Gentiles sint, contra ius Gentium, & naturæ, diuinæ prædicationi impedimenta opponunt. Meminerit ergo prædicator, sibi *prædicandum opportunè, importunè, in omni patientia* (μακροθυμίᾳ, *longanimitate*) *& doctrina* [b], vt ipsum pati sit docere, & à docendo impatientia non remoueat.

a Luc. 14. 23. ... fit moralis ... & Phy.

b 2. Tim. 4. 2.

C

Fiducialiter agentes in DOMINO.] Παῤῥησιαζόμενοι, *liberè palamque tum loquentes*, tum quiduis aliud, quod è re Christiana esset, operantes. Longa mora, & in hac mora fiducia tanta demonstrant multa passos Apostolos Iconij, quæ Lucas, vt solet, vno verbo perstrinxerit. Nam Paulus ipse id satis innuit scribens Timotheo [c]; *Tu assequutus es meam doctrinam, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, qualia mihi facta sunt Antiochia* (Pisidiæ nimirum) *Iconij, Lystris, quales persecutiones sustinui.* O quanta in hac narratione παῤῥησία!

c 2. Tim. 3. 10. 11.

D

Verbo gratiæ suæ.] Ita aliàs legimus [d], *Verbum gratiæ*, & [e], *Euangelium gratiæ.* Est enim initium, ac fundamentum iustificantis gratiæ secũdùm viam ordinariam, quia *Fides ex auditu* [f], *auditus per verbum* DEI, & [g], *Gratia & veritas per* IESVM CHRISTVM *facta est.*

Dicitur ... gratiæ.

d Act. 20. 32. e 24. f Rom. 10. 17. g Ioan. 1. 17.

Minùs igitur aptè Glossa interlinearis *verbum gratiæ* interpretatur de Baptismo. Alio sensu dicuntur de CHRISTI ore processisse *verba gratiæ* [h], hoc est, suauitatis, & elegantiæ plena, vel etiam docta, morata, benigna, hominum animos diuina quadam virtute suauiter mouẽtia; denique [i], *Diffusa erat gratia in labiis ipsius;* & [k], *Fluebat, vt ros eloquium eius*, & quæ dicebat, grata erant, & accepta. *Sit sermo vester*, inquit Paulus [l], *semper in gratia, sale conditus.*

h Luc. 4. 22. i Psal. 44. 3. k Deut. 32. 2. l Col. 4. 6.

E

Dante signa, & prodigia fieri per manus eorum.] Vt fecerunt alij Apostoli [m], ac Stephanus [n] etiam tum cùm adhuc grassaretur Saulus vt lupus rapax in Ecclesiam, & in ipsum [o], & iidem Apostoli ea faciendi facultatem à DEO petierant, vt sic cum omni fiducia loquerentur verbum illius [p], & CHRISTVS ipse promiserat [q]. Quid autem differant signa & prodigia, pridem exposuimus [r].

m cap. 5. 12. n 6. 8. o 9. 1. 2. p 4. 29. 30. q Marc. 16. 17.

A

Versus 4.] Diuisa est autem multitudo ciuitatis: & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam verò cum Apostolis.

DIVISA *est.*] Ἐσχίσθη. Vnde schisma. Multitudo hæc videtur præsertim popularis, & quidem ex Gentilibus, quia pars aduersaria cum Iudæis erat, & hi cum suis principibus, atque Gentilium, fecerunt impetum in Apostolos: sic legimus [s] circa CHRISTVM fuisse schisma, & [t], *in turba quosdam dixisse eum bonum esse, alios, seductorem turbarum.*

s Ioan. 9. 16. t Ioan. 7. 12.

Cum Apostolis.] Nunc primùm auditur nomen Apostoli de Barnaba, & Paulo, & rursum inferius [u]. Quare mirum non est, si huius Scripturæ secuta iudicium Ecclesia, præter duodecim notos Apostolos à CHRISTO sic appellatos, Mathia DEI auctoritate in proditoris subrogato locum, nomen Apostoli, quod aliquando pluribus aliis communicatur, absolutè constanterque tribuat Paulo, & Barnabæ, & hunc ritu Apostolorum ceterorum prosequatur, colátque officio publico, cùm hi etiam fuerint, vt capite priore vidimus, diuinitùs segregati.

Paulus & Barnabas veri sunt Apostoli.

u vers. 14.

Versus 5.] Cùm autem factus esset impetus Gentilium, & Iudæorum cum principibus suis, vt contumeliis afficerent, & lapidarent eos.

VT *contumeliis afficerent.*] Ὑβρίσαι. Erasmus reddit, *vim facerent: quia*, inquit, *Apostoli contumelias non timebant.* Violenta ratio, quasi verò ipsam etiam mortem extimescerent. Ita quoque Vatablus, sed sine dubio Græcum verbum noster Interpres meliùs assecutus est, significátque ὕβρις iniuriam & contumeliam, quæ in verbis potissimùm consistit: non adeò sæpe vim, quæ magis in factis attenditur.

Principes itaque vtriusque nationis Iudæorum, & Gentilium, deliberata, decretáque sententia, conspirant facilè in malum impij, inter se ceteroqui discordes, siquidem execrantur Gentiles Iudæi, vt canes, quemadmodum Herodes olim contra CHRISTVM, cum Pilato [x], & verbis malis, & peioribus factis tractandos Apostolos censuerunt.

Mali homines in malum consentiunt.

x Luc. 23. 12.

Et lapidarent.] Hoc genus pœnæ Iudæos proposuisse persuadet, quòd & paulò pòst [y] iis pœna inflicta est, &, vt iamdudum notauimus [z], vna hæc inter alias apud Iudæos erat in vsu, potissimùm ad expiandam blasphemiam. Animaduersionis hoc idem genus, præter eos, quos ibi dicebam, Macedonas vsurpasse, testis est Curtius [a].

y vers. 18. z cap. 7. a lib. 6.

Versus 6.] Intelligentes confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ, Lystram, & Derben, & vniuersam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant.

CONFVGERVNT *ad ciuitates*, &c.] *Licet ergo, ac etiam oportet aliquando fugere ad tempus persecutionem, cùm Ecclesiæ duces hoc fecerint*, inquit Oecumenius, *tanquam volentes prædicationem commodè extendere.*

In persecutione fugere licet.

Non potest hîc respondere Tertullianus [b], ex indulgentia permissionis CHRISTI fecisse hoc Apostolos: præceptum enim fuit *fugere de ciuitate in*

b lib. de fuga in persecut.

a Matth.10.23. ciuitatem tempore persecutionis [a], in qua persecutione cum persona res est, cuius vita in maius bonum conseruari debet.

Lycaonia regio quae sit. *Lycaonia.*] Est in Asia minore prouincia prope Phrygiam, à qua montibus separatur: Galatiam conterminam habet ad Ortum Cataoniæ extensa: ab Occasu Pamphyliæ, & Pisidiæ: à Meridie, Ciliciæ, vsque ad Taurum montem.

Non est ad rem Ioannis Benedicti notatio de Lycaonia ciuitate, vna Arcadiæ, & altera in Phrygia; cùm hic sit nomen non ciuitatis, sed prouinciæ continentis sub se ciuitates. Sunt etiam, qui Arcadiæ partem faciant: & qui Arcadiam totam Lycaoniæ regionem habuisse doceant: & qui Lyciæ, & Isauriæ cognomen affirment.

b cap.27.5. *Lystram.*] Alia item est in Lycia, de qua longè inferiùs [b]: etsi alij ibi velint esse Smyrnam, vel Myram pro Lystra.

c cap.16.1. *Derben.*] Nulla re magis notabilis hæc vrbs est, quàm Apostolorum istorum peregrinatione; & Timothei Pauli Discipuli patria [c]: quamuis ex Lystra oriundum alij existiment: & nonnulli castellum hoc in Asia collocant.

Versus 7.] **Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex vtero matris suæ, qui nunquàm ambulauerat.**

ET *quidam vir Lystris.*] Ante hunc versum, quidam codices Latini legunt ista omnia: *Et commota est omnis multitudo in doctrinam eorum; Paulus autem, & Barnabas morabantur Lystris.* Meminit Beda, in Græcis codicibus fuisse, non autem in quibusdam Latinis. Ego in nonnullis Græcis, ac Latinis, & impressis, & manuscriptis reperio; sed Sixtiani non habent.

Infirmus pedibus.] Ἀδύνατος τοῖς ποσὶν, *Impotens pedibus.* Vel, vt expressiùs, licèt barbariùs, loquamur: *Impossibilitatus, & penitus inualidus.*

Sedebat.] Nec stare, nec valens ambulare. Aliquando autem valet hoc verbum idem, quod manere, habitare, &, quod dicitur, sedem alicubi habere.

Claudus ex vtero matris suæ, qui nunquàm ambulauerat.] Persimilis claudus hic illi, qui à Petro, & Ioanne curatus est ad portam templi Ierosolymitani [d]; possuntque ibi de illo disputata ad hunc transferri: nisi quod, vt ait Beda, *ille Iudæorum, hic Gentilium typus est, qui à legalis Templi religione remoti, erant,* quemadmodum & tempore illo antecedente, necdum Gentilibus communicabatur Euangelium. Et Paulo, & Barnabæ alij Apostoli dextras dederunt, ea lege, vt ipsi in Gentes, illi in Circumcisionem, siue Iudæos, cura quadam peculiari incumberent [e].

d Act.3.1.& seq.

e Gal.2.9.

f lib.2.Carm. in Acta.

Eandem allegoriam eleganti carmine Arator [f] descripsit prior, conferens etiam cum Petro Paulum, quamuis istum faciat secundum, ordine dignitatis simpliciter.

Versus 8.] **Hic audiuit Paulum loquẽtem. Qui intuitus eum, & videns, quia fidem haberet vt saluus fieret.**

HIc *audiuit Paulum loquentem.*] Loquebatur itaque Paulus in publica platea, aliòve loco aperto, & amplo, vnde posset exaudiri à claudo hoc, quem credibile est, sicut illum alium Ierosolymitanum, mendicum fuisse.

A *Qui intuitus eum.*] Ὃς ἀτενίσας αὐτῷ, *Cùm defixisset obtutum in eum.* Petrus iussit, *vt ille alius respiceret ipsum, & Ioannem.* Paulus dirigit oculos in ipsum: vterque, vt hac quasi oculorum designatione redderet miraculum exploratius, & illustrius. Compassionis affectus, & nescio quid in claudo enitens pietatis, Pauli oculos ad claudum attraxit.

Et videns, quia fidem haberet vt saluus fieret.] Ex vultu, multóque magis ex reuelatione intellexit istum credere sibi per virtutem prædicati CHRISTI salutem posse contingere, tum animi, tum corporis. *Anima curata est prius, quàm corpus,* inquit Chrysostomus. *Prior claudus Iudaico more pecuniam,* inquit Beda, *iste ex fide salutem quærit ab Apostolis. Non petebat hic verbis, sed tacitis desideriis, quæ etiam desideria vultus, oculi, gestus, attentio in audiendo satis prodebant.* Aliàs docuimus, quam vocant hæretici fidem miraculorum, non esse distinctam à fide Theologica, vel à spe, quæ etiam vocatur fiducia, etsi modum, vel intentionem peculiarem habere possit.

B Claudi huius & alterius comparatio.

Fides miraculorum non est distincta à fide Theologica.

Versus 9.] **Dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exiliuit, & ambulabat.**

C DIXIT *magna voce.*] Aberat enim claudus longiùs, & in tanta hominum turba oportuit clarè, ac distinctè loqui, vt & is, ad quem oratio dirigebatur, & alij, qui aderant, perciperent, & ad miraculi nouitatem magis attenderent, ac vtrisque, quo id auctore fieret, innotesceret. CHRISTVS *in suscitatione Lazari, voce etiam magna clamauit* [g], quasi aut è longinquo, & remoto loco euocaret animam eius, quam plerique iacere haud procul putabant à corpore: aut indicaret *vocem illam Filij hominis* [h], & *tuba,* qua excitandi sunt mortui: aut significaret, magno clamore vocandum esse, cuius sit praua consuetudine in naturam propemodùm versa malitia. D Conuenit hæc vltima, quamuis moralis ratio, quæ est Augustini, ac Bedæ, nostro proposito. Communis & alia etiam literalis potest esse, vt claram vocem edendo, & non mussando, siue insusurrando, & afflando, ac inhalando, quod faciunt incantatores, ab huiusmodi malefica arte abessent quàm maximè.

g Ioan.11.43.

h Ioan.5.25. Cur Christus magna voce Lazarum suscitarit.

Surge super pedes tuos rectus.] Quidam codices habent ante ista, hæc alia verba: *Tibi dico in nomine Domini* IESV CHRISTI. Ea habet Græcus textus, vt etiam Beda, aliíque, necnon editio Syra, cuius hæc verba sunt: אמר אנא בשמא דמרן ישוע משיחא *amar ana beschama demaran ieschuahh meschichah.*

E *Exiliuit.*] Ἥλατο, *Saltauit,* sicut ille alius, ἐξαλλόμενος ἔστη, *exiliens stetit* [i], seu *agiliter, ac repentè surrexit, & saliit, sicut ceruus claudus* [k].

i cap.3.8.

k Esa.35.6.

Et ambulabat.] Perseuerans in recuperata sanitate perfecta.

Versus 10.] **Turbæ autem cùm vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam, Lycaonicè dicentes: Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos.**

LEVAVERVNT *vocem suam.*] Non ex petulantia, vt Glossa ordinaria existimat, sed potiùs ex admiratione.

Lycaonicè.] בלישנא דאתרא *belischna dathera*, id est, *idiomate regionis*, inquit Syrus. Rectè: videtur námque sola dialecti proprietas fuisse; communis autem Græca lingua, cuius celebriores dialecti paucæ numerantur, cùm sint permultæ, sicut & in quauis alia lingua.

Græci per orbem dispersi vocabula peregrina mutuati sunt non pauca, quam vocat Aristoteles [a] γλῶτταν, *vt Sigynon*, inquit, *apud Cypros proprium est, nobis autem* γλῶττα, id est, ξενικὸν, *peregrinum, & ex alia gente depromptum.* Exempli causa, ex vna Asia, Laconica, Argiua, Arcadica, Bœotica, Cretensis, Salamina, Ægyptiaca, Persica, Lydia, Hebraica, Scythica, Pamphyliaca, Thessalica, Sicula, Tarentina, immò & quædam Latina, atque Celtica, vt videre est apud Lexicographos, vt Hesychium, & alios. Sed nomen dialecti non meretur, nisi cùm insignis in lingua differentia est, quantùm ad simplicia potiùs verba, quàm syntaxim, & compositionem eorum: quæ omnis differentia oritur ex cœli varia temperie; ex varietate imperantium, qui cum dilatatione finium sermonem propagant; ex æmulatione tum vnius gentis inter suos, tum eiusdem aduersùs alias, ita vt Græci ceteras nationes assererent ἀγλώττους, & βατταρίζειν, βαρβαρίζειν, βαττολογεῖν. Lege libellum Gulielmi Bailij nostri de dialectis.

Græci peregrina vocabula mutuati sunt. *a de Poëtica. cap. 20.*

Dij similes facti hominibus. Vigebat apud Gentiles opinio, Deos humana se specie quandoque hominibus exhibere. Vnde stabiliri opinio potest de animabus, quæ appareant interdum etiam ipsæ. Qua de re fusè disputant ex nostris Tyræus [b], & Delrius [c]. Et de Gentilibus ambigi non potest, qui necyomantiam, & manium euocationem celebrant, aut ab astrorum certa coniunctione, & influxu pendere somniant. Cùm igitur Lystrij tam singulare beneficium in claudo vidissent, humana specie Deos se videre præsentes sunt arbitrati.

Animarum apparitiones fieri ipse probatur. *b in opere de apparit.* *c in Disquisit. Magicis.*

Descenderunt ad nos.] Et hic Gentilitius error, quasi corporei Dij loco tenerentur corporeo, vel supero, vel infero. Descendisse autem dicunt, quos Iouem nunc, & Mercurium nominant, quia hi cœlestes sedes occupare credebantur.

Nos Christiani DEI Filium descendisse de cœlo dicimus per Incarnationem: immò & CHRISTVS id asserit de seipso [d], qui nusquàm tamen non est vt DEVS, DEIVE Filius simul, sed in cœlo, & in terra. Videlicet is, qui Filius hominis est factus, cùm esset Filius DEI, in terram descendit, quatenus ipsa eius diuina persona iuncta hypostaticè cum humanitate, nouo modo in terra, vbi erat humanitas, extitit, quo non ante Incarnationem erat. Sicut è contrario, CHRISTVS vt homo, cùm nondum conceptus esset ex Virgine, in cœlo non erat; sed post conceptionem, propter hypostaticam vnionem, secundùm idiomatum communicationem fuisse dicitur in cœlo, & sic quodam modo ascendisse.

Quomodo DEI Filius verus DEVS de cœlo descenderit. *d Ioan. 3. 13.*

Descendere præterea dicitur DEVS de cœlo citra etiam mysterium Incarnationis, quoties in terra nouo se effectu manifestat: cùm quia in cœlo, & Beatis fruendum se præbet, & suam naturalem quoque potentiam, ac prouidentiam magis declarat; ibi passim tanquàm in propria sede, solióque habitare videatur. Sed CHRISTVS, eueheno corpus proprium, in cœlum ascendit pro-

Deus præterea qua ratione de cœlo descendere dicitur.

A priè; diuinitas verò, ratione quoque dictæ vnionis personalis VERBI, denominatur ascendisse per eandem illam idiomatum cōmunicationem.

Versus 11.] Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi.

VOCABANT *Barnabam Iouem.*] Vt ætate fortassis grandiorem, vultu elegantiorem, Paulo quodam modo assistentem, & annuentem quasi nuncio. Prima causa est Lyrani, & Carthusiani: secunda Chrysostomi: tertia Ariæ Montani.

B Erat Paulus *paruo & contracto, atque incuruo corpore*, vt Nicephorus tradit [e], & id voluisse videntur hi, quos ipse Apostolus [f] de ipso scribit *obiecisse, præsentiam corporis eius infirmam fuisse.*

Pauli statura qualis. *e lib. 2. Hist. c. 37.* *f 2. Cor. 10. 10.*

Iouē.] Syrus, מרא אלהא *mara eloha*, i. *Dominum Deorum*: & constat pro tali habitum à Gentilibus, apud quos triplex reperitur. M. Varro apud Augustinum [g] Iouem, quo nihil Romani maius habent, Iudæorum quoque DEVM existimauit fuisse, nihil interesse censens quo nomine nuncuparetur, dum eadem res intelligeretur.

g lib. 1. de cōs. Euang. c. 22.

Et fortasse Iouem Gentiles mutuati sunt ab eo DEI nomine, quod etsi Iudæi ἄρρητον, ἀφραστον, ἀνεκφώνητον, ἄγραπτον, hoc est, *ineffabile, indicibile, & voce inexprimibile* vel *scriptura*: affirmabant tamen
C ex illo, quod vulgò nūc pronunciatur IEHOVAH, & à nonnullis IEHOVI, aut IEHEVI, aut IAOV, Græcè, Ἰαὼ, aut IEHVEH, aut IAHVE, aut IIHIE, aut IEHEVE, aut IEVE, natum potest videri Iouis nomen.

Etenim Theodoretus [h] Samaritas Ἰαβαί, Iaue, seu Iaueh pronunciasse testatur, vim Hebræi vocabuli ignorantes, & Iah, ac Iao, vel Iaon, vel Iah, vel Iahoh efferebant alij, vt prodit non solùm Clemens Alexandrinus [i], Hieronymus [k], & idem Theodoretus [l], & Epiphanius [m], & Galatinus [n], & Genebrardus [o], verùm etiam Diodorus Siculus [p], & Macrobius [q], qui profert hunc versum Græcum:

h in Epit. diu. decreto. *i 5. Strom.* *k in Psalm. 8.* *l q. 15. in Exodum. & in Polymorpho* *m Hær. 26. 40.* *n lib. 2. ca. 10.* *o in Chron. & 1. de Trin. T.* *p in Bib. lib. 1.* *q 1. Saturn. c. 18.*

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω,
Summum cunctorum Deum tu dicito Iao.

D Lege Bellarminum [r], & Petrum Fabrum [s].

r in exercitat. Psal. 13. *s in Dodecamenon. cap. 5.*

Paulum verò Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi.] Syrus, דהו משרא הוא במלתא *dehau moschare haua bemellethа*, id est, *Qui inciperet sermonem.* Non id tantùm, sed & qui veluti præerat, & solus publicè loquebatur, hoc enim sibi vult ἡγούμενος. Mercurius autem habebatur eloquentiæ Deus, & Deorum nuncius, ac ἑρμῆς, hoc est, *interpres.*

Arguit hoc iudicium, quamuis falsum, plúsque Barnabæ, quàm Paulo tribuens, Paulum fuisse eloquentem, & in dicendo efficacem. Caietanus
E explicans eundem Apostolum, cùm ait [t], *etsi imperitus sermone, sed non scientia*, notat ex hoc loco, quē tractamus, idem quod diximus de eloquētia ipsius: vocare autem se imperitum, Græcè ἰδιώτης, quasi *plebeium*, & *plebeio atque communi vtentem sermone*, quod ei quasi probro dabāt illi, qui ornatiore, & affectato vtebantur, rerum tamen non vulgari notitia præditum, sed excellente, ac diuina.

Paulus eloquens, & efficax in dicendo. *t 2. Cor. 11. 6.*

Hieronymus [u] ait, *quòd Græcam facundiam continebat, vel certè, quod erat humilitatis, dissimulabat, vt prædicatio eius non in persuasione verborum, sed in signorum virtute consisteret* [x], *spernens alienas opes, qui in suis diues erat, & nihilominus vim eloquentiæ ipsius Festū pro tribunali sedentē cùm esset expertus, dixisse: Insanis Paule,*

u Apol. cont. Ruffin. *x Rom. 15. 19. 1. Cor. 2. 4.*

A *nis Paule, insanis, multæ te literæ ad insaniam conuertunt.* [a].

Tradit prætereà Doctor idem [b], epistolam ad Hebræos ab eodem Hebraicè scriptam disertissimè. *Adhac quotiescunque*, inquit [c], *Paulum Apostolum lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Legatis epistolas eius, &c. & videbitis eum in testimoniis, quæ sumit de vetere Testamento, quàm artifex, quàm prudens, quàm dissimulator sit eius quod agit. Videntur quidem verba simplicia, & quasi innocentis hominis, & rusticam, & qui nec facere, nec dissimulare nouerit insidias, sed quocunque respexeris, fulmina sunt: hæret in causa, capit omne quod tetigerit, tergum vertit, vt superet, fugam simulat, vt occidat.* Fatetur alibi [d], licèt linguarum haberet facultatem, *Tito vsum interprete, eò*
B *quòd diuinorum sensuum maiestatem digno non poterat Græci eloquij explicare sermone.*

Rursum [e] confirmat, quando *se imperitum sermone* [f] affirmabat, *de Græco intellexisse, cùm esset in Hebræa vernacula disertissimus: idq; non de humilitate, sed de conscientia veritate dixisse: quippe Cilicum ruditati cuidam insuetum, apud quos natus, ac educatus erat: denique artis Grammaticæ propterea imperitiam habentem.*

Hoc vltimum aliàs [g], ob exemplum saltem imperitiæ, quod profert Hieronymus, refutaui, videlicet quoniam coniunctionem *quidem*, superfluè vsurpet, id ostendens etiam ad elegantiam
C sermonis posse spectare. Fecimus quod ipsemet [h] vt fieret desiderare præ se tulit Hieronymus, cùm dixit *illum quidem qui possit etiam iuxta sermonis & eloquij contextum, docere Apostolum fuisse perfectum, & in artis Grammaticæ vitia non incurrisse, potiùs auscultandum esse. Nos quotiescunque*, subdit ipse, *solœcismos, aut tale quid annotamus, non Apostolum pulsamus, vt maleuoli criminantur, sed magis Apostoli assertores sumus: quod Hebræus ex Hebræis absque Rhetorici nitore sermonis, & verborum compositione, & eloquij venustate, nunquàm ad fidem* CHRISTI *totum mundum traducere valuisset, nisi euangelizasset non in sapientia verbi, sed in virtute* DEI.

Concedit Augustinus [i] in Paulo imperitiam
D sermonis, simul asseuerans, remotis omnium eloquentium auctoritatibus, rectè esse locutum: sed cùm ex professo disserit de eloquẽtia Christiana, quæ profanæ nullo cedat modo, illam in Paulo effloruisse demonstrat libris de doctrina Christiana [k], ita etiam de ipso definiens: *Sicut Apostolum* [l] *præcepta eloquentiæ secutum fuisse non dicimus, ita quòd eius sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus.*

Et paulò pòst sententiam illam Pauli, qua se *imperitum sermone* nominat [m], sic explicat: *Videtur enim, vbi ait, etsi imperitus sermone, sed non scientia, quasi concedendo obtrectatoribus sic locutus, non tanquàm id verum agnosceret confitendo.*

E Quo autem fructu, quáque Paulum voluptate lectitauerit, testis est ipse in Confessionibus [n], & alibi [o]. Chrysostomus Pauli, si quis alius, laudator eximius, Hebræam illum duntaxat linguam nouisse vult, & imperitum fuisse externæ peritiæ [p]. Reprehendit quoque Christianum, quòd cum Græco, siue Gentili disputans, Paulum contenderet non rudem, ac imperitum, sicut Græcus obiiciebat, sed Platone, quem ille adeò efferebat, doctiorem, & disertiorem probaret, cùm potiùs ita de Apostolo sentiendo, causam Græci iuuaret, & Græcus nostram [q]. *Nam si Platone doctior, & eloquentior esset Paulus, consentaneum esset multos contradicere, quòd non gratia superasset, sed eloquentia. Si verò*

a Act.26.24.
b in Catalog. Script. Eccl.
c Apol. ad Pamach. pro lib. cont. Iouin. *Pauli facundia prædicatur.*
d ad Hedib. quæst.11.
e ad Algasiã. quæst.10.
f 2.Cor.11.6.
g cap.1.1.
h lib.2.in c.3. epi. ad Ephes.
i lib. de Magistro. cap.5.
k lib.4.c.6.& seq.
l cap.7.
m 2.Cor.11.6. *Paulus imperitũ sermone quomodo se dixerit.*
n lib.7.ca.vlt.
o 2. cont. Academi. cap.2.
p Hom.4.in 2.ad Timot.
q Hom.3.in 1. ad Cor.

A *imperitus erat, vicit autem Platonem, præclara fuit victoria de discipulis Platonis, non per humanam sapientiam, sed* DEI *gratiam.* Et tamen interdum [r] appellat *totius orbis terrarum Oratorem sapientissimum*, scilicet eodem sensu, quo Hieronymus, & Augustinus.

Equidem arbitror Græcorum artes, quibus ratio, oratióque perpolitur, Paulum duntaxat cùm adolescentulus esset, attigisse, idque Tharsi in patria: vbi, vt Strabo prodit [s], Philosophia florebat, omnésque encyclicæ disciplinæ, plusquàm Athenis etiam, Alexandriæ, aut alibi. Ierosolymis ferè iacebant, Iosepho teste [t], *studia exotica ista.* Nec verisimile, iam Christianum do-
B ctorem, etiamsi otio abundaret, quod erat ei prorsus nullum, triuisse potiùs tempus in fabularum, quàm in rerum diuinarum libris. Ab SPIRITV autem sancto hæ humanitatis infundi disciplinæ non solent. Non fuit θυρολίξης καὶ λογοδαίδαλος, vt de nonnullis asserebat Plato [u]. Eloquentiæ naturalis indolem arte nonnihil excultam diuina perfecit sapientia. Valla [x] Paulinam immodicè extulit eloquentiam, cùm scripsit nulla sibi alia re videri Paulum eminere, quàm eloquentia. Lege Salmeronem [y], & Pererium [z].

Paulus Romę docendum eloquentię. r orat. in 12. Apostolos.
s lib.14. *Pauli eloquentiæ Authores indoneus.*
t vlt. Antiq. c. vlt.
u in Phædro. & Cic. in Orato.
x præfa. in lib. 4. Elegan.
y tom. 13. in dispu.7.
z in episto. ad Rom. in prolegom. dispu. 1. nu.1.

C *Versus* 12.] Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros, & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare.

SACERDOS *quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem.*] Qui nempe Iupiter, non autem Sacerdos, τοῦ διὸς τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως: Syrus, דאית הוא לבר מן מדינתא *dith haua lebar men medintha*, id est, *collocati extra vrbem*, id est, cuius templum erat ante vrbem ipsam certo cultum Sacerdote, & ritu proprio celebre.

Tauros.] Virgilium [a], cùm cecinit,

D *———Superóque nitentem*
Cœlicolûm regi mactabam in littore taurum,

Euangelus apud Macrobium [b] reprehendit, vt Pontificij iuris ignarum, quoniam Ioui taurum immolari vetitum erat, cuius etiam rei auctores citat Atteium Capitonem, & Labeonem summos Iurisconsultos, ex quibus ille, si id fieret, piaculum affirmabat. Excusandum autem Virgilium, quòd rem narret, non vt iure factam, sed insolitam, & ex qua prodigium, monstrúmque sit secutum (idem notauit Seruius) de quo mox idem Poëta:

Horrendum dictu, & video mirabile monstrum.

Non est necessarium vt qui Romanis pa-
E rebant, non ciuiles tantùm, sed etiam sacras leges obseruarent, sicut nec vt eosdem colerent Deos.

Et coronas ante ianuas afferens.] Gentilibus mos erat, vt probat Plinius [c], victimas coronare, ac vitta cohonestare, seu diademate (quod etiam Regum fronti circumponebatur) vnde Iuuenalis [d]:

Quæq; coronata lustrari debeat agna.

Si verò maiores essent, vt tauri, ac iuuencæ, auratis cornibus procedebant, vt scribit cum eodem Plinio [e], & Iuuenale [f], Athenæus [g] (qui etiam [h] ex Appionis libro de lingua Latina coronam dictam putat quasi choronam, ἀπὸ τοῦ χορεύειν)

a 3. Æneid.
b lib.3.c.10.
c lib.16.c.4.
d Satyra 12.
e lib.33.c.3.
f Satyr.6.
g lib.5.
h lib.15.

& Martia

& Martialis [a], & Maro [b], & Macrobius [c]: & constat ouantes ita appellatos, quòd nō, vt qui triumphabant, candidos tauros, aut boues mactarent, sed coronatas tantùm oues, quas ante se agebant, & exacta pompa immolabant. Sic quidem traditum est à Festo [d], Plutarcho [e], Pomponio Læto [f], Seruio [g].

a lib. 9. Epigr. epig. 41.
b 9. Æneid.
c lib. 1. cap. 5.
d lib 18.
e in Marcel.
f in Compen. Hist. Roma.
g in 4. Æneid.

Sed & vitta, seu infula, seu fascia, seu diademate, seu tænia, seu strophio ac strophiolo redimiri solitos Sacerdotes, crebrò meminerunt Scriptores, vt Virgilius [h]:

Nec procul Æmonides Phœbi, Triuiaque Sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta.

h 2. Æneid.

Quanquàm licuit etiam Vatibus, ac Poëtis vittatis esse vittis oliuæ, aut lauri ramo intextis. Deorum prætereà statuæ eodem ornamenti genere insigniebantur. Quin & vt religione mouerent supplices, seu qui Diis litabant, vittas præferebant. Defuncto etiam à parentibus eius corona imponebatur. Postremò vittis ornabantur templorum fores, & aræ, & sacris operaturi: & quicquid venerabile proponebatur, vt naues, faces nuptiales, postes ædium, in quas noua nupta deducebatur, præmia in ludis, arbores, arma, victores, mancipia, manumissi, lares publici, ac priuati, lupanaria ipsa, carcer, latrinæ, pistrina, ludus literarius, siue schola, amphitheatrum, libitinæ, seu manes, & sepulcra, &c. Quæ omnia testimoniis illustrat post Ioānem Bernartium [i], Peltanus noster [k].

i in lib. 4. Statij.
k in 10. Æn.

Sed multò plura Tertullianus multis libris, vt Apologetici, & de Spectaculis, & de Idololatria, & de corona militis; & cum eo Scholiastes Pamelius. In vltimo libro, inter alia docet, vt probet à Christiano vsurpari eam non debere, nullum ea vsum Patriarcham, Prophetam, Leuitam, Sacerdotem, Iudicem, Apostolum, Euangelizatorem, Episcopum: non adhibitam ad templum, arcam, tabernaculum, altare, candelabrum: omnem eius vsum profanum, siue Gentilitium esse, atque idololatrarum.

Coronæ substantiam propriam, certè præcipuam ait esse flores agri (sunt enim & ex arboribus nonnullis frondes, vt lauro, myrto, olea, apio, hedera, spicis, gramine, siue verbenis, esculo, populo, variisque herbis) ac proinde illam definit fascem florum per seriem comprehensorum, qui cùm oculo cernantur, & nare odorentur, contra naturam esse coronam in capite, vbi vinculi non odoris, vel coloris est sensus, collocare.

Sunt & nō pauca de hoc argumento in historia Plinij naturali [l], qui & de alia coronarum materia, cùm flores negaret terra, ex ramento è cornibus tincto, ex lamina ærea tenui inaurata, aut inargentata, ex auro, & argento folia imitantibus, &c. Veruntamen non eundem omnes hac in re ritum seruauerunt, cùm, exempli causa, vt prodit Giraldus [m], Persæ non hostiam tantùm, & sacrificantes, sed eos quoque, qui sacris intererant, festa fronde coronarent, Indus coronatus sacrificaret nemo. Illos memorat Herodotus [n] aras non erexisse, nec infulis, vittisve vsos, si propriè sumantur pro fasciis dependentibus: tamen de corona tiaræ circundata, præsertim myrtea, meminit idem, & Xenophon [o], coronatos fuisse sacrificantes, & hostiam Strabo [p]. Hoc loco omnium generum coronas, vittasque intelligi Lucas voluit ritibus illis solemnes, tum ad tauros sacrificandos, tum ad ianuæ postes ornandos, tum ad alia.

l lib. 16. c. 4. li. 21. c. 2. & 3. li. 22. cap. 3.
m de natura Deorum, syntag. 17.
n lib. 1.
o lib. 1 de Cyri institut.
p lib. 15.

Quòd autem Tertullianus præcisè negauit coronarum in sacris vsum, in vetere etiam Testamento, sanè non iure fecit. Nam, vt nostrorum nonnullis placet, Hebræi quatriduo ante Pascha exibant in pascua, & futuram victimam festis clamoribus, ac ramis, omnique significatione lætitiæ domum deportabant: qui quodammodò ritus in CHRISTO, dum triumphans intrauit in Ierusalem [q], tot ante Pascha diebus seruatus est [r]: cùm etiam Bethphage, vbi pompa triumphi adornata est, esset oppidulum Sacerdotum, vt ait Hieronymus [s], in quo victimæ Paschales continebantur, atque inde solemni ritu ad sacrificium Ierosolymam agebantur.

Coronarum vsus in sacris Iudæorum.
q Matth. 21. 1.
r Acosta concione 1. in Dom. Palm.
s in c. 21. Mat.

Abulensis [t], & post illum Ribera [u], putant ritum dictum quatridui prima tantùm vice contigisse in egressu ex Ægypto, vt Hebræi commodiùs peterent ab Ægyptiis vasa, & itineri necessaria pararent: & per id spatium meliùs dignoscerent, an esset agnus immaculatus; & spectantibus Ægyptiis toto illo tempore, nec impedire valentibus paratum sacrificio agnum, quem execrabantur, DEI potentia illustrior appareret: ceterùm nullam, cùm in Scriptura præceptum recitatur de immolatione agni, de ea re mentionem fieri.

t Exo. 12. q. 4.
u 5. de Téplo. cap. 3.

Prætereà in Machabæorum historia est [x], *faciem templi ornatam coronis aureis, & scutulis: & thyrsos, ac ramos virides portatos* [y] *in signum lætitiæ, atque victoriæ.* Quemadmodum & apud Gentiles, vbi parta esset victoria, ornabantur castrorum tabernacula hedera, lauro, ceteràque fronde, aut cespite, vt meminêre Appianus [z], & Plutarchus [a].

x lib. 1. c. 4. 57.
y lib. 2. c. 10. 7.
z 3. de bello ciuili.
a in Æmilio, & M... 10.

Ecclesia quidem aliquandiu, ne qua superstitionis communio esse videretur, abstinuit ab huiusmodi ritibus, tanquàm sacrilegis, vt potissimùm annotauit iam citatus Tertullianus [b]; qui narrat etiam *quendam grauiter per visionem castigatum, quod ianuam eius subitò annunciatis gaudiis publicis, quamuis non ipse, sed serui coronassent.* At posteà ad veri DEI cultum eadem translata sunt sine erroris periculo, aut suspicione, ita vt mirificè ab Hieronymo [c] laudetur Nepotianus, *quod Ecclesias Martyrum diuersis floribus, arborum ramis, vitiúmque pampinis exornaret*: &, Augustino teste [d], *flores ad decorandas Stephani reliquias positi super altare magna miracula ederent.*

Ecclesiæ vsus in his rebus varius.
b lib. de idololat. c. 15.
c epist. 3.
d 22. de Ciuit. cap. 8.

Huius generis lætitiæ festiuæ signa reperies in honorem Sanctorum apud Paulinum, & Prudentium [e]. Prior ita cecinit [f]:

Spargite flore solum, prætexite limina sertis.

Multa de his Roa noster [g].

Porrò non improbabile, quod nonnullis videtur, à Luca, *tauros, & coronas* dici, pro coronatis tauris; vt cùm Poëta dixit [h]:

— *Pateris libamus & auro.*

id est, aureis pateris. Et [i]:

Victori velatum auro, vittisque iuuencum.

id est, vittis aureis velatum iuuencum.

e Hymn. 3. de Eulalia.
f Paul. nat. 3.
g li. de die natali sacro, & profano. à ca. 18. ad finem vsque. & lib. 3. Singular. c. 9. & 10. & lib. 2. c. 11. 12. 13.
h Virgilius 2. Georg.
i 5. Æneid.

Hic illustratur quoque locus ab eo qui est in Psalmo [k]: *Constituite diem solemnem in condensis vsque ad cornu altaris.* Hebraicè, אסרו חג *isru chag*, i. *ligate festum*, id est, *festi victimam condensis funibus*, siue *frondosis vestitam.* Chaldaicè, כפתו טליא לנכסת חגא *chephithu talia lenchsath chagga*, id est, *ligate agnum ad sacrificium solemne.* Allusio est ad agnum Paschalem, de quo priùs egimus. Legendus etiam Iosephus Stephanus [l]. Coronam ex floribus impositam reliquiis Martyris Seueriani, legitur in actis eius [m].

k Psa. 117. 27.
l in 1. Mach. c. 1. 22. & in c. 4. 57.
m apud Surium, tom. 5

Ante ianuas.] Syrus, לתרעא ודרתא אתר דשרין הוו *letharhha dedartha athar daschrin hauu*, id est, *Ad fores atrij, quò loci commorabantur.* Rectè: neque

enim in templo illo Iouis extra ciuitatem honorem iis, quos præsentes Deos in ciuitate esse credebant, haberent. Valet itaque loci circunstantia, vbi Sacerdos, & templum erat ad celebritatem, pompámque longo agmine ductam vsque ad eum locum, vbi Apostoli erant.

Cum populis.] Notatur hîc valdè magnus multitudinis concursus, quæ fortasse etiam coronas, aliáve festiuæ lætitiæ signa, & ad sacrificium opportuna gestabat.

Volebat sacrificare.] Non Barnabæ soli, vt Ioui, quod innuit Glossa interlinearis; sed etiam Paulo, tanquàm Mercurio, quod expressit Syra editio, addens להון *lehun*, id est, *eis*. Et asserit Lyranus, atque alij, & sequens vtriusque ad tantam superstitionem tam grauis indignatio demonstrat. Eusebius [a] disputans de admirabili, diuináque prædicationis Apostolorum ratione, & efficacia, quæ in rebus magis, factísque, quæ stuporem spectantibus inducebant, quàm in verbis consisteret. *Iam idcirco*, inquit, *dicuntur nonnulli ipsis* IESV *Discipulis, tanquàm iis, qui Dij essent, victimas, & libationes obtulisse, & alium quidem ex illis Mercurium, alium verò Iouem existimasse: vsque adeò illorum mentes stupore affecerat ipsa miraculorum euidentia.* Cùm Daniel somnium Nabuchodonosor exposuisset, eum Rex *cadens in faciem adorauit, & hostias, & incensum præcepit, vt sacrificarent ei* [b].

a 1. de Dem. Euang. cap. 9.

b Dan. 2. 46.

Versus 13.] Quod vbi audierunt Apostoli, Barnabas & Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turba clamantes.

QVOD *vbi audierunt Apostoli*, &c.] Iterum nomen Apostolorum his tribuitur. Barnabas verò prior nominatur, tanquàm Iupiter: aut etiam vt adhuc magis notus, & antiquior Discipulus. *Erat autem vterque*, inquit Caietanus, colligens id ex his verbis, & ex ianuis anteà nominatis, *in Synagoga, seu potiùs domo aliqua, quam intrauerant, fugientes humanas laudes.* Nec tamen hoc necessarium videtur, sed eo consistebant loco, in quo priùs erant, ibíque rumor ad eos peruenit.

Barnabas cur ante Paulū nominetur.

Conscissis tunicis.] Chrysostomus indicat, Apostolos, quandiu tantùm inter Lystrenses verba fiebant, nihil esse commotos, quòd Lycaonicè non intelligerent: sed quando viderunt tauros, & coronas sibi deferri. Atqui hos æquè, ac cæteros duodecim, immò & alios passim fideles, habuisse linguarum donum, ambigi non debet: ac de seipso Paulus testis est [c].

c 1. Cor. 14. 18.

Rectè autem monet, hanc illis tentationem fuisse non paruam, quam quidem censeo comparandam cum illa, qua Ioannes Baptista pulsatus est, ne MESSIÆ titulum acceptaret [d]: hic etiam honoris diuini signa illustriora oblata sunt: item cum veneratione, quam Petro Cornelius [e], & Angelis Ioannes Apostolus [f] exhibuit, adhæc, cum opinione, quæ de Petro eodem, ac Ioanne erat, propria illos virtute claudum sanasse ad portam Speciosam [g]: prætereà cum fama, quòd Ioseph [h], & Daniel [i] somnia coniectandi scientia, & res occultas cognoscẽdi pollerent. Sed hi Apostoli maius, quàm alij, indignationis, ac horroris, & doloris signum ediderunt: signum hoc, scissio tunicarum fuit, propter tantum Lycaonum sacrilegium, atque blasphemiam.

Tentatio Apostolorum maior.

d Ioan. 1. 19.

e Act. 10. 25.
f Apoc. 19. 10. c. 22. 9.

g Act. 3. 12.
h Gen. 40. 8. cap. 41. 16.
i cap. 2. 20 c. 5. 16. 17.

Pontifex, audita CHRISTI de seipso confessione, quòd esset Filius DEI [k], blasphemiam exclamans, vestimenta (quod facere lege [l] vetaba-

k Mat. 26. 65.
l Leu. 10. 6. & cap. 21. 10.

A tur) scidit: præsagium scissæ, atque abolitæ Pontificiæ dignitatis. Idem fecerunt Iosue, & Caleb, quòd populus terram, quam ipsi explorauerant, præ timore vano ingredi detrectaret [m]; hoc pacto in DEVM ipsum, qui promiserat, rebellantes. Idem Ruben [n], Iacob [o], fratres Ioseph [p], iterum Iosue [q], Iephte [r], is qui retulit Heli captam arcam, filiósque interfectos [s], Dauid [t], Chusai [u], Iosias [x], Rex quidam Israël [y], Elisæus [z], Ezechias [a], & serui Achab [b], alius Rex Israël [c], Athalia [d], Mardochæus [e], Mathatias cum filiis [f], alij pij Iudæi sub Machabæis [g], Ionathas Machabæus [h]. Nec ei, quominùs id facere posset, obstat dignitas Pontificalis, vt nec Mathatiæ: tunc enim
B militari vtebantur sago, non sacerdotali veste. Sed & Abulensis [i] existimat, prohibitam summis Sacerdotibus vestium dilacerationem in mortuis deplorandis, quòd hic plangendi ritus illis esset indignus.

De vestium scissione.

m Num. 14. 6.

n Gen. 37. 29.
o ibidem 34.
p Gen. 44. 13.
q Iosue 7. 6.
r Iud. 11. 35.
s 1. Reg. 4. 12.
t 2. Reg. 1. 11. c. 3. 31. c. 13. 31.
u 2. Reg. 15. 32.
x 4. Reg. 22. 11. 2. Paral. 34. 19.
y 4. Reg. 6. 30.
z 4. Reg. 2. 12.
a 4. Reg. 19. 1. c. 18. vlt.
b 3. Reg. 21. 27.
c 4. Reg. 5. 7.
d 4. Reg. 11. 14.
e Esther 4. 1.
f 1. Machab. 2. 14.
g 1. Machab. 4. 39.
h 1. Machab. 11. 71.
i in Leuitic. c. 10. q. 19.

Thalmudistæ verò scribunt [k], *Iudæorum traditionem esse, audita blasphemia, scindere vestimenta.* Sanè quidem in allatis exemplis multa doloris caussam continent, aut pœnitudinis, atque supplicationis: qua ratione iubet DEVS apud Ioëlem [l], *scindi non vestimenta, sed corda.* Blasphemiam verò, & violatum, neglectúmve DEI cultum detestatus est Ezechias, Iosias, Mathatias, pij illi Iudæi tempore Machabæorum, & quos dixi, Iosue, & Ca-
C leb, ac Pontifex Caiphas. Cùm autem *liber Propheticus igni traditus esset, nec Rex, eiúsque serui vestimenta præ dolore, & indignatione scidissent*, crimini datur ab Ieremia [m].

k lib. de Magistrat. tract. de quadruplici morte. & in Mishaioth tracta. de volumine paruo. c. 3.
l cap. 2. 13.
m cap. 36. 24.

Mos scindendi vestimenta non fuit Iudæorum proprius.

Non sola autem Iudæorum natio, sed & aliæ in luctu, pœnitentia, detestatione scindendi vestimenta morem vsurpauerunt, quasi vel natura suggerente, vt quam de aliis non possumus, de nobis ipsis vindictam quodammodò repetamus, ac talem declaremus esse nostrum dolorem, qui cor ipsum frangere possit, atque de huiusmodi re, vt sit digna, quæ honoris, bonorum, vitæ etiam iactura vindicetur.

Quod autem Arias [n] ait, *scindi solitas vestes in*
D *magnis doloribus à collo ad pectus secundum humeros*, non conuenit repentino, ac vehementi dolori, qui potiùs facit, vt quidquid obuium est, & ante nos, vel abiiciamus, vel distringamus. Quò pertinet quoque, vt ad ignominiam, & contumeliam præscindantur alicui vestes; quod Hanon fecit pueris Dauid [o], & Paulo, ac Silæ Philippensium Magistratus [p]. Id cùm quis circa suas facit, videtur suo veluti dedecore alienum, præsertim DEI, compensare.

n in c. 2. Ioël.

Cur vestimenta scindi soleant.

o 1. Paralipo. 19. 4.
p Act. 16. 22.

Spectat item eòdem iactatio propriarum vestium, qualis in Ierosolymitanis aduersùs Paulum, vt blasphemum [q], qui tamen non etiam eas scidisse leguntur, vt voluit idem Arias [r].

q infrà 22. 23.
r in Appara. lib. Ieremias.

E Porrò, vt quod dicere aggressus eram de aliis nationibus, nunc repetam, primus occurrit Iob, qui ad nuncium de morte liberorum, *scidit vestimenta sua* [s], non tam fortasse, quòd extinctos illos doleret, quàm quòd sibi ipsi, aut potiùs Satanæ, blasphemæ desperationis stimulos, atque de DEI prouidentia malè tum sentiendi, tum loquendi cogitationem immittenti acriter indignaretur, & excandesceret. Alias, cur id Iob fecerit, caussas elegantes tractat Pineda noster [t].

s cap. 1. 20.

t In ca. 1. Iob vers. 20. n. 6.

Cùm deprehensus est truncatus Holofernes, Bagoas, aliíque Principes voce magna cum fletu, & intolerabili timore, ac tremore, summáque turbatione sciderunt vestimẽta sua [u]. Amici quoque

u Iudith 14. 14. 17.

Iob *super graui calamitate ipsius exclamantes plorauerunt, puluerem super caput suum sparserunt in cœlum, vestes sciderunt* [a]. Prætereà idolorum Sacerdotes, vt ait Baruch [b], *sedebant interdum in domibus*, hoc est, in templis eorum, *habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam*. Audias etiam profanos scriptores. De Ænea Virgilius [c]:

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,
Auxilióque vocare Deos, & tendere palmas.

Et de Amata Latini Regis vxore, cùm audisset hostem ad occupandam vrbem accedere [d]:

Purpureos moritura manu discindit amictus.

Et de Latino ob mortem coniugis, & ruinâ vrbis:

—Et scissa veste Latinus
Coniugis attonitus fatis, vrbísque ruina.

Iuuenalis [e] de Polyxena Priami filia:

—Vt primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissâque Polyxena palla.

Seneca [f] de Augusta:

—Scindit vestes
Augusta suas, laceràtque comas,
Rigat & mœstis fletibus ora.

Statius de Glauciæ epicedio:

Tu modò fusus humi lucem auersaris iniquam,
Nunc toruus pariter vestes, & pectora rumpis.

Et in Priscillam:

— Tunc flere, & scindere vestes,
Et famulos lassare greges, & vincere planctus,
Fatáque, & iniustos rabidis pulsare querelis
Cœlicolas, solamen erat.

Lacedæmonios hâc adhibuisse in luctu ceremoniâ prodit Herodotus [g], Persas Diodorus Siculus [h], Curtius [i], & Hesychius [k] ex Ctesia agentes de fœminis; de viris autem iidem Herodotus [l], atque Curtius [m], Græcos Lucianus [n], Romanos Dionysius Halicarnassæus [o].

Hos Romanos suos Cicero [p] *sub nomine barbaricorum luctuum, nolens licèt, irridet*, dum loquitur de scissa coma, *quasi*, vt Bionem loquentem inducit, *caluitio mœror leuaretur: multò id magis profectò dicturum de Persis, qui in cæde Masistrij, qui in acie Plataensi turmas equitum ducebat*, vt narrat Herodotus [q], *præ luctu & seipsos, & iumenta totonderant.*

Sed qui seipsos lugere cogebâtur noxij, cùm vltimum supplicium essent subituri, iis iussu Magistratus à lictoribus scindebatur, & laniabatur vestis, vt virgis cæderentur. Testis Valerius Maximus [r], Seneca [s], Tacitus [t], Plutarchus [u], Suetonius [x], & ex nostris Theodoretus [y], Zonaras [z], Xiphilinus [a]; Lucas [b] quoque iam citatus de Paulo, & Sila. Immò verò etiam Romani, si quando se quauis de causa lugendi, irascendi, ac indignandi, dolendíve offerret occasio, vestes dilacerabant. De Iulio Suetonius [c], Dio [d] narrat de Augusto: ille [e] rursum de Nerone. De Maximo Capitolinus [f], Plutarchus [g] de Senatoribus ob exilium Ciceronis; & de Cleopatra, propter vulneratum, statímque moriturũ Antonium. De Pisone adhuc Dio [h]: & de vtriusque partis militibus Sexti Pompeij, & Triumuirorum [i]. Herodianus [k] de Fadilla Commodi sorore. Collegit & ex allatis non pauca ante nos Petrus Faber [l], vt ingenuè, & gratè profitemur.

Mihi ad illustrandum Pauli, & Barnabæ factum, si paruis componere magna, si licet sacra miscere profanis, Augusti valdè appositum exemplum videtur: is Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga, quam prius quoque disciderat, & lacerauerat, nudo pectore deprecatus est. Tradunt hoc Dio [m], Zonaras [n], Suetonius [o].

Iob.2.12. cap.6.30. Æneid.5. Æneid.12. satyr.10. in Octau. t.1. Eundẽ e in Troa. in Choro. 6. 17. 1.& 10. voce, ... 1.& 8. 5. ... log. de ... ul.3. ... c.2. ta, ca. ... nal.& blico. Camil. ... tario, ... tellio. ... tellio. ... 6 12. ... tone. ... ardia. ... cero. ... t An. ... t vita ... Di. ... rit.c. ... isto.

A *Exilierunt in turba clamantes.*] Quàm dissimilis ab Herode, quem in solio, & regia veste insolescentem, à vermibus consumptum vidimus [p]? Exprimunt quàm seriò, & ex animo refutarent diuinos honores, præter expositam conscissionem vestium, quòd εἰσεπήδησαν, quasi dicas, *saltu appetierunt, & insilierunt*, ac *insultauerunt*, vt canes venatici in feram, vel fera in aliam, κράζοντες, *clamantes asperius*, ac veluti *crocitantes, cornicum, & coruorum instar*, cum eiulatu quodammodò, vel cum ira, atque indignatione: etsi enim extenditur verbi significatio ad animantia cetera, hominemque; est tamen, vt docet Eustathius, & Demetrius Phalereus, vocabulum τραχὺ, id est, asperum, & horridum.

B Non legitur Daniel adorationem, hostias, incensum refutasse, quæ illi Nabuchodonozor offerre videbatur vt DEO [q]. At id de tam pio, sanctóque Propheta planè credendum est, quem deinceps quoque DEVS tot miraculorum, ac reuelationum donis illustrauerit.

Negabat Porphyrius, vt Hieronymus [r] testatur, vera de se hac in parte Danielem narrare: ac inuerisimile aiebat esse, tantum Regem adeò se demisisse. Respondet idem Hieronymus tum obiecto præsenti exemplo, tum Alexãdri Magni, qui Pontificem Iaddo traditur adorasse: quin etiã & Alexandrum, & Nabuchodonozorem non tam homines illos, quàm in illis veneratos DEVM. Dixit

C enim Nabuchodonozor: *Verè DEVS vester DEVS Deorum est.* Franciscum, nonnullósque alios modestissimos viros legimus oblatos honores admisisse, quos scirent, ac dicerent offerri sibi ab iis, qui DEVM in ipsis respicerent, ac DEI causa, cui perchari essent, eosdem veneratione prosequerentur.

Versus 14.] **Et dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad DEVM viuum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.**

D VIRI, *quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines.*] Aptum & efficax argumentum, quo, vt anteà diximus [s], cum Cornelio Petrus est vsus: *quæ etiam in re imitati sunt Angelos sancti isti homines*, inquit Augustinus [t], videlicet illos, qui se à Ioanne [u] adorari non permiserunt [x], *quòd ei similes essent non quidem naturæ conditione, aut, quod quidam volunt, virginitatis puritate, sed seruitutis ministerio*, præsertim post FILII DEI Incarnationem (vt aliàs dixi) adde quòd Ioanni datus erat Spiritus Prophetiæ, & vt ministrãdo patiendi pro CHRISTO honorem consequeretur, vltra Sacerdotalem, atque Pontificium, & Apostolicum.

E *Mortales sumus, similes vobis homines.*] Vnica dictione Græca ὁμοιοπαθεῖς, hæc omnia exprimuntur, quã Interpres in epistola Iacobi [y] clariùs reddidit, licèt sensu non diuerso: *Elias homo erat similis nobis passibilis*, ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν. Vtrobique Syrus exponit, *passionibus obnoxios, & obnoxium*, adde etiam ærumnis, & calamitatibus communibus humano generi. Argutè Basilius Seleuciensis [z] ex hac tam demissa Apostolorum oratione, & Petri [a], quando alium claudum curauit, infert CHRISTVM totius humilitatis exemplar, & magistrum ideò in patrandis miraculis non humilem se, sed efficacem demonstrasse, vt intelligeremus efficaciam illi propriam, nõ communicatam fuisse. *Si enim*, inquit, *natiua virtute operatus non esset,*

p Act.12.21.& seq.
Daniel diuinum honorẽ sibi oblatum refutauit.
q Dan.2.46.
r in Daniel.
s cap.10.
t 10.de Ciuit. Dei c.19.
u Apoc.19.10. cap.22.9.
x Blas. Viegas in Apoc.c.14. sect. 2. nu.4. & in cap. 19. Comment. 1. sect. 3. cum Petro Damian. Serm.1. de Io. Euang. qui fatetur non esse literalẽ rationem.
y cap.5.17.
z oratio 4 de Lazari resuscitat.
a Actor.3.1.& seq.
Christus in miraculorum patratione non humilem se præbuit, & cur.

A *neque id tamen auditoribus, sicuti Apostoli, exposuisset, non iniuria hi illo modestiores haberi potuissent, vt qui prudenter eam à se gloriam, & opinionem semouissent, non etiam ille.*

Meditatio mortis optimum contra superbiam remedium.

a cap. 51. 12.

b cap. 7. 1.

c vers. 7. & seq.

Nulla re magis fastus, & elatio humana detumescit, quàm memoria, & meditatione mortis: vt nihil æquè aliena vexatione afflictos consolatur, ac scire illam à mortali prouenire. *Ego, ego ipse*, ait in Esaia [a] DEVS, *consolabor vos: quis tu, vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum, ita arescet?* Describit Sapiens [b] conditionem suam in conceptione, atque natiuitate, dicens inter alia: *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, &c.* Inde factum subdit [c], *vt spretis aliis, quæ sua inflant vanitate, solidum plenùmque sapientiæ* SPIRITVM B *flagitaret, & maximi faceret.*

d 2. Mach. 9. 12.

Denique ab Antiocho impio fœtor ipsi etiam intolerabilis ex proprio corpore, hanc sententiam verissimam, & in omnium insculpendam animis, præsertim quos extulit honor, scientia, potentia, elicuit: *Iustum est subditum esse* DEO, *& mortalem non paria* DEO *sentire* [d].

Laudes humilitatis.

Nihil conferendum humilitatis virtuti, inquit hoc loco Chrysostomus, digrediens in laudem huius virtutis eleganter, & fusè; *ipsa enim mater est, ac radix, & alumna, & fulcimentum, & vinculum bonorum: sine illa abominabiles, & scelesti, & immundi sumus. Esto enim quis mortuos suscitet, ac claudos sanet, leprosos purget, cum superbia nihil eo contaminatius, nihil magis* C *impium, nihil scelestius.* Digna est homilia tota, quæ accurato studio perlegatur.

Caluini error, mortuos licere diuino cultu venerari.

Reliquiarum Sanctorum cultus qualis.

e Dan. 2. 46.

f vers. 24.

Porrò cùm Apostoli auerterunt à se cultum diuinum, quòd essent mortales, voluerunt simul significare, neque viuis, neque mortuis hominibus eum exhiberi debere. Quapropter malè colligit Caluinus *ex isto responso, non effici, vt non sit illicitum mortuos eo modo colere, atque ita non satis reprehendi Gentiles, qui non essent soliti alios venerari, quam mortuos, iuxta quem morem & Papistæ Reliquias venerantur.* Nam constat cultos etiam à Gentilibus viuentes homines, aliáque adhuc viuentia animalia, & stellas, & alias res diuersi generis: & Papistæ mortuorum Sanctorum Reliquias tan D quàm receptacula animorum, & organa sanctitatis peculiari infra eum, qui DEI proprius est, cultu & adoratione prosequuntur. Quia Daniel adorationem Regis refutasse non legitur, nec incensum, hostiásque quas præcepit vt sacrificarent ei [e], argumentantur aliqui auctorem non esse libri qui Danieli inscribitur, Danielem Prophetam virum adeò sanctum. Atqui responderi debet, non dicere Scripturam esse passum Danielem se adorari, sibique sacrificari, quo nomine Porphyrius, teste Hieronymo, Danielem accusat: hæretici quidam moribus aulicis corruptum dicunt: sed Regem illud fecisse, hoc præcepisse: vtrumque verò credendum à Daniele recusatum. Quanquàm & illud verum est quod capite decimo [f] notauimus, in vetere Testamento tum Angelos, tum viros sanctos passos se adorari, non item in nouo, propter ibi allatas causas.

Dij gentium vani sunt.

g cap. 6. toto.

Annunciantes vobis ab his vanis conuerti.] Hoc adiiciunt, ne videantur plures Deos agnoscere Vocantur Idola, seu Dij, quos coluit Gentilitas, hoc loco nomine τῶν ματαίων: sunt enim stulti, friuoli, vani, inanes, vacui, falsi, nihil, & non entia, vt eos optimè describit, & fusè Baruch [g], subinde inferens: *Scientes, quia non sunt dij, ne timeatis eos, & quòd confundentur qui colunt illos, & quo modo æstimandum, & dicendum sit esse Deos.* Inculcat quoque omni A sensu carere: quod est idem in Psalmis [h], & in libro Sapientiæ [i]. *Scimus quia nihil est Idolum in mundo*, inquit Paulus [k], *& quod nullus est* DEVS, *nisi vnus.* Esther [l] in oratione ita DEVM alloquitur: *Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt*, id est, Idolis: *omne enim quod veritati contrarium est*, inquit Hieronymus [m], *non est: & qui Moysi ait eum* QVI EST [n], inquit Basilius [o], *seipsum nominauit*, nullus profectò alius præter DEVM VERBVM, *qui à principio erat apud* DEVM [p], intelligetur, &c. tum profert allatum Esther testimonium, & illud Pauli [q]: *Seruiuistis Diis, qui natura Dij non sunt*: & aliud Ieremiæ [r]: *Iurabant per Deos, qui Dij non sunt.*

h Psal. 113. 4. & seq. & Ps. 134. 15. & seq.

i cap. 14. 15. & seq. & cap. 15. toto.

k 1. Cor. 8. 4.

l cap. 14. 11.

m in 4. cap. Ep. ad Gal.

n Exod. 3. & cap. 4.

o 2. cótra Eunomium.

p Ioan. 1. 1.

q Gal. 4. 8.

r cap. 5. 7.

Epitheta falsorum Deorum.

B Præclara sunt epitheta, quæ citatus Baruch, seu idem Ieremias Idolis tribuit, egregiæ similitudines, quibus ea describit.

s cap. 6. 15.

t vers. 18.

u vers. 38.

x vers. 45.

y vers. 53.

z vers. 70.

a cap. 7. 9. 16.

b cap. 4. 15.

c 3. Reg. 12. 32.

d cap. 6. 8.

Quod ad rem facit est, cùm appellat *vasa fracta inutilia* [s], *trabes in domo* [t], *lapides de monte* [u], *nihil aliud, nisi illud quod volunt ea esse sacerdotes* [x], *corniculas inter medium cœli, & terra, quæ nihil possunt* [y], *mortuum proiectum in tenebris* [z]. Præterea vocat Amos [a], iuxta editionem Hebræam, & LXX. *domum, & aras risus*, quam Interpres noster *excelsa*, vel *domum Idoli*, sicut Oseas [b], quæ priùs appellabatur *Bethel*, id est, *domus* DEI, ob idololatriam inchoatam ibi à Ieroboam [c], nominat *Bethauen, domum vanitatis, & nihili, & inutilem, & iniquitatis*, iuxta C varias interpretationes, immò & Idolum ab eodem Propheta Osea [d] dicitur Hebraicè און *auen*, quæ vox significat *iniquitatem*, aliáve, quæ modò dicebamus, aut etiam dolorem, si mutatis punctis dicamus *on*, & non *auen*, prout sæpe à LXX. fit, qui quam Bethauen Latina versio ponit, exprimunt οἶκον ὤν.

e cap. 8. 14.

f cap. 2. 1.

g cap. 13. 20.

h cap. 11. 17.

i cap. 13. 4.

Habet etiam Idolum, & idololatria nomen delicti apud eundem Amos [e]: & apud Michæam [f] Hebræa similiter voce *auen*, vel *on*, quam Interpres, secutus priorem terminationem, reddidit, *inutile*: quam vocem vsurpat quoque Sapiens [g]. Simili de causa inutilem pastorem Zacharias [h] compellat his verbis: *O pastor, & idolum*: & quos in Iob [i] Latina editio nominat *cultores peruersorum dogma*D*tum*, & *LXX. medicos iniustos*, Hebræus textus vocat *curatores*, siue *medicos*, אליל *elil*, id est, *vanitatis, falsitatis*, aut *idoli*.

k 1. Reg. 12. 21.

Porrò Paulus ματαῖα vocauit, & vetus etiam Scriptura, præter æquiualentes nonnullas dictiones iam allatas, vt cùm Samuel dehortans ab idololatria: *Et nolite*, inquit [k], *declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt*: quibus in locis inest figura λιτότης, siue μειότης, id est, diminutio, aut potiùs λιτότης, id est, *tenuitas*, quando magnæ res verbis humilibus exponuntur, parúmque significantibus in speciem, sed reipsa huiusmodi non sunt.

l lib. 2. c. 6.

m lib. 6. c. 7.

n 1. Æneid. circa finem.

Eam Gellius [l], & ex eodem Macrobius [m] in E Homero, Virgilióque allatis illorum exemplis obseruauit, quæ tu lege apud ipsum. Et insuper illud ad rem videtur ex Virgilio [n],

Non ignara mali miseris succurrere disco.

hoc est, in malis magnoperè exercitata. Eodem enim sensu in aliis exemplis illaudatus, inamabilis, non egens, inculpatus accipi debent pro deterrimo, odiosissimo, omni re abundante, omni virtute prædito.

Idololatria damno est maximo.

o 1. Machab. 2. 21.

Et quidem sanè non potest non maximo damno idololatria esse, idque proculdubiò fortissimus Mathatias significare volebat, cùm prouocantibus ad idololatriam respondebat [o]: *Non est nobis vtile relinquere legem, & iustitias* DEI. Occa-

sionem

sionem idololatriæ commemorat Sapiens[*]: *Quoniam aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.*

Primùm cœpisse fertur in Belo, quem Ninus filius in DEVM retulit circa mundi annum 1860. & dicebatur Hebraicè, בל *bal* Sidoniorum, & Phœnicum lingua בעל *Babhal*. Consule Hieronymum [a].

Prima de idolis in Scripturis mentio est, dum viueret Iacob, eo ferè tempore, quo idololatriæ principium, ex vulgari opinione, fuisse dixi, *quando Rachel furata est idola patris sui Laban*[b] (quos etiam Iacob vocat *Deos* [c]) ne iis consultis resciret ille, quod iter iniissent, aut vt idem abduceretur ab idololatria, aut quia ipsa idololatriæ studiosa erat (quod minùs probabile est) aut quòd ex pretiosa illorum materia fraudem compensaret marito factam in mercede, vel dote, qua se sororémque priuauerat.

Ad DEVM viuum.] Vanis falsisque & mortuis Diis, siue qui aliquando inter homines vixerint, siue qui omnis vitæ semper expertes fuerint, rectè opponitur verus, & viuus DEVS.

Hoc *Viui* nomē sæpiùs in Scripturis DEO assignatur [d], præcipuè noui Testamēti: & idem valet participiū *viuentis*, quod alicubi etiā de DEO dicitur [e]: & quandoque cum aduerbio *semper* [f], vel *in æternum* [g], vel *in sempiternum* [h], vel *viuens, & æternus in secula* [i]; & quidem ferè semper, cùm incidit comparatio cum idolis, aut hominibus diuinitatem vsurpantibus, aut vt beneficia, quæ DEVS contulit per aliquem hominem, eo extincto, intelligantur DEVM potissimùm auctorem habuisse: qui etiamnum alia præstet, possitque præstare sine illo, vllóve alio. Hæc ita esse cognoscet, qui loca perpendet ad marginem notata: simul & alia tam multa, in quibus vel DEVS iurans id vsurpat, VIVO EGO; vel alij hac formula vtuntur, VIVIT DOMINVS.

Est DEVS ipsissima vita, omnia viuificans, & quoniam vita, auctore Philosopho, actio est, atque potissimùm ex motu cognoscitur, & vulgò mortuæ res, etiam in quibus propriè vita nulla est, dicuntur, quæ quadam torpent inerti quiete, *viuus, viuénsque* DEVS cùm toties nominatur, significatur eius efficientia, qua omnia moderatur, ac præsertim suis cultoribus præstò est vt subueniat.

Cabalistæ de his DEI nominibus אל חי *El chai*, multis locis multa disserunt, illud in primis [k], quod יהוה IEHOVAH, quem DEVM PATREM dicimus, inuocatus, appellatúsque hoc nomine, אל חי *el chai*, largitur per אדני ADONAI, hoc est, DOMINVM, quem nominamus FILIVM, benignissimè cùm cetera, tum vitam incolumem, & ab hostibus tutam: idcirco Iosue [l] vsurpasse אל חי *El chai*, vt suorum animos de ferocissimis quos adibant hostibus redderet securos.

Vbi obiter recole, quod capite primo notauimus [m] de CHRISTO, Domini, de PATRE, DEI nomen, quando inuicem conferuntur, solere dici. Sed illud, quod nuperrimè afferebam, VIVI, ac VIVENTIS epithetum vero DEO adscribi, comparatione cum Diis falsis. Ieremias apposita mihi sententia videtur declarasse [n]; *Dominus noster vnus DEVS est: ipse est DEVS viuens, & Rex sempiternus: ab indignatione eius commouebitur terra, & non sustinebunt Gentes comminationem eius. Sic ergo dicetis eis: Dij, qui non fecerunt cœlos, & terram, pereant de terra, & de his, quæ sub cœlo sunt.*

Deorum summum vocant Græci nomine ΖΕΥΣ, ζῶντα, quia, vt ait Diogenes Laërtius [o], τὸ ζῆν αὐτοῖς δεῖ, *viuendi cæteris causa est*. Scio alias reddi etymologias, & hanc Lactantio [p] displicere, qui ad hunc modum hoc de nomine loquitur. *Ipse autem furto seruatus, furtimque nutritus Ζεύς, siue Ζῆν, appellatus est, non, vt isti putant, à feruore cœlestis ignis* (nempe ἀπὸ τοῦ ζεῖν, quod etiā Tertulliano [q] placuit, quasi dicas *feruidam substantiam*) *vel quod vitæ sit dator* (ἀπὸ τὸ ζῆν aut ζῷς) *vel quod animantibus inspiret* animas (ab eodem posteriore verbo) quæ virtus solius DEI est: *quam enim possit inspirare animam, quam ipse accipit aliunde? sed quòd primus ex liberis Saturni maribus vixerit.*

Quid si addas, quòd *quia portentosè mulierosus erat, omnium vir mulierum appellatus est*, vt ait Epiphanius [r], quasi viuificator, & prolificator egregius, quod etiam de Iulio Cæsare Curio pater [s], de Alcibiade Pherecrates [t], Poëtæ affirmauerunt propter eandem causam.

Qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.] Et hinc dignoscitur certa ratione viuus ac verus DEVS. De istis autem operibus DEI, vide quæ capite quarto diximus [u], cur videlicet ad cœlum atque terram, quibus omnis creatura tanquàm extremis duobus solet comprehendi, nonnunquàm in Scriptura maris additio fiat.

Versus 15.] Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.

INGREDI *vias suas.*] Quid viæ, quidque significent generationes, non ignorat qui superiora nostra legit [x], & nobis easdem relegere vias nimis quàm molestum. Similem verò sententiam pronunciat posteà idem Apostolus ad Athenienses [y]: *Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens DEVS.*

Neutra ex sententia sequitur defuisse sufficientem gratiam, sed non ita largiter iis fluxisse, vt quibus Patriarchas, & Prophetas misit, & legem dedit, & adeò multa priuilegia, cùm tamen, vt mox subditur, *non sine testimonio semetipsum reliquerit, ac idcirco inexcusabiles fuerint*, sicut & de Romanis Paulus [z] asserit.

Dimisit gentes ingredi vias suas, ac suo more & naturæ impetu viuere, subtrahendo efficacem gratiam, &, vt est in Psalmo [a], *dimittendo illas secundum desideria cordis earum, & ire in adinuentionibus suis*: quemadmodum si bello ingrauescente, dux recedat, hostibus milites tradit: quod exemplum est Chrysostomi [b]: quibus plura alia similia sæpe affert Augustinus [c], tractans accuratissimè hanc controuersiam.

Prosper autē optimè assecutus Augustini doctrinam, monet [d] caueamus propter prærogatiuas Iudæorum, existimemus vlli nationi hominum bonitatis suæ dona DEVM subtraxisse: & ex hoc eodem loco [e] infert naturæ vires non sufficere, vt quis iustificetur. In toto verò de vocatione Gentium opere, quod etiam tribuitur Ambrosio, passim attingit dubitationem illam, cur tamdiu dilata sit vocatio Gentium, nec aliam reddere causam potest, quàm decretum beneplaciti diuini, & inscrutabile iudicium ipsius.

Eadem ratio est de huiusmodi aliis quæstionibus, vt cur ad nostram vsque ætatem aliquot populi nihil de Euangelio audierint: cur tot ante se-

* cap. 14. 21.
Origo idololatriæ.
a in cap. 2. Osee, & 8.
b Gen. 31. 19.
c vers. 32.
Rachel cur furata sit idola patris sui.
Dei viuentis nomen frequens.
d Psal. 41. 3. Psal. 83. 3. Mat. 16. 16. c. 26. 63. Roman. 9. 26. 2. Cor. 3. 3. c. 6. 16. 1. Thess. 1. 9. 1. Tim. 3. 15. c. 4. 10. c. 6. 17. Hebr. 3. 12. 1. Pet. 1. 23. Apocal. 7. 2.
e Gen. 16. 14. c. 24. 62. c. 25. 11. Deut. 5. 26. Iosue 3. 10. 1. Reg. 17. 26. li. 4. c. 19. 4. 16. Esa. 37. 4. 17. Ier. 10. 10. cap. 23. 36. Dan. 4. 31. c. 6. 26. cap. 14. 4. 24. Osee 1. 10. Hebr. 9. 14. c. 10. 31. c. 12. 22. Apoc. 4. 10. c. 5. 14. c. 10. 6. c. 15. 7.
Deus est ipsissima vita.
f Esther 16. 16.
g Dan. 4. 31.
h Dan. 12. 7.
i Dan. 6. 26.
k in lib. Porta lucis.
l cap. 3. 10.
m vers. 6.
n c. 10. 10. 11.
Vnde dicatur Ζεύς.
o in Zenone.
p lib. 1. c. 11.
q 1. con. Mar. cap. 13.
r in Ancorato.
s apud Suetonium c. 52.
t apud Athenæum lib. 12. c. 16.
u vers. 24.
x c. 2. & 8. & 13.
y cap. 17. 30.
Deus semper omnibus gratiam sufficientem cōtulit.
z Rom. 1. 20. Quid sit dimittere ingredi vias suas.
a Psal. 80. 13.
b Homil. 3. in ep. ad Rom.
c v: ep. 105 li. 1. ad Simplicia. q. 2. lib. de gra. & lib. arbit. c. 21.
d 1. de voca. Gentium c. 5. apud Ambro. cap. 2.
e ep. ad Ruf. fin. de lib. arb.

culis DEI FILIVS incarnatus non sit, &c. *Si quæsieris*, ait Chrysostomus [a], *qua ratione nunc tandem apparuerit, periculosam rem facies, mysteria* DEI *curiose examinans, & rationem illorum exigens: neque enim talia curiosè inquirẽda, sed diligenda sunt, & amplectenda. Obedientiam enim fides exigit, non curiositatem.* Irenæus [b] haud aliter paucioribus verbis: *Non tu* DEVM *facis, sed* DEVS *te. Si ergo opera* DEI *es, manum artificis tui expecta opportune omnia facientem.*

a Hom. 27. in ep. ad Rom.

Obedientiam fides exigit, non curiositatem.

b lib. 4. c. 76.

Augustinus [c] Porphyrio, aliisque Paganis quærentibus: *Si* CHRISTVS *salutis via est, gratia, & veritas, quid egerint tot seculorum homines ante ipsum, quid etiam ante legem datam Iudæi?* Respondet primùm, *idem esse Paganis respondendum de suis Sacris, nisi ea velint execrari, antequàm essent instituta, quo pacto sine ipsis potuerunt mortales purgari.* Deinde docet, quod antè dicebamus, *nunquàm defuisse ad salutem iustitia, pietatique hominum voluntatem* DEI, *quam voluntatem secuti sunt, qui rectè sapuerunt, ut* DEVM *sacris colendo, quæ* DIVINITATI *congruerent. Quid autem*, inquit, *quando fiat, quod ad vnam eandémque fidelium, & piorum liberationem pertineat, consilium* DEO *tribuamus, nobis obedientiam teneamus*, &c. *Cùm enim non fortuitò labi, sed diuina prouidentia tempora ordinari fateantur, quid cuique tempori aptum, & opportunum sit, humanum consilium prætergreditur, & illinc dispergitur, vnde ipsa prouidentia rebus consulit. Postremo tunc voluisse* CHRISTVM *hominibus apparere, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat ipse, qui in eum fuerant credituri, cùm tamen salus ipsa nulli vnquàm defuerit, qui dignus fuerit, & cui defuerit, dignus non fuerit*, nimirum propter dictam præuisionem DEI, qua præuidit quis consentiret, quis dissentiret.

c ep. 49. q. 2.

Responsio ad obiectionem Porphyrij, cur hominibus Christum prius non manifestauerit Deus.

Voluit Deus Christum apparere, quando homines apti erant ad eũ verè iuuandum.

Disputant Theologi cum B. Thoma [d] de conuenienti tempore Incarnationis, & quidem conuenienter. Sed mihi iam allatum responsum satisfacit, illúdque CHRISTI huius libri capite primo [e] declaratum: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ* PATER *posuit in sua potestate.* Nos fortunati, *ad quos fines seculorum deuenerunt* [f]. Vtinam nos ad tantam gratiam non ingrati. Certi autem simus, quoniam apud DEVM, qui omnia facit, potestque, cùm *sit etiam bonus*, *non est iniquitas* [g].

d 2. part. q. 1. art. 5. & 6.

e vers. 7.

f 1. Cor. 10. 11.

g Rom. 9. 14.

In Deo nulla prorsus est iniquitas, quamuis pauci saluentur, multi damnentur.

Et quamuis non semper eo tempore vocet singulos, quo si vocarentur; responsuros præuidet, vt de Tyriis, ac Sidoniis CHRISTVS dixit [h], & Augustinus [i] ipse docuit: non est tamen, qui ei dicere possit: *Cur facis sic* [k]? *Misericordiam enim ostendit in his, qui liberantur, & veritatem in his, qui puniuntur*, prout in sua prædestinatione, seu præordinatione, atque prouidentia, occulta quidem, sed iusta iudicauit. *Quis enim tibi dicet*, ait Sapiens [l] cum DEO colloquens: *Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit si perierint nationes, quas tu fecisti?* &c.

h Matt. 11. 21.

i de bono perseuerantiæ, c. 9.

k Rom. 9. 20.

l cap. 12. 12.

Verùm vt à Gentilibus ad hæreticos veniam, Caluinus cùm audit illos in præteritis generationibus, & seculis aberrasse, argumentatur: *Sicut antiquitas temporis, & tam multorum ex ipsis consensus, eorum non patrocinabatur erroribus; ita neque nos posse hoc duplici quasi scuto tueri, quominus verum esse possit ab ipso Ecclesiam reformari, &* DEVM *tam longo ante ipsum tempore esse passum, vt Ecclesia erraret.*

Caluini argumentum hoc loco reiicitur.

Atqui aduersùs hanc tam fragilem paruuli, ac imbellis sagittam stat scutum Fidei solidissimum, & fixa manet Ecclesiæ doctrina, *contra quam nec portæ inferi possunt præualere* [m]. Iam venit CHRISTVS, & dudum est, cùm fundauit Ecclesiam, *cum qua mansurum se perpetuò promisit* [n], & portas inferi, vt modò dicebam, non præualituras aduersùs eam. Cur potiùs tempore Caluini affulsit lumen, nec aliud expectatur deinceps Euangelium? Cur adeò diuturnas tenebras abegit non Lutherus, aut alius ex hæresiarchis ætatis nostræ, sed vnus Caluinus? Legat hic hæresiarcha præscriptiones Tertulliani, & quod ille exigit à sui temporis hæreticis, reddat nobis, vnde prodierit, & quis ei veritatem inspirauerit.

m Matt. 16. 18.

n infrà vlt.

Versus 16.] Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra.

ET *quidem non sine testimonio semetipsum reliquit.*] Et huiusmodi quoque à Paulo in concione ad Athenienses [o] prolata sententia est, ac velle videtur ex beneficiis naturalibus, quibus afficit DEVS, posse perueniri in cognitionem ipsius. Et, vt ratiocinatur Athanasius [p], *qui hæc minoris momenti non patitur desiderari, nec alia negaturum, quæ sunt prorsus necessaria saluti.*

o Act. 17. 24. & seq.

p orat. contra idola.

Paulò antè cum Prospero dicebamus, præter hæc naturæ munera, eámque proinde, quæ ex ipsis de DEO colligi potest, notionem, gratiam requiri, & gratiæ donum, & fidem supernaturalem. Nam etiamsi Apostolus DEI testimonium hoc nunc ingerat Gentilibus, & in epistola ad Romanos [q] *inexcusabiles* nominet, *qui quem naturaliter cognouerunt* DEVM, *vel cognoscere potuerunt, non coluerunt:* nihilominùs sine fide, quæ definitur *substantia rerum sperandarum* [r], *& argumentum non apparentium*, nec naturali lumine cognoscibilium: ideóque tum ex parte principij, tum obiecti, vt scholasticè loquar, excedit vires naturæ. *Impossibile est placere* DEO, *oportétque ad hunc accedentem credere, quia est* [f], eo modo, quo sciri non potest, *& remunerator*, per communicationem beatitudinis supernaturalis. Qua de re disputatum est in tractatione de Fide, Gratia, & Iustificatione.

Præter naturalem cognitionem gratia homo indiget, vt saluus fiat.

q cap. 1. 20.

r Heb. 11. 1.

Fides ad salutem necessaria.

f ibidem 6.

Inexcusabiles autem, & tali conuicti testimonio censentur, qui consentaneè cognitioni naturali de DEO, quoad licuit, naturalem legem non seruauerunt: quod si fecissent, ampliorem DEVS gratiam, qui sufficientem non negauit, iuxta suauem prouidentiam suam, facilè largitus illis fuisset.

Qui sint ex Gentibus inexcusabiles.

Magnum testimonium pro DEO contra nos mundi creatio, & armatus testis in vltionem [t], si cuius potentiam, sapientiam, liberalitatem produnt creaturæ, hunc non vereamur, & amemus. Contemplari licet in creaturis DEVM tanquàm in speculo; persequi, vt in vestigio; recognoscere, quasi in libro; exaudire, ceu in cithara; considerare, velut in pictura. Speculi similitudine vsus est Paulus, vocans *Fidem agnitus* [u], & Trismegistus [x], eámque declarat B. Antoninus [y]. Cum libro creaturas comparauit idem Mercurius [z], Basilius [a], Antonius [b], Chrysostomus [c]. Citharæ exemplum vsurpat idem [d], necnon Athanasius [e], & Augustinus [f]. Picturæ Athanasius [g]. Vestigium passim placuit Theologis, aut etiam opus artificiatum.

t Sap. 5. 18.

Considerato Dei mundo.

u 1. Cor. 13. 12.

x in Pimandro.

y 1. par. tit. 6. cap. 6.

z ibidem.

a Hom. 11. Hexam.

b apud Athanas. in vita.

c in Psal. 148.

d supra.

e orat. contra idola.

f de Gen.

g supra.

Vrgent adeò graue testimonium omnes Lit-

terræ sacræ, præsertim Psalmorum. Et DEVS ipse vltimis quatuor capitibus libri Iob totus est in explicandis naturæ operibus, vt suam, qui auctor est, sapientiam, ac prouidentiam, potentiámque demonstret. Et sancti viri vtroque in Testamento, vt seipsos ad laudem DEI excitent, creaturas etiam inanimas ad laudandum inuitant, & laudantes confingunt.

Augustinus magis dubitat, an sit in corpore suo anima, quàm in mūdo DEVS.
a in Soliloquiis c.31.

Nemo vim huius testimonij valet effugere: ita vt non dubitauerit Augustinus alicubi asseuerare, magis dubitare se suo in corpore esse animam, cuius tot, támque compertos effectus experiatur, quàm vtrùm in hac rerum vniuersitate sit DEVS. Ait præterea sapiens, & pius Doctor [a], postquàm iuit per creaturas sciscitando, vbi esset DEVS, & illarum quælibet voce forti respondisset: *Non sum ego, sed per ipsum sum ego, quem quæris in me: ipse fecit me, super me quære eum, qui regit me, qui fecit te. Interrogatio creaturarum, profunda est consideratio earum. Responsio earum, attestatio est ipsarum de* DEO; *quoniam omnia clamant:* DEVS *nos fecit.* Rursum excutiens voluntatem suam, & ad amorem DEI prouocans: *Sed cœlum*, inquit [b], *& terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles, &c. alioqui cœlum, & terra surdis loquuntur laudes tuas.*

b lib.10. Confess.c.6.

Benefaciens de cœlo, dans pluuias.] Fortasse meliùs poneretur signum distinctionis post *benefaciens*, ita vt *de cœlo*, hoc est, de aëre, ad pluuias referatur.

c Iob.5.10. c.28.26. c.36.27. c.37.15. c.38.25.26.27.28. Ierem.10.14. Amos 5.8.
d Matt.5.45.
e 4 de Benef. cap.28.
f Dan.3.64.
g Iob.38.28.
Claues quatuor rerū penes Deū.
h in c.30. Genes.

Magni fit pluuiarum immissio in Scriptura [c], & CHRISTVS ipse cum Solis tam necessario lumine coniungit [d]. Similis extat apud Senecam [e] sententia. Quemadmodum & pueri tres post Solem, Lunam, stellas, ad Dominum benedicendum prouocant imbrem, ac rorem [f]. Et DEVS ceterarum rerum rationis expertium Creator, pluuiæ etiam Pater vocatur [g]. Quatuor maximè rerum clauis penes DEVM est, vt obseruat Paraphrastes Ierosolymitanus [h], quam non tradidit nec Angelo, nec Seraphino, nimirum pluuiæ, cibationis, siue alimoniæ, sepulcrorum, id est, resurrectionis, sterilitatis, ac fœcunditatis. De prima claue mentio est in Deuteronomio [i]: *Aperiet Dominus*, ait Moses, *tibi thesaurum suum bonum.* De secunda in Psalmo [k]: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* De tertia apud Ezechielem [l]: *Cùm aperuero sepulcra vestra.* De quarta in libro Genesis [m]: *Et recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius.* Et è contrario in libro Iob [n] dicitur Dominus *concludere ostia ventris.*

i cap.28.12.
k Psal.145.16.
l cap.37.13.
m Gen.30.22.
n cap.3.10.

Aliæ claues in Deo sunt.
o Psal.134.7.
p Psal.32.7. Ier.10.13. c.51.16.
q Num.20.6.
r Deut.32.34.
s Iob.38.22.
t Psal.77.23.24.

Sed possent forsitan addi aliæ huiusmodi claues, verbi gratia, ventorum, vt cùm scribitur *producere* DEVS *ventos de thesauris suis* [o]: & *ponere abyssos in thesauris* [p]: &, *aperire thesaurum* [q], excitando aquam de terra: &, *habere condita apud se, & signata in thesauris impiorum peccata* [r]. Cùm etiam memorantur *thesauri niuis, & grandinis* [s]: &, *ianuæ cœli apertæ ad dandum manna* [t]. Sunt enim thesauri maximè obserati, & clausi. Et ex citatis locis denotat penultimus arcanam DEI memoriam, & prouidentiam. Nec verisimile tamen est, Angelos non adhiberi persæpe ad dictos illos effectus, quamuis nec eos, nec alios vllos vt inde pendentes causæ, vel creando, possint operari.

Angeli ad hos effectus adhibentur.

Pluuiam DEVS *suam, [illegible] mirabili partitur.*

At enimuerò, vt ad pluuiam refluat oratio, maiestatem DEVS declarat in eius admirabili partitione, varijs anni tempestatibus, per diuersas terræ

A

partes, ita vt hac re Ieremias [u] illum à Diis falsis distinguat: *Nunquid sunt in sculptilibus Gentium* (Aquila, *in vanitatibus Gentium*) *qui pluant? aut cœli possunt dare imbres? Nónne tu es Dominus* DEVS *noster, quē expectauimus? tu enim fecisti omnia hæc.* LXX. *Quòd si cœlum dabit satietatem suam, nónne tu es ipse?* Nec aliter Amos [x] Diuinitatem amplificat: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen est eius.*

u c.10.13.14. c.14.22. c.51.16.
x cap.5.8. cap.9.6.

Sed nulla magnificentior descriptio, quàm Ecclesiastici [y]: *In magnitudine sua posuit nubes, super omnem congregationem aquarum requiescet, & sicut lorica induet se aquis.* Tum verò cùm libuerit, *emittet verbum suum*, ait Dauid [z], *& liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.*

y c.43.16.22.
z Psal.147.18.

B

Et tempora fructifera.] Herbarum, fruticum, arborum, quas res varias variæ ferunt tempestates anni, earúmque vita, & incrementum, atque germinatio ex aquis valdè pendent, præsertim pluuiis, quarum vis maior, vt has proinde præferens DEVS iis, quæ ducuntur irriguæ in Ægypto, terram quoque promissionis vt frugiferam magis, longè quoque præponat, oculósque suos ad pluendum intentos polliceatur [a].

Aqua pluuia irriguis magis conducit.
a Deut.11.10.11.12.
De arborum diuersitate.

De admirabili prouidentia, & sapientia DEI in tanta arborum diuersitate domesticarum, & syluestrium, montuosarum, vt ita dicam, seu quæ montibus delectantur, aut vallibus, aut aquis.

C

Præterea in tam diuerso genere radicum, foliorum, florum, fructuum: adhæc in vel noxia, vel salubri vmbra, quam proiiciunt: denique in dispari durationis ætate: de floribus, herbis, fructibus, quod ad amœnitatem spectat, vim medicam, suauitatem saporis, plenæ sunt historiæ naturales, præsertim Plinij, Dioscoridis, Matthioli, & recentissimi scriptoris, sed accuratissimi Vlyssis Aldrouandi, cuius ego Bononiæ instructissimum, ac locupletissimum musæum dicam, an cornu Amalthæum, ipsomet humanissimè commonstrante anno 1587. iterúmque anno 1601. cùm iam optimus senex, atque doctissimus oratione, nutibúsque, quod oculis non poterat præ senio caligantibus, vegeto animo,

D

& florente pari humanitate res cunctas designaret, ac exponeret, singulari cum voluptate, & naturæ Auctoris demiratione, & laude attentissimè inspexi: sed ex plurimis voluminibus iam confectis tria prodierunt duntaxat, de auibus duo, vnum de insectis.

Rapiuntur in admirationem præpotentis sapientiæ DEI, & sapientissimæ potentiæ, non Christianè solùm philosophantes, verùm etiam humanè, ac naturaliter, dum flosculorum, atque foliorum pulchritudinem inspiciunt, atque, quod CHRISTVS etiam monuit [b], *Considerate lilia agri, quibuscum nec Salomonis elegantissimæ vestes conferri possunt.* Refert Augustinus [c], Plotinum diuinam hac in re prouidentiam mirificè concelebrasse.

E

b Matt.6.28.29.
c 10.de Ciuit. cap.14.

Implens cibo, & lætitia corda nostra.] Exhilarantur corda, recreantúrque cibo, & varijs anni tempestatibus, varij, & conuenientes existunt fructus. Est profectò permirum, tam affatim suppeditasse DEVM cibum tam varium, tam multiplicem vni homini, qui animalibus ceteris ferè vnum duntaxat destinauit. Homo verò per ingenitam vim ingenij adeò multa excogitauit ad gustatum oblectandum, vt artium earum, quæ modos parandorum ciborum, & condimentorum præscribunt, ingentes voluminum moles existant. Cùm satiauit CHRISTVS pauca

Ciborum varietas hominibus concessa.

millia multiplicato diuinitùs pane, pisceque, huiusmodi illi homines beneficium, deferendo ipsi regno, compensare voluerunt [a]. Nos porcis, qui decussantem glandes altè non suspiciunt, deteriores, proni, & affixi terræ, tantis, & ad necessitatem, & ad voluptatem escis nó prouocamur, vt Deo nos gratos, & morigeros præbeamus. *Populo huic*, ait Ieremias [b], *factum est cor incredulum, & exasperans: recesserunt, & abierunt, & non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum* Devm *nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam, & serotinam in tempore suo: plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. Qui dicebant* Deo, inquit Iob [c], *recede à nobis, & quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum: cum ille impleßet domos eorum bonis.* Hoc etiam est, *à fructu frumenti, vini, & olei multiplicari* [d], id est, prolixa Dei liberalitate homines ad Devm allici: sed præ intoleranda ingratitudine nolle diuinam agnoscere prouidentiam, dicendo: *Quis ostendit nobis bona* [e]?

Concedit largiter Devs ciborum vsum, dummodò cum gratiarum actione sumantur, ac moderatè, & à certis abstineatur, quando vel priuata quemque necessitas ad domandam carnem, placandúmve Devm, vel Ecclesiæ præceptum compellit. Delectat nos Devs in his creaturis suis, sed *insipiens non intelligit, & stultus non cognoscit* [f], dum aut manducantem contemnit, damnátque, aut bene pastus, satúrque non laudat Devm. De hac post cibum laude Dei aliàs. Imitandi vel Gentiles Ægyptij soliti mensuram ascendentis Nili ad Serapis deferre templum, velut ad incrementi aquarum, & inundationis auctorem. At Constantinus subuerso simulacro, imperauit vlnam siue cubitum ad aquarum Dominum deferri [g].

Proscriptæ sunt pridem damnatæque pugnantes hæreses de necessaria ciborum abstinentia, perinde ac si mali essent, & de nullo habendo eorum delectu, quamuis hunc maiores præscribant. Primam hæresim sectati sunt Tatiani, Encratitæ, Manichæi, Montanistæ, Hierachitæ, Aëriani, Cathari, Priscilliani, Albigenses, Agimnenses, & alij: alteram Iouinianus, aliqui; de quibus adi hæreseologos, tum verò Hieronymum contra Iouinianum [h], qui simul egregiè describit diuersas ciborum species pro regionum diuersitate.

Nostra.] Sic Græcus textus ἡμῶν. Multi tamen codices Latini, & editio Syra, habent, *eorum*, vel, *earum*, nimirum Gentium; aliqui, *vestra*, sed non variat sensus.

Versus 17.] Et hæc dicentes, vix sedauerunt turbas ne sibi immolarent.

Vix *sedauerunt turbas*, &c.] Difficilè reprimitur præceps in aliquid irruens multitudo, & miraculi magnitudo vehementiùs idololatriæ deditam incitabat: & iam promptus sacrificio apparatus ægrè retrahebat.

De Sacerdote Iouis nulla mentio, aberat fortasse, & sacrificandi voluntatem deposuerat, indignatus Dei sui nomen despici, ac inter vanas res computari, vt notauit Carthusianus.

Versus 18.] Superuenerunt autem quidam ab Antiochia, & Iconio Iudæi: & persuasis turbis, lapidantésque Paulum, traxerunt extra ciuitatem, existimantes eum mortuum esse.

a Ioan. 6. 11. 15.
b cap. 5. 23. 24.
c c. 22. 17. 18.
d Psal. 4. 8
e Psal. 4. 6.
f Psal. 91. 5. 7.
g 3. Tripar. c. 18. Ruffi. li. 2. Histo. c. 30.
Duplex hæresis de ciborum delectu.
h lib. 2.

A Svpervenervnt *autem quidam.*] In textu Græco, vt obseruauit etiam Beda, præcedunt hæc alia verba, Διατριβόντων δὲ αὐτῶν, καὶ διδασκόντων, *Demorantibus autem ipsis, & docentibus.* Irrepsit haud dubiè Glossa aliqua in textum, quoniam hęc verba, nec apud Græcos interpretes, nec in versione Syra reperiuntur. Placet Glossa vt Glossa, non vt textus: iuuat enim historiæ contextum: non est quippe verisimile eodem articulo téporis illos superuenisse, qui longiùs distantes ideò superuenerunt, quia de honore Apostolis habito liuore tabidi, & de propagato Euangelio dolorem sentientes, vtrique malo confestim, sed tamen in tempore, occurrere voluerunt.

B Itaque credibilius est, non casu, aliúsve negotij causâ, sed consultò Iudæos illos aduenisse, vt in exteris quoque ciuitatibus Apostolos persequerentur; quod & aliàs factitasse alibi [i] meminimus.

Et persuasis turbis.] Nomen turbarum videtur indicare eo ipso die, quo vix ab Apostolis sedatæ redibant, Iudæos superuenisse: siquidem non ita facilè à Iudæis aduenis congregari turbæ, & persuaderi, & ad lapidandum Apostolos incitari potuissent. Vel vt id fieret, adeundi priùs Magistratus sacri, ciuilésque fuissent, de quibus tamen hîc nullum verbum: atque cùm iure, ac lege, & absque Superiorum auctoritate lapidatio facta

C videatur, credi posset vulgus, quo nihil inconstantius.

Scinditur enim *incertũ studia in contraria vulgus* [k], vehementi, & peracri Iudæorum oratione actum in oppositam sententiam.

Continebat scilicet ea oratio, vniuersam Christianorum sectam impiam, & factiosam esse, quæ pote, vt ipsæmet turbæ de Paulo audissent concionante, omnes religiones euerteret, neque Iudæorum legem probans, & Gentium cunctarum cultus meras vanitates affirmans: pridem ex Iconio cùm eandem doctrinam disseminassent, & portentosa quædam per artem magicam edidissent, à conspirante tota multitudine lapidibus vi-

D tam finituros fuisse, nisi fuga sibi consuluissent: tempus esse, vt dilatam, quam non tamen ablatam eorum patitur iniquitas, subeant pœnam, id se non sua ipsorum tam causa, quàm eorum, properè, & maximum in modum persuadere.

Non est inuerisimilis coniectura: nec ideò verisimilitudinem tollit prioris sententiæ: fierique potuit, vt vel turbæ sensim sollicitatæ subornatæque ex improuiso irruerint in Apostolos: vel auctoritate etiam, Magistratus, tametsi Lucas non meminerit, contentus turbas nominasse, quæ lapides iactauerunt.

Lapidamésque Paulum, traxerunt extra ciuitatem.] Quidam codices habent, *Lapidatóque Paulo.* Græ-

E cum participium Aoriston λιθάσαντες, fauet, *cum lapidassent*: & innuit priùs lapidatum Paulum in ciuitate, posteà extractum ex ea. Ita quidem Syrus, vertit enim ורגמוהי לפולים וגרוהי לבר מן מדינתא מטל דסברין הוו דמית לה *veraggemuhi lepaulus vegaruhi lebar men medinetha metul desaberin hauu demith leh*, id est, *& lapidarunt Paulum, ac protruserunt eum extra ciuitatem, propterea quòd putarent eum mortuum esse.* Id si verum est, vera erit illa alia sententia, superuenisse Iudæos ab Antiochia, & Iconio, quo die diuini honores Apostolis erant decreti, & paratam ad illos dandos multitudinem retraxisse, moxque ad lapidandum pertraxisse, ita vt in tanto tumultu, vt fit, legum ratio,

aut

i cap. 7.
k 2. Æneid.
Iudæorum in Apostolos sermo.
An Paulus lapidatus in ciuitate fuerit.

aut consuetudinis habita non sit, secundùm quas Stephanus, & quotquot lapidarentur apud Iudæos, vel alio vltimo supplicio afficerentur apud Romanos, ordinariè extra ciuitatem educebantur, vt capite septimo ostendimus [a].

a vers. 58.

Nihilominus non cogit illud Græcum participium, cùm constet non rarò aoriston, & præteriti quodcúque significationem habet, poni apud Græcos pro participio temporis præsentis. Potest item sensus esse, *Cùm lapidassent*, hoc est, cùm ad opus se lapidationis accinxissent. Placet Caietano, lapidationem factam intra ciuitatem, & indicant Glossa ordinaria, Hugo, Lyranus, Carthusianus, Vatablus. Chrysostomus contrarium innuit dicens extractum esse, quia forsitan timebant illum. Fauet præterea quodam loco Gregorius [b]. Certè cùm mox subiiciatur, æstimatum esse mortuum, extractus est tanquàm vile cadauer sepultura indignum, vt inter *βιαιοθανάτης*, id est, *violenta sublatos morte*, collocaretur; ideóque priùs intra ciuitatem lapidatus videtur.

b 31. Moral. c. 15. vel 25.

Cur Paulus, & non Barnabas, fuerit lapidatus.

Lapidatur Paulus, non Barnabas, quia dux erat verbi, & tunc prædicabat, inquit Hugo, innuens opinionem de lapidatione, quæ contigerit, quo die pro Mercurio habitus est: aut quia Iudæi propter nobilitatem generis plus Barnabæ, quamuis Pauli orationi annueret, deferebant.

Oportuit Paulum idem experiri, quod in Stephanum intentauerat [c]: & hoc documento eximi vel opinionem quòd esset DEVS, si quæ hærebat adhuc in aliquo Gentilium; vel excuti de tali opinione tumorem animi, si quis etiam primus motus leuiter Paulum pulsauerat. Cùm scribit ad Corinthios, multus est in recensendis periculis, & vexationibus suis, in quibus & lapidationis istius meminit [d] (vbi cùm semel dicat, nescio cur Catharinus ter lapidatum dicat) quando verò in reuelationes coactus descendit, *Parco autem*, inquit [e], *ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me*: insuper adiicit, ne magnitudo eum reuelationum extolleret, ab stimulo carnis angelo Satanæ colaphizatum fuisse.

c Act. 7. 59.

d 2. Cor. 11. 25.

e 2. Cor. 12. 6. 7.

Æstimantes eum mortuum esse.] Hæc, vt dixi, causa creditur à nonnullis, cur iam in ciuitate lapidatus tractus sit extra ciuitatem. Sæua, & crudelis lapidatio, quæ pro mortuo Paulum reliquerit! Quis verò non considerans despicit humani fauoris inconstantiam? Haud pridem, vel eodem etiam die, sacrificio, & corona dignus habitus, tanquàm DEVS immortalis, lapidibus cingitur, hísque cæsus vt execranda victima cogitur exuere mortalitatem. Nulla re magis abundant Historiæ, & Poëtarum scripta, quàm talibus catastrophis, tragœdiísque. Quid námque memorem ex sacris libris Herodem, de quo nuper egimus [f], Antiochum [g], Amanum [h], Holofernem [i], Vasthi reginam [k], Iezabelem [l]? hi, vt alios taceam, repentè ex summis honoribus, ex maxima potentia, ex exquisitis deliciis fortunæ, vt loquar vulgariter, mutata alea, ad extrema dedecora, ad vilissima seruitia, ad turpissimas, & inhonestissimas mortes abiecti, amandati, adacti sunt.

Humani fauoris inconstantia.

f cap. 12.
g 2. Mach. 8.
h Esther 12.
i Iudith 13.
k Esther 1.
l 4. Reg. 9.

CHRISTVM ipsum iidem ab ingressu triumphali post quinque dies importunis ad crucem clamoribus expetierunt. Fortiter simul, & sapienter, tametsi barbarus Barbarorum Rex Gilimer, cùm in triumpho eum Belisarius duceret, Iustinianúmque in throno Imperatorem, & populum circunstantem videns fortunam ipse suam ad rationem reuocasset, in has prorupit voces: VANI-

Christus ipse humani fauoris inconstantiam expertus.

A

TAS VANITATVM, ET OMNIA VANITAS [m]. Lege Sigonium [n].

m Eccl. 1. 1.

n 17. de Occiden. Imp. pag. 433. vel 460. iuxta var. edi. *Exempla profana.*

Non potuisset magis Christianè agere Epaminondas, si ex Christiana, & syncera virtute, atque vera DEI notitia id egisset. Postridie eius diei, quo in Leuctris feliciter pugnauerat, processit squalidus, ac submissus, cùm se diceret fusioris gaudij, quod inde perceperat, intéperantiam castigare [o]. Demetrio Phalereo ducentas statuas populus Atheniensis posuit, eodémque viuente subuertit, *nullam vt earum ærugo attigerit, nullam squalor sordidauerit, nullam*, quod ludens, ac illudens scribit Plutarchus [p], *attriuerit*: Quid plura? Quod de iisdem dixit Atheniésibus, eorúmque ciuitate quandoque Isocrates [q], hoc de omni hominum vniuersitate vsurpari aptè putem posse. *Amant scortum, sed cum eo non dignantur iungere matrimonium*: est ad peregrinandum iucundus orbis iste, sed ad inhabitandum haud securus, tutúsque. Pluribus hac de vanitate ad caput primum Eccles. egimus.

o Plut. in Apophtheg. Græ.

p in Polit.

q apud Ælianum 14. Var. hist.

B

Versus 19.] Circumdantibus autem eum Discipulis, surgens intrauit ciuitatem, & postera die profectus est cum Barnaba in Derben.

C

CIRCVMDANTIBVS *autem eum Discipulis.*] *Ne videretur à Iudæis*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo, *& sic eum defendere volebant*: aut *ne perciperetur adhuc viuus ab ipsis*, inquit Lyranus: aut *quasi etiam plangerent mortuum*, ait Carthusianus: aut *ad curandum funus*, vt vult Caietanus, cùm & ipsi illum reuerà mortuum crederent.

Surgens intrauit ciuitatem.] DEVS proculdubiò sanitatem reddidit, vires integrauit: neque enim aut surgere per seipsum, videlicet, ac intrare ciuitatem quiuisset, aut postera die, quod mox subditur, proficisci in Derben, homo lapidibus confractus, & attritus, ac pro mortuo relictus.

D

Agnoscunt mirificam, diuinámque istam Pauli curationem Lyranus, & Carthusianus, & alij nonnulli, qui vel lapidum ictus nihil nocuisse, vel vt maximè nocuerint, mox restitutam valetudinem affirmant. Ego hoc, quàm illud malim, nec dubitem in Apostoli corpore vulnera, & manantem vbertim sanguinem apparuisse, & ita eum vires defecisse, vt meritò lapidantes ipsi extinctum arbitrari potuerint.

Paulus diuinitus curatus est.

Potuit ipse illud tunc vsurpare de sua illa lapidatione, quod posteà vniuersè de ceteris omnibus tribulationibus [r]: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus.* Sunt similia in Ecclesiasticis historiis exempla non pauca, vt Sebastiani, Clementis Ancyrani, Agathæ, aliorúmque, quibus afflictæ tormentis vires, vel etiam truncata, & concisa membra denuò reddita sunt temporis momento diuinitùs.

r 2. Cor. 4. 8. 9.

E

Versus 20.] Cúmque euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam.

CVMQVE *euangelizassent.*] Magna confidentia, interritum pectus, præfidens animus, benefica, & vindictæ nescia voluntas, flagrãs amore

Constantia Apostolica encomium.

Dei, incensum alios iuuandi studium, periculis vrgetur, non retardatur; exacuitur, non obtunditur; efferuescit tormentis, nō repescit, morte proposita non deiicitur, sed animatur, vulneribus, ac sanguine feruorem concipit, atque alacritatem; surgit, erigitúrque validiùs. Sic quondam Apostoli ex custodia, tanquā cursores è carceribus, ocyùs descenderunt in spatium, & ad metam tetenderunt, audacter, & palàm prædicantes [a], eodem modo is, quem paulò antè commemoraui, Sebastianus, qui ex sagittarum vulneribus, quibus lethaliter fuerat confossus, mirabiliter conualescens, Diocletianum haud ita pòst coràm liberiùs accusauit stupore attonitum, quòd quem credidisset mortuum, incolumem, valentémque conspicaretur.

a Act.5.21.

Reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam.] Has ipsas in vrbes, vbi pro Christo multa tolerauerant [b]. *Nusquàm*, ait Chrysostomus, *dicitur, quòd reuersi sunt, vbi signa fecerunt, sed vbi meruerunt pro nomine* Christi *ignominiosi haberi: didicerant* enim *ab ipso non gaudere, quòd sibi Dæmonia subiicerentur* [c]*: & gaudium purum est pati aliquid propter illum.*

b 2.Tim.3.11. *Apostoli nō adierunt ciuitates, in quibus signa fuit operati, sed in quibus passi sunt.*
c Luc.10.20.

Non id quidem dicit Lucas: tamen eodem hoc capite narrauit multa prodigia, & signa facta Iconij per manus Apostolorum, & Lystris curatum claudum. Gregorius [d] & Apostolos omnes post carcerem intrepidè prædicantes, pósque comminationes, *cùm* Deo *magis obediendum responderent, quàm hominibus* [e], & hos de quibus agimus, Paulum, ac Barnabam, similes ait esse *frementi, ac frementi equo, quem describit Iob* [f] *sorbere terram, nec reputare resonantem tubæ clangorem. Perpendamus ergo*, inquit, postquàm locum hunc recitauit, quem tractamus, de Paulo propriè loquens (non possum hîc quin præter consuetudinem verba ponam, iubentis nos perpendere, quoniam rem talem verbis non possum aptioribus expendere) *quæ hunc possent equum mina compescere, quando eum ab intentione sua non valet mors ipsa prohibere. Ecce lapidibus obruitur, nec tamen à veritatis sermone remouetur. Occidi potest, superari non potest: velut extinctus extra vrbem proiicitur, sed intra vrbē die alio illæsus prædicator inuenitur. O quàm fortis huic viro inest infirmitas! ô quàm victrix pœna! ô quàm dominatrix patientia! Ad arguendum repulsione prouocatur, ad prædicandum salutem plagis erigitur, ad propellendum laboris lassitudinem pœna reficitur. Quæ ergo hunc aduersitas superet, quem pœna fouet? Sed equus* Dei *est, & pharetræ sagittas despicit, quia malitiæ consilia contemnit. Vibratam hastam superat, quia & contra aperta persecutionis vulnera pectus firmat, oppositum clypeum rumpit, quia disputationem resistentium ratiocinando subigit. Terram sorbet, quia peccatores in suo corpore exhortando conuertit. Clangorem buccinæ sonare non reputat, quia vocem quamlibet terribilis prohibitionis calcat. Minus est autem quod dicitur, quia fortis perseuerat in laboribus: adhuc quod maius est, exultat in aduersis: vbi enim audierit buccinam, dicit:* Vah. Hactenus in Ethicis, moralibúsque assertionibus, cunctis Ecclesiæ Doctoribus à Synodo Toletana VIII. [g] meritò prælatus Gregorius.

d 31.Mor.c.15. vel 25.
e Act.4.19.c.5.29.
f cap.39.24.
Ex equi comparatione magnanimitas Pauli declaratur.
g cap.2.

Versus 21.] Confirmantes animas Discipulorum, exhortantésque vt permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

A

Confirmantes *animas Discipulorum.*] Opportunè: lapides enim illi, quibus Pauli corpus percussum est, animas illorum percusserant, & concusserant, & quassauerant, ac tantùm non à radicibus neophytas euulserant. Alloquitur in tribulationibus, hospites, peregrinos nouos Petrus [h]: *Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat*; quasi dicat, Tyrones estis, nec adhuc scitis exercere Devm suos solitum & probare, ac purgare vt in fornace aurum, & adhibere *vstionem*, vt pro feruore reddit Tertullianus [i], siue *ardorem*, vt Cyprianus [k], *tribulationis.*

h 1.ep.c.4.12.
i in Scorpiac. co.c.12.
k epist.56.

B

Vt permanerent in fide.] Et hoc opportunum scutum ad omnium tribulationum *tela excutienda, frangenda, extinguenda* [l]: &, *hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* [m]: &, *Diabolo resistitur fortiter in fide* [n].

l Ephes.6.16.
m 1.Ioan.5.4.
n 1.Pet.5.9.

Exhortatio ad permanendum in fide, & confirmatio animarum facta ab Apostolis, infirmat penitus, ac euertit perfidiam, atque fraudulentam Caluinianam doctrinam, non posse fidem semel acceptam animo excidere, nec vnquàm à dono perseuerantiæ separari. Devs est, qui peculiari dono suo fideles *iam vocatos in æternam gloriam, modicùm passos*, vt ait Petrus [o], *perficit, confirmat, solidátque*, vt intellectus res diuinas contempletur, voluntas charitate ferueseat, memoria extra Devm non diuagetur.

Fides semel habita amitti potest.
o 1.ep.c.5.10.

C

Nihil vt tribulatio fidem exercet; nunquàm commodiùs, vt in tribulatione, fides exercenda: siquidem seuocatur tribulatione animus ab hisce caducis rebus, quibus insueuit, & cùm vbi seipsum figat, in illis non reperiat, aut concidit prorsus, aut necessariò ad meliora, & diuina bona sustollitur, & horum tandem deprehensa soliditate, constantiáque, illorum verò vanitate, & fallacia, his adhæerescit, & in his conquiescit, illa deserit, & contemnit. Lege Tertullianum [p].

p de fuga in persecutione c.1. ad Scapulam. c.5. Apologet.c.50.

Et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.] Tantùm abest, vt res iis

D

insolens, nouáque accidere debuerit, Pauli lapidatio, vt ipsosmet paratos esse oporteat, si præmium æternæ beatitudinis consequi velint, non pauca, & leuia ferre, sed multas tribulationes. *Omnes, qui piè volunt viuere in* Christo Iesv, *persecutiones patientur*, scribit idem Apostolus Paulus Timotheo [q], reuocans illi in memoriam ipse, quàm multa tolerasset [r]. Christvm *oportuit pati, vt intraret in gloriam suam* [s], iure iam illi alio debitam.

q 2.ep.c.3.12.
r ibidem 11.
s Luc. vltim. 46.

Vna salus victis, nullam sperare salutem [t].
Vnica salutis adipiscendæ via, ratioque, persuasissimum habere, *arcta, & angusta patientiæ via ingrediendum* [u], *& per crucis portam in eam intrandum.*

t 2.Æneid.
u Matt.7.14.

E

Hæc est legis Euangelicæ conditio liberalis, ac ingenua, in ipso primo ingressu planè, & clarè denunciare tolerantiam rerum arduarum, experientiam incommodorum, non polliceri suauia, non blanda proponere, non spe falsâ illectos decipere. Quò quis iustior, hoc tribulationibus locupletior. *Multæ enim tribulationes iustorum* [x]. Et [y]: *Omne gaudium existimandum, cùm in tentationes varias inciderimus.* Non habuit Machabææ gentis auctor Mathatias iam moriturus ad confirmandos in tribulatione positos aptius argumentum, quàm vt respicerent maiores, & eandem insisterent viam, quam suo illi exemplo triuissent [z]. Eodémque argumento via est Iudith in sua illa

Quò quis iustior, hoc tribulationibus locupletior.
x Psal.33.20.
y Iacob.1.2.
z 1. Machab. 2.50.& seq.

plusquàm

A plusquàm virili concione [a]. *Hominis vita est tentatio super terram*, aut [b] *militia*, seu *exercitus*, aut *πειρατήριον*, *locus tentationum*, vel latronum, vel nauis, cœtúsque pyratarum, vel pyratica ars ipsa, seu exercitium. Nec *minus homo ad laborem, quàm ad volatum auis, natus est* [c]. In corpore, animóque est naturalis compugnantia, & in ratione, ac sensu, in ipsis elementis, ex quibus constat corpus: iam inde ab initio mortales indictæ inimicitiæ cum diabolo [d], qui *perpetuò circuiens quærit quem deuoret, tanquàm rugiens leo* [e]. *Inimici hominis, domestici eius* [f]. Multóque ab externis, & ignotis perpetuò timendum magis, iis nempe, quorum longè maior inter homines numerus, qui pietatem, virtutémque B omnem oderunt, & insectantur. *Creaturæ omnes factæ sunt in tentationem animabus nostris, & in muscipulam pedibus insipientium* [g]. Certè *contabescit pius præ tristitia, & beata quadam miseria*, vt Augustinus [h] loquitur, *etiamsi nihil aliud intrinsecus toleret, cùm læsum* DEI *ab aliis numen contuetur.*

Facit ergo Apostolus, quod Sapiens [i] neotericum Christianum admonet, *accedens ad seruitutem* DEI, *stet in timore, & præparet animam suam ad tentationem.* Timendum, ne non piè, ne non Christianè viuat, ait Hieronymus, atque Primasius in Timotheum, secunda epistola, qui nihil propter DEVM patitur. *Si etiã*, inquit alibi Hieronymus [k], *per multas tribulationes quibusdam cœlestis regni aditus aperitur; illis vtique clauditur, qui nolunt sustinere* C *vel pauca.* Vtilitates, fructúsque tentationum, ac tribulationum, non modò necessitatem si persequi velim, commentarij legem excessero: id egi aliàs diligenter [l]. Præ aliis verò hi, qui libros integros de hoc argumento, vel de patientia scripserunt, vt Tertullianus, Cyprianus, &c. Chrysostomus quoque [m]. Philippus Solitarius [n] quatuor præcipuas causas simul complexus est, aut vt præterita deleantur peccata; aut vt impediant grauia; aut vt præcaueatur feliciter currentis elatio; aut ad probationem, exemplúmve.

Constat, id etiam DEO, nobísque perhonorificum esse, vt docent Clemens Alexandrinus [o], Origenes [p], Ambrosius [q], Cassianus [r], Leo [s], Au- D gustinus [t], Chrysostomus [u], Basilius [x], & alij [y]. Et contrà, diabolo dedecorosum, vt nimirum in hac conditione naturæ per gratiam diuinam tot reportemus de tantis hostibus triumphos, & Marte nostro, ac soluto pretio conquiramus trophæa, mercésque cœlestes: quod non sine sensu doloris Satan fateri compulsus est illa Psalmi pronunciata sententia [z]: *Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum destruxisti.* Vidit vtrumque hoc Ethnicus Philosophus Seneca [a], qui affirmauit, *nihil eo infœlicius, cui nihil euenat aduersi: argumentum enim esse, à* DEO *contemni, vt imbellem, & ignauum.*

Opprimitur repentina calamitate, cui nihil in E vita contigit sinistri, vt de Polycrate Herodotus [b], alij de hospite credunt Ambrosij [c]. *Delicatus est, qui & hic vult gaudere cum seculo, & posteà regnare cum* CHRISTO, inquit Hieronymus [d]. *Immò qui id possibile ducat, vehementer decipi*, Chrysostomus asserit [e]. *In possessione Gad* (quod nomen *tentationem* significat) *de Palmetis*, ait rursum Hieronymus [f], *transimus ad aquas contradictionis, vsque ad Cades, quæ interpretatur sancta, vt intelligamus, nos etiam post victoriam mundi debere esse sollicitos, & semper in metu, ac recordari illius versiculi: Tentatio est vita hominis super terram* [g]: *& ad sanctitatem aduersariis impugnantibus peruenire, sicq; obtinere victoriam; vt è vicino torrentem plenum imbrium contemplemur.* Scripturis solemne

a Iudith 8.22.
b Iob.7.1.
c Iob.5.7.
d Gen.3.15.
e 1.Pet.5.8.
f Mat.10.36. Mich.7.6.
Creaturæ factæ sunt in tentationem animabus nostris.
g Sap.14.11.
h epist.145.
i Eccl.2.1.
k Tom.9.epi ad Ocean. de ferend. oppr.
l in Euang. de tentatione CHRISTI. Ma. 4.
m hom. 1. ad populum.
n lib.1. Diopt. cap.5.
o 4 Strom.c.5.
p Homil.15.in Iol.
q in c.4.Luc.
r Col.7.ca.23 & Coll.11.ca.6. & Coll.24. cap.2.
s Serm. 1. de Quadrag.
t 22. Cõt.c.17
u libris ad Stagyrium.
x epist.60.
y apud Athanasium in Antonio.
z Psalm. 9.7.
a lib. de prou. Dei.
Aduersi contigisse bonum: sæpè, impetrante corrigitur.
b lib.3.
c Pet. de Nat. lib.1.ca.36 M. Mar. lib.5.c.3. Bar. in vit. Ambros.
d epist.1.
e lib.2. de prouid.
f in c.vlt. Eze.
g Iob.7.1.

est priùs aduersis ac tristibus perterrere, mox res iucundas prosperásque subiungere: sicut & lex vetus terrifica præcessit Euangelicam læti nuncij. Dicti canonis meminit Origenes [h], atque Hieronymus [i].

Non mirum, si à via vitæ ego huius particeps & conditionis eiusdem, non tam citò abeo. Concludam cum Ruperto [k]: *Hoc ius legale est apud cœlestem Regem, vt sicut ipsi* PATER, *ita nobis ipse disponat in regno præmium permanentibus cum illo in tentationibus eius* [l], *vt si sustineamus, cõregnemus* [m]; *si compatiamur, conglorificemur* [n]; *si amarum calicem bibamus, consideamus in regno* [o]; *si configamur cum* CHRISTO *cruci, fauum mellis degustemus*, vt ait Tertullianus [p]. *Si decussatæ in modum crucis* DEI *super nos manus fuerint, benedictionem sortiamur*, vt idem scribit [q].

Porrò cùm *per multas tribulationes*, indefinitè non adiiciens has, aut illas, *nobis Paulus intrandum admonuerit in regnum cœlorum*: rectè Dorotheus [r] etiam præcipit, vt quæcunque incidunt, fortiter, libentérque, & gratè sufferamus absque exceptione sine delectu. Permittamus DEO, si accepti ei esse volumus, nec enim aliter possumus, vt tentatione probet nos [s]: *hoc pro certo habentes, si* DEVM *colimus, quòd vita nostra, si in probatione fuerit, coronabitur; si in tribulatione, liberabitur; si in correptione, ad misericordiã* DEI *venire licebit* [t]: & demùm quamlibet multas, grauésque diuturnas huius temporis, *non esse condignas ad futuræ gloriæ supra modum in sublimitate exuperans pondus* [u].

Versus 22.] Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.

ET *cùm constituissent illis per singulas Ecclesias.*] Non id fecisse leguntur Paulus, & Barnabas, priusquàm & ipsi ordinati sunt, vt narratum est capite præcedente [x], vbi occurrit idem verbum χειροτονία, de quo ibidem docuimus Ecclesiasticum esse, & sacræ ordinationis, quod Caluinus quidem negat hoc loco, sed in Institutione concedit, requirens præterea populi electionem, cuius hic mentio nulla. Lege de eadem voce Hieronymum [y], Theodoretum [z], Zonaram [a], Concilium Laodicenum [b], & Nicenum [c], & Canones Apostolorum [d], Chrysostomum etiam in expositione præsentis loci, & passim Auctores, præsertim Græcos. Syra editio præ se fert quòd ipsimet Discipuli constituerint sibi Presbyteros. Sed vt concedamus interuenisse electionem ab ipsismet factam, tamen ordinatio, quam potissimùm verbo Græco χειροτονήσαντες, importari certum est (vnde χειροτονία ordinatio, & præterea χειροθεσία, & κατάστασις) ab Apostolis fieri debuit, qui erant Episcopi, nec alij, præter illos, eo gradu insignes. Verumtamen haud ita probo quorundam sententiam [e], ordinatos tum Episcopos, duntaxat Apostolos à CHRISTO, cùm *ascendit in cœlum, eleuatis manibus, ac iis benedixit* [f]: longè probabilius, quando *insufflans dedit* SPIRITVM *sanctum, potestatémque remittendi peccata* [g]. Quidquid sit de tempore, ac modo, illud tempus, quo abibat CHRISTVS, & sola illa manuum eleuatio, minùs videntur opportuna tradendæ tantæ dignitati Episcopali.

Presbyteros.] Hic primùm Latinitate donauit Græcam dictionem Latinus noui Testamenti Interpres,

h homil.1.in Ierem.
i in c.5.Amos.
k in c.1.Apoc.
l Luc.22.28.
m 2.Tim.2.12
n Rom.8.17.
o Matt.20.23.
p de corona militis.ca.14.
q lib. de Bap. cap.8.
r Ser. ad Fratrem tentationibus oppressum.
s Tob.12.13.
t Tob.3.21.
u 2.Cor.4.17.
x vers.3.
y in Esa.c.58.
z qu. in Num. 48.
a in Can.1. Apost.
b cap.5.
c apud Theodore. 1.Hist.c.9.
d can.1.
e Salm. tom. 12. in Act. tra. 42.
f Luc. vlt. 50. 51.
g Ioan.20.22. 23.

terpres, cũ aliquoties in vetere inueniatur: æquiualet verò nomini *Seniores*. Glossa ordinaria putat sermonem nunc esse de Episcopis, illóque tempore fuisse nominis eiusdem Presbyteros, & Episcopos. Concordat Carthusianus, probátque verbis Pauli præcipientis Tito [a] constituere per singulas ciuitates *Presbyteros*, & mox describentis qualem oporteat Episcopum esse. Adde, quòd cùm similiter dixisset in epistola ad Timotheum [b] de conditionibus Episcopi, mox se conuertit ad Diaconos, & nominatim salutat *Philippenses Episcopos, & Diaconos* [c]: non erant autem Philippis plures vno Episcopo. Eandémque vtriusque communem acceptionem Ignatius [d] etiam videtur vsurpasse, quando Heroni Diacono mandat, *nihil sine Antiochensibus Episcopis agere, quia hi Sacerdotes sint, ipse Sacerdotum minister*.

[a] cap. 1. 5. *Presbyteri, & Episcopi iidem-ne sint.*
[b] 1. epist. 3.
[c] Phil. 1. 1.
[d] epi. ad Heronem.

Lyranus adhuc magis extendit nomen Presbyterorum, ad Diaconos nempe, atque alios inferiores ordines. Verùm nescio quàm rectè, quóve aut exemplo, aut testimonio alio.

De Presbytero, sicut & de Sacerdote, quanquàm ab hoc abstinet nouum Testamentum, vt magis proprio vel antiqui legis sacrificij, vel idolorum, concedo, cõfundi nonnunquàm cum Episcopo, quoniam Episcopatus, siue sit ordo distinctus, siue non, essentialiter includit sacerdotium, loquendo de potestate ordinis: nec aliud est Episcopus, nisi summus, & primus Sacerdos, siue Presbyter. Cùm verò Apostolus hortatur Timotheum *non negligere gratiam datam per impositionem manuum Presbyterij* [e], per Presbyterium intelligit chorum Presbyterorum, hoc est, Episcoporum, vt exponunt Græci, & alij. Itaque Petrus [f] vocans se *Conseniorem*, & Ioannes *Seniorem* [g], de dignitate Episcopali, aut etiam pastorali, quæ est etiam Parochorum, non de ætate, intellexerunt. Et quos Petrus [h] hortatur Pastores, vult esse ἐπισκοποῦντες, *superintendentes*: ita vt Episcopi nomen quodammodò simplicibus Presbyteris, qui partem regiminis habent, possit communicari. Est autem dictum Græcum participium pro eo, quod Interpres posuit, *prouidentes*. Lege caput quartum [i], & vigesimum [k], atque cõmentarios nostros in Ioannis epistolas.

Sacerdos, seu Presbyter de Episcopo dicitur.
[e] 1. Tim. 4. 14.
[f] 1. epi. 5. 1.
[g] in 2. & 3. ep.
[h] 1. epi. 5. 2.
[i] vers. 5.
[k] vers. 28.

Et orassent cum ieiunationibus.] Capite præcedente [l] Paulus, & Barnabas *segregati, ac ordinati sunt a ministrantibus, atque ieiunantibus*: ita vt oratio poni videatur hoc loco pro liturgia, & ministerio sacro, siue sacrificio. Non est oratio propriè sacrificium; alioqui cuiuis, etiam fœminæ, sacrificare propriè liceret: nihilominùs cùm sacrificium ad impetrationem tendat, & sit orantis, ac supplicantis, & ad iuuandam orationem adhibeatur, & ipsum in se, si non voce, & sono, rè ipsa sit quædam oratio, seu realis, non verbalis, potest habita ratione circunstantiarum accipi pro vero, & reali sacrificio. Quò spectat etiam Nysseni [m] obseruatio de nomine τῆς προσευχῆς, à qua verbi deducti participium hîc habemus προσευξάμενοι, dici ab εὐχὴ, id est, *votum*, quia soleant promitti vota, siue promissiones fieri, & oblationes ante orationem, vt hæc faciliùs impetret.

[l] vers. 2. 3. *Oratio pro sacro ministerio sumitur.*
[m] oratio. 1 in orat. Domi.

Huius actionis series illa videtur fuisse, vt ieiunium primo loco indiceretur, inireturque, preces intereà fierent: deinde seligerentur ab Ecclesia, & Apostolis certi Discipuli: postremò manuum impositione declararentur, & ordinarentur.

Commẽdauerunt eos Domino, in quem crediderunt.] In his verbis, vt & in sententia tota, latet homonymia, vtrùm accipi de Discipulis debeant, qui *constituerint*, id est, electos à se proposuerint Apostolis *Presbyteros*, consecrandos nimirum ab ipsis iisdem, & *orauerint*, atque *ieiunauerint* cum iisdem Apostolis, vt hi illos rectè consecrarent, & demùm *commendauerint* discedentes Apostolos, vel constitutos Presbyteros, *Domino, in quem* ipsimet illi *Discipuli crediderant*: an potiùs intelligenda sint de Apostolis, qui *constituerint*, id est, ordinauerint *Presbyteros*, priùs *celebrato ieiunio*, & *oratione* cum Discipulis, & re iam peracta *commendauerint Domino* eosdem, siue Discipulos, siue ordinatos ex eodem numero *Presbyteros, in quem omnes illi crediderant*, vel propriè Presbyteri, vt nempe isti ad illam SPIRITVS sancti gratiam promouerentur, ac in eadem proficerent, quam in ordinatione accepissent.

Dubitari quoque posset, an verba, *in quem crediderunt*, ad Apostolos ipsos referri debeant, hoc est, vt commendauerint ordinatos, & alios Domino, vt compleret in eis, quæ credendo apprehensi fuerant. Sensus hic violentus est; dummodò tamen maneat, Apostolos, quod præ se tamen ferunt, quæ hîc dicuntur, commendasse Domino illos, qui iam constituti erant, sequitur cùm eodem tenore iidem dicantur, & commendasse, & constituisse, constitutionem factam ab Apostolis per χειροτονίαν, hoc est, iuxta triplicem eius significationem, ex quibus tertia, vt dixi, vsu Ecclesiastico maximè recepta est, vel *per electionem*, & suffragia solorum Apostolorum, vel per *simplex decretum*, quocunque modo id fuerit, vel per *ordinationem, manuúmque impositionem sacram*.

Vnde nihil hinc habent Hæretici, vt probent ius eligendi ministros Ecclesiæ simul esse in populo, non tantùm in Episcopo. Neque enim possunt ostendere, χειροτονεῖν esse *eligere per suffragia ab aliis data*, sed proprio suffragio. Lege Antidota Stapletoni ad hunc locum, & Bellarminum [n]. Quamuis autem concederemus nunc interuenisse populi suffragia, priuilegium, non legem communem fuisse responderemus, vt cùm de Diaconis ageremus, respondimus [o], & cùm de Mathia [p].

Hæretici non possunt probare ius eligendi Ministros esse penes populum.
[n] Tom. 1. lib. 1. de Cler. c. 7. ad 6 & Tom. 2. lib. de Sacram. Ordin. cap. 2.
[o] cap 6.
[p] cap. 1.

Tandem hîc notandum cum Chrysostomo, & Oecumenio, neque in Cypro, neque in Antiochia, neque in Samaria Presbyteros factos ab his Apostolis, quia loca illa iuxta Ierusalem, & prope Apostolos erant, & ibi verbum DEI inualescebat: his verò in remotioribus locis apud Gentiles præsertim opus erat vberiore doctrina, & consolatione.

Versus 25.] Transeuntésque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam.

DE Pisidia dictum est priore capite [q]: de Pamphylia ibidem [r], & in secundo [s].

[q] vers. 14.
[r] vers. 13.
[s] vers. 10.

Versus 24.] Et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam.

PERGE.] De hac etiam capite præcedente [t].

Attaliam.] Ἀτταλείαν, quo modo etiam legunt Græci interpretes. Syrus, לאטליא *litaleia*. In quibusdam codicibus Latinis inuenio, *Nataliam*, qui sunt impressi anno 1483. & 1484. in vno

[t] vers. 13.

manuscripto

manuscripto *Attaliam*: in Bibliis Regiis notatur in margine *Italiam*: Magister Historiæ Scholasticæ vocat *Italiam ciuitatem*: in Vatabli item Bibliis est *Italiam*, licèt in sua versione legat *Attaliam urbem*: Glossa interlinearis, eámque sequi solitus Hugo, ciuitatem quoque, sed nomine *Attaliam*, & quidem iuxta communiorem sententiam, nominant, alij enim, vt ait Lyranus, regionis nomen faciunt.

De urbe & nomine Attalia.

Affirmant prætereà Carthusianus cum Beda, & Gagneius cum Hieronymo, esse ciuitatem maritimam Pamphyliæ, aliam verò inquit Gagneius esse in Lydia. Fortasse fallitur ob similitudinem cum Attalida. Arias idem sentit, monens Stephanum [a] Lyciæ attribuere, quia vrbibus eius proxima est. Æolidis oppidum esse scribit Plinius [b]. Sub Cappadocia quoque Attalenses comprehendit, vt & Lystrenses, ac Seleucenses [c]. Aliqui apud Stephanum collocant in Cilicia Corycum: alij volunt esse ciuitatem conuentus Pergami, cuius Rex fuit Attalus. Ioannes Benedictus, cùm idem docuisset quod Gagneius, addit: *Siquidè procedaberant ab Italia*, quasi significare volens non fuisse Italiam. Multò minùs potuit esse Italia ciuitas, nulla enim huius nominis extat, sed in Pelignis Italiæ parte Italica, aliter *Corfinium*, vulgò *Pentinia*, aut *Campi di San Pellino*, & altera in Bætica Hispania, vnde Silius Italicus Poëta. Attaliam, vel Nataliam nuspiam reperio. Itaque in Pamphylia Attaliam statuamus cum ceteris, tum verò cum Ptolomæo [d], & Strabone [e].

a lib. de vrbibus.
b lib. 5. c. 30.
c ibid. c. 32.
d lib. 5. cap. 6.
e lib. 14.

Versus 25.] Et inde nauigauerunt Antiochiam, vnde erant traditi gratiæ DEI in opus, quod compleuerunt.

NAVIGAVERVNT *Antiochiam.*] Syriæ, vt ex sequentibus constat. Laudo industriam has Pauli peregrinationes ad certam Chronologiam redigentium; sed ne in lubrico & ipse labar, labori parco, & lectorem alieno vti labore malo, non in his duntaxat peregrinationibus, verùm etiam in ceteris rebus huius generis omnibus, præterquàm cùm ex temporis differentia grauis quæpiam de religione controuersia terminanda occurrit.

Vnde erant traditi gratiæ DEI.] Cùm segregati, & ordinati sunt, vt capite superiore [f] vidimus. Iterum de Paulo dicitur in capite sequenti [g], & de Sila, quòd *traditi sunt proficiscentes gratiæ* DEI *à fratribus*. Arias hoc loco exponit *de voluntate, & beneplacito gratuito* DEI, *qui intulerat eorum segregationem*. Glossa interlinearis addit *traditos esse à fratribus* SPIRITVI *sancto auctori dictæ segregationis*. Carthusianus *exhibita ipsis esse ab illis opera gratiæ* SPIRITVS *sancti*, fortasse intelligens ordinationem ipsam.

f vers. 2.
g vers. 40.
Quid sit tradi gratiæ Dei.

Quid si dicamus, planiorem sensum vtriusque loci esse de faustis precationibus super, & pro discedentibus? Et illud tamen verum est de ordinatione, & consecratione: sicque etiam per eam dici posse, traditos fuisse gratiæ DEI, quanquàm illo pacto magis propriè gratia tradi dicitur alicui, quàm aliquis gratiæ, & hic posterior modus importat potiùs quam vulgò nominamus commendationem. Græcum παραδεδομένοι, significat *planè expositos, & omninò deditos*.

Dicuntur quidam *tradere se impudicitiæ* [h], *tradi Satanæ* [i], &c. hoc est, permitti potestati Satanæ, laxatis habenis dare se impudicitiæ: ad eundem modum tradi gratiæ, est pendere totum à gratia,

h Ephes. 4. 19.
i 1. Tim. 1. 20.

SPIRITV DEI agi [k], &c.

k Rom. 8. 14.

In opus, quod compleuerunt.] Hactenus quidem, sed non ita, vt sibi consistendum ducerent, & finem prædicandi facere vellent.

Aliàs [l] docui quid sit opus bonum complere, aut illud esse plenum; nempe cùm debita perfectio adest, & finis intentus: qua de causa cùm initio terra sine arboribus, aliísque plantis, & animalibus esset, dicebatur *inanis, & vacua* [m], & omnia ante CHRISTI tempora veluti vacua & inania, quia tendebant ad eum, quo præsente *plenitudo temporis aduenit* [n], seu *temporum* [o]. Altare ipsum iussu DEI *erat intrinsecus inane, & vacuum* [p], seu *egenum, & infirmū* [q], vt & alia omnia legis antiquæ [r], instar cucurbitæ Ionæ, vt docent Hieronymus [s], & Augustinus [t], proindéque CHRISTVS idem *legem adimplauit* [u], & *perfectio legis* vocatur [x], & *plenitudinem fidei*, vt Paulus loquitur, *tribuit charitas* [y].

l cap. 6. Quid sit opus bonum complere.
m Gen. 1. 2.
n Gal. 4. 4.
o Ephes. 1. 10.
p Exod. 27. 8.
cap. 38. 7.
q Gal. 4. 9.
r ibidem 6.
s in c. 4. Ionæ.
t epist. 49.
u Mat. 5. 17.
x Rom. 13. 10.
y Heb. 10. 22.

Rectè igitur de eodem Paulo hîc dicitur, quòd opus impleuit cum Barnaba, id est, vt ipsemet quodam loco interpretatur, *quoniam gratia vocationis Apostolicæ, vacua in eo non fuit, abundantius laborando* [z], & *ministerium suum implendo* [a]. Hoc quia hypocrita Sardensis Episcopus debito vacuus fine in operibus, quæ bona videbantur, non faciebat, ei exprobratur ab Angelo, *non inuenta esse opera ipsius plena coram* DEO [b].

z 1. Cor. 15. 10.
a 2. Tim. 4. 5.
b Apoc. 3. 2.

Versus 26.] Cùm autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset DEVS cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei.

RETVLERVNT *quanta fecisset* DEVS *cum illis.*] Narratio eorum, quæ in Ecclesia diuersis locis geruntur, siue coràm fiat, siue per epistolas, quantùm ad confirmandos, & extimulandos piorum animos valeat, monui alio loco [c].

c cap. 8. 14.

Quanta.] ὅσα, vel quæcunque, vt Syrus vertit, כל מדם *cul medem*, vel, *omne id*, & Vatablus, vel *quàm magna*: ita etiam in capite quarto [d], vt ibi exposuimus, & aliis locis.

d vers. 23.

DEVS *cum illis.*] Modestè in DEVM omnia referunt, se vt organa quædam DEI, licèt animata, & libera, reputát. Sic iterum loquuntur capite sequenti [e], & alibi Paulus [f]: *Non ego, sed gratia* DEI *mecum*, hoc est, Nō ego prior, nec viribus propriis, nec independenter à DEO, sed DEO veluti motum primum imprimente per gratiam præuenientem, & iuuante per iuuantem seu concomitantem, subsequentem, cooperantem, efficacem.

e vers. 4.
f 1. Cor. 15. 10.
Gratia Dei præueniens & adiuuans.

Hominis cooperantis est dicere, inquit acutè Caietanus [g], *gratia* DEI, *quæ est mecum: homo verò etiam vacans potest dicere: Gratia* DEI, *quæ est in me.* Quod extendi potest ad actualem illam, quam vocaui præuenientem, seu antecedentem, excitantem, simplicitérque operantem, hoc est, sine nobis, quatenus sine libertate nostra, ac proinde, vt loquitur ibidem Apostolus, *vacuam*, & solummodò sufficientem.

g in 1. ad Cor. c. 15.

Qui enim isti gratiæ non respondet, ac deest gratiæ DEI [h], quæ sibi, ac nulli deest, gratiam in se habet, sed non secum, quia cum illa liberè, moraliterve non operatur; sufficientem habet, sed non efficacem, quia non sortitur effectum, qui consistit in acceptatione, & consensu libero; vacuam habet, & non plenam, nec suo fine completam.

h Heb. 12. 15. Gratia vacua quæ sit.

Commemorarūt Apostoli multa quidem forsan opera ex gratis data gratia profecta, vt mira-

cula:

cula: alia ex aliis hominibus pendentia, vt oblatos diuinos honores sibi à Gentilibus, & versa vice persecutionem, ac lapidationem: conuersionem quoque Gentilium, quæ hîc mox exprimitur, in quibus rebus efficiendis plerumque aut nulla gratia necessariò est, aut non iustificans. Tamẽ huius donum gratiæ maximè requiritur, & elucet in tolerantia, & passione pro DEO, qui per illam in patiente mirabiliùs operatur, quàm in edente miracula. *Vobis donatum est*, ait Paulus [a], *pro* CHRISTO, *non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.*

a ad Phil. 1. 29

Et quia aperuisset Gentibus ostium Fidei.] Hoc est, quod nominatim exprimere & illos maximè delectabat, & ab Antiochensibus, à quibus ordinati & dimissi ad prædicandum fuerant [b], audiri in primis auebant. Idem quoque narrantes in Phœnice, & Samaria, & Ierosolymis cum gaudio magno auditi sunt [c].

B

b Act. 13. 2. 3.
c Act. 15. 3. 12.

Est quidem verus ille sensus; DEI esse aperire ostium cordis, & auris, vt quis admittat ostium Fidei, & CHRISTVM, quibus & ostij ipsum nomen conuenit [d]: sed mens Apostolorum est, patuisse Gentilibus, & expositum eundem CHRISTVM, atque legem ipsius ad eum modum, quo Paulus sibi *apertum scribit ostium magnum, & euidens tum Ephesi* [e], *tum Troade* [f]: à Colossensibus verò petit orent pro illo, *vt* DEVS *ipsi aperiat ostium sermonis ad loquendum mysterium* CHRISTI [g]: & à Thessalonicensibus [h], *vt sermo* DEI *currat*, quasi dicat, passis portis: & ab Ephesiis, *vt detur illi sermo in apertione oris* [i], vt nempe ex septo illo egressum excipiant sine impedimento.

Quid sit ostium fidei aperiri.
d Ioan. 10. 9.
e 1. Cor. 16. 9.
f 2. Cor. 2. 12.
g Coloss. 4. 3.
h 2. Thess. 3. 1.
i Ephes. 6. 19.

C

Aperit DEVS, *& sibi petit aperiri* [k]: ipsum pulsare DEI efficax ad ostium, est aperire: auditur enim intellectu illuminato, & voluntate permota gratiæ excitantis auxilio; & sic intrat, ac intus est: sed donec vocanti liberè consentiamus, & ad hoc ostium nostræ liberæ voluntatis pulsanti aperiamus, censetur adhuc extra esse. Qui ostium materiale pulsat, omninò extra est, quoniam corporeus est, & corpus eius ostio clauso prohibetur ab ingressu. DEVS animum pulsat, & idcirco dum pulsans percipitur, necessariò intus admittitur: quamuis secundùm eum modum, quo adhuc spontè non excipitur pulsans, extra esse rectè dicatur.

k Apoc. 3. 20. Deus aperit, & sibi petit aperiri.

Dominus DEVS *aperuit mihi aurem*, ait Esaias [l], *ego autem non contradico, retrorsum non abij*. Aperiendo autem internam, pulsauit DEVS, & intrauit, quia voluit: sed vt intraret, volente, & consentiente alio, alius gratia adiutus fecit, qui non contradixit, nec retrorsum abiit. Apud eũdem Esaiam [m] imperat DEVS Angelis, *aperite portas, & ingrediatur gens iusta*, id est, fidelium ex Gentibus collectorum, vt exponit Hieronymus. Dubitari námque non debet, quin opera Angelorum aperiat DEVS ostium prædicationis & Fidei: atque ita nunc euenisse credi potest: sed clariùs, cùm vir Macedo in visione imploraret auxilium Pauli [n].

l cap. 50. 5.
m cap. 26. 2.
n Act. 16. 9.

Versus 27.] Morati sunt autem tempus non modicum cum Discipulis.

MORATI *sunt autem.*] Antiochenæ Ecclesiæ hoc priuilegium est, vbi toties, ac tam diu non solùm Petrus, sed etiam Paulus, aliique Apostoli, Apostolicique viri versati sunt. Huius moræ mentio viam sternit futuræ narrationi de missis inde Paulo & Barnaba vna ex parte, & aliis ex alia super controuersia legalium ad Apostolos in Ierusalem.

Antiochenæ Ecclesiæ priuilegiũ.

CAPVT



CAPVT DECIMVM-QVINTVM.

SVMMARIVM.

Orta inter Discipulos Antiochiæ Syriæ controuersia super Circumcisione, & legalibus, missi sunt inde Paulus, ac Barnabas, pro vna dissidentium parte, & alij pro alia, Ierosolymam: vbi decretum est, ex Gentilibus, qui Christiani fierent, legi Mosis astringendos non esse. Id Apostoli duo ad Antiochenos postquàm retulerunt, & aliquandiu cum illis egerunt, inuicem ...nt separati; Marco Barnabam, Paulum comitante Sila.

1 ET quidam descendentes de Iudæa docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis saluari.
2 Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersùs illos, statuerunt vt ascenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex illis ad Apostolos, & presbyteros in Ierusalem super hac quęstione.
3 Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem, & Samariam, narrantes conuersionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.
4 Cùm autem venissent Ierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & Senioribus, annunciantes quanta DEVS fecisset cum illis.
5 Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi.
6 Conuenerúntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc.
7 Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus DEVS in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere.
8 Et qui nouit corda DEVS, testimonium perhibuit, dans illis SPIRITVM sanctum, sicut & nobis,
9 Et nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.
10 Nunc ergo quid tentatis DEVM, imponere iugum super ceruices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?
11 Sed per gratiam Domini IESV CHRISTI credimus saluari, quēadmodum & illi.
12 Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam, & Paulum narrantes quanta DEVS fecisset signa, & prodigia in Gentibus per eos.
13 Et postquàm tacuerunt, respondit Iacobus, dicens: Viri fratres, audite me.
14 Simon narrauit quemadmodum primùm DEVS visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo.
15 Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est:
16 Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit: & diruta eius reædificabo, & erigam illud;
17 Vt requirant ceteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.
18 Notum à seculo est Domino opus suum:
19 Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad DEVM,
20 Sed scribere ad eos, vt abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.
21 Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur.
22 Tunc placuit Apostolis, & Senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barsabas,

& Silam viros primos in fratribus,

23 Scribentes per manus eorum. Apostoli & Seniores fratres, his, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus, salutem.

24 Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus:

25 Placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, & mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba, & Paulo,

26 Hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri IESV CHRISTI.

27 Misimus ergo Iudam, & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem.

28 Visum est enim SPIRITVI sancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria:

29 Vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, bene agetis. Valete.

30 Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam: & congregata multitudine tradiderunt epistolam.

31 Quam cùm legissent, gauisi sunt super consolatione.

32 Iudas autem, & Silas, & ipsi cùm essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt.

33 Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace à fratribus ad eos, qui miserant illos.

34 Visum est autem Silæ ibi remanere: Iudas autem solus abiit Ierusalem.

35 Paulus autem, & Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes, & euangelizantes cum aliis plurimis verbũ Domini.

36 Post aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant.

37 Barnabas autem volebat secum assumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus.

38 Paulus autem rogabat eum (vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus) non debere recipi.

39 Facta est autem dissensio, ita vt discederent ab inuicem, & Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum.

40 Paulus verò electo Sila profectus est, traditus gratiæ DEI à fratribus.

41 Perambulabat autem Syriam, & Ciliciã, confirmans Ecclesias: præcipiẽs custodire pręcepta Apostolorum, & Seniorum.

A *Versus* 1.] Et quidam descendentes de Iudæa, docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis saluari.



T quidam descendentes de Iudaea, docebant fratres.] Semper cum bonis, secundisque mala, & aduersa pullulant, & probos improbi exercẽt vicaria quadam sorte, vt hactenus docuit præsens historia, pergitque, quam habemus præ manibus, docere.

B Duplicem ex Iudæis facti Christiani excitauerunt iam inde ab exordio errorẽ in Ecclesia: tum solis Iudæis, promissionis Abrahæ filiis, propter legis opera, quæ faciebant, Euangelij gratiam communicandam, non etiam Gentilibus: tum hac istos conditione duntaxat admittendos, vt anteà legi se subderent: quasi fides, atque gratia CHRISTI non foret satis ad salutem. De primis, capitibus decimo, & vndecimo actum est, de secundis, in hoc, & vigesimoprimo agitur. [*Iudaei facti Christiani duplicem in Ecclesia errorem excitarunt.*]

Horum posteriorum antesignanus fuit Cerinthus, vt dixi capite decimo, ex Epiphanij [a] testimonio, qui tradit & Petro restitisse, cùm venit ad Cornelium, & vnum interfuisse cum iis qui coram Apostolis turbationem operati sunt, quando Iacobus scripsit ad Antiochenses: & hunc notari à Paulo inter eos, quos vocat *falsos testes, exploratores, euersoresque libertatis Christianæ* [b]. Idem de Cerintho scribit Philaster, & Augustinus in hæresum catalogo, ac Hieronymus [c], disserens cum Augustino.

C [a Hæres. 28.] [b Galat. 2. 4.] [c epist. 89.]

Sed Philaster nominatim ait, *quod seditionem sub Apostolis commouit, quæ decreto Apostolico fuerit sedanda*, quod est in hoc capite. Quæ cùm ita sint, cùmque CHRISTVS, dum adhuc viueret, prohibuerit suis cum Gentibus commercium, fallitur Iosephus [d] tradens, CHRISTVM *multos sibi ex Gentilibus assumpsisse*, tametsi eundem laudibus efferat, vt humana superiorem conditione. [d 18. Antiq. c. 6.]

D *Quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis saluari.*] Nomine Circumcisionis reliqua lex tota intelligitur, quia erat veluti prima ianua, & tessera; &, vt Paulus ait [e], *qui circumcidebatur, debitor erat vniuersæ legis faciendæ*. Et hoc forsan hîc innuunt verba illa, *secundùm morem Moysi*: seu, vt vertit Syrus, בעידא דנמוסא *babheiada denamusa*, id est, *ritu legis*. Quanquàm & simul denotant apud alias nationes vsum fuisse Circumcisionis, quod alibi [f] notauimus: non tamen iuxta eundem ritum, & à Paulo, ac Barnaba Circumcisionem admissam, spiritualem duntaxat, & mysticam, non realem, atque carnalem; vtpote cùm hæc iam otiosa videretur, & superuacanea, sicut signum præsente re significata. [e Galat. 5. 3.] [f cap. 7.]

E Hinc apparet, atque ex responso Apostolorum, non esse disceptatum, vel decretum, nisi de præceptis cæremonialibus. Ceterùm nullã exemptionem à Paulo, Barnabaque propositam legis moralis, & exercitij bonorum operum, aut à Concilio Apostolico, quod prorsus ineptè Caluinus asserit, concessam. Nam cùm quæstio verteretur de Gentilibus, qui conuertebantur ad CHRISTVM, oporteret, si rectè Caluinus intellexit, Iudæos, qui Christianam quoque fidem amplexi [*In Concilio disceptatum non fuisse nisi de præceptis cæremonialibus.*]

essent,

essent, mansisse sub ea obligatione, sicque *vera iustitia fidei*, quam ipse nominat, & opponit *operibus mandatorum*, caruisse. Malè etiam fecissent Paulus, & Barnabas, contradicendo his, qui negabant posse saluari illos, qui non circumciderentur, si sub Circumcisione mandata cetera includebantur. CHRISTVS enim disertè docuit[a], *volentem ad vitam ingredi, seruare mandata debere*, quæ sunt in Decalogo[b]. Tandem cùm Apostoli in Concilio præscripserint, *solam abstinentiam à sanguine, & suffocato*, quod pertinet ad partem legis cæremonialem, & ex moralibus præceptis vnum de fornicatione cauenda nominatim tantùm expresserint: hoc faciendo non laxarunt frænos vitiis aliis, & illud ponendo satis declararunt reliquæ legis cæremonialis transgressionem nihili faciendam.

a Matt.19.17.

b Exod.20.1. & seq.

Quo tempore hoc Concilium sit celebratum.

Porrò de tempore, quo hæc euenerint, quia variant sententiæ, affirmantibus quibusdam, fuisse CHRISTI annum quinquagesimumprimum[c], aliis quinquagesimumquartum[d], prout variè computant *aduentum Pauli Ierosolymam post annos quatuordecim*, aut à conuersione, aut ab eo alio aduentu, qui post conuersionem triennio contigit. Et, vt aliàs monui, nolo in re non necessaria, & erroribus exposita, casso labore consumi. Legat qui volet Chronologos[e].

c vt Beda, Glossa ordinaria, & alij.

d in c.2.ep.ad Galatas.

e Baronium tom.1. & Peterium in ep. ad Roman. in præfat.disp.

Versus 2.] Facta ergo seditione non minima Paulo, & Barnabæ aduersùs illos, statuerunt vt ascenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex aliis ad Apostolos, & Presbyteros in Ierusalem, super hac quæstione.

Paulus, & Barnabas contra Iudaizantes pugnabant.

FACTA *ergo seditione non minima Paulo, & Barnabæ aduersùs illos.*] Tuebantur hi duo acriter partes Gentilium, quibus peculiariter assignati erant Apostoli[f]. Ebion consentiens cum Cerintho, & aliis Iudaizantibus, oderat impensiùs Paulum, vt est apud Epiphanium[g], comminiscens *Gentilem primum fuisse, & cùm Ierosolymis filiam Sacerdotis habere non potuisset, cuius gratia proselytus euaserat, posteà insectatum esse Circumcisionem, & Sabbatum, & legem vniuersam.* Cerinthus verò commouit fideles contra Petrum in causa Cornelij, vt anteà vidimus, & posteà contra Paulum Ierosolymis[h], vt idem Epiphanius[i] tradit.

f Galat.2.9.

g lib. de hæres.30.

h cap.21.

i hæres.28.

Dei prouidentia hic apparet.

Extitit eo tempore prouidentia DEI singularis vtentis bene malo nostro, captantis occasionem Gentes, omnésque legis iugo liberandi. Sic murmur Græcorum peperit Ecclesiæ Diaconos, cædes Stephani, ac persecutio Ecclesiæ dispersionem Discipulorum, ex qua processit disseminatio Euangelij.

Seditione.] In textu Græco est duplex nomen, στάσεως, καὶ συζητήσεως; & Syrus ita exponit, והוא שגושיא סגיאא ובעתא *vehaua schagnschaia ſaggiaa vabbehhatha*, id est, *Ortus est tumultus plurimus, & disceptatio*: vbi quoniam hæc duo tribuuntur Apostolis, & ab iis facta dicuntur, seditio non debet sumi in malam partem, sed pro separatione, & discessu, & dissidio, & contentione, quæ veluti sectas faceret.

Seditio hic in bonam partē sumitur.

Interpretatio Glossæ interlinearis, & Hugonis, *de seditione facta à Iudæis Paulo, & Barnabæ*, id est, contra Paulum, & Barnabam, non cohæret cum sequentibus verbis; *aduersùs illos.* Caietanus sic putat distinguendum, *Facta seditione*, videlicet inter Christianos, cuius causa fuerant illi qui descenderant à Iudæa. Deinde repetendo, *Facta seditione non minima Paulo, & Barnabæ*, id est, à Paulo, & Barnaba aduersùs illos Christianos, qui descenderant ex Iudæa, vsurpando datiuum pro ablatiuo. Sed hoc pacto cogeremur aliquid in versione nostra desiderare: quod minimè necessarium est, si, vt dixi, seditionem accipiamus pro acri, & zeli, ac iustæ cuiusdam indignationis plena disceptatione, cùm nec Petro Paulus posteà parcendum in simili causa censuerit[k].

k Galat.2.11.

Paulo, & Barnabæ.] Hos casus esse pro ablatiuis Caietanus dixit, & nonnulli alij; sed nec ipsi magni Grammatici, aut in Scripturæ idiotismis versatissimi, nec simili exemplo alio id comprobantes: & durum, ac insolens videtur dicere, factum mihi aliquid, hoc est, à me. Quòd si decretum, scitum, statutum, &c. cum datiuo iungatur pro ablatiuo, inuoluunt simul aliam significationem, vt ab alio esse intelligantur in ipsiusmet aut gratiam, aut honorem, &c.

Honorificū fuit Apostolis hanc seditionem excitare.

Fortasse latet hic huiusmodi vis, *vt facta seditio intelligatur Paulo, & Barnabæ aduersùs alios*: nempe quia honorificum fuit his Apostolis, vt perturbatores illos primi aggrederentur, seque tanquàm maximè dissentientes, & discordes illis exhiberent, nec vererentur nomen, opinionémque seditionis, vbi de legis Euangelicæ prærogatiua, & libertate Christiana res esset.

Idem est ergo, *Facta est seditio Paulo, & Barnabæ*, atque, *Fecerunt ipsi sibi seditionem*, & vt eius, quæ ex eorum æqua disceptatione nata est, seditionis auctores fuerunt; malum quidem, quod est in seditione, non intendentes, veritatis tamen defensionem procurantes, quamuis obtineri non posset absque eorum offensione, & seditione, qui offensioni, seditionique causam dabant.

Obseruauit Ribera[l] consuetudinem Scripturæ, qua datiuus casus verbis additus solet indicare honorem, & cultum. Potest ea regula conuenire proposito ad eum modum, quem diximus. Hoc pacto datiuus ex Hebraico idiotismo possessionem quoque significat, vt ibi[m]: *Hæc facta est mihi*, nempe lex mea effecta est, sum illā adeptus. Posset quoque sensus esse: *Facta seditione Paulo, & Barnabæ*, de Paulo, & Barnaba: *aduersùs illos*, quia pugnabant aduersùs illos. Valet enim dandi casus idem quod ablatiuus cum præpositione *de*, vt[n]: *Nunquid Sion dicet homo*, id est, *de Sion*: &[o], *Malignantibus audiet auris mea*, id est, *de malignantibus*.

l Amos 6. nu. 5.

m Psal.118 55.

n Psal.85.5.

o Psal.91.12.

Si legeremus, vt Interpres fecit Chrysostomi, in genitiuo casu, *Pauli, & Barnabæ*, finita lis esset. Verùm textus Græcus habet datiuum. Hieronymus[p] ita legit, aut interpretatur: *Commota igitur seditione non minima inter Paulum, & Barnabam.*

p epist.89. seu 11. inter epist. Aug.c.3.

Pauli singularis modestia.

In tanta disputationis vehementia notatur à Chrysostomo singularis modestia Pauli, qui cùm talis esset, vt fidem eius doctrinæ tam magna auctoritas, & diuinis testata signis facere deberet, sit tamen dignatus disputandi certamen subire. Eáque in re consultum Ecclesiæ à DEO, cùm adeò grauem, difficilémque controuersiam tanto præsente Apostolo emergere permiserit.

Statuerunt vt ascenderent Paulus, & Barnabas.] Videtur & insuper assumptus à Paulo Titus, vt sentit quidem Historia Scholastica[q], putans videlicet hunc ipsum esse illum Pauli aduentum in Ierusalem post annos quatuordecim, quem narrat Galatis[r], dicens, *se tunc cum Barnaba Titum assumpsisse, testem libertatis Christianæ*, quòd, quāuis ex Gentili euasisset Christianus, vehementérque, vt

q cap. 31. in Acta.

r c.2.1. & seq.

A circumcideretur, vrgerēt falsi fratres Iudaizantes, tamen circumcisus non esset. Addit ibidem, se descendisse *secundùm reuelationem*, quia præter legationem ei commissam ab Antiochenis, accesserat etiam reuelatio: item ea vsum occasione, *vt Euangelium, quod prædicabat Gentibus*, de harum à legalibus exemptione, & de aliis rebus *communicaret*; sed *seorsim iis, qui videbantur aliquid esse, & columnæ Ecclesiæ, ne in vacuum curreret, aut cucurrisset*, nisi & illi approbarent, qui quoniam cum CHRISTO ipso egerant, & apud eum, aliósque primo loco habebantur, pollebant auctoritate, quam veluti posthumus Paulus, tantam sibi, præcipuè apud ex Circumcisione fideles, facere non poterat, illo tempore potissimùm, quo legalium controuersia vigebat.

...ur Paulus Ierosolymā ascenderit.

B Quater, aut quinquies post conuersionem Paulus ascendisse memoratur in Ierusalem, cùm Damasco fugit, vel mox, vel triennio à conuersione: *post tres annos* enim ipse narrat, *se semel ascendisse* [a]. Sicque erit aut vnus aut duplex ascensus: secundus, tertiúsve, quando cum grandi pecunia ob famem sub Claudio missa ab Antiochensi Ecclesia [b]; si tamen ordine temporis præponendus censeatur sequentibus: tertius, vel quartus, cùm illum iidem Antiochenses miserunt consulturum Apostolos de quæstione legalium, qui hîc narratur: vltimus, seu quartus, seu quintus, quando oranti in templo, Iudæorum opera, manus iniectæ C sunt [c].

Quoties Paulus post conuersionē Ierosolymā venerit.

a Gal. 1. 17.

b Act. 11. 28.

c Act. 21. 30.

In opinione Scholasticæ Historiæ iam recitata, est etiam Theodoretus, & de ea meminit Hieronymus: vterque in expositione epistolæ ad Galatas [d]. Non me retrahunt, quominùs ita etiam ipse sentiam, Aloysij de Leon locum eundem tractantis argumenta, nec de reuelatione, quę Paulum impulit ad eundum. Iam enim dixi, duplici nomine susceptam à Paulo peregrinationem, erantque satis frequentes illo, & aliquot consequentibus seculis, diuinæ reuelationes, cùm quid alicuius momenti agendum incideret: nec de collatione seorsim, & priuata, quoniam non debuit Paulus tam insigniter à DEO ipso edoctus, & D creatus Apostolus, videri in publica cum aliis Apostolis collatione haurire ab ipsis doctrinam: quod fieret, si non aliorum missu, iussúque, sed sponte, ac nutu proprio cum illis contulisset de vniuersa lege Euangelica: nec quia in epistola ad Galatas non meminit propositæ quæstionis, aut Apostolici super ea in Concilio decreti; siquidem satis hæc innuuntur, cùm mentio est de Barnaba simul ascendente (quamuis ascenderit quoque, quando pecunia delata est, sed fortasse posteriùs) & Tito, qui circumcisus non sit, ob excitatam à falsis fratribus sæpe dictam controuersiam: & quòd Paulo, & Barnabæ, quia tam fœliciter ipsis succedebat, permissa sit Gentilium E conuersio.

d cap. 2.

Denique si rationes hæ valent, efficient profectò, vt non modò epistola ad Galatas, de qua Aloysius contendit, sed aliæ quoque ante Apostolicum Conciliū scriptæ sint, in quibus de legalibus pariter disseritur, hoc est, ad Romanos præsertim, & ad Hebræos: in his enim, vt & in aliis, in quibus subinde attingit idem argumentum, nullam mentionem facit de Apostolorum decreto, post quod longo posteà tempore scriptæ sunt. Accedit, quòd epistolam ad Galatas scriptam à Paulo, dum Romæ esset, hoc est, multo tempore post illud decretum, scholia Græca tradunt.

Quibus in epistolis de legalium quæstione Paulus meminerit.

A Non bene etiam colligit idem Auctor, antè iam prædicasse Galatis Paulū, quàm proficisceretur ad Concilium, quia in capite sequenti [e] narratur transisse Galatiæ regionem: neque enim ibi nominatim dicit Lucas tradidisse, vt custodirent dogmata decreta ab Apostolis, & Senioribus in Ierusalem; sed vniuersè tantùm loquitur, aut de Lystra, & Derbe, quas nominat, & finitimis aliis locis, quæ pridem ipsius prædicatione imbuta esse, capite præcedente narratum est. Quanquàm, vt id quoque concedamus, nihil adhuc necessariò concludetur, ob eas, quas dixi, causas. Fauet eidem sententiæ nostræ Hieronymus, & præterea Epiphanius [f], nec dubitat Baronius [g] communem B appellare.

Paulus Galatis non prædicauit, antequàm veniret ad Concilium.

e vers. 6.

f Hæres. 28.

g Tom. 1.

Disputat etiam Pererius [h] de quadruplici aduentu Pauli Ierosolymam: tot enim tantùm recipit, & eandem, quam nos, tuetur sententiam, vnà cum Theodoreto [i], Caietano [k], Beda [l], Irenæo [m], & qui citatus est initio, Magistro Historiæ Scholasticæ. Confirmat præterea, quia nunquàm deinceps post illam profectionem Pauli, & Barnabæ, leguntur hi simul iuisse Ierosolymam; immò nec postquàm in digressu ab Antiochia seiuncti sunt, vnquàm ampliùs conuenisse; neque in eandem Ierosolymitanam reuertisse ciuitatem, nisi cùm est ibi captus, vt narratur capite vigesimoprimo. Porrò Paulus [n] ait, *hunc ascensum in Ierusalem contiC gisse post annos quatuordecim*, quos computant aliqui à primo ascensu, qui tertio post conuersionem anno fuerit; ita vt anno decimoseptimo à conuersione ascenderit: alij ab ipsa conuersione, & quidem verisimiliùs, vt citati Baronius, ac Pererius demonstrant.

h in epist. ad Rom. in præfat. disp. 1. nu. 34. vsque ad 37.

i in epist. ad Galat.

k ibidem.

l hoc loco.

m lib. 3. c. 13.

n Galat. 2. 1.

Statuerunt.] Ἔταξαν, *ordinarunt, præfecerunt, destinarunt, constituerunt.* Syrus vertit, והות דנסקון *vahauath denasekun*, id est, *& factum est, vt ascenderem*, &c. Non credo veritus est, ne Paulum, & Barnabam ceteris inferiores facere videretur: Petrum enim & Ioannem missos Samariam [o] non ignorabat, & , vt ibi docuimus, non rarò superiores ab inferioribus, non imperando, sed rogando, &c. D mittuntur.

o Act. 8. 14.

Ascenderent.] Aliàs dicere memini sublimem, & in arduo locatam Ierusalem, in causa esse, vt eò proficiscentes dicantur ascendere. Nec est tamen totius terrarum orbis, vt Rabbini nugantur, altissimus locus, non si orbis rotundam figuram, in qua nullus altero locus altior existit, non si montes consideres, ex quibus multi sunt altiores. Hebræi, Chaldaici, Syri *ascendere dicunt pro ire*, inquit Maldonatus [p]. Id si est, cur abitus ab Ierusalem appellatur descensus tam sæpe, & paulò antè ex Iudæa tota? Ego quidem proferri exemplum vellem, in quo ascendere sit simpliciter, ire, absque respectu ad altitudinem situs. Lege Riberam [q]. Lego E quidem ascendere pro crescere, & proficere, & simpliciter pro abire atque tolli, & pro ire; sed non videtur significari ascendere aliquò aliud, quàm scandere, & alta petere.

Rabbini nugantur Ierosolymam sublimiorem esse totius mundi locum.

p Matt. 20. 17.

q Osee 1. nu. 133. & 134. Abdi. nu. 116. Mich. 2. num. 67.

Et quidam alij ex illis.] Iudaizantibus, qui descenderant de Iudæa, docentes Circumcisionem necessariam: licèt pręter designatos alij se insinuauerint, & subintroïerint, vt indicat Paulus agens cum Galatis [r], vocánsque *falsos fratres*, siue ex illis iisdem, qui venerant Antiochia, siue ex iis, qui remanserant Ierosolymis, ac præsertim, vt paulò pòst dicitur [f], qui fuerant priùs Pharisæi.

r cap. 2. 4.

f vers. 5.

Sed nihil cogit dicere, certos aliquos ex contraria factione missos esse: ἐξ αὐτῶν enim referre

potest

potest ipsosmet, qui designant Paulum, & Barnabam, ita vt præter hos duces legationis, alios iis consentientes miserint, ac in his Titum, de quo diximus. Cur enim mitterent ex illis, qui ex Iudæa, & Ierusalem descenderãt, vbi Apostoli erant, & ex primis CHRISTI Discipulis alij? Si quos miserunt oppositæ sententiæ, aut vacillantes in ea quæstione, hi potiùs fuerunt alij, aut ex Gentilibus, aut etiam ex Iudæis facti Antiochiæ, seu in aliis Gentilium regionibus Christiani. Hieronymus [a] videtur velle, quòd statuerint ipsimet Paulus, & Barnabas, qui accusabantur, & ij, qui accusabant. Id si est, multò magis concidet dubitatio, quo pacto Apostolos mitterent iis inferiores Antiocheni.

a epist. 89. seu 11. inter epist. August. c. 3.

Ad Apostolos.] Vnus ex his nominatur, inferiùs Petrus [b], & alter Iacobus [c], & in epistola ad Galatas [d], vbi de eodem isto Pauli, & Barnabæ aduentu sermo est, etiam Ioannes. Fieri potest, vt quamuis horum tantùm trium tanquàm primariorum, & columnarum in Ecclesia, mentio fiat; reliqui nihilominùs Apostoli, sicut & illi ipsi tres, de quibus affirmat Baronius [e], cùm essent per orbem dispersi, instinctu diuino conuenerint Ierosolymam sub id tempus, paulò antè quàm ad eos legatio Antiochensis mitteretur. Iuuat coniecturam negotij grauitas, de quo tractandum erat: & generale Apostolorum nomen, tum cùm ad eos missi legati dicuntur [f], tum cùm recitantur literæ ipsorum [g], tum cùm Paulus narratur, quæ ab Apostolis decreta essent, docuisse ciuitates, per quas transibat, vt custodirent [h].

Qui, & quales Apostoli Concilio Ierosolymitano interfuerint.
b vers. 7.
c vers. 13.
d cap. 2. 9.
e Tom. 1. Annal.
f hoc vers.
g vers. 23.
h cap. 16. 4.

Huic loco citatus alibi [i] à me locus Esaiæ [k] congruit: *Illuc congregati sunt milui, alter ad alterum: requirite diligenter in libro Domini, vnum ex eis non defuit.* Iuxta LXX. *Illuc ceruæ occurrerunt, viderunt facies suas ad inuicem, numero venerunt.* Vbi Cyrillus Alexandrinus exposuit de Apostolis conuenientibus sæpe in Ierusalem, ad accipienda, dandáque consilia pro Ecclesiæ gubernatione. Cur milui, aut ceruæ dicantur, consule quæ dicto alio loco notata sunt. Clemens [l], & Abdias [m] tradunt, omnes duodecim Apostolos adfuisse, hîc Iacobum præsedisse: quod intellige de prærogatiua Episcopali Sedis Ierosolymitanæ, in qua sedebat, non de auctoritate definiendi.

i cap. 2. vlt.
k c. 34. 15. 16.
l 6. Constit. c. 12.
m lib. 6.

Ceterùm notanda, & suspicienda Pauli, ac Barnabæ, atque reliquæ Ecclesiæ vel modestia, vel charitas, quòd & disputationem æquo animo tulerint, & iter pro causa communi susceperint, & quòd Concilio rem terminauerint, per se ceteróqui certam, & compertam. Factitatum id in Ecclesia deinceps est, vt nimirum Concilia etiam œcumenica celebrarentur, non magis ad Fidei declarandas difficultates, eáque proponenda, quæ credi debent, quàm ad satisfaciendum falsorum fratrum importunitati, & consulendum totius corporis Ecclesiastici vnitati.

Pauli, & Barnabæ modestia, & charitas.

Latiùs patet de causis cogendi Concilij tractatio, de qua commodiùs alibi [n] egimus: eásque ad sex redigi posse certũ est: vt hæresis noua damnetur: vt schisma tollatur inter Pontifices Romanos: vt hosti communi totius Ecclesiæ resistatur: vt Pontifex Romanus, si de hæresi suspectus in ea esse conuincitur, deponatur; si in moribus, verbi gratia, in tyrannide, incorrigibilis, admoneatur: vt de electione decernatur, si eum Cardinales aut non possent eligere, aut nollent, aut aliqua de causa verè dubium esset, ad quos pertineret electio: vt generales Ecclesiæ abusus, ac vitia reformen-

Causæ, ob quas Concilia sint necelebranda.
n Tractat. de Concil. in 22.

A tur. Sed hæ causæ, vt docet Bellarminus, aut rarissimè contingunt, aut non sunt adeò vrgentes, vt necessariò exigant Concilia vniuersalia. Rectéque fit, vt renouatores veterum hæresum, ad generale Concilium prouocantes non exaudiantur; cùm id etiam non studio veritatis cognoscendæ faciant, sed tergiuersandi, & tempus extrahẽdi, & odium, ac inuidiam Ecclesiæ, quæ optimo iure hoc negat, conciliandi. Lege Synodum Vgoniam Episcopi Famaugustani de Conciliis, & libros Federici Nauseæ de rebus Conciliariis.

Presbyteros.] Dixi pro hac voce Græca Seniores interdum reddi ab Interprete. Syrus etiam, cùm de Iudæorum Senioribus sermo est, ponit קשישא

B *kaschische*; qua voce vtuntur hodiè Syri pro quouis Sacerdote, licèt etiam pro Episcopo, & pro Episcopatu habetur in prima ad Timotheum [o] קשישותא *Kaschischutha*: sed pro Episcopo sæpiùs vsurpant ipsammet vocem Græcam.

o cap. 3. 1.

Versus 3.] Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicen, & Samariam, narrantes conuersionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

ILLI *ergo deducti ab Ecclesia.*] Οἱ μὲν οὖν προπεμφθέντες ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, *præmissi, & aliquando*

C *etiam deducti honoris causa.* Sic Paulum alij deduxerunt ad nauem [p]. Non assentior Caietano, datos duces, & comites itineris, nisi ad breue spatium intelligat, cum Carthusiano.

p Act. 20. vlt.

Vrbanitatis & charitatis officium est hoc: & errãt vehementer, qui homines, qui spirituales appellantur, truncos effingunt, & stipites, absque ciuili cultu & suauitate, commoditatéque morum, quò fiat, vt inuicem, alióśque beneuolè, honestè, & hilariter excipiant: fauent hæc officia, non officiunt charitati, fouent, augent, conciliant, integrant illam: & modestiæ Christianæ, quæ imperat *honore* [q] *inuicem præuenire, & superiores* [r] *alios*

Homines spirituales non sunt trunci, sed ciuiles & humani.

D *in humilitate existimare, hancque sibi insinuare* [s], vel argumenta sunt, vel effectus, vel causæ. DEVS ipse *cum magna reuerentia* [t], μετὰ πολλῆς φειδοῦς, *disponit nos.* Denique, vt ait Hugo de S. Victore [u], *Reuerentia sine amore seruilis est, amor sine reuerentia, puerilis.* Scripsit de hoc argumento Didacus Peres [x] inter admonitiones, quæ extant, siue Hispanicè, siue Italicè.

q Rom. 12. 10.
r Philip. 2. 3.
s 1. Pet. 5. 5.
t Sap. 12. 18.
u Tomo 2. Tract. de Instit. Nouitio.
x 4. par. tit. 11.

Phœnicen.] Phœnice, aut Phœnicia, regio Asiæ. Lege caput XI. [y]

Samariam.] Lege caput I. [z]

y vers. 9.
z vers. 8.

Et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.] Charitas enim, quam inter SPIRITVS sancti fructus proximè sequitur gaudium [a], *congaudet veritati* [b].

a Gal. 5. 22.
b 1. Cor. 13. 6.

E Phœnices erant Gentiles, Samaritani Iudæis infensi: idcirco facilius fuit, vt de Gentilium conuersione gaudio perfunderentur. Verisimile est, etiam Paulum & Barnabam disseminasse huiusmodi rumores, tum vt *fratres consolarentur* (vtar Pauli verbis de seipso loquentis [c]) *itáque magis confirmarentur per eam, quæ inuicem erat, fidem, & ipsorum & aliorum*, hoc est, in vtrisque eandem, ac longiùs propagatam.

c Rom. 1. 11. 12.

Versus 4.] Cùm autem venissent Ierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & Senioribus, an-

nunciantes quanta DEVS fecisset cum illis.

CVM *autem venissent Ierosolymam, suscepti sunt.*] Libentissimè, lætissimè, humanissimè, cum summa approbatione, & fauore (hæc enim omnia importat τὸ ἀπεδέχθησαν) propter celebrem famam, quæ de vtroque manauerat. Barnabas etiam de Ecclesia bene meritus erat, ob assignatas facultates [a], aliisque de causis. Paulus etsi Ierosolymam iam bis, minimùm, à conuersione reuiserat, obiter tantùm, ac veluti per transennam eratque, vt ipsemet testatur [b], *ignotus facie Ecclesiis Iudææ*, ac proinde tenebantur, vt par est credere, multi hominis talis ac tanti videndi maximo desiderio.

a Act.4.37.
Cur Paulus & Barnabas benignè sint Ierosolymis excepti.
b Gal.1.22.

B

Ab Apostolis.] Vel Petro, Iacobo, Ioanne duntaxat, vel potiùs ab aliis quoque, prout superiùs docuimus [c]. Eiecit Claudius ex vrbe Iudæos, vt proditur quoque inferiùs in hac historia [d], idque sui Imperij anno nono, vt placet Orosio [e], & CHRISTI, vt quidam supputant, 49. aut 50. tunc forsan Petrus, qui iam ibi sedem fixerat, inde cum ceteris Orientem repetiit, & quo tempore legalium lis excitata est, Ierosolymam se contulit, instinctu prætereà quodam DEI, vt nuper dicebamus.

c vers.2.
d cap.18.2.
e lib.7.c.6.

Quoniam verò mentio incidit de Roma pulsis Iudæis, subit animum suspicio, cùm Suetonius [f] causam scribit, quòd impulsore CHRISTO assiduè tumultuarentur, tumultum à Iudæis vehementissimè factum aduersùs Christianos, & Petrum, qui tum ex Iudæis non paucos, tum ex Gentilibus adhuc plures conuertebat, ita vt grauiter ac iniquo animo ferrent, vel in perfidia durantes Iudæi tam multos aggregari Euangelio, vel ex Iudæis Christiani, adeò facilem Gentilibus aditum patefieri ad Euangelium absque onere legis scriptæ: Imperator autem Christianos æquè ac Iudaici ritus cultores, Iudæorum numero censens, edicto vniuersos comprehenderit, quo solum vertere compellerentur: ij certè, qui gente, & origine erant Iudæi, hi tum Antiochiam, tum aliò reuersi: & qui religionem Iudaicam tuebantur, & qui Christiani euaserant, nullum finem faciebant aut lacerandi nomen Christianum, aut Petri, aliorúmque facilitatem reprehendendi in admittendis Gentilibus. Ipsam tunc arcem religionis Ierosolymam petierunt, & quasi eorum, qui ibi agerent ex Circumcisione fidelium, tenerent assensum, ex Iudæis & ipsi Christiani Antiochiam descenderunt, vbi maior abundabat fidelium numerus. Itaque pergratum accidit in primis Apostolis, cùm venerunt Antiochia missi Paulus & Barnabas, expedituri haud pridem exortam non in ea tantùm ciuitate controuersiam, verùm etiam, vt dixi, in Romana. Hæc ex mea coniectura.

Iudæi impulsore Christo quomodo Roma pulsi sint.
f in Claudio. cap.25.

C

D

E

Et Senioribus.] Interpres noluit hîc voce Græca vti, *presbyteris*, & quidem consultò, vt intelligeremus, non solos Episcopos, qui fortasse tunc nonnulli aderant, aut Presbyteros, siue Sacerdotes, sed alios præterea, videlicet antiquiores, & auctoritate præcellentes Discipulos. Hieronymus [g] tamen non dubitat vocare *Presbyteros.*

g epi.89. seu 11. inter epist. Aug.c.3.

Annunciantes quanta DEVS *fecisset cum illis.*] Præsertim circa Gentium conuersionem. Lege caput præcedens [h].

h vers.26.

Versus 5.] Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi.

SVRREXERVNT *autem quidam.*] Syrus contexens hæc verba cum prioribus tanquàm non Historici, sed Pauli, & Barnabæ, ita reddit, קמו דין אנשא אילין *kamu den anasche ilen*, id est, *sed, inquiunt, surrexerunt*, &c. Arias idem sentit, atque hac oratione exponi causam aduentus Pauli, necnon Barnabæ: quo fit, vt hi, qui descenderant Antiochiam, fuerint ex Pharisæis Christiani. Hieronymus [i] planè contradicit: ait enim, quòd cùm Ierosolymam Paulus, Barnabásque perrexissent, exsurrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum.

i epist.89. seu 11. inter epist. Aug.c.3.

De hæresi.] De hac voce lege cap. 5. [k] Puto hîc etiam accipi in bonam partem, & non, *quòd vt hæretici nominentur nunc*, vt ait Carthusianus, *ij, qui legalia cum Euangelio coniungebant.*

k vers.17.

Pharisæorum.] De his in cap. etiam 5. [l] Fit nonnunquàm, vt qui cùm adhuc apud suos viuerent, sapientiores haberentur, vel apud Gentiles, dum Christiani, vel apud Christianos, dum euadunt Religiosi, illius nominis celebritatem memoria retinentes, non adeò faciles humiliari se, aut Christianæ, aut religiosæ præbeant, & ægrè adducantur, vt *humilibus consentiant, non alta sapientes, sed ad sobrietatem* [m]. Quæ fuit causa, vt Apostolos CHRISTVS noluerit ex illo numero esse, verùm indoctos & dociles, ineruditos, & eruditionis capaces, & habiles; simul etiam propter simplicitatem morum, & humiliorem conditionem.

l vers.34.
Homines sapientiores in seculo, in religione nonnunquam humilibus non consentiunt.
m Rom.12.3. 16.

Præcipere quoque seruare legem Moysi.] Exprimitur cum Circumcisione lex Moysi, quamuis nomine Circumcisionis inuolui quoque legem docuerim [n]. Sed quod etiam dixi repetendum est, actum esse de lege cæremoniali duntaxat: moralis enim non est propria Iudæorum, cùm naturalia principia, seu dictamina contineat omnibus communia.

n vers.1.

Versus 6.] Conuenerúntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc.

CONVENERVNTQVE *Apostoli, & Seniores.*] Iam dixi Seniores, qui hîc quoque Græca voce nominantur *Presbyteri*, intelligi alios præter Episcopos, vel etiam Sacerdotes. Quòd verò conuenisse dicatur, indicat Paulum, & Barnabam non simul ab omnibus exceptos, cùm primùm peruenerunt Ierosolymam, sed à singulis, quos visebant: aut plures posteà conuocatos esse ad inquirendum de proposita quæstione vltra illos, qui cum Apostolis à Paulo, & Barnaba simul salutati sunt. Postremò *verbum* hoc loco, vt & aliàs sæpe, ponitur pro re, vel negotio, siue pro dicta controuersia.

Clemens Romanus [o] ait, *omnes duodecim Apostolos Ierosolymam data opera conuenisse vnà cum Iacobo fratre Domini, vt de ea re deliberarent, eodémque tempore adornatam legationem Antiochenam, cùm Antiochenses intellexissent ea de causa conuenisse Apostolos.* Interpres item Presbyteros sub hoc nomine coniungit in eodem Concilio. Verùm iam Iacobus maior obtruncatus erat: alter qui vocatur frater Domini, non est alius ab Apostolo eiusdem nominis, vt pridem demonstratum est [p].

o lib.6. Constit.c.12.
p cap.1.13.

Confundit

Confundit prætereà apologiam Petri pro admisso Cornelio, cum hoc ipso tempore atque Concilio: quæ duo longo interuallo temporis distasse constat; & Hieronymus [a] docet, atque Petrus ipse [b] (vocans *antiquos dies, quibus Cornelium conuerterat*) omninò non meminit de missis Paulo & Barnaba, sed solùm de fidelibus sacrarum literarum peritis.

a epist. 89. seu 11. apud Aug.
b infrà vers. 7.

Irenæus [c] scribit *vniuersam Ecclesiam conuenisse*, licèt falli videatur circa Iacobum, qui in ista historia egisse narratur de legalibus, *cùm illũ Apostolum quidem facit* (qua in re ipsum recipimus) *sed qui cum Petro, & Ioanne familiarius à* CHRISTO *tractatus sit*: hic enim est frater Ioannis, & de legalium quæstione non disceptauit. Quod de Ecclesia dicit, videtur etiam Lucas posteà [d] dicere, quamuis non tam dicat ab Ecclesia missum decretum, *quàm ei placuisse, vt id mitteretur per certos homines*, & in epistola inducit loquentes solos Apostolos, & Seniores. Posset etiam dici, Ecclesiæ nomine intelligi vniuersum ordinem Ecclesiasticum, & Hierarchicum.

c lib. 3. cap. 12.
d vers. 22.

Non egemus tot distinctionibus, vt euadamus Protestantes [e], & alios contendentes, *in Concilium debere admitti cum iure suffragij & consultiui, & decisiui, non Episcopos tantùm, verùm etiam alios inferiores Presbyteros, immò & Laicos*. Nam si qui ex laicis adfuerunt, quod possumus concedere, sicut & in nonnullis aliis posterioribus Conciliis certum est adfuisse, verbi gratiâ, in Carthaginensi, quod recitatur in operibus Cypriani, solùm iis permissus est consensus tacitus simpliciter audiendo, non definiendo, ac nec etiam disputando. Solos Lucas narrat conuenisse videre de verbo hoc Apostolos & Seniores: solos inducit loquentes Petrum, Iacobum, Paulum, & Barnabam; & priores quidem duos, tanquàm definientes: posteriores enim alteram partem propositæ quæstionis, vt legati aliorum, defendebant: conquisitionem siue disputationem solis item Apostolis, ac Senioribus tribuere videtur. Postremò in omnibus subsequentibus Conciliis licèt multi alij adessent etiam ex laicis, vt dixi, nullos alios legimus sententiam iudicialem pronunciasse, & subscripsisse, quàm Episcopos: credi autem non debet, Ecclesiam vniuersam ab Apostolorum exemplo atque traditione discessisse, præsertim primis illis temporibus. Itaque mentiuntur Magdeburgenses, quotquot in eo Concilio fuerunt, dixisse suam sententiam. Lege Bellarminum [f].

e ... libr. causæ ... Electo. & ... teri confes. ... ugu. addidit ... Côcil. Tri. ... n accedât. *Ad Concilium ... ammq; Presbyteri, & multi ... laici, solo Episcopi ... debent.*
f ... de Cô... 5. & 16.

Versus 7.] Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus DEVS in nobis elegit, per os meum audire Gẽtes verbum Euangelij, & credere.

CVM *autem magna conquisitio fieret*.] Non est dubitandum, quin ritè Conciliaris consultatio ab oratione inchoata sit, cùm eam in electione [g] Mathiæ legamus, atque Diaconorum [h], & segregatione, seu ordinatione Pauli ac Barnabæ [i].

g ... 1. 14.
h ... 6. 2.
i ... 13. 2.

Bene autem habet, quòd Satanas pugnat aduersùs Satanam, Caluinus, ac Bullingerus contra priores illos hæreticos. Obseruant enim hîc formam, ordinémque in cogendis Synodis, vt non promiscuè vulgus admittatur, sed doctrina ac iudicio pollentes, *& qui*, ait Caluinus, *ex ratione officij legitimi sint Iudices*. Liberalior ero quàm Caluinus, admittam doctrina ac iudicio pollentes, non laicos quidem, quos indecens est sacra tractare, quamuis ex ratione officij non sint legitimi Iudices; at non vt decidant ac definiant, sed conquirant, disputent, excutiant, tanquàm consultores & doctores: definire autem & docere sententiam pronunciando, proprium est Pastorum. An autem ante omninò vltimam eius, qui aliis inferioribus Iudicibus, vt Iudex supremus (is est Pontifex, vt posteà constabit) sententiam, consultatio, & disquisitio doctorum, atque inferiorum illorum Iudicum sententiæ ita necessariæ sint, vt error esse possit in vltima illa sententia, si proponatur toti Ecclesiæ, & ex cathedra, vt dicunt, nisi illa adhibeantur, disputauimus alibi.

...iudicio ...conuenien...da.

Summa est, à Pontifice maturè prouidendum, & consultandos viros doctos: ceterùm omnem infallibilitatem esse in ipso solo: nos autem certos esse, non permissurum DEVM, qui hanc promisit infallibilitatem Pastori Ecclesiæ [k], vt hic vnquàm temerè definiat: quòd si huiusmodi consultationem non adhibeat, arbitror nihilominùs definienti affore SPIRITVM sanctum, ne erret, alioqui sanè semper anxij esse possemus, vtrùm Pontifex sit vsus sufficienti diligentia. Lege Albertum Pighium [l]. Constat magis ordinarium & suauem modum esse, si præcedat dicta consultatio: sic enim faciliùs acquiescunt omnes, quibus promulgatur sententia, & magis conuincuntur aduersarij. Ad id tamen non sunt semper necessaria Concilia œcumenica, quæ nonnisi rarò grauissima de causa sunt celebranda, vt anteà diximus.

Pontifex definiens aliquid ex cathedra, errare nõ potest.
k Matt. 16. 18. Luc. 22. 32.
l li. 4. de Hier. Eccles. cap. 8.

Hoc tempore maximè fuit opportunum, vt in Concilio præsens controuersia, quæ adeò vexabat Ecclesiam, & fideles inter se scindebat, & Gẽtiles ab Ecclesia arcebat, quàm diligentissimè discuteretur, & maiore, quàm poterat, in eodem vel consultorum, vel Iudicum numero terminaretur.

Controuersia de legalibus in Concilio dirimenda erat.

Surgens Petrus.] Quid sit surgere in concione, dixi agẽs etiam de Petro in capite primo [m]. Agnoscit Carthusianus duplicem causam; vel vt adeò venerandum conuentum, in quo erant Apostoli alij, tum verò Iacobus vrbis Episcopus, reuerentia prosequeretur, tum vt meliùs exaudiretur.

m vers. 15.

Quòd primus habita iam disceptatione loqui aggreditur, videlicet tanquàm Iudex supremus, colligunt primatum eius in Ecclesia Tertullianus [n], Hieronymus [o], Theodoretus [p]. Primus scribit, *Petrum primum omnium* SPIRITV *instinctum de nationum vocatione præfatum*: secundus, *solita libertate vsum, atque in eius sententiam Iacobum isse Apostolum, & omnes simul Presbyteros transiuisse, & principem huius fuisse decreti*: vltimus, quòd Paulus *præco veritatis, tuba sanctissimi* SPIRITVS, *ad magnum Petrum cucurrit, vt iis, qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso adferret solutionem*.

Petrus omnium primus cur loquutus sit.
n lib. de Pudicit. c. 21.
o epist. 89. seu 11. inter epist. Aug. c. 1.
p ep. ad Leonem Papam.

Vnde prorsus sequi videtur, eodem Petro auctore coaluisse Concilium: nec enim alius potest generale indicere, & neque hoc, neque alia magis particularia, quæ cogi possunt à propriis Episcopis, sine Petri successoris approbatione, suam habẽt firmitatẽ, & certitudinem, quoniã huius solius est *pascere oues omnes* [q], *& confirmare fratres, illique soli promissum, fore vt eius non deficiat fides* [r], *& solus habet supremam clauium potestatem* [s], tum ordinis, tum scientiæ, ac iurisdictionis: nec dici possunt *congregari in nomine* CHRISTI [t], *nisi qui congregantur auctoritate* CHRISTI, hoc est, ab eo, qui à CHRISTO

Petri auctoritate Concilium coactum est.
q Ioan. 21. 17.
r Luc. 22. 32.
s Matt. 16. 19.
t Mat. 18. 20.

habet congregandi auctoritatem. *De toto mundo vnus Petrus eligitur*, inquit Leo [a], *qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctis Ecclesiæ Patribus præponatur: vt quamuis in populo* DEI *multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit &* CHRISTVS.

a Ser. 3. in Anniuers. Assumptio. suæ.

Fuerunt aliquando necessariæ Imperatorum aut literæ, cùm leges vigerent [b], ne ob seditionis metum vlla coirent collegia, frequentiorésve conuentus, quibus literis potestas fieret conueniendi: aut facultas loci ad celebrandum Concilium, qui erat sub eorum ditione: aut commeatus ad iter, quando inopia adhuc laborabat Ecclesia: aut copiæ militares, ad compescendos vel in via Gentiles, vel in loco Concilij perturbatores atque seditiosos: denique compellebatur adhuc agnoscere Pontifex Imperatorem, vt dominum temporalem, quamuis esset in spiritualibus caput eius & pastor. Audi quid Valentinianus ab Episcopis rogatus permitteret Concilium celebrari [c], responderit: *Mihi, qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosius perscrutari: Sacerdotes, quibus ista curæ sunt, quocumque voluerint loco conueniant.* Sed nostri non est propositi hæc accuratiùs persequi.

b l. 1. ff. de col. illicitis. & l. conuenticula. C. de Episc. & cleric.
Cur in cogendis Concilijs Imperatoris intercesserit auctoritas.

B

c Sozo. lib. 6. cap. 7.

Viri fratres.] Cur ita loquatur omnium Pater, Pastórque, lege caput primum [d].

d vers. 15.

C

Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus DEVS *in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere.*] Reuocat in memoriam veterem Apologiam, quam ibidem habere coactus est super Cornelio Gentili, eiúsque familia. Rectè igitur superiùs eum qui Clementis nomine circumfertur, vt Constitutionum auctor Apostolicarum, refellimus, quòd vtramque Petri orationem eodem tempore factam narrarit.

Prætereà cùm tractaremus priorem illam altercationem, ostendimus sic *Petro operatum* DEVM *in Circumcisione, & Paulo inter Gentes*, vt Petrus tamen Gentibus quoque prædicauerit, immò primus portam illis Euangelij aperuerit, &, vt modò ipse dicit, *electus à* DEO *fuerit, vt per os ipsius Gentes audirent verbum Euangelij, & crederent.*

D

Quocirca Illyricus [e] rabiosè furens, vel factè ignorans, *Petrum nominat à* DEO *constitutum Episcopum, vel Papam Iudæorum, & Paulum Gentium: illumque tum de facto, tum de iure diuino, & humano Iudæorum, non Gentium Apostolum per totam vitam fuisse: ac eius proinde Apostolatum ad nos, qui sumus ex Gentibus conuersi, non pertinere.*

Illyrici in Petrũ iniuria.
e in verissima Legẽda de Petri Episcopatu, siue Papatu.

Singularis quædam DEI prouidentia fuit, vt Paulus eo maiore auctoritate, quadam etiam gratia, & efficacia, gratiam Euangelij sine vlla legis obseruatione prædicaret Gentibus, quò fuerat priùs acrior defensor Legis, atque oppugnator Euangelij *ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum replens*, vt ipsemet scribit [f], *Euangelium in obedientiam Gentium*: cum Petrus interim, potissimùm in Syria versaretur, quæ plena erat Iudæis, prædicans inter illos, non absque aliqua in illis initiis obseruatione legis, secundùm aliquam œconomiam, atque dispensationem SPIRITVS sancti, ne conuersi ex Iudæis abalienarentur, aut pauciores ex ipsis conuerterentur.

E

f Rom. 15. 19.

A diebus antiquis.] Quot præcesserint anni, definitè nescio. Caietanus, aliíque putant ferè quatuordecim: quod etiam videtur colligi ex epistola Pauli ad Galatas [g].

g Cap. 2. 1.

A

Antiqui dies Græcè dicuntur ἀρχαίων. Syrus vertit, קדמיא *kadmaie*, id est, *primos*. Scio dies pro annis interdum poni, quando sunt in numero plurali [h]: antiquos etiam dies pro pristinis illis priscísque simpliciorum & meliorum morum [i]: aliquando in malam partem [k]: nonnunquàm *dies antiquos* accipi pro æternitate. Sed hæc non sunt ad rem, nec placet Turriani [l] expositio præsentis loci *pro æternitate*. Idem sibi vult, *à diebus antiquis*, atque iampridem: &, vt dixi, referri debet ad tempus, quo Cornelius ad Ecclesiam aggregatus est, non vel ad æternum DEI consilium, vel ad id tempus, quo Petro Petri nomen inditum est [m], velut fundamento, & capiti vniuersali totius Ecclesiæ.

h vt Exod. 13. 10. 1. Reg. 1. 3.
i vt Psal. 76. 6. & 43. 2.
k vt Psal. 142. 5. Esa. 51. 9. Malac. 3. 4.
l 2. cõtra Magdeburg. c. 5.
m Matt. 16. 8.

B

In nobis elegit, per os meum.] Voluit vt nos ipsi Apostoli primi omnium hanc prouinciam subiremus (scilicet palàm & publicè, si fortè eunuchus Gentilis erat, de quo in capite 8. [n]) atque inter nos me primum ad hanc rem deputauit.

n vers. 27. & seq.

Chrysostomus legit, *in vobis*, & ita loqui Petrum exponit, hoc est, *in Palæstina*, vel *præsentibus vobis*, fortasse námque adfuisse in illo Concilio ex his aliquos, qui olim vocauerant ipsum ad Cornelium, aut ingressi erant ad eundem cum illo, & propterea adducere illos testes. Oecumenius eadem notat, & tamen legisse videtur, *in nobis*: quæ lectio non ita bene notationi congruit. Reperi in

C

quibusdam manuscriptis Latinis, *in vobis*.

Versus 8.] Et qui nouit corda DEVS, testimonium perhibuit, dans illis SPIRITVM sanctum, sicut & nobis.

QVI *nouit corda* DEVS,] Lege cap. 1. [o] Indicat iustifitationem dari iis, qui syncerè quærunt DEVM, etiam sine cæremoniarum extrinseca obseruantia.

o vers. 24.

Testimonium perhibuit.] ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς. Syrus, אסהד עליהון *aschad hhalihun*, id est, *testatus est de eis*, vel, *suffragatus est eis*, nimirum per SPIRITVM sanctum signo sensibili datum, vt

D

statim subditur.

Dans illis SPIRITVM *sanctum, sicut & nobis.*] Signo visibili, vt dixi, sed simul cum SPIRITV sanctificante: & ex eo externo dono sufficiens testimonium colligitur placuisse DEO, vt Gentiles reciperentur intra Ecclesiam, absque legis scriptæ oneribus.

Versus 9.] Et nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.

ET *nihil discreuit inter nos & illos.*] Sine personarum acceptione non illos minùs admit-

E

tens, quàm nos ad gratiam Euangelij. Non loquitur verò de æqualitate & paritate in gradibus gratiæ iustificantis, aliorúmve donorum: cùm sit certum, non esse in omnibus eandem. Hinc Ambrosius [p] infert, *Ecclesiam à* SPIRITV *sancto fundatam, & coagmentatam ex populo vtroque, Iudæorum, & Gentilium, iungendo corda eorum, sicut* CHRISTVS *fecit, tanquàm lapis angularis: ideóque non minùs vnum, quàm alium venerandum vt* DEVM. Irenæus [q] autem ex his & sequentibus verbis monet, *nihil habere illos, qui veteris, nouique Testamenti Deos duos distinguebant, sed contrarium potiùs effici, cùm quidã perseuerandum contenderent in pristinis obseruationibus: alij nouum Testamentum assererent ab his liberare.*

p 1. de Spiritu sancto. c. 11.
Christus vt Deus venerandus, & Spiritus sanctus.
q lib. 3. c. 12.

Fide purificans corda eorum.] Fide, vt ab operibus legis distinguitur, siue à *lege factorum*, vt crebrò Paulus loquitur in epistolis [a]: non autem quòd sufficiat ad plenam purgationem & sanctitatem animæ.

a Rom.3.28. c.4. 13. Gal.2. 16. Ephes.2 8. Phili.3.9. Tit. 3.4.

Inter legem Fidei & factorum quid sit discrimen.

Lex factorum imperat facienda: lex Fidei, siue Fides ipsa impetrat gratiam faciendi: ita vt lex etiam CHRISTI, vt aliquid imperat, sit lex factorum: & lex Fidei etiam fuerit in omnibus antiquis iustis. Iustitia legis, sunt quoque opera iusta præscripta à lege: iustitia ex lege, aut in lege, opera facta sine Fide per solam cognitionem naturalem: iustitiæ Fidei opera quæ fiunt ex fide, & per gratiā, quæ vocatur etiam iustitia DEI, sicut prior iustitia propria, seu priuata [b].

b Rom.10.3.

Cur Paulus agēs de iustificatione excludat opera.

Solet Paulus agens de iustificatione excludere opera, quæ non sunt ex fide, siue sint circa legalia, siue circa moralia. Contendit enim probare, præsertim cùm scribit ad Romanos, & Galatas, neminem iustificari sine fide in CHRISTVM, & gratuita DEI misericordia: idque non tantùm contra Iudaizantes, qui multùm confidebant in legalibus, sed contra Gentiles quoque, qui non minùs Philosophiam iactabant, quàm Iudæi legem. Quoniam ergo gratiæ primus effectus est Fides, & per hanc deducimur ad alia, quæ sunt necessaria iustificationi; ideò Fides dicitur purificare, atque etiam iustificare: quod perinde est, ac si hoc tantùm dicatur de gratia, quæ alia includit, vt opera bona, & ipsum habitum gratiæ sanctificantis. *Ideò per fidem*, inquit Augustinus [c], *iustificari dicit Apostolus hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrantur cetera.*

c de prædest. San. cap. 7.

Purificatio cordium cur Fidei tribuatur.

Itaque purificatio cordium peculiariter Fidei tribuitur, quia prima est in iustificatione dispositio, quæ sordes errorum, falsarúmque de DEO opinionum tenebras, ac de rebus diuinis dispergit, & abstergit: nec qui practicè credit, grauiorem vllam peccati maculam vel admittit, vel retinet. *Vos mundi estis*, ait suis CHRISTVS [d], *propter sermonem, quem loquutus sum vobis; Fides enim ex auditu*, & verbo prædicationis [e]. Si Fides sit perfecta, & viua, potest ei tribui iustificatio, vt formali causæ; sed ipsa præcisè habet se vt lumen; aut actuale in adultis, aut habituale tum in his, tum in infantibus, ad quos Bernardus [f] extendit præsentem sententiam. Et hac de causa omnes Græci, & multi Latini vocant Baptismum φωτισμὸν, & *illuminationem*. Augustinus [g] verò mysticè loquens ait *cæcum natum, cum à CHRISTO est inunctus luto, factum quodammodo Catechumenum; cum illuminatus, fuisse baptizatum.*

d Ioan.13.10.

e Rom.10.17.

f epist.67.

g Tract.44. in Ioan.

Econtrariò, peccatis ita corda obscurantur, & maculantur, vt interdum perueniatur ad extinctionem Fidei, vt experientia docet in hæreticis, & apostatis. Et de Hymenæo, atque Alexandro tradit Apostolus [h], quòd *repellentes bonam conscientiam, circa Fidem naufragauerunt.* Et de aliis, quòd *appetentes cupiditatem, errauerunt à Fide* [i]. Item de iis, *qui arrogantes sibi falsam scientiam circa Fidem exciderunt* [k].

h 1. Tim.1.19.

i 1. Tim.6.10.

k ibid.21.

Perfidia summum est vitium.

Vera est trita sententia, perfidiam summum esse vitium, ad quod nemo repentè, sed per aliorum quasi scalas descēdat. Nam Fidem cum vitiis etiam grauioribus consistere posse planè certum est. Illi, qui accusantem nō audiunt conscientiam, suáque vt defendant peccata, prouidentiam vindicis DEI negant, & quæ de animi immortalitate, resurrectione, pœnis, præmiísque futuræ vitæ proponuntur ad credendum, conficta mendacia putant, Fidem simul abiiciunt.

Porrò in purificandi verbo videtur Petrus indicasse *Circumcisionem spiritualem non manufactam* [l], *quæq; non in expoliatione carnis consistat, sed in interrogatione conscientiæ bonæ* [m]. Lege Concilium Tridentinum [n], quo pacto iustificatio nostra fieri censeatur per Fidem, videlicet *quia Fides est humanæ salutis initium, & fundamentum, atque radix iustificationis, sine qua sit impossibile placere DEO* [o].

l Coloss.2.11.

m 1. Pet.3.21.

n Sess.6.c.8.

o Heb.11.6.

Versus 10.] Nunc ergo quid tentatis DEVM, imponere iugum super ceruices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?

NVNC *ergo quid tentatis* DEVM?] Nisi aduersùs expressam, testatámque voluntatem DEI, DEVM tentare est, & velle aliis adhuc signis explorare, quod certi sumus illum velle, aut aliundè scire possumus: præterea cùm præfidentes subimus grauia pericula, quæ vitare possemus, quasi affuturum expectemus, eximium quoddam auxilium DEI, Vtroque modo tentabant hi Iudaizantes DEVM, & satis iam voluntatem diuinam edocti circa Gentilium conuersionem absque legis onere: & bene conscij de grauitate dicti oneris, quod cum Euangelico, quamuis *suauiore iugo* [p], portare velle, periculum est de DEI potentia facere, tantas ad vtrumque vires an valeat, velítve largiri, aut plus posse præsumere, si per seipsos vtrique satisfacere posse existiment sine diuino auxilio. Et, *Ille ergo tentat* DEVM, ait Beda [q], *qui ei aliter, quàm ipse præcepit, famulari, ac placere nititur, qui præcepta eius absque auxilio gratiæ eius seruare se posse confidit.*

Tentare Deum quid sit.

p Mat.11.30.

q Retract. in Acta.

Cur isti Deum tentare dicantur.

Oecumenius cum Chrysostomo tentationem constituit in diffidentia, quasi Fide accedentes ad se non possit DEVS saluos facere, sine Circumcisione. Alij, quòd DEVM inconstantem, ac mutabilem facere videantur, volentes, vt aliter denuò statuat de Gentilium salute, quam adeò apertè non semel declarauerit. Caietanus *tentare*, *vult esse ad iram, & vltionem prouocare aduersùs incredulos primo testimonio, ac velle quodammodo experiri, an possit* DEVS *iniuriam istam vlcisci.* Aliquando pro eo, quod Interpres noster ponit *Tentare*, LXX. habent [r], *Resistere*. Atque huius, & penultimæ significationis, quæ sunt affines, plura aliis in locis extant exempla [s], & proposito non malè congruūt. Neque verò etiam planè abhorret à commodo sensu hæc alia explicatio, si iungentes verba ista: *Quid tentatis* DEVM? cum sequenti, *imponere*, ita interpretemur, iuxta hanc aliam significationem verbi *tentare*, pro *aggredi*, & *conari*. *Quid tentatis?* id est, aggredimini hoc efficere, vt DEO etiam auctore persuadeatis esse imponendum onus, &c. & DEVM ipsum ἐπιθεῖναι, imposuisse.

r vt Mal.3.15.

s Exod.17.2.7. Num.14.22. Psal.77.18.41. Psa.94.9. Psa. 105.14. Mat.4. 7.

Imponere iugum super ceruices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?] Loquitur de lege cæremoniali: alia enim moralia nobis quoque imponuntur, vt sæpe monet Augustinus [t], docens, *ratione istorum non distingui duplex Testamentum*. Leo [u] item, qui ait, *quæ vtrique Testamento erant congrua, nulla esse commutatione variata.*

t lib. de Spir. & lit. c.14.10. cont. Faust. c. 2. Tract. 3. in Ioan. in Psal. 71.

u Ser. 6. de Ieiun. decimi mēsis. & Ser. 14. de Pass.

Collegerunt præterea idem Augustinus [x], & Cyprianus [y], atque Clemens Alexandrinus [z], ex vtroque Testamento præcepta moralia, quibus vita Christianorum ad iustitiæ perfectionem informatur. Et Basilius [a] testis est, *se idem opus meditatum,*

x Tom. 3. in Speculo.

y lib. 3. ad Quirinum.

z lib. 3. Pedag. c. 10.

a præf. Moral.

tatum, cùm non licuerit ei tamen colligere, nisi ex nouo. CHRISTVS ad vitam ingredi volenti ait *seruanda mandata* [a], nempe moralia: quantùm ad alia, legis iugum graue significat, cùm ad suum *leue, ac suaue* [b] inuitat, vt exponit Hilarius [c]. Sunt etiam, quæ vocat *onera grauia, & importabilia* [d], si credimus Theophylacto [e].

Abulensis [f] recenset vniuersæ legis præcepta sexcenta, & tredecim, affirmantia ducenta & octodecim, negantia trecenta sexagintaquinque. Necnon Gulielmus Parisiensis [g], & Galatinus [h], & Paulus Burgensis [i]. Rabbi autem Moses, vt refert Carthusianus hoc loco, quot sunt ossa in homine. Et Augustinus [k] nominat *sarcinam innumerabilium obseruationum.* Sed apud ipsummet Rabbi Moysem [l] reperio affirmatiua ducenta & octodecim secundùm numerum membrorum, & negatiua trecenta sexagintaquinque, secundùm numerum dierum anni.

Opus fuit in lege tot præceptis, vt rudis, ac peruicax populus hoc pacto magis constringeretur, sicut iam citatus Episcopus Parisiensis docet: vt eidem populo tot intento cæremoniis, non vacaret alios libros, doctrinámve consulere, qua abriperetur ad idololatriam, vt magis constaret humanarum virium imbecillitas, & gratiæ, atque CHRISTI necessitas [m]; vt iis, tanquàm variis lineamentis, picturísque lex Euangelica adumbraretur, ac præfiguraretur. Quorum Iudæi, quia vim omnium non assequebantur, & velut aut absurda, aut inutilia ducebant, præter paucos Patriarchas, & Prophetas, facilè ea excutiebant, & præuaricati etiam deficiebant.

Non potuerunt id iugum portare, neque antecessores Apostolorum, neque ipsi, quia ægrè, & difficulter, eo sensu, quo peccatum blasphemiæ in SPIRITVM sanctum, propter grauitatem dicitur *irremissibile* [n]. Nam DEVS *non iubet impossibilia, sed iubendo admonet*, inquit Augustinus [o], *& facere quod possis, & petere quod non possis.* Et Hieronymus [p] execrari se scribit *eorum blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid homini à DEO præceptum esse.* Idem quoque execratur Concilium Tridentinum [q].

Vidimus superiùs [r], Dauid vocatum virum *secundùm cor DEI, & huius omnes voluntates fecisse.* Ipsemet dicit [f], *sæpe toto se corde DEVM exquisiuisse, & ei confessum esse* [t]. Iosias quoque dicitur ad Dominum reuertisse *omni corde suo, in tota anima sua, in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi* [u]. De Asa item scriptum est [x], *quòd cor ipsius perfectum erat cunctis diebus eius.* Et de subditis eiusdem, *quòd iurauerunt Domino in omni corde suo, & in tota voluntate quæsierunt, & inuenerunt* [y]. Postremò hoc Iosue elogium edit Scriptura [z]: *Sicut præceperat Dominus Moysi seruo suo, ita præcepit Moyses Iosue, & ille vniuersa compleuit, non præteriit de vniuersis mandatis nec vnum quidem verbum, quod iusserat Dominus Moysi.*

Nec dubitandum, quin idem pronunciari possit de eodem Mose, de Abraham, Samuële, Elia, Elisæo, Esaia, Ieremia, aliísque Testamenti veteris hominibus, ad quos referre possumus parentes Ioannis [a] *iustos ante DEVM, & incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.*

De nouo Testamento nihil dico, in quo tamen etiam hæretici non verentur impossibilia dicere DEI mandata, quos antè citata Tridentina Synodus damnat. Hieronymus [b] etiam, Augustinus [c], Beda [d], Chrysostomus [e], & plures alij. Huius Testamenti, vt dictum est, *iugum est suaue, & onus leue:* non quia sint pauciora mandata moralia. Qua de

a Mat. 19. 17.
b Mat. 11. 30.
c Can. 31. in Matth.
d Mat. 23. 4.
e in Matth.
f in c. 1. Ruth. quæst. 24.
Legis præcepta quot sint.
g lib. de Fide, & leg. cap. 1.
h lib. 11. c. 4.
i 1. p. Scrutin. dist. 8. cap. 9.
k Serm. 9. de verb. Dom.
l 3. Doctoris dubi. cap. 6.
Præcepta tot cur Iudæis data sint.
m Aug. ep. 44 & lib. de Spir. & lit. cap. 11.
Quomodo hæc præcepta sint dicta impossibilia.
n Mat. 12. 31.
o de natur. & grat. c. 43.
p ep. ad Dam. de expositio. Symboli.
q Sess. 6. c. 18. *Plurimi in lege veteri omnia legis præcepta seruasse reperiuntur.*
r Act. 13. 22. & 1. Reg. 13. 14.
f vt Ps. 118. 10.
t Psa. 9. 2. 110. 1. 137. 1.
u 4. Reg. 23. 25.
x 2. Par. 15. 17.
y ibid. 15.
z Iosu. 11. 15.
a Luc. 1. 6. *In nouo Testamento impossibilia non præcipiuntur.*
b ep. ad Ctes. & epi. ad Celantiam.
c in Psa. 40 & 73. de nat. & grat cap. 69. de Spir. & lit. cap. 19.
d lib. 1 in Cát.
e Hom. 38. 32. 57. in Matth.

A re lege citatum Burgensem: Leo [f] enim ait, *quòd in præceptis moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata sunt, sed Euangelico ministerio multa sunt aucta, vt perfectiora, & lucidiora essent dantia salutem, quàm promittentia* SALVATOREM.

Neque quòd moralia præcepta, prout sunt in vetere Testamento, vt voluit Soto [g], non obligent, quem rectè confutat Bellarminus [h], verùm aliis de causis. Primùm liberati sumus ab oneribus legis cæremonialibus, & iudicialibus. In quo sensu propriè loquitur Petrus, eumque præ aliis optimè Cyrillus Ierosolymitanus [i] explicat: quoniam quæstio excitata erat de Circumcisione, & similibus cæremoniis. Et ex hoc genere iudicauit

B Concilium, vt necessariam præscribere ad tempus *solam abstinentiam ab immolatis simulacrorum, & à suffocato, & sanguine.* Prætereà etiam, idque absolutè, *à fornicatione*, quam Gentiles non habebant pro peccato. Ex hoc sequitur causa secunda, quoniam pauciora continet Sacramenta, seu ritus, & vnicum sacrificium: vt proinde [k] *verbum breuiatum* dicatur Testamentum nouum, siue *decisus sermo*, vt loquitur Tertullianus [l]: *quia*, inquit iste, *compendiatum est nouum Testamentum, & à legis laciniosis oneribus expeditum:* vel *abbreuiatus, atque perfectus sermo Euangelicus*, vt ait Hieronymus [m], quoniam pro cũctis laciniosæ legis cæremoniis dedit præ-

C ceptum breuissimum dilectionis, & fidei. Et quia, vt Augustinus [n], *remotis innumerabilibus, & multiplicibus Sacramentis, quibus Iudaicus populus premebatur, per misericordiam* DEI *factum est, vt breuitate confessionis Fidei ad salutem perueniremus.*

Eodem ferè modo reliqui Paulinæ ad Romanos epistolæ [o] interpretes, vt Origenes, Theodoretus, Oecumenius, & apud eum Photius, Theophylactus, Primasius, & Cyprianus [p], & rursum Augustinus [q], & Eusebius [r], & Basilius [f], & Ambrosius [t]. Pacianus [u] verò *donatam* ait *in nouo Testamento syluam delictorum*, id est, condonatam, *& remediorum indulgentiam destinatam, quoniam in pauca conclusi sumus, & necessaria, quæ & seruare facillimum sit, & cauere: vt meritissimò Tartarum non recuset, qui tanta donationi ingratus, ne hæc quidem pauca seruet.*

D Deinde nouum Testamentum est amoris, *cui nihil difficile*; vetus, timoris, *qui pœnam habet* [x]: in vtroque vterque est, sed *præualet in nouo amor, timor in vetere*, vt ait Augustinus [y]: quia hîc seruitus, ibi libertas; *& decuit timore parari viam ad amorem, atque tanquàm linum per setam introduci* [z]: ibi *erant onera seruorum, hic gloria filiorum* [a]: *ibi corporales pœnæ, & supplicia*, inquit Chrysostomus [b], & Theophylactus [c], & *qui ibi erant iusti, ac ideò filij non à statu legis id habebant, quæ filios coërcebat veluti pædagogus* [d], *tutor, & actor* [e], sed à gratia per CHRISTVM, qui aduentu suo abstulit statum seruitutis, asseruítque in libertatem filiorum, & redemit

E eos qui sub lege serui erant, vt reciperent adoptionem, statumque filiorum.

Prætereà *graue iugum legis, quia vile præmium eius terra, nimirum in promissione*, inquit Bernardus [f]: & alij Patres putant regni cœlorum suaue nomen inauditum esse ante prædicationem Ioannis, vt Hieronymus [g], & Augustinus [h], & Theophylactus [i]. Certè obscura tantùm mentio est in veteri Scriptura, & valdè confusa de regno cœlorum, & vita, ac beatitudine æterna, & lex ipsa non promittebat hoc præmium ratione legis obseruatæ, sed propter gratiam per CHRISTVM, & fidem in ipsum, qui CHRISTVS cum gratia, & ei respondente gloria & promissione ipsius pertinet

f Serm. 4. de ... Domi...
g de iusti. q. ... art. 4
h lib. 4. de iustific. c. 4.
A quibus præceptis lege per Christum liberati sumus.
i Catechef. 17.
k Rom. 9. 28. Esa. 10. 22. & 23.
l lib. 4. cõtra Marcioné. ca. 1. & 16.
m in cap. 10. Esaiæ.
n in c. p. ep. ad Rom.
o in cap. ...
p in orat. Domin. & in Symb.
q tractatu 16. in Ioan. & l. ad Simplic. q. 2.
r 3. de Demonst. c. 40.
f in c. 10. Esa.
t de Tobia c. 20. & præfat. in ep. ad Gal.
Testamenti veteris et noui amor.
u Tractat. de pœnit.
x 1. Ioan. 4. 18.
y libro de Mo[r]ib. Eccl. c. 28. & cont. Adimant. c. 16. & 17.
z tract. 9. in Ioan.
a cont. Adimant. c. 16.
b in cap. 8. ad Rom.
c ibid.
d Gal. 3. 24.
e cap. 4. 2.
Præmij vetus, quo legis differentia.
f Serm. 30. in Cantic.
g 1. cont. Pelag.
h ep. 120. & de Ciuit. cap. 11. 4. cont. Faust.
i in cap. 16. Lucæ.

ad nouum

ad nouum Testamentum, ita *vt iustificatio legis ex operibus non prouenirer* [a], sed *illa potius occideret* [b], *& delictum abundare faceret* [c], *& virtus peccati esset* [d], *occasione nimirum accepta ab homine, seu à concupiscentia eius* [e], & *ministratio mortis, ac damnationis* [f], *quia Spiritus vitam*, hoc est, *gratiam vi sua largiri nequibat, & concupiscentiā prohibēdo augebat*, vt ait Augustinus [g]: propterea *scripta in tabulis lapideis, non cordis carnalibus* [h], sine gratia, & charitate emolliente, ac mollem facilémque reddente obseruationem mandatorum DEI. Denique *eiecta ancilla Agar panis datur hordeaceus, & aquæ vter scapulæ eius imponitur, eiicitúrque cum filio* [i]: quia *Synagoga*, inquit Rupertus [k], *vera patris Abrahæ hereditate priuata solùm literalem sensum baiulans, sub onere importabili* (de quo Petrus hoc loco) *anhelat*.

Rom. 3. 20. 1. 3, 16. ca. 1. & seq. .Cor. 3. 6. om. 5. 20. .Cor. 15. 56. nfrà 7. 8. .Cor. 3. 9. le Sp. & lit. p. 14. .Cor. 3. 3. en 21. 21. b 6. in Ge. . 22.

Has aliásque similes ob causas iugum fuit lex vetus onerans, non roborans: iubens, non iuuans: superflua, hoc est, non præcisè necessaria tantùm, ingerens: suppliciis territans: temporali solo præmio inuitans: difficile ad portandum tum quod spectat ad moralia etiam præcepta: tum potissimùm, vt per se intendit nunc Petrus, quantùm ad cæremonialia, & iudicialia, quæ non solùm gratia interna indigebant ad hoc vt implerentur, sicut illa (lex enim vetus non habebat statum gratiæ) sed exercebant, & vexabant vires ipsas naturales, & cum prioribus coniuncta penè illas ita prosternebant, vt maximum laborem, & curam requirerent ad sui obseruationem. *Nunc hæc est charitas* DEI, ait Ioannes [l], *vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt: quoniam omne quod natum est ex* DEO, *vincit mūdum*. Quo loco lege commentarium nostrum. *Hæc sarcina non est pondus onerati, sed ala volaturi*, inquit Augustinus [m], & Bernardus [n]. *Hoc iugum*, ait Ambrosius [o], *bonum, & leue est, quod habenis pacis ac gratiæ vinculis magis erigat, quàm deprimat copulatos: spes ac merces beatitudinis id maximè operantur; alioqui quis non Euangelium legalibus præceptis multò laboriosius atque ærumnosius esse dixerit* inquit Nazianzenus [p]. Hilarius [q] huc vult spectare qui dicunt in Psalmo [r]: *Disrumpamus vincula eorum*, id est, peccata Gentilium, *& proiiciamus à nobis* (quibus erat impositum) *iugum ipsorum*, id est, legis ac Iudæorum, inuitari ad suaue, & leue sanctificationis Euangelicæ.

5. 3. 4. 1. 22. de .post. :341. 3. Luc. . 2. de ılm. 2. 1.

Quapropter vanum est argumentum, quod hinc Lutherus, Caluinus, aliique hæretici colligunt, pro libertate Euangelica, eam intelligentes esse immunitatem ab exercitio bonorū operum, atque obedientia mandatorum DEI: vtentésque hoc libertatis velamine pro sua malitia, & effræni ad omnia vitia licentia. Licebit potiùs cum Fausto apud Augustinum [s] argumentari: *Si Apostolis licuit sub eodem Testamento vetere natis, ab eo discedere, nobis quare non liceat, in quo nati non sumus, non vsurpare?* hoc est, cæremonias legis, quamuis, quod ille nolebat, vtiliter ea legantur in sacra Scriptura veteris Testamenti, tanquàm figuræ noui. Recipi quoque poterit Oecumenij admonitio, *ne quæ difficulter expleri possunt, nimium ieiunium, nuditas, silentium, atque huiusmodi, cuipiam imponantur, nisi quis ea sibi imperarit, seu voti se ad ea lege constrinxerit*. Hoc iugum volenti lene est, præsertim *si portauerit ab adolescentia* [t], & *subiiciens ei collum, suscipiat disciplinam* [u]. Apud Esaiam [x] pro eo quod legimus: *Filiæ tuæ de latere surgent*, LXX. legunt: *In humeris portabuntur*, ἐπ' ὤμων ἀρθήσονται: Chald. *super latera portabuntur*, על גסבן יתנסבון *hhal gisçban iithnasçbun*, hoc est, *nihil iis, qui ex Gentibus venient, graue,*

i mali noher. ligant. Faust. ap. 1. 3. 27. 3. 14. 4.

A *durúmque imponetur*, vt ibi exponit Cyrillus Alexandrinus. Hoc item ait Aponius [y], esse *commorari inter vbera sponsæ, & lac bibere*, nempe imperare, sicut nunc Apostoli fecerunt, quæ per gradus prouocent ad cultum diuini operis, & non in desperationem adducant. Idem ferè habet Hieronymus [z]. Legendus hac de re Barradius noster [a], & Maldonatus [b].

y li. 3. in Cā. tom. 1. Biblio. Patr. z 1. cont. Ioui. a lib. 1. Harm. Euang. ca. 10. b in c. 11. Mat.

Versus 11.] Sed per gratiam Domini IESV CHRISTI credimus saluari, quemadmodum & illi.

SED *per gratiam Domini*.] Non sunt obligandi Christiani ad cæremonias legis, non modò B quia sunt iugum grauissimum, sed etiam quoniam inutiles ad iustificationem, nec per eas, sed per CHRISTI gratiam credamus nos saluari, sicut & Patres nostri saluati sunt.

Christiani ad cæremonias legis cur non obligandi.

Quòd salus nulli vnquàm in illa lege contigerit, nisi per IESVM CHRISTVM, capite quarto [c] ostensum est, & nihil frequentiùs in Scripturis inculcatur, maximè in epistolis Pauli [d], & à Patribus, præsertim Augustino [e].

c vers. 12. d Rom. 3. 22. c. 5. 1. & seq. 1. Tim. 1. 15. He. 9. 11. & seq. 2. Cor. 4. 13. e epist. 157, 18. de Ciu. ca. 47. 19. cont. Fau. c. 14 in Ps. 50. Tract. 45. in Ioan. lib. 1. cō. duas epi. Pel. c. 7. & 21. lib. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 11. f Hom. 17. in Ezech.

Gregorius [f] verò scitè aduertit, *Osanna* decantatum CHRISTO, quod Latinè significat, *salua nos*, quoniam ab ipso salutem & priores quæsierunt, & præsentes quærunt, & *benedictum qui venit in nomine Domini confitentur*; & vna spes, vna fides C est præcedentium atque sequentium populorum, quémque priores nostri ex Iudaico populo crediderunt, atque amauerunt venturum, hunc nos & venisse credimus, & amamus.

Hæc est causa cur dicatur *Agnus occisus ab origine mundi* [g], quia quamuis reipsa multò pòst fuerit, & quantùm ad præscientiam ac decretum diuinum, ab æterno; tunc, hoc est, à principio mūdi, non solùm præfiguratus est sacrificiis & prænunciatus prophetiis, sed etiam cœpit eius sanguis hominum mederi vulneribus, & acceptauit PATER mortem FILII, ac propter eam contulit omnibus gratiam. *Dicit Petrus Apostolus*, inquit Augustinus [h], *per gratiam Domini nostri* IESV CHRISTI *credimus nos saluos fieri, quemadmodū & illi, scilicet* D *Patres. Hoc vos nō vultis inimici gratiæ* DEI, *vt eadem gratia* CHRISTI *salui credatur antiqui, sed distribuitis tempora secundū Pelagium, in cuius libris hoc legitur, & ante legē dicitis saluos factos esse per naturā, deinde per legem, postremò per* CHRISTVM, *quasi hominibus duorum superiorum temporum, ante legem scilicet, & in lege, sanguis* CHRISTI *non fuerit necessarius, euacuantes quod dictum est* [i], *Vnus* DEVS, *& vnus Mediator* DEI *& hominum homo* CHRISTVS IESVS.

Quicunque salui facti sunt ab initio mundi, Christi virtute id habuerunt. g Apoc. 13. 8. h libr. 2. cont. duas epi. Pel. cap. 2.. i 1. Tim. 2. 5.

Quemadmodum & illi.] Scilicet Patres, vt Augustinum exponentem audiuimus, & intellexit Beda, Lyranus, Carthusianus, aliique, multò meliùs, quàm qui Gentiles, vt Glossa interlinearis, Hugo (qui & nostram expositionem profert) & Caietanus. E Nam exemplo ducto à Patribus ipsis argumentatur: Si iis lex ad salutem non profuit, multò minùs Gentilibus. Lege Barradium [k] de prærogatiuis noui Testamenti, quæ maximè conducunt ad hunc locum.

k in Harmon Euang. libr. 1. toto.

Versus 12.] Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam, & Paulum narrantes quanta DEVS fecisset signa, & prodigia in Gentibus per eos.

TACVIT *autem omnis multitudo*.] Denotatur eo silentio approbasse omnes quæ dixerat

Petrus, & eius auctoritati acquieuisse: *Neque enim*, ait Turrianus [a], *silentium factum est ad audiendum Paulum, perinde ac si priùs omnes confusè loquerentur.* Idem anteà docuerat Lyranus, quod magis probo, quàm vel reuerentiæ causâ, vel vt ordinem in loquendo seruarent, abrumpere Petri orationem noluisse: quod notant Hugo, & Carthusianus: vel attentos fuisse ad tractationem de rebus diuinis. Vera quidem enim hæc omnia, sed moralia potiùs, quàm historica; silentiúmque factum dicitur, non cùm sermo haberetur, sed cùm finitus est.

[a 2. con. Magdeb. cap 5.]

Tacere quid significet.

Tacere seu silere inter alias significationes denotat non conqueri, nec externum consilium, opémve desiderare [b], pudore suffundi [c], neque habere, quod excipias, respondeásve: reuereri, & humiliter se gerere [d], ita vt L X X. quandoque interpretentur per τῷ εὐλαβεῖσθαι [e]: dedere se ac subiicere potestati alterius [f]: cessare ab omni non tantùm verbo, sed etiam opere [g], quo pacto Dauid [h] rogat DEVM: *Ne sileas à me, ne quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum*, id est, si nihil facis in me, si non auxilieris, &c.

[b Isa. 10. 15. Iere 8. 14. Thr. 3. 25. 27. c Mich. 2. 7. 9. d Soph 1. 7. Iob. 29. 21. e Sophon 1. 7. Hab. 2. 22. f 1. Mach. 1. 3. g 2. Reg. 19. 10. h Psa. 27. 1. Ps. 34. 22.]

Hæc omnia conueniunt præsenti sententiæ, illámque illustrant. Nescio tamen, an magnum fieri in silentio isto momentum possit, cùm paulò pòst, vbi Paulus ac Barnabas finem narrandi fecerunt, dicatur Iacobus locutus. Illud sanè testantur historiæ, cùm Legati Sedis Apostolicæ dixissent in œcumenica Synodo sententiam, mox reliquos acquieuisse.

Audiebant Barnabam, & Paulum narrantes quanta DEVS *fecisset signa, & prodigia in Gentibus per eos.*] Barnabam præponi Paulo quidam hîc volunt, vt vocatione priorem: sed Syra editio constituit priore loco Paulum. Nec arbitror exactam ea in re rationem habitam, cum nunc alter potius legatur ante alterum, vicéque versâ. Initio quidem capitis prior nominatus est Paulus, & deinceps post versum istum [i], at prior quoque Barnabas [k], vbi tamen Syra editio collocat Paulum ante Barnabam.

[i vers. 22. 35. k vers. 25.]

[illegible]

Porrò verisimile est, Petro annuente hos Apostolos narrasse, in frequentiore concione, sicut priùs in minùs frequenti, vt post disceptationem, & sententiam cuiusmodi narratione, tanquàm diuino testimonio, confirmarent, & obsignarent, quæ de iugo legis Gentibus non imponendo dicta atque definita erant. Fieri quoque potest, vt Petrus in Sermone quem habuit, repetierit historiam de Cornelio. Itaque docebant isti doctrinam à se traditam Gentibus, in qua nulla de Circumcisione, & ceremoniali lege præceptio fuerat, approbatam fuisse à DEO, contestante signis atque prodigiis: cuiusmodi proferre Iudaizantes exemplum non poterant, quo probarent Euangelio Circumcisionem, tàquam necessariam, coniungendam esse. Narrabat verò vterque, non simul, sed vicissim, aut alter nomine vtriusque, res ab vtroque communiter gestas.

Signa, & prodigia.] Præter ea, quæ de vocabulis istis antè dixi [l], obseruandum est, crebriorem illorum vsum esse in nouo Testamento, quàm nominis miraculorum.

[l ca. 2. & 4. & 6.]

Notauit Origenes [m] *non rarò signa seorsim, prodigia sine signis non reperiri: prodigia verò esse res mirificas supra opinionem, morem, vires hominis*, naturæ etiam. *Signa, quæ quid insuper declarant.* CHRISTVS totus erat signum, ac prodigium, & portentum, suóque modo Apostoli, & Apostolici viri.

[m Tom. 13. in Ioan.]

Ecce ego, ait apud Esaiam [n] CHRISTVS, *& pueri mei, quos dedit mihi Dominus, in signum, & in portentum Israël à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.* De hoc loco Interpretes Origenes, Cyrillus, Procopius, necnon Clemens Alexandrinus [o], & Eusebius [p] agunt.

[n cap. 8. 18. o 1. Pædag. c. p 5. de Demonst. c. 14.]

Versus 13.] Et postquàm tacuerunt, respondit Iacobus, dicens: Viri fratres, audite me.

ET *postquàm tacuerunt.*] De tacendi verbo paulò antè diximus.

Respondit Iacobus.] Syrus, קָם *kam*, id est, *surrexit*. Sed ἀπεκρίθη, est id, quod Interpres noster vertit. Quæ dixi capite III. [q] de vsu verbi respondendi, huc transferenda sunt, præsertim vt sit idem quod protestari, & satisfacere. Id facit Iacobus quasi ex officio. Erat enim illius vrbis Episcopus, in qua præter eos, qui venerant Antiochia, surrexerant quidam ex Pharisæis facti Christiani, vt vidimus; oportebat verò populum ei peculiariter subiectum ex ipso intelligere, vt cum capite suo Petro concordaret. Hunc ipsum capite primo [r] demonstrauimus Apostolum fuisse.

[q vers. 12. r vers. 13.]

In Concilio sententiam quisque ordine suo dicit, qui ordo ex ordinationis antiquitate sumitur, iuxta decretum Concilij Toletani IV. [s] nunc ordinis ratio habita non est, si verum est, vel omnes Apostolos ordinatos à CHRISTO, quod credi magis debet; vel Iacobum à Petro, Iacobo fratre Ioannis, & Ioanne; hi enim iam ordinati erant, vt alios possent ordinare.

[s can. 1.]

Viri fratres, audite me.] *Quàm breue facit preambulum*, inquit Carthusianus, contra eos qui tædiosa prolixitate verba multiplicant. Nondum verò inuentæ ac receptæ erant honorificæ tot appellationes, ac tituli, quibus posteà summi Pontifices, aliique Prælati cum decoro insigniri, ac distingui solent.

Versus 14.] Simon narrauit quemadmodum primùm DEVS visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo.

SIMON *narrauit.*] Græcè Συμεὼν, Syrus etiam ita habet, שמעון *schemeòhon*, sed & hic Interpres vbique ferè semper idem hoc modo nomen pro Petro ponit, non istud, inquam, exprimens, sed illud. Mirum est cuiquam venire in mentem potuisse, an hic sit Simeon ille, qui CHRISTVM vlnis infantem excepit [t], cuius opinionis meminerunt Chrysostomus, & Oecumenius.

[t Luc. 2. 25.]

Erasmus post Laurentium Vallam, cuius clàm notationes frequenter surripit, vel errorem esse suspicatur in voce Simeon, vel idem esse quod Simon, nisi quòd Simeon Hebraicè dicatur, Græcè inflexa voce Simon, vt à Saül Saülus: Iacobum verò, qui Hebraicè loquebatur, dixisse Simeon. Hac ratione oporteret epistolam Petri secundam Hebraicè scriptam: sic enim incipit in textu Græco, Συμεὼν Πέτρος. Verùm iidē Hebræi nomen שִׁמְעוֹן *schimhhon* raptim pronunciant, quia sceua post punctum breue supprimunt; Græci autem contractionem illam mem literæ cum sceua protendunt aliquando, dicúntque Simeon.

Erasmi error è Valla desumptus.

Quòd si Græca inflexio esset, sicut à Saül Saülus, dici deberet Simonus, ab Hebræa voce שִׁמְעוֹן *schimhhon*, & non item purè Hebraicè Simon.

Senex

Senex ille exceptor CHRISTI, qui Latinè Simeon vocatur, eodem pacto nominatur & Syriacè & Græcè [a]. Simon Cananæus [b] Hebraicè Simeon, Syriacè Semun: quod Interpres dicit Simeon, Græcè Συμεών. Idem est de Simone Cyrenæo [c], & de Simone Leproso [d], & de Simone Coriario [e], & de Pharisæo [f], & de patre Iudæ proditoris [g], & de Mago [h]: nisi quòd Syriacè vocatur שמון *schimon*.

a Luc. 2. 25. b Matth. 10. 4. Marc. 3. 18. Luc. 6. 15. Act. 1. 13. c Matt. 27. 32. & Marc. 15. 21. Luc. 23. 26. d Mat. 14. 3. e Act. 9. 43. & 10. 6. f Luc. 7. 40. g Ioann. 6. 71. & c. 13. 2. 26. h Act. 8. 9.

Quod ad Petrum attinet, quando vocatur Simon, est etiam Syriacè, vt reddit Interpres, *Simeon*, aut suppresso sceua, שמעון *Some semum*, Græcè autem Σίμων [i]. In libris Paralipomenon inuenitur nomen Simon Hebraicè שמעון Græcè Συμεών. In libris Machabæorum est Σίμων, quoties Latinè nomen proprium Simon: in libro Ecclesiastici [k], pro eo quod habemus Simeon, Græcus textus expressit Σίμων.

i Matt. 4. 18. c. 10. 2. c. 16. 16. & alibi semper. k cap. 50. 1.

Non videtur mihi valdè solida opinio eorum [l], qui Apostolum nostrum Simonem dictum volunt Hebraicè שמון quasi *pinguem, & impinguatum gratiæ donis, & prærogatiuis spiritus*. Vt enim docui, idem est nomen Simon & Simeon, & aliquando reperitur saltem in textu Græco dictus Petrus *Simeon*: nec minor laus eius est, ex etymologia à שמע *schamahh*, quæ ponitur in Genesi [m], hoc est, *audire*, & *etiam obedire*, quàm illa alia à שמן *schaman*, quod est *impinguare*.

Nominis Simonis etymologia. l Tolet. in c. 1. Ioann. an. 4. m Gen. 29. 33.

Ceterum Princeps Apostolorum, cui CHRISTVS cognomen dedit Cepha, siue Petrus, sæpiùs quidem ex isto cognomine appellatur, & modò, & passim non aliter [n], ob honorem CHRISTI id imponentis, vel ob primatum, qui per illud cognomen denotatur. Attamen interdum Simon, vel Simon Bar-Iona, vel Simon Petrus, nunc ab Euangelistis, nunc à CHRISTO [o], nunc à seipso [p]. Cephas etiam Syrum vocabulum in epistolis Pauli relictum [q] est, quod Latinè, Græcéque est Petrus: de quo satis multa in capite primo [r]. Superfluè fecisse Syrus interpres videtur, qui sæpiùs pro Petro Simonem, vt dixi, ponit, dum titulum epistolis Apostoli præfixit: אגרתא דפטרוס שליחא שמעון כאפא *aggartha depetrus schelitha schimhhun chepha*, i. *Epistola Petri schemun*, siue *schomeoun Kipho Apostoli*; siquidem quod est Syriacè *Kipho*, aut *Kepha*, id est Latinè, Græcéque *Petrus*.

n Luc. 6. 14. & 10. 5. 18. c. 11. 13. Exempla oblata. p epist. 1. 1. q 1. Cor. 1. 12. & 3. 22. c. 9. 5. c. 15. 5. Galat. 2. 9. r c. 1. 13.

At enimuerò, vt ad propositum reuertamur, quis possit dubitare, Simonem, qui hic nominatur, esse illum ipsum, cuius habiti sermonis summam recitat Iacobus? Admonuit id quoque Isidorus Clarius; sed quasi duplex nomen sit Simon ac Simeon, conueniens eidem. Præterea Turrianus [s] noster nixus auctoritate Clementis [t], in Constitutionibus, quarum ille ipse illum auctorem esse pugnaciter defendit.

s l. contra gdeburg. l. c. 5. t 6. c. 12.

Narrauit.] ἐξηγήσατο. Syrus, אשתעי *esthabbi*. Retulit verbū Græcum, inquit Turrianus [u], dum probat longiorem Petri orationem fuisse, atque narratam in ea iam tertiò ab illo historiam Cornelij non concisè, & summatim, sed fusiùs, & explicatiùs *exponere significat, ac planè id, quod in capite vndecimo* [x], *quando introducitur Petrus pro se respondere circa idem factum, Lucas scribit* ἐξετίθετο καθ' ἑξῆς, *exponebat illis ordinem, seu ordine, aut secundum ordinem, & sensim, ac deinceps*. Placet Græci verbi explicatio, ad quam quoque facit nomen ἐξηγήσεως, aut ἐξηγήματος, pro *explicatione*, atque *enarratione*, necnon ἐξηγητὴς, pro *enarratore*, ac *explanatore*, & ἐξηγητικῶν, pro *explanationibus*: eóque magis, si hæc omnia peculiariter de rebus sacris, & ad DEI cultum spectantibus vsurpantur, vt Budæo [y] placuit, cum Macrobio, & Scholiaste Sophoclis [z]. Latinæ linguæ periti vsurpant *narrare*, pro *dicere, recitare*. Vnde Poëta [a]:

u contra deburg. c. 5. x c. 5.

y in Comment. linguæ Græcæ. z citat Auctor Thesauri linguæ Græcæ. a Propertius lib. 2. Eleg. 1.

— *Nauita de ventis, de tauris narrat arator.*

Primùm.] Hoc est quod Petrus dicebat: *Ab antiquis diebus*. Non significat ergo, *Ab æterno*, vt ibi monuimus, aut *A principio, antequàm DEVS quidquam faceret*. Etsi Prosper [b] videatur ei expositioni aliquo modo fauere.

b 2. de vocat. Gentiū c. 18.

Visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo.] Ἐπεσκέψατο. Syrus, שרי *schari, cœperit*. Gagneius putat aptiùs dici potuisse, *considerauit*, nempe, assumendum esse ex Gentibus populum nomini suo. Non satis bene considerauit hic Auctor: quid enim est, DEVM considerasse, nisi effectum aliquem denuò operatum, perinde ac si mutata sententia meliùs deliberasset? Id quidem vtrumque ferri potest, loquendo humano more de DEO, atque intelligendo Gentiles, reiectis Iudæis, electos: tamen hoc totum simpliciùs expressit verbum visitandi. Græcum quoque τὸ ἐπισκέπτεσθαι, innuit motum quendam, ac impetum celeriorem, & vehementiorem incumbentis in aliquid, ac veluti superintendere: vnde & Episcopus à simili ἐπισκοπεῖν, de quo in capite primo [c].

Quid sit Deum considerare. c vers. 20.

Visitare, ac visitatio in bonam, malámque partem accipiuntur, pro beneficentia [d], & punitione [e]. Nam qui requirit, verbi gratia, quid agatur domi, & rationem exigit, castigat, si opus est, aut etiam laudat, & præmio afficit. Vt autem in malam partem sumitur Hebræum פקד *pakad*, LXX. reddunt nonnunquàm per ἐκδικεῖν, *diiudicare*, & *condemnare*. Latinus interpres per *inferre furorem* [f], *reddere iniquitatem* [g]. In promiscua significatione visitatio quandoque est idem, quod *examen*, & *iudicium diuinum* [h]. Cur vltio visitationis nomine dicatur, Hieronymus [i] causam reddit, quoniam sit quasi ægrotantis, quasi habentis vulnera, quasi medicas expectantis manus. Quam significationem, sed in bono sensu, Glossa interlinearis, & Hugo hîc assignant: vt visitauerit DEVS Gentes, quia infirmæ erant: quod scilicet etiam non per vltionem, sed per consolationem factum accipi debet. Cyprianus [k] prima Cantici Zachariæ patris Ioannis verba ita legit: *Benedictus Dominus DEVS Israël, qui prospexit redemptionem populo suo.* Eodémque modo legere potuisset hoc loco: *Prospexit sumere*, &c. Verùm, vt dixi, editio nostra rem meliùs expressit vtrobique. Lege Toletum in Lucam [l]. Visitatio potest significare descensum Filij DEI de cœlo per Incarnationem, sicut in eodem Cantico: *Visitauit nos Oriens ex alto.*

Visitare & visitatio in bonam, & malam partem accipitur. d Luc. 1. 68. 78. cap. 19. 44. Gen. 21. 1. cap. 50. 23. 24. Exod. 3. 16. c. 4. 31. Psal. 8. 5. Ps. 64. 10. Ps. 79. 15. Psal. 105. 4. e Ps. 88. 33. Iere. 9. 9. 25. Oseæ 1. 4. Exo. 20. 5. ca. 32. 34. Esai. 23. 17. & apud Prophetas passim. f Iob 35. 15. g Exod. 34. 7. h 1 Petr. 2. 12. c. 5. 6. i lib. 3. in c. 9. Ezech. k 2. contra Iudæos. c. 7. l c. 1. annotat. 140.

Nomini suo.] Ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, *In nomine suo, vt vocetur populus DEI*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo. Vatablus, & Arias: *Vt inuocet, ac sanctificet nomen illius*. Carthusianus: *Ad sui ipsius gloriam*. Et quidem optimè, atque accommodatissimè, tum ad versionem nostram, tum ad eam significationem præpositionis ἐπὶ cum datiuo, vt idem valeat, atque propter, siue in gratiam alterius.

Versus 15.] Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est.

ET *huic concordant verba Prophetarum.*] Si quod Clemens [m] recitat verum esset, Petrum in sua concione nunc habita protulisse Prophetarum testimonia, inanis foret Chrysostomi anno-

m 6. Constit. cap. 12.

A ratio, *cùm non posset Iacobus ostendere aliquod miraculum, aut visionem pro vocatione Gentilium, sicut Petrus, & Paulus, ac Barnabas, rectè factum esse, vt Prophetas citando doceret, ne qui Ierosolymis habitabat, reus apud Iudæos haberetur, eiúsque sententia confutaretur.* Lucas meminit solùm in capite vndecimo [a], Cæsareæ Petrum coram Cornelio, & nonnullis aliis Discipulis vniuersè confirmasse, DEO *placere, admitti quoque Gentiles, quoniam* CHRISTO *omnes Prophetæ testimonium perhiberent, remissionem peccatorum accipere omnes qui credunt in eum.*

a vers. 43.

An produxerit Petrus testimonia particularia Prophetarum, ex quibus nonnulla Clemens ponit, nescio. Concedi potest, dummodò constet, B ipsum super hac re bis diuerso tempore sermonem habuisse, semel in causa Cornelij, & longè pòst, cùm missa est legatio ab Antiochia.

Huic.] *Vel sermoni, vel Simoni*, inquit Hugo. Glossa interlinearis mauult secundum. Ego primum, cum Syro expositore, qui reddit, ולהדא *valehade*, id est, *huic rei*, vel *huic* DEO, siue CHRISTO, *qui visitauit, vt sumeret ex Gentibus populum nomini suo.*

Propheta nomen in plurali pro vno ponitur.

Prophetarum.] Enallagen notat Gagneius (alij Syllepsim vocant huiusmodi figuram) numeri pluralis pro singulari; quia vnus Amos citatur. Similem figuram obseruauimus capite decimotertio [b]. Quare quod Hieronymus [c] ad ea verba Matthæi: C *Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas, Quoniam Nazaræus vocabitur. Si fixum de Scripturis posuisset exemplum*, inquit, *nunquàm diceret, Quod dictum est per Prophetas: sed simpliciter, Quod dictum est per Prophetam.* Non mihi videtur necessarium, quoniam & hîc, & citato capite decimotertio, vbi citauimus etiam Ioannem [d], & apud eundem Matthæum [e], eadem cernitur loquendi formula, cùm vnius tamen tantùm sacri Auctoris ponatur testimonium, vel indicetur.

b vers. 13.
c in c. 2. Matt. vers. vlt.
d cap. 6. 45.
e cap. 26. 56.

Versus 16.] Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit: & diruta eius reædificabo, & erigam illud. D

POST *hac reuertar.*] Hæc Prophetia est Amos in capite nono [f], quam Chrysostomus hoc loco, & Ruffinus exponens ipsum Prophetam, historicè volunt intelligi de duabus Tribubus in regnum restitutis post Babylonicam captiuitatem.

f vers. 11. 12.

Rursum Chrysostomus alibi [g] per tabernaculum Dauid interpretatur naturam nostram, quæ primi parentis peccato cecidit, à DEI autem Filio assumpta, & reparata est. Id non displicet Oecumenio tractanti hunc nostrum locum, ac refutanti opinionem de reædificato templo, & aliam referenti minùs improbabilem de CHRISTO, & E aliorum quoque per ipsum Resurrectione.

g Homi. 10. in Ioan.

Haud absimile est, quod Rabbini apud Galatinum [h] dicunt, *tabernaculum hoc esse corpus* CHRISTI *cadens in morte, readificatum in Resurrectione.* Quem idem Ruffinus etiam sensum probat, necnon Theodoretus in enarratione eiusdem Prophetę, atque Cyrillus Alexandrinus in Ioannem [i]. *Verumtamen vbi Apostolorum precedit auctoritas*, inquit Hieronymus [k], *maximè Petri, & Iacobi, quos columnas* [l] *Ecclesiæ vas electionis vocat, ibi omnis variæ explanationis tollenda suspicio est, & quod à tantis viris exponitur, hoc sequendum.* Atqui certum est, vti Iacobum testimonio isto, vt confirmet Petri

h lib. 8. c. 22. *Tabernaculum est Christi corpus.*
i lib. 4. c. 31.
k in Amos.
l Galat. 2. 9.

sententiam de Gentilibus ad Ecclesiam vocandis, vt coalescerent in vnum quasi tabernaculum cum Iudæis conuersis, & ex ruina tabernaculi, hoc est, maioris partis Iudæorum infidelium, siue ex aperturis rupti tabernaculi, existeret restauratio per Gentiles, quemadmodum *ex oliua fractis ramis nata est insitio* [m]. Declarat egregiè Ribera noster, & confert locum cum loco, Amos cum Iacobo. Sed non video, quo pacto quam Iacobus Prophetiam, cùm viueret, & loqueretur, impletam, aut impleri cœptam disertè docet, Ribera tam tardè de eo tempore accipi velit, quando Iudæi extremam passi à Romanis vastitatem, per omnes Gentes dispergebantur, & dum in sua cæcitate persisterent, Apostoli prouincias sortiti omnibus nationibus aperirent Euangelium. Præterquàm quòd, licet cùm excisa est Iudææ metropolis, Euangelij prædicatio inter Gentes maximè vigeret, non vigebant tamen Apostoli, qui iam ferè omnes ex humanis excesserant.

m Rom. 11. 17.

Post hæc.] Apud Amos est, secundùm omnes editiones, Hebraicam, Græcam, Latinam, *in die illa*, Chald. *in tempore illo.* Ribera pergens in intelligentia de excidio Ierosolymitano, putat ita locutum Iacobum, quia paulò pòst instauratum est plenè hoc tabernaculum, intrante plenitudine Gentium: alias editiones non discrepare sensu, quoniam fieri dicuntur per idem tempus, quæ simul, aut ferè simul fiunt. Huic expositioni obstat proximè allata ratio, quæ cogit, ne de vltimo illo excidio præcedentia intelligantur apud Amos; nisi velis Iacobum respexisse ad inchoationem restaurationis spiritualis, tametsi probè sciret perfectionem differendam vsque ad tempus dicti excidij: quæ tamen adhuc interpretatio non plenè satisfacit.

Reuertar.] Hoc verbum de suo addit Iacobus, valétque ad magis declarandam sententiam: significat enim, DEVM, qui anteà iratus recesserat à populo suo, reuersurum placatum, vt reædificet.

Dicitur DEVS reuerti, quando statum nostrum commutat, eodémque pacto conuerti, etiamsi nonnunquàm replicata, ac repetita eiusdem animaduersio, seu punitio significetur eo verbo, vt cùm Iob ait [n]: *Reuersúsque mirabiliter me crucias.* Quanquàm τὸ ἀναστρέψω, quod hîc habetur, transitiuæ significationis potest esse, id est, inuerto, inuerso ordine colloco, aut redire facio, nimirum tabernaculum deiectum, & euersum, &c.

Deus quomodo reuerti dicatur.
n cap. 10. 16.

Reædificabo.] Septuaginta, *resuscitabo*; Hebraicè, & Latinè, *suscitabo.* Hoc loco Syrus ואקים *vakim*, id est, *& erigam*: sed non iuxta Græcum verbum ἀνοικοδομήσω, sensus tamen idem est. Ædificandi autem, ac proinde reædificandi quoque verbum felicitatem firmam, ac stabilem solet significare [o].

o Psalm. 89. 5. Iere. 31. 4. Iob. 22. 23. & alibi.

Tabernaculum Dauid.] Sunt Iudæi, qui etiam vocantur *domus Dauid* [p], vel quoniam, aliis ad Ieroboam deficientibus, posteritas Dauid retinuit cum regno Iuda in ea Tribu cultum DEI; vel quia pertinent Iudæi electi ad CHRISTVM, qui dicitur nomine Dauid [q], vt & aliàs notatum est.

p Luc. 1. 69.

Tribui Iuda, ex qua est Dauid, & CHRISTVS, & quæ Ecclesiam designat, non solùm restitit regnum Israël, hoc est, decem Tribus, verùm etiam, teste Hegesippo apud Eusebium [r], deinceps multæ sectæ Iudæorum, Galilæorum, Heme-

q vt Ezech. 34. 24. cap. 37. 24. Iere. 30. 9. Oseæ 3. 5. *Tribui Iuda qui, & quot restiterunt.*
r 4. Hist. c. 22.

robapta

robaptarum, Masbuthæorum, Samaritarum, Sadducæorum, Pharisæorum.

Tabernaculum.] Amos videtur intellexisse constructum ex parietibus, & lapidibus. Subdit enim: *Et readificabo aperturas murorum eius* : & Hebræi, סכות *succhoth*, atque Septuaginta τὰ σκηνώματα vsurpant, non de tentoriis duntaxat, & temporariis domiciliis, sed etiam de amplis, atque magnificis domibus, palatiisve [a], ac templo [b]. Prior tamen significatio retineri potest, ita vt muri dicantur *latera tabernaculi*, siquidem paruitas indicat exiguum numerum illius populi comparati cum infidelium multitudine: & denotat Ecclesiam peregrinari, *nec hic habere permanentem ciuitatem* [c], similitudo veteris tabernaculi, quod portabatur per desertum.

Tabernacula latissimas etiam Hebræis notant. a Psalm 14.1. b ...111.3. Psal.131.5.7. c Heb.13.14.

Orientales plerique ferè olim omnes tabernacula incolebant, hoc est, casas tabulis, aut corio, aut arborum ramis, aut stramentis contextas, contectasque, quæ huc illuc transferri possent. Inde translata vocis significatio ad quodlibet ædificium habitationi conueniens, & סוכן *sochen*, id est, *tegens*. Vnde illud [d], *Abscondit me in abscondito tabernaculi sui* : & pro eadem voce Latina tabernaculi, sunt aliæ Hebraicæ משכן, אהל *mischan*, *ohel*, ab habitando, & expandendo, seu extendendo. Lege quæ disserit Pineda [e] de tabernaculi voce, vsuque, eiusdemque comparatione cum humano corpore.

Nomades tabernacula incolunt. d Psal.26.5. e Iob.18.vers.14. à nu.3.

Diruta eius readificabo.] Hebraicè, *sepiam aperturas eorum*, aut *murorum*, iuxta Hieronymum, aut *tabernaculorum*, siue *familiarum populi*.

Versus 17.] **Vt requirant ceteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.**

VT *requirant ceteri hominum Dominum.*] Ita etiã Septuaginta in Amos, pro eo quod in Hebraica, Latinaque editione est : *Vt possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes.* Nempe Interpretes illi paraphrasticè, vt non rarò aliàs, non verba sed sensum reddiderunt apertiorem, ponentes pro Iudæa Idumæam, vt placet Riberæ, quoniam postquàm se terrenorum bonorum causa, sicut quondam Esau, CHRISTI sanguine cruentauit, iure dici potuit Edom, id est, *terrena, rubricata, sanguinaria*, non ampliùs Iudæa, hoc est, *confitens & laudans*.

Iudæa dicta Idumæa.

Non est nouum, vt propter imitationem alienorum morum, alienum Iudæis nomen communicetur. Sic Esaias vocauit [f] *principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ* : item Iudæam *Edom*, & Ierusalem *Bosra* [g] : Ezechiel autem dixit [h] *radicem, & generationem Ierusalem esse de terra Chanaan, patrem Amorrhæum, matrem Cethæam.* Sensus autem est, inquit Ribera, *vt ij qui conuersi sunt, vt Apostoli, & alij Discipuli, ex vtroque populo conuertant ad CHRISTVM ceteros omnes, quos in populo Iudæorum DEVS elegit, & vocari solent reliquiæ* ; ideò etiam additur in Amos, *& omnes nationes*, & hîc, *& omnes gentes*, id est, Gentiles.

f Esa.1.10. g Esa.63.1. h Ezech.16.3.

Mihi certè simplicior sensus videtur, vt Propheta per Idumæam, contra quam toto libro vaticinatur, quemadmodum & Abdias, intelligatur propriè prouincia illa, quæ ab Esau, qui cognominatus est Edom [i], nomen habeat ; & capitali semper odio prosecuta est Iudæam, sicut ille fratrem Iacob [k] ; & inter Gentiles computari potest, eorumque typus est.

i Gen.25.30. k infrà 27.41. Gal.4.29.

Immò quidam [l], quod minimè tamen credo, Iulium Cæsarem, & qui post eum Romæ imperarunt, ex Idumæis profectos putant : & quæcunque à Prophetis contra Idumæos dicuntur, pertinere ad Romanos. Erroris causa esse potuit, quia vna Idumææ regio dicitur דומה *duma*, quæ dictio, si pro ד daleth ponatur similis charactere litera ר resch, & pro scurec, holem, erit Roma, pro Duma, vt obseruauit Hieronymus [m], notans etiam illum de Romanis pro Idumæis [n] errorem.

Iudæi Iulium Cæsarē ab Idumæis ortundum fabulantur. l Rab. Kimhi in Abdiam, & in c.34 Esaiæ. & Rab. Salo. in Abdiam, & in c.4. Thren. & Thalmud sæpe, & alij apud Galatinum lib.4.cap.28. & apud Paulum Burgen. in Abdiã, & Esaiam, c. 34. & Dan.7. m li.3. in Esa. cap.21. n ibid. & in c. 35. Esa. & in Abdiam, & in caput 1. Malach.

Profectò nemo dubitauit, Herodem primum fuisse Idumæum, nec tamen propterea permittent Iudæi, vt Iudæa, nomine amisso, Idumæa vocetur. Constat etiam, cùm Esau, dictus Edom [o], fuerit filius Isaac, genus duxisse à Sem filio Noë : Europam verò, vbi est Italia, & Roma, habitatam à filiis Iaphet [p].

o Gen.25.30. p Gen.10.2.

Sed vt redeamus ad institutum nostrum, ipsemet Ribera refutat alibi [q] eos, qui per Idumæos intelligunt alios siue Gentiles, siue etiam Iudæos. Idumæam igitur in propria significatione accipiens Amos, huius reliquias possidendas dicit cum aliis omnibus nationibus à Iudæis, hoc est, ab iis qui ex Iudæis Christiani conuertent omnes gentes, ac nominatim Idumæos inimicissimos Iudæorum.

q in Abdiam, num.6.

Video quandoque, dum vaticinatur aliquis Propheta de nationibus Ecclesiæ subiiciendis, nominatim de Idumæis mentionem facere, iisque alienigenas coniungere τοὺς ἀλλοφύλους, qui Hebraicè dicuntur Palæstini, certi quidem etiam populi, hostesque Iudæorum, sed similiter aliarum nationum typus. *In Idumæam extendam calceamentum meum*, inquit Dauid [r], *mihi alienigenæ subditi sunt*, seu *amici facti sunt*. Et quoniam vt situ & ferocitate populi inuicta erat Idumæa, sic ad conuersionem difficillima, ob implacabile illud odium aduersùs Iudæos, idcirco subdit idem [s] : *Quis deducet me in ciuitatem munitam*? id est, Rabbatha munitissimam filiorum Amon [t], aut Idumææ : vel sumendo singulare pro plurali, *quis deducet me vsque in Idumæam*? & addit : *Nonne tu* DEVS ? &c. Quid ergo mirum, si Amos eodem modo prophetans, vt eum Iacobus interpretatur, de propaganda inter Gentes Ecclesia, expresserit Idumæam, & quo minùs rei adeò difficili fides habeatur, cum eodem Propheta subiiciat verba illa, iis, quæ modò ex Psalmis recitaui, quàm simillima, *Dicit Dominus faciens hæc* : Scio ad literam posse Idumææ à Propheta separatim positæ rationem dari, quoniam haud multò antè rebellauerat à Iudæis, sibique proprium regē constituerat [u], eosque Amasias rex Iudæ vicerat quidem, sed non ita, vt eorum non extarent reliquiæ [x].

Prophetæ de nationibus conuertendis vaticinantes, de Idumæis loquuntur. r Psal.59.10. Psal.107.10. s Psal.59.11. 107.11. t 2. Regum 12.26. u 4 Regum 8.20. x 4. Regum 14.7.

Certè Iacobo nihil opus fuit vsurpare locum Prophetæ, si non de Gentilibus tantùm, sed de Iudæis quoque conuertendis intelligeretur, de his enim nulla quæstio erat, sed de illis : non igitur reliquias Idumææ intellexit Amos Iudæos, sed partem certam Gentilium, quam designari conueniens fuit, ea quam dixi de causa. LXX. verò, eosque secutus Iacobus, breuitati studentes, omissis Idumæis τοὺς καταλοίπους τῶν ἀνθρώπων, posuerunt, id est, *reliquos hominum*, & augendæ rei causa, *omnes gentes*, siue *nationes*, si admittamus, apud Prophetam pro *Edom*, legisse Septuaginta, *Adam*: quoniam mutatis punctis, aut reiecta litera ו *vau*, quæ quandoque profertur vt u, interdum

Per Idumæam Gentiles designantur.

vt o, & א,nunc valet a,nunc e,eadem dictio אדם potest vtrumuis sonare,nondum tamen tuebimur auctoritatem Interpretũ,&,quod peius est,Iacobi ac Lucæ;vox enim Prophetæ vna tantùm significatione literali, & vno modo insonuit, & iuxta sonum vnum ab illo scripta est.

Itaque dicti Interpretes nõ habita ratione similitudinis in duplici dictione quantùm ad literas, per paraphrasim, vt pridem dixi, homines vsurpare maluerunt, quàm Idumæos, vel Idumæam; hósque Iacobus eodem modo citare, cùm certum esset Idumæorum nomine intelligi omnes Gentiles; sicut per Esau Idumææ gentis auctorem,& per Iacob,Iudæos,iuxta illud [a]: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúsque populum superabit, & maior seruiet minori.* Propendet in sententiam nostram Arias in Amos, atque Glossa interlinearis, & fauet etiam Hieronymus,licèt aliam quoque indicet.Hoc autem loco per ceteros homines Lyranus intelligit Gentiles, & Glossa ordinaria.

a Gen.25.23.

Vt requirant Dominum.] Hebraicè, & Latinè, *vt possideant*,sed qui quærit, inuenit, & inuentum Dominum possidet.Et quidam codices Græci in Amos habent με me; ac ita etiam legit Hieronymus:Iacobus autem posuit *Dominum.* Ribera exponit *prædicatores possidere reliquias Iudæorum, cùm reliqui Iudæi requirunt Dominum:* idémque sentit Vatablus in Amos. Dicitur *vita* [b] *æterna,& regnum* DEI [c] *possideri à Beatis:*Dominus quoque *possessio* vocatur [d]:& *pars hæreditatis* [e],& *merces* [f]. Itaque conuenienter ad allatam totius loci expositionem, possidere censebuntur Dominum ipsimet conuersi ad Dominum.

Qui quærit inuenit, & inuentũ possidet Dominum.

b Luc. 10.25. c.18.18. Matt. 19.29.
c Matt.25.34. 1.Cor.6.9.10. c.15.50.
d Deut.10.9.
e Psalm. 15.5. Num.18.20.
f Gen.15.1.

Super quas inuocatum est nomen meum.]Hæc item verba Vatablus retulit ad Prædicatores, quasi diceret Propheta, quòd ideò possidebunt ipsi nationes, quia *nomen* DEI *inuocatum est super eos*, hoc est,sunt ipsi populus DEI.

Meliùs Hieronymus de iis, qui conuertuntur, & quibus nomen DEI annunciatum est, quibus hoc idcirco collatum beneficium est, quia DEVS ipse illos elegit, vt ab eo denominari possent, & sui esse.

Hoc est inuocari super aliquem,& aliquid nomen DEI, cùm & nomen DEI habet tanquàm res propria illius [g], & cuius est Dominus & protector, & ipsi tota dicata est. Eadem etiam formula vsurpatur de hominibus aliorum respectu [h]. Aliquando pro eo quod Latinus dicit,*plebs*, seu *populus*, *super quem inuocatum est nomen* DEI, textus Græcus exprimit λαὸς κεκλημένος ἐπ' ὀνόματι Θεοῦ, *populus vocatus in nomine* DEI, id est, qui censetur DEI nomine, vt dicatur populus DEI.

Inuocari super aliquem nomen Dei quid sit.

g Esa. 63.19. Ier.14.9.c.15.16.c 34.15.Baruch 1.15. Daniel. 9. 18 & 19 Deut. 28.10.2. Reg.6.2. 3.Reg.8. 43.2. Paral.6.33 c.7.14 cap. 20.9. Eccl.36.14.
h Gen.48.16. Esa 4.1.
i cap.4.1.

Hoc voluerunt mulieres apud Esaiam [i],à quodam viro petentes, *Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos*, id est, vocemur nomine tuo, ita vt dicamur vxores tuæ,ac simus. Itaque idem est inuocari nomen,quod vocari: & quia crebrò idem est quoque in Scriptura vocari,quod esse, *propterea inuocari*, seu *vocari nomen* DEI *super aliquem*, est DEVM esse super illum, hoc est, pleno, & perfecto iure possidere,non vt creaturas alias,quæ non possunt excipi à dominio & possessione eius, sed per liberam traditionem, ac perfectam illius, qui dici,& esse vult DEI.

Vocari idem est quod esse.

Pacifici Filij DEI *vocantur* [k]: *in Isaac vocatum est Abrahæ semen* [l], quia ille & posteri *filij erant promissionis, ac æstimantur in semine* [m]: *domus* DEI, *domus orationis vocatur* [n], reuera enim est: *Soluens vnum de mandatis minimis, & docens sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum* [o]; nempe erit, ac pronunciabitur. Gabriel prædixit MARIÆ fore, vt quem conciperet filium [p], *Filius Altissimi vocaretur, &* DEI, & de Elizabeth dixit, *eam esse, quæ vocaretur sterilis*, hoc est, esset,& celebraretur. Esaias [q] vaticinatur sub nomine Ierusalem de Ecclesia, vocandam *ciuitatem Iusti, & vrbem fidelem*, quoniam talis futura erat:& omnem, *qui relictus sit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctum* [r], eodem sensu.Habet ea phrasis energiam, vt rem ita esse significet, vt pro tali etiam vulgò habeatur ac nominetur. Qua de re dixi quoque in primam Ioannis epistolam [s].

k Matth.5. 9.
l Gen.21.12.
m Rom.9.7.8.

n Esa. 56. 7. Luc.19. 46.
o Matt.5.19.
p Lucæ 1. 31. 35.36.
q cap.1.26.
r cap.4.4.
s cap.3.1.

Dicit Dominus faciens hæc.]Hîc in textu Græco, & editione Syra additur כלהין *chulehen*, id est, *omnia*, quod etiam in Amos habent LXX. atque ita legunt non tantùm Græci, vt Theodoretus, sed etiam Hieronymus.Sententiæ nihil deperit,si absit: est autem hæc sententia, non esse cur id quisquam demiretur, cùm non Prophetæ verba sint, sed eius ipsius qui facit,seu citò facturus sit. Nulli codices Latini, etiam manuscripti,quos viderim,legunt *omnia*,vt tamen Ribera in Amos videtur supponere,id Iacobum dixisse docens; nisi intelligat de textu Græco,& Syro: in quibusdam verò Latinis inuenio *hoc*, pro *hæc*, quo etiam modo habet Hebræus textus: sed nec in his vllius momenti discrimen est.

Versus 18.] Notum à seculo est Domino opus suum.

NOTVM *à seculo.*] ἃ ἐστι γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος αὐτῷ, *quæ* (nimirum illa quæ fecit) *sunt nota à seculo ipsi.* Sunt autem hæc omnia verba Iacobi,non Amos, quibus confirmat superiora; nimirum facere DEVM adeò Iudæis noua & paradoxa, quoniam sic ab æterno præsciuit, & decreuit, *quia sic placitum ante ipsum* [t], quia *cognouit qui sunt eius* [u], & *scit quos elegerit secundùm incomprehensibilia iudicia, & inuestigabiles vias suas* [x]: quia *Domino* DEO, *antequàm crearentur, omnia sunt cognita, sic & post perfectum respicit omnia* [y]. Nec temerè ac inconsultò quid facit DEVS, nec accipit personas, diligit opus quod fecit, non Iudæorum DEVS tantùm, immò & Gentium [z].

t Matt.11.26.
u 2.Tim.2.19. Num.16.
x Rom.11.33.
y Eccl.23.29.
z Rom.3.29.

A seculo.]Ἀπὸ τοῦ αἰῶνος. Αἰών, vt scribit Aristoteles [a], dicitur ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι, quod est semper esse,continétque durationem temporis infinitam simpliciter sine principio, & sine fine, iuxta errorem illius, quòd fuerit semper, sempérque erit tempus.Latini vocant æternitatem,Hebræi עולם *hholam* cum ו: sine quo significat eadem dictio,vt ait Hieronymus [b], annum Iobelæi, siue quinquagesimum.Sic Isidorus [c] ait *seculum in Scripturis sumi*,deriuans à sequendo:& Seneca [d] pro spatio eodem accipit. Transferuntur tamen dicta nomina ad significandum ea, quæ habent incertum, ac remotissimum vel principium, vel finem. Item illa, de quibus quamuis non dubitetur, quin habeant vtrumque, si ex hypothesi essent æterna, duraret quoque in æternum id, quod dicitur de ipsis, vt de mancipio *æterna seruitus*: præterea cuiusque vitam [e], aut totius temporis terminum. Exēpla suppetunt non pauca in Scriptoribus,tum profanis, tum sacris. Verumtamen propriè accipienda erunt ista vocabula, vbicunque inueniantur, pro duratione infinita, simplici, ac indiuisa,

Αἰὼν vnde dicatur.
a 1 de Cœlo. ca.9.tex.100.
b in cap.1. ad Gal.
c 5. Etymo.c. de seculis.
d ep.73.in fine.
e Hiero.in c. 20. Ezech.

nisi

nisi aliter cogant interpretari, & restringere significationem, vel antecedentia, vel consequentia, vt diligenter notauit Ribera [a], nósque nonnihil diximus in capite primo Ecclesiastæ [b].

in cap. 5. Michæ nu. 19. & seq.
vers. 4.
...ienda, seu ... sic ... significat.

Hoc autem loco non solùm nihil impedit, sed necessarium etiam est, vt seculum, & αἰῶνα, cum proprietate intelligamus, siquidem notitia DEI DEO coæterna est, & ipsissimus DEVS. Alia significatio satis trita seculi pro mundo, quasi per metonymiam, mensura sumatur pro mensurato, non est ad rem, vt nec alia pro centum annis. Varro [c] deriuat à sene, quòd longissimum spatium senescendorum hominum id homines putarent. Vnde ludi seculares centesimo quoque anno soliti celebrari [d]: vel pro spatio tantùm triginta annorum [e]. Lege Damascenum [f], & Augustinum [g], & Turnebum [h], & Censorinum [i].

...5. de ling. ...atin.

Fest. lib. 17. secundum alios, ex Eustathio, & Seruio, 8. Æneid. : Polyb. li. 4. ...2. de Fide. c. ...16. de ciuit. Dei. c. 24. lib. ...otra Origenistas, & Priscillianistas. ...p. 6. ...20. Aduers. c. 22. de die Natali.

Versus 19.] Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad DEVM.

PROPTER *quod ego iudico non inquietari.*] Valdè authenticè videtur loqui Iacobus, ac vt Iudex, cùm Petrus dixisse simpliciter scribatur, & cùm Petrus absolutam, ac indefinitam imposuisset libertatem ab onere legalium. Iacobus censet, non prorsus liberam immunitatem concedendam, sed astringendos nonnullis Gentiles ad Ecclesiam accedentes. Dicit etiam posterior sententiam. Denique quod ille pronunciauit, à toto Concilio approbatum est.

Igitur, colligit Caluinus [k], aliique hæretici, præfuit in Concilio Iacobus, & superiorem, quàm Petrus, auctoritatem, ac dignitatem habuit; quippe suo agens iure, tanquàm Ierosolymitanus Episcopus, in quam diœcesim nemo præter ipsum alius potestatem haberet.

...Instit. c. ...n. 7. ...contra Petri ...tum quid hæreticis col...

Fateor propriam Iacobi diœcesim fuisse in causa, & eximiam celebritatem nominis ipsius, de qua egi capite primo [l], vt diœcesani suis consulens genere Iudæis, sibi loquendum iudicaret, atque adhibendam nonnullam moderationem, quò faciliùs coalesceret Ecclesia ex illis, & ex Gentilibus, qui aggregabantur Euangelio. Id toti Concilio æquum visum est: in quo tamen Petri habita in primis ratio, in cuius Iacobus ipse sententiam, quamuis proposita moderatione, vt ait Hieronymus [m], & Apostoli alij, & omnes simul Presbyteri, siue Seniores transierunt.

...cur in ...fit lo... ...f. 13. ...ist. 19.

Neque verò Iacobus vllo modo legem Mosis nominauit: solùm reuocare visus est in vsum longè pridem de abstinentia sanguinis, ac suffocati datum Noë præceptum [n], immò ceteris, qui ante legem vixerunt secundùm naturam, vt scribit Clemens [o]. De his, quæ sunt idolis immolata, eodem pacto Paulus [p] loquutus est agens cum Gentilibus, nempe ad vitandum scandalum. Fornicatio autem ipso naturæ lumine non obscurato, quale erat in Gentilibus, cognoscitur illicita esse, vt dicemus. Denique successu temporis præualuit simplex illa sententia Petri, vt posteà etiam ostendetur.

...præcepto datum ...9. 4. ...onstit. c. ...rin. 10.

Nec moueat, quòd Iacobus posterior dixerit: fauet id enim potiùs primatui Petri, indicátque Iacobum aliquid in gratiam Iudæorum excipere, ac proponere voluisse. Non dubium, quin Iacobo Petrus plurimùm detulerit in propria diœcesi; sed eam ipse illi, vt dudum docuimus, & alter Ia-

...sententia, ...concilium ...est, nõ ...pro... ...erri

A cobus cum Ioanne fratre assignauit, salua semper Petri supremæ potestatis in omnes oues CHRISTI prærogatiua. Concilio placuit, quod Iacobus proposuit, sine dubio, quia & Petro, quem constat propensiorem fuisse ad Iudæos, & hoc posteà nomine reprehensum à Paulo [q].

q Gal. 2. 11.

Ad extremum, in verbo *iudicare*, & κρίνειν, vis fieri non potest: vtrumque non rarò vsurpatur non pro iudiciaria sententia, sed pro dogmatica, vt ita dicam, siue pro ea æstimatione, atque opinatione, quam quis mente conceptam verbo profert; quod exemplis confirmare, cùm adeò multa & obuia sint in profanis, sacrísque Auctoribus, iudico ipse, non vt Iudex, sed vt Doctor, superuacaneum. Et hoc loco Syrus habet simplex verbum

B אמר אנא *amar ana*, id est, *dico*.

Cùm autem Chrysostomus ait: *Quid est, Iudico ego? Id est, cum potestate dico esse scribendum illis:* dicere voluit, Iacobum sententiam exposuisse, non quasi potestate præcellentem, sed quòd omninò sentiret cum potestate, ac seriò scribendum decretum. Caietanus monet, *Ego iudico*, idem esse, quod, Iudicium meum est. *Non enim*, inquit, *proferebat sententiam in iudicio, quia nondum erat facta conclusio communis, quæ subiungitur post verba Iacobi.*

Nolo Abulensem, neque vt Iudex, neque vt Doctor, tam graui, vt hæreticos illos, notare censura, qui censuerunt Petro in Ecclesia primatum

Abulensis parùm cautè loquutus arguitur.

C denegandum. Certè Abulensis [r] non consultè docuit, *omnes Apostolos, dum in Iudæa habitarent, Iacobo Ierosolymorum Episcopo quodammodò subditos fuisse, eúmque illis, etiam Petro, maiorem extitisse: & in Concilio isto id, quod fecerunt Apostoli, atque Ecclesia tota, non à Petro, sed ab illo definitiuè pronunciatum, velut totius Ecclesiæ organo, & quolibet ex assistentibus maiore.* Hoc sanè est hæreticis conniuere, & fauere, Patribus contradicere, auctoritati Pontificiæ detrahere in his Conciliis, quæ extra Romanum Episcopatum, diœcesimque celebrantur: adimere nobis formam ceterorum Conciliorum, quæ quidem ab vniuersali Ecclesia recipi debeant, & quæ constat fieri non posse, nisi à Pontifice Romano approbentur, &, si œcumenica fuerint, etiam indicantur.

r in c. 17. Mat. q. 13. ad 1.

D

Rupertus [s] piè sanè, ac probabiliter opinatur huius decreti MARIAM magistram magistrorum, magistram fuisse, quamuis præsens huius historiæ locus non meminerit, consulentibus illam Apostolis, & conuentu toto; ipsa verò non palàm, & publicè respondente, nimirum cùm non esset de Hierarchia, sed priuatim tum ad istam, tum ad ceteras quæstiones de rebus agendis. Concilio aut non adfuit, aut non præfuit; sed si adfuit, sententiam rogata, vt respondens, non vt definiens, dixit. Abfuisse probabilius est, vel propter modestiam ipsius, vel vt Hierar-

s li. 1. in Cantica. *Maria Virgo priuatim consulta de hac quæstione respondit.*

E chicus ordo meliùs seruaretur, vel ne deinceps mulieribus ansa daretur loquendi in Ecclesia, vbi ex Pauli præcepto *ipsis tacendum est, sed subditas esse, & discere* [t].

t 1. Corin. 14. 34. 1. Timo. 2. 11. 12.

Non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad DEVM.] Μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν. Syrus, דלא נהון שחקין לאילין דמן עממא מתפנין לות אלהא *dela nehuun schachakin leilin demen hhammema methpenen leuath elaha*, id est, *Non esse contundendos, qui ex Gentibus conuertuntur ad* DEVM. Verbum Græcum significat *molestiam exhibere, & obturbare.* Passiuè exposuit Interpres meliùs, quod iuxta phrasim Græcam actiuè de-

buerat, *iudico non inquietare*, id est, ne inquietemus, aut, ne quis inquietet. Quod autem dicit, *ad* DEVM, profectò CHRISTVM intelligit, qui potissimùm prædicabatur: etsi quia religio Christiana vnicum, sicut Iudaica, DEVM recipit, loquutus hoc modo videri possit propter conuersos ex Gentibus, quæ plures Deos adorabant.

Versus 20.] Sed scribere ad eos, vt abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.

SED *scribere ad eos.*] Ἀλλὰ ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς. Syrus, אלא נשתלח להון *ele nischebelach lehun*, id est, *Sed mittemus ad eos.* Debuerat consequenter vertere, *Sed mittendum*: & potuerat addere, literas, seu epistolas. Aut simpliciter, vt fecit interpres Latinus, reddere, *scribere*; qui non tantùm respexisse videtur ad scriptionem, quæ paulò pòst exprimitur[a], sed etiam quia ἐπιστέλλω, non solùm significat quomodocunque mando, & mitto, sed præterea cum addito, literas, & epistolas, ipsúmque nomen epistolarum τῶν ἐπιστολῶν, ab hoc verbo deriuatur, quamuis quoque, iuxta eiusdem verbi aliam illam acceptionem, reperiatur pro mandatis, iussis, præceptis.

a vers. 23.

Vt abstineant se à contaminationibus simulacrorum.] Gaudentius Brixianus[b], vbi docuit, *quoniam terrenorum Iudæorum mentes perplexitate multiplicium mandatorum onerari potiùs, quàm instrui videbantur, indefessam, & in hac parte erga humanum genus diuinam prouidentiam promisisse* VERBVM *abbreuiatum*[c], *ideóque Iacobum cum ceteris Apostolis decretum hoc constituisse; prætermisisse autem homicidium, adulterium, veneficium, quoniam nec nominari ea in Ecclesiis oporteret, quæ legibus etiam Gentilium punirentur: insuper & illas omnes minutias obseruationum legalium, causam primi mandati adfert, ne sacrificatis diabolo cibis profanarentur immundis, hoc est, ne redire viderentur ad idola, &, vt Paulus loquitur*[d], *socij esse dæmoniorum, calicem horum bibere cum calice Domini, participare mensam vtramque iuxta eorum conscientiam, qui id videntes offendi poterant: cùm alioqui liberè sumi possint huiusmodi escæ cum gratiarum actione.*

b Tractat. de Macha. tom. 2. Bibliothec. Patrum.
Cur hæc in Concilio fuerint prohibita.
c Esa. 10. 22. & Rom. 9. 28.
d 1. Corin. 10. 20. 21. 25. 27. 28. 29. 30.

Syrus interpres hoc loco intellexit per ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, pollutionem sacrificij, perinde ac si solum sacrificium prohibeatur, nisi velis dixisse sacrificium pro victima sacrificata. Glossa quoque interlinearis fauet, declarans per nomen *cultuum*: Hieronymus[e] per idololatriam, & quidam apud Augustinum[f]: Tertullianus[g] præterea, qui vtitur nomine sacrificiorum, & Cyprianus[h], & Pacianus[i], qui hoc primum præceptum violantem vocat contemptorem, ac desertorem DEI.

e lib. 2. contra Iouin.
f in Speculo ex Act. 10. 3.
g lib. de pudicit. c. 12.
h li. 3. ad Quiri nu. 119.
i Tractat. de Pœnitentia.
Quid hoc loco sint contaminationes idolorum.

Puto cum communiore sententia vtrumque prohiberi, ac magis quidē idolothyta, quia minùs videri poterant illicita, quàm sacrificia, quæ absque vlla dubitatione penitus abhorrebant à vera & Christiana religione. Dictum nomen Græcum, ac verbum ἀλισγεῖν, frequentiùs significant contaminationem, & contaminare se cibo vetito, ac, vt loquitur Hesychius, μιαραῖς θυσίαις, id est, *impuris victimis*, siue, vt Suidas, ἐν μυσαραῖς τῶν εἰδώλων θυσίαις, *abominabili idolorum sacrificio.* Vtuntur Interpretes L X X. his vocibus dicto

A
modo[k], & Ecclesiasticus[l], Sed citra periculum scādali, vt modò dicebam cū Paulo[m], & nimirum quando non incidit legis ecclesiasticæ super ciborum delectu constitutio, gustari possunt quilibet etiam idolis immolati cibi, quoniam *quod immolatum est idolis, sicut & idola ipsa, nihil sunt*, vt ait idem Apostolus, hoc est, nihili facienda.

k Dan. 1. Mal. 1.
l cap. 10.
m 1. Cor. 10. 20.

Iuuit porrò huiusmodi abstinentia, vt conciliarentur animi vtriusque populi, Iudæi scilicet, & Gentilis, ad CHRISTI fidem: sed *lapsu temporis si qui fortè pauci*, ait Augustinus[n] de sua scribens ætate, loquénsque de suffocato, *tangere ista formidaret, irridebatur à ceteris.* Immò Rabbini ipsi[o] suum eò auidiùs MESSIAM expectāt, quoniā cùm venerit, cibis omnibus, nullo excepto, indulgere se posse arbitrátur. Sed *pro bono pacis, ac multo magis si subsit periculum scandali in causa religionis, aut ne quis ab illa deficiat, fame mori præstat, quàm idolis immolatos cibos manducare*, vt Augustinus idem docet[p]. Proposuit Daniel[q] in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus eius; vel quòd cōmunem cum Gentibus mensam Iudæis habere non liceret, vt innuit Paulus ad Galatas[r]: vel quòd aliqui saltem ex cibis, qui ponebantur in Regia mensa, prohibiti lege erant[s]: vel quòd in eandem sæpe mensam idolis immolata inferebantur; ex quibus fortassis vinum, quod nec lex, nec traditio vetabat Iudæis.

Cur hoc de abstinentia idolothytorum præceptum datum sit.
n lib. 32. con. Faust. c. 13.
o in Midras Thehillim, in id Psalmi 145. *Dominus soluit compeditos.*
B
p lib. 1. de bono coniug. c. 16.
q cap. 1. 8.
r cap. 2. 12.
s Leuit. 11. Deut. 14.

C
Probabile est, cùm Corinthiis scribebat Paulus, nondum ad eos peruenisse hoc decretum Apostolicum, quod scriptum duntaxat erat Ecclesiis Syriæ, & Ciliciæ, & alioqui ab eo non petiuissent, an malum esset vesci idolothytis: Paulum[t] verò, quia propensiores videbat ad superstitionem, nondum iudicasse illud eis tradere. Vel si iam peruenerat ad Corinthios decretum, quidam confidentes in sua scientia, quòd scirent idolum nihil esse, nec posse inficere cibos illi immolatos, audacter eos gustabant. Paulus autem reprehendit, docens rationem decreti esse tum scandalum infirmorum, tum periculum idololatriæ: quæ causæ quamuis in aliqua particulari persona cessent, non idcirco libera est ab obligatione præcepti, quamdiu hoc præceptum viget.

Cur Paulus Corinthiis de abstinentia idolothytorū non scripserit.
t 1. Cor. 11. & seq.
D

Iulianus Apostata, summus idolorum cultor, ac meritò *Idolianus*[u] appellatus, cibos omnes in foro venales polluit sacrificiis, quæ Diis immolata erant, vt prodidit Nectarius Constantinopolitanus[x], Quadragesimali ieiunio, vt sic omnes Christiani cogerentur vesci immolatitiis, nisi fame confici penitus vellent. Tunc Martyr Theodorus diuinitùs admonuit, vt loco panis vterentur cocto frumento: quod cùm per hebdomadam factum esset, destitit Tyrannus victus continentia, constantiáque fidelium: hi autem tam insignis victoriæ monimentum extare voluerūt cocti frumenti erogationem annis singulis in pauperes.

Iulianus Apostata omnes cibos venales contaminat.
u Nazianzen. orat. 1. in Iuliā.
x oration. in princip. Quadragel. apud Lippom. to. 4. ex Metaphr. die 17. Februarij.
E

Idipsum redintegrata vesania multò etiam pòst idem Apostata fieri voluit, vt est apud Theodoretum[y], Antiochiæ, & in Daphne, fontes victimis contaminando, & cibos in foro. Ibi præter milites duos, Iuuentium, & Maximinianum, quos Martyres Chrysostomus[z] laudatione prosecutus est, *Christiani, etsi non poterant non gemere*, inquit Theodoretus, *lamentari, & scelera sua impense detestari: tamen eisdem cibis vescebantur, legi Apostoli obsecuti ita iubenti*[a], *Quidquid in macello venditur, comedite, nihil diiudicantes propter conscientiam.* Addere potuit aliam eiusdem sententiam[b]: *Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?*

y 3. Hist. c. 14.
z orat. de his Martyr.
a 1. Cor. 10. 25.
b ibi. 29. 30.

Si ego

Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago? Item iſtam [a]: *Qui non manducat, manducantem non ſpernat:* & [b], *Qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit* DEO. Idem verò Chryſoſtomus [c] tradit, ſic infectos illos fontes, diuino miraculo poſteà ſiccatos, quod anteà nunquàm acciderat: & memoriæ produnt alij Hiſtorici hoc ipſum.

a Rom.14.3.
b ibid.6.
c orat. cont. Gent.

Idolothyta non manducâda qui ſanxerint.

Porrò Martyrologium Romanum 2. Martij octoginta Martyres in Campania paſſos memorat, quòd nollent carnes immolatitias comedere, nec caput capræ adorare: de quibus etiam S. Gregorius in Dialogis [d]. Inuehitur Cyprianus [e] in aliquos, qui guſtauerant ſimulacris immolata, profértque diuinæ animaduerſionis exépla, etiam in paruulam nondum rationis vſu præditam.

d 3.c.27.& 28.
e Serm. de lapſis.

Mirum videri poteſt, Auguſtinum [f] docere, *melius eſſe, vt viator famis neceſſitate victus, nihilque vſpiam inueniens, niſi cibum in idolio poſitum, vbi nullus ſit alius hominum, Chriſtiana virtute id reſpuat:* ego enim contrarium ſentirem, abſente ſcandalo; vt cùm Spiridion [g] carnes ieiunij tempore appoſuit hoſpiti, quia nihil ſuppetebat aliud, quod apponeret, & bene eſt, quod Auguſtinus abſolutè non damnat. Grauior videtur Leonis Papæ Magni cenſura [h]: *Vt ſiue terror, ſiue fames ſuaſerit ad edenda immolatitia, pœnitentia ſatisfactione purgentur, qui id fecerint.* Sed profectò ſupponit, religionem ea in re aliquo pacto violatam, agítque de illis, qui captiui inter Paganos tenebantur.

f epiſt.154.
g Niceph. 8. Hiſt.cap.42.
h epiſt.79.c.5.

Nec aliter intelligo Concilium Gangrenſe [i], cùm negat, *ſpem habere ſalutis, qui veſcitur immolatis, ſanguine, & ſuffocato.*

i [c]ap.2.

Sanè quidem Gregorius Thaumaturgus quadam epiſtola ſcribit [k]: *Non cibi nos grauant, ſi captiui ea comederint, quæ qui in eos dominium obtinent, eis appoſuerint, maximè quando vna de omnibus fama eſt Barbaros* (Gothos) *qui in noſtras regiones incurſiones fecerunt, idolis non ſacrificaſſe. Dicit autem Apoſtolus* [l]: *Eſcæ ventri, & venter eſcis,* DEVS *autem & hunc, & has deſtruet; ſed* SALVATOR *quoque omnes cibos mundans: Non quod intrat,* inquit, *in os, coinquinat hominem, ſed quod egreditur* [m]. Poſtremò lex merè poſitiua, remoto contemptu, ſcandalo, & periculo alio, non videtur adeò arctè obligare, nempe etiam cum morte vel pœna grauiore.

k [a]pud Theo. [..]la & Tom. [..]b. Patr.
Quando liceat […] commedere.
l [1.] Cor.6.13.
m [M]att.15.17. [..]q.

Immò quandoque continget, vt abſtinentia nimia ſcãdalum pariat, vt docet Alcibiadis exemplum in epiſtola Lugdunenſis ac Viennenſis Eccleſiæ [n]. Ad eandem contrarij ſcandali vitandi cauſam pertinere iudico Canonem concilij Illiberitani [o], *ne id quod idolothytum eſt, fideles acciperent, nec domini ſuis acceptum ferrent œconomis, ſi quid eorum pro familia coëmiſſent, vel idolis obtuliſſent,* vt exponit Ferdinandus Mandoza [p]. Solebant Hebræi [q], & Ethnici [r] ſacrificatis veſci vel religionis cauſa, vel lætitiæ, & homicidas Ethnici prohibebant extorum eſu [s], *ἐκ θεῶν ὅπως νῦν τεθνήσει κρᾶν χεῖν σπλάγχνων μὴ ἐπιχεῖσθαι*. Videlicet qui aliena fundebant hominis viſcera, viſceribus ſacris erant indigni. Videtur ex Plinio ſecundo [t] colligi, apud Gentiles victimas væniiſſe, & comeſtas à populo fuiſſe: quamuis eum Scholiaſtes interpretetur de paſtu victimarum, ſiue de agro ad paſtum earum. Legendus in Alexandrum Neapolitanum Tiraquellus [u], & Auctor antiquitatum conuiualium. In Apocalypſi [x] expoſtulat cum Angelo, ſeu Epiſcopo Pergami CHRISTVS, quia haberet illic tenentes doctrinã Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalũ corã filiis Iſraël, edere, & fornicari.

n [ap]ud Euſ.5. c.1.
o [c]an.40.
p […] pro iſto c.
q [..]eg.9.13. [..]2.3.5.11. [..]3.8.62.63
r [..]Ant.c.2. [Ho]mer.Od. [..]3 8.Æn.
s [..]et.32.38. [..]25.1.2. [..]46. vlt. [..]iopha.
t [..]o.ep.ad [..]de Chri[ſt]i[..].
u [..]4.ca.17.
x [..]2.13.14.

A *Et fornicatione.*] Καὶ τῆς πορνείας. Iam dixi, cur fornicatio prohibita ſit, quia nimirum Gentilibus ea, quæ ſimplex dicitur, citra iniuriam alterius videbatur licita. Hoc autem ſenſerunt quoque quidam Hæretici, ac de Græcis Guido Carmelita refert, Prateolus, Caſtro, & alij hæreſeologi, Guidone auctore: id enim ego de illis non credo. Martinus de Magiſtris [y] putat, non eſſe hæreticum, qui ita ſentiat, quoniam Scripturæ, in quibus eſt prohibitio fornicationis, exponi poſſunt pro luxuria in genere, cuius multæ ſpecies ſunt malæ: & videtur velle ſecundùm principia luminis naturalis, ac per ſe, & intrinſecè non eſſe peccatum. Durandus [z] concedit ſecundùm ius diuinum

Fornicatio cur in hoc Concilio prohibita.
y lib.de tẽp. qu.2.de luxu.

B poſitiuum, necnon humanum, eſſe peccatum graue, ſeu mortale: ſecundùm autem naturale, cùm debito fine careat, ſi ſit ob delectationem ſolam, aut ſi repugnet bono prolis, ſi ea intendatur, eſſe item malam, non adeò tamen, vt mereatur nomen mortalis peccati: quia lex naturalis nihil dicit, nec nominat mortem æternam, & temporalem propter fornicationem non infligit.

z 4.diſt.33.q.2.
Fornicationem qui peccatũ mortale non eſſe putant.

Hi omnes dicendi modi ſunt erronei, & hæretici. Nam Scripturas Patres, & Eccleſia intelligunt de diſtincta ſpecie luxuriæ, quam vocamus *fornicationem ſimplicem:* ſed & in Scripturis ponitur hæc vt ſpecies diſtincta ab adulterio, ſiue mœchia [a]. Ratio autem illa Durandi conuincit

Fornicationem ſimplicem mortale eſſe peccatũ, eſt de Fide.

C contra ipſum, ſibíque ipſe contradicit [b], dum ait *non minus eſſe peccatum mortale fornicando agere contra bonum prolis, quàm excedendo circa cibum, lædere ſanitatem.* Accedit, quòd, vt rectè argumentatur Caietanus [c], in lege Chriſtiana nullum aſſignabitur præceptum negatiuum purè morale, quale profectò eſt hoc de non fornicando, quod non ſit de actibus per ſe, ac ex ſuo genere malis: neque DEVS, qui non inuidet nobis alias omnes honeſtas delectationes, hanc, ſi huiuſmodi eſſet, vetuiſſet. Denique vix eſt, qui ſi rationem audiat, non iudicet turpem rem eſſe, nec leuiter quidem ſo-

a Matt.15.19. 1.Cor.6.9.Hebr. 13.4.Gal.5.19. vt quidẽ hic diſtinguit Ambroſius.
b ſuprà ad vltimum.
c 2.2.q.154.a.2.
Fornicatio oſtenditur eſſe peccatum mortale.

D lùm. Nam ſi quia lex naturalis pœnam non dictat æternam, quod falſum reor, non eſt fornicatio peccatum mortale, nec aliud erit vllum in eadẽ lege.

Iuriſconſulti cùm doceant impunibilem eſſe iure naturali, Gentiúmque ſimplicem ac liberum coitum, niſi id velint habito reſpectu ad pœnam vindicantem alienas iniurias, incautè, falſóque loquuntur; & dum nimis ciuiliter, parum Eccleſiaſticè, & Chriſtianè, adde Philoſophicè agunt, attendúntque duntaxat legibus Romanis fornicationem ignoratam, immò excuſatam, vt in Commentario epiſtolæ ad Romanos tradunt Origenes, & Ambroſius [d], qui etiam teſtis eſt [e], putaſſe Gentiles, quòd meretricij vſus tanquàm legi naturæ ſuppetant, ſatiſque ſit ſi viri abſtineant ab adulterio. Eadem ferè ſunt apud Hieronymum [f].

Iuriſconſulti qui non punibilẽ eã dicunt, redarguuntur.
d in cap.13.
e 2.de Abraham.cap.11.

E Mirabantur Gentiles Chriſtianam caſtitatem, vt indicat Petrus his verbis [g]: *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam his, qui ambulauerunt in luxuriis, &c. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem, blaſphemantes.* Attamen inuenti ſunt, Cicerone teſte [h], qui coniugalem tantùm ſocietatem probarent: qua de re etiam præcepit Plato [i], & Epictetus [k]. Sed hic quàm alij, qui de iam maritatis videntur loqui, multò apertiùs, περὶ ἀφροδίσια εἰς δύναμιν πρὸ γάμου καθαρευτέον, *Circa venerea, pro virili, ante coniugium caſtum, purúmque eſſe oportet.* Nihilominùs ſubdit conditionem, quæ obſcurat, & peruertit priorem ſententiam: *Quòdſi cogimur, quæ*

f in epitaph. Fabiol.
g 1.ep.c.4.3.4.
h in Tuſcul.
i 7.de Legib.
k cap.42.

tamen sunt legitima assumenda: ne sis tamen molestus vtentibus, neque redarguer, néve sæpiùs obiice te nō vti.

Sed exactiùs discutiunt hæc Scholastici, aliique Auctores, quos citat Enriquez [a] noster, & Valétia [b], ac præter illos disertè id præstat Espenſæus [c], & Michaël Medina [d], & Marquardus [e]. Itaque meritò Apostoli adeò crassam Gentiles ignorantiam dedocere decreuerunt, nec societatem confœderari in eadem Ecclesia illorum cum Gentilibus posse sunt arbitrati, si vagus concubitus tam à ratione alienus, & adeò Iudæis inhibitus, æquè vt priùs, intolerando abusu permitteretur: præterquàm quòd nec tali fœdatis crimine gratiæ sanctitas poterat communicari; & hinc ad infidelitatem procliuis siue abitus, siue reditus patet, vt monet Ambrosius [f]. Qui etiam tradit [g], Montanistas atque Nouatianos ab ecclesiastica vnitate tales in perpetuum arcuisse: quod priores sectatus infœlix Tertullianus [h] consensit, perperàm quoque volens Apostolorum decreto isto factam irremissibilem fornicationem cum homicidio, & idololatria [i], & Petrum tunc exercuisse potestatem soluendi cetera, quę omissa sunt legis, & alligandi, quæ reseruata sunt.

a lib. 2. de Matrim. c. 6. nu. 2.
b 2. 2. disp. 9. q. 3. puncto 2.
c in 1. ad Tim. c. 1. & 2. de cōtinentia. c. 10.
d de continētia.
e de cęlibatu.
Vagus concubitus à ratione alienus.
f epist. 10.
g in 1. Cor. ca. 6. & 2. ep. c. 12.
h lib. de pudici. c. 12.
i cap. 21.

Profectò Salomon [k] de sublimi sapientia in fatuam lapsus idololatriam est per fornicationem, quo nomine etiam passim à Prophetis ipsa vocatur idololatria: nec ferè fuit ex Hæresiarchis, quem non in errorem luxuria præcipitauerit. Refert Climacus [l] quæsisse ex se scientissimū quempiam, quod peccatum omnibus grauius esset, homicidio, CHRISTIque abnegatione exceptis: cúmque ille respondisset, *In hæresim labi*, excepisse: *& quonam modo Catholica Ecclesia Hæreticos quidem, cùm hæresim priorem toto animo repudiauerint, suscipit ad sanctorum mysteriorum communionem, vt idoneos, & admittit: eum verò, qui in fornicationem lapsus fuerit, confitentem, atque peccatum ipsum omninò deserentem introrsus suscipiens, per annos aliquot* (hi sunt septem [m]) *à venerandis, immaculatisque mysteriis ex traditione Apostolica separare permittit? Hac ego*, inquit, *ambiguitate percussus stupui, ambiguúmque illud permansit ambiguum.*

k 3. Reg. 11. 1. & seq.
Fornicationis detestatio.
l gradu 15.
m c. Hoc ipsū. 33. q. 2.

Scripturarum præsertim nouarum contra simplicem fornicationem testimonia, maximè Pauli [n], multa sunt: quem Paulum toties eam reprehendisse testis est Hieronymus [o] propter errorem Philosophorum Gentilium, nempe Cynicorum, qui putabant licitam esse cum similibus aliis immunditiis. Quapropter adeò seriò id inculcat, monétque [p], *Nemo vos seducat inanibus verbis.* Augustinus [q] omnem concubitum non licitum vetari dicit eo Decalogi præcepto, *Non mœchaberis, sicut & rapinam, non solùm furtum, illo alio, Non furtum facies.* Constat autem omnium approbatione Decalogum esse de iis quæ sunt secundùm ius naturæ. Accedat senior Tobias [r], qui puero adhuc filio iniungit *attendere ab omni fornicatione, & præter vxorem nunquàm pati crimen scire*, id est, non tantùm postquàm vxorem habuerit, sed & antequàm habeat. Tandem si desit arctum vinculum coniugii, non potest rectè consuli susceptæ proli per se loquendo: quod recta ratio persuadet graue incommodum, & moraliter mortale malum.

Scripturarum contra fornicationem testimonia.
n 1. Cor. 6. 18. Eph. 5. 3. Gal. 5. 19. Hebr. 13. 4. 1. Tim. 1. 10.
o in c. 5. ep. ad Ephes.
p Eph. 5. 18.
q q. 71. in Exo. & Ser. 16. de verb. Dom. & li. de 10. chordis, cap. 10.
r Tob. 4. 13.

Et suffocatis.] Putant nonnulli, non Apostolicum de his, siue de strangulatis, quorum non antè fusus sit sanguis, non edendis præceptum, sed ascititium, ac ab aliis adiectum esse: quoniam qui recitant Apostolorum hîc sancitas leges, de istis tacent, Irenæus [s], Tertullianus [t], Cyprianus [u], Pacianus [x]. Ambrosius [y] etiam docet, Sophistas Græcorum id addidisse. Videtur autem causa additionis fuisse, vt indicat quoque Augustinus [z], & Gaudentius Brixiensis [a], vt per suffocata magis declararetur præceptum de immolatis & sanguine.

Præceptum de non edendo suffocato quale sit.

s lib. 3. c. 12.
t lib. de Pudici. c. 12.
u 3. ad Quirin. fin.
x Tractat. de Pœnit.
y in cap. 2. ad Galat.
z lib. 32. cont. Faust. c. 13.
a Tractat. de Machab.

Nihilominùs passim hæc distingui solent, vt videre est apud eundem Tertullianum [b], necnon apud Iustinum [c], Origenem [d], Nazianzenum [e], Cyrillum Ierosolymitanum [f], & in Canonibus Apostolorum [g] (si tamen omnes genuini sunt) & in Concilio Gangrensi [h], & Aurelianensi II. [i] & Vormatiensi [k], quo citatur Carthaginense. Origenes [l], *Suffocata*, inquit, *fuerunt sanguine non expresso de mortuo: quem quia Dæmonum esse cibum, vigebat opinio inter Gentiles, ideò vt ex eius nidore illi pascantur, propterea inhibita sunt, ne illorum nutriretur cibo, neu nobiscum istiusmodi spiritus coalescerentur, si suffocatis vesceremur.*

b in Apol. c. 9.
c q. 45. ad Orthodo.
d lib. 8. cont. Celsum.
e orat. de Pascha.
f Catech. 4.
g can. 2.
h can. 2.
i can. 20.
k can. 64.
l 8. con. Cel.

Immò *magna pars victus humani*, vt ait Magnetes [m], *Dæmonibus erat dicata.* Et indicat Paulus [n] eandem causam. Et priores illæ hoc loco voces: *Contaminationes idolorum.* Augustinus [o] respectum habitum in ea prohibitione vult ad Iudæos, qui abhorrerent ab his escis: simul ad antiquius illud tempus, quo tempore, postquàm egressus esset ex arca diluuii Noë [p], in qua omnium Gētium Ecclesia præfigurata est, hoc ipsum vetuit DEVS, videlicet *ne carnem cum sanguine comederent.*

m apud Turrian. 2. contra Magdeburg. cap. 5.
n 1. Corin. 10. 20. 21.
o lib. 32. cont. Faust. c. 11.
p Gen. 9. 4.

Ecclesia Latina, vt nuper etiam notaui, hanc abstinentiam negligit, & à suffocatis, & à sanguine. Quo nomine Græci nos insectantur, prolato canone Apostolico iam citato, præter alios variarum Synodorum suarum, & sanctionem Leonis Imperatoris [q]. Hoc potissimùm facit Theodorus Balsamon [r]. Turrianus [s] arbitratur, *suffocatum id duntaxat prohibitum fuisse, quod erat immolatitium. Hac verò ratione idololatria excepta, vesci licuisse isto, & sanguine, & idolothyto, si nemo scandalum deferret, aut consuetudo in naturam iam conuersa non abhorreret: idemque iudicium esse de capto animali à bestiis, & de morticino: quæ nimirum quoque ad idolorum cultum pertinebant; hoc propter sanguinem retentum; illud propter bestias, quas Gentes pro Diis colebant*, vt liquet auctoritate Isychii [t]. Clemens item videtur consentire, affirmans, in lege naturæ, etiam ante diluuium, hæc eadem seruata esse. Legantur Cyprianus [u], Minutius [x], Clemens Alexandrinus [y].

Græci nos, &c. quòd sanguini, & suffocatis vescamur, damnant.
q Nouel. Cōstit. 58.
r Tom. 1. Biblioth. Patr.
s 1. cōtra Magdeburg. cap. 5. & in 6. Constit. Clem. ca. 12.
t in c. 12 Leuitici.
u Ser. de Cœna Domini.
Cur hæc mandata aderant fit.
x in Octauio.
y 3. Pædagog. cap. 1.

Vtraque ratio impulisse potuit Apostolos ad eam scribendam legem, tum superstitiosa in Gentilibus talium escarum vsurpatio, tum religiosa Iudæorum ab iisdem propter diuinum præceptum abstinentia. Quandiu autem Christiani in eadem abstinentia *ob legem Apostolicam perdurabant, inter tentamenta*, vt ait Tertullianus [z], *botulos illis cruore distentos admouebant Gentiles, certissimi scilicet illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos volebant.* Constat hoc idem testimonio Minutii [a], & Blandinæ [b] Martyris Lugdunensis; quamuis hi omnes de sanguine loquantur.

z Apologet. cap. 9.
a in Octauio.
b apud Eusebium li. 5. Histo. c. 1.

Ergo suffocata prohibenda duxerunt Apostoli, quæ si quando quis in recitatione decreti eorum præteriit, id fecit, quia non faciebat ad rem, quam tractabat; vel quoniam nomine sanguinis tam cum intelligi putabant, qui intra ipsa animalia, quàm qui extra, & separatim esset.

Et sanguine.] Qui homicidium caueri docent vel tropologicè, vel argumento à minori, vt plerique faciunt ex citatis Auctoribus, sicut per

suffocatum, violentiam, & rapinam, & per immolata, idololatriam, ferendi, & laudandi sunt: ita vt hæc tria tribus illis videantur similia, quæ Paulus hortando proponit [a], *vt sobriè, iustè, piè viuamus*: id est, absque fornicatione, suffocatione, vel effusione sanguinis, quæ est iniustitia, & idolothytis, siue idololatria, atque impietate.

a Tit. 2. 12.

Arguuntur qui homicidium hic solum prohiberi asserunt.

Illi graui reprehensione digni, qui nihil aliud nisi homicidium intelligi contendunt, quos iidem meritò refutant, maximè autem Ambrosius, Augustinus, & Gaudentius, omnésque, propterea quòd tantum scelus natura ipsa horret, & vehementer prohibet. Apostoli de iis præcipiunt, quæ apud Gentiles nefaria non habebantur, neque censendum est loqui voluisse figuratè solùm, ac mysticè, non secundùm propriam, vsitatámque verborum significationem.

Non etiam vitium per se gulæ comprimere, vt & voluptatem prohibenda fornicatione coërcere intenderunt: sunt námque multò delicata magis alia ciborum genera, & gustatui iucundiora, quæ vetanda potiùs fuissent. Postremò non respexit in primis DEVS ad salutem corporis, vt voluit Eucherius [b], cui saluti officiat morticina caro: eius autem causa sumimus alimentum.

b in Gen. 9.

c ibidem.

d cap. 9. 4.

Eugubinus Geneseos præceptum male explicans, argumentum.

Mirum est, potuisse sibi Eugubinum [c] persuadere, illis verbis Genesis [d]: *Carnem cum sanguine non comedetis*, homicidium duntaxat inhiberi: ibi enim post permissum esum quorumlibet animalium, mox subiungit DEVS: *Excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis*. Nec docebit Eugubinus, *comedere carnem cum sanguine*, phrasi Scripturæ esse, occidere hominem, sed solùm intenso aduersùs aliquem odio expetere mortem ei, perinde ac luberet vorare carnes eius, & sanguinem sorbere [e]. Chrysostomus [f] eum locum interpretatus est *de suffocato*, quod lex [g] quoque vetat. Caietanus *de carne, seu animali viuo*. Lyranus, Abulensis, & Carthusianus, *ne viuum ex animali membrum abscindatur ad esum, ne comedatur suffocatum, ne captum venatu, vel aucupio, ne separatus ab animali sanguis*.

Quid sit carnem cum sanguine comedere.

e Psal. 26. 2. Iob. 31. 31.

f Hom. 27. in Gen.

g Leu. 17. 10. & seq.

Auctoris seu sententia de sanguine prohibito.

Breuiùs, & meliùs dicunt, qui quod paulò antè, cùm agerem de suffocatis, dicebam, tradunt, nefas fieri præcepto illo sanguinem comedere, tum contentum adhuc in animali, siue id sit viuum, siue quomodolibet mortuum, tum extractum, separatúmque, siue liquidum, siue concretum, mixtúmque cum aliis rebus. Quocirca cùm Cyprianus [h] legit, *In sanguinis effusione*, citans præsentem Actuum locum, puto intellexisse de sanguine fuso: aut quia ibi similiter legit, *idololatrias*, nisi etiam exponas pro immolatitiis, fuit in illa sententia: nec enim agens contra Iudæos tropologicè loquitur.

h li. 3. ad Quirinum. n. 119.

i Leu. 17. 10. & seq.

Cur in lege vetere sanguis prohibitus.

In lege vetere [i] duplex causa, cur non sit sumendus sanguis, datur, *quia animalis anima in sanguine est*: viuit enim calido & humido, & est ipsi animali hoc vltimum alimentum, & qui dicitur spiritus vitalis, quòd vitam maximè contineat, est purior sanguis; quasi qui sumat vitam ipsam, & animal viuum comedat: & *quoniam dedit DEVS illum nobis, vt super altare expiemus pro animabus nostris*: quasi animas reddendo pro animabus, vitam pro vita. Accedit duplex alia, quæ priùs indicata est, homicidij abominatio, & idololatriæ execratio. Lege S. Thomam [k], & Interpretes, & Pererium in Genesim. Augustinus [l] quæstioni, Cur sit prohibitus esus sanguinis in lege, cùm CHRISTVS neget [m] qui sanguinem ipsius non bibat, habiturum vitam, non respondet quidem directè:

k 1. 2. q. 102. a. 3. & 4.

l q. 57. in Leu.

m Ioan. 6. 54.

tamen indicat, quoniam præsignificabatur omne pretium nostrum esse in isto CHRISTI sanguine.

Græci à sanguine abstinentes quomodo errẽt, vel non.

Si abstinent hodiè Græci à sanguine, putantes hac se adhuc lege teneri, superstitiosi sunt: quia neminem nunc ligat, & eius obseruatio sapit cæremonias veteris legis: si, vel quòd naturaliter ab eiusmodi cibo abhorreant, vel honesta alia de causa, reprehendi non debent.

Sanguis pro grauissimis peccatis vsurpatur.

Sed quis ferat Lutherum, qui quadam concione non dubitauit errorem isti Concilio appingere, quoniam decreuerit necessaria esse opera, & legis obedientiam? Paulò pòst audietur Concilium dicere, visum id sibi esse, & SPIRITVI sancto.

Notatu dignum, quòd quia sanguinis apud Hebræos esus erat detestabilis, crebrò in Scriptura [n], seu in singulari, seu in numero plurali, *sanguis*, ac *sanguines*, pro significandis grauioribus peccatis ponuntur, vt Gregorius [o] obseruauit, & Chaldæus etiam interpres expressit. Verbi gratia, dum loco eorum verborum Oseæ, *Sanguis sanguinem tetigit*, Hebraicè est pluralis numerus: dixit, *Aggregant peccata peccatis*. Eiusdem loquendi formulæ prætereà causa est *sanguis menstruatus*, qui immundissimus censebatur, cáque comparatione vtitur eadem Scriptura [p] ad idem propositum. Hinc etiam est, quòd facinorosi quique dicuntur *viri sanguinum* [q]. Tum verò etiam, quia quod appellamus mortale peccatum, vitam eripit DEO ipsi, si fieri possit, peccantis animæ illius, qui labi peccantis exemplo potest: vitam autem habere animal, animámque dicitur in sanguine.

n Psal. 50. 16. Esa. 1. 15. Os. 4. 2. Ezec. 9. 9. c. 7. 24.

o 13. Mor. c. 10. Homil. 11. in Ezec. li. 7. Regist. c. 125.

p Esai. 64. 6. Zach. 13. 2.

q Psa. 54. 24.

Quid codices Græci hic addãt.

In quibusdam Græcis codicibus hæc addita reperiuntur, καὶ ὅσα ἂν μὴ θέλωσιν ἑαυτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν, necnon inferiùs in epistola Apostolorum [r], quam recitantes etiam Cyprianus [s], atque Irenæus [t], idem expresserunt: *Et quæcunque vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis*. Glossa item ordinaria indicat, vocans hoc præceptum inferius, & per quod malitia compescitur, proptereáque rudibus impositum; non autem adhuc illud superius, & per quod benignitas propagatur, *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, ita & vos illis facite*. Non censeo pertinere hæc ad Apostolicum decretum, in quo, vt superiùs dictum est, rerum particularium abstinentia præscribitur. Et per sanguinem literali sensu homicidium non intelligi, paulò antè docuimus; quod tamen Glossa supponere videtur, dum de istis verbis meminit.

r vers. 23.

s lib. 3. ad Quirinum. n. 119.

t lib. 3. c. 12.

Sententia verò illa, quod attinet ad membrum secundum, est CHRISTI [u]; quod ad primum verò, est Tobiæ [x], hoc modo: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias*. Ita vt Glossa fortasse illud superius, ac perfectius, hoc inferius, & imperfectius nominauerit; quippe cùm prius ab Auctore noui Testamenti pronunciatum sit, posterius in vetere Testamento prolatum. Et, vt Tertullianus [y] obseruauit, *sub parte affirmatiua continetur virtute negatiua, sed non vice versa*.

u Mat. 7. 12. Luc. 6. 31.

x Tob. 4. 16.

y lib. 4. cont. Marc. c. 16.

Alexandri Seueri laudabile factum, & dictum.

Non prætermittam hîc referre, quod Ælius Lampridius prodit de Alexandro Seuero: *Si quis* (militum) inquit, *de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subijciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi, aut si hæc omnia transiret dignitas hominis; grauissimis contumeliis, cùm diceret: Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? Clamabátque sæpius, quod à quibusdam siue Iudæis, siue Christianis audierat, & tenebat, idque per præconem, cùm aliquem emendaret, dici iubebat*: QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS.

Quam

Quam sententiam vsque adeò dilexit, vt & in Palatio, & in publicis operibus perscribi iuberet. Hactenus ex Historico.

Atque hoc Philosophi primum Naturæ principium, & Philosophiæ moralis esse crediderunt. Immò CHRISTVS [a] affirmauit, quòd *hæc est lex, & Prophetæ*, videlicet summa præceptorum moraliũ, quæ traduntur à lege, & ad quæ Prophetæ cohortantur. Si, inquam, pars affirmatiua sumatur, non illa tantùm negatiua, qua Seuerus adeò delectabatur, & quam CHRISTVS non expressit, & in alia inuoluit, quam Gentiles vix animo possunt apprehendere, nisi forsan inter arctissimè amicitia deuinctos: nullo modo vniuersè, ac generaliter. Lege Augustinum [b], Hieronymum [c], Chrysostomum [d], eleganter differentes de omni hac sententia: *Cùm hæc sententia*, inquiunt primi duo [e], *refertur ad dilectionem, omnia flagitia moriuntur; cùm ad proximi, omnia facinora. Et in omni*, ait primus [f], *contractu, atque conuersatione cum hominibus satis est seruare vnum hoc vulgare prouerbium: Nemini faciant, quod pati nolũt:* vltimus verò, *In omnibus*, inquit, *generaliter si duo hæc verba retineãtur, alterius disciplina non indigebimus.* Clemens Romanus [g] scribit: *Per alteram sententiæ huius partem compesci malitiam, per alteram propagari benignitatem: per primam cauere nos, ne lædamus; per secundam doceri, vt bonũ præstemus.* Hieronymus [h], vel Paulinus, appellat sententiam istam *compendiosum commonitorium, superscribendum cordi, totius iustitiæ breuiarium, latentem hominum conscientiam secreto animi iudicio aut absoluens, aut damnans: ad omnem actum, ad omne verbum, ad omnem etiam cogitatum retractandum, quasi speculum quoddam paratum, & ad manum semper positum, vt qualitatem nostræ voluntatis ostendat, vel de iniusto opere redarguat, vel de iusto lætificet: nihil in eo arduum, difficile, impossibile, ita vt nõ nisi iniustè pronunciari possit, DEVM hoc iubentem, ceteráque, quæ ad id omnia reuocantur, iniustum esse.*

a Mat. 7. 12.
b 15. cõ. Faust. ca. 7. 3. de doctri. Christ. ca. 14. 2. de Ordine. c. 8.
c in cap. 5. ad Gal.
d Hom. 13 ad populum Antiochen.
Explicatio huius sententiæ ex Doctoribus.
e 3. de doct. c. 14.
f 2. de Ord. c. 8.
g epist. 2.
h ep. 14. ad Celantiam.

Versus 21.] Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur.

Cur velit Apostolus de his decretum scribi.

MOYSES *enim à temporibus antiquis.*] Redditur causa, vt placet interlineari Glossæ, cur Iacobus iudicet scribi oportere, vt extet decretum, sitque magis certum, & subinde recitari queat, sicut legitur Moyses, qui Circumcisionem literis mandauit. Beda contrarium sensum exponit, etsi præceptorum acerbitate non grauentur in præsentia ex Gentilibus Christiani; procedente tamen tempore, dum frequentiùs ad lectionem legis, & Prophetarum conuenerint in Synagogam, paulatim vitæ instituta, & seruandæ inuicem dilectionis iura suscepturos: primitiuam enim Ecclesiam adhuc Iudaizantem Sabbata celebrasse.

Chrysostomus docet, rationem assignari, quare nulla ad eos, qui ex Iudaismo euaserant Christiani, propriæ literæ mittendæ viderentur his eisdem de rebus, sed solùm ad illos, qui ex Gentibus. *Quoniam Moyses continuo prioribus loquitur in Synagogis, quas vel adhuc, dum Iudæi essent, frequentauerant, vel etiam posteà; ita vt dictarum rerum abstinentia illis nec noua, nec inculcanda sit: & Circumcisio ipsis adhuc cum aliis legalibus permitteretur, hac lege tamen, ne alios inquietarent: aut magistro minimè egerent, cùm ex Moyse, & vniuersa Scriptura* (cuius Iacobus testimonio sententiam pro Gentilibus, immò & communiter pro omnibus, qui legẽ gratiæ complecterentur, firmauerat) *discere possent libertatem, atque immunitatem ab oneribus legis antiquæ. Hoc autem pacto simul conciliauit Iacobus sibi Iudæos, laudans Moysem, & ad eum illos remittens.*

Commodissima mihi visa est hæc explicatio, quam innuit etiam Vatablus, & Gagneius. Nec probo eam, quæ ab Aria traditur, *dicere Iacobum sibi, & condiscipulis esse munus iniunctum, idque curare vnum debere, vt modò enuncient IESVM, vocéntque populos omnes ad cognitionem ipsius, siue DEI, sub IESV CHRISTI doctrina, & Euangelio: vocare enim ad cognitionem sub doctrina Mosis, nec nouum esse, nec ipsorum: illam iam scholam antiquam esse, quæ suos habeat ministros atque professores, illis relinquendum suum munus, non miscendam veterem rem cum noua adeò distincta: satis multos alios de obseruatione figuræ agere, atque de vmbra: agendum nunc de figurato ac luce ipsa: si vtrumque permisceatur tanquàm necessarium, turbas sine dubio, seditionémque futuram.*

Aria in hunc locum explicat.

Non placet hæc mihi, inquam, expositio, quoniam nimis seuera & rigida, aptáque non ad sedandam, sed ad augendam potiùs in Iudaizantibus perturbationem ac indignationem. Primæ verò duæ nec satis plenæ, nec omninò videntur idoneæ: siquidem non scriptionis rationem per se reddere Iacobus intendit, sed scriptarum rerum: alia etiam illa perfectiora, præsertim dilectionis præcepta, non tam ex legis, Prophetarúmque lectione promenda erant, quàm ex Euangelio CHRISTI: neque deinceps maximè ex Gentibus Christiani Synagogas, vbi ea lectio vsurpabatur, frequentare debebant.

Moyses.] Alij etiam Prophetæ prædicabantur in Synagogis; & aliorum quoque libri sancti recitabantur, & exponebantur. Sed de Moyse mentio facta est, quia in Pentateucho ipsius continentur præcepta de suffocato, & sanguine, siue de non edendis carnibus cum sanguine.

Cur Moysis prædicationis mentio facta sit.

A temporibus antiquis.] Ἐκ γενεῶν ἀρχαίων. Rectè igitur aliquando declarauimus nomen γενεὰς pro ætate [i], & dies antiquos pro anteriore longo tempore [k]: idémque valet hîc *à temporibus antiquis*, quod iamdudum, & iampridem.

i cap. 2. 40.
k ca. hoc, versu 7.

Qui eum prædicent.] Non propriè prædicatur Moyses, sed quæ scripsit ipse: nec præcones habet, vt Syrus vertit, לה כרוזא *leh charuaze*, id est, *ipsi prædicatores*, sed lex ac præcepta diuina, quæ tradidit, τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει. *Non nosmetipsos prædicamus*, inquit Paulus [l], *sed IESVM CHRISTVM Dominum nostrum: nos autem seruos vestros per IESVM.* Talis & Moyses erat.

l 2. Cor. 4. 5.

In Synagogis.] De his lege caput VII. & XIII. necnon de lectione Scripturæ ibi haberi solita diebus Sabbati.

Versus 22.] Tunc placuit Apostolis, & Senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam viros primos in fratribus.

TVNC *placuit Apostolis, & Senioribus.*] Præter Apostolos, & Seniores, quorũ Seniorum nomine quinam sint intelligendi, dudum admonuimus, Ecclesia consentit Iacobo & Petro, tum in decreto, tum in scribenda epistola, quæ id comprehenderet, immò vt cõmuni nomine mittatur,

ac inſcribatur etiam, ſeu titulum omnium gerat in fronte, vt eſt in verſu ſequenti, ad præcidendam occaſionem diſcordiæ, atque diſſenſionis.

Modus praſcribendi ſeruatus in Concilijs, & à ſupremis Principibus.

Quo pacto in Conciliis Oecumenicis, quorum pendet firmitas ab vno Romano Pontifice, ſubiiciuntur ſubſcriptiones, & Pōtifex ſcribit *affuiſſe fratrum conſenſum*: ſimilémque modum factitari videmus à Principibus ſupremis, dum in diplomatis & ſanctionibus Cōſilij ſecretioris, aut Senatus, aut Parlamenti, quod vocant, concordes interueniſſe ſententias affirmant.

Symbolum Apoſtolorū ab omnibus conſenſu conſectum.

Nihil igitur contra Primatum Petri habent hinc quod argumententur Hæretici: quia nimirum non ipſius vnius vel definitione factum, vel nomine miſſum decretum ſcribatur: ſicut neque quoniam Symbolum, quod Apoſtolicum vocatur, omnium veluti auctoritate traditum eſt, & compoſitum, ſingulis articulos ſingulos velut ſymbolam conferentibus & pronunciantibus, de eiuſdem Principis Apoſtolorum dignitate primaria quidquam imminuitur. Denique tam varia eſt ratio ſcribendi, vt nihil inde colligi valeat.

Cum omni Eccleſia.] Vel in Concilio, vel etiam extra illud. Approbauit nimirum decretum, quod nomine duntaxat Apoſtolorum & Seniorum poſteà ſcribitur ac mittitur [a].

a verſu 23.

Eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba.] Vt ſuſpicio tollatur aduersùs Paulum & Barnabam ab Antiochenis Iudaizantibus, eliguntur alij ex fidelium Ieroſolymitanorum cœtu primarij duo, legantúrque, vt reſponſum deferant.

Iudam, qui cognominabatur Barſabas.] Habuit idem cognomen Ioſeph, aut Ioſes is, qui cum Mathia propoſitus eſt, vt alter eorum reciperet Apoſtolatum proditoris Iudæ [b]. Græcè dicitur Βαρσαβᾶν: ideóque Clementis interpres vocat Barſabanum: ſed Syrus, בר־שבא *Bar-Schabbo*, quaſi *filius Schabbo*, & fortaſſe frater fuit illius Ioſeph, vel Ioſetis. Vocatur paulò pòſt [c] *Propheta*, æquè vt Sila: ambóque dicuntur verbo plurimo conſolati fratres Antiochenos, & confirmaſſe. De hoc Iuda nihil aliud vſpiàm reperi. Carthuſianus cùm etymologiam vocis Barſabas dicat eſſe, *filium quietis*, probabile ducit ab excellentia huius perfectionis ſeu gratiæ contemplationis, ſic vocatum Iudam iſtum. Idem aſſerere debet de Ioſepho ſeu Ioſete illo, quem iamiam memorauimus.

b Act. 1. 23.

c verſ. 32. *Barſabas hic quis fuerit ignoratur.*

Silas quis fuerit.

Et Silam.] Hic Paulum peregrinando proſecutus eſt, vt docent ſequentia hiſtoriæ capita [d], & eodem carcere cum ipſo incluſus, indéque diuinitùs ereptus [e]. Hieronymus [f] arbitratur eundem eſſe cum Siluano, qui ponitur in inſcriptione Pauli epiſtolarum ad Theſſalonicenſes.

d ca. 16. & 17. & 18.

e ca. 16. 19. & ſeq.

f epiſt. 141.

Sciendum, inquit Damaſo, *collegam Pauli lingua Hebræa Apoſtolum dici,* שלו *Schilo enim, quo etiam hic modo Syrus Silam nominat, ſignificat miſſum, quæ eſt interpretatio nominis Græci Apoſtolus, qui cum eo nonnullas epiſtolas ſcribit: & vitioſè Siluanus legitur, pro Sila, cùm Siluanum in Apoſtolorum Actis non legamus.* Eandem ſententiam ſequitur Gloſſa ordinaria in priorem ad Theſſalonicenſes, & S. Thomas, & Antonius Scaynus, Caietanus quoque in poſteriorem ad Corinthios [g], necnon ibidem Anſelmus, & Lyranus, & idem B. Thomas, & Haymo, qui ait etiam vocari Sileam, ſicut Lucas idem eſt, qui Lucius. Vtrobique Carthuſianus conſentit, necnon Hugo citans Rabanum; & eſt aliorum Latinorum opinio. Catharinus dubitat, *cum*, inquit in priorem ad Theſſalonicenſes, *de Scripturis eun-*

g in cap. 1.

A *dem fuiſſe non euincatur.* Fauent nihilominùs citatæ Pauli epiſtolæ, in quibus cum Timotheo Siluanus coniungitur, ſicut & in hiſtoria iſta Apoſtolica [h], in qua etiam narrantur verſati Theſſalonicæ. Fauet etiam nonnihil Athanaſius [i], dum ſcribit *Siluanum in ſocietatem receptum à Paulo*: innuit enim id quod in fine præſentis capitis hac de re narratur.

h ca. 17. & 18.

i in id: *Omnia mihi tradita ſunt à PATRE meo*, Mat. 11. 27.

Ceterùm Græci in Menologio [k] hos diſtinguunt: & Dorotheus [l] Silam Corinthiorum, Siluanum conſtituit Epiſcopum Theſſalonicenſium: eodémque pacto Hippolytus Martyr [m], & ex Latinis Petrus de Natalibus [n], qui ſcribit Silam in Macedonia quieſcere, Siluanum Theſſalonicæ, &
B Baronius [o], & Feuardentius [p]: vocantur in dicto Menologio Apoſtoli, latiùs videlicèt extenſa voce: ipſum verò Silæ nomen, vt dictum eſt, docétque rurſum Hieronymus [q], *Miſſum*, ſiue *Apoſtolum* ſignificat: cum quo Sila Iudas cùm ſit miſſus, & ambo ab Apoſtolis propterea nominati Apoſtoli, vt idem ait, neſcio cur etiam velit propriè Silæ à mittendo nomen id impoſitum fuiſſe.

k 3. Kal. Aug. *Silas & Siluanus diſtincti ſūt.*

l in Synopſi.

m in li. de 72. Diſcipulis.

n lib. 6. ca. 94.

o in Notis Martyr.

p in 1. ep. Pet. cap. 5.

q in c. 1. ep. ad Gal.

Meminit & Petrus [r] Siluani, vocans *fidelem fratrem*: & cùm Paulus eius nomen ponit, ac Timothei, huic illum præponit, vt electione, ſeu vocatione ad prædicationem, ſocietatémque cum Paulo priorem, ex Haymonis quidem ſententia: Chryſoſtomus enim, Theophylactus, & Oecumenius id humilitati Timothei adſcribunt, ſic fieri
C volentis ac depoſcentis.

r 1. ep. ca. 5. 12. *De Siluano quid ſcriptū ſit.*

Potiùs vnus tātùm quàm duo ſunt.

Equidem ſtatuere rectè non queo, ſíntne vnius duo nomina, ſeu vnum variè inflexum, an duo homines æquè, vt diſtinctæ appellationes: illud non diſſimulo, poſteriorem partem nec ratione niti, nec graui vlla auctoritate. Dorotheum enim, Hippolytum, Petrum de Natalibus ipſemet Baronius perſæpe haud magni æſtimat: Menologio non ſemper etiam credit. Porrò de Sila illud in Romano Martyrologio [ſ] extat elogium: *In Macedonia B. Silæ: qui cùm eſſet de primis fratribus, & ab Apoſtolis ad Eccleſias Gentium vnà cum Paulo, & Barnaba deſtinatus, prædicationis officium gratia* DEI *plenus inſtanter conſummauit, atque in paſſionibus ſuis*
D CHRISTVM *clarificans, poſtmodum requieuit.* Eadem habet Vſuardus, vocans Sileam.

ſ die 13. Iulij.

Quæ de Sila Paulus ſcripſerit.

Quæ profectò indicant, de Sila intelligere Paulum [t], cùm ait: *Miſimus etiam cum illo fratrem, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias, non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam, quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram.* Nam licèt Hieronymus [u], & Ignatius [x], aliíque de Luca dictum accipiant, tamen de ipſo nihil eiuſmodi præſens, quam ipſe ſcripſit, hiſtoria continet.

t 2. Cor. 8. 18. 19.

u de Scriptorib. Eccleſ. in Luc.

x epi. ad Eph.

Sed, vt paulò pòſt in iſto capite videbimus, quòd cùm à Paulo Barnabas receſſiſſet, electus eſt Silas Antiochiæ comes Pauli in peregrinatio-
E ne ſuſcepta. Quo fit, vt *laus in Euangelio per omnes Eccleſias*, ad prædicationem, non ad Euangelij ſcriptionem pertineat (quid enim minùs laudis habet Matthæi pridem antè ſcriptum, quàm Lucas ſcriberet) ad legationem enim Apoſtolicam, vt hîc narratur, electus eſt à Concilio Ieroſolymitano vnà cum Iuda, *quòd eſſent primi in fratribus*: qui primatus non alius videtur eſſe, quàm ob excellentiam prædicationis, quæ magis quoque poſteà enituit, quando cum Paulo prædicando Eccleſias obiuit Syriæ, Ciliciæ, aliáſque Aſiæ, Macedoniæ item, & Achaiæ.

De Barnaba mauult Theodoretus [y], & Chryſoſtomus [z],

y in ca. 8. 2. ad Cor.

De Barnaba eadem intelligatur.

sostomus [a], aliique Græci, loqui Apostolum: est namque primùm Antiochiæ auctore SPIRITV sancto, datus Paulo socius [b]; Paulusque in prima ad Corinthios epistola [c] meminit ipsius, vt Collegæ in Euangelij prædicatione: quamuis ad tempus seiuncti essent, vt hoc loco paulò pòst narratur [d]; quæ proinde ratio non sufficit ad eum excludendum, sicut ea vtens facit Caietanus: addens Tito, cuius eadem secunda illa epistola ad Corinthios [e] mentio fit, & illi, *cuius dicitur laus esse in Euangelio*, putat verò esse Lucam, aliũ illum, quem nomine tantùm generali fratrem Apostolus appellans, misisse se scribit, reuerà autem non videtur tertius, sed idem cum alio post Titum descripto, esse aut Silam, aut Timotheum. Beatus Thomas, & Glossæ, aliique permulti, Apollo. Res valdè incerta est, & hi ipsi iam citati Auctores, aut de Luca, aut de Barnaba sentiunt, nullus omninò de Sila, præter vnum Baronium, cuius etsi non improbabilis, propter singularitatem haud ita facilè complectenda sententia, nisi, vt ipse facit, libera facta potestate ex aliis aliquam deligendi.

a ibidem.
b Act.13.2.
c cap.9.6.
d vers.39.40.
e ca.8.6.16.23.

Ego verò, etsi proposito fauet Baronij sententia, non sum is tamen, qui mihi sententias, quàm me ipsum malim communioribus, atque verosimilioribus accommodare. Lucam colo & diligo, quem etiam non sine labore interpretor, at non illum censeo, sed Barnabam designari, *cuius laus sit in Euangelio, & Pauli comes ordinatus fuerit propter expositam antè rationem*: tum præterea quoniam Euangelium, Euangelij prædicatio interdum est, euangelizare, prædicare, Euangelista, prædicator, vt cùm de Diacono Philippo agerem, notaui [f].

f cap.6.5.

Post Barnabam Silas placet magis quàm Lucas, & eadem illa de causa, & ob id, quod ex Martyrologio de Sila recitaui, ac primus obseruaui. Dorotheus vocat verbi cum Paulo ministrum.

Viros primos in fratribus.] Ἄνδρας ἡγουμένους ἐν τοῖς ἀδελφοῖς. Primatus hic vel antiquitatis in Discipulatu erat, vel potiùs in frequenti ministerio prædicationis: neuter enim censetur inter duos & LXX. Discipulos. Tenet me nonnulla suspicio, vel dubitatio, Iudas iste vnus de primis fratribus fueritne is, qui Saulum cæcatum in itinere excepit Damasci. Lege quæ ibi de illo dixi [g].

g cap.9.11.

Ἡγούμενοι dicuntur, quasi *duces*, vel *Doctores*, ac *primarij, & præcipui*.

In pro inter sæpe ponitur.

Ἐν τοῖς ἀδελφοῖς, idem est, quod *inter*, vel *apud fratres*. Priorem vsum habet quoque præpositio *in*, apud Latinos, & Hebræos, *Benedicta* [h] *tu in mulieribus*, id est, inter mulieres. *Absque liberis faciam eos in hominibus* [i], id est, inter homines. *Pascite, qui in vobis est* [k] *gregẽ* DEI, id est, inter vos, vel qui vestræ curæ commissus est. *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius* [l], id est, inter Sacerdotes. Primi in fratribus ergo dicũtur, qui & inter fratres, & præ fratribus tales sunt; comparatione facta cum omnibus præter Apostolos, qui præcipui sedebant in Concilio, auctoresque erant huius legationis. Talis in epistola ad Romanos [m] phrasis, qua quidam nominantur *nobiles in Apostolis*.

h Luc.1.28.
i Osee 9.12.
k 1.Pet.5.2.
l Psal.98.6.
m cap.16.7.

Versus 23.] Scribentes per manus eorum Apostoli, & Seniores fratres, his, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus, salutem.

SCRIBENTES *per manus eorum.*] Græcè additur τάδε, *hac*, Syrus, הכנא *hachanna*, *i. hoc modo*. Per manus autem dicit, non quasi illi duo scripserint, sed quòd iis literæ deferendæ datæ sint.

Solebant Apostoli & primi Præsules nonnisi sanctitatis, ac fidelitatis probatæ viris committere suas epistolas, iis nempe, quos simul amandabant ad visitandas, consolandasque Ecclesias. Id Petrus fecit per Siluanum [n], Paulus per Tychicum [o], Epaphroditum [p], Timotheum [q], Titum [r], Onesimum [s]. Et horum quosdam non semel tantùm functos hoc officio quidam volunt; & Phæben ministram Ecclesiæ Cenchreensis detulisse ad Romanos epistolam [t]. Obseruari potest idem in epistolis Ignatij [u], & Cypriani [x], qui significat nefas fuisse Ecclesiasticos aliis vti, quàm Ecclesiasticis tabellariis, ideoque ob illorum inopiam nouos ad eam obeũdam functionem creasse clericos, & patet ex Actis Nicomediensis Ecclesiæ [y], in quibus est, literas Anthimi Episcopi ad CHRISTI Confessores missas per Diaconum, à Maximiani Imperatoris satellitibus esse interceptas.

Apostoli & primi Præsules nonnisi probatis viris literas committebant.

n 1.ep.5.12.
o Ephes.6.21. Colos.4.7.
p Philip.2.25.
q 1.Thess.3.2. & 1.Cor.4.17. c.16.10.
r 2.Cor.8.6. 12.18.
s ad Philem. 12.
t de qua c.16. ad Rom.
u vt in 11.
x ep.16. & 24.
y recitat ea Baron. tom.2. Annal. anno CHRISTI 302.

Existimant [z] nonnulli, raro scripsisse Paulum, aliosve propria manu Apostolos, sed dictasse & subscripsisse: ac de Petro probant, quia dicit *per Siluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter scripsi.* Hoc sanè non magis probat, quàm quod Concilij istius Ierosolymitani epistolam Silas, Iudasque scripserint manibus suis, per quorum hîc manus (multò videlicet clariùs loquendo) Apostoli, aliique de Concilio scripsisse narrantur. Lego quidem in epistola Pauli ad Romanos [a]: *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam*: sed & iam à Paulo scriptam, non autem dictatam potuit is descripsisse, & in aliis epistolis significat Apostolus à seipso exaratas, idque sæpiùs fecisse notat de industria Sotus [b], nec nisi aliquando aliena vsum manu. In prima ad Corinthios extremo [c] ponit *Salutatio mea manu Pauli*, & in ea, quæ est ad Galatas [d]: *Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu*, & ad Philemonẽ [e], *Ego Paulus scripsi mea manu*, & in posteriori [f] ad Thessalonicenses: *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola: ita scribo: Gratia Domini nostri* IESV CHRISTI *cum omnibus vobis: Amen*, & ad Colossenses [g]: *Salutatio mea manu Pauli.* In aliis epistolis non id ita exprimit, cùm tamen se scribere dicat; non video cur per alium facere interpretemur: præsertim cùm verbatim dictare non sit minùs operosum temporisque egens, quàm si scribas ipse.

z Feuardent. in 1.Pet.5.12. & Salmeron tomo 11. disput.5.
Apostoli manibus suis literas scribebant.

a cap.16.22.
b in c.vlt.ep. ad Rom.
c cap.vlt. 21.
d cap.vlt.11.
e vers.19.
f c.vlt.17.18.
g cap.4.vlt.

Non est autem dubitandum solam amanuensi sententiam dictare noluisse eum, qui se sacram canonicamque condere Scripturam non ignorabat. Constat verum esse quod ait Hieronymus [h], *Paulum apposuisse chirographum ad nonnullas epistolas, vt remoueret suspicionem suppositiuiarum, vt de quibus ipsemet scribit Thessalonicensibus* [i], *& vbicunque sciebat falsos adesse doctores, qui possent per ipsius auctoritatem noua dogmata seminare.* Fortasse subscriptionis formula præter nomen, certamque sententiam, continebat quoque aliquam graphicè expressam figuram, vt fit apud nos.

Non dictauit Paulus amanuensi sententias tantum.
h lib.1. in ep. ad Gal.
i 2.epist.2.

Si æquè constaret, quod meritò ridet idem Doctor, Græcos Paulum characteres probè formare nescisse, ideoque cùm necessitate cõpulsus, Galatis manu propria scripsisset, dixisse; *Videte qualibus literis scribo vobis mea manu*, πηλίκοις quantis, & quàm curuis literarũ tramitibus, magnisque apicibus haberent, qui morem scribendi non

Paulum imperitum scribendi Græcè argumentum.

habuisse

habuisse propria manu affirmant, vndè id probarent. Chrysostomus certè id sentit, simúlque solitum Apostolum subscribere, non scribere: cumque alij Græci hac in re, vt solét in aliis, sequuntur.

Qui quantitatem, ac proxilitatem illius epistolæ ad Galatas indicatam volunt, asserunt breuiores duntaxat Pauli manu scribi solitas. Claudius Antisiodorensis, vel Taurinensis putat ab eo loco tantùm epistolæ, vbi sunt recitata verba, deinceps scripsisse sua manu. Sed præstat cum Hieronymo, & Augustino de qualitate, hoc est, de perspicuitate ac libertate in exponenda sententia sua intelligere, & de rebus ipsis altissimis, atque profundissimis. Quo ferè modo Latini alij exponunt, & Hilarius in Psalmos.

Apostoli, & Seniores fratres.] Græcè, ac Syriacè interponitur coniunctio ante *fratres*, quam in nullo codice Latino potui reperire: & abest meliùs, vt intelligatur inscriptio Seniorum tantùm fratrum esse, atque Apostolorum, & non etiam inferiorum. Quanquàm hinc nihil etiam efficerent hæretici contra Petri primatum, vt dudum præmonuimus: sed solùm ad pleniorem concordiam, reliquorum quoque consensum esse appositum. Cùm autem numero plurali nominantur Apostoli, plures indicantur fuisse, quàm Petrum & Iacobum, atque omnes quidem adfuisse, qui viuebant, anteà docui probabilius esse. Clemens Alexandrinus [a] hanc appellat generalem omnium Apostolorum epistolam.

a 4. Stromat. cap. 6.

b versu 19.

Antiochiæ.] Lege caput 11. [b] nisi præponeretur coniunctio, *& Syriæ*, suspicari quis posset designatam Syriæ, caput Antiochiam diuersam ab ea, quæ est Pisidiæ [c]: & præsertim cùm non ita Latinè dicantur aliqui esse Syriæ, sed in Syria. Remouet ambiguitatem textus Græcus, τοῖς κ[?] τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ Συρίαν, καὶ Κιλικίαν ἀδελφοῖς, &c. Item Syrus interpres, בּאַנטִיוּכי *banetiiuchi*, *in Antiochia*, &c.

c c. 13. 14. c. 14. 24.

Et Syriæ.] Asiæ regio est, ad quam pertinet Antiochia. Complectitur Syriæ nomen in sacris Literis eam, quæ vocatur Mesopotamiæ, & Soba, & Damasci, & Phœniciæ. & Maacha, & Decapolitana, & Cœlesyria, & Palæstinæ. Apud scriptores profanos memoratur Syria Comagena, Apamæa, Cœlesyria, Phœnicia, Seleucis, Leucosyria, Palæstina, Barapotamia, Mesopotamia, Cappadociæ, Ituræa, Trachonitis.

Syria in Literis sacris multas regiones amplectitur.

Et apud profanos auctores.

Latissimè Syria sumitur apud Cosmographos, quando comprehendit Babylonem, & Mesopotamiam, & alias prouincias: & confunduntur interdum nomina Syriæ, & Assyriæ: & qui Syri vocantur, aliàs Armenij, & Aramæi nominantur ab Aram, quod est Hebraicum generale Syriæ, inditum ab eiusdem nominis filio Sem. Vocatur etiam quandoque in sacris Literis *Syria fluuiorum* [d], quasi dicas Syria Mesopotamia: est enim maxima pars Syriæ interamnis, inter Euphratem, Tygrímque.

d Gen. 24. 10. Deut. 23. 4.

Peculiariter Assyria, ab Assur, qui fuit etiam filius Sem, distinguitur à Syria, quam dictam Aram modò docui. Describit diligenter hæc omnia Salmeron [e]. Ea cuius metropolis est Antiochia, dicitur esse Cœlesyria, quamuis toti Syriæ præsideret. De Antiochia, quæ satis esse videbantur, aliàs protulimus, tum vnde nomen id acceperit; Hebraicè námque Rebla, vel Reblatha, à Græcis Epidaphne, à Daphne suburbano vicino; ac demùm à Iustiniano Theopolis appellata reperitur [f].

e Tom. 1. Prolego. 41.

f teste Volaterrano, vers. 9.

Et Cyliciæ.] Lege cap. 6. 8

A *Fratribus ex Gentibus.*] Quamuis orta seditio esset Antiochiæ, & excitata quæstio inter hos, & fratres ex Iudæis, & vtrorumque ibidem nomine missa legatio in Ierusalem, ibidémque ab vtrisque in Concilio disceptatum; nihilominùs epistolæ diriguntur ad solos priores, & quia hi maximè læsi videbantur, ac absterriti alij ex iisdem Gentibus ab ingressu Ecclesiæ: & quoniam Iudæis, qui Christiani facti erant, præcipuè abundabat ciuitas Ierosolymitana, quibus sedatis, nihil erat quod ad alios propriè scriberetur.

In epistolis veteres initio cùm salutant, præponunt scribentis nomen nomini eius ad quem scribunt, etiamsi ille inferior, hic sit superior. Item

Mos scribendi antiquorum in salutationibus.

B dignitatis, seu Magistratus, vel professionis, vel cognationis & affinitatis nomen postponunt. Nos contra illum morem præponimus huiusmodi, præsertim dignitatis vocabula; ad incrementum scilicet honoris, & significationem vel obsequij vel amoris.

Quocirca is, qui Ambrosij nomen gerens, Commentarios scribit in epistolas Pauli, non satis videtur tenuisse antiqui, ac sui etiam temporis morem, dum ait [h], Paulum secus quàm alij facerent, suum in epistolis nomen nomini eorum præposuisse, ad quos scribebat, propter auctoritatem ordinis Apostolici, *Sicut*, inquit, *Iudices seculi solent ad eos quos regunt, scripta dirigere.* Idem habet Hieronymi nomine commentarius in posteriorem ad Corinthios [i]. Nam neque id Paulus sibi

h in 2. ad Corint.

i cap. 1.

C arrogasset: neque verum est quod ait de opposita consuetudine, vt patet in hac ipsa historia ex epistola Tribuni Lysiæ ad Felicem Præsidem [k]: & Ausonius Ambrosij æqualis dum scribit ad Paulinum, excusat, quòd nomen suum nomini illius non præposuerit.

k cap. 23. 26.

[l] *Paulino Ausonius, metrum sic suasit vt esses*
Tu prior, & nomen prægrederere meum.

l epist. 20.

Denique Ambrosius sæpissimè in epistolis nomen suum præfigit, vt sit mirum, quid illis auctoribus in mentem venire potuerit, cùm id scribebant.

Variant & ipse Ambrosius, & alij, sed ferè ita,

D vt ad æquales & inferiores scribendo, eorum nomen postponant, præponant, si sint superiores. Egi hac etiam de re nonnihil in epistolam Ioannis primam [m], & in secundam [n].

m in præf. n versu 1.

Salutem.] Χαίρειν. Syriacè, שׁלם *schelam*, id est, *Pacem*. An epistola scripta sit Græcè, non constat quidem, est verisimile tamen, cùm ea lingua valdè communis esset, præsertim apud Gentiles eo tempore, illáque de causa Apostolicæ omnes epistolæ, præter eam: quæ est ad Hebræos, hoc idiomate compositæ credantur. Quocirca nihil mirum, si vsitata salutationis forma inter Gentiles hìc, vbi ad fratres ex Gentibus scribitur, præfixa sit χαίρειν, quod est *lætari*, pro quo Latini vsurpant *Salutem*. Syrus autem interpres illud vocabu-

An sit epistola Græcè scripta.

E lum posuit, quo Syri & Hebræi salutare consueuerunt, vt sæpe in Euangeliis legimus, & fecisse CHRISTVM, & fieri à suis intrantibus in alicuius domum præcepisse.

Qui de Iacobi huius ipsius, qui sententiã moderationis plenam in Concilio dixit, dubitant epistola, vtrùm Canonica sit, seu in Canonem referenda librorum sacrorum, denique, an eam ipse scripserit: Erasmus, Caietanus, Lutherus, & Osiander in suis ad illam notationibus, Commentariisve, necnon in Centuriis Magdeburgenses [o], inter alia argumenta istud proferunt, *quòd salutatio eius epistolæ nihil sonet* DEI, *nihil*

De epistola D. Iacobi.

o Cent. 1. li. 2 col. 54. & 583.

IESV CHRISTI, *nihil gratia, nihil pacis, sed profano more salutem.* Cuius rei Scriptura continet duo exempla, tum Gentilium ad Artaxerxem [a], tum Artaxerxis ad Gentiles [b].

a 2. Esd. 4. 11.
b Esther 16. 1.

Ergo vt omittam prima verba, quibus nihil magis pium & gratiosum potest dici, *Iacobus* DEI, *& Domini nostri* IESV CHRISTI *seruus*; Gabriel profanus est, cùm dixit MARIÆ [c], χαῖρε, *Aue*, Syro-Chaldaicè, שלם לבך *schelam lecbi*, id est, *Pax tibi*; CHRISTVS profanus, cùm mulieribus [d], *Auete*.

c Luc. 1. 28.
d Matt. vlt. 9.

Salutis vox nulla est in lege gratiæ, & suauior.

Non est vox Testamento nouo adeò propria, nulla in lege gratiæ suauior & sacratior, quàm *Salutis*, quæ non, vt apud Gentiles, corporis valetudinem, & prosperitatem, sed animæ potissimùm incolumitatem vtramque in gratiæ donis, atque in complemento eius, quod est gloria atque beatitudo, consistêtem importat; denique ipsamet salus est IESVS, gerens eam in nomine: significat quoque nonnunquàm salus victoriã [e]: in ea enim populorum constituitur salus & incolumitas: & nihil melius his, *quorum vita militia est super terrã* [f] optari potest, quàm victoria, & *salus de inimicis, & de manu omnium qui oderunt*, & impugnant eos.

e Iudic. 15. 18. 1. Reg. 11. 9. c. 14. 45. c. 17. 47. 1. Mach. 3. c. 4. 25. Luc. 1.
f Iob. 7. 1.

Quòd alij aliter Apostoli in epistolis salutent, mouere non debet: neque enim omnium Auctorum stylus, modusque esse idem solet. Hebraico more pax adoptatur alicui in salutationis forma, quoties ab eo qui salutatur, timor remouetur, & bono esse animo iubetur [g].

g Gen. 43. 23. Iudic. 6. 23. c. 19. 20. 1. Reg. 1. 17. c. 25. 6. 2. Reg. 15. 9. & aliis locis prius citatis.

Quare inanem laborem suscipiunt, qui quærunt idémne sit AVE, & SALVE, & vtrùm hoc secundum contineat imprecationem salutis; proindéque rectiùs salutata intelligatur MARIA per *Aue*, quod est, gaudij, & gratulationis, quàm per *Salue*, quoniam salute iam non egebat mater salutis futura. Nam & vulgari Ecclesiæ vsu, & ipsius Scripturæ, DEO ipsi *salutem* damus [h], quasi salutando, aut nostram ei acceptam ferendo. Potiùs argumentari liceret ex simili, eadémque salutationis norma, tum in hac Apostolici Concilij epistola, tum in ea, quæ Iacobi dicitur, reuerà illam à Iacobo editam, qui fortasse Synodalem ipse dictauerat, continentem summam sententiæ, quam dixerat.

h Apoc. 7. 10.

Itaque non moror quod Tertullianus [i] tradit, Paulum *non salutem præscribere eis, quibus scribit, sed gratiam & pacem.* Quanquàm etiam addit, non vt Iudaicum morem sequeretur id fecisse, qui destructor erat Iudaismi: hodiè enim etiam Iudæos in pacis nomine appellare, & retrò in Scripturis sic appellasse: sed vt officio suo defenderet prædicationem CREATORIS [k]; *quàm maturi pedes euangelizantium bona, euangelizantium pacem: Euangelizator enim*, inquit, *bonorum, id est, gratia* DEI, *paci eam præferendam sciebat.*

i 5. cõtra Marcio. c. 5.
Cur Paulus non præscripserit salutẽ iis ad quos scribebat, sed pacem.

k Esa. 52. 7. Rom. 10. 15.

Non in principio epistolæ tantùm, sed etiam in fine apponit Paulus gratiam: & hoc ait *esse signum in omni epistola sua, itàque scribere* [l] dum eam concludit: *Gratia Domini nostri* IESV CHRISTI *cum omnibus vobis. Amen.* Epistola tamen ad Romanos non habet eiusmodi clausulam. Petrus in principio ac fine primæ gratiam precatur, & in secunda vtrobique ferè, eodem pacto. Ioannes in principio secundæ coniungens *misericordiam, & pacem*, sicut Petrus, *pacem*, & Paulus in fine posterioris ad Corinthios *charitatem* DEI (nempe PATRIS) *& communicationem sancti* SPIRITVS, in initiis autem cum gratia *pacem*: quibus duobus tanquàm complemento continentur omnia bona, *superátque huius-*

l 2. Thess. vlt. 17.

modi siue salutatio siue imprecatio Patrum veterum benedictiones omnes, vt ait Origenes [m]. Iudas [n] exprimit salutando *misericordiam*, *pacem*, *& charitatem*.

m in c. 1. epist. Rom.
n vers. 2.

Hieronymus [o] declarans etymologiam mysticam Hanameel, & filij eius Sellum, vt ille significet *donum*, vel gratiam DEI, hic *pacem*, vel pacificum: *Nec mirabimur*, inquit, *quod sibi pax iungatur & gratia, cùm etiam epistolarum Apostolicarum hoc principium sit, Gratia vobis, & pax.* Primùm ergo pacem mereamur DEI, & post pacem nobis gratia nascitur, quæ non in possidentis, sed in arbitrio donantis est. Et tamen Iudas, vt iam dixi, pacem præposuit charitati, siue gratiæ. Denique Ioannes in Apocalypsi [p]. *Gratia*, inquit, *vobis, & pax.*

o lib. 4. in c. 32. Ierem.
p cap. 1. 4.

Gregorius [q] cùm scribit Anastasio Episcopo Antiocheno, in fine ponit: *Amen, gratia*; tum subdit: *Quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta, idcirco in epistolis meis pono, vt de sancto Ignatio vestra beatitudo cognoscat, quia non solùm vester est, sed etiam noster. Sicut enim magistrum eius Apostolorum Principem habemus communem, ita quoque eiusdem Principis discipulum nullus nostrûm habeat priuatum.* Nimirum significat morem salutandi in epistolis ab Ignatio in fine seruatum, vt notat Baronius [r]: cùm tamen nonnisi duodecima terminetur per *Gratia*, decimaquarta per *Amen*, aliæ aliam habeant clausulam, aliud principium, ac interdum simplicem *Salutem*, vel *Vale*, sæpiùs, *in* CHRISTO, aut DEO. Pontifices Apostolos imitantur in Præfationibus epistolarum; & hoc fortasse volunt, cùm dicunt: *Apostolicam benedictionem.*

q lib. 4. ep. 37.
Ignatius in fine epistolarum quo modo scripserit.
r To. 1. Ann.

Græci & salutantes, & valedicentes quoque interdum vtuntur τοῦ χαίρειν, quo non solùm iubent *læto animo esse*, verùm etiam ὑγιαίνειν, & *sanum esse, ac valere*: Epicurus, εὖ διάγειν: Plato [s], εὖ πράττειν. Et alij hæc eadem, vt in initio, sic in extremo epistolæ. *Per* ὑγιαίνειν, pro quo Latini salutem dicunt, *bene optatur corpori*, ait Budæus [t], *quod est primum inter res humanas: Per* εὖ πράττειν, *vt actiones fœliciter cedant, & prono cursu: Per* χαίρειν, *vt cùm omnia ex animi sententia cesserint, animus lætitia fruatur.* Reperiuntur alicubi copulata χαίρειν, καὶ εὖ πράττειν, gaudere, & bene rem gerere: quæ duo Latina Flaccus [u] coniunxit:

Græcorum salutandi usu.
s epist. 3.
t in comm. ling. Græc.

Celso gaudere, & bene rem gerere Albinouano
Musa rogata refer comiti scribæq; Neronis.

Si credimus Luciano [x], Plato respuebat verbum χαίρειν, tanquàm μοχθηρὸν, καὶ οὐδὲν σπουδαῖον ἐμφαῖνον, *nihil studiosum, & honestum ostendens.* Scio apud Martialem [y], *Aue*, cui Lucianus [z], ait respondere Græcum χαῖρε, idémque ipse Martialis [a], vocari *matutinum*, hoc est, manè impertitum. Necnon apud Plutarchum [b], & Suetonium [c], qui affirmat de *Salue*, vt è contrario *Vale*, ait esse vespertinum, aut post cœnam dictum [d]: quod item est apud Macrobium [e], & apud Xiphilinum [f]. De salutationibus quoque matutinis inter milites mentio in historia Iosephi [g], & apud Philonem [h]. Denique ne quis recens à Gregorij magni seculo, dum inguinaria grassaretur lues, putet inuentum sternutantibus salutem precari [i], Plinium [k] legat, Petronium [l], Apuleium [m], Titianum [n], Aristotelem [o], & recentiores, Alexandrum ab Alexandro, cum Tiraquello [p], & Dalecampium [q] scholiastem Plinij.

u lib. 1. ep. 8.
x lib. περὶ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος. in Apolog. etiam commissi in salutatione.
y lib. 1. ep. 56. lib. 4. ep. 78.
z citata lœo.
a lib. 3. epig. 12.
b opusc. de garrulit.
c in Galba. c. 4.
d in Tiberio c. 72.
e lib. 2. c. 1.
f in Aurelian.
g 5. de bello Iudaic. c. 5.
h lib. de Monarc.
i Paul. Mortical. Gubd. Durand. Rationale. c. 102.
k lib. 28. c. 2.
l in Satyr.
m lib. 9.
n lib. 1. Epig.
o in Probl. sect. 33. c. 7. & 9.
p lib. 2. c. 18.
q in loco

Cùm Fuluius Senator arcanum Augusti suæ prodidisset vxori, & manè Imperatorem salutans

dixisset,

dixiſſet, Χαῖρε Καῖσαρ respondit quaſi amandans, ac valere iubens cum indignatione, vt Plutarchus [a] narrat, ὑγίαινε Φιλλίε. Hoc fuit argumentum Lucianicæ Apologiæ iam citatæ, quòd in matutina ſalutatione dixiſſet imprudens, non χαῖρε, quo Latinum *Aue* exprimitur, ſed ὑγίαινε, quod ſignificat *Vale*: ac propterea irriſus eſſet. Dixit aliquando tamen in epiſtolæ clauſula Cicero: *Vale mi Tyro, vale, & ſalue.*

a Opuſc. de garrul.

Libanius opuſculum ſcripſit de epiſtolarum characteribus, in quo de rerum exordio ita præcipit: *Hoc ergo modo exordietur*, qui ſcribit epiſtolam, *Amicus amico ſalutem dicit: nam omnes ex antiquioribus Auctoribus, qui nos non ſolùm eruditione, ſed etiam ſapientia præibant, ad hunc modum exordia habuiſſe videntur. Vnde oportet eum, qui ſibi illos imitandos propoſuerit, eorum adhuc ſequi veſtigia.* Adde Senecam [b] ita ſcribentem: *Mos antiquus fuit, vſque ad meam ſeruatus ætatem, primis epiſtolæ verbis adiicere: Si vales, bene eſt, ego valeo.* &c. Hunc ait ſua morem ætate exoleuiſſe. Longo interuallo ſuperiores, Gentiles præſertim, non ſolebant ſalutem precari. Alexander quidem poſt Darium deuictum; ſibíque magni cognomen aſſumptum, vni ex Athenienſibus Phocioni illam dabat, & Antipatro Macedoni. [c] Meminit de conſuetudine eadem Plinius [d]. Lege commentarium noſtrum ad ſecundam Ioannis epiſtolam [e].

Epiſtolaris ſcribendi mos quidã.
b Epiſt. 15.
c Plutar. in Phocione.
d lib. 1. ep. 11.
e Verſ. 1.

Verſus 24.] Quoniam audiuimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos verbis, euertentes animas veſtras, quibus non mandauimus.

QVONIAM *audiuimus, quia quidam ex nobis exeuntes.*] Ἐξελθόντες, ſine pronomine *nobis*, quod tamen etiam Syrus expreſſit, מנן *menan*, id eſt, *ex nobis*. Initio capitis dicti ſunt quidam κατελθόντες ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας, *aſcendentes de Iudæa.* Hos intelligit Apoſtolica, Synodaliſque epiſtola.

Hæc eſt indoles, ingeniúmque vel hæretici, vel ſchiſmatici, vt exeant, ac ſeipſos diuidant, & ſcindant. Vnde σχίσμα ἀπὸ τοῦ σχίζειν; & iuxta nonnullos αἵρεσις ab αἱρέω, non tantùm *eligo*, ſed etiam *ſeco*, atque *diuido*. *Hi ſunt*, ait Iudas [f], *qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.* Et inter eos ſunt ſchiſmata, qui in Eccleſia *id ipſum non dicunt, quod omnes* [g].

Hæretici exeunt, & ſeipſos diuidunt.
f verſ. 19.
g 1. Cor. 1. 10.

Non ſunt iidem hæretici, qui per ſe aduerſantur veritati Fidei: & ſchiſmatici, qui vnitati, concordiæ, & charitati Eccleſiaſtæ; ſed facilis ad hæreſim deſcenſus ab ſchiſmate, *vixque ſchiſma vllum non ſibi aliquam confingit hæreſim*, inquit Hieronymus [h], vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur. Id contigit Lucifero Calaritano, Donato, & aliis, qui ex ſchiſmaticis hæreticis euaſerunt. Neutri pertinent ad Eccleſiam, nec *hæretici, quoniam*, vt ait Auguſtinus [i], *non diligunt* DEVM; *nec ſchiſmatici, quoniã non diligunt proximum.* Nimirum non tantùm eo modo, quo quiuis mortali adſtrictus ſit crimine peccator, neque DEVM diligit, neque proximum; ſed quia peculiari ratione primi recedentes à veritate DEI, cum DEO pugnant; ſecundi ſcindentes vnitatem Eccleſiæ, cum detrectatione obedientiæ, quæ debetur eiuſdem capiti, fraternæ charitati aduerſantur.

Hæretici, & ſchiſmatici iidẽ non ſunt.
h in cap. 3. ep. ad Tit.
i lib. de fide, & Symb. c. 10.

Rectè igitur Iudaizantes dicuntur ἐξελθόντες ab Eccleſia, quamuis quia forſan obfirmato animo nondum erant, nec refractaria in caput eius voluntate, tam atrox vocabulum non merentur, aut adeò grauis criminis nota digni habẽdi non ſunt, quod præ aliis quibuſcunque acerbiſſimo ſupplicio punitum legimus, hoc eſt, ſepulcrali viuentium inferno [k].

Exaggerant ſchiſmaticorum malitiam, pluſquàm homicidarum, & adulterorum, pluſquàm etiã CHRISTI crucifixorum, qui *veſtẽ inconſutilem ſeruarunt integram* [l], pluſquam *meretricis, quæ ſuppoſititium filium ſectum voluit* [m]: Irenæus [n], Optatus [o], Hieronymus [p], Auguſtinus [q], Cyprianus [r], Clemens [s]. Quadrat in illos id, quod Ioannes [t] ſcribit, vocans etiam *Antichriſtos*: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum; ſed vt manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis.* Ibi conſule noſtrum commentarium. Horum anteſignanum diximus anteà Cerinthum fuiſſe.

k Num. 16. 31. 32.
Schiſmatici quàm execrandi ſint.
l Ioan. 19. 23.
m 3. Reg. 3. 26.
n lib. 4. c. 62.
o lib. 1.
p epi. ad Damas. & Dial. aduerſ. Luciferia.
q 1 de Bapt. c. 4. lib. 2. cap. 6. 3. con. epiſt. Parmen.
r epiſt. 72. & 162 li. de vnit. Eccleſ.
s 6. Conſtit. c. 1. 2. & 3.
t 1. epiſt. 2. 19.

Fortaſſe ſimpliciùs hoc loco per *eos, qui exierant*, non malignos ſchiſmaticos intellexerit Synodus, ſed qui bona fide, zelóque, licèt indiſcreto, contendebant pro legalium conſeruatione, & obſeruatione. Verbum Græcum ἐξέρχεσθαι, etiam abſque adiectione, ſignificat *exire*, ſeu *egredi aduerſus hoſtes*: quaſi hi ἐξελθόντες hoc loco ſint, qui ſibi prodeundum duxerint, ceu in dimicationem contra aduerſarios legis.

Turbauerunt vos verbis.] Ἐτάραξαν ὑμᾶς λόγοις. Syrus, ודלחכון *vedalachachum*, i. *& incuſſerunt terrorem.* Quaſi tuta eis non foret ſalus in ſimplici cuſtodia legis Euangelicæ, niſi ſubirent ſimul onus ſcriptæ. Eoſdem Paulus eadem de cauſa Galatis [u] ſcribens, vocat ταράσσοντας, vbi idem Syrus; דדלחין *dedalechin*, id eſt, *terrorem incutientes.*

u cap. 1. 7.

Euertentes animas veſtras.] Ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν, Syrus, ואהפכו *veahapechu*, ideſt, *& labefactantes.* In vtroque textu additur, *Dicentes circumcidi, & ſeruare legem*, nimirum oportere. Ἀνασκευάζειν, eſt *deſtruere, demoliri, diruere, labefactare, refutare.* Vnde apud Dialecticos argumẽta ἀνασκευαστικὰ ſunt ad deſtructionem, κατασκευαστικὰ ad aſtructionem, ſeu confirmationem [x].

x apud Ariſt. ſiue Alex. 1. Top.

Docuimus capit nono [y], Eccleſiam domum eſſe, quæ ſana doctrina, vita ſancta ædificari cenſeatur; & quotquot in ea ſunt gradibus diſtincti, dotatíque Doctores, ac Paſtores, &c. datos ad ædificationem, non ad deſtructionem. Ergo præuaricator eſt, qui bene ædificata deſtruit, & compagem diſſoluit, ſiue errore, ſiue ſchiſmate, ac potiſſimùm charitatem ædificantem. Sunt etiam in domo Eccleſiæ vaſa vtilia, & in gloriam, quæ diſſipantur, euertuntur, franguntur altero modorum illorum. Ducta eſt autem Græcarum illarum ſignificatio vocem à vaſibus, quibus quis collectis migret, vel patriâ faceſſat, aut quæ deiiciat, & peſſundet. Egregia hæc item hæreſis, ſchiſmatiſve deſcriptio. Paulus citato loco ad Galatas nominat iſtos θέλοντας μεταστρέψαι τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, *Volentes conuertere*, ſeu *tranſuertere*, & *inuertere Euangelium* CHRISTI, vt quodammodo fiat in caudam, & lex ſcripta in caput.

y verſ. 31. *Eccleſia domus ſancta eſt.*

Quibus non mandauimus.] Οἷς οὐ διεστειλάμεθα. *Sicut*, inquit Lyranus, *ipſi finxerunt.*

Proprium eſt hæretici, ſuo ſenſu, non cuiuſquam miſſu priuatam doctrinam, non Catholicam, & Eccleſiæ communem tradere, viſionem cordis ſui loqui, non de ore Domini, *currere quamuis non mittatur*, prophetare; *etiamſi non loquatur*

Hæreticorum proprium quodnam ſit.

a Ier.23.16.21.

Hæretici quo maximè argumento premantur.

A DEVS *ad eum*[a]; siue, qui loco præest DEI.

Nullo magis argumento premuntur hæretici, quàm isto, quòd docere non possint, quis eos miserit, *non ostendere origines Ecclesiarum suarum, ordinem Episcoporum, quorum primus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris*, vt loquitur Tertullianus [b], *habuerit auctorem, & antecessorem.* Vrget idem argumentum Irenæus [c], Optatus [d], Augustinus [e]. Meritò verò Cyprianus [f] de his scribit, insistens crebrò in eadem ratione [g]. Ii *sunt, qui se vltrò apud temerarios conuenas (ipsorum cœtui nomen conuenit oppidi Conuenarum, quo à iugis Pyrenæis abactos latrones compulit Pompeius conuenire*, de quibus erat &, Hieronymo teste [h], Vigilantius) *sine diuina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante Episcopi sibi nomen assumunt.*

b lib. de Præscrip. hæret. c. 32.
c lib. 3. c. 3.
d 2. contra Parmen.
e ep. 165. & in Psal. cont. par. Donati, & in lib. cont. ep. Fundam. c. 4.
f lib. de simplic. Prælat.
g vt lib. 1. ep. 6. lib. 4. ep. 2.
h cont. Vigilant.

B Denique verbum Græcum huius loci, Οἷς οὐ διεστειλάμεθα, exprimit rem ad viuum: significat enim, *Quibus non mandauimus*, vel *præcepimus*, tanquàm nunciis. Adulterini ergo, non veri prædicatores sunt. *Quomodo enim prædicabunt*, id est, quo pacto, & quo iure, qua auctoritate, quis eos audiet, & recipiet, *nisi mittantur*[i]; & legatione[k] fungantur pro CHRISTO, nisi sint delegati, ac ordinati à Legatis ipsius, & Legato nato, vt ita dicam, atque omnium Legatorum Principe Petro? *Verba sapientium*, inquit Sapiens [l], *sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à Pastore vno*; vel iuxta editionem LXX. *Quæ verba ex synthematibus ab vno Pastore data sunt*: quoniam sunt vt symbolum, aut tessera quæ in bello ad discernendos hostes dari solet, idque à summo duce, & vocatur συνθημα. Atticè, κοινῶς, seu communi dialecto, σύνθημα. Lege loci eiusdem explicationem in commentario nostro.

Hæretici nō habent ius prædicandi verbum Dei.

i Rom. 10. 15.
k 2. Cor. 5. 20.
l Eccl. 12. 11.

C Hic videlicet summus dux est, præsertim SPIRITVS sanctus, sed in visibili Ecclesia visibiliter, ac sensibiliter loquens, in visibili, ac sensibili Vicario, qui vultum pecoris visibilem videre, & cognoscere possit. Hanc igitur, vt cum Tertulliano [m] ipsiusmet verbis concludamus, dirigimus præscriptionem: *Si Dominus* IESVS CHRISTVS *Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos* CHRISTVS *instituit*, &c. Quid autem prædicauerint, &c. non aliter probari debere, nisi per Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt; ipsi eis prædicando, tam viua, quod aiunt, voce, quàm per epistolas posteà.

Dux summus in Ecclesia visibilis est Christi Vicarius.

m lib. de Præscript. hæret. c. 21.

D *Versus* 25.] Placuit nobis collectis in vnum eligere viros, & mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba, & Paulo.

PLACVIT *nobis collectis in vnum.*] Non loco magis, quàm sententia, *vt idcirco medius ibi esset* CHRISTVS, *cuius erant in nomine congregati*[n].

n Matt. 18. 20.

E Grauis auctoritas ex communi Patrum consensu in Cōcilio. Nec tamen si vel aliqui dissentiant, vel non impari numero, vel etiam plures, non idcirco ratum est, quod à Concilij capite decernitur, qui est Romanus Pontifex, sicut anteà quoque annotaui. De Concilio prouinciali Catholico affirmari piè potest, quod Recaredus Rex de Toletano III. prædicauit[o]: *Credo beatam sanctæ Trinitatis diuinitatem huic sancto interesse Concilio, & ideò tanquàm ante conspectum* DEI, *ita in medio vestri fidem meam protuli.* Idque si, vt est in IV.[p] *omni tumultu abiecto, sollicitè, atque tranquillè Ecclesiastica negotia terminentur.*

o in princ.
p cap. 4.

Cum charissimis nostris.] Laus Pauli, & Barnabæ, approbatio est electionis de illis ab Antiochenis factæ, tum etiam commendatio peculiarium Doctorum, qui Gentibus deputati erant, fidelibúsque ex ipsis conuersis.

Græcam dictionem τῶν ἀγαπητῶν, Interpres modò vertit per *dilectos*, modò per *dilectissimos*, aut *charissimos*. Passim reperitur in Apostolorum epistolis hoc omnibus Christianis commune epithetum, quo significatur, & ab iis ipsis, qui scribunt, diligi, & à fratribus aliis, quos nimirum illi ipsi redamare debeant, & potissimùm à DEO. Vocat Paulus nonnunquàm cum addito, *dilectos* DEI[q].

De hac Græca voce ἀγαπητός.

q Rom. 1. 7.

In hoc genere primus est CHRISTVS Filius DEI, à DEO PATRE sic appellatus[r], & nostra super omnes alios dilectione dignissimus, atque hoc nomine cum Sponsa in Canticis[s], vt animarum nostrarum Sponsus suauiter vsurpandus, cùm sciamus, *quòd* DEVS *gratificauit nos in dilecto Filio suo*[t], & quòd nos illi longè chariores sumus, quàm quos in vetere Testamento nominabat *dilectos*[u], quippe qui etiam *recalcitrarent*, & *scelera multa committerent*, ac denique *in lege, ac statu non amoris, & filiorum, sed seruorum, & timoris* adhuc versarentur[x]. Et quamuis filij quoque essent ij, qui iusti, attamen comparatione nostri, quodammodò ascititij, nos tanquàm vnigeniti: his enim non profani solùm scriptores, vt Homerus[y] (notant Hesychius, & Suidas, ἀγαπητὸν, idem esse, quod μονογενῆ; Plutarchus[z] prætereà de Homero, & Aristoteles[a] *vnicum oculum* appellat ἀγαπητὸν) verùm etiam sacri, vt Moses in Genesi[b], dilectorum nomen attribuunt; & vice versa vnigenitos ponunt pro *charissimis*[c]. Et tritum est, vt vnicè diligere dicamur, quos maximè.

r Matt. 3. 17. c. 17. 5.
s passim, & Esa. 5. 1.
Christus Filius Dei vere ἀγαπητός.
t Ephes. 1. 6.
u Deut. 32. 15. Ierem. 11. 15.
x Rom. 8. 15.
y sæpe.
z περὶ τοῦ λόγ.
a 1. Rhet.
b cap. 22. 2.
c Ioan. 3. 16. 1. Ioan. 4. 9.

Qua item de causa Ioannem arbitror Apostolum, tacito nomine proprio, hoc vt modestè, ita amanter, & gratè describere seipsum solere[d]: *Discipulus, quem diligebat* IESVS.

Apostolus Ioannes cur dilectus dicitur.
d Ioan. 13. 23. c. 19. 26. c. 21. 7. 20.

Hieronymus[e] docet, ἀγαπητὸν, magis sonare *diligibilem, dignúmque, qui diligatur*, quàm *dilectum*, qui dicitur ἠγαπημένος. Ceterùm & ipsemet illo modo interpretatus est Scripturas, & citati Auctores, aliíque Græci sermonis peritissimi, vtramque significationem recipiunt; sicut etiam verbi gratia, κτιστὸν, & γνωστὸν, pro ἐκτισμένον, & ἐγνωσμένον.

e apud Auctor. Theol. ling. Græc.

Nihil affero de notissimis illis primorum Christianorum fœderalibus, amicísque conuiuiis, quas vocabant ἀγάπας, de quibus tam sæpe Tertullianus, aliíque. Non ignoro etiam, Agapetas fœminas nominatas, vt est apud Augustinum[f], & Hieronymum[g], quæ tam pulchro nomine turpiter abutebantur.

f tom. 1. lib. de Grammat.
g ep. 22. & ep. ad Ocea. tom. 9.

Plus est apud classicos linguæ Latinæ scriptores, amare, quàm diligere. *Clodius Tribunus plebis designatus*, ait Cicero ad Brutum[h], *valdè me diligit, vel, vt ἐμφατικώτερον dicam, valdè me amat.* Iterum agens cum eodem: *Sic igitur facies, & me aut amabis, aut quo contentus sum, diliges.* Et ad Dolabellam[i]: *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? Tantum accessit, vt mihi nunc denique amare videar, anteà dilexisse.* Item Origenes[k] discrimen statuit in φιλεῖν, & ἀγαπᾶν, vt hoc sit maius, quàm illud, etsi secus alij sentiunt. Et secundum honestius quàm primum, vt & ἀγάπη, quàm φιλία.

Amare, & diligere quomodo distinguantur.
h epist. 1.
i 9. Familiar. epist. 14.
k Homil. 1. in Cant.

Verum

Verumtamen cum hæc apud Græcos, tum apud Latinos illa confunduntur, & eam Augustinus[a] differentiam reprehendere videtur; vt reprehendi Interpres meritò non possit, cùm dilectissimum, aut dilectum dixit: aliquando enim etiam reddidit amantissimum[b] pro participio τοῦ ἠγαπημένου. S. Thomas[c] docet, quòd dilectio supra amorem addit electionem præcedentem, vt *ipsum*, inquit, *nomen sonat: & quòd est in voluntate tantum, & non in concupiscibili.* Citat quoque Dionysium[d] dicentem *quibusdam Sanctis visum esse diuinius nomen amoris, quàm dilectionis*, sed Græca nomina sunt ἀγάπη, & ἔρως, quibus non exactè, & præcisè respondent *amor* & *dilectio*; & tandem definit Areopagita pro eodem poni: cui Areopagitæ parendum, monenti *diuina volentes intelligere non verba nudósve sonos attendere debere.* Non fuit abs re tamen semel hæc adeò chara nomina declarasse: de quibus eadem & alia nonnulla notauimus ad epistolam Ioannis primam[e].

a 14. de Ciuit. cap. 7.

b Deut. 33. 12. c 1. 2. q. 26. art. 3.

d c. 1. de Diui. nom. p. 1. circa med. & finē.

e cap. 2. 7.

Versus 26.] Hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri IESV CHRISTI.

HOMINIBVS, *qui tradiderunt.*] Encomium singulare sua non quærentium, nec suæ studentium cōmoditati; sed vel in mortis discrimen intrantium pro CHRISTO, & Euangelio. Si pro Mosis lege laborarent, nullum à Iudæis periculum, rarum, exiguúmve immineret à Gentilibus, apud quos vbique Iudæorum liberè religio colebatur.

Quanta passi sunt Paulus ac Barnabas, narrauit caput præcedens, præsertim prior, qui quin animam, hoc est, vitam perderet, propius nihil fuit, relictus pro mortuo[f]. Crebra est animæ pro vita significatio in Scripturis. Inde causa exempli, phrasis illa *ponere, portare, habere animam suam in manibus suis*[g], hoc est, exponere, ac in tanto vitæ discrimine versari, vt nullo sperato subsidio humano, solam quis diuinam opem quasi per miraculum expectet: res enim quæ in manibus versatur, amitti facilè potest, vt exponit Hieronymus[h]. Immò & Chaldæus pro illis verbis, *Anima mea in manibus meis semper*, hoc modo per paraphrasim exponit, *Anima mea periclitatur, ac si in superficie manus meæ esset.* Quare veniam meretur Augustinus[i], immò laudem ingenuitatis, quòd Hebraicè cùm nesciret, professus sit se ignorare, quid rei sit ponere animam in manibus. Beda narrat textum Græcum habere hæc alia *in omnem tentationem*: ego nullibi legi.

f versu 18. Anima pro vita significatio crebra.

g Iob. 13. 14. Psal. 118. 109. Iudic. 12. 3. 1. Reg. 19. 5.

h in Psal. 118. & ep. ad Suniam & Fretelam.

i in Psal. 118.

Versus 27.] Misimus ergo Iudam, & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem.

QVI *& ipsi vobis verbis referent eadem.*] Eadem cum his, quæ literis nostris signatis continentur; ita vt decretum nostrum literarum testimonio, nunciorúmque super eodem argumento, ac sententia magis certū atque constans reddatur.

Mentitur Kemnitius[k], & abutitur malè intellecto, sumptóque hinc exemplo, dum ait, *Se quod Silas ac Iudas fecerunt, facere, illos nimirum expendisse, atque disquisiuisse Concilij sententiam.* Hîc audimus duntaxat relatores, non examinatores fuisse. Quod autem paulò pòst narrantur *consolati fratres, eósque confirmasse*, longè diuersum est à cōfirmatio-

Kemnitius mendacij arguitur. k ep. dedicat. 2. part. exam. Conc. Tridēt.

A ne Concilij, quasi aut iuridicè id ab iis fieri, aut Concilio necessariam auctoritatem conferre possent. Non poterant Antiochenses fieri certiores non hominum se placita, sed SPIRITVS sancti iudicium sequi per explicationem, probationem, examen, confirmationem Silæ ac Iudæ, quàm per ipsummet Apostolorum decretum, in quo contestati erant SPIRITVI *sancto, sibique ita visum esse.*

Attamen haud putauerim nudos relatores decreti fuisse, verùm pluribus exposuisse acta Concilij, tam de principe illa legalium controuersia, quàm de aliis rebus. Hoc persuadet tum accurata virorum talium electio, tum ea quam diximus hîc

B subiici, *fratrum per illos consolatio*; tum verba ista epistolæ quæ tractamus: si quidem aliud innuunt præter simplicem quasi recitationem contentorum in epistola. Vulgò nominantur *literæ credentiales*, aut *fiduciariæ*, quas quis deferendas tradit fido & honesto nuncio, significans illi ad quem scribit, quia vel arcana, vel prolixiora scribi nequiuerint, credat, ac fidem habeat iis, quæ apertiùs, & fusiùs ab eo qui literas reddet, exponentur. Ex harum literarum genere censeri possunt istæ, quamuis absolutè nominari debeant *decretales*, quarum Gelasius[l] mentionem faciens, ait *eas esse quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Romana pro diuersorum patrum consultatio-*

C *ne dederunt*: necnon *Synodales, encyclicæ*, siue *circulares*, & *Catholicæ*, & *vniuersales*, quoniam tametsi fratribus ex Gentibus inscriptæ, qui erant Antiochiæ, & in Syria atque Cilicia, non minùs afficiebant alios, qui alibi agerent per totum orbem.

Non fuerūt simplices relatores, sed expositores etiam.

l in Cōc. Romano. can. de lib. authen. Literæ decretales quæ sint.

Versus 28.] Visum est enim SPIRITVI sancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria.

VISVM *est enim* SPIRITVI *sancto, & nobis.*] Valdè authenticum decretum, cuius inspirator SPIRITVS sanctus, Doctor *omnis veritatis, ad id promissus*[m], rector eorum, *quos ipsemet posuit*

D *regere Ecclesiam* CHRISTI[n], & Legislatores congregati in Concilio Petro præside, quos CHRISTVS *vt seipsum audiri voluit*[o].

Scripturæ meritò maximi fiunt; non tamen ita, vt nihil definire liceat non expressè in ipsis contentum, quam hinc illationem ineptè facit Erasmus Sarcerius. Iacobus protulit ex Scripturis testimonium, non ad principalem quæstionem decidendam, vel ad decreti formam, quam proposuit, comprobandam; sed vt Gentium vocationem corroboraret, quam Petrus pro suæ causæ fundamento posuerat. De SPIRITV ipso sancto Ecclesia diiudicat, quoniam non omni spiritui credendum est, *sed probandum quis ex*

E DEO *sit*[p].

Clancularis & acephalis, omníque legitima iurisdictione carentibus, nec SPIRITVS sanctus assistit, nec pro auctoritate sancire possunt Ecclesiastica decreta. Bene facit Caluinus hinc libertinos refutando, ministerium omne remouentes ab Ecclesia. Quin magnus seipsum curat medicus, cui curæ nimium est demere ius ac potestatem ab Ecclesia? vide quo argumento: *Quoniam*, inquit, *profitentur Apostoli, sic esse visum* SPIRITVI *sancto: solus ergo regit* SPIRITVS *sanctus.* Quæ magis libera & seditiosa oratio? Igitur nulli reges, nulli iudices, politica potestas nulla: nam, *per*

Decretum istud est valdè authenticum.

m Ioan. 16. 13.

n Act. 20. 28.

o Luc. 10. 16. Definire licet aliquid in Scripturis non expressum.

p 1. Ioan. 4. 1.

Caluinus omne regimen tollit ab Ecclesia.

a Prou.8.15.

DEVM [a] *reges regnant, & legum conditores, iudicésque iusta decernunt. Imperium est in hac epistola*, inquit Chrysostomus, *& legislatio* SPIRITVS, *& imponuntur quædā seruatu necessaria.* Non id SPIRITVS sanctus facit immediatè: dirigit, monétque, quos in Ecclesia posuit rectores.

Non est improbabile, in SPIRITVM sanctum referri non modò decretum, verùm etiam immunitatem ab oneribus legis, & liberam admissionem Gentilium, quoniam hæc probata fuerat à Paulo, & Barnaba, necnon à Petro ex donis gratiæ, ac SPIRITVS sancti æquè in illos, ac in alios collatis.

Spiritus sancti diuinitas hinc probatur.
b libro 2. de Spirit. sancto.
c 2. de Spiritu sancto. c. vlt.
d cont. Varimad.
e Iob. 1. 21.

Eiusdem sancti SPIRITVS inferunt hoc in loco diuinitatem Didymus [b], Ambrosius [c], Idacius [d]: significari enim hîc illum vt operatorem gratiæ, & auctorem imperatæ executionis, arbitriúmque suæ potestatis, sicut cùm alibi de DEO legitur, vt apud Iob [e]: *sicut Domino placuit*, vt quidem habet editio nostra, & LXX. legítque Gregorius, & alij: licèt Hebræus textus his careat. Idem deducit Chrysostomus [f], & Cyrillus Ierosolymitanus [g]. Ait hic *illum nunc in vnitate* PATRIS *&* FILII *constituisse nouum Testamentum in Ecclesia Catholica*; *Apostolos* (quorum Clemens Alexandrinus [h] generalem omnium vocat epistolam) *per auctoritatem ab ipso acceptam, qui etiam scripto suo apertè declarauerint, quòd tametsi ab hominibus id scriptum erat, sed ex* SPIRITV *sancto tamen Oecumenica esset constitutio.*

f Sermon. de TRINIT.
g Catech. 17.
h 4. Strom. c. 6.
i cap. 1. 3.

Id quidem est; nihilominùs licuit Lucæ [i] scribenti Euangelium simpliciter dicere: *Visum est mihi*; cùm sine dubio intelligi velit sibi, quod Christiano more loquentes vsurpamus, *Visum in Domino*, eo nimirum consulto, non pro libito suo, vt si quis dicat, *Visum est mihi fieri Christianum*, vt Ambrosius, Beda, Bonauentura, aliíque notarunt, non profectò innueret, nō idem visum DEO. Epiphanius [k] tradit, quòd Lucam SPIRITVS sanctus impulit ad scribendum. Requirit inspirator DEVS consilium, consensúmque hominis; idcirco quod Apostoli distinxerunt, Lucas in diuino Euangelij opere vt certum posuit. Nec dubitauit *non voluntate humana*, vt admonet Petrus [l], *allatam aliquando Prophetiam, sed* SPIRITV *sancto inspiratos locutos esse sanctos* DEI *homines.*

k Hæresi 51.
Deus inspirator requirit consensum hominum.
l 2. ep. 1. 21.

Omnia Concilia legitima possunt idem dicere.

Possunt Concilia omnia legitimè congregata & approbata, quibus proinde idem adest SPIRITVS sanctus, dicere eodem modo: VISVM *est* SPIRITVI *sancto, & nobis*: tamen ob reuerentiam fortasse primi huius Concilij, non ita dicunt, sed solùm *in* SPIRITV *sancto legitimè congregata sacrosancta Synodus decernit, &c.* Solemne autem est omni Concilio, sicut & isti, in decretis rationem causámve non apponere: sic enim pondere maiore sanciuntur; & periculum vitatur, ne quis eas, vt minùs idoneas reiiciat. Idem vsurpant ciuiles Magistratus in sententiis & edictis, quæ aresta, siue arresta vocant, vt aliàs dixi [m] quasi placita.

m cap. 6. 2.

Videri verbum est pronunciandi sententiam.
n Acad. 4.
o ad l. 2. de verb. oblig. & 3. Obseru. ca. 26.
p cap. 3. & 4.
q ibid.
r cap. 3.
s cap. 5.
t libr. 2 pro Conc. Illiberit. cap. 2.

Verbum ex solemni pronunciandi forma est *videri*, vt videre est passim in scriptoribus Latinis: ac teste Cicerone [n], *quæ iurati iudices cognoscebant, non vt facta, sed videri pronunciabant*: legendæ formulæ Brissonij, & Cujacius [o]. Idem videtur valere τὸ ἐδικαιώθη, & ἐδικαίωσαν, in Concilio Ephesino [p], vt obseruauit Balsamo [q]. In Conciliis quoque Latinis est in vsu præsens formula, *Visum est*, vt Salegunstantiensi [r], & Triburiensi [s].

Ferdinandus Mendoza [t] putat per hæc verba,

A necnon per verbum *placet*, vel *placuit*, constitutiones decerni à Conciliis de illis rebus quæ non naturâ, aut diuina lege constant, sed quæ humanis Episcoporum placitis rogantur & abrogantur: cùm autem pertinent ad fidem, adhiberi formulam istam *credit*, seu, *ad istum modum credit sancta Catholica Ecclesia*: sed si fidei violatori noua aliqua pœna canonica adderetur, subiectum quandoque verbum *placet*, quasi placatis post disceptationem animis. Id ipsum de vsu verbi *placere* confirmat externis Auctorum profanorum exemplis.

Verbi placet quis vsus sit in Conciliis.

u de Synod. Arim. & Seleuc. in princ.

Athanasius [u] prætereà testis est, Syros Patres in decretis aduersus Arrianos, quando de negotio Paschæ agebant, dixisse *Visum est*, cùm de fide B ipsa *ad istum modū credit Catholica Ecclesia*. Nihilominùs decretum de vitanda fornicatione, quod continetur in isto Concilio, spectat ad fidem, & ad naturalem diuinámque legem: nec est difficile ostendere in aliis similibus decretis vsurpasse Concilia posteriora formulam illam, *Visum est*, &c. & mentio SPIRITVS sancti satis indicare potest rei quæ decernitur, momentum. Quanquàm non quidquid etiam auctore SPIRITV decernitur in Conciliis, de iure censetur diuino, vt quæ vocantur de reformatione, ac vel nō recipiuntur ab omnibus omnia, vel abrogantur desuetudine. At quanta Bezæ [x] blasphemia, generalibus Synodis præfuisse non SPIRITVM C sanctum, sed Satanam.

x Præfa. noui Testa. de Græco in Lat. conuersi.

Nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria.] Si hoc onus est, & si ista sunt necessaria, non ergo intelligi debet hîc tantùm prohiberi idololatriam, homicidia, rapinas, vt etiam priùs docuimus quosdam intellexisse per contaminationes idolorum, sanguinem, & suffocatum: alioqui vitia cætera permissa essent. Nouam legem vocat Chrysostomus ex cæremonialibus præceptis Mosis desumptam; naturaliter autem illa alia prohibita sunt.

Penes Ecclesiam & Pontificem est, nouas etiam leges condere.

Deinde sequitur, penes Ecclesiam, ac potissimùm penes Pontificem, esse potestatem nouas veràsque leges condendi, & ad eas obligandi. Nam D vocant Apostoli *onus*, & affirmant *necessaria* esse, quæ scribunt: & *Paulus pertransiens ciuitates præcipiebat custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum* [y]: & *tradebat custodire dogmata, quæ decreta erant ab Apostolis, & Senioribus, qui erant in Ierusalem* [z].

y vers. 41.
z cap. 16. 4.
a 4. Inst. c. 10. § 21. & 22.
b 1. Tim 1. 5.
c 4. par. Sum. Theol. tit. 11. c. 7 § 2.
Præcepta hæc & alij iam fuerunt Lutheran.
d lib. Defensor. pacis.
e vt est in Conc. Constant. sess. 8. art. 18.
f in art. 15.
g vt est in lib. de Damnat. articulo eius.
h supra Caluinus.
i refert Ioan. Cochlæus in vita. ipse tero Lutherus in lib. de captiu. Babyl.
k de Baptis. lib. de libert. Christ. lib. de visione Daniel.
l in confess. Aug. a. 21. & in Apol. eiusdem.
Leges Pontificiæ non sunt onerosæ importabile.

Nec verum est, quod Onager libertatis amator Caluinus [a] ruditer ait, *caueri solam offensionem scandalúmq; infirmorum*. Quamuis námque ad edēda præcepta hæc, Apostolos ratio illa impulerit. Attamen præcepta ipsa erant de certarum rerū abstinentia, tanquàm de medio ad finē dictum: quomodo *charitas est finis omnis præcepti* [b], nec tamen de ipsa est omne præceptum; & mortifi- E catio carnis est finis ieiunij, de quo tamen propriè fertur præceptum. Placuit multis aliis hæreticis ex legibus esse, & liberis ab omni lege Ecclesiastica; ac proptereà etiam negare auctoritatem Ecclesiæ leges condendi. Refert de Vualdensibus B. Antoninus [c]; idem sensit Marsilius de Padua [d], Ioannes Vuicleff [e], Ioannes Hus [f]; Ioānes de Vuestphalia [g], Caluinistæ [h], & Lutherani; horúmque auctor totum corpus Iuris Canonici publicè combussit [i], Melanchthonis [k] eadem fuit sententia, & aliorum [l].

Non est quod querantur, onus legum Pontificiarum & numero, & grauitate esse importabile. Nam leges, quæ omnes Christianos obligant,

vix sunt aliæ quàm quatuor, hoc est, Religio festorum, Ieiuniorum custodia, vsurpatio annuæ Cófessionis, & sacræ Communionis in Paschate.

Leges iuris Canonici quæ sint.

In Conciliis, & omni Canonico iure quæ extant, sunt solùm vel piæ institutiones de nonnullis ritibus absque obligatione ad culpam; vel conditionales leges pro iis, qui volunt ad sacros Ordines admitti; vel spectant ad certum hominum gradum, vt ad Iudices Ecclesiasticos: vel sunt censuræ, pœnæque contra violantes ius diuinum; & ad conseruandam disciplinam; vel declarationes iuris eiusdem diuini, dogmatúmve Fidei. Mosaicæ leges, quas dixi superiùs adeò multas fuisse, omnes, ac singulos Iudæos afficiebant, obligabant, onerabant.

Præcepta Ecclesiæ quàm æqua sint.

In iis etiam quatuor recensitis Ecclesiasticis præceptis apparet potiùs iuris diuini quædam determinatio, quàm lex omninò noua. Quis enim est, quem ius diuinum non obliget ad aliquod tribuendum tempus cultui DEI, ad aliquando ieiunandum, ad confitendum, ad communicandum? Quo tempore ieiunium indicitur ab Ecclesia, excipiuntur pueri, senes, ægroti, &c. In festis nostris non cessant opera necessaria, aut valdè vtilia humanis corporibus: & qui iusta de causa abest à Missa, non peccat: si confessio dura videtur, non ideò est, quia tali tempore, sed quoniam absolutè fieri debet diuino iure. Quid plura? si legem etiam ciuilem negant, habebunt qui legitimè in ipsos animaduertant: si hanc agnoscunt (meliores verò Theologi etiam in conscientia, & sub peccato iudicant obligare) qua fronte negare Ecclesiasticam possunt?

Denique qui *sine lege peccant, sine lege peribunt, non minùs quàm qui in lege, per legem iudicabuntur* [a]. Illud etiam efficitur ex isto præcepto, quod anteà alia occasione notatum est, non permitti sacrosancta Concilia examini, iudicióque priuati cuiusuis, vt sibi arrogant Hæretici: nec enim Apostoli id permiserunt, sed simpliciter imperarunt, & vt onus necessarium pro illo tempore imposuerunt, pro tempore, inquam, quantùm ad alia, præter fornicationem ipso iure naturæ malam.

a Rom. 2. 12.

Versus 29.] Vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, bene agetis. Valete.

A QVIBVS *custodientes vos, bene agetis.*] Quæ continentur hoc versu, ante ista verba, iam exposita sunt [b], dictúmque quid codices quidam Græci superaddant. Pro, *bene agetis*, Græcè est, εὖ πράξετε, *bene agite*, Syriacè autem, וכד תטרון נפשכן מן הלין שפיר תהוון *vechad thatterun napschechun men helen schaphir thehevun*, id est, *cúmque conseruaueritis animas vestras ab his, bene se habebunt*, nimirum animæ vestræ.

b vers. 20.

Quidam codices Græci legunt, πράξετε; alij in media coniugatione, πράξεται; alij πράξητε. Iuxta tertiam lectionem sensus esset, *bene fiet*: secundùm vltimam, *bene faciatis*, *siue agatis*, nempe supplendo particulam causalem *vt*, seu repetendo ex initio periodi. Carthusianus interpretatur, *bene agetis*, id est, *meritoriè, iustè, & obedienter viuetis, simul & alia à* CHRISTO *tradita adimplentes*.

Nuper vidimus [c], τὸ εὖ πράττειν, esse feliciter agere, & viuere. Fortasse congruit præsenti loco sensus hic, quasi dicant, ad felicem cursum vestrum,

c vers. 23. εὖ πράττειν quid hic significare possit.

A & ad felicitatem ipsam obtinendam, hæc modò desiderantur à vobis, videlicet præter aliorum præceptorum iuris naturalis, & diuini obedientiam nulli non homini necessariam. Cùm enim propositum sit hoc particularium præceptorum onus tanquàm necessarium, credibile est lenire id Apostolos voluisse spe & cogitatione τῆς εὐπραξίας, id est, *beatitudinis*. Non potest hic τὸ εὖ πράττειν eum habere vsum, quem interdum habet, non pro salutatione solùm initio epistolæ, qui est frequentior vsus, vt anteà obseruauimus [d], sed etiam pro clausula, vt de cuiusdam Aristotelicæ ad Philippum notauit Budæus [e]. Clauditur enim hæc epistola per ordinarium ἔρρωσθε, de quo mox.

d vers. 23.

e Com. ling. Græcæ.

B *Valete.*] Ἔρρωσθε, pro quo Syrus, ac etiam pro præcedétibus duobus vocabulis, הוו שרירין במרן *hauau scherirín bemaran*, id est, *estote veraces in Domino nostro*. In nonnullis codicibus Græcis additur φερόμενοι, aut, vt de suo dicit Beza (*licet enim non minùs Hæreticis, quàm Iudæis*, vt de his [f] Augustinus tradit, *vti codicum sacrorum baiulis, si quid in iis quos gerunt, non alienum comperiamus*) φερόμενοι ἐν τῷ ΠΝΕΥΜΑΤΙ ἁγίῳ, id est, *ambulantes, vel conuersantes in* SPIRITV sancto. quasi dicant, Hæc obseruantes, opus spirituale, ac rem DEO gratam facturos, non tantùm paci publicæ consulturos.

f in Psal. 58.

C Cùm ageremus de primordiali salutatione epistolæ, diximus item ordinariam istam clausulam esse, quod prætereà de Græcis Lucianus [g] docet, & Ouidius [h] de Latinis:

g in Apol.

h 5. Trist. eleg. 3.

Accipe quo semper finitur epistola verbo,
Atque meis distent, vt tua fata, Vale. & [i]:
Accipe supremo dictum mihi forsitan ore,
Quod tibi, qui mittit, non habet ille, Vale.

i 3. eleg. 13.

Quibus in locis Poëta verbo *Vale*, ad valetudinem respexit. Græci autem verbi vis est *pro valida ac robusta valetudine*. Lege Martialem [k], Ausoniũ [l], Sidonium Appollinarem [m], & Brissonium [n].

k libr. 5. epig. 63. vel 67. lib. 9. epig. 5. vel 8.

l epist. ad Paulinum.

m lib. 9. epist. 10. & in carm. propemptico.

n in formulis, lib. 8. pag. 747.

D Aliquando Interpres præmittit aduerbium bene, vbi est simplex ἔρρωσθε [o], ad meliùs exprimédam vim verbi, cùm alioqui omitti potuerit. Non extát huiusmodi clausulæ in libris sacris, nisi cùm recitantur epistolæ Gentilium [p]; & præsens ad Gentiles missa est, seu ex Gentilibus Christianos. Quare in Ambrosij contextum ad finem posterioris ad Timotheum irrepserat, *Vale*: quod idem iam emendatus auctoritate Sixti V. non habet. Dicunt etiam aliquando εὐτύχει, id est, *esto fœlix*, & εὐτυχεῖτε, id est, *este fœlices* [q]. Lege Claudij Espécæi conciunculas duas Gallicas editas anno 1562. de vsu benedictionis in vtraque lege. In nonnullorum piorum virorum epistolis, post clausulam, *Vale*, aut *Valete*, legere est, in CHRISTO, vel *in Domino* [r]: petunt aliquando se diligi ab iis quibus scribunt, quia eos ipsi diligant [s], vel vt eorum seruent memoriam [t]: interdum bene precantur incolumitatem, siue sanitatem: nonnunquàm poscunt orari pro se.

o 2. Mach. 11. 21. 33.

p 2. Mach. 11. 21. 31. 38. Act. 23. 30.

q Plat. ep. 11. Dem. epi. 2. 3. 4. 5. & 6.

r Hier. epi. 31. & 45. Sidon. Apol. libr. 7. ep. 12 & 14.

s Ambros. crebrò.

t Sidon. Apol. sæpe.

E An in epistola subscriptiones fuerint, & quo modo, nescio: aliquas fuisse credendum est, cùm in aliis deinceps Conciliis eæ extent, & in Imperatorum rescriptis, quæ *diuina ipsorum manu* (hæc ipsa verba subscriptiones antecedebant) *singulari quodam modo scribebantur* [u], *miniatis literis, & murrceo encausto, & literarum apicibus propriis*: de qua re Brissonius [x]: Si alij præter Apostolos subscripserunt qui non essent Episcopi (per *Seniores* quidam intelligi volunt Episcopos, vt dixi, qui Græcè dicuntur Presbyteri) priuilegium fuit ad solos enim Episcopos id pertinet, sicut & ius suffragij,

Subscriptiones an fuerint in epistola.

u l. 6. C. de diuer. rescr. & Const. Manasses in Annal. & in Nouel. 5. Alexij Comneni. & in Nouell. Manuel. Comn. de diuer. cauf. ac nego. & edicto Manuelis Porphyrogeniti.

x 3. de Formulis.

A vt anteà ostensum est: & palàm professus est in Chalcedonensi Martinus Archimandrita, suum non esse scribere, sed tantùm Episcoporum.

Quo ordine sederent Episcopi in Conciliis.

Obseruare autem est in subscriptionibus non sedium prærogatiuæ rationem habitam, excepta Romana, per Pontificem, aut Legatum; sed temporis, quo cœpisset Episcopus quisque sedere, rationem habitam. Id priùs monui, & constat vel ex Concilio Aquileiensi, cui præfuit Ambrosius, & ex Mediolanensi, tempore Leonis Papæ I.[a]

a apud Leonem epist. 52.

Laici qua ratione Concilia subscribebant.

Concessum aliquando est laicis subscribere, non velut Iudicibus, sed tanquàm Principibus Catholicis, quorum vim summam habebat auctoritas. Exemplum est in octaua Synodo, cui Basilius Macedo Imperator cum filiis subscripserunt,
B non tamen ante Legatos cunctarum Patriarchalium Sedium, licèt Apostolicæ Sedis Legati, vt id quoque facerent, iuberent, cum additamento signi sanctissimæ Crucis (quod ex more faciebant etiam Episcopi) literis Phœniceis ex cinnabrio[b].

b lege Anast. in scholiis ad octauam Synodum.

Porrò nullum hîc resonat anathema, blandiùs agente tunc Ecclesia, & paulatim infirmos Iudæos volente lucrifacere. At Paulus hoc telum vibrat in eos, qui nitebantur contra decreta ista facere[c].

c Gal. 1. 9.

Ceterùm de hac nostra epistola Chrysostomus ait: *Vide breuem epistolam nihil abundans habere, neque epicheremata, neque syllogismos, sed imperium: erat*
C *enim legislatio* SPIRITVS. Laconicam possumus nominare, quam quia describit Laconica etiam epistola Nazianzenus[d], ipsius verbis apponam descriptionem huiusmodi epistolæ: *Laconicè scribere non hoc est, quod putas, paucas videlicet syllabas scribere, sed de plurimis rebus paucas. Ita ego Homerum quoque breuiloquum dico, & multiloquum Antimachum. Quomodo? ex rebus scilicet, non literis prolixitatem iudicans.*

d epist. 1.

Laconicè scribere quid sit.

Falluntur, qui epistolam totam intra duodecim versiculos includunt, quasi non etiam in eiusmodi epistola possint sex, septémve redundare, & in ea quæ sit quingentorum, ne vnus quidem superesse.

Plura in hoc Cõcilio decreta sũt, quàm quæ hic habeantur.

D Tametsi verò literis his breuibus pauca illa contineantur, quæ vidimus, plura tamen in eo Concilio ab Apostolis consultata, decretáque scribit Clemens[e]: *His igitur literis missis, remansimus nos pluribus diebus Ierosolymis*, inquit, *conquirentes vnà, quæ in communem vtilitatem ad correctionem spectabant.* Intelligit Turrianus[f] de Canonibus Apostolorum. Quanquàm de tempore, quo conditi sunt hi Canones, alij dissentiant, cùm Sophronius[g] quidem existimet, id fuisse per eos quindecim dies, quibus Paulus in Ierosolymitana ciuitate mansisse se apud Petrum scribit[h]. Pamphilus autem Martyr[i] non in Ierusalem, sed in
E Antiochia. Cui etiam opinioni quoquo modo fauet Papa Innocentius I.[k] Sed prima habet auctoritatem, ac verisimilitudinem certiorem; mihique facilè persuadeo, in ea Synodo plura alia, quàm quæ præsenti comprehenduntur epistola, tractata esse, & Silæ, ac Iudæ commendata proficiscentibus cum legatione Antiochiam. Constátque præter illa, quæ præscribuntur, auctoritate Scripturę seruari oportere, vt docet Augustinus[l], quæ frequentantur ab Ecclesia.

e 6. Const. ca. 12.

f in Clem.

g Homil. de agone Petri, & Pauli.

h Gal. 1. 18.

i apud Turr. 1. con. Magdeb. cap. 25.

k epist. 18.

l ep. 118. c. 1. & 5. ep. 119. c. 18. & 19.

Volunt nonnulli, in eo Concilio assignatam propriè Paulo, ac Barnabæ peculiarem prædicationem, & patrocinium Gentium; Petro, Iacobo, & Ioanni illorum curam, qui ex Circumcisione

A venissent, prout etiam narrat Paulus epistola ad Galatas[m]: quod qua ratione intelligi debeat, aliàs dixi[n]: & rectè docet Hieronymus in eundẽ locum.

m cap. 2. 9.

n cap. 10.

Versus 30.] Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam: & congregata multitudine tradiderunt epistolam.

CONGREGATA *multitudine, tradiderunt epistolam.*] Syrus, וכנשו כלה עמא *vacchenaschu chuleh hhama*, id est, *Congregaueruntque totum populum.* Hic etiam agit Caluinus Tribunum plebis: *Quia enim*, inquit, *interest, quid tenendum sit, certò cognoscere, cum tota Ecclesia communicare debent ipsi Do-*
B *ctores, quid ex verbo* DEI *statuerint.* Quod nunc fit apud Antiochenos, queritur Poblicola iste, sub tyrannide Papatus non fieri, sed populi corpus non secùs ac porcorum gregem, à communi doctrina arceri. Cùm euulgant Pontifices, alíique inferiores Prælati, seu in templo, seu in compitis decreta morum, Fidésque, quod Caluino tam sæpe factitari, vehementer dolet, ceterísque de Synagoga libertinorum, id ipsum est, quod Apostolorum nomine Silas, Iudásque, illorum reddita epistola, fecerunt.

Quod fecerunt Apostoli per Silam, Iudámque, id fit in Papatu.

Non commiserunt multitudini definitæ iam in Concilio sententiæ iudicium, sed huic vt multitudo se conformaret, atque Pastoribus morem
C gereret, impositæ legationis causam exposuerunt. Paulus quidem, ac Barnabas cum aliis duobus abierunt; sed epistolam credibilius est aliis datam, & ab iisdẽ redditã, vt suspicionis ansa remoueretur aduersùs eos, qui certæ partis fautores erant. Idcirco Magistro Historiæ Scholasticæ[o] non assentior scribenti, Paulum epistolam reddidisse. In multitudine demùm, non ex Gentibus duntaxat fratres, quibus epistola propriè mittebatur, verùm etiam ex Circumcisione fuisse par est credere, seu conuocati hi quoque fuerint, seu sponte, sola fama exciti, superuenerint. De epistolari scriptione non dicam plura. Eam, si vera narrat Hellanicus apud Clementem Alexandrinum[p], Atossa
D Persarum Regina scripsit prima. Hac de re dixi præfatione ad primam Ioannis epistolam[q].

o in Hist. Actuum c. 81.

p 1. Strom.

q cap. 1

Versus 31.] Quam cùm legissent, gauisi sunt super consolatione.

QVAM *cùm legissent.*] Hi, quibus tradita, redditáque erat epistola.

Gauisi sunt super consolatione.] Ἐπὶ τῇ παρακλήσει, Syrus, ואתביהו *vatthebaiehu*, id est, *Et consolationem receperunt.* De iugo nimirum legis non subeundo, propter quod in magnam priùs perturbationem inciderant, ac metum, à quo liberati securis iam
E animis propter SPIRITVS sancti responsum lætabantur. Si aderant ex Circumcisione fideles, aut qui obsequentes erant, eandem lætitiam sensêrunt, ac præse tulerunt; aut qui adhuc refractarij, cautè dissimularunt.

Versus 32.] Iudas autem, & Silas, & ipsi cùm essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt.

ET *ipsi cùm essent Prophetæ.*] Indicat forsan particula *&*, alios illos, quos capite decimo-

tertio

a vers.1.

tertio [a] dixerat Antiochiæ Prophetas esse, numerans inter ipsos Saulum, & Barnabam, vel est exegetica, idem valens ac *quia*: quod Syrus notauit, sic vertens, מטל דאף הנון נביא הוו *metul daph hanun nebeije haun*, id est, *Quippe qui & ipsi Prophetæ essent*.

Prophetæ nomen quid hic significat.

Eodem hîc modo Prophetarum vocabulum, quo ibi accipiendum est, non tam pro futura prænunciantibus, quàm de sacris tum Literis, tum mysteriis apposité disserentibus, & docendi munus exercentibus. Miltiades tamen antiquus scriptor apud Eusebium [b], censet prioris generis hos Prophetas fuisse, perinde vt Agabum [c], & filias Philippi, de quibus celebrem facit præsens historia nostra mentionem [d].

b 5. Hist. ca. 16. vel 17.
c Act. 11. 28.
d infrà 21. 9.
Sermo plurimus quid hic sit.

Verbo plurimo.] Διὰ λόγου πολλοῦ. Syrus, ובמלתא עתירתא *vabbemalletha bhathiratha*, id est, *Sermone diuite*. Nempe qui abundaret mysteriis à SPIRITV sancto acceptis, & explicatis. Significat nonnunquàm πολὺς, *magnum*, *excellentem*, *vehementem*, *potentem*, prætereà *frequentem*. Verisimile est, non tam prolixum sermonem significari hoc loco, quàm vel efficacem, vel crebrum. Latini, præsertim Poëtæ, plurimum vsurpant pro longo. Sic Virgilius [e] *plurimum collem* dicit, *plurimam ceruicem* [f], *nucem plurimam* [g]. Item pro frequenti, Terêtius, Pliniúsque plurimum ponunt. Ciceronis [h] item phrasis est vocare aliquem in re aliqua *multum*, hoc est, effusum, ac nimium, atque etiam inconcinnum, & ineptum. Apud alios, multum esse, idem est, quod assiduum, & continuum [i]. *Opus erat hac re*, inquit Chrysostomus, *vt & ita omni suspicione liberarentur*, nimirum Paulus, & Barnabas. Ideóque quamuis & Paulus potuisset, necnon Barnabas, hos decebat, & vt minùs suspectos, & honoris causâ, tanquàm nouos hospites, quales non erant duo Apostoli, Gentilium fautores aperti, & diu anteà versati Antiochiæ, ac sæpiùs sermocinati.

e 1. Æneid.
f 3. Georg.
g 1. Georg.
h 2. de orat.
i Salust. in Iugurtha.

Versus 33.] Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace à fratribus ad eos, qui miserant illos.

FACTO *autem ibi aliquanto tempore.*] Propterea licuit illis plurimo, id est, frequenti sermone, Antiochenses conuenire. ποιήσαντες δὲ χρόνον. *Facere tempus*, est idem, quod transigere, consumere, perficere, consummare. Hebræi facere pedes, & barbam dicunt, pro eo, quod est lauare, & tondere [k]. Facere tempus, Græcismus videtur magis proprius noui Testamenti scriptoribus. Eo modo Iacobus dixit [l]: ποιήσωμεν ἐκεῖ ἐνιαυτὸν ἕνα, *Faciemus ibi quidem annum*. Tale illud Pauli [m]: νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, *Nocte, & die in profundo maris fui*. Et inferiùs hoc libro [n]: καὶ ποιήσας χρόνον τινά, *Et facto ibi aliquanto tempore*. Et apud Matthæum [o]: οὗτοι οἱ ἔσχατοι μίαν ὥραν ἐποίησαν, *Hi nouissimi vna hora fecerunt*. Sed & quia facere crebrò apud probos Auctores sacrificare est, hinc verosimiliùs Romanum Pontificem dictum id posse facere, id est, sacrificare, vt Q. Scæuola, quem Varro refert [p], sensit, quàm à faciendo ponte, vt ipse. Nam constat, priúsquàm sublicij lignei pontis, qui sacer habebatur, Pontifici daretur cura, ipsum iam Pontificis nomen extitisse posse, item facere, Pontifici nomen dedit, quia ius illi plurima faciendi maximum, de quo Cicero [q]. Vnde & apud plerosque Pontificium absolutè positum, sumitur pro iure, atque potestate. Ostendit id exemplis Lælius Bisciola noster [r]: sicque videri potest accipi Pontificij vox in oratione de Cathedra Petri.

Facere tempus quid sit.
k 2. Reg. 19. 16.
l cap. 4. 13.
m 2. Cor. 11. 25.
n cap. 18. 23.
o cap. 20. 12.
p 4. de lingua Latina.
q 2. de Natura Deorum, & 2. de Legib.
r 8. hor. subs. cap. 10.

Dimissi sunt cum pace à fratribus.] *Non iam seditio, nec auersio*, inquit Chrysostomus, *& ad eundem modum possunt dici dexteras accepisse, quomodo Paulus [s] de se, atque de Barnaba prodidit.* Si pax etiam cum fratribus ex Circumcisione composita est, integra & solida pax fuit. Ita mihi persuadeo saltem in præsentia factum; & quò faciliùs rem adeò difficilem confectam crederemus, laudem Legatorum præmissam esse. Quanquam non me latet, *dimittere in pace*, iuxta morem Scripturæ, nihil aliud esse, quàm valedicere, & abeuntes valere iubere, illisve bene precari, & contentos abire sinere, siue superstites ad peregrinandum [t], siue moribundos, aut mori paratos ad moriendum [u]: atque hoc loco idem videri, quod cum salutatione, & bona venia Ecclesiæ.

s Gal. 2. 9.
Dimittere in pace quid sit.
t 4. Reg 5. 19. Luc. 7. 50. c. 8. 48. Iud. 18. 79. Ios. 10. 15.
u Tob. 3. 6. 4. Reg. 22. 20. Luc. 2. 29. Gê. 15. 15.

Ad eos, qui miserant illos.] Πρὸς τοὺς ἀποστόλους, *ad Apostolos*. Si vt ἀπόστολος, actiuæ significationis, ita & ἀπόστολος, passiuæ reperiretur, vt in aliis vocabulis Græcis contingit, nullam haberet editio Latina difficultatem: intelligeremus enim hos veluti Apostolos, id est, *missos*, remissos esse ad Apostolos, hoc est, ad eos, qui miserant ipsos, non tantùm primi in Ecclesia ordinis homines, qui propriè nominatur Apostolicus, verùm etiam ad Seniores.

Placuit Lucæ Apostolos exprimere, tanquàm potissimos legationis auctores. Itaque adhuc in Ierusalem versatos Apostolos credibile est, ad alia scilicet plura tractanda de religione, vt pridem ex Clemente retulimus, negotia. At Interpres respectum habuit ad omnes, quorum nomine reddita erat epistola, & inscripta, qui erant cum Apostolis, etiam Seniores, & ad quos ab Antiochia missa erat legatio [x].

x vers. 2.

Versus 34.] Visum est autem Silæ ibi remanere: Iudas autem solus abiit Ierusalem.

VISVM *est autem Silæ.*] Totus hic versus præteritur à Syro: posteriorem eius partem Græci codices non habent, præter vnum aut alterum: & quidem etiam omittentes *Ierusalem*, vt & quidam Latini. Lyranus de toto affirmat, nec in textu Græco esse, nec in libris correctis: sed eo quòd paulò pòst narratur à Paulo, assumptum Silam in socium Antiochiæ, Glossam nescio quam compositam esse, ac demùm insertam in textum. Idem sensit Carthusianus de secundo membro, necnon Caietanus: Isidorus autem Clarius, & Vatablus in suis versionibus omittunt, Græci quoque interpretes.

Attamen Biblia Sixtiana emendatissima retinent, & Latini plerique ferè omnes codices, equidem nullum legi, qui non habeat: & Beda nihil de hac re monet, diligenter solitus monere quando discrepant Latina à Græcis. Omninò causa aliqua interuenit, ob quam Silas, qui iam ab Ecclesia dimissus fuerat, & vale dixerat, hærere ibi diutiùs constituerit.

Versus 35.] Paulus autem, & Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes, & euangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini.

PAVLVS *autem, & Barnabas.*] Glossa ordinaria post Bedam arbitratur hoc tempore contigisse

Contentio inter Paulum & Silā quando contigerit.
a cap.2.11.
b In Hist. Act. cap.82.

altercationem inter Paulum & Cepham, quam Paulus ipse narrat epistola ad Galatas [a], docens se ei in faciem restitisse. Petrus [b] Comestor in Historia Scholastica vult *id fuisse post septem annos sedis Petri Antiochenæ:tunc ex Ierusalem,consilio Domini ascendisse Romam, sed in transitu obiisse Antiochiam, vt confirmaret subditos in Fide: constituisse verò ibi Eudochium* (Euodium dicere debuit) *Episcopum*. Hieronymus primæ sententiæ auctor videtur, cui cum Augustino haud grauior de Apostolorum altercatio, quàm horum ipsorum inter se.

c apud Hier. epist.89.

Non eò tamen processerunt, quò Valentinus, Marcion, Porphyrius, Iulianus [c], & id genus alij CHRISTI, & Apostolorum calumniatores, vt vel Apostolos de ignorantia, vel Petrum de hypocrisi, vel de procacia Paulum insimularent: huius autem sæculi Hæretici in Petrum inuehuntur, vt cum illo Pontificiæ auctoritati detrahant. Primi confutantur à Tertulliano [d], Hieronymo [e], Cyrillo Alexandrino [f]: secundi à recentioribus, cùm agunt de Romano Pontifice.

d 1.de Præscr. ca. 23.5.cont. Marcion.ca.3.
e epist 89.
f 9.cont.Iul.

Augustinus *Christiano, & pio studio, non maledicendi libidine agnoscit nonnullum errorē contra regulam veritatis* [g]: *non rectum studiū imponendi super humeros Gentium iugum legis* [h]: *sed & superstitiosam, prauámque simulationē* [i]. Hieronymus [k] cōtrà pugnans pro Petro, negat eò confugiendum, vt ab eo diuersus dicatur Cephas, quod videtur Clemens Alexandrinus sentire [l], atque Dorotheus [m]: & videri is posset Martialis, qui se in epistolis Cepham cognominat. Quidam conuenisse autumant inter se vtrumque Apostolum, vt alter quidem simularet Iudaismum, reprehenderet alter, sicque cùm nec Petro Iudaizanti pepercisset Paulus, nemo contendere deinceps auderet. Citat huius assertores opinionis Hieronymus [n], eandémque & ipse amplectens, Origenem, Didymum, Apollinarium, Eusebium Emissenum, Theodorum Heracleotem, quibus addi possunt in Commentariis epistolæ ad Galatas [o] Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Occumenius: præterea Cassianus [*] fauet istis, & quod Paulus ipse vocat *simulationem Petri* [p]: & quod ille idem post hanc reprehensionem ritus Iudaicos vsurpauit, *Timotheum circumcidendo*, *Nazaræorum more caput tondendo in Cenchreis* [q], *Ierosolymis priusquam templum intraret, seipsum purificando* [r].

g li.2.de Bap. cont. Donat. c.1.& li.6.c.2.
h 1.de Mend. cap.5.
i lib.de Agone Christ. ca. 30. vide etiā ep.8.vsque ad 19.
k in c.2.ep.ad Galat.
l apud Eūseb. lib.1.Hist.cap. 14.
m in Synopsi.
n epist.89.
o in cap.2.
* Coll.17.ca. 20. Gal.2.13.
p Act.16.13.
q Act.18.18.
r Act.21.26.

Horret Augustinus pro se afferens Cyprianum, & Ambrosium, huiusmodi mendacio tectum artificium, vultque non à Paulo scriptum, nisi quod res erat, & ab eodem Petrum seriò reprehensum: quòd palàm cum scandalo Iudaizaret: quamuis clàm ad tempus id licuerit.

Non omnis simulatio mendax est & illicita.
s Ioan.7.8.ca. 20. 15 Luc vlt.13. 28.

Sed non omnis simulatio mendax est aut illicita, qua & CHRISTVM scimus vsum [s]: Paulum autem vera scripsisse, non negat Hieronymus, vt de ipso affirmare Augustinus videtur, sed ex *condicto reprehendisse* contendit. Præstat dicere, Petrum iure egisse, quod egit, cum Iudæis, qui ex Iacobo Ierosolymis venerant Antiochiam, Iudaicè viuendo, quos verebatur ne deficerent, composita iam lite inter fideles ex Iudæis, & ex Gentibus: præsertim cùm Iudæorum ei procuratio, vt dictum est, commissa peculiariter esset, & nondum prioribus legalium vsus inhibitus foret.

Hoc exemplum cùm alij sequerentur, ac Barnabas etiam collega Pauli, fideles ex Gentibus ad idem videbantur compelli, quamuis decretum esset eos ad id non teneri, Paulus ergo huic vt incommodo subueniret, non solùm abstinuit ipse

A tunc à Iudaismo, verùm etiam id, quod bona fide factum à Petro, perturbare ex Gentibus fideles vehementer poterat propter auctoritatem Principis Apostolorum, liberè, palàmque reprehendere non dubitauit, *ipsúmque Petrum re ipsa reprehensibilem* affirmare; hoc est, vt Schola loquitur, si non formaliter, certè materialiter, aut occasionaliter, quia videlicet ex tali exemplo, & facto, quod erat per se minimè malum, grauis oriebatur dissensio.

Petrus quomodo fuerit reprehensibilis.

Hinc potiùs Petrus quanti ab omnibus fieret, intelligitur, cuius nempe Gentiles quoque, & Gentilium Apostolus Barnabas exemplum sequi maluerint, quamuis epistolam Synodalem penes

Petri auctoritas & modestia quanta fuerit colligitur.

B se haberent, qua immunes redderentur à Iudaismo: & eiusdem Petri quanta fuerit modestia, qui tunc *non vindicauit sibi aliquid*, vt ait Cyprianus [t], *insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potiùs oportere: nec despexit Paulum, quòd Ecclesiæ primus persecutor fuisset: sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè consensit: documentum scilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus, sed quæ à fratribus aliquando & collegis nostris vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera, & legitima, ipsa potiùs nostra ducamus*. Delectatur meritò hac Cypriani moratissima sententia Augustinus [u]. Gregorius item ait [x], *quòd qui primus erat in Apostolatus culmine, primus etiam fuit in humilitate*. Tractat hunc totum locum Baronius [y] præ omnibus accuratissimè, & appositissimè: pro instituti autem ratione satis hæc debent esse.

t epist.71.ad Quint.
u 2. de Bapt. cont. Donat. cap.1.
x Hom. 18. in Ezech.
y Tom.1.Annal.ann.51.

C

Versus 36.] Post aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes visitemus fratres, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant.

z Sess. 24.c.8. & Sess. 24. c. 3.de Reform.
Visitatio commendatur plurimum hoc loco.

POST *aliquot autem dies*.] En Pauli sollicitudinem omnium Ecclesiarum, quæ requirit in

D primis visitationem adeò commendatam à Canonibus, præsertim Concilij Tridentini [z], & de qua præcipiuntur multa in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, & in Placentina Synodo, atque aliis nostri temporis variis Prouincialibus; & præterea in propriis libris scriptis de eodem argumento [a]; & in Archiepiscopali Bononiēsi auctore Gabriele Paleotto Cardinale & Archiepiscopo Bononiæ, & in vltimæ digressionis capite vltimo Espécæi super 1.ad Timotheum. Vt autē *quotannis Episcopus parochiam suam sollicitè circumeat, ad confirmandum populum, plebes docendas & inuestigandas*, &c. decreuit *in quodam Concilio Bonifacius Episcopus, & Martyr* anno Domini 740. iussu Gregorij Papæ III. [b]

a vetli quod dicitur Manuale Visitatorii Feltrensi Epis. Cenēlis, & Praxis compendiosa de visitatione Pauli Salodij. Itē Michaelis Timothei, Lucæ Antonij Resta, Pauli Fusck i, Marc. Socc. Francisci Pauini, I. Anto. 1. part. 20. ca 5. Petri Episc.S.Papuli Canonistæ in c. Com ex officij.de pœsen. & aliōt. præterea lege Stimulū Pastorum.
b refert Baron. Tom. 9. & epist.Bonifacij 48.

E Dixi capite 1.[c] Visitatorum officio qui fungerentur apud Iudæos, vocatos etiam nomine *Apostolorum*. Vsa est ciuilis quoque administratio Visitatoris Magistratu. Theodoricus enim rex aduersùs Symmachum Papam [d] rogantibus Schismaticis, misit Petrum Episcopum Altinensem, quoniam ipse Visitatores aliis Episcopis dederat, sed iure suo, Rex tyrannicè.

c vers.t.
d Anast. Bibliothec. in Symmacho & Ennodius Diaco. in Apolog. tom.2. Concilior.
e Iob.10.12.
f Turrian. opusc. de eadē re, & Caietanus, & alij.

Quadrat huic loco per sensum accommodationis sententia Iob [e]: *Visitatio tua custodiuit spiritum meum*. Huc spectant quæ de residentia Pastorum disseruntur, & à nonnullis diuini iuris esse creditur [f]. Certè qui negant, haud bene satis-

faciunt

faciunt exemplo Apostolorum, dum dicunt quòd prædicatio eorum pro infidelibus erat ad conuertendas Gentes: ita vt idcirco non potuerint per alios prædicare: posse autem Episcopos, quia eorum prædicatio pro fidelibus sit. Nam Paulus hoc loco ait *se visitare velle fratres, in quibus prædicauerat verbum Domini*: & rursus in hac eadem historia habetur [a], *quòd profectus est perambulans Galatiam regionem & Phrygiam, confirmans omnes discipulos.*

a cap. 18. 23.

Quod faciebant Apostoli, nulli sedi necessariò astricti, ob iurisdictionem in mundum totum delegatam à CHRISTO [b], quamuis sub Petro pastore ordinario erga oues iam à se ad CHRISTI ouile aggregatas; idipsum Episcopis suis certis in diœcesibus faciendum est, & non per Vicarios, sed per seipsos, ne quod scitè Damasus dixit [c], *Nutricibus similes habeantur, quæ statim vt pariunt, infantes suos aliis nutricibus tradunt educandos, vt suam citiùs valeant explere libidinem: atque ita isti, vt pro suo libitu secularibus curis inhient, & quod sibi visum fuerit liberiùs agant.* Affine est quod alicubi dixit Peraldus, valdè ridiculum futurum esse, qui vxorem ducat frigidus, aut maleficio vitiatus: eius per vicariam tantùm operam fœcundandæ fiducia. Salsum etiam illud, at non falsum Clictouæi dictum, *vicariam quidem salutem, personalem verò perniciem futuro huiusmodi hominibus seculo manere.*

b Marc. vlt. 15. Episcopi visitare debēt per seipsos, non per Vicarios.

c epi. ad Episcopos 4.

Perinde est abesse vel non lustrari à Pastore gregem, vt sine duce cœtum agere, iacere corpus absque anima. Lege Athanasij Constantinopolitani Patriarchæ de hac re epistolas [d], qui inter alia notat, cùm à principio decretum esset, *vt bis annis singulis Synodi haberentur; deinde decretum, vt semel, ne propter crebram absentiam pastorum oues à lupis facilè inuaderentur.* Denique vel nomina ipsa Episcopi & Pastoris sufficiunt ad persuadendam visitationis vigilantis, ac sedulæ necessitatem αὐτοπροσώπως *personaliter* ab iis ipsis faciendam, qui eiusmodi nominibus nolũt haberi indigni, titulúmque sine re magis gloriosè quàm verè retinere, & magis peregrini censeri, quàm sponsi, extranei, quàm Patres: pascentes seipsos, non oues: non ædificantes, sed ferè destruentes.

d apud Turr. sup.

Quod Clerico Hieronymus [e] dixit, id nomine mutato sibi dictum putet Episcopus, *qui seruit Ecclesiæ: interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur.* Non est ianitorem turpiùs non sedere ad ianuam, villicum ad villam, gubernatorem nauis ad gubernaculum, præceptorem ad scholam, aliósque ad sua munera, quàm Episcopum sua non versari in diœcesi, eam non obire, non cognoscere vultum pecoris, & animas gregis sui γνωστῶς visuali, vt ita dicam, ac intuitiua per oculos ipsos suos notitia, & inspectione. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui*, inquit Sapiens [f], *tuósque greges considera: non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generationem & generationem:* Γνωστῶς, inquit textus Græcus, ἐπιγνώσῃ ψυχὰς ποιμνίου σου, καὶ ἐπιστήσεις καρδίαν σου ταῖς ἀγέλαις. *Apertè, & euidenter, & notoriè, & cognoscenter, & facie ad faciem, & coràm, & in præsentia,* quo modo Moses volens videre DEVM, *Ostende te, inquit, mihi* γνωστῶς, *facie ad faciem* [g], *cognosces animas gregis tui, & applicabis cor tuum tuis armentis.*

e epi. ad Nepotianum.

f Prou. 27. 23. 24.

g Exo. 33. 13.

Vulgare, sed verum & antiquum prouerbium *Domini oculus pascit equum; & vestigia pinguefaciunt agrum*: refert id Aristoteles [h] ex Persa & Libyco. Exemplo sint vel Persarum reges, quibus solemne fuit obire ditionem vniuersam, vt viderent quid opem regiam desideraret. Idipsum Plato [i] fecisse

Persis etiam visitatio solemnis fuit.

h 1. Occon. c. 6.

i in Minoe.

A Minoëm prodit Cretensium Radamanthi, & Taloënis opera, & quidem in anno ter pagatim circumferendo æreas legum tabulas. Epiphanius ob crebras Petri peregrinationes, ait constitutos Romæ Episcopos Linum, & Cletum, ne vrbs esset sine Episcopo. Erant autem primi Episcopi, qui vnicus esse debet, adiutores, vt docent Damasus [k], & Ioannes III. [l] & simili de causa videtur à Paulo missus nunc in Cretam, nunc Ephesum Tychicus, quando inde accersebat Episcopos Titum, & Timotheum, sed & Gregorius VII. quadam epistola, quamuis orbis totus sit Papæ diœcesis, ita scribit: *Quoniam propter multas occupationes ad peragendum nostræ sollicitudinis debitum, singularum pro-*
B *uinciarum Ecclesias per nosmetipsos visitare non possumus, necessarium valdè est, vt exigente ratione vel tempore, aliquem modò ad has, modò ad illas partes mittere studeamus, per quem commissa nobis secundùm voluntatem* DEI *repræsentetur auctoritas, & Dominici gregis salus; atque communis prouideatur vtilitas. Scimus enim quoniam sine detrimento, & magno animarum periculo esse non potest, cùm illius diligentia, ad quem summa negotiorum & curæ necessitas præcipuè spectat, diu subditis, ac commissis sibi fratribus deest.*

k in Pont.

l epi. vnica.

Vers. 37. 38. 39. 40.] Continent hi versus Pauli ac Barnabæ παροξυσμὸν, seu dissensionem propter Ioannem Marcum, quem quòd olim, vt est capite XIII. [m] discessisset ab eis, aut periculorum metu,
C aut erga matrem affectu, quæ agebat Ierosolymis, Paulus non censebat modò admittendum in societatem, dubius de constantia ipsius: Barnabas aliter iudicabat, non tam affinitati indulgendo, quàm quòd pœnitentia ductum, & laborum cupidum, eorum socium fieri velle arbitraretur. Simul verò permisit DEVS Apostolos dissociari, vt latiùs propagarent verbum DEI.

Contentio inter Paulum & Barnabam vnde.

m vers. 13.

Austerior, ac feruentior, vt Elias, Paulus, benignior, ac facilior Barnabas, vt Moses, vterque Sanctus, sed humana tamen quædam ratione faciens, & humanos affectus experiens, cùm non essent lapides, aut ligna: quis autem meliùs, nostrum non est pronunciare. Violatam amicitiam non fuisse demonstrat, tum quia de Barnaba Paulus in epi-
D stolis crebram perhonorificè mentionem facit [n]; tum quia eundem Marcum cum Paulo posteà egisse familiariter, docent eiusdem Pauli epistolæ [o]. Excusant Apostolos hos à delicto Interpretes omnes, præcipuè Beda & Chrysostomus. Hic autem addit, *profuisse Marco seueritatem Pauli, & Barnabæ mansuetudinem, vt inde perterreretur, præteritámque damnaret ignauiam; hinc bonum animum resumeret, & alacritatem ad strenuè laborandum.* Docet etiam *alterum alteri Apostolum detulisse, ac ex condicto prouincias inter se distribuisse.* Rursum [p] alibi docet cauisse Paulum, *ne qui nimis prius inuiriliter egerat, in ipsa se aciei fronte constituens, quasi contagione sua vires aliorum corrumperet: neque verò irasci malum esse, verùm sine causa: ita enim dixisse* CHRISTVM [q]
E textus Græcus eo modo legit, *Qui irascitur fratri suo* εἰκῆ *sine causa; item Psalmum* [r]*: & ideò ira motum nobis ingenitum, vt eum suo tempore exeramus tanquàm gladium, quo dormientes animas atque resolutas ab inertia ac desidia suscitemus.* Isychius sub finem operis in Leuiticum egregiè defendit hoc Apostolorum dissidium, vocátque hunc Marcum Euangelistam. Hieronymus [f]: *Nónne*, inquit, *Apostoli salutis inter se amicitiis dissenserunt, cùm Paulus & Barnabas propter Ioannem cognomento Marcum stomachati sunt, & separauit eos nauigatio, quos* CHRISTI *Euangelium copulabat?*

Apostoli non erant humanorum affectuum experies.

n 1. Cor 9. 6. Gal. 2. 1. 9. 13.

o Col. 4. 10. 2. Timo. 4. 11. Phil. vers. 24.

p Hom. 6. de laud. Pauli.

q Mat. 5. 22.

r Psa. 4. 5.

Excusatur hoc Apostolorũ dissidium.

f Apol. contr. Ruffinum.

Addit-

a Gal.2.11. Addit de Paulo, *cum restitit Cephæ in faciem* [a], quem vocat tamen *præcessorem suum* [b], *& columnam Ecclesiæ* [c], *cum quo sibi etiam prædicationem communicandam duxisset* [d]; item quòd in religione etiam liberi à parentibus, & coniuges à maritis, salua pietate (videlicet humana, vel etiam diuina in iis qui rectè sentiunt) dissentiunt, vt malè proinde Ruffinus faciat, qui cum dissidio doctrinæ, famæ lacerationem, & homicidij minitationes coniungeret.

b Gal.1.17. c Gal.2.9. d Gal.2.8.

Magis Christianè, & prudenter decertatum est inter eundem Hieronymum, & Augustinum, etsi opinionum diuersarum explanatio, voluntatum, verborúmque concordiam ac mititatem nonnihil distrahere videretur. *Aliud sunt humanæ etiam inter Catholicos simultates*, inquit Leo Papa ad Anatolium, *aliud diabolici, quos fides Catholica damnat, errores. Non est necessaria*, vt docet Aristoteles [e], *amicitia, quæ in moralibus nimirum potest esse concordia sententiarum*: & auctore Cicerone [f], *quæ inter amicos & beneuolos sunt concertationes, non lites appellandæ sunt, sed nomine apud veteres multò mitiore, iurgia*: & vt quidam cecinit:

e 9.Ethic.c.6. f 4.de Repu.

Non sentire bonos eadem de rebus iisdem
Incolumi licuit semper amicitia.

Vidit hoc B. Antoninus [g], ac post S. Thomam [h], discordiam Apostolorum eo, quem dixi modo, est interpretatus, quoniam per accidens fuit cum recta intentione, atque de his, quæ non erant de necessitate salutis: & affert etiam exemplum illud Hieronymi ac Augustini. Idem ipse Augustinus tractans verba Psalmi [i], *Inquire pacem*, &c. docensque perfectam in hac vita obtineri pacem non posse, cùm & sibimet quisque resistat subinde, præsertim quando pœnitet, de his Apostolis hoc modo scribit: *Sed non possunt nisi existere rixæ aliquæ: quo modo inter fratres, & inter Sanctos extiterunt, inter Barnabam & Paulum: sed non quæ occiderent concordiam, non quæ interimerent charitatem.*

g 4.p.tit.6.c. 8.§.1. h 2.2.q.37.a1. 1.ad 3. i Psa.33.15.

Addi possunt Abraham & Loth *summa coniunctione affinitate, inuicem disiuncti, diuisíque* [k]; vt placet Augustino [l], *Salua charitate & necessitate sustentandæ familiæ, non fœdatæ discordia*: qua etiam separatione pleraque bona sunt consecuta DEI prouidentia, & voluntate; de quibus noster Pererius [m]. Talis quoque contentio fuit Episcoporum Asiæ de Paschatis celebratione, necnon Irenæi cum Victore Papa, Cypriani cum Cornelio, Chrysostomi cum Theophilo Alexandrino & Epiphanio, Cyrilli Alexandrini cum Theodoreto, Gregorij Magni cum Eutychio Constantinopolitano, Bernardi cum Petro Cluniacensi; denique Scholasticorum inter se.

Exempla eorum qui salua charitate ab inuicem dissenserunt. k Gen.13.11. l 16 de Ciuit. c. 20. & 21. m in cap.13. Genes.

Quanquàm difficile est omnes ab omni etiam leui culpa liberare. Optandum magis, quàm sperandum, vt id ipsum omnes sapiant, & dicant de re quacunque: cauendum certè, ne parua ex scintilla ingens existat vt opinionum, ita voluntatum dissidentium flamma, & religiosæ extinctio charitatis. Inter Angelos ipsos sanctos lis quædam dissensióque narratur apud Danielem [n]: nec peccasse quisquam dicit, quia bonis vterque rationibus ducebatur, antequàm DEI perspecta voluntas ipsis esset. Non omittenda Petri Damiani monitio [o]: *Nonnulli planè, cùm per impatientiæ fomitem à fratrum charitate resiliunt, hoc quod Paulus & Barnabas propter Marcum Discipulum abinuicem discesserunt, in defensionis suæ testimonium vertunt. Quod vtique constat non discordia vitio, sed diuinæ dispensationis factum esse iudicio: vt nimirum sancti Apostoli tanquàm grana tritici, eò spargendæ fidei vberiorem messem redderent, quò procul eos abinuicem dissensionis aura perflaret.*

n cap.10. o lib.2.epist. epist.13.

Versus 37.] Barnabas autem volebat secum assumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus.

BARNABAS *autem volebat.*] Ἐβουλεύετο, *consultabat, deliberabat, cogitabat, moliebatur, statuebat.* Interpres per *volebat*, omnia hæc expressit: alioqui βούλεσθαι est *velle*, non autem βουλεύεσθαι.

Versus 38.] Paulus autem rogabat eum (vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus) non debere recipi.

PAVLVS *autem rogabat.*] Ἠξίου, *dignum*, seu *æquum censebat*: ac proinde postulabat & rogabat, vt rem honestam & iustam. Significat quoque ἀξιοῦν, & ἀξιῶσαι, existimare: vnde ἀξίωμα, effatum ac pronunciatum, & sententia.

Versus 39.] Facta est autem dissensio, ita vt discederent ab inuicem, & Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum.

FACTA *est autem dissensio.*] Παροξυσμὸς, *incitatio, concitatio, extimulatio, & quasi exacutio*: sumitúrque in bonam partem in epistola ad Hebræos [p], Καὶ κατανοῶμεν ἀλλήλους εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης, καὶ καλῶν ἔργων, *Et consideremus* seu *obseruemus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum.* Sed hoc loco significat irritationem, exacerbationem, acerbam disceptationem, iræ inflammationem. Interpres mitigauit vocabuli tristitiam, contentus nomine dissensionis. Et citato illo loco adiectio τῆς ἀγάπης, lenimentum vocabulo attulit, quod per se malè sonat. Παροξυσμὸς, est accessio & exacerbatio, hoc est, particularis morbi motus à remissione in deterius, quādo remissam priorem accessionem oborta perturbatio interrūpit. Conquieuerat ac resederat schismatis vis inter fideles ex Circumcisione, & Gentiles: iam enascente inter adeò concordes dissidio, quodāmodò morbus ille videtur παροξυσμώδης. Vt enim sine vitio cuiusquam fiat scissio, dum affert solutionem continui, sine dolore esse non potest: & hic dolor eò acutior est, quòd circa tam nobilia, delicatáque membra versatur. Sed *diligentibus* DEVM, *omnia cooperantur in bonum* [q]. Alexander Monachus [r] describens acta Barnabæ, excusansque hunc, & Paulum, profert citatum locum ex epistola ad Hebræos, aitque perinde hîc, vt ibi παροξυσμὸν, in bonam partem sumi.

παροξυσμὸς quid significet. p cap.10.24. q Rom.8.28. r apud Sur. Tom.3.11.Iunij.

Et Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum.] Deinceps nulla de Barnaba mentio. Lucæ namque in primis propositum fuit Pauli res persequi.

Quæ ad Barnabam pertinent, reiectis Apocryphis eiusdem Actis, quæ Ioannis Marci nomine circumferuntur, & falsa continent, ac perabsurda: necnon iis, quæ in recognitionibus Clementis nomen æquè falsò gerentibus continentur: prætereà resecatis nonnullis ex historia, quam de eodem composuit Alexander Monachus, atque ex Synopsi Dorothei, & Hippolyti libro de LXXII.

De Barnaba quæ apocrypha habentur.

Disci

Discipulis, exempli causa, quòd Ioannem illum faciunt Gentilem, ac idolorum Pontificis famulum, Iconij baptizatum à Paulo; Barnabam multò ante Petrum Romæ prædicasse, ac inde Cæsaream ad Petrum Clementem adduxisse, aut certè expleta Ierosolymitana legatione ab Antiochenis commissa: certum est enim Marcum Barnabæ consobrinum fuisse, filiúmque Mariæ, vt pridem ostendimus [a]: & Barnabas Euangelij ostium Gentibus aperire tunc non potuit, quod Cornelio primùm Petrus aperuit [b], & diu posteà ægrè cæteris patuit, donec ordinatus est ille cum Paulo, à quo auulsus non est vsque ad hoc tempus: Petrus autem ex carcere Ierosolymitano liber, vt superiùs quoque vidimus, in Vrbem peruenit; his, inquam, omissis ac refutatis de Barnaba, quæ cum ratione & Chronologia, & præsenti Lucæ historia pugnant, cetera de Apostolo eodem ex aliorum syncerioribus scriptis petenda sunt, vel ex iisdem quoque iam citatis illa, quæ non abhorrent à verisimilitudine.

a cap.12.25.
b cap.10.

In hoc genere censeri possit quòd Italiam peragrauerit, & Ecclesiam Mediolanensem, vt eiusdem ciuitatis tum monumenta non obscura, tum non spernendæ historiæ testantur [c], fundauerit, latè prædicato in Liguria potissimùm Euangelio. Romæ si prædicauit etiam, id fuit sub Nerone. Claudius enim quoad vixit, Iudæos, Christianósve ibi agere non permisit. Epistolam scripsisse ad Ecclesiæ ædificationem pertinentem, Hieronymus [d] memorat, eamque citant Clemens Alexandrinus [e], & Origenes [f].

Barnabas Italiam peragrauit, & Mediolanensem Ecclesiam fundauit.
c citat Gallesin. in not. Martyrolo. 11. Iunij.

Sed differt ab epistola ad Hebræos, quæ Pauli est, falsò autem Tertullianus [g], & alij eius auctorem Barnabam faciunt, cùm quæ citantur ex eâ, in epistola, quæ ad Hebræos vocatur, non extent, & Hieronymus [h] Hebræas quasdam voces exponat separatim ab iis, quæ sunt in dicta epistola sub Pauli nomine ad Hebræos.

d de Script. Eccl. & epist. 129.
Epistola ad Hebraeos est Pauli non Barnabæ.
e 1. Strom. c. 9. lib. 5. c. 4.
f 3. Peri Arch. c. 1. & 2. cont. Celsum.
g lib. de pudic. c. 20.
h de nominibus Hebrai.

In Romano Martyrologio dicitur *Barnabas in Cypro passus, tempore autem Zenonis Imperatoris repertum, ipsómet reuelante corpus eius vnà cum codice Euangelij Matthæi, quod sua manu descripserat.* Quandónam ille Cyprum sit reuersus, ibíque martyrium subierit, nihil comperti extat Alexander arbitratur, cùm adhuc Paulus Ephesi versaretur, quo ab eodem Barnabas remissus sit. De inuentione præter ipsum alij plures tradunt, vt Martyrologia alia: Theodorus Lector [i]. Nicephorus [k]. Cedrenus [l]. Sigebertus [m], Marianus Scotus [n], &c. Necnon de prærogatiua Cypriorum Ecclesiæ propter illam, de qua & nos superiùs.

i 2. Collectaneorum.
k lib. 16. c. 37.
l in Compen. anno 4. Zenon.
m in Chron. anno 419.
n in Chron. anno 413.

Versus 40.] Paulus verò electo Sila profectus est, traditus gratiæ DEI à fratribus.

TRADITVS *gratiæ* DEI *à fratribus.*] Lege caput præcedens [o]: *à fratribus Antiochenis*, inquit Carthusianus, *pro ipso deuotissimè interuenientibus.*

o vers. 26.

Versus 41.] Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum.

PRÆCIPIENS *custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum.*] Græcus textus, & Syra editio hæc omittunt, & nonnulli Latini codices manuscripti, vt Arias testatur [p]: hi enim, quos vidi, habent. In capite sequenti eadem repetuntur; ex quibus, vt anteà notauimus, colligitur, vera præcepta, legésque obligantes conditas ab Apostolis; quas Paulus, Siláſque tanti fecerunt, vt non modò promulgatores Euangelij, sed præcones earum quoque ipsarum existerent, atque etiam præceptores. Hoc factitarunt deinceps Episcopi ad suas ex Synodis Ecclesias reuersi, aut Synodalia præcepta perlata ad se populis suis edicendo.

p in Apparatu.
Præcepta Apostolorum sunt seruanda.

Dixi antea [q] Paulum, cùm Corinthiis scribebat, vel nondum præcepta illis ista dedisse, vel cùm aliqui conscientia freti, ea ducerent haud magni facienda, de eorum æquitate docuisse. Primum placet Baronio, qui addit *insuper idem de Thessalonicensibus, quos admonuit Apostolus tantùm de abstinentia à fornicatione,* dicens [r]: *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum* IESVM: *hæc est enim voluntas* DEI, *sanctificatio vestra: vt abstineatis à fornicatione.*

q vers. 19.
r epist. 1. c. 4. 2. 3.

Id sanè verum est, pro ratione loci, ac temporis varias particulares, nec omnibus communes sancitas leges, de quibus Augustinus optimè monuit, *vt quando non sunt contra Fidem, nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque institui videamus, vel institutas cognoscamus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impediat, vt amplius detrimentum sit* [s]. Denique *vt faciat vnusquisque quod in ea Ecclesia, in qua est, inuenerit* [t].

Præcepta particularia quando seruanda.
s epist. 119.
t epist. 118.

Per præcepta Apostolorum, ac Seniorum illa intelliguntur, sicut & sequenti capite disertè exprimitur, quæ Ierosolymis in Concilio fuerant instituta, & scripta. Credibile tamen est, extendi quoque ad alia, quæ sola traditione tenebantur: cuius traditionis veneranda semper fuit, & sacrosancta, atque custodienda auctoritas, vt Patres passim docent, præter iam citatum Augustinum, quos citat Bellarminus [u].

Præcepta Apostolorum quæ sint.
u To. 1. lib. de verbo DEI nõ scripto.

Tandem quamuis iacti diuini seminis vis tanta sit, vt, teste CHRISTO [x], *cùm seminator dormit, ac nescit, germinet seu germinare plerumque possit*, tamen non est seminatori cessandum, quin excolat animos, in quos iecit semen exhortando, animando, confirmando.

x Mat. 4. 27.

CAPVT DECIMVM-SEXTVM.

SVMMARIVM.

Timotheus circumciditur à Paulo: Prohibet Paulum, Sila comite, varia obeuntem loca SPIRITVS sanctus prædicare in Asia, & Bithynia: Iubet autem lustrare Macedoniam: Philippis in Macedoniæ ciuitate Lydiam CHRISTO adiungunt: Ibidem cùm puellam ab spiritu Pythone liberassent, virgis cæsi sunt, & in carcerem coniecti, ac inde diuinitùs erepti.

1 PERVENIT autem Derbē, & Lystram. Et ecce Discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Iudææ fidelis, patre Gētili.
2 Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant, & Iconio fratres.
3 Hunc voluit Paulus secum proficisci: & assumens circumcidit eum propter Iudæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater eius erat Gentilis.
4 Cùm autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus, qui erant Ierosolymis.
5 Et Ecclesiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.
6 Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à SPIRITV sancto loqui verbum DEI in Asia.
7 Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permisit eos SPIRITVS IESV.
8 Cùm autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem:
9 Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adiuua nos.
10 Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quòd vocasset nos DEVS euangelizare eis.
11 Nauigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim:
12 Et inde Philippos, quæ est prima partis A Macedoniæ ciuitas, colonia. Eramus autem in hac Vrbe diebus aliquot, conferentes.
13 Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse: & sedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant.
14 Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Thyatirenorum colens DEVM, audiuit: cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebātur à Paulo.
15 Cùm autem baptizata esset, & domus
B eius, deprecata est, dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos.
16 Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando.
17 Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Isti homines serui DEI excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis.
C 18 Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine IESV CHRISTI exire ab ea. Et exiit eadem hora.
19 Videntes autem domini eius quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes:
20 Et offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cum sint Iudæi:
21 Et annunciant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cùm simus Romani.

22 Et cucurrit plebs aduersus eos, & magistratus, scissis tunicis eorum, iusserunt eos virgis cædi.

23 Et cùm multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi vt diligenter custodiret eos.

24 Qui cùm tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem,& pedes eorum strinxit ligno.

25 Media autem nocte Paulus, & Silas orantes, laudabant DEVM: & audiebant eos,qui in custodia erant.

26 Subitò verò terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris.Et statim aperta sunt omnia ostia: &.vniuersorum vincula soluta sunt.

37 Expergefactus autem custos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos.

38 Clamauit autem Paulus voce magna, dicens. Nihil tibi mali feceris: vniuersi enim hic sumus.

29 Petitóque lumine, introgressus est: & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes:

30 Et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam?

31 At illi dixerunt: Crede in Dominum IESVM:& saluus eris tu,& domus tua.

32 Et locuti sunt ei verbum Domini cum omnibus qui erant in domo eius.

33 Et tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum: & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò.

34 Cúmque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua credens DEO.

35 Et cùm dies factus esset, miserunt magistratus lictores,dicentes:Dimitte homines illos.

36 Nunciauit autem custos carceris verba hæc Paulo:Quia miserunt magistratus vt dimittamini, nunc igitur exeuntes, ite in pace.

37 Paulus autem dixit eis:Cæsos nos publicè,indemnatos,homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eiiciunt?Non ita:sed veniant,

38 Et ipsi nos eiiciant. Nunciauerunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timuerúntque audito quòd Romani essent:

39 Et venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant vt egrederentur de Vrbe.

48 Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam:& visis fratribus consolati sunt eos,& profecti sunt.

A *Versus 1.*] Peruenit autem Derben,& Lystram.Et ecce Discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Iudææ fidelis, patre Gentili.

PERVENIT *autem Derben,& Lystram.*] Eò non piget Paulum reuerti, vbi tam fuerat malè tractatus [a].

Filius mulieris Iudeæ.] Aliqui codices Latini habent, *viduæ*. Probat magis Glossa ordinaria ex Rabano B lectionem nostram: quia opponitur viro Gentili hæc mulier. Sic verò legunt Græcus, & Syrus, דיהודיתא *dihudaietha*. Comestor [b] vtriusque lectionis meminit.

Fidelis.] Non iungitur hoc epithetum cum priore nomine, ita vt denotet religione Iudæam fuisse, non genere, quæ diceretur vnica voce *proselyta*; sed vt significet ex Iudæa tum genere, tum religione factam esse Christianam. Fidelium enim verbo Christiani soli designantur.

Patre Gentili.] Ἕλληνος, *Græco*. Græcum enim pro Gentili poni aliàs docuimus [c].

Quæri potest, quomodo iunxisset se Iudæa mulier etiam ante Christianismum Gentili in C matrimonium. Nam postquàm facta est Christiana,poterat alium ducere, manente alio in infidelitate [d];& poterat etiam cum illo remanere, ac ita etiam fieri Paulus [e] suadebat,& Petrus [f], *si spes esset lucrandi virum.* Qui tamen Paulus [g],vt fidelis talem ducat dehortatur, propter naturalem indecentiam,& inconuenientia. Tandémque,more saltem populi Christiani vim legis obtinente, factum est,ab annis minimùm quadringentis post Magistrum Sententiarum,& Gratianum,eiusmodi matrimonium irritum, quoties tum cùm initur,alter coniugum non est baptizatus [h].

Quod verò attinet ad Iudæos, non prohibebantur lege contrahere cum quibuslibet infideli- D bus, vt constat non tantùm in Iacob [i], Ioseph [k], ac Mose [l] ante datam legem, sed post illam quoque in Dauid [m], Salomone [n], & Esther [o]: quamuis putet Abulensis [p], quòd compellerent coniugem ad ritum fidelium:& Maldonatus [q],idololatriæ sublata causa,promiscuè licuisse. Non licebat celebrare illis matrimonia cum quibusdam nationibus de terra Chanaan [r]: nec fœminæ cum Idumæo, vel Moabita [s]: sicut neque proselyto cum Iudæa primogenita, ne diuideretur hæreditas [t]. Excusatur Samson ducens filiam viri Thamnatæi de Chananæis, quia instinctu DEI id fecit [u], & Salomon Raab [x], atque Booz Ruth [y], quæ ad religionem etiam Iudaicam ac- E cesserunt.

Si verum esset,quod ait Abulensis,prohibitum fuisse accipi fœminas à Gentilibus de Iudaismo, non posset excusari mater Timothei, nec Esther, &c. nisi fortè hæc ob dispensationem diuinam. Solent quoque damnari Mahalon, & Chelion iuncti Moabitis vxoribus [z]. Lege de tota re Bellarminum [a], & Henricum Enriquez [b], alióśque disputantes de matrimonij impedimento, quod vocant *disparitatem cultus*, atque Feuardentium in propria de hac re digressione ad primum caput Ruth: qui tamen, vt & quidam alij, nimis seueram sequuntur sententiam, iure diuino irrita esse matrimonia illa etiam, quæ

a cap.14.18.

b in Histor. Scholastic. ex Actis.c.81.

c cap.6.1.

Mulier Iudæa quomodo virum infidelem duxerit.

d S. Tho.3.p. q.59. art.1. & Canon 28. q. 1.

e 1.Cor.7.12.

f 1.epis.3.1.

g 1. Cor.7. 39. 2.ep.6.14.

h Schol.in 4. d.39.Canonistæ cap. 1. de Sponsal.

Iudæi non prohibebantur contrahere cum infidelibus.

i Gen. 29.21. & seq.

k infr.41.45.

l Exod. 2. 21.

m 2.Reg.3.3.

n 3.Reg.3.1.

o cap.2.17.

p Iosue 6.qu. 57.2.Reg.3. q. 4.

q Matth.1.5.

r Exod.34.12. 31. cap.34.16. Deuter. 7.3.2. Esd.9.11. cap. 10.3 3.Reg.11. 2.Iosu.23.12.

s Abulens. 1. Paral.4. q. 15.

t Abul.Exod. 22.q.12.

u Iud.14.4.

x Matth.1.5.

y 1.Paral.4.q. 15.

z Ruth 1.4.

a lib.1.de matri.c.21.

b 2.de matrimon.c.15.

Matrimonium cum infidelibus.

Libidines detestanda separandi matrimonij causam Christianis mulieribus dederunt.

A ſunt cum hæreticis. Nec verò ſolùm religionis periculum grauiſſima cauſa eſt, cur potuerit iure haberi matrimonium irritum cum infideli, verùm etiam belluinæ quædam libidines, quibus hoc genus hominum abuti ſolet. Quam ob cauſam vxor quædam facta Chriſtiana mariti fugit contubernium, vt produnt Iuſtinus [a], & Euſebius [b], & Petrus, ſi vera narrat Linus [c] (verax eſt, ſi verus) quatuor concubinas Agrippæ Præfecti Romani, ſimúlque Albini cuiuſdam vxorem ſuis prædicationibus induxit ad virorum inhoneſtorum toros vitandos. Et de Paulo narrat Chryſoſtomus [d], eius occidendi à Nerone captam eam occaſionem, quòd pellicem ipſius ad Fidem conuerſam impurum eiuſdem congreſſum, atque præpoſterum fugere & abominari perſuaſiſſet. B

a Apol. 1.
b 4. Hiſt. c. 17.
c de paſsio. Petri.
d 1 cont. vitupet. vitæ Monaſticæ.

Poſtremò ideò fortaſſe cùm idem Paulus *diſputaret de iuſtitia, de caſtitate, futuróque aduersùs nefanda videlicet peccata iudicio, Fœlix Iudæis Præſes contremuit* [e]. Raræ nunc Monicæ Patricios [f] viros, Cæciliæ Valerianos [g], Nataliæ Adrianos [h], Marthæ Marios [i] ex infidelibus Chriſtianos, pióſque reddunt.

e Act. 24. 25.
f Aug. 9. Confeſſ. c. 9.
g in Act.
h in Act.
i in Act.

Qualis fuerit Timothei pater, neſcimus, Gentilem perſeueraſſe probabile eſt, præſertim ſi mater vidua erat, quando hæc, quæ præſenti hiſtoria narrantur, contigerũt, prout illi voluerunt, qui pro Iudæa in textu viduam poſuerunt. Laudat illam C Paulus nominans *Eunicen*, atque eiuſdem matrem *Loïdem*, Timothei auiam, poſteriore ad illum epiſtola [k]. Conuenit multò meliùs Timothei matri nomen εὐνίκης, à victoria, quàm meretriculæ, de qua Theocritus.

k cap. 1. 5.

Verſus 2.] Huic teſtimonium bonum reddebant qui in Lyſtris erant, & Iconio fratres.

HVIC *teſtimonium bonum reddebant.*] ἐμαρτυρεῖτο. Sic in capite ſexto [l] Interpres idem verbum adiectione *boni* expoſuit, prout etiam & D ibi, & hîc exigit contextus ratio. Eodem loco dixi, quanti referat publicum teſtimonium bonum, & quomodo dari, exigíque ſoleret pro promouẽdis ad ſacra miniſteria. Miris cum laudibus effert Paulus *à fide non ficta* [m], *à bona confeſſione coram multis teſtibus* [n], non in Baptiſmo tantùm, vel conſecratione, ſed in prædicatione, & perſecutione, vt quidam enarrant: *à Prophetiis ipſius*, aut *de ipſo* [o]; hoc eſt, vel teſtimonio hoc bono, quod fuit inſtar prædictionis, vel Scripturarum ſcientia, *in qua enutritus erat* [p], *etiam ab infantia* [q], vt placet Hieronymo, Primaſio, Anſelmo, Beat. Thomæ, aliiſque Latinis: vel reuelatione, atque vocatione diuina, vt alij, Græci præſertim, volunt: vel ſacris E precibus, quæ ritè in conſecratione eius vſurpatæ erant, vt exponit noſter Turrianus [r].

l verſ. 3.
Laudes Timothei à D. Paulo collecta.
m 2. Tim. 1. 3.
n 1. Tim. vlti. 12.
o 1. Tim. 1. 18.
p 1. Tim. 4. 6.
q 2. Tim. 3. 14. 15.
r 1. de Hierarc. ordin. c. 17.

Præterea vocat Apoſtolus illum, *filium chariſſimum, &, in Domino fidelem* [ſ], atque, *opus Domini operantem* [t], &, *quo non haberet magis vnanimem, & ſyncera pro aliorum ſalute affectione ſollicitum* [u], quique *vt patri filius cum ipſo ſeruiuerit in Euangelio* CHRISTI [x]. Adhæc *ſocium* [y] adſcribit in inſcriptionibus epiſtolarum, poſterioris ad Corinthios, & ad Theſſalonicenſes vtriuſque, ad Philippenſes, Coloſſenſes, atque Philemonem. Romanis etiam ait [z]: *Salutat vos Timotheus adiutor meus.* Et ad Hebræos [a]: *Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum, cum quo, ſi celeriùs venerit, videbo vos.*

ſ 1. Cor. 4. 17.
t 1. Cor. 16. 10.
u Phili. 2. 20.
x ibi. verſ. 22.
y 1. Theſſ. 3. 2.
z Rom. vlt. 21.
a cap. 13. 24.

Vtebatur Paulus Timothei ſæpe opera in variis iuuandis Eccleſiis; at ægrè etiam abſentiam ferebat tam chari diſcipuli, & filij: nam Athenis mandatum dedit his, *qui ſe illuc deduxerant, redibántque Berœam, vt eum quàm celeriter ad ſe mitterent* [b]. Et Corinthiis ſcribit [c]: *Curent, vt ſine timore ſit apud illos, ne quis eum ſpernat, & vt deducant in pace, vt ad ſe veniat expectatus à ſe, & à fratribus.* Promittit abſenti fore, vt ad eum adeat [d]: id cùm non licuiſſet, reſcribit ſemel, iterúmque, *veniat ad ſe feſtinè* [e]: ídque ante hyemem, conſulens videlicet ſanitati ipſius, propter quam *etiam iubet vtatur vino* [f]. B

Timothei opera ſæpe Paulus vtebatur.
b Act. 17. 15.
c 1. Cor. 16. 10. 11.
d 1. Tim. 3. 14.
e 2. Tim. 4. 9. 21.
f 1. Tim. 5. 23.

En quot de Timotheo, non aliorum duntaxat, ſed Pauli quoque præclara, & certa teſtimonia, quæ hunc in locum opportunè congeſſiſſe nobis videmur: alia de eodem poſteà, vbi deſinet Lucas eius meminiſſe, allaturi. Varias peregrinationes cum Paulo, & pro Paulo, & ad Paulum colligit Turrianus [g], vt doceat, quo pacto Epheſi nihilominùs reſederit Epiſcopus, non violans, quam ipſe putat eſſe de iure diuino, in ſua diœceſi reſidentiam.

g lib. de reſid. Paſtor.

Creditur à Paulo ipſo præfectus Epheſius Epiſcopus, quamuis reluctans; idque indicare illud: *Sicut rogaui te, vt remaneres Epheſi* [h]. Ac proinde C hortatur his verbis: *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat* [i]. Magiſter Scholaſticæ hiſtoriæ [k] Lyſtrenſem eum facit Epiſcopum, neſcio qua vel auctoritate, vel ratione.

Fuit Epiſcopus Epheſ.
h 1. Tim. 1. 3.
i ibi. verſ. 1.
k cap. 83.

Verſus 3.] Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci: & aſſumens circumcidit eum, propter Iudæos, qui erant in illis locis: ſciebant enim omnes, quòd pater eius erat Gentilis.

HVNC *voluit Paulus ſecum proficiſci.*] Chryſoſtomus, ceterique Interpretes, & Hieronymus [l] mirantur apparentem in doctrina, & facto D repugnantiam, & admirabilem Pauli συγκατάβασιν, ſiue *œconomiam*, atque *diſpenſationem*, vt qui tam animosè aduersùs ipſum ſupremum Hierarcham Petrum pro legalium immunitate decertauerat, & pro Circumciſionis exciſione [m], quam Titum pati paſſus ipſe non erat [n] (falſa enim eſt opinio Caietani, hunc circumciſum eſſe, vt rectè probat Ludouicus Legionenſis) nunc Timotheo præputium reſecuerit. Volebat & ſua ipſius, & Timothei prædicatione, qui percharus Iudæis erat, Iudæos lucrifacere CHRISTO; *Sic omnibus omnia factus, Iudæus etiam Iudæis* [o]; docéntque, *non vt abominanda veteris legis, & noxia à ſe reſpui* E *Sacramenta, verùm tanquam non neceſſaria*, quemadmodum aduertit Auguſtinus [p], *& pro circumſtantiarum ratione mutari ſententiam poſſe*, vt ait Nicolaus Papa [q]. Similia his exempla, quorum & capite priore meminimus, habentur in Paulo, capite decimooctauo [r], & vigeſimoprimo [ſ].

l epiſt. 19.
Paulus cur Timotheum circumcidi voluerit.
m cap. præc.
n Galat. 2. 3.
o 1. Cor. 9. 20. 21. 22.
p lib. commendaciũ c. 5. & ep. 19. & 19. cõtr. Fauſt. c. 17.
q 35 q. 9. cap. ſententiam.
r verſ. 18. & ſeqq.
ſ verſ. 20. & ſeqq.

Tertullianus [t] eodem pacto reſpondet hæreticis: *nempe quòd Petrus, Paulúſque, qui viſi ſunt inter ſe diſſidere, pro temporibus, & perſonis, & cauſis quædam reprehenderunt, in quæ & ipſi æquè pro temporibus & perſonis, & cauſis committebant.* Rurſum alibi [u]: *Sed ita, inquit, res exigebant, vt omnibus omnia fieret, quo omnes lucrifaceret, parturiens illos, do-*

Paulus reprehendit quæ ipſe admiſit.
t de præſcrip. c. 24.
u lib. de Monogam. c. 14.

nec forma

a Galat. 4. 19. b 1. Thess. 2. 7.
c 1. Cor. 7. 28. d cap. 17.

nec formaretur CHRISTVS *in ipsis* [a], *& calefaciens tanquam nutrix paruulos Fidei* [b], *docendo quedam per veniam, non per imperium* [c]. Lege eundem libro de Pudicitia [d]. Sed caue abusum de polygamia illicita, & de irremissibili fornicatione. Contra quos eius errores cùm quid obiicitur ex Apostolica auctoritate, ad eiusmodi responsa se recipit.

e 28. Moral. c. 4. vel 12.
Virtus discretionis Pauli.

Gregorius [e] agnoscit etiam in Paulo vim, virtutémque discretionis. *Videns*, inquit, *quod nisi se mandata literæ seruare ostenderet, Iudæorum rabiem etiam in his, qui sibi comites aderant, excitaret, assertionis suæ vim postposuit, & sine damno Fidei se, suósque comites à persecutionis immunitate custodiuit. Fecit quod fieri Fidei amore prohibuit:* nimirum ita vt necessariò fieri debere videretur, *sed ad Fidei retorsit ministerium, quod quasi non fideliter fecit. Plerumque enim virtus, cùm indiscretè tenetur, amittitur; cùm discretè intermittitur, plus tenetur.*

Synagoga sepelienda fuit cum honore.
f 1. 2. q. 103. ar. 4. ad 1.

Tandem, vt dicere solet Augustinus, *Cùm honore Synagoga sepelienda erat*. Atque, vt cum eodem docet B. Thomas [f], nósque etiam superiore capite attigimus, legalia post sufficientem promulgationem Euangelij, non solùm mortua fuerunt, sicut & post Passionem CHRISTI, sed etiam mortifera. Legendi expositores epistolæ ad Galatas [g], & Augustinus [h], Gregorius [i], Hugo de S. Victore [k], Scholastici [l].

g cap. 2.
h ibi. & ep. 8. 9. 19. libr. de opesib. Monach. c. 11.
i 28. Moral. c. 12. hom. 18. in Ezech.
k de Sacra. l. 4. d. 1. & 3.
m 3. par. q. 37. art. 1.

Quocirca penitùs improbabilis opinio est, ad quam Caietanus [m] inclinat, non malè facturum, *immò potiùs bene illum, qui nunc vtatur Circumcisione, non tanquàm legali ceremonia, vel remedio peccati originalis, sed solùm propter conformitatem ad* CHRISTVM: *rem enim illam indifferentem reddi bonam ex fine bono.* Nam CHRISTVS Circumcisionem assumpsit [n], vt cæremoniam legalem duntaxat. Si quis habeat rationem doloris, non magis ei licet dolorem sibi infligere tali abscissione, quàm plagas imprimere, aut spineam coronam capiti infigere.

Circumcisionem ad imitandum Christum minimè recendā.
n Luc. 2. 21.

o lib. de concord. Relig. seu de Cathol concor.
p vers. 1.
Circumcisione qui vtantur, & cur id liceat.

Ridiculum autem, ac vanum est, quod ait Nicolaus de Cusa [o], si maior pars orbis consentiret, posse nos assumere Circumcisionem. Dixi capite septimo [p] de Æthiopibus, Indísve Christianis, quos etiam Abissinos vocant, qui Circumcisionem cum Baptismo sibi licitam credunt, & quo pacto à nonnullis excusentur, videlicet, vt Caietanus dicebat, studio CHRISTVM imitandi, non iudicio necessitatis: quemadmodum & quotannis celebrando CHRISTI Baptismum, baptizantur, non sentientes id esse nouum Sacramentum. Exemplo quoque potest esse vel esus agni ipso die Paschæ, vel palmarum gestatio Dominica Palmarum; licèt hic sit communis, ille nonnullorum minimè damnatus ritus. Attamen eum Circumcisionis ritum haud ita probat Ecclesia.

q apud Prateolum 9. de Hær. c. 21. nu. 22.

Excusari non possunt hæretici, quos Hosius [q] *circumcisos* nominat, Circumcisionis vsurpatores, & Doctores cum Baptismo: multóque minùs Lucas Sternberger, qui inter alia errorum monstra, hoc protulit, *Baptismum esse Satanicam institutionem; diuinitùs autem Circumcisionem institutam, non illum.* Refert id etiam Staphylus [r].

r lib. de concordia Luthe ranorum.

Pater eius erat Gentilis.] Ἕλλην ὑπῆρχεν. Clarius, *Fuerat*, vt etiam Syrus vertit, הוא *hava*: maximè si Timothei mater vidua erat.

Versus 4.] Cùm autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Ierosolymis.

A

DOGMATA, *quæ erant decreta.*] Syrus, פוקדנא אילין דכתבו שליחא *puchedana ilen dacthebhabu schelaieche*, id est, *placita, quæ scriptis mandauerant Apostoli*, &c. Τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα. De re ipsa dictum satis capite præcedente.

Dogmata quæ dicantur.

Nec mouere debet nomen dogmatum, vt dubites vera præcepta, legésque obligantes fuisse. Tam Latinè namque, quàm Græcè non ea tantùm sunt dogmata, quæ quid faciendum videatur per modum doctrinæ, ac liberæ institutionis tradunt, velut placita Philosophorum, verùm etiam quæ tanquam præcepta. Sic Herodianus vocauit δόγμα τῆς συγκλήτου, Senatusconsultum. Et pro decreto, quod etiam arrestum dicitur, vt aliàs notauimus [s], Budæus [t] vsurpari docet. Et extat exemplum in Iure ciuili [u].

B

s cap. 15. 28. & 6. 6. 2.
t Comment. ling. Græcæ.
u l. nā & Demosthenes. ff. de legib.

Cùm superiùs Apostoli, Senioresque censuerint ea, quæ scribebant, necessaria esse, satis profectò denotarunt hoc modo intelligenda hæc dogmata. Glossa interlinearis exponit, *statuta*. Quapropter nec formula illa, *Visum est*, facilis, ac modesta, auctoritati legis derogat, vt neque apud Romanos formulæ hæ decernendi, *Placere Senatui, Senatum velle, & æquum censere, Senatū existimare, Senatū arbitrari, Senatui videri*; de quibus Brissonius [x].

x li. 2. de Formul. populi Romani.

C

Versus 5.] Et Ecclesiæ quidem confirmabantur Fide, & abundabant numero quotidiè.

ET *Ecclesiæ quidem confirmabantur.*] Valdè sæpe Lucas inserit hoc Ecclesiarum incrementum, & multiplicationem numeri fidelium [y], maximè post narratam aliquam tribulationem: iam verò post Apostolicorum præceptorum traditionem.

y cap. 2. 47. ca. 4. 4. c. 5. 14. ca. 6. 1. c. 11. 21. 24. c. 13. 43. 49. c. 14. 10.
Custodia orthodoxæ doctrinæ confert ad Ecclesiæ propagationē.

Confert enim plurimùm ad Ecclesiæ propagationem, orthodoxæ doctrinæ ipsius custodia, & præceptorum obseruatio. Chrysostomus hunc ait *esse fructum circumcisi Timothei*, hoc est, amoris ac sollicitudinis in seruanda concordia per illam Circumcisionem. Nam concordia res etiam paruæ crescunt.

D

Versus 6.] Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à SPIRITV sancto loqui verbū DEI in Asia.

TRANSEVNTES *autem Phrygiam.*] De hac lege capite secundo [z].

z vers. 10.

Et Galatiæ regionem.] Est in Asia minore habens ab Oriente Cappadociam; Bithyniam ab Occidente; à Meridie Pamphyliam; mare Euxinum à Septemtrione. Vocatur quoque Gallogræcia; à Gallis, Græcísque, qui à rege Bithyniç in auxilium euocati simul venerunt, & vtrisque pars regni pro mercede obuenit. Galli ergo Galatiæ nomen dederunt, vt prodit Plinius [a], & Iustinus [b], cuius de laude huius gentis omitti testimonium non potest: *Tantus terror*, inquit, *Gallici nominis, siue armorum inuicta fœlicitas erat, vt aliter neque maiestatem suam reges tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur; tantáque fuit id temporis fœcunditatis Gallorum iuuentus, vt Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Itaque in auxilium à Bithyniæ rege inuocati regnum cum eo parta victoria diuiserunt; eámque regionem Gallogræciam, quia mixti Græci fuerant, nominarunt.*

Galatia descriptio.

E

a 5. lib. c. vlt.
b lib. 25.
Gallorum veterum encomium.

Scripsit ad hos Petrus communem cum aliis,

a Hær. 51. b cap. 4. 10. c lib. 15.

Paulus propriam epistolā, Epiphanius [a] contendit in epistola Pauli ad Timotheum secunda [b], quando dicitur *Crescens in Galatiam*, mendum esse, pro *Galliam*. Ammianus [c] Gallos vocatos Galatas scribit; & Theodoretus in citatum Apostoli locum per Galatas Gallias intellexisse obseruat.

d libr. 24. & 25. e Proœ. lib. 2. in ep. ad Gal. f lib. 12. g 3. Geograph.

Fuisse Galatiam Gallorum coloniam. Iustinus [d] citatus æquè tradit historicus, ac Hieronymus [e], addens, & nomen Gallogræciæ, de quo item Strabo [f], quale & in Italia Græciæ magnæ. Lege Volaterranum [g].

Crescens in Galliā missus est. h lib. 3. c. 4. i lib. 3. c. 1. k 27. Iunij.

In Galliam Crescentem missum à Paulo historici omnes sacri post Eusebium [h], & Nicephorum [i], memorant. Si Galatia distinguatur à Gallia, & in ea, vt est in Romano Martyrologio [k], est passus, dicendum erit, Galatas quasi eiusdem gentis populos post Gallos erudire voluisse. Ita quidem Baronius: cùm tamen Martyrologium velit non Gallis, sicut ille dicit, sed Galatis specialiter datum Apostolum, & ex iis, ad quos excurrerat, rediisse ad istos, & cum illis hæsisse.

Cur Apostoli vetiti sunt loqui verbum Dei in Asia.

Vetati sunt à S P I R I T V *sancto loqui verbum* D E I *in Asia.*] Idem habetur versu sequenti de Bithynia. *Vetuit* S P I R I T V S *sanctus iis prædicari*, ait Beda, *quos sciebat contempturos verbum* D E I; *& voluit iis communicari, quos vtiliter admissuros*, inquit Lyranus: *aut vt Ioanni Asia reseruaretur*, inquit Carthusianus; *vt Bithinia Lucæ*, inquit Gagneius: & vtrumque Magister historiæ Scholasticæ [l]: aut quia *præcognouit*, inquit Oecumenius, πνευματομάχων, id est, *contra* S P I R I T V M *pugnantium hæresim ibi esse dominaturam*: aut, vt ex Origene refert idem Magister, *quoniam prævidit famem ibi futuram, à qua suos liberare voluit.* De Ioanne indicat etiam Chrysostomus, *quoniam eo*, inquit, *fruituri erant multis temporibus, & forsan non multum habebant opus.*

l cap. 84.

m Hom. 12. in Ezech. & Homil. 4. in Euang.

Primæ duæ rationes placent, quas etiam affert Gregorius [m], agnoscens & in ea diuinam misericordiam, *ne grauiùs de contempta prædicatione mali auditores iudicari mererentur.* Nam iisdem illis in locis Petrus etiam ante Ioannem ac Lucam prædicauit, *& Asiæ Ecclesias, ac nominatim quoque Ephesum Ioannes rexit, curauitque*, vt ait Irenæus [n], *Paulus fundauit.*

n lib. 3. c. 3.

Gratia non est negata, sed dilata. o 2. de vocat. Gen. c. 3. & libro de libero arb. ad Ruffi. & ad capita Galli c. 4. p lib. cont. Collato. c. 25. q 2. Reg. 7. 2. & seq. r vers. 18.

Nec tamen illis negata est gratia, inquit Prosper [o], *sed dilata, propter causam, quam ignoramus. Interim*, vt idem [p] rectè monet, *voluntas ex* D E O *est, qua volumus, & oramus, ac procuramus aliorum salutem, etsi non respondeat euentus votis nostris, sicut bona voluntas, & à* D E O *inspirata fuit, qua voluit Dauid ædificare templum, quod tamen non ædificauit* [q]. In capite 22. [r] eidem Paulo iniunxit Dominus: *Festina & exi velociter ex Ierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me.* Testatur quoque Romanis [s], *sæpe proposuisse venire ad eos, sed prohibitum fuisse.* Vbi Origenes, Chrysostomus, aliique Græci, Ambrosius etiam, Anselmus, Lombardus, Beatus Thomas, & alij Latini conferunt locum illum cum isto, & omissa expositione de Satana, quem Apostolus alibi queritur opposuisse impedimentum profectioni suæ ad Thessalonicenses, semel iterumque [t] (de dæmone autem intelligere ibi Paulum sentit Basilius [u], & Origenes in Commentario) dicunt *curæ esse* D E O, *& ab eius nutu pendere tum verba, tum itinera Prædicatorum suorum.* Origenes autem alio loco notat [x] causam illam de nullo prætiso fructu in auditoribus, & quòd essent adhuc imparati, vt loquitur Sedulius [y].

s Rom. 1. 13. t 1. Thessal. 2. 18. u Regu. 275. ex breuior. x Homil. 9. in Leuit. y in cap. 1. ad Rom.

Quibus omnibus ex locis, & auctoribus satis ea confirmatur sententia bonorum Theologorum de scientia, quam habet D E V S, futurorum contingentium liberorum possibilium.

Scientia futurorum contingentium, possibilium, seu media in Deo stabilitur.

Sicut verò Chrysostomus eo loco Paulum commendat, quòd simpliciter obtemperauerit, causam prohibitionis non inquirens, ita nunc eodem nomine cum Comitibus laudandus videtur. Eandem Domino exhibuit obedientiam tum hic pergendo ad Macedones [z], tum quando Corinthi per visionem ei præcepit [a]: *Noli timere, sed loquere, & ne taceas: propter quod ego sum, & nemo apponetur tibi vt noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate.*

z vers. 9. 10. a Act. 18. 9. 10.

Vltima verba continent præcipuam rationem, cur Dominus eo loco prædicari vellet contrariam illi, ob quam nunc vetat. Quanquàm quòd se prohibitum dixit peruenire ad Romanos, habere potest sensum tertium valdè commodum, qui placet Hieronymo, Primasio, Adamo, & aliis, quoniam occupatus fuerat prædicando Euangelium iis in locis, in quibus adhuc non erat prædicatum, Romæ autem iam id Petrus prædicauerat. Hanc ipsemet causam Paulus reddit eadem epistola, dicens post commemoratam prædicationem suam [b], *vbi nominatus non erat* C H R I S T V S. *Propter* [c] *quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc: nunc verò vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis, cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero.* Innuit similem Gregorius [d] causam permissionis huiusmodi diuinæ: vt prosit iis magis ille, apud quos manere compellitur.

b Rom. 15. 20. c ibid. 22. 23. 24. d 21. Moral. 19.

At ne tum in Asia, tum in Bithynia loqueretur verbum D E I, D E I ipsius inhibens voluntas expressè intercessit. Non dubium autem est, quin eandem idem ipse voluntatem suam occultè nonnunquàm suggerat, & sermonem suum in corde, ac ore prædicatoris, doctorisve pro auditorum capacitate, vel meritis attemperet, & quantumlibet is cor præparauerit, dicendaque meditatus sit: D E V S linguam eius dirigat, vel non meditata pronunciare faciat, vel quæ parauerat, effari prohibeat.

Deus verba ... prædicatoribus suggerit.

e Collat. 14. c. 16.

Huius rei Moyses Abbas apud Cassianum [e], testem expertum seipsum affirmat, & alios antiquos patres. *Frequenter memini*, inquit, *nonnullis huiusmodi sermonem cum gemitu lacrymisque poscentibus, me quoque aliquid eis doctrinæ conferre cupientem, nullatenus potuisse: & ita in me non solùm sensus, verùm etiam eloquium defecisse, vt non inuenirem quemadmodum eos vel cum leui consolatione dimitterem. Quibus indiciis* (dixerat verò se in ea collatione tam longa feruentiores quosdam sensus ab igne quodam immissos expertum propter incensum, sedulúmque studium audientium) *euidenter agnoscitur, Domini gratiam pro merito ac desiderio audientium, disputantibus aspirare sermonem.* Faxit D E V S, vt eodem hæc Lector ardore animi cognoscat, seque tum lectioni sacræ, tum sermoni diligentiorem ac studiosiorem exhibeat. Legi, sat scio, sed locum non memini, narrare de se Augustinum, quòd non erat præmeditatus in concione dixisse, vnde qui aderat hæreticus resipuerit.

Frequenter Deus ... gratiam ... animos ... exhibet ... inuat.

f vers. 9.

In Asia.] Lege cap. 2. [f] Cùm nonnullæ ex prouinciis hic nominatis sint in Asia minore, non prohibuit totam S P I R I T V S sanctus, sed illam, vt quidam superiùs dicebant, eius partem,

quæ

quæ finitima est Epheso, vt Ioanni relinqueretur conuertenda,& Bithyniam,vt Lucæ.Ita sibi etiam persuadet Gagneius. At præter id quod retuli ex Irenæo de fundatis Asiæ,& Ephesi eius metropolis Ecclesiis à Paulo,Ignatius [a] quoque Ioanni in eâdem fundatione Paulum præfert, scribens ad Ephesios, constátque illum triennio ibi docuisse, vel ipsiusmet testificatione [b].

a epi.ad Eph.
b Act.20.31.

Versus 7.] Cùm venissent auté in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam,& non permisit eos SPIRITVS IESV.

Mysia prouincia quæ.

CVM *venissent autem in Mysiam.*] Phrygiæ prouincia est: maior ab Austro supra sinum Adramyteum prope Antandrum littoralem vrbem,minor flexa in Propontidem à Bithiniæ finibus circa Prusam,quæ est iuxta Olympum,in qua ei mons eiusdem nominis Olympus, & aliæ maritimæ ciuitates, ac Æolis etiam posteà nomen habuit. Mysiam totam Carthusianus nominatam scribit suo tempore Colim:aliam verò in Europa bifariàm quoque diuisam, quod ad partem superiorem attinet, recentiore vocabulo appellatam Bosnam (quam malè auctor Calepini sub eodem, vel nomine Seruia in Asia locat) quod spectat ad inferiorem Bulgariam,vbi Danubius in Euxinum pontum influit.Hieronymus [c] vocat Mæsiam, & Æolim in Asia; & meminit de altera cognomine iuxta Danubium: esséque qui tradant transisse ex Europa Mesas,& Brigas, & Hunnos,à quibus appellentur in Asia Mysi, Phryges,Bithynij. Simile quid in Plinio [d] leges. Strabo [e] etiam constituit Mysos aliquos in confinio Pannoniæ ad Danubium.Plinius [f] hos Mæsos vocat distinctos à Mysis,Æolibúsve [g],Stephanus [h] in Hypiis montibus sub Pontica Heraclea.

c lib.de locis Heb.ex Actis.
d lib.5.c.vlt.
e lib.12.
f lib.3.ca.26.
g lib.5.ca.30.
h de vrbibus.

Mysia variè scribitur.

De prima sermo est hoc loco, quæ tamen variè reperitur scripta,Mysia,Mœsia,Mesia.Mysi incolæ adeò abiectæ conditionis erant, fortísque contemptæ,vt parœmiali oratione Μυσῶν ἔσχατος, *Mysorum vltimus*, nullius pretij homo denotaretur, vt est auctor Cicero [i], sicut de Phryge (qui contemptim quoque nominatur ab eodem Tullio,& aliis) erat illud prouerbium, de quo idem Marcus Cicero (eràntque, vt ait Athenæus [k], ex Phrygibus laudatissima mancipia) *Phrygem solere fieri meliorem.* Tradit priorem parœmiã & Strabo [l].

i orat.pro L. Flacco, & ad Q.Fratrem.
k lib.14.
l suprà.

Sapientibus insipientibus debitorem [m] *se præbens* Paulus,imis,summisque,non defugit barbaras,vilésve prouincias,omnes lustrat,omnibus ex æquo suam operam commodat.Hoc Prælati, Prædicatorísque proprium esse munus egregiè colligunt iis ex verbis Apostoli Gregorius [n], & Augustinus [o],sed adeò singulari Celsus abutebatur, Origine teste [p],beneficio, indignans quòd Euangelica doctrina communis etiam foret insipiétibus.

m Rom.1.14. *Paulus omnibus se prædicatorem fingit.*
n Hom.11.in Ezech.
o in Psa.17.
p lib.1.contr. Celsum.

Bithynia regio quænam esset.

Bithyniam.] Et hæc in Asia minore sita est ad Pontum,aduersa Thraciæ, proxima Troadi. Nomen eius antiquum Bebrycia fuit,vt ait Strabo [q]. Istud à Rege Bithyno, vel à Thynis Thracibus nomen accepit,vt placet Claudiano:

q lib.7.& 12.

Thyni,Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Herodotus [r] inter Thraces numerat,sed qui trãsgressi in Asiam vocati sint Bithyni, postquàm à Teucris,& Mysis à suis sedibus exacti sunt; priùs verò vocatos Strymonios; quòd Strymonem accolerent.

r lib.7.

Sed eandem prouinciam dictam prætereà Mygdoniam tradunt Solinus [s], & Seruius [t], Eusebius [u] Mariandynam, & Pontum, quia nempe proxima est illi. Strabo [x] narrat Mysos ibi priùs inhabitasse: & Dionysius [y] Afer Poëta idcirco Bosphorum Thracium, vbi est Bithynia,aliquando Mysium appellari. Hieronymus [z] meminit de vocabulo Mygdoniæ, & de Bibraiæ, & maioris Phrygiæ:sed non est eius operis auctor, cùm agés de Smyrna is,qui composuit, citet Hieronymum ipsum.

s in Polyhist.
t Aeneid.2.
u in Chron.
x supra.
y de Situ orbis.
z de locis ex Actis.

Nicæa Bithyniæ celebris ciuitas.

Celebris ob Oecumenicum Conciliũ primum in Bithynia ciuitas Nicæa est:atque aliis multis de causis Nicomedia; sed ridiculè Arianus Vrsacius sub patrono Constantio Synodum ad Nicæam Thraciæ celebrare voluit, vt imperiti nominis similitudine hæreticam Fidei professionem pro ea, quæ Nicææ Bithyniæ edita erat in Concilio sub Constantino vera, & orthodoxa haberent, vt Socrates prodidit [a]: *Verùm istud commentum illis*,inquit,*non magno adiumento fuit. Nam non longo post tempore patefactum est, illique ipsi ludibrio habiti.*

a 2.Hist.c.29. in fine.

Non permisit eos SPIRITVS IESV.] IESV nomen Regia Biblia Græca non habent, neque Complutensia,neque Clarius, & Vatablus in suis versionibus Latinis,tamen visitur in omnibus codicibus Latinis, & in aliquibus Græcis [b], & in editione Syra, vbi est רוחה דישוע *rucheh deieschuahh.* Quamuis autem Chrysostomus, aliique Græci loci huius interpretes non legant, legit tamen Concilium Ephesinum [c],hunc inferens *eundem* SPIRITVM, *qui dicitur* PATRIS, *dici quoque* FILII,& CHRISTI: sicut & in epistola ad Romanos [d],cui adde eam,quæ est ad Galatas [e].Prætereà legit eodem modo Cyrillus Alexandrinus [f] argumentans quoque hoc ex testimonio, *non participatione in* CHRISTVM *descendisse, cùm baptizatus est, sed substantialiter illi inesse, sicut &* PATRI. Item [g] *natura esse* DEVM, *cum ita* SPIRITVS *sit ipsius quemadmodum* PATRIS.

b in nouo Testa.Rob.Step.
c Tom.4.c de resur. Christi per paternam virtutem. *De spiritus sancti diuinitate.*
d cap.8.9.
e cap.4.6.
f lib 2 in Ioã. cap.1.
g lib.12.The. cap.12.

Efficax autem est Augustini [h] argumentum de SPIRITVS sancti processione non minùs à FILIO,quàm à PATRE:*Cur ergo non credamus*, ait, *quod etiam de* FILIO *procedat* SPIRITVS *sanctus, cum* FILII *quoque ipse sit* SPIRITVS? *Si dicas, dici* SPIRITVM FILII, *quia ei similis est, aut quoniam à* PATRE *procedit,sicut* FILIVS,*cur non dicatur secunda persona* FILIVS,*vel* VERBVM SPIRITVS *sanctus,quod sit* SPIRITVI *sancto similis,& à* PATRE *procedat,sicut &* SPIRITVS *sanctus?* Eodem pacto Paulus [i] vocat SPIRITVM CHRISTI, & SPIRITVM DEI [k].Ipsemet CHRISTVS mittit SPIRITVM sanctũ [l],& dat [m]:dicit prętereà illũ,de eo, quod suum est, accipere [n]: denique,omnia quæ PATRIS sunt,sua esse [o]. Atqui, excepta paternitate, nihil est quod non habeat FILIVS, ex iis, quæ PATER habet: habet ergo vim spirandi, & spirationem ipsam actiuam, Deinde non potest SPIRITVS sanctus accipere à FILIO, nec ille ab eo dari,& mitti,nisi procedat ab ipso. Denique, ne pluribus conuincam Græcorum errorem de processione SPIRITVS sancti à solo PATRE, Cyrillus Alexandrinus ex doctioribus Patribus Græcis in decimo libro in Ioannem [p], quem librum constat eius esse,& non ex insertis ab alio; quales à quinto vsque ad nonum, exponit SPIRITVM veritatis [q], SPIRITVM CHRISTI,qui se veritatem nominat [r]; & talem se missurum promittere CHRISTVM, vt Discipuli sciant non alienam se virtutem missurum. *Non enim est*, inquit, *alienus à substantia* FILII SPIRITVS,*sed* (notet hæreticus

h Tract.99.in Ioan.
Spiritus sancti procedit à Patre & Filio.
i Rom.8.9.
k Gal. 4.6.
l Ioann.14.26. cap.16.7.
m Ioan.20.22
n Ioan.16.14.
o ibid.15.
p cap.vlt.
q Ioan.14.17 c.15.26.ca.16 13.
r Ioan.14.6.

Græcus) *ex ea naturaliter procedit, naturâ omninò idem, in persona verò propria subsistens.* Idem in epistola decima, *Tametsi*, ait, SPIRITVS *propriam habeat hypostasim, & in seipso quatenus* SPIRITVS *est, & non* FILIVS *consideretur, alienus tamen ab eo non est. Est enim* SPIRITVS *veritatis nominatus, &* CHRISTVS *veritas est, emittitur* (& hoc notandum) *ab eo quemadmodum & ex* DEO PATRE.

Versus 8.] Cùm autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem.

DESCENDERVNT *Troadem.*] Phrygia minor est, auctore Ptolemæo [a], adiacês Hellesponto circa Olympum (vocatur etiam Epictetus ab Strabone [b]) id nominis habens à Troë Troianorum Rege, qui & ipsi Troës sunt appellati. In ea fuit Ilium illud ingens, Latinè passim nominatur Troia, tum prouincia, tum Regia ciuitas, quæ & Ilium ab Ilo Rege, priùs Teucria à Teucro, & Dardania à Dardano.

Hieronymus [c], siue qui in operibus illius nomen gerit Hieronymi, appellat hanc nostram Asiæ ciuitatem maritimam, quæ item Antigonia vocotur: addúntque alij nomẽ Alexandriæ, & omnium vetustissimum Ancore. Sed & inter varias Antigonias vna ponitur in Bithynia, nimirum ista polyonyma, & alia in Macedonia, cuius Macedoniæ cùm inferiùs mentio fiat, si Troas hoc loco ciuitatem significat, non aliam accipere debemus, quàm Bithyniæ: sed ob eandem causam, quòd ea prouincia superiùs est expressa, nõ ciuitatis Troas, sed regionis nomen erit. Syrus vertit, לטרואס אתרא *latrauas ethra*, id est, *in Troadem regionem.* Hieronymus in opere germano suo [d] Troadem & Troiam idem docet esse.

a Geog. 11. 2.
b lib. 12. Troas quot nominibus dicta.
c de locis ex Actis.
d ep. 150. q. 11.

Versus 9.] Et visio per noctem Paulo ostẽsa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adiuua nos.

ET *visio per noctem Paulo ostensa est.*] Hic modus loquendi indicat somnium fuisse ob circunstantiam temporis nocturni, & vocem ipsam τοῦ ὁράματος, id est, *visionis*, quod ὤφθη, id est, quæ visa, seu ostensa est. Videri enim aliquid alicui minus videtur esse, quàm videre illud. Dixi capite secundo [e] de comparatione atque differentia inter visiones, & somnia, & quo pacto nunc visiones censeri queant inter gradus Prophetiæ præstantiores, nunc somnia: hæc præterea partim negligenda, partim obseruanda, & quibus oriantur ex causis.

Chrysostomus, & Oecumenius docent nec SPIRITVM sanctum, nec Angelum hîc loqui aut apparere, vt paulò antè, & cùm Philippus, Corneliúsve conuertendi fuerunt: quod est dicere, imaginariam apparitionem fuisse, *quoniam*, inquiunt illi, *facilius erat id, de quo nunc Paulus admonendus erat.*

Non negant tamen Angeli opera factum somnium, ac proinde huiusmodi, quod non naturale duntaxat, aut morale habendum fuerit, hoc est, ex corporis natum constitutione, vel ex diurnis præteritis cogitationibus, multò minùs diabolicum, id est, à diabolo immissum, sed diuinum ab auctore DEO, tametsi per Angelum Iosepho sponso MARIÆ crebrò Angelus in somnis apparuit, & collocutus est [f]: eadem ratione Magis responsum datum reor item dormientibus [g]. Gregorius [h] de hac, vt & de visione lintei quæ Petro facta est [i], asserit factam imaginibus cordis oculis præsentatis, Angelóque loquente per eas, nomine DEI.

e vers. 17.
Visio hæc imaginaria fuit.
Somnium hoc quale fuerit.
f Matt. 1. & 2.
g Matth. 2. 12.
h 28. Moral. cap. 2.
i Act. 10.

Præter ea, quæ notato capite secundo de somnio, quod Hebraicè vocatur חלום *chalom*, Græcè ἐνύπνιον disseruimus, sciendum est, immitti quoddam cum pauore, ac horrore somniantis [k]: quoddam pacificè; & tranquillè [l]: quoddam non intellectum [m]: quoddam clarum, & sine imaginum inuolucris [n]: quoddam intellectum [o]: quoddam obscurum, ac inuolutum [p]: in quodã loqui DEVS videtur [q]: in quodam Angelus [r]: aliquando respondet præcedentibus cogitationibus saltem ex parte [s], *quasi si fides cessante manus impulsu adhuc modicum trepident, ac tinniant post pulsatam citharam*, vt ait Nyssenus [t]: nonnunquàm nulla cogitatio præcessit [u]: interdum inopinato accidit, immò verò sæpiùs [x]: quandoque petenti, & expectanti huiusmodi reuelationem, qua spe atque petitione frustratus est Saül [y], & inaniter idipsum Gentiles in Psycomanteis [z] suis, hoc est, in templis ad haurienda responsa per somnium procurauerũt, verbi gratia in templo Serapidis, seu Plutonis, vt modum discerent, quo liberarentur à morbis [a]: & alibi, vt de aliis rebus cognoscerent, vt in templo Æsculapij [b], Pasiphaës [c], Amphiarai, Calliæ in monte Gargano [d]; & de Ædesio testis est Eunapius [e], de Latino rege Virgilius [f], & de Iudæis eadem de causa in Gentilium templis cubantibus Esaias [g], iuxta versionem LXX. qui ad ea verba: *In delubris idolorum dormiunt*, paraphrasticè, vt solent, addiderunt, *propter insomnia*, δι᾽ ἐνύπνια: de qua consuetudine ibidem Cyrillus Alexandrinus, & Hieronymus, qui meminit de cubatione super stratis pellibus hostiarum, & quod suomet tempore in fano Æsculapij Ethnici idem factitarent: Leo verò Castro citat Pomponium, aliósque Geographos eadem tradentes di Libyis siue Africanis.

Somniorum modi varij.
k Gene. 15. 12. Dan. 2. 1.
l Gen. 28. 12.
m Gen. 40. & 41. Daniel. 2. & 4.
n aliis locis.
o Matt. 1. 20. c. Act. 23. 11.
p 3. Reg. 3. 5. & seq.
q Matt. 1. & 2.
r Daniel. 2. & Matth. 2.
s lib. de opificio hominis.
t vt alibi.
u vt in omnibus ferè cæteris locis.
x Dan. 2. 18.
y 1. Reg. 28. 6. 15.
z Aristoph. in Pluto.
a Philost. in Apollonio, de ipso.
b Cice. 1. Tusc. & 1. de Diuinat. de Spartano Magistratu.
c Pausan. in Bœot.
d Strab. lib. 6.
e in Ædesio.
f 7. Æneid.
g cap. 65. 4.

Cyrillus [h] autem rursum Iuliano Apostatæ respondet calumniosè detorquenti Christianorum vigilias in Martyrum sepulcris ad eandem superstitionem. Lege de generibus somniandi Macrobium [i], qui enumerat ὄνειρον, ὅραμα, χρηματισμόν, ἐνύπνιον, φάντασμα, *somnium, visionem, oraculum, insomnium, visum*: quæ Artemidorus [k] reuocat ad somnium, nempe sub insomnio locans visionẽm, & oraculum. Consule prætereà, quos capite 2. [l] laudaui, tractatores huius argumenti, Ioannem quoque Auratum [m], & Pierium [n], & Franciscum Picum [o], & Petrum Tyræum nostrum [p].

Quòd si de finali somnij causa, cuius est auctor DEVS, Angelúsve, percontaris, ea multiplex est; vt absterreat à malo [q]: vt hortetur ad bonum [r]: vt moneat quid agendum sit vel fugiendum [s]: vt largiatur spiritum Prophetiæ, aliúdve donum spirituale [t], aut etiam dignitatem temporalem [u]: vt reuelet aliquod mysterium diuinum [x], vel vicissitudines regnorum ac rerumpublicarum [y].

Iam itaque Pauli hoc somnium diuinum fuit, pacatum, clarum, ab ipso intellectum, exaudiente vocem Angeli referentis virum Macedonem, & in eo edoctus est, quid agere deberet. Fortassè deliberauerat etiam Apostolus vigilans de profectione in Macedoniam, sicque præcogitatis respondit somnium. Si Angelus non induit corpus humanum, imagines certè hominis, & vocis

h lib. 10. contra Iulianum.
i li. 1. in somnium Scipionis. c. 3.
k 1. de somnio c. 2.
l vers. 17.
m in elegia de eburnea, & cornea somni porta.
n lib. 39. Hieroglyph.
o li. 4. de prænot.
p 3. de Apparit. c. 15. præsertim.
q Gen. 20. 3. & 31. 24. Iob. 4. 13. & 7. 14.
r Iudic. 7. 13. 2. Mach. 15. 12.
s Matt. 2. & 2. Iob. 33. 15.
t Num. 12. 6. Ioël. 2. 28. Act. 2. 18. 3. Reg. 3. 5. & seq.
u Gen. 37. 5. & seq. Esth. 11. & seq.
x Gen. 28. 12. & seq. Dan. 7. 1. & seq.
y Gen. 41. 1. & seq. c. 40. 4. & seq. Dan. 2. & 4.

depinxit

depinxit in imaginatione Pauli, vt contigit in alijs propheticis visionibus. De Angelo, qui Paulo apparuit, distincta mentio est inferiùs hac eâdem historia [a].

A

Vir Macedo.] Quidam codices Græci præponunt particulam comparationis ὡσεὶ, *ficut.* Glossa ordinaria, Comestor, Beda, Carthusianus, & Hugo putant Angelum gentis illius præsidem. Probabilis opinio, cui viri nomen non officit, sicut neque cap. primo [b], vbi *duo viri* sunt duo Angeli. Daniel [c] de his ANGELIS principibus, ac præsidibus meminit, vt Hebræorum, ac Persarum, multique verba illa Deuteronomij [d] hoc sensu interpretantur: *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum* ANGELORVM eius: sic enim legunt Septuaginta. Lege S. Gregorium [e], B. Thomam [f], Basilium [g], Nazianzenum [h], & Theodoretum [i], qui de prouinciarum præfectura ANGELIS commissa tradunt. Idem præterea est apud Clementem Romanum, quamuis in opere apocrypho Recognitionum [k], & Alexandrinum [l], Dionysium [m], Isidorum [n], Cyrillum Alexandrinum [o], Epiphanium [p], Anastasium Nicenum [q], Hieronymum [r]. Quidam quoque sic intelligunt, quos Ioannes nominat *Angelos Ecclesiarum* [s], vt Nazianzenus [t].

B

Ceterùm Paulus eum, qui virili forma in somno apparebat, Macedonem agnouit esse, vel ex habitu, vel ex sermone gẽtis vernaculo, vel ex nominatim expressa Macedonia, ad quam Apostolum inuitans, deprecánsque dicebat, *Adiuua nos.*

Stans.] ANGELI *semper stare dicuntur*, inquit Glossa interlinearis. Deprecantem decebat magis submissio, & habitus genuflectentis: referebat enim non suam, sed alienam supplicem personam. Marcus [u] describit ANGELVM sedentem in dextris sepulcri CHRISTI: sed, vt aliàs [x] monui, huiusmodi verba non situm denotant, verùm præsentiam solã. Comestor arguit dictã Glossam.

C

Macedoniam.] Philippi, & Alexandri filij latissimo imperio maximè celebris, Europæ regio est in Græcia, vel prope Græciam, & Thraciæ finitima, centum olim constans & quinquaginta populis, inter Ægæum ab Oriente, & Ionium mare ab Occidente, in Septentrionem extensa vsque ad Dalmatiam, Mysiámque superiorem, versùs Meridiem Epiro clausa. Hodiè vocant Albaniam, aut Ronnelli: antiqui verò nominis Auctor habetur Macedo Osiridis, vel Iouis, ac Thyriæ filiæ Deucalionis filius [y].

D

Vocata reperitur etiam Æmathea, & Amonia, vel Emathia, siue Amathia, Pæonia item, & Epiphania apud Iustinum [z], Liuium [a], Iosephum [b]. Antiquius nomen putatur esse Chittim, aut Cethim, quia *Alexãder egressus dicitur de terra Cethim* [c]. Et duo vltimi Reges Macedoniæ Philippus, & Perses, vocantur Cethæorum Reges [d]. Suidas [e] quoque tradit, dictos per prosthesim Macedonas à Cethim, nempe Μάκετης, & in fœminino Μακέτις, quæ & Μακέτα; Atticè Μακετία, & Μάκετα. Quanquàm hæc vox *Cethim* exponi solet pro Romanis, Italísque, aut pro Cypro, aut pro Italiæ, Macedoniæque insulis, siue pro iis, qui sunt in mari, & obiacent Ægypto, ac Syriæ, vt est Cyprus, Rhodus, &c. necnon pro vlterioribus eiusdem maritimis locis; Græcia potissimùm, atque Italia. Denique pro Gentibus, quæ sunt Hebræis transmarinæ, vt sunt Europæi: credebant enim Hebræi, à se discretos Mediterraneo mari populos,

E

a cap. 27. 23.
Angeli sunt regionum præsides.
b vers. 10.
c ca. 10. 13. 20. 21. c. 12. 1.
d cap. 32. 8.
e 17 Mor. ca. 8. & lib. 4. c. 27.
f 1. p. q. 113 a. 7.
g 3. cont. Eunom. & in Ps. 33. initio.
h orat. 2. The. in fine, & 32.
... carm. 6.
... in c. 10. Dan
... 3. de cur. a... ... Græc.
... lib. 2.
... 6. Strom. &
... Cœl. Hier. ... p. 9.
... de Sum. Bo... c. 12. sent.
... 4. de adora... ... in Spir.
... hæres. 51.
... iuxta 60. in ... pturas.
... c. 28 Eze. c. 7. Dan & ...
... 2. & 4 ... 32.
... ap. 16. 5.
... ap. 1. 11.
... cedonia re... ...
... od. lib. 1.
... cap. 14.
... de vrbi ...
... Eusta. ad ... ys. de si... bis.
...
7.
40.
... nt. ca. 7.
... ach. 1. 1.
... ach. 8. 5.
... o, Lati... & Kiri...
... quip... ...

esse maris incolas; vtpote quòd nauibus illuc aliũde appellebant. Et perinde ac Itali eos, qui trans Alpes agunt, Tramontanos vocant, mari dissitos Insulares appellabant.

Certè apud Ezechielem [f] pro Hebrea hac voce Chaldæus vertit Apuliam: & Latina editio in libro Numerorum [g], Italiam, vbi ille Romanos. Latina item editio apud Danielem [h], Romanos, & Italiam apud Ezechielem [i]. Hieronymo [k] videtur ea voce significari posse Macedoniæ insulas. Epiphanio [l] propterea Alexandrum ex Cethim egressum dici, quia in Macedonia genus Cypriorum, ac Rhodiorum, quibus competit dictum nomen, Rexque Alexander ex semine Græcorum fuit. Sed Iosephus [m] confirmat, quod diximus, Hebræos Cethim, siue Chetim, primùm quidẽ de Cypro, deinde de omnibus insulis vsurpasse, ac de plerisque maritimis locis. Lege Riberam, Pererium, Serarium, Villalpandum, præter alios Interpretes in citata loca: & Esaiæ caput vigesimumtertium, atque Ieremiæ secundum. Ex quibus Forerius in Esaiã intelligit Macedoniam, & ibidem inclinat Adam.

Arias [n] Montanus existimat Kithim, ac Dodanim filios vltimos Iauam magnarum primùm insularum fertilissimarum delectatos cultura. Kithim deinde pertæsum locorum angustia, colonias dedisse in oram terræ, quæ est opposita, & procurrit in mare, atque regionis eius (quæ quondam magna Græcia dicebatur) vrbi nomen Caietæ indidisse. Corruptis autem posteà vocibus, Kithim quidem Cretenses (aliàs Cortinos) Dodanim verò Rhodios appellatos.

Fallere potuit Ariam Cypri, Cretæque propinquitas. Negandum verò non est, quin sæpe dictum Hebræum vocabulum non aliis tantùm, vel Italis duntaxat, vt de his, præter allatos Auctores, sentit etiam Elias Leuites [o], & Suidas [p]; sed Macedonibus quoque conueniat. Id satis persuadet Machabæorum priùs citata historia [q], necnon quòd Liuius [r] nominet in Macedonia Citium, quò copiæ Persei omnes conuenerant (quem liber [s] Machabæorum Persen vocat Περσέα) & [*] in eadem regione nominis eiusdem montem.

Fauet cognatio vocis Macedoniæ, modica facta mutatione, cum Cethim, & maximè quòd eãdem Macedoniam legimus apud Dionysium [t], & Hesychium [u], Macetam, & Macedones Macetas. Hoc vltimum Ausonius [x] vsurpat:

—*Macetúmque attollite nomen.*

Tradunt Thucydides [y], ac Mela [z], *in maritimam Macedoniam Cyprios primum confluxisse; verùm cùm plurimas gentes bello adiunxissent, Mediterranea ipsius loca incolentes, à primis cultoribus omnes denominatos Macedonas.* Docuit me ex his nonnulla eruditus Iosephi Stephani ad libros Machabæorum commentarius [a], quem virum nuper mœstus accepi diem obiisse. Incidi posteà in Thomam Maluendam [b], qui refellit Annium [c], & Pintum [d], volentes Cetin esse Macedoniã in historia Machabæorũ [e], Kytum in ceteris locis Scripturæ Italiã; quia vtrumque nomen est, necnon Citim, Chithim, Chithim. Credit autem significare Cyprum, ceterásque Mediterranei maris insulas in Genesi [f], Ieremia [g], Ezechiele [h]; & apud Esaiam [i], & in historia Machabæorum [k], Græciam & Macedoniam: Italos autem, & Romanos in libro Numerorum [l], & apud Danielem [m]. Fabulatur nescio-quid, fabulosus Annij Berosus [n], de quodam Kytim regnante apud Italos. Vatablus in librum Numero

Nomine Cethim quæ & quot populi designantur.
f cap. 27. 6.
g cap. 24. 24.
h cap. 11. 30.
i cap. 27. 6.
k lib. 5. in ca. 23. Esai. & in c. 2. Ier. & ca. 27. Ezec. & c. 11. Dan.
l Hæres. 30.
m 1. Ant. c. 7.
n in apparatu, si Phaleg, siue de Gentiũ migrationibus, c. 7. & in tabula, nu. 13.
Cethim, & Dodanim, quorum populorum conditores fuerint.
o verb. Italia.
p verbo, Latini, quem lege præterea ver. Κιτιεῖς.
q lib 1. c. 8. 5.
r Decad. 5. lib. 2.
s 1. Mach. 8. 5.
* Decad. 5. lib. 3.
t de situ orbis
u in Lexico.
x in claris vrbib. Epigr. 2. vbi Viner. n. 200. C.
y lib. 2.
z lib. 2. c. 3.
a ad cap. 1. li. 1.
b lib 5. de Antichristo.
c de ant. Hetruriæ.
d in c. 23. Esa. c. 27. Eze. c. 11. Dan.
e lib. 1. cap. 1. 1.
f cap. 10. 4.
g cap. 2. 10.
h cap. 27. 6.
i cap. 23. 1. 12.
k lib. 1. c. 1. 1. c. 8. 5.
l cap. 24. 24.
m cap. 11. 30.
n 5. de Flor. Chald. in 13. Rege Assyr.

merorum Cithim exponit, vel Græciam, vel Italiam, vel Tusciam (sed Paraphrastes Chaldæus Romanos) & in Ieremiam, incolas maris Mediterranei: & in Esaiam, aut Cyprum, aut Græciam, aut Italiam. Oleaster vult in Genesi esse Scythiã, propter consensum vocum: in Numeris Græcos, aut incolas maris Mediterranei Rhodios, Samios, Cyprios, &c. Rabbi Aben Ezra in Daniele, Græciæ regnum, vel Macedoniæ. Fererius, quem citaui, Macedonas intelligit in Esaia, quos & Græcos nominat, idque propter affinitatem cum voce Cethim, simul tamen comprehensas sub eadem voce insulas permultas, quas habebant sub suo imperio in mari Ægæo: & quoniam Hebræis insulæ dicebantur prouinciæ illæ, ad quas nonnisi per mare erat transitus, nondum illustratis ex omni parte regionibus, an mari cingerentur, ánnon. Putat quoque & Italos Græcis vicinos alibi comprehensos nomine Cethim, vt in Numeris. Legi, præter citatos, possunt Mercerus, cum Pagnino, Pomarius, Forsterus, Marcus Marinus in Lexicis, Thesaurísve, vel Arca Noe; item Possevinus[a], Ystella[b], Sà[c]. Ex Patribus, Theodoretus in Numeris Macedonas; in Ieremia Cyprum, & adiacẽtes insulas intellexit. Postremò, cùm Laërtius[d] Citium, Græcã ciuitatem, scribit Phœnices accolas habere, per Phœnices intellexit fortasse Iudæos finitimos. Tam multa de vno vocabulo; sed cuius cognitio ad multa conferat. Quid sentiam, facilè dispicies ex his quæ principio dixi: Illud verò ratum, sicubi Interpres propria voce Latina Hebræam illam reddidit, esse allecutum veram notionem ipsius.

a 2. Bibl ca. 5.
b in Gen. cap. 10.
c ibidem.
d lib. 7.

Versus 10.] Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quòd vocasset nos DEVS euãgelizare eis.

STATIM *quæsiuimus*.] Obseruant Interpretes hoc primùm loco Lucam se Pauli comitem significare: ita vt non possit aliter censeri *comes eius indiuiduus*, vt illum nominat Hieronymus[e], quàm deinceps ab isto tum loco, tum tempore, cùm, si non semper, valdè sæpe consequutus est ipsum. Velox, expeditáque in Apostolo obedientia, siue sit eundum, siue manendum.

e de viris ill. lust. in Luc.

Certi facti, quòd vocasset nos DEVS *euangelizare eis*.] Quomodo discerni possint vera, præsertim diuina à falsis somniis, nonnihil diximus capite secundo[f]; & adeundi, qui citati sunt ibi, & paulò superiùs Auctores recentiores. Pro DEO, Græcus textus habet ΚΥΡΙΟΝ, DOMINVM, & editio Syra addit, *nostrum*. Estque verisimile, CHRISTI priùs iussionem, SPIRITVSVE illius perceptam esse, saltem ratiocinando, cùm de somnij veritate non ambigeret Paulus, meminisset verò ab SPIRITV IESV prohibitum se priùs, ne quasdam alias ad prouincias adiret.

f vers. 17.

Certi facti.] Συμβιβάζοντες. Hoc Græcum participium in capite nono[g] Interpres noster vertit in numero singulari, *affirmans*. Ibi, vt monui, Gagneius exposuit, per id significari, Saulum collatis Scripturæ locis Iudæos confutasse. Quídni etiam nunc eadem vis insit vocabulo, vt certos factos denotet per eam, quam modò dicebam, ratiocinationem? Syrus interpretatur, מסטל דאסתכלין *metul desestbacbalin*, id est, *Quippe qui intelligeremus*.

g vers. 22.

Itaque nescio, cur idem Gagneius malit hoc loco verbum coniectandi, quod planè tollit certitudinem visionis; ait id significare Græcum verbum, nec se adhuc certò scire, an actiua voce significet certiorem fieri. Hanc tamen significationem pro comperto habere videntur Clarius, & Vatablus, Interpreti nostro hac in re consentientes. Budæus[h] illud quidem de loco isto sensit, quod Gagneius: tamen cùm priorem quoque dicti verbi significationem agnoscat, ea verò congruat, præstat vt illam potiùs retineamus.

h in comm. ling. Græc.

Quanquàm abutimur nonnũquàm verbo coniiciendi, & coniectandi in re certa, sed quam rationis discursu colligamus. Ita verò Chrysostomus accepit, exponens Græcum vocabulum.

Versus 11.] Nauigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim.

SAMOTHRACIAM.] Est insula è regione Thraciæ inter Imbrum item insulam ab Ortu, & Thasum ab Occasu. Vetus nomen eius erat Dardania, à Dardano Iouis filio ex Electra Atlantis filia: vocatam prætereà Leucosiam tradit Aristoteles[i]. A vicina Thracia simul; vt distingueretur ab insula Samo in Ionia, Samothracia voce composita nominatur, teste quoque Virgilio[k]:

Samothracia quæ insula sit.

Threïciámque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.

Diodorus[l] aliam reddit causam appellationis, videlicet quòd cum in locum ex Samo, & Thracia incolæ aduenerint. Non dubito, quin mendosi sint quidam codices manuscripti legentes, Samotrachiam: nullam námque asperam Samum Geographi memorant.

i citat auctor Dictionarium Poët. & Hist. & Calepin.
k lib. 7. Æn.
l lib. 6. cu.

Sequenti die.] Syriacè, ליומא אחרנא *leiauma acharina*, id est, *Postridie*, Græcè, τῇ ἐπιούσῃ. Postridie fuit, habito respectu ad diem, qua ex Troade profecti sunt: sequenti die, comparatione ad illam, qua ex Samothracia. Dicunt Græci τὸ ἐπιὸν, id quod *ingruit*, ac *imminet*, & *superuenit*, & *venit post*. Vt Poetæ, ἐπιὸν σέλας, *Crastina die*, & alij, ἐπιὼν χρόνος, καὶ ἐνιαυτὸς, καὶ μὴν. *Sequens tempus, & annus, & mensis*. Synesius verò, ἐπιοῦσαν ἡμέραν vsurpauit pro *Sequenti die*. Quid sit panis ἐπιούσιος, apud Matthæum[m], & Lucam[n], pro quo reddidit Interpres *quotidianum*, consule expositores, præsertim Maldonatum, Toletúmque recentiores. Facit ad rem, quod refert legisse se Hieronymus[o] in Euangelio Hebræorum, pro ἐπιούσιος, מחר *machar*, id est, *Crastinum*; Ita vt petatur panis hodiè necessarius in crastinum: sed hoc non congruit vetanti CHRISTO, *ne solliciti simus de crastino*[p].

m cap. 6. 11.
n cap. 11. 2.
o in Matth.
p Matth. 6. 34.

Neapolim.] Libidine maledicendi Erasmus, dum falsè monet non esse, quam nunc in Italia occupant Hispani, abripitur extra geometricam lineam: non enim, quæ hic memoratur, est, vt ipse altercans dicit, *in Caria*, sed, vt meliùs tradunt Caietanus, Arias, Gagneius, in continente Macedoniæ contra Thasum insulam, prima ingredientibus è Thracia Macedoniam occurrens, in vtriusque confinio, Cariam Apostolus longè nunc reliquit ad manum sinistram, Austrum versùs. Transcripsit forsan Erasmus ex eo Auctore, qui apud Hieronymum, sub Hieronymi titulo de locis scribit, qui continentur Actuum historia, vel ex Carthusiano. Qua ipsa in re hallucinatum est Dictionarium Historicum.

Neapolis de qua hic sermo, quæ sit.

storicum. Extitit & Neapolis haud procul à Garizim monte Samariæ, quæ etiam vocata est Sichem, vel Sicima, & nonnullæ aliæ. Hanc nostram Oecumenius ait suo tempore vocatam Christopolim.

Versus 12.] Et inde Philippos, quę est prima partis Macedoniæ ciuitas, colonia. Eramus autem in hac vrbe diebus aliquot conferentes.

Philippos vrbs quæ sit.

ET *inde Philippos.*] Satis ab Auctore describitur hæc ciuitas, quam Philippus Macedonum Rex instaurauit. Ea in Thessalia collocatur, vocatúrque nomine vetere Dathos, aut Dathum: alij in Thracia inter Nessum, & Strymonem amnes dicunt esse: alij in Macedonia, priúsque vocatam Crenides, quòd Crenitis in Sicilia contra Thraces auxilio fuisset. Omninò pertinet ad Macedoniam, licèt ex aliarum prouinciarum confinio variè denominetur.

Prima partis Macedoniæ ciuitas.] Syriacè, רישא דמקדוניא *risse demakedaunya*, id est, *principium Macedoniæ.* Mendosè quidam codices legunt, *Ciuitatis*, & absque sensu.

Quid sit pars Macedoniæ.

Quid sibi velit, *pars Macedoniæ*, non satis assequor; nisi fortè dicamus significare per appositionem idem, ac regionem Macedoniam, aut, vt dici etiam solet in genitiuo, Macedoniæ. Budæus [a] obseruat μέρος (idem est autem de μερίς) sumi pro principio, sicut & nomẽ partis apud Virgilium [b]:

a in comm. ling. Græcæ. *b 7 Æneid.*

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Hoc sensu *pars Macedoniæ*, esset principium huius prouinciæ, & est, vt dixi, principium Philipporum vrbs in confinio Thraciæ, ac Macedoniæ, tametsi magis ad hanc spectans, quàm ad illam. Nulla verò ratio est, cur si pars indefinitè accipiatur, exprimi debuerit, vrbem hanc esse primam partis Macedoniæ. Sed & phrasi Græca, Latináque dicitur pars esse rei alterius id, quod ad eam præcipuè spectat. Quo pacto denotaretur, pertinere Philippos ad eam Macedoniæ partem, quæ nobilior est: latissimè námque patuit Macedonia, vt priùs vidimus [c], & extensum est id nomen ad multas prouincias, quæ sub idem imperium venerant. Torsit Caietanum hæc difficultas, nec ab eo responsum extorsit: solùm notat vitium sui codicis, in quo erat *parte*, pro *partis*, aítque, *prima*, esse casus recti.

Colonia.] Romanorum scilicet, vt colligitur ex Philippensibus ipsis, quos paulò pòst audiemus [d], *eò quod Romani essent, non posse peregrinum morem accipere.* Plinius [e] quoque nominat coloniam; de Romanis tamen nihil.

Latinum vocabulum est *Colonia*, quod Lucas retinens dixit, κολωνία, vt & alia huiusmodi Græcitate donata sunt, ob imperium Romanorum, vt aliàs notauimus [f]. Syrus quoque dixit, קולוניא *culunija.* Nam à κολωνός, aut κολώνη, Græcis putis, purísque vocibus significantibus, *tumulum, collem, locum editum, verticem, cacuménve montis*, & interdum quoque *ciuitatem magnam*, deriuatur κολωνία, magis licèt rarum vocabulum, pro sepulcro, seu monumento, quod in edito nimirum fortasse extructum est loco.

At verò Latinæ dictionis nota significatio est pro oppido, in quod ex vrbe ciues traducebantur à Romano Magistratu, aut certè sine traductione donabantur iure coloniæ, hoc est, vrbis priuata

A prærogatiua, quod vocatur *Ius Quiritium*, si nempe colonia Romana esset: alia enim inferior dicebatur Latina, habens duntaxat ius Latij. Vnde legimus, multos ex Latinis coloniis factos ciues Romanos, non item ex Romanis, quippe qui id iam haberent, quamuis non in totum: quædam verò conflabatur ex vtrisque.

Colonia vniuersè definitur, Seruio teste [g], *cœtus eorum hominum, qui vniuersi deducti sunt in locum certum ædificiis munitum, quem certo iure obtinerent.* Aliter alij dicunt *esse partem ciuium, aut sociorum missam, vbi Rempublicam habeant ex consensu suæ ciuitatis* (quæ idcirco vocabatur μητρόπολις, respectu τῆς ἀποικίας [h]) *aut publico eius populi, vnde profecta est, consilio.*

Colonia quid sit. *g in 1. Æneid.*

B Causa, & origo coloniarum fuit, tum vt propugnacula Reipublicæ variis locis constituerentur, stirpsque in Reipublicæ bonum augeretur: tum vt veterani milites præmio afficerentur: tum vt vrbs pauperibus exoneraretur, híque ad nouas, quibus egerent, diuitias gratis datas cum familia proficiscerentur, acceptis aliquot terræ iugeribus ad excolendum. Cui etiam rei vsui fuit Agraria lex, ita vt tamen annuam pensionem populo Romano penderent, nisi immunitatem impetrauissent. Lege Asconium Pædianum [i], Alexandrum ab Alexandro cum Tiraquello [k], Carolum Sigonium [l], Gellium [m], Panuinium [n], Marcum Velserum [o], Budæum [p], Cuiacium [q], Lexicon Iuris [r].

h Budæus ad l. obseruare de offic. Proconsul. in anno. prior. ad Pandect. *Cur colonia sint erectæ.*

C Ex eo, quod initio dixi de nostris Philippensibus, facilè intelligitur discrimen illud, quod Gellius [s] constituit inter coloniam, & municipium, *vt colonia iura, instituáque non sui arbitrij, sed populi Romani haberet: municipium suo iure, legibúsque vteretur, muneris tantùm cum populo Romano honorarij particeps, cùm nunquàm populi Romani eius fundus factus esset.* Quanquàm non tantùm honoris causa in Romanam veniebat ciuitatem, & in legione stipendia faciebat, sed suffragio etiam, honoribus, ac oneribus, muneribúsque ciuilibus potiebatur, totóque iure Quiritium id municipium, quod præstantius habebatur, hac lege tamen, vt Romanis legibus obstringeretur, iuráque haberet omnia, præter ius domicilij.

i in orat. Cic. in L. Pisonẽ. in princip. *k lib. 4. c. 10.* *l lib. 2. de antiquo iure Rom. Italiæ. cap. 2. & seq.* *Inter coloniam, & municipium quod sit discrimen.* *m lib. 16. c. 13.* *n de imperio Rom.* *o in antiqu. Augustanis.* *p annot. post. in Pandect. p. 362.* *q lib. 11. Obseruat. cap. 35.* *r verb. Colonia, & verbo, Ius Italicum.* *s lib. 16. c. 13.*

D Non attigit Gellius posterius hoc genus municipij, de quo Iustinianus in Nouellis [t]: de priore autem agens, monet potiorem habitam coloniæ conditionem, quamuis magis foret obnoxia, minúsque libera propter amplitudinem, maiestatémque populi Romani, cuius colonia quasi effigies parua, simulacrúmque quoddam videbatur, & simul quia obscurum, obliteratúmque municipij ius erat, vt eo vti per ignorantiam nequiret. Item coloniam ex ciuitate Romana quasi propagatam, municipium in ciuitatem extrinsecùs vocatum. Video hæc à me de re tam ampla dici angustè, & erit forsan, qui præteriri malit. Malè consultum esset prætereundo præsenti loco, & his, quæ occurrent deinceps de Philippensibus, qui Romanos se nominant, & de Paulo ipso, qui seipsum ciuem Romanum. Commentarij verò lex latiùs exspatiari non finit.

t Const. 38.

E *Conferentes.*] Διατρίβοντες. Syrus, הוין דין בה בהדא מדינתא *hauin den bah behada medinetha*, id est, *Egimus in ea ciuitate.* Quidam codices Latini, *Consistentes.* Eodémque modo reddidit Vatablus, & Clarius. Caietanus quoque ita potiùs legendum ait. Hugo item eadem lectione cùm vsus esset, huius meminit, quam habemus, eíque addit: *Verbum Domini die Sabbati.* Idem facit Glossa or-

dinaria

dinaria, sequens nostram lectionem, eandémque sequitur interlinearis, & Lyranus, qui exponit, considerasse Paulum populi conditionem, priusquàm proponeret verbum; eandem reperio in cusis, & manuscriptis.

Διατρίβειν quid sit. Sed & διατρίβειν, licèt primaria significatione sit *tempus terere, & immorari*; significat tamen etiam *studiosè in re quapiam versari*, & *seriò in disputatione, aut inquisitione aliqua occupari*, vt patet ex inde deriuato nomine τῆς διατριβῆς, pro *Philosophorum congressu*, ac *disceptatione*: vt meminit quoque Gellius [a], quam Græcique, Latinique σχολὴν, etiam vocant, non solùm ipsam διάλεξιν φιλόσοφον, vt Suidas loquitur, sed & locum, vbi habetur. Caietanus, etsi legi vult, vt dixi, *Commorantes*, tamen commorationis causam dat, vt locum, ac tempus opportunum ad prædicandum obseruarent; quia in ciuitate Synagoga non erat, ad quam Sabbato quidem, sed quotidiè quoque ad orationem conueniebant.

a lib. 20 c. 11.

Versus 13.] Die autem Sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse: & sedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant.

DIE *autem Sabbatorum.*] Syrus, ביומא דשבתא *beiauma deschabbetha*, id est, *In die Sabbati.* De Sabbato iam pridem dixi [b] sumi pro septima die hebdomadæ, pro hebdomada etiam tota, pro quolibet festo. Itémque vnam Sabbati, aut Sabbatorum, pro die prima hebdomadæ. Occurrent alia exempla, vt dies adiecta ad Sabbata ipsam diem Sabbati denotet. In historia Machabæorũ [c], & superiùs in hac ipsa. Huiusmodi acceptionis causa est, quòd Sabbata in numero multitudinis significant quoque tum hebdomadam totam, tum dies eius; ita vt quo pacto prima Sabbati, ac Sabbatorum est prima hebdomadæ, seu ex diebus septem, sic absolutè diem Sabbati designet non tantùm dies ad Sabbatum adiecta, verùm etiam quando pluraliter Sabbata iunguntur cum die, dicitúrque dies Sabbatorum. Accedit quod de oratione mox mentio est, quæ solemniter magis fiebat die Sabbati.

b cap. 1. 12. Sabbati varia acceptio.

c lib. 1. 2. 31. 14. 41. c. 9. 24. 43. li. 2. c. 15. 3.

Egressi sumus foras portam iuxta flumen.] Ἔξω τῆς πόλεως παρὰ ποταμὸν, *extra ciuitatem, ad*, siue *circa flumen.* Syriacus, לבר מן תרעה דמדינתא על יד נהרא *lebar men tharebha damdinetha bhal iad nahara*, id est, *extra portas ciuitatis, ad latus fluminis*, Interpres noster vel legit πύλης: vel magis exprimere sensum voluit, quem Syrus magis expressit ponens *portam ciuitatis*.

Vbi videbatur oratio esse.] οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι. Syrus, מטול דתמן מתחזא הוא בית צלותא *metul dethammen methechaze haua beth tselutha*, id est, *Quoniam illic conspiciebatur locus orationis.* Glossa interlinearis & Hugo explicant de loco apto locutioni prædicantium, vel prædicationi orantium: malunt autem per orationem intelligi locutionem, quia subditur, *& sedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant.* Lyranus intelligit locum ad orandum, & prædicandum: Carthusianus item & Historia Scholastica, *quia*, inquiunt, *orare vtrumque significat.* Reliqui tum Græci, tum Latini æquè consentiunt de orationis, vt precationem sonat, loco sermonem esse: nec enim aliud ἡ προσευχὴ significat: simul verò commodum visum eundem locum, quò precandi causa conueniebant: cùm deesset in ciuitate Synagoga, vbi & sermones, & precationes haberi solebant, ad prædicandum.

Qua in re Iudaizat quodammodò Paulus, vt notant Chrysostomus, ac Oecumenius, alienæ studens saluti: & Iudæi materialiores videntur, dum se certo affigunt loco ad precandum: sed hoc posterius commodè accipiendum, cùm aliàs docuerimus [d], Chrysostomi etiam testimonio, certa precationi dicanda loca, in quibus multò meliùs vsurpetur. Epiphanius [e] magnam præsenti loco lucem affert, dum ita scribit: *Fuerunt quidam antiquitùs orationum loci tum inter Iudæos extra ciuitatem, tum inter Samaritas: velut etiam in Actibus Apostolorum inuenimus, vbi purpurarum vẽditrix Lydia Paulo occurrit: & sic quoque diuina Scriptura narrat, quòd videbatur locus orationis esse, & accesserunt, & docuerunt Apostoli mulieres, quæ illo tempore conuenerant. Sed & orationis locus est in Sicimis, quæ nunc appellatur Neapolis, extra vrbem in campestri regione duorum fermè signorum distantia, speciem theatri præ se ferens, in aëre, & sub dio constructus, à Samaritis, qui omnia Iudæorum imitantur.*

Paulus Iudaizat, alienæ studens saluti.

d c. 2. 46. c. 3. 1.

e Hæres. 80.

Hæc si ita sunt, non ob Synagogæ defectum, vt voluit Oecumenius, & Caietanus, sed propter inolitam consuetudinem exierunt Iudæi orationis causa certum in locum extra ciuitatem. Quod vt admittamus, quid enim in re dubia statui queat, non suppetit, fortasse dicendum erit, Synagogam quidem Philippis fuisse, verùm non aptius ad sermonem tempus Paulum, quàm cùm Iudæi exirent, inuenisse. Nihil etiam vetat concedere alibi vtrumque à Iudæis factitatum: Philippis δὲ τὸ ἀνάπαλιν, vt loquitur Oecumenius, *alterum duntaxat, quia Synagogam non habebant, numero adhuc pauci, & à facultatibus non satis muniti.* Sed innuit adhuc idem Auctor, præ metu pios homines clam eo modo secessisse.

Iudæi cur extra ciuitatem ad orandum exierint.

Iuxta flumen.] Ezechiel *iuxta fluuium Chobar vidit visiones* DEI *cœlis apertis* [f]: Daniel *iuxta Tigrim præclara visione dignatus est* [g]. Fortasse Hebræi in captiuitate Babylonica egressi ciuitatem, *super*, id est, iuxta *flumina sedebant* [h] *meditantes, orantes, deplorantes.*

f c. 1. 1. c. 3. 23. c. 10. 15. 20. 22. c. 43. 3.

g cap. 10. 4.

h Psal. 136. 1.

Notat Hieronymus [i] sæpe diuinas visiones, & reuelationes iuxta flumen aliquod esse factas, addens ad modò dictas eam quæ facta est Ioanni baptizanti CHRISTVM de CHRISTO ipso [k]. Tradunt item Hebræi spiritum Propheticum nescio quo modo amare flumina. Profani auctores conuersa in fabulam veritate Musas finxerunt in fluminibus habitare.

i in c. 10. Danielis.

k Ioan. 1. 29. & seq.

Videbatur.] Ἐνομίζετο, Clarius, ac Vatablus vertunt, *solebat*, eandémque verbi Græci significationem præter eam, quam Interpres ponit, agnoscit Gagneius. Sed quod solemne est id etiam videtur, & tale censetur: ideóque satis assecuta est sensum editio nostra, cum qua & Syra concordat dicens מתחזא הוא *methcheze haua*, id est, *conspiciebatur.*

Oratio.] Προσευχὴ. Iam dixi, qui orationem pro locutione accipiunt, Græcæ linguæ imperitia id facere, quamuis Latina dictio orationis duplicem eam significationem admittat. Pro loco precationis προσευκτήριον reperitur, atque προσευχὴ apud Philonem [l].

Iuuenalis [m] *proseucham* dixit, vt ait Scholiastes ipsius, *locum vbi mendici stipem petunt*, etsi alij malunt tabernam, in qua viuant: quidam *locum ad*

l ad Caium. Proseucha quid sit apud Iuuenalem.

m Satyr. 3. vers. 296.

conui

conuiuium constitutum ex gaudio: sic dictum Petrus Pithœus [a] probat, vt Iudæorum locus censeatur, vbi orant.

Ede vbi consistas (ait Poëta) *in qua te quæro proseucha.*

Angelus Politianus [b] refert se legisse apud Cleomedem secundo libro circularis inspectionis aduersùs Epicurum disserentē hoc modo: *Ex iis nonnulla è lupanaribus ascita, quædam simillima iis, quæ in Cerialibus famulis dictitantur: alia verò ex media proseucha, atque ab iis ipsis qui illic mendicant, desumpta, Iudaica planè, & retrita, longéque etiam reptilibus humiliora.*

Si, vt apud Iudæos, quemadmodum capite tertio [c] dictum est, ita mendici apud Gentiles ad templi portā stipem corrogabant, conueniet profectò illa proseuchæ significatio in locum orationis. In ingressibus pontiū mendici tuguria habebant, vbi à prætereuntibus mendicabant stipem, vnde apud Iuuenalem [d], — *à ponte satelles*, id est, mendicus: qua de re non semel quoque Martialis [e]. Idem etiam Iuuenalis [f] mentionem facit cliui Aricini, quem inter Romam, & Albam mendici frequentabant.

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.

Præterea idem Martialis [g], ad limina templi stipem à mendicis corrogatam indicat:

Hunc quem sæpe vides inter penetralia nostræ
Pallados, & templi limina. —

Angelus Decembrius [h] proseucham ait esse *locum stationémve communem omnibus apud templum.* Hîc quidem de Iudæis est sermo (licèt Salmeron [i] asserat de loco, vbi Diis persoluebatur honor à Gentilibus) atque de loco, quem adibant orandi gratia. Verùm Politianus auctorem Græcum proferens, quod instituerat, non probauit, solùm ex Latinis videlicet Iuuenalem proseucha vsum pro loco mendicabulorum. Turnebus [k] auctoritate, tum Cleomedis, tum Philonis planè sentit proseucham *fanum esse Iudæorum, quo qui domicilia non haberent, mendici diuerterent.* Toletus [l] demùm supponit per orationem hoc loco intelligi sacellum, quò Lydia paternæ religionis gratia cum aliis mulieribus venerat. Apud sæpiùs citatum Iuuenalem [m] de Iudæorum proseuchis, quæ consitæ erant arboribus, vbi & ad stipem starent mendici, habetur mentio, & apud Philonem [n]. Idem Iuuenalis significat ex arboribus proseuchæ solitos pendere Iudæos mercedem, id est, tributum. Exigebatur quippe Iudæorum fiscus seuerissimè, vt ex Suetonio [o] cognosci potest, ex Xiphilino [p], ex Appiano [q], ex Martiali [r]. Attigit & hac de re nonnihil Iosephus Stephanus [s].

Et sedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant.] Non satis aptè Glossa interlinearis ex ista locutione colligit orationis voce superiùs locutionem significatam: meliùs Lyranus mulieres, quàm viros solere esse magis deuotas: licèt, vt alibi monui, in Antiphona, *Sancta* MARIA *succurre miseris*, &c. per *deuotum fœmineum sexum* intelligi debeant DEO dicatæ, deuotæque, seu Moniales.

Præterea Caietanus, non dedignati Apostolos agere cum mulieribus, easque instituere: exemplo præiuit CHRISTVS in tam alto, & prolixo sermone cum muliercula Samaritana vsque ad stuporem Discipulorum [t] *Stupent*, inquit Cyrillus Alexandrinus [u], *tantā* SALVATORIS, *humanitatem. Non enim, vt nonnulli, simulatione sanctitatis collocutiones, cum mulieribus cuitabat, sed misericordiā suam omnibus præbebat, re ipsa non viris solummodò, sed*

a in notis ad Iuuenalem. b Miscell. c. [...]o. c vers. 2. d Satyr. 4. vers. 16. e lib. 10. epig. & lib. 12. epig. 21. vel 32. f vers. 117. g lib. 4. epig. Cosmum, vel 51. h 7. de polit. c. 97. i e loco tra[...] 46. k Aduersa. 18. vel 23. & varias [lect]iones. l c. 4. Ioan. [c]omment. m Satyr. 3. n leg. ad [...]m. o Domitia[n.] 12. p Vespasia[n.] q Syriacis. r [...]em citat s [...]ph. Stephanus. t c. 4. lib. 1. 1. fol. 106. 7. u c. 4. Ioan.

Mendici in ingressibus pontiū quem petebant. *[...] magis deuota [...]* *[...] imò & [...] collo[cutiones] [...] mulieribus [...] dedi[gnati].*

A *etiam fœminis vitam per fidem attribuens. Non repellant ergo mulierculas, qui Pastoris vice funguntur, nec voluntati suæ, sed vtilitati seruiant prædicationis.*

Hactenus salutare, prudénsque tanti Pastoris ad pastores & prædicatores monitum, quorum est sese ad captum, & imbecillitatem ouium attemperare, insipientibúsque, qui multitudine superant, non minùs quàm sapientibus debitum soluere, ac instar Elisæi [x] *maiora sua ad infantilia membra coaptare, & paruulis nutricis in morem matrisque potum lac dare, iterúmque, si res ferat, etiam cum gemitu, & dolore parturire* [y]. Accuratè id fecit Hieronymus [z], quamuis non sine maleuolorum nota. Chrysostomum verò Metaphrastes [a] narrat ex dicendi sublimitate, ad pedestrem facilémque orationis formam in publicis sermonibus descendisse, sola mulierculæ voce admonitum, conquerentis suæ suíque similium intelligentiæ non consuli.

B Attamen CHRISTVS solam solus quidem, sed in publica, & meridiana luce, itémque modò Paulus non absque comitibus plures simul conuenit mulieres. Extant grauissima Conciliorum decreta, & sententiæ Patrum de cauenda diligenter fœminarum familiaritate, exempla etiam non pauca sanctissimorum virorum, qui eam summo studio vitauerunt. Lege quæ de hac re præscribit Cyprianus [b], Isidorus Pelusiota [c], Ephrem [d], Basilius [e], Hieronymus [f], Ambrosius [g], Augustinus [h], & de Augustino Possidius [i] & Gregorius [k], præter alios multos.

C Nota est haud ita cauta, vt casta Origenis castratio, vt doctoris quo fungebatur, officium, liberiùs, citráque suspicionem exercere etiam cum fœminis posset. Aliàs [l] quoque notauimus quo pacto suam Hæresiarcha ferè quiuis Euam libidinis, erroríque adiutricem habuerit. At Hieronymus [m] prauum Agapetarum vsum reprehendit: vt attigimus capite priore [n], hoc est, *Virginum, quæ à charitate* (ἀγάπη) *nomen trahentes, quasi spirituali amore coniunctæ, sic dicebantur*, inquit, *ab illis penes quos habitabant, Ecclesiasticis, quorum sine nuptiis sub alio nomine vxores erant, concubinæ, meretrices.*

D Occurrit huic malo, præsertim propter Priscillianistas, Concilium Cæsaraugustanum [o], edito Canone, *vt mulieres omnes Ecclesiæ Catholicæ fideles à virorum alienorum lectione, & cœtibus separarentur, nec ad ipsas legentes alij studio vel docendi, vel discendi conueniant, quoniam & hoc Apostolus iubet* [p]. Extant eadem de re plures alij Canones [q], & Pontificum decreta [r], necnon & ciuiles leges [s].

Versus 14.] **Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Thyatirenorum colens DEVM, audiuit: cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.**

E ET *quædam mulier nomine Lydia.*] Sic meliùs quàm *Lydda*, aut *Lidda*. Erat nimirum ex Lydia prouincia, ad quam spectabat quæ hîc subiicitur ciuitas Thyatirenorum. Lydda autem longè hinc aberat, vt vidimus capite nono [t].

Porrò Lydia in Asia minore vicina est Phrygiæ ab Ortu, Mysiæ à Septentrione, Cariæ à Meridie. Mœoniam antiquiores appellarunt. Lydus Atyos filius nomen suum imposuit. Nobilitant eam Pactolus aurifer fluuius, & Crœsus rex; insuper è septem Ecclesiis celebratis in Apocalypsi præter Thyatiram, Sardi, & Philadelphia.

Concionatores sese captui ruditorum accommodare debent. x 4. Reg. 4. 34. y 1. Thes. 2. 7. 1. Corint. 3. 2. Gal. 4. 19. z ep. ad Gauden. & ep. ad Lætam. a in vita. b de singularit. cler. c. 13. c lib. 1. ep. 89. lib. 2. ep. 53. 62. 278. 284. li. 3. ep. 11. 12. 13. 65. d tom. 1. aduersùs improbas mul. pag. 127. edit. Romæ. *Cum mulieribus publicè, non priuatim agendū.* e de Constit. monast. ca. 4. & Ser. de Institu. monast. & Tractat. de Virg. & Reg. 11. ex fusis. f epist. ad Heliod. & 22. & Tom. 9. ep. ad Ocea. g 1. Offi. c. 20. h Ser. 250. de Tempore. i in vita, c. 26. k lib. 1. Epi. in 50. lib. 7. in 39. & 3. Dialog. c. 7. l cap. 5. m epist. 22. & ep. ad Ocea. tom. 9. n vers. 15. o ca. 5 tom. 1. Concilio. p 1. Corin. 14. 34. 35. q Concil. Niceni c. 3. Eliberitani cap. 27. Gerund. c. 7. Illerd. c. 5. Tolet. II. cap. 3. Hispal. I ca. 3. Tolet. IV. ca. 41 Brac. III. c. 8. Arelat. II. c. 3. Aruernens. c. 16. Agathēs. c. 10. & 11. Turon. I. ca. 3. Turon. II. ca. 10. & 11. Mogunt. II. c. 10. Aquisgran. c. 39. Nicen. II. c. 18. Carthag. I. cap. 3. aliud Carth. relatū c. cum omnibus d. 81. Carthag. IV. c. 46. Rhemensis c. 22. Matisco. I. c. 3. Epaunēs. c. 20. Tarracō. I. cap. 2. Rom. sub Greg. c. 2. r citātur d. 81. *Lydia regio vbi sita.* s Auth. de sanctiss. Episc. §. presbyteri. collat. 9. lib. 1. leg. Franc. per Carol. Mag. c. 4. lex Boiarorum tit. 12. t vers. 32.

Seruitutis nomine malè Lydi apud veteres audierunt, quasi seruili ingenio conditionéque putarentur. Vnde illud Ciceronis [a]: *Quis vnquam Græcus comœdiam scripsit, in qua seruum primarum partium non Lydum egisset?* Sed hoc loco est proprium mulieris valdè ingenuæ, ac liberalis nomen: fortasse id illi vulgus Philippense in alieno solo degenti, vt fit, imposuit, cùm aliud ignoraret, vel vt minùs celebre omitteret.

a oratio. pro Flacco.

Franciscus vnde sic dictus.

Sic constat sanctissimum virum Franciscum, cùm Ioannis haberet nomen, eo vocatum nomine à popularibus suis, quòd Francicè sciret, loqueretúrque [b]. Nã veteres Hetrusci *Francescos* appellabant, qui Latinè *Franci* dicuntur, siue *Galli*, nunc Italicè *Francesi*. Antè B. Franciscum certè nemo Francisci gessisse nomen legitur. Reperitur tamen eodem tanquàm proprio nomine appellata Phileti Senatoris ac martyris vxor, ipsa etiã martyr [c].

b Chronica.

c in Roman. Martyro. 27. Martij.

Exempla multa & virorũ & mulierum, qui casu quodàmodò diuina beneficia acceperunt.

Singulari prouidentia DEI, non casu mulieres exierunt, ac in his Lydia, vt & Samaritana, *ad hauriendam aquam* [d], & Rebecca [e]: hæc autem per eam occasionem *electa est in sponsam Isaac.* illa *instituta est* à CHRISTO: & simili ratione Rachel [f] *egressa ad oues aquandas, euasit vxor Iacob.* Eòdem referri possunt hæc alia exempla Saülis [g], *qui dum quærit asinas*, & Dauidis [h], *qui dum oues pascit*, Reges inaugurantur, & Elisæi [i], qui dum *arat in agro, fit Propheta*, & pastorum [k], *qui dum vigilant, audiunt Euangelium nati* CHRISTI, & eorum, qui ex piscatu ac telonio vocantur ad Apostolatum [l], & Pauli, dum persequitur Ecclesiam [m].

d Ioan.4 7.
e Gen.24. 15. & seq.
f cap.29.9. & seq.
g 1. Reg. 9.3. & seq.
h infrà 16. 11.
i 4. Reg. 19. 19.
k Luc.2.8. & seq.
l Matth 4.18. & seq. c. 9. 9 & seq.
m cap 9.

Sic nempe inuenitur DEVS *à non quærentibus* [n], *& cogitationibus eius non est qui similis sit ei* [o], præ *altitudine sapientiæ, & scientiæ, & incomprehensibilitate iudiciorum, atque ininuestigabilitate viarum eius* [p]: *vt non glorietur in conspectu Domini omnis caro* [q], *sciens quia ipse elegit nos, non nos ipsum* [r], & quòd *non est volentis, aut currentis, sed miserentis* DEI [s], *secundùm propositum, & beneplacitum voluntatis suæ* [t].

n Esa. 65 1. Rom 10.20.
o Psal.19 6.
p Rom.11 33.
q 1 Cor.1 31.
r Ioan. 15. 16.
s Rom. 9. 16.
t Eph.1.1.5.

Purpuraria.] Πορφυρόπωλις, *venditrix purpuræ.* Nõ ergo purpura vtebatur, tanquàm ex Regio semine, sed aut vendebat, aut texebat, seu tingebat, textámque & tinctam distrahebat. Meminit Magister Scholasticæ historiæ [u] harum sententiarum, præferens, ac meritò quidem, postremas duas.

u in histo. ex Actis 5.16.

Cuiuis liberum non erat purpuram tingere.

Non erat cuiuis liberum purpuram tingere, sed erat inter alios Magistratus præfectura Baphiorum, & tingendæ purpuræ, qua vt ingenti munere donauit in Tyro Dorotheum Eunuchum Pamphili ac Eusebij præceptorem Imperator, vt narrat Eusebius [x], Nicephorúsque [y]. Ammianus Marcellinus [z] tincturæ purpuræ opificium magno æstimatum, nec permissum cuiuis tradit: extántque de hac re leges seuerissimæ [a], in quibus & illud apparet, solitam exerceri in gynæciariis, ac proinde à mulieribus. Attamen tinctores, infectorésque vestium nunquàm inter ingenuos numeratos, neque ipsam artem inter liberales habitam, vt & textorum, qui ponuntur inter seruos à Iurisconsulto [b], colligitur ex Plinio [c], & Plutarcho [d], qui de tinctura purpuræ nominatim loquuntur.

x lib.7. c.28, aut 26.
y lib.6.c.35.
z lib.14,
a C.lib.11.tit. de vestibus holo & l 1. quæ res venund.
b l Seruis legatis. §. si vnus.ff.de leg.
c lib 21.c 2.
d in Pericle. post princ.

Chrysostomus hanc mulierem ab arte quam exercebat *humilem*, hoc est, abiectæ conditionis appellat. Qui de purpura cognoscere auet, legat præ ceteris Plinium [e], Iulium Pollucem [f], Vitruuium [g], Cassiodorum [h], Isidorum [i], Alexandrum ab Alexandro [k] cum Tiraquello, & hunc in tractatu de nobilitate [l]. Cassiodorus perstringit omnia, & cùm *adorandum muricem* vocat, vt & citatæ leges purpuram, aliique auctores, id proptereà faciunt, quoniam Imperatoribus, Regibúsque summa venerandæ adorationis obseruantia cultis dicata erat, iique duntaxat ea vti poterant, quibus licebat per illos, ita vt queratur Seneca, id vsurpatum ab aliis [m].

e li.9.c.36.39. 41.
f lib.1.c.4.
g lib.7 c 13.
h lib.1. Varia. ep.2.ad Theonem,
i li.19 Etym. cap 22.
k lib.5 c.18.
l c.37.nu.160.
m ep.115.

Capitale fuit, & læsæ crimen maiestatis Regiũ habitum purpuràmve affectare, sicut adeò multis docetur tum exemplis [n], tum decretis [o].

Concedebatur tamen purpuræ vsus apud Romanos, teste Liuio [p], Magistratibus, pueris prætextatis, Senatoribus, Sacerdotibus inter sacrificandum, triumphantibus, viris clarissimis, & ob res gestas insignibus, qui etiam cum purpureis vestibus efferebantur ad sepulturam, quæ concremabantur cum ipsis: sed sæpe variatum hac in parte, cùm Augustus solis purpuram Senatoribus permiserit [q].

n Ammia.lib. 16. & 17. Zozimus lib. 4. Hegesip.2. de excid.Ierol.c. 1.Chrysol ser. 104.1.Machs. 14.43 44. ca. 10.20. & seq. Daniel.5.7. & seq.Athen. li. 12.c.18.
o Paulus 5. Sent.tit. 25 §. pen.l.pen.C. de vestib.holobera.l.vni. C.nulli liceat in frenis l.1. C.quæ res venund.nõ possunt. Iustin. Nouel. 119. c. 420.
p lib.34.
q Dio.lib.43.

Quod verò ait Cassiodorus *eũ qui sericum purpuræ intingeret, purissimam habere corporis castitatem, quia talium rerum secreta refugere dicuntur immunda*, vereor vt sit verum. Plinius [r] prodit *Lydos Sardibus primos rationem inuenisse lanas purpura inficiendi.* Ex recentioribus multa vtiliter colligit noster Delrius [s], & Angelus Politianus [t], Brodæus [u], Cœlius Rhodiginus [x], Lazius [y], Iacobus Pontanus [z] item ex nostris.

r lib.7.c.56.
s in Sene.Medeã, choro 1.
t in Miscell. c.12.
u 1. Miscel. c. 8.
x 8. Antiq. c. 11.
y 8. de Rep. Rom.c.1.
z in 1.Georg.

Ciuitatis Thyatirenorum.] Lydiæ prouinciæ, quæ & Mœonia, ciuitas est (ex qua Lydia purpurariam nostram sumpsisse nomen coniectabamus) vt quidem Stephano [a] placet. Strabo [b] enim attribuit Mysiæ. Plinius [c] ponit in Ionia Asia ad fluuium Lycum. Dicebatur priùs Pelopæa, & Semiramis, & Euippia.

a lib.de Vrbibus.
b lib 13.
c lib.5.c.8,

Vltimi autem quod hîc est nominis causam illam ferunt, quòd Seleucus Nicanoris dum bellum gereret contra Lysimachum, natam filiam accepisset Θυγατείρα vrbem nominauerit. Alij malunt, eò quòd Mysis ciuitatem condituris, respondit DEVS *ibi condendam, vbi ceruum ictum, & currens appareret*, διὰ τὸ θεῖν καὶ προχάζειν τὸ ἔλαφον.

Est iurisdictionis Pergami non procul ab Epheso: & vna ex septem Ecclesiis ad quas in Apocalypsi Ioannes [d] scribit. Epiphanius [e] narrat, nonnullos Hæreticos Apocalypsim respuisse inter alias causas, eò quòd scriberet auctor eius ad Ecclesiam Thyatirenorum, quæ tunc nulla erat. Respondet autem argumentum retorquendo, quoniam hoc est propheticè loqui de statu prauo, in quem delapsura erat ob hæresim Phrygastarum, & sub nomine Iezabel intelligere voluisse Ioannem de Priscilla, Maximilla, & Quintilla, quæ Prophetiam professæ deceperunt Thyatirenos.

d Apoc.2.18.
e hæres.51.
Apocalypsis cur reiecta sit a nonnullis.

Ribera [f] putat Hæreticos locutos de tempore, quo scribebatur Apocalypsis, ideóque probat tunc Ecclesiam istam non minùs extitisse quàm alias sex. Verùm ex allata obiectione, & responsione apud Epiphanium satis liquet locutos de suo tempore quo ipsi viuebant, & ita sentiebant. Fuisse autem Ecclesiam in Thyatira dum Ioannes viueret, supponit potiùs Epiphanius tanquàm certum: & mihi placet quod Ribera argumentatur, cùm in cæteris Ioannes scribat ad Episcopos, qui tunc erant, eodémque stylo etiam ad Episcopum Thyatiræ, alio modo non debere nos interpretari quod similiter scribitur. Blasius Viega [g], qui venit posteà in manus meas, non dissidet à Ribera.

f in Apoc.
Ecclesia Thyatirenorum vt erat Ioannis tempore.
g in Apocal.

Colens

Fuerit ne Iudaa vel Gentilis hac mulier.

Colens DEVM.] Σεβομένη τὸν ΘΕΟΝ, *Quæ venerabatur* DEVM *natura, vel lege audita à Iudæis*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo. Lyranus credit proselytam fuisse, necnon Carthusianus; Caietanus verò Gentilem æquè vt Cornelium [a], ac alios nonnullos, qui cùm colerent DEVM verum, absolutè vocarentur *cultores* DEI, atque *religiosi*, non autem vel *Iudæi*, vel *proselyti*. Dixi aliàs [b], alio quodam proselytos epitheto nominari *timentes* DEVM: id verum puto, quando de his mentio est simul cum Iudæis. Alioqui probabilem existimo Caietani notationem, atque etiam opinionem de Lydia, in quam inclinat Hugo. Nam quòd se Lydia cum aliis mulieribus ad orationis locum, quò Iudæi conueniebant, contulerit, tribui potest muliebri cuidam tum curiositati, tum pietati.

a Act. 10. 1.
b cap. 2. 11.

Audiuit.] Audierunt & aliæ mulieres, sed non exaudisse, & obediuisse leguntur: hoc enim sibi velle audiendi verbum quandoque alibi obseruauimus [c].

c cap. 2. 11.

Cuius Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur à Paulo.] Innuitur efficacia gratiæ ex beneplacito diuino, sicut & in capite XIII [d], vt ibidem notauimus.

d Vers. 48.

Fides est donum Dei.

Rectè autem hinc Prosper [e] colligit *fidem esse donum* DEI, supponens solam hanc credidisse. Hoc etiam modo dicebam innuere Lucam: tamen fieri potest, vt propter singularem eiusdem humanitatem, ac hospitalitatem, nominatim expressa sit, siue ob celebre nomen ipsius ea in ciuitate, siue quia posteà inter Christianos sanctitatis opinionem acquisiuit, recensita quoque inter Sanctos in Martyrologio [f].

e lib. de libero arb. ad Ruf. & lib. contra collat. c. 30. & lib. 1. de vocat. Gen. cap. 23.
f 1. Augusti.

De auxilio sufficienti, & efficaci.

Sed vt ad rem redeamus, apertum est cor Lydiæ à DEO, quia datum est ei auxilium, quo non modò posset credere, sed etiam crederet, quod non tantùm suaderet, verùm etiam persuaderet quod efficax esset, non sufficiens duntaxat. De huiusmodi auxilio gratiæ intelliguntur hæc omnia, hisque similia [g]: *Omnis qui audiuit à* PATRE, *& didicit, venit ad me: Omne quod dat mihi* PATER, *ad me veniet* [h]: *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis* [i], id est, prædestinati, quibus datur efficax gratia, saltem finalis: vel non estis hoc tempore ex ouibus obedientibus, quæ tamen possunt in futurum esse reprobæ. Prætereà [k], *Nemo potest venire ad me* (id est, nemo veniet) *nisi* PATER, *qui misit me, traxerit eum*; & statim subdit: *Et scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles* DEI [l]; id est, qui credunt, à DEO docètur, neque credit, nisi ab illo doctus, siue persuasus, & tractus. Adhæc [m]: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita* PATER, *quoniam sic placitum fuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à* PATRE *meo, & nemo nouit* FILIVM, *nisi* PATER, *neque* PATREM *quis nouit, nisi* FILIVS *& cui voluerit* FILIVS *reuelare.* Deinde [n]: *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed* PATER *meus, qui in cœlis est.*

g Ioan. 6. 45.
h ibidem 37.
i Ioan. 10. 26.
k Ioan. 6. 44.
l Esa. 54. 13.
m Matth. 11. 25. 26. 27.
n infrà 16. 17.

Fides quomodo sit donum Dei.

Postremò hoc est, quod inculcat Paulus [o], *fidem esse donum* DEI, *& non omnium esse fidem*: neque enim dubitat posse credere, quotquot volunt cooperari gratiæ præuenienti, ac sufficienti, & nō est donum singulare, atque tam singulariter exaggerandum præbere auxilium sufficiens ad credendum; id enim tametsi per se magnum, & supernaturale, est commune omnibus; sed eximium donum est reipsa velle credere, atque reipsa quoque credere: quod profectò habet solùm qui credit, & cuius cor dignatur DEVS non pulsare tantùm modò, sed aperire, ac ita suadere, vt persuadeat.

o Ephes. 2. 8. Phil. 1. 29. 2. Thess. 3. 2.

Magna ergo est in hac dicendi formula, qua isto loco Lucas vtitur, vis, vt initio dixi, ad exprimendam gratiæ efficaciam: ita vt cùm DEVS ad ostium pulsans ait [p]: *Si quis mihi aperuerit*, ipsemet aperire debeat, non minùs quàm cùm *oratur, vt conuertat* [q], iubens *vt conuertamur* [r], vt *labia aperiat* [s], imperans vt *os aperiamus* [t]. Vna nunc mulier fidei principium dedit, vt Samaritana in Samaria [u], & quemadmodum Raab in Iericho sola liberata est [x].

p Apoc. 3. 20.
q Psal. 84. 5. 2 Zach. 1. 3.
s Psal. 50. 17.
t Psal. 80. 11.
u Ioan. 4. 39. & seq.
x Iosue 6. 19.

Versus 15.] Cùm autem baptizata esset, & domus eius, deprecata est, dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete. Et coëgit nos.

Fides huius mulieris praedicatur.

CVM *autem baptizata esset.*] Magna fides, feruorque neophytæ, familiam exemplo, & forsan adhortatione conuertit; fidei, charitatisque argumentum vult esse exhibitionem operis benefici; persuadet ratione ex comparatione maiorum, ac minorum ducta, quòd iam dignata sit diuinis Sacramentis, non priùs ausa sacrosanctos viros inuitare; multò maiore vtitur supplicatione, quàm hospitalis Abraham, vt ait Chrysostomus, qui illud vsurpabat [y]: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.*

y Gen. 18. 3.

Fœminarū genus pium, & officiosum.

Pium sanè, ac officiosum fœminarum genus. Talis Rebecca [z] in famulum Abrahæ: vidua Sarepthana [a], ac Sunamitis [b] in Eliam, & Elisæum: filia Pharaonis [c] in Mosem: obstetrices [d] Ægyptiæ in pueros Hebræos: Raab [e] meretrix in populum eundem: Abigail [f] in Dauid: & illa, quæ nuncios eius abscondit [g].

z Gen. 24. 18.
a 3. Reg. 17. 9. & inde.
b 4. Reg. 4. 10. & inde.
c Exod. 2. 5. 6.
d Exod. 1. 17.
e Iosue 2. 4.
f 1. Reg. 25. 18. & seq.
g 2. Reg. 17. 19.

In nouo Testamēto talis laudatrix CHRISTI, & genitricis eius Elizabeth [h], Anna Prophetissa [i], Tabitha [k], sorores Lazari [l]. Illæ, *quæ* CHRISTVM *sequebantur ministrantes ei* [m]. Ipsa denique, quæ misericordiæ viscera in visceribus menses nouem continuit, & triginta ipsos annos domi habuit, quam piè creditur oblatos à Magis thesauros distribuisse pauperibus, & Euangelica historia narrat vini nuptialis defectum exposuisse Filio [n], & cum festinatione Elizabeth visitasse [o], ac trimestri spatio ministrasse.

h Luc. 1. 42.
i ibi. c. 2. 38.
k Act. 9. 36. & seq.
l Luc. 10. 38. & seq. & Ioan. 12. 2. & seq.
m Matt. 27. 55. Luc. 8. 3.
n Ioan. 2. 3.
o Luc. 1. 39. & seq.

Cur Apostoli vim sibi fieri voluerint.

Coëgit nos.] Παρεβιάσατο, *vim intulit. Expectata est hæc violentia tum ad vitandam offensionem Iudaizantium, cùm Lydia priùs Gentilis fuisset*, vt indicat Hugo: *tum vt prouocaretur illa ad maiorem alacritatem*, inquit Chrysostomus: *tum*, vt idem ait, *quoniam* CHRISTI *preceptum erat* [p], *vt non sine delectu, & priusquàm de excipientis dignitate constaret, intraret quis velut hospes in domum alterius*: tum etiam, vt ego arbitror, quoniam Paulus abhorrebat quàm maximè ab omni specie quæstus, ac lucri, respuens propterea summo studio, quam tamen honestè alij admittebant, victus in euangelizando prouisionem.

p Matt. 10. 11.

Oportuit ergo valdè magnis, & importunis precibus Apostolum expugnari, qui se mori mallè profitetur, *quàm vt quis gloriam illam liberaliter gratisque prædicandi* [q] *euacuaret*: qua de re plura capite vigesimo.

q 1. Cor. 9. 15.

Præter ea verò, quæ capite decimo [r] de hospitalitate disputauimus, obseruandum est, hac excellere virtute, qui non tantùm *mittant partes iis, qui non præparauerunt sibi* [s]: vel patefaciant ostium-

r vers. 23.
Virtute hospitalitatis qui excellant.
s 2. Esd. 8. 10.

A *peregrino, ac viatori*[a]: vel *ad mensam, vt contubernales admittant*[b]: *vel inuitent per filium*[c], seu *alium ex domesticis*[d]: vel etiam *per seipsos rogando, & adiurando suppliciter*[e]: sed qui compellant, & rogent, vt Loth fecit[f]: & Discipuli peregrinantes in Emmaus[g]. De his loquens Gregorius[h]: *Ex quo nimirum exemplo colligitur*, inquit, *quia peregrini ad hospitium non solum inuitandi sunt, sed etiam trahendi*. Denique Paulus[i] vult, nos esse *hospitalitatem sectantes*, διώκοντες, vt videlicet *non solum venientem ad nos hospitem suscipiamus*, inquit Origenes[k], *sed & requiramus, & solliciti simus, & sectemur, ac perquiramus vbique hospites; ne fortè in plateis sedeant, ne extra tectum iaceant.*

B Idem exaggerat Chrysostomus[l], quem, lector studiose, hortor magnoperè, vt legas, dum de Abrahę hospitalitate nō piè minùs, quàm eleganter disserit. Idē facit Hieronymus[m], breuiùs quidem, sed non impari laudis vtriusque fœlicitate. Augustinus[n] quoque, & Ambrosius[o], qui ab Episcopis præsertim exigit, *vt prestò sint aduenientibus, occurrant obuiam, itinera explorent, adsint non quærentibus, rapiant prætergredientes.*

a Iob. 31. 32.
b Gen. 43. 16.
c Tob. 2. 2.
d Luc. 14. 17.
e Gen. 18. 2. 3. & Ioan. 4. 40.
f Gen. 19. 3.
g Luc. vlt. 29.
h Homi. 23. in Euang.
i Rom. 12. 13.
k lib. 9. in ca. 12. ep. ad Roman.
l in eundem locum.
m epist. 26.
n Serm. 70. de Tempore.
o li. 1. de Abr. cap. 5. & 2. de offic. c. 21.

Versus 16.] Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum Pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. C

FACTVM *est autem, euntibus nobis.*] Nescio an eodem ipso die contigerit Baptismus Lydiæ, & præsens occursus primus puellæ. Nihil repugnat. Et fortassis iuuit ea res, vt Lydia faciliùs persuaderetur.

Puellam.] Παιδίσκην. Syrus, עלימתא *hhalaiemetha*, id est, *Adolescentulam*, seu *virgunculam*. Potest nomen Græcum non ætatis solùm, sed conditionis etiam esse, atque significare *ancillam*, vt dictum est capite duodecimo[p]. Hunc autem posteriorem vsum habere hoc loco indicat mentio dominorum mox adiecta. Atque ita sentit Carthusianus, Vatablus, & noster Emmanuel Sà. D Quod eo adhuc verisimilius efficitur, quoniam *quæ corripiebatur fatidico illo spiritu*, vt docet Origenes[q], *non virgo erat, aut sapiens, aut erudita, sed vulgaris aliqua.* Quamuis Diodorus[r] initio Sacerdotem Pythiam virginem tradat fuisse Dianæ similem, quæ cùm violata esset ab Echecrate, Delphicos in posterum destinasse mulierem non minorem annis quinquaginta, reiectis in perpetuum virginibus, modò illa vteretur cultu virginali, ne in totum mos vetus periret.

Habentem spiritum Pythonem.] Ἔχουσαν πνεῦμα Πύθωνος. Syrus, דאית הוחלה רוחא דקצמא *dith hauathlah rucha deketsema*, id est, *In qua erat spiritus diuinationis*. E Desinat queri Antonius Nebrissensis[s] codicum corruptelam, Phitonem pro Pythone legentium: hoc enim pacto plerique nunc omnes habent.

Apollo diuinandi summus artifex Pythius cognominatus est à dracone Pythone, quem in insula Delo confodit; aut ab homine sceleratissimo, quem similiter occidit, cùm is Pythius diceretur, & draconis quoque nomen gereret. Ita quidem vulgò traditur: vt proinde cùm Chrysostomus à loco denominationem interpretatur, oporteat locum ipsum, in quo siue draco, siue homo ille cæsus est, nomen ab euentu sortitum esse.

p Vers. 13.
q 7. cōt. Cels.
r in vita Philippi.
s in Quinquag. c. 35.
Apollo diuinādi peritus vnde dictus Pythius.

A Extat nomen Pytho pro vrbe Phocidis, quæ & Delphis, Apollini sacra, quam Eustathius, aliique appellatam tradunt, ὅτι ἐκεῖ ἐξεδόθη τὸ ὑπὸ Ἀπόλλωνος, καὶ σαπὲν τὸ δράκοντος, *ob ibi confossum ab Apolline, & putrefactum draconem.* Est enim etiam πύθω, *putrefacio.* Quidam tamen malunt, ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, seu πυθέσθαι, etymologiam trahere, quod est *consulere*, ac *interrogare*, nimirum ab oraculis, & responsis. Sed primum melius, quoniam υ in hoc vocabulo producitur, in πυθέσθαι corripitur.

B Si qua mulier diuinandi artem acciperet, in tripode sedens Apollinis, diuaricatis cruribus, per genitalia spiritum admittebat impurum, qui ventrem obsideret, eámque tanto furore compleret, vt soluto crine, ore spumans, ac debacchans, verba proferret insana, & sic demum de rebus occultis responderet. Vnde Seneca[t]:

Incipit Lethæa vates spargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum, contigit nondum specum,
Emicat vasto fragore maior humano sonus.

Plures ex Interpretibus huius loci propendent, puellam istam fuisse à dæmone obsessam, quoniam Paulus præcepit, *vt exiret ab ea.* Hugo potissimùm confirmans eandem sententiam, occurrit contrariæ argumentis, quòd tanquàm compos mentis, & pudibūda obsequeretur Paulo, non C intenderet procaciter in faciem: & quia videtur solùm ei maleficam per familiarem spiritum communicatam artem Paulus abstulisse. *Nam*, inquit Hugo, & bene, *ei, qui obsidetur, nonnunquàm vsus rationis permittitur; & cum superstitiosa facultate malignus spiritus expelli potuit, prout & præsens historia satis disertè factum commemorat.* Et præterea, cùm ait, *habuisse puellam spiritum Pythonis, magis propriè de obsidente, quàm duntaxat de assidente intelligi videtur.*

Caietanus aliam rationem producit pro eadem opinione: quoniam puella ore edebat verba, vt solent arreptitij, non ventre, vt illa, quæ Samuelem euocauit[u], de qua etiam aliter loquens Scriptura Pythonem ait habuisse; puellam au- D tem istam spiritum Pythonis. Ego in his dicendi formulis nullum discrimen agnosco, nec scio vnde Caietanus habeat, non etiam per os respondisse Sauli Pythonissam. Abulensis[x] consentit, licet memoriæ lapsu Neapolim ponat pro Philippis. Cùm verò dicit Dæmones, qui introeuntes in corpora, loquuntur per ea, vocari *ventriloquos*, siue *Pythones*, non vult in ventre formare sermonem, & non in lingua: neque Scriptura in narratione de Pythonissa ventris omninò meminit: nisi quòd pro Pythone, quem noster Interpres dixit, Græcus textus, nominauit, ἐγγαστρίμυθον[y]. Illud rectè monet, generali appellatione Pythonum, seu Pythonicorum omnes diuinos comprehendi: col- E ligitur id námque ex Deuteronomio[z], & Leuitico[a], & libris Regum[b], & Esaia[c], atque ex communi loquendi modo Auctorum, inter quos Ambrosius[d] ita vsurpans ait, *Pythonem per Sibyllam loquutum esse.*

Nec verò tamen etiam negauerim, ventriloquos dici Pythonicos, Græcè ἐγγαστριμύθους, καὶ ἐγγαστριμάντεις, eò quòd ex imo ventre vox prodire interdum videatur, vt docent Origenes[e], Chrysostomus[f], & Oecumenius[g], quemadmodum quidam quoque vocantur στερνομάντεις, quia sub pectore infra cutem in iis se dæmon ostentat, & per pectus loqui videtur, qualem Cœlius Rhodiginus[h] se vidisse memorat.

Pytho nomē vrbis est.
Mulier quo ratione diuinādi spiritum acciperet.
t in Oedipo. Act. 2.
An hæc puella à dæmone possessa fuerit.
u 1. Reg. 28. 7. & seq.
x 1. Reg. 28. q. 10. & ca. 28. q. 9. & 10. & 11.
y cita. locis supra & insta. *Pythonū nomine omnes diuini comprehenduntur.*
z cap. 18. 11.
a cap. 20. 27.
b lib. 4. 21. 6. c. 23. 24.
c c. 8. 19. c. 19. 3. c. 29. 4.
d in 1 Cor. cap. 12.
e 7. cōtra Celsum.
f in 1. Cor. 12.
g hoc loco.
h lib. 8. c. 10.

Idem.

Idem Origenes[a] Dæmonem Pythonem interpretatur *ventricosum*: & ait[b], illi *ministrare dracones, aliósque serpentes*. Plutarchus[c] quoque testis est, πύθωνα, suo tempore vocatum, quem olim Εὐρυκλέα, & Ἐγγαστριμύθους dicebant. Ventriloquos præterea nominat Tertullianus[d]. Et hanc Augustinus[e] ancillam *fœminam ventriloquam*.

a 3. Periarchon. c. 3.
b Homi. 17. in Num.
c de defect. orac.
d 4. cõt. Marcion. c. 25.
e 2. de doct. Christ. c. 23.

Cur dicti sunt ventriloqui.

Tumebat videlicet istis fœminis præsertim, vtris in morem venter, vt idcirco forsan Hebraicè אוב *ob*, & in plurali אובות *oboth*, forma fœminina dicantur, quoniam hæ voces significant vtrem, & vtres, quasi qui fatuo, fatidicóve illo spiritu afflarentur ex ventre, vt ex vtre, aut lagena oracula depromerent. Fieri etiam potest, vt clauso ore ederent responsa, sicque loqui censerentur ex ventre. Galenus[f] certè vult apud Hippocratem ἐγγαστριμύθους appellari, qui clauso ore loquuntur, quòd ventre loqui videantur. Mihi videtur Esaias eò respexisse, cùm dixit[g]: *Erit quasi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.* Quamuis non ignorem aliis placere, vt intelligatur de voce exili, qualem edunt euocatæ vmbræ veluti de cryptis. Edidit Eustathius Episcopus primùm Berœæ, posteà Antiochiæ, librum Περὶ ἐγγαστριμύθου, contra Origenem, qui docebat, malignos quosdam spiritus etiam pueris, ac penè lactentibus admisceri, vt inde diuini, seu arioli fiant: illúdque dictos spiritus anteà esse demeritos. Testis est de libro Hieronymus[h], & de errore Origenis[i], & Origenes ipse ita docet[k].

f in exposit. vocab. Hippocr.
g cap. 29. 4.
h de Script. Ecclesiast.
i in Epist. ad Auitum.
k lib. 3. Periarch.
l lib. 9.

Quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando.] Strabo[l] narrat, *ad Apollinem Pythium Delphos tantum concursum fuisse, vt Regum, populorúmque amplissimis donis, muneribúsque, & multarum vrbium thesauris refertum templum esset.*

Magi miranda pollicentur.

Prolixè pollicentur magi, & incantatores, & quidem ἀδύνατα, montésque aureos, vt egregiè describit Virgilius[m], Ouidius[n], Valerius Flaccus[o]. Propertius[p], Tibullus[q], Petronius Arbiter[r], Seneca[s], Apuleius[t], Empedocles apud Laërtium[u], Apollonius[x], & alij complures, atque ex recentioribus, qui de magia ex instituto disceptant, Pererius, & Delrius. Sed compertum est tum fallere, tum falli ipsosmet, & pro auro auram inanem vel recipere, vel offerre. Respondit ariolo Dæmon asseruari ab omni satellitio suo pecunias, ac thesauros perditionis filio Antichristo, vt sufficiat ei ad sumptum. Narrat id quidem Laurentius[y] Ananias, quòd etsi credendum non est mendaci, haud habet inuerisimilitudinem.

m Eclog. 8. & 4. lib. Æneid.
n lib. 14. Metamorp.
o lib. 6.
p lib. 1. Ele. 1.
q lib. 1. Ele. 2.
r in Append. Virgil.
s in Med. Act. 4. & Hercul. Oet. Act. 2.
t lib. 1. & 2.
u lib. 8.
x in Argonaut. 3. & in epi. Hypsip.
y 2. de natu. dæmon.

Magis nihil ab iectius, aut vilius.

Nihil hoc hominum genere vilius, egenius, abiectius. Et vt hæretici, de quibus Tertullianus[z] quondam, & nostro quoque sæculo aliqui, quos alibi[a] commemoraui, *ex viuis mortuos reddebant, pro eo, vt ex mortuis viuos*: sic isti diuites depauperant, ac depauperantur; ipsi, etsi sunt pauperes ditant, vel ditantur nunquàm, aut perrarò, vt mendacissimi, sic mendicissimi. Nimis execrandi profectò redderentur mortales, si quam sentiunt auri sacram famem, eam suo arbitrio Diabolus impleret: opprimerent impij pios, si hunc ille ipsis belli neruum suppeditaret. Postremò euaderent homines dæmonolatræ, si, quàm gloriosè, tam verè, vt quondam[b] CHRISTO & offerre, & deferre fortunas Dæmon posset.

z de Præscri. c. 10.
a cap. 4. 10.
Matt. 4. 8.
epist. 5.
tibi summa laetata hominis sunt, cum contempsit.

Docet Augustinus[c] populum Hebræum summa rerum terrenarum fœlicitate honestatum, cùm Deos falsissimos contempsit; *vt quiuis intelligeret, ipsam non esse in Dæmonum potestate, sed in illius vnius, cui Angeli, seruiunt, quem Dæmones contremiscunt*[d].

d Iacob. 2. 19.

Profert etiam Apuleium Magum, qui nec ad regnum, sed nec ad aliquam Reipublicæ quidem iudiciariam potestatem cum omnibus suis Magicis artibus potuerit peruenire, quam honesto patriæ suæ loco natus, & liberaliter educatus, magnáque præditus eloquentia, & tametsi quàm posset maximus in hoc genere conaretur euadere: cùm è contrario Dauid[e] sine vllis talibus artibus ex pastore ouium peruenerit ad regiam dignitatem.

e 1. Reg. 16. 13.

Comparat Ambrosius[f] illorum hominum sapientiam cum araneæ tela, in quam dum culex, & musca incidit, exuere se non potest: validius animal pertransit, rumpit, dissipat, videlicet non magni fiunt, nisi à vulgaribus, & tenuibus, qui quas non habent, dare diuitias non queunt.

f 4. Hexam. cap. 4.

Versus 17.] Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Isti homines serui DEI excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis.

Cur diabolus hoc tam luculentum de Christo dederit testimonium.

HÆC *subsecuta Paulum, & nos.*] Voluit diabolus hac arte ad sibi credendum alios magis allicere, si tanti viri istud tam luculentum testimonium admisissent: aut sperauit ergastulum suum retinere, nec inde pelli, si iidem illi sibi placerent de adeò speciosa laudeaut coactus, & compulsus à SPIRITV sancto patrocinatus est veritati: aut prospiciens, qua erat sagacitate, quàm pauci acquieturi essent sanæ doctrinæ, hanc propterea tantoperè commendauit, vt quandoque in diuino iudicio, qui testis extiterat veritatis, testificaretur aduersùs perduelles, contemptores, violatorésque ipsius.

Nihil profecerat diuinos Paulo, ac Barnabæ honores deferendos[g], leuiùs nunc agit, contentus DEI seruos, non Deos prædicare. Prima ratio probatur Chrysostomo, Oecumenio, Lyrano; Caietano, Gagneio: tertia Aratori, Bedæ, Glossæ ordinariæ, Hugoni, Carthusiano, Ariæ Montano: qui inde id etiam confirmat, quoniam dicitur subsecuta, nimirum vt inuita: etsi Glossa tribuit hoc fœminæ pudicitiæ. Secundam affert etiam Chrysostomus. Pro vltima facit, quod quodam loco narrat beatus Antoninus, diabolum finita concione, quam sub habitu Monachi habuerat piam, & seueram, palàm edixisse, propterea id fecisse, *vt nullam ex ea reportaturus vtilitatem, ante tribunal Iudicis exprobraret.* Et simile retulit vir mihi probæ auctoritatis, in dæmoniaca moniali Mediolanensi exemplum, de diuinis rebus sermocinante.

g cap. 14. 10. & seq.

Si compulit hominem DEVS ad veritatem pronunciandam, non sanè dubium est, quin malignè, & maleuolè Dæmon id fecerit, vt admonent quotquot exponunt tum tentationes, quibus callidè CHRISTVM aggressus est[h], tum præclaram testificationem eiusdem de CHRISTI diuinitate, potissimùm Cyprianus[i], Hilarius[k], Maximus[l], Chrysostomus[m], Ambrosius[n] præterea concedit *iussu, ac impulsu* DEI *edi nonnunquam veritatis testimonium à diabolo*: & Augustinus[o] doceri *de quibusdam rebus ab Angelis bonis malos, idque ita nunc euenisse indicat, quando, inquit, spiritus Pythonicus attestatus est Paulo Apostolo, & Euangelista esse conatus est.*

h Matt. 4. 1.
i Serm. de ieiun. & tent.
k in cap. 4. Matth.
l Homil. 4. de tent. Christi.
m Hom. 13. in Matth.
n Serm. 91.
o 2. Genes. ad litte. c. 17. & 2. ad Simplicia. q. 3.

A

Ratio firmior cur Dæmon veritatem prodat.

Illud frequentius, ac testatius, vltrò, ac suopte arbitrio impuros spiritus proloqui, ac diuinitatis æmulatione videri velle etiam diuinare, ac prophetare, eosque quibus aut assident, aut quos obsident, enthusiasmo quodam afflare tum viros, tum fœminas.

a cap.13.2.17.

Dæmon Dei veri simia esse cupit.

b Iud. 5. 1. & seq.

c 4. Reg. 22. 14.

d cap.21.9.

Inuehitur Dominus apud Ezechielem [a] in vtriusque sexus Pseudoprophetas, vbi Hieronymus annotat, *quomodo aduersùs Prophetas alij Pseudoprophetæ inspirabantur diabolico spiritu, vt* D E I *mandata subuerterent: ita aduersùm Prophetissas (qualis fuit Debbora* [b], *& Holda* [c], *& in Actibus Apostolorum* [d] *Philippi Euangelistæ quatuor filiæ prophetantes) inspirabantur diabolico spiritu aliæ eiusdem sexus, quarum fuit Prisca, & Maximilla, quæ vaticinatione mendacij, fidem subuerterunt veritatis. Has autem dicunt,* inquit, Hebræi, *maleficis artibus eruditas per necromantias, & Pythicum spiritum, qualis fuit illa, quæ visa est suscitasse animam Samuelis* [e], *& in Actibus Apostolorum illa, cuius diuinatio multos dominis reditus acquirebat, de qua ad Apostoli Pauli imperium immundus eiectus est spiritus.*

B

e 1. Reg. 28. 7. & seq.

Mulieres ad veneficia proniores quàm viri.

f vers.18.

g part.2.q.6.

h Seneca in Hercul.Oet.

i lib.2.c.86.

k 9. Histor.anim.

l Physiogn.c. 8.

m 5.Insti.cap. 10.

n lib.25.c.2.

o vers.48.

Pronior fœmina ad veneficia, & maleficia, ita vt quod est Exodi 22. [f] *Maleficos non patieris viuere:* Hebraicè legatur genere fœminino, illam ob pronitatem, vt notauit Lyranus [g], & auctor mallei maleficarum, fauétque nominâs venena fœminea Tragicus Poëta [h]. Ratio potest esse, quam dat Philo Melissæ [i], *quia sunt fœminæ inualidæ, quibus autem desunt vires, rem astu, & mala moliuntur arte.* Testatur idipsum Aristoteles, *tum quòd sint magis inuidæ, querulæ, contumeliosæ, impudentes, mendaces* [k], tum quòd magis maleficæ [l]. Fabius [m] prætereà docet *in viro latrocinium, veneficium credi faciliùs in fœmina:* & Plinius [n] scientiam hanc in ea præualere.

C

D E I *excelsi.*] Lege de hoc epitheto D E I caput VII. [o]

Versus 18.] Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine I E S V C H R I S T I exire ab ea. Et exiit eadem hora.

D

Cur Paulus sit passus eam tamdiu contra illum latrare.

HOC *autem faciebat multis diebus.*] Tamdiu passus est Paulus importunam belluam, vt eius posteà conspectior eiectio foret, illustrior victoria, vtilius auditoribus, ac spectatoribus, quamuis à mendace, atque maleuolo, datum veritati testimonium: despexit latratus inanes, nec temerè ad signa patranda prosiliit.

E

Dolens autem Paulus.] Ob puellæ, seu ancillulæ calamitatem, prauam Satanæ voluntatem, fallacem artem magicam, quæ tam multis imponebat. Participium Græcum διαπονηθεὶς, significat *labore, ac molestia grauatum, atque vehementer incitatum, & indignatum.* Ad eundem modum C H R I S T V S, dum eiiceret dæmonia, *ingemiscebat, & increpabat ea* [p], *& imponebat silentium, & comminabatur.*

p Matt.17.17. Marc.1.25.c.3. 12. cap. 7. 34. Luc.4.35. c. 9. 43.

Cur Dæmon de Christo verba nō fecerat.

Conuersus.] Ad ponè, ac retrò subsequentem, nec ferentem aspectum Apostolici vultus.

Præcipio tibi in nomine I E S V C H R I S T I *exire ab ea.*] Callidè Satan de C H R I S T O verba non fecerat, non solùm præ odio singulari execratus nomen ipsius, verùm etiam, quoniam nouerat Gentilibus æquè, ac Iudæis nouum, ac inuisum esse: itaque sibi persuadebat faciliùs persuasurum, si D E I, & quidem *excelsi, cœlestisque,* qui inferioribus præstaret, mentionem ingereret. Vnde cùm ter de C H R I S T O legatur in Euangeliis tulisse testimonium, C H R I S T I tamen nunquàm nomine appellauit.

Cur Paulus Christi nomen interposuerit.

At Paulus longè sapientiùs exprimens I E S V C H R I S T I nomen, docere voluit viam salutis consistere, vitámque ipsam æternam in eo, vt omnes cognoscerent missum à D E O vero, D E V M item verum, I E S V M Saluatorem, & C H R I S T V M, M E S S I A' M ve adeò à Iudæis expetitum, atque expectatum, cuius potentia, solóque nomine impurus spiritus ab vsurpata sede se proripere cogeretur. C H R I S T V M legimus dixisse surdo, ac muto spiritui [q]: *Ego præcipio tibi exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum,* & alios quoque præcipiendo expulisse [r], sed absolutum imperium erat, non in alieno cuiusquam nomine. Paulus, & reliqui non possunt tam authenticè imperare, quippe sub potestate constituti, & diuina non propria virtute nixi. *Non fecit spiritus* C H R I S T V M *Dæmonibus metuendum,* inquit contra Nestorium Cassianus [f], *sed ipse se, cùm in ipsius nomine Dæmones eiicerentur ab Apostolis.*

q Marc.9.24.

r Luc.8.29.

f 6. de Incarnat.c.19.

Dæmonis testimonium recipi non est.

Verùm à Pseudolo testimonium receptum non est, nec ab Apostolo, nec à C H R I S T O iis de causis, quæ superiùs indicatæ sunt: *cum inimico nec verbum miscere voluerunt,* vt de C H R I S T O ait Tertullianus [t]: *nonnisi ab idoneo teste veritas excipitur.* Ita vt præter alias rationes, quare dæmoniacum à se liberatum C H R I S T V S, licèt deprecantem, vt cum illo esset, non admiserit [u], quas Interpretes assignant, præcipuè in Marcum [x] Theophylactus, & Euthymius, atque in Lucam Ambrosius [y], necnon Gregorius [z], hæc quoque haud inuerisimilis censenda sit, ne qua suboriri suspicio posset initi à C H R I S T O fœderis cum Dæmonibus, malarúmve ab eo artium vsurpatarum: & vt nulla turpi insignem nota suo in collegio habere videretur.

t 4. contra Marcio.c.4.

u Luc.8.38.

x cap.5.18.

y cap.8.

z 6. Moral.c. 17.& lib.16.c. 12.

Sana dogmata, inquit Chrysostomus [a], *salutiferáque non à Dæmonibus, sed ex diuina Scriptura licet exactè discere: diaboli verba,* ait Maximus Taurinensis [b], *esse solent, non religionis verba, sed fraudes: & beneficia eius omnibus sunt nocentiora vulneribus,* inquit Leo [c]. *Dum beneficia præstat, magis nocet,* inquit Augustinus [d]: *& veneno incantationum mel interdum nominis* C H R I S T I, *falsique vera admiscet, vt homines assuefaciat illi credere, cum quædam nonnunquam ab ipso vera prolata deprehendunt,* atque ita, vt docet sanctus Thomas [e], *perducat in aliquid humanæ saluti nocuum, huiusmodi quasi esca inescatos,* inquit Euthymius [f].

a Conc. 2. de Lazaro.

b Hom.4.de ient.Cordi.

c Serm.15.de Pass. Domini.

d 8. de Ciuit. Dei c.24.& Tractat. 7.in Ioan.

e 2.2.q.95.art. 4.

f in c.1. Marci.

Magnæ prudentiæ est, sana consilia, vt de religione, si à Dæmone constet immissa, honesto sibi ac diuino proposito fine, quem ille minimè vult, cum D E I gratia, vt idem beatus Thomas [g], amplecti, & arte artem deludere, ac fallere fallentem. Vetat magnoperè D E V S [h], ne *vera etiam prædicenti credamus, si abducat à pietate.* Non enim quia *imago Samuelis mortui Sauli regi vera prænunciauit* [i], vt Christianam doctrinam tradens scribit Augustinus [k], *propterea talia sacrilegia, quibus imago illa præsentata est, minùs execranda sunt: aut quia in Actibus Apostolorum ventriloqua fœmina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini, ideò Paulus Apostolus pepercit spiritui illi, ac non potius fœminam illam Dæmonij correptione, atque exclusione mundauit.*

g Opusc.17.c. 10.ad 4.

h Deut.13.1.& seq.

Dæmoni non prædicenti credendum.

i 1 Reg.28.11. & seq.

k 2. de doct. Christ.c.23.

Chrysostomus [l] item eodem hoc exemplo Pythonicæ ancillæ demonstrat magis cauendos Iu-

l orat.3.cont Iudæos.

dæos

dæos sacris vtentes Scripturis, videlicet tanquàm esca, variáque fraudis materia. Præterea [a] idcirco sicut CHRISTVM, ita & Paulum inhibuisse Dæmonum oracula, quæ permiserat DEVS & Palæstinis [b], & Sauli [c], & iis, quibus ariolus Balaam [d] loquebatur, quoniam præstò erant alia vera signa, & miracula: neque tali ampliùs, ceu erga puerulos quasi συγκαταβάσει, & condescensione vti oportebat.

a idem Hom. 3. in epist. ad Tit.
b 1. Reg. 6.
c 1. Reg. 28.
d Num. 23.

Non debemus quid quis loquatur, sed quis attendere.

Ad extremum discimus, hinc diligenter attendere non quid quis tantùm loquatur, sed quis sit qui loquitur, siquidem à veritatis hoste, & à Satanæ ministro, siue Mago, siue Heretico, qui sine auctoritate docet, nec veritatis doctrina, testimonium, fides, recipienda est. *Diabolus sic mendacij pater est*, inquit Caluinus [e], *vt fallaci prætextu veritatis seipsum tegat, & nusquàm est nocentior hostis, quàm dum se transformat in Angelum lucis. Ita permittit* DEVS *veris diuinationibus vti Dæmonem, vt pios seruet* DEI *gratia, ne irretiantur vnà cum iis, qui* DEO *obsequi, & veritatem amplecti recusant, idque per seipsum, & scripturas suas docendo, &* SPIRITVM *prudentiæ, ac discretionis communicando.*

e in hunc locum.

Caluinus mendacij patris mendax filius verum ex parte dicit.

Oportet mendacem esse memorem, & verum vero consentire. Ex mendaci patre diabolo mendax filius verum dixit de diaboli fucata veritate; at falsum illud, quòd huius rei iudicium quiuis ex Scriptura sacra possit extrahere. *Memoria tenendum est*, ait hic idem alibi [f] (veritatis ipsius, ac suorum etiam immemor mendaciorum) *non modò datam esse nobis à* DEO *Scripturam, sed Interpretes simul, & Doctores esse additos, qui nos adiuuent.* Item [g], cùm protulisset Paulum [h] scribentem datos Ecclesiæ Pastores, & Doctores, hæc subdit, quibus haud alia queant ad ipsummet iugulandum accommodatiora desiderari, *Videmus*, ait, *vt* DEVS, *qui posset momento suos perficere, nolit tamen eos adolescere in virilem ætatem, nisi educatione Ecclesiæ: videmus modum exprimi, quia Pastoribus iniuncta est cœlestis doctrinæ prædicatio. Videmus omnes, ad vnum, cogi in eundem ordinem, vt mansueto & docili spiritu regendos se Doctoribus in hunc vsum creatis permittant.* Lacedæmonij veram ab improbo pronunciatam sententiam, ab alio meliore pronunciari voluerunt, priusquàm illā reciperent [i], & *hoc mendax consequitur, vt nec verum dicenti credatur* [k]: non audiendus ergo mendacij pater [l], nec ex tali patre mendaces filij absque magna cautione. Non dubitauit Lutherus [m] fateri, immò & gloriari se à diabolo ipso, sibi apparente & colloquente, nouæ suæ fidei doctrinam excepisse. Lege quem Serarius noster composuit librum de hoc Lutheri magistro.

f in c. 8. Act. vers. 31.
g 4. Inst. ca. 1. num 5.
h Eph. 4. 11.
i Plut. in apopht. Lacedæ.
k Arist. apud Laert.
l Ioan. 8. 44.
m lib. de Missa angulari.

Versus 19.] Videntes autem domini eius, quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam, perduxerunt in forum ad principes.

Pecunia malorum causa.

VIDENTES *autem domini eius.*] *Vbique malorum causa pecunia*, ait Chrysostomus, exclamans etiam: *O Paganorum inhumanitatem, vt augeant pecuniam, puellam à Dæmone vexari volunt.* Vtinam non inde quæstum sibi quærittent infœlices quidam hoc tempore homuli, aut mulierculæ, siue reuerà dæmonium passæ, siue pati se simulantes. Quid dicam de iis, qui ægrorum, clientum, reorum, tempus extrahendo, nec subitaneum, prout pollent, remediū afferendo, crumenas exanthlant? Quid de aliis, qui nihil non criminosi commini-

A scuntur in illos, qui docendo, vel monendo, iniusta impediunt lucra, qui Dæmones, hoc est, peccatorum occasiones eiiciunt in confessionibus, in publicis priuatísque sermonibus?

Sed maximè deplorandum, magis ordinarium, ac familiare malum, vt à peccato se lethali obsideri, ac possideri plerique patiantur, cuius exuere seruitutem nullo negotio possent, pro vili ac turpi lucello, immò pro ipsa serui sui arbitrij libidine, quòd se, salua tamen liberè operandi potestate, in ferream illam seruitutem inseruit.

Energumenus potest esse Deo charus.

Energumenus esse potest DEO percharus, & inde patientiæ, meritique fructum colligere, vt
B Stagyrij exemplo Chrysostomus ostendit [n], & Ægyptij monachi Sulpitius [o], qui monachus quinquemestri spatio impetrato à DEO, torqueri maluit, quàm vel gloriolæ primos motus, ob vim aduersùs Dæmoniacos, qua pollebat, experiri. Energiam verò peccati quisquis sentit, iustitia excidit, suppliciis æternis obnoxius est, inimicus DEI constituitur.

n libris de Prouident.
o Dial. 1.

Iterum cap. XIX. audiemus concitatam in Paulum turbam propter impeditum sacrilegum quæstum. Scribit Tertullianus [p] de Christianis conqueri solitos *lenones perductores, aquariolos, sicarios, venenarios, magos, ariolos, aruspices, mathematicos.* Per hos facile fuit armari etiam honestiores contra Christianos.

p Apol. c. 42.

C *Apprehendentes Paulum & Silam.*] *De se tacet Lucas*, inquit Hugo, *licèt cum eis fuerit*, vt vitet arrogantiam. De Lucæ modestia non dubito: dubia mihi est propter singularitatem hæc opinio: fortè tunc aberat.

Perduxerunt in forum ad principes.] Εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγοράν, Syr. ונגדו איתיו אנין לשוקא *vangadu aietiu innun leschuka*, id est, *Trahendo adduxerunt eos in plateam.* De foro, ac Principibus Gentilibus absque dubio hîc est sermo: paulò pòst enim Romanos se nominant, qui accusant opponentes se reis Iudæis. Itaque nihil nunc de concione Hebræorum, seu legitima Ecclesia, aut loco ad ius dicen-
D dum, de quo potiùs in capite XIX. & constat eam fuisse portam ciuitatis [q]: immò & ante datam legem, dū viueret Iob [r], sicut & hodiè apud Orientales, portæ nomen in eâdem significatione perseuerat. Cuius rei rationem lege apud Hieronymum [s], & Gregorium [t].

q Psal. 68. 13. Psalm. 126. 5. Prouer. 22. 22. Amos 5. 15. Ruth. 4. 1. Ma. 16. 18. 2. Reg. 15. 2. Zac. 8. 16.
r cap. 31. 21.
s in c. 5. Amos.
t 21. Mor. c. 14.

Forum, vt Latinæ auctores linguæ Festus, Nonius, & alij tradunt, pro iuris, aut nundinationis loco sumitur, licèt conciliabulum magis sæpe, quàm forum diceretur, si nūdinatio celebrabatur, & ius separatim à conciliabulo ageretur, vt fieri quoque voluit Aristoteles [u]. Sed more vetere Italiæ quæstiones tantùm priuatæ in foris aliis, publicæ in vrbe cognoscebantur, nisi quæpiam extra ordinem ratio interueniret, cur aliter fieri
E necesse esset. Quandoque in conciliabulo perinde vt in foro dictum ius testatur Liuius [x], & antiquæ leges.

u 7. Pol. c. 12.
x lib. 39.

Oppida cur in Italia fori nomē tulerint.

Suspicatur, nec sanè leuiter, Sigonius [y], oppida in Italia fori nomen tulisse: vt forum Appij, Cassij, Liuij, Cornelij, Æmilij, Sempronij, Iulij, &c. proptereà quòd vel iuris, vel negotiorum quasi domicilia constituta sunt à Censoribus, aut Prætoribus Romanis, cùm illi vias sternerent, hi bellum gererent, prouinciásve obtinerent, etsi deinde oppidorum formas accepetint, incolis frequentiora & tectis, erant enim priùs fora cuncta sub dio.

y 2. de Ant. iure Italiæ. cap. vlt.

Græci sua item vtramque illam ad rem fora habuerūt, de quibus Dionysius Halicarnassæus [z].

z 4. Antiquitat. Rom.

Persæ nullum pro mercimoniis, sed id solum, quod liberale, ingenuúmve nominat ἀγορὰν ἐλευθέραν. Xenophon [a], Strabo [b], ac Themistius [c], & simile in Thessalia Aristoteles [d]. De illo legendus Brissonius [e], & de omni ratione fori tum iudiciali, tum venalium Petrus Gregorius [f].

a 1. de Cyri instit.
b lib. 15.
c orat. 1.
d 7. Polit. c. 12.
e de Regno Persar. lib. 2.
f lib. 2. de Repub. c. 6. & 8.

Verùm ad rem vt reuertamur, violenti isti ex sacrilegio quæstuosi homines pertrahunt Paulum atque Silam in forum ad principes, hoc est, ad locum iuri destinatum tanquàm ἀγοραίους aliquos, hoc est, *circumforaneos, ac viles personas.*

Versus 20.] Et offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cũ sint Iudæi.

B

ET *offerentes eos Magistratibus.*] Τοῖς στρατηγοῖς. Syrus per Principes versu priore intellexit Primores vrbis. Nomen τῶν ἀρχόντων, generatim significat eos, *qui principatum, imperiúmve obtinent, præsunt, & Magistratum gerunt*, quamuis peculiariter ἄρχων apud Athenienses erat, vt Budæus [g] notat, qui Iudicibus præerat, velut Romæ Pretor, retinuítque hanc vocem Tullius [h]. Sunt verò στρατηγοὶ propriè duces exercitus. Sed aliquando etiam appellantur ita Magistratus. Quocirca probabilis est interpretatio Syra, לאסטרטיגא ולרישא *lasteratige valrische*, id est, *ducibus, ac principibus.* Sicque ἄρχοντες, & Principes ampliorem habebunt significationem.

ἄρχων quid significet.
g in Comm. ling. Græcæ.
h de Fato.

C

Nisi velis per Magistratus intelligere militares, quia dicuntur στρατηγοί; vt postquàm Paulus ac Silas perducti sunt ad principes, hoc est, ad ciuiles Magistratus, his vel annuentibus, vel dissimulantibus, illicò traditi sint Magistratibus militaribus, ceu seditionis, ac læsæ maiestatis rei; aut delati de eodem crimine iuxta vsum forensem verbi προσάγειν, quod hoc loco habetur, prout aliàs diximus.

Hi homines conturbant ciuitatem nostram.] Grauis accusatio, quæ sępiùs posteà in eundem Paulum intentata est, ac deinceps ab omnibus, vel Christiani nominis hostibus, vel pietati infestioribus Iudæis, Paganis, Hæreticis, atque iis, qui sub Catholico nomine politicum, quem vocant, ne dicam atheum, animum gerunt, & ciusdem administrationem. Eodem titulo CHRISTVS odiosè traductus est [i]. Calumniam à CHRISTO, & Catholicis deprecari possumus: non possunt à se Hæretici, quibus cùm nihil seditiosius sit, queruntur, dum seditionis arguuntur, etsi eorum seditioni obuiam eatur, dictitant hoc ipsum facere, esse ab Euangelio peruersè recedere [k].

Accusatio in Christianos seditionis.
i Luc. 23. 5. Ioan. 11. 48.
k ita Caluin. Tractat. de scandalis.

Plenæ sunt Patrum apologiæ pro Christianis ad repellendum ab iis crimen seditionis, & voluit inuidens Christianis Iulianus, teste Nazianzeno [l], gloriosum nomen martyrij, non causa Christianitatis, sed ob flagitia, & proditiones videri Christianos pati. Calumniabatur Gensericus Vandalorum rex Arianus Catholicos Africanos, vt prodit Victor [m], *atque affligebat, quòd literas vltramarinas*, ab hostibus, vt dicebat, suis accepissent de religione, & quòd quia eiusdem essent communionis, cum illis conspirassent, qui parebant Imperio Constantinopolitano. Eodem pacto Maxentium tyrannum tradunt Ecclesiasticæ historiæ, cùm intelligeret in castris Constantini, qui contra se veniebat ex Britannia, multos esse milites Christianos, Romanis fidelibus inde struxisse calumniam, quasi secretis cum hoste molitionibus conspirassent. Nero cùm Vrbem incendit, *ad abolendum rumorem, subdidit reos, & exquisitissimis pœnis affecit*, inquit Tacitus [n], *quos vulgus Christianos appellabat*: & rursum Iulianus incendium templi Daphnitici de cœlo tacti, Christianis adscripsit, vt habent Acta martyris Artemij [o], & Theodoretus [p].

l orat. 1. cont. Iulianum. *Iulianus ob flagitia & proditiones passos Martyres affirmabat.*
m lib. 1. persecut. Vandal.
n lib. 15.
o 20. Octob. in Surio.
p 3. Histor. cap. 10.

Denique, vt ait Tertullianus [q], *Christianum hominem omnium scelerum reum Gentiles, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum existimabant, publicum etiam hostem, omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi causam, si Tiberis ascenderet, si Nilus non ascenderet in arua, si cœlum staret, si terra moueret, si fames, si lues esset.*

q Apol. c. 2. & 35. & 40. *Quot & quanta scelera Christianis imponerentur à Gentilibus.*

His habet similia Origenes [r], & Augustinus ad egregium opus de Ciuitate DEI componendum, ea de causa impulsus est, atque Tractatum de excidio Vrbis. Arnobius hinc scribendi sumpsit argumentum. Sed & Maximinus Imperator in edicto contra Christianos, hoc de Christianis rescripsit, vt est apud Eusebium [s]. *Ipsam sacræ* EVCHARISTIÆ *communicationem interpretabantur symbolum coniurationis*, sicut sanguinis poculo [t] Catilina sibi coniuratos deuinxerat, vt memorat inter Apologiographos nostros Minutius [u].

r Tom. 18. in Ioan. & 3. cont. Celsum.
s lib. 9. Histor. Eccl. c. 4.
t Salluſt. in Catilina.

Cùm sint Iudæi.] Odiosum nomen Iudæorum toto orbe, atque infame, ita vt post Ierosolymitanam cladem nunquàm Romano dignati sint nomine, quemadmodum ceteræ Romanis gentes associatæ, vt indicat Augustinus [x]. Sæpe Christiani ipsi primis potissimùm seculis, Iudæi habiti sunt, vel ad ignominiam sic appellati: & cùm Claudij edicto pulsi sunt ex Vrbe, vt Suetonius [y] narrat (immò & Lucas noster [z]) & post eum Historici alij tum nostri [a], tum Iudæi [b].

u in Octauio. *Iudæorum nomen infame.*
x in Psal. 58. in id: Ne occidas eos.
y in Claudio c. 25.
z Act. 18. 2.
a vt Euseb. Oros. &c.
b Iosephus, Philo, &c.

Hoc modo Clementem Dio [c], ac Domitillam à Domitiano, quamuis vtriusque propinquo, morte affectos *prodit ob crimen ἀθεότητος, cùm eius rei causa multi, qui in mores Iudæorum transierant, damnati essent.* Romæ enim hoc tempore, ac vbique nihil vilius & contemptius Iudæis, vt Martialis ac Iuuenalis testantur. Ex quibus etiam ille solitus in carpendis nominatim moribus, nominibus vti suppotititiis [d], quoniam Christianum nomen odiosum erat [e], *Christillam, Christinam*, Chrestum (impiè vel inscienter pro CHRISTO) exagitat. Quò pertinet illud Suetonij [f] de Claudio, *quòd hic Iudæos impulsore Chresto assiduè tumultuantes, Roma expulit.*

c in Domitiano.
Christiani falsis nominibus ab impiis notati.
d vt lib. 4. epig. 4. & 11.
e lib. 4. epig. 4.
f in Claudio. c. 25.

Sed ludibrij causa id nomen communicabatur abiicientibus Deorum superstitionem: & è Iudæis Christiani descenderant. Vnde fiebat quoque, vt eadem in Christianos conuitia regererentur, quæ vsurpabantur de Iudæis, *vt asinini capitis adoratio*; de illis enim id Apion [g] iactauit, & Tacitus [h], & Plutarchus [i], & apud Epiphanium [k] Gnostici: de Christianis illi, quos memorat Tertullianus [l]. Hæc item causa est, vt Adrianus Imperator Iudæis infensissimus, Christianos etiam ab iisdem prognatos, & nomenclaturæ eodem sæpe notatos durissimè sibi persequendos censuerit, sicut Apologiæ testantur, quas tunc ediderunt Aristides & Quadratus. Is autem, quem dixi Domitianus, inspici Iudæos imperabat, à quibus grauissima tributa exigebat, an essent circumcisi: cui rei explorandæ refert Suetonius [m] frequentissimo concilio se adolescentulum interfuisse, dum nonagenarius senex inspiceretur.

g apud Iosephum 2. cont. Apion. c. 10.
h apud Tertull. in Apolog. c. 16. & 16.
Adrianus cur Christianos persecutus.
i in 4. Sympos. q. 5.
k Hære. 26.
l supra, & c. 7.
m in Domitiano c. 12.

Versus

Versus 21.] Et annunciant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cùm simus Romani.

A

ET *annunciant morem, quem non licet nobis suscipere.*] Iam dixi Philippenses colonos fuisse Romanorum, ac Romano proinde iure, legéque vixisse: erat autem, vt Beda hîc admonet, & Lyranus, & Carthusianus, necnon Scholastica Historia [a], iam decretum à Romanis, *ne quis* DEVS *reciperetur nisi approbante Senatu.* Huc nimirum pertinet quod post Tertullianum [b] Eusebius [c], Orosius [d], Gregorius Turonensis [e], & Chrysostomus [f], aliíque recitant, *cùm Tiberius lecta Pilati de* CHRISTO *epistola retulisset de eo ad Senatum, cum prærogatiua suffragij sui, quia ipse non probauerat, seu priùs eum Imperator, quàm suffragium ferret, non consuluerat, respuisse cum ira.*

a in Act.c.17. *Decretum Romanorum circa nouas religiones.* b in Apol.c.5. & 21. c 2.Hist.ca.2. d lib.7.cap.4. e lib.1.Hist.c.24. f Hom.66.ad pop. Antioche.

B

Noluit videlicet CHRISTVS coli cum falsis Diis, frustráque id etiam posteà sunt conati, vt scribit Lampridius, Adrianus, & Seuerus. Rectè verò idem Tertullianus, quod est ad rem etiam præsentem accommodatum: *Facit & hoc ad causam nostram, quod apud vos, ac humano arbitratu diuinitas pensitatur. Nisi homini* DEVS *placuerit,* DEVS *non erit: homo iam* DEO *propitius esse debebit.* Eodem ferè pacto ludit Chrysostomus, iam citatus, aitque Romanis nolentibus dispensatum esse, vt pro DEO CHRISTVS coleretur. Ex Pontificum libris veterum Romanorum Petrus Crinitus [g] descripsit has leges, siue decreta.

Christus cum falsis diis coli noluit.

C

Separatim nemo sit habẽs Deos nouos, siue aduenas,
Nisi publicè ascitos priuatim colunto.
Diuos, qui cœlestes semper habiti, colunto.
Constructa à Patribus delubra habento.

g 11.de honestat. discipli. cap.1.

Extat & illud Vlpiani [h]: *Deos hæredes instituere non possumus, præter eos, quos Senatusconsulto & constitutionibus Principum instituere concessum est.* De nouandis item sacris, & in Vrbe publicè recipiendis Cicero [i] meminit, & Dionysius Halicarnassæus [k], in Actis quoque Appollinaris Martyris [l] est, ipsi Messalinum vicarium respondisse, cùm suaderet, vt CHRISTVM coleret; *Tu mihi persuadere non potes, vt ego Deos se iuar ignotos, qui à Senatu præcepti nõ sunt.* Disserit eruditè de hac re Petrus Faber [m].

h in vetustis inst. frag. tit. 22. Qui hære. instit. poss. i 2.de legib. k lib.1 Ant. l apud Suriũ Tõ.4.23.Iul.

D

Certum est Romanos initio vnica religione coaluisse, exteras reiecisse, ita vt nec ferrẽt Numæ libros, quos defossos inuenerant euulgari [n]: posteà peregrina coluisse numina, quæ Romam à deuictis vrbibus euecta, euocatáque erant [o].

m lib.3.Sem. cap.1. *Romani initio vnius religionis cultores.* n Liuius, & Valerius. o Macrob.lib. 3.c.9. p Prudentius 2. contra Symmach. *Christiani Deũ non colunt, nisi quem Ecclesia proponit.*

Non colit Christianus, nisi quem ei proponũt DEVM homines, qui Ecclesiam componunt. Sed huiusmodi homines, qui non suo res æstimant arbitrio, sed SPIRITVS, quo reguntur, sancti afflatu; ad quod credendum certis inductionibus impelluntur, & vt quo par est modo credant, eiusdem diuinæ inspirationis auxilio adiuuantur: sicque non quia homini DEVS placet, DEVS est, sed quoniam DEO placuit nobis manifestare seipsum, DEVS esse à nobis creditur, & non DEO homo, sed DEVS homini extitit propitius.

E

Nouos mores, ac ritus ad religionem pertinentes, de DEO dogmata noua cognoscere, ac iudicare, ad Ecclesiam spectat, hoc est, ad visibiles legitimos ministros eius, in primis autem ad omnium caput Romanum Pontificem. Cùm ille, & Patres, & nos premimus tali argumento Hæreticos: *hoc in generali Concilio decretum est, magis recepta est opinio, quàm vt fas sit dubitare: hoc diutinus vsus approbauit: hoc plusquàm mille seculorũ consensu sancitum est,* malè habet Caluinum, qui hîc obseruat, perinde id esse, atque cũ Philippenses isti profani præiudicio nitebantur, ne causa veniret in disputationem.

Haud certè validius telum habet in armario suo Ecclesia præscriptione, ac illo, vt Caluinus vocat, præiudicio, per quod nihil de diuini verbi, DEIque legum auctoritate, vt religiosus homo valdè queritur, domi sustinemus, sed asserimus verbum DEI, legésque ipsius meliùs intellectas, puriùs creditas, saniùs traditas ab Oecumenicis Conciliis, à tot seculorum præcessoribus, Patribus, Episcopis, Doctoribus, quos posuit in Ecclesia sua DEVS pastores, & iudices, quàm ab Hæreticis præcisis ab Ecclesiæ radice, & de gremio eius eiectis.

Validissimum contra hæreticos telum præscriptio.

Perpuràm, Caluine, ab idololatris ad Christianos, Christianorumque tot abhinc seculis magistros, ab Apostolica recenti prædicatione ad nouellam hæresim tuam argumentaris. Adi lector Tertullianum [p], Cyprianum [q], Hieronymum [r], Optatum [s], Hilarium [t], Augustinum [u], & ex Græcis Irenæum [x], Nazianzenum [y], Basilium [z], aliósque permultos: deprehendes quantùm in hac ratione momenti constituant aduersùs omnes, vel Hæreticos, vel Schismaticos.

p lib. de præs. & libr. contr. Herm.in principio. q lib. de vni. Eccle. r con. Lucife. & ep.ad Oce. & Pam. s lib.2. t lib. de Syn. u epist.42. x lib. 3. c.3. & 4. y ep.ad Cled. z epist.72.

Versus 22.] Et cucurrit plebs aduersus eos, & magistratus, scissis tunicis eorum, iusserunt eos virgis cædi.

ET *cucurrit plebs aduersùs eos.*] Καὶ συνεπέστη ὁ ὄχλος κατ' αὐτῶν. Syrus, וכנשא סגיא אתכנש עליהון *vechanscha suggia ethchannasch bhallehun,* id est, *turba item plurima coacta est aduersùs eos.* Græcum verbum significat vnà simulque insurgere: sicut in capite 18. [a] *κατεπέστησαν ὁμοθυμαδὸν οἱ Ἰουδαῖοι τῷ Παύλῳ,* habet eandem significationem, addito aduerbio, *insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum.* Lucas Brugensis [b] testatur in melioribus codicibus esse, *concurrit*: legi & ipse non paucos, etiam ex manuscriptis, nec inueni, qui aliter haberet, quàm nos in emendatis Bibliis.

a vers.12. b in Notat.

Et Magistratus scissis tunicis eorum.] Pronomen αὐτῶν cum spiritu leni gignit homonymiam, vt nescias, an sciderint Magistratus suas proprias vestes, an Pauli, & Silæ. De his intellexit Historia Scholastica [c], & Lyranus, & Hugo, & Carthusianus. Quidam codices Latini legunt, *suis,* quasi referant ad Magistratus: atque ita reddidit Clarius, & Vatablus: & Interpres Chrysostomi multò clariùs expressit hunc sensum.

c in Act.c.17. *Quorum vestes lacerata sint.*

In capite XIV, [d] docui vtrumque interdum factum, vt & ad execrationem facinoris alieni, præcipuè contra DEVM, proprias quis vestes laceraret: & criminosis lacerari etiam iuberentur ad ignominiam, atque expeditiorem flagellationem: qua etiam de re consule Brissonium in Formulis [e].

d vers.13. e lib.5.

Placet tamen magis, vt de scissis Pauli, Silæque tunicis præsentem locum accipiamus. Nam ita pluribus Interpretibus videtur: quæ ratio mouit etiam Brugensem, & mos Romanis receptus: quo argumento ducitur Petrus Faber [f], & magis congruit congruæ Latinitati.

f 2.Semest.c.10.

Quanquàm concedo non semper curæ esse Interpreti huiusmodi cõgnitatem, & non semel confundere vsum pronominum: eò quòd apud Hebræos non est proprietas nominis reciproci *suus,* &c. quæ apud Latinos, apud quos, propriè loquẽdo, aliud est, *tunicis eorum,* & *tunicis suis.* Hinc

Vsus pronominis suus, & eius, apud Hebræos confunditur.

A est quod in Psalmo 24. dicitur [a] : *Libera* DEVS *Israël ex omnibus tribulationibus suis.* in 129. [b] *Ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius* : cùm vtrobique sit idem pronomen Hebræum. Adhæc in Psalmo 103. [c] *Omnia à te expectant, vt des illis escam*, id est, sibi. Prætereà noster in Lucæ Euangelio [d] Interpres ita vertit ; *Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui*, & paulò pòst [e] :*Sicut locutus est per os Sanctorum , qui à seculo sunt Prophetarum eius*, id est, suorum. Item [f] : *Dispersit superbos mente cordis sui* , id est, eorum ; sicut etiam legunt, canúntque Ambrosiani.

Insserunt eos virgis cædi.] Ῥαβδίζειν. Paulus meminit se ter virgis cæsum [g] , & contumeliis affectum Philippis [h] , vbi nunc scilicet virgas passus est. Apostolos cæsos esse narratur capite quinto [i] , sed videlicet Iudæorum ritu : nunc autem Paulus Romano more, quem distinxisse voluit, dum cum virgis adiunxit [k] : *A Iudæis quinquies , quadragenas vna minùs accepi.* Euangelia quoque omnia tradunt de flagellato CHRISTO per sententiam Romani Præsidis. De omni hoc genere supplicij præter Interpretes Euangeliorum , Tractatoré sque Passionis CHRISTI agunt diligenter in operibus de Cruce Lipsius, & Gretserus , Petrus etiam Faber in Semestribus [l] , ac Petrus Gregorius [m] , & Petrus Crinitus [n].

C Verberatio generale nomen est comprehendens fustuarium, virgas, flagellationem: ex quibus prima species honestior , seu vite fieret (Centurionum insigne erat vitis , Græcè κλῆμα [o] , quod quidam [p] minùs rectè interpretantur gradum, & ascensum, quasi esse κλίμα, vel κλίμαξ, vt bene obseruat Lælius Bisciola noster [q] , & eâ milites cædebant) seu alio bacillo vel baculo : inhonestissima flagellatio, atque acerbissima loris , funiculísve, quæ sæpe talis , officulísve, aut taxillis, aut stellulis exasperabantur. Adhiberi in ciuem Romanum , nisi cùm lata esset in eum mortis sententia, vel virgæ , vel flagella non poterant lege Porcia, atque etiam Valeria [r] : sed & à fustuario exempti quoque sunt honestiores per Principum rescripta [s]. Hoc quidam existimant significare Paulum

D voluisse , quando tum hîc [t] , tum in capite 22. [u] conquestus est , *quòd indemnatum virgis , flagellisve afficerent* , hoc est, non damnatum capitali sententia, sed de hoc sensu posteà.

Cùm igitur mortis præambula non erat verberatio , nominabatur coërcitio [x] , castigatio [y] , admonitio [z] , obiurgatio [a] , & Græcè νυθεσία [b] , κόλασις, παραίνεσις, καὶ παίδευσις. Hac vltima dictione, seu verbo παιδεύειν, ex quo illa deducitur, Lucas [c] vtitur , inducens Pilatum dicentem de CHRISTO: *Emendatum ergo illum dimittam: corripiam ergo illum , & dimittam.* Vnde, vt id obiter dicam, inferunt Chrysostomus [d] , Cyrillus Alexandrinus [e] ,

E Augustinus [f] , & alij, dirissimè flagellatum à Pilato CHRISTVM , vt sic satiata Iudæorum rabies mortem vrgere desisteret.

Vtrùm verberandi toto nudarentur corpore, vt toto verberationem exciperent, incompertum habeo. Hinc honestas quominùs credam facit: hinc exemplum in CHRISTO editum , cùm flagellatus est , contrà suadet : nudum enim totum picturæ exhibet, & communis opinio, fulta etiam reuelatione [g], illo prætereà argumento; quoniam vt honestati consuleretur , suspendiosos, qui nudi toti dependebant, priùs dilacerari, ac fœdè cruentari conueniebat. Ex monumentis Romanorum habemus duntaxat, detractionem vestium , & al-

a vers. 42. b vers. vlt. c vers. 17. d cap. 1. 69. e ibidem 70. f ibidem 51. g 2. Cor. 11. 25. h 1. Thess. 2. 2. i vers. 40. k 2. Cor. 11. 24. l lib. 2. cap. 6. m 31. Syntag. cap. 11. n lib. 22. ca. 2. *Verberatio generale nomen quid comprehendat.* o Eus. 7 Hist. c. 14. vel 15. cù de Marino mart. p Baro. tom. 2. Annal. q 2. hor. subs. cap. 15. r Cic. Verr. 5. & Orat. pro C. Rabirio. Liuius 1. Dec. lib. 10. Sallu in orat. Cæs. Plut. in Cæs. s l. capitalium ff. de pœnis. t vers. 27. u vers. 25. x l. 7. §. præter cà l. 11 §. quà quàm. ff. de in iur. y l. 1. §. 1. l. vlt. ff. de offic. Præf. vig. l. z l. 7 ff de pœnis. & Seneca lib. 1. de Cle. c. 14. Nonni. & alij apud Brisson. in Le xi. a Seneca 3. de Ira. c. 12. Suet. in Caligula. c. 20. in Othone. cap 2. b Plut. in Sertorio. & de his omnibus præter vltim. Gell. lib. 6. ca. 14. c Luc. 23. 16. 22. d Hom 84. in Mat. e lib 12 in Io. cap. f Tract. 106. in Ioan. g Brigid. lib. 1. reuel. c. 10. & 27. & lib. 4. c. 70.

A ligationem manuum, crurúmque [h] ad palum, aut columnam , quam etiam sontes complectebantur , facie ad illam versa , dorsóque verberibus exposito.

Non dubito, cum CHRISTO sine modo, sine lege, sine more actum, at non Iudaicè verberatum, nempe prostrato corpore [i], sed iuxta consuetudinem Romanorum, obseruat Victor Antiochenus [k] . Et de columna recepta traditio est, tot grauissimorum etiam Auctorum firmata testimonio [l], inter quos Prudentius meminit aduersi tergi:

——Atque columnæ
Annexus tergum dedit, vt seruile flagellis.

B Quem versum repetit Amænus [m] , Poëta item Christianus. Itaque licèt Paulo, ac Silæ scissæ nunc sint vestes, non sic tamen, vt omninò intectos relinquerent: quemadmodum neque cùm ad ignominiam verberonum aliorum indumenta, vt capite decimoquarto [n] docuimus, lacerarentur.

Hic cum Chrysostomo mirabundus considera Philippensium vesanum furorem , qui quos, ob eiectum Dæmonem, veneratione prosequi oportebat velut benefactores , ac seruatores, Diísque ipsis, quos ipsi colerent, superiores, & facultate præditos, opibus, pecuniísque longè meliore, acti quodammodò ab eo Dæmone, qui eiectus erat,

C tanquam læsæ reos maiestatis inauditos rapiunt, vexant, cædunt ; & qui Dæmonis sententia pronunciantur annunciatores salutis, hos Reipublicæ perturbatores, & nouorum satores morum inclamant, addicti auaritiæ, *quæ seruitus quædam est idolorum* [o] .

Vide etiam Apostolos incredibili mansuetudine nihil responsantes, nec defensionis verbum vllum edentes, non de diuina erga se prouidentia quiritantes.

Versus 23.] Et cùm multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi vt diligenter custodiret eos.

D

ET *cùm multas plagas eis imposuissent.*] Syrus, וכד נגדו אנון סגי *vechad negedu innun sagi*, id est, *Cùmque multùm eos flagellassent.* Multas fuisse plagas necesse est, quas carceris custos deinde lauit [p]; ita vt verè etiam Apostolus dixerit [q] : *In plagis supra modum.*

Plaga à vulnere, πληγὴ ἀπὸ τοῦ τραύματος, differt , quòd illa ex pugnis, aut verberibus existit: confunditur tamen vtriusque interdum significatio. Fieri potest, vt in tanto tumultu, præter lictorum virgas, aliorum pugni, calces, fustes interuenerint. Chrysostomus vult plagas lictorum fuisse,

E quas Magistratus infligi præciperent ad sistendum popularem furorem. Id si est, iam à concurrente, & irruente populo malè tractati erant.

Præcipientes custodi.] Δεσμοφύλακι, quasi δεσμίων φύλακι, *vinctorum custodi.* Commentariensem Latini vocant, quòd in commentariolo scribere soleret coniectos in carcerem [r] . Fidum requirunt leges, cui committatur talis custodia, ac minimè suspectum. Idcirco enim Theodosius, & Valentinianus hæreticos custodes esse carceris prohibent, *ne Christiani*, inquiunt [s], *vt fieri solet, nonnunquam obstrusi custodum odiis, alterum carcerem*, hoc est, interiorem, arctiorémque *patiantur*; incertum, an iure videantur inclusi.

h Gell. lib. 10. cap. 3. i Deut. 25. 2. k in cap. 15. Marc. l Prudent. in nouo Testa. Hiero. ad Eustoc. de Paula. Paulin. ep. 34. Turonens. de glor. Marty. c. 11. Beda de locis, c. 3. Nicepho. 1. Hist. cap. 30. m in Enchirid. vtriusque Testa. Tom. 1. Bibliothec. Patr. n vers. 13. *Philippensium vesania.* o Galat. 5. 20. p vers. 33. q 2. Cor. 11. 23. *Plaga à vulnere in quo differat.* r in titul. de cust. reor. ff. *Custodes carceris quales esse debeant.* s tit. 3. de Iud. in lib. Nouellar. Theodosij.

Vt diligenter custodiret eos.] Ἀσφαλῶς, tutò, & summa cautione. Verebantur, ne aliquo modo elaberentur, vel gratia, vel fauore alterius, vel aliqua vi magica; sibi verò illorum subire vicem conueniret.

Versus 24.] **Qui cùm tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.**

IN *interiorem carcerem.*] Εἰς τὴν ἐσωτέραν φυλακήν. Syriacus, בביתא גויא דבית אסירא *bebaietha gauaiia debeth asira*, id est, *in intimum locum carceris*, seu *domus vinctorum*. In carcere interior solet esse, tutiórque custodia, quæ Italicè vocatur *Gamazone*, Gallicè, *Cachot*, ou *Croton*. Sedes infima, vel intima à Constantino [a]: alter carcer ab aliis iam citatis Imperatoribus Theodosio, & Valentiniano. Erat apud veteres depressior adhuc locus pro capitaliter damnatis; id appellabant Romani *Tullianum*, à Tullo Romanorum Rege; & *Barathrum*, & *Latomias*, seu *Lautumias*; posteriores duas voces ab Atheniensibus, & Syracusanis mutuati. Tales & apud Lacedæmonios *Ceada*: apud Cysicenos *profundum maris*: apud Carthaginenses *Ancon*, vt Faber notat [b]. Prudentius [c] verò quosdam *quasi inferos*, comparatione carceris superioris. Cassiodorus [d] porrò & *inferos*, & *auernum* nominans, addit hæc epithetha: *Cellam gemituum, tristitiæ domum, apud superos Plutonis hospitium, locum perpetua nocte cæcatum.* Sallustius [e] Tullianum ita describit: *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, vbi paululum ascenderis ad leuam, circiter duodecim pedes humi depressus: eum muniunt vndique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus iuncta; sed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis eius facies est.*

a l. 1. C. de cust. reor. *Carcerum varia genera.*
b 2. Sem. c. 7.
c in Hymno S. Vincent.
d 12. Variar.
e in coniur. Catilinæ.

Inhibitus videtur eiusmodi vsus custodiæ à Constantino, quem antè protulimus, ea opinor de causa, ob quam Vlpianus [f] cauit, (etsi variatum hac in re est) *ne quis carcere perpetuò damnaretur*: quòd carcer non ad puniēdum, sed ad custodiendum sit institutus, vt dum in suspenso est animus iudicantium, interim rei delati sub tuta custodia retineantur, sine pœna tamen: nam innocentibus id esset miserum, nocentibus autem non satis seuerum [g]. Lege Alexandrum ab Alexandro [h], cum Tiraquello, Cœlium Rhodiginum [i], & Petrum Gregorium [k], & Baronium [l], & Suidam [m].

f l. aut damnum. §. solet. ff. de pœn. *Carcer non ad puniendum, sed ad custodiendū institutus.*

Et pedes eorum strinxit ligno.] Καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον, *Tutos, securósque reddidit in lignum*; nempe coniiciendo, ligno stringendo diligenter, & cautè, quo de fuga eorum esset securior.

g l. 1. de cust. reor. C.
h lib. 3. c. 5.
i lib. 17. c. 8. & 9.
k lib. 31. Synt. cap. 13.
l in Notis 14. Martij, & 20. Septembr.
m verbo, *Barathrum.* *Vincula pedum quæ fuerīt & quomodo dicantur.*

De ligno isto, quam etiam vocant *numellam*, & *cippum*, & *robur*: generalia verò nomina sunt, aut non significantia lignea vincula, *pedicarum, compedum, boiarum, neruorum, torquium*; etsi de neruis quidam putant, de quibus Pineda [n], Prudentius [o] mentionem fecit, agens de barathro:

In hoc barathrum conicit
Truculentus hostis Martyrem,
Lignóque plantas inserit
Diuaricatis cruribus.

n in c. 13. Iob. vers. 27. nu. 3.
o in Hymno de S. Vincen.

Hoc etiam instrumento canes alligabantur, vt ait Festus [p], ac Varro [q], & maiora alia animalia, verbi gratia, boues, vt Columella [r]. In Martyrum actis cippus crebrò inuenitur, de quo etiam Turonensis [s]. Custodia, seu carcer sine vinculis sua natura est, & si is tutus sit, nec atrociora crimina, & de iis reus, nondum conuictus, neque catenæ, aliáve vincula, neque, quā vocāt, mala mansio, adhibētur.

p de ling. Lat. lib. 4.
q 2. de re rust. cap. 9.
r lib. 6. c. 19. & lib. 7. c. 3.
s Hist. cap. 4.

A Malæ mansionis Labeo [t] in hoc sensu meminit, atque Vlpianus [u]. Persimilis modus exponendi lignum istud, quod expressit Lucas, habetur in Ecloga Basilicorum librorum [x]: Τὸ ἐμβαλεῖν τοὺς πόδας ξύλῳ, *Inicere pedes ligno*. Ἐπὶ τροχῷ κατατείνειν, καὶ ἐπὶ τῷ ξύλῳ στρεβλοῦσθαι, *In rota extendere, & in ligno contorquere, ac stringere.* Et apud Plutarchum [y] reperiūtur πόδες ἐν τῷ ξύλῳ δεδεμένοι, *Pedes in ligno vincti.* Apud Lucianum [z]: Τὰ σκέλη ἐν τῷ ξύλῳ κατακεκλεισμένα ποδοκάκῃ, *Crura in ligno inclusa, quæ vocatur* ποδοκάκη, id est, *cippus*, qui & alio nomine Græcè vocatur ποδοστράβη. Auctor autem ad Herennium [a], *solas lineas* nominat. *Denique*, inquit idem

Malæ mansio quæ sit.
t l. 15. § qu de iniur. lib. 47. P. tit. 10.
u l. si hominē deposit. li. 16. P. tit. 3.
x cap. 31. & li. 60.
y de Deo Socra.
z in Toxac.

B Vlpianus [b], *verum est, in carcere clausum non videri, neque vinctum, neque in vinculis esse, nisi corpori eius sint vincula adhibita.* Tam sollicita, & arcta custodia facit ad augendam, atque illustrandam liberantis potentiam.

a lib. 1.
b l. verum est. 218. de verb. signific.

Versus 25.] **Media autem nocte Paulus, & Silas orantes, laudabant DEVM: & audiebant eos, qui in custodia erant.**

MEDIA *autem nocte Paulus, & Silas orantes.*] Προσευχόμενοι. Melius est, *orantes*, quàm, vt in nonnullis codicibus, *adorantes*. Fortasse qui *Adorantes*, posuerunt, rationem habuerunt præpositionis πρὸς: sed eadem est vis compositi, & simplicis verbi: nec reperitur προσεύχεσθαι, pro *adorare*.

C Hæc vigilia, & hæc oratio, lāusque DEI, denotant in patiendo singularem alacritatem, ac voluptatem. Petri autem in carcere etiam somnus [c] liberum, pacatúmque, ac omni solutum cura animum. Tenenda videlicet, atque comprimenda iudicia, ne temerè prorumpant.

c Act. 12. 6.

Egregium porrò hîc extat exemplum orationis nocturnæ, quam solemniter Ecclesia celebrat: quod non Interpretes solùm notauerunt, sed Hilarius [d] quoque, Hieronymus [e], qui ait, *tota nocte vigilasse*, vt & hoc loco Chrysostomus, Athanasius [f], Basilius [g], denique ipsamet Ecclesia in Hymno matutinali Feriæ quartæ:

D *Mentes, manúsque tollimus,*
Propheta [h] *sicut noctibus*
Nobis gerendum præcipit,
Paulúsque gestis censuit.

Nocturnæ orationis exemplū.
d in Ps. 118. in id: *Media nocte surge. ham.*
e epist. 53.
f de virgin.
g Reg. 37. ex fusis, & in Serm. ascet.
h in Psa. 118.

De prærogatiuis mediæ noctis idem Hieronymus, & Hilarius [i], & alia quædam collegit Ioannes Stephanus Durantus [k], disputans de vsu vigiliarum, & de Horis Canonicis, & Marcellus Francolinus [l], & Bellarminus [m], & Baronius [n], & Nauarrus [o], & Ioannes Azor [p].

Præterea carcer, & quiuis locus orationi non est incongruus, vt aliàs [q] etiam admonui; tametsi multò conuenientior is, qui hunc in vsum propriè deputatus, & consecratus est.

i in Psa. 118.
k 3. de ritib. Eccl. c. 4. 5. 6.
l de Horis Canoni. cap. 2.
m Tom. 3. lib. 1. de bon. ope. c. 11. & seq.
n Tom. 1. Annal. & in Notis Martyr. 5. Ianuar.
o 1. de orat. & Hor. Can.
p in Inst. mor. lib. 10. cap. 2.
q cap. 2. 46.

Laudabant DEVM.] Ὕμνουν τὸν ΘΕΟΝ. Syrus, ומשבחין *vmischebachin*, id est, *Glorificantes*, supple,

E *erant, & glorificabant.* Hilarius [r] citans hunc locum, vtitur verbo psallendi. Cyprianus [s] exponit, *Gratias agere*, inde confirmans, *nunquàm mussitandum; sed circa omnia, quæ accidunt, benedicendum* DEVM. Beda, & Historia Scholastica [t] de cantu arbitrantur. Possumus plurium Martyrum exemplis idem illustrare, qui in ipsis tormentis diuinas laudes celebrabant.

Extat hîc etiam vestigium nonnullum cantus Ecclesiastici, de quo iidem consulendi Auctores, quos paulò antè citauimus [u]. Quanquàm non puto modulato nunc hymno vsos Apostolos: &

r suprà in Ps. 118.
s lib. 3 ad Quirin. cap. 14.
t cap. 83.
Cantus Ecclesiastici vestigium.
u præsertim Baron. tom. 1. & Bellar. 1. de bonis oper. c. 6. & Ioann. Steph. Duran. 1. de ritib. Eccles. cap. 21.

ὑμνεῖν; est simpliciter *laudes prædicare*, etiam sine cantu.

Oratio vocalis bona est, & publica maximè.

Potiùs hinc sequitur, bonum esse vocalis orationis vsum. Subditur enim, *Quòd audiebant eos, qui in custodia erant.* Quod maximè verum est de publica oratione, quæ fit Ecclesiæ nomine, qui sunt quidam *vituli labiorum* [a], & *sacrificium laudis* [b].

a Heb.vlt.15. b Psa.49.23.

Musica pia in templis vsus.

Superfluum est ἀμύνειν, refellere, & morosiores musicæ piæ, ac modestæ insectatores. Id faciunt iam laudati à me post Ambrosium [c], Augustinum [d], Petrum Cluniacensem [e], Beatum Thomam [f], Vvaldensem [g], Basilium [h]. Et de vtilitatibus sacræ cantilenæ, præter istos, & alios multa, sed paucis verbis affert Iustinus [i], & se Augustinus [k] expertum refert. Nescio an hominis dignus nomine haberi queat, quem non demulcent harmonici soni. Constat, vt fabulosa prætereantur de saxis, & inanimatis aliis rebus quadam veluti gestientibus lætitia ad suauitatem concentus, feras ipsas mansuefieri, & delectari [l], Dæmones abigi [m], furentes homines compesci, ebrietatem curari, pestilentiam extirpari, DEVM quasi delectatum Vates suos spiritu diuino implere [n]. Veteres Philosophos non modò mundum maximè inferiorem edere musicum sonum voluisse [o], sed leges, vt cùm vocis dulcedine libentiùs, tenaciùsque in animis exciperentur ad numerum decantari: ob idque νόμους appellasse [p], perinde vt qui dicti sunt νόμοι Euripidis, vel Terpandri.

c Tract. de tradend. Basil. d 2. Retract. c. 11. & lib. 1. ca. 19 & epi. 119. cap. 18. e epi. ad Episcopos. f 2. 2. q. 111. ar. 2. g Tom. 3. ti. 2. h ep. 63. & 69. i quæst. 107. k lib. 9. Conf. c. 6. & 7. & li. 10. cap. 33. l Plut. de musica. m 1. Reg. 16. 23. n 4. Reg. 3. 15. *De laudibus musica.* o vt Pythago. & Plato. p Aristot. sect. 19. Proble. in 28.

Anteas Rex Scytharum, quia Scytha, & monstrum hominis, non homo; equi præferebat hinnitum canoro, & ad musicam artem facto sono, quem Ismenias pulsandi peritissimus edebat [q]. Archidamas Lacedæmonius cantorem omni indignum præmio censebat, & sibi coquum homo abiecti, ac pecorini animi, loco cantoris [r] esse affirmabat. Ægyptij [s] musicam nociuam ducebant, tanquàm virorum animos effœminantem. Quid plura? nolim enim hanc illicem voluptatem nimis me remorari.

q Plutarc. in Apoph. Impe. & de fortuna Rom. *Exempla eorū, qui musicam nō probarunt.* r Rhod. lib. 9. cap 1. s Diod. Sicul. lib. 2. c. 3.

Quemcunque non amat Iupiter, ait Pindarus [t],
vocem auersatur Pieridum.

t in Pythiis.

Lege in Politicis Aristotelem [u], & Boëtium de musica, & quæ fusiùs ipse tractaui in enarratione Antiphonæ, *Regina cæli lætare*, vbi omni testimoniorum, & rationum genere hoc argumentum illustraui, & comprobaui. Adi, si lubet, eos etiam, quos citat Tiraquellus [x].

u lib. 8. cap. 5. x de nobili. c. 34. n. 10. & in lib. 2. Alexan ab Alex. c. 25.

Et audiebant eos, qui in custodia erant.] Οἱ δέσμιοι, *vincti alij.* Sed, opinor, in exteriore custodia: erant enim Apostoli in interiore. Noctis silentium, & laudantium DEVM alacris contentio fecit, vt solidissimum carcerem vox permearet. Verisimile etiam est, ipsum laudum argumentum distinctè perceptum.

Versus 26.] Subitò verò terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et statim apertæ sunt omnia ostia: & vniuersorum vincula soluta sunt.

Opportunum Dei auxilium in tribulatione.

SVBITO *verò terræmotus factus est magnus.*] Magna vis orationis, & eximia potentia DEI, & *opportunum auxilium eiusdem in tribulatione* [y], quale in vinculis etiam expertus est Petrus [z], & omnes Apostoli [a], Daniel [b] in lacu, tres pueri in fornace [c], Ionas in ventre ceti [d], Ieremias in carcere [e], tot alij in historiis Sancti celebrati.

y Psa 9.10. z Act. 12. 7. & seq. a cap 5. 19. & seq. b Dan. 6. 16. & seq. & ca. 14. 30. & seq. c Dan. 3. 23. & seq. d Ionæ 2. & seq. e Ierem. 38. & seq.

A De terræ autem motu, quo pacto eum DEVS operetur ad maiestatem suam declarandam, & concutiendos trepidatione hostes suos, lege quæ attulimus in capite quarto [f]. Ingens planè conquassatio, qua firmissimi carceris fundamenta tremuerunt; admirabile tantæ virtutis temperamentum, vt nullo incommodo carceris habitatores, carcerve ipse affectus sit, sed ostia duntaxat patefacta, noxiorúmque soluta vincula, custos cum familia, salubri timore perculsus.

f vers. 31. *Terræmotus in hac effectus mirabilis.*

Et statim aperta sunt omnia ostia.] *Interiora, & exteriora*, inquit Glossa interlinearis; adde etiam cubiculorum, in quibus custos cubabat cum B familia.

Et vniuersorum vincula soluta sunt.] Chrysostomus, & Oecumenius negant, *id à carcerariis deprehensum: euasuros enim fuisse, si patentes portas animaduertissent, séque à vinculis expeditos.*

Vnde hi non intrarunt hunc perceptum.

Difficile creditu est, qui Apostolorum hymnos exaudiebant, ac multò certè magis tantum illum fragorem quassati carceris, si apertas portas non viderunt propter tenebras, saltem decidentes ex se catenas non sensisse. Fuit quoque consternatio tanta in omnibus, vt consilij omnis inopes, tanquàm obstupefacti, & ipso illo stupore defixi hærerent, nec beneficium agnoscerent suum, C sed ob innoxios reos communem è cœlo animaduersionem extimescerent. Porrò Angelica peculiari opera, vinculorum solutio accidit: nec enim cum terræmotu, quem illi etiam operati sunt, hic effectus necessariam habet connexionem.

Versus 27.] Expergefactus autem custos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos.

D VOLEBAT *se interficere.*] Ἔμελλεν ἑαυτὸν ἀναιρεῖν. *Futurum erat, vt seipsum interficeret.* Vel, *Erat seipsum interfecturus.* Acceperat námque sontes illos duos custodiendi quàm arctissimè, & diligentissimè præceptum, verebatúrque, iis elapsis, turpem, ac grauem subire mortem.

Valentinianus, Valens, & Gratianus longo pòst tempore sanxerunt, vt Commētariensis, ad quem receptarum personarum custodia in carcere pertinet, eadem pœna plectatur, qua is, qui fugerit, plectendus erat [g]. Eadem ferè sanxit Paulus Iurisconsultus [h], & Modestinus [i], & in Iure Canonico [k] idipsum, seruata proportione, seuerè cautum est, auctoritate Concilij Toletani XII. [l] Hec E sibi quoque voluit Propheta, cùm dixit parabolicè sibi dictum: [m] *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius.* Et cùm Regem alloquutus est [n]: *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.*

Commentariensis pœna, qui reum non custodit. g l. ad commentariensem. C. de cust. reo. h ff. de pœnis. l. 38. §. miles. i ff. de custod. reor. l. final. k 17. q. 4. cap. diffiniuit. l cap. 10. m 3. Reg. 20. 39. n ibid. 42.

In capite duodecimo docuimus, in milites custodes Petri, Petro elapso, Herodem animaduertisse. Lege præ aliis de pœna custodis carceris, si carcerati aufugerint, Iurisconsultorum nostri temporis facilè principem, mihique intima consuetudine notum Iacobum Menochium [o], qui rectè cum Boërio [p] excipiendum notat casum, quando carceratus miraculosè effugit.

o lib. 2. de arbitr. iudi. centur. 3. cas. 102. p l. ad commentariensem C. de cust. reor. 217.

Sui autem ipsius interfectio peior, & immanior, quàm alterius, meritóque legibus, Canonibúsque grauiter animaduersa [a]. Nec Vticensem Catonem, aut Lucretiam laudare possunt, nisi illaudati Gentiles. Si qui ex Sanctis vitam eripuerunt sibi, quales de quibus Eusebius [b], Ambrosius [c], Palladius [d], & alij: DEI nutu, penes quem vitæ potestas, & necis, fecerunt, vt monet Augustinus [e].

Nec desunt etiam, qui ob ignorantiam excusantur, quia sibi licere putarent aliqui se ipsos occidere pro patriæ salute, vel pudicitiæ custodia; & præter citatos Patres, qui meminerunt causæ secundæ, nullam de DEI reuelatione mentionem facientes, afferunt Hieronymum, qui scribit [f], *In persecutionibus non licere propria perire manu, absque eo, vbi castitas periclitatur.* Sed Hieronymum quædam Glossa, & alij in contrario sensu accipiunt: nec sanè credi potest, viros tantos in re adeò clara cæcutiuisse.

Stoicorum dogma fuit, vt Senecæ [g], Ciceronis [h], Plinij [i], αὐτοχειρία, seu αὐτοφονία, quorum eleganter Lipsius [k] declarat sententiam, & error Donatistarum Circumcellionum, quos persæpe confutat Augustinus. Indorum prætereà, de quibus Curtius [l], item aliorum apud Iosephum [m]. De Vtopicorum seipsos interficientium pœna, Thomas Morus [n]: de Plebis Quiritum, Plinius [o]: de virginum Milesiarum, Gellius [p]. Attamen excipere videntur Gentiles, quos dixi, Stoicique, & leges ciuiles, quas laudaui; & Plato [q] illos, qui propositam habent speciem virtutis, vel vt vitent vitia, aut grauem infamiam, aliúdve infortunium. In mortem inuoluntariam idem inuehitur Plato [r], Aristoteles [s], Cicero [t], & Augustinus [u], & Lactantius [x].

Barbara proinde, ac dira lex Aethiopum rei mortem sibi vt sciscant [y]: & Ceorum, vt senes tanquàm patriæ inutiles coronati cicutam bibant [z]: & Iaponum siue lex, siue mos, vt nobiliores ventrem diffecent. Proficiscitur illatio mortis sibi ipsi ex animo pusillo, ac timido, crudeli, & à natura degenerante, iniusto, qui DEVM, & vniuersitatem priuat dominio. Hoc de argumento plura in scholis nostris Theologicis [a]. Legatur & Serarius noster defendens Raziam sui ipsius interfectorem [b], vnà cum Francisco Victoria [c].

Versus 28.] Clamauit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: vniuersi enim hîc sumus.

CLAMAVIT *autem Paulus voce magna.*] In obscuro interiore carcere cognouit Paulus quid ageret custos: idque per reuelationem, vt Glossæ volunt, & Historia Scholastica [d], & Hugo, & Carthusianus.

Magnam Paulus exhibuit custodi suo humanitatem, qui etiam custos natura minimè malus erat, inquit Chrysostomus, *nec propria voluntate, sed obtemperandi necessitate, coniecerat Apostolos in carcerem interiorem.*

Non fuit opus maiore miraculo ad hunc alliciendum: neque enim ita trahunt miracula vlla, vt ea, quæ ad salutem, vitámque nostram attinent. Nocte etiam extitit terræmotus, vt quàm lógissimè omnis abesset ostentatio. Denique non antè clamauit Paulus, quàm periculo proximum custodem intellexit: priùs enim præ tumultu ex terræ concussione, & præ turbatione, qua custos plenus erat, non ita facilè verba suscepisset. Expendit hæc omnia magno iudicio idem Chrysostomus.

DEI autem quis assequatur iudicium, vt Petri custodes passus sit luere mortem [e], Pauli verò custodi vitam corporis, quam iamiam sibi erat erepturus, seruauerit, & animum ad vitam spiritualem traduxerit: Nam bonitas illa, quam in hoc agnoscebat Chrysostomus, non est prorsus idonea, & sufficiens ratio, sed beneplacitum ac propositum diuinæ voluntatis, & gratuitæ liberalitatis; qui eligit, non eligitur: qui discernit, vocat, pulsat, suadet ita, vt exaudiatur, persuadeat, & pleno iure ingrediatur.

Vniuersi enim hîc sumus.] Non designat solum interiorem, in quo fortasse solus erat cum Syla, verùm etiam carcerem exteriorem. In hoc autem per eandem reuelationem sciebat omnes adhuc esse. Ipsi verò, vt dictum est, exeundi neque animum habuerunt, neque facultatem etiam habere se crediderunt.

Puniuntur eo supplicio, quo plecti debebat crimen, quamuis innocentes ab eo crimine inueniantur vincti illi, qui conspirant, vt ruptis euadant vinculis, & effractis carceribus [f]. Satis communis & recepta Theologorum opinio est, posse reos damnatos etiam iustè ad mortem, effugere ex carceribus quacunque possunt ratione, dúmodò vim custodibus non inferant: & hoc videtur quoque sentire B. Thomas [g]. Ius tamen ciuile punit fugientes, aut quia sequitur contrariã sententiam, quæ placuit ex Theologis Henrico Gandauensi [h], & nonnullis aliis [i], quòd saltem nefas sit carcerem effringere: aut quoniam præsumit vim illatam custodibus, vult enim leuiùs puniri eos, qui ob negligẽtiam custodum euaserint, quod ipsum Soto [k] iniquum putat, nisi vincula ruperint.

Probabile est item, non posse iusta sententia reum obligari ne fugiat, neque enim ad id omne, quod à me fieri potest, possum ab alio astringi per se loquendo; nec potest violari ius & inclinatio naturalis seipsum conseruandi per legem positiuam humanam præcisè, sed ratione præcepti diuini, Martyr verbi gratia, tenetur aliquando pro defensione Fidei, & ne oriatur scandalum, manere in carcere. Quo fit, vt nec videatur quis parere necessariò debere dãnationi de carcere perpetuo, præsertim si sit arctior & molestior. Sed hęc accuratiùs tractata in prælectionibus Scholasticis [l].

Versus 29.] Petitoque lumine, introgressus est, & tremefactus procidit Paulo, & Silæ ad pedes.

PETITOQVE *lumine, introgressus est.*] Εἰσεπήδησεν, *irrupit, irruit, insiliit, summa celeritate intrauit.*

Et tremefactus.] Nõdum resederat ingens pauor de vinctorum fuga: & verò diuinus etiam eum horror occupauit, nõ magis ex corporis periculo, quàm animæ. *Commouit* DEVS *hanc terram, & conturbauit, sed mox sanabit contritiones eius* [m].

Procidit Paulo, & Silæ ad pedes.] Προσέπεσε. De venerabunda adoratione, atque osculatione pedũ egimus capite decimo [n], vbi exprimitur procidisse Cornelium ad pedes Petri, & adorasse, πεσὼν ἐπὶ τοὺς πόδας, προσεκύνησε. *Venerabatur custos iste in illis potentiam, & scientiam,* inquit Glossa ordinaria, *quia terræmotu erant aperta ostia, & cognouerat Paulus, cur is interficere seipsum voluisset.* Adde innocentiam, cùm qui poterant, non effugissent: & humanitatem,

Margin notes (left, partly cut off): [a] ...de occi... & c. Tu... ft. 23. q. 5. quis ali... 3. § fin. ff. ...pœnis. l. fi. ...bon. cor... ante sent. ...item sibi ...sciuer. l. ...ne deli... n. § qui se ...seruauerit. ...re milit. [b] ...actuit. 23. Cócil. Al... d. c. 17. Hist. c. 31. [c] ...l. c. 12. & de Virginibus... [d] ...fto. Lau... c. 150. [e] de Ciuit. 26. 27. [f] c. 1. long. ...inem. [g] ...ist. 12. 17. [h] ...3. 39. 70. [i] ...Finib. ...ep. 12. & [l] ...ntur. 2. [m] ... [n] ...de anti... Iudaic. [o] ...l. c. 3. 3. [p] ...lo, cap. [q] ...opiæ. ...16. c. 15. [r] ...4. 10. [s] ...legib. [t] ...hædo... [u] ...ic. c. 7 ... li 9 ... 3. ad ...c. 3. ...atone & Scip. ...icrob 13. & ...l. ...Ciuit. 20. & ...l. li. 2. ...Gau... ...te to... ...ætes. [a] 18. [b] ...t. Si... ...l. Va... ...26. ...64. [d] ...14. de ...ani ...teru.

Margin notes (right): [e] Act. 12. dixímus. *Dei iudicium inscrutabile hic patescit.* [f] l. pen. ff. de custod. reorũ. & l. 1. ff. de effractorib. & l. milites agrũ. §. eius fugam. de re milita. & l. si quis aliquid. §. miles de pœnis. [g] 2. 2. q. 69. artic. 4. [h] quodlib. 9. art. 25. [i] Couarruu. 1. Varia. c. 2. nu. 14. Syluest. verb. accus. n. 12. [k] 5 de Iusti. q. 6. art. 4. *Reus non potest obligari præcepto ne fugiat.* [l] lege Nauar. in Summa. c. 17. nu. 102. & Salon. 2. 2. q. 69. art. 4. [m] Psal. 59. 4. [n] vers. 25. *Cur custos carceris ad Pauli pedes procidit.*

nitatem, quòd ruentis ad interitum proprium gladio armatam manum retentassent. *Ad pedes vinctorum cadit custos, quo nihil solet esse peius, crudelius, ferocius*, ait Chrysostomus.

Huiusmodi mutationem dexteræ EXCELSI in aliis suppliciorum, vel reorum puniendorum ministris, Historiæ Ecclesiasticæ non rarò testantur. Talis Apronianus commentariensis [a], & Claudius [b], talis Pauli decollator cum aliis militibus, qui eius martyrio interfuerunt [c]: talis qui Iacobum maiorem Iudici obtulerat ad martyrium [d]: talis Laodicius Glyceriam detinens, & custodiens in carcere [e]: talis Cassianus exceptor [f]: tales alij permulti, qui voluentibus Sanctorum monumenta facilè occurrent.

a in Martyrol. 2. Febru.
b ibid. 7. Iulij.
c vt scribit Chrysostom. oratio. de Petro, & Paulo. & Martyrologium. 2. Iulij.
d Euseb. 2. Histor. c. 9.
Qui fuerint hic custos carceris.
e 13. Maij in Martyrol.
f in Martyrolog. 1. Decemb.

Arbitratur Oecumenius custodis nomen fuisse Stephanam, & hunc illum esse, *cuius se domum baptizasse* scribit Paulus ad Corinthios [g], & quem *inter primitias Achaiæ* connumerat [h]; & testatur *vnà cum quibusdam aliis id quod ipsis deerat*, suppleſſe [i]. Consentit hoc loco Gagneius. Verùm prærterquàm quòd Haimo Stephanam vult esse fœminam, necnon Carthusianus, & Glossa interlinearis (quod aliis non placet, vt Caietano) pertinet Stephana, siue fœmina, siue vir, ad Achaiam, in qua non erāt Philippi: nisi dicas custodem carceris Philippensis ex Achaia fuisse: quod vt negari præfractè non potest, sic nonnisi temerè affirmari.

g 1. Cor. 1. 16.
h ibidem vlt. vers. 15.
i ibid. 17.

Sanctæ cuiusdam Stephanæ martyris meminit Petrus de Natalibus [k], & reperitur apud Græcos nomen fœmininum Στεφάνη, eiusdem significationis cum masculino Στέφανος, pro corona: sed apud Apostolū ponitur indeclinabiliter Στεφανᾶ. Tertullianus [l] inter adiutores Pauli numerat Stephanum: nisi velis mendum esse, pro Stephana.

k lib. 8. c. 59.
l lib. de fuga in persecut. c. 13.

Versus 30.] Et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam?

ET *producens eos foras, ait.*] Ante omnia, cùm beneficij accepti auctores venerando salutasset, salutem ab iis animæ deposcit, cuius vel Pythone teste, annunciatores ferebantur, eoque nomine custodiebantur. Sed obiter intra carcerem, & dum inde illos extrahit, indignum ratus, vt adeò innocentes, & Sancti molestiam eius tolerarent. Itaque sermo ille longior, quem habitum Lucas indicat ab Apostolis, habitus est extra carcerem interiorem in exteriore, vel potius in domo custodis: tum lotæ sunt plagæ; deinde datus Baptismus; postremò mensa apposita. Id Caietanus opportunè admonuit.

Domini.] Honorificè compellat, quos tam mirificum opus, ac virtus reddebat honorabiles. Lege caput I.[m] de dictione Domini.

m vers. 6.

Quid me oportet facere, vt saluus fiam?] Non quærit facti modum; salutem quærit animæ, quam Python eiectus, terræ tremor, vita sibi condonata; innocentiæ testis perseuerantia in aperto carcere, ruptisque vinculis, abundè pollicebantur.

Liberatores Apostoli puellæ, quam diabolus alligauerat, stringuntur vinculis: panduntur portæ ergastuli, & custodis cor reseratur: hic lumen accendit, & in eius corde lux diuina fulget. Negant accusatores sibi morem, quem illi annunciarent, fas esse suscipere, aut facere: custos hunc ipsum, quicunque sit, vt salutarem deposcit: plagas alij impingunt, hic lauat: illi quæstus queruntur iacturam, ponit mensam iste, magnumque æstimans quæstum, pietatem [n], dum mensam apponit, apponitur ad cœtum fidelium: abluitur à peccatis, qui plagas abluit Apostolorum: quid oporteat facere, vt saluus fiat, interrogat, nihil excipiens, promptus ad omnia, maximè sollicitus de vinculis animæ, ac minimè dubitans ab iis posse solui, qui propria, & ceterorum externa vincula diuinitùs triuissent. Absolutæ, perfectæque conuersionis verba sunt hæc: *Quid me oportet facere, vt saluus fiam?* Lege caput II.[o] & caput IX. [p] Hesychius & Chrysostomus exponentes verba Psalmi 39. [q] *Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino*, volunt prædictionem esse conuentionis multorum per Euangelij prædicationem, atque miracula CHRISTI, Discipulorúmque ipsius: Confirmant autem hoc exemplo.

Quæ & qualia in hoc opere mirabilia acciderunt.
n 1. Tim. 6.
o vers. 37.
p vers. 6.
q vers. 4.

Versus 31.] At illi dixerunt: Crede in Dominum IESVM, & saluus eris tu, & domus tua.

AT *illi dixerunt: Crede.*] Acutè quidam [r] *Hæreticos huius temporis, perinde ad Fidei, tanquàm ad amatæ suæ nomen accurrere*, dixit, *vt Herodes Mariamnam coniugem, quam sustulerat de medio, ceu adhuc superstitem, sæpissimè aduocabat, & aduocari à satellitibus imperabat* [s]. Extincta dudum est Ecclesiæ decreto fides sola sanctificans. Hanc cum suis Caluinus, vt rediuiuam, quoties nominatur, amplexantur vnicè, nec aliam iustificando homini sociam virtutem adhiberi volunt. Ait hoc quidem loco Paulus: *Crede, & saluus eris*: at CHRISTVS etiam dixit [t]: *Hoc fac, & viues*, ita de charitate agens, vt fidem non excludat, de qua aliàs [u]: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Non illud vnum proposuit Apostolus, verùm etiam, vt mox subditur, cum sodali locutus est verbum Domini, hoc est, docuit iuxta Domini præceptum, *seruare omnia, quæ ipse seruanda voluerat* [x]. Accuratam istam, ac necessariam catechesim à Petro in prima concione habitam [y] aliàs notauimus cum Augustino [z]; & de credendis, & de agendis, cauendisque: prætereà à Philippo Diacono, quæ verbo euangelizandi tota comprehendatur [a].

r Stapleto. in Antidot. huius loci.
Herodis similes in quo sint hæretici.
s Ioseph. 15. Antiq. c. 11.
t Luc. 10. 28.
u Marc. 16.
x Matt. 28. 20.
y Act. 2. 40.
z de fide, & operib. c. 8.
a Act. 8. & August. supra c. 9.

Distincta, explicitáque nonnullorum mysteriorum fides, omni Christiano necessaria est: tradiderunt illam Apostoli tantilla ea noctis parte, quæ post medium eius superfuit à deductione in domum custodis, ab ablutione plagarum, à Baptismo totius familiæ, ab instructione mensæ, & cibo sumendo. Adeò liquidam, & explicitam fidem, quam hinc elicit Caluinus, & à suis requirit, nec otium fuit tradere, & quotus quisque est inter illos, etiam ex doctissimis, & fidelissimis qui habeat?

Explicita fides quorundam mysteriorum cuius Christiano necessaria.

Longè meliùs ex hoc loco Cyrillus Alexandrinus [b] argumentum deducit pro CHRISTI diuinitate, simul cum versu 35. vbi custos, domúsque ipsius credidisse dicuntur DEO, siue in DEVM; *Si creatura* FILIVS DEI *esset*, inquit, *secundùm Hæreticos, quare non veritas custodi ab Apostolis aperitur? quare hortatur credere in Dominum* IESVM? *quare cum in eum credidisset, in* DEVM *credidisse dicitur, & non in creaturam? Manifestum igitur etiam hinc est, quòd* DEVS *secundùm naturam* FILIVS *est, & non creatura.*

b lib. 12. Thesaur. c. 12.
Argumentum pro Christi diuinitate.

Versus 32.] Et locuti sunt ei verbum Domini cum omnibus qui erant in domo eius.

ET locuti sunt ei verbum Domini.] Videlicet, vt antè diximus, instituendo, & catechumenos docendo, quid credere, quid operari deberent. Volunt adhuc cum Caluino Hæretici præter illam à se pessimè explicatam explicitam fidem, quam explosimus, in ista sententia significari prædicationem Euangelicam, ex qua in custode, domesticisque eius nata sit fides. *Est quidem fides ex auditu, neque credere possunt, qui non audierunt, neque audire sine prædicante* [a]. Veruntamen prædicatio causa est extrinseca duntaxat: nec inde potest oriri effectus ille internus fidei, seu, vt comminiscuntur Hæretici, fiduciæ, atque certitudinis de remissione peccatorum, ad quam remissionem præter fidem erga mysteria religionis nostræ, ac DEVM, requiritur in eo cui fit pœnitentia, cum aliis dispositionibus, & ex parte remittentis potestas cum sacramento, quibus positis efficitur interna hominis peccatoris renouatio, atque sanctificatio per formam inhærentem, quæ formaliter expellit peccata, quæ expelli non possunt per solam non imputationem, aut per solam fiduciam, ac persuasionem peccatoris, quòd sibi peccata sint remissa.

a Rom. 10. 17. 18.
Ex prædicatione sola non oritur fides.

Peccata non remittuntur per fidem nec imputationem.

Versus 33.] Et tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum: & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò.

ET tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum.] Quas fortasse etiam deformes habebant in vultu, non virgis tantùm cæsi in tergo, sed pugnis & fustibus, lapidibus contusi.

Rei in carcere crudeliter non tractandi.

Cauent quidem leges tum ciuiles [b], tum Ecclesiasticæ [c], ne carcerati crudeliter, aut negligenter curentur, & vt victualem substantiam non habentibus, faciant Iudices, prout existimauerint commentarienses, ministrari, & ad lauacrum etiam duci, &c. de qua re Practica Criminalis Bernardi Diaz [d]. Sed agit nunc custos humanitate singulari, non vt cum vinctis, verùm tanquàm cum iis, quibus ipse deuinctum se, obstrictùmque agnoscebat. Adhibuit *tanquàm Samaritanus ille fomentum vini & olei* [e]; siue seorsim, siue quod compositum ex ambobus vocabatur οἰνέλαιον, de quo Franciscus Vallesius in Sacra Philosophia [f].

b de custodia reorũ C. l. 1. & 3. & 10.
c de sent. excom. c. si Clericos. in Sexto.
d cap. 129.
e Luc. 10. 37.
f cap. 87.
Apostoli cur nō sint curati sine fomento.

Potuit DEVS vibices Apostolorum citra lauacri fomentum curare: quod fecisse erga complures Martyres, vt Sebastianum, Agatham Clementem Ancyranum, &c. proditum est sacris historiis. Noluit tamen, vel ad verberatorum maius meritum, vel ad fortitudinis eorum documentum, vel ad alienæ incitamentum charitatis. Apparebant, opinor, ab laceris vestimentis carnes laceræ, non in facie solùm: & custodem par est credere humaniter elotas carnes, post infixa etiam fortasse plagis pia oscula, veste honesta contexisse. Cessit Paulus cum socio custodis humanitati: & *qui Domini IESV CHRISTI libenter in corpore suo stigmata portabat* [g], hoc est, notas tormentorum, ac ærumnarum pro illo toties toleratarum inustas, totus CHRISTI stigmaticus seruus, non solo, quo Iudæus gloriabatur notatus signo circumcisionis, maluit alienæ benignitati satisfacere, quàm propriæ consolationi indulgere.

g Galat. vlt. vers. vlt.
Paulus Christi seruus stigmaticus.

Et baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò.] Exploratam habuerunt horum fidem Apostoli, & oblata occasione vtendum censuerunt; alioqui non sunt imparatis temerè conferenda sacramenta. Veresimile quoque fit, cognita custodem Baptismi necessitate, summis illum precibus impetrauisse. Piis moribus aduersatur, moras nectere in concilianda sibi gratia diuina: qua de re alibi [h] egimus.

Sacramenta nō sunt conferenda imparatis.

h cap. 2. & 8.

Suspicati sunt nonnulli de isto custode Paulum loqui [i], cùm se Stephanæ domum baptizasse scribit, quoniam profitetur neminem ab se alium baptizatum præter Crispum, & Caium. Iam respondi [k], non videri necessarium argumentum, tametsi non penitus improbandum. Crebra autem sunt in historiis exempla baptizatorum in carcere, qui Martyrum ibi detentorum, & constantia, & doctrina conuertebantur.

i 1. Cor. 1. 16.
k vers. 29.

Mirum videri potest, ex aliorum numero vinctorum neminem ad Fidem animum adiecisse. Mirari desinet, qui recordabitur quàm paucis tam multa, adeóque illustria CHRISTI miracula spectantibus profuerint: & qui perpendet ex DEI interno lumine prouenire, atque ex expugnante voluntatem auxilio, quod quis credere velit, & animi assensum rebus maximè arduis præbeat, quæ DEVS dona efficacia, cui vult donat, negátve. Reliqui aut sopore depressi, terræmotum non persenserunt; aut in fortuitam eum, naturalémve causam reiecerunt; aut ianuas apertas non aduerterunt. Custos vbi rem deprehendit, & Pauli clamore certior factus est, vniuersos carcere contineri, simul defunctus est aduersùs beneficos suos obseruantiæ ac humanitatis officio: simul reorum aliorum, qui separato erant loco, ianuas diligenter imperauit occludi.

Cur alij vincti conuersi non sint.

Et omnis domus eius.] Nomen domus, quod etiã de Stephana dicitur epistola ad Corinthios prima [l], quem, vt prænotaui, volunt hunc ipsum fuisse custodem carceris, comprehendit fœmineum quoque sexum, liberósque etiam infantes; quos ibi nonnullos vixisse facilè credo.

Domus nomen quid hic significet.
l cap. 1. 16.

Quocirca Baptismus dari potest infantibus, quod ab Anabaptistis [m] perperàm negatur: & eadem pars negans à Ludouico Viue [n] alioqui Catholico, & ab amphiuio Erasmo [o] indicatur: qui eò etiam processit audaciæ, vt baptizatis ea ætate, cùm ad adultam peruenerint, liberam velit facultatem dari remanendi in religione Christiana, vel aliam eligendi. Extat hac de re canon Concilij Tridentini [p], præter tot vetera & exempla, & testimonia. Lege disputationem de Baptismo.

m Prateolus, necnõ de Luthero, & aliis.
n in 1. de Ciuit. S. August. c. 27.
o præfat. in Matth.
p Sess. 7. c. 13. & 14.

Versus 34.] Cúmque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua credens DEO.

CVMQVE perduxisset eos in domum suam.] Hoc ante alia factum notaui [q]: neque enim alibi sermo de rebus diuinis institui, plagæ lauari, Baptismus tradi commodè potuit.

q vers. 30.
Baptismus infantibus dari potest.

Apposuit eis mensam.] Notum est, mensam pro ferculis, cibísque poni: quamuis & materiales ipsæ tum apponerentur, tum deponerentur in strato cubili edentibus, siue in triclinio: putátque Varro [r] dictam mensam, quasi μέσην, id est, *mediam*, nempe inter conuiuas, & quidem vel mensa vnica maior erat, seu rotunda, seu oblonga, in quam fercula vicissim inferebantur, & auferebantur ab ea; vel plures, scilicet, vt censeo, tabulæ, ac repositoria lignea, quæ cum ferculis, missibus, obsoniísque subinde duo ferebant, & auferebant. Hinc illud Plauti [s]: *Cedo soleas mihi. Properate atque auferte mensam.* Et Virgilius [t]:

r de lingua Latina lib. *Mensa vnde dicta.*
s in Truculento.
t l. 1. Æneid.

Postquàm exempta fames epulis, mensæq; remotæ.

a lib. 9.

Alexis verò apud Athenæum [a]:

Ὡς εἶδε τὴν τράπεζαν ἀνθρώπους δύο
Φέροντας εἴσω ποικίλων παροψίδων
Κόσμου βρύουσαν. id est,

Vt vidit mensam homines duos
Ferentes intus variorum obsoniorum
Apparatu abundantem.

b in id Æneid. li. 1. mensæq; remotæ.

Denique notat Seruius [b] apud antiquos mensas appositas pro discis.

Non putarim tamen hac de causa dictas primas, secundásque mensas, quoniam eo modo, quem diximus, oportuit esse ternas, quaternas, & plures, sed ab escarum planè diuerso genere: ita vt vna diceretur mensa carnis, alia pomorum, quæ vocantur bellaria, Græcè τραγήματα, aut πέμματα [c]. Sed passim pro ea quæ erat κεκοσμημένη, hoc est, *pro instructa epulis* à Græcis æquè, ac Latinis mensa vsurpatur: ita vt quod refert idem Athenæus [d], cùm Cynicus quidam τράπεζαν vocaret τρίποδα, Vlpianus ægrè id audierit, quoniam ab omnibus τράπεζαι vocari solerent αἱ παραθέσεις, atque, vt ait Pollux, τὰ σιτία τὰ ἐφ' αὐτῶν τραπέζων τιθέμενα. Lege Stuchij antiquitates conuiuiales [e], Lipsij lectiones antiquas [f], Mercurialis, & Ciacconij, & Vrsini Triclinium, Philandrum [g], & Lambinum [h], & Baïfium [i].

c Gell. li. 13. c. 11.
d lib. 2.
e lib. 2. c. 19.
f lib. 3.
g in Vitruuiũ.
h in Plauti Truculentũ, & Amphitry.
i de Vascul.

Commentariensis noster mensam apposuit, & extemporaneum conuiuium diuturna inedia, vigilia, sanguinis missione per verbera languidis, fatiscentibus, exhaustis, instruxit. Nulla egenti, ad cibum importuna hora.

Et lætatus est cum omni domo sua, credens DEO.] Ergo CHRISTVS DEVS, sicut anteà Cyrillum audiuimus argumentantem [k]. Igitur DEO credere, nihil distat à credere in DEVM: vt aliàs notauimus.

k lib. 12. Thesaur. c. 12.

Conuiuatum custodem cum præcipuis de familia, vel aliquid certè leuiter, quamuis intempestiuius delibasse, haud equidem dubitauerim pro amica grati animi significatione, pro gestientis lætitiæ de percepto Baptismo demonstratione, pro hospitum ad liberius libentiúsque degustandum hilari prouocatione. Denique *lætantur iusti in Domino, & confitentur memoriæ sanctificationis eius* [l], exundante gaudio ex charitate.

l Psal. 97. ver. 12.

Versus 35.] Et cùm dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos.

ET *cùm dies factus esset.*] Receperant se Apostoli in carcerem vltrò; ibi enim à lictoribus inuenti sunt. Mutauit Magistratuum corda DEVS, qui terram tremefecerat, & illa in manu gerens, quò voluit, deflexit, vel per nuncium è carcere ipso missum, qui de miraculo doceret; vel remittendo iram, & præceps consilium corrigendo. Vtrumuis probatur Carthusiano; primum Magistro Historiæ Scholasticæ [m]; secundum Lyrano, & Glossæ interlineari, & Hugoni, & Caietano.

Deus mutauit corda Magistratuum.
m cap. 89.

Et hoc quidem auget miraculi magnitudinem; vt non ob terræmotum duntaxat, quem si perceperunt, qua tamen de causa immissus esset, intelligere per se nequibant, verùm etiam ob diuinum instinctum, compulsi sint Apostolos tanquàm innocentes, & iustos dimittere, & absoluere.

Tribunos Constantinus à Nicolao, qui ei absens, & Ablauio in somnis comminatus erat, è vinculis liberare adactus est [n], & supperunt hu-

n in vita Nicolai.

ius generis exempla alia non pauca.

Sed & verisimile est, custodē, vt seipsum purgaret, vel potiùs vt Apostolorum innocētiæ consuleret, aut per certos homines, aut etiam per seipsum nocturni seriem miraculi retulisse.

In quibusdam codicibus Græcis [o] lego, Ἡμέρας δὲ γενομένης συνῆλθον οἱ στρατηγοὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ εἰς τὴν ἀγορὰν, καὶ ἀναμνησθέντες τὸν σεισμὸν τὸν γεγονότα, ἐφοβήθησαν, καὶ ἀπέστειλαν τοὺς ῥαβδούχους. *Die autem facto, conuenerunt Magistratus* (retineo enim interpretationem nostram) *in idipsum, in forum, siue consilium: & memores terræmotum factum, timuerunt, ac miserunt lictores.* Irrepsit, opinor, hoc auctoris alicuius Græci glossema in textum: qui enim ita legat ex interpretibus, aut qui huius lectionis meminerit, non reperio.

o in editione Roberti Stephani ad marginem, anno 1550.

Lictores.] Syrus, לשקלי שבטא *leschakelai schabte*, id est, *eos qui ferebant fasces*, ῥαβδούχους. Vocantur lictores ab officio ligandi, quia, vt ait Plutarchus [p], *Romulum initio sequebantur lora in sinibus gerentes, quibus vincirent sontes: vel intercalata litera C, quasi priùs dicerentur litores & liturgi*, id est, *qui publica ministeria exequerentur. Liton enim in multis Græcorum legibus legitur etiamnum pro publico.* Hos quidam confuderunt cum viatoribus, apparitoribus, carnificibus. Eligebantur quidem è viatorum collegio, vt scribit Gellius [q], & viatores Valerius Maximus [r] nominat. A carnificibus Liuius [f], cùm ait de Appio Claudio, quòd carnificibus, non lictoribus stipatus erat, videtur lictores distinguere. Sed profectò lictor carnificis officio fungebatur, teste Nonio Marcello, & Valgio Rufo [t], & pleraque Grammaticorum parte, atque prisco illo carmine [u]:

p de Quæstion. Rom. in 67. & in Romulo. Lictores vnde dicti.
q lib. 12. c.
r lib. 9. cap.
f lib. 3. Dec.
t apud Gell. 12. c. 3.
u apud Cicer. orat. pro C. Rabirio & Liuium lib. 1.

I Lictor, colliga manus, deliga ad palum, &c.

Et cùm Magistratus, quem præibat submouens à via prætereuntes, vt foret liber aditus, imperaret, fasciculum soluens, in quo securis ligata erat cum virgis, is cædebat primò damnatum, mox securi feriebat. Quamuis in Vrbe inuidiæ Consulum minuendæ gratia, dempsit fascibus secures Valerius Poplicola. Ipsemet Liuius, *Missique lictores*, ait, *ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securique feriunt.* Et nihil apud Suetonium, Tacitum, aliósque frequentius, quàm vt lictori tribuatur animaduersio, & punitio.

Viator propriè non animaduertebat, aut cædebat, sed iussu Tribuni, cui ministrabat, vocabat solùm, vel impediebat, ac prehendebat, vt docet apud Gelliū [x] Varro. Generale nomen est apparitorum, & publicorum seruorum, sub quibus continentur, quos adhuc diximus, omnésque qui in iure ciuili appellantur nomine officij, & officialium, siue quilibet Magistratuum ministri, satellites, stipatores, calatores, quasi vocatores, vel conuocatores, lorarij, emissarij, ostiarij, seu admissionales curiæ, præcones, accensi, interpretes, cursores, nuncij, baiuli, de quibus Carolus Sigonius [y], Petrus Gregorius [z], Bartholomæus Chassanæus [a], & alij recentiores.

Viatoris officium quale.
x lib. 13. c. 12.
y t. de iure Romano, 2. 21.
z li. Syntagm. 48. & lib. 47. 4. 5.
a in catalogo gloriæ mundi part. 11.

Hi præsertim lictores, carnifices, apparitores Brutij, siue Brutiani, aut Brettiani, Græcè Βρέττιοι vocantur: quia ex Brutiis erant, quos ei muneri mancipauit Senatusconsultum, eò quòd primi se tradidissent Annibali; quemadmodum annotatum est à Festo [b], & Gellio [c], ex auctoritate Catonis, & ab Strabone [d], sicut & Picentes, atque Lucani pari de causa viatorum, ac tabellariorum loco habiti sunt.

Brutiani qui.
a de cõsuet. Burgund. 4. 1. nu. 9. vbi 15. 19.
b de lingua Latina.
c lib. 10. c. 3.
d lib. 6.

Vetus Glossarium sic describit Brutianos, seu

Βρετίλιοι οἱ δουλικοῖς τάξεσι χειρουργοῦντες, *qui seruilibus muniis destinati sunt.* Fulgentius [a] Placiades appellat Gerones, quia præstò erant ad iussa, maximè vt in reos animaduerterent.

a li. de prisco serm.

Incertum ducit Baronius [b] hîne seu Brutij, seu Picentes, aut Lucani flagellauerint CHRISTVM: nam Alexandrinos honoris causa soli cædebant Alexandrini, vt prodit Philo [c], ceteros in Ægypto Præsidum lictores Tertullianus [d] quoque significat *munus puniendi sontes obitum promiscuè à militibus.* Euangelia [e] demùm absolutè vocant *milites*, à quibus flagellatus, & crucifixus CHRISTVS.

b to.1. Annal. anno Christi 34.
c in Flaccum.
d de coro. militis.
e Matt. 27.27. Marc. 15. 16. Luc. 23. 36. Ioan. 19. 2. 23. 32. 34.
A quibus Christus flagellatus fuerit.

Græca vox τῶν ῥαβδούχων, quæ hîc habetur, & ei similis ῥαβδοφόροι, à virga gerenda est, nimirum non ab eo virgarum tantùm fasciculo illigato cum securi in virga, seu bacillo robustiore, sed præterea propter aliam distinctam liberam omni fasce virgam, quæ altera gestaretur manu vel ad submouendum, vel ad ianuam tangendam: cuius vsus vtriusque profert Lipsius exempla in electa dissertatione de Lictoribus [f]: & Brissonius in Formulis [g] Virgarium Glossæ nominant.

f 1. electorũ. cap. 23.
g libr. 2. & 5. & 8.
Magistratus coloniis lictores habebant.

Magistratus colonici, ac municipales non tantùm vrbani habuerunt vsum lictorum, sed cum nudis virgis, aut bacillis, non cum fascibus. Meminit Apuleius [h], Cicero [i], Petronius [k] de Ædili Thessaliæ, de Duumuiris, de Sexuiris: Spartianus [l] autem de Legato Proconsulis Africæ. Sed Lampridius prodit Alexandrum Seuerum instituisse, vt loco lictorum, seu apparitorum ante Tribunum, vel Ducem, vel Legatum, præirent milites ante primum quatuor, ante secundum sex, decem antè tertium.

h li. 1. Milesiarum.
i in Ruffum.
k in Satyr.
l in Seuero.

Non est otium aliarum in hac re Gentium mores persequi. Constat quem Persarum Rex censeret interficiendum, zona comprehensum tradidisse Regiis apparitoribus, vt de Charidemo, quem Darius eo modo tradidit, auctor est Diodorus [m]. Illud attingendum de Republica Hebræorum, non aliter eorum Reges factitasse. Nam *receptatores Dauid sacerdotes voluit Saül à seruis suis emissariis interfici, quod tamen præter Idumæum Doëg ceteri detrectauerunt* [n]. Dauid *nuncium mortis Saül, vt vnus de pueris percuteret: imperauit* [o]: necnon aliis, vt *Rechab, & Baana interfectores Isboseth filij Saül* [p]. Banaias verò, qui iussu Salomonis occidit Adoniam Ioab, & Semei, ex hoc eodem numero forsan fuit, quamuis posteà interfecto Ioab, illum loco huius exercitui præfecerit [q], non negauerim tamen, quòd Baronius docet [r], ordinarium officium carnificis distinctum fuisse ab officio lictoris, sicut & aliorum, quos enumerauimus.

m lib. 19.
n 1. Reg. 22. 18.
o 2. Reg. 1. 15.
p 2. Reg. 4. 12
q 3. Reg. 2. 25. 35. 46.
r in Notis. Martyrolo. 4. Martij.

Porrò hoc loco lictores arbitror sumi pro viatoribus, quorum opera vocarentur à Magistratibus aliqui, vel aliquid denunciaretur; ita tamen vt Interpres rectè posuerit lictores, & vt Græcam dictionem magis exprimeret τῶν ῥαβδούχων; & quia Latinè lictoris nomen latiùs patet. Certè qui nunc sunt missi, non ad ligandum, puniendúmve, sed ad liberandum, & absoluendum venerunt. Beda tamen hîc accipit pro iis, qui reis puniendis præerant, & hoc sibi velle Græcum vocabulum τῶν ῥαβδούχων: & huius officij Hilarium [s] meminisse, cùm de sententia Pauli agens: *Quid vultis* [t]*? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* ait: *Nunquid Paulo ius prætorium erat, vt virga comminaretur, & cum officio lictoris ad Ecclesiam* CHRISTI *adesset?* Sed alia, quam dixi, sententia mihi magis placet: De lictoribus consulatur quoque Tiraquellus ad Alexandrũ ab

s Psal. 2. in virga fer.
t 1. Cor. 4. 21.

A Alexandro [u], & Raderus noster ad Martialem [x].

u lib. 1. c. 27.
x li. 7. epigr. 6

Dicentes.] Syrus, לרב בית אסירא *lerab beth asire*, id est, *Præfecto domus vinctorum.* Suspicor mandatum hoc delatũ in scriptis à lictoribus: sicut modò nefas est hos quicquam exequi absque literis per Iudicem, vel eius actuarium subscriptis, vel sigillo iurisdictionis, vel Iudicis, vel Principis muniis, iuxta cuiusque fori consuetudinem.

Quamuis aliquando soli nuncio creditur in magnis negotiis, & alicubi in leuioribus causis, aut in comprehensione cõperti in flagitio. Legendi Canonistæ & Iurisconsulti, præsertim in practicis criminalibus: & hac in re variant Iura municipalia. De antiqua Romanorum formula Bris- B sonius [y] docere videtur non aliam esse, quàm per edictum, aut præconis vocem.

Rei qua ratione comprehẽdi possint.
y lib. 5.

Dimitte homines illos.] *Verba sunt Apostolorum innocentiam declarantia; Magistratuum verò tum timorem, ne plures* CHRISTO *crederent*, vt notat Historia Scholastica [z], & interlinearis Glossa, *tum abiectam de Apostolis opinionem, quos contẽptum vocant homines illos.* Hoc nimirum duplici artificio, & clam eos dimittendi, & abiectè de iis loquendi, voluerunt iniquitatem suam tegere, miraculum obscurare, custodi suadere, ne ab homulis illis se circumueniri sineret, impedire, ne alij miraculi fama, & custodis testimonio prædicatam ab Apostolis religionem arriperent.

z cap. 33.

C *Versus 36.*] **Nunciauit autem custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt Magistratus, vt dimittamini, nunc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autem dixit eis.**

NVNCIAVIT *autem custos carceris verba hæc.*] Syrus addit, על *hhal*, id est, *ingressus*, videlicet quoniam Apostoli, vt dictum est, vltrò repetierant carcerem interiorẽ, neque voluerant vti beneficio aperti diuinitùs carceris, ne propriæ salus vitæ custodi crearet interitũ, certi vel potiùs mortem ferre, vel non defore diuinam prouidentiam ad eos alia ratione liberandum, occupatos in pro- D curanda custodis, ac familiarium animæ salute: denique turpe ducebant nulla damnatos sententia inhonestam illam pœnam subire, non tam propria, quàm aliorum causa, quibuscum versandum ipsis erat ad eorum spirituale commodum, & ad diuinam gloriam propagandam. Constabit id mox ex subiecto Pauli responso. Ad Paulum autem custos orationem dirigit, tanquàm ad præcipuum, & à quo potissimùm institutus, ac baptizatus, atque à morte, quam sibi consciscere parauerat, liberatus erat.

Cur Apostoli noluerint discedere post carceris apertionem.

Ite in pace.] Quibus verbis conceptam in carcere sententiam dimissionis lictores attulerint à E Magistratibus nescio, nec anxiè quærendum reor, cùm res clàm, sine iure, ac iudicio transacta sit. Sententiæ forsan verba iis fuêre similia, quibus Romani vtebantur: *Manumittentes liberos esse volumus, aut iubemus*; vel; *estote liberi, & abite quò voletis*; vel, *nihil vos moramur* [a].

Est autem apud Hebræos cum salutatione dimittendi hæc formula, *Vade*, aut, *Ito in pace*: qua CHRISTVS vsus est [b], & alij [c]: & eodẽ Hebraismo, qui concedit quippiam alicui, simpliciter dicit, *vade*, vt idem CHRISTVS [d] & alij [e]: Galli que dum significant se libenter & liberaliter quod petitur cõcedere, dicunt, *Allez, vous l'aurez.* Nec refert quod Lucas in textu Græco Euangelij

a Brisson. in form. lib. 8.
b Marc. 5. 34. & Luc. 7. 50. c. 8. 48.
c Exod. 4. 18. Iudi. 18. 6. 1. Reg. 1. 17. cap. 20. 22. 42. Iudith 8. 34.
d Matt. 8. 13. Ioan. 4. 50.
e Iud. 11. 11. 1. Reg. 17. 37. 2. Reg. 14. 8.

dixerit cum accusatiuo *πορεύου εἰς εἰρήνην, vade in pacem* hîc autem in ablatiuo *πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ*: eadem namque vis sæpe est præpositionum εἰς & ἐν, vt aliàs notauimus.

a cap. 2. 16.

Parœmialem hanc phrasim esse docent illa, quæ Iacobus[a] vsurpat de eo, qui egentes, humano verbo, non re excipiat: *Si autem frater, aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Nullum hoc nuncio lætius custodi, & sua ipsius causa, quoniam sic intelligebat, nullum sibi periculũ instare, vel ob carceres apertos, vel quòd ex interiore priùs Apostolos eduxisset; & Apostolorum, quibus oppidò beneuolus erat.

B

Versus 37.] Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publicè, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eiiciunt? Non ita: sed veniant, & ipsi nos eiiciant.

PAVLVS *autem dixit eis.*] Conuertit orationem Paulus ad lictores, qui aderant cum custode, ac fortasse præsentiam suam à Pauli oculis subducebant, suæ, ac Magistratuum suorum in illum, & sodalem iniquitatis rubore, ac pœnitentia perculsi, ita vt & hac ipsa in re diuinæ Paulus specimen scientiæ præbuerit iis respondendo, quos nec viderat, nec audierat. Ad hunc modum non subornatæ ab ipsis matri, cùm dexteram, sinistrámque peteret in regno pro illis, sed filiis CHRISTVS respondit: *Nescitis quid petatis*[b]. Quanquàm sensus esse potest, dixisse Paulum eis, hoc est, per custodem responsum remisisse.

C

b Mat. 20. 22.

Pauli magna constantia.

Cæsos nos publicè.] Magna Pauli constantia, sublimes spiritus. Non vult reus haberi, superstitiosus, seditiosus, ex gratia liberatus: consulit famæ, quam aliis, quibuscum deinceps agendum erat, & iam egerat, necessariam sciebat, vt sibi vitam, & bonam conscientiam, quod quodam loco ait Augustinus[c]: cùm vt docet Gregorius[d], *necesse sit, vt cuius vita despicitur, doctrina quoque, & prædicatio contemnatur.* Puto, inquit idem Augustinus[e], *quòd non laudem hominum pro magno sumebat Apostolus, &c. sed illorum duorum,* id est, bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel, quod breuiùs dicitur, virtutis, & laudis, *vnum propter seipsum sapientissimè retinebat, alterum propter alios misericordissimè prouidebat*[f]. Eiusdem adhuc trita illa sententia: *Duæ res sunt, conscientia, & fama: conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ, negligit famam suam, crudelis est*, maximè in loco isto Episcopalis dignitatis positus, de quo dicit Apostolus scribens ad Discipulum suum[g]: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.*

D

c de bono viduit. c. 22.
d Hom 17. in Euang.
e supra.

f Serm. 49. de Diuers.

g Tit. 2. 7.

Indemnatos homines Romanos.] In cap. 22.[h] quiritatur iterum Paulus sibi ciui Romano parata flagella, qua de re satis multa superiùs disputata sunt[i].

E

h vers. 25.

i vers. 21.

Ciui Romanus virgis cedi non poterat.

Clamabat Gauius in Sicilia, cùm Verris iussu cæderetur *miser ille*, inquit Marcus Tullius[k], *se ciuem esse Romanum, &c. nec vlla vox alia istius miseri inter dolorem, crepitúmque plagarum audiebatur, nisi hæc: Ciuis Romanus sum.* Rursum Cicero[l]: *vt etiam illa vox, illa imploratio, Ciuis Romanus sum, quæ sæpe multis in terris inter Barbaros, & salutem attulit, ea mortem illi acerbiorem, & supplicium maturiùs ferret.* Eiusdem implorationis facit præterea mentionem apud eundem Marcum Ciceronem[m], Asinius Pollio, Liuius[n], & Suetonius[o].

k li. 5. in Verrem.
l lib. 6. in Verrem.

m lib. 10. epistol. ep. 32.
n lib. 2.
o in Galba 9.

Quia verò capitaliter damnati, vt etiam dictum est, virgis antè cædebantur, seu fustuarium; flagellationémve subibant, tanquàm ciuitatem hoc modo amittentes, qui illam habebant, & ingenuitatem, ac libertatem, querimoniæ Pauli videtur causa esse, vt placet Petro Fabro[p], quod indemnatos flagellis publicè cæcidissent iussu Magistratuum, aut Tribuni, vel Cẽturionis, nempe quibus eo supplicij genere licebat sine præiudicio legum aliarum; beneficio autem legis Iuliæ[q] in milites, ob militaria delicta citra causam capitis animaduertere: ipsi verò eiusmodi, hoc est, ex ordine militari non forent; lege actum constat cum eodem Paulo, quando ante obtruncationem virgis ad columnam cæsus est, quam hodiéque videre est piè asseruatam cum illa, in qua etiam Petrus priusquàm crucifigeretur, in Ecclesia S. MARIÆ Transpontinæ in Vrbe ordinis Carmelitani: & alia extant exempla in historiis Iosephi[r], Liuij[s], Curtij[t], & in Philone[u], & in iure ciuili[x].

p 2. Semest. c. 6.
Paulus cur conquestus est se flagellatum.

q ad legẽ Iuliam, de vi publ.

r 4. de Bel. Iud. c. 21.
s lib. 2.
t lib. 8.
u in Flaccum.
x l. pen. ff. ad leg. Pomp. de Parricid.

Apparet hunc Silam quoque ciuem Romanum fuisse, nisi de seipso Paulum in numero multitudinis locutum dicas: illud enim non constat, multóque minùs Tharsensem fuisse, quod arbitrantur nonnulli[y]: ac potiùs oppositum iudicant Hugo, & Lyranus.

Silas ciuis Romanus fuit.
y Salmeron.

De iure ciuis Romani dixi nonnulla, & in capite 22. offeret se adhuc occasio de eodem disserendi. Hoc ius nimis amplificant, qui omnibus censum Principi Romano pendentibus communicant: aut voce abutuntur, vt cum Orosius[z] CHRISTVM, quia censu Romano descriptus[a] est, ciuem Romanum vocat. Ridiculi sunt etiam, qui denarium capiti solitum imponi dicunt tanquàm insigne ciuilitatis[b]: vel qui volunt penulam à Paulo gestatam, eò quòd esset ciuis Romanus[c]. Sed de penula non est nunc agendum. Lege Baronium[d] dicentem fuisse aut vestem Sacerdotalem, aut volumen sacrum, aut, iuxta alios, vestem communem ad imbrem, frigúsque itineris præsertim arcendum, aut Senum in vrbe hyberno tempore, aut Oratorum in foro.

Ius ciuis Romani quibus concessum.

z lib. 7. c. 3.
a Luc. 2. 4.

b Tellorus hic de Magistro Histor. Schol. Cantab. Bonus.
c Glossa in 2. Tim. 4.
d Tom. An. 59.

Illud opportunè hîc annotandum est cum Augustino[e]: *Si in adiutorium vestrum etiam terrenis Imperij leges assumendas putatis, non reprehendimus. Fecit hoc Paulus, cùm aduersùs iniuriosos ciuem Romanum se esse testatus est.*

e 2. contra lit. Petil. c. 58.
Imperij leges quando possunt assumi.

Indemnatos.] Ἀκατακρίτους. Syrus, ודלא סכלו *delo sechalu*, id est, *innocentes.* Alij, *indicta causa.* Potest præterea significare non condemnatos capitaliter, in quo solo casu, vt dictum est, licuit virgis cædere ciuem Romanum.

Non ita: sed veniant, & ipsi nos eiiciant.] Voluit Paulus Magistratuum ipsorum confessione admissam ab ipsis iniuriam declarari, & suam, sociique innocentiam euulgari. Hoc fuit honorificare ministerium suum, honorem quærendo, ac famam, sicut antè diximus, non propter se, verùm propter DEVM, ac proximum.

Recens, sed non immeritò cum aliorum comparandum Sanctorum in B. Ignatio nostro ipsius generis ac perillustre exemplum commemorat scriptor vitæ ipsius, qui diuturnum cum eo vsum, familiarémque habuit Petrus Ribadeneira[f]. Malo auctoris verbis legas, quàm meis, quia ipse tanta nec elegantia queo, nec grauitate. Socratem tradit Plato[g] simili admodùm de causa non permisisse,

B. P. nostri Ignatij exemplum Pauli simile.
f lib. 2. c. 14.
g in Critone.

misisse, vt clàm se de carcere abducerent.

Eiiciant.] Ἐξαγαγέτωσαν. Interpres respexit ad illud, quod præcessit: *occultè nos eiiciunt* ἐκβάλλουσιν; ἐξάγειν autem est educere: quo etiam pacto vertit Syrus, נפקונן *nuphkunan*, id est, *educant*, & Vatablus, & Clarius. Sed reperitur etiam apud bonos auctores, vt Budæus [a] testatur, pro expello, depello, citans Isæum, ponénsque synonymum huic τῷ ἐκβάλλειν. Sicut & Latinum exigo, idem valet quod excludo, eiicio, quasi extra ago. Omninò Paulus eiici voluit, hoc est, compellere Magistratum ad innocentiam declarandam: non antè discessurus, quàm is sententiam pronunciaret, vel ipsemet inde educeret.

a in comm. ling. Græcæ.

Versus 38. 39. 40.] Hi versus in nonnullis codicibus Græcis paulò fusiùs habentur hoc modo[b]: Ἀνήγγειλαν δὲ τοῖς στρατηγοῖς οἱ ῥαβδοῦχοι τὰ ῥήματα ταῦτα τὰ ῥηθέντα πρὸς τοὺς στρατηγούς. οἱ δὲ ἀκούσαντες, ὅτι Ῥωμαῖοί εἰσιν ἐφοβήθησαν, καὶ παραγενόμενοι μετὰ φίλων πολλῶν εἰς τὴν φυλακὴν, παρεκάλεσαν αὐτοὺς ἐξελθεῖν, εἰπόντες, ἠγνοήσαμεν τὰ καθ' ὑμᾶς, ὅτι ἐστὲ ἄνδρες δίκαιοι. Καὶ ἐξαγαγόντες παρεκάλεσαν αὐτοὺς λέγοντες. Ἐκ τῆς πόλεως ταύτης ἐξέλθετε, μήποτε πάλιν συστραφῶσιν ἡμῖν, ἐπικράζοντες καθ' ὑμῶν. Ἐξελθόντες δὲ ἐκ τῆς φυλακῆς ἦλθον πρὸς τὴν Λυδίαν: καὶ ἰδόντες τοὺς ἀδελφοὺς, διηγήσαντο ὅσα ἐποίησε Κύριος αὐτοῖς, παρακαλέσαντες αὐτούς: id est, *Nunciauerunt autem Magistratibus lictores verba hæc dicta ad Magistratus* (id est, quæ referri voluerat Paulus ad illos) *Hi autem audientes, quòd illi Romani essent, timuerunt; & accedentes cum multis amicis* (fortasse sibi, Apostolísque communibus) *ad carcerem* (quò vltrò Apostoli reuerterant) *rogauerunt eos vt egrederentur dicentes: Ignorauimus statum vestrum, & quòd estis iusti. Et educentes, rogauerunt eos dicentes: Ex hac ciuitate egredimini, ne fortè rursus conuertantur* (seu *irruant*) *in vos, & vociferantes contra vos* (quasi se excusent, quòd populari furori, clamoríque ipsis cedendum fuerit, cùm eos flagellarunt, & in vincula coniecerunt) *egressi autem de carcere venerunt ad Lydiam, & visis fratribus narrauerunt quæcunque fecit Dominus ipsis, consolantes* seu hortantes, aut rogantes *illos*. Idem arbitror de hac lectione, quod de illa quam recitaui [c]. Placuit nihilominùs hic eam inserere, quoniam potest esse vtilis commentarij loco.

b in edition. Rob. Step. ad marginem anno. 1550.

c vers. 35.

Versus 38.] Nunciauerunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timuerúntque audito quòd Romani essent.

NVNCIAVERVNT *autem Magistratibus.*] Recens vigebat memoria Rhodiorum, quos, vt narrat Dio [d], Claudius libertate priuauerat, quòd Romanos quosdam in crucem sustulissent: Vmbonij etiam Silionis præfecti Bœticæ, quem idem Imperator Senatu mouerat, hoc ei obiecto crimine, quia libertos quosdam offendisset. Indicat quoque recitatum illud glossema Græcum, timuisse ne Apostolis in vrbe consistentibus, grauior seditio renasceretur. Et potuit præterea timoris causa hæc accedere, de minuendo alio aliquo minùs honesto quæstu, cùm ille iam ex Pythone sublatus esset. Simili quidem de causa Geraseni *deprecabantur* CHRISTVM, *vt transiret à finibus eorum* [e], *ne ab hominibus eiectos Dæmonas in ipsorum greges immitteret*, vt exponút Theophylactus, ac Euthymius.

d lib. 60. Exemplarium, quos castigauerat Imp. ob simile factum.

e Mat. 8. 34.

Prima causa præcipua est, vt & in Tribuno, quem postea narrabit Lucas [f] timuisse, cùm re-

f cap. 22. 29.

A sciuisset Paulum esse ciuem Romanum, quem alligauerat ad flagellandum. Facilè item adducor, vt credam hos Magistratus dissimulasse custodis cum familia conuersionem, ne ille aduersùs ipsos accusationem de illata Romanis iniuria intenderet. Quanquàm segniores, remissioréque constat fuisse Gentiles in castiganda, quam ritu suo nominabant, superstitione, seu noua inductione religionis, nisi vbi Christiana religio effloruit, quam non pietatis æquè studio, vt pacis ac incolumitatis publicæ, sibi ducebant extinguendam.

Gentiles ante Christianam religionem, contraria religionis homines non castigabant.

Versus 39.] Et venientes deprecati sunt
B eos, & educentes rogabant vt egrederentur de Vrbe.

ET *venientes deprecati sunt eos.*] Παρεκάλεσαν, deprecationem, & adhortationem hoc loco significare potest, quæ vt meliùs procederet, secum adhibuerunt multos, vt notauit Græcus ille citatus Commentarius, amicos, nimirum communes, sicut dicebam: quíque ipsa tum multitudine, tum auctoritate, gratiáve possent expugnare.

In his forsan fuerunt ex fidelibus nonnulli: duplex enim ratio in dicto Commentario de tandem agnita innocentia Apostolorum, & de cauenda seditione, redolet non solùm politicum genium, sed rei etiam Christianæ consulendi vo-
C luntatem. Nam ideirco Paulus aliàs seipsum tumultibus subripuerat, fratribus in primis hortatoribus, & auctoribus, ne se cum causa Fidei perderet; sed tempori opportuniori, & Ecclesiæ bono reseruaret. Quia verò mox subiicitur alia deprecatio inter educendum de carcere, vt egrederentur ciuitatem, priore vel flagitarunt vt exirent ex carcere, quod facturum Paulus nisi eiiceretur, tam asseueranter negauerat; *vel veniam deprecati sunt*, vt inquit Gagneius, & Carthusianus *pro iniuria, violatoque iure ciuilitatis Romanæ.*

Cur etiam fideles venerint ex ciuitate Apostolos educere.

Est & alia significatio τοῦ παρακαλεῖν, pro *euoca-*
D *re*, quæ præsenti loco benè etiam congruit, sed præferenda Interpretis versio, quoniam statim addidit aliud verbum ἐξαγαγόντες, quod propriè significat *educentes*.

Versus 40.] Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: & visis fratribus consolati sunt eos, & profecti sunt.

EXEVNTES *autem de carcere.*] *Priùs tamen domum custodis ingressi*, vt placet Carthusiano. Nescio an rogatores illi permiserint; certè non videntur acquieuisse, donec & ex carcere, & ex vrbe, vrbanè tamen deducerent. Lydia portò, fœminæ purpurariæ nomen est, non autem regionis. Demonstrant hoc verba Græca ἐξελθόντες ἐκ τῆς
E φυλακῆς εἰσῆλθον πρὸς τὴν Λυδίαν, & quòd demùm dicuntur Apostoli visis fratribus profecti in aliam regionem.

Non adeò miror Glossam interlinearem, & Hugonem de regione interpretantes: Vatabli me admiratio id in dubium reuocantis capit. Hospitem suam Paulus in discessu reuisit, habitantem forsitan extra vrbem, & nimio confectam dolore de flagris suis, & vinculis, solari voluit.

Cur Paulus Lydiæ domum ingredi voluit.

Visis fratribus.] Aut intra vrbem, aut in Lydiæ domum, quæ fortasse, vt dixi, erat extra, conuocatis.

Consolati sunt eos.] Adde ex Commentario Græco, *narrauerunt quæcumque fecit Dominus illis*. Idem

fecit Petrus carcere solutus, & deductus ab Angelo [a]. Et verò credibile est, non Lydiam modò, sed fratres alios, dum erant in vinculis Apostoli, preces ad DEVM pro ipsis enixè fudisse. (a Act. 12. 11. & seqq.)

Et profecti sunt.] Iterum ad Philippenses Paulus rediisse narratur capite 20. [b] Inde autem siue modò, siue tunc, duas ad Corinthios epistolas fertur scripsisse: ad Philippẽses autem ipsos, vnam ex carcere Romano. (b vers. 6.)

A

Lege perelegantem, ac efficacem Chrysostomi digressionem, qua demonstrat, quò sunt viliores, & rudiores personæ, quibus Christiana religio persuadetur, hoc admirabiliorem videri, quoniam præter mysteriorum excelsitatem, quæ credenda sunt, proponit summa pericula, & vitæ genus austerum, à quo eiusmodi homines magis abhorrent. Quamuis nec desunt Christianismo, sapientia, diuitiis, honoribus eximij. (Christiana [illegible])



CAPVT DECIMVM-SEPTIMVM.

SVMMARIVM.

Philippis egressus Paulus, Thessalonicam venit. Inde, cùm conuertisset multos, opera Iudæorum exagitatus, perrexit Beroëam, Hinc verò etiam abire coactus, iisdem persequentibus Iudæis, cùm ibi Silam reliquisset, ac Timotheum, Athenas profectus est. In qua vrbe refutatis superstitionibus, plurimos Ecclesiæ adiunxit, nominatim autem Dionysium Areopagitam, & Damarim.

1 CVM autem perambulassent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Thessalonicã, vbi erat synagoga Iudæorum.
2 Secundùm consuetudinem autẽ Paulus introiuit ad eos, & per Sabbata tria disserebat eis de Scripturis,
3 Adaperiens & insinuans quia CHRISTVM oportuit pati, & resurgere à mortuis: & quia hic est IESVS CHRISTVS, quem ego annuncio vobis.
4 Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo, & Silæ, & de colentibus, Gentilibúsque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.
5 Zelantes autem Iudæi, assumentésque de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitauerunt ciuitatem: & assistentes domui Iasonis quærebant eos producere in populum.
6 Et cùm non inuenissent eos, trahebant Iasonem, & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Quoniam hi, qui vrbem concitant, & huc venerunt,
7 Quos suscepit Iason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, IESVM.
8 Concitauerunt autem plebem, & principes ciuitatis audientes hæc.
9 Et accepta satisfactione à Iasone, & à cæteris, dimiserunt eos.
10 Fratres verò confestim per noctem dimiserunt Paulum, & Silam in Berœam. Qui cùm venissent, in synagogam Iudæorum introierunt.
11 Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.
12 Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honestarum, & viri non pauci.
13 Cùm autem cognouissent in Thessalonica Iudæi, quia & Berœæ prædicatum est à Paulo verbũ DEI, venerunt & illuc commouentes, & turbãtes multitudinem.
14 Statímque tunc Paulum dimiserunt fratres, vt iret vsque ad mare: Silas autem, & Timotheus remanserunt ibi.
15 Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vsque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam, & Timotheum vt quàm celeriter venirent ad illum, profecti sunt.
16 Paulus autem cùm Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem.

17 Dispu

17 Disputabat igitur in synagoga cum Iudæis,& colentibus, & in foro, per omnes dies ad eos, qui aderant.
18 Quidam autem Epicurei, & Stoici Philosophi disserebant cum eo,& quidam dicebant: Quid vult seminiuerbius hic dicere? Alij verò: Nouorum dæmoniorum videtur annunciator esse: quia IESVM,& Resurrectionem annunciabat eis.
19 Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt: dicentes: Possumus scire quæ est hæc noua,quæ à te dicitur, doctrina?
B 20 Noua enim quædam infers auribus nostris: Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse.
21 Athenienses autem omnes,& aduenæ hospites, ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere, aut audire aliquid noui.
22 Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video.
23 Præteriens enim, & videns simulacra vestra, inueni & aram, in qua scriptum: erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis,hoc ego annuncio vobis.
C 24 DEVS, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cœli, & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat,
25 Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem,& omnia:
26 Fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ,definiens statuta tempora,& terminos habitationis eorum,
D 27 Quærere DEVM si fortè attrectent eum,aut inueniant,quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum.
28 In ipso enim viuimus, & mouemur,& sumus: sicut & quidam vestrorum Pœtarum dixerunt,ipsius enim & genus sumus.
29 Genus ergo cùm simus DEI, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi,sculpturæ artis, & cogitationis hominis,Diuinum esse simile.
30 Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens DEVS nunc annunciat hominibus vt omnes vbique pœnitentiam agant,
E 31 Eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.
32 Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.
33 Sic Paulus exiuit de medio eorum.
34 Quidam verò viri adhærentes ei,crediderunt:in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.

Versus 1.] Cùm autem perambulassent Amphipolim, & Appolloniam, venerunt Thessalonicam,vbi erat Synagoga Iudæorum.

CVM *autē perambulassent Amphipolim.*] Parum distat à Philippis, iacétque ad brumalem Occasum,eam Strymon fluuius ex Hæmo delapsus,in peninsulæ formam complectitur: ideóque nomen id obtinuit. Fuit aliquando colonia Atheniensium. Vide Plinium [a], & Stephanum [b]. Quæ in Syria nominis eiusdem extat, nominatur à Syris Turmeda. *Amphipolis descriptio.* *a lib 14.c.10.* *b de vrbib.*

Appolloniam.] Nec longè hæc abest à Thessalonica,quas Achedorus amnis tantùm segregat [c]. Sunt autem huius nominis ad oppida vigintiquatuor,quæ Stephanus recenset, præter duas insulas in Ponto,& in Thracia. *c Volaterra lib.8.*

Thessalonicam.] Inter primas Macedoniæ ciuitates numeratur, Halia priùs vocabatur: sed ob Thessalos ibi deuictos ab Amyntæ filio Philippo, & à nutrice Nice, cui sobolem ibidem susceptam ex Iasonis nepte nutriendam dederat, aut etiam à matre dictæ prolis Nicasipoli [d], nouum id nomen obtinuit. Ad Thessalonicenses geminas Paulus dedit epistolas(quarum prior creditur [e], omnium Pauli epistolarum prima) in quibus eos commendat, iisdémque Aristarchum constituit Episcopum, de quo deinceps historia nostra bis, ac tertiò mentionem faciet. Lege Plinium [f], & Volaterranum [g], qui testatur, *integrum de hac vrbe scriptum librum ab insigni scriptore Lucio Tarreo.* *Thessalonica vnde nomen habeat.* *d Stephan.* *e Chrysosto. Theod & alij proœm. in ep. Pauli.* *f lib.4.c.10.* *g lib.2 Geog.*

Tulit ea ciuitas Theodorum Gazam, Patrum memoria Græcæ,ac Latinæ linguæ peritissimum. Celebris est etiam cæde duodecim millium ciuium, Theodosij Senioris imperio, cuius cædis nomine Ambrosij censuram coactus est experiri. Vocatur nunc Salonica, eóque ferè conueniunt Iudæi, & qui ad Iudaismum de Christianismo deficiunt. *Laudes vrbis Thessalonicæ.*

Vbi erat Synagoga Iudæorum.] De Synagoga, lege caput sextum [h]. Colligitur autem cum Caietano,Philippis Synagogam non fuisse. *h vers.9.*

Versus 2.] Secundùm consuetudinem autem Paulus introiuit ad eos, & per Sabbata tria disserebat eis de Scripturis.

SECVNDVM *consuetudinem autem Paulus.*] Κατὰ δὲ τὸ εἰωθὸς τῷ Παύλῳ εἰσῆλθε πρὸς αὐτοὺς: *Secundùm id autem, quod erat consuetum Paulo*, seu, *prout consueuerat Paulus.* Quo etiam modo vertit Syrus, אכנו דמעד הוא *achanu dambhad haua*, id est, *sicut solitus erat*,& Vatablus. Quocirca non est integrum intelligere cum Glossa interlineari, de consuetudine Iudæorum,vel Pauli, aut cum Hugone, de vtrorumque. Videtur Carthusianus legisse: *Secundùm consuetudinem autem suam Paulus.* Lyranus exponit de consuetudine Pauli, secundùm quam prædicabat primùm Iudæis, posteà Gentilibus. Hoc & Chrysostomus prior monuit, nec posse Paulum, quo gentem suam prosequebatur *Paulus cur Synagogam ingrederetur.*

batur amore, non eam omni ope iuuare, tametsi aliàs [a] dixisset: *Ecce conuertimur ad Gentes*: cùm Iudæi se indignos reputassent, ac exhibuissent.

a Act.13.46.

Paulus impostor haberi non vult.

Per Sabbata tria disserebat eis de Scripturis.] Tractationem Scripturarum Sabbatis haberi solitam in Synagoga, sæpe diximus. Chrysostomus, Oecumeniúsque obseruant, ne haberetur impostor, ac præstigiator Paulus, libenter Scripturarum testimonia inculcasse, cùm inde suspicio huiusmodi nulla concitari queat. Vidimus quidem hactenus crebras Iudæorum persecutiones in Paulum, sed non memini præstigiarum ab eis crimen illi obiectum.

Non ex Scriptura tantùm, sed aliunde probationes Fidei petendæ.

Imitandus Paulus, sed vitandus Caluini paralogismus, *hinc tantummodò, atque ex ore ipso* DEI *loquentis in Scriptura sacra, Fidei probationes petendas*. Cur non idem affirmat de traditionibus, cùm legit eundem Apostolum scribentem, *se quædam tradidisse* [b], videlicet *sine scripto*? Cur non de reuelatione, *quam idem habuisse se ait de doctrina Fidei* [c]? Nunquid cùm vnus aliquis citatur ex literis diuinis, aut locus, aut liber, ex eo duntaxat loco, libróve trahi argumentum potest? Abnuet Caluinus. Sic præter amplissimum, grauissimúmque Scripturarum testimonium, suus relinquitur & traditionibus locus, & aliis generibus argumentorũ.

b 1.Cor.11.2.

c Gal.1.11.12.

Ecclesia nos docet Scripturas authenticas, & earum sensum.

Scripturas verò ipsas Canonicas esse docet nos Ecclesiæ auctoritas, & earum sensum haurimus non è capite nostro, sed ex eadem Ecclesia, *iisque, quos in ea* DEVS *posuit, Pastores, & Doctores* [d]. Id aliquoties inculco aduersùs conculcatorem orthodoxæ traditionis, & sacrosanctæ Ecclesiasticæ maiestatis, auctoritatísque nefarium depeculatorem.

d Ephes.4.11.

De Scripturis.] Hoc est, *ex Scripturis. Non enim*, inquit Caietanus, *de ipsis Scripturis disputabat, sed ex Scripturis*, διελέγετο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν. Apud Latinos confunduntur quandoque particulæ *de*, & *ex*. Valet verò aduersùs Iudæos hoc argumentum cumprimis, ac præsertim ex prædictionibus Prophetarum, vt aliquoties notaui. *Non dubites*, inquit Tertullianus [e], *credere quod asseueres, cùm videamus fieri, non potest futurum dici, quod vides fieri, nempe conspirante sensu Scripturarum cum exitu rerum, & ordine temporum.* Hoc rectè etiam cecinit Prudentius [f]:

Scriptura sacra Iudæi maximè premendi.

e lib.cont.Iudæos.c.8.& c.vlt.

f in Apoth.

Fortè hæc cùm veterum cecinissent organa vatum,
Nos oculis, manibus, congressu, voce, loquela,
Experti herorum tandem intelleximus orsa
Priscorum, & viso patefacta oracula CHRISTO.

Versus 3.] Adaperiens, & insinuans, quia CHRISTVM oportuit pati, & resurgere à mortuis: & quia hic est IESVS CHRISTVS, quem ego annuncio vobis.

ADAPERIENS.] Syrus, כד מפשר הוא *chad meppasched hana*, id est, *Cùm explicans esset*; vel *Dum explicaret*, διανοίγων. Sic Daniel verbum aperiendi vsurpat pro expositione somnij [g]. Vbi tamen est aliud verbum Græcum ἐγνώρισας, *Notum fecisti*: sicut & apud eundem paulò pòst [h], ἀποκαλύψαι. Interpres noster eodem aperiendi verbo reddidit.

g cap.2.29.

h vers.47.

Aperire os quid sit.

Dicitur quis aperire os, quando inclusam animo suo promit scientiam: aperire parabolam, quando inuolutam in ea sententiam explicat; aperire alicui sensum, cùm vel interiùs in intellectu eius aliquid operatur, quod propriè solus DEVS, Angeli tantùm per phantasmata faciunt, vel exteriùs disertè, & enucleatè obscura euoluit. Latinè, ac eleganter vsurpatur aperiendi verbum in ista significatione, τὸ διοίγειν, tantùm cum aliquo addito. Est autem *os aperire*, loqui de rebus grauissimis, & magna libertate, & longiore tempore, & præmeditato, vt aliàs notauimus [i]. Lege Pinedam [k]. Contrario sensu dicitur de illo, qui non audet loqui, nec os aperire audere [l].

i Act.8.35.
k Iob.3.1.nu.4.5.cap.16.11.num.1.2.
l Esa.10.14.

Insinuans.] Syrus, ומחוא *vamchaue*, id est, *Et dum ostenderet*. Vatablus, & Erasmus: *Allegans*, παρατιθέμενος: Est etiam, *In medium afferens, exemplum citans, auctoritatem scriptoris promens, componens*: hoc est, comparans, & conferens, & contendens; prætereà proferens, proponens, ac ob oculos ponens; vel apponens ceu dapes, & fercula; item exponens, explicans. Conueniunt hæ significationes omnes præsenti loco.

Insinuare quid significet.

Interpres tamen insinuandi loco vltimam potissimùm videtur intendisse; eo enim sic vtitur, hoc est, pro in notitiam adducere. Suetonius cùm ait [m]: *Quare citò manumissus Augusto insinuatus est*, hoc est, Augusto significatũ est de illo, *quòd eleganter curam ordinandarũ bibliothecarum in Octauiæ porticu suscepit*. Apud alios Auctores, *Insinuare*, ad amicitias refertur, vel ad artificiosam causæ defensionem: vnde genus exordij, quam Rhetores vocant *Insinuationem*. Iterum duntaxat in omni Scriptura sacra verbum reperitur insinuandi, cùm Petrus scribit [n]: *Omnes autem inuicem humilitatem insinuate*, vbi est, ἐγκομβώσασθε, id est, *circumamicti estote*: vel, *arctè illigatam ceu nodis tenete*: vel, *quasi in sinum inmittite prudenter, latenter, & veluti reluctantibus.*

m de clar. Gram.

n 1.epist.5.

Et quia hic est IESVS CHRISTVS, *quem ego annuncio vobis.*] Crebrò diximus, Scripturam totam nihil magis inculcare, quàm CHRISTI Passionem, ac Resurrectionem, aliáque mysteria: & hoc ex illa argumentum, quantas habeat vires, præcipuè contra Iudæos. *Sed erant*, inquit Beda, *quidam Iudæorum, sicut & hodiè sunt, ita perfidi, vt cùm* CHRISTI *Passionem, ac Resurrectionem Scripturis insertam negare non possent; hæc tamen ad* IESVM *pertinere omninò negabant, magisque Antichristum expectare, quàm* IESVM CHRISTVM *credere volebant. Et ideò Paulus non modò* CHRISTI *mysteria prædicabat, sed hæc etiam in* CHRISTO IESV *consummata dicebat.*

Iudæorum gens perfida.

Constat ex iis, quæ scribunt contra Iudæos, quosdam istorum, duos fingere Messias, quendam pauperem, alium diuitem. Inter alias etiam fabulas eorundem illæ circumferuntur; quòd iam dudum natus MESSIAS vagatur per orbem instar pauperis, ac leprosi, & in summa abiectione ob populi peccata, prout Esaias [o] prædixit: *Nos reputauimus eum quasi leprosum.* Sed & in Collectaneis Rabbi Iacob [p] è Thalmud est, quòd MESSIAS sedet in porta Romæ inter pauperes portantes dolores, &c. Iam venisse MESSIAM demonstrant citati Auctores, quique disserunt de Incarnatione, vt Suarez noster, atque ex nostris item Barradius in Euangelica harmonia [q].

Iudæi duos Messias fingendos.

o cap.53.4.

p Lyra cõtra Iudæos.

q li.3.præscr. tim c.12.

Versus 4.] Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo, & Silæ, & de colentibus, Gentilibúsque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.

ET *de colentibus Gentilibus.*] Τῶν δὲ σεβομένων Ἑλλήνων: *Colentiúmque Græcorum*, &c. Syrus,

אלהא

וסגיאא מן יוניא אילין ודחלין הוו בן אלהא *vesaggiaa men iaunaie ilen dedachalin hauu men elaha*, id est, *Multique ex Græcis illis,qui timebant* DEVM. Per Græcos intelligi Gentiles pridem notatum: & per *timentes,colentésque*, illos,qui aliter dicuntur proselyti, nempe Iudæi facti ex Gentilibus. Hoc loco iuxta editionem nostram videri possent designari Gentiles distincti à proselytis. Ablata verò particula copulante *que*, aut soli Gentiles, qui piè DEVM colerent,qualis fuit Cornelius [a]; nec tamen Iudaicum ritum sectarentur: aut patria Gentiles, qui quòd Iudæi euasissent, cum addito *colentes*, nominabantur, súntque proselyti:aut, vt ait Oecumenius, *religione Iudæos natos, qui Græcè loquebantur*.

a Actor.1.1.& seq.

Glossa interlinearis sequens lectionē nostram, indefinitè *primos accipit pro Iudæis, secundos pro Gentilibus & gente, & religione*. Glossa ordinaria,& Lyrani,*illos pro proselytis,hos pro idololatris*. Eodémque pacto Beda,Scholastica Historia, Hugo, Carthusianus. At verò Caietanus solus exponit, *Gentiles à Iudæis institutos,quoniam prædicabat*,inquit,*in Synagoga Paulus*. Adhærendum versioni emendatæ,quę in multis codicibus impressis anno 1483. & 1484.& 1494.ac manuscriptis extat.

Admittebantur in Synagogam etiam Gentiles,vt alibi docui; & hac nunc credo de causâ tam vehemens à Iudæis aliis concitata persecutio est, quòd tales ad Christianismum immediatè admitterentur, qui fortasse ad Iudaismum iam dispositi erant.

Iudæi pauciores conuertebantur ad Christū, quā Gentiles.

Multò ex his maior multitudo conuerti solebat,ac ex proselytis quoque, quàm ex puris putis Iudæis, præsertim post primam illam Ecclesiæ quasi infantiam, in qua mirabili DEI prouidentia factū vidimus primis huius historiæ capitibus, vt plurimi Iudæi, calente adhuc CHRISTI sanguine,& recente eorum parricidio, in Ecclesiam DEI venirent, tum ad vim SPIRITVS demonstrandam, tum ad iudicandum, quantùm potuissét SALVATORIS in cruce pro crucifixoribus [b] *cum clamore valido, lacrymísque fusæ preces*: tum vt omnes intelligerent vitio fieri, & peruicacia Iudæorum ipsorum,si qui posteà tot præcedentibus exemplis,atque adeò multiplici aliorū argumentorū genere conuicti,manus tamen agnitæ veritati dare nolint:tum denique vt inter alias pœnas tam multas, tam graues,quas coguntur subire propter immane illud Deicidium, hac omnium maxima, atrocissimáque plectantur, *vt videntes non videant, intelligentes non intelligant, obdurati, & excæcati* [c].

b Heb.5.7.

c Esa.6.9 10. Ioann.12. Actor.vlt. .27.

Et mulieres nobiles non paucæ.] Græcè vocantur πρῶται, hoc est,*primæ*; seu *primariæ*. *Ideò mulieres priùs credunt*, ait Glossa interlinearis, *vt viros facilius trahant*.

Primariæ mulieres tiri conuertan-

Iam de viris dixerat Lucas;etsi verum est valere vxores apud viros in vtramque partem. Sunt quoque mulieres pronæ ad omnia, & pietatem concipiunt,si quis eam insinuet. Postremò pietatis, omnísque virtutis nobilitas, eximium ornamentum,incitamentum, ac quoddam etiam effectum. Magni eam Scriptura sacra æstimat:& qui opibus, ac potentia, honoribúsque CHRISTVS carere sustinuit, & voluit, nobilitatis laudem habuit. Lege nobilem Tiraquelli tractatum de Nobilitate.

Primi, & primores primarij-

Frequenter scriptores Latini vsurpant *primos*, & *primores*, ac etiam nonnunquàm *primates*, vt oppositos plebeiis, & popularibus, seu ignobilibus; non tantùm quòd dignitate præeant, vel honore, vel ætate, sed quoniam etiam nobilitate. Exemplis hoc illustrat citatus Auctor [d]. Præclarissimum est Taciti [e], qui vocat *primores ciuitatis, quibus claritudo sua*,id est, nobilitas, *obsequiis protegenda erat*. Idem valet vocabulum *primarij*,& *præcipui*, & *principis*, & *prioris*: quæ omnia, hisque similia valet dictio Græca πρῶτος,& πρῶτα,&c. Sic cùm apud Ioannem Euangelistam Baptista dicit [f] de CHRISTO: *Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat*, Græcè est, ὅτι πρῶτός μου ἦν,pro πρότερος,id est,*mihi præpositus est, qui me dignitate antecedebat*. Et apud Iob [g]: *Nunquid tu primus homo natus es?* id est,*prior, ac superior loco,sapientia,dignitate,potentia*. Πρῶτος, ראישן *reischon*.

d cap.17.n.16. & 17.

e lib.1.

f Ioa.1.15.27. 30.

g cap.15.7.

Versus 5.] Zelantes autem Iudæi,assumentésque de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitauerunt ciuitatem:& assistentes domui Iasonis, quærebant eos producere in populum.

ZELANTES *autem Iudæi.*] In textu Græco Complutensi, & Regio,ac in aliis codicibus desideratur hoc participium:habent autem aliud epithetum, quod versio nostra non expressit, οἱ ἀπειθοῦντες,*increduli*. Id verò in sua posuerunt versione Vatablus, & Clarius. prout fecit & Syrus, qui habet, אנשא בישא *anasche bische*;quod tamen alij,*Viri mali*,vel,*homines scelerati*, reddunt, omittens interpretationem alterius nominis adiectiui. Monuit Caietanus deesse,*increduli*. Biblia Roberti Stephani Græca inserunt in textum, ζηλώσαντες: idque legunt Chrysostomus, & Oecumenius. Non dubium, quin de zelo malo,ac de liuore inuidiæ sermo sit.

De Iudæorum internecino contra Christianos odio,lege capite septimo quæ diximus [h],&,si vacat,consule Paulū in priore ad Thessalonicenses [i].

h vers.52.

i c.2.14.15.16.

De vulgo viros quosdam malos.] Τῶν ἀγοραίων τινὰς ἄνδρας πονηρούς,*ex circumforaneis*.

Aristoteles [k], vrbis partem tertiam ait esse ἀγοραῖον,hoc est,in vendendo,& emendo occupatam. Hoc autem hominum genus, qui non suas tantùm merces, verùm etiam operas distrahunt, triuiale est,contemptum, vile, ac proinde ad omnem,vt Scriptura concinnè loquitur [l], venundatum iniquitatem. Egregiè quoque conuenit in eosdem epithetum, τῶν πονηρῶν, quod significat miseros, infortunatos, labore,& ærumnis confectos, inopes, ineptos, vitiatos, ac vitiosos, & scelestos.

k lib.4.Polit. cap.4. Circumforanei homines viles.

l 3.Reg.21.25.

Quòd si etiam scire velis,ait Chrysostomus [m], vnde sit deductum nomē improbitatis, magnum quoque hinc fructum percipies. Improbitas enim Græcè dicta est πονηρία,ab eo,quòd πόνον, hoc est, laborem, & ærumnam possessori afferat. Dicere potuit prætereà ab eo, quod est πόνος,ac πενία, labor,& indigentia: quæ duo mala pœnæ qui tolerare non vult, non dubitat culpæ cuiuscuis malum admittere.

m in Psa.119. & Hom. 7.in Act. Πονηρία vnde dicatur.

Incertum, vtra maior ad peccandum illecebra diuitiæ,an coacta mendicitas. Qui Rempublicam saluam volunt,diuitibus,quàm egentibus, honores,magistratúsque deferunt. *Egentissimo enim*,scribit Sallustius [n],*omnia cum pretio honesta videntur*,

Paupertas coacta an diuitiæ ad peccandum quā magis mittent.

n in Iugurt.

Ἡ γὰρ πενία πρόχειρος εἰς τὸ δρᾶν κακά.

Philemonis Comici,quam recitat Stobæus [o],sententia est,quam eleganter sententiam reddit Latinus Poëta [p].

o Serm.94.

p Silius Ital. lib.11.

— Sceleri proclinis egestas.

Omittam

a de nobilit. c. 1. n. 23. & c. 25.
b Prou 30. 9.
c Eccl. 27. 1.

Omittam cetera in hanc rem testimonia, quæ collegit Tiraquellus [a] exquisita diligentia. Propria illa sunt [b]: *Mendicitatem ne dederis mihi, ne egestate compulsus furer, & periurem nomen* DEI *mei.* Item [c]: *Propter inopiam multi deliquerunt.*

Apostolorum innocentiæ testimonium.

Egregium hoc Apostolorum innocentiæ testimonium, quod non alij proferri aduersùs eos testes potuerint, non alij accusatores, quàm ex fæce tribolariorum, triuialium, compitalium, circumforaneorum, cùm viles, ac humiles personæ parum, nihilve fidei habere videantur [d], & mendicantium, atque pauperum vacillet fides, nisi aliunde sint exploratæ fidei [e]. Nam:

d Nouel Iust. 90. §. corrobo rantes. & l. humilem. de incest & inutil. nupt. C. & l. 1. de nat. liber. C.
e de susp. tutor. §. fin. C.
f Iuuenal Satyra 3.

—iures licèt [f], *& Samothracum,*
Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atque Deos, Diis ignoscentibus ipsis.

Euidens falsæ criminationis Iudæorum demonstratio, quoniam tales subornant: *Nec putauerunt,* inquit Chrysostomus, *se sufficere ad seditionem mouendam, nec iustam causam habebant.*

Quid si οἱ ἀγοραῖοι, sumantur pro forensibus, hoc est, pro ministris publicis, & satellitibus. Hi circùm forum versantur, & sunt vulgares, ac plerunque minimè boni, & infimæ fortunæ. Illud verum est, quod obseruat Chrysostomus, in maiore ciuitate deteriores solere esse, vt & priùs in Iconio. *Sicut in corpore*, inquit, *quando difficilior morbus fuerit, plus habet materiæ, & alimenti.*

g cap. vlt. 21.
h vers. 16.

Iasonis.] Iasonis quoque mentio est in epistola ad Romanos [g], & quidam putant inferiùs capite 21. [h] alio nomine vocatum Mnasonem in emendatis Bibliis, Iasonis etiam nomen habuisse, prout alij codices legunt. Quòd hic de numero fratrum fuerit, indicat versus sequens, cùm dicitur *tractus cum quibusdam fratribus ad principes ciuitatis.* Et septimus, in quo habetur, eum fratres hospitio excepisse. In Romano Martyrologio [i] natalis Iasonis in Cypro recitatur, diciturq; *antiquus* CHRISTI *Discipulus.* Menologium [k] facit Tharsensem Episcopum, & Dorotheus [l], & Petrus de Natalibus [m]. Hippolytus [n] verò in Syria. Hic numerat in septuagintaduobus Discipulis, aliique: at Menologium, inter Discipulos Pauli.

i 12. Iulij.
k 4. Kalend. Maij, seu 29. Aprilis.
l in Synopsi.
m li. 6 c. 100.
n de septuagintaduobus Discipulis.
De Iasone Christi Discipulo variæ opiniones.
o in Notis. 12. Iulij.

Baronius [o] existimat, Iasonem, qui celebratur in Martyrologio Romano, eundem esse cum Mnasone, qui huius libri capite 21. dicitur Cyprius genere; nostrum autem, Thessalonicensem, Pauli & hospitem, & Discipulum, cuius ipse meminerit dicta ad Romanos epistola: sicque alterum Tharsi in Cilicia, in Syria alterum factum Episcopum. Quid vetat, Iasonem, qui Paulum modò excipit Thessalonicæ, non Thessalonicensem ciuem, sed inquilinum ex Cypro in conducta domo habitasse? Non enim Mnason à Cæsarea adductus, vt apud eum, seu in itinere Ierosolymitano, vel in Ierusalem Paulus hospitaretur, Cæsareensis non erat, aut Ierosolymitanus, sed Cyprius, vt est eodem loco in hac historia.

Dissidium porrò inter Auctores illos Græcos, tum verò, quando est cum nostro Martyrologio Romano, parui solet Baronius, & iure quidem facere. Cùm asserit Menologium de Iasone Tharsi Episcopum, & ibi natum fuisse, respexisse ad Paulum potuit, qui in epistola ad Romanos vocat *cognatum suum cum Sosipatro*, quem tamen Sosipatrum Græci illi *Achæum* facere videntur, & *Iconiensem Præsulem.*

Constat, Iconij affines Paulum habuisse, & de Tharso patria ipsius non ambigitur, Thessaloni-

A censem nullum, opinor, habuit. De Mnasone quomodo probari possit eundem esse cum Iasone, haud equidem scio. Hoc scio, in Martyrologio nostro quosdam aliquando pro Iasone legisse Nasonem, quos meritò Molanus reprehendit in suo: & in his fuit Petrus citans Adonem, apud quem Adonem is, qui citauit in margine, capite 21. Actorum, & substituit Iasonem, putauit legédum ibi fuisse pro Mnasone, aut Nasone, Iasonem.

Dwine, seu Iason, & Nason.

Certè quotquot ferè notationes ediderunt in Martyrologia, eáve composuerunt, vt Genebrardus in Menologio, seu Kalendario Græcorum, quod Psalmis præfixit, de eodem vno Iasone mentionem à Paulo fieri arbitrati sunt capite isto 17.
B & 21. & capite vltimo epistolæ ad Romanos: nimirum in capite vigesimoprimo præsentis libri perperàm legi volentes pro Iasone Mnasonem: Iasonem enim non pauci codices Latini & impressi, & manuscripti legunt.

Duo sunt Iason, & Mnason.

Quod quia nunc post emendationem Bibliorum sentire fas non est, & Græcè Μνάσων, in casibus obliquis retinet ω; Ἰάσων autem habet ο: vt non facilè contigisse potuerit error in scribendo vnum pro alio, cùm sit quoque satis notabilis differentia in primis vtriusque litteris, & Syrus distinctè hæc duo efferat, præter Vatablum, Clarium, &
C alios: nulla autem ratio suadet, vt asseramus eidem personæ duplex nomen fuisse Mnasonis, & Iasonis, præstat vt cum duplici nomine duplicem distinguamus personam, ita vt ex Cypro ambo fuerint, quoniam de Mnasone tradit Lucas, de Iasone autem Martyrologium, etsi non de natali solo, sed de loco, vbi quieuit in Domino, possit intelligi.

Nota sunt etiam profanis auctoribus diuersa nomina Iasonis, & Mnasonis. Sixtus Senensis [p] hunc, de quo agimus, non distinguit ab eo, cuius salutationem Romanis Apostolus mittit, & Thessalonicensem nominat, patria videlicet, quod fieri potest, aut incolatu, vt antè dixi, Troadisque Episcopum prodit, & quidem auctore Dorotheo [q]. Atqui ille Tharsensem gessisse tra-
D dit Episcopatum. Docet præterea ei tributum librum, qui, ALTERCATIO Iasonis, & Papisci titulo notatur, cuius est apud Origenem [r] cum laude mentio.

p li. 2. Bibliothec.
q in Synopsi.
r lib. 4. contra Celsum.

Sed Hieronymus [s] monet perperàm affirmari in eo libro in exordio Genesis Hebraicè scriptum esse: *In* FILIO *creauit* DEVS *cælum & terram*, cùm LXX. & Symmachus, & Theodotion transtulerint, *In principio*, idque sonat בראשית *bereschith*, & Aquila *in capitulo. In Filio* autem dicendum fuerit Hebraica lingua בבן *beben*. Nec Origenes, nec Hieronymus dicti libri auctorem affirmat Iasonem: Solùm dicit quòd fuit inscriptus *Altercatio ipsius, & Papisci.*

s quæst. Hebraic. in Genesi. In principio, legendum esse Genesis, non in Filio.

E Fauet sententiæ Sixti, quod Origenes in eo libro ait *induci Christianum cum Iudæo disputantem, & ex ipsis Iudæorum literis euincentem quæcunque de* CHRISTO *per Prophetas prædicta sunt in* IESVM *competere, quamuis strenuè, satisque Iudaicè contradicat aduersarius.* Nam hoc est, quod Paulus initio huius capitis per tria Sabbata fecisse narratur, disserendo de Scripturis, adaperiendo, & insinuando, quia CHRISTVM *oportuit pati, & resurgere à mortuis, & quia hic est* IESVS CHRISTVS, *quem ipse annunciabat illis.* His concionibus Iason videtur interfuisse, siue fuerit antiquus CHRISTI Discipulus, siue tunc primùm vnus ex eis, qui ibidem dicuntur credidisse; &

adiunctus

adiunctus Paulo, & Silæ, atque idem argumentum, quod presserat Paulus, notasse, ac in dialogum retulisse. Fui longior, sed ante me, quod sciam, nemo hac in re viæ compendium ostendit.

Turba facta.] Æquiuocum est, an sit multitudo coacta, an turbatio. Priorem sensum sequitur Syrus, qui sic scribit, עבדו אכלון סגיאא *vehhabadu achlon saggaiea*, id est, *& fecerunt turbam magnam*, & Vatablus: benéque Latinè in hac significatione dici turbam facere, non solùm in plurali turbas, docet Nonius, Græcè est, ὀχλοποιήσαντες.

Assistentes domui Iasonis.] Ἐπιστάντες, imminentes, vrgentes, instantes, insurgentes, obsidentes, opprimentes.

Quærebant eos producere in populum.] Mactandos fustibus, lapidibus, &c. quasi deprehensos in crimine læsæ maiestatis, vt periculum esset in mora, more, ac iure communi velle agere, eósque ad Iudices producere.

Versus 6.] Et cùm non inuenissent eos, trahebant Iasonem, & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Quoniam hi, qui vrbem concitant, & huc venerunt.

TRAHEBANT *Iasonem.*] Syrus, גרוהי הוו לאיסון ולאחא דאית הוו תמן ואיתיו אנון לות רישא דמדינתא *garuhi haun liiasun, velache dith haun thamman, vaeihiu innun leuath raische damdinetha*, id est, *litem intendebant Iasoni, & fratribus, qui aderant illic, & adduxerunt illos ad primores ciuitatis.* Ἔσυρον τὸν Ἰάσονα, καί τινας ἀδελφοὺς ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας. Non esset mirum, aut nouum, si traxissent, ac raptassent, & protrusissent tot nefariis septi Iudæi Pauli hospitem, aliósque fratres: ita enim capite præcedente [a] ἐλιθάσαν eundem Paulum cum Sila.

Dicitur tamen quis trahi ad iudicium, cùm ante id sisti compellitur, etiamsi sine iniuria, & nisi libens veniat, à tam multis deducitur, qui vim possint nolenti afferre; quò forsan Syrus respexit. Sed Chrysostomus, aliíque de violenta extractione intelligunt. Beda colligit, Iasonem fuisse de numero fratrum, quia in textu Græco sit, *& quosdam alios fratres*, tamen nunc non inuenio alios.

Principes ciuitatis.] Πολιτάρχας. Hi priore capite vocati sunt στρατηγοί. Propriè autem significat vox illa principes, ac præfectos ciuitatis. Nescio an apud alium auctorem reperiatur: idem autem valet quod πολιτάρχης, aut πολιτάς.

Quoniam ὅτι, id est, *quòd*, quasi dicat, hoc est quod clamabant, sic sæpe alibi in Scripturis eadem dictio, ac similis ei, *quia*, accipitur.

Vrbem concitant.] Οἰκουμένην, orbem. Syrus דלכלה ארעא *dalchulah arhha*, id est, *vniuersam terram*, eodemque modo Vatablus, & Clarius, & Arias; & codices Complutenses Regij, atque alij. Tamen alij etiam multi sequuntur lectionem nostram, excusi anno 1483. & 1484. & recentioribus annis, eámque agnoscunt in margine, qui alteram textui inserunt, & ita legunt omnes interpretes Latini antiquiores, exponentes de ciuili seditione.

Vulgaris loquendi modus est, vt dicatur *orbem turbare*, aut *miscere*, qui turbas, seditionémve concitat certo in loco. Et quamuis accusatores isti vellent innuere Apostolos, quam alibi mouissent, eandem Thessalonicæ mouere seditionem, tamen adhuc vterentur hyperbole: necdum enim orbem vniuersum peragrauerant, quanquàm & orbis interdum vsurpatur pro certa aliqua regione accommodata ad locum, in quo quis, aut de quo loquitur. Idem sentio de Græco nomine οἰκουμένη. Sicque Demosthenem [b] intelligo, cùm ait, Πᾶσ᾽ οἰκουμένη μεστὴ γέγονε προδοτῶν, *Totus orbis plenus factus est proditoribus.* Et Philippidem apud Athenæum [c], quando Romam vocat οἰκουμένης δῆμον, *mundi populum*, hoc est, refertam ex omnium mundi regionum hominibus. Quia ergo permulti ex Gentilibus conuersi erant, &, quod peius Iudæos habebat, aliqui etiam ex Iudæis, ac principes quoque mulieres, quæ viros in eandem sæpe trahunt sententiam; propterea veluti parœmiali phrasi dixerunt accusatores, *concitant οἰκουμένην orbem*, eo modo, quo Pharisæi de CHRISTO [d]: *Ecce mundus totus post eum abiit*, vt notauit Rupertus [e]: etsi simul nolentes prophetabant *totius mundi conuersionem Gentilium, Iudæorúmque*, vt Cyrillo placet. Sed placuit hoc loco Interpreti magis exprimere sensum, ponendo pro orbe, vrbem.

Et huc venerunt.] Οὗτοι καὶ ἐνθάδε πάρεισιν. *Hi & hic adsunt.* Syrus, והא חוב להרכא אתו *veha thub lehareha athau*, id est, *& ecce iterum huc venerunt.* Quando prima vice venerint, nescio; qui orbem in superiore parte sententiæ sumunt propriè, volunt, vt Caietanus, *&* esse pro *etiam*, & significari quòd Apostoli, qui ante orbem, hoc est, alia multa loca concitauerant, illuc quoque idem facturi aduenissent. Sed legendo *vrbem*, sensus est, quòd ad eam venerant, & adhuc in ea erant, quamuis laterent.

Versus 7.] Quos suscepit Iason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse, IESVM.

QVOS *suscepit Iason.*] Capitale crimen est receptare seditiosos, ac fures, latronésque, & alios criminosos. Extant in Iure ciuili tituli proprij contra hoc omne genus hominum [f]. Platonis quoque seuerissima lex [g]: de qua re lege præ ceteris Iurisconsultissimum veterem amicum nostrum Menochium [h].

Ceterùm ὑποδέδεκται, denotat *occultè, clanculùm, furtim excipere*, sicut etiam vertunt Vatablus, Clariúsque, & monent Caietanus, atque Gagneius. Verùm ὑποδέχεσθαι passim reperitur pro simplici significatione excipiendi. Iuuat quoque modo aliam expositionem, quòd quæsiti Apostoli in domo Iasonis, non sunt inuenti, quasi ibidem essent in latebris, aut ibi clàm excepti, clàm etiam subducti essent.

Et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse, IESVM.] Vetus accusatio in CHRISTVM ipsum intentata [i]. *Sed crassa calliditate vtuntur*, inquit Caietanus; *nam etsi tunc cùm* IESVS *esset homo mortalis, calumnia hæc habuit aliquid coloris, nullum colorem habebat* IESV *iam regnante in cœlis, non enim contra decreta Cæsaris Rex alius est, nisi Rex terrenus.*

Versus 8.] Concitauerunt autem plebem, & principes ciuitatis audientes hæc.

Marginalia: [a] vers. 19. — Trahitur quis ad iudicium etiam sine vi. — Orbem turbare quid sit. — [b] orat. pro coro. — [c] lib. 1. — [d] Ioan. 12. 19. — [e] in Ioan. — Latrones, & facinorosos recipere capitale est. — [f] de Recepta. ff. de iis, qui latro. & alios crim. reos occul. — [g] 12. de leg. — [h] de arbitr. iud. lib. 2. centur. 4. cas. 148. — [i] Ioan. 19. 12.

A Concitaverunt *autem plebem.*] Nihil suspectum magis,nihil aptius ad concitiendum animum plebis, Principisque, quàm quælibet de imperij mutatione leuissima mentio: maximè verò, si firmo iustitiæ fundamento non consistat.

Tyranni quàm sint parum securi.

Trepidat ad rumusculos, & ad omnem auræ flatum Tyrannus in assiduo metu, & ad omnes suspiciones pauidus, vmbram horrescit non pignoribus ipsis charissimis fidit,vix sibi credit,omnium non linguas modò, sed & manus obseruat, & eo quoque tempore, quo non captatur,peti se iudicat, nullúmque momentum immune à metu habet. Plenæ exemplis historiæ: plurimæ Auctorum grauissimorum hac de re sententiæ.

In magna illa disceptatione Agrippam inter, ac Mœcenatem,illo Octauium ab imperio capessendo retrahente,hoc ad subeundum impellente, quas Dio [a], ac Zonaras [b] recitant.Hæ pro dissuadendo ex octo potissimæ rationes erant: *Vni regnanti plures infestos esse , vitam perpetuo periculorum obsessam metu, atque sinistra suspicione vulgatissimus de filo pendens, & capiti nudus gladius imminens.* Et Macrobius [c] hoc Dionysij memorandum factum cùm narrat,ait præterea *atram silicem in inferno lapsuram semper, & cadenti similem illorum capitibus imminere, qui arduas potestates, & infaustam ambiunt tyrannidem,nunquàm sine timore viuentes, & cogentes subiectum vulgus odisse,dum metuat,qui semper sibi videntur exitium,quod merentur,excipere.*

a lib.52.
b Tom.2. in Octauio.
c in somnio Scipion. c.10.

Sed nemo , vt Claudius Cæsar , qui hac viuebat ætate , æquè timidus , ac diffidens , vt docet Suetonius [d] : *Quasdam insidias temere delatas adeò expauit,vt deponere Imperium tentauerit ; lacrymis , ac vociferatione coram Senatu miseratus sit conditionem suam, cui nihil tuti vspiam esset, fugiens quandoque præ vano timore ad castra,nihil tota via, quàm essetne sola, saluum Imperium requisierit:& in motu quodam ciuili Camillus, non dubitans etiam citra bellum posse terreri, contumeliosa , & minaci , & contumaci epistola cedere eum Imperio iusserit, vitámque otiosam in priuata re agere ; ille verò etiam dubitauerit , adhibitis principibus viris , an obtemperaret.*

Claudij Imperatoris pauor, & timiditas.
d in Claudio. c.35.& 36.

Hæc eò retuli Suetonij verbis ipsis, vt intelligamus nihil insolens accidisse , vel moribus alienum eius , qui tunc imperabat, si qui pro ipso Rempublicam gerebant Thessalonicæ,ipsius meruerint imperio ad tam leues, & inanes de Iesv Rege voces,quem dudum constaret ex hac mortalitate sublatum. Verebantur fortasse ad mortales imperitaturus,ne rediret.*Sonitus terroris semper in auribus tyranni: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur*,inquit Iob [e].

e cap.15.21.

Sed nihil elegantiùs, & significantiùs toto ferè capite XVII. libri Sapientiæ. Continet enim viuas , & admirabiles quasdam similitudines , quibus res graphicè describitur, & repræsentatur, vt cùm vel verbum demere piaculum rear , malim, vt lector sine exceptione, vel exceptione totum cognoscat. Lege prætereà Phalaridis nonnullas epistolas [f] de tyrannorum pauore, Canit apud Senecam Thyestes [g]:

f epist.14.49. 67.
g actu 5.

——— *dum excelsus steti*
Nunquàm pauere destiti,atque ipsum mei
Ferrum timere lateris:
Venenum in auro bibitur,expertus loquor.

Versus 9.] Et accepta satisfactione à Iasone,& à cæteris,dimiserunt eos.

Et accepta satisfactione.] Syrus, ונסבו ערבא מן איסון ואף מן אחא *vansebu hharbe men iason veaph men ache*, i. *Sed acceperunt fideiussores ab Iasone necnon à fratribus.* Græcè, καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν. Glossa interlinaris ait, *quod Iason negauit se suscepisse*, vel, *pœnitentiam professus est, nimirum* quòd suscepisset. Hugo dicit *id mendacium officiosum fuisse,aut egisse iuxta dictamen conscientiæ,se,si aliter diceret, peccaturum mortaliter,prodendo homines vtiles Ecclesiæ.*

Petrus Comestor in Historia Scholastica consentit in negatione omnium istorum fratrum , ac Iasonis. Addit nihilominùs & alium dicendi modum, *si confessi sunt , satisfecisse* : quod exponit idem Hugo de satisfactione,aut pecuniaria, aut corpo-
B rali. Lyranus de rationabili excusatione , vel emendæ solutione,vel alio conueniēti modo,*quia non habetur*,inquit,*in textu modus huius satisfactionis.* Carthusianus rationabilem excusationem declarat *ideò se innoxios,quoniam Apostolorum doctrina non derogabat Romanis,eò quod* Christi *regnum sit spirituale.* Caietanus interpretatur *datam ab his aliquam fidei iussionem ad principes ciuitatis de fidelitate erga Cæsarem,& Romanum Imperium.*

Satisfactionis hoc loco varia significatio.

Gagneius attendens vim phrasis Græcæ , quæ significat , *Cùm satis accepissent ab Iasone , & ab alijs iudicio sistendi sponsionis* (sunt hæc verba Budæi [h] locum præsentem ita declarantis) *siuè cum accepissent cautionem pro Paulo* , contendit meliùs
C dicturum fuisse Interpretem *accepta satisdatione: neque enim* inquit , *pro Paulo satisfecit Iason , sed satisdedit* , hoc est , *seipsum cautionem dedit , promittens se satisfacturum ; si opus esset.* Immò putat sic Interpretem scripsisse , sed à quodam , qui Latinum non putabat verbum,satisdatio,satisfactionem positam esse.

h in Commentario linguæ Græcæ.

Turrrianus [i] argumentās ex præsenti loco vltra pœnitētiam internam opus esse satisfactione pro peccatis,docet τὸ ἱκανὸν denotare satisfactionem, quæ refertur ad debitorem , siue debitor sit ille ipse,qui satisfacit,siue is,pro quo satisfit. *Nam Iason accusabatur*, inquit,*vt auctor seditionis, quòd Paulum,& Silam accepisset,ideóque hoc debito obligatus te-*
D *nebatur,vt doceret se extra crimen esse, séque iure excusaret: quod quidem quia fecit,& se trahi patienter tulit, debitum soluit: ita vt solutio esset,id est,excusatio, & tractio illa, quam vt innocens æquo animo sustinuit, satisfactio fuerit.*

i lib.4.contra Centuri.c.1.

Confirmat eâ sententiâ Pauli [k] de Corinthio pœnitente: *Sufficit illi,qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus.* Vbi Græcè est, ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ, id est,*satis luit,& satisfecit.*

Ex his placet expositio maximè,quæ est de excusatione , seu defensione , vt opinatur quoque Arias : qua dum Iason seipsum purgauit , aliíque fratres, satis etiam docuerunt , Apostolos esse innoxios:licèt consultius visum sit,hi,vt tempori,ac iræ locum darent, nec sua præsentia sedatum ru-
E morem renouarent. Non facilè mendacium , aut in Iasonis conscientia errorem admiserim : non item pro exceptis Apostoli pœnitudinem,& mulctam ; nec prætereà professionem fidelitatis aduersùs Romanum Imperium aliam, aut pro illo fideiussionē nomine Apostolorum,quam cùm demonstrarunt de Iesv,quòd dudum hinc obiisse: nihil esse,quod vererentur, ne res nouas molirentur, quæ spectarent ad euersionem Reipublicæ.

Gagneius nimis facilis est in suspicando , cùm & omnes planè codices Latini hanc lectionem habeant , eandemque Clarius, & Vatablus in suis versionibus , quas è Græco exactiùs cuderunt,

runt, retineant, è quibus posterior *excusationem* interpretatur, tametsi etiam *fideiussionem*, & noster Interpres satisfaciendi verbo, & nomine satisfactionis in isto eodem sensu alibi vtatur, necnon alij Auctores Latini, nempe pro excusatione, vel responsione apologetica, qua satisfiat calumniis, & falsis aliorum impositionibus. Sic in epistola Petri legimus[a]: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe*: & in hac historia[b] introducitur Paulus hoc loquens modo: *Bono animo pro me satisfaciam.* His tamen locis sunt vocabula τῆς ἀπολογίας, καὶ τοῦ ἀπολογεῖσθαι.

a 1 Pet. 3. 15.

b Act. 24. 10.

Fideiussores quis dare dicatur.

Apud Ambrosium[c] prætereà est, quando agit de Petro: *Lacrymas eius legimus, satisfactionem non legimus*, id est, excusationem: ipsæ námque lacrymæ pœnitentiales, satisfactio erant.

c li. 10. in Luc. c. 96.

Denique non ita propriè dicitur quis satisfacere, cùm pro alio fideiussores dat, sed pro seipso: quod fit, quando aduersarius, vel Iudex, pro eo quod à nobis exigit, ita cauet, vt eum hoc nomine securũ faciamus datis fideiussoribus[d]. Quamuis interdum sumatur pro sola repromissione, qua contentus est is, cui propriè dicta satisdatio debetur[e]. Sed & satisfacere censetur apud Iurisconsultos, qui fideiussorem præbet[f].

d L. 1. ff. qui satisdare cogãt. & tit. de prætor. stip. l. 1. & tit. si cui plus quàm per legem. Falc. l. 3. §. 1.

e Vlpian. l. satisdationis. ff. de verb. sign. & alibi.

f l. solutionem. ff. de verbor. signif. & alibi.

Itaque satisfactionem aptè Interpres, atque ἱκανῶς, id est, *sufficienter, satisque*, reddidit τὸ ἱκανὸν: Iason verò nihil aliud dedit, fecitque, nisi calumniam in Apostolos compositam detexit, sicque securos reddidit principes ciuitatis, efficaci proculdubiò, & libera oratione.

Videtur mihi Sixtus Senensis[g] fideiussionem intelligere, cùm ait Iasonem semetipsum dedisse, vt Paulo fugiendi facultatem faceret.

g li. 2. Bibliothec.

Sic Petrum Alexandrinum[h] existimasse de data pecunia ab ipsismet, qui tracti erant ad Magistratus pro Paulo & Sila, non pro Paulo & Sila, sed pro seipsis: atque hoc exemplo probare licere seipsum liberare pecunia à tormentis tempore persecutionis ad vitandum periculum animæ, negando Fidem. Verùm vt id concedam licitum, tamen propositæ difficultati satis opinor quæ dixi, faciunt: & vtcunque sit, meritò admirabilem virum Chrysostomus Iasonem prædicat, *qui cum periculo suo Apostolos dimiserit.*

h Ser. de Pœnit.

Licet seipsum liberare à tormentis data pecunia, persecutionis tempore.

Versus 10.] Fratres verò confestim per noctem dimiserunt Paulum, & Silam in Beroëam. Qui cùm venissent, in synagogam Iudæorum introierunt.

FRATRES *verò confestim per noctem.*] Priusquàm excedas Thessalonica, relege quæ Paulus ipse de suo in eam vrbem aduentu, rebúsque quas ibi tum gessit, tum tulit ad Thessalonicenses non longè pòst scripsit[i]: *Ipsi scitis, fratres*, inquit, *introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed antè passi, & contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis: fiduciam habuimus in* DEO *nostro loqui ad vos Euangelium* DEI *in multa sollicitudine.* Rursum[k]: *Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & SPIRITV sancto, & plenitudine multa, sicut scitis, quales fuerimus in vobis propter vos.* Adhæc innuens vexationem fratrum cum Iasone: *Et vos imitatores nostri facti estis & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio SPIRITVS sancti, ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia: à vobis enim diffamatus est sermo Domini non solùm in Macedonia, & in*

Quæ Paulus & egerit & passus sit Thessalonice.
i 1. ep. 2. 1. 2.

k c. 1. 5. 6. 7. 8. 9.

A *Achaia, sed in omni loco fides vestra quæ est ad* DEVM *profecta est; ita vt non sit nobis necesse quicquam loqui: ipsi enim annunciant qualem introitum habuerimus ad vos, & quomodo conuersi estis ad* DEVM *à simulacris, seruire* DEO *viuo, & vero.* Tandem subdit[l]: *Ideo & nos gratias agimus* DEO *sine intermissione, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus* DEI, *accepistis illud non vt verbum hominum, sed, sicut est verè, verbum* DEI, *qui operatur in vobis, & credidistis. Vos enim imitatores facti estis fratres Ecclesiarum* DEI, *quæ sunt in Iudæa in* CHRISTO, *qui eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis.*

l cap. 2. 13. 14

B Inculcat prætereà quomodo inter ipsos versatus sit[m]. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione auaritiæ,* DEVS *testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis, cùm possemus vobis oneri esse, vt* CHRISTI *Apostoli: sed facti sumus paruuli in medio vestrûm, tanquàm si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis non solùm Euangelium* DEI, *sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis. Memores enim estis fratres laboris nostri, & fatigationis: noctè ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium* DEI. *Vos testes estis, &* DEVS, *quàm sanctè, & iustè, & sine querela, vobis, qui*
C *credidistis, fuimus: sicut scitis, qualiter vnumquemque vestrum (sicut pater filios suos) deprecantes vos, & consolantes testificati sumus, vt ambularetis dignè* DEO, *qui vocauit vos in suum regnum, & gloriam.*

Paulus qualiter apud Thessalonicenses sit conuersatus.
m 1. Thess. 2. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Sed & quid inter cetera prædicauerit, mentionem facit[n]. *Nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus. Nam & cùm apud vos essemus, prædicabamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis.*

Paulus quid prædicauerit.
n cap. 3. 3. 4.

Hæc omnia Pauli recitare verbis tam prolixè præter morem non piguit, quoniam præter incomparabilem Apostoli affectum erga Thessalonicenses, quem totis epistolis duabus spirat, vtpote tam alacres, ac fortes pro veritate, ac pro Apostolo ipso testes, in primis conuersionis initiis,
D continent perplura ad hunc locum, & historiæ seriem spectantia; quæ Lucas, qui tum fortè aberat aliò amandatus, prædicationis, alteriúsve negotij causa, prætermisit, dupliciter modestus, vel quòd quæ non vidit ipse, valdè perstringit, vel quòd res à se gestas non meminit, solis Pauli rebus intentus.

Lucas dupliciter fuit modestus.

Intelligimus etiam ex his, quæ recitata sunt, Iasonem ita hospitium Paulo præbuisse, vt hac habitatione contentus, victum labore compararet. Deinde illos, qui ad tribunal cum Iasone pertracti sunt, maioremque partem eorum, qui conuersi erant, fuisse ex Gentilibus: ait enim Apostolus,
E *eos conuersos à simulacris, & passos à contribulibus suis, perinde vt à Iudæis illi passi erant, qui de numero ipsorum facti erant Christiani.*

Ergo cùm hæc tam insignia Paulus tribus minimùm hebdomadis (hoc indicant tria Sabbata[o]) Thessalonicæ fecisset, docuisset, tolerasset, per noctem, & clàm inde dimittitur, prudenter censentibus fratribus, ipso autem etiam consentiente, nonnunquàm fuga & sibi, & aliis consulendum, quibus vel absens, vel postliminio reuertens consulere vtiliùs quis possit. Si verò remaneat, periculo proprio rabié persecutoris foueat, & causæ communi nihil, parúmve commodet, magis ipse vnus impugnatus, quàm in commune religio vniuersa. Qua de re iam aliquoties

o vers. 2.

Fuga aliquando prædicatores sibi debet consulere.

 differui

A disseruimus. *Duo fiebant*, ait Crysostomus, *& illorum furor extinguebatur, & prædicatio aliis in locis crescebat.* Addit *& datam occasionem charitatis erga caput suum declarandæ, ac sollicitè seruandi: & fugientibus fugæ incommoda tolerandi: poterat enim, qui Philippis eos seruarat* DEVS, *etiam alibi seruare.*

Beroea ubi sit, & cur sic dicta. *Beroëam.*] Vrbs est in Macedonia condita vel à Beroëa filia Beretis, qui Macedonis filius fuit, vel à Pherone, mutato Ph in B. Alia fertur eiusdem nominis in Syria, etiamsi aliter exprimitur Beroë aut Beroëa: & hæc nostra interdum Berræa, Βέῤῥοια, & Βέῤῥοια; illo modo Stephanus, hoc Suidas. Ad Haliæmonem fluuium sita est, non procul à Pella, Alexandri Magni patria. Meminit etiam
a lib. 4. c. 10. Plinius [a].

Qui cùm venissent, in Synagogam Iudæorum introierunt.] Obduratus ad mala ferenda animus; inexpugnabilis bene de aduersariis merendi voluntas: toties tantas à Iudæis persecutiones expertus, reddit nihilominùs, *anathema etiam à*
b Rom. 9. 3. CHRISTO *fieri paratus pro ipsis Apostolus* [b].

Versus 11.] Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.

C HI *autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ.*] Syrus, האריין הוו גיר הונן יהודיא דתמן מן יהודיא הונן דאית הוו בתסלוניקא *harayin hauau gher haunun jehudaie dethamman men jehudaie haunun deth hauau bethessalonike*, id est, *Erant enim nobiliores isti Iudæi, qui illic aderant, Iudæis illis, qui erant Thessalonicæ*, &c. Lyranus pariter explicat de Iudæis Beroënsibus, necnon Glossa interlinearis, & Hugo, & Carthusianus, & Caietanus, & Arias. Quæ opinio probari potest, quoniam tum pronomen demonstratiuum, tum sententia tota respicere videtur illos, de quibus immediatè priùs mentio erat; nec impedit comparatiuus iunctus genitiuo: Græcos enim hac in parte non semel sequutus est Interpres, qui
c 1. Cor. 13. 13. carent ablatiuis. Verbi gratiâ [c]: *Maior autem horum est charitas.*

Denique videntur opponi Iudæis Iudæi Beroënses, Thessalonicensibus; qui quidem Thessalonicenses, vt mox subditur, Beroëam venerunt commouentes, & turbantes multitudinem.

Thessalonicenses fuerunt Iudæi, de quibus hic agitur, non Beroenses. At enimuerò de Thessalonicensibus intellexit Chrysostomus, Gagneius, Vatablus, fauétque Beda, quibus assentior; non tātùm quia id magis præ se fert phrasis ipsa: *Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ*, id est, inter eos: sed etiam, quia quæ sequuntur; meliùs intelliguntur de Thessalonicensibus, quos adeò laudatos vidimus à Paulo in epistolis: & cùm breui allatus esset rumor Thessalonicam, prædicare Beroëæ Paulum, illicò illuc aduolarunt inde Iudæi, ita vt ibi Paulo diu consistere non licuerit, & tam amplam messem facere, quàm amplam describit sequens narratio. Neque rarum est, vt intermissa per breue diuerticulum repetatur oratio. Dixerat Lucas, dimissos Apostolos per fratres Thessalonicenses: eadem opera, quò dimisissent, exposuit: mox rediit ad illos, vt qui quantíve essent, intelligeremus, quorum & amori, & auctoritati paruerit Paulus discedendo.

Nobiliores] Εὐγενέστεροι. Animæ nobilitatem Beda, & Carthusianus interpretantur: Glossa interlinearis, & Hugo vel hanc, vel generis: Lyranus vtramque: Chrysostomus de summa humanitate quam videlicet aduersùs Paulum declararunt, atque de virtutibus, & fide erga DEVM: Arias de morum, ingeniíque elegantia Oecumenius de probitate, ac modestia.

Generis, ac sanguinis nobilitas, adiunctam sæpe numerò habet in animi dotibus claritudinem, inter quas prætereà est fortitudo, atque constantia. Hanc fortasse voluit innuere Lucas, eósque significare potissimùm, qui pro seipsis, & pro Apostolis responderant coram Principibus ciuitatis, hísque illi, qua valebāt gratia, qua auctoritate *Nobilitas generis plerumque coniunctam habet animi nobilitatem.*
B propter nobilitatē, qua prætereà dicendi libertate abundè satisfecerant. Fortasse verò nobiliores dixit Auctor Græco idiotismo, pro nobilissimis.

Qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidiè scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.] Hæc dicuntur de Thessalonicensibus, de quibus testatur Paulus ipse in epistola [d]: *Quod susceperunt* d 1. epist. 1. 6.
verbum DEI *cum gaudio* SPIRITVS *sancti*: & idcirco appellat eos *spem suam, & gaudium, & coronam, & gloriam, & coronam gloriæ* [e], videlicet ob e ca. 2. 19. 20.
istam eorum, quæ hîc dicitur, in suscipiendo verbo πάσῃ τῇ προθυμίᾳ, *omnem alacritatem, promptitudinem, studium, auiditatem.*

Hi etiam ideò Scripturas scrutati, potiùs intelliguntur, quàm Beroeënses; quoniam nuper scripserat Lucas, Paulum Thessalonicæ per Sabbata tria disseruisse de Scripturis, *vt ostenderet oportuisse pati* CHRISTVM, *atque resurgere.*

Non ita ergo rectè Caietanus diuellit auiditatem, & promptitudinem à verbo *Susceperunt*, vt nectat participio *scrutantes*, quasi id illi susceperint hæsitando, an verum esset, & promptos se exhibuerint ad scrutandas Scripturas Prophetarum, an conforme esset Euangelium illis Scripturis. Contrarium asserit Chrysostomus: *Volebant enim* (inquit agens non de Beroeënsibus, vt Caietanus, sed de Thessalonicensibus) *& à seipsis certissimum persuasionem habere de passione, quæ pote creditu* *Thessalonicenses quomodo sint Scripturas scrutati.*
D *difficilior esset, & ad repugnandum aduersariis maximè confirmanda, optimísque argumentis munienda. Et cùm veterum Prophetarum traditiones*, ait Oecumenius, *ignorarent, propterea magis in Fide confirmabantur, dum scrutarentur Scripturas, & quæ de dispensatione incarnati* VERBI *dicebantur, veterum scriptis consentanea reperirent.*

Hoc dum facimus Theologi, operæ profectò pretium Ecclesiæ magnum facimus, vt religionis mysteria tueamur contra Iudæos, Paganos, Hæreticos. Constat nobis, Ecclesiam non posse errare in explicanda doctrina Fidei; propterea absque dubitatione acquiescimus ei, illam nobis proponenti: *Nec deficimus scrutando scrutationes* [f] infideles, dubias, maleuolas, & ad schisma spectantes, f Psal. 63. 7. *Theologi quam rationi sint scrutantes.*
E scientes, quòd *scrutator Maiestatis opprimetur à gloria* [g]: sed esse studemus *ædificatores sepium* [h] *aduersùs vulpes*, & apros, qui Domini vineam demoliuntur [i], *depascuntur, deuastant* [k]. g Prou. 25. 27. h Esa. 58. i Cant. 2. 15. k Psal. 79. 14.

Estò, nondum credētes (iam tamen credidisse, plurium sententia est, siue Thessalonicenses, siue Beroeënses) scrutati sint Scripturas, in eo facto reprehensionem non merentur. Nam Paulus falsam doctrinam tradere quamuis non posset, illam, vt primùm ingerebatur, noui auditores mox approbare, atque credere non tenebantur: quin leuiter etiā fecissent, nisi priùs rationes, quæ ad credendum inducerent, quam in schola *Thessalonicenses scrutando Scripturas reprehensionem non meruerunt.*

nomina

nominamus euidentiam credibilitatis, perpendissent. Quia ergo Paulus testimonia Prophetarum protulerat, hæc illi, auctore sine dubio, & hortatore Paulo, vt quàm aptè conuenirent, recognouerunt.

Damus hanc Hæreticis facultatem, hortamur etiam vehementer, Scripturarum vt loca attentè legant, relegant, atque Patrum, quæ sunt à Concilio, præsertim Tridentino, & ab aliis, qui eorum hæreses refellant, producta: sed hac lege, vt studio veritatem inueniendi id faciant, non libidine calumniandi.

Hæreticorũ calumnia.

Calumnia est, quam hoc ex loco Hæretici extundunt, cuius fas esse scrutari Scripturas; multò verò etiam magis Papæ, atque Conciliorum excutere verba, & sententias. Non est seruorum imperia, & decreta dominorũ reuocare in dubium, dispicere, & si etiam videatur, despicere, & proculcare. Si licuit Thessalonicensibus exigere Pauli doctrinam ad Scripturæ amussim, vt Caluino placet, ita vt nisi aptè cum hac illa conueniret, secundùm iudicium ipsorum dubia, nec admittenda censeretur: quidni liceat de Apostoli dubitare cunctis epistolis, disceptare, iudicium ferre? Nec enim doctrina, quam viua tradebat voce, minùs erat ipsissima veritas Dei, quàm alia per epistolas relicta. Vnde scribebat eisdem Thessalonicensibus [a]: *Vt teneret traditiones, quas accepissent, siue per sermonem, siue per epistolam.*

a 2.ep.2.14.

Meliùs ratiocinaretur Caluinus, cùm fateatur, Scripturam sæpe obscuram esse, ac in varios sensus flecti, non sufficere, quod ipse secum planè pugnans contendit, vt quilibet duce, & directore spiritu non aliunde, quàm ex Scripturis iudicium faciat de qualibet doctrina: sed quod aliàs verè dixerat [b], *necessarios esse magistros, pastores, ac Doctores*, quos dedit [c], *qui dedit & Scripturas* Devs *in Ecclesia.*

b in c.8. Act. vers.31. c Eph.4.11.

Thessalonicenses non scrutati sunt Scripturas vt crederent, sed vt in fide confirmarentur.

Quanquàm vt sibi mendax nunquàm constat, semel, iterum, sæpiúsque in hoc suo commentario docet, quod esse verum puto, scrutinium illud Scripturarum non fecisse Thessalonicenses, vt crederent, iam enim credidisse; sed vt in Fide proficerent, non vt de Pauli doctrina iudicando, veritatem à seipsis agnitam reciperent, sed vt veritatem Fidei à Paulo acceptam magis cõfirmarent, non vt cum sua promptitudine propriũ iudicium coniũgerent ad credẽdum; sed vt cum ipsa promptitudine ac Fide propriã sedulitatem, industriam, disquisitionem coniungerent ad fidem perficiendam, & cordibus suis magis ac magis obsignandam. Itaque vt hic tandem locus, quem fusius tractat in Antidoto Stapletonus, abrumpatur, fecerunt scrutando Thessalonicenses, seu ex Iudæis Christiani, seu etiam ex Gentilibus, qui Iudæorum vsum habebant, volumen legendo Scripturarum; quod Christvs Iudæos, vt facerent prouocabat, dicens [d]: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me* hoc est, vt annotat Chrysostomus, & Euthymius, *Nolite simpliciter legere, sed enucleatè, & excutite.* Quæ est tacita quædam reprehensio non intelligentium libros, quorum lectione maximè gloriarentur; cui similes etiam aliæ reprehensiones continentur in Euangeliis [e].

d Ioan.5.39.

e Matt.12.3.&c. 19.4. c.21.16. c. 22.31.32.

Qua pariter de causa Paulus Gentiles ad euoluendos libros inuitabat, & Sibyllarum, & Hystaspis, vt refert Clemens Alexandrinus [f], vt in iis Christianæ veritatis mysteria deprehenderent tantò antè præsignificata, quod postea seuerè inhibitum est Imperatorum edictis, quemadmodum proditum inuenimus à Iustino [g]. *Fide iam recepta*, inquit Carthusianus *piè, ac doctè, non sunt Scripturæ scrutandæ ad videndum, an hæc ita se habeant, sed ad intuendum clariùs, ad prædicandum, probandúmque fortiùs, quòd vtique ita se habent.*

f 5. Strom. c.1.

g Apolog. ad Antonin. Paulus ad volumina Sibyllarum libros Christianos hortabatur.

Versus 12.] Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honestarum, & viri non pauci.

Cvm superius [h] multos credidisse sit dictum in Thessalonicensi vrbe; videri potest nunc de Berœensium conuersione narratio esse. Ego verò in eadem persistens de Thessalonicensibus opinione, quam exposui, argumẽtum hinc potiùs elicio, quoniam totidem verbis eadem vtrobique dicuntur, vt Lucas, & ad laudem Thessalonicensium, quos nouerat Paulo percharos esse, & ad retexendam Iudæorum persecutionem, qui Thessalonicæ morabantur, quam Berœeam vsque deriuarunt, ea repetitione vsus sit.

h vers.4.

Honestarum.] Εὐσχημόνων. Hæ priùs vocatæ sunt πρῶται; de illa verò alia voce lege capite XIII. [k]

i versu 4. k versu 50.

Versus 13.] Cùm autem cognouissent in Thessalonica Iudæi, quia & Berœeæ prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc, commouentes, & turbantes multitudinem.

Cvm autẽ cognouissent in Thessalonica Iudæi.] Ἀπὸ τῆς Θεσσαλονίκης Ἰουδαῖοι. Syrus, דמן תסלוניקא *demen Thessalonica*, id est, *qui ex Thessalonica*, siue *Thessalonicenses*, atque etiam Vatablus: estque phrasis Græca, vt dicãtur verbi gratia οἱ ἀπὸ Ῥώμης, *Romani. Ioseph ab Arimathea Arimatheensis*, Iesvs *à Nazareth Nazarenus*: quam non placere nonnullis Grammaticis alio loco docui [l]. Item dici solent οἱ ἀπὸ φιλοσοφίας, καὶ λόγων, καὶ Περιπάτου, καὶ Βήματος, καὶ Στοᾶς, καὶ Θυμέλης, &c. *Philosophi, Literati, Peripatetici, Concionatores, Stoici, Comici*, &c. Lege Budæum [m]. Credit Gagneius legisse Interpretem ἐπὶ, pro ἀπὸ: sed cùm nihil sensui depereat, nolim tam esse ad suspicandum de varia Codicum lectione procliuis.

Græca phrasis qui ex Roma pro Romani.

l cap.10.38.

m In cõmentario linguæ Græcæ.

Venerunt & illuc.] Sic in capite XIV. [n] *Superuenerunt ab Antiochia, & Iconio Iudæi, & persuasis turbis lapidatus est Paulus*, atque, vt dictum est, tum per epistolas, tum per certos nuncios Euangelij progressiones impedire conabantur. Sed Paulum præ cæteris infensissimo odio prosequebantur.

n versu 16.

Commouentes, & turbantes.] Quamuis codices Græci ordinarij habeãt tantum σαλεύοντες, quidam tamen etiam habent, καὶ ταράσσοντες, vt fecerit Interpres vtrumque exprimendo meliùs, quàm Vatablus, & Clarius alterum omittendo.

Versus 14.] Statimque tũc Paulum dimiserũt fratres, vt iret vsque ad mare: Silas autem, & Timotheus remanserunt ibi.

Vt iret vsque ad mare.] Ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν. Gagneius, Vatablus, & Caietanus interpretantur, *sicut* seu *quasi ad mare*: *Noluerunt enim fratres*, inquit Caietanus, *vt apertè fugeret, sed declinaret tamquam iturus ad mare.* Gagneius autem, suo more, suspicatur nostrum Interpretem legisse ἕως quod significat *vsque*. Inanis suspicio: quoniam ὡς quandoque idem est quod πρὸς, siue εἰς, nec non

Particula ὡς significationes.

A etiam ἕως inter viginti nouem huius particulæ vsus, quos obseruauit Tryphon grammaticus a. Sic Aristophanes, Isocrates, Thucydides, Xenophon, Demosthenes, Æschines vsurpant, ὡς τοῦτον, ὡς βασιλέα, ὡς ἐμέ, ὡς Λακεδαιμονίους, ὡς Μακεδονίαν, &c. *vsque ad hunc, ad regem, ad me, ad Lacedemonios, ad Macedoniam*, &c.

a lege Budæi in Commen. ling. Græc. & Thesaur.

Prætereà peruenit Paulus ex illo itinere Athenas, quò vt perueniret, non fictè, sed re ipsa declinandum fuit ad mare, vt etiam tradit Carthusianus. Postremò nihil refert dicere *vsque ad mare*, vel tantùm *ad mare*.

Silas autem, & Timotheus remanserunt ibi.] Vnus quærebatur Paulus tanquàm acrior vbique prædicator, & dux verbi.

B Recole quæ dixi cap. 15. b de Sila, *illum videri à Siluano non differre*: quoniam sicut in hac historia cum Timotheo, ita coniungi solet in epistolis Pauli. Voluit Paulus hos remanere, non tam vt magis expeditè procederet, quàm vt vix adhuc Beroëæ coli cœptum agrum diligentiùs curarent, & partim neophytos persecutione Pauli quassatos confirmarent, partim alios ad Ecclesiam adiungerent. Ipsimet forsitan Beroëenses hos à Paulo tantisper impetrarunt; quibus, vt illi, periculum non creari sciebant. Vidit & hoc Arias: at non probo, quod cum aliis quos retuli, simulatam asserit ad mare profectionem, vt hac arte Paulum à persequentium insania eriperent, non quòd ei metuerent. C

b vers. 17.

Cur Paulus hos Beroeæ remanere voluerit.

Versus 15.] Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vsque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam, & Timotheum, vt quàm celeriter venirent ad illum, profecti sunt.

QVI *autem deducebant Paulum.*] Οἱ δὲ καθιστῶντες. Exponit Gagneius, *Qui comitatu suo eum confirmabant, securitatem ei præstantes: quoniam καθίστημι*, inquit, & καθιστάω, est *compono. & id quod labat, stabilio, ac nutantem, & trepidantem confirmo*; adde quoque *sisto, & sedo*. D

Καθιστάω, quid significet.

Alij vim verbi docent esse, *constituere aliquo in loco, nempe saluum, & incolumem, seu ita constituendum suscipere.* Agnoscit has huius verbi notiones Budæus c. Sed verbum *deducendi*, quo Interpres vtitur, ac meliùs quidem quàm *prosequendi*, quo Vatablus, omnia comprehendit officia fidi comitis, & honorarij. Optimi auctores Latinæ linguæ, ac Cicero ipse deducere dicunt, & *deductorem*, cùm quis alicui officij gratia, vel honoris præstat comitatum, vel etiam periculi amouendi. Certè plus est καθιστᾶν, quàm συνεισελθεῖν, quod Interpres vertit *comitari* d, quàm κατάγειν, quod *deducere* e, quàm προπεμπθῆναι, quod *deduci* f, & προπέμπειν, quod *deducere* g, Vnde προπεμπτικόν carmen comitatiuum vel præmissiuum, quod malè confundunt aliqui cum eo quod appellatur προτρεπτικόν; & ἄγειν, quod eodem modo h. E

c Commen. ling. Græc.

d Act. 10. 23. e Act. 9. 30. c. 23. 28. f Act. 15. 3. Rom. 15. 24. 2. Cor. 1. 16. g Act. 20. 38. c. 21. 5. 1 Cor. 16. 6. 11. 3. epist. Ioan. 6.

Paulus non eguit confirmante.

h Act. 23. 10. Luc. 4. 29.

Non eguit Paulus, vt eius animus quasi nutans, vel trepidans erigeretur, & confirmaretur: sed ob persecutionis atrocitatem, & insidias Iudæorum toties intentatas in ipsum, itinera munienda fuerunt, nec temerè in viam se dare debuit, aut fratres, vt se daret, debuerũt permittere. Sicut enim non turpiter fugit, ita & prudenter, vt tutum esset effugium deductoribus sepiẽdus fuit. Qui tropologiam desiderat, Chrysostomum A legat, considerantem quo studio Christiani illi in magistrum suum animati essent, quantúmque referat concors, mutuáque inuicem adiuuantium fratrum opera.

Perduxerunt eum vsque Athenas.] Notiores sunt Athenæ, quàm vt verbum de illis facere vllum necesse sit. Ad hoc humanæ sapientiæ emporium, & ad istam liberalium arcem disciplinarum (vocatur Athenæum auditorium, in quo scholastici, & declamatores conueniunt, exercentúrque) Pauli deductoribus, ac Paulo quoque ipsi suggessit DEVS, vt sapientia diuina plenus Apostolus, nec humana leuiter imbutus perueniret. Debebat ibi, vt Tertulliani loquar verbis i, *istam sapientiam humanam affectatricem, & interpolatricem* B *veritatis de congressibus nosse, ipsam quoque in suas hæreses multipartitam, varietate scholarum inuicem repugnantium. Linguata illi*, vt ait idem k, *ciuitas experienda fuit, omnésque illic sapientiæ, atque facundiæ caupones degustandi.*

Laus Athenarum.

Cur Paulus Athenas venerit.

i de præscr. c. 7.

k de anima, cap. 1.

Oportebat, *vt Paulus apud Athenienses*, inquit Augustinus l, *loqueretur* CHRISTVM *crucifixum, Gentibus stultitiam* m, *qui in omni literatura, atque doctrina per alios populos magna fama pollebant: vbi erat patria magnorum Philosophorum, vbi se per ceteras Græciæ, atque alias orbis terras varia, & multiplex doctrina diffuderat: quod annunciare inter superbos, & doctos, quanti periculi fuerit, vestrum est*, inquit, *cogitare.* C

l Tract. de Epicur. & Stoicis c. 3. tom. 6. m 1. Cor. 1. 23.

Appellat Nazianzenus n Atheniensem ciuitatem (omittam enim elogia profanorum) *sedem, ac domicilium literarum* (id quoque prodit Augustinus o) *sed præ reliqua Græcia idolis mala abundantem abundantia, & maximè, quantùm pertinet ad animam, nociua.* Theodoretus p etiam *primatum illi idololatriæ videtur deferre inter cunctas orbis ciuitates.*

Athenarum elogia.

n orat. de S. Basilio.

o lib. 18. de Ciuit. Dei, c. 2.

p de curat. Græc. affect.

De multis Diis ibi adoratis meminit Iustinus q: de turpissimis eorum mysteriis Eusebius r: de luxu, ac mollitie vestis effœminatæ Clemens Alexandrinus s: de summis in ea ingeniis Philo t. Est nihilominùs omninò verum, quod obseruauit Sallustius u: D *Atheniensium*, inquit, *res gestæ, sicuti ego existimo, satis amplæ, magnificæq; fuerunt: verùm aliquantò minores tamen, quàm fama feruntur. Sed quia prouenêre ibi Scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecêre, virtus tanta habetur, quantùm verbis ea potuêre extollere præclara ingenia.*

q orat. parænet. ad Gentes. r 2. de præpar. Euang. c. 5. s 2. Pædag. c. 10. t quod omnis probus sit liber. u de bello Catilin.

Deplorauit iam suo tempore Ouidius x euersas Athenas:

x 15. Metam.

Quid Pandioniæ restat nisi nomen Athenæ?

Nunc oppiduli speciem tantùm gerit, & in vicum redacta est. Instauratam post Ouidium testantur historiæ, citatíque Auctores. Deinde verò E eandem Gothi duce Alarico, cum reliqua Græcia occuparunt, & vexarunt: quod credendum magis Hieronymo y, & ex Gentilium Scriptoribus Claudiano z, & Eunapio a, quàm Zozimo b, cui solemne est mentiri multa, præsertim contra Christianos.

y epist. 3. z in Ruffin. 2.

Zozimo solemne est mentiri contra Christianos.

a in Maximo. b lib. 5.

Is absque rubore scribit: *Athenas, & Atticam eo tempore intactas remansisse, beneficio armatæ Mineruæ, & Achillis ad prælium parati, qui Tyrannum truci aspectu deterruerint.* Pari priùs idem impudentia prodiderat, *quando sub Valentiniano maiore tota terræmotu Græcia concussa est, incolumes etiam Athenas cum Attica Deorum ope relictas* c.

c lib. 4.

Et accepto mandato ab eo ad Silam, & Timotheum,

vt quàm

vt quàm celeriter venirent ad illum, profecti sunt.] In tanto piscatu annuit sociis, & in tanta messe implorat operas. *Nam licèt Paulus erat*, inquit Chrysostomus, *hoc est, talis, ac tantus vir, tamen illis opus habebat.*

Ab eo.] Additæ sunt hæ dictiones ab Interprete perspicuitatis causa, vt intelligatur mandatum seu verbis, seu literis datum à Paulo his, qui Athenis Beroëam reuertebantur.

Quàm celeriter.] ὡς τάχιστα, *quàm celerrimè*, vt notat Caietanus, & vertunt Vatablus, & Clarius.

Versus 16.] Paulus autem cùm Athenis eos expectaret; incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem.

INCITABATVR *spiritus eius in ipso.*] Παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ. Syrus, מחמרמר הוא ברוחה *methmarmar hauа beruchah*, id est, *Mœrore afficiebatur in seipso*, seu *in spiritu suo.* Vatablus: *Incandescebat*, vel, *Irritabatur.* Alij: *Exacerbabatur.* De hoc verbo dictum, cùm de nomine παροξυσμοῦ, quod positum est in illo discessu Pauli à Barnaba [a]. Zelo scilicet quodam ardescebat, seu illum tabescere faciebat zelus eius. Longè melior Interpretis expositio: monet námque Chrysostomus, *Caueat quis putet in Paulo iram, vel indignationem, vel exacerbationem, vel incandescentiam fuisse; verùm incitationem, & Zelum, procúlque esse ab indignatione donum* SPIRITVS.

a Act. 15. 39.

Melius Paulus dicitur incitari, quàm exacerbari.

Videor mihi audire non solùm cuius verba posui, Dauid dicentem [b]: *Tabescere me fecit zelus meus*, &, *Vidi præuaricantes, & tabescebam*, & [c], *Super inimicos tuos tabescebam*, id est, pertæsus eram, rixabar apud me, rumpebar præ animi mœrore. Sed præterea Machabæorum fortissimum auctorem Matathiam, *qui cùm vidisset publicè idolis sacrificantem Iudæum, doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundùm iudicium legis, ita vt insiliens trucidaret eum super aram: sed & virum, quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occideret in ipso tempore* (*occidit Bacchidem regium ducem Ierosolymis, & in Modin Apellem* [d]) *& aram destrueret, zelatus legem, sicut fecerat Phinees* [e]. CHRISTVS præterea cùm *infremuit spiritu, & turbauit seipsum super Lazaro* [f], aut *cùm ingemuit super muto* [g], non tam ob externa illa mala, quàm ob eorum causam, nempe peccatum, doloré intimum, ac ingentem declarauit. *Anima ipsius intra eum*, ait Carthusianus, *æstuabat dolore, compassione, desiderióque conuersionis errantium, & à* SPIRITV *sancto inflammabatur ad veræ Diuinitatis cultum denunciandum.* Miserebat Paulum tam nobilis, ac eruditæ ciuitatis, adeóque præclara ingenia in crassis, & fœdis erroribus volutari.

b Psa. 118. 139. 158.
c Psal. 138. 21.
d Iosephus 1. bello Iud. li. 12. Ant. c. 8.
e 1. Mach. 2. 23. 24. Nu. 7.
f Ioan. 11. 33.
g Mar. 7. 34.

...lus qualiter ...eius affectus

Nonpoterat se continere, agitabat eum, & propellebat quidam quasi inditus spiritus; atque vt quondam in Ieremia [h], *fiebat in corde eius quasi ignis exæstuãs, clausúsque in ossibus eius, ita vt deficeret, & ferre non sustineret. Conceptus animo sermo diuinus*, ait Hieronymus [i], *nec ore prolatus, ardet in pectore, &c. Vnde Paulus Athenis videns idololatriæ deditam ciuitatem, & tota mente feruebat.* Hoc modo ille.

h Iere. 20. 9.
i in cap. 4. Ieremiæ.

Adde Francisci exemplum, qui cùm à Clara, & Syluestro rediisset nuncius cum responso, vt, qua de re illos consuluerat, *proximus quoque operam daret, confestim in viam auiam se dederit per medios campos, syluásque, quasi diuinus illũ* SPIRITVS *ageret* [k].

...ssimi maxi... ...rum ad ...is ardor.

k ... vita.

A Si iram, & indignationem in Paulo admittimus, eam sine dubio effundebat in seductorem diabolum, qui miseros mortales à DEI cultu in suum attraheret, illúmque perfecto odiens odio, funditùs euertere nitebatur.

Videns idololatriæ deditam ciuitatem.] Κατείδωλον οὖσαν τὴν πόλιν. Syrus, דמדינתא כלא מלטיא פתכורא *damdinetha cullah maltia petbchure*, id est, *totam vrbem refertam idolis.* Lucas fortasse composuit hoc nomen; nec enim aliud apud alium eius exemplum extat.

Addictissimam idolis ciuitatem istam fuisse docet, quod antè dixi, nec Basilij ætate, ac Nazianzeni ab iis abstinuisse, ita vt gladio Gothico ex-
B cindenda fuerit renascens idololatria, quam tot Christianorum rescripta Imperatorum cohibere non quiuerant. Xenophon [l], & Pausanias [m] præ ceteris narrat de Atheniensium maximè varia superstitione, atque qui de omni eorum Republica scripsit proprio tractatu Sigonius. Ait Pausanias *maiorem quàm alios pietatis erga Deos curam habuisse, & cùm alia plurima iis templa extruxisse, tum vnum omnibus commune, multásque statuas in foro, & plateis posuisse*: in illo Thucydides [n] *duodecim Deorum aram memorat.*

Athenarum ciuitas idolis maximè dedita.

l de Athen. polit.
m ad Phaleris in Attica.
n 6. Belli pelopon.

Quod verò attinet ad vocem κατείδωλον, sciendum est deduci ἀπὸ τοῦ εἰδώλου. Hæc vox quamuis apud profanos auctores æquè latè patere possit
C atque τοῦ εἰκόνος, &, si Latinitate vtramque donemus, eadem significatio *idoli*, & *iconis*, siue imaginis, tamen Scripturæ, ac Ecclesiastico vsu in malam semper partem accipitur τὸ εἴδωλον. Idcirco enim septima Synodus [o] edidit hunc de ea re anathematismum contra Conciliabulum Constantinopolitanum, Constantini Copronymi opera coactum in Blachernis: *Qui venerandas imagines idola appellant, anathema sint.* Lege Origenem [p], Theodoretum [q], Oecumenium [r], Euthymium [s], Tertullianum [t], Augustinum [u], Isidorum [x].

o Act. 5. & 7.
p Hom. 8. in Exodum.
q q. 38. in Exodum.
r in 1. Cor. c. 8.
s in panopl. tit. 23.
t lib. de idol. cap. 3. & 4.
u q. 41. ex qu. vet.
x 8. Etymol. c. vlt.

Inde manarunt nomina εἰδωλόθυτα, de quo egi-
D mus in cap. XV. & εἰδωλολάτρου, & εἰδωλολατρείας. Quanquàm idololatria comprehendit *omnem superstitiosam religionem, qua quælibet res pro Deo colitur, etiamsi nullo idolo, & simulacro repræsentetur. Nam idolum*, ait Tertullianus [y], *retrò non erat, priusquam huius monstri artifices ebullissent, sola templa, & vacuæ ædes erant; sicut in hodiernum quibusdam locis vetustis vestigia permanent: tamen idololatria agebatur, non in isto nomine, sed in isto opere. Nam & hodie extra templum, & sine idolo agi potest.*

Idololatria nomen quid comprehendat.

y lib. de idol. cap. 3.

At vbi artifices statuarum, & imaginum, & omnis generis simulacrorum Diabolus mundo intulit, rude illud negotium humanæ calamitatis, & nomen de idolis consecutum est. Sic ille.

Profectò εἰκὼν ab εἴκω propriè designat id, quod ad imitandum, & vt simile reddendum factum
E est, vt sit quoque *imago*, quasi *imitago*: Εἴδωλον ab εἶδος, quod est *forma*, id omne, quod quacunque ratione absque etiam repræsentandi rem veram studio efformatur; sicut à simulando *simulacrum* [z], quamuis à similitudine malit Lactantius [a]: quod Interpres nonnunquàm ponit pro Græco nomine, τοῦ εἰδώλου [b]: idémque hæc duo valere Augustinus docet [c]. Lege tractatóres de adoratione, vel de imaginibus, præsertim verò Bellarminum [d], & Gabrielem Vasquez [e] nostros, & Nicolaum Sanderum [f].

Icon & idolum quid significent.

z Vvald. tom. 3. cap. 157. n. 1. qui tamen malè à dolo idolum.
a lib. 2. Inst. diui. cap. 2.
b in Psal. 113. 4. Act. 7. 41. c. 15. 20. 1. Ioan. vlt. vlt.
c in Psa. 135.
d 2. de cultu Sanct. cap. 5.
e 2. de adora. cap. 1. & seq.
f lib. de imag.
g in voce, εἴδωλον.

Caue autem fallat te Henricus Stephanus in Thesauro [g], & pro auro, argentóve plumbum, scoriámque exhibeat, dum docet εἴδωλον vocari

omnem imaginem, quam cultu, & honore dignantur. Vocat Clemens Alexandrinus [a] *Deos Gentium idola, & vmbras*: & Eustathius [b] auctor est accipi solere idolum *pro vmbra, spectro, atque omni re, quæ quamuis appareat, nihil sit*: & in Scripturis [c] dicitur quòd omnes *Dij populorum sunt idola.*

a Paræn. ad Gent.
b in 11. Odyss.
c 1. Par. 16. 26.

Claudamus hunc locum Theodori Studitæ sanctissimi, doctissimique Patris Græci testimonio, quo claudatur, & obstruatur os loquentiū iniqua, & inerudita. Hic non dubitauit subsannantem Leonem Armenum Imperatorem, cultum imaginum, tanquàm idololatriam, & væcordes, sensúsque expertes vocantem, qui eas venerarentur, libera hac oratione in consessu Sacerdotum, & Monachorum, sed & aliorum nequissimorum Iconomachorum castigare [d]: *Neque ipsum salutare nomen reueritus es, vt idola, ô verborum peruersitatem! sacras imagines appellares? vnde, & à quo doctus? aut quisnam est qui te docuit imaginis, atque idoli* (εἰκόνος, καὶ εἰδώλου) *vnam esse vocem? Hoc enim nec Patrum vllus vnquam sensit, nec vero res ipsæ ferunt, vt dicatur, &c. Idolum enim est, & appellatur, quod Dæmonis, aut alterius cuiuspiam ex iis, quæ Gentiles turpiter pro Diis coluerunt, specimen repræsentat, fœdi fœdius, & mali deterius, &c. Sic enim harum rerum peritis visum est hæc nomina distinguere, qui idolum falsam imitationem esse dixerunt; imaginem vero expressam similitudinem.* Igitur Henricus Stephanus cum suis Ecclesiasticis ad Ecclesiam pertinet, *quæ est malignantium* [e], non ad illam, *quæ firmamentum, & columna veritatis* [f].

d Michaël in gestis Theodori Studitæ. *Quantum hæc duo distinguantur.*
e Psal. 25. 5.
f 1. Tim. 3. 15.

Versus 17.] Disputabat igitur in synagoga cum Iudæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies ad eos, qui aderant.

DISPVTABAT *igitur in Synagoga cum Iudæis.*] Nullæ quamuis grauissimæ iniuriæ Iudæorum Paulo erga ipsos amorem eripiunt, tristitiam in corde magnam, & continuum gerenti dolorem pro illis [g].

Colentibus.] Τοῖς σεβομένοις. Proselyti sunt, vel veri cultus Gentiles studiosi, vt aliàs notatum est [h]. Chrysostomus de primis intelligit.

In foro.] Ἐν τῇ ἀγορᾷ. Syrus, ובשוקא *vabesschuk.i.* id est, *Et in platea.* Insignis fuit, & amplior platea, qualis in qua forum celebratur, de qua superius [i]. Apostolico igitur exemplo rectè in plateis habetur de diuinis rebus sermo; vt capite etiam 2. docuimus [k].

g Rom. 9. 2.
h cap. 17. 4.
i cap. 16. 19.
k vers. 6.

Ad eos, qui aderant.] Πρὸς τοὺς παρατυγχάνοντας. Syrus, עם אילין דמסתקבלין הוו *him ilen dammesthakbelin hauu*, id est, *Cum quibuslibet obuiis.* Vatablus: *Qui ipsum fortè adiissent, in quos fortè fortunâ incidisset.* Clarius: *Qui fortè ipsum adiissent.* Interpretis tamen expositio sufficiens est, satísque denotans, quod isti alij exprimunt: nec enim qui in foro intererant, ex condicto cuncti quotidiè ventitabant, sed prout alios alia negotia vocabant. In quibusdam codicibus excusis, & manuscriptis fœdum mendum est, *Qui audierant*: quasi vel alloqueretur Apostolus eosdem quotidiè in foro, vel duntaxat illos, quibuscum egisset in Synagoga, nimirum Sabbatis. Hęc inuerisimilia sunt, & lectio ista nihil cognationis habet cum Græca. Alij codices minùs malè habent. *Qui adierant.*

Versus 18.] Quidam autem Epicurei, & Stoici Philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiuerbius hic dicere? Alij verò: Nouorum dæmoniorum videtur annunciator esse: quia IESVM, & Resurrectionem annunciabat eis.

QVIDAM *autem Epicurei, & Stoici.*] Non abundabant minùs Philosophorum sectis Athenæ, quàm idolorum varietate. Inter tam multas, & adeò varias sectas Philosophicas, quas Laërtius, & tot alij recensent, ac explicant, duæ istæ quodammodò extremæ habentur, Epicureorum maximè laxa, & libera; Stoicorum seuerissima: illorum turpissima, istorum honestissima.

Athenæ abundabant Philosophorum varietate.

De Epicureis pereleganter Lactantius [l], necnon Iosephus [m]: *Illos quidam, & Cyrenaïcos, meliorem in partem interpretantur, summum bonum voluptatem sensisse, quæ est quidam flos, fructúsque virtutis.* Ita sanè videntur eos (vt nihil de Seneca dicam Stoicissimo, qui passim Epicurum laudat in epistolis) Clemens Alexandrinus [n], Nonnus Monachus [o], Tertullianus [p], Ambrosius [q], & Hieronymus [r] intellexisse, è quibus vltimus tametsi contrarium alibi [s] dicat, *testis est, Epicurum omnes libros suos repleuisse oleribus, & pomis, dixisséque vilibus cibis esse viuendum: maiorem enim pœnam habere in inquirendo, quàm voluptatem in abutendo, aqua, & pane naturæ satisfieri; quidquid supra fuerit, spectare ad vitium voluptatis.*

Epicurei quales essent.
l 3. Instit. c. 7.
m 10. Antiq. c. 14. in fine.
n 2. Strom. c. 21.
o in exposit. profana. histor. inter. in Nazianzenum Bellij.
Epicurum errores.
p in Apolog. c. 38.
q epist. 21 ad Eccl. Vercel.
r 2 contra Iouinian.
s lib. 4 in ca. 13. Ezech.

Omnes conueniunt, negatam ab his Philosophis prouidentiam, ac re ipsa Deos sustulisse, veruntamen metu Areopagi, & ciuium suorum reliquisse secundum nomen. Hoc in primis prodit Augustinus [t]. Quod ad alterum autem illud dogma de voluptate spectat, significat idem Augustinus [u]: *Ideò videri posse honestam ab Epicuro traditam, qui turpem sectabatur, & ab aliis etiam Philosophis porcus nominabatur, quoniam interdum in suis libris continentiam laudat.*

t 18. de Ciuit. c. 41.
u de vtilit. credendi c. 4.

Lactantius [x] verò docet, ideò Epicuri disciplinam multò celebriorem semper fuisse, quàm ceterorum: *Non quia veri aliquid afferat, sed quia multos populare nomen voluptatis inuitat, &, prout trahit sua quemque voluptas, apposita singulis quibúsque moribus loquitur, ita vt ab eo discat etiam qui nimium parcus est, aqua, & polenta vitam posse tolerare: qui odit vxorem, huic enumerentur cœlibatus bona; habenti malos liberos, orbitas prædicetur; forti dicatur etiam, in tormentis beatum esse sapientem; qui molestiam ferre non potest, præcipiatur regiam fugere. Ita homo astutus,* inquit (omitto autem alia membra vitiosa) *ex variis, diuersisque moribus circulum cogit, & dum studet placere omnibus, maiore discordia secum ipse pugnauit, quàm inter se vniuersi: & rerum inæquitate inductus (sic enim causam, rationémque ignorantis videbatur) existimauit nullam esse prouidentiam: quod cum sibi persuasisset, suscepit etiam defendendum: sic in errores inextricabiles se ipse coniecit.*

x refert Augustinus in Psal. 71.
Epicurus curriculis ...

Iam de Stoicis minor dubitatio est, virtutem coluisse, vt maximè bonam, & animæ cognouisse immortalitatem, quam negabat Epicurus, etsi Pythagori μετεμψύχωσιν, hoc est, insinuationem animæ, migrationémque in varia corpora defendebant. Tractatum edidit Augustinus [y] sanè acutum, & elegantem, in quo agit de dissertatione, quàm collationem vocat, quæ hìc habita narratur inter Apostolum, intérque harum sectarum duarum Philosophos.

Stoicorum errores.
y Tom. 6. tracta de Epicu. & Stoic.

Ibi [z] obseruat, *non frustrà, nec sine diuina prouidentia*

z cap. 4.

Digitized by Google

Paulus cur eum Stoicis, & Epicureis disseruerit.

dentia factum, vt cum Paulo non contulerint nisi Stoici & Epicurei: sed diuinam sapientiam omnia gubernantem hos ei apposuisse, in quibus dissensionis Philosophorum tota propè causa consisteret. Nam cùm omnium Philosophorum commune studium sit quærendo, studendo, disputando, viuendo beatitudinem apprehendere, homo verò animam rationalem habeat, & corpus, Epicurei illam in voluptate corporis, Stoici in animi virtute cõstituerũ [a]. Cum vtrisque lis Apostolo fuit, & doluit quosdã etiã è numero Christianorũ elegisse sententiam Epicureorum, non hominum, sed porcorum [b], cùm colloquiis prauis corrumperent mores bonos, dicentes: Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur [c]. Nec annuit Paulus Stoicis [d], quoniam confidebant in virtute sua [e], & in se, quamuis per melius bonum, spem ponebant. Est autem maledictus, qui spem ponit in homine [f], hoc est, vel in bonis corporis sui, vel animæ. Ille verò, & omnis Christianus affirmat, quòd donum DEI facit hominem beatum, & DEVS diligit fortitudinem, ac virtutem suam [g], sciens beatum esse, quem ille erudit [h], & cuius est ipse Dominus DEVS [i]. Arator idem carmine expressit, & denuò paucioribus verbis idem Augustinus [k].

a cap. 3. & 4.
b cap. 5.
c 1. Cor. 15. 32. 33.
d idem Aug. cap. 7.
e Psa. 48. 7.
f Iet. 17. 5.
g Psa. 17. 1.
h Psa. 93. 12.
i Psa. 143. 15.
k Serm. 11. de verb. Apost. cap. 7.

Accedit prætereà, quòd vtrique isti Philosophi, vt notat Lyranus, Resurrectionem tollebant, nimirum quoniam Epicureis cum corpore peribat anima, Stoicis hæc ex vno in aliud semper corpus immigrabat. Primi, vt dictum est, Deos re ipsa negabant. Secundi, corporeum constituebant DEVM, totique mundo, ceu diuino animali animam, ac sapientiam tribuebat. Paulus his omninò contraria tradebat.

Disserebant cum eo.] Συνέβαλλον αὐτῷ. Augustinus citato loco: *Conferebant.* Vatablus: *Confictabantur, congrediebantur, committebant cum eo.*

Recipio has omnes significationes, tanquàm bonis Auctoribus vsitatas, & proposito cõgruentes. Sed verbum disserendi, quod Interpres posuit, illas in se includit.

Verbis, ac disputatione actum indicat Chrysostomus, quia non ampliùs vtebantur legibus suis Athenienses, vtpote subiecti Romanis: tum prætereà quoniam Philosophi illi videbant, & alios conferentes, Paulúmque existimationis cuiusdam. *Nihilominus*, ait, *quoque ductum ab illis in Areopagum, vt puniretur.* De qua re posteà.

Metaphrastes apud Surium [l] prodit, Atheniensibus, ac Lacedæmoniis, sui iuris vt essent, Romanos permisisse. Augustinus [m] ex hac disputatione colligit, *recipi à Christiana doctrina, non formidari dialecticam*, *sicut eam*, inquit, *in Stoicis non formidauit Apostolus, quos secum volentes conferre non respuit.*

l 9. Octobr. *Atheniensibus permissum fuit suo iure viuere.*
m 1. con Cresc. cap. 20.

Quid vult seminiuerbius hic dicere?] Quidam codices Latini habent: *Seminator verborum*, itáque legit Augustinus [n]. Sed vox, qua Interpres vtitur, sua simplicitate respondet meliùs Græcæ σπερμολόγος, & eam Ambrosius agnoscit, hunc locum citans [o].

n Tom 6. tra. de Epicur. & Stoic.
o ep. ad Eccl. Vercell. *De voce seminiuerbij, vel Græca σπερμολόγος.*

Oecumenius arbitratur σπερμολόγον, *auiculam esse exiguam, & vilem, neque ad esum neque ad oblectationem satis idoneam, quæ ex eo, quod sparsa in triuiis semina legere consueuit, sic appelletur. Inde factum, vt ignobiles, & existimatione nullà digni, eodem quoque nomine designentur.* De auibus in genere, quæ in agris seminatis inter sulcos semina legunt, non vnus Auctor vsurpat hoc epithetum, vel σπερματολόγος, vel σπερμονόμος, vt ex nostris Basilius [p], qui meminit ϑεὶ τῶν σπερμολόγων, propter quas natura frumenti grana incluserit thecis, & culmos exasperauerit: ex aliis præter ceteros Aristoteles [q], qui distinctè vnam auem sic vocat, quasi dicas, *frugilegam*, aut *seminilegam*, quemadmodum aliam *culicilegam.*

p Hom. 5. Hex.
q 8. de Hist. animal. cap. 3.

Eustathius [r] verò addit ex eo genere auium apud Atticos deriuatum, vt σπερμολόγοι, & σπερμονόμοι dicantur, qui in emporiis, & foris versantur, colligentes quæ ibi è saccis eiiciuntur, indéque victitantes, quasi ex spicilegio: & magis extensa significatione, homunciones, & nullius pretij.

r in 5. Odyss.

Prætereà σπερμολογεῖν, esse eam, *quam ex quibusdam auditionibus adeptus sis scientiam, nulla cum arte ostentare.* Perinde autem est, si ex lectis vellicatim Auctoribus quasi collectis seminibus eruditionem verbosius iactes. Vtrauis notio decet calumniatores istos: sed existimo magis posteriorem intendisse, ac si Latinè appellarent *verba funditantem, loquutuleium, blateronem, loquacem, verbosum, verbisatorem, nugatorem, nugigerulum, rumigerulum, nugiuendulum, rabulam garrulum, multiloquum, vaniloquum, battologum, circulatorem, circumforaneum, impostorem, saccularium, quem vulgo vocamus Ciarlatano, Canta in banco, ò Salta in banco.* Idcircò rectiùs σπερμολόγος, hoc loco deducemus quasi ἀπὸ τοῦ λόγου, aut ἀπὸ τοῦ λέγειν, id est, *à sermone*, & ab illo verbo, vt significat *loqui*, quàm ab eodem, vt *colligere*: ac proinde rectiùs vertit Interpres *Seminiuerbium*, quàm Syrus, מלקט מלא *mellaket mella*: & alij, *Collectorem verborum.* Lege Budæum [s].

Quid sit σπερμολογεῖν.

s in com. ling. Græc.

In otiosa ciuitate, atque curiosa, vt paulò pòst Apostolus nominabit, huius farinæ hominum copia erat; vt mirum non sit, si doctrinam proferens nouam, ac παράδοξον, eorum nunc numero habeatur. In tales animaduerterunt leges [t], etiamsi propriè agant de iis, qui circumferunt, exhibéntque in foro serpentes, ac eiusmodi bestias: de qua re Menochius [u]. Atqui Augustinus [x] commodè adaptans seminatoris verbi appellationem Paulo: *Dictum est quidem*, inquit, *ab irridentibus, sed non respuendum est à credentibus: erat enim reuera ille seminator verborum, sed messor morum. Sanè Paulus ita seipsum appellare visus est, cùm dixit: Si nos vobis spiritualia seminauimus* [y], &c.

Athenis erant seminiuerbij.

t de extraor. crimin. l. saccular. j.
u 2. de arbit. iud. casu 316.
x Tom 6. tra. de Epic. ca. 1.

y 1. Cor. 9. 11.

Quomodo autem Apostoli dici debeant non seminatores, sed messores, & qua ratione illud etiam nomen ipsis conueniat, docuimus cap. 2. [z] Ibidem [a] quoque ostendimus, *loquentes magnalia* DEI *Apostolos, ebrios nominatos*: & hoc solemne esse, vt irrideantur viri sancti, & Euangelici Doctores. *Sed si formidaret*, ait idem Augustinus [b], *irridentes, non perueniret Paulus ad credentes: quomodo seminator ille Euangelicus [c], si trepidaret mittere semina, ne aliud caderet in via, aliud inter spinas, aliud in loca petrosa, nunquàm semen posset etiam ad terram optimam peruenire.*

z vers. 11.
a vers. 13. *Irrideri solemne est viris sanctis.*
b tract. de Epicur. & Stoic. cap. 2.
c Matt. 13. 3. & seq.

Loquente Apostolo facta est tripartita illa multitudo per quosdam gradus mirè disposita, *irridentium, dubitantium, credentium. Qui irridet, cadit; qui credit, stat; qui dubitat, fluctuat* [d]. Egò verò irrisorem interpretor esse spinas: auari enim irridebant CHRISTVM [e]. Et risus stulti cum spinis ardentibus comparatur [f]: vel etiam petrosa, quasi cum gaudio videatur verbum admittere; sed obdurato animo despiciat. Dubitantem constituo in via, & ceu in biuio Herculem; qui dum cunctabundus deliberat, aditum dat spermologo, ac seminis boni collectori, atque voratori Diabolo. Licentia sum vsus spermologi Ecclesiastici, & tanquàm Ruth [g] aggressus sum ad spicilegium, colligens frugem tropologiæ post nobilem messorem Augustinum.

Tres gradus eorum, qui audierũt Apostolum.
d Aug. ibid. cap. 1.
e Luc. 16. 14. 15.
f Eccl. 7. 7.

g cap. 2. 7. & seq.

Nouorum Dæmoniorum videtur annunciator esse.]

Syrus, לאלהא נוכריא מכרז *lalahe nuccheraie machrez*, id est, *Deos alienos prædicat*. Ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι. Vatablus notat potuisse verti, *Deos*: quoniam Ethnici Dæmonia etiam dicunt *Deos*. Arias videtur velle Lucam dedita opera vocem illam posuisse, habita ratione ad mysterium IESV in hominum animos venientis, quem euangelizabat Paulus, & ad Resurrectionem corporalem, & spiritualem: Philosophos enim Græcos alia de Dæmonibus, alia de Diis tradidisse, ac Dæmones bonos, malósque distinxisse, atque hinc illud celebratum *Dæmonium Socratis*. Glossa ordinaria, & Hugo volunt verba ista vel esse Gentilium, qui audissent à Iudæis vocabulum Dæmoniorum esse abominabile, vel Iudæorum Sadducæos ea ibi protulisse. Lyranus iure quidem hoc reprehendit, quia vox Græca est: sed perperàm interpretatur intellectam ab iis, qui non abominabantur doctrinam Pauli, sed dubitabant de ipsa, pro scientia, vel peritia.

Cur Lucas vsus sit Dæmoniorum nomine.

Carthusianus, posita Platonicorum distinctione *in Calodæmones, Catodæmones, Cacodæmones, priores duos bonos, tertios malos: ex quibus primi, & summi* DEO *assistant, secundi præsint rebus nostris: ita vt vox dæmonis à scientia deriuata bonam habeat notionem*, arbitratur, visum esse quibusdam Atheniensibus propter doctrinæ, quam tradebat Paulus, sublimitatem inauditam, proponi ab ipso cultum inauditorum adhuc dæmonum: ex quouis illo triplici eorum ordine. Chrysostomus & Oecumenius putant, hos auditores credidisse Resurrectionem, quam prædicabat Paulus, Deam quandam esse, vtpote qui colere etiam fœminas consueuissent.

Dæmonum diuisio in Calodæmones, Catodæmones, & Cacodæmones.

Non assentior huic opinioni: Apostolus enim de Resurrectione satis explicatè videtur locutus, nec nudum nomen duntaxat protulisse. Verum est, δαίμονας dici quasi δαήμονας, id est, *scientes*, quod satius est, & à Platone traditum, Martiano [a], Chalcidio [b], Lactantio [c], Augustino [d], quàm, vt voluit Eusebius [e] à δειμαίνειν, id est, *terrefacere*, & alij [f] à δαίζειν, id est, *gubernare*, quasi hominum sint gubernatores, & Eugubinus [g] ab Heb. שדים *schadim*, id est, *vastatores*. Sed verisimile non est, per dæmonia scientias intellectas. Neque dubito, verba ista non Lucæ, sed Gentilium esse: hos autem indefinitè numina quædam per dæmonia intellexisse non noxia magis, quàm salutaria, ita vt Syrus prudenter אלהא *elahe*, id est, *Deos*, reddiderit: quod & Salmeron [h] approbat quodam loco, & in præsenti Vatablus & Sà: nisi fortè per contemptum doctrinæ peregrinæ, illa potiùs, quàm hæc intelligi voluerunt. Alioqui nomen τοῦ Δαιμονίου, vt & Δαίμονος apud profanos, accipi etiam in bonam partem certum est.

Dæmonium vnde dicatur.

a in Cratylo.
b in Timæū.
c 2. Inst. c. 14.
d 9. de Ciuit. cap. 20.
e 4. de præp. Euang. cap. 5.
f in Thesau.
g 8. de peren. philo. c. 19.
h Tom. 6. tra. 10.

Immò verò Ignatius [i] recitat verba CHRISTI, quæ licèt Eusebius [k], vnde sint, se nescire profiteatur, tamen, auctore Hieronymo [l], sunt in Euangelio Nazaræorum, & eadem affert etiam Theodoretus [m]: PALPATE *me, & videte, quia non sum dæmonium incorporeum: spiritus carnem, & ossa non habet*. Vbi qui ex Hebræo vertit, dæmonij vocem Græcam vsurpauit in eadem significatione generali, qua & *spiritus* adiungitur, denotans incorpoream substantiam.

i epi. ad Smyrnenses.
k lib. 3. Hist. c. 36.
l præf. lib. 18. in Esa. & de scri. Eccl. in Ignatio.
m Dialo. Inconfusus.

Dæmonia sunt substantia incorporea.

Tertullianus [n] genios ait *Dæmones* dici, & inde diminutiua voce *dæmonia*. Nihilominùs diminutiua permulta nihil diminuūt significationem, vt flagellum, curriculum, &c. Et cum septies circiter dæmonas vsurpet Scriptura, dæmonia pro iisdem plus ponit septuagies, necnon profani

n in Apolog. cap. 22.

A scriptores, Græcique, Latinique. Porrò Dæmonas, & Dæmonia eædem sacræ Literæ nunquàm nisi pro malis, & impuris spiritibus ponunt, eodémque modo Scriptores Ecclesiastici: alij indistinctè etiam pro bonis.

Quia IESVM, *& Resurrectionem annunciabat eis.*] Sæpe monui, Resurrectionem omnibus passim Philosophis ad apprehendendum, multóque magis ad credendum difficillimam, & paulò antè id ipsum nominatim docui de Epicureis ac Stoicis, quibuscum disceptabat Paulus. IESVS *autem crucifixus Gentibus erat stultitia* [o], nec in animum inducere suum sapientissimi etiam Gentilium poterant, ac adeò infirmum; ac tam turpi damnatum
B morte pro DEO colerent, in eóque spes omnes suas, & summam fœlicitatis collocarent. Existimasse autem eos, qui Paulum audiebant, ἀνάστασιν numen aliquod fœmineum ipsis proponi, iam quoque priùs dixi mihi non probari, quamuis ita Chrysostomus sentiat & Oecumenius.

Resurrectionem nobis Philosophis difficillima creditu.

o 1. Cor. 1. 23.

Versus 19.] Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt: dicentes: Possumus scire quæ est hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina?

C *ET apprehensum eum.*] Non sine manuum iniectione tanquàm in reum, & sacrilegum: nec defuit, credo, Iudæorum instigatio, præsertim si quid acceperant, quod facilè potuerunt, de concitata in Paulum ad Thessalonicam, aliásque ciuitates persecutione.

Capitale Athenis erat, vel Deos negare, vel inconsulto Areopago peregrinam inducere religionem. Diagoram proscripserunt, decreto talento ei, qui occidisset ipsum, quia ferebatur eorum mysteria deridere Anaxagoram morte damnarunt, quòd Solem, quem venerabantur vt DEVM, saxum nominasset ignitum. Idem passus
D esset Protagoras, nisi citò fugisset, quia reuocarat in dubium Deos illorum, libri tamen eius illo absente publicè sunt inflammati. Prætereà subiit fœmina sacerdos supplicium extremum, quòd peregrinos Deos coluisse delata esset. Tandem celeberrimus est non vita magis, quàm morte Socrates, quam pati compulsus est ducentis octoginta & vna sententiis, quia, sublatis veteribus Atheniensium Diis, ingereret noua dæmonia. Tanta etiam vi dicendi pollebat Paulus, quod experti posteà sunt Reges, & Præsides, vt publicam ei orationem inhiberi Athenienses vellent, ne cunctis persuaderet: quemadmodum Ægypti Regem Ptolemæum ferunt *Hegesiæ philosopho Cyrenaico prohibuisse publicè posthac de miseria huius vitæ disserere,*
E *eò quòd sic declamando ac docendo, eius in audientium pectoribus miserandam imaginem inserebat, vt multi voluntariæ mortis oppetendæ libidinem conciperent* [p].

Capitale Athenis erat, Deos negare, & peregrinam religionem inducere.

Socratis mortis causa.

p Val. Max. 8. c. 9.

Ad Areopagum duxerunt.] Ἐπὶ τὸν Ἄρειον πάγον. Syrus לבית דינא דמתקרא אריוס פגוס *lebeth dina demethkere arios pagos*, id est, *in domum iudicij*: vel, *in Senatum, qui vocatur Areopagus*. Meliùs fecit Interpres vnico vtens composito nomine, quod aliis Auctoribus etiam Latinis, & Syro interpreti inauditum non est, quàm Erasmus, Caietanus, & Vatablus, qui contendunt duas voces distinctè ponendas, vt dicatur *Martius vicus*, vel, *via*, vel, *forum*, vel, *curia*. Posteriora duo nomina rem describunt (vltimum est Iuuenalis [q], & Hieronymi [r]) non exprimunt notionem Græci compositi.

Areopagus ... nomen ...

q Saty. 9.
r in c. 1. ep. ad Tit.

Circa

De nomine Areopagi, & significatione errores.

Circa primum, & secundum, dum his vtitur Vatablus, Erasmus autem, & Caietanus primo, decipiuntur ignoratione linguæ Græcæ, in qua πάγος non est idem quod pagus Latinè, sed collis, aut rupes, locúsve eminens, erátque, vt ait Stephanus [a] Ἄρειος πάγος Athenis promontorium, Aristotelis Interpres Auerroes [b] inscitia linguæ Græcæ, Ἄρειον πάγον explicat domicilium Philosophorum, ita vt significet tum Athenas, tum alias ciuitates Græcorum. Ægidius non multò Græcè peritior exponit verba Philosophi, ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, *in illa ciuitate.*

a de vrbibus.
b 2. Polit. c. 1. & 2.

Isidorus Pelusiota [c], sequutus nimirum Pausaniam [d], alióśque, nominis causam reddit, quòd ibi Mars damnatus sit, quia cùm Agraulam Cecropis filiam adhuc immaturam coniugio violasset, in Halirrothium Neptuni filium accusator, iudex, & carnifex extitit, quoniam is Alcippæ, quam Mars posteà ex Agraula susceperat, stuprum intulerat, quamuis nec ante immaturam ætatem, nec per vim. Neptunus verò apud Areopagum illum accusauit, & ad sempiternam infamiam ipsi inurendam, conuictus, affectúsque supplicio, nomen loco reliquit.

c lib. 2. ep. 91. & 92.
d in Atticis.
Vnde dicatur Areopagus.

Addit Pausanias, ibidem iudicatum Orestem matricidam, & liberatum iudicio, templum eo in loco erexisse Mineruæ Areæ, quasi dicas Martiæ. Prætereà tradit, fuisse in Areopago lapides argenteos pro reis, & actoribus, ac eos quidem, in quibus illi consisterent iniuriæ, alios, in quibus isti, nominatos impudentiæ.

Item prope templum extitisse dearum Σεμνῶν *verendarum*; vt Athenienses quidem vocabant: Hesiodus autem in Theogonia ἐριννῦς eas nominabat *furiarum*. Plutonis quoque, Mercurij, & Telluris signa, ad quæ qui capitis periculum euasissent, rem diuinam facerent.

Verisimilior est eorum ratio, quam Demosthenes [e] præsertim dat, tametsi priora etiam illa in oratione sua ponit; ita nominatum Areopagum, quòd in eo tractarentur *causæ homicidarum, qui martiali, ac hostili animo quempiam trucidassent: cùm de cædibus fortuitis ad Palladium tribunal ageretur:* ad Delphium, de iis, quas quis lege permittente patrasse se diceret: de damno, quòd lapis, lignum, ferrum, aut quid tale lapsum attulisset ad Prytanæum: ad Phreattium ab exilio rediens, ob necem fortuitam, nondum composito negotio cum cognatis cæsi.

[e] orat. contr. [Ar]istocr. [Forum Furiarum] [Athe]niensibus.

Heliæi quoque Prætorij Suidas meminit [f] apud Athenas: quod sub dio solis radiis feriretur, & vbi mille, aut mille quingenti viri ex binis, vel ternis coacti Prætoriis Heliastæ dicti, publica negotia disceptarent; & post iurisdictionem triobolum acciperent. De eodem consilio videtur esse apud Plutarchum [g] mentio. Continebat verò sub se Heliæum duo alia fora, vt quidam putant, quæ *Parabysta* dicerentur, quasi ob obscuritatem, quam vox significat illi opposita, nempe Trigonum, & Metychium. Addunt etiam alij forum Ephetarum. Libanius [h] prodit, & Pollux [i], & Plutarchus [k], & Pausanias [l], de tēporaria βουλῆς, id est, Senatu ex quingentis, qui Rempublicam cum Tribunis, & Quæstoribus administrarent ætate Senatoria, quotannis electi, nonnunquàm Eumolpidas sic doctos Sacerdotes, & præcones concilio præfuisse, indicat Plutarchus [m].

[f] [in ver]bo, ἡλ.
[g] in Pericle.
[h] orat. De[mosth.] contra [Andr]otionē.
[i] [Ono]mast.
[k] Demet.
[l] ...
[m] Alcibia.

Sed Areopagitæ Senatores tanta pollebant auctoritate, vt Rex etiam causas ad eos inducens deposita sederet corona inter ipsos, vt memorat

[Areopagit]æ tanta quàm [auctori]tate.

A Pollux [n]: tanta integritate, quod testatur Lucianus [o], vt noctu, ac in tenebris, non interdiu, neque luce causas cognoscerent, quò non dicentes, sed quæ dicerentur, duntaxat spectarent; ita vt nec procemio vti oratorem vellent, nec peroratione [p], & ipsi iudicarent, vt ait Macrobius [q], tacentes, id est, per calculos: idque, vt idem Pollux scribit, quot mensibus, tertio duntaxat, quarto, & pridie Kalendarum, nisi extra ordinem in Regia quandoque porticu cogerentur, vt est apud Demosthenem [r].

n lib. 1.
o in Sectis.
p Apul. li. 10. Pausan. lib. 1. c. 22. Quintil. libr. 2. cap. 17.
q lib. 7. cap. 2.
r orat. Leon[t]. Aristogit.

B Ea erat vbique opinio Areopagi, vt Asiæ Proconsules Romani grauissimas causas eorum iudicio definiendas commiserint, vt Cn. Dolabella, teste Gellio [s]: & de suo ipsius tempore testis est Lucianus [t].

s lib 12. ca. 7.
t in Hermot.

M. Varro citatus ab Augustino [u], meminit sententiæ deriuantium Areopagon, ex eo, quòd Ἄρης, id est, *Mars*, homicidij reus factus iudicantibus duodecim Diis in eo pago, sex sententiis absolutus est: præponebatur autem damnationi absolutio, vbi paris numeri sententiæ fuissent. Non approbat ille eam sententiam: in quo iudicium laudo: sed nec mihi placet, vt prędixi, deductio Areopagi, vt Latinè vicum significat, seu in vrbe, seu extra vrbem. Quod rectè etiam monuit Viues Augustini interpres.

Areopagus vnde dicatur, teste Varrone.
u libro 18. de Ciuit. Dei. ca. 10.

C Omninò indicant hæ siue historiæ, siue fabula Senatus Areopagitici antiquitatem, quam qui ad Cecropem maiorem referunt, meliùs sentiunt, Eusebius [x], & Aristoteles [y] iis, qui ad Solonem, quod facit Plutarchus [z]. Idem confirmant iudicia ab iisdem Senatoribus habita de Dædalo apud Apollodorum, de Messeniis, & Lacedæmoniis apud Pausaniam [a], & apud eundem [b] de Atheniensibus ipsis, atque Spartanis.

Senatus Areopagitici antiquitas.
x in Chron.
y 2. Politic.
z in Solone.
a in Messenicis.
b in Achaicis.

Solon præter capitalium rerum cognitionem, quæ sola ferè sub Regibus assignata erat huic Senatui, voluit, vt de omni Republica cognosceret, & essent Areopagitæ, vt de Solone prodit Plutarchus [c], rerum omnium speculatores, & legum custodes. Et quidem Cicero testis est in Officiis, D & in Politicis Aristoteles, rem ab iis bellicam tractatam. Isocrates in Areopagitica, moribus præfuisse. Necnon in Axioco Socrates, Demosthenes contra Neæram, pietatem, & sacerdotia curasse. Et iterum Plutarchus in Hyperide: Denique: *Quemadmodum*, inquit Tullius [d], *si quis dicat, Atheniensium Rempublicam consilio regi, desit illud Areopagi: sic cùm dicimus, prouidentia mundum administrari, deesse arbitror Deorum.*

Areopagitarum iurisdictio.
c in Solone.
d 2. de natur. Deor.

Soli inter Areopagitas adlegebantur, qui nouem Archonton imperium gessissent, ex Solonis institutione, de qua idem Plutarchus [e], scribit, quòd postquam abiissent annuo Magistratu, nimirum Regis, Archontis, Polemarchi, Thesmothetarum, si vitæ suæ rationem eo in iudicio, quod E vocabatur Δοκιμασία, idoneam reddidissent, sicut adhuc memorat Plutarchus [f], ac Vlpianus [g]: Isocrates [h] verò cunctos, qui adlegerentur, numero videlicet incerto, quíque per totam vitam, nisi crimen obstitisset, in eo Senatu perdurabant, bene natos esse debuisse, multáque virtutis, ac moderationis documenta præbere oportuisse affirmat. Suo verò etiam tempore, quo tamen mores prisci degenerauerant, adeò magnum primos illos Areopagitas iustitiæ, atque continentiæ documentum posteris reliquisse, vt mores quoque subitò mutare deprehenderetur, si quis in eum Senatum quouis modo irrepsisset, qui anteà into-

e in Solone.
f in Pericle.
g in orat. Demosth. contra Leptin.
h in Areopagitica.

lerandos

lerandos habuisse videretur, atque ex instituto potiùs Senatus, quàm ex suo vitam egisse, & quasi loci genio afflatum ex suomet genio migrasse.

Areopagita pro homine grauissimo.

Hinc M. Tullius Areopagitam pro constanti Senatore, & seuerissimo Iudice, ad Atticum [a] scribens vsurpauit [b]. *Aristides Areopagum omnem superasse laudis excellentiam dixit, paremque vim in eo loco ad iustitiam cognoscendam fuisse, vt in iis locis, vnde oracula fundebantur, ad prædictionem futurorum: nefas item duxisse, omnes præ reuerentia in eius redire conspectu*, auctor est Æschines [c].

a lib. 1. ep. 13. b in Panathenæ. c in Timarchum.

Etsi verò ne propter nimiam eius ordinis potentiam, species in Republica τῆς ὀλιγαρχίας, id est, paucorum imperij foret; Pericles multa iis iudicia eximere conatus esset, vt narrant Aristoteles [d], atque Plutarchus [e]; & vt cætera imperia, reddendis fuerint rationibus obnoxij, vt meminerunt idem Æschines [f], ac Demosthenes [g]; ita vt non possent pro arbitrio in ciuem Atheniensem animaduertere: attamen memorabile illud in primis traditur de isto Senatu ab eodem Demosthene [h], & Aristide [i], neque Tyrannos, neque alios, qui pauci dominabantur, illum è Republica vnquàm remouisse, quæcunque in Republica perturbatio interuenisset. Legendi potissimùm Budæus [k], & Sigonius [l]. Non potui hæc omittere, vel vt intelligeretur quibuscum Paulo disputandum fuit, vel Dionysius, qui conuersus est, cùm Areopagita fuerit, quanti faciendus sit.

d 2. Polit. e in Pericle. f supra dicto loco. g cont. Neæram. h cont. Arist. i in Panath. k in Pand. l. vlt. de Senator. l de Repub. Atheniens.

Possumus scire, quæ est hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina?] Magna nouitas, *noua dæmonia, noua doctrina, noua*, vt sequenti versu habetur, *auribus illata*. Et sanè nouus fuerat homo CHRISTVS, noua dederat præcepta hominibus, omnia renouaturus venerat, & inuitaturus ad vitæ nouitatem, tum in hoc, tum in futuro seculo.

Omnia noua hic esse dicuntur.

Sparsus quidem rumor erat de Christianis, sed vel confusè solùm, vel si quid Iudæi magis distinctum acceperant, præ odio, & inuidia inter Gentiles non disseminabant: sed maximè occultum, ignotúmque esse cupiebant. At Philosophi de Sectis Epicureorum, Stoicorúmque, tanquàm sapientiæ perstudiosi, quæ religionem potissimùm spectat, ad Areopagitarum supremum Senatum, superstitiosæ satorem trahunt doctrinæ, vt in eam lege inquiratur, & Iudicum sententia extermineur. *Ad Areopagum duxerunt*, ait Chrysostomus, & Oecumenius, *non vt quippiam cognoscerent, sed vt punirent, & suppliciis afficerent: ibi enim capitalia exercebantur iudicia.* Indicat prætereà Chrysostomus, non apertè sæuitum in Paulum, quod initio huius versus dicebamus; sed sub spe discendi doctrinam adeò nouam, nec temerè tamen absque sapientiorum iudicio recipiendam, deductum esse ad sapientissimos Areopagitas.

Versus 20.] **Noua enim quædam infers auribus nostris: Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse.**

NOVA *enim quædam*, &c.] Ξενίζοντα. Neutraliter, atque pro ξένα, sicut & superiùs dicta sunt ξένα δαιμόνια. Possunt quoque τὰ ξενίζοντα, denotare illa, quæ nouitate quadam peregrina turbant, & obstupefaciunt.

Peregrina quæ nam apud omnes gentes dicantur.

Hanc vim habere nonnunquàm Budæus [m] obseruat, & lingua vernacula peregrinum dici, quod est inusitatum, nec opinatum. Sic videlicet Itali dicũt, *Cosa, è huomo strano*: Hispani, *Cosa straña, hombre straño*: Galli, *Vne chose, ou vn homme estrange*, cùm res, vel homo non modò ab vsu, & moribus aliorum sunt alieni, verùm etiam sua illa peregrinitate admirationem, & horrorem incutiunt. Sic quoque peregrinum veteres hostem vocabant [n]; qui deinde hostis grauem, publicúmque significauit inimicum.

m in Comm. ling. Græcæ. n Cic. 1. Of.

Id sibi vult sententia Petri [o]: *Charissimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat.* Ἀγαπητοί, μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει πρὸς πειρασμὸν ὑμῖν γινομένῃ, ὡς ξένου ὑμῖν συμβαίνοντος. Quæ verba Syrus ita vertit, חביבי לא תתדכרון בנסיונא דהוין לכין *chabajebai lo thethdamrun benesiaune debauen lechun*, id est, *Ne miremini in tentationibus quæ fiunt vobis*, &c. Tertullianus [p]: *Ne expauescatis vstionem, quæ agitur vobis in tentationibus.* Cyprianus [q]: *Nolite mirari ardorem accidentem vobis.* Fulgentius: *Nolite expauescere in feruore.* Paulus proculdubiò disserendo toties in foro de CHRISTO, atque de Resurrectione, de Iudicio quoque meminerat, sicut in ea concione, quam habuit ad Areopagitas, & æternorum commemoratione suppliciorum vehementer perterrefecerat, quemadmodum iisdem de rebus agens longo pòst tempore coram Præside Felice [r]. Inde illæ tam sæpe repetitæ voces horum auditorum terrore perculsorum, *Noua dæmonia, noua doctrina, noua auribus illata.*

o 1. ep. 4. 12. p in Scorpiaco, c. 12. q epist. 56. r Act. 24. 25.

Quidnam volunt hæc esse?] Et primùm quidem veluti interrogando, ac rogando, *Possumúsne scire?* posteà quasi vrgendo, & extorquendo, *Volumus ergo scire.* Quanquàm & peregrina dicebantur sacra ὀθνεῖα ἱερά, quæ ex aliis vrbibus religionis gratia adsciscebantur.

Versus 21.] **Athenienses autem omnes, & aduenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui.**

ATHENIENSES *autem omnes, & aduenæ.*] Hoc eò spectat, vt sciamus non curasse istos, aut laborasse, vt discerent ad credendum, sed solùm, vt satisfacerent inani studio sciendi: vel vt intelligamus doctrinæ Euangelicæ præstantiam, quæ à maximè curiosis hactenus audita non fuerit, nec in suspicionem quidem venire potuerit. Primum notat Glossa Interlinearis, Chrysostomus secundum.

Cur hæc de Atheniensibus Areopagi scriptum.

Non soli Parisienses, quos hoc nomine Lyranus carpit, sed complures alij Atheniensium vitio illo laborant, vixque reperitur, qui vt naturaliter scire desiderat, sic non præceps feratur in curam eas res sciendi, quas esset nescire melius. Vetus in Atheniensibus notata quodam loco à Demosthene [s] garrula curiositas est: Ἡμεῖς δὲ, inquit (εἰρήσεται γὰρ τἀληθές) οὐδὲν ποιοῦντες ἐνθάδε καθήμεθα, μέλλοντες ἀεὶ, καὶ ψηφιζόμενοι, καὶ πυνθανόμενοι κατὰ τὴν ἀγορὰν εἴ τι λέγεται νεώτερον. *Nos autem (dicetur enim verum) hic desidemus cunctantes semper ac decernentes, & sciscitantes in foro numquid noui dicatur.* Tertullianus [t] *Athenarum vocat linguatam ciuitatem, ibique caupones fuisse* scribit *sapientiæ, atque facundiæ.* Sed & Hieronymus [u] eandem notauit in Romanis sui temporis: *Est quidem ibi sancta Ecclesia, inquit, sunt trophæa Apostolorum, & Martyrum, est CHRISTI vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides, & Gentilitate calcata in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum. Sed ipsa ambitio, potentia,*

s orat. ad Philippi epist. t lib. de anima, c. 3. In Athenienses curiositas notatur. u epist. 17. ad Marcell.

magni

Quæ maximè ab hominū conuersatione debent retrahere.

magnitudo vrbis(quæ sequuntur, sunt maximè ad rem)*videri, & videre; salutari, & salutare; laudare, & detrahere, vel audire, vel proloqui, & tantam frequentiam hominum saltem inuitum videre, à proposito Monachorum, & quiete*(etiam aliorum)*aliena sunt. Aut enim videmus venientes ad nos, & silentium perdimus: aut non videmus, & superbia arguimur: interdúmque vt visitantibus reddamus vicem, ad superbas fores pergimus, & inter linguas rodentium ministrorum postes ingredimur auratos.*

Vtinam nec in Vrbe, nec alibi locum haberet Hieronymi censura. Vtinam tanta licentia neque dicerentur, neque in gazettis, quas vocant, à garrulis, & mendacibus, necnon in pasquillis scriberentur tam multa, & falsa, & maledica, & parum tum honesta, tum pia, absque metu, vel ciuilis, vel Ecclesiasticæ pœnæ. Labieni dum adhuc etiam viueret libros Seneca [a] combustos ex Senatusconsulto prodit, vt nimiùm mordaces. Comici decreto Motichidis Prætoris Atheniensis vetiti sunt quenquam perstringere, vt Suidas [b] refert. C. Lutorius Priscus, magni nominis Poëta, & Eques, quia dum ægrotaret Drusus, in eius mortem carmen scripserat, mori ipse, vt Dio [c] narrat, à Senatu iussus est.

a 10. Declama. seu controuers.
Libri famosi ferendi non sunt.
b in Euthymene.
c lib. 57.

Athenienses fame, Anaxandridem Comicum interemerunt, quòd eos optimas habere leges, verumtamen moribus vti malis dixisset, vt meminit Ouidius [d]. Athenæus [e] memorat τῶν φλυακειῶν, id est, nugarum compositorem Sotadem conclusum plumbeo vase à Ptolemæo, in mare deiectum periisse, quoniam in eum plura scripsisset impudentiùs, etsi Plutarchus [f] eum vult in carcere contabuisse. Conuictum Fabritium Veientonem, qui multa, & probrosa in Patres, & Sacerdotes *composuisset iis libris, quibus codicillorum nomen dederat*, ait Tacitus [g], *Nero Italia depulit, & libros exuri iussit, conquisitos, lectitatósque donec cum periculo parabantur.* Postremò in duodecim Tabularum legibus vnam recitat M. Cicero [h]: *Si quis maledicum in quempiam ederet carmen, vltimo supplicio afficeretur.* Id indicat etiam Horatius [i]:

Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est,
Iudiciúmque.—

Extant in vtroque iure decreta contra iniurias scripto factas, & libellos famosos [k]. Lege Theotimum Gabrielis Puterbei.

d in Ibin.
e lib. 14. c. 7.
f in Pædagogo.
g lib. 14.
h Tuscul. 4.
i lib. 2. Sat. 1.
k C. tit. de iniur. & ff. tit. eod. C. de famos. lib. item 1. q. 1.

Vana dicere, & audire noua, sunt coniuncta.

Coniuncta, gemináque sunt vitia, dicere, ac audire aliquid noui, percunctari, & garrulari. *Percunctatorem fugito*(inquit idem Horatius [l]) *nam garrulus idem est.*

l lib. 1. ep. 18.

Admonendi hîc etiam sunt vel Ecclesiastæ, vel auditores Christiani, ne proferre, audiréve curiosa, & noua, theatro magis, aut academia digna, & conuenientia velint, *sanam doctrinam non sustinentes, à veritate auditum auertentes, ad sua desideria coaceruantes sibi magistros prurientes auribus, & ad fabulas conuersi* [m], *atque sermones* DEI *conuertentes in canticum, & carmen musicum, quod suaui, dulcique sono canitur* [n]. Peiores sunt isti Atheniensibus, meritóque conferendi cum Scribis, & Pharisæis, atque cum Herode, qui signa requirebant à CHRISTO, eundem verò, doctrinámque eius improbabant, & irridebant [o]. *Pruritum dicitur habere in pedibus*, dicit B. Thomas [p], *qui non vult quiescere: in auribus verò, qui semper audire vult noua, inaudita, curiosa, & quandoque noxia; sicut Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui.*

m 2. Tim. 4. 3. 4.
n Ezech. 33. 31. 32.
o Matt. 12. 38. Luc. 23. 9. 11.
p in 1. Tim. 4.

Pruritus quid.

Certè vt pruritus est incendium carnis sine effusione vel sanguinis, vel seminis; ita placent eiusmodi sermones sine veritate: & vt pruriens cupit semper fricari; sic horum aures nunquàm non cupiunt audire verba, quæ vanitatem doceant, & ad voluptatem illiciant. Audiant Athenienses, & imitatores Atheniensium Platonem [q], *Quicunque contentionis studio delectatur, res suas negligit; verba autem audientibus iucunda componit, & quæstiunculas semper aucupatur, non aliter, mea quidem sententia, quàm nugator, & garrulus est vocandus.*

q in Sophista, siue de Ente.

Parabolani qui sint.

Sed hos mittamus parabolanos, hoc est, parabolarum, & futilium verborum opifices: quod cùm nomen nonnullis Medicis loquacioribus, quàm doctioribus vulgò tribuatur: meliorem tamen in partem Tiraquellus [r] nititur interpretari, post Arnoldum à Villanoua [s], & Ioannem Reuclinum [t], & Andream Alciatum [u]: addere potuit Cœlium Rhodiginum [x].

r de nobilit. c. 31. à nu. 415.
s Aphorism. doct. 7. c. 3.
t præfat. in li. Hippoc. de præparat. hominis.
u 4. Dispunct. cap. 9.
x lib. 29. c. 11.

Versus 22.] Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video.

STANS *autem Paulus.*] Stetisse erectum non dubito tanquàm reum, licèt standi verbum non semper eam positionem significat, vt aliàs [y] crebrò notauimus.

y vt c. 1. vers. 11.

In medio Areopagi.] Syra editio dum simpliciter בריומפגום *barjumpagaus*, id est, *in Areopago*, vertit, indicat, quod & nos alibi [z] obseruauimus, idem valere, esse in medio aut loci, aut personarum, atque esse inter illas personas, intra locum illum.

z cap. 1. 15.

Viri Athenienses.] Nec Demosthenes, aliíque Græci Oratores ampliore vtebantur epitheto, etiam cùm dicerent apud Senatum, &c. sicut è contrario Cicero, & alij Latini compellabant non Romanos, aut viros Romanos, sed honorificè, vel Patres conscriptos, vel Quirites, &c. Et idem Paulus, quemadmodum & Petrus, & Stephanus, & Iacobus, vt vidimus in hac historia, cócionando præfabantur, non viros Iudæos, sed Fratres, vel Patres appellando, ac honoratiores etiam, amicioresque titulos inserendo.

Cur Athenienses hoc solum cōpellatū nominatur, alij verò alio honorificentiore.

Ea forsan causa est de Atheniensibus, quoniam nihil honorificentius ducebant, vt ciuem esse Atheniensem, vt sæpiùs idem Demosthenes [a] inculcat, demonstrans ciuitatis antiquitatem, & nobilitatem: ita vt se αὐτόχθονας gloriarentur, de quibus Cicero [b], & nos posteà. Alioqui non nescio ab aliis Græcis Oratoribus aliarum ciuitatum, prouinciarúmve seruatum eundem nominandi modum, vt vel viros absolutè, vel cum addito talis vel ciuitatis, vel prouinciæ exprimerent, vt videre est in concionibus, & orationibus variorum Auctorum, quæ commoditatis causa sunt in vnum volumen inclusæ, tum Latinæ, tum Græcæ, in quibus apparet discrimen illud præfandi, quod dixi, siue Latini apud Græcos dicere inducantur, siue hi apud illos, nempe ad vtriusque gentis consuetudinem accommodatè.

a orat. cont. Aristocr. & orat. cōt. Neæram. & in epitaph.
b orat. pro L. Flacco.

Per omnia.] Κατὰ πάντα. Syrus, דבכולהין *dabbechulleben*, id est, *Quod in omnibus*, seu, *Inter omnia*, & meliùs, *Per omnia*, id est, secundùm omnia, & in omnibus rebus, & præ omnibus Græcis. Id valet ad sibi maximè conciliandum Senatum: tametsi nec insinuatione vtatur, nec exordio, cuius apud Areopagitas, vt dixi, erat interdictus vsus.

Athenienses apti ad veritatē capessendam.

Videtur enim illos à studio pietatis laudare, & indicare, valdè aptos esse ad veritatem capessendam à DEO, qui nihil non diuino dignentur honore, in quo diuinitatis sibi aliquid deprehendere videantur.

a cap. 1. 14.

Quasi.] Ὡς, Vatablus, & Caietanus, & Sà, *Ferè*. Malo, vt Interpretē intelligamus, vsurpasse *Quasi*, pro similitudinis aduerbio, sicut & in Euangelio Ioannis[a]; *Vidimus gloriam eius* (VERBI) *gloriam quasi vnigeniti à* PATRE, id est, velut, seu tanquàm; qui nempe reuerà, & propriè talis erat. Magis congruit huic sensui sequens sententia de reperta etiam IGNOTO DEO ara.

Superstitiosiores vos video.] Meliùs hoc modo, quàm in statu absoluto, *superstitiosos*, vt nonnulli codices habent. Est enim Græcè, *δεισιδαιμονεστέρους*, in statu comparationis. Syrus, חזא אנא לכון דבכלהין יתירין אנתון בדחלת שארא. *chaza ana lechun dabbechullehen jatthirin anthun bedachalath schide*, id est, *Video ego vos in omnibus, quòd excellentes estis in timore dæmonum*; vel, *Video vos inter omnia nimios esse in cultu dæmonum.*

Δεισιδαίμων quis sit.

Dicitur δεισιδαίμων, inquit Oecumenius, *is qui δέδιε τὰ δαιμόνια, timet dæmonia, quique omnia, tam lapidem, & lignum, quàm bestiam, & spiritum in Deos refert.* Plutarchus opusculum edidit, περὶ δεισιδαιμονίας, in quo docet, οὐκ οἴεται θεοὺς εἶναι ὁ ἄθεος, ὁ δὲ δεισιδαίμων οὐ βούλεται, πιστεύει δὲ ἄκων, id est, *Non opinatur Deos esse atheus; superstitiosus non vult; credit verò nolens.* Nihilominùs Budæus[b] aliorum Auctorum exemplis demonstrat accipi quoque δεισιδαιμονίαν absolutè pro religione, non solum pro debito officij, & iusta muneris functione, quam Latini vocant etiam religionem. Athenæum enim, verbi gratia, dixisse, δεισιδαιμονίᾳ συνέχεσθαι, id est, *religione teneri*: & Plutarchum, δεισιδαιμονία ἥψατο τῆς πόλεως, id est, *religio ciuitatem inuasit*. Sed præterea pro ea, quæ est περὶ τὸ θεῖον εὐλάβεια, id est, *pia anxietas*, & *superstitio*, ita vt Latinè quoque superstitio bene interdum sonet: quemadmodum cùm Cicero[c] ait, *totam prouinciam religione obstrictam, & superstitionem mentes omnium Siculorum occupasse*, &c.

b In commēt. ling. Græc.

c li. 4. in Verrem.

Religio, & superstitio separātur.

d 2. de natur. Deor.

Quanquàm idem alibi[d] à religione superstitionem separat, ex maiorum suorum, atque Philosophorum sententia, & de iis dici tradit, *qui totos dies precabantur, & immolabant, vt sui liberi superstites essent*: cùm Lucretius[e] malit apud Seruium[f], *de illo inani, ac superfluo timore superstantium rerum*, id est, *cælestium, & diuinarum, quæ super nos stant*. Negabant enim diuinam prouidentiam Epicurei, de quorum erat schola Poëta ille.

e lib. 1.

f in 1. Æn.

Vana superstitio.

g lib. 4. c. 28. & in Epito. ca. 7.

h 4. de Ciuit. c. 30.

Lactantius[g] reprehendens Ciceronem (quod facit etiam Augustinus[h]) ait dici superstitionem *de colentibus superstitem memoriam defunctorum tanquàm Deorum; aut de iis, qui parentibus suis superstites colebant imagines eorum domi, velut Deos Penates; denique de omnibus, qui multos, ac falsos Deos.* Isidorus[i] deriuat vocabulum superstitionis, quasi sit *superflua, & superstatuta obseruatio*: notat verò, alios à senibus deducere, *quia multis annis superstites delirant, & errant superstitione quadam, nescientes quæ vera colunt, aut quæ veterum ignari asciscunt.* Hoc ipsum est apud Donatum[k], siue quem alium, docentem, quòd superstites sunt senes, vel anus, quia ætate multis superstites iam delirāt. Nonius Marcellus vult nominari superstitiosos, *quòd præ cultura Deorum cetera supersedeant, id est, negligant, sicut religiosos, quasi relinquosos, quod ceteris relictis, solis sacrificiis deseruiant.*

i 8. Etymol. c. 3.

Superstitio est nomen triste.

k in Terent. Andriam.

Negari non potest, Latinam dictionem superstitionis, quæcunque tandem sit notatio ipsius, & Græcam τῆς δεισιδαιμονίας, in deteriorem partem vt plurimùm sumi, perrarò in bonam: ita vt Clemens Alexandrinus[l] δεισιδαιμονίαν definiat τὸ πάθος, id est, *affectionem inordinatam metus, quo timentur Dæmones* (quam quoque dictionem pridem docuimus Scripturæ, & Auctorum Ecclesiasticorum vsu malè sonare) statuátque[m] τῆς εὐσεβείας, id est, *pietatis*, alterum extremum cum alia, quam nominat ἀθεότητα, id est, *impietatem*, per quam DEVS esse non creditur.

l 2. Strom. c. 4.

m in perau. ad Gent.

Verumtamen probabile est, Apostolum libera, sed beneuola simul oratione, atque vtendo eo loco, quem vocant Rhetores, *A fortuitis*, tantùm non significare voluisse peccari in tam illustri, & sapienti Republica nimis exacto Deorum cultu, atque nimiùm accurata pietate; probari sibi pium studium, hortari agerent quod agerent: sed quem habebant adeò multis, & quidem illi, quem Ignotum nominarent DEVM, in hunc ipsum omnium maximum, ac proinde vnicum, ac verum DEVM, honorem transferrent. Huiusmodi de extremis vitiis, quæ magis virtutis honestatem imitantur, reprehensio minùs molesta solet accidere, leuiúsque in eius animum insinuari, qui reprehenditur, cùm se ex eo, quod longiùs à turpioribus extremis abesse dicitur, consequi laudem arbitretur.

Versus 23.] Præteriens enim, & videns simulacra vestra, inueni & aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.

PRÆTERIENS *enim, & vidē.*] Ἀναθεωρῶν, id est, *Videns attentiùs, inspectans, considerans, contemplans*. Hoc vltimum ponit Hieronymus[n].

n in c. 1. epist. ad Titum.

Simulacra vestra.] Τὰ σεβάσματα ὑμῶν. Syrus, בית דחלתכון *beth dachalathecun*, id est, *domum formidinum vestrarum*; vel, *ædem Deorum vestrorum*. Vatablus, & Clarius, & Erasmus: *Culturas vestras*. Immò & Hieronymus[o]. Græca enim vox, ait primus, complectitur omnia, quæ veneramur: alij in genere, *sacra*. Sed meliùs Interpres, quoniam nec σέβασμα ita sæpe ponitur pro cultura, siue cultu, & hic sermo erat de statuis Deorum.

o ibidem.

Non erat, opinor, Paulus templa ipsa ingressus; in ipso foro aræ Deorum duodecim erant, vt retulimus ex Thucydide[p], potuítque præter illas alia esse, quam posuerant IGNOTO DEO. Quanquàm nihil impedit, quo minùs visisse priùs Apostolum ædes Deorum dicamus, vt posset tanquàm testis oculatus eorum vanitatem meliùs refellere.

p Lib. 6. Bel. Peloponnesiaci.

Quod superstitiosè Gentiles faciebant, exponendo etiam extra templa Deorum imagines, id religiosè Christiani faciunt, vt IESV CHRISTI, & Sanctorum veneratio pateat latiùs, & fidelium pietas magis, magísque tum excitetur, tum foueatur, tum augescat. Paulus non fuit idoloclasta, sed idololatras docuit; multò minùs licet Hæretico iconoclastam esse, vt Ionas Aurelianensis[q] argumentatur. In Concilio Elibertino[r] decernitur, *vt is non referatur in numerum Martyrum, qui inuentus frangens idola ibi occidatur.* Qui canon intelligendus est, iuxta mentē Augustini[s], quando nimirum facit id aliquis in aliena ditione, nul-

Foris imagines exponere Christianorum non est superstitiosum.

q li. 1. de cultu imaginum.

r can. 60.

s Sermon. 6. de Verb. Domini.

lam ha

lam habens in illos incolas iurisdictionem: præcepit námque Hebræis Deus in Deuteronomio [a]: *Cùm data vobis fuerit terra in potestatem, aras eorum destruetis.* Cui simile præceptum est in libris Exodi [b], & Numerorum [c]: & extant veteris exempla Testamenti [d], *Vbi nobis non est data potestas,* inquit Augustinus, *non facimus, vbi data est, non permittimus. Si quis, quòd idola confringat, ibi plenam habet potestatem, ne Christiani peruertantur, & sacra templa ædificet, occidatur à Gentilibus suæ religionis zelo accensis, Martyr erit.*

a cap.7.25. c. 12.3.
b cap.23.24.
c cap.33.52.
d 1. Machab. 5.44. cap.5.68. 4. Reg.5.21. 1.Paral.14.12.

Quo in numero censendos non dubitamus, qui cum Rodulpho Aquauiua è Societate nostra, quos abeuntes ex Vrbe ad aliquod spatium bene augurans deduxi anno 1577. mactati sunt prope Salsetum in India Orientali anno 1581. quorum de laudibus elegans Francisci Bencij, suauissimi amici carmen existit.

Rodulphus Aquauiua Martyr.

Eodem digni honore habentur, qui cùm ad idolorum cópelluntur venerationem, & sacrificia, ea euertunt, proculcant, comminuunt, quamuis in alieni iuris regione; hac autem de causa vita illis eripitur. Nam peculiaris, priuatúsque SPIRITVS sancti, quo quidam ad id faciendum impelluntur, instinctus, vt de nonnullis historiæ produnt, nullis Canonibus, aut legibus adstringitur.

Martyres qui idola confregerint dum coguntur ea adorare.

Talis Eupsychius, quem colit Ecclesia [e] cum titulo Martyris, quòd ob euersum Fortunæ fanum, mortem passus esset sub Apostata Iuliano, cuius tyrannis Constátini Magni, Constátiique sanctionibus aduersabatur aduersùs omné idololatriam.

e in Martyrol. 9. April.

Docet verò præterea idem Augustinus [f], Martyrij honore non priuandum, qui ex præscripto Christiani Imperatoris idola frágés interficiatur.

f epist.50.

Theodoretus [g] cùm narrasset Audam in Persia Episcopum zelo, vt ipse loquitur, non opportuno, Pyræum (hoc est templum vbi πῦρ, id est, ignis colebatur) demolitum esse, & cùm vt imperabat Isdigerdes Rex, reficere id recusasset, ac propterea omnes à Rege dirutæ Ecclesiæ fuissent, & Episcopus trucidatus; subdit, *sibi propterea factum Audæ non probari, quòd sanctus Apostolus Athenas adueniens, & ciuitatem superstitiosè simulacrorum cultu cæcatam videns, aram quandam ab illis honoratam minimè diruit, sed verbis eorum ignorationem redarguit, & veritatem illis patefecit.*

g lib.5. Histo c.38.

Tamen laude dignum credo Audam, & corona, quòd interfici maluerit, quàm deturbatum simulacri templum iterum extruere. Similem in simili facto causam docet Ambrosius [h] ad Martyrij coronam sufficere. Sic possumus accipere quæ Theodoretus [i] idem prodit de Cyrillo Diacono, de Marco Arethusio, Nazianzenus [k], & Sozomenus [l], & Nicephorus [m], de Valentina Cæsariense virgine Eusebius [n] de Iusta, & Ruffina sororibus Hispalensibus Isidorus [o], Prudentius de Eulalia, de Anglis ad fidem conuersis Beda [p] & hoc laudat Concilium Toletanum XII. [q] atque XVI. [r] & Concilium Nicenú II. [*] & Nannetense [s].

pist.17. edi. man. ad eodo. Iun.
b.3.c.6.
rat.3.cont. ian.
ib.5. c.10.
.9.
ib.10.c.10.
b.8.c.18.
brev.Go.
o.
ist.Angl.
.3.
.2.
.4.
.vlt.
. 3. pro Eliber.
.45. 46
.

Concilium autem Eliberitanum, vt obseruauit Ferdinandus Mendoza [t], respectum forsan habuit ad Circumcelliones, tunc grassantes in Hispania, qui confluentes ad Paganorum celebriora sacra, vel confringebant, vel se minabantur idola confracturos, vt à Gentilibus occiderentur. Nullus hoc de argumento plura quàm citatus Mendoza, & post illum Iosephus Stephanus [u]. Lege quoque Historias Ecclesiasticas [x], dum narrant incommoda inconsultæ destructionis ara-

api.2.II.
h.
lib.5.
ao I.7.

A rum, vel templorum. Item quòd eruta, vel sublata non vsui priuato, sed publico deputanda sint, monet Augustinus [y], & confirmatur exemplo apud Socratem [z].

y epist.154.
z lib.5.c.16.

Inueni & aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO.] Chrysostomus tum hîc, tum in epistola ad Titum [a], sentit Athenienses posuisse hanc aram, veritos, cùm alios adhuc externos Deos admisissent, ne forsan & alius quispiam alibi esset, quem ignorarent.

a hom.3.
Vnde ara fit apud Athenienses Ignoto Deo religio.

Oecumenius exemplum allatum de Pane à Chrysostomo, magis declarat, videlicet cùm misissent olim Athenienses Philippidem ad Lacedæmonios de societate ineunda, quo tempore B Persæ Græciam inuaserant, ei in Parthenio monte Panis simulacrum occurrisse (contigit spectrorum similis apparitio in causa simili Romanis, & Alexandro) accusasseque Athenienses, quòd cùm alios Deos colerent, & venerarentur, ipsum negligerent; seque inde auxilium ipsis laturum promisisse.

Præterea refert idem Auctor, quem hac in parte sequitur Ioannes Placus in Lexico Biblico, aliam opinionem, Athenienses, in summa pestilentia, cùm ab aliis Diis nihil opis consequerentur, dubitasse, DEVM fortasse esse aliquem, quem ipsi inhonoratum omisissent, aráque Ignoto DEO erecta, & oblatis ei sacrificiis statim conualuisse. C *Est autem,* inquit, *integra aræ inscriptio in hunc modum:* DIIS ASIÆ, ET EVROPÆ, ET LIBYÆ, DEO IGNOTO, ET PEREGRINO. Dictæ expiationis eo modo auctore Epimenide vate Cretensi, meminit Laërtius [b].

b li.1. in Epimenide.

Hieronymus [c] eandem inscriptionem ponit, nisi quòd numerum multitudinis exprimit: DIIS IGNOTIS, ET PEREGRINIS. *Verùm, quia Paulus,* inquit, *non pluribus Diis indigebat ignotis, sed vno tantùm ignoto* DEO, *singulari numero vsus est, vt doceret, illum suum esse* DEVM, *quem Athenienses in ara titulo prænotassent, & rectè eum scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant.*

c in c.1.ep.ad Titum.
Ara Athenis fuit ignotis Diis, & peregrinis.

D Pausanias [d] de pluribus aris in vrbe Atheniensi extructis mentionem facit Deorum, quos *ignotos* nominarent: immò & apud Eleos in Olympia aram pariter fuisse ignotorum Deorum scribit [e]. Philostratus [f] prorsus adstipulatur, cuius & illa ad ré sententia: *Præclarius est, & modestiæ maioris indicium de Diis omnibus bene loqui, Athenis præsertim, vbi etiam ignotis Diis aræ sunt constitutæ.*

d lib.1.
e lib.5.
f lib.6.c.2.

Tertullianus [g] idem satis indicat de Atheniensibus, cùm ait: *Inuenio planè ignotis Diis aras prostitutas, sed Attica idololatria est.* Subiungit etiam de Romanis venerantibus Deos incertos: *Item incertis Diis; sed superstitio Romana est.*

g 1.cont.Marcion.c.9.

E De hac ipsa Romanorú Deos incertos colentium superstitione auctore laudat Augustinus [h] M. Varronem. Quanquàm hi erant non de nomine quidem incogniti, sed de quorum diuinitate non satis constabat: quos vocabant *Semideos, nymphas, rustica numina, Satyros, monticolas, syluanos.*

Romani Deos incertos colebant.
h 3. de Ciuit. Dei, c.34.

Quos quoniam (inquit Iupiter apud Ouidium [i]) *nondum cœli dignamur honore:*
Quas dedimus certè terras habitare sinamus.

i 1.Metam.

Tales quoque Lucianus [k] appellans μετοίκους θεούς, ἢ ἀμφιβόλους, ait Hippolytum esse, & Corybantes, & Atym, & Sabbatium. Varronis verba súnt ista [l]: *De Deis populi Romani publicis, quibus ædes dedicauerant, eósque pluribus signis ornatos notauerunt, in hoc libro scribam. Sed vt Xenophanes Colophonius*

k οὐ ἐγγρα-φίλοι.
l lib.a.rer.diuin.& humanar.apud Gregor Giraldú, in histo. Deorú, Syntag. 1.

scribut, quid putem, non quid contendam, ponam. Hominis enim est opinari, DEI *scire.* Videlicet vocat certos, de quibus nullo modo potest dubitari: incertos, quorum certa ratio reddi nequit. Quo pacto & Hebræorum DEVM Lucanus [a] nominauit *incertum:*

a in Pharsalia. lib. 2. *Incertus Hebræorum Deus à Gentilibus dictus.*

—dedita sacris
Incerti Iudæa DEI.

Et Iuuenalis [b]:

b Satyr. 14.

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes, & cœli numen adorant.

Fortasse quia nomen habere dicebant ἄῤῥητον, καὶ ἀνωνόμαστον, indicibile, ac ineffabile. Sic Aristophanes [c] inducit Socratem colere nubes.

c in Nebulis.

Adhæc, proditum est ab Herodoto [d], *cultos Deos nullis cognominibus à Pelasgis.* Strabo [e] narrat de Celtiberis, *eorúmque vicinis in Borea habitantibus, cuipiam* DEO, *cuius non extat nomen, rotunda luna, tempore nocturno ante fores per omnes domos pernoctando saltus agitasse.*

d lib. 2. e lib. 3.

Erant præterea Dei xenici, siue peregrini, de quibus Apollophanes [f], & Hesychius [g], dicentes, obseruatos ab Atheniensibus. Item Aristophanes citatus à Suida [h]; atque Cicero [i]. Athenæus [k] præterea facit mentionem θυσίας τῶν ξενικῶν, quam Hesychius vocat κοινὴν ἑορτὴν πᾶσι τοῖς θεοῖς, quamuis ea sacra peculiariter Apollini facta tradat Pausanias [l] apud Pellenentes. De ara item Ignoti DEI apud Gallos testis est S. Martialis scribens ad Burdigalenses [m], & qui eiusdem vitam scripsit Aurelianus.

f apud Hesychium. & ipse ξενικοί. g in Lexico. h in Hye. i 2. de legib. k lib. 9. c. 3. l in Achaicis. m cap. 3.

Prodit demùm Gregorius Giraldus [n], Arabas quoque aram habuisse Ignoti DEI, in qua pingues, ac saginatos camelos sacrificaret. Ex quibus intelligitur, alios fuisse Deos incertos, & incognitos: non propriè solos Athenienses, Deos huiusiusmodi coluisse: hos etiam non vnum duntaxat incognitum DEVM habuisse; atque idcirco verisimile videri, in ara, quam Paulus viderat, inscriptionem de pluribus incognitis Diis extitisse, prout existimauit Hieronymus.

n in Histor. Deor. Syntag. 17.

Placet mihi tamen coniectura Baronij [o], singulari cuidam DEO sacratam, & inscriptam Athenis aram, quòd ex Philosophorum antiquorum placitis didicerant, præsertim Trismegisti, necnon ex Sibyllinis oraculis, *vnum* DEVM *esse, inuisibilem, imperceptibilem, innominatum, ineffabilem*, scilicet, iuxta illam quam dixi, Hebræorum doctrinam, ex qua tam multa meliores Philosophi transcripserunt. Videtur iuuare hanc sententiam Clemens Alexandrinus [p], cùm apud Græcos, siue Gentiles, vera quædam dogmata probat esse, ex eo, quòd Atheniensibus Paulus obiecit, *aram* IGNOTI DEI: *Per hunc enim*, inquit, *honorari quidem per circumloquutionem à Græcis opificem* DEVM *significauit; ex agnitione autem oportere per* FILIVM *accipere, & discere.*

Athenis singulari Deo ara sacrata. o Tom. 1 Annal. p lib. 1. Stromat. c. 9. *Athenienses sub Ignoti Dei nomine verum Deum coluerūt.*

Sed & Augustinus [q] contra Cresconium, probat Baptismum, quem Donatistæ ignorantes obseruabant, bonum fuisse, ac verum: *Sicut Athenienses, quamuis extra Ecclesiam vnum verum* DEVM *colebant.* Item in expositione epistolæ ad Romanos [r]: *Nam*, inquit, *sapientes Gentium quòd inuenerint Creatorem, manifestè idem Apostolus cùm Atheniensibus loqueretur, ostendit.* Ipsemet Hieronymus alibi sic ait [s]: DEI *maiestatem obscurè, saltem Gentilibus istis, incognitam non fuisse, vt non erat Iudæis vtentibus* TETRAGRAMMATO *ineffabili nomine.*

q 1. cont. Crescon. Gram. c. 29. r cap. 3. s li. 4. in c. 16. Ezech.

Neque verò mihi aptè Paulus argumentaturus videretur, si in ara inscripti erant, vel cum aliis Asiæ, Europæ, Africæ Deis, etiam plures ignoti, vel hi soli in numero multitudinis. Vnde namque ex concessis, vt aiunt, elenchum conficeret pro vnico vero DEO, si non vnum ignotum colebant, sed plures? Et tamen Interpretes omnes, ac præterea Isidorus Pelusiota [t], obseruant, & suspiciunt disputationem istam Apostoli, tanquàm ἄμαχον, vt Isidori vtar verbis, καὶ ἀντίῤῥητον, *inexpugnabilem, atque omni contradictione maiorem*, vtpote, παρὰ τῶν ἐναντίων συνομολογουμένην, cui aduersarij consentiant: quemadmodum Iudæos oppugnabat Scripturis, quas recipiebant, hoc pacto [u]: *Factus iis, qui sub lege erant, perinde ac si sub lege essem, & iis, qui sine lege, tanquàm sine lege omnino.* Ὁ τῶν τοῦ ΧΡΙΣΤΟΥ, inquit, νοημάτων ταμίας, id est, *Sensorum* CHRISTI *dispensator.* His affinia lego apud Cassianum [x]; etsi non probo argumentum, quod inde pro mendacio elicit, quasi liceat aliquando mentiri pro salute alterius, idque hoc Pauli exemplo. Non est vllo modo mentitus Apostolus, sed opportunitate bene vsus.

Non fuisse plures Ignotos apud Athenienses. t lib. 4. epis. 346. u 1. Cor. 9. 21. x Collat. 17. c. 20.

Possumus Auctores, qui de multis Deis opinari sunt visi, exponere per Enallagen numeri pluralis pro singulari. Hieronymū hac in re cogor ab ipsa veritate deserere: tum etiam, quoniam Lucianus [y] auctor est, vsurpatum *à nescio quo iuramentum per Ignotum Athenis*, & alios alium inuitasse, *vt Ignotum inuentum adorarent, manúsque ad cœlum tollentes gratias agerent, vt qui digni facti essent huiusmodi potestati, atque veritati subiecti esse.*

y in Philopatr.

Quid si cùm plures essent aræ, in vnaquaque inscriptum fuit, IGNOTO DEO? Nec tunc tamen concors nobiscum Hieronymus erit. Illud tamen firmat locus Laërtij citatus in Epimenide. *Praualeat demùm*, ait Caietanus, *auctoritas Pauli, quem alioqui falsitatis arguissent Athenienses.* Quid? quod idem Hieronymus [z] in certo opere suo (dubitant enim aliqui de illis commentariis in epistolam ad Titum) istam inscriptionem in numero singulari citat? Probo etiam magis inscriptionis datam causam à Baronio, quàm alias.

z lib. 4. in c. 16. Ezech.

Iis nihilò vendibilior Historiæ Scholasticæ ratio, & Hugonis, & Lyrani in hunc locum, & Petri de Natalibus [a], & Michaëlis Syngelli in laudatione Dionysij: vt cùm prodigiosa eclipsis extitit moriente Domino [b], aram construi Athenienses voluerint DEO *naturæ, qui patiebatur.* Est item vanum, quod affert idem Lyranus de ara Misericordiæ à posteris Herculis constructa propter auxilium, quod Athenienses tulerant; appellatum autem Ignotum DEVM, quia Misericordia nomen aliud proprium non habet. Hanc ipsam illam veram causam agnouerunt profectò Chrysostomus, Glossa ordinaria, & Beda, Oecumenius quoque, nihil definiens de sententiis, quas recitat. Idem vidit Abulensis [c] docens, propter eximiam sapientiam cognouisse vnicum verū DEVM, cuius tamen non tenerent nomen. Verè DEVS verus *idem absconditus est* [d], atque πάγκρυφος, vt Aemon dixit apud Martyrem Iustinum [e]; sed *non incognitus*, vt Simon Magus affirmabat: idcirco etiam eum esse sine nomine, vt indicat Clemens Romanus [f], & de Cerdone, ac Marco quodam idem ferè tradit Irenæus [g], quem refert Eusebius [h].

a lib. 4. c. ... b Matt. 27. 45. c 4. Reg. c. 21. & 2. Paral. c. q. 12. *Deus est absconditus.* d Esa. 45. e orat. paranet. f 5. Constit. c. 6. & li. 6. c. ... g lib. 1. c. 4. h 4. Hist. c. 11.

Potest, vt Philosophi, ac Theologi demōstrant, ratione naturali certa, & euidente cognosci. *Gentem peccatricem* Esaias [i] DEI verbis vocat *Israëliticam, populúmque graui iniquitate, semen nequam,*

i cap. 1. 4.

filios

filios sceleratos, quòd DEVM *non cognouerint, alienati sint retrorsum ab eo:* & ne videãtur hi reprehẽdi propter abusum luminis supernaturalis, Paulus [a] de Gentilibus asserit, *cùm cognouissent* DEVM, *non sicut* DEVM *glorificasse, &c. Sed mutasse gloriam incorruptibilis* DEI, *in similitudinem corruptibilis creaturæ, & hanc coluisse, eique seruisse potiùs quàm* CREATORI: *& idcirco esse inexcusabiles. Quamdiu hîc cognoscimus, tantùm ex parte per speculum, in ænigmate* [b], *& per fidem ambulantes, neque videmus aut cognoscimus: sicut videmus ipsi* [c] *& cognoscimus: nec similes adhuc* DEO, *sicuti est* [d], potest meritò vocari DEVS *non solùm absconditus, sed etiam incognitus,* quippe *habitans lucem inaccessibilem* [e], *& abysso, atque densa caligine circumseptus* [f], *habens tenebras, latibulum suum* [g], *atque quasi tenebræ ipsæ* [h], cæcæ, & in *ara inscribere possumus,* IGNOTO DEO: tum considerantes ipsum secundùm se, præsertim vt est VNVS TRINVS-que, tum vt velatum carne, & Sacramentalibus speciebus EVCHARISTIAE. Ipsamet SERAPHIM beata velant facies suas [i], non ferentia nimium splendorem diuinitatis, quam ita vident, vt tamen non comprehendant. Nicephorus [k] innuit antiquissimos Argonautas auxiliatori numini statuam cum fano posuisse, ac tantò post MICHAELEM se Angelum fuisse, Constantino Magno reuelasse. Lege hac ipsa de ara Ignoti DEI, & de absurda Deorum varietate Cœlium Rhodiginum [l].

a Rom. 1. 20. & seq.
b 1. Cor. 13. 12.
c ibidem.
d 1. Ioan. 3. 2.
Deus maximè adhuc incognitus.
e 1. Tim. 6. 16.
f Cicer. 1. de Natu. Deor.
g Psal. 17. 12.
h Damasc. 1. de Fide. c. 4.
i Esa. 6. 2.
k lib. 7. c. 50.
l lib. 22. c. 2.

Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.] Quasi diceret verbis illis CHRISTI ad Samaritanam: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus* [m]. Non sum nouorum annunciãtor dæmoniorum, neque prædicator doctrinæ nouæ: illum ipsum expono, quem colitis DEVM. Græcè ὃν, καὶ τοῦτον, *quem, & hunc.* Syrus magis expressit, דכד לא ידיעין *decad lo iadihhin*, id est, *quem nescientes*, &c. Post לה לה להנא *leh leh lehanna*, id est, *hunc, eum, ipsum*, videlicet DEVM. Superiùs admonui Paulum moderatè reprehendisse, docuisséque superstitiosos, aras eorum non confregisse. *Neque hoc inuenitur*, inquit concilium Illiberitanum, seu Eliberitanum [n], de quo etiam dixi, *ab Apostolis vnquàm factum.* Solùm legimus virtute diuina corruisse deprecantibus, aut imperantibus illis, idola, vel templa. Proditum id à Prochoro [o], & Abdia [p], de Ioanne & Matthæo, déque aliis aliæ testantur Historiæ. Porrò Augustinus [q] magnam hîc in Paulo Dialecticam obseruat, simulque dicendi libertatem, qui nec loci territus nomine à Marte, pacifica credituris intrepidè locutus fuerit, & spiritualibus accinctus armis perniciosos errores expugnauerit: neque contẽtiosos tanquàm mitissimus, neque Dialecticos tãquàm simplicissimus formidauerit.

m Ioan. 4. 22.
n cap. 60.
o Hist. Apost. c. 25.
p lib. 5 & 7.
q 1. contr. Cresc. c. 12.

Versus 24.] DEVS, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cœli, & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat.

DEVS, *qui fecit mundũ, & omnia quæ in eo sunt.*] Capite IV. [r] & XIV. [s] docuimus, quomodo propriè describatur DEVS per creationem rerum omnium, ac dominium in easdem. *Hinc*, ait Chrysostomus, *deiicit Apostolus Epicureorum dogma, qui* DEI *negabant prouidentiam, cunctáque per se fieri, ac ex atomis constitui asserebant: Stoicorum quoque, qui Corpus, & Feruorem duo principia prima inducebant: præterea illorum, qui materiam ingenitam aiebant, & non eundem mundi conditorem esse, atque Dominum:* DEVM *animæ partem quandam nostræ esse: Dæmones mericos siue partiales & prouinciarum quarundam dari, quarum sint Domini.* Refelluntur iidem isti errores ab aliis Patribus, vt ab Irenæo [t], qui hoc ex loco vnum DEVM, qui mundum condiderit, confirmat.

r vers. 16.
s vers. 15.
Qui & quot errores hic redarguantur.
t lib. 3. c. 12.

Idem porrò Chrysostomus [u] adhuc obseruat hîc, & alibi, quamuis Paulus longè meliora proferat dogmata, quàm Philosophi; *necdum tamen adeò magna, & sublimia: sicut*, inquit, *& Moses fecit in historia Genesis, vterque scilicet auditorum, lectorúmque ruditati, captuíque semetipsum attemperans.*

u Homil. 2. in Genesim. & homil. de lectione Genesis, & de ieiunio.

Mali, non solùm Christiani, vt potè repugnantes tum Scripturæ [x], tum Patribus, verùm etiam Philosophi sunt, qui contendunt per naturale lumen cognosci duntaxat posse in genere diuinum numen, non autem perueniri ad notitiam veri DEI, qui vnicus, solúsque est. In hoc errore versantur Caluinus [y], & Tilmannus Heshusius, qui inter Pontificios errores, quos in vnum librum nebulosus erro contulit, hunc numerat Catechismi Romani, cùm docet lumine naturali cognosci DEVM esse, & esse vnum. Mitiùs agendum cum Petro de Aliaco [z] negante quicquam de Deo cognosci absque speciali auxilio gratiæ. Catholicus est; sed dum gratiæ plurimùm, naturæ nimis parum tribuit. Verùm hæc disputata sunt à nobis & in Philosophicis, & in Theologicis Scholis, vbi ostensum est nos naturaliter assequi de DEO posse, quòd vniuersa effecerit de nihilo, & eorum finis vltimus existat, quorum & perfectiones eminenter, vt aiunt, in se continet: quòd sit immaterialis, actus purus, omnia complens loca, sempiternus, perfectus, sapiens, bonus, omnipotens, liber, infinitæ essentiæ, sibi ipsi suum esse independens. Ostenduntur hæc, & id genus alia attributa ex effectis per demonstrationem, quæ vocatur QVIA.

x Sap. 13. 1. & seq. Roma. 1. 18. & seq.
Qui asserũt nos naturaliter peruenire posse ad cognitionem diuinitatis, nõ autem veri Dei, sunt mali Philosophi.
y 1. Instit. c. 2. & 4.
z in 1. q. 3.
De Deo quid naturaliter cognoscatur.

Qua in re decipitur cum eodem Aliacensi Robertus Olcot [a], dum contendunt, nullo genere demonstrationis probari posse DEVM esse. Profectò neque hîc apud Areopagitas Epicurei, Stoicíque, & Athenienses omnes DEI ignoti adoratores conuincerentur à Paulo, neque cuncti in genere Pagani in epistola ad Romanos [b], & ab auctore libri Sapientiæ [c] impietatis meritò argui possent, *tanquàm veritatis* DEI *in iniustitia detentores idololatræ, quem cognouerant* DEVM, *non glorificantes, sed seruientes creaturæ potiùs, quàm* CREATORI.

a in Sap. c. 13. lect. 154. & 156.
b cap. 1. 18. & seq.
c cap. 13. 1. & seq.

Vitandus autem alius scopulus est, ne huiusmodi cognitionem de DEO naturalem arbitremur cum Andrea Vega [d], sufficere posse ad salutem, ita vt dici queat implicita fides eorum, quæ sunt credenda; aut supernaturalem fidem non fuisse semper necessariam necessitate non modò præcepti, sed neque etiam medij. Resilijt sanè meritò Dominicus Soto [e] ab hac opinione, quam fuerat aliquando [f] sectatus: vergit enim maximè ad Pelagianismum; & penitùs constat, fidem, *sine qua impossibile est placere* DEO [g], vel *iustificari*, iuxta doctrinam Concilij Tridentini [h], esse illam ipsam, quam definit Apostolus [i], *substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, hoc est, supernaturalium æternorum bonorum, quæ naturali lumine non cognoscuntur.

Cognitio naturalis Dei non sufficit ad salutem.
d li. 6. in Cõcil. Trid. c. 17 & 20.
e 4. dist. 1. q. 2. art. 3.
f 2. de natur. & grat. c. 11.
g Heb. 11. 6.
h Sess. 6. c. 7.
i Heb. 11. 1.

Nihilominùs conuincuntur, & inexcusabiles

Cur qui naturaliter Deũ cognoscũt, sunt inexcusabiles.

vocantur, qui DEVM naturaliter, prout poterant, non cognouerunt, aut hoc modo cognitum ea qua poterant ratione non coluerunt; quoniam non cognoscendo abusi sunt naturali lumine: cognoscendo autem, non præstiterunt cetera, quæ in ipsis erant, vt tali cognitioni responderent: quod si fecissent, DEVS supernaturalem cognitionem, aliáque auxilia gratiæ suppeditasset: quæ etiam quantumuis aliquis peruersè agat, nō denegantur ad sufficientiam: vnde duplici nomine sunt inexcusabiles, qui naturæ viribus abutuntur, & qui paratam, exhibitámque gratiam peruersa sua voluntate non admittunt.

Tandem duplex illa reprehensio Pauli, & præsens, & in epistola ad Romanos, quòd Gentiles non coluerint verum DEVM, quē naturaliter aut cognouerunt, aut cognoscere potuerunt, ostendit, existimasse ipsum, posse nō speculatiuam tantùm, sed practicam quoque cognitionem DEI obtineri per vires naturales, hoc est, quòd DEVS sit colendus. Id tamen præcisè negant Ariminensis [a], Capreolus [b], Casalius*, Catharinus [c] & quem pudet tantis viris cōnumerare, Caluinus [d]: affirmant enim nullum verum morale posse ab intellectu humano in statu naturę corruptæ sine speciali auxilio DEI cognosci: multóque magis id contendunt de exercitio cuiuslibet boni operis moralis, cuius tamen contrarium ex dictis elicitur, docetúrque à maiore, melioréque Theologorum parte, tum à B. Thoma [e] omnium facilè principe: qua de re & nos eum interpretātes disseruimus; idémque præstant, qui res cum Hæreticis controuersas tractant, potissimùm Bellarminus [f], & ex epistolæ ad Romanos [g] expositoribus Toletus, & Pererius. Turpiùs autem errant, qui tradunt, infidelium opera omnia esse peccata. Quem errorem excussimus & dicto loco, & in tractatione de Fide.

De Deo non speculatiuam tantùm, sed & practicam cognitionem habere possumus.
a 2. dist. 26. q. 1. art. 1. con. 2. d 29. q. 1. art. 1.
b 2. d. 28. q. vnica. art. 3. ad arg. cōtra pri.
* 1. de Trip. iustitia. c. 32.
c in epistol. ad Rom.
d 2. Inst. c. 2.
e 1. 2. q. 109. art. 1.
f libro 5. de grat. c. 2.
g in cap. 1.

Restarent duæ dubitationes, vtrùm contingat, vt quis aliquando habeat inuincibilem ignorantiam rerum Fidei: & an sit infallibile, vt facienti quod est in se, per vires naturæ præbeantur auxilia gratiæ. Ex dictis elici potest responsum: ad primam negatiuum, affirmatiuum ad secundam: nec enim censeri aliter commodè potest quisquam inexcusabilis.

Quòd Deus facienti quod est in se, non denegat gratiam, oritur ex diuino beneplacito per Christi merita.

Sed attende infallibilitatem oriri ex beneplacito diuino propter merita CHRISTI: non quòd ea, quæ fiunt per vires naturæ, id exigant, habeántve rationem meriti, aut dispositionis propriè dictæ; ac, vt ita loquar, proportionatæ: sed solius conditionis, sine qua non, quam iure exigit DEVS, & ea posita superaddit auxilium gratiæ, non vt formam connaturaliter debitam, neque vt donum congruenter datum, nisi congruitate quadam, non remotissima quidem, sed nec propinqua etiam intra eundem ordinem supernaturalem.

Versus 25.] Non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia:

NON *in manufactis templis habitat.*] In capite septimo egimus de vsu templorum: hoc loco in secunda parte istius sententiæ sermo est de imaginibus, statuísque DEVM repræsentantibus, aut quoquo modo indicantibus, ad quas referri possunt aræ cum inscriptione, ex quibus aris Apostolus disputationis sumpsit argumentum, loquitúrque per se de illis, vt DEO ponuntur secundùm se, nondum verò, nec propriè vt DEO incarnato.

Tamen, vt de posterioribus, hoc est, CHRISTI imaginibus, aliquid etiam dicatur, secunda Synodus Nicena, seu Oecumenica septima, pseudoseptimæ damnat hæresim vetantem harum vsum. *Non enim*, ait ibi Epiphanius Diaconus [h], *cùm Catholica Ecclesia* CHRISTVM *pingit humanâ figurâ, diuidit eum* (quod obiiciebant Iconomachi) *à* DIVINITATE *illi vnita, magis autem deificatam illam credit: quemadmodum aliquis hominem depingens, non inanimatum hominem facit, sed ille animatus manet; & imago ipsius, imago ab eo, quòd illum imitetur, dicitur.* Nempe dignitas, & anima hominis, licèt infigurabilis, per picturam, & effigurationem corporis exhibetur memoriæ nostræ: idémque est de CHRISTI Deitate.

h Act. 4. tom. 6. in confut. 13.
Christus quo forma pingi possit.

Quod spectat ad prioris generis imagines, non tantùm SPIRITVS sanctus columbæ specie, in qua apparuit, pingi potest, quasi solus immediatè apparuerit [i]: ceteræ autē apparitiones DEI solùm factæ sint per Angelos, vt sentit Iudocus Clicthouæus [k], verùm etiam personæ aliæ, ipsáque TRINITAS. Cuius oppositum tenent Henricus [l], Abulensis [m], Durādus [n], Martinus Ayala [o], & ex Hæreticis, præter Iconomachos, qui æquè cunctas imagines insectantur, Vvicles apud Vvaldensem [p], & Caluinus [q].

Deus vt Deus pingi possit.
i Matth. 3. 16. Ioan. 1. 32.
k in li. 4. Damasc. c. 17.
l Quodlib. 4. q. 6.
m Deut. 4. q. 5.
n 1. dist. 3. q. 2. ad 4.
o 3 par. de Tradit. vsu de imagin. c. de earum antiq.
p Tom. 3. cap. 155.
q 1. Instit. c. 2.

Nam Angelos quoque immateriales pingimus, & Scriptura vetus non modò id de illis testatur; sed tribuit etiam DEO humana membra, more nimirum humano nobiscum agens: quidni ergo pingatur DEVS ad institutionem rudiorum, præsertim qui de veritate docendi sunt à Prælatis, & Concionatoribus, vt iniungit Concilium Tridētinum [r], ne labantur in errorem, à quo etiam longiùs absunt, vtpote extra pædagogiam legis veteris, vt ait Damascenus [s].

r Sess. 25. c. 2.
s oratio 1. de imaginib.
Deus cur pingi non posset in Testamento veteri.

In ea autem lege, qua hic error difficiliùs deceri poterat propter pericula idololatriæ, probabilis est eorum sententia, qui penitus interdictas in eo aiunt imagines, statuásque: quam sententiam rectè probat Gabriel Vasquez [t], fauétque quod nuper diximus, Lucanum vocare, *Iudæa* DEVM *incertum*; & quoniam Tacitus [u] tradit, *mente sola Iudæos vnum* DEVM *venerari absque omni imagine*: quod itē testatur Varro apud Augustinum [x], & Iosephus [y], vt ex nostris Auctores omittamus, maximè Tertullianum [z], & Origenem [a], & Scripturam ipsam [b].

t 2. de adorat. disp. 4.
u lib. 5.
x lib. 4. de Ciuit Dei. c. 31.
y 2. cōt. Apionem.
z 4 cōt. Marcion. c. 22.
a 5. contra Celsum.
Arcam Deus adorandam proponebat.

Proponebat nihilominùs DEVS adorandam arcam, & propitiatorium, res inanimas [c], quoniam rebus sensibilibus egebat populus; eiusmodi tamen, in quibus non esset adeò magnum periculum idololatriæ. Serpentem æneum conflari iussit [d] DEVS (qui vniuersè omne conflatile, & sculptile inhibuerat [e], vt notat idem Tertullianus [f]) verùm non ita, vt adorari vellet: quod cùm deinceps populus faceret aliquo modo, incensum adolendo, eum Ezechias [g] confregit.

De Cherubinis iussu DEI factis [h], & de aliis imaginibus à Salomone [i], dicendum, fuisse duntaxat vt appendicem, & additamentum ornatus alterius rei, non verò per se propositas modo accommodato ad adorationem, quam constat quoque ab Hebræis non esse ipsis exhibitam:

b Exod 20. 4. & Deut. 4. 15. 16. & c. 5. 8. Leuit. 26. 1. Psal. 40. 18. c. 46. 5.
c Psal. 98. 5. & Psal. 131.
d Num. 21.
e Exod. 20. 4.
f lib. de idololatr. c. 5.
g 4. Reg. 18. 4.
h Exod. 25. 18. & seq.
i 3. Reg. 6. & c. 7. 25. 29. 35. 36. 42.

quod

quod vtrumque docet Tertullianus [a]. Eritque id magis verum, si verum est Cherubim ore, manibus, cruribus, erectione corporis humanam; iubis à pectore, & ceruice pendentibus leoninam; alis aquilinam; vngulis pedum vitulinam figuram retulisse. Qua de re Pradus noster in Ezechielem.

a 1. cōt. Marcion. c. 11.

Deus humanis manibus nō colitur.

Itaque non colitur DEVS *manibus humanis*, hoc est, imaginibus, statuísve, quas humanæ manus formauerint, vt etiam ostensum est capite decimoquinto, cùm ageretur de idolis, quæ ideò Gentiles excitabant, vt absentium, ac defunctorum, quos referebant inter Deos, memoriam recolerent, eosdémque religiosè colerent. In hoc sensu Lactantius [b] negat erigi DEO imaginem debere, & probat Augustinus [c] Varronis sententiam, qui dicebat, Romæ sine simulacris (simile quid asserunt Clemens Alexandrinus [d], & Tertullianus [e], necnon de aliis Gentibus alij, quos affert Alexander ab Alexandro [f], & Ferdinandus Mendoza [g]) Deorum cultum annis plus centum septuaginta puriorem fuisse, atque Iudæorum ipsorum exemplum proferebat. De Iudæis testis Iosephus [h] nullum in templo simulacrum, vel anathema habuisse, & cum Tacito [i] Tertullianus [k]. Non colitur, inquam, in imaginibus DEVS, quasi cultus terminetur in illis, vt in Gentilium idolis.

b lib. 2. cap. 2. c lib. 4. de Ciuit. Dei. c. 19. & 31. d 1. Strom. e Apol. c. 25. de idol. cap. 3. f lib. 2. c. 22. g libro 1. pro Concil. Illib. cap. 5. h lib. 1. & 2. cont. Apion. i lib. 4. k Apol. c. 16.

Eo sensu cauit Concilium Eliberitanum [l] picturas in Ecclesia esse, *ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur*. Nimirum, ne qui putarent, DEVM quid esse corporeum, & verum tali DEO latriæ cultum, atque adorationem impertirentur. Lege dicti defensorem Concilij Ferdinandum Mendozam [m]. Huc facit, quòd Adrianus fauens Christianis, vt memorant Eusebius [n], ac Nicephorus [o], templa Diis ædificauit absque vllo simulacro, vel effigie, siue forma; sicut in eiusdem narrat vita Lampridius: ita vt & vsque ad Constantinum vocarentur, quæ habebant Christiani, templa Adriani. Et teste Minutio [p], ac Arnobio [q], *Gentiles exprobrarent Christianis, quia nullam DEI formarent picturam occultare quod colebant*. Denique abhorrentes ab idololatria Gentilium vetustiores potissimùm Patres, omnem submouebant imaginem à DEO, sicut præter modò dictos scribunt etiam Iustinus [r], atque Lactantius [f]. Abstinebant verò præsertim à statuis, quas magis Gentiles habebant in vsu.

l cap. 37. Duntaxat Concilij Eliberitani capiuntur. Imagines colendæ quatenus possint. m lib. 3. cap. 5. n lib. 4. cap. 8. o lib. 4. cap. 5. p in Octauio. q 3. cont. Gēt. lib. 6. r Apol. 2. f lib. 2. cap. 2.

Conferunt imagines tamen non parum ad excitandam DEI memoriam, & amorem, ritéque imaginibus ipsis habetur honos, propter prototypum, siue hunc tantùm respiciamus vt terminum, obiectúmque, siue minore quadam reuerentia imagines afficiamus: nec tamen absque analogia, & respectu ad prototypum, cuius sunt. Gentiles porrò, & cùm eos imitabantur Iudæi, sculptilia, simulacra, statuas, imagines non quomodolibet venerabantur, adorabántque; sed colebant pro Diis, vt disertè tradit Scriptura [t], & ex Patribus inter alios Tertullianus [u], Arnobius [x], Minutius Felix [y], Athanasius [z], & B. Thomas [a] docent, vel hæc pro Diis habuisse, arbitrantes numen in iis latere, quod ederet responsa, vel certè coluisse in iis tanquàm Deos, aut aliquos Dæmones, aut perditissimos homines. Sed & verebantur Patres illius Hispani Concilij, ne pictas in parietibus imagines profani persecutores raderent, confringerent, inficerent, quippe quas Christianis auferre non liceret, sicut mobiles picturas. Nunc experiuntur non idiotæ tātùm, quibus sunt ceu literarum notæ, vt ait Augustinus [b], Gregorius [c], Theo-

t Sap. 11. 17. Dan. 5. 4. Exo. 32. 1. Psal. 105. 20. u Apol. ca. 12. x 4. cont. Gēt. y in Octauio. z orat. in idola. a 3. p. q. 25. a. 3. ad 2. b 2. de doct. Christiana. c lib. 9. epi. 9.

A dosius Episcopus [d], ex imaginibus commodum spirituale; sed viri quoque docti, vt de se testis est Nyssenus.

d in VII. Syn. act. 1.

Nec manibus humanis colitur.] Οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται. Syrus, ולא משתמש מן אידי בני נשא *velo meschthama men aidai bene nasche*, id est, *Neque ministratur ei à manibus filij hominum*, vel, *Nec ei ministratur per manus hominum*. Indicauit forsan hic Interpres obsequia, & officia, & famulatum, ac ministerium, non in extruendis tantùm idolis, sed in iam extructis colendis per sacrificia, & varios honores, & humiliora interdum seruitia, vt ciborum inferendorum, quemadmodum est in libro Danielis [e] de Belo dracone, & apud B Valerium Maximum [f] de serpente Epidaurico, siue Æsculapij, Romam per legatos deuecto ad triennalem depellendam pestilentiam. Attribuit Aristotelés, vel quis alius Auctor libri de Mundo θεραπείας heroïbus, θυσίαν, id est, *sacrificium*, Diis; sed vtrumque Diis eisdem alij assignant, vt Isocrates [g].

e cap. 14. 2. & seq. f lib. 1. cap. 8.

Indigens aliquo.] Diuinitatis manifestum indicium, nulla re extra se egere, esse αὐτάρκη, & שדי *scadai*, hoc est, *sibiipsi sufficientem*, & ἀπροσδεῆ, id est, *non indigentem*. Hinc Dauid DEVM agnouit [h], séque illi totū deuinxit: *Dixi Domino*, inquit, *DEVS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Vidit C hoc etiam Epicureus Lucretius [i] loquens de DEI natura, hoc pacto:

g ad Nicocl. & in Busir. Deus nullius est indigens, & sibi ipsi sufficientissimus. h Psalm. 15. 1. i lib. 1.

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.

Non sacrificio opus habet DEVS, cùm nulla re suapte natura indigeat, ait Clemens Romanus [k]. Quamuis ergo in templis peculiari quadam ratione habitet, & manibus colatur humanis, quæ complicantur ad orandum, & ad offerendum, ac ad sacrificandum applicantur; non sic tamen vt his egeat, sed vt nostram ipsi indigentiam & testemur, & subleuemus, & pro subleuata gratias ei referamus; & sacrificio cordis honorari magis vult, quàm corporis. Lege Psalmum quadragesimumnonum.

k 6. Const. ca. 20.

D Figmentum verò reor quod ait Historia Scholastica, ipsosmet Philosophos, qui erexerunt aram DEO Ignoto, cùm aduertissent prodigiosam illam eclipsin Solis, quo tempore CHRISTVS passus est, arcuisse offerentes hostias, & victimas, dixisséque, *non egere bonorum alienorum; solùm genua ponerent ante aram, & supplicarent illi DEO, qui animorum duntaxat exigeret deuotionem.*

Cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem.] ζωὴν, καὶ πνοήν. Syrus, חיא ונפשא *chaue venaphsche*, id est, *Vitam, & animam*. Caietanus obseruat hîc esse distributionem accommodam, vt intelligatur de omnibus non absolutè, sed de viuentibus, & his iuxta gradum duplicem, *tum viuentium absque inspiratione, & respiratione, vt est*, inquit, *vniuersum genus purè* E *vegetabilium, & secundum Peripateticos, pisces; tum viuentium, inspirando, & respirando.*

Chrysostomus intellexisse per πνοήν videtur animam rationalem; Lyranus per vitam, spirituales creaturas, cuiusmodi sunt Angeli; & homines viuentes vita spirituali, quantùm ad animam; per inspirationem, cetera animalia, etiam pisces, in quibus est quiddam supplés vicem respirationis, atque homines viuentes vita corporali.

Quid sit inspiratio hoc loco.

Vita de Angelis dicitur, ac de DEO ipso: ideóque nimis arctè Caietanus restrinxit eius significationem. Inspiratio quoque generalior est, quàm vt de anima tantùm rationali accipiatur. Voluit Apostolus docere, non solùm DEVM verum nulla

re indigere, nec manibus humanis coli, aut etiam condi; ſicut idola muta, omníſque ſenſus, ac vitæ expertia, ſed & vitam, & huius in reſpiratione maximè apparentem effectum communicare.

Non curauit Paulus de purè vetegabilibus, nec de plantis diſtinctam facere mentionem, quoniam idola horum vt plurimùm imaginem non referebant. Et per vitam, ac inſpirationem comprehendit animalia notiora, cuiuſmodi ſunt aërea, & terreſtria; ita vt illa duo nomina rem eandem exprimant eo modo, quo DEVS inſpiraſſe dicitur *in faciem hominis ſpiraculum vitæ, ille verò factus in animam viuentem* [a]: reſpiratio enim potiſſimùm fit in ore, & naribus. Animam dictam volũt quaſi ἄνεμον, id eſt, ventum, Græcè, ψυχὴν à ψυχέζω, quod eſt refrigero. *Cùm enim eſt in corpore, vim ei refrigerando prabet*, inquit Plato [b]; Hebraicè נפש *nephes*, à ſpirando, & ſufflando.

a Gen. 2. 7.
b in Cratylo.

Et omnia.] Syrus prætermiſit hoc vocabulum; Græci codices habent, κατὰ πάντα, id eſt, *ſecundùm omnia*; hoc eſt, vt Caietanus exponit: *Dedit* DEVS *vitam, & halitum omnibus viuentibus, ac reſpirantibus, non ſecundùm quadam requiſita ad illam, ſed ſecundùm omnia principia, & organa tam vita, quàm reſpirationis*. Nihilominùs quidam etiam alij libri Græci legunt, vt notant Biblia Roberti Stephani, καὶ τὰ πάντα facilíſque permutatio eſt in duplici iſta lectione, vt per ſe conſtat; ſed poſterior multò commodiorem efficit ſenſum, quem alij agnoſcunt, Lyranus, Carthuſianus, &c. vt nempe DEVS vniuerſorum, quæ ſunt, & habent eſſe, ſit auctor, & conſeruator. Neſcio quid ſibi velint Vatablus, & Clarius, cùm reddunt, *per omnia*: aut Occumenij Latinus interpres, quando *in omnia*: Chryſoſtomus legit, *& omnia.*

Verſus 26.] Fecítque ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum.

FECITQVE *ex vno omne genus hominum.*] ἐξ ἑνὸς αἵματος, *ex vno ſanguine*. Significatur vnus Adam primus homo, ex quo Eua formata eſt [c], & deinceps per vtriuſque generationem alij, & per iſtorum adhuc alij. Non autem, vt voluit Caietanus, Adam cum Eua, quamuis propter mutuum concurſum poſſent dici vnum generans, & vnus ſanguis. *In Græco*, inquit Beda, *ſanguis ponitur, quia hic propaginem carnis deſignat, & per carnem homo intelligitur.*

c Gen. 2. 22.

Indicat Chryſoſtomus hoc loquendi modo ſententiam de materia ingenerabili tacitè refutari, quaſi velit præpoſitionem *ex* inſeruire cauſæ materiali. Quoniam caro eſt ſanguis quodammodò compactior, & oſſa obduratus veluti ſanguis; & ſanguis denique maximè generalis, & neceſſaria in animali materia: ideò Eua ex carne, oſſibúſque Adam facta cenſeri poteſt ex ſanguine ipſius; nec ita propriè eidem primo homini efficientia Euæ tribuitur.

Quanquàm, quod attinet ad præpoſitionem *ex*, eam quoque cauſæ efficienti exprimendæ adhiberi certum eſt. Temerè facit Caietanus [d], dum procreationem Euæ ex Adam, non hiſtoricè, ſed parabolicè duntaxat accipiendam docet, contra Patrum, & Interpretum, atque aliorum omnium vnanimen ſententiam. Immò Hieronymus [e] inter omnibus credenda hoc proponit, *Euam ex coſta, & latere Adami eſſe fabricatam.* Sed & Innocentius Papa III. vxorum pluralitatem diuino prohibitam iure [f], inde confirmat, *quoniam ab initio vna coſta viri in vnam fœminam ſit conuerſa.*

d in c. 2. Gen. *Eua non parabolicè, ſed verè ex latere Adæ procreata.*
e in epiſt. ad Philem.
f cap. gaudemus, de diuor.

Eua ex Adam creata probatur.

Apertior adhuc eſt Scripturæ auctoritas non in Geneſi modò, vbi eſt apertiſſima, niſi quæ tota narratio continet primis tribus capitibus, detorqueatur æquè ad allegoriam, quo nomine reprehenditur Origenes ab Epiphanio [g], & Hieronymo [h], dãnatúrque à V. Synodo [i], (lege Riberam [k]) verùm etiam in libro Sapientiæ [l], vbi *pater orbis terrarum ſolus creatus*: in Eccleſiaſtico [m], vbi *ex homine de terra creato creatum adiutorium ſimile ſibi*: in epiſtola ad Corinthios [n], & ad Timotheum [o], *vbi non vir ex muliere eſſe, ſed mulier ex viro, & hic primus formatus, non Eua* [p]. Poſtremò præſens hic locus nequit aliter quàm ad literam intelligi, quòd vnus nimirum Adam fuerit humani generis vniuerſi auctor, & parens, ac proinde etiam Euæ.

g epi. ad Ioan. Ieroſol.
h ep. ad Pammach.
i prol. in Malac.
k d. cap. 11.
l Sap. 10. 1.
m cap. 17. 1.
n 1. ep. 11. 8.
o 1 ep. 2. 13.
p Gen. 2. 22.

Voluit DEVS Euam ex Adam fieri: nec enim vim peculiarem pono in eo, quòd *ædificata ex illo* dicatur, quia eſt phraſis Hebræa, qua vſa eſt Sara, iuxta textum Hebræum, alloquens Abram [q]: *Ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ædificabo ex illa*, quod Interpres ait, *ſuſcipiam filios*: vt ita, quemadmodum obſeruauit Auguſtinus [r], commendaretur ſocietatis vnitas, vinculúmque concordiæ: vel, iuxta Chryſoſtomum [ſ], vt eſſet inter homines non democratia, ſed regnum. Si plures ex humo homines producti ſimul eſſent, ſuæ omnes poſteritatis principes ex æquo eſſe debuiſſent, dubitaſſentque meritò num DEO placeret regimen vnius.

q Gen. 16. 2.
r 12. de Ciuit. c. 21. & 28. & prœlio 14.
ſ Hom. 34. in 1. Cor. 13.

Hic non agam de formatione viri ex terra, nec mulieris ex viro; neque contra craſſiſſimum errorem Auicennæ [t], poſſe hodiéque etiam naturaliter hominem ex terra generari; quod rectè confutat noſter Pererius [u]. Non item aduerſùs non minùs dãnabilem hæreſim de duplici DEO, vno conditore orbis, & altero qui vacet ab omni opere: vel quòd malus effecerit corpus, bonus animam: nec prætereà confutabo dicentes, præter elementa venire quoque aliquid ex quinta eſſentia, hoc eſt, ex natura cœleſti in compoſitionem humani corporis. Concidunt hæc omnia ad veritatem hiſtoriæ ſacræ Geneſis, necnon ad verba Pauli hoc loco, quibus ait *quòd fecit* DEVS ille vnus, ac verus *Athenienſibus incognitus, ex vno homine, &*, vt Græcus textus habet, *ex vno ſanguine vniuerſum genus hominum*. Ipſimet veteres Poëtæ Ethnici finxerunt corpus humanum à Prometheo compactum ex terra, ignem verò à Diis furatum in illud indidiſſe ipſum pro anima: de qua formatione terreſtri Ouidius in Metamorphoſi [x]. Hinc elici argumentum non improbabile poteſt, de vnico mundo. Nam fecit DEVS ex vno omne genus hominum, ſicut & per vnum hominem peccatum in hunc mundum introiuit [y], & præcepit CHRISTVS doceri omnes gentes [z]: fictitium verò eſſet, dicere alium à DEO mundum factum, in quo homines non ſint: vel ex iſto aliquos à DEO velut in coloniam tranſuectos. De re ipſa egimus in diſputatione Phyſica de mundo, & in librum Sapientiæ. Vtuntur hoc argumento Conimbricenſes etiam noſtri [a], & Ioſeph Acoſta [b]. Hic autem quærit, quomodo primi homines ad Indos venire potuerint [c].

t lib. de Diluuio.
u li. 8. de princ. rerum natural. c. 16.
x lib. 1.
y Rom. 5. 12.
z Matth. 28. 19.
a in lib. 1. de cœlo, q. 1. a. 2.
b lib. 1. de natura noui orbis, c. 16.
c ibid. vſque ad tuuē libri.

Inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ.] Syrus דנהוון עמרין על אפי ארעא כלה *denehuun bhamerun bhal appai arhha cullah*, id eſt, *vt eſſent habitantes ſuper*

Facies terræ cur dicatur extrema terra superficies.

tes super faciem terra vniuersa; vel, *vt degerent in superficie vniuersa terra*. Est enim idiotismus Græcus in infinitiuo κατοικεῖν, hoc modo resoluendus & explicandus: facies verò terræ Latinè, & פני *pene* Hebraicè, & πρόσωπον Græcè, pro superficie vsurpantur. Nam in intima terra non habitant homines, sed animæ nonnullæ separatæ: nos versamur in aspectabili terra, quæque, vt inuicem de facie cognoscimur, ita in oculos nostros incurrit. Sed & in eodem sensu *facies cœli dicitur diiudicari*, vt loquitur CHRISTVS [a]. Vocatur quoque *facies aquæ* [b], id est, superficies.

a Mat. 16. 3.
b Oseæ 10. 7.

Quæri posset omnísne terra inhabitetur ab homine? DEVS quidem voluit hominem præesse vniuersæ terræ [c]: vnde argumentatur Caietanus nullam eius esse partem, quæ non sit subiecta hominis dominationi, *licèt non ex eo*, inquit, *valeat concludi omnem partem terra esse habitabilem, vel habitandam esse ab homine.*

c Gen. 1. 26. *Terra tota habitata non est ab hominibus.*

Ad hunc ergo modum intelligi posset id, quod hoc loco Paulus ait de inhabitata vniuersa facie terræ, quoniã homo vniuersæ est dominus, quamuis partem occupent fruges, vineæ, olera, arbores, pascua, partem animalia, partem syluæ, ac nemora ad rem lignariam. Illud tamen etiam compertum est variis Hispanorum nauigationibus hoc tempore, nostræ oppositam terræ partem, quam habitare dicuntur Antipodes, non esse, aut fuisse aquis obruptam, ob idque inhabitabilem, vt sensit olim Augustinus [d], & Procopius Gazæus [e]. Lege præter alios scriptores de rebus Indicis nostrum Iosephum Acostã in opere de Natura noui Orbis [f].

d 16. de Ciu. cap. 9.
e in c. 1. Gen.
f præcipuè lib. 1.

Homines qua ratione in extremas noui orbis partes venerunt.

Hic quod dicimus, Ethnicis etiam luculentis testimoniis illustrat, & probat, ostendítque ex præsenti loco, quem tractamus, necessarium esse, vt ex Asia, & Europa illuc homines peruenerint *ex vno omnes fatis*, hoc est, ex Adamo, siue præter votum tempestate eiecti, siue terrestri itinere, siue ex consilio suscepta nauigatione.

Definiens statuta tempora, & terminos, habitationis eorum.] Syrus distinctè posuit, דבנא נשא *dabbenai nasscha*, id est, *filiorum hominum*, seu *hominum*, de quibus videlicet proximè anteà mentio fuit. Glossa interlinearis explicat de temporibus ætatum, & regnorum, de finibus loci gentium singularum.

Arias illum vnum, seu hominem, seu sanguinem contra ceterorum expositionem, de qua diximus, volens intelligi de Noë; hæc etiam tempora vult ea esse, quæ fuerunt post Diluuium, *quod*, inquit, *Gracis non erat ignotum: atque omne genus hominum ab vno Noë ortum, varias in regiones, certósque limites distinctum esse. Et cùm alij communicarent cum aliis, & conferrent, potuisse notitiam originis sua, & communionem conseruare: atque cùm etiam vterentur certis temporum constitutionibus, ad communem omnium vtilitatem, potuisse cognoscere auctorem illũ vnicũ DEVM, qui hac ipsis tam constanter praberet: debuisse idcirco, & suammet dignitatem tueri concordia summa; & eundem sui generis auctorem maximum, beneficentissimúmque, tum quærere, tum inuenire, & vt Patri adharendo: præsertim cùm sit adeò propinquus, vtroque sese collatis beneficiis insinuans in omnes, vt à quærentibus inueniri facilè queat.*

Hæc ad tempora diluuij Noetici Arias refert.

Placet paraphrastica hæc Apostolici sermonis declaratio. Sed nego non extare antiquiorum ante Noe vestigia temporum apud Gentiles, quamuis obscuriora. Negare quoque Arias non potest, multò meliùs Adamo conuenire titulum *Auctoris omnium hominum generis*, quàm Noe, qui auctor, ac parens non fuit vxoris suæ, & vxorum filiorum

Hoc dici non potest humani generis Auctor.

A suorum, per quos simul homines reliqui propagati sunt, sicut ex Adamo ipso Eua formata est. Concordat Lyrani explicatio cum Glossa interlineari: quoniam, vt ait Daniel [g], DEVS *mutat tempora, & ætates: transfert regna, atque constituit: ab OMNIPOTENTE non sunt abscondita tempora*, inquit Iob [h]: *qui autem nouerunt eum: ignorant dies illius: posuit námque tempora, & momenta in sua potestate*, vt capite primo vidimus [i]. Id verò etiam egregiè Plutarchus opuscul. de sera numinis vind. docet vocans idcirco cum Pindaro ἀριστοτέχναν *prestantissimum artificem*, & *constituit* [k] *terminos populorum*, vt est in Cantico Mosis.

g cap. 2. 21.
h cap. 24. 1.
i vers. 7.
k Deut. 32. 8.

B Sed voluissem tam definitionem temporum, quàm terminos habitationis, non sumpsisset pro spatio durationis: terminos námque præstat intelligere de loci interuallis, ita vt voluerit DEVS *inhabitare homines super vniuersam faciem terra*, verùm vnamquamque gentem, vbi ipse designasset.

Significat nomen ὁροθεσίας, pro quo Latinus posuit terminos, designationem limitum, ipsíque limites dicuntur τὰ ὁροθέσια, quasi χωρίζοντα τὴν γῆν, vt ait Hesychius [l].

l in Lexico.
Athenienses se omnium hominum primos iactantes arguuntur.

Hoc pacto suspicor & Epicureos percelli, qui prouidentiam negabant: & Athenienses, qui se, vt dixi αὐτόχθονας, & χθονίους iactabant, quasi terrigenas, siue ex ipsa terra quam incolebant, procreatos, & enutritos, atque omnium hominum primos, vt tam multi produnt [m], maximè M. Tul-
C lius [n], cuius hæc verba reddimus: *Vrbs Atheniensium vetustate ea est, vt ipsa ex sese suos ciues genuisse dicatur, & eorum eadem terra parens, & altrix patria dicatur.* Ausonius [o] quoque ita cecinit de Athenis:

Nunc & terrigenis patribus numeremus Athenas

Quamuis eam sibi laudem Arcades, & Æginetas vsurpasse Suidas scribit, Strabo [p] autẽ Parnasios.

Itaque *fecit nos* DEVS, *non ipsi nos* [q], voluit Paulus dicere: gubernat etiam ille summo consilio atque prouidentia, idque maximè requirit creando, & gubernando, vt ipsum inuestigemus, ac inueniamus. Hoc est quod sequitur.

m Isocr. in Paneg. & in Panathe. Lysias in funeb. ora. Plato in Menexeno. Her. lib. 7. Arist. in auibus. Apul. lib. 11. Sopho. in Aiac. Stra. lib. 8. Laert. in Antisthene.
n orat pro L. Flacco.
Nos Deus creauit, & gubernat.
o in catalog. vrbium.
p lib. 9.
q Psa. 99. 3.

D *Versus* 27.] Quærere DEVM si fortè attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum.

QVÆRERE DEVM.] Syrus, דנהנון בעין *denahenun bahhin*, id est, *quærentes vt essent*, vel, *vt quærerent*, &c. Ex his enim diuinis operibus in DIVINITATIS perueniri cognitionem potest, vt cum eodem Apostolo [r], & Sapiente [f] docuimus, nisi quis insipiens penitùs ac stultus sit: *vir námque insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc* [t].

r Rom. 1. 18. & seq.
f Sap. 13. 1. & seq.
t Psa. 91. 7.

Oecumenius docet, quòd *præfiniuit* DEVS *præstituta tempora, quibus quæreretur, at non semper; & sic modò ab Atheniensibus non quærentibus inuentum.* Dura explicatio videtur; nec etiam vera, siue de interna singulis proposita facultate ad cognoscen-
E dum DEVM; siue etiam de generali externa, qualis per legem Euangelicam, nisi quatenus DEVS, & hanc tam diu distulit, & illam, prout efficax est, nonnullis negauit iuxta propositum voluntatis suæ, & infinitam vim scientiæ suæ prospicientis omnes opportunitates circumstantiarum, quibus vocationis gratia, quæ vt sufficiens præstò semper est, efficax fit, suúmque sortiatur effectum.

Efficax gratia ex sufficienti redditur.

Si fortè.] Sufficientiam gratiæ, sed absque efficacia, ob nostræ voluntatis renitentiam, quæ cùm liberè posset, liberè illam non acceptauit, denotant hoc loco hæ particulæ, & aliis in locis mul-

tis

tis eædem, iiſque aliæ æquiualentes. Syrus omittit conditionalem דנהוון בעין לאלהא ומעקבין ומן בריתא משחין לה *danehuun bahhin lalaha vahhakebin vmen barutha maſchechin lah*, id eſt, *vt eſſent quærentes* DEVM, *& perueſtigantes, & ex ipſis creaturis inuenirent eum*, vel, *vt quærerent* DEVM, *exquirerénique, & ab ipſius creatura inuenirent eum.*

Attrectent.] Syrus vtitur verbo perueſtigandi, ſeu exquirendi; Vatablus palpandi. Græcum ψηλαφεῖν, aut ψηλαφᾷν, dicitur de cæcis, qui palpando viam quærunt.

Deus clarè videri non poteſt.

Et ſanè omnis noſtra de DEO notio in his tenebris, atque caligine cæcorũ palpantium eſt: nec enim videtur DEVS: & quantumlibet certò, & clarè etiam cognoſcantur nonnulla de ipſo, nonniſi tamen velut palpando per effectus & veſtigia; aut, ſi muſicum vocabulum eſt, vt placuit Euſtathio, ἀπὸ τοῦ ἀφᾷν, id eſt, *tangere*, & ψάλλειν, id eſt, *pſallere*, aut παρὰ τὸ ψαλτήριον ἀφᾷν, ab eo, quod eſt *pſalterium tangere*, per quandam creaturarum quaſi chordarum attactum, pulſúmve, & earundem ſonum. Sic Socratem dixiſſe legimus [a]: Τῷ γὰρ ὄντι τὰς μὲν ἀλλήλων νοήσεις, οἷον ὑπὸ σκότῳ διαφανῶς ψηλαφῶντες διὰ φωνῆς γνωρίζομεν: *Reuerà mutuas quidem notiones, tanquàm in tenebris latentes, perſpicuè per vocem cognoſcimus.*

a Plutarc. de Socrate.

Quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrûm.] Sic alloqui ſolemus cæcos, qui palpando quippiam veſtigantes, ne ſe ambulando fatigent, ad manus eſſe quod quærunt, eas extendant ſolùm. Hoc voluit Apoſtolus, non eſſe diſſitam à nobis DEI ſcientiam; reflectamus tantummodò ad nos ipſos animum noſtrum.

Quia verò in ſequenti ſententia ratio redditur, *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*: Scholaſtici quidam ſibi perſuadent, hinc DEI immenſitatem colligi, atque ex ipſius operatione tranſeunte. An hoc attributum immenſitatis DEO conueniat ratione operationis per ſe, ita vt non ſit, nec eſſe poſſit immediatè præſens loco, niſi in quo operatur, aliàs expendi.

Probabilis animaduerſio noſtri Gabrielis Vaſquez [b] videtur, non agere Paulum, vel in præſentia curare de DEI immenſitate: nam vnum illud intendit, vrgétque quàm facilè quem Athenienſes ignotum colebant DEVM, diſtinctè cognoſci, & ritè adorari poſſit, ſi quis attendat. *Conſtat enim*, vt ipſe ratiocinatur, *omnium rerum vnum eſſe auctorem, nóſque auctore illo viuere, moueri, eſſe, & vt opus eius ab eodem ita pendere, vt non etiam operemur, niſi per ipſum. Proinde non ſitu, locive præſentia quæri debet, aut aliunde accerſendus eſt, ſed cognitione, cultúque religioſo apprehendere illum oportet, vt ſolemus per tenebras ipſo tactu res quas quærimus.*

b in 1. p. diſp. 28. cap. 4.

Deum quàm facilè inuenire poſſimus.

Quapropter verba hæc, *Quamuis non longè ſit, &c.* referuntur ad illa, quæ proximè præceſſerant, *Si fortè attrectent eum, &c.* Cùm igitur DEVM cognitione, & affectu (de charitate Gloſſæ attrectationem interpretantur) non autem manibus attrectemus, non de loci præſentia, quæ manuum attrectationi neceſſaria eſt, loquitur Apoſtolus, ſed de propinquitate ſecundùm cognitionem, per quam DEVM quærere oportet, & attrectare: quæ propinquitas non pendet ex propinquitate, ſiue præſentia loci.

Similis eſt formula dictionis, cùm dicitur, quòd *regnum cœlorum intra nos eſt* [c]: &, *Mandatum* DEI *non ſupra nos, aut procul poſitum, aut in cœlo ſitum, &c. Sed iuxta nos valdè in ore, & in corde noſtro* [d]. Significant nimirum hæc omnia non ſitum localem, ſed vim innatam ad adipiſcendum regnum, & obſeruandum diuinum mandatum operante in nobis, atque cooperante gratia DEI, quæ nos non deſerit.

c Luc. 17. 21. *Quam vim habeant hæ locutiones.*
d Deut. 11. 12. 13. 14. 15.

Eſt ſanè vbique DEVS, *etiam in caſa furnaria*, vt dixit Heraclitus [e]: & eſt ceu mare infinitum, quod omnem creaturam, vt ſpongiam ſubit, quemadmodum Auguſtinus acutè conſiderauit [f]: & Seneca Lucilio ſuo ſcribit [g]: *Prope eſt à te* DEVS: *& cum eſt, intus eſt: ſacer intra nos* SPIRITVS *ſedet.* Sed hoc nunc non tractat Paulus: nec id dubitabant fortaſſis Athenienſes de IGNOTO DEO; ſed non eſſe abſentem notitiæ, & intelligentiæ noſtræ, ac proinde non ignotum.

Deus eſt vbique.
e Ariſt. 1. de partibus animal. c. 5.
f 7. Confeſſ. cap. vlt.
g epiſt. 41.

Verſus 28.] In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt, ipſius enim & genus ſumus.

IN *ipſo enim viuimus.*] *In ipſo*, hoc eſt, *per ipſum*; ſicque ſæpe præpoſitionem *in*, vſurpari docuimus aliquando: *In* DEO *meo tranſgrediar murum* [h]: *In* DEO *faciemus virtutem* [i]. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, niſi in oratione, & ieiunio* [k]; hoc eſt, per DEVM, & per orationem, ac ieiunium. Sunt complura alia exempla.

h Pſal. 17. 30.
i Pſal. 59. 14.
k Matt. 17. 21.

Quamuis Chryſoſtomus hoc loco perpendat vim peculiarem in præpoſitione *in*, non attendens, opinor, Hebraiſmum: idémque cenſeo de Saluiano [l].

l 2. de Prouidentia.

Itaque ſignificatur iſtis verbis actualis, & continua dependentia creaturæ in ſua operatione, & virtute operandi, & in ſuo eſſe, à DEO: vt hinc aptè argumentantur meliores Theologi, præcipuè ſanctus Thomas [m] contra Durandum [n], alióſque eo antiquiores, quorum non ſolùm idem Doctor meminit, & Albertus, ac Henricus, verùm etiam Auguſtinus [o], qui negant cum cauſis ſecundis operari primam, ſed tantùm communicaſſe vim ad operandum, & conſeruare vim operatiuam ipſarum.

Creatura in ſua operatione à Deo dependentia.
m 1. part. q. 15. art. 4. & 1. 2. quæſt. etiam lege q. 105. a. 5. & 3. con. Gen. cap. 67. & 69. 1. 6. 1. q. 1. art. 4. de pot. q. 3. art. 7.
n 2. d. 1. q. 5. & d. 37. q. 1.
o lib. 5. de Geneſ. ad lit. c. 20.

Sed & extrema aliorum ſententia, vt Gabrielis [p], quam malè, tribuunt Petro de Aliaco, & meminit de ea abſque nomine Auerroes [q], Albertus [r], & beatus Thomas [ſ], hoc ipſo ex loco conuincitur, ſolam primam cauſam operari ad præſentiam cauſarum ſecundarum, illas otiari. Id certè de materialibus rebus quoſdam ſenſiſſe teſtatur beatus Thomas [t] citans Auicembron [u].

p 4. d. 1. q. 1. a. 1. & 3. dub. 2. & 3.
q 9. Metaph. com. 7. lib. 12. com. 18.
r 2. ſag. tract. 3. c. 1.
ſ 3. cont. Gẽt. c. 69. 1. part. q. 105. art. 5. 2. d. 1. q. 1. art. 4.
t ſuprà.
u lib. Fontis Vitæ.

Profectò determinatio, & applicatio ad hunc numero effectum, cùm ex ſe cauſa ſecunda ſit indifferens ad plures, eſt à prima cauſa actu influente: & hæc eadem prima cauſa, ſicut demonſtratur creaſſe, ita & poteſtatem annihilandi habere: quare nec poteſt ſecunda cauſa operari ſine prima: nec operatio ſecundæ habere ſuum eſſe ſine illa: & per ſolam ſubtractionem concurſus ipſius deſinit; perinde vt lumen in medio, ſi amoueatur luminoſum: denique omne eſſe tam potentiale, & actuale, quàm eſſentiale intrinſecam, & actualem dependentiam habet ab eo, quod eſt ſuum eſſe, exiſtere, & operari, & in ſe continet quodlibet eſſe, exiſtere, & operari. Secundæ cauſæ præ prima videntur quidem eſſe, & dicuntur interdum inſtrumenta; ſed rationem veræ, ac principalis efficientiæ per intimam virtutem habent, licèt dependenter à prima, vt dictum eſt.

Hanc dependentiam Scripturæ, vt inſiſtã proprium mihi argumenti locum, crebrò apertiſſimis

Omnis res à Deo dependet in eſſe & operatione.

verbis,

verbis, modísque proponunt. Aiunt, *Omnia opera in nobis operari* DEVM [a], & *omnia in omnibus* [b]; *hunc operari in nobis velle, & perficere* [c]: *sine hoc nihil nos posse* [d]: *omnem sufficientiam ex* DEO *esse* [e]: quamuis non est dissimulandum, quædam ex his testimonijs esse de operibus gratiæ.

a Esa.26.12. b 1.Cor.12.6. c Phil.2.13. d Ioan.15.5. e 2.Cor.3.5.

Comparat Esaias hominem collatum DEO, cum securi respectu artificis [f]. Solent quoque sanctæ Literæ tribuere operationes causarum secundarum DEO, vt formationem corporis nostri, & singulorum membrorum [g]: Solis, Lunæ, Syderum cursus. Tradunt eum *fundere imbres* [h], *ventos concitare* [i], *tremefacere terram* [k], *accendere fulgura* [l], *vitam animantibus, cibúmque largiri* [m], *seminato grano proprium corpus* [n], *incrementum plantis* [o], *vestire* [p], FILIVM *cum* PATRE *vsque modo operari* [q], *producere in montibus fœnum* [r], *pelle & carnibus vestire* [f].

f Esa.10.15. g Psal.138.15. & Iob.10.10. & Ierem.1.5. h Iob.38.32. i Iob.38.28. k Psa.103.32. l Iob 38.35. m Psa.135.25. n 1.Cor.15.38. o 1.Cor.3.6. p Luc.12.28. q Ioan.5.17 r Psa.146.8. f Iob.10.11.

Ceterùm aliam illam opinionem, quæ causis secundis adimit efficientiam, B.Thomas [t], modestissimè loqui solitus, vocat *stultã, & impossibilem* [u], *vtpote repugnantem experientiæ ac sensui*, &, si voluntatem quoque comprehendat, Fidei aduersatur: nec enim libertas erit, aut vitium, aut virtus, aut meritum, & demeritum, laus, & vituperium, præmium, & supplicium.

t in 2.d.1.q.1. a.4. & 3.con Gent.c.69. u 1.p.q.105.a 5.

Secundæ causæ cum Dei ... cooperantur.

Viuimus & nos, ac mouemur, sicut & sumus, licèt in DEO, *& per concursum* DEI: *Terra vltrò fructificat, primò herbam, deinde spicam, &c. Et ficulnea, omnésque arbores producunt ex se fructus*, inquit CHRISTVS [x]. Denique *sic* DEVS, vt ait Augustinus [y], *administrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat*. Rectè *proprios*; alioqui nulla ratio est, cur non censeatur DEVS calefacere ad præsentiam aquæ, & hæc dicatur calefacere. Immò quare cùm idem DEVS possit Angelum creare ad præsentiam lapidis, de hoc non affirmetur posse esse causam creationis? Ad extremum, non imminuit, vt putant mali illi Philosophi, sed auget potiùs ac extollit potentiam DEI, vt is non per seipsum modò, verùm etiam per facultates ab se secundis causis communicatas, possit efficere omnium rerum operationes.

x Marc.4.28 Luc.21.30. y 7.de Ciuit Dei.c.30.

Quocirca vtramque recitatam sententiam, propter præsentem Pauli auctoritatem, aliásque, quas attulimus, & ob argumenta, quæ fecimus, non dubito censendam erroneam. De prima ita loquitur Soto [z]. Albertus [a] verò Durando senior dum de illa agit: Alia, inquit, opinio ferè cessit ab aula, & à multis modernorum reputatur hæretica: Bonauentura [b] contrariam absque ambiguitate tenendam. Augustinus [c] autem cùm ex alijs citatis locis idem confirmat [d], tum ex præsenti, & illud, inquit, post recensita testimonia alia [e], quod ait Apostolus, cùm DEVM Atheniensibus prædicaret: In illo viuimus, mouemur, & sumus; liquidò cogitatum, quantùm humana mens valet, adiuuat hanc sententiã, qua credimus, & dicimus, DEVM in iis, quæ creauit, indesinenter operari.

Sententia vtraque est erronea

z 2.Phys.q.4. conc.1. a 2.dist.35.a.7 b 2.d.35.a.1.q 1. c 5.Gẽ.ad lit. cap.20.& lib. 9.ca.15.& tra. in c.5.Ioan.& epist.146. d 4.Gen. ad lit. cap.12. e vt Sap.7.24. cap.8.1.

Porrò per hæc tria, *In quo viuimus, mouemur, & sumus*, videtur Apostolus respicere voluisse ad illa item tria, quorum auctorem fecerat DEVM, hoc est, ad vitam, inspirationem, & omnia, quæ videlicet habent esse. Glossa notat, in hæc tria potissimùm intendisse Philosophos; Metaphysicos in ens inquantùm ens, de quo accipi debet *sumus*; Physicos in corpus inquantùm mobile, atque in animam, quæ tribuit vitam, seu in præcipuam speciem corporis mobilis naturalis, quod est corpus animatum. Quasi diceret Paulus, *Non longè est ab*

Viuere, moueri, & esse in quo consistant.

A *vnoquoque nostrûm*, id est, non est, nec debet esse is, à quo habemus, vt viuamus, moueamur, & simus, circa quorum trium cognitionem communiter laboratis.

Ambrosius [f] secundùm quandam attributionem, sensúmque accommodationis, ait: *Quòd mouemur in* DEO, *quasi in via: sumus, quasi in veritate: viuimus, quasi in vita æterna*. Cyprianus [g]: *Quod in* PATRE *sumus, in* FILIO *viuimus, in* SPIRITV *sancto mouemur, & proficimus*. Hilarius [h] videtur hæc omnia assignare SPIRITVI sancto: Cyrillus Alexandrinus [i] FILIO: Augustinus [k] ad totam TRINITATEM refert: quoniam ex DEO, *& per ipsum, & in ipso sunt omnia* [l]. *Sed magna*, inquit, *ho*-
B *minis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse, id est, subsistere. In quo enim est, proculdubiò sine illo non est: & tamen si eius non meminit, eúmque non intelligit, nec diligit, cum illo non est*.

f lib de Bono mortis. c. vii. g lib. de Bapt. Christi. h in Psal.135. i lib.2.in Ioã. c.74.& lib.9. cap.40. k libro 14.de TRINIT.c.12. l Rom.11.36.

Magna miseria hominis, sine eo non esse, sine quo non potest esse.

Hieronymus [m] eodem pacto intelligit nos in DEO viuere, moueri, esse, quo DEVS ipse dicitur esse in nobis, & in omnibus rebus, iuxta Poëtã [n]:

Spiritus intus alit, totámque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

& alter [o] dicit:

Est DEVS *in nobis, agitante calescimus illo*.

m lib.1.in Habac.c.1. n lib.6. Æn. o Ouid.6.Fastorum.

Idem Doctor [p] ait Angelos, hominésque comparatione DEI mortuos appellari. Monet autem
C Cyrillus [q] caueamus illos, qui hac ex sententia colligebant, nos in substantia ipsa PATRIS sitos esse: præpositionem námque *in*, quod & ipsi antè notauimus, valere *per*, quando creaturæ dicuntur *esse in* DEO, vel *facere in ipso*: non verò quando increatus FILIVS dicitur *in* PATRE: est enim naturaliter, & habet in se PATREM per identitatem substantiæ. Addit prætereà, quòd ideò Paulus præposuit *viuimus*, deinde *mouemur* subiunxit, & demum intulit *sumus*, vt hoc tertium in præcedentium sensu computaret, quia nimirum ex eo sumus, & in eo conseruamur.

p in c.26.Eze. q lib.9.in Io. cap.40.

Differentia quo nos sumus in Deo, & Filius in Patre.

Idipsum obseruatum est ab Augustino [r], *neque enim*, ait, *tanquàm substantia eius, sic in illo sumus, quemadmodum dictum est, quòd habeat vitã in semetipsõ* [f]:
D *sed vtique cùm aliud simus quàm ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur*.

r 4. de Gen. ad lit. cap.12. f Ioan.5.26.

Quibus viis, rationibúsque perueniatur ad cognitionem veri DEI, consule Augustinũ [t], Theodoretum [u], Anselmum [x], Hugonem Victorinũ [y], B.Thomam [z], Ciceronem [a], Aristotelem [b]. Hic præter naturales, adhibet quoque moralem, *ex communi hominum persuasione quòd sit* DEVS, *isque in cœlo, & potens, & sapiens, & iustus, & prouidus, tum præmiator, tum punitor*: sic ratiocinatur præsertim in Ethicis [c], sed hac de re alibi plura: ij legendi etiam qui Gentiles confutãt, maximè Cyprianus [d], & Tertullianus [e]. Huius pro ceteris reci-
E tabo sententiam: *Licèt anima carcere corporis pressa: licèt institutionibus prauis circumsepta: licèt libidinibus & concupiscentiis euigorata: licèt falsis Diis exancillata: cùm tamen resipiscit, & sanitatem suam patitur, &* DEVM *nominant solum, quia propriè verus hic vnus* DEVS, *& bonus, & magnus: & quòd* DEVS *dederit, omnium vox est: iudicem quoque contestatur illum*, DEVS *videt, &* DEO *commẽdo, &* DEVS *mihi reddit. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Denique pronuncians hæc non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit*. Sic ille.

t 8.de Ciuit. cap.6. u Ser.de prouid. x in monol. & proslo. y lib.7 Didascal. z 1.p.q.2.ar.3. a 2.de natura Deor. b 8.Physic.& 12.Metaph. c lib.7.c 13 li. 10. c.2.& lib. de diuin. per somn.in init. d tract. de vanit. idolor. e Apol.ca.17.

Sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt.] Syrus, איך דאף אנשא מן חכימא דלכון ech daph anascha men chacchaime dalechon, id est, *Sicut etiam homo ex sapientibus vestris*; vel, *quidam è sapientibus*

vestris.

vestris. Hieronymus[a]: *De vestris Poëtis*; vel, *De vobis Poëta*. Irenæus[b], & Augustinus[c] omittunt *Poëtas*, legentes tantùm *quidam secundum vos*: sed ita legunt, vt habemus, Græci interpretes, & Latini, aliíque Patres, vt Clemens Alexandrinus[d], & Isychius[e], qui legit: *Quidam vester Poëta*.

Notant porrò idem Hieronymus[f], & Clemẽs Alexandrinus[g], & Chrysostomus[h], & Origenes[i], vltra Interpretes huius loci, prudentiam Pauli opportunè apud profanos vtentis profanorum testimoniis, & dantis in tempore conseruis cibaria, & audientium considerantis personas: quo modo DEVS ipse Magos ad CHRISTVM euocauit per stellam[k], & Philistæos per augures instruxit[l], &c. & diabolus abusus est Scriptura contra CHRISTVM[m].

Fecit hoc & alibi idem Apostolus[n], *sanctificans profana*, vt ait Origenes[o], *& faciens Ecclesiastica*, vt Hieronymus[p], qui præterea[q], seipsum hoc exemplo purgat aduersùs Ruffinum arguentem, quòd in epistolis suis secularium literarum exempla poneret: *hoc enim esse proprio mucrone obtruncare Goliam*[r], *& mulieris captiuæ radere caput, supercilia, omnes pilos, & vngues amputare*[s], adde cum Augustino[t], *Ægypti spolia auferre*[u]. Scripsit de eodem argumento Basilius orationem, nempe *de vtilitate capienda ex Gentilium libris*.

Et sanè percipitur non mediocris tum conficiendo aduersùs illos ipsos, vt fecit Paulus, plurimique Patres, qui contra eos scripserunt, ἔλεγχον ad hominem: tum apud infideles trahendo inde rationem ex loco minorum, & maiorum ad mores informandos: ac propter priorem illam caussam hortatum Gentiles Paulum Clemens Alexandrinus[x] scribit, vt Sibyllina oracula legerent, quod nobis iidem Gentiles inuiderunt, & omnem Iulianus Apostata Ethnicorum librorum lectionem, seu interpretationem[y], ita vt adolescentes non prohiberet à discendo, docentibus Gentilibus magistris. Id Ammianus Gentilis[z] *inclemens* vocat, *& perenni obruendum silentio*; caussámque edicti non dissimulans, ait, *veritum ne hoc modo plures transirent à numinum*, hoc est, *idolorum, cultu*: quod ipsemet Iulianus in quadam epistola[a] satis apertè declarauit.

Nostri Historici vniuersè tradunt, prohibita Christianis à Iuliano studia auctorum Gẽtilium[b]. Consentit quoque Augustinus[c], sed puto ex ipsomet Iuliano nos rei veritatem exploratiùs cognoscere, atque ex Ammiano edictum illud improbante: quod videntur etiam vidisse ac monuisse Nazianzenus[d], Ambrosius[e], Hieronymus[f].

Sed *ne quid nimis*, vel quasi deessent nostris libris ornamenta scientiarum, vel nos magis, vt fit, aliena delectarent: vel ne cum immodica librorum huiusmodi vsurpatione profanos mores imbiberemus, coërcuère Patres, maximè Clemens Romanus[g], Augustinus[h], Hieronymus[i] (*qui se Ciceronianum magis, quàm Christianum hoc modo fuisse, diuino flagello dolere coactus est*[k]) & Cassiodorus[l], effrænem cupiditatem tractandi eos libros, simúlque demonstrauerunt nihil humanarum disciplinarum esse, quod in sacris codicibus meritò desideretur.

Præposterum, ne dicam parum pium, aut valdè mediocriter in sacris Literis, Patribúsque versatum videtur eorum ingenium, qui suos Ecclesiasticos sermones, aut libros de rebus sacris infarciunt Allophylorum illorum dictis, sententiísque, quasi non esset DEVS *in Israel*[m]. Videntur hi mihi consutores Homerocentonum, aut Virgiliocentonum, quos Hieronymus[n] vt pueriles ridet, & ludiones, atque circulatores, nec ferre potest, aut referre sine stomacho; & Gelasius Papa damnat[o]. Nazianzenus item Nemesio scribit cauendum, ne nostra Gentilium fabulis mysteria confirmentur.

In distinctione 37. Decreti complura sunt Patrum, & Conciliorum etiam testimonia, quibus Clerici instituuntur, quem in secularibus literis tractandis modum tenere debeant, quem sibi in iis ediscendis finem proponere. Ibi Beda[p] in exemplum profert Magistrum Gentium, qui aliquos versus profert. Isychius[q] quoque idem admonet, notatque parcè admodùm id faciendum, sicut & ille fecit. Ita vt hoc modo *lac, & mel sint* non in lingua, sed *sub lingua*[r]; & non inde adoleatur in sacrificium holocausti, sed primitiæ duntaxat offerantur[s].

Augustinus[t]: *Vt si quid de* DEO *Sibylla, vel Orpheus, aliive Gentium vates, aut Philosophi prædixisse perhibeantur, valere intelligamus quidem aliquid ad Paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad istorum auctoritatem amplectendam: quantùm enim distat de* CHRISTI *aduentu inter prædicationem Angelorum, & confessionem Dæmoniorum; tantùm inter auctoritatem Prophetarum, & curiositatem sacrilegorum*. Origenes, Eusebio teste[u], ad hoc ideò studium inducebat, *quòd hinc ad sacras literas emolumentum rediret*: & magister eius Clemens Alexandrinus[x], *qui hoc reprehendant, reprehendit ipse, nec minùs Literas illas Gentilibus ad* CHRISTVM *pædagogi vice, quàm legem Iudæis esse* asserit; sed ita, vt ne earum tanquàm ancillarum illecebris deliniti, heram sacram Theologiam aspernemur, contra Sapiẽtis monitum: *Ne sis nimius cum extranea*[y]: & priùs cum Agar[z] congrediamur, sed Sara potior habeatur; vtamúrque profana disciplina in eum finem, vt sophisticus conatus nihil contra sacrum possit. Denique hæc pro pane sit necessariò ad sustentandam vitam, illa obsonij loco, atque bellariorum. Certè iuxta Pindarum:

Δείπνου λήγοντος γλυκὺ τρωγάλιον.
Sub finem cœnæ dulcis est placenta.

Eadem de re iam semel egi capite septimo[a], dum de Mosis eruditione:

Ipsius enim & genus sumus.
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

Arati in Phænomenis hemistichium est, sicut & aliorum carmina, quæ Paulus alibi citat. *In Græco pedibus currunt, quamuis metrorum ordinem, atque mensuram in translatione non seruent*, inquit Hieronymus[b], cùm Homerus eadem lingua versus in prosam vix cohæreat[c].

Aratum verò Latinum fecit Cicero, & Germanicus Cæsar, Auienus, & alij multi, vt idem testatur[d]; & idem tentasse Iulium Cæsarem Priscianus, ac Firmicus: plusquàm quinquaginta verò scholiis eum illustrasse ex antiquis, alij. Callimachus vt Poëtarum optimum admiratur: Antigono Macedonum Regi percharus fuit circa centesimam vigesimamquintam Olympiadem: patria Solensis haud procul à Tharso; vt potuerit Paulus Tharsensis suum appellare: sed ob alienam religionem, maluerit *vestrum*.

Chrysostomus & hic, & enarrans epistolam ad Titum[e], dicit, ad verum DEVM transferri à Paulo, quæ Aratus de Ioue cecinerat, asserens, *Iouis esse omnia plena*. Vnde Gagneius[f] colligere

videtur

- a lib. 14. in c. 30. Esa. & in c. 1. ad Tit. & in c. 4. ad Gal.
- b lib. 3. ca. 12.
- c expos. ep. ad Rom. cap. 3.
- d 1. Strom. c. 9.
- e lib. 1. in c. 2. Leuit.
- f suprà.
- g suprà.
- h Hom. 3. in epi. ad Tit.
- i Hom. 31. in Lucam.
- *Pauli prudentia vtentis testimonio Gentilium apud Gentiles.*
- k Matth. 2. 2.
- l 1. Reg. 6. 2. & seq.
- m Mat. 4. 6.
- n 1. Cor. 15. 3. Tit. 1. 12.
- o Hom. 31. in Lucam.
- p epist. 8.
- q epist. 84.
- r 1. Reg. 17. 51.
- s Deut. 21. 12.
- t 2. de doct. Christ. ca. 40.
- u Exo. 11. 2. c. 12. 36.
- *Cur testimonio Gentilium vtendum sit contra Gentiles.*
- x li. 6. Strom.
- y l. 3. de prof. C. Theod. & ep. 42.
- z li. 22. & 25.
- a epistol. 42.
- b Ruf. 1. Hist. c. 32. Soc. li. 3. ca. 10. Theod. lib. 3. c. 8. Soz. lib. 5. c. 17. Act. Artemij apud Suriũ 19. Oct.
- c 18. de Ciu. c. 52.
- d orat. 1. in Iulianum.
- e ep. 30. ad Valent. imper.
- f in Chron.
- *Modus seruandus est in profanis citandis testimoniis.*
- g 1. Const. ca. 6. & 7. & ep. 1.
- h lib. 2. de doctr. Christ.
- i epist. 103.
- k epist. 22.
- l Prolog. Psa. cap. 15.
- m 4. Reg. 1.
- n epist. 131.
- o cap. sancta Romana dist. 15. Lege Scholiast. Hæresi. Rhena. Renatum Lauréd. & Pamel. in Tertull. de præscript. cap. 39. Grego. Gyrald. de Poet. dial. 5. Couar. 4. Variar. c. 17. nu. 4. Sixt. Senens. 4. Bibl. de Ethnic. rhapso. & lib. 4. cum de Eudocia, ac Proba Falconia. Suidã verbo κέντρα. Tothem. de Scrip. Eccl. *Quid de lectione Poetarũ in Decreto, & Patribus habeatur.*
- p d. 37. c. turbat. ex Beda 2. Reg. c. 9.
- q lib. 2. in c. 2. Leuit.
- r Cant. 4. 11.
- s Leuit. 2. 11.
- t 11 cont. Faust. c. 15.
- u lib. 6. Histo. c. 18.
- x 1. Strom.
- y Prou. 5. 16. c. 6. 24. c. 7. 5.
- z Gen. 16. 2. 6.
- a cap. 7.
- b lib. 14. in c. 50 Esa.
- c idem ep. 34. De Arato, & quo opere.
- d in cap. 1. ep. ad Titum.
- e Homil. 3.
- f hoc loco.

videtur collectam esse ab eodem Apostolo Poëtæ eiusdem sententiam illam, qua nimirum *Ioue plenas vias omnes, omnia hominum fora, & mare, & portus* asseruerat: sed ex carmine hoc solum hemistichium posuisse. Nihil habeo, quod opponam, etsi video ceteros magis propendere, vt de Poëtæ etiam sensu retulerit duntaxat Paulus id, quod continetur hemistichio: neque idem sit, in DEO viuere, moueri, & esse, quod Ioue, siue DEO plena esse omnia. Quanquàm Scholiastes Græcus eo declaret modo, atque de prouidentia, per quam ἡ ζωή τε ἡμῶν, καὶ διαζωὴ ἁπάντων: nam hoc denotare duo illa nomina, Διὸς, καὶ Ζηνός. Aratus autem initio operis sic exorditur:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον· μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα
Καὶ λιμένες· πάντῃ δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες,
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. id est,

Ab Ioue Musarum primordia, semper in ore
Plurimus ille hominum est, qui compita numine magno
Conciliúmque virûm cõplet, pelagúsque profundum,
Et pelagi portus: fruimur Ioue, & vtimur omnes,
Nos genus illius.

Versus 29.] Genus ergo cùm simus DEI, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinũ esse simile.

GENVS *ergo cùm simus* DEI.] *Non quia de substantia* DEI, *pársve illius*, inquit Beda post Gregorium[a], *sed per* SPIRITVM *illius, & voluntariè, & adoptione recreati; vel familiares, proximi, & quasi proximè habitantes, ac vicini*, ait Chrysostomus, & Oecumenius: *vel facti*, vt exponit Ambrosius[b], *quantùm ad animam, ad imaginem, & similitudinem* DEI[c]; quod item Gregorius recipit: vel omninò, quoniam à DEO conditi, quemadmodum intellexit Dionysius[d].

a 10. Moral. c. 16. vel 17.
b lib. de bono mortis. c. 9.
c Gen. 1. 26.
d de diuin. nominib.
Similitudo Dei est in anima.

Quod ad imaginem DEI attinet, in qua cognatio cum eo nostra consistit, propriè est in anima, vt omnes passim consentiunt, vt proinde neget esse in corpore idem Ambrosius[e], imitatus Basilium[f]. Tamen gerit etiam corpus, vt signum quoddam, imaginem DEI: ita enim animæ adaptata est recta illa statura, & concinna figura, vt arguat eius habitatorem animum cœlesti satum imagine, DEIque similem. Quo in sensu concedunt Augustinus[g], & Bernardus[h], enitescere in corpore diuinam similitudinem. Syra editio clariorem sensum edidit, אנשא הכיל דשוחמן מן אלהא הו *anascha hachil detuchaman men elaha hu*, id est, *Homo igitur nostra prosapia cùm sit à* DEO. Lege Porphyrij caput de Genere, in Isagoge.

e 6. Hexam. cap. 8.
f Homi. 20. in Genes.
g 6. Genes. ad lit. c. 12. & 1. de Genesi, contra Manichæ. c. 17.
h Serm. 24. in Cantica.

Græci, præsertim Poëtæ, nobili genere ortos vocant Διογενεῖς, & Διοτρεφεῖς, & Δίους, *Ioue natos, à Ioue nutritos, ac diuinos*, & quos maximè laudatos volunt, eorum ad Deos genus referunt. Christianorum propria est hæc dignitas, quibus est & *potestas filios* DEI[i] *fieri*, & *diuinæ consortes fieri naturæ*[k], *hisque cauendum diligẽter, ne in veterem, natiuámve vilitatem degeneri recidant conuersatione*, vt sanctè monet Leo[l]. Perperàm verò Scholiastes Arati de aëre exposuit: loquitur enim disertè Poëta de DEO, sicque Paulus illum intellexit.

i Ioan. 1. 12.
k 2. Petr. 1. 4.
l Sermo. 1. de Natiuit.

Non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinum esse simile.] Conficit Apostolus argumentum: Quando ipsimet suos Poëtas sequuti fateantur nos viuum quoddam DEI simulacrum esse, oportere, vt idola materialia, & ab hominibus ipsis per artem effecta, quæ plurimùm distant à perfectione naturæ, certò sibi persuadeant, longissimo interuallo abesse à diuina potestate, ob cuius participationem consequimur dignitatem his materialibus rebus sine dubio superiorem; & cùm hanc ipsam in nobis imaginem DEI nullis exprimere lineis satis possimus, multò minùs diuinum illum DEI secundùm se archetypum; vt proinde crassissima sit inscitia in delubris, arísque affirmare, DEVM habitare, includi, & coli posse. *Vos vidistis*, ait DEVS[m], *quòd de cœlo loquutus sim vobis: Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.* Et Moses[n]: *Vocem verborum eius audistis, & formam penitùs non vidistis; non vidistis aliquam similitudinem in die, qua loquutus est vobis Dominus de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ, similitudinem omnium iumentorum*, &c. Et Esaias[o]: *Cui ergo similem fecistis* DEVM? *aut quam imaginem ponetis ei?* &c. Et DEVS ipse apud eundem[p]: *Et cui assimilastis me, & adæquastis, dicit* SANCTVS? *Cui*[q] *comparastis, & fecistis similem?*

m Exod. 20. 22. 23.
Deus non potest ulla similitudine exprimi.
n Deut. 4. 12. 15. 16. 17.
o cap. 40. 18.
p ibidem 25.
q cap. 46. 5.

His, aliísque similibus locis optimè declaratur, quàm sit vanum fingere imagines, quibus putemus ad viuum referri DEVM, aut his inesse diuinitatem; cùm alioqui, vt in hoc ipso capite docui, piarum DEI, Diuorúmque imaginum vsus salubris, & planè retinendus sit, cùm non tam simus pinguis Mineruæ, vt Caluinus[r] planè aureus non ab auro, quod adamauit tamen, sed ab aura, quia vanus, & vacuus, nos facit, vt arbitremur, Gentilium ritu corporeum DEVM corporea in materia sculpi, aut effigiari: nec adeò parum in Gentilium libris versati, vt nesciamus illos non ad ipsa tantùm simulacra DEVM, sed simulacra coluisse vt DEVM, ac pro DEO, immò & plures Deos: quod qua fronte negari possit, prorsus non video; vel qua impudentia in tantæ falsitatis testimonium Augustinus[s] produci, ac si velit in omni, quæ dicitur idololatria, vnicum semper verum DEVM adoratum.

r hîc, & Institut. lib. 1. c. 11. nu. 9.
Deum Gentiles non coluerunt in simulacris, sed simulacra Deos existimarunt.
s lege Augustinum in Ps. 113. quem locũ pro se citat Caluinus, & lib. de doctr. & de Ciuit. &c.

Ex huius enim doctrina, & aliorum habetur, idololatriæ Gentilium, ac Iudæorum eos imitantium, gradus quintuplex: Adoratio simulacrorum ipsorum materialium, vel Dæmoniorum iis affixorum: Adoratio aliarum creaturarum in se, vt cœli, terræ, &c. Adoratio hominum mortuorum: Adoratio mundi tanquàm animati: Adoratio substantiarum immaterialium, etiam per se, & Dæmoniorum, malorúmque Angelorum; quamuis Scriptura generali nomine appellet *omnes Deos Gentium Dæmonia*[t], quia his fallentibus omnis illa adoratio fiebat.

Idololatria quintuplex apud Gentiles, & Iudæos eos imitantes.
t Psal. 95. 5.

Illa autem alia ratio, quæ hîc à Paulo attingitur, *Nos cùm* DEI *genus simus*, ad inferiora nobis simulacra inanima, quæ à nobis ipsis fiant, abiicere non debere, mira tum elegantia, tum argutia, & in libro Sapientiæ[u], & à Propheta Baruch[x] explanatur, & exaggeratur. *Melior est enim*, inquit Sapiens[y], *ipse* (homo) *his, quos colit; quia ipse quidem vixit, cùm esset mortalis, illi autem nunquam.* Baruch autem dicit[z]: *Quod nihil aliud erunt, nisi id, quod volunt esse Sacerdotes.* Et[a]: *Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi.* Concludit postremò[b]: *Melior est homo iustus, qui non habet simulacra, nam erit longè ab opprobriis.*

u cap. 15 toto
x c. vlt. toto.
y c. 15. vers. 17.
z ca. vlt. vers. 45.
a vers. 67.
b vers. vlt.

Gentiles abhorruerunt à cultura simulacrorum.

a in Numa.

Gentiles ipsi, qui sunt meliùs philosophati, abhorruerunt à tam rudi opinatione. Dixi de Romanis superiùs, auctore Varrone. Plutarchus [a] prætereà prodit, *Numam prohibuisse* DEVM *existimare imaginem, aut hominis speciem, aut animalis habere formam; nec illi per centum septuaginta annos vllum corporeum simulacrum dicasse: perinde atque nefas esset deterioribus meliora assimilare, cùm nec aliter, ac intelligentia,* DEVS *percipi possit.*

b 6. de Ciuit. Dei c. 10.

Idem apud Eusebium testatur Clemens, & Dionysius Halicarnassæus. Illustris prorsus hac de re in libro contra superstitiones, quem citat Augustinus [b], Senecæ sententia: *Sacros, immortales, inuiolabilésque Deos in materia vilissima, atque immobili abdicant, habitus illis hominum, ferarúmque, ac piscium; quidam verò mixto sexu, diuersis corporibus induunt, numina vocant: quæ si spiritu accepto subitò occurrerent, monstra haberentur.*

Contra hæresim Anthropomorphitarum.

c cap. 1. 26.

d lib. 10. c. 7.

e 4. Hist. c. 10. & 4. de Græc. fabul. & q. 20. in Gen.

f Hæres. 70.

g Collat. 10. c. 3. & 5.

h Homi. 10. in Hexam.

i Hæres. 50.

k 11 Histor. c. 14. & lib. 13. c. 10.

Postremò confodit præsens Apostolica sententia & errorem de DEO, quòd sit corporeus, & hæresim Anthropomorphitarum, quòd humana forma; quasi non alium sensum haberent verba Genesis [c]: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Lege Historiam Tripartitam [d], Theodoretum [e], Epiphanium [f], Cassianum [g], Basilium [h], Augustinum [i], Nicephorum [k].

l cap 4. 10.

m Psal. 90. 4.

Epicuræorum eadem fuit sententia, vt Paulus nunc propter istos, contra quos disputabat, eo modo peculiariter loquutus videatur. Acutè Melito apud Theodoretum argumentatur: *Si* DEVS *existimatur habere corpus, quale habemus nos, quia describitur tanquàm præditum membris humanis, non erit homo similis* DEO*, quoniam* DEVM *Zacharias describit* [l] *cum oculis septem, Dauid* [m] *cum pennis, alijsque, & alij cum aliis rebus, quæ si sumantur propriè,* DEVM *reddent planè monstrosum, & longè nobis dissimillimum.*

Homo propter animum præstat reliquis animantibus.

Est igitur imago DEI non in nostro corpore, sed in animo propriè quærenda, vt etiam priùs docuimus. Propter animum enim præstat, præéstque omnibus animantibus homo; in suas met actiones liberum habet dominium; capax est rationis, & virtutis, & omnis bonitatis, ac æternæ beatitudinis; attingit supremum gradum naturæ intelligentis, in quo DEVS est; & omnium aliarum rerum gradus in se continet, éstque finis quodammodò cunctorum corporatorum.

n Suidas.

Pythagoram tradunt [n] in inferno animam Hesiodi vidisse columnæ alligatam æneæ, stridentémque; Homerum ex arbore pendentem serpente implicitum, quòd hæc, hísque similia confinxissent de Diis. Idem prætereà Philosophus symbolicè docebat, annulos non esse gestandos, ne Deorum effigies in eis, vt mos tunc ferebat, insculperentur [o].

o Clem. Alexandrin. 5. Stromat. c. 1.

Sculpturæ artis, & cogitationis hominis.] Dicuntur hæc per appositionem. Sensus est: Non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, quæ sunt sculptura, &c. id est, vt Syrus vertit, דגליפא באומנותא ובידעתא דבר נשא *daglipha baumanutha, vbaiedabbetha debar nascha*, id est, *Insculpto per artem, & per scientiam filij hominis*; vel, *Insculpto artificio, & scientia humana.* Vatablus: *Arte sculpto, & inuento hominis.*

Imago sculptilis Iudæis distinctiùs fuit prohibita.

Dixi anteà, probabilem videri sententiam negantium Iudæis in lege vetere vsum omnem imaginum, quæ per se fierent, & non vt appendices tantùm, ornamentáve rerum aliarum, licitum fuisse. Tamen sculptilis imago distinctiùs, & eni-

A xiùs prohibita est, quoniam cultus idolorum versabatur potissimum in sculpta imagine, vel statua, quæ soliditate partium, atque crassitie magis exhibet personam, quæ adoranda proponitur, quàm si hæc in superficie duntaxat coloribus exprimatur.

p exhort. ad bon. ar.

q lib. 35. c. 1.

r 4. Astron. c. 15. & lib. 8. c. 7.

s 4. contra Celsum.

Ars omnis pingendi, quæ statuariam, & sculptoriam comprehendit, inter honestas à Galeno [p] habita, & à Plinio [q], & à Iulio Firmico [r]; propter periculum tamen idololatriæ, & generalem illam prohibitionem imaginum, procul à Iudæis ablegata erat, si credimus Origeni [s], cuius hæc sunt verba: *Apud quos nullum aliud numen erat, quam* DEVS*, huius rerum vniuersitatis Præ-*
B *ses, procul ablegatis omnibus simulacrorum opificibus: nam in ciuitate eorum nullus pictor admittebatur, nullus statuarius, legibus totum hoc genus arcentibus, ne qua occasio præberetur hominibus crassis, néve animi eorum à* DEI *cultu reuocarentur.* Consentit profectò Tertullianus [t], cùm ait: *In Transfiguratione Mosem, Eliámque, tantùm in spiritu agnitos à Petro, non quòd ipse anteà aliquam eorum similitudinem, seu effigiem vidisset: nec enim*, inquit, *imagines eorum, vel statuas populus habuisset, & similitudines, lege prohibente.* Sed Theophilus Imperator Iconomachus, pœnis propositis, vt memorat Ioannes Curopalata, cunctam humanæ formæ, ne Sanctorum imagines fierent, expressionem inhibuit. Altercantur picto-
C res, statuariíque de præstantia artis suæ, sítne melius adiungendo, vel demendo rerum exhibere similitudinem.

Iudæis pictura omnis prohibita.

t 4. contr. Marcion. c. 22.

Diuinum.] Τὸ Θεῖον, substantiuè, quod Syrus, אלהותא *elahutha*, id est, *Diuinitas*, & Vatablus reddunt, *Numen*, & ponitur sæpe pro ΘΕΟΣ DEVS; ita vt apud profanos quoque Scriptores non quemlibet DEVM significet, sed eum, quem intelligebant, quando ΘΕΟΝ dicebant, nempe κατ' ἐξοχὴν summum, ac supremum NVMEN. Ecclesiastici Auctores, vt Nazianzenus, vsurpant τὸ Θεῖον de vero DEO, & sic hoc loco accipi certum est.

D *Versus* 30.] Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens DEVS, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant.

ET *tempora quidem huius ignorantiæ despiciens* DEVS.] Syrus, זבנא גיד דטעיותא אעבר אלהא *zabne ger detabhajutha abhabar elaha*, id est, *Tempora enim erroris*; seu, *Tempora igitur idololatriæ præterire fecit* DEVS. Vatablus, & Clarius: *Et tempora quidem huius ignorantiæ cùm hactenus dissimulauerit* DEVS. Erasmus eodem pacto, nisi quòd ait, *dissimulasset*. Dissimulari posset hæc interpreta-
E tio, nisi nostrum idem Erasmus Interpretem insimularet, affirmans intellexisse in textu Græco, τοὺς μὲν οὖν χρόνους ὑπεριδὼν ὁ ΘΕΟΣ, *Ex alto videns.* Quasi verò ignorauerit Interpres Græci vocabuli significationem, Latinéve, pro eo, quod est, *negligere, nihili æstimare*, & cùm videas perinde te gerere, ac si non videas, contemnere. Despicere est quidem in primaria sua notione, deorsùm aspicere; sed inde trāslatum est ad significandum contemnere, & veluti aliquid infra se, & ad pedes suos proiectum aspicere: quemadmodum & suspicere, venerari significat, & tanquàm supra se collocatum aspicere, vt Valla docuit [u], quem non imitatur modò, sed sæpe transcribit Erasmus.

Despicere quid significet.

u 5. Elegant. c. 16.

Videtur

Videtur Paulus Gentiles excusare ab ignorantia, vt Iudæos quondam Petrus[a], & spem ingenerare, cùm præteritæ ignorantiæ non sit rationem habiturus DEVS, dummodò pœniteat illos, proposita sibi Iudicij futuri memoria per illum ipsum exercendi, qui sua morte, atque Resurrectione inuitauit ad pœnitentiam. *Iustè, sapientérque in præteritis generationibus* (sic loquebatur idem Apostolus in capite decimoquarto[b]) *dimisisse omnes gentes ingredi vias suas; nunc aduenisse tempus acceptabile, diésque salutis*[c]. Cùm etiam DEVS despicit, id est, *dissimulat peccata propter pœnitentiam*[d].

a Act. 3. 17.
b vers. 15.
c Esa. 49. 8. 2. Cor. 6. 2.
d Sap. 11. 24.

Itaque despectio ista, ac dissimulatio sumi potest & respectu præcedentium, & comparatione illorum, qui eo tempore viuebant. Chrysostomus & Oecumenius volunt posteriorem sensum, ita vt non imputet DEVS iis, quos alloquebatur Apostolus, præterita peccata. Nysseno[e] placuit primus, tertium videtur assignare Lyranus; noluisse DEVM, vt vltrà Dij, & idola durarent: quem etiam sensum innuit Carthusianus.

e orat. de Natiuit.

Optimi Principis est, dissimulare hominum peccata.

Optimi Principis est, dissimulare, non summo semper iure agere, conniuere ad peccata subditorum. Sic Iob *dissimulabat, silebat, quiescebat*[f], *ad nuncios illos infaustos*[g]: *& erga etiam subditos suos*: sic Saül aduersùm se iactatas contumelias[h] adhuc bonus Princeps, *dissimulabat audire*. Sic Sapiens erudit omnem, qui præest[i]: *Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi*. Tandem vulgaris parœmia vera est: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare*: dummodò dissimulatio sit prudens, & benigna, non subdola, & maligna, Christiana, non politica. Lege Damascenum[k], & Augustinum[l], & diligenter hoc argumentum tractantem Iosephum Stephanum[m], atque Ioannem Molanum[n].

f cap. 1. 26.
g cap. 7. versu 13. & seqq.
h 1. Regum 10. 27.
i Eccl. 4. 35.
k 1. Paral. cap. 27.
l quæst. 10. in Iosue.
m in c. 1. lib. 1. Macha. versu 11.
n de fide hæreticis, ac rebellibus seruanda, &c.

Nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant.] Per Prædicatores annunciat, & præcipit DEVS, vt reddit Syrus מפקד *mephaked*, τὸ παραγγέλλει, qui per Filium ipsum paulò antè annunciauerat[o], & per Præcursorem[p], & vt ita sic facerent Discipuli, CHRISTVS præceperat[q], & iam Petrus id præceptum executus fuerat. Lege caput 2.[r] ibi docuimus cur, & quæ pœnitentia exigatur ante Baptismum. Quod autem dicit *vbique*, gratiæ amplitudinem ostendit, simúlque Mericos Deos, quod notat Chrysostomus, de medio tollit; ab vno enim, qui vbique est DEVS, cunctos, qui sunt vbique, homines gratiam posse recipere.

o Gal. 1. 16.
p Matt. 3. 11. & seqq.
q Matth. 10. 5. & seq.
r versu 38.

Versus 31.] Eò quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.

EO *quòd statuit diem.*] Petrus in concione ad Centurionem Gentilem, de Iudicio extremo mentionem fecit[f]: & Paulus in ea, quam habuit ad Felicem Præsidem[g], qui erat quoque Gentilis: Iudæis enim ea res satis comperta, Gentilium plerisque penitus incognita, vel etiam non credita, qui sibi animam persuaderent esse mortalem: aut non curare DEVM, immò nec nosse res nostras, nullámque habere prouidentiam, potissimùm Epicuræis, vt anteà diximus, quo maiore licentia in omnem se voluptatem effunderent.

f Act. 10. 42.
g Act. 24. 25.
Iudicij dies extremus Iudæis cognitus, non Gentilibus.

Quem verò dixerat Petrus CHRISTVM ipsum *præcepisse, vt se prædicarent constitutum Iudicem à* DEO, de hoc Paulus etiam similiter loquitur, sequentibus verbis intelligens TRINITATEM, aut per accommodationem, PATREM, cui hac ratione vt diem statuere, ac decernere, ita & cognoscere competit, quasi nec FILIVS ipse hominis, etiam vt FILIVS idem DEI, eius diei scientiam habuerit, prout annotauimus, cùm explicaremus *tempora, momentáque in* PATRIS *esse potestate*[u].

u cap. 1. 7.

Non ignotum fuit Philosophis extremum Iudicium, præsertim Platonicis, qui, vt ait Eusebius[x], *à nostratibus Poëtis id didicerunt*. Lege Platonem[y], & extant apud Homerum, Virgilium, aliósque Poëtas non obscura eiusdem rei vestigia.

x 11. de Præpa. c. 18. & 20. lib. 12. c. 3.
y 10. de Rep. & in Minoë, Gorgia, Axioco.

In viro, in quo statuit.] Ἐν ἀνδρὶ, ᾧ ὥρισε. Syrus, ביד גברא אינא דפרש *beiad gabra ena dapperasch*, id est, *per manum viri huius*, seu, *per virum, quem definit*. Vatablus, *per eum virum per quem decreuerat*. Clarius, *in viro, in quo decreuerat*. Iuxta phrasim Græcam, *in viro, cui definiuit*, nempe Iudicium, & iudicandi officium. Ambrosius[z] legit, *in viro, quem definiuit*. Aliàs docui de vsu verbi ὁρίζειν in Scripturis, & apud Scriptores Ecclesiasticos[a]. Item non semel monui præpositionem *in*, poni pro præpositione *per*[b]: postremò, quid valeat nomen *viri*[c].

z lib. 6. in c. 9. Lucæ.
a cap. 2. 23.
b vt sup. vers. 28.
c vt c. 1. 11.

Concedi potest ea huic loco significatio congruere, qua vir Magistratum denotat. Vnde apud Romanos Duumuiri, Triumuiri, Decemuiri, &c. Vir ergo iste est ὡρισμένος, *definitus*, ac *destinatus*, necnon etiam publicè declaratus, tum voce Præconum, seu Prædicatorum, tum publica fama, & celebritate miraculorum, potissimùm propriæ ipsius Resurrectionis, de qua mox.

Philosophantibus noluit primo sermone Paulus aperire IESVM *esse verum* DEVM, inquit Caietanus, *sed quatenus hominem introducit, vt paulatim per hominem discerent cognoscere* DEVM. Obseruauerat in Apostolo solertiam istam Origenes[d], qui rudibus adhuc Atheniensibus non CHRISTVM FILIVM DEI, sed virum quendam annunciauerit.

d Tractat. 1. in Matth.

Paulus decorum vbique tenuit.

Vbique decorum tenuit Paulus, veluti cùm superiùs, vt notauit Chrysostomus, non disertè dixit, DEVM *natura incorporeum, inuisibilem, infigurabilem: sed dedecere, vt iis efficeretur per idola similis, quibus nec nos ipsi similes sumus, vel anima nostra*: superfluum enim fuisset, exactiora illa proponere, nondum edoctis vnum esse DEVM.

Item *fuit modestiæ conciliatricis auditorum non dicere*, inquit Chrysostomus, *non debetis æstimare auro, vel argento* DEVM *esse similem, ô scelesti, ac impij; sed humiliùs; non debemus putare, suam cum illis personam coniungendo.*

De iudiciaria CHRISTI potestate lege caput X.[e] Conuenit ei vt homo est; licèt causa cur conueniat, sit diuina persona, quomodo Patres Concilij Ephesini[f] docent, quod *in eo, qui forinsecùs apparebit, & ab omnibus, qui iudicandi sunt, palam cernetur, diuina natura occultè latitans iudicium exercebit*: & ad hoc propositum afferunt præsentem locum.

e vers. 23.
f Tom. 2. cap. 31. in fine.
Christus vt diuina persona iudicabit.

Prætereà Hæreticis hoc loco abutentibus ad diuidendum CHRISTVM in duos, respondent, negantes vnigenitum DEI FILIVM in viro, hoc est, in mulieris filio per se seorsum considerato, terrarum orbem iudicaturum esse, quoniam vt DEVS, ita est Iudex, vt PATER, & perinde ac si incarnatus non esset; & post Incarnationem æquè in illo existit, vt antè, & vicissim ipse in PATRE.

Fidem prabens omnibus.] Πίςιν παρασχὼν πᾶσιν. Syrus, ואפני לכל אנש לאימנותא *vappen lecul enas lehaiemenutheh*, id est, *& conuertit omnem hominem*; seu, *& restituit vnumquemque hominum ad fidem eius*, nempe DEVS ad fidem illius viri, id est, CHRISTI, *cùm excitauit* (est sequentium interpretatio) *ipsum à mortuis.* Vatablus: *Fide præstita omnibus, cùm excitauit illum ex mortuis*, id est, *ostendens*, inquit, *se fidelem, & veracem in omnibus quæ promiserat, cùm iuxta promissionem, istum excitaris à mortuis.* Clarius: *Fide præstita omnibus, cùm suscitauerit eum à mortuis.* Emanuel Sà exponit: *Fidem præbens de hac re, certósque faciens*, videlicet *de Iudicio per* CHRISTVM *exercendo.* Glossa ordinaria: *Fidem præbens*, inquit, *Resurrectionis suæ exemplo, quòd resurgent, sicut nimirum & illum suscitauit* DEVS. Consentit Lyranus, & Hugo.

A

Caietanus paulò aliter participium *præbens*, & id, quod sequitur, *suscitans*, resoluens in participia passiua præteriti temporis: DEVS *præstitit omnibus præteritis, præsentibus, & futuris sufficientem fidem, quòd in* IESV *iudicaturus est mundum per hoc, quòd suscitauit eum à mortuis in vitam immortalem, quod testimonium fidem facit sufficientissimam.* Chrysostomus fauet, sic exponens, quasi diceret Paulus: *quòd verum sit iudicium, manifestum est ex Resurrectione: simul enim hæc præparata sunt: & quòd omnia quæ sunt dicta, sint vera, manifestum est ex eo, quòd vir ille resurrexit, cuius rei omnibus* DEVS *hanc fidem adhibet, idque iam omnibus est clarum.*

B

a Tractat. 1. in Matth.

Origenes [a], si bene illum Interpres est assecutus, Græcum námque legere mihi non licuit, dum sententiam istam recitat hoc modo, *Eò quòd statuit diem, iudicare orbem in æquitate, in virum, quem statuit præstare fidem omnibus, resuscitans eum à mortuis*, videtur mihi legisse, εἰς ἄνδρα ὃν ὥρισε πίστιν παρέχειν; & velle quòd DEVS pœnitentiam fieri voluerit proposita Iudicij memoria, quod Iudiciū decreuerit exerceri ab eo viro, per quem fidem præstitit, hoc est, veram cognitionem de DEO, necnon de Iudicio, atque etiam de Resurrectione generali, quæ proximè antecedit Iudicium; & de qua, vt certiores essemus, eundem resuscitauit, iam non denuò moriturum: ita vt hic vir, & viuens, & mortuus, & suscitatus, verus, exactúsque Doctor existat, tum diuinitatis, quæ plurimis ignota erat, tum aliorum mysteriorum, in primis Iudicij, atque Resurrectionis: quæ duo maximè valent ad excitandam in nobis pœnitentiam, & melioris vitæ viam ingrediendam.

C

Christus verus, exactúsque Doctor existit.

Commodus quidem sensus, quem posteà deprehendi attigisse Ariam: & retenta, vt par est, editione Græca, quam habemus, constare adhuc potest: alius verò, tametsi plurium, non videtur satis plenus, satísque respondens iis omnibus, quæ in sermone Pauli præcedunt.

D

b lib. 6. c. 9. in Lucam.
c vers. 3.
d vers. 15.

Suscitans eum à mortuis.] Ambrosius [b] legit, *suscitans eum ab inferis.* In capite I. [c] ostensum est, qua ratione DEVS CHRISTVM, & hic seipsum suscitauerit: & capite III. [d] cur etiam Resurrectio cum addito soleat dici à mortuis, vel mortuorum, in numero multitudinis.

E

Athenienfibus quibus de rebus sit prædicatum.

Historia Scholastica *prædicatam*, ait, *Atheniensibus non Resurrectionem duntaxat* CHRISTI, *sed Mortem prætereà, & Ascensionem, & Iudiciariam auctoritatem.* De Ascensione hîc nullum verbum: mors in Resurrectione includitur: & forsan idem dici posset de Ascensione, quoniam is, qui resurrexerat, abierat cum corpore in sedem Beatorum, & inde ad Iudicium venturus prædicabatur. Quamuis enim Elysios quidam è Gentilibus campos confinxerunt; iis tamen assignabant cœlum, quos inter Illustriores, & Heroas numerabant.

Versus 32.] **Cùm audissent autem Resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.**

CVM *audissent autem Resurrectionem mortuorum.*] Dixi versu 18. existimasse Chrysostomum, & Oecumenium, existimatam ab Atheniensibus vnam generis fœminini Deam esse Anastasin. Id opinor non existimabant hi, qui irridebant, præsertim audientes cum addito ἀνάστασιν νεκρῶν.

Resurrectionis mysterium Gentilibus ridiculū semper visum.

Difficillimum, maximéque ridiculum semper, ac super alia visum est Gentilibus Resurrectionis mysterium, vt idcirco, quod aliquoties obseruaui, id CHRISTVS, & quadraginta dierum post suam Resurrectionem in hoc mundo mora testatissimum esse voluerit, & Apostolis, vt de eo testificarentur, in primis commendauerit, & ipsi nihil magis inculcauerint, præsertim agendo cum Gentilibus, *vtpote cùm Resurrectio præcipuè sit fides Christianorum*, vt ait Augustinus [e].

e Tom. 6. in de Epicureis, & Stoicis. c. 1.
Resurrectio mysterium fidei est Christianæ.

Hîc autem, vt nuper etiam retulimus, ait quòd facta est loquente Apostolo tripartita multitudo per quosdam gradus mirè disposita, irridentium, dubitantium, credentium. *Qui irridet*, inquit, *cadit: qui credit, stat: qui dubitat, fluctuat.* Excitat verò seipsum, ne propter irrisores cogitationem prædicandi deponat, despondeat animum, desperet fructum. *Scio*, ait ipse [f], *quia fortassis irrisurus es me, & eris in eis, de quibus scriptum est, quia Paulum irridebant. Si tu via es, ego semino, seminator enim verborum sum pro modulo meo. Quod fuit conuitium tuum, officium est meum. Ego semino quod cadit in te tanquam in terram duram. Ego non sum piger, & inuenio terram bonam*, &c.

f cap. 1.

Pessimum genus est irridentium sermones diuinos.
g vers. 13.

Pessimum, & pestilentissimum genus irridentium sermones diuinos, & spiritualia charismata, vt demonstratum est capite secundo [g]: sic isti Resurrectionem irrident, quia toti carnales sunt. *Sicut eleemosynam prædicantem* CHRISTVM *Pharisæi irridebant, quoniam auari erant* [h].

h Luc. 16. 14.
Risus ignorantiæ argumentum.

Ignorantię argumentum est risus; irrisio erroris, ac pertinaciæ: ridet, qui effectus cogniti nescit causam; irridet, qui allatam causam respuit, & effectum etiam ipsum pernegat: atque, vt Iudas ait [i], *quem ignorat, blasphemat.* Corporalem Resurrectionem irridebant, *nec aliam*, ait Tertullianus [k], *intellexerant à Paulo portendi: non irrisuri omninò, si animæ solius restitutionem* (in ea re aliqui Resurrectionem tantùm ponebant, aut in vita gratiæ ex morte peccati) *ab eo audissent: suscepissent enim vernacula sua Philosophia frequentiorem præsumptionem.* Fortasse de metempsychosi, quam saltem Stoici admittebant, & Platonici, siue de palingenesia.

i epist. Iudæ, vers. 10.
k lib. de Resurrect. carnis c. 39.

Metempsychosi qui Philosophi professi.

Ruffinus [l], ob varios errores de Resurrectione, testis est, Ecclesiam suam Aquileiensem ad verba Symboli, *Credo carnis Resurrectionem*, adiecisse pronomen *huius*: *Huius*, inquiens, *sine dubio, qui eum articulum profitebatur, Crucis signaculum fronti imponens.*

l in Symbolum.

Audiemus te de hoc iterum.] Hæc est secunda velut categoria Pauli auditorum, quos id ex animo non dixisse, licèt non etiam verbis, gestúve retulerint, quod importat superiùs τὸ ἐχλεύαζον, colligitur ex eo, quod subiicitur, *Paulum exisse de medio*

eorum. Relege quæ dixi superiùs de hoc auditorum ordine triplici. Abrumpunt, quibus non arridet de quapiam re sermo, filum eius, & honesto prætextu accuratiùs cognoscendi, poscunt differri.

Versus 33.] Sic Paulus exiuit de medio eorum.

SIc *Paulus.*] Eo modo exiuit de medio eorum quo docuimus in medio fuisse [a]. *Inter illos fuit, discessit ab illis. Persuaserat, & conuicerat Apostolus,* inquit Chrysostomus, *sed fortasse sciebat, se non magnum fructum facturum, quapropter abiit. Vbi auditus non est, non effundas sermonem,* ait Sapiens [b], *& importunè noli extolli in sapientia tua.*

a vers. 22.

b Eccl. 32. 16.

Instandum est prædicationi, iuxta eiusdem Pauli [c] præceptum, *etiam importunè, atque in omni patientia.* Verumtamen vbi nulla se frugis ostendit spes, aliò immigrandum, præsertim ei, qui diœcesi non circumscribitur, vel adstringitur, vbi poni vtiliùs opera valeat. Nunquàm non opportunè prædicator prudens instat, quamuis auditori videatur importunus. *Importunitas enim opportunitatem si habere nescit, sua se vtilitate,* ait Gregorius [d], *apud auditoris mentem destruit. Insta opportunè,* inquit Augustinus [e]: *quòd si non proficis hoc modo, importunè ita intelligendum est, vt tu opportunitatem omninò non deseras, & sic accipias id, quod dictum est, vt ei videaris importunus, qui non libenter audit quæ in eum dicuntur: tu tamen id ei opportunum esse scias,* &c. *Multi enim pòst audientes quæ, quámque iustè audierint, se grauius, & seueriùs arguerunt, & perturbatiores licet à Medico abscedere visi, paulatim verbi vigore in medullas penetrante sanati sunt.*

c 2. Tim. 4. 2. *Prædicatori aliò migrandū, quādo nulla fructus spes emergit.*

Importunitas habere debet opportunitatem.

d 2. par. Pastor. c. 4.

e in episto. ad Galat. longè post med.

Versus 34.] Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.

IN *quibus & Dionysius Areopagita.*] Ambrosius [f] ex numero vel Stoicorum, vel Epicuræorum, hunc facit, & alios, qui crediderunt, quos multos fuisse asserit, cùm Lucas quosdam tantùm. Itaque ait: *Illi doctissimorum, & eloquentium cœtus simplici disputatione victos se esse credentium exemplo manifestarunt.*

f epist. 25. ad Ecclesiā Vercell.

Verosimilius est è Stoicorum secta, qui erant seuerissimi Philosophi, ex seuerissimo Senatu Iudicem Dionysium fuisse.

Dionysiū è Stoicorū secta fuisse, verisimilius est.

Quòd autem Ambrosius simplicem disputationem vocat (idemque vt extollat promptam fidem Dionysij, Michaël Syngelus [g] videtur affirmare) non intelligit ineruditam, & ineloquentem. Contrarium enim potiùs hinc argumentari licet cum Chrysostomo [h] aduersùs illos, qui Paulum idiotam censebant, sed nihil prætereà, vt persuaderet, quod idem quoque Chrysostomus affirmat, adhibuisse. Nam ex apocryphis, quæ recitant Surius, & Hilduinus, atque Matthæus Galenus in Areopagiticis, haud peto libenter testimonium, quale illud de longiore disputatione, priusquàm Dionysius manus daret veritati: sicut & quod anteà conuersus opera Pauli nobilissimus, doctissimusque vir Apollo, qua de causa, & quia cæco visum restituerat, in Areopago sisti iussus sit. Hæc etiam Magister Historiæ transcripsit, & B. Antoninus [i], & alij.

g in encom. de Dionysio Areopagita.

h lib. 4. de Sacerd.

Areopagitarum Principem Metaphrastes nominat, forsan primarium, siue vnum ex primariis: non enim reperio præfuisse in illo Senatu quempiam, licèt in ipso Rex, qui erat è nouem Archontibus; nec tamen ipse Areopagita, cùm agitarentur causæ, corona, vt dixi, posita, sederet. Intelligendus eodem pacto Michaël Syngelus videtur, cùm ait, *Dionysium iuri dicundo præfedisse, longè omnium primas tenentem, atque eximium inter Senatus Areopagitici Iudices: Lucam id voluisse, dicendo non in quibus erat vir nomine Dionysius, sed Dionysius ille Areopagita,* ὁ Ἀρεοπαγίτης; *& sacra hac breuiloquentia laudare Dionysium voluisse, vt cùm Moses non expressit parentes Melchisedec* [k].

i 1. par. Histor. tit. 6. c. 28. *Areopagitarum Princeps an fuerit Dionysius.*

k Gen. 14. 18. Hebr. 7. 3. *Pauli magnum operæpretium est Dionysij conuersio.*

B Profectò fuit magnum operæpretium, ac minimè pœnitendus labor, talem, ac tantum virum Ecclesiæ peperisse, comparandum proculdubiò cum Sergio Proconsule, quem iam Apostolus CHRISTO adiunxerat [l].

l Act. 13. 12.

O lupe Paule rapax (ait Arator) *dedit hoc benedictio Iacob*
Nomen habere tibi: quid iam remanebit in orbe,
Quod non ore trahas, postquàm solertia Graia
Cessit, & indoctas in dogmate vincis Athenas?

De libris, Episcopatu, martyrio, ætate, cùm eclipsim admirabilem vidit, & quando conuersus est, multa disserit post citatos Auctores, & Sixtum Senēsem [m], qui alios citat, Baronius [n], qui quoniam omnium tam libenter manibus teritur, tibi mihíque vt consulam, prudens lector, suadeo, C illum tu ipse vt consulas, & tam magni Doctoris pro eo, ac debes, libros, Dionysij, inquam, Areopagitæ, quos maximè perditos vellent filij perditionis hæretici, aut non adeò insignis viri titulo notatos, tanquàm pretiosissimum thesaurum, & fortissimum Fidei, religionísque propugnaculum, omni cura, & prouisione custodias, maximo studio vsurpes.

m lib. 1. & 6. an. 229.

n Tom. 1. & 2. Annal. & in notis Martyrolog. 9. Octobr.

Dionysij libri laudantur.

Protegunt contra hæreticos hanc adeò locupletem quasi hæreditatem, & contra Erasmum, Vallam, Caietanum, etiam Alanus Copus [o], & noster Delrius [p] (qui nominatim refellit Bezam, & Scaligerum filium) necnon item ex nostris Ioannes Duræus [q]. Adiice Billij [r] pereruditi viri D iudicium, qui obseruauit locos non paucos in Gregorio Nazianzeno, quos videtur à Dionysio Areopagita mutuatus. Præter Nazianzenum tum ante, tum post illum, pluribus Patribus nota nostri Areopagitæ scripta demonstrant iam laudati auctores. Lege quæ Annotationibus Dionysij Carthusiani in Areopagitam præmittuntur, & quæ Surius collegit 9. Octobris.

Libros eius qui Auctores vendicant.

o Dial. 2.

p Disquisit. magic. c. 1.

q cont. Vvitakerum.

r 1. Obseru. sacra. c. 23.

Quod ad Episcopatum Dionysij attinet, eum fuisse Atheniensem Episcopum, vix est qui dubitet: de Parisiensi antiquam controuersiam tractat præ aliis Baronius diligenter; Beda, Historia Scholastica, & Hugo Cardinalis affirmant de Corinthio: Carthusianus fieri posse, vt successiuè gesserit vtrumque. Fieri id quidem potest, quan- E quàm non solet: verùm ita factum, leuiter dici non debet. Hilduinus testatur, Bedam retractasse sententiam. Græci in Menologio Octobris mensis die 3. Parisiorum Præsulem, & Martyrem fatentur.

Fuit Atheniensis Episcopus.

Multa sunt, & præclara elogia huius viri apud Patres. Appellat illum Chrysostomus πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ, *volucrem cœli*, vt prodit Anastasius Bibliothecarius [f]: ab aliis vocatur *Theologus, Theosophus, venerabilis, diuinissimus, sacratissimus, celeberrimus, rerum diuinarum mysta Apostolicus, Philosophiæ magisterio insignis, & patrio prænomine Ionicus, & agnomine Christiano Macarius, Galliæ Apostolus.*

Elogia D. Dionys.

f ep. ad Carolum Caluum.

Philosophiæ professor non fuit.

A Quanquàm libenter concessero Vallæ, ac Erasmo, non fuisse professorem Philosophiæ, nec id Areopagitę cognomẽ significare: at nego eius peritissimum non fuisse, atque miram illam eclipsim non notasse. Sunt in Menologio plura epitheta.

Regulus Arelatensis Episcopus cùm mysteria celebraret, nomen Dionysij recitauit in Canone cum nomine Rustici, & Eleutherij, viditque eorum nomina in singulis candidis columbis inscripta super altare, & intellexit posteà illo ipso die, horáque martyrium passos finisse. Narrat hoc Antoninus [a], & Pamelius [b], ex vita manuscripta S. Reguli apud Guliel. Brug.

a 1. par. hist. titul. 6. c. vlt. §. 2.
b Tom. 1. Liturg. pag. 129.

B Cùm autem idem Antoninus, & Acta quæ Surius citat, Areopagitam Dionysium, quòd in regione Athenarum sic dicta natus esset, tradunt, aduersantur communi sentẽtiæ, quæ vult nomen id esse dignitatis Senatoriæ in Curia, quam vocabant Areopagum, vt pridem docuimus.

Erasmi error.

Idem est iudicium de Erasmo in compendio de peregrinat. Petri, & Pauli, qui negans Philosophum fuisse, vel Iudicem, ait omnes Areopagitas dictos, qui partem eam vrbis Athenarum inhabitarent. Hoc sanè pacto citata Acta, Apollinem, de quo meminimus, vocant Cronopagitã, hoc est, ex ea parte vrbis eiusdẽ, quæ dicebatur κρόνου πάγος, *Saturni pagus*: vt & aliæ partes nomina similia sortiebantur, si fidem meretur auctor: nec enim probare potest; & πάγον iam docuimus non Latinè pagum, sed collem esse, tot autem colles Athenas habuisse nemo tradit.

C *Et mulier nomine Damaris.*] Hanc Acta Dionysij apud Surium [c] Dionysij vxorem faciunt, & Chrysostomus [d]: Ambrosius [e] innuit, cùm ait, conuersum Dionysium cũ Damari muliere: mulier enim pro vxore accipitur: & meminit Lyranus hoc loco. Significat quidem δάμαρ, & δάμαρς vxorem: sed hîc distinctè exprimitur fuisse Δάμαρις nomen proprium γυναικός τινες, *mulieris cuiusdam*. Si vxor Dionysij erat, non vocasset γυναῖκά τινα, breuiúsque dixisset, καὶ γυνὴ αὐτοῦ. Augustinum pro contraria sententia in Sermone de seminatore verbi, citat Hilduinus, quemadmodum quos dixi Chrysostomum, & Ambrosium. Nihil autem ampliùs de Damari potui reperire.

Damaris fuerit ne Dionysij vxor.
c 9. Octob. ex Hilduino.
d 4. de Sacerdotio.
e epist. 25. vel 82. ad Eccles. Vercellen.

De Hierotheo.

D *Et alij cum eis.*] Menologium Græcorum Octobris mensis die quarto tradit Hierotheum vnum fuisse ex nouem Senatoribus, quos nominant βουλευτὰς Areopagi, & ab Apostolo conuersum, ac constitutum Episcopum Athenarum, ab eo autem Dionysium institutum in Fide. Verùm superiùs ostendi, Areopagitarum certum numerum non extitisse, sed nouem illos Archontas fuisse. Primum Atheniensium Episcopum omnes Dionysium agnoscunt. Dionysius quidem crebrò Hierotheum magistrum suum vocat, sed Hierotheum non nemo Hispanum facit. Profectò Lucas hoc loco tanti viri conuersionem non E prætermisisset.

Ambrosius Morales in historia Hispanica Hispanicè scripta contendit conuersum à Paulo, cùm eam Prouinciam gubernaret. Confirmat Græcorum scriptorum auctoritate tum Metaphrastis, etsi hic pro Hierotheo Philotherum nominat, quod etiam nomen quidam Græci codices habent: & arbitratur, cùm Hispaniæ præesset, aliud nomen habuisse, quoniam illa alia sunt Græca significantia *consecratum* DEO, aut *amicum* DEI: ac proinde illa ei cum Christianismo imposita esse, vel potiùs vnum solum Hierothei.

Pauli profectio in Hispaniam non omnino certa.

Pauli profectio in Hispaniam non est omninò certa, licèt eam non improbabiliter ostendere conentur Pererius [f], Toletus [g], Salmeron [h], Baronius [i], Andreas Richlicius [k]. Hierotheum Hispanum fuisse, ac inde à Paulo illuc profecto post vincula Romana deductum comitem peregrinationis, ambigit meritò Ioannes Mariana noster [l], malens Atheniensem Hierotheum. Quòd si gubernabat Hispaniam, non Hispanum, sed potiùs Romanum, aliáve ex regione fuisse credendum est. Apud Metaphrastem, aliósve non reperio quòd Morales scribit de patria Hispaniensi.

f in epist. ad Rom. cap. 15. disp. 1. & 2.
g in c. vlt. ep. ad Roma. annot. 15.
h in epist. ad Rom. c. 15. disput. 11.
i in notis 22. Martij.
k in suo Paulo. par. 3. n. 6. c.
l 4. de rebus Hispan. c. 1.

Dionysium post eclipsim ad Christum conuersum, & eum post Resurrectionẽ contemplatum quæ dicuntur, refelluntur.

Ioannes Scotus, qui primus Areopagitam è Græco transtulit iussu Caroli Magni, vocat *Apostolorum Discipulum, & Episcopum: Dionysium verò cùm eclipsim vidisset, similique Polycarpus Episcopus, & alij, mox secutum Hierotheum cum multis alijs Sanctis vna conuenientibus*, CHRISTVM *post Resurrectionem esse contemplatum.* Paradoxa mihi narratio, & falsa videtur. Sic enim Dionysius CHRISTVM vidisset, antequàm Paulum, nec eum Paulus in CHRISTO genuisset, sed Hierotheus: nam tamdiu conuersionem distulisse viso CHRISTO, & audito Hierotheo, immò & alijs Apostolis, nullam habet speciem probabilitatis. Ceteri enim illicò adhæsisse Paulo tradunt, ac triennio etiam cum ipso mansisse.

m lib. 6. in c. 9. Lucæ.
Prudentia Pauli in conuertendis Iudæis & Gentilibus.

Nòn est improbabile quod ait Ambrosius [m], *Credidisse Dionysium cum alijs in* CHRISTVM, *vt in virum, deinde vt in* DEVM. Expendit eo loco hic Doctor admirabilem prudentiam Apostoli in proponenda modò Gentilibus, modò Iudæis doctrina Euangelica. *Si à primo*, ait, *destruere voluisset caremonias idolorum, sermonem eius aures Gentilium respuissent. Ab vno igitur* DEO *operatore mundi incipit, dicens:* DEVS *qui fecit mundum, & cuncta quæ in eo sunt, &c. Negare non poterant vnum operatorem esse mundi, vnum omnium creatorem. Adiunxit, quòd cœli & terræ Dominus in manufactis non dignetur habitare. Deinde, quòd intra auri, argentique crassam materiam nequaquam verisimile sit artificio hominis vim* DIVINITATIS *includi, erroris remedium docens esse studium pœnitendi. Tunc venit ad* CHRISTVM, *nec tamen* DEVM *maluit, quàm hominem nuncupare, dicens, in viro, quo definiuit, præbens omnibus fidem, suscitans eum ab inferis. Qui enim tractat, debet audientium considerare personas, ne priùs irrideatur, quàm audiatur. Quando enim Athenienses crederent, quia* VERBVM *caro factum est* [n], *& de* SPIRITV *Virgo concepit* [o], *qui irridebant, quia Resurrectionem audierant mortuorum? &c. Ergo tali Athenienses informauit præcepto: talis nobis apud Gentiles ordo seruandus est, &c.*

n Ioan. 1.
o Luc. 1.

Modus agendi cum Gentilibus.

Sed non statim per crucem (omitto quæ affert de modo agendi cum Iudæis) *possunt aliqui credere salutem mundo refusam. Astrue ergo per historias Græcorum hoc fuisse possibile, sicut interdum etiam Apostolus suadet incredulis, nec versus Poëticos refugit, vt fabulas destruat Poëtarum. Si enim reuocetur in memoriam, quòd legiones sæpe & magnos populos oblatis aliquorum mortibus historia Græcorum* [p] *asserant liberatos: si recordetur quòd Imperatoris filia propter Græcorum exercitus transferendos ad sacrificium sit vocata, &c. Si pestilentia regionum aliquibus hominum contracta peccatis, vnius alicuius morte asseritur esse soluta, quod aut relatione præualuit, aut dispositione conualuit, quò faciliùs in crucem Domini crederetur: procliue erit, vt qui sua negare non possunt, nostra confirment.*

p Val. Max. l. 5. c. 6.

Tam multa, qui nec libens pauca soleo, recitaui hoc loco ex tanto Doctore, quia continent

summam

summam Paulinæ concionis expositam artificiosè, & fratres meos spectat hæc oratio mea, quos asciuit DEVS seminiuerbios diuini sermonis inter Gentes, quas quemadmodum instituant, præclaro isto Pauli Doctoris Gentium exemplo docet Ambrosius.

Ceterùm propter Dionysium primum Athe- A narum Episcopum, fuit ea Ecclesia florentissima, vt docet Origenes[a]. Et ob honorem Dionysij, posteriores Episcopi Athenienses pallio honestati sunt; idque illis Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus redonauit, vt refert Hilduinus, cùm ob nescio quam contentionem diu subtractum esset.

Ecclesia Atheniensis florentissima propter Dionysium.

a 3. cont. Cels.



CAPVT DECIMVM-OCTAVVM.

SVMMARIVM.

Relictis Athenis Paulus Corinthum venit. Ibi visione diuina, promissóq; de futura conuersione multorum recreatur: post sesquiannum accusatur à Iudæis apud Proconsulem Gallionem: descendit deinceps peragratis aliquot locis Ephesum, tum adit Cæsaream, & tandem Antiochiam. Apollo autem factus instructior, conuincit Iudæos.

1 POST hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum:

2 Et inueniés quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius (eò quòd præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma) accessit ad eos.

3 Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur (erant autem scenofactoriæ artis)

4 Et disputabat in Synagoga per omne Sabbatum, interponens nomen Domini IESV, suadebátque Iudæis, & Græcis.

5 Cùm venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Iudæis esse CHRISTVM IESVM.

6 Contradicétibus autem eis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam.

7 Et migrans inde, intrauit in domum cuiusdam, nomine Titi Iusti, colentis DEVM, cuius domus erat coniuncta Synagogæ.

8 Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: & multi B Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

9 Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas

10 Propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi vt noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate.

11 Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos verbum DEI.

12 Gallione autem Proconsule Achaiæ, insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, C & adduxerunt eum ad tribunal,

13 Dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere DEVM.

14 Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Siquidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, ô viri Iudæi, rectè vos sustinerem.

15 Si verò quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra, vos ipsi videritis: Iudex ego horum nolo esse.

16 Et minauit eos à tribunali.

17 Apprehendentes autẽ omnes Sosthenem principem Synagogæ, percutiebant D eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat.

18 Paulus verò cùm adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, nauigauit in Syriam (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchreis caput: habebat enim votum.

19 Deuenitque Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse verò ingressus Synagogam, disputabat cum Iudæis.
20 Rogãtibus autem eis, vt ampliori tempore maneret, non consensit,
21 Sed valefaciens, & dicens: Iterum reuertar ad vos DEO volente, profectus est ab Epheso.
22 Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutauit Ecclesiam, & descendit Antiochiam.
23 Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulãs ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes Discipulos.
24 Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephesum, potens in Scripturis.
25 Hic erat edoctus viam Domini: & feruens SPIRITV loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt IESV, sciens tantùm Baptisma Ioannis.
26 Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synagoga. Quem cùm audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentiùs exposuerunt ei viam Domini.
27 Cùm autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt Discipulis, vt susciperent eum. Qui cùm venisset, contulit multùm his, qui crediderant.
28 Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, ostendens per Scripturas, esse CHRISTVM IESVM.

Versus 1.] Post hæc egressus ab Athenis, venit Corinthum.

POST *hæc egressus ab Athenis.*] *Non diu ibi mansit, sed à* SPIRITV, vt ait Chrysostomus, *in Corinthum ducitur. In quo manere oportebat, quoniam Athenienses, tametsi nouæ doctrinæ amatores, non attendebant, quam primum doctrinis exsaturati, & aliarum audi rerum nouarum.*

Tam diu Athenis hæsit, vt eò Silas, ac Timotheus euocati à Paulo, vt est capite priore dictum [a], dum ibidem adhuc esset, peruenerint. Scribit námque ad Thessalonicenses [b], *illinc se ad ipsos eos misisse.* Immò putant Athanasius [c], & Theodoretus [d], primam Athenis epistolam Pauli scriptam ad Thessalonicenses: quanquàm verosimilius est, datam Corinthi: siquidem significat se tunc scripsisse [e], cùm Thessalonica reuertit ad ipsum Timotheus [f]; Corinthi nimirum agentem, vbi multo tempore constitit, postquàm Athenis, vbi breuiore, illum miserat ad eos.

a vers. 15.
b 1. epist. 3. 1.
c in Synopsi.
d præfat. in epi. Pauli.
e 1. ep. Thes. 3. 6.
f ibidem.

De vrbe Corintho.

Corinthũ.] Notissima, nobilissimáque Achaiæ, quæ & Peloponnesus, & nunc vulgò Morea in Græcia, vrbs, aliàs Ephire, adeò vt totius eam Cicero Græciæ lumen appellauerit [g], illam autem Romani solo æquauerint propter insolentiam aduersùs eorum legatos [h], & ex incendio confusis vasis, extiterit mistura æris pretiosissimi

g orat. pro lege Manilia.
h Pauta lib. & Cic. sup.

A supra aurum, argentúmque. Sed Augustus loci permotus commoditate, atque celebritate, vrbem illam restaurauit, libertinis eò colonis missis, ita vt ibi Præses habitaret Achaiæ, qualis Gallio, cuius isto capite mentio. Thucydides [i] ἀφνειὸν nominat, id est, *vberem & copiosam.* Eodémque nomine Homerus [k] eandem compellat. *Erat etiam,* inquit Chrysostomus [l], *ciuitas Oratoribus plena, & Philosophis:* & de septem, qui dicuntur Sapientes, quidam erant ex hac ciuitate, videlicet Periander: & Græciæ tunc principatum obtinebat, quia Lacedæmonum, & Atheniensium antiquum corruerat Imperium. Legendus Velleius [m], Strabo [n], Plinius [o].

i lib. 1.
k Iliad. 2.
l præfat. in 1. ad Corinth.
m lib. 1.
n lib. 8.
o lib. 4. c. 4.

B

Versus 2.] Et inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius (eò quòd præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma) accessit ad eos.

ET *inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam.*] Ἀκύλαν. Syrus, אקולאס *Akaulas.* Si quis etymõ vestigat, id meliùs forsan è Græcis petet, apud quos ἄκυλος, *glans est iligna, seu fructus ilicis,* quam ex Latino Regiæ volucris nomine. Etsi verò ἀκυλεὺς Hesychio est ἀετὸς; tamen deriuatum videC tur ab aquila, vocabulo Latino. Planè incerta, & fallax est notatio nominum, quæ non fit ab ipsamet Scriptura, vel vnanimi Patrum consensu. Arator [p] ab aue Aquila, Catharinus [q] deriuat à glande: obseruántque rationem mysticam.

Aquila nomen etymon.
p hoc loco.
q in c. vlt. ep. ad Rom.

Ponticum genere.] Syrus, מן פונטוס אתרא *men puntus athra,* id est, *ex regione Ponti:* Ποντικὸν τῷ γένει. Sciunt qui delibarunt Isagogen Porphyrianam [r], ex acceptionibus generis vnam esse pro patria, & loco natiuitatis. Pilatus, vt aliàs monui [s], non est appellatus à Ponto Pontius, quemadmodum Theophylactus voluit.

r cap. de Genere.
s cap. 1. 13.

Absurdius est, quod quidam, vt refert Auctor Lexici Biblici Andreas Placus, dici voluerunt D non Ponticum ab Asiæ prouincia, sed Pontificio genere: existimantes nullum eo tempore Pontici generis Iudæum fuisse. Atqui dispersi erant per totum orbem Iudæi, & Petrus ad Ponti dispersos nominatim scripsit.

Aquila fuit ex regione Ponti.

Longè hic est alius ab eo item Pontico ex Synope Aquila, qui post Interpretes LXX. vetus Testamentum in Græcum vertit, vixítque, vt Hieronymus [t] indicat (ex aliorum tamen potiùs opinione) ante CHRISTVM; vel potiùs, vt placet Epiphanio [u], sub Adriano Imperatore, factus ex Gentili Christianus, & ex Christiano proselytus Iudæus, & odio Christianismi: vnde ob pertinax Astrologiæ iudiciariæ studium eiectus fuerit, E vetus Testamentum contaminauit sua interpretatione. Innuit alibi Hieronymus [x], floruisse post CHRISTVM, & Iudæum fuisse, vocátque [y] *proselytum, & contentiosum Interpretem, qui non solum verba, sed etymologias quoque verborum transferre conatus sit.* Præfecit eum Adrianus restaurandæ Ierosolymorum vrbi, quam voluit Æliam nominari, vt est apud Epiphanium. Mentionem facit Eusebius [z] de eodem sub nomine quoque Græco Ἀκύλας, eundémque meritò refutat Philaster [a].

Aquila Ponticus Synopensis ...
t lib. 3. in c. 8. Esaiæ.
u li. de Mensu.
x Apol. contra Rufin.
y epist. 101. ... opti. gen. interpretan.
z 5. Hist. c. 8.
a de hæres. 90.

Noster profectò Aquila inter Sanctos relatus est cum Priscilla, vel Prisca vxore [b], de qua paulò pòst, & meminit vtriusque perhonorificè Paulus, tum ad Romanos [c], tum ad Corinthios [d],

Aquila, de quo hic, Sanctus ...
b in Martyr. 8. Iulij.
c cap. vlt. 3.
d 1. ep. vlt. 19.

tum

a 2. ep. vlt. 19.

tum ad Timotheum [a] scribens: nam eos nominat *adiutores suos in* CHRISTO IESV, *qui pro anima*, hoc est, vita, *ipsius suas ceruices supposuerint, vt iis propterea non solùs ipse gratias agat, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium*. Ait etiam, *se apud illos hospitatum*, scilicet extra Corinthiorum, quibus id refert, vrbem.

b in Synopsi. c post Homil. in ep. ad Roman.

Dorotheus [b] tradit, Aquilam Heracleæ Episcopum fuisse. Hunc, & vxorem laudat propria de ipsis Homilia Chrysostomus [c]. In Menologio Iulij mensis die 14. vocatur Aquilas Græcè, vt in hoc textu nostro, Ἀκύλας, sanctus Apostolus, vnúsque de Septuaginta, & ἱερεὺς, hoc est, *Sacerdos*, καὶ ξεναγὸς, id est, *hospes Pauli*.

De Prisca, seu Priscilla Pauli ... d 8. Iulij. e cap. vlt. 3. f cap. vlt. 19.

Et Priscillam vxorem eius.] Iam dixi, censeri eam numero Sanctorum, cum Aquila viro suo in Martyrologio [d]. In epistola ad Romanos [e] nominatur Prisca, & in secunda ad Timotheum [f]: in priore autem ad Corinthios, quamuis vbique sit Priscilla, & in multis Græcis codicibus Πρίσκιλλα; quidam enim etiam habent, Πρίσκα: & quidem duobus primis locis prima ponitur; in vltimo, & in præsenti secunda post Aquilam. Sed quidam codices Latini legunt vbique Priscam, præterquàm in hoc loco.

g Hom. 10. in 2. ad Tim. h in Synopsi.

Quod ad ordinem verò attinet, placet magis quod secundo loco docet Chrysostomus [g], indifferenter seruatum ab Apostolo; quàm quod priùs dixerat, priorem nominatam Priscam, siue Priscillam, quia feruentior esset. Decipitur proculdubiò Pseudo-Dorotheus [h], dum inter Discipulos Septuaginta, Priscam numerat Episcopum Colophonæ, cuius & Paulus mentionem faciat.

Priscilla alia Pudentis ... mater, & eiusdé nominis alia plurima.

Priscilla celebris nominis & alia propter pietatem fuit Pudentis Senatoris mater, & auia Pudentianæ, & Praxedis virginum, eiusdémque cœmeterium via Salaria, & ad vrsum pileatum (nescio an vtrumque eiusdem) & altera propter impietatem Montani Prophetissa impurissima. Neque confundi debet cum Prisca Romana tredecim annorum virgine passa sub Claudio seniore (si quæ sub eo huius nominis passa est) repugnat enim tum ætas, tum Imperatoris tempus, quo mortuo, constat, hanc, de qua agimus, superstitem fuisse. Non item cum alia, quæ subiit martyrium anno tertio Claudij iunioris, & sepulta est, vt Petrus de Natalibus [i] tradit (si qua tamen Auctori fides habenda) in Ecclesia Aquilæ, & Priscillæ, siue Priscæ. Lege notas Baronij in Martyrologium [k].

i lib. 2. c. 96. k 18. Ianuar.

Solemus hoc tempore ob molliorem aut ætatem, aut amorem, aut minorem staturam, propria nomina per diminutionem efferre. Romani olim ipsamet diminutiua vt propria imponebant, præsertim fœminis, vt Drusillæ, Petronillæ, Agrippinæ, Domitillæ, Tulliolæ, &c. Sed non legi easdem nomina, vt ita dicam, ampliora retinuisse, vt verbi gratia, eadem vocaretur Drusa, & Drusilla, &c.

Eò quòd præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma.] Iudæos à Claudio pulsos ex Vrbe anno Imperij nono, & CHRISTI quinquagesimoprimo narrat Paulus Orosius [l], cum testimonio Iosephi, ac Suetonij.

l lib. 7. cap. 6. m in Claudio. cap. 25. Christiani simul cum Iudæis eiecti sunt.

Causam Suetonius [m] affert, CHRISTI *impulsionem, quòd Iudæi tumultuarentur assiduè.* Nescire se fatetur Orosius, *an quòd tumultuarentur contra* CHRISTVM *Iudæi* (quem imperitè CHRESTVM à Gentilibus, & à Iudæis malitiosè vocatum alibi dixi) *an etiam Christiani simul sint eiecti tanquam cognatæ religionis homines, atque interdum nomine ipso Iudæorum comprehensi.* Videntur Suetonij verba

A innuere, CHRISTI causa factam esse illam eiectionem, quasi altercantibus Christianis, Iudæisque de religione, cùm iam Romæ CHRISTI fides disseminata esset. Aquilæ, & Priscillæ non fuisset inde exeundum, qui Christiani erant, nisi Christianos æquè vt Iudæos edictum attingeret. Beda [n] consentit Orosio, necnon Ado [o], Marianus Scotus [p], & alij, à quibus non debuit Onuphrius [q] recedere, & reijcere in sextum Claudij annum, quod illi nono assignat: nam Corinthum, vt ipse non diffitetur, Paulus ante hunc annum nonum non venit. At Lucas ibi narrat ab Apostolo repertos Aquilam, Priscillámque tanquam appulsos ab Italia. Προσφάτως, *nuper, nuperrimè, recens*

n hoc loco. & lib. de sex ætat. o in Chron. p lib. 2. q in Fastis.

B (quo pacto legit Augustinus [r], *nouissimè*. Et Syriacè, ובה בהו זבנא *vebeh bahu zabna*, id est, *Et in ipso, eo, vel, illo tempore*.

r de opere Monachor. c. 19.

Historia Scholastica, & Hugo edicti aliam causam reddunt, quia Iudæi Agrippinam Claudij vxorem, in cuius se familiaritatem insinuauerant, faciebant Iudaizare. Lyranus, & Carthusianus, & Gagneius eandem recitant, Ioannes Benedictus etiam approbat.

Iudæos expulsos fuisse non scribit Iosephus. s 19. Antiq. 4.

Ceterùm vbi Iosephus, quem citat Orosius, de Iudæorum per Claudij edictum expulsione scribat, non inuenio; recitat potiùs [s] eiusdem pro iisdem amplissimum edictum, quod mihi etiam Suetonij Scholiastes Beroaldus videtur vidisse,
C & notasse. Chrysostomus dispensatione factam diuina notat Iudæorum eiectionem ex Vrbe, vt vinctus illuc Paulus duceretur, & ne tanquàm Iudæus inde expelleretur, sed tanquam sub militibus agens, illic asseruaretur. Reuerenter à summo Doctore cogor hac in parte dissentire; siquidem vt primùm Romam venit Apostolus, hoc est, tertio die, sermonem habuit ad Iudæos [t]: iam ergo redierant. Qua de re plura capite vltimo. Voluit fortasse Chrysostomus dicere, non anteà Paulum peruenisse Romam, quàm quo tempore Iudæorum contigit & Christianorum expulsio.

t cap. vlt. 17.

D *Eò quòd præcepisset.*] Syriacus, מטול דפקד הוא *metul daphekad haua*, id est, *Quoniam præcipiens erat*; seu, *Quandoquidè edixerat*. Διὰ τὸ διατεταχέναι. Hoc verbū, vt Gagneius notat, denotat nō simplex præceptum, sed *edictum*, vel, vt alij loquuntur, *constitutum*, seu *constitutionem*, quæ dicitur διάταγμα, καὶ διάταξις, vt prior obseruauerat Budæus [u]. Attamen verbo præcipiendi rem satis expressit Interpres, atque tam grauis materia grauitatem præcepti satis demonstrat.

u in Comm. ling. Græcæ.

Versus 3.] Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur (erant autem scenofactoriæ artis.)

E MANEBAT *apud eos, & operabatur.*] Idem de seipso Paulus sæpiùs testatus est [x], quamuis non ignoraret, quod etiam Chrysostomus docuit, *Dignum esse operarium mercede, ac cibo suo* [y]. Et, *Ministrantem altari, de altari viuere posse* [z]. Et, *Militem mereri stipendium*. Et, *Et, qui spiritualia seminat, eorum, apud quos seminat, fas esse temporalia metere*. Id autem quoque ait *se fecisse, ne quem grauaret, vt alios prouocaret exemplo suo ad vitandum otium, vt deterreret Pseudo-apostolos, qui quæstus causa prædicabant, vt haberet vnde necessitatem tribueret parentis*: vt tanquàm alienus à sordibus liberiùs audiretur, cùm *sui se auditores, & non sua quæri ab ipso*, re ipsa experirentur.

x Act. 20. 34. 1. Cor. 4. 12. c. 9. 4. 1. Thes. 2. 9. 2. Thes. 3. 8. 9. y Luc. 10. 7. Matth. 10. 10. z 1. Cor. 9. 4. & seq. Paulus cur suis manibus laborauerit.

Colliguntur hæ omnes causæ ex scriptis ipsius-

met

a in epist. ad Gal.

met Apostoli in margine notatis. *Bona opera*, videlicet eleemosynas, & similia, *nemo maiore fiducia debet præcipere*, inquit Augustinus [a], *quàm hic Apostolus, qui manibus suis victum transigens, hæc in se nolebat fieri, vt maiore pondere propter eorum magis vtilitatem, qui hæc exhiberent, quàm propter eorum, quibus exhiberent, ea se monere, omnibus demonstraret.*

Iudæi prætextu pietatis à nobili fœmina pecuniam extorserãt.

b 18. Ant. ca. 5.

Quibus addi potest, quòd multò antè Tiberius abegerat Iudæos ab Vrbe, quia prætextu pietatis, ornandíque Ierosolymitani templi, à Fuluia Romana nobili fœmina, Saturnini amici Imperatoris vxore, legem Mosis amplexa, purpuram, aurúmque extorserant, & in vsus proprios verterant. Extat apud Iosephum [b] gestæ rei narratio. Hanc forsan Paulus non ignorans gentis suæ labem, ab ea quàm longissimè aberat.

c Gal. 1. 14.

d in Cabala hist. & in 1. lect. 1. hebd. Azymorum.

Paulus quà ratione opificium didicerat.

e Act. 22. 3.

Vel certè didicerat, cùm *adhuc Pharisæus æmulator super alios esset paternarum traditionum* [c], Schemaiam, & Althalionem, Rabbinos antiquos magni nominis, de lege quadam Iudæis præscripta meminisse [d], vt addiscerent manuale opificium, quo sibi victum pararent, qui Literas sacras profiteri vellent: & Gamalielem in doctrina fratrum, quæ inscribitur HAOD GAMALIEL (hic autem Pauli præceptor fuerat [e]) valdè commendasse id ipsum, cùm diceret: *Qui facere prætermitterent, promores ad peccandum futuros.* Tum prætereà, quòd ex nobilioribus Rabbinis Iohanna sutoriam, pistoriam Iudas, aliíque alias huiusmodi artes exercuissent; vt mirum non sit, si Paulus & nobilis, & eruditus, artem factitauerit illiberalem, atque mechanicam; præsertim cùm quidquid illiberalitatis sit, inde potissimùm nascatur, aliis si seruias, exercendo artem, vt lucro tuo consulas, & artem ipsam vænalem facias, nec honestiore fine conuestias.

De Pauli opificio.

f Hom. 5. de sancto Paulo. Hom. 4. in 2. ad Tim. Hom. 3. in 1. Cor.

g Hom. 17. in Num.

* Mat. 4. 19.

Sed & vetusta quandoque nobilitas in paupertate delitescit. Quomodo, vt capite nono docui, Paulus habitus ignobilis etiam à Chrysostomo [f], qui eum appellat σκηνοῤῥάφον, *sutorem scenarum*; vt & Origenes [g], *pellium fabrum*: vt quemadmodum à piscium piscatu ad homines piscandos alij *: *Sic iste*, inquit, *à terrenorum tentoriorũ sutura ad æterna consuenda vocaretur.* Nemo peregrinatus magis, quàm Paulus; omen quoddam fuit in opificio eius artis, quæ maximè peregrinis inseruit.

h Herod. in Euterpe. Sig. 2. de iure ciuium Rom. c. 12.

i Diony. Hal. lib. 2. & 6.

Nobiles Romanisque. & quot artes mechanicas exercuerint.

Constat verò etiam ex aliarum Gentium moribus, qui neque nobilitate, neque censu tanti essent, vt suis se reditibus alere possent, quamuis literarum studiis operam darent, artificio tamen alicui vacauisse [h]. Tum prætereà, licèt initio Romulus è ciuium Romanorum numero exemisset opifices [i], Numam posteà id ius cum omnibus communicasse. Immò ex operis Publicanorum Pub. Rupilius Consulatum adeptus est, imperiúmque gessit in Sicilia, & triumphauit. Terentius Varro, qui Cannensem cladem Consul accepit, institor mercis fuit, lanio patre. M. Scaurus & Consul, & Censor patrem habuit, qui carbonariam fecerat. Nobilitauit Censor, Consul, Imperator noster, ac triumphator Paulus manuum suarum labore ministerium suum.

k li. 1. ep. 470.

Turpe non est & probrosum laborare manibus.

Carpit Isidorus Pelusiota [k] Theodorum scholasticum, *quòd turpem diceret, & probrosum laborem manuum. Est id*, inquit, *vtile, atque ad tuendam vitam conducit.* Et Mitylenæus Pittacus, quamuis Rex esset, textrinam tamen manibus suis exercebat, simúlque & actuosè se exercebat, & cibum operabatur. Sunt & alia exempla, quæ Tiraquellus congerit in sua Nobilitate. Titia quondam lege, quam sustulit is, de quo agimus [l], Claudius, vt narrat Tacitus [l], *nefas erat, ob causam orandam accipere pecuniam, vel donum.* Et Hippocrates de seipso ad Abderitas scripsit, *nunquam se pro medicinæ vsu mercedem recepisse.* Scilicet potuit id vsurpare, quod suum patrem Medicum Ausonium Ausonius Poëta cecinit vsurpasse [m]:

l lib. 11.

m in Edyllio 10.

Obtuli opem cunctis poscentibus artis inempta,
Officiúmque meum cum pietate fuit.

n Matt. 10. 8.

Multò decet magis, vt gratiæ verbum, *ac dona gratis communicent, qui gratis acceperunt* [n], ac si fieri etiam possit, ne quod alioqui iure possint exigere, ac recipere, iustum laboris admittant, necessariúmve stipendium, vt omnis præcidatur procliuibus ad suspiciones occasio.

Laborandum est maximè à Christianis non occupatis.

o 2. Constit. c. vlt.

p ep. ad Thessal.

q de vita Christ.

r Hæres. 80.

Alioqui operosa nonoccupatis in grauioribus pro DEO, proximóve negotiis vita, seu quę vocantur opera manuum, Christianis maximè commendantur à Clemente Romano [o], Ignatio [p], Iustino [q]; sed Monachis potissimùm ab Epiphanio [r], Hieronymo [s], Augustino [t], Cassiano [u]: si, inquam, aliis melioribus rebus non distineantur, vt idem Augustinus [x] distinctè excipit.

Duo errores de labore manuum Monachis vitandi.

s ep. 4. ad Rusticum.

t ep. Lectio. de opere Monach. & 1. de morib. Eccles. c. 31.

u 2. Instit. c. 13. lib. 4. c. 1. & li. 10. 1010.

x de opere Monac. c. 21.

y supra.

z lib. 7. c. 10.

a de hæres. c. 57.

b li. 2. Retract. c. 21.

c opusc. 19. & 2. 2. q. 187. ar. 3.

d lib. de paupert. Christi, & in Apologia pauperti.

e 4. Doct. fidei art. 2. c. 22.

f 4. Inst. c. 12. § 10.

g li. 2. de Monac. cap. 41. & 42.

h 1. Cor. 9. 14.

Vbi duo vitandi extremi errores, vel id non licere Monachis, quod Messalianos, siue Psallianos, vel Euchitas Epiphanius [y] docuisse tradit, necnon Historia Tripartita [z], & Augustinus [a], qui etiam de nonnullis apud Carthaginem [b]; vel ad id teneri: quæ fuit hæresis Gulielmi de sancto Amore (quem impugnant S. Thomas [c], & B. Bonauentura [d]) atque Ioannis Vvicleff (quem refellit Thomas Vvaldensis [e]) & Ioannis Caluini [f], contra quem, alióśque omnes, ij, qui scribunt de controuersiis, præcipuè Bellarminus [g].

Eódem verò spectant, qui solos Religiosos liberant, dantes operam prædicationi. Vtramque hæresim vnus Paulus verbo vno refellit, ac reuellit, tùm *ita se operatum scribit, vt sibi etiam liceret secundùm Domini ordinationem* [h] *non operari, sicut nec operabantur alij.* Quod est item certum de iis, quos describit Philo, & de Monachis B. Martini tradit Sulpitius. Damnatus est Vvicleff in Concilio Constantiensi, & in Bulla Martini V.

Erant autẽ scenofactoriæ artis.] Syrus, באומנותהון דין לולרא הוו *baumanuthehun din lauelare hauu*, id est, *Opifices autem conopæorum erant.* Ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. Vbi pro γὰρ *enim*, Interpres posuit, *autem*, & quidem aptiùs: iam enim reddita erat causa, *& quia eiusdem erant artis.*

Glossa interlinearis, & Hugo exponunt de tabernaculis, vel funibus, quia scenos Græcè, sit Latinè funis, & scenæ tabernacula. Historia Scholastica pariter de tentoriis, ac papilionibus, qui necessarij erant, vel indigenis propter immoderatum calorem, vel commeantibus. Esse verò scenos, vmbram, aut funẽ, ipsos autem fuisse funicularios. Beda volẽs istos sibi ipsi tanquàm exulantibus, aut peregrinis ædificasse tentoria, quibus vterentur in via, deducit ἀπὸ τῶν σκηνῶν, id est, *à tabernaculis*, siue τῶν σκηνωμάτων, quæ idem significant, ipsáque sic dicuntur, ἀπὸ τῆς σκιᾶς, hoc est, *vmbra*, & fiebant ex sagis laneis, vel lineis, vel ciliciis, vel ex arborum frondibus, virgultísve.

Carthusianus intelligit artem aut conficiendorum tentoriorum, aut velorum pictorum, quibus aulæ tegantur diuitum, ac nobilium, & scenos Græcè esse habitationem, vel tabernaculum. Caietanus idem sentit de arte tabernaculorum: sed hæc ex lino, aut lana, aut etiam serico facta esse. Vatablus interpretatur de tabernaculis,

Digitized by Google

vel aulæis. Aulæa placuerunt Erasmo. Emmanuel Sà exprimit tabernacula è pellibus constitisse.

Cuius artis fuerit Apostolus.

Hic mihi vnus propiùs ad veritatem locutus videtur, quam quoque sententiam Baronius [a] amplexatur. Etymologiam verò Beda meliùs attigit: funem enim σχοῖνον, non σκῆνον, Græci vocant. De aulæis non possum assentire, tum quia non credo huiusmodi artificium fouendæ magis voluptati comparatum, quàm leuandæ necessitati Paulo placuisse Apostolo, & sanctis illis Discipulis Aquilæ, & Priscillæ: tum quia Erasmus texta vult aulæa; cùm tamen in pellibus ars ista versaretur. Hoc sanè de pellibus disertè docent, cùm de Paulo agunt, quos antè citaui, Origenes [b], & Chrysostomus [c], qui *vsum etiam* dicit *scalpello ad concidendas pelles*, iam scilicet maceratas, & elaboratas, vt imbres cohiberent. Tabernaculum testimonij pellibus opertum est iussu DEI de *pellibus arietum rubricatis, & de hiacynthinis* [d]. Sed & pelles pro tabernaculis, tentoriisque positæ in Scriptura reperiuntur [e]. Festus [f] *tecta castrensia, quamuis pellibus integantur*, tabernacula dici docet, à tabernis retento nomine, hoc est, tabulatis ædificiis. Solent quoque Historici dicere exercitum esse, vel retineri sub pellibus, vt Tacitus [g]: & Cæsar [h] *naues pellibus assutis coopertas* scribit.

a Tom. 1. Annal.
b Hom. 17. in Num.
c orat. 4. de laud. Paul. & hom. 2. in ep. ad Rom.
d Exo. 26. 14. & c. 36. 19.
e 2. Reg. 7. 2. 1. Par. 17. 1. Cãtic. 1. 5. Esa. 54. 2. Iere. 4. 20. & 10. 20. Habac. 3. 7.
f lib. 1. verbo *Attubernales*. & lib. 1. verb. *Contubernales*.
g lib. 13.
h 3. de Bell. ciuili.

Erat & quandoque scena ex alia materia, necnon tentoria, & tabernacula, vt ex lino, lanáve texta, aut ex ramis, ac frondibus, imitante naturam arte, vt esset quodammodò

— *Syluis scena coruscis* [i],

i Æn. 1.

ad conciliandam vmbram, qualia erant Hebræorum tabernacula, & feria erant, dum peregrinarentur, &, vt ita loquar, vmbratilia peregrinitatem illam adumbrantia in festo τῆς σκηνοπηγίας.

Artis suæ pelliones Paulus.

Sed aio, quam factitabat artem Paulus extruẽdorum tabernaculorum, pellionis fuisse. Arator est in hac sententia, qui quoniam Pauli opificium comparat pereleganter cum Petri piscatu eo modo, quo ante ipsum Origenes [k], & posteà Beda, atque alij, quod nos quoque priùs monuimus, dignus est, cuius sub vmbrosam scenam tantillùm nos recipiamus, vel ad capiendam quietem, vel ad voluptatem: ita tamen vt non solam, quod quidam faciunt, quos reprehendit Augustinus [l], in manuali opere Pauli allegoriam agnoscamus.

k Hom. 17 in Num.
l de opere Monach. c. 15.

Nec vacat ars Pauli socio celebrata sub ipso
Secreti virtute boni, tentoria quippe
Fortia nobilibus fabricabat in aggere textis,
Longius hac abiens peregrinus vbique viator
Frigus, atque hyemes, solésque his pellibus arcet:
Nos quoque per culpam prima de sede repulsi,
Exilio mundi iacimur, via reddita tandem,
Qua patria repetamus iter, munimina nobis
In castris sunt Paule tuis, ne criminis imbres
Tempestas mundana ferat, scelerúmque vapores
Ignitus tentator agat, sub tegmine tali
Tuta salus, nullum discriminis excipit ictum,
Nec prostratæ feris succumbit viribus hostis.
Mystica signa duces præmittunt laudibus artis:
Pisces Petrus agens homines capit, æquoris hospes
In sacris persistit aquis; habitacula Paulus
Dum terrena leuat, docet, vt cœlestia condat,
Factaq; sæpe manu nunc construit atria verbo.

Apud Clementem Romanum [m] Apostoli, vt suomet ad otium vitandum alios exemplo adhortentur, sic loquuntur: *Etenim & nos verbo Euangelij incumbimus, tamen exercere illa quasi adminicula operis huius non negligimus: partim enim nostrum sunt piscatores, partim tabernaculorum opifices, partim agricolæ, ne vnquam otiosi simus.* Vbi nescio quis ad marginem notauit, Iudam Iacobi agricolam fuisse.

Apostoli quique suis manibus victum tolerarunt.
m 2. Const. c. vit.

Etsi verò dictio *scenofactoria*, è Græca constat, & Latina, censeri barbara non debet, sicut nec istæ, quas non mali vsurpant auctores, monoculus, bigamia, Compresbyter, Coëpiscopus, Condiaconus, & similes.

Versus 4.] Et disputabat in Synagoga per omne Sabbatum, interponens nomen Domini IESV, suadebatque Iudæis, & Græcis.

ET *disputabat in Synagoga.*] Beda obseruat duos versus in Græco esse, qui non sint in quibusdam codicibus Latinis, hæc recitata verba computans pro duobus versibus. Ego nullum vidi codicem Latinum, qui non habeat; sed vnum manuscriptum, in quo est aliqua trãspositio, seu ordinis sententiarum variatio. Arias monet de nonnullis manuscriptis. Non repeto notatam toties habendi de rebus sacris in Synagoga per omne Sabbatum verbi diuini consuetudinem: & quòd per Græcos intelligantur Gentiles. Illa autem verba, *Interponens nomen Domini* IESV, nec Græci legunt, nec Syri. Significant vel crebris sermonibus Dominum IESVM inculcatum, vel per inuocationem nominis eius, signa multa ibi Paulum fecisse, toto sesquianno, quo apud Corinthios mansit. Hæc quæ Lucas adeò perstrinxit, Paulus ipse magis perspicuè declarauit, scribens Corinthiis [n]: *Signa autem Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus. Quid est enim, quod minùs habuistis præ ceteris Ecclesiis?*

Quid sit interponere nomen Iesu Christi.
n 2. ep. c. 12. 13.

Versus 5.] Cùm venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Iudæis esse CHRISTVM IESVM.

CVM *venissent autem de Macedonia.*] Beroëæ relicti [o], & Athenis inde reuocati, apud Athenas haud moratum diu Paulum non inuenerunt, vel aliquo modo de discessu ipsius ex ea ciuitate in itinere moniti, nec illac quidem transierant. De Timothei aduentu scribit Thessalonicensibus [p] è Corintho. Fortasse tardiùs discesserunt ob segetem vberiorem prædicationis. Neque hanc Paulo moram ingratam fore sunt arbitrati. Extat cuiusdam Pontificis responsum, *superiorum literis, cùm valdè probabile est, non mandaturos, si rem præsentem non ignorarent, iniuriam non fieri, si non tam promptè ab inferioribus non obediatur.*

o Act. 17. 14. 15.
p 1. ep. c. 3. 6.

Instabat verbo Paulus.] Prædicationis, seu Euangelij, quod perperàm nonnulli addiderunt ad textum, vt notat Lyranus. Instabat verò, quia sæpiùs post auxiliariorum aduentum prædicabat, & per illos, & per seipsum: συνείχετο τῷ πνεύματι ὁ Παῦλος. Syrus, אליץ הוא במלתא *elits haua bemalletha*, id est, *constrictus erat in sermone*; vel, *constringebatur sermone*. Vatablus, & Clarius, *coarctabatur Spiritu*; vel, *continebatur à Spiritu & constringebatur*, cùm animaduerteret videlicet Iudæorum pertinacem incredulitatem. Quemadmodum priore capite, *incitabatur spiritus eius*, παρωξύνετο, *in ipso videns idololatriæ deditam ciuitatem Atheniensem.*

Sic vbique Paulus spirans est indignationis ob profanatum DEI nomen, & intima exedentis pro

Paulus ob profanatum Dei verbum indignari solitus.

fratribus

A fratribus zeli, qui quondam supra, vltráque modum æmulatus legem, *minas, & cædem spirabat in Discipulos Domini* [a].

a Act. 9.

Potest quoque sensus esse, quem innuit Arias, quòd cùm aduentassent duo illi adiutores, expertus sit addi sibi animum, & quendam SPIRITVS sancti instinctum ad Corinthi diutiùs hærendum, vnde fortasse maturiùs discedere deliberauerat, & ad liberiùs, constantiúsque prædicandum: sicque auctore SPIRITV remansit, qui eiusdem inspiratione quædam priùs obierat loca, à quibusdam abstinuerat [b]. Huiusmodi quidem facta ipsi hac in re inspiratio narratur paulò pòst [c].

b Act. 16. 6.
c vers. 9.

B Chrysostomus videtur intellexisse, quòd spiritu suo, & animo coarctabatur præ molestia, qua vrgebatur, & vexabatur à Iudæis. Caietanus exponit de impulsu diuino ad tam citò, & adeò clarè prædicandum, quòd IESVS esset CHRISTVS, siue MESSIAS, idque de industria Lucam aduertisse, ne quis præceps damnaret Apostoli consilium, & ipsius præcipitationi commotam in eum persecutionem imputaret.

Omnia ista, quæ commodè profectò dicuntur, complexus est Interpres dicens, *instabat verbo*, hoc est, tunc sese maximè aperuit, & frequenter, ac studiosissimè diuini SPIRITVS ardore incensus IESVM Nazarenum affirmauit esse illum, de quo Sabbatis præteritis disputauerat.

C Syrus interpres cur constringeretur sermone, causam putauit, quoniam eum Iudæi conuitiis, & blasphemiis Euangelicam doctrinam proscindebant: sic námque sententias connectit, אליץ הוא במלתא הו פולוס מטול דקימין הוו לקובלה יהודיא ומגדפין הוו כד מסהד הוא להון דישוע הויו משיחא *alits haua bemelletha hau Paulaus, metul dekaiemin, hauu lekubeleh Iehudaie vamgaddephin hauu chad meschad haua lehū deiuschuahh haueitu meschicha*, id est, *Constrictus erat in sermone Paulus, quoniam insurgentes erant in eum Iudæi, & blasphemantes, cùm testans esset ipsis, quòd* IESVS *esset* CHRISTVS; seu, *Constringebatur sermone ipse Paulus, quòd insurgerent in eum Iudæi, atque blasphemarent, cùm testaretur eis* IESVM *fuisse* MESSIAM: vnde videtur existimasse constrictionem non fuisse compulsionem ad loquendum, sed potiùs quandam D veluti restrictionem cordis, & impedimentum: mox enim subditur excessus ipsius de Synagoga cum vestimentorum excussione, atque imprecatione.

Græcum verbum συνέχεσθαι, ab eodem Luca vsurpatum in Euangelio [d], Βάπτισμα δὲ ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πῶς συνέχομαι ἕως οὗ τελεσθῇ; Interpres noster vertit, *coarctor*: *Baptisma autem habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Eodem pacto in epistola ad Philippenses [e], Συνέχομαι δὲ ἐκ τῶν δύο, τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι. E *Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum* CHRISTO.

d cap. 12. 50.
Verbi συνέχομαι significationes.
e cap. 1. 23.

Rursum pro actiuæ vocis verbo συνέχειν, apud Euangelium Lucæ [f], Latina editio reddit, *Comprimere*. Οἱ ὄχλοι συνέχουσί σε, καὶ ἀποθλίβουσι, *Turba te comprimunt, & affligunt*. Et [g]: Καὶ οἱ ἄνδρες οἱ συνέχοντες τὸν ΙΗΣΟΥΝ, *Et viri, qui tenebant* IESVM. Adhæc in capite septimo [h] præsentis historiæ, συνέσχον τὰ ὦτα αὐτῶν, *Continuerunt aures suas*. Postremò in posteriore ad Corinthios epistola [i]: Ἡ γὰρ ἀγάπη τοῦ ΧΡΙΣΤΟΥ συνέχει ἡμᾶς, *Charitas enim* CHRISTI *vrget nos*. Itaque rectè noster Interpres effectum exprimere malens pro causa, quam textus Græcus continet, dixit,

Συνέχω active nonnunquam vim habeat.
f cap. 8. 45.
g cap. 22. 63.
h vers. 57.
i cap. 5. 14.

A *Instabat verbo*, quasi ab eo coarctaretur, atque comprimeretur prodire volens, aut quasi ipsum teneret, nec dimitteretur, volens itidem per illum euulgari, aut demùm quasi spiritus eundem siue suus à sancto permotus, siue ipsemet sanctus teneret, nec dimitteret; sed vrgeret, atque constringeret loqui. Ita námque συνείχετο τῷ πνεύματι, sicut erant, quos CHRISTO offerebant miseri illi ποικίλαις νόσοις, καὶ βασάνοις συνεχόμενοι, *variis languoribus, & tormentis comprehensi* [k]. Non affecto prolixitatem, sed affectus me tuendæ, ac illustrandæ editionis nostræ συνέχει, ac vehementer perurget.

k Matt. 4. 24.

Testificans.] Διαμαρτυρόμενος. De vsu huius verbi B aliàs dixi. Importat ἔλεγχον, καὶ παῤῥησίαν, *efficacem probationem, & liberam orationem* cum interminatione, obtestatione, expostulatione.

Versus 6.] Contradicentibus autem eis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam.

CONTRADICENTIBVS *autem eis, & blasphemantibus.*] Primum in disputatione, secundum in maledicentia erat: & studiosè Iudæi C CHRISTI nomen, non Pauli duntaxat probris lacerabant. Particula *autem*, ostendit alium esse nexum in historia, quàm quem Syrus interpres, vt prædixi, commentus est.

Excutiens vestimenta sua.] De hoc ritu lege caput decimumtertium [l], vbi mentio est de excusso etiam puluere pedum, cùm CHRISTVS puluerem pedum excuti præceperit [m]. Hugo monet, vel non habuisse Paulum puluerem in pedibus, quia diu iam ibi manserat, vel perinde esse, vndecunque fiat excussio pulueris, ad signum ingratitudinis auditorum demonstrandum.

l vers. 51.
m Matt. 10. 14.

Sanguis vester super caput vestrum.] Prætermisit Syrus interpretationem verborum istorum, nullo D sanè modo prætermittendam, cùm emphasim grauem contineant.

Phrasi Hebraïca, *Sanguis super aliquem*, vel *caput eius esse* dicitur, cùm pœnam luiturus est; & is super se suscipere sanguinem, qui pœnæ in se periculum recipit, culpámque, cui debita est pœna. Sunt cùm alia exempla [n], tum crudeliter in seipsos cum incrudelitate agentium Iudæorum: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros* [o]. Quasi dicerent: Si quod hac in morte peccatum est, luemus eam nostra & nostrorum, & sanguine piabimus, ac extinguemus diuinam iram. Videri possit quiddam non absimile apud Senecam [p]:

Quid sit, sanguinem super aliquem esse.
n Leuit. 20. 9. 11. Esa. 4. 19. 2. Reg. 1. 16. Ezech. 18. 4. Osee 12. 14.
o Matt. 27. 25.
p in Medea act. 4.

— *sacro feriam*
E *Brachia cultro.*
Manet noster sanguis ad aras.
Et [q]:
Tandem dolori spiritum reddat meo,
Irámque nostram sanguine extinguat suo.

q in Octau. act. 3.

Itaque his verbis Apostolus, vt notant Chrysostomus, & Oecumenius, exprobrat ipsis propriam ipsorummet cædem, eò quòd à CHRISTO, qui est vita, desciscerent, & ad æternam mortem delaberentur. *Igitur*, ait idem Chrysostomus, *& nos rei sumus sanguinis eorum, qui nobis crediti sunt, negligentes illos*. Lege Ezechielem [r].

Mundus ego.] Καθαρὸς ἐγώ. Sic Daniel [s] de Susanna: *Mundus ego sum à sanguine huius*. Eodem pacto

r c. 3. 18. 20. 33. 6. 8.
s cap. 13. 46.

David [a],

David [a], & rursum posteà Paulus [b]. Et vis in eo est, vt quoniam non stat per eum, qui de seipso ita loquitur, quominùs quod ab alio admissum est peccatum, prorsus non fuerit: & si quid, posita aliena malitia, facere ipsum officij, & iustitiæ ratio poscat, verbi gratia, damnare, & punire, omnis, quæ in ea re apparet, culpa extra illum sit. Qua ratione iam laudatus Poëta dixit [c]:

Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens.

Huius innocentiæ, atque munditiæ in signum Pilatus dānaturus CHRISTVM, lauit manus coram populo, dicens: *Innocens ego sum à sanguine Iusti huius, vos videritis* [d]. Et quidem vultu ad Orientem conuerso, vt meminit Historia Tripartita [e]. Videlicet Iudæi Iudices reum mortis iudicaturi, aqua manus abluebant [f]; & alij quoque tali ritu innocentiam significabant [g]: quam ad consuetudinem Pilatus se, quia Romanorum non erat, vt quidem vult Origenes [h], voluit in causa hominis Iudæi, & apud Iudæos accommodare.

Quamuis qui se cæde ex aliis Gentibus polluerant, vt puriores præsertim ad sacrificia forent, aut etiam vt sordes noxarum deponerent, lustrali aqua lauabant, seu pluuiali, aut niuali, seu fluuiali, seu fontana, seu marina: nec enim omnibus eadem religiosa erat, eo ferè modo, quo nos sacra. Cuius rei apud Virgilium extant exempla [i], & aliorum Auctorum testimonia, vt Hippocratis [k], & Euripidis [l], & Triclinij Sophoclis interpretis. Et constat hodiéque à Iudæis, Saracenis, Turcis, totius etiam corporis ablutiones eundem in finem celebrari [m].

Erat quoque olim iniunctum sacerdotibus Iudæis, vt ingressuri templum lauarent manus [n]; idémque seruatum à ceteris, Aristeas [o] testis est, ac Philo [p]. Et de Christianis, priusquàm orarent, Clemens [q], & Tertullianus [r], & Chrysostomus [s], & indicat Paulus [t] per *puras manus*; ac de seipso Iob [u]. Memini, de hac re digressionem edidisse, cùm interpretarer caput primum Esaiæ Parisiis: lucubrationes enim meas bellorum turbulentia interuertit. Lege Hieronymum Magium [x], Barnabam Brissonium [y], & Marsilium Columnam [z], & de nostris Pinedam [a], atque Gretserum [b]: hic eruditè simul, probabilitérque docet posse videri Pilatum ea in re Romano more, non Iudaico egisse.

Sed antequàm dicerent in sontes sententiam Iudices, non memini apud aliam, præter Iudæorum nationem, fuisse in vsu.

Atqui *non purgant contaminatum animum manus lotæ*, ait Leo Pontifex [c] de Pilati manibus, *nec in aspersis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur. Tanquàm nocentem enim*, inquit Clemens [d], *& capitis reum supplicio crucis addixit; tametsi leges Romanorum, ne quis, nisi conuictus, necaretur, vetabant. Animi labes*, inquit M. Tullius [e], *nec amnibus vllis elui potest*. Et Christianus Cicero Lactantius [f]: *Libidines*, ait, *intra pectus inclusæ nulli amnes abluunt, nulla maria purificant. Manus lauit Pilatus*, ait Ambrosius [g], *sed cor suum lauare non potuit; mansit scelere pollutus, quamuis manus suas aquæ infusione lauisset.*

Ex hoc.] Ἀπὸ τοῦ νῦν, *Ab hoc*; vel, *Ex hoc*. Omisit Interpres, *Nunc*, quod aliàs reddens easdem illas dictiones Græcas, expressit [h], vel aduerbium *Iam* [i]. Idem valet τὸ ἀπὸ ἄρτι, quod vertit idem, *Amodò* [k], *Adhuc semel*, in secunda ad Corinthios [l]. Legimus in editione Latina, *Ex hoc*, pro *Ex hoc nunc*, siue *Posthac, In posterum, & Deinceps, &c.* Ἀπὸ

a 2.Reg.3.28.
b Act.20.26.
Quod sit, Mundus ego sum.
c in Medea. act.1.
d Matt.27.24.
e lib.7.c.9.
Iudices reum mortis iudicaturi manus lauabant.
f Deut.21.6.
g Psalm.25.6. Psal.57.11.
h in cap. 27. Matth.tracta. 35.
i 2. & 6. Æneid.
k li.de morbo sacro.
l in Tauris.
m Bartholo. Georg. procr. hist. de Turc.
n Exo.30.19.
o lib. de LXX. Interpretib.
p de somn.
q 8.Constit.
r de orat c.11.
s Homi.72.in Ioan.& 51.in Matth.
t 1.Tim.2.8.
u cap.9.30.
x lib.4.c.10.
y in formulis. lib.1.pag. 6.& 7.& 8.
z in Hydrologia.
a Iob.9.c.2. vers.30.
b li.1.de Cruce.c.14.
Manus lauare ad expiandas animi sordes non sufficit.
c Sermo.8.de Pass. Dom.
d lib.5. Constit.c.13.
e 2.de Legib.
f 5.Inst.c.20.
g Sermo.11.in Psal.118.
h Psal.112.2.
i Luc.5.10.
k Mat.26.29.
l cap.5.16.

τοῦ νῦν. Syrus hoc loco iungit istas duas voces, seu aduerbium *Posthac*, cum præcedentibus hunc in modum, מן השא אנא דכא אנא אזלי לות עממא *men hascha ana deche ana azelli leuath hhammema*, id est, *Amodò ego mundus sum, abeo ego ad Gentes*; vel, *Posthac ego mundus sum, ego proficiscor ad Gentes.* Sine causa peruertit ordinem Græci textus, aut ita dispungit: Καθαρὸς ἐγὼ, ἀπὸ τοῦ νῦν εἰς τὰ ἔθνη πορεύσομαι.

Ad Gentes vadam.] Sic anteà in capite decimotertio [m], prolato etiam super hac re diuino præcepto.

Versus 7.] Et migrans inde, intrauit in domum cuiusdam, nomine Titi Iusti, colentis DEVM, cuius domus erat coniuncta Synagogæ.

TITI *Iusti.*] Græcè deest, *Titi*. Syrus omittit, *Iusti*, legítque, טיטוס *Titus*, id est, *Titi*. Vatablus, Clarius, & Caietanus Græcum textum sequuntur, sicut & Greci interpretes Chrysostomus, Oecumenius. Robertus Stephanus in margine Bibliorū Græcorum ponit, Τίτου. De cognomine *Iusti*, lege caput primum [n], quod hîc, & alibi Græci suis characteribus expresserunt Ἰούστου. & suspicantur hunc Beda, & Hugo sic cognominatum à iustitia. Sed consule dictum locum.

Bene præterea monent & ipsi, & Magister Historiæ Scholasticæ, differre ab eo Tito, qui erat Discipulus Pauli, eúmque circumcidi noluit, & Cretæ constituit Episcopum, & ad illum vnam scripsit epistolam, atque cum eodem ac Barnaba Ierosolymam ascendit ad conferendum Euangelium, & colloquendum Apostolis [o].

Colentis DEVM.] Aut quia Gentilis veram de DEO religionem sequebatur, aut quia proselytus. Hoc placet Carthusiano, & Caietano, & Petro Comestori; illud Glossæ interlineari, atque Hugoni: etsi pietatem hausisse putant ex auditione legis in Synagoga, cui propinquam habebat domum. Egimus aliàs de iis, qui dicebantur *colentes* DEVM, σεβόμενοι τὸν ΘΕΟΝ.

Non solebat, inquit Caietanus, *hospitari Paulus nisi apud Iudæos, vbi erant Iudæi: & proptereà cum tanta solemnitate nunc primum migrans ad hospitandum in domo Gentilium, præsentibus Iudæis, id effecit, excutiendo vestes, & protestando, &c.*

Cuius domus erat coniuncta Synagogæ.] *Hoc non frustra dicitur*, ait Glossa interlinearis, *ideo* DEVM *colebat, quia de proximo legem audiebat.* Gagneius credit fuisse in suburbiis, & Apostolum iussum ciuitate egredi blasphemiis Iudæorum. Vicinia domus cum Synagoga potiùs indicat contrarium.

Quòd enim in textu dicitur Paulus migrasse inde de Synagoga, intelligitur aut de domo Aquilæ, & Priscillæ, qui, licèt Christiani, censebantur inter Iudæos: & hoc fuit prudentis charitatis in Paulo, cauere hospitis damnum, quod eis ex fauore, quo prosequebantur ipsum, suboriri poterat: & malle cum Gentili, ac fortasse nondum proselyto habitare: huiusmodi quoque locum eligere, qui commodus esset ad maiorem fructum ex prædicatione colligendum, vt notauit Lyranus. *Et sic etiam ex vicinia, si vellent*, inquit Chrysostomus, *Iudæi zelum haberent.* Idem tamen in epistola ad Romanos ait, *mansisse per biennium in hospitio Priscillæ, & Aquilæ.* Fortasse non diu mãsit cum illo Tito; sed vbi resedisset persecutio, rediit ad suos hospites.

m vers. 46. 47.
n vers.23.
o Galat 2.1.& seq.
Paulus non solebat hospitari nisi apud Iudæos.
Prudentis est charitatis cauere hospitis damnum.

In media ciuitate habitare quibus conueniat.

Non ambitiosè faciunt, sed prudenter, qui docendi, prædicandi, Sacramenta ministrandi obeuntes munera, locum sibi deposcunt media in ciuitate, non vt suis (qui mundi extorres, aut non quærunt, aut quæ necessaria sunt, vbique facilè inueniunt) sed vt commodis aliorum inseruiant. Hoc ipsum veteres architecti præcipiebant de publicis ædificiis, atque etiam de Templis, Hospitalibus, &c. vt Vitruuius, & alij. Quòd si homines negotiosi habitant, vnde maior sua ad negotia commoditas, & quiuis mauult salubri loco habitare, & ex loci cōmoditate deriuantur commoditates permultæ, opportunè illi, quos priùs dixi, notabant, Tito prouenisse ob domus cum Synagoga propinquitatem, vt Dei cultor esset. Denique sicut *aliquid mali propter vicinum malum*, vt dixit apud Plautum Lysimachus, ita sine dubio *aliquid boni propter vicinum bonum*. Qua de causa Themistocles, cùm prædium venderet, hoc quoque præconem addere iussit: Ὅτι καὶ ἀγαθοὺς ἔχει γείτονας, *Quod vicinos etiam habet bonos*. Refert id Plutarchus[a], & alia in eandem sententiam ex aliis Auctoribus Auctor Adagiorum [b].

a in Themistocle.
b Aliquid mali propter vicinum malū.

Sed sunt quidam adeò peruerso ingenio, & tam importuni in ipsa opportunitate, vt (quod Gallico prouerbio dicitur) sint *prés de l'Eglise, & loing de* Diev. Ceterùm de hoc Tito Iusto nihil vspiàm aliud extat.

Versus 8.] Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

Paulus vbique dignitate insignes lucrifacit.

CRispvs *autem Archisynagogus credidit Domino.*] Vbique Paulus insignes dignitate personas lucrifacit, Proconsulari, Senatoria, Sacerdotali, aut Magistrali, Sergium, Dionysium, hunc Crispum, quem etiam ille à se baptizatum scripsit[c], *cum Caio, & Stephane domo*. Confundere nonnulli vidētur Crispum cū Sosthene. Id posteà, cùm de isto agetur, expendemus. Recensentur in Martyrologio Crispus, & Caius 4. Octobris.

c 1.Cor.1.14.

Et multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.] Non à Paulo cuncti baptizabantur, qui se illos tantùm, quos dixi, baptizasse testatur: quoniam Christvs *non misisset eum baptizare*[d], *sed euangelizare*, verùm per adiutores Timotheum, Silam, alios.

d ibid.17.

Arbitror, quod hîc de multis credentibus est, dici κατ' πρόληψιν, occasione Crispi, cuius etiam exemplum non mediocriter iuuerit rem Christianam. Nam sequens visio Domini Paulum recreantis, & pollicentis populi multi conuersionem, omnino antecessisse videtur, & deterritum Iudæorum, quæ priùs narrata est, contradictione, atque blasphemiis: & cùm laborum progressiones desperaret magis, quàm proprias molestias, ad discedendum paratum, vt etiam Chrysostomus insinuat, retinuisse. Metum augebat Archisynagogi conuersio, Iudæorum animos magis exasperans.

Versus 9.] Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas.

DIxit *autem Dominus nocte per visionem.*] *Nox*, quam Syrus præterit, lucem magnam affert cuidam difficultati: nam innuit visionem in somno contigisse. Ita quidem sentit Carthusianus, vocans imaginariam per ministerium Angeli in Dei persona loquentis, ac apparentis. Gagneius idem rectiùs elici putat ex nocte, quàm vt in vigilia visio fuerit. Sed non aptè nocturno insomnio congruunt verba illa Pauli[e]: *Nónne* Christvm Iesvm *Dominum nostrum vidi?* tametsi Corinthiis scripta sint. Respexit potiùs ad visionem, quæ vigili perspicuè in itinere, & meridiana luce facta est, vt vidimus capite nono huius historiæ. Placet id magis quoque Gagneio: sed vellem ita, vt simpliciter absque vlla ad aliam sententiam propensione; exaggerat námque Paulus ibi Apostolatum suum, cui nec defuerit visio Christi, nimirum clara & distincta per corporeos oculos: nec est (quod sciam) alicuius notæ Auctor, qui secus existimet. Confirmant autem ferè omnes eundem locum alio eiusdem epistolæ loco, in quo narrat tanquàm *omnium abortiuo* Christvm *visum esse & sibi*[f]: quidam ex visione in templo[g], minùs tamen *aptè, quia erat tunc in stupore mentis.*

An in somno hæc visio Paulo contigerit.
e 1.Cor.9.1.
Paulus Apostolus oculis vidit.
f 1.Cor.15.8.
g Act.22.17.

Noli timere, sed loquere, & ne taceas.] Vel redarguitur simul ob timorem, & confirmatur: vel, *Hoc solùm*, vt ait Chrysostomus, *si timor fuit, non de proprio periculo, sed de irrito labore, qui poni meliùs alibi posset, atque de alieno propter incredulitatem damno.*

Timor Pauli qualis fuerit.

Talem ab Ieremia timorem excussit Devs[h]. Est autem βεβαίωσις in affirmato, & negato verbo contrario, *Loquere, ne taceas.* Sic aliquando vnà ponuntur, loqui, & non silere[i], & aperto ore non silere. *In die illa*, inquit Devs ad Ezechielem[k], *aperietur os tuum cum eo, qui fugit, & loquêris, & non silebis vltrà.* Ipse autem Ezechiel, *Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequàm veniret ad me. Et aperto ore meo non silui ampliùs.* Exaggerant isti modi loquendi παῤῥησίαν, ac libertatem orationis, quemadmodum aliàs disseruimus de oris apertione. Qui enim timens loquitur, non diducit os, hæsitat; ac verba non tam promit, quàm premit; frangit magis, quàm pangit.

h cap.1.8.17.
i Ezech.24.27.
k cap.11.11.

Versus 10.] Propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi, vt noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate.

PRopter *quod.*] Διότι, propterea quòd, quoniam, &c.

Ego sum tecum.] Trita phrasis, qua peculiaris præsentia Dei ad fauendum, iuuandum, protegendum, quouis demùm beneficiorum genere afficiendum significatur. Adduntur tamen interdum quædam ad maiorem ἔμφασιν, vel ad effectus singulares, vt, Devs *tecum est in vniuersis quæ agis*[l]: *Eróque tecum, & benedicam tibi*[m]: *Ero tecum, & percuties Madian*[n]: *Fui tecum in omnibus, vbicunque ambulasti*[o]: *Fui tecum, quocunque perrexisti*[p]: *Sit Dominus tecum, & prosperare*[q]: *Dominus* Devs *meus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias*[r], &c. *Dominus sit tecum in vltionem inimicorum nostrorum*[s]: *Ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te*[t]: *Ego tecum sum, vt saluem te, & eruam te*[u]: *Cùm transieris per aquas, tecum ero*[x].

Dei nostri præsentia quomodo designetur.

l Gen.21.22.
m Gene.26.3.
n Iud.6.16.
o 2.Reg.7.9.
p 1.Paral.17.8.
q 1.Paral.22.11.
r 1.Paral.28.20.
s Iudith 8.14.
t Ier.1.19.
u Iere.15.20. c.30.11.
x Esa.43.2.

Tandem vt absentia Dei, & auersio vultus eius & absconsio, index est iræ & supplicij, ita ostensio & illuminatio, seu illustratio denotat beneuolentiam,

Absentia Dei signum est iræ & supplicij.

lentiam, atque beneficentiam: quod enim mundo Sol accedẽdo, & recedẽdo, id multò magis DEVS.

Quocirca non immeritò Gedeon, Angelo his cum verbis salutante, DOMINVS *tecum* [a], querulus respondit: *Obsecro, mi Domine, si DOMINVS nobiscum est, cur apprehenderunt nos hac omnia? Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos DOMINVS: nunc autem dereliquit nos DOMINVS, & tradidit in manus Madian* [b]? Vt autem intelligatur, auersam DEI faciem fuisse causam illius tribulationis, subditur: *Responditque ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua*, &c. *Et ego ero tecum* [c].

a Iudic. 6. 12.
b ibid. 13.
c Iud. 14. 16.
Tribulatio non semper arguit Dei absentiam.

Attamen tribulatio non arguit semper absentiam DEI: est DEVS cum iusto in tribulatione, vel vt eripiat, vel vt glorificet [d]: nec timet mala, quoniam ille cum ipso est [e]: neque cuiusquã contra se pugnantem manum, dum positus est iuxta DEVM [f]: habitátque in adiutorio Altissimi, & in protectione DEI cœli commoratur [g]. Lege expositionem nostram in Psalmum 90.

d Psal. 90. 15.
e Psal. 22. 4.
f Iob. 17. 3.
g Psal. 90. 1.

Et nemo apponetur tibi, vt noceat te.] Syrus, ואנש לא משכח למהרותך venasch lo meschchach lemacharuthach, id est, *Et homo non poterit*; siue, *Nemóque poterit tibi molestiam exhibere.* Καὶ ὐδ' εἰς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε. Vatablus, & Clarius, *Nemo adorietur te, vt affligat te.* Gagneius, *Nemo in te irruet*; aut, *Nemo te inuadet, vt tibi noceat, siue vt te malè habeat.* De verbo apponendi dixi aliàs, quod sæpiùs Interpres ponit pro Græco προστίθεσθαι, nonnunquàm pro προσέχειν, addito νοῦν, *Apponere cor, siue mentem*, &c. In illis item verbis Psalmi: *Et filius iniquitatis non apponet nocere ei* [h]: Græcè est, προσθήσει τοῦ κακῶσαι αὐτόν. Vbi Paraphrasis Chald. & Hieronymus, *Non affliget eum* [i]; & Psalterium Romanum, *Non nocebit ei.* Non aliud exemplum reperi, in quo ἐπιτίθεσθαι, vel actiuum ἐπιτιθέναι, habeat hunc vsum, sed significare solet in Scriptura imponere vestes, verbi gratia, coronam, titulum, lutum, lucernam, onus, nomen, manus, plagas. In Apocalypsi [k] semel significat addere, εἴ τις ἐπιτιθῇ πρὸς ταῦτα: *si quis apposuerit ad hac.*

h Psal. 7. 17.
i Psal. 88. 23.
k cap. vlt. 18.
Apponi ad nocendũ quid sit.

Erit ergo, apponi aliquem ad nocendum, addi tanquàm molestum pondus, & vexans, atque imponi, & superponi, infligi, irrogari, imminere, moliri etiam, adoriri, aggredi, conspirare, conari, suadere, impetum facere, vehementer incumbere, insectari, insidiari. Hæc enim omnia Græcis illis verbis importantur, vt Budæus [l] notauit. Interpres dum pressiùs ad sonum verbi Græci reddidit, *apponetur*, laxiorem nobis, ac locupletiorem commodum sensum exhibuit.

l in Comm. ling. Græcæ.

Populus enim est mihi multus in hac ciuitate.] Nimis restringit Carthusianus ad Prædestinatos; voluit enim Dominus intelligere de omnibus, qui Fidem complecterentur, & profiterentur, simúlque fortassè gratiam cõsequerentur, quamuis vel ab hac, vel ab illa quoque posteà exciderent. Sic non quicunque dicuntur de populo DEI, vel ex DEO esse, vel filij DEI, &c. prædestinati sunt: neque omnis, qui ex DEO *est, verbum* DEI *audit* [m], & obedit, cùm ex DEO est, si ex DEO esse, est prædestinatum esse: sunt enim multi prædestinati, qui non statim obediunt; & multi ex reprobis obediunt: licèt nec hi, nec illi perdurent in sua vel inobedientia, vel obedientia.

Prædestinatus nõ est omnis, qui ex Deo est.
m Ioan. 8. 47.

Versus 11.] Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos verbum DEI.

SEDIT *autem ibi annum*.] Tam diu, vt colligeret tam vberem promissum fructum. Ibi ea etiam gessit, quæ priùs retuli, ex epistola eiusdem ad Corinthios secunda [n]. Gregorius [o] obseruat in Paulo mirabilem patientiam, ac parsimoniam, qui tanto tempore panem SPIRITVS prædicauerit, & panem carnis nec exegerit, nec acceperit, nec quòd tenaces, quamuis abundantes non obtulerint, inter illos agens doluerit, leuitérque sibi displicere significauerit. *Quis autem nostrùm*, inquit, cogor in gratiam Prædicatorum hæc apponere, & Patrum omnium spiritualium, *si vnum huius mundi diuitem ad Omnipotentis* DEI *seruitium conuertisset, séque egere conspiceret, & illum sibi vita subsidia non præbere, non protinus de eius vita desperasset? Quis non necessum laborasse se diceret? Quis non ab eius exhortatione obmutesceret, quem in semetipsum primum ferre fructum boni operis non videret? Sed Paulus per mansuetudinem in virtutum vertice solidatus persistit, prædicauit, dilexit, & bonum quod cœperat, expleuit, eáque portando, & persistendo, Discipulorum corda ad misericordiam perduxit.*

n cap. 12. 12.
o Homi. 18. in Ezech.
Pauli mirabilis patientia, ac parsimonia.
A diuitibus per nos ad Deum conuersis bona vita commoda sperare non debemus.

Oportet memoria lapsum Chrysostomum, cùm in capite vltimo epistolæ ad Romanos [p], & in præfatione ad priorem epistolam, quam scribit Apostolus Corinthiis, ait, *illum Corinthi mansisse duos annos*: ibidem eiectum Dæmonem ab ipso, quem non potuerant eiicere Iudæi adiurantes, & præstigiatorum eodem loco congestos, combustósque libros. Nam hæc omnia Ephesi contigisse narrantur capite sequenti.

p Hom. 30.

Sedit.] Ἐκάθισε. Syrus, יתב הוא iecheb haua, id est, *sedens fuit*; seu, *habitauit*. Hebræis ישב Iasab, vtrumque significat & *sedere*, & *habitare*. Ideò crebrò Interpres [q] sedere reddit pro eo quod est habitare: & aliquando idem est quod iacere, licèt ab Interprete sedendi verbo exponatur [r]. Denique sessio est depositi, ac deiecti corporis: ideoque longam significat, & morosam habitationem. Latinè etiam dicitur auis sedere, cùm arbori, tecto, aliíve rei insistit [s]: & Cicero [t] dixit Corcyræ sedere. Liuius ad Trebeiam, pro manere, & immorari. In capite præsentis historiæ secundo igneas linguas super Discipulos sedisse Auctor dixit, & illos in cœnaculo. Eodem sensu vsurpatur sessio in tenebris, & regione vmbræ mortis [u]: in foro [x]: secus mare [y], aut littus [z]: secus viam [a]: in horto [b]: in templo, vel porticu Salomonis [c]: iuxta crucem ad seruandum crucifixum CHRISTVM [d]: contra sepulcrum [e]: prope docentem eundem CHRISTVM [f]: contra Gazophylacium [g]: in monte Oliueti [h]: in ciuitate [i], &c. quibus locis est τὸ καθίζω, sæpiùs autem τὸ κάθημαι.

q Deut. 1. 46. Ps. 136. 1. Esa. 32. 16. 18. Iere. 41. 17. Luc. 1. 79. Esa. 3. 26. Iet. 13. 18.
Sedere, & habitare idem sunt.
r Thren. 1. 1.
s Virg. 12. Æn.
t lib. ep. fam. 16. ep. 7.
u Mat. 4. 16.
x Mat. 11. 16.
y Mat. 13. 1.
z ibid. 48.
a Matt. 20. 30.
b Matt. 26. 36.
c ibid. 55.
d Matt. 27. 36.
e ibid. 61.
f Marc. 2. 6 c. 3. 32. 34.
g Mar. 12. 41.
h Mat. 13. 3.
i Luc. vlt. 49.

Versus 12.] Gallione autem Proconsule Achaiæ, insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal.

GALLIONE *autem Proconsule.*] Ἀνθυπατεύοντος, & iuxta codices alios, ἀνθυπάτου ὄντος. De officio Proconsulari egimus, cùm de Sergio Paulo item Proconsule [k]. Extat de eo in iure ciuili titulus proprius, in quo declaratur potestas plenissima ipsius, omnes aliorum Iudicum complectens partes: quíque Romæ tãquàm Magistratus, quique extra ordinem ius dicebant [l]. Proconsul in Achaia Græciæ prænobili regione (cognominantur quandoque Græci omnes Achæi, vel Achiui,

Proconsulis potestas qua.
k Act. 13. 7.
l l. 7 ff. de off. Proconsulis.
Achaia descriptio.

A

vel Achaici) tota penè littorali, ideóque Ægialus dicta, cuius erat Corinthus caput, lege Clodia, L. Piso primus fuit, vt de hoc Cicero memorat in Pisoniana. Pausanias[a] prodit à Romanis vocatum non Græciæ, sed Achaiæ Præsidem, quòd Græcos subiecissent per Achæos, qui tunc Græciæ Præsides erant.

a lib. 7.

Gallio Proconsul qui.

Gallio vnus, cui prænomen, & nomen Lucio Iunio, Lucij Annæi Senecæ iunioris Philosophi, & Tragœdi, ac epistolarũ, & Moralium scriptoris frater fuit, & Melæ (ex quo filius Lucanus) patre seniore Rhetore, siue Declamatore L. aut M. Annæo, & Elbia matre, aut Heluia; de quibus ex instituto noster Delrius[b]. Ita quidem Seneca iunior, siue Philosophus, nominat Gallionem fratrem[c], senior autem Seneca de alio Gallione crebrò meminit, vt de claro Oratore in declamationibus, & controuersiis, & Eusebius[d] vocat Gallionem disertissimum, ac eundem intelligere videtur Hieronymus[e], numerans inter insignes Oratores, suspicantúrque quidã huius esse libros ad Herennium. Hic noster, inquam, Gallio, vel eiusdem Senecæ iunioris frater erat, vel Elbiam sororem ipsius duxerat: nominat enim senior Seneca illum nostrum[f], hoc est, affinem: & idem Seneca iunior alium illum appellat Gallionem dominum suum, nempe patruum, vel auunculum.

b 2. Prolog. in Senecam. c. 3.
c 3. Natural. quæst. in prin.
d in Chron.
e præfat. in li. 8. in Esa.
f præfat. in li. 17. decla. seu controu.

B

Cùm autem iunior Gallio, cui fratri dedicauit Seneca item iunior, Philosophúsque librum de Vita beata, & alium de Remediis fortuitorum, etiam nominatus reperiatur Iunius Nouatus[g], fortasse adoptione trãsiuit in aliam gentem. Mentio est apud Dionem[h], atque Tacitum[i] de alio Iulio Galeno Gallione, qui nihil ad Annæam gentem Hispaniensem pertinet. Plinius præterea quędam se mutuatum fatetur à Gallione nescio quo in Historia naturali[k], & Gallionem verò simili in materia citat Seneca Philosophus[l], aliàs nominatim exprimens eum qui frater fuit[m]. Rursus idem Plinius[n] memorat Annæum Gallionem, qui post Consulatum, vt phthisim curaret, nauigationem suscepit in Ægyptum, non propter Ægyptum, sed propter longinquitatem nauigandi, quia nauigatio illi morbo est salutaris.

C

g in declam. Senecæ, & à Quintil. li. 9. c. 2.
h lib. 58.
i 3. Annal.
k li. 1. in Indice lib. 20.
l 5. Natural. quæst. c. 10.
m præfat. li. 4.
n lib. 31. c. 6.

D

Existimat Delrius Gallionem, de quo Lucas, non iuniorem, & Senecæ iunioris fratrem esse, sed seniorem, ac senioris Senecæ vel fratrem, vel cognatum: Baronius illum potiùs, eíque dicatos, quos diximus, à Seneca fratre libros, & de profectione ipsius ex Achaia loqui quadam epistola[o], & cùm Seneca iunior post necem Messalinæ, à qua in exilium pulsus fuerat, ab Agrippina restitutus, & Neroni, quem Claudius adoptauerat, datus præceptor esset, in gratiam eiusdem Neronis prouinciæ Achaiæ Præfectura donatum. Hoc vltimum Dio non scribit, nec alius, quod sciam.

o epist. 104.

E

Propterea prior opinio arridet magis, Gallionem seniorem fuisse Proconsulem, cùm etiam legam apud Senecam Philosophum[p], illum, qui in Achaia fuit, Gallionem, ab eo dominum appellari: *Illud mihi*, inquit, *in ore erat domini mei Gallionis, qui cùm in Achaia febrem habere cœpisset, protinus nauem ascendit, clamitans non corporis esse, sed loci morbum.* Non, opinor, Seneca natu minorem Gallionem fratrem, tametsi gesserit & ille honores, dominum vocasset: quem autem alium Gallionem velit præter illum alium, non est procliue dicere.

p ibidem.
Gallio senior Proconsul fuit, & Senecæ maioris frater, vel cognatus.

Facilè adducor credere, Proconsulis æquitatem in Paulum, quam paulò pòst inspiciemus, in causa fuisse, cur deinde familiaris intercesserit Paulo cum Seneca Gallionis affine, & amicitia, & vsus literarum, cùm fortasse vel Gallio ipse Paulum Senecæ commendatum voluerit, vel Paulus propter Gallionem hunc, sapientia, & moribus celebrem illum sibi demereri, & ad altiorem sapientiam vitámque meliorem traducere studuerit. Mea hæc tantùm coniectura.

Seneca cũ Paulo familiaritas vnde orta.

De literis autem vltrò, citróque datis, quas etiam recitat Sixtus Senensis[q], non modò meminit Linus Papa, cùm tractat de passione Pauli[r] (neque enim ratam obtinet auctoritatem liber ille, vt à Lino) verùm etiam Augustinus[s], Hieronymus[t], Ioannes Salisberiensis[u], Iacobus magnus[x], Petrus Cluniacensis[y].

q 2. Bibl.
r To. 7. Bibl. Patrum.
s epist. 54.
t de Script. Eccles.
u 8. Polycra. cap. 13.
x 6. Sophologij. ca. 6. lib. 7. cap. 9.
y epist. 1.

Meritò, quæ circumferuntur epistolæ, suspectæ sunt, immò respuuntur quoque, quia in iis de Christianis scribit, quos negat Augustinus[z] omninò Senecam in vtramuis partem ausum commemorare, ne vel laudaret contra patriæ suæ consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem, cùm alioqui Iudæos acerbissimè insectaretur, & ore pleno rideret. Tantùm abest, vt Christianus ipse fuerit, quod citati Lini Scholiastes est arbitratus[a].

Senecæ & Pauli epistolarum quæ memorantur, frequenter memoria.
z 6. de Ciuit. c. 11.
a Laurentius la Barre.
Non à nostris laudatus fit.

Citant quidem illum nostri perlibenter, tanquàm consentanea proferentem nostræ doctrinæ, præsertim de moribus, ac illum etiam Hieronymus[b], & Tertullianus[c] propterea vocant *nostrum*: & *idololatriam scribendo* reprehendit, *at eam colebat viuendo*, vt ait idem Augustinus[d], *cùm diceret ritus illos à Sapiente seruandos tanquam legibus iussos, non tanquàm Diis gratos, & meminisse oportere cultum istum magis ad morem, quàm ad rem pertinere.*

b 1. cont. Iouinianum.
c lib. de anima. c. 20.
d lib. 6. de Ciuit. c. 10.

Errores alios habuit de animæ mortalitate: certè dubitauit de pluralitate Deorum, de prouidentia DEI circa singularia: risit supplicia post mortem: sapientem affirmauit nil egere DEO, ac eo etiam illum multis partibus esse superiorẽ: mundum animari DEO ipso: denique moriens Ioui libauit more Gentilium: alicubi etiam superstitionis alienigenarum nomine, religionem Christianam visus est intelligere. Lactantius[e] vocat veræ religionis ignarum. Non debui præterire Senecam, vel propter Gallionem, seu fratrem, seu potiùs affinem inferiore gradu, vel propter Paulum nostrum, qui sua illum dignatus est amicitia, epistolísque, & tanti fiebat ab eo, vt quod testatur Hieronymus (nec enim in epistolis, quas recitat Sixtus[f], id inuenio) *Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicat, eius esse loci apud suos, cuius esset Paulus apud Christianos.*

Senecæ errores.
Seneca veritatem qualiter.
e li. 6. c. 24.
f de Script. Eccles.

Subdubito Linum illum fictitium epistolas vtriusque nomine confinxisse. Certè auctorem, ac stylum redolent penitus eundem, nec dignæ videntur vel Pauli sanctitate, vel grauitate Senecæ, scilicet Paulus se fœlicem scriberet tanti viri iudicio[g], *qui si placeret hominibus*, in vera ad Galatas epistola scripsit, CHRISTI *non fore seruum.* Aut Paulus curabat Grammaticè, & eleganter loqui, vt ei à Seneca mitti liber deberet de copia verborum? Friuolum est, quod hortatur Seneca Paulum Latinitati morem gerere, id nec satis Latinè dicitur, quod Paulus excusat ab se nomen suum illius nomini præponi; minùs decens, quòd eum vocet deuotissimum magistrum. Postremò error est in Consulibus: non enim Nero quartùm, sed tertiùm Consul fuit cum Messala: nullus Frigius, sed frugi Consul nominatus est: nulli Consules vocati Leonis, & Sanini nomine, nec sub Nerone, nec sub alio Imperatore, incen-

Epistolæ harum fictitiæ quæ ferunt.
g Gal. 1. 10.

dium

dium vrbis non potuit contigisse sub notatis in penultima epistola Consulibus, quia quinque annis antè contigisset, quàm tradat Tacitus, & alij. Si Iacobi Fabri Episcopi Viennensis in has epistolas commentariolos, quos dicitur edidisse, legere possem, viderem hæcne ille viderit, & ecquid senserit. Reiicit illas non Baronius [a] tantùm, sed multò antè Gregorius Cardinalis Cortesius [b] disputans quòd Romæ fuerit Petrus.

a Tom. 1. Annal.
b lib. aduers. Persuas. diffusas.

Insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum.] Κατεπέστησαν. Violentiam indicat hoc verbum, & ab ingente multitudine non tam deductum ad tribunal Paulum, quàm pertractum.

Chrysostomus existimat hoc accidisse iam exactò sesquianno, si hoc est, non mansit Paulus Corinthi per sesquiannum duntaxat, quia finito hoc iudicio, mansisse adhuc paulò pòst dicitur *dies multos.* Testatur Apostolus scribens ad Corinthios ipsos [c], *se apuds illos fuisse in infirmitate, & timore multo.*

c 1. ep. c. 2. 3.

Quare credendum est, toto illo tempore plurima passum à Iudæis: hos tamen occasionem expectasse rapiendi ad iudicium. Fuit verò forsitan occasio, noui Proconsulis aduentus: qui si, vt ex nonnullorum sententia retulimus, Senecæ Philosophi frater erat, & in gratiam ipsius, Agrippinæ interuentu missus in Prouinciam: item quòd Agrippina Iudaizauerit aliquando, & proinde pulsi ex vrbe sint Iudæi, Iudæorum amicus, vel fautor propter Agrippinam futurus videbatur. Solent certè Magistratus in principio nomen sibi quærere iustorum, ac incorruptorum, & qui iuri, atque pietati studeant impensiùs.

Magistratus in principio laudē quærunt iustorum.

Ad tribunal.] Ἐπὶ τὸ βῆμα. Erat more Romanorum tribunal in domus atrio interiore, ac secretiore loco, quæ dicebatur Græcè αὐλὴ, & à Latinis sumpta voce πραιτώριον. Vnde Iustinianus [d] inquit, τὰ δικαστικὰ καταγώγια πραιτώρια καλεῖν ἔταξαν, vocatur δικαστήριον à Philostrato [e], & Appiano [f]: à Suida ἀρχεῖον, dicitur *aula, vbi secretiora conduntur.* Quod τῆς αὐλῆς nomen vsurpat Marcus [g], cùm scribit CHRISTVM *à militibus ductum in atrium Prætorij,* ἔσω αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον, vt à cohorte rideretur, vestem ei regalem imponendo, καὶ ἐν τῷ βήματι, *in solio Præsidis, quod ibi erat, collocando.* Sic idem Euangelista [h] *in Principis sacerdotum domo* αὐλὴν exprimit ἔσω, vbi scilicet tribunal erat: & meminit [i] ibidem fuisse αὐλὴν κάτω, *atrium inferius,* vbi negauit & Petrus, & eius partem προαύλιον [k], *vestibulum.* Lege Petrum Fabrum [l], & Barnabam Brissonium [m].

d Nouel. 24. de Præfecto & Prætore Pisidiæ.
e li. 4. de vita Apollon.
f lib. 2.
g cap. 15. 16.
h cap. 14. 54.
i ibid. v. 66.
k ibid. v. 68.
l ad l. nemo potest. de diuersis regul. iur. nu. 39. & 40.
m l. 14. de verb. sign.

Est apud Auctores mentio carpenti iudicialis, vel Præfecti Prætorio, & Vrbi, in quo scilicet sedentes ius dicebant maiores Magistratus; minores autem ex æquo loco, & imis subsellijs. Lege Asconium in Diuinatione. Denique *cathedra propriè Doctorum erat, Iudicum tribunal, solium Regum,* ait Cassiodorus [n].

n in Psal. 1.

Versus 13.] Dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere DEVM.

DICENTES: *Quia contra legem.*] Nisi Gallio respondisset, nolle cognoscere de lege ipsorum, putasset quis obiectum crimē Paulo de violatis legibus Romanorum; quibus cauebatur *absque Senatus auctoritate colere Deos nouos,* vt docuimus capite XVI. [o] vbi Philippenses id obiecerunt: sed nec Iudæis curæ erāt leges Romanorum de Religione. Quò mirandum magis, cur Apostolum detulerint ob huiusmodi causam. Vel ergo non iudicium permiserunt Proconsuli de Religione, sed interfici ab eo voluerunt; sicut Iudæi CHRISTVM à Pilato: aliter enim non poterant, vt docui capite VII. vel cùm Claudij edicto, salua Iudæis eorum Religio esse deberet [p], petebant à Proconsule, vt in violatorem ipsius animaduerti decerneret, præsertim Religionis, quam esset professus aliquando, præuaricatorem. Alienum cultum Iudæi intelligebant, siue quòd legis cæremonias Paulus negligebat, siue quoniam IESVM proponebat, vt DEI FILIVM, ac iam proinde veluti Deos multos.

o versu 21. [illegible]
p Iosephus li. 19. Antiq. c. 4.

Versus 14.] Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Siquidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, ô viri Iudæi, rectè vos sustinerem.

INCIPIENTE *autem Paulo aperire os.*] Græcè sic est, Μέλλοντος δὲ τοῦ Παύλου ἀνοίγειν τὸ στόμα. Syrus, וכד כעא הוא פולוס דנפתח פומה ונמבלל *vechad babhe haua Paulaus deneplathach pumeh vanambelel,* id est, *Cùmque petens esset;* vel, *Cùmque postulare: Paulus, vt aperiret os suū, & loqueretur.* Vatablus, *Cùm autem Paulus iam pararet aperire os.* Græca phrasis verbatim hoc importat, *Cùm futurus esset Paulus aperire os;* id est, cùm futurum iam esset, vt aperiret os, & ex oris habitu, & labiorum ipsorum apertione, aut ex nutu, vel gestu id Proconsul deprehendisset.

Meminerat videlicet Apostolus non tantùm generalis promissi *de ore, & sapientia ante tribunalia pro Fide consistentibus* [q]; verùm etiam de peculiari nuperrimè accepto [r]: *Noli timere, sed loquere, & ne taceas,* &c.

q Luc. 21. 15. Paulus curerā Proconsule perorare voluerit.
r vers. 9.

Hebræi quandoque incipere dicunt, vtentes verbo יאל *iaal,* vt obseruauit Burgensis [s], pro eo, quod est, velle exaudiri, per primum actum voluntatis, complacētiæ, & beneplaciti, applicando se ad mox inchoandum opus, & veluti tentando, conando, &c. Verbum Græcum μέλλω, significat quoque debeo, & paro; & perinde est, ac si vulgò exponeretur præsens locus: *Volendo parlare, ò stando per parlare, ò come voleua parlare, ò in quello ch' era per parlare, & aprir la bocca.*

s addit. 3. ad ca. 2. Exod. & addit. 3. in c. 5. 4. Reg.

Siquidem esset iniquum aliquid.] Negat Proconsul velle cognoscere de alia re, quàm de iniuria, aut scelere contra alium admisso; nec se auctore quicquam decernendum contra Paulum reum violatæ ipsorum legis: permittere illum ipsis, vt sua contra eum lege agant. Hoc modo Pilatus in causa IESV responderat: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum* [t]. Vterque religionem Iudæorum & non curabat, & ignorabat.

Proconsul cur Pauli causam ad se non pertinere dixerit.
t Ioan. 18. 31.

Hugo laudat Gallionem, & huius exemplo docet, Iudicem secularem negotia Ecclesiastica tractare non debere: ideò enim lepra percussum Oziam [u]; sicut vice versa, ab Ecclesiasticis, qui *peculiariter militant* DEO, *non sunt tractanda secularia* [x], nisi sint annexa iuri Ecclesiastico. Chrysostomus agnoscit in Gallione iustitiam, adde quoque prudentiam: eò quòd de incognitis, & alienæ cognitionis rebus, vt dictum est, noluerit iudicare; quòd studium retinendæ publicæ pacis declarauerit; quòd Pauli satis præ se tulerit innocentiam; quòd edictum illud Claudij pro sacris Iudæorum, de quo dixi, non violauerit.

Politici Magistratus Ecclesiastica, nec Ecclesiastici secularia tractare debent.
u 2. Paralipo. 26. 19.
x 2. Tim. 2. 4.

Principes politici quibus res Ecclesiasticas debeant committere.

Principes nostri politici sacras,& Ecclesiasticas causas hominibus Ecclesiasticis, sacrísque ita permittere debent cognoscendas, diiudicandas, terminandas,vt easdem tamen,si eorum isti inuocent (vt dicitur) brachium seculare, omni ope tueri promptè, alacriterque debeant; & quoties illorum,vt filiorũ mater,Ecclesia implorat auxilium, humili, ac lubenti obsequio ipsi obtemperent: quæstiones,& controuersias de religione non arbitrentur esse tantùm de verbo, ac nominibus, vt quondam opinio erat de confessione τῦ ὁμοουσίυ, & ὁμοιουσίυ; & apud Mauritium Imperatorem, *An Ioannes Constantinopolitanus vocandus esset œcumenicus,siue vniuersalis Episcopus.*

Quid si Proconsul Augusti sequutus exéplum, idcirco reiecit iudicium de religione, quod publicè nollet? Suetonius [a] namque tradit, *Augustum religionis causas aperto foro cognoscere noluisse.* Alioqui quòd potuerit Proconsul summa præditus potestate, & vicaria Imperatoris, constat: quoniam apud Gentiles licebat id Imperatori, qui proptereà summum simul Pontificatum gerebat,& inaugurabatur omnibus Sacerdotiis,idque, quod scribit Dio [b], *Vt omnes religiones, & sacrificia in sua haberet manu:quod item de Ægypti Regibus Plato* [c], *& aliarum nationum testatur Aristoteles* [d].

a in Augusto, c.93. *Augustus causas de religione publicè cognoscere noluit.*

b lib.53.

c in Ciuili, seu libro de Regno.

d 3.Polit.c.10. *Potestas politica, & Ecclesiastica in vnam quandoque coiere personam.*

Quandoque coiêre vnam in personam potestates ambæ, Politica, & Hierarchica,apud veros cultores DEI in vtraque lege, tum scripta, tum naturali. Lex Euangelica ita separat, vt tamen veluti ex corpore,& animo constet perfectum compositum. Inde illi in Iure ciuili legum tituli, quæ sunt Ecclesiasticarum adiutrices, *de sacrosanctis Ecclesiis: de summa* TRINITATE, *& Fide Catholica: de Episcopis,& Clericis: de Hæreticis:de Episcopali audientia: Ne sanctum Baptisma iteretur:de Apostatis: Nemini licere signum Saluatoris* CHRISTI *humi,vel in silice, seu marmore, aut sculpere,aut pingere: de Iudæis,& Cœlicolis: Ne Christianum mancipium Hæreticus,vel Paganus,vel Iudæus habeat,aut circumcidat:de Paganis sacrificiis, & templis: de his, qui ad Ecclesias confugiunt,vel ibi exclamant:de iis,qui in Ecclesiis manumittuntur,* &c.

Potestas secularis plus potest vulgò, quàm Ecclesiastica.

Plus persæpe Principum ciuilium auctoritas valet apud subditos, propter potentiam supplicia, præmiáve conferendi, quàm Ecclesiasticorum, qui spiritualia per se decernunt, temporalia nec tanta,nec tam efficaciter. Tandem versari ante oculos debent grauissimæ DEI minæ aduersùs contemptores religionis [e]; & præter alias multas profanorum etiam Auctorũ sententias,oraculum Sibaritis redditum,quod est apud Athenæum [f]:

e Sap.6.2.& seq. Eccle.10.8.& seq.1.Regum 9.4.& seq.

f lib.12.c.6.

Semper eris fœlix venerans Gens numina Diuûm:
Donec plus Superis fueris venerata virum quem,
Intima seditio, tunc & tibi prælia surgent.

Quo pacto fas sit ciuilibus Magistratibus de naturali religione cognoscere, quæve naturæ repugnet, disputant Hermas Letmatius [g], & Ioseph Stephanus [h].

g 2.de instaurat.relig. cap. 11.& 12.

h de vnica relig.c.15.

Aut facinus pessimum.] Ἢ ῥᾳδιούργημα πονηρόν; priùs, τὸ ἀδίκημά τι, significat *iniquum quid, quo lædantur alij, & violetur iustitia.* Hoc autem posterius nomen exponit Syrus, דנכיל או דסנא *dankil hu desna*, id est, *fraudem*, aut *flagitium*; quasi inter ῥᾳδιούργημα, & πονηρὸν, legerit ἤ. Propriè ῥᾳδιούργημα, *facinus est, ad quod quis patrandum ῥαδίως facilè prorumpit, aut veteratoriè.* Sed generaliùs etiam patet.

Rectè vos sustinerem.] Κατὰ λόγον ἂν ἠνεσχόμην ὑμῶν. Syrus, בוליתא מקבל הוית לכון *beualutha makebbel hauith lechun*, id est, *Conuenienter recipiens essem vos*; vel, *Vt par est,vos reciperem*, seu *ferrem*, & *accusationem admitterem*; ac de illa diligenter, & patienter cognoscerem, prout ratio, & officij à me mei partes exigunt.

Versus 15.] Si verò quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra, vos ipsi videritis: Iudex ego horũ nolo esse.

De *verbo, & nominibus, & lege vestra.*] Aliqui codices ita legunt, *De verbo,& nominibus legis vestræ.* Sed Græcè eadem est lectio: Περὶ λόγυ, καὶ ὀνομάτων, καὶ νόμυ τῦ καθ' ὑμᾶς; *nimirum si quæstiones sunt & de verbo, & de nominibus, ac præterea vniuersè sunt legis, siue eorum, quæ ad legem pertinent.* Sed consentit editioni nostræ, atque Græcæ Syra. In nonnullis etiam libris Græcis est nomen plurale ζητήματα, prout & Latinè legimus, & Syrè, זטמא *zitima*, id est, *Quæstiones*: quamuis plures habeant singulare, ζήτημα.

Cùm *verba*,& *nomina* dixit Proconsul, respexit ad IESVM, qui prædicabatur à Paulo, contendente tamen non alium esse DEVM, quàm quem re ipsa colerent Iudæi. Intelligebat quoque ea, quæ Paulus doceret, à Scripturis Iudæorum dissentanea non esse, tantùm controuersiam esse de intelligentia.

Hoc est quod antè dixi, nonnullos Principes, ac vtinam non etiam affirmari de Ecclesiasticis idem possit, ad cognoscendas, & vindicandas iniurias humanas promptiores, ac seueriores esse, quàm ad diuinas: has *ceu camelum gluttiendo, illas tanquàm culicem excolando* [i]: has æstimando vt de nomine, illas vt quæstiones de re: rem enim propriam quærunt,& nominari magis volunt, quàm esse quod nominantur. Orent obnixè cum Gregorio [k] Pastore optimo, DEVM, qui *quò timebat magis,ne quod dicebatur,non esset,eò plus,quàm dicebatur,erat*: DEVS, *qui nos Pastores in populo vocari voluisti* (conuenit vtriusque iurisdictionis Principibus nomen Pastorum) *præsta quæsumus, vt hoc, quod humano ore dicimur, in oculis tuis esse valeamus. Per Dominum nostrum*, &c.

Principes ad vindicandas iniurias humanas, quàm diuinas promptiores sunt.

i Matt.23.24.

k Homil.17. in Euang. in fine.

Vos ipsi videritis.] Ὄψεσθε αὐτοί, *Videbitis ipsi.* Syrus, אנתון ידעין אנתון בינתכון *anthun iadehhin anthun baienathechun*, id est, *Vos scientes estis inter vos*; vel, *Ipsi nostis inter vos.*

Solet hæc formula vsurpari, cùm quis reiicit alicuius rei cogitationem, vel curam in alium tanquàm alienam,& ad se non pertinentem; siue quia nolit, siue quia non possit, eíque non liceat illam suscipere. Sic responsum est Iudæ proditori peccatum agnoscenti à Principibus Sacerdotum, & Senioribus [l]: Τί πρὸς ἡμᾶς; σὺ ὄψει. *Quid ad nos? tu videris*, seu *videbis.*

l Matt.27.4.

Iudex ego horum nolo esse.] Quasi dicat: Si vellem, possem, eo, quem dixi superiùs, modo.

Versus 16.] Et minauit eos à tribunali.

MINAVIT.] Ἀπήλασεν. Syrus, וטרד *vaterad*, id est, *Repulit*; vel, *Amandauit.* Vatablus, *Abegit.* Clarius, *Expulit.* Hoc significat verbum Græcum. Quanquàm Interpres alibi vsus est minandi verbo, pro *ducere*, vel *deducere*, *agere*, *impellere bestias* [m], *naues* [n], *plaustrum* [o], *homines ad captiuitatem* [p], vel *in tenebras* [q]. Sed in his locis est ἄγειν, aut ἀπάγειν, non ἀπελαύνειν.

m Exod.3.1. Esa.11.6. 1.Reg.30.20. 4.Reg.4.24. Iere.51.24.

n Iacob.3.4.

o 2.Reg.6.3. 1.Paral.13.7.

p Esa.20.4.

q Thren.3.2.

Versus 17.] **Apprehendentes autē omnes Sosthenem principem Synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat.**

APPREHENDENTES *autem omnes Sosthenem.*] Deest ex textu Græco, οἱ Ἕλληνες, *Græci*, quos Syrus exponit, חנפא *chanephe*, id est, *Ethnicos*. Caietanus etsi primùm ambigit, propendet magis Gentiles fuisse, qui videntes Iudæos eiectos à Proconsule ad cumulum ignominiæ, percutiebāt Archisynagogum, qui caput erat Iudæorum in hac accusatione. Lyranus fauet, cùm exponit de ministris Proconsulis, *qui tales repulsos à Iudice solent*, inquit, *percutiendo expellere*. Glossa interlinearis docet id, quod ex Caietano retulimus, necnon Historia Scholastica, & Carthusianus, & Beda. Et videntur percussionis causam assignare importunos accusatores, quos Proconsul cum indignatione reiecisset. *Ex quibus*, inquit Ioannes Benedictus, *coram Consule Sosthenem victum à Paulo, & ob repulsam, confusionem passum, Gentiles percutiebant.* Oecumenius, *percussum Sosthenem*, ait, *propter Paulum, cui ille adhæsisset, sicut Crispus, ac magis assensisset, nimirum etiam in ista causa: vel cùm voto frustrati essent, absoluto Paulo, Sosthenem verberibus aggressos: vel tandem*, quod maximè probat, *quia Sosthenes prohibuerat, ne Paulum occiderent, irruisse pro Paulo in ipsum præ indignatione.*

Milites cur Sosthenē percusserint.

Non puto per Ἕλληνας, alios intellexisse, quàm *Gentiles*, vt solet semper Oecumenius; quamuis quæ de percussoribus dicit, magis conueniant in Iudæos. Nisi, quod facile fuit, Iudæis instigantibus, conducti iam satellites, cùm animaduerterent quoque non displicere Proconsuli, Paulum trucidare voluerunt: Sosthenes autem, qui forsan priùs verbis defenderat, suimet obiectu corporis, ictus auertit à Paulo, cúmque à furore militari subtraxit.

Iudaica sæuitia.

Non est desiderata sua in Iudæis pars sæuitiæ, non agendo minùs, quàm volendo, & alios sollicitando, cùm eos iuridica tentata forma deseruisset. Sed videlicet in iniuria ius quoquo modo retinuisse videri voluerunt, adornantes iniuriam per Gentiles, ac præ se ferentes custodiam legum, *quibus legibus non licebat eis interficere quenquam* [a]; idque eò magis, quòd Iudicem verebantur, à quo tam turpiter victos se meminissent.

a Ioan. 18.31.

Sosthenes cur etiamsi Iudæus tunc esset, sit à Gentilibus percussus.

Si Sosthenes nondum erat Christianus, alia ratio fuit, cur auctoribus Iudæis, percuterent eum Gentiles, quia segniùs egerat in accusatione Pauli. Arias ideò percussum credit à Gentilibus, *ac sponte quidem sua, Sosthenem Iudæum nouum Archisynagogum, quòd indignarentur virum sanctum Paulum honestissimè apud ipsos versatum, & bonam doctrinam, pietatisque rectam institutionem professum, in crimen, & calumniam raptum ab illis Iudæis.*

Chrysostomus indicat, percussores Iudæos fuisse, vocat enim impudentes, & tum confusionem passos, quòd ita dimissi essent à tribunali; tum existimantes factam sibi potestatem, suo vt arbitratu in Paulum agerent, hoc modo percussisse. Immò docet alio loco [b], percussum tunc fuisse Paulum ipsum. Mihi non secùs, quàm Oecumenius exponendus videtur: nec potest mihi persuaderi per Græcos, vt Iudæos etiam in Græcia natos intelligam, vt voluit prætereà Gagneius. Nam, vt aliàs ostensum est, tales Iudæi non Ἕλληνες vocantur, sed Ἑλληνισταί: & qui in Paulum insurrexerunt,

b præf. in 1. epist. ad Cor.

A

ac adduxerunt ad tribunal, & quos ex tribunali alloquutus est Gallio, distinctè nominantur Iudæi. Magis etiam congruit, vt Sosthenem Archisynagogum Iudæi per Gentiles, quàm per seipsos percusserint, seu adhuc Iudæū, seu iam Christianum.

Illi percussores non fuerint Christiani.

Sed caret omni specie probabilitatis Glossæ interlinearis, Hugonísque sententia, Græcos illos fuisse fideles ex Græcis, siue Gentilibus conuersos, qui vindicarent iniuriam à Sosthene illatam, impediendo prædicationem: atque inde peti posse argumentum, addit Hugo, fas esse percutere illos, qui impediant prædicationem, vel diuinum officium, vel negotium Fidei. Etenim licèt consequens sit verum, quod attigi in hoc opere aliàs, & ex professo in scholis Theologicis de Fide, ac bello; consequentia tamen ex falso antecedente colligitur, quoniam neque Christiani eo saltem tempore id fecissent coram Iudice, & coram institutore suo Paulo. Neque Sosthenes Iudæus erat, sed Christianus, vt mox demonstrabimus.

B

Itaque quod primo loco citati Auctores tradiderunt, nobis placet, dempta ea parte, quam Caietanus, & quidam alij addiderunt de Sosthene, Iudæum adhuc fuisse. Noster Emmanuel consentit de percussoribus, vt fuerint aut Gallionis ministri, aut reliqua Gentilium turba. Illud ferri quoque non debet, quod Ioannes Benedictus dicebat, conuictum Sosthenem coram Consule à Paulo. Vt enim illum demus Iudæum fuisse, non licuit Paulo ante tribunal loqui, vt vidimus.

C

Sosthenem principē Synagogæ.] Iam dixi, à Glossa interlineari, & Hugone, & Caietano, & Carthusiano, & Aria, & Beda, & Ioanne Benedicto, & Historia Scholastica, censeri hunc Sosthenem adhuc infidelem Iudæum. Carthusianus ait, pro Crispo iam conuerso suffectum fuisse in cura Synagogæ. Caietanus vel hoc, vel plures simul Archisynagogos fuisse. Ceteri hunc inter fideles illo etiam tempore numerant.

Sosthenes nō fuit Iudæus eo tempore.

Chrysostomus innuit, eidem Sostheni fuisse nomen Crispi, quoniam affirmat Paulus epistola prima ad Corinthios [c], se Crispum, & Caium baptizasse. Ac ne ambigas de mente Chrysostomi, cuius forsan inducti verbis quidam innuerunt, Crispum, & Sosthenem eiusdem personæ nomen duplex esse, vt noster Sà, accipe verba ipsa illius: *Hunc*, inquit (nimirum Crispum) *dicit Synagogæ principem, de quo scribens inquit: Nullum alium baptizaui, nisi Crispum, & Caium. Opinor autem hunc etiam Sosthenem dici, qui in tantùm fidelis fuerit, vt etiam percusserit, & Paulo semper affuerit.* In his verbis primum, quod affirmat, percussisse Archisynagogum, seu per seipsum id fecisse accipias, seu per alios, non probo, propter eam quam dixi causam vniuersè de fidelibus eius temporis; & negat in hunc locum idem Chrysostomus, Sosthenem repercussisse, quoniam docebantur Christiani modestè, & patienter viuere, & non referire, atque ita didicisse Iudicem, quis esset mansuetior, idque præsentibus exemplum valdè profuisse.

c cap. 1. 14.

D

Sosthenes non percussit, neque repercussit.

E

Deinde Sosthenem à Caio, & Crispo distinguit Martyrologium Romanum. De postremis duobus iam attulimus testimonium eius. De Sosthene hoc edit elogium [d]: *Apud Corinthum natale S. Sosthenis Discipuli B. Pauli, cuius mentionem facit idem Paulus Corinthiis scribēs. Hic ex principe Synagogæ conuersus ad* CHRISTVM, *ante Gallionem Proconsulem acriter vulneratus, præclaro initio fidei suæ primordia consecrauit.*

Sosthenes nō fuit Crispus.

d 28. Nouembris.

Hinc autem prætereà intelligitur, non esse

Qui numerant inter septuaginta Discipulos, eos, quos memorat Paulus in epistolis, imperitè faciunt.
a in Synopsi.
b lib. 10. c. 116.

A percussum, aut potiùs repercussum, quia iam percussisset alios: neq; de septuagintaduobus CHRISTI Discipulis fuisse, sicut falsò pseudo-Dorotheus[a] tradidit, & Petrus de Natalibus[b]. Imperitè in faciunt, cùm catalogum illorum Discipulorum ex iis texunt, quos in epistolis nominat Paulus, etiam Cæsarem, qui non est alius, quàm Imperator, de cuius domo fidelium salutationem ipse mittit ad Philippenses[c].

c cap. 4. 22.

d vers. 19.
e vers. 26.

Fortasse Lucas cùm de quodam alio Iasone præter eum, quem vidimus capite præcedente[d], in vigesimoprimo[e] loquens meminit, nominans *antiquum Discipulum*, innuit vnum ex CHRISTI Discipulis, & quidem ex septuagintaduobus, si tamé est idem cum Mnasone: sed etiamsi diuersus sit, perinde est.

B

Cur Sosthenes dictus sit Archisynagogus.

Nec refert, quòd *Archisynagogus* appelletur, vt vel censeri debeat Iudæus: ita enim appellatus est Crispus post conuersionem, quia fuerat, vel idem qui Crispus: potuit enim successisse Crispo: potuit in eadem ciuitate plus quàm vna Synagoga esse: potuit alterius loci aliquando Synagogæ præfecturam gessisse: sed ex his modis præferendus primus, vt Crispi successor fuerit. Fauétque spatium sesquiannuum: maximè verò, si verum est, accusationem Pauli, vt sensit Chrysostomus, lapso eo spatio contigisse.

C

Baronius in Notis in Martyrologium ait, à Beda citari Papæ Zozimi epistolam de Sosthene hactenus sibi incompertam. Ceterùm non de Sosthene citat illam Beda, necnon Ado vterque in suo Martyrologio; sed de Trophimo, in qua epistola testatur Zozimus, ex Trophimi Arelatensis Episcopi fonte totã Galliam Fidei riuos accepisse.

Trophimus Arelatẽsis totam Galliam fide rigauit.

Tanti Sosthenem fecit Paulus, vt in præfatione prioris ad Corinthios adiungat sibi socium; quod fecit etiam, vel ad modestiam, vel ad pondus grauis reprehensionis, quam erat scripturus, vel quia ille ipse detulerat ad Paulum Corinthios, & hoc facto videri debuit id non ex odio fecisse, sed ex charitate: vel quia magni fiebat à Corinthiis, vbi cum Synagogæ præfectura vixerat, & pro CHRISTO verberatus insignis cõstantiæ, ac fortitudinis exemplum reliquerat. Colophonis Episcopum, seu Colophoniadis faciunt citati Dorotheus, & Petrus, atque Menologium[f], in quo etiam recensetur inter septuaginta Discipulos, cum Apollo, Cepha, Tychico, Epaphrodito, Cæsare, Onesiphoro.

D

f 7. Decemb.

Et nihil eorum Gallioni curæ erat.] Non moror notationem syntacticam Glossæ interlinearis, & Hugonis, qui Glossam sequitur in omnibus: *Aut esse Curæ pro ablatiuo, aut Curæ pro datiuo.* Nondum didici phrasim illã: *Mihi est curam* auferendi casu.

Percussoribus licentiam dissimulatione peperit.

E

Proconsulis dissimulatio, & conniuentia, Proconsuli contumeliam, percussoribus licentiam peperit. Sostheni suæ documentum patiẽtiæ dandi occasionem, cui non minùs per Gallionis incuriam repercutere, quàm aliis ipsum percutere fas fuerit, & vi quoque vim repellere. Obseruat hæc omnia Chrysostomus, & obseruare idem est in aliis Martyribus, atque Confessoribus, *qui Agnum diuinum imitati coram tondentibus, ac tundentibus se prorsùs obmutescebant, nec os ad repellendas iniurias, vel amouenda tormenta aperiebant*[g].

g Esai. 53. 7.

Grauius ferientem percussus ferit, dum non ferit, quàm si feriat.

Elegans hoc loco eiusdem Chrysostomi digressio est, qua demonstrat, grauiùs referiri ferientem mansuetudine, silentio, longanimitate, quippe cùm plagam hoc pacto accipiat in anima, ipse in corpus tantùm inferat. Socratica in eandem rem, ac Stoica tum exempla, tum apophthegmata proferri possunt.

A

Porrò non est officio functus Proconsul, nec tribunalis, & personæ dignitati consuluit, permittendo, non prohibendo, non coërcendo, ac puniendo illos, qui nullo aut loci, aut Principis habito respectu cædere non dubitarent, quos ipsemet nec audiendos censuerat; ideóque ciuilibus legibus nihil debentes.

Grauis Magistratui fit iniuria, cum est in officio.

h Plin. de vir. illust. Halic. li. 7. Liu. lib. 2. Dec. 1.
i Plin. de viris illustr. cùm de M. Æmilio Scauro.

Omnis iniuria Magistratui facta grauis, atrox, si tunc cùm fit, officium fungitur. Non attinet exemplis recitandis tempus terere, vt Martij Coriolani, qui perpetuo exilio mulctatus est[h], vt P. Decij Prætoris[i], qui M. Æmilio Scauro[k], vt alterius, qui Seruilio Isaurico honorem non habuit.

B

Odio Principem haberi, & contemni peiora sunt.
k Dio lib. 45.
l in Neua.
m 5. Polit. c. 10.
n Dio lib. 42.

Nescias vtrùm deterius, odio Principem haberi, vel contemni, nihil sub eo licere, vel omnia omnibus. Dionis[l] quidem non improbabilis opinio, hæc peiora, quàm illa. Et Aristoteles[m] duas coniungit causas, ob quas maximè insurgant homines contra Tyrannos, odium, & contemptum. Recitat idem Dio[n] præclaram Iulij Cæsaris summi Imperatoris de hac re sententiam in concione ad milites tumultuãtes: *Ego sanè neque alias rectum esse arbitror, vt qui principatum gerit, subditis sit inferior: neque salutare quicquam agi posse censeo, vbi hi, quibus munitum est, vt dicto sint audientes, imperare ipsi velint. Intelligitis enim, quàm probè sit futura ornata illa domus, in qua natu minoribus ætate grandiores despectui sint: aut ludus literarius, vbi Discipuli magistros contemnunt. Quæ spes sanitatis ægrotis, si non per omnia Medicis obtemperent? quàm tuta nauigatio, si nautæ gubernatoris iussui non pareant? Ita natura duas necessarias res, easque salutares comparauit in humano genere, vt alij cum imperio essent, alij subiicerentur: nihilque est, quod absque his sit, vel minimo quidem spatio perdurare possit.*

C

Duæ res salutares humano generi, imperare, & subesse.

D

Versus 18.] Paulus verò cùm adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, nauigauit in Syriam (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchreis caput: habebat enim votum.

CVM *adhuc sustinuisset dies multos.*] Syrus, וכד הוא חמן יומתא סגיאא *vechad hua thaman iaumatha saggijaa*, id est, *Et cùm fuisset illic dies multos*; vel, *dies multos egisset*. Et hoc sibi vult τὸ προσμείνας; non autem sustinere est hoc loco idem, quod pati, vt exposuit Glossa interlinearis, quamuis etiam de mora. Latinè dicitur sustinere, pro eo, quod est differre, suspendere, cui proxima est, quamuis non adeò peritioribus vsitata, significatio expectandi, vt est nostro Interpreti plerisque locis, vbi Hebraicè est verbum יחל *jachal*, id propriè significans, & Græcè διαμένω, aut simile. Computat verò eadem Glossa hos dies in anno, & mensibus sex, quibus anteà Lucas dixit mansisse Paulum Corinthi. Id & ego magis credo, ita vt προσλαμβάνων id ibi additum sit, ad docendum, quàm Apostolus obedienter diuinæ voluntati paruerit.

E

Paulus anno & sex mensibus Corinthi versatus est.

Chrysostomus tamen, vt pridem vidimus, existimauit nonnisi iam exacto sesquianno compositam accusationem aduersùs Paulum. Sed præter eius auctoritatem, quæ sanè maxima est, nulla me ratio dimouet de mea sententia.

Fratri

Fratribus valefaciens.] Τοῖς ἀδελφοῖς ἀποταξάμενος. Vsus est Lucas eodem verbo inferiùs [a],& in Euangelio in eàdem significatione [b] : vbi Interpres reddit per verbum renunciandi:& potest prætereà hanc vim habere, vt sit ἀποτάττεσθαι, *valedicendo simul addere mandata nonnulla.* Lege Budæum [c].

a vers.21. b cap.9.61. c in Comm. lin.Græc.

Nauigauit in Syriam.] Versùs Syriam : tunc enim Ephesum venit,quæ est in Asia , vt monet Lyranus.

Et cum eo Priscilla , & Aquila.] Docui versu 2. vbi prior nominatus est Aquila , confuso ordine nunc istum,nunc illam,aut postponi,aut præponi. Et diuinare puto Hugonem cum Glossa interlineari, priorem esse conuersam Priscillam : neque enim religio Christiana perturbat rectum ordinem à natura constitutum , & iam anteà vterque erat fidelis, cùm tamen priore loco memoratus est Aquila.

Fidi hospites Paulum consequuntur, quem iustis , vt dictum est [d] , de causis domi suæ habere toto tépore,quo Corinthi mansit,non potuerunt. Hæc autem illorum cum Apostolo narrata profectio est , quoniam paulò pòst commemorabitur egregia eorum opera in instituendo Apollo [e].

d vers.7. e vers.26.

Talibus pellionibus, coriariis, scenarum opificibus, cerdonibus docere permittitur ; sed domi, ac priuatim , ac verò etiam publicè , si ritè ad id munus deputentur, vt Seueri Rauennates , vt Eligij , vt Alexandrini carbonarij , & alij , qui ex opificio ad officium pastorale assumpti sunt,SPIRITV,& doctrina benè instructi. Apud Hæreticos minister est minùs quàm semel idoneus ad docendi munus , & vilis plerunque lanio , aut lanista,quíve quam pascere videtur ouem, deglubat potiùs,quàm tondeat.

Permittitur docere laicis, non publicè, nisi ad id sint deputati.

Qui sibi totonderat in Cenchreis caput:habebat enim votum.] Quia proximè de Aquila mentio fuit,videri possent hæc ad illum spectare , ac proinde etiam positus nunc post Priscillam vxorem,quem prius Auctor ordinem inuerterat [f]. Beda obseruat in quibusdam codicibus legi in numero multitudinis,*totõderant caput, &c,habebant votum,*id est, Priscilla,& Aquila.*Sed egregij Doctores* , inquit,*Ecclesiæ Hieronymus , & Augustinus in suis vterque epistolis,& singulari numero ponunt,& de Paulo interpretantur* [g].Ponit enim ita Hieronymus:*Fratribus valedicens nauigabat Syriam , & cum eo Priscilla , & Aquila,& totondit sibi in Cenchreis caput:votum enim habuerat.* Falli prætereà docet,qui de Priscilla , & Aquila intelligant,quoniam textus Græcus habet κειράμενος in singulari. Consentiunt Syrus , כד ספר *chad sappar* , id est , *cùm totondisset* , ac Latini omnes.

f vers.7. g Aug.epi 19. & Hier.apud eundem epi. 11.

Quanquàm Baronius [h] in codice manuscripto legit, *totonderant* , &c , *habebant votum:*tamen facilè potuit error irrepere.Quòd autem irrepserit,persuadet , quoniam Chrysostomi Interpres legit in singulari,& Oecumenius etiam , quem Græcè legi,quique de Paulo intelligit.

h Tom.1.Annal.

Neque sanè Chrysostomus , vt velle tamen videtur idem Baronius , explicauit de Priscilla , & Aquila ; solùm ait , *quòd Paulus nondum illos abduxerat à Iudaica consuetudine :* id autem maximè verum est , si exemplo suo eandem adhuc à Iudæis, qui Christiani essent facti,posse retineri ostendebat.Oecumenius, optimus Chrysostomi sectator, & Interpres, ita intellexit. Denique non videtur Nazaræi religio,ac votum præcipuè consistens in capillo,fœminis, quod ad hanc saltem partem at-

A tinet,potuisse conuenire,vt etiam docet Abulensis [i].Fateor tamen Isidorum [k] intelligere de Aquila,& Priscilla.

i Iud.13.q.12. k 2. Offic.ca. de tonsura.

In Cenchreis.] Ἐν Κεγχρεαῖς. Est hoc idem nomen in epistola ad Romanos [l],vbi Hugo ignarus Grecæ linguæ , corrigendum asserit,quòd scribamus per aspirationem.

l cap.16.1.

Origenes præfatione in epistolam eandem, ait esse nomen loci Corintho vicini , immò portus ipsius Corinthi. Vult prætereà scriptam ab Apostolo epistolam ad Romanos per Phœben Cenchreensis Ecclesiæ ministram ex vrbe Corintho. Hoc nunc non agimus.

Cenchreæ locus quis sit.

B Cenchreæ sicut Athenæ dicẽdum est,vel Cenchræ , nauale illud Corinthiacum ex parte maris Ægæi ad Orientem,vt scribit Strabo [m],vel ad sinum Saronicum , quemadmodum Lecheæ alter portus ad sinum Crissæum,siue Corinthiacum,inter quos medium spatium vocatur Isthmus , constans passibus quinque millibus , vt prodit Plinius [n]. Idcirco Horatius [o] , & Ouidius [p] *Corinthum bimarem* vocant , vt Græci *Amphithalassium* (Ægialon item quasi totam littoralem)quemadmodum & Atheniensium vrbem Xenophon.

m lib.8. n lib.4.c.4. o 1.Carm.ode 7. p 4.Fastorũ.

Totonderat caput : habebat enim votum.] Simile quid capite XXI.[q] iterum de Paulo,& aliis nonnullis narratur.Omnes autem conueniunt,in gratiam Iudæorum vsurpasse huiusmodi legales C cæremonias eo modo , quo capite XVI. [r] circumciderat Timotheum.

q vers.24. r vers.3.

Nazaræus in lege duplex distinguitur, vel perpetuus, qui nunquàm radebat caput , nec alia gustabat huic hominum ordini prohibita, vt vinum, &c. vel ad tempus. Hic finito eo tempore,quod sibi præscripserat, capillum radebat, & in ignem proiiciebat , offerens illum DEO , cum sacrificio, cui ille suppositus erat ; & ipsemet Nazaræus vocabatur *Corban,* quasi *munus diuinum* , vt ait Iosephus [f] , multóque magis is , qui se perpetuo ritu dicauerat. Exemplum indicatur in historia Machabæorum [t]. Caietanus ait *rasionem capitis , quæ per se erat, & in termino voti complebatur , fieri tantum potuisse ad ostium tabernaculi fœderis,cum sacrificio : illam verò , quæ erat per accidens , videlicet infra tempus voti,si,*verbi gratia, *Nazaræus pollutus esset ob morticinum, &c. debuisse quouis loco persolui:atque hanc esse, de qua hic sermo est;nec tertiam reperiri in lege,*quæ est in capite sexto Numerorum. Abulensis [u] agens de alia rasione , quam fecit Paulus in Ierusalem, affirmat votum illud eius durasse per septem dies. At quicquid sit de voto suscepto in Ierusalem, cum interrupto dierũ numero per morticini pollutionẽ irriti essent priores dies Nazaræi (quamuis quo die pollutio contigisset, radendum caput foret [x])nec essent dies, quos quis voueret,in numero definito, & paucorum etiam dierum interruptio tam crebra esse posset,vt denuò illos repetendo non posset impleri votum nisi post longum spatium temporis:& Paulus, qui iam propter occursum cadaueris (si talis occursus fuit) vt voto satisfaceret , dierum , quos vouerat , numerum à principio inire debuerit ; nescimus quo tempore idem Apostolus votum consummauerit.

Nazaræus in lege duplex distinguitur. f 4.Ant.c.4. t lib.1.c.2.49. u Leu.27.q.7. x Num.16.12.

D

E

Crescit inde adhuc non mediocriter difficultas , quoniam dicto loco libri Numerorum , nec purgatio ob interpositam pollutionem fiebat sine aliquo sacrificio,nec totius voti persolutio. Quapropter non potuisset quis id votum vel incipere longiùs ab Ierusalem , quoniam sacrificare alibi non licebat,vel propter eãdem causam,id soluere, nisi

nisi in Ierusalem, præsertim etiam cùm id votum alia re permutari non posset. Et tamen Paulus non proprio animi sui consilio, sed Nazaræorum ritu totondit se in Ierusalem, atque purificauit. Igitur tonsio hæc, de qua modò agimus, diuersa videtur, nec vna ex iis, quas Caietanus in lege legit. Hîc sanè de Nazaræorum religione mentio nulla, sicut in capite 21. Denique hoc tempore Iudæi Nazaræi non fiunt, quia votum complere non possunt extra Ierusalem, vbi solummodò sibi sacrificare licere existimant.

Iudæi hoc tempore Nazaræi non fiunt.

Paulus cur Nazaræorum voto nunc obstrinxerit.

Probabilis mihi videtur Stapletoni coniectura, non per se, vt Iudæis similis esset, huiusmodi se nunc voto Paulum obligasse, quoniam peregrinabatur inter Gentiles, sed religionis, ac sanctificationis, atque mortificationis propriæ causâ, vt eam etiam ex parte innuere voluerit, cùm scripsit Corinthiis [a]: *Castigo corpus meum*, &c. Sed propter ea, quæ dixi, addere debuit, non id votum fuisse, quod Numerorum 6. describitur: nec hoc posito, dicere verisimiliter potuit, idcirco posteà relicta Epheso, festinatum ab Apostolo Ierosolymam, vt quæ voto huiusmodi expleto in templo iuxta leges offerenda erant, offerret. Si enim votú erat Nazaræorú, soluisset ipse, non autem vt eum ad illum ritum, quemadmodum nuper argumentabar, Iacobus induceret, expectauisset. Eandem vim habent rationes istæ in Aquila, quem Paulus secum perduxit Ephesum, immò & ibi reliquit.

a 1.ep.c.9.27.

Pauli hoc votū Nazaræorū voto aliqua in parte simile, sed nō per omnia.

Possumus tandem, ne à communi recedamus opinione, quæ cum Hieronymo, & Augustino legalem hîc cæremoniam agnoscit, concedere, in voto Pauli multa fuisse cum Nazaræorum voto similia, vt intonsum caput, abstinentiam vini, &c. ita vt simpliciter appellari possit votum Nazaræorum, ceterùm defuisse legem de pollutione morticini, & de offerendo sacrificio, quoniam nec propter Iudæos præcipuè tale votum assumebat: nec ad carnem macerandam, DEVMVE placandum, quæ duo potissimùm Apostolus in eo voto intendebat, ritus illi quidquam ampliùs conferebant: immò potiùs cursum prædicationis impediebant. Cùm tamen in eodem voto essent nonnulla, quæ Iudaismum saperent, potuit & hoc nomine libentiùs à Paulo suscipi, vt Iudæos, qui cum Gentilibus permixti erant, & quibus vbique primo loco prædicabat, sibi ea ratione magis deuinciret. Chrysostomus, & Oecumenius notant, sacrificium quoque fieri debuisse; tamen postquàm verberatus fuit Sosthenes, factū non ampliùs esse, quia iam lex soluebatur.

Ergo cùm Cenchreas ad portum, vt inde solueret, peruenit, absoluto voti spatio, voto solutus, totondit seipsum, non in gratiam Iudæorum, qui nulli forsan ibi erant, sed vt degrauaret caput: hócque se onere, quod ingerit multis molestiam, & ad mœrentium habitum aliquando pertinuit, se liberaret. Vtinam & ego me permolesta ista difficultate, qua perdiu vexatus sum, liberarim; certè hoc effecero, vt qui eam senserit (nec enim qui adhuc viderit, videre potui) faciliùs, atque fœliciùs expediant.

De Monachali tonsura qui scripserint.

De Clericali, aut Monachali tonsura, quam Epiphanius [b] *à Monachis*, ait, *vsurpari, quia & veteris Testamenti illi velut Monachi Nazaræi cæsariem gestabant*; & Isidorus [c] à Clericis, quia lapso deuotionis tempore, illam in ignem sacrificij proiiciebant; legendi controuersiarum cum Hæreticis scriptores, maximè verò Bellarminus [d], necnon Petrus Gregorius [e], qui hoc argumentum magna eruditione persequitur, & Baronius [f], & Ioannes Langhecrucius [g]. Rectè autem primus notat pro temporum, locorúmque diuersitate fuisse in vsu, vel rasuram, vel tonsuram, tecta cute remanente: ac illam tum prohibitam, cùm vitabatur Sacerdotum idololatrarum exemplum.

b Hæres.80.
c 2.Offic.c.de tonsur.
d 2.de Mon. cap.40.
e 16 Synt.c.1.
f Tom. 1.
g 2 dec. ... hone. ... cap.1.

Lego apud Sidonium Apollinarem [h], de Clerico Maximo, *coma quidem breui fuisse, barba tamen prolixa*. Sic verò vtrumque cautum videtur, *ne Clericus comam nutriat, neque barbam radat*. In emendatiore codice Concilij IV. Carthaginensis [i] Clemens etiam Alexandrinus [k], Cyprianus [l], Epiphanius [m] produnt morem alendi barbam. Vetustiores demùm icones Apostolorum, aliorúmve Sanctorum, ex ordine Clericali, fidem faciunt. Nec Anicetus Papa simul comam, barbámque Clericis prohibuit, sed comam solam, quidquid secùs de tali constitutione scripserint Martinus Polonus [n], & Petrus de Natalibus [o]. In Breuiario Romano [p], ex Pontificali libro [q], de coma duntaxat mentio, necnon in Decreto [r], vel in Martyrologio Vsuardi [s], in Mariano Scoto [t], in Innocentio III. [u] Sed variatum hac in re, vt dixi. Cuiuis autem mos sequendus, quem in quaque regione modesti Clerici seruant.

h li.4.ep.24.
i cap.44.
k 3. Pædag.c. 3.
l 3. ad Quirinum.c.85.
m Hæres.80.
n in Chron.
o lib.4.c.57.
p 17.Aprilis.
q cap.12.
r d.23.c.Clericis.
s 15. Kalend. Maij.
t in Chron.
u epist.

Episcoporum corona, ...

Cùm lego, Episcopis abstracta voce nomen tributum coronæ, (*Corona tua*, &c. vt ab Ennodio [x], à Sidonio [y], ab Hieronymo [z], & ab aliis, suspicor, tonsuram intelligi coronæ instar maiorem in Episcopis, maximè quòd & iidem interdum Papæ vocantur: Papa verò quorundam opinione, de qua Remigius Antisiodorensis [a] (nec verisimilis tamen est) dicitur quasi ab admirationis interiectione *Papæ*, quia sit mirabilis, & coronatus; & prætereà, quoniam, teste Balsamone [b], tonsura Clerica, & Episcopalis corona vocatur στεφάνη· & in Constantini pragmatico ad Syluestrum, corona Clericatus.

x ep. ad Marcellin. & ep. ad Aurelian. & ep. ad Symmachum Papam.
y lib. 6. ep. 3. lib. 7. ep. 8.
z epist. 81. ad Augustinum.
a de celebr. Missæ.
b in cano. 21. 6. Synod. in Trullo.

Eodem illo modo loquuntur Terraconensium Episcopi scribentes Papæ Hilario. Et Vincentius Lyrinensis Sacerdotum coronas nominat. Legi quoque canon debet relatus in Decreta [c], vbi est, *Clericos Reges censeri, & in capite gerere coronam, velut regni istius insigne*. Significat rasio, vt ibidem habetur, temporalium omnium depositionem, quam Monachi à Clericis olim diuersi voto profitentur. Sed hac ratione non est eiusmodi rasura in ipsis regni signum, sicut in Clericis, licèt & hi rebus vti moderatiùs debeant. Sed cùm solis Episcopis, qui Sacerdotum nomine aliquando intelliguntur, videatur tribui dicta coronæ nomenclatura, fortassè per coronam indicatur augustus capitis amictus, quem dicunt mitram, proprius Episcoporum.

c c. duo sunt. 12.q.1.

Religio voti defenditur contra Caluinum.

Habebat enim votum.] Ridiculos Caluinus (fidiculis, quàm risu dignior) Papistas vocat, quòd hinc vouendi exemplum eliciant: *Et cùm Paulum nulla ad vouendum religio induxerit, nos fictitium* DEI *cultum locemus in votis: cùm illum temporis ratio cogeret ad seruandos legales ritus, iam Ecclesia, cui pridem sua constat libertas, superstitione implicetur*. At iam docuimus, qua de causa Paulus votum id susceperit. Deinde si Iudæorum infirmitati ea in re se accommodabat, satis erat externos illos ritus vsurpare, absque nuncupatione voti, quam conceptis vllis verbis fieri debuisse non legimus, ac nec omninò necessaria verba sunt, sed animo concipi votum potest.

Non sunt Monastica vota, vt blasphemare Caluinus solet [d], magici exorcismi, neque continent

d in cap. 14. Matthæi.

impieta

Monachorum vota qualia sint.

impietatem; sunt diuina consilia, sunt opera superogationis, sunt actiones maximè religiosæ, atque meritoriæ.

a lib. de votis. & cælibatu.

Multò absurdior Petrus Martyr [a], dum omnia omninò vota Christianis interdicit, tanquàm pertinentia duntaxat ad legis cæremonias: quid enim cæremoniæ externæ in voto est, præsertim si solo perficiatur mentis actu? Aliquæ item cæremoniæ sunt omni hominum generi, & omni religioni communes, vt pectus tundere, flectere genua, manus attollere, cœlum in oratione aspicere, quo pacto ante legem scriptam vouit Iacob [b]. Lege eosdem, quos dixi, Hæreseologos, in primis Bellarminum [c], & Scholasticos de voto in genere disputantes, & ex Patribus Augustinum [d], quem Hæretici maximi faciunt. Ergo licuit Attio Nævio, laudatúrque hoc nomine à Cicerone [e], cùm propter paupertatem sues pasceret, vna ex his amissa, vouere, si recuperasset, vuam se DEO daturum, quæ maxima esset in vinea, & fas non erit, honestúmque, ac pium, edere votum eidem DEO de rebus, quas facere sit melius, quàm omittere, quæque ad honorem diuinum illustrandum, & amplificandum conferant?

b Gen. 28. 20.
c lib. 2. de Monach. à c. 14.
d maximè in ps. 75. 99. 131. epi. 45. lib. de virgin. c. 10. 1. de adult. coniug. ca. 24. de bono viduit. cap. 11.
e lib. 1. de Diuinat.

Crassissimus item error est Lutheri [f], non obligare vota, nisi quamdiu homini ea seruare placet. Legendus Augustinus iam citatus, vt omittam perspicuam rationem ex minorum comparatione, quod fallere fidem hominibus turpe ducitur, ac iniquum.

f lib. de votis Monast.

Votum.] Εὐχὴν. Latina vox significat vel promissionem, vel desiderium, vel orationem. Græca hæc eadem; licèt oratio sæpiùs dicatur *προσευχὴ*, præsertim in nouo Testamento. Hebræi distinctis planè nominibus, quæ nullam habent affinitatem, נדר *neder*, & תפלה *thephillah*, vtrumque designant. Huius rei rationem reddit Bellarminus [g], quòd cùm Latinum, Græcúmque nomen inuentum est, apud Græcos, & Latinos non erat illa vera pietas, nec homines DEO, Diisve quicquam vouebant, nisi ad id, quod desiderabant, impetrandum; ideóque votis semper iungebant preces, iuxta illud Virgilij [h]:

...unquam voce ...brea. & Græ... ...bantur.
...de Mona. ...14.

Sed votis, precibúsque iubes exposcere pacem.

Item [i]:

— Cessas in vota, precésque.

...neid. 3.
...neid. 6.

Quanquàm Valerius Maximus [k] obseruat, veteres, *cùm aliquid exposcendum erat, voto; cùm commendandum, precatione vsos.* Quod ad Græcos attinet, Nyssenus [l] notat, vocatam *orationem προσευχὴν*, quia post votum, quod vocatur *εὐχὴ*, fiebat. Sed Hebræi quoniam DEVM piè colebant, & vota faciebant etiam absoluta sine relatione ad preces, desideriúmve aliquid per vota impetrãdi, vt contingit quoque apud nos; idcirco propriis, ac diuersis nominibus hæc duo nominabant.

...1. cap. 1.
...a. in ora. 1. ...εὐχὴ dicitur προσευχὴ...

Versus 19.] Deuenítque Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse verò ingressus Synagogam, disputabat cum Iudæis.

DEVENITQVE *Ephesum.*] Ephesus, Amazonum opus [m], aut Crœsi [n] cuiusdam indigenæ, Ephesiique, qui Istri fluuij filius dicitur, Ionicarum vrbs clarissima, & Asiæ lumen dicta; ædificata, vt prodit Eusebius [o], anno Dauid vigesimooctauo, sitáque in pulcherrimo sinu, à læua Mæandrum fluuium, qui à Phrygia exoritur, & per Cariam effluit in Ægæum mare; à dextra verò Caistrum habens, qui venit è Lydia, vehítque merces

...s descri... ...bo, Dio... ...sin. Me... ...sanias ...ateis. ...seon.

A Asiaticas; optimis prætereà oppidis circumsepta; Dianæ templo longè nobilissimo exornata, cuius longitudo quadringentorum vigintiquinque pedum, latitudo ducentorum viginti, & in eo erant columnæ centum vigintiseptem sexaginta pedes altæ (inter quas trigintasex cælatæ miro artificio) ab Asia tota extructæ per annos ducentos viginti, aut etiam quadringentos; & à Regibus eiusdem dicatæ cum asyli prærogatiua, cui Alexander stadium adiecit [p].

Hæc, inquam, vrbs celebritatem maiorem, quàm ab his, aliísque rebus consequuta est ob Pauli præsentiam, nunc, iterúmque, ac epistolam;
B ob Timotheum constitutum ibi eiusdem Episcopum, cui alius Pauli Discipulus Onesimus successit; ob Ioannem Apostolum, qui totas cùm regeret Asiæ Ecclesias, in hac illius metropoli morabatur magis, atque ea in vrbe fœlicem exitum sortitus est; ob Deiparam ipsam, quam Patres vnius ex Oecumenicis Conciliis ibidem celebrati (quod ad laudem non parum etiam facit) cum Ioanne quandoque habitasse testati sunt [q]: quod iam anteà Epiphanius [r] hæsitando significauerat.

p lege Plin. libr. 36. ca. 14. Giraldum de histor. Deor. Syntag. 12. Alexãdrum ab Alex. li. 3. cap. 20.
Eius maxima celebritas vnde sit.

q Tom. 2. Cõcil. Ephes. ca. 27. in epist. ad Cler. Constãtinop.
r Hæres. 78.
s epist. 14.

Laudat mirificè Ignatius [s] Ephesios *à Fidei puritate, & constantia, prout instructi fuerant à* CHRISTI *pleno Paulo, & à fidissimo Timotheo.*

Ibi Apostolus ipse *ostium sibi magnum, & euidens apertum* scripsit [t], *licèt aduersarij essent multi.* Vt pro-
C ptereà etiam & eò redierit, & diu apud Ephesios hæserit, quemadmodum sequens docebit historia: tum prætereà, quoniam illuc ventitabat omnis Asia minor, vel religionis causa ad Dianæ templum, vel negotiorum, ad metropolim, vbi Proconsul agebat, vel studiorum, siquidem, vt ait Philostratus [u], in laudatione Apollonij Tyanæi artis magicæ scientia, & professione summi, qui illum sibi locum in primis delegerat, abundabat bonarum artium studiis, Philosophis, Oratoribúsque redundabat, vt verè dici posset, eam ciuitatem non equitum robore, sed clarorum hominum millibus ceteras superare, in eáque plurimùm vigere
D sapientiam. Chrysostomus [x] refert ex vulgari opinione, inde fuisse Pythagoram, & totam Ionicam Philosophiam ibi cœpisse cum Parmenide, Zenone, Democrito.

t 1. Cor. 16. 9.

u lib. 8 cap. 3.
Ephesi regnabat eruditio.

x præf in epi. ad Ephes.

Accedit quoque illa causa, quia Iudæi dictæ ciuitatis municipes erant, eiúsque priuilegiis potiebantur, & Ephesi haud secus ac alij, ciues nominabantur, teste Iosepho [y].

Primariæ meritò sunt ab Apostolis vrbes delectæ ad Euangelium: Ierusalem in Iudæa; in Syria Antiochia; in Ægypto Alexandria; Corinthus in Græcia, siue Achaia; in Italia Roma; Ephesus in Asia minori. Sed & sicut Athenis ara Ignoto DEO collocata, propter eclipsim, quæ mortuo CHRISTO contigit, vt de quorundam sententia priùs [z]
E retulimus, Paulo prædicandi occasionem præbuit: ita fieri potest, vt quod inter duodecim Asiæ vrbes vna prostratas nocte, primo Ephesum loco Plinius [a] numeret, sub principatu Tiberij, cùm scilicet CHRISTVS mortuus est, fuerit euertendæ per Paulum idololatriæ symbolum. Bene faciunt, qui sedem constituunt celebrioribus in locis, vbi poni vtiliùs opera, & vnde promanare ad plures possit.

y lib. 2. cont. Apion.
Primariæ vrbes ad prædicandũ ab Apostolis delectæ.

z cap præcedente.

a lib. 2. c. 84.

Illos ibi reliquit.] Vt docerent, ac instituerent alios. Inde posteà Romam reuersos arbitratur Chrysostomus.

Disputabat cum Iudæis.] Fratres suos secundùm carnem quærit semper, ac primo quidem loco,

nunquàm

nisi in Ierusalem, præsertim etiam cùm id votum alia re permutari non posset. Et tamen Paulus non proprio animi sui consilio, sed Nazaræorum ritu totondit se in Ierusalem, atque purificauit. Igitur tonsio hæc, de qua modò agimus, diuersa videtur, nec vna ex iis, quas Caietanus in lege legit. Hîc sanè de Nazaræorum religione mentio nulla, sicut in capite 21. Denique hoc tempore Iudæi Nazaræi non fiunt, quia votum complere non possunt extra Ierusalem, vbi solummodò sibi sacrificare licere existimant.

Iudæi hoc tempore Nazaræi non fiunt.

Probabilis mihi videtur Stapletoni coniectura, non per se, vt Iudæis similis esset, huiusmodi se nunc voto Paulum obligasse, quoniam peregrinabatur inter Gentiles, sed religionis, ac sanctificationis, atque mortificationis propriæ causa, vt eam etiam ex parte innuere voluerit, cùm scripsit Corinthiis [a]: *Castigo corpus meum*, &c. Sed propter ea, quæ dixi, addere debuit, non id votum fuisse, quod Numerorum 6. describitur: nec hoc posito, dicere verisimiliter potuit, idcirco posteà relicta Epheso, festinatum ab Apostolo Ierosolymam, vt quæ voto huiusmodi expleto in templo iuxta leges offerenda erant, offerret. Si enim votũ erat Nazaræorũ, soluisset ipse, non autem vt eum ad illum ritum, quemadmodum nuper argumentabar, Iacobus induceret, expectauisset. Eandem vim habent rationes istæ in Aquila, quem Paulus secum perduxit Ephesum, immò & ibi reliquit.

Paulus cur Nazaræorum voto nunc obstrinxerit.

a 1. ep. c. 9. 27.

Possumus tandem, ne à communi recedamus opinione, quæ cum Hieronymo, & Augustino legalem hîc cæremoniam agnoscit, concedere, in voto Pauli multa fuisse cum Nazaræorum voto similia, vt intonsum caput, abstinentiam vini, &c. ita vt simpliciter appellari possit votum Nazaræorum, ceterùm defuisse legem de pollutione morticini, & de offerendo sacrificio, quoniam nec propter Iudæos præcipuè tale votum assumebat: nec ad carnem macerandam, DEVMVE placandum, quæ duo potissimùm Apostolus in eo voto intendebat, ritus illi quidquam ampliùs conferebant: immò potiùs cursum prædicationis impediebant. Cùm tamen in eodem voto essent nonnulla, quæ Iudaismum saperent, potuit & hoc nomine libentiùs à Paulo suscipi, vt Iudæos, qui cum Gentilibus permixti erant, & quibus vbique primo loco prædicabat, sibi ea ratione magis deuinciret. Chrysostomus, & Oecumenius notant, sacrificium quoque fieri debuisse; tamen postquàm verberatus fuit Sosthenes, factũ non ampliùs esse, quia iam lex soluebatur.

Pauli hoc votũ Nazaræorũ voto aliqua in parte simile, sed nõ per omnia.

Ergo cùm Cenchreas ad portum, vt inde solueret, peruenit, absoluto voti spatio, voto solutus, totondit seipsum, non in gratiam Iudæorum, qui nulli forsan ibi erant, sed vt degrauaret caput: hócque se onere, quod ingerit multis molestiam, & ad mœrentium habitum aliquando pertinuit, se liberaret. Vtinam & ego me permolesta ista difficultate, qua perdiu vexatus sum, liberarim; certè hoc effecero, vt qui eam senserit (nec enim qui adhuc viderit, videre potui) faciliùs, atque fœliciùs expediant.

De Clericali, aut Monachali tonsura, quam Epiphanius [b] à *Monachis*, ait, *vsurpari, quia & veteris Testamenti illi velut Monachi Nazaræi cæsariem gestabant*; & Isidorus [c] à Clericis, quia lapso deuotionis tempore, illam in ignem sacrificij proiiciebant; legendi controuersiarum cum Hæreticis scriptores, maximè verò Bellarminus [d], necnon Petrus Gregorius [e], qui hoc argumentum magna

De Monachali tonsura quis scripserit.
b Hæres. 30.
c 2. Offic. c. de tonsur.
d 2. de Mon. cap. 40.
e 16 Syntx. c. 1.

A eruditione persequitur, & Baronius [f], & Ioannes Langhecrucius [g]. Rectè autem primus notat pro temporum, locorúmque diuersitate fuisse in vsu, vel rasuram, vel tonsuram, tecta cute remanente: ac illam tum prohibitam, cùm vitabatur Sacerdotum idololatrarum exemplum.

f Tom. 1.
g 2. de … hone. … cap. 2.

Lego apud Sidonium Apollinarem [h], de Clerico Maximo, *coma quidem breui fuisse, barba tamen prolixa*. Sic verò vtrumque cautum videtur, *ne Clericus comam nutriat, neque barbam radat*. In emendatiore codice Concilij IV. Carthaginensis [i] Clemens etiam Alexandrinus [k], Cyprianus [l], Epiphanius [m] produnt morem alendi barbam. Vetustiores demùm icones Apostolorum, aliorúmve Sanctorum, ex ordine Clericali, fidem faciunt. Nec

h li. 4. ep. 24.
i cap. 44.
k 3. Pædag. c. 3.
l 3. ad Quirinum c. 85.
m Hæres. 80.

B Anicetus Papa simul comam, barbámque Clericis prohibuit, sed comam solam, quidquid secùs de tali constitutione scripserint Martinus Polonus [n], & Petrus de Natalibus [o]. In Breuiario Romano [p], ex Pontificali libro [q], de coma duntaxat mentio, necnon in Decreto [r], vel in Martyrologio Vsuardi [s], in Mariano Scoto [t], in Innocentio III. [u] Sed variatum hac in re, vt dixi. Cuiuis autem mos sequendus, quem in quaque regione modesti Clerici seruant.

n in Chron.
o lib. 4. c. 37.
p 17. Aprilis.
q cap. 12.
r d. 23. c. Clericis.
s 15. Kalend. Maij.
t in Chron.
u epist. 1.

Cùm lego, Episcopis abstracta voce nomen tributum coronæ, *Corona tua*, &c. vt ab Ennodio [x], à Sidonio [y], ab Hieronymo [z], & ab aliis, suspicor, C tonsuram intelligi coronæ instar maiorem in Episcopis, maximè quòd & iidem interdum Papæ vocantur: Papa verò quorundam opinione, de qua Remigius Antisiodorensis [a] (nec verisimilis tamen est) dicitur quasi ab admirationis interiectione *Pape*, quia sit mirabilis, & coronatus; & præthereà, quoniam, teste Balsamone [b], tonsura Clerica, & Episcopalis corona vocatur στεφάνη; & in Constantini pragmatico ad Syluestrum, corona Clericatus.

Episcopi corona dicti.
x ep. ad Marcellin. & ep. ad Astrium. & ep. ad Symmachum Papam.
y lib. 6. ep. 3. lib. 7. ep. 8.
z epist. 81. ad Augustinum.
a de celebr. Missæ.
b in cano. 21. 6. Synod. in Trullo.

Eodem illo modo loquuntur Terraconensium Episcopi scribentes Papæ Hilario. Et Vincentius Lyrinensis Sacerdotum coronas nominat. Legi quoque canon debet relatus in Decreta [c], vbi est, *Clericos Reges censeri, & in capite gerere* D *coronam, velut regni istius insigne*. Significat rasio, vt ibidem habetur, temporalium omnium depositionem, quam Monachi à Clericis olim diuersi voto profitentur. Sed hac ratione non est eiusmodi rasura in ipsis regni signum, sicut in Clericis, licèt & hi rebus vti moderatiùs debeant. Sed cùm solis Episcopis, qui Sacerdotum nomine aliquando intelliguntur, videatur tribui dicta coronæ nomenclatura, fortasse per coronam indicatur augustus capitis amictus, quem dicunt mitram, proprius Episcoporum.

c c. duo sunt. 12. q. 1.

Habebat enim votum.] Ridiculos Caluinus (fidiculis, quàm risu dignior) Papistas vocat, quòd E hinc vouendi exemplum eliciant: *Et cùm Paulum nulla ad vouendum religio induxerit, nos fictitium* DEI *cultum locemus in votis: cùm illum temporis ratio cogeret ad seruandos legales ritus, iam Ecclesia, cui pridem sua constat libertas, superstitione implicetur*. At iam docuimus, qua de causa Paulus votum id susceperit. Deinde si Iudæorum infirmitati ea in re se accommodabat, satis erat externos illos ritus vsurpare, absque nuncupatione voti, quam conceptis vllis verbis fieri debuisse non legimus, ac nec omninò necessaria verba sunt, sed animo concipi votum potest.

Religio votorum defenditur contra Caluinum.

Non sunt Monastica vota, vt blasphemare Caluinus solet [d], magici exorcismi, neque continent

d in cap. 19. Matthæi.

Monachorum vota qualia sint.

impietatem; sunt diuina consilia, sunt opera supererogationis, sunt actiones maximè religiosæ, atque meritoriæ.

a lib. de votis. & cælibatu.

Multò absurdior Petrus Martyr [a], dum omnia omninò vota Christianis interdicit, tanquàm pertinentia duntaxat ad legis cæremonias: quid enim cæremoniæ externæ in voto est, præsertim si solo perficiatur mentis actu? Aliquæ item cæremoniæ sunt omni hominum generi, & omni religioni communes, vt pectus tundere, flectere genua, manus attollere, cœlum in oratione aspicere, quo pacto ante legem scriptam vouit Iacob [b]. Lege eosdem, quos dixi, Hæreseologos, in primis Bellarminum [c], & Scholasticos de voto in genere disputantes, & ex Patribus Augustinum [d], quem Hæretici maximi faciunt. Ergo licuit Attio Næuio, laudatúrque hoc nomine à Cicerone [e], cùm propter paupertatem sues pasceret, vna ex his amissa, vouere, si recuperasset, vuam se DEO daturum, quæ maxima esset in vinea, & fas non erit, honestúmque, ac pium, edere votum eidem DEO de rebus, quas facere sit melius, quàm omittere, quæque ad honorem diuinum illustrandum, & amplificandum conferant?

b Gen. 28. 20.
c lib. 2. de Monach. à c. 14.
d maximè in ps. 75. 99. 131. ep. 45. lib. de virgin. c. 30. 1. de adult. coniug. ca. 24. de bono viduit. cap. 11.
e lib. 1. de diuinat.

Crassissimus item error est Lutheri [f], non obligare vota, nisi quamdiu homini ea seruare placet. Legendus Augustinus iam citatus, vt omittam perspicuam rationem ex minorum comparatione, quod fallere fidem hominibus turpe ducitur, ac iniquum.

f lib. de votis Monast.

Votum.] Εὐχήν. Latina vox significat vel promissionem, vel desiderium, vel orationem. Græca hæc eadem; licèt oratio sæpiùs dicatur προσευχὴ, præsertim in nouo Testamento. Hebræi distinctis planè nominibus, quæ nullam habent affinitatem, נדר *neder*, & תפלה *thephillah*, vtrumque designát. Huius rei rationem reddit Bellarminus [g], quòd cùm Latinum, Græcúmque nomen inuentum est, apud Græcos, & Latinos non erat illa vera pietas, nec homines DEO, Diísve quicquam vouebant, nisi ad id, quod desiderabant, impetrandum; ideóque votis semper iungebant preces, iuxta illud Virgilij [h]:

Sed votis, precibúsque iubes exposcere pacem.

Item [i]:

—Cessas in vota, precésque.

Quanquàm Valerius Maximus [k] obseruat, veteres, *cùm aliquid exposcendum erat, voto; cùm commendandum, precatione vsos.* Quod ad Græcos attinet, Nyssenus [l] notat, vocatam *orationem* προσευχὴν, quia post votum, quod vocatur εὐχὴ, fiebat. Sed Hebræi quoniam DEVM piè colebant, & vota faciebant etiam absoluta sine relatione ad preces, desideriúmve aliquid per vota impetrãdi, vt contingit quoque apud nos; idcirco propriis, ac diuersis nominibus hæc duo nominabant.

Versus 19.] Deuenitque Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse verò ingressus Synagogam, disputabat cum Iudæis.

DEVENITQVE *Ephesum.*] Ephesus, Amazonum opus [m], aut Crœsi [n] cuiusdam indigenæ, Ephesiíque, qui Istri fluuij filius dicitur, Ionicarum vrbs clarissima, & Asiæ lumen dicta; ædificata, vt prodit Eusebius [o], anno Dauid vigesimooctauo, sitáque in pulcherrimo sinu, à læua Mæandrum fluuium, qui à Phrygia exoritur, & per Cariam effluit in Ægæum mare; à dextra verò Caistrum habens, qui venit è Lydia, vehítque merces Asiaticas; optimis prætereà oppidis circumsepta; Dianæ templo longè nobilissimo exornata, cuius longitudo quadringentorum vigintiquinque pedum, latitudo ducentorum viginti, & in eo erant columnæ centum vigintiseptem sexaginta pedes altæ (inter quas trigintasex cælatæ miro artificio) ab Asia tota extructæ per annos ducentos viginti, aut etiam quadringentos; & à Regibus eiusdem dicatæ cum asyli prærogatiua, cui Alexander stadium adiecit [p].

p lege Plin. libr. 36. ca. 14. Giraldum de histor. Deor. Syntag. 12. Alexãdrum ab Alex. li. 5. cap. 20.

Eius maxima celebritas vnde sit.

Hæc, inquam, vrbs celebritatem maiorem, quàm ab his, aliísque rebus consequuta est ob Pauli præsentiam, nunc, iterúmque, ac epistolam; ob Timotheum constitutum ibi eiusdem Episcopum, cui alius Pauli Discipulus Onesimus successit; ob Ioannem Apostolum, qui totas cùm regeret Asiæ Ecclesias, in hac illius metropoli morabatur magis, atque ea in vrbe fœlicem exitum sortitus est; ob Deiparam ipsam, quam Patres vnius ex Oecumenicis Conciliis ibidem celebrati (quod ad laudem non parum etiam facit) cum Ioanne quandoque habitasse testati sunt [q]: quod iam anteà Epiphanius [r] hæsitando significauerat.

q Tom. 2. Cõcil. Ephes. ca. 27. in epist. ad Cler. Constãtinop.
r Hæres. 78.
s epist. 14.

Laudat mirificè Ignatius [s] Ephesios *à Fidei puritate, & constantia, prout instructi fuerant à CHRISTI pleno Paulo, & à fidissimo Timotheo.*

Ibi Apostolus ipse *ostium sibi magnum, & euidens apertum* scripsit [t], *licèt aduersarij essent multi.* Vt proptereà etiam & eò redierit, & diu apud Ephesios hæserit, quemadmodum sequens docebit historia: tum prætereà, quoniam illuc ventitabat omnis Asia minor, vel religionis causa ad Dianæ templum, vel negotiorum, ad metropolim, vbi Proconsul agebat, vel studiorum, siquidem, vt ait Philostratus [u], in laudatione Apollonij Tyanæi artis magicæ scientia, & professione summi, qui illum sibi locum in primis delegerat, abundabat bonarum artium studiis, Philosophis, Oratoribúsque redundabat, vt verè dici posset, eam ciuitatem non equitum robore, sed clarorum hominum millibus ceteras superare, in eáque plurimùm vigere sapientiam. Chrysostomus [x] refert ex vulgari opinione, inde fuisse Pythagoram, & totam Ionicam Philosophiam ibi cœpisse cum Parmenide, Zenone, Democrito.

t 1. Cor. 16. 9.
u lib. 8 cap. 3. *Ephesi regnabat eruditio.*
x præf. in epi. ad Ephes.

Accedit quoque illa causa, quia Iudæi dictæ ciuitatis municipes erant, eiúsque priuilegiis potiebantur, & Ephesi haud secus ac alij, ciues nominabantur, teste Iosepho [y].

y lib. 2. cont. Apion.

Primariæ vrbes ad prædicandũ ab Apostolis delecta.

Primariæ meritò sunt ab Apostolis vrbes delectæ ad Euangelium: Ierusalem in Iudæa; in Syria Antiochia; in Ægypto Alexandria; Corinthus in Græcia, siue Achaia; in Italia Roma; Ephesus in Asia minori. Sed & sicut Athenis ara Ignoto DEO collocata, propter eclipsim, quæ mortuo CHRISTO contigit, vt de quorundam sententia priùs [z] retulimus, Paulo prædicandi occasionem præbuit: ita fieri potest, vt quod inter duodecim Asiæ vrbes vna prostratas nocte, primo Ephesum loco Plinius [a] numeret, sub principatu Tiberij, cùm scilicet CHRISTVS mortuus est, fuerit euertendæ per Paulum idololatriæ symbolum. Bene faciunt, qui sedem constituunt celebrioribus in locis, vbi poni vtiliùs opera, & vnde promanare ad plures possit.

z cap. præcedente.
a lib. 2. c. 84.

Illos ibi reliquit.] Vt docerent, ac instituerent alios. Inde posteà Romam reuersos arbitratur Chrysostomus.

Disputabat cum Iudæis.] Fratres suos secundùm carnem quærit semper, ac primo quidem loco

nunquàm

A nunquàm eorum deterritus persecutione, *nec à malo victus, sed vincens in bono malum* [a].

a Rom. 12. 21.

Versus 20.] Rogantibus autem eis, vt ampliori tempore maneret, non consensit.

ROGANTIBVS *autem eis.*] Nescio an Iudæi id rogauerint ad pleniorem informationem, vt Lyrano placet, atque Carthusiano: hactenus námque Iudæi semper sunt aduersati doctrinæ Christianæ: fortasse, vt aduersari magis possent, doceri magis volebant. Bono id animo fecisse suadet tum sequens promissio, tum quòd ibi pro se reliquit interim Aquilam, & Priscillam.

B *Versus* 21.] Sed valefaciens, & dicens: Iterum reuertar ad vos DEO volente, profectus est ab Epheso.

SED *valefaciens, & dicens.*] In Græco textu hoc modo: Ἀλλ' ἀπετάξατο αὐτοῖς, εἰπών: Δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα, &c. *Sed missos fecit eos, seu valefecit eis* (hoc omittit Syra editio, addens reliqua) כד אמר דולא לי אמינאית דעאדא דאתא באורשלם אעבדיוהי *chad amar dezale li aminauith debhida datha beurischlē abhbeduuhi*, id est, *cùm diceret, quia oportet me sedulo ad festum vt veniam Ierusalem celebrandum*; vel, *dicens: Oportet me omninò festum venturum agere in Ierusalem.* Negat C hæc esse de textu Lyranus, vel esse in libris correctis: *Quia nec*, inquit, *Paulus iuit in Ierusalem, sed postea per magnum tempus.* Carthusianus agnoscit hāc lectionem, monétque, *incertum esse, de quo festo loquatur.* Quod idem facit Caietanus. Legunt eodem pacto Vatablus, & Clarius, vtpote Græcum sequuti textum, & nonnulli codices manuscripti, quos vidi. Et cùm Chrysostomus etiam, ac Oecumenius ita legant, non ausim tam facilè negarē, esse de textu.

Nostra editio nō continet omnia: sed nihil in ea est, quod non sit de Scriptura.

D Aliud enim est, editionem nostram non omnia prorsus continere, aliud verò aliquid in ea esse, quod non pertineat ad integritatem Scripturæ. Hoc nullo modo concedi potest, illud minùs periculosè. Non loquitur Apostolus de Pentecoste, ad quam vsque mansurum Ephesi scripserat Corinthiis [b]; quoniam hac vice parum valdè hæsit Ephesi.

b 1. ep. c. 16. 8.

Periphrasis. Si Dominus voluerit, vsurpanda.

DEO *volente.*] Eodem pacto in eadem illa epistola ad Corinthios [c]: *Si Dominus permiserit*; & ad Romanos [d]: *Si modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate* DEI *veniendi ad vos*; & iterum ad priores illos [e]: *Veniam ad vos cito, si Dominus voluerit*; & ad Philippenses [f]: *Spero in Domino* IESV, *Timotheum me cito mittere ad vos*, &c. E *Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito.* Iacobus [g] quoque admonet, vt eandem clausulam, conditionémve ad omnia negotia, quæ in futurum facere proponimus, adhibeamus. *Ecce nunc*, inquit, *qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus; qui ignoratis, quid erit in crastino (quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur) pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.*

c 1. ep. c. 16. 7.
d cap. 1. 10.
e 1. Cor. 4. 19.
f cap. 2. 19. 24.
g cap. 4. 13. 14. 15.

Arrogātia humana deprimitur.

Documentum morale hoc est, quo nostra deprimitur arrogantia, & magna notatur inconsideratio. *Nec dicat hic mihi Iurisconsultus aliquis*, inquit Catharinus, *ex sua regula; cum hæ conditiones ta-*

A *citè subintelligantur, easdem frustra exprimi, quia expressio eorum, quæ tacitè insunt, nihil operatur. Nam operatur dicta expressio salutarem cogitationem imminentis mortis, & necessarij continēter auxilij diuini, quorum duorum cogitatio maximè nos circumspectos reddit, atque modestos, & humiles. Istæ conditiones*, vt ait Hugo exponens Iacobum, *semper vel apponendæ sunt actu, aut intelligendæ habitu: sic enim Paulum, cùm simpliciter dixit se in Hispaniam profecturum* [h], *aut in Ierusalem, illas animo conditiones concepisse, quas verbis non expressit, dubitari nequit.*

h Rom. 15. 24. 25.

B Oecumenius existimat, in præsenti loco, data opera velle Apostolū erudire nos, nihil vt de futuris faciendis promittamus, nisi DEO *volente*, adiungamus, cùm nemo, *quod superuenien s dies parturasit, nouerit* [i]: alioqui enim ipsum, vt Prophetam, sciuisse se reuersurum. Fieri hoc quidem potest, nec tamen Prophetæ semper, ac singula prænoscunt, vt constat multis exemplis veteris Testamenti, vt Dauid [k], Elisæi [l], &c. Et Paulus ipse capite XX. [m] professus est, *quæ sibi in Ierusalem ventura essent, ignorasse.* Et quamuis affirmatè scripserit Romanis [n], in Hispaniam profecturum se; ambigunt tamen haud immeritò forsan aliqui, vtrùm id re ipsa præstiterit, vt capite priore monuimus. Lege adagium: *Cum* DEO *quisque & gaudet, & flet, & DEO præeunte, nullus officit obex.*

i Prou. 27. 1.
k 2. Reg. 7. 2. & seq.
l 4. Reg. 4. 27.
m vers. 22.
n cap. 15. 24.

C Idipsum voluerunt Philosophi, vt Plato [o], cùm docuerunt, *à Diis tantùm bona, & pulchra*, hoc est, *honesta, petenda.* Quia nescimus ergo quid conferat ad virtutem, & ad salutem, rectè in omnibus cogitandis, agendísve, apponimus eam hypothesim, SI DEVS VELIT; est quippe honestatis DEVS norma exacta. Eòdem respexit Socrates apud eundem Platonem [p], cùm docet *Alcibiadem inordinatum animi motum effugere posse, non dicendo, Si ipse Socrates vellet, sed, Si* DEVS.

o in Alcibiade 2.
Deus est honestatis norma exacta.
p in Alcib. 1.

D *Versus* 22.] Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutauit Ecclesiam, & descendit Antiochiam.

ET *descendens Cæsaream, ascendit.*] Syrus, והו רדא בימא ואתא לקסריא *vehau rada beiamma vetha lekesarya*, id est, *Ipse verò per mare sulcauit, & venit in Cæsaream*; vel, *Ipse verò per mare perrexit, & venit Cæsaream.* Caietanus arbitratur, hanc Cæsaream esse illam, vnde Paulus ab Ierusalem paulò post conuersionē deductus est, & inde perrexit Tharsum [q]. Hæc nimirum est Cæsarea Palestinæ. Glossa ordinaria, quæ est Rabani, ac Bedæ, intelligit de Cæsarea metropoli Cappadociæ, quia nondum in Syriam Phœniciæ, seu Philippi venerat. Consentit Lyranus, & Gagneius, & Ioan- E nes Benedictus, & Hieronymus, vel potius alius apud ipsum in tractatu de locis ex libro Actuum Apostolorum. Hugo alterutrius optionē dat. Carthusianus ait, *illam esse in Asia, quæ etiam vocata est Diocæsarea: per hanc enim ab Epheso iter esse versus Antiochiam Pisidiæ:* de qua putat sequentibus verbis sermonem fieri. Diocæsareæ meminit in Cappadocia haud procul Euphrate Plinius [r]; at distinguit à Cæsarea, quam statuit in eadem prouincia, vocatámque alio nomine Mazacham, quod idem Beda monet, scribit.

q Act. 9. 30.
r lib. 6. 3.

Cùm sint ergo tum nomina, tum ciuitates differentes, non video, cur maluerit Carthusianus, relicto nomine Cæsareæ, quod posuit Lucas, Diocæsaream dicere; cùm eodem iure potuerit

Cæsarea & Diocæsarea [illegible]

Nunc

Neocæsaream, quæ & ipsa ad Cappadociam pertinet. Chrysostomus docet, nauigasse Paulum in Syriam, & Antiochiā, quæ hic subiicitur, putat esse Syriæ. Sanè quidem superiùs narratum est, à Corintho nauigasse Paulum in Syriam, & deuenisse Ephesum: præterea in textu Græco habetur, contendisse cum festinatione in Ierusalem ad festum, quod instabat: igitur Cæsarea, quæ occurrit, debuit esse in recto itinere Ierosolymitano; non alia verò videtur esse, quàm Palæstinæ.

Paulus venit Ierosolymam hoc tempore.

Quocirca iuxta illam eandem sententiam Græci textus, valdè probabile est, quod Caietanus tradit, peruenisse Apostolū in Ierusalem, & hoc esse, quod subditur, ascendisse, & salutasse Ecclesiam; inde rursum descendisse in Antiochiā scilicet Syriæ: cúmque ibi, vt etiam in hac historia narratur, aliquanto tempore mansisset, perambulasse ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam: nam festinanti in Ierusalem, non licuit vti tot diuerticulis, tamdiúve immorari variis in locis.

Itaque adhærendum primæ sententiæ, cui prorsus fauet Chrysostomus: dicendúmque multa Lucam suo more, præsertim in iis, quibus non interfuit, paucis verbis perstringere. Sequitur & hanc sententiam præter Caietanum, noster Sà, & Arias, & Baronius de Cæsarea Palæstinæ, & de Antiochia Syriæ: putátque iste in hac peregrinatione annum insumptum, nempe qua visit etiam Galatas, & Phryges: de aduentu autem in Ierusalem nihil dicit.

Paulus venit Cæsaream Palæstinæ.

Salutauit Ecclesiam.] Iam dixi de sententia Caietani satis probabili, hanc esse Ierosolymitanam Ecclesiam, & istum esse quartum aduentum Pauli in Ierusalem post conuersionem. *Salutauit verò*, inquit, *ibi duntaxat, nihil aliud ibi faciens Euangelicum, fratribus prohibentibus, ne excitaretur tumultus propter ipsum.*

Antiochiam.] Non Pisidiæ, sed Syriæ, prout dictum est: fauétque quod sequitur: *Et facto ibi aliquanto tempore*: cur enim in alia Antiochia diutiùs maneret, ratio propria nulla apparet. *Tenebatur verò*, ait Chrysostomus, *humana quadam affectione erga ciuitatem illam. Ibi enim appellati sunt Discipuli Christiani: ibi traditus est gratia* DEI: *ibi negotium dogmatis absoluit.*

Versus 23.] Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes Discipulos.

Muneris pastoralis pars præcipua visitare.

PERAMBVLANS *ex ordine.*] Hæc est pastoralis pars muneris præcipua, obire, ac visitare non obiter, & perfunctoriè greges, sed καθεξῆς, *sigillatim*, & *ordine*: qua de re nonnihil superiùs egimus [a].

a cap. 15. 36.

In capite XVI. iam narrauit Lucas transiisse Paulum per has prouincias, de quibus & nos eo loco: venienti ex Syria prior occurrit Galatia, quàm Phrygia; quæ est noua ratio pro nostra sententia de Cæsarea Palæstinæ, & Antiochia Syriæ.

Versus 24.] Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephesum, potens in Scripturis.

[Apo]llo, de quo [dicitur,] diuersus ab [eo,] de quo in

IVDÆVS *autem quidam, Apollo nomine.*] Tum religio, tum patria demonstrat aliū fuisse illum eiusdem nominis ab Apostolo conuersum Athenis, vt meminimus priore capite, tametsi ex actis haud valdè fidelibus. Præterea non Ἀπολλῶς, quartæ declinationis voce, vt hic noster, sed Ἀπόλλων, quod nomē pertinet ad quintā, dicebatur.

Oecumenius refert, quorūdam opinione hunc eundē esse, qui & Apelles Corinthiorum Episcopus, de quo illud sit in epistola ad Corinthios [b]: *Ego plantaui, Apollo rigauit*: ac proinde vel binomium fuisse, vel alterum nomen in posterum transmutasse. De Apelle meminit Paulus epistola ad Romanos [c], appellans *probum*: & sine dubio differt ab Apollo: ille enim cum Lucio numeratur inter primos CHRISTI Discipulos in Romano Martyrologio [d], vbi etiam natalis eorū memoratur Smyrnæ, cuius & Episcopum Apellem facit Dorotheus [e], necnon Menologium [f], atque Hippolytus [g]. Petrus verò de Natalibus [h] tradit hunc Eradiæ Episcopatum, Apollo Commæ gessisse. At hæc penitus ignota sunt nomina. De hoc Apollo præterea quæ hîc dicuntur, & ab Apostolo in citata epistola, nihil aliud reperio.

b 1. epi. c. 3. 6.

Apelles Discipulus Pauli diuersus ab Apollo.

c cap. 16. 10.

d 22. April.

e in Synopsi.
f 22. April.
g lib. de 72. Discipulis.
h lib. 6. cap. 100.

Vir eloquens.] Ἀνὴρ λόγιος. Syrus, וורא הוא במלתא *varede haua bamelletha*, id est, *eruditus erat in sermone*; vel, *Vir præditus facundia.* Significat λόγιος, *celebrem, peritum, disertum, magnificum, in historia, & antiquitate versatum.* Chrysostomus ad omnes has simul notiones respectum habuit, appellando illum eruditum, principem, & magni nominis.

Λόγιος quid sit.

Non admodùm flagitat Ecclesia in suo eloquentiam prædicatore, si non habeat; & si afferat, non aspernatur; vt de Philosopho dixit M. Tullius [i], dummodò sit aqua diuini timoris diluta, ne inebriet: *difficilè, námque præ aliarum scientiarum peritis*, DEO *eloquentes*, vt ait Hieronymus [k], *credunt, simplicitatémque Scripturæ sanctæ non ex maiestate sensuum, sed ex verborum iudicant vilitate.* Eundem lege præfatione ad 3. librum Commentariorum epistolæ ad Galatas.

Ecclesia non admodùm in suo prædicatore eloquentiam flagitat.
i 1. de Finib.

k in cap. 1. Ionæ.

Si verum senserunt ab eodem Cicerone [l] citati Stoici, *Sapientiæ partem eloquentiam esse, immò virtutem, atque sapientiam*, haud dubium quin eniteſcat in diuinis Literis, sicut alio etiam loco docuimus [m]. Sed neque desideratur lumen dictionis, & fulgor ab eo demissus, *qui lucem habitat inaccessibilem* [n], *lumine amictus sicut vestimento* [o], licèt eam eloquentiam, quæ naturali ac seculari splēdet solùm fulgore, viderit IESVS, vt tertiò iam laudatus Hieronymus [p] appositè admonuit, *quasi fulgur cadentem de cœlo* [q]. Eloquentiæ de vsu Christiano atque honesto, præter ea, quæ aliàs dixi [r], lege Augustini disputationem contra Grammaticum Cresconium [s], qui eam vt vitium in Augustino vituperabat. Denique verè præceperunt dicendi ipsi magistri, *Sapientiam sine eloquentia aliquid prodesse* [t], *hanc sine illa nimium obesse plerunque, prodesse nunquàm. Sapienter autem dicit homo*, ait idemmet Augustinus [u], *tantò magis, vel minùs, quantò in Scripturis sanctis magis minúsve profecit, quæ cum sapientia inseparabilem continent solidam eloquentiam.*

l in Oratore.
Deus non indiget eloquentia.

m cap. 7.

n 1. Tim 6. 16.
o Psal. 103. 2.

p epist. 150.
q Luc. 10. 18.

r citato loco.

s lib. 1. à c. 1.

Sapientia sine eloquentia prodest, hæc sine illa non.
t refert August. 4. de doct. Christi. c. 5.
u supra, & seqq. capit.

Ne plura, quid, quantúmque ob eloquentiam istam Apollo consecutus sit, & præsens historia paulò pòst narrat [x], & quòd tanti à Corinthiis factus est, vt cum CHRISTO, Cepha, siue Petro, atque cum Paulo quartus, veluti propriæ sectæ caput, princépsve haberetur [y], luculentè demonstrat. Neque non exploratissimum illud est, quòd [z]

x vers. 27.
y 1. Cor. 1. 12.
z apud Clement. Alex. 1. Stromatea 4. & Stobæ. lib. de Calumnia. cap. 40. ex Eurip. in Alexandro.

Vir impeditus sæpe linguæ infantia

Cùm iusta dicit, hoc diserto habet minus.
Quin ore, quod bellè fluit, verissima
Surripiunt, appareant vt quæ haud decet.

Apollo cur venerit Ephesum.

Deuenit Ephesum.] Aut ad eiusmodi Philosophorum, ac Oratorum, vt nuper dixi, nobile emporium, vir eloquens, vt arte artem deluderet, & in Euangelij rete Sapientes, eloquentésque secundùm carnem includeret; vel vt Paulum forsan conueniret. Et quidem arbitror profectionis Pauli ab Epheso narrationem interpositam esse, siue coniunctam cum profectione Corinthiaca: priùs tamen quàm Ephesum relinqueret, aduenisse Apollo. Huius rei gratia relictos à Paulo Ephesi Aquilam, & Priscillam, indicat Chrysostomus, vtpote docturos tum Ephesios, tum præsertim Apollo. *Non sine causa*, ait ille, *reliquit Apostolus Aquilam in Epheso, sed propter Apollo forsan hoc* SPIRITVS *dispensauit, vt & fortior ascenderet in Corinthum.*

Apollo eloquentia qualis.

Potens in Scripturis.] Non erat nuda, insipiénsque Apollo eloquentia, sed solida, & sapientiæ diuinæ, quæ in Scripturis, si bene intelligantur, residet, plena. Hoc est enim δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς. Augustinus[a], cùm, sicut iam recitaui, dixisset, *quod sapienter dicit homo non affluens sola insipienti eloquentia, tantò magis, vel minùs, quantùm in Scripturis satis, magis, minúsve profecit.* Subdit: *Non dico in eis multùm legendis, memoriæque mandandis, sed bene intelligendis, & diligenter earum sensibus indagandis. Sunt enim qui eas legunt, & negligunt: legunt, vt teneant; negligunt, ne intelligant. Quibus longè sine dubio præferendi sunt, qui verba earum minùs tenent, & cor earum sui cordis oculis vident. Sed vtrisque ille melior, qui & cùm volet eas dicit, & sicut oportet, intelligit.* Sic Augustinus.

a 4. de doctri. Christi. c. 5.

Qui in Scripturis profecit.

Suspicor Apollo patria Alexandrinum in id Scripturarum sanctarum studium piè, Christianeque incubuisse Alexandriæ apud Essenos, qui creduntur Christiani fuisse[b]. Nam non Philo[c] tantùm, & ipse Alexandrinus, dum *vt suæ gentis, ac religionis homines* laudat, *qui erant reuerà Christiani*, vt sentit Eusebius[d], Hieronymus[e], Epiphanius[f], Cassianus[g], Chrysostomus[h], Beda[i], Sozomenus[k], Nicephorus[l], verùm etiam Porphyrius, vt meminit Cyrillus Alexandrinus[m], testantur in perscrutandis Prophetis Essenos intentos fuisse, ac ob eam causam veritatem rerum futurarum attigisse. Scio aliter alios opinari, ac vetustiores illos Essæos fuisse, de quibus sæpe Iosephus, & eosdem quidem cum Assidæis[n], quorum in historia Machabæorum[o] mentio. Fauet similitudo nominum etymologiæ: nam Assidæos dici volunt quasi חסידים *chasidim*, *misericordes, bonos, sanctos*; Essæos velut ὁσίους (etsi non libenter cōsentiat noster Serarius, nec absque ratione, quod ad etymon spectat) quos & Ossæos Iosephus[p] vocat.

b ostendit hoc Baron. tom. 1. Ann.
c lib. de vita contempla. seu de supplicib.
d lib. 2. Hist. cap. 16. & 17.
Apollo apud Essenos studuit.
e de Script. Eccl. in Marco, & Philone.
f Hæres. 29.
g 2. de Inst. c. 5.
h Hom. 44. in Acta.
i præfat. in Marcum.
k 1. Histor. c. 12.
l Hist. lib. 2. c. 55.
m lib. 5. con. Iul.
n Ioseph. Stephan. in lib. Macha. prolegom. c. 3. Serarius in lib. Machab.
o lib. 1. c. 2. 41. cap. 7. 13. lib. 2. c. 14. 6.
p 13. Antiq. cap. 18.

Sine dubio secta vna Iudæorum fuit, cui nomen Essæorum, etiam CHRISTI ætate; quia tempore Archelai memorat idem auctor[q] Simonem Essæum Prophetia clarum. Illos perperàm confundit Drusius cū Pharisęis. Quia verò non legitur CHRISTVS illos reprehendisse, credit Abulensis ab ijs libenter CHRISTI receptā doctrinam.

q 17. Antiq. c. 15.

Scriptura nomen quid contineat.

In Scripturis.] Doctrina diuinitùs reuelata, & quidquid SPIRITV sancto dictante scriptis traditum est, generali nomine appellatur modò in singulari, modò in plurali, Scriptura, & Scripturæ, sicut liber, & libri, siue Biblia, κατ' ἐξοχὴν, quasi sola ea, quæ sunt huiusmodi, scriptione digna sint, & lectione. Vna verò Scriptura dicitur, vnúsve liber, quoniam eundem auctorem DEVM habet, eundem scopum; plures, propter pluralitatem partium eius.

De vno libro accipiunt aliqui[r] verba Psalmi[s]: *In capite libri scriptum est de me*, quia in primis verbis Genesis, & Euangelij Ioannis sermo videtur esse de CHRISTO: vocántque Hieronymus[t], & Augustinus[u] totam Scripturam librum vnum, & de tota Scriptura dictum locum exposuit Theophylactus[x], & apud Oecumenium Photius[y]. Alij tamen de solo principio Genesis, vel de primo Psalmo, & alij aliter, vt videre est apud nostrum Riberam[z].

r Hieron. de tradit. Hebr. in Genes. & alij apud August. in Psal. 150.
s Psal. 39.
t in cap. 19. Esaiæ, & in c. 12 Ecclesiastis.
u in Psal. 150.
x in cap. 10. epi. ad Hebr.
y ibidem.
z ibid.

Libros pluraliter, cum addito, *sanctos*, dicunt Machabæi[a].

a 1. Machab. 12. 9.

Scriptura, & Scripturæ multis reperiuntur locis: at sæpiùs in numero vnius certum aliquem designat, in nouo potissimùm Testamento, librum. Forsitan hoc nomen seu plurale, seu singulare originem ducit à Tabulis legis, quas digito suo DEVS scripsit[b], & dicitur lex ipsa, DEI *scriptura*, omnísque scriptor sacer est *veluti calamus* DEI *ipsius, Scribæ velociter scribentis*[c]. Et quæcunque scripta sunt, eodem SPIRITV, ac fine, merentur absolutum tale nomen, quasi alia omnia, quæ ferè scatent vel erroribus, vel sunt de rebus inanibus, scribi, vt extent ad posterorum memoriam, non debuerint.

b Exod. 32. 16.
Cur Scriptura hoc nomen habeat.
c Psal. 44. 2.

Versus 25.] Hic erat edoctus viam Domini: & feruens SPIRITV loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt IESV, sciens tantùm Baptisma Ioannis.

Scripturarum scientia ad quid conferat.

HIc *erat edoctus viam Domini.*] Scripturarum scientia hæc suppeditat, vt quæ ad IESVM spectant, potissimùm intelligantur, & quæ conducunt ad mandatorum custodiam, quibus peruenitur ad beatitudinem. Vt autem rectè Doctoris munus exequaris, diligentia requiritur, non solùm vt mediteris dicenda, sed meditata etiam dicas: & feruor SPIRITVS, vt incidentes difficultates vincas, & alios permouere, animo priùs commotus ipse, seriò, ac sedulò studeas.

Edoctus.] Κατηχημένος. More catechumenorum, atque per Catechismum: & quidem nondū sciebat Baptismum CHRISTI, vt mox subditur, quem Baptismū Catechismus præcedere solebat.

Caietanus id vidit; sed non debuit carpere versionem nostram, quasi plus expresserit per *edoctus*, cùm Græcum participium significet initiatum, cuius rei argumentum sit, quia nesciebat Baptismum CHRISTI. Nam & catechumeni docentur Baptismum CHRISTI: nec omnes tamen sunt ita docti, vt docere alios possint, sicut docuit Apollo, qui quo modo solùm sciuerit Baptismum Ioannis, mox dicemus.

Quid sit catechizare, & catechizari.

Κατηχεῖν, & κατηχεῖσθαι, significant in genere audire, & audiri, instituere, ac institui, siue id fiat imperfectè, quod ad nudam eorum, quæ audiuntur, propositionē spectat, quæ sufficiat ad formandam de illis notionē, seu etiam perfectè. Si, vt anteà ex coniectura dicebamus, hic Apollo in patria sua Alexādria institutus est à Christianis, qui vocabātur Esseni à Philone, & exactè tractabant Scripturas, has ipse quoque summo studio didicit, quatenus pertinebant ad IESVM. Et quia inter alia de IESV argumenta, fuit Ioannis de illo testimo-

Apollo qua ratione sit institutus in Christi religione.

a cap. 1. 8. 15. & seq.

nium [a], de quo item Ioanne præcesserant testimonia Prophetarum; Baptismus autem CHRISTI vltimo loco iis, qui eo baptizandi forent, explicabatur; fieri potest vt Apollo reliquas satis edoctus Scripturas, tum illas, quæ pertinebant ad Baptismum Ioannis, nihil audiisset adhuc de Baptismo CHRISTI, vel quòd baptizari distulisset, vel quia oblata alia occasione, priusquàm Catechistæ peruenissent ad eum Baptismum declarandum, ipse aliò demigrasset.

b Rom. 12. 11.

Feruens SPIRITV.] Tales vt sint, Romanos hortatur Paulus [b], hoc est, impetu quodam animi accensi ad bene merendum de proximo; & in vniuersum alacres ad opera pietatis. Hieronymus [c] hunc feruorem proficisci interpretatur à scientia Scripturarum, sicut ab Abisag calorem in Dauid [d].

c epist. 2. ad Nepotianum.

B

d 3 Reg. 1. 2.

e cap. 2.

Quid sit feruor SPIRITVS, dixi aliàs [e]. Allusio forsan hîc est ad eundem SPIRITVM, qui vt super alios, ita super istum descenderit: si non externo ignis signo, certè re, & effectu. Oecumenius anceps est, an fuerit de illis centum viginti, *qui sunt*, inquit, *cum Apostolis baptizati* [f]: *vtrùm sicut Cornelius* [g] *ante Baptismum acceperit* SPIRITVM *sanctum*. Hoc posterius placet Chrysostomo, qui singularem feruorem obseruat in Apollo, cum eximia doctrina, vt proinde doceret ipse, non alij, quotquot SPIRITVM acceperant. Potest hic appellari *lucerna non lucens tantum per doctrinam, sed ardens* [h] *quoque per* SPIRITVS *feruorem*. Feruebat SPIRITV, & docebat, quoniam vt huc transferamus, quod de Ioanne Bernardus [i] obseruat, *ex eius feruore splendor, non feruor prodiit ex splendore: quemadmodum sunt quidam, qui nõ eò lucent, quia feruent; sed magis feruent, vt luceant*: nimirum non charitatis feruentes spiritu, sed studio vanitatis.

f Act. 1. 15. c. 2. 4.

g Act. 10. 44. *Apollo feruens Spiritu quare dictus sit.*

C

h Ioan. 5. 35.

i Sermon. de Ioanne Baptista.

Docebat ea quæ sunt IESV.] Ita etiã Syrus, ומילף מליאית על ישוע *vmeleph meleiaith bhal Ieschuahh*, ad verbum, *& docens planè de* IESV. Sed Græcè, τὰ περὶ τοῦ ΚΥΡΙ'ΟΥ, *ea quæ sunt de Domino*. Domini nomen de IESV, siue de CHRISTO sæpiùs intelligi ostendimus cap. 1. [k]

k vers. 6.

D

Sciens tantum Baptisma Ioannis.] Non ergo baptizatus erat Baptismo CHRISTI, quem nesciebat.

Non fuit baptizatus Baptismo Ioannis.

Vult præctereà Carthusianus, baptizatum fuisse Ioannis Baptismo. Si non hallucinatur coniectura illa, quam posuimus de institutione Apollo ab Alexandrinis Christianis, non potest hoc esse: iam enim exoleuerat Baptismus Ioannis.

Si erat ex centum viginti, vt opinando aiebat Oecumenius, in quos die Pentecoste venit SPIRITVS sanctus, vel etiam, vt alij, de quibus anteà dixi, ex numero LXXII. Discipulorum, non caruit profectò aut notitia, aut initiatione Baptismi CHRISTI.

l Salmeron.

E

Non satis assequor qua ratione verum sit, quod nonnulli docent [l], hunc tam feruentem Prædicatorem, adeò doctum in via Domini, & potentem in Scripturis, & loquentem, ac docentem ea, quæ erant IESV, dici nouisse tantùm Baptisma Ioannis, hoc pacto: quia licèt baptizatus esset Baptismo CHRISTI, tamen nihil exquisitè nouerat de IESV: idémque esse quòd nouerit solummodò Baptisma Ioannis, ac quòd sola rudimenta doctrinæ: quia Ioannis Baptisma fuerit præparatio ad CHRISTI doctrinam.

Violenta quoque Vatabli videtur interpretatio, vt nouerit tantùm Baptismum Ioannis, quia eo tantùm baptizatus sit, id est, aqua; vel quia ipse baptizabat nullo SPIRITV sancto accepto, per impositionem manuum, aut non impetrato iis, quos baptizabat.

A

Quapropter id, quod superiùs attulimus, magis satisfacit, nondum hoc tempore Baptismum CHRISTI suscepisse, quem fortasse Aquila, vel alius Ephesi ei contulit, cum pleniore, & planiore doctrina de CHRISTO: Baptismum autem Ioãnis non quidem suscepisse, sed nouisse tanquàm vnum de testimoniis pro CHRISTO.

Non erat adhuc baptizatus Baptismo Christi.

Si quis tamen contendat Ioannis Baptismo baptizatũ esse, conuinci non poterit: eodem enim baptizati fuerunt duodecim illi Ephesij, de quibus in capite sequenti. [m] Tunc verò non à Christianis illis Alexandrinis primam saltem cognitionem de CHRISTO, sed longè anteà ab ipsomet Ioanne cum Baptismo, & ab aliis in Iudæa accepit. Et nondum sufficientem assecutus rationem Euangelij, quia fortasse haud adeò frequens versabatur cum Discipulis, Baptismum Ioannis, quem aliquando audiuerat, & forsan acceperat, adhuc vtilem, & isagogicum CHRISTI candidatis arbitrabatur. Sic mollita Vatabli sententia, quæ placet etiam Emmanueli Sà, nonnullam habet probabilitatem.

m vers. 3.

Baptismo Ioannis tantùm baptizatus erat.

Versus 26.] Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synagoga. Quem cùm audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentiùs exposuerunt ei viam Domini.

ASSVMPSERVNT *eum*.] Syrus, איתיוהי לבלתהון *aitethiuhi lebalethehun*, id est, *adduxerunt eum domi suæ*; vel, *domum suam*. Glossa interlinearis, *ad hospitium*, aut *colloquium suum*, προσελάβοντο.

Hoc verbum Græcum, & ei respõdens in editione nostra Latinum, valet idem quod adducere, seducere, ac seorsum ducere, vel apprehendere, suscipere (quod Interpres nonnunquàm ponit) recipere, asciscere, adiungere.

Quando Petrus CHRISTVM à patiendo dehortari voluit, de illo Matthæus ait [n], καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν, *& assumens eum*, quod Græci æquè, ac Latini de segregatione, & subductione intellexerunt, quasi non sit ausus corã aliis id CHRISTO dicere, illúmque increpare. In epistola ad Romanos [o], *Infirmum in fide* προσλαμβάνεσθε, *assumite*, id est, seorsim erudite, recipite apud vos cum commiseratione. Item in eadem [p]: *Propter quod* προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, *suscipite inuicem*, ac mutua vtimini misericordia. Καθὼς καὶ ὁ ΧΡΙΣΤΟ'Σ προσελάβετο ὑμᾶς, *sicut & CHRISTVS suscepit vos*. Prætereà ad Philemonem [q]: *Tu autem illum, vt mea viscera suscipe*, προσλαβοῦ. *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.* Frequenter occurret hæc in Psalmis dicendi formula, tum suscipiendi verbo absolutè posito, tum facta nonnulla additione, vt [r], *Suscipe seruum tuum in bonum.* Quin & *doctrina* in Lexicco à verbo לקח *lakach* dicitur לקח *lekach*, quasi capi debeat auidè, animóque perlibenti, vt pretiosissima res: aut quòd ea ipsi capiamur, atque suadeamur quid facere, quid fugere debeamus. Denique in fine præsentis Historiæ habetur, quòd *Paulus suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum* [s] προσελάβετο.

n cap. 16. 22.

o cap. 14. 1.

p cap. 15. 7.

q vers. 13. & 17.

r Psal. 118. 122.

s cap. vlt. 30.

Hospitalis charitas Aquilæ, atque Priscillæ, qui Paulum priùs susceperant, suadet, vt credam, non solùm priuato colloquio, sed etiam domestico hospitio excepisse: & simul, quod Maldonatus

Aquila eum recepit in suo hospitio.

Principes politici quibus res Ecclesiasticas debeant committere.

Principes nostri politici sacras,& Ecclesiasticas causas hominibus Ecclesiasticis, sacrísque ita permittere debent cognoscendas, diiudicandas, terminandas,vt easdem tamen,si eorum isti inuocent (vt dicitur) brachium seculare, omni ope tueri promptè, alacriterque debeant; & quoties illorum,vt filiorũ mater,Ecclesia implorat auxilium, humili, ac lubenti obsequio ipsi obtemperent: quæstiones,& controuersias de religione non arbitrentur esse tantùm de verbo, ac nominibus, vt quondam opinio erat de confessione τῦ ὁμουσίυ, ἐ ὁμοιυσίυ; & apud Mauritium Imperatorem, *An Ioannes Constantinopolitanus vocandus esset œcumenicus,siue vniuersalis Episcopus.*

a in Augusto, c.93. *Augustus causas de religione publicè cognoscere noluit.*

B Quid si Proconsul Augusti sequutus exẽplum, idcirco reiecit iudicium de religione, quod publicè nollet? Suetonius[a] namque tradit, *Augustum religionis causas aperto foro cognoscere noluisse.* Alioqui quòd potuerit Proconsul summa præditus potestate, & vicaria Imperatoris, constat: quoniam apud Gentiles licebat id Imperatori,qui proptereà summum simul Pontificatum gerebat,& inaugurabatur omnibus Sacerdotiis,idque, quod scribit Dio [b], *Vt omnes religiones, & sacrificia in sua haberet manu:quod item de Ægypti Regibus Plato* [c], *& aliarum nationum testatur Aristoteles* [d].

b lib.53.

c in Ciuili, seu libro de Regno. d 3.Polit.c.10. *Potestas politica, & Ecclesiastica in vnam quandoque coiere personam.*

C Quandoque coière vnam in personam potestates ambæ, Politica, & Hierarchica,apud veros cultores DEI in vtraque lege, tum scripta, tum naturali.Lex Euangelica ita separat, vt tamen veluti ex corpore,& animo conflet perfectum compositum. Inde illi in Iure ciuili legum tituli, quæ sunt Ecclesiasticarum adiutrices,*de sacrosanctis Ecclesiis : de summa* TRINITATE, *& Fide Catholica: de Episcopis,& Clericis : de Hæreticis:de Episcopali audientia : Ne sanctum Baptisma iteretur:de Apostatis: Nemini licere signum Saluatoris* CHRISTI *humi,vel in silice, seu marmore, aut sculpere,aut pingere : de Iudæis,& Cælicolis: Ne Christianum mancipium Hæreticus,vel Paganus,vel Iudæus habeat,aut circumcidat:de Paganis sacrificiis, & templis : de his, qui ad Ecclesias confugiunt, vel ibi exclamant:de iis,qui in Ecclesiis manumittuntur*, &c.

Potestas secularis plus potest vulgò, quàm Ecclesiastica.

D Plus persæpe Principum ciuilium auctoritas valet apud subditos, propter potentiam supplicia, præmiáve conferendi, quàm Ecclesiasticorum, qui spiritualia per se decernunt, temporalia nec tanta,nec tam efficaciter.Tandem versari ante oculos debent grauissimæ DEI minæ aduersùs contemptores religionis [e]; & præter alias multas profanorum etiam Auctorũ sententias,oraculum Sibaritis redditum,quod est apud Athenæum [f]:

e Sap.6.2.& seq.Eccle.10.8.& seq.1.Regum 9.4.& seq. f lib.12.c.6.

Semper eris fœlix venerans Gens numina Diuûm:
Donec plus Superis fueris venerata virum quem,
Intima seditio, tunc & tibi prælia surgent.

E Quo pacto fas sit ciuilibus Magistratibus de naturali religione cognoscere, quæve naturæ repugnet, disputant Hermas Letmatius [g], & Ioseph Stephanus [h].

g 2.de instaurat.relig. cap. 11.& 12. h de vnica relig.c.15.

Aut facinus pessimum.] Ἢ ῥαδιούργημα πονηρόν; priùs,τὸ ἀδίκημά τι, significat *iniquum quid, quo læduntur alij, & violetur iustitia.* Hoc autem posterius nomen exponit Syrus, דנקיל או דסנא *dankil bu desna*, id est, *fraudem*, aut *flagitium*; quasi inter ῥαδιούργημα, & πονηρὸν,legerit ἤ. Propriè ῥαδιούργημα, *facinus est, ad quod quis patrandum ῥᾳδίως facilè prorumpit, aut veteratoriè.* Sed generaliùs etiam patet.

Rectè vos sustinerem.] Κατὰ λόγον ἂν ἠνεσχόμην ὑμῶν. Syrus, בולּיתא מקבל הוית לכון *benalutha* A *makebbel hauith lechun*, id est, *Conuenienter recipiens essem vos*; vel, *Vt par est,vos reciperem*, seu *ferrem*, & *accusationem admitterem*; ac de illa diligenter, & patienter cognoscerem, prout ratio, & officij à me mei partes exigunt.

Versus 15.] Si verò quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra, vos ipsi videritis:Iudex ego horũ nolo esse.

D*E verbo, & nominibus, & lege vestra.*] Aliqui codices ita legunt, *De verbo,& nominibus legis vestræ.* Sed Græcè eadem est lectio: Περὶ λόγου, ἐ ὀνομάτων, καὶ νόμου τοῦ καθ' ὑμᾶς; *nimirum si quæstiones sunt & de verbo, & de nominibus, ac præterea vniuersè sunt legis, siue eorum, quæ ad legem pertinent.* Sed consentit editioni nostræ,atque Græcæ Syra. In nonnullis etiam libris Græcis est nomen plurale ζητήματα, prout & Latinè legimus, & Syrè, זטומא *zitima*, id est, *Quæstiones*: quamuis plures habeant singulare,ζήτημα.

Cùm *verba*,& *nomina* dixit Proconsul, respexit ad IESVM,qui prædicabatur à Paulo,contendente tamen non alium esse DEVM, quàm quem re ipsa colerent Iudæi. Intelligebat quoque ea,quæ Paulus doceret, à Scripturis Iudæorum dissentanea non esse, tantùm controuersiam esse de intelligentia.

Principes ad vindicandas iniurias humanas, quàm diuinas promptiores sunt.

Hoc est quod antè dixi, nonnullos Principes, ac vtinam non etiam affirmari de Ecclesiasticis idem possit, ad cognoscendas, & vindicandas iniurias humanas promptiores, ac seueriores esse, quàm ad diuinas:has *tanquam camelum glutiendo*,illas *tanquàm culicem excolando* [i]: has æstimando vt de nomine, illas vt quæstiones de re: rem enim propriam quærunt,& nominari magis volunt, quàm esse quod nominantur. Orent obnixè cum Gregorio [k] Pastore optimo, DEVM, qui *quò timebat magis,ne quod dicebatur,non esset,eò plus ,quàm diceretur,erat : DEVS, qui nos Pastores in populo vocari voluisti* (conuenit vtriusque iurisdictionis Principibus nomen Pastorum) *præsta quæsumus, vt hoc, quod humano ore dicimur, in oculis tuis esse valeamus. Per Dominum nostrum,&c.*

i Matt.23.24.

k Homil.17. in Euang. in fine.

Vos ipsi videritis.] Ὄψεσθε αὐτοί, *Videbitis ipsi.* Syrus,אנתון ידעין אנתון בינתכון *anthun iadebhin anthun baienathechun*, id est, *Vos scientes estis inter vos*; vel, *Ipsi nostis inter vos.*

Solet hæc formula vsurpari, cùm quis reiicit alicuius rei cogitationem, vel curam in alium tanquàm alienam,& ad se non pertinentem; siue quia nolit,siue quia non possit,eíque non liceat illam suscipere. Sic responsum est Iudæ proditori peccatum agnoscenti à Principibus Sacerdotum, & Senioribus [l]: Τί πρὸς ἡμᾶς; σὺ ὄψει. *Quid ad nos? tu videris*, seu *videbis.*

l Matt.27.4.

Iudex ego horum nolo esse.] Quasi dicat:Si vellem, possem,eo,quem dixi superiùs,modo.

Versus 16.] Et minauit eos à tribunali.

MINAVIT.] Ἀπήλασεν. Syrus, וטרד *vaterar*, id est, *Repulit*; vel, *Amandauit.* Vatablus, *Abegit.* Clarius, *Expulit.* Hoc significat verbum Græcum. Quanquàm Interpres alibi vsus est minandi verbo,pro *ducere*, vel *deducere, agere, impellere bestias* [m], *naues* [n], *plaustrum* [o], *homines ad captiuitatem* [p], vel *in tenebras* [q]. Sed in his locis est ἄγειν, aut ἀπάγειν, non ἀπελαύνειν.

m Exod.3.1. Esa.11.6. 1.Reg.30.20 4.Reg.4.24. Ier.31.24. n Iacob.3.4. o 2.Reg.6.3 1.Paral.13.7. p Esa.20.4. q Thren.3.2.

Versus 17.] Apprehendentes autē omnes Sosthenem principem Synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat.

APPREHENDENTES *autem omnes Sosthenem.*] Deest ex textu Græco, οἱ Ἕλληνες, *Græci*, quos Syrus exponit, חנפא *chanephe*, id est, *Ethnicos*. Caietanus etsi primùm ambigit, propendet magis Gentiles fuisse, qui videntes Iudæos eiectos à Proconsule ad cumulum ignominiæ, percutiebāt Archisynagogum, qui caput erat Iudæorum in hac accusatione. Lyranus fauet, cùm exponit de ministris Proconsulis, *qui tales repulsos à Iudice solent*, inquit, *percutiendo expellere*. Glossa interlinearis docet id, quod ex Caietano retulimus, necnon Historia Scholastica, & Carthusianus, & Beda. Et B videntur percussionis causam assignare importunos accusatores, quos Proconsul cum indignatione reiecisset. *Ex quibus*, inquit Ioannes Benedictus, *coram Consule Sosthenem victum à Paulo, & ob repulsam, confusionem passum, Gentiles percutiebant*. Oecumenius, *percussum Sosthenem*, ait, *propter Paulum, cui ille adhæsisset, sicut Crispus, ac magis assensisset, nimirum etiam in ista causa: vel cùm voto frustrati essent, absoluto Paulo, Sosthenem verberibus aggressos: vel tandem*, quod maximè probat, *quia Sosthenes prohibuerat, ne Paulum occiderent, irruisse pro Paulo in ipsum præ indignatione*.

Milites cur Sosthenē percusserint.

Non puto per Ἕλληνας, alios intellexisse, quàm *Gentiles*, vt solet semper Oecumenius; quamuis C quæ de percussoribus dicit, magis conueniant in Iudæos. Nisi, quod facile fuit, Iudæis instigantibus, conducti iam satellites, cùm animaduerterent quoque non displicere Proconsuli, Paulum trucidare voluerunt: Sosthenes autem, qui forsan priùs verbis defenderat, suimet obiectu corporis, ictus auertit à Paulo, cúmque à furore militari subtraxit.

Iudaica sæuitia.

Non est desiderata sua in Iudæis pars sæuitiæ, non agendo minùs, quàm volendo, & alios sollicitando, cùm eos iuridica tentata forma desecruisset. Sed videlicet in iniuria ius quoquo modo retinuisse videri voluerunt, adornantes iniuriam D per Gentiles, ac præ se ferentes custodiam legum, *quibus legibus non licebat eis interficere quenquam* [a]; idque eò magis, quòd Iudicem verebantur, à quo tam turpiter victos se meminissent.

a Ioan. 18.31.

Si Sosthenes nondum erat Christianus, alia ratio fuit, cur auctoribus Iudæis, percuterent eum Gentiles, quia segniùs egerat in accusatione Pauli. Arias ideò percussum credit à Gentilibus, *ac sponte quidem sua, Sosthenem Iudæum nouum Archisynagogum, quòd indignarentur virum sanctum Paulum honestissimè apud ipsos versatum, & bonam doctrinam, pietatisque rectam institutionem professum, in crimen, & calumniam raptum ab illis Iudæis*.

Sosthenes cur si nondum Iudæus tunc esset, sit à Gentilibus percussus.

E Chrysostomus indicat, percussores Iudæos fuisse, vocat enim impudentes, & tum confusionem passos, quòd ita dimissi essent à tribunali; tum existimantes factam sibi potestatem, suo vt arbitratu in Paulum agerent, hoc modo percussisse. Immò docet alio loco [b], percussum tunc fuisse Paulum ipsum. Mihi non secùs, quàm Oecumenius exponendus videtur: nec potest mihi persuaderi per Græcos, vt Iudæos etiam in Græcia natos intelligam, vt voluit prætereà Gagneius. Nam, vt aliàs ostensum est, tales Iudæi non Ἕλληνες vocantur, sed Ἑλληνισταί: & qui in Paulum insurrexerunt,

b præf. in 1. epist. ad Cor.

A ac adduxerunt ad tribunal, & quos ex tribunali alloquutus est Gallio, distinctè nominantur Iudæi. Magis etiam congruit, vt Sosthenem Archisynagogum Iudæi per Gentiles, quàm per seipsos percusserint, seu adhuc Iudæū, seu iam Christianum.

Sed caret omni specie probabilitatis Glossæ interlinearis, Hugonísque sententia, Græcos illos fuisse fideles ex Græcis, siue Gentilibus conuersos, qui vindicarent iniuriam à Sosthene illatam, impediendo prædicationem: atque inde peti posse argumentum, addit Hugo, fas esse percutere illos, qui impediant prædicationem, vel diuinum officium, vel negotium Fidei. Etenim licèt consequens sit verum, quod attigi in hoc opere aliàs, & ex professo in scholis Theologicis de Fide, ac bello; consequentia tamen ex falso antecedente colligitur, quoniam neque Christiani eo saltem tempore id fecissent coram Iudice, & coram institutore suo Paulo. Neque Sosthenes Iudæus erat, sed Christianus, vt mox demonstrabimus.

Illi percussores non fuerunt Christiani.

Itaque quod primo loco citati Auctores tradiderunt, nobis placet, dempta ea parte, quam Caietanus, & quidam alij addiderunt de Sosthene, Iudæum adhuc fuisse. Noster Emmanuel consentit de percussoribus, vt fuerint aut Gallionis ministri, aut reliqua Gentilium turba. Illud ferri quoque non debet, quod Ioannes Benedictus dicebat, conuictum Sosthenem coram Consule à Paulo. Vt enim illum demus Iudæum fuisse, non licuit Paulo ante tribunal loqui, vt vidimus.

Sosthenem principē Synagogæ.] Iam dixi, à Glossa interlineari, & Hugone, & Caietano, & Carthusiano, & Aria, & Beda, & Ioanne Benedicto, & Historia Scholastica, censeri hunc Sosthenem adhuc infidelem Iudæum. Carthusianus ait, pro Crispo iam conuerso suffectum fuisse in cura Synagogæ. Caietanus vel hoc, vel plures simul Archisynagogos fuisse. Ceteri hunc inter fideles illo etiam tempore numerant.

Sosthenes nō fuit Iudæus eo tempore.

Chrysostomus innuit, eidem Sostheni fuisse nomen Crispi, quoniam affirmat Paulus epistola prima ad Corinthios [c], se Crispum, & Caium baptizasse. Ac ne ambigas de mente Chrysostomi, cuius forsan inducti verbis quidam innuerunt, Crispum, & Sosthenem eiusdem personæ nomen duplex esse, vt noster Sà, accipe verba ipsa illius: *Hunc*, inquit (nimirum Crispum) *dicit Synagogæ principem, de quo scribens inquit: Nullum alium baptizaui, nisi Crispum, & Caium. Opinor autem hunc etiam Sosthenem dici, qui in tantum fidelis fuerit, vt etiam percusserit, & Paulo semper affuerit*. In his verbis primum, quod affirmat, percussisse Archisynagogum, seu per seipsum id fecisse accipias, seu per alios, non probo, propter eam quam dixi causam vniuersè de fidelibus eius temporis; & negat in hunc locum idem Chrysostomus, Sosthenem repercussisse, quoniam docebantur Christiani modestè, & patienter viuere, & non referire, atque ita didicisse Iudicem, quis esset mansuetior, idque præsentibus exemplum valdè profuisse.

c cap. 1. 14.

Sosthenes non percussit, neque repercussit.

Deinde Sosthenem à Caio, & Crispo distinguit Martyrologium Romanum. De postremis duobus iam attulimus testimonium eius. De Sosthene hoc edit elogium [d]: *Apud Corinthum natale S. Sosthenis Discipuli B. Pauli, cuius mentionem facit idem Paulus Corinthiis scribēs. Hic ex principe Synagogæ conuersus ad* CHRISTVM, *ante Gallionem Proconsulem acriter vulneratus, præclaro initio fidei suæ primordia consecrauit*.

Sosthenes nō fuit Crispus.

d 28. Nouembris.

Hinc autem præthereà intelligitur, non esse

Qui numerant inter septuaginta Discipulos, eos, quos memorat Paulus in epistolis, imperitè faciunt.
a in Synopsi.
b lib. 10 c. 116.

percussum, aut potiùs repercussum, quia iam percussisset alios: neq; de septuagintaduobus CHRISTI Discipulis fuisse, sicut falsò pseudo-Dorotheus [a] tradidit, & Petrus de Natalibus [b]. Imperitè hi faciunt, cùm catalogum illorum Discipulorum ex iis texunt, quos in epistolis nominat Paulus, etiam Cæsarem, qui non est alius, quàm Imperator, de cuius domo fidelium salutationem ipse mittit ad Philippenses [c].

c cap. 4. 22.

Fortasse Lucas cùm de quodam alio Iasone præter eum, quem vidimus capite præcedente [d], in vigesimoprimo [e] loquens meminit, nominans *antiquum Discipulum*, innuit vnum ex CHRISTI Discipulis, & quidem ex septuagintaduobus, si tamen est idem cum Mnasone: sed etiamsi diuersus sit, perinde est.

d vers. 5. 9.
e vers. 16.

Cur Sosthenes dictus sit Archisynagogus.

Nec refert, quòd *Archisynagogus* appelletur, vt vel censeri debeat Iudæus: ita enim appellatus est Crispus post conuersionem, quia fuerat, vel idem qui Crispus: potuit enim successisse Crispo: potuit in eadem ciuitate plus quàm vna Synagoga esse; potuit alterius loci aliquando Synagogæ præfecturam gessisse: sed ex his modis præferendus primus, vt Crispi successor fuerit. Fauétque spatium sesquiannuum: maximè verò, si verum est, accusationem Pauli, vt sensit Chrysostomus, lapso eo spatio contigisse.

Baronius in Notis in Martyrologium ait, à Beda citari Papæ Zozimi epistolam de Sosthene hactenus sibi incompertam. Ceterùm non de Sosthene citat illam Beda, necnon Ado vterque in suo Martyrologio; sed de Trophimo, in qua epistola testatur Zozimus, ex Trophimi Arelatensis Episcopi fonte totã Galliam Fidei riuos accepisse.

Trophimus Arelatensis totam Galliam fide rigauit.

Tanti Sosthenem fecit Paulus, vt in præfatione prioris ad Corinthios adiungat sibi socium; quod fecit etiam, vel ad modestiam, vel ad pondus grauis reprehensionis, quam erat scripturus, vel quia ille ipse detulerat ad Paulum Corinthios, & hoc facto videri debuit id non ex odio fecisse, sed ex charitate: vel quia magni fiebat à Corinthiis, vbi cum Synagogæ præfectura vixerat, & pro CHRISTO verberatus insignis cõstantiæ, ac fortitudinis exemplum reliquerat. Colophonis Episcopum, seu Colophoniadis faciunt citati Dorotheus, & Petrus, atque Menologium [f], in quo etiam recensetur inter septuaginta Discipulos, cum Apollo, Cepha, Tychico, Epaphrodito, Cæsare, Onesiphoro.

f [illegible] Decemb.

Et nihil eorum Gallioni curæ erat.] Non moror notationem syntacticam Glossæ interlinearis, & Hugonis, qui Glossam sequitur in omnibus: *Aut esse Cura pro ablatiuo, aut Curæ pro datiuo.* Nondum didici phrasim illã: *Mihi est curam* auferendi casu.

Proconsulis [illegible]

Proconsulis dissimulatio, & conniuentia, Proconsuli contumeliam, percussoribus licentiam peperit. Sostheni suæ documentum patiẽtiæ dandi occasionem, cui non minùs per Gallionis incuriam repercutere, quàm aliis ipsum percutere fas fuerit, & vi quoque vim repellere. Obseruat hæc omnia Chrysostomus, & obseruare idem est in aliis Martyribus, atque Confessoribus: *qui Agnum diuinum imitati coram tondentibus, ac tundentibus se prorsus obmutescebant, nec os ad repellendas iniurias, vel amouenda tormenta aperiebant* [g].

g Esai. 53. 7.

Grauiùs ferientem percussus ferit, dum nec ferit, quam [illegible].

Elegans hoc loco eiusdem Chrysostomi digressio est, qua demonstrat, grauiùs referiri ferientem mansuetudine, silentio, longanimitate, quippe cùm plagam hoc pacto accipiat in anima, ipse in corpus tantùm inferat. Socratica in eandem rem, ac Stoica tum exempla, tum apophthegmata proferri possunt.

Porrò non est officio functus Proconsul, nec tribunalis, & personæ dignitati consuluit, permittendo, non prohibendo, non coërcendo, ac puniendo illos, qui nullo aut loci, aut Principis habito respectu cædere non dubitarent, quos ipsemet nec audiendos censuerat; ideóque ciuilibus legibus nihil debentes.

Grauis Magistratui fit iniuria, cum est in officio.

Omnis iniuria Magistratui facta grauis, atrox, si tunc cùm fit, officium fungitur. Non attinet exemplis recitandis tempus terere, vt Martij Coriolani, qui perpetuo exilio mulctatus est [h], vt P. Decij Prætoris [i], qui M. Æmilio Scauro [k], vt alterius, qui Seruilio Isaurico honorem non habuit.

h Plin. de vir. illust. Halic. li. 7. Liu. libr. 2. Dec. 1.
i Plin. de viris illustr. cùm de M. Æmilio Scauro.

Odio Principem haberi, & contemni, peiora sunt.

k Dio lib. 45.
l in Nerua.
m 5. Polit. c. 10.
n Dio lib. 41.

Nescias vtrùm deterius, odio Principem haberi, vel contemni, nihil sub eo licere, vel omnia omnibus. Dionis [l] quidem non improbabilis opinio, hæc peiora, quàm illa. Et Aristoteles [m] duas coniungit causas, ob quas maximè insurgant homines contra Tyrannos, odium, & contemptum. Recitat idem Dio [n] præclaram Iulij Cæsaris summi Imperatoris de hac re sententiam in concione ad milites tumultuãtes: *Ego sanè neque aliud rectum esse arbitror, vt qui principatum gerit, subditis sit inferior: neque salutare quicquam agi posse censeo, vbi hi, quibus iniunctum est, vt dicto sint audientes, imperare ipsi velint. Intelligitis enim, quàm probè sit futura ornata illa domus, in qua natu minoribus ætate grandiores despectui sint: aut ludus literarius, vbi Discipuli magistros contemnunt. Quæ spes sanitatis ægrotis, si non per omnia Medicis obtemperent? quàm tuta nauigatio, si nautæ gubernatoris iussui non pareant? Ita natura duas necessarias res, easque salutares comparauit in humano genere, vt alij cum imperio essent, alij subiicerentur: nihilque est, quod absque his sit, vel minimo quidem spatio perdurare possit.*

Duæ res salutares humano generi, imperare, & subesse.

Versus 18.] Paulus verò cùm adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, nauigauit in Syriam (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchreis caput: habebat enim votum.

CVM *adhuc sustinuisset dies multos.*] Syrus, וכד הוא חמן יומתא סגיאא *vechad haua thaman iaumatha saggijaa*, id est, *Et cùm fuisset illic dies multos*; vel, *dies multos egisset*. Et hoc sibi vult τὸ προσμεῖναι; non autem sustinere est hoc loco idem, quod pati, vt exposuit Glossa interlinearis, quamuis etiam de mora. Latinè dicitur sustinere, pro eo, quod est differre, suspendere, cui proxima est, quamuis non adeò peritioribus vsitata, significatio expectandi, vt est nostro Interpreti plerisque locis, vbi Hebraicè est verbum יחל *iachal*, id propriè significans, & Græcè διαμένω, aut simile. Computat verò eadem Glossa hos dies in anno, & mensibus sex, quibus anteà Lucas dixit mansisse Paulum Corinthi. Id & ego magis credo, ita vt προληπτικῶς id ibi additum sit, ad docendum, quàm Apostolus obedienter diuinæ voluntati paruerit.

Paulus [illegible] & [illegible] voluntati [illegible].

Chrysostomus tamen, vt pridem vidimus, existimauit nonnisi iam exacto sesquianno compositam accusationem aduersùs Paulum. Sed præter eius auctoritatem, quæ sanè maxima est, nulla me ratio dimouet de mea sententia.

Fratribus valefaciens.] Τοῖς ἀδελφοῖς ἀποταξάμενος. Vſus eſt Lucas eodem verbo inferiùs [a], & in Euangelio in eâdem ſignificatione [b] : vbi Interpres reddit per verbum renunciandi: & poteſt prætereà hanc vim habere, vt ſit ἀποτάσσεσθαι, *valedicendo ſimul addere mandata nonnulla.* Lege Budæum [c].

a verſ. 21.
b cap. 9. 61.
c in Comm. lin. Græc.

Nauigauit in Syriam.] Versùs Syriam : tunc enim Epheſum venit, quæ eſt in Aſia, vt monet Lyranus.

Et cum eo Priſcilla, & Aquila.] Docui verſu 2. vbi prior nominatus eſt Aquila, confuſo ordine nunc iſtum, nunc illam, aut poſtponi, aut præponi. Et diuinare puto Hugonem cum Gloſſa interlineari, priorem eſſe conuerſam Priſcillam: neque enim religio Chriſtiana perturbat rectum ordinem à natura conſtitutum, & iam anteà vterque erat fidelis, cùm tamen priore loco memoratus eſt Aquila.

Fidi hoſpites Paulum conſequuntur, quem iuſtis, vt dictum eſt [d], de cauſis domi ſuæ habere toto tépore, quo Corinthi manſit, non potuerunt. Hæc autem illorum cum Apoſtolo narrata profectio eſt, quoniam paulò pòſt commemorabitur egregia eorum opera in inſtituendo Apollo [e].

d verſ. 7.
e verſ. 26.

Talibus pellionibus, coriariis, ſcenarum opificibus, cerdonibus docere permittitur; ſed domi, ac priuatim, ac verò etiam publicè, ſi ritè ad id munus deputentur, vt Seueri Rauennates, vt Eligij, vt Alexandrini carbonarij, & alij, qui ex opificio ad officium paſtorale aſſumpti ſunt, SPIRITV, & doctrina benè inſtructi. Apud Hæreticos miniſter eſt minùs quàm ſemel idoneus ad docendi munus, & vilis plerunque lanio, aut laniſta, quíve quam paſcere videtur ouem, deglubat potiùs, quàm tondeat.

Permittitur docere laicis, non publicè, niſi ad id ſint deputati.

Qui ſibi totonderat in Cenchreis caput: habebat enim votum.] Quia proximè de Aquila mentio fuit, videri poſſent hæc ad illum ſpectare, ac proinde etiam poſitus nunc poſt Priſcillam vxorem, quem prius Auctor ordinem inuerterat [f]. Beda obſeruat in quibuſdam codicibus legi in numero multitudinis, *totõderant caput*, &, *habebant votum*, id eſt, Priſcilla, & Aquila. *Sed egregij Doctores*, inquit, *Eccleſiæ Hieronymus, & Auguſtinus in ſuis vterque epiſtolis, & ſingulari numero ponunt, & de Paulo interpretantur* [g]. Ponit enim ita Hieronymus: *Fratribus valedicens nauigabat Syriam, & cum eo Priſcilla, & Aquila, & totondit ſibi in Cenchreis caput: votum enim habuerat.* Falli prætereà docet, qui de Priſcilla, & Aquila intelligant, quoniam textus Græcus habet κειράμενος in ſingulari. Conſentiunt Syrus, כד ספר *chad ſappar*, id eſt, *cùm totondiſſet*, ac Latini omnes.

f verſ. 7.
g Aug. epiſ. 19. & Hier. apud eandem epiſt.

Quanquàm Baronius [h] in codice manuſcripto legit, *totonderant*, &, *habebant votum*: tamen facilè potuit error irrepere. Quòd autem irrepſerit, perſuadet, quoniam Chryſoſtomi Interpres legit in ſingulari, & Oecumenius etiam, quem Græcè legi, quíque de Paulo intelligit.

h Tom. 1. Annal.

Neque ſanè Chryſoſtomus, vt velle tamen videtur idem Baronius, explicauit de Priſcilla, & Aquila; ſolùm ait, *quòd Paulus nondum illos abduxerat à Iudaica conſuetudine*: id autem maximè verum eſt, ſi exemplo ſuo eandem adhuc à Iudæis, qui Chriſtiani eſſent facti, poſſe retineri oſtendebat. Oecumenius, optimus Chryſoſtomi ſectator, & Interpres, ita intellexit. Denique non videtur Nazaræi religio, ac votum præcipuè conſiſtens in capillo, fœminis, quod ad hanc ſaltem partem attinet, potuiſſe conuenire, vt etiam docet Abulenſis [i]. Fateor tamen Iſidorum [k] intelligere de Aquila, & Priſcilla.

i Iud. 11. q. 12.
k 2. Offic. ca. de tonſura.

In Cenchreis.] Ἐν Κεγχρεαῖς. Eſt hoc idem nomen in epiſtola ad Romanos [l], vbi Hugo ignarus Grecæ linguæ, corrigendum aſſerit, quòd ſcribamus per aſpirationem.

l cap. 16. 1.

Origenes præfatione in epiſtolam eandem, ait eſſe nomen loci Corintho vicini, immò portus ipſius Corinthi. Vult prætereà ſcriptam ab Apoſtolo epiſtolam ad Romanos per Phœben Cenchreenſis Eccleſiæ miniſtram ex vrbe Corintho. Hoc nunc non agimus.

Cenchrea locus quis ſit.

Cenchreæ ſicut Athenæ dicẽdum eſt, vel Cenchræ, nauale illud Corinthiacum ex parte maris Ægæi ad Orientem, vt ſcribit Strabo [m], vel ad ſinum Saronicum, quemadmodum Lecheæ alter portus ad ſinum Criſſęum, ſiue Corinthiacum, inter quos medium ſpatium vocatur Iſthmus, conſtans paſſibus quinque millibus, vt prodit Plinius [n]. Idcirco Horatius [o], & Ouidius [p] *Corinthum bimarem* vocant, vt Græci *Amphithalaſſum* (Ægialon item quaſi totam littoralem) quemadmodum & Athenienſium vrbem Xenophon.

m lib. 18.
n lib. 4. c. 4.
o 1. Carm. ode 7.
p 4. Faſtorũ.

Totonderat caput: habebat enim votum.] Simile quid capite XXI. [q] iterum de Paulo, & aliis nonnullis narratur. Omnes autem conueniunt, in gratiam Iudæorum vſurpaſſe huiuſmodi legales cæremonias eo modo, quo capite XVI. [r] circumciderat Timotheum.

q verſ. 24.
r verſ. 3.

Nazaræus in lege duplex diſtinguitur, vel perpetuus, qui nunquàm radebat caput, nec alia guſtabat huic hominum ordini prohibita, vt vinum, &c. vel ad tempus. Hic finito eo tempore, quod ſibi præſcripſerat, capillum radebat, & in ignem proiiciebat, offerens illum DEO, cum ſacrificio, cui ille ſuppoſitus erat; & ipſemet Nazaræus vocabatur *Corban*, quaſi *munus diuinum*, vt ait Ioſephus [ſ], multóque magis is, qui ſe perpetuo ritu dicauerat. Exemplum indicatur in hiſtoria Machabæorum [t]. Caietanus ait *raſionem capitis, quæ per ſe erat, & in termino voti complebatur, fieri tantum potuiſſe ad oſtium tabernaculi fœderis, cum ſacrificio: illam verò, quæ erat per accidens, videlicet infra tempus voti, ſi, verbi gratia, Nazaræus pollutus eſſet ob morticinum, &c. debuiſſe quouis loco perſolui: atque hanc eſſe, de qua hic ſermo eſt, nec tertiam reperiri in lege*, quæ eſt in capite ſexto Numerorum. Abulenſis [u] agens de alia raſione, quam fecit Paulus in Ieruſalem, affirmat votum illud eius duraſſe per ſeptem dies. At quicquid ſit de voto ſuſcepto in Ieruſalem, cum interrupto dierũ numero per morticini pollutionẽ irriti eſſent priores dies Nazaræi (quamuis quo die pollutio contigiſſet, radendum caput foret [x]) nec eſſent dies, quos quis voueret, in numero definito, & paucorum etiam dierum interruptio tam crebra eſſe poſſet, vt denuò illos repetendo non poſſet impleri votum niſi poſt longum ſpatium temporis: & Paulus, qui iam propter occurſum cadaueris (ſi talis occurſus fuit) vt voto ſatisfaceret, dierum, quos vouerat, numerum à principio inire debuerit; neſcimus quo tempore idem Apoſtolus votum conſummauerit.

Nazaræus in lege duplex diſtinguitur.
ſ 4. Ant. c. 4.
t lib. 1. c. 3. 49.
u Leu. 27. q. 7.
x Num. 16. 11.

Creſcit inde adhuc non mediocriter difficultas, quoniam dicto loco libri Numerorum, nec purgatio ob interpoſitam pollutionem fiebat ſine aliquo ſacrificio, nec totius voti perſolutio. Quapropter non potuiſſet quis id votum vel incipere longiùs ab Ieruſalem, quoniam ſacrificare alibi non licebat, vel propter eâdem cauſam, id ſoluere,

niſi

nisi in Ierusalem; præsertim etiam cùm id votum alia re permutari non posset. Et tamen Paulus non proprio animi sui consilio, sed Nazaræorum ritu totondit se in Ierusalem, atque purificauit. Igitur tonsio hæc, de qua modò agimus, diuersa videtur, nec vna ex iis, quas Caietanus in lege legit. Hîc sanè de Nazaræorum religione mentio nulla, sicut in capite 21. Denique hoc tempore Iudæi Nazaræi non fiunt, quia votum complere non possunt extra Ierusalem, vbi solummodò sibi sacrificare licere existimant.

Iudæi hoc tempore Nazaræi non fiunt.

Probabilis mihi videtur Stapletoni coniectura, non per se, vt Iudæis similis esset, huiusmodi se nunc voto Paulum obligasse, quoniam peregrinabatur inter Gentiles, sed religionis, ac sanctificationis, atque mortificationis propriæ causa, vt eam etiam ex parte innuere voluerit, cùm scripsit Corinthiis [a]: *Castigo corpus meum*, &c. Sed propter ea, quæ dixi, addere debuit, non id votum fuisse, quod Numerorum 6. describitur: nec hoc posito, dicere verisimiliter potuit, idcirco posteà relicta Epheso, festinatum ab Apostolo Ierosolymam, vt quæ voto huiusmodi expleto in templo iuxta leges offerenda erant, offerret. Si enim votũ erat Nazaræorũ, soluisset ipse, non autem vt eum ad illum ritum, quemadmodum nuper argumentabar, Iacobus induceret, expectauisset. Eandem vim habent rationes istæ in Aquila, quem Paulus secum perduxit Ephesum, immò & ibi reliquit.

Paulus cur Nazaræorum voto nunc obstrinxerit.

a 1. ep. c. 9. 27.

Possumus tandem, ne à communi recedamus opinione, quæ cum Hieronymo, & Augustino legalem hic cæremoniam agnoscit, concedere, in voto Pauli multa fuisse cum Nazaræorum voto similia, vt intonsum caput, abstinentiam vini, &c. ita vt simpliciter appellari possit votum Nazaræorum, ceterùm defuisse legem de pollutione morticini, & de offerendo sacrificio, quoniam nec propter Iudæos præcipuè tale votum assumebat: nec ad carnem macerandam, DEVMVE placandum, quæ duo potissimùm Apostolus in eo voto intendebat, ritus illi quidquam ampliùs conferebant: immò potiùs cursum prædicationis impediebant. Cùm tamen in eodem voto essent nonnulla, quæ Iudaismum saperent, potuit & hoc nomine libentiùs à Paulo suscipi, vt Iudæos, qui cum Gentilibus permixti erant, & quibus vbique primo loco prædicabat, sibi ea ratione magis deuinciret. Chrysostomus, & Oecumenius notant, sacrificium quoque fieri debuisse; tamen postquàm verberatus fuit Sosthenes, factũ non ampliùs esse, quia iam lex soluebatur.

Pauli hoc votũ Nazaræorũ velle aliqua in parte simile, sed nõ per omnia.

Ergo cùm Cenchreas ad portum, vt inde solueret, peruenit, absoluto voti spatio, voto solutus, totondit seipsum, non in gratiam Iudæorum, qui nulli forsan ibi erant, sed vt degrauaret caput: hócque se onere, quod ingerit multis molestiam, & ad mœrentium habitum aliquando pertinuit, se liberaret. Vtinam & ego me permolesta ista difficultate, qua perdiu vexatus sum, liberarim; certè hoc effecero, vt qui eam senserit (nec enim qui adhuc viderit, videre potui) faciliùs, atque fœliciùs expediant.

De Clericali, aut Monachali tonsura, quam Epiphanius [b] *à Monachis*, ait, *vsurpari, quia & veteris Testamenti illi velut Monachi Nazaræi cæsariem gestabant*; & Isidorus [c] à Clericis, quia lapso deuotionis tempore, illam in ignem sacrificij proiiciebant; legendi controuersiarum cum Hæreticis scriptores, maximè verò Bellarminus [d], necnon Petrus Gregorius [e], qui hoc argumentum magna

De Monachali tonsura quis scripserit.
b Hæres. 10.
c 2. Offic c. de tonsur.
d 2. de Mon. cap. 40.
e 16 Synt. c. 1.

A eruditione persequitur, & Baronius [f], & Ioannes Langhecrucius [g]. Rectè autem primus notat pro temporum, locorúmque diuersitate fuisse in vsu, vel rasuram, vel tonsuram, tecta cute remanente: ac illam tum prohibitam, cùm vitabatur Sacerdotum idololatrarum exemplum.

f Tom. 1. An.
g 2. de vera hone. Eccles. cap. 1.

Lego apud Sidonium Apollinarem [h], de Clerico Maximo, *coma quidem breui fuisse, barba tamen prolixa*. Sic verò vtrumque cautum videtur, *ne Clericus comam nutriat, neque barbam radat*. In emendatiore codice Concilij IV. Carthaginensis [i] Clemens etiam Alexandrinus [k], Cyprianus [l], Epiphanius [m] produnt morem alendi barbam. Vetustiores demùm icones Apostolorum, aliorúmve Sanctorum, ex ordine Clericali, fidem faciunt. Nec Anicetus Papa simul comam, barbámque Clericis prohibuit, sed comam solam, quidquid secùs de tali constitutione scripserint Martinus Polonus [n], & Petrus de Natalibus [o]. In Breuiario Romano [p], ex Pontificali libro [q], de coma duntaxat mentio, necnon in Decreto [r], vel in Martyrologio Vsuardi [s], in Mariano Scoto [t], in Innocentio III. [u] Sed variatum hac in re, vt dixi. Cuiuis autem mos sequendus, quem in quaque regione modesti Clerici seruant.

h li. 4. ep. 24.
i cap. 44.
k 3. Pædag. c. 3.
l 3. ad Quirinum. c. 85.
m Hæres. 80.
n in Chron.
o lib. 4. c. 57.
p 17. Aprilis.
q cap. 22.
r d. 23. c. Clericis.
s 15. Kalend. Maij.
t in Chron.
u epist. 1.

Cùm lego, Episcopis abstracta voce nomen tributum coronæ, (*corona tua*, &c. vt ab Ennodio [x], à Sidonio [y], ab Hieronymo [z], & ab aliis, suspicor, tonsuram intelligi coronæ instar maiorem in Episcopis, maximè quòd & iidem interdum Papæ vocantur: Papa verò quorundam opinione, de qua Remigius Antisiodorensis [a] (nec verisimilis tamen est) dicitur quasi ab admirationis interiectione *Papæ*, quia sit mirabilis, & coronatus; & prætereà, quoniam, teste Balsamone [b], tonsura Clerica, & Episcopalis corona vocatur στεφάνωμα; & in Constantini pragmatico ad Syluestrum, corona Clericatus.

Episcopi corona dicti.
x ep. ad Marcellũ. & ep. ad Auxchan. & ep. ad Symmachum Papam.
y lib. 6. ep. 3. lib. 7. ep. 1.
z epist. 81. ad Augustinum.
a de celebr. Missæ.
b in canon. 21. 6. Synod. in Trullo.

Eodem illo modo loquuntur Terraconensium Episcopi scribentes Papæ Hilario. Et Vincentius Lyrinensis Sacerdotum coronas nominat. Legi quoque canon debet relatus in Decreta [c], vbi est, *Clericos Reges censeri, & in capite gerere coronam, velut regni istius insigne*. Significat rasio, vt ibidem habetur, temporalium omnium depositionem, quam Monachi à Clericis olim diuersi voto profitentur. Sed hac ratione non est eiusmodi rasura in ipsis regni signum, sicut in Clericis, licèt & hi rebus vti moderatiùs debeant. Sed cùm solis Episcopis, qui Sacerdotum nomine aliquando intelliguntur, videatur tribui dicta coronæ nomenclatura, fortasse per coronam indicatur augustus capitis amictus, quem dicunt mitram, proprius Episcoporum.

c c. duo sunt. 12. q. 1.

Habebat enim votum.] Ridiculos Caluinus (fidiculis, quàm risu dignior) Papistas vocat, quòd hinc vouendi exemplum eliciant: *Et cùm Paulum nulla ad vouendum religio induxerit, nos fictitium DEI cultum locemus in votis: cùm illum temporis ratio cogeret ad seruandos legales ritus, iam Ecclesia, cui pridem sua constat libertas, superstitione implicetur*. At iam docuimus, qua de causa Paulus votum id susceperit. Deinde si Iudæorum infirmitati ea in re se accommodabat, satis erat externos illos ritus vsurpare, absque nuncupatione voti, quam conceptis vllis verbis fieri debuisse non legimus, ac nec omninò necessaria verba sunt, sed animo concipi votum potest.

Religio votorum defenditur contra Caluinum.

Non sunt Monastica vota, vt blasphemare Caluinus solet [d], magici exorcismi, neque continent

d in cap. 16. Matthæi.

impieta

Monachorum vota qualia sint.

impietatem; sunt diuina consilia, sunt opera supererogationis, sunt actiones maximè religiosæ, atque meritoriæ.

Multò absurdior Petrus Martyr [a], dum omnia omninò vota Christianis interdicit, tanquàm pertinentia duntaxat ad legis cæremonias: quid enim cæremoniæ externæ in voto est, præsertim si solo perficiatur mentis actu? Aliquæ item cæremoniæ sunt omni hominum generi, & omni religioni communes, vt pectus tundere, flectere genua, manus attollere, cœlum in oratione aspicere, quo pacto ante legem scriptam vouit Iacob [b]. Lege eosdem, quos dixi, Hæreseologos, in primis Bellarminum [c], & Scholasticos de voto in genere disputantes, & ex Patribus Augustinum [d], quem Hæretici maximi faciunt. Ergo licuit Attio Næuio, laudatúrque hoc nomine à Cicerone [e], cùm propter paupertatem sues pasceret, vna ex his amissa, vouere, si recuperasset, vuam se DEO daturum, quæ maxima esset in vinea, & fas non erit, honestúmque, ac pium, edere votum eidem DEO de rebus, quas facere sit melius, quàm omittere, quæque ad honorem diuinum illustrandum, & amplificandum conferant?

Crassissimus item error est Lutheri [f], non obligare vota, nisi quamdiu homini ea seruare placet. Legendus Augustinus iam citatus, vt omittam perspicuam rationem ex minorum comparatione, quod fallere fidem hominibus turpe ducitur, ac iniquum.

Votum.] Εὐχὴν. Latina vox significat vel promissionem, vel desiderium, vel orationem. Græca hæc eadem; licèt oratio sæpiùs dicatur προσευχὴ, præsertim in nouo Testamento. Hebræi distinctis planè nominibus, quæ nullam habent affinitatem, נדר *neder*, & תפלה *thephillah*, vtrumque designãt. Huius rei rationem reddit Bellarminus [g], quòd cùm Latinum, Græcúmque nomen inuentum est, apud Græcos, & Latinos non erat illa vera pietas, nec homines DEO, Diisve quicquam vouebant, nisi ad id, quod desiderabant, impetrandum; ideóque votis semper iungebant preces, iuxta illud Virgilij [h]:

Sed votis, precibúsque iubes exposcere pacem.

Item [i]:

—Cessas in vota, precésque.

Quanquàm Valerius Maximus [k] obseruat, veteres, *cùm aliquid exposcendum erat, voto; cùm commendandum, precatione vsos.* Quod ad Græcos attinet, Nyssenus [l] notat, vocatam *orationem* προσευχὴν, quia post votum, quod vocatur εὐχὴ, fiebat. Sed Hebræi quoniam DEVM piè colebant, & vota faciebant etiam absoluta sine relatione ad preces, desideriúmve aliquid per vota impetrãdi, vt contingit quoque apud nos; idcircò propriis, ac diuersis nominibus hæc duo nominabant.

Versus 19.] Deuenitque Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse verò ingressus Synagogam, disputabat cum Iudæis.

DEVENITQVE *Ephesum.*] Ephesus, Amazonum opus [m], aut Crœsi [n] cuiusdam indigenæ, Ephesiíque, qui Istri fluuij filius dicitur, Ionicarum vrbs clarissima, & Asiæ lumen dicta; ædificata, vt prodit Eusebius [o], anno Dauid vigesimo-octauo, sitáque in pulcherrimo sinu, à læua Mæandrum fluuium, qui à Phrygia exoritur, & per Cariam effluit in Ægæum mare; à dextra verò Caistrum habens, qui venit è Lydia, vehítque merces Asiaticas; optimis præstereà oppidis circumsepta; Dianæ templo longè nobilissimo exornata, cuius longitudo quadringentorum vigintiquinque pedum, latitudo ducentorum viginti, & in eo erant columnæ centum vigintiseptem sexaginta pedes altæ (inter quas trigintasex cælatæ miro artificio) ab Asia tota extructæ per annos ducentos viginti, aut etiam quadringentos; & à Regibus eiusdem dicatæ cum asyli prærogatiua, cui Alexander stadium adiecit [p].

Hæc, inquam, vrbs celebritatem maiorem, quàm ab his, aliísque rebus consequuta est ob Pauli præsentiam, nunc, iterúmque, ac epistolam; ob Timotheum constitutum ibi eiusdem Episcopum, cui alius Pauli Discipulus Onesimus successit; ob Ioannem Apostolum, qui totas cùm regeret Asiæ Ecclesias, in hac illius metropoli morabatur magis, atque ea in vrbe fœlicem exitum sortitus est; ob Deiparam ipsam, quam Patres vnius ex Oecumenicis Conciliis ibidem celebrati (quod ad laudem non parum etiam facit) cum Ioanne quandoque habitasse testati sunt [q]: quod iam anteà Epiphanius [r] hæsitando significauerat.

Laudat mirificè Ignatius [f] Ephesios *à Fidei puritate, & constantia, prout instructi fuerant à CHRISTI pleno Paulo, & à fidissimo Timotheo.*

Ibi Apostolus ipse *ostium sibi magnum, & euidens apertum* scripsit [t], *licèt aduersarij essent multi.* Vt proptereà etiam & eò redierit, & diu apud Ephesios hæserit, quemadmodum sequens docebit historia: tum præstereà, quoniam illuc ventitabat omnis Asia minor, vel religionis causa ad Dianæ templum, vel negotiorum, ad metropolim, vbi Proconsul agebat, vel studiorum, siquidem, vt ait Philostratus [u], in laudatione Apollonij Tyanæi artis magicæ scientia, & professione summi, qui illum sibi locum in primis delegerat, abundabat bonarum artium studiis, Philosophis, Oratoribúsque redundabat, vt verè dici posset, eam ciuitatem non equitum robore, sed clarorum hominum millibus ceteras superare, in eáque plurimùm vigere sapientiam. Chrysostomus [x] refert ex vulgari opinione, inde fuisse Pythagoram, & totam Ionicam Philosophiam ibi cœpisse cum Parmenide, Zenone, Democrito.

Accedit quoque illa causa, quia Iudæi dictæ ciuitatis municipes erant, eiúsque priuilegiis potiebantur, & Ephesi haud secus ac alij, ciues nominabantur, teste Iosepho [y].

Primariæ meritò sunt ab Apostolis vrbes delectæ ad Euangelium: Ierusalem in Iudæa; in Syria Antiochia; in Ægypto Alexandria; Corinthus in Græcia, siue Achaia; in Italia Roma; Ephesus in Asia minori. Sed & sicut Athenis ara Ignoto DEO collocata, propter eclipsim, quæ mortuo CHRISTO contigit, vt de quorundam sententia priùs [z] retulimus, Paulo prædicandi occasionem præbuit: ita fieri potest, vt quod inter duodecim Asiæ vrbes vna prostratas nocte, primo Ephesum loco Plinius [a] numeret, sub principatu Tiberij, cùm scilicet CHRISTVS mortuus est, fuerit euertendæ per Paulum idololatriæ symbolum. Benè faciunt, qui sedem constituunt celebrioribus in locis, vbi poni vtiliùs opera, & vnde promanare ad plures possit.

Illos ibi reliquit.] Vt docerent, ac instituerent alios. Inde posteà Romam reuersos arbitratur Chrysostomus.

Disputabat cum Iudæis.] Fratres suos secundùm carnem quærit semper, ac primo quidem loco nunquàm

Margin notes:

a lib. de votis. & cælibatu.
b Gen. 28. 20.
c lib. 2. de Monach. à c. 14.
d nominè in ps. 75. 99. 132. ep. 45. lib. de virgin. c. 30. lib. de adult. coniug. ca. 24. de bono viduit. cap. 11.
e lib. 1. de diuinat.
f lib. de votis Monast.
Vocem quæ votum Hebræi & Græci dicunt.
g 2. de Monach. cap. 14.
h Æneid. 3.
i Æneid. 6.
k lib. 1. cap. 1.
l orat. 1. in orat. Dom. *Oratio cur dicatur* προσευχή.
Ephesi descriptio.
m Strabo, Dion. l. Solin. Mela. Iust.
n Pausanias in Achaicis.
o in Caron.
p lege Plin. libr. 36. ca. 14. Giraldum de histor. Deor. Syntag. 12. Alexandrum ab Alex. li. 1. cap. 20.
Eius maxima celebritas vnde fit.
q Tom. 2. Concil. Ephes. ca. 27. in epist. ad Cler. Constantinop.
r Hæres. 78.
f epist. 14.
t 1. Cor. 16. 9.
u lib. 8 cap. 2. *Ephesi regnabat eruditio.*
x præf. in epi. ad Ephes.
y lib. 2. cont. Apion. *Primariæ vrbes ad prædicandum ab Apostolis delectæ.*
z cap. præcedente.
a lib. 2. c. 84.

nunquàm eorum deterritus persecutione, *nec à malo victus, sed vincens in bono malum* [a].

a Rom. 12. 21.

Versus 20.] Rogantibus autem eis, vt ampliori tempore maneret, non consensit.

ROGANTIBVS *autem eis.*] Nescio an Iudæi id rogauerint ad pleniorem informationem, vt Lyrano placet, atque Carthusiano: hactenus namque Iudæi semper sunt aduersari doctrinæ Christianæ: fortasse, vt aduersari magis possent, doceri magis volebant. Bono id animo fecisse suadet tum sequens promissio, tum quòd ibi pro se reliquit interim Aquilam, & Priscillam.

Versus 21.] Sed valefaciens, & dicens: Iterum reuertar ad vos DEO volente, profectus est ab Epheso.

SED *valefaciens, & dicens.*] In Græco textu hoc modo: ἀλλ' ἀπετάξατο αὐτοῖς, εἰπών· Δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα, &c. *Sed missos fecit eos, seu valefecit eis* (hoc omittit Syra editio, addens reliqua) כד אמר דולא לי אמינאית דעאדא דאתא באורשלם אעבדיוהי *chad amar deuale li aminaith debhida datha beurischlē abhbedinhi*, id est, *cùm diceret, quia oportet me sedulò ad festum vt veniam Ierusalem celebrandum*; vel, *dicens: Oportet me omninò festum venturum agere in Ierusalem.* Negat hæc esse de textu Lyranus, vel esse in libris correctis: *Quia nec*, inquit, *Paulus iuit in Ierusalem, sed postea per magnum tempus.* Carthusianus agnoscit hāc lectionem, monétque, *incertum esse, de quo festo loquatur.* Quod idem facit Caietanus. Legunt eodem pacto Vatablus, & Clarius, vtpote Græcum sequuti textum, & nonnulli codices manuscripti, quos vidi. Et cùm Chrysostomus etiam, ac Oecumenius ita legant, non ausim tam facilè negare, esse de textu.

Nostra editio nō continet omnia, sed nihil in ea est, quod non sit de Scriptura.

Aliud enim est, editionem nostram non omnia prorsus continere, aliud verò aliquid in ea esse, quod non pertineat ad integritatem Scripturæ. Hoc nullo modo concedi potest, illud minùs periculosè. Non loquitur Apostolus de Pentecoste, ad quam vsque mansurum Ephesi scripserat Corinthijs [b]; quoniam hac vice parum valdè hæsit Ephesi.

b 1. ep. c. 16. 8.

Phrasis. Si Dominus voluerit, vsurpanda.

DEO *volente.*] Eodem pacto in eadem illa epistola ad Corinthios [c]: *Si Dominus permiserit*; & ad Romanos [d]: *Si modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate* DEI *veniendi ad vos*; & iterum ad priores illos [e]: *Veniam ad vos citò, si Dominus voluerit*; & ad Philippenses [f]: *Spero in Domino* IESV, *Timotheum me citò mittere ad vos*, &c. *Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò.* Iacobus [g] quoque admonet, vt eandem clausulam, conditionémve ad omnia negotia, quæ in futurum facere proponimus, adhibeamus. *Ecce nunc*, inquit, *qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis, quid erit in crastino (quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur) pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.*

c 1. ep. c. 16. 7.
d cap. 1. 10.
e 1. Cor. 4. 19.
f cap. 2. 19. 24.
g cap. 4. 13. 14. 15.

Arrogātia humana deprimitur.

Documentum morale hoc est, quo nostra deprimitur arrogantia, & magna notatur inconsideratio. *Nec dicat hic mihi Iurisconsultus aliquis*, inquit Catharinus, *ex sua regula, cùm hæ conditiones tacitè subintelligantur, easdem frustra exprimi, quia expressio eorum, quæ tacitè insunt, nihil operatur. Nam operatur dicta expressio salutarem cogitationem imminentis mortis, & necessarij continuè auxilij diuini, quorum duorum cogitatio maximè nos circumspectos reddit, atque modestos, & humiles. Istæ conditiones*, vt ait Hugo exponens Iacobum, *semper vel apponendæ sunt actu, aut intelligendæ habitu: sic enim Paulum, cùm simpliciter dixit se in Hispaniam profecturum* [h], *aut in Ierusalem, illas animo conditiones concepisse, quas verbis non expressit, dubitari nequit.*

h Rom. 15. 24. 25.

Oecumenius existimat, in præsenti loco, data opera velle Apostolū erudire nos, nihil vt de futuris faciendis promittamus, nisi DEO *volente*, adiungamus, cùm nemo, *quod superueniens dies pariturа sit, nouerit* [i]: alioqui enim ipsum, vt Prophetam, sciuisse se reuersurum. Fieri hoc quidem potest, nec tamen Prophetæ semper, ac singula prænoscunt, vt constat multis exemplis veteris Testamenti, vt Dauid [k], Elisæi [l], &c. Et Paulus ipse capite XX. [m] professus est, *quæ sibi in Ierusalem ventura essent, ignorasse.* Et quamuis affirmatè scripserit Romanis [n], in Hispaniam profecturum se, ambigunt tamen haud immeritò forsan aliqui, vtrùm id re ipsa præstiterit, vt capite priore monuimus. Lege adagium: *Cum* DEO *quisque & gaudet, & flet, & DEO præeunte, nullus officit obex.*

i Prou. 27. 1.
k 1. Reg. 23. 2. & seq.
l 4. Reg. 4. 27.
m vers. 22.
n cap. 15. 24.

Idipsum voluerunt Philosophi, vt Plato [o], cùm docuerunt, *à Diis tantùm bona, & pulchra*, hoc est, *honesta, petenda.* Quia nescimus ergo quid conferat ad virtutem, & ad salutem, rectè in omnibus cogitandis, agendisve, apponimus eam hypothesim, SI DEVS VELIT; est quippe honestatis DEVS norma exacta. Eòdem respexit Socrates apud eundem Platonem [p], cùm docet *Alcibiadem inordinatum animi motum effugere posse, non dicendo, Si ipse Socrates vellet, sed, Si* DEVS.

o in Alcibiade 2.
Deus est honestatis norma exacta.
p in Alcib. 1.

Versus 22.] Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutauit Ecclesiam, & descendit Antiochiam.

ET *descendens Cæsaream, ascendit.*] Syrus, והו רדא ביַמא ואתא לקסריא *vehau rada beiamma vettha lekesaryya*, id est, *Ipse verò per mare sulcauit, & venit in Cæsaream*; vel, *Ipse verò per mare perrexit, & venit Cæsaream.* Caietanus arbitratur, hanc Cæsaream esse illam, vnde Paulus ab Ierusalem paulò post conuersionē deductus est, & inde perrexit Tharsum [q]. Hæc nimirum est Cæsarea Palæstinæ. Glossa ordinaria, quæ est Rabani, ac Bedæ, intelligit de Cæsarea metropoli Cappadociæ, quia nondum in Syriam Phœniciæ, seu Philippi venerat. Consentit Lyranus, & Gagneius, & Ioannes Benedictus, & Hieronymus, vel potius alius apud ipsum in tractatu de locis ex libro Actuum Apostolorum. Hugo alterutrius optionē dat. Carthusianus ait, *illam esse in Asia, quæ etiam vocata est Diocæsarea: per hanc enim ab Epheso iter esse versus Antiochiam Pisidiæ*: de qua putat sequentibus verbis sermonem fieri. Diocæsareæ meminit in Cappadocia haud procul Euphrate Plinius [r]; at distinguit à Cæsarea, quam statuit in eadem prouincia, vocatámque alio nomine Mazacham, quod idem Beda monet, scribit.

q Act. 9. 30.
r lib. 6. c. 3.

Cæsarea et Diocæsarea differentes.

Cùm sint ergo tum nomina, tum ciuitates differentes, non video, cur maluerit Carthusianus, relicto nomine Cæsareæ, quod posuit Lucas, Diocæsaream dicere; cùm eodem iure potuerit

Neocæsaream, quæ & ipsa ad Cappadociam pertinet. Chrysostomus docet, nauigasse Paulum in Syriam, & Antiochiã, quæ hic subiicitur, putat esse Syriæ. Sanè quidem superiùs narratum est, à Corintho nauigasse Paulum in Syriam, & deuenisse Ephesum: præterea in textu Græco habetur, contendisse cum festinatione in Ierusalem ad festum, quod instabat: igitur Cæsarea, quæ occurrit, debuit esse in recto itinere Ierosolymitano; non alia verò videtur esse, quàm Palæstinæ.

Paulus venit Ierosolymam hoc tempore.

Quocirca iuxta illam eandem sententiam Græci textus, valdè probabile est, quod Caietanus tradit, peruenisse Apostolũ in Ierusalem, & hoc esse, quod subditur, ascendisse, & salutasse Ecclesiam; inde rursum descendisse in Antiochiã scilicet Syriæ: cúmque ibi, vt etiam in hac historia narratur, aliquanto tempore mansisset, perambulasse ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam: nam festinanti in Ierusalem, non licuit vti tot diuerticulis, tamdiúve immorari variis in locis.

Itaque adhærendum primæ sententiæ, cui prorsus fauet Chrysostomus: dicendúmque multa Lucam suo more, præsertim in iis, quibus non interfuit, paucis verbis perstringere. Sequitur & hanc sententiam præter Caietanum, noster Sà, & Arias, & Baronius de Cæsarea Palæstinæ, & de Antiochia Syriæ: putátque iste in hac peregrinatione annum insumptum, nempe qua visit etiam Galatas, & Phryges: de aduentu autem in Ierusalem nihil dicit.

Paulus venit Cæsaream Palæstinæ.

Salutauit Ecclesiam.] Iam dixi de sententia Caietani satis probabili, hanc esse Ierosolymitanam Ecclesiam, & istum esse quartum aduentum Pauli in Ierusalem post conuersionem. *Salutauit verò, inquit, ibi duntaxat, nihil aliud ibi faciens Euangelicum, fratribus prohibentibus, ne excitaretur tumultus propter ipsum.*

Antiochiam.] Non Pisidiæ, sed Syriæ, prout dictum est: fauétque quod sequitur: *Et facto ibi aliquanto tempore*: cur enim in alia Antiochia diutiùs maneret, ratio propria nulla apparet. *Tenebatur verò*, ait Chrysostomus, *humana quadam affectione erga ciuitatem illam. Ibi enim appellati sunt Discipuli Christiani: ibi traditus est gratia* DEI: *ibi negotium dogmatis absoluit.*

Versus 23.] Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes Discipulos.

Muneris pastoralis pars præcipua visitare.

PERAMBVLANS *ex ordine.*] Hæc est pastoralis pars muneris præcipua, obire, ac visitare non obiter, & perfunctoriè greges, sed καθεξῆς, *sigillatim, & ordine*: qua de re nonnihil superiùs egimus [a].

a cap.15.36.

In capite XVI. iam narrauit Lucas transiisse Paulum per has prouincias, de quibus & nos eo loco: venienti ex Syria prior occurrit Galatia, quàm Phrygia; quæ est noua ratio pro nostra sententia de Cæsarea Palæstinæ, & Antiochia Syriæ.

Versus 24.] Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephesum, potens in Scripturis.

Apollo, de quo hic, diuersus ab alio, de quo in c.17.

IVDÆVS *autem quidam, Apollo nomine.*] Tum religio, tum patria demonstrat aliũ fuisse illum eiusdem nominis ab Apostolo conuersum Athenis, vt meminimus priore capite, tametsi ex actis haud valdè fidelibus. Præterea non Ἀπολλώς, quartæ declinationis voce, vt hic noster, sed Ἀπόλλων, quod nomẽ pertinet ad quintã, dicebatur.

A

Oecumenius refert, quorũdam opinione hunc eundẽ esse, qui & Apelles Corinthiorum Episcopus, de quo illud fit in epistola ad Corinthios [b]: *Ego plantaui, Apollo rigauit*: ac proinde vel binomium fuisse, vel alterum nomen in posterum transmutasse. De Apelle meminit Paulus epistola ad Romanos [c], appellans *probum*: & sine dubio differt ab Apollo: ille enim cum Lucio numeratur inter primos CHRISTI Discipulos in Romano Martyrologio [d], vbi etiam natalis eorũ memoratur Smyrnæ, cuius & Episcopum Apellem facit Dorotheus [e], necnon Menologium [f], atque Hippolytus [g]. Petrus verò de Natalibus [h] tradit hunc Eradiæ Episcopatum, Apollo Commæ gessisse. At hæc penitus ignota sunt nomina. De hoc Apollo prætereà quæ hîc dicuntur, & ab Apostolo in citata epistola, nihil aliud reperio.

b 1.epi.c.3.6.

Apelles Discipulus Pauli diuersus ab Apollo.

c cap. 16.10.

B

d 22. April.

e in Synopsi.
f 22. April.
g lib. de 72. Discipulis.
h lib.6.cap.100.

Vir eloquens.] Ἀνὴρ λόγιος. Syrus, ורדא הוא במלתא *varede haua bamelletha*, id est, *eruditus erat in sermone*; vel, *Vir præditus facundia.* Significat λόγιος, *celebrem, peritum, disertum, magnificum, in historia, & antiquitate versatum.* Chrysostomus ad omnes has simul notiones respectum habuit, appellando illum eruditum, principem, & magni nominis.

Λόγιος quid sit.

C

Non admodùm flagitat Ecclesia in suo eloquentiam prædicatore, si non habeat; & si afferat, non aspernatur; vt de Philosopho dixit M. Tullius [i], dummodò sit aqua diuini timoris diluta, ne inebriet: *difficilè namque præ aliarum scientiarum peritis*, DEO *eloquentes*, vt ait Hieronymus [k], *credunt, simplicitatémque Scripturæ sanctæ non ex maiestate sensuum, sed ex verborum iudicant vilitate.* Eundem lege præfatione ad 3. librum Commentariorum epistolæ ad Galatas.

Ecclesia non admodum in suo prædicatore eloquentiam flagitat.

i 2. de Finib.

k in cap.4. Ionæ.

Si verum senserunt ab eodem Cicerone [l] citati Stoici, *Sapientiæ partem eloquentiam esse, immò virtutem, atque sapientiam*, haud dubium quin enitescat in diuinis Literis, sicut alio etiam loco docuimus [m]. Sed neque desideratur lumen dictionis, & fulgor ab eo demissus, *qui lucem habitat inaccessibilem* [n], *lumine amictus sicut vestimento* [o], licèt eam eloquentiam, quæ naturali ac seculari splẽdet solùm fulgore, viderit IESVS, vt tertiò iam laudatus Hieronymus [p] appositè admonuit, *quasi fulgur cadentem de cælo* [q]. Eloquentiæ de vsu Christiano atque honesto, præter ea, quæ aliàs dixi [r], lege Augustini disputationem contra Grammaticum Cresconium [s], qui eam vt vitium in Augustino vituperabat. Denique verè præceperunt dicendi ipsi magistri, *Sapientiam sine eloquentia aliquid prodesse* [t], *hanc sine illa nimiùm obesse plerunque, prodesse nunquam. Sapienter autem dicit homo*, ait idemmet Augustinus [u], *tantò magis, vel minùs, quantò in Scripturis sanctis magis, minusve profecit, quæ cum sapientia inseparabilem continent solidam eloquentiam.*

l in Oratore. Deus non indiget eloquentia.

D

m cap. 7.

n 1.Tim 6.16.
o Psal. 103.2.

p epist.150.
q Luc.10.18.

r citato loco.

s lib.1.c.1.

Sapientia sine eloquentia prodest, hæc sine illa nimium.

E

t refert August. 4. de doct. Christi. c.5.
u supra & seqq. capit.

Ne plura, quid, quantúmque ob eloquentiam istam Apollo consecutus sit, & præsens historia paulò pòst narrat [x], & quòd tanti à Corinthiis factus est, vt cum CHRISTO, Cepha, siue Petro, atque cum Paulo quartus, veluti propriæ sectæ caput, princépsve haberetur [y], luculentè demonstrat. Neque non exploratissimum illud est, quod [z]

Vir impeditus sæpe linguæ infantia

x vers 27.
y 1.Cor.1.12.
z apud Clement. Alex. 1. Stromat. & Stobæ. lib. de Calumnia, cap.40. ex Eurip. in Alexandro.

Cum iusta dicit, hoc diserto habet minus.
Quum ore, quod bellè fluit, verissima
Surripiunt, appareant vt quæ haud decet.

Apollo cur venerit Ephesum.

Deuenit Ephesum.] Aut ad eiusmodi Philosophorum, ac Oratorum, vt nuper dixi, nobile emporium, vir eloquens, vt arte artem deluderet, & in Euangelij rete Sapientes, eloquentésque secundùm carnem includeret; vel vt Paulum forsan conueniret. Et quidem arbitror profectionis Pauli ab Epheso narrationem interpositam esse, siue coniunctam cum profectione Corinthiaca: priùs tamen quàm Ephesum relinqueret, aduenisse Apollo. Huius rei gratia relictos à Paulo Ephesi Aquilam, & Priscillam, indicat Chrysostomus, vtpote docturos tum Ephesios, tum præsertim Apollo. *Non sine causa*, ait ille, *reliquit Apostolus Aquilam in Epheso, sed propter Apollo forsan hoc* SPIRITVS *dispensauit, vt & fortior ascenderet in Corinthum.*

Apollo eloquentia qualis.

Potens in Scripturis.] Non erat nuda, insipiénsque Apollo eloquentia, sed solida, & sapientiæ diuinæ, quæ in Scripturis, si bene intelligantur, residet, plena. Hoc est enim δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς. Augustinus[a], cùm, sicut iam recitaui, dixisset, *quod sapienter dicit homo non affluens sola insipienti eloquentia, tantò magis, vel minus, quantùm in Scripturis sanctis, magis, minúsve profecit.* Subdit: *Non dico in eis multùm legendis, memoriaque mandandis, sed bene intelligendis, & diligenter earum sensibus indagandis. Sunt enim qui eas legunt, & negligunt: legunt, vt teneant; negligunt, ne intelligant. Quibus longè sine dubio preferendi sunt, qui verba earum minùs tenent, & cor earum sui cordis oculis vident. Sed vtrisque ille melior, qui & cùm volet eas dicit, & sicut oportet, intelligit.* Sic Augustinus.

a 4. de doctri. Christi. c.5.

Quis in Scripturis profecit.

Suspicor Apollo patria Alexandrinum in id Scripturarum sanctarum studium piè, Christianeque incubuisse Alexandriæ apud Essenos, qui creduntur Christiani fuisse[b]. Nam non Philo[c] tantùm, & ipse Alexandrinus, dum *vt suæ gentis, ac religionis homines* laudat, *qui erant reuera Christiani*, vt sentit Eusebius[d], Hieronymus[e], Epiphanius[f], Cassianus[g], Chrysostomus[h], Beda[i], Sozomenus[k], Nicephorus[l], verùm etiam Porphyrius, vt meminit Cyrillus Alexandrinus[m], testantur in perscrutandis Prophetis Essenos intentos fuisse, ac ob eam causam veritatem rerum futurarum attigisse. Scio aliter alios opinari, ac vetustiores illos Essæos fuisse, de quibus sæpe Iosephus, & eosdem quidem cum Assidæis[n], quorum in historia Machabæorum[o] mentio. Fauet similitudo nominum etymologiæ: nam Assidæos dici volunt quasi חסידים *chasidim*, *misericordes, bonos, sanctos*; Essæos velut ὁσίους (etsi non libenter cōsentiat noster Serarius, nec absque ratione, quod ad etymon spectat) quos & Ossæos Iosephus[p] vocat.

b ostendit hoc Baron. tom. 1. Ann.
c lib. de vita contempla. seu de supplicib.
d lib. 2. Hist. cap. 16. & 17.
Apollo apud Essenos institutus.
e de Script. Eccl in Marco, & Philone.
f Hæres. 29.
g 2. de Inst. c.5.
h Hom. 44. in Acta.
i præfat. in Marcum.
k 1. Histor. c.12.
l Hist. lib. 2. c.15.
m lib. 5. con. Iul.
n Ioseph. Stephan. in lib. Macha. prolegom. c.3. Serarius in lib. Machab.
o lib. 1. c. 2. 42. cap. 7. 13. lib. 2. c. 14. 6.
p 13. Antiq. cap. 14.

Sine dubio secta vna Iudæorum fuit, cui nomen Essæorum, etiam CHRISTI ætate; quia tempore Archelai memorat idem auctor[q] Simonem Essæum Prophetia clarum. Illos perperàm confundit Drusius cū Phariseis. Quia verò non legitur CHRISTVS illos reprehendisse, credit Abulensis ab iis libenter CHRISTI receptā doctrinam.

q 17. Antiq. c.15.

Scripturæ nomen quid contineat.

In Scripturis.] Doctrina diuinitus reuelata, & quidquid SPIRITV sancto dictante scriptis traditum est, generali nomine appellatur modò in singulari, modò in plurali, Scriptura, & Scripturæ, sicut liber, & libri, siue Biblia, κατ' ἐξοχὴν, quasi sola ea, quæ sunt huiusmodi, scriptione digna sint, & lectione. Vna verò Scriptura dicitur, vnúsve liber, quoniam eundem auctorem DEVM habet, eundem scopum; plures, propter pluralitatem partium eius.

De vno libro accipiunt aliqui[r] verba Psalmi[s]: *In capite libri scriptum est de me*, quia in primis verbis Genesis, & Euangelij Ioannis sermo videtur esse de CHRISTO: vocántque Hieronymus[t], & Augustinus[u] totam Scripturam librum vnum, & de tota Scriptura dictum locum exposuit Theophylactus[x], & apud Oecumenium Photius[y]. Alij tamen de solo principio Genesis, vel de primo Psalmo, & alij aliter, vt videre est apud nostrum Riberam[z].

r Hieron. de tradit. Hebr. in Genes. & alij apud August. in Psal. 150.
s Psal. 39.
t in cap. 29. Esaiæ, & in c. 12 Ecclesiastis.
u in Psal. 150.
x in cap. 10. epi. ad Hebr.
y ibidem.
z ibid.

Libros pluraliter, cum addito, *sanctos*, dicunt Machabæi[a].

a 1. Machab. 12. 9.

Scriptura, & Scripturæ multis reperiuntur locis: at sæpiùs in numero vnius certum aliquem designat, in nouo potissimùm Testamento, librum. Forsitan hoc nomen seu plurale, seu singulare originem ducit à Tabulis legis, quas digito suo DEVS scripsit[b], & dicitur lex ipsa, DEI *scriptura*, omnísque scriptor sacer est *veluti calamus* DEI *ipsius, Scribæ velociter scribentis*[c]. Et quæcunque scripta sunt, eodem SPIRITV, ac fine, merentur absolutum tale nomen, quasi alia omnia, quæ ferè scatent vel erroribus, vel sunt de rebus inanibus, scribi, vt extent ad posterorum memoriam, non debuerint.

b Exod. 32. 16.
Cur Scripturæ hoc nomen tribuat.
c Psal. 44. 2.

Versus 25.] Hic erat edoctus viam Domini: & feruens SPIRITV loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt IESV, sciens tantùm Baptisma Ioannis.

HIc *erat edoctus viam Domini.*] Scripturarum scientia hæc suppeditat, vt quæ ad IESVM spectant, potissimùm intelligantur, & quæ conducunt ad mandatorum custodiam, quibus peruenitur ad beatitudinem. Vt autem rectè Doctoris munus exequaris, diligentia requiritur, non solùm vt mediteris dicenda, sed meditata etiam dicas: & feruor SPIRITVS, vt incidentes difficultates vincas, & alios permouere, animo priùs commotus ipse, seriò, ac sedulò studeas.

Scripturarum scientia ad quid conferat.

Edoctus.] Κατηχημένος. More catechumenorum, atque per Catechismum: & quidem nondū sciebat Baptismum CHRISTI, vt mox subditur, quem Baptismū Catechismus præcedere solebat.

Caietanus id vidit; sed non debuit carpere versionem nostram, quasi plus expresserit per *edoctus*, cùm Græcum participium significet initiatum, cuius rei argumentum sit, quia nesciebat Baptismum CHRISTI. Nam & catechumeni docentur Baptismum CHRISTI: nec omnes tamen sunt ita docti, vt docere alios possint, sicut docuit Apollo, qui quo modo solùm scierit Baptismum Ioannis, mox dicemus.

Κατηχεῖν, & κατηχεῖσθαι, significant in genere audire, & audiri, instituere, ac institui, siue id fiat imperfectè, quod ad nudam eorum, quæ audiuntur, propositionē spectat, quæ sufficiat ad formandam de illis notionē, seu etiam perfectè. Si, vt anteà ex coniectura dicebamus, hic Apollo in patria sua Alexādria institutus est à Christianis, qui vocabātur Esseni à Philone, & exactè tractabant Scripturas, has ipse quoque summo studio didicit, quatenus pertinebant ad IESVM. Et quia inter alia de IESV argumenta, fuit Ioannis de illo testimo-

Quid sit catechizare, & catechumenum.

Apollo quo catechismo sit instructus in Christi religione.

nium[a],

a cap. 1. & 3. & seq.

nium [a], de quo item Ioanne præcesserant testimonia Prophetarum; Baptismus autem CHRISTI vltimo loco iis, qui eo baptizandi forent, explicabatur; fieri potest vt Apollo reliquas satis edoctus Scripturas, tum illas, quæ pertinebant ad Baptismum Ioannis, nihil audisset adhuc de Baptismo CHRISTI, vel quòd baptizari distulisset, vel quia oblata alia occasione, priusquàm Catechistæ peruenissent ad eum Baptismum declarandum, ipse aliò demigrasset.

b Rom. 12. 11.

c epist. 2. ad Nepotianum.

d 3. Reg. 1. 2.

Feruens SPIRITV.] Tales vt sint, Romanos hortatur Paulus [b], hoc est, impetu quodam animi accensi ad bene merendum de proximo; & in vniuersum alacres ad opera pietatis. Hieronymus [c] hunc feruorem proficisci interpretatur à scientia Scripturarum, sicut ab Abisag calorem in Dauid [d].

e cap. 2.

f Act. 2. 15. c. 1. 4.

g Act. 10. 44. Apollo feruens Spiritu quare dictus sit.

h Ioan. 5. 35.

i Sermon. de Ioanne Baptista.

Quid sit feruor SPIRITVS, dixi aliàs [e]. Allusio forsan hîc est ad eundem SPIRITVM, qui vt super alios, ita super istum descenderit: si non externo ignis signo, certè re, & effectu. Oecumenius anceps est, an fuerit de illis centum viginti, *qui sunt*, inquit, *cum Apostolis baptizati* [f]: *vtrùm sicut Cornelius* [g] *ante Baptismum acceperit* SPIRITVM *sanctum*. Hoc posterius placet Chrysostomo, qui singularem feruorem obseruat in Apollo, cum eximia doctrina, vt proinde doceret ipse, non alij, quotquot SPIRITVM acceperant. Potest hic appellari *lucerna non lucens tantum per doctrinam, sed ardens* [h] *quoque per* SPIRITVS *feruorem*. Feruebat SPIRITV, & docebat, quoniam vt huc transferamus, quod de Ioanne Bernardus [i] obseruat, *ex eius feruore splendor, non feruor prodiit ex splendore: quemadmodum sunt quidam, qui nō eò lucent, quia feruent; sed magis feruent, vt luceant*: nimirum non charitatis feruentes spiritu, sed studio vanitatis.

k vers. 6.

Docebat ea quæ sunt IESV.] Ita etiā Syrus, ומילף מליאית על ישוע *vmeleph meleiaith hhal Ieschuahh*, ad verbum, *& docens planè de* IESV. Sed Græcè, τὰ περὶ τοῦ ΚΥΡΙΟΥ, *ea quæ sunt de Domino*. Domini nomen de IESV, siue de CHRISTO sæpiùs intelligi ostendimus cap. 1. [k]

Non fuit baptizatus Baptismo Ioannis.

Sciens tantùm Baptisma Ioannis.] Non ergo baptizatus erat Baptismo CHRISTI, quem nesciebat.

Vult præterea Carthusianus, baptizatum fuisse Ioannis Baptismo. Si non hallucinatur coniectura illa, quam posuimus de institutione Apollo ab Alexandrinis Christianis, non potest hoc esse: iam enim exoleuerat Baptismus Ioannis.

Si erat ex centum viginti, vt opinando aiebat Oecumenius, in quos die Pentecoste venit SPIRITVS sanctus, vel etiam, vt alij, de quibus anteà dixi, ex numero LXXII. Discipulorum, non caruit profectò aut notitia, aut initiatione Baptismi CHRISTI.

l Salmeron.

Non satis assequor qua ratione verum sit, quod nonnulli docent [l], hunc tam feruentem Prædicatorem, adeò doctum in via Domini, & potentem in Scripturis, & loquentem, ac docentem ea, quæ erant IESV, dici nouisse tantùm Baptisma Ioannis, hoc pacto: quia licèt baptizatus esset Baptismo CHRISTI, tamen nihil exquisitè nouerat de IESV: idémque esse quòd nouerit solummodò Baptisma Ioannis, ac quòd sola rudimenta doctrinæ: quia Ioannis Baptisma fuerit præparatio ad CHRISTI doctrinam.

Violenta quoque Vatabli videtur interpretatio, vt nouerit tantùm Baptismum Ioannis, quia eo tantùm baptizatus sit, id est, aqua; vel quia ipse baptizabat nullo SPIRITV sancto accepto, per impositionem manuum, aut non impetrato iis, quos baptizabat.

Non erat adhuc baptizatus Baptismo Christi.

Quapropter id, quod superiùs attulimus, magis satisfacit, nondum hoc tempore Baptismum CHRISTI suscepisse, quem fortassè Aquila, vel alius Ephesi ei contulit, cum pleniore, & planiore doctrina de CHRISTO: Baptismum autem Ioānis non quidem suscepisse, sed nouisse tanquàm vnum de testimoniis pro CHRISTO.

m vers. 3.

Baptismo Ioannis tantùm baptizatus erat.

Si quis tamen contendat Ioannis Baptismo baptizatū esse, conuinci non poterit: eodem enim baptizati fuerunt duodecim illi Ephesij, de quibus in capite sequenti. [m] Tunc verò non à Christianis illis Alexandrinis primam saltem cognitionem de CHRISTO, sed longè anteà ab ipsomet Ioanne cum Baptismo, & ab aliis in Iudæa accepit. Et nondum sufficientem assecutus rationem Euangelij, quia fortassè haud adeò frequens versabatur cum Discipulis, Baptismum Ioannis, quem aliquando audiuerat, & forsan acceperat, adhuc vtilem, & isagogicum CHRISTI candidatis arbitrabatur. Sic mollita Vatabli sententia, quæ placet etiam Emmanueli Sà, nonnullam habet probabilitatem.

Versus 26.] **Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synagoga. Quem cùm audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentiùs exposuerunt ei viam Domini.**

ASSVMPSERVNT *eum.*] Syrus, איתיוהי לבל־תהון *aiethiuhi lebalethehun*, id est, *adduxerunt eum domi suæ*; vel, *domum suam*. Glossa interlinearis, *ad hospitium*, aut *colloquium suum*, προσελάβοντο.

Hoc verbum Græcum, & ei respōdens in editione nostra Latinum, valet idem quod adducere, seducere, ac seorsum ducere, vel apprehendere, suscipere (quod Interpres nonnunquàm ponit) recipere, asciscere, adiungere.

n cap. 16. 22.

o cap. 14. 1.

p cap. 15. 7.

q vers. 13. & 17.

r Psal. 118. 122.

Quando Petrus CHRISTVM à patiendo dehortari voluit, de illo Matthæus ait [n], καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν, *& assumens eum*, quod Græci æquè, ac Latini de segregatione, & subductione intellexerunt, quasi non sit ausus corā aliis id CHRISTO dicere, illúmque increpare. In epistola ad Romanos [o], *Infirmum in fide* προσλαμβάνεσθε, *assumite*, id est, seorsim erudite, recipite apud vos cum commiseratione. Item in eadem [p]: *Propter quod* προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, *suscipite inuicem*, ac mutua vtimini misericordia. Καθὼς καὶ ὁ ΧΡΙΣΤΟΣ προσελάβετο ὑμᾶς, *sicut & CHRISTVS suscepit vos*. Præterea ad Philemonem [q]: *Tu autem illum, vt mea viscera suscipe*, προσλαβοῦ. *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me*. Frequenter occurret hæc in Psalmis dicendi formula, tum suscipiendi verbo absolutè posito, tum facta nonnulla additione, vt [r], *Suscipe seruum tuum in bonum*. Quin & *doctrina* in Lexico à verbo לקח *lakach* dicitur לקח *lekach*, quasi capi debeat auidè, animóque perlibenti, vt pretiosissima res: aut quòd ea ipsi capiamur, atque suadeamur quid facere, quid fugere debeamus. Denique in fine præsentis Historiæ habetur, quòd *Paulus suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum* [s] προσελάβετο.

s cap. vlt. 30.

Aquila eum recepit in suo hospitio.

Hospitalis charitas Aquilæ, atque Priscillæ, qui Paulum priùs susceperant, suadet, vt credam, non solùm priuato colloquio, sed etiam domestico hospitio excepisse: & simul, quod Maldonatus

in Matthæum[a] vult, significare Hebraicè, qua ille scripsit lingua, verbum לקח *lakach, aggressos esse, & corripuisse*, tanquàm qui nimis ἐπαῤῥησιάζετο, id est, *fiducialiter, & liberè loqueretur*, nec ita semper forsitā appositè, cùm non esset satis instructus: quamuis id ex præferuida indole, necnon etiam ex diuini SPIRITVS feruore faceret; qui nonnunquàm feruor ad exactioris scientiæ normam est redigendus. *Nusquàm hic odium, nusquàm inuidia*, inquit Chrysostomus, *sed omnia fiunt in fide.*

Quid si etiam assumptionem hanc, & susceptionem eo capiamus modo, quo nominantur quidam susceptores, præsertim in Baptismo, vel sponsores, &c. Legi post hæc doctam Martini Roæ nostri[b] de suscipiendi verbo in sacris, ac profanis auctoribus notationem pro eo, quod est instituere, educare, nutrire, alere, procreare, formare, humaniter excipere, atque spondere seu fideiubere, ac præstare. Leges tu, si voles, cum voluptate.

Et diligentius exposuerunt ei viam Domini.] Priscilla quoque mulier, sed priuatim; nec enim *ei docere permittit Paulus*[c]; simul tamen mulierem ad priuatam illam doctrinam cohortās, illis verbis[d], *Vnde scis mulier, si virum saluum facies?* Inter præcepta connubialia quædam sunt apud Plutarchum de silentio mulieris, & ne foras prodeat, & vt viro obediat[e]. Nam

Γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ πολλοῦ φέρει[f].
Decus addit vsque fœminis silentium.
Μῦθος δ' ἄνδρεσσι μελήσει[g].
Fueritque viris oratio curæ.

Mulier sensata, & tacita, inquit Sapiens[h], *non est immutatio erudita animæ.* Alioqui, quod & alibi monere memini[i], monéntque Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, prætereà Hieronymus, Primasius, Sedulius, Thomas, & alij in priorem ad Timotheum[k], vel hoc etiam exemplo Priscillæ, non est interdictum præcisè mulieribus priuatim docere, ac instruere.

Vult quoque Apostolus[l], vt *anus prudentiam doceant adolescentulas.* Salomonem item *tenerum filium mater erudiuit*[m].

Plenæque sunt huiusmodi exemplorum historiæ, videlicet matrum, quæ honestè, piéque liberos instituendo, meruerunt, vt bis eorum matres meritò dicerentur: quo in genere illustrissima est Augustini mater Monica, & Blanca Ludouici Regis Sancti, vt omittā institutricē iunioris Theodosij Pulcheriam, & Nazianzeni matrem, quæ, vt ipse testatur[n], *viro suo in diuinis, & ad pietatem, ac optima quaque exhibenda, tam opere, quàm sermone ductricem, rectricem, ac propemodùm doctricem se exhibuit, quod est*, inquit, *admiratione dignum, sed plus admirandum, quòd vir tantus ab ea vltro doceri voluerit.*

Apollo autem tantus vir, fœminæ institutionem non erubuit, ab eáque non illibens didicit: singulare ipse modestiæ præbens exemplum, & necessarium edens documentum, doceri quiuis à quouis se vt patiatur, & verò etiam velit; ac studeat. Si quando accidat, vt iudicio Domini, & populorum suffragio, in Sacerdotium, siue Episcopatum eligantur simplices, hoc est, indocti, saltem illud habeant, vt præcipit Hieronymus[o], *vt postquàm Sacerdotes fuerint ordinati, discant legem* DEI, *vt possint docere quod didicerint, & augeant scientiam magis, quàm opes, & non erubescant à laicis discere, qui nouerint ea, quæ ad officium pertinent Sacerdotum: magisque noctes, & dies in Scripturarum tractatu, quàm in ratiocinijs, & supputatione consumant.*

Non vrgeo nunc discendi sedulitatem, in qua insenescendum docuit Solon, toties Platoni[p], atque Ciceroni[q] hoc nomine laudatus, cùm diceret:

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.
Quotidiè addiscens plurima, fio senex.

Qua de re etiam Valerius Maximus[r], & Seneca[s], ac de seipso Augustinus[t], & Hieronymus[u], éstque priori affine apophthegma Pomponij Iurisconsulti, seu Iuliani apud ipsum: *Ego discendi cupiditate, quam solam discendi rationem optimam in 78. ætatis annum duxi, memor sum huius sententiæ, quam dixisse fertur Iulianus*[x]: *Etsi alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc addiscere quædam vellem.* Hoc inculco, & premo sine delectu discendum à quocunque, qui docere possit, ita vt non pudeat discere, vt ait Basilius[y], &, quod obseruat idē Hieronymus[z], in verbis illis Apostoli[a], *Si alij*, nimirum cuiuis; *ac sine delectu fuerit reuelatū sedēti, prior taceat.*

Reprehendit pessimam Hieronymus in quibusdam Ecclesiis consuetudinē, *vt præsentibus Episcopis Presbyteri non sinerentur loqui, quasi illi aut inuiderent, aut non dignarentur audire.*

Is cùm alibi[b] acerbè insectatur eos, *qui discant à fœminis, quod viros doceant*, intelligit, vel quando alij suppetunt Doctores, vel cùm Scripturarum obscurarum, & difficilium fœminæ profitentur interpretationem.

In huiusmodi quoque fœminas inuehitur in alia epistola[c], cuiusmodi fuerunt hæreticæ nonnullæ pseudoprophetissæ, quas aliquando commemorauimus[d]: & tales forsan fatidicæ, ac rhetoricæ Diotima, atque Aspasia, quibus magistris vti Socrates non dubitauit, vt est apud Platonem[e]. At Priscilla pia fœmina erat, & viam Domini docebat, non profitebatur magis exquisitam Scripturarum expositionem. Quanquàm non constat, an hæc docuerit, potéstque consistere sententia, quamuis Aquila solus id fecerit. Extat Romæ Aquilæ & Priscillæ titulus (aliàs quoque Priscæ) vbi creduntur vtriusque condita corpora. Illum titulū Cardinalis Iustinianus penè collapsum restituit, exornauítq; huius seculi sexcentesimi anno primo Iubilęo; qua illi in re, alijsque Cardinalibus optimus Pontifex Clemens VIII. præiuit exēplo.

Versus 27.] **Cùm autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt Discipulis vt susciperent eum. Qui cùm venisset, contulit multùm his, qui crediderant.**

EXHORTATI *fratres.*] Syrus, חשפוי אחא *echattepuhi ache*, id est, *Prævenerunt eum fratres*, προτρεψάμενοι. Longè meliùs Interpres. Quamuis enim prima verbi Græci significatio sit illa, anteuertere, propellere, &c. non minùs tamen inde deducta frequens est, prouocare, inuitare, hortari. Vnde λόγος προτρεπτικὸς, *oratio exhortatoria*, seu *suasoria*, & apud Rhetores προτρεπτικὴ στάσις, aut προτρεπτικὴ, *exhortatiuus, & suasorius status.*

Est & quoddam epistolare genus προτρεπτικὸν, ad quod spectat epistola hæc scripta à fratribus Aquila, & Priscilla, alijsque Ephesiis ad Corinthios, quos magnum in modum exhortabantur, vt susciperent Apollo. Nec enim rectè Carthusiani cohæret expositio, vt sint exhortati fratres, vel ab eo, vel ipsi illum, vt in bono cœpto persisteret. De literis commendatitiis dixi capite decimo quinto.

Vt susciperent eum.] Non quasi timor Corin-

thiis

a capite 16. *Quemadmodum reprehensus sit ab eodem.*
b lib. 1. singular. cap. 7.
c 1. Cor. 14. 34. 35. & 1. Timo. 2. 12.
d 1. Cor. 7. 16.
e maximè 31. 32. 33. 34.
f Sophocl. in Aiace.
g Home. non semel.
h Eccl. 26. 18.
i capite 2.
k cap. 2. *Mulieri priuatim non est interdictum docere.*
l Tit. 2. 4.
m Prou. 1. 8. c. 4. 4. c. 6. 20. c. 31. 1.
Exempla matrum, quæ pie liberos erudierint.
n in funere patris.
Apollo modestia declaratur.
o in c. 2. Aggæi. *Sacerdotes simplices & imperiti Dei legem discant. Discendi studium commendatur.*
p in Lachete, in Dialo. de Philosophia, in 7. de Republ.
q in Catone maiore.
r de studio.
s epist. 76.
t ep. 1. & 7.
u ep. 2. ad Nepotia.
x lib. 40. ff. de fideicōmiss. libert. L. apud Iulianum. *Quousque sit discendum, ab quocunque docente.*
y ep. 1. & con. 6. de instit. & admon.
z supra.
a 1. Corin. 14. 30.
Quando mulieres à viris docendæ.
b epist. 101. ad Paulinum.
A quibus fœminis docendum non sit.
c epi. ad Demetriadem.
d cap. 5.
e in conuiuio, & in Menexeno.
Epistola exhortatoria.

thiis pellendus fuerit, vt voluit Glossa interlinearis, & Hugo, quòd Apollo esset Iudæus; sed vt vtilem fratrem hilarè, & liberaliter exciperent. Gradus habet Christiana charitas, & merita cuiusque respicit, magísque, aut minùs aliquem vel æstimat, vel commendat.

Charitas Christiana gradus habet.

Contulit multùm his, qui crediderant.] Addit textus Græcus, *διὰ τῆς χάριτος. per gratiam*, & meminit Glossa ordin. ac Beda, hæc verba in quibusdam codicibus Latinis esse; quæ verba Syrus nectit cum verbis *συνεβάλετο πολὺ*, dicens: עדר סגי ביד טיבותא לכלוהן כהי מנא *bhaddar segghi beiad taebutha lechullehun mehaie mene*, id est, *adiuuit multum per manum gratiæ, seu, per gratiam omnes fideles.*

B Caietanus gratiam intelligens de facundia, & doctrina in Scripturis, quam habebat Apollo, præfert eundem sensum illi alteri, quòd *diuini muneris fuerit, vt nondum baptizatus, multùm contulerit iis*, qui crediderant in Achaia. Vatablus præter hunc, alium affert, vt profuerit iis, qui gratia DEI crediderant Euangelio. Mihi quoque è duobus illis, quos posuit Caietanus, placet posterior magis. Nec inbaptizatum, Baptismo videlicet CHRISTI, perdurasse ad hoc vsque tempus Apollo credibile est.

Apollo fuit baptizatus cùm venit Corinthum.

Quòd autem Apollo multùm Achaicis, Corinthiisque contulerit, argumento est, quoniam quidam ex illis dicebant *se esse Apollo*, gloriantes eo tanquàm doctore, & auctore sectæ [a]. Id vt C Paulus euerteret, negauit quemquam *in nomine alterius baptizatum esse, quàm* CHRISTI, *vel mortuum pro omnibus alium, quàm* CHRISTVM [b]; *& se quidem* ait *plantasse, Apollo rigasse*, CHRISTVM *autem incrementum dedisse: cuius ipsi ministri sint, & cuius comparatione nihil sint: sed vnum, idémque in* CHRISTO [c], *à quo iuuantur, & quem vt scopum sibi proponunt*, vt bene exponit Nouatianus [d].

Apollo quanta apud Corinthios auctoritate fuerit.

a 1. Cor. 1. 4. c. 1. 12.
b 1. Cor. 1. 13.

Sedulius *plantationem tributam Paulo* docet, *quia prior fidem tradidit: rigationem Apollo, quoniam vel baptizauit, vel traditam à Paulo fidem sua doctrina, &* A *eloquentia illustrauit*, ac veluti fœcundauit, seu, vt ait Theophylactus, qui tamen monet sub his nominibus prudenter ab Apostolo sedari schismata Corinthiorum, non quòd isti illorum, vt auctorum suorum nomina vsurparent, *haudquaquam permisit iactum à Paulo semen improbi hostis tentationum vredine, æstúque exarescere.* Eloquentia cum imbre, & aqua solet comparari. Apollo autem, vt vidimus, eloquens erat: eò igitur Paulus per verbum rigandi voluit alludere, vt etiam notat Anselmus; sed Apostolus eloquentiam sibi decesse fassus est [e].

c 1. Cor. 3. 5. & seq.
d lib. de Trinit. c. 21. in ter opera Tertulliani.
Cur Paulus plantasse, Apollo rigasse dictus sit.

e 2. Cor. 11. 6

B *Versus* 28.] Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, ostendens per Scripturas, esse CHRISTVM IESVM.

VEHEMENTER *enim Iudæos.*] Εὐτόνως, omnibus neruis, intensè, acriter, summo studio & contentione, intenta, ac sonora, & libera voce, audacter, & cetera.

Reuincebat.] Meliùs quàm Syrus, דרש הוא *darasch haua*, id est, *disputans erat*; vel, *disceptabat*; id namque importat τὸ διακατηλέγχετο, quasi dicat; *Iudæos argumento concludebat ex ipsorúmet principiis*, videlicet ex Scripturis, quod argumenti genus à C Dialecticis ἔλεγχος nominatur, & à Rhetoricis [f], *& ad oppositorum admissionem perducit.*

f Aristot. in Rhetor ad Alexandrum c. 13. & l. 1. Rhetori. ad Theod. c. 9. & li. 2 ca. 24. 1. Elenchor. cap. 8. & hinc inde duobus libris Elenchorum.

Publicè.] Beda, in Græco, inquit, ita scriptum est, *publicè, & per domos*, quod est optimi Doctoris, ita docere multos generaliter, vt & singulos viriliter exhortari non desistat. Nullum codicem reperi, qui hoc modo legat: non dubito tamen quin duas illas optimi Doctoris partes Apollo sit executus. Si esset Apollo idem qui Apelles, qua de re prius egimus, huius laus eximia poneretur à Paulo, cùm cognominat *probum in* CHRISTO [g], *δόκιμον, in re Euangelica bene probatum, nullo modo corruptum*, Syriacè, גביא *gabia*, id est, *electum*.

g Rom. vlt. 10.

Digitized by Google

CAPVT DECIMVM-NONVM.

SVMMARIVM.

Reuerſus Epheſum Paulus, Ioannis tantùm baptizatos Baptiſmo, baptizat Baptiſmo CHRISTI *: ſuper quos poſt impoſitionem manuum* SPIRITVS *ſanctus deſcendit. Ibi per menſes tres, in Synagoga, per biennium in ſchola cuiuſdam Tyranni, ſigna quoque faciens, diſputat. Dum verò Sceuæ Principis Sacerdotum filij dæmonia tentant eiicere, vulnerantur à dæmoniaco, quæ fuit pleriſque cauſa, vt artem maleficam abiurantes, libros ſuperſtitioſos concremarent. Demetrius tandem argentarius faber, ſeditionem commouet in Apoſtolum, quam Alexander, ægrè licèt, compeſcit.*

1 FActvm eſt autem, A
cùm Apollo eſſet
Corinthi, vt Paulus
peragratis ſuperio-
ribus partibus veni-
ret Epheſum, &
inueniret quoſdam
Diſcipulos:
2 Dixitque ad eos: Si Spiritvm ſan-
ctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt
ad eum: Sed neque ſi Spiritvs ſanctus
eſt, audiuimus.
3 Ille verò ait: In quo ergo baptizati eſtis?
Qui dixerunt: In Ioannis Baptiſmate. B
4 Dixit autem Paulus: Ioannes baptiza-
uit Baptiſmo pœnitētiæ populum, dicens:
In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt
crederent, hoc eſt, in Iesvm.
5 His auditis, baptizati ſunt in nomine
Domini Iesv.
6 Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus,
venit Spiritvs ſanctus ſuper eos, & lo-
quebantur linguis, & prophetabant.
7 Erant autem omnes viri ferè duo-
decim. C
8 Introgreſſus autem Synagogam, cum
fiducia loquebatur per tres menſes, diſpu-
tans, & ſuadens de regno Dei.
9 Cùm autem quidam indurarentur, &
non crederent, maledicentes viam Do-
mini coram multitudine, diſcedens ab eis,
ſegregauit Diſcipulos, quotidiè diſputans
in ſchola Tyranni cuiuſdam.
10 Hoc autem factum eſt per biennium,
ita vt omnes, qui habitabant in Aſia, audi-
rent verbum Domini, Iudæi atque Gen-
tiles.
11 Virtutéſque non quaſlibet faciebat
Devs per manum Pauli:
12 Ita vt etiam ſuper languidos deferren-
tur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia,
& recedebant ab eis languores, & ſpiritus
nequam egrediebantur.
13 Tentauerunt autem quidam & de cir-
cumeuntibus Iudæis exorciſtis, inuocare
ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, no-
men Domini Iesv, dicentes: Adiuro vos
per Iesvm, quem Paulus prædicat.
14 Erant autem quidam Iudæi Sceuæ
Principis ſacerdotum ſeptem filij, qui hoc
faciebant.
15 Reſpondens autem ſpiritus nequam,
dixit eis: Iesvm noui, & Paulum ſcio: vos
autem qui eſtis?
16 Et inſiliens in eos homo, in quo erat
dæmonium peſſimum, & dominatus am-
borum, inualuit contra eos, ita vt nudi, &
vulnerati effugerent de domo illa.
17 Hoc autem notum factum eſt omni-
bus Iudæis, atque Gentilibus, qui habita-
bant Epheſi: & cecidit timor ſuper omnes
illos, & magnificabatur nomen Domini
Iesv.
18 Multique credentium veniebant con-
fitentes, & annunciantes actus ſuos.
19 Multi autem ex eis, qui fuerant curio-
ſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſe-
runt coram omnibus: & computatis pre-
tiis illorum, inuenerunt pecuniam dena-
riorum quinquaginta millium.
20 Ita fortiter creſcebat verbum Dei, &
confirmabatur.
21 His autem expletis, propoſuit Paulus
in Spiritv, trāſita Macedonia & Achaia,

ire Ieroſ-

ire Ierosolymam, dicens: Quoniam postquàm fuero ibi, oportet me & Romam videre.

22 Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum, & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.

23 Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini.

24 Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum.

25 Quos conuocans, & eos, qui huiusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio:

26 Et videtis, & auditis quia non solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ, Paulus hic suadens auertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dij, qui manibus fiunt.

27 Non solùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia, & orbis colit.

28 His auditis, repleti sunt ira, & exclamauerunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum.

29 Et impleta est ciuitas cõfusione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio, & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.

30 Paulo autem volente intrare ad populum, non permiserunt Discipuli.

31 Quidam autem & de Asiæ Principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum:

32 Alij autem aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa: & plures nesciebant qua ex causa conuenissent.

33 De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem, manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo.

34 Quem vt cognouerunt Iudæum esse, vox facta vna est omnium, quasi per horas duas, clamantium: Magna Diana Ephesiorum.

35 Et cùm sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesij, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Iouísque prolis?

36 Cùm ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temerè agere.

37 Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemãtes Deam vestram.

38 Quòd si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habẽt aduersùs aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & Proconsu-

A les sunt, accusent inuicem.

39 Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima Ecclesia poterit absolui.

40 Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cùm nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et cùm hæc dixisset, dimisit Ecclesiã.

Versus I.] Factum est autem, cùm Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum,

B & inueniret quosdam Discipulos.

ERAGRATIS *superioribus partibus.*] Galatia, & Phrygia, post reditum ex Ierusalem in Antiochiam Syriæ, vbi aliquãto tempore moram fecit, sicut priore capite dictum est.

Veniret Ephesum.] Quemadmodum promiserat: ibi námque propter temporis breuitatem, nihil de IESV apertè exposuerat; sed solùm in genere disseruerat de communi salute, ex Scripturis.

C *Quosdam Discipulos.*] Cùm nulli antè Discipuli fuisse memorentur in ea ciuitate, non caret probabilitate sententia Caietani, hos fuisse ab Apollo conuersos (quod etiam ponit Hugo) de quo narrauit Lucas capite superiore, quòd *solùm Ioannis Baptismum ipse sciebat*, quasi hinc sequatur, ideò dictos *Discipulos*, *solùm etiam Ioannis Baptismum accepisse ab eodem Apollo.*

Hi cur Discipuli sint dicti, cùm nondum essent baptizati.

Ceterùm obstat, quoniam Apollo iam erat edoctus viam DEI diligentiùs Ephesi ab Aquila, & Priscilla, & ab his quoque fortasse CHRISTI Baptismo initiatus, vt etiam dictũ est cum Chrysostomo, & Oecumenio. Certè non esset passus

D deesse tam necessarium Sacramentum, aut saltem doctrinam de ipsius necessitate illis, quos priùs imperfectè instituisset. Deinde Ioannis Baptismum præter Ioannem ipsum, nemo conferebat, vt docet Cyrillus Alexandrinus [a], & innuit Augustinus [b], dum reddit causam, quare vocatus sit ille Baptismus, *Baptismus Ioannis*. Fauet prætereà scopus huius Baptismi, qui erat, vt à Præcursore manifestaretur MESSIAS, & illo modo viam ipsi præpararet Præcursor, quo Præcursoris munere, sicut & nomine, nullum, præter Ioannem, functum, præditúmve legimus. Ipsemet Ioannes de seipso loquens, tanquàm qui vnus, ac singulariter baptizandi præceptum accepisset, inquit [c], *Qui me misit baptizare, ille mihi dixit*, &c. Propterea etiam dicitur, *Baptismi gratia venisse multos ad il-*

E *lum in Ænon iuxta Salim, vbi erant aquæ multæ, quia nondum missus fuerat in carcerem* [d]. Si enim per Discipulos quoque Ioannis Baptismus dabatur, non obstitissent vincula Ioannis. Denique habemus expressum, quòd CHRISTVS *non baptizabat ipse*, videlicet per seipsum, ac ordinariè, *sed Discipuli eius* [e]: Ioannem autem absolutè baptizasse vbique dicitur; de Discipulis nusquàm.

Ipsi non fuerunt ab Apollo edocti.

a 2. in Ioan. c. 57.

b Tract. 5. in Ioan. & 5 de Baptismo. ca. 11.

Ioannes solus baptizauit suo Baptismo.

c Ioan. 1. 33.

d Ioan. 3. 23.

e Ioan. 4. 2.

Hoc illud est, quod priùs Augustinum innuisse dixi, immò & perspicuè docuisse, quod fecit citatus quoque Cyrillus, ac insuper Ammonius in Ioannem [f], ideò CHRISTVM non per se, sed per Discipulos baptizasse (improbabilis enim opinio est, ante mortem CHRISTI baptizasse tantùm

f in cap. 3.

Discipulos eius Baptismo Ioannis) vt intelligeremus illum CHRISTI Baptismum à quocunque daretur, CHRISTI fuisse, quia CHRISTI auctoritate, & nomine, non autem illum, quem vsurpabat Ioannes: quoniam licèt diuino iussu, tamen suo ipsius nomine, atque auctoritate Præcursoris, quam propriam sibi habebat, sine facultate subdelegandi.

Christi Baptismus à quocunque collatus est, nō autem Ioannis.

Quare hi non erant Discipuli tunc primùm ab Apollo conuersi, ac multò minùs per eundem solo Ioannis Baptismo baptizati. Communis opinio est, à Ioanne baptizatos esse, vt constabit ex Auctoribus, qui posteà producentur, & nominatim id tradidit Historia Scholastica. Hermas Letmatius [a] quæstionem sequentem propositam ipsi etiam Apollo à Paulo affirmat. Hoc Lucas non scribit, immò planè significat, cùm Paulus Ephesum rediit, Apollo fuisse Corinthi.

A Ioanne fuerunt baptizati.

a lib. 5. de instaura. relig. c. 7.

Versus 2.] Si SPIRITVM sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si SPIRITVS sanctus est, audiuimus.

SI SPIRITVM *sanctum.*] De vsu particulæ *si*, ad interrogationes, dixi capite 1. [b] Quia verò in priore suo ad illam ciuitatem aduentu, non licuerat Paulo cum Discipulis agere, & hi fortè superuenerant, nec Ephesi alius Episcopali præditus dignitate fuerat, qui, quod Episcoporum proprium est, vt & capite VIII. demonstrauimus exemplo Petri, & Ioannis, cùm ad Samaritanos, quos baptizauerat Philippus, missi sunt, SPIRITVM sanctum conferre per manuum impositionem potuisset: propterea meritò suspicatus est, interrogauitque, vtrùm SPIRITVM sanctum accepissent credentes, πιστεύσαντες, hoc est, *postquàm crediderant* (vt rectè hoc participium resoluit Syrus interpres dicens, מן דהימנתון *men dehaimenthun*, id est, *ex quo credidistis*, necnon Hieronymus [c]) & nolens eos, qui Fidei Sacramentum, nempe Baptismum, acceperant, esse tanto priuatos dono, paratúsque id ipsis largiri. Non itaque sanctificantem intelligit Apostolus, hoc est, sanctificationis in Baptismo collatum spiritum, sed SPIRITVS sancti donum, quod visibiliter dabatur fidelibus, & iam nobis inuisibiliter per Sacramentum Confirmationis: quemadmodum etiam docent quæ sequuntur.

b vers. 6.

c cont. Luciferia.

Sacramentum Confirmationis hic confirmatur.

Neque vt exploret horum fidem sciscitatur de potissimo articulo SPIRITVS sancti: cur enim non potiùs de TRINITATE, vel Incarnatione? Solùm id voluit, quod dixi. Sequitur hanc expositionem Glossa interlinearis, & Lyranus. Hugo autem intellexit quæstionem de Spiritu sanctificante, qui datur in Baptismo CHRISTI, quamuis expositionem aliam non respuat.

Sed neque si SPIRITVS *sanctus est, audiuimus.*] Hinc sequitur, Ioannem in suo Baptismate, quo se isti baptizatos paulò pòst dicunt, non baptizasse sub inuocatione TRINITATIS, illáque forma: *Ego te baptizo in nomine* PATRIS, *&* FILII, *&* SPIRITVS *sancti.*

Ioannes non baptizauit in forma Christi.

Quo fit, vt sit aperta hæresis, contra quam inter alios disputant Canisius [d], & Bellarminus [e], eundem esse Ioannis, & CHRISTI Baptismum, cùm essentialis Baptismi CHRISTI sit dicta forma. Profectò TRINITATIS fides non proponebatur à Ioanne, ac nescio vtrùm omninò explicitè credita sit etiam ab omnibus Apostolis ante mortem CHRISTI. Nec dabat Baptismus Ioannis SPIRITVM sanctum, ac proinde inuocatione ipsius opus non erat. Postremò, *Ioannes dedit aquam sine nomine* TRINITATIS, inquit Augustinus [f], *sicut ipse professus est, dicens: Ego baptizo vos in aqua* [g], *&c.*

d de corrup. ver. Dei. c. 9.
e de Baptismo. cap. 19. & seq.

Trinitatis fides explicita non fuit habita ante Christi mortem.

f lib. 2. cont. lit. Petilian. c. 32.

g Ioan. 1. 26.

Magna ergo sunt impudentia Centuriatores [h], dum comminiscuntur *Ioannem baptizasse in nomine* PATRIS, *&* FILII, *&* SPIRITVS *sancti.* Est item *irrationabilis penitus opinio*, vt eam vocat B. Thomas [i], *gratiam sanctificantem datam iis, qui baptizati à Ioanne, spem non ponebant in eo Baptismo, & notitiam habebant de* SPIRITV *sancto*: ac proinde non eguisse CHRISTI Baptismo. Illam opinionem sequitur Magister [k], Hieronymus [l] ait esse peruersum dogma, quod sit idem vterque Baptismus, & damnatur in Concilio Tridentino [m], Fauet Anabaptistis qui hos Discipulos concedit à Ioanne baptizatos, & iterum Baptismo, qui ab illo priore non differret: & Cyprianus [n] hinc ansam sumpsit opinandi, ab Hæreticis baptizatos rebaptizandos. Carthusianus meritò refellit eos, qui ita sentiunt, istos ignorasse SPIRITVM sanctum duntaxat, quòd daretur signo visibili, sicut in Pentecoste datus erat: ceterùm non nescisse, immò etiam credidisse mysterium TRINITATIS.

h Centur. 1. lib. 2. c. 6. col. 496.

i 3. p. q. 38. art. vlt.

k 4. dist. 2.
l contra Luciferianos. *Baptismus Ioannis, & Christi non est idem.*
m Sess. 7. can. 1. de Baptismo.
n epist. 71. ad Iubaianum.

Quàm verendum est, ne multi hodiè pneumatomachi non ignorent modò, sed *contristent etiam* SPIRITVM [o], ac *extinguant* [p], *eique vehementer resistant* [q] *animales homines*, SPIRITVM *non habentes* [r], *nec quæ* SPIRITVS *sunt, percipientes* [s], & *cùm stultitia sit ipsis, non valentes intelligere* [t]: *sed neque eundem accipere, quia non vident eum, nec sciunt eum* [u]. His si in doctrina SPIRITVS loquaris, *& veluti spiritualibus spiritualia* [x] *compares*, illicò respondebunt: *sed neque si* SPIRITVS *sanctus est, audiuimus*, hoc est, non obediuimus. *Etsi enim fateantur se nosse & credere, factis tamen negant* [y], cùm quotquot peccatis quibuslibet mortalibus obstricti sunt, atque ita *Spiritui gratiæ contumeliam faciunt* [z], tum ij maximè, qui propriè peccant in SPIRITVM sanctum; de quo peccato, cuiusmodi sit, alibi declarauimus [a].

Pneumatomachi hodierni qui maximè sint.
o Ephes. 4. 30.
p 1. Thess. 5. 19.
q Act. 7. 51.
r epist. Iude. v. 19.
s 1. Cor. 2. 14.
t ibidem.
u Ioan. 14. 17.

x 1. Cor. 2. 13.

y Tit. 1. 16.

z Hebr. 10. 29.

a cap. 7. 51.

Versus 3.] Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis Baptismate.

IN *quo ergo.*] εἰς τί, *in quid*, prout quoque Syrus reddit, ובמנא *vabbemana*, id est, *in quem*; vel, *in quid*, & Vatablus. Sed non variat sensum varia præpositio εἰς, vel ἐν, iuncta variis casibus, vt memini aliàs dicere. Hæc est autem vis argumenti quod colligit Apostolus: Si baptizati essetis Baptismo CHRISTI, de SPIRITV sancto notionem aliquam haberetis, quoniam Baptismi forma est, *In nomine* PATRIS, *&* FILII, *&* SPIRITVS *sancti*: neque tamdiu dilata esset collatio illa SPIRITVS sancti fieri solita post Baptismum, quem etiam SPIRITVM si accepissetis, illum non ignoraretis.

Inepta est Hæreticorum interpretatio [b], velle Paulum obiicere, in qua sint doctrina instituti. Quis ferat, vt Baptismus idem sit, quod doctrina; baptizare, quod docere? Alioqui desinat oportet Ioannes cognominari *Baptista*. Sed, vt clariùs loquamur, vocemus *Doctorem*, atque *Prædicatorem*. Nollent scilicet iidem Hæretici Disci-

Inepta hæreticorum interpretatio.
b Zuinglij, de vera & falsa relig. c. de Baptism. & in c. 1. Marci. Buceri, in c. 3. Matth. Bullingeri, hoc loco.

pulos

pulos istos Ephesinos Ioannis baptizatos Baptismo, ne cogantur discrimen agnoscere inter hunc, & CHRISTI Baptismum, cuius forma continet expressam trium Personarum inuocationem. Atqui cùm posteà subditur, illos *his auditis* (quæ nimirum docuerat Paulus de differentia vtriusque Baptismi) *baptizatos esse in nomine Domini* IESV, apertè distinguitur doctrina à Baptismo, nisi ridiculam prorsus ταυτολογίαν admittamus. Et qui docuit eos Paulus, baptizasset, si baptizare est docere; cùm tamen is solus imposuisse manus narretur, postquàm baptizati sunt. Ostendimus in capite primo [a], quàm latè discrepent duo hi Baptismi; & quædã huic loco accommodata disputauimus.

Confutantur.

a vers. 5.

B Quòd autem Discipuli isti Ioannis iam Baptismum suscepissent, contra Centuriatores [b], & Bullingerum [c], & Bucerum [d], præter præsentis loci Interpretes, docuit quoque Origenes [e], Tertullianus [f], Hieronymus [g], & Ambrosius [h], licèt hic, quia Ioannis Baptismum credidit esse Sacramentum, ait, *in illis posteà non esse iteratum, sed nouatum*, hoc est, nouum accepisse Sacramentum. Illa enim duo Baptismata non semel distinguit [i], sicut & alij Patres permulti. Augustinus [k] item cùm respondet iis, *qui hoc exemplo inferebant ab Hæreticis baptizatos esse rebaptizandos*, supponit bis baptizatos Ephesinos istos, primùm Ioannis, iterum CHRISTI Baptismo. Excipit verò, *non Hæreticum, aut Schismaticum Ioannem fuisse*; verùm *illis hominibus quod deerat, datum, non quod inerat, improbatum,*
C *siue mentiti fuerint*, inquit, *se habere Ioannis Baptismum, sicut nonnulli arbitrantur, siue quia Baptismus Ioannis non erat Baptismus* CHRISTI; *sed tamen militans* CHRISTO, *sicut legis vetera Sacramenta, præcursorio quodã, & præfiguratorio fungebantur officio.*

b Centur. 1. lib. 2. col. 154.
c in hoc loco.
d in ca. 3. Matt.
e Tom. 8. in Ioan.
f lib. de Bapt. cap. 10.
g in c. 2. Ioël. & ep. 150. q. 2. & cont. Luciferian.
h li. 1. de Spir. sanct. ca. 3. & 7. & in c. 1. ep. ad Gal.
i in ca. 3. Luc. præf. in Ps. 17. Ser. 16. in Psa. 118.
k lib. de vnico Baptis. c. 7. & tract. 5. in Ioan. 2. cont. lit. Petil. c. 12. & 37. & 5. de Bapt. cap. 9.

Eadem est Eucherij [l] sententia de re vtraque, tum Discipulos Ioannis Baptismo tinctos, tum ab Hæreticis baptizatos non rebaptizari, si constet in nomine TRINITATIS Baptismum suscepisse. Optatus [m] docet hos baptizatos esse Baptismo Ioannis post iam promulgatam legem de Baptismo CHRISTI, cùm, introducto Baptismo domini, exclusus fuerat Baptismus serui, & ideò tunc in
D sacramento errasse, non illos, qui fuerant sic anteà baptizati. Catholici potiùs colligunt ex his Pauli verbis in essentiali forma Baptismi exprimendas esse tres Personas TRINITATIS. Constat enim, nunquàm datum Baptismum in nomine solius SPIRITVS sancti: ac proinde fit, vt ille cum aliis duabus Personis sit expressus. Præterea certum est, etiam non baptizasse Ioannem in nomine TRINITATIS, vt præter citatos, docet Hugo Victorinus [n]. Tandem sequitur, candidato Baptismi, omníque Christiano esse necessariam fidem explicitam TRINITATIS. Videtur enim Paulus ex ignoratione SPIRITVS sancti, & consequenter TRINITATIS, argumentari negationem Baptismi Christiani.

l in quæ. noui Testam. q. vlt. ex Actis.

m lib. 5.

n 2. de Sacrament. p. 6. c. 6.

Ex ignoratione S. Trinitatis colligitur negatio Baptismi.

E Præterquàm quòd non potest Incarnatio explicitè credi, prout debet, absque fide TRINITATIS distincta. Et, vt omittam Scholasticos, quorum est longè communior ista sententia, Cyrillus Alexandrinus [o] disertè docet, non sufficere cognitionem DEI absque cognitione PATRIS & FILII, & SPIRITVS sancti.

Incarnatio non potest cognosci sine fide S. Trinitatis.

o libro 11. in Ioan. cap. 16.

In Ioannis Baptismate.] Εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, *In Ioannis Baptisma*, quod perinde est, ac *In Ioannis Baptismate*. Non de doctrina Ioannis loquuntur, vt diximus, neque mentiti sunt, cùm se Baptismum illius habuisse responderunt.

A *Versus* 4.] Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in IESVM.

IOANNES *baptizauit*.] Ιωάννης μὲν. Quam particulam *quidem*, Syrus etiam reddidit, de qua versu sequenti contra Bezam.

Baptismo pœnitentiæ.] Cur Ioannis Baptismus ita sit appellatus, lege caput primum [p].

p vers. 5.

Populum, dicens.] Τῷ λαῷ λέγων, *Populo dicens.*
B Quo etiam pacto vertit Vatablus, & Clarius. Syrus autem consentit cum nostra editione, ponens tamen *populos* in plurali: sic enim habet, יוחנן אעמד מעמודיתא דתיבותא לעממא *iuchannan abhamad mahhabuditha datheiabutha lebhammeme*, id est, *Ioannes baptizauit Baptismo pœnitentiæ populos.* Et quidam codices Græci addunt, παντί. Sensus quidem non discrepat, vt Ioannes baptizasse dicatur populum, cùm diceret populo, id est, institueret eum, &c. Fauet nihilominùs paulò meliùs lectio Græca veriori sententiæ, de qua mox agemus, nullam certam Ioannem in Baptismo suo verborum formam adhibuisse.

In eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in IESVM.] Ioannes sub hac forma verbo-
C rum baptizauit, inquit Carthusianus: *Ego te baptizo in nomine venturi*, videlicet CHRISTI. Indicat idem Cardinalis Hugo, & Beda: fauéntque alter Hugo Victorinus [q], Ambrosius item [r], & Hieronymus [s], & Augustinus [t], atque Magister Sententiarum [u], cum Bonauentura [x], Marsilio, Paludano [y], necnon Halensis [z], & S. Thomas [a], & alij, quos citat, & sequitur Enriquez [b].

Ioannes sub qua forma baptizauerit.

q 2. de Sacrament. p. 6. c. 6.
r 1. de Spiritu sancto c. 7.
s in c. 2. Ioël.
t in qu. noui Testam. q. 29.
u 4. dist. 2.

Sed videtur hoc proprium Sacramentorum nouæ Legis, vt pro forma conceptis certis constent verbis, quia exprimere debent, ac designare gratiæ effectum, quem continent; & oportet per verba inuocari, ac applicari diuinam virtutem, quæ in ipsis, vt princeps causa, operatur.

Proprium est nouæ legis sacramentorum certam formam habere.
x ibid. in exposit. lit.
y ibid. dist. 1. quæst. 2 art. 1.
z 4. part. q. 9. memb. 3 a. 1.
a 3. par. qu. 38. art. 6. ad 5.
b 2. de Baptis. cap. 13.
c 4. dist. 2. qu. vnica.

D Nunquid quando CHRISTVM ipsum Ioannes baptizauit, verba hæc edidit: *Ego te baptizo in nomine venturi*? Palacius [c] ait dixisse: *Ego te baptizo in nomine tuo, qui venturus es.* Meliùs omnem formam circa CHRISTVM negant Marsilius, & Paludanus. Atqui sequitur, vel esse ablutum sine vlla forma CHRISTVM, vel, quod est verum, & essentiale Sacramentum, non accepisse: cùm id tamen huiusmodi esse decuerit, vt CHRISTO commodè applicaretur, qui baptizandus erat, vt aquas sanctificaret; vel potiùs Baptismum Ioannis sub nulla vlli forma exhibitum esse: sed in sola aquæ ablutione, quæ ex institutione diuina erat signum quoddam, quo se homines humiliter profitebantur peccatores, atque interna indigentes ablutio-
E ne, & remissione peccatorum, concedenda per futurum CHRISTI perfectiorem Baptismum. Hoc itaque Ioannes cùm baptizaret, admonebat, vt in CHRISTVM crederent venturum, non eo sensu, quo intelligebant Iudæi: venerat enim iam CHRISTVS, & viuebat; sed mox manifestandum, atque baptizaturum in SPIRITV. Lege Suarez [d].

Christus sub nulla forma baptizatus fuit.

d 3. p. disp. 25 sect. 1.

In eum, qui venturus esset post ipsum.] Sensus quidem simplicior est, quem dixi, docuisse Ioannem, vt crederent in eum, qui venturus esset ad prædicandum, & se manifestandum, & baptizandum in SPIRITV: quanquàm eo iam tempore in medio ipsorum versaretur, & venturus quoque esset tum

Quomodo Ioannes Christum venturum prædicauerit, cum iam aduenisset.

ad mor

ad mortem,tum olim ad iudicium.

Christi quasi proprium nomẽ est. Venturus.
a Matth.11.3. Luc.7.19.Habac.2.4.Psal.117.26.Ioan.1.27.c.6.14.
b Gen.49.12. Exo.4.13.
c Gen.49.10.
Nomen silon quam vim habeat.

Verumtamen CHRISTI quædam deſcriptio eſt, vt nominetur ὁ ἐρχόμενος [a], ὁ μέλλων ἔρχεσθαι, *veniens*, aut *venturus*, שלוח *ſiloah*, aut שילה *ſiloh*, *miſſus*, & *mittendus* [b], *expectatus*, & *expectatio* [c].

Is qui ſingulariter promiſſus eſt, ſingulariter etiam fuit expectatus, & miſſus, & tandem venit, & ſecum attulit abundantiam pacis: quod quidam ſignificari volunt per שילה *ſiloh*, verúſque extitit *Filius eius*, nempe tum DEI, qui miſit, tum mulieris, ex qua carnem ſumpſit (eam enim quoque voci שילה *ſiloh*, ſignificationem aſſignant) & demùm iſtam, *quod illi*, aut, *cui illi*, quaſi dicas, eſſe eum, cui æternum ſceptrum repoſitum eſt, quæ indefinitè Septuaginta [d] appellant, *repoſita ei*, vel, *cui repoſitum eſt*.

d ibidem.

B

Non potuit cæcus natus viſum recuperare, niſi lotus in Siloë, quod interpretatur, *Miſſus* [e]: nec pelli tenebræ ignorantiæ, peccatíque originalis, abſque lauacro inſtituto ab eo, qui dicitur *Miſſus*, eſtque CHRISTVS, vt obſeruant Ambroſius [f], Auguſtinus [g], Sedulius [h], atque in Ioannem Beda, & Rupertus.

e Ioan.9.7.
f epi.76.& 3. de Sacram. c. 2.
g li.50.Hom. in 43.
h li.4.Carm.

In IESVM.] Græcè additur, CHRISTVM, necnon Syriacè, ישוע משיחא *Ieſchuahh meſchicha.*

C

Verſus 5.] His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini IESV.

HIs *auditis.*] Ἀκούσαντες δὲ, *Cùm audiſſent autem*, vbi Interpres omiſit δὲ, ſed ſine vllo præiudicio, vt poſteà oſtendemus.

Docere, & baptizare diuerſa ſunt.

Aliud eſt ergo, doceri, & baptizari, docere, & baptizare, doctrina, & Baptiſmus, vt anteà monui contra Hæreticos, qui ne rebaptizatos fateri cogantur, hos Diſcipulos eodem Baptiſmo, quoniam eundem aſſerunt Ioannis, & CHRISTI, volunt nunc edoctos pleniùs de fide CHRISTI, atque hoc ſolùm pacto baptizatos. Brentius, & Loſſius contendunt, contuliſſe his Paulum non aquæ, quem à Ioanne acceperant, ſed ignis, ſiue SPIRITVS Baptiſmum, qui datus eſt in die Pentecoſtes in nomine IESV CHRISTI.

D

i hoc loco.
Baptiſmus Chriſti is eſt, qui in ipſius nomine confertur.

Conſentit Caluinus [i]. At proculdubiò nunquàm *baptizari in nomine* IESV, quod hîc mox ſubiicitur, de alio Baptiſmo intelligitur, quàm quem CHRISTVS inſtituit, *ex aqua, & SPIRITV ſancto* [k]. Deinde paulò pòſt mentio eſt de impoſitione manuum, cum qua venerit SPIRITVS ſanctus, & linguarum donum.

k vt in c. 2.& 8.& 10.

l hoc loco.
Bezæ interpretatio falſa, & valdè coacta.

Beza [l] verba hæc ait eſſe non Hiſtorici, ſed Pauli, ita vt pergat Paulus dicere, non de Epheſiis, quos alloquebatur; ſed de aliis, qui aliquando Ioannem audiuerant, & ab ipſo baptizati fuerant. Sed diſtorquet iſta interpretatio textum, & aduerſatur, quod ipſe nec negat, nec curat, communi Patrum, & ſui ipſius doctoris Caluini ſententiæ, qui aiunt, hos ipſos Epheſios à Ioanne baptizatos. Vrget particulas μὲν in priorẽ verſu, & δὲ in iſto omiſſas ab Interprete: *Quæ tamen*, inquit, *nectunt eandem orationem Pauli.*

E

Refutatur Beza.

Hoc ſi eſt, igitur baptizauit Ioannes in nomine IESV, quod pridem refutatum eſt, cùm hoc nihil aliud ſit, quàm in Baptiſmo CHRISTI. In capite autem primo [m] docuimus, particulam μὲν ſæpe redundare, aut ad ornatum poni: eadémque ratio eſt particulæ δὲ. Exempla alia ſunt non pauca hoc eodem libro, in quibus Interpres expreſſit, *quidem* [n]. Item δὲ in textu Græco capitis ſecundi [o], quia non habet vim aduerſatiuam, ſed notæ

m verſ.1.
n cap.1.18.ca.1.21.22 c.13.4 c.17.12.30.ca.26.4.9.
o verſ.37.

A

narrationis nouæ, ab Interprete omiſſa eſt. Et in capite quarto [p] poſita eſt abſq; *tamen* præcedente aduerſatiua. Plura Stapletonus [q], & Bellarminus [r], qui huius totius loci hæreticas expoſitiones decem refellit, quæ ex his, quæ diximus, ſatis confutantur: falſúmque eſt quod ait Kemnitius, adeò obſcurum eſſe hunc locum, vt nihil ex eo colligi poſſit.

p verſ.1.& 1.
q hoc loco.
r lib.de Baptiſmo.c.23.

Paulúſne his Diſcipulis baptizauerit.
ſ 2.cont.lit. Petil. cap.37.
t quæſt. in nouum Teſtamen in quæſt.ex Actis.

An Paulus ipſe baptizauerit, non conſtat. Auguſtinus [ſ], & Eucherius [t], & alij ita loqui videntur; ſed fortaſſe duntaxat intelligunt de iuſſione: non enim ille communiter baptizabat. Et nunc baptizaſſe Caietanus negat.

In nomine Domini IESV.] Syrus, בשמא דמרן ישוע משיחא *baſcheme demaran Ieſchuahh meſchicha*, id eſt, *In nomine Domini noſtri* IESV CHRISTI. Nonnulli Græci codices addunt, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *in remiſſionem peccatorum.* Quid ſibi velit baptizari *in nomine* IESV, & an in forma Baptiſmi quandoque hæc ſolùm verba ſint expreſſa, dixi capite ſecundo [u].

u verſ.38.
x Cent.1.lib.2.c.4.tit.de Baptiſmo.

Centuriatores [x], vt etiam paulò antè notaui, cùm velint formam Baptiſmi Ioannis fuiſſe illam ipſam, quæ CHRISTI, hoc eſt, *in nomine* TRINITATIS, exprimendo Perſonas, affirmant quoque Epheſios ideò baptizatos *in nomine Domini* IESV, id eſt, *in Baptiſmo inſtituto à Domino* IESV *cum dicta forma, quoniam non receperant verum Ioannis Baptiſmum, ſed in aliqua corrupta forma.* Idem vehementer contendit Kemnitius. [y]

y contra Cõcil.Trident. in Sacrament. Baptiſmi.

Verſus 6.] Et cùm impoſuiſſet illis manus, venit SPIRITVS ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.

ET *cùm impoſuiſſet illis manus.*] Coniunctio *&*, planè demonſtrat, priorem orationem non Pauli, ſed Lucæ fuiſſe: quod nolebat Beza. Effectus verò hic nouus in impoſitione manuum ſequutus conuincit Caluinum, aliosq;, Baptiſmum, quo baptizari modò Epheſij ſunt, non eſſe illum, qui dicitur *Baptiſmus* SPIRITVS, & datus fuerat aliis in Pentecoſte. Confer hunc cum loco, qui eſt in capite octauo, vbi Samaritanis poſt Baptiſmum, quem nemo dubitat propriè intelligi de eo, qui eſt in aqua, vbi SPIRITVS ſanctus eodem prorſus tenore verborum, quo hîc datus narratur. Eo loco de impoſitione manuum multiplici egimus.

Confirmationis Sacramentum ex hoc loco perſpicuè oſtenditur.

Loquebantur linguis.] Sicut hi, ſuper quos deſcendit SPIRITVS ſanctus in Pentecoſte [z], & Cornelius [a], ac domeſtici eius.

z cap.2.4.
a cap.10.45.46.

Chryſoſtomus ex hoc dono, atque ex Prophetia, quæ ſubiungitur, duo colligit, tum *apertã differentiam à Ioannis Baptiſmo Baptiſmi* CHRISTI, *quia ille hæc non habebat ob imperfectionem; tum perfectè purgari à peccatis, qui Baptiſmum iſtum ſuſcipiunt; quoniam alioqui non accepiſſent* SPIRITVM, *& chariſmata.* Illatio vtraque in ſubiecta materia valdè probabilis eſt.

Ceterùm non habet Baptiſmus CHRISTI neceſſariò annexos effectus illos; & quamuis id nunquàm factum putem, vt per manuum impoſitionem accepta ſint eiuſmodi dona à non purgatis, & iuſtis: tamen quia ſunt gratis data, nihil repugnat, vt etiam exiſtant in peccatoribus. Cornelio etiam cum ſuis ante Baptiſmum eadem dona conceſſa legimus, licèt iam conſequutos ſanctificantem gratiam SPIRITVS, creden-

Dona gratis data nihil repugnat, vt etiam exiſtant in peccatoribus.

dum

dum sit: cuius SPIRITVS quoddam augmentum dari solitum docuimus [a] cum eo SPIRITV, qui per manuum impositionem ad dicta dona gratis data dabatur, sicut nunc dantur eiusdem SPIRITVS sanctificantis gradus quidam suscipientibus Confirmationis Sacramentum per manuum item impositionem, nisi per suscipientes steterit habentes obicem peccati mortalis: quod est commune omnibus Sacramentis. De dono linguarum lege caput secundum [b].

a cap.2.1.

Spiritus sancti gratiæ gradus donatur suscipientibus Confirmationem.

b vers.4.

Prophetabant.] *Docendo, vel futura prædicendo*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo. Adde, *vel diuinas laudes celebrando*. Sed & de hac re eodem loco [c]. Meliùs qui Syram editionem Latinam fecit, hoc idem verbū posuisset, pro ומתנבין הוו *vmethnabbin hauu*, id est, *prophetantes erant*, quàm *vaticinabantur*; cuius est magis astricta notio ad futura prædicendum.

c cap.2.17.

Versus 7.] Erant autem omnes viri ferè duodecim.

ERANT *autem*.] Non est hîc adeò magnus numerus, vt iniri exactè absque erroris periculo non potuerit, ac propterea moderatrix adhiberi particula debuerit, vt Historia Scholastica, & alij volunt. Dixi capite primo [d], *Ferè*, atque alias huiusmodi dictiones explendæ, ornandæve orationis gratia sæpe poni.

d vers.13.

Asia nuper, nec Apostolorum visitatione digna, vt Beda notat, nunc Apostolico sacrata numero, & Prophetali est munere sublimata.

Asia Apostolico sacrata numero.

In Pentecoste centum viginti [e], qui ex duodenario decies ducto constantur, SPIRITVM sanctum acceperunt [f], nunc decima eius numeri pars, quia siue de Iudæis (quos plures tunc esse oportuit, vt latiùs Euangelium prædicarent) siue de Gentibus credat quis, ij tantummodò, qui vnitati Ecclesiæ Catholicæ, atque Apostolicæ communicant, SPIRITV replentur. Ludit in eodem duodenario Arator. Non abludo, ac laudo etiam pium studium; sed nō exigo, vel vbique defendo. Cornelius Gentilis erat; quot habuerit in familia, nescio; cuncti tamen eodem SPIRITV æquè donati sunt [g].

e cap.1.15.

f cap.2.1.& seq.

g cap.10.44.

Versus 8.] Introgressus autem Synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno DEI.

INTROGRESSVS *autem Synagogam*.] Nunquàm deserit Iudæos, quorum etiam de numero priores illi duodecim erant: nec enim Gentiles ad Ioannem ventitabant, vel ab eo baptizabantur.

Gentiles non erant, qui fuere à Ioanne baptizati.

De regno DEI.] Τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ ΘΕΟΥ. Eodem pacto in capite primo [h], vbi declarauimus, quid sit *loqui de regno* DEI, vel de iis, quæ ad id spectant, nempe de beatitudine, de via ad illam, de Ecclesia, de mysteriis omnibus nostræ religionis, de vita spirituali, quæ Iudæis terrenis, ac terrena sola quærentibus, perobscura, & maximè paradoxa erat.

h vers.3.

Versus 9.] Cùm autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregauit Discipulos, quotidiè disputans in schola Tyranni cuiusdam.

CVM *autem quidam indurarentur*.] Natiuum hoc Iudæorum vitium cum lapidea lege ingenitum, vt capite septimo [i] demonstrauimus. Hoc vt designaret Syra editio, apposuit, מנהון *mennehun, Ex eis*: nil vetat tamen, quin aliqui Gentilium fuerint, seu suamet sponte, seu Iudæorum inductione. Nam Thessalonicenses, Athenienses, Corinthios aduersatos Paulo iam vidimus [k]; & vehementiorem persecutionem concitatam ab Ephesiis paulò pòst videbimus [l], quippe cùm essent maximè superstitiosi. Indicat Carthusianus, cùm ait, *hos præsertim Iudæos fuisse*.

i vers.51.

k cap.16.& 17.& 18.

l vers.23.& seq.

Non crederent.] Ἠπείθουν. Syrus, ומתחרין *vmethcharin*, id est, *& contendentes* (intelligendum ex superiore verbo הוו *hauu*) *essent*, seu, *excandescerent*. Facilè concesserim excanduisse, atque iræ scintillas saxa illa misisse: Græcum tamen vocabulum duntaxat valet diffidere, non credere, nō obedire.

Maledicentes viam Domini coram multitudine.] Κακολογοῦντες τὴν ὁδὸν ἐνώπιον τοῦ πλήθους. Syrus, ומצחין לארחא דאלהא קדם כנשא דעממא *vametsachin leurecha dalaha kedam chenscha dehhammame*, id est, *Et maledicebant de via* DEI *coram turbis populorum*; vel, *Conuitiis proscindebant viam* DEI *coram turba Gentium*. Interpretes Syrus, & Latinus generalem dictionem ὁδὸν, additione DEI, aut *Domini*, restrinxerunt, sicut & inferiùs versu vigesimotertio. Syrus verò vocem πλήθους, adiungendo nomen *Gentium*.

Primam restrictionem exigit regnum DEI, quod antè præcessit in textu: secunda probabilis est, quoniam Gentiles conuenire poterant in Synagogam, ad sermones, qui habebantur de DEO, & Iudæi hos imbui doctrina Christiana semper indignè ferebant.

Gentiles conueniebant in Synagogam ad sermones.

Discedens ab eis, segregauit Discipulos.] Syrus, הדין ארחק פולוס ופרש מנהון לתלמידא *haidun archek Paulus vapperasch mennehun lethalmide*, id est, *Tunc recedere fecit Paulus, & separauit ab eis Discipulos*. Ἀποστὰς ἀπ' αὐτῶν, potest hoc significare: siquidem ἀφίστημι est, absistere facio, abduco, deduco, deterreo, separo, dirimo, dissocio, seiungo, disiungo, ad defectionem sollicito, seorsum, & procul statuo, summoueo, auoco, auerto. Significat etiam tamen absistere, abesse, abscedere, secedere, distare; & voce passiua, disiungi, auelli, &c. vt videre est apud Budæum [m].

m in comm. ling. Græcæ.

Interpres noster posteriores has notiones respexit, & sanè meliùs, tum ne duplici verbo capaci duarum, vnicam assignaret, tum vt intelligeretur, Paulum ipsum suomet exemplo peruersorum vitasse vsum, apud quos trimestrem operam sine fructu posuerat, & maledicentium furori cessisse, *vbi non erat auditus, non effunderet sermonem* [n]. Maximo sunt impedimento studiosis mandatorū DEI, calumniæ hominum, & irrisores, ac illusores ambulantibus in via Domini, sicut capite 2. demonstratum est [o].

n Eccl.32.6.

Calumniæ hominum sunt studiosis maximo impedimento.

o vers.13.

Quotidiè disputans.] In Synagoga tantùm diebus Sabbati disputauerat; videlicet Iudæi præ Christianis famem patiuntur verbi DEI: apud quos per tres menses quot hebdomadis semel; apud Gentiles quotidiè per annos duos.

Iudæi patiuntur famē verbi Dei.

Glossa ordinaria, quæ falsò tribuitur Bedæ, ait, *quòd, sicut quidam tradunt, ab hora quinta vsque ad horam nonam, & decimam disputationem protraheret Paulus, ita vt horas operi*, nimirum scenofactorio,

quinque,

A

quinque, alias quinque doctrinæ, duas cibo, & orationi daret. Meritò addit, *nulla hoc auctoritate firmari:* quid enim aliis octo agebat? dormiebat, vel aliis negotiis vacabat. Vacant, & abundant otio, qui talia commentantur, parúmque abessem ab hac nota, nisi eam vt caueas notarem; quod Hugo etiam fecit.

In schola Tyranni cuiusdam.] Ἐν τῇ σχολῇ Τυράννου τινός. Syrus, באסכולא דגברא דשמה טורנוס *beschuli degabra daschemeh Touranus*, id est, *in schola viri cuiusdam nomine Touranus.* Glossa interlinearis, *in ædificio, in quo Tyrannus docebat: vt vbi abundauit perfidia, fides floreat.* Glossa ordinaria, *vel dignitatis, vel proprium nomen explicat.* Hugo vtramque transcribit Glossam: Lyranus ordinariam, etsi nomen

B

Paulus cur in schola viri potentis docere voluerit.

dignitatis est pro homine potente, Paulum conuertisse ædificium ipsius in scholam, & apud talem docere voluisse, vt obstinati timerent eum impedire propter domini loci potestatem, itáque factum, cùm per biennium docuerit, nempe pacificè. Carthusianus posteriorem dicendi modum magis probat. Historia Scholastica eôdem propendet, ac Paulum in morem magistri scholas rexisse. Caietanus scholam antequàm ea vteretur Paulus, ait fuisse, quam Tyrannus, hoc est, primas quispiam pro se, aut pro filiis haberet, vel etiam cuius proprietatem solam, non vsum. Vatablus, & Gagneius Tyrannum pro Principe, scholam sumunt pro loco, in quem is secederet, vt ibi feriaretur, & otiaretur, quia scilicet σχολὴ, etiam otium significat. Idem sentit Erasmus, *quia nihil*, inquit, *schola cum Tyranno*, & ad nomen proprium non adderetur τινός. Excerpsit eadem Auctor Lexici Biblici Andreas Placus. Arias ait fuisse nomẽ proprium Tyrni, vel Turni, & hoc pacto Syriacè vocari: qua in re fallitur, quia, vt dixi, Syrus vocat טורנוס *Touranus.*

De Tyranno, cuius scholam Paulus tenuit.

C

Placet Iacobo Lopidi esse proprium nomen, idque cõtra Erasmum contrario ipsius argumento confirmat, quoniam nomini τοῦ Τυράννου, additum est τινός: esse námque vsitatum istum loquendi modum, præsertim cùm is, de quo agitur, ignotus est. Exempla citat Demetrij, cuius mentio est inferiùs in hoc capite [a], Mnasonis, qui memoratur cap. 21. [b] Ananiæ in cap. 22. [c] Simonis Cyrenæi apud Marcum [d], Lazari in Euangelio Ioannis [e], Eleazari in Historia Machabæica [f]. Adde hoc eodem libro Tertullum [g]. *Nec solus est hic*, inquit, *huius nominis, cùm & de alio Seneca prodat* [h], & Tyrannionem Grammaticum Strabo [i] celebret. Arbitratur etiam Ephesi à Tyranno scholam, id est, *ludum literarium* apertum esse. Baronius [k] suspicatur hunc esse illum Tyrannum Sophistam, quem Suidas libros decem scribit edidisse de statu, & diuisione orationis. At Suidas nec tempus, nec locum notat, vbi floruerit.

a vers. 14.
b vers. 16.
c vers. 12.
d cap. 15. 21.
e cap. 11. 1.
f 2. Mach. 6. 18
g cap. 24. 1.
h lib. de Breuita. vitæ.
i lib. 12.

k Tom. 1. Annal.

D

Si Tyrannum capimus vt nomen dignitatis, vox lenior est, & non pro ferociore, ac sæuiore, vt Lyrano videbatur, & Carthusiano: potuit enim sola ipsa potentia satis esse ad cohibendas in Paulum turbas.

Tyrãnus nomen est dignitatis.

Ea verò in bonam partem significatio Tyranni, profanis, sacrísque familiaris est, ac prior etiam fuit, sed per quandam quasi degenerationem, sicut accidisse Suidas in voce Sophistæ docet, deteriùs sonare cœpit.

Quòd autem sit Tyranni nomen μέσον & ἀδιάφορον, ex profanis testimonia colligit Lambinus in Æmilium Probum [l], Tritum est illud Virgilij [m]:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.

l in Miltiade.
m 7. Æneid.

E

Et in diuinis Literis liber Esther [n], Daniel [o], & Machabæorum [p] ita hanc vocem vsurpant, quáuis vltimus τυραννίας pro τυράννοις, ponat. Denique *Tyrannus à Rege distat*, ait Seneca [q], *factis, non nomine.* Pertinent eôdem apud Habacuc * tyranni ridiculi Hebraici רוזנים *rozenim* potentissimi principes. Vox autem Tyranni siue à Tyrrhenis, qui latrociniis infames erant, siue à Tyro ciuitate, siue ἀπὸ τοῦ τυροῦν τοὺς λαούς, quod est, cogere atque vexare populos, post Homerũ cœpit vsurpari circa tempora Archilochi, vt est auctor Hippias Sophista. Nec ab Euripide titulum vnius tragœdiæ *Tyrannus*, sed ab aliquo alio eidem impositum existimant.

n cap. 6. 9.
o cap. 1. 3.
p lib. 1. c.
q 1. de Clem. cap. 12.
* cap. 1. 10.

Quod ad scholæ nomen attinet, non pro literario tantùm ludo, sed etiam apud Vitruuium [r] pro balnei labro, seu alueo sumitur, & apud Plinium pro porticu. Potuit ergo Tyrãnus ille paulùm seorsum à ciuitate porticatum habere, voluptati comparatum locum, ac forsan non honestiori, qualis qui ἀσελγείων apud Plutarchum [s], Athenæum [t], Eustathium [u], & alios: qualis item qui σχολαστήριον apud eundem Athenæum [x], cùm describit celebrem Neronis nauẽm, nominatur πεντάκλινον βιβλιοθήκην ἔχον, *quinque lectorum capax Bibliothecam habens*, quam Budæus [y] exhedram interpretatur: & alij in genere locum, in quo commodum sit σχολάζειν, &c. quiescere post labores, σχολαστήριον rectè putant dici, quod tradunt illi quoque de σχολῇ, quos retulimus, de secessu interpretantes præsentem istam Lucæ sententiam.

Schola nomen quid sit.
r lib. 5. c. 10.

s in Pompeio. fol. 11. 81. editio. Hen. Stephan. & 1169. 1170.
t lib. 10. fol. 174. Ald. edit.
u in Iliad. fol. 1205.
x lib. 5. fol. 54.

y in Com. Græc. ling.

Pertinere vtcunque possunt ad rem eandem illustrandam, quæ in Iure ciuili, Patribus, Historiis, & ritibus ecclesiasticis dicuntur *scholæ, militiæ, vel Castrenses, vel Palatinæ* [z], *Cantorum, Notariorũ, Aduocatorum, assessorum, agentium in rebus, domesticorum, Silentiariorum, Palatinorum, societatis sacrarum largitionum, Subdiaconorum* [a], *aliorúmve Clericorum* [b]. Vnde nomen scholarum, & scholasticorum, item quæ in vrbe sub Carolo Magno Saxonibus assignata inter Tyberim, & Basilicam sancti Petri sedes vocata est schola, & vicus Saxonum, nunc Saxia [c]; prætereà Romæ etiam Græcis Monachis à Stephano Papa III. siue ab eius & fratre, & successore Paulo I. extructum templum in honorem B. Dionysij cum monasterio, cui nomen SCHOLA GRÆCA.

Scholæ variæ numerantur.
z in C. Theodos. sæpe.

a Rituale, & Greg. lib. 7. ep. 17.
b Aß. Cypri. & c. 2. de celebrat. Missarũ c. vt quique. de vita & hon. cler.
c Anast. Bibliotech. in Leone III. & IV.

Hæc de Tyranni schola Regio veluti & scholastico apparatu, id est, fusè, at probabiliter tantùm & Rhetoricè: hoc enim veteres appellabãt, scholasticè dicere, vt Gennadius [d], & Gregorius [e].

Si quis à me scholasticam, vt loqui nunc moris est, hoc est, præcisam, & logicam exigat sententiam; mihi videtur, principis viri suburbanum ædificium fuisse, quò se Apostolus receperit, sicut anteà in similem Titi Iusti domum, seu regulus ille iam fidelis, aut propensior ad Fidem vltrò Paulum inuitauerit, vel petenti lubens annuerit, seu locatione vtendum dederit.

d de viris Illustrib. in Saluiano.
e lib. 7. ep.

Schola quid sit, Auctoris sententia.

Comparari hic Tyrannus posset cum Theophilo Antiocheno, quem in initio libri [f] meminimus, auctore Clemente in Recognitionibus [g] (quas qui recognoscit, Clementis non esse cognoscit) fuisse illum, cuius in Palatio Petrus cathedram ad docendum posuit.

f cap. 1.
g lib. 10.

Strabo [h] Pherecidem laudans testem, tradit Ephesi superfuisse, postquàm perdidit Regium in Ioniam vniuersam dominiũ, ex genere Androcli codri Atheniensium filij, à quo Ephesus con-

h lib. 14. paulo post princip.

dita

dita fuerat, qui Regum nomen retinerent cum quorundam prærogatiuis honorum, vt purpuræ scipionis pro sceptro, primi loci in consessu, quando spectatur certamina, & sacra Cereris Eleusinæ. Si quis affirmet Tyrannum nostrum talem fuisse, assentiar non inuitus. Lege de nomine scholæ Brissonium [a].

a lib. 17. de verbo. signific.

Versus 10.] Hoc autem factum est per biennium, ita vt omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles.

PER *biennium*.] Vltra menses illos tres, quibus prædicauerat in Synagoga. Capite enim sequenti dicit Paulus se Ephesi mansisse per tres annos, hoc est, ita vt tertij partem attigerit, quamuis non expleuerit. Tam longa mora, quam verbi disseminator vbique metiebatur ex spe frugis, fuit in causa, cur, vt mox subiungitur, tanti fuerint ad audiendum concursus. Huius quoque rei causam partim tribuunt Lyranus, & Carthusianus potentiæ Tyranni, qua fretus Paulus liberiùs ageret, & libentiùs, frequentiúsque audiretur. Fieri potest, nec obscurum est, quantum adiumenti sit Ecclesiæ à ciuili fauente Magistratu.

Ephesi quot annis Apostolus moratus sit.

A Magistratu ciuili magnum accidit emolumentum Ecclesiæ.

Omnes, qui habitabant in Asia.] Quotquot volebant omnis generis, conditionisque, qui Asiam cunctam minorem incolebant. Opportuno situ est Ephesus, vt ad eam ex Asia minore vndequaque concurratur: & vel propter celebritatem templi Dianæ, vt dictum est, plures etiam quàm Asiæ minoris habitatores Ephesum frequentes ventitabant.

Verbum Domini.] Deest ex Græco textu, IESV; sed, vt non semel monui, Domini nomen in nouo Testamento absolutè positum de CHRISTO sæpiùs intelligitur, cui data est omnis potestas, & dominium propter gratiam capitis, & merita propria. Idem aliqui aliquoties in veteri Testamento de nomine Hebræo אדני ADONAI intelligendum obseruauerunt, vt in Psalmo 109. [a]

b versu 1.

Gentiles.] Ἕλληνας. Interpres hoc nomen reddit modò *Græcos*, modò *Gentiles*, vt sciamus, omnes Gentiles Græcorum voce significari, quod sæpe iam diximus.

Versus 11.] Virtutésque non quaslibet faciebat DEVS per manum Pauli.

VIRTVTESQVE *non quaslibet.*] *Non modicas*, ait Glossa interlinearis. Vnde sine dubio, irrepsit in quosdam codices ea lectio, *non modicas quaslibet*. Syr. רורבא *raurabe, maximas*. Græcè, οὐ τὰς τυχούσας, *non obuias & vulgares*, vt vertit Vatablus, & Clarius, magis profectò vulgariter, quàm noster Interpres, qui per *quaslibet*, optimè vim Græci vocabuli, ac elegãter, & plenè expressit. Latinissimus Plinius [c] *non quemlibet hostem* dixit, id est, non vilem, non obscurum. Et Caius Iurisconsultus [d], *non quamlibet iniuriam*, id est, non leuem, & paruam: & Cicero [e] *perito quemlibet* opponit. Athei, aut imperiti mirabiles effectus crebrò casu contingere putant, non ex DEO. Non puto tamen id Lucam excludere intendisse, quod voluit Caietanus cùm dixit, οὐ τυχούσας; licèt τύχη fortunam significet, atque participium illud eam significationem habere possit. Virtutes miracula cur appellentur, lege cap. 2. [f]

c lib. 7. c. 28.
d l. 6. verb. ff. qui satisda. cogan.
e lib. 2. de Diuin.
f versu 22.

A *Faciebat DEVS per manum Pauli.*] Id est, *per Paulum*, quia enim manus instrumentum est operum exteriorum, facere per manum alicuius dicitur, qui vtitur illo tanquàm instrumento. Atque hinc intelligitur, in edendis miraculis solum DEVM esse veram, & absolutam causam, ceteras creaturas instrumenti tantùm officio fungi; cùm tamen effectuum naturalium suæ sint veræ naturales causæ, quamuis ob dependentiam à prima, vocentur interdum instrumentales. De varia manus significatione lege cap. 2. [g] Similis Psalmi [h] sententia: *Posuit in eis verba signorum suorum, & prodigiorum suorum in terra Cham*, id est, in ore Mosis, & Aaron mandata; vel in manibus vim.
B Hebraicè, *posuerunt in eis*; nempe illi in Hebræis, *verba signorum, & prodigiorum*, quia præcepta de rebus mirificis executi sunt, res ipsas mirificas fecerunt.

Per manum alicuius facere, quid sit.

g versu 23.
h Psal. 104. 27.

Versus 12.] Ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

SVDARIA, *& semicinctia.*] Σουδάρια ἢ σιμικίνθια. Vbi cùm Latinæ dictiones sint factæ Græcæ, in posterioris prima syllaba deberet esse η, vel ι,
C & in penultima τ, & ante illud κ, pro qua dictione Syrus posuit, רוקעא *raukehhe*, id est, *frusta*, seu *scissuras*. Quidam codex Græcus habet cum η, in prima syllaba.

Per sudaria Glossa interlinearis, & Hugo intelligunt, *quibus laborantium sudor extergitur*: per semicinctia iidem, & Glossa, sed & Historia Scholastica, *vestes ex vno latere pendentes, vel zonas, siue vestes nocturnas, vel genus sudarij, quo Hebræi vtuntur in capite*.

Quid sint sudaria, & semicinctia.

Carthusianus videtur velle sudaria, & semicinctia idem esse, videlicet *vestes medietatem corporis tegentes, à semi, quod est medium, & cingo*. Papias quoque, ac Isidorus eandem notationem reddunt
D semicinctij: & posterior ait esse *zonam minus latam*. Oecumenius (quem si Henricus Stephanus [i] legisset, patris sui diligentiam non laudasset, quòd velut eximium quid ex vnius exemplaris Bibliorum margine hæc ipsa annotasset) Oecumenius, inquam, vult fuisse lineos pannos, sudaria quidem super caput circumligata, semicinctia gestata manibus eorum, qui non poterant gestare ὠράρια, cuiusmodi erant, qui stolas Consulares gerebant: vel semicinctia γυζία fuisse *linea ad humores faciei, vt sudores, muccos, lacrymas*, &c. Suidas vtraque confundit, necnon & φακιόλιον *capitis inuolucrum*, & κρώβυλον *reticulum*, quo continetur coma, capútve tegitur, & κίδαριν apud Persas, &
E καμψιδρώτιον. Auctor Calepini docet, ab auctoribus Latinis sumi semicinctium pro *tegmine ventris simul, ac pudendorum, quod appellatur prætereà succinctorium, subligaculum, campestre, perizoma*. Non erit, opinor, qui semicinctium hanc vim hîc habere afferat. Quis enim Paulo id abstulisset, aut ille sibi quomodo detrahi permisisset?

i in Thesauri append. verb. Σιμικίνθια.

Differre à sudario probabile est, quamuis testetur Beda, Gregorium, qui sua ætate Papa erat, dum adhuc esset Archidiaconus, sciscitanti amico de Britãnia, respondisse, *semicinctiũ esse genus sudarij, quo Hebræi vterentur in capite*: sicut alios posteà sensisse retuli. Nec officit coniungens, seu disiungẽs particula, quæ non solarum vocum, sed rerum

quoque diuersarum index esse potest.

Semicinctium quid sit.

Ergo semicinctium forsan est è lino, similíve materia pannus, quem à renibus circumligando demittunt, qui in opificio, aut ministerio versantur (pellibus verò etiam vtuntur) & ad arcendas è vestimentis sordes, & simul etiam interdum ad extergendum vultum. Huiusmodi esse potuit linteum, quo CHRISTVS instar seruuli Discipulorum loturus pedes præcinxit seipsum[a], quod Itali vocant *Cenale*, Galli, *deuantier*, & *demi-ceinct*. Plinius[b] vocat *ventrale*: quod Vlpianus[c] putat *semicinctiũ esse sub quo sunt loculi, quibus sudariola, leuésve numuli gestantur, in vsum quotidianum*. Sudarium, breuior, & manualis pannus, seu qui subinde in manus sumitur ad munditiam faciei, & qui super caput explicari, & illigari potest in modũ fasciæ.

a Ioan. 13. 4.
b lib. 18. c. 48.
c l. Diuus. ff. de bonis damnat.

Tale videri potest sudarium, in quo seruus piger repositam habuit pecuniam[d], quod eadem Latina voce Græcus textus σουδάριον, Syrus autem בסדונא *besidduna*, *in sindone*, vel, *sindonem* nominat: tale, quo Lazari mortui facies erat ligata[e], & quod super caput IESV[f] (& ideò Alcuinus[g] vocauit *ligamentum capitis*) vbi retinuit Syrus Latinum nomen סודרא *sudara*: talis, quam inter vestes sacerdotales appellant mapulam, aut manipulum, aut mantile, aut phanonem, aut etiam sudarium gestatum in sinistra parte. Huius enim primus, ac præcipuus vsus fuit ad pituitam oculorum, & narium detergendam, vt tradunt tractatores rituum Ecclesiasticorum, quos eruditè collegit Ioannes Stephanus Durantus[h]. Vulgò breuiorem lineum pannum vocamus *Vn fazzoletto*, aut à facie, aut à fascia, aut à Græco φακιόλιον; paulò longiorem verò, quo vel cingimur etiam dum iter facimus, vel ex collo demittimus, vel eo caput astringimus, *vn sciugatoio*. Idem valet mantelum, mantelũ, mantele, & mãtile, quasi à manu, & tela linteolum, quo manus terguntur, ac aliæ quoq; partes.

d Lucæ 19. 20.
e Ioan. 11. 44.
f Ioan. 20. 7.
g lib. de Diui. offic. c. de celebratione Missæ.
h 2. de Ritib. Eccles. c. 9. num. 11.

De semicinctio Martialis intellexit, cùm in Apophoretis dixit[i]:

Dent tunicam dites (alij, *Det tunicam diues*; vel, *Det tunicam locuples*) *ego te præcingere possum,*
Essem si locuples, munus vtrumque darem.

Inscriptio certè est in epigrammate, *semicinctium*. Paulus dum exercebat scenofactoriam, cingebat se semicinctio, & prætereà linteolo vtebatur tunc etiam, necnon aliis temporibus ad eluendas vel aduentitias, vel excrementitias sordes.

i lib. 14. epigram 153. vel 159 semicinctij quæ veteres meminerunt.

Recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.] Hic est fructus laborum Pauli etiam exteriorum, atque sudorum, quos labores exprimebant, & fortasse lacrymarum, quas capite sequenti[k] fudisse se crebrò profitetur dum esset Ephesi.

Fructus laborum Pauli.
k vers. 19.

Hæc sunt opera CHRISTI operibus, sicut ipse promiserat facturos Discipulos, maiora[l].

Chrysostomum[m] amplificantem Pauli laudes, in quas adeò libenter digreditur, impetus orationis fortasse abripuit, vt assereret non semicinctiis duntaxat, vel sudariis, verùm etiam eiusdem vmbra mortuos suscitatos; quod nec de Petro Lucas narrat superiùs[n], sed tantùm de curatis infirmitatibus per vmbram ipsius.

l Ioan. 14. 12
m Hom. 8. in ep. ad Rom. & hom. 6. in 1. ad Corint.
n cap. 5. 15.

Edita legimus deinceps ab aliis Sanctis, auctore videlicet eodem DEO, cuius non abbreuiatur manus, ac potentia, his non inferiora miracula. Nam exempli causa prodit Augustinus[o], ipsorummet languentium, atque mortuorum relata post sanctarum contactum Reliquiarum vestimẽta, sanitatem vtramque attulisse; immò & flores, De puluere, ac situ sepulcrorum, de oleo lampadarum, & lychnorum ad illa suspensorum, de manuali aqua, pedúmque ablutorum, & similibus tam multa sunt in Historiis, & Patrum scriptis testimonia, vt planè superuacaneũ sit in his immorari, summæ vel amẽtiæ, vel impudẽtiæ dubitare.

De miraculis Sanctorum diuina virtute per Reliquias eorum factis.
o lib. 22 de Ciuit. Dei. cap. 8.

Habet nonnullam cum semicinctiis sudariisque Pauli similitudinem caligula Honorati, quæ cadaueri admota, illud excitauit ad vitam, vt scribit Gregorius[p]: eam enim Libertinus qui admouit, ob tanti Abbatis reuerentiam, gestabat semper in sinu. Vnde profectò sacrarum Reliquiarum cultus colligitur.

Caligula Honorati miraculis clara.
p 1. Dial. c. 2.

Deteriores ij, qui eas despiciunt, quàm spiritus nequam, qui Apostoli semicinctia, & sudaria ferre non valentes, eorum potentiam experti, ab obsessis vel inuiti egressi sunt. Indidem haud improbabiliter Baronius[q] notat manasse vsum in Ecclesia Sanctuarij, quod Brandeum dicitur, velum videlicet super Sanctorum impositum corpora, & ad venerationem, & ad diuinam quandam vtilitatem: de quo Gregorius Papa[r], & Turonensis[s], ac in prioris vita Ioannes Diaconus[t]. Legendi qui aduersùs Hæreticos disserunt de cultu Sanctorum, præsertim ex nostris Bellarminus[u], & Gabriel Vasques[x]. Omnes vtuntur præsenti loco, in quo religio eorum, qui semicinctia, & sudaria Pauli deferebant ad ægrotos, non est reprehensa, sed miraculis etiam confirmata non minùs, quàm illorum, qui ad vmbram Petri[y], eo modo quo poterant, attingendam, accurrebant.

q To. 1. Ann. & in Notis Martyrologij 15. Iunij.
r lib. 3. epistola cui 30.
lib. 4. ep. 44.
s de Gloria Martyr. capite 28.
t lib. 2. c. 42.
u lib. 2. de adora.
x lib. 3. de adorat.
y Act. 5. 15.

Versus 13.] Tentauerunt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini IESV, dicentes: Adiuro vos per IESVM, quem Paulus prædicat.

TENTAVERVNT *autem quidam*.] Simia DEI diabolus, piorum impij, quod omnis ferè testatur historia Ecclesiastica, & nostra superiùs[z] de Simone Mago. Et præter Hæresiarchas constat Iulianum Christiana pietatis opera, vt Christianum nomen imminueret, imitatum, quod iam alia occasione notauimus.

Simia Dei diabolus.
z cap. 8.

De circumeuntibus.] Ἀπὸ τῶν περιερχομένων. Syrũ participiũ in hithpael à כרך *cherech* דמתכרכין *demethecharchin* reddit is, qui editionem illam Latinam fecit, *qui circulabant*. Significat dictum verbum obambulare per circuitiones eũdo, redeundóque.

Circulare quamuis interdum sit idem quod circumdare, aliquando tamẽ significat caput circumferre, vt apud M. Tullium[a]. Circulator autem sumitur in malam partem pro eo, qui fabulis, præstigiisque homines in corona, vel foro, denique in circulo ludificat, & oblectat: de quo nonnihil egimus capite XVII. Budæus[b] obseruauit περιέρχεσθαι, apud Herodotum, Lucianum, Aristophanem, & Pausaniam, pro ἐξαπατᾶν, id est, *circumuenire, & decipere*. Lege de circulatoribus Celsum[c], Porphyrionem[d], Prudentium[e], Hieronymum[f], & alios.

Circulare quid sit.
a de claris Orat.
b in Comm. ling. Græc.
c 5. de re medica cap.
d in Lib. Sat. 2. Hor.
e Hymno de Romano mart.
f ad Paulin.

Iudæis exorcistis.] Qui vt circulatores profitebantur hanc artem, sicut & de Gentilibus quæstus gratia vrbes circumeuntibus, meminit Iustinus Martyr[g], necnon & Vlpianus[h]: qui cùm ait *vulgare verbum impostorum esse exorcizare*, ad Christianos, quos maximè oderat, alludit, quorũ etiam

g orat. ad Gentiles.
h L. 1. ff. de var. & extra. cognit.
Christiani à l[illegible] vocati.

quiuis

Digitized by Google

quiuis per ignominiam nominari solebat, vt Hieronymus [a] testis est, *Γραικὸς ἐπιθέτης, Græcus impostor*. Alioqui Christianos gratis omninò id fecisse planè constat.

Hoc porrò exorcizandi vel officium, vel exercitium ponit vt certum, dari Spiritus nequam, vexatores, ac obsessores hominum, quod qui negant, ausim affirmare ab iisdem eorum mentes Spiritibus mendacibus obsideri, & crassissimo errore detineri, quem hoc ipso libro superiùs [b], & in Theologicis disputationibus de Angelis confutaui, simúlque quòd Dæmones sint corporei, quem Bodinus errorem in suo illo Theatro vniuersæ naturæ exposuit, ac tenuit. Vt autem prætermittam Iudæos, inter quos fuisse nonnullos exorcistas CHRISTVS innuit, cùm dicit [c]: *Filij vestri in quo eiciunt?* vt Matthæum explicãtes multi recentiorum existimant (veteres enim de Apostolis, & nominatim Hieronymus facta mentione alterius sententiæ, necnon Athanasius [d], & quibus tradit Iosephus [e] Salomonem modum assignasse per nescio quam radicem, cum adiuratione: tametsi B. Thomas [f], & Victoria [g], hoc ab illo iam idololatra scriptũ contendunt: Epiphanius [h] verò illos existimasse, vim eiusmodi fuisse in nomine tetragrammato, vt, inquam, de Iudæis nihil aliud modò dicam, ex quibus forsan erat is, de quo Apostoli, [*] *Vidimus quendam in nomine tuo eiicientem Dæmonia*, apud quos talis defecit cum religione, & cultu diuino facultas: Christianorum hæc singularis prærogatiua est.

Nam Patres vehementer hinc Fidem confirmant, præsertim Tertullianus [i], Cyprianus [k], Minutius [l], Prudentius [m], Athanasius [n], Iustinus [o], qui etiam produnt, obsessos Gentiles nonnisi à Christianis curari potuisse.

Promisit quidem vniuersè CHRISTVS credentibus fore, *vt in ipsius nomine Dæmonia eiicerẽt* [p], ídque etiam à laicis factum, idem Tertullianus [q] memorat: ceterùm fuit semper in Ecclesia proprium, ac distinctum Ecclesiastici ordinis exorcistarum munus, de quibus Ignatius [r], Cornelius Papa apud Eusebium [s], & Concilium Romanum sub Syluestro [t], & Laodicenum [u] in quo cauetur, *ne prater ad id ordinatos ab Episcopis exorcizare quis præsumat*, & Carthaginense IV. [x], & Clemens [y], & Anacletus [z], & Caius [a], & Concilium Antiochenum [b], & Hieronymus [c], aliique. Tertullianus [d] verò fœminas hoc vsurpantes reprehendit, ordinariè nimirum, vel ritu sacro, vel temerè: nam legimus eiectos Dæmones à sanctis fœminis Brigida, Catharina Senensi, Genouefa, Anatolia, Euphrasia, Hildegunde [e].

Pertinebat olim ad exorcistas, Catechumenis ante Baptismum exorcismi ritum adhibere contra Dæmones, quorum omnes, *quia iræ [f] nascimur* quoque *fily*, atque mancipia, propter peccatum originale, ita vt infantuli ipsi nonnunquam, vt Augustinus [g] meminit, ab illis vexarentur. De hoc ritu quotquot Ecclesiasticos ritus declarant, præcipuè Ioannes Stephanus Durantus [h], vel de Sacramentis Baptismi, & Ordinis tractant. Rident hæretici cum Iuliano Apostata [i] istum exorcismum; sed, quod Elias Nazianzeni Scholiastes [k] ait, *dum nostra rident, ridiculos ipsi se præbent.* Totum autem de potestate, ac modo Dæmonas eiiciendi argumentum præ aliis accuratè duo de nostris persequuntur, Petrus Thyræus [l], & Martinus Delrius [m]. Denique illustrat, vt dixi, mirum in modum tanta Ecclesiã potestas, indicat sæpe

a epi. 10, & 19.
Spiritus nequã vexatores hominum dantur.
b cap. 5. 16.
c Matt. 12. 27.
d de communi Essen. PAT. & FIL. & SPIRIT. sancti.
e 8. Antiq. c. 2. & 7. de bello Iud. c. 15.
f qu. 6. de poten. ar. 10. ad 4.
g relec. de arte magica. nu. 28.
h Hæref. 30.
* Luc. 9. 49.
Prærogatiua Christianorum est, Dæmonas è corpore eiicere.
i Apol. c. 23. ad Scapul. c. 2. de anima. c. 57.
k ad Demetrianum. & ep. 2. ac 76. & de idolo. vanit.
l in Octauio.
m in Apotheosi.
n de Incarn. Verbi.
o in Tryph.
p Mar. vlt. 17.
q de coron. militis. c. 11. de idololat. c. 11.
r epist. 12.
s 6. Histo. c. 35.
t cap. 2. & 7.
u cap. 24. & 26.
x cap. 4. & 5.
y epist. 5. ad Iacob. fratrẽ Domini.
z epist. 1.
a epist. ad Felicem Episc.
b cap. 10.
c in cap. 2. ad Titum.
d de præsc. c. 41.
e apud Suriũ. *Exorcistarum* ...
f Ephes. 2. 3.
g 21. de Ciu. c. 14. lib. 22. c. 22.
h 1. de ritib. Eccle. c. 19.
i apud Nazianz. orat. 4. con. Iulia.
k in dictam orat.
l de Dæmon. part. 1.
m Tom. 3.
Has potestate eiiciend. Dæmones, maximè Ecclesiam illustrat.

A sanctitatem ea vtentiũ, arguit hominis dignitatẽ, docet eiusdem libertatem in peccando, quam nequeant qui etiam ab homine subiguntur Dæmones, expugnare; postremò Dæmones ipsos confundit, & maximè discruciat, cùm se ab homuncione vinci, ac vinciri sentiunt.

Adiuro vos per IESVM, quem Paulus prædicat.] Probabile est, non solos fideles, & CHRISTI Discipulos hoc modo vsos in eiiciendis Dæmonibus, verùm etiam alios, vt illum, de quo priùs memini, quem ægrè ferebant Discipuli, & conquerebantur, dicentes [n]: *Vidimus quendam in nomine tuo eiicientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.* Et idem forsan quoque fiebat ab
B iis, de quibus dixi dixisse CHRISTVM [o]: *Filij vestri in quo eiiciunt?* valebat enim id plurimùm ad manifestandam virtutem CHRISTI, & ita argumentum illud CHRISTI longè efficacius erat, quasi diceret, Filiorum vestrorum opera vtimini, qui in meo nomine Dęmonia eiiciunt, & mihi tamen calumniam imponitis.

Tanta est vis inuocationis nominis IESV ad eiiciendos Dæmones, vt non magis frequens ratio Christianis olim in vsu fuerit, teste Iustino [p], & Prudentio [q], & Lactantio [r], & Athanasio [s]. Certè prætereà fuit cum eodem nomine, & sanctæ crucis impressione forma exorcismi, quæ Cy-
C prianus [t] vocat *spiritualia flagra, & verborum tormenta*, vnámque Prudentius [u] exprimit. *Inuocasse nomen hoc Discipuli CHRISTI ipsi retulerunt* [x], *necnon de alio, qui extra scholam id fecisset* [y]. Hanc etiam veluti formulam præscripsit CHRISTVS [z]: Paulus eandem seruauit [a], & deinceps omni seculo plurimi.

Continet inuocatio nominis IESV hæc omnia, imperium, merita, auctoritatem, virtutem, siue potestatem, sed hanc maximè, quam credit, animóque concipit (etsi fieri potest sine vera fide huius, ac similium patratio signorum) qui id nomen voce promit.

Voluit Deus, CHRISTI potiùs, quàm PATRIS, aut SPIRITVS sancti nomine, Dæmoni-
D bus imperari discessum, quia illius in primis comprobanda Diuinitas erat, & confirmanda doctrina, & omnes intelligere oportebat, Dæmones cum suo Principe, quos adhuc coluerãt, à CHRISTO ipso deuictos, eiectos, attritos esse. Quæ causa est, cur IESV nomen præ aliis, quæ non infructuosè in exorcismis ponuntur, adhibeatur. Est enim maximè proprium, & diuinitùs impositũ [b], & in triumphali titulo inscriptum [c], & *cui omne genu flecti debet* [d], & tum ipse IESVS hanc ad rem illud vsurpari præcepit, tum ij, quos dixi, in hac
E Euangelica historia pronunciarunt fideles, ac infideles; & omnibus insita consuetudine non aliud ad subitos aduersos casus in os nomen incurrit, aut extra hos etiam casus libentiùs editur. Quocirca sagis atque iis, qui se vouent Dæmonibus, seriò iniungitur, à IESV nomine penitus vt abhorreant, & si quando præter intentionem alicui excidat, disparent Dæmones. Legendus Abulensis [e].

Adiuro.] ὁρκίζομεν: *Adiuramus*. Quo etiam pacto Syrus reddit in plurali numero, מומינן לכון *maumeminan lechun*. id est, *Adiuramus vos*. Inde ἐξορκίζειν, & ἐξορκιστὴς, & ἐξορκισμὸς, *exorcizare, exorcista, exorcismus*. Est autem exorcismus, constans quibusdam verbis ad pellendos Dæmones adiuratio, quæ priscis temporibus breuior, posteà prolixior fuit, cùm magis ægrè pellerentur. Vide

Qua forma verborum Dæmones pellerentur.
n Luc. 9. 49.
o Luca 11. 19.
p in Tryph. & de verit. reli. Christi.
q in Apotheosi.
r lib. 4. c. 27.
s in Antonio.
t ad Demetria.
u in Apotheosi.
x Luc. 10. 17.
y Luc 9. 49.
z Mar. vl. 17.
a Act. 16. 18.
Nominis Iesu inuocatio quid contineat.
Cur in Christi potius nomine, quàm alio, Dæmones pellãtur.
b Luc. 1. 31.
c Ioan. 19. 19.
d Philip. 2. 10.
Iesu nomen sagis abhorrendum.
e 1. Reg. 19. quæst. 40 & in Matth. 17. quæst. 135.

a de Dæmoniacis. par. 3. cap.46.
b 1.Disquisit. Magic. c.3.
Dæmones in Ecclesia sinis expleratum est.

quæ de eo aduersùs Hæreticorum cauillos Thyræus [a] affert, atque Delrius [b]. A

Incantationes Hæretici exorcismos Catholicos vocant,& donum Dæmones eiiciendi desiisse causantur. Scilicet in eorum desiit Ecclesia, in qua sedem fixerunt Dæmones: ita vt nec à summo Hæresiarcha Luthero exigi potuerint, sed ab eo illi,cùm exigere ipsos vellet,pœnas exegerint, vt narrant Staphylus [c],& Lindanus [d],& Bredenbachius [e], qui refert prætereà [f], minorum gentium aliorum informis Ecclesiæ ministrorum exemplum apud Augustam Vindelicorum, anno 1563. aliud enim accidit VVitembergæ in arce impietatis Lutheranæ,anno 1545.

c cont.Smidelinum, pag.404.
d Dubitantij, dial.3.cap.1.
e Collat. lib. 7.cap.40.
f ibid. c.42.

Constat, cum oraculorum, post aduentum CHRISTI,defectu,*inimici quoque Diaboli*,vt ipsemet Antonio [g] fateri compulsus est, *defecisse frameas in finem, & ciuitates eius destructas* [h]. B

g Athanas. in Antonio.
h Psal.9.7.

Illud est etiam certum ,sicut ab Indiis cum illato Euangelij lumine abiecti sunt spiritus tenebricosi, ita iis in locis, vbi lumen id elanguit, emarcuit,extinctum est, vigere mirabilem in modum diabolicam superstitionem, & præstigiatrices artes, vt in Asia, & Africa inter Mahometanos, & in Europa, vbicunque hæresis grassatur, vel vbi languidi viuunt Catholici,qui honestiore nomine vocantur Politici: nam in his hominum generibus ab idolis quondam pulsi, peiora sibi Dæmones idola fabricauerunt, qui seipsos dogmatum, quæ tradiderunt Arius, Eunomiúsque, auctores,ac Doctores professi sunt, vt prodidit Cassianus [i].Obsident istos,vel assident certè Dæmones, nec se ab iis eiici patiuntur, aut potiùs nolunt illi tam bellis, ac bonis priuari paredriis. Narrat Eusebius [k],B.Zotam voluisse Dæmonem Priscillæ,quæ erat Prophetissa Montani, eiicere; sed adulatores eius non permisisse. C

Præstigiatrices, & sagæ maximè vigent inter hæreticos, & infideles.

i Collat. 7. cap.32.
Dæmones obsident hæreticos, vel assident.
k 5.Hist.c.19.

Adiurandi verbum quam vim habeat.

Verùm quòd attinet ad verbum adiurandi, quamuis apud alios Auctores Latinos non aliud valeat,quàm simplex iurandi, tamen vsu Scripturæ, ac Ecclesiastica consuetudine importat obtestationem,ac reuerentiam diuini nominis, & numinis,reíve cuiuspiam sacræ; vt quis quem inducat ad dicendum, vel faciendum quippiam, aut abducat,ne dicat, faciátque [l]: id verò aut deprecando superiores [m], aut imperando inferioribus [n]; quod Caiphas fecit [o], CHRISTVM adiurans,in quem ius habere se arbitrabatur. D

l 2.Paralip. 18.15. Tob.8. 23.cap. 9.5. Cantic. 2.7. cap.5.8.
m Matt.5.7.
n 1.Reg 14. 24.
o Matt.26.63.
p Luc. 10.19.
q Homil.in Psalm 18.
r in cap. 10. Luc.
s Genes.24. & 37.c.50.5. 1. Esdræ 10.5. lib 2.vlt 25. 4.Reg.11.4.
Adiurandi alia ratio.
t Num. 5. 19.
u Cateche. 2.
x Homil.de Adam & Eua.
y libr.1. de Symbo & 6. cont.Iul. c. 3.
z epist.1.ad Episco. Gall.
a lib 2. c.16.
b præfat. Catechesi.
c suprà.
d 1.de nupt. cap. 18. & 19.
e lib 4.epi.7. & Serm.de Bapt. Christi.
f lib. 4.
g orat.de Baptismo.
h in Luc. c.8. annotat.26.

Hic posterior modus in exorcismis inest (vtitur Cyprianus voce adiurationis, & Tertullianus verbo exorcizandi) *quoniam subiiciuntur nobis Dæmonia, & pro potestate à* DEO *tradita serpentes hi, ac scorpiones calcantur* [p], vt explicat Athanasius [q], ac Titus Bostrenus [r].

Alia reperitur adiurandi notio, quamuis non huius loci,pro eo quod est, quempiam impellere ad iurandum, quando grauius incidit negotium, & in dictis, seu promissis, atque pactis firmitas exigitur,& certitudo [s]. Talis censenda Sacerdotū in Lege vetere adiuratio super suspectas de adulterio [t].De verbo Græco, iam dixi Latinitate donatum,eóque vsum Tertullianum, cui adde Scriptores rituum sacrorum, Cyrillum etiam Ierosolymitanum [u], & Chrysostomum [x], & Augustinum [y],& Cælestinum [z], & Lactantium [a]. Exorcistarum nomen vsurpant iidem, Cyrillus [b],& Chrysostomus [c], & Augustinus [d], item Cyprianus [e],Optatus [f],& Nazianzenus [g]. De significatione verbi adiurandi, lege Toletum [h]. E

Versus 14.] Erant autem quidam Iudæi Sceuæ Principis Sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant.

ERANT *autem quidam Iudæi Sceuæ.*] Quidam codices: *Erant autem quidam Sceuæ Iudæi septem filij*,&c. Alij: *Erant autem cuiusdam Sceuæ Iudæi*, &c. Alij: *Erant autem cuiusdam Iudæi nomine Sceuæ*, &c. Græcè: Ἦσαν δέ τινες υἱοὶ Σκευᾶ Ἰουδαίου ἀρχιερέως ἑπτὰ, *Erant autem quidam filij Sceuæ Iudæi Principis Sacerdotū,septem.* Lectio,quæ est in Bibliis emendatis, proximè accedit ad Græcam: in omnibus verò idem sensus est. Solùm aduertere oportet,*Iudæi*,esse numeri singularis,ac genitiui casus. Mitto septenarij mysteria, quæ hîc obseruat Beda(hisq; plura Petrus Bongus [i],ac nescio quis alius propriò tractatu de septenario) vel etymologiam nominis *Sceuæ*.

i de mysteriis numerorum.

Quomodo autem Sceua dicatur Princeps Sacerdotum, cùm propriè vnicus esset summus Sacerdos in Ierusalem, lege caput quartum [k].

k vers.6.

Qui hoc faciebant.] Velut exorcistæ, Dæmones adiurabant,hoc est,adiurare solebāt,videlicet non vnà omnes, vnóve loco: quæstuarij enim erant, sicut eos Cyprianus [l] vocat, atque Chrysostomus [m]: quæstum verò singuli seorsim vacantes operi maiorem facturi erant,& exorcismus maiore cōtentione,& emphasi à singulis,aut paucis semel fit, quàm semel à multis. Indicantur paulò pòst duo soli id fecisse.

Hi exorcistæ quæstus causa Dæmones eiiciebant.
l Serm. de Bapt. Christi.
m hoc loco.

Videtur hoc eorum consilium,si inuocato IESV nomine,succederet eiectio Dæmonum, cùm minimè crederent illum esse Saluatorem, & CHRISTVM verum, dicerent non esse IESVM auctorem illius doctrinæ, quam prædicabat Paulus; quòd ab ea doctrina dissidentes, nomen id haberent in vsu: si non succederet,exclamarent, inane id nomen esse,atque prorsus inefficax.

Cur ipsi hoc tentarent facere.

Versus 15.] Respondens autem spiritus nequam, dixit eis: IESVM noui,& Paulum scio:vos autem qui estis?

IESVM *noui, & Paulum scio.*]*Comprehendit* DEVS hoc responso *sapientes in sapientia, & prudentes in astutia sua* [n], & elusit stultum consilium,suis ipsorum armis in eos retortis prostrauit illos, eorumque vsus est calliditate aduersùs ipsos, eosdem veluti in flagranti delicto comprehendit, vinculis astrinxit, & ex ipsorummet astutia reti contexto, ac expanso,illaqueauit;fugientes,iniecta quodammodò ἰσχυρᾷ manu, denique reprehendit, & arguit.Lege Pinedam [o].

n Iob.5.13. 1.Cor.3.19.

Coactus est Dæmoniacus IESV potentiam fateri.Pauli veracem doctrinam approbare,atque architectos technæ, vt paulò pòst videbimus,opprimere;nunc exprobrare imbecillitatē,ac errorē, quasi nihil essent,nisi vilia Diaboli mancipia.Hæc est enim verborum illorum ἐνέργεια.

o Iob.5.13.num. 1. & seq.
Dæmon quid fecerit coactus est.

Vos autem qui estis?] Exaggerat Cyprianus [p] hoc responsum;& quòd exorcistis obedierit Dæmon propter officium, & ritè inuocatum IESV nomen eo modo, quo præcepit CHRISTVS: *Vt sedentibus in cathedra Mosis* [q],*dum agunt,quæ ad cathedram pertinent, pareamus.*

p Serm.de Baptism.
q Matt.23.2.

Arbitror solius nominis IESV, obvim, & maiestatem compulsos egredi Dæmones, nulla ratione propter officium, quod illi exorcistæ gererent: neque enim spectabant ad Hierarchiam

Qua ratione hi Dæmones exierint.

Ecclesiasticam. Cyprianus voluit dũtaxat eo loco apud nos esse Doctores, ac Pastores nostros, quo erant, qui in Lege sedebant super cathedram Moysi; atque idem de exorcistis *κατ' ἀναλογίαν*, esse iudicium.

Illud placet, quòd verba illa, *Vos autem qui estis?* per hæc interpretatur, *Vos autem penitus ignoramus.* Tum præterea, quòd totum responsum sic paraphrasticè: CHRISTVM scimus, & Paulum nouimus; & in nomine CHRISTI, quẽ Paulus prędicat, adiurati egredimur; vos autem penitùs ignoramus.

a orat. 1. contra Iulian.
b Theod. 3. Hist. cap. 3.
c 3. Dialog. cap. 7.

Nota est Iuliani apud Nazianzenum [a], Historiámq; Ecclesiasticam [b], & Iudæi apud Gregorium Magnum [c], ex Crucis impressione in præsenti Dæmonum periculo præsens, ac ingens vtilitas.

A Dæmone veritati datur testimonium.
d Matt. 8. 29. Marc. 5. 7.
e cap. 16. 18.

Constat veritati datum à mendaci Diabolo coactum non semel testimonium [d], cùm pariter scire, ac nosse se CHRISTVM proclamaret. Huiusmodi testem reiecit anteà Paulus [e], nunc dissimulat; quia satis seipsum quis sit Dæmon prodit, vel ipsa puniendi subdolos accepta potestate diuinitùs. Neque verò etiam compescuit eosdem exorcistas, quos non ignorabat fraudulentè lucrum captare, & maleuolè insidiari Euangelicæ doctrinæ, ne idem CHRISTI, quod ipse prædicaret nomen, inuocantibus inuidere videretur.

Cur Dæmon Christi nomen non blasphemauerit, & Pauli doctrinæ non detraxerit.

Non est ausus Dæmon maledictis proscindere nomen CHRISTI, vel detrahere doctrinæ Pauli, ne grauiùs torqueretur, cùm sciret sibi concedi illos vlcisci, quos huius nominis, ac doctrinæ illusores fecerat. Deteriores homines nec pœnæ deterret metus à blasphemia, & maledicentia. Hæc omnis ferè tropologia Chrysostomi est.

Adiice denotari, licèt ab improbis quoque possint edi miracula, nonnunquàm impedimento improbitatem esse miraculis; aut propter minorem sanctitatem pauciora fieri, quàm fierent, quando hæc in pluribus maior emicabat.

f lib. 8. de Formul.
g 1. Æneid. & 2. & 6.
Tu quis es? contemptum secum affert.
h 2. Metamorph. & 3. & 11. & 13.
i in Penulo, Act. 5. Scen. 2.
k 4. de Põto, eleg. 4.
l Iliad. Φ. Odyss. H.

Vos autem qui estis?] Vsitata formula, qua ignoti significantur; vt etiam dixi cum Cypriano. Obseruat aliquot exempla Brissonius [f] in Virgilio [g], ac Ouidio [h] similis formulæ: *Quisquis es?* & huius: *Quis es?* in Plauto [i], & Ouidio [k]. Sed & contemptum importat, *Tu quis es?* significatúrque isto loquendi modo eiusmodi esse, quem alloquimur, vt non solùm sit indignus, qui veniat in aliorum notitiam; sed dignus quoque, cùm perspecta sit vilis, & prorsus abiecta conditio ipsius, qui perpetuo silentio tegatur, vel non memoretur nisi contemptim, & probrosè. Sic solet Homerus [l] dicere:

Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν;
Quis vnde es hominum?

m de garrulit.

Tale illud Plutarchi [m]: *Τίς εἶ, καὶ τίς σε οἶδε, καὶ πόθεν ἐπίστασαι ταῦτα; Quis es, & quis te nouit, & vnde scis hæc?* Tales vsurpat Atheus de DEO voces: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius* [n]? *Quis est Omnipotens, vt seruiamus ei* [o]? Tales subditi rebelles: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai* [p]? Tales, qui de seipsis humiliter sentiunt: *Quis sum ego* [q]? &c. Tales, qui quempiam spernunt: *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis* [r]? *Non enim dicimus*, inquit Gregorius [s], *Quis est iste? nisi de eo vtique, quem nescimus.*

n Exod. 5. 2.
o Iob. 21. 15.
p 1. Reg. 25. 10.
q Exod. 3. 11.
r Iob. 38. 2.
s 18. Moral. cap. 3. vel 7.

Versus 16.] Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimũ, & dominatus amborũ, inualuit contra eos, ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.

A

ET *insiliens homo.*] *Καὶ ἐφαλλόμενος ὁ ἄνθρωπος.* Vir erat, non fœmina, & tamẽ hanc frequentiùs obsidet, ac vexat Dæmon, propter eas, quas alibi [t] dixi causas. Fortassis *disrupit illorum vestes, & dedolauit illorum capita*, inquit Chrysostomus, notans hoc innuere *τὸ ἐφαλλόμενος*, *quódque Dæmonum magna quædam vis sit contra infideles: & idcirco permissum, vt in hos exorcistas exerceretur, quia erant irrisores, à quibus docendi alij fuerunt, deinceps nomen diuinum temerè non assumere, & Dæmonem, nisi testimonium illud anteà edidisset, saniam in istos accipiendi potestatem non fuisse: longè verò præstare à peccato immunem esse, quàm aut Dæmonum vexationem non experiri, aut etiam posse ad nutum eos exigere.* Lege quàm eleganter effecta externa, quæ in Dæmoniaci corpore existunt, in peccatoris anima demonstret. Vide etiam quæ aliàs attulimus hanc ipsam ad rem accõmodata, quo pacto solemne esset olim, vt excommunicatos cruciarent palàm, ac publicè Dæmones.

t cap. 16. 16.
Magna vis Dæmonum est contra infideles.

B

C

In quo erat dæmonium pessimum.] Insolitæ corporis vires præsentiam insidentis Dæmonij arguunt: sunt námque maiores interdum, quàm vt in phreneticis earum ex naturali affectione prouenire causa possit. De voce Dæmonij alio loco egimus; quamuis hoc loco non Dæmonium, sed *πνεῦμα*, id est, *spiritus*, legatur. Pessimum pro malo, siue nequam, vt priùs, Interpres posuit superlatiuum pro positiuo: quod aliàs quoque, & in aliis facit. Est enim in tota hac narratione positiuum nomen *τὸ πονηρὸν*. Eodem pacto in libro Iudicum [u], spiritus pessimus à DEO missus inter Abimelech, & habitatores Sichem, vocatur *πνεῦμα πονηρὸν*, רוח רעה *ruach rhabbah.*

u cap. 9. 23.

D

Dominatus amborum.] *Κατακυριεῦσαν αὐτῶν.* Syrus ואחחיל עליהין *vethechaijl bhalciahin*, id est, *Inualuit contra eos.* Præfert Gagneius lectionem, quæ nunc extat in libris Græcis, quia non de duobus, sed de septem Sceuæ filiis exorcistis, qui hæc tentauerant, agitur. Sed eadem in contrarium detorta ratio fauet magis editioni nostræ: nam, vt priùs ratiocinabar, non tam multi exorcismum simul faciunt. Si aderant septem forsitan, soli duo opus id exequuti sunt, & irreligiosè adiurationem illam per IESV nomen protulerunt. Planior tamen, aptiórque sensus est, vt duos tunc tantùm adfuisse asseramus. Carthusianus ait, *vel ceteros interim fugisse, vel præsentes non fuisse, quia non semper omnes simul hoc faciebant.* Nullum legi Latinum codicem, qui aliter haberet: Græcos verò nonnullos, in quibus est *ἀμφοτέρων*; qui etiam legunt in masculino genere *κατακυριεύσας*, referendo videlicet ad *ὁ ἄνθρωπος*; sicut neutrum participium ad *πνεῦμα*, *Dominatus enim est amborum.* Vel si Latiniùs loqui velimus, omisso Græcismo, quem Interpres non rarò retinet [x]: *Spiritus malus in homine habitans, & homo per habitantem in se malum spiritum.* Dominium hoc violentum indicat compositio, & quod sequitur: *ἴσχυσε κατ' αὐτῶν*, *Inualuit contra eos*; ita scilicet, vt Dæmoniaco resisti non potuerit etiam ab aliis, qui exorcistas ab iniuria, furiosum illum impedire à noxa, damnóque niterentur.

Cur duo tantùm ex septem filij hic vulnerati dicantur.

E

x vt Matth. 20. 23. Luc. 22. 25.

Ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.] Hoc est quod antè cum Chrysostomo diximus *effractas esse vestes exorcistarum, dedolatum caput*, seu id gladio factum sit, seu fuste, alióve instrumento,

Quomodo Dæmones miseros illos tractauerint.

aut etiam pugnis, & calcibus, & dentibus, si tam fortiter ligatus tenebatur energumenus, vt corripere gladium nequiuerit. Τὸ τετραυματισμένους, diuisionem, scissionémque denotat, vnde cruor manauerit, non contusionem, vel vibicem duntaxat.

Ceterùm nudatio lacerationem vestium importat, aut detractionem, quæ fit, cùm quis arctè detētus à retentāte vestes, illas fugiēs, vel dimittit, vel confringit. Id verum est, & accidit ferè solùm in superioribus vestibus, quas quisquis quolibet modo exuitur, nudus appellari potest, etiamsi nec intimas, nec interiores abiiciat.

David cùm saltabat ante Arcam, non erat nudus.
a 2.Reg.6.14.15.
b ibid. 20.

Non omninò nudus absque indusio, sed neque *cum hoc solo David saltabat ante Arcam: erat enim accinctus Ephod lineo* [a]: eum tamen Michol *discoopertum, ac nudum* vocauit [b]. Non etiam Saül *prophetans tota die, noctéque cum aliis Prophetis, & coram Samuele, nulla decori ratione habita, prorsus erat intecta carne, quamuis dicatur nudus, & expoliasse se vestimentis suis* [c]. De Esaia sunt qui putent, non aliter nudum ambulasse DEI iussu, quàm summas vestes deponendo, cui tantùm apparerent denudata crura, & incalceati pedes [d]. Ita quidem Forerius. Placet nihilominùs contraria, & communior B. Hieronymi [e], & Augustini [f], & Cyrilli [g] sententia, quam indicat quoque Ambrosius [h], qui hoc nomine commendant obedientiam Prophetæ, DEI præceptis nihil honestius iudicantis.

c 1.Reg.19.24.
Esaias veri nudus ambulauit.
d Esai.20.2.
e in Esaiam.
f citat Adamus, sed non locum.
g in Esaiam.
h in Psal.39.
i in Esaiam.

Accedit alia ratio Adami [i], seu potiùs Hieronymi, quam ille confirmat, quòd *sub saccis Prophetarum, & aliorum pœnitentium* (vtebantur eo habitu Prophetæ solēniter, & quasi propriè, vt colligitur ex Zacharia [k]) *erat nuda caro*, vt docet historia Regum de Achab [l], & alio Rege Israël [m], & Iob de seipso [n]. Clarius ad eandem nudi acceptionem in Petro exemplum est, qui *nudus in piscatu* dicitur, ac *tunica se succinxisse, vt audiuit adesse* CHRISTVM [o]: nempe vestes tantùm superiores deposuerat, quibus quam imposuit, tunica ἐπενδύτην nominatur, quasi *superindumentum*, vel, vt Theophylacto [p] placet, *linteum, quo Phœnices Syriique piscatores amiciebantur, seu nudi essent, seu vestiti*; vel, vt Euthymius [q], *paruam tunicam manicis carentem, ad genua vsque demissam*, qua qui in mari versabantur vterentur.

k cap.13.4.
l 3.Reg.21.27.
m 4.Reg.6.30.
n cap.16.16.
o Ioan.21.7.
p in Ioann.
q in Ioan.

Apostoli, & Christus super vestimenta togā habuerunt.
r Ioan.13.4.

Habebant Apostoli, sicut & CHRISTVS, qui loturus pedes illorum, posuit vestimenta [r], super interiora vestimenta, togam, quam exuerent, cùm quid laboriosi operis agendum esset; resumerent, cùm ab eo cessarent. Sic solemus thorace solo, caligísque vestitum vocare nudum.

Porrò denudatio, & vulneratio exorcistarum, typus quidam fuit generalis Iudæorum cladis, vt Arator canit:

Quid Iudæa ferox? iam non de clade timebis,
Quæ socio sic hoste peris, cui criminis auctor,
Punitórque idem est? ne sis te iudice pulsus,
Quo simul est peccante reus.

Versus 17.] Hoc autem notum factum est omnibus Iudæis, atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini IESV.

ET *cecidit timor super omnes illos.*] Timor fuit seruilis, qui horrorem incussit, animi peruicaciam non excussit: quemadmodum Hebræi, *cum occiderētur, reuertebantur ad* DEVM, *mox, timore decusso, concutiebant diuinam legem* [f]. Docet hoc aliquot etiam recentibus ætatis suæ exemplis Chrysostomus: *Et quid referuntur generalia*, inquit, *quot incidunt in morbos, qui promittunt, si surrexerint, pœnitentiam se acturos, & conuersuros, & illi ipsi manent?* Hoc de plurima parte Iudæorum concedi potest: magnus enim posteà diuini verbi prouentus narratur extitisse, & plus ad conuersionem terribilia, quàm vtilia contulisse; vt accidit etiam, cùm Ananias & Sapphira sunt extincti [t]: nam quod non potuerunt semicinctia, & sudaria, vestium, carniúmque laceratio potuit.

f Psal.77.34.
Multi in morbo afflguntur, promittunt se melius victuros, & postea nihil agunt.
t Actor.5.5.& 10.

Versus 18.] Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.

MVLTIQVE *credentium veniebant.*] Inter istos non videntur filij Sceuæ fuisse: *timuerunt enim Paulum*, ait Chrysostomus, dicens, *quòd inde multò clariores euasissent, ac sibi familiarem ipsum fecissent.* Imitati potiùs, opinor, sunt Philippenses illos, qui suo ex Pythonissa frustrati quæstu, grauiorem in Paulum persecutionem concitauerūt: sed & *pestilentiæ sedentes in cathedra* [u], *irrisores, ac illusores* CHRISTI, *atq; doctrinæ eius*, ægerrimè traduci ad veritatem possunt, & SPIRITVS *Domini fugit, fugátque fictum* [x].

u Psalm.1.1.
Iudæi qui ad pœnitentiam traduci possunt.
x Sap.1.5.

Hi autem qui crediderant, permoti tam luculento duplici testimonio à principe, principísve tenebrarum tenebrione satellite, cedente veritati, & cædente pseudolos exorcistas, confitebantur, & annunciabāt actus suos; siue, vt Syrus interpretatur, dicens ומשתעין סכלותהון ומודין במדם דעבדין הוו *vmeschthabhin sachelauthehun vmaudin bemedem debhabbedin hauu.* i. *Et renunciantes* (supple *erant*) *offensas suas, & confitentes id quod facientes fuerant*; vel, *renunciabant offensas suas, confitebantúrque quod fecerant.*

Caietanus credit, istam Cōfessionem non fuisse Sacramentum, sed tantùm in genere, vel publicam, qualis eorum erat, qui accedebant ad Ioannem *profitentes pœnitentiam vitæ* [y] *præteritæ.* Arias docet, *testatos esse mutationem in ipsis factam virtute* IESV CHRISTI *in se habitantis per* SPIRITVM *sanctum, atque in eo testimonio confessos quales anteà fuissent, quales redditi fuissent, per* IESV CHRISTI *efficientiam, atque huius Confessionis exemplum extare in Apostolicis scriptis.*

y Matt.3.6.

At Oecumenius, quem sequitur Gagneius, intellexisse videtur de confessione Sacramentali. *Oportet*, inquit ille, *vt vnusquisque fidelis* (quasi de iam baptizatis loquatur, qui alibi [z] quoque nomine credentium designantur) *peccata sua manifestet, atque eis, se arguendo, ita renunciet, vt non amplius committat, quo iustificetur, iuxta dictum* illud [a] (vt est in editione LXX.) *Dic tu peccata tua primus, vt iustificeris.* Gagneius autem prætereà colligit non sufficere Confessionem hodiernorum Hæreticorum, qui putant satis esse, *si te peccatorem agnoscas, nihilque boni in te prout ex te fore*; siquidem ad Confessionis nomen adiectum est hîc, quòd *illi annunciabant actus suos*: & ne de publica solùm quis accipiat, ea immediatè pòst subditur, cùm mentio fit de libris magicis publicè combustis. Stapletonus agnoscit in his verbis Confessionem vtramque, tum Sacramentalem, ac secretam, siue auricularē, tum quæ aliquandiu fuit vsitata in Ecclesia, publicā de magis enormibus flagitiis ex iudicio, & arbitrio Episcopi, aut sacerdotis pœnité-

Qui intellexerunt hanc Confessionem fuisse sacramentalem.
z Act.2.44. cap. 4.32. & 5.14. 1.Thess. 1.7 & alibi.
a Esa.43.26.
Confessio, quam admittunt hæretici, non sufficit.
Confessio in Ecclesia duplex, secreta & publica.

tiarij,

tiarij, postquàm priorem excepisset, vt colligitur ex Origene [a], & Augustino [b]. Probat autem, ponendo hos iam baptizatos fuisse, ob diuersas illas voces ἐξομολογούμενοι, καὶ ἀναγγέλλοντες. Nã Sacramentalis Confessio non à Græcis modò, sed à Latinis Græco vocabulo *exomologesis* nominatur [c]: vt proinde verisimile sit, hanc præcessisse apud Paulum secretò, deinde aliam publicam, cui responderit publica item satisfactio eorum, qui libros magicos combusserant. Fauent etymologiæ, & vulgares rationes vtriusque verbi, quoniam ἐξομολογεῖν, est veluti ἔξω ὁμολογεῖν, *foris fateri quomodolibet, ἀναγγέλλειν, palam, & publicè denunciare.* Consentit in eadem opinione Bellarminus [d], meritò reiiciens Lutherum [e], & Brentium [f], *per actus, quos hi annunciabant*, exponentes *miracula*: nemo námque miracula, planè diuina opera, dicit *actus suos*. Et ad istam exomologesim, & anangeliam impulit ingens timor: denique Syrus vertit, משתעין סכלותהון *meschthabhin sachelauthehun*, id est, *annunciabāt delicta*, seu *offensas*, & præter Chrysostomum, Oecumenium, aliósque Interpretes, qui sine dubio de peccatis intelligunt, ceteri omnes.

a in Psal. 37. hom. 2.
b Hom. vlt. ex 50.
c Iren lib. 1. c. 9. lib. 1. cap. 4. Euseb lib. 5. c. 37. Tertul. li. de præscr. lib. de ora. c. 6. de pœn c. 8 & 9. Cypr. ser. 15. de lapsis. & ep. 11. 15. 52. 62.
d li. 3. de pœnit. cap. 4.
e in sua versione.
f in hunc locum.

Hæretici eiusmodi interpretationem explodunt. Deinde confutat idem Bellarminus Kemnitij [g] duplex responsum, è quibus secundum est etiam Caluini [h], & Centuriatorum [i], *agi hoc loco de generali Confessione, qua Ephesij agnoscebant actiones suas ad normam verbi* DEI *non congruere*: vel, *illos in specie nonnulla peccata per modum exempli confessos, non omnia.* Etenim non propriè confiteri censetur actus suos, qui tantùm generatim dicit se peccatorem, & dicta verba Græca magis specificam expressionem denotant: & Syrum משתעין *meschthabhin*, à שעא *schabha*, enumerationem.

g 2. part. exa. conc. Tridēt. pag. 987.
h in hunc locum.
i Cent. 1. libr. 2. c. 4. column. 360.

Sed & cùm de peccatis Scriptura loquitur absolutè, de omnibus intelligi solet, immò debet, nisi per absurdas admittere sententias in eadem velimus. De omnibus profectò Daniel [k] intellexit, cùm Regi dixit Nabuchodonozori: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*: Angelus interpretatus etymon IESV [l]: *Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum*: CHRISTVS paralyticum curando [m]: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, quæ verba pronunciauit etiam dimittens in pace pœnitentem Magdalenam [n]: Ioannes indicando agnum DEI *tollentem peccata*, vel *peccatum mundi* [o]: Paulo Ananias [p]: *Ablue peccata tua.* Vt infinita alia loca prætermittam, Canisius [q] hoc idem Ephesiorum exemplo argumentatur, Confessionem non Catechumenorum, cuiusmodi fuit accedentium ad Ioannem [r], sed relapsorum post Baptismum, confirmátque Basilij [s] auctoritate. *Hic docet peccata non cuiuis confitenda, sed quibus credita est dispensatio mysteriorum* DEI [t], sicut olim confitebantur quidam Ioanni, & in Actis, Apostolis ipsis, à quibus etiam baptizabantur cuncti.

Scriptura cùm loquitur de peccatis, de omnibus est intelligenda.
k cap. 4. 24.
l Mat. 1. 21.
m Mat. 9. 5.
n Luc. 7. 48.
o Ioan. 1. 29.
p Act. 22. 16.
q l. 1. de corru. verbi Dei. ca. 1.
r Mat. 3. 5.
s Reg. 228. ex breuio.
t 1. Cor. 4. 1.
u lib. de conf. necess. c. 1. & 3. p. disp. 7. q. 9. punct. 2.
x 1. de Pœn. cap. 2.
y 4. Panopl. c. 66.
z cont. hære. ver. cōfessio.
a de sacram. pœn. c. 47.
b in explic. Artic. art. 5.
c de conf. lib. 1. cap. 1.
d in instr. sacerd. lect. 1. de necess. conf.
e Tom. 1. Annal.
f Tom. 4. tra. 4. & tom. 12 tract. 49.
g lib. 5. contra Caiet.

Eandem sententiam sequitur Gregorius de Valentia [u], & Enriquez [x], & Lindanus [y], & Castro [z], & Hosius [a], & Taper [b], & Eckius [c], & Petrus Soto [d], & Baronius [e], & Salmeron [f], & plures alij in Tractatibus de Confessione, vt non immeritò Catharinus [g] Caietani fiduciam nimiam reprehendat, cùm is in Commentario huius loci, vt iam recitaui, tenens contrariam sententiam, eam proculdubiò asseuerat.

Equidem terreor tam multorum de hoc loco pro priuata, & Sacramentali Confessione iudicio, ne definitè aliquid iudicem. Non ausim tamen etiam in hoc ipso iudicio illud Caietani *proculdubiò* vsurpare, vt nec sentientis contrarium Baronij *certum est*: nam excipere quispiam posset, sermonem non esse de iam baptizatis, sed de Catechumenis, iámve animo, ac voluntate propensis ad doctrinam Pauli, & Christianam religionem, vt non rarò in superiore hac historia tota [h], in qua ante Baptismum quidam credidisse dicuntur, vel *credentes conuersi esse ad Dominum*: quamuis non ignorem absolutum nomen *Credentium*, sicut & *Fidelium*, de consummatè Christianis, hoc est, baptizatis, intelligi.

Auctor nō omninò asseuerat iis, qui hunc locum de confessione Sacramentali interpretantur.
h cap. 4. 4. c. 5. 14. c. 8. 12. 13. c. 11. 21. c. 16. 31. 34.

Adhæc videtur Lucas loqui de illis, quos proximè antè nominauerat Gentiles, ac Iudæos, qui nimirum timore correpti propter cæsos exorcistas à Dæmoniaco, & CHRISTI magnificantes nomen, accurrerint ad Paulum, ex eo timore conceptam de vita præterita pœnitudinem illi demonstrantes, ac peccata etiam, præsertim quæ pertinebant ad malas, & superstitiosas artes, quales iudicabantur exercuisse dicti exorcistæ, & cum sacrilegio suo sacrum IESV nomen immiscuissent, pœnas dedisse. Nam Christianos neophytos, quamuis in vrbe superstitiosissima, præsente adhuc ibi Apostolo, ad impuras superstitiones tam citò reuertisse, libróśque id argumentum continentes habuisse, ac triuisse, vix mihi persuadeo.

Postremò Basilius, cuius me penitus auctoritas opprimeret, fallor, nisi contrarium indicat. Ait enim *in Actis haberi, Apostolis peccata confessos, à quibus & baptizabantur cuncti.* Idem verbis ipsissimis docet Anastasius Nicenus [i]. Non vrgeo multitudinem Apostolorum: potest námque esse enallage numeri; Baptismus non conferebatur ordinariè à Paulo [k], nec forsan ab aliis Apostolis, nisi dicamus ab iis, quia eorum iussu per illos, quibus mysteriorum dispensationem tradidissent: & constat Samaritanos baptizatos à Philippo Diacono [l]. Illud quod scribit Basilius, *A quibus etiam baptizabantur cuncti*, non minùs accipi potest post Confessionem, quàm ante; immò vt respondeat alteri exemplo eorum, qui Ioanni confitebantur, meliùs antè, baptizabat siquidem Ioannes iam confessos.

Basilius exponitur.
i q. 6. in Scrip.
k 1. Cor. 1. 17.
l cap. 8. 12.

Beda [m] sanè vtramque Confessionem intellexit eodem pacto. Perpende verba eius declarantis Marcum, qui Marcus in his verbis videtur potiùs Confessionem Baptismo postponere [n]: *Et baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua, ἐξομολογούμενοι.* In tempore præsenti *exemplum*, ait Beda, *confitendi peccata, ac meliorem vitam promittendi datur eis, qui Baptisma accipere desiderant: sicut etiam prædicante Paulo in Epheso, multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos, quatenus abdicata vita veteri, renouari mererentur in* CHRISTO.

m In c. 1. Mar.
n cap. 1. 5.

Et ne de renouatione per Sacramentalem pœnitentiam loqui suspiceris, præterquàm quòd renouatio in CHRISTO simpliciter sumitur de ea, quæ est per Baptismum [o], subdit: *Vnde etiam B. Petro ostensis in linteo cœlesti diuersi generis animantibus, dictum est* [p]: *Surge Petre, & manduca; quod est apertè dicere: Occide infideles ab eo, quod fuerant prius, abrenunciatione scelerum, & promissione piæ religionis, ac sic fides Christiana Sacramentis imbutos, in sancta Ecclesia membra commmuta.*

Renouatio in Christo propriè fit per Baptismum.
o S. Tho. 3. p. q. 90. art. 4. in corp.
p Act. 10. 13.

Accedit quòd nullus ex antiquioribus Theologis probat hoc ex loco Sacramentalem Confes-

A sionem, neque vel Concilium, vel Catechismus Concilij Tridentini: neque ex recentioribus nonnulli, qui hoc tamen accuratè sunt argumentum persecuti [a]: immò, vt postea dicam, aliqui negant hic agi de illa. Gratianus [b] vtitur tantùm illo ad probandam necessitatem pœnitentiæ, sicut & aliis, qui de Sacramentali nullo pacto concludũt. Michaël de Palatio [c] apertè docet, Confessionem auricularem nec hinc colligi, nec ex citato Basilij testimonio: atque hoc nomine Catharinũ arguit, quòd Caietanum id negantem reprehenderit. Andreas Vega [d]: *Verba*, inquit, *ex Actibus referri possunt ad Confessionem quandam in genere, quæ sicut tempore Joannis ante Baptismum ipsius, ita tempore quoque Apostolorum à suscipientibus* CHRISTI *fidem fiebat, antequàm daretur eis Baptismus* CHRISTI.

B Eusebius [e] planè supponit, & hos, & illos, qui libros magicos combusserunt, immediatè priùs fuisse Gentiles, & non Christianos: quia verò confessi sunt, hoc ideò fecisse, quòd orationis vi Apostolus intimam auditorum conscientiam attingeret, adeò vt nemo ampliùs occultare posset, sed se quodammodò prodere cogeretur. Augustinus [f] idem significat. Arator autem disertè ita sentit, aitque, hoc miraculo venisse ad Baptismum, & illos, qui combusserant libros, id fecisse, vt impetrarent Baptismum.

Ast alij magicis ponunt incendia libris,
Vt mereantur aquas, & vitent ignibus ignes.

C Denique Basilius non quemlibet Christianum in regulis instituit, cui nec dubium poterat esse, non omnibus passim confitenda peccata sacramentaliter, sed habenti potestatem clauium, & dispensationem mysteriorum DEI. Res illi est propriè cum Monacho, cui præcipit, ne prætextu spiritualis commodi aperiat alteri peccata, quàm qui simul cum consilio, absolutionis quoque, si sit opus, remedium præbere possit. Id autem maximè potest proprius Præpositus, si sit Sacerdos, vel quem is huic muneri deputauerit. Alioqui nemo dubitat, Ioannem audire aliorum peccata ex officio distinctè non debuisse, ac Baptismum, qui etiam necessarius non erat, conferre potuisse iis, in quibus D pœnitentiæ signa citra Cõfessionem peccatorum distinctam deprehendisset.

Quia verò recepturis Baptismum similis item pœnitentia necessaria erat, sicut & Petrus eam exegit [g], & Paulus [h]; & qui Baptismum poscebãt, primis illis Ecclesiæ principiis accurrebant, & suam illam pœnitentiam declarando, & cordis compunctionẽ [i], se quoque profitebantur peccatores, potuit rectè Basilius dicere, & vniuersè ex hac historia confirmare (nullum enim certum locum exprimit) *quòd Apostoli confitebantur homines, a quibus etiam baptizabantur cuncti.*

E Lege aliam eiusdem regulam [k], in qua pariter tradit, *Non debere apud omnes peccata enunciari, sicut & in apertione vitiorum corporis accidit, sed iis tantummodo, qui possint ea curare, consentaneum in modum illi, quod scriptum est* [l]: *Vos, qui firmiores estis, imbecillitates infirmorum portate, hoc est, tollite, diligentia, & cura vestra.*

Hoc Sanè ad Sacramentalem Confessionem propriè non spectat. Basilium mihi transcripsisse Anastasius Nicenus [m] videtur, quamuis inserat nonnulla de Confessione Sacramentali, & de potestate clauium.

Porrò quod alij ex verbis Græcis argumentantur, illorum notio non magis concludit, vel mentio Confessionis actuum, quàm pro Confes-

A sione, quæ Ioanni fiebat, voces etiam *exomologesis*, & *peccatorum*; videlicet vtrobique Confessionem de peccatis fuisse, non penitùs tantùm generalem, qua se quis in genere duntaxat diceret esse peccatorem. Aliæ circumstãtiæ aliis in locis, quæ citabantur, exigunt, vt peccata simpliciter posita de omnibus lethalibus accipiantur.

Relinquo suam alteri sententiæ probabilitatem: solùm admoneo, vim argumenti quisque vt expendat priùs, quàm in certamen descendat. Res tanta Confessio Sacramentalis & secreta, siue auricularis, & publica (potest námque & hæc sacramentaliter fieri aliquando) certis omninò aliis, miniméque dubiis testimoniis, & exemplis con-B firmatur. His, quæ nunc meum proferre non est, si quis istud adiungat, non sine operæpretio aliquo faciet, atque fortasse vel eo vno persuadebit, aut nonnihil adminiculabitur aliorum pondere locorum propensis ad veritatem.

Perplacet mihi modesta Hieronymi, & proposito meo accommodatissima sententia, dum satis tritam expositionem de ossibus aridis apud Ezechielem [n], pro Resurrectione putat ipse non esse congruentem literæ, sed ænigmaticè Prophetam eo modo mortuam populi spem excitasse. *Qui autem aliter*, inquit, *interpretantur ista, non debent nobis facere inuidiam, quòd istum locum aliter expo-C nẽtes, Resurrectionem negare videamur: scimus enim multò robustiora testimonia, & in quibus nulla sit dubitatio, reperiri.* Vbi autem ex his quædam protulit, subdit: *Ex quo perspicuum est, non nos Resurrectionem negare; sed hæc non scripta de Resurrectione contendere, & per Resurrectionis parabolam de restitutione Israël prophetari, qui eo tempore captiuus erat in Babylone. Nec statim Hæreticis occasionem dabimus, si hæc de Resurrectione communi intelligi denegemus.*

Versus 19.] Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, inuenerunt D pecuniam denariorum quinquaginta millium.

MVLTI *autem.*] Nouam narrationem indicari particula *autem*, nonnunquàm ostendi superiùs [o], & versu præcedente docui, non videri hos Christianos. Quocirca si illi alij Christiani erant, censenda erit noua hæc de Gentilibus narratio; si non erant, adhuc tamen diuersos fuisse vtrosque, præ se fert dictionis forma. Et fieri potest, vt priorum exemplo, qui suos confessi palàm actus essent, ac denunciassent, illos maximè, qui spectarent ad superstitionem; posteriores illi, quos eius argumenti haberent libros, inflam-E mandos producerent, vel inductione Pauli, vel instinctu diuino, siue ad execrationem, siue ad aliorum documentum.

Syrus penitùs seiungit, ait enim: סגיאא דין ואף חרשא *sagaiae dein veaph charesche*, id est, *Multi porrò etiam ex Magis*, &c. Quod me valdè etiam mouet, ne credam Christianos fuisse, quemadmodum existimant Auctores illi, qui libros comburendo, impositam in Confessione Sacramentali pœnam soluisse priùs volebant. Quibus prætereà Eusebius [p] contradicit, cùm, vt probet CHRISTVM præstigiatorem non fuisse, vtitur hoc argumento, quòd Discipuli Gentiles istos præstigiis infames adeò commutarint, vt libros inter-

dictos

a vt Suarez in 3. p. Marianus Victorius in hist. de sacra. confessionis.
b cap. voluissent. de pœn. dist. 1 § final. c 4. dist. 17. dis 5 pag. 243. columna 1.
Quinam hunc locum de Confessione sacramẽtali non intelligant.
d lib. 13. de iustific. c. 28.
e 3. de Demõstrat. c. 8.
f in Psal. 61. post exposit. Psalm.
Basilius explicatur.
g Act. 2. 38.
h cap. 26. 20.
i cap. 2. 37.
k Regul. 229. ex Breui.
l Rom. 15. 1.
m q. 6 in Scri.
Quamobrem Hieronymi auctoritate hæc explicatio non sit reijcienda.
n cap. 37. 1. & seq.
o vers. 4. & 5.
Quinam hi fuerint, qui libros comburendos tradiderint.
p 3. de Demõstrat. cap. 8.

dictos in conspectu omnium comburerent.

Qui fuerant curiosa sectati.] Τὰ περίεργα πραξάντων. Syrus, חרשא *chareſche*, id eſt, *ex Magis*. Vatablus: *Qui curioſas artes exercuerant*, magicas videlicet, vtpote quibus exercendis homines curioſiores ſint, quàm conueniat.

Epheſina ciuitas infamis erat, vt attigi priore capite [a], magicis incantationibus, Apollonio Tyanæo illas ibi maximè profitente, vbi & pro DEO habitus, & ſtatua donatus eſt, vt ſcripſit Philoſtratus [b]. Celebrabantur Epheſiæ notulæ, vocéſque, quibus vtentes in omni certamine victoria potirentur. Suidas [c] refert, Mileſium quendam cum Epheſio in Olympiis palæſtra depugnantem nihil potuiſſe, quòd patrios is characteres illos haberet; ſimul verò Iudices rem aduertiſſent, ac adimi literas iuſſiſſent, qui iam triginta defatigarat, ſuccubuiſſe. Earundem notarum beneficio Crœſum è rogo liberatum meminit Euſtathius [d]. Plutarchus [e] item auctor eſt, per hæc nomina Epheſia Dæmoniis obſeſſos liberatos. Heſychius [f] recitat nonnullas ex illis vocibus, vt ἄσκι, κατάσκι, αἴξ, δαμναμενεὺς, αἴσιον, τετραξ, id eſt, *Tenebra, lumen, ipſe, Sol, verum*: vtrimque enim interpretatio excidit. Anaxilas apud Athenæum [g] mentionem facit de iiſdem, quas neſcio quis Philoſophus habens in deliciis, geſtaret in conſutilibus pelliculis. Euſtathius illa verba obſcura, ænigmatibus ſimillima, neutiquàm cohærentia, teſtis eſt inſcripta fuiſſe in pedibus, zona, & corona Dianæ. Lege adagium, *Literæ Epheſia*, quod poſt Diogenianum declarat Auctor Chiliadum [h].

Hieronymus in præfatione Commentarij ad epiſtolam, quam ſcripſit Apoſtolus Epheſiis, obſeruat in hac metropoli Aſiæ ciuitate idololatriã, &, quod ſemper idololatriam ſequitur, artium magicarum præſtigias maximè viguiſſe: atque proptereà *triennio ibi Paulum moratum eſſe nocte* [i], *& die*, DEI *Euangelio prædicando*, vt idololatriæ arce deſtructa, facilè minorum vrbium templa caperentur. In epiſtola verò ſenſus obſcuros, & ignota ſeculis Sacramenta congeſſiſſe, & de ſanctarum, contrariarúmque virtutũ docuiſſe poteſtate, quid ſint Dæmones, quid valeant, quid antè fuerint, & quomodo poſt aduentum CHRISTI ſunt diruti, atque deſtructi; & ſibi *eo loco magnum apertum oſtium eſſe, aduerſarios autem multos, vt vincto forti, atque ſuperato, domum eius inuaderet, ſpoliaret, euerteret, & captiuam duceret captiuitatem*, qui ſatellitum ſuorum agminibus congregatis, tota contra Apoſtolum acie dimicauit, & victus eſt. Chryſoſtomus [k] propter celebre nomen Philoſophiæ apud Epheſios, de quo dixi quoque capite præcedente, ait, *magno ſtudio opus fuiſſe Paulo ad eos ſcribenti, & profundiores ſenſus, ſublimiorésque ſententias, ac dogmata ipſis tradidiſſe, & quæ nuſquam ferè eſt loquutus, ea dicere in illa epiſtola*. Eandem Haimo [l] penè omnibus difficiliorem aſſerit: *Quia ſicut cor*, inquit, *in medio ventris, ita iſta in medio corpore epiſtolarum conſiſtit*.

Non eſt ergo mirum, ſi reperirentur Epheſi, qui de rebus curioſis, quas ſcrutari, & ſcire leges prohibent diuinæ, & humanæ, libros haberent: magiam enim naturalem, & honeſtam quandam inueniri aliàs docui [m], quam Apollonium Tyanæũ tenuiſſe, & exercuiſſe credi poteſt Iuſtino [n]; ita tamen, vt malam præcipuè, de qua poſtulatus eſt apud Domitianum Cæſarem. Vide quæ ſcribit Euſebius aduerſùs Hieroclem, in Philoſtrati, qui Apollonij encomiaſtes eſt, hiſtoriam, vel potiùs fabulam.

[a] Epheſi magia erat... c. 19. [b] l. 4. [c] in Lexico. [d] Odyſ. [e] Sympo. lib. 7. qu. [f] Lexico. [g] l. 12. [h] Chiliad. 2. 7. [i] Act. 20. 31. [k] in epi. ad Epheſios. [l] in epi. ad Epheſios. [m] ... & 26. [n] ... *Epheſi maximè latria, & magia.*

Oecumenius in his libris vtiles etiam res fuiſſe docet; nihilominùs curioſi vocantur, propter admixtionem plurium inutilium, aut non honeſtarum, & licitarum; continebantque, ſi credimus nonnullis, quos refert Michaël Medina [o] (qui memoria fallitur, cùm ait, *ad Barnaba etiam prædicationem, non tantùm Pauli, illos arſiſſe*) cabaliſticas vanitates, & inſanias.

Latè patet vitium curioſitatis, quod virtuti ſtudioſitatis opponitur per exceſſũ; quando quis cognoſcere ſtudet plus, quã expedit, aut ſicut nõ expedit. Nã *qui ſcire, vt ſe at, vult, non tendens ad altiorẽ finem, qui eſt* DEVS, *vanè curioſus eſt*, vt ait Auguſtinus [p], & Bernardus [q]. Prætereà qui in eorũ ſtudio occupatur, quæ ſcire eũ, tametſi per ſe nõ ſint mala, minimè conuenit: vt ſi Sacerdotes (quos hoc nomine reprehendit Hieronymus [r], multáque in Iure Canonico extant de eadem re [ſ]) dimiſſis Euangeliis, & Prophetis, Comœdias legant, & amatoria bucolicorum verſuum verba cantent. Deinde ſi ſcietia quæratur à Dæmone per expreſſam, vel tacitam ipſius inuocationem. Poſtremò, ſi quis velit cognoſcere quæ ſuperant humanam facultatem.

Quapropter curioſi eſſe prohibemur, inquit idem Auguſtinus [t], *quod magnum temperantiæ munus eſt*. Et verò Epheſiorum vox de ſeipſis erat: *Nemo de nobis vnus excellat* (cùm Hermodorum ciuẽ ſuum propter excellentiam ingenij, & doctrinæ, quódque frugi eſſet, in exilium deportarunt) *ſed ſi quis extiterit, alio in loco, & apud alios ſit* [u]. Lege B. Thomam [x].

Contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.] Syrus, כנשו חתביהון ואיתיו אוקדו אנון קדם כל נש *channeſchu chethbaihun vaiethiu auekedu innun kedam cul naſch*, id eſt, *Congregauerunt libros ſuos, & attulerũt, & cremarũt eos coram omni homine*; vel, *Congregarunt libros ſuos, illatóſque concremauerunt coram omnibus*. Συνενέγκαντες τὰς βίβλους, κατέκαιον ἐνώπιον πάντων. Magis propria inductione animi, quàm Apoſtoli præcepto, vel ſatisfactionis Sacramentalis nomine id arbitror feciſſe, prout antè dixi. Eſt hoc admodùm illuſtre exemplũ fructus digni pœnitentiæ, atque ſatisfactionis, tametſi vltrò ſuſceptæ pro peccatis, & præcidendæ ſtirpitùs horum occaſionis; ſicut cùm Moſes vitulum comminuit [y], Ezechias [z], ac Ioſias [a], æneum ſerpentem, aras, ac templa idolorum, quamuis ſumma impenſa eſſent ædificata.

Deinde documentum hîc editur, impuros & impios, atque noxios omnes libros non prohibendi ſolùm, ſed etiam concremandi. Dixi capite XVII. Athenienſes flammis tradidiſſe libros, qui Atheiſmo fauerent, & Romanos eos, qui maledicta, & conuitia in Magiſtratus. Libros Amorum ab ſe compoſitos Ioannes Picus Mirandula [b], & nonnulli prætereà noſtro ſeculo exuſſerunt, aut ſe ſcripſiſſe, ſcripto deplorauerunt. In his Rauiſius Textor ſub mortem deteſtatus eſt ſuperioris vitæ in ſcribendo luxum verſu extemporaneo:

Ite mali verſus, animam qui perditis, ite.

Idem fecit Laurentius Gambara, & Petrus Bembus, & Franciſcus Petrarcha, & Torquatus Taſſus, & Petrus Ronſardus, & M. Antonius Muretus, & Æneas Siluius [c]. Idem proditum etiam eſt de Platone Homeri ad hoc propoſitum præfato verſum:

Ἥφαιστε πρόμολ᾽ ὧδε· Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει.

Nunc opus eſt, Vulcane lubens accede Platoni.

Virgilius quoque moriturus mandauit poëma exuri,

Libri, qui combuſti ſunt, quadã etiam continebant. [o] lib. 2. de Fide c. 7. *De vitio curioſitatis, quàm latè pateat.* [p] de vera relig. c. 29. & de morib. Eccl. cap. 21. [q] Serm. 2. in Cantica. [r] ep. ad Dam. de filio prodigo. [ſ] de honeſt. Cleric. & diſt. 37. [t] de morib. Eccleſ. c. 21. *Epheſiorum vox execranda.* [u] Cic. 5. Tuſc. [x] 2. 2. qu. 166. & 167. *Epheſij hoc magis propria ſponte, quàm Apoſtoli iuſſu fecerunt.* [y] Exod 32. 20. [z] 4 Reg. 18. 4. [a] 2. Par. 34. 4. *Libri impij, & impuri flammis tradendi.* [b] Ioan Fran. in vita ipſius. [c] epiſt. 114. & 395. *Virg lius moriẽs mandauit ſua carmina exuri.*

exuri, propter fortasse confictam Didonis impudicitiam, licèt Augustus, Tucca, Varrus, amicíque alij, ne fieret, intercesserint. Metrocles id in suis libris cùm faceret, dicebat,

Τὰ δ' ἐς ἐνέρων νερτέρων φαντάσματα.

Sunt inferorum hæ somniorum imagines.

Nonnus, nobilissimus Poëta Christianus, Dionysiaca obscœna carmina comburens, ad res sacras stylum conuertit. Illud Heliodorus Tricensis Episcopus, vt memorat Nicephorus [a], facere cùm renuisset, à Synodo Prouinciali Episcopatu abire iussus est.

Noluit Heliodorus sua carmina comburi, & Episcopatū amisit.
a lib.12.c.34.

Liuius [b] prodit datum negotium Magistratibus in sacrilegos libros diligenter inquirendi, & in auctores animaduertendi. Meminit quoque Valerius Maximus [c], Plinius [d], Tacitus [e], Augustinus [f]. Legendus item auctor Theatri vitæ humanæ [g]. Id munus Ædilibus propriè mandatum indicat Tacitus [h], agens de Cremutio Cordo. Quid eo in genere præstiterit Augustus adeptus Pontificatum, scribit Suetonius [i]. Extat Pauli Iurisconsulti [k] responsum, atque Vlpiani [l] de comburendis magicis libris, & improbatæ lectionis. De libris Astrologiæ iudiciariæ iudicium idem fuit: nam eiecti sunt ab Vrbe Astrologi, libri verò ipsorum inflammati, vt scribunt Dio [m], & Tacitus [n]. Valerius verò Maximus [o] auctor est, ex auctoritate Senatus per Prætorem vrbanum libros crematos esse, qui nonnihil videbantur soluere religionem: & sanxerunt Honorius, atque Theodosius [p], vt in oculis Episcoporum libri Mathematicorum concrementur. De libris Hæreticorum abundamus tum exemplis, tum Constitutionibus, vt exurantur: horum Bellarminus [q] accuratè meminit præter alios [r], necnon hinc inde in Annalibus Baronius. Non sanè magnum sentiret damnum Ecclesia, si etiam bonos à malis Auctoribus istis libros editos aboleret; vel separatim melioris Auhoris titulo, quæ ab iis malè sunt prolata, nobis proponeret: quomodo narrant Plutarchus [f], & Gellius [t] *optimam viri improbi, ac impuri sententiam pro Republica Lacedæmonios repudiaturos fuisse, nisi intercessissent Ephori, vt è Senatoribus vnus eandem pronunciaret tanquàm suam.* Refert prætereà legem Græcorum Plutarchus, per quam libri scelestorum hominum etiam boni iubebantur tolli è medio, vt Auctorum memoria deleretur.

Libri noxij & perniciosi etiam apud Ethnicos damnati.
b li.29.& 40. c lib.1.cap.1. d lib.13.ca.13. e in vita Agricolæ. f 7.de Ciuit. Dei.c.34. g volum.3.li.10. h 4.Annal. i in Aug.c.31. k ad legem Cornel. ff. de sica.& venef. l l.4.§ tantūdem. ff. fam. ercisc. m lib.49. n lib.17. o lib.1.cap.1. p l.Mathematicos. C. de Episc. aud. q Tom.1.lib. 3.de laicis.ca.20. r vt Sixtū Senen. & Gabr. Puterbæū in Theotimo, & Iacobum Simancam in Inst. Cathol. tit. 38. & Castro 2.de iusta hæret. punit. c.15. & Conr. Brunum 6.de Hæret.c.6. f in apophth. t lib.18.cap.3.

Non decet Christianos minùs esse in curiosis, ac furiosis, & iniuriosis vrendis libris incuriosos, quàm fuerunt in sacris, & diuinis primùm Antiochus [u], posteà Diocletianus [x], tum etiam Ariani [y], aliíque Hæretici. Nec aptior talium librorum abolitio, quàm per ignem decerni potest, qui Magis, Hæreticis, impuris hominibus lege decretus est. Quæ sacrilegos causa impulit, vt Christianos flammis, tanquàm Magos ab ipsis habitos, magis solemni, & ordinario supplicio tollendos censuerint. Cùm Labieni ex Senatusconsulto libri comburerentur, Cassius Seuerus ei coniunctissimus, vt refert Seneca [z] declamator, magna confidentia dixit: *Nunc me viuum vri oportet, qui illos edidici.* Eadem pœna vtrisque personis conuenit; sed librorum scriptoribus potiore quodam iure; libris autem & in execrationem Auctorum, & in detestationem errorum, & ne latiùs eorum in alios venenum diffundatur.

u 1.Macha.1. 59.60. x Hist. Ecclesi. Euseb. lib. 8. c. 2. Nicep. li. 7.c.2. Arnob. lib.1.2.4. Opt. lib. 1. Aug.7. de Bapt. ca. 1. Hier. lib. 2. in c.8. Zachar. y Athana. ep. ad Marcū Papam, & ep. ad Orthodox. in persecut. z 10 contro. in præf.

Quapropter sapiéter in Ecclesiæ mores introductum est, ne quis, præsertim Magus, recipiatur, nisi de Magia libros combusserit. Testantur id præter citatam legem Honorij, & Theodosij,

Magus non recipiēdus ad pœnitentiam, nisi libros magiæ combusserit.

A Athanasius [a], & Augustinus [b], & Nazianzenus [c] de Cypriano, & Damascenus [d] de Theuda. Quæ quoque valent exempla, vt cùm de adeò perditis hominibus fideles euadere, ac sanctos videmus, qualis recensetur & Anastasius Persa de Mago Sanctus monachus, atque Martyr [e], nemo quamlibet grauibus obstrictus flagitiis desperet: etsi *enim maior sit iniquitas tua, quàm vt veniam per teipsum merearis* [f]: at meruit CHRISTVS, tibique infinitum exposuit meritum suum, quod si appreheńderis, veniam consequêris. *Nostis*, ait Augustinus [g], *in Actibus esse scriptum, quia multi perditi, id est, talium artium homines, & doctrinarū nefariarum sectatores, omnes codices suos ad Apostolos attulerunt, & incensi sunt libri* B *tam multi, vt pertineret ad scriptorem æstimationē eorū facere, & summam pretij conscribere: hoc vtique propter gloriam* DEI, *ne tales etiam perditi desperarentur ab illo, qui venit quærere quod perierat* [h].

a de Incar. Verbi. b in Ps.61. post exhortationē eius. c orat. in Cyprian. d in hist. de Barlaam & Iosaphat.cap.21. e Acta apud Surium 22. Ianuarij. f Gen.4.13. g in Ps.61. h Matt.18.11.

Abusus Ephesiorum exemplo Lutherus, ac indignatus sua à Louaniensibus, Coloniensibus, Parisiensibus publicè scripta exusta, ius Canonicum, & Leonis X. contra se decretum publicè concremauit: & edito scripto, quo facti ratio exponebatur, illud, quod dixi Ephesiorum, seu Apostolorum, qui id probarunt, exemplum produxit [i].

Lutheri factum insanum.
i Cocleus in Actis Lutheri, anno 1520. & hæretic. Sleid. lib.2.

Inuenerunt pecuniā denariorū quinquaginta milliū.] *Εὗρον ἀργυρίου μυριάδας πέντε.* Syrus, ܘܣܠܩ ܟܣܦܐ ܪܒܘܬܐ ܚܡܫ — printed in Hebrew letters: וסקל כספא רבותא חמש C *vaskel chesepha rebuthe chamasch*, id est, *Et ascendit pretium ad argenti quinque myriadas. Tam multi*, vt modò Augustinus obseruabat, *incensi sunt libri, vt pertinuerit ad scriptorem, æstimationem eorum facere, & summam pretij conscribere.* Vatablus post Budæum [k], & alij æstimant valorem nostratium aureorum quinquies mille. Est tamen nescio quis, qui eum duplicet, quia myrias continet decem millia argyrion, siuè argenteorum (cuius speciei denariis triginta Iudas vendidit CHRISTVM [l]) & quiuis eorum duas drachmas. Arias numerat drachmarum ferè sexaginta millia.

k 5. de asse. l Matth. 26. 15.

In capite 1. docui valdè incertam esse rationem intelligendi, quanti steterint illi triginta argentei, D qui pro pretio CHRISTI dati sunt proditori. Qui argenteum cum siclo confundunt, & hunc aiunt pendere quatuor drachmas, siue viginti obolos, aut solidos argenteos Gallicos, seu francum vnum, & de argenteis hîc esse sermonem volunt, conficient circiter primam illam summam. Qui verò argenteum distinguunt, ac multò magis augent, nempe pro libra, vel talento, & cantero, & phole, & miliari, in quorum quolibet contineantur centum viginti denarij, qui singuli valeant quinque asses Gallicos, aut saltem tres cum dimidio, longissimo quoque interuallo auctiorem faciunt hanc summam.

Pretium argenteorum, quibus venditus Christus, incertum.

Hoc vnum possum affirmare, quod iam bis di- E xi cum Augustino, ingentem omninò vim pecuniæ hanc fuisse. Nam quod alij ferè Auctores obseruant in supputando, nescio an hîc æquè locum habeat, vt ratio habeatur monetæ Hebraicæ: agitur enim de Gentilibus personis, & loco, vbi nullus eius monetæ vsus, aut certè non communis: & verisimile est, generalem hanc scribenti historiam propósitum fuisse, intelligenter exprimere, non iuxta rationem æstimatæ in Iudæa pecuniæ, sed in orbe Romano.

An hic habenda ratio monetæ Hebraicæ.

Caietanus existimat fuisse quinquaginta millia nummos. Fortasse intelligit nūmos aureos: vtiles enim nūmi plures erant in vno denario, &, si credimus Lyrano, decem, vt inde nomen denarius

Summa valor huius pecuniæ.

inue-

A inuenerit. Tunc verò τὸ ἀργύριον designabit eam pecuniam, quæ in censu æstimando plerunque adhibetur, qualis videtur nummus aureus, qui aliter vocatur nummus argenti, cùm est infra pretium illius, qui dicitur aureus de auro. Sed hoc est recedere ab Interprete nostro, qui denarios distinctè nominauit. Andreas Richlicius [a] summam censet quinquaginta mille denariorum argenteorum: vel cum Aria [b], sexaginta mille drachmarum: vel cum Georgio Agricola [c], sex mille ducentorum quinquaginta aureorum: vel cum Budæo [d], nouem mille librarum Francicæ monetæ: vel cum aliis, quinque mille dalerorũ regiorum.

a in suo Paulo. p. 2. nu. 52.
b in Acta.
c de pretio ret. monetæ.
d 5. de Asse.

B Multos libros fuisse, fieri potest, sicut Augustinus dixit: sed cùm huiusmodi libri potissimùm, si magis arcanas illas Ephesias notas, de quibus egimus, continebant, potuerint haberi in pretio, potuit & pretium ingens exigi ab ementibus. Quẽadmodum anus incognita Tarquinio Superbo libros nouem obtulit Deorum oraculis affirmans plenos, pretiúmque exigens trecentos Philippeos aureos; & cùm Rex rem ludibrio haberet, tres coràm combussit: & rursus cùm pro reliquis idem postularet, alios tres, donec pro tribus qui supererant, summa omnis numerata est: anus verò disparuit, quam creditum est Sibyllam fuisse [e].

Librorũ ab anu Tarquinio Superbo regi oblatorum pretium.

C Apparuit in Ephesiis his remotus à sordibus animus, & non magis propriæ, quàm alienæ studium salutis. Vitarunt in aliis contagium peruersæ doctrinæ: cauerunt in seipsis lucrum ex re turpi, sed nec id collectum ad Apostolorum pedes deponere voluerunt: quemadmodũ inhibuerat DEVS [f] *ex fornicatione sibi lucrum offerri.* Vtraque ratio est Oecumenij.

e Gell. lib. 1. c. 19. Lact. lib. 1. cap. 6. Dion. Halicarnass. lib. 4.
Ephesij summoperè laudantur, in istud factum.
f Deut. 23. 18.

Venit in memoriam Ioannes Gerson. [g], qui de impuro quodam libro Ioannis Meldunensis, cui is titulum fecerat, *Romantius Rosæ*, hunc in modum grauiter, ac piè censuit: *Primùm, si mihi*, inquit, *hic Romantius Rosæ, qui & vnicus extet, & mille libris, siue quingentis aureis esset, mihi combureretur potius, quàm venirer, in hoc, vt qualis est, publicaretur.* D *Præterea si apud me peccati is poneret, qui libro hoc vteretur perperam, mandarem vtique, vel plurima vti obliteraret, vel abiiceret in totum. Postremò si mihi constaret Ioannem ipsum Meldunensem libri huius editi, & euulgati crimen pœnitentia, & animi dolore non diluisse, nihilo illi meliùs vel precarer, vel appellarem* DEVM, *quàm Iudæ Iscariotæ, de quo mihi dubitare non licet, quin pœnas det nunquàm desituras, súntque illi grauioris supplicij Auctores, quotquot illius lectionem vertunt in flagitium, & ad scelus accommodant.* Sic ille.

g Serm. 1. in Dom. 4. Aduent. lit. T.
De libro quodã impuro Gersonis iudicium.

Ceterùm qui huiusmodi libros habent, conferant, seu comportent ad eos, quorum interest, sicut Ephesij ad Paulum, non suamet auctoritate comburant: quod suis etiam Inquisitores edictis prudenter cauent.

E *Versus* 20.] Ita fortiter crescebat verbum DEI, & confirmabatur.

ITA *fortiter crescebat.*] Tempestiuissimum ἐπιφώνημα. Efficax scilicet nostræ religionis argumentum sunt attritæ Dæmonis vires, despectæ, ac profligatæ malæ artes: in quo argumento libentissimè, & diligentissimè versantur Patres ferè omnes, & ipsi paulò antè aliquid attigimus; plura verò attulimus, cùm disputaremus de victoria, quam CHRISTVS reportauit ex Diabolo tentatore [h].

h in Euangel. Dom. 1. Quadragesimæ.

Addamus ipsosmet inimicos nominis Christiani, & Infideles hac in re fideles, ac veros testes. Trismegistum Augustinus producit [i]: Plinius narrat [k], nullum à Magis ex orbe toto conquisitis responsum extorquere Neronẽ potuisse. Quò spectat opusculum Plutarchi *de Oraculorum defectu.* Citat idem Augustinus [l] Dæmonem ipsum Serapim: causam etiam sui silentij Delphicus Apollo carmine reddidit Augusto, quod recitant Suidas [m], Nicephorus [n], & Cedrenus [o]. Porphyrium Marsilius Ficinus [p] conquestum scribit, *Posteaquàm* IESVS *colitur, nihil vtilitatis à Diis consequi possumus.* Rursum Plutarchus apud Eusebiũ [q] prodidit, Tiberio imperãte, quo videlicet CHRISTVS tempore passus est, Pana Dæmonem magnum, multósque alios item Dæmonas eiulasse, ac etiam obiisse.

i 8. de Ciuit. Dei. cap. 23.
k lib. 3. cap. 2.
l de Diu. Dæmonum. ca. 6.
m in August.
n 1. Hist. c. 17.
o in Comp. Hist.
p de Relig. Christ. c. 22.
q 5. de Præparat. cap. 9.

De Iuliano Apostata priùs dixi: adde quam narrat Auctor vitæ sanctorum Patrum [r] de eodem, occasione Publij Monachi historiam: necnõ Glycas [s], & Cedrenus [t], dignam sanè lectione, & proposito appositam, cùm in ea sit, idcirco quendam de proceribus Imperatoris impij, impium fortasse & ipsum priùs, omnia pauperibus distribuisse, & sub Publio monasticen professum esse, profitendo, ac prædicando apud omnes Monachorum vim, qua aduersùs tenebrosos Dæmones sunt prædìti. Quid importet verò phrasis, qua verbum Domini crescere dicitur, lege caput duodecimum [u], & sextum [x].

r p. 11. cap. 19.
s p. 4. Annal.
t in Compẽ. Hist. cùm de Iuliano.
u vers. 12.
x vers. 7.

Versus 21.] His autem expletis, proposuit Paulus in SPIRITV, transita Macedonia & Achaia, ire Ierosolymam, dicens: Quoniam postquàm fuero ibi, oportet me & Romam videre.

PROPOSVIT *Paulus in* SPIRITV.] Nempe his expletis, vt est in proximè præcedentibus verbis, & quæ narrata sunt, & biennio, quod relicta Synagoga, in qua tribus mensibus prædicauerat, insumpsit Ephesi prædicando: &, vt Lyranus putat, *finita peregrinatione per tot loca, proposuit in* SPIRITV *redire in Ierusalem, vnde venerat: sed transeundo priùs per Macedoniam, & Achaiam, vt reuiseret Ecclesias à se fundatas.*

Propositum autem illud *concepit* SPIRITV, *vel sancto, vel suo*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo. Syrus vertit, ברעינה *berehhaienah*, quod est, *in mente sua.* Chrysostomus, & Lyranus *de reuelatione, ac ordinatione* SPIRITVS *sancti accipiunt*, necnon Carthusianus, Caietanus, Vatablus, Arias, & alij.

Malim vt κατὰ πρόληψιν, & per anticipationem dictum sit, *His autem expletis*, si de tempore, quo mansit Ephesi, intelligatur. Sequitur enim narratio de turbatione, quæ accidit Ephesi. Itaque simpliciores sunt alij sensus, præsertim cùm dicatur paulò pòst remansisse ad tempus in Asia, hoc est, in Epheso.

Transita Macedonia & Achaia.] Ob eam, quam dixi, causam, cui adiungit Lyranus aliam: *Ad accipiendam collectam, & portandam fidelibus, qui erant in Ierusalem.* Id probari posset ex epistolis ad Corinthios, quas hinc scripsisse vult Chrysostomus. In priore [y] enim mentionem facit de collectis; in posteriore [z], facta mentione de tribulatione in Asia, videlicet illa, quæ hîc subiicitur, scribit, *se voluisse ad ipsos ire, & inde transire in Macedoniam, & iterum à Macedonia redire ad eosdem, vt ab illis deduceretur in Iudæam* [z].

Paulus cur Achaiam, & Macedoniam pertransierit.
y cap. 16. 1. 2.
z cap. 1. 8. & seq.
z ibid. 23.

Quanquàm hoc loco mentio tantùm est, mis-

sos Timotheum, & Erastum in Macedoniam.

Ire Ierosolymam.] Tum ad collectam deferendam, vt modò dictum est; tum, vt ait Carthusianus, *ob loci reuerentiam, sanctorúmque locorum, & primitiuæ Ecclesiæ, præsertim sancti Iacobi, visitationem.*

Credi hæc possunt de Pauli pietate, qui triennio antè eôdem se contulerat, iuxta quorundam sententiam, quam capite præcedente [a] retulimus. Oportuit nihilominùs peculiare, ac graue negotium esse, propter quod instinctu diuino id iter susciperet. Fortasse Romam proficisci antè noluit, sicut habebat in animo, quod hîc exprimitur, quàm vltimum vale diceret tam sanctæ ciuitati, & Ecclesiæ ibi congregatæ, ac in primis Iacobo, cui & consilium hoc suum communicaret.

a vers. 22. *Cur priusquam Romam iret, voluit Paulus Ierosolymam inuisere.*

Oportet me & Romam videre.] *Quam nondum viderat*, inquit Glossa ordinaria, minùs aptè perpendens videndi verbum, quasi Paulus leuem duceret tribulationem, quam ibi passurus erat.

Hoc autem iter per reuelationem didicisse Chrysostomus, iidémque, qui suprà Auctores volunt; non tamen modum, seu occasionem, quæ fuit appellandi Cæsarem [b], si epistola ad Romanos Ephesô scripta est, vt placet Chrysostomo (Origenes, & alij aiunt, *Corintho*) ardens illud suum ad eos veniendi desiderium, quod aliàs [c] habuerat, sed modò nō dubitabat implendum, exposuit, post acceptam ea de re diuinam reuelationem. Et eadem epistola [d] meminit de sua profectione in Ierusalem, cum collectis, quas acceperat à Macedonia, & Achaia [e]. Sed significat, se obiter tantùm, ac in transcursu visurum fratres Romanos, cùm tenderet vlteriùs in Hispaniam, nimirum ibi prædicaturus, vbi non antè alius, aut vbi saltem (quoniam de Iacobo maiore, qui ibi prædicasse traditur, sed parum profecisse, ambigitur, vt docui capite duodecimo [f]) fundamentum non iecerat [g].

b cap. 25. 10.
c Rom. 1. 9. & seq. c. 15. 23
d Rom. 1. 9. & seq.
e ca. 15. 25. 26. *Paulus Romam ire volebat in transcursu tantum, & obiter.*
f vers. 2.
g ca. 15. 20. & seq.

Quò maior existit prouidentia DEI erga Romanam, & vniuersalem Ecclesiam, vt Romæ in arce mundi, & capite totius Ecclesiæ Paulus hæreret, quod minimè facturus erat: & vt id faceret, desiderium illud eò excurrendi, quod anteà habuerat, sua DEVS reuelatione stabiliret, atque modum illum adeò extraordinarium ordinaret, vt Cæsarem appellaret, & quasi ex priore iam certus reuelatione diceret: *Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari, Cæsarem appello* [h].

Prouidentia Dei erga Ecclesiam Romanā quanta.
h ca. 25. 10. 11.

Versus 22.] Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum, & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.

MITTENS *autem in Macedoniam.*] De Timotheo in Achaiæ metropolim Corinthum misso, scribit Paulus Corinthiis [i], per quem etiam creditur misisse primam epistolam. Huius missionis non solæ collectæ fuerunt causa, *ne si differrentur vsque ad ipsius aduentum, immorari cogeretur* [k], vt voluit Lyranus, & Carthusianus, & Beda. Sed prætereà, vt Chrysostomus, *ad significandum aduentum eius, & ea ratione alacriores reddendos, similque in fide cōfirmandos.* Adde, si tunc Timotheo dedit deferendam epistolam, ad robur, & auctoritatem reprehensionis, quam continet, ac simul ad acrimoniam Timothei præsentia cum Erasto leniendam. De Timotheo lege caput decimumsextum [l].

i 1. ep. 4. 17. c. 16. 10. *Timotheus cur sit missus ab Apostolo Corinthū.*
k 1. Cor. 16. 2.
l vers. 1.

Verumtamen pro collectis idem Apostolus in-

A dicat epistola secunda ad Corinthios, se misisse Titum cum alio, *cuius laus est in Euangelio, vt eas pararent* [m]. Id oportuit diuerso tempore fieri. Prætereà cùm isto versu sola Macedonia nominetur, si vera sunt, quæ dicta sunt de collectis Corinthiacis, debebit etiam Achaia subintelligi. Philippis quidem, vbi Erastum creatum dicemus Episcopum, nullæ factæ collectæ leguntur: sed tametsi non legantur, nihil prohibet factas; quod satis innuitur secunda epistola ad Corinthios [n]. Et sic fortasse non sunt in Achaiam profecti.

m 2. Cor. 8. 17. 18. cap. 12.
n c. 8. 1. & seq. c. 9. 2. 4.

Fauet etiam, quòd Philippensibus charum fuisse Timotheum testetur, vt aliàs dictum est, quòd epistolam ad illos & suo, & ipsius quoque nomine Paulus scripsit.

Philippensibus charus fuit Timotheus.

B *Erastum.*] Hunc Paulus ait, *se Corinthi reliquisse*, dum scribit ad Timotheum [o], vt necesse sit multum in medio spatium temporis fuisse. In epistola verò ad Romanos [p], vocās *arcarium ciuitatis*, mittit illis ab ipso salutem. Putant Corinthi arcarium fuisse, qui Græcè in textu dicitur οἰκονόμος, hoc est, vt exponit Vatablus, *Quæstor ærarius, dispensator, & administrator pecuniæ ciuitatis.* Martyrologium Romanum [q], *Philippensium* Episcopum à Paulo constitutum, ibidémque *coronatum martyrio* tradit. Dorotheus [r] Oeconomum Ierosolymitanæ primùm Ecclesiæ, posteà Paneadis Episcopatum gessisse scribit. Qua in re fallitur ipse quidem,

o 2. ep. c. 4. 20. *Erastus quis fuerit.*
p cap. 16. 23.
q 26. Iulij.
r in Synops.

C vt etiam fortasse cùm inter septuagintaduos Discipulos censet. Sed Espencæus [s] quoque, quando Dorotheum de Ierosolymitano Episcopatu intellexit.

s in 2. Tim. 4.

Quod ad Oeconomatum verò spectat, vbi eum is exercuerit, nec refert tanti, nec ita certis Auctoribus pronunciari potest. Probabile est, illius ciuitatis Oeconomum fuisse, vnde Paulus ad Romanos dedit epistolam: hanc autem quidam Corinthum, alij Ephesum affirmant.

Erastus vbi oeconomatum sit.

Vt antè dixi, Chrysostomus [t] obseruat, Apostolum speciosos titulos aliquos nominando apposuisse, sicut quando salutauit Philippenses *illorum nomine, qui de Cæsaris domo erant* [u]; vt ostende-

t in c. vlt. ad Roman.
u Phil. 4. 22.

D ret Euangelij prædicationem magnos etiam attigisse, quò sic videlicet tenera adhuc Ecclesia magis adolesceret, & animaretur: tum prætereà, vt intelligeretur, nec diuitias, nec principatus, nec quiduis horum ei, qui attenderit, impedimento esse. Eôdem spectasse diximus, quæ de Cornelio [x], Sergio Proconsule [y], Dionysio Areopagita [z], Sosthene [a], Crispo [b], & similibus hoc libro narrata sunt, quæque narrabuntur de Publio [c], qui opibus, honoribus, sapientia emicuerunt. Menologium solemnem Erasti memoriam statuit decimo Nouembris, cum Olympa, Rhodione, vel Herodione, Sosipatro, Tertio, & Quarto, quos more suo nominat Apostolos, hoc est, Apostolicos

Diuitiæ, & principatus saluti impedimento non sunt.
x cap. 10.
y cap. 13.
z cap. 17.
a cap. 18.
b ibidem.
c cap. 28.

E viros, & Euangelij in Ecclesia primitiua præcones: nihil verò prætereà de illo ibi.

Ipse remansit ad tempus in Asia.] *In Epheso, vt verba pandunt sequentia*, inquit Carthusianus. Hic repetit Chrysostomus, quod nuper notauimus, *in Asia maximè versatum Paulum, eiusque metropoli Ephesi: quoniam illic erat*, inquit, *magna fraternitas Philosophorum, atque superstitio.* Inde cognoscitur verum esse, quod etiam haud pridem asserebamus, cùm dimissi sunt in Macedoniam Timotheus, ac Erastus, nondum expletum fuisse tempus, quo Paulus Ephesi mansit.

Paulus cur in Asia manserit.

Versus

Versus 23.] **Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini.**

TVRBATIO *non minima.*] Τάραχος οὐκ ὀλίγος. Sic solet Interpres, vt aliàs [a] monui, positiua superlatiuis reddere, & per notam negantem denotare dictionem affirmantem: quod est aliis quoque Scriptoribus non inusitatum. Syrus vertit, סגושיא סגיאא *sagušcheia saggija*, id est, *Tumultus plurimus*, vel, *magnus*.

a vers.16.

De via Domini.] Περὶ τῆς ὁδοῦ. Expressit etiam Syrus dicens, על אורחא דאלהא *bhal aurecha dalaha*, id est, *De via* DEI; aut, *Viam* DEI. Caietanus ait subintelligi propter articulum. Hic satis non esset ad subintelligendum, cùm passim, ac ferè semper præfigatur. Sed antecedentia, & consequentia demonstrant non aliam viam esse, rectéq; ab Interprete additum nomen Domini, idque potiùs Domini, quàm DEI; quia sæpiùs de CHRISTO illud, quàm hoc vsurpatur in nouo Testamento, vt toties monui. Non memini, alibi viam legere absque addito epitheto, aut pronomine demonstratiuo.

Meretur doctrina CHRISTI, quia ipse absolutè etiam via est [b], nomen absolutum viæ: hanc enim qui non insistit viam, deuiat, & exorbitat.

Via absolutè Christi religio est.
b Ioan.14.6.

Vers. 24.] **Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum.**

DEMETRIVS *enim quidam nomine.* Conqueritur Paulus cum Timotheo [c] de Alexandro ærario, hoc est, æris artifice, non autê ærarij Quæstore, vel custode: vocatur enim χαλκεὺς, quod multò minus dignitatis censeri nomen potest.

c ep.4.14.

Querimur post B. Thomam [d] de Glossa ordinaria in locum illum Pauli (adde quoque Brunonem [e]) quòd nec loci, nec nominis personarum, nec earum muneris habita ratione, Alexandrum, & Demetrium, ærarium, & argêtarium, Romam, & Ephesum confuderit. Sed & Haimo [f] *Alexandrum ærarium venisse dicit ad Fidem* CHRISTI, *posteà reuersum ad apostasiam, Athenis fecisse ædes Dianæ, & commouisse ciuitatem contra Apostolum.* Sunt hi non ferendi memoriæ lapsus.

d in 2.Tim. 4.
e ibidem.
f in 1. Tim.1. 6.

Est proprium eorum, qui sibi manibus victum parant, vt obseruat Theodoretus [g], concitare populum. *Ita*, inquit, *Demetrius argentarius vniuersam Ephesum in Paulum concitauit.* Sed & vniuersè præfatur in Polymorpho hunc in modum: *Sunt nonnulli, qui cùm nec ex genere, nec ex eruditione, nec ex rebus præclarè gestis vllam laude dignam claritatem habeant, improbis studiis insignes euadere contendunt. Talis erat ille Alexander faber ærarius, qui cùm nihil in se egregium, & suspiciendum haberet, non generis nobilitatem, non dicendi facultatem, non regendi populi artem, non ducendi exercitus scientiam, non rerum in bello fortiter gestarum commendationem, & solummodò sordidam, & illiberalem exerceret artem, ex sola sua aduersùs diuinissimum Paulum insania notus extitit* [h].

Concitare populum, est proprium eorum, qui sibi manu victum parant.
g in 2. Tim. 4.
h 2. Tim.4. 14.

Addit exemplum Semei, qui iactauit in Dauid côtumelias [i], & auctoris Manichæorum, & in genere aliorum Hæresiarcharum; quibus nos nostri temporis fæcem multam Hæreticorum, atque Schismaticorum adiungere possumus, fæcem, inquam, magna ex parte constantem sordidis opificibus, & vilissimis rusticis. Quæ verò Theodoretus de Alexandro dicit, conueniunt verbis totidem in Demetrium. Porrò quamuis aurificê non-

Ignobiles viri sunt contumeliosi, & seditiosi.
i 2.Reg.16.5. & seq.

A nulli inter honestos artifices numerent, & lignarium, & ærarium, immò & ferrarium, ac proinde etiam argentarium; tamen magis recepto more in sordidis computantur: de qua re Tiraquellus [k].

k de nobilit. cap. 35. nu. 40.& seq.

Argentarius.] Ἀργυροκόπος. Syrus, עבד סאמא *bhabed sima*, id est, *cudens argentum*. Vatablus, *Faber argentarius*. Posset esse æquiuocatio in Latina voce, quam posuit Interpres, sicut & quando Alexandrum nominat *ærarium* [l], qui Græcè vocatur χαλκεὺς, vbi etiam Syrus, & Vatablus præponunt nomen *Fabri*: nam argentarius Latinè dicitur is etiam, qui alio nomine mensarius, aut numularius, aut trapezita. Sed ex adiunctis intelligitur satis, opificem esse, qui in tractando, & elaboran-

l 2.Tim.4.14.
Argentarius quid significet Latinè.

B do argento, siue, vt Græca dictio indicat, in incidêdo argento, sculpendóve versetur: potest enim ἀργυροκόπος, vel à κόπος, id est, *labor*, vel à κόπτω, quod est *scindo* (& hoc quidem potiùs) deriuari. Aurifaber ab auro denominatur quidem; sed qui circa argentum quoque versatur, vulgo nomine eodem appellatur. Tamen meliùs Interpres Græcum vocabulum expressit, quàm Erasmus, qui maluit, *auri fabrum*: cùm enim hunc propriè intelligi vult Scriptura, proprium etiam eius nomen ponit, vt apud Esaiam [m]: *Nunquid sculptile conflabit faber*, τέκτων, *aut aurifex auro figurabit illud*, χρυσοχόος, *& laminis argenteis argentarius?* Quæ vltima verba non ita disertè habet Græcus textus, quemadmodum Hebræus, & Chaldæus.

m cap.40.19.

C *Faciens ædes argenteas.*] Ναοὺς ἀργυροῦς. Syrus retinuit primam vocem Græcam נוסא *nauſe*, secundam ex artificis qualitate satis intellectam existimans. Chrysostomus exponit de ædiculis, & cooperculis, *quæ ciboria*, inquit, *vocant*: Lyranus de tabernaculis, in quæ imagines includerentur: *sicut*, inquit, *frequenter fit in Ecclesia de imaginibus Sanctorum.* Carthusianus vocat ædiculas cum impositis in eas imaginibus Dianę. Caietanus, *votiua templa*, hoc est, imagines repræsentantes templum ipsum Dianæ, quod adeò religiosè frequentabatur: ita vt vel in ipso templo offerrent, vel ex vrbe auferrent, quales forsan apud nos imagines sacelli

Quid hoc loco sint naues argenteæ.

D Lauretani. Arator delubra votiua persoluta Dianæ in templo ipsius,

Infelix Ephesi Demetrius, arte locatus
Sacrilegis delubra locis, argentea suetus
Soluere vota suæ pretio maiore Dianæ,
Cedere cuncta videns prisci monumenta furoris,
Ingemit. —

Possunt ad hoc propositum cômemorari mures aurei, & ani Philistæorum apud Arcam fœderis in capsella depositi, voti causâ [n]: & aliorum Gentilium tabellæ votiuæ, siue anathemata, & signa, statuæque, quorû crebra in Auctoribus profanis mentio [o], & hoc sensu arbitror dixisse M. Tullium [p] *ædem Mineruæ positam in fano Apollinis.*

Donaria similia his, quæ hoc loco templa Dianæ nominantur.
n 1.Reg 6.5.
o 3. de nat. Deor. & Verrina 7. Horat. 1. Carm. ad Pyrrham. Lucan. in Alexan. Dion Chrys. orat. 31.

E De statuis verò intra templum Dianæ meminit Cæsar [q]. Sed & in Scripturis sacris præter allatum Philistinorum exemplum, legimus à Iudæis oblata templo, aut tabernaculo, dona, munera, & anathemata, nominatim ex hostium manubiis [r].

p Verrina 7.
q 3. de bello ciuili.
r Num.31.50. 54 Iudith 16. 23. Luc. 21.5. 1. Machab. 1. 57.

Quod attinet ad ciborij vocem Græcam (est autem τὸ κιβώριον) in historia de reuelatione capitis S. Ioannis Baptistæ, sumitur ciborium pro theca, siue loculamento, aut lipsanotheca, in quam ibi scribitur reconditum sacrum illud caput, cum beatorum trium Innocentium corporibus, sed & pro sacro vase, in quo asseruatur sacrosancta EVCHARISTIA. Siue pro pixide, vel arca, vel custodia, Græci & Latini, & sua etiam Galli lin-

Quid sit ciborium.

gua ciborium vsurpant, vt de Gallis Perionius obseruat eo opere, quo de Gallicæ linguæ origine disserit [a]. Ex Græcis Zonaras [b] mensæ sacræ κιβώριον nominat:& Germanus Constantinopolitanus [c] comparat cum Arca, in qua erant Sancta Sanctorum: dici enim quoque arcam *Cib* [d] Hebraicè. Libri Pontificalis Latinus auctor vtitur eadem voce pro vasculis, vt ipse loquitur, in Sacramenti conseruationem. *Et hodie*, inquit, *ciboria vocantur*. Eiusdem vocis vsus idem extat apud Ioannem Diaconum [e], & alios.

a lib. 15. fol. 88 b.
b Tom. 3. Annal. cum de Iustiniano.
c in Theoria rerum Ecclesiastical.
d in Symmacho, & Gregorio Magno.
e in vita Gregorij.

Non locupletauit Henricus Stephanus vocis huius sacra notione Thesaurum suum, neque is, qui Latinas congerit Calepinus, sed aliam, quæ huic fauet, nimirum pro vtriculo, vel scriniolo, aut poculi quodam genere. Mutuati hæc ferè sumus ex Ioanne Stephano Duranto [f].

f 1. de Ritib. Eccl. cap. 16.

Sed vt ad ædiculas illas, imaginésque Deorum redeamus, quas non offerebant solùm, sed religionis ergò circumferebant, & gestabant Gentiles, huc facit, quod Ammianus [g] narrat, *solitum Asclepiadem Philosophum, Iuliani Apostatæ amicum, Deæ cœlestis argenteum breue figmentum, quocunque iret, secum deferre*: item quod Polybius ναΐδια nominat *armaria*, vnde huiusmodi promerentur iam sacratæ imagines, illæ etiam videlicet, quas hoc loco Lucas ναοὺς vocauit, vt diminutiuè ναΐδια dicas, quasi templula.

g lib. 22.

Non sunt idola, quas votorum rei fideles suspendunt, icones, vel statuæ, nec vana hæc superstitio, aut idololatria, cùm pietatis erga DEVM, & venerationis aduersùs amicos eius tantùm sint indices, atque recepti à Deo per intercessores Sanctos beneficij testes. Laudatur piorum ore, scriptísque præ aliis Eligius Nouioměsis sanctus Episcopus, qui argenteas Sanctis ædes, siue conditoria loculamenta, & thecas ex argento affabrè fecit, seu, vt Auctor vitæ nominat [h], tumbas, quibus hodiéque Germanus, & Genouefa Parisiis, & alibi Sancti alij inclusi ritè coluntur.

Icones, & statuæ, quas fideles suspendunt in templo, non sunt idola.

h capit. 32. apud Surium 1. Decembr.

Decet decorari argento, & auro, & re omni pretiosa Sanctos, & Sanctum Sanctorum: non est id profanum, aut Iudaicum tantùm, sed Christianissimum, quia piissimum. Qui atheus est, detrahat de statuis amictum *aureum æstate onerosum, hyeme frigidum*: ludat etiam *in barba aurea cum illo tyranno* [i]: quærat, *in templo quid facit aurum* [k]? Christianus adorat quod scit [l], & honorem habet ei, quod adorat latria, aut dulia, huiusmodi externis rebus: paratus pro DEO, quem in se honorat, & in ipso Sanctos, ipsósque propter illum, res easdem vt viuis DEI templis, imaginibúsque subueniat in necessitate constitutis, detrahere de mortuis templis, ac imaginibus, atque distrahere: *si calicem aureum inuenisses*, ait Augustinus Licentio scribens [m], *in terra, donares illum Ecclesiæ* DEI: *accepisti à* DEO *ingenium spiritaliter aureum, & ministras idem libidinibus, & in illo Satanæ propinas teipsum*? Lege Bellarminum [n].

Sancti honorandi, & auro, argentóque decorandi.

i Cic. 3. de natu. Deor.
k Persius Satyra 2.
l Ioan. 4. 22.

Aurum templo oblatum vendi potest, vt pauperum necessitatibus inseruiatur.

m epist. 39.

n de cultu Sanct. cap. 6.

Dianæ.] Non venatricis, quæ arcum tenet, atque succincta est, sed multimammiæ, quam Græci, vt Hieronymus [o] notat, πολύμαστον vocant, *vt scilicet ex ipsa quoque effigie mentirētur*, inquit, *omnium eam bestiarum, & viuentium esse nutricem.*

o præfat. in epistolam ad Ephes.

Nimis multa fabulantur Poëtæ profani, quos Prudentius [p] noster falsè irridet.

p lib 1. contra Symmachum.

Diana triplex figura.

— térque suas eadem variare figuras,
Deniq; cùm Luna est, sublustri splendet amictu:
Cùm succincta iacit calamos, Latonia virgo est:
Cùm subnixa sedet solio, Plutonia coniunx,
Imperitat furiis, & dictat iura Megæra.

Culta est obnixo ab omnibus Gentilibus Dianæ studio, seu sub hoc, seu sub Lunæ, alióve nomine, maximè verò ab Ephesiis. Testimonio fuit celeberrimum illud Dianæ dicatum templum in septem numeratum Miraculis orbis, de quo nonnihil capite præcedente [q]: & accuratè Plinius [r]: ex quo quæ ibi dixi sunt, necnó ex Strabone [s]. Ille verò nunc ait, annis 220. nunc 400. [t] ædificatum.

q vers. 19.
r lib. 36. capite 14.
s lib. 14.
t lib. 16. cap. 40.

Adiice, quòd in id templum, tanquàm in tutissimum ærarium, condebant ditissimi quique thesauros, & pecunias suas, vt Dion Chrysostomus [u] tradit, & Iustinus de Annibale. Sæpiùs restitutum, ac restauratum Plinius [x] memorat. Memorabilis Herostratus, & in hominum vigens (inuitis Ephesiis, qui cauerant nomen eius vllo tempore pronunciari [y]) memoria, ob infamem tanti templi succensionem, quæ accidit, quo die Alexander Magnus natus est, *vt videri potuerit Dianam cùm parturiret Olympias, adeò occupatam*, quod Hegesias Magnesiius dixit, *templum suum ab igne defendere non potuisse* [z]. Quo viuebat tempore Plinius, erat eiusmodi, *vt illius ornamenta plurium librorum testetur instar obtinuisse* [a]. Supererat, cùm Paulus ibi ageret, templi adhuc splendor, & celebritas.

u orat. 32.
x lib 33.
y Gellius libro 2. cap. 6. Valer. lib. 8. capite 11.
z Plutar. in Alexandro.
a lib. 36. capite 14.

Septem verò abhinc annis Neronem scribit Tacitus [b] *pretiosa dona omnia, & simulacra inde, atq; ex Achaicis omnibus templis abstulisse*. Capitolinus [c] à Gothis sub Galieno inuadentibus Asiam, templum ipsum penitus spoliatum, & incensum.

b lib. 15. Templum Dianæ spoliatum, & deinde à Gothis incensum.
c in Galieno.

Præstabat artificibus non modicum quæstum.] *Inter quos erat principalis*, inquit Lyranus. Præerat huic operi forsan vnus auctoritate publica: alioqui artifices quiq; suas res agunt, & in proprium intendunt lucrum: immò [d]

d Hesiod. in Erga.

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.
Figulus figulo inuidet, & fabro faber.

Res ea erat magno emolumento ciuitati; proptereà fieri potest, vt omnibus illam artem factitantibus vnum præfici placuerit, ad eum ferè modum, quo capite XVI. [e] dicebamus Magistratum fuisse tingendæ purpuræ assignatum, vel ipsemet Demetrius iis creuerat opibus, vt vni ceteri facilè cederent, atque illo veluti duce in operis, lucriq; societatem quodammodò conuenirent. Alterum qui non probat modum, tertium, si potest, afferat. Equidem alium excogitare nequeo; nisi dicamus fuisse monopolam, quod etsi mali speciem habet, & Iure ciuili [f] seuerè prohibitum est, potest nihilominùs pro Reipublicæ vtilitate, & cum eiusdem auctoritate rectè fieri, vt ostendimus disputatione de Contractibus, & posteà noster Molina [g]. Atque hunc vltimum modum maximè præ se ferunt verba illa, *præstabat artificibus non modicum quæstum*; hoc est, iis, qui locata quasi opera, vel certè nonnisi accepta ab illo potestate, illas merces, seu ædes argenteas vendebant. Nonnulli huc putant spectare, quæ Sapientiæ scribit Auctor de studio acquirendi, quod fuit in opificibus idolorum [h]. Lege Commentarium nostrum.

e vers. 14.
f Lvnica. C. de monopoliis. *Monopolium quando liceat.*
g Tom. 2. de iust. & iure. disput. 345.
h c. 14. 15.

Versus 25.] Quos conuocans, & eos, qui huiusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio.

QVOS *conuocans, & eos, qui huiusmodi erãt opifices.*] Non tãtùm nobiliores τεχνίτας artifices: sed etiam ἐργάτας, opifices viliores, siue operas, quos Iurisconsulti vocant *ergolabos*, qui nempe

opus

opus faciendum λαμβάνουσι, suscipiunt, & conducunt: vel, vt iidem loquuntur, redempturas faciũt, indéque lucrum. Extat in Codice [a] titulus *de Monopoliis, & conuentu negotiatorum illicito, vel artificum ergolaborum.* Ibi mentio est quoque de Primatibus variarum professionum, seu artium. Quæ res iuuare potest coniecturam nostram, quòd fuerit Demetrius argentariæ artis primas, & primus, & caput. Ibidem, ac in titulo *de iurisdict. omn. Iudic.* [b] prohibentur conuentus artificum, mercatorum, & negotiatorum suspecti, qui declinent non modò iurisdictionem eius, qui præest collegio, sed etiam recusent esse sub Præside, vel alio Superiore.

a lib. 4. tit. 59.

b lib. 3. tit. 13. Basil. *Conuentus artificum, & mercatorum, & caterorum, prohibentur.*

Qua in re forsan peccauit Demetrius, deliberans de re adeò graui, quæ ad seditionem spectabat, cum suis artificibus, & opificibus, non communicando cum Proconsule, alióve Magistratu. Ad consilium verò super ea re capiendum, quid tam multis opus erat?

Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio.] Non minus affabrè componit Demetrius orationem, quàm ædes illas argenteas Dianæ, immò Dianæ religione abutitur ad priuatum lucrum, & qui opibus, quibus abundabat, consulit, perturbatur ipse, aliósque perturbat, quod vel non audebant, vel non etiam volebant, curabántve inferiores artifices, ac opifices, vt est obseruatum à Chrysostomo.

Abutitur Satanas ipse Demetrij auaritia contra religionem; nec vllum fuit, est, esse potest robustius telum ad eam eneruandam, ac extinguendam.

Satanas abutitur Demetrij auaritia contra religionem.

Existimant multi, *quæstum esse pietatem* [c], *mundanásque sectas*, ait Ambrosius [d], *constat propter præsentia lucra esse inuentas. Radix quippe omnium malorum est cupiditas* [e], *seu auaritia*, φιλαργυρία, *quam quidam appetentes errauerunt etiam a Fide.* Origenes suspicatur [f], Paulum allusisse ad Iudam, cui auaritia radix fuerit omnium malorum in IESVM commissorum.

c 1. Tim. 6. 6.
d ibidem.
e ibid. vers. 10.
f in cap. 15. Matth.

Existunt hodiè, tecti licèt, multi Iudæ, & honesto, politóque vocabulo pietatis, bonique publici, errant, & naufragantur à Fide, produnt IESVM, DEVM deserunt, & sacra omnia, regnandi, dominandi, suas res tuendi, ac propagandi causa violant, perdúntque, *pecuniæ, cui obediunt* [g] *cetera*, obedientes ipsi, *& vnum quidem DEVM colentes*; sed Plutonem, & hunc, quia propter seipsos, *in hac idolorum seruitute* [h], puri, puti, putidique, ac impurissimi ἄθεοι.

Auaritia quot mala generat.

g Eccles. 10. 19.
h Galat. 4. 20.

Irrident *sana consilia, & salutarem doctrinam, quia auari*, vt quondam, quæ differebantur à CHRISTO [i], Iudæi: consilia ineunt contra CHRISTVM, *ne veniant similes Romanis, qui tollant gentem eorum, & locum* [k]. Denique omnia gloriæ, & lucri causa faciunt, vt de Hæreticis scribit Hieronymus [l], quibus adde inde pullulantem luxuriam.

i Luc. 16. 14.
k Ioan. 11. 48.
l in cap. 14. Zachar.

Vers. 26.] Et videtis, & auditis quia non solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ, Paulus hic suadens auertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt Dij, qui manibus fiunt.

ET *videtis, & auditis.*] Non contentus dixisse, *scitis*, inculcat experimentum ipsum visionis, & auditionis.

Non solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ.] Vnde ad Paulum tamdiu Ephesi commorantem tanti erant concursus. Si tantùm valet Paulus, vt mundus post eum totus abeat; quantus quem prædicat, DEVS, & doctrinæ, quam tradit, vis quanta? Hoc modo querebãtur Iudæi, quòd post CHRISTVM mundus totus abiret [m]; & de Apostolis, quòd impleslent Ierusalem doctrina sua [n].

Ad Paulum Ephesi commo...

Tantum multi ex tota Asia conueniebant.

m Ioan. 12. 19.
n Act. 5. 28.

Auertit.] Μετέστησεν. Syrus, אפיס ואהפך *aphis vahaphak*, id est, *persuasit*, atque *peruertit*, seu *allicit*, & *auertit*. Seditiosum verbum, hoc est, non suaue, & alliciens, qualia illa de CHRISTO apud eundem Lucam in Euangelio [o]: *Hunc inuenimus subuertentem*, διαστρέφοντα, *gentem nostram*; &, *Commouet*, ἀνασείει, *populum.* Significat dictum verbum dimouere de sententia, retrahere, reuocare, in alium statum transmutare. Quæ omnia Interpres auertendi vocabulo satis expressit.

o cap. 23. 2. 5.

Dicens: Quoniam non sunt Dij, qui manibus fiunt.] Ergo adeò stolidi opifices ab se fabrefieri Deos credunt? De vesania, lege caput decimumseptimum. Sanè quidem eò prouehitur hominis amẽtia, vt res sine mente colat, & diuinitatem iis rebus impertiat, ex quibus quamlibet percipit vtilitatem.

Opifices stolidi opera à se facta Deos putant.

Versus 27.] Non solùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia, & orbis colit.

NON *solùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire.*] Syrus, *Neque hoc placitum*, id est, *inuentum, excogitatum artificium*, &c. *tantummodo diffamatur, & cessat.* Vatablus, *Non solùm autem hæc pars nobis in periculum venit, ne reprobetur.* Budæus [p], *Periculum enim nobis est non modò, ne pars ista* (quæstus scilicet nostri, & artificij) *improbetur.* Græcè sic est: Οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν. Non potuit meliùs hæc reddi sententia, quàm ab Interprete. Significat verò ἀπελεγμὸς, redargutionem conuincentem: ita vt id artificium ædium, imaginúmve Dianæ argentearum relatum ad venerationem illius Deæ, quæ insidere in iis credebatur, si hoc sit falsum, vt prædicabat Paulus, conuincatur inane, ac superstitiosum, pro quo non solùm merces sperari non debeat, verùm etiam supplicium, si Pauli factio, & doctrina, quo cœpit modo, procedat, & obtineat.

p Comment. ling. Græcæ.

Dictionem μέρος, suspicor esse mercimoniorum, & negotiorum. Sic Itali dicerent: *Perder questa, ò quella partita*; & Galli: *Ceste partie.* In genere μέρος significat id, quod in diuisione obuenit. Et verò anteà docui, lucri partem distribuisse Demetrium aurificibus, & opificibus.

Sed & magnæ Dianæ templum.] De templo dictum superius satis.

Magna cognominatur Diana à Demetrio, & posteà publicis, continuis, & magnis clamoribus popularibus cum addito *Ephesiorum*, tum propter celebritatem augustissimi templi, tum communi alia ratione, qua ex Diis vocabantur quidam magni, & maiorum gentium, aliquãminuti, & minorum gentium, ad eum modum, quo Romani Patritij erant partim maiorum, partim minorum gentium.

Diana cur magna cognominetur.

Magni censebantur Cœlicolæ, quamuis inter magnos Neptunus numeretur, vel qui præcipua munia in administratione rerũ fungebantur. Duodecim habebantur magni Dij, sex mares, toti-

Magni Dij qui dicti sint.

dem fœminæ, quos Ennius disticho cōprehendit:

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Idem [a]:

a in fragmētis, ex 5. annali.

Dono, ait, ducite, dóq; volentibu' cum magneis Deiis.

Cassius Hemina quærens qui sint magni Dij, dicit, *Deos Samothracas, ac eosdem Romanorum penates vocari propriè* Θεοὺς μεγάλους, Θεοὺς χρηστούς, Θεοὺς δυνατούς. Sic vnam Virgilius appellat *Iunonem magnam, bonam, dominam potentem* [b]. Varro [c] *Terra, cœlum, vt Samothracum*, inquit, *docent initia, Dij magni sunt.* Plato [d] *Solem, & Lunam* vocat *magnos Deos.* Sed & quandoque magnus quiuis vocatur DEVS, vt notat Seruius, colentis affectu, & opinione; quamuis quem Virgilij declarat locus, in eo potiùs pro duro, molestóque magnus videtur poni, vt aliàs non rarò apud profanos, & sacros Auctores.

b variis locis, vt Æneid. 3
c 4. de lingu. Latin.
d 7. de legib.

At Phœbi nondum patiens immanis in antro [e]
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse DEVM. —

e in 6. Æneid.

Lege Martinum Roam [f].

f 1. Singular. cap. 17.

Maiorum verò gentium nomenclatura pluribus communicabatur, iis nempe, qui semper sunt cœlestes existimati. Ascriptitij dicebantur, quos in cœlum merita vocarāt. Virgilius magnos Deos appellat [g]:

g 3. Æneid.

Cum sociis, natóque, Penatibus, & magnis Diis.

Et Iunonem magnam [h]:

h 3. Æneid.

Iunonis magnæ primum prece numen adora.

Lege Macrobium [i], & Seruium [k].

i lib. 1. cap. 4.
k in Virgil.

Vnus, vt verus, ita solus magnus DEVS, quo illum pacto non Dauid solus [l], aliique sacri Scriptores [m], sed Sibylla apud Lactantium [n] vocat, superstitionem Græcam reprehendens & vanitatem, quam reprehenderant etiam citati Auctores, & apud Danielē [o] Rex idololatra coactus est fateri Danielis DEVM *magnum.* Sic enim Sibylla:

l Psal. 47. 2. 3. Psal. 76. 14. Psal. 85. 10. Psalm. 88. 8. Psalm. 94. 3. Psalm. 95. 4. Psalm. 98. 2. 3. Psalm. 134. 5. Psalm. 144. 3. Psalm. 146. 5.
m Tob. 13. 1. Iudith 16. 16. Iob. 33. 12. cap. 36. 26. Eccl. 39. 8. ca. 43. 5. 31. 33. Dan. 2. 45. capite 9. 4. capite 14. 40. & alij.
n lib. 1. c. 15.
o cap. 14. 40.

Ἑλλὰς δὴ τί πέποιθας ἐπ' ἀνδράσιν ἡγεμόνεσσι;
Πρὸς τί δὲ δῶρα μάταια καταφθιμένοις ἀνατίθης;
Θύεις εἰδώλοις. τίς τοι πλάνην βάλεν ἐν νῷ;
Ὥστε σε τάδε ποιεῖν μεγάλοιο θεοῖο προσώπου
Λειπομένου;

Græcia quid confidis in viros principes?
Quid dona inania corruptis suspendis?
Immolas idolis. Quis tibi errorem posuit in mente?
Vt hæc facias, magni DEI *persona*
Relicta?

Sed & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia, & orbis colit.] Syrus, ואף הי אלהתא דכלה אסיא דכולהון עממא סגדין לה מתתשיתא, *vaph has elahatha dechullah Asia dechullehun hhammema sagedin lah meththesc hitha*, id est, *Atq; adeò ipsa Dea totius Asiæ, & quam omnes gentes adorant, ludibrio habebitur.* Μέλλειν τε καὶ καθαιρεῖσθαι τὴν μεγαλειότητα αὐτῆς, &c. Aliqui codices habent, τῆς μεγαλειότητος. Budæus [p], *foréque, vt & eius maiestas imminuatur, vel deiiciatur, & pessundetur.* Vt sit καθαιρεῖσθαι ἀντὶ τοῦ κολοβοῦσθαι.

p Comment. linguæ Græcæ.

Demetrius vult haberi pius.

Pius scilicet, religiosúsque videri vult Demetrius, vt quos vtilitatis non queat, honesti amor ac studium diuini honoris impellat, & armet in eum, qui vtrumque violet, ac perdat.

Sunt plurimi Demetrio aliqua ex parte similes.

Prætexunt plurimi, ne minimè censeantur mali, & vt maximè persuadeant quod volunt, Ecclesiæ splendorem, diuini nominis propagationem, salutem animarum, Fidei defensionem Catholicæ; sed sub tam speciosa larua, vt splendidè viuant, & propagent ditionem, famámque, vt subditos adiungant, vt res suas quoquo modo tueantur, nihil minùs, quàm DEVM ipsum spectantes, vel pensi habentes, totó incumbunt pectore, omni ope, cura, consilio. Petrus de Natalibus [q] narrat, precibus Ioannis Apostoli templum Ephesinum corruisse, hacque de causa propinatum ei venenum, sed epotū sine noxa. Quinetiam sentiunt aliqui [r], propter eandem causam, iussu Domitiani, Romæ coniectum in dolium (siue mauis in solium) feruentis olei, ad portam Latinam, ante Dianæ templum, quam Ephesini colebant impensiùs. Huius quidem tormenti extat monumentū in porta ipsa Latina sacellum: templum autem Dianæ creditur id fuisse, quod eidem Ioanni non procul à dicto sacello dicatum visitur.

q lib. 2. cap. 3.
r Pompeius Vgonicus, Octauius Pancerola, Marcianus, & alij scribentes de Ecclesiis Vrbis.

Versus 28.] His auditis, repleti sunt ira, & exclamauerunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum.

REPLETI *sunt ira.*] Θυμοῦ, vehementiore ira, & furore, atque indignatione. Lege Basilium [s], quid differant πικρία, θυμὸς, ὀργὴ, παροξυσμὸς, præterea [t] quid sit proprium θυμοῦ καὶ ἀγανακτήσεως ἀλόγου, denique [u] quomodo compescenda, quæ modum excedit: qua de re etiam inter alios Isidorus Pelusiota [x], nósque aliàs.

s Reg. 55. ex Breui.
t Regul. 61. ex Breui.
u Reg. 144. ex Breui. & orat. contra irascentes, & orat. in Laicis.
x lib. 1. epist. la 67. & 113.

Magna Diana Ephesiorum.] Quam perituram Paulus significauerat, magnificè prædicant, minimèque destruendam, ac proinde nec ædes argenteas, quas illa suo numine impleret, sibíque dicatas benignè susciperet, ac tueretur.

Quomodo tumultum concitarint.

Historiæ Scholasticæ coniectura verisimilis est, opifices, artificésque discurrisse per ciuitatem vociferando, ita vt inde nata sit σύγχυσις, confusio, & conturbatio ciuium, omnésque vno animo, & impetu in theatrum se contulerint, prout sequentibus verbis narratur. Arator ait etiam armatos cōuenisse. In quibusdam codicibus Græcis, vt notauit in margine editionis suæ Robertus Stephanus, post verba, *repleti sunt ira*, πλήρεις θυμοῦ, reperiuntur ista, δραμόντες εἰς ἄμφοδον, *currentes in vicum*, siue *plateam.*

Versus 29.] Et impleta est ciuitas confusione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio, & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.

ET *impetum fecerunt.*] Ὥρμησαν. Impetu concurrerunt, celeri, ac vehemēti cursu profecti sunt.

In theatrum.] Versùs theatrum, ad theatrum, ne putes inuasisse theatrum, seu impetum fecisse in illos, qui erant in theatro, & quasi ibi prædicaret Paulus: id enim faciebat in schola Tyranni [y]; & cùm se ad tumultum sedandum dare theatro vellet, à suis prohibitus est [z], sed eò concurrerunt omnes, vt meliùs negotio tanto consulerent. Glossa interlinearis, & Comestor, qui scripsit Scholasticam Historiam, theatrum locum fuisse asserunt, vbi rei punirētur: Arator, & Beda, vbi ludi, & spectacula haberentur: Hugo, & Carthusianus, vbi vtrumque fieret, & spectaretur, quod est θεᾶσθαι, vnde θέατρον.

y versu 9.
z vers. seq. 31

Fauet primæ opinioni, quòd obuios Pauli comites Gaium, & Aristarchum illuc rapuerunt. Illud etiam ipsum iuuat secūdam, tertiamque, quoniam nonnulli rei feris obiiciebantur in theatro. Existimo iam commotos valdè, ac etiam armatos Ephesios in aream theatri cōuenisse, vt si aliter non possent, omnes superstiosos Christianos, qui in numerum magnum excreuerant, vsque ad interneciо

Ephesii Christianos omnes voluerunt necare.

necionem ex condicto delerent. Hoc Arator & sensit,& eleganter descripsit;inter alia verò postquàm ad arma Demetrium vocantem,& persuadentem induxit,sic ait:

His dictis plebs mota fremit,magnámque Dianam
Communi clamore vocant,ac prapete cursu
Itur in obscœnum cum seditione theatrum,
Non alio decuit meritum,causásque Dianæ,
Quàm fœdo tractare foro:caput area turpis
Concilij deformis opus.

Qui in theatro puniretur.

Quod verò attinet ad eos,qui dicebant reos plecti solitos in theatro, id non vniuersè concesserim,sed de illis,qui non ad ludum,& pugnam armati,sed inermes vorandi bestiis obiiciebantur.

Cùm ergo Paulus meminit se hac in vrbe ad bestias pugnasse [a], si citra metaphoram intelligeretur, armatus processisset contra bestias, quod est prorsus improbabile. Damnatum ipsa,diuinitúsque liberatum, Ambrosius, Theodoretus, aliíque nonnulli prioris ad Corinthios epistolæ Interpretes arbitrantur, & rem gestam Nicephorus [b] narrat,monens non propterea minùs mereri fidem hanc historiam, quòd sit à Luca prætermissa. Est id sanè;verùm quia ex apocryphis petitur, & Paulus leuiora enumerans,obita etiam à se discrimina posteriore ad Corinthios eosdem epistola [c],rem tantam nullo pacto attingit.

a 1.Corinth. 15.32.
Paulus fuit dānatus ad bestias, sed diuinitùs liberatus.
b lib.2.capite 25.
c 2.ep.c.11.23. & seq.

Quapropter meliùs alij cum Chrysostomo [d], atque Tertulliano [e], metaphoram in verbis illis Apostoli agnoscunt, vt cùm etiam ex Vrbe scribens Timotheo, *liberatum se* dicit *ex ore Leonis* [f], hoc est,Neronis: & Ignatius [g] satellites,à quibus Romam deducebatur,ob feritatem morum,Leopardos vocat, & in Psalmo [h] precatur Dauid,*Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.*

d in 1.Cor.15.
e lib. de Resurrect. carnis.c.48.
f 2.Tim.4.17.
g epi.ad Romanos.
h Psal.73.19.

Paulus non fuit Ephesi bestiis expositus.

Denique vilium personarum duntaxat bestiæ supplicium erant, non ciuium Romanorum [i], qualem Paulus confidenter excepit se esse,flagellationem deprecando [k]. Idem Epheso scripsit,vt pridem ex Chrysostomi sententia docuimus, priorem ad Corinthios epistolam, priusquàm illa Dianæ tragœdia excitaretur,capto scilicet in Macedoniam proficiscendi consilio,quod & executus videtur mox post dictas turbas. Non vacat probabilitate Theophylacti [l] opinio, significari verbis illis persecutionem istam, quam commouit Demetrius. Cui expositioni fauet Hieronymus [m],quamuis alias quoque recitet.

i L.si.ad legem Corneliam,de sicar.
k Act.16.37. & 22.25.
l in 1.Cor.15.
m ibidem.
Explicatur Apostoli locus de bestiis, quibus se traditum dicit.

Placet hoc item B.Thomæ, & Glossis,& Haimoni, & Carthusiano, & Brunoni, & Anselmo. Arias intelligit de filiis Sceuæ, qui erant exorcistæ, de quibus in isto capite superiùs Auctor incertus Commentariorum in epistolas Pauli, tum de Iudæis, tum de Demetrio,aliisque Gentilibus, quod ipsum tradit Chrysostomus,& ex recentioribus Antonius Scainus: Sedulius de Hæreticis, & sæuis hominibus:sed Hæretici propriè tūc nulli videntur ibi fuisse. Tertullianus [n] de bestiis Asiaticæ pressuræ, siue persecutionis locutū Paulum ait in secunda epistola ad Corinthios [o]. *Non enim volumus vos ignorare, fratres, de persecutione nostra, quæ facta est in Asia,quoniam supra modum grauati sumus,supra virtutem* (vocauit Lucas *turbationem non minimam*) *ita vt taderet nos etiam viuere:sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus,vt non simus fidentes in nobis, sed in* DEO, *qui suscitat mortuos* (deResurrectione præcipuè disceptatio fuit)*qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit, in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet.*

n lib. de Resurrect. carnis.cap.48.
o cap.1.8.9.

Nec verò spernenda Photij explicatio, de qua

A Gagneius,εἰ κατ' ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα,*si secundùm hominem, quantùmque homini fuit possibile, ad bestias pugnaui*,id est,vsque ad extremum spiritum,more bestiarum,pro defensione Euangelij. Quidam illud,*si secundùm hominem pugnaui*, explicant, si secundùm humanum sensum, sub quem Resurrectionis futuræ non cadit cognitio:vel,propter humanam gloriam, vt in hac vita præmium consequerer,non in futura.

Rapto Gaio,& Aristarcho.] Macedonibus comitibus Pauli. Συναρπάσαντες,*cùm simul corripuissent, & secum*, vt etiam exponit Syrus, אובלו *obelu*, id est,*abduxissent*.Obuios nimirùm pertraxerunt,non
B vnum Paulum,licèt ipsum præcipuè,sed omnes,si possent Pauli socios, Discipulósque tollere de medio volentes.

Gaio.] De Derbæo Gaio in capite sequenti [p] mentio est,qui differt ab hoc Macedone.Vter autem sit, cuius ad Romanos [q] salutem mittit, vocans eum hospitem suum,haud ita constat.Si epistola,vt anteà innuimus,ab Epheso scripta est,potuit idem esse,qui nunc memoratur, ita vt hospes dicatur,quia scholam Tyranni sumptu suo in gratiam Pauli,& suorum conduxisset.

Gaius hic quis fuerit.
p versu 4.
q cap.16.23.

Aliis videtur scripsisse Paulum Corintho, & idcirco Gaium illum hospitem eius esse Corinthium, quem testatur *ab se baptizatum* [r] *cum Cri-*
C *spo*, sed & ad istum datam Ioannis epistolam tertiam [s]. Hoc si est, tres erunt eiusdem nominis, Macedo, de quo nunc agitur, Derbæus,& Corinthius. Hic vltimus est,qui ascribitur Martyrologio [t] cum Crispo,vt dictum est capite XVIII. [u] Dorotheus [x] vult Ephesiorum Episcopum fuisse post Timotheum. Idem tradit Petrus de Natalibus [y],cúmque esse, de quo Paulus ad Romanos. Sed Ignatius [z] Timothei successorem facit Onesimum, cui Dorotheus assignat alium Episcopatum.

r 1.Cor.1.14.
s ita S.Thomas in 3.ep. Ioan. & passim alij.
t 4.Octob.
u vers.8.
x in Synopsi.
y lib.6.c.100.
z epist. ad Ephes.

Ceterùm quod spectat ad rationem orthographiæ huius nominis, vbique citatis locis Græcè, ac Syriacè scribitur per G, Latinè in emendatis etiam Bibliis hoc solùm loco,& capite sequenti,
D in aliis per C, nempe in epistolis ad Romanos,& Corinthios. Notum est Grammaticis [a] proferri per G,notari per C,quę inuersa Ↄ,mulierē Caiam declarat.Et Lucianus [b] docuit,facilem esse literarum κ, & γ, accommodationem inter se,ac permutationem, parétque idem in Cneus,& Gneus, vt Quintilianus [c] quoque notauit. Olim Caius, & molliùs dicebatur Gaius,quasi γάϊος,& per resolutionem γάϊος,*mercenarius,rudis,planè brutus,ac veluti terrestris homo*,vt obseruat Rhodiginus [d],etsi alij [e] deriuent à gaudio parentum.

De nomine Gaius,& Caius.
a apud Diomedē Grammat.
b in iudicio vocalium,seu κ,& γ.
c lib.1 c.7.
d lib.14.c.5.
e Sigon. de nominibus Roman. fin Problem. c.28.

Deinde factū,vt, quod refert Plutarchus [f],pro domino Caius, Caia poneretur pro domina: in-
E troducentes enim sponsam Romani iubebant dicere,*Vbi tu Caius,ego Caia*.Quod indicat etiam citatus Quintilianus, & Titus Probus [g], qui ait *institutum, vt noua nupta ante ianuam mariti interrogata quanam vocaretur, Caiam se esse diceret*, nimirum quasi profitentem, ac promittentem Caiæ Cæciliæ, Tarquinij Prisci vxoris, quæ Tanaquil etiam vocata est,summæ probitatis, ac industriæ (propter quam ei statua posita est, vt à Plinio [h] proditur)imitationem.

g Epito. lib. 10.Val Max.
h lib. 3.c.48.

Ridet Iurisconsultos Cicero [i], quasi quòd in alicuius libris exempli causa id nomen (vt cùm etiam Sempronij, Titij,Lucij, Caij in exemplum adducūt,quemadmodū Philosophi Dionis,Theonis, &c.) inuenerint, putarint omnes mulieres,

i orat. pro Murena.

quæ coëmptionem facerent, Caias vocari.

De Aristarcho Pauli comite.

Aristarcho.] Vocat illum Paulus *concaptiuum suum*, scribens Colossensibus [a], eósque nomine ipsius salutans: *adiutorem etiam* in ea, quæ est ad Philemonem [b], in capite sequenti huius historiæ [c] cum Secundo, & cap. 27. [d] Macedonem Thessalonicensem: in Romano, aliísque Martyrologiis natalis eius 4. Augusti Thessalonicæ ponitur, dicitúrque *indiuiduus comes Pauli, & ab hoc Thessalonicensium Episcopus ordinatus, & post longos agones sub Nerone, coronatus quieuisse.* Petrus de Natalibus [e] *hunc Pauli concaptiuum in vinculis Romæ* facit. Id colligitur ex epistola ad Colossenses, quam ab Vrbe missam quidam autumant, etsi alij malunt, ab Epheso: quòd eundem inter septuagintaduos Discipulos numerat, Dorotheum [f] sequitur, vt & cùm Apameensem Episcopum affirmat: sed eius Auctoris fidem vacillare sæpe deprehensum est: quam tamen Menologium [g], dum de Aristarcho meminit, cum Puda, & Trophimo maximis laudibus efferens, amplectitur, tradítque sub Nerone obtruncatos. Attamen Dorotheus de Episcopatu nullum verbum. Non etiam, nisi de vno Aristarcho meminit, cùm Petrus [h] duos distinguat, & Apameensem Episcopum velit esse illum, de quo Apostolus ad Colossenses, & Historia nostra capite sequenti; alium, de quo in epistola ad Philemonem.

a cap. vlt. 10.
b vers. 24.
c Act. 20. 4.
d vers. 2.
e lib. 7. c. 19.
f in Synopsi.
g 14. April.
h lib. 6. c. 100.

Versus 30.] Paulo autem volente intrare ad populum, non permiserunt Discipuli.

INTRARE *ad populum.*] Syrus, לתאטרון *lethe-atron, in theatrum*, quam ipsam vocem retinet, sicut & præcedente versu; sed hîc μετωνυμικῶς pro populo, qui in locum theatri conuenerat. Gregorius [i] exponens verba Iob [k]: *Exultat audacter, in occursum pergit armatis: Intueri licet*, inquit, *illum sessoris sui calcaribus*, comparat ipsum cum equo, & DEVM cum sessore, *excitatum contra armatos hostes, quantus Paulum feruor accenderet, quando eum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat, &c.* Pergit autem ostendere, cur aliàs ille Damasco [l] sese proripuerit, & quo pacto aliquando defugiendum sit, nonnunquàm constanter manendum, & repugnandum.

i 31. Moral. c. 14. vel 23.
k ca. 39. 21.
l Act. 9. 25.

Non permiserunt Discipuli.] Versu sequenti, ne id faceret, rogasse Principes quidam dicuntur: quibus omnibus hac in re obtemperasse colligitur ex historiæ progressu. *In quibus profectò verbis*, vt ait idem Gregorius [m], *agnoscimus, quo impetu contra cunctos aduersantes irrueret, nisi eum per amicos, & Discipulos charitatis fræna tenuissent, &c.*

m Suprà.

Paulus quando cedendum persecutionis, & quando resistendum exemplo docet.

Tum obiiciens illud, quod priùs dixi de fuga eiusdem Pauli, & hac, & Damascena, monet *necesse esse, vt in eius artificiosa virtute discamus aduersariorum pugnam, & constanter aliquando appetere, & prudenter aliquando declinare, in mentis nostræ trutina positum hinc pondus, illinc fructum nostri laboris æstimando, vt cum pondus fructum superat, laborem innoxiè declinemus, dummodò nos in aliis exerceamus, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cùm verò subsequenti quantitate fructuum mensura laboris aut æquatur, aut vincitur, laborem non declinemus.*

Paulus Pastorem se præbuit.

Itaque Paulus Pastorem se præbuit, ac ducem, tum animam pro ouibus offerendo, ac pro commilitonibus, & Republica Christiana, tum eandem vitam non prodigendo, sed reseruando eorundem opportuniori vtilitati. Hæc nimirum lex est pastoralis muneris, quando fugere Pastor

A possit, debeátve in persecutione, quando in acie, & statione perdurare. *Noli resistere contra faciem potentis*, præcipit Sapiens [n], *nec coneris contra ictum fluuij.* Et [o]: *Honor est homini, qui separat se à contentionibus: Frustrà niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extremæ amentiæ esse*, dixit Sallustius [p].

n Eccle. 4. 32.
o Prou. 20. 3.
p in Catil.

Petrus ex Vrbe discessit rogatu suorum.

Paruit Petrus Romæ Discipulorum quoque, & amicorum consiliis, cùm, vt furorem persecutoris vitando, Ecclesiæ seruaret seipsum, ex Vrbe digressus est, quamuis qui illud esse tempus sciebat CHRISTVS, quo fortiter patiendo, ac moriẽdo, plus causæ prodesset, iis illi verbis reditum insinuauit, quibus quærenti, *Domine, quò vadis?* respondit: *Romam iterum crucifigi* [q].

B Honestum est Principi, subditorum quandoque consilia sequi. Cùm seditio exoritur, si coërcere non valeas, rectiùs Pomponium Atticum imitere, qui eam, vt maritimos vitabat fluctus [r], vel Epaminondam, *qui domi se retinebat, omnem existimans funestam victoriam ciuilem* [s]. Solonis lex [t], qua quemlibet etiam priuatum, qui exorta seditione non alterutra se parte coniunxerit, domo, patria, fortunis damnat, tum demùm æqua erit, non si popularis sit seditio, ac priuatorum, quam Magistratum compescere oportet, sed si contra Principem legitimum existat, aut Rempublicam, cuius non externis solùm bonis constat salus, C verùm præcipuè religione (Atheum enim illud: *Tantum stet, tantùm floreat Respublica copiis referta, victoriis gloriosa, pace secura, quid ad nos?* [u]) & ad opẽ ferendam, cùm possit, potissimùm verò prouocatus ab eo, qui habet auctoritatem, subducat sese, ac detrectet: haud paulò minore dignus pœna, quàm qui aliis in exercitu pugnantibus spectet solummodò, vel se subtrahat, vt Metius Suffetius sub Tullo Rege [x], vt Lætus Seueriani Cæsaris dux [y], & alij. Alioqui, vt denuò Sapientis sacram repetam sententiam: *Honor est homini, qui separat se à contentionibus* [z]. Cui ciuiliter sapientis Ciceronis affinis illa sententia [a]: *Nihil viro bono, & quieto cius magis conuenire, quàm abesse à ciuilibus controuersiis.* Vnus ad mortem quærebatur Paulus; D comites rapti sunt eo non inuento, vt eum proderent. *Cùm autem vnus petitur Pastor, non causâ ipsa, vel oues Pastori abesse licet*, vt aliàs [b] cum Augustino [c] docui.

q lege c. 9. Principi interdum subditorum consilia sequenda esse.
r Cornelius Nepos in vita Pomponij Attici.
s Æmilius Prob. in Epaminonda, & Pelopida.
Solonis lex non probatur.
t apud Gellium, lib. 2. cap. 12.
u August. 2. de Ciu. c. 20.
x Liuius lib. 1. Valer. Maxim. lib. 7. c. 4. Virgil. Aen. Claud. in Gild. Gel. lib. 20. cap. 1. Plutarch. in Parall. Dionys. Halicar.
y Herodian. lib. 3.
A ciuilibus controuersiis abesse quieto decet.
z Prou. 20. 3.
a lib. 10. ep. 9. ad Attic.
b 22. de Fide.
c epist. 180.

Versus 31.] Quidam autem & de Asiæ Principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum.

QVIDAM *autem & de Asia Principibus, qui erant amici eius.*] Si iam ad Fidem conuersi erant, vt existimat Carthusianus, non in amicis, E sed inter Discipulos recẽsiti essent. Erant vel Catechumeni, vel Gentiles in Paulum bene animati, & ex his forsan Tyrannus, cuius Paulus habitabat in schola.

Quinam fuerint de Paulo amici.

Primus fortasse Lucas cõposuit nomen Ἀσιαρχῶν, ex proprio, & appellatiuo; licuit id ipsi Græci sermonis, vt in præfatione docuimus, peritissimo. Petrus Alexandrinus [d] exponit Asiaticos Magistratus.

d in Canonibus de pœnitent. tom. 2. Bibl. Patrum.

Rogantes ne se daret in theatrum.] Syrus, שרדו בעו מנה דלא יתל נפשה דנעול לתאטרון *scharedu behhau menneh dele iytthel naphsceh danehhul lethe atrun*, id est, *Miserunt, petierunt ab eo, vt non traderet seipsum, vt prodiret in theatrum*; vel,

Miserunt

Miserunt qui efflagitarent ab eo, ne traderet seipsum vt prodiret in theatrum. Instinctu nonnulli ab SPIRITV sancto prodierunt aliquando in medium theatrum, vel templum, dum haberentur ludi, aut sacrificia, oratione libera vtrumque reprehédentes, non imitandi, sed mirandi. Diuinæ quoque prudentiæ est, aliena sequi tempestiuè consilia, sua abrumpere: *Non alta sapere, sed humilibus consentire* [a], *συναπαγόμενοι*, *abduci, abripi quodam quasi impetu, sicut & sua trahit quemque voluptas, ac voluntas.*

Qui se in theatrum, vel templum Deorum obtulerunt mandandi, mirandi, non imitandi.

a Rom. 12. 16.

Consensit Apostolus, vt dixi; neque tamen ipsi crimini fuit, quòd propter illum Gaius, & Aristarchus capti tenerentur, vt admonet idem Petrus Alexandrinus [b]; sicut neque Petro, quòd cùm diuinitùs carcere liberatus est ab Herode, in custodes carceris ab Herode animaduersum sit: quod item cum eodem Auctore iamdudum notauimus [c].

Vtrum damnandus Apostolus, quòd pro eo alij sint vexati.

b suprà.

c Act. 12.

Versus 32.] Alij autem aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa: & plures nesciebant qua ex causa conuenissent.

ALII *autem aliud clamabant.*] Syrus, כנשא דין דהירת הוו בתואטרון טב שגישין הוו ואחרנא אחרינתא קעין הוו *chenasche dein dehuth hauau bethauatrun tab sgeischin hauau vecharane acharaienetha kahhin hauau*, id est, *Turba autem, quæ erant in theatro, valdè tumultuabantur, & alij aliud clamabant*, nempe *vel alium aliquem* DEVM, *vel opprobria in Paulum*, inquit Glossa ordinaria, siue in nomen Christianum; vel, vt Arias, contra Christianos, & Paulum, sequaces Demetrij: alij, contra Iudæos, cùm eos ibi viderent.

Scilicet à Gentilibus motam in Christianos persecutionem Iudæi lætabantur, eámque pro sua parte inflammabant: sed aliunde cùm esset commune ferè nomen Iudæorum, & Christianorum, & communis insectatio superstitionis, non placuit fortasse Iudæis tumultum excitare ea de causa. Atque ita DEI prouidentia factum est, vt seditionem Iudæus oratione sua sedare voluerit, Iudæis auctoribus, vt paulò pòst narrabitur.

Seditionis descriptio.

Egregia sanè hæc descriptio seditionis motæ, & incondite tumultuantis populi; ac, vt subiicitur, nescientis qua ex causa conuenissent. Videor mihi Virgilium audire, cùm ait [d]:

d 1. Aeneid.

Ac veluti magno in populo, cùm sæpe coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus,
Iámque faces, & saxa volant, furor arma ministrat.

Multitudinis proprium vitium, seditio.

e 3. de Ira c. 2.

Multitudinis vitium proprium seditio, cetera singulos corripiunt, hic vnus affectus est, ait Seneca [e], *qui interdum publicè concipitur, nunquàm vniuersus populus vnius amore flagrauit: nec in pecuniam, aut lucrum tota ciuitas spem suam misit: ambitio viritim singulos occupat. Impotentia non est malum publicum. Sæpe in iram vno agmine itum est. Viri, fœminæ, senes, pueri, Principes, vulgúsque consensere, & tota multitudo paucissimis verbis concitata, ipsum concitatorem antecessit.*

Erat enim confusa Ecclesia.] Ἦν γὰρ ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη. Syrus hæc interpretatus est illis verbis iam recitatis: *Turba autem, quæ erant in theatro, valdè tumultuabantur.*

Ecclesiæ nomen pro seditiosa multitudine.

Nomen autem Ecclesiæ pro seditiosa illa multitudine sumitur, non pro Ecclesia Catholica, vt voluit Glossa interlinearis, & Hugo, quasi confusa esset à cultoribus Dianæ. Sed neque placet alia eiusdem Hugonis, & Glossæ ordinariæ expositio, pro tota multitudine conflata ex fidelibus, & infidelibus diuersa clamantibus. Nec modestiam fidelium decebat, nec prudentiam, vt inconditè vociferarentur, séque numero longè impares in apertum discrimen cóncerent; vel Gaij exemplo edocti, atque Aristarchi, qui in forum pertracti erant, licèt nullam occasionem dedissent.

De voce Ecclesiæ dixi aliàs [f]. Cyrillus autem Ierosolymitanus [g] cùm multa de eadem disserit, tum docens in deteriorem quoque partem accipi posse, id confirmat ex hoc ipso loco, proptereà nos in Symbolo profiteri, credere nos sanctam Ecclesiam Catholicam. Confusæ Ecclesiæ & legitimæ, de qua paulò pòst, facit quoque mentionem Æschines [h], vbi Vlpianus prodit ternas singulis mensibus ex lege haberi solitas conciones: idque Chrysostomus confirmat hoc loco; sed & Strabo [i] de foris & conuentibus Asiæ scribit magna confusione populari laborasse. Idipsum testatur Cicero [k]. Lege Sigonium [l].

f cap. 5. 11.
g Catech. 18.

h ora. de emẽtita legat.

i lib. 13.

k oration. pro Flacco.
l lib. 1. de Repub. Athen. & 6. de Rep. Heb. c. 3.

Versus 33.] De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem, manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo.

SYRVS, עמא דין דיהודיא דאית הוו תמן אקימו מנהון לגברא יהודיא דשמה הוא אלכסנדרוס *bhamma dein dihudaie dith hauau thamman akimu mennehun legabre iehudaie daschemeh hana Aliesandrus*, id est, *Plebs autem Iudæorum, qui illic erant, statuerunt ex seipsis virum Iudæum, cui nomen erat Alexander.* Ἐκ δὲ τοῦ ὄχλου προεβίβασαν Ἀλέξανδρον, προβαλόντων αὐτὸν τῶν Ἰουδαίων. Vatablus vertit, *Protraxerunt*, pro *detraxerunt*, & addit, *quòd prius Iudæi Alexandrum instruxerunt*. Clarius etiam in sua versione ponit, *protraxerunt*; Gagneius, existimans Alexandrum hunc Iudæum esse, & scribam, sed Paulo iunctum, eadem dicit, quæ Vatablus, quia προβιβάζω inquit, *est præmoneo, & prius instruo.* Interpretem verò forsitan legisse προεβίβασαν, id est, *protraxerunt*, vel, *protruserunt, vt quadam propellendo.* Codices Græci, Latinique, quos vidi, concordant in lectione, quam recitaui. Glossa interlinearis detractum ait Alexandrum pro reuerentia, & ne vel occideretur (quòd videlicet pro Paulo dicere velle videretur) vel etiam, ne Paulum defenderet. Hugo primum accipit de Christianis, quibus ille fauebat; secundum de Iudæis, qui hoc nolebant. Carthusianus detractum Alexandrum, &, cùm egredi non posset in tanta caterua, propulsum etiam, vt à tumultu abstractus redderet rationem, audientiámque haberet. Non dicit à quibus: modus autem ille dicendi supponit, significasse Alexandrum velle se concionari, sed incommodo ad id in loco fuisse; exitum quæsiuisse, vt opportuniorem nancisceretur. Caietanus putat præposterè narrare Lucam, sic verò rem esse gestam. *Alexander manu silentio postulato* (quod deinde commemoratur) *sponte nimirum, & pro ea, qua pollebat auctoritate, ac vi dicendi, volebat rationem reddere pro Paulo, & suis:* contra vtrósque enim erant tumultus, & clamores Dianam celebrantes, & defendétes, communéque periculum colentibus vnum verum DEVM, *quo agnito, quòd esset Iudæus* (hostis idololatriæ non minus, quàm Paulus, & Christiani Pauli comites, ac Discipuli) *facta est vox contra* DEVM *Iudæorum, clamantibus omnibus magnam Deam Ephesiorum: & tunc Iudæi timentes propter Alexandrum* (qui inter ipsos eminebat) *propulerũt Alexadrũ, & de turba detraxerũt siue protraxerũt.*

Varia huius loci lectiones, & explicationes.

Caietani expositio satis dubia.

Huic opinioni Caietani magis fauebit, si in proximè sequentibus verbis, *Alexander autem*, particulam *autem*, quod interdum fit, accipiamus pro *enim*. Iuxta editionem nostram, quæ omnibus præferri debet, sensus est, quòd detraxerunt de turba Alexandrum, cùm propulissent eum Iudæi, προβαλόντων, aut cùm propellerent, προβαλλόντων, vt est in aliis codicibus.

Cur Iudæi Alexandrum propulerint.

Id autem fecerunt, vt illo vterentur tanquàm patrono in graui hac causa, in qua idololatræ petebant cultores omnes vnius Dei, quod ex clamoribus Dianam celebrantium intellexerũt: non iis, quæ duas horas durarunt, postquàm Alexander silentium postulauit (in quo Caietanus ipse ordinem historiæ inuertit) sed præcedentibus. Interpres noster verbo *detraxerunt*, rem totam satis exposuit, eúmque Syrus bene assecutus est. Ceteri quoque non aberrant omninò, excepta Glossa, & Hugone.

Temerè faciunt qui aliter vertunt, aut aliud Græcum verbum legisse Interpretem suspicantur. Alexander, siue sua sponte, siue accitu, & hortatu Iudæorum respondere voluerit, non Pauli causam, sed communem agere voluit. Denique rectum, vt dixi, ordinem in hac narratione Lucas seruauit. Quæ autem inserui in aliarum sententiarum declaratione, nostram etiam illustrant, quemadmodum & nonnulla, quæ in progressu dicuntur ab eadem Glossa.

Chrysostomus quid de hoc facto senserit.

Chrysostomus notat singularem dispensationem in eo, quòd propellebant Alexandrum Iudæi, vt nihil possent posteà contradicere. Si de Iudæis intelligit, *qui non possent posteà contradicere, aut cui non possent contradicere*, vtrum Paulo, vel Gentilibus, &c. non video quorsum id dicat. Fateor Interpretem apud Matthæum [a], passiuum participium verbi προβιβάζεσθαι, ἡ δὲ, προβιβασθεῖσα ὑπὸ τῆς μητρὸς αὐτῆς, sic reddere: *at illa* (Herodiadis filia) *præmonita à matre sua*: & Syrum מעול *metul*, id est, *edocta*. Verùm hic etiam actiuum προβιβάζειν, significat, detrahendo denuò producere, ac mittere, vel subducere: hanc enim in hoc verbo vim agnoscunt, vsurpántque peritissimi Græcæ linguæ Auctores.

a cap.14.8.

Illud verò προβιάζειν, quod alij lectum ab Interprete dictitabant, non adeò cõuenit. Siquidem significat, antè vim intulerunt, aut quid simile. Nihil in Scriptura leue, nec leuis grauissimo Ecclesiæ probata suffragio, propositáque præcepto vulgata editio. Quare non leuiter certo, ne quidquam detrahi patiar de ipsa adeò syncera, & tam congruè sensui sancti Spiritvs cohærente.

Manu silentio postulato.] Κατασείσας τὴν χεῖρα, aut, vt alij legunt, τῇ χειρὶ, *concutiens manum*, vel, *manu*. Hoc modo silentium indici solitum sæpe dixi [b]. Non dum traheretur, vt Glossa interlinearis, ac Hugo volũt, id faciebat, sed denuò in turbam, ex qua detractus fuerat, ingressus.

b cap.12.17.&13.16.

Vt redderet rationem.] Quia Glossæ sua breuitate teruntur, & placent, cogor quæ meritò displiceant, subinde admonere. Id est, inquit Interlinearis, *vt populus redderet rationem concilij*. Ἤθελεν, ait Græcus textus, ἀπολογεῖσθαι τῷ δήμῳ, *voluit apologiam dicere, rationem reddere, ac satisfacere populo*. Quàm absonè, & intempestiuè exigeret ipse rationem à populo, qui vocabat in ius, aut etiam sine ordine iuris fur ebat in sacrilegos?

Versus 34.] Quem vt cognouerunt Iudæum esse, vox facta vna est omnium quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum.

Qvem vt cognouerunt.] *Puerilis reuera cogitatio*, inquit Chrysostomus, *quasi timentes ne extinguerentur cultus illorum, continuè clamabant*. Similes videntur mihi Sacerdotibus Baal, qui inuocabant nomen Baal de mane vsque ad meridiem, quibus, cùm iam meridie non esset vox, nec qui responderet, illudebat Elias, dicens: *Clamate voce maiore*, Devs *enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur: & clamabant adhuc voce maiore* [c].

Dij vani [illegible] clamantium vocem [illegible].

c 3.Reg.18.26.& seq.

Versus 35.] Et cùm sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesij, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ Dianæ, louísque prolis?

Et *cùm sedasset scriba turbas.*] Syrus, ושלי אנון רישא דמדינתא כד אמר *veschali-innun rische demadinetha chad amar*, id est, *Ceterùm compescuit eos princeps ciuitatis, cùm diceret*. Græcè vocatur γραμματεύς. Videtur Syrus velle istum qui sedauit turbas, non fuisse Iudæum, sed Gentilem, qui præcipuo aliquo inter Ephesios dignitatis emineret gradu. Id ex eo fit etiam verisimile, quòd laudat Dianam, atque ob cultum eius Ephesios: & de pertractis in forum Pauli comitibus, vt de externis hominibus, loquitur. Et cùm idonea non sit causa tanti concursus, vrget, caueant, ne arguantur seditionis, videlicet à Proconsule, & Imperatore: concursum verò fecerant Gentiles ipsi. Denique oratio tota ostendit virum magnæ auctoritatis, quam Iudæum hominem habuisse credendum non videtur in tanta ciuitate, & adeò cultrice Deorum.

Iudæus nõ fuit qui sedauit turbas.

Glossa ordinaria, & interlinearis, Hugo, Gagneius, & Sà [d], & Baronius [e], *qui etiam suspicatur fuisse illum, quem cum Hymenæo Paulus propter blasphemiam tradidit Satanæ* [f], eundem hunc putant esse illum Alexandrum; Caietanus, & Arias diuersum; idque etiam indicat Carthusianus, *Erat*, inquit, *iste magister, & doctor inter Gentiles*, hoc est, opinione doctrinæ, ac eloquentiæ valens apud illos: *Erat ciuitatis illius illustris vir, & orator, ac princeps in Senatu*, inquit Arias: *Erat persona publica*, inquit Caietanus. Chrysostomus incredulum nominat, seu infidelem, quod esse solet nomen Gentilium.

Scriba qui fuerit.

d hoc loco.
e Tom.1.Annal.
f 1.Tim.1.20.

Mihi placet scribam non Alexandrum fuisse, nec etiam Iudæum, non quòd Iudæis non pateret aditus ad honores inter Gentiles, cõtrarium enim testantur historiæ; sed quia ingens illa vociferatio horarum duarum pro Diana extitit, propterea quòd cognitum est Alexandrum, qui orare volebat, Iudæum esse: tum præterea, quoniam historiæ contextio planè indicat diuersitatem personæ, quæ sedauit turbam: vocatur enim non proprio nomine Alexandri, sed scribæ; vtpote cui ex officio incumberet id facere, vel quòd plurimùm valeret auctoritate.

Non fuit Alexander, nec Iudæus.

Nec refert, si dicat, *Deam vestram*, vel *nostram*, vel si nominetur *scriba*, & γραμματεύς, nomine Iudæis potiùs vsitato, quàm Gentilibus; nam cùm Orator auditores alloquitur, de re, quæ illos maximè premat, quamuis illi cum ipsis sit etiam communis, mauult tanquàm illorum rem nominare,

Cur [illegible] Gentilis.

vt iis consulendi studium suum declaret ab emolumento priuato alienum.

Γραμματεὺς quid sit.

Vox autem γραμματεὺς significans aut *Cancellarium*, aut *legis Doctorem*, quæ duo præstantissimis dignitate viris conuenire possunt, quamuis magis sæpe de Iudæis vsurpatur, quid obstat quominùs dicatur etiam de Gentilibus? Certè Syrus interpres non ignorauit vim eius, qui tamen reddidit principem ciuitatis; nisi dicas intellexisse factum id à scriba Principis iussu; quo pacto Thucydides [a], Demosthenes [b], Æschines [c], & alij γραμματέας φίλους vocare solent eos, qui in concione aliquid recitarent.

a lib. 7. b orat. pro corona. c cont. Ctesiphon.

Denique Græca est, non Hebræa dictio, sed Hebræam, aut Syrochaldæam ספרא *saphra*, quam solet in Euangeliis Syrus retinere, & maximè declarat, significátque *literatum*, & *doctum*, & *Iurisconsultum*, vt aliàs dixi [d]; Lucas potiùs expressit, vt intelligeremus seditionem sedatam, non magis ob hominis auctoritatem, quàm propter doctrinæ, atque oratoriæ vim facultatis. Vtrumque in huius enituit oratione scribæ, cum prudentia singulari: nec potuit enim plura paucioribus complecti, vel in re grauissima rationum momenta maiora pendenda proponere, vel aptiùs ad persuadendum dicere. In Deuteronomio [e] pro his verbis editionis nostræ, *qui docerent vos singula*, Græcè legimus, καὶ γραμματεῖς ὑμεῖς τοῖς κριταῖς ὑμῶν; Hebraicè, & Chaldaicè, *custodes*, vel *præfectos tribubus vestris*: & quos alibi vocat Interpres [f] *duces exercitus*, Septuaginta nominant γραμματεῖς: Hebræus textus *custodes*, שומרים *schomerim*, Chaldæus *duces*, סרכיא *sarachaia*.

d cap. 4. 5.

Oratio huius scribæ laudatur.

e cap. 1. 15.

f Deut. 20. 9. Ios. 8. 33. vide præterea Exod. 18. 25.

Phocionis oratio breuis.

Phocionem recordor, cùm istius orationem recognosco; illius perbreuis, sed succi plena oratio erat, in idque intendebat, antequàm diceret cunctabundus obambulans, nunquid ex his, quæ apud Athenienses dicturus erat, eximere posset [g]. Huiusmodi hic etiam fuit, qualem coorta seditione descripsit Poëta [h] vulgus veteri, & acquiescere.

g Plut. in Phocione.

h Æneid. 1.

Sedanda seditionis per grauitatem.

Tum pietate grauē, ac meritis, si fortè virum quem
Conspexère, silent, arrectisq; auribus astant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Repræsentat quoque Persius [i] officium Rectoris, siue Principis in compescenda seditione ad hunc modum:

i Satyra 4.

Ergo vbi commota feruet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus: quid deinde loquere? Quirites
Hoc puto non iustum est: illud malè, rectius istud.

Vbi nota obiter, *maiestate manus*, significare consuetudinem silentium manu indicendi.

Quis enim est hominum, qui nesciat?] Exploratissima res est, vt clamoribus nō sit opus, à vobis Dianam coli. Hac ratione conciliat vehementer sibi populum, & laudare ipsum videtur.

Enim.] *Causaliter, vel expletiuè potest legi*, ait Hugo, *vt sit tantùm ad ornatum orationis.* Hoc secundum potiùs, siquidem τὸ γὰρ, præsertim apud Atticos, plerunque παρέλκει καὶ πλεονάζει, vt Budæus [k] obseruat, & adhibetur ad interrogationes, quemadmodum apud Latinos *enim*, & *nam*, vt illud [l]:

k Com. ling. Græcæ.

l Virg. 4. Georgic. Nam & enim vim habent interrogandi.

Nam quis te iuuenum confidentissime nostras
Iussit adire domos? ——

Exorditur interdum Italus orationem cum emphasi, *& chi non sa?*

Cultricem esse.] Νεωκόρον. Syrus, דכמרתא *dechumartha*, quod *editua*, seu *aduitam*, quæ Gagneio etiam vox placuit, vel *curatricis*, siue quæ templum verreret, & ornaret. Erasmus [m] dixit esse

m in hunc locum.

A compositum nomen ex ναὸς, id est, *templum*, & κόρη, id est, *virgo*, itáque vocari solitam Dianam, & Proserpinam. Reprehendit Erasmum Iacobus Stunica [n], tum quia solius Proserpinæ appellatio sit κόρη; tum quia non idcirco ciuitas ipsa Ephesia νεωκόρος dicenda fuerit, quòd ibi esset templum Κόρης, hoc est, Dianæ, cùm νεωκόρος, non à ναὸς, & κόρη deriuetur, sicut nec ζάκορος, sed à κορέω, quod est, *orno*, quasi dicatur Ephesus νεωκόρος, *templi ornatrix*, vel ζάκορος, id est, *editua*, siue *templi ministra*: vnde & νεωκορεῖν, *administrare*, aut *tractare res sacras, & ad templa pertinentes.*

n annot. in Erasmum.

B Citat Pollucem [o], qui nomina τῶν θεοῖς θεραπευόντων, *Diis inseruientium*, recenset, ἱερέας, νεωκόρους, ζακόρους, &c. & agens de festiuitatibus Deorum, celebritatémque Dianæ à Dianæ festo distinguēs, ait: Κόρης παρὰ Σικελιώταις θεογάμια, καὶ ἀνθεσφόρια, Ἀρτέμιδος ἀρτεμίσια, Ἐφέσια, id est, *Proserpinæ festum apud Siculos Theogamia, seu diuinæ nuptiæ, & Anthesphoria siue Floriferia, Dianæ Dianialia, Ephesia.*

o in Onomast. lib. 1.

Adde prætereà falsum esse, appellatam Proserpinam κόρην, ac proinde multò minùs Dianam, de qua dictum non reperitur id nomen, quia virgo esset, verùm quia decenti forma mulier; quam significationem habet κόρη apud Molossos, quorum Regis, qui vocatur Ἅδης, Proserpina filia fuit.

Cur Proserpina sit dicta κόρη.

C Rectè Interpres *cultricem* dixit *Dianæ ciuitatem Ephesinam*, cùm augustissimum ipsius templum tanto sumptu, pōpa tam illustri, adeò multis donis, & sacrificiis, quæ nominabantur etiam Ἐφέσια, de quibus itē Thucydides [p], procuraret, & exornaret. Fauet disertè Oecumenius.

Ephesus Dianæ cultrix cur dicta.

p lib. 3.

Iouisque prolis.] Καὶ τοῦ Διοπετοῦς. Syrus, ולצלמא דמן שמיא נחר *valetsalema demen schemaia nechar*, id est, *& simulacri è cœlo delapsi.* Vatablus, & Clarius, *à Ioue delapsi simulacri*, quasi dicas, inquit iste, ἐκ τοῦ Διὸς πεπτωκὸς, vel παρὰ τοῦ Διὸς πεμφθὲν ἢ καταβὰν, *à Ioue delapsum*, aut *à Ioue missum*, aut *deuolans.* Sic fabulantibus Gentilibus demissum è cœlo simulacrum, ad terrendos simpliciores. Eadem est opinio Gagneij, & Ariæ Montani, qui addit vocatam Dianam Ephesiam οὐρανοπετῆ, *è cœlo lapsam*, nimirum signum, seu simulacrum ipsius.

Diana dicitur è cœlo delapsa.

D Idem sentit Caietanus, & ante omnes Chrysostomus, atque Oecumenius. Confirmat id Oecumenius exemplo Palladij Troiani, & ancylis Romani, de quo Virgilius [q]:

q 8. Æneid.

Laniger ósque apices, & lapsa ancylia cœlo
Extuderat. ——

Et Pherecydes auctor est, *omnia simulacra humana manu non facta, & quidquid è cœlo in terram deuoluitur*, Palladia vocari solita. Qua de causa, teste Suida, statuarios relegabant, vel occidebant, ne huiusmodi manu factam imaginem inuulgarent.

E Adiicit Oecumenius alios duos dicendi modos, aut de templo, quod à Ioue lapsum appellaretur, quia conuexum, & rotundum, aut de alio sacello apud eosdem Ephesios, cui id nomen esset. Chrysostomus pariter tradit vel de sacello alio, vel de Dianæ, vel de alterius DEI signo.

Apud Plutarchum [r] dicitur Διοπετὴς πέλτη, ancyle illud, siue testa cœlitùs demissa. Et apud Herodianum [s], λίθος διοπετὴς, καὶ ἄγαλμα διοπετὲς, quod secundum est etiam apud Euripidem, hoc est, *lapis, & signum à Ioue, seu cœlo lapsum.* Eustathius [t] item διοπετέας ποταμοὺς τοὺς τοῦ ἐκ Διὸς ἀέρος πίπτοντι ὕετῷ πληρουμένους vocari obseruat *fluuios ab Ioue, seu cœlo, & aëre, decidente imbre plenos*, quales sunt κυρίως propriè χείμαρροι *torrentes*, καταχρηστικῶς *abusiuè autem, & oi diuaj. perennes, ac iugiter fluētes.*

r in Numa. Ancyle quomodo dictum.

s lib. 1. & 5.

t Iliad. π. Odyss. δ.

Extat

Extat epigramma egregium, quo simul comprehenduntur quæ adhuc sunt dicta de celebritate Ephesini templi, & sumulacri Dianæ, & ciuitatis Ephesiorum.

Τίς πότ' ἀπ' ὀλύμποιο μετήγαγε Παρθενεῶνα,
Τὸν πάρος οὐρανίοις ἐμβεβαῶτα δόμοις,
Ἐς πόλιν Ἀνδρόκλοιο θοῶν βασίλειαν Ἰώνων,
Τὰν δορὶ, καὶ Μούσαις αἰπυτάταν Ἔφεσον,
Ἦ ῥα σὺ φιλαμένα τιτυοκτόνε μᾶζον ὀλύμπω,
Τὰν τροφὸν ἐνταυθοῖ τὸν σὸν ἔθου θάλαμον;

id est,

Quis tulit è cælo sublimem Parthenonem,
Qui fuerat superis cognitus antè Deis?
Mœnia vbi Androcli, imperiumq́; exstitit Ionum,
In claram Musis, militiáque Ephesum?
An quia grata magis cælo tibi terra sit altrix,
Diana hîc thalamum percupis esse tuum?

Hæc omnia suadent nomine τ διοπετὲς, non hîc intelligi nouum epithetum ipsius Dianæ, quæ proximè antè vocata est μεγάλη θεά, *magna Dea*, quasi Iouis filia nominetur ex Latona, vt voluit tamen Lyranus, & Carthusianus; sed, quod tam multi citati, templum, aut signum, seu simulacrum, aut statuam Dianæ; vel, quod non est adeò ac illud probabile, alterius idoli, aut sacelli nomen proprium esset. Accedit articulus τ, qui cùm non sit fœmininus, non refertur ad τὴν Ἄρτεμιδα, *ad Dianam.*

Alia ex parte vulgata editio penitùs obstat, & non aliam, quàm Lyrani, & Carthusiani, quam indicat etiam Hugo, pati explicationem videtur. Quis enim dicat simulacrum, aut sacellum, ac templum Iouis prolem? Cùm verò constanter omnes codices Græci habeant dictum articulum τ, sine causa suspicantur nonnulli legisse Interpretem τῆς, quod nec etiam satisfaceret, quia διοπετὴς non reperitur dictum de homine, vt Rege, aut simili; sed διογενὴς, quæ dictio propriè significat Ioue natum.

Interpres noster defenditur. Ego, qui Interpretem nostrum pro eo ac debeo, reuerenter defendo, & in eius patrocinium plura de voce διοπετὴς disputaui, arbitror ab illo sensum commodissimè redditum, intelligente non de alio idolo, aut templo, quàm Dianæ, de qua mentio erat. Igitur quia simulacrum illud Dianæ seu ex ebeno, seu vitigineum, è cœlo, & ab Ioue missum credebatur, qui cœlo præerat, simúlque Iouis Diana filia existimabatur, ac proinde Iouem in gratiam, & honorem filiæ id fecisse opinio erat; idcirco ex simulacri epitheto, quo διοπετὴς cognominabatur, Interpres Ephesiorum ciuitatem cultricem magnæ Deæ Dianæ, *quæ filia sit Iouis*, rectè dixit, præsertim cùm non tam templum colerent, aut simulacrum, quàm Deam ipsam, licèt hanc in illo esse sibi persuaderent. Posset huc reuocari liber Epicuri περὶ κριτηρίου, quem cognominabant discipuli διοπετῆ, quasi diuino confectum ingenio [a]. Narrat Suidas [b], cōfecto simulacro apud Alexandriā, iussos opifices in excauata fossa, tabulis impositis, epulari, ac per dolum in medio conuiuio effecisse, vt subsidente pauimento conciderent, & opprimerentur. Clemens Alexandrinus [c] meminit de Palladio, quod vocabant διοπετὲς, quia deuolasset à Ioue, cùm priùs positæ hominibus statuæ appellarentur βρέτη, ἀπὸ τῶν βροτῶν, id est, à mortalibus.

a Plut. cont. Colotem.
b verbo, διοπετὴς.
c paræn. ad Gent.

Versus 36.] Cùm ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temerè agere.

CVM *ergo his contradici non possit.*] Mendacium est, vt & quod subdit hîc Orator, nihil à Christianis sacrilegum, hoc est, contra Ephesiorum sacrilegam idololatriam dictum esse: quo pacto enim Paulus tam diu dissimulasset? Ista tamen ad populum sedandum dicebat, quod erat officiosè mentiri. Quo nomine non meretur laudem, etiamsi fortasse in gratiam quoque Pauli, & Christianorum id faceret. Sicut nec obstetrices [d], aliíve vlli præmium sui mendacij à DEO consequuti sunt, sed benignæ voluntatis, aut alterius virtutis. Quanquàm nec mentiebatur quidem, cùm diceret non posse contradici, videlicet *intelligens*, vt ait Carthusianus, *non posse licitè*, secundùm ipsorum sectam.

Mendacium dicit Orator.
Mendacium officiosum non meretur laudem.
d Exod. 1.

Versus 37.] Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemātes Deam vestram.

ADDVXISTIS *enim homines istos.*] Carthusianus ait, *idololatriam à Christianis reprobatam, immò & à Iudæis, verumtamen vel hîc etiam officiosè scribam mentitum*: vel hoc sensu loquutum, *quod ignoraret modum, quo improbata esset ab illis idololatria.*

Arias primum crimen, quod scriba negat, vult esse, vt nihil ex templo rapuerint: secundum, vt nec Deam ipsam verbis impuris lacesserint. Hoc vltimum verisimilius est. Nam Iosephus [e] prodit, *Iudæorum fuisse morem, propria custodire, non aliena potiùs accusare: & vt neque ridere, neque blasphemare deberent eos, qui apud alios putentur Dij, apertè sibi à Legislatore interdictū, vel propter ipsam appellationem Deorum.* Habetur ea lex in Exodo [f]: *Diis non detrahes*; quam Iudæi de Diis quoque Gentium interpretabantur.

Quo nomine à Iudæis tenebatur.
e 2. cont. Apionem.
f cap. 22. 28.

Vocantur quidem tamen in Scripturis, *Dij Gentium Dæmonia*; & multis aliis nominibus, quibus eorum vanitas describitur, vt vidimus capite decimoquinto [g]. Ceterùm in omni etiam de religione disceptatione, atque contra vel Hæreticos, vel infideles, moderatio seruanda est, abstinendúmque ab his, quæ ad rem non pertinent, ac potiùs veritati, quæ per sese validè hostem ferit, officit, & detrahit, vt cùm alij Patres suis & sententiis, & exemplis docuerunt, tum in primis Nazianzenus, qui propriam edidit de hac re orationem. *Malam, & impiam consuetudinem* Cicero [h] dixit esse *contra Deos disputandi, siue ex animo id fiat, siue simulatè.* Non potest Christianus non disputare contra Deos pro DEO vno, & quidem ex animo, & seriò; at seuerè, grauiter, modestè id ei faciendum est. *Sapientia enim, quæ de sursum est, & Christiana, pacifica est, & modesta, & suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia* [i], &c. Nota est disputationis efficacia, quam simplex Confessor Episcopus aduersùs acutissimum Philosophum habuit, simpliciter, ac modestè veritatem proponens [k]. Et iterum vnus è laicis non alia arte Dialecticos conuicit [l]; vt nihil dicam de Alexandro Episcopo Constantinopolitano, qui duntaxat indicendo silentium [m].

Dij Gentium Dæmonia vocantur.
g vers. 18. In disputationibus moderatio adhibenda.
h 2. de natur. Deor.
Disputandum pro Deo contra Deos, sed modestè.
i Iacob. 3. 17.
k Ruffin. 10. Hist. cap. 3.
l 2 Trip. 2.
m ibidem.

Versus 38.] Quòd si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent aduersùs aliquem causam, conuentus forēses aguntur, & Proconsules sunt, accusent inuicem.

CONVEN

CONVENTVS *forenses aguntur.*] Ἀγοραῖοι ἄγονται. Syrus, אומנא אנון *vmane innun*, id est, *Artifices sunt.* Quod autem proximè antè habetur, *Et qui cum eo*, id est, Demetrio, *sunt artifices*, vertit, ובני אומנותה *vabenai vmanuthah*, id est, *Filij artis eius.* Vnde insinuat hîc Interpres, fuisse quosdam artificum Præfectos, qui de causis incidentibus inter ipsos cognoscerent.

Constat apud Romanos, artium singularum sodalitates, seu collegia fuisse, quæ instituerat primus vel Numa [a], vel Seruius Tullus [b]: fitque de his mentio in Iure ciuili [c], citata quoque ad hoc propositum lege Solonis, qua cauetur, vt quæ huiusmodi sodales ad negotiationem pertinentia disposuerint, inter se firma sint, nisi leges publicæ hoc prohibuerint. Ea tamen in re variatum est etiam apud Romanos, cùm Caius omnia in Vrbe collegia prohibuerit, præterquàm Iudæorum, vt refert Iosephus [d], & meminit Plinius [e], Dio [f], Ammianus [g], Lampridius [h].

Sodalitates artium Romæ fuerunt.
a Dionys. Halic. lib. 1. Plin. lib. 14. c. 1. lib. 35. cap. 12.
b Florus in Epitom.
c l. fin. de colleg. illic. ff. lib. 47. tit. 22. & l. 1. ff. quod cuiusque Vniuersit. nom. l. fin. C. de iurisd. omn. Iud. Nouel. 136.
Mercatorũ collegia in Vrbe fuerunt.
d lib. 14. Ant. c. 17. vel 19.
e lib. 10. epi. ad Traian. de Christ.
f in Claud.
g lib. 18.
h in Alexandro Seuero.
i vt in Gallia, in Constitutione Franc. I. anni 1543. & Caroli IX. anni 1563.

De mercatoribus ratio eadem fuit: namque Romæ mercatorum collegium, vt ait Liuius, quemadmodum in prouinciis conuentus negotiatorum. Hoc tempore qui præsunt aut artificibus, aut mercatoribus in Italia, aut extra Italiam, Italis appellãtur *Consules*, vel *Potestates*, vel *Abbates*, vel *Priores*: mercatorum verò Venetorum propriè dicuntur *Bali*. Iure item municipali quarundam prouinciarum [i] decretum est in fauorem mercatorum, & commerciorum, vt compellantur negotiatores ad lites negotiorum dirimendas arbitros eligere de numero mercatorum, vel etiam aliorum, si sit opus, eorúmque iudicio stare sine spe intercedendi, seu opponendi, & prouocandi: ita vt Iudices ordinarij, si requirantur, teneantur dictam sententiam executioni mandare summariè, de plano, sine strepitu iudicij, perinde ac si eam ipsi tulissent, &c. Lege de Iudicibus mercatorum Petrum Gregorium [k], & Octauianum Vestriũ [l].

k lib. 47. Syntag. c. 17.
l 7. Introd. in aulæ Roman. actionem. ca. 12.

Voluit itaque forsan Syrus interpres sermonem esse hoc loco de huiusmodi Iudicibus arbitris artificum, vt siquidem Demetrius cum reliquis artificibus iniuriam querantur artificio, iactúramque fieri, sedatè agant, non temerè, adeántque constitutos artificum Iudices; sin grauius intendant crimen aduersùs Rempublicam, sistant ordinariis, & Proconsularibus Iudicibus.

Iudices mercatorum quam potestatem habeant.

Nescio an eò alluserit Oecumenius, cùm dixit ἀγοραίους, fuisse *vulgares Iudices, qui pauperum, & plebeiorum hominum lites iudicarent*, quemadmodum in vrbibus quibusdam erant, quos ἐκδίκους, seu ἐκδικοῦντας, id est, *vindices*, ac *procuratores* vocabãt. Proconsules verò, causas diuitum, & grauiores audiuisse.

Iudices forenses qui essent.

Aliter quoque respondet, ἀγοραίους, circumforaneos causidicos fuisse, ab eo, quòd ἀγορεύουσι, id est, *dicunt causas, & concionantur.* Hoc pacto sensus scribæ esset, iure agi oportere, causam committendam causidicis, qui eam orent apud Proconsules, Iudicésque ordinarios.

Neque alij expositores abhorrent ab hoc secundo modo, qui notari volunt ab scriba, nihil opus fuisse publica omnium concione, cùm causæ forenses agitari soleant coram Iudicibus. Atque ita non erat duplex iudicij, seu tribunalis forma conuentuum forensium, & Proconsularium. Sed idem erit dicere, Conuentus forenses aguntur, Proconsules sunt, atque lites, & controuersiæ disceptantur in foro, vbi Proconsules, siue Iudices cognoscunt, & decidunt.

Baronius [m] existimat intelligendum Lucam seu scribam de iis conuentibus, qui celebrabantur in Græcia, teste Dionysio Halicarnassæo [n], statis temporibus, ac nominatim Ephesi, quãdo conueniebant ad Dianæ sacra, túmque celebrabant ludos, & mercimonia; posteà componebantur lites à Iudicibus, si cui simultas ciuitati orta esset cum altera: deliberabatur etiam de bello contra Barbaros, ac de mutua gentis concordia. Eòdem putat pertinere, quæ sunt in Dione Chrysostomo [o] de iudiciis haberi solitis in Asia alternis annis. Tandem concludit, cùm distincti fuerint apud Romanos negotiationis causa conuentus forenses ab illis, quando Præses ciuitates prouinciæ vocabat ad cognoscendum de controuersiis earum, vt Festus [p] tradit, istos conuentus hîc indicari, in quibus Proconsul iis in ciuitatibus prouinciæ, quæ commodiores viderentur, certis consistens diebus per se, aut legatos, cõprouincialiũ causas cognoscebat, vt Cicero [q], & Iosephus [r] docét.

m Tom. 1. Annal.
Qui sint conuentus forenses.
n 4. Ant. Romanar.
o orat. 28 de Melancoma, & orat. 35. in Cœlenis Phrygiæ.
p de verb. signific.
q lib. 3. epi. in epi. 6. & 8. & lib. 15. ep. 4.
r lib. 14. Ant. cap. 10.

Vt hæc sint vera, videndum est, an illud ipsum tempus, quo scriba concionabatur, in dictorum conuentuum celebrationem inciderit. Cùm verò concitata grauiter multitudine remedium ab Oratore præsens proponi debuerit, & certum, ac ordinarium, faciliores mihi priores duo dicendi modi videntur, ex quibus haud facilè dixerim, vtrum malim. Itaque ἀγοραῖοι ἄγονται, *forenses* (vt addit Latinus interpres) *conuentus*, seu *lites, cognitiones, causæ dies habentur* (tunc verò aptiùs ἀγόραιοι diceretur, cum accentu in antepenultima) id est, *haberi solent*: vel apud Prætores artificum, ac mercatorum, vel apud Proconsulares, & generales Iudices. Certè τὸ ἄγονται, magis indicat rem inanimatam, nec satis intelligitur quo pacto Iudices, vel Aduocati dicantur agi, aut haberi.

Et Proconsules sunt.] Ἀνθύπατοι. Syrus, אנתופטוס במדינתא *anthupataus bamdinetha*, id est, *Proconsul in vrbe est.* Hæc si recipiatur interpretatio, cessat dubitatio de pluribus in eadem prouincia Proconsulibus, quoniam vnus tantùm erat. Et vulgari modo loquendi pluralis numerus quandoque vsurpatur etiam de vno solo.

Baronius Proconsules interpretatur Proconsulares, qui vocantur etiam Legati [s]. Vel potiùs Publium Celerem Equitem Romanum, & Ælium Libertum, qui administrandam Asiam pro Syllano Proconsule, quem, dum ibi res familiares Neronis procurarent, iussu Agrippinæ occiderant, susceperunt, vt narrat Tacitus [t]. Ceterùm nec Tacitus meminit, ab istis administratam prouinciam, quamuis Syllani successorem nullum nominet: *Solum*, ait, *ab Asia Celerem accusatum.* Sed causa potuit esse, quoniam, vt dixi, rei familiari Principis impositus, multos læsisset: nec si administrassent, Proconsulum propriè nomen retinuissent. Qua item de causa minùs propria videtur vsurpatio Proconsulum pro Proconsularibus Iudicibus, & ἀνθυπάτων, pro ἀνθυπατικῶν. Iudices verò Ephesinos vocatos Proconsules, Caietanus affirmat, non probat.

Baronius quid per Proconsules intelligat.
s ff. de offic. Proconf. per totum.
t li. 13. in prin.

Versus 39.] Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima Ecclesia poterit absolui.

SI *quid autem alterius ei quæritis.*] Præter causam artificum, qui auctores extiterant popularis concursus; & quod in aliud tempus possit differri, vel hoc etiam tempore transigendum videatur.

In legitima Ecclesia poterit absolui] Syrus, בדוכתא

דיהיבא מן נמוסא לכנושיא משחרא *beduchatha datiehiba men nemusa lichnuscheia maschthere* , id est, *In loco à lege ad concionem dato dirimetur.* Nec enim forum causis tractandis, sed mercibus, & spectaculis exponendis, exhibendísque destinatum est. Chrysostomus ait, vocari *legitimam Ecclesiam, siue congregationem, eò quòd tres cōciones, iuxta legem, quolibet mense fierent.* Illa autem erat præter legem, quia videlicet sine auctoritate indicta, nec per Magistratus, Iudicésve. Non loquitur de Iudæis Chrysostomus, vt existimauit Baronius: nam nec id ad rem fuisset, vt seditio tam grauis componeretur, nec vllibi, quod sciam, extat mentio talis consuetudinis apud Iudæos, sicut extare docui apud Gétiles, cùm agerem de Areopago [a]: idque Vlpianus notauit in Demosthenem. Denique subdit scriba periculum esse, nisi ita faciant, ne arguantur seditionis: quòd nimirum extraordinariè, ac illegitimè conuenissent; ipsis autem non erant curæ Iudaici conuentus. Nullus certè aliorum Interpretum de conuentu, & Ecclesia Iudæorum intellexit. Glossa interlinearis, & Hugo exponit de loco, vbi de legibus agitur, non de occisione, id est, de loco, vbi occisio perficitur, & occiduntur rei. Lyranus, *In congregatione Proconsulum legitimè iudicantium.* Carthusianus: *In congregatione legitimo more collecta, non tumultuariè, vt erat illa.* Gagneius: *In congregatione non per tumultum congregata, sed legitimo more indicta per Consules, & Præsides, vt moris est.* Arias: *In loco publico, vbi conciones de rebus ad populum pertinentibus fieri solent, non in theatro.* Vatablus: *Quæ non tumultu, sed legitimo more sit indicta.* Solus Sà Baronium, opinor, intelligens, & Sigonium, ait, quòd quidam referunt ad conuentus Iudæorum solemnes, vbi causæ determinabantur.

Quid hic sit legitima Ecclesia.

a cap. 17.

De hac re tota Sigonius [b] accuratè disputat, & communem sententiam optimè declarat. Atque exempla legitimarum, & confusarum concionum apud Græcos: alia producit ex Æschine [c], Strabone [d], Cicerone [e]. Sed cùm præsentem locum etiam intelligit de concionibus Iudæorum, probare illum non possum.

b 6. de Repu. Iud. cap. 3.

c oratio. de ementita legatione.
d lib. 11.
e oratio. pro Flacco.

Versus 40.] Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cùm nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et cùm hæc dixisset, dimisit Ecclesiam.

NAM *& periclitamur argui seditionis hodiernæ.*] Terret auditores, & in magnas angustias conicit, cùm nulla causa subsit, *vnde possint rationem reddere concursus*, inquit Chrysostomus: *& nisi agantur*, ait Glossa interlinearis, *legitimi conuentus forenses, putabimur seditionem aduersus aliquos concitare.* Vel, *Periculum est*, inquit Lyranus, *ne à Præside, seu Proconsule, aut ab Imperatore, tanquàm negligentes de custodia ciuitatis in pace, arguamur, vel à Romanis huius ciuitatis dominis*, ait Arias, *qui seditionis crimen nobis Principibus viris* (quasi talis esset scriba ipse, & Demetrius, & alij aliqui) *adscribent*: cuius criminis nulla cùm ratio nobis suppetat, nulla poterit esse depulsio.

Cùm nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius.] Syrus, דלא משכחינן דנפוק רוחא על כנשא דיומא הנא דאת כנשן בטלאית ואשתכשן דלא עלתא *delo meschchechnan danepuk rucha bhal chenescha detauma hanne deth channeschan betalauth veschethenschan delo bhalletha*, id est, *Cùm non possimus reddere rationem de congregatione diei istius, quò conuenimus otiosè, & tumultuati sumus nulla de causa.* Caietanus, *Cùm nullus reus sit, ob quem possimus reddere rationem concursus: tantus enim concursus præ se fert magnum alicuius crimen, ob quem fuerit factus.* Gagneius: *Cùm nulla subsit causa, vnde rationem reddere possimus huius conspiratæ coitionis.* Carthusianus: *Cùm nullus hîc ita excesserit, vt ob id excusari possit præsens concursus.* Sententiam omnes assequuntur, sicut & Glossa interlinearis, & Hugo, *cùm nullus sit reus, & occidi dignus*, &c. Tamen αἴτιος masculini generis, frequentiùs accipitur pro ὑπαίτιος, καὶ κολάσεως ἄξιος, quod est sons, reus, supplicio dignus, &c. [f] Idcirco noster Interpres optimè reddidit, *obnoxius.* Vnde lusit ille in paranomasia, qui dixit [g]:

Αἴτιος ὁ γράψας αἴτια Καλλιμάχου.
Est reus adscribens crimina Callimacho.

vel, vt alij legunt, Καλλίμαχος: vt fuerit obnoxius, qui Callimachi scripserit accusationē, aut Callimachus, qui de causis scripserit, nō ita forsā bene.

f Eustath. in Iliad. α, & Odyss. α, γ, ι.

g citat Eusta. Odyss. α, & est li. 1. Anth.

Vbi obiter nota in Martiali [h] mendum, siue librarij, siue ipsiusmet, atque Interpretis, quòd in auctore mendum non notauit.

h lib. 10. epig. 4.

Sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores,
Nec te scire legas ethia (pro aetia) Callimachi.

Nusquàm Græcorum reperitur in libris ἤθια, vel ἤθεα: & si moralia dicere voluit, potuit Poëta dicere *ethea*, vel *ethica*. Scio quosdam codices habere aetia, vel etiam Græcis literis αἴτια: sed nescio quàm accommodatè ad mores, de quibus Martialis, nisi fortè, vt eos in libro τῶν αἰτίων, id est, *causarum*, reprehensos recognosceret. Legi hac de re posteà Raderum nostrum Scholiastem Martialis probum.

Ceterùm grauissimam Orator bonus posuit rationem in oratione à metu ob crimen seditionis, quod seuerissimè semper animaduersum est, præsertim si ad effectum seditio perueniret: cuius rei plenæ historiæ, legésque.

Seditionem omni grauissime punitam.

Concursus.] Συστροφῆς. Lege de hac voce caput XXIII. [i]

i vers. 12.

Dimisit Ecclesiam.] Dimissionis modum non alium opinor fuisse, quàm cùm dicendi finem fecit, aut se signo aliquo, vel verbo significauit fecisse. Patronos, & Aduocatos cùm causam narrare, & agere iubebant, vtebantur apud Romanos verbo *dic*: hi causa perorata, verbo *dixi*, vel, si Iuliano credimus Apostatæ [k], εἴρηται, ὅ γ᾽ ἐμὸς λόγος, κρίνοις δ᾽ αὐτὸς τὰ δέοντα: *Dictum est: hæc mea oratio: iudicaueris autem ipse quæ decent.* Si quis verò concionans absoluisset, illud vsurpabat: *Si vobis videtur, discedite Quirites.* Lege Brissonij formulas [l]. Hic mihi cum summis Oratoribus comparandus, & componendus, qui populares composuerunt seditiones, cum Menenio Agrippa, cum M. Valerio, cum M. Popilio, cum M. Tullio, & ex Græcis cum Demosthene,

Quomodo conciones dimitti solerent.

k epi. pro Argiuis.

l lib. 2. & 5.

— quem mirabantur Athenæ [m]
Torrentem, & pleni moderantem fræna theatri.

m Iuuenalis Satyra 10.



CAPVT VIGESIMVM.

SVMMARIVM.

Cedens Paulus Ephesino tumultui, peragratis Asiæ, Græciæque non paucis urbibus, peruenit in Macedoniam: inde Troadem, ubi suscitat Eutychum: posteà Miletum, quò natu maiores euocans ab Epheso, commendat ipsis Ecclesiam, atque valedicit.

1 POSTQVAM autem cessauit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est vt iret in Macedoniam. A

2 Cùm autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam:

3 Vbi cùm fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ à Iudæis nauigaturo in Syriam: habuítque consilium vt reuerteretur per Macedoniam.

4 Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Berœensis, Thessalonicensium verò Aristarchus, & Secundus, & Gaius Derbæus, & Timotheus: Asiani verò Tychicus, & Trophimus.

5 Hi cùm præcessissent, sustinuerunt nos Troade:

6 Nos verò nauigauimus post dies Azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, vbi demorati sumus diebus septem.

7 Vna autem Sabbati cùm conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxítque sermonem vsque in mediam noctem.

8 Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, vbi eramus congregati.

9 Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cùm mergeretur somno graui, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus.

10 Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est.

11 Ascendens autem frãgénsque panem, & gustans, satísque allocutus vsque in lucem, sic profectus est.

12 Adduxerunt autem puerum viuentem, & consolati sunt non minimè.

13 Nos autem ascendentes nauem, nauigauimus in Asson, inde suscepturi Paulũ: sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus.

14 Cùm autem conuenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen. B

15 Et inde nauigantes, sequenti die venimus contra Chium, & alia applicuimus Samũ, & sequenti die venimus Miletum:

16 Proposuerat enim Paulus transnauigare Ephesũ, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis.

17 A Mileto autem mittens Ephesum, vocauit Maiores natu Ecclesiæ.

18 Qui cùm venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, C

19 Seruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum:

20 Quomodo nihil subtraxerim vtilium, quominùs annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos,

21 Testificans Iudæis, atque Gentilibus in DEVM pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM.

22 Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem: quæ in ea ventura sint

mihi ignorans:

23 Nisi quòd SPIRITVS sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent.

24 Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodò consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino IESV, testificari Euangelium gratiæ DEI.

25 Et nunc ecce ego scio quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnum DEI.

26 Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium.

27 Non enim subterfugi, quominùs annunciarem omne consilium DEI vobis.

28 Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos SPIRITVS sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI, quam acquisiuit sanguine suo.

29 Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.

30 Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.

31 Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessaui, cum lacrymis monens vnumquemque vestrûm.

32 Et nunc commendo vos DEO, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus.

33 Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui.

34 Ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.

35 Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini IESV, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quàm accipere.

36 Et cùm hæc dixisset, positis genibus suis orauit cum omnibus illis.

37 Magnus autem fletus factus est omnium: & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum,

38 Dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam ampliùs faciem eius non essent visuri. Et deducebant eum ad nauem.

Versus 1.] Postquàm autem cessauit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est vt iret in Macedoniam.

A POSTQVAM *autem cessauit tumultus.*] Dictum est capite superiori, quamdiu Apostolus Ephesi manserit, & quid præter illa, quę narrat Lucas, passus ibi fuerit. Venit quidem Apollonius Tyanæus, Magus insignis, Ephesum sub hæc tempora; tamen vtrùm dum ibi Paulus ageret, quis potest affirmare? Prudenter verò *dat locum iræ* [a], ne fideles, quos in ea ciuitate pepererat CHRISTO, sua ipsius causa, quem vnum Iudæi, Gentileśque oderant maximè, duriorem paterentur persecutionem.

Apostolus dat locum iræ. a Rom.12.19. vt exponit Isid. Pelus. epist. 144. ex Breui. Ambros. & Anselm. in ep. ad Rom.

B *Vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit.*] Προσκαλεσάμενος ὁ Παῦλος τοὺς μαθητὰς, καὶ ἀσπασάμενος. Syrus, קרא פלוס לתלמידא וביא אנון ונשק אנון *kera Paulaus lethalmide vebaa innun venaschek innun*, id est, *Aduocauit Paulus discipulos, & consolatus est, ac deosculatus eos.* Vatablus, & Clarius: *Vocatis ad se* (hæc duo addit Clarius) *Paulus discipulis, complexúsque illos*, aut *complexus est illos*. Eosdem sequitur Caietanus. Interpres noster priori participio Græco reddidit duo: ideò enim vocauit Apostolus discipulos, vt exhortaretur, & exhortando consolaretur: pro posteriore posuit *valedixit*. Et hoc quidem rectius, quàm qui osculi mentionem faciunt.

C Nam sæpissimè in nouo Testamento tum verbum ἀσπάζεσθαι, tum nomen ἀσπασμὸς, pro simplici, & sine osculis salutandi modo, atque salutatione sumuntur, vt cùm ait CHRISTVS, *Si salutaueritis fratres* [b], &c. *Intrantes in domum, salutate eam* [c]. *Neminem per viam salutaueritis* [d]. Et cap. 18. huius Historiæ dicitur *salutasse Paulus Ecclesiam* [e]: denique quoties salutat suo, vel aliorum nomine aliquos, vtitur his dictionibus, necnon Ioannes epistola vltima [f].

Salutare sæpe sumitur pro simplici salutatione, verbum ἀσπάζεσθαι.
b Mat.5.47. c Mat.10.12. d Luc.10.4. e vers.22.
f vers.14.

Non nego, apud profanos etiam Auctores dictiones illas accipi pro salutatione per oscula, & amplexus, præsertim quasi ἀσπάζεσθαι, vt ait Eustathius [g], sit, εἰς ἑαυτὸν σπᾶσθαι, καὶ περιπλέκεσθαι, *ad seipsum trahere, & complecti*: sed aio eam acceptionem minùs frequentem esse, atque vsitatius esse,
D vt ad eam exprimendam, quod idem Auctor notat, addatur τῷ φιλήματι, id est, *osculo*, aut μετὰ τοῦ φιλεῖν, aut τῷ στόματι, vt videre est apud Plutarchū [h]. Certè ἀσπάζεσθαι αὐτοκράτορα, non est *osculari Imperatorem*, quo tamen modo idem etiam loquitur [i].

g Iliad. 2. Odyss. 7.
h in Pericle.
i in Fabio. Osculum quale fuit inter Christianos.

Sed & Paulus quandoque ait [k], Ἀσπάσασθε τοὺς ἀδελφοὺς πάντας ἐν φιλήματι ἁγίῳ: *Salutate fratres omnes in osculo sancto*, vt denotaret vsum osculi inter illos, de quo sub finem præsentis capitis [l], vbi est, quòd *procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum*, κατεφίλουν αὐτὸν: atque eodem illo modo loquitur Petrus [m]. Denique pro nomine osculi, & verbo osculandi, cùm Interpres his vtitur in textu
E Græco, reperitur nomen τοῦ φιλήματος, & verbum φιλεῖν, aut compositum καταφιλεῖν.

k 1. Thess.5.26. 2. Cor.13.12. 1. Corin. 16.20. Rom.16.16.
l vers.37.
m epist.1.5.14.

Fieri potest, vt valedixerit nunc Paulus amplexando, & osculando, nósque de hoc Christianæ charitatis signo posteà disseremus. Verùm non licet cuiuis de suo addere ad iam approbatam Ecclesiæ suffragio, præceptóque vulgatam editionem, cuius mihi defensio incumbit. Relictum hoc tempore, creatúmque Timotheum Ephesi Episcopum, non video quàm certò statui possit, & ego chronographicas molestias libenter declino.

Vt iret in Macedoniam.] Iam enim proposuerat in SPIRITV, transita Macedonia, & Achaia, ire Ierosolymam [n].

n Act 19.21.

Versus

Versus 2.] Cùm autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit in Græciam.

Pauli peregrinatio difficilè explicari non potest.

CVM *autem perambulasset partes illas.*] Scio Eutalium Diaconum Græcum, & alios recentiores, Pauli peregrinationem, omniáque ab eo, eundo, redeundo Romam vsque loca describere. Ego verò quæ nescio, aut quæ non absque diuinatione proferre possum, adduci non possum, vt euulgem. Quis certus est, quem cursum exactè Paulus tenuerit, & à recto itinere aliquádo vtrùm non deflexerit, vt varia ferebat occasio? Quæ Auctor expressit, meum est, si quam continent difficultatem, explanare, & illustrare.

Exhortatus eos fuisset.] Non paraphrasticè, vt priore versu, sed verbo verbum reddendo exposuit Interpres παρακαλέσας, & potuit quoque vertere, *consolatus*, sicut fecit Syrus, ובֿיא אנון *vbaia innun*. Anteà erat, προσκαλεσάμενος.

Venit in Graciam.] Syrus, לאלס אחרא *leales ethra*, id est, *in Gracia regionẽ*. Beda intelligit Achaiam, & cum ipso Glossa ordinaria. Scholastica Historia Athenas; quam opinionem Carthusianus recitans non refellit. De Athenis nulla est verisimilitudo, præterquàm quòd erant ipsæ in Achaia, & interdum eam vocant Græci nonnulli, Ἑλλάδος Ἑλλάδα; sicut alius [a] Romam, Ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης, *Compendium orbis*. Achaiam nominat Ptolomæus etiam Græciam. Sunt qui velint hoc generali nomine comprehendi regiones, quæ ab Achaia vsque in Illyricum interiacent. Lege Plinium [b].

Athenæ Græcia Græcia dicta.
a Athenæus lib. 1.
b Lib. 4. c. 5. & 7.

Versus 3.] Vbi cùm fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ à Iudæis nauigaturo in Syriam: habuítque consilium, vt reuerteretur per Macedoniam.

FACTÆ *sunt illi insidiæ à Iudæis nauigaturo in Syriam.*] *Obsiderunt viam*, ait Glossa interlinearis; *occidere volentes*, inquit Lyranus, *aut collectas, siue eleemosynas, quas deferebat in Ierusalem, eripere*, vt vult Carthusianus; monens prætereà quo pacto detectæ sint insidiæ, incertum esse, an ab homine, an per reuelationem. Fortasse has innuit Paulus, quas aliquàtò pòst [c] cómemorabit passum *se à Iudeis in Asia*, & per tribulationem, quam scribit Corinthiis *in eadem Asia sibi factam supra modum, ac virtutem, ita vt taderet eum etiam viuere* [d].

c vers. 19.
d 2. Cor. 1. 18.

Versus 4.] Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Beroëensis, Thessalonicensium verò Aristarchus, & Secũdus, & Gaius Derbæus, & Timotheus. Asiani verò Tychicus, & Trophimus.

COMITATVS *est autem eum.*] Græcè, ἄχρι τῆς Ἀσίας, *vsque in Asiam*, quæ verba Syrus reddit, עד מא לאסיא *hlmad ma lasiia*, sed non Latinus; absque tamen vllo detrimento.

Sopater Pyrrhi Beroëensis.] Σώπατρος Βεροιαῖος. Syrus eodem modo, סופטרוס *Soupatrus*. Aliqui codices Latini, *Sosipater*: quidam, *Sospiter*: nonnulli, *Sosipater Pyrrhi*. Glossa ordinaria meminit huius postremæ lectionis, quasi Pyrrhus clarior fuerit, quàm pater: & Ægidius Romanus in epistola ad Romanos [e], vbi nominatur, *Sosi pater*, non autem Pyrrhi, legit *Sosi pater, quia est*, inquit, *pater, & senior, & antiquior*. Bruno [f], *Sosi pater*. Ado in Martyrologio [g] ponens natalem Sosipatris apud Byrriberæam (in Martyrologio Ordinis Prædicatorũ est Pirriberream) indicat profectò legi oportere hoc loco, *Sosipater Byrriberaensis*, vel *Pirriberreensis*. Vsuardus item in suo legit, *apud Pyrrhi Beroëam sancti Sosipatris*. Petrus de Natalibus [h] legit, *Sosi pater*. Vidi etiam apud nescio quem manuscriptum codicem huius natalem positum apud Pymperæam.

e cap. 16. 21.
f Ibid.
g 7. Kal. Iul. seu 25. Iunij.
h lib. 6. c. 6.

Attamen statuit Glossa, vt Sosipater vnum sit nomen, dicatúrque Pyrrhi, videlicet filius; Beda notat [i] hic Beroëensis, non huius Beroëensis, volens, opinor, iungendum nomen, non cum Pyrrho, sed cum Sosipatro, quia patria Beroëensis fuerit. In aliquibus Græcis codicibus legitur Πύῤῥου, & in paucioribus Σωσίπατρος. Origenes in epistolam ad Romanos legit, *Sosipater Pyrrhi Beroëensis*. Sedulius, *Sosipater Pyrrhi pater Beroëensis*.

i Retract. in Acta.

Sed nostra editio retinenda: alia enim nomina, tam varia regionum, omnes topographi ignorant. Lectio autem illa, quæ seiungit duas dictiones, *Sosi pater*, planè ridicula est, neque vllo modo cohærens aut cum Σώπατρος, aut cum Σωσίπατρος. Mentio est in epistola ad Romanos [k], & in secundo Machabæorum [l] Sosipatri, tum Latinè, tum Græcè. Fuit forsitan idem hoc loco, qui in dicta epistola, seu Sopater, seu Sosipater: huiusmodi enim nominum personæ eiusdem leuis quædam variatio quandoque fit. Ita verò sentit Origenes [m], & Ioannes Arboreus, Haimo, Sedulius, Anselmus, & citata Martyrologia Vsuardi, & Adonis, & quod citabo, Gallesini, & Baronius in Notis.

Editio nostra retinenda, & legendum, Sopater.
k cap. 21.
l ca. 12. 19. 24.
m in c. 16. 21.

Nominat Paulus illum inter cognatos, vel quia baptizauerit, vt ait Origenes, vel quia erat Iudæus, vt docet sanctus Thomas, & Lyranus, & Ægidius, vel quia fidelis, vt Glossa interlinearis, quæ ponit etiam priorem modum, eodémque pacto Lombardus, & Hugo, & Sedulius posteriorem: idémque est, quod alij dicunt, quia similis in pietate, vt Oecumenius; vel quia secundùm carnem, vt Theodoretus, & Carthusianus. Chrysostomus cognationes coniungit carnalem, & spiritualem; Paulum tamen non tam eius, quæ est secundùm carnem, quàm quæ secundùm pietatem, rationem habuisse, nec illius mentionem facturum fuisse, nisi hanc in illo, & aliis, quos item vocat *cognatos*, deprehendisset. Sequitur Chrysostomum Theophylactus; & mihi maximè placet ista sententia: aliæ enim cognationes sunt nimis generales: & cùm eodem loco epistolæ mentio sit de aliis, quibus eadem conueniunt, debuit peculiaris esse quam certis personis attribuit. Cùm autem in capite nono [n] eiusdem epistolæ omnes Iudæos appellat *cognatos suos*, addítque *secundùm carnem*, id facit, vt declaret amorem, ac studium suum iuuandi illos, qui nondum Fidem amplexi erant, legémque Euangelicam, quam tamen in eorum gratiam dederat in primis DEVS, per Filium suum CHRISTVM.

Cur Paulus eũ cognatum nominauerit.
Paulus cognationis carnalis nõ tam rationẽ habuit, quàm spiritualis.
n vers. 3.

Prætereà quando eodem capite XVI. [o] Andronicum, Iuniam, Herodionem nominat *cognatos*, aliquod maius vinculum innuit, quàm Gentis Iudaicæ, & magis particulare, quàm Baptismi, Fidei, Pietatis, quoniam videntur & aliis, qui ibidem recensentur, hæc eadem conuenire. Et quod attinet ad Baptismum, cum ipse impertire non solebat [p], ratione verò eius debuisset dici Caius cognatus, quia ab eodem baptizatus [q]: & in Scripturis voces iuxta propriam significationem sunt accipiendæ, vbi nihil obstat.

o vers. 7. 11.
p 1 Cor. 1.
q ibidem.

De Sosipatro.

A In Martyrologio celebratur natalis sancti Sosipatri 25. Iunij: Gallesinus in suo facit *ex numero LXXII. Discipulorum, cum B. Paulo Apostolo, & Fidei vinculo, & generis cognatione coniunctum*, & Thessalonicæ Episcopum. Sequi se hac in re Dorotheum [a] profitetur, Origenem verò affirmare Iconij Episcopatum gessisse. Baronius contrarium de dictis Auctoribus recitat.

a in Synopsi.

Epistola Dionysij ad Sopatrum ad hunc non spectat.

Vterque Dionysij epistolam sextam ad Sopatrum, siue Sosipatrum Sacerdotem, credit ad hunc esse. Mihi hoc non videtur verum, & propter argumentum epistolæ, in qua imprudentiam prędicationis Sopatri redarguit, nimiámque acerbitatem: & ob titulum, qui est, *Σωπάτρῳ τῷ ἱερεῖ, Sopatri Sacerdoti*: alios enim, qui erant Episcopi, B dum ad illos scribit, vt Polycarpum, & Titum, vocat *ἱεράρχας*.

Sed & apud Origenem [b] nihil reperio de Episcopatu Sosipatri: sed Caium ait Thessalonicæ fuisse Episcopum. Dorotheus planè Iconiensem Episcopatum illi assignat. Falsus Petrus de Natalibus [c] forsan fefellit eos, qui Origene auctore dixerunt Thessalonicæ Episcopum fuisse. Errorem eundem hausit Maurolicus in suo Martyrologio. Menologium memorat natalem Sosipatri, ac Iasonis 29. Aprilis: illum autem, vt solet, in aliis sequi Dorotheum, ait, *Iconium administrasse*, in hoc tamen ab eo recedit, quòd recentiorem Discipulum C vtrumque, & non ex Septuagintaduobus facit. Multa insuper de ambobus narrat supra fidem, vel potiùs supra credibilitatem.

b in c. vlt. ep. ad Rom.

c lib. 6. c. 6.

Aristarchus.] Lege caput præcedens [d].

d vers. 29.

Secundus.] De hoc nihil, quod sciam, extat. In epistola ad Romanos [e] mentio est de Tertio, & Quarto. In historia Machabæorum [f] Quintus est prænomen, siue Quinctus.

e cap. 16. 22. 23.

f lib. 2. cap. 11. 34.

De prænominibus Romanorū à numeris sumptis.

Fieri potest vt more Romanorum essent hæc prænomina, quæ primùm apud eos imposita sint, quemadmodum tradidit Varro [g], à numero, vt quo quis natus esset loco, sic appellaretur, vt etiam *Sextus, Decimus*, &c. perinde vt in fœminis *Prima, Secūda, Tertia, Quarta*: & eo pacto, quo cùm essent verbi gratia, duo Terentij, aut plures, discernendi D causa, qui manè natus esset, dicebatur, inquit, *Manius, qui luci, Lucius, qui post patris mortem, Posthumus, atque ratione eadem inter fœminas, Mania, Lucia, Posthuma.* Idem affirmandum de Septimiis, Octaciliis, Noniis. Quibusdam fuit Secundus cognomen, vt Plinio; nonnullis nomen, vt Philosopho Atheniensi; de quibus Philostratus, & apud nos aliquorum Sanctorum [h], atque eius, qui Iouiani Imperatoris Præfectus Prætorianus erat [i].

g 8. de ling. Latina.

h in Martyr.

i lib. 7. Trip. c. 4. & li. 1. de Episco. & Cler. C. Theodosiano.

Gaius Derbæus.] In capite priore [k] mentio fuit de Gaio, vnde quæ huc pertinent, petes.

k vers. 29.

De Tychico Pauli Discipulo.

Tychicus.] Hunc nominat Paulus [l] *charissimum fratrem, & fidelem ministrum, & conseruum in Domino*, eóque vsum se crebrò significat ad perferenda E mandata, & ad iuuandos absentes [m]. Dorotheus [n] Chalcedonensem in Bithynia Episcopum primum cēset, atque ex Discipulis LXXII. vnum. Pauli epistolis præfixa argumenta vocant Diaconum, dum epistolam ad Colossenses, & vtramque ad Thessalonicenses per Tychicum Diaconum missam inscribunt.

l Ephes. 6. 21. Coloss. 4. 7.

m locis citā. & 2. Tim. 4. 12. & Tit. 3. 12.

n in Synopsi.

Bedæ Martyrologium 29. Martij, eius natalem apud Paphum reponit. Ita quoque habet Gallesini, & Romanum, sed hoc 29. Aprilis, necnō Adonis, & Vsuardi, qui appellat Diaconum, & Discipulum Pauli: quo item modo loquitur Martyrologium Prædicatorum, & Maurolici, qui tamen

A addit, quòd traditur Colophonis Episcopus fuisse: hoc asserit Petrus de Natalibus [o], simúlque apud Paphum quieuisse.

o lib. 4. c. 55.

De S. Trophimo.

Trophimus.] Hic est, qui capite sequenti [p] nominatur Ephesius, & quem Apostolus Romani comitem itineris infirmum scribit Mileti [q] reliquisse, non quando, quod narratur isto capite, Miletum conuocauit Presbyteros, tendens in Syriam, & Iudæam: dicto enim sequenti capite scriptum est, cum Paulo Ierosolymam peruenisse.

p vers. 29.

q 2. Tim. 4. 20.

Epistola 2. ad Timotheum sub mortem Apostoli missa est.

Id maximè confirmatur, si sub mortem posterior ad Timotheum epistola ab Apostolo ex Vrbe missa est; habet id verò magnam probabilita- B tem, quòd ibi dicat *instare tempus resolutionis suæ* [r], & vt *festinet Timotheus venire ad se* [s].

r 2. Tim. 4. 6.

s ibid. 21.

Quid habeatur de eo Trophimo Martyrologio.

De Trophimo extat præclarum hoc elogium Romani Martyrologij [t]: *Arelate natalis S. Trophimi, cuius meminit S. Paulus ad Timotheum scribens: qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus præfatæ vrbi, primus ad Euangelium prædicandum directus est: ex cuius prædicationis fonte, vt S. Zozimus Papa scribit, tota Gallia Fidei riuulos accepit.*

t 29. Decem.

Beda in suo Martyrologio natale eiusdem loco eôdem statuit, sed Confessorem vocat, & non solius Pauli, verùm præterea Petri Discipulum nominat. Transcripsit eadem Petrus de Natalibus [u], & Gallesinus in suo Martyrologio illud de C discipulatu sub Petro, & Paulo. Nescio an hac de causa Christianus Massæus [x] quædam de eo fabulosa referat, quæ ipsi Aquensium anteà principi, conuersi à Magdalena Petri opera contigerint. Refellit hæc Espencæus [y].

u lib. 12. c. 11.

x lib. 1. Chro.

y in 2. Tim. 4.

Ado Treuirensis in Martyrologio scribit *ab Apostolis Romæ ordinatum Episcopum, atque in pace quieuisse.* Trophimum Arelatensem Episcopum fuisse, hunc, inquam, ipsum docet Anselmus in expositione posterioris ad Corinthios epistolæ, & Gregorius Turonensis [z] longè antiquior, quamuis lapsus memoria sit, cùm illum sub Decio vixisse scribit, quod cùm æquè dicat de Dionysio Parisiorum Episcopo, inani prorsus argumento D nituntur, qui, vt docui capite XVII. in dubium reuocant, an is fuerit Dionysius Areopagita. Testatur id ipsum Petrus Cluniacensis [a], seu Venerabilis, & alij posteriores. Dorotheus [b] tradit cum Aristarcho, & Puda in quibusuis persecutionibus afflictionum Pauli consortem fuisse, ac postremò per martyrium vnà cum ipso sub Nerone, capite truncato, occubuisse. Proditur idem in Menologio [c] ex auctoritate eiusdem Dorothei: de Episcopatu autem ipsius, vel de Arelate nullum verbum. Lege infrà cap. XXI. [d]

z 1. Hist. Fr. cap. 30. Gregorius Turonensis memoria lapsus dicitur.

a lib. epi. 2.

b in Synopsi.

c 14. April.

d vers. 29.

Ecclesia Arelatensis contendit de primatu cum Viennensi.

Propter Trophimum, virum tantum, quem suum sine dubio Arelatenses vendicant Episcopum, de primatu contendit sedes Arelatensis in E Gallia, præsertim cum Viennēsi, ac vtraque etiam Narbonensi prouincia prima, & secunda. De controuersia ista legendum Taurinense Concilium [e], & quas ex archiuo suo proferunt Arelatenses, Zozimi Papæ, qui vixit post id Concilium, epistolæ, in quibus epistolis Trophimi habenda ratio dicitur pro dictæ sedis primatu, præter alias rationes ex constitutione sedis Apostolicæ, & ex consuetudine.

e cap. 1.

Cuius prouinciæ à quibus propriæ ipsi Metropolitanus.

Posteà tamen cuiuis prouinciæ proprius est assignatus Metropolitanus à Bonifacio I. [f] Cælestino I. [g] Leone I. [h] cui tamen Leoni supplicem obtulit deinde libellum Arelatensis Ecclesia, in quo Trophimi auctoritatem proponit [i], vnà

f epi. 1. ad Hilarium.

g epist. 2.

h epist. 17.

i ex archiuo Eccles. Arel.

cum

A cum eo honore, quem illi ciuitati Constantinus habuit, nominans Constantinam, & Valentinianus ac Honorius. Sed litem Leo [a] temperauit, atque post eum Symmachus [b], dempta Tarantasia, Geneua, Gratianopoli, quas attribuerunt Viennæ, reliquas Episcopales sedes Arelato subiicientes. Sed alij denuò posteriores Pontifices Agapetus, Vigilius [c], Pelagius I. Gregorius I. [d] vices suas commiserunt Arelatensi Episcopo, tanquàm sedis Apostolicę Delegato per vniuersam Galliam. Lege Nicolaum Boëriū [e], præter alios Canonistas [f]. Nec enim, vt prænonui capite decimo extremo, meum hac de re affero iudicium.

a ibid.
b ibid.
c d ibid.
e Tract. de ordine & præc. graduū vtriusque fori. p. 1.
f in rubric. de statu hominū; vbi Albericus: & in c. definimus. d. 22.

Versus 5.] Hi cùm præcessissent, sustinuerunt nos Troade. B

SVSTINVERVNT.] *Expectauerunt.* Lege caput XVIII. [g]
Troade.] De hac vrbe dixi capite XVI. [h]

g vers. 18.
h vers. 8.

Versus 6.] Nos verò nauigauimus post dies Azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, vbi demorati sumus diebus septem.

NOs verò nauigauimus post dies Azymorum à Philippis.] En iterum Lucas Troade Paulo adiungitur, vbi se capite XVI. [i] illi socium fuisse prima vice commemorauit. C

i vers. 11.

Ad Ecclesiastica negotia maximè charos, strenuósque dimittebat Paulus, & suo eodem tempore ad se reuocabat. Sed Lucas res suas obuoluit, præ modestia, silentio, & improuisus apparet in historia, nec attingens quidem missum se ab Apostolo, aut reuocatum.

Post dies Azymorum.] De diebus Azymorum egi capite XII. [k] *Mihi videtur*, inquit Chrysostomus, *dies festos celebrasse in magnis vrbibus.*

k vers. 3.

Abulensis [l] canonem præscribit ad cognoscendum, quid hoc tempore à Iudæis obseruetur ex cæremonialibus, nempe quæ loci determinationem non requirunt, qualis est Circumcisio, & manducatio Azymorum, & Pentecoste, sacrificiis exceptis: denique *in omnibus solemnitatibus obseruat*, inquit, *quæ possunt, cetera omittunt.* Itaque Paulus Philippis subsistit diebus Azymorum, vt eos celebraret, seu vt ad Iudæos celebrantes, vel etiam ex Iudæis fideles, qui legalia celebrare permittebantur, vt ostensum est capite XV. sese attemperaret. D

l Exod. 12. q. 35.
Ab Hebræis quæ hoc tempore legalia obseruentur.

Indicat Carthusianus celebratam solemnitatem Paschalem more Christiano. Id fieri potest, simul tamen illud asserendum de Azymis.

Fortasse illo Ecclesiæ principio eosdem concurrebant in dies, festa Paschæ, & Pentecostes apud Iudæos, Christianósque; sed posteà iustis de causis Christiani certos, & distinctos habere voluerunt, retenta nihilominùs mobilitate, quæ pendet ex Luna decimaquarta post æquinoctium vernum: ita vt celebretur Pascha non in ipsa quartadecima Luna primi mensis, Hebræorum ritu; sed in Dominica, quæ quartamdecimam Lunam primi mensis proximè consequitur, quia prima Dominica post Pascha Iudæorum Dominus resurrexit à mortuis: & ipsamet Luna decimaquarta, qua passus est, vult omninò Ecclesia ieiunare: nec eo die simul decet Resurrectionem celebrare: & si proximè sequatur post diem Dominicum Luna E

... Pascha, & ... Hebræos, ... De Paschate, ... Christianos.

decimaquarta, differt in Dominicum sequentem, tum ne cum Manichæis videatur die Dominico perfectè ieiunare, tum vt non alio, quàm Dominico Pascha fiat. Hac de re noster Clauius [m] eruditè.

m in Kalend. Greg. c. 8. nu. 4. & seq.

Venimus ad eos Troadem in diebus quinque, vbi demorati sumus diebus septem.] *Enumerat singula*, inquit Chrysostomus; *& quò ierunt, & vnde abierunt, & vbi quidem morati sunt, quæ etiam loca prætermnauigauerunt; vt intelligamus humana cum ratione, ac more nostro multa egisse.* Voluit festinare, nec tamen præstitit, siue ob superuenientes insidias, siue vt etiam satisfaceret piis fidelium desideriis. Philippenses visit, quibus illustre testimonium posteà dedit [n]. Troade dies mansit septem, quamuis non esset magna ciuitas, quia fortasse fidelibus abundabat.

n in epist. ad Philipp.

Versus 7.] Vna autem Sabbati cùm conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxítque sermonem vsque in mediam noctem.

VNA autem Sabbati.] Syrus, וביומא דחד בשבא *vbaiauma dechadbeschaba*, id est, *In die vnius in Sabbato*; vel, *Primo autem die hebdomadis.* Ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν Σαββάτων. Sabbata pro Sabbato, & vtrumque poni pro hebdomada, dictum est alibi [o]. Vnam, vel vnum, pro prima, vel primo sumi, docent multa exempla, tum illud Genesis [p]: *Factúmque est vespere, & manè dies vnus.*

o cap. 1. 12.
p cap. 1. 5.

Hoc autem loco Chrysostomus diem Dominicam interpretatur, quæ est prima hebdomadis dies, atque Augustinus [q]: nec est, qui dissentiat. Sicut & cùm CHRISTVS resurrexisse dicitur vna Sabbati, vel Sabbatorum [r]. Vnde Interpres apud Matthæum [s] vertit, *In prima Sabbati*: quod Græcè est, εἰς μίαν σαββάτων.

Dies Dominicus hîc intelligitur.
q epist. 86.
r Marc. 16. 2 Luc. 24. 1. Io 20. 1.
s cap. 28. 1.

Etsi verò in prima ad Corinthios, cùm dicitur, *per vnam Sabbati vnusquisque reponat*, Syrus vertat, בכל חד בשבא *becul ched beschaba*, id est, *In vno die in Sabbato*; seu, *Quolibet Sabbato*; tamen communis expositio est de Dominica, in qua Christiani conuenire solebant in Ecclesiam, vt inter alios monet Hieronymus [t]. Fateor, vnum pro quodam, non rarò accipi, aut pro solo; sed assentiendum communi sententiæ intelligentium hîc vnam pro prima, & Dominica die: licèt an inde ducatur necessarium argumentum de celebratione EVCHARISTIÆ loqui Lucam, paulò pòst expendetur.

t lib. cont. Vigilant.
Dominica dies vna Sabbati dicitur.

Quocirca perineptè vertit Lutherus hoc loco Sabbatum; cùm passim Interpretes Dominicum diem interpretentur, vt Chrysostomus, ac Beda, & Augustinus [u], atque Gaudentius [x]. Notant etiam Æthiopes in suo Kalendario Sabbatum duplex; vnum, quod vocant prius, siue Iudæorum; alterum, quod posterius, siue Christianorum, quæ apud nos dicitur Dominica.

u epist. 86. & 119.
x Tract. 1. de Pascha.

Idem Chrysostomus ait, fuisse tunc Pentecosten. Vel intelligit de diebus à Paschate vsque ad Quinquagesimam, qui propriè est dies Pentecostes: ita enim satis sæpe nominatur Pentecoste pro dicto spatio. Vel, quod minùs credo, abiit annus ab hoc tempore vsque ad illud, de quo mentio est versu decimosexto, vbi nominatim exprimitur Pentecoste.

Cùm conuenissemus ad frangendum panem.] Syrus,

כד כנישינן דנקצא אוכרסטיא *cad chenischinan denekise vcharistiua*, id est, *Dum congregati essemus ad frangendam* EVCHARISTIAM. Retinet enim, vt etiam alibi, Græcum vocabulum EVCHARISTIÆ hîc Interpres.

Varia huius loci expositiones.

Glossa interlinearis vtens verbis Bedæ, exponit, *ad mysteria celebranda*; tamen panem declarat aut spiritualem, aut corporalem. Arias primam opinionem sequitur. Carthusianus vtramque interpretationem ponit. Caietanus dubitat, de qua potiùs intelligi debeat. Lyranus præcisè refectionem corporalē explicat, & Historia Scholastica, cuius verba idem Carthusianus citat, *Cùm cœnaremus*, quamuis in meo codice sit, *Cùm pranderemus*. Chrysostomus eodem modo loquitur, aitque, *sibi videri, quòd etiam ad mensam sedens Apostolus, docuerit, tradideritque, vt nos omnia reliqua pro parergis, & accessoriis haberemus*. Augustinus [a] primæ fauet sententiæ: vocat enim *fractionem, qualis fuit in Sacramento corporis* CHRISTI.

a epist. 86.

De Eucharistia qui hunc locum exponant.

Ita quoque sentiunt recentiores, vt Bellarminus [b], colligens inde celebritatem diei Dominicæ, atque illa præsertim die celebrari solitam Missam. Et Valentia [c], qui infert vsum EVCHARISTIÆ in specie panis duntaxat, sicut etiam fecimus in capite secundo [d]. Et Thomas Bozius [e], qui id confirmat ex participio συνηγμένων, quasi denotetur *Synaxis*, hoc est, conuentus ad EVCHARISTIAM sumendam. Et Baronius [f], & Catharinus [g], & alij, qui probant ex circumstantiis diei Dominicæ, cœnaculi capacioris, conuocationis fidelium, disputationis, seu tractatus de rebus diuinis, quam solebant exemplo CHRISTI præmittere ante vsurpationem EVCHARISTIÆ.

b libro 2. de Missa c. 14. & lib. 3. de cult. Sanctor. c. 11.
c lib. de legitimo vsu Euchar. cap. 8.
d vers. 42.
e 13. de sign. Eccl. c. 3.
f Tom. 1. Annal.
g 1. con. Caie. sub fin.

Scio responderi posse, conuenisse fideles vt hilarè valedicerent Paulo, vnà cibum sumendo, & hortationis verba recipiendo: cùm paulò pòst etiam suscitato Eutycho, cuius mors orationem abruperat, narretur fregisse panem, & gustasse, sicque discessisse: verumtamen præualet cum auctoritate plurium ratio quoque. Vt autem cibum sumptum negari non debeat, non erat res ea tanti, vt in historiam inseri oportuerit. Ego, si mihi cum aduersario pugnandum sit, nō anceps, dubiúmve, sed certum, firmúmque in manus telum, qualia in hac controuersia alia non desunt, libentiùs sumpsero. Sed bene est, quòd reos ipsos habemus confitentes, Lutherum [h], Melancthonem [i], Bullingerum [k], immò Caluinū [l] de sua loquentem Cœna.

h Ser. de Euchar.
i libr. de vsu Sacram.
k in hunc locum.
l in hunc locum.

Profecturus in crastinum.] Augustinus notat, vel post peractum diem Sabbati, noctis initio, quæ iam pertinebat ad vnam Sabbati, siue ad diē Dominicum, fuisse congregatos, vt ea ipsa nocte panis frangeretur Sacramentalis post sermonem, & lucescente Dominico die Paulus multùm festinans proficisceretur: vel vna Sabbati, seu die Dominico, non per noctem, sed per diem. *Vtrouis autem pacto expressa est causa*, inquit, *producendi sermonis, quia fuerat exiturus, & eos sufficienter instruere cupiebat.*

Prior modus verisimilior est: fuisset námque adeò prolixus tædio sermo, si occupasset non tantùm noctis tot horarum, minimùm quinque, sexve spatium post Azymos dies verno tempore; verùm etiam diei. Accedit, quòd si conuenerant ad EVCHARISTIAM, ea ex Apostolica traditione non potest celebrari pomeridianis horis ordinariè (aliquando celebrata est sub vesperam in feria quinta Cœnæ Dominicæ, & in Sabbato sancto; in Natali autem Domini, quod adhuc obseruatur, media nocte) neque sumi, nisi ante omnem alium cibum, ac proinde longè vltra mediam noctem ea celebratio, & sumptio EVCHARISTIÆ fieri debuisset, & prætereà diei, seu diurnæ lucis præcedentis aliquanto spatio expectari debuisset.

Eucharistia post meridiem ordinariè celebrari non potest.

Quando celebrata sit Eucharistia à Paulo, illo tempore.

Cùm igitur causa conueniendi præcipua, & per se fuisse narretur ad frangendum panem, videlicet Eucharisticum, credo, sub noctem, quæ præcedit diem Dominicum, & vnde ipse dies religioso, & sacro more computari incipit, indictum esse conuentum, vt ab Apostolo postridie, dum dilucesceret, profecturo, longior solito ante EVCHARISTIAM haberi posset sermo. Et iam nocte aliquantùm progressa, vbi plurimi conuenissent, inchoatum esse sermonem, qui, nisi Eutychi funestus interuenisset casus, prolixior adhuc futurus erat, quousque idonea celebrando mysterio hora aduenisset.

Die Dominico ieiunium celebrari non debet.

Hac ratione nihil attinet dicere, incœnatos conuenisse, aut saltem impransos. Ac proinde nullum hinc habent argumentum Manichæi, aut Priscillianistæ, qui Dominico die ieiunium seruabant, contra quos disputat Augustinus [m]; sed iuxta posteriorem modum respondet: *Quòd necessarius sermo, qui studij feruentissimi audiebatur ardore, reficiendi corporis causa interrumpendus esse non visus est, profecturo Apostolo, qui eos propter alios suos vsquequaque discursus, vel nunquàm, vel rarissime visitabat: præsertim quia tunc ex illis terris, sicut consequentia docent, ita discessurus erat, vt iam non esset eos ampliùs in carne visurus.* Tum subdit: *Ac per hoc magis ostenditur, Dominicis diebus solita illis non fuisse ieiunia, quia ne hoc crederetur, curauit scriptor libri causam producendi sermonis exponere, vt sciremus, si aliqua necessitas oriatur, vrgentiori actioni non esse prandium præferendum: quamuis ab istis auidissimè audientibus, & ipsum fontem cogitantibus profecturum, atque ideò magna sitis non aquæ, sed verbi, sine satietate, quidquid influebat, haurientibus, non tantùm carnale prandium, verùm etiam cœna contempta est.*

m epist. 86.

Si aliqua necessitas vrgentiori actioni prandium præferendum non est.

Tandem docet, ad vitandam offensionem, abstinēdum prorsus à ieiunio diei Dominicæ. Hieronymus [n] item quadam epistola respondens, an Sabbato ieiunandum sit: *Vtinam*, inquit, *omni tempore ieiunare possimus: quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes* (id habet citatus etiam Augustinus) *& die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus. Nec tamen Manichææ hæreseos accusandi sunt, cùm carnalis cibus præferri non debuerit spirituali, &c. Nec hoc dico*, subiicit, *quòd Dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias (quæ vocatur Pentecoste) auferam; sed vnaquæque prouincia abundet in sensu suo, & præcepta Maiorum leges Apostolicas arbitretur.*

n epist. 28. ad Lucinium.

Præcepta Maiorum leges Apostolicæ sunt arbitranda.

Error Priscillianistarum die Dominico ieiunantium.

Contra ieiunium diei Dominicæ seruatum à Priscillianistis, Concilij Cæsaraugustani [o] Canon extat: *Ne quis eo die ieiunet causa temporis, aut persuasionis, aut superstitionis.* Meminit Leo [p] huius erroris Priscillianistarum ieiunantium die Dominico, & in Natali Domini, quòd negarent veritatem assumptæ naturæ. Sicut & Manichæi, qui pariter die Dominico ieiunabant, tanquàm inimici Crucis CHRISTI, & Resurrectionis, Solémque pro CHRISTO per ieiunium venerabantur. Lege Canones nonnullos in Decretum relatos [q].

o canon 2.
p epist. 93. ad Turribium.

Protraxitque sermonem vsque in mediam noctem.] Quomodo, & qua de causa, & quamdiu sermo sit protractus, iam diximus. Quamuis autem alibi [r] ostenderim, nō exactè semper medium sumi,

q de consecr. dist. 3. cap. Nequis. & c. Ieiunium. & d. 76 c. Ieiire debet. c. post Pascha. & de obseru. ieiun. ca. parte.
r cap. 1. 15.

sed

sed pro progressu post discessum à principio, seu ante, seu post medietatem rei; tamen vox Græca τῆ μεσονυκτίω, exactiorem hîc significationem indicat, tum etiam verbum παρέτεινε, protraxit, & ratio illa, quoniam profecturus erat Paulus in crastinum.

Notata est quoque proximè tropologia de præferendo cibo spirituali, quam Interpretes omnes annotant. Nec hoc id tantùm loco Chrysostomus facit, sed alio prętereà [a], *nullum habendo, & audiendo* DEI *verbo intempestiuum tempus esse, non à mensa, non sub noctem*, &c. Reduc in memoriam Scholasticam, quæ cum Benedicto dupliciter germano pernox stetit in colloquio bis diuino, siue propter argumentum, siue propter miraculum.

a Homi.10. in Genesim. *Nullum audiendo verbo Dei tempus intempestiuum.*

Olympiodorus [b] negat, hos, quamuis tantos, prolixósque sermones, vocandos multos: illos ab Ecclesiaste [c] sic nominari, qui sunt otiosi, vani, nugaces, &c. sed quod ait de trinoctio, & de schola, non intelligo; quamuis de schola mentio fuit capite priore.

b in cap.12. Ecclesiast. *Qui sermones multi vocandi sint.* c Eccles.5.6.

Versus 8.] Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, vbi eramus congregati.

ERANT *autem lampades copiosæ in cœnaculo.*] Qui conuentum illum ad cœnaculum Synaxim, & mysteriorum gratia interpretantur fuisse, volunt quoque copiam lampadum, non tantùm vt pellerentur tenebræ, ac decorè ibi tam multi essent, adhibitam; ac ne qua esset sinistra suspicio de versantibus in tenebris, quam vnam reddit causam Sarcerius [d]; alioqui cur non Lucas etiam lucernas expressit in Mariæ Marci matris domo, cùm eò Petrus noctu venit [e]? sed vt celebritas maior foret.

Cur lampades in eo cœnaculo multæ fuerint. d apud Marloratum, in textu huius loci. e cap.12.12.

Docet, ac demonstrat hoc multis aliis exemplis Baronius [f], simul agens de cereis, à quibus præcipuus è minoribus Ordo nomen inuenit non solùm Acoluthorum, vel Acolytorum, sed etiam Ceroferariorum. Tractat eadem de re Ioannes Stephanus Durantus [g]. De lucernarum autem, lampadúmque, & aliorum luminarium profano, sacróque vsu apud Gentiles, Hebræos, Christianos, Martinus de Roa [h] ex Societate nostra; & nonnulla Salmeron [i] item noster, & Serarius [k] Ordinis eiusdem; atque in Controuersiis Bellarminus [l]; & de candelabro Hebræorum Ribera [m], ex eodem Ordine ambo; & Ioseph Stephanus [n], & Ferdinandus Mendoza [o]. Denique reprehenditur in Iure Canonico [p] quidam Presbyter, *qui sine igne*, id est, lumine, *sacrificabat*.

De cereis, & lampadibus in sacris quis egerit. f Tom.1. Annal. g lib.1. de ritibus Eccles. cap.8. h Singul.c. ... & seq. i Tom.7. tra. ... 30. k cap.1. Iud. ... l lib.2. de ... cap.14. m lib.2. de Templo cap.13. n in 1. Mach. lib.1. 21. & ... 4. 49. 50. o lib.3. pro Concil. Illiberit. cap.2. p ... de celebr. ... 94.

Imitati sunt forsitan Christiani ea luminum in sacris accensione, vt aliis in ritibus, qui ritè, rectéque per se queunt vsurpari, tum Gentiles, tum Hebræos. Hi, teste Seneca [q], *lucernas accendebant, Sabbatis potissimum*, etsi loqui intelligendus videtur de Gentilibus, quos Iudæorum non paucas decerpsisse cæremonias, tres conqueruntur Poëtæ, Persius [r], & Rutilius Claudius [s], & Iuuenalis [t], præter Suetonium, aliósque.

... lucernarum, & cereorum in Ecclesia origine. q ... r ... s ... 1. line ... t ...

Existimauit Salmeron [u], in veteri Testamento sepi, seu sebi, vel seui, aut ceræ vsum non fuisse; quoniam in candelabro illo celebri non fuit, & mentio candelarum nulla, tam frequens lampadum, atque lucernarum, quarum quoque cura in templo Pontifici commendatur [x]. Nihilominùs facularum, ac facum nomina reperio in vtroque Testamento [y]. Et Antiochum Regem Iudæi cum facularum luminibus exceperunt [z]. Et ad comprehendendum CHRISTVM venit Iudas cum laternis, & facibus [a]. Et quando Eliæ verbum comparatur faculæ [b]. Atque Stella decidens in flumina [c]. Sumuntur similitudines ex re vsitata. In Euangelio Ioannis [d] pro laternis, & facibus, sunt nomina φανῶν, καὶ λαμπάδων. In Apocalypsi [e] pro facula nomen λαμπάς. Eodem modo in Ecclesiastico [f]. In Historia verò Machabæorum [g], pro facularum luminibus, μετὰ δᾳδουχίας.

u ... x Exod. 27. ... cap.10.7. ... 24.2. y ... in veteri ... z 2. Machab. ... Eccles. ... Ioan.18. ... c.8.10. ... Machab.

a Ioann.18.3. b Eccles.48.1. c Apoc.8.10. d cap.18.3. e cap.8.10. f cap.48.1. g 2. Machab. 4.22.

Iam verò λαμπὰς dicitur de face, ac funali, éstque idem, vt ait Athenæus [h], ac δετή, quæ est fax in fasciculum colligata, vel etiam δὰς, & pro cereis etiam accipitur, vt à Plutarcho, cùm dicit [i]: Πέντε λαμπάδας ἀνάπτουσι ἐν τοῖς γάμοις, ἃς κηρίωνας ὀνομάζουσι, id est, *Quinque lampadas accendunt in nuptiis, quas cerionas, seu cereos nominant.*

Lampas dicitur de funali. h lib.15. i In Proble. Roman. sub init.

Vnde fieri potest, vt in parabola [k] CHRISTVS lampades pro instrumentis, in quibus ellychnium accensum oleo fouetur, maluerit vsurpare; non quòd nuptiales faces non essent quoque frequentiores, quemadmodum & commodiores: sed ad eliciendum, quem intendebat sensum ex defectu olei, &c. Sanè quidem cereos gestari Hieronymus [l] tradit, *vt sponsi expectetur aduentus.* Nazianzenus [m] prior hoc notauerat. Denique quis credat, non aliter ad prælucendum excitasse Iudæos ignes, quàm ex olei fomento?

Cur Christus in parabola virginum lampadum meminerit. k Matth.25.1. l epist.20. ad Marcellam. m orat. in sanctũ Baptisma.

Accedit, quòd in textu Hebræo veteris Testamenti, vbi Græca, Latináque dictio *Lampas* exprimitur, Hebræa est, לפיד *lappid*, quæ propriè significat *lignum ardens*. Pro lucerna sæpe ponitur Hebræa vox נר *ner*, & Græca λύχνος, & hæc quidem etiam in nouo Testamento: neutra verò astringitur ad flammam, quæ alatur oleo. Itaque nihil ex vocabulis colligendum est, sed ex adiunctis, atque ex eo, quod recta ratio suadet, vt definitè pronunciemus, cuiusmodi ex materia sint excitatæ flammæ ad lumen.

Lampas, & lucerna quomodo Hebraicè dicantur.

Inter ceræ vsus ille non postremus, vt sit igni esca splendescenti; eum vsum forsan Scriptura innuit vsu ceræ fluentis, liquescentis ante faciem ignis comparatione [n].

Vsum ceræ ad ignem Scriptura vbi indicet. n Iudith 16. 18. Psalm.21. 15. Psal. 57.9. Psalm.67.3. Psalm. 96. 5. Mich.1.4.

Eôdem postremò spectat cereus Paschalis, & cerei, qui baptizatorum manibus imponuntur, ex Apostolica vtrumque traditione. De posteriore Ioannes Stephanus Durantus [o], & qui disserunt de Baptismo. Item Canon Apostolorum [p], qui *damnat excommunicatione furem olei, aut ceræ Ecclesiæ, & restitutionem quintæ partis supra id, quod abstulerit, imperat.* Igitur argumento est, non insusitatum ceræ Hebræis vsum fuisse. Apud alios quidem priùs candelæ, cereíque, & candelabri repertus videtur vsus, quàm lucernæ. Docent idem Varro [q], & Martialis [r]:

o 1. de ritib. Eccles. ca. 19. num.41. p 61. vel 71.

Nomina (ait iste) *candelæ nobis antiqua dederunt,*
Non norat parcos vncta lucerna patres.

q 4. de ling. Latin. r lib.14. epigramm. 36. vel 40. & epigr. 39. vel 43.

Postremò lampadem, tædam, facem, cereum, funale pro eadem re quandoque sumi docet nonnullis exemplis Martinus Roa noster [s].

In cœnaculo.] Ἐν ὑπερῴῳ. Lege caput I. [t]

s 2. Singular. cap.10. t vers.13.

Versus 9.] Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cùm mergeretur somno graui, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus.

SEDENS *autem quidam adolescens.*] Νεανίας. Lege caput septimum [u].

u vers.58.

Eutychus.] Respondet homini euentus: significat námque Græcè *Fortunatum.* Hebræam autem etymologiam in Græco vocabulo, quam Beda reddit, nec indicandam puto.

Frequentissimũ Pauli auditorium.

Sedens super fenestra.] Locus hic, quem Eutychus occupauit, indicat frequentissimum auditorium, & auiditatem audiendi in Eutycho. *Considerate*, inquit Chrysostomus, *domum illam, vbi & fenestras multi occupabant, vt audirent tubam illam, & amabilem vultum intuerentur.* Alioqui videntur olim auditores, dum sermo de rebus diuinis haberetur, stetisse erecto corpore. Augustinus quodam loco significat, & Sidonius Apollinaris [a].

a Carm. 16.

Constãtini Magni dictum egregium & factum mirabile.

b 4. de vita. cap. 33.

c ibid. cap. 29.

De Constantino Magno testis est Eusebius [b], horas integras stãtem audiuisse; cùm autem Episcopus iuberet sedere, subtristi, ac austero vultu respondisse: *Nefas videri instituntis de* DEO *disputationibus aures præbere negligentes: quin* [c] *etiam ipsummet Imperatorem, si qua inter docendum incidisset occasio loquendi de Theologia, assurrexisse, eóque habitu tamdiu constitisse vultu contracto, & depressa voce, atque tanta prudentia, & moderatione, vt præsentium animos cœlesti disciplina initiare, ac deuouere videretur.*

Excusatur à somno Eutychus.

Disputante diu Paulo.] Nonnulla est excusatio dormientis Eutychi. Humidiores adolescentes sunt quoque somnolentiores: & intentus in meditationem animus, vóxque ad aures allata, somnúm conciliant: simul inedia, quæ ciet, ac sustollit in cerebrum vapores, præsertim si accedat vigilia, & fatigatio; qua de re Ioannes Argenterius [d] inter alios, ipsique aliquando in nostris Philosophicis. Iustam Paulo causam sermonis protrahendi fuisse priùs docui.

d lib. de somno, ac vigilia à capite 12.

Ecclesiastes caueat prolixitatem.

Caueat Ecclesiastes tamen tædium prolixitatis, sicut cauisse leget, & suos ea de re auditores monuisse Augustinum, Leonem, Bernardum, & alios. Sed & auditor meminerit non esse alligandum verbum DEI, & coërcendum SPIRITVM diuinum, vt præscripti quandoque fines temporis egredi prorsus non liceat.

Cecidit.] Vel erat aperta fenestra, vt calidiore tempestate, & æstum lampadibus commouentibus, fumosúmque halitum, & animam tepidam tot auditoribus efflantibus, vel non firmiter clausa. Grauatum somno caput, corpúsque deprimitur, ac impetu deiicitur. Eutychus ergo καταφερόμενος ὕπνῳ βαθεῖ, *depressus somno graui*, quod Interpres rectè verbo demergendi reddidit, καὶ κατενεχθεὶς ἀπὸ τοῦ ὕπνου, *delatus, ac deorsum veluti portatus à somno, ac victus*, vt Budæus [e] obseruat: quod appositè in Latina editione dicitur *ductus, somno cecidit*, nimirum põdere suo per apertam fenestram, vel eam sibi patefaciendo, quæ deforis claudi solita, non erat bene clausa.

e Cõmentar. ling. Græcæ.

De tertio cœnaculo.] Ἀπὸ τοῦ τριστέγου. Syrus, מן חלתא מדירין *men thaletha medirian*, id est, *ex tertia contignatione.* Superior omnis pars domus dicebatur cœnaculum, vt docui capite 1. [f] propterea quælibet nomen id retinebat, hæc autem erat omnium suprema.

f versu 13.

Sublatus est mortuus.] Fortasse ad sepulturam. Exprimenda mors fuit, ne quis de suscitatione dubitaret, quæ ita facta narratur à Paulo, vt nonnisi mortuum constaret, certò factam affirmare non possemus, quemadmodum paulò pòst exponetur.

Mors hæc auctore Diabolo contigit.

Mors illa auctore Diabolo contigit, vt placet Chrysostomo, vt conturbaret festum illud, seu gaudium spirituale, & fructum quantùm posset: simul tamen etiam coarguit ignauos, ac dormitantes in diuinis sermonibus, cùm Eutychus non cesserit, non timuerit periculum, mori quodammodò maluerit.

Machetis [illegible] in diuinis sermonibus vigilantia.

g 5. de instit. renunc. c. 29.

h ibidem capite 31.

Machetem Cassianus [g] monachũ narrat, quotquot diebus, ac noctibus agitaretur collatio spiritalis, nunquàm somni torpore laxatum; si quis verò detractionis verbum, seu otiosum tentasset inferre, in somnũ protinus concidisse. Prætereà [h] cùm disputante ipso de rebus necessariis, ac spiritalibus, fratres vidisset, lethæo quodam sopore demergi, nec posse ab oculis suis pondus somni depellere, docuisse collationis illius impugnatorem Diabolum fuisse, quoniam simul ad fabulæ se conuertit expositionem, cuncti somno pulso vigilanter attenderunt. *Non fenestra nunc, non fames*, ait Chrysostomus, *non somnus interturbat, attamen non audimus, non angustia loci*, non aliquid horum.

Versus 10.] **Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est.**

AD *quem cùm descendisset Paulus.*] Potuit sine dubio per diuinam reuelationem, ac in Spiritu cognoscere mortuum Eutychum, vt Interlinearis indicat, sed lapsus ex tam edito loco, & adeò cunctis notus, atque relatus de morte nuncius, vel ab iis, qui accurrerunt, vel ab aliis, qui fortè in humiliore domus parte versabantur, exploratam satis notitiam Paulo pepererunt. Descendit sponte, *non ei ille oblatus est*, vt Historia dixit Scholastica.

Incubuit super eum.] Lyranus, & Caietanus orationem supplicem pro mortuo interpretantur. Carthusianus corporis Apostolici super cadauere humilem applicationem exemplo Eliæ [i], ac Elisæi [k]. Cui sententiæ Beda, Arator, & Arias adhæserunt, fauétque Græcus textus, ἐπέπεσεν αὐτῷ, pro quo Syrus, נפל לעל מנא *nephal lehhal menne*, id est, *cecidit super eum*; vel, *ruit in eum.* Sed Interpres noster non potuit meliùs hunc sensum declarare, nec vllo modo illum denotant verba ista, *incubuit super eum*, quem illi afferebant, id est, procidit in orationem pro ipso.

i 3. Reg. 17. 21.

k 4. Reg. 4. 34.

[illegible]

l Act. 9. 40.

Tabitha [illegible] Eutycho.

Orauit fortasse, sicut *Petrus Tabitham suscitaturus, positis genibus* [l]; tamen hoc non significatur verbis istis. Comparat Beda suscitationem vtramque, ac Tabithæ difficiliorem quodammodò fuisse docet, quæ repræsentat mortuum spiritualiter per negligentiam, *& idcirco dicitur*, inquit, *cùm in diebus ægrotasset, tandem mortua, tum lota, & in cœnaculo posita, Petro absente, qui vt eam suscitaret, ascendit, & illa viso ipso resedit: Eutychi faciliorem, quia refert peccatorem ex infirmitate, & mortuus est media nocte, decidens de tertio cœnaculo, Paulo præsente, ac docente, & descendit ad illum, &c.*

Sed laudanda expositoris pietas, non requirenda in his mysteriis exacta veritas. Aratorem enim si legas, haud paulò differentes, vel etiam contrarios sensus deprehendes, simul docentem, quàm noxius sit spiritualis somnus, quo pacto mali ominis fuerit in fenestra residere, quid sibi voluerint lampades collucentes, & cœnacula tria.

Carthusianus obseruat Eliam ter [m], septies Elisæum [n], super defunctum, Paulum semel duntaxat incubuisse, quasi hic excellentior fuerit, móxque impetrauerit quod petiit. Non lego Elisæum

m 3. Reg. 17. 21.

n 4. Reg. 4. 34.

septies

A septies incubuisse, sed bis, oscitasse tot vicibus puerum Scriptura narrat. Quæcunque verò alia fuerit causa, non arridet, quam Abulensis [a] assignat, vt Prophetæ reuocata iam anima, efficerent proprij caloris fomento, vt in corpore adhuc frigido existeret calor necessarius ad vitales operationes. Si námque rediit anima, in corpus aptè dispositum rediit. Quòd si dicat, vt etiam dicit [b], voluisse præparare corpus ad vnionem animæ, quasi crederet, DEVM requirere, vt facerent ipsi quod in se erat, vt faciunt qui generant, quoniam ante ipsos nemo legebatur alium suscitasse, dicam non esse adeò humiliter de tantis Prophetis sentiendum. Illud placet magis, quod addit, per-
B misisse DEVM eo modo Prophetas suscitare, vt posteà intelligeretur differentia in ratione suscitādi faciliore, qua CHRISTVS est vsus, ac Discipuli eius, imperando, orando, saltem ordinariè.

Abulensis causam non rectè assignat cur Prophetæ mortuis incubuerint.
a 3. Reg. 17. quæst. 33.
b ibid. quæstione 34.

Et complexus.] Καὶ συμπεριλαβών. Exprimere videtur hoc participium incumbendi modum, significátque, vt placet Carthusiano, compassionis, & amoris affectum. Quid si expandit se super Eutychum, vt duo illi Prophetæ, vt coram Iudæis (Petrus enim absentibus omnibus, vt paulò antè dixi, Tabitham suscitauit [c]) Iudæorum etiam in miraculis sequi morem, modúmque videretur? De Elia dicitur iuxta LXX. quòd *ἐνεφύσησε τῷ παιδαρίῳ, insflauit puero*. In Paraphrasi Chaldæa, quòd *coarctauit se super puerum*: Hebraicum יתמדד
C *ythmoded*, idem valet atque *mensus est se*, vel, *expandit*: quæ duo verba vulgatus Interpres posuit.

c Act. 9. 40.

De Elisæo Græcus textus habet, *ἐκοιμήθη*: Hebræus, ישכב *ischab*, cui simile est Chaldæum verbum: Latinus, *incubuit*, pro eo autem quod ibidem additur, *incuruauit se super eum*, Græcè est *συνέκαμψεν ἐπ' αὐτὸν, καὶ ἐνεφύσησεν ἐπ' αὐτόν*. Chaldaicè, אלהית *alehith*. Significat autem hoc vltimum vocabulum *fatigari*, aut *fatigare se*, Hebræum, *iacere, cubare, dormire*, ex Græcis primum cubare dormiendi causa, & dormire; vltimum insflare, sicut dixi.

At hoc loco συμπεριλαβών complexum denotat, & quidem ob geminam præpositionem arctiorem, amiciorem, suauiorem, diuturniorem, &
D ad singula veluti membra particularia descendentem.

Et fieri verò potest, vt Eutychi ex tam alto lapsi loco attritum, & discerptum sit corpus, cuius quodammodò Paulus collegerit, vel aptauerit partes, & suo quamque loco reposuerit, ita vt τὸ συμπεριλαβὼν, non solùm sit complexus & circumamplexus, & circumincubans, & omnia circùm & vndequaque membra sumens ad exosculandum, vel ad sua ipsius membra circumadaptandum illis, verùm etiam hinc inde aut luxata, & diffracta, vel auulsa quoque, ac separata colligēs, & accipiens membra Eutychi.

Paulus attrita Eutychi membra aptauit inter se.

E Non est DEO tanta vel cura, vel opera necessaria, nec iis, qui auctore DEO perpetrant miracula: sed sensim tamen idem DEVS, & paulatim non semel, ac simul eiusmodi res admirabiles interdum facit ipse, fieríque vult à suis, vt aliàs [d] ostendi, exemplo eius, qui non statim perfectum oculorum vsum recuperauit, CHRISTO ipso cum illi largiente [e]: & potest eòdem referri ossium aridorum, quamuis parabolica, apud Ezechielem [f] primùm collectio, tum compactio cum reliqua corporis redintegratione, postremò animatio. Et quòd Angelus pauefactum Danielem, primùm in genua tantùm manúsque erexit [g]: deinde in pedes [h]: posteà multùm loqui fecit, sed adhuc trementem [i]: postremò timorem ipsum excussit [k].

Deus non in instanti semper miracula operatur.
d cap. 17. 8.
e Mat. 8. 24. 25.
f cap. 37.
g Dan. 10. 10.
h vers. 11.
i vers. 16.
k vers. 18.

Quod hîc subnectitur de adducto deinde viuente puero in cœnaculum, indicare videtur aliquid spatij in medio fuisse priusquàm reuiuisceret. Congruit proposito historia pueri monachi, quem parietis obtritum ruina, Benedictus reuocauit ad vitam [l], atque in eo etiam est similitudo, quòd illius diabolus mortem, sicut Eutychi, & vtriusque, vt pium opus interturbaret, est operatus.

Simile miraculum à S. Benedicto factum.
l Gregor. 2. Dialog. c. 11.

Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est.] Non ait de lapso, & mortuo, sed de resuscitato, vel si de illo, Propheticè locutus est, quòd esset breui reditura. Placet posterior sensus Lyrano, Carthusiano, & Hugoni, qui Glossam ordinariam commodè interpretatur, dum illa exponit, non ex toto recessisse animam, quoniam recesserat mox reuersura: quo pacto CHRISTVS *puellam dicebat non mortuam esse, sed dormire* [m], quia licèt reuerà mortuam suscitaturus mox erat, qua facilitate qui dormit excitatur: aut quoniam non eo erat modo mortua, quo putabat turba. Si enim paulò pòst resurrecturam sciuissent, non mortuam existimassent, sed dormire. Historia quoque Scholastica consentit, aítque hac ratione recreasse Paulum spem aliorum.

m Mat. 9. 24.

Auctor operis de Mirabilibus Scripturæ [n] illigatus Augustini [o] operibus, postquàm obseruauit ex octo mortuis, qui omninò in vtroq; Testamento commemorantur suscitati, cùm primum suscitaret, Eliam dixisse [p]: *Reuertatur obsecro anima pueri*: de hoc vltimo *scriptum esse, quòd anima ipsius in ipso esset*, addit; *non quasi istius anima occultè lateret in corpore, sed quoniam emittens animam, ita mortuus est, vt post modicum internallum ipsa reuertente, sic Paulus sit locutus*. Hic est è duobus prior dicendi allatus modus, quem Hugo etiam recipit, & Caietanus, ac magis probatur. Quanquàm & tertius est Aratoris non improbabilis, iis ipsis verbis prolatis rediisse Eutycho vitam.

Octo mortui leguntur in tota Scriptura ad vitam reuocati.
n lib. 3. c. 31.
o Tom. 3.
p 3. Reg. 17. 21.

— *Cui Paulus* (inquit) *adhærens*
Pectore, viuit, ait, quam vocem vita secuta est,
Mórsque repulsa fugit.

Paulus quibus verbis hunc ad vitam reuocarit.

Apparet in eadem quoque oratione modestia. Non dixit, vt notat Chrysostomus, *resurget, excitabo enim illum. Sed quid? Ne turbemini; vide, vt fastu caret*. Diuino Sancti quidam artificio diuinam sibi ad miracula communicatam vim zelo humilitatis contexerunt.

Quo in genere, quæ in vita Eligij narrantur, illustria sunt non pauca [q]; hoc nónullam etiam habet cognationem cum præsenti miraculo. Suspendioso parabatur sepultura, iubente Eligio [r], *Interim ab imis vsque ad summa dum palparet corpus, redit anima; ipse verò, vt miraculi ab se laudem repelleret: O quàm grande*, inquit, *scelus, nisi Dominus aduenisset, perpetrare poteramus, si corpus hoc humo texissemus, cum anima eius in ipso sit*. Sed & Victor Antiochenus [s] arbitratur dedita opera propter humilitatis studium, quando CHRISTVS quempiam suscitabat defunctum, dixisse non *defunctum*, sed *dormientem*.

Eligij simile hoc factum.
q apud Surium 1. Decemb. lib. 1. c. 23. 24. 26. 29. 31.
r ibid. c. 31.
s in cap. 5. Marci.

Excitat Abulensis [t] curiosam sanè quæstionem de puero, quem suscitauit Elias, & altero, quem Elisæus, vnde animæ eorum adductæ, seu reductæ fuerint, quóve ex loco, purgatorióne, an damnatorum, vtrùm ex limbo puerorum, vel iustorum: cœlum enim illo tempore nondum patebat. Extendi

t 3. Reg. 17. q. 37. & 4. Reg. 4. q. 16. & 17.

Animæ suscitatæ ex quo loco ad eos reductam.

A tendi quæstio potest ad alios, quotquot suscitati sunt, & postquam suo CHRISTVS ascensu animabus iustis referauit cœleste domicilium, & posteaquàm admissis secum illis, dum ascendit, deinceps omnibus id apertum esse voluit. Respondet, nihil obstare, vt reuocatæ sint olim ex limbo Patrum animæ iustæ: atque ex earum numero (exempli causa) Lazari, quem suscitauit CHRISTVS [a], animam fuisse. Idem sentiunt, qui Mosem CHRISTO transfigurato [b] putant adfuisse in proprio corpore, quod ipsius anima propria informaret: quæ res à me alibi [c] examinata est.

a Ioan. 11. 44.
b Mat. 17.
c in Euang. Dom. 2. Quadragesimæ.

Anima ex gloria ad vitam reuocata non potest perire.

B Ait prætereà idem Tostatus, ex Purgatorio redire posse animam ad corpus, vel expectante tempus DEO, quo debitas pœnas persoluerit; vel si nondum fluxit, intensione pœnarum compensando temporis extensionem; vel neutrum exigente, quoniam ea lex attingat solùm eos, qui sint inde ad iustorum habitationem migraturi, & redeuntes ad hanc vitam, possunt in hac ipsa vita satisfacere parti debiti, quæ supererat in Purgatorio soluenda. Tunc verò etiam addit *pertinere ad prouidentiam* DEI, *dare huiusmodi animæ, quæ in limbo Patrum* (eadem verò est ratio de Purgatorio) *erat secura de vita æterna, gratiam tantam, vt posteà non possit perire, sed potiùs redeat ad maiorem gradum gloriæ, quàm prius habuisset, si non fuisset reuocata ad vitam.* C Præterquàm quòd scientia exactior, quam suscitati habent de alio seculo, plurimùm retrahit eos à peccando. Exemplum citat eundem Lazarum, quem etiam cùm suscitaret CHRISTVS, ideò fleuit [d], si credimus Isidoro Pelusiotæ [e], & indicat Rupertus [f], quòd iam appulsum ad portum, rursum vocaret ad fluctus, & procellas, & à corona ad certamen.

Christus in Lazari suscitatione cur fleuerit.
d Ioan. 11. 35.
e lib. 2. ep. 173. citatus quoq; in catena Græca.
f in Ioãnem.

Tandem docet, secundùm ordinem iustitiæ diuinæ, ex loco damnatorum nullam animam educi, quoniam quæ ibi sunt, sunt obstinatæ in malo, hostésque DEI: denique *in inferno nulla est redemptio.* Idem sentit de limbo paruulorum, qui moriuntur cum peccato originali. At secundùm D beneficam DEI voluntatem cócedit aliquas animas damnatorum rediisse in vitam, in qua per DEI gratiam, & cooperationem suam potuerint obtinere peccatorum remissionem, & mereri vitam æternam, & satisfacere pro pœnis debitis, quas in inferno cœperant experiri.

Animæ aliquæ ex inferno sunt eductæ.

De Traiano an sit damnatus, vel saluus.

Tales dicit fuisse Gentilium multorum animas, quæ à Sanctis leguntur reuocatæ ad vitam, ac Traiani etiam animam, si recipiatur vulgaris illa narratio de liberatione ipsius, precibus Gregorij, de qua meritò dubitat, alij autem præcisè negant [g], licèt quidam [h] concedant, ita vt redierit ad corpus, & aliquanto tempore hîc denuò viuens Traianus, licèt eius inter homines habitatio ignota fuerit, consecutus sit veniam peccato- E rum, & per gratiam, & opera satisfactoria pœnam, quam cum damnatis iam lucrat ad tempus in inferno, deleuerit, & beatitudinem meruerit, ad eamque peruenerit, aut liber ab omni pœna, aut temporalem, si qua supererat, soluens in Purgatorio. Hoc eodem modo de Traiano respondent multi Scholasticorum, vt S. Thomas, Ricardus, Durandus [i].

g vt Bellarm. 2. de Purgato. cap. 8 Baron. tom 2 Annal. Canus 11. de locis. cap. 2. Soto 4. dist. 45. q. 2. art. 2. Valētia tom. 4. disp. 6. q. 2. puncto 8. & tom. 4. disp. 11. q. 1. punct. 2.
h Alphonsus Ciacconus tract. de hac re Enriques lib. 9. Summę, c. 14. cũ aliis quos citat.
i in 4. dist. 45.

Ego Abulensis sententiam non probo in eo, quod ait de Traiani suscitatione, quæ nullo certo auctore affirmatur, & pseudo-Damascenus eo loco, vbi de liberata eius anima scribit, docet de inferno in cœlum transisse [k]. De animabus Beato-

Abulensis de Traiano sententia.
k orat. de mortuis.

A rum post Ascensionem CHRISTI, nihil dixit: placet verò & harum, & illarum, quæ sunt in inferno, rationem esse eandem, vt neutræ repetant sua corpora, vtræque de suo sint statu certæ, vel beatitudinis, vel damnationis æternæ: vt sicut hæ, secundùm doctrinam Augustini [l], habent certitudinem de nunquàm amittenda beatitudine, quia beatitudo inter alia bona, quorum aggregatione constat, id etiam requirit; ita illæ damnatorum animæ, hoc ipso quòd sunt in eo statu, certæ sint de eiusdem perpetuitate. Alioqui & ipsæ aliquo modo salutem sperare possent, & nos possemus pro illis orare; quod vtrumque sine temeritate, ac errore dici non potest.

l de corrept. & grat. c. 10.

B Qui ergo ex Gentilibus suscitati sunt, planè iniusti, & peccatores, vt ab Agnete Præfecti filius stuprator [m], ac proinde non laborantes ignorantia inuincibili fidei, nec solius pœnæ Purgatorij rei, vt satis leuiter dixit Soto [n], cùm mererentur pœnas æternas, ad istas non sunt damnati, sed est suspensa hæc eorum sententia: interim verò sustinuerunt pœnas, quæ secundùm præsentem iniustitiam ipsis debebantur, vt tradunt Scholastici meliores cum B. Thoma [o].

In quo statu reuocati Gentiles ad vitam reuocati.
m vt est apud Ambros. Sermon. 90. & Maximum Serm. 2.
n 4. dist. 41. q. 2. art. 2.
o 4. dist. 45.

Quòd si pariter ex omninò iustis, ac sanctis, qui nullam DEO ampliùs pœnam deberent, sunt reuocati ad vitam, quod prodere Gregorius [p] videtur de quodam Marcello, quem Fortunatus C excitauerit, dilata est eorum beatificatio à DEO, illa, inquam, quæ est essentialis, & tantisper detentæ sunt optimo in loco, vt loquitur idem Gregorius. Differentia est, quia non repugnat, animas iniustas, dempta etiam illa certitudine de statu damnationis suæ, sentire pœnam damni, & sensus, vt sentiunt, qui in æternum damnati habent dictam certitudinem: at abhorret à visione beatifica, vt qui ea fruitur, & ideò beatus est, careat cognitione de certitudine, ac perpetuitate eiusdem, atque idcirco dum hanc non habet, nec illam quoque consequitur.

Beati ad vitam reuocati in quo statu erunt.
p lib. 1. Dial. c. 9.

Dices, perspectum igitur erit animæ iniustæ, quæ reditura est ad vitam, quòd redibit, & quòd D non sit damnata æternis pœnis; alioqui si huius secundæ rei oppositum iudicium habeat, falletur: item anima iusta, quam euocabit huc DEVS in corpus, intelliget hoc aliquando futurum. Immò verò preces fundi possent à nobis pro iis, quos constaret decessisse obfirmatos in malo, cùm fieri possit, vt per anastasin particularem redeant nobiscum victuri, & pœnitentiam acturi.

Hi me stimuli longiùs excurrere fecerũt, quàm putaram, & quàm instituti ratio patiatur. Neutrum ex his, quæ initio argumenti posita sunt de anima impia, concedere cogimur. Satis est decretum diuinum in mente DEI, quod inimico non est communicandum: nec refert si fallatur errore E minimè pernicioso, sed potiùs salutari.

Quod pertinet ad preces, si has pro Traiano Gregorius fudit, aio instinctu diuino id fecisse, certè non malè fecisse: nefas autem duntaxat est pro iis, in quos iam sancita sentẽtia est damnationis æternæ, DEVM orare. Nullum incommodum est, vt anima reseruata ad nouam mortalem vitam id cognoscat, ad eum ferè modum, quo qui secundum CHRISTI aduentum præcessores venturi sunt, Enoch, Elias, & si quis est alius, hoc probè nouerunt, seséque, DEI tam diu priuati visione, scientes, lubẽtes ad eius voluntatem rectissimam, & optimam accommodant. Cetera quæ sunt ex Abulensi recitata, probo, & recipio, meúmque

cum

11. de Purga-torio.cap.8.

b Sims Theologica moral. lib.9.cap.16.

cum Bellarmini [a] grauissimo super hac re iudicio coniungo. Lege de toto hoc argumento Enriques [b]. Eutychus quo ex ordine fuerit, facilè coniici potest: vt minimùm enim Catechumenus fuit, ac, vt Chrysostomi de eo laudes persuadent, ob adeò sedulum audiendi verbi DEI studium, fortasse iam iustus.

Versus 11.] Ascendens autem, frangensq; panem, & gustans, satisque allocutus vsque in lucem, sic profectus est.

FRANGENSQVE *panem, & gustans.*] Gustandi verbum de cibo communi dicitur, non de EVCHARISTIA. Idcirco qui volet conuentum sacrum fuisse, distinguat hîc fractionem panis à gustatione, illámque referat ad cibum visualem, hanc ad mysticum. Vel si vtrumque accipi malit de cibo eodem vulgari, subintelligat, suppleátque spiritualem esse sumptum. Quanquàm obstat, quòd productus narratur sermo in lucem, siue auroram post fractionem panis, gustationémque; celebratio autem EVCHARISTIÆ tempore nocturno fieri non solebat. Quomodo de EVCHARISTIA fractio panis, & gustandi verbum dicatur de comestione, iamdudum notauimus [c].

Eucharistia celebrata nocturno fieri non solebat.

c cap. 2. 40. cap.10.19.

Satisque allocutus.] Post excitatum Eutychum cibum sumpserunt, & inter edendum, & ablata mensa, sermo diuinus continuatus est, nō tantùm more disputatorio, vt Caietanus putauit, propter verbum διαλέγεσθαι, quod est versu septimo: ita vt afferret hinc inde rationes, siquidem extenduntur ad omnem sermonem, verbum id Græcum, & Latinum disputandi, ac differendi; sed magis etiam familiari, quem innuit hoc loco participium ὁμιλήσας.

Lectio pia ad mensam hinc colligitur.

Id quod dixi de sacro, & pio sermone ad mensam ipsam, obseruauit Chrysostomus. De lectione pia adhibenda in mensa, extant Conciliorum, Patrúmque decreta, & testimonia. Id sanxit Concilium Nannetense [d] in Gallia, & Rhemense [e], & Toletanum III. in Hispania [f]. Eandem lectionem, vel sermonem sanctum in mensa, aut à mensa, commendant Basilius [g], Cassianus [h], Bernardus [i], Augustinus [k], siue Ambrosius [l], Gregorius [m], Tertullianus [n], qui meminit etiam pij conuiuij sub nomine τῆς ἀγάπης.

d cap.11.& 12 dist. 44. cap. 8.& 9.
e cap.17.
f cap. 7. dist. 44.cap.12.
g Reg.180.ex Breuio. Homil.8.& 9. in Hexam.
h 4. de Instit.cap.17.
i in speculo Monachor.
k Serm.36.de Tempore. & epist.109.
l Serm 25.
m lib.2.ep.17.
dist.44.ca.6.
n Apologet. cap.39.& lib. de Orat.
o lib.1.ep.2. in fine.
p cap.4.
q lib.1. cap. 169. lib. 14. cap.7.
r cap 21.
s in vita.
t lib.4. ep 9.
u lib.1.ep.15. lib.9.ep.10.
x Tom.2. pa-ræn.36.

Mentio quoque dictæ lectionis est apud Cyprianum [o], & in Concilio Africano [p], & in Burcardo [q], & in Concilio Turonensi [r]. Seruatum pium hunc morem ab Augustino narrat Possidius [s]; à Vectio, tametsi non Clerico, aut regulari, Sidonius Apollinaris [t]. Minùs id mirum, cùm, Plinio teste [u], prodat Cornelius Nepos, apud Atticum, *Nunquàm sine aliqua lectione cœnatum esse, vt non minùs animo, quàm ventre delectarentur conuiuæ.* Apud Ephrem [x] sermo est pro lectore ad mensam, quomodo clarè, distinctéq; id facere debeat.

Satisque.] ἐφ᾽ ἱκανόν τε. Idem est nonnunquàm *satis*, quod valdè, multùm, aut etiam nimis: quo loquuntur quoque modo Itali, Galli, Hispani, *Assai, Assez, Arto.*

Vsque in lucem.] ἄχρις αὐγῆς. Syrus, עד מא דסלק צפרא *bhad ma dasélek tsepara*, id est, *Vsque dum ascendisset aurora.* Vatablus: *Vsque ad diluculum.* Sensus idem, & absolutè αὐγή, lux est, ac splendor.

Sic profectus est.] Syrus, והידין נפק דנאזל ביבשא *vehaiedin nepbak demzel betabascba*, id est, *Et tunc egressus est, vt iret per aridam*; vel, *Tum demùm exiit per aridam profecturus.* Particula *Sic*, vel est causalis, vel illatiua, vt in Psalmo [y]: *Sic Psalmum dicam nomini tuo.* Et apud Ioannem [z]: *Sedebat sic suprà fontem.* Et in hac historia inferiùs [a]: *Sic venimus Romam.* Id est, ita accidit; aut, propterea id factum est; aut, ergo hoc modo res euenit. Vulgò ita loquimur Italicè, Gallicè, Hispanicè: nec aliter Cicero [b], cùm verbi gratia dixit: *Sic tot simul virtutes continentia, grauitatis, iustitia, fidei defecerunt.*

y Psal.60.9.
z cap.4.6.
a cap.28.14.

b Tuscul.4.

Versus 12.] Adduxerunt autem puerum viuentem, & consolati sunt non minimè.

PVERVM.] Παῖδα. Quod videtur esse nomen ætatis hoc loco, non conditionis seruilis. Priùs vocatus est νεανίας, vtrobique autem Syrus eadem voce vsus est עלימא *bhalaiema.*

Porrò cùm suscitationi Eutychi omnes interfuisse credibile sit, colligatúrque ex versu decimo, fortasse nódum ille sic affectus perfectè erat, vt mox ascendere cum aliis potuerit. Non est tamen, quòd pridem citatus Auctor operis de Mirabilibus Scripturæ [c] dubitet, an Eutychus reuerà mortuus fuerit. Quamuis enim Scriptura non dixerit animam eius egressam, & reuersam, dixit nihilominùs illum *sublatum esse mortuum, & adductum esse viuentem.*

c lib.3. ca.11. apud Augustinū tom.3. *Hic tamen verè mortuus fuit.*

Et consolati sunt non minimè.] Οὐ μετρίως, *non mediocriter.* Syrus, רורבית *rurebaijth*, id est, *vehementer*, vel Eutychi ipsius causa, vel ob miraculum, quo Apostolica prædicatio, ac Euangelica doctrina veluti obsignabatur, & confirmabatur. *Inter verba prædicationis*, ait Beda, *occurrit occasio curationis, vt dulcedine miraculi, & doctrina sermo firmetur, & vigiliarum labor arceatur, & memoria magistri tam discessuri arctiùs mentibus infigatur.* Tam similis narratur de suscitato Patroclo delicioso pincerna Neronis, item à Paulo Romæ historia, in libro de passione Pauli, quæ Linum gestat in titulo [d], vt vel hanc ob causam, præter alias, rectè iudicent, qui Auctorem suspectum habent.

Causa miraculi, & gaudij.

d Tomo 7. Bibliothec. Patrum.

Quid factum deinceps sit Eutycho nostro, nescio. Eutychium in Sanctis Martyrologium [e] recenset *Ioannis Apostoli discipulum.* Si non obstat adiectio vnius iota, non est inuerisimile eundem esse, quoniam Ioannes *Ecclesias Asiæ cunctas rexit.* In Menologio [f] vocatur Εὐτυχής, vel Εὐτυχῆς, dicitúrque non Ioannis tantùm, sed Pauli etiam discipulus. Non ausim tamen affirmare hanc sententiam: ideóque hæc recito quæ de Eutychio illo celebrantur elogia citatis libris.

e 24. Augusti.
De Eutycho quid habeti potuit.
f 24. Augusti.

Vers. 13.] Nos autem ascendentes nauem, nauigauimus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus.

NAVIGAVIMVS *in Asson.*] Multæ sunt huius nominis ciuitates in Lycia, Lydia, Mysia, Epiro: hæc autem seu Asson, seu Assus est in Æolide, non procul à Troade, *aliter dicta Apollonia*, vt ait Hieronymus [g]. Plinius [h] appellat *Asson Troadis*, & vtroque illo nomine, Asson, & Apolloniam [i]. Geographi, maximè Strabo [k], describunt arte munitissimam, & ascensu perarduam ab ea parte, qua mare spectat. Hinc vulgata Stratonici citharœdi sententia: *Qui celeri passu Asson it, pernitiem adit.* Quamuis hoc ipsum de Asso Lyciæ Nicostratum alij ferunt dixisse. Certè Homerus [l] eò allusit, vt notauit Eustathius [m], cùm dixit:

Asson de qua hic, vbi sit.

g de locis Hebraicis.
h lib.2. c.96. & lib.36. cap. 17.
i lib.5.cap.30.
k lib.13.
l Iliad.ζ.
m ibidem pag. 1 650.

Ἄσσον

Κασον ἴθ᾽ ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ᾽ ἵκηαι,

Asson adi, vt cuius venias tibi terminus æui.

Propius accede, vt ocyus mortis ad terminos peruenias.

Hunc Strabo versum tribuit Stratonico, non tamen quasi ille ad Asson respiceret, cùm eum edebat.

Quam autem Latinè recitaui sentẽtiam, Græcè sic habet apud Eustathium: *Εἰ βούλει θᾶσσον θανεῖν, εἰς τὴν Κασον πάλιν ἐλθέ.* Hoc non dicimus otiosè, verùm vt intelligamus nulli Apostolum labori pepercisse, qui eum in locum itinere pedestri, vt paulò pòst videbimus, contenderit.

Ibidem Aristotelem aliquando commoratum idem Strabo memorat, & Cleanthis, qui in schola Zenoni principi Stoicorum successit, patriam fuisse. Longè celebrior aduẽtu Pauli. Nescio quid velit Syrus, cùm vertit לועדא דחסוס *leuabhada dethessus*, id est, *ad congregationem Thesus.* Thesum non inuenio, sed Thasum insulam Thraciæ in Ægæo mari, quæ ipsa non facit ad rem præsentem. Lege caput XXVII.[a] vbi loci nomen idem reperitur.

a vers. 13.

Sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus.] Discipulos optimus, & indulgentissimus magister non patitur subire laborem pedestris itineris, simul sapienter, ac prudenter ab inuicem seiunctos esse non vult. Vtrumque Chrysostomus vidit, & *τὸ πεζεύειν*, quod hîc est, interpretatur, *pedibus ingredi.* Idem facit Vatablus. Credo Paulum pedestre iter confecisse: attamen Interpres commodè vertit, *per terram iter facturus:* quoniam optimi Græcæ linguæ Auctores, quos citat Budæus[b], *πεζεύειν* dixerunt pro eo, quod est terrestri itinere aduehi: & *πεζευομένην ὁδὸν*, iter terrestre. Rectè quidem, terra enim non fit iter nisi pedibus, aut propriis, aut etiam alienis: & qui dicitur iter facere per terram, intelligi potest altero id modo facere.

Paulus pedibus iter fecit.

b Comment. ling. Græcæ.

Non est dubium, quin quibus tot aliarum rerum magis necessariarum interdictus est vsus à CHRISTO[c], cùm eos prædicatum misit, multò sit prohibitum magis iumento vehi. In Regula B. Francisci, quæ Apostolicum viuendi modum exactiùs exprimit, cauetur sub grauissimis pœnis, *ne quis obequitet, nisi grauis cogat necessitas, aut valetudo*[d]. Idipsum Societatis nostræ hominibus, qui Apostolorum ritu obeunt prouincias, grauiter, ac seriò commendat canon quidam III. Congregationis generalis[e], adhibita cautione necessitatis, aliarúmque circumstantiarum. Idcirco fortasse Paulus reliquit *Troade libros, membranas, & penulam*[f], *φαιλώνην*, siue *φελώνην*, & *φιλόνην*, siue *φαινόλην*, & *φενόλην* (quæ dicitur tunica fuisse, vel theca librorum, vel vestis sacra, quam vocamus *planetam*, & *Casulam*. & Græci *φαινόλιον*, quasi *ὅλον φαινόμενον*, *quòd videatur tota:* vel Testamenti veteris volumen, cuius Hebræi chartas in seipsis conuoluebant[g], vt minore impedimento iter terrestre pedibus suis perficerent.) Cui sunt pauca quæ circumferat, onus ferre pedestris itineris faciliùs valet.

c Matth. 10. 9. & seq.

Apostolus pedibus iter facere ostendit auctor.

d cap. 3. in cõstitutionibus, ex constitutione Benedicti Papæ XII.

e can. 12.

f 2. Tim. 4. 13.

g lege Hieron. epist. 125. qu. 2. Interpretes 2. ad Timot. cap. 4. Baronium tomo 1. Annal. Andream Richilirum in Paulo, part. 2. num. 55.

Versus 14.] Cùm autem conuenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen.

CVM *autem conuenisset nos in Asson.*] Syrus, כד דין קבל נקהי מן חסוס *chad den kabbele naiehu men Thesus*, id est, *Vt autem recepimus eum ex Theso.* Quidam codices Latini: *Cùm autem conuenissemus in Asson.* Alij, *Cùm autem inuenisset nos:* nonnulli, *Cùm autem venissemus*, eôdem redit sensus. Propriè autem ad verbum, *Ὡς δὲ συνέβαλεν ἡμῖν*, id est, *Cùm autem occurrisset*, vel *se coniunxisset nobis.*

Assumpto eo.] Syrus, סקלניהי בליפא *sekalenaihe belepha*, id est, *Sustulimus eum in nauigium;* vel, *naui eo sublato.*

Mitylenen.] Nobilis nomen vrbis, & ab vrbe denominatæ insulæ Æolicæ inter Methymniam, & Maliam. De ea est illud Horatij[h]:

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen.

h 1. Carmin. ode 7.

Cicero[i] in numero multitudinis *Mitylenas* vocans: *Quid Mitylenæ, inquit, quæ certè vestræ, Quirites, belli lege, ac victoriæ iure factæ sunt, vrbs, & natura, & descriptione ædificiorum, & pulchritudine in primis nobilis.* Constitit vrbs (quæ fuit Pittaci, vnius de septem Sapientibus patria, & Alcæi Poëtæ, ac Sapphus celebratissimæ fœminæ) gemino portu, quorum Australis capax erat nauiũ, ac triremium quinquaginta: borealem magnum, ac profundum agger protegebat. Illam verò Vitruuius[k] *magnificenter quidem, ac eleganter ædificatam concedit, sed non prudenter positam, in qua cùm Auster flaret, homines ægrotarent; cùm Corus, tussirent; cùm Septemtrio, restituerẽtur in salubritatem.* Illi in arte sua perito, quàm Ciceroni credendum magis. Decipitur Auctor Dictionarij Historici, ac Poëtici, cùm ab ingressu Pauli nullum in hac insula serpentem visum dicit. Duplex in ea re error; tum quia cõfundit Mitylenen cum Melita, secutus mendosos codices, in quibus inferiùs[l] loco Melitæ, est Mitylenæ, tum quia si eadem esset insula, non tamen ab hoc ingressu contigisset huiusmodi salutare prodigium, sed multò pòst in profectione Romana, quando absq; noxa vipera inuasit manum Pauli[m].

i contra Rullum.

De vrbe Mitylene.

k lib. 1.

Dictionarij pium error.

l cap. vlt. 1.

m ibidem 5.

Versus 15.] Et inde nauigantes, secunda die venimus contra Chium, & alia applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum.

VENIMVS *contra Chium.*] Est insula ambitu conclusa nongentorum stadiorum inter Samum, & Lesbum, cognominem habens ciuitatem. Inde marmor, mastix, resina, ficus, & vinum magni nominis, quod Plinius[n] Aruisium, ab Aruisia loco eius insulæ trecentorum stadiorum aspero, & importuoso, vt ait Strabo[o], inter optima Græcanica, nostri Maluisiam vocant, seu Maluasinum vinum.

De insula Chio.

n lib. 14 ca. 7. vbi eius Scholiastes Dalecampius.

o lib. 14.

Samum.] Clarior hæc quàm Chius, à qua parum distat, ac fertilior insula in eodem Ægæo, seu Ionio mari, ita vt *lac gallinarum* parœmiali loquẽdi modo ferè diceretur[p], genitrix Pythagoræ, Iunonis altrix, ac vnius è Sibyllis, vasorum inuentrix fictilium. Homerus[q] *παιπαλόεσσαν* nominat, id est, *editam, aut asperam;* immò Eustathius[r] docet, ab antiquis Samum dictam esse *τόπον ὑψηλὸν, καὶ τὸν λόφον*, *locum altum, & collem.* Ambitur septem atque octoginta milliaribus.

De Samo insula.

p Strabo supra.

q Odyss. δ.

r Iliad. ν. pagina 1340.

Sequenti die venimus Miletum.] Ante hæc verba Græcus textus inserit ista alia, eaque reddit Syrus, וקוין בטרוגליון *vekauin batterauegalijun*, & Græci legunt interpretes, *καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ*, *& manentes in Trogylio.* Promontorium id est cum parua insula, stadiis quadraginta distans à Samo. Illuc propter vicinitatem paulò vlteriùs enauigauerunt eo ipso die, quo Samum appulerunt: præsertim cùm, vt ait Strabo[s], *statione nauium, præditum portum habeat.*

De Mileto.

Trogylium quid sit.

s lib. 14.

Est autem

Miletum, & Melita differunt.

a vers. 1.

Est autem Miletum planè à Melite, siue Melita differens, de qua in capite vltimo [a], non in Europa, sed in Asia, Ioniæ quondam vrbium celeberrima, plus octoginta ex se quodammodò gignens oppida per cuncta maria [b]. Timotheum tulit musicæ peritissimum, atque Thaletem Sapientum septem vnum, eiúsque discipulum Anaximandrum. Quatuor portus habuit, quorum capiebat vnus classem. Infames fuêre Milesij deliciis, luxúque, vel prouerbio teste, Οἴκοι τὰ Μιλήσια, μὴ γὰρ ἐνθάδε: *Domi, non hîc Milesia* [c]: & *virgines Milesiæ vesana repentina mortis libidine, quam sibi vltrò consciscebant* [d].

b Plinius libro 5. cap. 29.

c Politianus Miscell. c. 16.

d Gellius libro 15. ca. 10.

Versus 16.] Proposuerat enim Paulus transnauigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis.

e vers. 3.

NE *qua illi mora fieret in Asia.*] Relegerat iter Ephesum rursus propter insidias superiùs [e] indicatas: tenuerant eum Troade dies septem, verebatur ne Discipuli diutiùs morarentur indulgentes amori ipsius.

Cur Paulus tanta festinatione Ierosolymam peteret.

Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis.] Vt consequeretur, aut etiam præcurreret Iudæos, qui, quemadmodum Chrysostomus innuit, accusaturi Paulum, deferre volebant violatæ legis, ac templi, ac spreti Mosis. Volebat enim & verbis purgare seipsum, & facto, dum ritu Iudæorum Pentecosten celebraret in templo. Constant hæc ex capite sequenti, & ita quoque existimant sermonem esse de Pentecoste Iudæorum, cum qua videlicet eo Ecclesiæ principio, vt probabile ducit Catharinus [f], incideret Pentecoste Christianorum. Beda (qui dubitat in Retractatione) Hugo, Carthusianus, Lyranus, Caietanus, Gagneius, exponentes præsentem hunc locum, & Baronius [g], additque Arias, *vt in conuentu publico nactus opportunitatem*, CHRISTVM *prædicaret*. Epiphanius [h] scribit, celebratam Pentecosten à Paulo ritu Christianorum, ac proinde priùs quoque Pascha: & idem indicat Bellarminus [i]. Id potest sanè concedi: neque Caietanus repugnat, qui vnum ait, aliud negat, quem Catharinus immeritò reprehendit. Sed cùm extra Ierusalem celebritas ea fieri potuerit, addendũ est, causam, cur propter Pentecosten festinaret versùs Ierusalem, fuisse illam, quam dixi. Nam quod idem Apostolus significauit Corinthiis, se permãsurum Ephesi vsque ad Pentecosten, de Pentecoste sola Christianorum intellexit, aut si simul de Iudæorum, designauit illud tempus, quo celebrandum erat ab ipsis.

Pentecoste Iudæorum cum nostra incidebat.

f 3. annot. cont. Caiet.

g Tomo 1. Annal.

h Hæresi 75. Aërianorum.

i 3. de cultu Sanct. cap. 11.

Paulus Pentecosten celebrauit ritu nostro.

Quod autem quidam [k] exponunt velle dicere se per dies quinquaginta ibi mãsurum, duriusculè dicitur contra communem sententiam. Citat Turrianus [l] homiliam Chrysostomi, de vi miraculorum, ad probandum resurrectionem CHRISTI maiore, quàm aspectus, in qua ille κατὰ συγκατάβασιν celebrasse vult Apostolorum festiuitatem Pentecostes, sicut & alia quædam legalia.

k Caietan. in 1. Cor. 16. dubitat.

l 5. contr. Magdeburg. cap. 11.

Recipimus libenter nouum hoc eiusdem Doctoris pro nostra sententia suffragium. Sed cùm Turrianus vergit magis ad Epiphaniũ, illum ita, interpretando de hac festinatione, nonnisi pro Pentecoste Christianorum, non assentior.

Antiquitas festi Pentecostes.

Quanta, & quàm vetus Pentecoste celebritas apud Christianos sit, docui capite secundo. Meminerunt omni Concilio generali vetustiores, Clemens [m], Irenæus [n], Iustinus [o], Origenes [p], Tertullianus [q], vt omittam posteriores, Theophilum [r], Nazianzenum [s], Cyrillum Ierosolymitanum [t], Basilium [u], Concilium Nicenum [x], præter citatos, Chrysostomum [y], ac Epiphanium [z], item Hilarium [a], Hieronymum [b], item Ambrosium, Augustinum, Maximum, Leonem, Gregorium, & alios in propriis Sermonibus, illos quoque, qui de diuinis ritibus, & Ecclesiasticis tractant officiis: vt summæ sit impudentiæ affirmare, quod faciunt Magdeburgenses [c], primis illis seculis nihil expressè legi de vllo festo, præterquàm de Paschate. Accedat & Concilium Eliberinum circa tempus Niceni. In eo est canon 43. *vt praua institutio emendetur iuxta auctoritatem Scripturarum, vt cuncti diem Pentecostes post Pascha celebrent.* Cassianus verò [d] scribit, *huius festiuitatis traditionem per Apostolicos viros ad nos vsque transmissam eodem tenore seruandam esse.* Adde eosdem Ambrosium [e], & Augustinum [f], & Concilium Gerundense [g].

m 5. Const. c. vltimo.

n apud Iustinum q. 115.

o qu. 115.

p 8. con. Celsum.

q de idol. cap. 14. de corona mil. c. 3.

r li. 1. Paschali.

s orat. de Pentecoste.

t Catech. 17.

u de Spir. S. cap. 27.

x cap. 20.

y præterea orat. de Pentecoste.

z præterea in epitom.

a præfat. in Psalm.

b ep. ad Marcellã, de erro. Monta. & in c. 4. ad Galat. & in Paulo primo Erem.

Ceterùm sacræ peregrinationis vsus, quódque ritè fundendis precibus templa consecrentur, dedicentúrque, Ionas Aurelianensis [h] hinc aptè colligit. Illud est etiam verum, quod Hugo monet in Commentario, debere, si possunt, Episcopos diebus soléníoribus suis Ecclesiis interesse. Idem superiùs obseruatum vidimus in Paulo à Chrysostomo, dum dies azymos celebraret; atque vniuersè ad omnes extendi potest.

Peregrinationis sacræ vsus probatur.

c Cent. 2. ca. 6. col. 119.

d collat. 21. c. 20.

e præfat. in Psal. 50.

f ep. 119. c. 17.

g cap. 4.

h 2. de cultu imaginum.

Versus 17.] A Mileto autem mittens Ephesum, vocauit maiores natu Ecclesiæ.

A *Mileto autem mittens Ephesum.*] Prætierat Ephesum, ne cogeretur diutiùs morari, vel ne denuò excitaretur tumultus. Nõ aberat Epheso Miletus procul.

Maiores natu Ecclesiæ.] Τοὺς πρεσβυτέρους τῆς Ἐκκλησίας. Vocé Græcam τῶν πρεσβυτέρων, Interpres noster modò Latinam faciens, retinet, modò pro ea reddit seniores, nunc illam circumlocutione explicat.

Presbyteri qui hic vocantur, qui sint.

Nemo, credo, dubitat non intellexisse Interpretem grandiores ætate, annísve; quæri potest, quos Paulus seniores accersierit, non tam temporis longæuitate, quàm dignitate gradus. Recole interim, quæ hac de dictione notata sunt capite 4. [i] & capite 1. [k] de voce Episcopi.

i vers. 5.

k vers. 20.

Quinam sint Episcopi, quos Paulus conuocauit.

Lyranus putat, vocatos Ministros Ecclesiæ de tota Ephesina diœcesi, & nomine Episcoporum minores quoque Ordines intelligi, quia Episcopus significat superintendentem. Carthusianus quoniam paulò pòst [l] hi nominantur Episcopi, *non erant autem Ephesi, vel etiam diœceseos Ephesinæ plures Episcopi*, ait, *per Episcopos aut accipi simplices Sacerdotes, aut alios prætereà*, quàm ex Ephesina diœcesi, vocari iussos, atque hoc innuere verba illa sequentia: *Omnes vos, per quos transiui, prædicans regnum* DEI. Non enim pertransiuerat solam diœcesim Ephesinam. Hugo vult eosdem dici Episcopos, & Presbyteros, *quia in eandem personam vtraque dignitas interdum cadit; non quòd essent ibi plures Ephesi Episcopi.* Oecumenius docet, *in nouo toto Testamento confundi Episcopos, & Presbyteros, profértque testimonia* epistolarum Pauli ad Philippenses [m], Timotheum [n], & Titum [o]. Idem tradere videtur Hieronymus [p].

l vers. 28.

m cap. 1. 1.

n 1. ep. 3. 8. ca. 5. 17. 19.

o cap. 1. 5.

p in c. 1. ep. ad Tit. in cap. 1. Aggæi. ep. 85.

q 1. de sacrorum homi. orig. c. 4.

Quomodo Hieronymus Aërio non fauerit, aequiparans Presbyterum cum Episcopo.

Nec tamen Doctor hic fauet Aërio, vt minùs consideratè dixit Michaël Medina [q] (sicut

A & de Ambrosio, Augustino, Sedulio, Primasio, Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto) ille námque, vt Epiphanius [a] testatur, omninò Presbyterum, prout dicitur de simplici Sacerdote, non distinguebat ab Episcopo.

a Haeres. 75.

Hieronymus Episcopum à Presbytero apertè distinguit.
b ep. 2. & 85.
c cont. Luciferianos.

At Hieronymus [b] apertum discrimen constituit, quale erat inter Aaron, & inferiores Sacerdotes in vetere Testamento. Docet [c] quoque soli Episcopo, & non Presbytero manuum concessam impositionem iam inde ab Apostolis, *cùm ex iis Petrus, & Ioannes missi sunt ad Samaritanos, vt communicarent iis* SPIRITVM *sanctum* [d]. Prætereà vocat Episcopos *successores Apostolorum* [e]: ab his autem Seniores, siue Presbyteros distinctos vidimus in Concilio Ierosolymitano [f]. Item ait, *non posse Presbyterum ordinare, sicut potest Episcopus* [g]. B Itaque nec de Hieronymo ambigi potest, nec de re ipsa, quæ in Concilio Tridentino [h] definita est, quin fuerint semper distincti Episcopi à simplicibus Presbyteris, seu Sacerdotibus: fauéntque ea, quæ capite primo [i] attuli de propria significatione nominis Episcopi, & quo pacto ex profanis translatum sit ad vsum Ecclesiasticum.

d Act. 8. 14.
e epist. 1. 54. 85. & Mich. 2.
f Act. 15. 23.
g epist. 85.
h sess. 23. can. 7.
i vers. 20.

Vt igitur omittam longiorem de hac re disputationem, quam instituit Bellarminus [k], & ij, quos citat Enriques [l], concedendum reor nomen Episcopi, & Presbyteri olim fuisse commune omnibus Sacerdotibus, tam maioribus, qui nunc Episcopi propriè dicũtur, quàm minoribus, quos C Presbyteros appellamus, quamuis res, ac potestas distincta semper fuerit. Chrysostomus [m] hoc admonet disertis verbis, exponens verba Pauli ad Philippenses, *cum Episcopis, & Diaconibus. Quid hoc*, inquit, *sibi vult? tunc vnius ciuitatis plures erant Episcopi? nequaquàm, sed hoc titulo designat Presbyteros; tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune.*

k 1. de cleric. c. 14. & 15.
l 3. de pœnit. cap. 5. num. 5. lit. Z.
Nomen Episcopi fuit commune omnibus Presbyteris, & superioribus in Ecclesia initio.
m Hom. 1. in ep. ad Philip.

Cur hoc factum sit.

Causa eiusdem, communísque nominis τῦ Ἐπισκόπου antiquioribus temporibus esse potuit, quòd propter paucitatem simplices quique Presbyteri solebant ἐπισκοπεῖν in Ecclesia, hoc est, superintendere, ac inuigilare, & in Conciliis cum D Episcopis, qui ordine, ac dignitate maiores semper fuerunt, considere, atque sententiam dicere, & hoc pacto Ecclesiam gubernare; donec ad vitandam confusionem, & schisma post exortam multitudinem, & in Conciliis locum illum non habuerunt, & Episcopi nomen amiserunt.

Papæ nomen commune olim, sed tam Romano Pontifici attributum.

Affine quodammodò est nomen Papæ, quod, vt aliàs dixi, quandoque omnibus Episcopis commune, deinde soli Romano Pontifici est attributum. Quocirca hoc loco per seniores natu, qui vocantur πρεσβύτεροι, possunt intelligi simplices etiam Sacerdotes: & si cum his intelligantur plures Episcopi, hi vocati sunt ex aliis diœcesibus, seu ciuitatibus, quàm ex Epheso, licèt huius nominatim fiat mentio tanquàm metropolis. Irenæus [n] E id prorsus existimat. *In Mileto*, inquit, *conuocatis Episcopis, & Presbyteris, qui erant ab Epheso, & à reliquis proximis ciuitatibus, quamuis ipse festinaret Ierosolymis Pentecosten agere*, &c. Huc arbitror pertinere, quod in Auctoribus nonnullis lego vocatos *ordinis, vel in ordine secundo Sacerdotes*; alios *primi ordinis*, aut etiam *summos Sacerdotes*. Nam his vocibus designantur, quos aliter vocamus Episcopos: per illas illi, quos absolutè, siue simplices Sacerdotes, aut Presbyteros. Sidonius Apollinaris [o] nominat *antistitem ordine in secundo Claudianum*, qui tamen Episcopalem gradum non habebat: Ioannem prætereà quendam Archidiaconum, nomi-

n lib. 3. ep. 14.
o ibid. ep. 25.

A ne designat *ordinis secundi Sacerdotis* [p]. Profert quoq; Sidonij scholiastes Ioannes Sauaro [q] exempla Episcopalis appellationis, aliis quàm sacratis Episcopis attributæ, ita vt ritè ordinati ad Episcopale munus dicerentur cùm additione, *summi Episcopi*, vel *Sacerdotes*: alij inferiores *ministri* nonnunquàm vocarentur *Episcopi*.

p in lib. 4. ep. 11. & lib. 7 epist. 6.
q lib. 3. c. 14.

Versus 18.] Qui cùm venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiã, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim.

B QVI *cùm venissent ad eum, & simul essent.*] Vno verbo Græcè dictum est, ὡς δὲ παρεγένοντο πρὸς αὐτὸν: quamuis quidam codices Græci hoc etiã habeant, ὁμόσε ὄντων αὐτῶν, vel, ὁμοθυμαδὸν.

Vos scitis.] Chrysostomus aduertit *commemorari laudes proprias ab Apostolo summa cum modestia, non sui commendandi gratia, sed vel seipsum purgandi, vel alios instituendi, vel dictis fidem addendi, ac robur, & auctoritatem.* Id verò & aliàs fecisse cõfirmat Paulum in epistolis [r], vbi *coactum se id facere, ac vt minus quodammodo sapientem* profitetur; & Samuelem [s], & Dauid [t], & DEVM ipsum [u], qui cùm ei non creditur, beneficia profert, ac exprobrat.

Apostolus suas laudes magna cum modestia commemorat.
r 2. Cor. 11. & 12.
s 1. Reg. 12. 2. & seq.
t 1. Reg. 17. 34.
u saepe.

Gregorius [x] dum perpendit Iob suas ipsius lau- C des pronunciantem; docet *debere quemque laudabilia facta sua studio quidem occultare, necessitate verò publicare, vt occultatio sit custodia propria; publicatio vtilitas aliena: vel vt* PATER [y] *cælestis glorificetur; vel vt qui prædicator est, reuerenter audiatur, atque ad imitandum proponatur; vel vt is, qui penè deiectus est, verbis, verberibúsque aliorum, ad spem animum erigat, ac reformet.* Illustrat hãc doctrinam multiplici exemplo eiusdem Pauli, quod attulimus, de quo Chrysostomum [z] etiam consule. Inde verò etiam Basilius [a] probat *fas esse proprias laudes recensere, dummodò quis glorietur in Domino* [b], *omnia ei adscribendo, vt scilicet audaciam comprimas, ac petulantiam gloriosorum quorundam, vt Paulus fecit.*

x 19. Moral. c. 14. vel 18.
Laudes suas [illegible]
y Mat. 5. 16.
z Hom. 5. de laud. Pauli.
a Reg. 247. et Breuioribus.
b 1. Cor. 1. 31.

D Rursum de Iob differens Isidorus Pelusiota [c], cur cùm plura, & sublimiora de se dixerit Pharisæus [d], vituperetur iste, laudetur eo quoque nomine ille, causam reddit, quia Iob id fecit ad propulsandas criminationes falsas coactus, & inuitus.

c lib. 3. epist. 278.
d Luc. 18. 14.

Qui Plutarchum leget eo opusculo, *quomodo se quispiam citra inuidiam laudare possit*, deprehendet, nihil esse in profanis Auctoribus quamlibet moralibus, quod in nostris desideret. Nullam ad id rationem affert, quæ non includatur in iis, quas exposuimus. *Permittit id in iudicium vocatis, ac periclitantibus, necnon infortunatis, vel iniuriam passis ab ingratis: & præsertim si suas cum aliis laudes communicent, vel transferant in* DEVM, *aut*, vt ipse profano E more loquitur, *in genium, & fortunam, & alias seruent Rhetorum magis, ciuiliúmque hominum leges, quas præscribit.* Aliam honestam causam assignat ob exhortationem, & imitationem, contentionémque auditorum: prætereà perterrefactionis, correctionísque gratia ad humiliandum, subiiciendúmque contumacem, & improbum, tandem grandioribus ætate si virtutem simul, gloriámque habeant, licere de seipsis cum laude dicere, sed nimirum si qua ex dictis occasio se offerat.

Plutarchus quas causas det, vt quis se laudare possit.

Appellat eum, qui se temerè laudet, *impudentem*, cùm sordescat laus in ore proprio, & ad laudationem etiam alterius erubescendum sit: *iniquum*, eò quòd tribuat sibi, quam ab alio accipere

Qui se temerè laudat [illegible]

laudem

laudem debebat. Basilius verò *sacrilegum*, quia DEI dona vendicet, & DEO debitam gloriam ad se trahat. Legatur quoque Bernardus [a], & Abulensis [b].

a tractat. de gradibus humil. ea. de ia. Adria. & Sermon. 16. in Cant.
b 1. Reg. 18. q. 11.

Vos scitis.] Codices nonnulli Græci addunt, ἀδελφοί, *fratres. Primum auditorum testimonium affert, ne putes superba esse verba, vel quòd mentiatur,* inquit Chrysostomus: *estque Doctoris virtus, quando suorum operum testes habet discipulos.* Hoc etiam à suis, quos gubernauerat Samuel, testimonium exegit [c].

c 1. Reg. 12.

Versus 19.] Seruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum.

Humilitas Episcopis & Prælatis quantum decens.

CVM *omni humilitate.*] Vnam humilitatem, ac mititatem ab se omnium Doctor CHRISTVS disci voluit [d], profectò potissimùm ab iis, qui eius in docendo vices gerunt. Admonet huius virtutis, si quis alius, studiosissimus Gregorius [e], Ioannem Rauennatem pallium sibi absque Romani Pontificis auctoritate vsurpantem. *Decorari pallio volumus, forsan moribus indecori, dum nihil in Episcopali ceruice splendidiùs fulget, quàm humilitas.*

d Matt. 11. 29.
e lib. 2. indict. 11. epist. 54.

Gradus humilitatis plures sunt.

Omnem porrò humilitatem cùm dicit, multiplices eius gradus includit, & aduersùs omne hominum genus, superiorum, æqualium (si qui ex hoc duplici genere esse respectu Pauli in Asia poterant) inferiorum, ac infimorum, in aduersis æquè, ac rebus secúdis. *Non enim grande est,* ait idem Gregorius [f] agens cum Eusebio Abbate, *ut nos esse humiles, à quibus honoramur, quia & hoc seculares quilibet faciunt. Sed illis maximè humiles esse debemus, à quibus aliqua patimur. Nam Psalmista dicit* [g]: *Vide humilitatem meam de inimicis meis.*

f lib. 2. indict. 10. c. 24.
g Psal. 9. 14.

Pauli humilitas quanta.

Humilis erat in corde, in verbo, in habitu, in vultu, in opere manuum, in omnibus, sed sine deiectione, pusillitate animi, quæ abhorret ab humilitatis virtute. Recognoscent hæc in Apostolo, qui eius epistolas volutabunt. Ipse vtramque officij huius Episcopalis partem summæ tum humilitatis, tum magnanimitatis, & constantiæ, testatur his verbis Paulus de se ipso [h]: *Scio humiliari, scio & abundare:* vbique & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati.

h Phil. 4. 12.

Humilitas omnium quæ sit.

Quid autem intelligat per omnem humilitatem, seu quo pacto alus septam, comitatámque virtutibus velit, docet [i]: *Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate.* Quem locú egregiè ponderat Chrysostomus, sed explicans præsentem huius capitis sententiam: *Memor, ait, humilitatis est, quæ his, qui præsunt, maximè congruit, eò quòd facillimè in arrogantiam tolluntur, & seruare illam debent in sermone, & opere erga illos, qui præsunt, & subditi sunt: erga humiles, & sublimes, seu potius erga vtrosque, & humilitatem, & sublimitatem.* Præmittit quoque primo loco humilitatem, vt alios docturus, arrogãtiæ suspicionem tollat. Summa Augustinus, elegantissimáque pietate summam præ se fert humilitatem, quam talis, ac tantus Pastor in animo gerebat, in suo ad DEVM colloquio, quod vehementer suadeo legas [k]; necnon quem habuit eadem de re sermonem ad populum [l] flagitans ab eo veniam. Legendus quoque non vno duntaxat loco Bernardus [m].

i Ephes. 4. 1. 2.
k 10. Confession. cap. 4.
l Hom. 24. ex libro 50. Homiliarum.
m Hom. 23. & 42. in Cantic. & ep. 72.

Et lacrymis.] Καὶ πολλῶν δακρύων, *& multis lacrymis*, tum fusis in oratione ad DEVM, tum in publica, priuatáque aliorum adhortatione, prout habetur versu trigesimoprimo. Ipsas chartas non atraméto magis, quàm lacrymis inficiebat. *Nam ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis,* inquit [n], *per multas lacrymas.*

Paulus chartas non atramento magis, quàm lacrymis inficiebat.
n 2. Cor. 2. 4.

Zelus diuinus alienæ salutis, *tristitiam illi magnam pariebat, & continuum dolorem in corde* [o]: pro suis verò tribulationibus *gaudebat*, *placebat sibi*, *gloriabatur* [p]: *flebat iugiter inimicos Crucis* CHRISTI [q]: mittebat ad cœlestem patriam ex hac lacrymarum valle, & *ex corpore mortis huius suspiria* [r], vt Ieremias, vt Ezechiel, vt Dauid: deplorabat damnationem, & peccata aliorum, vt idem Dauid Saülem, atq; Absalonem [s] filium, & mystico quodam fletu Lazarum CHRISTVS [t], & ciuitatem Ierusalem [u].

Quibus de causis Paulus lacrymas tam sæpe effuderit.
o Rom. 9. 2.
p 2. Cor. 12. 9. 12. Coloss. 1. 24. Phil. 2. 18.
q Philip. 3. 18.
r Rom. 7. 24.
s 2. Reg. 1. 17. & seq. capite 18. 33.
t Ioan. 11. 35.
u Luc. 19. 41.

Hæc omnia exempla tractat Basilius [x], docétque Sanctorum lamenta, lacrymásque prosilire à feruore charitatis, qua toti erga DEVM flagrant, & erga conseruos in peccatis deprehensos, ita vt simul haudquaquàm per id lætitiam exinaniant suam, sed auctiorem, & cumulatiorem etiam reddant, vt qui perfrui mereantur Domini sui gaudio ob lacrymas in gratiam fratris effusas.

x Hom. 4. de gratiarum actione.

Denique, *Dulciores hæ lacrymæ orantium,* inquit Augustinus [y], *quàm gaudia theatrorum. Sunt enim panes die, ac nocte* [z]. *Sacerdotis seu Episcopi arma, & munimenta sunt lacrymæ,* ait Ambrosius [a]. Et, *Fidelis quædam custodia eorum,* inquit Nyssenus [b], *qui veram virtutem quærunt.* Lacrymarum laudes, ac vtilitates, Patrũ scripta continent, præsertim Ephrẽ: sed eas vnum congestas in locum doctè, piéque reperies apud Petrum Abbatem Cellensem [c]. Ad rem præsentem facit, vt quis lacrymas pro aliena salute fundat. *Non dolet malus,* inquit Chrysostomus, *dole tu; fortassis & ille dolebit: quemadmodum quando æger viderit medicum sumentem cibum, & ipse incitatur, ita certè & hic erit, si viderit te plorantem, emollietur bonus vir, & mitis erit.*

Lacrymæ orantium dulciores sunt gaudiis theatrorum.
y in Psal. 127.
z Psal. 41. 4.
a concione de basil. non traden. sub princip.
b de vita Mosis.
c lib. de Panibus. cap. 12. tom. 9. Bibliot. Patrũ.

De Ambrosio, Hugone Episcopo Gratianopolitano, Eligio, Bernardo, Dominico, Eustachio Abbate proditum est, lacrymis suis pœnitẽtium, quos audiebant, lacrymas elicuisse. Talem describit Gregorius [d] Præpositum, & Origenes [e], *Medicum animarum, compatientem, condolentem, collacrymantem. Qualis qui non fuit, sed austerior suo malo resipuit;* vt est apud Cassianum [f]. Lege eundem Bernardum [g], & Ephrem [h], & Basilium [i], & Robertum de Sorbona [k], qui agunt peculiariter de compassione erga pœnitentes, & eos, qui aperiunt seipsos.

Qui Sancti audientis confessionibus intentis lacrymas eliciebant.
d lib. 1. ep. 24.
e Homil. 2. in Leuit.
f collat. 2. ca. 13.
g de inter. dom. c. 37.
h Tom. 2. in id: Attende tibi. cap. 9.
i Reg. 26. ex fus.
k in Itiner. Parad. & tractat. de confess. in Bibl. Patrum.

Et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum.] Non solùm ex illis insidiis, quas paulò antè struxerunt in via [l], sed ex aliis multis.

l vers. 3.

Passus erat & à Gentilibus multa; sed hos, vel quia instigãtibus Iudæis id fecerant, vel quoniam magis propter ignorantiam, venia digni videbantur, leuiùs ferebat. Et Iudæorum, quàm Gentilium perniciosiorem vsum, societatémque esse insinuare volebat, quippe qui Christianum nomen infensissimo animo, & pertinacissimo studio vbique insectarentur. Lege quæ de illis dixi capite septimo, & Concilij Eliberitani canonem 49. & 50. quibus vetatur, *ne Christiani fruges permittant suas à Iudæis benedici, vel ne cibum sumant cum ipsis.* Et canonem 52. Concilij Niceni [m]: *Nequis vllã cum illis ineat societatem, non fœnoris, nõ quæstus, non cibi, potúsve.* Similia sunt in Cõcilio Epaunensi [n], Aurelianẽsi III. [o] Agathensi [p], Venetico [q],

Cur Paulus præ insidiis Iudæorum meminerit, non Gentilium. Commercium omne, & societas cum Hebræis à quibus prohibita.
m apud Alphons. Pisan. lib. 3.
n can. 15.
o can. 13.
p can. 40.
q cap. omnes deinceps. 28. q. 1.

a can.4.
b can.72.
c can.15.
d Serm.17.de Kalend. Ianuar.

Metensi [a], Meldensi [b], Matisconensi [c]. Et Ambrosius [d] Iudæorum sic inhibet consortium, vt eorum etiam confabulationem afferat magnam esse pollutionem.

e lib.12. legū Vvisigothor. tit.2.l.8.
f ibid. tit.12. l.7. & tit.3. l. 10.
g lib.19. Decreti,cap.5.
h p.12.c.87.& p.1.c.289.
i p.20. cap.a.
k 3.Constit.
l can.9.
m vt Pauli IV. Bulla, & Gregorij XIII. l. 71.
n 1.Petr.5.1.

Extat prætereà de eadem re lex Recaredi Gothorum Regis [e], & Flauij Eruigij [f]; & canon II. Synodi VI.& Laodicenæ 37.& 38. Et legendus adhuc Burcardus [g], ac Iuo [h], & Alexander III. in Concilio Lateranensi [i],& Clemens [k],& canon 69. Apostolorum,& Concilium Basileense [l]. Tales recentiorum Pontificum Bullæ [m],ne ex Iudæis medici sint,vel nutrices Christianorum.

Commemoratio ista eorum, quæ passus est Paulus, tacita quædam adhortatio est Pastorum, quos alloquebatur;ad similia, cùm res ferret, tolleranda. Quo pacto Petrus in epistola,vt inuitet eosdem ad gregem pascendum,inquit [n], *Seniores, qui in vobis sunt,obsecro consenior,& testis* CHRISTI *passionum*, quas nempe viderat in CHRISTO,& in seipso imitando expresserat.

Versus 20.] Quomodo nihil subtraxerim vtilium,quominùs annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos.

QVOMODO *nihil subtraxerim vtilium.*] Abundat in quibusdam codicibus,*vobis.*

Subtraxerim.] ὑπεστειλάμην, *suffugerim*, *detrectarim*,nec labori parcens, nec periculum reformidans.Syriacus,ולא בסירת *velo besith*, id est, *Et non spreuerim*;omnia videlicet æstimās,& ad quæque abiiciens meipsum. Promptitudinem scilicet, ac sollicitudinem suam ostendit,vt ait Chrysostomus, quam exigit Apostolus in iis, qui præsunt(ὁ προϊστάμενος ἐν σπουδῇ, *Qui præest in sollicitudine* [o], *in studio,in animi assidua*, *& vehementi,magna cum voluptate*, vt Cicero [p] studium definit, *occupatione*) *& vt opportunè,ac importunè,in omnique patientia*, *& omni doctrina* munus exequantur [q]. Difficile quippe est,vt se Doctor in docendo demittat ad prima scientiæ elementa,& discipulorum patiatur tarditatem,atque ruditatem. Idcirco necessaria illi est omnis tum doctrina,tum patientia, vt se *debitorem meminerit sapientibus,& insipientibus* [r],*ac barbaris.*

o Rom.12.8.
p 1. de Inuēt.
q 2.Tim.4.2.
Patientia Doctori maximè necessaria, & cur.
r Rom.1.14.
Verbum subtrahēdi quam vim habeat.

Mihi etiam videtur,verbo subtrahendi, significare,nō quòd nihil de eorum facultatibus quoquo modo abstulerit, vel admiserit, vt Carthusianus exponit:hoc námque versu 33.exprimitur; sed illud,quod dixi,debitum,cui si non satisfaceret, seipsum quodammodò suffuraretur DEO,& fratribus, quibus illum DEVS dederat Doctorem,ac magistrum. *Nam si euangelizauero*,inquit Paulus [s], *non est mihi gloria*, *necessitas enim mihi incumbit:væ enim mihi est,si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago,mercedem habeo;si autem inuitus,dispensatio mihi credita est.* Hoc idem verbum est infrà [t], cùm ait, *Non enim subterfugi*,&c.

s 1.Cor.9.16. 17.
t vers.27.
Debitum Pastoris quale sit.
u in Psal.37.
x Homil 11. in Ezechiel.

Pastor hoc debitum soluere debet iustis,& iniustis,quos per *sapientes*,ac *insipientes* Augustinus [u], atque Gregorius [x] intelligunt, & colligunt,teneri Pastorem ad soluendum vtrisque dictum debitū. *Sed quis nostrûm,rogo*,ait Gregorius,*ad hæc sufficiat,vt nō solùm peccatores studiosè corripias,sed etiam iustis inuigiles,ne cadant? Nos enim infirmitatis nostræ conscij, cùm iustos viros conspicimus, admonere eos non præsumimus: & tamen Prædicatoris est debitum,etiam iustos admonere. Vnde enim est, quod egregius Prædicator dicebat* [y] *: Sapientibus, & insipientibus debitor*

y Rom.1.14.

A *sum. Oportet Episcopum Doctorem esse*,ait Paulus [z]; *attendendum est lectioni,exhortationi,doctrinæ* [a], *prædicandum*, *arguendum*, *obsecrandum*, *increpandum* [b]. Nec in gradibus Ecclesiæ diuersi sunt *Pastores,& Doctores* [c], vt docet Augustinus [d]. Hilarius verò de seipso [e]:*Study*, ait,*mei,& officij necessitate hoc Ecclesiæ Episcopus prædicationis Euangelicæ ministerium debeo.* Et Ambrosius [f]: *Effugere non possumus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit Sacerdotij necessitudo.* Eundem lege libro de Sacerdotio [g], & Chrysostomum in opere eiusdem argumenti, Hieronymum, aliósque interpretes Pauli, ac illum etiam epistola ad Fabiolam de veste Sacerdotali;Symmachum Papam [h],& Nicolaum [i],

z 1.Ti
a 1. T 4.13.
b 2.T.
c Ephe
d epist 59 qu.4
e 6.de T
f 1.Offi
g cap.1.

B Leonem prætereà, Gregorium, aliósque in suis Sermonibus.Legantur etiam quæ de ordinandis Episcopis decernunt Concilia [k]. Postremò hoc probant, qui disserunt de residentia, & Espencæus in Digressione in primam ad Timotheum [l]. Legendus item canon 19.& 20. Synodi VI. in Trullo,ibique Balsamo.

h in Syn Rom.
i cap fin. 41.
k 6. Gen le c.19. Concilium 7 ca Lateranē. c.10. Mog sub Carol Magno c. Rhemens. 14.& 15. Tridentin.sess. reform. ca sess.24.c.
l lib.2.c.2

Vtilium.] Τῶν συμφερόντων. Syrus, דפקה הוא לנפשתכון *depak,ah haua lenaphschathechon*, id est, *Quod prodesse posset animabus vestris.* Erant enim quædam,quæ discere non oportebat. *Vt sicut insidia est quædam abscondere*, inquit Chrysostomus, *ita insipientia omnia dicere.* Hoc est quod paulò pòst [m] vocat Apostolus *omne consilium* DEI. Hæc

Insidia est quædam abscondere, & insipientia omnia.

C sunt omnia, quæ CHRISTVS dixit *nota fecisse Discipulis*, *cùm ea audiuisset à* PATRE *suo* [n]. Quamuis etiam multa superessent, quæ in præsentia portare non possent [o]. *Ego* [p] *Dominus* DEVS *tuus,docens te vtilia*(Hebraicè יעל *iahhal*,est subleuamen accipere,aut afferre,& allusio est ad *suaue iugū* CHRISTI [q])*gubernans te in via,qua ambulas.*

m vers.27
n Ioan.15.
o Ioan.16.
p Esa.48.
q Matt.11.30 iugum meum suaue.

Hoc nimirum est docere vtilia,si doceas quemque in via sua,non tantùm generali,quæ est mandatorum DEI, de qua mox ibi idem DEVS [r]:*Vtinam attendisses mandata mea*; sed particulari quoque,ac propria cuiusque iuxta varios status, conditiones,ætates,sexus,&c.

r Esa.48.18

D Proptereà subdit Paulus,*Quominùs annunciarē vobis, & docerem vos publicè,& per domos.* Et paulò pòst [s]: *Cum lacrymis monens vnumquemque vestrûm.*

s vers.31.
Episcopus non debet esse Canonista, quàm Theologus.

Hoc fungi officium Episcopus non potest, si magis iuris humani peritiam, quod continent canones, ac leges ciuiles, quàm diuini,quod est in Scripturis, malit tenere, vel esse Canonista potiùs, & Iurisconsultus (quod negligi tamen non debet) quàm Theologus. Nam licèt non sint vbique de Fide quæstiones, nec respondendum omni in diœcesi Hæreticis: *Longè tamen aberrat*, inquit Caietanus [t], *qui Theologiæ Iurisprudentiam præferat, quoniam prædicationis,quæ officio incumbit Episcopali,materia non ius est,sed sacra Scriptura.* Et imperauit CHRISTVS *Euangelium prædicari* [u], *atq; doceri,seruare quæcunque ipse mandasset* [x].

t 2.2. qu. art 3.
u Marc 16
x Matth. 28.

E Sed quid iis facias, qui toti humanissimi sunt, ac suauissimi, literas, quas appellant humanitatis, & Musas suauiores colentes,& gustantes,Poëtas, Oratores, Historicos nocturna versantes, terentes, ac diurna manu, scriptitantes etiam elegos, idyllia,epigrammata vario,comptóque idiomate, nec forsan honestissimo,tractatus minimè sacros, vel Ecclesiasticos edentes in vulgus, *in sacra militia implicantes se negotiis secularibus* [y]? Hi proculdubiò plebes vtilia non docebunt;non DEI consilium, quod sunt iustificationes, ac mandata ipsius.

Episcopi humaniores literarum non sic eos...

y 2.Tim.2

Non potuit scilicet Sipontinus Episcopus tan-

tas illas in enarrando Poëta minimè casto [a] vigilias, curásque honestiùs, vtiliùs, conuenientiùs in pastoritio munere, ac opere collocare.

a in Martiali. Episcopi, qui libros ad humanitatem spectantes ediderunt, arguuntur.

Parcendum aliorum nomini, sed cui non pepercit Gregorius [b], aliorum prodeat in exemplum. Is fuit Desiderius Episcopus Gallus, in quo vt rem execrabilem reprehendit, *quòd Grammaticam doceret, ac nugis, & secularibus literis studeret.* Achillem Statium Episcopum Alexádrinum notat Suidas ob scriptiones ἐρωτικὰς. Et Heliodorum Triccensem in Thessalia item Episcopum, à Synodo Prouinciali exautoratum iam anteà diximus [c] cum Nicephoro [d], quòd amatorios libellos ab se compositos, & iuuenum noxios moribus igni consumptos nollet abolere.

b li.4.ep.41.

c cap.19. d 12. Histor. cap.34.

Claudianus Mamercus contra vanos scribens Poëtas, *poëticen Episcopo indignam* tradit. Auitus [e] quoque ait, *decere professionem istam grauiori stylo operam insumere, nec in eo immorari, quod paucis intelligentibus mensuram syllabarum seruando canat; sed quod legentibus multis mensurata Fidei instructione deseruiat.* Id de se profitetur ipso Sidonius Apollinaris [f]. Et adeundus eadem de re Hieronymus [g]: *Modò tempus est*, ait Apollinaris [h], *seria legi, seria scribi, déque vita perpetua potiùs, quàm memoria cogitari, nimiúmque meminisse, nostra post mortem non opuscula, sed opera pensanda.* Sed & Basilius [i] proponi populo in concione non debere curiosas quæstiones, *quales de numeris*, &c. sed quæ conferant ad ædificationem.

Poëtica studiù Episcopo indignum est. e præf.lib.6.

f lib.4.ep.12. lib. 8. ep. 4. lib.9.ep.vlt. g epist. 140. Damaso. h lib.8. ep.4. i Homil. 11. Hexam.

Somniarunt Edmundus Cantuariensis posteà Episcopus, & Cluniacensis Abbas Hugo, sed diuina, non ludicra, & vana somnia. Edmundum literis Lutetiæ operam dantem pia mater in somnis monuit, ne docendis artibus posteà tempus perderet: *sed in sacrarum literarum studium totus incumberet, totus vacaret* DEO TRINO, *&* VNI [k]. Volebat pia fœmina destinatum diuinitùs regendo populo filium hac instrui diuina scientia.

Qui admoniti in somnis sunt, vt ab humanioribus literis abstinerent.

k apud Sur. 16.Nouembr. lib.1.vitæ. ca. 11.

Hugo verò existimauit, per somnium sibi sub puluinari serpentum inesse, ac ferarum copiam: quod cùm euigilans miraretur, atque exhorresceret, Varronis ibi librũ reperit, Auctoris omnium quidem Latinorum Auctorum doctissimi, vel Augustini [l] iudicio, & Ciceronis; sed qui vanissimè pleraque scripserit.

l Augustin. Ciceroné citat 6. de Ciuit.cap.2.

Reprehendimus immodicum harum studium scientiarum, præsertim in Doctore Euangelico, prout & Origenes præpositus Ecclesiastico magisterio iudicauit, vt Eusebius [m] testatur: alioqui quæ ex illis capi vtilitas valeat, alibi [n] ostédimus. Et idem apud eundem Eusebium [o] Origenes.

m 6.Hist.c.3. n cap.7.& 19. o 6.Hist.c.15.

Publicè, & per domos.] *Ostendens*, ait Chrysostomus, *magnum laborem, sedulitatem, ac perseuerantiam.* Spectat hoc ad Episcopalem visitationem, vt non sit contentus Episcopus per alios, aut vniuersè quasi ex specula oues visere, sed ipsemet lustret, ac *inspiciat vultum pecoris* [p], nec rationem reposcat solùm ab inferioribus archimandritis, verùm descendat etiam ipse, ac subeat mandras singulas: qua de re iam alio loco egimus.

Visitatio Episcopi. p Prouerb. 27.

Vers.21.] Testificans Iudæis, atque Gentilibus in DEVM pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM.

TESTIFICANS.] *Hoc est propriè testificari, liberè loqui, quamuis non attendant, quibus loquare*, inquit Chrysostomus, *quo Moses quoque pacto testi-*

A *ficabatur cœlum, ac terram* [q]. Exposui aliás [r] vim verbi τῦ διαμαρτύρεσθαι, necnon quæ ratione non possit Prælatus docendi munus defugere propter importunitatem, si animam suam saluam velit. Apostolis Episcopi succedunt in Ordinis potestate, non in amplitudine iurisdictionis: idcircò Iudæos, atque Gentiles instituere non coguntur, suis astricti propriæ diœcesis fidelium terminis, quamuis hos ab illis, si viuant inter eos, tueri debeant, ne inficiantur, & peruertantur.

q Deut. 32.1. & 2. r cap.6.1.

Apostolis succedunt Episcopi non in iurisdictione, sed in ordinis potestate.

Gentilibus.] Ἕλλησι, *Græcis.* Interpres modò Gentiles, modò Græcos, pro τῶν Ἑλλήνων, ponit voce, quia iidem, vt est sæpe dictum, Græci, qui Gentiles.

B *In* DEVM *pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM.] Non repeto, quod alibi [f] quoque dixi, quid sit propriè ἡ μετάνοια, & in quo consistat vera pœnitentia: nec fidei, cui, & cur iustitia nostra tribuatur. Illud ambigi meritò potest, quare pœnitentiam fidei Paulus præponat, seu priorem illa faciat.

f cap.2.38.

In capite secundo [t] Petrus iussit *pœnitentiam agi ante Baptismum*, qui est Fidei Sacramentum. Et clariùs dixit apud Marcum [u] CHRISTVS: *Pœnitemini, & credite Euangelio.* Præcedit interdum fidem in CHRISTVM distinctam, & expressam pœnitentia in DEVM in Iudæis, & Gentilibus: neutris enim ante sufficientem Euangelij prædi-
C cationem huiusmodi fidei de Mediatore necessitas imponebatur; pœnitentia tamen ab iisdem exigebatur, iuxta eam fidem de DEO, quam habere poterant, & implicitè de CHRISTO, vt per eam pœnitentiam, veluti per dispositionem præparentur ad obtinendam explicitam de eodem CHRISTO Mediatore fidem.

t vers.38.

u cap.1.15. Pœnitētia fidem quandoque præcedit.

Alia ratio est de fideli, sed peccatore: hunc enim in peragenda pœnitentia, à fide in CHRISTVM inchoare oportet. Infideli, vt ad DEVM accedat per pœnitētiam, Baptismo priorem, sufficit credere. *Quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit* [x]. Quamuis, vt Baptismum assequatur,
D exigitur ab eo fides explicita in CHRISTVM, & hæc necessaria sit, vt iustificationem Baptismi effectum consequatur. Quilibet autem, vt iustificetur, seu infidelis, seu Christianus peccator, præter fidem indiget pœnitentia.

Fidelis in peragenda pœnitentia à fide inchoare debet.

x Heb.11.16.

Hoc, vt prædixi, aliàs contra Caluinum disputatum est, volentem pendere totam pœnitentiam à fide, ita vt istius illa sit effectus: vel, vt alij Hæretici loquuntur, *pars pœnitentiæ fides.* Distinctæ per se sunt fides, ac pœnitentia, & eo sensu, quem modò exposui, semper fides est prior inter ea, quæ ad iustificationem disponunt, prout etiam decernit Concilium Tridentinum [y], videlicet, vt quædam pœnitentiæ causa, ac proinde non vt pars.
E Certè id pars pœnitentiæ dici propriè duntaxat potest, quod à pœnitentiæ virtute proficiscitur: credere autem, fidei Theologicæ virtutis actio est, non pœnitentiæ virtutis moralis. Lege Bellarminum [z].

Fides, & pœnitentia distinctæ sunt.

y Sess.6.c.6.

z 1.de pœnitent.cap.19.

Versus 22.] Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem: quæ in ea ventura sint mihi ignorans.

ECCE *alligatus ego spiritu.*] Non erat alligatus, quia coactus, vt velle videtur Glossa interlinearis, iter illud susciperet: contrarium enim denotat quod subdit, *spiritu*, siue mentem, ac voluntatem ipsius intelligas, siue SPIRITVS sancti

instinctum, vt tandem Glossa eadem, aliíque explicant.

Paulus quomodo spiritu alligatus fuit vt iret Ierosolymam.

Hoc instinctu vincula ei simul præsignificata videri possent, eóque impelli se dicere, vt volens, ac lubens illuc peteret, vbi illa eum manebant, quę appetebat. Sed impedit hanc intelligentiam, quod addit, se ignorare, quæ sibi Ierosolymis essent euentura, solúmque id confusè scire, quod SPIRITV sancto afflati responderent de vinculis, ac tribulationibus: posteà enim distinctè vincula prædixit Agabus [a]. Tamen potuit Apostolus alligatum se affirmare, vel quòd non posset non proficisci in Ierusalem, quamlibet eum priùs Iudæi conati essent impedire per insidias:

a Act. 21. 11.

B

vrgeri námque ab SPIRITV sancto, vel quia idem SPIRITVS, licèt confusè, de futuris vinculis eum præmoneret. Voluit Paulus obstringere auditores suos, ne laboriosum illi, ac periculosum dissuaderent iter; sed vnà secum obtemperarēt SPIRITVI sancto. Paulus igitur vel alligatus erat SPIRITV diuino, iubente, ac propellente profectionem; vel ibat alligatus, præsciendo futura ibi vincula, quamuis nesciret modum, aut causam, aliásve circumstantias.

Sancti, qui se in apertum vitæ discrimen propulerunt, auctore Deo id fecerunt.

Si qui Sanctorum coniecerunt se in apertum vitæ discrimen, quos officij necessitas ad id non propellebat, vel charitatis alienæ ingruens articulus, auctore per peculiarem inspirationē DEO fecisse credendi sunt, ne temerè DEVM ipsum censeantur tentasse, qui præcipit *vitam vt seruemus, & mortis vitemus pericula, & in persecutione fugiamus* [b].

C

Disputat hac de re in Apologia pro fuga sua Athanasius, aliíque, & Augustinus sæpe Donatistas, qui seipsos interficiendo, Martyrum nomen affectabant, grauiter confutat. Et nos hoc argumentū tractauimus, cùm egimus de CHRISTI responso ad Satanam, præcipitium suadentem: *Non tentabis Dominum* DEVM *tuum* [c].

b Matt. 10. 23.

c Matth. 4. 7.

Quæ in ea ventura sint mihi, ignorans.] Vel distinctè, vel per propriam à DEO immediatè acceptam reuelationē. Sic nimirum quæ ad ipsummet pertinebant, ignorabat Paulus, & de se aliis reuelata cognoscebat, vt obseruat Beda, & ante ipsum Gregorius [d].

D

Idem in Dauid, & quibusdam aliis Prophetis notari potest, quos in causa propria didicisse constat ab aliis. Non est hoc tamen perpetuum, cùm legamus Paulum [e], ac Petrum [f], imminentem sibi mortem prædixisse: & superiùs diximus [g], profectionem Ierosolymitanam istam ipsimet Paulo reuelatam fuisse.

d Hom. 1. in Ezechiel.

e 2. Timoth. 4. 6.

f 2. Petri 1. 14.

g cap. 19. 21.

h cap. 2. 17. Donum Prophetiæ non communicatur permanenter.

Illud certum est, quod aliàs etiā docuimus [h], donum Prophetiæ non communicari permanenter, sed in morem qualitatis transeuntis, vt non, cùm libuerit Prophetæ, prædicat, sed quando SPIRITVS eum sanctus afflauerit. Arbitror memoria lapsum eundem Gregorium [i], quādo profectionem istam Ierosolymitanam Pauli confundit cum ea, in qua testatur ipse secundùm reuelationem ascendisse assumpto Barnaba, & Tito [k]: quamuis fieri possit, vt duplicem significare voluerit, eodem illo textu sermonis inclusam.

E

i 25. Moral. c. 10. vel 13.

k Gal. 2. 12.

Versus 23.] Nisi quòd SPIRITVS sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens: Quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent.

SPIRITVS *sanctus per omnes ciuitates protestatur.*] Quidam codices Græci addūt μοὶ, *mihi.*

A

Vix est, qui differens de SPIRITV sancto, non hinc diuinitatem eius confirmet; sicut ex similibus, quæ de eodem tum priùs, tum posteà non rarò dicuntur, vt id semper monere videri molestum possit. Cyrillus autem Ierosolymitanus [l] adiungit prætereà significari verbis istis; *quòd quæ Paulus in vnaquaque ciuitate faciebat miracula, erāt ex* SPIRITVS *sancti energia, & nutu* DEI, *& in nomine* CHRISTI, qui per eum loquebatur; ita vt scilicet reddenti testimoniū de DEO, DEVS ipse per alios redderet, ac sibi tandem ipsi, cuius referebatur quod alij dabant, ad honorem, & gloriam, atque ad audientium vtilitatem, ac salutem.

Spiritus sancti diuinitas hinc ostenditur.

l Catech. 17.

B

Vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent.] In nonnullis codicibus Græcis est, ἐν Ἱερουσαλήμ, *in Ierosolymis:* nostri non habent; *Vt vbi aliquando persequebatur*, inquit Beda, *Ecclesiam, ibi nunc pro Ecclesiæ parte decertet.* Iustæ satisfactionis pars quædam est, ibi pœnam luere, vbi peccatum sit, idque in animaduertendo in reos, Iudices obseruant: & decet, ac etiam oportet, qui pessimo alios exemplo læserit, eosdem bono, quod in se est, ad meliora vt prouocet.

Satisfactionis quædam pars est, ibi pœnam luere, vbi peccatum sit.

C

Versus 24.] Sed nihil horum vereor: nec facio animā meam pretiosiorem, quàm me, dummodò consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino IESV, testificari Euangelium gratiæ DEI.

SED *nihil horum vereor.*] Fortis, ac intrepidus, & in aduersis audentior animus, alacer, atque lætus. Moses vocatus ad prospera renititur [m]. Paulus missus ad vincula ex suo etiam voto, ac desiderio ducitur, & deuotione, atque gaudio spiritus; *vt discamus prosperis huius seculi ex sola iussione*, inquit Gregorius [n], *aduersis etiam ex deuotione militare. Propterea Petro cura commissa est vineæ Domini, quia propriam non custodiens, vel curans, paratus erat vel in carcerem, & in mortem ire* [o], inquit Bernardus [p]: *propterea Paulo, quia nihil verebatur, nec faciebat animam suam pretiosiorem se ipso, & erat paratus non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem propter nomen Domini* IESV CHRISTI [q]. *Negabat se Paulus, cùm hæc dicebat*, ait Ambrosius [r], *& in Ierusalem voluntarius se offerebat periculis, & erat fides eius prompta, durus illi censor. Viuebat in Paulo* CHRISTVS [s], *&* CHRISTVS *erat ipsi viuere, mori autem pro* CHRISTO *lucrum* [t], *vt dissolutus cum illo esset* [u]. Verùm expendamus sententiæ partes, ac verba.

D

Paulus fortis, & intrepidus describitur.

m Exo. 4. 13. & seq.

n li. 35. Moral. cap. 10. vel 11. Petro commissa est cura vineæ Domini.

o Lucæ 22. 33.

p Serm. 10. in Cantica.

q Act. 21. 13.

r epist. 25. ad Eccles. Vercellen. vel 82. post med. longè.

s Gal. 2. 20.

t Philip. 1. 23.

u ibid. 23.

E

Sed nihil horum vereor.] Ἀλλ᾽ οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι. Vatablus, *Nihil me mouet.* Meliùs Interpres, & ad verbum diceremus: nullius (videlicet rei ex dictis, id est, vinculis, atque tribulationibus) rationem facio, siue habeo, seu duco: quod est, non curo, & non timeo, nihili facio.

Nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me.] Syrus præcedentia cum his verba conflans in vnam sententiam, vertit, אלא לי לא חשיבא נפשי מדם, *elle li lo cheschiba naphschi medem*, id est, *sed mihi non æstimatur anima mea quicquam*; vel, *mihi vero pro nihilo habetur anima mea*: οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν ἐμαυτῷ, *Neque habeo, siue æstimo animam meam pretiosam mihi*, id est, non tanti facio vitam meam, non adeò mihi chara est. Et, vt reddit

Qui non habet animam pretiosam sibi.

Vatablus, *Neque vita mea chara est mihi*; & Clarius, *Nec facio animam meam pretiosam mihi. Non habet vitam pretiosam sibi*, inquit Caietanus, *sed aliis, quibus euangelizat, eamque non temerè negligit, sed pro sibi iniuncto euangelico ministerio.* Suspicatur Gagneius Interpretem legisse τὴν ψυχὴν τιμιωτέραν ἐμαυτοῦ. Has ego suspiciones despicio, cùm, qua excitentur, rationem non aspicio. Cuncti verò codices Græci, ac Interpretes legunt eodem modo, qui nunc extat. Sensum assecuta est editio Latina. Quid enim aliud est, οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχὴν μου τιμίαν ἐμαυτῷ, *Non habeo animam meam pretiosam mihi ipsi*; nisi, non æstimo illam pretiosiorem meipso? præsertim nectendo sequenti ὡς, quàm, vel vt, seu quàm vt, &c.

B Porrò nota est animæ acceptio pro vita vegetatiua, & animali, denique pro corporea, & materiali. *Hanc vitam, & animam iubemur perdere propter* DEVM [a], siue vt Martyres, siue vt pœnitentes, *odisse* [a], *minúsque amare quàm* DEVM [b], & DEI causam minùs, quàm nosipsos, hoc est, quàm partem interiorem, ac rationalem, atque isto modo nos ipsos abnegare [c], mortificare [d], crucem portare [e].

Animam, pro vita vitacorporea, iubemur perdere.
a Ioan.12.25.
a Luc.14.26.
b supra.
c Luc.9.23.
d Coloss.3.5.
e Luc.9.23.
Optimus rerum æstimator quis sit.
f Serm.10.in Cantica.

Optimus æstimator rerum, *qui nihil suorum*, ait Bernardus [f], *sibi præferendum existimet; qui in Spiritu ambulans* (paucis colligo sententiam) *& mente consentiens legi* DEI, *dignum ducit, hanc mentem suimet potius, quàm sua cuiuspiam rei nomine designare* (non C more Platonicorum dicentium *hominem esse solam animam*, vel aliorum Philosophorum, *formam esse totam essentiam*: illo verò modo vt Bernardus, loquitur quoque Basilius [g], & Zeno [h]) *ita vt etiam cùm secundùm carnem ambulat non volens, non ipse illud operari censeatur, sed quod in ipso habitat peccatum* [i], id est, *fomes peccati, concupiscentia.*

g Hom. in Attende tibi.
h Ser. in idē
i Rom.7.20.
Religiosi sua valetudinis plus æquo studiosi reprehenduntur.

Tum verò inuehitur potissimùm in Religiosos sibi ipsis indulgentiores, propriæque valetudinis, qui salubrium, ac noxiorum habentes delectum ciborum, Hippocratis discipuli, aut Galeni, aut etiam Epicuri censendi sint potiùs, quàm CHRISTI; cuius illa quæ dixi, præcepta contraria existunt, quàm Pauli, qui addit, quòd *prudentia, & sapientia carnis est mors* [k], *& inimica* DEO [l], quàm D Iob [m], *qui monet non inueniri Sapientiam in terra suauiter viuentium*, quàm Salomonis *sapientiam diligentis super salutem, & speciem* [n].

k Rom.8.6.
l ibid.7.
m Iob.28.13.
n Sap.7.17.
Quomodo quis amare carnem suam possit.
o Ephes.5.29.

Neque verò repugnat ista sententia alteri Pauli, qua docet, quòd *nemo carnem suam odio* [o] *habet*. Carnis enim castigatio nascitur ex charitate, nec *vult quisquam non habere carnem, vel corpus, sed absque corruptione ipsius, & pondere*, inquit Augustinus [p], *absque effreni, ac lasciuienti concupiscentia, absque contumaci aduersùs rationem, & DEI legem inobedientia.*

p 1.de doct. Christ.c.24.
Quomodo corpus subigendum sit.
q ibid.

Quod autem (quidam) *continentia quadam, & laboribus* (ait idem Augustinus [q]) *quasi persequi videntur corpora sua, qui hoc rectè faciunt, non id agunt, vt* E *non habeant corpus, sed vt habeant subiugatum, & paratum ad opera necessaria. Libidines enim malè vtentes corpore, id est, consuetudines, & inclinationes animæ ad fruendum inferioribus per ipsius corporis laboriosam quandam militiam extinguere affectant.* Nam non se interimunt, sed curam suæ valetudinis gerunt. Non parcimus carni, sicut qui semen iacit, vt multiplicatum recipiat, quemadmodum acutè, ac verè docet citatus Bernardus [r]: qui eleganti etiam apostrophe suadet carni [s], *vt tanquam vilior cedat potiori spiritui, neque iniurias, vel molestias proprias reputet, vt apud ipsum tantus hospes possit honorificè demorari, à quo tot hic etiam recipit beneficia, & ex cuius*

r Serm.10.in Psal. Qui habitat.
s Ser.6.de Aduentu.

A *salute pendet salus ipsius.* Sed auctorem ipsum lege.

Abstinentiam ciborum nobis ipsis indicere possumus.

Theologorum sententia est, posse nos nobis abstinentiam carnis, vini, ac similium rerum indicere, & durius vitæ genus instituere, vt virtutes exerceamus, & vitiorum materiam præcidamus, quāuis indirectè, ac præter intentionem viuendi hac de causa spatium imminuatur. Cur enim id adeò honestum ob finem non liceat, quod licet opificibus, & aliis lucri gratia, quod ægris ad producendam vitam? Nullus profectò sanam magis, verámque sententiam de pretiis rerum habet, quàm qui non facit animam, hoc est, vitam mortalem pretiosiorem, quàm animæ eiusdem immortalitatem cum sempiterna beatitudine, *cuius qui detrimentum patiatur, quid ei prodest, etiamsi mundum totum lucretur* [t]? Audi adhuc Augustini [u] de præsenti loco sententiam: *Secundùm istam significationem, qua prohibetur anima etiam hæc temporalis vita, dixit Apostolus Paulus: Non enim facio animam meam pretiosiorem, quàm me; vbi se ostendere voluit & mori paratum pro Euangelio. Nam secundùm significationem, qua anima dicitur, quæ migrat ex corpore, magis eam pretiosam faciebat, cui tantum meritum conquirebat.* Sic ille. Dicebat *David* DEO [x]: *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus*, hoc est, quamuis multis angar de vita curis, multa vitam obsideant pericula, certandum continenter mihi pro vita, vita summo sit studio à periculis tutanda, non facio vitam pretiosiorem, quàm me, qui nihil sine tuæ sum custodia legis, ac moriar antè, quàm vel intereat legis in me tuæ etiam memoria.

t Mat.16.26.
u quæst.57.in Leuit.
x Ps.118.109.

Dummodo consummem cursum meum, & ministerium.] *Cursus est dignitatis*, inquit Chrysostomus, *ministerium necessitatis, ac debiti.* De vi vocis vtriusque aliàs dixi.

Cursus est dignitatis, ministerium necessitatis.

Verbi.] Omittitur hæc vox in textu Græco, adduntur autem aliæ duæ μετὰ χαρᾶς, post δρόμον μου, *cursum meum.* Non tantùm pluris æstimabat consummare cursum suum, ac ministerium, sed gaudebat quoque dari patiendi ea de causa occasionē.

Testificari.] Repete quæ de hoc verbo dicta sunt [y]. Additur in quibusdam codicibus Græcis, Ἰουδαίοις καὶ Ἕλλησι, *Iudæis, & Græcis.*

y cap.6.5.

Euangelium gratiæ DEI.] Verbum gratiæ Domini vocatur in capite XIV. [z] vbi rationem attulimus. *In Euangelio* CHRISTI, ait Carthusianus, *quia gratia* DEI *potissimè commendatur, refulget, & ipsum ex diuina gratia est hominibus collatum, & lex Euangelica gratiā confert, secundum quòd sacramenta sua includit, appellatur Euangelium, & lex gratiæ.* Dixi quoque capite XV. de differentia vtriusque legis.

z vers.3.

Versus 25.] Et nunc ecce ego scio quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnum DEI.

ET *nunc ecce ego scio.*] Sciebat per inspirationem diuinam, vt placet Carthusiano, & Ariæ, idémque satis indicat Irenæus [a], ex hac etiam Pauli oratione confirmans, illum, quæ didicisset à Domino, simpliciter, ac citra inuidiam omnibus tradidisse. Quare cùm hoc non minùs asseueranter prænunciet, quàm quod paulò pòst dicit *de lupis rapacibus, seu peruersis Doctoribus intraturis post discessum ipsius* [b], non video cur debeat prædictio ista, vt nonnullis placet, intelligi duntaxat secundùm præsens iudicium, atque existimationem; &

a lib.3.c.14.
b vers.29.& 30.

posteà rediisse ad ipsos ex vrbe, *cùm liberatus esset ex ore leonis*.

Verba vltima Pauli quã vim habeant.

a Cicer. 4. de Finib.

b Ioan. 13. 33.

c Ioan. 16. 16.

Valet hæc admonitio, vt tanquàm optimi parentibus vltima verba, & quasi testamentaria instar Patriarcharum, Mosis, Samuelis, Dauid, Tobiæ, &, vt ait Orator [a], *scrupulus abeunti*, excipiantur, altiúsque, ac firmiùs imprimantur, & adhæreant ad eum modum, quo CHRISTVS, cùm migraturus mox ex hac vita conderet testamentum, dixit: *Filioli* [b], *adhuc modicum tempus vobiscum sum*. Et [c], *Modicum, & iam non videbitis me*. Propterea statim adeò authenticè cõtestatur, vt notat Chrysostomus.

Versus 26.] Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium.

CONTESTOR *vos*.] Μαρτύρομαι ὑμῖν, eandem vim habet, quam compositum διαμαρτύρομαι, & Latinum, *testificor*, de quibus dictum est. Diceremus Italicè, *Io mi protesto, Io vi protesto*: Gallicè, *Je me proteste, Je vous proteste*.

d vers. 6.

e Ierem. 2. 34. Ezec. 3. 18. Os. 1. 4.

Periculum duplex prædicatori, & auditori imminere docet.

f Osee 1. nu. 69.

Quia mundus sum à sanguine omnium.] In quibusdam codicibus Græcis additur ὑμῶν, *vestrûm*. Declaraui capite XVII. [d] hanc locutionis formulam. Eadem præterea frequentatur in Scriptura pro damnatione æterna [e], vt bene demonstrat Ribera [f].

Duplex innuitur his verbis periculum, & doctori, & auditori; illi, si non doceat, & moneat; huic, si non obediat, vt Oecumenius notat, & Chrysostomus, qui hoc se negat audere dicere; & quamuis posset, nullam capere tamẽ partem consolationis posse, cùm irritos videt labores suos. Hoc verò talibus dicit verbis, quæ profectò lacrymas ex legentium oculis excutere valeant; sic optimus, & diligentissimus Episcopus deplorat seipsum, & lamentatur ouium iacturam, etiamsi hæc accideret sine sua culpa. Nec minùs calentes Gregorius [g] lacrymas pro seipso fundit, & sibi commissis ouibus, veretúrque pariter liberam istam Pauli orationem, qua se liberum contestatur à commissarum sibi sanguine. Eundem lege in epistola ad Venantium Italiæ Cancellarium [h], *Non potest pater filij non cruciari de interitu, quamuis inde redargui non possit: tanta est autem vis spiritualium in parturitione dolorum, vt malit sexcenties defatigari, qui talem partum enititur, quàm vnum ex his, qui nati sunt, videre perditum, ac corruptũ*, inquit idem Chrysostomus.

g Hom. 11. in Ezech.

Spiritales Patres quantùm de filiorum interitu doleant.

h lib. 1. epi. 13. & refertur di stinct. 43. cap. Ephesiis.

Ab Episcopo dolori modus põẽdus.

i Malach. 2. 7. Apoc. 1. 20. & sæpiùs.

k Ier. 51. 9.

B. P. N. Ignatij documentum.

l Ribad. lib. 5. vitæ c. 12.

Sed dolori, ac sollicitudini modus adhibendus Episcopo, qui *Angelus meritò appellatur* [i]: Angelus námque tutelaris, vbi officio functus est suo, non angitur vllo mœrore, quamuis cliens inobsequẽs, obstinatúsque perseuerer. Id vnum pacatè, sedatéque pronunciat: *Curauimus Babylonem, & non est sanata* [k]. Hoc dabat B. P. N. IGNATIVS documentum iis, qui in hominum procuranda salute versabantur, illósque eodem vsus exemplo, cùm quod in se erat, præstitissent, iubebat æquum animum gerere [l].

Versus 27.] Non enim subterfugi, quominùs annunciarem omne consilium DEI vobis.

NON *enim subterfugi*.] Hæc est causa, cur se mundum dixerit, & hæc est gloriatio in testimonio conscientiæ bonæ, quódque debito satisfecerit, nullam officij partem prætermiserit, animam suam liberauerit Lege versum 20. Syrus hîc reddit, לא גיר אשחא *lo ger eschethe*, id est, *Non me excusaui*. Dicto autem versu ponit verbum spernendi.

m vers. 27.

n vers. 11.

Omne consilium DEI.] Quomodo *omne*, dixi eodem vigesimo versu; quid sit *omne consilium* DEI, in capite 2.[m] & 4.[n] quibus locis, quemadmodum & in isto, est Græcum nomen βουλή, quod vbique interpres Syrus, צבינא *tsebeiane*, voluntatem exposuit, quæ significatur quoque dicto nomine τῆς βουλῆς, sicut & consilium.

Paulus quomodo Dei omne cõsilium annunciarit.

Eòdem recidit sensus: nam neque intima DEI, ac inscrutabilia Paulus iudicia, vel nouerat omnia, vel quæcunque nouerat, auditoribus aperiebat, non item proponebat cunctis ea, quæ vocantur Euangelica consilia, & supererogationis opera, paupertatis, castitatis, obedientiæ. Omne consilium DEI annunciauit Paulus, hoc est, quicquid DEO auctore, seu volente, ac exigente, necessarium erat in mysteriis, in moribus, in Ecclesiæ administratione ad consequendam salutem: quod facere Paulo licuit tamdiu versanti in vrbe Ephesina.

Versus 28.] Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos SPIRITVS sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI, quam acquisiuit sanguine suo.

Quoties in Scriptura legitur, magni momenti res agitur.

o Matt. 6. 1.

p Luc. 12. 1.

q Matt. 7. 15.

ATTENDITE *vobis*.] Magna hîc opus attentione, vt intelligamus quid intendat Apostolus. Quoties *Attendite*, vel *Attende*, auditur in Scripturis, magni momenti res agitur. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis corã hominibus*, ait CHRISTVS [o], *vt videamini ab eis*: cauenda diligenter vanæ gloriæ procella. *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis* [p]: inficit hoc venenum omnia rectè facta. *Attendite à falsis Prophetis* [q]. Corrumpunt Hæretici doctrinam Orthodoxam, & sanctos mores. *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa* [r]: plurimos occidit gula; & hoc telum vniuersitati hominum lethum attulit. *Attendite vobis: si peccauerit in te frater tuus, increpa illum* [s]: fraterna salus maximi faciẽda. In his attentione opus est, quoniam superbia, ac hypocrisis lentè, ac sensim pios etiam occupat. Falsi Prophetæ veste ouina fallunt: intemperantia necessitatem obtendit: metus, ac reuerentia quædam facit, vt aliena peccata dissimulemus.

r Luc. 21. 34.

s Luc. 17. 3.

t Hom. 3.

u Tom. 3.

Basilius [t], Ephrem, & quidam alij Græci, & ex Latinis Zeno [u] (qui Basilium transcripsit, vel potiùs idem est qui Basilius eius auctor Sermonis) luculentos sermones ediderant in eam sententiam Mosis, prout ab Interpretibus LXX. exprimitur: *Attende tibi ipsi, ne quando fiat verbum occultum in corde tuo, iniquitas*.

Quid instruat Paulum, verba dum.

x 1. ep. 4. 13.

y ibid. 16.

Prius consulendum sibi, quàm aliis.

z Eccl. 14. 5.

Forsitan eò allusit hoc loco Paulus, instituẽs Episcopos, ac Presbyteros, & cùm propriè scribẽs ad Timotheum [x], monet illum, *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*; & [y], *Attende tibi, & doctrinæ, & insta in illis; hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt*. Rectum prorsus ordinem posuit, vt priùs lectioni, & sibi attenderet, quàm alios exhortaretur, ac doceret. Et sanè quidem, *qui sibi nequam est, cui bonus erit* [z]? Verendum autem magnoperè, ne in aliis distractus curandis, seipsum non curet, cui parœmia conueniat, *Medice*

cura

Luc. 4. 23. · Eccl. 14. 30.

cura teipsum [a]: & [b], *Miserere animæ tuæ placẽs* DEO.
Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Qui alienorũ intendit saluti, propriam negligit.

Hinc fit, vt qui aliorũ intendit saluti, propriam facilè negligat, nisi animi vires intendat, vt animus ipse extra se non diuagetur, & *ignorans seipsum, vagetur post greges* [c]; & *qui propriam non custodit, ponatur in vineis* [d], non minore istarum, quàm suæ ipsius damno.

c Cant. 1. 7. · d ibid. 6.

Attendit sibi Prælatus, quando iis, qui se proximè attingunt, *suis*, nempe, *ac domesticis* [e], vt inde grex reliquus exempla morum depromat.

e 1. Tim. 5. 8.

Postremò audiant omnes animarum præpositi, & cum Chrysostomo Paulum attendant, dum admonet Timotheum, *Attende tibi. Ista profectò*, ait Chrysostomus [f], *dum Timotheo loquitur, omnes salubriter admonet. Quòd si ei, qui mortuos excitabat, hæc monita edidit; quid iam nos miseri dicturi sumus?* Adde, si idem adeò grauem præ se tulit timorem; *ne cùm aliis prædicasset, ipse reprobus efficeretur* [g]: quæ, & quanta aliorum debeat trepidatio esse?

f Hom. 11. in 1. ad Timoth. · g 1. Cor. 9. 27.

Vniuerso gregi.] Qui præest in Ecclesia, pastor est, ideóque gregem habet, atque ποιμαίνει, quod verbum hîc subiicitur, pro eo, quod Interpres posuit, *regere*. Harum in subditis, ac in præpositis appellationis causam attuli capite VII. [h] de Mose disputans.

h vers. 10.

Quò spectat etiam, quòd nõ solùm vetus Scriptura [i], sed CHRISTVS in noua vtitur eadem comparatione, ac seipsum Pastorem tam sæpe, tam libenter nominat [k], nullâque sæpius Ecclesiarum in vrbe, atque alibi repræsentatur in apsidibus imago, quàm ouium. Et suo tempore Tertullianus [l] testis est, in calicibus expressum esse CHRISTVM humeris ouem reportantem.

i in Psalm. & Prophetis. · k Ioan. 10. & alibi, & Luc. 15. 5. · l lib. de Pudicic. c. 7. & 10. Christus est expressus olim in forma agni.

Idem sibi vult maiorum Episcoporum insigne, quod pallium nominant, *illud* enim, ait Isidorus Pelusiota [m], *amiculum, ex lana contextum, quod illi gestant humeris, ouis illius, quam Dominus aberrantem quæsiuit, inuentámque humeris suis sustulit, pellem designat* [n]. Episcopus enim, qui CHRISTI typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius, ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.

m lib. 1. epist. 136. · n Luc. 15. 5.

Pastoris nomen quid designet.

Pastoris nomen admonet, Prælatum ferè eo se interuallo distare à subditis debere doctrina, & sanctitate propter potestatem, ac munus, quantùm est inter hominem, & pecus, sicut à Chrysostomo [o] notatum est. Quò Philo respexit sanè [*] obseruans, *vt cælos regunt Angeli, cæli elementa, sic regi bestias ab homine, ab anima corpus, rem inferiorem omnem à superiore.* Nec minùs antestare Nazianzenus docuit [p] *Pastorem spiritualem ouibus spiritualibus, quàm præstet animus corpori, cor, capítque ceteris partibus corporis.* Profectò si *Principis politici vitam censuram oportet esse*, Plinio teste [q], ideóque Valerianum Senatus censuit Censoris dignum munere, vt scripsit Trebellius [r], *quòd eius esset vita censura, quòd omnibus notior, quòd absque crimine, quòd ei nihil obiici posset:* quid nos sentire conuenit de Magistratu spirituali, de diuinorum morum institutore, & correctore?

o 2. de Sacerd. · * de lege. ad Caium. Pastores super oues eminentia. · p apol. de fuga. · q in paneg. Traiani. · r in Valeriano.

Denique, vt concludatur hic locus quo cœptus est modo, Plato quoque voluit supra hominem esse debere homines recturum, perinde vt bestiis non bestia datur, sed ratione præditum animal, à quo regantur. Quia verò nihil aliud nisi humanum reperire poterat in homine, nõ ab homine, sed à lege regi hominem existimauit. At cùm ratione homo hominem superet, & gratiæ diuinæ,

A quam ignorat Philosophus, munere præcellat, vnus alterum regere poterit pastoris officio.

Admonet pastoris vox præterea, pascendíque verbum, quibus ratio præsidendi, regendi, gubernandi, &c. significatur, munia cuncta pastoris exequenda esse, quæ præ ceteris egregiè describuntur ab Ezechiele [s]: dicitur enim etiam de regimine ciuili, vt aliàs [t] docui exemplis profanis, & apud Michæam [u], quem Matthæus citat [x]: *Dux ex Bethlehem exit, vt regat*, quod Græcè dicitur verbo ποιμαίνειν, id est, *pascere*, Hebraicè משל *maschal, dominari*, & apud Esaiam [y], Cyrum regem DEVS ipse vocat *pastorem suum*: sed Græcè est φρονεῖν, *sapere*.

Munia pastoris à pastore sunt exequenda. · s cap. 34. · t cap. 7. · u cap. 5. 2. · x cap. 2. 6. · y cap. 44. 28.

B Inter varia verò Episcopi officia potissima sunt tria, lupos, omnésque feras arcere; arietes, si lædat gregem cornibus, prohibere ne præcedant; singulis ouibus conueniens pabulum dispertiri, vel etiam medicinam. Triplex ad hæc clauis conducit, iurisdictionis, scientiæ, ordinis.

Tria sunt Episcopi officia.

Ceterùm quamuis præstent pastores ouibus, & tam longè quodammodò præcellant, quàm, vt dictum est, superior est homo pecude: tamen oues sunt rationales, quas pascunt, ac regunt, non meræ bestiæ, nec despoticè tractare illas debent, *vt dominantes in cleris* [z], ac ne quidem in plebibus, sed politicè, ciuiliter, humanè, & in visceribus, atque *funiculis charitatis, & Adam* [a], nisi cùm degenerant

C in bestiales, ac ferinos mores.

z 1. Pet. 5. 3. Oues à Pastoribus quomodo sint tractandæ. · a Oseæ 11. 4.

Explicat eleganter, & diligenter Chrysostomus [b], quid intersit inter brutorum pastorem, & hominum, ac postquàm docuit id, quod dixi, multísque optimis rationibus euicit, quantùm inter sese homines vsum rationis habentes, & bruta ratione carentia dissident, tantum discrimen inter eum, qui pascit, atque eos, qui pascuntur, esse debere, ac etiam maius: tum verò, quod ad rem præsentem facit, hoc adiicit: *Neque enim homini licet tanta cum auctoritate homines curare, cum quanta oues Pastor curat: huic enim liberum est & vincire, & à pabulo arcere, & vrere, & secare, cùm illic medicina, ac*

D *curationis suscipiendæ facultas posita minimè sit in illo, qui medicinam adhibet, sed in eo tantùm, qui aberrat.* Affert exemplum Pauli dicentis [c]: *Non quia dominamur fidei vestræ.*

b 2. lib. de Sacerd. Discrimen inter pastorem pecorum, & hominum. · c 2. Cor. 1. 23.

Postremò meminisse Pastorem animarũ oportet, quòd *omnes animæ* DEI *sunt* [d]: quòd ouium DEVS Dominus est: quòd gregem non suum pascit, sed CHRISTI, qui est *Princeps Pastorum* [e]; & eas, vt mox docetur, *acquisiuit sanguine suo*. Et Petro dixit [f]: *Pasce oues meas.* Ipse verò [g]: *Pascite, qui in vobis est, gregem* DEI: Græcè, CHRISTI. Et toties apud Ezechielem [h] nominat DEVS *oues*, & *gregem suum*.

Omnes animæ DEI sunt. · d Ezec. 18. 4. · e 1. Pet. 5. 4. · f Ioan. 21. 17. · g 1. ep. 5. 2. · h cap. 34.

E Inde verò discant oues Pastoribus deferre, & obedire, illos non iudicare, nec eorum sibi ius electionis vsurpare. *Vos oues*, inquit Nazianzenus [i], *nolite pascere Pastores, neque super terminos eorum elevemini: satis enim est, si rectè pascimini. Nolite iudicare Iudices, nec legem feratis legislatoribus.*

Oues debent suis Pastoribus deferre, nec sibi electionem vsurpare. · i orat. apolog. qua excusatur, quod diu ab Eccl. func. abstinuerit.

In quo vos SPIRITVS *sanctus posuit.*] SPIRITVS sancti Deitatem argumentantur, quotquot sibi hoc de illo argumentum tractandum susceperunt; Athanasius, Didymus, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, & alij, necnon qui disserunt de TRINITATE.

Diuinitas Spiritus sancti probatur.

Porrò hoc ex loco nonnulli [k] sibi videntur efficaciter colligere iurisdictionem, quam habent Episcopi, esse immediatè à DEO. Sed illatio necessaria non magis est, quàm legem positiuam sanci-

Iurisdictio, quam habent Episcopi, à quo sit. · k Turrian. tract. de eccl.

tam

tam esse Ierosolymis in Concilio, de quo egimus capite decimoquinto, ab SPIRITV sancto. Cùm tamen ibi dixerint Apostoli, seu scripserint, *Visum est* SPIRITVI *sancto, & nobis*; satis est, si inspirante SPIRITV sancto, & virtute ab illo accepta, Episcopis iurisdictio ab homine conferatur. Maximè autem id dicendum est, si solum CHRISTVS Petrum ordinauit Episcopum, hic Iacobum, ac fratrem eius, & illi tres deinceps alios Apostolos, vt alio loco meminimus [a]. Quamuis Apostolis omnibus à CHRISTO amplissima in orbem totum iurisdictio delegata sit, sed cum subordinatione ad Petrum.

a cap. 1.

Quidquid sit de Apostolis, dubitari non potest, quin ministerio humano Episcopalis ordinatio, atque iurisdictio tradatur: & quamuis vocatio Episcoporum *sit à* DEO [b], *tanquàm Aaron*, & character, si quis est nouus, vel magis extensus Presbyteralis, cum gratia, fiant à DEO, tanquàm à causa principali; tamen adhibetur ministerium exterius per alium tanquàm per Mosem, & inferiores Episcopi subordinatam habent sub summo, visibili Hierarcha, qui toti præest visibili Ecclesiæ, & ab ipsius voluntate pendentem, eo ferè modo, quo de minoribus Pastoribus, vt Parochis constat, iurisdictionem: ita vt non sufficiat Pastori, vt perperàm Caluinus docet, internum suæ vocationis testimonium. Vocati sunt Paulus, & Barnabas ad Apostolatum à DEO; sed *voluit eos Antiochia segregari, atque ordinari ab hominibus* [c]. Alioqui liceret cuiuis prætendere propriam vocationem, & huius testimonium citare internum SPIRITVS in se loquentis responsum.

Episcopalis ordinatio & iurisdictio ab homine traditur.
b Heb. 5. 4. 2. Paral. 26. 18.
Pastori non sufficit internũ suæ vocationis testimonium.
c Act. 13. 2. & 3.

Episcopos.] Maiores natu anteà vocati sunt [d], vbi docuimus, quomodo nomina Presbyterorum, & Episcoporum sæpe confundantur: & de voce ipsa Episcoporum, in capite primo [e]. Id quoque notatu dignum, aliquando nomen Episcopi dici de non Episcopo, sed simplici Sacerdote, qui munia quædam potiora ecclesiastica obeat. Docet exemplis Ecclesiæ Viennensis & Aruernicæ Ioannes Sauaro Scholiastes Sidonij Apollinaris [f].

d vers. 17.
e vers. 20.
f in lib. 4. ep. 1.

Regere.] Ποιμαίνειν, *pascere*, respondet τῷ ποιμνίῳ. Et has voces de regno etiam, ac regimine, regendóque tũ ciuiliter, tum ecclesiasticè, docuimus [g] passim vsurpari.

g cap. 7.

Ecclesiam DEI.] Κυρίου, καὶ ΘΕΟΥ͂, *Domini, &* DEI. Syrus, לעדתה דמשיחא *lahhidetheh demeschicha*, id est, *Ecclesiam illam* MESSIÆ.

Quam acquisiuit sanguine suo.] Is, qui habet Ecclesiam, DEVS est, & eam acquisiuit sanguine: CHRISTVS ergo simul DEVS est, & homo. *Non dubitat*, ait Beda, *sanguinem* DEI *dicere, propter vnionem personæ in duabus naturis* IESV CHRISTI, *pro qua est in cœlo. Cesset Nestorius Filium hominis à Filio* DEI *separare, & duos facere* CHRISTOS. Cassianus [h] ex eodem hoc loco probat vnitatem carnis in CHRISTO Filio DEI. Et Ioannes Papa II. [i] DEVM carne passum.

Christus habet Ecclesiam, ergo Deus est, & homo.
Nestorius arguitur.
h lib. 7. de Incarn. c. 4.
i epist. 1.

De vtraque CHRISTI natura contra Eutychem plura his similia testimonia Vigilius Episcopus [k] profert, vrgétque Hæreticum istis verbis: *Cur metuis duas dicere naturas, cùm Apostolus* [l] *non formidauerit duas dicere formas, vnam, qua* DEVS *est; alteram, qua idem* DEVS *homo est? Pretium tantum sanguinis* FILII *vehementer sollicitat, & flagitat Pastorum custodiam, & curam: monétque fore, vt Princeps ipse Pastorum peculium diligentissimè tueatur, & seruet.*

Et Eutyches.
k libris cont. Eutyché, præsertim in secundo.
l Phil. 2. 6. 7.

Hoc iam dixi Petrum vsum argumento in pastorali sua exhortatione ad Pastores [m]. Ecclesiam acquisiuit sanguine CHRISTVS, quia nos redemit; & nobis salutem, sibi nominis propagationem commeruit. Et quamuis plura extiterint alia merita, sanguinis effusioni, mortique hanc potissimùm laudem deferri voluit, & tot antè legis veteris, ac naturæ quoque victimis præsignificari.

m 1. Pet. 5. *Christus quomodo Ecclesiam acquisiuit.*

Desperatæ blasphemiæ Caluinum non puduit, *nihil saluti nostra mortem* CHRISTI *profuisse, & Crucifixi spectaculum nihil nisi extremæ desperationis materiam nobis exhibere.* Nec dubitauit ille, aliique discipuli eius affirmare, *tam sacrum, ac pretiosum liquorem computruisse in terra, ac non amplius existere; ac proinde iam non præberi nobis in* EVCHARISTIA. Vtrumque adeò crassum errorem refellit accuratè Feuardentius [n]. Ego verò in præsentia tantam absurditatem indicando refutasse arbitror; & perfidiam exponendo, vt Hieronymum [o] hîc vulpem, superasse.

Christum nihil nobis sua morte profuisse, blasphemat Caluinus.
n in 1. Pet. ca. 1. & 3. Dialo. cont. Caluinum.
o epist. 54.

Idem assero de Erasmo, qui præsentem sic putat locum posse declarari: *In quo vos* SPIRITVS *sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam* DEI (*videlicet* PATRIS) *quam acquisiuit* (CHRISTVS IESVS) *sanguine suo.* Sic verò nihil haberemus pro CHRISTI Diuinitate. Alterum prætereà sensum assignat fauentem Patripassianis, Sabellianis, Noëtianis, qui personas confundebant. *Quam acquisiuit sanguine suo* (nimirum *sanguine* PATRIS) *quia eo auctore* FILIVS *fundens sanguinem, Ecclesiam* DEI *acquisiuit.*

Erasmus arianizat & Sabellianizat.

Inde verò fieret, quòd PATER assumpsit ex Virgine carnem, ac sua morte mundum redemit, meruit, resurrexit, &c. quia pariter FILIVS eodem illo auctore hæc omnia operatus est. Refellit hunc Ambrosius [p] errorem, docens, *quòd sanguine suo, quasi homo, Dominus nos redemit, idémque quasi* DEVS *peccata donauit: & quòd non est Diuinitas crucifixa.* Quod dicere coguntur tamen illi Hæretici, & Erasmus, quoniam in PATRE non est humanitas, ratione cuius dici Crucifixus possit. Lege Sanctium Carranzã contra Erasmum.

p 1. de Fide, cap. 3.

Omnes Pastorésque, ouésque, *populus sunt acquisitionis* [q], *& filij fidei* [r] *in acquisitionem animæ, & positi in acquisitionem salutis* [s] *per Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *& vocati in acquisitionem gloriæ eius* [t], *qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis in laudem gloriæ suæ.* Quia sic nimirum acquisiuit nos suo sanguine, vt acquisitionis huius laus, & gloria ipsius sit finis.

Omnes & Pastores & oues populus acquisitionis.
q 1. Pet. 2. 9.
r Heb. 10. 39.
s 1. Thess. 5. 9.
t Ephes. 1. 14.

Non sumus nostri, quia *empti pretio magno* [u], & *pretioso sanguine* [x]: *ac proinde eius, qui emit, & seruauit* [y], *cuius serui sumus, quia non solùm creati, sed redempti* [z], vt omninò peccati nos fugere seruitutem oporteat, de qua liberati sumus, necnon serpentis, atque aduersarij, de cuius eruti potestate [a].

Non sumus nostri iuris, sed Christi.
u 1. Cor. 6. 19.
x 1. Pet. 1. 19.
y Cyrill. lib. 4. in Esai. ca. 45.
z li. de Iaac. cap. 1.
a Ambros. in Psal. 41.

Fuit Moses *Sephoræ sponsus sanguinum* [b]: nos CHRISTI serui, ac mancipia sanguine ipsius redempta: nec nobis tantùm iussit sanguineum characterem in Baptismo, sed indelebilẽ quoque plagarum gestat ipse, *vt videant omnes, in quem confixerunt* [c]; *hi præsertim, qui modò Filium* DEI *conculcant, & sanguinem Testamenti pollutum ducunt*: id est, non maioris pretij, quàm cuiuslibet hominis, vt habet Syra editio, וחשב דמא דדיתקא דילה איך דכלנש *vachaschab dema dadiathike dileh eich dechulnasch*, id est, *Et reputauerunt sanguinem Testamenti ipsius tanquàm omnis hominis.* Sequitur, *In quo sanctificati sunt, & SPIRITVI gratiæ contumeliam faciunt* [d].

Christus sanguine suo fuit sponsus Ecclesiæ.
b Exod. 4. 26.
c Apocal. 1. Ioann. 19. Zach. 12.
d Heb. 10. 29.

Versus

Versus 29.] Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.

EGo *scio.*] Deest *enim*, quo indicatur causa, cur illos conuocauerit, ac tantoperè attentionem, vigilantiámque super grege cõmendauerit. Quod autem se scire dicit, per diuinam reuelationem intelligit, sicut versu vigesimoquinto. Quanquàm optimus vates, qui optimè coniectat, & ex vsu, quem habebat Apostolus in Asia, & Epheso præsertim, deprehendere potuit ingenium cuiusque, ac studium, propensionem, mores.

Intrabunt post discessionem meam lupi rapaces.] Intrabunt sese ingerentes, non positi, vel missi, vel electi à SPIRITV sancto; interim dum præsens sum, tecti ouino vestimento, quo indutum lupum fabulantur oues perdidisse, vel quod pastor solet induere. Textus Græcus nominat lupos *βαρεῖς, graues*, Syrus, חטופא *thakiphe, efferos.* Est enim, vt ait ille,

Triste lupus stabulis [a]. —

Frequenter similitudo ducitur è lupis in Scriptura, maximè verò à CHRISTO: nam licèt gregibus immineat periculum ab aliis feris, *vt leonibus*, & *vrsis*, vt vnus ex pastoribus expertum se dixit [b]; frequentiùs tamen à lupis, qui simul vafri sunt, & sæui.

Falsos Prophetas comparat CHRISTVS cum lupis [c], propter astutiam, & hypocrisim. Eosdem lupos generaliter videtur accepisse pro quolibet periculo, quando Discipulos *misit sicut oues in medio luporum* [d], hoc est, innocentes, inermes, destitutos humanis præsidiis inter eos, qui Euangelicæ prædicationi quacunque ratione resisterent. Cùm præterea describit mercenarium, falsúmque Pastorem, ait *fugere, simul viderit lupum* [e]; id est, cuiuscuis generis periculum, siue ab Hæreticis, siue à Tyrannis, siue à persecutoribus. Ita Gregorius [f] amplè interpretatus est lupi super oues aduentum, & Chrysostomus [g], & Augustinus [h].

Nihil crudelius, nihil fraudulentius Hæretico. Lupus est vtroque modo, quod innumerabilia docent exempla tum vetera, tum recentia, vt de his locupletissimè testantur furores Gallici, & Anglicanæ persecutiones, quæ libros integros repleuerunt, nec plenè adhuc descriptæ sunt. Neronem dirum persecutorem, & à nostra prorsus abhorrentem religione, vocat Paulus *leonem* [i]. Hæreticis aptiùs conuenit luporum appellatio, propter eam, quam dixi, calliditatem; & quia similitudinem quandam gerunt lupi cum canibus, qui greges custodiunt; & quoniam plures, ac frequentiores patiuntur lupos oues, quàm leones, aut vrsos, &c. atque ita non tam multos fidelium sustulit persecutoris crudelitas, quàm hæreticus dolus, cui crebrò ipsa etiam succedit immanitas. Denique lupum Scriptura sumit semper in malam partem [k]; leonem, vrsum, & alia quandoque in bonam partem.

Hæreticos luporum nomine Paulus intelligi voluit, quoniam de peruersa doctrina mox ingerit mentionem: nec videtur attẽtio, aut vigilantia requiri contra persecutores, certè non tanta, cùm potiùs vetet *nos* CHRISTVS *præmeditari, quid tunc simus responsuri* [l]. At verò & idem CHRISTVS præmonet, ac iubet *attendere à falsis Prophetis* [m]. Et Apostolus prouocat Timotheum Ephesinum Episcopum *ad exquisitam cautionem, atque diligentiam aduersus suborientem prauam doctrinam* [n], *ne vt*

Marginalia: ... optimus ... | Virgilius Eclog. 3. ... | 1. Reg. 17. 34. | Mat. 7. 15. ... | Mat. 10. 16. | Ioan. 10. 12. | Hom. 14. in Euang. | Hom. 24. in Matth. | in Psal. 32. ... | ... | 2. Tim. 4. 17. | ... 4 cõt. ... Aug. ... Iulian. | ... Pau... | ... 10. 19. | ... 7. 15. | ... Tim. 4. 1.

A *cancer sensim serpat* [o]; siue *piscis*, vt placuit Epiphanio [*]; siue *morbi genus*, vt reliquis [p], & quidem meliùs. Immò iam prædictionem istam impletam fuisse, satis innuit idem Paulus scribens ad eundem Timotheum [q].

Hæreticos, lupos vocare solent Patres, vt Origenes [r], Ephrem [s], Chrysostomus [t], Ambrosius [u], Hieronymus [x], Conciliũ Mediolanense [y], Orientales epistola ad Papam Symmachum [z]. Lupus, quem videt prior, vocem ei adimit; si videatur, exagitatur, vt obseruat Ambrosius [a]. Cauendum igitur, ne vel oculis Hæreticorum incauti præueniamur, si commenta eorum impietatis agnouerimus, iacturam piæ vocis timere non poterimus.

B Ceteras huius animalis proprietates mysticè ad Hæreticos adaptatas lege apud eundem Ambrosium: vt quòd casas ipsas pastorum, ac ouilium intrare non audeat; somnum canum, absentiam, aut desidiam pastoris exploret; ouium guttur inuadat, vt citò strangulet; ferus sit, rapax, corpore ipso rigidior, nec inflecti facilis, impetu irruens, & ideò sæpe illusus, captúsve, nocturno magis, quàm diurno prædans tempore.

Itaque non solùm Pastori cauenda cum lupis societas: *nihil enim illi miserius, & quibus perniciosius*, vt ait Anacletus [b], *quàm ipsorum laudibus gloriari, vel iis placere, ab iisve amari velle*: sed aperto Marte resistendum. Neque propter pericula temerè

C deserendi sunt greges, pro quibus tanta pertulit CHRISTVS, quemadmodum priùs dictum est, atque hinc præterea confirmat Papa Liberius [c].

Baculus, seu virga pastoralis, aut pedum, quod in fine acutum est, rectum in medio, retortum, ac recuruum in summo, denotat, Pastorem debere pungere pigros, regere debere debiles, colligere vagos, quoniam illius pars

Curua [d] *trahit, quos recta regit, pars vltima pungit.*

Quod est etiam lupos abigere, & configere. Lege rituales libros, & qui de ritibus tractant, præsertim Ioannem Stephanum Durantum [e], & quæ diximus ad caput sextum libri Sapientiæ [f]. Si legi-

D bus præscribitur præmium his, qui lupos trucident, quanta merces perniciosos hos delentium lupos?

Versus 30.] Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.

ET *ex vobis ipsis exurgent.*] Grauissimus morbus intestinus, fur & inimicus domesticus, ciuile bellum. Hos notauit Ioannes [g] dicens: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.*

E Nulli perniciosiores, sæuiores, cautiores, quàm qui conscij rerum nostrarum; nobis infensi contra nos pugnant, & propriæ viscera matris exedunt, & ex altiore, nobilioréque statu magis deiiciuntur, ac degenerant. Certè grauiora, & acerbiora, & difficiliora tulit Ecclesia ex degeneribus filiis, ingratisque mala, quàm ex exteris, ac plurima pars perduellium constitit, constátque inter Hæreticos peiores grassatores, quàm sint, fuerintve Gentiles, atque Iudæi, etiam ex intimis quasi visceribus Ecclesiæ, hoc est, ex sacris ministris, atque Religiosis, *quibus, vt cùm se intra septa continent, nulli meliores; ita nulli, quando inde sunt egressi, peiores*, teste, & grauiter id asseuerãte Augustino [h]. Vrget

Marginalia: o 2. Tim. 2. 17. | * in Concil. Niceno 11. act. 6 tom. 1. | p Interpret. Pauli. | q 1. ep. c. 1. 4. | *Hæreticos sanctis Patres vocãt lupos.* | r Tract. 25. in Matth. | s Tom. 3. in suo Testam. | t orat. contra Hæret. in fin. Tom. 3. oper. Ephrem. | u lib. 7. in ca. 10. Luc. | x in c. 7. Mat. | y epi. ad Syricium Papam. | *Proprietates lupi, quæ hæreticis accommodãtur.* | z Tom. 2. epi. Pontifi. | a citato loco. | *Pastori cum lupo cauenda societas.* | b ep. 1. | c epi. 2. ad omnes Episcopos. 7. q. 1. ca. 6. | *Baculus Pastoralis quid significet.* | d in lapide marmoreo ad S. Stephanũ, Tolosæ. | e 2. de ritib. Eccles. c. 9. n. 18 & seq. | f vers. 22. | g 1. ep. 2. 19. | *Perniciosiores sunt hostes, qui nostra norunt consilia.* | h ep. 137.

hunc ipsum præsentem locum Hieronymus [a], eóque Michæam illustrat dicentem [b], *quòd filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* Et paulò antè [c]: *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce.* Addit ex Ieremia [d]: *Duces populi mei me nescierunt. Nolite credere*, ait Hieronymus, *in ducibus, non in Episcopo, non in Presbytero, non in Diacono, non in qualibet hominum dignitate.* Tum subdit, *his deferendum honorem, sed minimè sperandum in ipsis.* Tandem, quod propiùs ad rem facit, annectit: *Nolite credere in amicis, ô populi simplices, & in ducibus prauis, qui se amicos, & principes hæreseon esse promittunt: non enim vestram quærunt salutem, sed quærunt sua lucra, & deceptum gregem pedibus suis conterunt.*

a in ca.7. Michææ. b cap. 7.6. & Mat. 10.35.36. c Mich. 7.5. d cap. 4.1.

Hæreticos rectè Clemens [e] exterminandos præcipit, *vt insidiatores Ecclesiæ, gregis labefactatores, hæreditatis contaminatores, qui Iudæos falsa religione, Græcos impietate superent.* Optati verò verba, quibus aptè prorsus ad istum locum illos describit, hæc sunt [f]: *Hæretici veritatis exules* (quam sunt aliquando, sicut in patria, professi in Ecclesia) *sani, & verissimi Symboli desertores, de sinu Ecclesiæ sanctæ impiis sensibus deprauati, contempto quòd bene fuerant geniti, vt ignorantes, & rudes deciperent, de se nasci voluerunt. Et qui iam dudum in talibus pasti fuerant cibis, corruptela male digestionis, in pernicie miserorum disputationibus impiis venena mortifera vomuerunt.*

Hæretici exterminandi sunt. e 6. Const. ca. 18. f lib. 1. contra Parmen.

Nemo est ex hæreseologis, aliísve, qui quoquo modo refellunt Hæreticos, apud quem non obserues illos sic Ecclesiam deseruisse, vt Christiano tamen nomine, licèt ambierint immediatum ab se titulum sectæ imponi, voluerint insigniri.

Notabile verò etiam est, multò plures in factiones, & hæreses discissam semper Ecclesiam fuisse, quàm idololatriam, aut Iudæorum religionem. Causam reddidit Isidorus Pelusiota [g], *quoniam Diabolus auctor, satórque errorum, priusquam quidem veniret* CHRISTVS, *hominum vniuersitatem maxima ex parte sibi deuinxerat, vitij quodam sopore, atque temulentia: vbi verò* DEI *Filius cœlestis intulit vitæ documenta, & per eas minas, quas in peccatores intendebat, pœnam, quæ diabolum manebat, prænunciasset* [h], *hic iam pietati obluctari magnoperè non valens, contendit, vt sub pio* CHRISTI *nomine plerosque ad impietatem induceret, ac pietatis specie, obtentúque pietatem euerteret, & illos quoque, qui optima vita laude persæpe excelluissent, per corrupta dogmata obtereret.*

Ecclesia discissa est in plures factiones, quàm pagana, vel Iudaica rel gio. g lib. 2. epi. in 90. h Mat. 25.41.

Pupugit vehementer hæc prædictio seniores, quemadmodum Apostolos, cùm vel de vnius futura proditione CHRISTVS antè significaret [i]. Impletum est vaticinium Pauli, dum Paulus adhuc superesset, per eos, de quibus Timotheo [k] scribit, *Hymenæum, & Alexandrum, Phigellum, & Hermogenem*: qui námque inter Hæreticos Hermogeniani nominantur in Africa, apud Philastriũ, & Augustinum, ab alio, quem Afer impugnat Tertullianus, Hermogene sunt appellati. Aliquantò pòst in Asia Montanus extitit cum Priscilla, & Maximilla, qui primùm prophetare cœperunt in Ecclesia, hócque nomine, necnon propter simulatam vitæ sanctitatem, & iactata nescio quæ miracula, nihil adhuc dogmatibus Catholicis contrarium loquentes, sed in omnibus consentientes tum verbis, tum reipsa, vt tradunt Epiphanius [l], Theodoretus [m], Philastrius [n], aliquandiu in admiratione pellibus ouinis lupinam vafritiem, ac sæuitiam tegentes, fuerunt, vt prodidit Eusebius [o]. Tanta verò istorum calliditas, & simulatio extitit,

i Mat. 26.21. Prædictio Pauli viuente adhuc Paulo impleta est. k 1. ep. c. 1. 20. & in 2. c. 1. 15. c. 2. 17. Montanus cum Priscilla primi Prophetæ falsi in Ecclesia. l Hær. 48. m 3 de fabul. Hær. n con. Hær. c. 50. o 5. Hist. c. 3.

vt qui eos hæresis nomine damnauerat Tertullianus [p], eadem illa sanctitatis ipsorum adeò concinnè adornata larua deceptus miser fuerit, immò & quodam etiam pacto Papa ipse, qui ad Ecclesias Asiæ, ac Phrygiæ deprauatas à Montano, & insanis illis vatibus, cùm edita professione Catholica eas petiissent, literas misit communicatorias, siue pacificas, quamuis detecta per Praxeam hæresi reuocauerit, vt idem Tertullianus [q], suæ sectæ causam agens, conqueritur. Multa sunt apud Eusebium [r] de Montano, quem ab Apostolo si prænunciatum velimus, nemo certè fuit, cui lupi rapacis, qui se ouem, seu pastorem ouino vestimento mentitus sit, aptiùs appellatio conueniat, & à quo vigilantiùs veris Ecclesiæ pastoribus præcaueri debuerit.

Tertullianus à Montanistis deceptus. p de præscr. c. 52. q lib. contra Prax. c. 1. r lib. 5. c. 15. 16. 17. 18.

Loquentes peruersa.] διεστραμμένα, *distorta, obliqua, minimè sincera, & simplicia.*

Inter sapientiæ qualitates, *quæ desursum est*, ponit Iacobus [f], vt sit *pudica, & sine simulatione*, ἁγνὴ, καὶ ἀνυπόκριτος. Sophistica est, personata, fucata, simulata, hypocritica natio omnis Hæreticorum: nec impuriores, minúsque simplices Catharis, ac Puritanis, vel in moribus, vel in verbis. Loquuntur Hæretici διεστραμμένα, cùm peruertunt Scripturas, historias Ecclesiasticas, Patrum sententias, veteres traditiones, Conciliorum, ac Pontificum decreta, omnia denique sinistram in partem detorquent.

Sapientia diuina propria, & diabolica. f cap. 3. 17. Peruersa loquuntur quo modo Hæretici.

Vt abducant discipulos post se.] Syrus, איך דנהפכון דתלמידא דנאזלון בתרהון *eich denahapechun dethalmide denizelun bathárehun*, id est, *vt subuertant discipulos, vt abeant post eos, vt se sequantur*, τοῦ ἀποσπᾶν τοὺς μαθητὰς ὀπίσω αὐτῶν, *vt abripiant, auellant seu vi, seu dolo.*

CHRISTI quidem nomen Hæretici non respuunt, alioqui non iam Hæretici, sed infideles, attamen proprij gloriam nominis summo studio quærentes, ab se discipulos denominari prorsus volunt. Testantur hoc omnes Hæreseologi, atque historiæ: & vniuersè de omnibus Hæreticis Ambrosius [t]; certóque compertum, hæreseon genitrices cum luxuria, & lucro ambitionem esse, vt nomina sua vocent, *celebréntque in terris suis* [u]: vt mirum non sit, *si credere non possint*, immò *nolint, cùm gloriam ab inuicem accipiant* [x], *& gloriam, quæ à solo* DEO *est, non quærant.* Tanta libido in his magistris abducendi discipulos post se, voluntatem quoque iis, qui approbatores venantur desideriorum suorum, ingenerauit *coaceruandi magistros tales, & prurientium prurientes auribus, quo mordeantur* [y], ab iis audituri quæ placent, non vera, sed fabulosa.

Hæretici non respuunt nomen Christi. t in 1. cap. ad Cor. Hæreses genitrices luxuria, ambitio. u Ps. 48.12. x Ioan. 5.44. y 2. Tim. 4. 3. 4.

Nolite plures magistri fieri, ait Iacobus [z], *fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis*, quæ admonitio eò spectat, non solùm, vt nemo præfecturas ambiat in Ecclesia, quibus docendi graue, difficiléque munus annexum est: neque tantùm, vt quod Augustinus [a] aduertit, non doceat, *sententiæ diuersa ab eo, qui omnium magister est* CHRISTVS [b]: non item duntaxat, vt caueantur inter Catholicos factiones, & schismata, sed prætereà, vt non per ambitum, & fastum, magistri titulum, nomenve quis affectet, & ex aliena infamia famam colligat. Omnia hæc vitia notantur in Hæreticis, quorum discrepat doctrina, & ab Orthodoxa, & inter se, simúlque sunt ambitiosissimi schismatici. Quamuis sint duo, vel tres, de eisdem non eadem dicũt; sed & nominibus, & rebus contraria respondent [c]: *Variant à regulis suis inter se, ac vnusquisque pro arbitrio suo modulatur quæ accepit* [d]. Denique cùm damnent

Magistri plures fieri qui. z cap. 3. 1. a prolog. lib. 1. de trin. b Mat. 23.10. c Iren. lib. 1. cap. 5. d Tert. de præscript.

nent alij alios ob dissensiones opinionum, perspicuum esse Iustinus [a] notat, *quòd causa hæreseon sit ex ambitione, & mutua inuidia Hæresiarcharum, eáque de causa vocati ab Apostolo sunt* (quod nuper vidimus) *lupi rapaces*, aut *graues*.

a q. 4. ad Orthod.

Si qua inter discordes concordia, illa est instar Herodis, ac Pilati [b], quemadmodum Athanasius [c] obseruauit, & cum eodem Vigilius [d], qui tantummodò consenserunt, vt CHRISTVM occiderent, atque crucifigerent. Vnam omnes collimant in Ecclesiam, vnum impetunt caput, & pastorem ipsius, quoslibet qui capiti cohæreant, ne Catholicos quidem, & Christianos, sed *Papistas* à Papa cognominant, & à Pontifice *Pontificios*, mirum cur non aliis synonymis appellationibus.

Concordia Hæreticorum ipsissima concordia Herodis, & Pilati.
b Luc. 23. 12.
c orat. cont. Arian.
d 2. cont. Eutychem.

B *Vnus est magister* CHRISTVS, qui alium cauit *vocari Magistrum super terram* [e], videlicet præ se, vel contra se: à Papa Papistas dici nec veremur, nec erubescimus, tanquàm ab omnium Catholicorum loco CHRISTI magistro, sicut & Romanos vocari se ab Arianis, aliísve Hæreticis (qui sibi nomen Catholicum falsò vsurpabant) veri Catholici honori ducebant [f], à Roma Ecclesiarum magistra, quæ omnium magistri CHRISTI sinceram seruat, tradítque, ac illibatam doctrinam. Non hoc nos ipsi nomen vsurpauimus, aut Papa quisquam id imposuit, sicut Caluinianos Caluinus discipulos suos dici voluit, Lutherus Lutheranos, &c. In quo tamen infamamur, in eo egregium Orthodoxæ fidei testimonium, elogiúmque libenter agnoscimus, ac profitemur.

e Mat. 23. 8. 10. Papistæ dici nec veremur, nec erubescimus.
f Turon. de gloria Matt. c. 26. 30. 79.

Simili mihi digni Hæretici reprehensione videntur, qua Scribæ, ac Pharisæi *illi, qui circuibant mare, & aridam, vt facerent vnum proselytum* [g], hoc est, Gentilem pertraherent ad Iudaicam religionem, vel ambitionis causa, vt plures asseclas haberent, vel auaritiæ; tum vt sacrificiorum aucto numero, pars perueniret ad illos; tum vt pro docendi munere maius eis lucrum proueniret. Nescio quid huiusmodi sordium extat, hodiéque in nonnullis professoribus Academiarum, quas in Atheniensibus etiam sui temporis Nazianzenus [h] notauit, tanquàm expertus cum Basilio, vtinam & eædem penitùs absint ab Ecclesiasticis magistris.

Hæretici similes Pharisæis.
g Mat. 23. 15.
h orat. in Basil.

Id saltem caueat, quisquis esse Catholicus magister, vel ambitiosus vult, vel auarus, ne διεστραμμένα, hoc est, peruersa in Fide, moribúsve doceat, polliceri námque mihi non ausim honoris, aurive cupidum, regia, & plana prorsus ingressurum via, sinus, & flexus quærat, necesse est, vt audientiam nouitate, & peregrinitate, seu dictionis, seu eruditionis, quæ non sit secundùm exactam Euangelicam simplicitatem, & Apostolicum stylum, sibi faciat. Ioannes discipulos ad CHRISTVM adducere volebat [i]; hi à se abducere.

Caueant Magistri Catholici, ne peruersa doceant.
i Ioan. 1.

Versus 31.] Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium, nocte, & die non cessaui, cum lacrymis monens vnumquemque vestrûm.

PROPTER *quod vigilate.*] Propria pastorum epitheta, vt sint ἐπισκοποῦντες, προσέχοντες, γρηγοροῦντες, *superuidëtes*, vel *superintendentes*, ac *speculantes*, *attendentes*, *vigilantes*, *custodientes vigilias super gregem suum*, *& ἀγρυπνοῦντες*, sibi ipsis, ac laboris, *non parcentes pro grege, quoniam lupi rapaces non parcunt* ποιμνίῳ *gregi*. Dum vigilarent pastores, summus Pastor simul descendit in caulam, & stabulum, lætum de se nuncium ipsis misit [k], vt notant Ambrosius, & Beda in Lucam, & Gregorius [l], aliíque Patres. *Oportet, vt Pastor totus sit mens, oculísque*, inquit Antiochus [m], *virgam, seu baculum gestet oculatum* (Ægyptiis hoc erat DEI hieroglyphicum [n]) *& vigilantem*. Sit Argus totus, aut animal plenum oculis antè, retróque [o], *vt ne vna quidem concreditarum sibi pecudum*, ait idem Antiochus, *reticula fiat, & indigna, quæ recipiatur à Domino, per oscitantiam*.

Propria Pastorũ epitheta.
k Lucæ 2.
l Homil. 8 in Euang.
m Hom. 111. Pastor debet gestare baculum oculatum.
n Cyr. Alex. 9. cont. Iulianũ. & Pierius in Hieroglyphicis.

Turpe est, *si Simon dormiat* [p]; *tunc superseminantur zizania* [q]: *tunc mysticè furantur alij* CHRISTVM [r], vt exponit Ambrosius [f].

Dormire turpe est Simoni.
o Eze. 1. 18. & 10. 12. Apoc. 4. 8.
p Marc. 14. 37.
q Mat. 13. 25.
r Mat. vlt. 13.
f Serm. 15.

Tu verò vigila, inquit Ephesino Episcopo Apostolus [t], & de omnibus præpositis testatur [u], *quòd peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus sibi commissis.*

t 2. Tim. 4. 5.
u Heb. 13. 18.

Sed bonus pastor priùs super animum suum vigilat, inquit Gregorius [x], *omni custodia seruans cor suum* [y], *non super corpus, pascens illud: deinde super gregem suum, nõ vt subditorum*, ait Bernardus [z], *vacuet marsupia, sed vitia extirpet.* Iacob viginti annis tanta cura pascebat greges Laban [a], *vt nec ex iis comederet ipse, nec à bestia pecudum capi pateretur, & damnum omne redderet, etiam furtim ablata, die, noctúque æstu vreretur, & gelu, fugerétque somnus, dum inuigilares, ab oculis eius* [b].

x in 1. Reg. li. 1. cap. 9.
y Prou. 4. 23.
z Serm. 77. in Cantica.
Iacob boni pastoris exemplum.
a Genes. 29. 20. & seq.
b Gen. 31. 38. 39. 40.

C Si igitur sic laborat, & vigilat, qui pascit oues Laban, quanto labore (sic ratiocinatur cum Anastasio Antiocheno Gregorius [c]) quantísque vigiliis debet intendere, qui pascit oues DEI? Nullus sit finis, si quæ de pastorum vigilantia nomini respondens Gregorius, præscripsit variis locis, tum in opere pastorali, attulero.

c li 7 Indict. 2. epist. 48.

Accipe duntaxat alteram priori geminam sententiam [d]. *Studeamus cor nostrum terrenorum pastorum imitatione succendere, qui hyemales noctes imbribus, geluque constricti ducunt sæpe peruigiles, ne vel vna ouis, & non fortè vtilis pereat: quam etsi insidiator ore voraci momorderit, quomodo satagunt, quibus cordis anhelant æstibus, in quas voces, vt eruant captum pecus, angustia stimulante prosiliunt, ne à gregis domino quicquid per incuriam perdiderint, exigantur? Vigilemus ergo ne quid pereat, & si captum fortè quid fuerit, vocibus diuinorum eloquiorum ad gregem dominicum reducamus, vt ille, qui Pastor pastorum est, vigilasse nos circa gregem suum, suo misericors dignetur iudicio comprobare.* Lege etiam Bernardum [e], & quæ ex citatis Patribus, aliísque Bartholomæus de Martyribus coniecit in suum Stimulum Pastorum: ea etiam, quæ scripsit Franciscus Ponissonus in libro De officio Pastorum, & ouium, necnon Augustinus, duplici distincto Tractatu De Pastoribus, & ouibus [f].

d li. 2. indict. 10. epist. 31. Pastores quanto studio peruigilent.
e maximè Ser. 76. & 77. in Cantica.
f Tom. 9.

E Referri potest ad vigilantiam præter id, quod dixi de virga oculata, hieroglyphicum leonis, cuius caput (quoniam & nascens solus ex iis animalibus, quæ recuruos habent vngues, statim cernit, & modicissimi somni, ac ferè nullius est, quem apertis capit palpebris) portis, valuísque fanorum, quasi ob sacrorum custodiam affigitur. Item symbola rei eiusdem sunt dracones, & grues, & quos hoc tempore in summis collocant tẽplis, galli gallinacei, quos *nostros* Plinius [g] vocat *vigiles nocturnos excitandis in opera mortalibus, rumpendóque somno à natura genitos, & cœlum solos volucrũ aspicere crebrò*; denique ANGELI ipsi, qui עירים *hirim*, id est, *vigiles* vocantur; est enim *Sacerdos Angelus Domini* [h].

Symbola vigilantia.
g lib. 10. c. 21.
h Mal. 2. 7.

Memoria retinentes.] Non est salubrius, tutius, breuius remedium contra recentes errores, vel

renouatos, quàm veteris Patrum nostrorum doctrinæ memoria. Hi adeũdi, interrogandi, sequendi, retinendi.

Memoria veterum firmissimũ contra Hæreticos argumentum. a cap. 11.

Premit præ ceteris hoc argumentum Tertullianus firmissimè iuxtà, & elegantissimè in Præscriptionibus [a]: *Hanc*, ait inter alia, *dirigimus præscriptionem, Si* DOMINVS IESVS CHRISTVS *Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos Prædicatores, quàm quos* CHRISTVS *instituit, quia nec alius* PATREM *nouit, nisi* FILIVS, *& cui* FILIVS *reuelauit* [b]: *nec alius videtur reuelasse* FILIVS *quàm Apostolis, quos misit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis* CHRISTVS *reuelauerit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua, quod aiunt voce, quàm per epistolas posteà.*

b Mat. 11. 27.

Omnis doctrina, quæ cum matricibus Ecclesijs pugnat, est erronea.

Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis, matricibus, & originalibus Fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à CHRISTO, CHRISTVS *à* DEO *suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, &* CHRISTI, *&* DEI. Sunt ista Tertulliani tam apposita, tam elegantia, tam breuia, vt non modò nec meliùs, sed nec breuiùs verbis aliis adeò grauem contra Hæreticos sententiam exponere potuerim.

Huius ipsius argumenti Vincentij Lyrinensis opus planè palmarium extat aduersùs profanas omnium hæreseωn nouationes, in quo potissimùm demonstrat, in Catholica Ecclesia magnoperè curandum, *vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, & sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem, & ab his nullatenus sensibus recedamus, quos Sanctos, Maiores, ac Patres nostros celebrasse manifestum est, atque omnium, vel certè plurium Sacerdotum pariter, & magistrorum definitiones, sententiásque sectemur.*

Tenendum est, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est in Ecclesia Catholica.

Edmundi Campiani libellus aureus.

His dignus est quem adiungas, Edmundi Campiani Martyris nostri aureus libellus, decem rationes continens, ad Anglicos Academicos. Huic libello sua M. Antonius Muretus manu non dubitauit ascribere: *Libellus diuino* SPIRITV *scriptus.*

Sed vt ad nos ipsos redeamus, vehementer flagitat Apostolus memoria retineri, quæ docuisset ipse voce adhuc, ipsius verbo nondum scripto, auctoritatem sine dubio tribuens traditionibus, sicut & aliàs non semel in his, quæ scripsit, illas ipsas inculcauit, & magnum in modum conseruari præcepit.

Traditiones seruandas Paulus insinuat.

Per triennium.] Capite præcedente [c] dicitur Paulus disputasse per tres menses in Synagoga Ephesina, & per biennium ibidem in schola Tyranni [d]. Si computemus, quod eundo, ac redeundo insumptum est tempus, ac transeundo per Macedoniam, & Achaiam, vbi mansit menses tres [e], complebitur ferè triennium. Trinarij mysterium lege apud Aratorem.

c vers. 8.
d vers. 10.
e cap. 20. 3.

Nocte, & die non cessaui, cum lacrymis monens vnumquemque vestrûm.] De his lacrymis, & admonitione tam sedula dixi superiùs [f].

f vers. 19.

Quomodo nocte, dieque Paulus non cessauerit.

Moraliter accipienda lacrymatio, & hortatio nocte, diéque sine cessatione; nimirũ quia id agebat, in eo versabatur, hoc illi vnum curæ erat.

Hoc pacto studet quis, versátque libros diurna, nocturna manu, orat semper, nunquàm non operatur, quamuis naturæ satisfaciat, vacétque aliquando, seu dormiens, seu cibum capiens. *Non*

A *erat Paulo vnquàm vacuum mœroris, & gaudij; sed*, inquit Chrysostomus [g], *quotidiè mœrens perstabat, omnem ætatem in pressuris viuebat, in lacrymis, in gemitibus, nocte, ac die cum instantia quotidiana* [h], *quam, cum Græcè sit ἐπισύστασις*, Syrus reddit, כנושיא *chenusche-sa, congregationem*, vel *cœtum*, qui esset contra illum quotidiè: & idem Chrysostomus [i] interpretatur *tumultus, commotiones, populorum oppugnationes, vrbium impetus.*

g Homil. 4. in 2. ad Timot.
h 2. Cor. 11.
i Homil. 25. in 2. ad Cor.

Colligitur ab eodem Auctore [k], non satis esse in Episcopo innocentiam vitæ, & mores Apostolicos, desiderari præterea facultatem docendi, non quæ ad moralem duntaxat faciunt institutionem, sed ad Fidem quoque confirmandam, & aduersùs hæreses defendendam.

k lib. 4. de Sacerd.
In Episcopo debet esse docendi facultas etiam, quæ ad Fidem pertinet.

B Sed tractans præsentem locum, querimoniam suam exponit, & continuas lacrymas pro suis auditoribus, apud quos parum promoueat desiderium etiam, si liceret, singulorum domos adeundi, & vnum quemlibet sigillatim adhortandi. Vir fuit iste, qui vt Pauli, cuius erat perquàm studiosus, doctrinam scribendo, dicendóque, Paulo ipsomet dictante [l], consequutus est; sic vitam, ac mores viuendo, & pastorale munus exercendo, ad viuum expressit.

Chrysostomus magnus Pauli imitator.
l in vita.

C *Versus* 32.] Et nunc commendo vos DEO, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus.

ET *nunc commendo vos.*] Etiam priùs, sed tum maximè: solitum enim se sine intermissione pro suis discipulis orare, testatur ipse frequenter, & hoc quidem etiam nomine *gratias agit* DEO, *quod hanc ipsi mentem, memoriámque communicasset* [m]. Pastor bonus quas *habet in corde semper oues, ad commoriendum, & conuiuendum* [n], Principi Pastorum DEO, CHRISTÓque commendat, D nec gregem minùs, ceu Moses, vel Aaron orationibus sustentat, quàm præceptis, consiliis, hortationibus, correctionibus. Hoc idem fecisse Epaphram idē Paulus tradit [o], & de seipso Ioannes [p].

Paulus pro suis orauit sine intermissione.
m Rom. 1. 9. 10. Ephes. 1. 16. Phil. 1. 4. 1. Thess. 1. 2. 2. Tim. 1. 3. ad Philem. 4.
n 2. Cor. 7. 3.
o Colos. 4. 12.
p epist. 3. 4.

Commendo vos DEO.] Deest, *Fratres*, ἀδελφοί. *Indigebant commendatione Apostoli ad* DEVM *Ephesij*, ait Hieronymus [q], *quos tanto tempore error tenuerat, & sciebant esse spirituales aliquas potestates, & in extis, atque auguriis, & diuinationibus, quandam similitudinem diuinitatis agnouerant.*

q præfat. in epi. ad Ephe.

Non fuit hæc vna vel præcipua causa, cur Paulus oraret, quoniam maiores natu, qui aderant, hæc in primis spectabat oratio, tum alios ipsorum curæ commissos. Præcauebat lupos rapaces, de quibus dixerat, qui non tam idololatræ futuri erant, quàm Hæretici.

Cur Paulus pro Ephesijs orauerit.

E *Verbo gratiæ ipsius.*] Glossa interlinearis explicat verbum SPIRITVS sancti, qui loquebatur in Paulo, aut id, quod præstat gratiam audientibus. Lyranus *factum*, seu *effectum*. Caietanus *sermonem* DEI *effectiuum gratiæ, qua salui fimus, quoniam* DEVS *dicendo facit.* Carthusianus *promissiones diuini eloquij, quibus misericordiam suam confugientibus ad ipsum promisit, vt illæ effectum sortiantur in iis, pro quibus erat Paulus.*

Propriè non commendamur verbo, sed verbum nobis. Vnde verbum, cui commendat Apostolus, videtur esse ipsamet gratia DEI, cui etiam gratiæ traditum legimus superiùs [r] ipsum, & Barnabam, & iterum cum Sila [s]. Potest nihilominùs

Quid commendari verbo gratiæ Dei.
r cap. 14. 25.
s cap. 15. 40.

per verbum gratiæ non res ipsa, sed sermo, ac prædicatio intelligi, sicut & in capite decimoquarto [a], cui commendari tantundem est, atque nobis ipsam maximè commendari, tanquàm id, vnde maximum quoddam emolumentum proficiscatur, & gratiæ ipsius vitam, ita vt vocetur quoque verbum vitæ, quod ipsam gignat, conseruet, adaugeat. Itaque Paulus, vt retineant memoria, quæ accepissent ab ipso, commendat illos DEO, qui dat incrementum, & vim verbo euangelizato: sed & verbo, seu prædicationi eius, per quam via ad gratiam aperitur, tum quærendam, tum conseruandam, & augendam, tum si excidat, recuperandam.

a vers. 3.

Verbo Dei nullum aptius contra rapaces lupos telum.

Nullum aptius contra lupos rapaces telum verbo DEI, quippe *gladius spiritus* [b], *maximè anceps, & penetrabilis* [c]. *Verbum* CHRISTI, ait Paulus [d], *habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos.* Eôdem redit sensus, vt *commendare verbo gratiæ*, siue *verbo Fidei, verbo veritatis, verbo vitæ, verbo* DEI: hoc est, diuinę, & sacræ prædicationi, sit optare, vt hanc frequentent, sed cum fructu, & illa veluti res quædam animata, & animans seruet, at viuificet illos, regat, & dirigat, propulset, atque cohibeat omnem errorem.

b Ephes. 6. 17.
c Heb. 4. 12.
d Colos. 3. 16.

Deus nos genuit verbo veritatis, hoc quid sit.

Genuit nos DEVS verbo veritatis [e], & prædicator gignit tanquàm pater, verbi prædicatio velut mater: meritò igitur commendat Paulus Episcopis talem quasi matrem, & sponsam; vt ad generandos spirituales filios, & fouendos eam diligenter adhibeant, & maximi faciant.

e Iacob. 1. 18.

Verbum veritatis est Dei filius.

Quòd si cum Athanasio [f] per *verbum veritatis* apud Iacobum, intelligamus DEI Filium, licet hîc quoque per *verbum gratiæ*, eundem intelligere. *Gratia enim, & veritas per* IESVM CHRISTVM *facta est* [g]. Sicque commendabit Apostolus Ephesios DEO PATRI, & CHRISTO eius Filio, & consequenter etiam SPIRITVI sancto, cui tamen, quia VERBI nomen propriè conuenit, minùs aptè hoc loco Glossa interlinearis citata per verbum gratiæ, ipsum SPIRITVM sanctum sumebat.

f orat. 4. con. Arianos.
g Ioan. 1. 17.

Qui potens est.] Τῷ δυναμένῳ. Potest hoc participium referri vel ad *verbum*, vel ad DEVM. Priore modo accepit Syrus, דהי משכחא *dehahi meschechatha*, id est, *quod ipsum potest*, exprimens QVOD. Posteriore noster Interpres, & quidem rectiùs, cùm sit minùs remotum in sententia verbum, quàm DEVS; & constructio Grammatica magis expedita. Quamuis Caietano secùs videatur, violenti vt legamus *quod*, & referamus ad *verbum*. Vtrouis tamen modo cohæret aptè sensus, sed magis secundo: quoniam DEI est propriè ædificare, & dare hæreditatē; gratiæ verò, & verbi tanquàm causæ dependentis à DEO: *est enim virtus* DEI [h].

h Rom. 1. 16.

Ædificare.] De hoc verbo lege caput nonum [i], quanquàm τὸ ἐποικοδομῆσαι, superædificare est, & superstruere; quasi Paulus significet, vt Chrysostomo placet, Ephesios extructos iam esse, & superesse consummationem hæreditatis, de qua mox. In hac vita ædificamur tunsionibus, pressuris; in sequenti coaptamur in cœlesti Ierusalem, hæredes DEI.

i vers. 31.

Ædificamur in hac vita tunsionibus, pressuris, que. [margin note partly illegible]

Beatitudo hæreditas dicitur.

Hæreditatem.] Beatitudo eadem vocatur hoc nomine hæreditatis, & mercedis, præmij, seu coronæ iustitiæ, & denarij diurni, & gratiæ. Nam iuxta gratuitum beneplacitum DEI, gratia ipsa, & illi respondens gloria datur. Hæc ei respondet, vt semini fructus, & nos filios constituit, quibus

Gratia Dei respondent gloria, vt semini fructus.

A debetur hæreditas: *Si enim filij, & heredes* [k]. Item in habentibus vsum rationis requiritur, non tantùm ad gratiam recipiendam, libera cooperatio; sed ad exercitium etiam bonorum operum post eiusdem præsentiam, quæ opera de condigno mereantur dictam gloriam.

k Rom. 8. 17.
Libera cooperatio nostra requiritur ad gratiā.

Habet PATER is, *à quo est, ac nominatur omnis alia paternitas* [l], vnicum naturalem Filium, huic ipsi sic hæreditatem dedit, vt non moreretur ipse, vel illam perderet: Filius ita possedit, *vt non sit confusus multos habere fratres* [m], *& coheredes*: immò huc ad hoc venerit, vt fratres sibi compararet, atque socios hæreditatis. Denique DEVS hæreditas est

l Eph. 3. 15.
Filius Dei vnicus habet multos fratres cohæredes.
m Heb. 2. 11.

B nostra, nósque vicissim illius, possidet ipse nos, nos ipsum; non fit minor hæreditas diuina, si multi possideant, nihil decedit nobis, eo quòd possideamur: accessio fit nobis summi boni ex tali possessore. Cum CHRISTO cohæredes sumus [n], at illi nos etiam PATER *tradidit in hæreditatem* [o], *& possessionem.*

n Rom. 8. 17.
o Psa. 2. 8.

Possident plurimi hæreditatem eandem in solidum, & ex asse, totam, & simul dispertitam, eundem DEVM. Sed quia nullus totaliter, singuli pro meritis, atque prout inter tot filios alius alio eidem PATRI est charior, gratiórque, & superest semper, & redundat locupletissima, & inexhausta, infinitáque hæreditas. Attingit Augustinus acutè, & eleganter discrimina, quæ diximus inter hære-

Possident plurimi hæreditatem Dei totam, sed non totaliter.
Differentia inter hæreditatem Dei, & hominū.

C ditates hominum, Deíque.

Relinquit homo filiis suis, ait ipse [p], *non possidet cum filiis suis; & tamen magnum se facit, & gratias sibi agi desiderat, quia voluit dare quod non posset auferre. Moriens enim tolleret secum. Puto, quia si posset, nihil hîc filiis suis dimisisset. Hæredes* DEI *sic sunt, vt ipse* DEVS *sit hæreditas nostra. Hæc hæreditas non minuitur copiâ possessorum, non fit angustior numerositate cohæredum: sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus. Non talis te fecit hæredem, cui mortuo succedas, sed cum quo in æternum viuas.*

p Serm. 13. de ver. Apost. & Serm. 119. de Temp. ca. vlt. & in Psa. 136. & 149.

Nec sanè minùs luculenta sunt, quæ Ambrosius [q] tradit disserens de differentia inter Euæ hæreditatē, & CHRISTI. *Omnes scripti heredes sumus,*

q in Psa. 118. octon. 14.
Hæreditate acquisitus [partly illegible]
Hæreditas Christi non est pro portione, sed pro vniuersitate.

D *non pro portione, sed pro vniuersitate: testamentum commune est, & ius omnium, hæreditas vniuersorum, & soliditas singulorum. Nouum Testamentum & singuli adeunt, & omnes possident, nec minuitur heredis, quicquid ab heredibus vindicatur. Manet emolumentum integrum, & eò magis singulis crescit, quò pluribus fuerit acquisitum. Alia conditio est hæreditatis humanæ. Si diuisa fuerit, emolumenta minuuntur, & heredis est damnum, adscriptio heredis. Indiuisum regnum* CHRISTI *est, indiuisa hæreditas. Quomodo fieri poterat, vt diuisa esset hæreditas, cùm hæreditatis fructus sit indiuisus, quod est regnum cœlorum? Aurum, argentum, prædium ab homine pluribus derelictum distribuitur, ac secatur, solida ad singulos* CHRISTI *dona perueniunt,*

E *omnes habent, & nemo fraudatur.*

Probat Ambrosius posteà id, quod sumpsit, quoniam *remissio peccatorum, & gratia reformans, &* CHRISTI *Resurrectio, quæ est causa nostræ, ac proinde etiam fælicitas animorum, nulli decedit, accedit omnibus, lætantur* ANGELI *de nostro, vt de proprio lucro* [r]. Alio loco [s]: *Cùm* DEVS PATER *nullo modo mortuus possit dici, nec hæres quisquam sit nisi mortui, quærit cur* CHRISTVS, *qui ob incarnationem dicitur mortuus, dicatur hæres* PATRIS *semper viuētis?* Respondet tum CHRISTO id conuenire ratione humanitatis, tum hæreditatis vocem sumi pro dono, *& quæ apud nos propriè est hæreditas, esse donum* PATRIS *in filios obedientes transfusum, vt viuus*

Fælicitas animorum nulli decedit, accedit omnibus.

r Luc. 15. 7.
s in cap. 8. ad Romanos.

Hæreditas est donum Patris.

viuentis hæres sit merito proprio, non necessitate defuncti: idque significare *substantiæ portionem datam filiis in parabola* [a].

a Luc.15.12.

Hæreditas non habetur in hac vita.

Latiùs extendit hæreditatem ad vitæ præsentis dona. Sola fœlicitas, seu status alterius vitæ meretur nomen hæreditatis. Gratia prima sanctificans, mors est peccati, ideò pignus hæreditatis, quæ debetur viuis vita diuina, sed non datur nisi relinquentibus hanc vitam physicam, mortalem. CHRISTI anima, dum ipse hic viueret, fœlicitate potiebatur propter dignitatem personæ, non vt hæreditario bono, quia nec PATER mori poterat, nec sibi eam propriam mortem mereri debebat, sed vt omninò naturali. *Cõstitutus* autem dicitur *hæres vniuersorum* [b] *per potestatem acceptam in cælo, & in terra* [c]: post mortem, & propter mortem suam, quam vt *obediens Filius passus est*, dignúsque fuit eiusmodi hæreditate. Nobis hæreditas nostra etiam essentialis fœlicitatis merito eiusdem mortis aduenit, & vocamur cohæredes CHRISTI pro nobis mortui, quatenus hoc ipse meruit, vt quam habebat naturalem, nos acquireremus vt hæreditariam, id est, morte eius comparatam.

b Heb.1.2.
c Mat.vlt.18.

Cur Pater non debet decidere, vt nos hæreditate ipsius potiamur.

d in cap.8.ad Rom.lect.3.

Quod ad PATREM attinet, cui assignatio hæreditatis tribuitur, B. Thomas [d] negat primùm debere ei conuenire illam conditionem vt decedat, quoniam conuenit iis bonis tantùm, quæ simul à pluribus haberi non possunt. Deinde quodammodò decedere nobis, in quantum est *in nobis per fidem*, futurus autem est hæreditas, in quantum videbimus *eum per speciem*. Prior solutio simplicior, ac melior, placétque Caietano, posteriorem prior attulit Anselmus, & Bruno; & Petrus Lombardus. Sed non magis PATER est in nobis per fidem, quàm FILIVS & SPIRITVS sanctus, eóque pacto cùm perit fides, quodammodò dicendus est DEVS mori.

Alia denominatio verior, & magis propria ob idiomatum communicationẽ est, vt quia CHRISTVS idem est homo, atque DEVS, dicatur DEVS mortuus, quia homo; *& vbi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris* [e]. Verùm vt sic qui DEO frueretur tanquàm hæreditate, non rectè intelligeretur DEO frui, vt mortuus denominatur DEVS, & hæc denominatio supponit pro FILIO DEI. Quapropter in hæreditatis nomine spectandum id tantùm, quod perfectionem importat, nempe omnia bona PATRIS nostri DEI cum dominio possidere, seclusà imperfectione, vt mors PATRIS interueniat, sicut optimè notauit Caietanus. Præterea similitudo in iure, ac iustitia, secundùm quam tribuitur, & acquiritur beatitudo vt debitum, merces, corona iustitiæ, quemadmodum peruenit hæreditas ad legitimum hæredem, tanquàm res ipsi debita. At quemadmodum potest quis exhæredari propter nonnulla delicta: sic ius ad beatitudinem amittitur propter peccata, nec acquiritur, vel recuperatur sine bonis operibus. *Hæredes enim* DEI *sumus, & cohæredes* CHRISTI, *si tamen cõpatimur, vt & conglorificemur* [f]: & CHRISTVS *benedictos* PATRIS *sui vocat ad possidendum regnum* [g] (Græcè est, κληρονομήσατε, *hæreditate possidete*) qui sint bene operati.

e Heb.9.16.

f Rom.8.17.

g Mat.25.34.

Hæreditas cur beatitudo dicatur.

Alia quoque ratio, cur beatitudini congruat nomen hæreditatis est, quam in principio insinuaui, quoniam ex gratia DEI maximè pendet, & nos in labores, ac merita CHRISTI introimus, nec primi tanta nobis bona peperimus. Conditiones autem, quas ab hæredibus DEVS exigit, sunt faciles: siquidem *iugum eius suaue est, & onus leue* [h]: *Mandata eius grauia non sunt* [i]. *Facit ipsemet, vt in præceptis eius ambulemus* [k], *& mandata eius custodiamus, & operemur: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam* [l]: *Momentaneum hoc, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* [m].

h Mat.11.30.
i 1.Ioan.5.3.
k Ezec.36.27.

l Rom.8.18.

m 2.Cor.4.17.

Differentia inter nos hæredes, & Christum.

Obseruandum postremò discrimen in modo, quo CHRISTVS est hæres DEI, & nos CHRISTI cohæredes. Oritur id ex diuersæ filiationis ratione. Nam nos adoptione duntaxat filij sumus, ille natura. Inter homines is, qui adoptatur, est loco filij naturalis, ac legitimi, & hæreditatem eius capit, perinde ac ille, tam in bonis, quàm in nomine, honore, sede, denique eodem modo: ita vt respectu eiusdem non possit dici seruus. Nos cùm adoptamur in filios DEI, non admittimur ad omnia DEI adoptantis bona, non assumimur ad vnionem hypostaticam, sed ad aliquam participationem, nempe ad gratiam creatam, & ad visionem. Cum istis bonis ratio seruitutis in nobis manet, longè maioris, & magis propriæ, quàm quæ de CHRISTO secundùm etiam humanitatem dici possit; quicquid sit, an propriè quoque, ac absolutè dici possit: de qua rẽ nonnihil dictum est capite quarto [n], & legi adhuc potest Sanctius Carranza contra Erasmum.

n vers.27.

In sanctificatis omnibus.] Syrus, עם בלהון קדישא *bham chullehun kodaische*, id est, *in omnibus Sanctis*. Præpositio *in*, non rarò valet idem quod *inter*: sanctificati verò, aut Sancti non intelliguntur omnes Sacramentis initiati, ac fideles, sed qui sanctimoniam, atque virtutes colant necessarias ad consequendam retributionem hæreditatis. *Non enim intrabit in eam aliquid coinquinatum* [o]: *& nemo sine sanctimonia videbit* DEVM [p]. Inter sanctificatos, & sanctos, seu inter ἡγιασμένυς καὶ ἁγίυς aut nulla est differentia, aut minus quid est esse sanctificatum, quàm sanctum, & prius refertur ad Sacramentum Baptismi, præsertim quo primùm DEO sanctificamur, & dicamur; posterius denotat titulum ipsum honorarium, qui inde sequitur, vt simus veluti patres conscripti, & patricij, & sancti ascititij. Vtrumq; coniungitur in prima ad Corinthios [q]: *Sanctificatis in* CHRISTO IESV, *vocatis Sanctis*, sed ex adiunctis iudicandum est, cùm fieri possit, vt potior sit nunc huius, nunc illius significatio. Fortasse hoc loco sanctitatis perfectionem denotat, cui succedat possessio hæreditatis. Non placet Arias, dum exponit de iis, qui ex ipsis nondum sanctificati essent.

o Apo.21.27.
p Heb.12.14.
Inter sanctificatum, & sanctum quæ sit differentia.

q cap.1.2.

Versus 33.] Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui.

ARGENTVM *& aurum, aut vestem.*] Similis contestatio Samuelis [r]; sed maior Pauli, qui ne concupiuisse quidem affirmat, etsi nec illum concupiuisse dubitandum sit. *In hoc*, ait Glossa interlinearis, *cognoscuntur lupi rapaces (quos vitandos Apostolus prædixerat) quòd hoc concupiscunt. Hoc*, inquit Carthusianus, *contra pastores, & prædicatores auaros, qui temporalia spiritualibus præferunt, qui lana ouium operiuntur, & lacte earum reficiuntur* [s], *ipsas verò perire permittunt*. Princeps pastorũ pastores monet [t] *pascere gregem non turpis lucri gratia, sed voluntariè*, προθύμως, *ex animo, ingenuè, liberaliter*. Paulus Episcopum requirit *non cupidum*, ἀφιλάργυρον, *non amatorem argenti*, & *non turpis lucri*

r 1.Reg.12.3.
Eccl.46.22.

Pastores prædicatores esse non debere.

s Eze.34.3.
t 1.Pet.5.2.

cupidum,

a Tit. 1. 7.
b Ioan. 10. 12.
c cap. 56. 11.
d cap. 6. 13.
e cap. 3. 5.

cupidum [a], μὴ αἰσχροκερδῆ, CHRISTVS *mercenarium pastorem reprehendit* [b]: Esaias, *declinantem ad auaritiam* [c]: Ieremias, *studentem auaritiæ* [d]: Michæas, *sanctificantem super eum*, id est, indicentem, vel parantem prælium ei, *qui non det quippiam in ore ipsius* [e].

f cap. 8. & 18.

Non disputo nunc de simonia, nec nescio solum turpe lucrum in vitio poni, non iustum, honestúmque stipendium: vtraque de re aliàs egi [f]: non etiam dico, quàm fuerint, sintque familiares Hæresiarchis, eorúmque sectatoribus auaritia, rapina, sacrilegium: plenæ sunt historiæ, ac recentia exempla. Inuehitur Augustinus [g] iure merito, & Hieronymus [h] in turpilucrum Clericum. *Nunquam petentes*, ait iste, *rarò accipiamus rogati: nescio enim quomodo, qui te precatur, vt tribuat, cùm acceperis, viliorem te iudicat: & mirum in modum si rogantem contempseris, plus te posterius veneratur.* Ille ad Clericos retorquet militare præceptum Ioannis, *vt sint contenti suis stipendiis* [i]. Horum iuri cessit Paulus; tam abfuit longè ab omni sorde, & negotiatione, quæ multis Canonibus grauissimè cauetur, quos collegit Claudius Espencæus [k], & Ferdinandus Mendoza [l]. Vnus est VII. Synodi [m], in quo ad hoc idem confirmandum profertur hoc Pauli testimonium, simúlque quod citaui Petri. Carpit Ammianus [n], quamuis Gentilis, & maledicendi libidine, sui temporis in Vrbe Antistitum laxiorem luxum, ditiorem supellectilem, quæ studia, vt ipse comminiscitur, incenderint ambientium summos honores.

g Serm. 19. de verbis Dom.
h epi. ad Nepotianum.
Munera non rogando, & rarò accipienda dum offeruntur.
i Luc. 3. 14.
k lib. 2. digr. in 1. ad Tim. cap. 1.
l libro 2. pro Conc. Illiber. cap. 38.
m 16. q. 1. cap. prædicator. ex 7. Synod. c. 4.
n lib. 27.

Decet Ecclesiam opibus instructam, ornatámque esse, vt aliàs quoque docui [o], & Præsules Ecclesiæ, vel ad auctoritatem conciliandam, vel ad sacra religiosiùs tractanda, vel ad egentes subleuandos.

Ecclesia opibus instructa & ornata esse debet.
o cap. 2.

Testis etiam Augustinus [p], *argenteas lucernas tempore Diocletiani persecutionis accensas in Ecclesia.* Cùm autem Gentiles vellent Christianos largitionibus, quæ fiebant affatim, teste Tertulliano [q], ac Iustino [r], expertes esse, Constantinus edixit, *vt Ecclesiæ, Clericisque legari facultates possent* [s]: *ac voluit eis ablata restitui* [t]. Lege in vtroque Codice titulum de Episcopis, & clericis [u]: Ambrosium contra Symmachum, Acta Vrbani Papæ, Eusebij historiam [x].

p 1. con. Cresc. c. 29. qui legẽdus. item epi. 165. & Serm. 215. de Temp.
q Apol. cap. 3.
r in Apol. pro Christ.
s l. 1. C. de sacros. Eccl.
t Eus. 10. Hist. cap. 3.
u C. Iust. l. 20. C. Theo. l. 16.
x lib. 4. c. 22. vel 23.
Episcopi parci domi esse debẽt, foris liberales.

Consulendum autem simul existimationi, & exemplo; vt qui pauperum patres & sunt, & habentur, quo sese in alios effundant liberaliùs, hoc sint magis contenti curta supellectile, angustiùs habitent, victiténtque, vt laxioribus spatiis sese communicent, proferátque ipsorum munifica charitas. Habent quam imitentur in Augustino Episcopi victus, vestitúsque parsimoniam, cum benigna largitione. Describit vtramque conscius vitæ, ac rerum ipsius, & intimo ei iunctus amore Possidius [y]. Illud nominatim notat, sola ex argento ad mensam cochlearia adhibuisse, cetera vasa, quibus inferebantur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea fuisse, non tamen necessitatis inopia, sed proposito voluntatis. B. Antonius aurea, & argentea vasa nulla habuit, nec patinas, nec calices, nec pretiosum abacum. De vili supellectili, hoc est, modesta, & frugali, cautum est in Concilio Carthaginensi IV. [z] & Tridentino [a], & Toletano IV. [b] & Rhemensi [c], & Africano [d]. De eiusdem Augustini vestitu, ac lecto prodidit parsimoniam eandem idem Possidius [e]: quod exemplum ceteris proponit Concilium Aquisgranense [f]. Legenda Sacerdotum institutio Alphonsi de Torres [g].

y in vita. c. 22. & seq.
Supellex Episcoporum vilis esse debet.
z cap. 15. dist. 45. c. Episcopus.
a Sess. 25. ca. 1. de reformat.
b cap. 7. & 15. dist. 44. c. pro reuerentia.
c cap. 17.
d cap. 6.
e suprà in vita. c. 22.
f cap. 124.
g Tit. de ornatu, & munditie exter.

A Placet mihi Danielis in hoc genere munerum recipiendorum exemplum. Is post expositum Nabuchodonozoris somnium, munera multa & magna recepit [h]: oblata à Balthasare antequàm obscuram illam scriptionem declararet, ac ea de causa vt declaret, recusauit [i], post declarationem admisit [k]. Vtrobique Magistratus honorem accepit, vt auctoritate Gentem suam subleuaret in captiuitate afflictam, & sociis honores eadem de causa impetrauit [l].

h Dan. 2. 48.
i Dan. 5. 17.
k ibid. 29.
l cap. 2. 49.

Versus 34.] Ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.

B IPSI *scitis.*] Redundat in quibusdam codicibus Græcis *sicut.* Videntur autem hæc iungẽda cum sequentibus, & non ibi interpungendum; prout & Græcus textus suadet, & Interpres Syrus dicens, ואנחת ידעין אנתון לסניקותי *vanethun iaddebhin anethun lasenikuthi*, id est, *& vos scientes estis indigentiæ meæ.*

Quoniam.] Quòd, ὅτι. Sic sæpenumerò locis aliis.

Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.] Capite XVIII. de manuali opere Pauli, & eius imitatione, ac exemplo C etiam aliorum satis diximus. Hîc quippiam est amplius, illustriúsque, vt non inde solùm vitam sustentaret Apostolus, sed indidem aliis quoque succurreret.

Euangelicæ paupertatis quadruplicem distinguunt gradum Chrysostomus, Oecumeniúsque, *sua ipsius proiicere, sibi ipsi suppeditare, etiam aliis, si quis ita prædicet, vt accipiendi potestatem habeat, sed non accipiat.*

Euangelicæ paupertatis gradus.

Hortatur Paulus [m], *vt qui furatus est, non modò furari desinat, sed laboret etiam operando manibus suis, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti.* Sed hic videtur quidam actus, vel iustitiæ, vel satisfactionis pro peccato. At verò puræ, liquidæque charitatis est, cùm non habeas, proprio parare labore D quod largiaris. Hoc multò magis propriè censeri potest esse, *honorare DEVM de sua substantia* [n], quoniam qui laborat, ipsam videtur insumere substantiam suam. Septuaginta quidẽ interpretes locum illum ex Prouerbiis sic expresserunt: Τίμα τὸν ΚΥΡΙΟΝ ἀπὸ σῶν δικαίων πόνων, *Honora Dominum de tuis iustis laboribus*, atque ita citatur ab Augustino [o], qui iterum [p] & substantiam coniungit, & iustos labores: & quod ibidem sequitur, *& de primitiis omnium frugum tuarum da ei*, iidem illi vertunt, Καὶ ἀπάρχου αὐτῷ ἀπὸ σῶν καρπῶν δικαιοσύνης: *& primitias da ei de tuis fructibus iustitiæ.* Quo etiam E ferè pacto Hieronymus alicubi reddit vtramque partem dictæ sententiæ [q], necnon Cassianus [r].

m Ephe. 4. 28.
n Prou. 3. 9.
o lib. de vita Christ. c. 11.
p Hom. 47. ex lib. 50. Hom.
q in c. 45. Eze.
r 10. lib. Inst. cap. 19.
Paulus non pro se tantum, sed pro aliis laborauit.

Paulus eos meminit duntaxat, qui secum erãt, subleuatos labore manuum suarum, non excludẽs alios (quanquàm non parum fuit, si tantum laboris ab occupatissimo suscipi potuit, qui sufficeret iis alendis, quos & verisimile est collaborasse) sed vt intelligerent maiores natu, quos alloquebatur, sibi ad imitandum propositum exemplum, vt si aut non possent, aut nollent posteriorem, priorem certè sequerentur eius partem. Hieronymus Nepotianum, & Rusticum ad artificiolum prouocat, nec se ab eo abhorrere scribit [f]: sed conuenit seu Clericum, seu Monachum, qui pri-

f præfa. in Iob.

A

uatus, vel remotus viuat, & non tam victum inde colligat, quàm torpescat otio, & vacans aditum diabolo patefaciat. Concilia [a] quandoque Clericis præcipiunt, sibi victum, vestitúmque honesto vt artificio comparent, vel agricultura, &c. Hoc locum habet, quando non suppetit ad vitam satis ex Ecclesiæ prouentu.

a Carth. IV. c. 50. 51. 52. & Cõcil. Nannetense, quæ citantur dis. 91. c. 2. 3. 4.

Iam verò cauit Tridentina Synodus [b] post alia vetustiora decreta [c], initiari sacris ordinibus, quibus vel ex paternis bonis, vel Ecclesiasticis beneficiis, vel Regularis paupertatis facultate non sit paratus, præsénsque victus honestus. Si Spiridionem Trimythuntis in Cypro Episcopum tanti nominis apud Ecclesiasticos historicos [d], vt pecuariam exerceret, & Zenonem [e], Maiumæ, seu Constantiæ Palæstinæ, vt lanificium, paupertas non compulit, humilitatis documenta Episcopis nostris ediderunt. Posterior quidem ex laboris fructu vitæ subsidia comparauit, & sumptus egentibus ministrauit. Lege de Deusdedit Confessore, qui relatus est etiam in Martyrologium [f], quam prodit Gregorius [g] historiam, qui quod in hebdomada manibus suis operando lucrabatur, die Sabbati pauperibus erogabat. Postremò inuehitur Chrysostomus [h] in famulorum turbam minimè necessariam hoc Pauli exemplo, qui αὐτόχειρος laborabat. Relegenda quæ disseruimus capite decimooctauo de scenofactoria Pauli arte. Adiice Isidori Pelusiotæ [i] contra Theodorum quendam Scholasticum, qui opus manuale probrosum ducebat, sententiam, qua confirmat vtile, ac ad tuendã vitam conducens esse, confirmátque Pittaci Mitylenæi Regis exemplo, qui pistrinum manibus extruebat, & cibum operabatur. Huius possent alia non pauca exempla in medium afferri.

b Sess. 21. c. 2.
c c. nõ liceat. c. Episcopus. c. cũ secundũ Apostolũ. de præbendis. c. ũ Episcopus. de præbendis. in 6.
d Ruf. lib. 10. c. 5. Soz. lib. 1. c. 11. 1. Trip. c. 10. Nicephor. li. 8. c. 42. Suidas
e Soz. lib. 7. c. 27. Nicep. lib. 12. c. 47
f 10. Aug.
g 4 Dial. c. 36.
h quodam loco.
Nemo ordinari debet sine titulo vel patrimonij, vel beneficij, vel religionis.
i lib. 1. epi. in 470.

B

C

Versus 35.] Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini IESV, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quàm accipere.

D

OMNIA *ostendi vobis.*] Non solùm doctrinæ inter pressuras & lacrymas insistendum, sed & ne quis infirmorum grauetur, manibus esse laborandum. Notat hoc Beda, eóque aptari, quod est apud Lucam [k]: *Quodcunque supererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi*, videlicet, si prædicaueris, & ex Euangelio fructus non quæsieris. Arias restringit ad exemplum laboris manuum, quem susceperat, tum ne cuiquam grauis esset; tũ vt, quod hic addit, susciperet infirmos, consulens eorum imbecillitati, prout exponemus. Accedit propius hæc interpretatio ad sequentia verba.

k cap. 10. 35.

E

Quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos.] Syrus, וכול מדם הויתכון דכנא ולא למלאא ולמאצף דהילין דכריהין *vecol medem hauithechun hachanna vale lemeleo valemetsaph dehilin decherihen.* id est, *Et omne id ostendi vobis, ita oportere laborare, & curam habere de illis, qui infirmi sunt*, vel, *Et in omnibus ostendi vobis, sic oportere laborare, & curam habere de infirmis.* Ὅτι οὕτω κοπιῶντας δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων. Vatablus ait, verbum Græcum significare, *porrecta manu retinere lapsurum alioqui, aut abiturum.* Sensum verò esse: *Per omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, quemadmodum laboraui, oportet rationem habere infirma fide præditorum, neque ab illis quidquam accipere.* Similis fuit explicatio Ariæ, quam priùs retuli. Eandem secundo loco ponit

A

Carthusianus, & Hugo, & est etiam Lyrani, necnon Caietani, qui ante Vatablum vim dicti verbi Græci notauit: & veritum Paulum dicit ille, atque Lyranus, ne auditores auari abirent à fide, vel doctrina Ecclesiæ, ac ne attenderent quidem, si se vllo modo pastorum suorum sumptibus grauari deprehenderent.

Syra, quam recitaui, editio, videtur generaliùs intellexisse *de subsidio eorum, qui corpore sunt infirmi*, quæ item est prior è duabus expositionibus, quas Carthusianus retulit, & Hugo, eámque Glossa interlinearis amplectitur. Cassianus [l] quoque infirmos declarat vel mente, vel corpore. Præfero priorem sententiam: quamuis enim pastorum sit pro suo modulo pascere oues etiam materiali cibo; tamen res hæc ad plures se extendit; magis proprium illorum est, & Apostoli proposito magis congruit, vt docendo, pascendóque spiritualiter, *oues ipsas, non res earum quærere* [m] videantur, neque *Euangelium in sumptu ponere* [n]; *neque pietatem quæstũ facere* [o]; *sed quod gratis acceperũt, gratis dare* [p].

l lib. 24. Inst. cap. 12.

B

Scripsit iampridem Villauicentius eruditum tractatum *de œconomia sacra circa pauperum curam à* CHRISTO *institutam*, Apostolis traditam, & in vniuersa Ecclesia inde vsque ad nostra tempora perpetua religione obseruatam, docétque non laicos ex officio curam istam vsurpare debere, sed propriam esse Ecclesiasticorum. Cuius rei contrarium liber quidam editus à Ludouico Viue anno 1526. in Belgio probare nitebatur, cui titulus erat, *De subuentione pauperum*; & alius paulò post, *De continendis, alendisque domi pauperibus*: & nonnulli in eadem prouincia inuulgati articuli anno 1564. à Brugensibus Burgimagistris, & Scabinis. Probo hominis docti, piique iudicium: cui ea quoque consentiunt, quæ pridem in hoc ipso opere à nobis disputata sunt [q].

m 2. Cor. 12. 14.
n 1. Cor. 9. 18.
o 1. Tim. 6. 5.
p Mat. 10. 8.
Pauperum cura potius spectat ad Ecclesiasticos quàm ad seculares.

C

q c. 2. & 4. & 6.

Ac meminisse verbi Domini IESV.] Aliam rationem producit, cur abstinendum sibi censuerit ab aliena liberalitate, vt CHRISTI consilium de re magis perfecta sequeretur. Cassianus [r] verbum interpretatur mandatum, sed ampliorem secutus nominis mandati significationem.

D

r 10. Inst. c. 19.

Non extat in Euangeliis ista CHRISTI sententia: *Sed eam*, inquit Glossa ordinaria, *Paulus, vel ab aliis Apostolis accepit, vel per* SPIRITVS *sancti reuelationem. vel collegit ex illis verbis: Omni petenti te, tribue* [s]: *&, Nolite possidere aurum* [t], *&c.* Lyranus sequitur secundum dicendi modum: Hugo hunc, & primum: Chrysostomus, & Oecumenius primum, & vltimum, necnon Sixtus Senensis [u], qui pro vltimo affert illud: *Omni petenti te, tribue* [x]: &, *Mutuum date, nihil inde sperantes* [y]. Meminit præterea nonnullorum, qui diceret extare sententiam istam in libro verborum Domini, cuius Clemens meminit in Recognitionibus [z]. Ad citatos locos Euangelij addi potest hic [a]: *Cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* Hoc enim videtur esse, quod hîc ponitur: *Beatius est magis dare, quàm accipere.* Fauet primæ opinioni, quoniam idem Clemens [b] ex doctrina Apostolorum recitat dixisse Dominum, quòd *Beatior est qui dat, quàm qui accipit.*

Hæc sententia non extat in Euangelio.
s Luc. 6. 30.
t Mat. 10. 9.
u lib. 2. Bibl. lit. V.
x Luc. 6. 30.
y ibid. 35.
z lib. 1.

E

a Luc. 14. 13.
b lib. 4. Cõst. cap. 2.

Arbitror Paulum designare conceptis expressam verbis CHRISTI sententiam, non collectam duntaxat ex iis locis, quæ citantur, in quibus etiam non extat illa comparatio, vt non modò *beatus sit qui dat, sed beatior quoque, quàm qui accipiat.* Deinde verborũ Domini liber tam est apocryphus, quam

Liber verborum Domini apocryphus.

in qui,

Digitized by Google

in quibus memoratur Clementis Recognitiones. Constitutiones eiusdem paulò maioris sunt fidei: nego tamen, ex iis Paulum hausisse dictam sententiam, sed quæ Apostolorum circumferebatur ore, illam & Clemens scriptis mandauit, & antequàm ipse scriberet, Paulus in hac concione protulit.

Malim postremò tritam censeri, & traditam ex ore CHRISTI ab Apostolis sententiam, quàm vni reuelatam Paulo, cui his longè maiora DEVM constat reuelasse. Nam id indicat ipse, quando redigit in memoriam verbum IESV, aitque, *opòrtere meminisse verbi huius*, nimirum tanquàm iam vulgati, & quod pridē ab ipsis percipi, & ab ipsomet vsurpari potuerit in crebris, quos habuerat, sermonibus ad illos. Augustinus [a] docet, non rarò quippiam dictum, factùmve Scripturam tradere, quod in ea tamen re non inueniatur, quam commemorat. Illustrat Canonem hunc Martinus Cantapetrensis [b] aliquot exemplis, è quibus satis sint ex nouo Testamento, quando narratur Ioannes docuisse Discipulos orare [c]: Petro traditum Euangelium Circumcisionis, Paulo præputij [d]: CHRISTVM apparuisse Iacobo, & plusquàm quingentis fratribus [e].

Obseruauit quoque Toletus [f], Scripturam interdum referre quædam vt antè dicta, quæ non sint scripta: vt cùm ait CHRISTVS [g], seipsum intelligens, *Propterea & Sapientia* DEI *dixit*: cùm de CHRISTO Martha [h]: *Magister adest, & vocat te.* Quando CHRISTVS rursum [i]: *Nónne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam* DEI*?* Denique docui capite primo [k], multa CHRISTVM & docuisse, & fecisse, quæ voluminibus Euangeliorum non continentur: Auctores verò etiam indicaui, apud quos extant dicta CHRISTI nonnulla diuersa ab iis, quæ sunt in Euangeliis. Tale est [l]: *Ecce homo, & opus coram facie eius. In* [m] *quibus te reperiam, vel qualem te inuenero, in iis, aut talem te iudicabo. Oportet* [n] *venire bona, beatus autem, per quem veniunt; similiter necesse est venire mala, væ autem, per quem veniunt. Estote* [o] *boni trapezitæ, seu probati nummularij.* Quamuis Dionysius Alexandrinus apud Eusebium [p] referat vt Apostolicam sententiam [q]: *Si obliquè in me incedatis, & ego item in vos obliquè incedam. Væ habentibus, & in hypocrisi accipientibus, vel iis, qui sibi opitulari valent, & ab aliis accipere volunt: vterque reddet rationem in die Iudicij. Nunquàm* [r] *læti sitis, nisi cùm fratrem vestrum videritis in charitate.*

Alia citant Hieronymus [s], Clemens Alexandrinus [t], Origenes [u], aliique. Sed ex Euangelio secundùm Nazaræos, & aliis apocryphis, hoc est, non sacris, & Canonicis libris.

Cùm tamen à tam multis, & probatis Patribus tam multa, vt à CHRISTO dicta agnoscantur, quę Scripturis sanctis minimè comprehendūtur; & præsertim cùm de ista, quam Paulus recitauit, sententia non possit ambigi, certum esse debet, præter verbum scriptum, etiam non scripti, seu traditi venerabilem, ac diuinam in Ecclesia auctoritatem esse. Confirmat hoc ipso ex loco Innocentius III. [x] quædam Canonis Missæ verba, licèt ab Euangelistis dicta non fuerint, à CHRISTO Apostolos, ab his eorum successores accepisse.

Beatius est magis dare, quàm accipere.] Syrus, דטוביהי לאינא דיהב יתיר מן אינא דנסב *detubaihi leena detabab iathir men ena denasab*, id est, *Quòd beatus est ille, qui dat, magis quàm ille, qui accipit*; vel, *Melior est, qui dat, quàm qui accipit.* Μακάριόν ἐστι δὲ διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν.

Beda, Glossa ordinaria, Hugo, Lyranus, Carthusianus notant, his verbis non præponi diuites eleemosynarios illis, qui paupertatis Euangelicæ professione simul omnia reliquerunt. Citat Hieronymum Lyranus, qui contra Vigilantium ita sentientem de diuitibus proferebat CHRISTI testimonium: *Vade, vende*, &c. *Ac proinde*, inquit idem Lyranus, *Pauli sententia vera est, ceteris paribus, quæ non sunt in proposito.* In Additione affert Burgensis hæc argumenta, quòd qui dat, magis imitetur DEVM, quem constat dare, non recipere, quippe cùm nullius rei egeat, quòd dans exercet actum honestum, accipiens vtilem: agit ille, hic patitur potiùs. Quod Philosophus docet [y], *maiorem esse beneficientis ad beneficiatum amorē, quàm huius ad illum; quoniam ille nobiliùs operatur.*

Ex his argumentis efficit, perfectiorem absolutè videri dationem, quàm egestatem, quæ inde consequitur, si præcisè considerentur: *Nam egestas eatenus commendatur*, inquit, *à* CHRISTO, *quatenus est dispositio ad perfectè sequendum* CHRISTVM, *ad quam non ordinatur acceptio ei opposita, quæ ex se non habet rationem virtutis.* Et ab Auctore libri de Ecclesiasticis dogmatibus [z]: *Inquantum liberat à sollicitudine. Vnde si quis tantæ perfectionis esset, vt ex diuitiarum, quas haberet, sollicitudine non impediretur à* DEI *dilectione, sicut Abraham, & Dauid, nihilominùs esset perfectus, quantùm ad statum vitæ.*

Eodem pacto Hieronymum [a] intelligit, *vt nimirum voluerit pendere perfectionem principaliter à sequela* CHRISTI. Quare concludit simpliciter, beatius esse simpliciter dare, quàm accipere, prout sonant verba Apostoli, nihil eis addendo, licèt quandoque secundùm quid egere sit perfectius, hoc est, propter sequelam CHRISTI.

Carthusianus Hæreticos nominat asserentes *maioris esse perfectionis diuitias proprias in seculo erogare, quàm in Religione mendicare* [b]; proptérque locum Auctoris libri de Ecclesiasticis dogmatibus: *Bonum cum dispensatione bona pauperibus erogare; sed melius est intentione sequendi,* CHRISTVM *totum simul donare, & absolutum à sollicitudine cum* CHRISTO *egere.*

Cassianus [c] abutentibus præsenti Pauli testimonio, vt suas retinerent in seculo facultates, obiicit, *Pauli ipsos exemplum non sequi, nec gloriosam cum illo suscipere nuditatem, nec opere manuum, nec Monasterij parsimonia velle esse contentos.* Item [d], *Paulum, qui non ignobilis erat, sed ciuis Romanus, si propriis sustentari facultatibus, & ex iis benignè facere ad perfectionem commodius iudicasset, id facturum fuisse; necnon eos, qui Ierosolymis in principio agrorum, domorúmque pretia, nihil sibi reseruando, ponebant ante pedes Apostolorum, immò & hos non hoc, sed illud aliud potius approbaturos fuisse.* Denique, *amentes habendos, qui sentiant, beatiores, & perfectiores illos esse, qui ex Gentilibus conuersi, pauperibus subueniebant in Ierusalem* [e], *vel ipsimet Paulo vexationibus itineris impedito, aut vinculis, & carceribus obligato* [f], *ita vt consuetam victus substantiam, vt erat solitus, parare suis manibus non posset, quàm Discipulos illos primos, ac Paulum, qui sese rerum dominio perfectè abdicauerant.*

Affert quoque contra tepidum istum, ac miserabilem statum perfectionem sibi Euāgelicam illo modo pollicentium [g], Basilij responsum ad Syncletium tali tempore torpentem, *qui cùm renunciasse se diceret huic mundo, quædam sibi de propriis*

Margin notes (left): ... sententia ... Apostolo- ... idem perni- ... | a in Psal. 17. | b 3. Hypotyp. ... cap. 3. | c Luc. 11. 1. | d Galat. 2. 7. | e 1. Cor. 15. 6. | Scriptura refert quædam vt antè dicta, quæ scripta non sunt. f in cap. 12. ... annot. 6. | g Luc. 11. 49. | h Ioan. 11. 29. | i Ioan. 11. 40. | k vers. 1. | Extra dicta ... à Christo, quæ in Euangeliis non ... | l Ignat. ep. ad Smyrnēl. | m Nazianz. orat. de bene ... in disp. | n Iustin. in Trypho. | o Clem. 7. Recognit. | p Clem. 2 cō... cap. 40. | q ... ep. 152. ... Damasc. lib. ... ca. 11. Cassian. collat. 1. ... Chrys. ... Acta ... nō le... in Pen... | r Hieron. ... ca. | s ... | t Clem. 2 cō... cap. 47. | Hier. in c. 5. Ephes. | u ... 1. cōt. ... | ... suis locis. | ... verbi ... & non scripti ... in ... aucto... | x ... Missæ.

Margin notes (right): Diuites, qui dant, non sunt meliores pauperibus voluntariis, qui abeis accipiunt. | y 9. Ethic. | z apud August. tom. 3. | Diuites quomodo perfecti esse possint diuitiis abundantes. | a contra Vigilant. | b Talis erat Vigilantius, apud Hieronymum. | c 7. de Instit. c. 16. | Ex hoc loco non colligendum est, melius esse retinere suas diuitias, quàm eas erogare. | d ibid. cap. 17. | e Rom. 15. 26. & 1. Cor. 16. 1. & seq. Galat. 2. 10. | f 2. Cor. 11. 9. Philipp. 4. 14. 15. | g ibid. c. 18. Syncletius ... Senator ... Monachum ...

facultatibus reseruauerat, nolens exercitio manuum suarum sustentari, & humilitatem veram nuditate, & operis contritione, Monasteriique subiectione conquirere: Et Senatorem, Syncleti, perdidisti, & Monachum te non fecisti [a].

a ibid. 7. Instit. cap 19. b 10. Instit. c. 18.

Rursum idem Cassianus, cùm extulisset grande Paulinæ huius conuersationis exemplum [b], Domini, quam protuli, sententiam, exponit in hûc modum [c]: *Beatius est magis dare, quàm accipere*: hoc est, *Impartientis beatior largitas, quàm accipientis penuria: quæ* largitas, *non de pecunia per infidelitatem, vel diffidentiam reseruata, nec de reconditis auaritiæ thesauris impenditur; sed quæ de fructu operis proprij, & pio sudore profertur.* Et ideò, *beatius est*, inquit, *magis dare, quàm accipere, quia cùm illius, qui accipit, is, qui tribuit, habeat paupertatem, nihilominus labore proprio non solùm suæ necessitatis sufficientiam, verùm etiam quod tribuat indigenti, pia sollicitudine parare festinat, duplici gratia decoratus, quòd & perfectam nuditatem* CHRISTI *vniuersarum rerum suarum abiectione possideat, & munificentiam diuitis labore suo exhibeat, & affectu.*

c ibid. c. 19.

Bernardus [d] indicat istum sensum, vt sit maius meritum eius, qui confert beneficium, quàm qui recipit; quia huic vtile, illi sit honestum.

d epist. 100. & 101.

Sixtus Papa III. tractat ex instituto in libro de Diuitiis, [e] difficultatem eandem, quam nuper ab Hieronymo contra Iouinianum expeditam, & ab Auctore de Ecclesiasticis dogmatibus vidimus: vixit enim eodem ferè tempore Cœlestini I. successor, & Leonis I. immediatus præcessor. Docet, *quantùm ad humanam sapientiam, melius esse de proprio viuere, quàm de alieno sperare; quantùm ad diuinam, meliores fuisse Apostolos, qui de alieno sustentabantur, quàm qui propria possidebant.*

e Tom. 5. Bibliot. Patrũ.

Melius est secũdum sapientiam humanam sua retinere, sed non secundũm diuinam.

Ad obiectionem ex isto loco Pauli, excipit primùm, *quòd idem ex alieno quandoque vixerit, sicut & Cassianus anteà respondebat: beatior tamen, quàm à quibus accipiebat. Similiter ibi maiorem esse beatitudinem, vbi est perfectio: eam autem* CHRISTVM *in absoluta rerum suarum abdicatione constituisse* [f], *negasseque alia quemquam conditione Discipulum suum esse posse* [g].

f Matth. 19. 28. & seq. g Luc. 14. 33.

Deinde ait, *factum facto melius esse, non personam persona, id est, datum accepto, non datorem acceptore beatiorem esse.*

Affert exemplum: *Cùm à laico Episcopus, vel Presbyter accipit, laici illius datum melius est, quàm Episcopi, vel Presbyteri acceptum: quia ille cùm dat, aliquid iustitia operatur: illi verò cùm accipiunt, neque iustitia, neque iniustitia aliquid fecisse credendi sunt. Non ideirco tamen beatior erit aut Episcopo, aut Presbytero laicus, quia opus opere videtur esse præclarius.* Subiungit posteà, eò quòd Dominus *beatos pauperes* nominat [h]: & *Væ diuitibus*, dicit [i]; quamuis & boni aliqui diuites esse possint, & pauperes mali, ostendere voluisse meliorem, ac beatiorem per se esse, etiam absque addito, paupertatis titulum, quàm diuitiarum. Hieronymus, quem diu antè citaui, persuadens Nepotiano Clerico, vt inuitatus quoque ad prandium, recuset, adhibet eam rationem, quoniam vilior habetur, qui accipit ab eo ipso, qui dedit; tum sententiam hanc, in qua versamur, quasi *beatius esse*, sit esse magis honestum, decorum, laudabile, quódque pluris æstimetur; & dando placeat homo, quærendo, vel accipiendo displiceat. Hinc illud nescio cuius Poëtæ, verum sanè, & acutum apophthegma:

Laicus cùm dat Episcopo, datum melius est, quàm acceptũ.

h Matth. 5. 3. i Luc. 6. 24.

Temporibus nostris quicunque placere laborat,
Det, quærat, capiat, plurima, pauca, nihil.

Citat B. Thomas [k] paulò aliter priorem versum:
Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi,
Det, &c.

k 2. 2. q. 117. art. 4. ad 1.

Adhibent alij distinctionem, Beatius esse dare spiritualia, quàm illa accipere: beatius hæc eadem accipere, quàm dare temporalia. Beatius accipere à superiore, quàm dare inferiori, & multò magis quàm dare superiori: sicque maius quid esse diligi à DEO, & dona ab ipso accipere, quàm vel eum diligere, vel accepti doni vsum in alios effundere: quoniam, auctore Dionysio [l], *magis perficitur in se creatura accipiendo à* DEO, *quàm dando.* Tandem comparando homines inter se, beatius esse dare quàm accipere, quæ dari possunt, seu spiritualia, seu temporalia.

Rursus quando sit maius dare quam accipere, & vicissim.

l de cœlest. hierarch.

Memini, dicere solitum B. Franciscum [m], cùm suos ad stipem mitteret; *alacriter id, & confidenter facerent: plus enim esse, quod tribuerent iis, qui darent, quoniam* DEI *nomine petentes ad amorem eos diuinum prouocarent, quàm quod acciperent; quia res erat materialis, & caduca.*

m in Chron.

Videtur & ratiocinatio, comparatióque Augustini [n] inter coniugium, & continentiam huc aptari posse: *Res ipsas*, ait inter alia [o], *si comparemus, nullo modo dubitandum est, meliorem esse castitatem continentiæ, quàm castitatem nuptialem, cum tamen vtrumque sit bonum: homines verò cùm comparamus, ille est melior, qui bonum amplius, quàm alius habet: porrò qui amplius eiusdem generis habet, & id, quod minus est, habet: qui autem tantummodo quod minus est habet, id, quod amplius est, non vtique habet.*

n lib. de bono coniug. tomo 6. o cap. 23.

Fiat igitur in proposito comparatio inter personas, ac res eiusdem generis, & verum erit, *Beatius esse dare.* Atque, vt Artaxerxes dicere solebat, teste Plutarcho [p] (*Persas omnes beatiùs dare, quàm capere solitos*, Thucydides [q] contrà, *Thraces, ac Romanos nihil sine pecunia tribuere*) regalius, adde quoque diuinius, ob eas, quæ adhuc allatæ sunt, paulò latiùs circa hunc expatiando locum, causas.

p in vita. q lib. 2.

Quocirca varij illi dicendi modi commodè recipi possunt, & quod attinet ad Religiosum pauperem, is profectò semel, simúlque plus dat, quàm quiuis dare possit ditissimus, liberalissimus, idémque μακροβιώτατος, siquidem spoliat se vsu, ac dominio, omníque iure cunctarum rerum, tum quas habet, tum quæ ad ipsum quoquo modo peruenire possent, & eas quidem, quas habebat, distribuit in pauperes; alias, quas habere posset, optat in pauperum subleuationem cedere. Lege Platum nostrum [r]. Scribit & de hac sententia caput 88. integrum in sua sacra Philosophia Franciscus Vallesius, probátque quia beatitudo in bonorum abundantia est, miseria in priuatione, aut contrario: & dandi principium est ipsum habere, recipiêdi in vacuitate, sed ita, vt id quod dat, dando nihil amittat: prætereà quoniam, per se loquendo, dare honestum quid est, recipere vtile, aut voluptuosum, imò & quodammodò illiberale ac inhonestum: item agere melius, quàm pati, beatitudóque consistit in actione cum omnium bonorum sufficientia: adhæc, dans, etsi re externa sese spoliare videatur, illi accessio fit noui honesti boni, ex largitione liberali argumẽto est, quòd qui dat honesta beneuolentia erga eum qui recipit, & voluptate maiore afficitur, quàm qui recipit; necnon, quòd minùs malus prodigus, quàm auarus, cùm ipse nulli prosit, ille multis. Postremò, bene monet maiorem, & laudabiliorem esse rerum abdicationem absolutam, quas quis transferat in pauperes vacuus cura familiari, quàm hac

Religiosus plus dat, quam quiuis dare possit.

r 3. de bono status Relig. cap. 10.

impli

implicitum esse, aut sensim distribuere. Artaxerxem ferunt Xerxis filium, cognomine Longimanum, cùm ei vitio daretur, quòd longiorem haberet manum, respondisse, præstare dexteram habere ad dandum longissimam, & amplissimam: sinistram ad accipiendum, vel detrahendum breuissimam & contractam. Liberalissimi ac potentissimi DEI manus nunquàm abbreuiantur [a].

Finem facio, vbi monuero, Arianos FILIVM PATRE minorem hinc probasse, quòd *beatius sit dare, quàm accipere.* Occurrit Augustinus [b], *FILIVM accepisse omnia, ipsam etiam æqualitatem eius: esse autem beatum magis dare, quàm accipere in hac vita, vbi est inopia, qua vtique melior est copia: & melius esse habere, quàm egere; vt melius donare, quàm accipere, erogare, quàm mendicare* (intellige in sensu priùs exposito.) *Vbi autem qui dedit, gignendo dedit, & qui accepit, nascendo accepit, non inopi subuentum esse, sed ipsam copiam generatam esse: nec posse qui accepit, ei qui dedit, esse inæqualem, quia & hoc accepit, vt esset æqualis: & nihil à PATRE minus habere illum, qui dicit: Omnia, quæ habet PATER, mea sunt* [c]. Vitari porrò debet loquendi modus Clictouæi [d], quòd PATERNITAS secúdùm propriam rationem & perfectionem existendi sit magis perfecta relatio; quódque hoc pacto PATER sit maior FILIO secundùm dignitatem personæ: & idem de FILIO respectu SPIRITVS sancti affirmat. Nam inde fieret, PATERNITATEM esse perfectionem simpliciter simplicem, & in ratione essendi, vel entis meliorem esse ipsam in quolibet, quàm absentiam ipsius; sicut dicitur de sapientia, potentia, &c.

a Isa. 59. 1. [illegible]
b [illegible] lib. 1. contr. Maximinum. [illegible]
c Ioan. 16. 15.
d In Damasc. de fide. cap. 1.

Versus 36.] Et cùm hæc dixisset, positis genibus suis orauit cum omnibus illis.

POSITIS *genibus suis.*] Genua quoque posuit in oratione Stephanus [e], & Petrus [f]. Quia verò agebatur tunc tempus Quinquagesimæ, seu Pentecostes, dierúmque quinquaginta, qui sunt à Paschate vsque ad diem festum Pentecostes, quo toto tempore, iuxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, ob memoriam Resurrectionis Dominicæ, vt multi Patres tradunt, non solent in oratione genua flecti, Baronius [g] infert, cùm Paulus ritu Christiano Pentecosten celebrauerit, adhuc eum ritum in vsu non fuisse, tametsi Irenæus apud Iustinum [h] eiusdem principium ducat ab Apostolis.

Sed quid obstat, dictum eo etiam tempore ritum iam receptum fuisse, verumtamen in publicis, solemnibúsque precibus, quales non videntur fuisse, quæ modò fusæ sunt in littore? De non flectédis ad orationem genibus dicto tempore, necnon diebus Dominicis, Concilium Nicenum canonem tulit [i], eúmque renouauit Carthaginense VI. [k] Meminit quoq; Tertullianus [l], Hilarius [m], Ambrosius [n], Hieronymus [o], Cassianus [p], Augustinus [q], Maximus Taurinensis [r], Isidorus [s], Rabanus [t], aliíque rituum, & officiorum Ecclesiasticorum descriptores; plura verò disputat Turrecremata [u].

e Act 7. 59.
f Act. 9. 40. [illegible] ad orationem [illegible] flexerit [illegible] tempus [illegible] quinquagesimæ.
g Tom. 1. Annal.
h quæst. 115. Orthodoxos.
i [illegible] 20. vel [illegible] 20.
l de corona [illegible] cap. 3.
m præfat. in [illegible]
n serm. 61.
o contra Luciferianos. & [illegible] in [illegible] ad Ephes.
p de instit. [illegible] c. vlt.
q epist. 119. c. 17.
r homil. 1. de [illegible]
s Officior. [illegible]
t de instit. [illegible] c. 42.
u [illegible] cap. quo [illegible] de cons. [illegible] & rem. [illegible] tempore.

Pium, ac religiosum est in discessu comprecari, alteros pro fœlici itinere, alteros pro iis, quos relinquunt. Factitatum à piis, & religiosis hoc viris testantur historiæ; & proprias habet Ecclesia preces pro itinerantibus, & nauigantibus.

Versus 37.] Magnus autem fletus factus est omnium: & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum.

MAGNVS *autem fletus factus est omnium.*] Sine dubio & Pauli, quem vidimus tribus annis cum lacrymis monuisse vnumquemque [x]. Noëmi, & duæ nurus in digressu fleuerunt [y]. *Inhumanitas est non commoueri ad primam familiarum diuisionem* [z]. Boni viri lacrymabiles sunt, iuxta parœmiam: Sine lacrymis qui prorsus sunt, Stoici sunt, bestiæ sunt (quamuis & harum in nonnullis existunt lacrymæ) Plutonis, quem vocant illacrymabilem [a], sectatores.

x vers. 31.
y Ruth 1. 10. 14.
In discessu amicorum inhumanitatis est non flere.
z Seneca ep. 99.

Censent nonnulli [b], Plutonias sagas flere non posse, quamlibet velint, dignoscique hoc indicio, quòd cùm naturale non sit, à diuina prouidentia nascatur. Refellit meritò fallacem coniecturam istam, falsámque, vnde nimirum censeatur, pœniteátne illas ex animo, an non, noster Delrius [c], quoniam & magnitudo interdum doloris desiccat, tollítque lacrymas, & præ lætitia quidam lacrymantur, & ea sunt aliqui etiam pueri constitutione corporis, quorum ex oculis ne durissima quidem verbera lacrymas extorqueant: & non rarò vberes in minore de peccatis dolore, raræ, aut nullæ, fluunt in maiore. Denique redigeretur eò res, vt cohibendæ à DEO reis lacrymæ forent, quamuis in interno iam foro pœnitentibus, vt in externo, cui DEVM fauere par est, detegi, atque conuinci possent. Sed sunt, vt dixi, lacrymæ indices, ac illices pietatis, humanitatísque: & in DEI donis vnum censetur lacrymarum, quod Sancti sibi à DEO, Ecclesia solemni quoque prece deposcit. Gordianum seniorem Imperatorem Iulius Capitolinus [d] tantæ bonitatis fuisse tradit, vt in scholis si quis puerorum vapularet, lacrymas non teneret. Anselmus [e] deflebat etiam bestias ipsas à venatoribus irretitas, aut cæsas; Frãciscus [f] oues, agnósve.

a Horat. lib. 2. Carminum, ode 14.
b Sprégerus, & Gryllandus, & Bodinus.
Sagas non lacrymari quidam perhibent, sed arguuntur.
c Tom. 1. lib. 6. Disquisit. mag. cap. 1. sect. 2.
Lacrymarum donum censetur, quod à Deo solemniter petitur.
d In Gordiano.
e in vita.
f in vita.

Procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum.] Syrus, וְמְפַפְּקִין *vehhappekubi*, id est, *Et complexi sunt eum.* Qui osculantur, complecti etiam solent, maximè valedicentes, & salutantes.

Huc pertinet Noëmi, & nurus eius, de quibus dixi [g]; huc Laban filios, & filias exosculans [h]; huc Esaü, qui ad fratrem, cùm is illum adorasset pronus in terram septies, accurrit, & amplexatus est eum, collum strinxit, osculánsque fleuit [i]; huc Ioseph, qui cecidit in collum Benjamin, & amplexatus est, & fleuit, deinde eodem modo se gessit cum illo Benjamin, & ille cum reliquis fratribus sigillatim [k]; posteà verò cum patre, super eius collum irruendo, ac inter amplexus flendo [l]; quo item officio prosequutus est defunctum [m]; huc Isaac osculatus Iacob [n].

Exempla eorum qui se osculati sunt abeuntes.
g Ruth 1. 10. 14.
h Gen. 31. 55.
i Gen. 33. 3. 4.
k Genes. 45. 14. 15.
l Genes. 46. 29.
m Gen. 50. 1.
n Gen. 27. 27.
o ibid. & 1. Reg. 10. q. 1.

Abulensis [o] ait *signum fuisse primogenituræ, & delati principatus, ideóque in collatione lauteæ magistralis, seu doctoralis, osculum infigi.* Prætereà eódem spectat Iacob, osculans nepotes, & circumplexus [p]; huc Aaron, fratrem Mosem osculans [q]; huc Moses, Iethro socerum suum [r]; huc Iacob, Rachelem simul flendo [s]; huc Laban, Iacob simul complexando [t]; huc Samuel, Saülem [u]; huc Dauid, ac Ionathas simul complorando [x]; huc idem Dauid, sibi reconciliando filium Absalom [y]; huc ipse Absalom, extendens quoque manum, vrbanitatis causa [z]; huc prætereà idem Dauid, valedicendo seni Berzellai [a]; huc Ioab, abutendo osculo ad occidendum Amasam [b], sicut Iudas ad prodendum CHRISTVM [c]; huc Elisæus, parentes suos, priusquàm sequeretur Eliam; huc Raguel [d],

p Gen 48. 10.
q Exod. 4. 27.
r Exod. 18. 7.
s Gen 29. 11.
t Gen. 29. 13.
u 1. Reg. 10. 1.
x 1. Reg. 20. 41.
y 2. Reg. 14. 33.
z 2. Reg. 15. 5.
a 2. Reg. 19. 39.
b 2. Reg 20. 9.
c Matth. 26. 49.
d 3. Reg. 19. 20.

Tobiam

Tobiam iuniorem cum lacrymis supra collum eius [a]; huc idem Tobias, & Gabelus, qui etiam fleuit [b]; huc parentes Saræ, cùm eam dimiserunt cum Tobia genero [c]; huc parentes eiusdem Tobiæ, cum lacrymis præ gaudio, quòd eum recepissent [d]; huc Assuerus, Esther consternatam [e]; huc socer quidam generum amplexando [f]; huc prodigi filij pater cadens super collum eius, & osculatus eum [g].

Hæc sunt præcipua sacrarum literarum exempla, quæ demonstrant frequentem osculi, & amplexus vsum, vel amoris, vel honoris causa. Vt propterea sponsa tantoperè osculum operis expeteret [h]. CHRISTVS subsequeretur negatum sibi à Simone [i]: Paulus toties hortaretur absentes, vt sese consalutarent in osculo sancto [k]: necnon Petrus [l], & benignus pater, prodigum filium resipiscentem, cadens in eius collum, oscularetur [m].

Tessera Christianitatis vna fuit olim mutuum, præsertim in sacrorum celebratione, osculum, & amplexus, qui nonnullus in osculo semper interuenit. Meminerunt de hoc ritu, præter illos, qui tractant huius generis argumenta, Clemens Romanus [n], Ignatius [o], Dionysius [p], Iustinus [q], Origenes [r], Clemens Alexandrinus [s], Athenagoras [t], Cyrillus Ierosolymitanus [u], Nazianzenus [x], Chrysostomus [y], qui ait hoc fieri ob reuerentiam Corporis CHRISTI, quod per os intrat: item Tertullianus [z], Cyprianus [a], etsi loquitur de osculo, quod post insufflationem communicabatur baptizando: Ambrosius [b] etiam, & Augustinus [c], & Paulinus [d], & alij. Vnde etiam illud:

Ipse etenim casta dum operatur mente Sacerdos,
Oscula dat, quæ dent ille, vel ille alijs.

Propter abusum, qui irrepsit, quem citati Clemens Alexandrinus, ac Athenagoras notant, non solùm separatim in Ecclesia viri, fœminæque (separati autem sunt etiam antè) osculum vsurpabāt; sed etiam desitum est celebrari item à viris, eiúsque vice pia tabella proposita ad exosculandum, ne desit tantæ charitatis in Ecclesia symbolum, quæ Ecclesia columbæ nomine vocitatur inter alias causas; quoniam, vt ait Cyprianus [e], *oris osculo concordiam pacis agnoscit.*

Obseruaui in Historiis sacris, nonnullos sub vitæ exitum osculum, amplexúmque tum admisisse, tum reddidisse [f]; nonnullos res sacras, ac valuas templorum [g], personas item consecratas, summi potissimùm Hierarchæ, (quod sum alibi pluribus persequutus [h]) exosculatos esse. Et nota est Constantini religio, Confessorum cicatricibus oscula imprimentis [i]. Balsamo testis est [k], solitos Episcopos mutuò se salutantes amplecti. Sidonius [l] id se significat fecisse aduersus Maximum Palatinum Episcopum Tolosanum.

Quòd si à sacris abire tantisper liceat ad profana, licet autem, propterea quòd naturæ opus est osculum, & à natura hominibus insitum. Xenophon [m] auctor est, atque Herodotus [n], & Strabo [o], Persis solemne fuisse discedentes cognatos, amicósve dimittere, redeuntes osculo excipere, vel etiam occursantes. Sic Zorobabelem Darius amoris, honorísque gratia osculatus est [p]. Quotidiana oscula Tiberius prohibuit edicto, vt Suetonius [q] refert, nempe illa officiosa, quibus vtebantur in salutatione Romani: siquidem basia sunt pudicorum affectuum, suauia libidinum, vel amorum, vt placet Donato [r]. Sed non diu tenuit edictum: queritur námque Martialis [s]:

a Tob. 7. 6.
b Tob 9. 8.
c Tob. 10. 11.
d Tob. 11. 12.
e Esther. 15. 15.
f Iud. 19. 4.
g Luc. 15. 20.
h Cant. 1. 1.
i Luc 7. 45.
k Rom. 16. 16. 1. Cor. 16. 20. 2. Cor. 13. 12. 1. Thess. 5. 25.
l 1. Pet. 5. 14.
m Luc. 15. 20.
n 2. Constit. cap 61. lib. 8. Constit. c. 15.
o epist. ad Antiochen. & epist. ad Tarsens.
p de Ecclesiast. Hierarchia, cap. de cōmunione.
q Apolo. ad Antonin.
r in cap. vlt. ep. ad Rom.
s 3. Pædag.
t orat. ad Christian.
u Catech. 5. mystag.
x orat. 3. de pace.
y Homil. 30. in 2. ad Cor. & 1. de compunction. & Homil. de prodit. Iudæ. & Homil. 52. ad popul. Antiochenum.
z lib. de orat.
Ob abusum osculo sublato, & tabella ad osculandū proposita.
a lib. 3. ep 8.
b 2. de Pœnitent. c. 1. & in c. 7. Luc.
c Serm 4. de vigil. Paschæ.
d Carmin. ad Cyther.
e lib. 1. ep 8.
f de Basileo Metaphrast. 16. April.
g Chrysosto Homil. 30. in 2. ad Corint.
h cap. 4. versu 11. & c. 10.
i Euseb.
k in Cōcilio Laodiceno. c. 19.
l lib. 4. ep. 24.
m 1. & 5. Cyri Instit. & orat. de laud. Agesil.
n lib. 1.
o lib. 15.
De osculo ex profanis Auctoribus.
p 1. Esd. 4. 47. & Ioseph. 11. Antiq. cap 4.
q in Tiberio, cap. 14.
r in Eunuc. Terentij, & in Andria.
s lib. 11. epigramm.

Effugere non est, Basse, sed basiatores
Instant, morantur, prosequuntur, occurrunt.

Nisi Poëtam interpretere de basiis, non de osculis. Lege Plutarchum [t], de origine osculi fœminarum Romanarum. Idem Suetonius [u] satis indicat, à Senatoribus excipi solitos osculo Principes Romanos peregrè profecturos, ac reuertentes. Ac de Catone prodit etiam Plutarchus [x], eius de prouincia digredientis manum reuerenter milites osculatos. Plato [y] præcipit, *Cuiuis vt strenuo militi quemuis osculari liceat*: parum certè honestum præmium.

Os quidem osculandi, seu labra, mos crebrior, vt inde nomen osculi deriuet Festus: genas tamen, frontem, manus, pectus, genua, pedes, imas soleas, vestigia ipsa, oculósque osculabantur, & in his, vt ait Plinius [z], quasi ibi maximè habitet, videbantur animum ipsum attingere: dicique idem potest de omni corporis osculo, & complexu. Audi Catullum conferentem cum Verannio ex Hispania reduce:

Visam te incolumem, audiámque Iberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Vt mos est tuus, supplicánsque collum,
Iucundum os, oculósque suauiabor.

Lipsius [a] in Electis disserit de osculis variis, & profanis, tum de adoratione, quæ ad os admota manu propria, osculatáque fiebat, vel alterius vestem, partémque aliquam corporis eandem tangendo, & veneratione ad os reportando: qua de re anteà etiam Muretus [b]. Consulendus item Ioseph Stephanus tractatu de osculatione pedum Pontificis [c], & Heroldus in Martialem [d], & Lælij Bisciolæ nostri eruditæ horæ subcesiuæ [e].

Itaque, vt cum Hieronymo [f] loquar, *osculis Ephesij, atque complexibus suis indicauerunt vnum se cum Paulo scientiæ habere thesaurum, sicut Ioannes mysterium Natiuitatis antiquæ Domini relaturus, in pectus eius recubuit* [g], *& de purissimo fonte hausit riuulum doctrinarum, ac tandem Magistri desiderium lacrymis contestati sunt.*

Versus 38.] Dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam ampliùs faciem eius non essent visuri. Et deducebant eum ad nauem.

DE beneuolo isto quoque deducendi officio dixi alibi [h]. Chrysostomus hîc agnoscit amorem singularem aduersùs Paulum. Credibile est, tamdiu oculis prosequutos abeuntem in naui, quoad licuit. Cecinit Arator id carmine:

— Longéque per vndas
Obtutu comitante sequi meruêre carinam:
Dúmque per oppositas extendunt lumina nubes,
Additur in pelagus oculis via, raptáque flabris
Puppis adhuc nota est, & mulcet imagine mentes,
Affectúque animi crescit mensura videndi.

Hippocrates iurauit, qui cum doceret medicinam, eo loco habiturum, quo parentes, rebus, quæ requiruntur ad vitam, communiter vsurum, & quamcunque rem sibi necessariam ille duxisset, curaturum, liberos, ac consanguineos eius æquè ac suos fratres ducturum, & medicinæ præcepta ipsis, eorúmque filiis, ac discipulis absq; vlla mercede, vel cautione traditurum. Aristoteles Platoni magistro, erga quem ingratum gessisse animum, atque recalcitrantem multi dicunt [i], vt

t in Quæst. Rom. in 1.
u in Nerone.
x in Catone.
y 5. de Rep.
z lib. 11. c. 37.
a 2. Elect. c. 4.
b lib. 10. variar. lect. c. 10.
c præfatio cap. 1.
d lib. 10. epigramm. 51.
e lib. 7. c. 11.
f Proœm. in epist. ad Ephes.
g Ioan. 13. 23.
h cap. 10.
Erga magistros affectus discipulorum quis esse debeat.
i Laërt. lib. 5.

memorat

memorat Petrus Crinitus [a], & Ficinus [b], aram sacrauit in templo, ac statuam [c]. Quid mirum, si tantam beneuolentiæ significationem edunt tales discipuli aduersùs talem magistrum, tali ab eo doctrina instituti? Par satis referri gratia magistro nequit, multò minùs diuinarum rerum, morúmque: & quiduis tali discipulus magistro soluat, vsurpare illud meliùs potest, quàm Gratianus ad Ausonium, cui deferebat Consulatum: *Solui quod debui, & adhuc debeo quod solui* [d]. Lege præclaram optimi discipuli adolescentis Gregorij Thaumaturgi de laudibus viuentis adhuc magistri Origenis panegyricam, & charisteriam orationem [e]. De excipiendi autem beneuolo munere, déque viri iusti salubri præsentia, hoc & similibus, quæ præcesserunt isto libro, allatis Ambrosius [f] exemplis agit egregiè. Ait inter alia: *Qui videt iustum, & gaudet etiam velle esse iustum: plerisque iusti adspectum admonitionem correctionis esse, perfectioribus letitiam: si prodest animal visum ictericis* [g], *& iam mortuum, longè magis iusti sanare aspectum cum fide ac desiderio percipiendi fructus.*

a in Parthenicis, ex antiquo Scriptore.
b in vita Platonis.
c Plura sunt exempla in Theatro vitæ humanæ, volum. 18 lib. 2. pag. 3100. & seq.
d Sigonius 8. de Imperio Occident.
e edita est Moguntiæ, anno 1604.
f in Psal. 118. octon. 10.
g Plin. lib. 30. cap. 11.



CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

SVMMARIVM.

Post longam nauigationem peruenit Tyrum Paulus: inde Cæsaream, vbi Philippus Diaconus eum excipit. Agabus autem Propheta prædixit illi vincula Ierosolymitana: hoc ipsi ita euenit, postquàm cum aliis quinque ritu Iudaico se sanctificasset in templo: tandem ibi liberatus de manibus aduersariorum, à Tribuno ductus est in castra, priùs impetrata populum alloquendi facultate.

1 CVM autem factum esset vt nauigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodũ, & inde Pataram.
2 Et cùm inuenissemus nauem transfretantem in Phœnicen, ascendentes nauigauimus.
3 Cùm apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, nauigauimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim nauis expositura erat onus.
4 Inuentis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem: qui Paulo dicebant per SPIRITVM ne ascenderet Ierosolymam.
5 Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus, & filiis vsque foras ciuitatem: & positis genibus in littore, orauimus.
6 Et cùm vale fecissemus inuicem, ascendimus nauem: illi autem redierunt in sua.
7 Nos verò nauigatione expleta à Tyro, descendimus Ptolemaidam: & salutatis fratribus, mansimus die vna apud illos.
8 Alia autem die profecti, venimus Cæsaream. Et intrantes domũ Philippi euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansimus apud eum.
9 Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.
10 Et cùm moraremur per dies aliquot, superuenit quidam à Iudęa Propheta, nomine Agabus.
11 Is cùm venisset ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans sibi pedes, & manus, dixit: Hæc dicit SPIRITVS sanctus: Virum cuius est zona hæc, sic alligabũt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium.
12 Quod cùm audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam.
13 Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini IESV.
14 Et cùm ei suadere nõ possemus, quieuimus, dicentes: Domini voluntas fiat.
15 Post dies autem istos præparati, ascendebamus in Ierusalem.

16 Venerunt autem & ex discipulis à Cæsarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasonē quendam Cyprium, antiquum discipulum.

17 Et cùm venissemus Ierosolymam, libenter exceperunt nos fratres.

18 Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnésque collecti sunt seniores.

19 Quos cùm salutasset, narrabat per singula, quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius.

20 At illi cùm audissent, magnificabant Deum, dixerúntque ei: Vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis.

21 Audierunt autem de te quia discessionē doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Iudæorum: dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundùm consuetudinem ingredi.

22 Quid ergo est? vtique oportet conuenire multitudinem: audient enim te superuenisse.

23 Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se.

24 His assumptis, sanctifica te cum illis: & impende in illis vt radant capita: & scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiēs legem.

25 De his autem, qui crediderūt ex Gentibus, nos scripsimus, iudicantes vt abstineant se ab idolis, immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatiōne.

26 Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.

27 Dum autem septem dies consummarentur, hi, qui de Asia erant, Iudæi, cùm vidissent eum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes.

28 Viri Israëlitæ, adiuuate: hic est homo, qui aduersus populum, & legem, & locum hunc, omnes vbique docens, insuper & Gentiles induxit in templum, & violauit sanctum locum istum.

29 Viderant enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quem æstimauerunt quoniam in templum introduxisset Paulus.

30 Commotáque est ciuitas tota, & facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum: & statim clausæ sunt ianuæ.

31 Quærentibus autem eum occidere, nunciatum est tribuno cohortis: Quia tota confunditur Ierusalem.

32 Qui statim assumptis militibus, & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cùm vidissent tribunum, & milites, cessauerunt percutere Paulum.

33 Tunc accedens tribunus apprehendit eum, & iussit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis esset, & quid fecisset.

34 Alij autem aliud clamabant in turba. Et cùm non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra.

35 Et cùm venisset ad gradus, contigit vt portaretur à militibus propter vim populi.

36 Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum.

37 Et cùm cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græcè nosti?

38 Nónne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum cōcitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorū sicariorum?

39 Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Iudæus à Tarso Ciliciæ, non ignotæ ciuitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.

40 Et cùm ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicens.

Versus 1.] Cùm autem factum esset vt nauigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, & sequēti die Rhodum, & inde Pataram.

ABSTRACTI *ab eis.*] *Vim demonstrat*, inquit Chrysostomus, *qua sunt auulsi, alioquin maritimo itinere Paulus pergere non potuisset.* Græcum participium ἀποσπασθέντας, rem benè exprimit.

Ad hunc modum CHRISTVS in horto censeri potest *auulsus à Discipulis, quantum iactus est lapidis, vt oraret* [a], quoniam non permittebant illi facilè cum mœrore, & amore ipsum à se separari. Vtitur Euangelista, qui id narrat, eodem verbo ἀπεσπάσθη. Quanquàm verum est, iisdem his verbis Latino, Græcóque simplicem aliquandò separationem, quæ fit in discessu, significari. Syrus hoc loco reddit ופרשן *vapperaschan*, id est, *separati sumus*. Sed amicorùm separatio sine dolore non contingit, ac proinde sine vi: & Philosophi, Medicíque dolorem definiunt diuisionem continui, nihil autem tam continuum, ac vnum, quàm amici, quorum dicitur animus, vbi amat magis esse, quàm vbi animat.

Christus quomodo à Discipulis auulsus. a Luc.22.41.

Recto cursu venimus.] *Non obambulauimus, neque in aliis locis morati sumus*, ait Chrysostomus: festinabant enim, vt capite priore dictum est, τὸ εὐθυδρομήσαντες vtrumque significat, & rectà, & citò currentes. Neque verò necesse est, vt exactè

recta sit via, quam quis recto cursu dicitur decurrere. Sufficit, si quò ire intendit, sine mora eò iter dirigat. Idcirco tantundem valet *recto cursu*, prout Interpres vertit, seu חריצאית *theritsaith, rectà*, quemadmodum Syra editio, atque *sine mora*. Lucas huius peregrinationis est comes.

Co in sula qua sit, & eius descriptio.

Coum.] Εἰς τὴν Κῶ, à nominandi casu Κῶς, quæ aliter quoque dicitur Κῶος, Latinè *Cous, Coos, Cos, Coum, Co, Coa, Cea*, vna est Cycladum insula in Ægæo, siue Icario mari contra Cariam, inter quam, Chiúmque mediat Samos, vt inter hanc, & Lesbû Chius. Nobilissimam Plinius [a] appellat, & mille passuum atque centum ei circuitû assignat, Strabo [b] 550. stadiorum magnitudinem. Tulit Hippocratem, medicorum, & pictorum principem Apellem: templum habuit percelebre non solùm Iunonis [c], sed & Æsculapij, cui ob medicinæ peritiam, honores diuini tributi sunt.

a lib. 5. c. 31.
b lib. 14.
c de quo Vitruu. lib. 7.

Ferax fuit vini optimi, ac generosorum equorum, vt quidam putant, qui ad Salomonem inde deducebantur, singuli pretio centum quinquaginta argenteorum [d], cuius pretij notabilê summam cognosces ex his, quæ alibi docuimus, agentes de agro figuli [e], & de alio Barnabæ [f].

d 3. Reg. 10. 28. 2. Paralipo. 1. 16.
e cap. 1. 19.
f cap. 4. 37.
De Coa sacra Littera meminerunt.

Verumtamen pro, *de Coa*, in Historia Regum, & in libris Paralipomenon, Græcè est ἐξ Ἐκουὲ, & in emendata editione Septuaginta Θεκουὶ, Hebraicè מקוה *mikueh*, aut מקוא *mikue*, vbi prima litera non est ex præpositione מן *min*, sed heemantica, seu formatrix nominis, vt nunc quidem puncta sunt. Paraphrastes Chaldæus habet *collectio mercatorum*, quoniam, vt ait Lyranus cû Rabbi Salomone, *mercatores Salomonis emebant omnes equos Ægypti*, de quo ibidem mentio est, *ita quòd alij reges non poterant habere nisi per eos*. Vatablus interpretatur *telam byssinam*. Clarius vel hanc, seu in genere *fila*, &, vt Pagninus exponit, *netum* (lege eundem in Lexico, & Mercerum [g]) vel *collectionem mercium omnium*, quas vendebant mercatores Salomonis in Ægypto: Ioannes Benedictus *sarcinas pro statuto pretio*. Glossa interlinearis, Hugo, Abulensis, Carthusianus, aliique affirmant esse nomen loci, atque insulæ. Tunc verò aliter distinguentur puncta, eritque prima litera loco præpositionis, hoc modo מקוה *mikkoah*, vel, מקוא *mikkoa*.

g in voce קוה *kaua*.

Potuit nonnulla alijs errãdi occasio esse, quòd in Coo insula fierent vestes tenuissimæ ex bombyce ad fœminarum ornamentum, quæ etiam Coa vocabantur. Sed illi de bysso, ac tela neta, necnon de Ægypto loquuntur.

Nobis ab Interprete nostro discrepare nefas est, seu asseramus hanc esse, de qua agimus, insulam, seu alium locum. Thecue non potest esse, nisi alia nobis ignota sit diuersa ab ea, quæ est in Iudæa, sex millibus à Bethlehem. Non legi quidem, qui hanc insulam celebraret ab equorum præstantia, credi tamen facilè id potest.

De Rhodo insula nobilissima.

Rhodum.] Rhodus, vel Rhodos post Lesbon, & Cyprum, Asiaticarum nobilissima insularum est contra Cariam, & Lyciam noningentorum stadiorum viginti, seu [h] triginta, id est, centum viginti mille passuum ambitu patens, vt alij supputant, habénsq; vrbem cognominem in Orientali promõtorio. Ibi quod de Syracusis proditum est, nullus anno toto adeò nubilus dies existit, quo Sol non appareat [i], vt ideò claram Horatius nominet [k]; quamuis alias causas alij reddant [l]. Diu legum præstantia, eloquentia, atque mathematicis, ac rei naualis peritia, & maris imperio insignis fuit, necnon donis, ac simulacris.

h Strabo lib. 14.
i Plin. lib. 2. cap. 62.
k 1. Carm. ode. 7.
l apud Lambinum in Horatium.

Colossi Rhodii quantus, & quando.

Sed Colossi ex ære fama præcipua, seu Ioui, seu Soli dicatæ statuæ. Excitauit illum in septem mûdi miraculis facilè primum Cares Lyndius [m], aut Colossus Lysippi discipulus duodecim annis, pretio trecentorum talentorum, constantem septuaginta cubitorum, siue, iuxta Festum, pedum centum & quinque altitudine, eiúsque pollicem vix poterant pauci nonnulli amplecti: circa eundem verò centum erant minores Colossi, qui per se locum nobilitare possent [n]. Post quinquagintasex (non post quingentos & sex, vt alij dicunt) quibus stetit annos, fractis terræ motu terræ genibus concidit [o]. Receptam ab Hospitalarijs equitibus Christianis CHRISTI anno supra millesimum, ac trecentesimum octauo, vel nono Turcæ denuò occuparunt anno 1522. atque Soldanus Ægypti confracti Colossi, quem dixi, materia camelos onerauit noningentos, & in Alexandriam itinere terrestri transmisit. Licèt alij [p] id referant ad annum 614. quando Mabias Saracenus prælio nauali vicit Constantem Imperatorem, Heraclij nepotem [q].

m Strab. lib. 14.
n Plin. lib. 14. cap. 7.
o idem Plin. ibid.
p Iacob. Bosius in histo. militum S. Ioann. par. 2. lib. 1.
q Cyrus Prodromus.

Colossenses à Colosso dictos Rhodios quidam putant.

Auctor Calepini, & Dictionarij historici putant ab eo Colosso Rhodios cognominatos Colossenses, ad quos extet epistola Pauli.

Colossenses sunt diuersi à Rhodijs.

Repugnat hæc sententia passim alijs omnibus, præsertim eiusdem Apostoli enarratoribus, qui tradût Colossenses incolas esse ciuitatis in Phrygia, quæ dicatur Colosse, vel Colossis prope Laodiceam [r]. Probat id inter ceteros Chrysostomus ex mentione, quam facit dicta epistola Paulus de Laodicea [s]. Adde patriæ ipsorum ab eodem factum Epaphram, hoc est, Colossensem Episcopum [t]: certum est autem Rhodiensium Episcopatum non administrasse. Dictorum porrò Auctorum coniectura pygmæa est, non colossæa, nec vllius alterius vel auctoritatis, vel rationis munita subsidio. De Rhodo lege Iacobum Bosium [u] in historia Melitensium equitum, seu sancti Ioannis, Italicè scripta.

r Strabo lib. 12. Plin. lib. 5. cap. 32.
s cap. 2. 1. c. 4. 13. 15. 16.
t Coloss. 1. 7. cap. 4. 12. & apertè in Martyrolog. 19. Iulij.
u Tom. 2. lib. 1.

Patara descriptio.

Pataram.] Græcè in numero multitudinis εἰς Πάταρα. Lyciæ metropolis erat amplissimo portu, & templis multis, ex quibus quod Apollinis Pataræi, nomen ipsi dedit, sed nominis celebritatem, atque gloriam magnam vrbi magnus Nicolaus, Episcopi ibi munere sanctissimè functus. Carthusianus monet quorundam codicum superfluam lectionem addentium, *& Myream*.

Versus 2.] Et cùm inuenissemus nauem transfretantem in Phœnicen, ascendentes nauigauimus.

TRANSFRETANTEM *in Phœnicen.*] De hâc in capite XI. [x] & XV. [y] Nullibi Paulus hæret, quamuis amœnis in locis, festinat eò, vbi certus erat illum manere vincula, hoc est, in Ierusalem [z]. Persistendum in vocatione, licèt obeundæ in ea sint multæ tribulationes.

x vers. 19.
y vers. 3.
z Act. 20. 23.
Persistendum in vocatione, licèt obeunda in ea sint tribulationes.

Vers. 3.] Cùm apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, nauigauimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim nauis expositura erat onus.

CVM *apparuissemus autem Cypro.*] Syrus, ומטין עד מה לות קופרוס גזרתא *vmatin lhad ma lenath kupraus gazaretha*, id est, *Peruenimus autem*

vsque ad Cyprum insulam. Ἀναφάναντες δὲ τὴν Κύπρον, aperientes, vel, manifestantes. Glossa interlinearis: *Cum propinquaremus, vt videri possemus.* Vatablus: *Cum cœpisset nobis apparere Cyprus.* Budæus [a]: *Cum cernere Cyprum cœpissemus*; vel, *Cum Cyprus nobis in conspectu esse cœpisset.* Arias, *Cum nauigantes, Cyprum iam videremus, nobis inferiorem, vt contingit terram à longè aperientibus, & prospicientibus.* Clarius: *Cum aperuissemus Cyprum.* Clarior videtur hæc expositio, quam Itali exprimerent, *Hauendo noi scoperto Cypro*; & Galli, *ayant descouuert Cypre.* Quidam codices Græci habent, ἀναφάναντες in voce actiua; sed tunc dicendum esset ἀναφήναντες, iuxta rectam formationem Aoristi primi verbi ἀναφαίνω, vt norunt Grammatici, & quidem vocis actiuæ participio quadrat, passiui autem cum casu accusatiuo constructio non est in vsu.

a Com. linguæ Græcæ.

Qui nauigant modò hanc, modò illam dicuntur abscondere terram, vel aperire, & terra dicitur aut accedere, aut recedere, & Græci τῷ ἀναφαίνειν opponunt τὸ ἀποκρύπτειν. Hinc Virgilius [b]:

Protinus aëreas Phæacum abscondimus oras.

Item [c]:

Prouehimur portu, terræque, vrbésque recedunt.

Seruius [d] nauticas has phrases esse putat. Sed docet Budæus [e] aliis exemplis latiùs patere. Oculorum est ista fallacia inter nauigandum, vt nauem versùs tendere nobis ripæ, arbores, oppida, quæ adimus, videantur, non solùm aperiri, quæ relinquimus retrò, abscondi, & fugere. Lucretius [f] hanc eleganter descripsit:

Qua vehimur naui, fertur, cùm stare videtur:
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire,
Et fugere ad puppim colles, campique videntur,
Quos agimus præter nauim, velisque volamus.
Sydera cessare ætheriis affixa cauernis
Cuncta videntur: at assiduo sunt omnia motu.

Nauigantes modò hanc, modò illam dicuntur terram aperire.
b 3. Aeneid.
c ibidem.
d in eundem locum.
e Com. ling. Græcæ.
f lib. 4.

Ad vitæ breuitatem, celerémque cursum, vt hæc accommodet, lege Senecam [g], verumtamen aperiendi verbo adhuc Virgilius [h] vsus est ea ipsa ratione, quam exposuimus:

Quarto terra die primùm se attollere tandem
Visa, aperire procul montes, & voluere fumum.

Item [i]:

Mox & Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Vitæ breuitas ex nauis cursu colligitur.
g epist. 70.
h 3. Aeneid.
i ibidem.

Relinquentes eam ad sinistram.] Nimis argutè Glossa interlinearis, & Hugo exponunt, ad Occidentem retrorsum euntes, consueto more nautarum. Sensus est: Cyprum illis sinistram fuisse, ac ne prope quidem Syriam, vt Chrysostomus, & Oecumenius notant, ire studuisse.

Tyrum.] Est Phœniciæ ciuitas, regni quondam caput; ibi enim erat Rex Hiram amicus Dauid, & Salomonis [k], posteà colonia Romanorum. Cùm priùs distaret à littore quatuor stadiis, vel septingentis passibus, in morem insulæ, Alexāder aggere ducentos lato pedes ex lapidibus veteris Tyri continenti adiunxit [l]. Alij hoc tribuunt Nabuchodonozori [m]: eius opulentia describitur ab Esaia [n], Ezechiele [o], Osea [p]. Cecidit in sortem tribus Aser [q], sed obtinere illam non potuit, vel potiùs, vt finitima Aseritis recensita est, nō tamen ipsis adnumerata, vt satis innuit sacer textus.

Tyrus describitur.
k 3. Reg. 5. & seq.
l Diodo. Sicu. lib. 17. Plinius lib. 5. c. 19.
m Hieron. in ca. 26. Ezech.
n cap. 23.
o cap. 26. & 27. & 28.
p cap. 9.
q Iosue 19. 29.
r vt Q. Curtius lib. 4. Plinius lib. 5. cap. 19. Strabo lib. 16.

Celebratur summis Scriptorum [r] laudibus, propter antiquissimum conditorem Agenorem, maris totius dominatum, primam literarum seu doctrinam, seu disciplinam: colonias ex ea deductas Carthaginem in Africa, in Bœotia Thebas, Gades ad Oceanum: prætereà ob exquisitam purpuram. Lege Masium, & Ariam in Iosue [s]. Tripolis vocatur, quæ constat è Tyro, Sidone, & Arado: quamuis Sidon antiquior, & ab Homero memorata, non Tyrus.

Tyri laudes.
s in cap. 19.

Ibi enim nauis expositura erat onus.] Non tergiuersabantur, vel diuertebant, & discurrebant; sed cùm non inuenissent nauigium, quod in Cæsaream iret, sed in Phœnicem, id ascenderunt.

Vers. 4.] Inuentis autem Discipulis, mansimus ibi diebus septem: qui Paulo dicebant per SPIRITVM, ne ascenderet Ierosolymam.

Diebus *septem.*] Singularis, ac eximia charitas Tyriorum festinantem Paulum retinuit tanto tempore. Constat verò illa ex his, quæ sequuntur, & erant ibi, vt proximè præcedentib. verbis habetur, Discipuli, quibus id Paulus denegare non potuit. Discipulorum porrò nomen adhuc vigebat, ac fratrum, tametsi iam Antiochiæ Christianorum appellatio vsurpari cœpisset.

Charitas Tyriorum in Paulum eximia.

Qui Paulo dicebant per SPIRITVM, ne ascenderet Ierosolymam.] Ideò forsan quasi vi Paulum retinebant, interposita SPIRITVS sancti reuelatione de vinculis, quemadmodum posteà Cæsarenses: hoc enim nihil aliud esse, nisi in apertū se periculum proiicere, & DEI monitis parere nolle: sibi ipsi in propria causa, licet SPIRITV quoque sancto videretur instinctus, credere non debere. Hæc, hisve similia Tyrij Paulo quotidiè per septem dies, vt interpres Syrus arbitratur, qui כל יום *culium*, id est, *omni die*, seu *quotidiè*, addidit; inculcabant.

Simul fortasse spatium temporis vsq; ad Pentecostes festum diem, quo die decretū erat Paulo Ierosolymis esse, supputantes, cur adeò festinaret, nihil opus esse excipiebant. Denique omni arte, ac ratione nitebantur, vt quàm diutissimè tāto viro fruerētur. At enim verò sapientior hic vir, & qua præditus erat discretione spirituum, credidit ab SPIRITV sancto per os Discipulorū illorum Ierosolymitana vincula prædici, non tamen ea vt defugeret, itérque Ierosolymitanum abrumperet, quod inierat auctore SPIRITV sancto [t].

t cap. 20. 22.

Propheta præuidet interdum vera, & verè, sed falli potest in eo, quod deducit. *Per spiritum Prophetiæ habebant isti,* ait Lyranus, *quòd si Paulus ascenderet in Ierusalem, ibi sustineret persecutionem, non autem ne ascenderet illuc, sed vt compatientes, id ex suo spiritu suadebant.* Quanquàm & ex diuino SPIRITV potuit proficisci pius hic affectus, vt innuit Carthusianus, præsertim si crederent vaticinium hypotheticum esse. Nam si absolutum existimassent, indulgētior ille animus grauiorem, vt ille quondam Petri [u] retrahentis à morte CHRISTVM, reprehensionem meruisset, quemadmodum & Paulus acquiescēdo, morte forsitan, vt alius Propheta [x] falsæ consentiens prædictioni, luisset.

Propheta præuidet [illegible] vera, sed falli potest in eo, quod deducit.
u Matth. 16. 22. 23.
x 3. Reg. 13. & seq. Prouidentia diuina [illegible].

Vult Chrysostomus extitisse diuinam in hac prædictione prouidentiam, vt & confirmatior foret, & Paulus ipse commendasse seipsum non videretur, dicens se admonitum ab SPIRITV sancto.

Versus 5.] Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus, & filiis vsque foras ciuitatem: & positis genibus in littore, orauimus.

Et ex

A **E**T expletis diebus.] Syrus, ומן בתר הלין יומתא *umen bathar helin iaumathe*, id est, *& post illos dies*; vel, *illis autem post diebus*. Ὅτι δὲ ἐγένετο ἡμᾶς ἐξαρτίσαι τὰς ἡμέρας. Dies hi fuerant illi septem, qui proximè dicti sunt priore versu. Oecumenius intelligit azymos dies, vim faciens in verbo Græco ἐξαρτίσαι, quod est *perficere, absoluere, explere*. Repugnat id Chrysostomo, quem sequi solet Oecumenius, & Lucæ ipsi, qui capite præcedente narrauit profectionem à Philippis Troadem post dies Azymorum. Est autem inde continuata profectio eadem, cuius etiam dies singulos collegit Chrysostomus, vt paulò pòst videbimus. In verbo Græco nullam vim peculiarem agnoscunt ceteri, præter significationem, quam Interpres posuit.

B *Deducentibus nos omnibus, cum vxoribus, & filiis vsque foras ciuitatem.*] In quo patet, ait Carthusianus, quantus fuerit sanctæ dilectionis ardor in primitiua Ecclesia.

Dilectionis ardor in primitiua Ecclesia quantus.

Impleta est Prophetia, quæ Ecclesiæ canens ait, Beda [a] inquit, *Filia Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis, & cetera vsque ad finem Psalmi: nulla enim ciuitas maiori dulcedine Apostolum suscepit, tenuit, dimisit. Denique hodiè monstratur in arenis locus, vbi pariter orabant.* De vrbana ista, & religiosa deducendi ratione dictum priùs non semel, necnon in epistolam Ioannis tertiam.

a Psal. 44. 13. Tyrus Apostolum magna dulcedine excepit.

C *Positis genibus in littore, orauimus.*] Sic iam priùs in capite præcedente [b], vbi notauimus, Paschali tempore, quo pacto genua in oratione tunc flecterent. Hic etiam locus est in arenis, quem, vt Bedam prodidisse diximus, *Christiani religiosè venerabantur, tanquàm maiorum suorum Tyriorum pietatis monumentum.*

b vers. 36.

Omni in loco leuari [c] puræ manus possunt ad orationem, ponique humiliter genua, de qua re aliàs: parum autem refert, siue dicas *in littore*, siue, *iuxta littus*, ἐπὶ τὸν αἰγιαλόν.

c 1. Timoth. 2. 8.

Vers. 6.] Et cùm valefecissemus inuicem, ascendimus nauem: illi autem redierunt in sua.

D **E**T cùm valefecissemus inuicem.] Syrus, ונשקן לחדדא *venaschekan lachadada*, id est, *Et deosculati sumus alij alios*. Καὶ ἀσπασάμενοι ἀλλήλους. Vatablus, *Consalutatis autem nobis inuicem*, &c. Græcū vocabulum significat officiosam salutationem, & amicam, amplexu quidem præsertim, sed omni etiam alio comitatis, ac humanitatis genere, vt osculo, verbo, &c. Interpres rectè substituit verbum valefaciendi: comprehendit enim vrbanitatem vniuersam, quam discedentes sibi exhibent.

E *Redierunt in sua.*] Εἰς τὰ ἴδια, propriè *in propria*, sicque nonnunquàm reddit Interpres [d]. Potest verò significare dictio vel *domos*, prout hîc Syrus vertit, לביתיהון *lebaiethathun*, id est, *in domos suas*, vel propriam rei alicuius curam, vt cùm Ioannes *accepit B. Virginem in sua* [e], εἰς τὰ ἴδια; vel ea omnia, quorum quis proprietatem domini habet, vt cùm dicitur VERBVM *diuinum venisse in propria* [f]: vel quæ aliquo pacto quis occupat, vt cùm ait CHRISTVS Discipulis suis in cœna [g]: *Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini quisque in propria*, id est, non in domos, vt Nonnus interpretatus est, quas nullas habebant proprias, sed in locum, quem sibi quilibet in fuga repererit.

d Ioan. 1. 11. Dictio in sua quam vim habeat.

e Ioan. 19. 27.

f Ioan. 1. 11.

g Ioan. 16. 32.

Versus 7.] Nos verò nauigatione expleta à Tyro descendimus Ptolemaidam: & salutatis fratribus, mansimus die vna apud illos.

NOs verò nauigatione expleta à Tyro.] Syrus, חנן דין רדין מן צור *channun dein reden men tsour*, id est, *Nos verò perreximus ex Tzour*, siue *Tyro*. Ἡμεῖς δὲ τὸν πλοῦν διανύσαντες. Quidam codices legunt, *nauigatione explicita*. Glossa interlinearis hucusque ait mari vectos esse, videlicet vsq; Ptolemaidam, de qua iam erit sermo. Videtur mihi Syrus paucioribus illis verbis sensum attigisse, vt sit διανύσαντες τὸν πλοῦν, *perficere nauigationem*, quid consequens ad id, quod proximè dictum erat, ἐπέβημεν εἰς τὸ πλοῖον, *ascendimus nauem*. Perficere nauigationem, explere, vel etiam explicare, nimirum vela, est nauem mari committere, & pergere, non quomodocũque, sed vt importat Græcum verbum, & ab eo deductum nomen διάνυσμα, καὶ διάνυσις, magno progressu, & itinere.

Ptolemaidam.] Syrus, לעכו *lahhacho*. In libro Iudicum [h] vocatur *Acco*; à Strabone [i], Plinio [k], Stephano [l], & aliis, *Ace*. Ptolemais, & Ptolemaida nominatur, teste Hieronymo [m], à quodam Ptolemæo, *estque*, inquit, *prope Carmelum ciuitas maritima, diuersa ab alia eiusdem nominis in Pentapoli prouincia Africæ*, adde & ab aliis pluribus synonymis. *In Phœnicia est, proximáque Iudææ: alluitur Belo amne, limoso quidem, & insalubrium aquarum, sed celebri arenis vitrariorum opificio commodissimis.* Distat à Tyro trigintaduobus milliaribus in finibus tribus Aser.

De Acco, siue Ptolemaide.
h cap. 1. 31.
i lib. 16.
k lib. 5. c. 19.
l lib. de vrbibus.
m de locis Heb. ex Actis.

Salutatis.] Interpres idem verbum Græcum, quod anteà valefacere, nunc salutare vertit.

Fratribus.] Priùs vocati sunt hoc in capite Discipuli.

Versus 8.] Alia autem die profecti, venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansimus apud eum.

CÆSAREAM.] Palæstinæ, non Philippi, aut Cappadociæ. Diximus aliàs [n] de hac distinctione, alióque nomine antiquiore dictam *Turrim Stratonis*. Est inter Ioppem, & Param ad mare, abéstque sexcentis stadiis ab Ierusalem.

n cap. 10 huius libri, vers. 1.

Philippi Euangelistæ.] Non quòd scripserit, sed quia prædicauerit Euangelium, vt alio loco monuimus [o] agentes de hoc Philippo.

o cap. 1. & 6. & 8.

Qui erat vnus de septem.] Nempe Diaconis, de quibus capite sexto. Notauimus capite primo [p] numeris certos designatos Magistratus tum profanos, tum sacros, vt vndenario Apostolos post perditum proditorem Iudam, & ante subrogatum Mathiam.

p vers. vlt.

Versus 9.] Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.

ET de his quoque filiabus disseruimus, necnon de Apostolo Philippo, vtrùm & aliquas ipse habuerit [q]. Oecumenius notat, licuisse nuptias experto fungi ministerio Diaconi: virginitatis quoque præmium Prophetiam fuisse. Primum cùm dicit, non affirmat, sed contrà potiùs innuit vsum matrimonij cum eo ministerio non perdurasse.

q Cap. 8. 13. Virginitatis præmium prophetia.

Quod ad secundum attinet, prophetantium dictio sumitur in primaria, præcipuáque significatione pro prædecentibus res futuras, non pro prædicandi, docendíve officio, vt perperàm intelligendo, hinc Lutherus [a] probauit mulieres posse concionari. Quanquàm non negamus, extraordinariè concedi posse illis à DEO, vt viros doceant, vt contigit Deboræ [b], & ante trecentos annos Catharinæ Senensi; quod alibi quoque attigimus [c].

Quod si & hoc de istis filiabus libeat asserere, prout Auctor Commentariorum in epistolam ad Ephesios [d], sub Ambrosij nomine haud magnæ auctoritatis, significat, nō præscribet, aut præiudicabit legi communi paucarum priuilegium, quo DEVS vti voluit, vt ait idem Auctor, propter rudimenta Fidei cōmendanda. Atias vtrumque recipit: & de rebus diuinis magna locutas, ac profunda, & consultas respondisse ad hominum vtilitatem pertinentia: & Chrysostomus [e] innuit quoque primum.

De Sibyllis quorundam suspicio fuit, virgines fuisse, ac virginitatis præmium prophetandi consecutas facultatem. Id cùm de nostris istis dixisset, de Sibyllis quoque disertè scribit Hieronymus [f], ac nominatim de Erythræa, & Cumana, & rectè Sibyllas nominatas, quasi σιοῦ βουλὰς, καὶ θεοβούλας, vt consilium DEI sola nosse dicatur virginitas.

Atqui Erythræa (quæcunque sit tandem de aliis opinio quātùm ad hoc, earúmve numerum, duæne, an tres, an quatuor, an sex, an decem, an plures numerari debeāt, & qualitatem, quo Spiritu, bono, vel malo repletæ sint, & vitæ tempus, & natale solum, & libros, qua de re tam multi [g]) illa, inquā, quæ dicitur Erythræa, profitetur vxorem se vnius filiorum Noë, iactatamque vndis in arca [h]. Virginitatem verò seruasse cum viro tali tempore, cùm propagandum foret humanum genus, & reipsa propagatum tradant sacræ literæ [i], nulla ratione fit verisimile.

Loquitur forsan Hieronymus, vt sæpe solet, ex vulgari sententia: quemadmodum B. Thomas [k], cùm concedere videtur Thuciam in vase perforato aquam de Tyberi portasse in signum pudicitiæ: quamuis etiam docet arte Dæmonum id factum censeri posse, sicut & Augustinus [l], qui prætereà de Q. Claudia vestali, quæ falsum rumorem de sua purgauit, dum zona signum Matris Deûm, quod nulla vi moueri poterat, ex Tyberi, quò fuerat aduectum, cum naui duxit.

Delrius [m] Sibyllam dici putat à Kebel, *recepit, acceptatum*: vnde *Kabala doctrina eorum traditione accepta*: id confirmat ex Sibyllarum antiquissima Sambethe, quæ Noë filia creditur. At mihi tamen communior magis placet notatio, quæ etiam Græcis vocibus σιὸς καὶ βουλὴ aptiùs congruit.

Non hic excurram in laudes virginitatis, quarum pleni Patrum tractatus: illa certa, & ratione naturali constans, quòd ad sapientiam optima dispositio est, vt contrarium vitium animi, hebetudinem, atque indocilitatem producit. Eidem virtuti tribuit Ioannes visionem beatificam, & Paulus, & CHRISTVS. Hic [n] ait, *mundos corde visuros* DEVM: primus [o]: *Videbimus* DEVM *sicuti est*: &, *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se*, vel, vt legit Augustinus [p], *castificat se*: & secundus [q]; *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam*, τὸν ἁγιασμὸν, quam Græci *castitatem* exponunt, & Anselmus, & B. Thomas, necnō Cassianus [r], & Hieronymus [s], & Augustinus [t], *sine qua nemo videbit* DEVM. Denique virtus est maximè diuina, & Angelica, & ideò reddit nos Intelligentiis, & inter illas primæ, atque simplicissimæ similes.

a lib. de abrogan. Miss. priuata. *Mulieres prædicare possunt, sed extraordinariè.*
b Iudic. 4. 4. & seq.
c cap. 2. huius libri.
d in c. 4.
e Hom 26. in epist. 1. ad Corinth. *Sibyllæ virgines fuerunt.*
f 1. contra Iouin.
De Sibylla Erythræa, vbi tatur an virgo fuerit.
g citat Auctores Tiraquel. l. 11. cōnub. num. 10. lit. S & Scholiastes Clem. Alex. & Petrus Gregor. 18. Syntagm. c. 6. Fanunius libro proprio. Sixtus lib. 2. Viues in lib. 18. de Ciuit. Dei c. 21. Virgilij Interpretes in eclog. 4.
h 1. & 3. oraculi Sibyllini.
i Gen. 10.
k qu. 6. de Potat. c. ad c.
l 10. de Ciu. c. 16.
m 4 Disquis. magi. c. 2 q. 6. sect. 1.
Virginitas ad sapientiā optima dispositio est.
n Mat. 5. 8.
o 1. Ioan. 3. 2. 3.
p Tract. 4. in 1 Ioan. c. 3.
q Heb. 12. 14.
r 6. de Inst. c. 16.

Magister Historiæ Scholasticæ scribit Philippi Diaconi filias Paulo prædixisse, quæ ipsi euentura essent in Ierusalem. Nō abhorret hoc à vero: fauétq; quòd hic dicuntur προφητεύουσαι, non προφῆται, vel προφήτιδες, participio actum prophetandi significante, non nomine solùm habitum denotante, seu Prophetiæ donum per modum habitus. Id tamen Chrysostomus negat, dicítque non has, sed Agabum de rebus illis prophetasse.

Versus 10.] Et cùm moraremur per dies aliquot, superuenit quidam à Iudæa Propheta, nomine Agabus.

ET *cùm moraremur per dies aliquot.*] Chrysostomus peregrinationis Pauli dies ab eius aduentu Troadem Cæsaream vsque, numerat trigintaquatuor, & additis octo Azymorum, quos peregerat Philippis, vnde discessit Troadem, quadragintaduos. Nam diebus quinque peruenit à Philippis Troadem: hic hæsit dies septem, qui sunt duodecim, sex posuit vsque Mitylenen, Samum, & Miletum, & fiunt octodecim: tres abierunt in percurrendis Coo, Rhodo, Patara, & existunt vnus, & viginti, ad hos additi quinque à Patara in Tyrum, efficiunt vigintisex: Tyri septem insumpsit, euadúntque omnes trigintatres, quibus si addas vnum transactum Ptolemaidæ, & primos illos octo apud Philippenses, constabit numerus quadragintaduorum dierum.

Addit Chrysostomus, Cæsareæ finitos esse dies Pentecostes, dum ibi esset, ibique ipsum illam celebrasse, vt sese ad aliorum voluntatem accommodaret.

Nec affirmare, nec contradicere valeo, cùm nihil ex historia colligatur. Ego certè non colligere, sed clarè legere videor Chrysostomi sententiam, de celebrata Pentecoste non Ierosolymis, sed Cæsareæ; tū quia τὸ *ibi*, ad proximè præcedentē Cæsaream referri debet, præsertim cùm de Ierosolymis nonnisi longè antè loquatur; tum quia rationem consilij mutati reddit, quam recitaui, vt aliorum voluntati pareret. Baronius est in contraria sententia. Sed quod attinet ad Chrysostomum, non video, quo pacto faueat, quod ad rem ipsam pertinet, nihil me quò minus consentiam, retardat: etsi, vt monui, nulla quoque me ratio compellit, nisi tanta illa Pauli festinatio, desideriúmque Pentecosten in Ierusalem celebrandi. Quamuis autē aliquot diebus Cæsareæ manserit, non oportet adeò multos fuisse, vt non potuerit in tempore peruenire, cùm Ierusalem à Cæsarea haud ita multùm distet.

Superuenit quidam à Iudæa Propheta, nomine Agabus.] De hoc egimus capite vndecimo [u], vbi famem prædixit.

Nescio quid velit Chrysostomus, cùm ait, *quòd hunc inde*, hoc est, ex Cæsarea, *eos adduxit*. Si velit Prophetam audito nuncio de Paulo, Cæsaream descendisse officij causa, & deducere voluisse in Ierusalem, tunc opinio Baronij [x] de Chrysostomo speciem probabilitatis non exiguam habebit: mox námque subiungit ille; *Et sic complentur dies Pentecostes, & ibi* (quò nimirum deductus erat ab Agabo, id est, in Ierusalem) *illam facit.* Solùm obiici potest, Prophetam non simul prædixisse vincula, quæ Paulum manebant in Ierusalem,

s in cap. 44. Ezech.
t ep. 111. c. 5.
u vers. 28.
Agabus ... transiens ...
x Tom. Annal.

simul

simul ad iter illud hortatum esse, seque deductorem vltrò præbuisse. Sed quidni, quem certò præsciebat iturũ, amicè quoque, si nõ hortaretur, saltem se comitem offerret, & palàm rem quoq; futurã prædiceret, vt aliorum, ac ipsiusmet Pauli de re eadem vaticinationem redderet testatiorem?

A Iudea.] Hoc ideò dicitur, inquit Beda, quia Cæsarea, in qua morabantur, ad Samariam pertinet, in confinio Phœnicis, & Palæstinæ sita.

Versus 11.] Is cùm venisset ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans sibi pedes, & manus dixit: Hæc dicit SPIRITVS sanctus: Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium.

TVLIT *zonam Pauli.*] Reperitur in Scripturis *zona linea* [a], & *pellicea* [b], & *aurea* [c], & *gloria* [d], & *muliebris* diuersa à fascia pectorali [e], & in quam pecunia conditur [f], iuxta militarem morem, aliorúmve peregrinorum, qui quæ habent in zona, circumferunt, vnde prouerbium: ZONAM PERDIDIT, de eo, qui pecunia destitutus est. Ammonius putat ζώνην virorum esse, ζώνιον diminutiuum esse mulierũ. Tamen promiscuè vtrumque de vtrisque dicitur. Pollux [g] ait, ζώνην Græcis vocari, quam Romani fasciam vocant. Hîc sine dubio sermo est de cingulo, siue de cinctu, atque cinctura (sic enim etiam loquitur Suetonius [h]) quod scribit Seruius [i], esse ornamentum hominum, vt sunt phaleræ equorum.

a Leuit. 16. 4. b 4. Reg. 1. 8. Matth. 3. 4. c Apoc. 1. 13. capite 15. 6. & Dan. 10. 5. d Eccli. 45. 9. e Esai. 3. 24. f Matt. 10. 9. g lib. 2. c. 4. h in Iulio Cæsare. capite 45. i in 9. Æneid.

Alligans sibi pedes, & manus.] Quamuis homonymia possit esse in pronomine *sibi*, quod licèt minùs Latinè, referri potest ad Paulum, tamen pronomen αὐτοῦ cum spiritu denso persuadet intelligi de Propheta Agabo, qui suosmet pedes, manúsque ligauerit.

Qua in re Agabus est imitatus antiquos Prophetas, qui non verbis tantùm, sed factis etiam vaticinabatur, vt Esaias [k], Ieremias [l], Ezechiel [m], Oseas [n], Zacharias [o], vt res visa, præsertim noua, & altiùs insigeretur animo, & ad inuestigandam Prophetiæ significationẽ magis excitaret, quemadmodum Hieronymus [p] admonet, Theodorus quoque Antiochenus [q], Theodoretus [r], & noster Ribera [s].

Agabus sibi manus, pedésq; ligauit. k cap. 20. l cap. 13. & 27. m cap. 4. & 12. n cap. 1. o cap. 2. p in c. 19. Ieremiæ. q in caput 1. Oseæ. r ibidem. Prophetæ erant portentosi. s in cap. 1. Oseæ. nu. 43. & seq. t in c. 4. Ezechielis.

Erant Prophetæ portentosi, ait idem Hieronymus [t], qui tamen de *fornicaria Oseæ, & lumbari Ieremiæ, & dormitione Ezechielis super latus sinistrum, per trecentos nonaginta dies, & super dextrum per quadraginta, & de pane operto humano stercore, quem idem comedere iussus est*, negare videtur re ipsa, sed in typo tantùm contigisse, eò quòd suis operibus futura portenderent; & de illis diceret DEVS [u]: *In manibus Prophetarum assimilatus sum:* vt mirum nõ sit, si opera portentosa facerent, hisque pro verbis in prophetando vterentur.

u Oseæ 12. 10.

Carthusianus contra Chrysostomum, Lyranum, aliósque probabiliùs ducit, Paulo ipsi Agabum ligasse manus, ac pedes, itaque dicere quadam homilia Gregorium, hæc homilia est trigesimaseptima in Euangelia, in qua sic habet: *Certè cùm Paulus Ierosolymam pergeret, Propheta Agabus zonam illius apprehendit, eiúsque pedibus alligauit.* Rursum in Moralibus [x] idem paulò aliter repetit dicens: *Scriptum quippe est, quod idem Agabus zonam Pauli suis pedibus inserens dixit,* &c.

Agabus ligauit zona Pauli. x lib. 31. cap. 14. vel 13.

Hi modi loquendi non tollunt æquiuocationem præsentis textus iuxta editionem nostram, sed potiùs, si phrasis Latinæ magis propria syntaxis retineatur, oppositum docent. Tertullianus [y] eadem videtur in sententia, cùm scribit Agabum gestu prophetasse.

y in Scorpiaco. cap. 15.

Non est probabile colligasse Agabum manus, ac pedes suos Pauli manibus, ac pedibus, quod quibusdam videri posset, propter eam consuetudinem, cuius meminimus capite duodecimo, vt eadem catena cum reo quispiam è custodibus stringeretur. Sed & non facile est affirmare, pedes, & manus ligari simul eadem zona potuisse: oportuisset enim & longiorem esse, & bifariàm secari. Denique non opus est dimissas ad pedes vsque manus curuato corpore constrictas fuisse. Expeditior modus erat, vt alteris primùm, deinde aliis membris eadem indiuisa zona iniiceretur vinculorum in morem, quamlibet illa tandem prolixa esset.

Quomodo eadem zona pedes, manúsque constrinxerit.

Constat Sacerdotalem zonam, qua linea tunica, quæ vocatur poder, cingebatur, latam digitos quatuor, ex byssino stamine, discolori picturatam flore, intus inanem, itáque contextam, vt serpentis exuuium videri posset, lõgitudinis tantæ fuisse, vt semel, iterúmque circa pectus reuoluta deflueret vsque ad talos, ideóque dum Sacerdos rem sacram faceret, super humerum læuum proiiceret, ne ventilata impediret [z]. Sed hæc zona non est ad rem, & non decuit prætereà Pauli zonam discindi, vt dictum est. Ieremias [a] vt captiuitatem prænunciaret, iussus est *vincula, & catenas in collo suo ponere.*

Zona Sacerdotalis qualiter contexta fuerit. z Hiero. ep. ad Fabiolam de veste Sacerdotali. a cap. 27. 2.

Hæc dicit SPIRITVS *sanctus:*] Et hac etiam in re, vt notat Beda, Prophetas veteres imitatur, qui dicere solebant: *Hæc dicit Dominus* DEVS: quia SPIRITVS sanctus æquè vt PATER, & FILIVS Dominus, & DEVS est, nec eorum separari operatio potest, quorum natura, & voluntas vna est. In capite primo [b] docuimus, quomodo SPIRITV sancto locuti sint conditores Scripturarum, & Prophetæ. Idem argumentum ex hoc loco texunt alij Patres passim dum disserunt de TRINITATE [c].

Spiritus Sanctus æquè vt Pater, & Filius Dominus, & Deus est. b vers. 16. c vt Chrys. homilia de TRINITATE. Atha. ep. ad Serap. SPIRITVM sanctum nõ esse creatum.

Virum, cuius est zona hæc.] Iam exoluerat seipsum, atque discinxerat, quippe cùm obiter, ac leuiter sese zona illa Pauli deuinxisset. Loquitur autem in tertia persona, ne videatur ex condicto, & pacto, quod iniisset cum Paulo, prophetare.

Non est absimilis prædictio CHRISTI ad Petrum, quamuis non de vinculis duntaxat, verùm etiam de morte: *Cùm senueris*, inquit, *extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis* [f].

f Ioan. vlt. 18. 19.

Versus 12.] Quod cùm audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam.

ROGABAMVS *nos.*] Etiam Lucas id rogabat, aliíque comites, quos tanti viri tenebat commiseratio, & Ecclesiæ, eo vinculis incluso, vel etiam extincto tam grauis iactura sollicitabat, & adeò celebris Prophetæ Agabi præter aliorum prædictiones auctoritas vehementiùs mouebat, vt deprecarentur apertum periculum.

Cur Paulum comites rogauerint.

Videlicet, quemadmodum de aliis pridem notauimus, hypotheticum vaticinium interpretabãtur, non absolutum, neque diuinum præceptum. Nec Agabus rem sic expresserat, vt nõ accipi eodẽ pacto posset. Non etiam profectionẽ suaserat; sed simpliciter quod euenire debebat, proposue-

rat profecturo, & peruenturo, hoc est, proficisci volenti, & peruenire Ierosolymam.

Quomodo non retinerent Discipuli à suadentes ei iter Ierosolymitanum.

a in Scorpiaco, cap. vlt.

Deniq; quamuis constaret de voluntate Dei, sese illi conformare non tenebantur in volito materiali, vt Theologicè loquamur, sed tantùm in formali: &, vt ait Tertullianus [a], non dehortationis consilio, sed dilectionis retinere tentauerunt, vt Paulum desiderantes, non martyrium dissuadentes. Cùm Christvs ad Lazarum mortuum ire vellet, retrahebant ipsum Discipuli, proposito recenti periculo à Iudæis *volentibus illum lapidare* [b], iuit nihilominùs, respondens, *duodecim diei horas esse* [c], *nec aduenisse suam*. Vt appareat Pauli alacritas, & robur incomparabile animi ipsius, tot antecedunt minæ, terrorésq; prophetantium, tot amicorum dehortantium preces, non quorumcunque, sed intimorum, etiam nostri Lucæ.

b Ioan. 11. 8.
c ibidem 9.
Pauli alacritas, & robur animi.

Qui loci illius erant.] Οἱ ἐντόπιοι, qui Cæsaream incolebant, fortasse Philippus ipse, & filiæ, si tamen illud ipsum non prophetabant, quod anteà discussimus [d].

d vers. 9.

Versus 13.] Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesv.

TVNC *respondit Paulus.*] Quidam codices Græci addunt, καὶ εἶπε, *& dixit*: in omnibus deest *tunc*, in contextu Græco: rectè tamen id Interpres addidit, quoniam tunc demùm Paulus ad huiusmodi responsum, quale adhuc non dederat, compulsus est, cùm se tantorum virorum precibus, monitísque retrahi vidit ab instituto cursu, & propensa voluntate pro Christo, & religione patiendi.

Quid facitis flentes, & affligentes cor meum?] Τί ποιεῖτε κλαίοντες, καὶ συνθρύπτοντές μου τὴν καρδίαν; Posterius participium Syrus exposuit שחקין *schachakin*, id est, *contundentes*. Tertullianus [e], *conturbantes, & contristantes*: & idem valet etiam, quod confringentes, comminuentes, conterentes, discerpentes; aut prætereà, quod frangentes deliciis, seu delicatis verbis eneruantes, effœminantes, emollientes, dissoluentes, laxantes, corrumpẽtes. Augustinus legit [f], *Quid confringitis cor meum?*

e lib. de fuga, cap. 6.
f concio. 2. in Psal. 36.
Quomodo cor Pauli afflictum fuerit.

Id, quo Interpres vsus est, participium complectitur illa omnia. Cor nàmque affligebatur maiorem in modum verbis benignioribus amicorum, plenis sympathia, & dolore, necnon lacrymis, quæ tantùm non cogerent ipsum collacrymari, sed quodãmodò robur illud animi sui dissoluerent. *Obsecrabat illos dolens super lacrymis ipsorum*, ait Chrysostomus, *& qui in propriis tentationibus non patiebatur, dolebat præ amore, quia videbat lacrymantes: & lædi se conquerebatur ab ipsis, quasi censerent eum propriis periculis, quæ prædicebantur, ægrè affici.*

Itaque & sua ipsius, & illorum dolebat causa, dolorémque alienus dolor afferebat, vel quia aliis condolebat, vel quia superfluè doleri propter se ab illis iudicabat. *Non solitus reluctari fratrum postulatis, vt cùm se permisit Damasci per fenestram demitti* [g]: *cùm Ephesi non se dedit in theatrum* [h], *nunc obnixè obnititur, certus de* Dei *voluntate*, inquit idem Chrysostomus.

g cap. 9. 25. 2. Cor. 11. 33.
h cap. 19. 31.
i 35. Moral. c. 10. vel 13.
Paulus non tantùm patienter, sed libenter, sed hilariter pati paratus.

A

Notat verò Gregorius [i], *non tantùm patienter, sed libenter, sed hilariter pati paratum fuisse: sed indignatum quoque impedientibus, ac intimum ex impedimento tali dolorem demonstrasse: quia minima fit in aduersis obedientia, nisi de suo aliquid in iis habeat, & hæc ex semetipso animus appetat. Animam suam* Paulus *amando oderat, immò odiens amabat* [k], quam *cupiebat pro* Iesv *morti tradere*, vt hanc ad vitam de peccati morte suscitaret [l].

k Ioan. 12. 25.
l Greg. hom. 37. in Euan.

Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesv.] *Ecce verè strenuus miles, ardens amator, fortis pugnator, imperterritus præco*, inquit Carthusianus, *quem nihil separare potest à charitate* Dei, *quæ est in* Christo Iesv *Domino nostro* [m]. Origenes [n] docet, *quòd Paulus imitatus est* Christvm *in hac alacritate, & voluntaria afflictione ad parata vincula, & quamuis humanum quid passus esset ab his, qui propter dilectionem cœperant flere, & prohibere, vrsisse seipsum, ac porrò progressum, non ignorantem nihilominus quandoque, sicut & præcepit, & exemplo docuit* Christvs, *declinandam esse persecutionem* [o].

m Rom. 8. 39.
n Tract. 11. in Matt.

B

o Mat. 10. 23.
Tertullianus arguitur.
p lib. de fuga, c. 6. & 12.
q 2. Cor. 11. 32. 33. Act. 9. 25.

Opportunum sanè contra errorem Tertulliani [p] monitum, præcisè negantis fugam in persecutione, ac Paulum, dum per fenestram demitti se passus est [q], affirmantis paruisse præcepto de fuga, quod adhuc durabat, posteà in clausula officij, & in consummatione præcepti (de non fugiendo) Discipulorum magnoperè deprecãtium sollicitudini non subscripsisse, sed è contrario respondisse, quod iam recitatum est. Porrò nõ propter nomen solum Domini Iesv paratus erat Apostolus alligari, & mori in Ierusalem, ac vbique, sed etiam propter fratres. Testatur enim se in Euangelio laborasse *vsque ad vincula* [r], *quasi malè operantem, nec ideò cessasse, vel verbum* Dei *alligatum duxisse, cùm omnia sustineret propter Electos, vt & ipsi salutem consequerentur, quæ est in* Christo Iesv *cum gloria cœlesti.*

C

r 2. Tim. 2. 10.

Magnum ad virtutem Discipulis calcar, semper luctantem, nunquàm cedentem in ærumnis Magistrum aspicere. Hinc idem Paulus adeò vberem natum fructum, ac profectum Euãgelij scribit [s], *vt plures è fratribus confidentes in vinculis ipsius, abundantiùs auderent sine timore verbum* Dei *loqui.* Propterea *gloriabatur* [t] *se pro mysterio, ac ministerio, seu prædicatione Euangelij, legatione fungi in catena, ita vt in ipso auderet, prout oportebat, ipsum loqui.* Singulare id eximiæ argumentum charitatis, *propulsantis ab se iusta quadam ira inimicum*, vt ait Abbas Esaias [u], *& indignantis aduersùs impedimenta perfectionis.*

Magnum ad virtutem calcar Magistrum constantem.
s Philip. 1. 14.

D

t Ephes. 6. 19. 20.
u orat. 21. tom. 2. Biblioth. Patrũ.

Versus 14.] Et cùm ei suadere non possemus, quieuimus, dicentes: Domini voluntas fiat.

ET *cùm ei suadere non possemus.*] Μὴ πειθομένου δὲ αὐτοῦ, *Non persuaso autem ipso.* Syrus, וכד לא אתטפין לן *vechad lo ethetepin lan*, id est, *Et cùm non acquieuisset nobis*; vel, *Cùm itaq; assensum non præbuisset.* Interpres indicat non stetisse per alios, sed Paulum obfirmasse animum suum, cùm anteà molestiam declarasset, quam experiebatur, eò quòd amicorum tam beneuolæ petitioni satisfacere non posset.

E

Exorabilis, & flecti facilis amicitia, quæ concordia, & consensione subsistit: ita fit, vt sine discidio esse dissidium nequeat: & negare amico, quod flagitat, quod proponit, quod auet, permolestum sit, & dira quædam præcordiorũ conuulsio. Ideò ab amicis iusta, & honesta petenda sunt, ne violetur quæ honesto nititur amicitia, & ho-

Amicitia exorabilis, & flexibilis.

nesti

nesti amicus tenax vulnus ab amico accipiat, dum is quod honestum non est, amicitiæ tamen iure postulat.

Argutum illud, quo pacto possit amico quippiam donari, cùm sint amicorum omnia communia. Respondet Seneca [a]: *Ad rem quod facit est, nihil expetere, vel expectare ab amico amicum oportere, quando vterque sapiens sit, & studiosus, nisi quod ex æquo participari ab ambobus valeat, debeátque: ea verò est sapientia, & virtus. Nulla est excusatio peccati*, ait M. Tullius [b], *si amici causa peccaueris. Nam cum cõciliatrix amicitia virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si à virtute defeceris. Quod si rectum statuerimus, vel concedere amicis quicquid velint, vel impetrare ab his quicquid velimus, perfecta quidem sapientia simus, si nihil habeat res vitij, &c. quod æquè nefas sit, & facere rogatum, & rogare. In sapientibus, atque perfectis viris nihil tale esse potest: & si omnia in omnibus aliis amicitiis facienda sint, quæ amici velint, non amicitiæ, sed coniurationes putandæ sint*, vt alio quodam loco Cicero docuit [c].

a 7. de Benefic. cap. 4. & sequent.

Peccati nulla excusatio, amicitiæ causa peccare.

b in Lælio de Amicitia.

c 1. de Offic.

Sed audiamus Paulum ipsum longè solidiùs, diuiniúsque præcipientem [d]: *Vnusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.* Attendamus eiusdem exemplum [e]: *Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. An* [f] *quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, CHRISTI seruus non essem.*

d Rom. 15. 2.

e 1. Cor. 10. 33.

f Gal. 1. 10.

Quieuimus.] Syriacè, בהלן *behelan*, *destitimus*, ἡσυχάσαμεν. Vatablus, *Acquieuimus*. Acquiesco & ego, hunc vsum habere Græcum verbum, sicut & compositum cũ datiuo constructum ἐφησυχάζω: id enim bonus auctor Budæus [g] docet. Simplex Latinum *quieuimus*, continet compositi significationem, hoc est, permissionis, & consensus.

g in Comm. ling. Græc.

Inter sapientiæ conditiones, quæ de sursum est, ponit Iacobus [h], vt sit εὐπειθὴς, *suadibilis*, seu *obediens*, &, vt addit Interpres, *bonis consentiens*, hoc est, vt reddat faciles, ac dociles, & subditos saniori doctrinæ, melioribus consiliis, liquidæ veritati, *non prudentes apud semetipsos* [i], & *nimium sapientes* [k], non affixos autem alteram terræ, & alteram instar aspidis obturantes [l]. Si eum, qui est pro officio διδάσκαλος, videlicet Episcopum, Paulus ipse [*] vult esse διδακτικὸν, docibilem (quamuis reddat מלפן *malepan*, *doctorem* Syrus, itáque nonnulli exponant) & *illum, qui est doctor*, id est, vt præter Interpretes intellexit Maximinus [m] Arianorum Episcopus, & Cyprianus [n], & Augustinus [o], oportet esse διδακτικὸν, id est, *qui quotidie sapienter, & patienter discat* (quem etiam docilem vocamus) multò magis Paulum audiri oportuit, & discipulos necesse est magistris credere.

Sapientia vera est suadibilis.

h cap. 3. 17.

i Rom. 12. 16.

k Prou. 3. 7.

l Psal. 57. 5.

* 2. Tim. 2. 24.

m apud Augustin. lib. 1. contra illum. c. 14.

n apud Aug. de Baptis. l. 6. c. 5. & lib. 6. c. 26. & ipse Cyprian. li. de Agu... & ad Pomp. Epist. & 3. ... Cresco. p. 71.

Domini voluntas fiat.] Et ex alacritate Pauli firmóque volũtatis proposito, & ex prædictionibus Agabi, aliorúmque colligunt esse voluntatẽ Domini, simul fortasse non planè sese adhuc conformantes in volito materiali, quod timent, & nollẽt, recurrunt ad formale: atque etiam cum metu spẽ retinent, memores à tot hactenus periculis Paulum seruatum.

Sic ipsi solemus, cùm quid impendentis mali nunciatur, hoc vsurpare, *Domini voluntas fiat*: tametsi si integrum nobis esset, id pro eo sensu, quẽ in præsentia habemus, nollemus accidere. Hoc etiam modo Iudam Machabæum loquutum reor ea oratione, qua ad difficilem pugnam hortabatur suos [p]: *Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Eódem Heli Sacerdotem, quando prædicente futuram perniciem Samuële, respondit: *Dominus est,*

Quomodo vtamur hac voce, Domini voluntas fiat.

p 1. Macha. 3.

A *quod bonum est in oculis suis* (ἀρεστὸν, *placitum, ac decretum*) *faciat* [q]. Dixit verò etiã in horto CHRISTVS PATREM alloquẽs [r]: *Non mea voluntas, sed tua fiat*, sed habebat conformem in ratione superiore cum diuina voluntatem. Iussit nos idem orare, vt *fiat volũtas* DEI [s]: quam Tertullianus [t] petitionem intelligit *de parato promptóque animo, vt quidquid calamitatis accidat, patienter feramus.* Lege caput decimumoctauum [u], vbi egimus de hypothetica oratione, DEO *volente.*

q 1. Reg. 3. 18.

r Luc. 22. 42.

s Mat. 6. 10.

t lib. de orat.

u vers. 21.

Idem Tertullianus [x] ex hac sententia duo efficit: alterum, *quod ex* DEI *voluntate sint martyria, cuius contrarium docebant Gnostici*: quasi hoc esset DEVM sitire humanum sanguinem, vel CHRISTVM vicem passionis perinde, ac de ea salutem consequuturus esset, exposcere. Alterum [y], *diuinæ voluntati repugnare, quicunque in pugna mortis fugam captet, fugiátve in persequutione. Nam nunc acquiescẽtes Discipuli fidunt*, inquit, *passiones ad voluntatem* DEI *pertinere: & fugæ præceptũ, quod aliàs dederat* CHRISTVS [z], *temporale duntaxat sunt interpretati: vt apud nos deinceps perseuerare non possit, quod apud Doctores nostros concessaunt, qui in fugiendo deliquisse dicendi minimè sunt.*

x in Scorpiaco. c. vlt.

Dei voluntate sunt martyria.

y lib. de fuga. c. 6. & 12.

z Mat. 10. 23.

Primæ Tertulliani adhuc Catholici assertioni aduersùs Hæreticos consentio: *ore námque, cùm incidit articulus necessitatis, confessio fit ad salutem* [a]: nec dissimulare, aut tergiuersari licet. Secundũ eiusdem iam Hæretici Auctoris in opere contra Catholicos placitum nõ displicere non potest, quod toties Scripturarum, Patrum, exemplorum testimoniis confutauimus. Voluntatem igitur Domini nunc Discipuli intelligunt, non generalem, ne quis vnquàm fugiat, sed peculiarem per tot prædictiones manifestatam, ne Paulus iter abrumpat, quamuis certum Ierosolymis periculum subiturus. *Nunquid*, ait Augustinus [b], *qui dixerunt, Fiat voluntas* DEI, *optauerunt Apostolo, vt talia pateretur, ac non potiùs mentem suam sublimis, & diuino statuto deuotissimè subdiderunt?*

a Rom. 10. 10.

b Ser. 109. de temp.

Vers. 15.] **Post dies autem istos præparati, ascendebamus Ierosolymam.**

PRÆPARATI.] Ἐπισκευασάμενοι. Quidam alij codices habent, ἀποσκευασάμενοι, καὶ ἐπισκευασάμενοι. Nonnulli, παρασκευασάμενοι. Omnia eundem sensum habere possunt, iísque respondere participium Latinum *præparati*, quod Interpres posuit. Præparatio autem ex vi verborum Græcorum fuisse videtur in componendis sarcinis, & tollendis, ac imponendis in nauem ad iter maritimũ. Oecumenius legit eo modo, qui est in editione nostra Græca. Vatablus vertit, *sublatis sarcinis.*

Credo *præparatos fuisse omnes cum Paulo ad volũtatem* DEI, *siue mori, siue viuere*, vt obseruat Glossa interlinearis, & Hugo. Sed non hoc sibi vult præparatio, quæ hoc loco exprimitur; sed, vt dictũ est, & exponit Arias, collectis sarcinis, ac animo deliberato iter suscepisse SPIRITVS sancti volũtatem subeuntes, atque, vt ait Oecumenius, *viatico, & rebus ad iter necessariis instructos.* Putant quidã in sarcinulis fuisse collectam in Macedonia, & Achaia factam, de qua dudum egimus.

Præparatis quid hic sit.

Vers. 16.] **Venerunt autem & ex Discipulis à Cęsarea nobiscum, adducentes secum, apud quem hospitaremur, Mnasonem quendam Cyprium, antiquum Discipulum.**

Cur Paulum tot comites euntem Ierosolymam prosequuti fuerint.

VENERVNT *autem & ex Discipulis à Cæsarea nobiscum.*] Tanto læti comite ad iter, quod celebrandæ Pentecostes causa iam constituerant suscipere: vel virum tantum de industria comitari volentes: tum vt ex vsu, atque colloquio cum ipso proficerent; tum fortasse, vt si qua ratione possent, prænunciata ipsi pericula aut auerterent, aut euerterent, aut imminuerent. Feruentes, ac fortes prorsus erant isti, qui non dubitarent ad certam crucem tendentem consequi, & idem cum illo discrimen subire.

Cùm nondum SPIRITVS sanctus aduenisset, horrebant Apostoli ipsi cum Magistro in Iudæam ire [a], vbi nuper lapides euaserat: *& qua nocte comprehensus est, eo relicto omnes fugerunt* [b]. Iam verò SPIRITVS principalis confirmat, & roborat dono fortitudinis, efficitque non modò, ne fugiant, sed contrà, vt audentiores eant.

a Ioan. 11. 8.
b Mat. 26. 56.

Cur voluerint habere hospitem, apud quem diuerterent.

Adducentes secum, apud quem hospitaremur.] Syrus, ונקבלן לביתה *danekabelan bebaiethah*, id est, *Vt exciperet nos domi suæ*; nimirum in Ierusalem, vbi propter celebritatem Pentecostes rara futura erant hospitia. Probabilius id est, quàm quod ait Lyranus, *de domo inter Cæsaream, & Ierusalem*: nam in tam exiguo spatio, quo aberant ab Ierusalem, hospitem deducere non adeò necessarium: nec forsan opportunum, cùm satiùs, ac optatius fuerit, domum in Ierusalem habere, & hospitium ibi ob eam, quam dixi, causam reperire: tum præterea, ne alij fratres grauarentur, qui erant in Ierusalem, & quibus collectam Paulus deferebat.

De laude hospitalitatis agit hoc loco Chrysostomus; nos iam anteà id exequuti sumus [c]. *Quantò minor frater*, inquit ille, *qui suscipitur, hoc maior* CHRISTVS, *qui per illum aduenit: & qui magnum suscipit, non rarò vanæ gloriæ se obnoxium facit: qui autem paruum, is illum purè propter* CHRISTVM: *& quamuis sint aliqui impostores, vel ingrati, maior erit merces, quòd propter* CHRISTVM *eum suscipias; & maius beneficium dando accipis, quàm das.*

c cap. 10. *Hospes minor est potius recipiendus, quàm maior.*

Mnasonem quendam Cyprium, antiquum Discipulum.] Alij codices habent, *Iasonem*. Sed consule quæ de controuersia hac disputata sunt capite decimoseptimo [d], vbi præterea quo pacto dicatur *antiquus Discipulus*, nempe vel ex duobus & septuaginta CHRISTI Discipulis, vel aliorum comparatione, qui deducebant, aut comitabantur Paulum. Domum habebat, vel quia cum aliis illis, qui capite secundo, & quarto narrati sunt, eam non vendidit; vel quia posteà sibi comparauit; vel quia facilè vsum eius habere poterat, aut pretio, aut commodato.

d vers. 5. *Cur antiquus Christi Discipulus, & domum habuisse dicatur.*

Versus 17.] Et cùm venissemus Ierosolymam, libenter exceperunt nos fratres.

ET *cum venissemus Ierosolymam.*] Caietanus hûc numerat quintum Pauli aduentum à sua conuersione in Ierusalem. Hac eadem de re & nos egimus superiùs, docuimúsque, probabile esse venisse in tempore ad Pentecosten. Indicat id præterea, quod deinde respondit Præsidi, *se illuc ascendisse adorare* [e].

e cap. 24. 11.

Libenter exceperunt nos fratres.] Potuit hinc Lyranus opinionis suæ petere patrocinium, hospitatum esse cum comitibus apud Mnasonem, non Ierosolymis, sed in via, quæ ducit eò à Cæsarea. Non est idem δέξασθαι, & ξενίζεσθαι, latiúsque patet illud, quàm hoc, quoduis officij genus comprehendens, & significationem beneuolentiæ, gaudiíve, quod quis ex alterius aduentu, siue præsentia percipiat, complexum, conuiuium, munera, quæ aduentanti exhibeat.

Δέξασθαι quid complectitur.

Versus 18.] Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnésque collecti sunt Seniores.

INTROIBAT *Paulus nobiscum ad Iacobum.*] *Vide quàm alienus est à fastu*, inquit Chrysostomus. *Detulit dignitati Episcopali, quam Iacobus Domini frater ibi gerebat, & eximiæ sanctitati, & auctoritati, qua pollebat.* Sic bis anteà illum distinctè conuenerat, & cùm ab Antiochenis pro legalium quæstione missus est [f], & cū adhuc priùs eandem in vrbem se contulit, vt Petro præsertim communicaret Euangelium, quod prædicabat [g].

Paulus Iacobo quomodo deferat.
f Act. 15. 4. & seq.
g Gal. 1. 18. 19. cap. 2. 2.

Solus hoc tempore videtur ex Apostolis Iacobus in Ierusalem fuisse, ceteri per orbem dispersi. Nulla deinceps de hoc Apostolo mentio: celebris est in historia Ecclesiastica mors eius pro testimonio IESV CHRISTI. Beda scribit, annis triginta rexisse Ecclesiam vsque ad septimum Neronis annum. Cùm verò Iudæi, quod maximè quærebant, Paulum occidere non potuissent, mox vt Festus mortuus est, necdúmque Albinus in prouinciam venisset, vertisse manus in Iacobum, ac præcipitasse ex templo, iuxta quod fuerit sepultus. Plura diximus capite primo [h].

Iacobi mors post Pauli discessum ex Ierusalem.
h versu.

Omnésque collecti sunt Seniores.] Πρεσβύτεροι. Vel sacri maiores ministri, vel natu grandiores, vel in discipulatu antiquiores. Primum maximè, ac propriè.

Non videtur Synodus censenda ista, qualis cùm de legalibus tractatum est [i], vel de electione primùm Mathiæ [k], deinde Diaconorum [l], vt arbitratur Beda, vocans hanc quartam Synodum, necnon Comestor. Quamuis enim nunc actum sit, ne de Iudæis Christiani prohiberentur vti legalibus, tamen officij potiùs causa conuenerunt ad salutandum Paulum: per eam autem occasionem visum illis est amicè, familiaritérque monere illum, vt facto, ac exemplo dedoceret eos, qui ipsum arbitrabantur esse in contraria sententia, & tantisper dispensandum hac in parte, dum solidiùs coalesceret tum ex Iudæis tùm ex Gentilibus Ecclesia.

Non fuit Synodus hoc tempore collecta.
i cap. 15. 6. & seq.
k cap. 1. 15. & seq.
l c. 6. 2. & seq.

Nullæ hic dicuntur rogatæ, dictæve sententiæ, nulla deliberatio præcedens, nullum sancitum dogma de Fide, vel moribus, nihil præscriptum. Aberat quoque Petrus, aliíque Apostoli: nec poterat vnus Iacobus præesse, à quo etiamsi daremus collectos esse ceteros, quod existimat Carthusianus, cùm tamen τὸ παραγίνεσθαι significet sponte accessisse, ac à seipsis quodammodò collectos, non sequitur, Iacobum eos ad Synodum collegisse; & summùm, fuisset ea Synodus tantùm Prouincialis.

Quomodo non fuerit synodus.

Versus 19.] Quos cùm salutasset, narrabat per singula, quæ DEVS fecisset in Gentibus per ministerium ipsius.

QVOS *cùm salutasset.*] Syrus in plurali, ויהבו להון שלמה *vesabeban lehun schelama*, id est,

Et

Et dedimus eis pacē; vel, *Et salutauimus eos*. Καὶ ἀσπασάμενος. Quo participio includi possunt verba, *oscula, complexus*, vt aliàs dictum est.

Narrabat per singula, quæ DEVS *fecisset in Gentibus per ministerium ipsius.*] Hoc iam semel fecisse vidimus in Ierosolymitano Cō cilio [a], & aliàs alibi, non vanæ studio gloriæ, sicut hîc etiam notat Chrysostomus; sed vt DEI declararet misericordiam, & ingenti gaudio auditores impleret: adde, vt eosdem magis confirmaret, vel excitaret quoque ad maiorem fidem, fiduciámque in CHRISTVM, ad feruentiorem amorem, ad operum bonorum diligentius exercitium, ad rerum aduersarum fortiorem tolerantiam, ad magis deuotam DEI laudem, & actionem gratiarum. Ad hæc, & his plura confert pia narratio, & Sanctorum historia, atque recentium præcipuè exemplorum commemoratio.

a Act. 15. 4. 12. *Cur Paulus sæpe quæ in Gentibus egerat, narrauerit.*

De collectis, quas attulisse verisimile dixi, nullum modò verbum: res temporalis erat: vel forsitan vno verbo comprehensæ sunt, cùm inter ea, quæ recitabat, meminit benignæ largitatis. Fecit de his expressam posteà mentionem in apologia ad Fælicem [b], & epistola ad Romanos [c].

De collectis cur non meminerit.

b cap. 24. 17.
c c. 15. 25. 26.

Vers. 20.] At illi cùm audissent, magnificabant DEVM, dixerúntque ei: Vides, frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis.

MAGNIFICABANT DEVM.] Ἐδόξαζον, *Glorificabant*: non Paulum efferebant, vel admirabantur, verbo nempe, signóve extrinseco. *Sic enim ille narrauit*, ait Chrysostomus, *vt* DEO *cuncta referret accepta*.

Lubrica res, & perdifficilis liquidum DEO honorem, synceram adhibere gloriam, nec tuæ cū diuina personæ laudes inserere, etiam cùm studiosè quas per te res auctore DEO gestas commemoras, in DEVM ipsum transfers. *Vt cantet* [d], inquit alius, *gloria mea, & non compungar*. Et denuò Paulus [e], *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Et CHRISTVS [f]: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent* PATREM *vestrum, qui in cœlis est*.

Lubrica res, & difficilis synceram Deo gloriam tribuere.

d Psa. 29. 13.
e 2. Cor. 10. 17
f Mat. 5. 16.

Dixerúntque ei.] Quidam putant solius Iacobi verba sequentia esse, qui loqueretur nomine reliquorū: probabile est, necnon & alios annuisse, vel etiam verbis consensum declarasse.

Vides, frater.] *Vides*, ait Chrysostomus, *& illi cum quanta submissione loquuntur: non quia Episcopus cum magna auctoritate loquitur, sed illum in Concilij* (Concilium intellige prout antè diximus) *socium assumunt, quasi statim, & ab initio rationem reddentes: te renuente nollemus, sed vides negotij necessitatem*.

Iacobi in loquendo modestia.

Iacobus quoque in Concilio illo super legalibus, quod narratum est capite decimoquinto, exhibuit se protectorem credentium ex Circumcisione, & in gratiā eorum proposuit, *vt qui ex Gentilibus fierent Christiani, quosdam ritus cæremoniales ad tempus saltem seruarent*. Nunc vt Iudæis nulla exhibeatur molestia, si cum lege Christiana veteris instituta nonnulla retineant, eo videlicet animo, quòd nollent legem illam, quæ à DEO data erat, & tamdiu steterat, statim deseri, atque contemni. Habendam tantæ multitudinis rationem, & conceptæ de Paulo opinionis, quòd Mosi, & Circumcisioni, ac vniuersæ legi apertè aduersetur: con-

Iacobus fauet veteris legis usibus.

A tratio facto contrariū dedocendum: cùm id præsertim nulla Christianæ legis iactura, magno potiùs concordiæ bono fieri possit. *Maturitatis sua*

sermone, inquit idem Chrysostomus alibi [g], *moderatus est Paulum: tantus illius erat pro ædificatione Ecclesiæ zelus, tantáque prudentia, immò* DEI *in illo gratia de* CHRISTI *virtute resplendens*.

g Homil. 5. in Matth.

Quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt.] Magnam Iudæorum CHRISTO multitudinem credidisse, præsens sæpe narrauit historia vltra tria [h], & paulò pòst quinque millia [i], Petro sermonem faciente, qui, vt ibi tūc notauimus ex Patrum auctoritate, fructus fuit Passionis CHRISTI, maximè verò precationis, qua in Cruce postulauit

Credentium ex Iudæis magna fuit initio multitudo.
h cap. 2. 41.
i cap. 4. 4.

B dimitti crucifixoribus peccata [k]. Hoc de istis tot myriadibus affirmat rursum idem Chrysostomus [l].

k Luc. 23. 34.
l orat. in Parasc. quæ est prima ex duabus de eodē argumento, in tomo 2. de Cruce nostri Gretseri.

Prouidentia diuina factum est, quòd aliàs memini monuisse [m], vt adeò multi Iudæi conuerterentur initio, cùm difficilior erat, recenti adhuc Crucifixi CHRISTI memoria, eorum cōuersio, tum vt magis appareret efficacia sanguinis eiusdē CHRISTI, tum vt constaret, maiorem posteriorum esse peruicaciam, qui maiorum sequi exempla nolunt, maioribus argumentis conuicti. Neque caret morata ratione, quod item Chrysostomus obseruauit in Commentario, non dixisse Iacobum, aliósve Iudæorum tot illa millia ab se cō-

m cap. 17. 4.
Cur tam multi ex Iudæis initio sint conuersi.

C uersa, & edocta, sed modestè, atque simpliciter, *qui crediderunt*.

Millia.] Μυριάδες, *Myriades*. Continet myrias decem millia: sed cùm cōfusa quantitas ponitur, sumuntur sæpe pro myriadibus millia: quādo verò est distinctus, & certus numerus, tunc exprimenda propria significatio myriadum. Ratio est, quoniam cùm indefinitum numerum dicimus, nihil refert, seu multa millia, seu multoties decies millia esse affirmemus.

Myriades quādo per millia rectè reddantur.

Et omnes æmulatores sunt legis.] Ζηλωταὶ, magni eā æstimantes, & retineri volentes, non solùm vt nō mortiferam, vel mortuam, verùm etiam vt honestam, atque religiosam, ab iis saltem. & apud eos,

D qui tanquàm hæreditariam à maioribus suis illam acceperant, atque professi erant.

Neque enim non meminerant pridem in Concilio Ierosolymitano Apostolos nihil de fidelibus ex Circumcisione sanxisse, sed de Gentilibus duntaxat, aggregatis ad Ecclesiam, his imponendo nōnullos legis ritus.

Iam verò existimabant idem sibi ipsis edictum imperari, & vniuersam legis custodiam ad eosdē illos paucos ritus restrictam, prohiberi ceteros, vt Circumcisionem. Cúmque Gentilium Christianorum auctior in dies numerus fieret, verebantur, ne penitùs abrogaretur lex, & præualente aliorū

E multitudine, ad deserēdum Mosem, atque legem compellerentur, ac præ illis aliis humiliores, viliorésque censerentur.

Cur Iudæi facti Christiani cæremonias legis tam sæperè seruari cupiebant.

Vers. 21.] Audierunt autem de te quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Iudæorum: dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundùm consuetudinem ingredi.

AVDIERVNT *autē de te.*] Syrus, ואתאמר להון דין עליך *dethemar lehun den bhalaich*, id est, *Dictum est autem eis de te*; vel, *De te autem dictum est*,

κατηχήθησαν. Chryſoſtomus notat, non ſimpliciter eſſe dictum, *Audierunt.* Græcum quidem verbum ſæpe ſignificat doceri, atque inſtitui, vnde vulgatum nomen Cathecumeni; tamen non etiam rarò ſimpliciter audire. Lucas capite decimooctauo [a] præſentis hiſtoriæ, & in primo [b] Euangelij vſus eſt in priore ſignificatione.

a verſ.25.
b verſ.4.

Cur vſi ſunt verbo primi expoſito.

Credo voluiſſe Iacobum, Senioréſque dicere, non obiter, & leuiter, ſed certò, ac diligenter ex Circumciſione fideles accepiſſe, & didiciſſe id, de quo querimoniam contra Paulum expoſuerant. Sed verbo audiendi poteſt ſimul ſubintelligi accurata auditio; nec alij aliter vertunt, quàm editio noſtra.

Quia diſceſſionem doceas à Moyſe eorum, qui per Gentes ſunt, Iudæorum.] Potuit ſic verti, *Diſceſſionem doceas à Moyſe omnes eos, qui, &c.* Ὅτι ἀποστασίαν διδάσκεις ἀπὸ τοῦ Μωσέως τοὺς κατὰ τὰ ἔθνη πάντας Ἰουδαίους. Sed vtrouis modo conſtat idem ſenſus.

Nomen apoſtaſiæ odioſum eſt.

Odioſum eſt nomen ἀποστασίας, & à Theologis accommodatur ad eos, qui deficiunt vel à Chriſtiana religione; vel ab arctiore vitæ genere, quod Religioſum nominatur. Hanc hîc vim videtur habere, vbi ſermo eſt de lege Moſis, quæ ſanciuit religionem Iudæorum; cuius videlicet ζηλωταὶ illi Chriſtianitatem quodammodò appendicem, vel complementũ volebant eſſe, quippe cùm CHRISTVM, ac MESSIAM lex promitteret, & is ex iis, qui legem ſeruauerant, generatus eſſet.

Vnde ſit nata hæc aduerſus Apoſtolum querimonia.

Dicens non debere eos circumcidere filios ſuos.] Calumnia eſt iſta, ſi non ab æmulatoribus his ſtructa, qui Chriſtiani erant, certè nimis facilè credita, & inuulgata, cùm illam à maleuolis Iudæis, qui Chriſtiani non erant (ſic dudum eodem crimine Stephanus accuſatus fuerat [c]) & vbique huic nomini, & Paulo aduerſabantur, accepiſſent, forſitan fraudulentè prætexentibus ſe ideò à Chriſtiana religione abhorrere, propenſiùs illam ſuſcepturos, ſi ſe Paulus pro iurato legis hoſte, & Iudæorum religionis non ſe gereret, nec aliter enim tam euidens mendacium perſuaſiſſent.

c Act.6.13.14.

Paulus non fuit legis deſtructor.

Mirum eſt autem, quo pacto incognita eſſe potuerit Timothei à Paulo ipſo facta circumciſio [d]: eiuſdem Pauli Nazaræorum ritu cæſariei detonſio [e]. Hæc ſi cognouerunt Ieroſolymitani zelatores, zelo abuſi ſunt non modò non ſecundùm, ſed etiam contra ſcientiam, & vel ſimulatorem Apoſtolum, vel inconſtantem ſunt arbitrati. Ipſum ſenſerant Iudæi illi puri, ac puti, quibus perſuaſum erat, ſine cæremoniis legis per legem Euangelicam non poſſe ſalutem contingere: *Vehementiſſimum,* vt Beda notat, *gratiæ* CHRISTI *prædicatorem, cuius dictæ ceremoniæ vmbra fuiſſent, & in præſentia cuſtodirentur ad commendandam ſolummodò auctoritatem diuinam, à qua profecta erant, & ſacramentorum legis nouæ propheticam, ſeu in figuris illis præſignificatam ſanctitatem.*

d cap.16.3.
e cap.18.18.

Neque ſecundum conſuetudinem ingredi.] Syrus, ולא בעירא דנמוסא *velo behhaieda denamuſa*, id eſt, *Non in ritibus legis;* vel, *Neque ſecundum ritus legis.* Græcùm quoque nomen eſt in plurali μηδὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν. Et quidam codices Græci addunt, τοῖς πατρῴοις, *paternis.*

Nomine Circumciſionis in priore parte ſententiæ lex omnis ſcripta comprehendi poteſt, ſicut aliàs monui [f]: per conſuetudinem, ſiue conſuetudines, τὰ ἔθη, & mores, illi ritus, eáque omnia, quæ per traditionem, & legitimam accepta conſuetudinem, & ad DEI cultum pertinentia hi, qui legem cuſtodiunt, obſeruant.

f Act.15.1.

Verſus 22.] Quid ergo eſt? vtique oportet conuenire multitudinem: audiêt enim te ſuperueniſſe.

QVID *ergo eſt? vtique oportet conuenire multitudinem.*] Hæc omnia Syrus omittit. Nihil quidem de neceſſitate ſententiæ demitur, ſi prætereantur, ſed fidelis interpretis eſt omnia reddere. Præferunt autem verba iſta prudentem, ac maturam deliberationem, & præterea continent rationem, ſeu rationis, quæ abſoluitur proximè ſequentibus verbis, principium, nempe conuenturam fidelium illorum zelatorum multitudinem, vt de Paulo quiritentur apud Iacobum, alióſque Seniores, occurrendum, & parandum remedium, & aduersùs illos, & contra infideles quoque Iudæos.

Cur hæc à Iacobo pridem ſunt.

Verſ.23.] Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe.

HOc *ergo fac quod tibi dicimus.*] *Quaſi ſimul conſulentes, hæc dicunt, non quaſi imperantes,* inquit Chryſoſtomus, & Oecumenius.

Non Synodus, ſed conſilio, & diſpenſatio.

Vnde etiam intelligitur verum eſſe, quod diximus, & docet quoque idem Oecumenius, non celebrari nunc propriè Synodum, vel inſtitutionem, ſed eſſe quandam tantùm conceſſionem, conſenſionem, diſpenſationem, qua Paulus ad multorum ſeſe infirmitatem accommodare, ac demittere inducatur, atque ſuadeatur, & idcirco ſibi perſuaderi ſinat.

Sunt nobis viri quatuor.] Quidam codices Græci habent, ἐν ἡμῖν, *in nobis*, nempe iam conuerſi ex Iudæis. Conſulunt, vt re ipſa, & opere, non ſermone defenſionem afferat. Nulla námque ſeſe defendendi, purgandíque ratio melior, quàm vt *qui detrectant de nobis, tanquàm de malefactoribus, ex bonis operibus nos conſiderantes, cogantur glorificare* DEVM [g], *& veluti Saül fateri nos eſſe iuſtiores, quàm ipſos* [h], *& qui nobis non credunt, vel operibus credant* [i]. Cum modeſtia, & timore præcipit rurſum, cuius ſunt prima illa verba, quæ recitauimus, Petrus [k]: *Conſcientiam habete bonam, vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur veſtram bonam in* CHRISTO *conuerſationem.* Et Paulus [l]: *Sine offenſione eſtote.* Item [m], *Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum* [n]. Hoc ipſum quod aliis dabat, conſilium ſecutus eſt ipſe. *Studeo,* inquit [o], *ſine offendiculo conſcientiam habere ad* DEVM, *& ad homines ſemper.* Quocirca proprio ſumptu ex laboribus vixit, &, *ne quem ſcandalizaret, carnem in æternum non manducare paratus erat* [p].

Ratio defendendi & purgandi ſe, eſt opere, quod ſermone eſt.

g 1.Pet.2.12.
h 1.Reg.24.18.
i Ioan.10.38.
k 1.ep.3.16.
l 1.Cor.10.32.
m 2.Cor.6.3.
n Act.24.16.
o c.20. & alibi.
p 1.Cor.8.13.

Iuuerunt Eccleſiam, iuuántque Catholicorum pro veritate orthodoxa ſcriptæ apologiæ, atque defenſiones, verbis etiam conſtanter vſurpatæ: ſed præualet innocentia, & exemplo efficaciùs docetur, quàm ſermone, maléque nobiſcum agitur, ſi nos oratio magis, quàm vita purgat.

Exemplo efficacius docetur, quàm ſermone.

Lactantius [q] docet, vel Cicerone conſentiente, ac Nepote Cornelio, & Seneca, nihil minùs, quàm virtutem factitaſſe Philoſophos, cuius profitebantur doctrinam, & comparat cum medicis, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Summa porrò conſilij, quod Paulo proponitur, hæc eſt: ſi falſæ criminationis inuidiam vitare velit, ea ipſe celebret, quæ damnare tanquàm ſacrilega puteretur, itáque oſtendat, nec Iudæos tunc, vt

q lib.3.c.15.

bene

bene Beda colligit post Augustinum [a], ab eis tanquàm nefariis prohibendos, nec Gentiles ad ea tanquàm necessaria compellendos.

Votum habentes super se.] Syrus, דנדיר להון דנתרכון *danedir lehun denatherechun*, id est, *quibus est votum, vt purificentur*, vel, *voto obnoxij, vt mundentur.* Explicatur sequenti versu cuiusmodi fuerit hoc votum: qua de re satis multa dixi capite XVIII. [b] tum de voto in genere, tum de isto in particulari disserens.

Versus 24.] His assumptis, sanctifica te cum illis: & impende in illis vt radant capita: & scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.

His *assumptis.*] Syrus, דבר אנון זל *debar innun vezel*, id est, *Assume eos, & proficiscere.* Τύτυς παραλαβὼν.

Sanctifica te cum illis.] Quoniam non fit hoc loco mentio Paulo suasum, vt raderet caput, neque ipsum id rasisse, sed de sola sanctificatione, & impensa, quam faceret illis quatuor, Caietanus coniicit non aliud Paulum fecisse: ritum verò fuisse, vt cùm Nazaræorum votum terminaretur, aliquis purificatus præsentaret eos septimo die ante terminum Sacerdoti, velut patrinus, qui etiam, si illi essent pauperes, sumptum necessarium tribueret ad sacrificia, in die rasuræ capitis. Hoc primus excogitauit Caietanus contra sententiam communem Interpretum, & Hieronymi [c] (qui addit, *oblata sacrificia, & vsurpata nudipedalia*) atque Augustini [d], & Origenis [e]. Profectò sanctificari, & purificari nō solam important impensam patrini, sed omnem includunt sanctum ritum, qui adhibebatur in eiusmodi voto, ideóque præsertim rasuram capitis: denique patrini, ac patrocinij lex prorsus non meminit [f]. Tertullianus [g] quidem de hoc Pauli loquens facto, tantùm dicit, quòd rasos quosdam induxit in templum: non tamen negat & ipsum rasum fuisse.

Et impende in illis.] Syrus, ואפק עליהון נפקתא *vapek bhalaiehun nepekatha*, id est, *Et expende pro eis expensas.* Δαπάνησον ἐπ' αὐτοῖς. Vatablus exponit, *Sumptus fac proter illos*, vel, *cum illis.* Isidorus Clarius, *Allatas pro eis hostias secundum legem tu offer.* Lyranus, *Fac oblationem cum illis, quæ solet fieri.* Glossa interlinearis, & Hugo, *Iunge te illis.* Carthusianus, *Impende vel exhortationem, vel oblationem.* Arias, *Impende rituales sumptus in lotionem, & tonsuram capillorum.*

Græcum vocabulum expensam, & ritum sonat: ideóque sic etiam locum hunc intelligendum puto, & in eo Caietanū sequor, quod ait, *quatuor illos pauperes fuisse.* Potuit quoque modo vel approbando in illis hoc votum, & hortando ad eius expletionem, vel prætereà dissoluendo pecuniam necessariam pro eorundem voto, significare Paulus legis cæremonias sibi non videri perniciosas, attamen, vt dixi, sanctificandi, & purificandi verba, ritum ipsum ab illo vsurpatum denotant; quod erat etiā multò efficacius argumentum ad eluendam illam, quæ de ipso manauerat, opinionem. Obscura est Clarij explicatio, si allatas iam hostias intelligit offerendas à Paulo, hoc est, soluendum ab ipso pro hostiis allatis, ac paratis, pretium. Deinde quis scit, an iam allatæ, ac paratæ essent? Neque verò propriè potuit Paulus offerre, vt Sacerdos legis, cùm esset de tribu Benjamin, vel nomine illorum quatuor deferre ad Sacerdotem, quia illi ipsi, quorum erant oblationes, seu victimæ, si poterant, solebant id efficere. Quapropter δαπάνησον ἐπ' αὐτοῖς, *impendere in illis*, secundùm vsum vtriusque præpositionis in vtraque lingua, vt aliàs notaui, est suppeditare sumptum pro illis, seu propter illos. Hac phrasi metaphoricè vtens idem Paulus, & eximiam charitatem suam declarans aduersùs Corinthios [h], dixit: *Ego libentissimè impendam, & superimpendar pro animabus vestris*, δαπανήσω καὶ ἐκδαπανηθήσομαι.

Erant nunc Paulo pecuniæ, siue ex collectis, quas deferebat, siue apud hospitem Mnasonem, aliósve comites. Et quamuis non erant eæ fidelium Ierosolymitanorum angustiæ, vt deesset, vnde quatuor illos voti reos liberarent, placuit nihilominùs id Pauli ipsius quasi sumptu, & manu fieri, vt quàm maximè fieri posset, testatū faceret, quàm bene, ac piè de legis cæremoniis sentiret.

Vt radant capita.] Præter ea, quæ capite decimooctauo [i] de Nazaræis disputaui, omissis etiam rationibus mysticis, quas Patres afferunt, maximè Gregorius [k], Hieronymus [l], Cyrillus Alexandrinus [m], notanda est eorum origo. Hanc Gagneius in Commentario auctorem citans Cyrillum (nescio an Alexandrinum, aut Ierosolymitanum, nec enim apud alterum id lego) refert fuisse, vt ritus offerendarum comarum Diis, vel potiùs Dæmoniis, auferretur, & ad DEVM transferretur. Eundem Cyrillum citat id ipsum dicentem Oleaster [n]; cuius Oleastri mihi tamen sententia incerta videtur, ne dicā falsa, dudum antè præcessisse hūc ritum, & non cœpisse cum lege scripta, nempe quia Iacob benedicens, filio Ioseph, optat, *vt benedictiones fiant in capite ipsius, & in vertice Nazaræi inter fratres suos* [o].

Probabilius est quod idem Auctor, veluti corrigens seipsum, subdit; *Nisi dicamus, ibi accipi Nazaræum, pro separato in pulchritudine ab aliis fratribus suis*, adde in moribus, & in loco, cùm venditus est, prætereà in honore, atque principatu.

De Ægyptiis prodit Diodorus Siculus [p], *pro pueris morbo affectis vota concepisse, vt si DEVS voto adesset, desectum capillum dedicarent.* Et varius aliarum Gentium mos fuit, capillum, & crinem, & barbam recisam sacrandi [q]. Hinc apud Maronē [r]:

—hunc ego Diti
Sacrum iussa fero: téque isto corpore soluo.
Sic ait: & dextra crinem secat.—

Et apud Euripidem [s]:

Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ Θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω.
Sacer capillus est, DEO ipsum nutrio.

Rursum alius Poëta Latinus Papinius [t]:

Iucides thalamis vbi casta adolesceret ætas,
Virgineas libare comas.—

Tertullianus [u] quoque meminit *nonnullos aut filij totum caput reatu vouisse, aut aliquem excepisse crinem, aut tota nouacula prosecuisse pro auita, pro publica, aut priuata adoratione.* Censorinus [x] testis est, quosdam pro cetera bona corporis valetudine crinem DEO sacrum pauisse. Plutarchus [y] prodit Theseum pro consuetudine recepta, vbi ex pueris excessisset, Delphos abiisse, vt comæ primitias Apollini sacraret. Lege Pierij Valeriani tractatulum elegantem pro barbis Sacerdotum, & quæ noster Lęlius Bisciola de tota re perstringit in horis subsecíuis [z]; & Lilij Gyraldi dialogum vndecimum de tonsura, & rasione capitis, quæ corona vulgò dicitur.

a epist. 19.
b vers. 18.
c epi. 11. apud Augustinum.
d epist. 19. *Sanctificari & purificari quid sit.*
e Tom. 2. in c. 2. ep. ad Rom.
f Num. 6. 13. vsque ad 18.
g lib. de Monoga. c. 14.
Paulus pro illis sumptum suum fecit.
h 2. epi. c. 12. 15.
Erant Paulo pecunia.
i vers. 18.
k 32. Moral. c. 23.
l in cap. 2. Amos.
m lib. 16. de adoratio. in Spiritu.
Nazaræorum ritus vnde originem habeat.
n in c. 6. Num.
o Gen. 49. 26.
p lib. 2. c. 4.
q lege Alex. ab Alex. libr. 5. ca. 18. & ibi Tiraq. huncque prætereà de Primig. in præf. Brod. 3. Miscel. c. 8. Petrum Greg. 16. Synt. c. 1.
r 4. Æn. prope finem, vbi Pontanus.
s in Bacchid.
t lib. 2.
u lib. de Anima.
x de die Natali, in proœ.
y in Theseo.
z lib. 7. c. 5.

Et scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt.] Græcè, ὧν κατήχηνται περὶ σοῦ οὐδέν ἐστι. *Eorum, quæ audierunt de te: nihil est. Sua actione tantùm simulata suam posset occultare sententiam, non ei diceret Iacobus*, inquit post Augustinum Beda [a], *hæc verba; sed putabunt*, &c. præsertim quia in ipsis Ierosolymis Apostoli iam decreuerant, ne quisquam Gentes cogeret Iudaizare; non autem, vt quisquam tunc Iudæos Iudaizare prohiberet, etiamsi doctrinam Christianam complexi essent.

a epist. 19.

Versus 25.] De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, iudicantes vt abstineant se ab idolis immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.

De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus.] *Hic reuerenter Iacobus loquitur*, ait Chrysostomus, *occurritque obiectioni*, ait Oecumenius, *ne posset dicere, si Gentes hoc resciuissent, scandalum, atque offensionem passuras: ad eos enim, qui ex ipsis crediderunt, iam pridem esse scriptum, ne tale quidpiam seruarent*: & idcirco quemadmodum ipse, ceterísque Seniores licèt Iudæis prædicent, illud Gentilibus mandarunt, sic congruens videri, vt ille, qui prædicaret Gentibus, sibi tamen consentiret; nihil demùm esse, quod suspicari debeat, cùm hæc sit solùm consensio, & ad aliorum infirmitatem descensio: id quod rogatur, liberè faciat in metropoli Iudææ, vt alibi quoque posteà liberiùs facere non dubitet.

Iacobus reuerenter loquitur, & obiectioni occurrit.

Rectè quidem hæc omnia, & verè; nisi quòd non mihi videtur Paulus eam obiectionem facturus, vt qui decreti illius ferendi ipse præsens in Synodo occasionem attulisset, missus ab Antiochenis, & idem posteà diuulgasset, atque prædicasset. Renouata potiùs memoria est præsentibus multis veteris edicti, vt quíque aderant, quique in ea ciuitate de Paulo conquerebantur, cùm legis celebrantem cæremonias cõspicerent, scirent non quo id necessarium præcisè crederet, facere, sed ex quadam quasi ἐθελοθρησκείᾳ, *ac liberè suscepta religione*, & qui ne ab his quidem spontaneis abstineret, non ea improbaret, quæ lex ipsa, vt necessariò seruanda præcepisset.

Iudicantes vt abstineant.] Κρίναντες μηδὲν τοιοῦτον τηρεῖν αὐτούς, εἰ μὴ φυλάσσεσθαι. *Iudicantes nihil tale seruare ipsos, nisi custodire*, nempe *se*, siue *abstinere*. Interpres verbo abstinendi priorem quoque illam partem satis includit.

Ab idolis immolato.] Græcè est in numero singulari εἰδωλόθυτον, cui respondet, *idolis immolato*. De idolo autem, vel idolis nulla est distinctè mentio, neque etiam in editione Syra. In capite xv.[b] primùm ponuntur ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, & ab Interprete *contaminationes simulacrorum*, à Syro, טמאותא ודביחא *tammeutha dadebiche*, id est, *pollutio sacrificij* [c], deinde εἰδωλόθυτα, Latinè, *immolata simulacrorum*. Syriacè, ודביחא *daddebicha, immolatum*.

b vers. 20.

c vers. 29.

Nunc ergo non videntur seiungenda, ac dispungenda *idolis*, *immolato*, sed vtrumque reddit integram significationem compositi nominis τοῦ εἰδωλοθύτου. Nam quid opus erat his, qui ab idololatria conuerterentur, idola prohibere? Peculiaris verò de idolis immolato ratio suadebat, vt prohiberetur, vnà cum sanguine, atque suffocato, necnon & fornicatione, quemadmodum dicto capite demostrauimus. Vnde hoc ipso loco mox subiungitur particula coniungens, *& sanguine, & suffocato, & fornicatione*, quæ non est inter, *idolis immolato*. Videbitur cuipiam superflua notatio: sed consultum volui minùs cautis, qui in emendatioribus quoque codicibus dispunctionem repetientes, quam dixi, suspicabũtur duo diuersa caueri, tum idola, tum immolatum. De idolis satis suprà multa in capite decimoquinto, necnon in Commentario libri Sapientiæ, cap. 12. & sequentibus. Vocem εἴδωλον, de rebus omninò fictitiis, quæ nulla ratione subsistunt, propriè dici vult Origenes [d], & eum secutus Magister Sententiarum [e], indicátque Arnobius [f]. Cedrenus [g] autem sic scribit: Ἰστέον, ὅτι τὸ μὲν εἴδωλον οὐδεμίαν ὑπόστασιν ἔχει· τὸ δὲ ἴνδαλμα τινός ἐστι ὁμοίωμα, καὶ ἀπεικόνισμα. καὶ εἴδωλον μὲν σφίγγες, κένταυροι. &c. ἤγουν τὰ μὴ ὑφεστῶτα· ὁμοιώματα δὲ ὑφεστώτων εἰκάσματα, οἷον ἡλίου, σελήνης, &c. *Sciendum, quòd idolum quidem nullam subsistentiam habet: indalma alicuius est similitudo, & effigies. Et idolum quidem est, verbi gratia, sphinges, centauri, &c. vtpote res non subsistentes: simulacra verò sunt subsistentium effigies, vt Solis, Lunæ, &c.* Nihilominùs Latini simulacri, & idoli confundunt vocabula.

Seiungenda his non sunt idola, & immolatũ.

d Homil. 8. in Exod.
e 2. d. 17.
f lib. 6.
g in compend. Hist. pag. 107.

Versus 26.] Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cmm illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.

Tvnc *Paulus, assumptis viris.*] Mira, ac prædicanda, & imitanda Pauli modestia, atque obedientia. Non excipit ab se circumcisum Timotheum, totondisse sibi ipsi caput ex voto in Cenchreis [h], Petro restitisse in faciem [i], *non quia Iudaizaret, sed quia suo alios exemplo Iudaizare compelleret*: in epistolis adeò clarè, támque sæpe quid sentiret de vsu legalium, aperuisse, quo pacto liceret: edoctum se ab ipso Christo *immediatè, non ab hominibus* [k], quorum iudicia nec flocci penderet: habuit rationem loci, temporis, personarum: *non attendit magis quid sibi liceret, quàm quid expediret, ac ædificaret* [l]. Paruit ingenuè, & ex animo, non simulatè, & fictè in re non illicita, non mala.

Pauli modestia, & obedientia.

h cap. 18. 18.
i Gal. 2. 11.
k Gal. 1. 1.
l Rom. 14. 19. 20. 1. Cor. 8. 9. 10.

Caietanum non audimus nuper confutatum, cùm solum nescio quod patrocinium Paulo tribuit eorum, qui ritum exequebantur Nazaræorum. Abrasus est ipsemet Paulus, ceteráque præstitit Nazaræis præscripta [m]. Sequimur potiùs Augustinum, quàm Hieronymum, vt capite xv. pluribus verbis exposuimus, dum hic per simulationem, ille verè, ac simpliciter hæc, & his similia fecisse Paulum contendit. Nihil erat opus simulatione, vbi res, de qua agebatur, fiebat honestè.

Paulus ...

m Num. 6. 13. & seq.

Porrò quod Baronius [n] Isidorum dicit exemplo Petri colligere tonsuræ ecclesiasticæ vsum, vsus forsitan est codice [o], in quo pro Petro Paulus esset: quo modo etiam lego in Cõcilio Aquisgranensi I. [p] Paulum, vbi tamen recitatur Isidorus ad verbum.

Emendatur Isidorus.
n Tom. 1. Annal.
o 2. Offic. de tonsura.
p cap. 2.

Postera die purificatus cum illis intrauit in templum.] Colligit Baronius quoniam mos erat, licèt non præscriptus à lege, vt Nazaræi, si morbo, aut aliis necessitatibus, quemadmodum testis est Iosephus [q], implicarentur, per triginta dies perseuerarent abstemij, Paulum, qui postero statim die cœpit purificari, semper à vino temperasse, alioqui futuram fuisse in ipso quandam legis illusio-

Nazaræi per triginta dies à vino abstinent.
q 2. de bel. Iud. c. 15. citatur à Baron.

nem

nem, & simulatæ sanctitatis effictionem, & tanquàm in scena fabulam, ac in re gesta affectatum mendacium. Neque verò Iacobum, atque Seniores Paulo suasuros fuisse, vt Nazaræorum numeros expleret, nisi in omnibus compertum habuissent, id exequendi facultatem illi in promptu esse.

Ego de Pauli abstinentia, temperantiáque quidlibet magnum, & eximium credo: tamen non assequor, qua ratione vini perpetua illa hinc probetur abstinentia: quoniam postero isto die potuit ritum Nazaræi inchoare, & abstinentiam à vino cum ceteris cæremoniis ad certum vsque tempus, quod sibi ipse præscripsisset, seu quod absolueretur vnà cum eo tempore, quod alij quatuor præscriptam habébant.

Purificatum esse idē est quod purificationem inchoasse.

Atque hoc est *esse purificatum*, nempe purificationem inchoasse, quæ comprehendit vniuersum illud opus religiosum: non verò tantùm, immò ne hoc quidem, vt voluit Caietanus, annunciare finem dierum purificationis à Sacerdote decretum: hoc enim lex [a] non habet, immò potiùs pendere numerum illorum ex vouentis voluntate, nisi cùm ante illorum finem, si votum temporaneum erat, vel aliter, si perpetuum, pollutus esset, quia tunc iuxta morem aliorum pollutorum dabantur ei dies septem pro purgatione, & in octauo fiebat oblatio pro ipso.

a Num. 6.13. vsque ad 18.

Si quis diceret purificationem Pauli cum illis quatuor fuisse, non pro complemento voti totius illorum, sed pro purgatione ob aliquam pollutionem, quæ interuenisset, conuinci non posset. Fauet coniecturæ, quod versu vigesimo tertio, Syrus verba illa, *votum habentes super se* reddit, *voto obnoxij, vt mundentur*, neque enim Nazaræi votum propriè mundatio dicitur, quæ supponit pollutionem & immunditiam legalem: licèt dicatur tempus, quo durat, *satisfactionis*, vel *separationis*, quo peracto, sic sanctificatus hostias offerebat, & rasurā in ignem sacrificij mittebat.

An Paulus ante templi ingressum pollutus fuerit.

Sed tunc difficultas oritur de Paulo, cui dictum est versu vigesimoquarto ἁγνίσθητι σὺν αὐτοῖς, *sanctifica te cum illis, & impende in illis, vt radant capita*: & in isto, σὺν αὐτοῖς ἁγνισθεὶς, *purificatus cum illis intrauit in templum*. Sic videlicet oporteret Paulum vel priùs pollutum fuisse, vel se gessisse pro polluto per quandam simulationem. Sanè quidem lex præcipit [b], *vt si Nazaræus polluatur, illicò caput radat in eodem die purgationis suæ, & rursus septima, & in octaua offerat sacrificium in introitu tabernaculi fœderis.*

b Num. 6.9. 0.

Quocirca fieri potest, vt & Paulus eadem præstiterit etiam impollutus, & sine præcedente voto, quamuis de illo secus putarent, qui ritum hunc videbant illum obseruare. Quæ res non magis habet incommoda illa, quibus Baronius commouetur, vt asserat priùs fuisse vini abstinentem, quoniam non diceт, opinor, suscepisse eam abstinentiam ex voto Nazaræi, quod, vt dicebam capite XVIII. cùm perfici non posset, nisi in Ierusalem, incommodasset prædicationi Euangelicæ. Sicut ergo fallebantur, qui Paulum Nazaræorum voto cum vini perpetua abstinentia obstrictum credebant, quoniam huiusmodi votum non habebat, nec erat hic tamen perniciosus, vel curandus error; ita curandum non est, si qui eum reuerà pollutum existimarent, qui reuerà non erat. Itaque cùm dicitur hoc loco: *Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio*, sensus est, quòd se socium adiunxit illis quatuor egentibus purgatione propter pollutionem, qua votum Nazaræorum violatum, seu potiùs interruptū erat: & cùm dies abiissent, quos à pollutione lex [c] septem præscripserat, seu septimus aduenisset, quo præter primum, in quo pollutio contigerat, radere caput oportebat, illo quidem septimo rasit ipse caput, sequenti verò quo debebat oblatio fieri in templo, ingressus est cum ipsis, annunciauitque expletos esse dies purgationis, qui requirebantur, donec, siue vsquequò heret dicta oblatio pro vnoquoque eorum, hoc est, tum pro illis quatuor, tum pro se.

c Num 6.9.

Paulus nequaquam mentitus est, vt vult Cassianus.

Qua in re non est mentitus, vt Cassianus tamen voluit ea collatione [d], qua Iosephum inducit *probantem licere quandoque mentiri, & noxium interdum esse veritatem affirmare*, siquidem intelligere potuit expletos esse illos dies respectu illorum quatuor, non respectu sui, aut ne id quidem verbo dixit, sed facto duntaxat expressit.

d collat. 17. c. 20.

Syra interpretatio, & eius explicatio.

Syrus Interpres magis hæc distinguit, הידין פולוס דבר אנון לגברי הלין ליומא אחרנא ואתדכי עמהון ועל אזל להיכלא כד מודע להון מוליא ליומתא דתדכיתא עד מא דאתקרב קורבנא דאנש אנש מנהון *haiedin paulaus debar innun legabrei halen leiauma acharina, vethedacchi hhimehun vehhal azel lehaiechela, chad manedahh lehun mulaia leiaumatha dethadechitha hhad ma dethekarab kurebbana denasch enasch minehun*, id est, *Tunc Paulus assumpsit viros illos, sequenti die, & purificatus est cum eis, & ingressus est in templum, cùm patefaceret eis expletionem dierum purificationis, vsque dum oblata fuit oblatio viri ex eis*; vel, *Tunc Paulus assumpsit viros illos sequenti die, & purificatus est cum eis, & introiens profectus est in templum, patefaciens eis expletionem dierum purificationis, vsque dum oblata fuit oblatio vniuscuiusque ex eis*: vbi est hyperbaton hoc modo dirigendum, vt sequenti die facta sit purificatio omnium isto ordine: Paulus ad eos adiuit, & cùm significasset eandem sibi cum illis esse causam purificationis, quod est patefacere, seu annunciare expletionem dierum purificationis, contulit sumptum necessarium radendo suo, & illorum capitibus, quæ rasura facta est illo ipso die, quo datum est ei à Iacobo, & Senioribus consilium: simul eodem die, vel initio sequentis comparauit sibi, & illis quæ offerenda erant, tum eosdem assumens ingressus est templum cum oblationibus, ibique (quæ potest alia explicatio illorum verborum esse iuxta nostram editionem, *annūcians expletionem*, &c.) Sacerdoti annunciauit cum illis quatuor, seu suo, & illorum nomine, tanquàm præcipuus, atque exposuit rationem, quare huiusmodi oblationem facerent, nempe vt legi obtemperarent: quod licèt facto ipso satis intelligebatur, voluit Paulus etiam verbo exprimere, vt se hoc pacto magis declararet legis obseruantem, cuius verba ipsa recitaret, sensúmve, non tantùm eam custodiret. Glossa interlinearis, & Hugo, quod dicitur hîc Paulus *purificatus*, explicant de rasura capitis, Arias *de lotione quoque capilli*: sed rasura cùm nobis videatur ex occasione pollutionis facta, non referebatur ad offerendam cæsariem, ideóque hæc lauanda tunc non erat, sed finito termino voti, quamuis de lotione lex non meminerit.

Polluto non licebat intrare in templum.

Hæc si ita sint, *septem dies*, qui versu sequēti memorantur, non erunt hi, qui secundùm legem intercedunt à die pollutionis, interim námque non licebat polluto intrare in templum, neque lex

præcepit, vt pollutus eat in templum initio pollutionis, seu dum tempus purgationis durat, vt annunciet Sacerdoti suam pollutionem, ac numerum dierum, quibus purgari, hostiásque, quas soluere debet.

Quare aliter computandi sunt, & censendi inter communes, ordinariósque, non inter legales dies, & præscriptos ad purificationem polluti. Nam cùm intra hos dies captus fuerit Paulus, & in vincula coniectus, nec rasisset caput rasura illa, quæ fiebat in fine voti, nec alia executus esset, quæ ad id votum spectant, cùm tamen contrarium, præter Caietanum vnum, omnes affirment.

Si quis contendat, quo die Iacobus, ac Seniores persuaserunt Paulo celebrationem huius cæremoniæ, incidisse finem dierum totius voti illorum quatuor, ita vt sequenti die deberent illud penitus absoluere, non repugnabo. Immò tunc magis completè Paulum intelligemus omnia fecisse, quæ requiruntur ad hanc cæremoniam, sicut etiam præse ferunt Patres, qui ab eo illam seruatam docent.

Purificatio idem est cum sanctificatione.

Nec obest vox purificationis, aut purificandi; est enim synonyma cum dictione, sanctificationis, atque sanctificandi, & Græcum verbum ἁγιάζεσθαι, hoc loco nunc per purificari, nunc per sanctificari exponitur ab Interprete, ipséque Nazaræus etiam temporaneus vocari solet sanctus, ac sanctificatus donec votum absoluerit.

Potuit autem videri Paulus dudum ante votum Nazaræi nuncupasse, & hac de causa in Ierusalem venisse, vt illud solueret. Sed cùm dictam cæremoniam liberiùs, ac seriò vsurpauerit, vt non illicitam, & tam pio fine, vt paci Ecclesiæ consuleret, honestatam, atque ad honorandum etiam DEVM, non potest censeri absolutè hypocrisis, ac simulatio, prout iam aliquoties monuimus.

Hæc cæremonia à Paulo vsurpata, non potest dici hypocrisis.

Parcendum mihi si longiùs errauí in inuio; quòd si quis errorem deprehenderit, non modò parcam, sed habebo gratiam: peto verò, quæsóque, vt qui sine certo duce hoc iter arduum sanè iniui, in semitá, quá exorbitauero, reducat me, qui meliùs illam tenet.

Sed priusquàm hinc abeo, moneo si qui ex fidelibus Nazaræi fiebant, in sumenda EVCHARISTIA abstinuisse à sumptione sanguinis sub speciebus vini, nisi vt Sacerdotes celebrarent, cùm sacrificium aliter constare nequat. Sed talis sumptio vini, seu specierum eius adeò modica erat, vt pro nihilo duceretur celebrantibus, quia aliter nó poterant; ab alijs omitteretur, quia ad essentiam Sacramenti non pertinet. Quanquàm & propter modicitatem dictam, & quoniam includit quandam integritatem, nihil prohibet, si à laicis Nazaræis vsurpatam quis dicat: cùm alioqui fermè id efficiatur, vt Sacerdotibus, si Nazaræi vellent esse, abstinendum esset à consecratione sanguinis, ac proinde à sacrificio, in quo sumit consecrans quæ cósecrat, aut vt nec liceret Nazaręis, Sacerdotibus esse, vnde non est planè necessarium argumentum pro cómunione sub vnica specie ritus Nazaræorum à Christianis vsurpatus, licèt aliquam habeat probabilitatem, vt etiam capite secundo [a] admonui.

Nazaræi sacerdotes accipiebát sanguinem Christi sub specie vini, sed alij non.

[a] vers. 42.

Intrauit in templum.] Vel finitis diebus purgationis pro pollutione illorum quatuor, vel pro voto toto eorundem, iuxta duplicé dicendi modú à nobis allatum. Tertius esse posset, vt hic ingressus in templum non contigerit postero die; sed postero die dicatur Paulus purificatus, hoc est, ag-

A gressus votum suum in abstinentia à vino, & aliis cæremoniis: posteà finito termino dierum, quos tot vouerit, quot significatum est ipsi superesse ad complementum voti dictorum quatuor, cùm his intrauerit, suum soluturus cum ipsis.

Annuncians expletionem dierum purificationis.] Palàm, & publicè dicens sui, & suorum voti tempus impletum esse, aut tempus purgationis à pollutione, secundùm ea etiam, quæ prædicta sunt.

Donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.] Subandi, inquit Vatablus, *neque discessit è templo, donec oblata esset pro vnoquoque eorum* (id est, pro illis quatuor, & pro se) *oblatio.* Posset alius sensus esse, quòd annunciauerit in templo, aut suis illis sociis, cùm

B se iunxit ipsis, expletos illos dies, qui purificationem præcedunt, antequàm oblatio fiat; seu purificatio dicat mundationem ab immunditia legis, & pollutione, seu sanctificationem, ac separationem totam Nazaræi, & quidquid antecedit vltimam oblationem propriam toti voto.

Versus 27.] Dum autem septem dies consummarentur, hi, qui de Asia erant, Iudæi, cùm vidissent eum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes.

C DVM *autem septem dies consummarentur.*] Syrus, וכד מטי יומא דשבעא *vechad meti iauma deschabebha*, id est, *Cúmque aduenisset dies septimus.* Ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, *Cùm futuri essent*, aut *cùm cœpissent septem dies compleri. Nondum consummati erant hi dies*, ait Beda, quem ferè ceteri sequuntur, *sed eorum cursus agebatur, & consummatio expectabatur.* Probat & ex lectione Græca, quoniá nó potest stare sententia, quá Paulus post quinque dies aduétus sui in Cæsareá Præsidi dixit: *Quoniam plus sunt dies mihi, quàm duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem.* Si enim, vt ratiocinatur Beda, his septem, & illis quinque diebus Concilij illius diem, quo Paulus inuicem dissociauerat Phari-

D sæos, ac Sadducæos, & illum, quo se Iudæi deuouerát eum occisuros, adieceris, proculdubiò plusquàm duodecim ibi reperientur esse dies, nempe quatuordecim. Caietanus accipit hos dies septem de termino voti, & eos à Sacerdote fortasse decretos fuisse, cùm non decernantur à lege [b] (decernit enim duntaxat pro purgatione pollutionis) quia verò ferè quidem iam expleti erant dies septem, sed septimus nondum aduenerat, Paulum, eò quòd comprehensus sit, non potuisse patrini officium consummare, denunciandi videlicet finem dierum purificationis.

[b] Num. 6.

Planiùs sentiunt, qui septem hos dies numerant ab eo, quo venerat in Ierusalem Paulus. Quæ

E expositio placet Lyrano, ac Vatablo, nec improbabilem dicit Carthusianus; & Lyranus rationem soluit ductam ex variis illis diebus, quod & nos suo deinde loco faciemus. Nam quæ Caietanus commentus est, iam refutata sont sunt: & si dies is non aduenerat, quo cæsaries, & aliæ oblationes offerendæ erant, non implesset votum Nazaræorum Paulus; quod iam sępiùs dixi repugnare communi sententiæ.

Quocirca iam Paulus voto satisfecerat, & tamen in templo versabatur, cùm posteà in apologia ad Præsidem responderit, *ascendisse se in Ierusalem, vt adoraret* [c]; *&*, vt antè dictum est, *vt Pentecosten celebraret.*

[c] cap. 24. 11.

Sed

a cap. 2. 1. *Pentecoste non constabat diebus septem.*

Sed caue putes, quod aliàs [a] etiam admonui, solemnitatem Pentecostes septem diebus constitisse. Proprium id fuit Paschatis, & festi Tabernaculorum, quæ dicebatur Scenopegia, vt non solùm ex Scriptura colligitur, quæ de his duabus tantùm celebritatibus id tradit [b], sed etiã ex Philonis [c] testimonio, qui viuebat hoc tempore.

b Exod. 12. & Leuit. 23. & Deut. 16.
c in Decalo.

Hi, qui de Asia erant Iudæi.] Qui ascenderant in Ierusalem ad Pentecosten, & ascendenti Paulo insidias struxerant [d], vt sinistros de illo rumores spargerent, aut etiam fortasse superuenerant. Videntur præsertim Ephesij isti, & Asiæ nomine intelligitur minor, quæ ipsa vnam præter alias prouinciam habebat peculiari nomine dictam Asiam, cuius Ephesus metropolis erat.

d ca. 20. 3. 19. *Iudæi, qui concitarunt tumultum contra Paulum, qui, & vnde fuerint.*

Sæuiunt in Paulum Iudæi isti, tanquàm in exlegem, ipsi sine lege, sine iure, concitantes multitudinem, & violentas manus iniicientes, ac tria crimina obiectantes; odium gentis, propriæ abominationem legis, violationem templi; sicut continetur sequentibus versibus.

Versus 28.] Viri Israëlitæ, adiuuate: hic est homo, qui aduersùs populum, & legem, & locum hunc, omnes vbique docens, insuper & Gẽtiles induxit in templum, & violauit sanctum locum istum.

Paulus maximè sidei tuus arguitur.

ADVERSVS *populum.*] Non potuerunt magis apto argumento, & grauiore crimine concitare populum in Paulum. Sic Philippis delatus est, vt perturbator ciuitatis, & eo nomine cæsus virgis, atque coniectus in carcerem [e]. Sic iterum Thessalonicæ [f] concitatus est in eundem populus. Cùm autem solam obtendissent coram Gallione legis violationem, res ipsis non processerat [g]. Intelligunt nunc de omni gente Iudæorum, non de populo Ierosolymitano: venerant enim ex Asia, vnde & Paulus, & ipse in hac vrbe moram non traxerat post conuersionem.

e ca. 16. 19. & seq.
f cap. 17. 5. & seq.
g ca. 18. 14. & seq.

Insuper & Gentiles induxit in templum.] Ex hoc aliud illud crimen odij in gentem suam confirmant, quasi præferret Gentiles, & si fieri posset, deletos vellet Iudæos, & templi, atque sacrorum Christianorum curam abolitis Iudaicis sacrificiis, ac ritibus, Gentilibus Christianum professis nomen committi.

Gentilibus licuit partem templi intrare.

Gentilibus licuit partem templi intrare, vt docui capite tertio, & octauo: in eius verò partis, à qua prohibebantur, septo, inscriptum erat literis Græcis, Latinisque, *capitale esse alienigenas ingredi* [h]. Apud Ioannem [i] Gentiles, qui videre CHRISTVM volebant, ex his erant, qui ascenderant, vt adorarent in die festo. Nec probabiliter loquuntur, qui sic vocatos docent Iudæos dispersos inter Gentiles, quasi nec Iudæi alterius religionis homines essent ad templum admissuri (qui lætabantur potiùs honorem haberi templo) nec Romani permissuri, vt quis Iudaico ritu DEVM adoraret: *Qui magnam sibi videbantur assumpsisse religionem, quia omnium Gentium seruientes erroribus, in quas dominabantur, nullam:* vt ait Leo [k], *respuebant falsitatem.*

h Ioseph. 15. Ant ca. 14. & 6. de bel. c. 6.
i cap. 12. 20.
k Ser. 1. de SS. postolis Pe o, & Paulo.

Gentiles.] Ἕλληνας. Sæpe vidimus, ἔθνη, καὶ Ἕλληνας confundi, & Græcorum nomine Gentiles omnes intelligi. Syrus vertit hoc loco, לארמיא *laremaie*, id est, Aramæos: puto, vt exprimeret magnum contemptum, & indignationem, maximè barbaram nationem, & exosam nominasse, vt so-

A lemus nominare Scytham, Maurum, Arabem, &c. Plinius [l] quidem auctor est, Aramæos ab antiquis dictos Scythas.

l lib. 6. cap. 17.

Violauit sanctum locum istum.] Totum quidem templum sanctum erat, & ἱερὸν, hoc est *sacrum*, ac DEO *dicatum*, ea quoque pars, quæ patebat Gentilibus; sed peculiariter *sanctũ* appellabatur ea pars, quam soli Iudæi poterant intrare, qui nullam haberent legis immunditiam, prout in dicto primo templo (respectu cuius hoc dicebatur secundum) propria quadam inscriptione præmonebantur [m]. Propterea vocatur hic ἅγιος τόπος, *Sanctus locus.*

Sanctum, pars templi quadam propria.
m Ioseph. supra.

B *Versus* 29.] Viderant enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quem æstimauerunt quoniam in templum introduxisset Paulus.

TROPHIMVM *Ephesium.*] Quia Paulus Timotheo scribit [n], *reliquisse se Mileti Trophimum infirmum.* Hoc autem non videtur in hac nauigatione, quando cum ceteris illum Lucas adfuisse superiùs affirmauit [o], neque dum renauigauit iam vinctus, quoniam non legitur appulisse Miletum, existimat Baronius [p] non quidem duos fuisse nominis eiusdem, cùm de vnico sit mentio, qui priùs Asianus, modò Ephesius vocatus est; sed in episto-

n 2. ep. 4. 20.
o cap. 20. 4.
p Tom. 1. Annal. *Emendatur locus Pauli à Baronio.*

C lam illam ad Timotheum irrepsisse mendum, vt pro Melita, Miletus posita sit, quemadmodum inferiùs [q] in hac historia pro Melita codices nonnulli mendosè legunt Mitilenen. In capite priore idem docui, quòd vnus duntaxat Pauli Discipulus, comésque Trophimi nomine fuerit.

q cap. vlt. 1.

Cùm autem iussu Sixti V. emendata Biblia inemendatum reliquerint in epistola ad Timotheum locum, in quo est *Miletum*, cogitur Baronius asserere diuersum Trophimum esse, de quo duobus dictis locis est sermo: negat enim de itinere Romano loqui Paulum cum Timotheo, quia Lucas in Itinerario illo non meminit de Mileto. Ego ve-

Sed non probatur emendatio.

D rò respondeo, non esse necessarium argumentum, sicut & quòd non scribat relictum Trophimum Melitæ, ac fieri potuisse, vt si Mileto non transiit Paulus in reditu, illuc, quòd non longè admodùm abesset à recto cursu, inualentem Trophimum miserit, vbi à Discipulis curaretur.

Communem difficultatem mihi cum Baronio, Baronius non attingit, nec quispiam alius, quare Iudæi nunc litem Paulo intenderint, tanquàm templi violatori propter Trophimum, quòd illum in id introduxisset. Si Christianus erat, & Pauli Discipulus, non autem Gentilis: inde enim effici videtur diuersum fuisse, si, inquam, Gentilis erat, & cui intrare secundùm templum non lice-

E bat. Nec refert quòd Lucas indicet non intrasse, sed æstimasse Iudæos, quòd intrasset: vtrouis námque modo signum est intrare non potuisse. Sed hinc opinio quoque nostra fit confirmatior, non esse distinctos Trophimos, quoniam Iudæi isti, qui erant de Asia, recognouerunt hunc Trophimum, ceu Asianum. Difficultas autem proposita facit, vt respondendum censeam sine dubitatione, Christianos, qui Iudæi non fuissent, prohibitos ingressu templi secundi, eodémque loco habitos hac in parte, quo Gentiles: oderant enim Iudæi Gentiles, & Christianos; & si licuisset, Christianos ex ipsis factos redegissent in ordinem Gentilium. Et plerique ferè omnes ex Circumcisione fideles magnoperè contendebant, vt capite hoc vidimus, & toties in prioribus, ne Gentilis Chri-

Christiani ex Gentibus facti eodem loco habebant Iudæi, quo ipsos Gentiles.

ſtiano ritu initiaretur, quin ſimul Iudaicum profiteretur. Quia verò contrarium docere & facere Paulus accuſabatur, idem Diſcipuli eius & ſenſiſſe, & factitaſſe exiſtimati ſunt.

A

In ciuitate.] Ieroſolymitana: quamuis & in Epheſina vidiſſe potuerint, & quoquo modo de ea Lucas poſſit intelligi, quia vocauit Trophimum Epheſium. Leuis ratio, vel coniectura, idcirco Trophimum à Paulo introductum in templum, quia cum Paulo conſpectus eſt, vel Epheſi, vel Ieroſolymis.

a lib.1.Æne.

—Furor arma miniſtrat [a].

b Terent.in Andria.

Et [b]: *Mala mens, malus animus.*

Ac, *Timida nequitia dat teſtimonium alienæ condemnationis, ſempérque præſumit ſæua, perturbata conſcientia* [c]. At *charitas non cogitat malum* [d].

c Sap.17.10.
d 1.Cor.13.5.

B

In templum introduxiſſet Paulus.] Syrus, וסברין הוו דעם פולוס על להיכלא *veſabberin hauu debhim Paulus bhal lehaiechela*, id eſt, *Et putantes erant, quòd cum Paulo eſſet ingreſſus in templum*; vel, *Putabant eum ingreſſum fuiſſe in templum.* Minuit crimen hæc interpretatio: maius enim eſt Paulum introduxiſſe. Quanquá hinc auctior foret Iudæorum malitia, quia potuiſſet Trophimus propria animi ſui, non alterius inductione templum eſſe ingreſſus. Ὃν ἐνόμιζον, ὅτι εἰς τὸ ἱερὸν εἰσήγαγεν ὁ Παῦλος, Quē putabāt, quod in templum introduxit Paulus.

C

Verſus 30.] Commotáque eſt ciuitas tota, & facta eſt concurſio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templũ: & ſtatim clauſæ ſunt ianuæ.

Apprehendentes *Paulum trahebant eum extra templum.*] *Vt occiderent liberiùs, & maiore audacia*, inquit Chryſoſtomus, *nec templum ſanguine pollucrent.* Sicut Ioiada Pontifex *educi Athaliam extra ſepta templi, vt interficeretur foris gladio, imperauit* [e]. Et Devs *homicidam ſpontaneum, ac inſidiatorem ab altari euelli, vt moriatur* [f]. E contrario voluit idem Ioiada *Mathan Sacerdotem Baal ob maiorem execrationem interfici ante altare ſacrilegum* [g]. Sanctitas templi pium horrorem incutiebat, & immunitatem quandam inſtar aſyli continebat. Eò confugit, & ad cornu altaris Adonias, veritus Salomonem [h]: Ioab quoque, qui tamen ibi à Salomone iuſſus eſt interfici, quia egredi noluit [i].

e 2.Par.23.14. 4.Reg.11.15.
f Exod.21.14.

g 4.Reg.11.18. 2.Par.23.17.
Sanctitas templi horrorem pium incutiebat.

h 3.Reg.1.50.
i 3.Reg.2.28. 29.30.31.

D

Abulenſis [k] negat de rigore iuris fuiſſe prærogatiuam immunitatis in templo, ſeu in tabernaculo, ſed licuiſſe Iudicibus, cùm vellent, educere quoſcunque reos de templo, præceptum autem illud Exodi non tribuiſſe immunitatem, ſed ſolam reuerentiam loci, cuius tamen ratio non haberetur, ſi quis occidiſſet per inſidias, & data opera. Nam ciuitates refugij pro aliis homicidis aſſignatæ erant [l]: à quibus nullo modo abſtrahi poterant, nec in illis interfici: nefas autem erat immundis in templum intrare.

Templum non habuit prærogatiuam aſyli.
k 3.Reg.q.36. & 38. & 4 Reg.11.q.22. & 11 c.30. Ioſue q.6. & ſequẽt. & Exo. 21.q.16. & Leuit.22.q.10.

l Num.35.10. & ſeq. Deut. 19.2. & ſeqq. Ioſue 20.2.& ſeq.

E

Docet prætereà, in nouo Teſtamento longè maiorem eſſe Eccleſiarum noſtrarum immunitatem, in quibus, cùm ſint innumerabiles, non licet interficere, immò nec ex iis extrahere, niſi publicos latrones, inſidioſos occiſores, nocturnos depopulatores agrorum [m]. Item arguit Iuriſconſultos, vel Canoniſtas, qui Eccleſiarum immunitatem colligunt ex immunitate Sanctuarij: quoniam & nulla erat, & ſi fuiſſet, reſponderi poſſet, fuiſſe cæremonialem, ac proinde per ſe non inducere obligationem in noſtra lege.

Eccleſiarum noſtrarum maior eſt immunitas, quàm templi antiqui.

m c.immunitatem. extra de immunit.

Placet Doctoris huius doctrina, niſi fortè de nomine quæſtio cenſenda ſit, Vtrùm immunitatis, & aſyli nomen mereatur illa lex, quæ Sanctuario haberi præcipit reuerentiam, vel certè ſignificat, dum negat voluntariis, & inſidioſis homicidis fauere debere. Videntur Hebræi ſic legem intellexiſſe ipſo vſu, & praxi: & Demetrius rex idem aſyli ius in templo Ieroſolymitano pro ſibi obnoxiis eſſe voluit [n]: & *Zachariæ filij Barachiæ cædes inde plurimùm exaggeratur, quod facta ſit inter templum, & altare* [o]: ſiue is fuerit idem, qui filius Ioiadæ, qui eodem pacto trucidatus eſt [p], ſiue non fuerit.

Probatur aſyli ſanctio.

n 1.Mach.10. 43.

o Mat.23.35.
p 2.Par.24. 21.

Satis conſtat etiam Nadab, & Abiu intra Sanctuarium ipſum diuinitùs interfectos [q], & comminatum Devm polluentibus Sanctuarium mortem in ipſomet Sanctuario [r]. Nec propterea tamen non violatum, pollutúmve templum habebatur, ſi quis in eo cæſus eſſet, quamuis id commeruiſſet. Polluebatur enim templum, ſeu profanabatur omni cultu falſæ religionis, ſi etiam parieres inflammarentur, tecta ſubuerterentur: ſi cædes, aut flagitium admitteretur, ſola idololatria nouos, ac ſtatim expiationis requirebat ritus [ſ]. Pro aliis vna ſemel in anno ſufficiebat expiatio [t].

Templum non violabatur cæde hominum, ſed idololatria.
q Leuit.10.2.
r Leuit.22.9.

ſ 4.Reg.23.4. 2.Paral.29.5. c.29.34.
t Leuit.16.29. 16.cap.23.27. Num.29.7.

Porrò valdè latè patet omnis hæc ratio aſyli communi gentium iure apud omnes nationes, vt Hiſtoriæ teſtantur, & leges ciuiles [u], ac ſacri Canones, variique generis Scriptores, ex quibus multa recentiores quidam collegerunt [x], præter Anaſtaſium Germonium, qui tres integros libros edidit de ſacrorum immunitatibus, dicauítque Gregorio XIV. qui ſeueriorẽ ea de re Bullam ſanxit: habitúmque ſemper eſt ſacrilegium ex ſacris locis abſtraxiſſe illos, qui eò confugiſſent, ſi criminum atrocitas pro vario iure, vel more indignos beneficio ſontes feciſſet, qua de re etiam Philo [y]. Eutropius Arcadij Eunuchus, omnium colluuie facinorum infamis, cùm ab Imperatore legem extorſiſſet [z], qua immunitas omnis abrogaretur; liceréque etiam ad aras confugientes extrahere, ipſe Imperatoris poſteà declinans iram, ab ara, ad quam confugerat, abſtractus, capite truncatus eſt [a]: atque procurante Chryſoſtomo, iniqua lex abrogata. Proditum eſt de Baſilio [b], vindicaſſe viduam altare complexam à Præſidis iniuria: de Ambroſio [c], defendiſſe Creſconium, ne ibi comprehenderetur à lictoribus, quod cum non obtinuiſſet, abſtractores feræ in theatro laniarunt, quæ in abſtractum immiſſæ fuerant. Oroſius [d] memorat pœnam violatoris Maſcezilis ducis, & hac de cauſa Bonifacium comitem Auguſtinus excommunicauit [e]. Immò, quod magis mirère, Iuſtus Epiſcopatu Lugdunẽſi relicto, ſeceſſit in eremum Ægypti, diúque ibi latuit, pœnitentiam agens, quòd hominem, qui confugerat ad Eccleſiam, idem reieciſſet, vt populi ſedaret furorem, accepta priùs fide à Magiſtratu, quòd nullum illi homini periculum intentaret. Præter Surium [f] Petrus Damianus [g] narrat accuratè hiſtoriam, citans Stephanum Cardinalem. Lege præclaras hac de re ſententias apud Damaſcenum [h], & exempla apud Tilmannum Brendembachium [i]. Fuit etiam, qui propter violatum in Conſtantinopolitano templo hoc aſyli ius, cùm ad aram cuiuſdam Magiſtratus ſerui confugiſſent, mali ominis Propheta verus extiterit, cuiuſdam iambos allegans [k]:

Aſyli ratio patet apud omnes gentes.
u de his qui ad Eccl. confug. Co. Th. & lib. 1. leges Visigot. tit. 4. Caſſiod. Variar. ep. 26. l. 2. ep. 11. & edictum Theoderic. cap. 125. & Conc. Epheſ. tom. 3. cap. 25.
x Petr. Greg. 13. Synt. c. 21. & 22. Alex. ab Alex. cum Tiraquel. c. 28. Ioſep. Steph. 1. Machaira. 2. verſ. 43.
y lib. de ſpecial. legib.
Exempla immunitatis concessæ Eccleſiis videantur.
z l. 3. de his qui confugiũt ad Eccleſ. C. Theod.
a Suidas in Eutropio Chryſ. hom. in Eutrop. Nicephor. lib. 13. c. 4. Socrat. lib. 6. cap. 5. alij in vita Chryſoſtom. Sozom. lib. 8. c. 7. Proſper 3. part. de prædict. c. 38.
b Nazia. orat. de illo.
c Paulinus in vita.
d lib. 7. c. 38.
e ep. 6. in q. & refertur 17. q. 4. c. mod.
f Tom. 5.
g li. 2. Epiſt. 9. ad Nicolaũ Papam II.
h 2. parallel. c. 14. li. 3. c. 46.
i colla. 2. lib. 2.
k Niceph. lib. 14. cap. 12.

Σημεῖα καὶ γὰρ ταῦτα γίγνεσθαι φιλεῖ
Ὅταν τι νοσοῖς ἐν κατασκήψῃ μόθος

Assueuit omnem ferre triste, sanctius
Si fortè templum, polluat piaculum.

Vide apud Augustinum [a] egregiam comparationem asylorum nostrorum cum asylis Gentilium; & quo pacto etiam Barbari Gothi, capta Roma, illorum religionem reueriti sint, quod testatur quoque Procopius [b], & alij. Vtinam facinorosi pio hoc, sacroque beneficio non abutantur, nec eos cogant, quorum concessu, & auctoritate stat, id aut imminuere, aut abolere, sicut pertæsum nimiam sui temporis licentiam, Tyberium iura omnibus ferè asylis ademisse, Suetonius [c], Tacitusque [d] prodiderunt. Couarruuias [e] minùs rectè videtur hac de re scripsisse, cùm docuit originem immunitatis à lege vetere duntaxat, quam CHRISTVS abrogauerit, originem traxisse: Constantinum eam Ecclesiis dedisse. At Constantinus [f] populi solùm compressit violantis Ecclesias audaciam, nihil contulit, quod priùs iure diuino Ecclesiæ non haberent.

Asyla nostrorum templorum, Gentilium asylis præstant.
a lib.1.de Ciuit.Dei.c.1.& 4.
b 2.de bello Gothico.
c in vita.c.17.
d Ann.lib.3.
e Variarum. c.20.
Immunitatem templo quis abstulerit.
f apud Niceph.li.9.ca.35.

Et statim clausæ sunt ianuæ.] Extremæ ianuæ possunt intelligi, & Paulum omninò tractum extra templum, quoniam totus ambitus templi saltem interior vltra primam porticum, videtur in honore fuisse. Et quod Interpres vertit, τὸ εἷλκον, *trahebant*, Syrus reddit, ונגרוהי לבר מן היכלא *vegaruhi lebar mē haiechela*, id est, *& traxerunt eum extra templum*. Ita videtur sentire Caietanus. Si quis tamen templum restringat ad spatium, quod solis patebat Iudæis, satis erit, si de ianuis intelligat, quæ ad id ducebant. Hoc pacto nonnulli exponunt Zachariam *occisum inter templum, & altare* [g], hoc est, in atrio sub dio [h], quam etiam Abulensis [i] vocat *porticum Salomonis*, quod ego nunc non expendo.

g Mat.23.35.
h Glos.inter. apud Math.
i Matth.23.q.261.

Arias putat *ianuas sponte sua, diuina prouidentia id efficiente, clausas* (diuinitùs postmodum patefactæ sunt [k]) *ne populus multus irrueret in templum, cuius tumultu, & insania Apostolus obrueretur quàm breuissimè: aut illi, qui eum comprehenderant, & in templo occidere non audebant, extra templum propellentes interficerent; atque sic mansisse Paulum inter templum, & atrium Gentium, ac montem domus.*

k Ioseph.vlt. de bell.Iud.

De miraculosa ianuarum clausura non facilè consentio: tum quia miracula sine graui ratione admitti non debent; tum quia satis iam magna populi concursio erat ad obruendum Paulum, si non eos templi reuerentia tenuisset. Quocirca per milites templi, seu custodes, vel alios clausæ sunt ianuæ, aut quibus intrabatur in partem templi, ad quam Gentiles admittebantur, aut quibus in atrium Israël. Et fieri potest, vt dum traheretur Paulus, & custodes rem ad cædem spectare viderent, quæ successura esset, priusquàm penitus extra totum templum educeretur, ianuas clauserint, ita vt remanserint intra atrium Israël. Quòd si iam extra hoc eductus erat, causa claudendi etiam fuit, ne Paulus eò refugeret: etsi contingeret fundi eius sanguinem, quàm maximè fieri posset, minùs profanaretur templum, id est, pars minùs sacra. Præterea ne Gentiles in interius Iudæorum atrium impetu facto ingrederentur, maximè quòd non ignorarent Paulum impeti, quasi Gentiles eum in locum introduxisset: ideóque hinc indignationem concipere, & eum velle defendere videri poterant.

An miraculo ianuæ templi clausæ sint.

Vers. 31.] Quærentibus autem eum occidere, nunciatum est Tribuno cohortis: Quia tota confunditur Ierusalem.

QVÆRENTIBVS *autem eum occidere.*] *Iis*, inquit Arias, *qui interiùs erant, id agentibus, vt extra templum interficiendum producerent: id ipsum etiam postulantibus, & clamantibus iis, qui exteriùs tumultuabantur.* Non probo; nisi miraculum perduret, aut etiam renouetur, vt obseratæ diuinitùs ianuæ reserari aliquanto tempore non queant. Quærebant multi interficere: sed vt fit in multitudine, alij legibus agi censebant oportere: interim spatium fuit Tribuno accurrendi.

Nunciatum est Tribuno cohortis.] Syrus, אשתמעת *eschethemehhath*, id est, *auditum est*; vel, *auditione accepit*. Ἀνέβη φάσις; &c. *Ascendit fama*: vel, *peruenit rumor*; & pro Tribuno Græcè est, τῷ χιλιάρχῳ; pro cohortis, τῆς σπείρας, de quibus lege quæ notata sunt capite decimo [l].

Historia Scholastica, & Carthusianus dicunt, hunc Tribunum fuisse Claudium Lysiam, qui missus erat à Felice Præside.

l vers.1.

Lyranus ei ciuitatis curam impositam esse. Caietanus, cohortem istam fuisse præsidialium mille militum constitutorum à Romanis in arce Sion ad seruandum Regium dominium super ciuitatem Ierusalem, vt colligitur etiam ex Machabæorum historia [m]: sicque ex loci vicinitate ad templum, citiùs rumorem deferri potuisse ad Tribunum, & celeriter occurri ab eodem cum centurionibus, & militibus. Arcem illam describit egregiè Aristeas in historia LXX. Interpretum, necnon militarem custodiam. Ait *fuisse velut propugnaculum templi, ne si quando seditio, aut tumultus, hostiumve impetus ingrueret, inueniri viam posset aliquis ad templi claustra penetranda.*

In arce Sion collocati præsidiarij milites à Romanis.
m lib.1.c.1.35.

Fallitur quidam Eusebij Interpres, dum in verbis, quæ ipse hinc recitat [n], χιλίαρχον exponit *Tribunum plebis*. In Gagneio verò memoria desideratur, cùm Augustini [o] sententiam, quæ refertur item in Decreto [p], huic aptat loco, quasi Paulus Tribunum de concitata in se seditione monuerit: quod constat longè pòst contigisse, & tunc, quando secreta conspiratio erat [q]. Idem lapsus, vt opinor fuit in Ioanne Benedicto, qui ad hunc locum affigit dictum Decreti canonem.

n 2.Hist.c.20. vel 21.
o epist.50.
p 23.q.2.c.Maximianus.
q cap.23.16.

Tota confunditur Ierusalem.] Συγκέχυται. *Confusa est, & conturbata.* Tota ciuitas dicitur, quia maxima pars eius: quemadmodum & *turbatus Herodes, atque omnis Ierosolyma cum illo* [r], quando Magi aduenerunt. Pari ratione DEVM diligi *ex toto corde, mente, anima, virtute, ex omnibus viribus* [s], est præcipua, & summa cura, quam humana cōditio patitur, id à nobis fieri cum gratia DEI; quamuis & multa cogamur alia merè naturalia opera operari, & omnia venialia peccata vitare non possimus, aut motus inuoluntarios. Sic dicebat Iacob *voribus seruisse se totis viribus patri earum* [t]: & dictum est, quòd *toto corde vniuersus Israël sequebatur Absalom* [u]: & vulgò dicimus: *Totus sum in hac re, totis viribus hoc ago; nihil aliud facio, vel curo.*

Vel nomine totus, vel tota.
r Mat.2.3.
s Deut.6.5. Matth.22.36. Marc.12.30. Luc.10.27.
t Gen.31.6.
u 2.Reg.15.13.

Idem iudicium est, cùm quid per vniuersam terram diuulgatum scribitur, vel quando mundus totus aliquem sequi, & similia, quæ ex triuiali loquendi modo petuntur.

Versus 32.] Qui statim assumptis militibus, & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cùm vidissent Tribunū, & milites, cessauerunt percutere Paulum.

SYRVS, דבר לכנטרונא ולאסטרטיטא סגיאא *debar lechentruna velestratiute segaiaa*, i. *Assumpsit*

Centuriones, & milites quamplurimos. Multos fuisse credendum est ad sedandum totius ciuitatis motum;& assumpti Centuriones, qui centenis præerant, hoc indicant, & quòd Magistratus templi cum suis militibus, de quibus egimus capite quarto [a], per se soli id non potuerint.

a vers. 1.

Milites hi gentiles fuerunt.

Χιλίαρχος, pro quo Interpres priore versu *Tribunum* reddidit, à mille denominatur. Hunc, ac milites, quia, vt dixi, præsidiarij erant, & cohortis, non dubium fuisse Gentiles, & Romanos, & Agabus quoque nominatim prædixerat [b], Paulum tradendum in manus Gentium, nisi velis Gentiles nominare Iudæos desertores: quoniam Iosephus [c] agēs de Macedonico arcis præsidio, scribit admixtos fuisse ex Iudæis impiis scelestissimos, à quibus plurimùm vexabatur vrbs. Alioqui constat, dum constitit, ac suo vixit iure Hebræorum Respublica, Chiliarchos, seu Tribunos cum præfectura mille hominum, non militum propriè, ac solùm curam, sed partem quoque in politica administratione habuisse cum inferioribus Centurionibus, quinquagenariis, decurionibus, siue decanis, & aliis [d], qui præessent omnes consiliis, atque iudiciis, & demum etiam rei bellicæ [e]: reperiunturque nominati aliquando quidam principes millium [f], quod est esse chiliarchos. Et sunt, qui quod est apud Michæam [g]: *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda*, explicent [h], vt Chiliadem, & Chiliarchum creare possis.

b sup. vers. 11.
c 12. de Bello. cap. 7.
d Exo. 18. 21. Deut. 1. 15.
e Sigon. 7. de Rep. Hebræ cap. 7. & 11.
f 1. Par. 12. 20.
g cap. 5. 2.
h Sigon. supr. cap. 11.

Cessauerunt percutere Paulum.] Qui parati erant, vel iam inceperant. Posteriorem sensum indicant verba Græca ἐπαύσαντο τύπτοντες, quæ Syrus interpretatur, בהלו מן דמחין הוו *behalu men demahin hauau*, id est, *Cessauerunt ij, qui percutiebant.*

Singularis in Paulum Dei prouidentia.

Si Paulus iam erat omninò extra templum, singularis prouidentia Dei fuit, quòd inter percutientium manus non occubuerit, nulla ampliùs prohibitorum templi religione; & quòd Tribunus tempestiuè decurrerit (denotat τὸ κατέδραμεν *descensum ex loco superiore*, id est, *ex arce.*) Fuisse autem innuit, quia percussores venientem Tribunum viderunt, & is accessisse simpliciter dicitur, quasi nulla esset impeditus clausura. Quanquàm & hæc vera esse possunt, si Paulus adhuc erat intra primam porticum, vel atrium Gentilium, & ianuæ, quæ dicuntur clausæ, fuerint illæ, quibus intrabatur in atrium Israël, seu Iudæorum.

Vers. 33.] Tunc accedens Tribunus apprehendit eum, & iussit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis esset, & quid fecisset.

ET *iussit eum alligari catenis duabus.*] Constrictis manibus, pedibúsque, prout Agabus vaticinatus erat [i], & pridem Petrus ab Herode colligatus [k]. Nunc ostenditur Paulo *quanta oporteat ipsum pati pro nomine* CHRISTI [l], *qui olim trahens viros, ac mulieres in Ierusalem, qui credebant in* CHRISTVM, *tradebat in custodiam, & alligabat, & persequebatur vsque ad mortem, & cadens per Synagogas, atque puniens, & compellens blasphemare, & insaniēs in eos* [m]. Id autem propterea Tribunum fecisse Chrysostomus notat, vt populi furorem mitigaret.

i supr. vers. 11.
k cap. 12. 6.
l Act. 9. 16.
m ca. 8. 1. c. 22. 4. 19. c. 26. 10. 11.

Paulus vbi ligatus sit.

Si adhuc intra templum ligatus est Paulus, non fuit contra templi asylum, quæ, si qua erat, cædis prohibitionem tantùm continebat. Quanquàm Iosephus [n] auctor est, per hæc ipsa tempora patratas in templo cædes à seditiosis. Gregorius [o] narrat multa ex catenis, quas Paulus in collo, & manibus gestauit, miracula demonstrata in populo. Sed loqui eum credo de Romanis.

n Antiq. c. 6. vel 12.
o lib. 1. ep. 30.

Vers. 34.] Alij autem aliud clamabant in turba. Et cùm non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra.

IVSSIT *duci eum in castra.*] Εἰς τὴν παρεμβολήν. Glossa interlinearis, & Hugo: *In castra militum suorum, ne eum occiderent Iudæi.* Historia Scholastica, & Carthusianus: *In turrim regiam, in qua tenerentur captiui.* Caietanus: *In castra, quæ erant in Sion.* Omnia recidunt eòdem.

Quod addit Carthusianus, priùs interrogatum Paulum à Tribuno, vt si proprio testimonio conuinceretur, non puniretur per alios ad extorquendam notitiam suorum excessuum, sed per Tribunum iudicaretur, non intelligo quo modo sit verum: Tribunus enim non poterat supremam sententiam solus, ac per se ferre. Immò verò versus præcedens ostendit, non Paulum, sed de Paulo alios interrogatos, sicut magis exprimit textus Græcus: Τίς ἂν εἴη, καὶ τί ἐστι πεποιηκώς, cum versione Syra, ומשאל הוא עלוהי דמנו ומנא עבד *vameschael haua hhalauehi demannu vmana hhabad*, id est, *suscitatus est super eo quisnam esset, & quid fecisset.*

Tribunus non poterat per se ferre mortis sententiam.

Porrò castra erant in turri Bari, quæ ab Herode dicta est Antonia, in angulo duarum porticuum prioris tēpli; simul cum regia ibidem ædificata, & aliis quatuor per angulos turribus, è quibus ad meridianum, orientémque sita septuaginta cubitis eminebat, vt ex ea totum templum videri posset. Lege Iosephum [p], Egesippum [q], & Aristeam [r], ex quibus Iosephus describit intra turrim latitudinis magnæ Regiam cum atriis, balneis, & aulis aptissimis ad castra, vt quantùm ad vsum necessarium pertinet, ciuitas videretur: ibique milites Romanos resedisse: & quâ porticibus iungebatur, vtrinque descensum habuisse, vnde custodes commeabant.

Turris hic erat.

p 5. 6. de bel. Iud. c. 6. & lib. 15. Ant. c. 6. & lib. 15. c. 14. & lib. 18. cap. 6.
q 5. de exc. Ierosol. cap. 8.
r lib. de 72. Interp.

Versus 35.] Et cùm venisset ad gradus, contigit vt portaretur à militibus propter vim populi.

ET *cùm venisset ad gradus.*] *Quibus ascendebatur in templum*, inquit Glossa interlinearis, vel *quibus*, vt Hugo, *ascendebatur in castra*, indicans illos fuisse in ascensu Sion, quod Caietanus expressit: vel, vt Carthusianus, *qui erant in ipsa turri*: vel, vt Arias, *in atrio Gentium*, cùm esset populus frequētissimus in monte domus, & extrà expectans, & alij ponè sequerentur, ac impellerent.

Si de gradibus atrij Gentium intelligamus, id est, per quos ex atrio Iudæorum descendebatur, vel ex illo ad hoc ascendebatur, Paulus, Tribuni aduentu viso, seu cognito à Iudæis, eductus est ex atrio Iudæorum, in quo clausus tenebatur; quod videtur Arias sensisse. Si de gradibus, & ascensu ad turrem Antoniam, vtrumuis dici potest, vel eductum de atrio Iudæorum, vel de Gentilium. De gradibus in ipsamet turri, minùs probabilis est opinio; nec enim tam diu turba sese continuisset à funesto clamore contra Paulum, & priusquàm eò peruenisset, portabatur Paulus, vt est in versu sequenti, à militibus, propter vim populi, qui consequebatur eum, & propellebat, & versu prætereà

Hi gradus quomodo sint intelligendi.

trige

Digitized by Google

A trigesimoseptimo iam ingressurus castra Paulus, vel ascensurus turrem, ad quam à templo erat aliquod spatium, narratur petiisse sibi loquendi fieri potestatem.

Quod attinet ad gradus Sion, mentio est in Esdra [a] de gradibus, qui descendunt de ciuitate Dauid in ascensu muri super domum eius. Sed hi non faciunt ad rem, erátque tum templum, tum turris Antonia in eodem monte Sion, licèt turris altior esset. Leuior coniectura Comestoris in Historia Scholastica, vbi tamen etiam ponit opinionem de gradibus tépli, fuisse gradus domus propriæ, videlicet ipsius Tribuni; de domo namque Pauli non opinor illum intelligere Lucam.

a 2. Esdr. 3. 15. & 12. 36.

B Probabile est, priusquàm Tribunus imperaret Paulum duci in castra, interrogasse quis esset, & quid fecisset, intra templum in altero ex dictis atriis: cùm autem populus animaduerteret, scandi partem editiorem versùs turrem, vt deduceretur Paulus in illam, vellétque statim eum de medio tolli, maioribus vocibus exclamasse, ne differretur iudicium, & cognitio rei, ac proinde ne illuc abduceretur.

Beda notat, Græcam dictionem ἀναβαθμοὺς, significare non *descensionem de templo*, pro qua esset dictio καταβαθμοὺς, sed *ascensionem in castra*. Non est hæc necessaria ratio, quia gradus ad scandendum per se, magísve, quàm ad descendendum facti sunt.

ἀναβαθμὸς quid significet.

C *Versus 36.*] Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum.

TOLLE *eum.*] Oecumenius post Chrysostomum docet, morem Iudæis fuisse his vti vocibus contra iustos, sicut & contra Dominum ipsum [b]: iis autem significare velle, tolle eum ex viuentibus, αἶρε αὐτὸν, ἀντὶ τοῦ, ἄπαρον αὐτὸν ἐκ τῶν ζώντων. Adiicit vterque ex aliorum sententia: Τοῦτ' ἔστιν ὃ παρ' ἡμῖν λέγουσι κατὰ τὴν Ῥωμαϊκὴν συνήθειαν, ἐν τοῖς σίγνοις αὐτὸν ἔμβαλε, *Hoc est quod apud nos dicunt, iuxta Romanam consuetudinem, in signis ipsum imice*, vel *immitte*. Sequenti capite [c] similis, ac magis etiam expressa formula est: *Tolle de terra huiuscemodi, non enim fas est eum viuere.*

Tolle eum, contra quos dicatur.

b Ioan. 19. 15. Luc. 23. 18.

c vers. 22.

D Nullum Romanæ huius formulæ vestigium potui reperire. An mitti in signa est coniici eum in locum in bello, vbi vita maximè periclitetur vnà cum signis, & vexillis, vel in prima acie, vt immissus est à Dauid Vrias [d]? An quod antè dictum est [e] *trudi, tradique custodia militari*, vbi & signa tolli solent, seu erigi? Ammianus [f] scribit, *Vadomarium quendam apprehensum rectori militum arctè custodiendum apud signa commissum esse.* An edi quodã modo, ac statui in facinoroso reo signum, atque παράδειγμα, id est, exemplum, de quo dixi capite quinto [g], insigne de illo sumendo supplicium, quod intuentes pertimescant, & facinora sua dediscant?

d 2. Reg. 11. 15.

e vers. 14. Quid sit in signa tolli.

f lib. 21.

g vers. 40.

E Tolli in crucem etiam Cicero [h] dixit, quod turpissimum tormenti genus turpissimis dari solitum hominibus, insignes, notabilésque reddebat. An & eò allusit Romana formula? Apud Lucam in Euangelio dicunt Pilato Iudæi [i]: αἶρε τοῦτον, ἀπόλυσον δὲ ἡμῖν τὸν Βαραββᾶν. *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.* An est permitti militibus, vt in eum ceu in signum tela dirigant, vt est sagittis confossus martyr Sebastianus?

h in crucem tolli dixit, ad Attic. lib. 7. ep. 11.

i cap. 23. 18.

Inter militares pœnas vna erat quoque verberatio, & castigatio fustis, quæ fiebat sine carnificis opera, sed Tribuno primo leuiter tangente, ac delibante reum, hoc tanquàm signo dato, qui in castris erant omnes feriebant, alij fustibus, alij lapidibus. Lege Lipsium [k]. Itaque mitti in signa erit forsitan militibus occidẽdum assignari; quam præsertim qui signa destituissent, sustinere pœnam cogebantur. Quidquid sit, volebant Iudæi Paulum interfici, vel statim, vel interim arctè custodiri, & hoc secundum maximè puto significare Romanam formulam.

k 5. de milit. Rom. Dial. 18.

Versus 37.] Et cùm cœpisset induci in castra Paulus, dicit Tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græcè nosti?

ET *cùm cœpisset induci in castra Paulus.*] Syrus, וכד מטי למעל לםשריתא *vecbad mati lemahhal lemaschertha*, id est, *Et cùm appropinquaret, vt introiret in castra*; vel, *Et cùm iam introducendus esset in castra.* Μέλλων τε εἰσάγεσθαι εἰς τὴν παρεμβολὴν. Si versu trigesimoquinto gradus erant primi in templo, inde dici poterit cœpisse Paulum in castra induci, & priusquàm perueniret in destinatum custodiæ locum, petiisse loquendi facultatem. Tamen præpositio εἰς in verbo composito videtur indicare, paratum ingressum in illum locum: tum prætereà, quoniam vt peruenit ad gradus, portatus est à militibus, & eum populus sequebatur. Hoc probabile est, & quia non licuit Paulo anteà alloqui Tribunum præ tumultu, & violenta ipsius deportatione per militum manus.

Sed quia narratur posteà sermonem habuisse ad populum ex gradibus ipsis, & deinde inductus in castra, ne tanta sit in gradibus homonymia, malim vt dicamus, ex gradibus, vel templi, vel etiam Sion, iam humeris, manibúsve militum sublatum, priusquàm aut descendisset gradus omnes templi, aut scandisset gradus Sion, ab obuio Tribuno petiisse facultatem loquendi. Cui autem molesta non est tanta graduum multitudo, si malit conscendere gradus custodiæ in vertice Sion, per me licet: tunc verò dicat, finito sermone inductum esse in castra, hoc est, in custodiam, in cuius iam gradibus erat.

Si licet mihi loqui ad te?] Verisimile igitur non est, quod versu trigesimoquarto, vt ibi monuimus, iam interrogatum fuisse Paulum, Carthusianus affirmabat. Particulam *Si*, vim interrogandi habere meminit, qui legit caput primum [l].

l vers. 6. Tribunus Paulum an Græcè interrogauerit.

Græcè nosti?] Putat Petrus Comestor Auctor Historiæ Scholasticæ, Paulo Tribunum loquutum Græcè, ne intelligeretur ab aliis. Idem habet Glossa ordinaria, & alij, & illa, his verbis contineri vel interrogationem, vel affirmationem.

Non sequitur, non quidem quia, vt Suetonius [m] testis est, Octauius Augustus legem proposuit, vt Romani Græco, Græci Romano habitu, & sermone vterentur: nec enim vsu recepta lex est, cùm successor Tiberius Latinæ linguæ vsum [n], necnon Claudius, etiam inter Barbaros præceperit, saltem in Senatu, & iudiciis, ac sententiis (quem vt pristinum Romani Magistratus morem in Asia quoque, & Græcia refert Valerius Maximus [o]) ita vt Græciæ prouinciæ Principem Claudius ex albo Iudicum eraserit, & in peregrinitatem redegerit, quia Latinè nesciebat [p]: sed quoniam plurimi Latini peritiam habebant idiomatis Græci, quod erat in Oriente toto maximè commune. Quam dixi sæpe causam fuisse,

m in Octauio. cap. 98. Augusti lex, vt Græci Romano & habitu, & sermone vterentur.

n Suetonius in Tiberio. c. 71. Dio Histor. Rom. lib. 57.

o lib 2. c. 2.

Claudius ex albo Iudicum erasit eum qui Latinè nesciebat.

p in Claudio. c. 16.

cur Gentiles omnes vocarentur Ἕλληνες, id est, Græci.

Non fuit adeò duro, horridóque Tribunus hic ingenio, vt C. Marius, qui Græcas literas gustare, linguam vlla in re seria Græcam detrectauit vsurpare, cùm diceret *esse ridiculum literas addiscere eas, quarum alijs seruirent præceptores, & quæ ad virtutem doctoribus nihil profuissent* [a].

Marius Græcas literas penitus contempsit.

a Plutarch. in Mario, circa princip.

Vers. 38.] Nónne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum cōcitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum?

B DE hoc narrat Iosephus [b], professum esse se vatem, & seductæ multitudini pollicitum se ostensurum è monte Oliueti casum mœnium Ierusalem, ita vt per eorum ruinas pateret aditus in ciuitatem. Sed occisis à Felice Præside quadringentis ex ea multitudine, captísque ducentis, elapsum fuga disparuisse. Recitat eandem historiam Eusebius [c] citans Iosephum, & præsentem Historiæ nostræ locum, & factionem istius Magi collocat [d] in anno CHRISTI quinquagesimoquinto, & Claudij decimotertio, eóque tempore Felicem Iudæam prouinciam administrasse.

b 20. Antiq. cap. 6. vel 11. & 2. de Bell. cap. 12. *De Mago Ægyptio, Hebræorum seductore.*

c 2. Histor. cap. 20. & in Chron.

d in Chron.

Ante hos dies.] Si tunc erat annus Neronis secundus, & CHRISTI quinquagesimus octauus, vt supputat Baronius [e], abierant iam tres circiter C anni, pro quibus tamen dies nonnunquàm poni docui capite secundo [f].

e Tom. 1. Annal.

f vers. 17.

In desertum.] Eusebius [g], cum Iosepho [h] scribit, Ægyptium ductasse factiosos illos suos per desertum, & peruenisse eum illis ad montem Oliueti, vt hinc in Ierusalem irrueret.

g suprà.
h suprà.

Quatuor millia.] Iidem Auctores numerāt triginta millia. Respondent Beda, & cum ipso Glossa, Hugo, & Carthusianus; primùm quidem fortasse fuisse pauciores, posteà plures. Verisimile est ex Ægypto aduenisse pauciora illa millia, deinde plura per fraudem sibi coniunxisse: & de prioribus Tribunum loqui tanquàm de Ægyptiis: aut D inter triginta fuisse quatuor millia sicariorum.

Virorum sicariorum.] Τῶν σικαρίων. Syrus, עבדי בישתא *bhauede bischattha*, id est, *Facientium mala*, vel, *Seruorum iniquitatis suæ, sceleratorum*. Beda, alíque Latini notant fuisse hoc tempore genus latronum, qui sicas, id est, gladios breues manu gestabant, & populo permixti occultè vulnerabant, vt querelam mors præueniret, & percussor lateret. Chrysostomus, & Oecumenius meminerunt huius denominationis à gladiis reconditis, quos gestabant. Oecumenius describit gladios incuruos fuisse, & acinacibus Persarum magnitudine similes.

Sicarij quinam essent.

Meminit vterque alterius opinionis, vt fuerint iidem, qui Esseni, ita dicti, quasi ὅσιοι, id est, *Sancti*, E summo inter se amore deuincti, & continentiæ sectatores; sicarij autem, quòd id nomen *æmulatores* significare videatur.

Ceterùm longè melior prima sententia: in Essenos enim nihil aliud conuenit, præter nomen quatuor millium, quot ferè fuisse scribit Philo [i].

Ceterùm quæ hic idem, & Iosephus [k], & Plinius [l], aliíque posteriores de eorundem moribus tradunt, abhorrent penitus à seditione, factione, & bello, ita vt apud eos nemo bellicorum armorum esset opifex, vt nominatim est apud Philonem [m]. Postremò, sicariorum nomen Latinum

i lib. Quòd omnes probi sint liberi. & libr. de supplicib.

k 18. Antiq. c. cap. 2. & 2. de bell. Iud. c. 7.

l lib. 5. c. 7. *Esseni nullo modo hi fuerunt, de quibus hic agitur.*

m lib. Quòd omnes probi sint liberi.

A est, nec ab vlla radice Hebræa deriuari potest, id, quod significet *æmulatores*, seu *zelotas*, de quibus in Historia Iosephi [n] mentio est, tanquàm de nefariis gladiatoribus, & longè differunt ab Essenis. Suidas: Ζηλωταὶ, inquit, λέγονται οἱ Φαρισαῖοι ὡς ζηλωταί, *dicuntur Pharisæi, tanquàm zelotæ*. At Chrysostomus, & Oecumenius distinguunt à Pharisæis, atque Sadducæis, confundúntque, vt dictum est, cum Essenis.

n 5. de Bel. 2. & alibi.

Versus 39.] Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Iudæus à Tharso Ciliciæ, non ignotæ ciuitatis municeps. B Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.

EGo *homo sum quidem*, &c.] Ad crimen imposturæ, quod CHRISTO etiam ipsi ad consolationem seruorū suorum impositum est, CHRISTI exemplo respondet summa patientia, & modestia, & edit ipse nobis de se exemplum, vt humana iudicia negligamus, famæ simul nostræ pro communi bono consulamus. Hoc alibi notauimus exemplo quoque Basilij, fas ac necessarium prætereà esse, maximè quando calumniæ atrociores sunt, vt de hæresi, &c. Philippus Solitarius [o] ceteras calumnias ferendas censet. *Quòd si hæreticum te quis*, inquit, C *vocet, hoc solùm ne patere, nec dicas te esse; hîc irascere: alioqui* CHRISTVM *negasti, si hanc iniuriam perfers.*

Exempla maledicorum vitatum Paulus præbet.

o Diopt. l. 5.

Permisit DEVS hominum varia genera peruersorum, vt sic proborum, & orthodoxorum notior virtus, ac veritas enitescat. Lege Chrysostomi elegantem hîc super ista re digressionem, in qua meminit Paulo vitio datum, *quòd salutasset Neronis pocillatorem, & concubinam*. Sed id, quod longè pòst accidit, *non ob lasciuiam*, inquit, *fecit, vel ob mala opera, sed ob vitam rectam.*

Varia prauorum hominum genera Deus permisit.

Iudæus.] *Et gente, & religione: nec mentitur*, ait Chrysostomus, *erat námque tunc Iudæus, quæcunque oportebat, custodiens.* Iudæum se Paulus inter Iu- D dæos fateri, & prædicare solet, quoniam illi hoc maximè nomine gloriabantur: Romanum quoq; nomen assumit apud Magistratum Romanum inter verbera, & vincula, vt ab huiusmodi facinore cohibeat [p].

p vt c. 16. 37. & c. 22. 25.

Tharso.] De hac vrbe, déque Pauli natali solo dictum capite nono [q]. Tharsíne natus fuerit, an Giscalis, ibi verò tantùm educatus, vt quidam arbitrantur. Hoc loco addit Syrus, דבה יליד אנא *debah jilid ana*, id est, *in qua natus sum*. Et capite sequenti [r] Paulus ipse Iudæos alloquens, *natum se Tharsi* dicit, *nutritum in Ierusalem*. Quæ eò spectāt, vt doceat se non esse Ægyptium, nec obscuro loco natum, vel educatum.

q vers. 10.

r vers. 3. *Tharsus vnde nomen habeat.*

E *Ciliciæ.*] Nam & alia est in Bithynia.

Non ignotæ ciuitatis.] Syrus, ידיעתא *iedihbatha*, id est, *nota, celebris, famosa*. Huius vrbis celebritas cognosci potest ex his, quæ dicta sunt capite nono [s], prætereà ex ipso nomine, quod per T scriptum fuerunt deriuari ἀπὸ τοῦ ταρσοῦ, id est, *à talo Pegasi fracto*, cùm illic delapsus est; vel ἀπὸ τῆς τερσίας, id est, *ab exsiccatione, & arefactione*, aut à priore quoque voce, vt significat trabem, cui siccandæ res imponuntur, eò quòd redeuntibus diluuij tempore aquis, Taurici mōtes ea primùm ex parte siccati, arefactíque apparuerint.

s vers. 30.

Municeps.] *Quidam libri pro Municeps*, inquit Glossa interlinearis, *habent ciuis*. Idem testatur

Beda,

Beda, idque translatum in Latinos ex vno Græco πολίτης, deriuato nomine à ciuitate, quæ Græcè πόλις vocatur. Atque hoc pacto, quod Paulus ait[a]: *Nostra conuersatio in cœlis est*, nonnullos interpretatos esse: *Noster autem municipatus in cœlis est*: vt Hieronymum in epistola ad Heliodorum, quia non aliud municipatum, quàm ciuilem conuersationem, quod Græcè dicitur πολίτευμα, intelligi voluerit. Omnes codices Latini, quos quidem ego viderim, legunt *Municeps*, & Græci πολίτης: Syrus autem pro eo posuit, דבהּ ילּיד אנא *debah ialid ana*, id est, *In qua natus sum*. Existimat idem Beda vocare se Apostolum Tharsi municipem à territorio, non à ciuitate ipsa: discrimen etiam ciuitatis, & municipij affert. De hoc discrimine egimus capite decimosexto [b]. Municeps autem dici potest, qui ex ciuitate est, vel in ea natus (vt hîc vertisse Syrum dixi) quæ vtitur iure municipij: & Lyranus inhabitatorem interpretatur. Soléntque tum Oratores, tum Poëtæ municipem dicere, suæ cuiusque ciuitatis ciuem. Et capite sequenti [c] idem nomen πολίτης, Interpres vertit *ciuem*, vbi est sermo de eadem re: quod & ibi notat Beda.

a Philipp. 3. 20.

b vers. 21. *Municeps quid dicatur.*

c vers. 29.

Municipale ius concessum Ciliciæ, Vlpianus[d] tradit, *exprimens Selinum, vel Sabinum, & Traianopolim ciuitates eius, quæ essent coloniæ iuris Italici*. Sed amplius fuisse ius ciuitatis Romanæ, quàm Italicum, docui citato loco, plúsque municipium, quàm coloniam.

Municipale ius Ciliciæ concessum.

d ff. de Censibus.

Permitte mihi loqui ad populum] Valdè fidit causæ, conscius innocentiæ, certus de veritate, sollicitus non tam pro propria, quàm aliena salute.

Vers. 40.] Et cùm ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno silentio facto, alloquutus est lingua Hebræa, dicens.

STANS *in gradibus.*] Iisdem, qui versu trigesimoquarto commemorati sunt; non in iis, qui starent in ingressu turris Antoniæ, si qui tamen stabant; nec in aliis: sine causa námque, vt ibi dictum est, in tam breui sententia distinctio graduum foret. Syrus, קם על דרגא *kam hhal derabhe*, id est, *Surrexit super gradus*, dimissus videlicet è militum manibus, quibus portabatur.

Annuit manu ad plebem.] Syrus, ואויע הוא להון אידה *vezìahh haua lehun aiedah*, id est, *Et mouens erat eis manum suam*; vel, *Silentium eis indixit manu*. Κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ, *Percussit manu ad populum*. De hoc ritu aliàs[e] dixi.

e cap. 12. 17. cap. 13. 16. cap. 19. 33.

A

An expeditæ sunt iussu Tribuni de Pauli manibus catenæ, vt liberiùs loqui posset? Chrysostomus inuitans nos ad hoc spectaculum adeò visendum, & pulchrum, repræsentat nobis Apostolum duabus ligatum catenis concionantem. Fortasse laxatæ sunt aliquantulùm catenæ, ita vt Oratoris gestum non impedirent: alioqui manu vel percussa, vel protensa imperare silentium non potuisset, quod τὸ κατέσεισε, importat. *Quid huic spectaculo par*, ait Chrysostomus, *videre Paulum duabus catenis ligatum concionantem? quomodo non turbatus est? quomodo non confusus est, tantum populum exasperatum videns, astante Præside?*

Paulus catenis solutus est, vt quidam volunt.

B

Magno silentio facto.] *Non ob reuerentiam Pauli, sed*, inquit Carthusianus, *auiditate sciendi, quid excusationis prætenderet*. Credi potest, Tribuni quoque auctoritatem intercessisse, qui cùm priùs interrogasset, nihil cognoscere potuerat præ tumultu[f].

Alloquutus est lingua Hebræa.] Græca namque Tribunum alloquutus fuerat, quia ille Hebræam non tenebat: iam verò non alia potuit intelligi à populo, quàm Hebræa.

f vers. 34.

Lingua Hebræa tunc pura non erat, sed Syriaca.

Erat tunc lingua Hebræa non omninò pura, sed infecta Syriaci sermonis permixtione post Babylonicam captiuitatem; ita vt quandoque Syriaca, vel Syrochaldaica lingua nominetur, & Syriaca, seu Chaldaica nonnunquàm Iudæis vernacula fuerit: ideóque vetus Scriptura eam in linguam conuersa, etiam diu ante CHRISTI aduentum Pentateuchus quidem ab Onkelos: reliqui libri à Ionatha filio Vzielis, quæ versio dicta est Thargum Onkelos, & Thargum Ionathan.

In Euangelio multa nomina sunt Syrochaldaica.

C

Hinc est, quòd in Euangeliis sunt nonnullæ dictiones Syriacæ, vt Thalitha cumi[g], Ephetha[h], Bethesda, vel Bethsaïda[i], Gabbatha[k], Golgotha[l], Racha[m], Mammona[n], Rabboni[o], Cepha[p], Barjona[q], Haceldama[r], Manna[s], Sabacthani[t], Boanerges[u], Abba[x], Messias[y], Saphira[z], Pascha[a], Tabitha[b], Maranatha[c], & similes, quæ quamuis ex Hebraicis trahant originem, terminationem Chaldæam, seu Syram habent; vel cùm sint prorsus Chaldææ linguæ antiquioris, quàm sit Hebræa, vt quidam[d] volunt, dicuntur Hebrææ, quia Hebræi iis vtebantur eo tempore, linguáque ipsa Chaldæa. Hac lingua scriptum Matthæi Euangelium, accommodatè nimirum ad intelligentiam communem populi, verisimile penitus est: necnon epistolam ad Hebræos, vt fusè præ ceteris demonstrat noster Salmeron[e], & Michaël Amira[f], cum aliis, quos affert.

D

g Marc. 5. 41. h infrà 7. 34. i Ioan. 5. 2. k infrà 19. 13. l ibid. 17. m Matt. 5. 22. n Matt. 6. 24. o Ioan. 20. 16. p Ioan. 1. 42. q Matt. 16. 17. r Act. 1. 19. s Ioan. 6. 31. t Matth. 27. 46. u Marc. 3. 17. x Marc. 14. 36. Rom. 8. 15. Galat. 4. 6. y Ioan. 1. 41. cap. 4. 25. z Act. 5. 1. a passim in Euangeliis. b Act. 9. 36. c 1. Cor. vlt. 22. d Michaël Amira in Gram. Syr. seu Chald. & quos ipse citat. e Tom. 1. proleg. 35. f citatus antè in marg.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

SVMMARIVM.

Facta loquendi potestate à Tribuno, Paulus vinctus, è superiore graduum, seu templi, seu quà porrò tendebatur à templo ad turrem Antoniam, loco, suæ rationem doctrinæ libera oratione reddit, narrans præteritam, dum Iudæam legem sectaretur, vitam, & admirabilem de cælo vocationem ad Christianam, cum mandatis CHRISTI, *vt Nationibus prædicaret. Hoc Iudæi cùm ferrent iniquiùs, omnibusq́ modis execrarentur, & vitam Paulo hac de causa, vt Tribunus mox eriperet, importuno clamore vociferarentur; hic verò virgas illi, & quæstionem adhiberi iussisset, verùm Romanæ ciuitatis obiecto iure Paulus id euasisset, denuò Tribuni permissu, ac voluntate in concilium Iudæorum pro se vt responderet, productus est. Capite nono Pauli conuersio iam declarata est, & capite octauo nonnulla, quæ ad eius personam, & educationem spectant. Igitur hìc ea duntaxat notanda, quæ fuerint ibi prætermissa, vel si qua incident extra istam historiam.*

1 VIRI fratres, & patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem. A
2 Cùm audissent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium.
3 Et dicit: Ego sum vir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate, secus pedes Gamaliel, eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut & vos omnes estis hodie:
4 Qui hanc viam persecutus sum vsque ad mortem, alligans & tradens in custodias viros ac mulieres,
5 Sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, & omnes maiores natu, à quibus & epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, vt adducerem inde vinctos in Ierusalem vt punirentur.
6 Factum est autem, eunte me, & appropinquante Damasco media die, subitò de cælo circumfulsit me lux copiosa:
7 Et decidens in terram, audiui vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris?
8 Ego autem respondi: Quis es Domine? Dixitque ad me: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.
9 Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum.
10 Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum: & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere.
11 Et cùm non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus, veni Damascum.
12 Ananias autem quidam, vir secundùm legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis,
13 Veniens ad me, & astans dixit mihi; Saule frater respice. Et ego eadem hora respexi in eum. B
14 At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius:
15 Quia eris testis illius ad omnes homines eorum, quæ vidisti, & audisti.
16 Et nunc quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.
17 Factum est autem reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis, C
18 Et videre illum dicentem mihi: Festina, & exi velociter ex Ierusalem: quoniam

non

non recipient testimonium tuum de me.
19 Et ego dixi: Domine ipsi sciunt quia
ego eram concludens in carcerem, & cædens per synagogas, eos, qui credebant in te:
20 Et cum funderetur sanguis Stephani
testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.
21 Et dixit ad me: Vade: quoniam ego in
nationes longè mittam te.
22 Audiebant autem eum vsque ad hoc
verbum, & leuauerunt vocem suam, dicentes: Tolle de terra huiusmodi: nō enim fas est eum viuere.
23 Vociferantibus autem eis, & proiicientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aërem.
24 Iussit tribunus induci eum in castra, &
flagellis cædi, & torqueri eum, vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei.
25 Et cùm astrinxissent eum loris: dicit
astanti sibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?
26 Quo audito, Centurio accessit ad tribunum, & nunciauit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo ciuis Romanus est.
27 Accedens autem tribunus, dixit illi:
Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam.
28 Et respōdit tribunus: Ego multa summa ciuilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem & natus sum.
29 Protinus ergo discesserunt ab illo, qui
eum torturi erant. Tribunus quoque timuit postquam resciuit; quia ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum.
30 Postera autem die volens scire diligentius qua ex causa accusaretur à Iudęis, soluit eum, & iussit sacerdotes conuenire, & omne concilium, & producens Paulum, statuit inter illos.

Versus 1.] Viri fratres, & patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem.

IRI *fratres, & patres, audite.*] Sic præfatus est Stephanus [a], vt suo docuimus loco, respondens in Concilio. Vide prætereà quæ notauimus capite primo [b]. Vsurpat Paulus nomē germanitatis, & honoris, nullum adulationis, quale dominorum, *simúlque nec se alienum ab ipsis ostendit*, inquit Chrysostomus, *nec contra ipsos.* Aderant fortasse Iudæorum Sacerdotes, & ætate grandiores, quos Pattum appellatione voluit designare. Illustris charitas, & modestia tam indignè tractati, tam dirè verberati, tam turpiter catenis obstricti, tanto furore ad necē con- clamati, aduersùs ipsosmet hostes, in strepitu militari, præsente Iudice.

a cap. 7. 2.
b vers. 16. vbi exordium sine adulatione sumi se ferens.

Rationem.] Syrus, מפק ברוח, *mappak beruach, prolationem spiritus*; seu, *in spiritu*: Græca autem dictio est τῆς ἀπολογίας, significans *defensionem*, præsertim iuridicam, & forensem, vel contra τὴν κατηγορίαν, id est, *accusationem*. In capite XXV. [c] idem nomen Interpres exposuit *defensionem*, necnon posteriore ad Corinthios [d], & ad Philippenses [e], & ad Timotheum secunda [f]; in prima autem Petri [g], *satisfactionem*: quibus locis eodem semper pacto vertit Syrus, indicans in se defendendo solere depromi quicquid latens intus in animo fauere potest. Modestè non doctrinam, vel concionem suam vocat, sed defensionem, & excusationem.

c vers. 16.
d cap. 7. 11.
e cap. 1. 7.
f cap. 4. 16.
g cap. 3. 15.

Vers. 2.] Cùm audissent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium.

HEBRÆA *lingua.*] Hoc est, Syra, vt capite præcedente monui [h], & notat nunc Arias.

h vers. vlt.

Magis præstiterunt silentium.] Μᾶλλον παρέσχον ἡσυχίαν, *magis cessarunt, & conquieuerunt, propensioribus auribus, magisque arrectis audiuerunt.* Hoc non facerent, nisi popularis, & vernacula ea lingua esset, ac proinde, vt dictum est, Syra, siue Syrochaldaica.

Insitus est rerum propriarum amor, nec est, cui natiua, quamuis barbarissima, non etiam politissima, ornatissimáque dialectus videatur, & qui non alias præ sua, plusquàm barbaras, & Scythicas nominet, vt Michaël Imperator Græcus Latinā, quo cum nomine Nicolaus Papa [i] egregiè refellit. Sed & inter homines communio linguæ amicitiam mirificè conciliat, vt ostendimus capite secundo [k], quamlibet nationum diuersarum. *Vides*, ait Chrysostomus, *vt rapit illos vocis propriæ agnitio; habebant enim reuerentiam quandam linguæ illi, fortasse vt omnium primæ*, quamuis non desint [l], qui eum honorem deferant Chaldææ, vtramque comparantes, vt sunt separatæ, atq; impermixtæ.

Insitus est rerum propriarum amor.
i ep. ad eum.
k vers. 1.
l Michaël Amira in Grammatica Syriaca, siue Chaldaica.

Versus 3.] Et dicit: Ego sum vir Iudæus, natus in Tharso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate, secus pedes Gamaliel, eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut & vos omnes estis hodiè.

EGO *sum vir Iudæus.*] Valet hæc oratio tum ad comparandam sibi beneuolentiam, tum ad amouendam suspicionem, si perinde vt Tribunus existimauit, pro factioso Ægyptio illo à Iudæis haberetur: vel ad tollendam opinionē, quòd nomen, & religionem Iudæam horreret, essétve rituum aut ignarus, aut inimicus, ac proinde profanator templi, per Gentilis hominis in interiorem partem eius introductionem.

Paulus cur se Hebræum profitetur.

Natus in Tharso Ciliciæ.] Γεγεννημένος ἐν Ταρσῷ, *generatus in Tharso.* Non ergo in Giscalis, ideò autem Tharsensis nominatus, quia dumtaxat esset Tharsi educatus, eo modo quo CHRISTVS, tametsi natus in Bethleem [m], Nazaræus, seu Nazarenus cognominatus est [n]: nunquàm enim dictum est de CHRISTO, quòd in Nazareth sit generatus, vel natus, bene tamen, nutritus [o].

m Luc. 2. 4. 7.
n Matth. 2. 23. cap. 26. 71. & alibi.
o Luc. 4. 16.

Nutritus autem in ista ciuitate.] Igitur nō Tharsi,

vel

vel nō inde Tharsensis vocatur ob educationem. Puer, vel admodùm adolescens Ierosolymam adductus est studiorum causa, siquidem τὸ ἀνατεθραμμένος nutritionem significat corporis adolescentis, vnde τροφὸς, καὶ θρέμμα, non animi per se, vel solam institutionem. Iam aliquot annos vixerat Ierosolymis; cùm νεανίας interfuit, immò præfuit lapidationi Stephani [a].

Secus pedes Gamaliel.] De Gamaliele dictum est capite quinto [b]. Secus, vel ad pedes enutriri, ac institui discipulorum est, loco humiliore stantium, *quomodo Magdalena sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius* [c]. Glossa interlinearis, & Hugo non ita commodè exponunt de seruili obsequio Pauli. Meliùs Chrysostomus de constantia, sedulitate, studio in audiendo, reuerentia erga magistrum.

Ambrosius [d], vel quispiam alius exponens epistolam priorem ad Corinthios, hanc ait Synagogæ fuisse traditionem, vt sedentes disputarent seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, nouissimi super mattas, seu storeas humi stratas. Philo [e] quoque scribit, quoties in Synagogas adirent Esseni, pro dignitatis ordine, iuniores ad seniorum pedes audiendi causa consedisse. Tanti doctoris, adeóque celebris commemoratio, qui adhuc forsan viueret, plurimùm fauebat Paulo.

Eruditus iuxta veritatem paternæ legis.] Πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν, *secundùm exactionem, & exquisitionem*, & perfectam cognitionem, & exactam rationem, & rigorem legis, quam à maioribus accepimus. Non potui nescire, quanti fieri debeat lex, & locus iste: & cùm tanti facerem, patria illustri, quæ distat procul, relicta, huc aduolaui. Doctum priùs, ac bene versatum in lege, quare decuerit esse Paulum, dixi, cùm de Mathia [f] dissererem, necnon quando de Mose [g], cùm tamen rudes CHRISTVS Apostolos ceteros elegerit.

Æmulator legis, sicut & vos omnes estis hodiè.] *Immò abundantius æmulator existēs paternarum mearum traditionum, proficiens in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo* [h]: *credens omnibus, quæ in lege, & Prophetis scripta erant* [i]. Sic non fit verisimile vbique me aduersùs populum, & legem, & locum hunc docere, sicut obiicitis. Non vos latet, quàm sæpè Prophetæ nostri declamauerint contra nos; sed non maleuolè, nec odio gentis suæ: ingratus essem, si tam liberaliter hîc educatus, locum istum insequerer: impius, si à lege paterna, quam tulit DEVS, abhorrerem, quam didici summo studio, & maxima voluntate: si qua in docendi ratione discrepantia deprehenditur in me, non potuit, nisi ex maxima necessitate prouenire.

Æmulator legis.] ζηλωτὴς ὑπάρχων τοῦ ΘΕΟΥ, *Zelator existens* DEI, prout etiam Syrus vertit, טננא דאלהא *tannana delaha*, quod est, *zelator* DEI, iuxta illud: *Æmulationem* DEI *habent, sed non secundùm scientiam* [k].

Sicut & vos hodiè.] Laudat eos quasi nō se persequantur hominum respectu, sed diuino zelo: *hoc autem dicit, gratificans illis, & præoccupans illorum mentem, & detinens in his*, inquit Chrysostomus, *in quibus damnum non erat.*

Seriò id sentire, & affirmare potuit, non de Asianis Iudæis, qui Paulum in Asia persecuti fuerant, ex odio, & maleuolentia, & hîc in illum seditionem mouerant; sed de ceteris, & eorum maiore parte.

a Act. 7. 57.
b vers. 34. Quid sit institui secus pedes.
c Luc. 10. 39.
d in cap. 14. Ordo antiquus sedendi in Synagoga.
e lib. Quòd omnis probus sit liber.
f cap. 1. vlt.
g cap. 7. 22.
Paulus fuit in lege doctissimus.
h Gal. 1. 14.
i Acto. 24. 14.
k Rom. 10. 2.
Paulus quomodo de Iudæis bene loqui potuit.

Vers. 4.] **Qui hanc viam persecutus sum vsque ad mortem, alligans, & tradens in custodias viros, ac mulieres.**

QVI *hanc viam persecutus sum.*] Hac in re quondam similis vobis, qui me ob zelum legis persequimini. De nomine viæ lege caput nonum [l].

Vsque ad mortem.] *Spirans enim fuit minarum, & cædis in Discipulos Domini* [m], & mortis Stephani præcipuus auctor: & vt aliquorum opinio est, præter Stephanum, alij quoque interfecti sunt [n]; certè mortem ipsemet procurabat, & *cùm occiderentur, sententiam deferebat* [o]. Verum est quoque, quòd persequebatur Paulus vsque ad mortem suam, hoc est, cum periculo propriæ mortis, id enim necessariò subeunt qui, vt ipse, alienā mortem tam diligenter procurant & domi, & foris. Sed priorem sensum intendit hoc loco Paulus: etiam si Hugo cum Glossa interlineari posteriorem quoque recipiant, ac interpretentur paratum fuisse Paulum pro lege mori.

Versus 5.] **Sicut princeps Sacerdotum mihi testimonium reddit, & omnes maiores natu, à quibus & epistolas accipiēs ad fratres Damascum pergebam, vt adducerem inde vinctos in Ierusalem, vt punirentur.**

SICVT *princeps Sacerdotum.*] Is, qui tunc annuum Pontificatum gerebat, seu Annas, seu Caiphas; cuius si neuter supererat, extabant datæ Paulo literæ, maximè authenticum, & locupletissimum testimonium.

Et omnes maiores natu.] Καὶ πᾶν τὸ πρεσβυτέριον, *omne presbyterium.* Totus seniorum ordo, de quibus capite quarto [p], quatenus Iudæi erant; de Ecclesiasticis verò capite XV. [q] Interpres in priore ad Timotheum [r] retinuit Græcam vocem, *Cum impositione manuum presbyterij*, id est, ordinis Episcopalis tibi traditi, vel Episcoporum, qui te ordinauerunt. At in Euangelio Lucæ [s], τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, vertit, *seniores populi*: & quandoque presbyteros, &, vt hoc loco, *maiores natu*, & seniores, pro voce τῶν πρεσβυτέρων, vt aliàs [t] notatum est.

A quibus & epistolas accipiens.] Capite nono [u] mentio est tantùm de epistolis principis Sacerdotum. Sed ad hoc ibi respondimus. Sicut & cùm de principibus Sacerdotum in numero multitudinis ibidem [x], & capite 26. [y] hîc autem & priore loco capitis noni, solùm de principe. Lyranus ait, quòd Paulus reseruauerat literas sibi datas à principe Sacerdotum de consilio maiorum, vt eas proferret eorum testes, quæ tunc gessisset, quasi indicet significatum nunc à Paulo posse, si velit, eas producere. Probabilis coniectura, nisi obstet, ac difficile creditu sit, tanta in tali re Apostolum diligentia & cautela vsum esse.

Ad fratres.] Vatablus explicat, *aduersùs fratres.* Timuit fortassis, ne Paulus Iudæos, quos alloquebatur, fratres hîc appellaret, sicut appellauerat tamen initio capitis, & aliàs in hac Historia [z]. *Et Iudæi ipsum, ac Barnabam* [a], & epistola ad Romanos [b], & ad Hebræos [c], illos, inquam, qui nōdum erant Christiani, sicut & Petrus [d], & Stephanus [e]. Editio Syra homonymiam sustulit,

l vers. 2.
m Act. 9. 1.
n vt eodem capite notatum est.
o cap. 26. 10.
De voce presbyterij.
p vers. 5.
q vers. 4.
r cap. 4. 14.
s Cap. 22. 66.
t cap. 20. vers. 17. & c. 4.
u vers. 2.
x vers. 14.
y vers. 10.
Paulus reseruarat à Principe Sacerdotum sibi datas literas.
z ca. 13. 15.
a cap. 13. 15.
b cap. 9. 3.
c cap. 3. 1. 12. 10. 19.
d Act. 2. 29.
e Act. 7. 2.

A דמנהון קבלת אגרתא דאזל לות אחא ובדמסקוס דאף להנון דית הוו תמן איתא אנון *demennehun kabbeleth aggeratha dezal lenath ache debaddarmakus daaph lehanun dith hauan thamman methe innun*, id est, *A quibus accepi epistolas, vt proficiscerer ad fratres, qui erant in Damasco, adducturus etiam eos, qui illic essent.* Itaque literæ erant ad fratres Iudæos, sed vt indicarent nouæ viæ viros, ac mulieres, & consilio, réque ad vinciendos illos adiuuarent. Fateor præpositionem Latinam *ad*, & Græcam πρὸς, cum accusatiuo, vt hîc est, aliquando sumi pro *contra*, & *aduersus* [a]: vnde λόγος πρός τινα, *oratio aduersus aliquem*; tamen præsens locus nõ exigit, sed repugnat potiùs tali significationi.

a vt Luc. 20. 19. & alibi.

B *Vt punirentur.*] Syrus, ונקבלון מסן ברישא *vanekabelun mesan berischa*, id est, *vt reciperent positum in caput*; vel, *vt mulctam capiti impositam subirent*. ἵνα τιμωρηθῶσιν. Hoc quidem est, quod antè dixit, *vsque ad mortem*, & τιμωρία, vt pridem cum Gellio [b] notauimus [c], est animaduersio seuerior, qua dignitati consulitur, auctoritatíve eius, in quem peccatum est: nihilominùs, ipsomet auctore Gellio, non ita semper strictè nomen id accipitur, sed pro quacunque punitione, ac proinde idem sentiendum de verbo, quod in actiua voce posteà reddidit Interpres eodem modo. Syrus autem per verbum sæuiendi, *per omnes Synagogas frequenter puniens eos*, τιμωρῶν, profectò non occidens, etsi fortasse volens occidere, & cum flagellis minitans mortem.

τιμωρία quid sit.
b lib. 6. c. 14.
c cap. 5. 40.

C *Vers. 6.*] Factum est autem eunte me, & appropinquante Damasco media die, subitò de cœlo circumfulsit me lux copiosa.

MEDIA *die.*] Περὶ μεσημβρίαν. In capite XXVI. [d] Ἡμέρας μέσης, *die media*, vbi deest particula restringens. In nono autem capite non exprimitur hæc circumstantia, magni sanè momenti, prout nos ibi exposuimus.

d vers. 13.

Circumfulsit me.] In capite XXVI. [e] *Et eos, qui mecum simul erant.*

e vers. 13.

D *Lux copiosa.*] Et de lucis copia capite item nono [f] diximus, vbi omittitur. In vigesimo verò sexto [g] dicitur fuisse supra splendorem Solis, die media collucentis. Φῶς ἱκανὸν, hoc loco vocatur, quam Syrus exponit, נהרא סגיאא *nuchara segijaa*, *lucem plurimam.* Τὸ ἱκανὸν primaria significatione est id, quod sufficit, sed sumitur quoq; pro abundante, multo, copioso, sicut Itali dicunt hoc modo *assai*, Galli, *assez*, Hispani, *harto*. Et contrà, *non nimium* ab iisdem dicitur, cùm est parum.

f vers. 3.
g vers. 13.

Vers. 7.] Et decidens in terram, audiui vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris?

E ET *decidens in terram.*] Cap. XXVI. [h] *Omnésque nos cùm decidissemus in terram,*

h vers. 14.

Audiui vocem dicentem mihi.] In capite XXVI. [i] *Audiui vocem loquentem mihi Hebraica lingua.* Fuisset ad rem hîc etiam id exprimi, vt se hac ratione magis confirmaret Iudæum, & Iudæorum linguæ intelligentem, hoc est, Syræ, seu Syrochaldaicæ.

i vers. 14.

Saule, Saule.] Hebraica, seu vulgari quæ tunc erat, Iudæorum lingua dictum est Saül, Saül: & Glossa ordinaria refert quædam exemplaria sic

A habere: Græca sic habent.

Quid me persequeris?] Simul rationem reddit cur coactus sit obedire vocanti: & suos persecutores carpit, & diuinam iustitiam celebrat, quòd ipse persecutor persecutionem pro eadem causa patiatur ab ipsis, & ipsos verò, nisi resipiscant, grauius supplicium maneat. Nam ipsum quidem, qui auctoritate, & honore pollebat apud eos, dum persequeretur nomen Christianum, nõ honor, non vtilitas, non deliciæ mouere potuerunt, vt persequi desinens, iis etiam se, quos persequebatur, adiungeret. Sed sola vis veritatis, pro qua non poterat dubitare, eadem se passurum, quæ iis parasset, quos erat persecutus, ac his etiam grauiora. Eandem necessitatem, quæ Paulo imposita

Minatur Paulus suis persecutoribus immane supplicium, eo quod non se, sed Christum persequantur.

B esset, vrgent valdè verba, quæ sunt capite IX. [k] & XXVI. [l] *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, de quibus egimus capite nono [m].

k vers. 5.
l vers. 14.
m vers. 5.

Vers. 8.] Ego autem respondi: Quis es Domine? Dixítque ad me: Ego sum IESVS Nazarenus, quẽ tu persequeris.

EGO *sum* IESVS *Nazarenus.*] Cognomen Nazareni nec in nono, nec est in capite vigesimosexto. Cur autem appositum, dixi capite nono [n], & secundo [o].

n vers. 5.
o vers. 22.

C *Vers. 9.*] Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum.

LVMEN *quidem viderunt.*] Hoc est, quod capite XXVI. [p] dicitur, *quòd lumen circumfulsit eos, qui cum ipso erant.*

p vers. 13.

Vocem autem non audiuerunt eius, qui loquebatur mecum.] In capite nono [q]: *Audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Audierunt confusè, non distinctè, vt ibi respondimus; & cum aliis ibidem citatis respondet etiam Eucherius [r]. Quæ conciliatio simplicior, & melior, quàm vt audiuisse ibi dicantur vocem Pauli: hîc non audisse

q vers. 7.
r quæst. in Acta.

D vocem loquentis Paulo, quemadmodum respondent Chrysostomus, & Arator [s].

s lib. Carminum in Acta.

Vers. 10.] Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me, Surgens vade Damascum; & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere.

DICETVR *de omnibus, quæ te oporteat facere.*] λαληθήσεταί σοι περὶ πάντων, ὧν τέτακταί σοι ποιῆσαι. *De omnibus, quæ ordinata sunt tibi vt facias.* In capite nono [t]: Τί σε δεῖ ποιεῖν, *Quid te oporteat facere.* In capite XXVI. [u] distinctiùs exprimitur quid

t vers. 6.
u vers. 16.

E illud sit. Hi autem duo modi sunt loquendi, qui coincidunt. Obediendum enim videlicet ordinationi diuinæ, Paulum plenè apud Iudæos excusant, & planè satisfaciunt accusationi de conuersatione, ac prædicatione inter Gentes: multò autem magis quæ sequuntur.

Paulus ab omni culpa se immunem ostendit.

Versus 11.] Et cùm non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus, veni Damascum.

Cur non læsi sunt comitum Pauli oculi.
a vers. 8.

ET cùm non viderem præ claritate luminis illius.] Apertis oculis, vt est capite nono [a], vbi docuimus, quare magis læsi sint eius oculi, quàm comitum, vtpote quorum aut nullum, aut minus peccatum erat, quia parebant, & de tota excæcatione per nimiam lucem. Non verbi præcepto tantùm, sed etiam verbere compulsus est ad obedientiam. Et supererant forsan quidam de comitibus, è quibus videtur non nemo ex officialium, quos appellant, numero fuisse, ita vt ambigi nequiuerit vera Paulum narrare.

Vers. 12.] Ananias autem quidam, vir timoratus secundùm legem, testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis.

b vers. 1.
Anania præceptoris Pauli laudes.

ANANIAS *autem quidam.*] Pronomen hoc non semper contemptum indicare docui capite quinto [b], quando nominibus propriis coniungitur. Affert Paulus eius, qui sibi visum reddidit, & baptizauit, iussa DEI exposuit de prædicando vbique CHRISTO, eximias laudes, à pietate, doctrina, bona fama, quæ tria doctorem in primis decent: vt non potuerit à tali viro, tantis se afficiente beneficiis, tam expressum allatum DEI præceptum non amplecti.

Timoratus secundùm legem.] Quidam codices Latini carent omni epitheto. Syrus, כאנא בנמוסא *china benamusa*, id est, *iustus in lege.* Εὐλαβὴς κατὰ τὸν νόμον. Alij codices, Εὐσεβὴς, *pius.* Idem interpres Syrus, cùm Simeon vocatur εὐλαβὴς [c], pro quo editio nostra habet, *timoratus*, ponit זדיק *zadik, iustus.* In capite item octauo [d] huius historiæ, qui Stephanum curauerunt, vocantur *timorati*, Græcè, εὐλαβεῖς, Syriacè, מהימנא *mehaiemene, fideles.*

c Luc. 2. 25.
d vers. 2.

Ananias legem custodiens Paulum instruxit.

Egregium testimonium ab eo, qui legem cum timore custodiens, legi non aduersaretur, nec DEI iussu moneret prædicari contra legem, quippe cùm hæc prædicatio non ad legis pertineat solutionem per se, vt CHRISTVS etiam docuit, sed ad adimpletionẽ [e]: & cæremoniæ legis tantisper durare sinantur, dum perfectè adimpleantur, & Euangelij plenitudo subeat pro ipsis.

e Mat. 5. 17.

Testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis.] Μαρτυρούμενος ὑπὸ πάντων τῶν κατοικούντων ἐν Δαμασκῷ Ἰουδαίων. Vbi secundum participium *habitantes*, significat, non *cohabitantes*, sicut & quidam codices Latini legunt, & *in Damasco*, nonnulli etiã habent, & aliqui ex Græcis omittunt, sicut & Syra editio. Latinè emendata Biblia sensum optimè reddunt per compositum participium *cohabitantibus*, quod respectum dicit ad Damascum, de qua proximè præcedente versu, ita vt illam distinctè poni denuò necesse non fuerit. Non potuit magis idoneum pro se Paulus afferre testem, quàm qui Iudæorum testimonio probatus esset.

Versus 13.] Veniens ad me, & astans dixit mihi: Saule frater respice. Et ego eadem hora respexi in eum.

ET *astans.*] Meliùs quàm vt est in quibusdam codicibus, *stans.* Græcè namq; legimus ἐπιστάς.

Respice.] Pressiùs hoc narratur quàm capite nono [f]. Est autem credibile imperatorio hoc verbo vsum Ananiam post expositam legationem suam, & auctoritatem CHRISTI, à quo mittebatur. Sic CHRISTVS cæco, *Respice*, dixit [g].

f vers. 17.
g Luc. 18. 42.

Et ego eadem hora. Αὐτῇ τῇ ὥρᾳ. Syr. ובה בשעתא *vbah beschabhatha*, id est, *eo momento.* In capite nono [h] habetur, *quod confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit* εὐθέως. Syrus, *Eo momento*, simúlque cùm decidentibus squamis restitutum visum credi potest; vt maxima ex parte miraculorum ceterorum præstantia consistit quoque in celeritate, & moræ breuitate, quæ per virtutem diuinam durationis non indigam patrantur.

h vers. 18.
Miraculorum præstantia ... sistit in celeritate.

Igitur *eadem hora* hîc, & alibi [i], cùm agitur de miraculis, non amplectitur latitudinem totius horæ, sed idem quod, eodem puncto, & momento temporis, statim, cõfestim, illicò, &c. Vnde non solùm aliàs pro αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, ponitur εὐθέως, vt dictum est, sed etiam παραχρῆμα [k]. Denique apud Hebræos momentum temporis, aut breuissimum quodque spatium, solet hora, שעה *schahhah*, vel שעתא *schahhatha* appellari, quæ vox videtur potiùs Chaldæa, & Rabbinorum, semélque prior solùm ac, iterum vsurpata à Daniele, qui Chaldaicè [l] scripsit. Sed & indefinitè quoduis tempus horam dici, multa sunt in Scripturis exempla [m].

Quid significet hora in ... [illegible]
i Matt. 8. 13. 9. 22. cap. 15. 28. c. 17. 18.
k Luc. 8. 47.
l cap. 4. 16. c. 5. 5.
m colliges ... in Indice phrasis ... hora, ...

Respexi in eum.] Fortasse Ananiam, cùm dixit, *Respice*, intellexit Paulus, siue Saulus, vt respiceret in illum: ἀναβλέψας quidem, & ἀνέβλεψα, καὶ τὸ ἀναβλέπειν, videntur significare, *Suspice*, & *suspexi*, seu, *sursum aspice in me*, & *aspexi in eum.* Quod autem claudo dixit Petrus [n], *Respice in nos*, est Græcè, βλέψον εἰς ἡμᾶς.

n Act. 3. 4.

Versus 14.] At ille dixit: DEVS patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem de ore eius.

DEVS *patrum nostrorum.*] Libenter & Ananias hoc vsurpauit, alloquens Paulum, & Paulus nunc recitat, vt constet non discrepare legem CHRISTI à vetere; sed eundem vtriusque conditorem esse, cùm ille ipse, qui patrum DEVS erat, iniunxerit Euangelium prædicari. Eodem artificio vsus est Petrus in sermone ad Iudæos [o]: quod valet etiam ad conciliandam beneuolentiam; cum iisdem patribus, vt eodem DEO glorientur. Egregia Ecclesiæ præscriptio antiquitatis est, & clarissima tessera veritatis, colere DEVM patrum nostrorum, vetustam tenere religionem, conseruare præteritorum tot seculorum fidem, non modernam, nouitiam, nuperam, recentem, heri natam, vel renatam, qualis omnium Hæreticorum.

Deus vtriusque Testamenti idem.
o Act. 3. 13. c. 5. 30.
Egregia Ecclesiæ præscriptio antiquitatis.

Præordinauit te.] Syrus, אקימך *akimach, Constituit te.* Προεχειρίσατό σε, *preparauit te*, delegit, designauit, sumpsit ad hoc, vt, &c. fecit, vt in promptu esses, in expedito positus, & quasi πρόχειρος, ad manum.

Pertinet hoc ad partem prædestinationis, quæ vt nos Caluinus affirmare calumniatur, non sequitur præparationes nostras, quasi nos libero arbitrio nostro anteuertamus DEI gratiam. Nascuntur illæ non solùm ex æterno diuinæ prædestinationis beneplacito, sed in omni etiam eo, qui iustificatur (nec enim quicunque iustificatur, est item prædestinatus, vt idem Hæreticus existimauit) ex speciali actuali gratia præueniente, sine qua gratia quælibet alia purè moralia bona opera præparationum; seu dispositionũ ad iustificantem gratiam propriè vim, vel nomen non habent: cùm ipsa

Prædestinatio non ... ; sed ... Dei ...
Iustificantur ex gratia Dei ... præueniente.

ipsa autem voluntas nostra liberè se præparat, ac disponit, liberè acceptando, & liberè ipsi cooperando. Caietanus exponit, Ananiam dicere voluisse rem gestam in via fuisse præparationem ipsius Pauli ad cognoscendum voluntatem DEI. Melior sensus primus.

Voluntas in iustificatione libere cooperatur.

Et videres iustum.] Καὶ ἰδεῖν τὸν δίκαιον. Syrus, לזדיקא *lezadika, iustum illum*; nempe CHRISTVM, sicut & capite tertio [a]; & septimo [b], vbi declarauimus hoc epithetū CHRISTI, vt mirum sit Vatablum exponere, *id quod iustum est*, cùm sit articulus masculinus τὸν, & sequentia verba, *& audires vocem ex ore eius*, referantur non ad DEVM patrum, qui per attributionem est DEVS PATER, sed ad FILIVM eius incarnatum CHRISTVM, cuius in via Paulus ex ore vocem audiuit. Ita quoque omnes intellexerunt, ex quibus Chrysostomus latentem aculeum notat, vt quia iustus CHRISTVS, Iudæi sint rei, qui & ipsum crucifixerint, & eius prædicatores persequerentur.

a vers. 14.
b vers. 52.

Et audires vocem de ore eius.] Ex visione, & auditione CHRISTI collegimus argumentum capite nono inter alia, Paulo CHRISTVM in via verè apparuisse tanquàm ibi præsentem, sese videndo, propè exhibendo, & colloquendo αὐτοπροσώπως.

Christus in via ostri Paulo apparuit.

Versus 15.] Quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti, & audisti.

AD *omnes homines.*] Omnis generis homines, tum Iudæos, tum Gentiles.

Eorum quæ vidisti, & audisti.] Testimonium, quod Paulus editurus erat, nec de his solis, nec præcipuè futurum erat, hoc est, de visis, ac auditis, dum vocatus est in via: tamen ad faciendam fidem rebus aliis, de quibus prædicaret, plurimùm conferebat, si se posset oculatum, & auritum testem probare. Quocirca non modò nunc, iterúmque posteà [c] coram Rege Agrippa enucleatè narrat hæc omnia, sed in epistolis quoque non semel [d] inculcat.

Paulus plurima prædicauit, quæ non vidit, nec audiuit, dū vocatus est.

c cap. 26. 12.
d 1. Cor. 9. 1. cap. 15. 8.

Sic aliàs [e] monui Apostolos iussos edere testimonium de CHRISTI Resurrectione non sola, nec fortè potissimùm, sed quoniam reliquis ab eo traditis, & ab Apostolis prædicatis maximum auctoritatis pondus accederet, si probare Apostoli possent CHRISTVM, qui iam inter homines non appareret, post infamem mortem viuum cum hominibus aliquamdiu mansisse, ac tandem in cœlum abiisse.

e Act. 1. 22.
Cur Apostoli testimonium de Resurrectione Christi dare iussi sunt.

Digreditur eleganter, ac piè Chrysostomus qua ratione & nos DEI doctrinam testificari non verbis magis, quàm vita debeamus, & esse martyres, si non moriendo, certè rectè tum docendo, tum viuendo, atque renitendo falsæ doctrinæ, quam non impij duntaxat homines, sed nostræ nobis etiam passiones suggerunt, ne quem nos fatemur nosse, factis negemus [f].

f Tit. 1. 16.

Vers. 16.] Et nunc quid moraris? exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.

ET *nunc quid moraris?*] Non reprehensio est, sed gratulatio cum adhortatione, & inuitatione, quasi minimè dubitandum esset Paulo, vel differendum, talibus iam dispositionibus diuinis præparato. Eodem ferè pacto excitans seipsum Eunuchus, sentiénsque paratum animum suum, Philippum prouocauit ad Baptismum sibi conferendum: *Quid prohibet me baptizari* [g]? Et Petrus certus de DEI voluntate, déque Cornelij, & sociorum, ex dono SPIRITVS sancti, quod acceperant, optima dispositione: *Nunquid*, ait [h], *aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui SPIRITVM sanctum acceperunt, sicut & nos?*

Ananias hortatur Paulum, vt baptizetur.

g Act. 8. 36.
h cap. 10. 47.

Exurge, & baptizare.] Ἀναστὰς βάπτισαι, *exurgens baptizare.* Vel sedebat, vel iacebat, vel nixus genibus orabat, vel exurgere, est alacriter ac promptè Baptismum suscipere.

Ablue peccata tua.] Baptismum suscipiens liberè libenterque, & ea, qua par est, dispositione, facere ipse dicitur, quod efficienter Baptismus facit: quemadmodū *spem habens sanctificat seipsum*, vt Ioannes [i] loquitur, nempe dispositiuè.

Baptismum suscipiens abluit peccata sua.

i 1. epi. 3. 3.

Sanguis CHRISTI est causa meritoria, & remedium generale pro peccatis nostris, DEVS causa principalis, vt qui CHRISTVM nobis dederit, & gratiam producat: gratia inhærens habitualis est formalis causa iustificationis: Baptismus, vt & alia Sacramenta, instrumentum, per quod DEVS efficit gratiam ipsi, & cuiuis Sacramento conuenientem.

Iustificationis causa quæ sint.

Quapropter instrumentarius hic ad abluenda peccata concursus Baptismi, & iste, qui ad symbolum aquæ transfertur honor, non abolet vim sanguinis CHRISTI, non irrogat CHRISTO, vel SPIRITVI sancto iniuriam, non est superstitiosus, vt Caluinus [k] garrit, parum sibi cōstans, cùm non semel agnoscat, & doceat [l], *subalternam in Sacramentis virtutem DEI misericordiæ subiectam, efficientiæ ministrantem, gloriæ obsequentem, æsquè cum CHRISTI sanguine, & SPIRITVS sancti operatione inferius organum, & secundarium instrumentum, & medium, non secus ac*, inquit, *per panem, ceteráque alimenta pasci corpora nostra, per Solem illuminat, per ignem calefacit.*

Baptismus non irrogat Christo iniuriam.

k hoc loco. Caluinus sibi contradicit.
l 2. Inst. cap. 17. num. 1. lib. 4. cap. 14. nu. 12.

Sed caue quod sequitur, & videtur ex quorūdam Philosophorum [m] petitum sententia, qui omnia DEVM immediatè operari volunt ad præsentiam secundarum causarum, has verò nihil: *nec tamen*, inquit, *aut panis, aut Sol, aut ignis aliquid sunt, nisi quatenus sub iis instrumentis suis benedictiones suas nobis dispensat.*

m Apud Auerroem 9. Metaphys. com. 7. libro 12. com. 18. Apud Alber. 2. Phys. tract. 2 cap. 1. apud S. Thomam, 3. con. Gen. cap. 69. 1. par. q 105. articulo 5. 2. dist. 1. q. 1. ar. 4 & probabile putat Gabriel 4. dist. 1. q. 1. art. 1. dub. 1.

Illud ergo genus causæ saltem tribuere cogitur Sacramentis, quod naturalibus causis, etsi dupliciter malè philosophatur, & quia omnem veram efficientiam de causis naturalibus tollit, & quoniam paria in genere causandi Sacramenta illis facit, cùm tamen non sint nisi instrumenta, vim in se permanentē non continentia, sed ex solo DEI influxu actuali penitus dependentia.

Caluinus malus Philosophus nullam secundis causis vim tribuit.

Suppeditant verò nobis præsentis loci verba aliud argumentum contra eundem Caluinum, qui sentit Baptismi Sacramento, vel aliis, non fieri, sed obsignari, & confirmari fidem, in qua iustitiam collocat, & peccata residere in animo, solùm non imputari (qua in re plures alij Hæretici huius temporis concordant) & Sacramenta esse tantùm signa, & adminicula infirmitatis fidei nostræ, quibus visis cognoscimus, firmitérque credimus nobis esse remissa peccata.

Error a multis Catenis consutatur.
Ablutio in Baptismo non est fidei.

Ablue peccata tua, inquit Ananias; ergo abstergantur sordes, ergo ablutio ista aliud est, quàm fidei confirmatio, quàm nitoris iustitiæ obsignatio, confirmatio, declaratio, sicut ablutio non ostendit ablatas maculas, sed aufert.

Verisimile est Paulo, priusquàm baptizaretur,

Cur Paulus, cui ante Baptismum peccata fuerunt remissa, sit baptizatus.

iam remissa esse peccata; tamen iubetur baptizari, vt illa abluat, quia vel id Ananiæ, aut Paulo non constabat, vel aliquis forsitan pœnæ reatus, aut leuiora peccata supererant: vel restabant vulnera concupiscentiæ, & passionum: denique, vt iam dudum docuimus capite nono, & de Cornelio in decimo, Baptismus, quod in se est, abluit peccata, nec delentur priùs absque onere suscipiendi Baptismi, atque per hanc portam intrandi in Ecclesiam solemniter, ac visibiliter.

Inuocato nomine ipsius.] Ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τοῦ ΚΥΡΊΟΥ, *Inuocans*, vel, *cùm inuocaueris nomen Domini.* Non intelligitur itaque de inuocatione in forma Baptismi: formam enim baptizans pronunciat, non is, qui baptizatur. *Non dixit*, ait Chrysostomus, *vt in nomine illius baptizeris, sed inuocato nomine* CHRISTI, *per quod demonstrat illum* DEVM *esse: neque enim alium, quàm* DEVM *inuocare fas est.*

Christus est Deus.

Tamen si dixisset priore modo, rectè monstrasset CHRISTVM DEVM esse, quia nonnisi in nomine DEI, hoc est, Baptismo à DEO instituto, vel in forma, quæ DEVM personis distinctum PATRIS, & FILII, & SPIRITVS sancti contineat, potest quisquam baptizari. Sed clarior CHRISTI diuinitatis demonstratio est pro catechumeno, si doceatur illum inuocare; quamuis quoque liceat DEI seruos, vt apud ipsum intercedant, inuocare.

Inuocatio Christi est vna Baptismi dispositio.

Vna ex dispositionibus, quæ ab adultis exiguntur ante Baptismum, est oratio, & inuocatio nominatim directa ad CHRISTVM: nec proptereà, vt pergit Caluinus absurdè ratiocinari, demitur inde quidquam de Sacramenti virtute, & efficacia, vt nec de cuiuslibet causæ, cùm in subiecto requiritur dispositio, aut applicatio, debitáve alia conditio.

Ipsius.] Ad Iustum, hoc est, ad CHRISTVM, illo epitheto descriptum versu decimoquarto refertur: illum textus Græcus expressit nomine τοῦ ΚΥΡΊΟΥ, *Domini*, quod sæpiùs de CHRISTO dici aliàs ostensum est [a].

a cap. 1. 6.

Vers. 17.] Factum est autem reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis.

FACTVM *est autem*, &c.] Subiicit aliud testimonium diuinum, quo & se quodammodò purgat, cur ad Gentes diuertere sit coactus, relicta Ierosolymitana ciuitate, & Iudæos percellit, voluisse quidem ea in ciuitate potissimùm, atque contribulibus suis prædicare: cæterùm DEI responso prohibitum, cùm significaret nihil ibi, aut apud Iudæos promoturum: neque valuisse, quod excepit apud DEVM de persecutione, quam ipse haud pridem tam dirè commouisset in Christianos, cuius recens memoria inducere Iudæos posset, sibi nunc Christianis cõsentienti vt crederent: vtilisse námque cœleste præceptum ad Gentes demigrare, ibi vtilem operam collocaturum.

Deus prohibuit Paulum Hebræis prædicare.

Quando Paulo ac visio obtigerit.

De tempore huius visionis, sítne *raptus illi vsque ad tertium cœlum* [b], *seu paradisum*, dixi capite nono: nec desunt, qui dictum raptum putent accidisse, quando Antiochiæ segregatus est cum Barnaba, & ordinatus [c].

b 2. Corinth. 12. 1. 2.

c Act. 13. 2.

Oranti in templo.] Meliùs, ac religiosiùs ibi oratur per se loquendo, vtpote in domo orationis [d]: qua de re in capite tertio [e].

d Mat. 21. 13.

e vers. 1.

In stupore mentis.] Ἐν ἐκστάσει. De qua voce Græca, & vt Latinitate donata vocatur extasis, egimus capite tertio [f], & decimo [g]: necnon de re ipsa: hoc est, de variis modis extasis, & raptus, tum illis locis, tum in capite nono.

f vers. 10.

g vers. 10.

Versus 18.] Et videre illum dicentem mihi: Festina, & exi velociter ex Ierusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me.

ET *videre illum dicentem mihi.*] Syrus, וחזיתה כחזוא כד אמר לי, *vechazitheh bechezua chad amar li*, id est, *Vidique eum in visione, cùm diceret mihi.* Rectè; non enim quis propriè videt dicẽtem, sed audit, videt illum, quem audit, vel videtur sibi audire, si visio non est sensuum externorum.

Illum,] CHRISTVM, qui versu sequenti monet, non recipiẽdum à Iudæis testimonium, quod Paulus edere volebat.

Festina, & exi velociter ex Ierusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me.] Tanta, & adeò velox festinatio in egressu ex Ierusalem præter causam, quæ exprimitur, præmítque Iudæos acerrimè, innuit forsitan ingruens, paratúmque Paulo à Iudæis periculum. Prædictio est hæc ex præcognitione certa, ac indubitata, qualis aliis Scripturæ locis continetur, quam vocant cõditionalium, id est, eorum, quæ aliis positis sequerentur. Scibilia sunt hæc: ideóque scientis omnia scientiam non effugiunt. Conducit hoc scientiæ diuinæ genus ad discernendam gratiam efficacem à sufficienti, vt alio loco attigi.

Cur Paulus festinè egredi iussus sit.

Futurorum conditionatorum scientia in Deo certa.

Curæ sunt Domino, & in manu eius sunt iustorum animæ [h]: non est alia vlla res, quæ pluribus vel Scripturæ testimoniis, vel exemplis historiarum & confirmetur, & illustretur. Nullum in hoc genere benignius, pulchriúsque, quàm quod Paulinus Macario narrat in epistola de sene, quem in naufragio Dominus regens, ac dirigens, admirabili suauitate seruauit, Angelicis militibus comitatus. Digna prorsus lectu epistola, non ob elegantiam magis, & pietatem scribentis, quàm propter singularem Diuinæ Prouidentiæ aduersùs iustos commendationem.

h Sap. 3. 1.

Senex in naufragio admirabiliter seruatus.

Vers. 19.] Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt, quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per Synagogas, eos, qui credebant in te.

DOMINE, *ipsi sciunt.*] Non est excusatio, vt existimauit Gagneius; sed voluit hoc argumento persuadere, sibi liceret Ierosolymis remanere; pericula non reformidare, si accidant, bene sperare de iis, qui scirent, ipse quanto studio incubuisset in legem, quàm acriter CHRISTI sectatores, qui legi Mosis viderentur aduersari, persequutus esset. *Admirans respondit*, inquit Lyranus, *quasi diceret: Per ea, quæ feci contra te, & fideles tuos, debent esse certi, quòd nullo modo prædicarem, nisi de veritate certus essem. Et ista possunt eis sufficere*, inquit Carthusianus, *ad credẽdum, quòd nonnisi à* DEO *conuersus, & missus sum. Non contradicens* CHRISTO *dicit, sed volens discere*, inquit Chrysostomus, *tam mirabile opus.*

Pauli responsio non est reformidantis, sed bene sperantis.

Non reprehenduntur semper, qui DEO responsare videntur, & diuinæ voluntatis eius rationem exquirere. Id fecit MARIA salutata ab Angelo,

Non semper reprehenduntur, qui Deo responsant.

a Luc. 1. 14.
b ibid. 20.

gelo [a], id alij: & Zacharias Ioannis pater, quia non adeò fideliter, pœnam luit [b]. Hac de re pluribus alibi.

c vers. 10.

Cadens.] Δέρων, *verberans*, non interficiẽs: quamuis & hoc faciebat cum Stephano, vt mox subiungit, & cum aliis, vt indicat capite vigesimosexto [c]. Beda, *cadens* pro *occidens* putat sumi posse: id tamen verbum Græcum non patitur, & Syriacum מחא *mache*.

Vers. 20.] Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.

Stephanus Protomartyr dicitur.

STEPHANI *testis tui.*] Τοῦ πρωτομάρτυρός σου, *Protomartyris tui.* Alij codices, μάρτυρος, *martyris*: quidam, πρώτου μάρτυρος. Ecclesia Stephanum Protomartyrem solet cognominare, vt vidimus capite septimo. Scriptura cùm sæpe habeat Græcum nomen μάρτυρος, nonnisi semel fecit Latinum, videlicet in Apocalypsi [d], quando loquitur de muliere *ebria de sanguine Sanctorum*, *& de sanguine Martyrum* IESV.

d cap. 17. 6.

Nomen Martyris quibus sit attributum.

e Nicolaus Zegerus in annot. & Blasius Viegas in ca. 1. Apoc. sect. 3. n. 4.
f cap. 1. 1.
g ibid. 5.

Attributum est hoc nomen iis, qui pro veritate, præcipuè verò pro legis, ac diuinæ doctrinæ testimonio, professione, custodia, violentam mortem à persecutore sunt passi. Nec improbabiliter sentiunt [e], qui *testimonium* IESV CHRISTI eiusdem Apocalypsis [f] primis ferè verbis illud intelligunt τὸ μαρτύριον, quod de glorioso Martyrum Rege CHRISTO ἐμαρτύρησεν Ioannes eo libro, perhibendo testimonium, nõ de Diuinitate duntaxat eius, verùm etiam de Passione, ob quam prætereà vocat ipsum testem fidelem [g].

Vnus idémque Martyr, & Confessor dictus.

Aliquando vnus, idémque nominatus est Martyr, Confessórque, qui ante persecutorem ab ipso interpellatus, pro Fidei confessione tormentum aliquod sustinuisset, etiamsi tormento illo non occubuisset, vel Confessor, qui designatus erat ad tormentum, Martyr, qui id passus. Si vim vocabulorum spectes, haud aliud sonat Latinum Confessor, quàm Græcum Martyr. Dicebatur prætereà Professor is, qui martyrio se, non interpellatus, ingessisset. Extorris, qui veritus fidem prodere, spontaneum exilium subibat; cui tamen appellatio quoque Confessoris interdum communicabatur. Colliguntur hæc potissimùm ex Cypriano [h], & ex verbis Papæ Caij in actis Sebastiani, & sociorum. *Dominus noster* IESVS CHRISTVS, ait Caius, *præsciens fragilitatis humanæ, duos credentium in se gradus cõstituit, Confessionis scilicet, & Martyrij: vt qui martyrij pondus se non posse ferre vererentur, confessionis gratiam teneant, & concedentes laudem bellaturis* CHRISTI *militibus, & pro eius nomine pugnaturis, illorum sollicitè curam gerant.* Tertullianus [i] Martyres designatos nominat, nondum passos mortem, immò nec aliud, quàm carcerem, & pœnarum timorem.

h epist. 7. 9. 10. 15. 20. 37. 31. 81. edit. Pamelij.

i lib. ad Martyr. cap. 2.

Martyr, & Confessor quomodo distinguantur.

Tandem obtinuit vsus, vt Martyr primo tantùm modo dicatur: Confessor, qui vitam laudabiliter, sanctéque in Domino terminat morte naturali, quamuis absque vlla externa persecutione. Ad nomen porrò, & coronam, martyrij nõ refert, quòd quis ore, verbísque, vel scripto testimonium edat: sufficit, si capite annuat, vt in Chalcedonensi Concilio [k] Sabas Episcopus dixit. Quanquàm nec id etiam necessarium, nisi cùm quis interrogatus, aliter nequit respondere: nã ipsa mors

k Act. 1.

A pro religione tolerata satis idoneum testimonium est.

Stephani mors celebris.

Et consentiebam.] Καὶ συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ. *Complacens morti eius*, seu *interemptioni*. Celeberrima Stephani mors erat, huius commemoratione, & veterem suam, & illorum, qui aderant, recolit culpam, si fortè socios culpæ ad pœnitentiæ reuocare similitudinem possit, semet verò ipsum tali exemplo, in quo peccauerit, excitet, vrgeátq; ad constantiam, vel in extremis suppliciis, quæ iustitiæ debeat, pro mactato Stephano: charitati erga Iudæos, quos ad peccati imitationem prouocauerat, & confirmauerat; amori in DEVM, &
B CHRISTVM, quem in Stephano læserat, & adeò læsum, tam nihilominùs clementem, atque munificum expertus fuerat.

Vers. 21.] Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.

l Genes. 12. 1.
m Exod. 32. 10.

VADE, *quoniam ego*, &c.] Syrus addit, למכרזו *lemaccherezu*, id est, *ad prædicandum*; vel, *vt prædices*. Videor mihi audire DEVM præcepta dantem Abrahæ [l], *vt exeat in locum, quem ipse monstrauerit ei*: & Mosi pollicentem, cùm deprecaretur pro populo [m]: *Faciam te in gentem magnam, dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* Nõ præ-
C scribit locum, simpliciter imperat pro Iudæis, nationes longè, ac latè fusas committit. *Vide*, ait Chrysostomus, *non docuit illum* CHRISTVS *quid oporteat facere; sed iussit illum abire, & obtemperat, adeo erat sequax.*

Paulus in regionibus valdè dissitis peregrinatus est.

n 2. Corint. 11. 26.
o Rom. 15. 19
p Tom. 1. Annal. & in Not. Martyrol. 22. Martij.
q in 2. ad Timot. c. vlt. & in Psal. 116.
r in cap. 11. Esai.

Longè.] Μακρὰν, *Procul.* Si de regionibus sermo sit ab Ierusalem dissitis, magis fortasse longè, ac remotè peregrinati sunt aliqui Apostolorum, sed nullus tam, vt ipse de se dicit [n]: *In itineribus sæpe*, & quidem *remotioribus ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum* [o], atque etiam vsque in Hispaniam, vt Patrum multorum testimonio docet Ba-
D ronius [p] (sed hac posteà de re dubitauit, & nos ipsi dubitationis causas dudum priùs attulimus) qui omnes simul varias, ac longas Pauli peregrinationes describunt, præsertim Theodoretus [q], *excurrisse affirmans plurimas gentes, & insulas*; & Hieronymus [r], *à mari rubro, immò ab Oceano vsque ad Oceanum.*

Versus 22.] Audiebant autem eum vsque ad hoc verbum, & leuauerunt vocem suam, dicentes: Tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum viuere.

Cur ad hunc vsque locum Paulus patienter auditus sit.

AVDIEBANT *autem eum vsq; ad hoc verbum.*] Quæ adhuc narrata sunt, negligi potuerunt velut inania, ac ludicra, vel vt absurda, & stulta, nempe quòd visiones quasdam venditare, & rei
E bene actæ, ac non pœnitendæ pœnitẽtiam in persequendo Christiano nomine declarare viderentur. At in vltimis verbis Gentes Iudæis præponuntur: diuinum præceptũ obtenditur de adeundis, ac instituẽdis Gentilibus, quos ipsi הועבים & כלבים *hahhabim*, & *chelabim*, *abominabiles*, & *canes ducebant*, ac dicebant: inde verò maximè confirmatur crimen obiectum, introduxisse Paulum Gentilem Trophimum in templum [f], ac fortasse plures alios: conuictum ex ore suo reum, mortis in se tulisse sententiam: nihil desiderari, nisi vt meritam quamprimùm pœnam luat.

f Act. 21. 28. 29.

Leuauerunt vocem suam.] Clamare isto furiali, ac funesto declarant, & comprobant vera vaticinatum Paulo CHRISTVM, quòd eius de se

testimonium non essent recepturi:

Tolle de terra huiusmodi:non enim fas est eum viuere,] Quæ huc pertinent, allata sunt capite præcedente [a]. Tolli, siue auferri de terra, vel abscindi de terra viuentium [b], vel *emigrari radicem alicuius de terra viuentium* [c], vel *eradi de terra viuentium* [d], & similia denotant vitam violentè eripi, & quasi ab vberibus omnium matris almæ terræ abstrahi. Quamuis namque cadauer supersit, ipsum tamen magis terra est, ac in terram demutatur, & qui mortuus est, in terra veluti scribitur, ac deletur de libro viuentium, *desinit esse in fasciculo viuentium* [e] *super terram, resolutus in terram.*

a vers. 16. b Esai. 53. 8. Psal. 51. 7. Ierem. 11. 9. *Quid sit eradi de terra viuentium.* e 1. Reg. 25. 29.

Versus 23.] Vociferantibus autem eis, & proiicientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aërem.

E*T puluerem iactantibus in aërem.*] De iactatione pulueris actum est capite decimotertio [f]: de vestimentorum proiectione, atque scissione in capite decimoquarto [g], & decimosexto [h], & in capite decimooctauo [i]. Notat verò Beda, quòd in Passione CHRISTI Sacerdos exiliés de throno, scidit vestimenta [k], quoniam tunc sacerdotium vetus erat immutandum: nunc quia tota gens gloria regni spolianda erat, omnes illa proiiciunt, & clamorem puluere mixtum ad cœlum tollunt, secundùm illud [l]: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Glossa interlinearis, & Hugo cum illa, proiectionem, siue depositionem vestimentorum eò refert, vt vel occidere Paulum possent magis expeditè (vt quondam Stephani lapidatores [m]) vel dolorem declararent, seu mœrorem. Ad posteriorem causam reuocant etiam iactationem pulueris. Lyranus hâc ait esse signum detestationis verborum Pauli. In proiectione vestimentorum consentit cum Glossa.

f vers. 51. g vers. 13. h vers. 22. i vers. 6. k Matth. 27. *Cur Iudæi iam vestimenta proiiciunt.* l Psal. 73. 23. m Act. 7. 57.

Chrysostomus existimat vtrumque cum clamore spectare ad seditionem, & ad perterrédum, atque ad pertrahendum in lethiferam sententiam suam Tribunum, vt quod iure non possunt, extorqueant vi, &, vt eadem Glossa loquitur, more bestiarum. Arator bis Iudæos nudatos considerans, & modò, & cùm lapidauerunt Stephanum, rationem allegoricam ingeniosè reperit, seu mauis tropologicam, à nudatis [n] ob peccatum primis parentibus petitam:

n Genes. 3.

—— Adam sub criminis ortu
Cognouit, quòd nudus erat, documentáque noxa
Hinc misero patuêre sua: te mortis origo
Crebra subit, cui plena malis interseru ira
Bis habitum, quem culpa creat.

Ego verò haud arbitror aliud Iudæos hoc habitu, seu ritu, quàm grauissimum animi sui dolorem promere, ac Tribunum, quàm maximè possent, incitare in Paulum. Nam qui adueniente Tribuno cessauerunt percutere [o], non essent tam proiectæ audaciæ, vt proiicerent ad cædendum vestes armatorum telis obiecti, atque expositi. Nec magis placet, quod Caietanus dicit, ideò vestes proiecisse, vt expeditè iactarent puluerem: huius autem iactatione in aërem, significasse Paulũ turbatorem, non solùm terræ, sed cœli. Iactatas lego vestes, togásve duabus præter indignationis, quæ hîc habet locum, de causis, vel in lætitiæ signum, vel in ludis Circensibus. Exemplum secũdæ Mamertini panegyricus in Iuliano continet: *Illa*, inquit, *iactatio togarum, illa exultatio corporum.* De tertia Ouidius [p]:

o cap. præcedente v. 32. p lib. 3. Amor. eleg. 2.

Fauimus ignauo, sed eum reuocate Quirites,
Et date iactatis vndique signa togis.

Prætereà Martialis [q]:

Delicium paruo donabis Dorcada nato,
Iactatis solet hanc mittere turba togis.

Videlicet in caueam, vel arenam.

q lib. 13. epig. 99. vel 94.

Versus 24.] Iussit Tribunus induci eum in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum, vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei.

I*VSSIT Tribunus induci eum in castra.*] Substiterant in via, &, vt dictum est priore capite [r], aberant adhuc à castris, hoc est, ab Antoniana turri, seu à Regia, & carcere, qui erat ibi. Notauit hoc etiam Caietanus, atque ibidem locatos esse milites Romanos, teste Iosepho [s]: & adiacés turri spatium fuisse capax castrorum, & Antoniæ quoque appellatione intellectum. Sed citato loco Iosephi sententiam de castris intra turrim protulimus. Et confirmari potest à simili, quoniam Cæsareæ iussit eum *Felix Præses in Prætorio Herodis custodiri* [t].

r vers. 34. & 35. s 20. Antiq. 10. t Act. 23. 35.

Et flagellis cedi, & torqueri eum.] Syrus, דבנגדא נשתאל *dabenagede neschethael*, id est, *Vt verberibus inquireretur*, vel *interrogaretur*. Μάστιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτὸν, *Flagris examinari.* Quare non congruit expositio Glossæ interlinearis, & Hugonis, verbum *torqueri* additum ad sæuitiam flagellationis, vt Iudæi eius tormentis satiarentur. Hanc nonnulli causam, cur Pilatus flagellauerit CHRISTVM [u] reddunt, eóque forsitan hi Auctores alluserunt.

u Ioan. 19. 1.

Torqueri, forense vocabulum est, vnde tortura, quam item appellant quæstionem. Conqueritur de Tribuno Chrysostomus: *Quoniam oportebat*, inquit, *eum illos ipsos rogare Pauli accusatores, an ita se res haberent, non simpliciter vti potestate, & Iudæorum gratia seruire, vel inconditos illorum clamores hoc pacto compescere. Suspicabatur*, ait Carthusianus, *quòd nonnisi ob grauem excessum tam impetuosè contra Paulum mouerentur.*

Cur Paulus torqueri iussus sit.

Sed suspicio ad torturam non sufficit, vel præsumptio leuis, ac temeraria, nec probabilis, præsertim quando semiplena quoque probatio deficit. Sola fama per se satis non est, maximè in criminalibus, in quibus exigitur probatio maior, & in quibus propriè tantùm habet locum quæstio, videlicet interrogatio, ac responsio per tormenta facta, vel per malam mansionem, hoc est, per acerbitatem carceris, vel per denegationem victus. Nam spargitur fama temerè plerunque, vel ab inimicis euulgatur falsò.

Suspicio ad torturam non sufficit.

Denique Iudex idoneus, qui habet notionem causarum, quæ vocantur meri imperij, non potest imperare torturam, nisi certum sit, maleficium fuisse commissum, quia secundùm axioma Iurisconsultorum, *Delictum est præparatio pœnæ* [x], *nec à quæstionibus, tormentisque ordinariè iudicia criminalia incipiunt*; & idcirco per se fallax est torturæ probatio, seu confessionis in huiusmodi tortura sine debitis indiciis præcedentibus [y]. Nam, vt ait M. Tullius [z], *Tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiusque tum animi, tum corporis, regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, vt in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur.*

Iudex idoneus non potest imperare torturam, nisi maleficium sit certum. x l. Aliud est fraus. ff. de verb. signif. y l. 9. 11. & penult. ff. de quæst. l. 1. C. eod. tit. l. 1. & 3. C. de fals. instru. z Orat. pro Sylla.

Iam verò Tribunus perperàm, & iuris inuertens ordinem, flagellis addicit, vt sciat propter quam causam sic acclamassent Paulo, necdũ cri-

Tribunus iudicij ordinem peruertit.

men

men cognouerat, quia cùm interrogasset anteà, nihil præ tumultu potuerat assequi [a]: non absoluerat Paulus quam permissu eius inchoauerat orationem pro se, eámque, quòd Hebræa esset, Tribunus non intellexerat: eundem se Græco sermone apud illum purgantem, cùm quæsiuisset, an esset seditiosus Ægyptius, audiuerat [b], & solis tamen concitatæ multitudinis, quas nec percipiebat, vocibus, magnus videlicet hic armatus leguleius adducitur ad adeò duram, & fœdam quæstionem.

Æquior Gallio, qui huiusmodi causæ cognitionem reiecit [c]: minùs quadam ex parte Pilatus iniustus, à quo etsi iniquissimam contra CHRISTVM, diu, multúmque Iudæi flagitantes, minitantes, extorserunt sententiam [d]. Facilè concessero, quod initio nonnullis videri docui, Tribuno propositum fuisse, quando flagellationem Pauli decreuit, popularem ea ratione furorem lenire, & Pauli sanguine ferinam sitim mitigare: negaui dumtaxat id torquēdi verbo, vel τῷ ἀνετάζεσθαι, aut importari, aut innui.

a c.præc.v.14.
b c.præc.19.
Centurione hoc æquiores fuerūt Gallio, & Pilatus.
c cap.18.14.
d in hist. Passionis, Matt. 27. Marc.15. Luc.23. Ioan. 18.19.

Versus 25.] Et cùm astrinxissent eum loris, dicit astanti sibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?

ET *cùm astrinxissent eum loris.*] Ὡς δὲ προέτεινεν, *Cùm autem extendisset* (Tribunus.) Quo etiam modo vertit Syrus, וכד מתחוהי בערקא *vechad matthechuhi bebhareke*, id est, *Et cùm extendissent eum in loris.* Et explicat Vatablus. Alij codices προέτειναν in plurali, & ante τοῖς ἱμᾶσιν, habent τρὶς, *ter*, vel, *tribus.* Lora astrictionem demonstrant, quam Interpres expressit astringendi verbo: Græcum autem προτείνειν, indicat flagellandos extendi solitos, & alligari. Id more fiebat Romano ad columnam, vel palum, vt demōstrat Gretserus noster [e].

De extensione fauet Nazianzenus [f], cùm ait, *columnas piorum manibus, atque complexu, dum virgis conciderentur per orbem cruoris plenas cinctas.* Inde námque sequitur, sic ad columnas vinctos fuisse, vt eas manibus complecterentur, facie ad columnas versa, dorsóque flagris exposito. Consuetudini accinit in CHRISTO etiam seruatæ Prudentius [g]:

—*Atque columnæ*
Annexus tergum dedit, vt seruile, flagellis.

Ligabantur verò non manus tantùm, sed &, Gellio teste [*], crura. Lege quoque Lipsij tractatum de Cruce [h].

Dicit astanti sibi Centurioni.] Syrus, דקאם הוא עלוהי *dekaem hana hhaluhi*, id est, *Qui insurrexerat in eum.* Πρὸς τὸν ἑστῶτα. Rectiùs Interpres: quamuis quidam codices legant ἐφεστῶτα, & Centurio astaret tanquàm Præfectus à Tribuno quæstioni, atque flagellationi cum aliis, qui, vt est in versu vigesimonono, eum torturi, & examinaturi erant. Vel tam citò detractæ sunt Paulo vestes, ligatúsque, ac extensus, seu ad columnam, seu ad palum est, vt antè non licuerit iniuriam propulsare: vel opportunè tunc demùm voluit, quando lictores expedita flagella in iam nudatum, ligatum, extensum admoturi erant. Quanquàm verosimilius est, sensum verborū, quæ tractauimus, esse *Cum astrinxisset eum loris*, id est, cùm astringere, seu extendere vellet, cùm duceret ad palum, vel columnam, cū imperaret id fieri. Erat enim expoliatio ipsa, & astrictio turpis, atque Romano ciui repugnans.

Flagellandi extendebantur, & ligabantur ad columnam.
e de Cruce, cap.10.
f orat.1.cont. Iulian.
g Nouo Testamento.
* lib.12.c.13.
h lib.2.c.4.

Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?] Duplex crimen regerit in carnifices suos, sicut in capite decimosexto [i], quòd contra ius commune indicta causa, quòd contra ius ciuitatis Romanæ applicaretur ad flagella.

Tunc autem Philippis pœnam istam sustinuit, non præuenit, quoniam aduersarij maximo impetu, & Magistratus ipse scissis illius, & Silæ tunicis eos cæciderunt, tanquàm reos violatarum legum Romanarū, quo tempore Paulus frustrà Romanū se ciuem prætendisset. Quæ porrò hîc vtroque de crimine, quod Paulus obiicit, dicenda forent, petenda sunt ex dicto loco: præter eos verò, quos ibi de Romanæ ciuitatis iure citauimus, lege Brissonium [k], qui has prærogatiuas colligit; *vt ex ciuium Romanorum testamentis soli ciues caperent, soláque ciuium in Vrbe rata testamenta haberentur* [l]: *inter solos ciues Romæ iustæ nuptiæ contraherentur* [m]: *in liberos hi soli haberent patriæ potestatis ius* [n]: *verberibus cædi, in crucem agi non possent, in eos animaduerti fas non esset iniussu populi: in legionibus non alij militarent: inter illos duntaxat solemnes per nexum abalienationes locum haberent* [o]: *honores Romæ gererent, suffragium ferrent, toga vterentur, ita vt nec in media Asia sine crimine sumere vestem, palliumve possent* [p]: *prænomina gererent* [q]. Itaque meritò conquestus est Paulus.

Quænam personæ sint immunes à tortura, tradunt Iurisconsulti; tales sunt illustres, in dignitate positi, Decuriones, innocentes, milites, Doctores, Clerici, senes decrepiti, minores quatuordecim annis, seruus contra dominum, vel etiam liber famulus, necnon contra tutorem, aut matrem domini, prægnans, lactās, & aliæ secundùm ius commune, aut municipale, cum quibusdam tamen limitationibus.

i vers.37.
Paulus cur Philippis verberum plagas sustinuit, non hic.
k 1.Select.ex iure ciuil.ant. cap.13.
Quæ fuerint propria ciuium Romanorū iura.
l l Falcid.
m §.1.Inst.de nupt.
n §.1.Inst.de pat.pot.
o Cicero in Topic. & 1. Offic.
p Cic.orat.pro Rabir.Posthumo.
Quæ personæ à tortura immunes sunt.
q Cic.lib.13. ep.ad Acilium, ep.37.

Versus 26.] Quo audito, Centurio accessit ad tribunum, & nunciauit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo ciuis Romanus est.

QVID *acturus es?*] Lictores Magistratibus querimoniam detulerunt capite decimosexto [r], quem tu locum consule: ibi docui quàm graui quidam periculo ius ciuitatis quibusdā diminuissent. Timet Centurio sibi, Tribunóque: & in re tanti ponderis non difficilè vterque suspicax est, etiam ad simplex vilis personæ, & conclamatæ verbum.

r vers.38.

Versus 27.] Accedens autem Tribunus, dixit illi: Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam.

DIc *mihi.*] Hanc formulam non semper importasse contemptum, vel iniuriam, docui capite quinto [f]. Hoc loco hunc vsum habere concedi potest; ac præ se ferre Tribunum voluisse auctoritatem. Et nihil mirum, aut nouum accidere, si de tam abiecta persona talem, ac adeò honorificam opinionem, vel etiam suspicionem omninò non habuisset. Sed est forense, seu iudiciale verbum, quod Iudices interrogando vsurpabant, vt notat Brissonius [t].

f vers.8.
t lib.5.de form.

Vers. 28.] Et respōdit tribunus: Ego multa summa ciuilitatem hanc consecutus sū. Et Paulus ait: Ego autē & natus sum.

A

EGo *multa summa, &c.*] Syrus, אנא בכספא סגיאא קניתה לרהומיותא *ana bechesapa segiyaa kenithah lerehumaiutha*, id est, *Ego cum argento multo acquisiui Romanitatem* , vel , *Ego multa pecunia acquisiui ius municipij Romani.* Ἐγὼ πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην. *Roma venalia omnia erant, ipsáque vrbs, maturè etiam peritura, si emptorem inuenisset* [a]. Ideò mirabatur Tribunus, vixque credebat Paulum , qui abiectus , ac inops videretur, ciuem potuisse esse Romanum. Beda monet πολιτείαν , magis ciuilitatem , quàm ciuitatem significare, illam verò esse socialem inter ciues conuersationem , vel administrationem Reipublicæ. Tribunum autem, non ciuitatem Romanam , cuius esset possessor, sed consortium Romanæ, cuius esset particeps, emisse.

a Sallust. in bel. Iugurthino.

Ciuilitas quid sit.

B

Verùm , præterquàm quòd nonnulli codices habent *ciuitatem* ; sicque Vatablus exponit, & Syrus, vt vidimus , non esset ad rem , quod Paulus subiunxit, se ciuem natū, nisi de iure ciuitatis quęstio fuisset. Deinde quamuis nonnisi ciuitatis Romanæ possessor , seu ciuis Romanus eum gessisset Magistratū, quid vetat ; vt illud ipsum ius ille pecunia emerit, vt sibi hac ratione aditum ad honores patefaceret in Republica Romana, præsertim cùm essent in Vrbe venalia omnia, vt iam dictum est, & capite vigesimo [b] ? Constátque ex Romanorum historiis , ciuitatem eos exteris nisi præmium bene pro ipsis in bello nauatæ operæ , aut nauandæ vel promisisse, vel dedisse. Præterea κτήσασθαι τὴν πολιτείαν, καὶ διδόναι, vel ἀφαιρεῖσθαι, acquirere, seu possidere, vel dare ciuitatem, vel auferre, & adimere apud peritos linguæ Græcæ vsurpatur pro iure ciuitatis , quod & bene Latinè dicitur; nō ita verò propriè Rempublicam acquirere, &c.

b vers. 16.

C

Interpres tamen iuxta emendatos codices, maluit *ciuilitatem* , quia licèt non adeò Latinè, magis tamen rem ipsam exprimit , non in eo tamen sensu, quem Beda voluit. In epistola verò ad Ephesios [c] pro eodem Græco nomine reddidit *conuersationem* , quam Vatablus , & Pagninus *Rempublicam*, aut *rationem viuendi*, quę vltima acceptio Gręci nominis satis vsitata est. Apud Iurisconsultos verò non insolens est , vt *ciuiliter* sit idem quod *ciuili iure*: vt minùs nouum videri debeat, si ciuilitatem Interpres posuerit pro iure ciuitatis.

Cur ciuilitas hic legatur , non ciuitas.

c cap. 2. 12.

D

Ego autem & natus sum.] Videlicet patre iam ciuitate Romana donato , cùm ex eo Paulus susceptus est. Chrysostomus, & Oecumenius negāt Paulum hac in re mentitum , quia priusquàm genitus esset, in ditionem Romanam Cilicia redacta erat, ita, vt propterea necesse fuerit illum, qui sub Romanis erat, Romanum esse. Voluit forsitā Oecumenius, cuius est illa ratio, non patris Pauli peculiare munus , sed totius prouinciæ fuisse commune. Plinius [d] Tharsum inter Ciliciæ ciuitates solam nominat liberam : citatur [e] quoque Epiphanij [f] textus Græcus , in quo sit, à Marco Antonio donatam ciuitatem istam iure ciuitatis Romanæ. In Latina námque editione id non extat, nec in Græca, quam legi.

Paulus qua ratione ciuis Romanus natus sit.

E

d lib. 5. c. 27.
e à Ioanne Langio Hæretico in schol. Iustini mart. Dial. in Tryphō. post medium.
f Hæres. 30. post medium.
g lib. 47.
Tharsus Iuliopolis dicta est.

Dio Cassius [g] testis est , adeò studuisse Tharsum in ciuili bello primùm Iulio Cæsari , posteà Octauio, vt Iuliopolis cognominata fuerit, & maximis donata priuilegiis : alter Dio cognomento Chrysostomus idem prodit in sua Tharsica; nempe à Cæsare accepisse ea omnia , quæ quis amicis vera , & sociis præstaret , terras, leges, honorem, potestatem, &c. Et Strabo [h] non meminit quidem delatæ Tharsensibus huius prærogatiuæ, celebrat

h lib. 14.

A

attamen illos mirificè ob studium omnium disciplinarum; supra etiam Athenas, Alexandriámque, ac quàm multos protulerit literatos, Romam testem esse, quippe Tharsensium eiusmodi literatorum plenam. Sed hoc ipsum superiori quodam loco iam retuli.

Carthusianus, & Glossa in posteriorem epistolam ad Timotheum [i], & alij cùm disserunt de penula Pauli, affirmant Tharsensibus concessum ius illud, quòd Romanorum legatis cum pace, & coronis occurrissent, eóque tempore viuētem Pauli patrem cum aliis processisse , atque insigne Romanæ ciuitatis penulam accepisse. Historia Scholastica generalia patris Pauli obsequia commemorat , quibus Romanos demeruerit, & ciuitatem Romanam sit consecutus.

i cap. 4. 13.

B

Quo tandem cunque modo Paulus iure ciuitatis Romanæ decoratus censeatur (de penula verò non est ea sententia probabilis [k]) mendacium, vt initio dicebam, non admisit, non quòd horreamus agnoscere leue nonnullū peccatum in Apostolis , sed quòd absque temeritate , quando certum , & particulare designatur , concedi non debeat; & omni careat specie probabilitatis, tali tempore mentitum , quamlibet leuiter , & officiosè, Paulum fuisse, cùm, si deprehenderetur , atrociorem subire pœnam cogeretur : & veritatem omnem prædicationis Euangelicæ reuocaret in dubium: ac minùs postremò verisimile est, non contentum primo , simplicíque mendacio , gloriosè denuò , vt ius suum Tribuno præferret , mentiri voluisse.

Paulus mendacium non admisit.

k lege Baronium tom. 1. Annal.

C

Diligenter purgat Oecumenius Paulum , & longè profligat eiusmodi in eum contumeliam, quanquàm quod affert de Adriano , vt eius tempore contigerit , omnes effici Romanos, nec scio quàm sit verum , nec quid ad rem faciat , nisi ex posteriore euentu (Adrianus enim Paulo recentior est) ducere coniecturam velit pro tempore, quo Paulus vixit, vel parentes ipsius.

Ex Adriani tempore ... Paulum ... Romanum fuisse.

In vna ex his, quæ circumferuntur, Senecæ epistolis ad Paulum, Paulus nominatur ciuis Romanus. Non egemus alieno, cùm proprium teneamus Pauli de se hîc, iterúmque superius [l] de hac re testimonium, & genus mortis, quod in Vrbe pertulit abscissione capitis, tanquàm Romanus ciuis, & extra Vrbem, cum Petrus eodem die, loco, & supplicio infami secundùm Romanas leges sit interfectus.

D

l cap. 16. 37.
Paulus mortuus quomodo fuerit.

Quapropter fuit hæreditario iure Paulus ciuis Romanus, & hoc modo natus, non quia in ipsa Vrbe, sed quia patre ciue Romano. Hoc velle Ciceronem [m] intelligere possumus, *quando ciuium duo genera distinguit , vt quidam nati, alij sint ciuitate donati.*

m 2. Cecilin.
Duo ciuium Romanorum genera.

E

Versus 29.] Protinus ergo discesserunt ab illo , qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit postquam resciuit ; quia ciuis Romanus esset , & quia alligasset eum.

QVi *eum torturi erant.*] Syrus, הנון דבעין הוו למנגדותה *hannun debahhin hauu lamenagadutheh*, id est, *ij , qui quærentes erant ad eum flagellandum*; vel, *ij , qui fuerant in eum flagellatione inquisituri.* Οἱ μέλλοντες αὐτὸν ἀνετάζειν. Verbum quidem Græcum non importat flagellationem , sed solam inquisitionem ; quia tamen hæc per flagellorum tormentum futura erat , rectè Interpres dixit *torturi*,

turi,& editio Syra flagellationem expressit.

Non dubito Paulum, quando ratione ciuitatis Romanæ flagella deuitauit, præter eam causam, de qua superius dixi, ne vilitas supplicij viliorem personam eius,& prædicationem redderet (similis ratio beatum Patrem Ignatium nostrum in paratis contra se virgis vitandis potiùs permouit, quam in perferendis, licèt eas insons alioquin expeteret [a]) cauere quoque voluisse tortorem, ac Iudicis sui peccatum, & quod sæpe sequitur, ac redundat supplicium in plures, vel ob vnius duntaxat iniuriam, vt proditum est profanis, & sacris historiis.

Cur Paulus flagella cædi detrectauerit.

a Petrus Ribadeneira in vita Igna lib. 1.

Tribunus quoque timuit.] Timuerant quoque Philippenses, qui Paulum cæciderant,& illum deprecati erant, atque rogauerant, vt narratum est capite XVI. [b] vbi nos huius rei causâ declarauimus.

b vers. 22. & 39.

Postquàm resciuit.] Non ergo mentitus est Paulus, nec Paulo affirmanti se ciuem Romanum, Tribunus leuiter credidit. Hac in re laude dignus, vt & quod quæstionem distulit, non abstulit, simul inaudium Paulum se pro ciue Romano gerere. Non fuisset adeò præceps priùs, nec inauditum,& indemnatum, seu non conuictum ligasset ad flagellationem.

Versus 30.] Postera autem die volens scire diligentiùs qua ex causa accusaretur à Iudæis, soluit eum, & iussit Sacerdotes conuenire, & omne Concilium,& producens Paulum, statuit inter illos.

VOLENS *scire diligentius.*] Vel edoctus timore ad se redit, & permotus nomine Romano, & personæ dignitate, iusti Iudicis partes exequitur; sed non iustè, hoc est, non amore iustitiæ: id enim præstitisset priùs, sine respectu personæ, absque metu Romani Principis.

Soluit eum.] Ἔλυσεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν δεσμῶν, *soluit eum à vinculis.*

Reus in grauiore crimine dicere causam solet astrictus vinculis, habita personæ qualitate,& dignitate, fama bona, vel mala, paupertate,& diuitiis [c]. Tribunus præcedentem iniuriam hac benignitate voluit compensare. In minore causa Lælius Scipio causam dixisset ex vinculis, nisi Publius frater illius nomine collegium Tribunorum appellasset [d]. In capitaliore Cæso Quintius permissus est satisdare pecuniis, corpore liber esse [e].

Reus in grauiore crimine astrictus vinculis causam dicebat.

c l. 2 ff. de custo. reo l. lege Cornelia. § præterea. ff. ad Senatusconf. Sillam. & ex Suetonio in Nerone c. 36.

d Liuius li. 8. Dec. 4. Valerius lib. 4. c. 1. Gellius lib. 7. cap. 19.

e Dionysius Halicarnasseus lib. 10.

Non potuit absoluere Tribunus Paulũ, nec dissimulare criminis punitionem, absque præuaricatione muneris proprij: & sapienter fecisse credi-

A tur Leo Armenus Imperator exauctorando Præfectum vrbis, quòd ius iniuriam passo à Senatore adultero, non reddidisset, hunc autem legibus puniendum tradendo [f].

f lib. 1. iurisd. Orien. in Instit. de Iraf. pœnam acu. Iero non interrogante.

Iussit Sacerdotes conuenire.] Ἀρχιερεῖς, *principes Sacerdotum.* Quoniam de Concilio agitur, quò non omnes Sacerdotes conueniunt, placuit Interpreti simplex nomen Sacerdotum ponere, qui quales essent, satis ex hac circumstantia cognosci poterat. Lege caput quartum [g].

g vers. 5.

Iubendi autem verbum quamuis inter æquales,& amicos vsurpetur, vt dictum est capite quinto. [h], hoc loco propriam vim retinet, quia Tribunus pro Præside ius administrabat, & Iudæi ipsi

h vers. 34.

B Paulum detulerant ad ipsum.

Omne Concilium.] Ὅλον τὸ συνέδριον αὐτῶν. Syrus, וכנו'ה כ.שא דרישיהון *vechulleh chenescha deraescimei un*, id est, *Et tota congregatio eorum primorum*; vel, *totumque primorum cœtum.* Retinuerunt Hebræi vocem Græcam, paulùm eam immutantes, dicentésque sanedrin. Capite quarto de Concilio dixi, & capite septimo, ac octauo, quibus de rebus Iudæi cognoscere, atque iudicare possent, dum Romanis essent subiecti.

Producens Paulum statuit inter illos.] Καταγαγὼν τὸν Παῦλον, ἔστησεν εἰς αὐτούς. Quæ verba Syrus interpres paulò clariùs exposuit, ודכר לפולוס ואיחת אקימה בינגתהון *vadechar lepaulaus vaicheth akimeh baiennathel un*, id est, *Et assumpsit Paulum, & deducens*, seu, *deduxit Paulum, demittensque statuit ipsum inter eos.* Vatablus, *Deductum Paulum sistebat coram illis.* Denotat τὸ καταγαγὼν demissionem ex loco superiore, nimirum ex turre Antonia, vbi erant castra, & Paulus: locum verò τοῦ συνεδρίου, id est, Cōcilij, fuisse inferiùs, videlicet, vt nuper ostendi ex primo Paralipomenon [i], in templo ipso. Simul etiam hinc colligitur interfuisse Tribunum, immò præfuisse Concilio. Quod sequenti capite magis perspicitur [k], vbi Tribunus timens ne Paulus discerperetur, iussit milites descendere, & rapere eũ de medio Concilij,& deducere in castra.

C

Synedrij locus fuit in ipso templo.

i cap. 26. 15.

k vers. 10.

Detulit forsitan Tribunus Concilio Iudæorum;& cùm summum in prouincia imperium non gereret, summus verò concessus illorum ibi esset, & Pontifici honorem Præsides ipsi, immò & Imperatores haberent [l]: prætereà, quia lis erat, præsertim de lege ipsorum, descendit ipse, non opinor, incomitatus Doctoribus, qui controuersiam dignoscere possent, descendere maluit, quàm illos ad se euocare. Alioqui non decet, vt Iudex adeat ad litigantes, sed hi ad ipsum, nec modò legibus repugnat, verùm etiam iuri naturali [m].

D

Tribunus detulit Iudæorũ concessui.

l vt olim Alexander, teste Iosepho 11. Antiq. c. 8.

m l. iubemus. § final. de Episcopis,& Clericis.



CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

SVMMARIVM.

Adhuc sub potestate Tribuni Paulus ab eo productus in Concilium, reddit pro se rationem: à Pontifice iussus percuti, percutiendum à DEO *Pontificem minatur: se professus Pharisaeum, Sadducaeos, Pharisaeósque in doctrina de Resurrectione discordes dissidere inter se facit: tandem cùm detecta in eum essent insidiæ, remittitur à Tribuno ad Præsidis Fœlicis agentis Cæsareæ iudicium.*

1 INTENDENS autē in concilium Paulus ait: Viri fratres, ego omni consciētia bona conuersatus sū ante DEVM vsque in hodiernum diem.

2 Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os eius.

3 Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te DEVS, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundùm legem, & contra legem iubes me percuti.

4 Et qui astabant dixerunt: Summum sacerdotem DEI maledicis?

5 Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.

6 Sciens autem Paulus quia vna pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamauit in concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & Resurrectione mortuorum ego iudicor.

7 Et cùm hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos, & Sadducæos, & soluta est multitudo.

8 Sadducæi enim dicunt, non esse Resurrectionem, neque Angelum, neque SPIRITVM: Pharisæi autem vtraque confitentur.

9 Factus est autē clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæorum, pugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine illo: quid si SPIRITVS locutus est ei, aut Angelus?

10 Et cùm magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab

A ipsis, iussit milites descendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.

11 Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.

12 Facta autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se, dicentes, neq; manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.

B 13 Erant autem plus quam quadraginta viri, qui hanc coniurationem fecerant,

14 Qui accesserunt ad principes sacerdotum, & seniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum.

15 Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, vt producat illum ad vos tamquam aliquid certius cogituri de eo. Nos verò priùs quàm appropiet, parati sumus interficere illum.

C 16 Quod cùm audisset filius sororis Pauli insidias, venit, & intrauit in castra, nunciauítque Paulo.

17 Vocans autem Paulus ad se vnum ex Centurionibus ait: Adolescentem hunc perduc ad tribunum, habet enim aliquid indicare illi.

18 Et ille quidem assumens eum duxit ad tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogauit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi.

D 19 Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, & interrogauit illum: Quid est, quod habes indicare mihi?

20 Ille autem dixit: Iudæis conuenit rogare te, vt crastina die producas Paulum

in concilium,quasi aliquid certius inquisituri sint de illo:

21 Tu verò ne credideris illis:insidiantur enim ei ex eis viri amplius quàm quadraginta,qui se deuouerunt non manducare, neque bibere donec interficiant eum : & nunc parati sunt , expectantes promissum tuum.

22 Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur quoniam hæc nota sibi fecisset.

23 Et vocatis duobus Centurionibus , dixit illis:Parate milites ducentos vt eant vsque Cæsaream , & equites septuaginta, & lancearios ducentos à tertia hora noctis:

24 Et iumenta præparate vt imponentes Paulum , saluum perducerent ad Felicem præsidem,

25 Timuit enim ne fortè raperent eum Iudæi,& occiderent,& ipse postea calumniam sustineret, tamquam accepturus pecuniam.

26 Scribens epistolam continentem hæc: CLAVDIVS Lysias optimo præsidi , Felici salutem.

27 Virum hunc comprehensum à Iudæis, & incipientem interfici ab eis , superueniens cum exercitu eripui , cognito quia Romanus est:

28 Volensque scire causam,quam obiiciebant illi , deduxi eum in concilium eorum.

29. Quem inueni accusari de quæstionibus legis ipsorum,nihil verò dignum morte,aut vinculis habentem criminis.

30 Et cùm mihi perlatum esset de insidiis, quas parauerant illi , misi eum ad te : denuncians & accusatoribus vt dicant apud te. Vale.

31 Milites ergo secundùm præceptum sibi,assumentes Paulum,duxerunt per noctem in Antipatridem.

32 Et postera die dimissis equitibus vt cum eo irent,reuersi sunt ad castra.

33 Qui cum venissent Cæsaream,& tradidissent epistolam præsidi,statuerunt ante illum & Paulum.

34 Cùm legisset autem, & interrogasset: de qua prouincia esset:& cognoscens quia de Cilicia,

35 Audiam te , inquit , cùm accusatores tui venerint. Iussitque in prætorio Herodis custodiri eum.

Versus I.] Intendens autem in concilium Paulus,ait : Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum ante DEVM vsque in hodiernum diem.

A NTENDENS *autem in concilium Paulus.*] Ἀτενίσας δὲ ὁ Παῦλος τῷ συνεδρίῳ. Syrus, וכד חר פולוס בכנשהון *vechad char Paulaus bechenschahun*, id est, *Cùm autem intueretur in concessum eorum Paulus.* Participium Græcum significat fixum obtutum, attentam circumspectionem , confidentiæ indicem,prouocatricem aduersariorum,modestæ plenam hilaritatis,innocentiæ testem,conciliatricem beneuolentiæ. Ipse qui loquebatur in Paulo sanctus SPIRITVS , & optimè sibi conscius eius animus , multò suggerebat meliùs aptam oculo-

Paulus quo Doctore tantâ præ se tulerit in dicendo authoritatem.

B rum , oris , totius corporis in orando compositionem,concinnitatémque, quàm dicendi magistrorum præcepta,quàm leges Rhetorum [a]. Eodem plenum SPIRITV, similique rectè factorum conscientia præditum Stephanum viderant iidem Senatores,Angelica facie,liberè,& eloquenter orantem inter ipsos [b].

a vt Quintil. 11.Inst.

b Act.6.15.ca. 7.2. & seqq.

In ipso vultu plurimùm valent oculi, per quos maximè animus emanat. Opertos autem , compressósve eos in dicendo , nemo nisi planè rudis, aut stultus habeat [c]. Denique verum dixit Poëta [d]:

Heu quàm difficile est crimen non prodere vultu!

c Quint. 11. Inst.c.3.

d Ouid.2.Metamorp.

Ait.] Iussus profectò dicere ; vel nutu , sicut in capite sequenti [e],vel verbis, & rationem reddere

Paulus iussus est rationem obiecti criminis reddere.

C obiecti criminis , quod cùm Tribunus nondum intellexisset, & maximè studeret intelligere [f],mihi persuadeo priùs expositum coram Tribuno crimen esse,quod Lucas iam satis indicatum præteriuerit. Alioqui contra moré iudiciorum ageretur, si reus nullo accusante respondere cogeretur. Hanc non tam coniecturam meam , quàm rei ita gestæ seriem esse docent literæ Tribuni ad Præsidem [g] (*volénsque scire causam, quam obiiciebant illi, deduxi eum in Concilium eorum , quem inueni accusari de quæstionibus legis ipsorum.*) Cùm Stephanus raptus est,& adductus in Concilium , accusatio in-

e vers.10.

f cap.præced. 30.

g vers. 28.& 29.

D structa est,producti testes [h]; tum princeps Sacerdotum dixit : *Si hæc ita se haberent* ? tandémque ille respondit [i].

h cap.6.14.

Eandem formulam seruatam in iudiciis secularibus Clemens affirmat [k]. *In causa criminali, in qua non de re, sed de reo,eiúsque persona tractatur, potissimùm verò , quando in discrimen vita vocatur, proprio reus ore respondere debet , nec morti priùs adiudicatur, quàm crimen suum* [l] *ore fassus sit iudici per ἀνάκρισιν interrogationis , & responsionis* [m] , *Iudice interrogante accusatorem , num velit persequi crimen , & proferre testes:reum , an commiserit crimen.* Verùm de hac re posteà capite XXV. [n] cùm Festus Præses Romanorum legem,quæ huiusmodi formulam iudiciorum præscribit,citabit.

i cap.7.1.2.

Formula iudiciorum secularium quæ sit.

k 2.Const.ca. 52.

l l qui sententiam. C. de pœnis.

m l Diuus Adrianus. de custod.reor.

n vers.16.

Aliarum gentium diuersi mores.

E Ægyptij scripto accusationem,ac defensionem bis expositam excipiebant , sicque reiectis oratorum artibus sententiam scribebant [o]. Romani accusatori sex, reo ad se defendendum , nouem horas in foro primùm dederunt ad clepsydram [p]: deinde Cn. Pompeius tres isti, illi duas duntaxat, ita vt perorarent eodem die:apud Athenienses [q] compellebatur Laconicis , minutissimísque responsionibus reus ad interrogata respondere : & aliarum nationum alius hac in re mos fuit. Horis illis tum accusatori assignatis,tū reo,addit Æschines [r] tertiam diei partem , ad pœnam infligendam,vocans omnes partes aquæ nomine:quo vtitur etiam Demosthenes [s]. Extat clepsydræ & apud Ciceronem [t] mentio,deque eadem re ipsius

o Diod. Sycul.lib. 2.c.3.

p Plin. lib 1. epist.23 lib 2. epist.11.lib.6. epi.2 Apul.li. 1. Ascon. in Verr.1.Suidas verbo , clepsidra.

q Xenophon. lib. 1. rerum Græcarum.

r orat.contra Ctesiph.

s orat.de falsa lega.

t 2.Tusc.2.de ora.in Bruto.

inter

a in argum. orat. pro Milone.
b in Vespis, & Auibus.
c lib.6. Epig. 35. lib.8. epig. 7.
d in Adriano Sophista.
e 3. de Asino aureo.
f 1. horar. sub feciu. c. vlt.

interpres differit Asconius [a], & Scholiastes Aristophanis [b], & Raderus ac alij Martialis [c]. Denique Rhetoras vocat Philostratus [d] τοὺς ἀπὸ τῆς κλεψύδρας: & vas ipsum describit Apuleius [e]: necnon Auerroës, exponens Aristotelis Poëticam, in qua nonnihil de hoc innuit. Consule præterea Lælium Bisciolam [f].

Cur Paulus ita affabiliter sit exorsus.

Viri fratres.] Cur, vt in priore apologia, patres honorificè non compellat ? quare ad Tribunum sermonem quoque non dirigit, cum honoris titulo ? An vincula ipsa robur addiderunt, vt charitatem non minuerint, libertatem attulerint ? An ad eos tantùm se conuertit, à quibus intelligi, & in causa religionis iudicari quoquo modo posset? Tribunus militaris homo, & Gentilis erat.

Cur à Pontifice Paulus iussus sit percuti.

Carthusianus quidem arbitratur iussum in ore percuti Paulum à Pontifice, indignato quòd non exhibuisset sibi maiorem reuerentiam in loquendo, sed solùm dixisset: *Viri fratres, &c. Spiritualiter enim superbi*, inquit, *Patres, & Domini appellantur, & nomina, quæ æqualitatem prætendunt, abominantur.*

Innocentiam suã Paulus declarat.

g verf. 18.

h Rom. 12. 17. 2. Cor. 8. 21.

Ego omni conscientia bona conuersatus sum ante DEVM *vsque in hodiernum diem.*] Quam vultu præ se ferebat, verbis innocentiam declarat, non seipsum laudans (quod quandoque honestè fieri posse docui capite vigesimo [g]) sed defendens. Vult autem dicere, vt placet Chrysostomo: *Non sum mihi ipsi conscius, quòd vos læserim, nihil dignum hisce vinculis commisi.* Interrupta est oratio Pauli; hæc námque verba non sufficiunt, nec satis est *prouidisse bona coram* DEO, *sed oportuit etiam coram omnibus hominibus* [h].

Paulus de quo tempore loquatur cum hæc dicit.

i cap. 22. 3.

Carthusianus existimat Apostolum loqui de tempore, à quo conuersus est ad CHRISTVM, atque per id totum mortalis peccati sibi cõscium non fuisse. Potuit & anterius tempus Paulus intelligere, non intendens purgare seipsum ab omni peccato mortali, neque enim id ad rem præsentem pertinebat, sed semper in omni negotio religionis, & ante, & post conuersionem ad CHRISTVM, proposuisse in animo suo DEVM, &, vt priore dicebat apologia [i], *legis æmulatorem extitisse*, cùm nondum adimpleta esset, núncque, vt eius omnes intelligant adimpletionem.

Vis verbi πολιτεύεσθαι.
k Comm. ling. Græc.

Innuit hunc sensum phrasis Græca πεπολίτευμαι τῷ ΘΕῷ, hoc est, vt post Budæum [k] Gagneius vertit, *munere meo functus sum* DEO. Nam πολιτεύεσθαι, non est, *simpliciter conuersari*, quod priuati faciunt: sed *creditum sibi munus administrare, vt Magistratus faciunt, atque idem quod διαιτᾶν*, inquit Budæus, *ἀπὸ τῆς πολιτείας, vt sunt Antistites, & Cænobitæ, & Sacerdotes, qui vel curiis, vel functionibus præfecti sunt.* Caietanus consentit loqui Paulum de tempore quoque, quo persequebatur Ecclesiam, quoniam tunc etiam arbitrabatur obsequium se præstare DEO.

Diem.] Quidam codices legunt ὥραν, *horam.* Non refert, hora enim pro die, & pro tempore præsenti sumitur, & interdum indefinitè pro quolibet, vt antè notatum est.

Versus 2.] Princeps autem Sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os eius.

l cap. 22. 10.
m cap. 9. 2.

PRINCEPS *autem Sacerdotum Ananias.*] Non hũc intelligit superius [l], cùm testem citat epistolarum, quas ei ille dedisset in Damascum [m]: vix enim credibile est adhuc vixisse vel Caipham, vel Annam, qui eo tempore vicarium annuatim pon-

A tificatum gerebant.

Iosephi error à Baronio deprehensus.
n 20. Antiq. & 6.
o Tom. 1. Annal.

Sed & Iosephum [n] falli Baronius [o] admonet, dum Ananiæ pontificatum collocat sub Claudio, anno octauo ante Neronis Imperium, ad quem Claudium ille sit Romã à Quadrato Syriæ Præside vinctus missus, vt seditionis diceret causam: Ionatham verò Pontificem sub Nerone ponit, quem Præses Felix arte sicariorum de medio sustulerit: & his vltimis temporibus Felicis (paulò pòst enim narrat Lucas de successore Festo [p]) Ismaëlem asserit Pontificem fuisse. Nam Lucas Pauli hoc tempore comes falli non potuit, sed Iosephus, qui & in aliis non semel falsus est, & vltimis Domitiani temporibus historiam se conscripsisse testatur [q].

p cap. 24. 27.

B

q in fine Antiquitatum.
r 5. de Republ. Hebr. c. 2.

Sigonius [r] in catalogo Pontificum Hebræorum, Ananiam hunc Nebedei filium ab Agrippa rege Chalcidiæ datum, & remotum scribit.

Cur Paulus percussus fit.

Præcepit astantibus sibi percutere os eius.] Indignatus est, vel, vt Carthusiano visum, quòd eum Paulus honoratiore titulo non affecerit nominatim; vel quia tantam profiteretur orationis initio innocentiam. Præcepit aut nutu, aut verbo, vt quidam suspicantur etiam de alapa, *qua* CHRISTVS *iisdem alloquens Pontificem* [s] *percussus est.*

s Ioan. 18. 22.
t 6. de legib.

Astantibus.] Non sibi tantùm, sed etiam Paulo. Seruatam enim credi debet legem Platonis [t], C quam dictat recta ratio, vt proximi constituantur ante Iudices rei, actorésque, quoniam colliguntur multa ex vultu, ac modo orationis. Nefas autem erat, dum causæ agerentur, vt ceteri residerent cum Iudice [u].

u l. 1. C. de offic. iudic. ciu. & l. vnic. C. Theodos. tit. cod. & Nou. lib. 1. ep. 1.

Os percussio sanctis Martyribus imposita.

x in Martyrol. 13. Iunij, de Felice presbyter. 9. Martij de 40. Martyr. 29. Ianua. de Papa, & Mauro. 23. Febr. de Polycarpo. 12. Aug. de Graciliano & Felicissima.
y Suidas Adag. Dicam tria
z 3. Reg. vlt. 24.
a de mendacio c. 15. & 1. de Ser. Dom. in mon. c. 19.

Oris percussionem imperatam sanctis Martyribus, testantur eorum Acta, vel ad castigandos illos, vel ad morte etiam mulctandos [x]. Castigatio autem erat, quòd Magistratum cõtempsisse, Deos blasphemasse viderentur, nec sinerentur ampliùs loqui: qua de causa, qui deducebantur ad vltimum supplicium, iis obturabatur os, facta duntaxat potestate antequàm deducerentur, tria verba faciendi [y], iuxta prouerbium: Εἴπω σοι τρία ἐν αὐλῇ, vel, περὶ τῆς αὐλῆς, vel, περὶ τὴν αὐλήν. Michæam Prophetã pseudo-propheta Sedecias percussit in maD xillam, in conspectu Iuda, & Israël [z]. Augustinus [a] hanc Pauli percussionem, alapam, seu palmam intelligit.

Versus 3.] Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te DEVS, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundùm legem, & contra legem iubes me percuti?

Legalis sacerdotium destruendum prædicauit.

PERCVTIET *te* DEVS, *paries dealbate.*] Alloquitur eum, qui percussionem imperauerat, vt E sequentia docent. Rabanus, Beda, Historia Scholastica, & alij volunt esse solam prædictionem destruendi legalis Sacerdotij, & figuralis, cùm iam verum aduenisset, ita vt illud esset duntaxat apparens, ac veluti dealbatum. Eadem est Augustini sententia [b]: *Ita vt*, inquit, *nomine forinsecus niteret, intrinsecus luteis concupiscentiis sorderet*: docet [c] quoque *minus intelligentibus conuitium sonare, intelligentibus Prophetiam esse.*

b lib. de mendacio. c. 15.
c 1. de Ser. in monte. c. 19.

Carthusiani contraria magis placet opinio, immò & Oecumenij, atque Chrysostomi, reuerà, serióque, ac Apostolica quadam auctoritate denunciasse interitum auctori percussionis suæ, vt deterreret, ipse verò non videretur Tribuno, qui aderat, contemnendus, & quem à flagris sibi infli-

gendis

gendis prohibuerat. Chrysostomus [a] alio præterea quodam loco sententiæ oppositæ mentionem faciens, ait: *Nouimus quidem, quod de hoc loco aliqui satisfacientes, loco Prophetiæ velint esse, quod dictum est; nec culpo dicentes: etenim istud euenit, sicque defunctus est.*

a Hom. 6. de laudib. Pauli.

Ratio Carthusiani optima est, quoniam sciebat Paulus, quid loqueretur: *nec decet cum Caipha Paulum hac in re comparare, qui quod prophetabat, nesciebat* [b]. Prohibet quidem CHRISTVS [c], ne quis *malefacientibus malefaciat, maledicat maledicentibus, & imprecetur*: & ipsemet Apostolus idem præcipit [d], & ab se sic factum scribit [e]: tamen licet quandoque *vtrumlibet zelo iustitiæ, & iudiciaria potestate, atque sine vindictæ liuore, sine odio*, vt Gregorius [f] obseruat, suppetúntque in eodem Paulo exempla alia [g], & in Petro [h], & in Elia [i], & in Ieremia [k], & in aliis.

b Ioan. 11. 51. *Malefacientibus quomodo non sit malefaciendum.* c Luc. 6. 28. d Rom. 12. 14. e 1. Cor. 4. 12. f 4. Mor. c. 6. g 2. Tim. 4. 14. Gal. 5. 12. Act. 13. h Act. 8. i 4. Reg. 1. k cap. 11.

Paries dealbate.] Simulationem, & hypocrisim denotat hæc parœmialis locutio, cui similis est illa, qua CHRISTVS appellauit Scribas, & Pharisæos *hypocritas, sepulcra dealbata* [l]. Ita verò præter Interpretes hunc locum intellexit Ambrosius [m], & Augustinus [n], addentes allegoricum etiam sensum de impedimento, quod erat ab huiusmodi sacerdotio, ne duo inuicem populi colligarentur. Porrò parœmiam τοῖχος κεκονιαμένος, vsurpabat quoque Lucianus de Colossis, qui foris præclari, intus pice, clauis, araneis, muribus, idque genus aliis pleni sordibus erant. Huiusmodi verò Principum vitam asserebat, quibus nihil videatur fœlicius, nihil Deorum, similius vitæ in speciem quidem, cùm curis tamen, suspicionibus, odiis discrucientur.

l Mat. 23. 27. m in Ps. 61. & in c. 1. Luc. n in Ps. 95. & 1. de Ser. Domin. in mon. cap. 19. *Paries dealbatus figura parœmiali dictum quid significet.*

Et tu sedens iudicas me secundùm legem.] Quidam codices habent, *sedes iudicans*, iuxta Græcum textum, κάθῃ κρίνων, & editionem Syram, ואנת יאתב אנת דאן אנת לי *vaneth iatheb aneth daen aneth li*, id est, *& tu sedes, tu iudicans es me*; & Augustinum [o], qui legit, *sedes iudicare*, quasi in textu Græco esset κάθῃ κρίνειν, sensus est idem, videlicet quòd profiteretur se legitimum iudicem iudicare legitimè.

o de mendacio, cap. 15. & epist. 5.

Et contra legem iubes me percuti?] Παρανομῶν, vel in genere significat egisse contra rationem, & legem vniuersalem iustitiæ, vt non plectatur vlla pœna nondum auditus, & damnatus: vel peculiariter violasse certam aliquam legem, de non opprimendo innocente [p], & de blasphemo extra vrbem lapidando [q], vt notat Glossa interlinearis.

An vniuersalis iustitia. Exod. 23. 4. Ioan. 18. 53. Leu. 24. 23.

Iam dixi, quo pacto Paulus non solùm non malè, sed bene etiam potuerit imprecari, neque enim præceptum id CHRISTI de alia præbenda maxilla [r], re, factóque semper expedit exequi, quod nec ipse hoc modo CHRISTVS executus est respondendo ei, qui alapam dedit [s]. Voluit CHRISTVS refrænare voluntatem reddendi pro malo malum, non solùm æquale, quod lex videbatur permittere [t], sed prorsus omne, ita etiam præterea, vt ei non resistatur, sed insuper nouum toleretur, quando videlicet recta charitatis norma id exigit, & aliena lædentis nos salus, & maior DEI gloria: quemadmodum nuper citatus Augustinus annotat, tractans hoc ipsum Pauli exemplum, & CHRISTI, ac docens vtrumque paratissimum fuisse ad excipiendum alapam aliam; ceterùm satius duxisse pro percutientium, & aliorum vtilitate, beneuolè, modestéque reprehendere. Gregorij [u] quoque monitum est, illos, quorum vita in exemplo imitationis est posita debere, si possunt,

Praeceptum de alterâ maxilla quomodo intelligendum. Mat. 5. 38. 39. Ioan. 18. 23. Exod. 21. 24. Hom. 5. in Ezech.

A detrahentium sibi verba (adde iniustam verborum causam) compescere: ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant: & ita in prauis moribus remanentes, benè viuere contemnant.

Dedocet adhuc Augustinus [x] Marcellinum Ethnicorum doctrina quoquo modo inductum, vt illam Christianam non arbitretur impunitatem perditis dare, omnem Rempublicam euertere. Non ligat CHRISTVS Iudici manus in sceleratos, priuatos coërcet, & vindictæ libidinem, vel suamet se manu vindicandi libertatem præcidit.

x epi. 4. & 5. *Christus non ligat Iudici manus in sceleratos.*

B *Versus* 4.] Et qui astabant dixerunt: Summum Sacerdotem DEI maledicis?

SVMMVM *Sacerdotem* DEI *maledicis?*] Αὐτὸ ὀρεῖς? *conuitio afficis?* Nimirum imprecando dignum ducere videbatur animaduersione diuina, sicque conuitio afficere. Cyprianus [y] legit: *Sic insilis in Sacerdotem* DEI *maledicendo?* Augustinus [z]: *Principi Sacerdotum maledicis?* DEI autem mentio vim habet ad exaggerandam iniuriam. Summum Sacerdotem Interpres reddit, qui ἀρχιερεὺς Græcè dicitur, & tamen apud Marcum in numero multitudinis summos quoque Sacerdotes ponit. Vnde præcisè hac appellatione hoc loco non posset colligi fuisse
C se Pontificem, cùm illa accommodetur ad plures, & non tantùm ad Annam, & Caipham dum viuerent, eò quòd annuatim per vices Pontificatum administrarent. Ex aliis adiunctis constat sermonem esse de Pontifice. Chrysostomus hunc ait responso Pauli adeò perculsum, & mortuo similem, nec verbum proferre potuisse; sed alios pro ipso respondisse.

y epi. 55. & 65. & 69. ed. Pamel. z citatis locis.

Versus 5.] Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi
D tui non maledices.

NESCIEBAM *fratres, quia Princeps est Sacerdotum.*] Quomodo nesciebat, cui non poterat ignotum esse illum, qui præcepisset, quémque ipse, vt iudicem sedere & videbat, & affirmabat, præcipuum in Concilio locum obtinere? Chrysostomus reiecta opinione, quòd sciens irriserit, affirmat nescisse, quia si sciisset, honorasset: post longum enim tempus redierat, & cum Iudæis continuò non fuerat, nec adeò perspicuè dignosci tunc poterat Princeps Sacerdotum multis illum circunstantibus. Idem alio loco [a] scribit, pœnitentia ductum se excusasse. Lyranus Chrysostomi opinionem, & rationem sequitur, quam-
E uis illius non meminerit: Carthusianus consentit: sed etiamsi sciuisset, ita loqui potuisse (nisi scandalum non timuisset) pro Apostolica auctoritate. Caietanus eodem pacto respondet. Isidorus Clarius ad idem adducitur, eò quòd tamdiu Paulus abfuisset: cùm autem priore capite protulit testem Principem Sacerdotum, de illo intelligere, quod & nos ibi diximus, qui viuebat, quando persequebatur Ecclesiam.

An nescierit illum esse summum Pontificem Paulus. a Hom. 39. in Matth.

Opinio illa prima non displicet Oecumenio, qui posteriorem quoque affert, probátque eo argumento, quod feci, & ait simulasse Paulum ignorationem, quæ non læderet, sed ædificaret, ac maiorem vim orationi tribueret: denique id

Sciuit hunc esse summum Pontificem.

ex dispensatione nonnunquàm fas esse. Augustinus [a] mentem Pauli exponit, ac si diceret: Ego alium sciui Principem Sacerdotum, pro cuius nomine ista sustineo, cui maledicere fas non est, & cui vos maledicitis, cùm in me nihil aliud, quàm eius odistis nomen. Sed & Marcellino [b] scribens ait, *quòd irridenter circunstantes admonebat, cùm proculdubiò, qui in eodem populo creuerat, atque ibi in lege fuerat eruditus, illum Principem Sacerdotum, nec eos, quibus ita notus erat, vllo modo falleret, quod nesciret.* Innuit profectò Cyprianus idem [c], cùm laudans modestiam in responso Pauli, *qui posset & constanter exerere, grauiùsque regerere conuitium, ac iustum quidem contra sacrilegos, & impios, & cruentos illos crucifixores* CHRISTI, *nihil ampliùs de Sacerdotali honore, & auctoritate retinentes, sine* CHRISTO, *sine templo, sine Sacerdotio; tamen obseruat illum in falsis, & spoliatis Sacerdotibus, vmbram ipsam inanem Sacerdotalis nominis coguasse, quando professus est se nescire, quòd Pontifex esset.*

a 1. de Serm. Dom. in mõte. cap. 19.
b epist. 5.
c epist. 55. & 69.

Beda agnoscit cognitum Pontificem à Paulo, sed eo sensu Paulum dixisse ab se ignoratum, quòd noui Testamenti Sacerdos non esset. Sequitur eundem dicendi modum Sà, & qui prodiit dum hæc scriberem Salmeron, eóque propendet Gagneius.

Quomodo Paulus hunc ignorare potuerit.

At Baronius existimat in Synedrio septuagintaduorum, non modò Pontificem primum sedisse post illos, sed alium summum Magistratum, qui præesset, vocaretúrque etiam Princeps Sacerdotum, tenuisse principem locum, itavt in duobus consessibus dispositis in vtrisque lateribus quisque primo sederet loco; sed summus Sacerdos nobiliore ex latere, vt olim in prima institutione se habebāt Moses, & Aaron. Itáque Paulum, quòd nunquàm hactenus in eo conuentu causam dixisset, recentérque Ierosolymam aduenisset, quisnam duorum summus Sacerdos esset, ignorare facilè potuisse.

Auctoris sententia.

Docui capite quarto, mihi difficile videri, vt qui Concilio huic magno præsideret, si diuersus erat à summo Sacerdote, Sacerdotum tamen princeps nominaretur, quando non ex Sacerdotibus duntaxat id constaret. Deinde quidquid sit de tota re, viget adhuc Augustini ratio [d] Paulum, qui in eodem populo creuisset, atque ibi eruditus in lege fuisset, nescire non potuisse illum Principem Sacerdotum, quem distinguit Baronius à summo Sacerdote, & quo vterque loco in Synedrio sederet, ad quod cognoscendum opus non erat causam egisse: quanquàm & dum aliquæ causæ agerentur, adesse potuit; & tunc adfuit, quando agebat Stephanus, & iterum cùm accepit epistolas in Damascum, potestatémque grassandi in Ecclesiam. Denique cùm sit commune nomen ambobus τοῦ ἀρχιερέως, vt Baronio placet, ex verbis Historici nostri non constabit, vtrùm Ananias fuerit summus Sacerdos, neque quoties idem, aliíve Euangelistæ illud vsurpent.

d epist. 5.

Non possum quidem certò probare, Magistratum sacrum, laicúmque, etiam extra sacra, & præsertim dum conuenirent in Concilium, gessisse certum, ac proprium vestimenti genus; sed si ex aliarum gentium more coniecturam facere licet, atque ex his, quæ capite primo [e] attigimus de causis vestium, atque prætereà in capite duodecimo [f]; nec defuit Hebræis, eiusmodi distinctio habitus, licèt Caietanus neget hoc loco. Ex habitu igitur Paulus, quem nullo modo ignorare potuit, discreuit profectò Pontificem, à quo nec procul aberat, more reorum, quos dixi superiùs, proximè Iudices constitui solitos, quantum decori ratio pateretur. Non cogit, quod Paulus respondit: *Tu sedes iudicans:* vel præceptum de Paulo percutiendo datum, vt non in alium hæc aliquem è Iudicibus nullo conspicuum signo, notabilémque pro ceteris conuenire possint, maximè cùm in iam præiudicatum omnium maleuolentia reum.

Fuisse habitum distinctum à cõmuni Pontificibus, dum in Synedrio sederent, Auctor coniicit.
e vers. 9.
f vers. 21.

Quidlibet audiendi fuerit par cuique potestas [g].
Attamen nullo modo efficit hoc, vt qui reipsa Pontifex fuit, is qui præcepit, & de quo ceteri Pontificem esse affirmarunt, & cui in negotio sacro primæ facilè deferebantur, à Paulo omnes conspiciente, & loquentes audiente potuerit ignorari.

g Horat. de arte Poet.

Accedit, quòd excusatio Pauli non magis ostēdit ab eo ignoratum summum Sacerdotem, quàm alium illum Synedrij Præsidem: tum quia nomen τοῦ ἀρχιερέως, & Principis Sacerdotum vtrique conuenire Baronius docet: tum quia lex, cuius Paulus testimonium citat, excusans se, de vtroque debet intelligi [h]: *Principem populi tui non maledices.* Ita vt si fuerit ignorantia in Paulo, non minùs fuerit de vno, quàm de alio.

h Exo. 22. 27.

Nam quamuis Ananiæ nomen, quod Lucas exprimit, certam personam summi Sacerdotis, qui tunc erat, designare videatur, posset nihilominùs vel vtrique idem nomen esse, vel in Synedrio tacitum prorsus esse id nomen, ita vt ex illo Pontifex non dignosceretur.

Andreas Riclicius [i] arbitratur, concilium hoc non consueto habitum loco, vbi subselliorum, dignitatum, personarum vsitata seruari distinctio, ac internosci posset; sed in aliquo Tribuni Romani conclaui, prout tunc fortè res, tempúsque tulit. Probat ex postremis capitis prioris verbis: *Iussit Sacerdotes conuenire, &c.* vbi Græcum ἐλθεῖν, est *venire* simpliciter, & pro *producens*, habetur καταγαγών, quasi in inferiorem locum, & non ordinarium Synedrij. Proptereà Paulum colligit peregrè, longo post absentiam redeuntem tempore, tanto exagitatum Iudæorum impetu, in insolito loco, modóque iudicij, non potuisse tam citò, paucula adhuc orsum dicere, ipsos Principes ab aliis discernere; maximè si nihil tunc notabilis ornamenti gerebant. Denique, quia Theophylactus, siue Oecumenius auctoritatem Chrysostomi sequutus ait, quòd οὐκ ἔτι δῆλος ἦν ὁ ἀρχιερεὺς, πολλῶν ὄντων, καὶ διαφόρων, *Nondum manifestus erat, notúsve Princeps Sacerdotum, cùm multi, ac diuersi adessent.* Non improbabiles sunt sanè priores opiniones, si demas eam, quæ admittit in Paulo mendacium.

Andreas Riclicij opinio sine probabilitate.
i in suo Paulo, part. 2. c. 57.

Attamen diligenter expensis opinionum, quas recitaui, momentis, & Auctorum numero, ac pondere, non possum, quin non falsam quidem, sed salsam, & liberam in Pauli oratione ironiam concedam, qua, cùm circumstantes offensos animaduerteret, ob præcedentem seu imprecationem, seu prædictionem, vti voluerit allata legis sententia, quæ vniuersè illam vetaret aduersus populi Principem pronunciari, ita vt noluerit alios abuti exemplo suo; quippe qui summum Sacerdotem obseruare, eíque obedire tenerentur, legis adhuc sacra sectantes, ipse non teneretur horum solutus obligatione, cùm etiam in eo sacerdotio nihil præter colorem resideret. Quanquàm & illud verum est, sua abutentem potestate Magistratum, & gubernantem tyrannicè, eatenus seipsum indignum reddere, cuius iniquis præceptis pareatur, & solitus, debitúsque alioqui honor,

Pauli verba ironiam continent.

atque

atque obseruantia huiusmodi in rebus habeatur. Nam diuinitus dixisse L. Crassum Cicero [a] dixit, *Cùm sibi illum Consulem esse negaret, qui sibi Senator non esset.*

a 3.de ora.sub princip.

Illud difficultatem facit, quoniam ironica responsio, quamlibet vocis, ac vultus tecta moderatione, propter incredibilitatem vehementiùs prouocatura erat Magistratus Iudaici indignationem contra Paulum, negantem eum ab se cognosci, qui maximè & posset, & deberet: simul conceptam confirmatura opinionem de Paulo, fraudulentum impostorem esse, sacrorum Iudaicorum, & totius eorum nationis inimicum. Sunt hæc certè: at enimuerò paulùm deferbuerat pristinus furor percussione Pauli, mollior etiam eiusdem responsio, si non fregerat, remiserat furentium iram, hæc ipsamet ira non dabat his, quos cæcauerat, otium cuncta perpendendi. Paulus cœptam percurrens orationem, opportunè alias seuit inter ipsos discordias, vt mox videbimus. Postremò DEVS, qui *assidet in Synagoga Deorum, in medio eos diiudicans* [b], *ipsásque iustitias* [c], rem sic moderatus est, quémque percuti passus est, non tulit ex altero responso vllum aliud incommodum reportare.

Quomodo Paulus in hoc responso immunis fuit grauius castigatione.

b Psa.81.1.
c Psa.74.3.

Ceterùm in hoc eodem responso cuncti non solùm Interpretes, verùm etiam quos citaui, Cyprianus, & Augustinus magnam moderationem obseruant, indéque colligi, quanta tranquillitate illud dixisset: *Percutiet te* DEVS, *paries dealbate:* quod iratus dixisse videbatur. *Tam citò enim*, ait Augustinus [d], *tam mansuetè respondit, quod ab indignantibus, & perturbatis fieri non potest.* Hieronymus paulò seuerioris ingenij, dum declamat contra Pelagianos [e], qui libero arbitrio naturalem ad non peccandum facultatem tribuebant, concedénsque, *sed non sine gratia, id posse pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara, si paululum se remiserit, discere fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscere*, profert, vt id probet, hoc exemplum Pauli, aitque [f]: *Vbi est illa patientia* SALVATORIS, *qui quasi agnus ductus ad victimam, non aperuit os suum; sed clementer loquitur verberanti* [g]: *Si malè loquutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid me cædis? Non Apostolo detrahimus, sed gloriam Domini prædicamus, qui in carne passus, carnis iniuriam superat: vt taceam illud* (affert aliud exemplum Pauli) *quod ipse commemorat Alexander* [h] *ærarius, multa mihi mala ostendit: reddet illi Dominus in illa die iustus Iudex.*

Pauli moderatio in hoc responso.

d 1. de Serm. Domini in monte.c.19.
e 3.cont.Pelagian. longè ante med. *Homo sine gratia non peccare non potest, sed cum gratia potest non peccare aliquandiu.*
f Esa.53.7.
g Ioan.18.23.
h 2. Tim.4.4.

Hoc modo Hieronymus, cui libenter concesserim, longè perfectiorem fuisse CHRISTI patientiam, quàm Pauli: nego tamen, hîc in Paulo imitatore CHRISTI [i] desiderari, quam à magistro CHRISTO didicerat.

i 1.Cor.11.1.

Nec ignorauit Hieronymus, quando Prophetæ, Apostoli, atque viri Sancti malum cuipiam imprecantur, aut euenire imperant, non solùm indicant, vel prophetice loqui, non imprecatoriè, vel ex zelo diuinæ iustitiæ, vt pœna temporaria aliqui corrigantur, vt superiùs [k] quoque monui, aut eorum supplicio alij, aut DEI iustitia, atque potentia demonstretur, vt docet S.Thomas [l]. Ipsemet Hieronymus admonet [m], in his loquutionibus non rarò imperatiuum poni pro optatiuo, optatiuum pro indicatiuo [n]. Quæ est præterea doctrina Augustini [o], Anacleti Papæ [p], & aliorum. Vtitur verò etiam idem hoc exemplo Hieronymus [q], ne contra Ierosolymitanum Episcopum laxior sua decurreret oratio.

k vers.3.huius cap.
l 2.2.q.25.art.6.
m c.14.Os.
n Psa.11.
o Psa.78.
p dist.2.
q Ep. 61.ad Pammachiū.

Principem populi tui non maledices.] In Exodo [r] ita scriptum legitur: *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Vbi posterior pars, prioris ἐξήγησις est, & expositio, vt placet Augustino [s], & Cyrillo Alexandrino [t]. Chaldæa paraphrasis habet, *Iudices non vilipendes, & Principi in populo tuo non maledices*, vel *execraberis*, seu *blasphemabis.* In textu Hebræo primum verbum קלל *kalal*, est *maledicere, despicere, inhonorare:* secundum ארר *arar*, item *maledicere*, & *execrari.* Iuxta verba autem Græca κακολογεῖν, καὶ κακῶς ἐρεῖν, non est imprecari, immò nec malum inferre verbo, propriè loquendo, aut etiam maledicere, sed detrahere, conuitio, vel contumelia afficere, & malè dicere de aliquo; ita vt meliùs diceretur maledicere hoc modo alicui, quàm aliquem.

r ca.22.28.
s q 86.in Exodum.
t 7.cont.Iulianum.

Nota porrò sunt exempla sororis Aaron [u], & Mosis, Core item, Dathan, & Abiron [x] Moysi maledicentium, hácque de causa animaduersorum à DEO; prætereà populi DEI murmurantis contra Mosen, & Aaron [y]. In canone Apostolorum vno sic decernitur [z]: *Si quis in Regem, aut Magistratum contumeliosus fuerit, soluat pœnas: si quidem Clericus sit, deponatur: si verò laicus, excommunicetur.*

Exempla eorū qui puniti sunt, eo quòd Principibus detraxerant.
u Num.12.1. & seq.
x Num.16.1. & seq.
y Num.14.1. & seq.
z can.74.

Apud Iurisconsultos quæritur, *An principi maledicere sit crimen maiestatis.* Modestinus [a], *Maledici personam spectandam*, scribit, *nec lubricum linguæ facilè ad pœnam trahendum esse. & quanquàm temerarij pœna digni sint, vt insanis tamen parcendum, si non tale sit delictum, quod vel ex scriptura legis descendat, vel ad exemplum iudicandum sit.*

An sit crimen læsæ maiestatis Principi maledicere.
a l. famosi.7. ad legem Iuliam Maiest. ff.

Propter hoc exemplum videlicet, Clemens Papa III. iussit Clericum puniri, qui multis coram astantibus verba quædam in depressionem officij: & beneficij Papalis protulerat: *Vt pœna illius*, inquit, *aliis terrorem incutiat, ne de cetero contra Romanam Ecclesiam in talia verba prorumpant* [b]. Rectè sanè. *Priuatam enim iniuriam, si exemplo non noceat, & in contemptum publica, ac in primis superioris dignitatis non vergat, præstat dissimulare, & ignoscere*, vt scribit Gregorius [c] Ianuario Episcopo, conquerens, quòd ob illatam iniuriam verborum, Isidorum virum clarissimum anathematizasset. Theodosius, Arcadius, & Honorius Augusti cauerunt puniri lacessentes maledicto nomina eorum: sed si ex leuitate processisset, contemnendum: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab iniuria, remittendum: nempe vt Glossa exponit, & indicant sequentia verba, ad ipsorum scientiam referendum, vt ex personis dicta pensarent, & vtrùm prætermitti, an exquiri deberent, censerent [d], quamuis alij remittendum exponant de condonatione.

b c.innotuit. de maledicis.
Priuatas iniurias præstat dissimulare, quàm persequi.
c li.2 Indict. 10. ep 34.c.inter querelas, 23.q.4.
d Cod.si quis Imperato maled.li. 9.tit.7. l.Vnica. & C. Theodos. tit. eod.li.9.tit.4.

In vtrâque partem exempla Principum, quique clementer iniurias condonarint, quique seuerè, & iustè sint vlti, cum aliorum prætereà sententiis Auctorum, reperies apud Iacobum Menochium [e], & Petrum Gregorium [f], qui diligenter tractant hanc materiam. Princeps in Republica pater omnium est, & maiore in his, quæ ad illam pertinent, obseruantia dignus, quàm genitores. *Qui autem maledixerit patri, vel matri, morte mori debet* secundùm legem [g]. Et qui prohibuit CHRISTVS, ne cui dicatur Raca [h], seu Fatue [i], multò magis maledicentiam vetuit aduersùs Principes, quos lex eadem pridem citata *Deos* nominauit. Sed & maledicendi libertatem præciderunt penitus Petrus [k], ac Paulus [l]. Iudas [m] quoque tradit, *Michaëlem Archangelum in altercatione cum Diabolo non esse ausum iudicium inferre blasphemiæ:*

Vnde petenda exempla Principum, qui vel remiserunt, vel castigarunt iniurias.
e lib.2.de arbitr.iud.cent.4.casu 377.
f lib.35.Syntagm.c.8.
g Exod.21.17. Mat.15.4.
h Mat.5.22.
i ibid.
k 1.epi.3.9.& c.4.15.
l Rom.12.14. 1. Cor.5.11.& c.6.10.
m in vers.9.

sicut & CHRISTVS, cùm malediceretur, non maledicebat [a], sed potiùs benedicebat: necnon & Paulus [b], qui quo modo nunc maledicendo non peccarit; & quare tamen excuset seipsum, superiùs dictum est. Alioqui constat, sine vitio maledixisse eundem Paulum Alexandro ærario [c]; Petrum Simoni Mago [d]; Eliam quinquagenariis [e]. Qua de re legendi Basilius [f], & Gregorius [g].

a 1. Pet. 2. 23.
b 1. Cor. 4. 12.
c 2. Tim. 4. 14.
d Act. 8. 20.
e 4. Reg. 1. 10. & seq.
f q. 24. ex Breui.
g 4. Moral. c. 6.

Versus 6.] Sciens autem Paulus quia vna pars esset Sadducęorum, & altera Pharisæorum, exclamauit in concilio: Viri fratres, ego Pharisęus sum, & filius Pharisęorum, de spe, & Resurrectione mortuorum ego iudicor.

SCIENS *autem Paulus*, &c.] De hac vtraque Iudæorum secta dixi alio loco [h]. Prudenti consilio Paulus, cùm non reperiret vllam iuris, vel æquitatis rationem apud tales Iudices, discordiam inter ipsos malè in malum concordes (vt erant contra CHRISTVM Pilatus, & Herodes, súntque adeò discrepantes inuicem Hæreticorum sectæ aduersùs Ecclesiam) disseminauit. Obseruant hoc, præter Interpretes, Gregorius [i], & B. Thomas [k], addítque Chrysostomus, exponere voluisse causam, & crimen, quod Iudices nolebant aperire.

h c. 4. 1. & c. 5. 14.
Prudentia Pauli quanta.
i 34. Moral. c. 4. vel 3. & 3. p. Pastor. c. 24.
k 2. 2. q. 37. ar. 1. ad 2.

Illustrat hanc veram, & perutilem doctrinam Gregorius, nimirum, *quòd eripiantur iusti, dum diuiduntur iniusti, & electorum vota ad perfectum perueniant, dum reproborum agmina per discordiam confunduntur*, exemplo scissi bifariàm rubri [l] maris, vt electus populus tenderet in promissam terram: & linguarum dissipatarum, cùm extrueretur à superbis Babel [m]: præterea Dauidis orantis testimonio: *Præcipita* [n], *Domine, & diuide linguas eorum.* Subdit idem sanctus Doctor, necessariam admonitionem, *quando peruersi nocere bonis nequeunt, etiamsi concupiscant, inter hos debere terrenam pacem constitui, vt quos contra dilectionem* DEI *malitia suæ impietatis exasperat, saltem ex proximi amore mansuescant, & quasi e vicino ad melius transeant, vt ad illam, quæ à se longè est, pacem Conditoris ascendant* [o].

Eripiuntur iusti, dum diuiduntur impij.
l Exod. 14.
m Gen. 11. 7.
n Psa. 54. 10.
o Rom. 3. 8.

Non sunt vllo modo facienda mala, vt eueniant bona, nec serendæ data opera discordiæ; verumtamen permitti quandoque, procurari etiam possunt, instar antidoti, seu veneni contra venenum, ac veluti febris in stupido corpore, illo quem dixit modo Gregorius. Sic seruatã Romanam constat Rempublicam, Tribunis cum Patritiis dissidentibus: Lacedæmoniam, Ephoris cum Regibus. Et Cato contentiunculas aliquas, vel dissensum callidè serebat inter seruos, quòd haberet suspectam, nimiámque timeret eorum concordiam [p]. Aulicorum in ore, seu mauis Politicorum versatur apophthegma Taciti [q]: *Nihil Principi aduersùs subditos vtilius, quàm si in commune non consulant, nempe si leuiter, citra arma tamen, & coniurationes, & odia cruenta, inter se finitima oppida, aut prouinciæ dissideant*, ne coniunctæ coniurare possint.

Quædam discordia quomodo procurari possint.
p Plutarch. in Catone.
q in vita Agricolæ.

Arripuit Machiauellus Atheorum antistes Politicorum, propagauítque sententiam huic affinem: REGNARE SI VIS, DIVIDE. Cui non fauorem præbet, sed antidotum suppeditat exemplum præsens, cum admonitione Gregorij, siue hac moderatione: *Nihil perniciosius, & ad euertendas Respublicas aptius, quàm cùm earum ordines ab ordine distrahuntur, atque disiunguntur.* Sunt in oculis exempla domestica, ne abire longiùs cogamur, ad Mariana, Syllana, Pompeiana, Cęsariana, & Octauiana tempora, quibus, cùm diuisus est à Senatu populus: periit Respublica. Et sub Imperatoribus is præualebat antecessore sublato, qui prætorianos, aliósve milites ab illo auulsisset, & per eosdem occidisset, quod maximæ partis Imperatorum infortunium fuit. Refutatus est Machiauellus strenuè à nonnullis nostro tempore, tum verò à Thoma Bozio [r].

r præsertim opere de imperio virtutis lib. 2. c. 11. & 17.

Ego Pharisæus sum.] Hoc idem profitetur epistola ad Philippenses [s], & paulò pòst hac eadem historia [t], vocans Pharisæorum certissimam sectam Iudæorum.

s cap. 3. 5.
t cap. 26. 5.

Adhuc etiam Christianus Pharisæos ritus, doctrinámque Paulus sectabatur, quãtùm lex Euangelica patiebatur; vt victum simplicem, abstinentiam deliciarum, venerationem natu maiorum, vitam socialem, opinionem, animas esse immortales, quibus post mortem præmia decernantur; & pœnæ, notitiam exactiorem legalium [u].

Paulus Pharisæorum ritus, quantum lex Euangelica patiebatur, sectabatur.
u Iosep. 13. Antiq. c. 9. lib. 18. ca. 2. lib. 2. de bello Iud. c. 7.

Præter causam autem priùs allatam, quare Paulus hoc in Pharisæis dissidium, & Sadducæis excitauerit, est ista alia, quoniam Sadducæos nouerat in primis infensos Apostolis fuisse [x], essèque feros, & in iudiciis crudeliores, quàm ceteros Iudæos. Addit Gagneius citans Eusebium [y], & Ananiam Sadducæum fuisse, & maximè proteruum, atque insolentem moribus, qui & Iacobi maioris necem posteà procurauerit: sed Eusebius non Ananiam, sed Ananum nominat; nec recta temporis ratio videtur congruere.

Cur Paulus inter Sadducæos, & Pharisæos, dissidium concitauerit.
x Act. 5. 17.
y lib. 2. Hist. c. 23.

Filius Pharisæorum.] Græci, Syríque codices, & aliqui Latini legunt in singulari: sed legunt in plurali Tertullianus [z], & Gregorius [a]. Agnoscit hanc diuersitatem lectionis Beda (quamuis quidam etiam Græci libri habeant numerum pluralem) id autem Paulum dixisse vult, propter suam, de qua priùs meminerat [b], secus pedes Gamalielis institutionem, qui erat Pharisæus. Lyranus idem dicit, loquíque Paulum de patre spirituali, necnon & de carnali, qui similiter fuerit Pharisæus. Fieri & hoc potuit, ac innui numero multitudinis, qui tamen non rarò pro singulari ponitur.

z de Resurrectione carnis c. 10.
a 34. Moral. c. 4. vel 3. & 3. p. Pastor. c. 24.
b cap. 22. 3.

Nec verò impedit penula, cuius meminit Apostolus, dum scribit Timotheo [c]: neque enim, vt hac ratione inductus Hugo negat, patrem Pauli carnalem Pharisæum fuisse, penula est vestis Consularis, data patri Pauli à Romanis, cùm ciuitate Romana ipsum donarunt, quam sibi Paulus seruaret; sed quippiam aliud, vt demonstrat Baronius [d], siue φαιλώνην dicas, siue φελώνην, siue φελόνην, siue φαινόλην, siue φαιόλην, quæ fuerit vel propriè dicta penula pluuiis arcendis comparata; vel theca, & arcula libris, aut epistolis referta; vel vestis sacra, cuius in diuinis mysteriis vsus, quam *planetam* vocamus, & *casulam*, quia ὅλη φαίνεται, *tota conspicitur*, & est quasi φαινόλιον, eiusdem significationis; vel veteris volumen Testamenti, quod constaret chartis in se conuolutis. Syriaca versio בית כתבא *beth chethabe*, scriptorum vocat domum, id est, thecam. De ista forsan aptiùs locus intelligitur cum libris, & membranis: vt sit *penula*, quasi *penus paruula*, *penarium*, vel *penaria*. Fauet Hieronymus [e], præter Andream Riclicium [f]. Verùm licèt Consularem vestem intelligeremus, nec nobilitas, nec militia, quas indidem Hugo colligit, Pharisaicam professionem impediebant; alioqui nullus, qui esset Pharisæus, ciuis Romanus effici posset, nisi abdicata professione Pharisaica, quod absurdum videtur.

c 2. Tim. 4. 13.
Pharisæum patrem Pauli fuisse, quamuis ciuis Romanus. Penula quid sit.
d Tom. 1. Annal.
e epist. 152. q. 2.
f de Paulo q. 2. num. 16.

De spe, & Resurrectione mortuorum ego iudicor.] Id exclamando dixit, vt Lucas proximè antè notauit, & ipsemet Paulus hoc se vsum clamore protestatus est posteà [a]. Et hoc verò dubium videri potest, quàm conueniat cum veritate. Nam non fuit hæc accusatio, nec verbum vllum de Resurrectione, & vitæ futuræ statu obiectum est ipsi, sed quòd violasset templum, Gentiles in id admittendo, quòd vbique disputaret contra legem, & locum sanctum [b].

a cap.24.21.
b Act.21.28.

Cur Paulus de Resurrectione hic verbum fecerit.

Voluit dicere, hanc videri potissimam causam concitatæ persecutionis contra se, cuius præcipui auctores Sadducæi fuerint etiam in templo, quamuis obtenderint alia crimina. Vel certè iudicium intellexit, non causam ipsam totam, sed præsens præiudicium, ob percussum os eius, iussu summi Pontificis, qui, vt quidam putant, Sadducæus erat, quæ secta Resurrectionem negabat [c], quam Resurrectionem Paulus, cæterique Apostoli præ aliis mysteriis inculcabant. Vel, vt indicat Tertullianus [d], ostendit hac ratione se, quod ipsi obiectum fuerat, legem non impugnare cùm præcipuum Fidei mysterium in lege adeò celebratum prædicaret.

c Matt.22.23.
d de resurr. carnis.c.39.

De spe, & Resurrectione mortuorum.] Syrus, ועל סברא דקימתא *vebhal sabera dakeiametha*, id est, *De spe Resurrectionis mortuorum.* Legunt hoc modo Latini omnes, Græcíque, quamuis aliqui omittant *mortuorum* [e], quod parum refert: omittitur enim etiam in emendatis codicibus, versu octauo.

e Tertull.suprà.

Spes, & Resurrectio cur seiungantur.

Sed cur seiungantur spes, & Resurrectio, quæri potest. Arbitror spem, quæ de rebus bonis est, respicere fœlicitatem alterius vitæ; Resurrectionem, statum corporum denuò copulandorum cum animabus, tam damnatorū, quàm beatorum.

De nomine Spei.

Sæpe Spei nomen absolutè, solitariéque ponitur, & tunc denotat primarium obiectum ipsius, quod est DEVS, & æterna fœlicitas, quam vocat Petrus [f] *Spem viuam*, hoc est, spem vitæ, seu vitam speratam. Hugo præsentem locum accipit de spe, quam habemus pro mortuis, aut quam habent ipsi, vel in gloria, vel in Purgatorio; hi de ea, quam non habent, illi de continuatione eius, quam habent. Sed hoc impropriè dicitur, nec saltem in beatis spes est, cùm certam, & perspicuam notitiam habeant de perpetuitate suæ beatitudinis. Nostra quoque spes de nobis, & pro nobis propriè est.

f 1.Pet.1.3.

Ego iudicor.] Syrus, מתחדין אנא *metthedin ana*, id est, *In iudicium vocor, ego* accusor, condemnor, & veluti præiudicio damnatus percutior à Sadducæis, eorúmque factione, præsertim cui Ananias fauere creditur.

Versus 7.] Et cùm hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos, & Sadduceos, & soluta est multitudo.

FACTA *est dissensio inter Pharisæos,* &c.] Hoc est, quod intendebat Paulus, propter honestum illum finem, de quo superiùs cum Gregorio, & B. Thoma. Solutio verò multitudinis non significat secessionem ex Synedrio, & reditum ad loca sua, vt putauit Glossa interlinearis, & Hugo; sed discessionem in varias sententias, & factiones. Græcè namque legitur, καὶ ἐσχίσθη τὸ πλῆθος, quod Syrus bene reddit, ואתפלג עמא *vezthpeleg hhamma*, id est, *Et solutus est populus*; vel, *Et ortum est populi dissidium.* Nisi quòd per populum, & multitudinem non est intelligenda vniuersitas habitatorum Ierusalem, sed eorum, qui concilio intererant.

Quid sit solutio multitudinis.

Versus 8.] Sadducæi enim dicunt, non esse Resurrectionem, neque Angelum, neque SPIRITVM: Pharisæi autem vtraque confitentur.

SADDVCÆI *enim dicunt*, &c.] De Pharisæis aliàs [g] actum est, Sadducæi nominatim narrantur à Matthæo [h], *Resurrectionem negasse*, CHRISTÓque *super ea re quæstionem mouisse, vbi* CHRISTVS *illam confirmauit ex eo, quòd cùm dicatur* DEVS *Abraham, Isaac, Iacob* [i], *nec sit mortuorum* DEVS, *sed viuentium*, oporteat illorum animas superesse, quas omninò negabant dari Sadducæi, sicut & Resurrectionem. Verùm de hac argumentatione CHRISTI diximus alibi.

g cap.4.1.
h cap.22.23.
i Exod.3.15.

Neque SPIRITVM.] Μήτε πνεῦμα. Glossa interlinearis explicat de SPIRITV sancto: Lyranus de omni substantia spirituali, etiam de DEO, vt idcirco solum Pentateuchum reciperent, in quo minùs expressa mentio fit de illa spirituali substantia, quàm in libris Prophetarum.

Substantiā omnem spiritualem Sadducæi negabant.

Idem de corporeo DEO secundùm Sadducæorum sententiam prior dixerat Chrysostomus, & Oecumenius. Carthusianus quoque nomine Spiritus comprehendi vult omnes immateriales substantias. Hugo Glossam exponit non de DEO, *quia Spiritus est* [k], aut de tertia persona TRINITATIS, sed de Angelo, aut de animo humano, qui dicatur *sanctus*, hoc est, firmus, & immortalis. Quò minùs DEVM Lucas per SPIRITVM voluerit intelligi, persuadent sibi quidam [l], quia posuit πνεῦμα sine articulo. Sed aliàs obseruaui fallax hoc esse, nec perpetuum: spiritum verò pro anima humana non rarò Scripturæ vsurpant [m], & verisimile est, propter Resurrectionem nominatim expressam animam rationalem, quanquàm & satis intelligitur comprehensa, si spiritus, vt generale nomen omnis immaterialis substantiæ ponitur: nec dubium est, Sadducæos omnem huiusmodi substantiam de medio sustulisse, ac proinde DEVM, & SPIRITVM sanctum.

k Ioan.4.24.
l Salmeron.

Spiritus pro anima humana sæpe ponitur.

m Dan.3.86. Rom.8.16. Heb.12.9.23. & alibi.

Hoc vltimum de ipsis affirmat Nazianzenus [n] alludens ad præsentem locum. Sed non arbitror cognouisse Sadducæos distinctionem Personarum, tertiámque propriè negauisse, quam vocamus SPIRITVM sanctum. Fortasse cum hoc epitheto SPIRITVM sanctum negauerunt, intelligentes, more cæterorum Iudæorum, DEVM vt substantia, sic vnum persona, quoniam fidem Propheriarum detrahebant [o], quarum DEVS auctor dici solet quatenus sanctus. Hoc in sensu prodidit item de Sadducæis Epiphanius [p] negasse SPIRITVM sanctum, *quoniam*, inquit, *non sunt hoc digni facti.*

Sadducæi non cognouerunt distinctionem Personarum.

n ora.v.Theolo. de Spiritu sancto.
o Hieronym in c.22 Mat.
p Hæresi 14.

Pharisæi autem vtraque confitentur.] Tria cùm præcesserint, vtraque hic dicuntur, *vel*, inquiunt Chrysostomus, & Oecumenius, *quod Spiritus, & Angelus vnum sint, vel quia Lucas impropriè locutus est, non propriè. Non enim*, ait Oecumenius, *simplicium, & illiteratorum piscatorum scripta ad exactam, & exquisitam locutionis proprietatem redigenda sunt.* Syrus difficultatem sustulit, interpretans, פרישא דין מודין בכלהין *perische dein mauedin bechullehen*, id est, *Pharisæi verò hæc omnia confitentur*, pro eo, quod Græcè est, τὰ ἀμφότερα.

Lucas piscator non fuit, nec simplex, vel imperitus, sed linguam Græcam apprimè calluit, vt initio præfati sumus. Quocirca supprimendum responsum secundum, & adhærendum primo, quod

Lucas non fuit piscator, nec imperitus.

placuit quoque Caietano, sed ob aliam causam: *eadem namque ratio fuit negandi spiritum*, inquit, hoc est, *animam rationalem*, *& Resurrectionem*: vt propterea quòd ipsimet anteà dicebamus, illũ CHRISTVS contra Sadducæos probauerit ex Scriptura, quæ facit DEVM Abraham, Isaac, & Iacob, videlicet viuentium: quantùm ad animam. Quo pacto spiritus, seu anima membrum alterum efficiet cum Resurrectione: Angelus complectetur tum bonum, tum malum.

Versus 9.] Factus est autẽ clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæorum, pugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine isto: quid si SPIRITVS locutus est ei, aut Angelus?

QVIDAM *Pharisæorum.*] Οἱ γραμματεῖς τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων. Syrus, ספרא מן גבי דפרישא *saphre men gabbe depherische*, id est, *Scribæ ex delectis Pharisæorum.* Nonnulli codices Græci legunt, τῶν γραμματέων τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων. Eôdem recidit sensus.

Scribarum non erat vllus ordo proprius.
a cap. 4. 5.

Scribarum verò non erat vllus ordo proprius, sed nomen eorum, qui legum, siue iuris peritiores ad alios ordines aggregabant sese, vt aliàs [a] docuimus. Igitur, qui peritiores inter Pharisæos erant, patrocinium Pauli susceperunt in communi causa contra Sadducæos pro Resurrectione, & immateriali substantia. Ad hunc modum quando Sadducæis silentium CHRISTVS imposuit super eadem causa Resurrectionis [b], æquè Pharisæi contra CHRISTVM, qui dissidebant à Sadducæis, conspirantes, læti de aduersariis victis, & se, plus illis disputando posse, demonstrare volentes, habito consilio, vnum de sodalitio suo immiserunt in CHRISTVM, qui erat legis doctor, siue Scriba, vt fœliciùs decertaret cum eodem CHRISTO [c].

b Matt. 22. 34.
c ibid. 35.

Veritas inuenitur, quando recedunt affectiones.

Veritas inuenitur, quando recedunt affectiones, inquit Chrysostomus, nempe contra Paulum: sed quia ducebantur sua quoque contra Sadducæos affectione Pharisæi, suspectum est eorum, tametsi pro veritate, testimonium, *quippe non ex amore veritatis profectum, non zelo iustitiæ*, inquit Hugo, *sed superbia, & secta sua defendenda.*

Quod si SPIRITVS *locutus est ei, aut Angelus?*] Eodem hîc dubitatio potest esse de SPIRITV, quid per eum intelligatur, quam priore versu discussimus. Lyranus diuinum interpretatur, qui legatur in Pentateucho, quem Sadducæi recipiebant, locutus, non tantùm Angelus, vt nec mirum, nec nouum censeri debeat, si Paulo alter ex his locutus sit. Carthusianus exponit vel de DEO, non autem de tertia TRINITATIS persona, quam ignorabant Sadducæi, vel de spiritu humano, id est, de anima. Supponit videlicet animas separatas assumere posse corpora; quod nec adeò frequens, & forsan naturaliter possibile non est.

Animas humanas assumere posse corpora naturaliter dubitatur.

Si verò apparitiones veteris saltem Testamenti fiebant omnes per Angelos, qui quandoque repræsentarent personam DEI, hoc sufficit ad probandum, sicut apparitionis modus apertè demonstrabat Angelos, licèt in corporibus apparerent, non tamen esse corporeos; ita nec DEVM, qui Angelorum ministerio seipsum manifestabat.

In textu Græco additur, μὴ θεομαχῶμεν, *non repugnemus* DEO, & præcedit in eodem εἰ δὲ, *si autem*, conditionalis absque interrogatione. Syrus ita vertit, אן דין מנא אית בה בהדא *in den manna ith bah behadda*, id est, *Si autem*, &c. *quid est in eo, in hoc?* vel, *Quòd si*, &c. *quid hoc rei est?* videlicet quid aut noui, seu miri, aut incredibilis, aut criminis, siue culpæ? Oecumenij Interpres ei adscripsit (nec enim apud Græcum id reperio) notasse nonnulla exemplaria non habere μὴ θεομαχῶμεν. Illud ipse notat bifariàm, verba, quæ sunt in codicibus Latinis, intelligi, vt vel desit verbum, quo sensus integretur, id est, *Quòd si Spiritus locutus ipsi est, aut Angelus, incertum est.* vel subintelligatur hoc pacto verbum; *Quòd si Spiritus locutus ipsi est, aut Angelus*, id est. Quòd si hic de Resurrectione loquitur, cùm vel ab SPIRITV sancto, (nimirum à DEO) vel ab Angelo instructum id facere perspicuũ est.

Quale hic sit reticentia.

Videtur esse hoc loco ἀποσιώπησις, & reticentia insinuans latentem loquentium affectum pro veritate, quam tuebantur, atque contra ipsius impugnatores excandescentiam, quia, vt indicat Chrysostomus, crimini deputent, quod omni culpa vacat. Et verò fieri potest, vt τὸ μὴ θεομαχῶμεν, ex marginali Glossa irrepserit in textum, quæ Glossa transcripserit sententiam Gamalielis [d]: *Ne fortè &* DEO *repugnare inueniamini*, μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε.

d Act. 5. 39.

Forsitan alludere voluerunt ad narrationem, qua Paulus anteà docuerat se passum extasim, & quædam diuinitùs edoctum, ac iussum facere. Non id sibi persuadebant Pharisæi, quos expertus est tum antè, tum pòst maximos aduersarios religio Christiana; sed scilicet indulgebant malè in Sadducæos propenso animo, & Paulum non vt Christianum, quíque data opera nullum in præsentia de CHRISTO verbum fecerat, sed vt profitentem se de secta Pharisaica, sibi omni ope tutandum sunt rati, eo præsertim in articulo, in quo summum erat cum Pharisæis dissidium.

Pharisæi male in Sadducæos animo, Paulo fauerunt.

Satis popularis, ac trita sententia erat, Angelos cum hominibus colloqui; adeò vt editam PATRIS vocem de CHRISTO, quidam de turba dixerint esse Angeli [e]: necnon erat vulgò perspecta Samuelis animæ cum Saüle sermocinatio [f], ita vt ipsemet censeretur comparuisse.

e Ioan. 12. 29.
f 1. Reg. 28. 15.

Versus 10.] Et cùm magna dissensio facta esset, timens Tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.

TIMENS *Tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis.*] A Sadducæis, quibus fauebat Ananias pontifex: vel etiam à Pharisæis (vt in ea re fit, quam hinc, & hinc dissidentes vsurpant sibi, atque distrahunt) à Pharisæis, vt clientem, à Sadducæis, vt reum.

A Iudæis nullus habitus Synedrij respectus.

Nullus Synedrij loco, qui apud omnes gentes quamuis barbaras sacer est habitus, respectus à Iudæis, nulla moderatio adhibita, sed violatum ius, vbi vis coerceri, veritas pacatè dignosci, reddi cuiuis quod suum est solet, debétque: ad percussionem præcedentem Pauli, iussu Pontificis, pessimo audaciores exemplo, discerpere quoque reum non dubitant.

Factiosa semper omnis Iudæorum natio.

Factiosa semper omnis Iudæorum natio fuit, & in persequendis, tractandísve negotiis prorsus impotens, ac importuna. De sui temporis Iudæis Ambrosius [g] testis est, *aures iudicum, & publica inquietasse, & ideò magis præualuisse, quò essent impudentes,*

g Serm. in Ioan.

tes,

tes, nec id recens in ipsis esse, sed inueteratum, & originarium malum, nam olim iam & Dominum SALVATOREM *intra pratorium persecutos, &c.*

Iussit milites descendere.] Videlicet ex Antonia turri, vbi castra locata erant. Non potest Iudæorum feritas nisi militari compesci manu: in templo occidissent, si non in tempore Tribunus aduenisset. Quem iustitiæ causa destituit, ad vim, fraudémve confugit. Fauit æquitati Tribunus, & ciui Romano: atque vt magis faueret, fauor Pharisæorum multùm contulit, qui pollebant opinione sanctitatis, & doctrinæ, & humanitatis, quæ aberant omnia à Sadducæis.

Quanquàm, cùm Chrysostomus ait *discerpendum fuisse, quòd se ciuem Romanum dixisset, ideóque Tribunum libentiùs ipsum defendisse*, indicat denuò coniuncta voluntate vtrosque tum Sadducæos, tum Pharisæos communem aduersarium impetiuisse. Mihi tamen prior illa ratio placet.

a epist. ad solitar. vitam agentes.

Hæretici qua in re Iudæos imitentur.

Verè autem, & acutè Athanasius [a] Arianos (idem de aliis Hæreticis potest affirmari) æmulatos scribit in scelere Iudæos, *quòd vt Iudæi Paulum, quem de obiectis criminibus vincere non poterant, ad tribunalia traxerunt, ita illi iudicum potestate vtuntur, vt si quis contradicat, rapiant ad Præsidem, & Ducem.*

Vers. 11.] Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.

SEQVENTI *autem nocte assistens ei Dominus, ait.*] En opportunum auxilium *eius, qui est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione* [b].

b Psal. 9. 10.

Christus quater in hoc libro Paulo apparuit.

c cap. 9. & c. 16. & c. 22.

d cap. 27.

e cap. 5.

f cap. 12.

Quater hoc libro CHRISTVM ipsum Paulo narratur apparuisse [c], semel Angelum [d] Apostolis [e], & Petro [f], dum essent in carcere, Angelum duntaxat.

Paulo cur sæpius Christus apparuit, quàm aliis

g 1. Cor. 15. 10.

Non est hic index necessarius maioris sanctitatis, tamen decuit eum, *qui abundantius omnibus laborauit* [g], singulari diuinæ priuilegio consolationis affici: & qui non vidisset fortasse CHRISTVM inter mortales viuentem, Apostolis ceteris hac in parte aliquo pacto æquari, vt immortalem cœli incolam sæpiùs aspiceret, sicque firmiùs, & certiùs prædicaret. Potuit pluries Paulus CHRISTVM vidisse, &, si Origeni [h] credimus, sicut Petro, & ipsi Romæ ab eodem est dictum, DEBEO ITERVM CRVCIFIGI. Non audeo de omnibus apparitionibus affirmare factas immediatè à CHRISTO ipso, cùm possit Angelus, CHRISTI repræsentans personam, apparere pro CHRISTO. Verumtamen de apparitione in via Damascena, quin αὐτοπροσώπως ibi præsens fuerit, nullo pacto ambigendum censeo. Sed hac de re capite primo, & nono satis multa.

h Tract. 27. in Ioan.

Hæc apparitio Christi fuit imaginaria.

Nunc probabilis est sentétia Carthusiani, fuisse apparitionem imaginariam dormienti factam ab Angelo, qui referret CHRISTVM: ita vt nec Paulus, dum affirmat se vidisse CHRISTVM ad confirmandam veritatem Resurrectionis eius [i], vel æqualem dignitatem suam in Apostolatu [k], inde ducere voluerit argumentum: nec qui ex hac præsenti apparitione colligunt CHRISTVM esse in Sacramento EVCHARISTIÆ, & in cœlo, satis firmiter argumententur.

i 1. Cor. 15. 8.

k 1. Cor. 9. 1.

Constans esto.] Θάρσει Παῦλε, *Aude Paule.* Sic apud Ioannem [l]: *Confidite, ego vici mundum*, Græcè est, Θαρσεῖτε, vbi Syrus, אלא אתלבבו *ella ethlabebu*, id est, *sed sitis cordati*; vel, *bono animo este*: hîc autem אתחיל *ethchaial, corroborare*, vel, *obfirmare.* Et sæpe est idem verbum Græcum, pro quo in Latina editione est verbum confidendi [m]. Huiusmodi adhortatio non arguit defectum fidei, seu fiduciæ, & constantiæ, sed potiùs eadem in virtute confirmationem, & quandam quasi aggratulationem pro illa, & propositum auxilium gratiæ ad perseuerandum, & abstersionem timoris naturalis.

l cap. 16. 33.

Confidere quam vim habeat.

m vt Matth. 9. 2. 22. & alibi.

Sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.] Laudat præteritam constantiam, vt excitet ad futuram, pro eáque tanquàm illius præmium pollicetur præsentem opem. Idcirco tam confidenter posteà Cæsarem appellauit. In capite XIX.[n] dixerat oportere se Romam videre; quam ibi dixi vaticinationem quandam fuisse. Nondum tamen fortasse cognouerat, qua id iter occasione suscepturus esset.

n vers. 21.

Pauli gressus Deus dirigit.

Vbique dirigit Pauli gressus DEVS, docens quò ire, vel non ire debeat, quid quo loco facere, quid eum oporteat pati. *Nouit Dominus viam iustorum; iter peccatorum peribit* [o].

o Psal. 1. vlt.

Versus 12.] Facta autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se, dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.

FACTA *autem die.*] Syrus, וכד הוא צפרא *vechad haua tsipra*, id est, *Et cùm factum esset mane*; vel, *Facto autem diluculo.* Hanc vim habet phrasis Latina, & Græca, Γενομένης ἡμέρας, vt denotet diei, vel rei cuiusuis, de qua eadem locutio vsurpatur, inchoari principium.

Collegerunt se quidam ex Iudæis.] Syrus, אתכנשו הוו *etchaneschu hauu*, id est, *congregati sunt*; vel, *Conuenerunt*, Ποιήσαντες συστροφὴν. *Facientes coitionem*, nimirum factiosam, & spectantem ad factionem, tanquàm ἐπὶ κακῷ σύστασιν, καὶ συμφωνίαν, καὶ ὁμόνοιαν, quæ etiam vocatur ab eodem Luca [p] inferiùs, ἐπισύστασις, & superiùs [q], hoc ipso nomine τῆς συστροφῆς, vbi Latinus posuit *concursum.* Obseruarunt hoc Suidas [r], & Budæus [s]. Citat prior locum Psalmi [t] ἐσκέπασάς με ἀπὸ συστροφῆς πονηρευομένων, pro quo alij codices habent, σκέπασον, necnó Psalterium Arabicum, & Æthiopicum, *Protexisti*, vel, *protege me à conuentu malignantium*: Chald. *à secretis prauorum.* Doluit vehementer istis, quòd tanta solertia Paulus euasisset.

p cap. 24. 12.

q cap. 19. 40.

r verbo Συστροφὴ.

s Com. ling. Græcæ.

t Psal. 63. 2.

Deuouerunt se.] Ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς. Versu item 14. quod habemus, *Deuotione deuouimus*, Græcè est, ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν. Chrysostomus exponit dixisse, *se esse extra fidem in* DEVM, *nisi, quod deuouerant contra Paulum, implerent.* Vtrumuis verò accideret, siue quod optabant ipsi, siue contrarium, futuros esse anathema; hoc, quia id sibi imprecati erant; illud, quoniam essent detestabiles homicidæ. Addit Oecumenius dicendos nó tam ἀνάθεμα, quod ἄνω, id est, *sursum appenditur*, & addicitur, quàm κατάθεμα, quod κάτω, id est, *deorsum defertur*, dedicatur, Diabolo subiicitur, simúlque cum eo in condemnationem deuoluitur, ac ruit. Vatablus, *Dixerunt*, inquit, *se velle à Deo perdi, & deleri instar anathematis.*

Deuouere se quid sit.

Budæus [u] ἀναθέματα notat vocatos *sacros homines, quorum essent capita Diis inferis dicata, & deuota.* Beda, *Hoc verbum*, ait, *quantæ sit auctoritatis, norunt qui anathemate sacerdotali à societate* CHRISTI, *& Ecclesia alienantur.*

Anathemata quid sint.

u in Comm. ling. Græc.

Habetur vox anathematis in vtroque Testamento, quamuis in vetere per ח, in nouo per ε, necnon in Conciliis. Dicitur significare rem, vel personam execrandam, quam tangere sit nefas, vt quod in loco sacro appensum est donum, præ veneratione tangi non potest, quasi à sensu contrario, vt quid minimè sacrum denominetur, & abominabile, ac detestabile, atque exterminandum, & à DEO propter impietatem maximè separatum, & indignum vsu cuiuslibet creaturæ, non tantùm humani consortij.

Anathema est translatum ad censuram excommunicationis.

Translata est ad censuram excommunicationis ista dictio, cùm est solénior, quæ priuat actionibus diuinis propriis Christianæ Reipublicæ, vt Sacramentorum, diuinorum officiorum, sepulturæ Ecclesiasticæ: earum prætereà, quæ pertinent ad Christianos secundariò, vt electionis, & collationis beneficij, excommunicandi, exercitij iurisdictionis Ecclesiasticæ, denique ciuilium, quæ sunt communes omnibus hominibus, vt salutationis, colloquij, muneris.

Verumtamen præsentis loci non est acceptio anathematis, aut verbi anathematizandi, de quibus Interpretes epistolarũ Pauli [a], & Marci [b], & in vetere Testamento libri Numerorum [c], Deuteronomij [d], Iosue [e], Iudicum [f], Paralipomenon [g], Iudith [h], Zachariæ [i], Malachiæ [k], Machabæorum [l], necnon Hieronymus [m], Augustinus [n], Iustinus [o], Chrysostomus [p]. Nam isti Iudæi sibi sunt quiddam peculiare imprecati: quod affinitate quadam simile videtur separationi apud Essenos à suo cœtu eorum, quos deprehendissent in delicto: nec enim sumere cibum iis licebat etiã oblatum, sed herbis decerptis victitando, exesi fame corrumpebantur [q]. Vt taceam apud Gentiles interdictos aqua, & igni, Diti, seu diris, ac furiis deuotos, quique possent occidi impunè [r]. Etymologia mediocriter versatis in lingua Græca perspecta est, nec alia quærenda, quàm illa iam ab Oecumenio indicata: meritò namque Couarruuias [s] illam reiicit, quòd imponeretur θ theta damnatis sursum. Macrobius [t] docet *sacros homines* appellatos Græcè ζωάνας, quorum animas, vt Diis debitas (seu, vt quid ἀπηλλοτριωμένον Θεῷ διὰ κακίαν; sic loquitur Iustinus Martyr [u], id est, *relictum* DEO *propter malitiam*) ad ipsos transmittere cuicunque, & à se dimittere licebat.

a Rom. 9. 3. 1. Cor. 12. 3. cap. 16. 22. Gal. 1. 18.
b cap. 14. 71.
c cap. 21. 1.
d cap. 7. 26. c. 13. 17.
Qualis erat ista imprecatio horum Iudæorum.
e cap. 6. 17. c. 7. 1. 11. 12. 13.
f cap. 1. 17.
g lib. 1. c. 2. 7.
h cap. 16. 23.
i cap. 14. 11.
k cap. 4. 6.
l lib. 1. c. 5. 5.
m ep. 151. q. 9. & libr. de nom. Heb.
n ep. 178.
o qu. 121.
p Tom. 5. hom. de anathem.
q Ioseph. 2. de bel. Iud. c. 7.
r Plato lib. 9. & 10. de legib. Plin. lib. 6. cap. 22. Cic. orat. pro Domo sua. Cæsar 6. de bel. Gal. Lact. lib. 2. c. 10. Dion. Halic. lib. 2. Basil. ep. 47.
s c. alma mater. §. 8. nu. 8.
t lib. 3. c. 7.
u qu. 121.

Arbitrabantur pari quadam ratione hi coniurati obsequium se præstare DEO, si Pauli caput ipsi deuouerent: etsi res non succederet, illi pro Paulo rei DEO facti seipsos mactarent. Lege præter citatos Iacobum Simancam [x], & Henricum Henriques [y]. Cùm Petrus tertiò de CHRISTO interrogatus negaret ipsum, ait Matthæus [z], quòd cœpit *detestari*, καταναθεματίζειν, & Marcus [a] retento in Latina lingua verbo Græco *anathematizare*, hoc est, execrari seipsum, ac diris deuouere, quali execratorio iuramento quidam in Italia vtuntur, *Il Diauolo, ò il nemico mi porti via, se non è così*, &c. Syrus interpres vtitur verbo ducto ex radice Hebræa חרם *charam*, quod est occidere, excidere, corrumpere, perdere, ab vsu communi tollere, deuouere, publicare, proscribere. Vnde nomen חרם *cherem*, occisio, deuotio, consecratio, anathema. In Prouerbiis [b] Sapiens dicit, quòd *Ruina est homini deuorare Sanctos, & post vota retractare.* Salonius Viennensis [c] exponit hoc modo, vt *deuorare Sanctos sit se voto obligare ad persequendum eos, & occidendum, quemadmodum quadraginta Iudæi fecerunt contra Paulum, & Pagani, vt sæpe le-*

x in Instit. Cathol. tit. 27.
y Sum. The. Moral. lib. 13.
z cap. 26. 74.
a cap. 14. 71.
b cap. 20. 25.
Deuorare Sanctos quid sit.
c in Prouer. tom. 7. Bibl. Patrum.

A *gimus*, inquit, *Diis suis deuouerunt sanguinem Christianorum. Post vota autem promissa tractare*, ait *esse persequi, ac distrahere Sanctos, & quasi vile mancipium contemnere: hanc verò esse ruinam hominis, quoniam si peccatum est alicui homini nocere, multò magis Sanctos persequi, offendere, lædere: hoc enim esse damnationis æternæ interitum sibi præparare.*

Videntur hæc transcripta ex Hieronymo [d], qui nominatim quoq; meminit de his Pauli coniuratoribus, quasi deuouerent DEO Paulum, quem si non possent mactare, ipsimet se mactarẽt abstinentia. Eadem est interpretatio Bedæ in eundem locum, qui videtur legisse deuorare, sicut & Lyranus. Plura de illo loco Iansenius.

d in cap. 20. Prouerbiorũ.

B Deuotiones vtriusque Decij patris, ac filij, qui Consules fuerunt ambo, & pro incolumitate Romani exercitus obiecerunt se morti certæ, celebrantur Romanorum historiis, quamuis censuerit Liuius [e], cùm Consul, Dictator, & Prætor deuouent legiones hostium, non vtique se, sed ex legione Romana scripta, quem velit, deuouere debere, vbi formulam præscribit, necnon Macrobius [f], & ex aliis Auctoribus Alexander ab Alexandro [g] cum Tiraquello agens de votis, imprecationibus, necnon Brissonius [h]. Notum est item Iephte votum, quo filia imprudenter obstricta fuit [i]: non definio, an malè, cùm potiùs inter
C laudatos, ac fideles censeatur à Paulo [k]. Sanè quidem Cretenses Idomeneum regem suum pepulerunt, quòd naufragus ex voto conscelerato filium sibi obuiam factum immolare Diis vellet, atque iam perditum iret [l]. At Paulus [m] hic ipse noster quàm religiosiùs, & deuotiùs deuouit se DEO, *optans anathema esse à* CHRISTO *pro fratribus suis?*

Deuotiones veterum pro salute patriæ prosanæ.
e 1. Decade, libr. 8.
f lib. 3. c. 9.
g lib. 3. c. 22.
h 1. de Formulis.
i Iudicum 11. 30.
k Heb. 11. 32.
l Seruius k 11. Aeneid.
m Rom. 9. 3.

Stultum votum, stolida promissio, fatua deuotio est, cùm quis vouet, promittit, deuouet rem malam, quam qui præstat, peccat dupliciter, tum quia promittẽdo quodammodò blasphemat placere DEO, quod ei spondet: tum quia re ipsa
D quod malum est exequendo, ratam habet eandem opinionem, vltra mali ipsius crimen, quo se contaminat.

Votum stultum & stolida promissio quæ sit.

Præstare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat: interim scelus est fides [n].

Est nonnunquam contra officium fidem seruare, inquit Ambrosius [o], *& si ad peccatum committendum fides exhibeatur*, inquit Augustinus [p], *fides appellari non debet.*

n Seneca in Hercul. Oetheo actu 2.
o 1. de Offic.
p 2. 2. quæst. 4. cap. si ad peccatum.

Apud Dionysium Halicarnassæum [q] sapienter, & aptissimè instituto dixit quidam: *Pactiones si quas inter vos fecistis arcanas, fidémque, dedistis sponsores facientes Deos, seruatas eas putatote impias, & aduersus ciues, & patriam, at solutas, pias. Dij enim se ad pulchros, honestósque consensus adhiberi gaudent, non ad*
E *turpes, atque iniustos.*

q lib. 11.

Eandem ad rem facit in iure ciuili titulus de Pactis, & in iure Canonico quæ habentur causa XXII. quæstione IV. & quæ disserunt Interpretes, Patrésque, qui tractant de decollatione Ioannis Baptistæ [r]. Præstat prorsus à iurata execratione, seu imprecatione, atque ab omni iuramento abstinere, ac si fieri possit, nec exigere, *quoniam improbus peierabit, iustus sine iuramento verum dicet*, vt ait Isidorus Pelusiota [s]; sed siue dari, siue reddi debeat, modus adhibendus, quem requirit veritas, atque rei tam sanctæ reuerentia, honestas, iustitia.

r Matth. 14. 3.
s Lib. 3. epistola 255.

Vers. 13.] Erant autem plus quàm quadraginta viri, qui hanc coniurationem fecerant.

ERANT *autem plus quàm quadraginta viri.*] Nõ est igitur in quadragenario numero, quòd Arator [a] excogitet mysterium, quoniam coniuratores excesserunt illum numerum: *Ad malum conspirant multi, cùm de bono agitur, ne duo quidem*, inquit Chrysostomus.

Qui hanc coniurationem fecerant.] Συνωμοσίαν. Varius fuit ritus in coniurationibus, & confœderationibus, de quo vide quæ colligit Petrus Gregorius [b], Alexander ab Alexandro [c] cum Tiraquello, & Brissonius [d]. In Scriptura extat iuramentum *sub femore eius*, *cui fiebat* [e] *cum manus eleuatione* [f]: *cum applicatione ad Deos* [g]: Sacerdotes, & Iudices, *per salutem Regis, & suam* [h]: *per timorem patris* [i]: *inuocando* DEVM *testem in animam propriam* [k]: dicendo: *Hæc faciat mihi* DEVS, *& hæc addat* [l]: *Viuit Dominus* [m], *si*, &c. [n] & si qui sunt alij modi.

a 1. Carmin. Act. conspirant ad malum multi, ... bonum pauci.
b lib. 10. Syntagm. cap. 3.
c libro v. c. 2.
d l. 1. de Formulis.
e Genes. 24.
f k 4. Deut. 32. 40.
g Exod. 23. 3.
h 2. Reg. 11. & Gen 42. 15.
i Genes. 31. 42.
k 2. Cor. 1. 23.
l 1. Reg. 3. 17. & alibi passim.
m in sæpe apud Prophetas.
n variis locis.

Versus 14.] Qui accesserunt ad principes Sacerdotum, & seniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus, nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum.

DEVOTIONE *deuouimus.*] Geminatio vim habet ad augendam orationem, & exprimendam intensiorem actionem, sicut illud in capite quinto [o], vbi hoc idem annotauimus: *Præcipiendo præcepimus vobis.*

o vers. 28. Coniuratio hæc maxima fuit.

Oportet maximam prorsus conspirationem fuisse, quam adeò multi & fecerint, & tam multis communicauerint, hique consenserint. *Decem viri cum Ismaële ex condicto interfecerunt Godoliam, quem Nabuchodonozor præfecerat relictis in terra Iuda* [p], & crebras continent historiæ Iudæorum huius populi coniurationes, conspirationésque secretas, ac proditorias, præter eam, quam fratres machinati sunt in Ioseph [q], & Discipulus Iudas in CHRISTVM [r]: denique *omnia, quæ loquitur populus, coniuratio est* [s], non solùm quam sibi ab aliis timet, sed quam aliis etiam struit, nec modò, vt viuentem de medio tollerent, sed etiam in suscitati CHRISTI Resurrectionem, corruptis pecunia sepulcri custodibus, coniurarunt [t]: & deinceps in Discipulos CHRISTI, vt vidimus in hac historia, & consequenti tempore semper in Ecclesiam, vt docuimus capite septimo: *Inuenta est coniuratio in viris Iuda, & in habitatoribus Ierusalem* [u].

p 4. Reg. 25. 25.
q Gen. 37. 18.
r Matt. 26. 14
s Esa. 8. 12.
t Matth. vlt. 11. 12. 13. 14. 15
u Ierem. 11. 9.

Vers. 15.] Nunc ergo vos notum facite Tribuno cum Concilio, vt producat illum ad vos, tanquàm aliquid certiùs cogituri de eo. Nos verò priusquàm appropiet, parati sumus interficere illum.

NOTVM *facite Tribuno cum Concilio.*] Vt coniuratio magis esset tecta, voluerunt ex consensu totius Cõcilij cum Tribuno reuocari reum, quem ipsemet Tribunus nuper sponte, nec ab iis rogatus produxerat ante ipsos. Volunt itaque significari Tribuno, vt adducat Paulum, & iis, qui erant de Concilio, vt conueniant.

Vt producat illum ad vos.] Αὔριον, *cras*, quod tamen Syra quoque editio non habet. *Quamprimùm coniuratores Concilium indici procurabant, vt cito expedirentur ieiunio*, inquit Lyranus, *& alij haberent intentum.*

Tanquàm aliquid certiùs cogituri de eo.] *Quid dicitis*, inquit Chrysostomus, *nonne secundo vobis concionatus est? nonne Pharisæum se esse dixit? Quid igitur reliquum? Ita nihil reuerebantur*, non tribunalia, non leges, ita nihil ab illis intentatum remansit.

Iudæorum impudentia.

Vers. 16.] Quod cùm audisset filius sororis Pauli insidias, venit, & intrauit in castra, nunciauitque Paulo.

QVOD *cùm audisset.*] Singulari prouidentia factum est, vt tam dira, & secreta consilia detegerentur per affinem Pauli: cuius prouidentiæ tum Paulus in se alia documenta & antè, & pòst expertus est; tum Paulo simillimus Athanasius, aliique variis persecutionibus exagitati.

Diuina prouidentia insidiæ deteguntur.

Quamuis Paulus caput raserit, hostias obtulerit, exercuerit nudipedalia, Iudæus factus sit, non euasit prædicta vincula: Iudæi licèt deliberent, voueant, insidias tendant, seruatur Paulus, vt prædictum erat testimonium Romæ. *Non est consilium contra Dominum, non sapientia, non prudentia* [x]. Amplificat elegãter Chrysostomus exemplis Ioseph, & Iacob, quo pacto DEVS ex aduersis prosperos rerum successus colligat.

In Paulo multa hic miranda proponuntur.
x Prou. 21. 30.

Filius sororis Pauli.] *Illud*, inquit Paulus Iurisconsultus [y], *notandum est, non quemadmodum patris, matrisque fratres, & sorores, ita fratris, sororisque filios, filiasque nomen speciale cognationis habere, sed ita demonstrari fratris, sororisque filios, filiasque.* Tamen dicitur ex fratre nepos, vel neptis ex sorore post fratris filium, aut filiam, vt docet Caius [z]. Ergo propriè locutus Lucas appellauit υἱὸν τῆς ἀδελφῆς, *filium sororis.* Abutuntur nominibus, qui nepotem nominant, vt Magister Historiæ Scholasticæ. Arbitratur etiam ille *fortè fortuna interuenisse.* Lyranus *de industria, inquirendo quid pro eo, vel contra eum posset fieri.*

y l. vlt. ff. de gradibus. Fratris, vel sororis filius, ... qui vocentur.
z l. 7. ff. de legit. tut.

Quæ fuerit hæc Pauli soror, quis sororis filius, incompertum est. Nam neque *Phœbe* [a], neque *Appia* [b], quas vocat Paulus *sorores suas*, erant secundùm carnem. Sunt nonnulli, quibus videtur, Paulum in epistola ad Corinthios [c] per mulierem, sororem intelligere germanam istam, & carnalem sororem [d]. Id minùs probabile est: de huiusmodi enim mulieribus loquitur, *quæ pro more Iudæorum suos sequebantur magistros*, vt iis ministrarent, quemadmodum alibi notauimus [e]. Lege præterea quæ notata sunt in epistolam Ioannis secundam [f].

Quæ fuerit hæc soror Pauli.
a Rom. 16. 1.
b ad Philemon. vers. 2.
c 1. epist. 9. 5.
d Ita Baronius tom. 1. Annal.
e cap. 1. 14.
f vers. vlt.

Insidias.] Τὸ ἔνεδρον. Alij codices, τὴν ἐνέδραν. Est verò posterius magis vsitatum, & elegans: prius ferè semper vsurpatum in sacris Scripturis [g].

g in libris Regum, & Sapientiæ.

Venit, & intrauit in castra, nunciauitque Paulo.] *Non enim sic tenebatur Paulus, quin amici ad eum sui possent ingredi*, inquit Lyranus, *& ministrare ei*: tum quia non erat per iudicium condemnatus, tum quia ciuis Romanus. Prior causa consentanea est, posterior haud ita necessaria: nec enim ciuis Romanus hoc proprium habebat, sed erat cuilibet reo commune, qui non esset flagitiosissimus. De carcere arctiore, & liberiore dictum aliàs [h].

h cap. 16. 24.

Vers 17.] Vocans autẽ Paulus ad se vnum ex Centurionibus, ait: Adolescentem hunc perduc ad Tribunum: habet enim aliquid indicare illi.

ADO

A

ADOLESCENTEM.] Νεανίσκον. Alij codices νεανίαν, ficut & fequenti verfu. Verifimile eft, liberiorem aditum huic ad infidias detegendas, & ad intrandum in caftra minorem ætatem feciffe. Idem valet vtrumque id nomen Græcum, quamuis prius maiorem præferat diminutionem. Lege caput feptimum de voce τ̃ νεανίου ª.

a verf. 57.

Verfus 18.] Et ille quidem affumés eum, duxit ad Tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogauit me, hunc adolefcentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi.

VINCTVS *Paulus.*] ὁ δέσμιος. Fortaffe duabus, vt antè ᵇ, catenis aftrictus tenebatur: fieri tamen quoque poteft, vt leniùs eum Tribunus iam tractaret, tanquàm ciuem Romanum, & priùs ab fe contra hoc ius Romanæ ciuitatis læfum ᶜ, & aliquo beneficio, quantùm iuftitiæ ratio pateretur, deliniẽdum, ne reus Iudicem fuum reum conftitueret.

b cap. 21. 33. *Vinctus catenis an Paulus tunc fuerit, dubitatur.*
c cap. 22. 29.

Solet quis vinctus, aut in vinculis effe dici, quamdiu carcere detinetur, licèt in carcere, qui vinculorum nomine defcribitur, vincula ei non fint impofita. Nonnullis in epiftolis, quas Roma fcripfiffe creditur Apoftolus, vocat fe vinctum, & vinculorum mentionem facit ᵈ, cùm tamen illo biennio *fcriptæ fint epiftolæ, quo manebat fibimet in fuo conducto, cum cuftodiente fe milite* ᵉ, fcilicet vinculis non colligatus, tametfi propter cuftodiam vinctus, & in vinculis effe diceretur.

Vinctus quis dicatur.
d ad Philemon. verf. 1. 10. 13. Ephef. 3. 1. cap. 4. 1. Philip. 1. 7. 13. 14. 17. 2. Tim. 1. 8. cap. 2. 9.
e cap. vlt. 16. 30.

Rogauit.] Quidam codices habent immediatè ante hoc verbum, *vocans*, προσκαλεσάμενος. Ad fenfum nihil refert.

Habentem aliquid loqui tibi.] Sic etiam verfu præcedente. Aliquid, quemadmodum & aliquis, prout capite quinto ᶠ docuimus, non diminutionem, fed potiùs incrementum fignificat: quam vim quoque notare eft, quando mater filiorum Zebedæi *acceffit ad* CHRISTVM *cum filiis adorans, & petens aliquid ab eo* ᵍ. Voluit igitur & Paulus Centurioni, & hic innuere Tribuno, magni momenti rem commiffam adolefcenti, quam ad Tribunum deferret. Vulgari multarum nationum lingua folet dici: *Videtur is fibi effe aliquis, aut aliquid*, id eft, magnus, & quid magnum: *habeo tibi aliquid dicere*, id eft, rem arcanam, feriam, alicuius ponderis.

f verf. 36.
g Matth. 20. 20.
Effe aliquis, vel aliquid quid dicatur.

Nihil turbatus eft Apoftolus, nihil diffifus de promiffo recẽte CHRISTI, Romam effe abeundum, nec nimiùm confifus eodem: facit quod in fe eft, humana induftria, prudentiáque vtitur, *adhibet humana remedia, quæ* DEVS *ipfe offert: ius fuum perfequitur: prodit infidiatores cui oportuit, & qui prodeffe potuit*, vt notat Gloffa Decreti ʰ. *Sicut etiam*, inquit CHRISTVS, *Iudæ proditionem* ⁱ: *implorat Tribunum, non vitæ fuæ tranfitoriæ confulens*, inquit Auguftinus ᵏ, *fed Ecclefiæ* DEI, *& non fuæ voluptati*, vt ait Gratianus ˡ (volens ipfum met Paulum petiiffe milites à Tribuno, quem nominat Prætorem) *fed omnium vtilitati victurus: non ipfi imputaretur, fi in deductorum arma fcelerati incidiffent*, inquit idem Auguftinus ᵐ.

Paulus quod in fe eft facit, vt à morte liberetur.
h 2. quæft. 1. cap. fi peccauerit. verbo, fed proditor.
i Ioan. 13. 26.
k ep. 50. & c. 23. q. 3. c. Maximianus.
l ibid. §. item.
m epift. 154. & 23. q. 5. cap. de occidendis.

Verf. 19.] Apprehendens autem Tribunus manum illius, feceffit cum eo feorfum, & interrogauit illum: Quid eft, quod habes indicare mihi?

APPREHENDENS *autem Tribunus*, &c.] Humaniter, & prudenter, ac forfitan, vt antè dixi, vt præteritam iniuriam ciui Romano factam farciat, ficque accufationem violati huius iuris effugiat.

Tribuni humaniter [illegible]

Sufpicatur Lyranus, credidiffe mitti fibi fecretò xenium, fiue munus à Paulo. In apprehenfione manus adolefcentis, quem non arbitror tamen Pauli fororis filium effe cognouiffe, humanitas illa, facilitáfque, quam dixi, apparuit, quæ non inter æquales modò exhibetur, verùm etiam à maioribus in inferiores, præfertim natu minores, quibufcum quodam naturæ inftinctu fuauiùs agimus. Prioris generis exemplum eft apud poëtam

B

Horatium ⁿ:

n 1 Serm. fat. 9.

Occurrit quidam notus mihi nomine tantùm,
Arreptáque manu; Quid agis dulciffime rerum?

De pofteriori poteft exempli loco Abfalom proferri, qui accedentibus ad fe falutandi caufa, manum extendebat, & apprehendens ofculabatur eos º.

o 2 Reg. 15. 5.

Manum alicui extendere, feu porrigere, aut alterius apprehendere in facris Literis, indicium eft confœderationis, amicitiæ, opis, & auxilij ᵖ. Vt de profanis, taceam, quibus proditum eft, apud Perfas ᵠ, Heduos ʳ, Romanos ˢ manuum eleuatione, ac extenfione defignatam pacem, atq; amicitiam. Hoc fibi vult DEVS, dicens ᵗ: *Leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo fignum meum.* Et Sapientia, dum conqueritur ᵘ: *Extendi manum meam, & non fuit, qui afpiceret.*

Manum extendere, feu apprehendere quid fit.
p Iob. 8. 20. Efai. 41. 6.
q Xenophon 6. de pædag. Cyri.
r Cæfar 7 de bello Gall.
f Plutarch. in Othone.
t Efai. 49. 22.
u Prouerb. 1. 24.

C

Sed nec me latet, manus iniectione, vel cùm alterius quis prehendit manum, fignificari litem intendi, ac veluti declarari ius, quod in quẽpiam habere aliquis contendit. De ifto ritu ex noftris differunt Pineda ˣ, & Roa ʸ, necnon Ianfenius ᶻ. At non adeò congruit propofito noftro.

x in cap. Iob. [illegible] verf.
y l. Singul. cap. 4.
z In cap. 6. Prouerb.

Verfus 20.] Ille autem dixit: Iudæis conuenit rogare te, vt craftina die producas Paulum in Cõcilium, quafi aliquid certius inquifituri fint de illo.

D

IVDÆIS *conuenit rogare te.*] Ερωτῆσαί σε. Ερωτᾶν, quandoque fignificat rogare, & petere, vt hoc loco: aliàs autem interrogare, & percunctari. Vt inferiores rogant Tribunum, fatis alioqui imperiofi.

Vt craftina die.] Αὔριον. Hîc expreffit Interpres nofter, ac Syrus, vbi habetur, מחר *machar, cras*, craftinam diem, quam verfu decimoquinto in textu etiam Græco pofitam prætermiferant.

Producas.] Καταγάγης, *demittas*, prout editio quoque Syra habet, דתחתה *dethachebh*, id eft, *vt demittas*, ex arce, feu turre Antonia.

E

Verf. 21.] Tu verò ne credideris illis: infidiantur enim ei ex eis viri ampliùs quàm quadraginta, qui fe deuouerunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum: & nunc parati funt, expectantes promiffum tuum.

EXPECTANTES *promiffum tuum.*] Non factum, fed faciendum, fiue vt promittas. Videtur velle Auguftinus ª, Paulum petiiffe à Tribuno deductores armatos ad Præfidem: fed exponendus eft de effectu confequuto poft nun-

a 2. contra literas Petiliani. cap. 57.

cium,

cium, quem misit de sibi paratis insidiis.

In Principibus Augustinus docet non sperandum.

Inde verò captat occasionem admonendi nos, non sperare in Principibus, etiamsi pro vtilitate Ecclesiæ aliquid ab eis petamus: *Sicut nec Apostolus in illo*, inquit, *Tribuno sperauit, tanquàm in Principe, à quo sibi egit* (consequenter nimirum) *vt deductores darentur armati; aut in ipsis armatis, tanquàm in hominibus, quorum multitudine septus euasit insidias perditorum.*

Vers. 22.] Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur, quoniam hæc nota sibi fecisset.

PRÆCIPIENS *ne cui loqueretur.*] Timuit ætati adolescentis parum tenaci secreti, non amori erga auunculũ; & sapienter imperauit silentium, quod etiam ab auunculo imperatum dubitari non poterat, cuique vt rem, quę ad ipsum propriè spectabat, communicaret, non inhibebat.

Silentiũ in magnis rebus necessarium fuit, vt Persæ inter numina illud haberent. a Ammian. lib. 21.

Secreti, ac silentij in negotiis tanta necessitas est, vt inter idololatras, *qui vana numina venerabantur, minùs aberrasse Persæ videantur, qui silentium coluerunt* [a]. Non excurram longiùs in rem plurimorum Auctorum sententiis, exemplisque illustrissimam.

Papyrij Prætextati historia.

Sileri nefas est Papyrij Prætextati fidem, & ingenium in secreto tenendo, per excogitatum licèt mendacium, lepidum sanè, atque festiuum, cùm mater quid in Senatu, quò cum Senatoribus filij tunc admittebantur, tractatum esset, compressiùs, violentiúsque silentij necessitatem prætendentem adurgeret. Eo responso, quod apud Gellium [b], Macrobiúmque [c] cognosces, adeò Senatus delectatus est, vt consultum fecerit, ne posthac pueri cum patribus introirent in curiam, nisi ille vnus Papyrius, cui quoque Prætextati cognomen hærere placuit, ob tacendi, loquendíque in ætate prætextata prudentiam.

b lib. 1. c. 23. c lib. 1. c. 6.

Silentium vnde ducatur.

Probabilius arbitratur Festus Pompeius consilium à silentio dictum, *quod id*, inquit, *maximè inueniatur, quàm vel à consulendo, vel quòd in vnam sententiam consiliant, & conueniant.* Et Ennium citat, qui *consiluère* dixit, pro *conticuère.*

Versus 23.] Et vocatis duobus Centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos vt eant vsque Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos, à tertia hora noctis.

PARATE *milites ducentos.*] Syrus, רהומיא *rechumaie*, id est, *Romanos* reddit, sicut versu vigesimoseptimo pro exercitu eosdem ponit, ibi est στράτευμα, hìc στρατιώτ). Græci quidam codices addunt, ἐνόπλους, *armatos.* Latinum nomen omnibus militiam exercentibus est commune, iisque promde, qui equites, & lancearij hoc loco nominantur. Sed potissimùm accipitur pro peditibus: quales hìc istos ab aliis distinctos oportet esse.

d Syrus Romanos vertere. cap. 10. 1.

Romanos intellexit, opinor, Syrus legionarios, qui, vt aliàs [d] dictum est, solis constabant ciuibus Romanis, ac militare sacramentum faciebant, & ab his tanquàm à præcipua, melioréque parte denominatio exercitus absoluta sumebatur. Quòd si comprehendamus ceteros sub Romanis, hoc est, equites, & lancearios, idem erit iudicium de generali hoc nomine, quod de militum, vt infimi gradus Romani milites, nimirum pedites, Romani absolutè, ac sine addito vocen-

A tur. In capite XXVIII. [e] narrans Paulus hæc sua vincula, & dimissionem ad Præsidem, ait *se traditum in manus Romanorum*, intelligens omnes milites, à quibus deductus est.

e vers. 17.

Et equites septuaginta.] Si lancearij ducenti, qui subduntur, erant etiam equites, quod Lyranus negat, verisimile est hos fuisse habitu, generéque armorum distinctos, verbi gratia cataphractos: si verò pedites, non cogemur his arma certa assignare. Emmanuel Sà coniunctionem *&*, pom vult pro *id est*, ita vt qui antè dicti sunt milites, iidem sint qui equites, & sicarij. Si hoc probare posset, expeditior via foret. Caietanus fauet, quoniam quod versu trigesimosecundo habetur ex

Qui fuit hic equites, & lancearij.

B Antipatride reuersos in castra alios, equites deduxisse inde Paulum Cæsaream vsque, ipse de ducentis tantùm reuersis explicat. Sed apertę repugnat tum communis expositio de quadringentis septuaginta, tum textus, in quo, si coniunctio *&*, haberet dictam vim, non debuit dici, *milites ducentos*, sed simpliciter *milites*: designatio enim numeri restringens milites, & alia equites, & tertia lancearios, prorsus demonstrat distinctionem in tribus membris.

Cur 70. equites missi sint.

Cur septuaginta potiùs, quàm alio numero equites miserit, diuinare non possum. Illud in mi-
C litia solenne est, vt rata quadam proportione longè sit equitum numerus minor, quàm peditum, quod suadet lancearios pedites fuisse. Festus docet, Romanos equites duobus vsos equis in prælio, vt ex fesso in recentem insilirent, ex sudante transirent in siccum: ideóque pararium æs, id stipendium vocari, quod equiti duplex pro binis equis dabatur. Numidas Liuius [f] narrat, duos equos ad prælium adhibuisse. De ordine ipso equestri apud Romanos lege Lipsium, & Valtrinum in Tractatibus de omni militia Romana.

f lib. 23.

Lancearios ducentos.] Propter eam, quam modò dixi causam, lancearios pedites arbitror fuisse, qui & hastati dici possent, & ex ordine velitum,
D quos constat armatos gladio, scuto, hasta, & hanc quidem dextra gestasse, quam, si comminùs pugnarent, collato pede transferrent in læuam, stringendo gladium [g], sed erant missiles hastæ, duos longæ cubitos, digiti crassitudine dodrantali pręfixo ferro, in tenuitatem, gracilitatémque ducto, vt post primum ictum reflecterentur, & inhabiles essent ad remittendum [h]. Pilis prætereà pugnarunt iidem, posterioribus temporibus, quæ sunt ab hastis, & aliis iaculis diuersa, verumtamen partim maiora, partim minora. Lancea est hasta longior: quali & equites, & pedites vtuntur: eam confundit Budæus cum spiculo venabuli, vel iaculi, atque lancearios esse, quos appellamus vulgò picarios. Omninò distinguendi sunt ab iis, qui

Hasta militum quales. g Liuius lib. 38. Polyb. libro 6.

h idem lib. 6. Liuius lib. 4.

E primo loco hìc appellantur absolutè milites. Syrus pro lanceariis vertit, שדיי בימינא *schadeie beiamine*, id est, *speculatores à dextra*, hoc est, qui dextra lanceam tenent, mittúntve, sicut anteà dictum est. Lucas appellauit Græcè δεξιολάβους. Hæc dictio nõ videtur ab alio Auctore vsurpata. Suidas, & Varinus Phauorinus synonymam illi faciunt τὸ παραφύλαξ, cuius haud communior vsus, significátque, opinor, custodem armatum adhærentem Principis corpori, qui aliter dicitur σωματοφύλαξ, quem dicimus, *huomo di guardia, ò vero allabardiere.* Pagninus reddit *stipatores*, Arias exponit, *qui hastis vtuntur, quas dextra portant, ex aliis nationibus à Romanis.*

A tertia hora noctis.] *Hora tertia vel est*, inquit

Carthu

Hora tertia noctis quæ hic dicatur.

Carthuſianus, *incipiendo iam tribus horis noctis euolutis, ſeu tertia poſt mediam noctem: vel ſumitur horarum diſtinctio ſecundum diuerſas vigilias noctis.*

a cap.2.13.

Vtebantur Iudæi horis inæqualibus diurnis, & nocturnis, & quaternis ſtationibus, atque vigiliis, vt aliàs [a] dictum eſt, quæ ternis horis ſingulæ conſtabant. Potuit item eſſe hora tertia, inchoando ab omninò prima noctis poſt occubitum Solis, quæ iuxta horologium Italicum vocatur omni anni tempeſtate tertia, iuxta aſtronomicum Hiſpanorum, & Tranſalpinorum, modò hæc, modò illa, nec vnquàm vocabitur tertia, licèt reuerà ſit ab Occaſu (in quo Itali ſemper numerant vigeſimamquartam horam, alij aliam, & aliam) tertia.

Verſus 24.] Et iumenta præparate, vt imponentes Paulum, ſaluum perducerent ad Felicem Præſidem.

ET *iumenta preparate*, &c.] Κτήνη τε παραστῆσαι. Budæus legit, παρεστᾶναι. Sed idē eſt, nempe vt præſtò ſiſterent iumenta Paulo. Syrus totum locum, ſenſu retento, conuertit in ſecundam perſonam, טיבו דין אף בעירא איך דנר כבונה לפולוס ונפלטוניהי לות פילכס הגמונא *taiebu den aph behhira, ech denar chebuneh lepaulaus, vanepalletunaihi lenath piles biggemuna*, id eſt, *Parate verò etiam iumentum, vt ipſum faciant inequitare Paulum, & euadere faciant eum ad Felicem Præſidem;* vel, *Parate autem & iumentum, vt imponatis ei Paulum, & ereptum eum perducatis ad Felicem Præſidem.* Vbi iumentum ponit in numero ſingulari per enallagen numeri.

Carthuſianus probabile ducit aliis quoq; Pauli ſociis, & comitibus data iumenta. Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ prior id ipſum ſenſit. Forſitan gratificari & in hac re Paulo Tribunus voluit, non quòd hos tanquàm criminis participes reducendos cum ipſo cenſuerit. Difficilius eſt ſociorum, ac iumentorum numerum denario, quod idem Magiſter facit, exactè concludere.

Felix, de quo hic, quis fuerit.

b 20. Antiq. cap.5.

c lib.12.& 21.

Ad Felicem Præſidem.] Felix, cui prænomen Antonio, *ab Imperatore Claudio miſſus eſt in Iudæam Procurator*, vt Ioſephus tradit [b], pro Ventidio Cumano: vel, ſicut eſt apud Tacitum [c], *cum iſto diuiſa inter eos prouincia, vt Felix Samariam, reliquam partem, quam appellabant Galilæorum nationem, Cumanus adminiſtraret.* Verùm cùm Syriæ Præſes Quadratus, confidente in eo iudicio Felice, Cumanum damnaſſet, ſexto circiter pòſt anno, videlicet ſub initium Neronis imperij, Felix ſolus prouinciæ præfuit, idque in gratiam Pallantis fratris, qui quondã Claudij Imperatoris libertus, Agrippinæ cum Claudio nuptias conciliauerat, quarum occaſione filius ex Agrippina, & alio viro, Nero ad Imperij faſtigium peruenit. Sed poſteà iterum de Felice.

Honores mutãt mores.

d Serm. in Pſal.130.

e ad Eucherium.

f lib.4.ep.14.

Interim in hoc verum accidit prouerbium, quòd MORES MVTANTVR HONORIBVS, & quòd, vt ſanctus Zeno Veronenſis dixit Epiſcopus [d]: *Nulli faciliùs efferuntur, niſi quos inopinati honoris culmen extollit; & pediſſequa plerunque*, vt ait Saluianus [e], *noui honoris eſt arrogantia*: &, vt Sidonius [f], *noua ſubitò ob iuriſdictionem gloria capit.*

Erat, vt dixi, Felix proſpera magis fortuna magnus, quàm virtute, genere, ſapientia, quippe libertus, & ex vili conditione nimis elatus, ideóq; ſuperbus impotenter.

Præſes quis hoc loco dicatur.

Præſidem.] Ἡγεμόνα. Hoc modo ſolet Interpres noſter Græcam vocem reddere, quæ propriè ſignificat ducēm viæ, tum verò ducem, ſeu ductorem exercitus, ac Imperatorem, qui plus quiddam ſit, quàm στρατηγός, vel quemuis principem, magiſtratum, præſidem, præfectum. Apud Athenienſes princeps, ac præfectus τῶν ἀρχόντων, vt ait Budæus [g], appellabatur ἡγεμών. Et Plutarchus [h], quos Romani vocarent *Patres conſcriptos*, à Græcis vocatos ait ἡγεμόνας.

g in Comm. ling.Græc.

h in Romulo.

Præſides qui ſint.

i l.a.ſ.de off. ſc. Præſid.

k l. legatus Cæſaris. ſ. de off. Præſid.

l l. ex omnibus. eod.

m l.1. eod.

n lib.53.

Præſes ex accommodatione vocis eſt, qui ſummum in prouincia imperium habet poſt Principem, vt docet Vlpianus [i], alióque nomine vocatur *legatus Cæſaris*, & *Corrector prouinciæ*, vt placet Papiniano [k], & Hermogeniano [l]. Sed & Martianus [m] obſeruat eſſe nomen Præſidis generale, *eo quòd & Proconſules, & Legati Cæſaris, & omnes prouinciam Regentes, licèt Senatores ſint, Præſides appellantur*: quod etiam tradit Dio Caſſius [n]. Denique communis appellatio Rectoris prouinciæ cunctos amplectitur Iudices, & moderatores illius [o].

o L.1. & 2. & toto tit. de officio Rectoris prouinciæ. C.

Verſ. 25.] (Timuit enim ne fortè raperent eum Iudæi, & occiderent, & ipſe poſteà calumniam ſuſtineret, tanquàm accepturus pecuniam.)

Verſus iſte in Græco deſideratur.

TIMVIT *enim.*] Totus hic verſus deſideratur in textu Græco, & verſione Syra. Lyranus quoque monet non haberi in libris correctis, ſed eſſe quandam Gloſſam, quæ rationem reddat, quare Tribunus mittebat Paulum cum ſecuritate tanta, poſteà per ſcriptores in textum inſertam. Caietanus item negat eſſe certum, an ſit de textu, quoniam in multis codicibus Græcis non inuenitur. Vatablus quoque, & Clarius in ſuis editionibus omiſerunt, necnon Latini expoſitores. Sed correcta Biblia iuſſu Sixti V. retinent, nec vidi vllum Latinum codicem, qui non contineat verſum iſtum.

Ne fortè raperent eum Iudæi, & occiderent.] Feciſſent id enim priùs in templo, deinde in Concilio, quo vtroque loco eum verberauerunt, & diſcerpſiſſent, niſi Tribunus cum militibus ſuperueniſſet.

Et ipſe poſteà calumniam ſuſtineret, tanquàm accepturus pecuniam.] Vel tanquàm iam illam accepiſſet, quando filius ſororis Pauli ad ipſum clàm venit. Calumnia verò non apud populum duntaxat, verùm multò magis apud Præſidem timenda erat.

Pœna Iudicis, qui pro pecunia iudicauit.

p Cod. lib.9. tit.49.

Extat in Codice titulus *de pœna Iudicis, qui malè iudicauit, vel eius, qui Iudicem, vel aduerſarium corrumpere curauit* [p]. *Nam ſi cauſa pecuniaria ſit, dat triplum, promiſſi duplum exigitur, dignitate, ſeu cingulo amiſſo. Si criminalis, confiſcatis omnibus bonis in exilium mittitur.* Eòdem ſpectat in Digeſtis titulus *ad legem Iuliam repetundarum*, & lex Cincia, quam citat Cicero [q]: & alia complura iura tum ciuilia, tum Canonica, grauiores quoque pœnas decernunt. Lege duodecim Tabularum, quam recitat Gellius [r], *Iudex, arbiterve datus, qui ob rem dicendam pecuniam accepiſſe conuictus fuiſſet, capite puniebatur.*

q orat. pro lege Manilia.

r lib.20.c.1.

Sed quàm vereor, vt Cato verum dixerit, *fures priuatorum furtorum in neruo, & compedibus ætatem agere, fures publicos in auro, & purpura* [ſ]: & quàm aptè, licet barbarè, vt alia præteream exempla, Cambyſes Ottanem in tribunali ſedere, ac iudicare voluit, quod Siſannis patris, corrupti Iudicis, detracto corio conſtratum erat [t].

ſ Cato de origin. Petrus Crinit. lib. cap.11. Gell. lib.11.c.18.

t Herodot. lib.5. Valer. Maxim.lib.6. c.3. Ammian. lib.23.

*Verſ.*26.] Scribens epiſtolam cõtinentem hæc: Claudius Lyſias optimo Præſidi Felici ſalutem.

CLAVDIVS *Lyſias.*] De inſcriptionibus epiſtolicis egimus capite decimoquinto [a], & in epiſtolam ſecundam Ioannis. Ex quibus intelligitur, minùs ſolidam Hugonis admonitionem videri, *non curaſſe Lucam ſuperioris nomen præponere, quia plus rei geſtæ ordinem attenderit, quàm literaturæ honeſtatem.* Recitauit Lucas epiſtolam eo modo, quo ſcripta eſt, & ſcribi ſolebat, vt ibidem oſtendimus. Illud idem iam ante Hugonem Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ notauerat. Tribunus hic fortaſſe in gratiam Claudij Imperatoris, vt & alij eo tempore non pauci, ac Nero ipſe, prænomen Claudij aſſumpſit.

a verſ.23.

Tribunus hic in gratiam Imperatoris nomen tunc aſſumpſit.

Primus Claudiæ gentis auctor Actius Claudius fuit ex Regillo Sabinenſi oppido, qui poſteà Appius Claudius eſt dictus, & in Senatum, ac Patritiorum ordinem Romæ cooptatus, móxque Conſul creatus. Plura qui de familiis Romanorum diſputant [b], diſtinguuntque Claudiorum gentes tres: Regillenſium, Pulchrorum, Neronum, omnes Patritias, & quartam plebeiam Marcellorum, eò quòd, vt quædam aliæ Patritiæ fecerunt, ad plebem aliquæ tranſierint ex illis, vt eam ſibi demererentur, in cuius nutu, ac poteſtate honores erant, magiſtratus, imperia.

Claudiorum familia vnde originem habuit.

b Manutius, Fuluius Vrſinus, Ricardus Streinnius, Ioãnes Glandorpius.

Lyſiæ nomen magis Græcum eſt, quod geſſit is, qui à M. Tullio [c] inter excellentes Oratores percenſetur. Celebratur autem Antiochi dux eiuſdem nominis ex ſemine regali in Hiſtoria Machabæorum [d].

Lyſiæ nomen Græcum eſt.
c in Bruto.

d lib 1. cap.3. & alibi.

Optimo Præſidi.] Syrus, נציחא *natſicha*, hoc eſt, *Victorioſo.* Græcum κρατίστῳ, poteſt id quoque ſignificare, & *potentiſſimo.* Sed interpres optimè poſuit, *optimo*, quæ eſt item dictæ vocis vna ſignificatio: ita vt ſuperfluè Caietanus notauerit Interpretem, alterum pro altero poſuiſſe: Pagninus reddiderit, *Præſtantiſſimo:* Vatablus ſimiliter, *potentiſſimo.* De ratione iſtius epitheti lege notata in capite primo [e].

e verſ.1.

Salutem.] Lege caput decimumquintum [f].

f verſ.23.

*Verſ.*27.] Virum hunc comprehenſum à Iudæis, & incipientem interfici ab eis, ſuperueniens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus eſt.

INCIPIENTEM *interfici ab eis.*] Μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι, *Futurum interfici*, cùm iam eſſet interficiendus, cùm cœpiſſet verberari, & niſi ſuperueniſſem, actum de illo foret, cùm nil propiùs eſſet, quàm vt interficeretur. Phraſim ſimilem capite tertio [g] declarauimus.

g verſ.3.

Cum exercitu.] Syrus, עם רהומיא *bhim Rehumaie, cum Romanis.* Lege verſum vigeſimum tertium. Circa nomen militum, pro quo idem Interpres milites poſuit, Arias ait, propriè de Romanis nomen exercitus vſurpatum.

Eripui, cognito quia Romanus eſt.] Quando eripuit, nõdum ſciebat eſſe Romanum; ſed cùm flagellari præcepit, immò ne tunc quidem, quia deduxit in Concilium Iudæorum; & niſi detectæ eſſent inſidiæ, reduxiſſet. Tegit errorem commiſſum in ciuem Romanum, eodémque mendacio colligit ſibi Præſidis gratiam, quaſi nominis, & iuris Romani ſtudioſiſſimus. Notant id Lyranus, & Carthuſianus.

... mentitus ... aulo eſt.

A *Verſ.*28.] Voléńſque ſcire cauſam quam obiiciebant illi, deduxi eum in Concilium eorum.

CAVSAM, *quam obijciebant illi.*] Αἰτίαν δι᾽ ἣν ἐνεκάλουν αὐτῷ. Syrus, על חא דמטלתה רשין הוו לה *bhalletha dematulethah reſchin haun lah*, id eſt, *Cauſam, propter quam accuſantes eſſent eum*; vel, *Cauſam, ob quam reum poſtularent eum.* Vatablus, *Ob quam accuſarent eum.*

Ἐγκαλεῖν, eſt *in ius vocare ob crimen*, litem intendere, accuſare quandoque etiam extra forum, vt Budæus tradit [h]. Sic verſu ſequenti crimen vocatur ἔγκλημα. Iudæi quidem primùm furore

h Comment. ling. Græcæ.

B præcipites iuris formam nullam ſunt ſequuti, volentes illicò interficere: tamen Tribunus reuocans illos in æquam viam, ſiſti Paulum voluit pro ſe reſponſurum.

Deduxi.] Κατήγαγον. Demiſi ex loco ſuperiore, ſeu ex Antonia, deduxi deorſum.

*Verſ.*29.] Quem inueni accuſari de quæſtionibus legis ipſorum, nihil verò dignum morte, aut vinculis habentem crimen.

C QVEM *inueni accuſari*, &c.] Vix Paulus aggreſſus erat dicere, cùm abrumpere coactus eſt apologiam ab iniquo Pontifice imperata percuſſione: poſteà cùm Phariſæum ſe profeſſus eſſet, ac ob profeſſionem doctrinæ de Reſurrectione iudicari, diſceptantibus inter ſe Phariſæis, & Sadducæis, & Paulum hinc & hinc diſtrahentibus, ſolutum Concilium eſt. Itaque Tribunus ex ſectarum altercatione coniecturam fecit agi de quæſtionibus legis; ſic etiam interpretatus controuerſiam de Reſurrectione, quæ, vt pleriſque, maximè Gentilium, fabuloſa, & incredibilis videbatur: ſic qui eam crederet, doceretve, capitaliter non putabant errare, immò potiùs fauere bono publico, propter quod excogitata eſſet, nimirum

Paulus in iudiciis non eſt auditus.

Diſputatio de Reſurrectione nõ erat capitalis.

D ad coërcendos metu futurorum ſuppliciorum improbos, & ad leges firmiùs ſanciendas. Nam crimina alia de violato templo, de contempta lege, & populo [i], quæ eòdem ſpectabant, in tumultu expoſita ſunt, nec intellecta à Tribuno [k].

i cap.21.28.
k cap.21.34.

Nihil verò dignum morte, aut vinculis habentem crimen.] Paulò Latiniùs, *nullum*, diceretur.

Egregium verò, locupléſque pro Apoſtoli innocentia teſtimonium, quale quod de CHRISTO Pilatus tulit [l], & de eodem Paulo iampridem Gallio, ne dignatus quidem huius generis cauſas iuris Iudæorum, quæ Rempublicam nihil læderent, cognoſcere [m]. Pilatum verò ad pronunciandam ſententiam contra CHRISTVM oportuit

Egregium pro Apoſtoli innocentia teſtimonium.
l apud omnes Euangeliſtas paſſionis, & mortis eius tempore.
m cap.18.14.

E perurgeri commemoratione læſæ maieſtatis [n], quod cùm nihilominùs affictum crimen probè cognoſceret, timore Cæſaris obiecto expugnatus eſt.

n Euãgeliſtæ, maximè Ioan. cap.19.12.

*Verſ.*30.] Et cùm mihi perlatum eſſet de inſidiis, quas parauerant illi, miſi eum ad te: denuncians & accuſatoribus vt dicant apud te. Vale.

ET *cùm mihi perlatum eſſet.*] Tribunus aut reum liberare, aut extrema ſententia damnare non poterat. Veritus eſt Iudæorum ſeditionem, inſi-

A diásve,vel importunas expostulationes.

Cur Paulus ad Præsidem missus sit.

Tutò satis asseruabantur in arce Antonia rei, ita vt videri potuerit parum prudéter simul scripsisse,simul ad Præsidé reum misisse,cùm docendus fuisset per litteras priùs , & exploranda voluntas eius. Sed consilio diuino gerebantur ista, quo erant homines nesciétes,volentes,instincti,& parabatur Paulo iter Romanũ,sicut quando redire Ierosolymã decreuit,Festo id ei proponente[a].

a cap.25.9.

Denuncians & accusatoribus vt dicant apud te.] Λέγειν τὰ πρὸς αὐτόν. *Dicere quæ ad eum*,nempe pertinent,seu quæ contra ipsum habẽt,vt causa.Pauli diligentiùs excussã,tũ magis appareat ipsius innocentia,tum accusatores,magis confundantur.

B *Vale.*] De clausula epistolari lege caput decimumquintum[b].Opportunum epiphonema Carthusiani ad Felicem:*O Felix Præses,quàm verè fœlix fuisses , si agnouisses , qualis, & quantus fuerat iste tibi directus, & manibus tuis ad tempus subiectus! Quàm humiliter eum suscepisses , & quàm reuerenter tractasses , sicut Cornelius Centurio Petrum*[c] *! Et nunc quia id non nouisti , neque per Paulum conuerti meruisti, quem tamen pro tua conuersione sæpe orasse non ambigo,miser potiùs,quàm fœlix fuisti.*

b vers.29.
Felicis fœlicitas , si tam nouisset,quanta.
c cap.10.1.

Sed meritò præfert eum Pilato Chrysostomus[d],quòd generosè Iudæis repugnauerit,quib. sciebat gratum fore, si Paulus traderetur,& propter quem seditio iam,ac tumultus factus fuerat: C Pilatus autẽ ignauissimè,mollissiméq, se gesserit.

Pilato præponitur.
d Homil.87. in Matth.

Versus 31.] Milites ergo secundùm præceptum sibi,assumentes Paulum,duxerunt per noctem in Antipatridem.

PER *noctem.*] A tertia námque noctis hora milites iussi fuerant præstò esse , & silentio res peragenda fuit,ne factio excresceret,quæ præcipuis Iudæorum communicata erat.

Antipatris oppidum quale.

In Antipatridem.] Distat Cæsarea leucis triginta ab Ierusalem , iidcirco non licuit vno die commodè peruenire: sed constiterunt Antipatride oppido Tribus Manasse, sito in Iudææ campo D peramœno, arboribúsque , & flumine prædiuite inter Diospolim,siue Lyddam,dictámque Cæsaream , procul Ioppe quinquaginta stadiis contra plagam Orientalem. Vocabatur priùs Capharsalama[e], posteà nomen Antipatridis Herodes primus Rex Iudææ propter Antipatrũ patrem indidit,cùm eam renouasset.Hanc vrbẽ nostri in prima expeditione post Ierosolymã occupauerunt[f].

e 1. Machab. 7. 31.
f Volaterr.li. 11.Geograh.

Versus 32.] Et postera die dimissis equitibus , vt cum eo irent,reuersi sunt ad castra.

DIMISSIS *equitibus,vt cum eo irent.*] Iam erat E Paulus liber ab insidiarum periculo , propterea redeunt pedites quadringenti minùs necessarij , & ad iter magis impediti ; sed equites reum deducunt ad Præsidem : sic enim fortasse Tribunus iniunxerat.

Vers. 33.] Qui cùm venissent Cæsaream, & tradidissent epistolam Præsidi , steterunt ante illum & Paulum.

STATVERVNT *ante illum.*] Παρέστησαν.Forense verbum est , significans ante tribunal sistere, sicut in capite vigesimoseptimo[g]: *Cæsari te oportet assistere* , Καίσαρί σε δεῖ παραστῆναι; & in epistola ad

g vers.24.

A Romanos[h] : *Omnes enim stabimus ante tribunal* CHRISTI; Πάντες γὰρ παραστησόμεθα τῷ βήματι τοῦ ΧΡΙΣΤΟΥ.

h cap.14.10.

Vers. 34.] Cùm legisset autem,& interrogasset de qua prouincia esset:& cognoscens quia de Cilicia.

DE *qua prouincia esset.*] Ἐκ ποίας ἐπαρχίας ἐστί. Syrus retinens vocẽ Græcam dixit,הופרכיא *huparechija.* Eadem habetur in capite vigesimoquinto[i] , eáque vtitur Plutarchus eodem sensu, sicut & ἐπαρχιώτης , vt Budæus notat , significat B prouincialem,qui est ex prouincia:& ἔπαρχος,est Præfectus,& Præses, & Prætor prouinciæ,quamuis additione rei alterius restringatur,vt ἔπαρχος αὐλῆς, στρατοῦ, πόλεως.aulæ,exercitus,ciuitatis.

i vers.1.

Solemne satis est,vt ignotos primùm interrogemus cujates sint, vel alios de ipsis;quoniam de ingenio, & moribus, ex patria sæpe iudicium fit. Hac Dauid interrogatione vsus est[k], hac Raguel[l],hac Pilatus[m],qui tamen ambigens,*Réxne esset,id interrogabat : & cùm cognouisset Galilæum esse, remisit ad Herodem*[n],tanquàm de potestate ipsius.

k 2.Reg.1.13.
l Tob.7.3.
m Ioan.19.9.
n Luc.23.6.7.

Versus 35.] Audiam te,inquit,cùm accu- C satores tui venerint : iussítque in Prætorio Herodis custodiri eum.

AVDIAM *te.*] Hugo ait,id promisisse Præsidem,quoniam audierat ipsum esse à Cilicia, quæ erat subiugata Romanis , & ipse à Romanis missus erat Præses regionis.Et dubium est,vtrùm Cilicia sub Syriæ præfectura contineretur: & iure naturæ,communi gentium, Ciuili,& Canonico,cuiuscumque loci reus,eius iudicio subest,cuius in loco crimen perpetrauit[o]:dummodò res, de qua contenditur, vel personæ qualitas, sit eius fori,coram quo iudiciũ postulatur: omnem enim D honorem præscriptionis fori:vel eiusmodi alium reatus excludit[p].

Reus eius iudicio subest, cuius in loco crimen perpetrauit.
o l. vbi Senatus, vel clariss. C. & tit. vbi de criminibus agi oportet.& q. 1. cap. placuit. & 11.q.1. c. si quis Episcop. Cur Præses Paulum vi obseruet.
p l. 1. vbi Senat. vel clariss. C.

Ex literis Lysiæ didicerat Pauli innocentiam, tamen voluit accusatores expectare, de quibus in literis ille meminerat, ne præcipitatum Iudæi iudicium conqueri possent,tum qui versabantur Ierosolymis, tum qui Cæsareæ,quos id ipsum apud Præsidem procurasse , haud inuerisimiliter sanè Chrysostomus obseruauit.

Iussitq; in Prætorio Herodis custodiri eum.] Herodes primus , qui & magnus , & Ascalonita, & Antipatri filius,Stratonis turrim in ciuitatis amplitudinem dilatauerat,Cæsaris in gratiam Octauiani , à quo regnum Iudææ acceperat, Cæsareæ nomen ei imponens , vt est aliàs[q] dictum : inter E alia autem ornamenta Prætorium ibi construxerat,in quo reorum custodia erat.

q Act. 10. & 12.

Prætorio.] Græcè , & Syriacè , בפרטורין *bapretorin.* Retinetur hæc ipsissima Latina vox , hîc, aliísque in locis[r].Est verò domus,vbi Prætor habitat,iúsque dicit[s],quod nunc vulgò vocant *Palatium*; quamuis olim esset inter hæc distinctio[t], & translatum quandoque sit nomen ad ædificium magnificum[u].

Prætoriũ quid sit.
r Matt.27.27. Marc. 15. 16. Ioan.18.28. 19.9. Philip. 1. 13.
s §. 1. Coll. 24. Nouel de Prætor. Pisidiæ.
Prætor quis fuerit.
t l. nulli Iudicum de offic. Rect. prouinciæ C.
u apud Suetoniũ in Caligula.c.37.

Prætor idem aliquando , qui Consul, quasi iure,ac exercitu præiens,vel quoniam præest,posteà loco Consulis, dum hic abiret in bellum, fuit,dicebaturq; Prætor vrbanus. Tandem ne immorer in alio,qui peregrinus vocatus est,vel in aliis minoribus , confusè Prætoris nomen ad quemlibet

Præsi

Præsidem, & administratorem, Præfectúmve, etiam prouinciæ, & ad omnem Magistratum, quamuis quoque sit Imperator, translatum est.

Hanc vocem, tanquàm Græcam factam, exposuit Suidas, necnon τὸ πραιτώριον, & τὸ πραίτωρος. Phauorinus verò describit πραιτώριον, ὅπου ἡ συνάγεται ὁ λαός, *locum, vbi conuenit, seu congregatur* A *populus*. Opportunè intra Principis palatium habentur causæ, quod Mediolani fieri vidi: vel vt Princeps interueniret, vel vt finiri citiùs, iustiúsque ob Principis præsentiam, vel omnes amoueri turbæ possint. Sed & Lutetianum hodiéque palatium vocatur, vbi ius dicitur.

CAPVT VIGESIMVM-QVARTVM.

SVMMARIVM.

Respondet Paulus pro se coram Felice Præside, hic verò discedens ex prouincia in gratiam Iudæorum, successori Festo reum vinctum relinquit.

1 POST quinque autem dies descendit princeps sacerdotũ, Ananias, cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore, qui adierũt præsidem aduersus Paulum.
2 Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus, dicens: Cùm in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam prouidentiam;
3 Semper & vbique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione.
4 Ne diutiùs autem te protraham, oro, breuiter audias nos pro tua clementia.
5 Inuenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum:
6 Qui etiam templum violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundùm legem nostram iudicare.
7 Superueniens autem tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris,
8 Iubens accusatores eius ad te venire: à quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum.
9 Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita se habere:
10 Respondit autem Paulus, (annuente sibi Præside dicere) Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam.
11 Potes enim cognoscere quia non plus B sunt mihi dies, quàm duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem:
12 Et neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis,
13 Neque in ciuitate: neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant.
14 Confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm sectam, quam dicunt hæresim, sic deseruio Patri, & Deo meo, credens omnibus, quæ in Lege, & Prophetis scripta sunt:
C 15 Spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram iustorum, & iniquorum.
16 In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper.
17 Post annos autem plures eleemosynas facturus in gentem meam, veni, & oblationes, & vota,
18 In quibus inuenerunt me purificatum in templo: non cum turba, neque cum D tumultu.
19 Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare si quid haberent aduersum me:
20 Aut hi ipsi dicant si quid inuenerunt in me iniquitatis cùm stem in concilio,
21 Nisi de vna hac solummodo voce, qua clamaui inter eos stans: Quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à vobis.
22 Distulit autem illos Felix, certissimè sciens de via hac, dicens: Cùm tribunus Lysias descenderit, audiam vos.
23 Iussitque Centurioni custodire eum,

& habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.

24. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla vxore sua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum Iesum.

25 Disputante autem illo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te.

26 Simul & sperans, quòd pecunia ei daretur à Paulo, propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo.

27 Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

Versus I.] Post quinque autem dies descendit Princeps Sacerdotum, Ananias, cum Senioribus quibusdam, & Tertullo quodam Oratore, qui adierunt Præsidem aduersùs Paulum.

POST *quinque autem dies.*] Hos dies ait Caietanus cōputandos à captura Pauli, idq; colligi ex his quæ subnciuntur de duodecim: In capite XXI.[a] attigimus istam difficultatem, denuóque nonnihil paulò pòst dicemus. Alterū est, vel vt de diebus intelligamus, postquàm captus erat in Ierusalē, vel quibus iam Cæsareæ manserat. Primum congruit magis cum cetera narratione, & cum diligentia inimicorum Pauli, quos quam primum aduolasse credibile est.

a vers. 27.

Descendit Princeps Sacerdotum, Ananias, cum Senioribus quibusdam, & Tertullo quodam Oratore.] Tanti videlicet referebat hæc res, reúsque, vt summus ipse Pontifex actor venerit, & accusator, atque tales causæ patronos adhibuerit.

Pontifex accusator contra Paulum fuimus.

Suspicor non magis contra Paulum agere voluisse, quàm pro se, vt qui quod clàm subtractum reum non ignorabat, & quid Tribunus Præsidi super hac causa scripsisset, nesciebat, sibi autem ipsi probè conscius erat, quàm improbè, & acerbè se gessisset eodem in negotio, vereretur Præsidis iram, & animaduersionem, tum etiam, propter illam coniurationem, ipso probante, & fauente, ob iniquam sine Tribuni respectu in iudicio rei se defendētis percussionem, eiusdémque, nisi miles maturè obstitisset, discerptionem; quæ omnia seditionem vel pariebant, vel alebant. Nec deerant priora, haud ita etiam vetera Pontificum exempla, qui similibus de causis coërciti, & in ordinem redacti à Præsidibus essent, vt ab ipsomet Felice Ionathas, qui monuerat eum, vt pietati daret operam, per subornatum eiusdem amicum Doram interfectus.

Pontifex male sibi conscius sibi metuit.

Cum Senioribus quibusdam.] Deest in textu Græco *quibusdam*, etsi nonnulli alij codices id habeant. Venit sine dubio Princeps Sacerdotum nec paruo, nec parui nominis primorū Iudæorum numero comitatus, vt accusatio maius momētum haberet, & omnis culpæ, si qua obiiceretur aduersùs ipsum, liberior, faciliórque depulsio foret.

A *Tertullo quodam Oratore.*] Καὶ ῥήτορος Τερτύλλου τινός. Solet quidem Rhetoris nomen, quod Græcum est, apud Latinos distingui à nomine Oratoris, quod est Latinum; vt Orator causas agat in iudiciis, & concionibus; Rhetor sit, qui Rhetoricen profiteatur: à quibus differt quoque Declamator, vtpote qui aut alios docendi gratia, fictam causam agit, aut seipsum in ficta exercet, vt sit posteà exercitatior in vera. Verumtamen Græci præsertim ῥήτορα vocant eum, quem Latini propriè Oratorem: dicitur enim ab eloquendo Rhetor, teste Marco Tullio[b], vnde & Demosthenes appellatur ῥήτωρ.

Rhetor, & Orator quomodo differant.

b 3. de Oratore.

B Quandoque vilius quid sonat, quale apud Latinos nomen rabulæ, & sycophantæ; ita vt Rhetoricè loqui sit probabilia tantùm sectari, fucum æquitati ac honestati sæpe faciendo; vt satis innuit Demosthenes[c], ab hoc se crimine purgans, vt eius Scholiastes annotat. Rabulam Nonius à rabie dictum vult. Appellat Apuleius[d] istiusmodi hominum mercenariam loquacitatem, atque concessò quodam more rabulis concessum, vt ob mercedem, & authoramenta, impudentis linguæ, seu ferinæ virus alieno dolori locent. De quadruplici Causidicorum genere Ammianus[e]. Causæ grauitas, & hi, à quibus adhibetur, magni prorsus nominis patronū Tertullum demonstrant, & quidem qui oratione vteretur seu Latina, seu Græca.

c in Midiam.

d Apolo.

e lib. 30.

C Patronorum, seu aduocatorum, vel causidicorum in Republica munus & honorificum, & necessarium est, vt Leo, ac Anthemius Augusti, aliíque docent in proprio titulo *de Aduocatis diuersorum iudiciorum*[f]: & inter alias causas necessitatis vna est, quòd sit difficile quemlibet in propria causa, vel aduersarij potestate, vel iam concepto terrore non deficere, tum voce, tum mente; aut non transuersum agi ab æquo, & honesto, & decoro, alienáque magis persequi, quàm causæ conuenientia, proprio indulgentem dolori, opinionive de iniuria, & iniustitia, quam sustineat.

Patronorum, seu aduocatorum munus honorificum.

f Codice, & alibi.

Ritu omnium ferè Gentium causam per se nemo, sed per procuratorem, & aduocatum exponit, ita vt non habenti Prætor dare debeat[g]: nisi

D forte de cognoscendis moribus ageretur, qui melius ex persona ipsa cognoscuntur, quàm ex procuratoris alicuius, vel aduocati relatione. Quo pacto forsitan Claudius Cæsar[h], cùm Censor esset, non patiebatur quempiam, nisi sua voce, vtcunq; posset, vitæ rationem reddere. Sic verò vidimus superiùs pro seipso Paulum respondisse, ac paulò etiam pòst videbimus. De Polonis traditur[i], perrarò admittere procuratores, vel aduocatos, sed vt suam quiuis causam peroret, imperare. Lege Cincia cautum est, ob causam orandam accipere pecuniam, donúmve[k], quæ lex etiam dicta est *muneralis*, & corruptè Titia, & renouata est ab Augusto[l]. Alias quoq; leges fuisse colligitur ex Pli-

E nio iuniore[m], qui meminit etiam Senatusconsulti, quo imperabatur omnibus, qui quid negotij haberent, iurare priùs nihil se ob aduocationem cuiquam dedisse, promisisse, cauisse: finitis tamen negotiis, permittebat pecuniam duntaxat decem millium dare, id est, centum aureos. Meminit prætereà Tacitus[n].

g l. 1. § ait prætor. de postulando. ff. l. providendū. C. eod. l. nec quidquam § ... de officio Procōsul. ff.

h Sueton. in Claudio. cap. 16.

i Sigesm. Baro lib. de Rebus Mosc. ... Basilij.

k Cicer. 2. de Orat. lib. 1. ep. ad Attic. in vlt. Tacit. lib. 11. 13. & 15. Liuius lib. 34.

l Dio lib. 54.

m lib. 5. epist. Valeriano, & epist. ad Rufum.

n lib. 11.

Sed moris apud Romanos fuisse, vt patroni gratuitam operam darent, elicimus, tum ex sententia Ciceronis[o], tum eiusdem exemplo[p], tum ex his, quæ tradit Quintilianus[q], Ouidius[r], Lucanus[s], cùm agit de Curione. De Græcis quoque

o 2 Offic.

p apud Plutarchum in vita.

q 12. Inst. cap. 7.

r lib. 1. eleg.

s 1. Pharsal.

testis

a in Cimone.
b lib. 11.
c in Nerone. cap. 17.
d C. de pact. l. si creditor. C. de susta. l. 1. ff. de var. & extraurg. cognit. l. 1. §. in honorariis.

testis Plutarchus [a], & Auctor libri de Rhetorica ad Alexandrum. Attamen de certo decreto præmio causidicis iidem Plinius, & Tacitus [b] memorant, atque Suetonius [c], quamuis Neronem huius rei auctorem faciat, prior Claudium, & extant recentiores leges [d].

Versus 2.] Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus, dicens: Cùm in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam prouidentiam.

e vers. 16.

ET *citato Paulo cœpit accusare Tertullus.*] Κληθέντος δὲ αὐτοῦ. Meminit capite sequenti [e] Festus consuetudinis Romanorum, ne reus damnetur, nisi habeat præsentes accusatores, quod est, vice versa, nisi sit ipse præsens, quando accusatur.

Citatio primus est actus iudicialis.

Citatio propriè est primus actus iudicialis, vocatióque nominatur, quæ viua voce fit, quando præsentes inueniuntur, qui necessarij sunt causæ decidendæ, præsens autem censeri potest, qui carcere tenetur.

f ff. lib. 2. tit. 4.
g ff. eod. ti. 13.
h lib. 1. tit. 13.
i Alex. l. furioso. col. 2. de re iudic. ff. Bartol. ad extrau. quomo. proced. sit in crim. læsæ maiest. in verb. & figur. post li. Feudor.
k l. de vnoquoque. de re iud. ff. l. nam ita Diuus. de adopt. l. si quando. de testib. C.

Sunt in iure aliqui tituli huc pertinentes, vt de *in ius vocando* [f], & *de edendo* [g]. Et in libro iuris Orientalis [h], Περὶ μετακλήσεως τῶν ἀπόντων, *de vocatione absentum*. Denique sine citatione valet quidem sententia lata pro absente non citato [i], non tamen si feratur contra non citatum, sed vocandi sunt quorum interest [k], qui contradicere possunt, & actum iudicialem impedire.

Adulatio in iudicio maximè perniciosa.
l Athenæ. lib. 6. cap. 6.
m apud Platonem in Menexeno.
n cap. 30. 8. & seq.
o Rom. 16. 17.
p Hom. 31. in ep. ad Rom.
q in c. 2. Malachiæ.
r in histo. S. Martini. cap. 31.
s in vita B. Martini.
t in dimidio temporis. c. 7.
u de non parcen. in Deum delinq.
x lib. 1. loco seu num. 31.

Cùm in multa pace agamus per te.] Adulatoria oratio. Constabat enim, Felicem tyrannicè gubernare; id Ionathæ testabatur summi Pontificis interfectio, multorúmque diuitum in illa ipsa vrbe Cæsariensi expilatio. Tamen pseudo-Prophetas, ac seditiosos represserat. Præstat, vt Diogenes dixit, πρὸς τοὺς κόρακας ire, quam πρὸς τοὺς κόλακας, *ad coruos, quàm ad adulatores* [l]. Verùm ne in re nimis ampla morer, perniciosissima est Oratorum adulatio publica, vt Socrates [m] eos deridens admonuit, & Esaias [n], *de pseudo-Prophetis loquentibus placentia, & videntibus, siue respondentibus errores*: & Paulus *de seducentibus per dulces sermones, & benedictiones* [o]. Lege Chrysostomum [p], Hieronymum [q], Sulpitium [r], Fortunatum [s], Prosperum [t], Luciferum [u], Antonium Melissam [x].

y 1. Offic.
z 3. & 4. de Finib.

Et multa corrigantur per tuam prouidentiam.] Καὶ κατορθωμάτων γινομένων τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ τῆς σῆς προνοίας. Syrus, ותקנתא סגיאתא הוי לעמא הנא בשקל טעבך *vethakenatha sagguatha haue lebhamma hana baschekal tahbanach*, id est, *Et directiones multæ fiunt populo huic per libramen tuæ rationis*; vel, *Multæq; directiones fiant huic genti pondere rationis tuæ*. Vatablus, & Clarius, *Multa rectè gerantur in populo, vel gente hac*. Caietanus, *officia præstentur*.

Cicero [y], τὸ κατόρθωμα interpretatur *perfectum, rectúmque officium*, vel *id quod rectum est, ac rectè factum, omnésque numeros virtutis continens* [z]. Plutarchus, in rebus bellicis *facinus memorabile*: quo etiam modo sumi potest in rebus ciuilibus, vt hoc in loco, & in genere est res fœliciter gesta, facinus fœlici successu patratū. Nomine τοῦ ἔθνους, omnis intelligitur multitudo, seu Gentilium, seu etiam Iudæorum, qui Præsidi suberant.

Versus 3.] Semper & vbique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione.

A

SEMPER] Πάντοτε. Alij codices, πάντοτε, hoc propriè, *semper*, significat, illud, *& omninò*, Syrus legit, πάντες τε, vertit enim בכלן *bechulan*, *nósque omnes*.

Suscipimus.] Ἀποδεχόμεθα. Vatablus, Clarius, & Caietanus, *comprobamus*, & suspicatur Salmeron dixisse Interpretem *suspicimus*, & insuper supplendum esse, *tuam prouidentiam*. Omnes Latini codices conueniunt in eadem lectione, quam posuimus, fortasse autem sensus magis perspicuus erit, si comma post *vbique* affigatur, tum enim *suscipimus*, quod etiā significat approbare, sicut τὸ ἀποδέχεσθαι, refertur ad præcedentia, nempe suscipimus, vel approbamus, suspicimus, laudamus pacē,

B

& κατορθώματα, quæ nobis abs te sunt semper, & vbique, vel etiam simpliciter recipimus, & accipimus. Syra verò editio minùs hîc assecuta sensum videtur, dum illud, *cum omni gratiarum actione*, μετὰ πάσης εὐχαριστίας, gratiam ipsam exponens, ita reddidit, וכלן בכל דוכא מקבלינן טיבותך *vechullan bechul ducha mekabbelinan taiebuthach*, id est, *& omnes in omni loco recipimus gratiam tuam*; vel, *nósque omnes vbique gratiam tuam recipimus*.

Cum omni gratiarum actione.] Rectiùs, quàm, vt modò dicebam, editio Syra quæ gratiam receptam, nō habitam, redditámve declarabat. Est autem εὐχαριστία, qua hîc Lucas vtitur, grata beneficij recordatio, gratique animi pro illo significatio. Accommodatum est vsu Ecclesiastico nomen ad diuinissimum Sacramentum corporis, & sanguinis CHRISTI, quia in eo, vt etiam est sacrificium, gratiæ DEO maximæ, summusque cultus exhibetur.

Εὐχαριστία quid hîc sit.

C

Cur hæc vox ad Sacramentum Christi corporis sit translata.
a Tract. 2. de EVCHARISTIA. c. 8.
b Coloss. 3. 15.

Turrianus [a] exponens Paulum [b], cùm ait; *Pax CHRISTI exultet in cordibus vestris, in quam & vocati estis in vno corpore, & grati estote*, de EVCHARISTIA dicit illud, *grati estote*, quod nullibi aliàs ille vsurpauit, pro quo Græcè est εὐχάριστοι γίνεσθε, ab EVCHARISTIA deductū esse, siue in eo Paulum ad EVCHARISTIAM allusisse, quoniam Eucharistia digna est naturâ suâ, & prosequēda omni gratiarum actione, eámque ad rem Dionisij [c] testimonio vtitur, docentis, *qui propter turpem vitam non sunt facti participes mysteriorum, remansisse ἀχαρίστους, contrà verò qui digna participatione altitudinem, & magnitudinem cognoscant, laudes eius εὐχαριστεῖν*, id est, *grata memoria celebrare*.

c de Eccles. Hierar. cap. de comunione.

D

Eôdem spectat locus constitutionum Apostolicarum [d], Εὐχαριστοῦμεν, id est, *Gratias agimus*, PATER *noster, pro sanguine* IESV CHRISTI *pro nobis effuso, & pro pretioso corpore eius, cuius hæc Sacramenta celebramus*.

d lib. 7. c. 25.

Admittimus tamen etiam alias rationes huius nominis ab aliis Orthodoxis assignatas, vt EVCHARISTIA dicatur, quasi BONA GRATIA, qua replet animam DEVS, vt peculiare pignus vitæ æternæ, & quia continet ipsum fontem gratiæ CHRISTVM, & summam gratiam vnionis hypostaticæ; quæ est in CHRISTO, & huic templa

Eucharistia cur sic dicta sit.

E

extruuntur ad gratias agendas, quæ quoquo modo comparare possumus cum illo, quod τῶν χαρίτων, in media ciuitate constructum Aristoteles meminit [e].

Optime.] De hoc titulo iam egimus. [f]

e 5. Ethic. c. 5.
f cap. 1. 1. & c. 23. 26.

Vers. 4.] Ne diutiùs autem te protraham, oro, breuiter audias nos pro tua clementia.

NE *diutiùs autem te protraham.*] Σὲ ἐγκόπτω, *Te fatigem.* Pagninus, *Ne interpellem,* ne intercidam occupationes tuas, & te longa oratione detinendo, ab aliorum cursu negotiorum auocem, & impediam, & interrumpam, vt etiam exponit Budæus [a], sensu tamen eodem.

a Comment. ling. Græcæ.
Artificiosa criminatio.

Duplex Oratoris artificium notat Chrysostomus hac pollicitatione breuitatis contineri: tum vt se multa præterire crimina alia indicando, hoc vnum, quod proponit, magis exaggeret, tanquàm prælenti, subitàque dignum, & indigens punitione: tum vt quòd anteà iam multùm concionatus esset, auerteret opinionem sequuturæ prolixitatis, & fastidio Iudicis mederetur.

Non apparet quo pacto, quídve diutiùs sit anteà Tertullus concionatus, nisi fortè quod perstrinxit Lucas de laudibus Præsidis, ille Oratorio more ad conciliandum eum sibi, & clientibus, Ananiæ Pontifici, aliísque Senioribus Iudæorum, qui aderant, erga quos præferocis viri animi difficilem se, insensumque, vt antè dixi, præbuerat, in eiusdem laudationem laxiori sermone effuderit sese, maximè verò de sedata, seditiosis deletis, Republica; quod ad incendendum simul ipsius animum contra Paulum valebat, quem volebat accusare seditionis.

Oro, breuiter audias nos pro tua clementia.] Syrus, בעא אנא מנך דתשמע למכיכותן בפסיקתא *bahha ana menach detthesschemahh lemacchichuthan bepaseiaketha,* id est, *Peto ego à te, vt audias demissionem nostram cum breuitate;* vel, *Peto à te, vt audias nostram humilitatem præcisa oratione.* Longè aptiùs noster Interpres ad mentem textus Græci, παρακαλῶ ἀκοῦσαί σε ἡμῶν συντόμως, τῇ σῇ ἐπιεικείᾳ. Vatablus, & Pagninus, *equitatem:* Clarius exponit, *clementiam.* Vox Græca ἐπιείκεια (quam corruptè nunc à Latinis Latinitate donatam video dici *epicheiam*) omnia hæc significat, necnon lenitatem, facilitatem, patientiam.

Quid sit epikia.
b ab Aristot. 5. Ethic. 10.

A Philosophis [b] moralibus accipi solet pro summi iuris moderatione, & opponi summo iuri, quod appellatur δίκαιον, hoc est, violentum, & ἐπιεικὴς dicitur. Ὁ μὴ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖρον, ἀλλ' ἐλαττωτικός, καίπερ ἔχων τὸν νόμον βοηθόν, *Non exactus iuris executor in peiorem partem; sed imminutor potiùs, etiam si legem ad id adiutricem habeat.*

Vers. 5. Inuenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum.

INVENIMVS.] Εὑρόντες γάρ. Hoc participium reddit obscurum sensum, nisi subaudiatur ἤμεθα, *fuimus*, aut *eramus*: quam obscuritatem sustulit editio nostra, & Syra, אשכחן גיר *eschechachan ger, comperimus enim.*

Hunc hominem pestiferum.] Contemptim, & calumniosè vocitant. Λοιμὸς est nomen abstractum, pestem significans, quod pro concreto pestiferi, vel pestilentis ponitur hoc, aliísque locis [c]. Dicunt etiam Latini pestem de homine perdito, nefario, pernicioso, qui sua ceu contagione corrumpat alios; sed non memini hominem pestem eo modo dicere, quo Græci ἄνδρα λοιμόν. In Psalmo [d] pro cathedra pestilentiæ Hieronymus vertit, *pestilentium:* est autem Græcè, ἐπὶ καθέδρᾳ λοιμῶν. Sic verò etiam vocant Græci hominem exitialem, ὄλεθρον, id est, *exitium*, aliter prætereà nominant ἰσώλης, θανατηφόρος, &c.

c 1 Machab. 10. 61. cap. 15. 21.
Pestis pro homine perdito vsurpatur.
d Psalm. 1. 1.

A *Concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso orbe.*] Crimen atrox, & exaggeratum tum vniuersitate loci, tum multiplici seditione: quamuis enim ordinarij codices habeant στάσιν, in singulari, quidam tamen etiam legunt στάσεις in numero multitudinis. Premit hic Orator eiusmodi crimen, quod Præsidi sciebat cumprimis inuisum, quippe qui plures alios eiusdem reos supplicio affecisset.

Et auctorem seditionis sectæ Nazarenorum.] Illo tempore Christiani pro opprobrio Nazareni vocabantur, ait Beda post Hieronymum [e]: *posteà verò inter Iudæos* (seu ex Iudæis Christianos) *surrexit hæresis Nazarenorum, qui in* CHRISTVM *credunt* B *Filium* DEI *natum de* MARIA *Virgine, & eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato & passus est, & resurrexit, in quem & nos credimus. Sed dum volunt & Iudæi esse, & Christiani, nec Iudæi sunt, nec Christiani.* Sic ille. De iisdem Epiphanius [f], & alij Hæreseologi, præsertim Prateolus [g].

Christiani Nazareni dicti.
e epist. 89.
f Hæres. 29.
g verbo, Nazaræi.
Christiani omnes à Iudæis appellantur Nazaræi.
h in cap. 52. Esaiæ.
i Hæres. 29.

Cōstat per ludibrium omnes Christianos appellari Nazaræos à Iudæis, terq; in die ab iisdem sub hoc nomine in solemnibus precibus maledici. Testatur id Hieronymus [h]: licèt Epiphanius [i], intelligere dicat Iudæos de dictis Hæreticis. Similis fuit nomenclatura nobis imposita à Porphyrio, & Iuliano Apostata [k], vt Galilæi diceremur. Sed hæc iampridem annotaui, necnon & C nominum horum notationem [l].

k Nazianz. orat. 1. contra Iulian.
l cap. 2. 22. & & cap. 11.
Mendacium Præsidum contra Paulum.

Auctorem.] Splendidum mendacium, quasi vnus Paulus auctor esset Christianorum, & non constaret ante conuersionem ipsius, ac posteà per alios Apostolos propagatam doctrinam istam. Sed imponi poterat Ethnico Præsidi res has vel ignoranti, vel non curanti. Πρωτοστάτης est, qui primus stat, & potissimùm de eo dicitur, qui in acie. Quo nomine prorsus inuidiosè vsus est Orator: & arbitror Interpretem ad exprimendam vim vocabuli de suo apposuisse, *seditionis*, quasi quoq; allusum crediderit ad στάσιν, vel στάσεις, quæ dictio proximè antè posita est. Voluit forsan solùm Tertullus Paulum asserere vnum de primis, & præ- D cipuis sectæ ducibus, vt primipilares esse solent in exercitu: aut summum veluti ducem, non primum prorsus institutorem, qui non erat ampliùs in vita mortali.

Secta.] Αἱρέσεως. Hanc vocem Interpres nonnunquàm retinet [m], aliquàdo pro ea ponit *sectam.* Quid sit autem hæresis, diximus capite quinto [n].

m cap. 5. 17. & 15. 5. & infra c. versu 14.
n vers. 17.

Vers. 6.] Qui etiam templum violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundùm legem nostram iudicare.

QVI *etiam templum violare conatus est.*] Hoc ei crimen capite vigesimoprimo [o] obiectum est, quòd existimaretur Trophimum Gentilem E introduxisse in templum. Violabant ipsi potiùs sacra omnia, profanàque iura in templo, in iudicio, percutientes, insidiis interficere volentes, falsas criminationes nectentes.

o vers. 28.
Iudæi contra Paulum sacra omnia violabant.

Quem & apprehensum voluimus secundùm legem nostram iudicare.] Hæc, & quæ sunt in sequenti versu, vsque ad illud, *A quo poteris ipse, &c.* testatur Beda, in quibusdam codicibus prætermissa, in aliis tamen Latinis iuxta Græcorum fidem extitisse. Franciscus Lucas Brugensis testis etiam est, duobus in exemplaribus manuscriptis Parisiensibus hæc eadem se desiderata reperisse, necnō de alio quodam Germano, & de Græcis, vno dēpto,

in cu

in cuius spatio marginali minutissimis literis erat adscripta, id ipsum prodidisse nescio quem enarratorem. Sed Lucas ait, *Parisienses nulli Graecorum suorum exemplarium deesse signausse*: se verò in omnibus, quos viderit, Latinis, Graecisque libris inuenisse, quin & apud Syros, atque Graecos interpretes.

Quid velint Iudaei hac oratione.

Porrò sententia horum verborum eo spectat, vt se iure fecisse, Lysiam Tribunum abusum potestate Praeses intelligat, quòd adeò insignem, ac tam claris notatum criminibus reum iam comprehensum, atque morte dignissimum violentè ipsis detraxerit, & tempus extrahendo ad Praesidem remiserit, cúmque, cùm minimè necessarium foret, huius rei deductione, cognitionéque fatigauerit, & ipsum Pontificem descendere in iudicium coram Praeside coëgerit: potuisse negotium facile, perspicuúmque sine dilatione transigi, & Praesidis auctoritati satisfactum iri, si Tribunus per literas illum docuisset, non verò simul reum, non sine praeuaricatione misisset ad ipsum.

Voluimus.] Idem Brugensis monet, in septem manuscriptis esse, *Volumus*: in quatuor, *Quem apprehendimus, & volebamus*. Lectio in tempore praesenti minùs commoda est, neque consentit cum Aoristo ἠθελήσαμεν.

Secundùm legem nostram iudicare.] Reum mortis pronunciare, & per Magistratum Romanum interficere. Mentitur Tertullus: quaerebant enim mox occidere, fecissentque, nisi Tribunus cum Centurionibus, & militibus decurrisset [a]; & iterum in ipsomet Concilio, nisi milites euocasset [b].

a cap. 21. 31. & seq.
b cap. 23. 10.
c cap. 5.

Quid licuerit Iudaeis in suppliciis, alias [c] ostendimus. Cùm *legem nostram*, hoc est, etiam suam, causidicus dicit, vel induit clientum personam homo Gentilis, vendens cuiuis opellam suam, vel proselytus erat, vel Iudaeus quoque & gente, & religione. Oratoribus vsitatum est, quorum tuentur causam, sibi facere communem, séque morum, ac institutorum eorundem esse prae se ferre. Memoriae lapsu, aut alio quopiam factum errore arbitror, vt de Tertullo Arias affirmarit, laudans quoque Iosephum, quòd is Eleazarum sicariorum ducem ceperat, & Ægyptium impostorem profligarat. Voluit, ac sine dubio debuit, Felicem dicere.

Oratores tribuunt sibi, quae ad clientes pertinent.

Versus 7.] Superueniens autem Tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris.

SVPERVENIENS *autem Tribunus Lysias.*] Accusatur Tribunus, quòd vim intulerit, & ad peregrina tribunalia compulerit, *cùm oporteat ibi indicium fieri*, inquit Chrysostomus, *vbi patrata iniustitia est*: quodque nimium facilis, ac indulgens, nec miserit quidem, qui crimen persequerentur.

Ibi iudicium fieri debet, vbi patrata sunt crimina.

Quidam codices, vt est apud Franciscum Lucam, legunt, *intercedens*. Non puto, si qui id verbum habent, significare aliud voluisse, quàm quod significatur per *superueniens*, vel *adueniens*, non autem *veniam impetrans*, aut quid simile, nec intercedere primaria sua significatione aliam rem importat. Beda legit, *transiens*, vel *transiliens*: sed παρελθών. Interpres rectè vertit, *superueniens*, quod est idem, ac *adueniens*.

Francisci Lucae varia lectio reprobatur.

Cum vi magna.] Βίᾳ πολλῇ. Nonnulli codices Graeci legunt, μετὰ πολλῆς βίας. Non variat sensus. Beda meminit alterius lectionis, *Cum multis vi*, ac si esset, μετὰ πολλῶν.

Eripuit eum.] Ἀφείλετο, vel ἀπήγαγε. Adduntque nonnulli codices, καὶ πρὸς σὲ ἀπέστειλε: *Et ad te misit*. Quae sunt quoque in editione Syra, ולך שדרה *valech schadereh, Et tibi misit eum*.

Versus 8.] Iubens accusatores eius ad te venire: à quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum.

IVBENS.] Κελεύσας καὶ. Alij codices omittunt καὶ, & habent κελεύων.

Ad te.] Desunt in textu Graeco, tamen Syrus recipit, לותה *lewathah, ad te*, & sunt in nonnullis Graecis, vel ἐπὶ σε, vel, apud Theophylactum, ἐπὶ σοῦ.

A quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum.] Glossa interlinearis, *A quo*, explicat de Tribuno; necnon Hugo, & Carthusianus; Chrysostomus autem de Paulo reo. Vtrouis modo, praefidit bonitati causae patronus, & orationis veritati, vt quae in medium ipse protulerit, vel Tribunus, vel Paulus inficiari non possint. *Ne videatur mentiri*, ait Chrysostomus, *Paulum sui ipsius accusatorem adhibet.*

Veritati causae suae patronus praefidit.

Alterum sperabat, aut accersendum Tribunum, qui suscepti auctor itineris fuisset, fontémque subduxisset: aut Paulum iam à nullo septum, sed à tantae auctoritatis hominibus accusatum, coram seuero seditionum vindice, prae timore crimen fassurum. Beda legit, *qui*, aduerbialiter, id est, vt possis. Omnes ferè codices constanter habent, παρ' οὗ, *à quo*. Malim verò id ad Paulum referri: nec enim ignorabant, Tribunum scripsisse. Et illud, *iudicans*, ἀνακρίνας, *diiudicans, inquirens, interrogans*, magis propriè reum respicit. Quidam legunt, παρ' ὧν, *à quibus*, nempe accusatoribus.

Quid voluerit ipse orator.

Versus 9.] Adiecerunt autem & Iudaei, dicentes haec ita se habere.

ADIECERVNT *autem & Iudaei.*] Συνεπέθεντο, vel secundùm alios codices, συνέθεντο. Syrus, ארימבו דין עלוהי אף הנון יהודיא *aribu dein bhalauehi ek hannun Iehudaie*, id est, *Litem porrò intenderunt ei, etiam illi Iudaei*, illi videlicet, qui descenderunt ex Ierusalem cum Anania Pontifice. Hugo innuit aliam lectionem, *audierunt*. Fauere posset similitudo τοῦ συνέθεντο, quod est, *simul audierunt*, cum verbo, quod hîc est συνεπέθεντο, id est, *adiecerunt*. Audire autem, & simul audire, significat consentire. *Peruertitur iudicij forma, vbi fiunt iidem accusatores testésque*, inquit Chrysostomus.

Iudicij forma peruertitur, cum iidem sunt accusatores, & testes.

Verba Graeca praedicta idem valere possunt, quod conspirare, sicut apud Ioannem [d], συνετέθειντο, aut simul adoriri, & inuadere, aut arripere occasionem, vti occasione ablata [e], aut ex composito quippiam facere, aut loqui, seu ex arte, techna, dolo; malitia, fallacia, fraude: item componere, & accommodare, foedus, & societatem inire cum alio, pacisci, & conuenire super aliqua re, & constituere; praetereà assentiri, & adstipulari, aduertere, & animum applicare. Congruunt omnes hae significationes praesenti loco: nec enim dubium, quin conuenerit inter istos in accusationis forma, & modo; tamen simplex, ac prima notio verbi Graeci, quam Interpres posuit, cùm nullam excludat, aptior videtur.

d cap. 9. 22.
e Budaeus comment. linguae Graecae.

A *Versus* 10.] Respondit autem Paulus (annuente sibi Præside dicere) Ex multis annis te esse Iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam.

RESPONDIT *autem Paulus.*] Longior erit Pauli oratio, quàm Tertulli: plures námque clepsydræ, siue horæ reo dabantur, quàm auctori, vt antè dixi, licèt id non ita perpetuum esset, quin arbitrio Iudicis permitteretur. Quamuis verò breuitatem Tertullus pollicitus sit, verisimile tamen est, Lucam summa orationis contentum fuisse, nec ea recitare voluisse; quæ Iudæi ceteri in eandem sententiam post Tertullum adiecerant; ex apologia autem Pauli plura protulisse, quia sapientissimum illud, fortissimúmque pectus eius ostendit, & Apostolicæ virtutis, & doctrinæ plenissima est.

Tertullus longior fuit, quàm hic dicatur.

B *Annuente sibi Præside dicere.*] Tacuisset ad tam grauia crimina, & conuitia præsenti, ac imperturbato animo, nisi Præses imperasset; seu per se ipse, seu per præconem, aut satellitem: prioréque modo potuit, eo quòd sistebantur rei, quàm fieri poterat proximè ante Iudicem, vt nuper obseruauimus.

Ex multis annis.] Argumentatur, Præsidem, qui diu in prouincia fuisset, & subortientes seditiones compescuisset, non potuisse latere, si quod ipse seditionis eiusmodi crimen admisisset: illud, quod obiiciebatur, recens esse dierum non ampliùs duodecim, sed improbatum, ac etiam improbabile ab accusatoribus, qui aberant quoque: se in templo, vbi mouisse tumultum accusabatur, nihil nisi religiosum tractasse: in Ierusalem, vnde multo tempore abfuerat, tum religionis causâ, tum deferendæ hominibus suæ gentis eleemosynæ aduenisse: hoc vnum vociferantibus in ipsum libera oratione respondisse, ob Resurrectionem, quam crederet, & doceret, conflatam sibi inuidiam, & accusationem.

Paulus se à crimine seditionis liberat.

C *Ex multis annis.*] Non ergo biennij expletio, de qua versu vltimo, de præfectura debet intelligi, quæ tantillo solùm spatio durauerit, sicut ibi demonstrabitur. Quanquàm Felix, priusquàm curaret Iudæam, cum Samaria, & Galilæa rexerat Trachonitidem, & Bathaneam, & Gaulonitidem [a]: quæ cùm haud longè abessent, comperisset profectò, verúmne esset, quod in accusatione Tertullus posuerat, Paulum concitasse seditiones omnibus Iudæis in vniuerso orbe.

Felix quot multis annis Iudæam præfuerit. a Ioseph. 2. de bell. Iud. c. 11.

D *Te esse Iudicem genti huic sciens.*] Codices quidam Græci addunt, *δίκαιον*, *iustum*, itaque legit Chrysostomus, notans *non esse adulationis vocem, qualis erat illa Tertulli, quod in multa pace agerent per ipsum. sed propriam, necessariamque conditionem Iudicis, qua prædictum Præsidem consideret ipse nullam in hac causa Principis Sacerdotum, vel accusatorum aliorum rationem habiturum, quo minùs ex iustitia iudicaret.*

Cur Paulus Felicem iustum dixerit.

E *Bono animo.*] Εὐθυμότερον. In aliis codicibus Εὐθύμως: hoc est positiuum, illud comparatiuum.

Pro me satisfaciam.] Τὰ περὶ ἐμαυτοῦ ἀπολογοῦμαι, *Quæ de me sunt, respondeo*; vel, *Apologiam dico.* De Latinis vocabulis satisfaciendi, & satisfactionis egimus capite decimoseptimo [b]. Dixi quoque versu primo huius capitis, quo modo reus oraret sine patrono.

b vers. 9.

Versus 11.] Potes enim cognoscere, quia non sunt plus mihi dies quàm duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem.

NON *sunt plures mihi dies*, &c.] Caietanus hac ratione colligit hunc numerum: *Vnus est dies, quo Paulus egit cum Iacobo: sex, quibus purificauit se, explens septimum: quinque à captura.* Lege quæ dixi capite vigesimoprimo [c], & de verbo adorandi, prout complectitur omnem cultum religiosum, etiam sacrificij, in capite octauo [d].

c vers. 27.

d vers. 27.

Lyranus quidem in capite vigesimo refellens eos, qui ibi septem sumebant pro quinque, docet, quòd dies purificationis Pauli fuit septima ab ingressu eius in Ierusalem: quinque, quibus venit Princeps Sacerdotum accusare Paulum, incipiunt à Pauli purificatione, & captione exclusiuè, & sic habentur dies duodecim præcisè: dies autem, in qua soluit ab inuicem Pharisæos, & Sadducæos, & alia, in qua ductus fuit Cæsaream, simul concurrerunt cum duobus illis primis ex quinque, quibus Princeps Sacerdotum venit Cæsaream.

Vers. 12.] Et neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in Synagogis, neque in ciuitate.

ET *neque in templo*, &c.] Disputari poterat in porticibus, & atriis templi: frequentiùs id in porticu Salomonis fiebat, vt dixi capite tertio [e], & vt existimat B. Antoninus [f], ordinariè, etsi porticum generaliter nominat. Arias Montanus in porta templi secundi Orientali locum fuisse memorat, ex quorundam sententia, in quo summi legis Magistri, & Interpretes docerent. Vocat hanc Academiam noster Barradius [g], de eáque Paulum hoc loco intelligit. Malim largiùs, ac indefinitè.

Vbi solebat disputare Paulus. e vers. 11.

f 3. p. hist. tit. §. 5.

g tom. 2. harmon. lib. 10. cap. 14.

Aut concursum facientem turbæ.] Ἢ ἐπισύστασιν ποιοῦντα ὄχλου. Syrus, ואף לא כנשא דכמש אנא *vaph lo cheneschua dachamasch ana*, id est, *Et etiam congregationem, quod congregauerim ego*; vel, *Nec etiam turbam congregantem.* Pagninus vertit, *seditionem.* De voce Græca diximus alio loco.

Neque in Synagogis.] Erant ergo plures eadem in ciuitate Synagogæ, sicut capite sexto demonstratum est.

Vers. 13.] Neque probare possunt tibi, de quibus me accusant.

MAGNA hæc innocentia, magna ob innocentiam confidentia, sed modesta, nec vllum pro tót conuitiis referens iniuriosum, aut asperum verbum. In textu Græco, Οὔτε παραστῆσαι δύνανται; & iuxta codices alios, Οὔτε παραστῆσαί με δύνανταί σοι, est emphasis. Iuxta primam lectionem *neque repræsentare possunt, & in conspectu ponere*, seu *perspicuè demonstrare, & conuincere.* Iuxta secundam: *Nec queunt me tibi sistere tanquàm reum ob ea, quæ obiiciunt*, cùm scilicet nulla ratione probare valeant.

Pauli magna innocentia, & modestia.

Versus 14.] Confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm sectam, quam dicunt hæresim, sic deseruio PATRI, & DEO meo, credens omnibus, quæ in lege, & Prophetis scripta sunt.

SECVNDVM *sectã, quã dicunt hæresim.*] Κατὰ τὴν ὁδὸν, ἣν λέγουσιν αἵρεσιν. Meliùs, ait Beda, legitur in

Hæresis & secta differunt.

Græco

Græco *ſecundum viam*, quæ enim conſequentia eſt, eum, qui Græcè locutus eſt, dicere *ſecundum hæreſim*, cùm idem Latinè ſecta; quod hæreſis Græcè ſignificet? Tamen in omnibus codicibus Latinis extat hæc lectio: nec eſt omninò idem hæreſis quod ſecta: & ſecta in diſciplinis (vertit Syrus hoc loco יולפנא *iulephana*, id eſt, *doctrinam*) dicitur certa quædam, & ab aliis diſtincta tradendi, ac procedendi ratio, ſeu via, vt ideò Interpres per nomen viæ illam conuenienter expreſſerit.

A

a cap.5.17.

Hæreſis de Christiana religione non bene dicitur, & male ſonat.

De nomine hæreſis iam aliàs dictum eſt [a], hícque Theophylactus obſeruat iterum (quod ſemel priùs alibi) *id nomen de Christiana religione non vſurpari, quia nullum inuentum, ſeu placitum, & electionem merè humanam continet, ſed ſemper apud nos malè ſonat*: quanquàm interdum bene apud profanos Auctores [b], aut quando dicitur de doctrina etiam pia, ſed veteris Teſtamenti, vt Phariſæorũ [c].

B

b vt apud Cic. Parad. 1.

c Act. 26. 5.

Videtur Paulus hoc nomen de Chriſtianorum doctrina verſu quinto à Tertullo dictum reiicere, tum ob allatam cauſam, tum quia ille in partem deteriorem ſumere videbatur.

Secta apud nos malè audit apud nos, ac hæreſis.

Nec minùs malè apud nos audire ſolet ſecta, quando comparatio fit cum Catholica, & Orthodoxa fide, támque peruerſi dogmatis homines vocamus ſectarios, quàm hæreticos. Nihilominùs Tertullianus [d], Cyprianúſque [e] non infrequenter ſectam nominant Confeſſionem Chriſtianam.

d libris de Fuga, de Pallio, & in Apolog.

e ep. 21. ſeu li. 3. c. 4. & epiſt. 54. ſeu lib. 4. ep. 5. & præf. lib. 1. ad Quirinum.

Notatu dignum, quòd hæreticus quandoque dicitur is, qui penitus infidelis eſt, nec vllo modo Chriſtianus. Hoc enim modo cùm in VI. Synodo, canone ſeptuageſimoſecundo irritæ decernuntur nuptiæ orthodoxi cum hæretico, hæreticum ſumi debere nonnulli exiſtimant. Balſamo quidem indicat [f], & apertè ſentit Couarruuias [g]. Quanquàm illius Trullanæ Synodi non omnes canones authentici ſunt. Alioquin communis, veráque ſententia eſt, non eſſe irrita coniugia Catholici cum hæretica, quamuis prohibita.

C

f ibid. atque in Nomocanone Photij tit. 12. c. 13.

g in 4. Decretal. 2. p. c. 6. & 1. num. 4.

Sic deſeruio.] Λατρεύω: quod verbum ad proprium cultum DEI accommodatum eſt, vt olim docuimus [h]; *ſic*, id eſt, vt quiuis alius, vel ad modum ſequentem. Hugo addit ex neſcio quo libro *prophetica ſeruitute, id eſt*, inquit, *ſecundum Gloſſam perfecta, ſicut Propheta boni reputabantur apud Iudæos, nec eſt iactantia*, inquit Hugo, *quòd comparet ſe Prophetis, quia per inſpirationem loquebatur, ſicut illi*. Oſtẽſum eſt quando liceat laudare ſeipſum [i].

D

h cap. 7.

i cap. 20.

PATRI, & DEO meo.] Τῷ ΠΑΤΡῼΩ ΘΕῼ. Syrus, פלח אנא לאלהא דאבהי *palach ana lalaha dabahi*, id eſt, *Colo ego* DEVM; vel, *Colere* DEVM *patrum meorum*. Quidam codices manuſcripti, DEO PATRI; alij, PATRI, DEO *meo*. Multi ex impreſſis, *Patrio* DEO, & nonnulli addunt *meo*.

Lectionem noſtram emendatam reperi quoque in excuſo exemplari anno 1483. & 1484. & 1494. & in Bibliis Complutenſibus. Vatablus quidem, Pagninus, Clarius, Caietanus ſic legunt, necnon Oecumenius, qui hinc infert, *eundẽ* DEVM *vtriuſque Teſtamenti, nec legi, aut genti ſuæ aduerſari, qui legis Auctorem coleret eum ipſum, quem ſui Patres*; tamen tutàda editio noſtra, quæ *paternum* DEVM, πατρῷον ΘΕΟΝ, accepit, reſpectu ipſiuſmet Pauli, hoc eſt, qui ipſi eſſet paternus, ſiue Pater, non reſpectu Patrum, à quibus ſit cultus DEVS: quamuis non excludat ſenſum illum.

E

m vtriuſque Teſtamenti idem

Inuoluit autem hoc modo rationem Paulus, tantùm abeſſe, vt legem à DEO conditam violet, vt DEVM ipſum loco & DEI, & PATRIS habeat, ac tanquàm talem obſeruet, colátque.

Prophani πατρῴους θεοὺς vocant, non ſolùm cultos à maioribus, ſed qui ſint cuſtodes patriæ, penates, indigetes, proprij, ac peculiares, & ita nominari poſſunt etiam cùm primùm coli incipiunt. Quare nil mirum, ſi πατρῷον ΘΕΟΝ, Interpres noſter in hæc reſoluit, PATRI & DEO meo, id eſt, quem proprio ſtudio, & PATREM, & DEVM meum veneror. Quæ etiam magis morata, & pia oratio, magis conciliat opinionem innocentiæ, & beneuolentiam quoque Iudæorum, præſertim addita mentione legis, ac Prophetarum. Gloſſa ordinaria, & Lyranus, & Hugo, & Carthuſianus eandem lectionem ſequuntur: & Gloſſa illa Rabani addit ex neſcio quibus aliis codicibus, *cuius filius demonſtror, non ſeruus*.

Dij Patrij qui dicantur apud Gentiles.

Nonnunquam DEVS PATER, aliàs DEVS, & PATER cum diſiunctione dicitur vtrouis modo tam eſſentialiter, quam notionaliter intelligi poteſt: ſed poſteriore modo quando ſubditur expreſſa mentio Domini noſtri IESV CHRISTI, vel cùm præcedit, vt cùm dicitur *traditurus regnum* DEO, *&* PATRI [k]. Hæc adeò crebra expreſſio PATRIS poſt nomen DEI in epiſtolis, & aliis ſcriptis Apoſtolicis, non tantùm fit expoſitionis gratia, ſed vt ametur ardentiùs, & ſanctiùs honoretur is, qui PATER eſt illius, à quo tanta nobis exiſtunt: ſperantúrque beneficia, & ad hoc ipſum à PATRE miſſus eſt.

Deus Pater, & Deus, & Pater quam vim habeant.

k 1. Cor. 15. 24.

Credens omnibus, quæ in lege, & Prophetis ſcripta ſunt.] Magna, & generalis Fidei profeſſio, quæ plenè ſatisfacit calumniæ, quòd vbique doceat contra legem [l]. Nomine autem legis, ac Prophetarum vniuerſam Scripturam intelligi, aliàs monuimus [m]. Et carpere Paulus hîc voluit Sadducæos, qui Pentateuchum recipiebant.

l cap. 21. 28.

m cap. 13. 15.

Credi debet omnibus, ſiue omnia credenda ſunt, quæ continentur ſacris Literis, licèt multa ſecundùm ſe ſpectata, leuia ſint, nulliúſve momenti tum in genere, tum particulatim, ſi diſtinctè proponantur ad credendum, propter diuinam auctoritatem, quæ fidem eodem modo meretur, & exigit in omnibus, quæ dignata eſt reuelare, ſeu ſcriptori ſacro aſſiſtere, ne illa ſcribendo erraret, & non ipſas modò ſentẽtias, ſed verba etiam ſingula dictare.

Credi debet omnia, quæ ſacris Literis continentur.

Tamen ſicut præter illa, quæ ſunt in lege ac Prophetis, totóve vetere Teſtamento, credi debent quæ habentur in nouo, & ſi quid huiuſmodi tunc extabat. Paulus affirmans de illis, non negabat de iſtis fidem habere: ita vltra fidem, quam exhibemus iis, quæ ſcripto traduntur, oportet nos quoque credere diuinas traditiones. Nam, vt alia prætéream, ipſemet Apoſtolus præcipit Theſſalonicenſibus [n], *vt ſtent, ac teneant traditiones, quas didicerant ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam à ſe miſſam.*

Traditionibus etiam credendũ eſt.

n 2. ep. c. 2. 14.

Præterea iuxta lectionem Græcam, τῷ πατρῴῳ ΘΕΩ, intellectam de DEO Patrum noſtrorum, non ſpernendum ſanè trahi argumentum poteſt præſcriptionis, & antiquitatis, dummodò ceteræ adſint notæ Orthodoxæ veritatis, vt docebamus capite XIV.[o] ne ſimiliter Iudæis, vel Mahometanis, vel Paganis aliis liceat argumentari pro ſe. *Nos*, inquit Auguſtinus [p], *neque in confuſione Paganorum neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore ſchiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum religionem quærimus, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani, Catholici, vel Orthodoxi nominantur.*

Præſcriptio in credendo vim habet.

o verſ. 15.

p de vera Relig. c. 5.

Vbi quærenda vera religio.

Quæ in lege, & Prophetis ſcripta ſunt.] Τοῖς κατὰ τὸν νόμον, καὶ τοῖς προφήταις γεγραμμένοις, *Quæ ſecundùm legem, & Prophetis ſcriptis*. Sed aliqui codices diſtin-

ctiùs

ctiùs inferunt, ἐν τοῖς, καὶ τοῖς ἐν τοῖς προφήταις, *& in ijs, & in his, quæ in Prophetis scripta sunt.*

Versus 15.] Spem habens in DEVM, quam & hi ipsi expectant, Resurrectionem futuram iustorum, & iniquorum.

SPEM *habens in* DEVM, &c.] Spem virtutem habebat Paulus: spei obiectum expectabant alij cum ipso: spes enim quandoque pro spei obiecto dicitur [a]. Cùm autem ait, *Quam & hi ipsi expectabant*, intelligens Resurrectionem, de qua statim subdit, innuit Pharisæos vt notat Lyranus, ex quibus videlicet aderant ibi nonnulli.

Spes pro obiecto spei dicitur.
a Rom. 8. 24. Tit. 2. 13. & alibi.

Carthusianus indicat omnes Pharisæos fuisse, & hos instantiùs persecutionem mouisse contra Paulum, quàm Sadducæos. Contrarium superiùs demõstrauimus, ac nominatim Ananiam Põtificẽ Sadducæis fauisse. Porrò cùm præter Sadducæos reliqui Resurrectionẽ crederent, licèt potissimũ Pharisæi, qui Sadducæis aduersabantur præ aliis, potuit Paulus hîc intellexisse non Pharisæos tantùm, vel etiam præcipuè, sed indefinitè Iudæos, qui passim, ac ex parte maiore articulum Resurrectionis credebant: qua ratione maior conflabatur summis aduersariis Pauli Sadducæis inuidia, & Sadducæorum amicissimo Ananiæ Pontifici, qui ad accusandum Paulum descenderat. Hinc porrò sequitur, non esse simpliciter verum quod scripsit Chrysostomus [b], mysterium Resurrectionis ante CHRISTI aduentum non fuisse veteribus reuelatum. Conuincitur oppositum plurimis testimoniis veteris Testamẽti; etiam ex libro Iob, de quo nec bene id aliqui negauerũt [c]. Voluit, opinor, dicere ad adeò explicita fide atque cognitione. Lege exempli causa c. 14. & 19. Iob, Esaiæ 26. Ezechielis 37. Danielis 12. 2. Machab. 7. Iob disertissimè locutum de Resurrectione Hieronymus docet [d], & Prophetam Resurrectionis appellat Anonymus auctor vetus ante sexcentos annos editus in Bibliotheca Floriacensi, libro de translatione S. Iacobi Apostoli.

Hi qui aduersabantur Paulo magis Sadducæi fuerunt, quàm Pharisæi.
b Homil. 2. de Lazaro.
c citati in Catena in Iob. c. 3. & 7.
d epist. 61. & 101.

Resurrectionem futuram iustorum, & iniquorum.] Notabilis locus pro Resurrectione generali etiam damnatorum, quamuis eorum Resurrectio, quia vocatur *Iudicij*, id est, condemnationis, & non *vitæ* [e], nimirum beatæ, est potiùs mors: quo etiam pacto negatur Antiocho Epiphani futura Resurrectio ad vitam [f], & Augustinus [g] docet *vitam gehennæ potiùs mortem dicendam, quàm vitam*, propterea *negantur impij Resurrecturi in iudicio* [h], hoc est, ita vt ibi vllo modo iudicent ipsi; vel vt vitam, quam diximus æternam, consequantur; vel vt animo erecto ibi stent, plenóque fiduciæ; vel ita, vt *si fuerint infideles, examinandi sint, & conuincendi: satis iam iudicati, & damnati* [i].

Resurrectio omnium hic ostenditur.
e Ioan. 5. 29.
f 2. Macha. 7. 14.
g 6. de Ciu. c. 11.
h Psa. 1. 5.
i Ioan. 3. 18.

Postremò idem Augustinus [k] definit, *quod Resurrecturam carnem omnium quicunque nati sunt hominum*, etiam nempe infantium, qui cum peccato mortui sunt originali, *atq; nascentur, & mortui sunt, atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus*. Et quidem *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in* CHRISTO *omnes viuificabuntur* [l], nimirum vita quoque corporis.

Generalissima futura est Resurrectio.
k Ench. c. 84.
l 1. Cor. 15. 22.

Versus 16.] In hoc & ipse studeo, sine offendiculo conscientiam habere ad DEVM, & ad homines semper.

A IN *hoc.*] Ἐν τούτῳ. Syrus, מטול הנא *metul hana*, quod est, *propter hoc, propterea*; alij, *interim*, vt Gagneius. Glossa interlinearis, & Hugo, *Credens in hoc.* Arias, *Hanc viam secutus.* Præstat nectere cum sequentibus: quod indicat quoque coniunctio sequens.

Et ipse studeo.] Ἀσκῶ, *exerceo*, nimirum me, *meditor, laboro*, vt vertit Syrus, עמל אנא *ehamal ana*; id est, *laboro ego*: vel, *operam do, vaco, instruo, doceo*: & posset sensus esse: In hoc totus sum, quod dixi, nempe in tradenda super omnes alias res doctrina de Resurrectione.

B Ascetici dicti sunt sermones ad exercitationem spiritualem spectantes, & Ascetæ hi, qui se in rerum diuinarum exercent meditatione, siue Monachi; sicut Monachæ Asceteriæ, vel ascetriæ, & asceteriũ cœnobium, ac monasterium locus eiusmodi exercitationis, atque doctrinæ.

Sermones Ascetici qui dicantur.

Sine offendiculo conscientiam habere.] Videtur iuxta hanc interpretationem referri huc illud studium, vt habeat conscientiam, &c. Sicque Syrus intellexit dicens, דתהוא לי תרתא דכיתא *dethurtha dechita thihevue li*, id est, *Vt conscientia pura sit mihi*; vel, *Laboro, vt conscientiam bonam habeam*, necnon Budæus [m], qui legit ἔχειν, prout quidam codices habent, quamuis in ordinariis habeamus, ἔχων, *habens*, & non *habere*. Ita vt sit sensus, Studeo in hoc, C nempe quod prædixi, *habens*, id est, cùm habeam. Sed phrasi Græca participium verbo iunctum habet quandoque vim infinitiui, ita vt sit idem ἀσκῶ ποιῶν, vel ἔχων, atque ποιεῖν, vel ἔχειν; ac proinde commoda est Interpretis versio.

m Com. ling. Græc.

Sine offendiculo conscientiam.] Ἀπρόσκοπον συνείδησιν. Syr. דכיתא *dechitha, puram.* Pagninus, *inoffensam.* Sicut & Budæus. *Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus*, inquit Apostolus [n], vbi est, ἀπρόσκοποι: & [o], *Vt sitis sinceri, & sine offensa*, ἵνα ἦτε εἰλικρινεῖς, καὶ ἀπρόσκοποι.

n 1. Cor. 10. 32.
o Phil. 1. 10.

Studuit magnum in modum Paulus, *per omnia hominibus placere* [p], *omnibus omnia fieri, vt omnes faceret saluos* [q]. *Prouidere bona non solùm coram* DEO, D *sed etiam coram hominibus* [r], quod & vt alij faciant, præcipit [s]. Hoc illud ipsum est, quod in altera apologia responderat Ierosolymis coram Pontifice, qui percuti propterea ipsum præcepit [t]: *Ego omni conscientia bona conuersatus sum ante* DEVM *vsque in hodiernum diem*: & nunc libenter repetit, vt intelligat Ananias, ceterique, qui tunc aderant, non inconsideratè id locutum, nec prohibitum ea percussione, quin denuò, sæpiusque, quod res erat, profiteretur.

Paulus studuit hominibus placere.
p 1. Cor. 10. 33.
q ibid. 9. 22.
r 2. Cor. 8. 21.
s Rom. 12. 17.
t Act. 23. 1.

Semper.] Syrus, אמינאית *aminaith, perseueranter.* Deest in textu Græco istud aduerbium, præter pauciores codices, qui habent, διαπαντός.

E *Versus* 17.] Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam, veni, & oblationes, & vota.

POST *annos autem plures.*] Numerat Gagneius tres ac viginti post conuersionẽ Pauli. Alij aliter ego verò tẽpus in tempore non libenter tero.

Remouet verò calumniam aliam de violato templo, & simul de seditione in Ierusalem: nec enim censendum id fecisse, qui in templo purificatus obtulerit; quique suæ gentis hominibus detulisset eleemosynas, hos odio prosecutum nõ esse.

Paulus calumniam de seditione à se repellit.

Quæ ratio non quidem necessariò concludit, si hi Nazareni habebantur, Paulus autem eorum ꝫ, tamen aliquid efficiebat: quoniam ante hunc

aduen

A aduentum Pauli, Nazarenorum horum seditio inaudita erat, nec tantus persecutor seditiosorum Felix, negotium cum iis vllum habuerat.

Eleemosynas facturus.] In capite tertio nomen eleemosynæ declarauimus [a]. De re ipsa meminit sæpe in epistolis Apostolus sub nomine collectarum, nósque superiùs meminimus [b]. Hæc vna fuit aduentus Pauli causa in Ierusalem.

[a] ...ers.2.
[b] ...a.21.& ali-...

Et oblationes, & vota.] Desiderabantur *vota* in textu Græco, estque duntaxat nomen τὰς προσφορὰς, quod significat *oblationes*: nec Syrus de votis meminit, omittúntque Caietanus, Vatablus, Pagninus, Clarius.

Etsi verò votum persoluit pro Nazaræis, non tamen ad hoc venerat in Ierusalem; sed cùm venisset, hortatu Iacobi id fecit, vt vidimus capite B vigesimo primo. Venerat etiam ad Pentecosten ac per eam occasionem vota priùs facta persoluisse potuit, & oblationes votiuas. Nomen Græcum generalius est, potéstque comprehendere vota, & videri præterea posset denotare eleemosynas ipsas collectas ex oblationibus fidelium, vel liberè, vel etiam ex voto factis, quas variis ex locis Paulus detulit, partim in vsum fratrum Ierosolymitanorum, partim vt offerrentur in ipso templo.

Versus 18.] In quibus inuenerunt me purificatum in templo: non cum turba, neque cum tumultu.

C IN *quibus.*] Ἐν οἷς, nempe τοῖς χρήμασι, vel ἔργοις, negotiis, vel operibus, seu dum hæc fierent. Syrus solam coniungentem particulã *&* ponit, ואשכחוני הלין *veschechechuni helin*, id est, *Et me isti inuenerunt.* Quidam codices habent, ἐν αἷς, népe ἐλεημοσύναις, καὶ προσφοραῖς, id est, dum persoluerem eleemosynas, & oblationes, aut certè has in templo, seu dum in id me contulissem, vt soluerem.

Inuenerunt me purificatum in templo.] Hoc non faceret proculdubiò violato templi. Lege caput XXI.[c] Hæc alia verba: *Et apprehenderunt me, clamantes; & dicentes: Tolle inimicum nostrum*, desiderantur in textu Græco, & Syro, nec vllus ea interpretatur, & prætermittuntur in Bibliis Sixti V. & D in manuscriptis; cùm tamen in Regiis Complutensibus, aliísque inserta sint; in aliis notata obelo, vel ad marginem apposita. Ex capite XXII. videntur hæc transcripta, vbi leuantes vocem dixerunt Iudæi Tribuno: *Tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum viuere.* Lege quæ ibi diximus.

[c] vers.26.

Versus 19.] Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præstò esse, & accusare si quid haberent aduersũ me.

E QVIDAM *autem ex Asia Iudæi.*] Retorquet accusationem in accusatores, quòd accusent nunc ij, qui nõ sunt accusationis auctores; hi verò quos adesse cõueniebat, absint, vtpote conscij, quã præposterè, temerè, sine causa seditionẽ concitassent in templo contra ipsum. De his Asianis Iudæis facta mentio est capite vigesimoprimo [d], necnon in vigesimo [e]. Nec verò hi Ierosolymis coram Tribuno Paulum detulerant, nec modò Cæsareæ apud Præsidem. Quasi Pontifex, & Seniores deriuando accusationem ad se, sua velint auctoritate reum opprimere, diffisi crimen ab accusatoribus primis idonea ratione probari posse. Sed videri volunt iam ab se satis cognitam causam, pronunciatámque sententiam, desiderari executionem quam cùm Tribunus impediuerit, flagitent à Præside. Est autem oratio præsens propter breuitatem obscurior: quam obscuritatem Syrus hoc pacto excutit, אלא אן דשגשו אנשין יהודיא דאתו מן אסיא הלין דולא הוא דנכוםח עמי קדמיך *ella in dasch egaschu aneschin Iehudaie dethau men asiia bilen deuale haue danechumun hhammi kedamauch*, id est, *Nisi quòd tumultuati sunt Iudæi illi, qui venerant ex Asia, quos oportuit sistere mecum coram te.* Eadem ferè ratione Vatablus: *Quidam autem ex Asia Iudæi eum tumultum concitarunt, non ego.* Sic etiam Arias.

...criminatio ...facta.
[d] ...ers.27.
[e] ...f.1.

Versus 20.] Aut hi ipsi dicant si quid inuenerunt in me iniquitatis, cùm stem in Concilio.

AVT *hi ipsi dicant.*] Prouocat illos ipsos, qui aderant, fretus bonitate causæ, efficaciter sanè tuens seipsum, attamen minimè lacessens, nec obiiciens iniuriosa verba, iniqua verbera, quæ audierat, ac tulerat.

Si quid inuenerunt in me iniquitatis, cùm stem in Concilio.] Quidam codices Græci habent solùm τὶ, & non εἴ τι. Syrus, מנא אשכחו בי סכלותא כד קםד קדם כנשהון *mana aschechachu bi sachelutha chad kamed kedam chenschehun*, id est, *Quid inuenerint in me flagitij, cùm starem ante consessum eorum.* Iuxta hunc exponendi modum, qui est quoque Chrysostomi, loquitur Apostolus de tractata priùs causa in consessu, siue Synedrio Ierosolymitano, innuitque non modò nullius ibi criminis conuictum esse, sed nec grauiter lacessitum, retulisse vindictam: quod enim repercutiendum dixerat, qui percuti iusserat, cùm Pontificem didicit esse, per ἐπαν όρθωσιν retractauit, aut satisfecit. Paulus grauiter lacessitus non retulit vindictam.

Arias item explicat de Asiaticis illis, qui nihil certi de ipso dixerint, aut dicere possint, quod crimen oleat, nec antequàm comprehenderent ipsum, nec vbi comprehenderunt. Consentit Carthusianus, & Caietanus, fauétque tũ participium aoristum στάντος, tum vox τὸ συνέδριον, quod intelligitur ordinariè de Concilio celebrari solito in Ierusalem: tum quia Tertullus iam obiecerat crimina.

Nihilominùs planior sensus videtur de tribunali, & Concilio, in quo tunc Apostolus erat, & cui Præses præerat: quamuis & propter præsentiam Pontificis, aliorúmque Seniorum potest Synedrium de Concilio Ierosolymitano intelligi, quod hi repræsentabant: sequuntur hanc interpretationem Glossa interlinearis, & Lyranus, éstque penitus consentanea versioni nostræ: *Cum stem*, licèt codex, quo Carthusianus est vsus, habeat, *Cùm starẽ*, & qui Græcè mediocriter scit, non ignorat aoristos habere non rarò significationem præsentis temporis. Qui agebãt causas, litésque habebant, residere cum Iudice non poterant, quamuis honorati [f], vt antè memini. Etsi verò stare nõ semper erecti corporis habitum significat, sed nudam præsentiam, proposito tamen nunc conuenit.

[f] C. de offic. ciuil. iudic. l.1. & C. Theod. eod. tit. l. vnica. Plin. secund. lib. 1. epist. 21.

Versus 21.] Nisi de vna hac solummodò voce, qua clamaui inter eos stans: Quoniam de Resurrectione mortuorum ego iudicior hodiè à vobis.

NISI *de hac solummodò voce*, &c.] Hoc narratur capite præcedenti [g]. Glossa ordinaria hoc

[g] vers.6.

per

Resurrectionem omnes Iudaei credebant praeter Sadducaeos.

per antiphrasim dici putat, *quia sciebat placere Iudaeis, qui aderant, fidem Resurrectionis, quam nimirum exceptis Sadducaeis, qui passim habebantur seditiosi, & factiosi, maxima pars Iudaeorum tenebat*, vt dictum est versu decimoquinto. Talis est per prosopopœiam querimonia nucis apud Ouidium:

Nil ego peccaui, nisi si peccasse fatemur,
Annua cultori poma referre suo.

Simul indicauit non aliam ob causam Tribunum detraxisse ipsum, nisi quia dissidentibus inter se Sadducaeis, ac Pharisaeis super ista controuersia Resurrectionis, discerptus esset ab eis: ideóque dum studerent: contenderéntque pro sua quique secta, dissensionis illius auctores ipsosmet extitisse.

B

Versus 22.] Distulit autem illos Felix, certissimè sciens de via hac, dicens: Cùm Tribunus Lysias descenderit, audiam vos.

Praeses nec absoluit Paulum, nec damnat.

DISTVLIT *autem illos Felix.*] Prudenter, ac iustè Praeses nec Iudaeos repellit, nec Paulum absoluit, sed rem protrahit: cedens tamen etiam timori, minùs aequus est, dum adhuc carcere detinet, & inhians in pecuniam Pauli, vt paulò pòst dicetur, vinci se patitur à cupiditate potiùs, quàm ab studio recti, honestíque. In textu Graeco antecedunt haec verba, Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Φῆλιξ; quae noster, & Syrus Interpres absque iactura praeteriuerunt.

C

Felix Iudaicarum rerum peritus.

Certissimè sciens de via hac.] Siue exactiùs, ἀκριβέστερον. Iudaicum ius probè nouerat tamdiu, vt Paulus in apologia dixit, versatus in his regionibus, nec ignorabat quid inter Iudaeorum veterem doctrinam distaret, Christianámque disciplinam, itavt in ista turbarum, tumultúsve nulla occasio, materia nulla contineretur, nihilve contra primaria, & praecipua legis Mosis, atque Scripturarum reliquarum documenta & praecepta.

D

Felix vnde habuerit Iudaicarum rerum cognitionem.

Ab vxore Iudaea, de qua posteà, potuit res Iudaeorum cognoscere. *Viam* porrò accepisse videntur causam Pauli Chrysostomus, Glossa interlinearis, Hugo, & Lyranus: Carthusianus, & Caietanus *doctrinam Christianorum*, nimirum ex comparatione cum Iudaeis, prout diximus de vtraque intelligentes. Luculentum sanè Pauli innocentiae à Praeside testimonium, quo non obscurè declarabat, sic inuidia istos ad accusandum adactos, vt de CHRISTI accusatoribus Praeses Pilatus existimauerat [a].

a Mat.27.18.

E

Cùm Tribunus Lysias descenderit, audiam vos.] Legem vestram noui, de tumultu, cuius propriè pertinet ad leges Romanas iudicium, Lysiam ipsum audiam, quando Tertullus orator ipsum citauit testem, à quo de istis cognoscere possim.

Nullum crimen in Paulo Felix agnouit. b cap.21.29.

Arripuit solerter, libentérque hoc effugium, & occasionem differendae sententiae; alioqui certior iam factus literis Lysiae, nullum in Paulo crimen esse dignum morte vel vinculis; rémque duntaxat agi de quaestionibus legis Iudaeorum [b]. Immò vult Caietanus per comparatiuum illud, ἀκριβέστερον, innuisse, necesse non esse, vt à Lysia pleniùs doceatur, cùm quae ad religionem Iudaeorum, Christianorúmque spectant, sibi, quàm illi essent notiora.

Audiamus vos.] Διαγνώσομαι τὰ καθ' ὑμᾶς, *Dignoscam vtramque partem.* In nonnullis codicibus Graecis praefigitur, ἀκριβέστερον, exactiùs, exquisitiùs, &c.

Vers. 23.] Iussitque Centurioni custodire eum, & habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.

IVSSÍTQVE *Centurioni custodire eum.*] *Detinet*, inquit Chrysostomus, *Iudaeis gratificans, vel etiam expectans pecuniam se accepturum.*

Et habere requiem.] Syrus, דנשריוהי בניחא *denetereuuhi beneiache*, id est, *Vt seruaret illum*; vel, *Vt custodiretur in requie.* Ἔχειν τε ἄνεσιν, *Et habere relaxationem*, seu in laxiore custodia, sine vinculis agere, remissione animi, & recreatione frui, licentiùs haberi, & tractari, condonationem quandam pœnae, quam reis affert arctior custodia, & coërtio vinculorum, habere ἄνεσιν τιμωρίας.

Sic ἄνετος quandoque significat *liberum, & non astrictum* [c].

c Budaeus in comm. ling. Graec.

Quae fuit facta Paulo remissio.

Carthusianus existimat voluisse potestatem ei fieri egrediendi cùm vellet. Non est probabile: neque enim sic esset in custodia, & hoc modo non erat opus permitti aliis, vt ei ministrarent, vel eum adirent, prout mox subditur. Significatur ergo tantùm liberior carcer.

Ministerium ex suis nemo prohibetur, nisi sint magis noxij. d l.si vidimus, ff. de re iudicata.

Nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.] Id iure communi ordinariè vetari non solet, nec debet, quamuis rei sint iudicati, seu condemnati [d]: potest tamen, cùm sint rei magis noxij, ac periculosi; aliis non per custodes duntaxat, sed immediatè per familiares permittitur ministrari. Fauit hac in re Paulo tum ipsius innocentia, tum etiam quòd esset ciuis Romanus, vt notat Caietanus. Superuacanea est Glossae ordinariae distinctio, & Hugonis, de suis vel amicis, Discipulisve, vel de rebus, ac facultatibus. Est enim Graecè, καὶ μηδένα κωλύειν τῶν ἰδίων αὐτοῦ ὑπηρετεῖν, additúrque quod omisit editio nostra, ἢ προσέρχεσθαι αὐτῷ, *aut accedere ad ipsum.* Syrus ponit, ידעוהי *iadehhauhi*, id est, *Notos ipsi, & familiares.*

Vers. 24.] Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla vxore sua, quae erat Iudea, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quae est in CHRISTVM IESVM.

POST *aliquot autem dies.*] Τινάς *Aliquos.* Syriacè, קליל *kalil, paucos.*

Veniens Felix.] Syrus שדר *schaddar, misit.* Παραγενόμενος, id significat, quod Interpres noster posuit, vel *adueniens, accedens, rediens, prodiens.* Caietanus id putat dictum, quoniam Felix iuxta negotia prouinciae discurrebat. Fortasse postrema acceptio proposito magis conuenit, quoniam non constat exiisse, ac rediisse; quòd si quis id affirmet, non referat ad negotia, quae non facilè perficiuntur à Praeside tam paucis diebus, sed potiùs ad ambulationem ruralem, vnde vxorem Drusillam reduxerit in vrbem.

Drusilla quae fuit.

Cum Drusilla vxore sua, quae erat Iudaea.] Drusilla filia fuit prioris Agrippae Regis, cuius mors capite duodecimo descripta est, & soror alterius item Agrippae, de quo fit mentio capite sequenti. Nupsit priùs Azizo Emesenorum Regi incircumciso, cùm illam Epiphanes filius Antiochi Regis Comagenorum recusasset, quòd mutata sententia nollet ipse Iudaeorum sequi religionem, prout erat pollicitus parentibus puellae. Deinde

Felix præcellenti captus huius pulchritudine, Simonis Iudæi, genere Cyprij opera, qui magicen profitebatur, illam ad suas ipsius nuptias, relicto marito, pellexit, calcata quoque religione patria, & suscepto ab ipsis filio nomen Agrippæ imposuerunt.

Magister Historiæ Scholasticæ secundum Drusillæ virum nominat Lazitum Regem Amazonum: Drusillam verò permotam exemplo Berenicæ, seu Bernicæ cognatæ, quæ pariter dimisso marito, nupserat ditiori, scilicet Agrippæ Regi filio Herodis Agrippæ. Eandem Drusillam Tacitus [a] scribit neptem fuisse Cleopatræ, & Antonij; ac proinde Felicem illorum progenerum, & Claudium Imperatorem nepotem eorundem. Etenim Liuiæ vxoris Augusti charissimæ, & celeberrimæ filius Drusus ex Antonia sorore M. Antonij tres genuit, Germanicum, Liuillam, Claudium, qui post Caligulam imperauit. Suetonius [b] trium Reginarum nominat maritum. Lege etiam Iosephum [c].

a lib.5.Histor.

b in Claudio. cap.28.

c 20 Ant.c.5. & 2. de bell. Iud.c.10.

Drusilla.] Deflexio nominis diminutiui satis communis est fœminis, qualis reperitur etiam, vt dixi capite primo, in Petronilla, non à Petro, cuius filia solùm erat spiritualis, sed à Petronio, cùm esset ex gente Petronia.

Drusilla viro persuasit, vt Christi fidem audiret.

Audiuit ab eo fidem, quæ est in CHRISTVM IESVM.] Vxor Iudæa, & curiosa persuasit forsitã viro de rebus Christianis, quæ celebrabantur, vt ab vno de præcipuis Christianorum Doctoribus cognosceret. Quam vocat Lucas fidem, notans quodammodò, reprehendénsque curiositatem, cui, quæ comprehendi nequeunt intelligentia, sed sola fide teneri, non valent satisfacere. Aliquando notauimus, quare præponatur ante CHRISTVM IESVS, nunc postponatur. Lege Toletum [d]. Aliqui codices Græci hoc loco habent tantùm, ἸΗΣΟΥ͂Ν. Hîc repetendum quoque, fidem in IESVM idem valere, quod de IESV: nec semper in IESVM, vel DEVM credere, de fide formata intelligi.

d in Ioan.c.1. num.75.

Versus 25.] Disputante autem illo de iustitia, & castitate, & de Iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te.

DISPVTANTE *autem illo de iustitia.*] Nihil hîc exprimitur à Paulo disputatum de Fidei mysteriis, magis, vt ita dicam, speculatiuis, quemadmodum de TRINITATE, Incarnatione, atque aliis huiusmodi.

Paulus cur non disputet de præcipuis Fidei mysteriis.

Perspexit videlicet Apostolus, qua erat solertia, & spirituum discretione, primarios istos viros duci non studio pietatis, religionísve, sed fallendi temporis voluntate, curiositatísque saturandæ: ceterùm deprauatis moribus esse deditos, vt de Felice Tacitus [e] scripsit, sæuitiæ, ac libidini: vitia Fidei vehementer obsistere, nec absque pia quadam affectione obedientiam Fidei facilè exhiberi, tametsi semel infusa cohærere Fides valeat, etiam cum vitiis.

e 5.Hist.& 12. Annal.

Cur de his à Paulo disputatũ sit.

Itaque Paulus id, quod minimè vellent isti, sed quo maximè indigebãt, proponit, & ingerit, de iustitia, contra fraudes, & latrocinia; de castitate, contra effrænes libidines; de iudicio, contra nimis liberam in tanta potestate degendi, & agendi rationem sine cuiusque respectu, metúque.

A Duobus maximè collabi Rempublicam Valerius dixit [f], Veneris, & pecuniæ cupidine. Et Sophoclem Collegam in prætura Pericles monuit, *& oculos, & manus Prætorem continentes habere debere.* Iudicium DEI proponitur ei, qui iudicabat ceteros, impunéque peccabat, & alienam vxorem per iniquissimam libidinem vsurpabat. *De his tribus,* ait Carthusianus, *Paulus disseruit, quoniam contra iustitiam ex incontinentia Felix cõiugem istam adeptus est, eique diuini iudicij memoriam, timorémque proposuit.*

Respublica duabus rebus maximè collabitur.

f lib.4.c.3.

Disputante.] Notat Hugo, ferè vbique in hoc libro vocari prædicationem, disputationẽ [g], quia tunc iaciebant Apostoli fundamentum Ecclesiæ, & necesse erat, *vt essent semper parati omni poscenti*

B *reddere rationem de Fide* CHRISTI [h]. Nihilominùs Græcum διαλέγεσθαι, sicut & διαλογίζεσθαι, & διαλογισμὸς, habet, non apud alios dũtaxat, sed & in sacris Scripturis generaliorem vsum pro locutione, & sermocinatione, etiam citra contentionem disputationis: nec hic locus erat, vel tempus, vel personæ, quæ seriam exigerent illam de rebus nostris vltrò, citróque allatis hinc inde rationum momentis tractationem. Fateor, quibusdam in locis huius libri, vbi habetur Latinum verbum disputandi, esse Græcum συζητεῖν, quod magis importat dictam vim contentionis.

Disputatio cur de Fide tractatio dicatur.

g c.6.9.c.9.26. ca.17.17.c.18. 4.29.ca.19.8. 9.c.20.7.9.c. præsenti.12.

h 1.Pet.3.15.

De iustitia, vel de iniquitate propriè contra alienam vxorem, vel de ea, quæ respiciebat omnes

C ipsius præfecturæ commissos, vel de peccato in genere. Accipit Arias de iustitia DEI iustificante. Dubito, an adeò subtiliter apud tales auditores disseruerit Paulus, hoc est, de forma iustificationis nostræ, de causa efficiente, de dispositionibus, &c. Omnem orationem arbitror maximè moratã fuisse, captuíque conuenientem eorum, qui permouendi essent maioribus machinis, & exaggeratione sententiarum. Hoc est argumentum, quod frequentiùs tractandum esset ad illos maximè, qui perfunctoriè, aut ludicrè, seu curiosè, quos adeunt, accersúntque viros pios, percontantur de rebus diuinis: sed & vniuersè congruit omnibus commemoratio, grauísque dissertatio de iustitia, castitate,

Cur de iustitia Paulus disseruerit.

D iudicio: siquidem *nihil ad diuini contemptum iudicij magis inducit, nihil sic timorem* DEI *deijcit, & labefactat, vt sanguisuga illa dua geminæ cupiditates lucri, luxúsque.* Augustinus [i] comparat hæc tria præcepta de iustitia, castitate, iudicio *cum lumbis præcinctis, lucernis ardentibus, & expectatione Domini* [k]: cum admonitione Psalmi, *Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam* [l]. Atque in his summam Euangelicæ doctrinæ; videlicet moralis, & practicæ, contineri.

Præclara ad castitatem exhortatio.

i Serm.19.de verb.Domin. cap.2.

k Luc.12.35, 36.

l Psalm.33.15. 1.Petr.3.11.

Talia sunt, quæ tradit Petrus [m], *abstinere à carnalibus desideriis: conuersationem inter Gentes habere bonam.* Item [n]: *succinctos habere lumbos mentis cum so-*

E *brietate: perfectè sperare in eam, quæ nobis offertur, gratiam in reuelationem* IESV CHRISTI: *quasi filios obedientiæ, non configurari prioribus ignorantiæ nostræ desideriis: sed secundùm eum, qui vocauit nos, sanctum, vt in omni conuersatione sancti simus.* Præterea [o]: *Sobrios esse, vigilare, ac resistere fortes in fide: sciẽtes, quòd* DEVS *gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in* CHRISTO IESV, *modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.*

m 1.Pet.2.11. 12.

n cap.1.13.14. 15.

o c.5.8.9.10.

Lyranus tres partes officij humani comprehendi existimat in iustitia, castitate, & iudicio, hoc est, ad proximum, ad seipsum, ad DEVM, qui timendus est. Hæc eadem Paulus [p] amplexus est, dum iussit, *vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus,*

Tres partes officij Christiani his comprehenduntur.

p Tit.2.12.

nobis, proximo, DEO.

Et castitate.] Iā expoſuimus, quid ſibi velit caſtitas; ſed ſimiliter dubito, non laboraſſe Paulum in præſentia, vt eam proponeret, ac exponeret, quæ à SPIRITV ſancto per CHRISTVM donatur iis, qui *mundi corde verè dicuntur* [a], & ſunt, DEVMque *videbunt*, vt hoc loco Arias contendit. Syrus vertit קדישותא *kadiſchutha, ſanctimoniam, ſiue ſanctitatem.* Græcè eſt, ἐγκράτεια, quam Chryſoſtomus generaliùs extendit ad continentiam quoque, temperantiámve circa pecunias, & abſtinentiam; vt ſi Iſocratica phraſi dicat quis alteri, Ἐγκράτειαν ἄσκει κέρδους, *Temperantiam à lucro exerce.*

a Mat. 5. 8.

In poſteriore epiſtola Petri [b], ἐγκράτειαν Interpres vertit, *abſtinentiam: in ſcientia autem abſtinentiam:* vbi ſermo eſt non de ſpeciali virtute temperātiæ circa delectationes Venereas, vt placet Adamo; ſed *de moderatione circa virtutes omnes, vel circa ſcientiam, vel quam in aliis virtutibus ſcientia præſcribit.* In epiſtola Pauli ad Galatas [c] editio noſtra voces tres, & velut diſtinctos SPIRITVS ſancti fructus exprimit pro vna Græca τῆς ἐγκρατείας, hoc eſt, *modeſtiæ, continentiæ, caſtitatis:* & Hieronymus, ac Auguſtinus omittunt caſtitatem.

De voce Græca ἐγκράτεια. b cap. 1. 6. c cap. 5. 23.

Et de Iudicio futuro.] Salubris admonitio iis maximè, qui iudicia tractant, *vt meminerint ſe non hominis exercere iudicium, ſed Domini* [d], *qui, cùm tempus acceperit, ipſas iuſtitias iudicabit* [e]. Petrus dicit [f] præcepiſſe CHRISTVM *prædicare, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à DEO, Iudex viuorum, & mortuorum. Si videris calumnias egenorum,* ait Sapiens [g], *& violenta iudicia, & peruerti iuſtitiam in prouincia, ne mireris ſuper hoc, quia excelſo excelſior eſt alius: & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij, & inſuper vniuerſæ terræ Rex imperat ſeruienti.* Lege loci huius Commentarium noſtrum.

De Iudicio diuino, apud quos maximè prædicandum ſit. d 2. Paralip. 19. 6. Deuter. 1. 17. e Pſa. 74. 3. f Act. 10. 42. g Eccleſ. 5. 7.

Reuocabat Apoſtolus Iudicij ſupremi commemoratione Præſidem, non ad pœnitudinem duntaxat rerum prauè iudicatarum, ſed abſterrebat etiam, ne præcipitem in hoc iudicio ſententiam ferret, rationem ſummo Iudici exactè redditurus. Huius memoriam Iudicij Machabæi [h] Antiocho, & aliis Tyrannis crebrò Martyres alij ſumma conſtantia in mediis tormentis obiectabant, propoſitis quoque minis æternorum iudiciorum.

Cur Paulus apud hūc de diuino Iudicio diſputarit. h 2. Mach. 7. 17. 19.

Tremefactus Felix.] Ἔμφοβος γενόμενος ὁ Φῆλιξ. Mirabilis cataſtrophe, vt Iudici formidabilis fiat reus, vt à reo Iudex audiat ſententiam, vt rei præconio pronuncietur in Iudicem pœna; ſed incredibilis quorundam fidelium peruerſitas, *diuino timore non configi eorum carnes,* infidelem timore concuti. Molles, ac effœminati metu facilè percelluntur, magnoperè formidantes, quod amant perditè, perdere: &, vt ille dixit:

Cataſtrophe mirabilis.

Res eſt ſolliciti plena timoris amor [i].

Nec enim Paulus ſupremo duntaxat generali Iudicio diſſeruiſſe credendus eſt, verùm etiam de priuato ſingulorum in morte, cuius aduentus certus, incertus temporis articulus. Recordor modò CHRISTVM *deiicientem ad terram comprehenſores ſuos* [k]: *cogentem fateri nūquàm ſic loquutum hominem* [l], Tyrannos recolo à pueris, puelliſque, ab idiotis, à vilibus perſonis incredibili dicendi vi, diuináque oratione conuictos, ac ſtupefactos. *Vbi ſpiritus, ibi libertas* [m]. Et [n], *Efficacia tanta, vt conterat naues, at petras* [o]. *Dat DEVS voci ſuæ virtutem, & magnificentiam talem, vt confringat cedros, comminuátque vitulum Libani* [p], id eſt, tum ſuperbos; tum voluptuoſos.

i Ouid. in ep. 1. Penelop ad Vlyſſem. Paulus de particulari iudicio ſermonem habuit. k Ioan. 18. 6. l Ioan. 7. 46. m 2. Cor. 3. 17. n Pſa. 47. 8. o Iere. 23. 29. p Pſa. 28. 5.

Nec deſiderantur illuſtria hoc in genere Apoſtolicorum prædicatorum exempla, qui Principum maximorum faſtum, furorémque pro imperio depreſſerint, domuerint, fregerint, coëgerintque:

Diſcere iuſtitiam monitos, nec temnere Diuos [q].
Vox virginum eſt tonitrui magni [r]. Et duo illi Boanerges [s] virgines erant, Paulus quoque [t]. Talium oratio maximè percellit libidinoſos.

q Æneid. 6. r Apoc. 14. 2. s Marc. 3. 17. t 1. Cor. 7. 7.

Quod nunc attinet, vade.] Abrumpit filū impius tam ſalutaris ſermonis; remittit ſana monita ſuggerentem; non admittit præſentem morboſi animi medicinam; *meliora videt, probátque, deteriora ſequi* perſiſtit; excipit docentis verba, veluti Pharao Moſis, & Aaron [u], Ioannis Herodes Antipas [x], Pilatus CHRISTI [y]; ſemen hoc diuinum ſuffocauit *in eo ſollicitudo ſeculi, atque voluptas* [z]. Hinc Druſillæ viro detractæ amor; hinc pecuniæ, quam ſe accepturum ſperabat à Paulo, liberum orationi Pauli, rebus de tantis, atque ad perſuadendum aptiſſimis, aditum præcludebant; vel ſi ſua ſe vi ſemel intruſiſſent, perdiu conſiſtere vt in alieno, non ſinebant.

Felix Paulum non ſuſtinet. u Exod. 5. & ſeq. x Marc. 6. 16. y Ioan. 18. 38. z Luc. 8. 14.

De infrugifero iſto, ac mundano Felicis timore diſſerit etiam Rupertus [a], comparans *cum timore dæmonum* [b], *& cum timore Adam poſt peccatum ad vocem DEI* [c]. At cùm proceſſiſſe hos omnes timores ex Fide dicit, abutitur nomine pro certa quadam perſuaſione, alterius auctoritate nixa: nec enim ſupernaturalis in dæmonibus fides eſt; nec, opinor, erat in Felice, quidquid ſit, an ille tunc timor Adā proceſſerit ab huiuſmodi fide: qui etiam fortaſſe timor malus non fuit.

Felicis timor infructuoſus. a li. 9. de operib. Spirit. ſancti. c. b Iacob. 2. 19. c Gen. 3. 10.

Experimur non rarò, ſi pro eo ac debemus colloquimur apud viros potentes, vel qui ſibi ſapere videantur, de Chriſtiano officio, de corrigendis moribus, de his, quæ vocantur nouiſſima, de labentium rerum inanibus, & moleſtis curis, mox ſolui dialogum, prætexi ſerium negotium, ſilentio, vel tergiuerſatione, vel oſcitantia, vel rugata fronte prodi faſtidium. Adeò Gentilibus de Iudicio futuro diſplicebant ſermones, vt legibus cauerint, ne qua hac de re Chriſtiani (licèt eorum tacito nomine) pronunciarent, per quæ hominum animi ſuperſtitione Numinis terrerentur; ſecus qui facerent, in inſulam relegarentur [d]. Teſtis eadem de re Lucianus [e]: & Origenes [f] Celſo reſpondés, docet, quæ de Iudice DEO, déque hominibus in eo Iudicio rationem factorum ſuorum poſtulandis docerent, aſtruendo id variis modis, vel Scripturarum auctoritate, vel argumentis probabilibus, ipſum pro terriculis fictitiis habuiſſe: tametſi tandem veritate conuictus, nec ſe, nec vllum mortalium diceret tollere opinionem debere de iuſtorum præmiis, & iniuſtorum pœnis.

d l. ſi quis aliquid ff. de pœnis. e in Philopatri. f 8. cont. Celſum.

Carthuſianus corrupto ſanè codice vſus, legénſque, *Quid nunc attinet?* ſcilicet loqui de his, exiſtimabat Præſidem dicere voluiſſe: Non ideò te vocaui, vt tractaremus de iſtis. Græca, τὸ νῦν ἔχον, nullo pacto fuerunt huiuſmodi ſenſum: & potuit in verſione abſque iactura præteriri verbum *attinet*, quod & Syrus fecit, exprimens duntaxat aduerbium temporis הדשא *dehaſſcha*, id eſt, *quidem*, propriéque illa phraſi nihil aliud ſignificatur, quàm *Nunc quidem*, ſeu *In præſentia*.

Vade.] *Ad liberam cuſtodiā,* inquit Gloſſa interlinearis, & ordinaria, & Hugo. *Ita vt libertatem daret eundi per ciuitatem*, inquit Lyranus, *dummodò rediret ad mandatum ipſius*; quoniam timor ille ſimul cum ſpe pecuniæ ipſum ad eam lenitatem, ac

facilitatem perduxerant. Caietanus intelligit de priùs deputata custodia. Vtrumuis dici potest: nec inusitatus est liberi carceris vsus, hoc est, laxioris intra ambitum arcis, vel oppidi.

Versus 26.] Simul & sperans, quòd pecunia ei daretur à Paulo, propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo.

Quam ob causam Felix sæ à Paulo pecuniam accepturum speraret.

SIMVL *& sperans, quòd pecunia ei daretur à Paulo.*] ὅπως λύσῃ αὐτόν, *Vt solueret ipsum.* Audiuerat enim venisse Ierosolymam, *eleemosynam facturum in gentem suam*, oblationes, ac vota. Vocarat quoque Tertullus illum πρωτοστάτην, *Præsidem, atque auctorem Nazarenorum*, siue Christianorum, totóque orbe peregrinatum: quibus ex rebus Felix fœlicitati suæ bene augurans, coniecturam faciebat abundare Paulum pecunia, vel certè apud amicos, Discipulósve habere, illos optimi magistri vincula nullo non pretio redempturos: hunc studiosum suorum disciplinæ, & conscium singularis amoris eorumdem erga se, facilè permissurum, aut commissurum, etiam vt pecuniam Lytrum mitterent, quam Præsidi numeraret. *Quomodo pecunias*, ait Chrysostomus, *scelesse, ab homine contrarium prædicante inquiris de temperantia* (id est, abstinentia, etiam à pecunia, vt antè notauimus de voce τῆς ἐγκρατείας) *hic disputabat, & ille sperabat se à tali pecunias accepturum, & petere quidem non audebat: tale enim peccatum meticulosos facit, & omnia suspicantes.* Hoc modo ille.

Sic Pharao redit ad ingenium sæpe monitus, sæpe pœnitens; nunquàm à cupiditate, habendíque libidine liber. Aurea stringit fortiùs catena, quàm ferrea: auarus ægrè curatur: radix hæc malorum difficulter extirpatur: tremefactus Felix, pecuniæ colore, sonóque recreatur: præualet præsentis spes lucri, futuri expectationi Iudicij.

Auaritia multes à pietate auocat.

Romanorũ antiquorum auaritia.

Romanorum antiquum auaritiæ vitium, nihil largiri gratis, pretium exigere, saltem expetere. Salsum illud in eos Mithridatis [a]: *Non temerè se lupæ vberibus alitos iactare: omnes enim habere luporum animos inexplebiles, sanguinis, atque imperij, diuitiarúmque auidos esse, & ieiunos.* Notatos eodem leges vitio Romanos apud Gellium [b], & Macrobium [c], & ex nostris apud Saluianum [d], & Lupum Ferrariensem [e], & Ioannem Salisberiensem [f], Orosium [g], Isidorum [h], qui duo testantur plures ea de causa commigrasse ad Barbaros, & Sidonium Apollinarem [i].

Tales tunc præsertim profani Romani, superstitiosi, & impij, posteà cum pietate humanitatem Christianam super omnes alias gentes induerunt, & effusiùs in benignitatis opera domi, forísque cum singulari aliarum gentium approbatione, & laude, & emolumento incubuerunt. Vetus dedecus posui in capite quoque vigesimo; decus nouũ prolixè demonstraui capite nono, & decimo. Vindicat antiquos Romanos nouus illorum ciuis Lipsius [k], eorúmque virtutes demonstrat, confutatis criminationibus.

Auaritiã odisse Reipublica administratorem oportet.

Administratorem Reipublicæ odisse auaritiam oportet [l]: nec edulia, nisi quæ vno consummi possint die, idque perraro, & cùm non habent stipendia, accipere [m]. *Iudex cupidus cito vendit iudicium* [n]: *& xenia, ac munera, seu dona excæcant oculos Iudicũ* [o], *atque prudentum, subuertúmque, ac mutant verba iustorum* [p]. *Iniquum est ex alieno iurgio sua facere prædam* [q]. Id ne fieret, neu præter salaria Iudices quid caperent, iuramento adstringebantur [r]. Meminit etiam iuramenti Heliastarum Iudicum Atheniensium Demosthenes [s], & aliorum Magistratuũ, Pollux [t], & Plutarchus [u], & Heraclides [x]. Lege Iacobum Simancam [y].

a apud Iustinum, lib. 38.
b lib. 5. c. 5.
c lib. 2. c. 2.
d lib. 5. & 7. de Prouid.
e epist. 68.
f libr. 8. Policratici.
g lib. 7. c. 41.
h in Chron. Era 447.
i lib. 2. ep. 1. li. 3. ep. 8 li. 5. ep. 13. & 17. & Carmin. 13.
k de magnitud. Rom. lib. 4.
l Exod. 18. 21. &c. Episcopus 11. q. 1.
m Plin. lib. 4. ep. cùm de Iunio Basso. & l. solent. §. final. ff. de offi. Proconf. & l. plebiscito ff. de offi. Præsid. & in Nouel. §. scriptũ est. coll. 2. & cap. statutum 2. de rescrip. in 6. & 11. q. 3. tota. ac. pauper. 11. quæst. 3.
o Eccli. 20. 31.
p Exod. 23. 8. Deut 16. 19.
q l. 1 C ad legem Iuliam repetun.
r l. sacimus. C. eod. tit. & § oportet. de mãdat. Principum. in Authent. coll. 3. & Nouella 3. de Prætor. Lycaon. vt iu dic. sine quoquo suffrag.

Largitiones inique ad Iudices facta, omnium nationum sentẽtia damnata.

Omitto animaduersa huiusmodi furta, & iniquas largitiones omnium nationum sentẽtia, cuiusmodi exemplorum plenæ sunt historiæ. Nec minùs vetitum est reo quicquam largiri ad peruertendum, vel accelerandum etiam iudicium. Sed quamuis Socrates vincto id facere licere neget, vt iustè de vinculis educatur: benignè námque vel mortem, vel quoduis aliud supplicium expectarè debere [z], tamen iure vtetur suo, qui hanc, quam vocant vexationem, redimet. Cessit huic iuri Paulus, & oraculo de adeunda Roma.

Perniciosum hominum genus, qui lites emunt.

Perniciosum genus hominum, qui lites emũt, & imponunt piratico more periculis pretia. *Quæ procul abominanda negotiatio etiam à mediocriter improbis*, vt Quintilianus [a] loquitur, *debet abesse*, & à qua se semper abstinuisse Plinius [b] testis est. Cauetur id quoque [c] legibus. Vide Cuiacium [d].

Tertullianus arguitur, quòd neget, fuga vel pecunia mortẽ redimendam.

Abutitur verò Tertullianus [e] hoc exemplo, vt præcisè cunctis adimat hanc mortem propriam in persecutione redimendi facultatẽ. Addit etiam, cum Paulo Felicem in secreto tractasse de pecunia, non solùm sperasse. Id Chrysostomum negantem paulò suprà vidimus. Marcionistæ, seu Montanistæ, quos hac in re tantus anteà impugnator eorum sectatus est, interque quos tamen *inuentus est nemo, qui vel leuem Fidei causa persecutionem passus est* [f], nefas ducebant in persecutione declinare, mortísve securitatem redimere. Verùm hac de re superiùs capite decimoseptimo [g], cùm de satisfactione Iasonis. Longè alia ratio de libellaticis, qui libellum securitatis data pecunia impetrabant, à Magistratu, ne cogerentur immolare professi se, CHRISTVM negare. Crebra de his mentio apud Cyprianum [h].

Sæculares lucri causa Religiosorũ colloquia sæpe ambiunt.

Recolendum id quoque, quod capite tertio [i] monui, sæpenumerò piorum, ac Religiosorum frequentari à secularibus etiam potentia, vel dignitate conspicuis colloquia, non pietatis amore, non virtutis studio, non melioris frugis voluntate; sed vt aut emolumentum inde temporale referãt, aut famam colligant, aut curiositati satisfaciant: cuiusmodi forsan aliquem finem sibi proponebat Herodes, *Ioannem Baptistam libenter audiens* [k], & CHRISTVM *ipsum videre cupiens* [l]. Atque hoc illud est, quod sequitur.

Cur Felix Præses sæpe cũ Paulo sermocinari voluit.

Propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo.] Præter causas modò dictas, adeò frequentis cum Paulo sermonis hæc esse quoque potuit, quòd Paulus ipsum honorificè cõpellauerat, & sibi pergratũ accidisse præ se tulerat apud illum causam dicere, & partim ex tam graui Pontificis, & seniorum, qui aduenerant ad primariam hoc prouinciæ tribunal, insectatione, partim ex libera, & sapiente responsione, quódque per orbem diu, multúmque peregrinatum nouerat, coniiciebat hominem esse multiplicis experientiæ, ac peritiæ: prætereà ex eo plura sciscitari volebat de rebus politicis, de seipso quis rumor esset, de Romano Imperio, de aliis Præfectis prouinciarum.

s con. Timocra.
t lib. 8. Onomast.
u in Solone.
x de Polit. Atheni.
y de Rep. lib. 6. c. 3. & 4.
z Plato in Critone.
a lib. 12. Inst. c. 7.
b lib. 5. epist. 14.
c ff. mandati. l. 6. & 7. & C. tit. eod. l. 20. & C. de Procurat l. 15.
d 8. Obseruat. cap. 11.
e li. de Fuga, c. 12.
f Euf. 5. Hist. c. 13. & 17.
g vers. 9.
h Ep. 31. 52. 68.
i vers. 5.
k Marc. 6. 20.
l Luc. 23. 8.

Versus 27.] Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Porcium Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

Biennium hoc, de quo hic agitur, de Paulo, an de Felice.

BIENNIO *autem expleto accepit successorem Felix.*] Hoc biennium Beda de mora Pauli ad

Cæsaream sumit, non de præfectura Felicis; quoniam, vt antè dictum est à Paulo ipso, durauit multis annis, & ex historiis constat, Paulum in vrbem missum Neronis anno secundo: à Claudio autem, quo tempore cõstituit Iudæorum Regem Agrippam, filium eius, qui ab Angelo Cæsareæ percussus est [a], impositam Felici procurationem Samariæ, atque Galilææ, & regionis, quæ dicitur Trãs-Iordanem. Lyranus confirmat idem, afferens rationem tam longæ moræ Pauli, quòd interim Felix occupatus esset reprimendis latronibus, & falsis Prophetis prouinciam perturbantibus: tum etiam quia data opera definitionem Pauli differebat.

a cap. 12.

Magister Historiæ Scholasticæ priores duas opiniones reiicit, vltimam, *Quoniam*, inquit, *non adhuc fluxerant duo anni, ex quo Paulus venerat in Ierusalem, ac proinde in Cæsaream.* Quocirca sermonem esse de biennio ab accusatione Felicis, ex quo scilicet accusatus est à Iudæis. Carthusianus non dissentit. Glossa ordinaria sequitur primam, necnon Caietanus, & Gagneius, & Salmeron. Interlinearis propendet magis ad secundam, Hugo ad tertiam, & accusationis causam, quod etiam ait Comestor, fuisse, *quia orta est dissentio Cæsareæ inter Iudæos, ac Gentiles, cùm his illi propterea præferrent se; quoniam Herodes Ascalonita, qui circumcisionem, ritúmque Iudaicum amplexus erat, vrbem condiderat, imposito eo nomine in honorem Augusti. Gentiles, quòd à suis primùm condita esset cum nomine Turris Stratonis.* Felix autem Iudæis fauit, dum pecuniam deferebant: posteà Gentilibus, facta quoque potestate diripiendi bona Iudæorum.

Dissensio Cæsarea inter Iudæos, & Gentiles orta.

Itaque biennio postquàm hoc nomine accusatus est à Iudæis apud Neronem, remotum à Præfectura existimant Auctores isti. De hac altercatione; & accusatione legendus Iosephus [b].

b 20. Ant. c. 6. & 7.

Quarta opinio Baronij [c] de biennio, siue de anno secundo Imperij Neronis iam exacto, & tertio inchoato, ad quod vsque tempus tantùm fuerit in prouincia Felix, videlicet *quia Pallantis fratris iam fauor ei deesset, cùm ipsemet Pallas Neronis fauorem anno illius primo, necnon Agripinæ perdidisset, & summum iis tædium mouisset, tristi arrogantia*, vt loquitur Tacitus [d], *liberti modum egressus.*

c Tom. 1. Annal.
Quomodo Felix in Iudæorum odium inciderit.
d lib. 13.

Suspicatur præterea Baronius, versante adhuc Felice in prouincia, Sacerdotes, quos Præses vinctos Romam miserat, Iosephus autem, vt de se ipse narrat [e], Romæ periculo liberauit, *quòd audisset, ne in calamitate quidem curam eis pietatis excidisse, sed ficubus, & nucibus vitam sustentasse*, illos ipsos esse, qui iurantes deuouerant se non manducaturos, nec bibituros, donec interficerent Paulum: & cùm voti compotes facti non essent, aridis victitasse, vt non interirent, pro voto autem aliqua ratione satisfacerent.

Quid in accidentis, qui in Paulū conspirauerant
e in vita sua.

Placet mihi sanè præ ceteris dicendi modis de biennio is, quem Baronius tradit: Paulum namque Neronis anno secundo Romam venisse constans opinio est [f]; quo autem tempore venit Ierosolymam, cœpisse iam ante biennium imperare Neronem, rectè demonstrat. Ex aliis sententiis prima confutata est: secunda Lucæ diligentiam accusat, qui dies ipsos numerare solitus, exactè biennium totum præterierit: tertiæ aduersatur, quòd accusationem Felicis contigisse narrat Iosephus, postquàm successorem accepit.

f Hierony. in Chron. & lib. de Scriptor. Eccles.

Illa verò coniectura de Sacerdotibus à Iosepho liberatis, improbabilis mihi est, non modò quia præteriit huiusmodi rem Lucas minimè profectò prætereundam; sed etiam, quia non debet meditata mors Pauli, qui nec apud Præsidem tam magni fiebat, crimen tantum videri, vt in vrbem referendum, & mittendi rei essent. Denique, quia cùm Paulus Romam perductus exposuit Iudæis causam vinculorum, hi responderunt [g], *nullas de ipso litteras accepisse à Iudæa, nec vllum inde venientem quidquam de eo mali nunciasse, aut loquutum esse*: id fieri nõ potest, si deuoti illi Sacerdotes propter coniurationem aduersùs Paulum missi sunt Romam. Hoc superest effugij, vt post Paulum eò peruenerint. At ne id quidem valet, quoniam Paulus à successore Felicis missus est; illi, vt ait Baronius [h], à Felice: & rectum iter Paulus tenuit, nec adeò longo tempore.

Reiicitur opinio de Sacerdotibus Romæ detentis, qui in Paulum coniurauerant.
g cap. vlt. 21.
h Tom. 1. Annal.

Porcium Festum.] Pauca de hoc extant, præter illa, quæ Lucas commemorabit: *breui enim & officio, & vita functus est*, vt scribit Iosephus [i].

Est hoc Porcij nomen à porcis, vt à suibus Suillij, à capris Caprarij, vel Caprilij, à bobus Bubulci, ab oue Ouinij, vt obseruant M. Varro [k], & Plutarchus [l]. Gens Porciorum Tusculo, vbi hodiéque mons retinet nomen Porcij, in vrbem venit, auctore Cicerone [m], & Plutarcho [n], & Tacito [o]. Catones autem dicti sunt cognomento, qui cati, & sapientes haberentur. Fueritne hic noster ex ea gente, nescio: Festi cognomen haud adeò vetustum, Videtur Eusebius [p] Iacobi minoris mortem sub hoc Festo constituere. Cùm autem Iosephus Festi meminit, cui nomen Cestio, caue putes, eundem esse, ille enim est, qui vocatus quoque reperitur Crispius Fadus.

i 20. Ant. cap. 7. & 8.
Porcij vnde dicti sunt.
k 2. de Re rust.
l in Publicola.
m 2. de Legibus.
n in Caton.
o lib. 11.
p 2. Hist. c. 23.

Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix.] Κάριτας. Quidam codices habent, χάριν, & ζ, pro τε. Καταθέσθαι verò mallet Gagneius reddi, *inire*; sed Vatablus, Clarius, aliíque illud retinent: & vtrouis modo sensus idem. Et apud bonos Auctores accipitur hoc verbum pro eo quod est deponere, vel exponere persoluere, seu pendere, collocare beneficium, & conferre. Denique gratiam qui init, præstat, vel præstat, vt ineat.

Vexauerat Iudæos Felix, vt antè dictum est, in altercatione de ciuilitate Cæsareensi, licèt nonnullorum precibus milites bona Iudæorum diripientes tandem reuocasset [q]: speratam quoque non acceperat à Paulo pecuniam. Sed sera, coactáque gratia minùs grata: discedentem Iudæi accusatores subsequuti sunt [r].

Felix Iudæos offenderat.
q Ioseph. 20. Ant. cap. 20.
r Iosephus ibid.

Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam DEVS *spreuit eos* [s], Exemplo est etiam Pilatus [t], qui CHRISTVM, & Herodes Agrippa [u], qui Iacobum, & Petrum Iudæis tradiderunt, vt ipsis placerent, vtriusque infaustum exitum nemo ignorat. Et vix Felix euasit pœnas, hoc infælicior, quòd oblatam à Paulo fælicitatem elabi sibi sit passus, vt antè dixi, & repetendum est cum Aratore [x].

Qui hominibus placent, confusi sunt.
s Psal. 52. 6.
t Ioan. 19. 13.
u Act. 12.
x lib. 2. Com.

Reliquit Paulum vinctum.] *Reuocans libertatem*, inquit Lyranus, *quam dederat ei.* Caietanus, *non appositione vinculorum, sed non absolutione à detentione sub custodia.* Hoc probabilius est: sicut etiam priùs dixi, docuíque vinctum vocari, qui in carcere detinetur, quamuis absque vinculis. Nulla porrò dubitandi videtur causa, Felix viuénsne, vel mortuus Paulum reliquerit in vinculis. Quod tamen dubitauit Hugo, cum Glossa ordinaria: certum enim est reuertisse Romam, ibíque à Iudæis accusatum, quibus tamen in Pauli causa gratificatus fuerat: quemadmodum & Pilato contigit, qui pariter, vt Iudæis faueret, CHRISTVM damnauerat [y].

y omnes Euangelistæ.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM-QVINTVM.

SVMMARIVM.

Cùm Iudæi Paulum reduci peterent in Ierusalem, noluit primùm Festus. Paulus autem supe hac re interpellatus ab eodem Festo, appellauit Romam: interim Agrippa rex libens, lætúsque Paulum audiuit.

1 FESTVS ergo cùm venisset in prouinciam, post triduum ascendit Ierosolymam à Cæsarea.
2 Adierúntque eum principes sacerdotum, & primi Iudæorum aduersus Paulum: & rogabant eum,
3 Postulantes gratiam aduersus eum, vt iuberet perduci eum in Ierusalem, insidias tendentes vt interficerent eum in via.
4 Festus autem respondit seruari Paulum in Cęsarea: se autẽ maturiùs profecturum.
5 Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum.
6 Demoratus autem inter eos dies nõ amplius quàm octo, aut decem, descendit Cęsaream, & altera die sedit pro tribunali, & iussit Paulum adduci.
7 Qui cùm perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Ierosolyma descenderant Iudæi, multas & graues causas obiicientes, quas non poterant probare,
8 Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarẽ quicquã peccaui.
9 Festus autem volens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo, dixit: Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me?
10 Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari: Iudæis nõ nocui, sicut tu meliùs nostr.
11 Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si verò nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello.
12 Tunc Festus cũ cõsilio locutus respon-
A dit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.
13 Et cùm dies aliquot transacti essent, Aggrippa rex, & Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum.
14 Et cùm dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus à Felice vinctus,
15 De quo cùm essem Ierosolymis, adierunt me principes sacerdotum, & seniores Iudæorum, postulantes aduersus illum damnationem.
16 Ad quos respondit: Quia non est Ro-
B manis consuetudo damnare aliquem hominem, priùs quam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.
17 Cum ergo huc conuenissent sine vlla dilatione, sequenti die sedens, pro tribunali, iussi adduci virum.
18 De quo, cùm stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum:
19 Quæstiones verò quasdam de sua su-
C perstitione habebant aduersus eum, & de quodam IESV defuncto, quem affirmabat Paulus viuere.
20 Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam si vellet ire Ierosolymam, & ibi iudicari de istis.
21 Paulo autem appellante vt seruaretur ad Augustini cognitionem, iussi seruari eum, donec mittam eum ad Cæsarem.
22 Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras, in-
D quit, audies eum.
23 Altera autem die cùm venisset Agrippa, & Bernice cum multa ambitione, & introissent in auditorium cum tribunis, & viris principalibus ciuitatis, iubente Festo, adductus est Paulus.

24 Et dicit Festus: Aggrippa rex, & omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Ierosolymis, petentes, & acclamantes non oportere eum viuere ampliùs.

25 Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, iudicaui mittere.

26 De quo quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maximè ad te rex Agrippa, vt interrogatione facta habeam quid scribam.

27 Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & causas eius non significare.

Versus 1.] Festus ergo cùm venisset in prouinciam, post triduum ascendit Ierosolymam à Cæsarea.

FESTVS *ergo cùm venisset in prouinciam.*] Ἐπιβὰς τῇ ἐπαρχίᾳ. Simplex quidem his verbis Præsidis aduentus significatur: tamen *actus naturalis*, vt Iurisperiti loquuntur, *in acquirenda possessione, est pedum positio, & inambulatio, quamuis non omnes glebas; sed vnam tantùm partem quis introeat*, quemadmodum est apud Paulum [a], & colligi putant etiam ex Cicerone [b], siue apud ipsum ex Cœlio (quod non æquè liquet mihi) vbi habetur verbum circumeundi. Eandem vim nonnunquàm continet in Scriptura verba ambulandi [c], perambulandi [d], veniendi [e], introëundi [f], extendendi calceamentum [g], sicut ante me notauit Pineda noster [h], nimirum, pro libera possessione, vel administratione. Quanquàm in his, & similibus iuuatur eiusmodi significatio ab antecedentibus, & consequentibus. Sed & meliùs forsitan veteres Grammatici possidendi verbum deriuant à pos, id est, potens, & sedeo; quasi dicatur possidere, qui potis *est*, seu potens sedere; sicut etiam Labeo, quasi positionem dictam voluit, possessionem. Qua ratione ponere sedes rectè dicimus. Immò apud Paulum [i] irrepsisse error videtur, vt pro *sedibus*, legatur, *pedibus.* Ex quo minùs periti Latinæ linguæ Iurisconsulti, post Accursium, non etiam *rectè* collegerunt, possessionem non dici in rebus mobilibus, quòd in earum possessionem pedibus non eatur. Legendus Alciatus [k]; & qui copiosiùs hoc tractat Lælius Bisciola noster [l].

Quomodo acquiratur possessio.

a l.3.ff de acquir. poss.
b lib.8 epist. fam. epist.11.
c 1.Reg.2.35. Psa.11.9.
d Iob.1.7.
e Ioan.1.11.
f Prou. 23.10.
g Psa.59.10.
h in Iob.c.1. 7.num.4.
i citato loco.
k l. 203. de verbor signif. & libr. 1. Dispunct. c.1.
l 1.horar. sub seciu. cap. 10.

Ascendit Ierosolymam à Cæsarea.] Caput prouinciæ Cæsarea, Iudæorum metropolis erat Ierosolyma: ideò nouus Præses in illam priùs venit, quàm in istam. Qua de causa docuimus alibi [m], sedem Ierosolymitanam non esse propriè ex primis Patriarchalibus, quoniam suberat diœcesi Cæsareensi, tanquàm nobiliori ciuitati in prouincia.

Ierosolymitana sedes cur suberat Cæsareensi.
m cap.15.

Versus 2.] Adierúntque eum principes Sacerdotum, & primi Iudæorum aduersùs Paulum: & rogabant eum.

ADIERVNTQVE *eum principes Sacerdotum, & primi Iudæorum aduersùs Paulum.*] Ἐνεφάνισαν αὐτῷ. Syrus, ואגדעוהי *vanedebhuhi*, id est, *Et indicarunt ei, idque priuatim*, ait Gagneius. Lege capitis præcedentis versum secundum.

Conspirat vterque Magistratus, & Ecclesiasticus, & politicus in Paulum. Vrebat illos, vrgebátque vehementer, inania contra Paulum abiisse consilia ipsorum, nouóque Præsidi probare suam tum prudentiam volebant, tum fidelitatem, studiúmque publicæ pacis, quam cùm Præses summè cuperet, ac procuraret, *offendens prouinciam totam*, vt ait Iosephus [n], *afflictam latronibus vicos passim populantibus*, nihil se gratiæ, facturos sunt arbitrati, quàm si primùm Præsidem permouerent ad delendum, quem haberet in vinculis, seditionis nomine reum notabilem; hunc reseruatum ipsius industriæ, ac æquitati, antecessorem, vel per desidiam, vel per breuitatem temporis, vel quod preci, pretióve aliquid dederit, iniudicatum talem, tantúmque noxium reliquisse: istius sanguine dicanda, & honestanda Magistratus exordia, nullam DEO victimam acceptiorem mactari posse, quando Ierosolymis adesset, vbi legis eorum cognitio commodissimè haberetur, in quam Paulus peccauerat, non grauaretur eum accersere. *Non grauati essent*, inquit Chrysostomus, *in Cæsaream venire, nisi præuenisset Præses.*

Conspiratio contra Paulum Magistratuum.
n 20 Ant.c.7.

Problematica ciuilis quæstio potest esse, Præstétne perpetuari Magistratus, vel subinde mutari? Nam si commodi sunt, verendum ne succedant mali: si duri, modestique; ne deteriores, quod anicula timens pro Dionisij tyranni vita precabatur. Si ex optimè cõstitutis Rebuspublicis capi hac in re consilium debet, profectò satius est, vt sint temporales, nec eosdem quis repetat, nisi post definitum tempus. Prorogatio ex fiduciaria propriam reddit administrationem, & ad tyrannidem vergit. Documento fuit Iulius Cæsar, qui cùm ob nimiam in Imperio seu concessam, prorogatámque, seu etiam vsurpatam licentiam peruenisset ad potestatis fastigium, fastu plenus, fastidióque æqualium, legem sanxit; *Prætor ne anno ampliùs, ne plusquàm biennio Consul versaretur in Magistratu: præterea, vt qui defuncti essent, prouinciam ante quinquennium non acciperent* [o]; quod placuit quoque Pompeio [p]. Fuit & lex, *Censuram bis nemo vt gereret* [q]: *Tribunitiam potestatem in annum sequentem non continuandam, neque Consularem* [r]. De suprema dignitate vnius non ago, seu sacra, seu profana: faciléque concedo illud, quod scribit Homerus [s]:

Magistratus temporales, qui absolute sint.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Non multos regnare bonum est, rex vnicus esto.

Loquor duntaxat de inferioribus sub Monarcha, contendóque, pensatis omnibus, minora sequi incommoda ex temporaria, vicariáque plurium gubernatione, quos qui cunctis præest, remouet ad nutum.

o Dio lib.41.
p idem li.40.
q Val. Max. lib.4.c.1. Plutarch. in Coriolano.
r Val. Max. supra.
s lib.2. Iliad. 12. Metaph.

Quod Sapiens [t] dicit: *Propter peccata terræ multi Principes eius*, duplicem habet sensum: vel si plures dominentur in eâdem simul terra, hánceve partiantur in multa dominia; hinc enim existunt bella, subditorúmque grauis oppressio: vel si multi breui tempore mox sibi succedant; onerantur námque similiter subditi nouis vectigalibus, &

t Prou.28.2.

existunt

existunt persæpe recentes tumultus:atque,vt Tiberius vsurpabat, *exangues se muscæ alieno sanguine implere concupiscunt.*

Versus 3.] Postulantes gratiam aduersùs eum,vt iuberet perduci eum in Ierusalem, insidias tendentes vt interficerent eum in via.

Iudæi in gratia petenda parum gratiosi.
a Mat.27.21.
b Mat.14.11.

POSTVLANTES *gratiam aduersùs eum.*] Parum,vt ita dicam, in gratia petenda gratiosi Iudæi. *In Paschate deposcunt dimitti Barabbam* [a] *: in conuiuio Herodes vult exhiberi caput Ioannis Baptistæ* [b]. Sed hæc laus Pauli, qui tanti fiat, adeóque sui illum aduersarij vereantur, vt nulla potiùs in alia re velint Præsidis noui munificentiam experiri,quàm vt primas curas conferat in damnationem Pauli, eúmque in Ierusalem reducat, vbi ab ipsis captus,accusatúsque ipsorum, morte sua,sæuitiam exaturet. Sed & ea illos, vt prædixi, cura vehementer angebat,videri minùs iustè litem intendisse,imprudenter persecutos esse, plus reum ab alia re nulla,quàm ab innocentia septum, munitúmque apud Tribunum, atque Præsides duos potuisse,ac effecisse,quàm Synedrion vniuersum, quàm ciuitatis ordines primarios. Propterea rogant,postulant,gratiæ, beneficiíque nomine tam enixè petunt.

Insana consilia mutare nolle, mera insania est.

Insana consilia mutare nolle,mera insania: hac laborant, qui maximè sani animo haberi volunt: quamuis errent, errorem deprehendi nullo modo sustinent.

Πάλιν δρομῆσαι μᾶλλον, ἢ δραμεῖν κακῶς:
Mutare cursum melius est quam persequi malum.

inquit ille [c]. Et alius sapienter sanè dixit [d]: *Non est leuitas à cognito,& damnato errore discedere*; & ingenuè fatendum est; *Aliud putaui, deceptus sum*; hæc verò superbæ stultitiæ perseuerãtia est, *Quod semel dixi, qualecunque est,fixum,ratúmque sit.* Non est turpe,cum re mutare consilium.

c Lucian. in Asino.
d Seneca 4. de Benef. ca. 38. quẽ etiam lege ep. 71. à princ.

Insidias tendentes vt interficerent eum in via.] Quàm maluissent Paulum perditum Iudicis sententia? Diffidunt causæ: toties recurrunt ad insidias. Hæc sunt *crebra illa pericula ex genere, mortésque frequentes*, quas Apostolus coniecit in catalogum ærumnarum [e].

e 2.Cor.11.23.

Versus 4.] Festus autem respondit,seruari Paulum in Cæsarea:se autem maturiùs profecturum.

Reus non est circumagendus in ciuitate principe constitutus.

FESTVS *autem respondit.*] Sapienter, ac iustè: nec enim circumagendus sine causa reus,præsertim constitutus principe in loco, vbi ius dicitur; nec præcipitanda mortis sententia. Non similis causa talorum, siue tesserarum, corporúmque, dixit Ptolomæo Berenice coniux extorquens, qui ludenti recitabatur,interficiẽdorum catalogum [f]: aliásque memini [g] legis Valentiniani, ac Theodosij,ne capitalis à Principe lata sententia,nisi lapsis triginta diebus,executioni mandetur.

f Ælia. 14. var. histor. ca. 3.
g cap.5.

Seruari.] Vatablus, *vt seruaretur.* Fortasse nihil adhuc intellexerat de Paulo.

Versus 5.] Qui ergo in vobis(ait) potentes sunt, descendentes simul,si quod est in viro crimen,accusent eum.

QVI *ergo in vobis* (ait) *potentes sunt.*] Δυνατοί. Syrus, דאית בכון דמאשׂיא באידיכון *deith bechun demateia baiedaiechun*,id est, *Qui sunt inter vos potentes in manibus vestris*;vel, *Qui per se possunt*:hoc est, vt Hugo, Caietanus,& Arias,& Vatablus exponunt,qui commodè sine suo,aut rerum suarum detrimento. Emmanuel Sà intelligit eos, quos vulgò nominamus *valenti huomini*; hoc est, doctos,acres,idoneos ad accusandum. Habet quidem eam vim Græca vox,attamen verisimilius est Præsidem prius illud intendisse. Dicuntur præterea nonnunquàm δυνατοὶ sine adiectione Proceres, ac Primores,qui paulò antè πρῶτοι:sed nec de istis intellexit Præses, nullum excludens, qui posset,ac vellet.

Si quod est in viro crimen.] Pro crimine Græcè est ἄτοπον,licèt in quibusdam libris desit. Significat verò id quod absurdum est, incommodum, insolens,indignum,irrationabile,intolerabile,malum,turpe,inconueniens, indecens,infame,incredibile,improbabile,impossibile,idé quod ἀδύνατον,prodigiosum, nouum,stolidum, denique nusquàm locum habens, nullo habendum loco,nulli congruens loco.

Versus 6.] Demoratus autem inter eos dies non ampliùs quàm octo, aut decem,descendit Cæsaream, & altera die sedit pro tribunali, & iussit Paulum adduci.

DIES *non ampliùs quàm octo,aut decem.*] Quidam codices Græci habent absq; negatione, & disiunctione duplicis numeri ἡμέρας πλείους ἢ δέκα,*dies plures,quàm decem.* Alij ἢ ὀκτώ. Accuratus scriptor certa pro certis, pariterque pro incertis incerta tradit, sicut aliàs in hoc nostro notauimus [h].

h cap.1.15.

Et altera die sedit pro tribunali, & iussit Paulum adduci.] Maturè, citóque recessit, & confestim causam cognoscere cœpit. Crudeles, immanes, impij Iudices, qui tempus distrahẽdo miserorum litigantium exhauriunt facultates, vt satius sit sæpe soluere,quàm litigare, satísque censeatur lucrari,qui discedit à lite. Hesiodus [i] iubet *forum, litésque vitare, qui magnarum sibi diuitiarum non sit conscius.* Et Martialis [k] Sextum litigatorem monet,soluat potiùs,quàm litiget.

Arguuntur Iudices, qui lites protrahunt.
i in Ergis.
k lib.2 epist. 13.vel 11.

Et petit Iudex,petit & patronus,
Soluas,censeo,Sexte,creditori.

Si vincat,qui litigat, satisfacere debet duobus:sin victus fuerit,etiam tribus.

Ergo [l] *iudicium nihil est,nisi publica merces,*
Atque eques in causa qui sedet empta probat.

l Petronius.

Dixi nonnihil quoque superiùs aduersùs istos dilatores, suíque fundi per hanc dilationem dilatatores. At Chrysostomus tam citæ cognitionis auctores facit accusatores Pauli, qui magno studio Iudicem impulerint,& vrserint.

Versus 7.] Qui cùm perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Ierosolyma descenderant Iudæi, multas, & graues causas obiicientes, quas non poterant probare.

QVI *ab Ierosolyma descenderant Iudæi.*] Comitati simul, opinor, Iudicem officij causa,

eiúsque aures præoccupantes, & plus triginta leucarum iter conficientes.

Multas, & graues causas obiicientes.] Αἰτιώματα, vel, αἰτιάματα, *criminationes*, vel, *crimina*. Quænam ea sint, docebit Pauli responsio.

Quas non poterãs probare.] Ἀποδεῖξαι, *demonstrare.*

Versus 8.] Paulo rationem reddẽte: Quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccaui.

NEQVE *in Cæsarem.*] In superiore accusatione coram Felice, & in alia, vel in templo, vel in Concilio nulla mentio Cæsaris fuit, nisi forsitan sub crimine seditionis, & nunc vltimo loco purgauit Paulus crimen istud tanquàm grauissimum, Præsidis opinione.

Sic priùs admonui, Iudæos, vt Pilatum expugnarent, proposuisse seditionem CHRISTI, & iniuriam Cæsaris [a].

Cæsarem.] Cæsar, vt Oecumenius obseruat, nomen regis est apud Romanos, seu etiam Imperatoris, cùm quis proprium illud habeat, vt Augusti, Tiberij, Neronis. Idem notat Basilius [b], sicut & de aliarum Gentium communibus aliis regum nominibus (quod nos quoque aliàs [c] monuimus) addens & Augusti æquè communem iisdem Romanis regibus appellationem.

Qui primus imperauit, Iulij Cæsaris nomine vocatus est, vel à cæsiis oculis, vel quòd ex cæso matris vtero extractus est, quod illi tamen haud conuenit, & patrem quoque Cæsarem habuit Prætorem, & alij illud de Scipione tradunt: vel à cæsarie, seu magno crine, cum quo sit ex vtero parentis effusus, vel à Cæsare, hoc est Elephanto, iuxta Maurorum linguam, ab ipso cæso in bello [d].

Secundus Imperator Octauius, qui Cæsaris, à quo adoptatus erat, appellationem retinere voluit, licèt Accia mater, & vitricus Philippus, vt malè ominosum dissuaderent [e], cognomen Augusti gessit, quod ei populus contulit, quasi esset acceptior, ac venerabilior, Græcè enim dicitur Σεβαστὸν, ait Dion Cassius [f], *quod honore sanctissimum, & dignissimum putatur, latiùsque venerandum.* Post illum Imperatores ceteri vocati sunt Augusti, quamuis Aulus Vitellius, vt prodidit Suetonius [g], Augusti cognomen distulerit, Cæsaris in perpetuum recusauerit. Verumtamen posteà, teste Spartiano [h], Imperatoris filij ad succedendum in Imperio designati, Cæsares nominati sunt: hodièque Germanorum Regem appellant, eo modo, quo Galli *Monsieur*, vel Delphinum, Hispani Principem, & alios deinceps regios liberos, *Infantes*. Legendus Alciatus [i].

Quanquàm videtur Cæsaris nomen aliquando delatum iis etiam, qui nec designatione forent Imperatores. Dalmatium enim, vel Delmatium, siue Dalmatianum Constantinus fratris sui Aniballiani, seu Anaballiani filium, vt est apud Hieronymum [k], Cæsaris titulo insigniuit. Zozimus [l] idipsum significat, appellans dignitatem Nobilissimatus, qua decorati qui essent, vti veste purpurea, limbísque ornata aureis possent: quod præter istum, idem Auctor scripsit Anaballiano concessum, patri Dalmatij (qui Dalmatius iunior dictus est, senior enim erat patruus ipsius, frater Anaballiani) & patruo eius Constantio, qui fuit alter Constantini Magni frater cum iam dicto Dalmatio seniore, pater Iuliani, & Galli. Quò fit, vt in rescriptum Constantini ad Dalmatium pro Cæsare Censor irrepsisse potuerit [m]; perpetuò námque Zozimus Cęsarem, Censorem nunquàm nominat, licèt cognoscendæ suæ causæ destinatum Athanasius [n] à Constantino tradat.

Præter Zozimum non reperio, qui de Nobilissimatu meminerit: Clarissimatus dignitas cum illustrium dignitate, & spectabilium, & perfectissimorum continetur in iure ciuili [o]: quamuis Græci scriptores [p] voces Latinas retinentes, eas ponere primo loco soleant, quæ priorem, digniorémque gradum denotant. Dicunt v.g. ἰλλούστριοι, & σπεκτάβιλιοι.

De vsu vocabulorum Cæsaris, Sebastocratoris, Sebasti, Protosebasti, Despotæ, & similium, legendus Curopalatæ liber de Officialibus palatij Cõstantinopolitani. Testatur autem Zonaras [q] vsque ad Alexij Commeni tempora vocatum Imperatorem σεβαστὸν, id est, Augustum. Consulendus Curopalatæ scholiastes, qui docet aliquando ab Imperatore secundum vocatum Cæsarem, aliàs tertium, interdum quartum: & Sebastum inferiorem titulum fuisse, quàm Cæsaris.

Num verò Augustus sit appellandus is, qui est filius Imperatoris, licèt non habeat Imperium, tractatur in iure Canonico [r]: vbi aliquando sine discrimine tribuitur hoc nomen patri, & filiis. Confunduntur quandoque nomina omnia; sicut & hoc tempore Imperatorem vocamus etiam nondum coronatum, licèt Bartolus sic vocandum neget [f].

Versus 9.] Festus autem volens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo, dixit: Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me?

FESTVS *autem volens gratiam præstare Iudæis.*] Phrasis Græca eadem, quæ capite priore [t], vbi à nobis exposita est. Causa quoque præstandæ, ineundæve gratiæ in Festo penè par ac in Felice: sciebat hunc ille Iudæis infensum, atque ab iis adornari accusationem, sicut anteà, contra Præsides alios. Præterea iam eum honore affecerant Iudæi, quod priusquàm fecissent in Ierusalem, rectè ipsis responderat, vt notat Chrysostomus. Deliniuntur Principes obsequiis, prece, pretio.

Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me?] *Impudens fuisset, si imperasset, atque abduxisset illuc, vbi non erat redargutus*, ait Chrysostomus: itaque optionem dat, & hoc eum honore allicit, vt consentiat: *simul Romanum nomen in reo venerans*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo.

Versus 10.] Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari: Iudæis non nocui, sicut tu meliùs nosti.

AD *tribunal Cæsaris sto.*] Ridiculum est quod Magister Historiæ Scholasticæ, Glossa interlinearis, Hugo, & Carthusianus referunt de sede, quam Herodes Cæsari parauerat in Prætorio, si quando veniret. Hoc voluit Paulus, se stare, & sisti coram Præside, qui Cæsaris vices gereret, qui causam decidere posset eo in loco, eaque in ciuitate, quæ prouinciæ caput esset, nihil vt attineret tractari causam in Ierusalem. Vel est id etiam, quod

a Ioan. 19.
Cæsar apud Romanos nomen regis est.
b in Psal. 32.
c cap. 7. 23.
Cæsaris nomen vnde dictum.
d Spartianus in Aelio Vero.
Augustus vnde dictus sit.
e Velleius Paterculus li. 2.
f lib. 53.
g in Vitellio. cap. 9. vel 8.
h in Aelio Vero.
i in 3. poster. Cod. libros. l. Mathematicos.
Cæsaris nomen quibus tributũ.
k in Chron.
l lib. 2.
m in apud Athanas. apolog. 2.
n supra.
o Lexicon Iuris verbo, & [illegible] & Alciat. 3. Dispunct. c. 4. & Cassiod. lib. ep. 6 & 3. Ibid lib. 9 c. 4.
p Zonaras, Procopius, &c.
q 3. Annal.
r de Foro cõpet. c. ex parte. & XXIV. quæst. 1 cap. 1. & dist. XXIII. cap. 1.
f in princ. Digest.
t vers. 27.
Principes deliniuntur obsequio, prece, pretio.
Quid sit stare ad tribunal Cæsaris.

quod mox subdit de appellatione Cæsaris; videbat enim Præsidem in accusatorum partes declinantem, insidias paratas, preces Principis esse armatas, ideóque tutum non esse annuere, abnuere apertè periculosum: præstare quòd honestè, ac iustè possit Iudicem supremum appellare.

Pontifex non est subiectus villi Principi.

Hoc ex facto primùm caue colligas, Ecclesiasticos, ac eorum etiam summum Hierarcham, immò Christianorum omnium Pontificem stare debere ad tribunal secularis Principis. Nam, vt ait Turrecremata [a], *erat de facto iudex Pauli, quamuis non de iure:* nec profuisset accurrere ad Petrum. Deinde, vt meliùs respódent Albertus Pighius [b], & Bellarminus [c], eo tempore Principes seculares erant Ethnici, ac idcirco non erat Pontifex iudex illorum, aliorúmve infidelium: *Quid enim ad me de his, qui foris sunt,* inquit Apostolus, *iudicare* [d]? Sed è contrario cuncti Christiani erant subditi Ethnicorum Imperio, idémque Paulus [e], Petrúsque [f] hortantur ad obedientiam ipsis præstandam, licèt ipse vetet Christianum coram Gentili contendere iudicio, si possit coram Christiano [g].

a 2. Summæ de Eccles. ca. 96. ad 3.
b 5. Hierar. Eccl. c. 7.
c 2. de Rom. Pontif. c. 29.
Pontifex non erat iudex secularium Principum Ethnicorum.
d 1. Cor. 6.
e 1. Rom. 13. Tit. 3.
f 1. epist. 2.
g 1. Cor. 6. & 2. quæst. 6. ca. ex Catholicis.
Oues omnes Christi sunt subiectæ Christi vicario.

At verò lex Christiana efficit omnes oues CHRISTI subiectas Vicario eius, qui est summus Pastor, & seculares Ecclesiasticorum, qui sunt subordinati pastores. Est autem planè præposterum, vt pastor ouis iudicio subiciatur. Valet id quóque, quod idem Turrecremata [h] respondet, *appellasse Paulum ad Iudicem non suum, sed illum à quo patiebatur iniuriam.* At simul iungenda dictis responsio, quæ per se sola non sufficeret. Deinde potiùs inferendum est cum Augustino [i], vt iam aliquoties fecimus superiùs, *implorari posse, & quandoque debere ab Ecclesia externum auxilium Principis secularis,* non Christiani, multò verò magis cùm suppetit Christianus. Athanasius Apologia ad Constantium Imperatorem: *Si apud alios,* inquit, *accusatus essem, ad tuam Maiestatē prouocarem; quemadmodum Apostolus dixit: Cæsarem appello, & cessatum est ab insidiis contra eum.* Videlicet sub Ariano imperatore contra Arianos criminibus eum insectantes, non audita esset appellatio, seu prouocatio ad Pontificem, ad quem tamen idem Athanasius pro causa Ecclesiastica confugit.

h suprà.
i ep. 50.
Ecclesia Principum secularium implorare potest auxilium contra suos impugnatores.

Non appellauit Apostolus timore mortis.
k apol. pro fuga sua.
l ep. 50.

Aliud adhuc idem ipse Doctor [k] colligit ex hac Pauli appellatione, nimirum non præ timore operam fugæ præbuisse, quin potiùs fugam istam habuisse pro palæstra, & meditatione aduersùs mortem: atque, vt Augustinus [l] loquitur, *non vitæ suæ, sed Ecclesiæ consulebat.*

Immò verò Chrysostomus [m] deprehendit in Paulo maximam constantiam, *vt apud illum, quem accusetur læsisse, iudicari velit:* singularem cum eximia in DEVM fiducia, qui de Romana eum profectione certiorem fecerat, prudentiam, vt quod in se erat, faceret, DEO simul totum permitteret. *Tentantis* DEVM *fuisset,* inquit, *fidere in illa sententia, & innumeris seipsum immittere periculis, & dicere: Videamus num possit* DEVS *etiam sic eripere me.*

m Hom. 51. in Actus. & orat. 7. de laud. Pauli.
Paulus in appellatione ad Cæsarem, fuit sibi bene vers ofsus.

Adhæc sequitur, iure gentium licitum appellare confidentia iustæ causæ, vt docet B. Thomas [n], *quia iniustè à Iudice grauatur, & non causa differendæ moræ, ne contra ipsum iusta sententia proferatur: sic enim fieret iniuria Iudici, officium eius impediendo, & aduersario, iustitiam eius perturbando.* Citat ibidem Canones, vt non liceat appellare post decem dies, & plusquàm ter, & non à Iudice, qui tantùm est arbitrarius. Ceterùm, quando iudicio sapientum continet sententia manifestam iniquitatem, licet appellare non tantùm secundùm ius positiuum, vel gentium, sed etiam naturale; quia tunc nullo pacto parendum est huiusmodi sententiæ. Ius positiuum concedit appellationem, quando æquitas sententiæ est dubia iudicio sapientum, id est, partium, & patronorum: atque in hoc solo casu habent locum conditiones præscriptæ à iure, non autem in priore.

Iure gentium appellare quando licitum est, & quando non.
n 2. 2. qu. 69. art. 3.

Sunt in vtroq; iure tituli de appellationibus [o], atque de hoc argumento vtriusque Doctores accuratè disputant. Illud inter alia seruauit Paulus, vt modestè appellaret [p], quamuis efficaci, & ad concutiendum Præsidem, ceterósque, oratione.

o & in 2. q. 6.
p l. illud sciēdum. ff. de appellat. & l. in maioribus. C. eod. tit.

Postremò illud prætereundum non est, rectè propter pacificum statum Religiosorum decretum esse, ne possint appellare ad aliquem Iudicem Ecclesiasticum [q], nisi sit Pontifex supremus omnium Iudex.

Religiosis appellare non licet, nisi ad Pontificem.
q cap. ad nostram. & c. reprehensibilis. & c. cum speciale. de appellat.

Iudæis non nocui, sicut tu meliùs nosti.] *Meliùs,* quàm vt oporteat exactioris notitiæ causa redire Ierosolymam: docuit fortassis præcessor te tuus Felix, tamdiu versatus in prouincia: & illum etiam Lysias per literas: caue, ne qui non potes ignorantiam prætexere, Iudæis hac in re gratificeris: vnum ipsimet crimen premunt, offendisse me Cæsarem: neque hoc probant, ne quòd ipsos læserim.

Versus 11.] Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si verò nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello.

SI *enim nocui*, &c.] Moderatur quodammodò præsentem orationem, qua indicauerat, Præsidem gratiæ aduersariorum aliquid dare: permittit seipsum Præsidi, fértque ipse contra se sententiam, vt si probentur obiecta crimina, moriatur eo ipso in loco, vbi aduersarij satis multi sunt ad probandum, quod probari potest; se in ipsius esse potestate, qui de se supplicium possit repetere Cæsareæ, si ita videatur; nihil ad hoc opus esse repetere Ierosolymam.

Pauli modestia, & in seipsum dicta sententia.

Si nihil aduersarij probent, frustrà reditū eam in ciuitatem proponi, quæ Iudæorum metropolis est, nihil propriè contra Iudæos admisisse, vt ibi exemplum in se edi debeat: sed nec illud Iudæis propositum esse, verùm vt fraudulentè in via ipsum perdant. Si hoc non obtineat, ne illuc redire cogatur, quemadmodum ipsius præsens oratio, licèt humanitatis plena, satis indicat, certum sibi esse tempus vltrà tot circuitionibus non trahere, ne tot iam diu sine vllo fructu insidiis pateat. Ignoscat, si eius modò voluntati eius pareat, & superiorem appellet: hoc prohiberi non posse; neque, cùm quibus de rebus accusetur, quamuis atrocissimis, & quæ si essent, appellationem non admitterent, perspicuæ non sint, sed falsæ, ac minimùm dubiæ, posse quemquam impedire, quominùs vt magis patescant, adire summum tribunal queat.

Paulus Ierosolymam ire non vult.

Nemo potest me illis donare.] *Memor somnij* [r], ait Chrysostomus, *fidentiùs loquitur, non dicens tu, sed nemo.* Intelligebat etiam, iure non posse remitti Ierosolymam, propter iam dictas causas, maximè verò, quoniam paratas sciebat insidias sibi, quas quoque videbat non esse tutum Præsidi declarare nimiùm propenso Iudæis.

r Act. 23. 11.

Cæsarem appello.] Syrus, בגנוהי דקסר קרא אנא

begana

beganauchi dekesar kare ana, id est, *Protectionem Cæsaris voco ego*; vel, *Cæsaris prouocationes appello.* Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι. De re ipsa iam dixi, quo nimirum pacto à grauamine, vt dicunt, appellare potuerit. Iurisconsulti pluribus terminis vtuntur suspensiuis causarum, hoc est, appellatione, prouocatione, proclamatione, supplicatione, recusatione, restitutione, querela, reductione, dilatione, intercessione: de quorum explicatione inter alios vide Robertum Marantam [a]; addi potest declinatio fori.

Suspensionis causarum modi varij.

a de ordine iudicior. seu in Speculo aureo, part.6. act.1.& seq.

Distinguit quoque Liuij Scholiastes Glareanus [b] inter appellationem, prouocationem, intercessioné: vt prima sit inter maiores, minorésque; secunda, inter æquales; tertia, inter vtrosque. Sed confunduntur etiam in iure quandoque voces istæ, vel aliquæ ex ipsis. Græcũ vocabulum significat inuocare, seu prouocare, seu vocare ad alium, & superiorem appellare: quo modo Plutarchus [c] meminit, quòd apud Romanos, Νόμος τὸ δῆμον ἀπὸ τῶν ὑπάτων τῷ φεύγοντι δίκην ἐπικαλεῖσθαι δίδωσι, *Lex permittit reo vitanti iudicium, siue pœnam à Consulibus ad populum prouocare, & appellare*: quam Cicero [d] *prouocationem* nominat *patronam ciuitatis, vindicem libertatis populi Romani.* Qua de re item Pomponius Iurisconsultus [e].

b in lib.3.Decad.1.

c in Publicola.

d 2.de Orat.

e l. 2. § exactis.ff.de orig. Iuris.

Versus 12.] Tunc Festus cum consilio loquutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.

TVNC *Festus cum consilio loquutus.*] Consiliarios consuluit super appellatione, remotis Iudæis accusatoribus, Paulóque. Syrus appellat בני מלכה *benai melachah, Filios consilij sui*; seu, *Consiliarios*: & Græca vox est συμβούλιον, non autem συνέδριον: quam posteriorem pro Concilio suo Iudæi retinuerunt, vt sæpe dixi.

Latinum nomen respondens Græco propriè deberet esse concilio per s, & ita quidam codices hoc loco habent, atque Cicero [f] pro Iudicibus id vsurpat. Nihilominùs eadem significatio solet esse dictionis Concilij per c, à conciendo, siue concalando, & conuocando, vel, si mauis, à conciliando.

Consilium, & Concilium unde dicantur.

f orat. pro Roscio.

Videtur Chrysostomus Iudæorum Concilium intelligere, Paulíq; accusatores, quibuscum Præses colloquendo peruersè contra ordinem recti iudicij fecerit, séque corruptum demonstrauerit. Prior tamen de Præsidis Consiliariis opinio probabilior est: neque Synedrion Iudæorum consilium dedisset de admittenda appellatione, cùm nihil expeterent magis, quàm Paulum de medio tollere: etsi maluissent Iudæi, si consulti essent, Romam dimitti Paulum vinctum, quàm absolui.

Chrysostomi de hoc Concilio sententia.

Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.] Hoc fuit Consiliariorum Præsidis responsum; quod commodum visum est, tum vt aliqua ratione satisfaceret Iudæis, amandando longiùs Paulum; tum vt Cæsaris nomini deferretur.

An autem appellatio debuerit necessariò admitti, Iurisconsulti examinant, qui varios de hac re casus assignare solent. Si talis præsumebatur Paulus, qualem Iudæi depinxerant, prouocatio, seu appellatio non erat admittenda: cauetur enim id fieri, cùm sint eiusmodi personæ, quas puniri statim Reipublicæ intersit, vt sint insignes latrones, seditionum concitatores, duces factionum [g].

Appellatio an necessariò fuerit admittenda.

g l. constitutiones. ff. de appellat. & l. 2.C.eod.

Non hæc Præsidem, Conciliúmque causa mouit; sed quam dixi. Nam satis constabat, Paulum talem nõ esse: hócque de ipso iudicium fuisse Festi. Festus satis præ se tulit, & Agrippa Festo significauit, dicens, *dimitti potuisse, si non appellasset Cæsarem* [h]: ac vterque *cum Bernice vxore Agrippa censuerunt nihil morte, aut vinculis dignum fecisse* [i]. Reos illustriores mitti Romam cõsueuisse testantur Historiæ, Sidonius etiam Apollinaris, agens de Seronato [k], & Ius ciuile [l], aut certè de iis ad Imperatorem scribi. At non talis Paulus, tametsi ciuis Romanus. Præses appellationem admisit, & vt ad Cæsarem iret, permisit.

Pauli appellationis definitio fuit.

h cap.26.32.

i ibid.vers.31.

k lib.1.ep.7. & lib.7.ep.7.

l l.2.§.2. & de bonis eorum, qui ante sententiam mortem sibi consciuerunt. & l. quoties de pœnis. Cod. Theod.

Versus 13.] Et cùm dies aliquot transacti essent, Agrippa rex, & Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum.

AGRIPPA *rex.*] Erat hic Herodis eius filius, de quo in hac Historia, capite duodecimo mentio fuit, & frater Drusillæ, quam Felici nupsisse, priore capite vidimus. Cùm ille Herodes, qui quandoque reperitur sub nomine Agrippæ, vt ibidem notauimus, mortuus est, hic agebat annum septimumdecimum: & Romæ agens à Claudio primùm Rex Chalcidicis, deinde Tetrarchiæ, quam habuerat Philippus, & Trachonitidis factus est Rex: non tamen Iudææ, quæ proprium Præsidem retinuit.

Agrippa filius fuerit.

Agrippa nomen Romanum est, seu Latinum, quod gessit Siluius (id erat commune Latinorum Regum nomen) Tiberini Latinorum Regis filius, Romuli pater. Nominis ratio ducitur *ab agro partu, cùm primi pedes exeunt*, vt ait Gellius [m]. Præter alios habuit etiam idem nomen M. Agrippa, gener Augusti, propter quem verisimile est in Herodis familiam, quæ plurimùm Augusto deberet, ascitum esse. Romanorum amicitiam Rex iste semper coluit, & vsque ad excisam Ierosolymam regnum conseruauit. Oecumenius dubitanter loquens ait, *Eparcham tantùm fuisse, & Regem dici, vel quòd in prouinciis loco Regis fungebatur, vel cùm Nero partibus Occidentalibus imperaret, Romáq; esset, ipsum in Orientalibus partibus Regem fuisse.* Chrysostomus Herodis quoque nomen habuisse monet.

Agrippæ nomen unde, & unde ductum.

m lib.16.c.16.

Bernice.] Βερνίκη. Syrus, ברניקא *Barnike*. Ex Latinis quidam aut *Beronice*, aut *Beronice*, aut *Bernice*. Nomen sine dubio fœminæ est, non viri: quamuis nonnulli hoc posterius sint suspicati, vt refert Glossa interlinearis, & Hugo, quoniam consedisse dicitur in iudicio cum Agrippa. Videtur Veronicæ nomen idem esse.

Bernice quæ fuerit.

Quod ad hanc verò pertinet, iidem illi Auctores meminerunt, ex aliorum sententia, fuisse vxorem Agrippę, quod videtur etiã sentire Chrysostomus. Iosephus [n] facit sororem, sicut & Drusillæ, quemadmodum iam dictum est, atque Mariammes, seu Mariamnes. Alij putant fuisse vxorẽ patrui sui, hoc est, alterius Agrippæ, vel Herodis etiam nomine, qui fuerat Rex Chalcidis, frater primi Agrippæ Regis, patris eiusdẽ Bernices.

n 19.Antiq.c.9. & lib.20. cap.5.

Post mortem viri vixisse aliquamdiu in viduitate: rumorem autem extitisse, quòd cum Agrippa fratre, de quo nunc est sermo, congrederetur; ideóque Polemonem, Ciliciæ, vel potiùs Lyciæ Regem, ad nuptias induxisse: verùm haud diu pòst præ intemperantia deseruisse, tum quòd ille Iudaicam religionem deseruisset, quam fuerat ex pacto complexus.

Comestor, & Hugo credunt sororem fuisse,

Hebræo

Hebræorum more, id est, cognatam, adeò verò ab Agrippa dilectam, vt auelli ab ea non posset. Caietanus tenet, quòd huius Agrippæ soror germana fuerit, & vxor Regis Chalcidis. Concordat etiam Baronius [a], recitans Iuuenalem, qui sic ait [b]:

a Tom. 1. Annal.
b Satyr. 6.

— Deinde adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori.
Obseruant vbi festa mero (id est, nudo) *pede Sabbata Reges,*
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Continent vltimi hi duo versus descriptionem Iudææ, in qua porcis parcitur, & Sabbata celebrantur. Cùm autem Poëta incestam vocat Berenicen sororem Agrippæ, docet profectò illum ipsa abusum, quamuis fortasse turpitudinem honestare conaretur titulo cognatæ. Siquidem:

Cognato poterit nomine culpa tegi.

c lib. 2. & 4. Histor.

Prætereà Tacitus [c] nominare videtur sororem, dicens quoque gratam fuisse Vespasiano, *& nihil propiùs fuisse, quàm vt nuberet Tito.*

Descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum.] Syrus, דנשאלון שלמא דפהסטוס *denescheelun schelame dephistus*, id est, *Vt postularent pacem Festi.* Sed Hebræorum, ac Syrorum phrasi hoc idem est, quod salutare.

Cur Agrippa ad Festum venerit.

Historia Scholastica causam aliam descensus reddit, vt accusaret Iudæos, quibus Agrippa erat infestus, & pro ea, quam ab Imperatore impetrauerat, facultate, constituebat summum Sacerdotem, qui non esset de genere Aaron, fecerat quoque in palatio fenestram, vnde quæ gererentur in templo, prospectaret: Iudæi autem murum altiorem extulerant: ideò hunc petebat Rex obrui à Festo. Narrantur hæc quidem de muro, ac palatio à Iosepho [d], non tamen de postulatione Regis. Hæc nisi commentitia sit, an isto facta sit tempore, prorsus incertum puto. Lucas salutandi officium pro causa posuit, vt Comestor negare non debuerit, nullam posuisse, Iosephum eam suppleuisse.

d 20. Antiq c. 7. vel 14.

De pariete à Iudæis erecto contra Herodis palatium.

Scribit ille, erectum parietem non solùm regij triclinij prospectum arcuisse, verùm etiam Occidentalis extra templum sitæ porticus, vbi festis diebus Romani stationes habebant ad templi custodiam; hoc facto tam Regem offensum esse, quàm Festum Præsidem prouinciæ, qui etiam iusserit parietem dirui: ciues cùm impetrassent legationem super hac re ad Neronem, retulisse Imperatoris optatum responsum, *sic manere parietem placere.* Itaque Festus, nō Regis, sed sui ipsius, Romanorúmque militum causa dirui parietem volebat, quantùm certè cognosci potest ex recitata historia. Adduci ad id etiā potuit precibus Agrippæ; sed Agrippam hanc modò postulationem exposuisse, coniectura Comestoris est: nec, vt dixi, admodùm verosimilis.

Versus 14.] Et cùm dies plures ibi demorarētur, Festus Regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus à Felice vinctus.

ET *cùm dies plures ibi demorarentur.*] Quidam codices in singulari, διέτριβεν. Sed melior lectio nostra, quam sequitur quoque Syrus, הוו לותה *hauu leuatheh*, id est, *Fuissent*, vel *manerent apud eum.*

Festus Regi indicauit de Paulo.] Nouus Præses

A cum Rege diu versato illis in regionibus, & magno rerum vsu prædito, amico etiam, officijque causa hospitante apud se, communicat negotia, vel consilij capiendi causa, vel testificandæ beneuolentiæ gratia. Oportebat verò quoque Paulum, qui propter vincula non poterat *nomen* CHRISTI *portare coram gentibus, & Regibus* [e], *ex vinculis ipsis id prædicare ante Reges, & Præsides.*

Cur Paulus à Rege, & Festo audiri mereretur.

e Act. 9. 15.

Vir quidam.] Quòd annotat Ambrosius [f], planè mysticum, nec sanè à Festo cogitatum, Paulum ante passionem suam & proximum conuersioni [g] adolescentem appellari, virum in passione [h], qui cursu consummato esset iam proximus ad coronam. Sed nec eò Agabum respexisse Prophetam,
B quando vincula prædicens, dixit [i]: *Virum hunc, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi.* Attamen annotatio pia est, quam idem Pater de ætatibus spiritualiter sumptis affert. Rursus obseruat in aliena passione, hoc est, Stephani, vocatum adolescentem, cùm Iudæorum vestimenta seruaret [k], senem in sua, cùm vinctus esset [l], & sui corporis exuuias exueret. Mutuatus est ex Origene [m] Ambrosius mysticam ætatum rationem.

f in Psal. 36.
g Act. 7. 57.
h cap. 25. 17.
i cap. 21. 11.
k cap. 7. 57.
l epist. ad Philem. v. 9.
m Hom. 4. in Psal. 36.

Versus 15.] De quo cùm essem Ierosolymis, adierunt me Principes Sacerdotum, & Seniores Iudæorum, postulantes aduersùs illum damnationem.

C ADIERVNT *me.*] Ἐνεφάνισαν. Syrus, הודעו *haudahhu, indicarunt.* De hoc verbo dictum plusquàm semel.

Postulantes aduersùs illum damnationem.] Syrus, דאעבר להון דינא מנה *dehhaber lehun dina mennah*, id est, *Vt facerem eis iudicium de eo*, vel, *Vt sibi de eo iudicium exequerer.* Αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ δίκην. Vatablus: *Postulantes aduersùs illum sententiam. Id est*, inquit, *vt ficta specie cognitionis Paulus videretur iure damnatus.* Quod indicant proximè sequentia eiusdem Festi verba. Interpres noster eò respexit, necnon ad intentionem accusatorum, qui volebant omninò damnatum Paulum.

D Aliqui à δίκη, comprehendit seriem totam iudicij vsque ad executionem, significat ius, & iustitiam, aliquando pœnam, suppliciúmque: sicut & Hebræorum more iudicium pro pœna ponitur, quæ sequitur ex iudicio [n]. Aliqui codices habent καταδίκην.

Δίκη quid sit.

n vt Exod. 6. 6. 2. Paralip. 24. 24. Esai. 34. 8 Ezech. 5. 8. cap. 14. 21. Oseæ 10. 4. Habac. 1. 12. Mat. 23. 14. 33. Gal. 5. 10.

Versus 16.] Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo donare aliquem hominem, priusquàm is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmq; defendēdi accipiat ad abluenda crimina.

E NON *est Romanis consuetudo.*] Hinc illud intelligitur postulasse Iudæos ad mortem inauditum ac indemnatum Paulum. Nec verò soli talem consuetudinem Romani habent, quam bis tamen à Romanis ipsis in se violatam conquestus est Paulus [o], verùm etiam cunctæ gentes, & quotquot rationis ductum, ac dictamen sequuntur. Causæ tertiæ nona quæstio in iure Canonico tota est de hac re, ibique recitatur à Marcello Papa [p], & à Damaso [q], hæc ipsa Festi, quamuis infidelis, fidelis, ac prorsus vera sententia. Meritò ibidem Gratianus [r] excipit contumacem: *pro præsenti námque eum contumacia haberi facit.* Quæ verba ex iure

Inauditū Paulum Iudæi condēnari petebant.

o cap. 16. 37. c. 22. 25.
p c. non oportet.
q ca. habetur. & c. qui accusare.
r cap. absens. 3. inst.

Ciuili

a Authent. vt omnes obed. iu. §. si verò. coll. 5.
b Authen de testi. §. & hæc verò. collat. 7.
c ca. in nomine Domini. de testibus & attest.
d l. absentem. ff. de pœn. l. absentem. C. de accusat. l. 1. de requir. reis. ff. l. si quondam. C. de adult.
Iudici ambæ partes audiendæ sunt, cum exemplo.
e l. inauditū. ff. ad legem Cornel. de sicar. l. 1. de requir. reis. ff.
f l. 2. de iis, qui sunt sui, vel alie. iur. §. sed & maior.
g orat. de coro. sub princip.
h in Apophthe.
i ibidem.
k Ammian. lib. 18.
l Ioan. 7. 51.

Ciuili sumpta sunt [a], ex quo [b] etiam in Canonico [c] alia recitantur, *vt testimonia dentur, admonito reo, aut defensore, venire, & audire testes; ita vt si venire noluerit, & non ex ineuitabili quadam necessitate venire non potuerit, huiusmodi testimonia valeant. Satius est nocentem absoluere, quàm innocentem condemnare* [d]. *Sed nec à patre filius* [e], *vel seruus inauditus* [f] *damnari poterat*, quamuis ius necis in eas personas patribus, dominísque liberum concessum esset.

Tritum illud, *Audi alteram partem*: & Demosthenes [g] inter alia plena æquitatis, hoc in primis commendat, Τὸ ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι, *Pari ratione vtrumque audire.* Alexander [h] in capitalibus causis sedens Iudex *alteram claudebat aurem, vt integram seruaret reo.* Et Scipio minor [i] Liciniū sciebat peierasse, quia verò nullus deferebat, negauit posse se simul accusatorem, & Iudicem esse. Cùm Numerius furtum sibi obiectum infita ratione strenuè refelleret, Delphidius autem Orator documentorum inopia percitus exclamaret, *Ecquis, florentissime Cæsar, nocens poterit esse vsquam, si negare suffecerit?* Respondit Iulianus, qui causam audiebat: *Ecquis innocens esse poterit, si accusasse sufficiet* [k]?

Poterat Festus, si tenuisset Iudæorum mores, hunc ipsismet obiicere, quem summus inter illos Doctor protulit: *Nunquid lex nostra* [l] (id est, legis; & Reipublicæ nostræ consuetudo, nec enim scripta lex vlla propria de hoc reperitur) *indicat hominem, nisi prius audiuerit ab ipso, & cognouerit quid faciat?* Tale responsum dedit iis, qui CHRISTVM damnabant, postquàm *missi à Principibus Sacerdotum, & Pharisæis ministri, vt apprehenderent eum* [m], *tantùm abest vt abduxerint, vt etiam summis laudibus extulerint* [n]. Itaque Nicodemus quando reus non adesset, & auditus non esset, negat legitimè damnari posse.

m ibid. 32.
n ibid. 46.

Præcipitatio in iudicio capitis maximè periculosa.
o 2. de Ira. ca. 33.
p lib. 29.
q lib. 7. ep. 1.

Maximè periculosa in iudicio præsertim capitis præcipitatio, *& cunctari iudicantem decet, immò oportet*, Seneca [o] teste, & Ammiano [p], vbi (ait iste) *irreuocabile factum agitatur*: atque Cassiodoro [q]: *Reus, qui dicitur*, inquit apud istum Theodoricus, *& probetur, &c. Cunctator esse debet, qui iudicat de salute. Alia sententia potest corrigi, de vita transactum non patimur immutari.* Hac eadem de re superiùs alia nonnulla dicta sunt.

Donare aliquem hominem. Syrus, דנתלון בר נשא מוהבת לקטלא *denetthelun bar nascha mauhebath leketela*, id est, *Vt dent filium hominis donum ad mortem*; vel, *Dono tradere quempiam interficiendum.* Χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν, *Donare aliquem hominem in interitum*, seu, *vt interimatur, & pereat*; & quidem donare gratis, ac sine causa, solùmque vt seruiatur gratiæ postulantium reum ad mortē. Quidam codices: Τινὶ ἄνθρωπον, πρὶν ἢ; *Alicui hominem, priusquàm.*

Ad abluenda crimina.] Quidam codices Latini addunt, *Quæ ei obijciuntur.* Sed his demptis, nihil perit sententiæ. Nec refert etiam singulare Græcum nomen ἐγκλήματος, vel quòd pro loco defendendi sit τόπον ἀπολογίας, *locus apologiæ*; est enim apologia idem quod defensio.

Versus 17.] Cùm ergo huc conuenissent, sine vlla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, iussi adduci virum.

r vers. 6.

SINE *vlla dilatione.*] Altera statim die, vbi rediciat ex Ierusalē [r], vbi summa diligentia prosecuti eum fuerant accusatores Pauli. Qua in re & Iudæorum importunitatem, & suam ipsius laudat celeritatem, quam nos quoque docuimus iis magnoperè necessariam, qui ius dicunt.

Iudicanti diuturnas s... les debet aures habere.
s cap. 33. & 72.

Sed & illa eorundem laus eximia, faciles, paratásque habere aures; quod eò vsque factitatum ab Augusto commemorat Suetonius [s], *vt perstaret in noctem in audientia, etiam sub porticibus, lectica quoque vtens pro tribunali, si parum corpore valeret, vel etiam domi cubans.* Plinius [t] laudat Traianum, quòd assiduus esset in tribunali, *adeò vt labore refici, ac reparari videretur.* Eodem nomine laudatur à Pacato Theodosius, Iulianus à Mamertino, à Nazario Constantius, Gratianus ab Ausonio. *Laudabile est,* inquit iste, *Imperatorem interpellantibus faciles prebere aditus, nec de occupatione causari. Tu confirmas adhuc cunctantes, etiam querimonias explicatis, ne quid adhuc sileatur interrogas.* Augustinus autem de incredibili quadam huius generis in Ambrosio sedulitate, quam viderat, & expertus erat, luculentè testatur [u], scribens circumcessum fuisse *cateruis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus seruiebat, nec vetitum quemquam ingredi, nec ei venientes nunciari in more fuisse.*

t in Panegyr.
u lib. 6. Confess. cap. 3.

Sedens pro tribunali.] Leuia crimina poterant *de plano*, vt dicunt, hoc est, *non ex tribunali, vel superiore loco audiri* [x], immò etiam, vt Vlpiano [y] placet, debebant; *nec tenebatur Proconsul omnes custodias audire, sed licebat ei mandare cognitionem legatis, vt preauditas ad se remitterent* [z]. Paulus insignis reus erat, crimina ei obiecta grauissima, Præses ipse postulatus ab accusatoribus ad cognoscendam causam.

x l. vnius §. vlt. ff. de quæ. l. custodias. ff. de publ. iudic. l. Diuus. ff. de feriis.
y in l. leuia. ff. de accusation.
z l. solem. ff. de offi. Procons.

Versus 18.] De quo, cùm stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum.

NVLLAM *causam deferebant.*] Syrus, ולא אשכחו מדם רשיא בישא דנחוון עלוהי איך מא דסבר הוית *velo aschechachu medam reschesane bischa danechaunn bhalauehu eich ma desabar hauith*, id est, *Et non potuerunt aliquam accusationem malam ostendere contra eum, sicut arbitratus fueram*; vel, *Nec potuerunt vllam culpam flagitiosam demonstrare aduersùs eum, prout arbitratus fueram.* Οὐδεμίαν αἰτίαν ἐπέφερον, ὧν ὑπενόουν ἐγώ. Latinus interpres addidit *malum*, & intelligi debet; quamuis quidam codices habeant πονηρὰν, nempe αἰτίαν, id est, *causam malam*, vt sit sensus: Nullam causam deferebant de iis rebus, quas tanquàm malas mihi deferendas suspicabar, siue expectabam, cùm tanta contentione flagitarent reum istum occidi. Minus congruit alia expositio, cuius meminit Glossa ordinaria, & Hugo, *suspicionem criminis hic significari de accusatoribus*, quia crimen morte dignum non afferebant, vel probabant: repugnat namque recitata phrasis Græca, & quæ proximè sequuntur in textu.

Versus 19.] Quæstiones verò quasdam de sua superstitione habebant aduersùs eum, & de quodam IESV defuncto, quem affirmabat Paulus viuere.

QVÆSTIONES *verò quasdam, &c.*] Plura, magísque distinctè Regi narrat Festus, quàm quæ, vel sub ipsomet, vel sub Felice Lucas acta, dictáve commemorauerit; voluit scilicet suam illi & industriam, & iustitiam probare. Prudentiam profectò non seruauit, dum Iudæorum religionem,

nem, cuius erat Agrippa, *superstitionem, δεισιδαιμονία*: (de qua voce alias egimus [a]) id est, *Dæmonum metum* nominauit, homo ipse superstitiosus, & impius, licèt reuerà Iudæorum iam religio vergeret ad superstitionem. Gallio Proconsul simili de causa delatum ad se Paulum remisit [b].

a cap. 17. 22.

b cap. 18. 14. 15. *Quidam Iesus ut per contemptum dicitur.*

Et de quodam IESV *defuncto, quem affirmabat Paulus viuere.*] Quendam appellat per contemptum, atque vt ostendat doctrinam illam Reipublicæ, quam administrabat ipse, minimè noxiam, quòd is diceretur extra homines viuere, qui olim cum hominibus viuens defunctus esset.

Iesu nomen clarum etiam tum Gentibus, tum Iudæis erat.

Poterat IESV nomen Agrippæ Iudæo non ignotum esse, qui Romanos annales legisset, celebre quoque fuisse sub Tiberio cognouisset, ad quem cùm Pilatus scripsisset, ipsum ille pro DEO coli volebat, vt prodidit Tertullianus [c], Eusebius [d], Orosius [e], Turonensis [f], Cedrenus [g], aliíq; posteriores Historici.

c Apolog. c. 5. & 21.
d 2. Histor. c. 2. & in Chron.
e lib. 7. c. 4.
f 1 Histo. c. 24.
g in Historia.

Versus 20.] Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam, si vellet ire Ierosolymam, & ibi iudicari de istis.

HÆSITANS *autem ego de huiusmodi*, &c.] Quidam codices Græci legunt, *Hæsitans & ego.* Εἰς τὴν περὶ τούτων ζήτησιν, *In quæstione*, seu *in quæstione de his.* Conficta causa est hæc, vera illa, quam Lucas attulit superiùs [h], quoniam *volebat Festus gratiam præstare Iudæis.*

h vers. 9.

Ecquid verò Ierosolymam ire oportebat, quia hæsitabat Præses de huiusmodi quæstione? Si erat quæstio de superstitione, nulla verò idonea causa, criménve ex iis, de quibus suspicabatur [i], nihil curare debebat. Quod si curiositati satisfacere volebat, & ab accusatoribus Pauli, qui multi, peritíque descenderant & ab aliis, siue coràm, siue per literas doceri poterat. *Certè rerum harum inquisitio*, inquit Chrysostomus, *reuerà talis Iudicis aures transcendit. Etsi hæsitans, & anxius es, cur in Ierusalem trahis? Sic dixit adumbrans suum peccatum.* Sic ille.

Reprehenditur Festus mendacij, & impudentiæ.

i vers. 18. & 19.

Versus 21.] Paulo autem appellante, vt seruaretur ad Augusti cognitionem, iussi seruari eum, donec mittam eum ad Cæsarem.

AD *Augusti cognitionem.*] Alij codices, *Augusti cognitioni.* Augusti nomen (siue ab augendo Imperio, quódque augeat Imperator suos, non minuat, vt ait Egesippus [k], siue aliunde) dixi priùs quo pacto sit generale, sicut Cæsaris, & quemadmodum hoc à Iulio, ita illud ab Octauio (cũ post C. Cæsaris ex testamento cognomen id auctore Munatio Planco posteà præualuisset [l]) translatum ad omnes Imperatores: & quod inter has voces discrimen reperiatur. Syrus retinuit nomen Cæsaris, próque cognitione vertit iudicium: ait enim לדינה דקסר *ludineh dekesar*, id est, *Ad iudicium Cæsaris*, Græcè est vocabulum Σεβαστοῦ.

k 5. excid. Ierosoly.

l Sueton. in Octauio. c. 7.

Non debuit Oecumenius dicere Augustum καταχρηστικῶς hîc, seu abusiuè, impropriéque pro Rege poni, quemadmodũ & Cæsarem, qui quoq; inferius Dominus appellatur: siquidem propriè duo dicta nomina à Latinis vsurpantur de persona Imperatoris, immò & à Græcis [m], qui non modò Σεβαστὸν, quasi dicas venerabilem, sanctum, & numinis veluti maiestate quadam colendum [n], sed etiam Latinam vocem retinentes nonnunquàm Αὔγουστοι exprimunt.

m vt Plutar. Polit. & Suida, & Euseb. 1. de vita Constant.

n Pausan. in Laconicis.

Eusebius quidem sic loquitur de Constantio: Μόνος δὲ λοιπὸν Κωνστάντιος πρῶτος Αὔγουστος, καὶ Σεβαστὸς ἀνηγορεύετο· τὸ μὲν κατ' ἀρχὰς τῷ τῶν αὐτοκρατόρων Καισάρων διαδήματι λαμπρυνόμενος, καὶ τούτων ἀπειληφὼς τὰ πρῶτα. Μετὰ δὲ τὴν ἐν τούτοις δοκιμὴν, τῇ τῶν ἀνωτάτω παρὰ Ῥωμαίοις ἐκοσμεῖτο τιμῇ, πρῶτος Σεβαστὸς, τεττάρων τῶν ὕστερον ἀναδειχθέντων χρηματίζων. Id est: *Constantius de reliquo solus primus Augustus, & Sebastus* (primum est Græcum, secundum Latinum Imperatoris nomen) *appellatus est, & cùm initio Cæsarum, qui & Imperatores vocantur, diademate* (priùs enim Cæsar, quod erat inferiùs nomen, electus erat) *illustratus esset, & inter alios*, qui cesserant Imperio, *primas adeptus; tum posteà exploratè cognitus, à Romanis ad summum honorem electus est, vt primus Augusti nomine diceretur ex iis aliis quatuor, qui postremò imperauerant.* Sic ille iuxta nostram versionem. Vbi perspicitur duplex nomen Αὐγούστου, καὶ Σεβαστοῦ: prætereà illustrius nomen Augusti fuisse, quàm Cæsaris.

Augustus nomen est maioris dignitatis, quã Cæsar.

Sunt & vxores cognominatæ Imperatorũ Augustæ [o], sorores etiam, filiæque, ac matres. Pertinax tamen Imperator hanc vxoris Augustæ appellationem non recepit [p]: & vxor, sorórque Traiani oblatam deprecatæ sunt, esse iudicantes plus in eo, si vxor, & soror Trajani, quàm si Augustæ dicerentur [q]. De matribus exempla sunt in ea, quæ fuit Vitellij Sextilia [r]; in Antonia Claudij [s]; in Mammæa Alexandri Seueri [t]. Tiberius autem Augusti nomen nullis nisi ad reges, & dynastas epistolis addidit [u], cùm prænomen Imperatoris, cognoménque Patris patriæ, & ciuicam in vestibulo coronam recusasset.

Augustæ mulieres etiam dictæ sunt.
o passim in Iure ciuili, & in Histo.
p Iul. Capitolinus in Pertinace.
q Plin. in Panegyr.
r Tacit. lib. 18.
s Sueton. in Claudio. c. 11
t Herodia. lib. 5.
u Sueton. in Tyberio. cap. 26.

Ex nomine Augusti quædam ciuitates denominatæ sunt, Sebaste, vt Samariæ prouinciæ metropolis, eíque homonyma Samaria auctore Herode, sicut idem Turrim Stratonis, à Cæsare Cæsaream vocauit. Latina quoque voce plures appellatæ reperiuntur Augustæ, vel Cæsaraugustæ, vel Augustodunum, denique mensis, qui dicebatur anteà Sextilis. Ad hunc eundem modum inferiùs hoc libro [x] cohors Augusta dicitur σπεῖρα Σεβαστῆ, vbi Syrus has voces Græcas retinet.

Ciuitates ab Augusto plurima dictæ sunt.

x cap. 27. 1.

Placet annotatio Feuardentij [y], sic Romanos Imperatores appellatos Augustos, *velut diuinitùs datos, & religiosa quadam veneratione propter merita in Rempublicam obseruandos; quomodo Persæ suos reges insigniebant titulo Assueri, vel Darij, & Artaxerxis, cum prima vox, si ex Hebræo fonte ducatur, significet magnum caput, seu principem eximium, capútque populorum: secunda, vt placet Herodoto* [z], *si Græcè interpretetur* ἐρξείην, id est, *coërcitorem aduersariorum.* (Pharao apud Ægyptios vindicem sonat, & assertorem) tertia, μέγαν ἀρήιον, *magnum bellatorem.*

y in capit. 1. Esther. *Augusti cur Romani Imperatores dicti sint.*

z lib. 6.

Continent hæ appellationes optimi Principis officia, vt subditos, seu inferiora regant membra; perturbatores coërceant; fines suos muniant, hostésque propulsent. Primum agnouit Dauid, & à DEO petiit [a]: *Constitues me in caput gentium.* Secundum DEVS ei iniunxit [b]: *Tu pasces populum meum Israël.* Tertium in eodem laudauit Abigail [c]: *Tu prœliaris prœlia Domini.* Adde Darium, teste Hesychio, Persarum lingua φρόνιμον, significare, id est, *prudentem.*

Officia Principum his nominibus designata.

a Psal. 17. 44.
b 2. Reg. 5. 2. & cap. 7. 7.
c 1. Reg. 25. 28.

Ad Cæsarem.] Quem paucis antè verbis nominauit Augustũ, Σεβαστὸν Græca voce, modò Latina nominat Καίσαρα. In Euangelio nũc Cæsarem

a Luc.2.1.

b cap.3.1.

Augustum dicit [a], sed eum, qui primus Augustus cognominatus est: Cęsar verò ob adoptionem Iulij Cæsaris, vbi Syrus retétis nominibus, quæ sunt in textu Græco, priore tamen loco ponit Augustum, quàm Cæsarem; nunc Cæsarem Tiberium [b].

Versus 22.] Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum.

VOLEBAM.] Syrus, צבא הוית *tsabe hauith*, id est, *cupiens essem*; vel, *velim*. Ἐβουλόμην propriè est, *volebam*: more tamen Græcorum est pro *vellem*, sicque Vatablus obseruat, & ante illum Glossa interlinearis, & Hugo. Græcismum non ignoro: sed quin præcedens Agrippæ desiderium significetur, nihil obstat, quale erat alterius Herodis videndi CHRISTVM, *ex multo tempore, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri* [c]: prætereà etiam *Ioannem audientis* [d]: *quamuis corripientem carcere incluserit, & propter Herodiadem quasi inuitus obtruncauerit.*

c Luc.23.8.

d Mar.6.20.

Agrippa erat Iudæus.

Iudæus erat Agrippa, de Christiana religione sine dubio aliquid subaudierat, & forsan de Paulo: idcirco, atque ob ea, quæ Festus narrauerat, simul vt Festo postulatum consilium dare meliùs posset, hominem coràm inspicere, audire, & cum eo loqui voluit; refert námque plurimùm hoc ad cognoscendum reum, & venandam veritatem.

Diuina prouidentia eluxit in hoc.

Eluxit in hoc item prouidentia diuina, vt hinc Paulo liceret de CHRISTO testimonium fortiter edere, hinc verò de Pauli innocentia tanti Principes adeò perspicuè respondere coacti ab ipsa veritate, quàuis minimè studiosi cognoscendæ veritatis, vel quæ ad istam causam pertineret, vel, quod caput est, ad salutem comparandam.

Principes raro audiũt verbum Dei.

e Ionæ 3.6.

f Matt 11.25.

g 1.Cor.1.26.

h Augustin.8. Confess.c.8.

In Niniue prædicatio Ionæ priùs accepta est à reliqua multitudine, quàm à Rege [e]. Infœlix eiusmodi conditio hominum, ad quos ægrè veritas peruenit, & vbi peruenerit, vix immoratur. Scilicet DEVS *arcana à sapientibus, & prudentibus* [f]: nec *multos nobiles, sapientes, potentes admitti* [g]: vel *ipsum potiùs illi, sed indocti rapiunt cœlum* [h].

Versus 23.] Altera autem die cùm venisset Agrippa, & Bernice cum multa ambitione, & introissent in auditorium cum Tribunis, & viris principalibus ciuitatis, iubente Festo, adductus est Paulus.

Mulier in causa fuit, vt Agrippa Paulum audiret.

CVM *venisset Agrippa, & Bernice.*] Miratur Chrysostomus desiderium Agrippæ Paulum audiẽdi: *non enim nisi concupiuisset*, inquit, *quæsisset audire, neque vxorem* (sic illam nominat) *sociam fecisset auditionis, nisi magna de illo sensisset.* Addit sibi videri, & illam magno id desiderio petiuisse. Videtur quoque mihi, ac fortasse viro, seu affini, vel fratri desiderium exacuisse. Curiosa, rerúmq; nouarum auida natio omnis fœminarum. Tam verò se isti diligebant immodicè, seiungi tantillùm se vt non paterentur, quemadmodùm antè dixi.

Cum multa ambitione.] Syrus, בזוחא סגיאא *bezauecha saggeiaa*, id est, *Cum multo apparatu*, seu *fastu*. Μετὰ πολλῆς φαντασίας. Glossa Rabani exponit, *Cum multa turba ambiente eos*; vel, *Cum desiderio Paulum audiendi.* Beda, *Cum multiplici apparatu, & pompa regalis officij, qua ambiebantur, ac vndique stipabantur.* Lyranus, *Cum multo apparatu, & cultu vestium, & societatis.* Hugo, *Cum multo desiderio videndi Paulum, aut turba, & pompa regalis officij eos ambiente.* Gagneius eodem modo. Carthusianus, *Cum grandi apparatu, & fastu.* Caietanus, *Cum ostentatione.* Vatablus, *Cum apparatu.* Sà, *Cum apparatu, seu ostentatione.* Historia Scholastica: *Cum apparatu, vel turba eos ambiente, vel desiderio ambiendi.* Error in codice videtur, pro *audiendi.* Verè omnes, dummodò in voce Latina ambitionis vim non ponant, seu pro vitio, quod vocatur ambitio, seu pro desiderio, seu pro circumassistentibus: nihil enim horum est φαντασία. Interpres pro effectu causam posuit, sicut & Caietanus vtens ostentationis vocabulo: apparens enim, ac speciosus, conspicuúsq; omnibus apparatus, si modum excedit, ex ambitione prouenit, eámque declarat.

Argumentum nostri Interpretis Thesauri Græci Author arguitur.

i lib.5.

k in Polymnia.

Perperàm igitur facit Græci Thesauri Auctor, dum interpretem reprehendit: nec enim ignorat eodem loquutum modo Athenæum [i], eodem Herodotum [k], sic vsurpantem verbum φαντάζεσθαι. Athenæi sunt hæc, postquàm Athenionis luxum descripsit: Οὐδ' ἑνὸς οὐδὲ Ῥωμαίων ἐν τοσαύτῃ φαντασίᾳ καταχλιδῶντος τῆς Ἀττικῆς, *Nullo ne in Romanorum quidem tanta specie, ac splendore in Attica delicijs affluente.* Herodotus ita: Ὁρᾷς, ὡς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα κεραυνοῖ ὁ ΘΕΟΣ, οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι, τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέ μιν κνίζει. *Vides*, ait apud eum Artabanus, Xerxem deterrens ab expeditione contra Græcos, *vt procera, & elata animalia fulminat* DEVS, *nec sinit ostentare se, ac veluti de se spectaculum præbere: parua verò ne scalpit quidem, aut vellicat.*

Interpres noster vocem eamdem suo quoque sensu vsurpauit.

l 2.Paralip.16.14.

m 1.Machab.9.37.

Idem Interpres noster καύσιν, aromatum in funere, μεγάλην ἕως σφόδρα, exposuit, *cum ambitione nimia* [l], eadémque phrasi vtitur, vt describat nuptiarum pompam, atque apparatum [m], vbi Græca est dictio, τὸ [illegible], cuius simplex Latinitate donata est pompa, & deductionem, siue comitatum significat, vulgò, *Corte, seguito*: hanc forsitan significationem intendit Interpres hoc loco, & qui exponunt de ambientibus, atque circumstantibus & stipãtibus: exhibent enim stipatores multi Principi maiorem honorem (Chrysostomus hîc explicat, *Cum multo honore*) quàm aliæ quæuis res externæ.

Ambitio [illegible] de Magistratibus.

n lib.12.c.18.

o 9.var.hist.

p lib.4.

q 1.Cyrop.

r 1.de regno Persarum.

s 1.Hist.c.1.

t 6. Tripart. cap.1.

u Matth.21.

Et pars hac in re solet ambitionis esse non parua, vt potest exemplis ostendi, præsertim Persarũ Regum, de quibus Athenæus [n], & Ælianus [o], & Polyænus [p], & Xenophon [q] & ex horum, aliorúmque locis Brissonius [r]. Iulianus è contrario cùm remouisset fastum palatij, cõtemptibile reddidit imperium, vt Socrates [s] prodit, atq; Cassiodorus [t]. Rex ipsa si modum habeat, laudanda, vsurpanda; si careat modo, cauenda, vituperanda: seu sit Magistratus ciuilis, seu Ecclesiasticus, cui dedit quidem CHRISTVS exemplum modestiæ, asino vectus in Ierusalem [u]; sed celebritate pompæ, ac deductionis vsus est honestissima; & iam in cœlo sedens, in Vicariis suis coli vult, & obseruari summis honoribus maiestatem suam.

x Terent. in Andr. act. 1. scen. 1.

Verisimile autem est, prodiisse Reges cum insigni pompa, tum propter loci celebritatem, tum propter adeò notabilem reum. Venerant officij causa ad nouum Præsidem; ideóque non sine eo apparatu, comitatúque, qui illius dignitati, & suæ ipsorum maiestati conueniret, præsertim verò cùm prodeundum foret in publicum. De pretiosa, ornatáque veste non dubito, quin Reges eam imposuerint sibi, suísque: hoc verò fas esse docui capite duodecimo. Ita tamen, vt *Ne quid nimis* [x].

Qualis est Principum custodia tutissima.
a Parn. ad Nicoclem.
b in Paneg.

Corporis autem optima, certissimáque custodia est, vt præcepit Isocrates [a], *In virtute amicorum, beneuolentia ciuium, prudentia ipsiusmet Principis*: addit Plinius [b] innocentiam, aitque esse *arcem inaccessam, & inexpugnabile munimentum, munimento non egere: frustrà se terrore succingere, qui septus charitate non fuerit, armis enim arma irritari.*

Auditorium quid hîc sit.
c cap. 23. 35.
d l. contra. ff. de re iudic.
e lib. 10. c. 1.

Et introissent in auditorium.] Εἰς τὸ ἀκροατήριον. Videtur locus deputatus audientiæ, vt vocant, seu audiendis causis, & Cæsareæ quidem in Prætorio, de quo diximus [c]. Sunt etiam, qui pro suggesto, pulpitóve dictionem Græcam interpretentur. Laxiorem locum hîc significat pro foro, & tribunali: quo pacto Paulus Iurisconsultus [d] ait, *qui ad maius auditorium vocatus est, si litem inchoatam deseruerit, contumacem non videri.* Quanquàm Quintilianus [e], *lites foro, atque pericula; disputationes auditorio, præceptáque assignat.*

Cum Tribunis, & viris principalibus ciuitatis.] Et hi cohonestabant Reges, pertinebántque ad ambitionem priùs expositam. Principales appellantur hoc loco οἱ κατ' ἐξοχὴν.

Quale auditorium congregatur Paulo.

Vide quale auditorium congregatur Paulo, ait Chrysostomus, *cum viris principalibus ciuitatis: Princeps enim, & Rex stipatoribus suis omnibus congregatis occurrunt, & cum ipsis Tribuni, & primi ciuitatis affuerunt*: hos enim vocat τοὺς κατ' ἐξοχὴν, id est, eos, *qui in excellentia officij, & dignitatis, seu honoris, seu nobilitatis, & facultatum, seu doctrinæ, & sapientiæ erant.*

Expectatio magna erat populi magni de Paulo.

Expectatio videlicet magna omnibus ordinibus concitata erat in ciuitate, vbi non paucos iam dies Paulus versabatur (non tamen annos duos, quod anteà refellimus) ecquem causa illius exitum haberet, & perorandam, finiendámque sibi persuadebant eo die, Regibúsque gratum de damnatione talis rei spectaculum, ac de supplicio exhibendum. Et processerunt forsitan cum militibus Tribuni, vel Reges prosequendi causâ, vel vt remouerent, ac impedirent tumultum, qui solet in eiusmodi casibus excitari, præsertim cùm in adeò celebri ciuitate Paulo fautores, amicíque deesse non possent.

Iubente Festo adductus est Paulus.] Syrus, אתא *attha, venit* ἤχθη, denotat actum, & adductum more noxiorum non sine vinculis.

Egregium Paulus spectaculum, & obuiis à custodia ad auditorium, & in auditorio ipso: varia hominum iudicia, studia, verba de illo, & super illo Iudæorum præsertim, non accusatorum quidem, qui redierant in Ierusalem (tametsi non neminem reliquisse procuratorem, qui vrgeret accusationem, credi potest) sed aliorum tamen, quibus insederat in animo, Paulum vniuersæ ipsorum gentis aduersarium esse. Nec deesse Reges in hac causâ debuerunt, non mulier, regis siue soror, siue cõiunx, quemadmodum Pontifices, Præses, huius vxor, milites Gentiles in CHRISTI iudicio suas sunt partes exequuti.

Versus 24.] Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Ierosolymis, petentes, & acclamantes non oportere eum viuere ampliùs.

Bernice an huic iudicio interfuerit.

AGRIPPA *rex, & omnes, qui adestis nobiscum viri.*] Quoniam aderat Bernice, non sedent verò fœminæ cum viris in iudicio, suspicabantur nonnulli, de quibus antè diximus [f], Bernicem non fœminam, sed virum fuisse. Adde si regis aut vxor, aut soror erat, direxisset quoque Festus orationem ad ipsam, tãquàm ad reginam, siue vt Agrippæ vxorem, siue vt alterius quondam regis. Fieri potuit, vt postquàm Bernice Paulum satis intuita est, secesserit extra concessum Iudicum, vel potiùs vt interfuerit quamdiu orata est causa, hoc enim tempore non arcentur auditores: sed neque sedebat ibi Agrippa vt iudex, cui Bernicem pro regia dignitate, & intima coniunctione, amicitiáque, non dubium est assedisse. Nec decori verò ratio patiebatur, vt præter alios auditores quoscunque generatim tantùm nominatos, cuiusquam à Præside in sua oratione nomen exprimeretur, quàm regis, cuius in gratiam reus illuc adductus erat, & à quo Præses de reo sentẽtiam, honoris, consiliíque causâ postulabat.

f vers. 13.

Regia appellatio per se perhonorifica est.
g Suet. in Augusto. c. 54.
h Cæsar 1. de bel. Gall. cum de Ariouisto. & Liuius lib. 31. de Syphacis filio. Sallustius in Iugur. cum de Masanissæ nepote.
i Plutarc. in Apophthe.
k Cæsar 7. de bel. Gall.

Porrò Festus pro Romanis gubernator prouinciæ, nullo Agrippam quàm Regis alio titulo afficit. Satis honorifica per se regis appellatio videri poterat, quæ & apud Romanos aliquandiu maxima, etiam postmodùm nimia habita est, atq; odiosa [g], nec ab iis, nisi pro maximis officiis, communicata exteris Principibus [h]. Sic abominabantur Lacones regis nomen, vt legatum suum, quòd Antiochum Demetrij filium hoc nomine appellasset, mulctauerint, etiamsi medimnum tritici ab eo, arctis commeatibus, in capita apportasset [i]: neque Galli Cetillum, qui principatum diu gesserat, ferre potuerunt, vbi regis sibi titulũ vsurpare velle deprehenderunt, sed illicò interfecerunt [k]. Fuit nihilominùs communius olim regis nomen apud omnes nationes Principibus, qui ditiones administrarẽt, vt liquet non ex sacris Literis duntaxat [l], sed etiam profanis Auctoribus [m]. Quanquàm reguli vox apud vtrosque reperitur [n].

l in veteri Testam. passim.
m id habet Iustinus in princip. Historiæ.
n Ioan 4. 46. apud Sallustium suprà, & Solinum & Fabium Pictorem.

Videtis hunc, de quo.] Nonnulli Græci codices legunt hoc pacto cum interrogatione, Θεωρεῖτε τοῦτον; περὶ τούτου. *Videtis hunc? de hoc*, &c. Magis morata, magisque grauis oratio videtur absque nota interrogationis. In quibusdam Latinis libris habetur, *Hunc hominem.* Præsefert modus loquendi aut contemptum, aut commiserationem.

Scopus huius orationis Præsidis.

Spectant autem hæc omnia, *quæ modò dicuntur à Festo, ad colorandam* (vt loquitur Caietanus) *Pauli vocationem seu productionem in auditorium factam rogatu regis, & vt ceteri, qui maximo numero conuenerant, intelligerent.* Præses de Pauli non dubitabat innocentia: rex eandem didicerat à Præside: huiúsque Præsidis erat, qui pleno iure gubernabat prouinciam, reum vel damnare, vel absoluere, nõ illius. Ad prouidentiam diuinam reuocandi oculi cum Chrysostomo: *Voluit* DEVS *clientis sui in tali theatro innocentiam patefacere, tótque, támque locupletibus testatam testimoniis esse.*

Pauli innocentia testatissima.

De quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Ierosolymis.] Syrus, & Græcus textus addit והרכא *veharecha, & hic*, καὶ ἐνθάδε, necnon aliqui codices Latini. Exaggeratio est; adierant enim Festum *Ierosolymis Principes Sacerdotum, & primi Iudæorum* [o]. Vel cùm referrent totam multitudinem, & multitudinis nomine peterent, potuit de multitudine tota id affirmari: eadémque ratio erit de iis, qui descenderant ex Ierusalem ad accusandum.

o vers. 2.

Petentes.] Deest quidem hoc participium in editione Græca, & Syra, sed ad sensum confert; ne clamore magis egisse Iudæi, quàm iuridica petitione censeantur: id namque & Iudæis, ex quibus

erat Agrippa, indecorum, & Præsidi fuisset iniquum, si clamoris habita ratio duntaxat esset.

Et acclamantes non oportere eum viuere amplius. Hæ voces auditæ sunt, cùm haberet Paulus apologiam coram Iudæis, & Lysia Tribuno inter deducentes ipsum milites ad castra [a]. Easdem forsitan accusatores in ipsa dicendi contentione, & clamore repetiuerunt, & Ierosolymis, & Cæsareæ.

a cap. 22. 22.

Versus 25.] Ego verò comperi nihil dignum morte eum admisisse, ipso autem hoc appellante ad Augustum, iudicaui mittere.

EGo *verò comperi nihil dignum morte eum admisisse.*] Condemnauit iniquam Iudæorum criminationem Lysias, Felix, Festus, licèt Iudæis maximè gratificati sint, & spatium texendorum criminum prolixè dederint. Similia fuerunt verba, quibus innocentem CHRISTVM Pilatus pronunciauit, referens tacitum de eo Herodis iudicium [b]. Vim autem habet participium καταλαβόμενος, aut, vt est in aliis libris, κατειλαβόμην: denotant enim accuratam, exquisitámque rei inuestigationem, deprehensionem, seu comprehensionem, & euictionem, vnde κατάληψις Philosophis, atque Rhetoribus nota.

b Luc. 23. 15.

Ipso autem hoc.] Καὶ αὐτοῦ δὲ τούτου. Hoc est in casu auferendi iungendum cum *ipso*. Indicat Præses remissionem rei ad Augustum à reo ipso propositam à se admissam.

Iudicaui mittere.] Αὐτὸν, *ipsum:* quasi liberum fuerit non mittere, vel minimè necessarium, eò quòd nullum sit crimen, quod probari possit, & in prouincia poterat reus absolui. Debueritne Præses admittere appellationē, nuper disputauimus.

Versus 26.] De quo quid certum scribam Domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maximè ad te, rex Agrippa, vt interrogatione facta habeam quid scribam.

Iudex nihil habet quod de Paulo scribat.

DE *quo quid certum scribam Domino, non habeo.*] Et hoc ad candorem Pauli pertinet, ait Chrysostomus, quòd Iudex non habet aliquid de illo scribendum. Iniustè, ac stolidè Iudex se gerit, dum detinet, quem nouit innocentem; quamuis enim hîc appellasset, veritus Iudæorum insidias, furorémque; tamen oportuit prudentem Præsidem aliam tenere viam consulendi securitati innocentis, nimirum, quem vulgò vocant saluum conductum largiēdo, seu saluam guardiam, & Latiniùs, fidem publicam, vel cautionem de non offendendo, & Græcè, vt placet Alciato [c], τὸν καλούμενον λόγον. De qua re diligenter Iacobus Menochius [d], ætatis nostræ Iurisconsultus grauissimus.

c 8. Paref. c. 2. ex Authen. de manda. Princip. §. sed neque.
d lib. 2 de Arbitra. Iudicū. centu. 4. casu 336. 337. 1, 8.

Domino.] Syrus, לקסר *lekesar, Cæsari:* quidam Græci codices addunt μοῦ, *meo, Domino meo.* De voce Domini diximus capite primo [e]. Absoluta, sinéque addito, ac restrictione vox *Domini* illius est duntaxat, qui est, dicitúrque *Dominus dominantium* [f]. Ostensum est eo loco quoque, qui Imperatorum refutauerint maxima cum laude talem appellationem, quíque admiserint, & exegerint, summam inde consecuti aliorum inuidiam, & odiū. *Augustus Imperij formator,* ait Tertullianus [g], *ne dominum quidem dici se volebat. Et hoc enim* DEI *est cognomen. Dicam planè Imperatorem dominum, sed more communi; sed quando non cogor, vt Dominū* DEI *vice dicam. Ceterùm liber sum illi; Dominus enim meus vnus est, omnipotens* DEVS *æternus, idem qui & ipsius.* Sic ille: qui tamen nonnullum verum dominum hominibus competere non negaret. Assentantur Imperatori, qui orbis eum Dominum nominant, nec qui se τοῦ κόσμου κύριον. Antoninus Cæsar appellauit [h], aliter intelligi voluit, quàm συνεκδοχικῶς, sicuti cùm Lucas [i] scripsit *descriptum ab Augusto vniuersum orbem,* qui sine dubio non erat vniuersus ei subiectus, vt testatur Suetonius [k], de Sardinia, & Africa. Quocirca Bartolum [l] Baldus [m] meritò reprehendit, affirmantem propter verba Lucæ, hæresim esse negare, totius orbis dominum esse Imperatorem, denique omissis aliis, vt in re nimis nota, quis ignorat, diuiso Imperio duos Imperatores extitisse, Orientis, vel Græcorum, Occidentis, siue Latinorum, Constantinopolitanum, & Romanum (id insigne bicipitis Aquilæ denotat, quamuis alij aliter [n]) multos etiam reges Imperatoris dominio, legibúsque nullo modo esse subiectos [o].

e vers. 21.
f Apoc. 19. 16.
Augustus nomē Domini refutauit.
g Apol. c. 34.
h l. ἀξίωσις, ad leg. Rhod. de iactu.
i Luc. 2.
k in Augusto, cap. 47.
l Lucius ff. de captiuis.
Imperator non est Dominus totius mundi.
m capitulo 1. de natu. & obedi.

Suidas [p] quidem prodit, & ante illum Procopius [q], Iustinianum posuisse statuam suam in columna, quæ læua globum teneret, cruce in eo defixa, vt significaret, eum ob fidem in crucem, terræ dominum factum: deinceps verò aliorum Imperatorum imagines ad eūdem modum exprimuntur: tamen non plus, aliúdve picturæ, quàm voces significant, & potest ea figura significari, peculiariter Imperatoris munus esse, vt crucis vexillum, CHRISTIque fidem aduersùs Infideles tueatur, & pro ea dignitate, potentiáque, quam habet in omni terra, propaget.

n Cassanæus in catalogo Gloriæ mundi. Lege Vlyssem Aldrouandum 1. Ornitholog. c. vlt.
Imperatoris statua cum globo, & cruce quid significat.
o Clem. 1. §. eiusdem de sent. & re iud.
p verbo, Iustinianus.
q l. de ædif. Iustin.

Gretserum posteà nostrum [r] vidi hoc ipsum Iustiniani exemplum afferentem, de quo etiam citat Glycam, Gregoram, & Codinum, præterea antiquius Constantini, & Theodosij, & Anastasij, & Mauritij, & Phocæ, & Heraclij, & Eudoxiæ vxoris Valentiniani III. Sed & ex Gentilibus, qui non vtebantur cruce, Augusti, Antonini, Traiani, & quidem in nummo Antonini inscriptionem, RECTOR ORBIS. Postremò Q. Iulium Hilarionem in Chronologia, quæ est Tomo tertio Bibliothecæ Patrum, docere, globum illum significatum *stanneo lapide, quem Zorobabel dux populi Israëlitici, manu circumferebat* [s], hoc est, inquit Hilarion, *populum.* Nisi constaret Cyrum à Cyro flumine denominatum [t], & ludere placeret in vocabulo Græco Κύριος, dicere possemus Persarum reges delectatos eo nomine, cùm se reges quoque regum, aliísque superbis titulis insignirent: Gallorum quoque reges generali nomine dici *Sire.* Turcæ regem suum appellant Sultanum, vulgò magnum Dominum, fortasse quia שלט *schalat,* est *dominari,* & שלטון *schilton, dominium,* & pro eo nomen regis Interpres Ecclesiastis posuit [u]. Priùs docui hoc ipso capite δεσπότης nomen dictum quidem de Imperatore: sed posteà de illo, qui primus secundùm ipsum esset, sicut Galli regni designatum successorem nominant Dominum, *Monsieur.*

r de Cruce, cap. 54.
De globo imaginum.
s Zacha. 4. 10.
t Strabo lib. 15.
u cap. 8. 4.

Versus 27.] Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & causas eius non significare.

Rei ad vrbem mittebantur cū significatione criminis.

SINE *ratione enim mihi videtur.*] Solebant in vrbem rei mitti cum testificatione criminis scripto comprehensa, quod appellabant elogium. Vtitur elogij voce Tertullianus [x], in hac signi-

x Apol. cap. 2. vbique, ex quo Pamelius.

ficatione

a Serm. de Ritibus & mor. Cleri
b in Caligula. cap. 24.
c in Seuero.
d lib. 14.
e l. Diuus Adrianus. ff. de custod. reo.
f l. desertorē. ff. de re militari.
g lib. 18. aduersa. cap. 5.

fication e frequenter, & aliquando Augustinus [a], Suetonius [b] quoque, Spartianus [c], Ammianus [d], & Martianus Iurisconsultus [e] (vbi & nomen *ἀνακρίσεως* ponitur in ea significatione, quam dixi) & Modestinus [f]. Certum est tamen etiam sumi elogium in bonam partem. Sed hæc acceptio ad rem non facit, lege Turnebum [g]. Magis affinis, ac eadem ferè illa, cùm dicitur de inscriptio-

A ne, quæ reo damnato, & animaduerso imponitur, qualis fuit in SALVATORIS cruce titulus. Hoc loco per *τῆς αἰτίας*, pro quibus סכלותאה *sachelutheh delictum* vertit Syrus, intelligitur elogium. Sic enim apud Matthæum [h] Græca editio habet pro titulo CHRISTI *αἰτίαν*, & Latina *causam*: Marcus [i], *ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας, titulum causæ*. Lucas [k] simpliciter *ἐπιγραφή*.

h cap. 27. 37.
i cap. 15. 26.
k cap. 23.



CAPVT VIGESIMVM-SEXTVM.

SVMMARIVM.

Cùm Paulo facta loquendi potestas esset in tam frequenti, nobilique auditorio Regum, Præsidis, & aliorum Principum, ille conuersionem suam, & quæ propter prædicatum à se CHRISTVM *Gentibus, Iudæisque nuper opera Iudæorum tulisset, narrat. Festo nimia eum scientia insanire obiicienti, modestè negat: Agrippam, qui se ipsius ostenderat oratione commotum, ceterósque, qui aderant, optat ex animo sibi similes esse Christianos. Agrippa Paulum declarat innocentem, quique nisi Cæsarem appellauisset, liber dimitti potuerit. Erimus hîc breuiores, quia capite nono egimus de Pauli conuersione.*

1 AGRIPPA verò ad
Paulum ait: Permit-
titur tibi loqui pro
temetipso. Tūc Pau-
lus extēta manu cœ-
pit rationē reddere.
2 De omnibus quibus
accusor à Iudæis, rex Agrippa, æstimo me
beatum, apud te cùm sim defensurus me
hodie,
3 Maximè te sciente omnia, & quæ apud
Iudæos sunt consuetudines, & quæstio-
nes: propter quod obsecro, patienter me
audias,
4 Et quidem vitam meam à iuuentute,
quæ ab initio fuit in gente mea in Iero-
solymis, nouerunt omnes Iudæi:
5 Præscientes me ab initio (si velint testi-
monium perhibere) quoniam secundùm
certissimam sectam nostræ religionis vixi
Pharisæus.
6 Et nunc in spe, quæ ad patres nostros
repromissionis facta est à Deo, sto iudicio
subiectus:
7 In quam duodecim tribus nostræ no-
cte ac die deseruientes, sperant deuenire.
De qua spe accusor à Iudæis, rex.
8 Quid incredibile iudicatur apud vos,
si Deus mortuos suscitat?
9 Et ego quidem existimaueram, me ad-
B uersus nomē Iesu Nazareni debere mul-
ta contraria agere.
10 Quod & feci Ierosolymis, & multos
sanctorū ego in carceribus inclusi, à prin-
cipibus sacerdotum potestate accepta: &
cum occiderentur, detuli sententiam.
11 Et per omnes synagogas, frequenter
puniens eos, compellebam blasphemare:
& amplius insaniens in eos, persequebar
vsque in exteras ciuitates.
12 In quibus dum irem Damascum cum
C potestate, & permissu principum sacer-
dotum,
13 Die media in via, vidi, rex, de cœlo su-
pra splendorem solis circumfulsisse me
lumen, & eos, qui mecum simul erant.
14 Omnésque nos cum decidissemus in
terram, audiui vocem loquentem mihi
Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me
persequeris? durum est tibi contra stimu-
lum calcitrare.
15 Ego autem dixi: Quis es Domine?
D Dominus autem dixit: Ego sum Iesus,
quem tu persequeris.
16 Sed exurge, & sta super pedes tuos:
ad hoc enim apparui tibi, vt constituam
te ministrum, & testem eorum, quæ vi-
disti, & eorum, quibus apparebo tibi,
17 Eripiens te de populo, & gentibus, in
quas nunc ego mitto te,

18 Aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem, quæ est in me.

19 Vnde rex Agrippa, non fui incredulus cælesti visioni:

20 Sed his, qui sunt Damasci primùm, & Ierosolymis, & in omnem regionem Iudææ, & Gentilibus annunciabam, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.

21 Hac ex causa me Iudæi, cùm essem in templo, comprehensum tentabant interficere.

22 Auxilio autem adiutus Dei vsque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque maiori, nihil extra dicens quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses,

23 Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annunciaturus est populo, & Gentibus.

24 Hæc loquente eo, & rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis Paule: multæ te litteræ ad insaniam conuertunt:

25 Et Paulus: Non insanio (inquit) optime Feste, sed veritatis, & sobrietatis verba loquor.

26 Scit enim de his rex, ad quem & constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neq; enim in angulo quidquam horum gestum est.

27 Credis rex Apripp a prophetis? Scio quia credis.

28 Agrippa autem ad Paulum: In modico suades me Christianum fieri.

29 Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his:

30 Et esurrexit res, & præses, & Bernice, & qui assidebant eis.

31 Et cùm secessissent, loquebantur ad inuicem, dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iste.

32 Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

Versus 1.] Agrippa verò ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere.

PERMITTITVR *tibi loqui pro temetipso.*] Quidam codices Græci in præterito legunt, ἐπιτέτραπταί, *Permissum est.* Annuit forsitan regi Præses honoris gratia, vt iudicium moderaretur, ac de reo quæ vellet, faceret sciscitando, vel oratione continua loquentem audiendo. Vidimus etiam capite XXIV.[a] Præside annuente pro se locutum Paulum. Vbi consule quæ pertinent ad rationem respondendi reorum, vel pro reis. *Magno audiendi desiderio*, Chrysostomus ait, *Agrippam, vt diceret, hortatum Paulum.* a vers. 10.

Extenta manu.] More concionantium, vt fusiùs expositum est capite XII. & XIII. & XIX. Adiice Persium [b]: b Satyr. 4.

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus.

Ibi Antonius Foquelinus Scholiastes ad idem citat Lucanum, & Papinium, & Ouidium.

Minùs ergo probabile censendum, quod Caietanus de manus vtriusque versùs Agrippam extensione docet in signum gratiarum actionis. Nec legi gratias agi solitas eo corporis gestu. Potest quoque manus extensio index videri liberalis, liberíque, ac sibi optimè conscij, & nihil verentis animi. Quam libertatem Apostolus hactenus, quoties orandum illi fuit pro se, declarauit: nunquàm pauidus, nũquàm elinguis, aut mutus, quod summis contigit Oratoribus, Theophrasto, aliísque, quos Ælianus [c] commemorat, necnon Demostheni, & Ciceroni. *Manus extensione non significatur actio gratiæ.* c libro 4. var. histor.

Videlicet *loquebatur* SPIRITVS *diuinus in Apostolo* [d], *eíque os, ac sapientia data erat, cui non poterant resistere, & contradicere omnes aduersarij eius* [e]. d Matt. 10.19. e Luc. 21.15.

Sed & Pauli notatu dignissima modestia, studiúmque salutis alienæ: cùm enim Cæsarem appellasset, & admissa appellatio esset, de omnibus rationem copiosè reddit, non excipiens, vt obseruat copiosè quoque Chrysostomus: *quidnam? semel appellaui Cæsarem: sæpissimè examinatus sum: quamdiu examinabor?* *Pauli notabilis modestia, studiumque salutis aliorum.*

Versus 2.] De omnibus, quibus accusor à Iudæis, rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cùm sim defensurus me hodiè.

DE *omnibus, quibus accusor à Iudæis.*] Hieronymus paulò aliter legit, exponítque. Sic enim suam de optimo genere interpretandi orditur epistolam [f]: *Paulus Apostolus, præsente rege Agrippa de criminibus responsurus, quò posset intelligere, qui auditurus erat, securus de causæ victoria, statim in principio sibi gratulatur, dicens: De omnibus, quibus accusor à Iudæis, ô rex Agrippa, existimo me beatum, cùm apud te sim hodiè defendendus, qui præcipuè nosti cunctas, quæ in Iudæis sunt, consuetudines, & quæstiones. Legerat enim illud Iesu* [g]: *Beatus qui in aures loquitur audientis: & nouerat tantùm Oratoris verba proficere, quantùm Iudicis prouidentia cognouisset.* Infert inde à simili, Pammachium eruditum virum, conueniens. *Vnde & ego beatum me in hoc duntaxat negotio iudico, quòd apud eruditas aures imperita lingua responsurus sum.* Citat Hieronymum Beda, sed mendosè, vel ipse, vel f epist. 101. g Eccli. 25. *Oratoris verba tantùm proficiunt, quantùm Iudicis prudentia cognoscit.*

qui

A qui Bedam exscripsit pro *Iesu*, nimirum *filio Sirach*, auctore libri Ecclesiastici, citat Esaiam: in libro autem dicto sunt hæc verba: *Beatus, qui enarrat iustitiam auri audienti*; vt non sit verum prorsus non extare in Sciptura, vt indicat Hugo, sed in Esaia, quem similiter vt à Beda citatum refert.

Si in verbis textus ponatur comma post beatum, *Æstimo me beatum*, sensus erit, æstimare se beatum, non apud regem, quia rex esset, sed quòd apud eum dicere liceret. Nec discrepat quod ex Hieronymo allatum est, immò fauet, sicut & editio Græca, ac Syra præsertim quæ sic habet, סבר אנא על נפשי דטובנא אנא דקדמיך יומנא נפק אנא רוחא *sabar ana hhal naphschi detubana ana dakedamaich iaumana naphek ana rucha*, id est, *Puto ego de*
B *meipso quòd beatus sum, qui coram te hodiè depromo ego spiritum*; vel, *De me ipso hoc existimo, me beatum esse, quòd coram te hodiè sim rationem redditurus*. Glossa interlinearis ponit: *Æstimo me beatum apud te*, hîc ponendo comma, id est, esse dicendum à te. Sed prior explicatio planior, & probabilior est.

Cùm sim defensurus me.] Hugo aliam lectionem videtur sequi, *cùm scis*, & interpretari, Paulum sperasse, defendendum se ab Agrippa, non ignorante, quòd propter altercationes, & quæstiones Iudæorum crebrò contra se ventilatas nullus damnabatur ad mortem. Minùs probabilis interpretatio, quæ non consentit cum textu Græco, ἐπὶ σοῦ μέλλων ἀπολογεῖσθαι, deberet enim esse, sine præpositione,
C μέλλοντ@.

Auditorem nanciscì idoneum, magnum ducitur bonum.

Non exigua pars fœlicitatis, nancisci auditorem idoneum, ac intelligentem. Talem Orator, Doctor, ac quicunque, vt ita dicam, dictor quærit, & sibi comparat, ne *vbi non est auditus, effundat sermonem* [a]. Sic M. Tullius dum doctissimorum vtitur auctoritate, quoddam paradoxum tractans [b], *id se libentiùs facere dicit, quòd apud prudentissimos loquatur, quibus huiusmodi res inaudita non sint.* Hoc Theophylactus [c] ait esse redimere tempus, & in sapientia ambulare ad eos qui foris sunt [d]; debitum scilicet, vt hîc Paulus facit, decentémque honorem illis impartiendo, ac eosdem per benignitatem &
D mansuetudinem ad prædicationem inducendo. Sed mendum caue quorundam codicum Theophylacti [e], in quibus legitur, *beatum meipsum existimo, pro te responsurum.*

a Eccli 32.6.
b Parad. 5.
c in c. 4. ep. ad Coloss.
d Coloss. 4. 5.
e edit. Ascensiana, anno 1534.

Vers. 3.] Maximè te sciente omnia, & quæ apud Iudæos sunt consuetudines, & quæstiones: propter quod obsecro, patienter me audias.

MAXIME *te sciente omnia.*] Aliqui codices habent *omnes*, vtrouis modo idem sensus remanet, & πάντων, patitur vtramque lectionem,
E nisi quòd tunc coniunctio, *&*, haud aptè poneretur, quæ poni tamen debet. Quidam libri Græci post μάλιστα γνώστην ὄντα σε, ante πάντων, interserunt εἰδὼς, alij ἐπιστάμενος, quæ idem valent, hoc est, *sciens*. Exprimit id quoque Syra versio, יתיראית דידע אנא דמפס אנת *iathiraith deiadahh ana dampas anth*, id est, *maximè, quod scio ego, quòd persuasum sit*; vel, *Maximè, quod te sciam assensum præbere omnibus*, &c. Plus autem hoc est, quàm duntaxat scire, & *maximè* refertur aptiùs ad *sciens*, quod hîc supplendum est de Paulo, quàm ad *sciente te*, quod posterius placet Caietano, vel potiùs ad posteriora, Æstimo me beatum maximè, seu, idque potissimùm, *sciente te*, id est, cùm sciam te scire, μάλιστα γνώστην σε ὄντα (εἰδότα, vel ἐπιστάμενον) πάντων τῶν κατὰ Ἰουδαίους ἐθῶν τε καὶ ζητημάτων.

Consuetudines, & quæstiones.] Non video, cur illas *bonas*, has interpretetur *malas* Glossa interlinearis & Hugo. Melius Arias priores intelligit, *vt res omnibus notas, & exercitas, quæq; vincant in disputatione; posteriores eas, quæ versentur adhuc in controuersia*, nec altera dissidentium pars vulgò damnetur, nisi quæ Scripturarum testimonio, aliòve genere argumenti comprobatur.

Agrippa magna laus, & vera.

Magna hæc laus Agrippæ, sed vera, vt ab homine profecta, qui nihil tribuat assentationi, vanæque laudationi, hoc liberiùs quoque, ac veriùs affirmari laus ea de Agrippa potuit, quòd Iudæus esset, rerum proinde peritus Iudaicarum: hactenus autem respondendum Paulo fuerat apud Præsides externos, vel eiusmodi rerum ignaros, vel Iudæis fauentes, & hoc nomine, quòd in causa propria religionis ipsorum magis ipsis, quàm reo credendum censebant, & quia prouincialium beneuolentiam, gratiámque captabant. *Sed & hac ratione lucrari Regem volebat, quod & ex parte consecutus est*, inquit quodam loco Chrysostomus [f], disserens de vi suauium morum, placidorum, ac iucundorum ad conuertendos infideles, quam præfert miraculis ipsis: hæc enim inuidiam excitare posse, illos cum admiratione amorem, & persuasionem.

Infideles quomodo conuertendi.

f Hom. 33. in 1. ad Cor.

Vers. 4.] Et quidem vitam meam à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis, nouerunt omnes Iudæi.

ET *quidem vitam meam.*] Argumentum innocentiæ, proferre testes ipsosmet accusatores: verisimile præterea est, à primis annis piè institutum, cùm grandior euasit, non degenerasse; siquidem *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea* [g].

Educationis bonæ à principio vtilitas magna vis.

Hoc sibi vult semel imbuta recens odorem seruans
Testa diu [h]. —
Hoc multum esse à teneris consuescere [i]. Hoc caput rei esse, *hominem illo, aliòve modo assuefieri* [k], quod quidam catulorum docuit duorum educatione differente. Hoc tandem, *Bonum esse viro portare iugum ab adolescentia* [l]. Extant plurimi tractatus de liberorum educatione, tum profanorum [m], tum Christianorum auctorum, tam recentium, quàm veterum [n].

g Prou. 22. 6.
h Horat. lib. 1. epist. ep. 2.
i Virgil. 2. Georg.
k Aristot 2. Ethic. c. 1.
l Thren. 3. 27.
m Plutarc. opusc. de hac re. Quintil. li. 1. Inst.
n Cle. Alex. in pædagogo. Sylu. Antonia. de educa. Christiana liberorū idiomate Italico. Stephani Afiere, Hispanico.

Vitam.] Βίωσιν. Syrus, דוברי *duberai*, id est, *conuersationes meas*. Clariùs quidem, sed Latinum nomen vitæ satis frequenter significat institutum, rationémque degendæ vitæ, quæ nominari potest vita moralis, morésque ipsi.

Nescio an vspiàm apud alium Scriptorē Græcum reperiatur hæc vox, quæ innuit potiùs actum secundum, & actam vitam. Quod attinet ad Latinum nomen, frequens est hæc, inquam, eadem acceptio; etsi controuersum, possintne vtroque numero, singulari, & plurali sic sumi. Gregorius Turonensis [o] maluit Historiam Patrum *Vitam*, quàm *Vitas* appellare, sequutus magis Grammaticos, quàm Plinium, Gellium, & alios, quorum facit mentionem. Verùm & ipse Vitas in operis progressu dixit [p], & ita loquitur Capitolinus [q], Virgilius [r], Augustinus [s], Sidonius Apollinaris [t].
Vitásque, & crimina discit, ait Virgilius.

A iuuentute.] Ἐκ νεότητ@. Syrus, מן טליותי *men taluthi*, id est, *A pueritia mea.* Nihil hinc elici potest de Pauli annis, ac ætate, quando persequebatur Ecclesiam, & conuersus est. Vocatur νεανίας, in

o præfāt. lib. qui dicitur, Vita Patrum.
p cap. 12
q in Martino.
r 6 Æneid.
s 22 de Ciuit. Dei c. 29. sub finem.
t lib. 4. ep. 14.

a vers.37. b vers.11.13.

in capite septimo [a], & in capite nono [b] ἀνὴρ; quibus locis attigimus quæstionem istam.

Paulus valdè iuuenis venit Ierosolymam.

In Ierosolymis.] Ergo valdè iuuenis, puérve adductus est Ierosolymam: cùm autem tempore conuersionis, vt notatis dixi locis, trigenarius circiter esset Paulus, nimirum videri potest, quo modo tanti vir ingenij, & legaliter, mortalitérque bonus, tam tardè, & non sine diuina quadam, sed libertati tamen eius attemperata vi, conuersus sit.

Versus 5.] Præscientes me ab initio (si velint testimonium perhibere) quoniam secundùm certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.

PRÆSCIENTES *me ab initio.*] Syrus, מטול דמן נוגרא מפסין בי *metul demen nugera mephasin bi*, id est, *Quoniam à longo tempore persuasi sunt de me.* Προγινώσκοντές με ἄνωθεν, *Præcognoscentes me superiore tempore.* Id comparatiuè dictum putat Glossa interlinearis, & Hugo, propter Gentiles, quibus cognitus fuerit posteriùs, quàm Iudæis. Sed præstat absque restrictione intelligere.

Paulus testes suos aduersarios esse vult in sua causa.

Si velint testimonium perhibere.] Non falsos testes subornare, & innocentiæ meæ patrocinari, & veritati consulere: possunt, si velint: non vereor libera, dum sint vera, testimonia: opto hęc, & prouoco.

c vers.6.

Secundùm certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.] Quomodo Paulus Pharisæus esset, etiam quo tempore Christianus erat, docuimus capite vigesimotertio [c]. Cùm hîc dicit religionem nostram, vel intelligit eam, quam anteà sectabatur purus Iudæus, aut quam in præsentia, vt sic magis conciliaret sibi Regem Iudæum, magísque ostenderet se alienum ab obiecto crimine violatæ legis, templi, & Mosis.

Christiana religio non habebatur diuersa à Iudaica initio.

Habebatur námque non per se discrepans religio Christianorum, & Iudæorum, interim maximè, dum Iudaici ritus vsurparentur etiam à Christianis. Pharisæorum sectam certissimam ἀκριβεστάτην αἵρεσιν (vbi pro hæresi secta ponitur, idque in bonam partem) vel, vt Syrus vertit, יולפנא רישיא *inlephana rischaia*, id est, *præcipuam disciplinam* vocat, quoniam eo erat inter Iudæos loco, qui quę ob arctiorem viuendi normam Religiosi nominatur apud nos, vt alibi demonstratum est [d].

d cap.1.54.

Paulus fuit ex meliorum Pharisæorum ordine.

Addit Arias innuere Paulum se non ex quouis numero Pharisæorum fuisse, verùm ex meliorum; quod nomen professus esset in domo Hilel, quæ exquisitior habebatur, quàm domus Samai, vt ex libro Misnaioth constat, quia Gamaliel Pauli præceptor [e] erat antiquioris Hilelitarum disciplinæ sectator: atque hoc esse, quod ait, *secundùm certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.* Verùm vt concedatur sectio in secta Pharisęorum, Paulus perspicuè de indiuisa vniuersa secta loquitur, vocans in omni Iudæorum religione certissimam, exactissimámve.

e cap.22.3.

Versus 6.] Et nunc in spe, quæ ad patres nostros repromissionis facta est à DEO, sto iudicio subiectus.

Paulus non dissentit à communi Iudæorum fide.

ET *nunc in spe.*] De vita, siue de moribus priùs dixit: iam de his, quæ pertinēt ad intellectum, & cognitionem, nihil se docet dissentire, non solùm à Pharisæis, sed & ab omni Israël, qui spem vnam habet, ac in eundem finem contendit, nimirum salutis per MESSIAM consequendæ, necnon Resurrectionis ex mortuis. Sic in capite vigesimotertio [f], & vigesimoquarto [g] hanc vnam dixit esse causam, propter quam vocaretur in ius, maximè Sadducæorum instigatione, qui negabant ista.

f vers.6. g vers.21.

Ad patres nostros.] Hoc etiam pronomen quidam codices Græci habent, nempe ἡμῶν, quamuis in ordinariis non reperiatur: valétque societas hęc, & quòd communes patres sibi cum Iudæis agnoscat, ad beneuolentiam Iudæorum conciliandam, docendúmque se, quod obiiciebant Iudæi, Iudæos non odisse, ac persequi, quorum probè sciat *esse promissa* [h], *& salutem ex ipsis* [i].

h Rom.9.4. i Ioan.4.22.

Versus 7.] In quam duodecim tribus nostræ nocte, & die deseruientes, sperant deuenire. De qua spe accusor à Iudæis, Rex.

IN *quam.*] Meliùs quàm, vt quidam codices habent, *In qua.*

Duodecim tribus.] Non Pharisæi soli, quorum de schola erat.

Nomine duodecim tribuum intelligitur omnis Israel, tum etiam credentes ...

Crebrò per duodecim tribus (id voce composita vnus, quod sciam, Lucas appellat δωδεκάφυλον; pro linguæ peritia, quam habebat, sicut δωδεκάφυλον, *duodecim filiorum,* dicunt alij) intelligitur comprehendi totus populus Hebræus, quot videlicet numerantur Patriarchæ ex patre Iacob [k], immò & omnis vniuersitas hominum, quemadmodum *cùm iudicaturi dicuntur Apostoli illas tribus* [l], vel quando recensetur in Apocalypsi *numerus seruorum* DEI *nostri signatorum* [m], *& in portis cœlestis Ierusalem inscribuntur* [n], vtpote cùm Gentiles *credentes in populum Iudaicum sint inserti,* ac veluti ciuitate donati [o].

k Act.7.8. l Matt.19.28. m cap.7.4. n cap.21.12.

o Rom.11.17. 19.24.

Erant tribus tredecim: Ioseph enim tribus diuisa est in Duas [p], & pro Ioseph adoptauit Iacob duos filios eius [q]: duodecim tamen numerare solet Scriptura, quoniam quando de possessionibus agitur, earúmque ratione tribus distinguuntur, omittitur tribus Leui, quæ non accepit hæreditatem inter alias, *eò quòd Dominus erat sors, & hereditas eorum* [r], cedebántque eis, quæ ad DEVM iure pertinebant [s], data vicissim ipsi DEO tribu hac, primogenitorum loco. At verò quando sermo est de re spirituali, quæ communis est tribui Leui cum aliis, exprimitur tribus Leui; non ponuntur autem vt distinctæ tribus Ephraim, & Manasse, sed tribus Ioseph pro vna [t]. In Apocalypsi præteritur Dan, quia ex ea futurus creditur Antichristus; & Ephraim continetur sub Ioseph, & distinctè ponitur Leui.

p Gen.48.5. q ibidem. Iudæorum erāt tribus tredecim, & tamen duodecim numerātur.

r Num.18.20. Deut.18.1.2. s Num.18.21. Iosue 13.14.

t Exod.28.10. Deut.27.12.13.

Non est probabile, quod Abulensis [u] docet, nunquàm fuisse plures, quàm duodecim tribus; quia Ephraim, & Manasse solùm in principio secundi anni egressionis Hebræorum ex Ægypto sint separatæ: tunc autem tribus Leui desierit esse tribus, *hoc ipso quòd assumpta est ad ministerium Tabernaculi* [x], *& ei assignati sunt reditus primitiarum, & decimarum* [y]. Nam tribus Leui cōnumeratur inter tribus, etiā postquàm delecta est ad templi ministerium, cultúmque. Hinc est porrò, quòd regnum Iuda denominatum à nobiliore tribu, dicitur duabus constitisse tribubus, cùm præter tribum Iuda, & Benjamin, ei associata esset tribus Leui; quia, vt dictum est, non solebat tribus hæc distinctè recenseri, quando de re temporali agebatur: sed & aliquando idem regnum designatur nomine Benjamin

u Exo.24.4.

Tribus Leui inter alias semper numerata est.

x Num.3.6. y Num.18.21.

A jamin, sicut & Ierusalem, in qua erat templum,& regia domus quoque Dauid, cuius posteri regnabant, denique Iacob, vt apud Esaiam [a], quem plus imitabantur, qui ad id regnum spectabant, quàm qui ad regnum decem tribuum, quod appellatur quoque regnum Israël, Ioseph, Ephraim, Samariæ, Iezraël, Bethel, Bethauen, & interdum etiam Iacob, à maiore numero filiorum ipsius; tamen à tribu Leui nunquàm regnum Iuda denominationem capit: huiusmodi námque regni denominatio temporalis est, atque sumpta ex re temporali.

a cap. 2.3.5.6.

Postremò nota, loqui Paulum sub nomine tribuum de omnibus Iudæis, vbique degentibus, non in Iudæa sola.

B Quocirca non egemus annotatione Hugonis, per synecdochen dici, quod sequitur, ac de duabus in Iudæam intelligi.

Multò minùs verum est, quod ait Caluinus, intelligere Apostolum Christianos Iudæos, quorum sine dubio Agrippa, ceterique rationem nullam ducebant, nec probatio ex eorũ auctoritate quicquam valeret, quorum ipsemet Paulus tanquàm factiosorum dux accusabatur. Ex ea tamen expositione deducit, in causa religionis agendum Scripturæ primùm testimonio, tum Ecclesiæ, quæ cõstet iis, quorum sit nota, testatáque pietas. Verùm Scripturas, quis infallibiliter exponet? pietatẽ veram quo pacto dispiciemus? Si aliud Caluinus non adiicit, æquè liberum relinquit cuiuis, suo vt sensu Scripturam interpretetur, & pietatem more fingat suo, Ecclesiámve constituat.

Caluini inscitia arguitur.

C *Nocte, & die deseruiẽtes.*] Syrus, צלותא חפיטתא דאימםא ודלליא *tselaueth a chaputatha duemama vadelelea*, id est, *Precibus assiduis interdiu, noctúque.* Ἐν ἐκτενείᾳ νύκτα καὶ ἡμέραν λατρεύοντες. Omisit Interpres duarum primarum vocum expositionem, *in assiduitate*, seu *in extensione*, *atque contentione*: satis contineri putans in aliis duabus sequentibus.

D Spem alunt, ac promouent assiduæ preces, & has vsurpasse credo eiusmodi spe plenos; attamen de istis Lucam præcisè intellexisse non credo, sed de omni latria, cultúque diuino, qui consistit & in variis operibus religionis, & in exercitatione virtutum aliarum, præsertim timoris diuini.

Preces spẽ aliũt.

Deuenire.] Hugo meminit alterius lectionis, quæ habet, *inuenire*; sed nostra magis congruit cum verbo Græco καταντῆσαι, & Syrus explicat per verbum דנמטון *danemanchhan*, id est, *quod perueniunt*, seu *perueniendi*.

Versus 8.] Quid incredibile iudicatur apud vos, si DEVS mortuos suscitat?

E QVID *incredibile iudicatur apud vos.*] Orationem conuertit ad Reges, qui Iudæi erant, vel ad Iudæos omnes. De Gentilibus affirmat Sà, & innuit Caietanus: sed dubito, quoniam Resurrectio habebatur apud illos penitùs impossibilis, neque in præsentia instruendi erant; sed purgandus Paulus, qui quòd ob Resurrectionem accusaretur à Sadducæis ob CHRISTVM ab omnibus Iudæis, de Resurrectione affirmat, rem apud Iudæos minimè nouam videri debere, sed tritam, & certam; nihil habere, quod pro se afferant, qui ipsum hoc nomine in ius accersant. Si & Gentiles comprehensos velimus, erit vis argumenti, DEO impossibilem Resurrectionem nulli videri debere, ne Gentili quidem, qui non ignorat, quòd, vt notat, & refert Clarius.

Fides Resurrectionis non erat noua apud Iudæos.

— *Immensa est, finémque potentia cœli*
Non habet, & quidquid Superi voluêre, peractũ est.

Quid.] Hugo vult esse aduerbium interrogandi. Consentit Arias, & editio Syra, מנא *manu*; & tunc adhibenda est alia interrogatio in fine periodi: sed ego τί solitariè, non reperio in hoc vsu, verùm cum addito duntaxat.

Incredibile iudicatur apud vos, si DEVS *mortuos suscitat?*] Syrus, דינו אנחון לא ולא דנהימין דנקים אלהא מיתא *dauenu anethun lo vale danehaimen danekim Elaha maiethe*, id est, *Iudicantes estis, non oportet vt credamus, quòd excitabit* DEVS *mortuos*: vel, *Iudicatis non oportere nos credere* DEVM *excitaturum mortuos?*

Chrysostomus exponens ἐγείρει, prout est in tempore præsenti, notat alterum argumentum Apostoli pro Resurrectione, vt primum sumptum sit à generali Prophetarum testimonio, hoc à rebus ipsis, hoc est, à CHRISTO ipso suscitato; ita vt istam ipsam suscitationem confirmet sequenti narratione conuersionis suæ, in qua CHRISTVS è cœlo illum vocauerit.

Pro mortuorum Resurrectione aliud testimonium.

Versus 9.] Et ego quidem existimaueram, me aduersus nomen IESV Nazareni debere multa contraria agere.

ET *ego quidem existimaueram.*] Ἔδοξα ἐμαυτῷ, *Mihi ipsi persuaseram, planéque constitueram.* Ita vt non ex animi leuitate, sed vehementiore diuina quadam vi, contrariam pertractus sit in sentẽtiam.

Aduersus nomen IESV *Nazareni.*] Qui per contemptum ita cognominabatur, vt sæpe notauimus: qui cognominandi modus attributus reperitur aliis infamibus personis, potissimùm propter seditionem; quod in CHRISTO crimen notatum erat. Sic Iudas Galilæus cognominabatur, alíique.

Galilæi nomen infame propter seditionem.

Versus 10.] Quod & feci Ierosolymis, & multos Sanctorum ego in carceribus inclusi, à Principibus Sacerdotum potestate accepta: & cùm occiderentur, detuli sententiam.

MVLTOS *Sanctorum.*] Cur ita Christiani vocarentur, aliàs [b] exposui. Cùm autem in iudicio tale Paulus de illis nomen vsurpet, videtur tritum fuisse etiam apud aduersarios: vel dedita opera sic voluit appellasse, vt honorifico titulo præteritam in ipsos iniuriam compensaret.

b Act. 9.13 & alibi.

A Principibus Sacerdotum.] Vnus Princeps nominatur capite vigesimosecundo [c], & nono [d]: conciliauimus ibi apparentem compugnantiam.

c vers. 5.
d vers. 1.

Et cùm occiderentur, detuli sententiam.] Non solùm Stephanum tunc occisum Lyranus, & Caietanus inferunt: *Sententiam verò*, inquit ille, *Paulum detulisse ad executores, iam datam à Principibus Sacerdotum, & aliis Senioribus.* Illatio de pluribus occisis minimè necessaria, quoniam indefinita proposito, quam Syrus quoque restringit ad quosdam, censetur vera, singularis vnius ratione. Hoc ipsum in isto proposito aliàs monuimus, illud prætereà de facultate, quam sub Romanis haberent Iudæi circa iudicia capitalia, Caietanus ait, *Paulum quam Iudæi tulissent sententiam, detulisse ad Præsidem, sine cuius approbatione robur non haberet, atque subscriptam retulisse, vt executioni mandaretur.* Glossa Rabani, & Beda iuxta aliam editionem, *occidendisque detuli sententiam*, explicant, id est, *qualiter occiderentur, ipse*

Iudæi quam sibi facultatem haberent sub Romanis in iudiciis.

senten

sententiam detuli: quasi proposuerit lapidationem: ideóque lapidantium, quos incitabat, vestimenta seruauerit.

a cap. 7. *Stephani lapidatio non fuit facta iuridicè.*

In historia Stephani [a] docui, lapidationem ipsius non iuridicè factam, vel ex decreto Præsidis, verùm Synedrij Iudaici, qui ferre Stephanum tam disertè, tam liberè, tam diuinè loquentem non poterat, furore, & impetu populari, Saulo cumprimis iuueniliter, inuidiosè in condiscipulum bacchante, atque lapidatores extimulante, & armante. Quocirca delatio sententiæ, quæ hîc ponitur, præsentiam significat, assistentiam, subministrationem, omnéque adiumentum, quod ad tollendum de medio Stephanũ præsertim, aliosque vexandos, ac, si fieri posset, interficiendos cõferebat. Syrus Interpres suffragatur huic opinioni, sic reddens præsentem locum: *Cúmque interficerentur nonnulli ex eis, suffragabar iis, qui damnabant eos.* Denique quod Græcè dicitur, ἀναιρουμένων τε αὐτῶν κατήνεγκα ψῆφον, *occisis*, id est, *dum occiderentur, ipse detuli suffragium*, indicat solam approbationem, non verò iuridicam sententiam.

b in Paulo suo, 1. part. n. 17. *Paulúsne in hoc iudicio Stephani iudiciariam potestatem exercuerit.*

c Plutarch. in Coriola. & opusc. de laud. prop.

d Serm. 28. de Sanctis.

e hic, & c. 22.

Magnoperè contendit Andreas Riclicius [b] Paulo hac in re iudiciariam potestatem assignare: hoc ait sibi velle ψῆφον, quæ vocari possit ἀναιρῦσα καὶ καθαιρῦσα, cuius de iudiciis agentes meminerunt [c]: hoc Augustinum [d] significare, appellando *crudelem quæstionarium*: hoc ipsummet Paulum denotare, facta toties mentione *de attributa sibi potestate* [e], ceu videlicet Iudicis extraordinarij: hoc ostendere depositas ad pedes eius vestes lapidantium, quasi consuetudo vigeret, vt ad eius, qui personam publicam sustineret, supplicióque interesset, pedes, à testibus, qui primi lapidabant [f], vestes, velut nouũ testimonij iam dati pignus, & auctoramentum, deponerentur. Attamen istis ego non conuincor argumentis, in quibus id etiã ponitur, quòd alias refelli, Iudæis capitales licuisse ferre sententias; atque ex his, quæ hoc ipso capite, & vigesimosecũdo, & nono dicta sunt nullo negotio allatis rationibus potest satisfieri.

f Leuit. 24. Deuter. 13. & 17. & 22. Nu. 15.

Versus. 11.] Et per omnes Synagogas frequenter puniens eos, cõpellebam blasphemare: & ampliùs insaniens in eos, persequebar: vsque in exteras ciuitates.

g cap. 13. 45.

COMPELLEBAM *blasphemare.*] De notione verbi dictum aliàs [g]. Qui compellebat blasphemare nomen IESV, vt addit Syrus, dicens, מגדפין בשמה דישוע *megaddephin baschemeh deiscauahh*, id est, *Blasphemantes nomen* IESV; vel, *Et negare* IESVM *esse* CHRISTVM, siue MESSIAM: vt exponit Lyranus, hoc est, id tormentis extorquere volens, licèt non consequeretur propter constantiam fidelium (tametsi etiam non impossibile est, vt inter tam multos pauci aliqui timore vincerentur) qui erat, inquam, adeò sedulus in exigenda ab aliis contra IESVM blasphemia, blasphemabat quoque. Confitetur id ingenuè scribens Timotheo [h], vocansque *se blasphemum, & persecutorem*, & *contumeliosum*, ὑβριστὴν, *oppressorem violentum*.

Paulus fuit blasphemus.

h 1. epist. 1. 13.

Et ampliùs.] Περισσῶς, *Superfluè, abundè, nimis.* Non est comparatiuum, vt voluit Glossa interlinearis, indicans quòd ampliùs, quàm anteà insaniret.

Insaniens in eos.] Ἐμμαινόμενος αὐτοῖς. Grauis exaggeratio perturbati, & furore abrepti animi instar ferocis, cruentæque belluæ, quam gustatus sanguis perurgeat, trahatque ad prædandum vltrà, laniandum, vorandum.

Vsque in exteras ciuitates.] Non tantùm in Damascum, etsi capite nono [i] de hac vna mentio fit, deque epistolis in eam ciuitatem datis à Principe Sacerdotum: qua de re ibidem egimus.

i Vers. 2.

Versus. 12.] In qubus dũ irem Damascum cum potestate, & permissu Principum Sacerdotum.

IN *quibus.*] *Ciuitatibus, vel operibus illius insaniæ*, inquit Hugo. Primum repugnat generi neutro: Ἐν οἷς. Secundum extendi debet ad omnia illa negotia, officiaque, quæ Saulus tractabat: Ecclesiam persequendo. Phrasi Græca ἐν οἷς, idem est quod *intereà*, seu, *dum in his versarer*, vulgò diceremus: *In questo mentre*, & cætera.

Permissu.] Syrus, בםפסנותא *bamephesenutha*, id est, *procuratione*. Si crescit oratio, plus erit, *permissu*, quàm *potestate*. Et Græca dictio ἐπιτροπῆ, quæ hîc est post ἐξουσίαν, potest significare *procurationem*, sicut significat ἐπίτροπος *procuratorem*, vel *tutorem* [k]. Sed Latinum nomen amplecti potest hãc quoque significationem, indicátque prætereà huiusmodi procurationem ab ipsomet Saulo procuratam & impetratam, non vltrò mandatam, vel impositam, Quod valet ad declarandum præferuidum Sauli zelum, & nimis acre, veheménsque tunc studium contra nomen Christianum.

k Matt. 20. 8. Luc. 8. 3. Gal. 4. 2.

Pauli præferuidus zelus contra Christianos.

Principum Sacerdotum.] Iam dixi, cur non in plurali, nunc in numero singulari ponatur hic Magistratus. Hugo magis subtiliter, quàm necessariò, potestatem refert ad Præsidem, permissum ad Iudæos; ita vt à Præside Iudæi potestatem accepissent, quam delegarent, cui vellent.

Versus 13.] Die media in via, vidi, rex, de cœlo supra splendorem Solis circumfulsisse me lumen, & eos, qui mecum simul erant.

l vers. 6. m vers. 3.

DIE *media.*] Exprimitur eadem circunstantia in capite vigesimosecundo [l], sed non in nono [m], estque notabilis ad splendoris diuinitùs immissi magnitudinem declarandam, quæ hic quoque dicitur fuisse supra splendorem Solis, & sermo est de lumine in medio, non de luce insita Soli.

n vers. 9.

Et eos, qui mecum simul erant.] Hoc est, quod capite vigesimosecundo [n] dicitur vidisse lumen.

Lumen illud Saulum non modò circumfulsit, sed etiam comites.

o 14. de signis Eccles. cap. 9.

Quapropter minùs probabilis cõiectura Thomæ Bozij [o], arbitrantis circumfulgens illud lumen instar globi Saulum ambiuisse, ac ambitu illius CHRISTVM comprehensum re ipsa ibi præsentem à Saulo solo conspectum esse: alioqui si è cœlo lumen in terras vsque continuatum fuisset, id etiam alios visuros fuisse, nec propriè CHRISTVM circumdaturum fuisse. Nam hoc loco dicitur, quòd lumen circumfulsit comites Sauli, & capite vigesimosecundo, quòd hi viderunt lumen. Aliæ rationes euincunt à Saulo visum reuerà CHRISTVM, quas capite nono persecuti sumus.

Versus 14.] Omnesque nos cùm decidissemus

semus in terram, audiui vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.

OMNESQVE *nos cùm decidissemus in terram.*] Non repugnat hæc sententia cum illa capitis noni [a], *Viri autem, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti*, quoniam *vtrumque est verum*, inquit Caietanus. *deciderant enim primùm omnes, sed alij præter Saulum: statim surrexerunt, & stabant stupefacti, postquàm surrexerunt.* Si quis standi verbum pro substantiuo significante solam præsentiam sumeret, conuinci non posset, & finita lis esset. In capite nono egimus de eadem re, meritoque Glossam interlinearem; Hugonémque reiecimus, negantes Sauli comites in terram cecidisse. Hugo isto capite retractat priorem sententiam, cum tradens dicendi modum, quem Caietanus, qui Caietanus ex ipso mutuatus est, vt credo. De Glossa capitis IX. respondet Hugo dixisse, *quòd non ceciderunt, quia statim surrexerunt.*

a vers. 7.

Hebraica lingua.] *In qua olim* DEVS *Patribus loqui consueuerat: vt magis credatur quod dicitur*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo: népe hoc ideò exprimebat Paulus de lingua.

DEVS loqui Patribus Hebraica lingua consueuerat.

Inde colligi potest, alia lingua tunc locutum Paulum, quàm Hebræa, seu Syrochaldæa; alioqui non erat, cur diceret, sibi locutum CHRISTVM lingua illa: debebat etiam à Præside intelligi, qui recens ex Italia veniens, Hebraicè non intelligebat. Cum Lysia Græcè locutus est [b], fortasse nunc quoque vsus est eadem lingua, aut etiam Latina, quam potuit Agrippa tenuisse, Romæ etiam versatus: *gratias vero agebat* DEO *Paulus, quod omnium vteretur linguis* [c].

Paulus alia lingua quàm Hebræa locutus est.

b cap. 21. 37.

c 1. Cor. 14. 17.

Saule, Saule.] Hebraicè dictum est, *Saül, Saül.*

Durum est tibi contra stimulum calcitrare.] Græcè in plurali, πρὸς κέντρα. Non est hæc sententia in capite vigesimosecundo, & quidam codices tam Latini, quàm Græci, non habent eam in capite nono [d]. Lege quæ hoc posteriore loco tum de varia lectione, tum de verborum ipsorum intelligentia disseruimus. Consule etiam Sixtum Senensem [e].

d vers. 5.

e 6. Bibliot. annot. 226.

Versus 15.] Ego autem dixi: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum IESVS, quem tu persequeris.

EGO *sum* IESVS.] In capite vigesimosecundo additur *Nazarenus*: hîc, & in capite nono quidam codices Græci, Latinique idem habent. Causam verò, cur cognominatus sit Nazarenus, & ab aliis, & à seipso, aliàs attulimus [f].

f cap. 2. 22.

Versus 16.] Sed exurge, & sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum, quæ vidisti, & eorum, quibus apparebo tibi.

STA *super pedes tuos.*] Erigunt hæc verba cum corpore animum ipsum, & vacillantem, timentemque confirmant. Ea Syrus sola reddidit, omissa interpretatione verbi ἀνάστηθι, *surge*, quod est etiam in capite nono, & vigesimosecundo. Hoc pacto Danieli iacenti, & consternato dictum est [g]: *Sta in gradu tuo*; & Ezecheli [h]: *Sta super pedes tuos.*

g cap. 10. 11.
h cap. 2. 1.

Ad hoc enim apparui tibi.] Peculiaria sunt huius loci, nec recitata in capite vigesimosecundo, vel nono: & cùm sint CHRISTI verba, dum vocauit Saulum, sunt magni facienda. Verba hæc prima, quibus refert Paulus dixisse CHRISTVM *quòd ipsi apparebat*, demonstrant apparitionem, ac visionem CHRISTI realem fuisse, non imaginariam, vel intellectualem duntaxat. Quæri potest, an ista verba dixerit CHRISTVS, quando vocauit in via Damascena, vel posteà quando iam erat intra ciuitatem. Nam ferè omnes obseruant, interroganti Paulo: *Quid me vis facere?* nihil CHRISTVM aliud respondere voluisse, nisi vt ciuitatem ingrederetur, ibi quid eum facere oporteret, auditurus. Respondimus capite nono, summam voluntatis suæ CHRISTVM Saulo exposuisse, remisisse ad alium, qui distinctiùs eadem doceret, atque ad Baptismum disponeret, & institueret. Lyranus intelligit ista de raptu, quem nemo dicit in ipsa via contigisse. Atqui subiungit CHRISTVS ad hoc apparuisse; *vt constitueret eum testem eorum, quæ viderat*, nimirum tunc, quando vocatus, & eorum, quibus posteà appareret. Augustinus [i] disertè tradit, has voces de cœlo factas, cùm primùm Paulus vocatus est.

Christi apparitio fuit vera & realis, non imaginaria.

i 13. de Trinit. cap. 15.

Vt constituam te ministrum, & testem eorum, quæ vidisti, & eorum, quibus apparebo tibi.] Oportuit ergo Paulum, vt testis esset oculatus, oculis ipsis corporis intueri CHRISTVM, & vt Apostolicum munus meliùs exequeretur, doceri ab ipso CHRISTO. Syrus vtramque apparitionem corporaliter videtur accepisse, dum vertit hoc modo, דאקימך שמשנא וסהדא דכדם דחזיתני ודעתיד אנת דתחזינ *dakimach schameschana vesahada demedem dechazaethani, vedahbathid anth dethechezini*, id est, *Vt constituam te ministrum, & testem eius rei*, nempe quòd me conspexeris, atque conspecturus es, *& quod futurum est tu, vt videas me.* Concedi potest plusquàm semel visum à Paulo CHRISTVM visione corporea vt aliàs notauimus, verbi gratia, forsitan iterum in templo [k]. Satius est tamen generaliùs intelligere, vt latiùs quoque pateat Pauli testimonium. Augustinus [l] ita legit, *eorum quæ à me vides, quibus etiam præeo te.*

Paulus fuit oculatus Christi testis.

Paulus sæpius Christum vidit.

k cap. 22. 18.

l suprà.

Versus 17.] Eripiens te de populo, & gentibus, in quas nunc ego mitto te.

ERIPIENS *te de populo.*] Aliqui codices habẽt, *de populis.* Aliàs autem notaui, populum iuxta quorundã sententiam, sumi in bonam partem, populos in malam: & tamen de Iudæis, dici vtrũque aliquando. Hoc loco Syrus per populum intelligit Iudæos: vertit enim sic, ואפציך מן עמא דיהודיא *vepatsiich men hhamma dihudaie*, id est, *Proinde eripiam te ex populo Iudaorum.* Quidam quoque codices Græci legũt, ἐκ τοῦ λαοῦ τῶν Ἰουδαίων. Sed promissum istud de ereptione, non excludit illam aliam prædictionem [m]: *Ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Solum id continet, futurum, vt euadat mortem, eíque spatium concedatur exequendi munus iniunctum, *portandi nomen* IESV *coram Gentibus, regibus, & filiis Israël* [n], & quod mox subditur hoc loco, *aperiendi oculos eorum*, &c.

m cap. 9. 16.

n ibid. 15.

Magnæ porrò libertatis, & constantiæ fuit coram Regibus, Præside, támque frequenti auditorio narrare, quod sine inuidia, atque indignatione

Pauli magna libertas & constantia.

¹ione audiri non poterat, tum de facta sibi cœlesti apparitione CHRISTI, tum verò maximè de promisso, quo certum se significabat, fore vt manus illorum euaderet.

In quas.] Refertur ad Gentes, quæ proximè præcesserunt in textu εἰς οὕς, in genere masculino comprehendit & λαὸν, & τὰ ἔθνη, quæ est clarior constructio; nec enim eripiendus erat solùm de Gentibus, sed etiam de populo Iudæorum: & hoc secundùm maximè nunc intendebat. Quidam codices habent, *in quos.*

Nunc mitto te.] Syrus, משדר אנא *meschaddar ana*, id est, *sum mittens.* Rectè: sic enim omnium lingua præsens pro tempore futuro sumitur, eo potissimùm quod imminet. Nonnulli tamen codices habent ἐξαποστελῶ in futuro, Augustinus [a] legit in præsenti.

a 13. de TRIN. cap. 13.

B

Versus 18.] Aperire oculos eorum, vt conuertâtur à tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad DEVM, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter Sanctos, per fidem quæ est in me.

Cæci sunt Gentiles & Iudæi, qui ignorant Christum.

APERIRE *oculos eorum.*] Et hæc valdè libera oratio. Cæcos námque nominat Gentiles, & Iudæos, qui CHRISTVM vel ignorent, vel non credant, sub Satanæ constitutos potestate, peccatores, extra sortem Sanctorum, & participationem beatitudinis. Hic veluti scopus aduentus CHRISTI, *vt non videntes, videant* [b]: ad hoc etiam *venit Ioannes, vt testimonium perhiberet de lumine* [c]: & quâuis *non esset ipse lux* [d], doctrina tamen sua *tanquàm lucerna* [e] *præiret, & pararet viam luci magna, illuminatura eos, qui in tenebris, & vmbra mortis erant* [f]. Ante omnia reserandi oculi, quos nimiùm apertos ad propria emolumenta, clausit inobedientia.

b Ioan. 9. 39.
c Ioan. 1. 7.
d ibidem.
e Ioan. 5. 35.
f Luc. 1. 79.

Vt conuertantur à tenebris ad lucem.] A peccato ad iustitiam, CHRISTVMque iustitiæ auctorem; & ipsissimam lucem.

Tenebræ & lux in Scriptura, pro peccato & Christo crebrò sumuntur.

Nihil frequentiùs in Scriptura, quàm vt *lux, tenebræq;* hunc in modum sumantur pro spirituali hominis illustratione, quæ abigat peccatum, quod ex quadam ignorantia prouenit, & cum ignorantia perseuerat, & summæ statum infœlicitatis, cuius tenebræ Symbolum sunt, inducit, seu mortem animæ, mors enim etiam per tenebras exprimitur.

Hinc illæ locutiones *de potestate, & principe tenebrarum* [g], pro Satana: de *operibus tenebrarum* [h], de *ambulantibus in tenebris, vel habitantibus in regione vmbræ mortis* [i] (continet enim tenebras vmbra) de iis *qui sunt rebelles lumini* [k]: pro peccatis, & peccatoribus: item eodem sensu, de tenebris *quæ lucem non comprehendunt* [l], deque iis, qui *magis tenebras dilexerunt, quàm lucem* [m]. Exempli verò causa, is, qui fratrem odit, hoc ipso dicitur *esse in tenebris* [n], quamuis tenebræ priuationem per se importent qualitatis perficientis potentiam cognoscentem.

g Luc. 22. 53.
h Rom. 13. 12.
i Matt. 4. 16. & Esa. 9. 2.
k Iob. 24. 13.
l Ioan. 1. 5.
m infrà 3. 19.
n 1. Ioan. 2. 11.

Tenebræ damnationis statum, & lux beatitudinis indicat.

Denique sicut damnationis status per tenebras, ita beatitudinis per lumen solet significari: siquidem inter omnes qualitates naturales lumen, luxve primatum tenet, & inter spirituales ac supernaturales id, quod vocatur lumen gloriæ, nec sacræ literæ rem lætam aptiore, quàm vocabulo ad lucem pertinente exprimunt, vt contra mœrorem, & miseriam caliginis, noctis, tenebrarum.

A

Legantur encomia lucis apud Dionysium [o].

o cap. 4. de Diu. nom. & c. 15. de cœl. Hierarc.

De vtrisque tam Iudæis, quàm Gentilibus intellexit Paulus iniunctum sibi, *vt aperiret eorum oculos, sique conuerterentur à tenebris ad lucem*: tamen Iudæi comparati cum Gentilibus habebant quodammodò clausos oculos duntaxat, more dormientum, quoniam veri DEI notitia præditi erât, sed signa aduentus Messiæ, & maxima argumenta non attendebant.

Iudæi comparatione Gentium erant clausis oculis.

Nec propterea facilior eorum curatio, quàm Gentilium, sed contrà potiùs, vt se habet prauæ dispositionis ignorantia ad simplicem, expulsio caliginis ad remotionem tenebrarum (quia [p] *Tenebræ operient terram*, id est, Gentiles, *& caligo populos*, id est, Iudæos,) curatio eius, qui se valere dicat, & videre, à curatione illius, qui morbum cæcitatémque aut agnoscat, aut non diffiteatur, aut non defendat. Itaque licèt oculorum apertio ad Iudæos, Gentilesque spectet, & *aperiri dicantur oculi corporis ei quoque qui cæcus sit à natiuitate* [q]; nihilominùs ad Iudæos peculiariter potest accõmodari, quatenus indicat maiorem difficultatem, ita vt manibus quodammodò tractandi sint oculi, & attrahendæ conniuentium, deditoque studio clausorum palpebræ oculorum: *videntes námque Iudæi*, hoc est, dicentes se videre, *non vident*, sed propria animi quasi destinatione, & voluntate cæci fiunt, ideoque curari ægriùs possunt [r].

p Esa. 60. 2.
q Ioan. 9. 10.
Iudæi videntes non vident.
r Ioan. 9. 39. 40. 41.

C

Et de potestate Satanæ.] Peculiare id est Gentilium, quamuis commune Iudæorum, qui etiam dicuntur *ex patre Diabolo* [f], quoniam toti vacabant in falsum cultum, idololatriam sectando.

Gentiles propriè in potestate Satanæ erant.
f Ioan. 8. 44.

Vocatur Satan siue Diabolus *princeps mundi huius* [t], & potestas eius, *potestas tenebrarum* [u], hoc est, peccatorum, quoniam peccatores sponte se subiiciunt illi, & DEVS iustè addicit peccatores illius potestati tanquàm tortoris, & ministri diuinæ iustitiæ; vnde liberari non possunt sine gratia DEI, immò sine compensatione iusta, atque satisfactione CHRISTI.

t Ioan. 12. 31. c. 14. 30.
u Luc. 22. 53.

D

Sanè quidem indicat hic locus potestatem Satanæ pendere ex libero arbitrio nostro, acceptante gratiam DEI liberatoris; nec enim aliter prodesset proponere libertatem hominibus à Satanæ potestate. Lege quæ disputauimus ad Euangelium de tentationibus CHRISTI. *Gratias* DEO PATRI *qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, trâsferendo in regnum* FILII *dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum* [u].

Potestas Satanæ pendet ex libero nostro arbitrio.
u Coloss. 1. 12. 13. 14.

Vt accipiant remissionem peccatorum.] Lege caput secundum [x].

x vers. 38.

E

Et sortem inter Sanctos.] Cur dicatur κλῆρος sors de beatitudine, vel de sanctificatione, τῶν ἡγιασμένων, aliàs vidimus [y], necnon cur attribuatur fidelibus appellatio Sanctorum [z], cùm de profanis quoque dicta reperiatur, & in abstracto sub nomine *sanctimonia.*

y cap. 1. 17.
z cap. 9. 13.

Per fidem quæ est in me.] Sæpe quoque notauimus, quare iustitiæ ratio fidei potissimùm deputetur, quia videlicet prima dispositio est, pellens ignorantiæ, errorisque tenebras, ac prauum etiam sæpe iudicium practicum, & maximè gratis datur [a], & per illam veluti radicem, peccator, in quo remanet, excitatur, vt vitam gratiæ recuperet. Augustinus [b] legit, *vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem quæ in Sanctis, & fidem quæ in me est.*

Fidei cur iustificatio tribuatur.
a Rom. 11. 10. & Ephes. 2. 8.
b 13. de Trin. c. 15.

Versus

Versus 19.] Vnde, rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti visioni.

NON *fui incredulus cœlesti visioni.*] Syrus, לא קמת בחריצא *lo kameth bechereiana*, id est, *Per contumaciam non obstiti.* Ἀπειθὴς est is, qui non persuadetur, vel non obedit. Vertit hanc vocem Interpres in Euangelio Lucæ[a] per idem vocabulum, quod hîc posuit. At verò alibi[b] per *non obedientem*, siue *inobedientem*, idémque dici potest de verbo ἀπειθεῖν, & nomine ἀπειθείας.

a cap. 1. 17.
b Rom. 1. 30. 2. Timot. 3. 2. Tit. 1. 10.

Prompta Pauli obedientia.

Hanc eandem promptam obedientiam suam, quando vocatus est à DEO, testatus est Paulus Galatis, simul mentionem faciens iniunctæ prædicationis, ac præteriti vitæ suæ instituti in sectanda lege, atque in insectando nomine Christiano, tandémque dicit[c]: *non acquieui carni & sanguini.* Quoniam caro, & sanguis non reuelant hæc, nec suadent obiicere se periculis, & subire hominum de se iudicia, qui nouerant qualis anteà fuisset, & ad quid cum epistolis principis Sacerdotum veniret. Et iuxta versionem Syram, cui fauere potest in epistola ad Galatas τὸ προσανεθέμην, לא גליית לבסרא ולדמא *lo gelith lebesara veladdema*, id est, *Non patefeci carni, & sanguini*, seu, *Non contuli tunc cum vllo hominum*, non adhibui homines in consilium, quippe minimè dubius, nec vllo modo hæsitans: non etiam sequutus sum humanam prudentiam.

c Gal. 1. 16.

Quid contineat hæc Pauli prompta obedientiæ declaratio.

Continet ingenua hæc obedientiæ suæ mentio non apologiam duntaxat pro Paulo, sed tacitam quoque vel reprehensionem, vel admonitionem eorum, qui aderant, præsertim Iudæorum, cùm ipse primæ vocationi responderit, illi tot prouocati tum CHRISTI, cùm viueret (si qui fortè ex iis ibi reperiebantur) & sermonibus, & miraculis, tum Discipulorum eius, ac sui etiam ipsius, non modò non obediant, sed quacunque possunt ratione contradicant, & repugnent, crimina fingentes, populum concitantes, raptantes ad tribunalia, & ad mortem flagitantes illos, qui ne diuinæ desint obedientiæ, diuina ipsis beneficia, voluntatémque annunciant. Postremò rectè deducit hinc cum Hieronymo Glossa, *quòd voluntate* DEI *vocatur quisque ad Fidem, sed sua parte, & suo arbitrio credit.*

Voluntate Dei quisque vocatur, sed suo credit arbitrio.

Cœlesti visioni.] Simplex, & vera Glossæ interlinearis expositio, *quia de cœlo est ostensa visio illa*, siue, quoniam ex munere diuino, siue quoniam de cœlo descendens CHRISTVS apparuit; siue quoniam lux materialis veluti de cœlo allata, visa est: & denique significat realem fuisse, non phantasticam, & imaginariam visionem, vt notat Carthusianus. Oecumenius ὀπτασίαν ait esse puram rei inspectionem, quæ hominem excedat, & quam qui est in carne, nisi aperiantur ei, detegantúrque oculi, videre nullo modo potest. Cauendus Auctor Thesauri, cùm de visione κατ᾽ ὄναρ, aut etiam καθ᾽ ὕπαρ, in qua spectrum visui se offert, hanc ὀπτασίαν interpretatur: fuit enim realis, veráque visio, in qua CHRISTVS αὐτοπροσώπως in propria persona præsens sese videndum exhibuit. Quod Oecumenius dicit, verum est, dummodò non restringatur ad visionem intellectualem. In apparitione facta Zachariæ[d] patri Ioannis à Gabriele vox eadem est, & quando *mulieres dicebantur visiones* ANGELORVM *vidisse*[e]. Sed etiam Paulus[f] recensens in genere visiones, & reuelationes, indicánsque sine dubio istam, appellat ὀπτασίας, καὶ ἀποκαλύψεις.

ὀπτασία quid sit.

d Luc. 1. 22.
e infrà 24. 23.
f 2. Cor. 12. 1.

Versus 20.] Sed his, qui sunt Damasci primùm, & Ierosolymis, & in omnem regionem Iudææ, & Gentibus annunciabam, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad DEVM, digna pœnitentiæ opera facientes.

SED *his, qui sunt Damasci primùm*, &c.] Fauent hæc opinioni eorum, qui Damasco profectum priùs Paulum in Ierusalem credunt, ibíque docuisse, quàm in Arabiam. Negat hîc illud Lyranus, vultque Damasco abiisse immediatè in Arabiam, tum rediisse Damascum, & inde in Ierusalem. Verùm id pridem capite nono perpensum est.

Vt pœnitentiam agerent.] Hanc Ioannem Baptistam[g], & CHRISTVM primo loco prædicasse[h], & iussu ipsius Apostolos[i], ostendimus capite 2.[k] quídque pœnitentiæ nomine, verbóque pœnitendi μετανοίας, & μετανοεῖν, oporteat intelligere: quid etiam sit conuersio, & conuerti[l], colligit Chrysostomus eum, qui alios vitam optimam doceret, verisimile non esse, fuisse seditionis auctorem.

g Mat. 3. 2.
h infrà 4. 47.
i Luc. 24. 47.
k vers. 38.

l cap. 3. 19.
Seditionis auctor Apostolus non esse probatur.
Fructus pœnitentiæ qui.

Digna pœnitentiæ opera facientes.] Hos Ioannes vocabat *dignos pœnitentiæ fructus*[m], id est, veram, sinceràmque pœnitentiam, signáve externa, ex quibus illa possit cognosci, qualia sunt prioribus malis operibus contraria bona, detestatio peccatorum, lacrymæ, satisfactio, pœnales actiones.

m Luc. 3. 8.

Dignitas etiam hæc indicat quandam proportionem cum peccatis præteritis, vt, quod Gregorius[n] monet: *Qui maiora commisit, maiora item post pœnitentiam opera facit, & grauitatem damnorum ex illis sequutam istorum lucris compenset.* Attamen & Ioannes ibi, & Paulus hîc, *dignos fructus*, vel *opera pœnitentiæ* in primo tantùm sensu exigunt, hoc est, vt fiant à pœnitente, quemadmodum decet veram pœnitentiam, quamuis meliùs facit, qui dictam proportionem seruat.

n Hom. 20. in Euang.

Dignitas pœnitentiæ in quo sit.

Porrò potest etiam dignitas hæc accipi ante remissionem peccatorum, & de dispositionibus, virtutísque pœnitentiæ actibus requisitis ante remissionem peccatorum, vel per sacramentalem pœnitentiam in iis, qui peccant post Baptismum, vel per istum in aliis. Vtrouis autem modo dignitas significat id, quod dixi, non autem per se condignitatem meriti, quæ ad remissionem peccatorum, seu ad iustificationem nulla est. Sed ante iustificationem contritio eiusmodi potest esse, vt culpa, pœnáque remittatur, quæ est quædam ratio dignitatis, id est, eximiæ dispositionis.

Post pœnitentiam quomodo fiant opera digna pœnitentia.

Si autem fiant post pœnitentiam, & remissionem obtentam, quod innuit nomen operum, & fructuum pœnitentiæ, dignitas consistet, vt valeāt ad omnem pœnam, etiam temporalem, quæ persæpe remanet, delendam. Nota Zachæi in quadruplum satisfactio[o], lacrymæ Magdalenæ[p], ac Petri[q], quas per totam etiam vitam legitur retinuisse[r]: aliorum admirabiles pœnitentiæ, quæ continentur sacris, & Ecclesiasticis Historiis.

o Luc. 19. 8.
p Luc. 7. 38.
q Mat. 26. 75.
r indicat Nicephor. lib. 2. c. 37. describens rubeos oculos, & clariùs Clemens 2. Recogn.

Versus 21.] Hac ex causa me Iudæi, cùm essem in templo, comprehensum tentabant interficere.

COMPREHENSVM *tentabant interficere.*] Post *tentabant*, quidam codices addunt, *volentes*, sed superfluè: nec id Græca, vel Syra editio agnoscit. Hoc autem narratum est capite vigesimoprimo[f].

f vers. 31.

Versus 22.] Auxilio autem adiutus DEI, vsque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque maiori, nihil extra dicens quàm ea, quæ Prophetæ loquuti sunt futura esse, & Moyses.

AVXILIO *autem adiutus* DEI.] Qui patrocinatus est ministro, ac prædicatori suo. Lysiæ in tempore, cum milite aduentum [a], ad DEI refert prouidam beneficentiam, & magnus gratiæ diuinæ laudator, in gratiæ auctorem transcribit externa quoque, temporaliaque beneficia, quæ reuocari solent ad inscrutabilem illam prædestinationis electorum mirabili quodam nexu, compositam catenam ab eo, *cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur.*

a cap. 21.32. *Gratia Dei omnia beneficia refert accepta Paulus.*

Testificans minori, atque maiori.] Quæ sit vis verbi μαρτυρεῖσθαι, alibi dictum est*. Minor, & maior, seu paruus, & magnus, μικρὸς καὶ μέγας, comprehendunt cuiusuis sexus, ætatis, status, conditionis homines, absque vllo delectu: idque Chrysostomus notat dictum propter milites, qui aderant, propter nobiles, ignobilésque. Vsitatus Scripturæ, vulgóque loquendi modus, vt paruus, ac magnus, vel minor, ac maior, vel minor, & magnus, aut maximus, vel paruus, aut magnus, aut maior, aut maximus, aut grandis tanquam extremi complectantur eos, qui sunt in medio. Sic apud Iob [b]: *Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber a domino suo.* Item [c]: *Si priora tua fuerint parua, vt nouissima tua multiplicentur nimis.* Lege quæ de hac formula notauimus capite primo [d].

* Act. 20.21. & alibi.

Maior, & minor, & similia quid significant.

b cap. 3.19. c cap. 8.7. d vers. 21.

Spectat eòdem, vt quemadmodum magnus in Scriptura sumitur pro nobili, celebri, honorato, sapiente, diuite, vnde μεγιστᾶνες, & magnates, & vulgari lingua Italica, Gallica, Hispanica, *li grandi, les grands, los grandes*: & appositum epithetum magni Sanctis, & Oratoribus, & Imperatoribus, & aliis, ac interdum nomen quoque maximi, & sic paruus contrarias qualitates denotet. Seneca [e] cognomina ista honori docet data, *magnorum, felicium, augustorum, & ambitiosæ maiestati* (*quæ à maiore dicitur*) *quidquid potest titulorum congestum.*

e de clementia c. 24.

Nihil extra dicens, quàm ea quæ Prophetæ loquuti sunt futura esse, & Moyses.] *Ne videatur ipse Doctor esse*, ait Chrysostomus, id est, *propria, & ex capite suo doctrinam tradere, vel in narrata apparitione præcipuum momentum ponere*: Petrus enim *propheticum sermonem, quàm ipsius* CHRISTI *Transfigurationem, quam viderat, firmiorem* dicit [f], id est, aptiorem ad conuincendos Iudæos, qui Prophetas recipiunt, argumentatur testimonio Prophetarum, cuiúsque, quem maximi meritò faciebant, Mosis.

Apostoli nihil docuerunt, quàm quod Prophetæ prædixerunt.

f 2. epi. Petri, 1.19.

Martinus Kemnitius [g] absurdum colligit hinc argumentum, vt probet non dari pœnitentiæ Sacramentum: *Significat nàmque Paulus*, inquit, *se non aliam pœnitentiam prædicasse, quàm illam, quam ipsi etiam Prophetæ ante Euangelium prædicauerunt: constat autem, illam non fuisse Sacramentum.* Fallitur sic argumentans ignorantia duplicis pœnitentiæ, cum vt virtus est, tum vt Sacramentum. De prima loquitur Paulus (si velimus illum testimonia Prophetarum etiam de pœnitentia, non solùm de CHRISTI mysteriis afferre) quæ virtus eiusdem rationis est apud omnes, & in omni lege. De Sacramento etiam pœnitentiæ, quod tamen Paulus Iudæis, aut Gentilibus in prima prædicatione non proponebat, & ante Baptismum distinctè, ac velu-

Kemnitij argumentum confutatur contra pœnitentiæ sacramentum.

g in Exam. Concil. Trident. sess. 7. c. 1.

Pœnitentia duplex, vna virtus, altera sacramentum.

ti necessarium, potest intelligi eundem in sua Catechesi, qua instituebat candidatos Fidei, si quid egit, Prophetarum quoque testimonio confirmasse, sed generali, quatenus illi prædixerunt de futuro Legislatore noui Testamenti. Nam nec aliter probare potuit Baptismi, quem pro Sacramento Kemnitius recipit, expressam formam per Prophetarum auctoritatem, apud quos illa non reperitur: vt sit nempe in nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITVS sancti [h].

Inanis est etiam, futilísque ratio Hæreticorum hinc petita, nihil sine Scripturæ testimonio proferendum, nullam Traditionum habendam rationem. Qui cum Iudæis agens eo armorum genere vsus est, quod accommodatum erat, non eripuit vel sibi, vel nobis ex Traditione, quam non semel ipsemet proponit, & commendat [i]. Sicut & Ioannes Apostolus, cùm duabus postremis epistolis scribat, *multa se habere, quæ scriberet, nolle autem per chartam, & atramentum.* Meliùs argumentatur Tertullianus [k] de Resurrectione carnis, secundùm prædictiones Prophetarum: licèt autem videatur citans hunc locum præterire Mosem; sed ad eundem tamen postmodùm alludit, veluti commemoratum ab Apostolo. De vi argumenti ex Prophetis, cùm Petrus eo vteretur, dixi capite secundo, & tertio. Repetit hîc verò Lyranus aliquos eorum locos.

h Matth. 28.19.

i 1. Corint. 11.2. & 2. Thessal. 2.14. 2. Timoth. vlt. 2. 2. epi. 1.13.14. cap. 2.2.

k de Resurrect. carnis c. 39.

Versus 23.] Si passibilis CHRISTVS, si primus ex Resurrectione mortuorum, lumen annunciaturus est populo, & Gentibus.

SI *passibilis* CHRISTVS.] Videlicet si hoc, & sequentia prædico, quæ partim iam euenerūt, partim adhuc expectantur non absque Prophetarum, Mosísque testimonio. Notat Lyranus, particulam *si*, esse pro *quia*, siue *quòd*. Consentit Carthusianus, & Glossa interlinearis, & Hugo, & Sà. Planior tamen videtur allatus sensus: nec aliud opinor afferent exemplum significationis huius particulæ, quam dicunt.

Passibilem verò CHRISTVM, παθητὸν, non more tantum ceterorum hominum obnoxium morti debemus intelligere: sed, vt exponit Syrus, דנחשׁ *denecbasch*, id est, *quòd passurus*; vel, *passurum*; hoc est, violenta morte, & pœnis illatis, ac suppliciis extinguendum: nihil nàmque miri, vel noui dixisset priore modo, cùm certi sint Iudæi MESSIAM hominem mortalem futurum.

Violentus mihi videtur sensus Caietani, particulam *si*, sumentis in propria sua vi conditionali, quasi dicat Apostolus: Ego testificor ea, quæ Prophetæ prædixerunt futura super veritate harum conditionalium; hoc est, non aliter prædixerunt, nisi per CHRISTVM passibilem, & per CHRISTVM primum ex Resurrectione mortuorum annunciaturum populo, & Gentilibus lumen, ita vt si passibilitas CHRISTI, & Resurrectio CHRISTI ad notificandum mundo Fidei lumen subtraheretur, non essent ventura, quæ Prophetæ prædixerunt ventura, ideóque infert nihil superesse quod in Prophetis, quibus se profitentur credere, Iudæi requirant. Vult etiam in his duobus articulis pendere omnia Fidei Christianæ mysteria, pendere consonantiam Euangelij ad legem, & Prophetas.

Caietani explicatio reiicitur.

Postremò hîc attendenda esset summa pietas

Summa Christi pietas & dignatio.

CHRISTI, & maxima vtilitas nostra, quòd ille dignatus sit non solùm fieri similis nobis homo passibilis, sed tanta pro nobis pati, vt quod potuit gutta, voluerit vnda, & cùm abundè sufficeret, propter dignitatem infinitam personæ, quiuis meritorius actus, *diues in misericordia* [a], & *copiosæ redemptionis* [b] tot, tantáque operando, & patiendo præstiterit, vt simul amorem nostrum attraheret, atque imitandi studium prouocaret, & à peccandi voluntate deterreret. Lege beatum Thomam [c], & sanctum Augustinum [d], & Leonem*.

a Ephes. 2.4. b Psal. 119.7.
c 3.p.q.46 ar. 3 & 3.
d libro 13. de TRINIT. cap. 10. & sequentib. multis.
* Sermon. de Pass.

Si primus ex Resurrectione mortuorum.] Hoc est, qui resurrexit ad vitam immortalem, quód est quoque *primitias esse dormientium* [e], & *primogenitum ex mortuis* [f], *vel mortuorum* [g]. Sed hoc quo modo intelligendum sit, docuimus capite primo, vbi & de illis, quos Matthæus ait resurrexisse [h]. Lege Blasium Viegam in Apocalypsim [i].

e 1. Cor. 15.20. 23.
f Coloss. 1.18.
g Apoc. 1.5.
h cap. 27.52.
i in c. 1. com. 1. sect. 11.

Lumen annunciaturus est populo.] Iudæis per seipsum, Gentibus per Discipulos *lumen* videlicet est *ad reuelationem Gentium, gloria plebi Israël* [k]: *Datus in lucem Gentium, non tantùm ad suscitandos tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas* [l]. Non debuit Hugo legere, *Populo ex Gentibus*, id est, separato, nimirum populo Israël: est enim contra fidem omnium codicum, & contra sensum, qui comprehendit quoque Gétiles: denique lux est CHRISTVS *illuminans omnem hominem venientem in hunc mũdum* [m]. Alludit verò ad id, quod antè dixit, *iniunctum sibi, vt prædicando aperiret oculos populi, & Gentium, vt conuerterentur à tenebris ad lucem.* Vtrique versabantur in tenebris, licèt Gentiles in crassioribus, quia nec verum colebant DEVM, nec venturi CHRISTI fidem habebant, & à toto genere turpiorum in vitiis volutabantur: certè sanctitatem, quam lex præscribebat, non profitebantur. Inde est, quod CHRISTVS à Simeone *lumen Gentium* peculiariter nominatur [n]: *Gloria verò plebis Israël, ex qua ille erat* [o], *apud quos versatus, cui promissus, per quos Gentes illuminauit.*

k Luc. 2.32.
Christus est lumen Iudæis, & Gentibus.
l Esa. 49.6.
m Ioan. 1.9.
Iudæi, & Gentiles in tenebris versabantur.
n Luc. 2.32.
o Rom. 9.4.5.

Versus 24.] Hæc loquente eo, & rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis Paule: multæ te literæ ad insaniam conuertunt.

Magna vi dixit Festus.

HÆc loquente eo, & rationem reddente.*] Magna quadam dicendi libertate, atque emphasi, quam etiam voce, gestu, vultu in regem fortassis defixo præseferebat, *ita vt videretur quiddam passus*, ait Chrysostomus, *& mania agitatus, vel extra mentis potestatem constitutus.*

Festi indignatio vana. & sur.

Festus magna voce dixit.] *Furore, & ira plenus*, inquit Chrysostomus, *turbatus, ac indignatus*, ait Oecumenius, *quòd se despici crederet, quod regem, qui tantoperè cupierat illum audire, ab illo adeò præfractè intentis oculis conspici: quod non tam purgare calumniam videretur, quàm gloriari de sua vel doctrina, vel vita*: quod tergiuersari, digredíque in tractationem altissimarum rerum, quas Præses nec intelligeret, nec vllo modo crederet, sed penitus impossibiles, maximè Resurrectionem putaret.

Insanis Paule.] Sic Apostoli *loquentes magnalia sunt appellati ebrij* [p]: idem Paulus *seminiuerbius habitus est, cùm ageret de Resurrectione* [q], CHRISTVS *furiosus* [r], *dæmoniacus, & insanus* [s], *& ab Herode stultus* [t], *Dæmonium habet*, dicebant de illo filij Diaboli, *& insanit, quid eum auditis* [u]? Prætereà Iob cùm pro se responderet, nominatus est *verbosus* [x]. Tandem *animalis homo*, vt idem Apostolus dicit [y], *non percipit ea, quæ sunt SPIRITVS DEI; stultitia est illi, & non potest intelligere*: quemadmodum contrà *fecit DEVS stultam sapientiam huius mundi* [z]: qua de re consule dicta in capite secundo [a], hoc est, quo pacto rideri soleant ab impiis pij.

p Act. 2.13.
q supra 17.18.
r Mar. 3.21.
s Ioan. 7.20.
t p. 10.20.
u Luc. 23.11.
Ioan. 10.20.
x Iob 11.2.
y 1. Cor. 2.14.
z 1. Cor. 1.20.
a vers. 13.

Multæ te literæ ad insaniam conuertunt.] Videntur Iudæi, cùm mirantes dixissent de CHRISTO, *Quomodò hic literas scit, cùm non didicerit* [b]? paulò pòst addendo [c], *Dæmonium habes*, causam tantarum literarum, doctrinæque in Dæmonium retulisse. Et verò Dæmonium nonnihil hoc in genere posse, dubitari nequit, & tales interdum effectus operari in aliquo, vt eius in illo præsentia perspicuè colligatur ex ipsis, vt aliàs demonstrauimus [d], & ostendit noster Delrius [e].

b Ioan. 7.15.
c vers. 20.
Christus ob singularem doctrinam Dæmonium habere creditus est.
d Disput. de Angelis.
e lib. 2. disquis. Magic. q. 24.

Docet porrò Philosophus [f] exemplis, atque ratione, *illos, qui clarescunt ingenio melancholicos esse, ac vitiis atra bilis infestari, & mente alienari.* Possunt & alia vetera, recentiáque exempla proferri. Medicis relinquo varias species insaniæ, maniæ, amentiæ, furoris, lethargiæ, phrenesis, stultitiæ, seu fatuitatis melancholiæ. Nihil etiam dico de furore, quem diuinum vocant Ethnici, quoque Prophetas nostros actos væsani quidam Scriptores dixerunt. Obnoxij sunt præter modum studiosi væsaniæ, videntúrque mihi vocabulo vno, licèt non admodùm eleganti, mentis ob literarum studia emotæ hominem Aquitani Vascones expressisse appellantes *letreferit*, quasi dicas, quem literæ ferierunt, qui literis ipsis veluti percussus, & perculsus est.

f sect. 30. Problem iam inde à principio.
Ingenio pollentes sunt melancholici.
Præter modum studiosi sunt obnoxij væsaniæ.

Versus 25.] Et Paulus: Non insanio, inquit, optime Feste, sed veritatis, & sobrietatis verba loquor.

Paulus etiam lacessitus miuria modestè respondet.

NOn insanio, inquit, optime Feste.*] Modestissima responsio, qualis CHRISTI: *Ego Dæmonium non habeo* [g]; & Petri: *Non sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt* [h]. Optimum autem Præsidem nominat propriè tali Magistratui epitheto, vt vidimus vocatum à Tertullo Felicem [i], & à Lysia [k]: nec propter acceptam iniuriam voluit denegare honoris ordinarium titulum, ac fortasse cautior fuit, postquàm Principi Sacerdotum dixerat: *Percutiet te DEVS, paries dealbate*, quo ipsum nomine circunstantes reprehenderant [l]. *Non dixit hoc ex adulatione*, inquit Lyranus, *sed quia talis erat modus loquendi cum reuerentia locum Imperatorum tenentibus.* Melior hæc sententia, quàm *vt id fecerit ad captandam beneuolentiam*, vt Hugo loquitur, *seu loquendo, vt plures, & non ex suo sensu*, seu quia teneret in iudicio locum optimi DEI: vel, *quòd*, vt ait Carthusianus, *valdè bonus esset bonitate morali, quantùm ad virtutes acquisitas, ac morales.*

g Ioan 8.49.
h Act. 2.15.
i infrà 24.3.
k cap. 23.26.
l ibid. 3.4.

Paulus à se insania vitium auertit.

Sed veritatis, & sobrietatis verba loquor.] *Falsitas abest à dictis, petulantia à factis: quæ duo sunt insaniæ propria*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo: *& Euangelica, quam trado doctrina vera est, & modum in dicendo non excedo*, inquit Glossa: rari námque fatui, vel phrenetici, qui non fabulosa, & turpia effutiant.

Versus 26.] Scit enim de his Rex, ad quem & constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quicquam horum gestum est.

Insanum Paulus se non esse ostendit.

SCIT *enim de his Rex*, &c.] Idonea sanè propulsatio insaniæ, testem proferre pollentem auctoritate, scientia horum, quæ dicuntur, præditum. Insinuatur simul causa, cur potissimùm diriget ad Regem Paulus orationem: tacitè quoque coarguuntur, qui aderant Iudæi, quòd ea vel nescirent, vel nescire simularent, quæ Regi politicis intento negotiis probè perspecta forent.

Neque enim in angulo quicquam horum gestum est.] Crux, morsque CHRISTI, & eiusdem Resurrectio cum ceteris, quæ pertinent ad vniuersam œconomiam redemptionis nostræ. Optimum & hoc argumentum, quod nonnisi vel imprudens, vel impudens faceret, tot aduersarios concitans contra se, quot pro se citans testes. Tali CHRISTVS ratione refellit comprehensores suos, & Pontificem [a]: *Quotidiè apud vos sedebam docens in templo: ego palàm loquutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in templò, quò omnes Iudæi conueniunt & in occulto loquutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid loquutus sim ipsis: ecce hi sciunt quid dixerim ego.* In hoc responso CHRISTVS docet quæ docuisset ad seditionem spectare non posse, vel ad seductionem. Idem Paulus intendit.

a Matt. 26. 55. Ioan. 18. 20. 21.

Versus 27.] Credis, Rex Agrippa, Prophetis? Scio quia credis.

Pauli ... apostrophe mirabilis.

CREDIS *rex Agrippa.*] Libera, efficax, amica, Præside prætermisso tantarum incapace rerum, apostrophe, cum antistrophe: conscientiam Regis conuenit, & pungit: consensum veræ doctrinæ Prophetis consentaneæ, extorquet: laudando, tacitè reprehendit: si res permittatur iudicio ipsius, victoriã pollicetur: consequens enim esse, vt qui Prophetis credat, illa non abnuat, quæ ipse Prophetarum testimonio confirmet. *Non hæc adulando* ait Beda, *vt quidam putant, sed verè profatur.* Agrippa enim, vtpote Iudæorum ritu, & legibus imbutus, credebat vera loquutos esse Prophetas: sed ad quem eadem veritas pertingeret, id est, Dominum CHRISTVM, vt perfidus, nesciebat. Quamuis in cõcione quadam cum Iudæis habita dixisse legatur: *Sed de religionis auxilio præsumitis, cùm orbem iam Romanum* (malè apud Carthusianum hæc referẽtem legitur, vrbem Romanam) IESV *Discipuli repleuerint: aut sine* DEI *nutu putamus illam crescere religionem.*

Agrippa Regis de nostra religione testimonium.

Recitat quidem Iosephus [b] concionem Agrippæ ad Iudæos, hortantis ad obediendum Romanis, tamen de Discipulis IESV, qui orbem repleuerint Romanum, nullum verbum. Sunt etiam qui existiment, quando fideles, imminente Ierosolymorum excidio, iussi sunt diuinitùs migrare Pellam (quod narrat Eusebius [c]) oppidum trãs Iordanem in regno Agrippæ, ab Agrippa benignè susceptos esse: immò & occultè Christianum fuisse [d], quomodo erant, dum CHRISTVS viueret, Nicodemus [e], Ioseph ab Arimathia, & alij. Sed hæc de Agrippa dubia sunt, & incerta.

b 2. de bell. Iudaic. c. 16.

Christiani se in Pellam tempore excidij Ierosolymitani abdiderunt.

c 3. Histor. ca. 5.

d indicant Gagneius, & Salmeron.

e Ioan. 19. 38. 39.

Versus 28.] Agrippa autem ad Paulum: In modico suades me Christianum fieri.

IN *modico suades me Christianum fieri.*] Syrus, מקליל מדם מפיס אנת לידאהוא כרסטינא *mekallil medem mepis anth lideehoue Cheristianee*, id est, *In pauco aliquo persuadens es mihi, vt sim Christianus*; vel, *Minimo negotio persuaderes mihi, vt fierem Christianus*; vel, *In pauco tempore, & sermone, quo mecum loquutus es, ac sine multo labore*, inquit Oecumenius, Gagneius, Sà, Arias (intelligens loqui Regem de interrogatione, an crederet Prophetis?) & Clarius, & Vatablus, & Caietanus, qui vult id cum admiratione dici; vel, *Parum abest, propiùsque nihil factum est, quàm vt me feceris Christianũ*, vt alij exponunt, vt etiam Vatablus, vel, *Pro parte, seu aliquantulum inclinas me ad hoc, sed non perfectè*, vt placet eidem Vatablo, & Carthusiano, & Lyrano, qui aliam interpretatienem reiicit: *In modico*, id est, *in nullo, seu nullo modo*, aut *in quocunque statu.* Exceptis duobus vltimis, modos ceteros probo, qui videntur etiam coincidere.

Quamuis malim Agrippam significasse, permotum se adeò, vt Christianam fidem facilè cõplecteretur. Ita quidẽ Cyrillus Ierosolymitanus [f] intellexit: *Tantam enim ex* SPIRITV *sancto victricem sapientiæ gratiam habuisse, vt ipse iam Rex Iudæorum Agrippa diceret: Parum abest, quin me feceris Christianum.* Idem sentit Chrysostomus [g], dicens, *quod ferè Regem ad seipsum transire persuasit, & eo capto discessit: tales verò esse Sanctorum animas, cùm in pericula ceciderint, non quomodo periculis liberentur, considerare, sed quò persequẽtes lucrentur, omnia facere.* Minùs probabiliter sentiunt, qui volunt ironicam Regis orationem esse.

Agrippa Pauli oratione permotus quatenus fuerit.

f Catech. 17.

g Homil. 26. ad populum, & Homil. 18. in 1. ad Cor.

Versus 29.] Et Paulus: Opto apud DEVM, & in modico, & in magno, non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt me hodiè, fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.

OPTO *apud* DEVM, *& in modico*, &c.] Modicum, & magnum eo sensu sumenda sunt, quem antè diximus. Declarat námque Paulus, quanto teneatur desiderio cunctos in salutis viam reuocandi, ita vt quò id consequatur, perinde paratus sit longiore disputatione, magnóque labore iterum, sæpiúsque vti, ac semel, & breuiter solùm aut loqui, aut laborare parum: operam suam libẽter, ac liberaliter offerre, in Regis quidem gratiam præsertim, sed & aliorum quoque: nihil sibi optatius esse, vel quod maioribus votis exposcat à DEO: hac de causa nullum non subiturum laborem, siue magnum, siue paruum, quamuis vita ipsa periclitetur. Si Rex intellexit, *in modico*, quia non viderentur satis adhuc dicta ad persuadendum, promptum se Paulus exhibet ad plura, pluriésque differendum: si parum abesse, vt persuaderetur, exponit desiderium, quo cupiat id quacunque ratione, prorsúsque fieri, & profitetur, quæ sibi ipsi velit ad cumulum fœlicitatis tum præsentis, tum futuræ, hæc eadem Regi, ceterísque intima, ac beneuolentissima voluntate velle. Nullius delectum habebat personæ Paulus, siue modicæ, siue magnæ, nec rationem temporis, aut exigui, aut longi. At non opinor eò præcisè Paulum, sicut Glossæ interlineari visum est, respexisse.

Declarat Paulus quanto teneatur desiderio omnes ad salutem reuocandi.

Neque simpliciter approbarem quod ait Chrysostomus, *non assequutum Paulum, vtpote idiotam, quid vellet Agrippa per τὸ in modico*, quasi videlicet ea in re similis fuerit Apostolis nescientibus sententiam CHRISTI verborum [h]: *Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum,* &c. Oecumenius

Paulus id assequutus est, quod voluit Agrippa.

h Ioan. 16. 16.

nius ascribit eiusmodi responsum maximæ cuidam in humanis, diuinisque Pauli sapientiæ: vt quamuis Agrippa per τὸ *in modico*, dicere voluerit, parum abesse, quin persuasus sit, ille de industria vim in verbo faciens, sensumque Regis negligens, id accommodarit ad illud, quod vtile futurum erat, nempe vt, quemadmodum dictū est, prolixiorem operam polliceretur, sicque nihil deesset. Hoc est, quod alio quodā loco scribit idem Chrysostomus [a], *nunc sagenam magis expandere.*

a Homil.19.in 1.ad Cor. *Paulus in catenis gloriari solitus.*

Exceptis vinculis his.] Communis expositio, præsertim Chrysostomi, non hoc tantùm loco, sed aliis [b], est, Apostolum, qui vinculis plusquàm aurea catena gloriari solet, ac in epistolis [c], *vt honorificum titulum prænotare*, quod & Ignatius [d] fecit, *non horrere nunc vincula, sed potiùs sibi, ceu rem charissimam reseruare, nec adhuc imperfectis, & ignorantibus pretium tribulationis proponere, vel communicare.*

b Homil.31.in 1.ad Cor. Homil. 9. in epi. ad Ephes. Homil.16.ad popul. Hom. cōtra Gentiles, siue de Babyla marty. c Ephes. 3. 1. 2. Tim.2.9. ad Phile. 1. Philip.1.7. d epist. 7. ad Tharsenses. e Philip.1.14. f Act. vlt. 20.

Vincula sua Paulus quodammodò dilaudabat apud eos, quibus id poterat vtile contingere: *sic enim plures è fratribus confidentes vinculis ipsius ausi sunt sine timore verbum* DEI *loqui* [e]: & Romam perductus exposuit Iudæis, *se propter spem Israel catena circumdatum esse* [f].

g Homi.16.ad popul. & 31. in 1. ad Cor. *Prædicatores quales esse debeāt hic ostenditur.* h Matt. 9.17.

Salutare documentum elicit Chrysostomus [g] diuini verbi præconibus, vt hoc exemplo sermonem discant attemperare ad auditorum capacitatem, *ne commissuram panni rudis immittant in vestimentum vetus, vel vinum nouum in vtres veteres* [h]; *sed fiant Iudæis tanquam Iudæi, quique sub lege, tanquam sub lege, & qui sine lege tanquam sine, infirmis infirmi, omnia omnibus, vt omnes lucrifaciant, & faciant saluos* [i]. Si vinculis gloriatus esset coram Rege, maius odium excitasset, necnon Christianæ Religionis horrorem: antè debuit ostendere vestibula regiæ, quàm cogere ea, quæ sunt intus, intueri, *lacte priùs pascere, quàm solido cibo* [k].

i 1. Cor. 9.19. 20.21.22.

k Hebr. 5. 12.

l Hom.16. ad pop.

Sed memoriæ lapsus est in Chrysostomo [l], quando ait, Paulum nunc egisse cum Gentili, & infideli, nec sciente res nostras. Nam Agrippa Iudæus erat, vt vidimus, nec à Christianis abhorrēs; quamuis tribulationis, vinculorum, crucis dignitatem, atque suauitatem minimè percepisse non dubito.

Alia ratio, cur exciperet Apostolus vincula, redditur à Carthusiano, ac mihi quidem videtur maximè literalis, *vt vrbanè agendo, vera, ac per se bona expeteret auditoribus, pœnam deprecaretur, quæ secundum se bona non est.* Meminerat quoque forsitan Paulus Agrippæ vinculorum in vrbe, vnde liberatus pro ferreis aurea, quæ donauerat Imperator, anatematis nomine suspenderat in templo. Idcirco ne vulnus Regi refricet, vincula, quæ lubens ferret, ac quibuscum Romam profecturus esset, deprecatur à Rege, atque generaliter ab omnibus.

Agrippa Romæ vinculis liberatus, quid fecerit.

Pauli Christiana charitas qualis.

Christiana præditus charitate, ceteris bona omnia vult, & quod in se est, curat & præstat, mala propulsat, vel abesse desiderat. Perfectio huius charitatis est, si ames alium sicut teipsum, & quod sano, sanctoque iudicio tibi maximè salubre censeas, id ipsum, nisi quid obstet, fratri communitum propenso studio cupias.

Talis est ardor ille animi, quem quidam experiuntur: vt tot per orbem diffusi schismatici, Hæretici, infideles, Iudæi veritatis lumen aspiciant, *ignisque in eis ardeat, quem* CHRISTVS *terris his inferens, voluit vehementer accendi* [m]: vel, vt in Christianis peccatores tam multi recuperent amissam gratiam: vel etiam, vt qui soluti, ac liberi sunt, feuerioris vitæ suaui iugo ceruicem submittant.

m Luc.12.49.

His omnibus desideriis flagrabat incensus Pauli animus, eiusmodi flammas identidem in epistolis proferentis. Sed vltimum declarans, ait [n]: *Volo omnes vos esse sicut meipsum.* Nec fallebatur verò, qui de seipso dicebat [o]: *Puto autem, quòd & ego* SPIRITVM DEI *habeam.* Singulari quadam elegantia, pietatisque Augustinus [p] affectu perpendit vim charitatis hoc Pauli exemplo, esse, vt nullum velit homo se inferiorem, omnes potiùs esse sibi æquales. *Audi*, ait, *Apostolum dicentem de visceribus charitatis: Vellem omnes homines esse sicut meipsum. Quomodo volebat omnes esse? Æquales. Ideò erat omnibus superior, quia charitate optabat omnes æquales.* Postremò, cùm Apostolus quasi designat, indicatque vincula sua dicens, *Exceptis vinculis his*, significat, se & ibi ea gestasse; quamuis credibile sit, nō adeò tunc arctè, vt liberiùs loqui posset.

n 1.Cor.7.7.

o ibidem 40.

p Tract.8.in epist. Ioan.

Versus 30.] Et esurrexit Rex, & Præses, & Bernice, & qui assidebant eis.

ET *esurrexit Rex*, &c.] Nisi abrupta oratio esset, Paulus forsitan persuasisset, *atque de iustitia, castitate, iudicio sermonem*, vt nuper ad Felicem, *instituisset* [q]: quo meliùs Agrippa, quàm Felix dispositus, propter Iudæam religionem, & propensionem ad Christianismum, non tremefactus tantùm, vt Felix, esset (non minùs infamatus ob impudicitiam cum Bernice sorore, vt dictum est) quàm ille, verùm etiam forsitan planè deiectus, & conuictus. Præcidit filum plusquàm infernalis Parca, Diabolus fortasse, nec tulit, vt ad exitum sermo perduceretur, qui præteritis erroribus vitæ allaturus, si procederet, exitium videretur. Decori autem ratione habita, post Regem Præses, hic ante Bernicem nominatur: hæc enim neque Regis vxor erat, vt pridem vidimus, neque sedebat vt Iudex, verùm honoris causa, vtque voluntati videndi, audiendique tam celebris rei satisfaceret.

q cap. 24. 25.

Versus 31.] Et cùm secessissent, loquebantur ad inuicem, dicentes: Quia nihil morte, nec vinculis dignum quid fecit homo iste.

NIHIL *morte, nec vinculis dignum quid fecit homo iste.*] Reges, Præses, assessores consentaneam pronunciant de innocentia Pauli sentētiam sententiæ, quam separatim iam dederat Festus, Felix, Lysias. Cùm autem consenserint modò, qui assidebant, argumento est non fuisse Iudæos, vt neque quod capite priore [r] vocatur Cōcilium Festi.

Paulus omnium sententia absoluitur.

r Vers.12.

Versus 32.] Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

DIMITTI *poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.*] Iam dixi [s], nihilominus potuisse Paulum absolui: appellauerat enim necessitate compulsus, & in subsidium iuris. Sed libenter vtuntur eo prætextu, quibus & pauper Paulus pecuniam non numerat, & Iudæorum gratia, fauórque placet, scilicet *Iniquorum via prosperatur* [t], vtque Satyricus [u] canit:

s cap. præced. vers.26. *Poterat absolui Paulus, quamuis appellasset.*

t Ierem.12.1. u Iuuenalis Saty.10.

Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum,
Si vis esse aliquis: pietas laudatur, & alget.

CAPVT VIGESIMVM-SEPTIMVM.

SVMMARIVM.

Vt Romam Paulus reus deducatur, Centurioni cohortis Augustæ Iulio traditur: Cretam tandem iactatus aduerso vento peruenit: inde soluentes, prout ipse prædixerat, sæuam patiuntur tempestatem: naufragiúmque: sed ab hoc prædicente quoque Paulo, & cibum sumere iubente, cuncti euadunt.

1 VT autem iudicatum est nauigare eum in Italiã, & tradi Paulum cum reliquis custodiis Centurioni nomine Iulio cohortis Augustæ.

2 Ascendentes nauem Adrumetinam, incipientes nauigare circa Asiæ loca, sustulimus perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi.

3 Sequenti autem die deuenimus Sidonem. Humanè autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere.

4 Et inde cùm sustulissemus, subnauigauimus Cyprum, propterea quòd essent venti contrarij.

5 Et pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ nauigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ:

6 Et ibi inueniens centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, transposuit nos in eam.

7 Et cùm multis diebus tardè nauigaremus, & vix deuenissemus contra Gnidum, prohibente nos vẽto, adnauigauimus Cretæ, iuxta Salmonem:

8 Et vix iuxta nauigantes, venimus in locum quendam, qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat ciuitas Thalassa.

9 Multo autem tempore peracto, & cùm iam non esset tuta nauigatio, eo quòd & ieiuniũ iam præteriisset consolabatur eos Paulus,

10 Dicens eis: Viri, video quoniam cum iniuria, & multo damno non solùm oneris, & nauis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse nauigatio.

11 Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quã his, quæ à Paulo dicebantur.

12 Et cùm aptus portus non esset ad hiemandum, plurimi statuerunt consilium nauigare inde, si quomodo possent, deue-
A nientes Phœnicen, hiemare, portum Cretæ respicientem ad Africum, & ad Corum.

13 Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere, cùm sustulissent de Asson, legebant Cretam.

14 Non post multum autem misit se cõtra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.

15 Cumque arrepta esset nauis, & non posset conari in ventum, data naue flati-
B bus, ferebamur.

16 In insulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham.

17 Qua sublata adiutoriis vtebantur, accingentes nauem, timentes ne in Syriam inciderent, summisso vase sic ferebantur.

18 Valida autem nobis tempestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt:

19 Et tertia die suis manibus armamenta nauis proiecerunt.

20 Neque autem sole, neque sideribus
C apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ.

21 Et cùm multa ieiunatio fuisset, tunc stãs Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, ô viri, audito me, non tollere à Creta, lucrique facere iniuriam hanc, & iacturam.

22 Et nunc suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis præterquam nauis.

23 Astitit enim mihi hac nocte Angelus
D Dei, cuius sum ego, & cui deseruio:

24 Dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.

25 Propter quod bono animo estote viri, credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi.

26 In insulam autem quandam oportet nos deuenire.

Sed

27 Sed posteaquàm quartadecima nox superuenit, nauigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem.
28 Qui & summittentes bolidem, inuenerunt passus viginti: & pusillum inde separati, inuenerunt passus quindecim.
29 Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.
30 Nautis verò quærentibus fugere de naui, cùm misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent à prora anchoras extendere,
31 Dixit Paulus Centurioni, & militibus: Nisi hi in naui manserint, vos salui fieri non potestis.
32 Tunc absciderunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere.
33 Et cùm lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibũ, dicens: Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes.
34 Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit.
35 Et cùm hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium: & cùm fregisset, cœpit manducare.
36 Animæquiores autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum.
37 Eramus verò vniuersæ animæ in naui ducentæ septuaginta sex.
38 Et satiati cibo alleuiabant nauem, iactantes triticum in mare.
39 Cùm autem dies factus esset, terram non agnoscebant: sinum verò quendam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent eiicere nauem.
40 Et cùm anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes iuncturas gubernaculorum: & leuato artemone secundùm auræ flatum tendebant ad littus.
41 Et cùm incidissemus in locum dithalassum, impegerunt nauem, & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis verò soluebatur à vi maris.
42 Militum autem consilium fuit vt custodias occiderent: ne quis cùm enatasset, effugeret.
43 Centurio autem volens seruare Paulum, prohibuit fieri: iussitque eos, qui possent natare, emittere se primos, & euadere, & ad terram exire,
44 Et cæteros alios in tabulis ferebant quosdam super ea, quæ de naui erant. Et sic factum est, vt omnes animæ euaderent ad terram.

A *Versus* 1.] Vt autem iudicatum est nauigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis Centurioni nomine Iulio cohortis Augustæ.

T autem iudicatum est nauigare eum in Italiam.] Syrus, ופקד עלוהי פהסטוס דנשתדר לות קסר ראיטליא *vappeked bhalauehi Phestaus deneschtadar leuat kesar Iitalija*, id est, *Et præcepit de eo Festus, vt mitteretur ad Cæsarem in Italiam*; vel, *Decreuit itaque de eo Festus ipsum missum iri ad
B Cæsarem in Italiam.* Arias etiam consentit. Historia Scholastica, Glossa interlinearis, & Hugo volunt hoc esse decretum ab Agrippa, Lyranus, & Carthusianus, ab vtroque, siue à concilio, quod celebratum ab his narratur capite præcedente. Sine dubio Festus in ista causa summam auctoritatem gerebat: permiserat tamen quoque Regis amici iudicio. Ὡς δὲ ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς, *Vt autem iudicatum est nauigare nos.* Nonnulli verò Græci codices habent, Τοὺς περὶ τὸν Παῦλον, *eos qui circa Paulum*, hoc est, vt aliàs obseruauimus, vel *ipsummet Paulum*, vel *eos, qui pertinebant ad ipsum*, nimirum comites, ac proinde etiam ipsum. Le-
C ctio autem Græca ordinaria, necnon quæ sequuntur, ostendunt huius nauigationis Lucam socium esse.

Et tradi Paulum.] Syrus, ואשלמה *veschelemeh*, *& tradidit ipsum*; vel, *Proinde tradidit.* Græcè sine alia particula παρεδίδουν, vel παρεδίδου, *tradebant*, vel *tradebat*, à circumflexo παραδιδόω, nimirum Festus & Agrippa cum Bernice, atque assessoribus, vel Festus solus, ad quem propriè id pertinebat: quod fauet Syræ interpretationi de Festo in præcedentibus verbis.

Cum reliquis custodiis.] Καί τινας ἑτέρους δεσμώτας, *& quosdam alios vinctos.* Custodia non modò significat carcerem, & custodes eius, siue militare
D præsidium (in isto sensu Euangelistæ quoque, aut illorum Græci interpretes κουστωδίαν dixerunt [a]) verùm etiam illos, qui custodiuntur, quo pacto ius ciuile loquitur [b]. Suetonius [c], Seneca, cuius est illud commemoratum capite XII. *quod eadem catena & custodiam, & militem copularet*; præthereà Tertullianus [d], aliique boni scriptores Latini, vt mirum sit, cur scripserit Seruius, vt hi, qui custodiuntur, custodiæ dicantur, audiri, malè in vsu esse: audiri enim disertè dixit Suetonius, & Tertullianus, necnon iudicari. Ceterùm Paulus exemplo CHRISTI [e], *cum iniquis reputatur*, cum aliis criminosis vinctus mittitur.

Custodia quid significet.

a Matt. 27. & 28.

b l. 12. ff. de Publ. iud. & alibi.
c in Domitiano. c. 14.
d Apol. cap. 9. & 44.

e Esa. 53. 12. Luc. 22. 37.

Iulio.] Nescimus quis fuerit, ac tametsi erga
E Paulum humanus, quia tamẽ, quod quidem constet, minimè vnquàm Christianus, non meretur, vt in genere ipsius inuestigando, quod circa Cornelium capite decimo fecimus, laboremus. Iuliam gentem ab Iulo manasse constat, siue idem sit, quod Ascanius Æneæ filius [f], siue Ascanio natus [g].

Cohortis Augustæ.] De cohortibus actum item est capite decimo, cùm de Italica [h]. Dio [i] meminit de quinque millibus militum, qui dicebantur Augustales, videlicet ab Augusto, cuius nomen capite præcedente declarauimus. *Augustalium* quidem *militum*, quos *Augustanos* alij vocant, meminit Vegetius [k]: sed hi primos ordines in bello ducebant, ad id munus adlecti ab Augusto: Co-

f vt putat Virgilius, Seruius, Messala, & alij.
g vt arbitratur Liuius, & Dionys. Halicarnass. & alij.
Augustales milites qui essent.
h vers. 1.
i in Nerone
k 2. de re militar. cap. 7.

hors autem plures continebat priuatos milites. Non arbitror autem verum, *cuiusque legionis prima dignitate nomen Augustæ habuisse: nec istam*, quod ait Glossa interlin. Hugo, & Historia Scholastica, *quòd eam misisset Augustus*, vel vt Carthusianus, *quia generali nomine sic dicitur is, qui est Imperator:* nec enim vnicam miserat Imperator, seu Claudius, seu Nero: nec si quam Augustus Octauianus miserat, adhuc fortassis ibi superat.

Versus 2.] Ascendentes nauem Adrumetinam, incipientes nauigare circa Asiæ loca, sustulimus perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi.

B

ASCENDENTES *nauem Adrumetinam.*] Alij codices *Adramytenã*. Syrus, וכד הוה דנרדא נחחן לאלפא דאיתיה מן אדרמנטוס מדינתא *vechad hauath denerde neehethan lalapha dauthiah men Adramentus medinetha*, id est, *Et cum fuit, vt pergeremus, descendimus in nauim, quæ erat ex Adramento vrbe*; vel, *Cumque nauigandum esset, venimus in nauigium, quod erat ex Adramento ciuitate.* Ἐπιβάντες δὲ πλοίῳ Ἀδραμυττηνῷ. *Ascendentes nauem Adramytenam.* Rursum alij Latini libri habent cum aspiratione *Hadrumetinam*; quidam dempta illa *Adramitinam.*

a de locis ex Actis Hadrumetum qua ciuitas sit.
b lib. 6. c. 14.

C

Hieronymus [a] penultimo scribens modo, docet Hadrumetum esse ciuitatem in Byzacio Africæ regione. Plinius [b] hanc vocat Adrumetum, genere neutro, ac sine spiritu, cùm ab Hieronymo præter spiritum efferatur, vt masculinum nomen, seu nauis fœmininum. Vadianus Adramyttium celebrium Æolidis oppidorum vnum tradit; cuius conuentus Adramyttenus quondam sit dictus, nauis autem Adramyttina, cui Paulus vinctus impositus est. Glossa ordinaria refert duas opiniones, præferens posteriorem, retinénsque secundùm vtramque in voce aspirationem. Vel enim Hadrumetina idem est, quod ad Romam nauigans, vel deriuatur de nomine ciuitatis Africæ, quæ Hadrumetis dicitur. Consentit in hoc secundo dicendi modo Lyranus, nisi quòd casum

D

rectum facit Hadrumes. Carthusianus quoque inflectit scribendo absq; spiritu Adrumes, Adrumetis. Hugo Glossam penitus transcribit, & sequitur Comestor, dum pariter meminit eiusdem duplicis opinionis, ait quosdam seiungere dictionem *ad Rumentinam*, id est, *Romam*, & supplere *tendentem*, alios deducere ab Adrumentis, quæ sit ciuitas Africæ, quod ipse magis probat. Arias *ex Adramanto* Mysiæ *vrbe* deriuat, *quod* inquit, *nomen varie pronunciatur.* Caietanus monet incertum esse *an à ciuitate Africæ, vel Mysiæ, vel ab insula Lyciæ hoc nomen deductum sit.* Apud Plinium [c] reperio Hadranitanos in Sicilia, sed non videntur hi ad

c lib. 3. c. 8.

E

rem: illud autem Adrumetum in Africa, variè scribitur præter dictos modos vt Adrumentum, & Adrumentium, & apud Melam Hadrumentum [d]. Adramytym insulam Lyciæ memorat Stephanus [e]. Adramytteum oppidum in Æolide, quam quondam Mysiam vocabat idem Plinius [f], *vt*, inquit, *& illud prius, Pedasum:* & Mela item [g] in Æolide, Stephanus verò nominat Atramytteum, necnon Thucydides [h]. Apud Strabonem [i] reperitur Adramyttios, & Adramyttenus sinus in Mysia. Atque hæc vltima sententia congruit maximè lectioni Græcæ; nec discordat ab editio-

d lib. 1. c. 7.
e de vrbibus.
f lib. 5. c. 30.
g lib. 1. c. 18.
h lib. 5.
i lib. 13.

A

ne Latina, cùm non rarò Latini y, reddant per u, & geminationem literæ nonnunquam prætermittant. Sed currentem nauem assequi difficile est: nescio illámne venti in Adramytim insulam, vel Adramyteum oppidum impulerint, aut quónam gubernator intenderit. In Africam non videtur; quanquàm nomen nauis habere potest, solétque non à loco, in quem tendit, sed vnde, &c.

Incipientes nauigare.] Iuxta nonnullos codices Latinos, & Græcos *incipientem*, referendo ad nauem, Græcè μέλλοντι, nempe πλοίῳ, pro μέλλοντες, videlicet οἱ ἐπιβάντες. Syrus, ואזלא הוה *vazela hauath*, id est, *& profecturum erat*, nauigium. Sensus idem est.

B

Circa Asiæ loca.] Τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους. Syrus, לאתרא דאסיא *lathera dasija*, id est, *Ad regionem Asiæ.* Peruenit autem nauis, vt paulò pòst dicitur, Lystram Lyciæ in Asia minore, quæ nomine Asiæ hîc intelligi debet.

Perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi.] De hoc in capite vigesimo [k] iam dictum est. *Bene etiam vtiliter*, ait Chrysostomus, *adest ille, qui in Macedonia omnia quæ acta erant, annunciaturus erat.*

k vers. 4.

Versus 3.] Sequenti autem die deuenimus Sidonem. Humanè autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere.

C

SIDONEM.] Vrbs in Phœnicia quondam maxima [l], distans Tyro stadiis ducentis, vel notem parasangis, terminus promissæ terræ versùs Aquilonem tribui Aser connumerata, nisi malis terram intelligere, ad quam desinebant fines terræ Hebræorum. Laudantur Sidonij à Plinio [m], & & Strabone [n], ob artium multarum inuétionem, præsertim Arithmeticæ, atque Astronomiæ, quas artes in primis colebant, propter commercium, frequentésque nauigationes, de quibus adeò sæpe meminerunt Prophetæ. Vitrariam quoque Sidonij callebant, & certam nauigandi rationem primi feruntur inuenisse. In vtriusque finibus

Sidon quæ vrbs fit.
l Iosue 11. & 19.
Sidoniorum laudes.
m lib. 5. c. 19. lib. 36. c. 26.
n lib. 16.

D

CHRISTVS prædicauit, & inde ad illum conueniebant [o]. Sidon filius Chanaan conditor, possessórque vrbis fuit [p]: licèt Iustinus Historicus [q] notionem vocis deducat à piscibus, quorum ibi magna copia, & piscem Phœnices nominant Sidon, & ciuitatem Said.

o Matt. 11. 21. Luc. 6. 17.
p Gen. 10. 15. 1. Paral. 1. 13.
q lib. 18.

Vexarunt Sidonij, Tyriique diu populum Hebræum [r], iactabat vetustatem suam Sidon, teste Esaia [s], qui Tyrum appellat *filiam Sidonis* [t], quamuis dubio certamine, vt ait Strabo [u], de primatu decertauerint. Sed & Plinius [x] *vetustissimam vrbium, vt Thebarum Bœotiarum parentem* dicit: & vniuersa Phœnicum ora Sidoniorum nomé olim, non Tyriorum habuit, vt Homerus de Sidoniis,

r teste Esaia, Ezechiele, Ioële.
s cap. 23. 7.
t ibid. 12.
u lib. 16.
x lib. 5. cap. 19.

E

non verò de Tyriis mentionem faciat, quod aliàs obseruauimus disputantes de Tyro [y].

y cap. 21. 3.

Humanè autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere.] *Erat námque Paulus valdè afflictus à vinculis*, inquit Chrysostomus, *à metu, à circumductione: nec siluit Lucas humano more Paulum sui curam gessisse.* Procurationem nauigationis interpretatur Glossa interlinearis, Hugo, & Lyranus, vt nimirùm acciperet nauigantibus necessaria sibi, sociisque. Gagneius existimat stipendiis Imperatoris tam longam nauigationem susceptam. Id vt concedatur, non erant ea, quæ

Iulij Centurionis erga Paulum humanitas.

recreando reo tot vexato molestiis sufficerent. *Potum dat* DEVS *in lacrymis, in mensura* [a] (licèt in eo Psalmo videatur abundantia significari, vt notat Genebrardus) moderatúrque tribulationes alternis consolationibus, *vt possimus sustinere* [b], & alacriùs procedere. Molliebat etiam, *monebátque Centurionem*, vt verisimiliter notat Carthusianus, *Pauli sapientia, virtúsque*.

a Psal.79.6.

b 1.Cor.10.13.

Tractans.] Glossa interlinearis, *cogitans*, non possum cogitare quid velit, nisi Gallicam phrasim sit imitata. Dicunt Galli *penser*, & cogitare, & ægrum curare, aliúmve. Idem est de Hugone, qui Glossam transcripsit.

Versus 4.] Et inde cùm sustulissemus, subnauigauimus Cyprum, propterea quòd essent venti contrarij.

SVBNAVIGAVIMVS *Cyprum, propterea quòd essent venti contrarij.*] En aduersa vices repetunt, singularíque prouidentia DEI fit, vt circumducatur Apostolus, vt diuinum verbum disseminet, & à se institutos fideles reuisens confirmet, atque vinculorum exemplo, quæ fortiter, & hilarè tolerabat, excitet ad patientiam. Venti contrarij propterea permissi sunt à DEO, tum etiam, vt idcirco iuxta terram securiùs nauigarent. Obseruauit ista Chrysostomus.

Prouidentia Dei erga Paulum in aduersis.

Versus 5.] Et pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ nauigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ.

VENIMVS *Lystram, quæ est Lyciæ.*] Κατήχθημεν, aut Κατήλθομεν εἰς Μύρα. Syrus, לְמוּרָא *lemura, Myram.* Beda dicit, quòd in Græco Smyrna positum est. Hieronymus autem in libro Hebræorum nominum Myram ponit, causámque suspicatur, quia *Myra* (myrrha legi debet in textu Bedæ) Græcè smyrna appellatur. Vnde in Psalmo, vbi legimus, *Myrrha* [c], *& gutta, & casia*, Græcè ita scriptum est, *Smyrna, & stacte, & casia*.

c Psal.44.9.

Salmeron post Gagneium putat emendandos codices nostros Latinos, vt Myra sit, quo modo etiam legit Chrysostomus, aliíque Græci, præter Hieronymum, non autem vt Beda, smyrna: nam Lystra non est in Lycia, sed in Lycaonia, vt habetur capite XIV. [d] distátque à pelago Ciliciæ, & Pamphyliæ, de quo hîc mentio fit, plusquàm quadraginta leucis Gallicis. Eadem est sententia Vatabli, & Clarij in suis versionibus, Ariæ Montani, & in versione, & in Notationibus, & videtur Sà consentire, necnon Hugo, & Glossa ordinaria. Comestor innuit esse in Lycaonia: ideò enim expressam, quia ibi habebat multos amicos, quod sine dubio conuenit illi, quæ etiam patria Timothei, vel ei propinqua Derbe creditur, vt vidimus capite XIV [e].

Myram pro Lystris quidam emendant.

d vers.6.

e vers.6.

Nihilominùs emendata Biblia iussu Sixti V. habent lectionem, quam posuimus in textu. Nec Lucas ait, *Lystram esse in pelago Ciliciæ, & Pamphiliæ*; sed cùm id pelagus enauigassent, illuc peruenisse. Quin etiam Lycia collocata est inter Pamphyliam, & Cariam, éstque Ciliciæ vicina, vt tradunt Geographi, atque historia Machabæorum [f] indicat. Fortasse confunduntur Lycaoniæ, Lyciæque nomina. Stephanus quoque Lycaoniam Lyciæ regionem facit: tunc verò locum habebit ratio Petri Comestoris. Fauet vtcunq; Plinius [g] Cui hæc non satisfaciunt, affirmet oportet duplicem Lystram, quamuis hæc, de qua mentio nunc est, sit notior, alia obscurior. Restrictio, qua Lucas vtitur, *Lystram, quæ est Lyciæ*, ostendit de alia intellexisse, quæ differat ab ea, quam pridem nominauerat Lycaoniæ vnà cum Derbe [h]. Auctor historici Dictionarij sequitur hanc opinionem de Lystra duplici. Postremò quidam codices legunt mendosè *Lydiæ*, pro *Lyciæ*.

Lystra legendum esse auctor probat.

f lib.2.c.15.23.

g lib.5.c.27.

h Act.14.6.c.16.1.

Monere quoque debeo, me, quod ex Hieronymi libro citat Beda, non reperire apud Hieronymum; illum verò, qui sub Hieronymi nomine dicitur auctor expositionis locorum ex isto nostro libro, cùm tractat de Smyrna, quam ait esse in Lycia, citare quosdam codices, qui legerent Lystram, quæ est in Cilicia; & Hieronymum in libro Hebræorum nominum, qui ibi ponat Smyrnam. Vnde apertè colligitur, Auctorem illum ab Hieronymo differre.

Versus 6.] Et ibi inueniens Centurio nauem Alexādrinam nauigantem in Italiam, transposuit nos in eam.

NAVEM *Alexandrinam nauigantem in Italiam.*] Syrus, אלפא מן אלכסנדריא דאזלא הות לאיטליא *alapha men Alecsanderija dazela hauath Litalija*, id est, *Nauem ex Alexandria, quæ iens erat in Italiam*; vel, *Nauem ex Alexandria proficiscentem in Italiam.* Æquiuoca interpretatio: vel enim vult soluisse ex Alexandria, negotiorúmque causa Lystram Lyciæ venisse; tunc verò legere voluisse, *Italiam versus*: vel cognomen solùm significat nauis à loco, ad quem pertinebat; vt cùm dicimus, *naues Massilienses, Melutenses*, &c. Posterior sensus melior est, vt cùm superiùs vocata est *nauis Adrumetina*.

Versus 7.] Et cùm multis diebus tardè nauigaremus, & vix deueniremus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnauigauimus Cretæ, iuxta Salmonem.

CONTRA *Gnidum.*] Syrus, קינדוס *Kinedum*, vel, *Kaindum*, Κνίδον. Beda corrigit aliam lectionem, quæ habebat *Chium*: vult porrò esse insulam; & Glossa ordinaria, & interlinearis, & Lyranus, & Hugo: Hieronymus [i] præterea dicens adiacere prouinciæ Cathiæ. Carthusianus affirmat esse ciuitatem, vel promontorium Doridæ prouinciæ minoris Asiæ, quod respicit Cretam. Historia Machabæa [k] Gnidum nominat, cum Gortyna mediterraneo Cretæ oppido. Erat præterea vrbs in Caria Gnidus insignis potissimùm Venere Praxitelis, de qua Horatius [l]:

Gnidus, vel Cnidus, quid sit.

i lib.de locis Hebr.

k lib.1.ca.15.23.

O Venus Regina Gnidi, Paphique.

De eadem Athenæus [m], Lucianus [n], Plinius [o]. Indidem prouenit Eudoxus Mathematicus Platonis sodalis, & Theopompus Iulij Cæsaris familiaris. Gagneius, eúmque sequutus Salmeron, hoc vltimum asserunt, & hodiè ab Italis nautis in peninsulæ cornu vocari caput Chij. Si hoc est, occasionem sumpserunt ij, quos Beda retulit Chium legisse, pro Gnido. Sicut, quia Dores eam incoluerunt, Carthusianus dixit esse Doridæ prouinciæ, quæ sub hoc nomine nulla est. Quo item pacto error fortasse irrepsit in Hieronymum, vel potiùs eum, qui Hieronymi nomine fertur Auctor libri de locis Hebræis, vt pro Caria sit Cathia.

l 1. Carmin. ode 30.

m lib.13.

n in Amor.

o lib.7.c.38.

thia. Porrò non refert, dicatur Gnidus, & Cnidus; quoniam, vt aliàs [a] dictum est, hæ literæ sunt permutabiles.

a cap. 19. 29.

De Creta, seu Candia.

Creta.] Notissima insula est, quæ vulgò dicitur Candia, in medio Ponto 279. millia passuum longa, lata 50. in circuitu 1589. continens, optimi ferax vini, nullum sinens animal noxium viuere, mare Ægęum, Creticúmque Septentrionem versùs habens, ad Austrum Libycum seu Afrum: ex parte Orientali spectans Carpathum, Ægilam, & Cytheram ex Occidentali: centum olim vrbium fama celebris [b], dictáque Ἑκατόμπολις [c], & patria, sepulcrúmque Iouis [d], multísque nobilitata fabulis, vt Europæ, Pasiphaës, & Ariadnæ amoribus, Minotauri feritate, fatóque, Dædali operibus, & fuga, Tali statione, atque morte. Vocatam quoque, Solinus [e] testis est, ob temperiem cœli Μακαρόνησον, quamuis prodigè lingua largitos dicat, qui perhibuerunt de centum vrbibus.

b Virgilius 3. Æneid. Ouid. 13. Metam. Horat. 3. Carm. ode 27. & lib. Epod. ode 9. Lucan. lib. 3.
c Iliad. 2.
d à citatis Auctoribus. lit. A, & B, & a Pausania, qui refert alias opiniones. Lucian. de sacrifi. Cic. Tusc. 2. Pacato in Panegyr.

Salmone quæ vrbs sit.

Salmonem.] Syrus, לוקבר סלמונא מדינתא *lukeber Salumauna medinetha*, id est, *Contrà, vel, è regione Salamona vrbis.* Lyranus ait esse ciuitatem maritimam Cretæ oppositam. Carthusianus, & Caietanus in eadem insula, necnon apud Hieronymum Auctor libri de locis ex hoc libro: Gagneius eiusdem promontorium, quod Plinio, inquit, & ceteris dicitur Sammonium. Plinius de hoc meminit non vno tantùm loco, *nunc affirmans distare sexaginta millibus à Carpatho* [f], *nunc appellans Cretæ promontorium* [g]. Scribunt de eodem Sammonio alij [h], vt de Cretæ promontorio. Strabo [i] vocat Græcè Σαλμώνιον Κρήτης ἑῶον ἄκρον, *Salmonion Cretæ Orientale promontorium.* Auctori Græco credendum magis, quàm Latino. Et forsitan irrepsit error vel in Plinij librum, vt *Sammonium* scriberetur pro *Salmonio*, vel in illius temporis, quo viuebat Plinius, Græcos homines, aut Latinos, vt vnam pro alia literam pronunciarent: sicut & Syri literam adiecerunt, dicentes, *Salamone* pro *Salmone.*

e cap. 17.
f lib. 4. c. 12.
g ibid. longè post.
h Mela lib. 2. cap. 7.
i Strabo lib. 2.

Versus 8.] Et vix iuxta nauigantes, venimus in locum quendam, qui vocatur Boni-portus, cui iuxtà erat ciuitas Thalassa.

Boni-portus quis locus sit.

IN *locum quendam, qui vocatur Boni-portus.*] Syrus, לםאנא שפירא *lemene schaphire*, id est, *Portus pulchri.* Εἰς τόπον τινὰ καλούμενον Καλοὺς λιμένας. Glossa interlinearis docet esse in Creta locum sic proprio nomine dictum, vel à bonitate. Vtrumq; etiam Hugo. Lyranus negat secundum, *quia non erat aptus ad hyemandum locus, vt infrà*, inquit, *dicitur, sicut aliquando Bona villa, quæ tamen est multum defectiua.* Gagneius locum ait fuisse è latere insulæ Austrino. Stephanus in libro de vrbibus docet, quod Καλὴ ἀκτὴ est πόλις Κρητῶν, καὶ μεγάλη κώμη, *Pulcher portus est ciuitas Cretensium, & magnum castrum, seu magnus pagus.* Fieri potest, vt duobus appellaretur locus idem nominibus, & gemino veluti portu constaret; quidquid sit de ratione etymologiæ.

Quanquàm verò demus locum hyemationi importunum fuisse, potuit alia ratio reddi, cur Bonus portus nominaretur. Neque causam habet Caietanus exponendi pulchros pro bonis portibus; immò nec Syrus interpres, qui ad Græcam vocem, quam retinuit, לםאנא *lemene* (est Græca vox λιμένας) addidit epithetum *pulchros*: nemo námq; nescit καλοὺς, & pulchros, & bonos significare. Auctor Dictionarij historici idem tradit, quod Stephanus citatus: sed nescio quo pacto ex non sancto sanctum fecerit, & ex libro de vrbibus librum hunc sacrum Actuum Apostolicorum: ait enim huius loci meminisse beatum Stephanum in Actis [k].

Cui iuxtà erat ciuitas Thalassa.] Λασαία. Syrus, לאסיא *Lasija.* Aliqui codices Latini, vt Erasmus testis est, *Thessala.* Gagneius ait esse *littorariam ciuitatem iuxta bonos portus inter Sammonium, seu Salmonium, & Phœnicem portum.*

k cap. 27.

De ciui. Lasæa & Thalassa.

Arias docet in textu Græco mendum esse: contrà verò is asserit corruptè legi *Thalassa*, pro *Lasæa*, qui Hieronymi gestat nomen, Auctor libri de locis Hebraicis ex isto libro: est autem, vti dicebam, ab illo mutuatus Gagneius, dicens, *littorariam ciuitatem Cretæ insulæ iuxta locum, qui vocatur Boni-portus.* Præferendum quod Arias sentit, propter editionis nostræ venerationem, cùm alioqui non extet apud Geographos mentio de Lasæa, seu Lasia, vel de Thalassa, siue Thessala, tanquàm proprio ciuitatis nomine. Nec oportet omnium locorum descriptionem requirere, fierique potest, vt huius loci memoria interciderit, aut quia obscurior erat, aut alia de causa.

Versus 9.] Multo autem tempore peracto, & cùm iam non esset tuta nauigatio, eò quòd ieiunium iam præteriisset, consolabatur eos Paulus.

EO *quòd ieiunium iam præteriisset.*] Causa est, cur non esset tuta nauigatio. Syrus, עד מא לוימא דעבר אף יומא דצומא דיהדיא והוא לה קנטא דירדה אנש בימא *hhad ma lenaiema dehhabar aph iauema detsuma dihudaie vehaua leh kaneta deiarede anasch beiamma*, id est, *Vsque in diem, quo præterierat etiam dies ieiunij Iudæorum, & erat sibi vitandum, vt pergeret homo per mare*; vel, *Iam præterierant dies ieiunij Iudæorum, ita vt periculosum esset aliquem sulcare mare.* Chrysostomus existimat quoque de ieiunio Iudæorum: *Nam post Pentecosten exierant illinc*, inquit, *post multum tempus, ita vt in ipsâ ferè hyeme venerint in partes Cretæ.* Oecumenius iisdem verbis idem tradit, eadémque Isidorus Clarius sectatur. Glossa, Rabani reiecta sententia, quòd fuerit Quadragesima ante Natale Domini, *duos alios affert modos dicendi: vel fuisse ieiunium septimum, quo occisus erat Godolias; vel decimum in Ianuario, quando cognouerunt in Babylone captiui templum esse destructum.* Hugo eadem referens, addit, eo tempore nondum institutam Quadragesimam illam ante Natale Domini: propendet autem magis in mensem Ianuarium, quòd tunc non sit nauigatio tuta. Carthusianus concordat, probátque minùs rectè intelligi: quod tamen Hugo, Glossáque non improbant, de fame magna, quæ naues fatigasset in naui, & ad laborem reddidisset infirmos: *Quoniam vt infrà habetur*, inquit, *in naui erat copia rerum.* Arias, & Sà putant id fuisse Iudæorum autumnale ieiunium ante festum Tabernaculorum. Baronius [l] eorundem quidem, sed in mense Decembri: *non enim nauigationem cessare solere, nisi hyberno tempore.*

Dies ieiunij quid hic intel-ligi.

Bellarminus [m] temporis eiusdem ieiunium; at Christianorum: ita vt fuerit vnum ex iis ieiuniis, quæ vocantur Quatuor Temporum, & maximè celebratum propter sacras Ordinationes, quæ, teste Amalario [n], & Damaso [o], apud veteres non

l Tom. 1. Annal.
m 2. de bonis oper. lib. 2. c. 11. ... his refert ...
n 2. de diuin. offic. cap. ...
o In Pontificali.

fiebant nisi illo mense. Confirmat verò de ieiunio religioso scribere Lucam; quia si de fame, vel inedia non dixisset: *Eò quòd ieiunium iam præteriisset:* vtens quoque voce τῆς νηστείας, sed sicut inferiùs [a], vbi perspicuè sermo est de abstinentia cibi profana orta ex mœrore nauigantium; quo etiam loco est alia dictio τῆς ἀσιτείας, *Cùm multa ieiunatio fuisset:* hic pariter posuisset, *Eò quòd ieiunium magnum iam præteriisset.* Quòd loquatur Historicus de ieiunio Christianorum probat, quia Christianis scribebat, & ex iis noto ieiunio tempus hybernum describebat, in quo nauigatio solet esse periculosa.

a vers. 21.

Lyranus, Caietanus, Gagneius citãs Erasmum, & Salmeron [b] contendunt pro ieiunio profano, quia nõ vacasset nautis ob nauis gubernationem cibum gustare, nisi parum admodùm, nec libuisset reliquis, præ timore difficilis gubernationis. *Omnes autem, saltem pro maiore parte*, inquit Lyranus, *erant Gentiles, hæc ieiunia vel Iudæorum, vel Christianorum non seruantes.* Vnde Vatablus, & Clarius sententiam Græcam ita reddunt, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν παρεληλυθέναι, *Ob idque vltra tempus sustinuissent mediam.*

b & hic, & tom. 1. Proleg. 13. pagin. 113. col. 2. in fine.

Omnes mihi sententiæ probabiles videntur. Vltimæ non obstat, vel Græca vox νηστεία, quam certum est profanam quoque significationem habere; vel ritus frequentior ordinandi mense Decembri, quo tempore ieiunatur. Constat enim, Simplicium Papam Februario, Leonem II. Iunio, alios ordinasse Septembri. Si hoc iam tempore ieiunium illud erat in vsu inter Christianos, non præteriisset Leo Magnus tantum argumentum in sermonibus de ieiunio: nec alius, quod sciam, tali argumento vtitur.

Non impedit quòd vectores, vectíque Gentiles essent, vt non sit Lucas locutus de sacro ieiunio, seu Christianorum, seu Iudæorum, erat námque valdè notum id tempus vtrisque, quos ille potissimùm spectabat. Eadem responsio est de ieiunio Iudæorum, quoniam similiter, quamuis Christiani ad id non tenerẽtur, celebre erat apud ipsos eius nomen. Historia Scholastica ponit omnes recitatas opiniones.

Consolabatur eos Paulus. Παρῄνει.] Syrus, ומלך הוא להון *vmalech haua lehun*, id est, *Et consulens eis erat*; vel, *Consilium eis dabat.* Glossa interlin. Hugo, & Caietanus, *hortabatur.* Lyranus priorem sequitur expositionem. Verbum Græcum vtramque admittit, sicut parænesis, & parænetica oratio, qua quid admonetur, vel præcipitur, vel suadetur.

Versus 10.] Dicens eis: Viri, video quoniam cum iniuria, & multo damno non solùm oneris, & nauis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse nauigatio.

VIDEO *quoniam.*] *Prædicit naufragium Paulus vel ex signis tempestatum, vel Spiritu Prophetico*, inquit Glossa interlinearis, & Hugo, & Historia Scholastica, & Carthusianus. Lyranus autem, *Spiritu potiùs Prophetico, qui certior est*, inquit, *experientia nautica.* Id ego malo.

Cum iniuria, & multo damno non solùm oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse nauigatio.] Μετὰ ὕβρεως, καὶ πολλῆς ζημίας. Syrus, דבאולצנא ובחוסרנא סגיא *dabehulatsena vabechusarana segaia*, id est, *Cũ oppressione, & inopia multa.* Est

Iniuria quid significat.

quidem propriè ἡ ὕβρις, *iniuria, & vis, & damnum* quod cum culpa datur: sumitur tamen pro detrimento, siue iactura, sicut & Latinum vocabulum iniuriæ: dicitur enim iniuria temporis, aëris, cœli, &c. Eodem pacto sumitur interius [c], nomen ὕβρις, & iniuria, tametsi profanis in Auctoribus obuia non sunt exempla. Quocirca quod innuunt aliqui [d], Paulum indicare, se non tam ex cœlo, & aëre colligere naufragium, si persisterent in nauigatione, quàm ex eorum iniuria, quódque videret eos nihil curare quæ DEI sunt; vt sit quantùm ad rem verum, nescio an etiam in nomine Græco τῆς ὕβρεως habeat vim.

c vers. 21.

d Salmeron hoc loco.

Sed etiam animarum nostrarum.] Id est, corporum, ait Lyranus, vel, quod idem est, vitæ corporalis; maximè verò trita est sacris Literis animæ significatio hæc, nec opus exemplis.

Versus 11.] Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm his, quæ à Paulo dicebantur.

GVBERNATORI *& nauclero.*] Vtrumq; nomen pro nauis domino sumit interlinearis Glossa, & Hugo. Lyranus naucierum pro domino nauis possessiuè, vel conductiuè, à naue, & cleros, id est, *sors.* Carthusianus primum pro rectore, secundum pro domino nauis. Syrus interpres è contrario primum nominat dominum. Nisi duo nomina simul posuisset Auctor, sed separatim, eadem significatio posset admitti: alioquin primum est potius eius qui præest, secundum, qui dominium habet; atque sic præsentem locum possumus intelligere, vt & Comestor videtur intellexisse.

Gubernator à Græco κυβερνήτης, propriè de præfecto nauis dicitur, indéque translatum est ad Reipublicæ administrationem tum sacræ, tum profanæ: omnem namque Rempublicam aptè cum naui comparare passim solent [e].

Gubernator qui propriè dicatur.

e eò alludit Cicero Philip. 7. & alij apud Petrum Victo. lib. 7. var. lect. c. 1. e lib. 10. epist. 9.

Humanè Iulius tractabat Paulum, sed humano more, hoc est, nihil supra hominem in eo credens, maléns; peritum nauticæ sequi, quàm vinctum. Sed *solent*, inquit M. Tullius [e] *nautæ festinare, quæstus sui causa:* propterea Tironem hortatur cum honesto aliquo homine nauigare, cuius auctoritate nauicularius moueatur. Paulus vtile consilium aperit, vt liberet fidem suam, quam charitas, pietásque dictabat: tempestiuè præmonet, quamuis non ignarus respuendum consultorem.

Consilium vtile Paulus dat.

Versus 12.] Et cùm aptus portus non esset ad hyemandum, plurimi statuerũt consilium nauigare inde, si quomodo possent, deuenientes Phœnicen, hyemare, portum Cretæ respicientem ad Africum, & ad Corum.

PHOENICEN.] Syrus vocat portum Cretæ dictum פניכס *panics, Phœnix.* Glossa interlinearis, & Beda, & Hugo videntur accipere pro regione Phœniciæ in Syria, siquidem exponunt deuenisse retrò, vnde venerant. Hos indicat Caietanus, & multò magis Lyranum, & Carthusianum, qui prouinciam exprimunt, dum non Syriæ prouinciam, sed Cretæ portum monet esse. Consentiunt ceteri cum Caietano, immò & sequentia per appositionem verba *portum Cretæ* hoc demonstrant: licèt Glossa ordinaria, & Lyranus exponant

Quis hic portus Phœnix.

portum

A portum in Phœnice regione Cretæ: interlinearis cum Hugone insulam, vel ciuitatem in Creta: sed verus sensus est Phœnicen, aut, vt loquitur Auctor Dictionarij historici, Phœnicum, esse quoq; insulam in Lycia sub promontorio, in quo est ciuitas nomine Phœnix Lampei, vt Strabo [a] scribit, *ponens in isthmo Cretæ ferè centum stadiorum, ad latus austrinum.* Ptolomæus [b] meminit *in Creta tum portus, tum ciuitatis nomine Phœnicis.* Scholiastes in c.25. Ezechielis [c], vbi pro interfectoribus, legitur Hebraicè כרתים *cherethim*, docet Philistæos maritimos, hoc est, Phœnicas, vocatos esse nomine Cretensium, quia Cretensium colonia fuerit gens illa. Oppositum probabilius, quoniam Phœnices

a lib. 10.
b lib. 3. ca. vlt.
c vers. 17.

B antiquiores, & nauigationis, aliarúmque artium repertores. Eodem loco Pradus noster suspicatur hunc portum vocatum Phœnicem, quia Phœnices occuparint eum primi, & à comitibus eorum qui essent ex eidem Phœnicum regioni gens finitima, nomine Ceretim, aut Cretim insulæ impositam appellationem, vt vocaretur Creta. Hoc modo Cretæ insulam appulisse Paulum hîc significaretur.

Respicientem ad Africum, & ad Corum.] Syrus, לתימנא *lethaiemana, ad Austrum*, vel *Austrum versus*, quod modò citatus Strabo nominauit *Austrinum latus.* Glossa interlinearis: *Ad meridianam Occidentis plagam, quæ de Africa nomen accepit: sunt enim Africus, & Corus venti Occidentales laterales*, inquit

Africus, & Corus qui venti sint.

C Lyranus, *sed ille ex parte Meridiei inter Austrum, & Zephyrum flans ab Occasu hyberno, linea recta oppositus Caciæ ab æstiuo flanti, hic ex parte Aquilonis.* Glossa ordinaria ventum Africum constituit ad Meridianam plagam vergendo magis versùs Occidentalem, Corum inter Septemtrionalem, & Occidentalem, declinando magis ad hanc.

Variant verò Auctores, vt dictum est priore notatione, quò referendum sit illud, *respicientem.* Sed certum videtur ad portum Cretæ, qui vocatur Phœnix. De ventis legendi potissimùm Aristoteles [d], Plinius [e], Seneca [f], Vitruuius [g], Gellius [h], nósque in nostris Meteoris, atq; Pererius [i].

Corum.] χῶρον. Nuspiam alibi, quod sciam, vox hæc Græca reperitur: Latini & Corum, & Caurum vsurpant, vnde Poëta [k]:

D *Semper hyems, semper spirantes frigora Cauri.*

Quanquàm manuscripti quidam codices Virgilij habent *Chori* cum aspiratione. Zephyron, & Argesten vocant, teste Plinio [l]. Ineptè apud Hugonem Corus dicitur significare insulam, vel ciuitatem.

d 2. Meteor. & lib. de mūdo.
e lib. 2. ca. 45. vsque ad 50.
f 5. Natural. quæst cap. 16. & 18.
g lib 1 c. 6.
h lib. 2. ca 22.
i lib 4. in Danielem.
k 3 Georg.
l lib. 2. c. 47.

Versus 13.] **Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere, cùm sustulissent de Asson, legebant Cretam.**

AVSTRO.] Est ventus primarius Meridionalis, ab auriendis aquis, licèt non aspiretur in principio: humectus enim est, ac nebulosus,

Auster quis ventus.

E quemadmodum Græcè νότος appellatur, à νότις, quod est humor.

Asson.] Carthusianus negat esse ciuitatem Asiæ, de qua dictum est capite vigesimo [m], sed illum ipsum locum, qui prius in isto vocabatur Thalassa; & fortè Scriptorum vitio ita hîc scriptum: *Alioqui fatendum, Lucam multa omisisse, quod*, inquit, *non patitur consequentia historiæ.* Hugo ait esse *nomen loci sic dicti, quia inde soluuntur naues in mare progredientes.* Lyranus eodem modo non ciuitatis proprium nomen, sed appellatiuum loci, qui La-

Asson quisnam locus sit.
m vers. 13.

A tinè dicitur *statio.* Caietanus: *Creta*, inquit, *oppidulum creditur.*

Quod posteriore loco Carthusianus docet, non est probabile, cùm codices omnes æquè legant illo modo, & vocabula adeò diuersa sint. Primum omninò verum est, quod confirmat Baronius, quoniam Lucæ sermo est de loco insulæ Cretæ, narrátque soluisse nauem à Septemtrionali parte insulæ, vt in portum nomine Phœnicen in eadem insula, qui est ad Meridiem, peruenirét: & alioqui si esset illa Asson prope Troadē, oportuisset ex Creta nauigasse per Cycladas, mare Myrtoum, inde Icarium, postremò Ægæum: ac rursum ex Asson Phrygiæ, vt iterum redirent in

B Cretam, atque in portum eius ad Meridiem positum appellerent.

Erat igitur Asson haud longè situs locus, inquit Baronius, *à prima statione, quò primùm appulerunt in insulam:* inde verò insulam eandem prætetlegentes versùs Occidentem ad portum Phœnicem, qui erat ad Meridiem peruenire voluerunt.

Auctor Dictionarij historici eandem tradit Asson esse hîc, & capite vigesimo, cùm tamen Stephanum citet auctorem, qui nominis eiusdem in Creta ciuitatem collocet, celebrem vetustissimo Iouis templo. Sed Stephanus per vnicum sigma Ἄσος nominat πολίχνιον Κρήτης, *oppidulum Cretæ.*

Legebant Cretam.] Παρελέγοντο. Nota est verbi Latini varia significatio. Memoriæ causa disticho

C inclusas Lyranus omnes recitauit:

Fur aurum, virgo flores, mare nauita, libros
Clericus æquiuocè singula quisque legit.

Versus 14.] **Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.**

VENTVS *Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.*] Ἄνεμος Τυφωνικὸς, ὁ καλούμενος Εὐρακλύδων. Syrus, משבא דעלעלא דמתקרא טופניקוס אורקלדון *mascheba dehhalhhala demetkere thuphaunicus eurakelidaunn*, id est, *Flatus turbinis qui vocatur Typhonicus Euraclidaunn.* Ridiculum est quod habet

Typhonicus ventus unde dictus.

D Glossa interlinearis, dici ventum Typhonicum à nomine regionis, nec verum est, quòd, vt ait quoque Beda, typhos inflationem significet, nisi vt est idem quod superbia, sed inflammationem, quam non efficit Typhon, sed inflationem: ventus hic ipse quoque nominatus Euroaquilo, quoniam à parte Boreæ Aquilonem, ab Æquinoctio habet Subsolanum, qui Eurus dicitur, & aliter, vt placet Vadiano, Cæcias, & auctore Plinio [n], ab exortu æstiuo progreditur. Quidam ob vehementiam venti pro Typhonico vento transtulerunt, vt monet Glossa ordinaria, ventum tempestiuum, fortasse tempestatiuum, vel tempestuosum. Εὐρακλύδων quidem est à κλύδων, quod est *tempestas.* Carthusianus posito quòd τύφω idem valet atque *accendo*, rationem nominis dat, *quia confringat anten-*

n loco insi citato.

E *nas, & nauigia* [o], *generari namque, dum exhalatio terrestris aliquantùm vnctuosa per nubes, qua includitur, foramen exit, & egressa pars resiliens à terra, propter calorem insitum, densiò ascendit, & alteri parti, quæ descendit circulariter, inuoluitur.*

o id habet Plinius.

Vnus est hic ex subitaneis ventis, qui procellam, vorticémque faciunt, quem Plinius [p] appellat *præcipuam nauigantium pestem, & aceti in aduenientem effusi remedio, quia huius natura frigidissima est, sedari.* Typhonem verò dici, quasi vibratum ecnephiam; quem adhuc veluti subdiuidit in turbi-

Euroaquilo quomodo sit.
p lib. 2. c. 48.

nem,

nem, atque presterem; aliíque in fulmen etiam, ecnephiam,& exhydriam. Quo de argumento ij, quos antè laudaui, tractatores de ventis, & iterum Seneca [a], Gelliúsque [b], necnon Cœlius Rhodiginus [c], & Antonius Nebrissensis [d].

a 3. quæst. natural. cap. 12. b lib. 19 c. 1. *Defenditur vulgata editio contra Nebrissensem.* c libr. 20. cap. 19. d in Quinquagen. c. 19. e Plin. lib. 2. cap. 47. Gell. lib. 2. cap. 22.

Sed in hoc Auctore cauendum est, ne nostram editionem, cùm legit *Euroaquilo*, putemus mendosam: nullus enim codex aliter habet, hoc est, vt ipse vult, Euroclydon pro Euroaquilone. Quamuis autem Eurus sit nomen Græcum, pro quo Latinè est, *Vulturnus* [e]; tamen Latinitate donatum est, & non est penitus insolens, componi dictionem ex Græca simul, ac Latina, denique ex distinctis linguis, vt aliàs ostendimus. Præterea ratio cõpositionis est ea, quam initio docuimus, aliáve, quæ paulò pòst afferetur, non quam Antonius, quasi ventos Eurum, & Aquilonem spirari simul denotetur, cùm neget Aristoteles [f] Typhonem fieri spirante Aquilone. Postremò iuxta Nebrissensem non esset dicendus Εὐροκλύδων per ο, sed per υ, Εὐρυκλύδων; quoniam particula augens in compositione non est ἐρο, sed ἐρυ.

f 3. Meteoro. summa 1.

Minus quoque placet, quod Auctor malus est suspicatus [g], legisse Interpretem nostrum Εὐρακύλων: cur enim id sine causa suspicemur de non indocto Interprete? cùm etiam istius posterioris vocis nullius sit vel vsus, vel significatio.

g Henric. Stephan. in Thesauro.

Ventus Euroaquilo quis esset.

Itaque ventus erat *Typhonicus*, hoc est, turbulentus, vehemens, interruptus, vt solent esse Typhones: nomen autem proprium erat Euroaquilo, id est, Eurus cum impetu, instar Aquilonis vehementioris, excitans in mari fluctus: quod ipsum significat Εὐροκλύδων, id est, Eurus fluctuans, siue fluctuosus, vt notauit Arias. Quale illud [h]:

h Æneid. 1.

Vnà Eurúsque, Notúsque ruunt, crebérque procellis
Africus, & vastos voluunt ad littora fluctus.

Quæ ratio non videtur improbabilior, quàm alia, quæ in principio assignata est. Nec ventosa, nec in ventum iactata disputatio, qua grauissima editionis auctoritas defenditur pro vel communi aduersùs eam pietate, vel proprio Scripturarum sanctarum Interpretis officio.

Versus 15.] Cúmque arrepta esset nauis, & non posset conari in ventum, data naue flatibus, ferebamur.

DATA *naue flatibus, ferebamur.*] Cùm non posset nauis conari, & resistere, & quodammodò contra ventum aspicere, ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ. Quam phrasim Oecumenius vt minùs propriam, eò quòd dicatur de inanimatis, notat, sed immeritò. Syrus vertit, ויהבן לאידא דהי *veiabeban laieda dehai*, id est, *Itaque eius manui*, id est, potestati, videlicet venti, *dati sumus*, ἐπιδόντες ἐφερόμεθα, *concedentes ferebamur.*

Beda meminit alterius lectionis: *Et arrepta naui, cùm non possent occurrere vento, commodata* (fortàsse *commendata*) *naui flatibus, colligere vela cœperunt.* Quidam citantes Bedam, vt Glossa ordinaria, legunt, *fluctibus*. Glossa interlinearis, & Hugo explicant cessasse remigium. Lyranus, amotis velis itum secundùm flatum venti. Carthusianus, pristinam directionem prætermissam, & incerto euentui permissam nauem.

Versus 16.] In insulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham.

De insula Cauda, vel Clauda.

IN *insulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur Cauda.*] Omnes codices Græci legunt, Κλαύδην, & quidam Latini *Claudam*, vel *Claudem*, vt etiam legit Beda, vel *Claudiam*, vt Ioannes Benedictus. Syrus autem interpres קורא *Kouro*, siue *Curam*, & *Coru*. Alij, vt refert Arias, *Caudo*, aut *Gaudoa*, aut, vt est apud Gagneium, *Canda*, vel *Cande*, *vt eam*, inquit, *vocat Plinius* [i] (sed vocat *Gaudos*) Candos, vt Pomponius Mela [k] (at nominat quoque *Gaudos*) *Claudos*, vt Ptolomæus [l]. Affirmat autem idem Gagneius, esse sitam *haud longè à promontorio, quod contra Phycuntem Africæ promontorium spectare dicitur*. Arias, quòd Occidentalior est, quàm Phœnix portus, de quo priùs actum est.

i lib. 4. c. 12. k lib. 2. c. 17. l lib. 3. c. 17.

Facilis in his omnibus mutatio vel in terminatione, vel in literis *n*, & *u*, vel *c*, & *g*. Maior differentia est in Clauda, & Claudia, seu Claude, & Claudos, quia additur litera l, aut etiam i, & in Cura, vel Couro siue Curo, & Coru. Sed nos editionem nostram tuemur. Viderit lector, an qui Curam, similibúsve vocibus dixerunt, dicere voluerint Μέτωπον Κριοῦ, quod est in Creta promontorium, de quo præter citatos meminit Strabo [m]. Sed insula est, de qua Lucas loquitur. Est apud eundem Auctorem [n] Gaudus, sed in Sicilia ciuitas. Extat quoque in Caria insula Curopolis ciuitas.

m lib. 10. n lib. 6.

Potuimus vix obtinere scapham.] Alia translatio apud Bedam iungens verbum *obtinere*, siue id, quò vtitur, *occupare*, cum *insula*, non cum *scapha*, sic habet: *Tunc transcurrimus insulam, quæ dicitur Cauda, quam occupare non potuerunt, sed scapha missa, adiuuare cœperunt nauem*, &c. Sed huiusmodi contextus pugnat cum Græco textu: Νησίον δέ τι ὑποδραμόντες καλούμενον Κλαύδην, μόλις ἰσχύσαμεν περικρατεῖς γενέσθαι τῆς σκάφης, ἣν ἄραντες, &c. Et sensus est, in tantis fluctibus vix potuisse scapham apprehendi, vt intra nauem reponeretur. *Scapham* verò idem Beda, & aliter *catascopon*, ait esse *nauiculam leuem ex vimine factam, crudóque corio contectam*. Et nominis notationem Græcam esse, à contemplando, quòd tali nautæ, vel piratæ nauigio terras, & littora perspicere soleant. Sed in Retractationibus monet, se priùs Isidorum sequendo illud tradidisse: ceterùm in aliorum posteà scriptis inuenisse scaphas vocari nauiculas etiam vna de arbore, quas μονόξυλα, vel αὐτόξυλα Græci appellant. Carthusianus conuenit in materia, vel ex vimine, vel ex ligno; etymologiam veriorem assignat à cauitate: κατάσκοπος à contemplatione dici potest, verùm non est idem, quod σκάφη, & illud est à κατασκοπέω, *contemplor*, hoc à σκάπτω, *fodio*, *excauo*: quoniam ex prægrandi primùm arbore cœpit excauari. Eò allusit Poëta [o]:

Scapha quid sit.

Tunc alnos primùm fluuij sensêre cauatas.

o 1. Georg.

Versus 17.] Qua sublata adiutoriis vtebantur, accingentes nauem, timentes ne in Syrtim inciderent, summisso vase sic ferebantur.

ADIVTORIIS *vtebantur, accingentes nauem.*] Syrus in prima persona, מחיצין הוין ומתקנין לה *mechaietsin hauan vmathkenin lah*, *Cingentes eramus, & dirigentes ipsam*; vel, *Cingebamus, & dirigebamus nauem*. Adiutoria, Græcè βοηθείας, intelligit Caietanus *operas militum, aliorúmque, qui erant in naui, ad succingendam nauem extrinsecùs demisso vase*, hoc est, multitudine vasorum vacuorum, quæ

Quid sint adiutoria.

appellantur dolia: his enim succinxisse nauem, vt si inciderent in Syrtim, hoc est, in mare arenosum, valdè periculosum, doliis ipsum sustinentibus in arena ex vtroque latere, ad neutrum latus nauis deflecteretur. Beda rem aliter explicat: *Funibus*, inquit, *à medio latere nauis, vtrinque circa eiusdem anteriora demissis, anchoris his, quæ traherentur, adiunxerunt: sicut & in nostro*, id est, in Britannico mari, *refrenanda naui post tergum molaria saxa subiungere solent*. Hæc enim ad retardandum nauigium faciebant, ne prospero in cursu in Syrtes incideret, solo etiam auditu terribiles, quòd omnia ad se rapiant. Vnde & Sallustius [a] illis nomen à tractu dicit impositum.

a in bello Iugurt.

Verbum *succingere*, & ζωννύναι magis fauet Bedæ, quàm Caietano: magis enim propriè funibus cingitur quid, quàm doliis. Deinde dolia vacua sustinere molem tantam non potuissent. Idem sentit Arias de funibus, addítque, quòd remis è scapha contendentes continebant nauim.

Syrtim.] Retinet Syrus vocem Græcam, ei iungens, *maris, Syrtim maris*; à verbo σύρω, quod est, *traho*, σύρτις deriuatur, vt paulò antè Sallustius docebat, qui describit quoque duos in Africa propè extrema sinus impares magnitudine, pares tamen natura: eorum proxima terræ præalta, cetera vti fors tulit, aliàs alta, aliàs esse in tempestate vadosa. *Nam vbi mare magnum esse, & sæuire cœpit ventis*, inquit, *limum, arenámque, & saxa ingentia fluctus trahunt.* De iisdem, quæ vocantur quoque Græcè βραχέα, Latinè breuia, Geographi, vel Physiologi, & Historici, & Poëtæ, Strabo [b], Mela [c], Aristoteles [d], Dionysius [e], eiúsque Interpretes Eustathius, Marcianus Capella [f], Apollonius [g], Solinus [h], Silius [i], Valerius Flaccus [k], Horatius [l], Rufus Auienus [m], Virgilius [n]. Sunt & terrestres Syrtes in eiusdem Africæ locis arenosis, de quibus præter Solinum, Horatium, Melam, & Sallustium, Plinius [o]. Sed hæ non sunt ad rem. Illæ, quia vergunt in Ægyptum, non tantùm Libycæ [p] vocantur, id est, Africanæ, sed etiam Paretoniæ [q], id est, Ægyptiæ, à Paretonio Ægypti vrbe, & Lepticanæ [r], à Lepti Ægypti quoque ciuitate.

Syrtes duæ in Africa quales sint.

b lib.17.
c lib.1.c.7.
d li. de mundo.
e de situ orbis.
f de nupt. Mercur. & Philolog.
g 4. Argonaut.
h in Poly. hist.
i lib 7.
k lib.2.& 7.
l lib 1. Carmin ode 22. & lib. 2. ode 6. & vlt.
m lib.9.
n Aeneid.1.
o lib.2.c.47.
p Lucan. lib. 1.
q idem lib.3.
r Sidon. lib. Carm.
Cur ne in Syrtes inciderent metuerunt nautæ.
s Odyss. li.10.
t in Melpomene.
u lib 17.
x lib 1.c.7.
y lib.5.c.4.

Quamuis autem distarent ab Africa, timere potuerunt, ne vi tempestatis illuc iactarentur, sicut posteà Melitam. Vnde non abest procul Syrtis Lotophagorum, de qua Homerus [s], Herodotus [t], Strabo [u], & alij, licèt dissentiant Mela [x], Pliniúsque [y], de hac ad Lotophagos Syrti. Posset quoq; pro genere species esse posita, Syrtes Africanæ pro scopulis, aliísque impedimentis nauigationis.

Summisso vase sic ferebantur.] Syrus in prima persona, אחתניה לארמנון והכות רדין הוין *achetenaichi larmenun vehacchenath raden hauin*, id est, *Submisimus ipsam antennam, & ita pergentes fuimus*; vel *Submisimus antennam, & ita perreximus.* Beda, item secundùm aliam editionem, *Laxantes antennas ita ferebantur.*

Quale sit istud vas.

Caietanus intelligit de multitudine vasorum vacuorum, quæ vocantur dolia, sicut anteà retulimus. Carthusianus de ponderoso quopiam vase in aquam demisso, ad retardandum cursum nauis. Ceteri de scapha denuò in mare demissa. Arias de antenna, sed ita vt simul scapha contenderent. Salmeron [z] de naue depressa anchoris, ac submissiùs nauigante. Interpres Chrysostomi de demisso velo, sumens forsitan pro antenna cum velo, quoniam antenna est lignum transuersum in naui ad malum, cui velum alligatur.

z hoc loco.

Antenna quid.

Versus 18.] Valida autem nobis tempestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt.

IActvm *fecerunt.*] Syrus, שדין מאניו ביאמא *schadin meanin beiama*, id est, *Proiecimus vasa nostra in mare*; vel, *Supellectilia nostra in mare proiecimus.* Glossa interlinearis, & Hugo: *Eiectionem eorum, quæ erant in naui*, nempe, vt ait Lyranus, *minus necessaria*: mercium, & sarcinarum, quæ ad vectores pertinebant, & mercatores, inquit Arias, necnon, & ad eos, qui vehebantur.

Versus 19.] Et tertia die suis manibus armamenta nauis proiecerunt.

SVis *manibus armamenta nauis proiecerunt.*] Τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἐῤῥίψαμεν: *Vtensilia*, seu potiùs *instrumenta nautica*, vt funes, vela, &c. *proiecimus*, cùm hactenus locutus sit in tertia persona, fortasse quia Apostolus, & socij nullas res superfluas, vel alicuius ponderis habebant: & de suis alij meliùs proiiciebant, quas volebant: in communi autem labore armamentorum, quæ erant grauiora, suam illi operam adhibuerunt.

Quare nõ ita bene Syrus in prima semper persona vertit contra fidem textus Græci, hoc modo, מאנא דילאה דאלפארה בידין שדין *mane dealah dalphere biedan schadin*, id est, *Vasa ipsius maris manibus nostris proiecimus*; quamuis pauci quidam codices legant, ἔῤῥιψαν αὐτόχειρες, *armamenta proiiciunt.* Nec enim desidiosum iuuit Hercules bubulcum, qui lutosa in via defixum plaustrum, nihil connitendo, illum plorans implorabat, vt extraheret: sed boues stimulet, Hercules bubulcum monuit, humeris promoueat plaustrum, non defore diuinum auxilium. Naufragium præsens benè descripsit Lucas, cui, vt alia præteream, ex aliis profanis, sacrísque historiis, vel poëmatis [a], illud est affine, quod narratur apud Ionam [b]: *Dominus autem misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri, & timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad* Devm *suum, & miserunt vasa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuaretur ab eis, & mare ibat* [c], *& intumescebat: & remigabant* [d] *viri vt reuerterentur ad aridam: & non valebant, quia mare ibat, & intumescebat super eos. Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua* [e], id est, pro vita temporali, quantò magis [f] *pro vita æterna, nullam dabit commutationem, renuntiabit omnibus, quæ possidet, & arbitrabitur, vt detrimentum* [g].

Deus fauet conanti.

a Virgil. 1. Aeneid & 3. Ouidius 11. Metam. & 1. Trist. Varro apud Iulium Scaligerum de Poeti. lib. 5. citatus apud Ciceronem 1 de Diuinat. Statius lib. 5. Seneca in Agamemn. act. 3. Lucretius lib. 2. & 6. Homerus Odyss. 5. Apollo lib. 2. Valer. Flacc. lib. 1. Latret. lib. 1.
b cap 1. 4.5.
c vers. 11.
d vers. 13.
e Iob 2. 4.
f Matth. 16.
g Luc. 14. Philip. 3.

Versus 20.] Neque autem Sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminẽte, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ.

NEqve *autem Sole, &c.*] Qui tempestates describunt, inde solent exaggerare, quòd [h]

Eripiunt subitò nubes, cœlúmque, diémque.

Præterea quod Palinurus [i],

Ipse diem, noctémque negat discernere cœlo.

Item [k]:

Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æther,
Siderea polus, obscuro sed nubila cœlo,
Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Vel à duratione simul [l]:

Tres adeò incertos cæca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.

h Æneid. 1.
i 1. Æneid.
Tempestate vela aliter nautarum negatur.
k ibidem 1.
l ibidem.

Sed

Sed nouem dies Vlyssem vexatum describit Homerus [a], ac decimo solùm die ad Lotophagos peruenisse. At ille in Hecyra [b] dies triginta, & ampliùs pertulit tempestatem.

Dies triginta, aut plus eo in naui fui,
Cum intereà semper mortem expectabam miser:
Ita vsque aduersa tempestate vsi sumus.

Iam ablata erat spes omnis salutis nostra.] In aliis nulla spes erat, sed in Pauló, comitibúsque certa, qui ex diuina reuelatione didicerāt Romam peruenturos. Sed in his si naturæ cursum considerès, nulla quoque spes erat.

Inuoluit DEVS tribulatione iustos cum iniustis, sed longè dispari exitu. *Aduersitas, quæ bonis viris obiicitur*, inquit Gregorius [c], *probatio virtutis est, non indicium reprobationis. Quis enim nesciat, quàm prosperum fuit, quod beatus Paulus Apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat, & tamen veniens naufragium pertulit? sed nauis cordis in marinis fluctibus integra stetit.*

a Odyss. 9.
b Terent.
Deus inuoluit eadem tribulatione iustos cum iniustis.
c lib. 7. epist. 126. ad Recaredum Regem.

Versus 21.] Et cùm multa ieiunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, ô viri, audito me, non tollere à Creta, lucríque facere iniuriam hanc, & iacturam.

ET *cùm multa ieiunatio fuisset.*] Syrus, וכד אנש מדם לא מסתיבר הוא *vechad anasch medem lo mesthaiebar haua*, id est, *Et cùm homo quicquā non sumens sibi fuisset*; vel, *Cúmque nemo quicquam cibi cepisset.* Πολλῆς δὲ ἀσιτίας ὑπαρχούσης. Carthusianus causam dat, vel victualium inopiam, vel nauseam, vel pium institutum, vt euaderent periculum. Lyranus continuas occupationes, & timorem. Hugo recipit cum Glossa interlineari, & Historia Scholastica primam, & tertiam, Arias secundam. Primæ causæ planè repugnat versus trigesimusoctauus, in quo est, *Cum omnes cibis se satiassent, iactasse triticum in mare.* Tertia displicet iis, qui nomen ieiunij religiosi nolunt esse ἀσιτίαν, quod hic ponitur, sed νηστείαν, quod superiùs versu nono, vt ibi meminimus. Quia tamen etiam notauimus confundi eas dictiones, & nihil obstat Gentiles quoq; ieiunio placare DEOS voluisse, sicut etiam ij faciebant, quibuscum nauigabat Ionas, qui saltem clamasse referuntur ad illos [d], potest admitti causa ista, licèt non tanquàm primaria. Quod ad vltimam attinet, timentibus sanguis intimas petens partes famem exacuit; idcirco ad sumendum cibum adegisset, nisi per occupationes, & nauseam, & impedientis mortis metum, qui voluntatem, appetitúmque cibi euocat, factum dicas, vt cibum sumere nec liberet, nec vacaret.

Cur tamdiu ab esu fit temperatum.
d Ionæ 1.5.

Stans Paulus in medio eorum.] *Inter eos*, vt etiam reddit Syrus, ביניהון *baienathehun*, de qua dicendi formula dictum est præsertim capite primo [e].

e vers. 15.

Oportebat quidem, ô viri, audito me.] *Tu sapientiam Pauli hic considera*, inquit Chrysostomus: *non enim increpat, & exasperatur: sciebat enim, quòd calamitosis non est acceptus obiurgator, sed vbi etiam plures calamitates præterierint, fit acceptior.* Alio item loco idem Doctor [f] obseruat Paulum *vinctorum mille facinorum reorum curam gessisse: in naufragio lætum fuisse proposita Romæ conuersione pro præmio: summa quadam benignitate reuelationem sibi de omnium liberatione factam aperuisse, non sese efferendo, sed vt persuaderet: immò & permissum à DEO pelagus commoueri, vt per id, quod anteà Paulus auditus non est, spiritalis eius gratia panderetur: oneri propterea quòd contemptus esset, nemini fuisse, verùm paterna diligentia cunctis prouidisse, charitas* videlicet *non indignatur, sed omnia suffert* [g].

Pauli sapientia singularis.
f Hom. 7. de laud. Pauli.
g 1. Cor. 13. 7.

Lucrique facere iniuriam, & iacturam. Quid sibi velit iniuria, declaratum superiùs. Glossa interlinearis, & Hugo hanc accipiunt de tempestate, iacturam de damno vasorum perditorum, quídni quoque armamentorum? Syrus *penuriam* vertit, & *oppressionem.* Sed si penuriam escarum intelligit, repugnat, vt dixi, versus trigesimusoctauus. Iidem illi priores Auctores lucrifacere κατ᾽ ἀντίφρασιν interpretantur, pro eo quod est *vitare.* Caietanus negationem præfixam verbo præcedenti, *non tollere à Creta*, applicat verbo præcedenti, lucrifacere, siue accersere, *oportebat non tollere à Creta, & non lucrifacere.*

Vulgaris tamen phrasis est, vt qui sua culpa, vel pertinacia spreto sano consilio incidit in aliquam calamitatem, eam dicatur acquisiuisse, lucrifecisse, voluisse, petiisse. Inde dicitur *impius acquirere perditionem* [h], *iniustitia mortis acquisitio, quam impij manibus, & verbis accersierint, æstimantes illam amicam* [i]: *& qui resistunt potestati, damnationem sibi acquirere* [k]: quamuis non sit iis locis verbum κερδαίνειν, quod est in isto. Lucrifacere quoque Latinè dicitur quis iniuriam illatam, cùm quid impunè facit [l], & est idem quod vitare pœnam, quam luere debebat. Sic possent forsitan exponi hæc Hæsiodi [m]:

Is lucrifacit damnum, qui sua culpa in illud incidit.
h Sap. 1. 12.
i Ibid. 1. 16.
k Rom. 13. 2.
l Plin. lib. 7. c. 19.
m in Ergis.

Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσ᾽ ἄτῃσιν.
Ne mala lucreris, mala lucra æqualia damnis.

Quanquàm potiùs ibi dehortatio est à malo, hoc est, iniquo, malísque artibus parto lucro.

Versus 22.] Et nunc suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis præterquàm nauis.

AMISSIO *enim nullius animæ erit ex vobis.*] Syrus, נפשא גיר חדא מנכון לא אבדא *naphscha geir chade mennachun lo abeda*, id est, *Anima enim vna ex vobis non peribit*; vel, *Nemo enim vestrûm peribit.* Constat námque sumi animam pro vita. Etsi verò textus Græcus ordinarius sit, ἀποβολὴ γὰρ ψυχῆς οὐδεμία, *Amissio animæ nulla*; nonnulli tamen codices legunt, οὐδεμιᾶς, *nullius.* Animam Hugo, vt sexus vterque comprehendatur, notat poni: sed notationem notaui pridem non esse necessariam, aut semper veram. De salute quoque spirituali animarum probabile ducit Lyranus, ego valdè incertum.

Præterquàm nauis.] Potuit & nauis amissio non esse: at nauis damno decuit cognosci veritatem prædictionis, atque diuinam prouidentiam, & misericordiam. Ex rei etiam temporariæ iactura comparari de tanto Apostolo maiorem opinionem, eiúsque in posterum consiliis, & de huiusmodi damnis, & multò magis de iis, quæ animam attingunt, acquiescere. *Minùs obsequentem Prophetam leo suffocauit, cadauer non læsit, asinum viuum, ac intactum reliquit* [n]. *Potum dat DEVS lacrymarum, omniúmque tribulationum in mensura* [o], *præcipiens vt vsque huc veniant, & non procedant ampliùs, & hic confringant tumentes fluctus suos* [p]. Huc optimè congruit historia senis, quam alia occasione alibi recitaui ex Paulino [q], quem CHRISTVS senem ab horrendo naufragio singulari quadam benignitate, atque potentia liberauit. Omninò veræ parœmiæ [r]:

Cur nauis sit perdita, cum salua esse potuerit.
n 3. Reg. 13. 24.
o Psal. 79. 6.
p Iob. 38. 11.
q epist. 14. ad Macarium.
r Adagiographus, & Schol. Aristophan. in Pace.

Σιωὶ τοῦ Θεοῦ πλέων, κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοι.
Quisquis secundo nauigarit numine,
Is vel saligno nauigarit vimine.
Θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις.
Deo fauente nauiges, vel vimine.

Versus 23.] Astitit enim mihi hac nocte Angelus DEI, cuius sum ego, & cui deseruio.

ASTITIT *enim mihi hac nocte.*] Iam docui cum Chrysostomo, idque ceteri monent, non iactando, sed ad fidem prouocando apparitionem narrasse.

Apparitiones plerumque noctu fiunt.

Plerunque noctu fiunt apparitiones, quando sensus conquiescunt. Incertum dormirétne Paulus, an vigilaret: apparitio quoque vtrùm ad externos sensus facta sit, vel ad imaginationẽ. Quod astitisse dicitur, indicat vigili Angelum in assumpto corpore visum; & vigilasse suadet commune tempestatis periculum.

Angelus DEI.] Non dubito, quin bonus, & erat fortasse tutelaris Pauli: sed an perpetuò bonum intelligere debeamus, cùm nominatur Angelus Domini, vel DEI, disputaui capite quinto [a].

b vers. 19.

Deus Pauli est verus Deus.

DEI, *cuius sum ego.*] Vt intelligant Gentiles, à quo sit in tempestate auxilium, non à seipsis, non à falsis Deis, quos colerent; sed à vero DEO, qui cùm in gratiam supplicij sui cunctos præsenti mortis eriperet periculo, cognoscere possent se, non vt merentem supplicium Romam duci.

Sacrificia pro salute nautæ obtulerunt.

b Virgil. lib. 3. Aeneid. & 5. Horatius Epod. ode 10. Arist. in Ranis. Cic. 3. de natur. Deor. lege Girald. Syntagm. in Aeolo. Seruiũ in 3. Aeneid. Turnebũ lib. 14. cap. 4.

c Ionæ 1. 5. 6.

Credendum est, Gentiles illos ritu sacrilego comprecatos esse, & sacrificasse vel nigram pecudem, iuxta religionem Romanorũ, aliorúmque [b], si tamen pecudis in naui copia fuit; sicut qui Ionam comitem nauigationis habebant, cùm frustrà Deos suos inuocassent, latitanti Ionæ, dormientíque sopore graui, dixerunt: *Quid tu sopore depri meris? surge, inuoca* DEVM *tuum, si fortè recogitet* DEVS *de nobis, & non pereamus* [c]. Multò magis certum est, Paulum pro cõmuni salute precatum, de sua iam certum. Caietanus obseruat, profiteri Apostolum se DEI esse secundùm esse, sicut & secundùm operari, cùm addit: *Et cui deseruio.* Alij: *Cuius sum Apostolus, ac minister, & cui seruio in Euangelio, siue prædicatione. Iste,* dicet, *Domini ego sum; & hic scribet manu sua: Domino* [d].

d Esai. 44. 5.

Et cui deseruio.] λατρεύω, cultu etiam religioso, ac proprio DEI: cui cultui ex vsu Ecclesiæ verbum id Græcum adaptatur, vt aliàs dixi.

Versus 24.] Dicens: Ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donauit tibi DEVS omnes, qui nauigant tecum.

NE *timeas.*] Quo pacto timebat Paulus, qui quod nunc Angelus suggerit, priùs à CHRISTO ipso didicerat, *oportere ipsum Romæ testificari de illo* [e]? non enim id oblitus est propter vehementiam periculi. Comitum Gentilium timorem excutit Angelus, pro quibus Paulus erat sollicitus: tamen simul potuit in Paulo nonnullus timor esse, vel dubitatio de modo, non de re: quam dubitationem Angelus abstersit, *exprimendo nec vllius ex comitibus omnibus iacturam futuram.* MARIAM quoque turbatam Gabriel iussit non timere [f], hoc est, deponere commotionem illam, quam

e cap. 23. 11.

Timor quomodo in Paulum cadere potuit.

f Luc. 1. 29. 30.

A sentiebat etiam in corpore (vt solent alij, qui timent) licèt absque rationis perturbatione, ita vt contra eam insurgeret. In Paulo saltem primùm fuit, vt rationem ipsius non perturbaret timor. In CHRISTO, cùm turbatus legitur [g], nec præuenit turbatio rationem, sed libera fuit, nec insurrexit contra eam, nec illam perturbauit, quoniam turbauit seipsum, & fuit fortasse MARIÆ concessum tale priuilegium, vt nec præueniret rationem passio.

g Ioan. 11. 33. & c. 12. 27. & cap. 13. 21.

Christus quo[modo] turbatus fuerit.

Et ecce donauit tibi DEVS *omnes, qui nauigant tecum.*] Periissent, nisi donasset eos DEVS Paulo, seu in gratiam eius seruasset, quippe vel propter alia peccata digni, vel quia nauigationem dehortanti non obtemperauerant. B *Vir sanguinum non dimidiat dies suos* [h]. *Impius, ac stultus moritur in tempore non suo* [i]. Quæ docent, fatum, fortunámve inanes absque re voces esse, sicut hîc notauit Oecumenius: & hypotheticorum prænotionem contingentium haberi certam à DEO posse.

h Psal. 54. 24.

i Eccles. 7. 18.

Sanctorum preces quam sint hominibus salutares.

Illud insuper egregium elicitur documentum aduersùs Hæreticos, & ad fouendum pietatem, cultúmque Sanctorum, quanta sit horum DEO iam fruentium nos apud DEVM voluntas, potestásque iuuandi, si adeò cum mortalibus adhuc viuentes mortalibus commodi, benigníque fuerunt. Vel *decem iusti Sodomis si fuissent, inde incendium auertissent* [k]. Lot, nisi *egressus esset, pœnam infamis illa ciuitas non luisset* [l]. Propter Iacob *benedixit* DEVS C *domui Laban* [m]. Propter Ioseph *benedixit* DEVS *domui Putifaris* [n], *& Ægypto* [o]: *Exoratus Mosis precibus populo pepercit* DEVS [p], *& Abimelec cum Abraham* [q], *& amicis Iob, cùm pro his hic deprecator intercessisset* [r]: *certus erat ille beneficum habiturum* DEVM, *quòd Leuitici generis natus esset Sacerdotem* [s]. CHRISTVS Apostolis deprecatoribus Chananeæ [t], ac socrui Petri restituit sanitatem [u].

k Gen. 18. 32.

l infrà 19. 22. 23.

m Gen. 30. 27.

n Gen. 39. 5.

o infrà 41.

p Exod. 32. 14.

q Gen. 20. 7.

r Iob 42. 8.

s Iudic. 17. 13.

Contra verò Ionas contumax diuino præcepto, nisi iactatus esset, iacturam nauis, qua vehebatur, fecisset [x]. Atque Ambrosius [y] credit, ob improbitatem Iudæ, nauem, in qua erant condiscipuli, perituram tempestate fuisse, si non CHRISTVS in tempore succurrisset [z]. *Vetabo,* ait ille [a], D *qui Cereris sacra vulgarit arcana, sub iisdem sit trabibus, fragilémq; mecum soluat faselum.* Nauigabat cum impiis Bias aliquando, & cùm nauis valida tempestate concuteretur, *vectorésque Deos inuocarent: Silete,* inquit, *ne vos hîc illi nauigare sentiant* [b].

t Matt. 15. 22.

u Luc. 4. 38.

Ob impietatem hominum sæpe mali immittuntur.

x Ionæ 1. 12.

y Serm. 11.

z Matt. 8. 26.

a Horat. lib. 3. Carmin. ode 2.

b Laërt. lib. 1.

Quocirca quandoq; conqueritur DEVS deesse qui intercedat; aliàs autem quasi vereatur vim intercessionis, eã prohibet [c]. At Esaias [d] hoc ipsum quiritatur cum DEO, quòd scilicet *non inueniretur inuocans ipsum, consurgens, ac tenens eum. Multum valet deprecatio iusti assidua* [e]: sed & præsentia, vt si non precanti etiam Paulo donauit DEVS naufragos, quod Caluinus [f] contendit, multò donaturus magis fuerit preces pro illis fundenti.

c Ierem. 7. 16. c. 11. 14. c. 14. 11. Ezech. 14. 14. & seq. Exod. 32. 9.

d Esai. 64. 7.

e Iacob. 5. 16.

f hoc loco.

E Non euadit hac via Caluinus argumentum pro inuocatione Sanctorum: quod hinc Hieronymus [g], necnon ex Stephano pro lapidatoribus, dum adhuc superesset, deprecante [h] conficit: *Paulus Apostolus,* inquit, *ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postquàm resolutus esse cœperit cum* CHRISTO, *tunc ora clausurus est, & pro iis, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit?* Disputat latiùs eandem materiam, ac vniuersè cõuincit ex comparatione minorum, & maiorum. *Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti; quantò magis post*

Caluinus asserit solo præsentia Paulum saluatum fuisse nau[fragos].

g contra Vigilant.

h Act. 7. 59.

Orantes Sanctorum in corpore [...] hac vita.

coronas, victorias, & triumphos? Simili ratione vtitur Chrysostomus [a], & Bernardus [b].

a Hom. vlt. in epist. ad Roman.
b Serm. 2. de Petr & Paul.
c 1. de Eccles. trium. cap. 15. & seq.
d Tom. 2. in Apophtheg. cap. 10.
e 1 Reg 17. 50.
f Homil. 24. in Genes.

Tractant hunc locum diligenter Hæresiologi, præcipuè Bellarminus [c]. Hoc eodem Ephrem [d] exemplo Pauli naufragantium liberatoris confirmat magnificiendos viros studiosos, atque spirituales. Affert etiam Dauidem, qui Goliam obtruncauit [e]. *Consuetudo misericordis* DEI *est*, ait rursus alio loco [f] Chrysostomus, differens filios, & nurus Noë propter huius iustitiam ereptos diluuio, *honorem hunc dare seruis suis, vt propter eos saluentur & alij. Id quod & beato Paulo concessum est, eo videlicet modo, quo narratur hic.*

Cæsar se, qui priùs personam texerat, prodens nauarcho, dixit erigēs ob desperationem ex tempestate: *Ne timeas, fortuna te namque Cæsaris comitatur, Cæsarem vehens, eiúsque fortunam perge contra tempestatem forti animo* [g]. Multò magis sperare salutem iubet præsentia viri iusti, DEóque chari. *Magnus murus patriæ vir iustus*, inquit Ambrosius [h], *illius nos fides seruat, iustitia ab excidio defendit.* Et Philo [i] *sapientem vocat stulti redemptionem, ac mercedem: & quando ipse aliquem bonum virum habitantem in domo quapiam videret, aut vrbe, & domum, & vrbem illam beatam prædicare solebat, atque putare tum præsentem felicitatem et mansuram perpetuò, tum absentem expectandam cumulatiorem,* DEO *vltra modum, mensurámque diuitias suas in gratiam dignorum etiam in indignos effundere solito:* huiusmodi se viro vitam longissimam precari dicebat, eius audita morte (idem produnt de Ambrosio [k]) ingenti tristitia, & dolore confici, non tam illius dolendo vicem, quàm vitam superstitum.

g Appian. lib. 2. de bell. ciuili. Lucan. lib. 5. Plutar. in Cæsare.
Magnus murus patriæ est vir iustus.
h 1. de Abraham, cap. 6. & lib. 5. in Luc. sub init.
i lib. de sacrific. Abel, & Cain.
k Paulin. in vita.

Augustus, capta Alexandria, cunctis timore exanimatis, omnium iniuriarum, & offensarum gratiam se facere pronunciauit è sublimi suggestu, propter vnum Ariū eius vrbis Philosophum, quem doctrina illi, virtúsque arctissimè conciliauerat [l]. Quidni DEVS gratificaretur electionis vasi, vt vas nauticum tametsi periret, nullus eo vase contentorum iacturam vitæ pateretur? Mitto Leonem Byzantium, qui à Byzantij Philippū [m], Cratem Thebanum, qui à suæ quoque patriæ obsidione Demetrium Poliorcetem remouit [n]: alios prætereà sanctissimos viros, qui diuiniore id auctoritate præstiterunt, vt Leonem Papam I. [o] &c. Vnus Agamemnoni Nestor instar omnium erat [p]: Chirosopho Spartano Xenophon [q]: Ciceroni Cn. Pompeius [r]: Dario Zophyrus (quem pluris æstimabat integrum ac sanum habere, quàm centum Babylonibus potiri [s]:) eidē gratius erat tot quot in malo punico grana essent Magabyzos, quàm Græciam subditam habere [t].

Augustus, capta Alexādria, propter vnum sibi charum reliquis vitam donauit.
l Plutarch. in M. Antonio.
m Philostrat.
n Plutarc. in Demetrio.
o in gestis.
p Hom. Iliad 2.
q Xenoph. 3. ἀναβάσ.
r Cicero pro lege Manilia
s Herod. lib. 3. Plut. apopht.
t Herod. li. 4.

Postremò hortatur hìc Chrysostomus, vt Sanctos retineamus, eorum pedibus pauimenta domus nostræ calcari velimus, odore suaui sanctitatis eorum graueolentiam fugemus, eorumdem præsentia ceu leonum, bestias abigamus, illos quæramus, & adeamus.

Sancti qualiter domi tractandi.

Atque his ex omnibus illud infertur, longè dispara hominum esse merita, licèt pares non rarò sint, communésque calamitates. Sic denuò Hieronymus [u] ratiocinatur.

u 2. contra Iouinian.

Versus 25.] Propter quod bono animo estote viri: credo enim DEO, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi.

CREDO *enim* DEO, *quia sic erit.*] Hæc illa miraculorum fides, tametsi non diuersa à fide Theologica, qua qui miracula patrant, vel præternaturalia quædam beneficia diuina conferunt, capiúntve, certam de illis persuasionem animi, impressam gerunt, ac indubitatam spem. Cæsarem fluctuante nauiculario magis, quàm vndis, in periculosa tempestate, dum in Italiam tendens solus se cymbæ commiserat, sic vectorem nauicularium, quod antè leuiter attigi, Lucanus [x] cum excelsa fiducia erigentem inducit, cuius in Paulum nostrum sententia longè aptiùs, veriúsque potest transferri:

x lib. 5.

Sperne minas, inquit, pelagi, ventóque furenti
Trade sinum, Italiam si cœlo auctore recusas,
Me pete, sola tibi causa hac est iusta timoris
Vectorem non nosse tuum, quem numina nunquam
Destituunt. —

Meminit Apostolus triplicis naufragij sui posteriore ad Corinthios epistola [y], sed cùm illa scripta sit ante hæc tempora, non potest hoc vnum è tribus esse, quamuis ad præsentem historiam locum illum tanquàm consentaneum in Bibliorum margine notatum reperiamus.

y cap. 11. 25.

Versus 26.] In insulam autem quandam oportet nos deuenire.

IN *insulam autem quandam.*] Veracis index hic vaticinij, certóque futuræ salutis. Et fieri verò potest, vt nominatim prædictor insulam designauerit. Solemne hoc Prophetis, certa vt accipiant, dénique, quæ prædicentur, prædicúntque rerum signa. Suppetunt vtroque in Testamento exempla non pauca, sed & eorum, qui sibi dari ea poscerent, vt iuberentur poscere.

Versus 27.] Sed posteaquàm quartadecima nox superuenit, nauigantibus nobis in Adria, circa mediam noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem.

IN *Adria.*] Ἐν τῷ Ἀδρίᾳ. Syrus, בהדו יום ימא *behadu iaus iama*, id est, *In Adriaticum mare.* Glossa ordinaria docet vel esse nomen regionis, ad quam nauigabant, vel freti in Tyrrheno mari, de quo Adriaticus sinus appellatur: vel sumendo neutraliter in plurali, scopulos, vt nautæ propterea putarent regionem apparere: vel iuxta librum nominum Hebræorum, idem esse, quod locum malorum, vel continentem mala. Lyranus aut Adriaticum mare prope montem Garganum; aut mare petrosum, propter scopulos, prout aiebat tertio loco Glossa: Græcè namque ἀδρὸς petram significare. Hugo eadem repetit, quæ Glossa. Caietanus, & ceteri non dubitant esse Adriaticum mare: *Est enim, inquit ille, & verè, masculini generis, numerique singularis.* Gagneius obseruat à Ptolomæo Adriaticum, à Cicerone [z] Adrianum vocari, ab Adria oppido veteri, & sinum Adriaticum Venetias vsque, ac Tergestum ingredi. Arias vult autem modò fuisse in Adriatici huius maris sinu, oréque primo, iuxta Ceraunia saxa, vbi Ionium mare cum Adriatico iungitur: ibi enim nauigationem periculosissimam esse, maximè verò aduersa tempestate. Horatius [a] crebrò significat hoc mare maximis æstibus agitari, præsertim Austro flante: est enim arctè conclusus is sinus. Innuit idem Virgilius [b].

Adria vbi sit.
z orat. in Pisonem.
a lib. 1. Carmin. ode 3. & lib. 2. ode 3. & 9.
b Æneid. 11.

Adria est mare Adriaticum.

Constat omninò, Adriam masculino genere esse idem, quod Adriaticum mare: sic enim eo, videlicet Adriæ nomine vocatur à Græcis, vt à Stephano [a], & Suida [b], & Strabone [c]. Dedit nomen Adriatico mari, vel Adriano, vt dictum est ex Cicerone, cui iunge Horatium [d], vel Adriatico, vt loquitur Propertius [e], & Virgilius [f]. Adria nomen oppidi, quod ad Padum Idumæum Tusci condiderunt, nobili clarum portu, vt notat Plinius [g], & Cato [h], non ab Adria Picentum, cuius ager optimi vini ferax erat, eodem Plinio teste [i]. Strabo [k] tamen videtur ab Athesi, qui diceretur priùs Adria, seu Atria, deriuatam denominationem dicti maris. Et Iustinus [l] ab vrbe Illyrico mari proxima, quam cùm Græcam vocat, intelligit origine.

a lib. de vrbibus.
b verbo, *Adria.*
c lib.5.
d lib.1. Carmin.
e lib.3.
f 11. Æneid.
g lib.3.c.16.
h in originib.
i lib.3.c.13.
k lib.5.
l lib.20.

Vbi situs sit Adria.

Diuiditur hoc mare ab Ionio per Acroceraunios montes in fronte Epiri, éstque inter Lacinium extremum Italiæ, & Aceraunium primum Epiri promontorium, quod & superum mare appellatur, aut quia Italiam alluit ab Oriente, aut quia ex oppido illuc tendentibus Apenninus superandus est: dextra parte alluit Macedoniæ partem, Dalmatiam, Illyricum, Istriam; sinistra Apuliam, Frentanos, Picentes, Veneros.

Quomodo scribatur.

Aliquando aspiratè scribitur Hadria, vnde suspicio fortasse nata de mari petroso, seu scopuloso; eo quòd ἁδρὸς significet crassum, & grandem, & validum, ac robustum. Cùm adeò latè pateat hoc mare, quis scit, vbinam nauis hæc tunc esset? Prope Garganum montem in Apulia Italiæ prouincia intima vix credi potest: longiùs enim aberat, quàm Melita, quæ mox deprehensa est. Hieronymus nauigationem Hilarionis in Siciliam describens narrat ex Paratonio Libyæ vrbe maritima in medio fermè Adriæ, id est, mari Adriatico, fuisse versùs Pachynum Siciliæ promontorium tendendo.

Versus 28] Qui & summittētes bolidem, inuenerunt passus viginti: & pusillum inde separati, inuenerunt passus quindecim.

Bolis quid sit.

SVMMITTENTES *bolidem.*] Βολίσαντες. Conueniunt omnes bolidem esse instrumentum ex plumbo, vel stanno de chorda pendens, quo in aquas deiecto, profunditas exploratur. Vocatur quoque *perpendiculum nauticum*, & Græcè καταπειρατὴρ, aut καταπειρατηρία à tentando. Βόλις ἀπὸ τοῦ βάλλειν, quod est *proicere*, generaliter iaculum, hastámve missilem significat, dicitúrque de quadam impressione meteorologica incensa, de qua Plinius [m], & in libro Sapientiæ [n] vocantur βολίδες ἀστραπῶν, quas interpres Latinè vocat *emissiones fulgurum*. Polidem Hugo ait idem esse quod bolidem. Deriuatio Græca repugnat; nec alius, quod sciam, id Auctor docet. Sunt qui Baleares insulas inde putent dictas, quòd incolæ iaculandi funda periti essent [o]. Eadem creditur notatio ballistæ, quæ est machina, qua saxa torquentur, aut sagittæ, scilicet ab eodem verbo βάλλω.

m lib.2. c.26.
n cap.5.22.
o Florus lib. 3 cap 8 Indicat Virgilius Georgic. 1. Diodo. Sicu. lib.5 ca.6 Veget. lib.1.c.16. & ibi Steuechius.

Passus viginti.] Ὀργυιάς. Gagneius, quia vox Græca non solùm significat passum, sed vlnam, & manuum extensionem, siue mensuram senum pedum, quam Galli vocant *toise*, mare verò metiri passibus non solemus, sed demisso fune per pedes magis, aut vlnas, opinatur sumi ὀργυιὰς hoc loco pro mensura sex pedum, vel vlnarum. Non cogit hæc ratio: nec enim etiam pedibus descendendo, aut manus extendendo metimur mare; nec infrequens est, vt maris milliaria, quæ millenos continent passus, dicantur seu in superficie, seu in profundo.

Passus Geometricus quanta mensura sit.

Passus Geometricus, qui & maior vocatur, comprehendit quinque pedes, seu minores passus duos, & illo constat milliare. Sed de quantitate mensuræ significatæ per τὴν ὀργυιὰν, variant sententiæ, putántque nonnulli excedere mensuram passus, immò & decem pedes longam esse, seu minimum, sex. Lege Budæum [p].

p in Pandectis.

Mare quam altum.

Maris altitudinem nautæ nostri temporis experti sunt in medio Oceano, non longè à superficie ipsius, quidquid sit de Sueuicis quibusdam vadis, quæ inscrutabilia feruntur [q], & de mari Taprobane [r], & frequentiùs dicitur non excedere semimilliarium, cùm verò maximè, vix ad duo, triáve milliaria peruenire. Quocirca errant sine dubio qui terræ profunditatem negant aquę profunditate maiorem. Confutant Conimbricenses nostri [s], & Clauius [t], & Piccolomineus [u]. Sufficit ea tamen profunditas maris, vt mortalibus admirationem ingeneret. *Nunquid*, ait DEVS [x], *ingressus es profunda maris, & in profundis abyssi deambulasti*, & de DEO celebrat Iob [y], quòd *profunda fluuiorum scrutatur.* Et tamen Auctor est Plinius [z] *maria nonnulla præcipuè rubrum syluis referta, & nemoribus esse*; immò liber Sapientiæ [a] id indicat. Lege Simonem Maiolum [b]. Meritò igitur, cùm viginti tātùm, deinde quindecim passus deprehendissent, timebant ne in aspera loca inciderent, vt mox videbimus.

q Olaus lib. 2.c.10.
r Plin. lib.6.c. 22. Solinus c. 54.
s in 2. de cælo, ca.5.q.2.a. vlt.
t in Sphæra in c.1.
u lib. de quãtit. terræ, & aquæ.
x Iob.38.16.
y cap.28.11.
z lib 13.c.24.
a cap.19.7.
b Colloquio 10. vbi citat Ouetani, & Petrum Martyrem, ich. storiis Indicis.

Versus 29.] Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.

TIMENTES *autem ne in aspera loca incideremus.*] Εἰς τραχεῖς τόπους, *In scopulos, in breuia, vel Syrtes*, adeò parua maris altitudo bolide deprehensa erat.

De puppi mittentes anchoras quatuor.] Oportuit valdè infigi nauem, ne ventorum vi proiceretur in loca aspera, sed firmissimè retineretur. Nam κατὰ παροιμίαν ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖν, subaudi ἀγκύραις, *duabus nixus anchoris dicitur sedere in portu* [c], qui firmiter, immotè rem suam constituit. Cui simile prouerbium: *Bonum est duabus niti anchoris.* De puppi iacitur anchora, sed de prora nōnunquàm. Hinc illud Poëtæ [d]:

c Aristid. in Panathe.
d 3. Æneid.

Anchora de prora iacitur, stant littore puppes.

Primum fit, quando præsertim sistenda nauis est in tempestate; secundum, quando iam est appulsa.

Optabant diem fieri.] Ηὔχοντο. Syriacè, מצלין הוו *metsalen hauu*, id est, *Orantes erant*; vel, *deprecabantur.* Vtrumque significari potest verbo Græco. Cùm autem sit tertiæ personæ, denotat anxias preces, vel vota Gentilium. Nam Paulus, comitésque Christiani orabant quidem fortasse, optabántve diem fieri, sed minimè dubij de periculo, prout etiam Paulus disertè significauerat.

Versus 30.] Nautis verò quærentibus fugere de naui, cùm misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent à prora anchoras extendere.

A NAVTIS *verò quærentibus*, &c.] Clarior aliquantò Syra interpretatio, מלחא דין בעו למערק מנה מן אלפא ואחתו מנה לקרקורא בומא בעלחא דנאזלון בה ונאסרונה לאלפא בארעא *malechè dein behbu lemehherak mennah meralapha, vachathu mennah lekarkura beiama behhalletha denizelun bah venesferuna lelapha barehba*, id est, *Nautæ verò quæsiuerunt ad fugiendum ex ea è naui, & demiserunt ex ea scapham in mare, in occasione, quod abirent in ea, & alligarent nauim in terra*; vel, *Nautæ verò studebant fugere è naui, proinde dimiserunt ex ea scapham* (quam superiùs docui recepisse in nauem) *in mare, occasione abeundi in ea, nauisque ad terram alligandæ*. Hoc est quod noster Interpres adhærens textui Græco, Προφάσει ὡς ἐκ πρώρας μελλόντων ἀγκύρας ἐκτείνειν, vertit: *Sub obtentu quasi inciperent à prora* B *anchoras extendere*. Nam priùs suspicabantur apparere sibi aliquam regionem: deinde cùm aduerterunt esse tantùm loca aspera, abutebantur vulgari suspicione, & sic prætexentes velle se in portu anchoras iacere, quod, vt, dixi, fit ex prora, conabantur effugere. Durum, ac infidum nautarum genus, vt notat Chrysostomus. Si locus pateretur, dici nonnulla possent de legibus nauticis quæ sunt in iure [a], præter illas, quæ vocantur Rhodiæ. Cicero [b] recitat legem: *Qui in aduersa tempestate nauem reliquerint, omnia amittunto, eorum nauis, & onera sunto, qui in naui remanserint*. At nebulones hi onere omni, & armamentario iactato, alienam non cu- C rant, sed vitam suam: Paulo quamlibet asseueranter affirmanti nullius perituram animam, sed nauem, non credunt; nauem deserunt animæ, hoc est, vitæ propriæ consulunt. *Nautam Bias* [c] *neque inter viuos numerabat, neque inter mortuos*, eodémque modo Anacharsis [d] Scytha: *moribus est persæpe desperatis, vt vita*. Deplorant aliqui [e], ac declamant in audaciam hominum, qui primi marinis se fluctibus credere non dubitarunt. Fabulosum est quod Lucretius [f] de aureo seculo sub Saturno scribit:

—nec turbida ponti
Æquora lædebant naues ad saxa, viròsque,
D *Sed temerè incassum mare fluctibus sæpe coortis*
Saeuibat, leuitérque minas miscebat inanes,
Nec poterat quenquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus vndis
Improba nauigij ratio tum cæca iacebat.

A prora anchoras extendere.] Quasi nauem religaturi iam ad litus: priùs verò, sicut dictum est, de puppi miserant anchoras, fingebántque velle parte nauis anteriora cum scapha anchoras extendere.

a tit. ad legẽ Rhodiam de iact. ff. & dist. 2. ca. Rhodiæ leges. & C. de naui. non excusan. & eod. C. de Nauicu. seu Naucle. public. spec. transport. & eod. C. de Nauicu. Tyber. & eod. C. de Naufrag. necnon C. Theo. *Durum, ac infidum nautarũ genus.*
b lib. de Inuent.
c Plato in Axiocho.
d Laertius.
e Sap. 14. 1. Horat. libr. 1. ode 3. Seneca in Medea, choro 1. Propert. lib. 1. eleg. 6. Ouidius 2. Amor. eleg. 11. Papin. lib. 3. Syluarum. Iuuẽ. Satyra 12.
f lib. 5.

Versus 31.] Dixit Paulus Centurioni, & militibus: Nisi hi in naui manserint, vos salui fieri non potestis.

Quomodo decreto Dei nauis sine vectoribus peritura erat.

E NISI *hi in naui manserint, vos salui fieri non potestis*.] Poterant salui fieri, quamuis non mansissent in naui nautæ, sed non posito decreto diuino, DEVS autem detexit Paulo fraudem, voluítque, tum vt præsentibus nautis magis constaret prædicta nauis iactura; tum vt quod in ipsis erat facerent nautæ naufragij euadendi causa, permitterent DEO, quod ipsi præstare non quirent. Definito tempore salus vectoribus contingere debebat, id si deserta naui nautæ præuertissent, subeundum fortasse periculum fuisset: *in nauigij autem periculo*, ait Beda, *magis nautarum scientia, qui erant gnari maris, quàm militum arma prodesse valebant*.

Versus 32.] Tunc absciderunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere.

Nautæ tandem Paulo credunt.

TVNC *absciderunt*, &c.] Præcidunt nautis ansam fugæ: credunt vel iam Paulo: spem collocare in diuino promisso incipiunt: scapham perire patiuntur.

Iactamur, & naufragamus in huius æstibus vitæ, quia non audimus Paulum, festinantes aliquò ire, quò ille non iubet. Ecclesiæ gubernator sciens spirituali scientia multa naufragia, procellas, spiritus malitiæ, *intus pugnas, foris timores*: admonens quoque *naufragasse à Fide* [g], *qui habendi cupiditate sunt pulsati*. In hac naui cogitemus noxios quosdam vinctos, alios principes, nonnullos iustos, & siquidem de primis sumus, credamus Paulo, ne pereamus. Latè patet symbolica comparatio nauis cum mundo toto, & cum Ecclesia: nauigantium cum hominibus, & fidelibus, periculorum nauigationis, ac remediorum cum his, quæ sunt in politica, & Christiana vita.

g 1. Tim. 1. 19.

Versus 33.] Et cùm lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima die hodiè expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes.

Nautæ quomodo quatuordecim dies sine cibo egerint.

QVARTADECIMA *die hodiè expectantes*, &c.] Syrus, מן קנתא מדם לא טעין לכון *men kenetha medem lo tehhin lechun*, id est, *A commotione quicquam non gustatum vobis*; vel, *Præ periculo nihil gustauistis*: *At mirum videri potest*, ait Gagneius, *quomodo nautæ edaces, & quibus labor exhaurit vires, ipsáque in aquis salsis acuit famem commoratio, dies quatuordecim ἄσιτοι, impastique durauerint, nisi fortè non sumpsisse cibum dicantur, qui per otium non egerint conuiuium, vt solent tranquillo mari*. Eodem pacto ceteri respondent, nec enim sine omni cibo superesse potuisse: humano autem more dici non manducare, vel bibere, qui vtrumque parcissimè faciat, vt Ioannes Baptista [h]. Minùs apta Glossæ interlinearis explicatio de diebus, vt distinguuntur à noctibus, quasi non abstinuerint in his, sed in illis: vel de die tantùm ipsa decimaquarta, vt placuit Historiæ Scholasticæ; nec displicuit Carthusiano, quemadmodum nec Hugoni prior Glossæ sententia.

h Mat. 11. 18.

Non poterant valentes, & bona corporis naturali constitutione constantes, tam diu sine alimento durare in vita; qua de causa docui aliàs [i], CHRISTI [k], Mosis [l], Eliæ [m], nonnullorum quoque Sanctorum tam prolixa ieiunia sine miraculo non fuisse. In eo sensu Hippocratem [n] intelligimus, cùm negat *vltra septimum famem prorogari*: vtpote quòd bene constitutus post spatium tantum ventriculus, ac intestinum ieiunum vacet humore chiloso, in quem calor naturalis agere valeat, interim intestinum illud concrescat, sicque homines emoriantur.

Christi, & aliorũ ieiunia superna turalia fuerunt.
i in Euang. de ieiun. & tentat. Christi.
k Mat. 4. 2. & seq.
l Exo. 24. & 32.
m 3 Reg. 19.
n lib. de carnibus, vel principiis περὶ ἀρχῶν.

Nam si existat in corpore, vel à morbo præcedente, vel alia ex causa residuus humor phlegmaticus crudus, lentus, viscosus, depascetur cum calor, donec absumat. Idem iudicium de materia subtiliore pituitosa, quæ ob cerebri humectationem immodicam descendens, corpori nutrimentum suppeditet, si qua, quod ferè tum fit, quæ alioqui eodem ex corpore expirarentur, aut diffluerent continuò ab illo humore restituantur.

Quomodo diutius sine cibo vitam prorogare possint.

Exempla recitat Delrius [o] noster in Gallo Sacerdote

o 2. Disquisit. magic. q. 22.

cerdote, qui duos annos tempore Nicolai Papæ V. in Anglicana puella, quæ viginti, vt Rogerius Bacco prodidit, sed stolidè, ac impiè reiiciens causam in influentias: in Germana, quæ quatuor, absque cibo, potuque mansit sub Ferdinando Imperatore, de qua testis oculatus Geraldus Bucoldianus [a] medicus; & Simon Portius. Hæc, & alia exempla Lælius Bisciola item noster collegit in horis subcesiuis: quo loco tractat hoc argumentum ex instituto.

a epist. de hac re edita Moguntiæ, anno 1540.

Quomodo hi tã diu cibo abstinere potuerint.

In Paulo, & Luca, Trophimóque, & si qui alij erant fideles, minùs ægrè admiserim diuinæ vim virtutis: aliis infidelibus, etsi Pauli merita sicut vitam ex naufragio, ita diuturnam inediam, atque imbibesiam impetrare potuerint, nec hoc tamen, nec illud sine auctoritate præsentis historiæ, vel Patrum affirmauerim. Non etiam causa prauè affecti corporis, de qua Gemmam loqui oportet, dum multorum annorum naturalem concedit inediam: multóque minùs à Dæmone procurata, interuenit: sed, quod initio dictum est, nihil gustasse narrantur, qui per otium nonnisi perparùm gustare potuerunt.

b epist. 86. *Augustinus de hoc ieiunio quid sentiat.*

Augustinus [b] porrò contra Manichæos, *qui ieiunia dies Dominici non aliqua necessitate occurrẽti peragerẽt, sed quasi sacra solemnitate statuta dogmatizarẽt*, occurrit, Apostolum in naufragij periculo quatuordecim diebus, ac per hoc duobus Dominicis ieiunasse: nolle se autem id eo exemplo fieri, nec inter votiuos etiam ieiunij dies poni, vt scandalum deuitetur. Nec tamen asserit hic magnus pater ieiunium id religiosum fuisse, vel eiusmodi, vt omnis cibi contineret abstinentiam, qualem religiosa, seu Ecclesiastica nostra non continent. Illud tamen de ieiunio sacro indicat Hieronymus [c]: idémque monet aduersùs Manichæos, quod Augustinus.

c epist. 28. ad Lucinum.

Versus 34.] Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrûm capillus de capite peribit.

NVLLIVS *vestrûm capillus de capite peribit.*] Certa, & exaggerata salutis confirmatio parœmiali formula vsurpata. Nam & CHRISTVS dixit [d]: *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Capillus de capite vestro non peribit.* Et populus vniuersus intercedens pro Ionatha [e]: *Ergóne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est. Viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum* DEO *operatus est hodie.* Nihil pilo contemptius, iuxta parœmiam, ἄξιοι τριχός, quo vtitur Aristophanes [f]. Et Latinis est in ore: *Pili non facio: Ne pilo quidem melius*: vt rem nullius pretij significent. Et Theocritus [g] dicit, Θρὶξ ἀνὰ μέσον, *Pilus in medio*, pro eo, quod est, *Esse minimum discriminis*: Itaque vt denotetur, quòd quis nullum sit detrimentum passurus, ne capillum quidem capitis amissurus dicitur: & DEVS capillos omnes numerasse eius, cuius eximiam gerit prouidentiam: vt præter Hieronymum, ceterósque Matthei & Lucæ Interpretes, Cyrillus quoque Alexandrinus docet [h].

d Mat. 10. 30. Luc. 12. 7.

e 1. Reg. 14. 45.

Dignus pilo quid sit.

f in Ranis.

g in Thyocico.

h li. 4. de adorat. in spiritu.

Versus 35.] Et cùm hæc dixisset, sumens panem, gratias egit DEO in conspectu omnium: & cùm fregisset, cœpit manducare.

SVMENS *panem, gratias egit* DEO, &c.] Auctor operis imperfecti [i] hunc locum de EVCHARISTIA explicat. Fauent verbum εὐχαριστικόν, & *frangendi*, quæ ex vsu Ecclesiastico ad Sacramentum sunt accommodata, & quia priùs gratiæ actæ, quàm sumeretur cibus: cùm autem cibus est communis, post sumptionem gratias agere solemus, vt & CHRISTVS fecit [k]. Accedit, quòd licèt nec EVCHARISTIAM infidelibus porrexerit, nec hos tantùm mysterium Paulus docuerit; tamen vereri non debuit, ne rideretur, quoniam persuaderi cœperant & Paulo credere: sumptione verò sacri panis ordiri voluit, vnà cum comitibus Christianis, *quibus*, inquit idem Auctor, *de manu sua porrexit, quemadmodum* CHRISTVS *Cleophæ, ac socio eius* [l], profani prolixiorem vsurpationem, vt ad edendum alios prouocaret.

i Homil. [illegible] Mat.

k Matt. [illegible] *An Paulus [illegible] Eucharistiam [illegible]*

l Luc. 24. 30.

Attamen Chrysostomus, Oecumenius, Beda, reliquíque loci huius expositores vsitatum, ac vulgarem duntaxat panem, escámve intelligunt, necnon Hieronymus [m]: & mihi etiam id magis placet. Nam mysterium, quod ab abscondendo dicitur, ceterorum facilè maximum, in omnium profanorum hominum celebratum conspectu non adducor, vt credam: à quo candidatos Fidei Catechumenos reiectos perpetuo Ecclesiæ more constat, & de quo Patres passim, vt de non secreta minùs re, quàm sacrata, loquuntur. Ex vetere quoque traditione in mari, ac flumine, & in naui EVCHARISTIAM confici nefas ducitur [n], propter periculum effusionis sanguinis; quamuis sub specie panis illuc portatum legamus [o]. Et quia consecratio vnius speciei non potest fieri sine consecratione alterius, vt sit sacrificium; idcirco tali in loco non fit, nec nauigantes Missam, quam siccam vocant, dum ibi celebratur, audire tenentur. Deinde panem, quem Apostolus manducauit, & alij omnes sumpserunt vsque ad facietatem: alioqui laborabit perplexa admodum homonymia præsens narratio.

Non fuit Eucharistia, sed cibus communis.

m 2. cont. Iouinian.

In mari non [illegible] Eucharistiam confici [illegible] ducitur.

n Anton. [illegible] Tummæ [illegible] & Caietanus [illegible]

o Ioan. Diac. lib. 2. vitæ S. Gregor. ca. [illegible] & Ambros. orat. de Satyro.

Postremò negari nequit, CHRISTVM in panum vsualium multiplicatione gratiarum actionem præmisisse, quam Euangelistæ [p] per verbum quoque τοῦ εὐχαριστεῖν discripserunt, nonnulli [q] per εὐλογεῖν, id est, *benedicere*, & Paulum [r] primo verbo vti, loquentem de communi cibo, super quo oratio Eucharistica, siue eulogistica, hoc est, gratiarum actionis, vel benedictionis, ante sumptionem ritè vsurpetur, imprecando gratiam, ac benedictionem DEI. Id verò fit *ad amoliendam quodammodo maledictionem, qua* DEVS *ob lapsum Adæ terram damnauit* [s], eáque consequenter, quæ proferuntur ex illa: ad repugnandum execrationi Manichæorũ, quam pronunciabant aduersùs escas [t]: ad nos præmuniendum contra Dæmonem, qui cibi gustu primos parentes nostros peruertit [u].

p Ioan. 6. 11. Matth. 15. 36. Mar. 8. 6.

q Mat. 14. 19. Mar. 6. 41. Luc. 9. 16.

r Rom. 14. 6. 1. Tim. 4. 4. *Cur gratiarum actio cibi sumptionem adhibeatur.*

s Gen. 3. 17.

t Aug. lib. 6. cont. Faust. ca. 4. & 5.

u Gen. 3. 6.

Concedo nihilominùs frequentiorem vsum τοῦ εὐχαριστεῖν, καὶ τῆς Εὐχαριστίας, pro Sacramento Corporis Domini, quod exigit summam cum gratiarum actione deprecationem, & eximiam gratiam continet, vocatúrque ἄρτος εὐχαριστηθείς, nempe κατ' ἐξοχήν, ab Irenæo [x], & Iustino [y]. Sed his ipsis de rebus, vocibusque aliàs memini dissere [z].

Eucharistia & vsus frequentior pro Sacramento [illegible]

x lib. 4. c. 34.

y Apol. 2.

z cap. 1. & 2.

Adiice ad hæc, quòd præsentem gratiarum actionem Chrysostomus satis innuit referri ad salutem nauigantium, quos iam sibi Paulus obsequentes habens, multò sperabat magis euasuros: & placet Glossæ interlineari, Hugoni, & Gagneio. Fatetur quoque Valentia [a] locum se istum non valdè vrgere pro EVCHARISTIA.

Cur gratiarum actio [illegible]

a Tom. 4. [illegible] 5. §. 8.

Versus

Versus 36.] Animæquiores autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum.

Animæquior quid significet. a cap.10.49. b cap.18.6. c c.4.5.21.27.30.

ANIMÆQVIORES *autem facti omnes.*] Εὔθυμοι. Eadem vox Latina est apud Marcum [a] pro verbo Græco θάρσει, *aude, confide*: & in libro Sapiétiæ [b] animæquiores esse posuit Interpres pro ἐνδυθυμεῖν, rursúmque pro θαρσεῖν, apud Baruch [c]. Significat hoc nomen summam animi æquitatem, ac lætitiam. Propter spem in DEVM. *Spe gaudentes*, ait Paulus [d].

d Rom.12.12. *Spiritualis Doctoris officium quale sit.*

Et ipsi sumpserunt cibum.] Humani Doctoris est, ac spiritualis hominis διὰ τὸ συγκαταβάσεως accommodare sese ad alienas infirmitates, ac veluti prægustare pharmacum, præmandere cibum, vt deiectos, ac desperabundos erigat, ac recreet. Factitauerunt id sancti Patres, ieiunij rigorem relaxando, vt vel hospites, vel ægros prouocarent ad cibum. Testis Spiridion, qui carnes etiam ipse tali de caussa gustauit in Quadragesima [e]; quo Hæretici exemplo malitiosè abutuntur, non habebat aliud sanctus Episcopus, quod hospiti apponeret, ac priùs à DEO veniam petiit, & vt hospiti scrupulum eximeret profitenti se Christianum, respondit, quia & ipse Christianus esset, carnibus vesci posse in eiusmodi summa necessitate, cùm Christianis dictum sit [f], *omnia munda mundis*.

Spiridion cur carnes in Quadragesima comederit. e Sozom. lib. 1.cap.11. f Tit.1.15. *Cur Paulus comedere voluerit.*

Nisi Paulus manducasset, ceteri præ mœrore, & abstinentia cibi periissent, & vnà cum salute corporis, animæ salutem perdidissent, non propter alia peccata duntaxat, sed & eò quòd priuantes se cibo, mortem sibi consciuisse censerentur. Et hoc velle potuit Apostolus versu trigesimoquarto: *Rogo vos accipere cibum pro salute vestra*, duplici videlicet illa quam dixi. Id quidem sic intellexit Carthusianus.

Versus 37.] Eramus verò vniuersæ animæ in naui ducentæ septuagintasex.

Vtriusque sexus homines in naui fuerunt.

ERAMVS *verò vniuersæ*, &c.] Facile est, vt ex vtroque sexu nonnulli fuerint ibi; non tamen eo, respexisse Lucam puto, vocis *animarum* vsurpatione. Sicut neque ad confusionem Christianorum, militum, & nautarum: quas rationes Glossa ordinaria reddit; sed, vt dixi toties, animas per synecdochen dixit pro hominibus.

Quomodo tam exactè numerum sciverint.

Porrò numerum tam exactè cognitum habuerunt: *Quoniam verisimile est*, inquit Oecumenius, *Lucam cum aliis Condiscipulis, & Paulo, caussam cur nauigarent interrogasse, ac singula explorasse, non videlicet inani sciendi studio, sed vt familiari vsu, atque facilitate mores eorum corrigerent, & veritatis viam reserarent*. Si venaremur mysteria numerorum, reperiremus & in hoc fortasse nonnullum, sicut Arator, ac Beda in dierum ieiunij numero quatuordecim. Sed tam altè defodere, mihi sine fruge labor.

Versus 38.] Et satiati cibo alleuiabant nauem, iactantes triticum in mare.

Cibo satiari non est semper in vitio.

SATIATI *cibo.*] Κορεσθέντες τροφῆς. Non est satiari semper in excessu, & vitio; sed persæpe sumitur pro necessaria, & affatim conueniente citra reprehensionem voracitatis, crapulæ, ebrietatis, intemperantiæ, ex qua sequatur timor, nausea, vomitio, dedecus, atque pœna; vel etiam sine morbo, quem vocant βουλιμιώδη, *esuritionem caninam*, de qua Genebrardus accipit Psalmi [g] verba: *Misit saturitatem in animas eorum*; aut repletionem, de qua Ga-

g Psa.105.15.

A lenus [h], quæque πλησμονὴ vocatur.

h 1. Aphorif. cap.17.

Vnde illa satis crebra in sacris Literis de saturitate Iustorum in hac, quoad licet, tum in futura vita: & honesti viri lautè excepti, ebriati, ac saturati dicuntur: ij quoque, quos pane multiplicato refecit CHRISTVS: quoniam, vt vnus Euangelistarum scribit [i], *manducauerunt quantùm voluerunt*; & propter copiam, si voluissent, replere seipsos potuissent. Κορέννυσθαι dicitur quis, cùm ei satisfit, vel ei abundè suppetit, vel aliqua re abundat.

i Ioan.6.11.

Iactantes triticum in mare.] Cùm se cibo satiauerint, & superesset triticum, argumento est, ieiunationem illam multam commemoratam superiùs, ex inopia natam non esse.

Triticum hic quid sit.

B Triticum Grecè vocat σῖτον Lucas, quod nomen quemlibet etiam cibum nonnunquàm significat, præsertim panē. Potuit ibi triticum, vt merx comportari: ex tritico enim, aliòve grano panis in naui confici non solet; immò cautum est vectori piscem in naui frigere, vel lignum findere [k].

k In nauib. legib. Iust. l.8. x 9.

Versu vigesimosecundo prędixerat Paulus *nullius animæ amissionem fore*, præterquàm nauis; *de nullius alterius amissione non affirmauerat*, inquit Hugo: quanquàm hominum comparatione, quæ iactabantur ex naui, nullius pretij erant, ideóque nec sunt computata.

Versus 39.] Cùm autem dies factus esset, terram non agnoscebant: sinum verò
C quendam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, eiicere nauem.

TERRAM *non agnoscebant.*] Nil proderat lux expetita diei, vt quo essent loco dignoscerent. Recreatis hortatione Pauli, ciboque, nouus integratur labor, qui luctetur cum spe, cúmque periculo: inde velut anchora quadam securis, hinc sibi simul consulentibus.

Vocatio in se certa, & electio; sed comparandū nobis est. l 2.Pet.1.10.

Certa est in se *vocatio, & electio nostra; tamen satagendum, vt eam etiam certam faciamus per bona opera*
D *nostra* [l], certitudine quadam probabilitatis, respectu nostri. Fidendum diuinis promissis, ita tamen, vt nobis non desimus, & partes nostras, adiuti gratia, exequamur.

Vers. 40.] Et cùm anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes iuncturas gubernaculorum: & leuato artemone secundùm auræ flatum tendebant ad littus.

ET *cùm anchoras sustulissent.*] Syrus, ופסקו אוקינוס מן ארפא *vaphesachu aukinaus men*
E *alapha*, id est, *Et absciderunt anchoras à naui, in qua religatæ erant*. Glossa interlinearis, & Hugo: *de mari, in quod iactæ priùs erant, licèt in naui religatæ in nauem*, Lyranus, *de mari*. Non est probabile adhuc abscissas anchoras: tendebant enim ad littus, volentes proculdubiò ibi anchoris nauem figere.

Committebant se mari.] Syrus, וארפיו אנון בימא *varephiu annen beiamma*, id est, *Et laxarunt eas anchoras in mare*, quasi proiicerint. Id iam refellimus; & communis opinio est de commissa fluctibus naue absque conatu remigum: *Quia maius periculum erat*, inquit Lyranus, *ibi manere, quàm ad sinum tendere, habentem littus, in quem sinum cogitabant, si possent, eiicere nauem.*

Simul laxantes iũcturas gubernaculorum. Accurata nauticæ rei, naufragiíque deſcriptio Emmanuel Sà numerum pluralem poni pro ſingulari putat.

Temo quid ſit.

Hîc videtur eſſe temo: quod *ſi eſt, in promptu ratio eſt*, inquit Caietanus, *laxationis eorum, quibus temo alligatur naui, vt temo natare: alioqui potuiſſent nocere potius impactioni nauis in terram, quam procurabant.* Πηδάλιον, & in plurali πηδάλια, propriè ſignificabant *temonem*, vel *temones*, tum in naui, tum in aratro, aut curru. Infælicem nauigationem gubernator imputandam ſibi negat, dum clauum rectum teneat: quod ad alios prouerbij forma tranſiit, qui quapiam in re, quam tractant, quod ſui ſit muneris, præſtant, quamuis non ſuccedat [a], ἀγγύπτερ⊙ πηδάλιν. Quid ſic clauum cogatur abiicere? Pertinet nimirum circumſtantia hîc expreſſa ad exaggerationem naufragij, necnon ad commendationem diuini beneficij.

a Quintilianus 2. Inſt & Auctor Chiliad.

Et leuato artemone, ſecundùm auræ flatum.] Syrus, ותלו ארמנון זעורא לרוחא דנשבא *vathelau armenun zabhura leruch denaſcheba*, id eſt, *Suſpenderúntque armenum paruum*, id eſt, vt reddit Latinus eius Interpres, *velum ad ventum flantem.* Beda, & Gloſſa, aliíque conueniunt, eſſe paruum velum directioni nauis potiùs accommodatum, quàm celeritati.

Artemon quid ſit.

Gagneius, poſt Eraſmum, vocat antennam mali, hoc eſt, lignum tranſuerſum ipſius, ex quo velum ſuſpenditur. Caietanus, omnia carbaſa, quæ per vnam ſpeciem ſint ſignificata. At Baïfus [b] citans Iabolenum [c], negántque eſſe antennam, vult artemonem hoc etiam loco *eſſe maximum velum, quòd non ἀρτίμων duntaxat, ſed ἀκάτιον quoque nominetur.* Sic enim Venetos id hodiéque nominare. Vitruuius [d] idem, *quod trochleam, quâ funes ductarij trahuntur in naui, & armamenta explicantur*, vt ſit potiùs nauis additamentum, quod ἄρτημα vocatur, ſeu appendix, quàm pars. Alciatus [e] primis adſtipulatur, vocans additiium velum, quod velo maiori inſuatur, nauis dirigendæ cauſa: ἀπὸ τοῦ ἀρτᾶσθαι, quod eſt *ſuſpenſum, & appenſum eſſe alicui.* Antonius Nebriſſenſis [f] exiſtimat, auctoritate Vitruuij, eſſe Latinam vocem, & trochleam hîc etiam ſignificare: Lucam verò Latina vſum voce, ſicut alij Græci aliis ſunt vſi, vt Dioſcorides, Galenus, Paulus Ægineta, Plutarchus, Strabo, aliíque Romanarum rerum Scriptores. Potuit addere, quo etiam modo idem Lucas, vt ſuperiùs non ſemel obſeruauimus, & qui cum Paulo venerant, magna ex parte Romani erant, ipſáque fortè nauis, vt credibile ſit illos Romanè fuiſſe loquutos, ac proinde Lucam vocabulo Romano vſum. De hoc vocabulo caput integrum conficit Alexander ab Alexandro [g]: nec alia, præter ea quæ dixi, refert.

b de re nauali.
c l. malum ff. de verborum ſignific.
d lib. 10. c. 5.
e citat. Auctor Calepini.
f in Quinquageſ. c. 2.
g lib. 1. c. 25.

Sitne vox Latina an Græca.

Non equidem pugnauerim, Græcáne vox ſit (quod affirmat Iſidorus [h], diſtinguens ἀπὸ τῆς ἀκάτιν, vt hoc ſit velum maximum, & in media naui; ἀρτίμων, paruum illud, quod citati initio Auctores dixerunt) an Latina: malim verò Latinam, quia ſic ait Vitruuius, Græcam ei reſpondentem ponens, τὸ ἐπάγοντα, quatenus trochleam ſignificat: nec vllus Auctor Græcus, quod ſciam, dempto Luca, vſurpat ἀρτίμονα, ſed ἄρτημον, aut ἄρτημα, pro loco, ex quo pendet enſis, ſcutum, marſupium, vel quid tale. Vitruuius autē inflectit artemona, artemonæ.

h lib. 19. Orig. cap. 3.

Artemon nō eſt idem, quod trochlea.
i ſuprà.

Veruntamen qua ratione pro trochlea verti hîc poſſit, quod Nebriſſenſis [i] contendit, non video, quoniam leuari artemonem *ſecundùm auræ flatum*, τῇ πνεούσῃ, Syriacè, *ad ventum flantem*, non trochleæ congruit, ſed velo inflando. De antenna magis tolerabilis opinio; ſed cùm ſit lignum tranſuerſum mali, cui velum alligatur, leuari antennam, erit leuari velum, aut certè præter maiorem antennam, minorem aſſignare oportebit pro minore velo, aut maiorem minus velum non totam occupabit. Fuiſſe paruum velum indicat, quia nauis tendebat ad littus.

Iacobus Lopez Stunica [k] reprehendens annotationem Eraſmi de antenna, voléníque artemonem vocem eſſe Latinam, ſicut ſuperiùs [l] τὴν σπεκουλάτωρ, & alibi apud Euāgeliſtas, τὸν κῆνσον [m], δηνάριον [n], λεντίον [o]; adde πραιτώριον [p], σπεκουλάτωρ [q], λεγιών [r], τίτλ⊙ [s], φραγέλλιον [t], & φραγελλόω [u], aſſumpto r pro l; κουστωδία [x], μίλιον [y], λίτρα [z], vſurpando t pro b, vt ait Iulius Pollux; σημικίνθιον [a], σουδάριον [b], κολωνία [c], μάκελλον [d], μεμβράνα [e], φαιλόνης [f], κοδράντης [g], ἀσσάριον [h] ab eſſe, φόρον [i], ταβέρναι [k], & ſi quod eſt aliud in libris noui Teſtamenti, prætermiſſis iis, quæ ſunt ſine dubio apud profanos rerum Romanarum Scriptores non pauca. Hoc, inquam, vbi poſuit Stunica, Vitruuij de trochlea, cum qua confundit artemonem, ſequitur opinionem, vt videlicet hoc loco ſit machina ad leuanda onera, ſiquidem vox artemon retineatur: *Nam opus non erat velo maximo*, inquit, *nauem cogitantibus in littus impellere, quod prope viderant.* Quocirca cenſet corruptum præſentem locum & in Græco, & in Latino, & ἀντίμονα à Luca ſcriptum fuiſſe: antemonem verò, auctore Perotto Sipontino [l], velum eſſe, quod poteſt faciliùs obliquari, quóque nautæ in ſummo tempeſtatis diſcrimine vtuntur.

k in annot. pro traſl. noui Teſtam.
l c. 2. cit.
m Mat. 22. cap. 17. 25. Mar. 12. 14.
n Sed hic l. pro r poſuit ... locum.
n Mat. 18. 28. ca. 20. 2. 9. 10. 13. c. 22. 19. & apud alios Euangeliſt. Apoc. 6. 6.
o Ioan. 13. 4.
p Act. 23. Phil. 1. 13. Ioa. 18. 28. 33. c. 19. 9. Marc. 15. 16. Mat. 27. 27.
q Marc. 6. 27.
r Luc. 8. 30. Mat. 5. 9. Mat. 26. 53.
s Ioan. 19. 19. 20.
Quid ſit antemon.
t Ioan. 2. 15.
u Mat. 15. 5; Mat. 27. 26.
x Mat. 27. 65. c. 28. 11.
y Mat. 5. 41.
z Ioan. 12. 3. 19. 39.
a Act. 19. 12.
b ibidem.
c Act. 16. 12.
d 1. Cor. 10. 25.
e 2. Tim. 4. 13.
f ibidem.
g Matth. 5. 26. Mar. 12. 42.
h Mat. 10. 29. Luc. 12. 6.
i Act. 28. 15.
Auctor Lopidis de hominis corruptione ſententia.
k ibidem.
l in 22. Epigr. Martial. ...

Ceterùm quoniam ſuum illud cornu peregrinarum vocum copia, quas Græci, Latiníque præter ipſum prorſus ignorant, ditauit Perottus, qualis eſt antemon, vt Lopez non diffitetur, Lopidis quidem diligentiam laudamus, iudicium laudare non poſſumus, quo pronunciat omnium librorum mendum, vt ignotam dictionem antemonis, quaſi antimonium, ingerat, ad extrudendum hinc cognitum nomen artemonis.

Igitur conquieſcamus in communiore ſententia, artemonem nauis velum minus eſſe, quod nec Perottus, ac Lopez negant, licèt in voce diſſentiāt. Et quamuis Latinè nonniſi trochleam ſignificans per artemonem vſpiàm extet, nec præter Lucam Græcus vllus Scriptor ἀρτίμονα vſurpauerit, credendum nihilominùs vocem Latinam vtrumque ſignificare, & trochleam, & velum nauis paruum, id Italicè vocant nautæ *il trinchetto.* Non diſplicebit forſan alicui, quod non placet mihi, vt *artemon ſit quaſi artum, ſiue arctum, & anguſtum velum.* Sed moderanda de velo velitatio: pro editione tamen Latina ſeria pugna. Lege, ſi placet, Iacobum Mazzonum [m] in opere Italico, in quo Dantis Poëtæ Itali comœdiā defendit, & Accurſium [n] reprehendit ſumentem pro temone.

Quid ſit artemon ... ſumentum.
m lib. 1. c. 4.
n l. malum ff. de verb. ſign.

Verſus 41.] Et cùm incidiſſemus in locum dithalaſſum, impegerunt nauem, & prora quidē fixa manebat immobilis, puppis verò ſoluebatur à vi maris.

IN *locum dithalaſſum.*] Syrus, בדוכתא דרמא בינת תרין עומקין דימא *beduchata derama baienath therin bhumechin deiamma*, id eſt, *In locum quendam iacentem inter duas profunditates maris.* Εἰς τόπον διθάλασσον, quaſi dicas *bimarem.* Beda, *deſcribit littus in mare protenſum, atque circumdatum eodem mari, quod hinc & hinc diſpeſcitur*, Rabanus à Gloſſa ordinari citatus, *vbi terra interiecta duplex mare continet*: Vt

ſint

sim, inquit Hugo, *duæ reflexiones maris*. Lyranus locum altum in fundo maris, habentem ex vtraque parte mare profundius. Arias, *breuem locum, vadumque caecum inter duas profunditates constitutum*. Carthusianus, *concursum duorum marium, vel isthmum*, id est, inquit, *linguam quandam terræ in mari protensam, mari vtrimque circundatam*. Gagneius, *locum bimare, qui mari vtrimque alluatur, isthmúmque constituat*.

Bimaris locus quis sit.

Bimaris Latinè dicitur, quod Græcè διθάλασσος, estque locus, qui vtrimque mari alluitur: in quo sensu *Corinthum bimarem* ab Horatio [a] appellari quidam putant, licèt Pollux ἀμφιθάλασσον vocet, quod tamen est idem. Isthmum alio nomine appellant, nimirum terram angustam duplici interclusam mari. *Angustias* Plinius [b] solet interpretari. Et Geographi loquuntur eodem modo, atque Cicero [c], loquens de Corintho, *cuius isthmus, qui & Achaicus, percelebris*.

a 1. Carmin. ode 7.
b lib.4.ca.4. 10.11.
c in Agraria cont. Rullum.

Versus 42.] Militum autem consilium fuit, vt custodias occiderent, ne quis cùm enatasset, effugeret.

MILITVM *autem consilium fuit*, &c.] *Iterum tentat Diabolus*, inquit Chrysostomus: *vtpote Paulum perditum, vanam, falsámque prædictionem volebat*.

Cur milites vinctos occidere voluerint.

Erant fortasse vincti magnorum criminum rei, qui si euasissent, verebantur milites, ne vel quasi malæ custodiæ pœnam ipsi luere cogerentur, vel rei ipsi quasi de accepta iniuria vindictam repeterent ab illis. Pro consilio voluntatem Syrus interpretatur, dicens: וצבו הוו *vatsebu hauu*, id est, *Et voluerunt*. Βουλὴ significat vtrumque. Et militare ingenium præceps, magis est ad opus, quàm lentum ad consilium, vt verisimile sit ad cædem sese comparasse, atque irruisse; quam exequuti essent, nisi Centurio prohibuisset.

Versus 43.] Centurio autem volens seruare Paulum, prohibuit fieri, iussítque eos, qui possent natare, emittere se primos, & euadere, & ad terram exire.

CENTVRIO *autem*, &c.] Obsistit odio, insidiísque Diaboli contra DEI famulum, DEI ipsius aduersùs eum beneuolentia, & prouidentia. Demeruerat sibi quoque Centurionem Paulus, vt non solùm Paulo vectores omnes DEVS, sed vinctos etiam eidem Centurio donauerit: & ne militari furore, manúque periret Paulus, maluerit parci ceteris, quamuis morte dignis. Tanti refert vir sanctus, & DEO gratus, vt anteà monuimus.

Centurio Paulo donauit etiam vinctos.

Iussítque eos, qui possent natare, emittere se primos.] Hos Lyranus arbitratur fuisse milites: *Quoniam tyrones*, inquit, auctore Vegetio [d], *apud Romanos addiscebant artem natandi, quæ frequenter est necessaria in exercitibus*. Non mihi videtur ad solos milites restringenda sententia; sed quod attinet ad milites, causas has Vegetius assignat, cur natandi peritiam debeant comparare: *Non enim pontibus*, inquit, *semper flumina transeuntur, sed & cedens, & insequens natare cogitur frequenter exercitus*.

Tyrones cur natare discerent.
d lib.1.ca.10. lib.2.c.23. vbi & Steuchi⁹. & lib.3.c.4.

Sæpe repentinis imbribus, vel niuibus solent exundare torrentes. Ideò campum Martium delectum subdit exercitationibus militaribus in Vrbe, vt iuuentus post exercitium armorum sudorem, puluerémque dilueret, ac lassitudinem, cursúsque laborem natādo deponeret. Hic erat etiam gymnasiorum vsus, & balneorum, vt produnt Festus [e], ac Plinius [f]. Turnum Virgilius [g], Cæsarem Hirtius [h], ac Suetonius [i] celebrant hoc nomine: prodit verò Xenophon [k], ob nandi ignorantiam Cyri exercitui magnum illatum incommodum.

— *Vndosum frangere nando*
Indutus thoraca vadum, spectacula tanta
Ante acies virtutis erant [l].

O deterrimus ego, inquit apud Plutarchum [m] Alexander, *qui nare non didici, móxque rapto incumbens clypeo tranauit*. Hinc prouerbium: *Neque natare, neque literas*, Μήτε νεῖν, μήτε γράμματα, videlicet *nouit* [n]. Ad quod illustrandum Chiliadum Auctor, seu Adagiorum [o], affert Suetonium [p], Platonem [q], Aristidem [r], qui tradunt, pueros apud Romanos, & Athenienses assuefactos natatui, vt qui bonarum nihil artium didicissent, in eos illa parœmia diceretur. De Persis prodit idem Herodotus [s], Strabo [t], Eustathius [u]. Sed hinc enatemus, & portum tandem teneamus: & sic tamen, vt ne quibus hæc ars aut voluptati est, aut etiam vtilitati, minùs eam honestè factitent, sese publicitùs nudando, proposita Gratiani, Valētiniani, & Theodosij Augustorum lege [x] moneamus. Hanc ibi legem Curialem Glossa vocat: *Contra eos*, inquit, *qui more bestiarum se inuerecundè balneant in nauigio*. De natatione, lege Mercurialem [y].

e verbo, Piscina.
f in epi.lib.2. epi.7. & 13. & lib.5.
g Æneid 9.
h de bello Alexandrino.
i in Iulio Cæsare. ca. 57. & 64.
k in Cyripædia.
l Sil. Italic. li. 8.
m in Alexandro.
n Solin. ca.58.
o dicto Adagio.
Natare erat puerorum olim in vsu apud Athenienses & Romanos.
p in Augusto, & Calicula.
q 3. de legib.
r Apologia quatuor Oratorum.
s lib.2.
t lib.5.
u in Dionysium, de situ orbis.
x l.cùm suprà de re militari. lib. 12 Cod.
y 3. de arte gymnas. c.14. & lib.6.c.12.

Vers. 44.] Et ceteros alios in tabulis ferebant: quosdam super ea, quæ de naui erant. Et sic factum est, vt omnes animæ euaderent ad terram.

ET *ceteros alios in tabulis ferebant.*] Syrus exponit, quòd *Centurio traiecit*, hoc est, iussit traici super tabulas, ac super alia ligna nauis. Sensus idem est, quamuis in textu Græco præter verbum ἐκέλευσε, *iussit*, non sit aliud verbum, cui respondeat Latinum, *ferebant*. Stunica refutat Erasmum per ligna illa alia nauis intelligentem fragmenta: *Quoniam adhuc*, inquit, *integra erat arenæ tantùm hærens: sed ea fuisse vel dolia, vel alia quæcunque, vt fieri videlicet solet, cùm naufragium imminet*.

Eandem reprehensionem Vatablus meretur, qui similiter interpretatur *fragmenta*, nisi fragmenta placeat intelligere non ex illisione in scopulos, rupésque, quæ nulla fuit; sed quòd detracta sint ligna de industria, vt inseruirent vectorum iactationi, & quia ipsa iam puppis soluebatur à vi maris.

Et sic factum est, vt omnes animæ euaderent ad terra.] Veram námque prædictionem oportuit esse.

Quæ ratio inita sit, ne vincti euaderent, vel vtrū aliqui effugerint, nescio. Editio nostra dicens, quòd *ceteros ferebant in tabulis*, innuit eadem in tabula vni vincto, aut vinctis associatos custodes milites: nec facile fuit adnauigantibus ferè simul omnibus, & natatu præcedentibus aliis, qui forsan maiore ex parte milites erant, & catena ligatis vinctis, vinctos euadere. *Si autem diceret quis*, ait Chrysostomus, *quare non & nauem seruauit* DEVS? *vt discant, quale periculum euaserint*: quia non totum fiebat humano adiutorio, sed manu DEI, quæ absque naue seruauit. Nonnihil affinitatis habuit nauis, qua in eodem mari Adriatico Maximianus Syracusanus posteà Episcopus vehebatur: cùm enim tametsi penitùs omni cōpage dissoluta, & aquis plena peruenisset nono die ad portum, saluis vectoribus, in portus profundum continuò demersa est. Rē gestam narrat Gregorius [z]. Maximus Abbas [a] explicat mysticè tempestatem istam, atque insulam, in quam eiecti sunt.

Quare Deus nō seruarit nauem cum vectoribus.
z 3. Dial c.16.
a Cent.2.c.27.

CAPVT VIGESIMVM-OCTAVVM.

SVMMARIVM.

Post naufragium excipitur Paulus à Barbaris insulæ Melitensis humanè: ibidem sine noxa percutit ipsum vipera; Publiíque cuiusdam principis patrem sanat, & alios non paucos: lapso trimestri spatio nauem nactus Alexandrinam, tandem peruenit Romam. Illic Iudæis aduentus causam, atque appellationis exponit: & in hospitio conducto duos annos habitans prædicat ad se ventitantibus regnum DEI.

1 T cùm euasissemus, tūc cognouimus quia Melita insula vocabatur. Barbari verò præstabant non modicam humanitatem nobis.

2 Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus.

3 Cùm congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera à calore cùm processisset, inuasit manum eius.

4 Vt verò viderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, ad inuicem dicebant: Vtique homicida est homo hic, qui cùm euaserit de mari, vltio non finit eum viuere.

5 Et ille quidē excutiens bestiā in ignem, nihil mali passus est.

6 At illi existimabant eum in tumorem conuertendum, & subito casurum, & mori. Diu autem illi expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes se, dicebant eum esse Deum.

7 In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publij, qui nos suscipiēs, triduo benignè exhibuit.

8 Contigit autem, patrem Publij febribus, & dysenteria vexatū iacere. Ad quem Paulus intrauit: & cū orasset, & imposuisset ei manus, saluauit eum.

9 Quo facto, omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur.

10 Qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus imposuerunt quæ necessaria erant.

11 Post menses autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hiemauerat, cui erat insigne Castorum.

12 Et cùm venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo.

13 Inde circumlegentes deuenimus Rhegium: & post vnum diem flante Austro secunda die venimus Puteolos,

14 Vbi inuentis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem, & sic venimus Romam.

15 Et inde cùm audissent fratres, occurrerunt nobis vsque ad Appij forum, ac tres Tabernas. Quos cùm vidisset Paulus, gratias agens DEO, accepit fiduciam.

16 Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.

17 Post tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum. Cumque conuenissent, dicebat eis: Ego viri fratres, nihil aduersus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum,

18 Qui cùm interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me.

19 Contradicentibus autem Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare.

20 Propter hanc igitur causam rogaui vos videre, & alloqui. Propter spē enim Israël catena hac circumdatus sum.

21 At illi dixerunt ad eum: Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut locutus est quid de te malum.

22 Rogamus autem à te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis quia vbique ei contradicitur.

23 Cùm constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadénsque eis de IESV ex Lege Moysi, & Prophetis à manè vsque ad vesperam.

24 Et quidam credebāt his, quæ dicebantur, quidam verò non credebant.

15 Cum

25 Cúmque inuicem non eſſent comentientes, diſcedebant dicente Paulo vnum verbum: Quia bene SPIRITVS ſanctus locutus eſt per Iſaiam prophetam ad patres noſtros,
26 Dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis.
27 Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt: ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos.
28 Notum ergo ſit vobis, quoniam Gentibus miſſum eſt hoc ſalutare DEI, & ipſi audient.
29 Et cùm hæc dixiſſet, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter ſe quæſtionem.
30 Manſit autem biennio toto in ſuo conducto: & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum,
31 Prædicans regnum DEI, & docens quę ſunt de Domino IESV CHRISTO cum omni fiducia, ſine prohibitione.

Verſus 1.] Et cùm euaſiſſemus, tunc cognouimus quia Melita inſula vocabatur. Barbari verò præſtabant non modicam humanitatem nobis.



MELITA *inſula.*] Magna corruptio huius vocis variis in codicibus. Nam reperitur *Muylene, Melitene, Meligene, Melegene, Milite, Miletus.* Græcè eſt Μελίτη, genuinum, ac verum nomen. Antonius Nebriſſenſis proprium caput habet de hac re [a]. Ibi docet Mitylenem Leſbi inſulæ ciuitatem contra Troadem diſtare à Melita non minùs octingentis millibus paſſuum: Miletum oppidum in Ionia aliquantò plus: Melytenem in Cappadocia duplo ampliùs: porrò Melitam inſulam eſſe inter Siciliam, & Africam, diſtaréque à Syracuſis, quò ex Melita Paulus adnauigauit, paſſus circiter centum mille: citat Ptolomæum, qui adnumerat cum Coſyra, & Glauconis inſula inter Africam, & Siciliam, vocans illas inſulas pelagias, & ciuitatem eiuſdem nominis Melitam. Profert Strabonem [b] aſſerentem imminere Pachino Siciliæ promontorio, & celebrari catellos eiuſdem inſulæ, quos Melitæos vocant, adde roſam, & pretioſam tenuitate, ac mollitie telam. Item Plinium celebrantem cum Gaulo inſulam Melitam in Siculo freto versùs Africam, quæ Melita diſtet à Camarina octogintaquatuor millibus paſſuum, citat [c]; tandem adducit Aratorem [d] ſic deſcribentem Melitam:

Sicanio lateri remis vicina Melite.

Necnon Ouidium [e], licèt hic penultimam dictionis ſyllabam corripiat:

Fertilis eſt Melite, ſterilis vicina Coſyræ
Inſula, quam Libyci verberat vnda freti.

a cap. 29. *Melita propriũ eſt inſulæ nomẽ.*
b lib. 6.
c lib. 3. c. vlt.
d lib. 2 Carminum in Act.
e lib. 3. Faſt.

Ambitum habet ſexaginta milliarium: quà latior eſt continet duodecim, ſecundùm longitudinem viginti; diſtat à Sicilia per ſexaginta: nulla in Adriatico mari inſula longius abeſt à continente. Propter vrbem eiuſdem nominis ſpelunca fertur introrſum effoſſa rupe cum duabus aris, vbi Paulus tres menſes cum vinctis aſſeruatus.

Deſcriptio inſulæ Melitæ.

Tota inſula Paulo peculiariter deuota, dicata, & auguſtius in ciuitate templum, vulgò MALTA nominatur, fortiſſimum Chriſtianitatis vallum contra Turcas ob ſingularem fortitudinem illuſtriſſimi ordinis militaris ſancti Ioannis, quibus militibus poſt occupatã à Turcis Rhodum, quam ſtrenuiſſimè defenderant, Carolus V. Imperator dono dedit Lege Thomam Phazellum [f], & Ioannem Antonium Viperanum [g], & Iacobũ Boſiũ [h].

Eſt fortiſſimum Chriſtianitatis vallum.
f de rebus Sicu. dec. 1. lib. 1. c. 1.
g de bello Melitenſi.
h in hiſtoria Melitenſi. Italicè ſcripta.

Barbari verò præſtabant non modicam humanitatẽ nobis.] Strabo [i] Barbaros factitio nomine tradit illos ſignificare, qui aſperè, difficulter, durè loquũtur, à βάρβαρ abſona voce, quam qui Græcè loqui volebant, Athenis peregrini ſubinde frequentabant, vel hi, qui illos irridere volebant, ipſorum τραχυστομίαν imitando. Aliis placet appellationem deriuatam ab inſula Gangis Indiæ fluuij Barbaria, quæ mari quoque Barbarico nomen dedit, Paulúmque de his loqui, quando cum Scytha Barbarum copulat [k]. S. Thomas [l] Auctorem huius opinionis Iſidorum facit, meminítque aliorum, qui quoſcunque diſcordantes ab idiomate Latino barbaros vocant: item eorum, qui quoſlibet extraneos reſpectu aliorum extraneorum: ipſe verò ſentit illos ita dici, qui corporis robore vigeant, virtute rationis deficiant, quaſi ſine legibus, ac regimine iuris: ſicque in Politicis locutum videri Ariſtotelem, de his nimirum, qui cenſentur proptereà quodam modo naturaliter ſerui.

i lib. 14.
Barbari vnde dicti ſint.
k Coloſ. 3. 11.
l in 1 Cor. 14. lect. 2. & in c. 3. ad Coloſſ. lect. 2.

Lyranus exiſtimat Barbaros hîc nominari, qui neſcirent Hebraicè, vel Græcè, vel Latinè. Conſentit Carthuſianus, indéque laudari Melitenſes, quod ignotæ linguæ, religioniſque, ac morum agreſtiorum homines, adeò benignè Paulum tractauerint. Paulum ſcribentem Romanis opponere Græcos Barbaris, ipſóſque Romanos comprehendere ſub Barbaris quidam exiſtimant [m]. Sed hoc, opinor, non intellexit ciuis Romanus, & Romanos, quos ibi quoque laudat, ſibi conciliare ſtudens.

Barbaros quos Apoſtolus ad Romanos vocauerit.
m Ioan. Ferdinan. in Theſ. Scriptu. verbo, *Barbarus*, & Chryſoſt. in c. 1. epiſt. ad Rom.

Veriſimilius eſt per Epexegeſim Græcos, Barbaróſque poſuiſſe pro iis, quos ibidem *ſapientes, ac inſipientes* nominat, ita vt ſub primis contineantur etiam Romani; quemadmodum cùm dicit, quòd *Græci*, per quos ſolent intelligi Gentiles omnes, nimirum cultiores, *ſapientiam quærunt* [n]. Nam licèt aliquando Græci ceteras natione barbaras appellarũt, poſteà Latini excepti ſunt, vtpote mitioris, & cultioris linguæ, morúmque commodiorum, & liberaliorum diſciplinarum ornamentis decorati.

n 1. Cor. 1. 22.

Ambroſius eſt in hac ſententia. Sed cauſa non eſt illa, quæ Soto non improbatur, quòd illata in Italiæ partem Philoſophia, Pythagoras Græciæ magnæ ei appellationem dederit, indéque eandem Græcorum Romani acceperint.

Quam tertio loco beatus Thomas [o] opinionem recitauit, vt *ignota loquens lingua Barbarus* cenſeatur, apud eum certè, qui non intelligit, conſentanea videtur verbis Apoſtoli [p]: *Si neſciero*

Barbarus is eſt, qui ignota lingua loquitur apud Paulum.
o ſuprà.
p 1. Cor. 14. 11.

virtutem vocis, ero, cui loquor, Barbarus. Ad hunc modum ibi exponit Hieronymus, & Theophylactus. Ita etiam Ouidius se, vbi non intelligeretur, *barbarum* dixit fuisse:

Barbarus hîc ego sum, quia non intelligor vlli.

Idem ferè iudicium, si mores discrepent, vnde cùm Scytham Anacharsim Solon Athenis *Barbarum* nominasset, is illum vicissim sibi *Barbarum* esse respondit.

Hæc acceptio sic extendit sese, vt duriores, ac molestiores, *Barbari* dicantur, velut *Ægyptij* vexatores Hebræorum [a], & Nicanor *hostis eorundem* [b]. Quamuis propter linguam Rabbi [c] Salomon affirmet Ægyptios quos Herodotus [d] scribit hoc nomen respuisse, potiúsque nationes alias omnes eo appellasse. Quoquot prætereà minùs ad præscriptam eloquentium normam emendatè, vel purè loquuntur, pronunciant, scribunt, Barbaros nominare vsus obtinuit, qua ratione Næuium Poëtam Latinum Barbarum Plautus vocauit.

a Psa. 113. 1.
b 2. Machab. 15. 2.
c in Psa. 113.
d lib. 2.

Solent Iudæi [e] omnes linguas vernaculas earum prouinciarum, in quibus agunt, vocare barbaras, & loqui barbarè dicunt בלעז *belahhaz*, & *prouinciales* nominant לועזים *lohhazim*. Iosephus quoque Gorionides de Latino, qui regnauit post Ianum, scribit illustrasse *linguam barbaram*, hoc est, *Latinam*, à quo & nomen ipsa acceperit. Constat quoque maximè Barbaros dictos Phryges, qui quòd primi funebrem tibiam reperisse produntur, vt cum Aristoteles Varro [f] scribit, hinc factum, vt illam tibiam *Barbaram* nominauerit Catullus, & alij, & Iurisconsulti [g] Barbaricarios, qui Phrygionio vestem opere, id est, *acu pingentes faciunt*, ipsósque Phrygios eodem nomine Barbaricariorum. Dicti denique Barbari sunt, quotquot Romano imperio nō parebant [h], interdum apud Græcos [i], qui non Atticè loquebantur: quandoque Latini se comparatione Græcorum sic appellabant [k]. Iosephus [l] Latinum Iani successorem scribit illustrasse Barbaricam linguam, id est, Latinam. Galenus [m] quoque non dubitauit Romanos nominare Barbaros. Legi diu posteà de hac voce multa, quæ noster annotauit Lælius Bisciola [n]. Hoc tempore Barbaria de Africæ parte quadam propriè dicitur. Medij seculi Scriptores Græci quoslibet præ se, Barbaros vocant, vt Francos Agathias [o]: Venetos Nicetas Choniata [p]. Meliùs Saluianus [q], qui quòd Alexander Magnus virtute, non voce diiudicari volebat, omne secat hominum genus in Romanos, quos synonymè vocat Christianos, vtpote Romanam profitentes fidem, & in Barbaros: hos in Hæreticos subsecat, & Paganos. Epiphanius [r] Barbarismū appellat ab Adam vsque ad diluuium & primum fontem hæresum vocat [f] Barbarismum, quo idolomaniæ contineatur origo. Quod Damascenus [t] quoque scribit. Nempe causa est, quoniam eorum temporum homines neminem, cui vt Principi parerent, habebant; nec omnes idem sentiebant. Legatur de etymologia vocis Scaliger [u], aut quòd loca sic deserta Arabum dicantur lingua: vel quòd Africanè Arabum vocetur regio *baru aru*, id est, noxa vel malitia festinans: vel ab Arabum item idiomate, quòd *barbar* sit murmur, ac sonus inconditus.

e Elias in Tisbi.
Phryges maximè Barbari.
f 4. de ling. Latina, citans Aristotelem lib. de Barbaricis nominibus.
g Alciat. & Cuiacius de excusat. artific. ff. lib. 1. & Lexicō iuris.
h Alciat. ad l. scriniis. de pala. sac. lar. sic sumitur hæc vox l. nulli. C. de Episc. & cleric. & l. penul. ff. de bon. dam.
i Demosth. or. de leg. & Philipp. 3.
k Plaut. in Asinar. in prolo.
l 1. Ant. c. 31.
m 1. de tuenda valet. c. 10.
n lib. 1. horar. subseciu. c. 21.
o de bello Goth.
p 1. de vita Manuelis.
q 4. de proui.
r initio Pan.
f ep. ad Araiū & Paulū præfixa dicto lib. & in anacephal.
t de hæresib. in princ.
u exerc. 51.

Itaque vt ad Melitenses reuertamur, vocat eos Lucas Barbaros eas ob causas, quas notauimus, & quòd illi se aduersùs ignotos, tam faciles, humanósque præbuerint, laudat, singularémque DEI prouidentiam refert. Inuehitur Virgilius [x] in inhospitales, qui aduentantes Troianos etiam arcuerint à littore, ideóque Barbaros vocat:

Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam
barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ.

x Æneid. 1.

Memini quodam loco huius Operis de Barbaro quarundam nationum more, quæ peregrinis omnem aditum intercludebant, vt Spartanorum, Scytharum, & aliarum, de quibus Alexander ab Alexandro cum Scholiaste Tiraquello [y]. *Ruborem nobis afferant Barbari*, inquit Chrysostomus; *nesciebant enim quinam essent illi, sed ob calamitatem iam miserebantur, quòd homines essent.* Auget fortasse etiam Barbarorum vox calamitatem naufragorum, quæ sympathiam Barbaris quoque commouerit, & prorsus incognitis.

Barbara quarundam nationum hospitibus nunc ad omnes ... [illegible]
y lib. 4. c. 22.

Versus 2.] Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus.

ACCENSA *enim pyra*, &c.] Syrus, ואוחדו נורא וקראון לכלן דנשחן *vauechadu nora vacharabun lechullan denaschechan*, id est, *Accenderunt enim ignem, nósque omnes conuocauerunt, vt calefieremus*, προσελάβοντο, id est, *acceperunt*, vel *exceperunt*; quam significationem editio nostra satis expressit.

Non est quidem pyra ligni nomen, vt quidam, teste Glossa ordinaria, & Hugone, putant, est tamen lignorum strues ad accendendum ignem, vel iam subiecto igni ardens, quem Latinè quoque vocant *rogum*. Quamuis magis propriè hîc sit, quādo lignorum congeries ardere cœperit, pyra congeries ipsa priusquàm ignem conceperit: bustum iam exusta ligna, seu alia quæuis materia, vt corpus humanum, &c.

Ambigat aliquis, camininé tunc vsus fuerit. Meminit Suetonius [z] de arcuatili camino in triclino. Cicero [a] de luculento, propter copiosum ignem. Sine dubio semper vsi sunt omnes loco ad struendum ignem. Sed vtrùm supernè in tectis caminus excitatus, vt nunc, fuerit, incertum puto, & in negantem sententiam propendeo. Vitruuius [b] indicat satis hoc ipsum, multóque disertiùs Philander Scholiastes. Hic idem prætereà probat, tum quòd nullum in antiquis ædificiis extet vestigium, tum quia veteres ligna macerabant amurca, vt sine fumi tædio arderent [c], Catone [d] teste, & Galeno [e], qui ea vocat ἄκαπνα [f]. Addit, excitatum à Romanis calorem hac ratione: *Vt in subterranea structura fornix esset oblongus, ex quo quaquauersum in intimis parietibus de industria structiles canales ad summam contignationem forent, qui nares haberent ad loca omnia, in quibus vellent procurare calorem, contectas exemptibilibus operculis: fornicem concalefactum fuisse partim succensis lignis, partim feruentibus intra canales aquis.* Videtur id etiam approbari, quod attinet ad Iudæos carentes tali camino, ex verbis Baruc [g]: *Nigræ fiunt facies eorum à fumo, qui in domo fit.* Audio hodiéque in Sicilia, & alibi rarum esse caminorum, de quibus modò agimus, vsum; & vidi ego alicubi per foramen parietis exire fumum, nec aliud esse fumarium, aut infumibulum, seu veluti gulam, qua fumus extra tectum educatur innocenter. Erat igitur veteribus caminus, vel fornax, vel hypocaustum, vel vas ex ære, aut ferro, aut testa, super quod (& dicebatur etiam focus) camera item portatilis locabatur atramēto

Fumarium vsitatum, quale nunc est.
z in Vitellio. c. 8.
a lib. 7. epist. 10.
b lib. 5. c. 1.
c Plin. lib. 15. c. 8.
d de re rustica c. 130.
e 3. Antidotō.
f de quibus Martial. lib. 13. epigr. 15.
g cap. 6. 20.

illitum

illitum. Postremò metonimicè ignis ipse eodẽ nomine interdum appellatur. Vbi autem ignis absque hypocausto excitabatur, fumus exitum non habebat. Vnde illud [a]:

a Horat. Sa-tyr. 5.

—lacrumoso non sine fumo
Vdos cum foliis ramos vrente camino.

Hieronymus explicans Oseam [b], vbi Latinam vocem posuit *fumarium*, notat à Theodotione positum καπνοδόχον, ab Aquila, & Symmacho, καταράκτην; docétque, foramen esse in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur. De camino disputat quoque Lipsius [c].

b cap. 13. 3.

c Cētur. 2. epist. ad Belgas, ep. 75.

Propter imbrem, qui imminebat, & frigus.] Lyranus, *Imbrem, qui imminebat*, τὸν ὑετὸν τὸν ἐφεστῶτα videtur intelligere de aqua maris, *vnde totaliter*, inquit, *malefacti exierant*, vt patet ex dictis: nil aliud autem dictum est priore capite, quàm quosdam natasse; nonnullos in tabulis, & aliis rebus, quæ de naui erant, enauigasse, quos etiam, licèt non adeò vt primos, oportet madefactos fuisse. Videri posset τὸ ἐφεστῶτα, id est, *imminentem*, non significare tempus futurum, imbrémque, qui casurus timeretur: nec enim quis ad ignẽ accedit, quia veretur ne pluat, sed aquam, qua iam essent madefacti, qui accensa pyra indigebant: aqua verò potuit esse pluuialis, quæ multò magis madefecerit, quàm maritima illos, qui enauigauerunt: priores námque, qui natauerant, priùs peruenerant, nec pro iis nunc pyra accensa est.

Imber quid significet.

Attamen imminere futurum respicit: & imber non aliam significat ordinariè aquam, quàm pluuialem ex nubibus expressam; quamuis aliquando reperiatur pro vberiore, ac vehementiore copia humoris aquei vndecunque existente, vt apud Poëtam [d], auctore Nonio [e].

d 4. Georg.
e cap. 6.

— Et amicos irriget imbres.

Item apud Lucretium:

Ex igni, terra, atque anima nascuntur, & imbri.

Rursus iterum apud eundem Virgilium [f]:

f 1. Æneid.

— Laxis item compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisq́; fatiscunt.

De Græca voce τοῦ ὑετοῦ, quæ est ἀπὸ τοῦ ὕειν, *pluere*, nõ potest vllum assignari exemplum, in quo aliud significet, quàm pluuiam. Sed quia cùm tempus est vdum, ac humidum, & ad pluuiam comparatum, quæ ingruit præsertim, si vigeat frigus, igni libenter vtimur, imbrem imminentem propriè hîc accipere possumus hoc modo.

Et frigus.] Hyems nondum transierat, vt colligi potest ex capite præcedente. Viget nihilominus nonnunquàm frigus verna, & autumnali tempestate. Arator [g] existimat menses tres, quibus mansit Paulus Melitæ, hybernos fuisse.

g lib. 2. Carminũ in Act.

Mensibus hybernis tribus in regione Melita
Multiplicem dat Paulus opem. —

Versus 3.] Cùm congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera à calore cùm processisset, inuasit manum eius.

CVM *congregasset autem Paulus*, &c.] Chrysostomus, Lyranus, & alij obseruant Pauli charitatem, prudentiam, modestiam, quòd ipsemet ad eiusmodi se officium demiserit in aliorum gratiam, nec temerè miracula patrauerit.

Humilis beneficentia est conciliatrix alienæ mentis.

Conciliatrix mirifica beneuolentiæ alienæ hu-

A milis beneficentia, benefica humilitas: nihil æquè allicit in eo, qui ceteros anteit, ac exemplum. Id edidit CHRISTVS exactissimè, vt alia prætercam summorum virorum tum in sacra, tum in profana Historia. Lege in libro Iudicum [h] de Abimelech, cuius factum quoquo modo huic loco congruit.

h ca. 9. 48. 49.

Sarmentorum.] φρυγάνων. Glossa interlinearis, & Hugo *vinearum ramusculos* exponunt. Carthusianus, *lignorum fasciculum*. Sunt igni aptissimi vitis ramusculi, maximéque propriè sarmenta dicuntur. At τὰ φρύγανα significāt virgulta quęquis, surculósque aridos, omniáque ligna sarmentosa, ignis fomenta, & ad cremandum facilia:

Quid sint φρύγανα.

B Græcè φρύγανα; Latinè *cremia*, à cremando, vt etiam placuit Hieronymo [i], qui addit aridas herbas, siccáque virgulta, quæ camino, & incendio præparantur. Quanquàm Theophrastus [k] φρυγανον distinctè ponit, alia verò δένδρον, θάμνον, πόαν, cùm Latini tria duntaxat agnoscant arborem, fruticem, herbam, non vnum aliud inter herbam, & fruticem, quod respondeat τῷ φρυγάνῳ, vt obseruauit Interpres Gaza [l]. Ad illud quartum genus pertinent exempli causa rubus, & paliurus.

i in c. 10. Os.
k in Hist. Plātar. c. 4.
l in præfat.

Deriuatio vocis Græcæ ἀπὸ τοῦ φρύγω, vel φρύττω, quod est *torreo*, fauet acceptioni pro cremiis, & combustibilibus lignis. Horum haud adeò acris flamma, quæ flamma, si vehementior sit, qui vehementer frigent, quando calefiunt, indolescũt,

C vt Aristoteles [m] docuit. Apud Oseam [n], vbi Latinè legimus, *transire faciet Samariam regem suum, quasi spumam superfaciem aquæ*, Græcè pro spuma, est φρύγανον. Quæ ligna sint ἄκαπνα, & quo artificio veteres id procurarent: vel fumum qua ratione arcerent, dimitteréntve, præter illa, quæ priùs diximus, diligenter disserit Iacobus Mazzonus eo opere, quod Italicè pro Dantis Itali Poëtæ comœdia scripsit [o], & Paulus Manutius [p], & Grapaldus [q], & Scholiastes epigrammatum Græcorum [r], & Daniel Barbarus [s].

m Sect. 8 Problem. in 15.
n cap. 10. 7.

o lib. 1. c. 41.
p in lib. 7. ep. famil. Cicer. ep. 10.
q lib. 2. de partib. domus, c. de, bo, Camino.
r li. 2. pag. 162.
s in Vitruuiũ.

Vipera à calore cùm processisset.] Syrus, ונפקת מכהון אכדנא מן רתחא דנורא *venapekath minnehun echedna men rathecha denura*, id est, *Et egressa*

D *est ex eis vipera pra calore ignis*; vel, *Prodiit autem ex eis vipera præ alore ignis. Diligit enim*, ait Hugo, *temperatum calorem, cùm frigidioris temperamenti sit, vt & venenata ferè omnia.* Incertum, an id animal tum primùm generatum sit. Natura præfrigida eius, modúsque loquendi Scripturæ ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα negātem partem indicat. In ipsis sarmentis, loco humido, nata videtur, perinde vt vniuersè cecinit Virgilius [t] de illa:

t 3 Georg. Vipera, vnde dicta.

Sæpe sub immotis præsepibus, aut mala tactu
Vipera delituit. ——

Satis vulgaris opinio est, dici viperam quasi vi parietem, quòd erosis matris lateribus cum eiusdem interitu prodeant pulli: & Græcè ἔχιδναν,

E ὅτι γεννῶν ἔχει ἐν ἑαυτῷ ἄχρι θανάτου. Sic sensit cum vulgo, seu retulit sententiam istam Chrysostomus [u], Isidorus Pelusiota [x], Euthymius [y], Basilius [z], Epiphanius [a], Athanasius [b], Hieronymus [c], Augustinus [d], Gregorius [e], & posteriores alij: & ex profanis Plinius [f]. Et fauet, quòd parricidas insuebant intra culeum cum vipera, cane, simia, gallo. Adde Horum [g], Nicandrum [h], Apuleium [i], Plutarchum [k], Galenum [l].

u Hom. 11. in Matth.
x li. 1. ep. 105.
y in c. 3. Mat.
z Homil. 9 in Hexam.
a Hæres. 26.
b q. 36. ad Antioch.
c ep. ad Pacidium, de cereo Paschali, tom 9.
d Serm. 81. de Temp.
e 15. moral. c. 9. vel 7.
f lib. 10 c. 62.
g lib. 2. Hieroglyp. c. 60.
h in Theriacis.
i lib. 1.
k opusc. de garrulit.
l lib. 2. ca. 8 in princ.
m de theriaca cap. 9.

At enim verò ex his multi solùm referunt istam vt vulgarem sententiam, famámve: & apud Philostratum [m] Apollonius imprudentem censet eorum sermonem, qui dicunt viperarum filios

absque matre nasci: quia nec patiatur natura, nec experientia comprobet; sed visa sit quos peperit, lingua lambere, & quasi expolire. De qua experientia testes hodiéque existunt.

Falsum est, quod de vipera dicitur.
a apud Pierium lib. 14. Hieroglyp.

Theophrastus negat [a], viperarum vterum à catulis suis exedi, fatetur tamen disrumpi spontè vterum, quòd adeò sit angustus, vt tam numerosæ prolis multitudinem, & incrementum capere non possit: idé verò marinis acubus euenire (id etiam habet citatus Plutarchus) quas admodùm tenues, prolis pariter multitudo disrumpi cogat. Albertus [b] neque hoc concedit, appellans mendacium, & impossibile: *Quoniam natura*, inquit, *nunquàm dedit actum; cum non daret naturalem potentiam, & facultatem: aliter nàmque deficeret in necessariis.* Docet præthereà dici viperam, quasi vi intrinseca parientem, priùs quidem ouum, deinde animal. In quo alij dissentiunt, volentes ita vocari, velut viuiperam, quòd non oua, vt ceteri serpentes, sed viuum pariat. Ælianus [c] cùm vulgarem sententiam retulerit, hanc posteriorem, Theophrastro auctore, sequitur. Aristoteles [d] prodit, quòd vipera parit catulos membranis (quæ vocantur secundæ) obuolutos, quæ tertia di erumpuntur: aliquando contingere, vt qui sunt adhuc in vtero, abrosis membranis prorumpant; singulos autem diebus singulis exire plures, quàm viginti.

b lib. 25. de animalib. cap. vlt.
c 9. de Histor. animal. c. 31. & 32.
d 5. de Hist. animal. c. vlt.

Fabulosum est etiam viperam ore concipere.

Hanc ego sententiam libentiùs amplector: nec minùs fabulosum reor, quod Epiphanius, ac Hieronymus præ se ferunt, & refert Galenus, viperam ore concipere, & maris, caput abscindere, sícque vtrumque parentem perire, patrem in conceptione, matrem in partu. Ex recentioribus Delchampius Plinij [e] Scholiastes, & Toletus in Lucam [f] adhærent eidem opinioni, prætereà Canterus [g], Iacobus Pontanus [h], Rhodiginus [i] quoque fauet, tametsi non absque hæsitatione.

e lib. 10. c. 62.
f in c. 3. anno. 22.
g lib. 6. c. 16.
h in 1 Georg.
i lib. 6. c. 13. & 16.
k Mat. 3. 7.
l infrà 23. 33.
Cur Christus progeniem viperarum Pharisæos dixerit.

Cur Ioannes Baptista [k], & CHRISTVS [l] Iudæos nominauerint *progeniem, ac genimina viperarum*, maximè Pharisæos, & Sadducæos, causam reddunt multi ex sectatoribus primæ sententiæ, tum inuidiam, quæ lacerat propria viscera; tum quòd suosmet Doctores, ac Prophetas interfecissent, DEVM etiam ipsum deseruissent, atque CHRISTVS occisuri essent; tum etiam *quia errauerant ab vtero pessimorum parentum filij pessimi imitatores* [m], *necnon Diaboli* [n] *ipsius*. Verùm iuxta posteriorem magis veram opinionē, notata est Pharisæorum, ac Sadducæorum & vita, & doctina perniciosissima, qua populos inficiebant, vt indicat Clemens Alexandrinus [o]; vel pestilens eorundem, venenosissimáque maledicentia calumniantium, & quasi mordentium sanctos viros, vt placet Hieronymo [p], & Gregorio [q].

m Psal. 57.
n Ioan. 8.
o Paræne ad Gent.
p in c. 30. Esa.
q Hom. 20. in Euang.

Legendi Physiologi, Medicíque de natura, ac proprietatibus huius serpentis, & quæ ad mores accommodatè, præter citatos Patres disserūt Pierius [r], Petrus Bercorius [s], Sylua Allegoriarum [t], item Ambrosius [u], & Basilius [x], & hoc loco Arator [y], Beda, & alij.

r lib. 14. & 16.
s in Reductorio morali, li. 10. c. 113.
t verbo, Vipera.
u 5. Hexaem. c.
x Hom. 7. Hexam.
y lib. 2 Carm in Act.
z Cyril. Ierosl. Catechesi 18

Therion Arabes detorto è Græcis vocabulo nominant: est enim θήριον fera; vnde venenorum antidotum theriaca. Quidam [z] aliquando pro vipera, quæ Paulum inuasit, *lacertam* dicunt; sed nomine quod generaliter comprehendit eiusmodi bestias.

Inuasit manum eius.] Syrus, ונכתח *venechthath*, id est, *Et momordit*. Καθῆψε. *Inuasit mordendo*, inquit Lyranus: *pendebat enim de manu eius*, vt est in versu sequenti.

A Mauult Auctore Thesauri Græci [a]: *Illigauit se eius manui*, vt sit καθῆψε, pro καθῆψεν ἑαυτόν. Et eodem modo intelligendum Basilium, quando eandem istam historiam narrans, ait: Φρυγανοσυλλεγοῦντος τοῦ Παύλου ἐπαφῆψας ὁ ἔχις. Verumtamen cùm fateatur nihil, aut parum interesse ad sensum, vtro modo interpretemur, alijque, vt ipse refert, Aristoteles [b] illa, καθάπτωσι εἰς τὸ ὕδωρ, exponant, *os attingunt*, nescio cur adeò indulgeat libidini contradicendi vulgatæ editioni nostræ. Exponunt quoque Lexica vetera idem verbum pro mordere, quo pacto præter Syrum interpretem, Oecumenium, Lyranum, & alios, intellexit Tertullianus [c], & Ambrosius [d].

Auctor Thesauri Græci, notatur.
a Tom. 1. col. 437. & 438.
b 5. de Hist. animal.
c in Scorpiac. c. 1.
d in 6. Hexã. c. 6.

B Ego tamen dubito, ac de industria Interpretem vsum arbitror inuadendi verbo, ita vt aggressa quidem sit, vt morderet vipera, non momorderit tamen: quia versu quinto Paulus nihil mali passus narratur. Quanquàm responderi posset, vim in hoc diuinam apparuisse, vt infixus bestiæ dens venenatus sine noxa fuerit, tametsi vestigium morsus in manu reliquerit. Glossa interlinearis, & Hugo, quod hîc dicitur, *inuasit*, explicant, *intrauit*; *sed*, inquiunt, *non destruxit*.

Cur potiùs dicit inuasit, quàm momordit.

Sæuit vipera potissimùm, ac eiusmodi venenata animalia tempestate calida, & vt loquitur de scorpio Tertullianus [e], *familiare periculi tempus Austro, & Africo velificat.* Adhuc hyems erat, sed forsan tales flabant venti; certè accensæ calor pyræ C viperam exasperauerat, vt vel sic diuinæ virtutis τὸ ἀλεξίκακον magis enituerit. Illustrari locus hic potest Gabriæ versibus in fabulis:

Venenata animalia quando sæuiant.
e supra c. 1.

Anguem fouebat rusticus suo in sinu
Bruma rigente frigore: hic igni calens
Punxit fouentem: sustulit cita nece.

Versus 4.] Vt verò viderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, adinuicem dicebant: Vtique homicida est homo hic, qui cùm euaserit de mari, vltio non finit eum viuere.

D PENDENTEM *bestiam.*] Τὸ θηρίον, de omni fera, & bellua dicitur, sed κατ' ἐξοχὴν, de elephanto, sicut & bellua: apud Medicos verò de venenatis, ac nominatim apud Arabas, vt antè monuimus de vipera: vnde θηριακὴ, videlicet ἀντίδοτος, *theriaca*, celeberrimum illud medicamentum ex simplicibus plurimis, & viperarum carne compositum aduersùs venena, siue morsu, siue potu corpus peruadant. Pendebat autem vel manui duntaxat illigata, vel etiam ore compresso, dentéve infixa.

Theriaca vnde dicta.

Vtique homicida est homo hic, qui cùm euaserit de mari, vltio non finit eum viuere.] Non est in Barbaris E planè barbarum iudicium, vel à ratione prorsus alienum, nec enim *viri sanguinum dimidiant dies suos* [f]. Et *vox fusi sanguinis ad* DEVM *clamat de terra* [g]. Et *qui gladium accipiunt, gladio pereunt* [h]. Certè digni sunt, qui hanc, similémve luant pœnam: attamen contingit nonnunquàm calamitas absque peccato, aut proprio, aut parentum; sicut cæci nati exemplo CHRISTVS docuit [i]. *Sera est quandoque Numinis vindicta; sed nisi nosmet ipsi dimidicemus, ac vindicemus, grauitate supplicij*, vt ille dixit [k], *tarditatem compensat; nec effugit, qui fugit. Quomodo si fugiat vir à facie leonis*, ait Amos [l], *& occurrat ei vrsus, & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.*

f Psal. 54. 24.
g Gen. 4. 10.
h Matt. 26. 52.
Theodoma non profugerunt.
i Ioan. 9. 3.
k Valer. Maxim. lib. 1. c. 1.
l cap. 5. 19.

Laudat Chrysostomus Barbaros istos, tam-

quam

Laudantur in Barbaris, plusquã Philosophi.

quàm qui retineant naturæ iudicium incorruptum, multísque Philosophis sapientiores sint, qui ea, quæ sub Luna sunt, extra prouidentiam ponũt. Sed eo, quem dixi, laudandi sunt sensu, quoniam non est metienda cuiusquam virtus, & peruersitas ex prosperis, & aduersis rebus. Peruersum hoc fuit, ac præposterum de Iob amicorum eius iudicium [a], multis aliis exemplis confutabile: necnon sententiis sacris, quibus docetur, atque demonstratur, DEO perchatos variè in hoc mundo tentatos, & vexatos. Attamen vincula, quibus Paulum videbant adstringi, ita suspicandi causam dederunt: *nec rem euulgant, sed inter se conferunt*, inquit Chrysostomus, qui alio loco [b] vtrumque, Paulum videlicet, atque Iob, seu obtrectationes de ambobus eleganter comparat.

a c. 4. 7. & seq. & c. 5.

Non semper qui Deo chari sunt, non affliguntur.

b concio. 1. de Lazaro.

Vltio.] Δίκη; Syriacè, כנותא *chinutha*: *Iustitia, quasi Deam intellexerint*, inquit Vatablus. Hesiodus [c] quidem Δίκην *Deam facit Iouis, & Themidis, alij Astrei, & Hemeræ, vel Auroræ filiam.* Huic, & τῇ δικαιοσύνῃ Orpheus hymnos duos composuit, ac λίβανον, id est, *thus* adoleuit. Meminit & Pollux [d] huius sub hoc nomine Deæ Astrologi, potissimùm Aratus [e], virginem in cœlo statuunt cum spica splendente, & nominant Astræam, quod facit quoque Latinus Poëta [f].

c in Ergis.

d in Onoma.

e in Phænome.

f Ouidius 1. Metamorph.

Vltima cœlestũm terras Astræa reliquit.

Describit eam, ac veluti depingit apud Gellium [g] Chrysippus, & qui Hieroglyphica tractant, vt Pierius [h]; & fabulas, vt Higynus [i], & Deos, vt Giraldus [k].

g lib. 14. c. 4.

h lib. 42.
i cap. 110.
k Syntag. 1.

Versus 5.] **Et ille quidem excutiens bestiam ignem, nihil mali passus est.**

ET *ille quidem excutiens*, &c.] Non excussit statim Paulus viperam, vt miraculum esset illustrius, spatiúmque daretur, quo venenum diffundi potuisse videretur. *Vipera cùm in manum Apostoli dentes iniecisset, & nullam peccati in ea mollitiem, & laxitatem inuenisset*, inquit Oecumenius, *statim resiliit, & in ignem sese proiecit, quasi pœnam à se exegerit, quòd nihil ad se pertinens corpus inuasisset.* Tum subdit tropologiam: *Nos verò bestias timemus, propterea quòd armatura virtutis muniti minimè sumus.* Verumtamen historia denotat à Paulo proiectam bestiam, non hanc spontè se in ignem proiecisse; quod & ceteri Interpretes vt certum ponunt, præsertim Arator:

Bestia cur Paulo minime nocuerit.

— Digito nam bestia pendens
Excutitur proiecta rogis, bene reddita flammæ
Quam dedit ipsa prius, quæ culpa protulit ignem,
Vnde gehenna calet. —

Pergit mysticè historiam interpretari, ac in ea acutè obseruat, iam ex eo tempore Paulum morsibus, & veneno serpentum redditum immunem, *quando deciderunt ex oculis eius squamæ, quibus circumuestiuntur serpentes.*

Paulus à sua conuersione viru contra serpentes accepit.

— Iam tunc de corpore Pauli
Virus abest, oculis cum squameus excidit horror,
Quem serpens antiqua dabat, purgatus in amne
Æthereo, Christique cruci sua membra relegans
Nescit ab angue mori: vorat hoc quoq; flãma venenũ,
Quæ sacris vim sumit aquis, quibus vstus anhelat
Qui dolet ad patriam veteres remeare colonos.

Dicuntur hæc poëticè, atque etiam piè: non quòd per inhærens donum tutus esset Paulus à morsu mortifero, vel à venenis; sed quoniam auxilio, & prouidentia sua DEVS tutabatur eum aduersùs eiusmodi incommoda: sicut & inter *signa, quæ sequerentur eos, qui crederent, illud erat, vt serpentes tollerent* [l], id est, manu mulcerent, vt exponit Ambrosius [m] (*volens etiam excussam viperam in ignem à Paulo*) *& si mortiferum quid biberent, non eis noceret.*

l Marc. vlt. 18.

m 6 Hexam. cap. 6.

Huius exempla suppetunt in historiis. Macarius verò cùm morsus esset ab aspide, manibus ambabus, vt narrat Palladius [n], apprehendens illam, discerpsit dicens: *Cùm te non miserit DEVS meus, quomodo ad me ausa es accedere?* prodierat autem ex foliis, & sarmentis, quando Macarius puteum fodiebat ad recreandos Monachos, videlicet Diabolus inuidet charitati, & insidiatus est Paulo per viperam, laboranti pariter ex charitate pro aliis.

n in Lausiaca, sect. 17.
Macarius à serpente læsus non est.

Diabolus insidiatus est Paulo per viperam.

Versus 6.] **At illi existimabant eum in tumorem conuertendum, & subitò casurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes se, dicebant eum esse DEVM.**

AT *illi existimabant*, &c.] Lethalissimus viperæ plusquàm aliorum serpentũm morsus, maximè cùm agitatur calore, sicut omnes ferè, quos citauimus, Physiologi tradunt, in primis Ælianus, & Albertus, quibus accedit Dioscorides [o], docens inter effecta mala morsus viperini tumorem corporis esse, simul præscribens antidota [p]. Albertus [q] meminit *de apostemate calido, ac rubeo, & dilatato cum vesicis, vt fit ex ignis adustione: ictum verò mori vt plurimum tertio die, quamuis nonnunquam perueniat ad septimum.*

Morsus viperæ lethalissimus.

o lib 7. c. 10.

p lib. 8. c. 8.
q lib. 2. de animal. ca. vlt.

Verbum Græcum πίμπρασθαι significat dictam ab Alberto incensionem, prout etiam vidit Clarius in sua versione, & Vatablus, & Arias. Sed Interpres noster vitans æquiuocationem, meliùs posuit *tumorem*, qui est cum incensione. Tardiùs occidit vipera, quàm aspis, vt placet Gregorio [r], vt proinde diu Melitenses expectauerint, quemadmodum statim subiicitur, lethalem istius exitum veneni.

r 11. Moral. c. 9. vel 8.

Conuertentes se.] Syrus, שחלפו מליהון *schachalephu melleiehun*, id est, *Mutarunt sermones suos.* Arias, *Sermone, & sententia mutatis.* Vatablus, *Mutata mente, vel sententia*, quod etiam habet Chrysostomus. Glossa interlinearis, & Hugo, *Facies suas inuicem conuertentes inter se.* Lyranus, *Vnus alteri colloquendo.* Carthusianus, *Mutuo se aspicientes.* Omnia possunt esse vera, participióque μεταβαλλόμενοι contineri.

Dicebant eum esse DEVM.] *Iterum supra modum loquuntur*, ait Chrysostomus; hoc est, *ex homicida DEVM faciunt*, sicut Lystrenses eundem cum Barnaba Deorum ritu veneratum posteà lapidauerunt [s]: vnde huc transferri possunt, quæ de vanis hominum iudiciis disseruimus.

s Act. 14. 10. 18.

Gentilium notat Oecumenius morem fuisse, vt quem incredibile aliquid, ac mirandum facinus edere viderent, DEVM opinarentur. Id si mitiùs intelligatur, propter eximiam potestatem, ac dignitatem, qua homines humanitatem non exuentes, diuinitatis participationem quandam habent, non est alienum ab vsu sacrarum Literarum [t], quæ DEI nomen hominibus hac ratione communicant: *Paulum momordit vipera* inquit Ambrosius [u], *& putabant eum quasi peccatorem vix de naufragio seruatum, veneno esse moriturum. Sed postquàm inuiolabilis mansit excussa in ignem vipera,*

Gentilium mos tribuendi Deũ, qui incredibile aliquid facere viderent.

t Exod 7. 1. c. 22. 28. Psal. 45. 10. Psal. 81. 6. Ioan. 10. 34. & seq.
u 6 Hexam. c. 6. & lib. 7. in c. 10. Luc.

plus apud intuentes venerationis inuenit.

Tertullianum [a] cùm lego dicentem, quòd potestatem, quàm CHRISTVS dedit *calcandi supra serpentes, & scorpiones* [b], *Paulus hic dedicauit, quando morsum viperæ spreuit*, venit vtcunque suspicio mihi, volueritne innuere id, quod publica fama celebratum est de virtute, quam DEVS propter Pauli merita concessit Melitensium insulæ, vt serpentes, scorpiones, idque genus venenata animalia cetera, etiam aliunde transportata, venenum ibi ponant, nocendíque facultate careant: atque loci eiusdem glebæ subministrent antidotum contra venena, quam nominant Gratiam sancti Pauli. Immò si credimus asseueranti, & ex certa experientia comprobanti Thomæ Fazello [c], quotquot vbiuis nascuntur die Conuersioni Pauli dicato, non horrent, vel formidant angues, quin & sola saliua horum morsibus medentur.

a in Scorpiaco. c. 1.
b Luc. 10. 19.
In Melitensibus nulla serpentum genera nocere possunt.
c de reb. Sicul. decad. 1. lib. 1. cap. 1.

Affine est quòd traditur in Romano Martyrologio [d] de Phoca Martyre Antiocheno his verbis: *Qualiter de antiquo illo serpente triumphauerit, hodie quoque populis eo miraculo declaratur, quòd si quispiam à serpente morsus fuerit, vt ianuam basilicæ Martyris credens attigerit, confestim euacuata virtute veneni sanatur.* Meminit quoque Turonensis [e]. Idem proditum est de puluere sepulcri Ieremiæ Prophetæ.

Phocæ Martyris insigne miraculum.
d 5. Martij.
e lib. de gloria Martyr. c. 99.

Non possunt hæc insoli naturalem vim referri, qualem Hybernici narrant esse Beda [f], & Solinus [g], & de Sardinia hic idem, necnon Plinius [h] de Gaulo insula, déque aliis iidem, & alij, quos citat & citatus anteà Fazellus.

f 1. de Histor. Anglor. c. 1.
g cap. 35.
h lib. 5. c. 7.

Non moror etiam antipathiam, quam Marsi [i], vel quidam alij feruntur habere cum venenosis animalibus ex naturali sua cōstitutione corporis: qua de re post Michaëlem Medinam [k], aliósque, noster Delrius [l]; etsi verius est, Marsos esse incantatores: & de Psyllis, licèt scribāt Plinius [m], Solinus [n], Lucanus [o], Silius Italicus [p], Plutarchus [q], Gellius [r], Crinitus [s], Herodotus [t], Varro [u], idem dici potest, præsertim cùm tradat Cornelius Celsus [x], non habere istos scientiam curandi veneni, sed audaciam vsu ipso confirmatam: & constat Mithridatem, aliósque ad venena premunitos fuisse.

De Marsorum serpentibus antipathiam habētibus.
i August. in Psa. 57. & 11. Gen. ad lit. c. 28. Hieron. in Psal. 57. & ibidem Basilius, Beda, Arnob. Euthymius.
k lib. 2. de recta in Deum fide. cap. 7.
l 1. Disquis. magic. c. 4.
m lib. 7. c. 2.
n cap. 40.
o lib. 9.
p lib. 1.
q in Catone.
r lib. 16. c. 11.
s lib. 1. c. 3.
t lib. 4.
u 1. rerum humanar. apud Priscianum.
x lib. 5. c. 27.

De Melita nullus id prodidit ante aduentum Pauli, nec potuit quidem, cùm ibi Paulum vipera inuaserit.

Quod de natis in die Conuersionis Pauli Fazellus afferebat, & Alanus Copus [y] approbat, equidem non facilè probo: nullo modo genus illud hominum, qui se de cognatione Pauli vanè, mendacitérque venditant, & angues contrectare sine damno; compertum est istos contra morsum antidotis præmuniri. Beneficium hoc agnoscit Melita, priuilegiúmque Apostoli Pauli, qui vel sinistram, quam conceperant de ipso opinionem, deleuit hoc modo in perpetuum, vel hospitij gratiam compensauit. Apud Rhodiginos Cœlius Rhodiginus [z] testis est, ad templum sancti Bellini sanari lethaliter morsos à canibus, quoniam ille canū laniatu discerptus est. In eundem modū venenatos morsus numo Melitæ experitur, vbi Paulum casso conatu vipera momordit. Mysticam pyræ ac viperæ expositionē tradit Maximus Abbas [a].

y Dial. 3 c. 28.
De cognatione Pauli se iactantes quid sit sentiendum.
z lib. 17. c. 28.
a Cent. 2. c. 23.

Versus 7.] In locis autem illis erant prædia Principis insulæ, nomine Publij, qui nos suscipiens, triduo benignè exhibuit.

ERANT *prædia Principis insulæ.*] Adhuc viget memoria prædiorum istorum, & Regij iuris dicuntur esse, sicut erant illo tempore Principis, qui vocatur Græcè Πρῶτος. id est, *Primus insulæ.*

Ceterum *Princeps*, ac *Primus* primarium significat, non autem totius insulæ dominium absolutum: parebat enim insula tunc Romanis, perinde vt Sicilia, & à Siciliæ Prætore gubernabatur; priùs autē erat sub ditione Carthaginensium, & ante hos Regem habebat nomine Battum, qui Didonē, vel sororē eius Annā humaniter excepit.

Princeps, ac primus quid dicatur.

Illam Rugerius Nortmannus Comes Siciliæ cum Gaulo, vulgò Gaudico vel Gozo insula, quæ distat quinque millibus tantùm, de Saracenorum potestate recepit anno 1090. & qui Siciliam obtinebat, cum iisdem Carolus V. illam Equitibus sancti Ioannis post occupatam à Turcis Rhodum anno 1523. attribuit, ac dono dedit. Lege inter alios Thomam Fazellum [b], & Iacobum Bozium [c].

Quando à Saracenis Melita in Christianorum potestatem venerit.
b lib. 1. de rebus Sicil. c. 1.
c in hist. melitensi.

Publij.] Græcè Πόπλιος vocatur, necnon Syriacè פופליום *Pupelium.* Sic legimus eundem etiam Latinè modò Publicolam dici, modò Poplicolam. Erat fortè Publius hinc Proprætor insulæ, seu Vicarius gubernator pro Prætore Siciliæ, vt propterea Πρῶτος appellatus sit: & cùm nomen sit Romanū, Romanus & ipse, seu Italus videtur.

De Publio Martyre Episcopo Atheniēsi mentio est in Romano Martyrologio [d], vbi Dionysij Areopagitæ successor memoratur, dum videlicet Romam euocatus, & in Gallias missus esset: quod & Dionysius Corinthius affirmat apud Eusebiū [e]. Hieronymus [f] quoque eundem scribit *Martyrem, & Atheniensem Episcopum, & præcessorem Quadrati.* Sed Ado [g] hunc ipsum ait esse, de quo agimus, etsi in nomine insulæ errat, vocans *Miletum*, vel *Melitonam*; indicátque, priùs præfuisse in sua patria Episcopum, quàm Athenis. Iisdem verbis vtitur Beda, sed 18. Ianuarij, & Miletum quoque ponit. Galesinius [h] consentit, eundem, qui Atheniensem Episcopatum gessit, esse istum; sed nihil de Melitensi Episcopatu. Eodem prorsus modo Maurolycus [i].

De Publio Martyre.
d 21. Ianuar.
e 4. Hist. c. 22.
f in catal. Script. Eccles. in Quadrato.
g in Martyrolog. 21. Ianuarij.
h in Martyro.
i in Martyro.

Triduo benignè exhibuit.] Φιλοφρόνως. *Amicè, & beneuola mente, libenter, hilaritérque. Hilarem enim & DEVS, & homo datorem diligit* [k]. Et *qui miseretur, ad in hilaritate facere debet* [l]. Et *hospitales oportet esse sine murmuratione* [m]. Sed de hospitalitate egimus capite decimo. Omnes ducentos, ac septuagintasex, qui simul nauigabant cum Paulo, Chrysostomus exceptos putat à Publio.

k 2. Cor. 9. 7.
l Rom. 12. 8.
m 1. Pet. 4. 9.

De triduo est quidem nunc satis solemne apud Religiosos, qui hospitio vacant, vel apud hospitales domos, vt nempe tantum præfigatur spatium iis, qui excipiūtur. Sed in Institutis Religiosorum nihil legi: immò Palladius [n] narrat, in solitudine Alexandrina quanto vellent tempore hospites excipi solitos, etiam ad triennium. Præclarè disputat de Hospitalitate Turrecremata in expositione Regulæ sancti Benedicti [o], necnon Smaragdus ex eodem Ordine Monachus.

Triduo hospites excipiendi an sit statutum.
n in Lausiaca hist. c. de Apollo.
o in c. 53. ibidem 19.

Versus 8.] Contigit autem, patrem Publij febribus, & dysenteria vexatum iacere. Ad quem Paulus intrauit: & cùm orasset, & imposuisset ei manus, saluauit eū.

FEBRIBVS.] Πυρετοῖς. Syriacè, באשתא *beshatha.* In singulari, *Febre.* Poni quidem pro numero numerus potest: attamen sunt etiam, quas

Medi

Febres compositæ quæ sint. Medici compositas febres vocant, vel nothas: fiuntque ex diuersis humoribus eodem loco permixtis, atque confusis, paritérque putrescentibus: etsi par sit earum modus, vix assignari potest definitum genus: sin impar, nomen, ac genus, sortitur eius, quæ potior est, ac præualet. Sunt prætereà febres implicitæ, diuersis horis incipientes, desinentésque, quarum quælibet seorsum consistit, & propriam essentiam habet, quamuis accessionum quædam partes in idem tempus concurrant: fiunt autem ex diuersis non eodem loco positis humoribus, sed suam habêtibus sedem, essentiam, motum. Legendus potissimùm Galenus in opere de differentiis febrium, cùm disserit περὶ τῆς συμπλοκῆς, καὶ τῆς κράσεως τῶν πυρετῶν, *de complicatione, & confusione febrium.* Qua eadem de re Medici ceteri, tū ex recentioribus Fernelius, & Valeriola.

Febres implicitæ.

Fortasse Publij pater laborabat simul febribus multis, sicut & socrus Petri, de qua eodem modo Lucas affirmat in Euangelio [a], *quod tenebatur magnis febribus:* licèt alij Euangelistæ [b] de vna scribant: & ille ipse subiungat [c], *quod* CHRISTVS *imperauit febri.* Atque ibidem Syrus interpres pro febribus *febrem* posuit. Vel vnica erat in vtroque, vel ex pluribus potior vna.

a cap. 4. 38. b Matt. 8. 15. Marc. 1. 31. c Vers. 39.

Dysenteria.] Syrus, ובכאב מעיא *vbechib mehhaia*, id est, *Dolore viscerum.* Retinuit Interpres vocem Græcam.

Quid sit dysenteria. Profluuium, siue fluxum ventris, & excoriationem intestinorum, arteriarum exulcerationé, qua extrudatur egestio sanguinolenta, vel fellea, Medici dysenteriam intelligunt, ita vt, auctore Hippocrate [d], quando incipit à fellea nigra, sit lethalis. Ventrē torminum doloribus discruciat. Dyarrhœa est simplex alui purgatio, ventrísque fluxio. Et Epicuro, & sibi ipse Cicero [e] (Epicuri verba de hac re ab eodem [f] recitantur) testatur molesta fuisse δυσεντερικὰ, καὶ δυσουρικὰ πάθη, quorum alter morbus (difficultas, & suppressio vrinæ) edacitatis; alter etiam turpioris intemperantiæ putaretur: conqueritur verò passum se τὴν διαῤῥοίαν.

d in Aphor. e lib. 7. ep. famil. in 26. f 2. de Finib.

Iob laborauit dysenteria. Iob laborasse dysenteria, persuadent sibi Philippus Presbyter, & Beda, quòd capite decimosexto [g] dicat: *Effudit in terram viscera mea:* vel, vt Hebræus textus habet, *fel.* In dysenteria námque bilis putrida confluit in intestinum magno impetu, radítque pinguia, quæ intestino adnata sunt. Lege Galenum [h].

g vers. 14. h in Aphor. Hippocr. & 3. de vsu par. & 3. de sympto. caus. & alibi.

Fuit patris Publij periculosa dysenteria: nec enim omnem febris comitatur, sed cuius humor est acerrimus, ísque vel è visceribus, vel è venis, vel ex vtrísque magna corporis turbatione, atque vexatione profusus; maximè *si tenasmus adsit inanis, crebráque voluntas;* vt definit Plinius [i], *egerendi, seu frequens, & irrita deiicienda alui cupiditas cum inflammatione, ac tumore sedis, mucosâ, & sanguinolenta quadam egerentis.*

i lib. 21. c. 14.

Palæstini qui morbo laborarunt. Palæstinos Arcæ sanctæ violatores hoc percussos morbo Iosephus [k] putat, ita vt intestina putredine etiam corrupta excernerent: quamuis alij malint ani condylomata fuisse, id est, tubercula insanabilia circa coronam ani sanguinem iugiter profundentia. Extat historia in primo Regum libro [l], vbi Abulensem [m] consule. Exaggerat Hieronymus [n] magnitudinem miraculi, quòd febres, & dysenteria morbi sint inter se contrarij.

k 6. Antiqu. cap. 1. l cap. 5. 6. m quæst. 15. n in cap. 65. Esaiæ.

Cum orasset.] Non piè solùm, sed etiam prudenter, vt sanitas DEO vero, quem ipse coleret, & quem verisimile est priùs prædicatum à Paulo, præmissa salutatione, adscriberetur. Tametsi verò nulla sine diuina vi miracula patrarent Apostoli, aut alij, non semper antè publicè precati memorantur: sed aliquando adhibito imperio, aliâve modis, prout alias [o] notauimus.

o cap. 3.

Et imposuisset ei manus.] Caietanus monet, sacramentalem non fuisse manuum impositionem. Non dubito: & alibi quoque multiplicem distinxi huiusmodi manus imponendi rationem [p]. *Super ægros,* ait CHRISTVS, loquens de illa, *manus imponent, & bene habebunt* [q]. Imponebantur fortasse capiti manus cum Crucis consignatione.

p Act. 1. & 9. *Manus impositio ob curationem morbi adhibita.* q Marc. vlt. 18.

Signo Crucis Rex Ludouicus curatus est. Rigordus Gothus Chronographus Ludouici Regis narrat, Ludouicum Philippi filium à dysenteria liberatum, cùm signo Crucis consignatus esset, quod cum sacris reliquiis claui Dominici, & spineæ coronæ efformatum est, & brachij sancti Simeonis: patrem verò quoque ipsius in transmarinis partibus eodem die, horáque à consimili morbo curatum.

Sanauit eum.] Syrus, ואחלמה *vechelemah*, id est, *Et sanauit eum.* Ex Græco ἰάσατο. Non enim sanandi verbum indicat sanitatem ab vtraque infirmitate animæ, & corporis, sanando nunc istud, posteà conuertendo illud, vt Carthusiano placet. Idem, aliíque post Bedam notant, sanatum infidelem à Paulo, non autem fideles Trophimum [r], ac Timotheum [s], quia ille per miraculum foris sanandus erat, qui intus non viuebat: hoc autem non indigebant, qui intus salubriter viuebant.

Cur Publius sanatus, non Trophimus, vel Timotheus. r 2. Timoth. vlt. 20. s 1. Timoth. 5. 23.

Gregorius [t] iam prior hoc obseruauerat, docens opportunè fieri miracula ab eo, *qui est adiutor in opportunitatibus* [u], & *in gratiam infidelium* [x]. *Vnde citiùs*, inquit (non possum enim verbis breuioribus, nedum melioribus tam grauem Gregorij declarare sententiam) *fortasse satisfacimus, si quid de ipsa Apostolica dispensatione memoremus. Paulus namque egregius prædicator Melitam veniens, & plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publij dysenteria, febribúsque vexatum, prædicando saluauit: & tamen ægrotanti Timotheo præcepit, dicens* [y]: *Modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Quid est, Paule, quòd ægrum infidelem orando ad salutem reuocas, & tantum adiutorem Euangelij more Medici per alimenta curas? nisi quòd idcirco fiunt exteriora miracula, vt mentes ad interiora perducantur: quatenus per hoc, quod mirum visibiliter ostenditur, ea, quæ admirabiliora sunt, inuisibilia credantur. Signo quippe virtutis pater Publij sanandus fuerat, vt mente reuiuisceret, dum miraculo ad salutem rediret. Timotheo autem adhibendum foris miraculum non erat, qui iam totus intus viuebat.* Ad hunc modum Gregorius.

t 27. Moral. c. 11. vel 14. u Psal. 9. 10. x 1. Corint. 14. 22. y 1. Timot. 5. 23. *Miracula quare non fiant apud infideles.*

Versus 9.] Quo facto, omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur.

QVO *facto.*] Tantùm valuit viri Principis exemplum, & vtilitatis incitamentum. Credibile est tunc Publium, & patrem, necnon reliquos, qui sanitatem sunt consequuti, credidisse in CHRISTVM, prætereà plurimos alios in eadem insula, quibus Pauli naufragium portus salutis fuit, vipera medicamentum animi, hospitium beneficium cum fœnore.

Melitenses in Christum crediderunt.

Versus 10.] Qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus imposuerunt quæ necessaria erant.

A QVI *etiam multis*, &c.] Non mercedis nomine hæc Paulus admittebat, qui adeò abhorrebat à necessario quoque victu, quem alij deferrent, malens manibus ipse suis, labore, ac sudore comparare, vt vidimus capite vigesimo [a].

a vers. 34.

Cur Paulus manibus victum sibi non comparauit.

Veruntamen vincto, & in itinere maritimo laborare non licuit: erat etiam Melitensium liberalitas importuna, & quodam modo violenta: itineris comites, quibus in eius gratiam benignè fiebat à Melitensibus, noluit fraudare hoc emolumento. Sic nimirum probus, sanctúsque vir commodus totus, ac vtilis est, arcet naufragorum mortem, ægritudines curat, commeatum acquirit, animarum salutem largitur.

Honorare pro ditare frequens in Scriptura.

b vers. 50.

B Ceterùm honorum nomen, & honorandi verbum pro diuitiis, ac ditando phrasi Scripturæ sumi, docuimus capite XIII. [b] & eorum loco Græcas plerunque voces esse πλοῦτον, & πλουτίσαι; hîc autem sunt τιμαῖς, καὶ τιμήσαι, honores, & honorare. Eodem modo in Prouerbiis [c]: *Honora* DEVM *de tua substantia*, est Græcè, τίμα τὸν Κύριον ἀπὸ σῶν δικαίων πόνων. Hebraicè, כבד *chabbed*. Similiter vtrumque verbum est in alia sententia Exodi [d]: *Honora patrem tuum, & matrem tuam*. Honor prætereà eundem vsum habet ibi [e]: *Ne des alienis honorem tuum*, hoc est, facultates tuas: הודך *hodeca* propriè laudem tuam, ζωήν σου, *vitam*, id est, victum, vitæque necessaria, Symmachus δόξαν; ex opibus enim comparant sibi homines gloriam, laudémque. Quanquàm præter viaticum non dubito magnis obseruantiæ signis, titulisque prosecutos Paulum cum sociis Melitenses. C

c cap. 3. 9.

d cap. 20. 12.

e Prou. 5. 9.

Versus 11.] Post menses autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hyemauerat, cui erat insigne Castorum.

Cur tandiu Paulus Melitæ substiterit.

POST *menses autem tres*, &c.] Cùm tandiu Paulus in insula manserit, incolas in CHRISTVM credidisse Chrysostomus colligit. Computatur trimestre, vel ex quo discessum erat ex Asia, vel ex quo appulsum Melitam. Ibi hyematum est, vernóq; tempore, post ortum Pleiadum, quando nauigatio solet esse opportuna, solutum ex insula. D

f lib. 2. Carminum in Acta.

Pullulat interea (ait Arator [f]) *nudis coma frondea virgis*,
Quo iuuenescit humus senio fugiente pruinæ,
Suscipiénsque ratem velis cedentibus Auster
Præbuit aligeras placidis in fluctibus vndas.

Pauló verò antè hos menses tres, quibus Melitæ constiterunt, hybernos nominat.

Mensibus hybernis tribus in regione Melita,
Multiplicem dat Paulus opem. —

Cui erat insigne Castorum.] Nimirùm naui, non autem insulę, quod ita clarius exprimit editio Syra, ורדין באלפא אלכ סנדריתא דאסחית בה בגרזתא ואית הות עליה אתא דתאמא E *varedin balepha alech sanderaetha dasethcatb, bah begarzatha vaith hauath bhaleieha atha dethame*, id est, *Et nauigauimus naui Alexandrina* (sic verò nominatur, vt superiùs [g] Adrumetina) *quæ hyemauerat in insula, eráque ei insigne Geminorum*, qui Græcè dicuntur Διόσκουροι.

g cap. 27. 3.

Vnde mẽdosè legit Glossa interlinearis, & ordinaria Rabani *Castrorum*, intelligentes de insula, vbi forsitan castra fuerint antiquitùs ędificata; vel de naui, quia sub forma castrorum insignia velis essent intexta nautarum, vel per castra plebem.

A Beda legendum censet, *Castorum*: hos autem esse Castorem, & Pollucem, qui vt Dij propterea inuocentur à Gentilibus in mari, quia inter prodigia obseruant nautæ, si solæ Stellæ in naui, vel antennis apparuerint, periculosi cursus nuncias esse, prosperi, si geminæ. Meminit item Beda trãslationis alterius: *Cui erat signum Iouis filij*, hoc sibi vult Διόσκουροι, *quia ferunt*, inquit, *fabulæ Castorem, & Pollucem Iouis filios fuisse.*

Cur nau. ... [illegible]

Alexandrinorum naues pictura ... [illegible]

Oecumenius morem notat Alexandrinorum, vt eorum nauium proræ tam à dextra, quàm à sinistra parte huiusmodi picturis essent insignitæ, ac proinde in hac naui, cuius patronus erat idolatra, Castorẽ, & Pollucem fuisse pictos. Esaiam B verò huc alludere, cùm ait [h], iuxta Septuaginta: *Expandetur in naui alienigena, mare simul diripient.* In hunc locum Esaiæ Cyrillus Alexandrinus antiquior Oecumenio idem obseruauit de more nauium Alexãdrinarum insigniendi in prora dextrorsum, ac sinistrorsum huiusmodi picturis, & nauis dominum idololatram fuisse. Quod autem idem Oecumenius docet de naufragio paulò superiùs descripto, intellexisse Apostolum, quando scripsit se nocte, & die in profundo maris fuisse [i], iampridem ex Chronologia refellimus, quoniam erat secunda epistola ad Corinthios, vbi id narrat, dudum antè scripta.

h cap. 33. 4.

i 2. Cor. 11. 25.

C Lyranus monet, *Geminos istos Helenæ fratres ex Ioue, & Leda Tyndari regis vxore, cum cygni formam ille induisset, vnde & Tyndaridæ vocantur* (& addunt alij, Clytemnestram sororem) *qui à primogenito Castore vocantur Castores, cùm sororem raptam audissent, insecutos per mare, & orta tempestate nunquam comparuisse, ideóque habitos marinos deos, & eorum imagines in nauibus gestatas. Sed & translati feruntur in cœlum a patre, ibique constituisse signum Geminorum, quod est tertium in Zodiaco.* Decantata fabella est de his, (licèt non concinant omnes) à Poëtis, Mythologis, Astronomis, vt otiosum sit in medium proferre. Collegit hac de re plura Lælius Bisciola noster in horis subsecíuis [k], quas legi post editionem horum Commẽtariorum. Ibi, post Galeottum Martium [l], altero viuente mori alterum, exponit, quoniam vna ex signo Geminorum, stella, priusquàm altera emergit ab oriente Sole, quo tempore viuere dicitur; sicut occidere ac mori, quæ nondum emersit: & contrà, quæ prior versùs Occidentem tendendo se abdit, mori, viuere censetur quodammodò, quæ posterior. Illud non alienũ prorsus, ideò propitios existimatos nauigãtibus, & periclitantibus in speciẽ geminarum stellarũ, quòd dum nauigarent cũ ceteris Argonautis, orta tempestate, & ceteris miserè timentibus, vt inter alios recitat Viues [m], Orpheus omnes bono animo iussit esse, ac votis Diis Samothracib. susceptis, cœpit mare mitescere, duabus stellis super Castoris, ac Pollucis capitibus apparentibus: vnde sibi persuaserunt, se Deorũ prouidentia tutos: deinceps verò duos illos inuocãdi mos fuit simili in discrimine. D E

Qui fuerint Castor & Pollux.

k lib. 4. c. 16.

l lib. de doct. promisc. cap. 11.

m in lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 14.

Addit Viues & hoc de nomine, quod proposito nostro conducit, ferè non aliter vtrumque, quàm Castoris Romanos appellasse: *In quo nimium*, inquit, *vel erant incuriles ipsi, vel immodestus, & ingratus Castor, nomen, famam, ac propè fratris premendo vitam, & obscurando à quo mortalis suapte natura cùm esset, immortalitatem nactus esset, videlicet quia (Castore ab Ida, cuius eripere sponsam conatus erat, interfecto, Pollux impetrauit à Ioue, sine vt eidem ... ta dimidium impertiri fas esset.*

Castores cur dicti sint.

Facetè Marcus Bibulus, quod obseruat diligens

Bibulus vt de Cæsare fuerit conquestus sit.
a in Quinquagena c.9.
b in Iulio Cæsare, cap.10.

serés de hoc loco Nebrissensis [a] (est id verò apud Suetonium [b]) Caij Cæsaris in Ædilitate Collega euenisse sibi dixit, *quod Polluci: vt enim geminis fratribus ædes in foro constituta ædes Castoris vocaretur, ita suam, Cæsarísque munificentiam vnius Cæsaris dici.*

De stella Castorum.
c 1. natural. qu. cap.1.
d lib. 2. cap. 37. & lib.10. cap.43.
e 7. Thebaid. & 2. Sylua.

De gemina stella sub amborum nomine tempestatis vindice, dum zelo nauis insidet, Seneca [c]: sed Plinius [d] *Castores* appellat; addens insuper *vnam illam indicem infortunij* Helenam esse, quod ait quoque Statius [e], vocans sororem priorum.

Qua in re Beda lapsus memoria videtur, cùm solitariam stellam vnam è duabus scribit, hoc est, aut Pollucis, aut Castoris. Attributum est hoc Geminorum signum Iunio mési, quem Historia Machabæorum [f] in editione quoque Latina Dioscorum nominat, vt quidem placet beato Thomæ, Glossæ ordinariæ, & Lyrano, & Hugoni; quamuis Græcè sit Διὸς Κορινθίου, *Iouis Corinthij.*

f 2. Machabæor. 11. 21.

g in 2. Machab. 11. in Comment.
h de emẽdat. temporũ, lib. 2. fol. 91.

Disputat de hoc mense Serarius [g] noster, agítque contra sententiam Iosephi Scaligeri [h], quòd tunc fuerit mensis embolimus, non ordinarius, id est, mensis intercalatus.

S. Telmus nauigantibus propitius.
i in Hercule furente Senecæ, ver.14.

Hodiè nautæ vocant sanctum Hermetem, aut Telmum, aut Thermum: & Telmum quidem, vt Delrius [i] ex nostris quoque suspicatur, quia sanctus Telmus Dominicani Ordinis lumen plurimis nauigantibus post obitum auxilio fuisse creditur, vbi quædam alia notat de signis istis post Lilium Giraldum [k], cui adiit natalem Comitem [l]. Est verò, quem nautæ nostri obseruant, albus ille ignis post tempestatem apparẽs, & super malum, nauísque armamenta residens, nihil adurens. Habebant veteres in puppi sacrarium quoddam, ac veluti larariũ. De Phœnicibus Hesychius [m] prodit, quòd ius erant παταικοὶ θεοί, quos velut pygmæos statuebant κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν. Virgilij illud est [n]:

k de re nautica. cap.9. & Syntagm.5.
l 8. Mythol. cap.9.
m in Lexico
n 2. Æneid. 10.
o Satyra 6.

> *— Aurato fulgebat Apolline puppis.*
> Item Persij [o]:
> *— Iacet ipse in littore, & vnà*
> *Ingentes de puppe Dij.*

Propterea coronas imponebant in puppi. Testis rursus Maro [p]:

p 1. Georg.

> *Puppibus & læti nautæ imposuêre coronas.*

Denique tutelam ipsam vetus Lexicon tradit appellatam παράσημον (quo nomine vtitur Auctor noster) πλοίου. Lege Turnebum [q].

q lib.19.c.2.
Qua ratione hi nautæ qui sacra signa in nauibus pista habent non debent argui.

Porrò nihil hinc habet Caluinus, quod superstitionis accuset eos, qui in mari sanctum Nicolaum, aliósve Sanctos implorant, non vt marinos Deos, sed vt patronos, ac intercessores apud DEVM. Rectè vtuntur, ac religiosè Catholici iis ipsis rebus, quibus sunt abusi profani Gentiles, vt plerique Patres adnotarunt [r]. Lege Stapletoni Antidotum. Cõstat etiam peculiares Sanctos peculiarium donorum, ac beneficiorum veluti patronos, ac largitores esse, & docet Augustinus [s].

r Iustin. Apol. 2. Euseb. 4. de Præp. cap. 7. Damasc. orat. 2. de imaginib. Tertul. Apolog. c.47. Hierony. 2. con. Iouin. Augustinus ep.49. & 20. de Ciuitat. ca.4. & 20. con. Faust. c.21.
s 1. ep.177.

Versus 12.] Et cùm venissemus Syracusam, mansimus ibi triduò.

Syracusarum descriptio.
t lib. 4. in Verrem.

ET *cùm venissemus Syracusam.*] Inter alia argumenta hoc vnum est, Melitam esse illam insulam, quam descripsimus, in qua Paulus hyemauit, aliáq; gessit, quæ narrata sunt. Syracusana verò ciuitas nulli nó notissima, vel Luciæ præclaræ virginis, martyrísque ortu percelebris. Multò magis quàm Archimedis, Theocriti, Dionysiorum. Cicero [t] *Græcarum vrbium pulcherrimam, ornatissimam, maximam* vocat, eámque disertissimè describit, ac veluti quadriurbem quatuor in vrbes partitur, in eam, quæ dicitur insula, in Acradinam, Tychen, & Neapolim, in hísque grandia, illustriaque ædificia enumerat. Vt Rhodi, sic Syracusis Plinius [u] auctor est *nunquam tanta nubila obduci, vt non aliqua hora Sol cernatur.* Soli vbertatem, & rerum affluẽtiam testatur prouerbium de Syracusiis, præsertim inter Siculas (quarum omninò princeps erat) Italicásque mensas [x] Συρακουσία τράπεζα: & Strabo [y] prodit, *Syracusas eò diuitiarum peruenisse, vt in prouerbium abierint*; de diuitibus namque, ac splẽdidis dici solitum ὡς οὐκ ἂν ἐξικνοῖτο αὐτοῖς Συρακουσίων ἡ δεκάτη, *quòd nec decimam quidem Syracusanarum opum partem assequi possent.* Legendus Thomas Fazellus, qui copiosè, & accuratè tractat de Syracusis, & Sicilia tota [z].

u lib.2.c.62.
x Cic.5. Tuscul ex epist. Platonis. Athenæus lib. 12. c 10. Plato 3 de Rep. Aristopha. in Δαιταλεῦσιν. Aristides in Pericle. Lucianus Dial. simili, & Polystrat. Macrob. lib.7.ca. 5. & alij apud Auctorem Adagiorum citato Adagio.
y lib.6.
z Deca.1.li.2.

Versus 13] Inde circumlegentes deuenimus Rhegium: & post vnum diem flante Austro, secunda die venimus Puteolos.

Rhegium vnde dictũ sit.

RHEGIVM.] Non est *villa*, vt Lyranus vocat, sed Calabriæ ciuitas Archiepiscopalis, *ad quam*, inquit Carthusianus, *electus Bruno non acquieuit*, nisi Gallorum idiomate *villam* dixit pro ciuitate. Dictam volunt ἀπὸ τὸ ῥήγνυμαι, id est, *frangere* [a], quòd auulsa sit interiecto mari, vi terræ motus, quia priùs continua erat cum Sicilia, & Calabria [b], quemadmodum & Siciliæ notionem esse, quasi dicas *Sicilitam*, id est, *resectam*. Quò fit vt quãdoque Rhegium (quod ὀρθογράφως scribitur Rhegyum, quamuis Stephanus scribat Ῥήγιον, & Suidas, & Phauorinus) ad Calabriam, nonnunquàm referatur ad Siciliam, quam etiam hodie duplicem vocari video, quamuis non ita apud Auctorem antiquum.

a Plin. lib. 3. cap. 8. 4.
b Strabo lib. 6. Plin. lib. 2. c. 88. & lib. 3. c. 8. Seneca 6. q. natu. cap. 29. & de consolat ad Martiam. cap. 17. Virg. 3. Æneid. Lucan. libr. 2. & 3. Claudianus 1. de rapto Proserp. Mela li. 2. c. vlt. Thucyd. lib 6. Iustin. libr. 4. Diodo. Sicu. lib 4 cap 14. Sallu in Fragmen. Silius Italic lib 4.
Exempla terrarum, quas interrupere maria.
c lib. 2. c. 88.
d 6. qu. natu. cap. 28.
e Virgil. 3. Aeneid.

Plinius [c], aliíque non pauca proferunt exempla terrarum, quas interruperunt maria: & vniuersè insulas extitisse propter segregationem continentis terræ motu factam nonnulli sunt arbitrati. Sic quidem Seneca [d] versu [e] post prosam.

> *Hæc loca vi quondam, & vasta conuulsa ruina*
> *(Tantum æui mutare valet longinqua vetustas.)*
> *Dissiluisse ferunt, cùm protinus vtraque tellus*
> *Vna foret, venit medio vi pontus, & vndis.*
> *Hesperium Siculo latus abscidit, aruáque, & vrbes*
> *Littore diductas angusto interluit æstu.*

Eodem pacto putat Hispanias à contextu Africæ mare eripuisse. Denique *celebratissimam aut à maximis Poëtis inundationem illam, qua ab Italia Sicilia reiecta est.* E contrario produnt Geographi, & Historici aggregatas ad continentem nonnullas vi quoque terræmotus insulas.

Rhegium ciuitas est in Calabria celeberrima.

Non alia hoc loco ciuitas est intelligenda, præter eam, de qua egimus, ita vt imperitè Auctor Dictionarij historici hanc quidem sine aspiratione scriptam Siciliæ maritimam ciuitatem faciat viginti millia passuum secretam à promontorio Peloro, nec alium Auctorem citet, qui meminerit de ipsa, nisi præsentis historiæ locum: illam autẽ, quæ aspiratè scribitur, extremum agri Brutij oppidum denominatum ab auulsione Siciliæ, Italiæque. Glossa interlinearis, & Hugo asserentes esse Siciliæ ciuitatem, excusari possunt eo modo, quem dixi, de duplici Sicilia. Lege Thomam Fazellum [f], & Leandrum Albertum [g], & Ioannem Angelum Spagnolum Rhegynẽsem Canonicum. Huius de rebus Rhegynis libros vidi septem manuscriptos breui edendos. Refellit in libro 4. c. 1 Bernardinum ex ordine Capucinorum S. Francisci afferentem

f de reb. Sicu. Deca. 1. lib. 1 cap. 3.
g in descrip. Italiæ.

tem iam ante hoc tempus huc Paulum appulisse, sexque ipsos ibi mansisse, túncque Stephanum Nicenum, Episcopum primum isti ciuitati dedisse. Præterea confutat qui asserunt quòd Paulum ciues concionantem reiecerint, aduenæ libenter audierint, his illum bene, malè illis precatum esse, indéq; factum, vt breui tempore inquilini opes hîc sibi negotiando compararent, non ita incolæ. Narrat vt rem vulgò creditam, pisces ad littus egressos (cui simile quiddã quod de Antonio Patauino, Francisco, Beda, memorant) Pauli concionantis verba attentè excipere visos fuisse. De cicadis tacere iussis à concionante Paulo, nec deinceps eo in loco cõspectis, quod etiam fertur, non credit, quod & tantò antè de Hercule proditum est fabulis, & assignari naturalis causa videatur. Illud omninò verum putat, cuius nempe hodiéque monumentum extet, cùm initio populi ad nouæ doctrinæ prædicationem perstreperent, & Paulus audientiam impetrasset, quandiu tenuis auersa consumeretur candela, istius flamma columnam lapideam, cui infixa fuerat, illicò incensam, eóque miraculo cunctos qui aderant conuersos, atque baptizatos esse. Postremò, vbi hæc omnia die tantùm vno Paulus peregisset, ac Stephanum illum discipulum suum, itinerísque comitẽ, Episcopum Rhegynensibus constituisset, nauigationis cursum prosecutum esse.

Secunda die venimus Puteolos.] Δευτεραῖοι. Bene vertit Interpres: hoc enim modo Scriptores optimi vsurpant nomen istud; ne quis putet reddi debuisse secundi, id est, prosperè, ac fœliciter, & vento secundo, qui reuerà talis erat.

Puteoli quæ ciuitas sit.

Puteolos.] Syrus, לפוטיאלוס מדינתא דאיטליא *Leputialaus medinetha ditaleia*, id est, *Puteolos ciuitatem Italiæ.* Ποτιόλους. Historia Scholastica & Glossa interlinearis notãt multos legere *Puteollosum*. Hugo id ipsum monet, sed non consentit cum illis, insulam esse.

Nil certius, quàm ciuitatem esse maritimam, octauo lapide, siue milliario à Neapoli Campaniæ, sic nominatim à copia puteorum scatentium aquis calidis, vel ab aquarum sulphuratarum putore, & graueolentia. Extat iustum opus Italicè scriptum à Simeone Marzella Neapolitano de situ, & antiquitate Puteolorum, in quo diligenter, ac eruditè tam amœnum argumentum tractat. Græci qui extant Scriptores Ποτιόλους, vt & Lucas, vocant: tamen peruetustæ monetæ gerunt inscriptionem Ποτιολίτων, quæ dictio cum Latina magis congruit. Illustrat mirificè Ianuarius Episcopus, Martyrque ciuitatem istam.

Puluis Puteolanus quis.

Puteolanus puluis Romæ frequentissimus, & ædificiis commodissimus, nõ à Puteolis, vt à Tybure lapis Tyburtinus (ne quis fallatur) sed à puteis denominatur. Vulgò appellant *Pozzolana*, quòd excauatis veluti puteis effodiatur. Tamen alius est, de quo Vitruuius [a], Plinius [b], Seneca [c], habens illam aliam nominis rationem; & Sidonius [d] vocat *Dicarchæam arenam*: dicebatur námq; Puteolana priùs ciuitas eo nomine, siue Dicæarchia, quòd iustissimè quondam regeretur. Meminit quoque Dion [e]. Est autem adeò naturæ mirabilis, vt vbi aquam attigerit, lapidescat. Sed eiusmodi de miraculis consule quem dixi, alióśque.

a lib. 2. c. 6.
b lib. 35. c. 13.
c 3. quæst. natur. cap. 20.
d Panegyr. Anthemij.
e lib. 48.

Versus 14.] Vbi inuentis fratribus, rogati sumus manere apud eos dies septem; & sic venimus Romam.

A VBI *inuentis fratribus*, &c.] Quidam Græci codices legunt, παρεκλήθημεν οὐ μετρίως, *Rogati sumus non mediocriter.*

Puteolanorum magna laus.

Magna hæc Puteolanorum laus, CHRISTI fidem adeò maturè complexos esse, tantíque Apostoli tot diebus præsentia cohonestatos.

Paulus Neapolim venit.

Tradunt Neapolitani, nec huius rei vestigia obscura demonstrant, ad eos etiam Paulum in transitu diuertisse. Probabile id est ob vicinitatem, & quia Romam Puteolis tendentes, modicè illac deflectunt.

f 4. Septemb.

Celebratur in Romano Martyrologio [f] sancta Candida Neapolitana senior, quæ sancto Petro ad eam vrbem venienti prima occurrit, atque B ab eo baptizata est. Id accidisse Neapolitani annales ferunt, cùm primùm Petrus Antiochia Romam venit, & simul Asprenum conuertit, qui primus eius vrbis Episcopus fuit. Quare potuit Paulus Puteolis finitimis Neapoli fideles reperire, ac multò magis Neapoli.

Et sic venimus Romam.] *Ad portum Romanum*, inquit Caietanus. *Prope Romam*, ait Lyranus. Hoc melius, vel vt κατὰ πρόληψιν, id est, anticipationem id sit dictum. Nec enim naui Romam vsque venit, sed pedibus; alioqui occursus fratrum ad Appium forum, & tres tabernas non fuisset, si portus Romanus in ipsa Vrbe intelligeretur. Fortasse C Caietanus dicere voluit, ciuitatem Portuensem, nõ quam Plinius [g] appellat Portum magnum: est enim in Mauritania: sed portum à Claudio Imperatore extructum, ad quem quæ ducat porta Portuensis sit appellata, aliter Septimiana, vel Naualis: eam enim ciuitatem distare affirmat quatuordecim milliaribus ab Vrbe. An autem Paulus in eam ciuitatem peruenerit, nescio. Chrysostomus quidem obseruat in tanta nauigatione nunquàm appulsum ad ciuitatem, sed in insulam. Sed intelligit de hyematione ad Melitam: quod factum prouidentia DEI interpretatur, vt illi, qui simul nauigarent, ad fidem componerentur, nimirum otio maiore.

Romanus nauigationis portus, vel ... Paulus peruenerit.

g lib. 5. cap. 1.

Centurio aut fuit fidelis, aut fidelibus fauit.

D Sed & obseruandum reor, ea Paulum auctoritate polluisse apud Centurionem, vt Puteolis septem dies hærere, Syracusis tres permitteretur: quod indicat, aut fidelem euasisse, aut propensiore in fidem animo fuisse: quod & de reliquis vectoribus haud improbabile duco.

Versus 15.] Et inde cùm audissent fratres, occurrerunt nobis vsque ad Appij forum, ac tres Tabernas. Quos cùm vidisset Paulus, gratias agens DEO, accepit fiduciam.

E ET *inde cùm audissent fratres*, &c.] Caietanus sic exponit: Cùm ex portu Romano allatus esset nuncius Romam, nos illuc appulisse. *Sicut Puteolanos fratres, ita Romanos*, inquit Chrysostomus (tam ex Circumcisis, quàm ex Gentilibus) *non turbauit, quòd Paulus erat in vinculis; vel non impediuit, quominùs magna alacritate occurrerent ei.*

Vsque ad Appij forum.] Oecumenius *locum* ait *esse prope Romam statua Appij insignitum*: suo enim adhuc tempore perdurasse consuetudinem, vt vbi Regum statuæ collocatæ sunt, Fora dicantur apud Romanos. Videtur hæc ex Isidoro Pelusiota [h] transcripsisse: sunt enim ipsissima eadem verba apud vtrumque, tum de hoc, tum de alio loco, qui sequitur.

h lib. 1. ep. 317.

Figmentum est, cuique foro, quod ἀντὶ τ̃ πα-

ἀγορεῖον, id est, *loco in quo res veneunt*. Herodotus apud Suidam dictum interpretatur vnà cum nomine Auctoris, suam quoq; statuam fuisse in Vrbe, priscis saltem temporibus, aut etiã prope Vrbem. Sed nec vbicunq; statua posita erat, etiam τῶν βασιλέων, vt ipsi loquuntur, hoc est, Regum, seu Imperatorũ, propriè locus ille forum dicebatur.

Glossa interlinearis, & Hugo forum vænalium rerum mari proximum asserunt constructum ab Appio Claudio, *quo*, inquit Historia Scholastica, *de nocte applicantes, inuenerunt ibi victualia vænalia, vbi erant tres Tabernæ*, id est, *domus in littore, vbi exponerentur cibi vænales*. Lyranus consentit, atque ab illo eodem Appio viam Appiam denominatam. Carthusianus præter hunc dicendi modum, refert quoque alium, quod fuerit forum in ipsa Vrbe à dicto Appio Consule constitutum. Hoc tradit is, qui sub nomine Hieronymi locos hac historia comprehensos exposuit.

Forum Appij quodnam fuerit.

Caietanus negat esse nomen ciuitatis hoc pacto appellatæ, quæ longiùs distaret; sed inter portum Romanum, qui distat quatuordecim milliaribus duntaxat, & Romam ipsam. Plinius[a] forum Appij ponit in agro Setino, & Forappos[b] populos, seu Forappianos in Campania; ipsum autem forum Appium Delchampius fortasse post Abrahamum Ortelium, qui citat Blondum, ait esse, qui Fossa noua vocatur, celebre Cisterciensium monasterium, vel B. Thomæ Aquinatis obitu. Tradit præterea Ortelius, auctore Landro[c], hoc tempore esse solum hospitium, vulgò Maruti appellatum: quæ sententia non cohæret cum alia de Fossa noua, quæ adhuc extat. Item scribit, ab Antonino[d] statui inter tres Tabernas, & Tarracinam: sed Antoninus affirmat, quàm forum Appij abesse propiùs ab Vrbe tres Tabernas, hoc est, has ab illo milliaribus duodeuiginti.

a lib. 14. c. 6.
b lib. 3. c. 5.
c in descriptione Italiæ.
d in itinerario.

Leander autem existimat, è Christianis Romanis isse obuiam Paulo quosdam vsque ad tres Tabernas, nonnullos longiùs vsque ad Appij forum. Baronius accedere videtur ad eandem opinionem: ait enim primùm, quòd forum Appij distat ab Vrbe quinquaginta & vnũ milliaria: quoniam Antoninus Augustus, quem citauimus, numerat ab Vrbe ad Aritiam, quæ vulgò vocatur Rizza, sexdecim (Strabo[e] stadia centum sexaginta) ab Aritia ad tres Tabernas, septemdecim, inde ad Appij forum octodecim. Deinde nulla fori Appij hodiè vestigia extare, vel si qua sunt, palude Pontina facta esse inaccessa.

e lib. 5.

Assentior his & ego, nullo modo dubitans nec intra Vrbem hoc forum fuisse, quod retulit Carthusianus: quo pacto enim occurrissent? & tres Tabernæ vbi erant in Vrbe? nec, vt voluit Caietanus, inter portum Romanum, & Romam, vel prope Vrbem, vt Isidorus Pelusiota, & Oecumenius, quibus, vt Græcis, Latinarum rerum ignaris ignoscendum est: nam nemo hoc in spatio de istis meminit. Porrò forum Appij Aritiam vltra collocat Horatius[f] ea Satyra, qua describit suum iter ad oppidum Brundusinum:

Auctoris de foro Appij sententia.

Egressum magna me excepit Aritia, Roma,
Hospitio modico: Rhetor comes Heliodorus
Græcorum longè doctissimus: inde forum Appi
Differtum nautis, cauponibus, atque malignis.

f lib. 1. Satyr. in 5.

Nautæ erant in foro Appij, quoniam inde per Pontinas paludes nauigari poterat.

Ac tres Tabernas.] Quidam codices Latini legunt, *tribus Tabernis*: voluntque nonnulli esse nomen indeclinabile: fuisse autem domos tres in di-
A ctõ foro ad littus maris, in quibus exponerentur res vænales. Alij diuersum à foro locum pro excipiendis hospitibus, *easque tres domos ex vno fundamento ædificatas*, ait Historia Scholastica. Lyranus, *tres fontes habuisse*. Pelusiota, & Oecumenius Latinorum lingua significare *hospitia*, siue *cauponas*. Admittimus notiones illas vocis Latinæ. Sed veriùs putamus, iuxta id quod de Appij foro diximus, tres Tabernas triginta tribus milliaribus ab Vrbe abfuisse, atque has fuisse, quas M. Tullius[g] contra Antium, vulgò *Nettuno*, ad quod Roma sunt triginta octo milliaria cum dimidio, constituit, quæ vulgari quoque sermone dicitur *Cisterna*. *Emerseram*, ait ille, *commodè ex Antiati in Appiam* (viam)
B *ad tres Tabernas*. Iterum[h] de Appij foro, simul & tribus Tabernis, ac de his, vt Vrbi propioribus, & adhuc semel de prioribus[i] mentionem facit.

Tres Tabernæ vbi fuerint.

g lib. 2. ep. ad Atticũ. ep. 8.
h epist. 11.
i epist. 12.

Eiusdem nominis locum Ammianus[k] memorat in extrema Gallia, munimentum Germanis oppositum. Si Ecclesia trium Tabernarum, quam scribens Gregorius[l] Ioanni Episcopo Velletrano, voluit vniri ipsius Episcopatui, est hic locus, de quo agimus, sequitur fuisse oppidum, non tres cauponas tantùm.

k lib. 16. & 18.
l lib. 2. indict. 10. ep. 15.

In emendato decreto à Gregorio XIII. Glossa, seu notatio noua vocat *oppidum Velitris vicinum*,
C emendátque aliam lectionem, quæ habebat, *trium Tabernensium*, seu *Treuerensium*. Recitat eandem epistolam Ioannes Diaconus[m] in vita Gregorij Magni, quamuis legat, *Trium Tabernensium*.

Tres Tabernæ est oppidum Velitris vicinum.

m lib. 3. c. 15.

Ex his id, quod antè dixi, tradítque Sulcensis Episcopus Euthalius[n], efficitur, pedibus iter fecisse Puteolis Romam, hàc fortasse gratiam Centurione ipsi faciente. Alioqui vt Rhegio Puteolos, ita hinc in Vrbem iter erat, quod Titum confecisse Suetonius[o] his verbis prodit: *Quare festinans in Italiam, cùm Rhegium, deinde Puteolos oneraria naui appulisset, Romam inde contendit expeditissimus.*

n in peregrinat. Pauli.
o in Tito. c. 4.

Præterea sequitur, Christianos didicisse de
D Pauli propinquo accessu in Vrbem, vel ex literis Christianorum Puteolanorum, quibuscum dies mansit septem, vel per diuinam reuelationem: quòd enim iter illud suscepisset, iam inde è Iudęa per epistolas cognouisse credi potest.

Christiani Romani à quibus de aduentu Pauli fuerint edocti.

Postremò sequitur, quod etiam priùs notauimus, & admonent Historia Scholastica, Glossa interlinearis, Lyranus, non primum Romæ Paulum prædicasse: *quòd si quando audiatur*, inquit Comestor Historiæ Scholasticæ auctor, *de constitutione, vel confirmatione Fidei intelligendum est, non de primaria instructione*. Sed ex capite primo epistolæ Pauli ad Romanos apertissimè liquet, ac ex epistola tota scripta ad eos, quos adhuc non viderat, ab alio ante ipsum Romanis esse prædicatum, qui fuit Petrus, vt alibi docuimus[p].

Ante Paulum Romæ verbum Dei prædicatum fuit.

E *Quos cùm vidisset Paulus.*] *Ex habitu, occursu, & apparatu cognoscens esse fideles, timoratos, & suspos*, inquit Carthusianus. Nõ, opinor, omnibus Christianis idem habitus certus erat. Credo modestum fuisse, ac præterea ex verbis, & salutãdi modo deprehendisse qui essent: nec difficile fuit, eo in numero quempiam fuisse, qui in Iudæa, aliòve loco Paulũ vidisset, & eius etiã familiaritate vsus esset.

p cap. 11.

Paulus quomodo Christianos cognouerit.

Gratias agens DEO.] Et de suo ipsius fœlici aduentu, & de fratrum occursu, qui nõ erubescerent catenam eius, sed tanta alacritate, amorísque significatione tam longè prodiissent: *& quos adeò priùs videre concupisset, verbísque id in epistola declarasset*[q].

q Roman. 1. 10. 11.

Verbis exprimere facilè nequimus, quàm læti

vtrim

Paulus in Vrbe qualiter primum exceptus sit.

vtrimque sermones, amplexus quàm suaues, quàm dulcia oscula, quàm benigna obsequia, lacrymæ quàm deuotæ extiterint, quanta Romanorum de Paulo, cuius iam ad se scriptam doctissimam, piissimámque legerant epistolam, déque admirabili eiusdem doctrina, operibúsque acceperant, ad stuporem vsque Centurionis, aliarúmque custodiarum, quibus, nisi iam Christiani euaserãt, mollire cor tot, adeóq; diuina Christianæ signa charitatis, & ad CHRISTVM illos pertrahere valebãt; & fortioribus, quia dilectionis, quàm quibus tenebantur, funibus, vinculísque constringere.

Centurio erga Paulum quomodo affectus fuerit.

Accepit fiduciam.] ἔλαβε θάρσος. *Minùs timuit.* inquit Glossa interlinearis, Hugo, & Historia Scholastica, *accepit fiduciam progrediendi in prædicatione Euangelij*, ait Lyranus, *quòd aduentus suus ad Romam fieret fructuosus.* Chrysostomus primã sententiam sequitur, atque hac in re Apostolum humana quadam affectione ductum: & quamuis tanta miracula fecisset, ab aspectu fratrum accepisse fiduciæ augmentum. Non abhorret hic dicendi modus à secundo, nec minùs recreari Pauli animus potuit de pio fratrum studio, spémque concipere in iisdem, & conuersionis aliorum, quàm quòd sic humaniter exceptus, Romæ videretur habiturus adiutores, & fautores.

Versus 16.] Cùm autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.

CVM *autem venissemus Romam.*] Hîc Romam pro vrbe, Caietanus, versu decimoquarto, pro portu Romano sumit. Sed hoc ibi confutatum est, ostensúmque dicto versu, vel agi de profectione Puteolis Romam, vel esse orationis anticipationem.

Permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.] Syrus, ואפס כנטרווא לפולוס דנשרא איכא דצבא *vapes chenteruna Lepaulaus deneschere ascha detsabe*, id est, *Permisitq́; Centurio Paulo, vt habitaret quocunque vellet.* Historia Scholastica permissionem Neroni tribuit, spernenti controuersiam de lege Iudæorum, & Christianorum: ita vt liberè posset Paulus ire per ciuitatem, cum vno tantùm milite eum custodiẽte. Glossa interlinearis, & Hugo volũt Romæ fuisse Principem peregrinorum, cui nomen dabant peregrini; hunc permisisse Paulo. Arias docet, ceteris vinctis Præfecto Prætorij traditis permissum esse, nimirum ab eodem, vt quocunque Vrbis loco Paulus habitaret. Græci codices sic legunt, vt meminit quoque Caietanus: *Cum autem venissemus Romam, Centurio tradidit vinctos Principi exercitus.* Non memini legere, apud Romanos Principem peregrinorũ, qui tametsi fuisset, vincti non erant censendi numero peregrinorum, cùm mitterentur ad iudicium.

Quis dederit Paulo facultatem manendi in Vrbe, vbicunque vellet.

Aliæ sententiæ possũt in concordiam reuocari. Vt vel Nero ipsemet edoctus à Centurione, ac inductus id permiserit, vel quispiam alius immediatior Magistratus, ad quem huiusmodi reorum cognitio pertineret, auctore videlicet etiam, ac fautore Pauli Centurione.

Nescio autem quem velit Græcus intelligere, στρατοπεδάρχην, *castrorum, exercitúsve Principem*, Romæ velut Magistratum distinctum, & proprium, cui Centurio vinctos tradere debuerit. Quamuis enim quandoque in castris vincti tenerentur, vt aliàs dixi [a], non tamen constat de istis intra Vrbem: nec tunc etiam tanta esset auctoritas dicti castrorum Præfecti, vt liberam per se custodiam reis assignare posset. De Præfectis ærarij Plutarchus [b] testis est, quòd apud illos, in æde Saturni legati Regum, municipiorum, coloniarum, nomina dare, & literis adscribi deberent, vt cùm commodum foret, noscendis singulorum postulatis Senatus daretur, & post mandata, singulis in prouincias proprias profecturis consuleretur.

An fuerit Romæ Magistratus Princeps exercitus.

a cap. 21. 14.

b in Problemat. cap. 42.

Verumtamen de Principe peregrinorum, nihil dum, vt præmonui, potui reperire. Ammianũ [c] duntaxat legi, qui hospitum expulsionem, quandoq; factam conqueratur Romæ, codicibus præcipuè interpellatis, sed & aliquando sine hac interpellatione: quod indicat relata in codices nomina peregrinorum.

c cita: etiam Rhodig. lib. cap. 1.

Scio prætereà ex edicto Marci Antonini iussum similiter, vt apud Præfectos ærarij vnusquisque ciuium natos liberos profiteretur intra trigesimum diem nomine imposito, eáque de causa per prouincias tabellarios instituisse. Meminit Capitolinus [d]. Sed ad rem non faciũt, vt nec edictum Seruij, de quo Dionysius Halicarnassæus [e], *vt parentes nascentium nomine certam pecuniam Lucinæ darent: Iuuentæ, qui ab adolescentia peruenissent ad iuuentutem, morientes Libitinæ*, vnde constare poterat, quo quisq; natus anno, vel mortuus, & quamdiu vixisset.

De his, qui nascerentur, & obirent, Romanæ leges.

d in M. Antonino.
e lib. 4.

Cum custodiente se milite.] Historiam Scholasticam dixit affirmare de vno milite. Videri id potest parum, præsertim si, vt ait idem, *licuit Paulo ire per totam ciuitatem*: quod sanè non credo. Nam etsi ciuitas tota pro carcere assignari possit, id ita in Paulo factum non colligitur, sed potiùs contrarium, ex conducto nimirum hospitio, in quo mansisse paulò pòst dicitur, & ex milite, qui potuit esse in domo priuata. *Potest præses*, inquit Vlpianus [f], *quendam damnare, ne domo sua procedat, &* [g] *de custodia reorum Proconsul æstimare soleo, vtrùm in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fideiussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem vel pro criminis, quod obiicitur, qualitate, vel propter honorem, vel propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate eius, qui accusatur.* Vbi Glossa vult militis nomine non tãtùm propriè dictum militem, sed etiam nuncium communem intelligi posse, sicut & eodem titulo lege alia [h].

f de interdictis, & releg. ff. l. final.
g de custod. reorum ff. l. 1.

h l. Diuus Pius.

Prohibitus quidem est priuatus carcer [i], priuata scilicet, propriáve auctoritate; non tamen si Magistratus auctoritas interueniret: cuius rei exẽplum extat in sociis Catilinariæ coniurationis [k], & in aliis apud Artemidorum [l], Symmachum [m], Iulium Firmicum [n], Fortunatianũ [o], Sidonium [p], Turonensem [q], & in Actis Martyrum [r], quod tamen genus carceris propter publicam auctoritatem non priuatum, sed liberum potiùs nominabatur.

Priuatus carcer quomodo sit prohibitus.

i l. 1. Cod. de exactorib. & l. vn. C. de priuato carcere, & apud Ciceronem, 7. Verrina.
k Apud Sallustiũ in Catilina.
l lib. 1. c. 50.
m li. 10. ep. 46.
n lib. 5. c. 1.
o 1. Rhetoric.
p lib. 1. ep. 7.
q 1. Hist. c. 1 de mirac. c. 45.
r S. Stephani Papæ, & martyr. S. Alexandri Papæ, S. Laurentij, S. Lucillæ, S. Anastasiæ, S. Dalmatij, S. Calixti Papæ, & aliis.

Non paruum etiam hoc argumentum est, ait Chrysostomus, *illum fuisse per omnia admirabilem: non enim iam cum aliis numerabatur*, vinctis nempe. Ingressus hic Pauli in Vrbem ex Eusebij [s], ac Hieronymi [t] supputatione contigisse censetur anno CHRISTI quinquagesimonono. Beda, & Ado (qui omnia loca peregrinationis describit) & Vsuardus diem Iulij sextam designant, & secundum Neronis annum, vel certè ineũtem tertium. Si veris initio soluit Melita, vbi hyemauerat nauis Alexandrina, in quam vbi descendit, vt superius vidimus, & de vere ineunte tradidit Arator versibus, quos etiam citauimus, cúmque nec diutius alibi substiterit, quàm Puteolis per septem

Paulus quando Vrbem ingressus sit.

s in Chron.
t de Script. Eccl. in Paulo.

dies

dies, prosperóque vento vsus sit, non potuit adeò tardè Romam peruenire.

Vers. 17.] Post tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum. Cúmque conuenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil aduersùs plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum.

Cur Paulus post triduum Iudæos de suo statu interrogauerit.

POST *tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum. Cúmque conuenissent,* &c.] Gagneius existimat triduum expectasse, quòd timeret, ne Iudæi, qui Ierosolymis eum persecuti fuerant, misissent quosdam Romam, vel literas ad Iudæos, qui Romæ erant, vt Paulum dolo occiderent: per eos autem dies sciscitatum, an vllæ laterent insidiæ, súperque his conscium factum, primores Iudæorum, qui Romam incolebant, cóuocasse. Profert Oecumenium ex veteribus Commentariis recitantem (id quoque à Iustino proditum aliàs diximus [a]) Scribas, ac seniores literas misisse toto orbe, ad Iudæos, quibus monerent, sibi à doctrina Christiana vt cauerent.

[a] cap.7.

Ad hoc propositũ vtitur Oecumenius Esaiæ [b] testimonio: *Va terra cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas.* Hoc idem testimonium citatur ab eodem Oecumenio in epistolam ad Romanos [c], & à Iustino [d], quem dixi, & ab Eusebio [e], quamuis Hieronymus [f] hanc expositionem non recipiat. Voluit ergo Paulus vitare insidias, & se à crimine liberare, ne accusarent ipsum, Iudæos etiam illos, ne videretur totum id eorum esse negotium, quod vinctus in Vrbem esset missus. Probabilia sunt hæc, & à Chrysostomo etiam partim dicta; cùm tamen, qui obuiam Paulo exierant, docere illum satis potuerint, si quid vel insidiarum esset, vel literarum contra ipsum, maximè quia iam famam percrebuisse putat Chrysostomus traditum esse à Iudæis; fortasse non ea fuit causa, cur sibi tres dies existimauerit expectandum, sed partim vt ex tam longo itinere conquiesceret, partim negotium cum Centurione transigeret, & quo manendum sibi loco esset, cognosceret, partim, vt lentè, ac maturè procederet. Cùm autem conuocauerit ipse Iudæos, ipsíque ad illum conuenerint, indicio est, non ei licuisse, quò vellet ire per ciuitatem, vt quosdam retuli sensisse.

[b] cap.18.1.

[c] in Prolog.
[d] in Trypho.
[e] Apud Hieronymum, in Esaiam.
[f] ibidem.

Paulus nullas contra se insidias metuit.

Nihil aduersùs plebem faciens.] Purgat se de omnibus accusationis capitibus, quæ & in suis literis Præsidem posuisse, & Centurionem iam exposuisse, verisimile erat. Hæc omnia capita superiùs non semel declarata sunt.

Versus 18.] Qui cùm interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eò quòd nulla esset causa mortis in me.

CVM *interrogationem de me habuissent.*] Ἀνακρίναντές με, *Cum interrogassent me, & examinassent.* Hoc Lysias Tribunus, Præsides Felix, ac Festus fecerant, necnon Agrippa Rex, & Bernice.

Voluerunt me dimittere, eò quòd nulla esset causa mortis in me.] Repellit suspicionem: ac infamiam, quæ poterant ex eo esse, quòd vocaretur in iudicium,

A idque apud infideles: nec enim apud Romanos censuisse criminis reum, quem voluerint absoluere, immò declarauerint, nil capitale gessisse. Pertinet hoc ad laudem Gentilium, simul ostendit, quàm de sua causa bene speret apud Romanos, quoniam iam Magistratuum prouincialium sententiis sit innocens renunciatus; necnon extra criminosorum carcerem libera in custodia relictus. Fuit & id maleuolis Iudæis, si qui ibi erant, spem, voluntatémque præcidere infensiùs contra illum apud Romanos agendi.

Paulus voluit Iudæis spem præcidere agendi contra se.

Versus 19.] Contradicentibus autem Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem,
B non quasi gentem meam habens aliquid accusare.

CONTRADICENTIBVS *autem Iudæis,* &c.] Non missus à Magistratu Romano tanquàm insignis reus, vt sunt hi, quibuscum veni, sed vt periculum proprium vitarem. Rem tantam non potuit magis extenuare, prorsus mentionem non faciens, quo modo à Iudæis vi comprehensus, verberatus, ad mortem insidiosè sit appetitus, *contradicentibus*, ait, id est, non acquiescentibus iudicio, ac sententiæ Magistratus ordinarij.

Non quasi gentem meam habens aliquid accusare.] Quales crebrò in Vrbem accusatores ab Iudæa
C aduentabant, non aliis periculum creare, sed meum volo defugere.

Non decet Ecclesiasticos viros ius persequi in criminali præsertim causa, coram ciuili Magistratu, sed iniuriarum obliuisci, eásq; condonare; possunt nihilominùs cum moderamine, vt aiunt, inculpatæ tutelæ, ac præmissa debita, quam vocant, protestatione, seipsos, résque suas defendere. Valebat hoc ad conciliandos sibi Iudæos.

Ecclesiastici non debent coram ciuili Iudice ius suum persequi, nisi cum protestatione.

Versus 20.] Propter hanc igitur causam rogaui vos videre, & alloqui. Propter spem enim Israël catena hac circumdatus sum.

D PROPTER *hanc igitur causam,* &c.] Vos ipsos volens habere patronos causæ meæ, & simpliciter narrare vobis quæcunque gesta sunt, ne quis vinculis meis perturbatus aut falso aliquo rumore crimen exaggeret, & aduersetur meæ causæ.

Propter spem enim Israël catena hac circumdatus sum] Ideirco vos prouoco, vos imploro, vobis ista communico, iure scilicet meo, quoniam causa communis est, nec alia vinculorum meorum causa, quod sum anteà liberè Ierosolymis, & Cæsareæ coram Præsidibus [g], & Regibus professus, quàm quia CHRISTVM annuncio, qui est vnica spes nostra, & Resurrectionem per ipsum.

[g] cap.23.6. ca. 24. 15.16. cap. 26.6.7.

E Catenam adhuc gestabat, vt infert Carthusianus, tantóque tempore cùm gestauerit, discere nos inde vult patientiam: nec enim debemus esse filij Belial, hoc est, sine iugo, iugum frangendo seu legis, seu religiosi instituti, quibus ligamur, & religamur dicendo: *Non seruiemus* [h]: sed patienter, libenter, hilariter, gloriosè constanter id perferre.

Paulus adhuc catenam gestabat.

[h] Iere.2.20.

Nescio, loquatúrne Gregorius [i] de catena ista, quàm ex Iudæa Paulus portauerat, & Romæ portabat, an de alia, qua iterum aliquot annis pòst in carcere Mamertino constrictus est cum Petro, quando de hac, quæ multa ederet miracula, particulam se Constantinæ Augustæ mittere velle

[i] lib.3. in dist. 11. ep.30.

Paulus de qua catena his loquatur, dubitatur.

A scribit: *Si tamen*, inquit, *hanc tollere limando valuero; quia dum frequenter ex catenis eisdem* (quas dixerat Paulum in collo, & manibus gestasse) *multi venientes benedictionem petunt, vt parum quid ex limatura accipiant, assistit Sacerdos cum lima: & aliquibus petentibus* (nota miraculum) *ita concitè aliquid de catenis ipsis excutitur, vt mora nulla sit: quibusdam verò petentibus diu per catenas ipsas ducitur lima, & tamen vt aliquid exinde exeat, non obtinetur.*

Petrus, & Paulus in multis rebus pares.

Qui pares in adeò multis aliis esse voluit DEVS Petrum ac Paulum, parem forsitan vtriusque catenis Ierosolymitanis, & Romanis vim, & venerationem communicauit; illo dempto miraculo coalescentium earum, quæ Petri erant, quibus & templum, & festum ritè dicatum est, vt B docuimus capite duodecimo.

a Homil. 8. in ep. ad Ephes. *Pauli studiosissimus Chrysostomus, eiusdem catenas quanti fecerit.*

Chrysostomus [a] Pauli studiosissimus cultor, insano quodam amore (si loqui ita fas est, vt intelligamus, quàm effusè id fecerit) catenas eius prosequutus, hunc in modum exclamat: *Si quis mihi daret totum cœlum, aut illam catenam; ego illam præferrem. Si quis me apud superos collocaret cum Angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem, & vincula. Si quis me faceret vnum ex potestatibus, quæ sunt circa cœlos, aut circa thronos, aut talem vinctum, potiùs optarem talis esse vinctus. Nihil illa catena beatius. Vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula, & meritò viros illos* (Petrum, & Paulum) C *admirarer propter* CHRISTI *desiderium. Vellem videre catenas, quas pertimescunt quidem, & horrent Dæmones, reuerentur autem Angeli.* Item: *Non tam beatum censeo Paulum, quòd raptus sit in tertium cœlum* [b], *quàm eum censeo beatum propter vincula.*

Catenas Petri, & Pauli Dæmones pertimescunt.

b 2. Cor. 12. 2.

Rursus: *O beata vincula, ô beatas manus, quas ornauit illa catena. Non erant adeò honorandæ Pauli manus, quæ claudum, qui erat Lystris, erexerunt, & fecerunt surgere* [c], *vt quæ indutæ erant vinculis. Si ego fuissem illis temporibus, tunc maximè eas essem amplexus, & pupillis meis admouissem; non cessassem deosculari manus, quæ dignæ sunt habitæ, quæ pro Domino meo vincirentur. Admiraris Paulum, quando eius manum* D *tetigit vipera, & nihil ei fecit* (hoc narratum est in isto capite [d]) *ne mireris: reuerita enim fuit catenam; etiam totum mare eam reuerebatur: tunc enim erat vinctus. Si quis mihi dederit nunc, vt suscitem mortuos, non hoc elegerim, sed catenam. Si ab Ecclesiasticis curis essem remotus, & esset mihi corpus sanum, ac validum, non recusarem hanc suscipere peregrinationem, vt solùm viderem catenas, & carcerem, in quo fuit vinctus.* Et longè pòst: *Parum mihi concedite, & permittite, vt dum à verbis abscesserim Apostolicis, & in factis Apostolicis me expleuerim deliciis, in Pauli catena conniueri: date mihi in ea paulò ampliùs versari. Apprehendi vinculum, nemo me abducet.*

c Act. 14. 9.

d vers. 5.

Catenas Pauli Chrysostomus quantum videre cupierit.

Abductus sum ego, & apprehensus, ac tractus E oratione Chrysostomi, plusquàm vinculis Herculis Gallici, nec potui voluntati, institutóq; moderari: vt notasse cõtentus locum, ipsis prolixioribus Auctoris verbis sententiam in scriptis meis non ponerem. Dabit lector veniam, quem omnia quoque, vt legat, nõ obligo. Hac in vrbe Romana, vbi hæc maiori quodam animi nunc studio, & voluntatis deuotiore scribimus affectu, vel Chrysostomi memores, cui quia viuo nõ licuit, mortuo contigit in Petri basilica, vbi dimidiata eius, & Pauli sanctarum reliquiarum pars summa religione, atque splendore cõseruatur, & colitur, sepulcralem sedem habere, carceres, columnę, vincula Apostoli vtriusque visuntur, tanguntur, lambuntur: tum verò etiam Pauli vincula siue hæc, siue Mamertina in magnificentissima eius æde extra muros, ad quam venerabiles sancti Benedicti Monachi prędiues, ac perpulchrum ornamentum adiecerunt.

Vers. 21.] At illi dixerunt ad eum: Nos neque literas accepimus de te à Iudęa, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut loquutus est quid de te malum.

NOs *neque literas accepimus*, &c.] Cessat Oecumenij coniectura, de qua dixi versu decimonono: quamuis, quod non est verum, plerumque verisimilitudinem maiorem habet, quàm quod est, & falsa credibiliora sunt veris. Existimant hos B nonnulli [e] mentiri, & legatos Iudæorum ad Neronem fuisse. Hugo, quoniam sub id tempus accusatio missa videatur aduersùs Agrippam, obiicit indicari posse scriptum simul contra Paulum. Respondet, vel id Iudæos tunc non fecisse, ne maius illud negotium retardarent, aut etiam impedirent, quia fauerat Agrippa Paulo, & pro eodem scripsisset; vel si scripserant, nondum peruenisse nuncium Romam.

e Salmeron tom. 12.

Non esse mentitos magis credo, non quòd non potuerint, aut mẽtiri religioni valdè duxerint; sed quoniam nimis apertè, ac impudenter mentiti essent. Nec enim si publicæ huiusmodi literæ allatę C fuissent, vel certi in Vrbem homines venissent, latuissent Christianos Romanos, qui, si quid esset, Paulum admonerẽt, aut iam etiam admonuissent.

Versus 22.] Rogamus autem à te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis quia vbique ei contradicitur.

ROGAMVS *autem à te*, &c.] Constat, ex fratribus, qui occurrerunt Paulo ad forum Appij, & tres Tabernas, & ex epistola ad Romanos scripta ante hoc tempus, & ex Aquila, & Priscilla, qui sub Claudio Iudæos, Christianósque ex Vrbe D pellente [f], cum Paulo conuenerunt Corinthi, iam Romæ fuisse non paucos Christianos, tum etiam ex his, quæ dudum de prædicato ibi sub eodem Imperatore Euangelio, non quidem ex dubia de Barnaba historia, sed ex certiore traditione de Petro, qui fundauit ibidem, constituítque sedem suam, vt aliàs docuimus [g].

f Act. 18. 2.

Quapropter inanis est ratio Vdalrici Veleni, Petrum Romæ non fuisse, *quoniam Iudæi non adeò sibi ignotam* CHRISTI *doctrinam dixissent, & à Paulo doceri petiuissent.* Nã sunt verba ista non omnium, sed eorum duntaxat Iudæorum, qui nondum fidem CHRISTI complexi fuerant, præter quos multi alij viuebant iam à Petro conuersi.

g cap. 12.

Primos Iudæorum vocauit Lucas: seriùs verò E primi vel dignitate, vel opibus, vel potentia, vel doctrina veritatem, supernaturalem præcipuè, recipiunt, vt cùm CHRISTVS ipse prædicaret. Lege Bellarminum [h]. Potuit quoque nonnulla dissimulatio in his esse, atque curiosa voluntas enucleatiùs de Paulo ipso intelligendi, quæ ad Christianam doctrinam spectabant, cùm iam & nonnulla seu rumore accepissent, seu ex literis, quas Paulus ad Romanos miserat: & Pauli nomẽ adeò celebre tum propter doctrinã, tum ob miracula, tum quia multa pro CHRISTO tolerauerat, incendebant desiderium hominis diligentiùs audiendi, ac si fieret posset, ad suam religionem reuocandi.

h 2. de Rom. Pontif. cap. 7.

Huiusmodi de causa Domini frater, Episco-

pus

pus Ierosolymorum Iacobus rogatus est solemni die, quid de IESV sentiret, palàm, publicéque in frequentissima concione dicere ex loco superiore; vnde, cùm quod res erat, respondisset, præcipitatus est, atque lapidatus. Sperarunt fortasse Iudæi Romani frangi Paulum vinculis potuisse, & metu tribunalis Imperatorij, in quo ipsomet, qui erant in Vrbe, Iudæos aduersarios experturus esset. Paulus verò quamuis præsertim Gentibus prædicaret, & Petrus Iudæis, tamen vterque vtrisque prædicabat, vt aliàs dictum est [a].

a cap. 13. & 15.

De secta hac.] Græcè est nomen τῆς αἱρέσεως. Lege caput vigesimumtertium [b].

b vers. 5. & 14.

Christo vbique contradicitur.

Vbique ei contradicitur.] Est enim CHRISTVS [c] *signum, cui contradicitur, & ad sagittam* [d], *Iudæis scandalum, Gentibus stultitia* [e], *qui talem, ac tantam sustinuit à peccatoribus contradictionis spiritum habentibus contradictionem aduersùs semetipsum* [f]. Sed ruina fuit, *illum vt salutarem serpentem aspicere nolentibus* [g], aut sequi *vt signum, seu vexillum leuatum in nationibus* [h], verùm sagittas in id intendere; *quæ sunt tamen sagittæ paruulorum* [i], & si quid valent, in suos resiliunt sagittarios.

c Luc. 2. 34.
d Thren. 4. 12.
e 1. Cor. 1. 23.
f Hebr. 12. 3.
g Num. 21. 8. 9.
h Esai. 11. 12.
i Psalm. 63. 8.

Conqueritur meritò CHRISTVS apud Esaiã, prout legunt Septuaginta [k]: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, & contradicentem.* Suspectus mihi est Christianus, cui non contradicitur: si sub signo CHRISTI militat, contradictionem sentiat oportet: *Et si de mundo non est, oderit eum mundus necesse est* [l]. *Incipit possessio à Thamar*, ait Hieronymus [m], *à palma videlicet, victoriáque vitiorum, vsque ad aquas contradictionis. Semper enim virtutibus contradicitur.* Idem verò vbi præsens exemplum, & Simeonis illam sententiam attulerit, subdit: *Omnis contradictio est sanctitatis, quod interpretatur Cades:* dicente Psalmista [n]: *Concutiet Dominus desertum Cades.*

k cap. 65. 2. Rom. 10. 21.

Christianus, cui non contradicitur, suspectus est.

l Ioann. 15. 18. 19.
m in cap. 47. Ezechiel.
n Psal. 28. 8.

Versus 23.] Cùm constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plures, quibus exponebat testificans regnum DEI, suadensque eis de IESV ex lege Moysi, & Prophetis, à manè vsque ad vesperam.

CVM *constituissent autem illi diem.*] Illi, nimirum Paulo, αὐτῷ, dies à Iudæis constituta est. Vel Paulus postulauit, vel obtulerunt Iudæi, vt frequentiore auditorio, ac magis meditatus sermonem faceret.

Venerunt ad eum in hospitium plures.] Εἰς τὴν ξενίαν, quod inferiùs vocatur ἴδιον μίσθωμα, *proprium conductum*, hoc est, *domus conducta*, διὰ μισθώματος, *per mercedem locationis.* Ξενίαν quoque dixit, scribens Philemoni [o]: *Simul præpara mihi hospitium.* Et in eadem significatione vocem eandem vsurpant periti alij Scriptores. Hieronymus [p] dum describit quale Paulus à Philemone sibi parari vellet hospitium, scribẽs ad eundem ex Vrbe, simul docet cuiusmodi, quod in Vrbe habebat, esset: & bellè profectò in ea loca conueniunt, quæ incolunt hi, qui ex sui ratione muneris verbum diuinum prædicant, administrant Sacramenta, saluti alienæ omni piorum operum genere vacant. *Non existimo*, ait Hieronymus, *tam diu tem fuisse Apostolum, & tantis sarcinis occupatum, vt præparato egeret hospitio, & non vna contentus cellula, breues corporis sui spatio ædes, amplissimas existimaret: sed vt dum eum expectat Philemon ad se esse venturum, magis faciat,*

o vers. 22.
p in epist. ad Philem.

Qualia esse debent ea Religiosorum domicilia, qui plurimorum institutioni vacant.

A *quod rogatus est. Si autem hoc non dispensatoriè, sed verè quis existimat imperatum, vt sibi hospitium præpararet, Apostolo magis* (id est, munus obeunti Apostolicum prædicationis, & alia, quæ dixi, &c.) *quàm Paulo* (vt erat priuata persona studens paupertati) *hospitium præparandum est. Venturus ad nouam ciuitatem* Colossensium, *prædicaturus Crucifixum, & inaudita dogmata delaturus, sciebat ad se plurimos concursuros. Et necesse erat* (attende conditiones domus deputatæ religiosis illis functionibus, quas numeraui) *primum vt domus in celebri esset Vrbis loco, ad quam facilè conueniretur: deinde, vt ab omni importunitate vacua: vt ampla, quæ plurimos caperet audientium: ne proxima spectaculorum locis: ne turpi vicinia*

Conditiones domus deputatæ Religiosis publicis muneribus deputata.

B *detestabilis: postremò, vt in plano potiùs esset sita, quàm in cœnaculo, hoc est, in edito loco*, quod ὑπερῷον vocatur, de quo capite primo [q]. *Quam ob causam* (has conditiones ad istud Romanum Pauli hospitium applicat) *eum existimo etiam Romæ in conducto mansisse biennium. Nec parua, vt reor, erat mansio, ad quam Iudæorum turba quotidiè confluebant.* Sunt hæc omnia Hieronymi. Is, qui Lini nomine conscripsit passionem Petri, & Pauli; incipiens tamen à secundo Pauli Romam aduentu, ait Paulum conduxisse sibi extra Vrbem horreum publicum.

q vers. 13.

Testificans.] Διαμαρτυρόμενος. Vim singularem habet hoc verbum, de qua dixi aliàs [r], quæ etiam denotatur per legem Moysi, ac Prophetas, quos
C testes produxisse subditur, ita vt conuinceret, minas intentaret, &c.

r cap. 2. 40.

Regnum DEI.] Nimirum appropinquasse, vt primis verbis Ioãnes Baptista [s], CHRISTVSque prædicando denunciarunt, & hic, vt à suis denunciaretur [t], præcepit [u]. Regnum verò DEI quid sit, exposui capite primo [x]: quamuis illi regnum cœlorum dicerent apud Matthæum [y], & DEI apud Marcum [z], & Lucam [a]. Sed perinde est, ac in præsenti historia, semper Lucas regnum DEI appellauit.

s Matth. 3. 2.
t Matth. 4. 17.
u Matt. 10. 7.
x vers. 3.
y suprà, & c. 11. 12.
z cap. 1. 14. 15.
a cap. 4. 43.

Nec sine causa toties inculcatæ hæ voces, tum verò maximè apud Iudæos, atque in exordio prædicationis, vt nimirùm abstraherentur Iudæi à
D falsa illa persuasione de regno temporali Messiæ; quo modo Paulus cœlestem Ierusalem solet nominare, vt opponat terrestri, cuius adhuc Iudæi carnales restaurationem expectant.

Cur toties de cœlorum regno apud Iudæos mentio inculcata est.

Ex lege Moysi, & Prophetis.] Ex omni Scriptura, quæ sic aliquando circumscribitur. Lege caput XIII. [b]

b vers. 15.

A manè vsque ad vesperam.] *In quo apparet sollicitudo, feruórque circa prædicationem*, inquit Lyranus, & Carthusianus. Sic aliàs *protrahebat sermonem vsque ad mediam noctem*, & vltrà, vt vidimus capite vigesimo [c].

c vers. 7.

E *Versus* 24.] Et quidam credebant his, quæ dicebantur, quidam verò non credebant.

ET *quidam credebant*, &c.] Hæc est vicissitudo, & varietas frugis ex iacto semine [d]. Ad hunc modum contigit Athenis [e], & alibi, Paulo, contingítque passim omnibus verbi DEI disseminatoribus, & iis, qui semen id suscipiunt, vt non extet in omnibus, aut non æqualis fructus. *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat* DEVS [f]: *nec venit qui vocatur, sed qui trahitur* [g] ad CHRISTVM, efficaci scilicet, & congrua vocatione.

Prædicationis fructus non est in omnibus æqualis.

d Matt. 13. 4. & seqq.
e Act. 17. 32. 33. 34.
f 1. Cor. 3. 7.
g Ioan. 6. 44.

Qui credunt, voluntate credunt sua, quam gra-

Qui credunt voluntate credunt, sed gratia praeuenti.

tia mouit,ac promouit,& iuuit.Qui non credunt, A
voluntate item sua non credunt,quia si vocantem DEVM audissent,sicut poterant,& debebant,adiuuantem sine dubio habuissent, *qui ideò vocat , & pulsat,vt exaudiatur,eique aperiatur* [a].

a Apoc.3.20.

Versus 25.] Cúmque inuicem non essent consentientes , discedebant , dicente Paulo vnum verbum:Quia bene SPIRITVS sanctus locutus est per Esaiam Propheram ad patres nostros.

DICENTE *Paulo vnum verbum.*] Εἰπόντος, quem Aoristũ sic resoluit editio Syra, ואמר B
להון הו פולוס מלתא הדא *vemar lehun hau paulaus melletha hada* , id est, *Et dixit ipsis ipse Paulus verbum hoc*,vel,*Cum dixisset eis ipsemet Paulus hoc verbũ*,quasi fuerit occasio dissidij,ac discessionis verbum illud, Verùmtamen priùs oportet discordiá præcessisse,& Paulum tam acre verbum contra incredulos,ac peruicaces pronunciasse.

Vnum verbum.] Vnum dixit pro insigni atque notabili Esaiæ sententia,quæ sequitur. Sic quam Interpres *partem vnam* exponit, *quam Iacob dabat Ioseph filio* [b] , Græcè vocatur ἐξαίρετος, & paraphrasis Chaldaica vocat *vnam præcipuam*; & in Psalmo [c]:*Vnam petij*,siue rem,siue petitionem præ alijs maximè,*à Domino,hanc requiram*,&c.Eundem C
habet eadem dictio vsum apud profanos Auctores [d]:

b Gen. 48.22.
c Psal.26.4.
d 2.Æneid.

— Cadit & Ripheus iustissimus vnus
Qui fuit in Teucris,& seruantissimus æqui.

Item [e]:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

e Ennius apud Ciceronem 1.de Offic.
Vnum verbum quid significet.

Posset quoque *vnum verbum* ἓν ῥῆμα significare *aliquod* , seu,vt Cicero loqueretur, *vnum aliquod*. Nec rarò in nouo maximè Testamento , εἷς ponitur pro *aliquis* , vt quæ dicitur ab Interprete *ficus quædam* [f],Græcè est μία συκῆ , &,qui quidam assistétium [g],εἷς τις τῶν παρεστηκότων,vbi vertitur simpliciter *quidam*.Aristides [h] item ἕνα ἄνδρα,vsurpat pro indefinito, ac ignoto, & vulgò ita loquimur, D
tum hoc pacto , tum etiam vt certam personam nobis probè notam denotemus, cuius nomen vel non occurrat,vel supprimendum videatur.

f Mat.21.19.
g Marc.14.47.
h citatus in vet.Lex.

Bene SPIRITVS *sanctus loquutus est per Esaiam Prophetam.*] Quid sit SPIRITVM sanctum per os Prophetæ loqui , quódque non inde reddatur Propheta mentis inops, vel non intelligens , quæ suggeruntur ab ipso , consule quæ alibi [i] contra Montanistas docui.

i Act.1.16.

Prædictionem hanc, quam SPIRITVI sancto nunc attribuit Paulus, vt & omnes ceterorũ Prophetarum Petrus [k] , vnde Chrysostomus [l] argumentatur, SPIRITVM sanctum esse DEVM,quia Esaias nominat illum *Dominum Sabaoth* [m] , necnon Paschasius [n] ; & in qua continetur celebris E
illa visio Esaiæ [o] : Damascenus [p] Basilium [q] sequens assignat PATRI ; Ioannes autem Euangelista [r] FILIO,necnon Idacius [s].

k 2.ep.1.21.
l Serm. de Trinit.
Spiritum probatur esse Deum.
m Esai.6.3.
n 1.de Spirit. sanct.cap 5.
o Esai.6.1.
p ep.de Trisagio.
q 4.côtra Eunom.
Tres personæ diuinæ loquutæ sunt in Prophetis, vnde sequitur quamlibet personam verum Deum esse.
r cap.12.40
s cont. Varim.
t Heb.1.1.
u Luc.1,70.
x cap.3.17 18.
y cap 52.6.

Præterea SPIRITVS sanctus non tantùm *loquutus in Prophetis* dicitur , vt dictum est, verumetiam PATER ab Apostolo [t], & à Ioannis Baptistæ patre [u]:FILIVS verò de seipso idem affirmat apud Prophetam Baruch [x] , & apud Esaiam [y], vt ibidem expressit Hieronymus. Sic fit, vt quando quæ ad personarum diuinarum proprietates opera non pertinent,modò huic personæ tribuantur, modò illi , in personarum TRINITATE meliùs

A vnam substantiam intelligamus.Lege Riberam [z], atque Maldonatum [a],& Toletum [b].

z in cap. 6. Esai. [illegible]
a in cap. 12. Ioan.
b [illegible] 24.

Disputant postremi duo , quis in dicta visione apparuerit,seu cuius species,personáve repræsentata sit. Maximè probo Toleti sententiam , tum PATREM aliquando in veteri Testamento apparuisse , aut Angelum in eius persona loquutum, vt cùm se Prophetam missurum promisit [c],nempe CHRISTVM : tum in ea visione Esaiæ [d] tres personas,quia ter acclamauerunt Seraphim , *Sanctus Dominus* DEVS : & Paulus hoc loco eam tribuit SPIRITVI sancto , vt diximus , non excludendo FILIVM ; Ioannes FILIO,non excludendo SPIRITVM sanctum.

c Deut. 18. [illegible]
d Esai. 6.
Tres personæ [illegible] apparuerunt in [illegible]

B Verùm , sicut nemo dicit FILIVM , vel PATREM descendisse , seu apparuisse in specie columbæ , quia in ea apparuit SPIRITVS sanctus [e], cui sunt consubstantiales;cùm alibi Scripturę hoc de istis non tradant;ita non sufficit dicere , Esaiæ PATREM apparuisse , nisi diceretur id quoque alibi de FILIO,& SPIRITV sancto,vt ait Athanasius [f] (volens fuisse speciem PATRIS) propter vnitatem substantiæ : sicut nec è contrario satis esset FILIVM *apparuisse in propria specie*, vt ait Ambrosius [g], nisi quoq; diceretur,PATREM, & SPIRITVM sanctum,nempe propter eandem causam,quia sunt consubstantiales.

e Marc. 1. [illegible] Ioan. 1. [illegible]
f lib. de Incarnat. Christi.
g 3. de Spiritu sancto , c. 23.

C *Versus* 26.] Dicens : Vade ad populum istum, & dic ad eos : Aure audietis, & non intelligetis : & videntes videbitis, & non perspicietis.

VADE *ad populum istum.*] Locum istum citauit quoque CHRISTVS , seu cuncti Euangelistæ [h],atque iterum Paulus [i],non per applicationem duntaxat,& sensum accommodationis,vt Iansenius [k] de hoc loco , & de alio Esaiæ [l] , & Oseæ [m] affirmat ; sed iuxta id , quod SPIRITVS quoque sanctus dictis locis intendit significare. Nam quando Scriptores hi sacri disertè tradunt, Prophetam aliquem de re illa loquutum , de qua tractant,non debet dici minimè significatam esse D
ab illo Propheta. Obseruatum id est à Ribera [n]. Maldonatus [o] verò notat , cùm quid scribitur factum,vt quæpiam Scriptura impleretur , quatuor hoc modis exponi posse.Lege illum,si placet;propositum autem locum Isaiæ hîc citari docet,quoniam non minùs aptè de Iudæis intelligitur , & intentus videri potest, quos alloquebatur Paulus, quàm de illis , de quibus tunc agebat DEVS cum Esaia.

h Matth. 13. 14. Matt. 4. 12. Luc. 8. 10. Ioan. 12. 40.
i Rom. 11. 8.
k in Concor. cap. 12.
l in cap. 29. 13. apud Matth. cap. 15. 8.
[illegible] Prophetam [illegible] Euangelista [illegible]
m in cap. 11. 1. apud Matt. c. 2. 15.
n in cap. 11. Oseæ. n. 18.
o in Marc. c. [illegible]

Aure audietis , & non intelligetis.] Textus Hebræus habet verba modi Imperatiui : quia verò sæpe pro futuris ponuntur ab Hebræis, verterunt Septuaginta illo modo.Retinendo futurum tempus, denotatur,non quid istos facere velit DEVS, E
sed quid sint facturi. Imperatiuus modus designat certitudinem futuri euentus, perinde ac si eum vellet DEVS,& imperaret, cùm tamen permittat solùm. Sic dicunt vulgò , præsertim Galli seruo,vel filio perdito : *Caue ne sis vir bonus*,id est, scito te virum bonum nunquàm futurum. Sic dicebat CHRISTVS Iudæis [p] : *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*:vbi est etiam concessiuus,vt & illa,cùm Iudam est alloquutus [q] : *Quod facis, fac citiùs.* Et in Zacharia [r]: *Percutiam pastorem.* Et:*Framea suscitare super pastorem meum.* Qualis & apud Poëtam [s]:

Ista verba sunt in futuro , sunt in imperatiuo [illegible] Septuaginta.
p Mat. 23. [illegible]
q Ioan. 13. 27.
r Cap. 13. 7.
s Æneid. 4.

I, sequere Italiam ventis.

Versus

Versus 27.] Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt: ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.

Magna huius loci difficultas.

INCRASSATVM *est enim cor populi huius*, &c.] Hæc imperando exponunt Septuaginta. Quo pacto loquitur non Propheta, sed DEVS ipse, qui etiam DEVS non diceret *Incrassa*, seu *impingua*, &c. Cui enim diceret? nam præter ipsum nullus incrassare cor, vel excæcare, sicut nec emollire, aut intrinsecè illuminare potest. Iam quoque populi cor incrassatum erat, iam aures aggrauatæ, iam oculi excæcati; propterea námque priùs dixerat: *Audiendo audite, & nolite intelligere*, &c. Et sciebat adeò incrassatos, ac induratos, & excæcatos esse, vt quamuis audirent, non perciperent. Itaque non imperat DEVS, non orat Propheta, vt incrassetur cor, quod iam erat incrassatum; vt excæcentur oculi, qui iam erant cæci.

Hoc à Propheta dictum iuxta LXX concedi potest.

Potest quoque iuxta editionem Græcam dictum concedi à Propheta modo imperatorio propter certitudinem prædictionis: Ioannem dum citat, posuisse in præterito vel eadem de causa, vel propter eos, qui CHRISTI tempore duri, atque cæci erant; DEO autem tribuere in sensu tum dicto, tum dicendo: ac ne quis imperium, imprecationémve Prophetæ propriè sumeret: Matthæum, ac partim hîc etiam Paulum dixisse, quod ipsimet Hebræi *auribus grauiter audierunt*, &c. ne quis suspicaretur, DEVM esse veram, ac positiuam, & propriam causam excæcationis, & indurationis. *Excæcauit enim eos malitia eorum*, ait Sapiens [a].

Deus excæcationis causa positiua non est.

a Sap. 2.21.

Quomodo Deus excæcare, & incrassare, &c. dicatur, quomodo nihil conferat ad hos actus.

Theologi disputant, quo pacto DEVS dicatur indurare, atque excæcare. Potest hoc intelligi non tantùm de permissione DEI, & prout denegat gratiam efficacem, vel datam aufert, videlicet vberiorem illam, vt loquitur Augustinus: aut quatenus quædam beneficia dat, vt Græci Auctores docēt; quibus præuidet homines malitia sua abusuros, ita vt cæci fiant, & obstinati: sed prætereà, vt exaggeretur grauitas malitiæ hominum, quæ sit tanta, vt videatur non potuisse aliter esse, nisi DEVS ipse quodammodò manibus suis oculos eruisset, aures obturasset, cor indurasset, vt nec videre, nec audire, nec flecti possent: non quia id faciat DEVS, sed quòd tanta cæcitas, surditas, duritiес non videatur, ab alio fieri potuisse, quàm à DEO. Perinde hoc videtur, atque cùm videntes virum alioqui prudentem, absurdissimè errare, vulgò dicimus: DEVS illi mentem eripuit: non quia credamus DEVM eripuisse; verùm quia non intelligimus, qui possit homo, vel minimè sanus tam absurda sentire, vel facere, nisi mentem DEVS ei eripuerit. Lege Maldonatum [b], & Toletum [c], Pererium [d], Scholasticos [e], Augustinum [f] maximè.

b in cap. 12. Ioan. 40. 41. & Mat. 13. 14
c in Ioann. c. 12. annot. 21. & 22.
d in c. 2. ep. ad Roman. disp. 2. in cap. 9. disp 9 & 10.
e Tract. de reprobat. & an Deus sit causa pecc.

Quid sit crassum, & incrassatum.

Incrassatum est cor.] Ἐπαχύνθη, *Impinguatum. Prodiit quasi ex adipe iniquitas* [g], id est, ex abundantia beneficiorum, quibus abutuntur: ex sollicitudine, & cogitationibus rerum temporalium, atq; carnalium, quæ opponuntur spiritui & rationi: *Nec pinguis venter gignit sensum tenuem.*

f Præsertim Serm. 88. de Temp. & ad quæst. 2. Simplic. tract. 53. in Ioan. de prædest. & grat cap. 4.
g Psal. 72. 7.
h Psal. 7. 45.
i Esai. 50. 5.

Auribus grauiter audierunt.] *Non obedierunt in auditu auris* [h]. *Domino aperiente aurem contradixerunt* [i]. *Audierunt, sed grauiter*, id est, illibenter, cum molestia, quasi grauiore bombo, & crassiore aëre, vel humore aures oppletas habuerint.

Oculos suos compresserunt.] Apud Matthæum [k]: *Clauserunt*. Et in Esaia [l]: *Oculos eius claude.* Videtur maior iniquitas, ac malitia, veluti de industria comprimere, atque claudere oculos. Græcè hoc loco est ἐκάμμυσαν, pro κατέμυσαν; quod est quoque in libro Esaiæ alio loco [m]: & significat etiam oculos in terram defigere, inclinata facie despicere [n], iuxta id Psalmi [o]: *Oculos suos statuerunt declinare in terram.*

k Matt. 13. 14
l cap. 6. 10.
Oculos comprimere quam vim habeat.
m cap. 29. 10.
n Hesychius in Lexico.
o Psal. 16. 11.

Isidorus Pelusiota quomodo hunc locum interpretetur.
p lib. 2. ep. in 270.

Ne fortè videant oculis, &c.] Isidorus Pelusiota [p] locum hunc totum exponit ita, vt DEVS Esaiam iuberet prædicare illis etiam, qui non erant obedituri, *ne fortè videant*, id est, *si fortè: vt licèt id non erat futurum, non deesset officio suo Propheta, & redderentur inexcusabiles, quoniam iis oblata salutis occasio fuisset, ac si spes esset, eam illos recepturos.* Docet prætereà nonnullis exemplis, *ne fortè*, Græcè μήποτε, vsurpari pro *fortasse*, ἴσως, vel nonnunquàm ἴσ' ὅτι. Probat id etiam auctoritate aliorum eruditorum Scriptorum, vt Philonis. Denique his dictionibus non ἀναίρεσιν significari, id est, *priuationem*, sed ἐλπίδα, id est, *spem*. Ceterùm cùm sit hic locus totus ex Esaia productus iuxta editionem septuaginta, nonnihil diuersus ab Hebraica, Hieronymus [q] refert veteres Ecclesiæ tractatores tradidisse Lucam medicinæ artis scientissimum magis Græcas literas scisse, quàm Hebræas; & comptiorem ait sermonem eius, ac peculiarem redolere eloquentiam: denique magis testimoniis Græcis vti, quàm Hebræis. Caue tamen existimes aliter Lucam retulisse, quàm Paulus protulisset: aut vllo modo, inter citandum sacram Scripturam, errasse: aut pro Hebræa veritate discrepantem ab illa editionem LXX. attulisse. Lucas Hebræus religione fuerat; linguarum donum acceperat; condentem Scripturas canonicas regebat SPIRITVS sanctus.

q in c. 6. Esa.

Versus 28.] Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare DEI, & ipsi audient.

NOTVM *ergo sit vobis*, &c.] Iudæos incredulos, & ceruicosissimos summa libertate pungit: sicut capite XIII. Antiochiæ dixit: *Vobis oportebat primùm loqui verbum* DEI: *sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus.* Sed longè maior, ac mirabilior, magísque intrepida libertas, sic in Vrbe Paulum loqui, vbi reus teneretur in custodia, quamuis libera, & adeò multos contra se Iudæos concitat, quibus Poppæa Neronis noua concubina fauebat.

Libertas loquendi Pauli in Vrbe contra Iudæos quanta.

Salutare DEI.] τὸ σωτήριον, *redemptio.* Pater Ioannis Baptistæ in Cantico [r] *redemptionem* λύτρωσιν nominat, factámque intelligit à DEO per Incarnationem FILII, qui est *cornu salutis*, id est, copiosissima salus, atque redemptio. Septuaginta in vetere Testamento solent ישועה *ieschuhhah* vertere σωτήριον, & Latinus Interpres *salutare*: quam consuetudinem, & Lucas [s] Græcè, & noster Interpres Latinè sequitur.

r Luc. 1. 68.
s cap. 2. 30. 3. 6.

Salutare Dei quid sit.

Est autem *salutare* DEI, vel Incarnatio, vt ait Euthymius [t], vel CHRISTVS, vt Basilius [u], Athanasius [x] Augustinus [y], etsi salutem confundant cum salutari; vel Euangelium, seu doctrina Euangelica, vt hoc loco Glossa interlinearis, & Hugo, qui secundam quoque retinent, à qua prima parum differt, Codices nonnulli Latini legunt

t in c. 2. Luc.
u in Psal. 65.
x de Cōmun. ess. Patris, & Filij, & Spiritus sancti.
y lib con. aduersa legis. & Prophetarū. cap 11.

A legunt cum pronomine demonſtratiuo, quod emphaſim exprimit, *hoc ſalutare* DEI.

Verſus 29.] Et cùm hæc dixiſſet exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter ſe quæſtionem.

ET *cùm hoc dixiſſet.*] Totus hic verſus deſideratur in editione Syra.

Multam habentes inter ſe quæſtionem.] Ζήτησιν, *diſquiſitionem, diſceptationem, inueſtigationem:* fuerat námque prolixa tractatio à manè vſque ad veſperam, & quidam credebant, quidam verò non credebant, nec erant inuicem conſentientes.

Iudæi cur grauiter inter ſe, & contra Paulum contenderunt.

B Infixus ex Eſaia ille à Paulo aculeus, vexabat videlicet incredulos, vt applicarent animum ad illa, quæ Paulus adeò luculentè de regno DEI, ac de IESV Saluatore diſſeruerat: nō ſolùm arguendo, hoc eſt, argumentis conuincendo, ſed etiam increpando, atque comminando: poſtquàm nimirum, vt credere par eſt, tertium illud aliud munus boni Doctoris interpoſuerant, *obſecrandi* [a], quo non minùs reuocari ſe ad officium intimè ſentiebant, nec diſſimulare poterant.

a 2. Tim. 4. 2.

Petrus ab Vrbe aberat, quando Paulus Romam venit.

Arbitror abfuiſſe Petrum ab Vrbe hoc tempore, nec enim tanti ad Paulum concurſus fuiſſent Iudæorum, qui ſe in Chriſtiana religione quodammodò hoſpites, ac penè nouos profiterentur: C qui concurſus, vt hîc ſubiungitur, per biennium facti ſunt, tum ſcilicet Iudæorum, tum etiam Gentilium.

Verſus 30.] Manſit autem biennio toto in ſuo conducto: & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum.

MANSIT *autem biennio toto in ſuo conducto.*] Quidam codices habent *conductu*, tum impreſſi, tum manuſcripti, ſed mendosè. Syrus, ואגר לה פולוס מן דילה ביתא והוא בה תרתין שנין *vagar leh paulaus men dileh baietha vahaua beh tharethin ſchenin*, id eſt, *Et conduxit ſibi Paulus de ſuo, domum, & fuit in ea duobus annis*; vel, *Conduxit autem ſibi Paulus proprias ædes, in eiſque egit biennium.* Conductum ſubſtantiuè Tullius [b] vſurpat; *Solet enim, ait, extra portam aliquid habere conducti.*

b orat. pro Cluen.

Cōductum quid ſit.

Sine dubio autem ſignificat hoc loco hoſpitium conductum, de quo egimus verſu vigeſimotertio. Quocirca quod Rabanus, & Hugo exponunt de libera cuſtodia, per quam Apoſtolus conduceretur, vel de concione, ſiue conductione, qua contra Iudæos diſputaret, non ſatis intelligo, quo pacto cum verbo manendi cohæreat, aut quid ſibi velit.

c epiſt. 28.

d in epiſt. Pauli ad Philem.

Hieronymus [c] præter hoſpitij topicam deſcriptionem, quam ex eo [c], citato loco recitauimus, E allegoricè loquens ait Lucinio, *quòd Paulus manet in hoſpitio conducto per biennium, vt nobis vtriuſque inſtrumenti æternam reddat domum: ſicut Romam vinctus ingreditur, vt vinctos ſuperſtitionis erroribus liberos faciat.*

Hieronymi huius loci terna expoſitio.

In hac vrbe Romana lapis eſt in Diaconia ſanctæ Mariæ in via lata propinqua ſcholis noſtris cum inſcriptione, quod ibi beatus Lucas imagines beatæ Virginis depinxerit. Viget verò traditio ibidem ſancti Pauli conductas ædes fuiſſe, eundémque Lucam ibi compoſuiſſe, vel abſoluiſſe præſentem hiſtoriam Locus is erat ampliſſimus, ac celeberrimo Vrbis loco, vt ipſemet diligenter luſtraui. Habet profectò hic locus eas cōditiones, quas Hieronymus requirebat in hoſpitio

A munia Apoſtolica, quáſq; in hoc fuiſſe affirmabat.

Quid ſimile ſignificetur his temporibus.

Simile vidit exemplum ætas noſtra in nouis Religionibus, quas DEVS miſit ad vtilitatem Eccleſiæ, vt Apoſtolos imitentur prædicando, docendo, &c. cœpiſſe nimirum initio in conductis domibus hæc munera obire; donec exiſtente inde per DEI gratiam fructu, piorum benignitate fixas, propriáſque ſedes habuerunt.

Biennio toto.] Vſque ad quartum, vel initum quintum Neronis annum, quem annum Gloſſa ordinaria vult fuiſſe vigeſimumſeptimum à paſſione CHRISTI, inde poſt decennium anno Neronis decimoquarto, & poſt paſſum CHRISTVM 37. cum Petro paſſum Romæ, ſpatio autem medio B prædicaſſe in Occidente, & maximè, inquit Lyranus, in Hiſpania. Hugo præter hanc opinionem de annis CHRISTI, meminit Bedæ, quem & ſequitur, quòd anno trigeſimonono poſt paſſionem CHRISTI: & Magiſtri Hiſtoriæ Scholaſticæ, quòd eodem anno, ac die, ideóque de ipſis cani: *Glorioſi Principes terræ*, &c. Carthuſianus primam ſententiam tuetur.

Quando Paulus Romæ fuerit, & vbi prædicauerit.

De tempore quo mortuus ſit.

Occumenius cùm velit Paulum in carcere Cæſarienſi retentum annos duos, aliter computare debet: ſed, quod miror, numerum annorum minorem facit, volens mortuum anno Neronis decimotertio, à CHRISTI paſſione trigeſimoſexto. C Eodem modo loquitur Euthalius in Peregrinatione Pauli. Baronius docet ab Incarnatione CHRISTI anno quinquageſimonono fuiſſe aduentum Pauli in Vrbem, idque Euſebij auctoritate, atque Hieronymi. His & ego magis acquieſco: ſpatium verò mihi ad commentandum idem præſcriptum puto, ſumóque, quod ſibi Lucas præſcripſit in ſcribendo, præſertim verò cùm de tempore, quo vterque Apoſtolus Paulus, Petrúſque ſunt paſſi, idem Baronius, ac alij [e] diligenter diſſeruerint, necnon de profectione Pauli in Hiſpaniam, & aliis ab eodem geſtis vſque ad mortem.

e Pariſienſis, Senenſis, & qui de Apoſtolis ſcripſerunt, vt Echius.

Suſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum.] Et D Iudæos, & Gentiles, cuiuſuis ordinis, & conditionis, vt pocillatorem Neronis, & Poppæam concubinam, vt Chryſoſtomus hîc ſignificat: & ipſemet Apoſtolus inde ſcribens ſalutem Philippenſibus *mittit ab iis, qui de domo Cæſaris erant* [f], quem ineptè quidam non Imperatorem, ſed ex diſcipulis vnum intelligunt, ex quibus Torpetem martyrem, magnum priùs in officio Imperatoris, Martyrologium Romanum [g] fuiſſe teſtatur.

f Phil. 4. 22.

g 17. Maij.

Quanquàm quod de pocillatore dicitur, memineruntque Theophilactus, & Occumenius epiſtola ſecunda ad Timotheum extrema, pertinere potiùs videtur ad ſecundum aduentum eiuſdem Pauli, de quo is, qui Lini nomine paſſionem Petri, Paulíque ſcripſit, volens etiam eius caſum, E & ſuſcitationem, cuius meminimus capite vigeſimo, fuiſſe occaſionem, cur à Nerone Paulus tanquàm magus interficeretur. Sed alij [h] cauſam referunt in mortem Simonis Magi ex lapſu per preces Pauli, ac Petri, quidam [i] quòd pellicem Neronis conuertiſſet.

h Ambr. 1. cont. Gentes.

i Chry. cont. vituperato vitæ Monaſticæ, 1, & Metaphraſtes.

Verſus 31.] Prædicans regnum DEI, & docens quæ ſunt de Domino IESV CHRISTO cum omni fiducia, ſine prohibitione.

CVM *omni fiducia, ſine prohibitione.*] *Quia nullus prohibebat, vel proibere poterat*, ait Gloſſa interlinearis, & Hugo. Chryſoſtomus eodem ferè

pacto.

Nero nō prohibebat Paulum loquendo liberè. pacto, *quia libertatem illius in loquendo nihil prohibebat, vel morabatur.* Beda, & Carthusianus explicant quòd nullum ei à Nerone impedimentum fuerit, cuius nondum esset imperium roboratum, nec in tanta scelera erupisset, quanta de eo narrant historiæ. Eusebius [a] quoque ait Neronem in initiis adhuc leniorem fuisse, ac defensionem Pauli pro nostro dogmate non aspernanter accepisse. Tam fuit bonus primo quinquennio princeps, *vt a quinquennio illo principatus eius Traianus dicere soleret procul distare cunctos principes.*

a 2. Hist. c. 22.

Cùm autem scribit Paulus ad Timotheū epistola secunda [b], *se à suis desertum in prima sua defensione, sed à Domino confortatum, & liberatum de ore leonis*, id est, à leone crudeli, *vt prædicationem impleret, & audirent omnes gentes*, vult intelligi de hoc tempore: quando verò ibidem dicit [c]: *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat*, &c. & [d], *Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & saluum faciet in regnum suum cæleste*, de secundo aduentu in Vrbem, & secundis vinculis paulo ante mortem ipsam. Consentit his Hieronymus [e]. Hæc si sunt, maximè verò de secundo aduentu, & vinculis, oportebit posteriorem illam epistolam ad Timotheum esse scriptam posteriore hoc etiā tempore, quod Eusebius satis innuit, & codices Græci habent in fine secundæ epistolæ, ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης, ὅτε ἐκ δευτέρου παρέστη Παῦλος τῷ Καίσαρι Νέρωνι; *Scripta est è Roma, cùm iterum Paulus sisteretur Cæsari Neroni.*

b cap 4. 16. & seq.
c vers. 6.
d vers. 18.
e de Script. Eccle. in Paulo.
Paulus quomodo vtrumque semper aduentū in Vrbe significauerit.

Verùm non nemo secus arbitratur [f], nec improbabiliter, quoniam eadem [g] epistola meminit Paulus, atque in ea, quæ est ad Philemonem [h], & ad Colossenses [i], Lucam secum fuisse, qui tamen creditur nec biennio toto mansisse primi aduentus eius: accersit [k] extrema ferè epistola Timotheum cum Marco, *vt ante hyemem veniant, ac penulam deferant & membranas*; quod indicat sibi fuisse peregrinandum aliò, certè non statim moriturum.

Quo tempore scripta sit illa Pauli epistola.
f Baron. tom. 1. Annal.
g 2. Tim. 4. 11.
h vers. 24.
i cap. 4. 14.
k 2. Tim. 4. 11. 13.

Præterea in dictis epistolis ad Philemonem, & ad Colossenses, & ad Philippenses, & ad Ephesios, quas creditur ex Vrbe misisse, quia de vinculis mentionem facit, de quibus cùm mentio non sit in epistola ad Galatas, probabilius est illam nō esse scriptam Romæ, vt hac ipsa contraria de causa scripta creditur, quæ est ad Hebræos [l]. In his, inquam, omnibus epistolis iungit in præfatione Timothei cum suo nomen: iam ergo venerat Timotheus, quem, vt dictum est, accersiuerat: immò & Marcus, quem, vt item monuimus, *Timotheo scripserat, vt secum duceret, cuiúsque nomine, necnon & Luca, Philemonem salutat* [m].

l cap. vlt. 3.
m vers. 24.

Ad hæc id, quod recitatum est ex secunda ad Timotheum, *confortatum se à Domino, vt per illum prædicatio impleretur, & audirent omnes Gentes*: magis profectò denotat superesse tempus futuræ per prouincias extra Vrbem prædicationi.

Quòd verò se *delibari* scribit, *& instare tempus resolutionis*, non sequitur confestim (vt Eusebius interpretatus est) vitam finiturum significare voluisse; sed sibi à Domino, qui cōfortauerat ipsum, reuelatum esse, vt iniunctum strenuè, quod superesset vitæ spatium, prædicando consumeret: quod spatium, etsi præcisè designatum esset a CHRISTO reuelante, nouem, decémve annorum, qui supererant, breue iudicabat, vt solet lōgiores quoque durationes Scriptura, & ipsemet Apostolus [n]: tum verò hîc illud præ desiderio, quo flagrabat, multa, diúque pro multorum salute, si res ferret, tolerandi.

Quid sit delibari, quo Paulus vtitur.
n Heb. 10. 37.

Quidam [o] quoque dicunt, instante iam quarto Neronis anno, & secundo vinculorum suorum, parasse se Paulum ad causam dicendam coram Nerone, ac valedixisse amicis, tanquàm vltimo supplicio destinatum; Neronem verò tunc nihil certi pronunciasse: iterum cùm esset productus Paulus, eum absoluisse, & Paulum in posteriore epistola ad Timotheum, quæ fuit prima ex iis, quas Romæ dedit, illum ea de re monuisse, ac valedixisse iis verbis: *ego iam delibor*, &c.

o Salmeron tom. 12. tract. 59.
Quomodo Paulus sit a Nerone dimissus.

Sed hoc non videtur cohærere cum iis, quæ ibidem Paulus scribit, *se iam liberatum*, & vt Timotheus *veniat cum Marco, & afferat penulam cum membranis*, &c.

Hanc opinionem Auctor non recipit.

Nam quod respondent, in eadem epistola vtrumque contineri, & quod priùs scripserat de prima defensione sua, delere noluisse, non videtur sine æquiuocatione dici posse: neque probabile est tamdiu dilatam primam defensionem coram Nerone, hoc est, per duos annos.

Nec vana coniectura Baronij [p], cuius est hæc, quam exponimus, opinio, biennio eodem contigisse Paulo, quod Philippensibus intra hoc tempus Roma scribens narrat [q], *manifesta facta esse vincula ipsius in omni Prætorio*, hoc est, non coram Nerone duntaxat, verùm etiam in Senatu, collegióque Pontificum. Addi potest de *Alexandro ærario quem multa mala sibi ostendisse, ac valde restitisse verbis suis testatur Timotheo* [r]. Venerunt quoque forsitan sub id tempus ab Ierosolymis legati cōtra Agrippam, & Romæ Poppæa quam sæpe dixi, *Neronis concubina, Iudæorum fautrix* [s] *erat, atque Aliturus Iudæus actor mimorum Neroni percharus* [t]: hi omnes Paulo, qui Iudæos, vel in primo congressu liberè, & acerbè tractasse videri poterat, apud Imperatorem, Senatum, ceterósque ordines repugnabant.

p Tom. 1. Annal.
q cap. 1. 13.
r 2. ep. 4. 14.
s Ioseph. 20. Ant. c. 7.
t idem in vita sua.

Accedit, vt persuadeamur graue Paulo subeundum hoc tempore discrimen fuisse, quòd adeò grauiter periclitantem CHRISTVS in Ierusalem priùs admonuerat, atque cohortatus fuerat, promittens auxilium [u]; *Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari*: promissum verò Romæ auxilium adfuisse idem Paulus testatus est citata epistola ad Timotheum secunda [x]: *iterum astante, & confortante* CHRISTO.

u Act. 23. 11.
x cap. 4. 17.

Quid ergo sibi vult in hoc loco, *Sine prohibitione*? Quomodo Demas, *qui reliquerat Paulum Romæ*, vt ipse ibidem testatur [y], *cum Luca, Marco, & Aristarcho, tanquàm adiutor, ibi erat*, vt est in epistola ad Philemonem [z]. Nam si sine prohibitione prædicabat Paulus in hospitio suo conducto, non est expertus tantas illas difficultates, quas diximus. Si Demas erat cum Luca, igitur in secundo aduentu Pauli; quia in primo abierat, ac proinde quæ de suis difficultatibus scribit Apostolus epistola illa, sunt intelligenda de eodem aduentu secundo, ipsáque tunc epistola scripta. Sed occurrendum primæ quidem obiectioni iuxta mentem sententiæ, quam tuemur, prædicasse Paulum μετὰ πάσης παῤῥησίας ἀκωλύτως, *cum omni fiducia sine prohibitione*, quia frustrà prohibebatur, & prohibitione non tenebatur, vel retardabatur, aut quauis alia difficultate, quæ ipsi accideret opera Iudæorum, & vndecunque. Quamuis quia inter tot difficultates libera manebat illi custodia, & cuiuis ad eum ventitare fas erat, fortasse τὸ ἀκωλύτως hoc designat, non autem exclusionem grauiorem aliarum difficultatum.

Paulus quomodo fit Romæ passus tantas difficultates.
y 2. Tim. 4. 9.
z vers. 24.

Quod ad id attinet, quod affertur secundo lo-

De Dema quid scriptum sit.
a in Synopsi.

A co de Dema, quem perperàm Dorotheus [a] nisi duplicem Demam fingat, ait *post discessum à Paulo, factum Thessalonicæ simulacrorum Sacerdotem*: hic potuit intra biennium, quo Paulus mansit primo illo aduentu, & abiisse, & rediisse; quo tempore adhuc manebat cum Paulo Lucas. Nam exacto saltem biennio, si non antè, creditur Lucas Vrbe discessisse negotij Ecclesiastici, seu rei Christianæ causa.

Absoluit autem ipse Historiam istam, nihil dicens de iis, quæ colligi docuimus ex Pauli epistolis Paulo euenisse Romæ, tempore primorum vinculorum, quibus adde ad eundem, aduentum Epaphroditi, *quem Philippenses, quorum erat Episcopus, miserunt cum pecunia* [b]: præterà Onesiphori ex *Iconio, qui refrigerauit ibidem Paulum, non erubescens catenam eius* [c]: de his, inquam, Lucas non meminit, quia vel tamdiu Romæ non mansit, vel vinculis Pauli ministrans; vel multiplici negotio vacans, quod eiusmodi tempore penè vni, ac soli ipsi gerendum erat [d], otium plura scribendi non habebat nec Romanis, quibus nota erant quæ Romæ fiebant, & in quorum gratiam ceteram Historiam scribebat, aliud præterea scribendum ducebat.

b Philip. 4. 18.
B
c 2. Tim. 1. 16.
Cur Paulus non meminerat eorũ quæ gesta sunt toto biennio.
d 2. Tim. 4. 11.

Romæ Paulo relicto abiisse cum Aristarcho, quem Paulus *concaptiuum* nominat [e], Lucam tradit Oecumenius, & Metaphrastes [f] profectum Thebas Bœotiæ, Hieronymus [g] in Bithyniam. Sed nos nunc non persequimur res Lucæ. Quæ autem sub Lini nomine traduntur de Paulo cum Petro, nec fidem certam obtinuerunt, & à posteriore Pauli in Vrbem aduentu sumunt exordium, sicut & de familiaritate Pauli cum Seneca, epistolisque hinc inde datis, de quibus alibi diximus post Hieronymum [h], & Augustinum [i], præter

Lucas relicto Paulo Roma discessit.
e Coloss. 4. 10.
f in certam & conium. Petri, & Pauli.
g de Scriptor. Eccles.
C
h de Scriptor. Eccles. in Seneca.
i epist. 54.

modò citatum Linum.

Monui superius, Vdalricum Velenum perfricta fronte ausum negare Petrum Romæ fuisse, id Marsilius de Padua [k] aliquot ante ipsum Centuriis negauerat: & quia Paulum Canonicus hic noster liber ibi versatum confirmat, affirmabat illum vrbis Romæ, non Petrum Episcopatum gessisse; quo nihil ineptius: quamuis dempta primatus, & huius Romani, & vniuersalis Episcopatus in Petro prærogatiua, paria ferè omnia de vtroque prædicant Patres, vt proprio de hac re sermone demonstraui. Nec aliter Epiphanius [l], ambos vocans *Romanos Episcopos*, intelligendus est, quàm propter functiones Episcopales, quas vbique licuit Paulo obire, etiam Romæ. Sed salua dicta Petri prærogatiua capitis.

Petrum Romæ fuisse [illegible]
k sub [illegible] XII [illegible]
l Hæres. [illegible]

Et lætor sanè hic, vbi caput Ecclesiæ præsidet, & Petrus, ac Paulus iacent, Paulíque maximè historiæ scriptor, atque comes Lucas versatus est, & in Petri basilica conditum caput habet, à Gregorio magno cùm esset apocrisarius, Constantinopoli allatum, finem à me imponi, tam prolixo, molestóque commentario: ibi etiam, vbi Lucas idem Historiam istam vel composuit, vel absoluit (*quod scriptionis genus virum decet Ecclesiasticum, & longius distat ab inuidia, quàm narrationes ciuiles* [m]) Paulúmque, vinctum licèt, in Regia locauit vrbe, qui vinculis illis suis ad CHRISTVM multos attraxit, vinxit, vicit.

m Sidonius Apollinaris lib. 4. ep. 22.

DEO laus, & gratiarum actio, atque beatæ Virgini, tum Apostolis, potissimùm Petro, ac Paulo, ipsíque Lucæ, quos apud DEVM hoc Opus & inchoandi Auctores, & persequendi, atque conficiendi mihi adiutores, quemadmodum ego illos precabar, fuisse non dubito. Amen.

DEO IESV CHRISTO *Æterni* PATRIS *Æterno* FILIO *laus, & gloria.*

Typo

Typographus Lectori.

Præter quàmplurima varijs locis addita editioni huic nouißimæ, hæc supersunt, quæ suo loco apponi non potuerunt, cùm propter longinquam ipsius Auctoris à suo Opere separationem, tum ob præli typographici festinationem. Ideóque hîc adiicienda curauimus, vt te tam doctis exquisitísque obseruationibus carere non sineremus. Et has quidem habes (candide Lector) suis quasque paginis, columnis, ac lineis reponendas, prout duo numeri priores, & literæ alphabeticæ cum altero numero indicabunt. Vtere & fruere his omnibus cum gloria sanctißimæ gloriosißimæque TRINITATIS.

Pag. 3. columna 1. A, linea 9. post affricuerit, *adde,* quemadmodum Chaldæos Hebraicè scribens, ex vsu linguæ Chaldææ.

6.2.C,3. Maldonatus, tametsi video Chrysostomum [a] Matthæo tribuere inscriptionem siue titulum Euangelij, cuius & rationem ipse reddit.

8.2.D,9. volunt. Senem illum bonum, qui se in fide instituebat, Iustinus [b] testis, cùm ipsum cerneret sermonem nimis colere, dixisse, ergo φιλόλογος es, non φίλεργος, aut φιλαλήθης; aitque idem Philosophus ac Martyr, non in dictis, sed in factis res religionis nostræ consistere.

9.2, B, 6. Turrecremata. Quantæ sit munus Apostolicum dignitatis, docent Chrysostomus [c], & B. Thomas [d], nempe post CHRISTVM, & eius matrem, maximæ; cuique propterea gratia copiosior annexa sit, cùm soleat eam dare DEVS iuxta proportionem muneris, ad quod eligitur: & ideò meritò dicantur primitias SPIRITVS accepisse [e]. Legendus item Anselmus [f].

13.1.C, 14. permiscere. Præcipit Philoponus, dum Democriti exponit opinionem de anima [g], si etymologia reddenda sit alicui dictioni, vt ex vernacula sumatur eidem lingua.

15.1. D, 8. & Beda, & Ambrosius [h],

ead. 1. C, 14. immergendi, vt obseruat Cyrillus Ierosolymitanus [i] vtens exemplo præterea ferri candentis.

20.1.D, 1. patiatur. Responderi sibi quiuis ad huiuscemodi quæstiones reputet quod sciscitanti respondit Angelus Danieli, & dicenti se audiuisse, nec intellexisse [k]: *Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones vsque ad præfinitum tempus.*

23.2.C, 5. Iudæi. Haymo [l] in hoc eodem sensu accepit præceptum CHRISTI, quod Petro dedit [m], *Duc in altum.*

25.1.B, 8. cantur, quamuis Chrysostomus [n] vndecim solos Apostolos asserat interfuisse.

28.1.C, 2. &c. In hoc mihi locutus Daniel [o] videtur sensu de Ascensione CHRISTI, quando sicut in Psalmo est [p], sedere à dextris Domini (nimirum PATRIS) donec ponat inimicos eius scabellum pedum ipsius, ita describens simile iudicium, quod pro CHRISTO facturus sit Antiquus dierum, nempe idem PATER, scribit [q], CHRISTVM, quem vocat quasi filium hominis (quia sese demisit FILIVS DEI eò vsque, vt fieret verè filius hominis, & in similitudinem hominum, atque vt homo [r]) cum nubibus cœli venisse, & vsque ad Antiquum dierum peruenisse, & in conspectu eius oblatum esse: & ab illo datam ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populos, tribus, & linguas ipsi seruituras: & potestatem eius esse potestatem æternam, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.

a hom. 1. in Matth.
b orat. ad Gēt.
c homil. 1. in epi. ad Rom. d in c. 8. ep. ad Rom. & in c. 1. Mat.
e Rom. 8.
f in c. 5. Mat.
g 1. de anima. tom. 20.
h 3. offic. c. 14.
i catech. 17.
k Dan. 12. 9.
l in c. 5. Luc.
m Luc 5.
n in Psa. 46.
o cap. 7. 9. & seq.
p Psa. 109. 1.
q Dan. 9. 13. 14.
r Philip. 2. 7.

29.2.A, 14. mittebantur. Angelus, quem Daniel vidit, erat vestitus linteis, & corpus eius quasi chrysolithus [f]. De colore albo vestis lineæ concedo: corpus item eiusdem coloris fuisse, quasi chrysolithus nil differat à crystallo, vt bonus alioquin existimat recentior Auctor sequens R. Salomon [t], non item assentior: nec enim chrysolithus albo colore est, sed, vt vox Græca sonat, aureo, differtque proculdubiò à crystallo.

37.2.B, 12. te; & cùm dixit Angelus Iacob [u], *Nequaquàm Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël.*

Ibid. D, 7. Mileuitanus, Vigilius Papa [x].

57.2.B, 7. Passione. Ipsimet Philosophi nefas iudicauerunt dicere DEVM auctorem mali. Trismegistus [y] passiones vocauit creata sequentes opera, vt æs rubigo sequitur, limus animalia. Plato [z] cauet seuerissimè, ne quis id in sua sinatur ciuitate dicere, vllóve modo audire, vtpote neque dictu sanctum, neque vtile, neque consonum: sed cogi vnumquemque debere & dicere, & inducere DEVM causam bonorum duntaxat.

58.1. C, 4. Ephraim, docens quod est apud Esaiam [a], ebrius Ephraim iuxta LXX. esse, *mercenarius*, & vtrumque significari posse per Hebræā dictionem שכורי atque de Iuda intelligi, qui de tribu Ephraim, & de vico eiusdem Iscarioth, CHRISTVM pretio, seu mercede vendiderit.

70.1. D, 13. de Clericis. Cùm forte Pontificem Zelotæ elegissent, vt Iosephus prodit [b], Phanus Pontificatum sortitus est, reuerà profanus, rerum sacrarum ignarissimus, ac rusticus obscurissimus.

Ibid. E, 7. designabat; qualis Milesiorum, de qua Aristoteles [c], & Romanorum, de qua Marcus Tullius [d], tabellaria lex, qua iuberetur, sententias non voce ac palàm ferri, sed clàm, & secretò data tabula, ne cogerentur homines, aut hoc, aut illud iudicantes peierari, cuiusmodi quoque nunc vtuntur lege Veneti, Genuenses, alij.

71.1. D, 13. Castro. Ambrosius [e] verba illa Psalmi 40. [f] *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me,* declarat ita vt CHRISTVS non resuscitari se petat, qui suamet Resurrectionis auctor erat, sed resuscitari sibi postulet Mathiā in locum Iudæ, vt Apostolicus numerus impleretur, quia oportebat ad implendā Scripturam perire filium perditionis, & in locum ipsius subrogari filium salutis. Idem prior attigerat Didymus citatus in catena Danielis Barbari.

79.2. D, 5. loquendi. Bernardus [g], vt probet

f cap. 10. 6.
t Maldonat. in Daniel.
u Gen. 32.
x In epist.
y in Pimandro.
z 2. de Repu.
a cap. 28.
b 2. de bello Iud. c. 10.
c 2. Polit. c. 6.
d 3. de Legib.
e in Psa. 40.
f vers. 11.
g Serm. 53. in Cant.

ante

ante clariorem cognitionem, & quasi visionem rerum diuinarum tum in hac, tum in futura vita, vbi clarè omninò videbitur DEVS, auditionem, fidémque præcedere, quæ est ex auditu [a], præter alia testimonia Scripturarum, vtitur etiam isto, in quo narratur priùs auditum de cœlo sonum spiritus vehementis, quàm apparuerint visæque sint dispertitæ linguæ tanquam ignis. Plura nos hac de re ad Psalmū 47. [b] *Sicut audiuimus, sic vidimus.*

80.1.D,17. DEI. Ambrosius [c] ait ignem, qui captiuitatis tempore fuit absconditus, quo culpa regnat, tempore libertatis esse reuelatum [d]: & licèt in aquæ speciem sit mutatus, tamen seruasse ignis naturam, vt consumeret sacrificium; quia spiritualis gratia per ignem exurit, per aquam mundat peccata: denique typum fuisse SPIRITVS sancti, qui descensurus erat post Domini Ascensionem, & remissurus peccata omnium. Alia plura persequitur, quibus ostendit quemadmodum gratia ritè simul cum igne & aqua comparetur: tum illud, quòd musto pleni dicti sunt, docet fuisse, quoniā singulorum animus veluti vaporabatur. Dici etiam cum Pinto [e] potest linguas igneas fuisse symbolum, Apostolos quidem constantes futuros; Ierosolymitanam verò ciuitatem à Romanis incendendam; quemadmodum ignis in rubo [f] index erat, liberandos Hebræos, perdendos Ægyptios.

81.2.B,11. gratia. Meliùs fortassis ea sessio denotabit, vt cum eodem Ammiano Turrianus noster obseruauit [g], diuini verbi ac Euangelicæ prædicationis τὸ ἑδραῖον, id est, stabilitatem, *qualis*, inquit, *non extat apud Hereticos, qui circumferuntur*. omni vento doctrinæ [h].

82.2.E,9. verisimile est. Multò minùs concedi debet, quod Iacobus tamen de Valentia scribit [i], omnes Apostolos hoc Pentecostes die raptos ad tertium vsque cœlum, & essentiam diuinam vidisse, sicut Paulus posteà vidit, & ante illum Moses. De istis duobus opposita sententia probabilior eo autem die non super solos Apostolos, sed super plures descendit SPIRITVS sanctus.

91.2.A,6. Media. Daniel [k] visionem vnam suam narrans, memorat eam sibi accidisse cùm esset in Susis castro quod erat in Ælam regione, hoc est, cùm sibi videretur ibi esse: tunc enim erat in Babylone.

104.1.E,3. aliis. Daniel certè, quamuis idiotismo fortassis Chaldaico, quo scribit idiomate plura capita, visiones capitis somnia vocat [l], vel quòd oculi, quibus exteriùs videmus, in capite sunt, vel quòd somnium perficiatur in cerebro. Nullus præter Danielem ea phrasi vtitur.

142.1.E,10.&c. Idem iudicium de vocabulo ὑπόστασις, vt quidam exponunt illud ex Psalmo 38. [m] *Substantia mea apud te est.* Lege illius loci Commentarium nostrum. Sed etiam fateor vix apud profanum Auctorem reperiri huiusmodi acceptionem ὑποστάσεως.

153.2.A,1. tribueretur. Ambrosius existimat [n] exegisse à claudo Petrum fidem, & tantam gloriam fuisse in Apostolis, vt ipsa facie lumen spirituale quodammodò communicarent: claudum fidei mox gratia illuminatum esse: nec remedium sanitatis accepturū fuisse, nisi fideliter credidisset.

202.2.E,8. amabilis? Eleganter simul ac piè Ambrosius [o] explicans illud [p], *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur*, demonstrat aspectum iusti mirificè delectare, ac plerisque admonitionem correctionis esse, perfectioribus verò lætitiam:

a Rom. 10.17.
b vers. 9.
c 3. offic. c. 14.
d 2. Macha. 1.
e in c. 1. Ezec.
f Exod. 3.2.
g 1. de dogm. charact.
h Ephes. 4.14.
i in Psal. 46. & 67.
k cap. 8.2.
l ca. 2.28. c. 4. 2.7.1. & c. 7.15.
m vers. 8.
n in Psa. 41.
o in Psal. 118. octon. 10.
p Psa. 118.74.

ideò Paulum ascendisse Ierosolymam [q], vt iustos videret: eundem & Barnabam, cùm Ierosolymam ingrederentur, magnificè exceptos ab Ecclesia, ab Apostolis, & maioribus natu [r]: si est tanta vis in naturalibus, vt animal ipsum prosit ictericis etiam mortuum, dubitari non posse, quòd iusti saner aspectus, ac vel ipsos oculorum radios virtutem quandam videri infundere iis qui fideliter eum videre desiderant.

219.2.A,8. regendi sunt. Bonum argumentum Ambrosij [s], *Si Apostolorum vmbra sanabat, quanto magis caro CHRISTI quos tangit, à morte defendit? denique leprosum tetigit, & sine dilatione mundauit* [t]. Possemus id spiritualiter & de Eucharistiæ perceptione salutari argumentari.

229.2.A,7. Stratigò. Athenæus [u] etiam exprimit στρατηγὸν ἐπὶ τῶν ὅπλων; ac de vrbanis Magistratibus extat in iure ciuili [x].

312.2.E,6. dignatus est. Ioannes Goropius Becanus [y] multa disputat tum de monte Sina, tum de rubo. De hoc ait, sibi videri non esse spinosam illam sterilémque arborem, quam communis tenet sententia, sed ilicem: rubo namque nihil feracius esse, fructibúsque magis abundare nec in desertis, sed in humectis locis prouenire, ad fossas nempe & aggeres, quibus arua sepiuntur: nec per se tam altè surrigi, vt portentosum edere Mosi spectaculum potuerit, fortassis esse quam Galli *chesne*, quasi sene appellant, Serapio Elesina, velut אלסינה *alesinah*, ex אלה *elah*, quod genus omne roboris designat, & ex סנא *sina*, quod sit robur spinosum: Arabes Hispanósque vocare *encina*: Aragonios *leçinero*: Chaldæos אסנא *asana*, vel אסנא *asna*: ilicem aptè delectam ad iudicandam populi liberationem, quia quòd copiosè glandifera sit, videátque perpetuò, vitæ arbor vulgò appellata est, sicque præsignificabatur liberatio à diaboli potestate per eum qui est panis vitæ dator, ipséque vitalis panis: ignis etiam hieroglyphicum habere vitæ significationem, postremò Sina secundùm notationem idem valere, quod, Explora an inuenire queas, quod Mosis important verba [z]: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Sic ille ingeniosè certè si non omninò verè; ingenuè simul, dum vetustiori & communiori sententiæ nihil se velle præiudicare protestatur.

352.1.B, 8. orare. Asterij de Stephano sermonem Photius citat [a], in quo perpendit solum stetisse à populo interficiēte circundatum, sine amico, domestico, cognato: orasse, non vt lapidantium peccata impunita essent: hoc enim DEI ordinationi aduersari, quæ iustam homicidis pœnam irrogat; sed vt resipiscendo compungerentur.

381.1.C, 13. in curribus. Solitos qui longiore itinere ad templum Domini veniebant, curribus, carrulis, quadrigis, lecticis, mulis, equis vehi, apertè significat Esaias [b]: *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus.* Id ipsum in Psalmo 41. [c] editio Symmachi & Aquilæ indicat, cùm pro eo quod ex editione LXX. legimus, *Transibo in locum tabernaculi admirabilis*, &c. Symmachus vertit, εἰσελεύσομαι εἰς … διαβασταχθήσομαι, &c. *ingrediar in tabernaculum, peruehar*. Aquila, εἰσελεύσομαι ἐν συσκίῳ, &c. *ingrediar in vmbroso.* Consule illius Psalmi Commentarium nostrum.

393.2.D,6. abolere potest. Indicant præterea particulæ

q Gal. 1.18.
r Act. 15.4.
s in Psa. [illegible]
t Mat. 8.3.
u lib. 5. c. 14.
x l. 1. § 16 & L. [illegible] D. de [illegible]
y in Hispanicis.
z Exod. 3.3.
a in Biblioth. num. 114.
b cap. 66.20.
c vers. 4.

ticulæ *autem*, & *adhuc*, eò grauiorem Sauli culpam, quòd nihil moueretur narrata priore capite conuersione Eunuchi siue Gentilis, siue proselyti externi: nihil conuersione Samariæ; nec iuxta illud [a], *Erubesce Sidon, ait mare*, de quo Gregorius [b], pudebat illum in veritatis cognitione, ac in pietate superari ab huiusmodi hominum genere. Postremò innuitur iisdem particulis, cùm diabolus iacturam pateretur in aliquibus, vt in Eunucho, & Samaritanis, & priùs in aliquot millibus Iudæorum conuersis, conatum eam veluti resarcire, & compensare per persecutionem Ecclesiæ, auctore, magna ex parte, Saulo; quemadmodum eodem ferè tempore, vt veteres omittam hostorias, quo nouo mundo illata lux est Euangelij, corruptus hic noster est adeò multis tum hæresibus, tum vitiis. Sed non successit Saulo: abstulit ei CHRISTVS Damasci fortitudinem, quemadmodum anteà abstulerat spolia Samariæ [c].

a Esa. 23.4.
b 1. p. Pastor. cap. 29.
c Esa. 8.4.

409.2.C,1.*pati*. Iam non ampliùs bellantibus vasis, quibus Iacob maledixit [d], similis, aduersus CHRISTVM & Ecclesiam, sed pro hac, & pro illo: deinceps non dicet Ananias, *In consilium eius non veniat anima mea*, sed erit in *cœtu ipsius gloria eius* [e]. Quanquàm sicut Simeon ac Leui zelum laudauit Iudith [f], licèt indiscretum, ita Sauli æmulatio quodammodò veniam meruit & laudem, de qua Augustinus [g] exemplo Mosis, & Petri. Maledictus furor fuit, quia pertinax, & indignatio, quia dura, sicut illorum, ita Sauli; sed in bonum cessit Saulo, quod Iacob subdidit [h], maledicendo: *Diuidam eos in Iacob, & dispergam in Israël*: quoniam missus est portare nomen CHRISTI, vt id, ac DEI manifestaret, sicut CHRISTVS PATRI protestatus est sub mortem, se nomen eius hominibus manifestauisse [i]; primùmque quod à nobis orari voluit, fuit, vt hoc nomen sanctificaretur. Quocirca censeri quadam ratione CHRISTVS potest plus Paulo commendasse, quàm cùm Petro Ecclesiam, Ioanni matrem propriam [k].

d Gen. 49.5.
e ibid. 6.
f cap. 9.2.
g 22. contra Faust. c. 70.
h Gen. 49.7.
i Ioan. 17.6.
k Mat. 6.9.

410.2.A, 11. cum minis. Priusquàm mittatur Moses, videt rubum cum flammis [l]; ostensa etiam Iacob scala mystica [m]; Abrahæ immissus sopor, horrorque magnus & tenebrosus, caligo tenebrosa, clibanus fumans, lampas ignis [n], Esaiæ purgata calcula ignito labia [o]. His modis ostendebatur, quanta deberent pro DEO pati. Iidem Pastores, qui Doctores [p]; ars verò pastoritia laboribus maximis obnoxia, vt de se testatus est Iacob [q]: in omni patientia, & doctrina prædicandum Timotheo scripsit, rei expertus difficultates, ipsemet Paulus [r]. Nihil laboriosius, quàm dedocere pestilentes tum errores, tum mores.

l Exod. 3.2.
m Gen. 28.12.
n Gen. c. 15. 12.17.
o Esa. 6.6.7.
p Eph. 4.11.
q Gen. 31.41.
r 2. Tim. 4.2.

546.2.C,8. EVCHARISTIA. Philaster locum citat, vt probet Dauidem Prophetam fuisse, & maiore quadam scientia donatum à DEO, quàm alios.

640.2.E,2. baiuli, optiones, tesserarij, speculatores, vel spiculatores, inter quæ quid intersit, docet Lælius Bisciola [s], &

641.2.A,1. Martialem, & Lælium Bisciolam [t], quem post iam editum istum Commentarium recognoscens, legi, ac Ræuardum [u].

s 5. hora. subs. cap. 5.
t 5. hor. subs. cap. 1.
u li. 2. Variar. cap. 8.



INDEX



INDEX LOCORVM MAXIME ILLVSTRIVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVÆ HOC IN OPERE TOTO NVNC FVSE, NVNC BREVITER sed accuratè explicantur.

Quæ porrò loca Scripturæ à D. Luca in hoc opere prolata sunt, ea inserenda non putauimus, cùm tanquàm illius propria non obiter ab Auctore, vt alia, sed ex instituto explicata suis locis habeantur.

EX VETERI TESTAMENTO.

8.11.*Om*

EX NOVO TESTAMENTO.

15.19.

INDEX

RERVM, ET SENTENTIARVM

AMPLISSIMVS, NECNON ET

CVIVSCVMQVE GENERIS VERBORVM, PHRASEONQVE DIVERSARVM QVÆ IN hoc toto opere continentur.

Ado

Interpre

Ascen

C

Christi

D.

peius

F.

I

daicum

fontes

M

Mali

N

O

P

Q

R

S

Scripturam

Scripturam

T

erogare

Vota

DEO *JESV* CHRISTO *æterni* DEI *æterno* FILIO, *laus & gloria in æternum.*